BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
X
F
30
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NOBILI ADMODVM AC STRENVO VIRO, D. GVILIELMO A VVALDENBVRG, COGNOMENTO SCHENCKERN, ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI D. IOANNIS GVLIELMI, IVLIAE, CLIVIAE, ET MONTIVM DVCIS,

Comitis Marchiæ, &c. Consiliario intimo & Satrapæ in Steinbach, &c. Domino suo plurimùm colendo.

PRRODIT demum, Nobilis admodum & strenue Domine, Tomus alter insignis illius Operis, THESAVRI CATHOLICI inquam, cuius priorem partem anno superiore proximo è Typographia nostra in lucem dedimus. Fœtus hic velut posthumus est pijssimi doctissimique Viri IODOCI COCCII, Collegiatæ apud Iuliacenses Ecclesiæ Canonici, dum in humanis esset, quem Auctor, immatura morte præuentus, ipse quidem edere non potuit; at ita tamen ad edendum disposuit omnia vir laboriosissimus, toties exactam illam acerrimi iudicij limam adhibuit, antequam è vita decederet, vt nihil ferè reliquum esset in vniuerso Opere, quod extremam ipsius manum desideraret. Et priorem quidem Tomum iure suo quodam sibi vindicauit Illustrissimus Princeps ac Dominus, D. IOANNES GVLIELMVS, Iuliæ, Cliuiæ, & Montium Dux, Comes Marchiæ, &c. sub cuius tutela atque patrocinio fœtus hic, continuis viginti quatuor annorum vigilijs conceptus, tandem ad maturitatem peruenit: Alterum verò hunc nihil dubito quin Auctor ab eo tempore, quo consilium edendi cępit, Nob. D. V. perpetuò destinarit; Cuius admonitu laborem hunc susceperat primùm, vti referre solebat, & Opus ipsum in ordinem, quem secutus est, commodissimum digesserat; Cuius opera, studio, atque munificentia in conquirendis varij generis Auctoribus, qui ad telam hanc pertexendam legendi erant, frequenter adiutus fuerat; Cuius humanitas insignis, & summa benignitas non raro fatiscentem sub onere, ac penè deficientem erexerat, & sustentarat, adeoque animum addiderat ad superandas difficultates, quas in hoc Opere perficiendo propemodum infinitas persensit. Itaque Nob. D. V. ille colebat veluti Mecęnatem suum, de ea honorificè loquebatur ad omnes; præclaras Nob. D. V. & heroicas virtutes, affectum ardentissimum in Deum, in Ecclesiam; studium feruens in conseruanda propagandaque Religione Catholica, amorem in Principem, in patriam, cum insigni fidelitate coniunctum, vigilantiam & dexteritatem in rebus agendis, summam iudicij acrimoniam, & maturitatem, vitæ morumque innocentiam, in prosperis moderationem animi, in aduersis admirabilem constantiam & generositatem, zelum in admi-

NAPOLI

Digitized by Google

nistranda iustitia, nec largitionibus vnquam, nec humano fauore corruptum, & id genus alia, summis laudibus extollebat. Imò Nob. D. V. Dei beneficio ceu murum aheneum fraudulentis hæreticorum machinationibus obiectam censebat; adeoque constitutam post pijssimum Principem ijs locis veluti columnam, cui res Catholica inniteretur. Hæc ille, cùm apud nos moraretur Coloniæ, quotiescunque sermo de Nob. D. V. incidit, prolixè prædicare consueuerat; quæ publico bonorum omnium, qui sincerum habent in Catholicam Religionem affectum, iudicio confirmantur. Quamobrem, si vitam illi in hunc vsque diem prorogasset Deus, haud dubiè secundum hunc CATHOLICI THESAVRI Tomum sub clarissimo Nob. D. V. nomine in publicum emisisset, & præclaras eiusdem virtutes, de quibus pauca delibaui, quemadmodum inter amicos commemorare solebat viua voce, ita calamo quoque prædicasset ad posteros, atque æternitati consecrasset. Quod cùm ex diuturna, quam cum illo habui, eaque iucundissima consuetudine satis mihi compertum esset, impulit me partim affectus in virum optimum, partim etiam, vt verum fatear, obseruantia illa, qua Nob. D. V. ob insignia virtutum ornamenta prosecutus sum, vt de hoc illius, COCCII nostri inquam, iudicio ac voluntate publicum aliquod testimonium huic Operi adiungerem, eiusque Tomum alterum Nob. D. V. dedicarem. Neque verò mihi dubium est, quin Auctor, si qua posset consilium meum ex ipsis sepulcri latebris comprobaret; vel è cælo potius, vbi felix anima beato electorum cœtui coniuncta, vti speramus, iucundissimo laborum suorum præmio fruitur. Valeat Nob. D. V. & quod huius feci, non alio à me, quàm sincero, suique amante animo factum interpretetur. Coloniæ Agrippinæ 9. Ianuarij. Anno Domini M. DCI.

Nob. D. V.

addictiss.

Arnoldus Quentelius
Typographus.

Digitized by Google

INDEX LIBRORVM ET ARTICVLORVM TOMI SECVNDI.

LIBER PRIMVS: de Natura Hominis. pag. 1

ARTICVLVS I. Animam præstantissimam hominis partem, nec ex diuina essentia, nec ex traduce, nec ex elementis: sed ex nihilo, cum corpore à Deo creatam, incorporeum esse spiritum: singula corpora singulas & proprias animas sortiri, nec de corpore ad corpus migrare, nec ante corpus alibi extitisse. pag. 1

II. Animam spiritum esse immortalem, corpore defuncto non simul interire: sed semper superstitem manere, viuere, & intelligere. 15

III. Adam primum hominem in statu innocentiæ fuisse summè iustum & intelligentem, voluntatis liberrimæ, multis supernaturalibus donis præditum, non eguisse speciali illo auxilio, quo ad bene operandum excitaretur: caruisse illa concupiscentia, qua nunc laboramus; corpus quoque, si anima diuinæ legi paruisset, non potuisse mori. 24

IV. Post lapsum Adami hominem proprijs naturæ viribus nihil boni perficere posse, semper diuina gratia & auxilio indigere. 35

V. Hominem, etiam post lapsum, liberi esse arbitrij; ad bene vel malè agendum nulla diuina vel fatali necessitate cogi, sed sua sponte vel Deum monitorem ad bonum, vel diabolum seductorem ad malum sequi. 52

LIBER SECVNDVS: de Peccato Hominis. 74

ARTICVLVS I. Peccati causam non esse Dei vel Præscientiam, vel Prædestinationem: sed hominem nulla vi coactum, sua sponte ac voluntate diabolum monitorem sequi, & peccatum committere. 74

II. Peccatum Originale omne genus hominum infecisse: non imitatione, sed prorogatione in omnes transfusum esse. 90

III. Peccatum Actuale aliud alio esse grauius: aliud veniale, aliud mortale: ideoque angue peius vitandum. 106

IV. Superbiam, vt mortale peccatum, fugiendam. 116

V. Auaritiam, vt mortale peccatum, vitandam. 127

VI. Inuidiam, cùm sit mortale peccatum, deponendam. 144

VII. Gulam, Ebrietatem, seu omnem excessum in cibo & potu mortale esse peccatum. 156

VIII. Luxuriam, Scortationem, Adulterium, &c. graue ac mortale esse peccatum. 175

IX. Iræ, quia est peccatum, resistendum. 187

X. Acediam, Pigritiam, Desidiam, Tristitiam, &c. esse fugiendam. 204

LIBER TERTIVS: de Iustificatione Hominis, seu Fide & operibus. 211

ARTICVLVS I. Homines impios, & nondum Baptismate renatos, vera in Chri-

stum Saluatorem fide, & eius confessione, absque omni præcedentium bonorum operum, quæ non habent, adminiculo saluari: & sine illa fide nullum hominem salutem consequi. 211
II. Homines fide iustificatos, per Dei gratiam & auxilium, Christi mandatis parere posse. 219
III. Fide semel iustificatis, ad maiorem Dei gratiam, iustitiam, & vitam æternam consequendam, solam deinceps fidem non sufficere, sed etiam bona opera necessaria & meritoria esse. 224
IV. Orationem hominis rectè in Christum credentis esse opus bonum, ad salutem non minus vtile, quàm necessarium. 242
V. Certa orationum loca deligere, magnificis ędificijs ornare, & solennibus Pontificum precibus consecrare, pium esse, & vtile. 254
VI. Campanas, quibus Clerus & populus ad preces conuocatur, earumque benedictionem, & pulsum aduersus tonitrua & tempestates non improbandum. 267
VII. De publicis & solennibus Ecclesiæ precibus, Litanijs, Supplicationibus & Processionibus. 271
VIII. Ieiunium esse bonum opus, valde prodesse homini ad salutem, & ad impetranda à Deo quæ cupit. 278
IX. Indicta ab Ecclesia Ieiunia, vt sunt Quadragesimæ, quartæ & sextæ Feriæ, item Sabbati, &c seruanda esse. 292
X. Statutis ieiuniorum temporibus à certis ciborum generibus abstinendum esse. 309
XI. Eleemosynam indigentibus dare esse opus bonum, Deo acceptum, danti bono animo de suis meritorium. 320

LIBER QVARTVS: DE CONSILIIS Euangelicis, & vita Monastica. 341

ARTICVLVS I. Consilia Euangelica non improbanda. 341
II. Monasticam vitam, vt antiquissimam, sic omnium piorum encomijs celebratam, ad rectius animum pijs operibus excolendum valere. 348
III. Facultates suas relinquere propter Christum consilij esse Euangelici, & meriti singularis: Ergo non licere Monachis post præstitum paupertatis votum proprium obtinere. 370
IV. Castitatem esse Consilij Euangelici, Deo magis, quàm coniugium placere: Ergo Monachos & Moniales post præstitum votum continenter debere viuere. 389
V. Obedientiam, quam inferiores superioribus exhibent, esse Deo gratam, & acceptam: ergo Monachos post professionem iuxta regulam suis Prælatis obedire debere. 409
VI. Vota honesta Deo reddenda: ergo eos, qui vouerunt vitam Monasticam, non posse ad seculum redire. 423
VII. De Monachorum habitu. 440
VIII. De Monachorum & Clericorum tonsura. 448
IX. Monachos & Clericos, qui Deo & Ecclesiæ inseruiunt, domos, agros, decimas, & pecunias rectè à laicis accipere, vt inde & ipsi viuant, pauperibus subueniant, sacras ædes sartas tectas seruent: Ergo iniquè facere, qui huiusmodi bona rapiunt, vel repetunt. 454

LIBER QVINTVS: DE SACRAMENTIS in genere, ac Baptismo & Confirmatione. 469

ARTICVLVS I. Sacramenta veteris Legis non habuisse eandem virtutem & efficaciam quam habent Sacramenta nouæ Legis. 469
II. In administratione Sacramentorum sacerdotis malam vitam & doctrinam obesse, si modò iuxta institutum & intentionem Ecclesiæ suo munere fungatur. 476

III. In aliquibus Sacramentis, ut Baptismo, Confirmatione & Ordine imprimi animæ characterem, seu signum aliquod spirituale & indelebile. 485
IV. Baptismum esse primum novæ Legis Sacramentum, gratiam conferre, & sine eo neminem salvari. 488
V. Baptismum Ioannis non habuisse eandem vim & efficaciam cum Baptismo Christi ad remissionem peccatorum. 505
VI. Infantes esse Baptizandos, propria fide carere, & sine Baptismo non salvari. 514
VII. Baptismum in periculo mortis, ubi nec sacerdos, nec aliquis Clericorum haberi potest, à Laicis, non solùm viris, sed etiam mulieribus collatum, verum esse sacramentum. 525
VIII. Aquæ Baptismalis consecrationem, & aquæ benedictæ usum non improbandum. 528
Ritum benedictionis aquæ multas Ecclesias nostra memoria adhuc servare, 530
IX. De Olei & Chrismatis benedictione, quæ fit certis orationibus & signo Crucis per Episcopum: & ejus usu in Baptismo, Confirmatione, Ordinatione sacerdotum, &c. 538
X. De cereorum & luminum in administratione quorundam Sacramentorum (ut Baptismatis Eucharistiæ, Matrimonii &c.) usu. 547
XI. De Baptisteriis. 555
XII. Ad Baptismum adhibendos esse patrinos, compatres, susceptores, fideiussores. 557
XIII. In Baptismo diabolo & pompis ejus renuntiandum, ac insufflandum esse. 562
XIV. De Exorcismis Energumenorum & Catechumenorum. 567
XV. Confessionem fidei requiri in Baptismo. 573
XVI. De tribus in Baptismo immersionibus. 577
XVII. Sal in ore Baptizati ponendum. 581
XVIII. In Baptismo tangi cum sputo nares & aures, an probandum. 582
XIX. De mundæ ac candidæ vestis usu in Baptismo. 584
XX. Confirmationem esse secundum novæ Legis sacramentum, à solis Episcopis administrari gratiamque conferre. 588

LIBER SEXTVS:

De Eucharistia. 601

ARTICVLVS I. In Eucharistia sub speciebus panis & vini veram Iesu Christi carnem, ac verum ejus sanguinem exhiberi. 601
II. Eucharistiam ritè sumenti gratiam conferre 635
III. Laicorum sub una panis specie Communionem approbandam, & in Ecclesia usitatam esse. 646
IV. De Missæ sacrificio. 654
V. Melchisedechum panem & vinum non Abrahamo in cibum & potum, sed Deo altissimo sacrificium obtulisse: & illud sacrificium fuisse figuram Christi oblationis, & unici sacrificij Christianorum Missæ. 679
VI. Malachiam Prophetam cap. 1. de sacrificio Missæ prædixisse. 686
VII. Christum in Eucharistia præsentem adorandum esse. 689
VIII. Miracula ad veritatem Eucharistiæ, & sacrificij missæ confirmandam divinitus edita, Christi Ascensione, usque ad annum 1591. 694
IX. De Altarium consecratione & usu ad divinum sacrificium. 717
X. De sacris vasis, calicibus, patinis &c. 730
XI. De sacris vestibus. 738
XII. De Thuris in divinis officiis usu. 745
XIII. In sacrificio Missæ vinum aqua miscendum esse. 750
XIV. Sacerdotes celebrantes osculari altare, librum, pacem: & adstantes se mutuò osculari osculo pacis, an approbandum. 755
XV. De oblationibus in Missa. 758
XVI. De sacræ Eucharistiæ in Missa elevatione. 763
XVII. Sacerdotes non in omni, sed tantùm in loco sacro Missas celebrare debere. 765

Digitized by Google

XVIII. Non quolibet, sed certo & statuto tempore Missam esse celebrandam. 768.

XIX. Eucharistiam jejuno stomacho consecrandam, & sumendam esse. 770.

XX. Gestus & cæremoniæ orantium sunt pectoris tunsiones, cordis suspiria, oculorum elevationes, manuum extensiones, genuum flexiones, &c. ergo rectè facere sacerdotes, qui in sacrificio Missæ eisdem utuntur. 774.

LIBER SEPTIMVS: DE POENITENTIA, & extrema Vnctione. 780

ARTICVLVS I. Pœnitentiam esse quartum novæ Legis Sacramentum, lapsis post Baptismum ad recuperandam gratiam necessarium, efficax & salutare. 780.

II. Cordis contritionem, & lachrymas requiri ad Pœnitentiam. 796.

III. Confessionem peccatorum coram Sacerdote faciendam. 809.

IV. Culpa dimissa, temporalem pœnam restare exsoluendam: pro ea satisfieri orationibus, eleemosynis, ieiuniis, suiipsius afflictionibus, &c. 823.

V. Verè contritos & confessos, si ante præstitam Satisfactionem decesserint, pœnis Purgatoriis ad definitum tempus torqueri: & eiusmodi pœnas Ecclesiæ & amicorum sacrificiis, orationibus, eleemosynis & ieiuniis mitigari. 846.

VI. Extremam Vnctionem esse quintum novæ Legis Sacramentum, & gratiam conferre. 875.

LIBER OCTAVVS: DE Ordine. 883.

ARTICVLVS I. Ordinem esse sextum novæ Legis Sacramentum, quo certa gratia & potestas spiritualis quibusdam viris traditur, & certum munus in Ecclesia gerant. 883.

II. Presbyteros Episcopis esse inferiores, Diaconis superiores, omni honore dignos, solos Corpus & sanguinem Domini conficere, peccata ligare, & solvere, si modò ritè sint ordinati. 893.

III. Diaconos olim non tantùm fuisse dispensatores eleemosynarum; sed etiam Ministros Ecclesiæ ab Episcopo ordinatos, ut in sacrificio Presbyteris inservirent, Evangelium legerent: non tamen pares Presbyteris essent. 907.

IV. De Subdiaconis, Lectoribus, Exorcistis, Acolythis, & Ostiariis. 915.

V. Clericos, & Monachos rebus divinis vacare, honestè & inculpatè vivere non negotiis secularibus, turpibus lucris, aucupiis, venationibus, aleis, &c. vacare debere. 924.

VI. Clericos in majoribus Ordinibus constitutos, continenter debere vivere, nec posse uxores ducere. 937.

VII. Digamos non esse ad sacros Ordines admittendos. 955.

VIII. De Clericorum immunitate. 961.

IX. Certa orandi tempora, Horas Clericorum Canonicas, nocturnos & diurnos ad communes preces conventus, Hymnodias & Psalmodias in Ecclesia usitatas. 969.

LIBER NONVS: DE Matrimonio. 986.

ARTICVLVS I. Matrimonium, seu legitimam unius maris & fœminæ copulationem, rectè inter Sacramenta novæ Legis referri: eis, qui nullum continentiæ votum præstiterunt, licitum & honestum esse. 986.

II. Vnum uno eodemque tempore virum duas vel plures uxores habere non posse. 1001.

III. Facto inter conjuges divortio, nulli licere vivente uno alteri copulari. 1008.

IV. Cogna-

Digitized by Google

IV. Cognationem spiritualem contrahi in Baptismo, & Matrimonium impedire. 1016.
V. Certos propinquitatis & affinitatis gradus apud Christianos contrahenda Matrimonia impedire, & iam contracta separare. 1021.

LIBER DECIMVS: DE QVATVOR hominis nouissimis. 1027.

ARTICVLVS I. Omnia omnium hominum corpora esse mortalia: eiusmodi mortem impijs formidabilem, pijs optandam esse. 1027.
II. Ante corporum resurrectionem, mundum hunc, in quo agimus, per ignem iudicatum, finem habiturum: interiturum, quoad figuram, non quoad substantiam: cælum nouum, ac terram nouam fore: de die autem illa & hora nemini mortalium certi quid constare. 1046.
III. Antichristum certum quendam hominem futurum, nondum venisse, in fine mundi venturum, Iudæum ex tribu Dan nasciturum, Hierosolymis in templo Salomonis sessurum, miracula mendacia facturum, Monarcham totius mundi euasurum, Christianos toto orbe persecuturum, Enoch & Heliam ei se oppositurors, tandemque interficiendum spiritu oris Domini. 1057.
IV. In fine mundi omnia omnium hominum corpora in eadem carne esse resurrectura. 1073.
V. Post resurrectionem vniuersale secuturum iudicium in momento, quo Christus iudex cuique secundùm opera sua tribuet. 1094.
VI. Animas defunctorum nec in Purgatorio, nec in Gehenna inuenire locum, quo illud, quod hic neglexerunt, vel pœnitentia, vel vllis bonis operibus exoluant: nullum illis vel merendi, vel demerendi locum, sed solùm pœnam restare. 1113.
VII. Animas hominum infidelium, & planè impiorum à morte corporum statim ad inferos detrudi, ibique perpetuas scelerum pœnas luere. 1120.
VIII. Post resurrectionem & iudicium impios corpore & anima perpetuas in inferno scelerum pœnas luituros esse. 1134.
IX. Post extremum Iudicium Christi regnum non in terris terrenum, sed in cælis cæleste: non ad tempus, sed in omnia secula futurum esse: in quo benedicti cum corpore & anima viuent, Deum videbunt, Angelis conuersabuntur, pro meritorum diuersitate diuersis præmijs afficientur, vita æterna, & summa felicitate fruentur. 1154.

FINIS.

INDEX
LOCORVM SACRAE SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC II. TOMO SPARSIM EXPLICANTVR, LIBRORVM, CAPITVM, ET VERSVVM ORDINE SERVATO.

EX VETERI TESTAMENTO.

Genesis.

CAP. 1. vers. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram* 15.a 17.b 28.a 32.a 34.b
27. *Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos* 31.a 1003.a
28. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram* 28.b
31. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat: & erant valde bona* 81.a
2. 7. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem* 5.a b 7.b 10.b & seq. 12.b 14.b 17.a 25.a & seq.
9. *Produxitq́; Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue: lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni & mali* 68.a
17. *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris* 34.a 281.a 290.b
19. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius* 26.b 34.a
23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea* 15.b 26.b & seq.
24. *Et erunt duo in carne vna* 1005.a & seq.
25. *Erat autem vterque nudus, Adam scilicet & vxor eius: & non erubescebant* 29.b
3. 9. *Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es?* 29.a
14. *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ* 168.b
17. *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ* 859.a
24. *Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ* 863.b
4. 7. *Nonne si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius* 59.b 68.a & seq. 72.a
6. 3. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est* 209.a 849.b
7. 7. *Et ingressus est Noe & filij eius, vxor eius & vxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquas diluuij* 398.a
8. 16. *Egredere de arca tu & vxor tua, filij tui & vxores filiorum tuorum tecum* ibid.
21. *Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua* 97.a
9. 6. *Ad imaginem quippe Dei factus est homo* 12.b
14. 18. *At verò Melchisedech rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit cælum & terram* 679.b & seqq. 685.b
15. 27. *Cum ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas* 1106.b
28. 16. *Cumque euigilasset Iacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco isto; & ego nesciebam* 265.a
17. *Pauensque: Quàm terribilis est, inquit, locus iste? non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli* ibid.
29. 30. *Tandemq́; potitus optatis nuptijs, amorem sequentis priori prætulit* 1003.b
45. 24. *Dimisit ergo fratres suos, & proficiscentibus ait: Ne irascamini in via* 197.a
47. 22. *Præter terram sacerdotum, quæ à rege tradita fuerat eis: quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas* 467.a 963.a & seqq.
49. 8. *Iuda te laudabunt fratres tui* 823.a
11. *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem ô fili mi asinam suam. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum* 618.b 620.b 634.a b 678.a b
12. *Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores* 634.b
16. *Dan iudicabit populum suum sicut & alia tribus in Israel* 1059.a 1065.a 1067.a b & seq.
17. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro* 1060.b 1063.a 1065.a 1068.a b 1070.b
18. *Salutare tuum expectabo Domine* 1067.a
50. 24. *Cumq́; adiurasset eos, atque dixisset: Deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum de loco isto: mortuus est* 1078.a

Exodus.

10. 27. *Indurauit autem Dominus cor Pharaonis, & noluit dimittere eos* 81.b

12. 11. Sic

12. 11. *Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes* 612.a
20. 24. *Altare de terra facietis mihi* 53.a
22. 8. *Si latet fur, dominus domus applicabitur ad Deos, & iurabit quòd non extenderit manum in rem proximi sui* 902.a
29. *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere* 296.a
26. 14. *Facies & operimentũ aliud tecto de pellibus arietũ rubricatis: & super hoc rursum aliud operimentum de hyacinthinis pellibus* 407.a
28. 42. *Facies & fœminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis suæ, à renibus vsque ad femora* 950.a 952.a
31. 14. *Qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui* 869.a
32. 10. *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq́; te in gentem magnam* 249.a
32. *Aut dimitte eis hanc noxam: aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti* 1080.b
40. 13. *Et lotos aqua indues sanctis vestibus, vt ministrent mihi* 540.b

Leuiticus.

6. 12. *Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos, subijciens ligna manè per singulos dies* 551.b
27. *Quicquid tetigerit carnes eius, sanctificabitur* 830.b
7. 17. *Quicquid autem tertius inuenerit dies, ignis absumet* 1081.a
8. 31. *Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi comedite eas* 722.a
10. 9. *Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu, & filij tu, quando intrabitis in tabernaculum testimonij, ne moriamini* 927.b
10. *Et vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum* 928.b
11. *Doceatisq́; filios Israel omnia legitima mea* 927.b
11. 7. *Et sus: qui cùm vngulam diuidat, non ruminat* 316.b
8. *Horum carnibus non vescemini, nec cadauera contingetis, quia immunda sunt vobis* ibid.
13. 2. *Homo, in cuius cute & carne ortus fuerit diuersus color siue pustula, aut quasi lucens quippiam, id est, plaga lepræ, adducetur ad Aaronem sacerdotem, vel ad vnum quemlibet filiorum eius* 820.b
19. 29. *Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, & impleatur piaculo* 997.a
21. 21. *Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo* 929.a
23. 27. *Decimo die mensis huius septimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus: affligetisq́; animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino* 288.b
24. 10. *Ecce autem egressus filius mulieris Israelitidis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Israel, iurgatusq́; est in castris cum viro Israelite* 1069.a b
11. *Vocabitur autem mater eius Salumith filia Dabri de tribu Dan* ibid.
27. 29. *Et omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur* 468.a

Numeri.

3. 6. *Applica tribum Leui, & fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, vt ministrent ei* 9'4.a
18. 11. *Primitias autem, quas vouerint, & obtulerint filij Israel, tibi dedi, & filijs tuis, ac filiabus tuis iure perpetuo* 467.a
20. *Dixitq́; Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israel* 372.a
21. *Filijs autem Leui dedi omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis* 467.a
19. 20. *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ: quia sanctuarium Domini polluit, & non est aqua lustrationis aspersus* 22.a
24. 5. *Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel* 350.b
30. 3. *Si quis virorum votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento: non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit* 428.a
31. 23. *Et omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur: quicquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur* 849.b
24. *Et lauabitis vestimenta vestra die septimo, & purificati postea castra intrabitis* ibid.
35. 2. *Præcipe filijs Israel, vt dent Leuitis de possessionibus suis* 458.a

Deuteronomium.

12. 23. *Hoc solum caue, ne sanguinem comedas: sanguis enim eorum pro anima est. & idcirco non debes animam comedere cum carnibus* 18.a
13. 3. *Tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra* 1107.a
29. 4. *Non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possunt audire vsque in præsentem diem* 81.b
23. *In exemplum subuersionis Sodomæ, & Gomorrhæ, Adamæ, & Seboim, quas subuertit Dominus in ira, & in furore suo* 1134.a
30. 14. *Iuxta te est sermo valde, in ore tuo & in corde tuo, vt facias illum* 221.b
32. 33. *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum sanabile* 164.b
50. *Mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, & appositus populis suis* 1080.b
33. 22. *Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan* 1059.a

Iosue.

7. 25. *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac* 823.b

Ruth.

1. 20. *Ne vocetis me Noëmi, (id est pulchram:) sed vocate me Mara (id est amaram:) quia amaritudine valde repleuit me Omnipotens* 807.b

1. Regum.

1. 19. *Recordatus est eius Dominus* 251.b
2. 6. *Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit* 869.b & seq.
10. 1. *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effu-*

dit super caput eius, & deosculatus est eum, & ait: Ecce, vnxit te Dominus super hereditatem suam in principem. 889.b

15. 22. Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quam victimæ: & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum. 416.b & seq.

23. Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere ibid.

16. 13. Et directus est Spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps 889.b

18. 8. Dederunt Dauid decē millia, & mihi mille dederūt: quid ei superest, nisi solū regnū? 145.a

3 Regum.

17. 10. Da mihi paululū aquæ in vase, vt bibā 238.b

11. Affer mihi obsecro & bucellam panis in manu tua ibid.

2. Paralipomenon.

5. 4. Cumq; venissent cuncti seniorum Israel, portauerunt Leuitæ arcam. 264.b

5. Et intulerunt eam, & omnem paraturam tabernaculi ibid.

32. 26. Humiliatusq; est postea, eo quòd exaltatum fuisset cor eius, tam ipse, quàm habitatores Ierusalem. 121.a

2 Esdræ.

9. 3. Et consurrexerunt ad standum: & legerunt in volumine Legis Domini Dei sui, quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum 982.b

Tobias.

4. 14. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio 126.b

12. 8. Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere 329.a

9. Quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata ibid.

Iob.

3. 3. Pereat dies, in qua natus sum; & nox, in qua dictum est: Conceptus est homo 94.a

5. 2. Virum stultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia 151.b 154.a 200.a

7. 7. Non reuertetur oculus meus, vt videat bona 1117.a

9. 28. Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti 840.b

10. 1. Loquar in amaritudine animæ meæ 804.a

15. Et si impius fuero, væ mihi est 92.b

22. Terram miseriæ & tenebrarum 1145.b

14. 19. Lapides excauant aquæ, & alluuione paulatim terra consumitur: & homines ergo similiter perdes 950.a

16. 14. Circundedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos 67.b

19. 26. Rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum 1093.a

27. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius 1085.b

25. 4. Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? 92.b

26. 7. Qui extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum 387.a b

31. 12. Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina 186.b

36. 6. Sed non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuet 346.a

38. 22. Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti? 407.b

40. 11. Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius 178.a

Psalmi.

1. 5. Ideo non resurgunt impij in iudicio: neque peccatores in consilio iustorum 1082.b

4. 5. Irascimini, & nolite peccare 195.a 198.b & seq 201.a b & seqq.

6. Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino 841.a

8. A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt. 621.b

6. 2. Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me 199.a 864.a

6. Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi? 1115.a 1117.a b 1119.a

7. Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratū meum rigabo 800.b 804.a

8. Turbatus est à furore oculus meus 201.a

7. 13. Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum 1045.a

8. 2. Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! 245.b

6. Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum 26.b

9. 18. Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliuiscuntur Deum 1123.b

4. Exacerbauit Dominum peccator 1069.b

13. 3. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem 153.b

15. 9. Caro mea requiescet in spe 1092.a

16. 4. Propter verba labiorum tuorum, ego custodiui vias duras 223.a

17. 5. Circundederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me 1044.a 1124.b

21. Et retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam, & secundùm puritatē manuum mearum retribuet mihi 69.b

25. Et retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam. &c. ibid.

45. In auditu auris obediuit mihi 419.b

18. 14. Ab occultis meis munda me 101.a Emundabor à delicto maximo 126.a

21. 27. Edent pauperes, & saturabuntur 643.a

31. Et anima mea illi viuet: & semen meum seruiet ipsi 17.a

22. 5. Parasti in conspectu meo mēsam aduersus eos qui tribulant me 285.b 607.b 658.a 726.a calix meus inebrians quàm præclarus est! 642.a

26. 1. Dominus illuminatio mea & salus mea: quē timebo 595.a

28. 2. Adorate Dominum in atrio sancto eius 265.b

31. 2. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus 92.a

32. 15. Qui finxit sigillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum 8.a b 15.b

33. 7. Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum 379.a

21. Mors peccatorum pessima 1030.b
36.23. Apud Dominum gressus hominis dirigetur, & viam eius volet 36.b
24. Cùm ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam 39.a
37.2. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me 861.a b 865.b
6. Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ 114.b
7. Tota die contristatus ingrediebar 177.b
8. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus ibid.
19. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo 810.b 840 a
38.12. Tabescere fecisti sicut araneam animam eius 842.b 849.b
39. 4. Immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro 658.a
13. Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem 97.a
40.2. Beatus vir, qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus 332.a
10. Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem 64.a
44.10. Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate 407.a
48.15. Sicut oues in inferno positi sunt: Mors depascet eos 872.a
16. Deus redimet animam meam, de manu inferi cùm acceperit me ibid.
49. 3. Deus manifestè veniet: Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet: & in circuitu eius tempestas valida 1106.a
14. Immola Deo sacrificium laudis: & redde Altissimo vota tua 427.b 429 b
50. 6. Tibi soli peccaui, & malũ coram te feci 803.a
7. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea 92.b 94.a & seq 97.a 100.b & seq. 104.b 996.b
9. Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor 503.a b 585.a b
12. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis 79.b
14. Spiritu principali confirma me 36 a
19. Sacrificium Deo spiritus cõtribulatus, cor cõtritum & humiliatũ Deus non despicies 803 a
54.18. Vespere, & manè, & meridie narrabo & annuntiabo, & exaudiet vocem meam 976.a
55. 13. In me sunt Deus vota tua, quæ reddam, laudationes tibi 429 b
56. 5. Dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus 154.a
58. 11. Deus meus, misericordia eius præueniet me 45.b
59.10. Moab olla spei meæ 858.a
14. In Deo faciemus virtutem 45.a
65. 13. Reddam tibi vota mea, quæ distinxerũt labia mea. Et locutum est os meum in tribulatione mea 428.b 433.a
67.21. Deus noster Deus saluos faciendi: & Domini Domini exitus mortis 1033.b
35. Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo 1091.b
68.11. Et operui in ieiunio animam meam 285.a
71.16. Et erit frumentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus eius: & florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ 635 b 679 b 763.a 764.b
73.13. Contribulasti capita draconum in aquis 493.b 498.a
74.3. Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo 1109.b
75. 6. Dormierũt somniũ suũ: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis 136.b
12. Vouete, & reddite Domino Deo vestro: omnes q in circuitu eius affertis munera 428.b 431.b 436.a b
76.7. Et meditatus sum nocte cũ corde meo: & exercitabar, & scopebam spiritum meum 806.a
83. 5. Beati, qui habitant in domo tua Domine: in secula seculorum laudabunt te 1161.b
88 49 Quis est homo qui viuet, & non videbit mortẽ: eruet animam suam de manu inferi? 871.a
90.6. Ab incursu & dæmonio meridiano 206.a
7. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis 66 a
93.13. Vt mitiges ei à diebus malis: donec fodiatur peccatori fouea 872.a b
15. Quoadusque iustitia conuertatur in iudicium ibid.
17. Nisi quia Dominus adiuuit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea 39.a
18. Si dicebam, Motus est pes meus: misericordia tua Domine adiuuabit me 39.a
19. Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam ibid.
98. 5. Adorate scabellum pedum eius: quoniam sanctum est 692.a
101.26. Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli 1054.a
27. Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent 1049 a
Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur 1051.a & seq 1054.b 1056.a
103.5. Qui fundasti terrã super stabilitatẽ suã 1051 b
15. Panis cor hominis confirmet 39.b
105.11. Et operuit aqua tribulantes eos: vnus ex eis non remansit 498.b
109.4. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech 612.b 680.a b 682 & seqq.
111. 2. Potens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur 236 b
4. Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors, & miserator, & iustus 1079.a
113. 3. Mare vidit, & fugit: Iordanis conuersus est retrorsum 518.a
5. Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt 158.b
6. Aures habent, & non audient: nares habent, & non adorabunt ibid.
115.14 Vota mea Domino reddam coram omni populo eius 427 b
15 Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius 1029.a b
117.13. Impulsus euersus sum vt caderem: & Dominus suscepit me 39 a
118.21. Increpasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis 121.a
28. Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in

me in verbis tuis 206.a & seq.

89. *In æternum Domine verbum tuum permanet in cælo* 1052.a

96. *Latum mandatum tuum nimis* 222.a & seq. 329.b

103. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* 983.a

109. *Anima mea in manibus meis semper* 72.b

136. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam* 804.a & seq. 835.a 841.b

164. *Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ* 976.a 979.b 981.b

170. *Intret postulatio mea in conspectu tuo* 230.b

175. *Viuet anima mea, & laudabit te* 96.a

125.6. *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos* 235.b

126.1. *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam* 37.b

131. 2. *Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob* 435.b

132. 1. *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum* 360.a

133. 2. *In noctibus extollite manus vestras in sancta* 329.b

135.25. *Qui dat escam omni carni* 634.a

138. 5. *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam* 28.b

16. *Dies formabuntur, & nemo in eis* 150.a

142.2. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens* 100.b

6. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi* 46.a

10. *Doce me facere voluntatē tuam, quia Deus meus es tu* 230.a

146.8. *Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam. Qui producit in montibus fænum, & herbam seruituti hominum* 459.b

Prouerbia.

3. 9 *Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarū* 332.a 337.b

6.26. *Pretiū enim scorti vix est vnius panis* 184.a

27. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimēta illius non ardeant?* 950.a

34. *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ* 145.b

9. 5. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis* 614.b

11.14. *Vbi non est gubernator, populus corruet: salus autem, vbi multa consilia* 412.b

23. *Præstolatio impiorum furor* 200.b

13. 4. *Vult, & non vult piger* 208.a

8. *Redēptio animæ viri, diuitiæ sua* 138.a 325.b 330.a

14.30. *Vita carnium, sanitas cordis: putredo ossium inuidia* 152.a b

15. 18. *Vir iracundus prouocat rixas* 200.a

27. *Per misericordiam & fidem purgantur peccata* 329.a

18.14. *Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere?* 200.a

19.15. *Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet* 207.b

17. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis* 330.a

20.4. *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi* 207.b

25. *Ruina est hominis tractare sanctos: & post vota retractare* 425.b

21.28. *Vir obediens loquetur victoriam* 416.b

23.31. *Ne intuearis vinum quando flauescit, cùm splenduerit in vitro color eius* 186.a

32. *Ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet* ibid.

29.11. *Totum spiritum suum profert stultus: sapiens differt, & reseruat in posterum* 194.b

31. 23. *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ* 345.b

Ecclesiastes.

1. 4. *Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum stat* 1054.b

14. *Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas* 59.a

3. 2 *Tempus nascendi, & tempus moriendi* 1030.a

19. *Vnus interitus est hominis & iumentorum, & æqua vtriusque conditio. sicut moritur homo, sic & illa moriuntur* 21.a

4. 2 *Et laudaui magis mortuos, quàm viuentes* 20.b

15. *Vidi cunctos viuentes, qui ambulant sub sole, cum adolescente secundo, qui consurget pro eo* 1063.a

7. 10. *Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit* 200.a

9. 7. *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum* 612.a

8. *Omni tempore sint vestimenta tua candida* 585.a

9. *Perfruere vita cum vxore* 1004.a

10. 11. *Si mordeat serpens in silentio* 141.a 812.a b

18. *In pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus* 207.a

11. 3. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit* 1128.a

4. *Qui obseruat ventum, non seminat: & qui considerat nubes, nunquam metet* 207.b

6. *Manè semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua: quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud: & si vtrumque simul, melius erit* 237.b

12. 7. *Reuertatur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum* 12.b

11. *Verba sapientium sicut stimuli, & quasi clauus in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à pastore vno* 209.b

Cantica Canticorum.

1. 5. *Nigra sum, sed formosa filiæ Ierusalem* 585.b

10. *Pulchræ sunt genæ tuæ* 331.a

2. 17. *Reuertere* 791.b

4. 3. *Sicut fragmenum mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet* 331.a 404.b

4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis* 238.b

15. *Fons hortorum* 500.a

5. 7. *Tulerunt pallium meum mihi custodes murorum* 726.a

6. 6. *Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis* 331.a 404.b

12. *Reuertere, reuertere Sunamitis: reuertere, reuertere* 791.b

8. 5. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delitijs affluens, innixa super dilectum suum?* 585.b

Sapien-

Sapientia.

1. 13. *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum* 84.a

2. 24. *Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum* 152.b

16. 28. *Vt notum omnibus esset, quoniam oportet præuenire solem, ad benedictionem tuam, & ad orientem lucis te adorare* 265.b

Ecclesiasticus.

3. 17. *Sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua* 339.b

7. 15. *Non iteres verbum in oratione tua* 427.b

19. *Vindicta carnis impij, ignis, & vermis* 1144.a

10. 9. *Auaro nihil est scelestius* 143.ab

15. *Initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem* 122 a & seqq. 126.b & seq.

22. 10. *Supra mortuum plora, defecit enim lux eius* 868.b

31. 32. *Æqua vita hominibus, vinum in sobrietate* 164.b

Isaias.

1. 6. *A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas* 115.a

16. *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis* 790.a

19. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis* 56.a & seq.

20. *Quòd si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos* 61.b 70.b

22. *Vinum tuum mistum est aqua* 930.a

2. 12. *Dies Domini exercituum super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur* 117.b

3. 2. *Auferet à Ierusalem &c. & senem* 895.b

14. *Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui* 1108.a

4. 4. *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij & spiritu ardoris* 850.b

5. 14. *Dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino* 872.a

6. 6. *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari* 691.a

10. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat: & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum* 86.a

9. 19. *Erit populus quasi esca ignis* 851.a

10. 27. *Computrescet iugum à facie olei* 565.a

14. 9. *Infernus subter conturbatus est in occursum aduentus tui* 1129.a

22. 13. *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur* 173.a

26. 20. *Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio* 1064.a

29. 9. *Inebriamini, & non à vino* 196.b

30. 32. *Et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum* 1142.b

33. *Præparata est enim ab heri Tophet, à rege præparata, profunda & dilatata* 1134.a

32. 11. *Accingite lumbos vestros* 183.b

42. 5. *Hæc dicit Dominus Deus creans cælos, & extendens eos: firmans terram, & quæ germinant ex ea: dans flatum populo, qui est super eam, & spiritum calcantibus eam* 8.b. 12.b

45. 7. *Ego Dominus, & non est alter: formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum* 78.a & seq. 81.a & seq. 84. & seq. 87. & seq.

15. *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator* 632.

51. 6. *Cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur* 1049.b

56. 5. *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomẽ sempiternum dabo eis, quod non peribit* 393.a

57. 16. *Flatus ego faciam* 8.b 12.b

63. 4. *Dies enim vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit* 1106.b

66. 2. *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* 200.b

15. *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius: reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis* 1140.a

23. *Et erit mensis ex mense, & Sabbathum ex Sabbatho* 1167.a

42. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur* 179.a

Ieremias.

4. 13. *Ecce, quasi nubes ascendet, & quasi tempestas currus eius: velociores aquilis equi illius* 1140.a

14. *Laua à malitia cor tuum Ierusalem, vt salua fias: vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* 790.

7. 16. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi: quia non exaudiam te* 249.b

8. 17. *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus nõ est incantatio, & mordebunt vos* 148.a

9. 21. *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domus nostras* 10.a

11. 14. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne assumas pro eis laudem & orationem: quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum* 249.b

19. *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius* 618.b

22. 22. *Omnes pastores tuos pascet ventus* 125.b

26. 19. *Nunquid non timuerunt Dominum, & deprecati sunt faciem Domini: & pœnituit Dominum mali quod locutus fuerat aduersum eos?* 81.a

52. 14. *Et totum murum Ierusalem per circuitum destruxit* 168.b & seq.

Threni.

5. 21. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: innoua dies nostros* 50.a

Ezechiel.

1. 1. *Cùm essem in medio captiuorum iuxta fluuium Chobar* 869.a

4. *Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone* 126.b

11. 7. *Hi sunt carnes, & hæc est lebes* 850.a

16. 4. Quando nata es, in die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem, nec sale salita, nec inuoluta pannis 587.b
27. Dabo te in animas odientium te filiarum Palæstinarum 156.a
49. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius 169.a & seq.
18. 4. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur 518.a
23. Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur a vijs suis, & viuat? 787.a
32. Nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: reuertimini, & viuite ibid.
21. 6. Tu fili hominis ingemisce in contritione lumborum, & in amaritudinibus ingemisce coram eis 803.a
23. 20. Quorum carnes sunt vt carnes asinorũ 184.b

Daniel.

5. 2. Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem: vt biberent in eis rex & optimates eius, vxoresque eius & concubinæ 162.b
7. 8. Considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum: & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius: & ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia 1059.a 1062.a 1066.a & seq.
10. Iudicium sedit, & libri aperti sunt 1150.a
23. Bestia quarta regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis, & deuorabit vniuersam terram, & conculcabit, & comminuet eam 1072.a
24. Porrò cornua decem ipsius regni, decem reges erunt: & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit ibid.
25 Et sermones contra Excelsum loquetur, & Sanctos Altissimi conteret: & putabit quòd possit mutare tempora & leges, & tradentur in manu eius vsque ad tempus & tempora & dimidium temporis 1058.a 1066.a
9. 27. Confirmauit autem pactum multis hebdomada vna: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis: & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio 1058. & seq. 1064.b
10. 2. In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi 316.b
11. 36. Et eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum: & aduersus Deum deorum loquetur magnifica 1067.a
13 42. Exclamauit autem voce magna Susanna, & dixit 252.a

Oseas.

4. 11. Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor 182.a
12. 1. Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum 126.a

Ioel.

1. 5. Expergiscimini ebrij, & flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine 160.b 172.a
13. Accingite vos, & plangite sacerdotes, vlulate ministri altaris 837.b
14. Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate senes, omnes habitatores terræ in domum Dei vestri, & clamate ad Dominum 283.a 338.b
17. Computruerunt iumenta in stercore suo 184.b
2. 12 Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu 843
13. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum 819.a

Amos.

2. 11. Et suscitaui de filijs vestris in Prophetas, & de iuuenibus vestris Nazaræos 119.a
3. 6. Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit? 79.b 81.a 84.b 87.b & seq.

Ionas.

3. 5. Vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem 784.b
8. Operiantur saccis homines & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine: & conuertatur vir à via sua mala & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum ibid.
10. Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitia, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit 785.a

Nahum.

1. 15 Redde vota tua 429.b

Habacuc.

2. 4. Ecce, qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso: iustus autem in fide sua viuet 236.b

Sophonias.

1. 10. Vox clamoris à porta piscium, & vlulatus à Secunda 1131.b
12. Et erit in tempore illo: scrutabor Ierusalem in lucernis 1109.b
15. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis 1106.b
3. 8. Expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ 670.a

Aggæus.

2. 7. Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cœlũ, & terram, & mare, & aridam 1106.a

Zacharias.

12. 1. Dicit Dominus extendens cœlum & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo 8.a b
13. 9. Et ducam tertiam partem per ignem, & vram eos sicut vritur argentum: & probabo eos sicut probatur aurum 869.b & seq.

Malachias.

1. 10. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra 657.b 686.& seqq.
11. Ab ortu enim solis vsque ad Occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus 675.b
3. 2. Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum 611.b

3. Et sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurũ & quasi argentum ibid.
6. Ego enim Dominus, & non mutor 3.b
4. 1. Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus: & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & germen 1192.b

EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæus.

2. 11. Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham 747.ab & seq.
3. 11. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam 512.a
Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni 508.a
4. 3. Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant 173.a
5. 3. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum 379.a 382.b 385.a & seq.
5. Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur 800. & seqq.
22. Omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis 112.a 199.a 202.b & seq.
26. Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eo: ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris 1142.b
27. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem ibid.
32. Omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat 1015.a
34. Iterũ audistis quia dictum est antiquis: Non periurabis: reddes autem Domino iuramẽta tua. Ego autem dico vobis non iurare omnino 347.a
37. Sit sermo autem vester, est, est: non non 347.a
39. Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram 347.a
6. 5. Cùm oratis 427.a
11. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie 618.a 641.ab 644.b
12. Et dimitte nobis debita nostra 784.a
13. Et ne nos inducas in tentationem 82. & seqq.
34. Nolite ergo solliciti esse in crastinum 331.a
7. 3. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? 109.b 111.b
13. Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionẽ 223.a
18. Nõ potest arbor bona malos fructus facere 64.b
21. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum 233.a
8. 4. Vade, ostende te sacerdoti 821.a
22. Dimitte mortuos sepelire mortuos suos 930.b
9. 22. Cõfide filia, fides tua te saluã fecit 213.b & seq
24. Non est enim mortua puella, sed dormit 793.a
10. 28. Nolite timere eos, qui occidũt corpus: animã autem non possunt occidere 18.b 20.a
11. 4. Euntes renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis 233.b
12. A diebus autem Ioannis Baptistæ vsque nũc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud 309.b & seq.
28. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos 61.a
29. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris 220.b
30. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue 223.ab
12. 32. Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro 860.b 864.b & seq. 867.a
13. 12. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo 46.a
15. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt: nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos 82.a
42. Ibi erit fletus & stridor dentium 1150.a
43. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. 1159.b
15. 24. Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. 84.b
16. 24. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me 69.a
17. 4. Domine, bonum est nos hic esse: si vis faciamus hic tria tabernacula. 473.ab
18. 7. Væ mundo à scandalis. Necesse est enim vt veniant scandala: veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venit 80.b
19. 4. Non legistis, quia qui fecit ab initio, masculum & fœminam fecit eos? 1006.ab
5. Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna 1004.b 1006.b & seq.
6. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. 993. & seq.
9. Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur 1011.b 1013.b
10. Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere 408.a
12. Et sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere capiat. 395.a 397.a 401.a 408.ab
21. Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me 343.a 374.a 379.b & seq.
27. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? 379.b
28. Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel 379.b
29. Omnis qui reliquerit domum, &c. propter no-

men meum: centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit 384.& seq.

22.21. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo 932.a

32. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, sed viventium 19.a 21.a

23.26. Munda prius quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat id quod deforis est mundum 929.a

37. Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti? 68.b

24.15. Cùm ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto &c. 1064.b

35. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt 1053.b

36. De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, neque Filius, nisi solus Pater 1107.b

42. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit 1037.a

25. 23. Intra in gaudium Domini tui 1170.a

34. Venite benedicti Patris mei, possidete paratū vobis regnum à constitutione mundi 327.b

35. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere, &c. 1102.b

42. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c. 331.b

46. Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam 1140.b

26.26. Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum 615.a 631.a 633.a

36. Tunc venit Iesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani 760.a

75. Et recordatus est Petrus verbi Iesu quod dixerat, Prius quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras flevit amarè 796.a 800.a

28.20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi 484.b

Marcus.

1. 4. Fuit Iohannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum 508.b

5. Baptizabantur ab illo in Iordanis flumine, confitentes peccata sua 513.a

3. 4. Licet Sabbathis benefacere, an malè? animam salvam facere, an perdere? 87.a

34. Ecce mater mea, & fratres mei 423.a

35. Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est. ibid.

4. 20. Hi sunt qui super terram bonam seminati sunt: qui audiunt verbum, & suscipiunt, & fructificant, unum triginta, unum sexaginta, & unum centum 391.b 406.a b

6. 13. Ungebant oleo multos ægros, & sanabantur 876. a b 878.a 881.b

9.29. Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & ieiunio 283.a

47. Quod si oculus tuus scandalizat te, eiice eum 347.a

10. 11. Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam 1003.b

21. Iesus autem intuitus eum, dilexit eum, & dixit ei: Unum tibi deest: vade, quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me 375.a 384.b

29. Nemo est qui reliquerit domum, aut fratres &c. propter me & propter Evangelium 374.b

30. qui non accipiet centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, & fratres &c. cum persecutionibus, & in seculo futuro vitam æternam 377.a 380.a

12.30. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua 11.a

13.32. De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius: nisi Pater 1051.a

37. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate 1036.b

16.16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur 217.b 233.a b 238.b 503 a b

Lucas.

1. 15. Vinum & siceram non bibet 166.a

2. 29. Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace 20.a

3. 3. Venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum 508.b 511.a

14. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris 139.a

16. Ego quidem aqua baptizo vos: veniet autem fortior me, &c. ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni 509 b 511.a 513.a 861.a

6. 12. Erat pernoctans in oratione Dei 286.a

20. Beati pauperes: quia vestrum est regnum Dei 378.a & seq.

30. Omni petenti te, tribue 322.b

37. Dimittite, & dimittemini 338.b

38. Date & dabitur vobis 339.b
Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum 1172 b

43. Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructum bonum 62.a

7. 13. Quam cùm vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere 792.a

8. 5. Et volucres cæli comederunt illud 1056.b

10. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant 83.a

48. Fides tua salvam te fecit 228.a

10. 35. Altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcunque supererogaveris, ego cùm rediero reddam tibi 345 & seq.

11. 9. Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis 247.b

40. Nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est fecit? 329.a

14. Veruntamen quod superest, date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis ibid.

12. 7. Capilli capitis vestri omnes numerati sunt 1089.b

8. Quicunque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei 40.b

Digitized by Google

15. Cauete ab omni auaritia 138.a
20. Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti cuius erunt? 20.b
33. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynã. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurũ non deficientẽ, in cælis: quò fur non appropiat, neque tinea corrũpit 325.a 340.a
34. Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit 170.a
14. 1. Et factum est: cùm intraret Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorũ Sabbatho manducare panem 170.b
20. Vxorẽ duxi, & ideo nõ possum venire 996.b
33. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus 372.a
15. 11. Homo quidam habuit duos filios 782. & seq.
16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat 110.a
21. Pater, peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus 795.b
23. Adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur 612.a
16. 9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula 332 b 339 b 385.a
12. Si in alieno fideles non fuistis: quod vestrum est, quis dabit vobis? 138.a 385.a
23. Cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè 1132.a
24. Crucior in hac flamma ibid.
17. 14. Ite, ostendite vos sacerdotibus 818.b & seq. 821.b
27. Vxores ducebant, & dabantur ad nuptias 997.a
34. In illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus assumetur, & alter relinquetur 350.a
18. 1. Oportet semper orare, & non deficere 981.a
22. Omnia quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me 330.b 371.b 377.b 380.a b
19. 13. Vocatis autem decem seruis suis dedit eis decem mnas 886.b
21. 34. Attendite autem vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ 170.a
22. 19. Hoc facite in meam cõmemorationem 672.b 678.b
39. Et egressus ibat secundùm consuetudinem in montem Oliuarum 544.b
23. 43. Hodie mecum eris in paradiso 18.a
24. 30. Et factum est: dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis 647.b
31. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum ibid.

Ioannes.

1. 14. Et Verbũ carò factũ est, et habitauit in nobis (& vidimus gloriã eius, gloriã quasi Vnigeniti à Patre) plenũ gratiæ & veritatis 101.b
16. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia 48.b
23. Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini 237.a
26. Ego baptizo in aqua 506.a 508.b 511.b
29. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi 510.b
31. Vt manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans 513.b
2. 16. Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis 260.b
3. 5. Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei 500 b 518.a
27. Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo 511.b
30. Illum oportet crescere: me autẽ minui 509 b
4. 1. Vt ergo cognouit Iesus, quia audierũt Pharisæi, quòd Iesus plures discipulos facit 480.a
2. & baptizat, quàm Ioãnes, (quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) ibid.
3. Reliquit Iudæam, & abijt iterum in Galilæam ibid.
5. 7. Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descẽdit 360.a
17. Pater meus vsque modo operatur: & ego operor 8.a 12.a
22. Neque enim Pater iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit Filio 1107.a
28. Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei 1082.b
43. Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis 1058.b 1061.b 1064.b 1066.b
6. 43. Nemo potest venire ad me 39.b 61.a
44. Nisi Pater, qui misit me, traxerit eum ibid.
51. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita 615.a
53. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis 520.a 639.a 645 b 653.b
54. Qui manducat meam carnẽ, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam 645 b
56. Qui manducat meam carnẽ, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo 640.b
63. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt 637.b
70. Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis vnus diabolus est? 61.b
8. 44. Cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est 46.a
9. 4. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari 1114.a b 1118.a
10. 18. Potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam 20.b
22. Facta sũt aũt Encœnia in Ierosolymis 264.a
11. 43. Lazare, veni foras 790.b 817.b 820.b
12. 39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias 86.a
40. Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum: vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanẽ eos 61.b
13. 10. Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus 499.b
18. Ego scio quos elegerim 61.a
14. 2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt 1149.b 1158.b 1171.b 1173.a
15. 4. Nisi in me manseritis 51.b
5. Sine me nihil potestis facere 69.a

19. 11. Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet 116.a
34. Unus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua 752.b
20. 22. Hoc cùm dixisset, insufflauit, & dicit eis: Accipite Spiritum sanctum 888.a
23. Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt 889.a

Acta Apostolorum.

1. 11. Sic veniet, quemadmodũ vidistis eum euntem in cœlum 1108.a
2. 42. Erant autẽ perseuerantes in doctrina Apostolorum, & cõmunicatione fractionis panis, & orationibus 648.a
4. 32. Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna 352.a
8. 18. Cùm vidisset autem Simon, quia per impositionem manus Apostolorũ daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens 593.a
19. Date & mihi hãc potestatẽ, vt cuicunq; imposuero manus, accipiat Spiritũ sanctũ ibi.
37. Credo Filiũ Dei esse Iesum Christum 575.b
10. 38. Vnxit eum Deus Spiritu S. & virtute 593.a
19. 4. Ioannes baptizauit baptismo pœnitẽtiæ populũ, dicens: In eum, qui venturus esset post ipsũ, vt crederẽt, hoc est, in Iesũ 508.b 513.b
6. Cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos 507.a
20. 7. Una autem Sabbathi cùm conuenissemus ad frangendum panem 648.a
21. 23. Sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se 428.b
24. His assumptis, sanctifica te cum illis: & impende in illis, vt radant capita ibid.

Epistola ad Romanos.

1. 20. Inuisibilia n. ipsius à creatura mũdi, per ea quæ facta sunt intellecta, cõspiciuntur 15.a 32.a
26. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ 81.b
2. 5. Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei 80.b
3. 28. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis 236.a & seq. 240.
5. 12. Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt 34.a 97.b & seq. 101.b 519.a 1042.b
18. Sicut per vnius delictum, in oẽs homines in cõdemnationẽ: sic & per vnius iustitiam, in oẽs homines in iustificationẽ vitæ 98.b 102.a
6. 3. An ignoratis quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? 37.b
7. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato 1030.b
23. Stipendia enim peccati mors 113.b
7. 17. Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum 99.b
8. 20. Vanitati enim creatura subiecta est 1049.b
9. 13. Iacob dilexi, Esau autẽ odio habui 8.a 82.b
16. Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei 36.b & seq. 47.a 69.a
17. In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam 86.a
18. Cuius vult, miseretur: & quem vult, indurat 61.b
20. Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? ibid.
21. An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidẽ vas in honorem, aliud verò in contumeliam? 82. & seq.
22. Vasa iræ apta in interitum 83.a
11. 32. Conclusit enim Deus omnia in incredulitatem: vt omnium misereatur 82.a
36. Ex ipso, & per ipsũ, & in ipso sunt omnia 87.b
12. 11. Solicitudine nõ pigri, Spiritu feruẽtes 207.a
19. Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ 194.b
13. 12. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis 925.b
14. 20. Noli propter escam destruere opus Dei 315.a
16. 15. Salutate inuicem in osculo sancto 757.a b

1. ad Corinthios.

3. 6. Ego plantaui, Apollo rigauit: sed Deus incrementum dedit 36.b
12. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, 113.a
13. Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit 849.a
15. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit: sic tamen quasi per ignem 112. & seq. 858. & seq.
4. 7. Quid autem habes, quod non accepisti? 39.b
9. Puto enim quòd Deus nos Apostolos nouissimòs ostẽdit, tanquã morti destinatos 1065.a
6. 13. Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & has destruet 169.a
15. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? 183.a
18. Fugite fornicationem. Omne peccatũ quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat 178.b & seqq. 181.a
7. 7. Volo autem oẽs homines esse sicut meipsum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic 405.b
10. Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere 1013.a
11. Quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari ibid.
12. Et vir vxorem suam non dimittat 1014.a
25. De virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis 342.b & seqq. 345. & seq.
26. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse 343.a 397.a
27. Alligatus es vxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem 993.a 1005.a
28. Si autẽ acceperis vxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, nõ peccauit: tribulationẽ tamẽ carnis habebunt huiusmodi 398.b 432.a
31. Præterit enim figura huius mundi 1048.a 1052.b 1054.b
39. Mulier alligata est legi quanto tempore vir

eius

eius viuit: quòd si dormierit vir eius, liberata est à lege: cui vult nubat, tantùm in Domino 989.b 1012.b 1014.ab

9. 5. Nunquid non habemus potestatẽ mulierẽ sororẽ circũducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? 396.b 944.b

7. Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? 466.a & seq.

27. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar 291.b

10. 16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? 610.b

21. Non potestis calicẽ Domini bibere, & calicẽ dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum 678.b

22. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt 345.a

27. Omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter cõscientiam 319.a

11. 10. Ideo debet mulier velamen habere supra caput suum propter Angelos 906.a

20. Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non est dominicã cœnam manducare 773.a

21. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum 771.b

22. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis? 260.b 262.a 266.b 766.a

12. 4. Diuisiones verò gratiarum sunt 887.b

6. Idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus 47.a

13. Omnes in vno Spiritu potati sumus 611.b

15. 10. Gratia autem Dei sum id quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia Dei mecum 44.b 51.b 67.b

22. Sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes viuificabuntur 1085.a

41. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim à stella differt in claritate 396.b

42. Sic & resurrectio mortuorũ. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione 1093.a

44. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale 1086.a

51 Omnes quidem resurgemus: sed non omnes immutabimur 1082.b

52 Canet tuba, & mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur 1089.b

2. ad Corinthios.

1. 11. Adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis 248.b

21. Qui vnxit nos Deus 486.ab

22. Qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris 487.b 597.a 932.a

3. 5. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est 45.a 48.a

5. 3. Si tamẽ vestiti, nõ nudi inueniamur 1079.ab

10 Oẽs n. nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; ꝓpria corporis, prout gessit, siue bonũ, siue malũ 1108.b

6. 1. Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis 46.b

2. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis 306.a

10. Sicut egẽtes, multos aũt locupletãtes 372.a Tanq̃ nihil habẽtes, & õia possidentes 380.b

13. Dilatamini & vos 11.b

8. 2. Altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum 389.a

12. 10 Cùm enim infirmor, tunc potens sum 285.b

Ad Galatas.

2. 16. Et nos in Christo Iesu credimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis 218.a

3. 4. Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa 786.a

11 Iustus ex fide viuit 218.a 238.b

4. 10. Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos 300.a

6. 10. Dũ tẽpus habemus, operemur bonũ ad oẽs, maximè autem ad domesticos fidei 460.b

Ad Ephesios.

1. 11. Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ 85.a

13. In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto 486. & seq.

2. 5. Cuius gratia saluati estis 51.b

4. 11. Ipse dedit quosdã quidẽ Apostolos, quosdã aũt Prophetas, alios verò Euangelistas 914.a

26 Sol non occidat super iracundiam vestram 195.a 200.a 202.b

27. Nolite locum dare diabolo 113.b 195.a

30. In quo signati estis in die redemptionis 487.a

31. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia 197.b

5. 5. Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod est idolorum seruitus) non habet hæreditatem in regno Christi & Dei 237.b & seq.

14. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus 159.a

18. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria 163.b

21. Mulieres viris suis subditæ sint 991.b

26 Mũdãs eã lauacro aquæ in verbo vitæ 503.a

27. Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam 262.a

30. Membra sumus corporis eius, de carne eius & de ossibus eius 60[illegible].a

32. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia 993.b

Ad Philippenses.

1. 21. Mihi enim viuere Christus est: & mori lucrum 1034.a

23. Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo 1035.a

2. 13 Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate 44.ab 48. & seq.

Ad Colossenses.

2. 14. Delẽs quod aduersus nos erat, chirographũ decreti, quod erat contrariũ nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci 92.a

3. 5. Mortificate ergo mẽbra vestra, quæ sunt su-

per terrā fornicationē, immunditiā, libidinē, cōcupiſcētiam malā, & auaritiam 180.a
4. 2. Orationi inſtate, vigilantes in ea in gratiarum actione 244.a 249.a

1. ad Theſſalonicenſes.

4. 2. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Ieſum. 343.b
3. Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: vt abſtineatis vos à fornicatione 179.b
15. Nos qui viuimus, qui reſidui ſumus in aduentu Domini nō præueniemus eos qui dormierunt. 1101.a

2. ad Theſſalonicenſes.

2. 3. Niſi venerit diſceſſio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis 1062.a 1065.a b 1071.b
4. qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus 1058.a 1063.a
6. Et nunc quid detineat ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore 1063.a 1065.b
7. (Nam myſterium iam operatur iniquitatis: tantum vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.) 1065 b
8. Et tunc reuelabitur ille iniquus: quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui 1063.b 1065.b 1070.a
10. Eo quòd charitatem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent. 1065.b
11. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio 1065.b & ſeq.

1. ad Timotheum.

2. 1. Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus 674 b
3. 2 Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum 942.a 944.a 947.a 949.b 956 b & ſeq.
12. Diaconi ſint vnius vxoris viri 947. 958. b & ſeq. 960.a
4. 3. Prohibentium nubere 991.b
4. Nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur 484.b
5. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem ibid.
14. Noli negligere gratiam, quæ in te eſt: quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterij 890.a
16. Attende tibi, & doctrinæ 40.a
5. 11. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt. 436.a 438.b
12. Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. 359.b 403.b 431.b
22. Manus citò nemini impoſueris, neq; cōmunicaueris peccatis alienis 886.a 888.a & ſeq.
23. Noli adhuc aquam bibere: ſed modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates 160.a
6. 10. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis 135.a & ſeq 139.a
12. Confeſſus bonam confeſſionem coràm multis teſtibus 575.b

2. ad Timotheum.

1. 6. Admoneo te, vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionē manuum mearum 887.a
2. 4. Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus: vt ei placeat, cui ſe probauit 926.a 930.a 933.b 935.a
20. In magna autem domo, non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam 82.a

Ad Titum.

1. 5. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi 940.a
6. Si qs ſine crimine eſt, vnius vxoris vir 956.b

Ad Philemonem.

22. Spero per orationes veſtras donari me vobis 248.b

Ad Hebræos.

4. 11. Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem. 230.b 233.a 235.a 239.a
5. 6. Tu es ſacerdos in æternum, ſecundùm ordinē Melchiſedech 663.a b. 680.b & ſeq. 683 a
6. 2. Impoſitionis quoque manuum, ac reſurrectionis mortuorum 574 b 595 b 599.b
4. Impoſſibile enim eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſācti 792.b
6. Et prolapſi ſunt: rurſus renouari ad pœnitentiam ibid.
7. 3. Manet ſacerdos in perpetuum. 663.a
8. 6. Nunc autē melius ſortitus eſt miniſterium, quanto & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt 471.a
10. 14. Vna enim oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos 674.b
26. Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia 794.a
11. 1. Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium 240.b
13. 4. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus 185.b
10. Habemus altare, de quo edere nō habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt 725.b 729.a

Iacobus.

1. 15. Peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem 114.b
20. Ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur 200.a 202.b
2. 20. Vis autem ſcire, ô homo inanis, quoniam fides ſine operibus otioſa eſt? 240.a
26 Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt: ita & fides ſine operibus mortua eſt 228.b
5. 13. Triſtatur aliquis veſtrum? oret. Æquo animo eſt? pſallat. 984.b
14. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, vt orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini 877.b & ſeqq.
15 Et oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei 795.a 878.b 881.b
16. Cōfitemini ergo alterutrū peccata veſtra, &

orate pro inuicem, vt saluemini 818.a 820.a & seq.
Multum enim valet deprecatio iusti assidua 248.a 251.a
17. *Elias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit vt non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex* 251.a

2. Petri.

1. 14. *Certus quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi* 1044.a
3. 7. *Cæli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reseruati in diem iudicij & perditionis impiorum hominum* 1052.b
10. *Adueniet autem dies Domini vt fur: in quo cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera, exurentur* 1054.b
13. *Nouos verò cælos & nouam terram secundùm promissa ipsius expectamus* 1056.a

1. Ioannis.

2.27. *Vos vnctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo* 880.b
3. 2. *Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus*
8. *Qui facit peccatum, ex diabolo est* 110.b
5. 3. *Mandata eius grauia non sunt* 222.a
16. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum nō ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem.* 113.a
Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis ibid.b
17. *Omnis iniquitas peccatum est* ibid.a

Apocalypsis.

1. 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus* 1090.a 1107.b
12. *Et conuersus vidi septem candelabra aurea* 553.b 913.b
2. 2. *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam* 240.a
5. *Memor esto itaque vnde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac* 15.a
3. 10. *Seruabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem vniuersum* 1068.a
20. *Ecce sto ad ostium, & pulso* 59.a
6.12. *Et vidi, cùm aperuisset sigillū sextum* 1062.b
14. *Cælum recessit sicut liber inuolutus* 1050.a
7.10. *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno* 47.a
8. 3. *Et alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, & dare de orationibus sanctorum omnium super altare aureum* 246.b
6. *Et septem Angeli, qui habebant septem tubas, præparauerunt se vt tuba canerent* 913 b
11. 7. *Et cùm finierint testimonium suum* 1062 b
13. 2. *Et dedit illi draco virtutem suam & potestatem magnam* 1068.
11. *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra: & habebat cornua duo, similia Agni, & loquebatur sicut draco* 1070.a
14. 4. *Hi sequuntur Agnum quocunque ierit* 407.a
Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno 404.b. 945.a
11. *Et fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum: nec habent requiem die ac nocte* 1139.b 1147.a
17.10. *Quicunque ceciderunt, vnus est, & alius nondum venit* 1069.a
19.11. *Qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis, & Verax, & cum iustitia iudicat & pugnat* 792 b
21.1. *Et vidi cælum nouum, & terram nouam. Primum enim cælum, & prima terra abijt* 1053.b 1056.a
Et mare iam non est 1054.a
16. *Et ciuitas in quadro posita est, & longitudo eius tanta est, quanta & latitudo* 241.a
21. *Et platea ciuitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum* 1158.b
22.1. *Et ostendit mihi fluuium aquæ viuæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni* 493.a
11. *Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc: & qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc* 59.a
17. *Qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* 49.b

F I N I S.

VINCENTIVS LYRInensis 430.

Contra Hæreses cap. 39.

EORVM duntaxat Patrum sententiȩ conferendæ sunt, qui in fide & communione Catholica sanctè, sapienter, constanter, viuentes, docentes, & permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum est, vt quicquid vel omnes, vel plures, vno eodemque sensu manifestè, frequenter, perseueranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum consilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmauerint, id pro indubitato, certo, ratoq; habeatur: Quicquid verò quamuis ille sanctus, & doctus: quamuis Episcopus, quamuis Confessor & Martyr, prȩter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias, & occultas, & priuatas opiniunculas, à communis, publicæ, ac generalis sententiæ auctoritate secretum sit: ne cum summo æternæ salutis periculo, iuxta sacrilegam hæreticorum & schismaticorum consuetudinem, vniuersalis dogmatis veritate dimissa, vnius hominis nouitium sectemur errorem.

Cap. 40.

Quorum beatorum Patrum sanctum Catholicumque consensum ne quis sibi temerè fortè contemnendum arbitretur, ait in prima ad Corint. Apostolus: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos*, quorum ipse vnus erat: *secundò Prophetas*, qualem in
1.Cor.12
Actibus Apostolorum legimus Agabum: *tertiò Doctores*, qui Tractatores nunc appellantur, &c. Hos ergo in Ecclesia Dei diuinitus per tempora & loca dispensatos quisquis in sensu Catholici dogmatis vnum aliquid in Christo sentientes contempserit, non hominem contemnit, sed Deum: à quorum veridica vnitate ne quis discrepet, impensius obtestatur idem Apostolus, dicens: *Obsecro autem vos fratres, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.* Quòd si quis ab eorum sententiæ communione desciuerit, audiet illud eiusdem Apostoli: *Non est Deus dissentionis, sed pacis*: id est, non eius, qui à consentienti vnitate defecerit, sed eorum, qui in cõsentiendi pace permanserint: *Sicut in omnibus*, inquit, *Ecclesijs sanctorum doceo*, id est, Catholicorum: quæ ideo sanctæ sunt, quia in fidei communione persistunt. Et ne quis forsitan, prætermissis cæteris, se solum audiri, sibi soli credi arrogaret, paulò post ait: *An à vobis*, inquit, *verbum Dei processit? aut in vos solos deuenit?* Et ne hoc quasi perfunctoriè acciperetur, adiecit: *Si quis*, inquit, *videtur Propheta esse, aut spiritualis*, id est, spiritalium rerum Magister, summo studio æqualitatis & vnitatis cultor existat: vt scilicet neque opiniones suas cæteris præferat, & ab vniuersorum sensibus non recedat. *Cuius rei mandata qui ignorat*, inquit, id est, qui aut nescita non discit, aut scita contemnit, *ignorabitur*: hoc est, indignus habebitur, qui inter vnitos fidei, & exæquatos humilitate diuinitus respiciatur: quo malo nescio, an quicquam acerbius cogitari queat.

Acto.12.
1.Cor. 1.
1.Cor.14

LIBER

LIBER PRIMVS: DE NATVRA HOMINIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

ANIMAM PRAESTANTISSIMAM HOMINIS PARTEM, NEC EX DIVINA ESSENTIA, NEC EX TRADVCE, NEC EX ELEMENTIS, SED EX NIHILO, CVM CORPORE A DEO CREATAM, INCORPOREVM ESSE SPIRITVM: SINGVLA CORPORA SINGVLAS & proprias animas sortiri, nec de corpore ad corpus migrare, nec ante corpus alibi extitisse.

NEGANT.

Anno ante natū Christum.

1540. M*ERCVRIVS Trismegistus ad Tatium dicit, animas hominum in bestias, bestia-*
rum rursus in hominum corpora transire: ipsas animas ex Dei essentia nasci.
550. *Pythagoras docuit regenerationem, & transmigrationem animæ ex vno corpo-*
re plantæ aut animalis in aliud corpus, vel animale, vel humanum, vel vegetabile.
Ouidius 15. Metamorph. Lucianus in Gallo. Laertius in Pythagora.
500. *Anaxagoras animam aëriformem & corpus esse dixit.* Plutarchus de pla-
citis Philosophorum lib. 4. cap. 3.
460. *Democritus igneum concrementum ex corporibus ratione perceptibilibus, &*
ideas quasdam globosas habentibus; potentiam autem igneam, quod ipsum sanè corpus est, animam esse
dixit. Plutarchus de placitis Philosophorum lib. 4. cap. 3.
400. *Plato*, lib. 10 de legibus, & in Epinomide, *asserit, omnem animam corpore antiquiorem esse.*
360. *Aristoteles animam vult esse entelechiam primam corporis naturalis instrumentis præditi potestate vi-*
uentis. Nemesius lib. 1. de anima cap. 2.
340. *Dicaarchus animam quatuor elementorum harmoniam ac concentum esse censet.* Plutarchus de pla-
citis Philos. lib. 4. cap. 3.
300. *Epicurus animam asserit esse temperamentum ex quatuor: ex quodam igneo, ex quodam aëreo, ex quo-*
dam spiritali, ex quarto quodam innominato, quod ipsum sensitiuum existit. Plutarchus ibidem.
80. *Lucretius* lib. 3. *animam corpoream esse dicit.*
50. *Cicero* in Catone Maiore *vult animum cælestem, ex altissimo domicilio depressum, & quasi demersum*
esse in terram, locum diuinæ naturæ æternitatiq; contrarium.

post natū Christum.

Basilidis Fundamentum dicit, animam, quæ prius peccauerat in alia vita, hic pati supplicium. Cle-
mens Alexand. lib. 4. Stromat.
100. 150. *Gnostici dicebant animam esse Dei substantiam, de corpore in corpus migrare, eandem esse in animali-*
bus, in feris, piscibus, serpentibus, ac hominibus. Irenæus lib. 1. cap. 24. lib. 2. cap. 31. Epiphanius hære-
si 46. Theodoretus lib. 1. hæret. fabul. Guido de hæres.
200. *Tertullianus voluit animas esse corporeas, per traducem propagari, sexu discerni, si pessimæ sint post*
mortem in dæmones verti. Pamelius in Paradoxis Tertulliani.
240. *Origenes* ad Psalm. 89. *sentit animas ante corpora conditas.*
Ad Hieremiæ cap. 24. & 28. *dicit animas in cælo peccasse, inde delapsas, & in corpora demis-*
sas esse.
In principio Tomi 20. in Ioannem *asserit animas in hunc mundum venientes, aduehere secum di-*
uersas rationes seminales, tam iustas quàm iniustas.
270. *Manichæi voluerunt Deo coæternas esse animas, omnia subire corpora, tam hominum, quàm bruto-*
rum, & reptilium, & plantarum: easq; animas de Dei esse substantia. Epiphanius hæresi 66. Augusti-
nus epist. 72. Ruffinus in Symb. Olympiodorus ad cap. 3. Eccles.
310. *Lactantius* diuinarum Institut. lib. 7. cap. 5. *multitudinem animarum simul à Deo creatarum, ac*
paulatim in corpora hominum fragilia demissarum disputat.
360. *Luciferiani dicunt animas ex transfusione seminari.* Augustinus hæresi 81. Rabanus de Vniuerso
lib. 4. cap. 10.

370. *Apollinaristæ senserunt animam nasci ex traduce, ex anima scilicet alia, sicut corpus ex corpore.* Hieronymus epist. ad Marcellinum & Anapsychiam, Nemesius de anima cap. 2.

380. *Priscillianistæ animas dicunt eiusdem esse naturæ atque substantiæ, cuius est Deus, ad agonem quendam spontaneum in terris exercendum, per septem cælos, & quosdam gradatim descendere principatus, & in malignum principem incurrere, à quo istum mundum factum volunt, atque ab hoc principe per diversa carnis corpora seminari.* Augustinus hæresi 70.

400. *Faustus Manichæus tales dicit esse pecorum, quales hominum animas.* Augustinus de fide contra Manichæum cap. 37.

400. *Fortunatus dixit, animam naturaliter filiam, substantiam & portionem esse Dei.* Augustinus disputatione contra Fortunatum.

420. *Vincentius Victor scripsit animam non ex nihilo, sed de seipso Deum fecisse: illam meritum aliquod perdidisse per carnem, quod habuerit ante carnem: per carnem reparare habitudinem priscam, & per eandem carnem renasci, per quam meruerat inquinari.* Augustinus de anima, & eius origine lib. 3. cap. 14.

445. *Noui Priscillianistæ dicunt animas, quæ humanis corporibus inseruntur, fuisse sine corpore, & in cælesti habitatione peccasse, atque ob hoc è sublimibus ad inferiora delapsas, in diversa qualitatis principes incidisse: per aëreas & sydereas potestates, alias duriores, alias mitiores corporibus esse inclusas, sorte diversa & conditione dissimili: vt quicquid in hac vita variè & inæqualiter prouenit, ex præcedentibus causis videatur accidere.* Leo epist. 93. ad Thuribium cap. 10.

460. *Iacobus, & alij Syrorum scribunt, duas in homine esse animas: vnam animalem, qua animetur corpus; alteram spiritalem, quæ rationem ministret.* Gennadius Massiliensis de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 14.

480. Faustus Rhegiensis epistola ad Paulinum: *Non solùm anima hominis, sed etiam Angelorum inuisibilis cælestisque substantia, sicut localibus spatijs continetur, ita auctore suo corporea esse & incomprehensibilis approbatur. Quid enim nisi corporeum, quod de supremis sedibus perturbatum loco cessit? Sed & ipse Lazarus, post linguas famulantium canum susceptus manibus Angelorum, corpoream esse docuit animam suam, dum in sinum Abrahæ Angelicis fertur obsequijs.*

490. Nemesius de anima cap. 2. *Quòd si quis ex eo, quod post effectum corpus anima immissa est, eam post corpus generatam esse putat, à verò aberrat.*

600. *Armenij dicunt, quòd anima filij propagetur ab anima patris sui.* Guido de Armenijs errore 4.

630. *Mahometus animam asserit esse portionem Dei.* Æneas Syluius epistola ad Morbisanum.

1000. *Rabbi Salomon* ad cap. 1. Malachiæ *credens fabulæ Thalmudistarum, qui asserunt, omnes Prophetas in monte Sinai astitisse, cùm lex daretur Mosi, ibique ijs prophetias traditas fuisse, putat omnes omnium hominum animas, ante corpora, vno tempore creatas fuisse.*

1140. *Auicenna vult animam ex anima, seu ex traduce nasci, velut vna lucerna accenditur ab alia.* Ioan. Velcurio lib. 4. Phys. cap. 18.

1180. *Corerij, siue Coterelli dicunt, animas ex traduce propagari.* Guido.

1200. *Albigenses, seu Albanenses dicunt nouas animas à Deo nec creari, nec infundi, sed eas de corpore ad corpus, etiam animalium & serpentium transmigrare.* Guido, Antoninus, & Bernardus Lutzemburgus, vbi agunt de Albigensibus.

1350. *Flagellantes dicunt quod Deus in principio omnium hominum animas simul creauit, & cum primo homine in Paradisum collocauit.* Bernardus Lutzemburg de hæresibus.

1530. *Franciscus Georgius,* Tomo primo Problematum, *sentit animam tantùm esse hominem, corpus autem vestem esse animæ: ipsamque animam longè ante cælum creatam. Sic enim scribit* Problemate 26. *Formauit Deus hominem puluerem de terra, id est, induit eum vestem terream, corpus videlicet hoc terrenum. Primò decreuit Deus hominem facere, postea creauit ciuem in cælo, tertiò formauit corpus eius velut vestem.*

Idipsum confirmat Problemate 7. *cùm ait, hominem corporea veste fuisse à Deo amictum. Et* Problem. 159 *In campo Damasceno dicitur primus homo vestitus puluere terræ.*

1536. *Anabaptistarum quidam animam substantiam esse negant, sed vim duntaxat vitæ esse aiunt, quæ ex spiritu arteriæ, aut pulmonum agitatione ducitur: & quia sine corpore subsistere nequit, ideo vna cum corpore interire & euanescere fingunt, donec totus homo suscitetur.* Ioan. Caluinus in Psychopannychia.

1545. Martinus Lutherus disputatione Theologica habita Wittembergæ Anno 1545. Thesi 31. *Qui cogitauerunt animam ex traduce esse, videntur non penitus aliena à Scripturis sensisse: imò facilius defendent propagationem originalis peccati, quàm ij, qui aliter sentiunt. Vt nihil sit quod dicitur, anima intellectiua creando infunditur, & infundendo creatur. Quis hoc probauit, aut quis probabit, simile posse dici de omni alia anima? Quæ difficultas Deum moretur, ne animam intellectiuam, tum ex nihilo, tum ex semine corrupto possit educere?*

1550. *Libertini dicunt vnicum tantùm esse spiritum Dei, animarum nostrarum loco Deum in nobis viuere, vegetare corpora nostra, nos sustinere, atque omnes vitales actiones efficere: sic in nihilum redigunt tum humanæ animæ, tum Angelicæ naturæ essentiam.* Ioannes Caluinus contra Libertinos cap. 11.

1550. *Michael Seruetus,* Dialogo 1. *dicit animam esse ex Deo, & Dei substantia.* Libro 4 de regeneratione *concludit regeneratos aliam habere animam, quam ante, propter substantiam innouatam & nouam deitatem ad uitam.*

1560. *Magdeburgenses* Centuriæ 5. cap. 4. *inter næuos & errores Augustini referunt, quòd docuit animam non esse ex traduce.*

1566. Matthæus Dresserus de partibus humani corporis, de anima & eius potentijs, capite de origine animæ: *Non nouæ creantur animæ, sed per generationem propagantur ex parentibus in sobolem.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 2. vers. 7. Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.

Zachariæ 12. 1. Dicit Dominus extendens cælum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo.

Marci 8. 36. Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, & detrimentum animæ suæ faciat? 37. Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua?

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constit. Apost. lib. 5. cap. 6. Qui ex modico semine genitali hominem in vtero format, & animam, quæ ante non erat, in eo creat.

Dionysius Areopagita. 100.

De diuinis nominibus cap. 7. Animus noster partim habet intelligendi virtutem, per quam intelligibilia aspicit, partim vnionem mentis naturæ præcellentem, per quam his, quæ supra se sunt, iungitur, &c. Per diuinam sapientiam animæ ratiocinandi vim habent, discursione & longo ambitu ad rerum veritatem annitentem, atque in eo singularibus illis spiritibus inferiores, quòd diuiduis atque omnigenis varietatis vtuntur signis. In eo verò, quòd plurima in vnum colligant, intelligentijs quoque æqualibus Angelis (quantum fas est animabus ad id aspirare) illustrari promerentur.

Athenagoras. 170.

De resurrectione mortuorum. Non anima animam gignit, vt inde sibi vendicet nomen parentis: sed homo hominem.

Irenæus. 180.

Lib. 2. cap. 64. Si qui hoc in loco dicant, non posse animas eas, quæ paulo ante esse cœperint, in multum temporis perseuerare, sed oportere eas aut innascibiles esse, vt sint immortales: vel si generationis initium acceperint, cum ipso corpore mori: discant, quoniam sine initio, & sine fine verè & semper idem & eodem modo se habens solus est Deus, qui est omnium Dominus. Quæ autem sunt ab illo omnia, quæcunque facta sunt, & fiunt, initium quidem suum accipiunt generationis, & per hoc inferiora sunt ab eo, qui fecit ea: quoniam non sunt ingenita: perseuerant autem & extenduntur in longitudinem seculorum, secundùm voluntatem factoris Dei, ita vt sic initio fierent, & postea, vt sint, eis donat.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 4. Stromaton: Non huc de cælis anima ad ea quæ sunt deteriora demittitur. Deus autem fecit omnia ad ea, quæ sunt meliora: sed ea quæ vitam elegit optimam, ex Deo & iustitia cælum terra commutat.

Methodius. 260.

Apud Epiphanium heresi 63. Fabula est & tragica cantilena, dicere, animas ex cælis deiectas esse, & transire fontes ignis, & aquas super dorsum firmamenti, dum in mundum hunc nostrum feruntur. Nam neque Adam ex cælis eiectus est, sed è paradiso plantato in Eden iuxta Orientem. Non enim ante incorporationem delictum admissum est, neque rursus corpus hoc est laqueus: sed post institionem animæ in corpus fit peccatum. Nam hoc vtrumque simul est homo.

Gregorius Thaumaturgus 260.

Disputatione de anima: Cùm nostro corpori vitã præbere animam intelligãmus, eam ex proprijs actionibus cognitam habemus. Porrò quòd anima sit essentia, sic ostenditur. Essentia est id, quod cùm vnum & idem sit numero, contraria vicissim suscipit. Quòd autem anima à natura propria non recedens contraria suscipiat, manifestum est. Quamobrem cùm ea sit essentiæ proprietas, vt diuersis temporibus sit susceptrix contrariorum, idemquè animæ conueniat, essentia vtique anima est. Præterea cùm corpus essentia sit, animam ipsam essentiam esse necesse est. Neque enim fieri potest, vt, quod vitam accipit, essentia sit, illud autem non sit essentia, quod vitam largitur. Nisi quis ita insaniat, vt id, quod non est, eius quod est, causam esse dicat; aut id, cuius illud ipsum quod est ex alio ita pendet, vt sine illo esse non possit, eius ipsius, ex quo pendet, causam esse contendat. In corpore quidem nostro animam esse, ostensum est: quomodo autem in corpore sit, oportet intelligere. Nam si illi sic adhæret, vt lapis lapidi, sequitur, vt corpus sit anima, nec totum corpus animatum sit, cùm parti cuidam adhæreat. Sin cum corpore mista confusaq; est, è propria ratione deiecta multis partibus constabit, nec simplex erit. Quod enim multas habet partes, diuidi dissoluiq; potest. Quod autem potest diuidi, compositum est: corpus verò tripliciter diuidi potest. Atque corpus adiunctum corpori molem auget: anima verò in corpore existens, illud non tumidum, sed viuum efficit. Non igitur corpus, sed expers corporis est anima, &c.

Eusebius Cæsareensis. 320.

De præparatione Euangelica lib. 15. cap. 20. Vt breuiter dicam, longè mihi abesse à veri ratione videntur, quotquot corpus animam esse pronuntiant: Quomodo enim quæ per se est, similem esse elementorum alicui possibile est? vbi verò temperamentis & admixtionibus adhibetur?

Athanasius. 340.

In quæstionibus de anima & mente: Homo ex inspiratione diuina suam animam accepit, ideo res diuinas agnoscit, superna persequitur, & res cælestes intelligit: estq; rationalis & mente præditus. Cæterùm nemo existimet, quòd ille spiritus, quem in hominem insflauit Deus, factus sit anima. Absit: sed spiritus ille perficit animam. Nam si in homine spiritus ille esset anima, esset nimirùm ex Dei essentia. Si ergo ex Dei essentia esset anima, inalterabilis vtique semper esset, & immutabilis, qualis est Deus. Inquit enim ipse: *Ego ipse sum, & non sum permutatus.* Anima autem interdum quidẽ stulta est, interdum sapiens, interdum peccatrix, interdum iusta, & alio quidem tempore fidelis, alio verò tempore incredula, aliquando rerum ignara, aliquando sciens, nonnunquam prompta, & aliquoties tarda. Cùm hæc in se habeat anima, quonam pacto dici potest, quòd ex Dei sit essentia? Illud haudquaquam esse potest. Sed hæc

Digitized by Google

inspiratio animam in homine fabricata est rationalem & intelligentem. Quapropter anima quoque ductu intellectus imaginatur superna, & quæ illic sunt quærit, appetit, & desiderat, quoniam illinc habet creationem suam. Irrationalis autem anima non sic: sed quia terrestris est, solummodò terrestria quærit: ideoq; vnà cum corpore quoq; moritur. Anima verò hominis æternum viuit, & non habet finem. Habet autem anima tres partes, rationem, animositatem, & appetitum. Atque per partem quidem rationalem Deum diligit: per animositatem verò dæmonibus irascitur, & sese strenuè aduersus eos gerit: & per partem appetitiuam appetit æterna bona.

Oratione contra idola: Motus animæ nihil aliud est quàm vita ipsius, vt omninò corpus viuere dicitur, cùm mouetur, tamquè in morte esse, cùm à motu conquiescit. Id verò ex eius in corpore ipso actu & facultate manifestè conspicias. Cùm enim corpus ingressa est & colligata, non ad corporis exiguitatem contrahitur, aut modificatur: sed sæpe corpore in lecto iacente sine omni motu, ipsa suis viribus excubat, transgrediturq; corporis conditionem, & tamquam peregrè ab eo discedens, manens tamen interim in corpore, quæ supra terram sunt imaginatur & spectat: sæpe quoque extra terrena corpora Sanctis & Angelis obuiam tendit, & ad eos pertingit, mentis suæ puritate freta: quî fieri poterit, vt eadem non multò magis absoluta à corpore (cùm ille, qui eam ita copulauit, Deus voluerit) habeat liquidiorem immortalitatis cognitionem?

Basilius Magnus. 370.

Homilia in dictum illud: *Attende tibi ipsi*: Animam sortitus es intellectili mente præditam, cuius solerti cogitatione Deum agnoscis, rerum indolem naturamq; ratiocinando deprehendis, hinc suauissimum præcerpis sapientiæ fructum, &c. Contemplatione tuæ tibi inexistentis animæ incorporeæ mihi cogita Deum esse incorporeum. Deum inquam intellige nullo circumscriptum loco, quando nec tua mens præcisam habet in loco conuersationem, etiamsi in loco est per colligationem ad corpus. Nihil est quòd dubites Deum credere esse inuisibilem mox vt tuam ipsius cognôris animam, cùm ne ipsa quidem possit corporeis oculis apprehendi. Nullo enim picturata est colore, nullo tecta schemate, nullo comprehensa est corporeo charactere: tantùm ex suismet actionibus internoscitur. Itaque de Deo nullam per oculos aucuperis cognitionem: sed vini mentis iudicio fide premissa, sensu tantum spirituali ipsum apprehendito. Hunc admirare artificem, quo is pacto, efficacem vim animæ tuæ veluti compage quadam astrinxerit corpori, sic vt ad extremas vsque particulas eius permeans, vimque suam dispertiens, membra ipsa plurimum licet à se dissita in vnam adducat concordem & sociam conspirationem. Hic tu mihi velim contempleris, quænam animæ sit ea vis, quæ assentitur carni: quæ item à carne consensio ad animam resultans. Considera quonam modo ab anima in se vitam corripiet corpus: contra, vt dolores à corpore in se anima excipiat.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 31. Vereor, ne absurda etiam ac præpostera cogitatio cuiquam obrepat, tanquam anima alibi vsquam versata sit, ac deinde corpori huic astricta fuerit, atque prout illic se gesserit, alij prophetiam accipiant, alij, qui improbè vixerunt, condemnentur. Sed quoniam hoc existimare nimis stultum & absurdum est, atque ab Ecclesiastica fide & doctrinâ alienum (alij enim de huiusmodi dogmatibus, si velint, ludant nobis autem huiusmodi ludis animos oblectare minimè tutum est) illic quoque his verbis, Et quibus datum est, hoc adiunge, qui digni sunt, &c.

Oratione 45. Anima est omnium earum rerum, quæ intellectu percipiuntur, breuissima particula. Etsi enim nomine fœmineo appelletur, ab omni tamen fœminea natura remota est, vtpote quæ quantum ad essentiam nec mas, nec fœmina sit.

Carmine 7. de anima:

Numinis est animus flatus, qui cælitus ortus,
Nexum terrena subijt cum carne iugalem,
Haud secus ac lumen, quod cæco obducitur antro:
Diuinus tamen est, mortisq; ignarus acerbæ:
Non etenim, vt bruta & pecudes ratione carentes,
Numinis effigiem procumbere morte decebat:
Mortalem hanc quamuis nitatur reddere noxa.
Ignea porrò animæ non est natura putanda:
Confecit quis enim [illegible] sentem quod conficit esse
Crediderit? Nec item est aer: namque ipse vicissim
Efflatur, trahiturq;, nec vnquam immobilis hæret.
Non etiam est toto diffusus corpore sanguis.
Quin neque concentus, quem humorum gignit amica
Temperies. Neque enim est eadem carnisque animæque,
In quam nil iuris letho est natura, &c.
Quin alia est etiam nobis sententia nota,
Quàm, dum luce fruar, non vnquam admisero. Namque
Haud mihi communis mens est, quæq; omnibus æquè
Secta sit, aërea quæq; in regione vagetur.
Sic etenim cunctis eadem mortalibus esset,
Tractaq;, & efflata, atque omnes, vitalibus auris
Et qui pascuntur, truculenta quoq; dedêre
Colla necî, in cunctis essent: quod dicere stultum est.
Namque etiam nunc hos aër, nunc rursus ad illos
Se fundit. Quòd si certa mens sedibus hæret.
Dic age quidnam habuit, quid item vincebat in aluo
Materna, si me traxit cùm extrinsecus esset?
Quòd si multiplicis quoque fingas esse parentem
Hanc solis, magnos herclè à te carpit honores,
Quam multis decoras animis, qui mole malorum
Confecti uterentur. Stulta hæc sunt dogmata planè,
Ludicra vanorum auctorum, qui corpora multa
Vel malè, vel purè transactæ æqualia vitæ
Perpetuò animo victum mutanda dederunt,
In sceleris pœnam, vel honestæ præmia vitæ.
Haud secus ac varijs tectum nunc vestibus illum,
Nunc etiam rursus spoliatum, Ixionis instar,
Voluere cogentes vanis conatibus orbem.
Plantam, hominem, volucrem, piscemq;, canemq;, feramq;,
Cæruleumq; anguem fecerunt, bisq; frequenter
Quodlibet, id quando reuolutus intulerit orbis.
Quantis per quæso has voces funderis inanes?
Nam mihi brutorum non vox audita sophorum est, &c.

Gregorius Nyssenus. 380.

De hominis opificio cap. 14. Vera & perfecta anima reipsa vnica quidem est, intelligens, nulla ex materia crassa constans, sed per sensus naturæ illi crassæ mixta.

Cap. 15. Cùm ea demum perfecta sit anima, quæ & intelligentiæ & rationis est vi prædita: quicquid scilicet tale non est, ei cum anima quidem nomen esse commune potest, reipsa verò non anima, sed viuendi facultas quædam erit, quæ more hominum animæ appellatione censeatur.

Cap. 29. Cùm vnus & idem homo sit, qui corpore & animo constat, vnum esse communeq; tribuendum ei dicimus principium existendi, ne parte hac se ipsa prior, altera iunior sit & posterior, Dei scilicet vim cuncta prospicientem, initio speciem totam in creatione complexum esse, vt ea iam tum

existeret, vt est ante declaratum ipso etiam vatis testimonio, qui Deum nosse omnia priusquam oriantur ait. Quocirca alterum alteri præponi non debere, quasi singularum in partium creatione vel animus ante corpus conditus, vel è contrario corpus ante animum: idque hanc potissimum ob caussam, ne secum ipse dissidere videatur homo, tamquam diuersas in partes ob temporis in harum ortu discrimen diuisus.

Homilia 7. in Cantica: Neque anima est ante corpus, neque ante animam construitur corpus, sed in vita simul conueniunt ac consentiunt.

Disputatione de anima & resurrectione: Nonnulli quidem contumelia afficiunt ac dehonestant humanum genus, eandem animam censentes inuicem tum hominis, tum ratione carentis ac bruti animalis fieri, alia post alia subinde corpora induentem, & ad id, quod placet, semper transeuntem: vel volatile, vel aquatile, vel terrestre animal post hominem fieri, ac rursus ab his ad humanam redire naturam, &c.

Ioannes Chrysostomus. 400.

De reparatione lapsi: Si animam negligamus, nec corpus saluare poterimus. Non enim anima pro corpore, sed corpus pro anima factum est. Qui ergo quod primum est negligit, & quod inferius est extollit, vtrumque corrumpit: qui verò ordinem seruat, & quod primum est colit, etiamsi negligat quod secundum est, per primi salutem seruabitur & secundum.

Homilia 12. in Genesin: Vt doceat nos, quòd formatum hominem de terra misericordia Domini & rationalem animæ essentiam habere voluerit, per quam animal hoc absolutum perfectumque fieret, *& inspirauit*, inquit, *in faciem eius spiraculum vitæ*. Vitalem dicere vult operandi efficaciam, ei qui de terra formatus est, spiraculum datum esse, & hoc substantiam animæ constitutam. Vnde subdit: *Et factus est homo in animam viuentem*: Ille formatus, inquit, & de puluere susceptus, inspiratus spiraculo vitæ, factus est in animam viuentem, hoc est, efficaciter operantem, cui membra corporis seruiant, cuiusque voluntati ac efficaciæ auscultent.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Libro 1. in Ioannem cap. 9. Nonnulli ante corpora humana in beata vita fuisse animas in cælo contendunt: & has, quamuis perfectiore bono fruebantur, tamen saturitate melioris status, turpi cogitatione alterius vitæ cupiditate ad peiora esse delapsas, &c. Cuius opinionis falsitatem modò redarguere tempus est. Si ergo ante corpora hominum animæ fuerunt, & quadam inclinatione ad malum (vt ipsi dicunt) loco supplicij corporibus connectuntur, quomodo venientes in hunc mundum illuminari dicuntur? Illuminatio enim maiorem afferre gratiam videtur, & honòris certè, non supplicij est; non punitur autem qui honoratur, nec cruciatibus vexatur, qui lumine diuino participat, &c. Præterea si ante corpus anima fuit, & sicuti mens pura, & intellectus integer, ipsi bono coniunctior erat, sed prauitate cupiditateque peiorum ad terrena depressa est, quomodo non magna sibi iniuria fit, quæ modò in hoc corpore depressa rectè viuere ac non peccare iubetur? cùm tunc potius oportuisset, quando nondum corpori alligata, longius ab omni aberat perturbatione, &c.

Isidorus Pelusiota. 440.

Libro 3. epistola 95. Etsi immortalem animam statuimus esse intelligentiæ participem, at non tamen eiusdem cum diuinissima illa, & sempiterna natura essentiæ: verùm tantum ab ea remotam ac distitam, quantum verisimile est rem creatam à Creatore.

Theodoretus. 450.

Quæst. 23. in Genesin: Si ex insufflatione Dei creata est anima, erit vtique anima ex substantia Dei. Extremæ impietatis est & blasphemiæ sententia huiusmodi. Nam per hoc Scriptura diuina facilitatem creandi demonstrauit. Præterea etiam ipsius animæ naturam obscurè declarauit: nempe ipsam esse spiritum creabilem, inuisibilem, & intellectiuum, expertem crassitudinis corporeæ.

Basilius Seleucius. 450.

Oratione in Annuntiationem Deiparæ: Totum corpus nostrum instrumenti quodammodo vicem obtinet: neque enim illud quicquam omninò à semetipso facit. Quodcumque autem facit, hoc totum voluntatis nostræ impulsu facit. Per ipsum enim anima, veluti musicus quidam, aut virtutis sonos ferit, aut improbitatis strepitus edit.

Esaias Abbas. 460.

Oratione 25. Anima est natura mutabilis & similis ferro, quod si negligatur rubigine consumitur, igne autem excoctum purgatur, & quamdiu manet in igne fit ei simile, nec potest illud quicquam attingere, quoniam ignis est: itidem anima, dum versatur & loquitur cum Deo, ignis efficitur & comburit inimicos suos, qui eam negligentiæ somno consopitam solent opprimere. Vt ferrum igitur anima renouatur sanctaque efficitur, neque amplius vlla re istius mundi corrumpitur, sed in recta natura sua, quam habet à Deo, conquiescit. Quòd si à natura sua recesserit, perit.

Nemesius. 480.

De natura hominis cap. 2. Contra omnes, qui dicunt animam esse corpus, illa sufficient, quæ ab Ammonio Doctore Plotini, & Numenio Pythagoræo disputata sunt. Sunt autem hæc: Corpora, quæ sua natura mutantur, penitusque dissipantur, & infinitè diuiduntur, si in ijs nihil quod sit immutabile relinquatur, opus habent aliquo se continente, & connectente, & velut constringente, & cohibente quod animam dicimus. Itaque si corpus est anima, qualecumque tandem etiam tenuissimum, quid rursus erit, quod ipsum contineat? Ostensum est enim, omne corpus indigere aliquo, à quo contineatur, & ita infinitè, donec ad aliquid, quod corpore vacet, perueniamus.

Ioannes Maxentius. 500.

Dialogo 2. *Cathol.* Totam fateris animam diffusam per singula membra, an maiorem quidem partem eius in maiori membro, minorem verò in minore? *Nest.* Totam in vnoquoque membro corporis sui eam esse credo. quia licet sit circumscripta, partibus tamen eam constare nullo modo opinor, quia truncatis membris corporis, ipsa integra perseuerat. *Cathol.* Si ergo anima, quæ non est corpus, sed spiritus, carni secundùm compositionem vnita, nullam contractionem in minore, nullam extensionem in maiori patitur membro, sed sine sui confusione, tota in maiore, tota creditur esse in minore, quo pacto diuinitas Dei verbi secundùm compositionem propriæ carni vnita contractionem aut extensionem siue confusionem sustinuisse credenda est?

Æneas Gazæus. 530.

In Theophrasto: Qua de causa nostras animas, etsi rationis compotes essent, nihilominus adhuc quotidie erat Deus, videlicet indicium ipsius potentiæ, & documentum iam olim procreatarum facultatum originis; quam hæ seu ratione, seu mente & intelligentia præditæ facultates & substan-

stantiæ, ex eodem omnes opifice, atque ex eodem omnes principio trahant, &c.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap. 1. *Genes.* Inspiratio diuina, qua anima fit, est quædam largitio ex substantia inspirantis, nec tamen, quasi inde aliquid abscindatur, vel quasi per generationem inde aliquid egrediatur, & diuina substantia diminutionem experiatur. Nam inspiratio illa absque diuisione, seu separatione, vel diminutione diuinæ substantiæ quandam qualitatem imprimit accipienti, quam Deus contribuit.

Ad cap. 4. *Exodi:* Quæri potest, an sicuti corpus ex corpore, sic quoque anima nascatur ex anima: aut quemadmodum euenit in creatione Adami primum corpus fingatur solum, deinde anima immortalis, prius non existens, in hoc inducatur, quasi nunc primùm condita. Quæ quidem sententia posterior magis probatur plerisque, sacra Scriptura dicente nunc: *Qui seorsim creat eorum corda,* id est animas. Aliquando vero eadem Scriptura inquit: *Formans spiritum hominis in ipso, sicuti in Adamo.* Deus igitur dat corporibus animas.

Anastasius Synaites. 580.

Commentariorum in Hexameron lib. 11. Procul à nobis recedat Origenes & multæ Origenis, animas nostras prius esse visione fabulosè apprehendentes. Nam cùm ille natus esset, & extitisset, & ad identitatem (vt ita dicam) venisset cum tunica pellicea, nescio vnde motus, & vnde hoc nactus dogma constituit, Adamum & Euam fuisse ante tunicas nudas mentes, in quas nullo modo caderet interitus, & quæ non essent capaces mortis, & fluxus, & cibi, & potus, & somni.

Rusticus Diaconus. 580.

Contra Acephalos: Quia igitur non præexistunt corporibus hominum animæ ipsorum, claret, quia propter inuicem creantur à Deo. Anima quidem sicut ad gubernandum corpus secundùm naturam; corpus verò, sicut sine quo impossibile est tales illius operationes impleri. Ideo enim indiuidua anima indiuiduo vtitur corpore, & non alia anima alterius corporis gubernatrix est naturaliter, sed proprij vnaquæque: ad hoc namque etiam subsistit.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Epistola ad Honorium: Non idcirco quòd animæ hominum gratia Dei incorruptionem receperunt, quæ omnibus creaturis naturaliter insidet, ideo & ante corpora eas fuisse suspicabimur, vel ante huius mundi visibilis prolationem atque compaginem in sempiterna quadam vita positas arbitrabimur, vitamúe habuisse cælestem asseremus.

Maximus Monachus. 640.

Ad cap. 4. *Dionysii Areopagitæ de diuinis nominibus:* Intelligis ex his quantum anima ab intelligibilibus, quæ sunt cælestes mentes, differat? Illæ enim singulari intelligentia, id est, vna statim applicatione notionis percipiunt diuinos superiores fulgores, qui secundùm mensuram eorum ostenduntur. At verò anima ratiocinando & discutiendo, id est, diuisa in particularia, & docta ex participatione eorum. Mens enim descendens ad cogitationes, veluti diuiditur in partes, & indiget ratione discurrente per plura exempla, ad repræsentandum quod supra sensum intelligitur. Mixtè igitur operatur anima, & ex alio ad aliud se transferendo, tum quando intelligit intellectualiter, id est per se intus, hoc enim est proprium animæ; tum etiam quando foris ad altiora manu ducitur, ex alienis enim extrinsecus ascendit.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 2. *cap.* 12. Anima est viua, simplex, & corpore vacans substantia, corporeorum oculorum sensum suapte natura fugiens, immortalis, rationis & intelligentiæ particeps, figuræ expers, organico corpore vtens, eique vitam, incrementum, sensum, & gignendi vim tribuens, non aliam à se mentem seiunctam habens, (mens quippe nihil aliud est, quam purissima ipsius pars: quod enim oculus in corpore, hoc mens in anima:) arbitrij libertate, ac volendi & agendi facultate prædita, mutabilis, hoc est, huiusmodi, quæ voluntatis mutationem subire queat, quandoquidem creata est: atque hæc omnia Creatoris beneficio & gratia secundùm naturam consecuta, à quo nimirum & quòd est, & quòd hac natura est accepit.

Elias Cretensis. 780.

In Orationem 1. *Nazianzeni:* Animam diuinam quidem esse credimus, non tamen regiæ naturæ consubstantialem: atque immortalem quidem, non tamen naturæ principio carentis & effectricis ac sempiternæ partem. Nam si illius pars esset, non peccasset, nec iudicata fuisset. Cùm autem hoc patiatur, opus quidem supremæ illius essentiæ rectè credi queat, non autem pars: ne alioqui diuina natura seipsam iudicare, vel potius condemnare deprehendatur.

Concilium Nicænum Secundum. 790.

Actione 6. Animam nemo circumscribere potest, quia inuisibilis est. At si animam, quamuis creata sit, nemo pingere potest, quanto minus incomprehensibilem vnigeniti Filij deitatem poterit quisquam cogitatione comprehendere, vt sensibiliter à se depingatur?

Synodus octaua generalis. 870.

Canone 11. Apparet quosdam id temporis in tantum impietatis venisse, vt hominem duas animas habere impudenter dogmatizarent. Talis igitur impietatis inuentores & similia sapientes, cùm vetus & nouum Testamentum, omnesque Ecclesiæ Patres vnam animam rationalem habere hominem asseuerent, sancta & vniuersalis Synodus anathematizat.

Ioannes Zonaras. 1100.

Tomo 1. *Annalium post initium:* Aliarum animantium anima è terra extitit ex mandato: qua de causa rectè terrestris, & mortalis habetur. Hominis autem animam non terra edidit, sed Deus eam Adamo inspirauit. Quamobrem diuinum esse quiddam & immortale, perhibetur.

Michael Glycas. 1120.

Parte 1. *Annalium fol.* 99. Qui Ecclesiæ sententiam sequuntur, animam nostram, intelligentiæ vi præditam, quæ ad imaginem Dei condita est, & corporis expers, in certo quodam loco corporis circumscribere localiter nolunt. Nam tota per totum corpus sese didit, & ipsum animat, totumque tota collustrat. Et quemadmodum Deus, cuius ad imaginem condita est, non pars in parte, sed totus totum mundum complectitur essentia sua: sic etiam principis illius exemplaris simulachrum, cùm partium sit expers, & dimensione careat, citra diuisionem ac dimensionem vllam totum toti corpori adest. Consistit enim peculiariter anima, quasi globus quidam solaris, non extra corpus, sed in ipso, idque modo quodam vltra naturali. Simul corpori connexa est per deriuatos ex ipsa radios, qui, si corpus sectione lædatur, tamen haud afficiuntur, & sectionem nullam experiuntur. Prorsus vt aëre per flatus ventorum moto & agitato, lux solaris ei semel connexa, neque sectionem, neque fluxum, neque mutationem patitur. Estque mens reipsa quidem expers corporis, & inaspectabilis: verùm nihilominus in corpore, tamquam instrumento, suam efficacitatem declarat. Eadem in ijs, quorum sana recteque affecta sunt corpora efficaciter agit:

cum

cùm in alijs, qui facultatis eius artificiosæ non sunt capaces, otiosa sit, ac nihil omnino perficiat. Non tamen ipsa respectu sui læditur, quemadmodum extraneis quibusdam Philosophis visum fuit, &c. Adesse quidem in corpore animam noui, at qui res expers corporis in corpore sit ignoro, &c.

Nicetas Choniates. 1200.

In Thesauro Orthodox. lib. 2. cap. 50. Immortalitas homini acquisititia est, qui quamuis sit naturaliter mortalis, animæ tamen præstantia consequitur, vt immortalibus assideat. Igitur animæ natura, vt quibusdam placuit, perfecta eius ipsius, & dimensione carens essentia est: quæ corpori tamquam currui insidet. Quia verò vita toti sufficienda, & suis id velut angulis circumscribendum est, ea de causa ipsum permeat, hoc est diuiditur, & per singulas eius partes diffunditur, profundum eius, & superficiem ex æquo animans, atque ipsum quidem sibi ipsi circumscribit, ei autem seipsam certis finibus accommodat.

Cap. 70. Anima rationalis est essentia tenuis, materiæ & formæ expers, typus & imago Dei. Anima porrò à Græcis ψυχὴ dicitur, διὰ τὸ ψύχειν, ἤτοι διὰ τῆς οἰκείας ἐνεργείας ζωοποιεῖν τὸ σῶμα, hoc est, propterea quod corpus refrigeret, propriaque actione viuificet.

Libro 4. heresi 33. Nec enim, quod impia Marcionis opinio astruit, anima eiusdem cum Creatore substantiæ est, sed ex nihilo creata.

Cydonius. 1280.

De contemnenda morte: Quis nescit nos & animum habere, eumque brutorum anima multo præstantiorem, nimirum qui ratione gubernetur, qua & imperare corpori potest, idque arbitratu suo regere, atque etiam immortalem atque interitus expertem?

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De testimonio animæ aduersus Gentes cap. 1. Nouum testimonium aduoco, imò omni literatura notius, omni doctrina agitatius, omni editione vulgatius, toto homine maius, id est totum, quod est hominis. Consiste in medio anima, seu diuina & æterna res es secundùm plures Philosophos, eò magis non mentiens: seu minimè diuina, quoniam quidem mortalis, vt Epicuro soli videtur, eò magis mentiri non debebis, seu de cælo exciperis, seu de terra conciperis, seu numeris, seu atomis concinnaris, seu cum corpore incœperis, seu post corpus induceris, vnde, vnde, & quoquo modo hominem facis animal rationale, sensus & scientiæ capacissimum.

Libro de anima cap. 22. Definimus animam Dei flatu natam, substantia simplicem, de suo patientem, variè procedentem, liberam arbitrij, accidentis obnoxiam, per ingenia mutabilem, rationalem, dominatricem, diuinatricem, ex vna redundantem.

Cyprianus. 250.

De Cardinalibus operibus Christi, in Præfatione: Hoc ipsum quod dico, carnis affectus, impropriè dico: quia hæc vitia propriè animæ sunt, quæ sentit, & mouet, & viuit: cui imputatur peccatum: quia ipsi datum est arbitrium, & iudicium, & scientia, & potentia, per quæ possit improbare malum, & eligere bonum. Corpore autem sic vtitur anima, sicut faber malleo vel incude, in qua format omnium turpitudinum idola, & fabricatur qualibet quarumcunque voluptatum simulachra. Non est caro dictatrix peccati, nec inuentrix malitiæ, nec cogitatus format, nec disponit agenda; sed officina est spiritus, qui in ea, & per eam, quæcunque affectauerit, peragit & consummat. Quod autem ipsa insensibilis sit, spiritu recedente dinoscitur: post cuius discessum nulli apta vsui superest putredinis massa, & paludis aceruus. Quicquid enim sentit, à natura corporis alienum probatur.

Lactantius. 300.

Lib. 7. cap. 5. Quia homo ex duabus rebus constat, corpore & anima, quorum alterum terrenum est, alterum cæleste, duæ vitæ homini attributæ sunt, vna temporalis, quæ corpori assignatur: altera sempiterna, quæ animæ subiacet.

Ambrosius. 370.

Epistola 11. Quæsisti à me vtrum anima cælestis esse videatur substantiæ? Non enim aut sanguinem, aut ignem, aut neruorum harmoniam animam putas, vt vulgus Philosophorum interpretatur, aut vt illa patritia quædam eorum prosapia Platonis disputat, quod ipsum se mouet, & non mouetur ab alio, ipsa tibi anima videtur: vel certè vt Aristoteles acri ingenio quintum quoddam elementi genus induxit, probasti, id est, entelechian, ex quo componeres, & velut fingeres animæ substantiam, &c. Animæ neque tactu aliquo comprehenduntur, neque visu corporeo videntur, & ideò præferunt illius incorporeæ, & inuisibilis naturæ similitudinem, & supergrediuntur substantia sua corpoream & sensibilem qualitatem.

De Isaac, & anima cap. 2. Non ergo sanguis anima, quia carnis est sanguis: neque harmonia anima, quia & huiusmodi harmonia carnis est: neque aër anima, quia aliud est flatilis spiritus, aliud anima: neque ignis est anima: neque entelechia est anima: sed anima est viuens, quia factus est Adam in animam viuentem: eo quòd insensibile atque exanime corpus anima viuificet & gubernet. Gen. 2.

Prudentius. 390.

In Apotheosi contra Ebionitas:

Hic animam similem sibi conditor effigiauit,
Cætera dissimilem, quippe hanc comprendere promptum est,
Quam modis & species determinat, at Deus ingens
Atque superfusus trans omnia, nil habet in se
Extremum, vt claudi valeat sensuúe teneri,
Incomprensa manet virtus, cui linea desit
Vltima, quam spatium non mensurabile tendit.
Ergo animam factam, magno & factore minorem,
Maioremque alijs, atque omnibus imperitantem,
Corruptela putris nascentem turbida carnis
Concepit, ac membris labentibus interfusam
Participat de face sua, fit mista deinde
Peccandi natura luto cum simplice flatu:
Sed fortasse animam, Domini quia fluxit ab ore,
Compositam, factamque neges, velut ipsa Dei pars,
Quod dictu scelus est, tetras trahat obsita culpas,
Et pessum damnata ruens chaos intret opertum.
Sit res illa Dei, non abnuo, pars tamen illa
Haudquaquam dicenda Dei est, quæ tempore cœpit,
Nec prior, aut senior, quàm primùm plasma putanda est.
Tunc etenim factam video, cùm cordis amici
Intrauit germana domum, limique recentis
Hospita, & ipsa recens fraterna sedit in aula.
Illa quidem flatus Domini est, sed spiritus, & vis
Non est plena Dei, tanto moderamine missa,
Quanto flans voluit flandi seruare tenorem, &c.
Vitandus tamen error erit, ne traduce carnis
Transfundi in sobolem credatur fons animarum,
Sanguinis exemplo, cui texta propagine vena est.

Non animas animæ pariunt, sed lege latenti
Fundit opus natura suum, quo paruula anhelent
Vascula, vitalisqúe adsit scintilla coactis:
Quæ quamuis infusa nouum penetret noua semper
Figmentum, vetus illa tamen de crimine auorum
Ducitur, illoto quoniam concreta veterno est.

In Hamartigenia:

Nec segnis natura animæ est, aut tarda cauendi
Vulneris, ignauum quoniam Deus indidit illi
Ingenium. purum, sapiens, subtile, serenum,
Nobile, sollicitum, velox, agitabile, acutum.

Hieronymus. 390.

Epistola 61. aduersus errores Ioannis Hierosolymitani cap. 6. Dicis animam non esse de Dei substantia. Pulchrè. Damnas enim impijssimum Manichæum, quem nominare pollutio est. Hoc nunc interrogo: Anima ista, Dei conditio, liberi arbitrij, rationalis, neque de substantia Creatoris, quando facta sit: vtrum eo tempore, quo de limo factus est homo, & insufflatum est spiraculum vitæ in faciem eius: an quæ prius fuerat, & inter rationabiles creaturas, & incorporeas erat & viuebat, Dei postea insufflatione donata sit? Hic taces. Si insufflatio Dei, quod non vis, & quod nunc relinquis ambiguum, humanæ animæ conditio est: Eua, in cuius faciem non insufflauit Deus, vnde animam habuit? Taceo de Eua, quæ in typo Ecclesiæ de costa viri ædificata, non debet post tanta secula nepotum calumnias sustinere: Cain, & Abel, ex primis parentibus, vnde habuerunt animas? Omne deinceps genus humanum quibus animarum censetur exordijs? Vtrum ex traduce, iuxta bruta animalia? vt quo modo corpus ex corpore, sic anima generetur ex anima: an rationabiles creaturæ, desiderio corporum paulatim ad terram delapsæ, nouissimè etiam humanis illigatæ corporibus sint? An certè, quod Ecclesiasticum est,
Ioan. 5. secundùm eloquia Saluatoris, *Pater vsque*
Zach. 12. *modò operatur, & ego operor.* Et illud Zachariæ: *Qui*
Psal. 32. *format spiritum hominis in ipso.* Et in Psalmis, *Qui fingit per singulos corda eorum*, quotidie Deus fabricetur animas: cuius velle fecisse est, & conditor esse non cessat.

Ad cap. 12. Ecclesiastis: Sequitur: *Conuertetur puluis in terram suam, & spiritus reuertetur ad Dominum, qui dedit illum.* Ex quo satis ridendi sunt, qui putant animas cum corporibus seri, & non à Deo, sed à corporum parentibus generari. Cùm enim caro reuertatur in terram, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum: manifestum est Deum patrem animarum esse, non hominem.

Augustinus. 400.

Quæstionum veteris & noui Testamenti quæst. 23. Inhonestum puto, si dicantur animæ cum corporibus generari, vt anima nascatur ex anima, quod nec animæ ipsi competit: aut si certæ singulæ cælestes potestates factæ sunt, & ex ipsis cæteræ natæ sunt, potest ex vna Adæ anima credibile videri cæteras nasci. Sed non conuenit: quia soli Deo hoc possibile fuit, vt simplex generaret, nec cæteris concederetur.

Apud Hieronymum Tomo vlt. *De origine animæ ad Optatum Mileuitanum:* Hactenus dicimus sine periculo, latere animæ originem, vt non tamen eam partem Dei esse credamus, sed creaturam: nec de Deo natam, sed ab illo factam, atque in eius genus adoptandam, mirabili dignatione gratiæ, non parili dignitate naturæ: nec eam corpus esse, sed spiritum: nec Creatorem esse, sed creatum: nec ideo venisse in hoc corpus corruptibile, quo grauatur, quòd illuc eam vitæ in cælestibus, vel in quibuslibet alijs mundi partibus, antea malè gestæ merita compulerunt. Nondum enim
Rom. 9. natos Apostolus, cùm de Rebeccæ geminis loqueretur, nihil egisse dicit boni vel mali; vt nullis ex operibus, quibus alter non distinguebatur ab altero, sed ex vocante diceretur, minori seruiturum esse maiorem, &c. Qui animas ex illa vna propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profectò eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, & corpulentis seminibus exoriri. Quo peruersius quid dici potest? Neque hoc Tertullianum somniasse mirandum est, qui etiam ipsum Creatorem Deum non esse nisi corpus opinatur. Qua dementia repulsa à corde & ore Christiano, quisquis animam, sicuti est, non esse corpus, sed spiritum confitetur, & tamen in filios ex parentibus duci: in eo quidem nullis coarctatur angustijs, quòd omnes animas etiam paruulorum, quos Ecclesia non vtique in falsa, sed in vera peccatorum remissione baptizat, vera fides prædicat trahere originale peccatum propria primi hominis voluntate commissum: & in omnes posteros generatione transmissum, ac sola regeneratione purgandum. Sed cùm considerari & pertractari cœperit quid dicatur, mirum si vllus sensus comprehendit humanus, quonam modo tamquam lucerna de lucerna accendatur, & sine detrimento alterius alter inde ignis existat: sic anima de anima parentis fiat in prole, vel traducatur in prolem: vtrum incorporeum semen animæ, sua quadam occulta & inuisibili via, seorsum ex patre currat in matrem, cùm fit conceptus in fœmina: an, quod est incredibilius in semine corporis lateat. Cùm autem fluunt irrita sine vllis conceptibus semina, vtrum semen animæ non simul exeat, an summa celeritate atque atomo temporis vnde exierat, recurrat, an pereat? Et si perit, quomodo ipsa, cuius mortale semen est, immortalis est anima? An immortalitatem tunc accipit, quando formatur vt viuat, sicut iustitiam quando formatur vt sapiat, & eo pacto Deus eam fingat in homine, etiamsi anima seminaliter trahatur ex anima: sicut fingit in homine corporis membra, quamuis corpus seminaliter trahatur ex corpore. Si etiam spiritualis creatura non fingeretur à Deo, non scriptum esset: *Qui finxit sigillatim spiritum hominis in* Zach. 12.
ipso: & in eo, quod legitur: *Qui finxit sigillatim corda* Psal. 32.
hominum. Si per corda significatæ sunt animæ, fingi eas posse quis dubitet? Sed quæritur, vtrum ex vna anima hominis primi, sicut fingit sigillatim facies hominum, ex vno tamen corpore hominis primi. Cùm hæc atque huiusmodi de hac re multa quærantur, quæ nullo sensu cordis probari possunt, & à nostra experientia longè remota sunt, atque in abditissimis naturæ finibus latent, non erubescendum est homini confiteri, se nescire quod nescit, ne dum se scire mentitur, nunquam scire mereatur. Quis autem negat, non vnius tantùm, sed omnis animæ Creatorem Deum atque factorem, nisi qui eius eloquijs apertissimè refragatur? Sine vlla quippe ambiguitate per Prophetam dici-
tur: *Omnem flatum ego feci*, animas videlicet intelli- Esa. 42.
gi volens, quod verba consequentia manifestant. Non itaque vnum, quem facto ex terra homini primo inspirauit, sed omnem flatum ipse fecit: ipse adhuc facit. Quæritur tamen vtrum omnem flatum ex vno illo flatu, sicut omne corpus hominis ex vno illo corpore faciat: an verò noua quidem corpora faciat ex vno, animas autem nouas ex nihilo. Quis enim congrua suis originibus genera rerum etiam de seminibus facit: nisi qui ipsa semina sine seminibus fecit? Sed vbi res naturaliter obscura nostrum modulum vincit, & apertè diuina Scriptura non subuenit, temerè hinc aliquid definire humana coniectura præsumit. Secundùm vitas autem, quas proprias habere incipiunt, nouos homines dicimus nasci, siue anima, siue corpore. At verò secundùm originale peccatum veteres nascun-

tur,

tur, ideo Baptismate renouantur. Aliquid ergo certum de animæ origine nondum in Scripturis sanctis comperi. Nam hi, qui nouas sine vlla propagine asserunt animas fieri, inter testimonia, quibus id nituntur ostendere, ponunt etiam illa duo, quæ paulò ante commemoraui. *Qui fingit spiritum hominis in ipso*: &, *Qui finxit sigillatim corda eorum*, &c.

Concilium Toletanum Primum. 400.

In assertione fidei: Animam hominis, non diuinæ esse substantiæ aut Dei Patris, sed creaturam dicimus Dei voluntate creatam.

Arnobius Iunior. 440.

De Deo trino & vno. Credendum namque est animam nostram à Deo esse factam: & licet sit perpetua, in alterutram conditionem, aut boni, aut mali futuram, sine initio tamen non esse animam: quia hoc solius Dei est peculiare, ac per hoc creaturam Dei esse animam, siue facturam.

Prosper. 450.

Libro de Pœnitentia:

Namque anima ex nullis, vt cætera, gignitur: expers
Interitus, nisi quòd Domino cruciabilis vni est;
Et rea, ferre potest pœnam sub nomine mortis,
Terrenamq; illapsa domum, dat viuere secum
Consortem, & pariter diuinum haurire vaporem.

Leo Magnus. 450.

Epist. 11. In Origine meritò damnatum est, quòd animarum, antequam corporibus insererentur, non solùm vitas, sed & diuersas asseruit fuisse actiones.

Epist. 93. *ad Thuribium cap.* 10. Catholica fides constanter prædicat atque veraciter, quòd animæ hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporentur, nisi ab opifice Deo, qui & ipsarum est Creator & corporum.

Gennadius Massiliensis. 470.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 13. Credimus animas hominum non esse ab initio inter cæteras intellectuales naturas, nec simul creatas, sicut Origenes fingit: neque cum corporibus per coitum seminantur, sicut Luciferiani, Cyrillus, & aliqui Latinorum præsumptores affirmant, quasi naturæ consequentiam seruantes: sed dicimus creationem animæ solum Creatorem omnium nosse, & corpus tantùm per coniugij copulam seminari, Dei verò iudicio coagulari in vulua, & compingi atque formari, ac formato iam corpore, animam creari & infundi, vt viuat in vtero homo, ex anima constans & corpore, & egrediatur viuus ex vtero plenus humana substantia.

Cap. 14. Neque duas esse animas dicimus in vno homine, sicut Iacobus & alij Syrorum scribunt, vnam animalem, qua animetur corpus, & immixta sit sanguini: & alteram spiritalem, quæ rationem ministret. Sed dicimus vnam eandemque esse animam in homine, quæ & corpus sua societate viuificet, & semetipsam sua ratione disponat.

Claudianus Mamertus. 470.

De statu animæ lib. 1. *cap.* 4. Sed ad Creatoris fortè referatur iniuriam, si incorporeum aliquid ac sibi simile condidisse dicatur: quia simile Deo nihil inuenitur in corpore. Sed ab ipso Deo, similitudo Dei anima dicitur humana: in corpore autem nulla potest esse similitudo diuina: incorporeum ergo erit, quod Deo sit simile. Humanus verò animus ad similitudinem Dei factus est, incorporeus igitur est animus humanus. Omne autem incorporeum corporeo, & illocale locali, & insecabile secabili, & viuens non viuenti naturæ dignitate proponitur, &c. De hominis anima quærimus, non est hæc æqualis Deo, sed similis. Vtique similis, quantum incorporea incorporeo inferior, quantum creata Creatori. Similis quantum intellectualis lux luci intelligibili, quantum mutabilis creatura immutabili Creatori dissimilis. Aliud namque est veritas, aliud imago veritatis, &c. Si Dei imago est humana anima, incorporei videlicet imago est. Si in corporei imago est, incorporea vtique ipsa est. At si incorporea non est, incorporei prorsus imago non est. Sed incorporei imago est, incorporea igitur est.

Alcimus Auitus. 500.

Libro 1. de initio Mundi cap. 6.

Inde vbi perfectis consuescit viuere membris
Totus homo, & fumant calefacta & viscera solam
Expectant animam: puro quam fonte Creator
Promit, & erectos rectoram mittit in artus.
Nam lenem suaui flatum profundit ab ore,
Inspiratq; homini: quem protinus ille receptum
Attrahit, & crebri discit spirамine auras.

Primasius. 540.

Ad cap. 4. *epist. ad Romanos*: Omninò cauenda est opinio, quæ dicit: Sicut caro ex carne Adæ: ita anima nostra ex carne Adæ occulta Dei operatione creatur.

Ad caput 12. *epist. ad Hebræos*: Animam hominis ex nihilo creauit Deus, & creat adhuc. Non enim putandum est, quòd pars deitatis sit: quoniam deitas increata est: anima autem creatura est. Idcirco autem omnipotentem Creatorem animarum appellat, non corporum, cùm omnium Creator sit, quia corpus nostrum ex semine paterno & materno conficitur, anima verò semper à Deo ex nihilo creatur.

Cassiodorus. 540.

De anima cap. 2. Anima, vt veracium Doctorum consentit auctoritas, est à Deo creata, spiritalis propriaq; substantia, sui corporis viuificatrix, rationabilis quidem & immortalis: sed in bonum, malumque conuertibilis.

Cap. 3. A Deo fieri vel factas animas prudentium nullus ignorat, quando omne quod extitit aut Creator est, aut creatura. Creatrix igitur nulla potest esse substantia: quoniam vt ipsa subsistat indiget Deo, & dare non potest alteri substantiam, quam tantùm vt haberet accepit. Superest vt eam verissimè à diuinitate conditam esse fateamur, quæ sola creare potest mortalia & immortalia.

Cap. 4. Hanc proinde specialem substantiam probabilis & absoluta ratio confitetur. Quia dum omnia corporalia tribus nouerimus lineis contineri, longitudine, latitudine, & profunditate, nihil tale probatur in anima reperiri. Deinde quòd corpori sociata, quamuis ipsius mole prægrauetur, opiniones rerum solicita curiositate perpendit, cælestia profundè cogitat, naturalia subtili indagatione vestigat, & de ipso quoque conditore suo ardua nosse desiderat. Quod si esset corporalis, cogitationibus suis spiritalia nec cerneret vtique, nec videret. Cesset ergo de eius corporalitate suspicio: quando & definitionem corporis à se omnibus modis reddit alienam, & tales causas exquirit, ad quas solus sublimis spiritus contendit.

Concilium Bracarense Primum. 572.

Cap. 5. Si quis animas humanas vel Angelos ex Dei credit substantia extitisse, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

Cap. 6. Si quis animas humanas dicit prius in cælesti habitatione peccasse, & pro hoc in corpora

humana in terram deiectas, sicut Priscillianus dixit, Anathema sit.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.4.Dialog.cap.5. Natura animæ inuisibilis est, atque ita ex corpore inuisibilis egreditur, sicut in corpore inuisibiliter manet.

Lib.5.Moral.cap.25. Quamuis incorporea sit anima, quia tamen corpori inhæret, ex ipsa sui qualitate localis cognoscitur, quæ carnali loco detinetur.

Lib.11.Moral. cap.2. Cùm sit inuisibilis anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, nisi quòd inhærens corpori, quasi quædam egrediendi foramina eiusdem corporis sensus habet: visus quippe, auditus, gustus, odoratus, & tactus, quasi quædam viæ mentis sunt, quibus foras veniat, & ea quæ extra eius sunt substantiam concupiscat. Per hos etenim corporis sensus, quasi per fenestras quasdam, exteriora quæque anima respicit, respiciens concupiscit. Hinc etenim
Hiere.9. Hieremias ait: *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras.* Mors quippe per fenestras ascendit, & domum ingreditur, cùm per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum intrat mentis.

Lib.7. Epist.54. ad Secundinum: De origine animæ inter sanctos Patres requisitio non parua versata est: sed vtrum ipsa ab Adam descenderit, an certè singulis detur, incertum remansit, eamque in hac vita insolubilem fassi sunt esse quæstionem. Grauis enim est quæstio, nec valet ab homine comprehendi: quia si de Adam substantia anima cum carne nascitur, cur non etiam cum carne moritur? Si verò cum carne non nascitur, cur in ea carne, quæ de Adam prolata est, obligata peccatis tenetur? Sed cùm hoc sit incertum, illud incertum non est: quia nisi sacri Baptismatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculo est obstricta.

Isidorus Hispalensis. 620.

De differentiis lib.1.cap.26. Animam alij ignem, alij sanguinem esse dicunt: alij incorpoream, nec habere vllam figuram: nonnulli eandem diuinæ naturæ esse partem impia temeritate crediderunt. Nos autem eandem non ignem, nec sanguinem: sed incorpoream dicimus, passibilem atque mutabilem, carentem pondere & figura, siue colore: nec credimus partem, sed creaturam esse Dei: nec de substantia Dei, vel de qualibet subiacente elementorum materia, sed ex nihilo esse creatam. Nam, vt ait quidam: Si eam Deus de semetipso fecisset, nequaquam vitiosa, vel mutabilis, vel miserabilis esset: si ex elementis visibilibus esset facta, haberet vtique ex terra soliditatem, aut ex aqua humorem, aut flatum ex aëre, aut calorem ex igne. Sed quia ijs omnibus caret, apparet inde eam non esse: quia cum illis nihil probatur habere commune. Inde prauè à quibusdam dicitur esse corporea, quæ propter id ad Dei imaginem facta est, vt etsi incommutabilis, vt Deus, non esset, tamen incorporea vt Deus existeret. Si enim corpoream credimus animam, ergo & Deum credimus habere figuram vel formam, qui eandem ad suam condidit imaginem.

Eucherius Gallus. 640.

Lib.1 in Genesin cap.12. Non est credendum partem naturæ Dei in animam hominis esse conuersam, vt cogamur dicere, naturam Dei esse mutabilem, sicut anima, quæ modò proficit, modò deficit: modò sapit, modò desipit. Ergo non est anima, quæ mutabilis est, credenda natura, vel pars Dei, Propheta attestante, qui ait: *Qui finxit spiritum hominu, & ipse scit omnia.* Et ipse spiritus est anima hominis, Euangelista testante de anima, quam Christus in carne accepit, cùm dixisset Dominus: *Potestatem habeo ponendi animam meam,* quam tunc posuit quãdo inclinato capite emisit spiritum. Vnde nullatenus dubitandum est, spiritum esse animam: quam etiam Deus nec de se, nec de qualibet subiacente elementorũ materia, sed de nihilo fecit. Nam si de semetipso eam fecisset, nunquã vitiosa, aut mutabilis, vel misera esse potuisset: si verò ex elementis visibilibus facta fuisset, haberet aut ex terra soliditatem, aut ex aqua humorem, aut flatum ex aëre, aut calorem ex igne. Sed quia his omnibus caret, apparet eam inde non esse, quæ cum illis probatur nihil habere commune: & ideo anima spiraculum dicta est, quia ex nihilo facta, corpori, quod animaret, insufflata est.

Beda. 700.

De elementis Philosophiæ lib.1. Non credimus animam, quæ spiritus est, & leuis, & munda, ex limo esse factam, sed à Deo homini inspiratam. Vnde ait Scriptura: *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.*

Lib.4. Cùm homo ex anima & corpore constet, quæritur an sit apposita corpori, an concreta, an commixta, an coniuncta. Vni quippe istorum insunt, quæ insunt in alicuius compositione. Apposita non est, quia tunc extra corpus anima esset, nec æqualiter illud moueret: omne enim appositum extra illud est, cui est appositum, & maiores vires habet in proximo, vt ignis alicui appositus. Concreta non est: concretum est id, quod ex sua substantia transit in alterius substantiam, vt aqua per ebullitionem in salem. Cùm ergo anima non transeat in corporis substantiam, sed semper spiritus sit, concreta illi non est. Commixta non est illi: nullum enim commixtorum esse suum retinet. Non sunt ergo commixta corpus & anima. Ergo sunt coniuncta: sed ita, quòd tota anima in omnibus corporis partibus est, esse suum retinens tota & integra. Item quæritur, an anima & corpus sint ex eodem, an ex alio? Nos verò dicimus, nullam esse illius causam, præter solum Creatorem, qui omnibus dat esse. Item quæritur, an anima humana ante existat quàm corpus, & quando illi coniungatur. Dicimus illam non ante existere, quod probari potest ratione & auctoritate. Si enim ante esset, vel in miseria, vel in beatitudine esset, nullo præcedente merito. Auctoritate B. Augustini hoc probatur, qui dicit: Quotidie creat Deus nouas animas. Tempus verò coniunctionis eius à nullo definitur.

Libro de mundi constitutione, capite de certa animæ origine: Est indubitatæ fidei, nec inde (de quibus Philosophi volunt) animas nasci, vel creari, vel aliunde adduci: sed similiter cum ipso corpore nasci. Et est quoddam determinatum tempus post conceptionem seminis, quod redigitur in corpus humanum, quo nascitur anima cum corpore.

Alcuinus. 750.

Epistola de animæ natura: Anima est spiritus intellectualis, rationalis, semper immota, semper viuens, bonæ malæque voluntatis capax, &c. Animarum origo vnde sit, solius Dei cognitioni relinquendum est, cùm multa exinde Philosophi vana finxerint, & Christiani Doctores plurimas opiniones inde posuerint, & nihil penè certum reliquerint. In hoc consentiunt omnes Catholici Scriptores, quòd anima à Deo sit condita, nec partem eam esse naturæ Dei: quia si ex natura Dei esset assumpta, peccare non posset. Nec eam corpus esse palpabile, vel visibile, nec mori eam posse, ita vt non sit, nec à reatu præuaricationis liberari posse, nisi per gratiam & meritum.

Digitize

In Quæstionibus in Genesin, interrogatione 50. Quid est, quod dixit: *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ?* Resp. Quia videlicet in corporis & animæ substantiam factus est: è quibus corpus de limo terræ formatum est, anima verò de nihilo Deo inspirante creata.

Paulinus Aquileiensis. 780.

Aduersus Felicem Vrgelitanum: Sanè vis animæ, cùm sit incorporea, & inuisibilis, nec diuidi potest, nec recipit sectionum scissuras: totam tamen corporis molem, quæ diuidi vel segregari potest, in se continentem mirabiliter regit, & per totum diffusa, animando viuificat, & quasi punctus in medio, suam indiuiduè retinet dignitatem, & in alienam non resoluitur qualitatem. Nam cùm sit incorporea, corporaliter cuncta disponit per corpus; & cùm sit substantia carnis corporea, per incorpoream creaturam, id est, animam, corporeas perficit actiones. Tanta enim societatis conuenientia sibimet sunt vnitæ, vt vnum sine altero non possit humanam constituere naturam. Et idcirco placuit ex vtraque humanam definire naturam. Nam anima incorporea per corporeos oculos videt, audit, & sentit: & corporei oculi per incorpoream animam videre probantur. Nam si recedat anima, oculi aperti remanentes, & aures patentes, nec videre possunt, nec audire. Per linguam loquitur anima, & lingua loquitur per animam. In qualibet enim parte corporis incisa carne anima dolet. sine anima verò in frusta secta caro nec dolere, nec sentire potest.

Rabanus Maurus. 850.

In Ecclesiast. lib. 4. *cap.* 5. Anima in suo corpore vbique tota viget, viuificans illud, mouens, & gubernans: nec in maioribus corporis sui membris maior, & in minoribus minor; sed in minimis tota, & in maximis tota: & hæc est imago vnitatis omnipotentis Dei, quam anima habet in se, quæ quoque quandam sanctæ Trinitatis habet imaginem. Primò in eo, quia sicut Deus est, viuit, & sapit. Est quoque & alia Trinitas in ea, qua ad imaginem sui Conditoris, perfectæ quidem & summæ Trinitatis, (quæ est in Patre, Filio, & Spiritu sancto) condita est. Et licet vnius sit illa naturæ, tres tamen dignitates in se habet, nempe intellectum, voluntatem, & memoriam: quod idem, licet alijs verbis, in Euangelio designatur, dum dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & tota mente tua*, id est, toto intellectu, & ex tota voluntate, & ex tota memoria. Nam sicut ex Patre generatur Filius, ex Patre Filioque procedit Spiritus sanctus: ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his ambobus procedit memoria.

De Vniuerso lib. 4. *cap.* 10. Credimus animæ creationem solum Creatorem nosse: Dei verò iudicio coagulari, & compingi, atque formari, ac formato iam corpore animam creari, & infundi, vt viuat in vtero homo, ex anima constans & corpore, & egrediatur viuus ex vtero, plenus humana substantia. Neque duas animas esse dicimus in vno homine, sed dicimus, vnam eandemque esse animam in homine, quæ & corpus sua societate viuificet, & semetipsam sua ratione disponat.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 880.

Cap. 4 Sicut de corrupta carne corrupta caro seminatur, ita anima carni peccatrici infusa, iusto, sed tamen occulto iudicio damnationi subijcitur. Proinde genuino vitio natura humana corrumpitur, ex quo malorum omnium propago pullulare cognoscitur, &c. Creauit Deus animam primi hominis de nihilo, & inspirauit eam corpori, de terræ materia sumpto & formato, dans ei sensum & discretionem boni & mali, vt corpus ipsi sociatum sensum viuificaret, & per rationem regeret, & in ipso homine sensus esset subiectus rationi, ratio Creatori, vt secundùm rationem corpus moueretur per sensum, ratio autem libero arbitrio moueretur secundùm Deum.

Radulphus Flauiacensis. 950.

Libro 2. *in Leuit. cap.* 4. Anima substantia est inuisibilis, pars hominis, ex qua homo cum corpore compositus est. Hæc triplicem habet vim. Prima est, qua in corpore, & per corpus viuitur, vita sensualis, qua corpus vegetat, & per corporis sensus exteriora ista sentit & discernit. Secunda est, quam apud se exerit: per quam non solùm ea, quæ corporis sensus attingunt, multò apertius perscrutatur ac discutit, sed & multa à sensibus aliena perquirit, & plerumque, cùm bene viget, etiam ad ipsius Dei notitiam erumpit. Tertia vis animæ in appetitu est, &c.

Leo Nonus. 1040.

Epistola ad Petru n: Animam non esse partem Dei, sed ex nihilo creatam, & absque Baptismate originali peccato obnoxiam credo & prædico.

Petrus Alphonsus. 1100.

Titulo 3. Rationalis anima est substantia per se subsistens, incorporea, voluntario motu moueri faciens corpus, ipsa tamen immobilis permanens, corpori quoque, cui inhæret, corrupto, incorruptibilis existens, generi etiam adiuncta speciem hominis ipsa perficiens, &c. Nequaquam de elementorum copula naturalis prodit anima, sed est per se subsistens substantia.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

In Genesin lib. 3. *cap.* 21. Hominum animas non ex traduce fluere, omnium Orthodoxorum vna est sententia: ne (quod ridiculum est) tot consequatur quotidie animas perire, quot pereunt semina. Quare ergo, inquis, omnes in Adam moriuntur, si non ex traduce, id est, ex viro semen fundente pariter & animæ deriuantur? Quia vterque, scilicet masculus & fœmina, præuaricator, & vterque Adam est, rectè is qui nascitur, & moritur in Adam mori dicitur: quia videlicet hæreditate vitæ, quam parens vterque iustè perdidit, filius iustè priuatur.

Bernardus. 1130.

Sermone 27. *super Cantica:* Necesse est animam crescere ac dilatari, vt sit capax Dei. Porrò latitudo eius, dilectio eius, sicut dicit Apostolus: *Dilatamini in charitate.* Nam etsi anima minimè, cùm sit 2. Cor. 6.
spiritus, corpoream recipit quantitatem: tamen confert illi gratia, quod negatum est à natura. Crescit quidem, & extenditur; sed spiritualiter. Crescit non in substantia, sed in virtute: crescit & in gloria: crescit etiam in templum sanctum in Domino: crescit denique, & proficit in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Ergo quantitas cuiuscunque animæ æstimetur de mensura charitatis quam habet, vt verbi gratia, quæ multum habet charitatis, magna sit: quæ parum, parua: quæ verò nihil, nihil.

Sermone 81. *super Cantica:* Vita animæ est viuens quidem, sed non aliundè quàm seipsa: ac per hoc non tam viuens, quàm vita, vt propriè de ea loquamur. Inde est, quòd infusa corpori viuificat illud, vt sit corpus de vitæ præsentia non vita, sed viuens. Vnde liquet, ne viuo quidem corpori id viuere esse, quod esse: cùm esse, & minimè viuere possit. Multò minus quæ vitæ expertia sunt: ad hunc gradum assurgent, &c. Sola, quæ in ipso stare cognoscitur anima hominis, in eo dignitati crea-

ta est vita à vita, simplex à simplici, immortalis ab immortali; vt non longè sit à summo gradu, vbi scilicet id esse, quod beatè viuere est, in quo solus stat beatus, & solus potens Rex regum, & Dominus dominantium. Accepit itaque in sui conditione anima etsi non esse, posse tamen esse beata: summo proinde gradui quantum licet appropians, non pertingens tamen.

Sermone 1. in Natali Domini: Nec ex deliberatione propria carni miscetur, sed creando immittitur, immittendo creatur.

Hugo Victorinus. 1130.

Institutionis Monasticæ de Animalib. 2. cap. 8. Anima est spiritus intellectualis, rationalis, semper viuens, semper in motu, bonæ malæque voluntatis capax. Secundùm benignitatem Creatoris, atque secundum officium sui operis varijs nuncupatur nominibus. Dicitur namque anima, dum vegetat: spiritus, dum contemplatur: sensus, dum sentit: animus, dum sapit: dum intelligit, mens: dum discernit, ratio: dum recordatur, memoria: dum consentit, voluntas. Ista tamen non differunt in substantia, quemadmodum in nominibus, quoniam omnia ista vna anima: proprietates quidem diuersæ, sed essentia vna.

Cap. 26. Anima non est pars Dei: probat hoc mutabilitas, quam incurrit. Deus enim immutabilis est, hæc sæpe mutata: pro culpa quandoque damnata, pro pœna quoque fit misera. Nihil tamen ei nocere posset, nisi à Deo recessisset, &c. Non est maior in maioribus, nec minor in minoribus, sui corporis partibus vitæ idoneis. Spiritus namque est anima rationalis, quantislibet obruta malis, & vbicunque est, tota est. Non traducitur à patre in filium, ne vna sit anima amborum. Sicut, inquit, anima patris, sic anima filij in ea est. Nec pars animæ patris in filium, dum generat, se transfundit. Partiri namque, seu diuidi; augeri, vel minui pro substantia sua spiritus nescit: non enim potest esse maior, sed melior. Si enim particulariter transfunderetur, corporea esse probaretur. Quòd si, vt delirant aliqui, semen animę cum semine carnis haberet generando transfundi, multa quidem inhonesta & impossibilia possent exinde conclamari, quæ de spiritu rationali nec dici debent, nec opinari.

Cap. 27. Dicimus autem rationales animas pro essentia fieri quotidie de nihilo nouas, sed pro consimili natura ex institutione diuina non vtique nouas. Quales enim in exordio Deus die sexto masculo & fœminæ dedit, tales quotidie inspirat singulis. *Pater*, inquit, *meus vsque modò operatur, & ego operor.* Operatur vsque modò Pater & Filius, operatione siquidem noua: sed institutione non noua. Pro illa agens, cum ista quiescens. Rex verò corporeæ post primam sui creationem, nouæ mille creantur, sed simul in exordio conditæ temporali formatione propagantur. Animæ autem non simul essentialiter factæ sunt, sed pro natura consilij, qua ad imaginem & similitudinem Dei fiunt, & simul factæ reputantur, & non simul editæ iudicantur. Non simul editæ pro essentia, sed simul factæ pro compari forma, ad imaginem & similitudinem Dei prærogata. Caro de carne generando traducitur, spiritus de spiritu minimè propagatur. Ioan. 5.

De Sacramentis lib. 1. parte 7. cap. 30. Hic autem quidam Doctorum multas hinc inde rationes & auctoritates opposuisse inueniuntur, quibus non animam, sed solam carnem ex traduce esse astruere conati sunt. Et hæc quidem ratio prima est: quòd spirituali naturæ non conuenit, neque ex materia esse, quoniam essentialiter simplex est: sed neque materiam esse, quoniam in vnitatis suæ simplicitate, indiuiduè semper consistens, augeri vel multiplicari omninò non potest. Simplex enim natura propagationem non facit, vbi ad illud, quod propagandum est, ex eo, à quo propagandum est, pars sumi non potest, nisi totum transierit. Quod ergo vnum est inter duo, si totum transierit, nihil ex eo remanet illi, à quo est. Si autem totum permanet, nihil confertur illi, ad quod est. Si igitur anima ex anima gignitur, sicut caro ex carne, dicant quomodo simplex illa substantia aut tota in gignente remaneat, si in genitum transierit: aut tota in genitum transeat, si in gignente remanserit. Nisi fortè omnes animas consubstantiales dicere velint, & illam naturam simplicem in propagatione filiorum personaliter quidem multiplicari, sed essentialiter non diuidi: non attendentes quanta inconuenientia hanc assertionem sequantur, si vna & eadem essentia simul beatitudini & damnationi, gloriæ & pœnæ addicta credatur. Postremò cùm dicat auctoritas: *Reuertatur puluis in terram, de qua sumptus est: & spiritus redeat ad Dominum, qui fecit illum:* manifestè ostenditur, quòd non spiritus de spiritu, sed caro de carne materialiter traducatur, &c. Eccl. 12.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 2. distinct. 17. A. Sicut hominis formatio secundùm corpus describitur, cùm dicitur: *Formauit Deus hominem de limo terræ:* ita eiusdem secundùm animam factura describitur, cùm subditur: *Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Corpus enim de limo terræ formauit Deus, cui animam inspirauit. Vel secundùm aliam literam, *flauit*, vel *sufflauit*: non quòd faucibus sufflauerit, vel manibus corporeis corpus formauerit. Spiritus enim Deus est, nec lineamentis membrorum compositus. Non ergo carnaliter putemus Deum corporis manibus formasse corpus, vel faucibus inspirasse animam: sed potius hominem de limo terræ secundùm corpus formauit iubendo, volendo, id est, voluit, & verbo suo iussit, vt ita fieret: *Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*, id est, substantiam animæ, in qua viueret, creauit: non de materia aliqua corporali, vel spirituali, sed de nihilo. Gen. 2.

Putauerunt enim quidam hæretici Deum de sua substantia animam creasse, verbis Scripturæ pertinaciter inhærentes, quibus dicitur: *Inspirauit*, vel *insufflauit*, &c. Cùm flat, inquiunt, vel spirat homo, de se flatum emittit: sic ergo cùm dicitur Deus flasse, vel spirasse spiraculum in faciem hominis, ex se spiritum hominis emisisse intelligitur: id est, de sua substantia. Qui hoc dicunt, non capiunt tropica locutione dictum esse, sufflauit, vel flauit, id est, flatum hominis, scilicet animam, fecit. Flare enim est flatum facere, & flatum facere est animam facere. Vnde Dominus per Esaiam: *Omnem flatum ego feci.* Non sunt ergo audiendi, qui putant animam esse partem Dei. Si enim hoc esset, nec à se, nec ab alio decipi posset, nec ad malum faciendum, vel patiendum compelli, nec in melius vel deterius mutari. Flatus ergo, quo hominem animauit, factus est à Deo, non de Deo, nec de aliqua materia, sed de nihilo, &c. Quicquid de anima primi hominis æstimetur, de alijs certissimè sentiendum est, quod in corpore creantur. Creando enim infundit eas Deus, & infundendo creat.

Hugo Etherianus. 1160.

De regressu animarum ab inferis cap. 2. Homo ad imaginem Dei factus est: quia innominabilis & incognita, intelligibilis & immortalis animæ substantia ad imaginem & typicam similitudinem, innominabilis incogniti & immortalis Dei 1. Cor. 15. Gen. 1.

existit. Nam neque Dei, neque rationalis animæ substantiam quisquam hominum nouit à mundi origine, quæ cùm vnica sit, constitutiua & gubernatrix est quadrifidæ naturæ corporis, & hoc ad imaginem Dei, qui gubernat hanc vniuersam quadrifidam, & quadriterminam creaturam, & illam similiter quæ sursum est, &c. Neque substantiæ Dei rationem humana mens valet comprehendere: neque animæ hominis essentiam valet inuenire: vnde & quomodo ad esse peruenerit. Quapropter qui hanc comprehendere arbitrati sunt, à cæca caliginis voragine absorpti, à veritate recesserunt, siquidem alij cælitus missas corporibus infundi affirmauerunt, alij ex traduce, alij ex coitu masculino & fœminino gigni, veluti ex ferro & lapide ad inuicem concussis fauilla excutitur. Et alij quidem Angelis consubstantialem autumârunt: quorum licet multiplex fuerit error, vna veritas, quam omiserunt, satis eos confundit.

Cap. 4. Anima filij neque per decisionem, neque per traductionem, aut alio quopiam modo de patre nascitur. Nulla enim rationalis creatura potest esse alicuius materia, In sua semper simplicitate consistens. Nimirum incorporea substantia est, & ab omni modo corporis semota: non augetur, non minuitur, non generatur, non corrumpitur, vt esse desistat: huiusmodi substantia nequit propagari.

Petrus Comestor. 1160.

In historia Scholastica in Genesin cap. 12. Quòd quidam asserunt animam de essentia diuina factam, stare non potest: quia cum nullo modo peccare posset. Quæritur vtrum in corpore dum infunderetur creata, vel extra sit anima Adæ, & sit ei datum naturaliter velle incorporari. Quicquid circa illam actum sit, de post creatis dicitur, quòd in ipsis corporibus, dum infunduntur, creantur.

Hildegardis. 1160.

In expositione Symboli Athanasij: Anima ignis est, & ignis eius totum corpus, in quo est, perfundit, venas scilicet cum sanguine, ossa cum medullis, & carnem cum liuore, & inextinguibilis est. Et ignis animæ ardorem in rationalitate habet, qua verbum sonat. Quòd si anima ignea non esset, frigidam coagulationem non perureret, nec sanguineis venis corpus ædificaret. Quia autem anima in rationalitate ventosa est, per omnia loca corporis calorem suum rectè diuidit, ne corpus exurat. Cùm verò anima de corpore se extorserit, corpus deficit, quemadmodum ligna non ardent, cùm ardore ignis caruerint.

Ioannes Saresberiensis. 1170.

Lib. 3. *Polycr. cap.* 1. Hominem verò constare ex anima rationali, & carne corruptibili, antiqui sapientes definierunt. Caro siquidem viuit ab anima, cùm aliunde corpori vita esse non possit, quod semper inertiæ suæ torpore quiescit, nisi spiritualis naturæ beneficio moueatur. Hæc autem habet & ipsa vitam suam. Deus etenim vita animæ est. Quam sententiam modernorum quidam, grauiter quidem & verè, licet metrica leuitate complexus est.

Vita animæ Deus est, hæc corporis: hac fugiente
Soluitur hoc: perit hæc destituente Deo.

Sicut ergo corpori viuere est vegetari, moueri ab anima, & dispositione sui motibus animæ acquiescere, & ei quadam necessitate obediendi concordare: sic & anima ex eo viuit, quod suo modo vegetatur, & verè mouetur à Deo, & ei subiecta deuotione obtemperat, & in omnibus acquiescit. Si quo minus, & eo minus viuit. Nam & corpus, qua parte sui non mouetur ab anima, iam in ea torporem mortis incurrit. Dum ergo totum viuit, ad eam totum disponitur, quæ se non per partes infundit partibus, sed tota est & operatur in vniuersis, & singulis. Sic & Deus animam perfectè viuentem totam occupat, totam possidet, regnat & viget in tota. Nullus ei angulus exceptus est. Sed quid in anima angulum vel partem dico? Partium expers est, simplicisque naturæ, & totius duplicitatis ignara. Partes tamen, quas potuit, sibi à distributione bonorum vendicauit. Quas? inquis, Virtutes vtique, quibus viget & operatur, & sui experimentum facit. Sine ergo multiplicitate partium, & quantitatis quadam distentione crescit ratione tantùm & intellectu, appetitu boni, auersioni mali, manente simplicitatis natura dilatatur. Cùm verò partes istas Spiritus implet, (Deus enim Spiritus est,) solida & perfecta vita est animæ.

Godfridus Viterbiensis. 1170.

Parte 2. *Chronicorum*: Quia verò animam ostendimus neque corpus existentẽ, neque harmoniam, neque crasin, neque aliam aliquam qualitatem: manifestum est ex his, quòd substantia quędam est in corporea anima. Quod etiam omnes confitentur. Quòd autem nec corpus sit, nec accidens, patet ex eo, quòd incorporea sit substantia, & non sit aliquid habentium esse in alio. Hæc enim & adsunt, & absunt præter subiecti corruptionem. Sed anima absente corpus corrumpitur.

Helinandus. 1200.

Apud Vincentium lib. 29. *cap.* 113. Deus Spiritus est, & anima similiter: Deus simplex est, & anima: Deus immortalis est, & anima: inuisibilis est Deus, inuisibilis & anima. Deus vnus est in substantia, & trinus in personis: anima est vna in essentia, & trina in potentijs. Deus substantialiter totus est vbique, anima non quidem vbique, sed in corpore suo per singulas partes tota diffunditur. Postremò Deus rationalis est, vel potius ratio: anima similiter est rationalis.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Secunda partis de Vniuerso parte 1. *cap.* 22. Cùm nulla animarum nostrarum creetur extra corpus, sed potius vnaquæque creetur in corpore suo, necesse omnes ipsas esse, dum singulæ sunt in corporibus suis, simul in intelligentia agente.

Parte 2. *cap.* 107. Ingressus animæ humanæ in corpus, quod viuificat & regit, non est veri nominis ingressus, cùm extra corpus nũquam fuerit: quemadmodum qui in domo aliqua nascitur, non potest dici verè ingredi domum illam: sic manifestum est se habere & in anima, quæ in corpore & intra ipsum creatur, quòd ipsa sua creatione non ingreditur illud, sicut neque homo natiuitate ingreditur domum.

Vincentius Burgundus. 1240.

Speculi historialis lib. 1. *cap.* 33. Anima humana est substantia rationis particeps, regendo corpori accommodata, & in hoc differt ab Angelo, quia est corpori vnibilis, & quia non habet distinctionem personalitatis, & quia vim quandam habet componendi, & diuidendi intelligibilia cum sensibilibus, quam non habet Angelus. Et quia licet inter eam & Deum non sit medium, quantum ad naturam, & quantum ad æternam fruitionem, quam scilicet ipsa recipit ab Angelo, Angelus autem à Deo.

Thomas Aquinas 1250.

In compendio Theologiæ cap. 93. Anima rationalis non educitur in esse à virtute, quæ est in semine, sed à superiori agente. Virtus enim, quæ est in semine, est virtus corporis cuiusdam. Anima enim rationalis excedit omnem corporis naturam, &

virtutem, cum ad eius intellectualem operationem nullum opus pertingere posit.

Cap.94. Non credendum est, animam rationalem esse de substantia Dei, secundùm quorundam errorem: Deus enim simplex & indiuisibilis est. Non igitur animam corpori vnit, quasi eandem à sua substantia separando.

Gulhelmus Peraldus. 1255.

In Summa Tomo1.de Fide cap.15. Error ille, qui dixit, omnes animas simul fuisse creatas, sequitur, contra quem errorem sic potest obijci. Constat quòd habebant animæ potentiam cognoscendi & volendi, antequam corporibus infunderentur. Si omnes à principio creatę sunt: ergo cùm non haberent eas otiosè, merebantur, vel demerebantur. Si merebantur, debuerunt in bonitate confirmari, sicut & Angeli: si demerebantur, obstinatæ factæ sunt, sicut Angeli, qui peccauerunt, & peccatum earum fuit irremissibile, sicut & Angelorum malorum.

Bonauentura. 1260.

Parte 2. Breuiloquij cap.9. De anima rationali hæc in summa tenenda sunt, secundùm sacram doctrinam, scilicet quòd ipsa est forma ens, viuens, intelligens, & libertate vtens. Forma quidem ens, non à seipsa, nec de diuina natura, sed à Deo de nihilo per creationem in esse deducta. Forma autem viuens, non ex naturà intrinseca, sed seipsa: non vita mortali, sed vita perpetua. Forma verò intelligens, non tantùm creaturam, sed etiam creatricem essentiam, ad cuius imaginem facta est, per memoriam, intelligentiam, & voluntatem Forma libertate vtens, qua semper est libera à coactione. A miseria verò & coactione libera fuit in statu innocentiæ, licet non in statu naturæ lapsæ. Hæc autem libertas à coactione nihil aliud est, quàm facultas voluntatis, & rationis, quæ sunt potentiæ animæ principales.

Rainerus Pisanus. 1300.

In Pantheologia de anima cap.1. Confitendum & tenendum est, quòd anima simul creatur cum corpore, & non ante.

Cap.2. Anima non est ab æterno, neque à principio mundi, neque extra corpus, sed cum corpore simul & in corpore creata. Quòd autem anima sit in corpore, est sciendum, quòd anima rationalis, licet sit simplex, & vnica in essentia, requirit tamen diuersitatem potentiarum in corpore, prout congruit diuersis operationibus, quas anima, cùm sit perfecta forma, operatur, quas operationes formæ imperfectæ, puta animalia &c. non habent.

Cap.4. Anima rationalis non generatur ex aliqua anima, neque ex aliqua materia; sed immediatè ex nihilo creatur à solo Deo.

Clemens Quintus. 1305.

In Concilio Viennensi in Clementinis Tit. de summa Trinitate & fide Catholica: Doctrinam omnem seu positionem temerè asserentem, aut vertentem in dubium, quòd substantia animæ rationalis seu intellectiuæ verè ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam & veritati Catholicæ inimicam fidei, prædicto sacro approbante Concilio, reprobamus, definientes, vt cunctis nota sit fidei syncera veritas, quòd quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quòd anima rationalis seu intellectiua non sit forma corporis humani per se & essentialiter, tamquam hæreticus sit censendus.

Albertus Patauinus. 1320.

Serm. 77. Facta est anima hominis rationalis ad imaginem & similitudinem Dei, quam imaginem moriendo non perdit homo. Deus autem, cùm sit spiritus, figura corporalem non habet. Vnde sequitur, quòd anima non distinguatur corporeis membris.

Guido Carmelita. 1330.

In Summa de Gnosticis: Errant quòd dicunt animam de substantia Dei esse, quod est hæreticum: quia quod est de substantia Dei, Deus est. Anima autem, cùm sit pars hominis, est res in esse specificè imperfecta, & imperfectior homine, cuius est pars. Totum enim est perfectius sua parte, quæ ordinatur ad totum, cuius gratia est. Et quia anima est imperfectior homine: ergo cùm nihil sit perfectius Deo, qui est perfectissimum ens, anima non est Deus, aut de substantia Dei.

De Armenijs cap.4. Dicunt quòd anima humana filij propagetur ab anima patris sui. In quo errant. Quia anima rationalis est per creationem, Genes.2. *Inspirauit in faciem*, id est, in corpus hominis, *spiraculum vitæ*: quia animam rationalem creato infundit corpori. Vnde Apostolus Coloss.3. dicit hominem secundùm imaginem Dei creatum à Deo. Imaginem dicit, quoad animam rationalem, quæ est ad imaginem Dei, ita quòd Deus animam rationalem creat.

Rupertus Holcotius. 1340.

De imputabilitate peccati: Anima nullo modo fit ex traduce, sed quælibet de nouo, & de nihilo creata est, & infundendo creata, & creando infusa.

Thomas Argentinensis. 1350.

Lib.2.Sent.dist.77. Nullius corporis Anima fuit producta ante corporis humani productionem: alioqui nec opus Dei fuisset perfectum, & anima vel benè agens cum Angelis beatificata esset, vel malè cum dæmonibus damnata.

Franciscus Petrarcha. 1350.

Cantilena 2.

Anima, quæ solùm à Deo facta nobilis,
Quòd aliunde non posit fieret talis gratia,
Similem sui auctori statum tenet.

Barptolomæus Anglicus. 1360.

De Proprietatibus rerum lib.3.cap.4. Anima est Deiformæ spiraculum vitæ. Ex quo patet proprietas animæ, quòd non ex traduce, nec ex seminali ratione propagatur: sed ad viuificationem corporis à Deo infunditur, & creatur.

Henricus de Hassia. 1380.

In Soliloquio de conditionibus animæ capite 1. Exordire ergo & inquire vnde sis ò anima, & indubiè reperies, quòd sis de deserto nihili, de nullo materiali principio educta, sed de non ente à solo Deo creata. Post hæc inquirendo de quidditate agnosce, quòd sis creatura intellectualis, indiuisibilis essentia, humano corpori formali tui præsentia viuificando intrinsecè determinata.

Ioannes Bromiardus. 1380.

In Summa cap.23. de anima: Aliqui nullam animam esse credunt, quia eam non vident. Vnde & dicunt, quid est anima? nunquam vidimus animam. De quibus Gregorius lib. 4. Dialogorum circa principium loquitur, dicens: Mens, inquit, refugit credere, quod corporeis oculis non videt. A quibus quærendum est, si vnquam viderunt aliquam differentiam inter hominē viuum, & mortuum. Et ipsis respondentibus, quòd magna differentia est: Ergo in effectu & opere vidistis animam esse creaturam, & naturam magnæ virtutis atque potestatis. Quia quidquid vidistis in corpore fortitudinis, pulchritudinis, sapientiæ, totum id est causaliter anima, & ex animę virtute & fortitudine procedit.

Laurentius Iustinianus. 1430.

In ligno vitæ de Fide cap.6. Anima est potior pars

hominis,

hominis, substantia inuisibilis, incorporea, immortalis, Deo simillima, habens imaginem Creatoris sui, quæ cæteris omnibus occupari potest, repleri omnino non potest. Comparem enim Dei quicquid Deo minus est non implebit. Ipsius namque excellentia, donec in corruptibili detinetur corpore, ad plenum non agnoscitur, sed quando ab ipsa liberata fuerit, tunc reuelabitur eius gloria.

Raimundus Sebundius. 1430.

In viola animæ cap. 55. Tota posteritas carnem quidem propagatione sumpsit ab Adam, sed animam creando Deus infudit carni propagatæ.

Bernardinus Senensis. 1440.

Feria secunda post Dominicam Oliuarum Serm. 51. *cap.* 2. Tanta est dignitas animæ, vt excedat omnes corporales creaturas etiam simul sumptas. Vnde Augustinus de ciuitate Dei ait: Omni corpore præfertur animæ natura. Sed quia oculis corporeis non valet videri, docet Apostolus ingeniosum modum, quo saltem oculis mentis dignitas eius comprehendi possit. Dicit primo capite ad Romanos: *Inuisibilia enim Dei*, sicut est anima, *à creatura mundi*, ab homine, *per ea quæ facta sunt*, id est, per corporeas creaturas, *intellecta conspiciuntur.*

Æneas Syluius. 1450.

Epistola ad Morbisanum Turcarum Principem: Mahometus animam portionem esse censet animæ Dei: sic nonnulli Philosophi palam tradiderunt, & Manichæi secuti sunt. Nos humanam animam ad imaginem & similitudinem Dei factam dicimus, sicut scriptum est in Genesi: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quod de anima dictum est, non de corpore. Quòd si anima hominis portio Dei esset, esset vtique Deus: nec esset homo non Deus, quod stultissimum est, cùm manifestum sit, labi hominis animam à bonitate in malitiam, à veritate in errorem, à gaudio in tristitiam, à spe in desperationem: quod est à Dei substantia penitus alienum. Nec illud verum est, quod in vestra lege traditur, animas hominum ex materia traductas esse omnes. Afferunt enim Philosophi ab intrinseco esse homini intellectum, & quòd innatus sit spiritus vitæ iussu Dei. Et Theologi rationales animas omnes ex nihilo creatas dicunt. Et Adam cùm factam vidisset fœminam: *Hoc os*, inquit, *ex ossibus meis, & caro de carne mea:* non dixit anima de anima. Et Propheta in Psalmis canit: *Qui finxit singillatim corda eorum.* Ponitur enim cor pro anima: quia sedes eius in eo est.

Dionysius Carthusianus. 1460.

In Summa orthodoxæ fidei lib. 1. *cap.* 100. Sciendum est animam non esse corpus. Anima enim est principium primum vitæ & motus in animali & viuo. Non enim quodcunque principium vitalis operationis est anima: sic namque oculus esset anima, cùm sit principium visionis. Corpus autem non potest esse principium vitæ & motus, in quantum est corpus, quia sic omne corpus esset principium vitæ & motus: sed in quantum est tale corpus. Quod autem sit tale corpus, non habet nisi ab actu seu forma. Anima ergo quæ est actus seu forma, per quam corpus est tale, vt sit principium vitæ vel motus, non est corpus, sed corporis forma: quemadmodum calor, qui in igne est calefactionis principium, non est corpus, sed corporis actus seu qualitas.

Nicolaus de Nyse. 1480.

Tractatu 2. *parte* 3. *port.* 3. *quæst.* 10. *de voluntate humana:* Si anima fuit creata antequam esset in corpore, cùm tunc habuerit liberum arbitrium, potuit mereri aut demereri. Ergo fuisset cum bonis Angelis beatificata, vel cum malis damnata. Non enim videtur esse alia ratio de Angelis, & de anima, quantum ad hoc, & sic non fuisset corpori vnita.

(***)

ARTICVLVS SECVNDVS.

ANIMAM SPIRITVM ESSE IMMORTALEM, CORPORE DEFVNCTO NON SIMVL INTERIRE, SED SEMPER SVPERSTITEM MANERE, VIVERE, ET INTELLIGERE.

NEGANT.

Anno ante Christũ 450. DEMOCRITVS *vnà cum corpore animas mori putabat.* Lactantius libro 3. capite 18.

300. *Epicurus animas extra corporibus viuere & superstites manere negabat.* Plutarchus de placitis Philosophorum lib. 4. cap. 7.

200. *Stoici contendunt diu, sed non semper mansuras animas cùm è corpore excesserint.* Cicero Tusculana prima.

100. *Sadducæi & Samaritani dicebant animas vnà cum corporibus interire.* Iosephus lib. 18. Antiq. cap. 2. Leontius de Sectis.

Anno post Christũ 100. Plinius lib. 7. nat. hist. cap. 55. *Post sepulturam alia atque alia manium ambages. Omnibus à supremo die eadem quæ ante primum: nec magis à morte sensus vllus aut corpori aut animæ, quàm ante natalem.*

170. *Marcus Antoninus Philosophus*, lib. 4. & 6. vitæ suæ, *ex professo negat animarum immortalitatem.*

200. *Heracleon animam vnà cum corpore perire existimabat.* Origenes Tomo 13. in Ioannem.

250. *Arabici animas vnà cum corporibus mori ac resurgere dixerunt.* Eusebius hist. lib. 6. cap. 30. Augustinus & Isidorus Hispalensis de hæresibus.

430. *Sozimus Presbyter animam vnà cum corpore mori credebat.* Isidorus Pelusiota libro 3. epist. 235. 295.

600. *Thnetopsychitæ hominum animas vnà cum corporibus instar pecudum interire docuerunt.* Damascenus, & Nicetas de hæresibus.

1150. *Auerroes in suis scriptis animam esse immortalem asserit.*

1420. *Barbara Sigismundi Imper. coniunx animas cum corporibus mori, & post hanc vitam, quàm viuimus, nullam aliam vitam futuram esse dicebat.* Æneas Syluius histor. Bohemicæ cap. 59. Crispinianus in Sigismundo, Ianus Dubrauius historiæ Bohemicæ lib. 28.

1500. *Hermannus Risvvich dicebat animam per hominis mortem simul cum corpore interire: nullamque post hanc vitam aliam fore particularem: vt mortuo Socrate moritur anima eius, sicut cum corpore incepit.* Bernardus Lutzemb. & Prateolus de hæresibus.

1520. Martinus Lutherus in assertione articulorum à Leone decimo damnatorum articulo 27. *Permitto quòd Papa condat articulos fidei suis fidelibus, quales sunt, panem & vinum transubstantiari in Sacramento: essentiam Dei nec generare, nec generari: animam esse immortalem, & omnia illa infinita portenta in Romano sterquilinio Decretorum; vt qualis est eius fides, tale sit & Euangelium, tales & fideles.*

Ad caput 9. Ecclesiastis: *Mortui dormiunt, & nihil intelligunt rerum nostrarum, &c. Nihil sentiunt, iacent sibi mortui, non numerantes dies vel annos, sed excitati videbuntur sibi momento dormisse.*

1536. *Anabaptistarum quidam animam substantiam esse negant, sed vim duntaxat esse aiunt, quæ & spiritu arteriæ, aut pulmonum agitatione ducitur: & quia sine corpore subsistere nequit, ideò vnà cum corpore interire & euanescere fingunt, donec totus homo suscitetur.* Ioannes Caluinus in Psychopannychia.

1540. Ioannes Brentius ad cap. 20. Lucæ: *Etsi nulla inter nos sit publica professio, quòd anima simul cum corpore intereat, & quòd non sit mortuorum resurrectio: tamen impurissima & vanissima illa vita, quam maxima pars hominum sectatur, perspicuè indicat, quòd non sentiunt esse vitam post hanc. Nonnullis etiam tales voces tam ebrijs inter pocula, quàm sobrijs in familiaribus colloquijs excidunt.*

1550. Seruetus lib. 4. de regeneratione pag. 551. *Asserit animam redditam esse mortalem per peccatum: non quòd in nihilum anima redeat, sicut nec caro: sed mori quando cum dolore vitalibus actionibus priuatur, & in inferno languens detinetur quasi non amplius victura.*

1568. *Anabaptistæ theses Cracouiæ impressas vulgârunt, quarum decima est: Negamus aliquam animam post mortem manere, sed illud dicimus excogitatum ab Antichristo, ad stabiliendam suam culinam, per fictum purgatorium & inuocationem Sanctorum.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Sap. 3. *Vers.* 1. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori. 3. Illi autem sunt in pace.

Sap. 5. 16. Iusti in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum.

Matth. 10. 28. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.

Lucæ 16. 23. Cùm diues esset in tormentis, vidit Abraham de longè, & Lazarum in sinu eius.

Lucæ 23. 43. Christus ait ad Latronem: Hodie mecum eris in Paradiso.

1. *Pet.* 3. 20. Christus spiritibus prædicauit in carcere.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constit. Apost. lib. 6. cap. 11. Animam in nobis confitemur expertem corporis, & immortalitate præditam, neque interitu deleri, vt corpora, sed immortalem esse, vtpote rationis participem, & sui compotem.

Iustinus Martyr. 150.

Dialogo cum Tryphone: Animam viuere nemo inficias iuerit. Sin viuit, non quòd vita sit viuit, sed quòd vitam accipiat. Aliud sanè est quod participat quicquam ab eo vnde participat, quoadusque eam Deus vult viuere: ita videlicet aliquando non participabit, cùm eam viuere nolet, &c. Animas superstites manere etiam eo demonstrauerim, quòd & Samuelis animam ventriloqua Pythonissa, ita vt Saul petierat, euocauit. 1. Reg. 28.

Theophilus Antiochenus. 170.

Lib. 2. ad Autolycum: Formauit Deus hominem puluerem de humo, & insufflauit in nares eius flatum vitæ, factusque est homo in animam viuentem. Inde anima à pluribus immortalis dicitur.

Athenagoras. 180.

De resurrectione: Si vniuersa hominum natura ex anima immortali & corpore pro ipsius creatione attemperato consistit, neque animæ per se, neque corpori seorsum Deus istiusmodi aut ortum aut vitam attribuit, sed hominibus integris, qui istis ambobus componerentur, &c. Homines secundùm animam ex creatione habent, vt sine vlla vicissitudine variationis perdurent: secundùm corpus verò, vt immutentur, & ita perdurent.

Irenaeus. 180.

Lib. 5. cap. 7. Quae sunt ergo mortalia corpora? Nunquidnam animae? Sed incorruptibiles animae, quantum ad comparationem mortalium corporum. Insufflauit enim in faciem hominis Deus flatum vitae, & factus est in animam viuentem: flatus autem vitae incorporalis est. Sed ne mortalem quidem possunt dicere hominem, ipsum flatum vitae existentem. Et propter hoc Dauid ait: *Et anima mea illi viuet*, tamquam immortali substantia vna eius existente. Sed neque spiritum possunt dicere mortale corpus. Quid igitur superest dicere mortale corpus, nisi plasma, id est, caro, de qua & sermo est ei, quoniam viuificabit eam Deus? Haec enim est quae moritur & soluitur: sed non anima, neque spiritus. Mori enim est vitalem amittere habilitatem, & sine spiramine in posterum, & inanimalem & immobilem fieri, & deperire in illa, ex quibus & initium substantiae habuit. Hoc autem neque animae euenit: flatus enim est vitae: neque spiritui: incompositus est enim & simplex spiritus, qui resolui non potest, & ipse vita est eorum, qui percipiunt illum.

Gen. 2.

Psal. 21.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 5. Stromaton: Supplicia post mortem & poenas, quae igne luuntur, à barbara Philosophia & vniuersa Musa poëtica, & Graeca etiam surripuit Philosophia, &c. His autem consequens est, esse animam immortalem. Quod enim punitur vel castigatur, cùm sit sensu praeditum, viuit, etiamsi dicatur pati.

Origenes. 240.

Lib. 7. contra Celsum: Persuasum habent non solùm Christiani & Iudaei, verùm etiam multi tam Graeci quàm Barbari, quòd superfit, & quòd viuat post discessum à corpore humana anima: & rationi consentaneum est, quòd quaecunque pura est, nullisque malitiae grauata compedibus, sublimis euolat ad puriora loca aetheria, relictis crassi corporis sordibus.

Super Cantica: Vbi foret iustitia Dei, vbi bonorum merces, malorumque iusta supplicia, si anima mortalis esset?

Gregorius Neocaesareensis. 260.

Libro de anima: Cùm anima corpore careat, simplex est: siquidem nec est composita, nec plurium partium. Consequens verò mihi videtur, vt quod est simplex, sit immortale. Quomodo autem id efficiam? Accipe: Nihil seipsum corrumpit: alioquin enim ne initio quidem constitisset: sed quae corrumpuntur, ex contrarijs corrumpuntur. Quicquid enim corrumpitur, dissoluitur: quod dissoluitur, compositum est: compositum multarum est partium: quod ex partibus constat, ex his nimirum constat differentibus: quod autem differens est, idem non est. Proinde cùm anima sit simplex, neque ex pluribus constet partibus, quia nec composita est, nec dissolui potest, sequitur vt corrumpi nequeat, & sit immortalis.

Methodius. 260.

Sermone de Resurrectione: Opus Dei homo. Quicquid verò ab immortalitate factum est, immortale est. Immortalis igitur est homo.

Eusebius Caesareensis. 320.

De Praeparatione Euangelica lib. 11. cap. 14. De immortalitate animae Plato Mosen est secutus, qui primus immortalem esse docuit, cùm eam imaginem Dei esse asseruerit.

Lib. 15. cap. 8. Manifestum est, non solùm Philosophiae studiosis, sed & ipsis propemodum idiotis, quòd immortalitatem Plato animae tribuat, nec non multos super ea re sermones reliquerit, quibus firmiter & omnino probat, quòd immortalis sit anima.

Athanasius. 340.

Oratione contra idola: Quòd immortalis sit anima, id quod necessarium est cognoscere ex doctrina Ecclesiastica, quo conuinci possit, idola esse tollenda, &c. Si animam aliam esse à corpore ratio demonstrauit, corpusque ex natura mortale est: necessum est animam immortalem esse, eò quòd corpori similitudine non respondeat. Rursus si anima corpus mouet, nec ab alio mouetur: consequens est ipsam à se moueri, & postquam terrae corpus inhumatum est, ipsam rursus à seipsa moueri. Non enim anima est quae moritur, sed ob eius discessum corpus moritur. Si igitur illa à corpore moueretur, consequens esset, discedente motore, ipsam mori. Quòd si anima mouet corpus, multò magis necessum est, sibi seipsam motricem esse: & quia à se mouetur, necessarium est, eam post mortem corporis viuere & superstitem esse.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi 4. de statu hominis: Cognosce animam esse sui iuris, seu voluntatis liberae, opus Dei pulcherrimum, secundùm factoris imaginem, immortale per eum qui immortalitate illud donauit, animal rationale & incorruptibile.

Macarius Aegyptius. 370.

Homilia 15. Nequaquam dixit Deus de Michaele, & Gabriele Archangelis: *Faciamus hominem ad imaginem nostram:* sed de substantia intellectiua hominis, de anima, inquam, immortali.

Epiphanius. 380.

Haeresi 64. Moritur caro, anima immortalis est. Proinde si anima est immortalis, corpus autem mortale, qui resurrectionem quidem esse dicunt, verùm carnis non esse, hi resurrectionem negant. Quòd verò anima sit immortalis, clarè docuit Saluator in historia diuitis & pauperis Lazari.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione catechetica cap. 8. Mors dissolutionis ab indumento mortuarum pellium non attingit animam. Quomodo enim dissolui posset, quod non est compositum?

Oratione 3. de Resurrectione: Anima quidem, si ipsa per se examinetur & excutiatur, nunquam resurget: quandoquidem non moritur, sed interitus & corruptionis est expers. Cùm autem sit immortalis, mortale corpus socium habet actionum, atque idcirco apud iustum iudicem tempore reddendarum actionum, rursus socio suo inhabitabit, vt cum illo recipiat communes vel poenas vel praemia.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 1. Nobis, qui de animae salute periclitamur, quae beata est, & immortalis, atque immortalibus vel supplicijs, vel laudibus, ob vitium aut virtutem afficietur, quantum tandem certamen propositum esse, quantaque arte opus esse existimandum est, vt rectè curemus, aut ipsi curemur, & vitam in melius commutemus?

Oratione 35. quae est oratio prima de Filio: Quid ergo de anima vel Angelica natura pronuntiabunt? Si principium habuit, finem quoque habebit: sin autem fine carebit, secundum eos vtique principio quoque hanc caruisse constat. Atqui & principium habuit, nec vnquam esse desinet. Falsum itaque est quod aiunt, id quod finem habiturum est, principium quoque habuisse.

Euagrius. 390.

Apud Nicephorum lib. 11. cap. 43. Monacho cuidam

nuntius venit de patris morte, atque ille ad nuntiantem: Desine, inquit, blasphemare, & impiè loqui. Pater enim meus immortalis est.

Palladius. 390.

Historia sanctorum Patrum cap. 6. Illi animam suam in vanum accipiunt, qui existimant eam dissolui vnà cum hac caruncula, qui virtutes spiritales negligunt.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 13. in Genesin: Prius de puluere corpus hominis formatur, & post vitalis datur illi virtus, quæ scilicet animæ est substantia. Et idcirco de brutis dicebat Moses: *Sanguis eius anima eius est:* in homine autem substantia quædam est incorporea & immortalis, multo interuallo corpus excellens, & tanto, quanto corporeis eminent incorporea.

Oratione de anima: Ideo animam nacti sumus immortalem, & corpus erit immortale, vt infinitis bonis fruamur.

Nilus. 420.

In capitulis paræneticis cap. 146. Omnia sunt corruptioni obnoxia. Anima verò immortalis est. Incorruptibilia ergo præferre decet corruptibilibus.

Ioannes Cassianus. 430.

Lib. 1. Collat. 14. Nam quia nec occisi sunt post separationem huius corporis, neque nihil sentiant etiam Euangelij parabola, quæ de illo paupere Lazaro, & diuite purpurato profertur, ostendit: quorum vnus beatissimam sedem, id est, sinus Abrahæ, requiem promeretur, alius intolerabili ardore æterni ignis exuritur. Si autem & illud, quod dicitur ad latronem: *Hodie eris mecum in Paradiso,* voluerimus intendere, quid aliud manifestè designat, quàm perdurare in animabus non solùm pristinos intellectus, sed etiam vicissitudine eas congrua pro meritorum actuumque suorum perfrui qualitate? Hoc enim illi nequaquam Deus promisisset, si eius animam nosset post separationem carnis vel priuandam sensu, vel in nihilum resoluendam: Non enim caro eius in paradisum, sed anima erat ingressura cum Christo, &c. Quibus manifestè probatur, animas defunctorum non solùm suis sensibus non priuari, sed ne istis quidem affectibus, id est, spe atque tristitia, gaudio atque metu carere, & ex ijs, quæ sibi in illo generali examine reseruantur, quiddam eas iam incipere prægustare. Nec secundùm opinionem quorundam infidelium in nihilum eas resolui, post huius commorationis excessum, sed viuacius subsistere, Deique laudibus intentius inhærere.

Luc. 16.

Luc. 23.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib. 1. in Esaiam cap. 10. Deuorabit eos mors tantum, non animas conficiens & corpus. Quòd enim non intereant simul cum corporibus animæ cuiuis perspicuum est.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 3. epist. 235. Quòd animam vnà cum corpore interire arbitraris, perquàm ridiculum est, & stolidum, hominisque verè carnalis, atque post hanc vitam, nihil esse cupientis, & ea, quæ de re ab omnibus cuiusuis ætatis commemorantur, confirmantis. Pudorem igitur tibi incutere debent, cùm Philosophi, & Poëtæ, & Oratores, & scriptores omnes, qui animæ immortalitatem docuerunt: tum etiam te pudore quodammodo permouebit ea ratio, quæ nullo modo refutari queat. Nam quæ corpus, quod semper fluit, & corrumpitur, arripit, ac quod in eo labile ac mortale est astringit, & quod cadit exulat, atque ijs, quæ diffluunt, alimentum, & ijs, quæ marcescunt, fruticationem præbet, non est profectò consentaneum, eam à corpore separatam vim suam deserere, per quam & corpus continebat, & conseruabat. Quòd si nec externorum sapientum auctoritate commouearis, nec firmissimæ huic, & necessariæ rationi fidem accommodes, vtpote ingenti atque omni venia grauiori improbitate oppressus ac demersus, diuinum tibi oraculum recitabimus, per quod animæ immortalitas dilucidis verbis prædicatur. Quid igitur ait? *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Quamobrem ne ob singularem atque incredibilem quandam admissorum à te scelerum magnitudinem (nullum enim, vt aiunt, sceleris genus intactum reliquisti) impia dogmata tibi ipsi cude. Verùm illud persuasum habens, immortalem animam esse, tamquam qui vindicem illum oculum minimè falsurus sis, aliquando tandem ab improba viuendi ratione teipsum exime. Matt. 10.

Theodoretus. 450.

Ad cap. 7. epist. ad Romanos: Mortis corpus vocat, vt quod sit morti obnoxium, hoc est mortale: Anima enim immortalis est.

In epitome diuinorum Decretorum lib. 5. cap. de homine: Animam simplicem esse dicimus, & ratione præditam, & immortalem, non tamen ante corpus præexistere.

Basilius Seleuciæ. 460.

Oratione 3. Apostoli in ipso statim initio animam immortalem esse tradiderunt, neque tradiderunt modò, sed efficaciter quoque persuaserunt. Externi autem Philosophi diu multumque, essetne anima aliquid à corpore distinctum inter se disputarunt.

Nemesius. 480.

De anima cap. 44. Animam morte non deleri, neque huius vitæ circumscriptione res humanas terminari, & discessus ab vno corpore in aliud, quod doctissimi quique Græcorum probant, & loca, quæ dicuntur animabus pro cuiusque vita distributa, & supplicia, quibus per se animæ afficiuntur, declarant. Hæc enim, etsi in alio quopiam peccant, tamen remanere animam post hanc vitam, & luere pœnam peccatorum, confitentur.

Olympiodorus. 500.

Ad cap. 3. Ecclesiastæ: Quòd anima rationalis immortalis sit, brutorum verò anima corpori immoriatur, manifestum est.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap. 3. Genesis: Vbi homo ex terra iam expressus erat, tum demum Deus afflauit spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Constat igitur homo animam immortalem, & corpus mortale.

Ad cap. 15. Qui pius & bonus est, cùm obit mortem, proficiscitur ad parentes sui similes. Sub his verbis etiam animæ immortalitas efficaciter annuntiatur.

Æneas Gazæus. 530.

In Theophrasto: Hominis anima principio sic facta prodijt, vt sit substantia rationem habens, quæ semper moueatur, sitque sui iuris ac libera: quæ vitam ex se habeat suam, eamque possit etiam corpori impartire. Quibus bonis eorum, quæ mortalia sunt, nullum est præditum: sed sunt hæc extra controuersiam vera ac certa immortalitatis argumenta. Et certè miraberis vim illam ita in anima latitantem, si rerum, quas foris agit, varietatem nôris. Omnis enim ars, omnis scientia, itemque actio & contemplatio satis superque docere possunt animam hominis esse immortalem. Qui enim ei suum illud esse dedit, ille ipse etiam, perpetuum vt esset hoc eius donum, dedit: idque donum est ipsa iam natura.

Google

Rusticus Diaconus. 580.

Contra Acephalos: Nunc animæ hominum defunctorum absque corpore sunt, & perfectæ personæ sunt, sicut ait Dominus Sadducæis: Quia *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, non est Deus mortuorum, sed viuentium.* Omnes enim viuunt illi, & non ait: Deus animæ illius, & illius; sed Deus illius. Et non dixit: Non est Deus animarum mortuarum, sed viuentium; sed Deum simpliciter dixit esse viuentium. Et profectò existente Abraham, Isaac & Iacob. Et adiecit: *Omnes autem viuunt ei.* Et non dixit: Omnium enim animæ viuunt ei, &c. Nullus perfectorum dicere audebit, quòd cum corporibus moriantur animæ.

Leontius. 600.

De sectis actione 2. Quin & animam esse immortalem, & iudicium fore mortuorum, ex historia probamus. Cainus & Abelus duo fratres erant; vnus agricola, pastor alter: quibus ambobus rem Deo sacram factitantibus, Abelum Deus, vt iustum, acceptauit, neglecto Caino. Is ob hanc caussam aduersus Abelum æmulatione concepta, tandem eum occidit. Cùm ergo Samaritani dicant, in hac vita compensari facta cuiusuis; quid de Abelo dicere possumus, cuius iustitiæ Deus ipse testimonium perhibuit? Nimirum quòd ad hanc vitam attinet, mala pro bonis recepit. Vnde manifestò patet, & immortalem esse animam, & resurrectionem esse, statui debere. Nam nisi vita restaret, in qua suarum actionum ille fructum capiet, nequaquam vir talis immeritò fuisset interemptus.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Epistola ad Honorium: Omnia per vnigenitum Filium Pater in Spiritu sancto fecit, quæ & sapienti prouidentia continet, vt Deus suis operibus præsidens, principiumque omnibus temporale constituens, sensilia quidem fini temporali supposuit; intellectualia verò, & inuisibilia hæc meliori dignitate dignatus est: & nullatenus quidem moriuntur, neque corrumpuntur, iuxta quod sensibilia defluunt atque pertranseunt, non tamen sunt immortalia per naturam, neque in essentiam incorruptibilem transeunt: sed gratiam eis largitus est, à corruptione ea, & à morte coercentem. Sic hominum animæ permanent incorruptæ, sic Angeli immortales perseuerant, non naturam reuera incorruptam, proprieve immortalem habentes essentiam, sed gratiam à Deo sortitæ sunt, quæ immortalitatem largitur, & incorruptionem eis prouidet.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 2. cap. 12. Anima est viua, simplex, & corpore vacans substantia, corporeorum oculorum sensum suapte natura fugiens, immortalis, rationis intelligentiæ particeps, figuræ expers.

Basilius Imp. 860.

In exhortationibus ad Leonem filium cap. 45. Obnoxius es morti corpore, sed animo permanebis immortalis. In ijs ergo, quę corporis propria sunt, mortale sapias: in ijs verò, quæ animæ, immortale amplectere.

Theophylactus. 920.

Ad cap. 23. Lucæ: Sicut condemnati in regnis non sunt, sed in custodijs clausi tenentur in deputatis pœnis: honorabiles verò in regnum ingrediuntur, & nunc in ijs versantur.

Simeon Metaphrastes. 970.

In Martyrio S. Trophimi: Mihi quò magis consumitur, eò magis soluitur à vinculis, liberaturque omninò, & fit anima diuinior. Non enim manens in corpore vnà cum corpore moritur, sed transit ad ea, quæ desiderat, & propriam recipit hæreditatem.

Suidas. 970.

In Hermia Philosopho: Fuit solers & acutus supra modum, vt AEgypto morienti iureiurando confirmasse perhibeatur, animam esse immortalem, & interitus expertem. Eam fiduciam illi faciebat vitæ integritas, naturam corporis auersata, & ad sese conuersa, separationem animaduertens, atque ipsam adeò immortalitatem.

Euthymius. 1080.

Ad cap. 16. Matthæi: Omnia, quæ in mundo sunt, mortalia sunt: anima verò immortalis est. Et horum sanè delectatio temporalis, illius verò supplicium sempiternum.

Michael Glycas. 1100.

Parte 1. Annalium: Cùm anima intelligentiæ vi ornata, per inspirationem homini à Deo sit infita, illa ipsa etiam de caussa immortalis est. At brutorum anima iussu diuino exorta de humo, terrestris est, ideoque morti obnoxia.

Nicetas Choniates. 1200.

Lib. 4. Orthod. hæresi 40. Si mortales sunt animæ; nullo prorsus modo in iudicium resurgent, nec *vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit,* vt magni illius præconis Pauli verbis vtar. Iam qui fieri potest, vt animæ mortalitati subijciantur, cùm tot mortui à Christo, Prophetis & Apostolis excitati sint? Si enim mortales fuissent, in corpora certè propria nunquam remeassent: imò verò animæ sunt immortales, vt sacræ passim testantur literæ.

Demetrius Cydonius. 1280.

Oratione de contemnenda morte: Quis nescit nos & animum habere, eumque brutorum anima multo præstantiorem, nimirum qui ratione gubernetur, qua & imperare corpori potest, idque arbitratu suo regere, atque etiam immortalem, & interitus expertem, qui & esse & permanere suapte vi in omnem æternitatem queat, qui pereunte corpore nihil damni faciat? Cùm igitur ea sit eius natura, nonne stultitiæ est ei metuere, ne fortè vnà cum corpore pereat, & immortale mortem subeat, & id quod corruptioni obnoxium non est, non fit?

Manuel Palæologus. 1400.

Oratione 6. Animi mortem intelligere debemus esse diremptum à Deo. Quòd si Deus vera vita est, qui prorsus Deo spoliati sunt, animi veram vitam amiserunt, ad quam reditus omninò nullus esse potest. Cætero qui verò, vbi corpus mortuum fuerit, vt cum eo moriatur animus, fieri omninò non potest.

Georgius Gemistus Pletho. 1440.

Ad illa verba: *Animæ hominum, &c.* Anima humana Deum ad se quasi aduinciet, siue fortiter assimulabit, nihil habens per se mortale, tota diuinitus inebriata est, siue repleta diuinorum bonorum.

(*✱*)

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Libro de anima cap. 51. Opus autem mortis in medio est, discretio corporis animæque: sed quidam ad immortalitatem animæ, quam quidam non à Deo edocti infirmè tuentur, ita argumentationes emendicant, vt velint credi etiam post mortem

quasdam animas adhærere corporibus. Ad hoc enim & Plato, etsi, quas vult animas ad cælum statim expedit, in Politia tamen cuiusdam insepulti cadauer opponit, longo tempore sine vlla labe, præ animæ scilicet indiuiduitate, seruatum.

De testimonio animæ cap. 4. Affirmamus te manere post vitæ dispunctionem, & expectare diem iudicij, proque meritis aut cruciatui destinari, aut refrigerio, vtroque sempiterno.

De resurrectione carnis cap. 34. Recipimus animæ immortalitatem, vt perdita non in interitum credatur, sed in supplicium, id est, in gehennam. Et si ita est, iam non animam spectabit salus saluam, scilicet sua natura per immortalitatem, sed carnem potius, quam interibilem constat apud omnes.

Cyprianus. 250.

Libro de Mortalitate: Simeon iustus lætus de morte iam proxima, & de vicina accersitione securus, accepit in manus puerum Iesum, & benedicens Luc.2. Deum exclamauit, & dixit: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Probans scilicet, atque contestans, tunc esse seruis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti sedis & securitatis æternæ portum petimus, quando expuncta hac morte, ad immortalitatem venimus: illa est enim pax nostra, illa fida tranquillitas, illa stabilis & firma & perpetua securitas.

De resurrectione Christi: Homo quia ex cælesti, & terrena materia compactus est, vestitus extrinsecus pelle & carnibus, tempus accepit, quo te iubente redderet terræ, quod de terra assumpserat, & ad immaterialem originem reuerteretur spiritus, cuius natura dissolutionis non admittit iniuriam.

Zeno Veronensis. 260.

Sermone de Resurrectione: Poëtæ duplicem viam apud inferos ponunt: impiorum vnam, quæ ducit in Tartarum: piorum alteram, quæ ducit ad Elysium, eò fortius addentes, quòd defunctorum ibidem non tam formæ, quàm facta noscantur. Nos verò, quos non ingeniosa suspicio, sed Deus instruxit, propter nos in semetipso probando, quod docuit, viuere animas mortuorum non tam dicere, quàm oculatis rebus sufficimus approbare.

Felix Primus. 270.

Epistola 2. Martyres passi sunt, non tamen animæ eorum occisæ sunt in corporis passione, ore Matt.10. veritatis attestante: *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere.* Vbi agnosci oportet, quòd si animæ Martyrum corpore perempto supplicijs extingui non possunt, nec animæ prædicatorum & Doctorum persequi debuissent, aut perturbari, & à Dei famulatu auerti: quia cum corporibus non deficiunt.

Arnobius. 300.

Libro 2. *contra Gentes*: Qui poterit territari formidinis alicuius horrore, cui fuerit persuasum, tam se esse immortalem quàm ipsum Deum primum? Nec ab eo iudicari quicquam de se posse, cùm sit vna immortalitas in vtroque, nec in alterius altero conditionis possit æqualitate vexari.

Lactantius. 320.

Libro 3. *Institutionum cap.* 19. Docent diuinæ literæ, non extingui animas: sed aut pro iustitia præmio affici, aut pœna pro sceleribus sempiterna. Nec enim fas est, aut eum, qui sceleratus in vita feliciter fuerit, effugere quod meretur: aut eum, qui ob iustitiam miserrimus fuerit, sua mercede fraudari.

Lib. 7. *cap.* 9. Quòd si Deus est & incorporalis, & inuisibilis, & æternus, ergo non idcirco interire animam credibile est, quia non videtur, postquam recessit à corpore.

Cap. 12. Corpus quoniam fictum ex ponderoso & corruptibili elemento, & tangibile est, & visibile, corrumpitur, atque occidit, nec vim repellere potest: quia sub aspectum, & sub tactum venit: anima autem quia tenuitate sua omnium tactum fugit, nullo ictu dissolui potest. Ergo quamuis inter se coniuncta, & sociata nascantur, & alterum, quod est de terrena concretione formatum, quasi vasculum sit alterius, quod est à cælesti subtilitate deductum, cùm vis aliqua vtrumque discreuerit, quæ discretio mors vocatur, tum vtrumque in naturam suam recedit: quod ex terra fuit, in terram soluitur: quod ex cælesti spiritu, id constat & viget semper: quoniam diuinus Spiritus sempiternus est.

Hilarius. 350.

Ad Psalm. 51. Viuunt sancti quique & fideles Deo. Nam cùm se Deum eorum, qui mortui fuerant, id est Abrahæ, Isaac, & Iacob esse dicat, & continuò testetur, non mortuorum se, sed viuorum Deum esse, docet per id, qui iudicio humanæ opinionis mortui existimantur, sibi legem decernenti, non mortuos esse, sed viuos.

Ad Psalm. 119. Ecclesiastes ait: *Et laudaui omnes qui mortui sunt, super omnes, qui viuunt vsque nunc*, Eccle.4. libera scilicet per dissolutionem corporis anima, onere atque consortio, atque etiam infirmis huius atque periculosæ carnis exuta. In hoc igitur nimium sibi prolixo in corpore incolatu congemiscit Propheta, festinans peregrinari à terrenis, & incolere cælestia, vt derelictis corruptibilibus atque præsentibus, consequatur æterna & inuisibilia.

Ambrosius. 370.

Libro 2. *de Fide cap.* 3. An mori diuinitas potest, cùm anima non possit? *Nolite*, inquit, *timere eos, qui* Matt.10. *corpus occidunt, animam autem non possunt occidere.* Si ergo anima occidi non potest, quomodo diuinitas potest?

De bono mortis cap. 9. & 10. Anima, quæ vitam creat, mortem non recipit, nec moritur. Sed hæc humana, illud diuinum, quod ait Dominus: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem* Ioan.10. *habeo iterum sumendi eam.* Vides igitur, quia non moritur cum corpore, quæ & ponitur, & resumitur, & in manus Dei Patris commendatur? Sed ne fortè dicas, speciale esse quod Christi est, audi dicentem: *Quid scis an hac nocte à te tua anima reposcatur?* Nunquid dixit, moriatur in te anima tua? Non, sed *reposcatur à te*. Repetitur enim anima, non interimitur. Quod repetitur, manet: quod interimitur, non manet.

Prudentius. 380.

Hymno 3.

Oris opus, vigor igneolus
Non moritur: quia flante Deo
Compositus, superoque fluens
De solio Patris artificis
Vim liquidæ rationis habet.

Hymno 10.

Deus ignee fons animarum,
Duo qui socians elementa,
Viuum simul ac moribundum,
Hominem Pater effigiasti.
Tua sunt, tua rector vtrumque:
Tibi copula iungitur horum:
Tibi, dum vegetata cohærent,
Spiritus simul & caro viuit.

Rescissa sed ista seorsum
Proprios reuocantur in ortus:
Petit alter æthera feruens:
Humus excipit arida corpus, &c.

Hieronymus. 390.

Ad cap. 3 Ecclesiastis: *Sicut mors huius, ita & mors illius.*) Hoc dicit, non quòd animam putet perire cum corpore, vel vnum bestijs & hominum præparari locum: sed quòd ante aduentum Christi omnia ad inferos pariter ducerentur.

Ad Isaiæ cap. 51. Illud dicendum, quòd si cælum & terra peribunt, atque veterascent, qua consequentia habitatores eius sicut ista moriantur atque dispereant, cùm animas esse perpetuas, resurrectura corpora nouerimus. Ex quo perspicuum est, cœlum & terram non perire, & in nihilum redigi, sed in melius commutari.

Ad cap. 22. *Matt.* Ad æternitatem animarum probandam de Mose Christus ponit exemplum: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob,* statimque infert: *non est mortuorum Deus, sed viuentium*, vt cùm probauerit animas permanere post mortem (neque enim poterat fieri, vt eorum esset Deus, qui nequaquam subsisterent) consequenter introduceretur & corporum resurrectio, quæ cum animabus bona malaue gesserunt.

Augustinus. 400.

Libro de immortalitate animæ cap. 3. Nullo modo potest mutato subiecto id quod in eo est inseparabiliter non mutari. Non igitur est harmonia corporis animus, nec mors potest accidere immutabilibus rebus. Semper ergo animus viuit, siue ipsa ratio sit, siue in eo ratio inseparabiliter.

De Ciuitate Dei lib. 1. *cap.* 22. Cleombrotus lecto Platonis libro, vbi de immortalitate animæ disputauit, se præcipitem dedit de muro, vt sic ex hac vita migraret ad eam, quam credidit esse meliorem.

Prosper. 440.

De prouidentia Dei:

—— Dedit optimus auctor
Hoc homini speciale decus, cumque omnia Verbo
Conderet, hunc manibus, quò plus genitoris haberet,
Dignatur formare suis, substantia duplex
Iungitur, inque vnam coeunt contraria vitam:
Namque anima ex nullis vt cætera gignitur, expers
Interitus, nisi quòd Domino cruciabilis vni est.

Faustus Rhegiensis. 470.

Epistola ad Pauinum. Ideo mors ad animam non peruenit, quia in ea Dominus imaginem suam & similitudinem collocauit: Nam sicut Deus immortalis, misericors, iustus & patiens est, ita harum dona virtutum in faciem nostram interiorem infudit.

Antonius Episcopus Constantiniensis. 470.

Epistola ad Arcadium: Respice quia in vtero matris Deus te fecit, ipse tibi spiritum & animam dedit, ipse te ornauit ratione & sapientia: sic te vult suscipere pro fide morientem, vt tibi plenam exhibeat maiestatem. Respice mundum, periturus est. Respice solem, & lunam, & stellas, & ipsa soluenda sunt. Confige fortiter pariter cum anima tua, quæ aut semper viuit, aut semper perit. Ecce dimissa sunt tibi peccata tua: mors aperit tibi regna cælorum. Qualis eris, cùm te cum Stephano videbis? Qualis eris, cùm Petrum & Paulum, quos rogare solebas vt patronos, habebis amicos? Christum mox tua anima videbit, & corpus tuum erit in refrigerio resurrectionis, vt & ipsa caro videat, quod tua anima, cùm exierit, mox videbit.

Salonius. 480.

In Ecclesiasten Salomonis: *Spiritus filiorum Adam,* id est, hominum, non simul cum corpore dissoluitur, sed mox vt egreditur de corpore aut deducitur ad gloriam, aut demergitur in pœnam.

Fulgentius. 500.

Ad Monimum lib. 1. *cap.* 6. Huic vni morti, quam peccator sibi per contemptum diuinæ iussionis iniustè concupiscendo arcessiuit, duplam Deus mortem iustè iudicando retribuit. Hoc est, primam in separatione animæ & corporis; secundam in æterna cruciatione animæ & corporis. Ac per hoc primam, quia discedente anima, caro sola moritur: secundam verò, quando rediens in carnem anima, in eadem, & cum eadem, in qua peccauit, carne torquetur, vt cum qua communicauit mortem peccati, quod Dei bonitas interdixit homini, cum ipsa communicet mortem supplicij, quod parauit diuina iustitia peccatori. De hac morte Saluator noster dixit: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Magis autem timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Matt. 10.

M. Aurelius Cassiodorus. 540.

De anima cap. 1. Anima hominis quoniam immortalis est, rectè anima appellatur, quasi ἄναιμα, id est, à sanguine longè discreta: quoniam & post mortem corporis perfectam eius constat esse substantiam.

Cap. 8. Immortales esse animas auctores secularium literarum multifariè probauerunt, dicentes: Si omne, quod viuificat aliud, in semetipso viuit: anima autem, quoniam viuificat corpus, & in semetipsa viuit, vtique immortalis est, &c. Nos autem immortales esse animas, facilè veridicis lectionibus approbamus. Nam cùm eas ad similitudinem auctoris sui legamus effectas, quis audeat contra sanctam auctoritatem mortales dicere? Vt impudenter potius asseratur, eas à Creatoris sui similitudine discrepare. Nam quemadmodum poterat esse imago aut similitudo Dei, si animæ hominum mortis termino clauderentur? Ille enim ineffabiliter semper viuens, ineffabiliter semper manens, perennitatem ipse custodiens, qui omnia continet, omnia disponit, potens est sine dubitatione immortalis immortalia facere, & pro suo modulo vitæ competentiam dare, &c. Viuit in se post huius seculi amissionem, non reflante spiritu, sicut corpus, sed æquali mobilitate, quæ illi attributa est, pura, subtilis, cita, æterna, videt, audit, tangit, ac reliquis sensibus efficacius valet, non iam ex partibus hæc intelligens, sed omnia specialiter ex toto cognoscens.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 4. *in Iob. cap.* 7. Humana anima, seu Angelicus spiritus, ita immortalis est, vt mori possit; ita mortalis, vt mori non possit. Nam beatè viuere, siue per vitium, siue per supplicium perdit. Essentialiter autem viuere, neque per vitium, neque per supplicium amittit. A qualitate enim viuendi deficit, sed omnimodò subsistendi interitum nec moriens sentit. Vt ergo breuiter dixerim, & immortaliter mortalis est, & mortaliter immortalis.

Lib. 14. *cap.* 7. Ex rationali animâ habet homo, vt perpetuum viuat.

Lib. 4. *Dial. cap.* 45. Anima & mortalis esse intelligitur, & immortalis: Mortalis quippe, quia beatè viuere amittit: immortalis autem, quia essentialiter viuere nunquam desinit, & naturæ suæ vitam perdere non valet, nec cùm in perpetua fuerit morte damnata. Illic enim posita, beata esse perdit, & esse non perdit. Qua ex re cogitur semper, vt mortem sine morte, & defectum sine defectu, & finem sine fine patiantur: quatenus ei & mors immortalis sit, & defectus indeficiens, & finis infinitus.

Isidorus Hispalensis. 620.

De summo bono lib. 1. *cap.* 14. Sicut Angeli, ita & animæ habent initium, finem verò nullum.

Beda. 700.

In Quæstionibus in Genesim de natura animæ: Anima à Deo data est, & ex nihilo facta: quia homo, qui de terra factus est, in terram reuertitur: similiter niues & procellæ, quæ ex aqua fiunt, & aër sumit de terra, in aquam reuertuntur, & iterum de terra, ex qua sumpta sunt, in aëre: anima verò non habet vllum elementum, ad quod reuertatur, nisi ad Creatorem suum, postquam de corpore exierit, vt ipso moderante recipiat, quod meretur.

Sermone ad populum Tom. 7. *fol.* 502. Anima non potest mori, sed cùm exit de corpore magnum sustinet pauorem, &c.

Alcuinus. 750.

Ad cap. 1. *Ecclesiastis:* Habet homo amplius iumentis, quòd illa post mortem non viuunt, hic verò tunc viuere inchoat, cùm per mortem carnis hanc visibilem vitam consummat.

Rabanus. 850.

De Vniuerso lib. 4. *cap.* 10. Solum hominem credimus habere animam substantialem, quæ & exuta corpore viuit, & sensus suos atque ingenia viuaciter tenet, neque cum corpore moritur, vt Arabs asserit, neque postmodum moritura, sicut Zenon dicit: quia substantialiter viuit.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

In Monologio cap. 69. *Quòd omnis humana anima sit immortalis:* Vtrum autem ea sine fine fruatur, dubitare stultissimum est: quoniam illa fruens, nec timore torqueri poterit, nec fallaci securitate decipi, nec eius indulgentiam iam experta illam poterit non amare, nec illa deseret amantem se, nec aliquid erit potentius, quod eas separet inuitas. Quare quæcunque anima summa beatitudine semel frui cœperit, æternè beata erit. Hinc vtique consequenter colligitur, quòd illa, quæ summi boni amorem contemnit, æternam miseriam incurrit.

Iuo Carnotensis. 1100.

De conuenientia veteris, & noui sacrificij: Difficile reperitur in his libris aliquid euidentius de vita animæ post mortem fuisse conscriptum. Hic ergo cum dicit: Si fuerit mortuus antè purificatio-
Num.19 nem, manere in illo immunditiam, & exterminari animam illam ex Israel, id est, à consortio populi Dei, quid aliud vult intelligi, nisi manere animæ pœnam etiam post mortem, si cùm viuit mundata non fuerit Sacramento isto, quo Christi Baptismus figuratur? *Cùm aqua aspersionis*, inquit, *non est circumadspersa super eum, immundus erit: adhuc immunditia eius in ipso est:* *adhuc*, scilicet post mortem.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

In Genesim lib. 2. *cap.* 21. Spiritus iumentorum finitur, descendit enim deorsum, id est, in hunc infimum extinctus reuoluitur aërem: humani autem spiritus nullus est finis. Reuertitur enim ad eum qui fecit illum.

Theofridus. 1124.

De Sanctorum Reliquijs: Post mortem carnis Sancti Dei melius viuunt, quorum hic ossa tot miraculis viuunt.

Bernardus. 1130.

Sermone de obitu Humberti Monachi: Siccine separas amara mors? ô bestia crudelis, ô amaritudo amarissima, ô fœtor & horror filiorum Adam. Quid fecisti? occidisti, possedisti, sed quid? carnem vtique solam: Animæ enim non habes quid facias. Volat ad Creatorem suum, quem tam ardenter concupierat, quem fortiter secuta fuerat omnibus diebus vitæ suæ.

Super Cantica Sermone 81. Quòd si tot sunt mortes, quot mutationes, vbi immortalitas? Et huic vanitati subiecta est ipsa creatura, non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe. Attamen immortalis anima est: quoniam cùm ipsa sibi vita sit, sicut non est quò cadat à se, sic non est quò cadat à vita. Verùm cùm constet suis affectibus mutari eam, agnoscat ita se Deo in immortalitate similem, vt sciat sibi deesse non modicam immortalitatis partem, soli cedens absolutam perfectamqúe immortalitatem, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Non mediocris tamen animæ dignitas præsenti disputatione comperta est, quæ gemina quadam vicinitate naturæ verbo appropiare videtur, simplicitate essentiæ, & perpetuitate vitæ.

Hugo Victorinus. 1130.

Institutionis monasticæ de anima lib. 2. *cap.* 29. Immortalis est anima, quia carne caret, nec habet quo cadat, vt resurrectione egeat post ruinam, (nisi peccato ceciderit:) & ideo in morte vita nostra non perit, sed corpus destituit, dum discedit anima: vim suam non perdit, sed quod viuificauerat, hoc dimittit, & quantum in se est, mortem alterius facit, ipsa non recipit. Facit, inquam, non viuificando, quod deserit: non amittendo, quod viuit. Itaque mors hominis nihil aliud est, quàm carnis occasus, à qua cùm vis potentiæ viuificantis abscesserit, in terram, de qua sumpta est, redit, amissis sensibus, quos non per seipsam habuit. Anima non aliter quàm sol lucem diei, vitam tribuit carni cùm venerit, mortem efficit cùm recedit; mors tamen non consumit coniuncta, sed diuidit, dum origini suæ vtrumque reddit. Et ne quis putet animam corporis morte consumi, audiat quid Dominus in Euangelio dicit: *Nolite*, inquit, *eos timere, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Matt.10.

Hugo Eterianus. 1160.

De regressu animarum ab inferis cap. 2. Omne quod per generationem ad esse peruenit, est corruptibile. Anima verò humana incorruptibilis est & immortalis. Ergo non ex traduce.

Godfridus Viterbiensis. 1170.

Parte 2. *Chronicorum:* Nobis sufficit ad demonstrationem immortalitatis animę diuinorum verborum doctrina, de ea continens quod verum est: quia diuinitus est inspirata. Contra eos autem, qui non recipiunt Christianorum Scripturas, sufficiat ostendere, animam nullum esse corruptibilium, cùm sit incorruptibilis & immortalis.

Guilhelmus Parisiensis. 1230.

De immortalitate animæ cap. 1. Apparet quàm maximum & quàm perniciosum diuina bonitas reputauerit errorem fidei & morum, & maximè errorem illum, qui est de mortalitate naturali animarum rationabilium, quoniam scilicet error ille destruit fundamentum honestatis & religionis totius. Quid enim restat animabus diffidentibus de immortalitate sua, cùm nulla sit spes vitæ alterius, & ideo nec sit vlla obtinendæ veræ felicitatis fiducia, nisi omnium prostitutio vitiorum? & ipsa etiam honestas, quid aliud eis, quàm dementia reputabitur? Dum enim se vident fraudari præsentibus delectationibus, & alias non expectant, nullo modo suaderi poterit ijs, quòd aliud sit honestatis persuasio, quàm impetratorum

deceptio, & re ipsa professio laudabilium morum erit error deceptorum & deuiamentum.

Vincentius Burgundus. 1240.

In speculo Historiali lib.1. cap. 34. Cùm certum sit, Deum esse iustum, consequens est, vt animæ post mortem viuant, & pro meritis suis recipiant, quod hic vtique non sentiunt, nisi teste Salomone pariter eadem cunctis eueniant. Veruntamen nota, quòd anima considerata secundùm originem suam, scilicet in quantum habet esse, potest non esse: ex natura corruptibilis est, quia apta est redire ad non esse, nisi voluntas primi impediat. Considerata verò secundum essentiam suam, vel substantiam est incorruptibilis: quia eius substantia non ex contrarijs est, nec aliquid eius naturæ contrarium habet, à quo possit corrumpi.

Thomas Aquinas. 1250.

Ad caput 3. Iob. Omnes homines ad mortem tendunt, sicut homo ad suam domum: nec tamen per mortem totaliter consumitur, quia remanet anima immortalis.

Guilhelmus Peraldus. 1255.

In Summa Tom.1. de fide cap.21. de errore illorum, qui dicunt animam perire cum corpore: Testimonijs Philosophorum patet, animam rationalem non perire cum corpore. Rationibus verò multipliciter idem potest ostendi. Et primò per iustitiam Dei, quę si est, reddet tam bonis, quàm malis secundùm eorum merita, bonis præmia, malis pœnas. Ergo ista retributio erit post hanc vitam. Manent ergo animæ post mortem.

Aegidius Columnius. 1280.

Lib.1. Hexam. cap.4. Anima rationalis est forma corporum, & non corrumpitur corrupto corpore, sed post separationem à corpore habet per se esse.

Reinerus Pisanus. 1300.

In Pantheologia de anima cap.4. Anima rationalis est substantia immortalis, & probatur sic: Quod non desinit esse ad corruptionem alterius, non incipit esse ad generationem alterius. Sed anima non desinit esse corrupto corpore, quia est incorruptibilis & immortalis. Ergo non generatur ex generato corpore.

Franciscus Marenius. 1320.

In lib.4. Senten. dist.46. Anima rationalis est forma immaterialis, non habens potentias organicas: sed omnis forma immaterialis est incorruptibilis: ergo anima est immortalis. Naturaliter notum est, quòd Deus est iustus: non autem omnia bona ab eo hic remunerantur. Ergo alibi: Et hoc habet esse post mortem.

Ludolphus Saxo. 1330.

Vita Christi parte 2. cap. 35. Deus non dicitur Dominus rerum non existētium, vel eorum quæ sunt nihil: quia creaturæ ad Deum est realis relatio, quę non potest fundari in nihilo. Sed Deus dicitur Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, qui mortui sunt. Ergo ipsi existunt. Non enim dixit: ego fui, sed ego sum, tanquam illi præsentes existant. Sed non corpore: ergo anima, & ideo anima non moritur cum corpore, sed est æterna.

Rupertus Helcotius. 1340.

In libro Sapientiæ, lectio.14. Animam hominis immortalem esse à potissimis Philosophis æstimatū est, à scriptoribus Catholicis prædicatur, & quasi infinitis miraculis approbatur.

Henricus Suso. 1350.

In Appendice quarundam sublimiū quæstionum ca.15 Aeternum anima permanet, ob rationalem suam dignitatem & vires deiformes: Deus enim superessentialis est mens & intelligentia, ad cuius imaginem ipsa anima formata est. Quamobrem impossibile est sic eam redire in nihilum, vt perit corpus, dum in cinerem soluitur.

Vincentius Valentinus. 1420.

Sermone in die Animarum: Quando homo peccat mortaliter, moritur anima: quia perdit diuinam gratiam, sed non perdit esse essentiale. Ideo mortuo corpore anima intellectiua remanet in suo essentiali esse, & perpetuali. Ideo corpore corrupto non corrumpitur anima.

Laurentius Iustinianus. 1430.

In ligno vitæ de fide cap. 6. Anima est potior pars hominis, substantia inuisibilis, incorporea, immortalis, Deo simillima.

Antonius Florentinus. 1450.

Secunda parte Summæ tit.12. cap.8. §.5. Animā humanam cum corpore mori tamquam falsissimū non solùm negat veritas fidei, sed & sacra Scriptura, dicens Sap.5. *Iusti in perpetuum viuent.*

Aeneas Syluius. 1460.

Lib.4. de Alphonso: In Austria cùm obijsset vnus ex primoribus natus annos tres & nonaginta, qui vitam inter voluptates illecebrasq; nulla vnquam valetudine offensam duxisset, ignotaq; illi omnis calamitas, omnisq; mœstitia fuisset, idq; Frederico Tertio Cæsari narraretur: Et hinc, inquit, immortales animas conseri licet. Namque si Deus est, qui hunc mundum gubernat, vt Philosophi & Theologi docent, eumq; iustum esse nemo negat, profectò alia loca sunt, ad quæ post mortem animæ migrant, ibiq; pro factis aut pœnam, aut mercedem recipiunt. Nam hîc nec bonis sua præmia, nec malis sua supplicia reddi videmus.

Nicolaus de Nyse. 1480.

1. *Partis ædificatorij animæ Tractat.* 1. Duratio animæ est perpetua. Vnde Sapientiæ 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.*

Richardus Bartholinus. 1500.

Libro 8. Austriados:

Hic vbi perpetuò ventura in secula viuunt
Felices animæ, & quorum cælestis origo
Extulit ad superos mentem, & se miscuit astris
Diuina virtutis amor.

Leo Decimus. 1513.

In Cōcilio Lateranensi Sess.8. Hoc sacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes asserentes animam intellectiuam mortalem esse, aut vnicam in cunctis hominibus, & hæc vertentes in dubium: cùm illa non solùm verè per se & essentialiter humani corporis forma existat, verùm etiam immortalis, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda sit.

ARTICVLVS TERTIVS.

ADAM PRIMVM HOMINEM IN STATV INNOCENTIÆ FVISSE SVMME IVSTVM ET INTELLIGENTEM, VOLVNTATIS LIBERRIMÆ, MVLTIS SVPERNATVRALIBVS DONIS PRAEDITVM, NON EGVISSE speciali illo auxilio, quo ad bene operandum excitaretur. caruisse illa concupiscentia, qua nunc laboramus, corpus quoque, si anima diuinæ legi paruisset, non potuisse mori.

Anno post natũ Christum.

NEGANT.

AVCTOR quæstionum veteris & noui Testamenti, *quæstione 123.* (Augustino
360. falsò tribuitur) *restitit eos, qui dicunt Adamum accepisse Spiritum sanctum, & filium Dei fuisse per adoptionem, & eam adoptionem, per ipsius Adæ inobedientiam perditam, nos per Christi obedientiam & meritare cuperare.*

400. Pelagiani *cùm in primo homine nullum supernaturale donum, sed naturales tantùm facultates agnoscerent, & simul animaduerterent, nihil in homine nunc desiderari, quod ad naturam humanam constituendam requiratur, in eam sententiã venerunt, vt existimarent per Adami peccatum nihil omnino homines perdidisse, talemq́; nunc quoque humanam naturam esse, qualem initio primus homo de manu Conditoris acceperat. Colligitur hic Pelagianorum error ex Augustino de hæresibus cap. 88. & epist. 106 ad Paulinum, vbi testatur sensisse Pelagianos, talem omninò conditum fuisse primum hominem, quales nunc cæteros homines nasci videmus. Nasci autem nunc homines sine vllis supernaturalibus donis, extra controuersiam est.*

Martinus Lutherus ad cap. 3 Genesis: *Scholastici disputant, quòd iustitia originalis non fuerit conna-*
1530. *turalis, sed ceu ornatus quidam additus homini tanquam donum. Sed hæc sententia, quia peccatum originis extenuat, ceu venenum fugienda est. Quin hoc statuimus, iustitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatum à natura hominis: sed fuisse verè naturalem, ita vt natura Adæ esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum, &c. hæc tam naturalia fuêre in Adamo, quàm naturale est, quòd oculi lumen recipiunt, &c. Porrò hæc omnia probant originalem iustitiam fuisse de natura hominis: ea autem per peccatum amissa, manifestum est, naturalia non mansisse integra, sicut Scholastici delirant.*

Ioannes Caluinus lib. 1. Institut. cap. 15. § 8. *describens primi hominis conditionem, nullam facit su-*
1550. *pernaturalium donorum mentionem, in eoq́; ponit discrimen inter naturam humanam, qualis initio fuit, & qualis nunc est, quòd ab initio habuit liberum arbitrium, & nunc eo careat. Ergo* inquit, *animam hominis Deus mente instruxit, qua bonum à malo, iustum ab iniusto discerneret, ac quid sequendum vel fugiendum sit praeunte rationis luce videret. Huic adiunxit voluntatem, penes quam est electio. His præclaris dotibus excelluit primi hominis conditio &c.* Hanc autem integritatem fuisse hominis naturalem, declarat idem Caluinus verbis sequentibus, vbi describit eiusdem primi hominis lapsum. *Hinc tanta Philosophis obiecta caligo, quòd in ruina ædificium, & in dissipatione aptas iuncturas quærebant. Principiũ illud tenebant, non fore hominem rationale animal, nisi inesset libera boni & mali electio. Veniebat etiam illis in mentem, alioqui tolli discrimen inter virtutes & vitia, nisi proprio consilio vitam homo institueret. Probè quidem hactenus, si nulla fuisset in homine mutatio, quæ dum ipsos latuit, nihil mirum, si cælum terræ misceant. Qui verò Christi discipulos se esse professi, in homine perdito, & in spirituale exitium demerso, liberum arbitrium adhuc quærunt inter Philosophorum placita, & cælestem doctrinam partiendo planè desipiunt, vt nec cælum nec terram attingant.*

Georgius Pauli Cracouiensis minister docuit Adam & Euam nunquam habuisse vnde stare possent in sta-
1564. *tu innocentiæ.* Ioannes Vuigandus libro de Deo contra nouos Arianos, Gabriel Prateolus lib. 18. Elenchi hæreseon.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 1. *vers.* 27. Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum: masculum & fœminam creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram. 31. Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.

Genes. 2. 19. Formatis Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vni-

uersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cæli, & omnes bestias terræ: Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna.

Ecclesiastici 17. 1. Deus creauit de terra hominem, & secundùm imaginem suam fecit illum. Et iterum conuertit illum in ipsam, & secundùm se vestiuit illum virtute.

Ephes. 4. 23. Renouamini spiritu mentis vestræ: & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Iustinus Martyr. 150.

Apologia 2. Condidit Deus homines, vt si vitam illius voluntati attemperarent, cum illo degerent, regnarentque immortales.

Irenæus. 180.

Lib. 3. *cap.* 20. Quod perdideramus in Adam, id est secundùm imaginem & similitudinem esse Dei, hoc in Christo Iesu recipimus.

Cap. 37. Quoniam, inquit Adam, eam, quam habui à spiritu sanctitatis stolam, amisi per inobedientiam, & nunc cognosco, quia dignus sum tali tegumento.

Origenes. 230.

Lib. 2. *in Iob*: Anima ad imaginem Dei est creata, incorruptibili sapientia imbuta, sermone & scientia coronata, Dei cognitione induta, corruptibilis dominationis huius mundi honorificata.

Homilia 9. *in Leuiticum*: Si factus homo ab initio Deut. 30 seruasset illud, quod ad eum Scriptura dicit: *Ecce posui tibi ante oculos tuos mortem & vitam, elige tibi vitam.* Si hoc fecisset, nunquam profectò humanum genus mortalis conditio tenuisset.

Tractatu 24. *in Matth.* Quantum ad se, homines non ad perditionem creauit, sed ad vitam & gaudium.

Methodius. 260.

Sermone de Resurrectione: Opus Dei homo. Quicquid verò ab immortalitate factum est, immortale est. Immortalis igitur est homo, &c. Vnde hinc immortalem esse hominem factum apparet, extra omnem corruptionem, & morbos constitutum, &c. Et quò sanè magis etiam vos differentiam percipiatis, quòd omninò & penitus ab alijs differens reperitur homo, & in secundo honore ab Angelis connumeratus, & immortalis existens: age iuxta veram & rectæ opinionis ratiocinationem etiam hoc tractabo. Alijs equidem ab inspiratione spiritus in aëre datum est, vt animata sint & viuant: huic verò ex ipsa immortali, & excellenti essentia. *Insufflauit enim Deus in faciem ipsius spirationem vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Illis diuersæ figuræ, & formæ naturarum dantur: huic verò forma & imago Dei, & omnia ad illam exactam primariam Patris & Filij vnigeniti imaginem.

Eusebius Cæsareensis. 320.

De præparatione Euangelica lib. 11. cap. 14. *Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suã, ad imaginem Dei creauit eum.* Quomodo autem aliter imago Dei, & Deo similis erit, quàm secundùm intelligendi vim?

Athanasius. 340.

Oratione contra idola: Mundi opifex Deus per suum Verbum humanum genus ad suam ipsius imaginem effinxit, tribuens ei suæ æternitatis intellectum & cognitionem: vt dum hanc similitudinem naturæ tueretur, nunquam neque à cognitione imaginationeque Dei absisteret, neque à contictu Sanctorum desiliret, sed possidens donatoris sui gratiam, possidens quoque propriam ex Patris ratione vim, exultaret pariter, & Deo familiaris esset, viuens innoxiam beatamque, hoc est, immortalem vitam. Nullo enim impedimento implicitus, quod Dei cognitionem remorari posset, spectat quidem semper sua puritate Patris imaginem Deum Verbum, ad cuius exemplar ipse creatus est, & obstupescit animo ad eius in rebus creatis prouidentiam, & celsior iam inde super omnia sensibilia, imaginationesque corporeas redditur, ad ea quæ in cælo sunt diuina & intelligibilia, perspicacitate, ac viribus animi euehitur, illisque coaptatur. Cùm enim corporalibus commercijs non immiscetur mens humana, neque Rom. 1. vllam ex rebus extraneis admixtam trahit cupiditatem, sed sibi tota adest, vt à principio condita fuit: tunc sensibilia & omnia humana transcendens, in sublime euolat, & Verbum intuens, videt quoque in eo ipso & Verbi Patrem, delectaturque eiusmodi spectaculo, & eius desiderio reiuuenescit. Vt igitur primum hominem, Adam, aiunt sacræ Scripturæ principio liberiores inuerecundiorisque fiduciæ mentem erga Deum habuisse, & cum Sanctis conuersatum esse in contemplatione intelligibilium, quam habuit in eo loco, quem Moses figuratè paradisum nominauit. Ita quidem opifex rerum genus humanum conditum, in eo statu permanere voluit: sed ipsi neglectu meliorũ, tædioque ea per vim ingenij persequendi, illa, quæ ipsis propinquiora erant, requisiuêre: propinquiora autẽ erant corpora ipsorum, corporeique sensus.

De Incarnatione Verbi: Deus præ omnibus humanum genus misericordia prosecutus est: animaduerto enim eos conditione suæ naturæ perpetuò subsistere non posse: maius quiddam illis elargiturus non simpliciter, sicut reliqua in terris animantia, quæ bruta sunt, humanum genus creauit, sed ad suam ipsius imaginem humanum genus effigurauit, deditque illis suæ rationis dotem, vt veluti vmbras quasdam ac lineamenta rationis possidentes, rationalesque effecti, perseuerare

possent in beatitudine, viuentes veram, & reuera Sanctorum in Paradiso vitam.

Basilius Magnus. 370.

In Psal. 48. Magna res homo, & pretiosum quid vir misericors, ait Salomon. Prorsus homo ex sua naturali constitutione quiddam sortitus est maximi æstimandum. Quid enim eorum, quæ in terra conspiciuntur, aliud ad imaginem Creatoris factum est? Cuinam alij potestas data est, & imperium super omnia terrestria aquatiliaq; & aëria animalia concessum? Paulò minus ab Angelis subsedit diminutus propter hanc ad terrenum corpus counitionem. Sanè hominem fecit ex terra Deus, & ministros suos flammam ignis. Atqui hominibus vis inest, qua Creatorem suum atque opificem agnoscere possint, & intelligere. *Insufflauit* enim *in faciem*, hoc est, partem aliquã propriæ gratiæ apposuit homini, vt per hanc sibi impressam similitudinem eum, cui similis est, agnosceret.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 42. *quæ est oratio 2. de Pascha*: Hoc igitur cùm artifex Verbum ostendere voluisset, animal vnum ex vtroque, hoc est, ex inuisibili ac visibili natura hominem fabricatur, atque à materia quidem, iam ante producta, sumpto corpore, à se autem insito spiraculo, (quod quidem intellectualem
1.Cor.7. animam, Deiq; imaginem Scriptura vocat) velut alterum quendam mundum, in paruo magnum, in terra collocat, Angelum alium, mixtum adoratorem, visibilis naturæ spectatorem, intellectualis mystem, eorum, quæ in terra sunt, regem, superis autem subditum, terrenum & cælestem, caducum & immortalem, visibilem & intelligibilem, medium inter magnitudinem & humilitatem, eundem spiritum & carnem, spiritum propter gratiam, carnem ob elationem: illud vt maneat, eumq; cuius beneficijs ornatus est, concelebret: hoc vt vexetur, ac vexationibus admoneatur, & de magnitudine sibi placens erudiatur.

Gregorius Nyssenus. 380.

De hominis opificio cap. 3. Hominis fabricationem deliberatio præcedit, & futuri operis ab artifice forma orationis pictura delineatur. Qualem videlicet hominem esse oporteat, qualisq; exemplaris imaginem referre, quamobrem creandus, & creati quæ futuræ sint actiones, quibus cum imperio sit præfuturus, de his igitur omnibus dispicitur, vt præstantiam homo, dignitatemq; suam obtineret, & prius etiam rerum vniuersarum principatum consequeretur, quàm ortus esset. Idcirco Moses ait: Deum hoc quodam modo locutum esse. *Faciamus hominem ad imaginem nostri, &*
Genes.1. *similitudinem*: estoq; hominibus imperium cùm in maris pisces, tum terræ belluas, aërisque volucres, in iumenta, in terram denique vniuersam. O rem admirandam! Solius ad hominis fabricationem Creator ille vniuersitatis rerum cum quadam consideratione accedit, præparataq; primùm opificij materia, illiusq; forma ad eximiæ pulchritudinis exemplar exprimendum designata, fine etiam proposito, ad quem creandus esset: tum deinde naturam sibi consimilem, & actionibus affinem fabricat, quæ operi, cui destinaretur, esset aptissima.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 9. *in Genesim* Audiamus nunc quæ sint dicta: *Faciamus hominem secundùm imaginem nostram, & secundùm similitudinem.* Sicut imaginem dixit ob principatus rationem, ita & similitudinem, vt pro viribus humanis similes fiamus Deo: mansuetudi-
Matt.6. ne (inquam) & lenitate, & virtutibus Deo similes efficiamur: quod & Christus dicit: *Similes estote Patri vestro, qui est in cælis.*

Homilia 14. *in Genesim*: Deus præscius quid non multò post euenturum, ostendit nobis, quantam sapientiam condito à se homini dedit, vt cùm præuaricatio mandati à Deo dati contingat, non putetur per ignorantiam peccasse: sed scire posis, quòd lapsus ille ex desidia fuerit. Nã quod magna sapiẽtia præditus fuerit, disce ex his, quæ nunc fiunt. *Et adduxit illa*, inquit, *ad Adam, vt videret quid vocaret illa.* Fecit hoc Deus, demonstraturus nobis magnam illius sapientiam. Et iterum: *Quod vocauit*, inquit, *Adam, hoc est nomen illi.* Factum autem hoc est, non vt discamus illius sapientiam solùm, sed vt & symbolum dominij per nominum impositionem cognoscatur. Nam & hominibus mos est hoc facere in signum dominij, vt cùm seruos emerint ipsorum nomina mutent. Vnde & Adam instruit, vt omnibus brutis tanquam dominus nomina indat. Ne igitur hic subitò prætereas dilecte quod dicitur: sed cogita quantæ fuerit sapientiæ volatilibus, reptilibus, feris, iumentis, & alijs brutis, domesticis, & agrestibus, & in aqua vitam agentibus, & in summa omnibus, congrua & conuenientia suæ naturæ imponere nomina. Nam *quodcũque vocauit*, inquit, *Adam, hoc est nomen illi.* Vidisti consummatam potentiam? vidisti dominij auctoritatem? Perpende cum alijs etiam hoc, quòd & leones, & pardi, & viperæ, & scorpij, & serpentes, & alia omnia etiam illis truculentiora, ad illum quasi dominum omni cum subiectione accesserunt, & nomina acceperunt; nec vllum illorum veritus est Adam, &c. Omnia perinde ac mansueta seruitutem agnouerunt, & dominium, id quod monstrat manifestè nominum impositio. Nomina enim quæ imposuit illis, in hodiernum vsque diem permanent. Ita enim hęc firmauit Dominus, vt perpetuam habeamus memoriam, quem honorem initio, cùm adhuc obediens esset Adam à Domino omnium accepit, & ablati huius causam illi ascribamus, qui peccato suo hanc suam potestatem mutilauit: *Et donauit Adam nomina omnibus pecoribus*, &c. Hic iam considera voluntatis libertatem, & sapientiæ eius eminentiam. Et non dic, quòd ignorarit quid bonum, quid malum. Nam qui potest congruis nominibus iumenta appellare, & volatilia cæli, & alias bestias, neque ordinem confundit, neque mansuetis animalibus conuenientia feris imponit, nec feris congruentia mansuetis attribuit, sed omnibus sua dat nomina, quomodo non omni sapientia & industria pollet?

Homilia 15. *Hoc nunc os ex ossibus meis*:) Vide hic quomodo cum ineffabili illa sapientia sibi à Deo suppeditata, cuius nobis indicia demonstrata sunt per nominum impositionem, quæ tot brutorum animalium generibus indidit, & propheticam gratiam accipit, &c.

Homilia 16. *in Genesim*: Sciuit dæmon hominẽ formatum in summo esse honore, & propemodum nihil minus habere Angelis ipsis, sicut & beatus David inquit: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Psal.8.
Videbat igitur super terram Angelum terrestrem, & à sua rodebatur inuidia dæmon malorum auctor. Quoniam cùm ipse inter supernas Virtutes esset, & ob voluntatis suæ nequitiam & malitiam excellentem è summo illo cælo proiectus fuerit, magna vsus est machinatione, vt & hominem gratia Dei priuare, & ingratum factum, tantis bonis per diuinam bonitatẽ ipsi concessis nudare posset.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib. 1. *in Ioannem cap.* 9. Adã non tempore (quemadmodum nos) prudentiam didicit: sed statim à sua creatione perfectè sapiens fuit, datum sibi diuinitus lumen adhuc conseruans, naturæq; dignitatem integram retinens.

Cap. 15. *Sufflauit*, inquit, *in faciem eius spiraculum* Gene.2.

vita, & factus est homo in animam viuentem. Verùm quoniam propter transgreßionem terram se esse, & in terram reuersurum iure audiuit, gratia denudatus, spiraculum vitæ secundùm carnem amisit: spiritum videlicet eius, qui dicit: *Ego sum vita.*

De adoratione in spiritu & veritate lib. 1. Dicimus
Ioan. 14 factum esse ab initio hominem eiusmodi, vt, quamuis animum haberet peccato ac vitijs præstantiorem: non is tamen esset, vt in vtramcunque partem vellet, flecti non posset. Etenim illi rerum vniuersarum optimo opifici Deo restißimum est visum, propriæ voluntatis habenas illi permittere, spontaneisque conatibus tribuere, vt id facerent, quod libitum fuisset. Oportebat enim vt virtus voluntate suscepta, non vi necessitatis coacta videretur, aut ita naturæ lege munita, vt cadere omnino non posset: id enim illi supremæ omnium essentiæ atque excellentiæ proprium est. Postea verò quàm propriæ naturæ rationibus hoc animal absolutum fuit opifice Deo, statim illius similitudine præditum est. Impressa enim in illo est diuinæ imago naturæ, inspirato Spiritu sancto. Ipse namque est spiritus ille vitæ, quan-
Genes. 1. doquidem secundùm naturam vita Deus est, &c. Formata illa massa ineffabili virtute animata fuit, & è vestigio Spiritus sancti munere decorata: neque enim alia ratione diuina imagine ditari poteramus, &c. Cùm Adam igitur Dei gratiam amisisset, ac bonis illis, quibus ab initio donatus fuerat, esset nudatus, eiecta è paradiso deliciarum, & ad deformitatem è vestigio conuersa est hominum natura.

Libro 3. contra Iulianum: Erat itaque corpus immortale: vitam inseruerat omnium opifex. Quoniam autem incorruptibile erat, desideria ad edulia & cibos ei iisseuit: mens verò nulla tyrannide ad hoc agebatur, vtique admiratione digna. Faciebat enim liberè quod volebat, cùm caro nondum affectionibus, quæ ex corruptione oriuntur, subiecta esset.

Theodoretus. 450.

Quæstione 27. in Genes. Ergone notitiam habebant boni & mali antequam prohibitum fructum attigissent? Quomodo fieri poterat, vt ij, qui colloquio diuino dignari, & ad imaginem diuinam creati erant; cuius vtilitas est discretio boni & mali, notitiam boni & mali nô haberent? Quomodo verè dedisset legem abyssus illa iustitiæ ijs, qui notitiam huiusmodi à natura non haberent: neque intelligerent bonum esse seruare præceptum: perniciosum verò transgredi? Habebant igitur sine dubio notitiam, sed experimentum postea ceperunt.

Nemesius. 480.

De natura hominis cap. 1. Hebræi hominem ab initio neque planè mortalem, neque planè immortalem genitum esse aiunt, sed veluti in confinio cadentis, & sempiternæ naturæ esse positum, sic vt si corporis affectionibus se dederet, sub corporis mutationes subijceretur: sin animi bona anteponeret, ad immortalitatem traduceretur. Nam si hominem à primo ortu Deus immortalem procreasset, profectò non, postquam se peccato obstrinxerat, mortis eum condemnasset. Nam mortalem quidem quis mortalitatis condemnat? Contra si immortalem, neque alimenti egentem fecisset: nihil enim quod immortale est corporeum alimentum desiderat: neque ita facilè pœnitentia ductus eum, qui creatus esset immortalis, continuò mortalem effecisset. Neque enim in Angelis, qui peccarunt, hoc fecit, sed vt ab initio natura immortales sunt creati, ita manserunt: neque peccatorum suorum pœnam mortem, sed aliud supplicij genus expectant. Quare vel hæc probanda sententia est: vel dicendum mortalem quidem factum esse hominem, sed qui ad perfectionem procedere, ac immortalitatem tandem consequi posset. Quod hanc habet sententiam, potestate hominem esse immortalem procreatum. Quoniam verò non conducebat illi ante partam perfectionem nosse naturam suam, ligno illi cognitionis interdixit: Erant enim, & verè sunt etiam nunc vires in his, quæ è terra oriuntur, maximæ, verùm Genes. 3.
tunc, vt in exordio mundi, cùm puræ & incorruptæ essent, erant efficacissimæ. Erat igitur fructus quidam, qui delibatus illi naturæ suæ cognitionem afferret. Nolebat autem Deus ipsum, antequam perfectus & absolutus esset, nosse naturam suam, ne vbi multa sibi deesse cognosset, animi curam vsui cultuique corporis posthaberet. Hanc ob causam ne cognitionis lignum attingeret, prohibuit. Verùm vbi non obtemperasset, seque ipse cognouisset, & à perfectione remotus est, & quæ ad corpus vsui essent desiderauit. Itaque statim quo se tegeret, quæsiuit. Ait enim Moses, illum se esse nudum cognouisse. Prius enim apud se non erat, & in sui ipsius ignoratione versabatur. Cùm igitur à perfectione esset reiectus, item ab immortalitate depulsus est: quæ tamen postea Dei beneficio recipietur.

Ioannes Maxentius. 500.

In fidei professione: Igitur confitemur rectum in omnibus à Deo creatum Adam, non mortalem, nec immortalem, sed vtriusque capacem habentem in proprij facultate arbitrij, & velle & posse ad omnia, hoc est, & ad bonum, & ad malum.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap. 1. Genesis: Ab initio creationis virtus, quæ vitam ministrat, simul cum Spiritu sancto ingressa erat in hominem, vt hæc creatura foret secundùm imaginem Dei, quasi vnus reciperet vtrumque. Nam impoßibile est, vt intellectus noster gestet imaginem Dei, si non fuerit illuminatus à Spiritu sancto. Nam (vt habet Scriptura) si quis Spiritu sancto caret, is nec eius est. Igitur anima à primordio suæ creationis vitalem vim, & Spiritum sanctum pariter nacta est. Siquidem continuò vaticinata, quod proprium est Spiritus sancti, & cum eo conuersata est.

Ad cap. 2. Genesis: Adamus non sine singulari prudentia, & solertia, quam à Deo accepit, nomina dat creaturis, quæ ipsarum substantias quasi in speculo repræsentent.

Hoc nunc os ex ossibus meis.) Quasi quodam modo proprio deliniat mulierem esse eiusdem cum viro substantiæ. At Adamus ista omnia prolocutus est diuino & prophetico inspiratus Spiritu. Nec enim proprijs viribus, ex qua materia, & in quem finem mulier condita fuerit, cognoscere quiuisset.

Anastasius Synaites. 580.

Lib. 10. Hexameron: Adam ante transgreßionem erat totus lucidus, Deiformis, & imago quædam, &, vt ita dicam, Deo similis.

Ioannes Damascenus. 950.

Orthodoxæ fidei libro 2. cap. 11. Quoniam Deus ex visibili & inuisibili creatura hominem ad imaginem & similitudinem suam, tanquam regem aliquem ac principem totius terræ, eorumque rerum, quæ ipsius complexu continentur, effecturus erat, velut regiam quandam ei prius extruxit, in qua degens, beatam atque omni felicitate affluente vita frueretur.

Cap. 12. Hominem ex visibili & inuisibili natura Deus manibus suis ad imaginem, & similitudinem suam condidit: sic nimirum, vt corpus è

terra effingeret, animam autem ratione, & intelligentia præditam, per insufflationem suam ei tribueret, id quod diuinam imaginem appellamus. His enim verbis *ad imaginem*, vis intelligendi, arbitrijque libertas significatur: his autem *ad similitudinem*, virtutis, quoad eius fieri potest, expressa similitudo. Porrò corpus & anima vnà creata sunt: non autem, vt Origenes delirauit, hæc prius, illud posterius. Creauit itaque Deus hominem innocentem, rectum, probum, mœroris ac solicitudinis expertem, omni virtutum genere coronatum, omnibus bonis florentem, velut alterum quendam mundum, in magno paruum, & Angelum alterum, adoratorem mixtum, visibilis creaturę conspectorem, eius autem, quæ animo & mente percipitur, discipulum, eorum quæ in terra sunt regem, ac superno regno subiectum, terrenum simul ac cælestem, temporarium & immortalem, visibilem & intellectilem, medium inter magnitudinem & humilitatem, spiritum simul & carnem: quin etiam Deus eum natura ἀναμάρτητον, hoc est, à peccati labe & contagione purum, ac voluntate liberum creauit: ἀναμάρτητον autem idcirco dico, non quod peccati minimè capax esset, (nemo enim præter Deum extra peccandi aleam est) verùm quòd peccati perpetrationem non in natura, sed in voluntate animique inductione haberet, hoc est, & cum diuinæ gratiæ adiumento nouos subinde in virtute progressus facere, & rursus ob arbitrij libertatem, à virtute recedere, Deique permissu in vitium labi posset.

Moses Barcepha. 950.

De Paradiso parte 1. cap. 22. Solent quidam percontari, quid Adamo Euæque futurum fuisset, si impositam sibi à Deo legem in paradiso non fregissent. His respondemus, subuehendos fuisse ex paradiso supra hoc cæli firmamentum, quod supra nos positum intuemur, atque in cælesti regno voluptate incredibili, & immortalitate prorsus beandos: hoc enim præmij atque pretij pro obseruata lege dandum illis fuisse. Tria enim loca condiderat pro Adamo Deus: Cælum, Paradisum, & hanc, quæ extra Paradisum est, terram: idque hac iustissima ratione, scilicet, vt illum à se effectum oblectaret in Paradiso, simul & periculum faceret, morigerusne foret in obseruanda lege, an rebellis: & morigero quidem præmium culti præcepti daretur regnum cæleste, in quod ex Paradiso sustolleretur, vt ibi omnis expers mortalitatis in summa voluptate vitam agitaret: rebellis verò atque præuaricator è paradiso in hanc maledictam terram detruderetur.

Cap. 28. Deus multis modis cohonestauit Adamum. Primò enim, cùm in rerum natura prorsus non esset, procreauit, effecitque ipsum ex nihilo, vt aliquid esset. Deinde, ad suam ipsius imaginem & similitudinem condidit. Tertiò, cùm ipsius longè præstantior esset natura, quàm cui manus vocisque vsus attribui deberet, tamen illum & manibus suis finxisse, & voce affatus esse dici voluit. Quartò, conditum ratione ornauit, qua cæteris animantibus illa carentibus præstaret. Quintò, sui cognitione ipsum dignatus est. Sextò, admisit ipsum veluti in suam familiaritatem, vt ea sese pro arbitrio oblectaret, meditationibus, contemplationibusque diuinis vacans, atque indulgens. Septimò, immortalitatem promisit. Octauò, maxima ipsum sapientia imbuit. Nonò, Prophetiæ dona in ipsum contulit: Prophetam enim Adamum fuisse vel hinc constat, quòd per vaticinium dixerit: *Hæc iam caro de carne mea, & os de osse meo: hæc vocabitur mulier*, &c. Decimò, auxit ipsum sacerdotij munere: Nam fuisse sacerdotem, ex Dauidis Psalmistæ verbis cognoscitur, dum veluti loquentem Adamum cũ Deo induces, ait: *Finxisti me, & posuisti super me manum tuam*: Sacerdotium enim manuum impositione confertur, sicut & Baptismus. Vndecimò, regia atque principali ipsum dominatiõe amplificauit. Ait enim: *Dominamini piscibus maris, & volucribus cæli.* Duodecimò, ita ipsum comparauit, vt animo atque intelligentia sua Angelis esset familiaris. Decimotertiò, condidit ipsum corpore leui atque expedito, non autem graui: quale demum euasit post violatam legem. Decimoquartò, posuit ipsum in paradiso, vt inibi oblectaretur, neque cùm cæteris animalibus mentis expertibus in terra pascendum reliquit. Psal. 139

Michael Glycas. 1100.

Parte prima Annalium fol. 119 Quod si prima creatio fuit expers interitus, quid de homine primo dicemus? Nimirum Deus eum statim ab initio expertem interitus condidit, & dono immortalitatis ornauit. Quæ quidem verba nequaquam sunt mea, sed vir eximius Andreas Antistes Cretensis in oratione sua de ijs, qui obdormierunt, in hunc modum loquitur: Cùm hominem creasset Deus, hoc ei dignitatis largitus est, vt esset particeps rationis, intelligendi facultate præditus, immortalis, interitus expers. Quòd si dignitatem hanc immortalitatis homini Deus concessit, qui fieri potest, vt eundem pariter & mortalem & immortalem dicamus? vel obnoxium interitui pariter, & interitus expertem? Nequit hoc prorsus, mea quidem opinione, fieri. Nam immortali & interitus experti nequaquam potest vel morti vel interitui subiecta conditio tribui. Enimuerò scire quidem nequeo, quibus hi causis permoti, non modò non miscenda misceant, cùm scilicet Adami corpus medio inter immortalitatem ac mortalitatem loco constituunt, sed etiam naturales affectiones atque morbos ei tribuere non vereantur, qui ante peccatum tam illarum affectionum, quàm interitus expers erat: & quidem hoc ipsum citra demonstrationem aliquam è sacris petitam literis faciant. Quapropter nihil hic tibi verendum est. Nam hominem ad imaginem Dei conditum tali ab initio natura præditum fuisse, nimirum immortali & interitus experte: ac præterea corpus illud Adami nullo modo vlli passioni obnoxium fuisse, supra interitum scilicet omnem positum Chrysostomus te docebit.

Ioannes Zonaras. 1100.

Tomo 1. Annalium paulo post initium: Cùm optimus artifex vniuersa iam condidisset, & mundum ordine & ratione effecisset, vnde Græco nomine κόσμος dicitur, & tanquam ad regem excipiendum regiam quandam instruxisset, tum demum producit hominem, quasi rerum terrenarum regem supernè gubernandum, eumque non item mandato conditum, sed manibus suis informatum, vt peculiare suum opus, non simile cæteris, sed diuersum & incomparabile. Nam cætera quidem omnia verbo sunt producta, hunc verò Deus opera manuum suarum est dignatus. Sumpto enim de terra puluere Deus *hominem formauit, & inspirauit ei animam viuentem*, ob quam etiam ad imaginem Dei homo factus esse dicitur.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Lib. de patientia cap. 5. Innocens erat Adam, & Deo proximo amicus, & paradisi colonus. At vbi semel succidit impatientiæ, desiuit Deo sapere, desiuit

fiuit cælestia sustinere posse.

Libro 2. aduersus Marcionem cap. 5. Liberum & sui arbitrij, & suæ potestatis inuenio hominem à Deo institutum, nullam magis imaginem & similitudinem Dei in illo animaduertens, quàm eiusmodi status formam. Neque enim facie & corporalibus lineis, tam varijs in genere humano, ad vniformem Deum expressus est, sed in ea substantia, quam ab ipso Deo traxit, id est, animæ, ad formam Dei spondentis, & arbitrij sui libertate & potestate signatus est. Hunc statum eius confirmauit etiam ipsa lex, tunc à Deo posita. Non enim poneretur lexei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate: nec rursus comminatio mortis transgressioni asscriberetur, si non & contemptus legis in arbitrij libertatem homini deputaretur.

Cyprianus. 250.

De bono Patientiæ: Sic perfectos dixit fieri Dei filios, sic consummari ostendit & docuit cælesti natiuitate reparatos, si patientia Dei Patris maneat in nobis, si similitudo diuina, quam peccato Adam perdiderat, manifestaretur, & luceat in actibus nostris. *Et post multa:* Adam contra cæleste præceptum cibi lethalis impatiens, in mortem cecidit, nec acceptam diuinitus gratiam patientia custode seruauit.

Ambrosius. 370.

Lib. 6. Hexameron cap. 7. Illa anima à Deo pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremque pietatis: illa anima bene picta est, in qua *splendor est gloriæ, & paterna imago substantiæ.* Secundùm hanc imaginem, quæ refulget, pictura pretiosa est Adam ante peccatum; sed vbi lapsus est, deposuit imaginem cælestis, sumpsit terrestris effigiem.

De Isaac, & anima cap. 5. Nec Adam primò nudus erat, quando eum innocentia vestiebat.

De Iacob & vita beata lib. 2. cap. 5. Sic despoliatus Adam nudus inuentus est.

De Helia & ieiunio cap. 4. Opertus erat Adam virtutum velamine priusquam præuaricaretur, sed tamquam exutus à præuaricatione vidit se esse nudum, quia indumentum, quod habebat, amiserat.

Ad cap. 10. Lucæ: De Hierusalem illa cælesti eiectus Adam, præuaricationis prolapsione descendit: hoc est, de vitalibus ad inferna demigrans, cui non loci, sed morum mutatio naturæ suæ fecit exilium. Longè enim mutatus ab illo Adam, qui inoffensa beatitudine fruebatur, vbi in secularia peccata deflexit, incidit in latrones, in quos non incidisset, nisi his mandati cælestis deuius se
2.Cor. 11 fecisset obnoxium. Qui sunt isti latrones, nisi angeli noctis atque *tenebrarum, qui se nonnunquam transfigurant in Angelos lucis,* sed perseuerare non possunt? Hi ante despoliant quæ accepimus indumenta gratiæ spiritalis, & sic vulnera inferre consueuerunt. Caue ergo ne ante nuderis, sicut Adam nudatus est, mandati cælestis custodia destitutus, & exutus fidei vestimento, & sic lethale vulnus accepit.

De Paradiso cap. 14. Quid est: *Adam vbi es?* id est, non in quo, sed in quibus es. Non ergo interrogatio est, sed increpatio: de quibus (inquit) bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miseriam recidisti? Dereliquisti vitam æternam, & attumulatus es morti, consepultus errori.

Prudentius. 380.

De Hamartigenia:

Vade, ait ipse parent opifexque & conditor Ada,
Vade homo, & afflatu nostri prænobilis oris
Insubiecte, potens, rerum arbiter, arbiter idem
Et iudex mentis propriæ: mihi subdere soli
Sponte tua, quo sit subiectio & ipsa soluto
Libera iudicio: non cogo, nec exigo per vim,
Sed moneo iniustum fugias, iustumque sequaris.
Lux comes est iusti, comes est mors horrida iniqui,
Elige rem vitæ, tua virtus temet in æuum
Prouehat, æternum tua damnet culpa vicissim,
Præstet & alterutram permissa licentia sortem.

Gaudentius. 400.

Tractatu 2. de lectione Euangelij: Ostendam tibi dilectissime & ipsum protoplastum Adam diuinæ familiaritati esse coniunctum, perceptis ab ipso sponso imaginis diuinæ insignibus, sapientiæ & intellectus vitæque perpetuæ ornamentis. Sed postquam lenocinante diabolo fides est adulterata mandati, immortalitas pariter cum libertate diuini amoris ablata est.

Augustinus. 400.

De correptione & gratia cap. 11. Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, sed disparem, &c. Nec ipsum Deus esse voluit sine sua gratia, quem reliquit in eius libero arbitrio.

De Ciuitate Dei libro decimoquarto capite decimo: Quid timere vel dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum, vbi nec mors metuebatur, nec vlla corporis mala valetudo, nec aberat quicquam, quod bona voluntas adipisceretur, nec inerat quod carnem animumve hominis feliciter viuentis offenderet? &c. Quàm felices erant primi homines, & nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum lædebantur incommodis: tam felix vniuersa societas esset humana, si nec illi malum, quod etiam in posteros traijcerent, nec quisque ex eorum stirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet.

Cap. 17. Sicut scriptum est: *nudi erant, & non confundebantur:* non quòd eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondum erat: quia nondum libido membra illa præter arbitrium commouebat, nondum ad hominis inobedientiam redarguendam sua inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat. Gen. 2.

De Genesi lib. 11. cap. 13. Mox vt præceptum transgressi sunt, intrinsecus gratia deserente omninò nudati, in sua membra oculos iniecerunt.

Libro 4. contra Iulianum cap. 16. Quid est, gustato cibo prohibito nuditas indicata, nisi peccato nudatum, quod gratia contegebat? Gratia quippe Dei magna ibi erat, vbi terrenum & animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratia, non habebat in suo corpore quod puderet, spoliatus gratia, sensit quod operiri deberet.

Concilium Arausicanum Secundum. 444.

Cap. 19. Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam Creatore non adiuuante seruaret. Vnde cùm sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine gratia Dei poterit reparare quod perdidit?

Leo Magnus. 450.

Sermone 4. de Natiuitate Domini cap. 2. Primus namque homo carnis substantiam accepit è terra, & rationali spiritu per insufflationem creantis animatus est, vt ad imaginem & similitudinem sui auctoris viuens, formam Dei bonitatis atque iustitiæ, in splendore imitationis, tanquam in speculi nitore seruaret. Quam naturæ suæ speciosissimam dignitatem, si per obseruantiam legis datæ perseueranter excoleret, ipsam illam terreni cor-

poris qualitatem ad cælestem gloriam mens incorrupta perduceret.

Hilarius Arelatensis. 450.

In Genesi:

O felix animal, summi cui dextra Tonantis
Est pater: ô felix nimium, qui ducis olympo
Et genus, & formam: si te non noxia terra
Decipiant vitia, & non blandus subruat error,
Numen eris, cæloque redux mirabere regna,
Quæ promissa bonis fido Pater exhibet ore, &c.
Ergo hominem pleno perfectum munere terris
Præponis Genitor, rerum cui tradis habenas:
Cuncta habeat, subdatque sibi, viuatque perennis
Telluris dominus, famulus tuus: omnia mundi
Possideat, tantùm Domino tibi seruiat vni.

Prosper Aquitanicus. 450.

De vita contemplatiua lib. 2. cap. 18. Quòd si primus homo voluisset se in illa paradisi beatitudine custodire, vt à fructu vnius interdictæ arboris ieiunasset, nec statum illum tantæ felicitatis amitteret, nec eum voluntaria salutaris præcepti transgressio necessitati corruptionis, ac mortalitatis addiceret: vt tanta beneficia Dei sui, quæ in natura suæ conditionis acceperat, aut corrumperet peccato corruptus, aut perderet. Quis enim sufficienter enumeret, quæ & quanta bona illi abstinentiæ contemptus ademerit? quòd intellectualis mentis dignitate donatus, imaginem sui Creatoris accepit: quòd soli Deo subiectus, omnia visibilia sibi subiecta conspexit: quòd ei ad viuendi vsus affatim lignorum omnium, quæ erant in paradiso, feracitas diuina iussione seruiuit: quòd arbor vitæ mysticum cibum, non vnde viueret, sed vnde vitam corporis non finiret, sui Creatoris munere ministrauit: qui cibus quamdiu perciperetur, ita percipientem se in vno statu sacramenti cuiusdam latentis figurata significatione seruaret, vt eum nec vlla infirmitate corrumpi, nec ætate mutari, & senescere, nec dissolui morte permitteret. Non inquietabat molesta solicitudo quietum: non fatigabat labor anxius otiosum: non somnus opprimebat inuitum: non amittendæ vitæ timor angebat de immortalitate securum. Habebat facilem victum, corpus ex omni parte sanum, tranquillum motum, cor mundum, ignarus pœnalis mali, habitator paradisi, expers peccati, capax Dei.

Claudius Marius. 460.

Libro 1. in Genesim:

Nunc hominem faciamus, ait, qui regnet in orbe,
Et sit imago Dei, similem decet esse creanti:
Liber ad arbitrium fruitur qui mente creatis, &c.
Primus enim meritis, postremus in ordine toto
Factus homo, vt sese rebus præstare creatis
Nosset, & hinc laudes Domino persolueret æquas, &c.
Tali lege data, ratio docet optima, quòd non
Mortalem Deus in primæuo tempore fecit
Primum hominem, quin ille sibi mortem attulit vltrò, &c.
Porrò dum mundi vitijs & labe carebant,
Diuinis viguêre animis, nullius egeni,
Cùm penes hos esset mundi substantia, & omnes,
Quas dabat orbis, opes: nec prorsum obnoxia morbis
Corpora gestabant, non hos cogebat ad esum
Pausa ignara fames: qui si mandata supremi
Seruassent integra Dei, crudelia mortis
Imperia, & diros nescirent vsque dolores.

Fulgentius. 500.

De Incarnatione & gratia Iesu Christi cap. 6. Credimus bonum & sine vlla carnis impugnatione à Deo creatore omnium factum Adam, magnaque præditum libertate, ita vt & bonum facere in propria facultate haberet, & malum, si vellet, posset admittere. Eratque mors & immortalitas in eius posita quodammodo arbitrij libertate. Capax enim erat vtriusque rei, vt si seruaret præceptum sine experientia mortis fieret immortalis: si verò contemneret, mors continuò sequeretur.

Alcimus Auitus. 500.

Libro 1. cap 3.

Ergo longa nouam ne fœdent otia terram,
Nunc formetur homo, summi quem tangat imago
Numinis, & nostram, celso donatus honore,
Induat interius formosa mente figuram.
Hunc libet erectis sublimem incedere plantis,
Qui regat æterno subiectum pondere mundum,
Bruta domet, legem cunctis & nomina ponat,
Astra notet, cælique vias, & sydera norit,
Discat & inspectu discernere tempora signis,
Subijciat pelagus sæuum, ingenioque tenaci
Possideat quæcunque videt, cui bestia frendens
Seruiat, & posito discant mansueta furore
Imperium iumenta pati.

Iunilius Africanus. 540.

In Genesin: Sanè inter hæc non prætereunda nascitur quæstio, quomodo & immortalis factus sit homo præ alijs animantibus, & nihilominus acceperit communiter terrenam cum illa alimoniam: in qua intuendum nobis est, quia alia est immortalitas carnis, quam in prima conditione in Adam accepimus, & alia, quam nos in resurrectione per Christum accepturos esse speramus. Ita quippe immortalis factus est ipse, vt posset non mori, si non peccaret: si autem peccaret, moreretur. Ita verò immortales erunt filij Resurrectionis, cùm erunt æquales Angelis Dei, vt nec mori vltra, nec peccare possint. Ideoque caro nostra post resurrectionem nulla eget refectione ciborum, quia nulla ei suppetit à fame, vel lassitudine, vel alia qualibet infirmitate defectio. Caro autem Adæ ante peccatum ita est immortalis creata, vt adminiculis adiuta temporalis alimoniæ, mortis expers, ac doloris existeret, donec corporalibus incrementis ad illam vsque perductus ætatem, quæ conditori placeret, tunc creata progenie multa huiusmodi, iam iubente ipso sumeret & de ligno vitæ, & perfectè immortalis effectus sustentacula sibi corporalia vlterius nulla requireret. Sic ergo immortalis & incorruptibilis est condita caro primorum hominum, vt eandem suam immortalitatem, atque incorruptibilitatem per obseruantiam mandatorum Dei custodirent. In quibus mandatis erat, vt de lignis paradisi concessis vescerentur, interdicti autem se esu temperarent, ac per horum edulium inditæ sibi immortalitatis dona conseruarent: in illius tactu ruinam mortis inuenirent. Sic verò incorruptibilis & immortalis in fine erit caro nostra, vt ad similitudinem Angelicæ sublimitatis in eodem semper statu permaneat, neque cibis corporalibus egere possit.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 4. in Iob cap. 26. Ad hoc in paradiso homo positus fuerat, vt si se ad conditoris sui obedientiam vinculis charitatis astringeret ad cælestem Angelorum patriam quandoque sine carnis morte transiret. Sic namque est immortalis conditus, vt tamen, si peccaret, & mori posset: & sic mortalis est conditus, vt si non peccaret etiam non mori posset, atque ex merito liberi arbitrij beatitudinem illius regionis attingeret, in qua vel peccare, vel mori non posset. Vbi igitur post redemptionis tempus, carnis morte interposita, electi transeunt, illuc procul dubio parentes primi, si in conditionis suæ statu perstitissent, etiam sine morte corporum transferri potuissent.

Lib. 4. Dialog. cap. 1. Homo in paradiso assueuerat Dei verbis perfrui, Angelorum beatorum spiritibus cordis munditia, & celsitudine visionis interesse.

Eucherius Gallus. 640.

Lib. 1. in Genesin cap. 9. *Fecit Deus hominem ad imaginem suam*, perfectum scilicet virum, qui non quemlibet sanctorum virorum imitando, sed ipsam veritatem contemplabiliter intuendo, operatur iustitiam, vt ipsam intelligat & sequatur, ad cuius imaginem factus est, veritatem.

Beda. 700.

Ad cap. 2. Genes. Quemadmodum primus homo creatus est immortalis, quod illi præstabatur de ligno vitæ, separatus est cùm peccasset, vt posset mori: qui nisi peccasset, posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis beneficio conditoris.

Ad Psalm. 79. Adam in abundantia virtutum posuit, sed non confirmauit, quia labi potuit.

Homil. in Octaua Epiphaniæ: Prima hominis beata vita ita fuit immortalis, vt posset in ea homo non mori, si se à peccati seductione cautus seruaret: secunda verò ita fiet immortalis, vt non possit in ea homo mori, nec vlla peccati pulsantis seductione tentari.

Alcuinus. 750.

Proœmio in librum 3. de Trinitate: Duas creaturas rationales condidit Creator: vnam cælestem, alteram terrestrem, & vtramque liberi arbitrij potestate nobilitauit, vt voluntariè in dilectione Dei, & diuinæ potentiæ laude perpetualiter atque beatè permaneret.

Adrianus Primus. 780.

Epistola ad Constantinum Imp. & Irenem: Factor noster & artifex Dominus Deus, iuxta propriam imaginem & similitudinem, hominem de luto terræ finxit, illuminauitque, in libera potestate sui ipsum constituens. Præterea primus ille homo liberi arbitrij existens, cuncta animantia terræ, & volatilia cæli, annuente Deo, nominibus proprijs vocauit. Gen. 2.

Haymo. 820.

Ad Psalm. 83. Deus creauit hominem non in miseria, sed in perfectione.

Super cap. 1. ad Philemonem: Quærunt nonnulli quare omnipotens Deus non creauerit Adam ita vt non posset peccare? Quibus respondendum est: quia si talem fecisset eum, vt non posset peccare, bonum illius non esset perfectum, quod præmium mereretur, sed necessarium: neque etiam liberum arbitrium haberet. Creauit enim hominem ad imaginem & similitudinem suam: vt sicut ipse voluntate est bonus, non necessitate: ita & homo voluntate debet esse bonus, non necessitate.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 890.

Cap. 1. Imago Dei, ad quam homo conditus fuit, hominem ad hoc prouocabat, vt cognosceret ac diligeret, in notitia sibi copularet sapientiam, in dilectione præmij materiam. Culpa sua deiectus ab vtroque, perdidit vtrumque, tantum ad exteriora effusus, quantum superiorum oblitus.

Cap. 4. Est ergo imago Dei homo in ratione, & in immortalitate; similitudo in morum sanctitate & iustificatione: aliud etiam exequens in fide, aliud in operatione: imago secundùm cognitionem veritatis, similitudo secundùm amorem virtutis. Vel imago secundùm substantiam, iuxta illud: *Cùm apparuerit similes ei erimus*, non æquales: imago, quia rationalis; similitudo, quia spiritualis. Porrò hæc in anima sola facta sunt: quia corporea natura similitudinem diuinitatis capere non potuit, quæ ab eius excellentia, & similitudine, in hoc ipso longè fuit, quod corporea fuit, &c. Primus homo ante peccatum secundùm animam quidem rationalis fuit, habens discretionem boni & mali, scientiam quoque omnium rerum, quantum ad principium conditionis pertinuit. Sicut enim quantum pertinet ad perfectionem staturæ & ætatis humani corporis, primum perfectum credimus: ita quantum ad animam, cognitionem veritatis, & scientiam, eam duntaxat, quæ primæ perfectioni congrua fuit, perfectam, mox conditum accepisse putamus, & ad illam non studio aut disciplina per aliqua interualla profecisse, sed semel ab ipso suæ conditionis exordio, vna ac simplici aspirationis illuminatione illam percepisse.

Berno Augiensis. 1020.

Sermone de Resurrectione Domini: Creatus est protoplastus Adam ad imaginem & similitudinem Dei, videlicet secundùm interiorem hominem. Creatus est, inquam, vt esset iustus, sanctus, & innocens, qui etiam non mori potuisset, si Dei præceptis obedire voluisset. Sed quia diuini præcepti transgressor extitit, ab immortalitatis statu decidens, mortem incurrit, eamque velut hæreditariam suis posteris dereliquit.

Guitmundus. 1060.

De sancta Trinitate: Hanc trinam Vnitatem, & vnam Trinitatem Adam ante peccatum, incorrupta imagine Dei, anima sua lucidè intellexit, quam lucem peccatum commissum obscurauit. Peccauit enim hominis anima voluntate, corpus opere. Vtrumque igitur mortuum est, quia ab vtroque peccatum commissum est.

Anselmus. 1080.

De excellentia Mariæ Virginis cap. 9. Natura mea ad similitudinem Dei in principio creata fuit, quatenus indesinenter ipso Deo frueretur, & eius gloria sine omni corruptione, & mutabilitate aliquando potiretur.

Ad cap. 3. epistolæ ad Coloss. Homo in agnitione Dei creatus est, quia in principio creationis suæ Creatorem suum ex ratione cognouit; sed postea per peccatum cæcatus, agnitionem Creatoris amisit. Nunc verò per illuminationem Euangelij, & per infusionem gratiæ Spiritus sancti, eundem Creatorem suum recognoscit, & mox interius renouatur, qui vetustatem contraxerat, dum Creatorem ignoraret.

De conceptione Virginis cap. 10. Eadem ratione, qua monstratur, rationalem naturam iustam esse creatam, probatur etiam, quòd qui ex humana natura propagarentur, non præcedente peccato, ex necessitate iustitiam pariter haberent, cum rationalitate. Siquidem qui creauit primum hominem sine parentum generatione, creat etiam omnes, qui per creatam fiunt ab illo propagandi naturam. Omnis igitur homo, si peccatum non præcessisset, simul esset, sicut Adam, & iustus, & rationalis.

Cap. 16. Si Adam non peccasset, sicut ipse nulla senectute nulla causa infirmatus deficeret, sic natura propagandi creata in illo, & ad vtendum eius potestati subdita, nullo casu à suo cursu impediretur.

De concordia, gratia, & libero arbitrio: In beatitudine, secundùm omnium sensum, est sufficientia competentium commodorum, sine omni indigentia: siue Angelica intelligitur beatitudo, siue illa, quam habebat Adam in Paradiso. Quamuis enim maior sit beatitudo Angelorum, quàm illa, quæ erat hominis in paradiso: non tamen ideo negari potest, Adam beatitudinem habuisse. Sicut namque calor magnus est sine omni frigore, & tamen potest esse alius maior calor: & quemadmodum frigus est sine omni calore, cùm tamen maius

valeat esse frigus: ita nihil prohibet Adam beatum fuisse in paradiso sine omni indigentia, licet maior esset Angelica beatitudo.

Petrus Alphonsus. 1100.

Titulo 10. Deus Adam ad imaginem & similitudinem suam conditum, ideoque inter creaturas excellentem, compositum creauit & simplicem. Compositum quidem, vt mundum istum habitaret, ac super eum potestatem imperiumque haberet, dissolutionisque etiam susceptibilis esse posset: simplicem verò, vt quando Creatori placeret, ad cælestem Angelorum patriam, sine carnis morte transiret, &c. Cùm Deus Adam creauit, placuit sibi creare eum talem, qui & mori, & non mori valeret. Fecit ergo eum de elementis subtilioribus, & omninò æqualiter de omnibus, & hoc, vt & ipsorum qualitates vim aliquam ad se inuicem superandi aliquatenus non haberent. Taliter autem factus est, vt non mori potuisset, & ideo ego eum simplicem appellaui & immortalem. Hoc modo quippe fuerat immortalis, quemadmodum & cætera simplicia immortalia sunt omnia.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De victoria Verbi lib. 2. cap. 6. Dei & Verbi eius hæc erat pia intentio, sanctumque propositum, vt hominem faceret sibi consimilem, id est, suæ bonitatis imitatorem, suæque diuinitatis capacem, vt
Rom. 1. homo *inuisibilia ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiceret*, & conspiciens siue intelligens ipse, quod natura non erat, gratia Deus fieret. Hoc intendens & proponens dixerat ipse per
Gen. 1. magnam bonitatis suæ abundantiam: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram:* videlicet ad imaginem, in eo, vt esset creatura rationalis: ad similitudinem, in eo, vt esset imitator sui Creatoris, & imitando illum, proficeret ad gloriam visionis Dei.

Bernardus. 1130.

Sermone 1. de Annuntiatione: Ad imaginem & similitudinem Dei factus est homo: in imagine arbitrij libertatem, virtutem habens in similitudine. Et similitudo quidem perijt, veruntamen in imagine pertransit homo. Imago siquidem in Gehenna ipsa vri poterit, non exuri: ardere, sed non deleri. Similitudo non sic; sed aut manet in bono, aut si peccauerit anima, mutatur miserabiliter, iumentis insipientibus similata.

Sermone de Cœna Domini: Primus namque parens noster paradisi accola constitutus est, dominus terræ stabilitus est, ciuis supernæ Hierusalem designatus est, domesticus Domini factus est: cuius amore & agnitione ditatus est, consors Angelorum, frater & cohæres cælestium virtutum, nihil prorsus indigentiæ, nihil sentiens molestiæ: cui erant in promptu quæ postulabat, non dico necessitas, sed etiam pia voluntas, cùm nihil esset in anima, quod offenderet: nihil in carne, quod puderet. Hic honor & hæc erat dignitas hominis, prosperari & florere in præmissis.

Sermone 2. de eo: *Immisit Dominus soporem:* Nimirum in libertate posuit eum Deus, vt inter summa & infima versans, & in illa excideret sine difficultate, & ad hæc sine illecebra aut necessitate descenderet. Illa penetrans naturali viuacitate, & puritate mentis: hæc auctoritate iudicans præsidentis.

Hugo Victorinus. 1130.

Exceptionum piorum lib. 1. cap. 7. Deus summè bonus, & immutabiliter bonus, sciens suam beatitudinem communicari posse, & minui omninò non posse, fecit creaturam rationalem, vt eam faceret suæ beatitudinis esse participem. Fecit autem eam ad imaginem, & similitudinem suam, secundùm dilectionem. Ad imaginem suam, secundùm cognitionem veritatis: ad similitudinem suam, secundùm amorem veritatis. Ad imaginem suam, secundùm intellectum: ad similitudinem suam, secundùm affectum. Sic opifex fecit Deus creaturam rationalem, ad imaginem & similitudinem suam, vt per hoc, quòd facta esset ad imaginem Dei, Deum cognosceret: & per hoc, quòd facta esset ad similitudinem Dei, Deum diligeret, & cognoscendo, & diligendo Deum possideret, & possidendo beata esset.

Cap. 2. Tria bona primordialia dedit Deus homini in creatione. Primum bonum fuit, quòd eum fecit Deus ad imaginem suam: secundum, quòd eum fecit ad similitudinem suam: tertium bonum fuit immortalis corporis, si perstitisset homo in obsequio Conditoris. Ista tria fuerunt homini in conditione diuinitus data, & naturaliter, & originaliter insita.

Petrus Lombardus. 1140.

Libro 2. distinctione 19. Primus homo secundum naturam corporis terreni & immortalis fuit quodammodo, secundum aliquid: quia potuit non mori: & mortalis quodammodo: quia potuit mori. In illo namque primo statu habuit posse mori, & non posse mori. Et hæc fuit prima corporis humani immortalitas, scilicet posse non mori. In secundo verò statu post peccatum habuit posse mori: & non posse non mori: quia in hoc statu moriendi est necessitas. In tertio statu habebit posse non mori, & non posse mori: quia ad illum statum pertinet moriendi impossibilitas: quod ex gratia erit, & non ex natura. In primo statu fuit corpus hominis animale, id est, egens alimonijs ciborum. Vnde & homo dicitur factus in animam viuentem, non spiritualem, id est, in animam corpus sensificantem, quod adhuc erat animale, non spirituale, quod egebat cibis, vt per animam viueret. Factus est ergo in animam viuentem, id est, vitam corpori dantem, tamen per sustentamenta ciborum: & tunc erat corpus mortale & immortale: quia poterat mori, & poterat non mori. Post peccatum verò factum est mortuum.

Petrus Comestor. 1160.

In historia Scholastica lib. Geneseos cap. 9. Factus est homo ad imaginem Dei, quantum ad animam: sed imago Dei est anima in essentia, & ratione eius, quia spiritus factus est, & rationalis, vt Deus: similitudo in virtutibus: quia bona, iusta, sapiens.

Cap. 10. Si quæritur, quare ante peccatum datæ sint homini escæ, cùm esset immortalis? Dicemus, quia illa immortalitas, in qua creatus est, cibis erat sustentanda, nec erat talis, qualis quæ futura est, quæ cibis non indigebit. Illa enim erat posse non mori, hæc erit non posse mori.

Hildegardis. 1160.

In Solutionibus quæstionum: Adam, qui ita sapiens & perfectus à Deo formatus erat, quòd scientia, & sapientia super omnes homines repletus fuit, Deum in diuinitate sua sicuti est nunquam videbat, sed quandam charitatem de vultu eius procedentem exterioribus oculis vidit, in qua eum verum Deum esse veraciter cognouit. Sicut enim ante peccatum, cùm adhuc anima ipsius corpori suo dominaretur, oculis suis, qui per innocentiam tunc spiritales fuerunt, Dei claritatem inspexit, quod postea facere non potuit: quia visionem istam in paradiso post peccatum statim perdidit, cùm oculi eius in præuaricatione præcepti Dei, quod ante cognouit per carnale desiderium aperti sunt.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De virtutibus cap. 9. Si quis quærat, vtrum etiam alias scientias, hoc est rerum aliarum habeant naturaliter huiusmodi substantiæ, sicut habuerunt eas Adam & Eua ex sua creatione, videtur nobis quod sic. Non autem eiusmodi scientias, quales acquiruntur apud nos per vias probationum, sed cognoscere eorum in rebus huiusmodi erat, sicut videre interius. Nec parum laudis & gloriæ suæ detractum fuisset Creatori, apud eas, hoc est, apud substantias abstractas nobiles, & Adam & Euam, si tot ac tanta magnalia Creatoris, quæ sunt in rebus naturalibus, & mathematicis ignorarent. ipsis etiam non parum splendoris & luminis, si scientias istas non haberent, defuisset, essentque intellectus earum magis tenebris obsessi & inuoluti, si nec cælum, nec terram, nec aliqua de his, quæ in eis sunt, cognoscerent. Si verò quis quærat vtrum vna numero scientia sit eis, vel esset illis, qua cognoscerent omnes huiusmodi res, videtur nobis quod sic. Sicut enim in vno lumine visus videmus omnia visibilia, viso nostro naturali: sic tam isti, quàm illi, longè sublimius atque nobilius omnia intelligibilia intellectu naturali intuentur, & intuebantur, & hoc simul. Causa autem in hoc est, quoniam non per passiones à rebus, sicut nos visibilia cognoscimus, & ideo non tempore, nec vicissitudine indigebant, ad illa omnia intuenda.

Alexander Alesius. 1240.

Parte 2. Quæst. 92. membro 1 Adam ab exordio suæ conditionis (sicut vult Hugo & Magister Sententiarum) habebat scientiæ complementum. Et hoc conueniebat tum propter comparationem ipsius ad principium suum ab ipso colendum: tum propter comparationem ad genus ex ipso propagandum: tum propter comparationem ipsius ad genus animalium ab ipso gubernandum. Primò ergo ad secundùm comparationem ipsius ad suum principium decuit fieri scientia completum. Si enim decet Deum opera perfecta facere, quanto magis ipsum natura decuit facere perfectum, & quantum ad eius præmium, quantum ad eius bene esse: secundùm quod exigebat status naturæ, qui origo omnium sui generis, & quodammodo est finis omnium? Et quia factus erat ad Deum colendum, leges diuinas scire debuit, secundùm quarum obseruationem posset Deo placere, & in via morum rectè ambulare. Secundò per comparationem ad genus humanum ex ipso propagandum. Si enim ipse conditus est, vt esset quasi pater familias in tota domo paradisi terrestris: & optimè sedet sapientia & scientia in genitoribus, vt exempla præbeant posteris rectè ambulandi & loquendi se, indubitanter decens fuit, vt Deus primum hominem, totius humani generis patrem, principium & seminarium, secundùm possibilitatem naturæ & exigentiam eius faceret in cognitione perfectum. Tertiò per comparationem ad genus animalium regendum hoc ipsum decens erat & idoneum. Si enim Deus hominem præposuerat cæteris bestijs & animalibus, vt ad nutum eius cætera obedirent: sicut non decet sapientem dominum curam rerum suarum stulto gubernandi committere, sed prudenti: sic non decuit Deum facere hominem non intelligentem, sed intelligentem & cognoscentem, vt sciret quid vnicuique expediret, quod & fecit. Cuius signum est quòd Adam omnibus nomina imposuit, & hoc fuit nomen eius, quod Adam primò nominauit quod certè facere non potuisset, nisi omnium naturas & proprietates à prima conditione cognouisset.

Thomas Aquinas. 1250.

Parte 1. quæst. 94. art. 3. Sicut primus homo institutus est in statu perfecto quantum ad corpus, vt statim posset generare: ita etiam institutus est in statu perfecto quantum ad animam, vt statim posset alios instruere & gubernare. Non potest autem aliquis alios instruere, nisi habeat scientiam. Et ideo primus homo sic institutus est à Deo, vt haberet omnium scientiam, in quibus homo natus est instrui. Ad gubernationem autem vitæ propriæ & aliorum, non solùm requiritur cognitio eorum, quæ naturaliter sciri possunt, sed etiam cognitio eorum, quæ naturalem cognitionem excedunt: eò quòd vita hominis ordinatur ad quendam finem supernaturalem: sicut nobis ad gubernationem vitæ nostræ necessarium est cognoscere quæ fidei sunt. Vnde & de his supernaturalibus tantam cognitionem primus homo accepit, quanta erat necessaria ad gubernationem vitæ humanæ secundùm statum illum. Alia verò, quæ nec naturali hominis studio cognosci possunt, nec sunt necessaria ad gubernationem vitæ humanæ, primus homo non cognouit: sicut sunt cogitationes hominum, futura contingentia, & quædam singularia: puta quot lapilli iaceant in flumine, & alia huiusmodi.

Bonauentura. 1260.

Parte 2. Breuiloquij cap. 11. De toto homine in paradiso collocato hæc tenenda sunt, videlicet quòd datus est ei duplex sensus, scilicet interior & exterior, scilicet mentis & carnis. Datus est ei duplex motus, scilicet imperatiuus in voluntate, & executiuus in corpore. Datum est ei duplex bonum, vnum visibile, & alterum inuisibile. Datum est ei duplex præceptum, scilicet naturæ & disciplinæ. Præceptum naturæ: *Crescite, & multiplicamini.* Præceptum disciplinæ: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas.* Iuxta quæ datum est sibi quadruplex adiutorium, scilicet scientiæ, conscientiæ, synderesis, & gratiæ: ex quibus sufficienter habuit, vt posset stare in bono, & proficere, & à malo cauere & declinare, &c. Et quoniam homo ratione naturæ defectiuæ ex nihilo formatæ, nec per gloriam confirmatæ, poterat cadere, benignissimus Deus quadruplex ei contulit adiutorium, scilicet duplex naturæ, & duplex gratiæ. Duplicem enim indidit rectitudinem ipsi naturæ, videlicet vnam ad rectè iudicandum, & hæc est rectitudo conscientiæ: aliam ad rectè volendum, & hæc est rectitudo synderesis, cuius est remurmurare contra malum, & stimulare ad bonum. Duplicem etiam superaddidit perfectionem gratiæ, vnam gratiæ gratis datæ, quæ fuit scientia illuminans intellectum ad cognoscendum seipsum, & Deum suum, & mundum istum, qui factus fuerat propter ipsum: aliam verò gratiæ gratum facientis, quæ fuit charitas habilitans affectum ad diligendum Deum super omnia, & proximum sicut seipsum. Et ante lapsum homo perfecta habuit naturalia, superuestita nihilominus gratia diuina.

Breuiloquij parte 3. *cap.* 6. Licet anima non sit ex traduce, originalis tamē culpa ab anima Adæ transit ad animas posteriorum, mediante carne per concupiscentiam generata: ita quòd sicut ab anima peccante infecta fuit caro Adæ, & prona effecta ad libidinem: sic caro per libidinem seminata, & secum trahens infectionem vitiosam, inficit, & vitiat animam: quæquidem infectio viciosa in anima non tantùm est pœna, sed etiam culpa: & sic persona corrumpit naturam, & natura corrupta corrumpit personam, salua in omnibus diuina iustitia, cui nullo modo potest imputari infectio animæ licet eam creando infundat, & infundendo vniat cum carne infecta.

Ægidius Romanus. 1280.

Libro 2. *Hexameron cap.* 40. Ante peccatum hoc

faciebat donum originalis iustitiæ, quòd in humano corpore non possent hominis humores corrumpi. Ideo ante peccatum nihil poterat homini esse venenosum. Post peccatum itaque talia nocere cœperunt homini.

In tractatu de originali peccato cap.2. Adam est rectus creatus: quia in eo omnia inferiora superioribus erant subiecta. Caro enim subiecta erat animæ: quia nullus morbus, nulla passio, nulla indispositio poterat insurgere in carne, quę animę repugnaret. Rursus vires inferiores subiectæ erant superioribus, vt concupiscibilis, & irascibilis sic erant subditæ menti & rationi, vt nihil in eis insurgeret, nisi secundùm ordinem & ductum rationis.

Durandus à Sancto Portiano. 1300.

Lib.2.dist.20. quæst.1. Adamum fuisse immortalem conuincitur auctoritate sacræ Scripturæ, & probabili persuasione. Auctoritate sacræ Scripturæ, per hoc, quod dicit Apostolus ad Romanos 5. quòd *per vnum hominem peccatum intrauit in mundū, & per peccatum mors.* Ergo ante peccatum erat homo immortalis. Vnde & Dominus pœnam mortis comminatus est primo homini Genes.2. dicens: *quacunque die ex eo comederis, morte morieris*, id est, necessitati moriendi addictus eris.

Lyra. 1320.

Ad caput 2. Genes. *Vt videtur.*) Diligenter considerando naturas eorum, quarum primus homo perfectum naturaliter præcedit imperfectum, sicut principium eius, quia reducit ipsum ad perfectionem. Res autem instituendæ sunt non solùm in seipsis, sed vt principia sequentium. Homo autem non solùm est principium aliorum hominum per generationem, sed etiam quantum ad instructionem, in quantum discipulus ad perfectionem scientiæ deducitur per doctorem. Et ideò sicut in prima productione rerum Deus produxit alias species perfectas, sicut potentes similia producere ex suis seminibus: ita formauit hominem perfectum, non solùm quantum ad corpus, vt potentem statim generare, sed etiam quantum ad animam, in scientia, ad quam potest naturaliter attingere, vt statim posset docere. Illa autem, ad quorum cognitionem potest attingere virtute naturali, sunt omnia illa, quæ naturaliter continentur in primis principijs per se notis, de quibus potest intellectus possibilis in actum reduci virtute intellectus agentis. Et quia homo in statu intelligentiæ ordinabatur ad finem supernaturalem, ideò etiam tunc de supernaturalibus cognitionem habuit, quantum pertinebat ad statum illum.

Thomas Argentinensis. 1350.

Lib.2.dist.19.art.4. Si homo mansisset in statu innocentiæ, in quo à Deo fuit productus, tunc aliquo modo fuisset immortalis. Nam, vt patet per Magistrum, homo in statu innocentiæ habuit posse non mori: & in statu miseriæ, puta post peccatum, habuit non posse mori: sed in statu gloriæ habebit non posse mori.

Alphonsus Tostatus Abulensis. 1420.

Ad caput 2. Genes. Homo secundùm quod animal est, fuit formatus in istis duabus perfectionibus, ita quod quantitatis & roboris tanti erat, quanti esse debebat, secundùm exigentiam speciei. Vnde Adam & Eua nunquam aliquid creuerunt, secundùm corpulentiam, vel robur. Erant enim tales, qui poterant statim generare: vnde in die qua formati sunt, & peccauerūt, exarserunt genitalia membra secundùm concupiscentiam veneream, quod solum fit in potentibus generare. Et sicut primus homo erat perfectus in istis duobus, ita erat perfectus in alia superiori perfectione, scilicet intellectiua. Et hoc siue in quantum ipse intelligens erat siue in quantum principium erat reducendi alios ad intelligere. Cùm enim homo & cætera animalia in qualibet potentia, quam habebant, perfecta creata fuerunt: ita & homo in qualibet potentia: sed intellectus est potentia nobilior in homine: ergo etiam in illa perfectus fuit à formatione sua, aliàs homo cunctis animalibus infelicior esset. Oportet ergo necessariò dicere, quòd Adam cognouit omnia naturalia, scilicet omnia corpora mutabilia cum suis proprietatibus: & sic omnem Philosophiam, Astrologiam, & cæteras Mathematicas perfectissimè cognouit. Nec aliquis homo ita naturaliter cognoscere potuit, quantumcunque perfectus esset, sicut ipse cognouit.

Laurentius Iustinianus. 1430.

Sermone de Christi corpore: Cùm totius Trinitatis consilio plasmari debuisset homo, dictum est: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram:* non de corpore ipsius ex limo composito dicitur, sed de intellectuali spiritu, qui immortalis effectus est, spiritualis naturæ insignis, beatitudinis capax, æternitatis amator, corpora omnia, siue terrena, siue cælestia, ingenita dignitate transcendens.

Dionysius Carthusianus. 1460.

In Summa fidei orthodoxæ lib.3.cap.131. Primus homo habuit altiorem notitiam quàm modò habemus: propter quod eius notitia media erat inter cognitionem viæ ac patriæ. Cognitio enim viæ, quæ est per speculationem in ænigmate, fit per creaturas, quæ quanto excellentiores sunt, tanto per eas Deus clarius potest cognosci. Creaturæ autem intellectuales eminentiores sunt corporalibus, ac sensibilibus creaturis: & ideo per eas Deus lucidiori notitia cernitur. A tali verò Dei notitia nunc homo distrahitur per sensum ac sensibilium occupationem. Sed quia Deus fecit hominem ab initio rectum, scilicet quòd inferiora non impediebant superiora in homine, non impediebatur homo ab illa claritate diuinæ visionis, quæ est per intelligibiles effectus ex impedimento circa sensuum operationem: & hoc verum est de cognitione primi hominis, siue naturali, siue gratuita, & quo ad hoc verum est quod ait Magister libro secundo, quòd primus homo Deum vidit sine medio, & sine ænigmate.

ARTICVLVS QVARTVS.

POST LAPSVM ADAMI HOMINEM PROPRIIS NATVRÆ VIRIBVS NIHIL BONI PERFICERE POSSE, SEMPER DIVINA GRATIA ET AVXILIO INDIGERE.

NEGANT.

Anno ante Christũ 100. *PHILOSOPHI de libero arbitrio præsumentes putârunt, se ingenio viribus & labore suo ea, quæ habent, consecutos fuisse, dicentes:* Manus nostra excelsa, & nõ Deus fecit
Psal.11. hæc omnia. *Talis erat Horatius, qui dixit:* ÆEquum animum ipse parabo. *Tales erant & illi, de quibus ait David:* Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? *Radulphus Ardens Dominica 11. post Trinitatem.*

50. *Sadducæi dixerunt in nostra esse potestate, vt tam felicitatis nobis auctores simus, quàm infortunij.* Iosephus lib.13. Antiq. cap.9.

Anno post Christũ 90. *Basilides cum Valentinianis dixit, fidem esse naturalem, hominesq́ natura electos, & saluos fieri.* Clemens Alexand. lib.2. & 4. Stromat

400. *Pelagiani asserebant hominem sine gratia Dei per liberum arbitrium posse facere (licet non tam facilè) si velit omnia diuina mandata.* Augustinus de peccatorum meritis & remissione.

440. *Ioannes Cassianus, Faustus Rhegiensis, & alij in Gallijs sub nomine Catholico Pelagianis fauentes, bona aliqua desideria, initium dilectionis, dispositionem ad gratiam, & alia id genus ex bono naturæ sine speciali præueniente gratia haberi posse prædicabant.* Prosper libro contra Collatorem, item contra obiectiones Vincentianorum, Fulgentius lib. [illegible] de Incarnatione & gratia Christi, Ioannes Maxentius in professione fidei Catholicæ, &c.

1140. *Rabbi Moses dicit hominem per seipsum absque Dei auxilio omnia peccata posse vitare, & omnes monitiones Prophetarum perfectè posse implere.* Nicolaus Eymericus Parte 2. q. 4.

1300. *Beguardi dicunt, quòd qualibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est beata, quodq́ anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum, & eo beate fruendum.* Clemens Quintus extra: de hæreticis, cap.3.

1390. Ioannes VVicleuus parte 3. Sermonum: *Confidat homo in merito proprio: quia ad mensuram illius Deus necessariò præmiabit.*

De Oratione capite 2. *Nemo speret in nuda oratione alterius, sed omninò in propria iustitia vitæ suæ.*

1540. *Ioannes Peffingerus Lipsiensis Pastor publica disputatione docuit hominem naturalibus liberi arbitrij viribus sese ad gratiam disponere ac præparare posse, vt ipsi sanctus infundatur Spiritus. Homo* inquit, *suis naturalibus viribus verbo assentiri, promissionem apprehendere, & Spiritui sancto repugnare potest.* Amsdorffius in confessione puræ doctrinæ.

1550. Philippus Melanchthon in visitatione Saxonica: *Voluntas humana vis est libera, vt facere possit iustitiam carnis, seu iustitiam ciuilem, vbi lege & vi cogitur, vt non furari, non occidere: quia Paulus docet esse quandam iustitiæ partem, quam caro coacta suis viribus faciat. Rom.2.* Gentes natura faciunt quæ legis sunt. *Quid autem faciunt, nisi ciuilem iustitiam? Exigit autem Deus iustitiam hanc. 1. Timot. 2.* Lex iustis non est posita.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Iob 32. *Vers.* 8. Spiritus est in hominibus, & inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.

Prouerb. 16.1. Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam. Omnes viæ hominum patent oculis eius: spirituum ponderator est Dominus. Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ. 9. Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius.

Prouerb. 20.24. A Domino diriguntur gressus viri: quis autem hominum intelligere potest viam suam?

Ieremiæ 10.23. Scio Domine, quia non est hominis via eius: nec viri est vt ambulet,

& dirigat gressus suos.

Ierem.31. 18. Conuerte me,& conuertar:quia tu Dominus Deus meus.Postquam enim conuertisti me,egi pœnitentiam:& postquam ostendisti mihi,percussi femur meum.

Ioannis 6.44.Nemo potest venire ad me,nisi Pater,qui misit me,traxerit eum.

Ioannis 15.5.Sine me nihil potestis facere.

Act. 2. 4. Repleti sunt omnes Spiritu sancto,& cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.

Rom.7.18. Velle adiacet mihi:perficere autem bonum non inuenio.

Rom. 9.16. Non volentis,neque currentis,sed miserentis est Dei.

1.*Corinth*. 4.7. Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti,quid gloriaris quasi non acceperis?

1. *Corinth*. 15.10. Gratia Dei sum id quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit,sed abundantius illis omnibus laboraui:non ego autem,sed gratia Dei mecum.

2.*Corinth*.3.4. Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum: non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis,quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est: qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti:non litera,sed Spiritu.

Philip.2.13.Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere,pro bona voluntate.

Philip 4.13 Omnia possum in eo,qui me confortat.

Iacobi 1.17.Omne datum optimum,& omne donum perfectum,desursum est,descendens à Patre luminum.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

Iacobi 1. De cælesti Hierarchia cap. 1. *Omne datum optimum,& omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum*. Sed & candidissimæ illius lucis,quæ à Patre motus initium sumit, processus omnis benigna in nos largitione manans, rursus vt summa virtus, per quam vnum secum efficimur, vi intentionis præcipuè nos parat & explicat, atque ad cogentis ad se Patris vnitatem ac deificam simplicitatem conuertit.

De diuinis nominibus cap. 4. Dicendum itaque vt intelligibilis lux bonum ipsum dicitur, quæ omnem supercælestem Spiritum spiritali impleat luce,omnemque ignorantiam pellat, erroremque abigat ex animabus (quibus sese insinuauerit) omnibus, eisque sacræ lucis consortium tradat, spiritalesque illarum oculos purget, obductamque ignorantiæ caliginem tergat, & ingenti tenebrarum pondere obtusos ac fermè cæcatos renouet atque excitet: tradatque illis quidem primi consortia luminis, deinde (vbi illæ degustauêre lucem, maioreque eius tanguntur desiderio) sese eis magis infundat, & copia vberiore lucis infulgeat, quia dilexerunt multum, semperque eas in anteriora intendat,quantum aspirare ad ea pro captu suo possunt.

Ireneus. 180.

Lib.5.cap.19. Hunc Spiritum petit Dauid humano generi dicens: *Et Spiritu principali confirma me*. (Psal. 50.) Quem & descendisse Lucas ait post ascensum Domini super discipulos in Pentecoste, habentem potestatem omnium gentium ad introitum vitæ, & apertionem noui Testamenti. Vnde & omnibus linguis conspirantes hymnum dicebant Deo, (Act.2.) Spiritu ad vnitatem redigente distantes tribus, & primitias omnium gentium offerenti Patri. Vnde & Dominus pollicitus est mittere se Paracletum,qui nos aptaret Deo. (Ioan.14. Ioan.16.) Sicut enim de arido tritico massa fieri vna non potest sine humore, neque vnus panis: ita nec nos multi vnum fieri in Christo Iesu poteramus, sine aqua, quæ de cælo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat: sic & nos, lignum aridum existentes, primùm nunquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluuia. Corpora enim nostra per lauacrum illud, quod est ad incorruptionem, vnitatem acceperunt: (Tit.3.) animæ autem per Spiritum. Vnde & vtraque necessaria, cùm vtraque proficiunt in vitam Dei, miserante Domino nostro Iesu Christo.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 5. Stromaton: Oportet mentem habere sanam, & quæ nulla retardetur pœnitentia à boni venatione: ad quod quidem maximè diuina opus habemus gratia, rectaque doctrina, castaque & munda animi affectione, & Patris ad ipsum attractione.

Origenes. 230.

Homilia 1.in Psalm.36. *Gressus hominis à Deo diriguntur*.) Non sufficit homini volenti istud iter incedere sola propositi sui voluntas, nisi & Dominus gressus eius dirigat. Vides ergo quia Domini semper auxilio indige[illegible], primò ne cadamus, tum deinde etiam si ceciderimus, vt resurgamus.

De principijs lib.3.cap.1. Non suffic[illegible] ad perficiendam salutem sola voluntas humana,ne[illegible] idoneus est mortalis cursus ad consequenda cælestia, & ad capiendam palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu,nisi hæc ipsa voluntas nostra bona, promptumque propositum, & quæcunque illa in nobis esse potest industria,diuino vel iuuetur, vel muniatur auxilio. Et ideo valde conuenienter dicit Apostolus,*quia non volentis, neque currentis: sed miserentis est Dei*. (Rom. 9.) Quemadmodum ac si dicamus de agricultura illud,quod scriptum est: *Ego plantaui, Apollo rigauit,sed Deus incrementum dedit. Ita neque qui plantat est aliquid,neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus*. (1.Cor. 3.) Sicut ergo cùm bonos & vberes fructus ad perfectam maturitatem pertulit seges, nemo piè & conuenienter dicet, quia fructus istos agricola fecit,sed à Deo fatebitur præstitos: ita etiam nostra perfectio non quidem nobis cessantibus, & otiosis efficitur, nec tamen consummatio eius nobis,sed Deo,qui est prima & præcipua causa operis, ascribetur.

Cap. 2. Sola per se humana natura non arbitror quia possit aduersus Angelos, & excelsa, & profunda, & aliam creaturam habere certamen: sed cùm senserit præsentem in se Dominum & inhabitantem, confidentia diuini adiutorij dicet: *Dominus illuminatio mea & Saluator meus, quem timebo?* Psal. 17.

Constantinus Imperator. 320.

Oratione ad Sanctorum cœtum cap. 2. Benignissimus etiam Dei Patris, & Filij eius afflatus mihi adsit ea dicenti, quæ præscripserit ipse, méq; ue iniecerit. Quòd si quis vel artem oratoriam, vel aliam quampiam scientiam aggressus, putet se absque Dei auxilio eius munus satis suis quasi numeris posse explere, tum ipse planè imperitus, tum opus, in quo elaboratur, imperfectum deprehenditur.

Athanasius. 340.

De communi essentia Patris, & Filij & Spiritus sancti: In nouo Testamento itidem de Patre loquitur Paulus: *Deus est, qui operatur in omnibus omnia.* De Filio quoque idem: *Sed omnia in omnibus Christus.* De Spiritu sancto: *Hæc omnia operatur vnus & idem Spiritus.*

1. Cor. 15. Ephes. 1. 1. Cor. 12

In vita Antonij: Nolite quæso virtutis tanquam impossibile nomen pauere, nec peregrinum vobis aut procul positum videatur hoc studium, quod ex nostro Dei gratia præcedente pendet arbitrio, &c. Tenendus est continuus instituti vigor habentibus Deum auxiliatorem, sicut scriptum est, quia omni proponenti bonum Deus cooperatur.

Macarius Ægyptius. 370.

Homil. 17. Quemadmodum si quis vilibus in ductus per visum se locupletem perspexerit, surgens autem è somno rursum se pauperem & nudum videat: sic & qui sermonem spiritualem loquuntur, commodè loqui videntur: verùm si non habeant verborum affectum cum quodam gustu, facultate ac certitudine fidei in mente firmatum, in opinione quadam subsistunt. Aut velut si mulier holosericis & margaritis circumornata prostat in lupanari: sic eiusmodi hominum cor quoddam lupanar est immundorum spirituum. Volunt quidem sermocinari de iustitia, ad quam opere complendam minimè se inclinant. Veruntamen quemadmodum sine aqua piscis viuere non potest, nec ambulare quis sine pedibus, aut absque oculis videre lumen, vel loqui cùm lingua careat, aut audire sine auribus: sic sine Domino Iesu atque efficacia diuinæ virtutis non potest quispiam cognoscere mysteria aut sapientiam Dei, aut esse diues, & Christianus. Nam qui ducuntur & reguntur secundùm interiorem hominem à potentia diuina, ij sunt sapientes, milites fortes, & Philosophi Dei.

Basilius Magnus. 370.

Homilia 22. de Humilitate: Nihil tibi derelictum est, ô homo, de quo gloriari possis, cuius gloriatio & spes in eo sita est, vt omnia tua mortifices, & futuram in Christo vitam quæras, cuius primitias habentes, in his nunc sumus, per vniuersum in gratia ac dono Dei viuentes. Et Deus est, *qui operatur in nobis & velle & efficere pro bona voluntate.* Philip. 2

Homilia, quòd sine diuina virtute & gratia resistere Satanæ, nec nisi relicta Ægypto in terram promissam ac cælestem Hierosolymam pertingere non possit quisquam: Quibus inest diuina lex, ac spiritali spe affecti sunt, exactè sciunt, quàm impossibile sit proprijs viribus offendicula versitu hostis vincere, nisi insuperabilis potentia Dei succurrat. Qui verò verbi Dei honore cumulati non sunt, ij frustra inflati, libero se putent arbitrio peccati occasiones inanire posse, quòd solùm per crucis mysterium cassatur. Liberum enim illud, quod in potestate hominis est, arbitrium, in eo situm est, vt velis, vel nolis resistere diabolo. Non enim vt omninò hoc possis potentiam habes, qua affectionibus carnis domineris. Nisi enim *Dominus custodierit ciuitatem, aut ædificauerit domum, frustra vigilat* custos, & frustra laborat ædificans.

Oratione quomodo baptizetur aliquis baptismate, quod est in Euangelio Domini nostri Iesu Christi: *An ignoratis,* inquit, *quòd quicunque baptizati sumus in Christum, in mortem ipsius baptizati sumus?* Quamobrem? Vt gratia Dei nos præueniente, quæ nostri sunt officij, secundùm fidem per dilectionem operemur & conferamus.

In Psalm. 33. Non in virtute, non in sapientia, sed in Dei gratia est salus.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 1. Dei est gratiam conferre, tuum verò acceptare & custodire. Non ideo spernas gratiam, quòd gratis detur, sed religiosè potius, cùm eam acceperis, custodito.

Ephram. 370.

De timore animi: Succurrite qui timetis Dominum, preces vestras pro me peccatore fundite, vt diuina gratia in anima mea resplendeat, mentemq; tenebris circumfusam illuminet, promptusq; ac dignus efficiar, precibus vestris mediantibus, qui pœnitētiam agam, & veniam merear: & adueniente diuina gratia dulcescat omnis amaritudo mea. Gratiæ enim præsentia simul cum cordis compunctione animi dulcedinem & tranquillitatem adfert. Exhilarant vndæ diuinæ gratiæ, iubarq; sancti Spiritus nostra pectora, faciuntq; vt anima repente omnium rerum terrenarum, cupiditatumque carnalium ac noxiarum obliuiscatur. Fouent igitur vndæ diuinæ gratiæ intellectum simul & animam.

De diuina gratia: Enitere vt diuinam gratiam iugiter in mente tua habeas, ne illudaris. Cole illam vt custodem tuam, ne iniuria affecta relinquat te. Venerare illam vt magistram tuam inuisibilem, vt ne illa absente verseris in tenebris. Sine illa noli certamen inire, ne turpiter intereas. Sine comitatu illius virtutis semitam ne ingrediaris: nam draco rugiens insidias tibi struet. Absque consilio ipsius non tractes quæ ad animam pertinent: multi enim sunt, qui specie recti mentem deprauant, &c.

Gregorius Nazianzenus. 380.

In dictum illud Euangelij: *Cùm consummasset Iesus sermones:* Cùm illud audis: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei,* idem tibi existimandum censeo. Quoniam enim nonnulli sunt, qui ob rectè facta ita animis efferuntur, vt id totum sibi ipsis ascribant, nec quicquam Creatori, & sapientiæ eorum auctori, ac bonorum omnium suppeditatori acceptum ferant, his verbis eos docet Paulus, quòd ipsum etiam rectè velle diuino auxilio indigeat: imò, vt rectius loquar, voluntas quoque ipsa & electio eorum, quæ recta & cum officio coniuncta sunt, diuinum quoddam beneficium est, atque à Dei benignitate manans. Idcirco ait: *Non volentis,* Rom. 9.
id est, non solùm volentis, *nec currentis* solùm, *sed* etiam *miserentis Dei.* Itaque quoniam velle quoque ipsum à Deo est, optimo iure totum Deo assignauit. Quantumlibet curras, quantumlibet certes, opus habes eo, qui det coronam: *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilant qui custodiunt eam.* Psa. 126
Scio, inquit, quòd nec leuium cursus est, nec bellum potentum, nec pugnantium victoria, nec prosperè nauigantium portus: sed Dei est & victoriam adferre, & incolumem scapham in portum perducere.

De virtute humana.

Non tantùm etherei, charißima sit licet illi
Effigies, virtus contingit munere Patris.
(Mens tua cura etiam studiumq; accedat oportet.)
Nec rursum illa tua tantummodò mente paratur:
Maius enim robur, maiorem poscit opemq;.
Quippe nec ipse, licet visu praecellat, ocellus,
Sole tamen dempto, corpus spectabile cernit:
Ille etenim & nostros oculos illustrat, & idem
Post oculis sese infundit, praebetq; tuendum.
Atque Dei, vt virtus homini contingere poßit,
Sunt geminae partes, prima & postrema: necesse at
A nobis vnam est mediamq; accedere binis.
Virtutis namque ille mihi dedit esse capacem,
Et validas idem vires neruosq; ministrat:
Ast ego, vt in stadio, non sanè praepete gressu
Incedo, moueoq; haud vano membra labore,
Dum Christus mihi praestat opem, mihi praestat opesq;:
Qui facit vt cernam, cursu ferar atque secundo.
Quo sine mortales vanißima ludrica cuncti.
Quo cuncti sine vita cadauera putrida noxis.
Nam neque submoto volitantes aethere cernas
Pennigeras volucres, nec demptis fluctibus vnquam
Delphinum aequorea poterant regione natare:
Sic quoque praesidio Christi sine tollere gressum
Haud vnquam mortale genus queat. Ergo cauendũ
Ne tibi plus aequo tribuas, & mente superba
Viribus ipse tuis fidas, quantumlibet in te
Fulgeat insignis sapientia: neve virum quem
Inferiore gradu cernens, attollere cristas
Incipias, tanquam sublimior omnibus.

Marcus Eremita. 400.

Libro de Paradiso: Iubet Deus vt homo cum primis cognoscat: & cùm cognouit, amet, & voluntatem depromat. Vt autem mens exerceatur, laborem perferat, aut opus aliquod perficiat, gratia Domini largitur volenti & credenti. Quare voluntas hominis est, velut auxilium à natura insitum, qua absente ne Deus quidem quippiam operatur, tametsi facultate non careat: quod fit ob arbitrij humani libertatem. Igitur operis perfectio Dei est, voluntas autem hominis.

*Cap.*1. Primum omnium certò scimus Deum totius boni esse auctorem, cùm principium, tum medium, tum finem. Porrò impoßibile esse nos quicquam boni facere aut credere, nisi per Christum Iesum & Spiritum sanctum.

*Cap.*40. Omnis virtutis initium & auctor est Deus, quemadmodum sol quotidiani luminis.

Ioan. 15. *Cap.*41. Quoties aliquid virtutis feceris, fac memor sis eius, qui dixit: *Sine me nihil potestis facere.*

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia de Adam & Eua: His ergo Ecclesiasticis regulis, & diuina sumptis auctoritate documentis, ita adiuuante Domino confirmati sumus, vt omnium bonorum effectuum atque operum, & omnium studiorum omniumq; virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita prouenire: per quem item fit, vt aliquid boni & velle inueniamur, & facere. Quo vtique auxilio Dei & munere non aufertur liberum arbitrium: sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudente fit prouidum. Tanta enim est erga omnes bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quae sunt ipsius dona. Et pro his, quae largitus est, aeterna praemia sit daturus. Agit quippe in nobis, vt quòd vult & velimus, & agamus: nec otiosa in nobis esse patimur, quae exercenda, non negliganda donauit: vt & nos cooperatores gratiae Dei simus, & in his quae in nobis ex nostra viderimus remißione languere, ad illũ sollicitè recurramus, qui sanat omnes languores nostros, & redimet de interitu vitam nostram.

Ex varijs in Matthaeum locis Homilia 23. Omnes homines, antequam peccemus, liberum quidem habemus arbitrium, si volumus sequi voluntatem diaboli, an non. Quòd si semel peccantes, obligauerimus nos operibus eius, iam nostra virtute euadere non possumus: sed si nauis fracto gubernaculo illuc ducitur vbi tempestas voluerit: sic & homo diuinae gratiae auxilio perdito per peccatum, non quod vult agit, sed quod diabolus vult. Et nisi Deus valida manu misericordię suae soluerit illum, vsque ad mortem in peccatorum suorum vinculis permanebit. Ergo nostra quidem negligentia & voluntate alligamur, sed per Dei misericordiam absoluimur.

In 2. Timoth. 3. *Homilia* 8. Hoc solum scito, quòd Deus omnia prouidet: quòd liberi arbitrij conditi sumus: quòd alia quidem operatur, alia verò permittit: quòd nihil mali vult fieri: quòd non ex sola ipsius voluntate omnia fiunt, sed ex nostra quoque: mala omnia ex nostra tantummodò fiunt, bona omnia ex voluntate nostra & ipsius adiutorio.

Palladius. 400.

Historiae sanctorum Patrum cap. 95. *de Stephano lapso:* In multis animis sunt dotes quaedam praecipuae: in alijs quidem bonitas ingenij, in alijs verò aptitudo ad exercitationem: sed quando non fit propter ipsum bonum, & ex diuino scopo, neque actio, neque ingenij bonitas, neque ij, qui dotes habent praecipuas, & bonorum datori Deo ascribentes, sed suo libero arbitrio, ingenio, & sufficientiae: qui tales sunt, relicti à prouidentia, incidunt in facta turpia, turpes perpeßiones, probraqúe & dedecora. Qui enim est inflatus, qui de bonitate ingenij effertur, & Deo non ascribit bonitatem ingenij, neque eam, quae sibi suppeditatur, cognitionem, sed vel suae exercitationi, vel naturae, abducit ab eo Deus Angelum prouidentiae.

Philo Carpathius. 420.

In Cantica: *Terror vel stupor,* &c.) Quid ergo dicemus? Trahamur oportet, praeueniamur à gratia, eaq; semper adiuuemur, idipsum fatemur vtique: sed collaboremus omninò necesse est, ne in illud incidamus, quod de negligentibus & peruicacibus dicitur: *Ex te perditio tua Israel.* Duo igitur ad salutem sunt nobis maximè necessaria, quorum vnum supra nos, alterum nobis inest ex munificentia conditoris. Diuina gratia scilicet nos praeueniens, & liberum de voluntate iudicium: gratia alliciendo incipit, admissa consequitur, bene retenta & fota perficit. Collaborandum est prorsus diuinae gratiae acceptae, nec vlla nostra culpa perdendum, quod gratis infunditur ac datur.

In Cantica: *Pulchra, vt Luna.*) Ecclesia se à Deo solo, non à quauis humana facultate illuminari posse confidit vel sperat. Ipse enim solus est, qui bona omnia sponsae donat: qui gratiam, qui gloriam, qui lunam ipsam virtute perficit, quique humanarum mentium caliginem depellit ac fugat, easdemqúe adeò irradiat ac illustrat, vt non modò sibi lumen ad rectum iter & semitas iustitiae faciendas in nocte mortalitatis nostrae, verùm etiam proximis quibusque salutariter esse poßint.

Ioannes Caßianus. 430.

Collatione 3. *capite* 12. Certos nos esse conuenit,

quòd

quòd omnem virtutem indefessis conatibus exercentes, nequaquam diligentia vel studio nostro perfectionem possimus attingere: nec sufficiat humana sedulitas laborum merito ad tam sublimia beatitudinis præmia peruenire, nisi ea, Domino nobis cooperante, & cor nostrum ad id, quod expedit, dirigente, fuerimus adepti: ideoq; debemus cum Dauid orantes momentis singulis dicere: *Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea*. Et: *Statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos*, vt nostrum arbitrium, quod procliuius vel ignoratione boni, vel oblectatione passionum fertur ad vitia, ille inuisibilis rector mentis humanæ ad virtutum potius studia contorquere dignetur. Quod vno versiculo per Prophetam manifestissimè legimus decantari: *Impulsus, versatus sum, vt caderem*: in quo liberi arbitrij infirmitas designatur: & *Dominus suscepit me*: rursum adiutorium Domini iunctum eidem semper ostenditur, quo iam, ne penitus libero collabamur arbitrio, cùm titubasse nos viderit, porrectione quodammodo manuum suarum sustentat atque confirmat. Et iterum: *Si dicebam, motus est pes meus*; lubrica scilicet arbitrij facultate, *misericordia tua Domine adiuuabit me*. Iterum mobilitate suæ Dei coniungit auxilium: quia ne moueretur pes fidei suæ, non industriæ propriæ fuisse, sed misericordiæ Domini confitetur. Et iterum: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo*, qui libero vtique mihi nascebantur arbitrio, *consolationes tuæ lætificauerunt animam meam*, per tuam scilicet inspirationem venientes in cor meum, & reserantes contemplationem futurorum bonorum, quæ pro tuo nomine laborantibus præparasti, non solùm abstulerunt omnem anxietatem cordis mei, verùm etiam summam lætitiam contulerunt. Et rursum: *Nisi quia Dominus adiuuit me, paulo minus habitauerat in inferno anima mea*. Liberi vtique arbitrij prauitate se in inferno habitaturum fuisse testatur, nisi Domini fuisset adiutorio ac protectione saluatus. A Domino enim, non à libero arbitrio, gressus hominis diriguntur. *Et cùm ceciderit iustus*, libero duntaxat arbitrio, *non collidetur*. Quapropter? *Quia Dominus supponit manum suam*. Hoc est apertissimè dicere: Nullus iustorum sibi sufficit ad obtinendam iustitiam, nisi per momenta singula titubanti ei & corruenti fulcimenta manus suæ supposuerit diuina clementia, ne prostratus intereat penitus, cùm fuerit liberi arbitrij infirmitate collapsus.

Psal. 16. Psal. 39. Psal. 117. Psal. 93. Ibidem. Psal. 36.

Cap. 13. Nec sanè vnquam viri sancti directionem viæ, qua gradiebantur, ad profectum virtutum, consummationemq; tendentes, industria se propria obtinuisse testati sunt: sed eam potius à Domino precabantur, dicens: *Dirige me in veritate tua*. Et: *Dirige in conspectu tuo viam meam*. Alius autem non solùm fide, sed etiam experimento, & quodammodo ipsa rerum natura hoc ipsum se deprehendisse proclamat: *Cognoui Domine, quia non est in homine via eius, nec viri est vt ambulet, & dirigat gressus suos*.

Psal. 24. Psal. 5. Psal. 142. Hier. 10.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Libro 1. de adoratione in spiritu & veritate: Cùm Adam Dei gratiam amisisset, ac bonis illis, quibus ab initio donatus fuerat, esset nudatus, eiecta è paradiso deliciarum, & ad deformitatem è vestigio conuersa est hominum natura, & quòd in interitum ruisset patefactum. Necessariò sanè: Dei namque donorum inopem esse, nihil est opinor aliud, quàm ab omni penitus bono extorrem fieri. Facilè autem hominis natura ad quæuis absurda deferetur, nisi illam Saluatoris gratia in virtute sustineat, ac bonis cælestibus, quorum est ipsa fons, augeat. Alit enim ad spirituales vires accipiendas panis ille viuus, id est, Dei verbum. Scriptum est enim: *Panis confirmat cor hominis*. Seruitute quoque & prauis affectib. s liberat, & aurea libertatis gloria decorat. At si manum quodammodo contraxerit Deus, horumq; bonorum nobis copiam minimè suppeditârit, necesse est omninò, vt in mala etiam præter voluntatem incidamus, atque ab omni prorsus virtute delabamur, ac veluti alterius iugum subeamus, ad eaque mala, eamque iniuriam perueniamus, vt non multum absit, quin ipsam quoque intelligentiam, quæ ad omnia nobis bonorum genera adipiscenda & administra est, & coniuncta, amittamus. Psal. 103.

In Esaiam libro 5. capite 60. Accipit Ecclesia omni tempore volentes credere: nemini prorsus occludit huc festinanti: sed liberum ac licitum est volentibus quolibet tempore nullo impediente ad lucem veritatis adduci. Adducit autem omnes Deus & Pater ad agnitionem Filij, per quem, & in quo, & cum quo glorificatur. Atque hoc ipse nobis significauit dicens: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui me misit, traxerit eum*. Ioan. 16.

Theodoretus. 450.

Quæst. 6. in Deuteronomium: Vincentes suæ fortitudini victoriam non ascribant, sed suppeditanti vires & propugnatori Deo.

In caput 4. prioris ad Corinthios: *Quid habes quod non accepisti?*) De quanam re iactâ & gloriaris? de eloquentia? Sed hanc tibi Deus largitus est. At de scientia & cognitione? Hoc quoque donum Dei est. At de miraculis? Et hæc operatio Spiritus est.

Ioannes Maxentius. 510.

Responsione ad epistolam Hormisdæ: Quia si proprijs bonis, & non Dei auxilio inter aduersantes posset proficere natura humana, nunquam Propheta Spiritu Dei repletus oraret, dicens: *Perfice gressus meos, &c.* Psal. 16.

Augustinus humanum arbitrium ita liberum docet, vt illuminatio, virtus, & salus illi à Christo, & per Christum, & cum Christo sit.

Faustus Gallus Episcopus ita liberum Christianum arbitrium docere conatur, vt illuminatio, virtus, & salus, non à Christo, sed à natura sit. Et vt planum fiat quod dicimus, ille nos Christianos fideles atque obedientes Deo salubriter per gratiam Christi, quam nobis per incarnationis suæ donauit præsentiam, esse definit: iste iuxta profana commenta Pelagij naturaliter esse discernit.

In confessione fidei: Liberum naturale arbitrium ad nihil aliud valere credimus, nisi ad discernenda tantùm, & desideranda carnalia, siue secularia, quæ non apud Deum, sed apud homines fortassis possunt videri gloriosa. Ad ea verò, quæ ad vitam æternam pertinent, nec cogitare, nec velle, nec desiderare, nec proficere posse, nisi per infusionem, & operationem intrinsecus Spiritus sancti, qui est etiam Spiritus Christi, &c. Abominantes etiam eos, qui contra vocem Apostoli audent dicere: *Nostrum est velle*: *Dei autem perficere*: cùm idem Doctor & velle, & efficere donum testetur esse diuinum, ipso dicente: *Deus est qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate*. Rom. 8. Phil. 2.

Isychius. 580.

Libro 2. in Leuiticum capite 7. Quantumcunque homo egerit, & vixerit, cucurrerit, & comprehenderit, siue assecutus fuerit, sine adiutorio Domini salutem adipisci, siue assequi non poterit. Propter quod & Paulus dicit: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, &c.* Rom. 9.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Oratione in Christi Salvatoris Natalitia: Ecquid enim extat vsquam sublimium, cælestiumúe rerum, aut illustrium beneficiorum, quorum thesaurus & fons immensumq; pelagus non est Deus? Neque horum solùm origo & causa est, sed magnificus quoque liberalisq;, si egentes adsunt, eorundem dator.

Maximus. 630.

De Charitate, Centuria 2. capite 38. Superbiæ dæmon duplici malitia infectus est. Aut enim persuadet monacho, vt sibi ipsi egregias virtutis actiones attribuat, & non Deo virtutum largitori, & in omni præclara actione opitulatori. Aut in hac re non obtemperantem, inferiorum fratrum monachorum contemptu impugnat. Sed & sic ille, qui dæmonis vafricie agitatur, ignorat se persuasum Dei auxilium abnegare. Etenim si illos, quasi nequeant aliquid præclarè, quod cum virtute coniunctum est, facere, contempserit, seipsum videlicet tanquam propria potentia omnia rectè facientem inducit. Quod equidem impossibile esse constat, dicente Domino: *Sine me nihil potestis facere.* Quoniam nostra imbecillitas, quæ ad honesta facienda mouetur, sine virtutum largitore ad finem peruenire haud potest, aut aliquid finem consecuta effectum reddere.

Thalassius. 640.

Hecatontad. 4 capite 46. Dominus noster Iesus Christus omnibus lumen præbuit, sed si sibi inobedientes fuerimus, excæcamus nosipsos.

Ioannes Damascenus 730.

Orthodoxæ fidei libro 2. *cap.* 30. Quin illud quoque sciendum, virtutem quidem naturæ nostræ diuinitus inditam esse, Deumque ipsum omnis boni fontem atque auctorem esse, nec citra ipsius auxilium fieri posse, vt bonum velimus aut faciamus.

De duabus in Christo voluntatibus & actionibus: Quoniam igitur à natura Dei serui sumus, & liberum arbitrium habemus, quod virtutis efficiens est, legem accepimus, vt Dominum nos habere intelligamus, ne in tenebris ambulantes, in fossam incidamus: (*Lucerna* enim, ait Dauid, *pedibus meis lex tua, & lumen semitis meis*: vt non minus boni, quod datum est, quàm Dei, qui dedit semina, simus participes. Ipse enim & rectè agendi nobis potestatem dedit, & nostræ potestatis nos procreauit, vt tum ab ipso, tum à nobis præclaræ actiones oriantur: Omnes enim, qui ea quæ bona sunt volunt & sequuntur, in ijs efficiendis Deus adiuuat.

Elias Cretensis. 780.

In Orationem 19. *Nazianzeni*: Nemo omninò sine diuina gratia aliquid laude dignum consequi potest. Nostrum est promptitudinem afferre, atque optima in animum inducere: at ea exequi diuinæ gratiæ est.

Tarasius Constantinopolitanus. 790.

Epistola ad Episcopos Antiochiæ, Alexandriæ, &c. Non quòd nobis quicquam tribuamus, tanquam sufficere ad hanc rem nostra potestate possemus, sed sufficientia nostra à Deo adimpletur.

Theophylactus. 900.

Ad Matth. cap. 15. Ascende in montem mandatorum, vbi sedet Iesus: & si cæcus fueris, non valens videre per teipsum quod bonum est: & si claudus, videns quidem quod bonum, non valens autem ad hoc peruenire: & si surdus, qui neque alium audias admonentem, neque alium admonere valeas: & si mutilus sis, non valens extendere manum ad eleemosynam: & si alio quodam morbo tenearis, prosternas te ad pedes Iesu, & vestigia vitæ illius attinge, curamque habebis.

Ad Lucæ cap 12. *Quisquis confitebitur in me, confitebitur coram Deo. In me* (dicit Christus) *confitebitur*, hoc est, meo adiutorio adiutus, & mea virtute. *Confitebor* igitur *& ego in illo*, hoc est, sub ipso cooperans. Opus enim & nos habemus Deo duce, sine quo nihil possumus. Et Deus quoque opus habet nobis. Si enim non inuenerit in nobis opera digna neque nos assumet: alioqui personarum acceptor esset. Confiteamur igitur & nos in illo, hoc est, in eius cooperatione, & ipse in nobis, hoc est, intra nos cooperans.

Ad 2. Corinth. 4. cap. Magnitudo, & excellentia virtutis, siue potentiæ, quæ in nobis apparet, Dei est: neque existimemus nos ista agere ex nobis ipsis, verùm omnes, qui vident, Dei dicant hoc totum esse.

Ad 2. cap. de Galat. Nihil in nobis fit quod nolit Christus, sed ille est, qui omnia facit in nobis, & regnans, & dominatum in nos exercens: ac nostra quidem voluntas mortua est, illius autem viuit ac gubernat vitam nostram.

Oecumenius. 1050.

Ad caput 2. ad Philippenses: Meritò Deum ait operari: siquidem ipse est auxiliator noster, ipse qui perficit, & veluti formam addit nostræ & voluntati & operationi, &c. Deus est is, qui agit in vobis vt velitis & efficiatis, hoc est, vt operemini bonum. Itaque vos tantùm oportet piam adferre mentem, & bona velle cum timore ac tremore. Nam vbi id fuerit, consequenter & ipsum velle Deus augebit, ac efficiet vt bona in opus deducantur. Aut quòd Paulus ob multam animi gratitudinem ipsum quoque velle dicit à Deo effici, sicut quando sua egregia facinora dona appellat: non liberum tollens arbitrium. Absit: sed vehementer gratus, omniaque in Deum referens, vt nos etiam pro his, quæ operamur, Deo gratias agamus.

Nicolaus Cabasilas. 1280.

In Expositione Liturgiæ capite 36. Nemo ex se habet sanctificationem, nec est humanę virtutis opus, sed ex illo omnes, & per illum.

Manuel Paleologus. 1400.

In præceptis educationis Regiæ cap. 10. Deus vitam suppeditat, omnemq; animum ad bonum mouet. Nam *in ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Item ipse est, qui efficit in nobis, vt & velimus, & vt præstemus pro sua in nos propensione, quemadmodum D. Paulus ait.

Capite 13. Pulcherrimum est rem maximam feliciter efficientem Deo præclarum facianus acceptum ferre, sine quo nihil boni fieri potest.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Cyprianus. 250.

Lib. 3. ad Quirinum cap. 4. In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. In Euangelio 3. cap. Ioannem: *Nemo potest quicquam accipere, nisi datum illi fuerit de cælo.* Item in epistola Pauli ad Corinth. 1. *Quid habes quod non acceperis? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* &c. Ioan. 3.

Epist. 2. In proprias laudes odiosa iactatio est: quamuis non iactatum possit esse, sed gratum quicquid non virtuti hominis ascribitur, sed de Dei munere prædicatur: vt iam non peccare, esse cœperit fidei: quod ante peccatum est, fuerit erroris humani. Dei est, inquam, Dei omne quod possumus: inde viuimus, inde pollemus, inde sumpto & concepto vigore, hîc adhuc positi futurorum indicia prænoscimus. Sit tantùm timor innocentiæ custos, vt Dominus, qui in mentes nostras indulgentiæ cælestis allapsu clementer influxit, in animi oblectantis hospitio iusta operatione teneatur: ne accepta securitas indulgentiam pariat, & vetus denuò hostis obrepat. Libro 2. epist. 2.

Epist. 77. Ipsius esse quòd vincimus, & quòd ad maximi certaminis palmam, subacto aduersario, peruenimus, declarat, & docet Dominus in Euangelio suo dicens: *Cùm autem vos tradiderint, nolite cogitare, quo modo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: Non enim vos estis qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Libro 3. epist. 21. Matt. 10

Arnobius Rhetor. 300.

Libro 2. contra Gentes: Vos vestrarum animarum salutem in ipsis vobis reponitis, fieriqúe vos Deos vestro fiditis intestinoqúe conatu: at verò nos nobis nihil de nostra infirmitate promittimus, naturam intuentes nostram virium esse nullarum, & ab suis affectibus in omni rerum contentione superari. Vos, cùm primùm soluti membrorum abieritis, enodes alas vobis adfuturas putatis, quibus ad cælum pergere, atque sidera volare possitis: nos tantam reformidamus audaciam, nec in nostra ducimus esse potestate positum, res superas petere.

Lactantius. 320.

Lib. 1. Institut. cap. 11. Deus verus est Pater, per quem sumus, & cuius toti sumus, à quo fingimur, animamur, illuminamur: qui nobis vitam impertit, salutem tribuit, victum multiplicem subministrat.

Hilarius. 350.

In Psalm. 118. Scit enim Dauid imbecillem sibi esse naturam, neque se posse hanc semitam sine duce aggredi: Dux enim est cùm dicitur: *Retro post eum ambulabis, quoniam ipse te deducet.*

In Psalm. 123. Quis relictus est nobis gloriandi locus, recordantibus omnia ex Deo esse? Si non in omnibus opus est misericordia Dei, etiam omnia nobis, tamquam ex nostro sint, vendicemus.

Ambrosius. 370.

De fuga seculi cap. 1. Frequens nobis est, de fugiendo seculo isto sermo, atque vtinam quàm facilis sermo, tam cautus & solicitus esset effectus: sed quod peius est, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offusio mentem occupat, vt quod studeas vitare, hoc cogites animoqúe voluas: quod cauere difficile est homini, exuere autem impossibile. Denique voti eam magis esse rem quàm affectus, testatur Propheta dicendo: *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam.* Non enim in potestate nostra est cor nostrum: sed nostræ cogitationes, quæ improuiso offusæ mentem animumqúe confundunt, atque aliò trahunt, quàm tu proposueris, ad secularia reuocant, mundana inserunt, voluptuaria ingerunt, illecebrosa intexunt. Vnde ipso in tempore, quo eleuare mentem paramus, insertis inanibus cogitationibus, ad terrena plerumque deijcimur. Quis autem tam beatus, qui in corde suo semper ascendat? Sed hoc sine auxilio diuino quomodo fieri potest? Nullo profectò modo. Psal. 118 Rom. 7.

Ad cap. 3. Lucæ: Homo non potest viam adoriri, nisi Dominum habeat præuiantem, &c. Vides vtique, quia vbique Domini virtus studijs cooperatur humanis, vt nemo possit ædificare sine Domino, nemo quicquam incipere sine Domino. Et ideo iuxta Apostolum: *Siue manducatis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia in Dei gloriam facite.*

Ad caput 7. ad Romanos: Venditi estis peccatis vestris: Adam enim se vendidit prior, ac per hoc omne genus eius subiectum est peccato. Quamobrem, inquit, infirmum esse hominem ad præcepta Legis seruanda, nisi diuinis muniatur auxilijs.

Hieronymus. 390.

Aduersus Pelagium ad Ctesiphontem libro 1. capite 3. Asserunt Pelagiani, se per arbitrij libertatem nequaquam vltra necessariũ habere Deum, & ignorant scriptum: *Quid habes, quod non accepisti? Si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Magnas agit Deo gratias, qui per libertatem arbitrij rebellis in Deum est: quam nos libenter amplectimur, ita duntaxat, vt agamus semper gratias largitori: sciamusqúe nos nihil esse, nisi quod donauit, in nobis ipse seruauerit, dicente Apostolo: *Non est volentis, neque currentis; sed miserentis Dei.* Velle & currere meum est: sed ipsum meum, sine Dei semper auxilio non erit meum. Dicit enim idem Apostolus: *Deus est, qui operatur in nobis & velle, & perficere.* Et Saluator in Euangelio: *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor,* semper largitor, semperqúe donator est. Non mihi sufficit, quòd semel donauit, nisi semper donauerit. Peto, vt accipiam: & cùm accepero, rursus peto. Auarus sum ad accipienda beneficia Dei, nec ille deficit in dando, nec ego satior in accipiendo. Quanto plus bibero, tanto plus sitio, &c. Audite quæso, audite sacrilegum (*Pelagium*): Si, inquit, voluero curuare digitum, mouere manum, sedere, stare, ambulare, discurrere, sputa iacere, duobus digitis narium purgamenta decutere, releuare aluum, vrinam digerere: semper mihi auxilium Dei necessarium erit? Audi ingrate, immò sacrilege, Apostolum prædicantem: *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid agitis, omnia in nomine Domini agite.* Et illud Iacobi: *Ecce nunc qui dicitis, hodie aut cras proficiscemur in illam ciuitatem, & faciemus illic annum, vt negotiemur, & lucremur: qui nescitis de crastino. Quæ enim est vita vestra? aura est, siue vapor paululum apparens, deinde dissipatur. pro eo quòd debeatis dicere: Si Dominus voluerit, & vixerimus, faciemus aut hoc, aut illud.* 1. Cor. 4 Rom. 9. Phil. 2. Ioan. 5. 1. Cor. 10 Iacob. 4

Cap. 4. Non ex eo differimus à brutis animalibus, quòd liberi arbitrij conditi sumus: sed ipsum liberum arbitrium Dei nititur auxilio, illiusqúe per singula ope indiget. Quod vos non vultis, sed id vultis, vt, qui semel habet liberum arbitrium, Deo adiutore non egeat. Liberum arbitrium dat

liberam voluntatem, & non statim ex libero arbitrio homo facit, sed Domini auxilio, qui nullius ope indiget.

Epistola 139. ad Cyprianum: Homo à principio conditionis suæ Deo vtitur adiutore: & cùm illius sit gratiæ, quòd creatus est: illiusque misericordiæ, quòd subsistit, & viuit, nihil boni operis agere potest absque eo, qui ita concessit liberum arbitrium, vt suam per singula opera gratiam non negaret: ne libertas arbitrij redundaret ad iniuriam conditoris, & ad eius contumaciam: qui ideo liber conditus est, vt absque Deo nihil se esse nouerit.

Augustinus. 400.

Epistola 89. quæst. 1. ad Hilarium: Illud verò quod dicunt, sufficere homini liberum arbitrium ad Dominica præcepta implenda, etiamsi Dei gratia & Spiritus sancti dono ad opera bona non adiuuetur, omninò anathematizandum est, & omnibus execrationibus detestandum. Qui enim hoc asserunt, à gratia Dei penitus alieni sunt: qui ignorantes Dei iustitiam, sicut de Iudæis dicit Apostolus, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti: plenitudo quippe legis non est nisi charitas. Et vtique *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*, non per nos ipsos, nec viribus propriæ voluntatis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Valet itaque liberum arbitrium ad opera bona, si diuinitus adiuuetur, quod fit humiliter petendo & faciendo, &c. Non de suis viribus præsumat ægrotus, quia in multitudine virtutis suæ non erit saluus: nam si inde præsumit, videat ne vires istæ non sint, quales esse solent sanorum, sed quales esse solent phreneticorum, qui cum sint insani adeò se sanos putant, vt nec medicum quærant, & tanquam importunum insuper cædant: sicut isti Christum insana superbia quodammodo cædunt, cuius gratiæ tam benignum adiutorium ad faciendam iustitiam, dato legis præcepto, necessarium non esse contendunt. Desinant ergo sic insanire, & ad hoc se intelligant habere quantum possunt liberum arbitrium, non vt superba voluntate respuant adiutorium, sed vt pia voluntate inuocent Dominum. Hæc enim voluntas libera tanto erit liberior, quanto sanior: tanto autem sanior, quanto diuinæ misericordiæ gratiæque subiectior.

Rom. 10 · Rom. 13. · Rom. 5.

Epistol. 105. ad Sixtum Presbyterum: Quod est ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cùm omne meritum nostrum non in nobis faciat nisi gratia, & cùm Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet, quàm munera sua?

Epistola 107. ad Vitalem: Si verè volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus vnde fit liberum. Nam qui oppugnat gratiam, qua nostrum ad declinandum à malo, & faciendum bonum liberatur arbitrium, ipse arbitrium suum adhuc vult esse captiuum.

Epistola 200. Pelagiani cùm profiteantur se esse Christianos, ipsi gratiæ Christi sic aduersantur, vt se humanis viribus diuina existiment implere mandata: & sic etiam ipsi ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti, & non quidem nomine, sed tamen errore Iudaizant. Hoc genus hominum capita sibi inuenerat Pelagium & Cælestium, impietatis huius assertores acerrimos, qui recenti iudicio Dei, per diligentes & fideles seruos eius, etiam Catholica communione priuati sunt, & propter cor impœnitens adhuc in sua damnatione persistunt.

Concilium Carthaginense. 410.

Epistola ad Innocentium Primum, de Pelagio & Celestio. Id agunt isti damnabilibus disputationibus suis, vt non defendendo, sed potius in sacrilegam superbiam extollendo liberum arbitrium, nullum relinquant locum gratiæ Dei, qua Christiani sumus, qua & ipsum nostræ voluntatis arbitrium verè fit liberum, dum à carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur, dicente Domino: *Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis:* quod auxilium fides impetrat, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Isti autem asserunt (sicut à fratribus, qui eorum libros legerunt, cognouimus) in eo Dei gratiam deputandam, quòd talem hominis instituit creauitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei possit implere, siue naturaliter in corde conscriptam, siue in literis datam. Eandem quoque legem ad gratiam pertinere, quòd illam Deus in adiutorium hominibus dedit. Illam verò gratiam, qua Christiani sumus, cuius Apostolus prædicator est (Rom. 7. &c.) nolunt cognoscere omnino, sed nec apertè quidem oppugnare audent. Sed quid aliud agunt, cùm hominibus animalibus, non percipientibus quæ sunt Spiritus Dei, persuadere non cessant, ad operandam perficiendamque iustitiam, & Dei mandata complenda, solam sibi humanam sufficere posse naturam? non attendentes quod scriptum est: *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Et: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei,* &c.

In fine epistolæ · *Augustini 90.* · Ioan. 8. · Rom. 8. · Rom. 9.

Concilium Milevitanum. 410.

Epistola ad Innocentium Primum: Noua hæresis & nimium perniciosa tentat surgere inimicorum gratiæ Christi, qui nobis Dominicam etiam orationem impijs disputationibus conantur auferre. Cùm enim Dominus docuerit, vt dicamus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* isti dicunt posse hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem iustitiæ, sine adiutorio gratiæ Saluatoris, per solum liberum voluntatis arbitrium peruenire, vt ei iam non sit necessarium dicere: *Dimitte nobis debita nostra.* Illud verò, quod sequitur: *Ne nos inferas in tentationem,* non ita intelligendum, tamquam diuinum adiutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, sed hoc in nostra positum esse potestate, & ad hoc implendum solam sufficere hominis voluntatem, tamquam frustra Apostolus dixerit: *Non volentis, neque currentis: sed miserentis est Dei,* &c.

Est apud Augustini epist. 92. · Matt. 6. · Rom. 9.

Innocentius Primus. 410.

Epist. 31. quæ est ad Concilium Carthaginense: Quid tam iniquum esse potest, tam barbarum, tam totius religionis ignarum, tam Christianis mentibus inimicum, quàm Deo te negare debere, quicquid in quotidiana gratia consequeris, cui te ipse confiteris debere, quòd natus es? Ergo eris tibi in prouidendo præstantior, quam potest is esse, qui te, vt esses, effecit? & cum te putes ei debere, quòd viuis, quomodo te non putas illi debere, quòd (quotidianam eius consequendo gratiam) taliter viuis? Et qui nos adiutorio negas indigere diuino, quasi ex nostra in totum possibilitate perfectos, quomodo non adiutorium in nos, cum tales à nobis etiam esse possumus, prouocamus? Qui enim adiutorium Dei negat, vellem interrogare, quid dicat: Nos non mereri, an illum hoc non posse præstare, an nihil esse, propter quod vnusquisque hoc debeat postulare? Posse hoc Deum opera ista testantur, & adiutorio quotidiano nos egere, negare non possumus. Hoc enim, seu bene viuimus, precamur, vt melius sanctiusque viuamus: seu prauè sentientes, à bonis auertimur, vt ad rectam redeamus viam, eius auxilio plus egemus. Nam quid tam mortiferum, tam præceps videatur ad casum, tam expositum ad omnia pericula, si hoc solùm nobis putantes posse sufficere, quòd liberum arbitrium (cùm

nasce-

nasceremur) accepimus, vltra iam à Domino nihil quæramus: id est, auctoris nostri obliti, eius potentiam, vt nos ostendamus liberos, abiuremus: quasi iam amplius, quod dare possit, non habeat, qui te in tuo ortu liberum fecit, nescientes, quòd nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrenæ labis, & mundani corporis vincere conemur errores, cùm pares nos ad resistendum, non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium. Nam si ille clamat adiutorio sibi opus esse diuino, qui dignè hoc non quæreret, si cui liberum arbitrium plus prodesset: quippe cùm vir beatus, & iam electus à Domino, nihil egeret: tamen ita Deum deprecatur, postu-
Psal. 26. lans: *Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus:* nos nobis liberum arbitrium, ille Deum postulat adiutorem: quòd nati sumus, posse sufficere nobis, dicimus: ille Deum, ne derelinquatur, exorat, &c. Quisquis ergo huic assentiens videtur esse sententiæ, quo dicat, adiutorio nobis non opus esse diuino, inimicum se Catholicæ fidei, & Dei beneficijs profitetur ingratum. Nec nostra communione sunt digni, quam prædicando taliter polluerunt.

Epistola 92. quæ est ad Concilium Mileuitanum: Nouæ hæreseos fugiantur auctores. Quid enim acerbius in Dominum fingere potuerunt, quàm cùm adiutoria diuina cessarent, causamqúe quotidianæ precationis auferrent? Hoc est dicere: Quid mi-
Psal. 51. hi opus Deo? Meritò in hos dicat Hymnidicus: *Ecce homines, qui non posuerunt Deum adiutorem sibi.* Negantes ergo auxilium Dei, inquiunt, hominem sibi posse sufficere, nec gratia hunc egere diuina, qua priuatus, necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia vitę perficienda mandata, sola tantummodò libertate contendat. O prauissimarum mentium peruersa doctrina, aduerte tandem, quòd primum hominem ita libertas ipsa decepit, vt dum indulgentiùs frenis eius vtitur, in præuaricationem præsumptione concideret. Neque ex hac potuit erui, nisi prouidentia ei regenerationis statum pristinæ libertatis Christi Domini reformasset aduentus. Audiat Dauid di-
Psal. 123 centem: *Adiutorium nostrum in nomine Domini.* Et:
Psal. 26. *Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.* Quæ in cassum dixerit, si tantùm in eius erat positum voluntate, quod à Domino flebili sermone poscebat. Quę cùm ita sint, cumqúe in omnibus diuinis paginis voluntati liberæ non nisi adiutorium Dei legamus esse nectendum, eamqúe nihil posse cęlestibus præsidijs destitutam: quonam modo huic soli possibilitatem hanc pertinaciter defendentes, sibimet, immò (quod est dignius dolore communi) plurimis Pelagius Cælestiusqúe persuadent? &c. Dei gratiam conantur auferre, quam necesse est, etiam restituta nobis status pristini libertate, quæramus: quippe qui nec alias diaboli machinas, nisi eadem iuuante, possumus vitare.

Concilium Africanum. 420.

Cap. 80. Placuit, vt quicunque dixerit, ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quòd facere per liberum arbitrium iubemur, facilius possimus implere per gratiam, tanquam, etiamsi gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illa implere diuina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, vbi non ait: Sine me difficilius potestis
Ioan. 15. facere, sed ait: *Sine me nihil potestis facere.*

Cælestinus. 430.

Epistola 8. ad Episcopos Galliæ cap. 4. In præuaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruinę per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit, pronuntiante beatæ memoriæ Innocentio Papa, atque dicente in epistola ad Carthaginense Concilium: Liberum enim arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultius vtitur bonis, cadens, in præuaricationis profunda demersus est: & nihil, quemadmodum exinde resurgere posset, inuenit: suaqúe in æternum libertate deceptus, huic ruinæ subiacuisset oppressus, nisi eum postea Christi per suam gratiam releuasset aduentus, qui per nouæ regenerationis purificationem præteritum omne vitium sui baptismatis lauacro purgauit.

Cap. 5. Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui illi donet, qui solus est bonus.

Cap. 6. Neminem etiam baptismatis gratia renouatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad euincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit, eiusdem Antistitis doctrina confirmat.

Arnobius Iunior. 440.

De Deo trino & vno: Hoc totum misericordiæ Dei applicandum est. Nihil enim nostris nisibus possumus, sed totum de Dei gratia & misericordia quod quærimus inuenimus, &c. Quomodo potes adiutorium Dei & adminiculum postulare, nisi te non posse sine eius adiutorio bonum implere credas quod cupias, & malum declinare quod fugias?

Concilium Secundum Arausicanum. 444.

Cap. 9. *De adiutorio Dei:* Diuini est muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & iniustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, vt operemur operatur.

Cap. 10. Adiutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, vt ad finem bonum peruenire, vel in bono possint opere perdurare.

Cap. 13. Arbitrium voluntatis, in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi, non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Vnde ipsa veritas dicit: *Si Filius vos liberauerit, tunc verè liberi eritis.* Ioan. 8.

Cap. 14. Nullus miser de quacunque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordiæ præuenitur, sicut dicit Psalmista: *Citò anticipet nos misericordia* Psal. 78.
tua Domine. Et illud: *Deus meus, misericordia eius præ-* Psal. 58.
ueniet me.

Cap. 18. Debetur merces de bonis operibus, si fiant: sed gratia, quę non debetur, pręcedit, vt fiant.

Cap. 19. Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adiuuante, seruaret. Vnde cùm sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine gratia Dei poterit reparare quod perdidit?

Cap. 20. Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet, vt faciat homo.

Prosper. 460.

Libro de ingratis cap. 14.

At si dimota certandi nube, serenis
Quæ sunt vera oculis mecum intueare modestè,
Et vetera exemplis manifestis plena videbis
Secula, & in nostro cognosces tempore multa,
Quæ doceant, virtute Dei conuersa malorum
Corda, quibus recti nihil vnquam insederat, & quæ
Nullum iustitiæ signum sensumve gerebant.
Namque vt nunc sæuas gentes & barbara regna
Ignota prius aut spreta noua gratia Christi
Attrahit, & terra templum sibi condit in omni:

Sic prius immites populos, vrbesque rebelles,
Vincente obstantes animos pietate, subegit.
Non hoc consilio tantùm hortatuque benigno
Suadens atque docens, quasi normam legis haberet
Gratia: sed mundans intus mẽtem atque reformans,
Vasque nouum ex fracto fingens, virtute creandi.
Non istud monitus legis, non verba Prophetæ,
Non præstat à sibi præstat natura: sed vnus
Quod fecit reficit. Percurrat Apostolus orbem,
Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet,
Quaque viam verbo reseratam inuenerit, intret:
Vt tamen his studijs auditor promoueatur,
Non doctor, neque discipulus, sed gratia sola
Efficit: inque graues adolet plantaria fructus.
Hæc semen fidei radicem affigere menti,
Eque sinu cordis validum iubet edere germen.
Hæc maturandam segetem seruatque, fouetque,
Ne lolium, & tribuli, & vana dominentur auena,
Ne ventus frangat, torrens trahat, æstus adurat.

Capite 45.

Libertate agimus: sed libertate redempta,
Cui Deus est rector, summoque ex lumine lumen,
Vita, salus, virtus, sapientia, gratia Christi est,
Qua currit, gaudet, tolerat, cauet, eligit, instat,
Credit, sperat, amat, mundatur, iustificatur.
Si quid enim recti gerimus, Domine auxiliante
Te gerimus, tu corda moues: tu vota petentis,
Quæ dare vis, tribuis: seruans largita, creansque
De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.

De gratia & libero arbitrio epistola ad Ruffinum: Quę omnia cùm sint incommutabilia, & nequeant vlla interpretatione in sensum alium detorqueri, quis ambigat tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cùm in illo gratia Dei affectum credendi obediendique generauit? Alioquin sufficere moneri hominem, non etiam in ipso nouam fieri voluntatem, sicut scriptum est: *Præparatur voluntas à Domino.* Et sicut ait Apostolus:
Prou. 8. lus: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & per-*
Phil. 2. *ficere pro bona voluntate.* Pro qua bona voluntate, nisi quam in ipsis operatus est Deus? vt quod donauerat velle, donaret & facere, &c. Agnoscat se humana debilitas, & in primo homine vniuersarum generationum damnata successio: & cùm mortui viuificantur, cùm cæci illuminantur, cùm impij iustificantur, confiteantur vitam, & lumen, & iustitiam suam Iesum Christum. Et qui gloriatur, in Domino glorietur, non in se. Qui cùm esset impius, & cæcus, & mortuus, à liberatore suo gratis accipit & iustitiam, & lumen, & vitam. Non enim iustè agebat, & aucta est iustitia eius: nec ad Deum gradiebatur, & confirmatus est cursus eius: nec diligebat Deum, & inflammata est charitas eius.

De vocatione Gentium lib. 1. cap. 6. al. 2. Humana natura, in primi hominis præuaricatione vitiata, etiam inter beneficia, inter præcepta & auxilia Dei, semper in deteriorem est procliuior voluntatem, cui committi, non est aliud quàm dimitti. Hæc itaque voluntas vaga, incerta, instabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, curis anxia, suspicionibus inquieta, gloriæ quàm virtutum auidior, famæ quàm conscientiæ diligentior, & per omnem sui experientiam miserior, fruendo his, quæ concupiuerit, quàm carendo: nihil in suis habet viribus, nisi periculi facilitatem: quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni.

Cap. 24. al. 9. Ex Deo itaque esse, vt homo viam Dei eligat, & vt surgat à lapsu, Psalmus Dauidicus
Psal. 36. canit, dicens: *A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet: cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* Item idem quòd duce
Deo veniatur ad Deum: *Emitte lucem tuam & veri-* Psal. 41
tatem tuam: ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Item quòd in Domino sit hominis fortitudo, & Dei vo-
luntas pręueniat liberandum: *Fortitudinem, inquit,* Psal. 58
meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus: Deus meus voluntas eius præueniet me.

Gennadius Massiliensis. 470.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 22. Firmissimè credendum est, in præuaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidisse: & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit. Liberum enim arbitrium ille perpessus, dum suis inconsultius vtitur bonis, cadens in præuaricationis profunda demersus est. Et nihil, quemadmodùm exinde posset surgere, inuenit, suaque in æternum libertate deceptus, huius ruina latuisset oppressus, nisi eum post Christi pro sua gratia releuasset aduentus, qui per nouæ regenerationis purificationem omne præteritum vitium sui Baptismatis lauacro purgauit.

Cap. 27. Ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operatur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit: quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.

Salonius. 480.

In Prouerbia Salomonis Sancti & electi viri opera sunt Domini: quia nemo sua virtute, nemo suo merito electus est à Domino, vt cælesti ædificationi esset aptus: sed sola gratia & misericordia ipsius.

In Ecclesiasten: Per Deum vt talia facerent, & omne bonum suum acceperunt.

Gelasius. 490.

Epistola 5. Solus Christus venit quærere & seruare quod perierat, vt libertas, quæ per temerariam fuerat deiecta superbiam, instauretur reparata per gratiam, mutuaque vice humanæ voluntatis arbitrium, sicut sequendo diabolum captiuitatem meruerat sempiternam, sic reformatæ subsequendo libertatis auctorem, amissum rediret ad præmium. Nonne ipse vas electionis Pau-
lus affirmat, & dicit: *Deus est, qui operatur in vobis* Phil. 2.
& velle & perficere pro bona voluntate: ne etiam in mala voluntate, & velle & perficere Deus putaretur operari? Illud etiam Pelagianorum peculiare virus est, olimque detritum, quo putant gratiam Dei secundùm merita hominum posse conferri, quod absit à mentibus Christianis, cùm testetur
Apostolus: *Gratia est quæ gratis datur.* Alioqui si Rom. 11.
ex operibus, gratia iam non est gratia; quia merces redditur, non gratis, vnde gratia nomen accepit, impenditur. Quis autem audeat dicere Christianus aliquid habere boni sine gratia? Quando magister gentium clamat, cuncta breuiter in his dona concludens: *Gratia Dei sum id quod sum, &*
gratia Dei in me vacua non fuit, vt ostenderet, quia 1. Cor. 15
donum gratiæ non ipse præcesserit, sed fuerit subsecutus, atque monstraret cooperatorem se esse gratiæ subsequendo: *sed plus omnibus,* inquit, *laboraui.* Ac rursum veritus, ne de suo præsumere videretur, adiunxit: *Non ego, sed gratia Dei mecum:* Non dixit: *Ego, & gratia Dei mecum,* sed præposuit gratiam præcedentem, se autem subiungit. Quid autem haberi possit sine gratia, cùm sit fides ipsa per gratiam?

Fulgentius. 500.

Libro 1. ad Monimum cap. 9. Vnde cognoscimus Dei esse, & vt bonum facere velimus, & vt bonum

facere valeamus. Cui sensui Dauid omnino concordat, gratiam bene volendi sic ostendens diuinæ largitatis directione donari. *A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet.* Opus quoque bonum non nisi à Deo in nobis, & in Deo à nobis fieri protestatur, dicens: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Et alio loco: *In Deo faciemus virtutem,* id est, opus virtutis, &c. Omne igitur opus, quod à nobis in Deo fit, Deus in nobis facit. *Ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Ex ipso ergo est & voluntas bona, & operatio bona.

Psal. 36. Psal. 67. Psal. 59. Rom. 11.

Cap. 11. Gratia est & illa iusta retributio, qua bonis suis meliora retribuens, Deus glorificaturus est iustos. Et hoc enim gratiæ opus erit: quia vt hoc mereantur ipsa præueniendo misericorditer incipit: ipsa subsequendo custodit, &c. Præuenit igitur impium, vt iustus fiat: subsequitur iustum, ne fiat impius. Præuenit cæcum, vt lumen, quod non inuenit, donet: subsequitur videntem, vt lumen, quod contulit, seruet. Præuenit elisum, vt surgat: subsequitur eleuatum, ne cadat. Præuenit donans homini bonam voluntatem: subsequitur beneuolentem, operando in illo boni operis facultatem. Hoc igitur ista misericordia Dei in homine subsequitur, quod præueniens ipsa largitur. Et ideo non solùm errantem iustificando ad viam reuocat, sed etiam bene ambulantem custodit & adiuuat, vt ad donum glorificationis æternæ perducat.

De gratia Iesu Christi, cap. 20 Beatus Paulus humanæ comprimens præsumptionis audaciam, dicit: *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis?* Cum quo nos oportet humiliter salubriterq; cognoscere, pariter & fateri, gratia Dei nos esse, quod sumus, si tamen aliquid sumus. Qua gratia humanum non aufertur, sed sanatur, non adimitur, sed corrigitur, non remouetur, sed illuminatur, non euacuatur, sed adiuuatur & seruatur arbitrium, vt in quo infirmitatem habuit homo, in eo habere incipiat sanitatem.

1. Cor. 4

De fide ad Petrum cap. 32. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, posse quidem hominem, quem nec ignorantia literarum, nec aliqua prohibet imbecillitas, vel aduersitas, verba sanctæ Legis & Euangelij, siue legere, siue ex ore cuiusque prædicatoris audire: sed diuinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratia sua præuenerit: vt quod audit corpore, corde etiam percipiat, & accepta diuinitus bona voluntate, atque virtute, mandata Dei facere & velit & possit.

Epistola 4. ad Probam de oratione cap. 3. Nec quisquam hominum siue ad cogitandum, siue ad operandum quodcunque bonum, potest esse idoneus, nisi fuerit munere gratuito diuinæ opitulationis adiutus. Deus est enim, *qui operatur in suis & velle & perficere, pro bona voluntate,* sicut vas electionis affirmat. Quo etiam docente cognouimus: *Quia non sumus idonei cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ille igitur nobis omnem boni sufficientiam subministrat, cuius non minuitur plenitudo cùm donat: qui nobis omne bonum benignè largitur, vt habeamus, & in se ipso sine diminutione permanet plenus, quod nec Angelica potest, nec humana præstare natura.

Phili. 2. 2. Cor. 3

Epistola 6. cap. 6. Quoniam Domino in te misericorditer operante iam didicisti in abundantia diuitiarum tuarum non gloriari, hoc superest, vt non confidas in virtute tua, id est, ne deputes viribus tuis, quòd seculi facultates diuitiasq; contemnis, quòd honores mundi pro nihilo ducis, quòd desiderio regni cælestis accenderis, quòd viam mandatorum Dei currere delectaris. Hæc enim omnia nullatenus haberes, nisi à Deo munere gratuitæ donationis acciperes. Non hoc homini dat natura, sed gratia: non hoc ex qualitate conditionis humanæ habetur, sed ex benignitate diuinæ illuminationis acquiritur.

Cap. 7. Huius gratiæ adiutorium semper est nobis à Deo poscendum: sed ne ipsum, quod poscimus nostris viribus assignemus: neque enim haberi potest ipse saltem orationis affectus, nisi diuinitus fuerit attributus. Vt ergo desideremus adiutorium gratiæ, hoc ipsum quoq; opus est gratiæ. Ipsa namque incipit infundi, vt incipiat posci: Ipsa quoque amplius infunditur, cùm poscentibus datur. Quis verò potest gratiam poscere, nisi velit? sed nisi in eo Deus ipsam voluntatem operetur, velle nullatenus poterit.

Primasius. 540.

Ad cap. 7. ad Romanos: Nam vt velle sit, iam voluntas à Deo præparata est: quia ipse est, qui in nobis operatur & velle.

Ad caput 9. Ipsius auxilium implorandum est, qui operatur omnia in omnibus. Debet ergo currere Christianus, & nunquam præsumere de suis viribus: currere debet, & Dei præcepta implere, sed arrogare sibi nihil debet, secundùm illud: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Hoc contra illos, qui de suis meritis ac viribus præsumebant. Vt equus potest currere, sed si non habeat rectorem, infrenis & præceps volitat, & rectum iter non ambulat: ita & nos sine Deo & gratia eius.

Iunilius Africanus. 540.

Lib. 2. de partibus diuinæ Legis cap. 52. Naturalis est in nobis boni maliq; communis discretio, spontaneus autem motus in his, quæ iam discreta & sequenda sunt. Ipsum lex quidem erudit, gratia autem præparat, adiuuat, corroborat, coronat.

Cassiodorus. 550.

In Psal. 3. *Tu autem Domine susceptor meus es.*) Hoc ad Pelagianos pertinet destruendos: qui putant hominem aliquid per se efficere posse, quod bonum est. Nam quis rogo sibi ad bene agendum sine diuinæ gratiæ largitate sufficiat, cùm humana natura per gratiam, quæ vnita est Deo, ad Patris sit dextram collocata?

In Psal. 67. Ipsa est gratia, quæ gratis datur: quia non ipsius bona præueniunt, dum & ipsum quoque bonum velle conceditur.

In Psal. 117. Est quidem in mala parte execrabilis libertas arbitrij, vt præuaricator Creatorem deserat, & ad vitia se nefanda conuertat: in bona verò parte arbitrium liberum Adam peccante perdidimus, ad quod nisi per Christi gratiam redire non possumus, dicente Apostolo: *Deus est, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Vnde assidua oratione precandum est, ne nos voluntas peruersa rapiat: sed inspiratio diuina possideat: quia quicquid ex nobis ipsis sapimus mortifera contra nos audacia concitamus.

Fortunatus. 570.

In expositione Orationis Dominicæ: Hominis voluntas bonum velle non habet, nisi Dominus inspiret iuxta illud: *Deus meus, misericordia eius præueniet me.* Ergo non hominis voluntas præuenit Deum, sed Dei misericordia præuenit hominem non volentem, quando, sicut scriptum est, *Deus est qui iustificat impium:* Item: *Spiritus vbi vult spirat.* Igitur quare non vnusquisque recognoscit tenebras suas, ne illuminatus tanquam lampas, quæ aliunde succenditur, per ventositatem suæ superbiæ extinguatur, & subducto splendore maneat in cæ-

citatis caligine, dum si quis bonum velle habet, sui esse putet arbitrij, & non exinde gratias referat collatori, ne audiat quod dicitur: *Qui autem habet, & quod habet auferetur ab eo*, hoc est, per gratiam præuenitur, nisi Deo illud asscripserit, per superbiam hoc amittit, quando iuxta Scripturam ipsa voluntas à Domino præparatur. Audiamus in hac parte Doctorem, vbi dixit: *Qui loquitur mendacium, de suo loquitur*. Quare non addidit: & qui loquitur veritatem, de suo loquitur, nisi vt hoc exemplo, quando veritatem aliquis loquitur, de Dei gratia, non de suo habuisse hoc bonum specialiter cognoscatur, quando de nostro solum habemus mendacium. Nam cùm ipsa veritas Deus sit, qui loquitur de Deo, vnde in homine mendace causa veritatis sit, nisi ipsa veritas se ministret, hoc est, nisi in hominem ipsam bonam voluntatem Deus veritatis inspiret, qui & velle tribuit, & posse compleuit.

Gregorius Magnus. 590.

Homilia 9. in Ezechielem: Nos præuenit, vt velimus, & volentes subsequitur, ne inaniter velimus.

Lib. 35. cap. 16. in Iob: Fatendum est igitur, quòd rectam quidem intentionem nostram, quæ soli Deo placere appetit, nonnunquam intentio minus recta, quæ de donis Dei placere hominibus quærit, insidiando comitatur. Si autem de his diuinitus districtè discutimur, quis inter ista remanet salutis locus, quando & mala nostra pura mala sunt, & bona, quæ nos habere credimus, pura bona esse nequaquam possunt?

In Psal. 7. Pœnitentialem: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Quasi enim terra sine aqua est anima sine gratia. Sicut enim terra, quæ imbre non perfunditur, non vestitur herbis, non venustatur floribus, non abundat messe: sic anima gratia carens, non operitur virtutibus, non cogitat de cælestibus, non insistit vtilibus. Vitiato namque in primo parente libero arbitrio, iam nec velle quidem bonum possumus, nisi illius gratia adiuuemur, apud quem gressus hominis diriguntur. Scriptum quippe est: *Præparatur voluntas à Domino, &c. Et gratia saluati estis per fidem.* Si ergo per fidem sine gratia Dei nemo habet, quis se facere fructum existimet sine adiutorio illius, qui ait: *Posui vos, vt eatis, & fructus vester maneat?* Quicunque enim plantet, aut riget, incassum vox correptionis exterius perstrepit, nisi ille incrementum dederit, sine quo nihil possumus facere.

Lib. 7. Epist. epist. 55. Quia ad supernorum desiderium anhelare sine diuinæ misericordiæ gratia nullus valet, oramus omnipotentem Dominum, vt hæc vobis & eligendi velle, & posse tribuat obtinendi: quatenus & hic vos in suo viuere timore concedat, & postea in Sanctorum sorte recipiat.

Lib. 5. in cap. 10. primi Regum: Quia humano studio ad diuina peruenire impossibile est, non est nobis confidendum de viribus proprijs, sed de dignatione Spiritus sancti, qui à Redemptore missus repleuit orbem.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Ecclesiasticis officijs libro 2. cap. 23. Profitemur nullum suis viribus, sed per diuinam gratiam capiti Christo subiungi, atque indiruptæ pacis perseuerantia in vnitate Ecclesiæ ipsius solidari, nec humanæ voluntatis arbitrio boni quicquam reputandum existimari, sed secundùm propositum voluntatis Dei omnem numerum electorum acquiri.

Lib. 2. de summo bono cap. 5. Sciant liberi arbitri defensores, nihil posse homines in bonum sua præualere virtute, nisi diuinæ gratiæ sustententur iuuamine.

Eligius. 640.

In Quadragesima de ieiunij laudibus, Homil. 3. Ergo fratres charissimi, quia tantæ gratiæ Dei munera gratis accepimus, dignum, immò verè necessarium est nobis, ne ei ingrati simus, & ne collatam nobis gratiam in aliquo negligamus: vnde & nos admonet idem Apostolus dicens: *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quibus monitis ad omnem mandatorum Dei obedientiam prouocamur, vt quia de causa peccati segregati, & per fidem vocati sumus, remissionemq; peccatorum in Baptismo percepimus, digna fidei opera faciamus, ne fides per gratiam Dei nobis attributa, si fuerit sine operibus, non solùm otiosa, sed etiam mortua iudicetur: ac per hoc gratiam Dei in vacuum, hoc est, inutiliter recepisse videamur. 2. Cor. 6.

Eucherius Gallus. 640.

In lib. 4. Regum, post initium: Non est dubitandum voluntati Dei, qui *in cælo & in terra omnia quæ voluit fecit*, & qui etiam illa, quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quo minus faciat ipse quod vult: quàdoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, & cum vult facit.

Hildephonsus. 670.

Sermone de Purificatione Mariæ: Tropologicè nos quoque omnia primogenita nostra in sacrificio Domini offerimus, cùm quicquid boni per eius gratiam in mente concipimus, non nostris viribus, sed eius gratiæ attribuimus.

Aponius. 700.

Libro 1 in Cantica: Et quoniam ad tantum altitudinis culmen, quod post Deum currendo ascenditur, non sunt vires propriæ voluntatis, clamat: *Trahe me post te.*

Beda. 700.

Libro 2. in Esdram cap. 8. Neque vllum Pelagius in domo Dei habet locum, qui se suosq; persuadebat libertate proprij arbitrij vel liberari à malis, vel confirmari posse à bonis.

Libro 2. in Prouerbia Salomonis cap. 20. Quicunque hominum gressus rectum iter incedunt, non fit hoc libertate humani arbitrij, sed gubernatione illius, cui dicit Esaias: *Omnia enim opera nostra operatus es in nobis.*

In cap. 8. Lucæ: Pelagius, si placet, dicat, se suo conanime saluari: dicamus autem nos: quia vana salus hominis, in Deo faciemus virtutem. Nam & ipse virtutem, quæ propitietur omnibus iniquitatibus nostris, & sanet omnes languores nostros, non ex nobis ipsis, sed de se nouit exire.

In cap. 15. Ne mercenarij quidem statum, nisi paterna dignatione se mereri posse testatur. Vbi ergo sunt Pelagianistæ, qui sua se virtute saluari posse confidunt, contra apertissimam veritatis sententiam, quæ ait: *Sine me nihil potestis facere?*

In cap. 6. Ioannis: Datur à Patre credentibus fides, vt nemo glorietur in fide sua, quæ à se non est, quasi propria, sed à Deo data, quasi gratia.

Alcuinus. 750.

In Psalm. 118. Nisi ab ipso Domino dirigantur viæ nostræ, ad eius custodiendas vias infirmi erimus, propter fragilitatem carnis, &c. Fecisti me cupidum mandatorum tuorum, fac & efficacem: adiuua vt faciam quod commendas, dona ipse quod mandas.

In Psal. 7. Pœnitentialem: Nihil boni in nobis esse potest, nisi tua operante gratia fiat, qui nos fecisti, &c. Spiritus tuus bonus semper est, meus verò semper malus, nisi per tuum efficiatur bonus.

In cap. 9 Ecclesiastis: *Non est volentis, neque curren-*

tis,sed Dei miserentis: quia sine gratia Dei nec voluntas bona erit in homine, neque cursus boni operis sine Deo fieri valet. Et hic locus Pelagianam sectam optimè destruit.

Lib. 2. de Trinitate cap. 8. Ex quo primùm homo libero arbitrio venundatus est sub peccato, ideo mala cœpit esse libertas hominis: quia ipsi libero arbitrio ablata est bonitas voluntatis, quam exinde nemo à seipso habere potuit, nisi gratiæ diuinæ misericordia adiutus habuisset, sine cuius adiutorio liberum arbitrium nec conuerti potest ad Deum, nec proficere in Deum. Vtrumque credere debemus, & gratiam Dei, & liberum hominis arbitrium. Si ergo non est Dei gratia, quomodo saluatur mundus? Et si non est liberum arbitrium, quomodo iudicabitur mundus?

Ambrosius Ansbertus. 760.

Lib. 4. in Apocalypsin: *Salus Deo nostro.*) Quam hîc salutem Deo tribuunt, nisi quam ab ipso vt salui fierent acceperunt, ad auctorem vtique referentes, quicquid ad salutis eorum pertinet qualitatem? Vbi procul dubio Pelagij atque Cælestini dogma euacuari cognoscitur, qui in tantum liberum voluntatis arbitrium defendunt, vt sine gratia Dei posse hominem salutem suam operari confirment. Contra quod Apostolus clamat, ac dicit: *Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex operibus, ne quis glorietur.* Ephes. 2.

Idiota. 800.

De amore diuino cap. 9. Tu Christe est causa efficiens & finalis amoris & dilectionis, vt occasionem habeas glorificandi nos, quia tu occasionem das, tu affectionem creas, tu desiderium confirmas.

Haymo. 820.

Ad cap. 12. prioris ad Corint. *Deus operatur omnia in omnibus.* Quibus verbis tollitur humana arrogantia cùm sine Spiritu sancto nec magna, nec minima bona operari possit nostra fragilitas.

Ad cap. 15. Per liberum arbitrium Paulus cooperatus est gratiæ Dei. Ipsa tamen gratia præuenit eum vt vellet, & subsecuta est vt posset implere quod volebat. Et in hoc, quod voluntatem suam iunxit voluntati Dei, ideo dignus est remuneratione.

Ad cap. 3. posterioris ad Corinth. Non solùm non valemus bonum aliquod perficere sine misericordia Dei præcedente & subsequente, sed nec cogitare. Dei enim gratia nos præuenit, vt velimus, & ipsa nos subsequitur, vt possimus.

Halitgarius Episcopus. 830.

De Pœnitentia lib. 1. cap. 5. De remedio inanis gloriæ: Apostolica sententia in medio est proferenda, quæ dicitur: *Quid enim habes quod non accepisti? & si accepisti, vt quid gloriaris quasi non acceperis?* Huius enim morbi est medicina salubris, recordatio diuinæ bonitatis, per quam omnia bona nobis collata sunt, quæ habere videmur, &c. In cunctis, quæ agimus, necesse est, vt consideratio propriæ infirmitatis deprimat, ne hæc ante occulti arbitri oculos tumor vanæ laudis extinguat.

Rabanus Maurus. 850.

De Vniuerso lib. 4. cap. 10. Non naturæ viribus, sed propositi adiumento per Dei gratiam acquirimus sanctitatem.

Lib. 5. in Hieremiam cap. 9. Vbi sunt ergo, qui dicunt proprio hominem regi arbitrio, & sic datam liberi arbitrij potestatem, vt Dei misericordia tolleretur atque iustitia? Vnde assumens Apostolus hoc testimonium ponit exemplum: *qui gloriatur, in Domino glorietur.* 1. Cor. 10

Concilium Valentinum. 855.

Cap. 6. De gratia, per quam saluantur credentes, & sine qua rationalis creatura nunquam beatè vixit, & de libero arbitrio, per peccatum in primo homine infirmato, sed per Dei gratiam fidelibus eius redintegrato, & sanato, idipsum constantissimè & plena fide fatemur, quod sanctissimi Patres auctoritate sacrarum literarum nobis tenendum reliquerunt: quod Africana, quod Arausicana Synodus professa est, quod beatissimi Pontifices Apostolicæ sedis Catholica fide tenuerunt.

Adelinus Sagiensis. 880.

In vita S. Opportunæ: Quicquid boni in nobis est, ab illo accepimus: quia sine illo nihil boni facere aut cogitare possumus. *In illo namque viuimus, mouemur, & sumus.*

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 890.

Cap. 4. Spiritus sanctus primum operatur voluntatem bonam, deinde operatur per eam. Equidem omne quod bonum potest esse, id est, cogitare, & velle, & perficere pro bona voluntate, attribuendum est Deo, non hominis libero arbitrio. Si ergo Deus tria hæc, hoc est, bonum cogitare, velle, & perficere, operatur in nobis: primum profectò sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam voluntatem, nos præuenit: immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum iungit: ministrando etiam consensui facultatem vel facilitatem, foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit.

Cap. 11. Deus iustus & bonus hominis præparat voluntatem adiuuandam, adiuuans præparatam dat primò, vt homo bene velit, inde vt quod bene vult melius possit.

Radulphus Flaviacensis. 950.

Lib. 5. in Leuit. cap. 1. Scriptum est: *Non potest homo à seipso accipere quicquam, nisi ei datum fuerit de cælo.* Ioan. 3. Sed cùm in omni bono opere misericordia diuina præueniat nos, si quærat homo quid ei retribuat, non inuenit nisi & hoc ipsum à Deo accipiat. Itaque diuina largitas & beneficijs suis nos obligat, & obligatos, ne ingrati remaneamus, eiusdem gratiæ suæ multiplicitate nos adiuuat.

Cap. 3. Cùm aliquid boni agitis, ipsum pietatis affectum, ne transferatis ad vos, vt vobis ascribatis. Deus enim est, qui operatur in vobis & velle, & operari, pro bona voluntate. Phil. 2.

Lib. 19. cap. 8. In omnibus eius misericordia præuenit nos: sed quæ primò datur vt incipiamus, postmodum vt abundemus magis proficientibus multiplicatur. Sic post Christi resurrectionem datus dicitur Spiritus sanctus Apostolis, non vt haberent, quem prius non habuerant, sed vt magis illo abundarent, quem prius acceperant. Et Actor. 2 hic igitur custodientibus diuina præcepta, pluuia promittitur gratiæ spiritualis, cuius quidem iam participes erant, si quæ Deus præcepit faciebant: ipsa tamen obedientia, quam nobis gratia contulit, eiusdem gratiæ nobis incrementum acquirit.

Smaragdus. 970.

In Prologo expositionis Regulæ Benedictinæ: Ille in se Dominum operantem magnificat, qui de bonis suis actibus non sibi, sed Domino tribuit gloriam: operantem enim in se Dominum magnificare debet, qui sine illo nihil boni agere valet. Ergo totum nomini illi tribuit Ecclesia, à quo, & in quo nomine virtutem accipit operandi recta.

Berno Augiensis. 1020.

In Sermone de concord. off. cap. 5. Sine Deo nihil potest nostra mortalis infirmitas, sicut nec Lazari sine eius adiutorio potuit.

Radulphus Ardens. 1060.

Dominic. 11. poſt Trinitatem: Sunt quatuor ſpecies ſuperbiæ: Prima eſt, cùm quis bonum, quod habet, non à Deo, ſed à ſe æſtimat ſe habere: & ita diuinam ſibi arrogando auctoritatem, idololatriam committit. Talis fuit Apoſtata Angelus, qui diuinitatem ſibi voluit arrogare: tales fuerunt gentiles Philoſophi, & multi etiam falſi Chriſtiani, qui de libero arbitrio præſumentes, putant ſe ingenio, viribus, & labore ſuo ea quæ habent conſecutos fuiſſe, dicentes: *Manus noſtra excelſa, & non Deus fecit hæc omnia.* Talis erat Horatius, qui dixit: *Aequum animum ipſe parabo.* Tales erant & illi, de quibus ait
Pſal.11. Dauid: *Labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt?*

Dominica duodecima poſt Trinitatem: Talem in Deum habemus fiduciam, quòd nec etiam cogitandi, necdum loquendi vel faciendi aliquid fiduciam à nobis habemus, ſed à Deo. In quo confundit illos, qui præſumunt de libero arbitrio, vel de ingenio, vel de viribus, vel de diuitijs ſuis, cùm ſcriptum
Pſal. 33. ſit: *Non ſaluatur Rex per multam virtutem, & gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ.*

Villeramus. 1070.

In Cantica Canticorum:

Gratis iuſtificat quos lex punire iubebat,
Hosq; tuis donis dum ſpiritualiter vngis,
Reddunt præclaram poſt turpia crimina famam,
Sponſe tuum nomen olei pradulce liquamen,
Quod ſe dilatat dum largo pectore manat:
Gratia non ſtillat, ſed & ipſa voce redundat:
Chriſticolæ dicti nam ſunt de nomine Chriſti.
Inde places teneris tu dulcis ſponſe puellis.
Scilicet vna ſalus in te ſanctis animabus,
Quas renouat lacrum, veſtit ſtola iuſtitiarum.

Anſelmus. 1080.

Ad cap. 3. poſterioris ad Corinthios: Nihil viribus noſtris aſcribimus. Habemus enim apud Deum mediatore Chriſto magnam fiduciam, ſed non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid boni quod ſit à nobis, ſcilicet à noſtra parte veniens, quaſi ex nobis initium habens, ſed omnis ſufficientia noſtra ad bene cogitandum & agendum ex Deo nobis eſt. Et hinc cognoſcimus, quia nihil ſumus niſi miſericordia & gratia Dei regamur. Attendant hæc verba, qui putant ex nobis eſſe fidei cœptum, & ex Deo eſſe fidei ſupplementum. Quis enim non videat prius eſſe cogitare quam credere? Nullus quippe credit aliquid, niſi prius cogitauerit eſſe credendum. Si ergo non ſufficimus cogitare boni aliquid ex nobis, profectò nec credere ſufficimus, quod ſine cogitatione non poſſumus: ſed ſufficientia noſtra, qua & credere incipiamus, ex Deo eſt. Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quicquid agimus. Quod autem attinet ad pietatis viam, & verum Dei cultum, non ſufficimus vel cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis ipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo. Non enim eſt ex poteſtate noſtra cor noſtrum & cogitationes noſtræ.

Ad cap. 2. ad Philip. Ipſe enim eſt qui operatur in vobis & velle bonum, & perficere illud pro bona ſua voluntate, non pro meritis veſtris. Quando iubet vt operentur, liberum eorum conuenit arbitrium: ſed ideo cum timore ac tremore, ne ſibi tribuendo quod bene operentur, de bonis tanquam ſuis extollantur operibus, &c. Ne ſibi aliquid inde darent, quia dixit operamini, continuò ſubiunxit: *Deus eſt qui operatur in vobis.*

Neque de perſeuerantia boni voluit ipſe Sanctos in viribus ſuis gloriari, ſed in ipſo: quia eis non ſolùm dat adiutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeuerare ſi velint ſed in eis operatur & velle, vt, quia non perſeuerabunt, niſi & poſſint & velint, perſeuerandi eis & poſſibilitas & voluntas diuinę gratiæ largitate donetur. Tantum quippe Spiritu ſancto accenditur voluntas eorum, vt ideo poſſint, quia ſic volunt, & ideo ſic volunt, quia Deus operatur vt velint. Sic operatur Deus in eis velle, & pro bona voluntate, quam operatus fuerit, operatur & perficere.

Hildebertus Cennomanenſis 1100.

Epiſt. 15. Bonum tuum nihil aliud eſt, quàm donum Dei. *Quid enim habes quod non accepiſti?* Et *nos omnes*, ait Euangeliſta, *de plenitudine eius accepimus*, de eius ſcilicet plenitudine, de quo & tu habes, vt ſis, habes, vt bonus ſis: habes & iam, vt melior eſſe poſſis.

Franco Affligenienſis. 1110.

De gratia Dei, Tom. 6. Dauid ſedet coram Domino, humiliatur coram Domino, atque illius gratiæ omnia adſcribit, à quo vniuerſa gratis ſibi collata meminit.

Tom. 12. Tua, ô Chriſte, tua, inquam, omnia operatur gratia, quæ ſic gratis omnibus datur, vt nullius vnquam merito, nullius deſiderio præueniatur: ſed omnes ipſa præueniat, omnibus præſtet vt præueniant, &c. Gratiæ eſt quod elegit, gratię quod poſuit, gratiæ quod fructum contulit, gratiæ quod ad maturitatem vſque perduxit. Quicquid ergo in homine virtutis aut ſtudij ſpiritualis emicat, de hoc fonte pietatis manat.

Honorius Auguſtodunenſis. 1120.

De prædeſtinatione & libero Arbitrio: Quicquid Electi boni operantur, Deus in eis operatur, ſicut ſcriptum eſt: *Deus operatur in nobis velle, & poſſe, pro* Phil.2.
bona voluntate. Si ergo Deus operatur, quæ merces homini imputatur? Et Deus operatur, & electi cooperantur. Deus operatur, electos ſua gratia præueniendo velle, & ſubſequendo, poſſe, cooperantur ipſi per liberum arbitrium conſentiendo bona voluntate. Hęc bona voluntas in eis remuneratur, vt ſcriptum eſt: *Accipimus gratiam pro gratia.* Gratiam accipimus, cùm nos Deus præuenit, vt velimus, & ſubſequitur, vt poſſimus.

Rupertus Tuitienſis. 1120.

Ad caput 15. Ioannis: *Manete in me, & ego in vobis:* Quid enim? Videntur ſibi nimij aſſertores liberi arbitrij non indigere auxiliantis, & miſerantis gratiæ Dei, tanquam volentes & currentes ſua velocitate vitæ ſempiternæ fructum comprehendere poſſint. Sed dicit: *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis.* Ergo præſumptores & ſuperbi palmites mali horrida manu agricolæ iure tollendi eſtis, niſi omnem pulchritudinem, omnemq; fructuum venuſtatem non ex vobis, ſed ex vitis intima radice procedere confeſſi fueritis.

Bernardus. 1130.

Sermone 2. in die Pentecoſtes: Spiritus dabit robur vitæ, vt quod per naturam tibi eſt impoſſibile, per gratiam eius non ſolùm poſſibile, ſed etiam facile fiat, &c. dabit ſcientiæ lumen, vt cùm omnia bene feceris, te ſeruum inutilem putes, & quicquid boni in te inueneris, illi tribuas, è quo omne bonum eſt, ſine quo non parum aliquid, ſed nihil omninò potes incipere, ne perficere dicam. Spiritus iſte ſuper Apoſtolos in igne apparuit, propter lumen pariter & ardorem. Quos enim repleuerit, & Spiritu feruere, & in veritate cognoſcere facit: quia ſola miſericordia eſt, quæ eos & præuenit, & perducit. Multum ſibi de hac miſericordia vndique contradixerat puer Domini, cùm diceret: *Miſericordia eius præueniet me*, Et: *Miſericordia tua ante oculos meos eſt.* Et: *Miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Et: *Qui me coronat in miſericordia, & miſerationibus.* Pſal. 58. Pſal. 25. Pſal. 22. Pſal. 102.

De gratia & libero arbitrio: Duo sunt mihi necessaria, doceri, & iuuari: Tu quidem homo rectè consulis ignorantiæ, sed (si verum sentit Apostolus) *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram*: Imò verò qui mihi per os tuum ministrat consilium, ipse mihi necesse est minister per Spiritum suum adiutorium, quo valeam implere quod consulis. Ecce enim iam ex eius munere *velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio*. Sed nec aliquando me inuenturum confido, nisi *qui dedit velle, det & perficere, pro bona voluntate*. Vbi ergo, ait, sunt merita nostra, aut vbi est spes nostra? Audi, inquam, *non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos: sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit*. Quid enim? Tu fortè putaueras tua te creasse merita, tua posse saluari iustitia, qui nec saltem *Dominum Iesum dicere potes, nisi in Spiritu sancto*? Itane oblitus es quis dixerit: *Sine me nihil potestis facere*?

Rom. 8. Rom. 7. Phil. 2. Tit. 3. 1. Cor. 12. Ioan. 15.

Et post multa: Non equidem quòd vel ipse consensus, in quo omne meritum consistit, ab ipso sit, *cùm nec cogitare* (quod minus est quàm consentire) *aliquid ex nobis sufficientes simus*. Verba sunt non mea, sed Apostoli, qui omne quod boni esse potest, id cogitare, & velle, & perficere, pro bona voluntate, attribuit Deo, non suo arbitrio. Si ergo Deus tria hæc (hoc est bonum cogitare, velle, perficere) operatur in nobis, primum profectò sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. Siquidem immittendo bonam cogitationem nos præuenit, immutando etiam malam voluntatem sibi per consensum iungit, ministrando & consensui facultatem foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit. Sanè ipsi nos præuenire nequaquam possumus. Qui autem bonum neminem inuenit, neminem saluat, quem non præuenit. Adeò ergo sine dubio nostræ fit salutis exordium, nec per nos vtique, nec nobiscum. Verùm consensus & opus etsi non ex nobis, non iam tamen sine nobis.

2. Cor. 3. Phil. 2.

Hugo Victorinus. 1130.

Institutionis Monasticæ de arca morali lib. 4. cap. 3. Qui per liberum arbitrium infirmatus est, sanitatem non recuperat, donec per liberum arbitrium sanari velit. Hoc autem ex nobis non est vt velimus, sed Deus in nobis hoc operatur. Gratia enim Dei præuenit & excitat liberum arbitrium nostrum, vt posit velle sanari: quia per se non potest velle sanari, qui per se potuit velle infirmari. Hoc igitur est, quod nunc in electis agitur, vt videlicet in præsenti vita ad futuram beatitudinem præparentur, vt homo, in hac felicitate positus, mereatur ad illam felicitatem ascendere: sicut primus homo, in illa felicitate positus, meruit ad hanc infelicitatem deuenire. Sed & illud meritum, quo homo infelix esse meruit, tantummodò ex homine fuit. Hoc verò meritum, quo felicitatem æternam meretur, non ex homine est, sed gratia Dei hoc in homine operatur.

Eruditionis Theologicæ ex Miscellaneorum 2. lib. 4. cap. 33. Hoc caput in homine languidum dicitur, quia ad amorem bonum torpet. Quid enim boni facere potest ex seipso, quando nec dicere potest Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto? Nihil ergo languidius eo, quod ad quodlibet bonum, etiam minimum, minimè conualescere potest. Quia *non est volentis, neque currentis: sed miserentis Dei. Voluntati enim eius quis potest resistere?* Vnde sicut admiranda arbitrij dignitas est: sic miseranda infirmitas, in se ipso ad omne opus bonum torpere.

Rom. 9.

Petrus Lombardus. 1140.

Libro 2. distinct. 39. Gratia Dei voluntatem hominis liberat & adiuuat, quæ voluntatem hominis præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.

Lib. 4. distinct. 28. Id verò inconcussè & indubitanter teneamus, liberum arbitrium sine gratia præueniente & adiuuante non sufficere ad salutem, & iustitiam obtinendam, nec meritis præcedentibus gratiam Dei aduocari, sicut Pelagiana hæresis tradidit.

Richardus Victorinus. 1140.

Lib. 7. in Apocal. cap. 8. *Qui vult accipere, accipiat aquam vitæ gratis.) Aquam vitæ*, id est, gratiam viuificantem gratis, quia absque meritis humanis. In gratia quippe, quæ prima datur, meritum accipientis non opitulatur: in gratia, quæ iam bene operanti vt melius operetur confertur, meritum operantis & accipientis non excluditur. Humana nempe actio quemadmodum absque gratia inutilis est, ita cum gratia semper prodest.

De statu hominis interioris cap. 16. Liberum hominis arbitrium, quod ex seipso nihil boni potest, incipit posse, quando & quantum voluerit ille, qui omnia potest. *Quæ enim impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.* Incipit ergo posse ex diuino adiutorio, quod non potest de seipso: & quod iam non potest per naturam, accipit bonum posse per gratiam.

Libro 1. de eruditione interioris hominis cap. 3. Sicut corpus nihil potest sine vita sua (id est anima sua,) ita interior homo noster nihil boni potest sine diuina gratia. *Gratia Dei*, inquit Apostolus, *sum id quod sum*. Et veritas ipsa de se: *Sine me nihil potestis facere*. 1. Cor. 15. Ioan. 15.

Cap. 30. Liberum arbitrium hominis in eo regnum accepit & habet, quòd alijs omnibus, quæ in homine sunt, præsidere debet: fortitudinem accepit & habet, quamdiu passionibus suis fortiter resistere valet: imperium accepit & habet, quamdiu actiones & voluntates cogitationesque in bono exercet, vel exercere valet: gloriam accepit & habet, quamdiu adhuc de bona conscientia gaudet. *Gloria*, inquit, *nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*. Scimus quis dicat: *Sine me nihil potestis facere*. Tantum ergo possumus, quantum posse accepimus. *Quid enim habes, quod non accepisti?* Nihil enim aliud est habere huiusmodi potestatem & fortitudinem, quàm habere gratiam cooperantem. Potestas tua cooperatrix gratiæ. Quantum habes gratiæ, tantum habes & potentiæ: & quantum gratia accepta crescit, tantum & potentia tua perficit: & quantum gratia minuitur, tantum & potentiæ tuæ detrahitur: & si quando subtrahitur gratia, simul perit & potentia. Patet itaque ex his, quia aliud est arbitrij potestas, atque aliud est arbitrij libertas. Aliud est enim magna posse, & aliud est liberum esse. 2. Cor. 1. Ioan. 15.

Petrus Blesensis. 1160.

Epist. 9. Velle tibi adiacet, sicut dicis, sed perficere non inuenis. Si enim velis onus inditæ venustatis abijcere, hic labor est ante me. Sequere enim eum, quem voueras sequi, & ipse votis tuis misericorditer aspirabit.

Epist. 78. Humana persuasio sine gratia Dei nihil aliud est, quàm æs sonans, aut cymbalum tinniens. Ille solus donat os & sapientiam, qui dicit: *Sine me nihil potestis facere*.

Petrus Cellensis. 1160.

Libro de Panibus cap. 3. Gratia sola vincula soluit: solutis verò vinculis liberum arbitrium sequitur gratiam, & inhæret gratiæ, vt deinceps gratia præeunte & cooperante liberum arbitrium persequatur inimicum & comprehendat, auferens ab eo tributa seruitutis, & vindicans sese in ingenuitate libertatis.

Arnulphus Lexouiensis. 1160.

Sermone habito in Concilio Turonensi: Multæ & magnæ sunt circa nos dignationes tuæ bone Iesu,

multa & inęstimabilia beneficia tua. Gratia tua vltrò nos præuenit, & subsequitur: nihil, aut parum est, quod meritis nostris arrogare posimus, cùm tu gratiam per gratiam semper effusa magnificentia largiaris.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone de vno Martyre: Diuina misericordia non solùm præuenit ac præparat, verùm etiam subsequitur, & prosequitur voluntatem humanam: præuenit inspirando, subsequitur adiuuando: præparat, vt incipiat; prosequitur, vt perficiat.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Feria 3. post Pentecosten: Homo per se potest cadere, sed non potest per se resurgere. Spiritus vadens, & non veniens. Credere enim in Deum non potest, nisi gratia ipsum præuenerit. *Sine me,* inquit, *nihil potestis facere.* Palmes enim, nisi manserit in vite, non potest fructificare; auis sine pennis volare minimè potest: homo delapsus in foueam, nisi fune diuinæ gratiæ demisso extrahi non potest: sicut quadriga in luto per se moueri non potest, ita homo, nisi Pater traxerit eum, ad Christum venire non potest.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De meritis: Bona opera nostra & Dei dona sunt. Opera nostra, opera etiam Dei, quæ ipse operatur in nobis, & etiam per nos. Non quidem per organa tantum, aut instrumenta. Tunc enim nec ad laudem, nec ad vituperium, nec ad culpam, nec ad meritum imputanda essent nobis opera bona, sicut citharæ, vel tibiæ, nihil imputatur ad culpam vel ad meritum de tibicinantibus, & citharizantibus. In nobis igitur Deus operatur bona opera sua & nostra, non tam præstando virtutem, facultatem, & opportunitatem, quàm etiam excitando & foris doctrinis, & prædicationibus, & beneficiorum, & consolationum immissionibus, flagellorum quoque stimulationibus, & interdum compulsionibus, & internis inspirationibus.

Alexander Alesius. 1240.

Parte 4. q. 13. memb. 2. Velle bonum meritorium, siue gratuitum non possumus, nisi adminiculo gratiæ. Natura enim nostra ita curua effecta est, quòd subleuari non potest ad bonum gratuitum appetendum, nisi adminiculo eius quod supra est. Vnde Threnorum quarto: *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* Glossa ibi: Gratia vocantis præcedit, & excitat libertatem voluntatis.

Thomas Aquinas. 1250.

In Quodlib. 1 artic. 7. Homo indiget auxilio gratiæ, non solùm ad merendum, sed etiam ad hoc, vt se ad gratiam præparet, aliter tamen ac aliter, &c. Per hoc, quòd hominis est se ad gratiam præparare per liberum arbitrium, non excluditur necessitas auxilij diuini sicut nec per hoc, quòd ignis est calefacere, excluditur necessitas cælestis motus.

Bonauentura. 1260.

Parte 5. Breuiloquij cap. 3. Liberum arbitrium licet sit sub Deo potentissimum, potest tamen per se in peccatum corruere: sed nullatenus potest resurgere sine adiutorio diuinæ gratiæ, quæ dicitur gratia gratum faciens.

Richardus de media villa. 1280.

Libro 2. distinct. 28. artic 2. quæst. 1. Homo sine gratia gratum faciente non potest per liberum arbitrium à peccato resurgere: quia resurgere à peccato, est ad ea restitui, quæ homo amiserat per peccatum.

Quæst. 2. Homo per liberum arbitrium sine gratia gratum faciente non potest diu vitare casum in mortale peccatum mortale, in statu naturæ corruptæ. Quamuis enim propter libertatem posset vitare quodlibet peccatum mortale significatum: tamen propter infirmitatem non potest diu vitare, quin in aliquod mortale incidat, nisi per gratiam gratum facientem liberum eius arbitrium sanetur & adiuuetur.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 19. Matth. *Iesus dixit illis:*) Quia homo non potest ad hoc attingere ex virtute propria, sed solum ex diuina gratia, quod habetur ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Et per hoc excluditur error Pelagij, qui posuit hominem ex sola arbitrij libertate posse mereri. Et quia licet meritum vitæ æternæ non posit esse virtute naturæ, potest tamen esse virtute gratiæ diuinæ.

Ioannes Taulerus. 1350.

In festo Pentecostes Serm. 3 Nihil nos sine communi Dei influxu boni possumus: hoc est, nisi nos Spiritus sanctus singulari gratiæ suæ influxu præueniat. Interim tamen hoc requiritur, vt homo faciat quod in ipso est.

Dominica 3. post Trinitatis Sermone 2. Quicquid habet homo tam intus quàm foris, bona omnia, tam naturæ quàm gratiæ & fortunæ, à Deo accepit, hac vtique ratione, vt eadem in ipsum cum amore, gratiarum actione, & laude refundat, referatque.

Thomas Argentinensis. 1350.

Lib. 2. distinct. 28. & 29. artic. 1. quæst. 1. Homo præcisè ex se non potest se ad gratiam gratum facientem sufficienter præparare: quia sicut formæ naturales non inducuntur in materiam, nisi per motum prius factum ab agente naturali: sic forma supernaturalis pura gratia non inducitur in animam adulti hominis sine supernaturali agente, supernaturaliter mouente ipsam animam: quia tamen in huiusmodi motionibus Deus hominem non violentat, sed allicit, nec sibi infundit gratiam, nisi talibus motionibus assentiat, ideo tota nostra iustificatio, & ad gratiam Dei pręparatio, est à Deo.

Petrus Aliacus. 1400.

Meditatione super Psalmum 30. Væ væ, atque iterum væ mihi, quia non in mea, sed in iustitia tua potes me liberare: quia meam non inuenis nisi superbam & falsam, & illi similem, de qua dicitur: *Ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Si ergo attendis ad iustitiam meam, damnas me, ideo in iustitia mea non liberas me. Nam iustitia hominis est, quæ suis se viribus putat iustificari, non credens gratis saluari. Absit à me Domine, absit à me hæc iustitia obsecro, heu verius iustitia sæuissima contra te ferens arma: sit, sit in me illa potius humilis confessio: *Gratia Dei sum id quod sum.* Quare gratia? quia gratis data. Quare gratis data? quia merita nostra non præcesserunt, sed beneficia tua præuenerunt: nec inuenit in me tua gratia merita beatorum, quę coronet; sed demerita malorum, quæ damnet. In hac ergo iustitia tua, in hac gratia mihi gratis data libera me. Quia hæc sola liberat, dum iustificat impium à sua impietate, & iniustum à sua iniquitate conuertit.

Thomas VValdensis. 1414.

Parte 3. de oratione, & eius ritibus, cap. 7. Pelagianis & VVicleuistis, qui gratiam Dei tacent vel abnegant, & in meritis hominum omninò confidunt, ex parte gratiæ Dei inueniamur esse discordes, sicut omnes Sancti priores vsque ad recentes Scholasticos, & communis scripsit Ecclesia. Vnde in oratione Canonis ad Deum: *Non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte,* &c. Peria quarta Passionis: *Vt qui de meritorum qualitate diffidimus, nō iudicium tuum, sed misericordiam consequi mereamur.*

Et in Secreta oratione Dominicæ 2. Aduentus: *Vbi nulla suppetunt suffragia meritorum, tuæ notu indulgentia succurre præsidijs.* Meritum nostrum in articulo minime Deus attendit, siue rationem congrui vel condigni: sed suam gratiam, aut voluntatem suam, aut misericordiam suam. Quomodo ergo non ad iniuriam Saluatoris & gratuiti coronatoris accedit, quòd gratia eius tacita, tantùm disputamus de meritis?

Thomas de Kempis. 1420.

Lib. 3. de imit. Christi cap. 43. Est vera gloria & extatio sancta, gloriari in te, & non in se: propter te laudetur nomen tuum, non meum: magnificetur opus tuum, non meum: sanctificetur & benedicatur nomen sanctum tuum, nihil autem mihi attribuatur de laudibus hominum. Tu gloria mea, tu exultatio cordis mei: in te gloriabor & exultabo tota die: pro me autem nihil nisi in infirmitatibus meis. Quærant Iudæi gloriam, quæ ad inuicem est: ego hanc quæro gloriam, quæ à solo Deo est.

Cap. 60. O quàm maximè mihi est necessaria Domine Iesu gratia tua ad inchoandum bonum, ad proficiendum, & ad perficiendum. Nam sine ea nihil facere possum. Omnia autem possum in te confortante me gratia. O verè cælestis gratia, sine qua nulla propria sunt merita, &c. Sufficit mihi gratia tua, cæteris non obtentis, quæ desiderat natura. Quid sum sine ea, nisi aridum lignum, & stirps inutilis ad eijciendum? Tua ergo me Domine gratia præcedat & sequatur, ac bonis operibus præstet iugiter esse intentum.

Laurentius Iustinianus. 1430.

Sermone in Epiphania Domini: Trahit intus per gratiam, quæ immutat per lucem, quæ informat per manifestationem, quæ tangendo lætificat. Nempe vbi deest gratia, iacet homo obuolutus in fœtore facinorum: vbi autem non irradiat sapientia, tenebrarum spiritualium caligo dominatur: verùm vbi non erudit fides, mens oppressa tabescit. Est namque gratia gratum faciens quædam matutina stella præfulgida, quæ electum quemque præcedens, corde ducit ad Christum. Absque hac procul dubio humanus prostituit animus, & sui nunquam iuris est compos, nunquam amator sapientiæ, neque fidelis in Domino. Per hanc verò rationalis mens efficitur sapiens, de cælestibus eruditur, & fide imbuitur, quæ ad Christum in veritate pergentibus prorsus necessaria fore noscuntur.

Ioannes Capistranus. 1440.

In speculo conscientiæ part. 1. num. 56. Nam, vt dicit Augustinus: Gratia præparat voluntatem, vt velit: & subsequitur, ne frustra velit: & sic gratia præcedit, comitatur, & sequitur. Ex quo dicebat Apostolus 1. Corinth. 5. *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit,* gratia scilicet comitans: subsequitur: *abundantius omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum:* gratia scilicet subsequens. Nam vt dixit Dominus Ioannis 15. *Sine me nihil potestis facere:* ita idem Apostolus dicit ad Philippenses 2. *Deus est, qui operatur in nobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.*

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad cap. 15. Ioannis artic. 37. *Nisi in me manseritis.)* Per fidem & gratiam, non innitentes proprijs viribus, sed pietati & gratiæ meæ, præsertim cùm sitis membra mea. Quemadmodum ergo, si palmes vel membrum abscindatur, statim arescit, putrescit, & pristina virtute, fœcunditate, & operatione priuatur: sic fideles, nisi Christo per charitatem inhæserint, nihil possunt meritoriè operari, sed peccati vetustate corrumpuntur, vitijs implicantur, tentationibus superantur, &c.

Claudius Guillardus. 1540.

Ad cap. 2. ad Ephesios: *Cuius gratia saluati estis.)* Non vestro labore, vel vllo opere per Christum redempti estis, sed sola gratia Dei. Nam quantum ad vestra opera attinet, eratis certè ira & supplicio digni. Et rursus fides, qua iustificamur, est donum Dei, quòd illam gratuitò, non nostro merito habemus.

Ioannes Hoffmeisterus. 1550.

Ad cap. 3. ad Philippenses: Necesse est, vt qui velit Christum habere propitium, vt de semetipso planè desperet, de nullo quantumcunque in speciem bono præsumat: omnem autem spem & fiduciam suam in vnicum Christum conferat, vt qui vnus & solus est, per quem habemus accessum ad Deum.

Concilium Tridentinum. 1560.

Sess. 6. can. 1. Si quis dixerit hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque diuina per Christum Iesum gratia posse iustificari coram Deo, anathema sit.

Canone 3. Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, ac pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.

ASSERVNT PRECES ECCLESIÆ.

Preces quotidianæ: Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina.

Dominica 3. Aduentus: Aurem tuam, quæsumus Domine, precibus nostris accommoda, & mentis nostræ tenebras gratia tuæ visitationis illustra.

Dominica 3. Epiphaniæ: Deus, qui nos in tantis periculis constitutos pro humana scis fragilitate non posse subsistere, da nobis salutem mentis & corporis, vt ea, quæ pro peccatis nostris patimur, te adiuuante vincamus.

Dominica 4. Epiphaniæ: Familiam tuam, quæsumus Domine, continua pietate custodi, vt quæ in sola spe gratiæ cælestis innititur, tua semper protectione muniatur.

Dominica Sexagesimæ: Deus, qui conspicis quia nulla nostra actione confidimus, concede propitius, vt contra aduersa omnia Doctoris gentium protectione muniamur.

Dominica Quadragesimæ: Deus, qui conspicis omnes nos virtute destitui, interius exteriusque custodi.

Dominica Passionis: Quæsumus omnipotens Deus, familiam tuam propitius respice, vt te largiente regatur in corpore, & te seruante custodiatur in mente.

ARTICVLVS QVINTVS.

HOMINEM, ETIAM POST LAPSVM, LIBERI ESSE ARBITRII; AD BENE VEL MALE AGENDVM NVLLA DIVINA VEL FATALI NECESSITATE COGI, SED SVA SPONTE VEL DEVM MONITOREM AD BONVM, VEL DIABOLVM seductorem ad malum sequi.

NEGANT.

Anno ante natũ Christũ 330. HERACLITVS *omnia secundùm fatum fieri dicit, & hoc idem cum necessitate esse.* Plutarchus de placitis Philosophorum lib. 1. cap 27.

100. *Esseni omnia in fati potestate esse affirmant, nec quicquam hominibus præter fati decretum accidere.* Iosephus lib. 13. antiquitat cap. 9.

Anno post natũ Christũ 60. *Simon Magus nihil hominis arbitrio, sed omnia fato fieri voluit.* Clemens Rom. lib. 3. Recog.

270. *Manichæi damnant naturam hominum, liberum arbitrium negant, adiutorium Dei tollunt, fatum asserunt.* Hieronymus proœmio Dialogi aduersus Pelagianos, Augustinus contra Fortunatum Manichæum, Chrysost. Homil. 45. in Ioannem, Socrates lib. 1. cap. 17.

380. *Priscillianistæ Manichæorum dogmata sectantes, astruunt fatalibus stellis homines colligatos.* Augustinus hæresi 70 Leo Primus epist. 93. cap. 11.

400. *Florus Monachus ex libris Augustini malè intellectis ita gratiam Dei extollebat, vt negaret liberum arbitrium.* Augustinus de gratia & libero arbitrio.

600. *Armenij dicunt, peccatum esse à dæmone, & non à libero arbitrio.* Guido de Armenijs.

700. *Mahometani dicunt, quòd quicquid fecerit homo, siue bonum siue malum, præscriptum & prædestinatum sit illi à Deo antequam nascatur.* Leo Imperator epistola ad Omarum Saracenorum regem.

840. *Godschalcus Belga docebat quosuis homines immutabili lege & necessitate prouidentiæ diuinæ siue inferis, siue superis destinatos esse.* Ioannes Auentinus lib. 4. Annalium, Ioan. Trithemius in Chronico. Hirsaugiensi fol. 16.

1140. *Petrus Abailardus dicebat, nihil contingens in rebus euenire, sed omnia, quæ fiunt, necessitate absoluta fieri.* Alphonsus de libero arbitrio.

1200. *Albigenses contendunt, quòd peccatum non sit de libero arbitrio.* Antoninus part. 4. tit. 11. cap. 7. §. 5.

1390. Ioannes VVicleuus 2. Trialogi cap. 13. *Deus necessitat creaturas singulas actiuas ad quemlibet actum suum: & sic sunt aliqui prædestinati, hoc est, post laborem ordinati ad gloriam, & aliqui præsciti post hanc vitam miseram ad pœnam perpetuam,* &c.

Tertio Trialogi cap. 9. *Nunquid creatura potest impedire Dei determinationem? &, vt Sophistæ concedunt, veritatem æternam præcedentem ex Dei proposito facere quod non erit, ac si ab illis penderet diuinum propositum, & veritas æterna? Item misera creatura habet potestatem opus suum futurum proponere, & subductis impedimentis consideratione voluntatis, & temporis, foret determinatè verum, quod illud eueniet. Ergo multo magis Deus potest ad euentum futuri se determinare. Cùm ergo in ignorantia Dei, in variatione sua volitionis, vel rei impedientis, non potest obstaculum euenire; relinquitur, quòd propositum Dei oportet necessariò impleri, & sic omne futurum eueniet necessariò.*

1430. *Laurentius Valla,* libro, quem scripsit de libero arbitrio, *detrahit voluntati hominis libertatem.* Philippus in Locis communibus.

1520. Martinus Lutherus in Assertionibus art. 36. *Liberum arbitrium post peccatum res est de solo titulo, & dum facit quod in se est, peccat mortaliter,* &c. *Liberum arbitrium figmentum est in rebus, seu titulus sine re: quia nulli est in manu sua quippiam cogitare mali aut boni, sed omnia (vt VVicleui articulus Constantiæ damnatus rectè docet) de necessitate absoluta eueniunt, quod & Poëta voluit, quando dixit:* Certa stant omnia lege.

De seruo arbitrio: *Deus cùm tales nos scinerit futuros, talesque nunc faciat, moueat, gubernet, quid potest fingi quæso, quod in nobis liberum sit aliter atque aliter fieri, quàm ille præsciuerit aut nunc agat? Pugnat ergo ex diametro præscientia & omnipotentia Dei cum libero nostro arbitrio.*

Libro, qui inscribitur, Operationes in Psalmos, in Psalm. 5. *Error est, liberum arbitrium habere actiuitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur. Velle enim illud, quod credere, sperare, diligere iam diximus, motus, raptus, ductus verbi Dei, & quædam continua purgatio, & renouatio mentis, & sensus de die in diem in agnitionem Dei, licet non semper æquè intensa sit illa passio, tamen semper est passio.* Ecce (*inquit Hier 18.*) sicut lutum in manu figuli, ita vos, domus Israel, in manu mea. *Quid obsecro actiuitatis habet lutum, quando figulus formam ei affingit? nonne mera passio ibi cernitur?*

Philip-

1530. Philippus Melancthon ad cap. 8. ad Romanos in editione 1. *Nugatorium est commentum liberum arbitrium: eò tantùm fertur, quorsum impellitur.*

Editione 2. *Consequitur ergo ridiculum commentum esse liberum arbitrium. Quia voluntas nostra adeò non est libera, vt eò tantùm feratur, quorsum à Deo impellitur,* &c. *Non est rerum contingentia, sed necessitas quædam iuxta destinationem Dei.*

In priori editione Locorum communium, capite de libero arbitrio: *Quid ergo, inquies, nullane est in rebus, vt istorum vocabulo vtar, contingentia? nihil casus? nihil fortuna? omnia necessariò euenire Scriptura docent? Esto, videatur tibi in rebus humanis contingentia, iudicio rationis hic imprecandum est,* &c. *Quî potui dissimulare sententiam Scripturæ de Prædestinatione, quando voluntati nostræ libertatem per Prædestinationis necessitatem adimit Scriptura,* &c. *Si ad Prædestinationem referas humanam voluntatem, nec in externis, nec in internis operibus est vlla libertas, sed eueniunt omnia iuxta Prædestinationem diuinam. Si ad opera externa referas voluntatem, quædam videtur esse iudicio naturæ libertas; sed si ad effectus referas voluntatem, nulla planè est libertas etiam naturæ iudicio.*

1550. Ioannes Caluinus lib. 2. Instit. cap. 3. §. 7. *Sed erunt qui concedent voluntatem à bono suopte ingenio auersam, sola Domini virtute conuerti: sic tamen vt præparata suas deinde in agendo partes habeat,* &c. *Sed hoc perperam homini tribuitur, quòd gratiæ præuenienti pedissequa voluntate obsequatur.*

§. 11. Ac voluntatem mouet, non qualiter multis seculis traditum est, & creditum, vt nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari: sed illam efficaciter afficiendo.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 4. *vers.* 6. Dixitque Dominus ad eum (*Cain*:) Quare iratus es, & cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.

Numer. 30. 14. In arbitrio viri erit siue faciat, siue non faciat.

Deuter. 30. 19. Testes inuoco hodie cælum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & semen tuum.

Iosue 24. 14. Timete Dominum, & seruite ei perfecto corde, &c. 15. Sin malum vobis videtur vt Domino seruiatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui seruire potissimum debeatis, vtrum Dijs, quibus seruierunt Patres vestri in Mesopotamia, &c. Ego autem & domus mea seruiemus Domino.

Isaia 1. 19. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos.

Ecclesiastici 15. 14. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui: 17. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors: bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.

Ecclesiastici 31. 10. Quis probatus est in illo, & perfectus est, & erit illi gloria æterna? qui potuit transgredi, & non est transgressus: & facere mala, & non fecit.

Sapient. 16. 21. Substantiam enim tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas: & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat conuertebatur.

Matth. 19. 17. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.

Matth. 23. 37. Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?

Actor. 5. 4. Nonne manens tibi manebat *ager*, & venundatum in tua erat potestate?

1. *Corinth.* 7. 37. Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam: bene facit.

Ad Philemonem 14. Sine consilio tuo nihil volui facere, vti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Apostolicarum constitutionum lib. 6. *cap.* 20. Hæc est lex iusta, vnde νόμος dicitur, quòd natura fiant
Exo. 20. iustè iudicia, quam Simon vituperat, quòd existimet, si ab ea non iudicetur, ex pœnis se euasurum. Hæc est lex bona & sancta, non coacta: *Si feceris,* inquit, *mihi aram, ex terra facies,* non dixit: fac, sed, *si feceris*: non imposuit necessitatem, sed potestati, vtpote liberæ, permisit. Non enim eget Deus victimis, qui natura nullius rei est indigens. Quinimò, cùm sciret iam antea Abelem illum Dei amantem & studiosum, & Noë, atque Abraham: item alios deinceps, non iussos, sed lege naturæ excitatos, vltrò grato animo Deo sacrificasse, idem post-

ea Hebræis quoque sacrificare permisit, non quidem sacrificare iubens, sed, si liberet, concedens: sacrificia quoque approbans, si recto animo fierent.

Lib. 3. Recognitionum: Simon Magus inquit ad Petrum: Quoniam Hebræis istâ mandantur, velut rectè scientibus Deum, & opinantibus quòd vnusquisque in suo arbitrio habeat agere ea, de quibus iudicandus est: mihi autem ab illis discrepat sententia, vnde vis vt incipiam? Tum Petrus, Ego, inquit, suadeo, primò quærendum esse, si in potestate nostra est scire vnde iudicandi simus. Et Simon: Non ita, inquit, sed de Deo, vnde & omnes, qui præsto sunt, audire cupiunt. Et Petrus: Constat ergo apud te, quia est aliquid in arbitrij potestate facere? Hoc tantum si est, & requiramus, vt dicis, de Deo. Simon adhæc respondit: Nequaquam. Et Petrus: Si ergo nihil est in nostra potestate, superfluum est nos quærere aliquid de Deo, cùm in potestate non sit quærentibus inuenire. Vnde bene dixeram, hoc primò quærendum esse, si est aliquid in arbitrij potestate, &c. At Petrus respondet: Quomodo scis, quia non est in hominis potestate scire aliquid, cùm hoc ipse sciat? Et Simon: Nescio, inquit, si vel hoc ipsum sciam: vnusquisque enim sicut ei fato decernitur vel sapit aliquid, vel intelligit, vel patitur. Tum Petrus: Videte, inquit, fratres, in quæ absurda deciderit Simon, qui ante meum aduentum docebat, quòd homines in potestate haberent & sapere, & facere quæ vellent: nunc in angustum redactus necessitate verborum, negat esse in hominis potestate aut sciendi aliquid, aut agendi, & tamen audet se doctorem profiteri. Sed dic, quomodo ergo Deus iudicat secundùm veritatem vnumquemque pro actibus suis, si agere aliquid in potestate non habuit? Hoc si teneatur, conuulsa sunt omnia, frustra erit studium sectandi meliora: sed & iudices seculi frustra legibus præsunt, & puniunt eos, qui malè agunt: non enim in sua potestate habuerunt, vt non peccarent. Vana erunt & iura populorum, quæ malis actibus pœnas statuunt. Miseri erunt & hi, qui seruant cum labore iustitiam! beati verò illi, qui in delicijs positi, cum luxuria & scelere viuentes, tyrannidem tenent. Secundùm hæc ergo nec iustitia erit, nec bonitas, nec vlla virtus, &, vt vis, nec Deus. Sed hæc, ô Simon, cur dixeris scio: volens profectò effugere quæstiones, ne possis manifestius confutari, & ideo ais non esse in potestate hominis sentire aliquid, aut inuenire. Ego dico, sui arbitrij esse hominem. Et Simon: Quid est sui arbitrij? dic nobis. Petrus ad hæc: Si nihil potest disci, cur audire vis? Arbitrij potestas est sensus animæ, habens virtutem, qua possit ad quos velit actus inclinari.

Libro 5. Agnitio est porta vitæ volentibus ingredi, & iter operum bonorum pergentibus ad ciuitatem salutis. Si quis sanè audiens sermonem veri Prophetæ, velit recipere aut nolit, & amplexiones eius, id est, mandata vitæ, habet in sua potestate: Liberi enim arbitrij sumus. Nam si hoc esset, vt audientes eum iam non haberent in potestate aliud facere, quàm audierant; vis erat quædam naturæ, per quam liberum non esset ad aliam migrare sententiam. Aut si rursus ex audientibus nullus omninò reciperet, & hoc naturæ vis erat, quæ vnum aliquid fieri cogeret, & alteri parti non daret locum. Nunc autem quia liberum est animo in quam velit partem declinare iudicium suum, & quam probauerit eligere viam, constat euidenter inesse hominibus arbitrij libertatem.

Dionysius Areopagita. 100.

De celesti Hierarchia cap. 9. Neque enim coactam habemus vitam, neque liberi arbitrij gratia diuinitus data mortalibus prouidentiæ diuinæ luce & splendore obtunditur.

Ignatius. 100.

Epistola ad Magnesianos: Quandoquidem actiones ipsæ sua habent præmia, & obedientiæ præponitur vita, mors autem inobedientiæ: & singuli, qui aut hoc, aut illud elegerunt, in eius, quod elegerunt, locum abituri sunt: fugiamus mortem, & eligamus vitam, &c. Si quis pietati studet, Dei homo est: si impiè agat, diaboli est: non id factus per naturam, sed per animi arbitrium.

Ad Smyrnæos: Cupientibus autem vobis feliciter viuere, etiam Deus idem largiri paratus est.

Iustinus Martyr. 150.

Oratione ad Gentiles: Quia liberi arbitrij & Angelorum, & hominum genus ab initio Deus creauit, iusto iudicio pro delictis suis supplicium igne sempiterno reportabunt. Illa quippe ortæ cuiusque rei natura est, vt virtutis & vitij sit capax: neque quicquam eorum, quæ creata sunt, laude dignum esset, nisi vim ac potestatem altero versum se conuertendi obtineret, &c. Stoici si fato dicent omnia fieri quæ fiunt, aut nihil esse Deum, aut rebus plerisque mutandis & alterandis, & in eadem, vnde orta sunt, semper dissoluendis, corruptioni tantùm subiectarum notitiam habere, & Deum ipsum, quà per partes, quà per vniuersum in prauitate seu ærumna omni versari: aut neque vitium, neque virtutem aliquid esse dicere videbuntur: quod certè præter sanam notionem, rationem, & mentem est.

Oratione ad Antoninum Pium: Deus ab initio genus humanum ita creauit, vt intelligentia præditum esset, & arbitrij liberi potestate delectum tum vera consectandi, tum bene agendi obtineret. Quocirca excusatione nulla defendi possunt mortales omnes apud Deum. Rationales enim, & ad contemplationem appositi per eum creati sunt.

Ibidem: Ac nisi libero arbitrio, & ad turpia fugienda, & ad honesta diligenda, facultatem habeat mortalium genus, non fuerit in causa, siue culpa, qualiumcunque demum factorum.

De Monarchia Dei: Hic igitur est documentum virtutis, & sententiæ sapientiam complexæ, vt ad coniunctionis huius communionem recurramus, & nosmetipsos sapientia ad salutem accommodemus, delectuque meliora sequamur, & pro eo, quod in homine est, libero arbitrio: neque eos, qui affectibus, & perpesionibus humanis aguntur, rerum vniuersarum dominos esse existimemus, cùm ne hominibus quidem pares esse appareant.

Dialogo cum Tryphone: Verùm ne nobis occasio & obtentus relinquatur dicendi, oportuisse Christum crucifigi, aut etiam in genere vestro esse præuaricatores, nec id aliter fieri potuisse, anteuertens paucis dico, Deum, cùm vellet Angelos & homines consilium voluntatemque eius sequi, ipsos ita facere instituisse, vt per liberum arbitrium sui essent iuris, & potestatis ad rectè iusteque agendum, ratione concessâ, vt scirent à quo creati essent, & per quem constarent, cùm anteà nihil fuissent, ea lege, vt ab ipso iudicarentur, si præter rectam rationem quicquam facerent.

Tatianus. 160.

Oratione contra Græcos: Verbum igitur ante creatos homines produxit Angelos: vtraque verò creatura arbitrij sui libertati permissa est, boni rationem non sibi natiuam, sed apud Deum solum repositam habens. Relicta est autem humano generi voluntas libera, vt in improbos iure animaduertatur, vtpote sua culpa tales: iusti contra laudes de

præclaris actionibus meritò auferant, qui liberè & ingenuè Dei voluntatem non aspernati sint. Hæc de hominibus & Angelis dixerim. Porrò Verbi potentia, cùm secum prænosset quid eventurum esset, non ex necessitate & fato, sed libero eligentium proposito, rerum futurarum exitus prædicebat.

Athenagoras. 170.

In Apologia pro Christianis: Cæterùm vt hominibus arbitrij libertas circa virtutes & vitia data est, (neque enim vos vel honore bonos, vel pœna malos afficeretis, nisi spontè consultoque alteri boni, alteri mali essent,) & alij bona fide res sibi creditas procurant, alij improbi perfidique deprehenduntur: sic etiam circa Angelos res se habet. Alij enim vltro tales manserunt, quales à Deo facti erant, & in munere suo fideles se præbuerunt: alij, &c.

Irenæus. 180.

Lib. 4. cap. 9. Sed frumentum quidem, & paleæ, & animalia irrationabilia existentia, naturaliter talia facta sunt. Homo verò rationabilis, & secundùm hoc Deo similis, liber in arbitrio factus, & suę potestatis, ipse sibi causa est, vt aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat. Quapropter & iustè condemnabitur, quoniam rationabilis factus, amisit veram rationem, & irrationabiliter viuens, aduersatus est iustitiæ Dei, tradens se omni terreno spiritui, & omnibus seruiens voluptatibus. Quemadmodum Propheta ait: *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & illis factus est similis.*

Psal. 48.

Matt. 23. *Cap. 71.* Aliud est quod ait: *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti?* veterem legem libertatis hominis manifestauit; quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut & suam animam, ad vtendum sententia Dei voluntariè, & non coactum à Deo. Vis enim à Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper. Et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus: posuit autem in homine potestatem electionis.

Cap. 72. Prophetæ hortabantur homines iustitiam agere, bonum quoque operari: quia in nobis sit hoc, &c. Non tantùm in operibus, sed etiam in fide liberum, & suæ potestatis arbitrium homini

Matt. 8. seruauit Dominus, dicens: *Secundùm fidem tuam fiat tibi:* propriam fidem hominis ostendens, quoniam

Marc. 9. suam habet sententiam. Et iterum: *Omnia possibilia sunt credenti.* Et: *Vade, sicut credidisti, sic fiat tibi.* Et omnia talia suæ potestatis secundùm fidem ostendunt hominem.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 1. Stromaton: Nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia iusta sunt, si anima non habeat liberam potestatem & appetendi, & aggrediendi; sed sit vitium inuoluntarium: Vnde qui prohibuit, quidem causa est; qui autem non prohibuit, animæ electionem iustè iudicat, vt vel maximè quidem Deus nobis non sit causa vitij. Quoniam autem libera electio, & appetitio peccata primùm inchoat, falsa autem nonnunquam dominatur opinio, à qua, cùm sit ignorantia, & inscitia, recedere negligimus, iure infliguntur supplicia.

Lib. 5. Ergo diuinitus data sapientia, quæ est virtus Patris, adhortatur quidem nostrum liberum arbitrium, excipit autem fidem, curamque, & attentionem remuneratur electionis suprema communicatione.

Lib. 7. Quæcunque ergo nihil impediebant, quò minus esset homini liberum eligendi arbitrium, effecit vt ea ad virtutem opem ferrent.

Origenes. 240.

Homilia 12. in Numeros: *Et nunc Israel, quid Dominus Deus poscit abs te?* Erubescant illi hæc verba, qui negant in homine esse liberum arbitrium. Quomodo posceret ab homine Deus, nisi haberet homo in sua potestate, quod poscenti Deo deberet offerre?

Homilia 20. Sui arbitrij est anima, & in quam voluerit partem est ei liberum declinare: & ideo iustum Dei iudicium est, quia sponte sua bonis seu pessimis monitoribus paret.

In Ezechielem Homil. 1. Deus mortem non fecit, nec malitiam operatus est: liberum arbitrium & homini, & Angelo ad vniuersa permisit. Hîc iam intelligendum est, quomodo per arbitrij libertatem alij ad bonorum conscenderint summitatem, alij corruerint in malitiæ profundum. Tu verò homo, quare non vis arbitrio te tuo derelictum? quare ægrè fers, niti, laborare, contendere, & per bona opera teipsum causam fieri tuæ salutis? an magis te delectabit dormientem, & in otio constitutum æterna prosperitate requiescere?

In proœmio lib. 1. de Principijs: Est & illud definitum in Ecclesiastica prædicatione, omnem animam rationabilem esse liberi arbitrij & voluntatis. esse ei quoque certamen aduersus diabolum & angelos eius, contrariasque virtutes, ex eo, quòd illi peccatis eam onerare contendant; nos verò, si rectè consulteque viuamus, ab eiusmodi nos exuere conemur. Vnde & consequens est intelligere, non nos necessitati esse subiectos, vt omnimodo, etiamsi nolimus, vel mala vel bona agere cogamur. Si enim nostri arbitrij sumus, instigare fortasse possunt aliquæ virtutes ad peccatum, & aliæ iuuare ad salutem, non tamen necessitate cogimur, vel agere rectè, vel malè.

Lib. 2. contra Celsum. Videamus quid Celsus dicat postea. Hæc, inquit, cùm Deus esset, prædixit, & omninò oportebat fieri, quod prædixerat. Deus ergo suos Discipulos, & Prophetas, cum quibus cibum & potum sumebat, eò necessitatis adduxit, vt contra ius ac pietatem facerent, &c. Respondebimus & ad hæc, quando iubes, vt ne ista quidem argumenta prætercam; quæ mihi videntur friuola. Celsus putat, quod aliquis præscius prædixit, ideo fieri, quia prædictum est: nos verò hoc non concedentes, dicimus non prædictorum causam esse futuri, sed futurum illud, quod omnino euenturum erat, etiam nemine prædicente, præcognitori causam prædicendi præbuisse. Totum enim iri præcognitione vatis est, cùm alterutrum fieri possit, fore hoc alterum. Non dicimus præcognitorem adimere possibilitatem, vt vel fiat, vel non, &c.

Proclus. 250.

Apud Epiphanium hæresi 64. Cùm enim liberum arbitrium habeat, & per se potens sit homo, & voluntatem per se dominantem, ac deliberantem ad electionem boni, velut dixi, acceperit, audieritque: *De omni ligno in Paradiso edite: de ligno verò cognitionis boni & mali ne edatis,* consentiens à seipso ad esum, & diabolo variè ad inobedientiam persuadenti inescatus, reprobauit mandatum Dei.

Methodius. 260.

Sermone de Resurrectione: Quomodo verò etiam liberum arbitrium in hoc mundo apparet? In nobis enim situm est, vt credamus, & non credamus. Vbi autem in nobis situm est credere & non credere, in nobis rectè facere & peccare, in nobis bene facere & malè facere: imò etiam iudicium, quomodo velut futurum amplius expectari potest, in quo vnicuique Deus iuxta opera, & secundùm studium retribuet?

Eusebius Cæsariensis. 320.

De Præparatione Euangelica lib. 6. cap. 5. Vnicuique rationali animæ liberum arbitrium natura inest: bonum ergo id ad eligenda bona creatum. Ideo quando malè agit, non est natura culpanda: non enim natura, sed præter naturam malum agitur, cùm fit electionis deprauatæ, non naturæ opus. Cùm enim virtus ad eligenda bona insit, si ea non eligit, sed spontè melioribus spretis, mala incitatus sequitur, quis potest eum dicere morbi sui causam non fuisse, præsertim cùm insitam atque salutarem legem contempserit?

Athanasius. 340.

In vita D. Antonij: Nolite, inquit Antonius, quæso, virtutis tamquam impossibile nomen pauere, nec peregrinum nobis, aut procul positum videatur hoc studium, quod ex nostro, Dei gratia præcedente, pendet arbitrio. Huius operis homini insita natura est, & eiusmodi res est, quæ nostram tantùm expectat voluntatem.

Oratione contra Idola: Mens cùm mobilis agilisque naturæ sit, etsi se à bono auerterit, à motu tamen non conquiescit. Mouetur igitur, sed iam non secundùm veritatem, neque Deum spectat, sed res nihili, easque veras ac solidas arbitrata essentias, vires suas occupat, iisque ad eas, quas commenta est voluptates, abutitur, ideo quòd libera sit & sui arbitrij. Potest enim vt ad bona se inclinare, ita bona quoque auersari. Cæterùm vbi bonum auersata est, omnia contraria imaginatur & cogitat, quippe quæ à motu conquiescere nequeat, cùm natura, vt dixi, per quàm mobilis sit. Quæ cùm liberum sui ius arbitriumque intuetur, & sentit se in vtramque partem corporeis membris vti posse, tum ad ea, quæ sunt; tum ad ea, quæ non sunt. Ea autem quæ sunt, appello bona: quæ non sunt, mala.

Basilius Magnus. 370.

Homilia quòd Deus non est auctor malorum: Vnde anima mali capax est? Quoniam libero facta est arbitrio, quod creaturæ rationis participi maximè conueniebat: soluta enim hac omni necessitate, & vitam in sua potestate constitutam ex Deo accipiens, propterea quòd ad imaginem ipsius creata est, bonum quidem intelligit, & iucunditatem ipsius nouit, potestatemque habet ac facultatem in boni contemplatione, & spiritualium fruitione manendi, ac vitam sibi connaturalem conseruandi. Habet autem & à bono deflectendi quandoque facultatem, &c.

Ad cap. 1. Esaiæ: *Si volueritis, & audieritis me.*) Hoc maximè loco velut ob oculos exhibet libertatem arbitrij humanæ naturæ indultam. *Si autem nolueritis.*) Ex eo quòd noluerunt, consecutum quia nec audierunt. Ad eundem modum beatitudo omnis, & quæ in supplicio, quæve inter tot molestias traducitur vita, vtrumque à nostra pendet voluntate.

Lib. 3. contra Eunomium: Creatura ita comparata est, vt virtutis & diuinæ dilectionis præmium sanctificationem habeat: quoniam natura vtitur libera, vt ad vtrumlibet possit inclinari, ad electionem scilicet boni & peioris.

Ephrem. 370.

De spirituali vita c. 93. Et quis ita perfidus est & iniquus, vt præceptori ruinæ suæ causam ascribat, ac non potius improbæ voluntati ipsius discipuli? libero enim arbitrio Deus hominem donauit. Vnde & præmia & supplicia ei sunt proposita: ac legitimè quidem hîc certantibus honor atque corona; transgressoribus autem atque contemptoribus supplicia atque tormenta.

De extremo Iudicio lib. 5. Ecce itaque præparatum est regnum & vita, requiescit lætitia in lumine sempiterno; præparata est etiam mors, pœna, luctus, & tenebræ. Eligat vnusquisque, vt si propria voluntate voluerit rectam viam incedat.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 4. de statu hominis. Cognosce autem animam esse sui iuris, seu voluntatis liberæ, opus Dei pulcherrimum, secundùm factoris imaginem, immortale per eum, qui illud immortalitate donauit: animal rationale, incorruptibile per eum, qui gratiam illi contulit, potestatem habens facere quæ velit. Neque enim ex generationis natura peccas, neque propter animam fornicaris, neque, vt nonnulli fingunt, astrorum inclinationes ad amplectendam impietatem te cogunt, &c. liberum arbitrium habet anima: & potest quidem diabolus incitare, cogere autem præter voluntatem omnino non potest. Subijcit tibi scortationis cogitationes, si vis probas: si non vis, improbas: si enim ex necessitate scortareris, cuius gratia gehennam Deus parasset? Et si natura, non voluntate ageres iustè, cur Deus coronas pararet?

Macarius Ægyptius. 370.

Homilia 15. Tu tui iuris es, & mutabilis naturæ. Itaque si perire libeat, si velis blasphemare, venena conficere, ac hominem occidere, nemo tibi repugnare, aut prohibere te potest. Si velit quispiam, obtemperat Deo, sequiturque viam iustitiæ, ac desideria vincit: Mens enim eiusmodi, qui resistit ac reluctatur, potest obfirmata ratione coercere vitiorum impetus, & obscœna desideria, &c. Atque vt prorsus appareat, & rata sit arbitrij libertas, quam ab initio Deus largitus est homini, summa cum dispensatione res illius administrantur, fitque corporum solutio, vt in voluntate sit hominis, vt conuertatur ad id quod bonum est, aut malum. Neque enim perfectus homo, bono: aut profundè malus, & se ipsum vas efficiens diaboli, per quem totus orbis damnatus est, peccato necessitate quadam adhæret: sed habet liberum arbitrium, vt vas efficiatur electionis & vitæ. Similiter è contra, qui diuinitate sunt inebriati, licet pleni sint & adhæreant Spiritui sancto, non tamen vlla necessitate detinentur: sed libera potiuntur libertate, vt conuertantur, & faciant, quod libuerit in hoc seculo.

Homilia 27. Vides in tua voluntate positum esse, ac libero tuo arbitrio, vt honore afficias Spiritum sanctum, & non angas. Ego verò dico tibi, etiam perfectis Christianis, qui captiuati sunt & inebriati in bonum, inesse arbitrij libertatem, vnde infinitis malis examinati conuertuntur ad bonum.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 1. seu Apologetico 1. Quod etiam ipsum summæ ac singularis Dei bonitatis argumentum est, nimirum facere vt virtus nostra quoque aliqua ex aliqua parte sit, nec natura tantùm nobis inferatur: sed etiam per voluntatem, liberique arbitrij in vtramque partem agitationes excolatur: altera rursum, vt deteriorem quoque partem crassitie sua paulatim solutam ad se pertrahat, atque in sublimi collocet.

Oratione 31. quæ est in dictum illud Euangelij: *Cùm consummasset Iesus sermones hos*, &c.) Non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est. Ne hæretico vllo affectu tenearis, ne multiplices naturas introducas, ne terrenos & spirituales & medios: sunt enim quidam ita malè affecti, vt alios omnino perditæ esse naturæ putent, alios salutem accepturæ: alios denique vt eos, vel ad virtutem, vel ad vitium voluntas duxerit, ita se habere. At verò aptitudinem quidem alios alijs vel maiorem, vel minorem habere, ipse quoque concedo: cæterùm ad adipiscendam perfectionem

aptitudinem solam minimè sufficere contendo: rationem enim esse, quæ eam excitet, vt natura in opus prodeat, quemadmodum silex ferro pulsatus, atque ita ferrum fiat. Cùm audieris, quibus datum est, adde volentibus datum est, atque ijs, qui ea animi propensione sunt, &c. *Et sunt qui seipsos castrauerunt propter regnum Dei.*) Alij, cùm nullos magistros nacti essent, probi sibiipsis magistri extiterunt. Non docuit te mater quid officij esset, non docuit te pater, non Presbyter, non Episcopus, non alius quispiam ex ijs, quibus docendi cura commissa est? At tu rationem tibi insitam mouens, ac virtutis igniculum per arbitrij libertatem exuscitans, teipsum excruisti, radicem excidisti, vitij instrumenta depulisti, tantum tibi virtutis habitum comparasti, vt iam ad vitium ferri propemodum nequeas.

Oratione 40 quæ est in sanctum Baptisma: Bonum tuum non in alijs situm est, verùm tui ipsius est arbitrij, quamdiu non aberrat lingua, nec frigore confecta est.

Epiphanius. 380.

Hæresi 16. Omnibus manifestum est, clarumque, ac minimè ambiguum, quòd liberum arbitrium exhibuit nobis Deus per seipsum locutus: *Si volueritis, & nolueritis,* &c. Quare circa hominem est, bona operari, aut malas res appetere.

Hæresi 64. Spontaneam ad vtraque voluntatem Deus hominibus perinde vt Angelis constituit, vt aut obedientes verbo essent, cum ipso acciperent beatitudinem, eaque fruerentur, aut non obedientes iudicarentur.

Gregorius Nyssenus. 380.

In Cantica Homilia 4. Liberi arbitrij capax facta est humana natura, & ad quod eam ducit instituti sui & electionis inclinatio, ex eo etiam mutatur. Nam & si iræ susceperit motum, fit iracunda: & si dominatum obtinuerit cupiditas, soluitur in voluptatem, &c. Cùm ergo sit in potestate liberi arbitrij nostri eam figuram, quam velit suscipere, ei, quæ pulchra facta est, rectè dicit Verbum: A mali quidem societate recedens, mihi appropinquasti.

Oratione Catechetica cap. 36. Dimisit Deus aliquid in nostra potestate, cuius est solus Dominus. Hoc autem est liberi arbitrij libera electio, res quædam minimè redacta in seruitutem, & quæ est sui iuris, sita in libertate mentis & cogitationis.

Cap. 31. Sed neque ad hæc litigiosa egent contradictione. Dicunt enim Deum posse, si velit eos etiam qui resistunt, necessariò compellendo attrahere ad suscipiendam prædicationem. Vbi est ergo in his liberum arbitrium? vbi autem est virtus? vbi est laus eorum, qui rectè se gerunt? Est enim solùm inanimorum, aut eorum, quæ sunt expertia rationis, aliena voluntate ad id quod videtur adduci. Rationis autem particeps, & intelligens natura, si liberum deposuerit arbitrium, simul etiam perdit gratiam intelligentiæ. Ad quid enim sua vtetur mente & cogitatione, si potestas eius eligendi, quod suo arbitratu constituit, sita est in alio? Si manet autem inefficax, & nullius vsus liberum animi institutum & electio, necessariò etiam abolita est virtus, impedita immobilitate liberi arbitrij. Si non fit autem virtus, honore priuata est vita, & facto procedit ratio, ablata est laus eorum, qui rectè se gerunt. Vitium est immobile? dijudicari non poterit vitæ agendæ discrimen. Quis enim, vt est rationi consentaneum, amplius vel intemperantem reprehenderit, vel temperantem laudauerit, cùm quilibet in promptu hanc habeat responsionem, quòd nihil eorum, quæ nostro arbitratu statuimus, in nostra est potestate: maiori autem potentia humana trahantur instituta, & proposita ad id, quod iubet ei, qui dominatum obtinet.

Theophilus Alexandrinus. 390.

Epistola 3. Paschali: Nec ambigitur, quin in vtramque partem vel faciendi, vel non faciendi bona habeamus liberam facultatem, & oppressis prauis recta nascantur? tuncque virtutum inter se concinit chorus, cùm vitiorum in animis fuerit solitudo.

Marcus Eremita. 400.

De his, qui operibus se iustificare putant, cap. 56. Gratia quidem ijs, qui in Christo baptizati sunt, arcana quadam & mystica ratione data est: operatur autem secundùm proportionem executionis præceptorum. Quin etiam occultè gratia nobis auxiliari non desinit: in nobis autem situm, pro virili bonum facere, aut non facere.

De Paradiso, & lege spirituali: Homo à natura habet promptitudinem animi, quam Deus requirit. Iubet ergo, vt homo inprimis cognoscat: & cùm cognouit amet, & voluntatem depromat. Vt autem mens exerceatur, laborem perferat, aut opus aliquod perficiat, gratia Domini largitur volenti & credenti. Quare voluntas hominis est velut auxilium à natura insitum, qua absente nec Deus quidem quippiam operatur, tametsi facultate non careat: quod fit ob arbitrij humani libertatem. Igitur operis perfectio Dei est: voluntas autem hominis.

Ioannes Chrysostomus. 400.

In Genesin Homilia vigesimasecunda: Vidisti quomodo sui iuris naturam nostram Dominus formauit? Vnde enim, dic oro, illi ad malitiam properabant, & seipsos pœnis faciebant obnoxios: iste autem virtutem eligebat, & fugiens eorum societatem, pœnam non gustauit? Nonne manifestum sua quemque voluntate vel malitiam, vel virtutem eligere? Nam, nisi ita esset, & naturæ nostræ potestas insita esset, neque illos puniri, neque istos virtutum retributiones accipere oportebat. Verùm quia in nostra voluntate totum post Dei gratiam relictum est, ideo & peccantibus supplicia proposita sunt, & bene operantibus retributiones.

Sermone in illud Esaiæ: *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis,* &c. Si velle, aut nolle vestrum non esset, hoc est, si viuendi rectè, an secus libertas adempta nobis fuisset, nec bonus vnquam cæleste munus dignè perciperet, nec malus supplicium competens inueniret: sed totum Deo deputaretur auctori, qui alios impingeret in contemptum, formaret alios in obsequium. Sed cùm diuinæ legis edicta in Ecclesia pendeant, quibus quid fieri Deus aut velit, aut nolit, eius familia instruatur, vt liberæ quis voluntatis arbitrio præcepta aut impleat, aut contemnat: vnde sibi quisque quod meretur, instituat: nec posse aliud mereri quàm velit: quippe cui legis propositus tenor sit, ex quo quod velit, eligat; & quod nolit, contemnat: vt iudicio hominis Dei iudicium celebretur: vt qui libertatem concessam in obsequium dederit, muneretur: qui in contemptum duxerit, condemnetur.

Sermone de proditione Iudæ: Quoniam bona atque mala Deus posuit in nostra potestate, electionis liberum donauit arbitrium. Et nos inuitos non retinet, sed volentes amplectitur. Nam non sponte bonus malitiam non amittit.

Sermone 8. in epistolam ad Philippenses: Quemadmodum nominans illa charismata, non propterea nos deijcit de liberi arbitrij possessione, sed hanc

ipsam liberam ac sui iuris potestatem nobis permittit: ita cùm inquit Deum esse, qui operatur in nobis velle, minimè nos libero arbitrio priuat: sed ostendit rectè faciendo, magnam nos acquirere propensionem ad volendum.

Philo Carpathius. 420.

In Cantica Canticorum: *Terror vel stupor.)* Studeamus igitur & nos post acceptam Spiritus sancti gratiam ex libero voluntatis arbitrio, qua bona sunt agere.

Ioannes Cassianus. 420.

Collat. 13. *cap.* 12. Adiacere homini in quamlibet partem libertatem etiam liber ille, qui dicitur Pastoris, apertissimè docet, in quo duo Angeli vnicuique nostrum adhærere dicuntur, id est, bonus ac malus: in hominis verò opinione consistere, vt eligat quem sequatur. Et idcirco manet in homine semper liberum arbitrium, quod gratiam Dei possit vel negligere, vel amare. Non enim præcepisset Apostolus dicens: *Cum metu & tremore vestram salutem operamini,* nisi sciisset, vel excoli à nobis eam posse, vel negligi.

Theodorus Ancyranus. 430.

Oratione de Natiuitate Saluatoris: Nequitia malignorum bonorum studia superabat: non quia vincitur Deus, sed quia arbitrio liberæ potestatis virtutem committit. Necessitas enim non cogit te ad correctionem: neque nolentem te trahit ad virtutem, vt tibi virtutem præparans, spontaneamque tuam faciat correctionem.

Homilia in Natalem Saluatoris: Solum hoc animal inter cætera omnia liberum conditum est: solum enim hominem sui arbitrij, suæque voluntatis dominum constituit Deus. Nonne cernis solem naturali quadam vi adactum volui? nonne constantem semperque sibi similem illius conuersionem aduertis? Cur autem eodem semper modo circumagitur? quia iudicium non habet. Tu autem productus es liber, facis quod lubet: necessitatem, quæ te vi impellat, nullam pateris: liberum est animi tui iudicium. Sol famulatur necessitati: homo sententiam sortitus est liberam. Iam dic vter præstantior est, seruus ne an dominus? necessitatis iugo subiectus, an ab omni necessitate immunis.

Isidorus Pelusiota. 430.

Lib. 2. *epist.* 129. Mirari videris qui factum sit, vt Christus proditorem minimè adduxerit, vt virtutem rem esse bonam existimaret, idque cùm de virtute persæpe, imò nunquam non de ea in ipsius colloquijs audijsset. Ego contra miror, quonam pacto cùm liberi arbitrij legem perspectam habeas, huius rei admiratione tenearis. Neque enim vi & coactione, sed persuasione ac lenitate hominum salus comparatur. Vnde etiam suæ quisquis salutis arbitrium habet, vt & qui corona donantur, & qui supplicijs afficiuntur, iustè quod elegerint percipiant.

Libro 3. *epistola* 363. Quoniam eos, qui ita conditi sunt, vt arbitrij libertatem habeant, inuitos & repugnantes ad pietatem trahere, nec honestum est, nec videtur: idcirco da operam, vt suasione, vbi occasio se offert, adhibita, per tuam vitam & mores eos, qui in tenebris degunt, illumines.

Nilus Abbas. 430.

Apud Damascenum in Parallelis lib. 1. *cap.* 9. In tuo arbitrio situm est, vel luce frui, vel in tenebris versari. Antequam primus homo à diuino mandato recessisset, fors omnes cicures habebat, nec quicquam ipsi ab illis iniuriæ oriebatur. *Ego sum ostium,* Ioan. 10. ait Dominus. Itaque thesauri sapientiæ & scientiæ intra ostium abstrusi sunt.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Ad cap. 1. Esaiæ: *Si volueritis, bona terræ comedetis.* Cùm posuerit vniuersitatis Deus in propensione inclinationeque eorum, qui hac pædagogia informati sunt, cùm bonum eligere, tum à malis recedere, liquidò probat rerum faciendarum, & fugiendarum habenas cuique mortalium dedisse, vt ad id, quod elegerit quis, liberè ire possit. Cùm hoc verum sit, vana nimirum & frigida tutela est, contendere ac dicere naturale esse in homine malum, vel fortunam, aut fatum, aut natiuitatem clauum rerum humanarum gubernare, & ad quod cuique eorum placet quoslibet pro suo arbitratu adigere, vt vitiositatis aut virtutis officio fungantur, non ad id voluntario impulsu ac propensitate ingressi, sed tanquam ineuitabili nutui subiugati ac subditi, necessitate dominantium ægrè ac difficulter impulsi.

Libro 6. contra Iulianum: Valde puerile est, quod dicit, non potuisse eum amicorum suorum proposita mutare. Oblitus enim mihi videtur, tametsi sæpius audierit, quòd homo sit sui iuris, voluntariè vadens ad quodcunque sibi placuerit: ita bene habere gloriam vniuersorum opificis, vt & qui bona operari voluerint, laudandi sint: & qui diuersam inierint viam, vituperandi iustè ab omnibus.

Libro 3. Humana mens potestatem sortita est quæ facienda, vel non, & permissa est voluntarijs impetibus ad quodlibet ire. Vnde optimo artifici etiam hoc gloriam adfert. Voluntaria enim operandi facultate conueniebat rationalem creaturam insigniri, & electionis liberæ declarari fructum, in bonis operibus dexteritatem.

Lib. 8. Genus humanum factum est sui iuris, & liberum, & suæ voluntatis, momento transiens ad potestatem, quantumcunque vellet, faciendi, siue bonum, siue malum.

Libro 9. *in Ioannem cap.* 10. Illud igitur magnopere considerandum est, quòd rationali creaturæ liberam potestatem Creator largitus est, & suæ voluntatis habenas cuique commisit: vt in eo sit quicquid probauerit eligere. Qui ergo ad meliora flexi sunt, hi gloriam atque retributionem electioni suæ consentaneam inuenient: qui verò improbis cogitationibus seipsos deprauârunt, cupiditatum fluctibus ad scelera deducti, non iniuria, vt ingrati & improbi, æternis vexabuntur supplicijs.

Theodoretus. 450.

Ad cap. 3. *ad Romanos:* Homines cùm sint libero arbitrio præditi, hi quidem Dei cultum præferunt: illi verò contraria via ingrediuntur, & finem vitæ suæ conuenientem assequuntur.

De curatione infidelium Græcorum Sermone 5. de natura hominis: Alia verò permulta id genus & in Euangelijs, & in Apostolorum monumentis facilè, quicunque velit, inueniet, quibus planè ostenditur absoluta hominis voluntas, liberumque arbitrium.

Titus Bostrensis. 460.

Ad cap. 15. Lucæ: *Da mihi portionem substantiæ.)* quasi dicat: Posteaquam liberæ voluntatis conditus sum, nolo coactus seruire. Si voluero, temperans ero: sin autem id noluero, compelli non volo.

Victor Antiochenus. 460.

Ad cap. 3. *Marci:* Etsi interim, quò palam fieret, non ipsam hominum naturam in causa esse, vt alij seruentur, alij pereant: sed liberam vniuscuiusque voluntatem, Iudam Ischariotam sciens volensque in Apostolum asciuerit. Vnusquilibet nam-

namque seipsum vita, vel interitu dignum declarat.

Nemesius. 420.

De natura hominis cap. 39. Disputatio de libera voluntate, id est, de eo, quod in nostra potestate esse dicitur, primam habet quæstionem, an sit aliquid in nostra potestate: multi enim sunt, qui repugnent: alteram, quæ sint illa, quæ sunt in nostra potestate, & quorum liberam habeamus voluntatem: tertiam, vt causam inuestigemus, cur nos parens noster Deus libera voluntate genuerit, &c. Relinquitur ergo ipsum, qui agit, & facit, hominem principium esse suorum operum, & libera voluntate, potestateque esse præditum. Præterea si nullius actionis homo auctor est, superuacaneè habet consultandi facultatem. Quorsum enim vtetur deliberatione, si nullius actionis est dominus, &c. Itaque in nobis situm est, iustos esse, aut iniustos. Esse autem aliqua in nostra potestate, cohortationes, & admonitiones ostendunt, &c.

Petrus Diaconus Constantinopolitanus. 480.

Libro de Incarnatione & gratia Domini nostri Iesu Christi cap. 8. Non dubitemus ab ipsius gratia omnis hominis merita præueniri, per quem fit, vt aliquid boni & velle incipiamus, & facere: quo vtique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, vt de tenebroso lucidum, de prauo rectum, de languido sanum, de imprudenti prouidum fit.

Olympiodorus Monachus. 500.

Ad cap. 1. Ecclesiastis: Quæcunque (inquit) faciunt homines, non quæ operantur eorum bonorum gratia, quæ sunt super solem: sed eorum gratia, quæ sunt sub sole, corruptibilium ac terrestrium omnia vidi quòd vanitas sunt: præter enim hoc, quòd elabuntur, ac euanescunt, etiam disponunt se homines ad supplicia, post præsentem vitam futura: quandoquidem nulla coacti necessitate hæc faciunt, sed præuia electione certoque consilio. Spiritum verò hoc loco animam intelligit rationalem, quæ liberi arbitrij potestate decorata est.

Ad cap. 3. Spiritualis natiuitas & interitus pendet à nobis. Opus enim est cum diuina operatione & gratia nostra quoque electione, vt moriamur quidem peccato, nascamur autem iustitiæ.

Ad cap. 12. Rationem habeto tuæ salutis, eam curato diligenter, donec vti potes libero voluntatis arbitrio, integrumque tibi est ad virtutem accedere. Post hanc etenim vitam tibi accidet non sicuti vis, sed torquebere sicuti non vis.

Andreas Cæsareensis. 500.

Ad cap. 9. Apoc. *Ego sto ad ostium, & pulso.* Mea, inquit, præsentia nulli vim adfert. Cordis ostium pulso, promptè aperienti super salute sua gratulor, illamque opiparæ cœnæ loco duco.

Ad cap. 22. *Qui nocet, noceat adhuc.*) Non adferuntur isthæc hoc loco, quasi ad iniustitiam aut immunditiam aliquem incitare velit, absit: verùm vt ostendat se hominis voluntatem liberam, & ab omni coactione immunem conseruare certò decreuisse. Sensus enim est: Vnusquisque quod sibi placet, operetur: Nullius equidem voluntati vim infero: Vnum hoc tantùm ostendo atque denuntio: nempe vnumquemlibet exitum sortiturum, suis studijs suisque operibus consentaneum.

Dorotheus Archimandrita. 520.

In Expositione quorundam dictorum Gregorij Nazianzeni: Erepti sumus ab inferis ob Christi humanitatem, & in nostra manu est redire ad Paradisum. Non enim vsque adeò tyrannidem exercet hostis vt antea, neque nos sub ea, qua primùm seruitute habet. Reliquum est igitur fratres, vt caueamus, & custodiamus nosipsos, ne rursus in peccati ruinam decidamus: Vt enim sæpius dixi: Peccati actio seruos nos facit, & sponte nostra seruituti huic subijcimur.

De renuntiatione doctrina 1. Primùm igitur per sacrum Baptisma nos liberauit, dans nobis remissionem peccatorum omnium: dans potestatem, qua operari bonum possemus, si vellemus, ne pertrahi ad peccatum nolentes possemus vlla vi.

Æneas Gazaus. 530.

In Theophrasto: *Theoph.* Sed an non præstiterat necessariò bonos nasci, quàm sub illo libertatis nomine diligendi & faciendi mali licentiam habere? *Ax.* Ecquæ cedo, & qualis esset virtus, animam sic coactam esse & seruire? Nec firma est vlla, vi quæ geritur, disciplina: nec laude dignum est, quod coactus feceris. Quo pacto autem præstaret hominem quasi lapideum esse, qui quocunque libeat artifici mitti queat? quàm qui vocalem aliquem ex seipso sonum edat, quem vniuersi illius opificij conditor ad hanc sui operis harmoniam totam pulchrè accommodetur. *Theoph.* Miror verò, quod cùm malorum vitiosam naturam seu improbitatem odio habeat, non etiam ob id suam bonis libertatem ac facultatem soluat ac frangat, &c. Mens bona, quæ secus ac suadet ratio corpore vtitur, vbi fuerit summa rerum potita, pro sua potestate sursum vorsum vertitur, & alterum alteri præfert. Id enim ea, quæ homini inest, quodlibet eligendi facultas potest: ea videlicet, quæ est ordinata rationis facultas, quasique principium.

Procopius Gazæus. 530.

In cap. 1. Genesis: Duplici ratione quis Dei imaginem adipisci volet. Prima ratio est Dei trahentis seu operantis: altera, dum homo liberi arbitrij facultate opera virtutis capessit.

In cap. 4. Sic dicit: *Peccatum hoc ad te conuertetur, & ad te referetur.* Sed vt ostendat hominem sui esse iuris, subiungit: *Et tu dominaberis ei.* Primus enim incepisti malè agere & delinquere. Cùm itaque impiè feceris, impietatem tuam ceu fundamentum consequentur & alia delicta: & ex te procedent, cùm tamen, modò velis, posses peccatum auersari & repellere.

Zacharias Mitylenensis. 540.

De mundi creatione contra Philosophos: A. Mihi rem gratissimam feceris, bone vir, si quicquid tuæ voluntati sedebit, percontaris. B. Deum suæ potestatis fecisse hominem dicebas? A. Maximè. B. Et legem ab opifice accepisse, sed eam neglexisse, contempsisseque legislatorem? A. Equidem. B. Ac eam causam esse narrabas dissolutionis? A. Ita est. B. Quid igitur, bone vir, necessarium fuit honorare, seu exornare naturam libertate, & liberum arbitrium impartire, per quod attrahenda erat ad interitum, &c. Qui tollunt liberum arbitrium, & incusant opificem, quòd eos non fecerit consilij & electionis expertes, nihil aliud quàm brutam naturam & vim siue impetum præferunt rationis participi, inuoluntariam motionem præponentes voluntariæ motioni.

Anastasius Synaites. 580.

Lib. 1. Hexameron: Quomodo aquæ caliginem habent ex propria essentia: ita homo etiam proprio, & non coacto proposito sua sponte facit & procreat peccatum.

Lib. 8. Media autem dicuntur duo ligna, nempe lignum diuinæ, & lignum aduersariæ potestatis: quandoquidem ex æquo cuiuis volenti concupiscenda inuenitur virtus & vitium propter liberum nostrum arbitrium.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu primo: Cùm summæ incomprehensibilis atque incircumscriptę bonitatis Deus noster & rex sit, cunctas à se conditas rationales creaturas liberi arbitrij dignitate honorauerit: alij quidem amici eius sunt, alij verò fideles ac legitimi serui quidam penitus inutiles, alij verò ab ipso prorsus alieni, &c. Omnibus, qui voluntate & libero arbitrio vtuntur, Deus communiter proponitur, omnibus vita, omnibus salus, fidelibus, & infidelibus: iustis, iniquis: pijs, impijs.

Isychius. 590.

Ad cap. 1. Leuit. Etsi offerre munus in potestatem offerentis dedit: nimis rectè quippe liberi arbitrij Deus hominem constituit: tamen quale offeratur non iam voluntatis est, ne fortè mala offerantur: necesse est ergo aut operari iustitiam, aut à malis abstinere.

Antiochus. 600.

Homilia 107. In nostra situm est potestate exorare tam clementem Dominum, & qui facilè malorum omnium obliuiscitur, iuxta illud: *Apposuit tibi aquam & ignem, ad vtrumlibet volueris extende manum tuam. Ante hominem vita & mors, & quodcunque placuerit dabitur ei.*

Leontius. 610.

In vita Simeonis Sali c. 1. Arcta & angusta via ingrediatur, & æternam vitam agere deinceps incipiat. In nostra enim potestate, & in nostro libero arbitrio situm est, futurorum desiderio ea, quæ sunt præsentia, vt quæ prætereant, contemnere: vel rursus cupiditate & desiderio præsentium excidere à bonis infinitis.

Maximus Monachus. 640.

De Incarnatione Verbi: Ecce donauit nobis Dominus modum salutis, deditquè nobis potestatem filios Dei fieri, & in voluntate nostra relicta est salus nostra, tradamus nos ipsos Domino perfectos, & perfectionem eius recipiamus.

De charitate centuria 3. *c.* 27. Participare eius bonitatem & sapientiam, aut non participare, hoc in arbitrio creaturarum rationabilium situm est.

Cap. 91. Animus noster medius est inter duos, quorum vterque opus proprium exercet. Vnus virtutem, alter autem vitium: hoc est Angelus & dæmon: cęterùm animo potestas relicta est eligendi quod vult, aut vt sequatur, aut vt resistat.

Cap. 92. Sanctæ virtutes cohortantur nos ad bona: naturalia autem semina, & bonum animi propositum, nobis in hoc sunt auxilio.

Thalassius Monachus. 640.

Hecatontide 4. *cap.* 11. Potestas tibi data est in vtrumuis declinandi. Sis ergo meliori subditus, & deteriorem tibi subijcito.

Sexta Synodus generalis. 680.

In Exclamatorio sermone ad Constantinum Imper. Nihil aliud constituit humanæ substantiæ integritatem, nisi essentialis voluntas, per quam liberi arbitrij vigor in nobis designatur.

Ioannes Damascenus. 730.

Libro 2. *Orthodoxæ fidei cap.* 25. Neque enim turpes actiones & sceleratas Deo ascribere fas est, neque necessitati. Non enim ex eorum genere actio est, quæ semper eodem modo se habent. Neque item fato: Non enim contingentium rerum, sed necessariò euenientium fatum esse afferunt. Ac ne naturæ quidem: Naturæ enim opera sunt stirpes atque animantia, &c. Relinquitur itaque eundem ipsum hominem, qui agit & operatur, operum suorum auctorem esse, eaquè in arbitrio suo atque potestate habere. Huc accedit, quòd si nullius actionis auctor est homo, frustra ei deliberandi facultas tributa erit. Quorsum enim deliberatione vteur, si nullius actionis arbitrium ac potestas penes eum existat? omnis enim deliberatio actionis causa suscipitur. Porrò id, quo nec præclarius quicquam, nec præstantius in homine est, superuacaneum esse asserere extremæ cuiusdam absurditatis fuerit. Ac proinde dum deliberet, actionis profectò causa deliberat. Nulla est enim deliberatio, quæ non actionis causa suscipiatur.

In historia Barlaam & Iosaphat capite 15. Electio in his rebus, quæ in arbitrio nostro sitæ sunt, versans, tum peccatum iusti operis origo est. Nam quarum rerum facultates penes nos sunt, harum etiam actiones facultatibus consentaneæ penes nos sunt. Quamobrem cùm facultates virtuti consentaneæ in nostra potestate sint, in nostra quoque potestate virtutes sint necesse est. Propriè enim in arbitrio nostro consistunt ea omnia, quæ animam attingunt, & de quibus deliberamus.

Elias Cretensis. 780.

In Orationem 3. *Nazianzeni:* Quoniam oportebat, vt cùm homines essent, peccati aliquid admitterent, non peccandi necessitatem inducit, nec quòd homines hoc in natura insitum habeant vt peccent, sed potius in voluntate. Possunt enim diuino fauore adiuti in bono manere ac progredi, rursumquè Deo permittente à bono deflectere, atque in malo existere propter arbitrij libertatem. Neque enim virtutis nomen promeretur, quod coactum est. Quamobrem quia nos virtutis & vitij capaces sumus, & quia in arbitrio nostro & voluntate situm est, vt peccemus, idcirco dictum est: Quoniam enim oportebat, &c.

Cæsarius. 780.

Dialogo 2. Quod si ex natura ipsis bonum vel malum adest, omninò ad opificem causa mali à nobis refertur. Quòd si liberæ voluntatis electione mouentur, primùm quidem erunt animalia prædita libera voluntate, solutis & liberæ potestatis motibus vtentia, &c. Si vitiosarum & virtuti consentanearum actionum non ex nobis principia pendent, sed ex necessitatibus natiuitatis, superflui sunt legum latores, qui sectanda fugiendaquè nobis definiunt, superflui iudices, qui virtutem quidem honorant, improbitatem verò puniunt. Neque enim furis, aut homicidæ ea iniuria est, qui ne quidem si velint, manum cohibere possunt, propter vrgentem ipsos ad ea facta astrorum legem, & propter sibi impositam ex fato necessitatem, &c. Non ex aliquo fato, vel necessitate, virtus improbitasve viuentibus inseritur aut decernitur, sed ex vniuscuiusquè libera potestatis electione vnusquisque se ad ea, quæ elegit, confert. Id quod manifestè eximius ostendens Esaias luculenter clamat in persona Dei: *Si volueritis, & auscultaueris mihi, bona terræ comedetis: si verò nolueritis, neque auscultaueritis mihi, gladius vos deuorabit.* Ipse verò in Euangelio concionans ait: *Hierosolyma, Hierosolyma, quæ occidis vates, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare vos sub alas meas, & noluistis?* ad voluntatem vnuscuiusque referens sequenda aut vitanda, & non ad necessitatem fati, aut legis astrorum. Non enim peccatores nos esse duceret, si illorum insidijs essemus expositi.

Photius. 870.

Ad caput 9. *epist. ad Romanos:* Tu contradicis, & causas ab opifice expetis. Certè libero arbitrio

non priuaris, certè non coactus peccas. Iustè itaque & puniris, & in reprehensionem cadis, cùm liber sis, nec facias quæ oportet.

Theophylactus. 900.

Ad caput 22. Matthæi: Pauci qui saluantur, & qui digni sunt vt eligantur à Deo: ita vt Dei quidem sit vocare, electum autem vel fieri, vel non, nostrum.

Ad caput 6. Ioannis: Quòd dicit: *Nullus potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum,* hoc dixit, non vt tollat libertatem arbitrij, absit: sed vt ostendat, quòd multa habeat opus cooperatione à Deo is, qui crediturus est.

Ad cap. 13. *Ego scio quos elegerim.*) Quid dicemus de Iuda? Num & illum elegit? Elegit quidem eum cùm bonus esset, sicut & Saul, sed mutatus est ipse, liberi arbitrij existens. Permittit autem vnicuique secundùm quod vult operari. Non enim aufert liberum arbitrium: mutatum autem Iudam repulit, quamuis prius elegisset.

Simeon Metaphrastes. 950.

Vita S. Pachomij cap. 22. Quamobrem apertè ostensum est, quòd & nos, & quicunque volumus eum sequi, possumus, sicut ipse quoque secutus est sanctos Patres, qui eum præcesserunt, hoc est enim, quod scriptum est: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos:* qui libera vestri arbitrij potestate quæ sunt mala reliquistis, vt ad bonum accurratis. Vna ergo commoriamur, vt simul veniamus cum hoc homine: quoniam nos rectè ducit ad vitam.

Matt. 11.

In vita S. Auxentij Abbatis: Deus nos fecit libero arbitrio præditos, neque seruientes vlli externæ necessitati, sed liberè nostro arbitratu eligentes quod nobis placet. Hanc enim calamitatem, qua nunc tenetur humanum genus, fraude inducti attraximus, non à Deo factam. *Deus enim mortem non fecit, neque delectatur interitu virorum:* sed quodammodo nos homines sumus mali creatores. Quomodo enim lux solis est communiter proposita omnibus, quibus adest vis videndi, potest autem, si velit quispiam, claudens oculum separari à dono lucis, non quòd sol in eo effecerit tenebras, sed quòd radij splendorem auersatus, tenebras sua sponte attraxerit. Et quomodo si quis domum sibi construens, nullum aditum præbeat, intrinsecus obscuram domum efficit: ita nos quoque in natura habentes bonum & honestum, nostro arbitratu innouamus, quæ sunt præter naturam, nostra sponte malorum experientiam in boni & honesti auersione, electione nostra, & instituto fabricantes.

Sap. 1.

Moses Barcepha. 930.

In Commentario de Paradiso parte 1. Adhæc homines, si volunt, seruant: si nolunt, non seruant suas leges. Pendent enim ex libero hominum arbitrio. At aliter se habent earum rerum leges, quæ ratione, & quæ sensu vacant. Neque enim leo & audax, & timidus esse potest: neque lepus pauidus, & impauidus: sed vna audacia leonum, pauor vero solus leporum: neque vt leo audax non sit, vel lepus non fugax fieri potest. Consentaneum igitur est, hæc si suis legibus pareant, non ideo digna esse præmio, quando nulla arbitrij libertate pollent, sed naturæ vinculis constricta tenentur: nos verò vel obseruare, vel violare leges nobis imperatas quimus.

Suidas. 970.

In voce εἱμαρμένη: Nos Christiani Deum confitemur administrare omnia. Ea, quæ infra lunam sunt, à quatuor causis pendent: à Deo, à fato, à voluntate nostra, à fortuna. Veluti conscendere nauem nostri est arbitrij: sed in serenitate subitò existere tempestatem & procellas fortuitum: nauem verò submergendam, præter spem conseruari, prouidentiæ diuinæ: Fati verò multi sunt modi.

Oecumenius. 1050.

Ad caput 7. epistolæ ad Romanos: *Non quòd non habitet in me,* hoc est, in carne mea, *bonum.*) Arbitrij libertatem vult ostendere, quodque homo dominus sit potentiæ ad vtrumque, tam bonum, quàm malum.

Ad caput 9. *Cuius vult miseretur.*) Illius miseretur, qui miseratione dignus est, durum autem & contumacem, durum esse permittit. Neque enim iudicij præsens tempus est, sed ciuilis politiæ ac libertatis arbitrij. *Obdurat autem,* id est, durum esse finit, permittens ad arbitrij libertatem. *Nunquid dicit figmentum.* Non hæc dicit tollens arbitrij libertatem: minimè gentium, sed ostendit, quòd omnibus modis Deo obtemperare oportet.

Euthymius. 1080.

Ad cap. 6. Ioannis: *Num ego vos,* inquit, *duodecim elegi? Et tamen vnus ex vobis,* in nullo mea adiutus electione, vtpote liberum habens arbitrium ad virtutem & vitium, *diabolus est,* & diaboli minister. Significat itaque in voluntate & electione hominis situm esse, vt saluetur, aut pereat. Nihil ergo nouum, quòd Iudas, cum eligeretur, bonam habuerit voluntatem, postea autem sit immutatus, tamquam libero vsus arbitrio.

Ad caput 12. Ioannis: *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor illorum.*) Et hoc Scripturæ idioma est, Dei permissionem quasi opus eius appellare. Siquidem *excæcauit, & indurauit,* significant, excæcari & indurari permisit, tanquam incurabiles: neminem enim vi attrahit, propter liberum cuiusque arbitrium.

Michael Glycas. 1100.

Parte 1. Annalium, de igne fulguris: Sidera potestatem absolutam in actiones nostras habere, virtutemque nobis aut vitium indere, nemo vnquam rationis compos dixerit: siquidem Deum per vatem loqui audierit: *Si volueritis & obtemperaueritis mihi, bonis terræ vescemini.* Cùm enim sic ait: *Si volueritis,* manifestè declarat, vnumquemque nostrum liberum esse, simulque singulos sic esse à natura comparatos, suarum vt actionum ipsi sint domini.

Nicetas Choniates. 1200.

In Thesauro Orthodox. lib. 4. hæresi 41. Cùm liberum arbitrium mundi nobis opifex concesserit, actiones nostræ in potestate nostra sunt: si enim secundùm astrorum cursum omnia facimus, quæcunque tandem à nobis fiunt, ea necessariò fiunt. Quod autem necessariò fit, neque virtus id, neque vitium est. Iam si neque virtutem, neque vitium assequamur, indigni sumus, qui laudibus aut coronis decoremur, probrisque aut suppliciis afficiamur: imò Deus ipse iniustus deprehendetur, quòd his quidem bona, illis verò afflictiones immittat, neque ea, quæ creauit, prouidentia sua regere curet, si necessariò cuncta susque deque ferantur. Imò etiam superflua in nobis ea pars animæ fuerit, quæ rationis est particeps. Nam si nullius actionis compotes sumus, frustra deliberamus. Rationalis enim pars animæ hominibus deliberandi gratia diuinitus data est: ex deliberatione autem ratio & liberum arbitrium elucescunt.

Nicephorus Callistus. 1300.

Ecclesiasticæ Historiæ libro 1. capite 3. de hominibus primæ ætatis. Virtus & Philosophia ne de nomine quidem ijs notæ fuêre, sed perinde atque quidam Nomades palantes in solis lucis vixêre, & insita sibi à natura rationis semina corrumpentes, ac vitiositatem malitiamque omnem, ex liberi arbitrij sententia refingentes, quicquid esset pessimum, timore deposito peregêre.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 4. Quoniam homo, vt sui iuris & liberi arbitrij sit, à Deo est conditus, nec ablatum ab ipso est antea illi concessum liberum arbitrium, sed semper habens liberum arbitrium permansit: voluit saluare Deus hominem, sed tamē sua ipsius, hominis scilicet, voluntate & arbitrio, non vi, & necessitate, vt Machomet prædicat.

Manuel Palæologus. 1400.

Oratione 2. Virtus nostra in potestate, nostra in electione sita est. Quemadmodum ergo, qui malus esse vult, necessariò fit malus. Nam per ipsum velle statim fit: sic etiam qui bonus esse vult, non poterit fieri non bonus.

In præceptis educationis regiæ capite 28. Tam obtemperare dæmonibus ac pestiferis hominibus, quàm eorundem ad pessima cohortantium consilia respuere, in nostra situm est potestate. In hominis arbitrio situm est, vt persuadeatur. Quod autem ita comparatum est, voluntarium est, ac nostrum, non aliorum. Quòd si vi fieret in nobis persuasio, alia vteremur oratione: nunc cùm à nostra pendeat electione, cuius dominus est duntaxat is, qui ea præditus est, quæ dicimus amplectenda veniunt: quippe satis est, ijs probare bonum esse hominem si velit: & malum fieri, quia velit.

Basilius Dux Moscouiæ. 1570.

Capite 6. Liberi arbitrij hominem Christus Dominus noster creauit, quo ipsius vestigia imitaretur.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Responso 1. capite 18. De illo verò, vbi dicitis, absque auxilio diuino non posse quemquam saluari, scimus & nos principaliter nobis auxilio, & gratia Dei opus esse, ex dicto Domini, quod est: *Sine me non potestis quicquam facere:* sed audimus etiam quid à Doctoribus dicatur: Dicit enim S. Chrysostomus: Gratia, licet gratia sit, volentes saluat. Quid ergo? Nihilne penes Deum est? Omnia quidem arbitrio Dei subiacent, non tamen ita, vt libertati arbitrij nostri officiatur. Si ergo penes Deum est, obijcitur, quid nos accusat? Ideò subdidi verba, ita tamen, vt libertati arbitrij nostri ne officiatur. In nostro ergo, & in ipsius arbitrio: oportet enim nos primùm eligere bona, tunc ipse suum addet. Non anteuertit ille nostras voluntates. cur? ne officiat nostro arbitrio. Verùm quando nos eligimus, tunc ipse strenuam nostram operam nauat nobis.

Responso 2. capite 2. de libero arbitrio: Quod non in potestate nostra est, Christus sanauit: cætera verò in electione nostra sita sunt. Non enim beneficentia Dei malorum & pœnarum nobis conciliatrix fit, sed socordia nostra, & voluntaria ad malum inclinatio. Non enim prohibet hominem facere quicquid velit, libera potestate præditum. Nam si prohiberet, tum hominem côuertisset, quando ipsum à recta via longè recedere videbat. At vbi cerneretur in eo vsus rationis? vbi libertas voluntatis? vbi exinde virtus? vbi coronæ propter eam datæ?

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 190.

Libro de anima capite 20. Acuunt doctrinæ, disciplinæ, artes, & experientia, negotia, studia: obtundunt inscitiæ, ignauia, desidiæ, libidines, inexperientiæ, otia, vitia. Super hæc si & alia quæ præsunt potestates: enimuerò præsunt. Secundùm nos quidem Dominus Deus, & diabolus æmulus: secundùm communem autem opinionem & prouidentia, & fatum, & necessitas, & fortuna, & arbitrij libertas. Nam hæc & Philosophi distinguunt, & nos secundùm fidem differenda suo iam nouimus titulo.

Lucæ 6. *Capite 21.* Non dabit arbor mala bonos fructus, si non inseratur: & bona malos dabit, si non colatur. Et lapides filij Abrahæ fient, si in fidem Abrahæ formentur. Et genimina viperarum fructum pœnitentiæ facient, si venena malignitatis expuerint. Hæc erit vis diuinæ gratiæ, potentior vtique natura, habens in nobis subiacentem sibi liberam arbitrij potestatem, quod αὐτεξούσιον dicitur, quæ cùm sit & ipsa naturalis atque mutabilis, quoquo vertitur, natura conuertitur. Inesse autem nobis τὸ αὐτεξούσιον naturaliter, iam & Marcioni ostendimus, & Hermogeni.

Libro 2 aduersus Marcionem cap. 5. Liberum & sui arbitrij & suæ potestatis inuenio hominem à Deo institutum, nullam magis imaginem & similitudinem Dei in illo animaduertens, quàm eiusmodi status formam. Neque enim facie & corporalibus lineis, tam varijs in genere humano, ad vniformem Deum expressus est, sed in ea substantia, quam ab ipso Deo traxit, id est, animæ, ad formam Dei spondentis, & arbitrij sui libertate, & potestate signatus est. Hunc statum eius confirmauit etiam ipsa lex, tunc à Deo posita. Gen. 2. Non enim poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in sua potestate: nec rursus comminatio mortis transgressioni ascriberetur, si non & contemptus legis in arbitrij libertatem homini deputaretur. Sic & in posteris legibus creatoris inuenias proponentis ante Eccle. 15 hominem bonum & malum, vitam & mortem: sed nec aliàs totum ordinem disciplinæ per præcepta dispositum, auocante Deo & minante, exhortantéue, nisi & ad obsequium, & ad contemptum libero & voluntario homine.

Capite 6. Tota ergo libertas arbitrij in vtramque partem concessa est illi, vt sui dominus constanter occurreret, & bono sponte seruando, & malo sponte vitando: quoniam & aliàs positum hominem sub iudicio Dei, oportebat iustum illud efficere de arbitrij sui meritis, liberi scilicet. Cæterùm nec boni nec mali merces iure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inuentus, non voluntate. In hoc & lex constituta est, non excludens, sed probans libertatem de obsequio sponte præstando, vel transgressione sponte committenda, ita in vtrumque exitum libertas patuit arbitrij.

Capite 8. Sicut Deus homini vitæ statum induxit, ita homo sibi mortis statum attraxit. Et hoc non per infirmitatem, sicuti nec per ignorantiam, ne quid auctori imputaretur. Gen. 3. Nam etsi angelus qui seduxit, sed liber & suæ potestatis qui seductus est, sed imago & similitudo Dei, fortior angelo, sed adflatus Dei generosior spiritu ma-

tu materiali quo angeli constiterunt. *Qui facit*, inquit, *spiritus angelos, & apparitores flammam ignis.* Quia nec vniuersitatem homini subiecisset infirmo dominandi, & non potiori angelis, quibus nihil tale subiecit: sic nec legis pondus imposuisse, si grauis lex inualido sustinendi, nec quem excusabilem sciret nomine imbecillitatis, cum definitione mortis conuenisset. Postremò non libertate, nec potestate arbitrij fecisset infirmum. sed potius defectione earum. Atque adeò eundem hominem, eandem substantiam animæ, eundem Adæ statum, eadem arbitrij libertas & potestas, victorem efficit hodie de eodem diabolo, cùm secundùm obsequium legum eius (*Dei scilicet*) administratur.

De exhortatione ad castitatem capite 2. Itaque cùm vtrumque ex præceptis eius didicerimus, quid velit, & quid nolit, iam nobis est voluntas eligendi alterum, sicut scriptum est: *Ecce posui ante te bonum & malum*: gustasti enim de arbore agnitionis. Et ideo non debemus quod nostri expositum est arbitrio, in Dei referre voluntatem, quos vult ipse & velle, qui malum non vult.

Eccl. 15.

Minutius Felix. 230.

In Octauio: Nec de fato quisque aut solatium capiet, aut excuset euentum: sit fortis fortunæ, mens tamen libera est: & ideo actus hominis, non dignitas iudicatur. Quid enim aliud est fatum, quàm quod de vnoquoque nostrum Deus fatus est? Qui cùm possit præscire materiam, pro meritis & qualitatibus singulorum etiam fata determinat. Ita in nobis non genitura plectitur, sed ingenij natura punitur.

Cyprianus. 250.

Libro 1. epist. 3. *Epistola* 55. Nec præpositum seruum deseri à quibusdam miretur aliquis, quando ipsum Dominum, magnalia & mirabilia summa facientem, & virtutes Dei Patris factorum suorum testimonio comprobantem, discipuli sui reliquerint. Et tamen ille non increpuit recedentes, aut grauiter comminatus est, sed magis conuersus ad Apostolos suos dixit: *Nunquid & vos vultis ire?* seruans scilicet legem, qua homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimetipse vel mortem appetit, vel salutem.

1. Ioan. 2. *De vnitate Ecclesiæ Catholicæ:* Hos execratur & percutit Ioannes Apostolus dicens: *Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* Hinc hæreses & factæ sunt frequenter, & fiunt dum peruersa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet vnitatem. Fieri verò hæc Dominus permittit ac patitur, manente propriæ libertatis arbitrio: vt dum corda & mentes nostras veritatis discrimen examinat, probatorum fides integra manifesta luce clarescat.

Deut. 30. *Libro 3. ad Quirinum capite* 52. Credendi, vel non credendi libertatem in arbitrio positam: in Deuteronomio: *Ecce dedi ante faciem tuam vitam & mortem, bonum & malum: elige tibi vitam, vt viuas.* Item

Esaiæ 1. apud Esaiam: *Et si volueritis, & audieritis me, bona terræ edetis: si autem nolueritis, & non audieritis me, gladius vos consumet: os enim Domini locutum est ista.* Item in Euangelio secundùm Lucam: *Regnum Dei intra est.*

De Natiuitate Christi: Vult & laudat Paulus ex imperio Domini, vt quæ nupserint sic permaneant, quæ verò virgines sunt Dei, cumulatione castitatis integritatem exhibeant Christo. Et in hunc modum quæcunque auctoritate diuina immobilia constant, sic maneant: quæ verò in alterum potest libertas arbitrij flectere, locum eligant priorem.

Zeno Veronensis. 260.

Sermone de Spiritu & corpore: Nulla vlli competit excusatio, maximè cùm res nostræ commissa sit voluntati, Propheta dicente: *Ante hominem bonum & nequam, mors & vita: quod elegerit, hoc dabitur ei.* Vnde dubium non est voluntatem nostram cui se iunxerit parti præbere iustitiam, eiusq; in resurrectione aut præmio perfrui perenni, aut consimili pœna puniri. Eccle. 15.

Arnobius Rhetor. 300.

Libro 2. aduersus Gentes: Si tibi fastidium tantum est, vt oblati respuas beneficium muneris: quin imò si tantum sapientia præuales, vt ea, quæ offeruntur à Christo, ludum atque ineptias nomines, quid inuitans peccat, cuius solæ sunt hæ partes, vt sub tui iuris arbitrio fructum suæ benignitatis exponat: sortem vitæ eligendi nulli est (inquit Plato) Deus causa, neque alterius voluntas ascribi potest cuiquam rectè, cùm voluntatis libertas in ipsius sit posita potestate, qui voluit, &c. Nulli Deus infert necessitatem, imperiosa formidine nullum terret, &c.

Iulius Firmicus Maternus. 340.

De erroribus profanarum religionum cap. 29. Quid hic ad sacrilegium pronus aures tuas obstruis? Quid hoc obstinati furoris ardore in exitum mortemq; festinas? Liberum te Deus fecit: in tua manu est, vt aut viuas, aut pereas.

Hilarius. 350.

In Psalm. 2. Nam vnicuique nostrum libertatem vitæ sensusque permisit, non necessitate in alterutrum affigens, vt vnumquemque ex natura bonum malumúe esse lex cogeret: sed qui nos per beneuolentiam vtendæ beatitudinis suæ creasset, profectum nobis ad id meritum vitæ innocentis honestæque constituit. Quid autem honoris ac præmij bonitatis necessitas mereretur, cùm malos nos esse vis quædam nobis conserta non fineret? Voluntati ergo permissa bonitas est, vt præmium sibi voluntas bonitatis acquireret, essetque nobis æternæ huius beatitudinis profectus & vsus ex merito, non necessitas indiscreta per legem. Et quamquam nos ad voluntatem bonitatis, id est, ad bene honesteq; viuendum per spem promerendæ & vtendæ suæ bonitatis illiceret, pœnam tamen deuitatę & contemptæ bonitatis adiecit, vt cùm libertatem nobis voluntatis ad promerendam bonitatem reliquisset, quia meritum necessitas naturæ non haberet, libertatem ipsam quotidie propositus è contrario pœnæ terror argueret, &c.

In Psal. 118. litera He: *Inclina cor meum in testimonia tua.*) Prius quæ à Deo sunt cum honore proposuit, & tunc quę à se cum confessione subiecit. Orat igitur, vt Deus tribuat. Est ergo à nobis, cùm oramus, exordium, vt munus ab eo sit: deinde quia de exordio nostro munus est eius, ex nostro rursum est, vt exquiratur & obtineatur, & maneat.

Litera Nun: Afferunt quidam proprium Dei munus esse, vt quis in Dei rebus atque operibus versetur: excusantes infidelitatem suam, quòd cessante erga se Dei voluntate maneant infideles. Est quidem in fide manendi à Deo munus, sed impediendi à nobis origo est. Et voluntas nostra hoc proprium ex se habere debet, vt velit Deus incipienti crementum dare: quia consummationem per se infirmitas nostra non obtinet, meritum tamen adipiscendæ consummationis est ex initio voluntatis.

Litera Tau: Alijs gloriam seculi eligentibus, alijs venerationem elementorum ac dæmonum ca-

poſſidentibus, alijs terrenas opes expetentibus: ſanctus iſte mandata Dei elegit. Elegit autem non naturali neceſsitate, ſed voluntate pietatis. Quia vnicuique ad id quod volet via eſt propoſita viuendi,& appetendi, atque agendi permiſſa libertas: & ob id vniuſcuiuſque aut pœna, aut præmijs afficietur electio.

Lib.1.de Trinitate: Eſſe filios Dei eſt opus voluntatis,non neceſsitatis.

Ambroſius. 370.

Lib.1. de Iacob & Vita beata cap.1. Non ſeruili ad obediendum conſtringimur neceſsitate, ſed voluntate arbitra, ſiue ad virtutem propendimus, ſiue ad culpam inclinamur. Et ideò nos aut liber affectus ad errorem trahit, aut voluntas reuocat, rationem ſecuta.

In Pſal.40. *Etenim homo pacis meæ,in quo ſperaui.)* Bene ait *ſperaui*: quia homini dedit eligendi arbitrium,quod ſequitur. *Poſui,* inquit,*ante te bonum & malum.* Si malum elegeris, non natura delinquit: ſed eligentis affectus.

Deut. 30

In Pſal.118. octonario 11. *Quot ſunt dies ſerui tui.)* Dominus Ieſus veniens in hunc mundum per virginis partum, ſubiecit animæ noſtræ omnes contrarias poteſtates,vt fide tua, verbo tuo, conuerſatione tua,& operibus conterantur. Si ergo nõ conteris aduerſarium, tua culpa eſt, qui permiſſa non vteris poteſtate. In nobis eſt igitur: vt aut ſubijciatur aduerſarius,aut reſultet.

Epiſt.84. An fortè verendum eſt,ne liberum tollere videamur arbitrium, cùm omnia, per quæ propitiatur Deus, ad ipſum dicimus eſſe referenda? Quod nequaquam eſſe conſequens veritatis oſtenditur. Operante enim Spiritu Dei iuuatur arbitrium,non aufertur: & hoc agit gratia,vt voluntas peccato corrupta, vanitatibus ebria, ſeductionibus circumſepta, difficultatibus impedita, non remaneat in languoribus ſuis, ſed per opem miſerantis medici curata reualeſcat, & gaudeat ſe non interrogantem edoctam, & non quærentem eſſe quæſitam.

Optatus Mileuitanus. 370.

Contra Parmenianum lib.7. Quicquid neceſsitas peccat, non poteſt magnis viribus accuſari. Denique voluntas habet pœnam, neceſsitas habet veniam.Homicida ſcelus,dum nemo cogit, poteſt facere, & poteſt non facere: adulterium mœchus, dum de foris nemo compellit, poteſt admittere, & non poteſt admittere, & cætera huiuſmodi,in quibus liberum habetur arbitrium. Ideo prohibita dum geruntur,iudicio deſtinantur:non interdicta, dum aliqua neceſsitate fiunt, fortè facilè dignetur ignoſcere,qui voluit prohibere.

Philaſtrius. 380.

Gen. 4. Hæreſi 80.de eò quòd dictum eſt Cain: *Tu dominaberis illius.* Nõ ita dicit Scriptura dominari illum fratri ſuo,vt eum interficeret, ſed dominaberis cogitationi tuæ malæ, vtique quæ eſt in arbitrio tuo, vt cuiuſque hominis arbitrio & voluntate aut proijciat de corde ſuo malam cogitationem immiſſam à diabolo, aut non proijciendo crimen incurrat perpetuum.

Prudentius. 380.

De Hamartigenia:

Neſcis ſtulte tua vim libertatis ab ipſo
Formatore datam?neſcisq; ab origine quanta
Sit conceſſa tibi famulo ſuper orbe poteſtas?
Et ſuper ingenio proprio,laxeq; ſoluto
Iure voluntatis,liceat cui velle, ſequiq;
Quod placitum,nulliq; animum ſubiungere vinclo?
An cùm te dominum cunctis quæcunque crearat
Perficeret.mundumq; tuis ſeruire iuberet
Imperijs,cumq; arua,polum,mare, flumina,ventos
Dederet,arbitrium de te tibi credere auaro
Nollet vt in digno,libertatemq; negaret?
Quale erat,electus magni rex orbis vt eſſet,
Non rex ipſe ſui,certo fœdatus honore?
Nam quis honos domini eſt,cuius mens libera nõ eſt,
Vna ſed impoſita ſeruit ſententia legi?
Quæ laus porrò hominis,vel quod meritum,ſine certo
Inter vtramque viam diſcrimine viuere iuſtè?
Non fit ſponte bonum:cui non eſt prompta poteſtas
Velle aliud,flexosq; animi conuertere ſenſus.
Atqui nec bonum eſt,nec collaudabilis ille,
Qui non ſponte bonus:quoniam probitate coacta
Gloria nulla venit, ſordetq; in gloria virtus,&c.
En tibi ſignatum libertatis documentum.
Quod voluit nos ſcire Deus, quodcunq; ſequendum
eſt
Sub noſtra ditione ſitum,paſsimq; remiſſum
Alterutram calcare viam:duo cedere iuſſi
De Sodomis,alter ſe proripit,altera ceſſat:
Ille gradum celerat fugiens,contra illa renutat:
Liber vterq; animus,ſed diſpar vtrique voluntas,
Diuidit huc illuc rapiens ſua quemque libido.

Hieronymus. 390.

Dialog. aduerſus Pelagianos lib.3.cap.1. Et tamen hoc ſcito baptiſmum præterita donare peccata, non futuram ſeruare iuſtitiam, quæ labore, & induſtria, ac diligentia, & ſemper ſuper omnia Dei clementia cuſtoditur, vt noſtrum ſit rogare,illius tribuere quod rogatur:noſtrum incipere,illius perficere: noſtrum offerre quod poſſumus,illius implere quod non poſſumus.

In caput 49. Eſaiæ: Hæc vniuerſa dicuntur,vt liberum hominis arbitrium monſtretur.Dei vocare eſt,& noſtrum credere.Nec ſtatim,ſi nos non credimus,impoſsibilis eſt Deus, ſed potentiam ſuam in noſtro arbitrio derelinquit, vt iuſti voluntas præmium conſequatur.

In caput 55. Eſaiæ: Illud,quod in Euangelio dicitur: *Non poteſt arbor bona facere fructus malos,* nequaquam refertur ad naturæ proprietatem, vt hæretici volunt,ſed ad mentis arbitrium.Denique infertur: *Aut facite arborem bonam, & fructus eius bonos.* Ex quo perſpicuum eſt, vnumquemque propria voluntate facere animæ ſuæ bonam & malam arborem,cuius fructus varij ſunt. Matt. 7.

Ad caput 5. Eccleſiaſticæ: Dicitur quòd agat vnuſquiſque quod velit, & ſibi rectum eſſe videatur, atque in diuerſa homines libero ferantur arbitrio, & vana ſint vniuerſa ſub ſole, dum inuicem nobis in bonorum & malorum finibus diſplicemus.

Ad caput 7. Eccleſiaſtæ: Hoc fecit Deus,vt habeat ſapientia locum in eligendo bonum,& vitando malum, & liberum homini relinquatur arbitrium. Ne dicat ſe inſenſibilem ac ſtolidum à Deo eſſe generatum: ſed eum ideo feciſſe diuerſa, vt homo queri de ſua conditione non poſſet.

Libro 2.contra Iouinianum capite 2. Liberi arbitrij nos condidit Deus,nec ad virtutes, nec ad vitia neceſsitate trahimur: alioquin vbi neceſsitas eſt, nec condemnatio, nec corona eſt, ſicut in bonis operibus perfectior eſt Deus. *Non eſt enim volentis,neque currentis: ſed miſerentis* & adiuuantis *Dei,* vt peruenire valeamus ad calcem: ſic in malis atque peccatis ſemina noſtra ſunt incentiua, & perfectio diaboli.

Ad caput 5. ad Galatas: Aliud eſt Dei opus, aliud hominum. Dei opus eſt vocare: hominum vel credere, vel non credere. Et ſicut alibi de Scripturis liberum hominis affirmatur arbitrium, vt ibi: *Si volueritis, & audieritis me.* Exod. 19

Et iterum:

Et iterum: *Et nunc Israel, quid petit à te Dominus Deus tuus?* & ex hoc vel maximè comprobatur. Verùm simpliciores quique putantes se deferre Deo, vt persuasio quoque nostra in eius sit potestate, abstulerunt partem orationis, *non*, & sensum contrarium Apostolo reddiderunt. Siue ergo in bonam, siue in malam partem, nec Deus, nec diabolus in causa est: quia persuasio non est ex eo, qui vocauit nos, sed ex nobis, qui vel consentimus, vel non consentimus vocanti.

Ad caput 5. Matthei: Si præcepta Dei custodiens, filius quis efficiatur Dei: ergo non natura filius, sed arbitrio suo.

Gaudentius. 400.

Tractatu 3. de Dominica Paschæ: *Occident* ait: non occidant. Synagoga quippe Iudæorum quod erat crudeliter factura, prædictum est, non vt fieret iussum est. Nec ideo factum est, quia prædictum erat: sed ideo prædictum est, quia erat futurum, vt præscientiam suam Deus in his, quæ per libertatem arbitrij hominum futura erant, ostenderet. Libertatem diximus arbitrij, quia voluerunt Iudæi facere, quod fecerunt: & vtique si voluissent, non fecissent. Certè ingentis sacrilegij est, vel cogitare quòd Deus, qui non solùm bonus & iustus, sed & ipsa bonitas est, & ipsa iustitia, vel iubeat aliquid, vel cogat fieri, quod factum damnet, &c. Præscientia quidem Dei non fallitur: sed nec homini concessa semel voluntatis libertas aufertur, ne nihil de eo iudicare possit, qui liber non fuerit in agendo.

Tractatu 13 de Natali Domini, contra auaritiam Iudæ: Vult Dominus verè iustus iudex, vt meriti proprij sibi causa quisque: vult & iustum pro sola iustitia pati, vult & iniquum, si in malitia perdurauerit, reum mortis proprio arbitrio iudicari. *Figurauit enim Deus hominem*, vt Scriptura testatur, *& ad imaginem similitudinis suæ fecit illum, & dimisit eum in manu consilij sui: posuit ante eum aquam & ignem, dicens, ad quod volueris, extende manum tuam.* Eccle.15.

Chromatius. 400.

Ad caput 5. Matthæi: Ad omne deuotionis opus impigros nos esse præcipit Dominus, & paratos. Bonum enim nostrum vult non tam necessitatis esse, quàm propriæ voluntatis, vt dum amplius ex nobis facimus, quàm ab alijs postulamur, maioris mercedis gloriam consequamur. Integræ enim charitatis ac perfectæ deuotionis officium est, plus sponte præstare quàm petieris.

Augustinus. 400.

De Ciuitate Dei libro 5. capite 10. Nullo modo cogimur aut retenta præscientia Dei tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, Deum (quod nefas est) negare præscium futurorum: sed vtrumque amplectimur, vtrumque fideliter & veraciter confitemur, &c. Neque ideò peccat homo, quia Deus illum peccaturum præsciuit: imò ideo non dubitatur ipsum peccare, cùm peccat: quia ille, cuius præsentia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præsciuit: qui si nolit, vtique non peccat: sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præsciuit.

De spiritu & litera capite 30. Liberum ergo arbitrium euacuamus per gratiam? absit. Sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non euacuatur, sed statuitur. Neque enim lex impletur, nisi libero arbitrio: sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ abolitione peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrij, per liberum arbitrium iustitiæ dilectio, per iustitiæ dilectionem legis operatio. Ac per hoc, sicut lex non euacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur: ita liberum arbitrium non euacuatur per gratiam, sed statuitur: quia gratia sanat voluntatem, qua liberè diligatur iustitia.

Capite 34. Consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat, (neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat,) profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est. Rom.3.

De gratia & libero arbitrio capite 2. Reuelauit autem Deus nobis per Scripturas suas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium. Primùm, quia ipsa diuina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perueniret, &c. *Ipse ab initio fecit illum, & reliquit illum in manu consilij sui.* Si volueris, conseruabis mandata, & fidem bonam placiti. Apponet *tibi ignem & aquam, ad quodcunque volueris, extende manum tuam. In conspectu hominis vita & mors, & quodcunque placuerit dabitur ei.* Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud, quòd tam multis locis omnia mandata sua custodiri & fieri iubet Deus? Quomodo iubet, si non est liberum arbitrium? Quid beatus ille, de quo Psalmus dicit, quòd *in lege Domini* fuit *voluntas eius*, nonne satis indicat voluntate sua hominem in lege Dei consistere? Deinde tam multa mandata, quæ ipsam quodammodo nominatim conueniunt voluntatem, sicut est: *Noli vinci à malo*: & alia similia, sicut sunt: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*: Et: *Noli repellere consilia matris tuæ*, &c. *Et noluit intelligere vt bene ageret.* Et: *Noluerunt accipere disciplinam*: & innumerabilia talia in veteribus libris diuinorum eloquiorum, quid ostendunt, nisi liberum arbitrium voluntatis humanæ? Eccle.15. Psalm.1. Rom.12. Psal.31. Prou.1.

In 1. Ioannis 4. capite: Vide quomodo non abstulit liberum arbitrium, & diceret, *castificet seipsum.* Quis castificat, nisi Deus? sed Deus te nolentem non castificat. Ergo quòd adiungis voluntatem tuam Deo aliquid volenti, ideo & tibi aliquid tributum est, vt dicas sicut Psalmista: *Adiutor meus esto, ne derelinquas me.* Si Deus adiutor tuus est, aliquid agis certè. Nam si nihil agis, quomodo ille adiuuat?

Libro 2. contra duas epistolas Pelag. cap. 5. Peccato Adæ liberum arbitrium de hominum natura perijsse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo: ad bene autem pieque viuendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adiuta.

Contra Faustum Manicheum disputatione 2. Ego dico peccatum non esse, si non propria voluntate peccetur: hinc esse & præmium, quia propria voluntate rectè facimus, aut si pœnam meretur, qui peccat inuitus, debet & præmium mereri, qui bene facit inuitus.

Epistola 47. ad Valentinum: Quantum potuimus, egimus cum istis, & vestris, & nostris fratribus, vt in fide sana Catholica perseuerent: quæ neque liberum arbitrium negat, siue in vitam malam, si-

ue in bonam; neque tantum ei tribuit, vt sine gratia Dei valeat aliquid, siue vt ex malo conuertatur in bonum, siue vt in bono perseueranter proficiat.

De fide contra Manichæum capite 9. & 10. Totum quod vocatur malum in hominibus peccatum est, & pœna. Peccatum fit ab anima rationali, cui liberum voluntatis arbitrium est. Et pœna infligitur iustitia Dei, quæ nihil facit iniustè. Aduersus hæc solita cæcitate latrant Manichæi, & cùm conuincuntur naturam non esse malum, sed in potestate esse hominis facere bene aut malè, dicunt non esse animæ liberam voluntatem, & non vident cæcitatem suam. Quis enim non clamet stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est quod præcipitur facere? & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas iussa complere? Et has iniustitias & iniquitates miseri non intelligunt Deo se ascribere. Sed quid verum est, nisi & Dominum dare præcepta, & animas liberæ esse voluntatis, & malum naturam non esse, sed esse auersionem à Dei præceptis, & esse iustum Dei iudicium, quo damnet peccantes?

Paulinus Nolanus. 420.

Epistola 2. Quæ igitur nobis gratia, si in alieno tantùm fideles fuerimus, nisi de proprio seruiamus, id est, de libero voluntatis arbitrio, ex toto corde nostro, & ex totis animæ nostræ viribus diligentes Deum? In quem nos affectum lacessit Propheta, qui dicit: *Voluntariè sacrificabo tibi*, &c. Consilium dat, non præceptum, qui non dicit: Esto perfectus, sed, *si vis esse perfectus*: quia libertas voluntatis, quæ bona cùm est, supra legem est, non cogitur, sed suadetur, & ipsa sibi lex est.

Arnobius Romanus. 430.

De Deo trino & vno: Creator præscius contemptores fore & Angelos & homines, iustitiæ suæ subditos fecit, ita vt absolutè eos suæ esse permitteret voluntatis: quia nec aliter gratiæ retributio esse iusta non posset.

Ad Psalm. 90. Multi putant libertatem arbitrij eousque sibi sufficere posse, vt sese per ipsam libertatem ab hostibus inuisibilibus eruere posse confidant. Libertatem autem arbitrij & negare periculum est, & nudare peccatum. Si enim negaueris, omnibus fræna laxasti: si nudaueris, decepisti. Nam negas si dixeris: Deus si vult, bonus sum: si non vult, bonus non sum: cùm constet Deum velle omnes homines saluos fieri, & vnusquisque suo fit iniquus arbitrio. Nudas autem, cum tantum ipsi arbitrio dederis, vt cùm rebus diuini adiutorij denudaris, &c. *Si habitaueris in adiutorio Dei altissimi cadent à latere tuo mille, & decem millia à Dextris tuis*: sinistrum in eo, qui sub auxilio Dei agit, non nominatur, sed latus tantùm exponitur, contra quod mille insurgunt, à dextris autem decem millia. Latus hoc sinistrum, quod noluit nominare, liberum arbitrium est, contra quod minor pugna laxatur: in dextera autem Dei auxilium est: & ideo prius nominauit latus, quia in arbitrio est vt credas prius, vt dum credideris, gratiam consequaris.

Ad Psalm. 117. Nunc fortè audiat me prædestinationem docens, & arbitrium hominum infringens, putet me libertatem arbitrij ita excludere, vt peccantes existimem Dei abiectione peccare. Quod peccamus, nostri arbitrij docebitur, qui contemnimus gratiam. Vide quanta libertas est arbitrij tui, negetur à seruo Dominus, vt dicat homo Deo: nolo tibi credere, & faciat sibi templum, vbi idolum colat: aut Synagogam, vbi suum abneget Saluatorem. Quòd ergo malum facimus, per libertatem incurrimus: quia non dignatur Dominus iustus coacta seruitia: si verò aliquid boni fecerimus, imputabimus largitori, quia bona omnia ad se confugientibus præstat.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Homilia 9. post Pascha: Homo, qui proprio transgressionis crimine tenebatur obnoxius, qui per culpam suam incurrerat seruitutem, non violentia liberandus fuit, sed misericordia. Et quia Deus æquitas & iustitia est, ipse sibi lex est: & quia homo iudicij, & iuris sui ac liberi arbitrij præditus voluntate erat, qui voluntarius ceciderat, iniustum erat vt erigeretur inuitus. Aequius & salubrius fuit, vt qui per superbiam à diabolo persuasus fuerat ad mortem, à Deo per humilitatem suscitaretur ad vitam. Iusto ergo ordine, qui per calliditatem maleuoli serpentis non impulsus, sed seductus fuerat ad perditionem, rursum per sapientiam beneuoli redemptoris non compellatur, sed ducatur ad salutem, & qui cum sua voluntate corruisse videbatur, cum sua rursus voluntate repararetur, vt esset virtuti ac remunerationi locus. Non ergo eum præripit per violentiam, sed potius per iustam beneuolentiam solicitat, & erudit in vitam: quia benignitas prouocantis etiam meritum desiderat acquiescentis.

Prosper. 460.

Ad sextam obiectionem Gallorum: Liberum arbitrium nihil esse, vel non esse perperam dicitur.

De vocatione Gentium libro 1. capite 8. Nec quia spiritu Dei agitur, ideò se putet liberum arbitrium non habere, quod ne tunc quidem perdidit, quando diaboli voluntati se dedit, à quo iudicium voluntatis deprauatum est, non ablatum. Quod ergo non interfectum est per vulnerantem, non tollitur per medentem: vulnus sanatur, non natura remouetur. Rom. 8.

Libro 2. capite 26. Hanc quippe abundantiorem gratiam ita credimus atque experimur potentem, vt nullo modo arbitremur esse violentam, quò quicquid in saluandis hominibus agitur, ex sola Dei voluntate peragatur, cùm etiam ipsis paruulis per alienæ voluntatis subueniatur obsequium. Gratia quidem Dei in omnibus iustificationibus principaliter præeminet suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, cor ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: sed etiam voluntas hominis subiungitur ei atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidijs, vt diuino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate si deficit, de gratiæ opitulatione si proficit.

Cap. 34. Hæc æterna, & semper tranquilla cognitio Dei nulla nos vrget necessitate peccandi, nec inde manat iniquitas, vnde iustitia: Quia cùm bonus Deus omnia bona fecerit, & mali nulla sit omnino natura, à liberis voluntatibus, quas vtique bonum fuit liberas fieri, spontanea orta est transgressio, & natura mutabilis, cuius incolumitas ab incommutabili pendebat essentia, à summo se bono, dum proprio peruersè delectatur, abrupit, cui nunc ruinæ medetur gratia Dei.

Claudius Marius Victor. 460.

Præfatione in Genesin:

Certa quibus cælum sedes, queis libera corda,
Arbitriumq; sui largitus es omnibus, vt iam

Alteru-

Alterutram in partem vellent, se vertere possent:
Vt fieres iustis merces, meritisq; piorum
Hoc quoq; conferres praestando, vt debitor esses, &c.
Quin etiam arbitrio mentis gaudere dedisti:
Nec tamen arbitrij natura in vtrumque valentis
Accusanda venit nobis: namque inde perire
Posse datum est cunctis, vt viuere dulcius esset,
Mutuaq; alterni compar mensura pericli
Cederet ad meritum.

Caesarius Arelatensis. 470.

Homilia 21. Ideo hoc totum dico, quia est in nostra potestate Deo promittere: non est in nostra potestate dimittere. Promisisti? Praemium habebis. Negasti? poenam habebis. Vtrumque propter confusionem est. Dicimus iterum atque iterum: *Ecce ante oculos tuos via mortis & via vitae: elige quod volueris.* Eccl. 15.

Homil. 25. Hoc solum impendium & gaudium erit, quòd hic Domino vixerimus: quia quamdiu hic consistimus, in arbitrio est, cùm velis ad seculum declinare. Cùm verò declinaueris, iam difficile ac pene impossibile erit, ad locum iustum vel cogitatione respicere.

Lucidus Presbyter. 480.

Epistola, quae praeteritos errores reuocat: Damno vobiscum sensum illum, qui dicit, humanae obedientiae laborem diuinae gratiae non esse iungendum: qui dicit, post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum.

Gennadius Massiliensis. 480.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 21. Initium salutis nostrae Deo miserante habemus: vt acquiescamus salutari inspirationi, nostrae potestatis est: vt adipiscamur, quod acquiescendo inspirationi cupimus, diuini muneris est: vt non labamur in adepto salutis munere, solicitudinis nostrae, & caelestis pariter adiutorij: vt labamur, potestatis nostrae est, & ignauiae.

Boetius. 500.

De Consolatione Philosophica lib. 5. *prosa* 2. Nulla est rationalis creatura, quin ei libertas arbitrij adsit.

Prosa 6. Manet intemerata mortalibus arbitrij libertas, nec iniquae leges solutis omni necessitate voluntatibus praemia, poenasq; proponunt. Manet enim spectator desuper cunctorum praescius Deus, visionisq; eius praesens semper aeternitas cum nostrorum actuum futura qualitate concurrit, bonis praemia, malis supplicia dispensans.

Fulgentius. 500.

De Incarnatione & gratia Iesu Christi cap. 20. Gratia Dei humanum non aufertur, sed sanatur, non adimitur, sed corrigitur, non remouetur, sed illuminatur, non euacuatur, sed adiuuatur, atque seruatur arbitrium: vt in quo infirmitatem homo habuit, in eo habere incipiat sanitatem.

Ennodius Ticinensis. 510.

De libero arbitrio ad Constantium: Debemus gratiae, quòd vocamur, debemus gratiae, quòd occultis itineribus, nisi resistamus, sapior nobis vitalis infunditur: nostrae tamen electionis est, quòd beneficia demonstrata sectamur. Via enim scelerum nō imperatrix nostra esse legitur, sed famula, cùm de peccatis dicitur: *Sub te erit appetitus eorum.* Quid enim sibi vult vniuersa Prophetae quasi ferris redimita elocutio? *Noli aemulari in malignantes: nolite confidere in principibus: nolite fieri, sicut equus & mulus.* Et Apostolus: *Nolite fieri serui hominum.* Toties noli in superna admonitione quò respicit, si aliud non licuit? Gen. 4. Psal. 36. 1.Cor.7.

Laurentius Nouariensis. 520.

Homilia 1. *de Poenitentia:* Homo noli diffidere: res in promptu est: vita in manu est: Virtus in voluntate est: Victoria in arbitrio est. Si voluisti, vicisti, si nolueris, victus relinqueris.

Aurelius Cassiodorus. 540.

De Anima cap. 15. Anima in edito constituta, quasi pro tribunali sedens, appetitorum suorum noscitur esse moderatrix, boni maliq; iudex, ambigua discernens, noxia respuens, cùm tamen ei gratia diuinitatis infulserit, &c. Sancta conuersatione purgata, diuinitatis auxilio recipit, quod insidijs decipientis amisit. Illuminata à Creatore videt, quae fuscata non potest à seipsa cognoscere.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 13 *cap.* 6. *in Iob:* Notandum, quòd non ait: Vulnerauit, sed, *conuulnerauit lumbos meos*: sicut enim loqui aliquando vnius est, colloqui verò duorum, vel fortasse multorum, sic antiquus hostis, quia nos ad culpam sine voluntate nostra non rapit, nequaquam lumbos nostros vulnerare, sed conuulnerare dicitur: quia hoc, quod nobis ille malè suggerit, nos sequentes ex voluntate propria implemus, & quasi cum ipso nos pariter vulneramus, quia ad perpetrandum malum ex libero simul arbitrio ducimur.

Lib. 16. *cap.* 10. Superna pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, vt subsequente quoq; nostro libero arbitrio bonum, quod iam appetimus, agat nobiscum: quod tamen per impensam gratiam in extremo iudicio ita remunerat in nobis, ac si solis processisset ex nobis. Quia enim diuina nos bonitas, vt innocentes faciat, praeueniat, Paulus ait: *Gratia autem Dei sum, id quod sum.* Et quia eandem gratiam nostrum liberum arbitrium sequitur, adiungit: *Et gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui.* Qui dum se nihil esse conspiceret, ait, *Non autem ego:* & tamen quia se esse aliquid cum gratia inuenit, adiunxit: *sed gratia Dei mecum.* Non enim diceret mecum, si cum praeueniente gratia subsequens liberum arbitrium non haberet. Vt ergo se sine gratia nihil esse ostenderet, ait: *Non ego.* Vt verò secum gratia operatum esse per liberum arbitrium demonstraret, adiunxit: *sed gratia Dei mecum.* 1.Cor.15

Lib. 33. *cap.* 20. Liberum arbitrium in bono formatur electis, cùm eorum mens à terrenis desiderijs gratia aspirante suspenditur. Bonum quippe quod agimus & Dei est, & nostrum: Dei, per praeuenientem gratiam: nostrum, per obsequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non est, vnde ei gratias in aeternum agimus? Rursum si nostrum non est, vnde nobis retribui praemia speramus? Quia ergo non immeritò gratias agimus, scimus quòd eius munere praeuenimur: & rursus, quia non immeritò retributionem quaerimus, scimus quòd subsequente libero arbitrio bona elegimus, quae ageremus.

In Ezechielem lib. 1. *Hom.* 5. Si bona nostra sic omnipotentis Dei dona sunt, vt in eius aliquid nostrū non sit, cur nos quasi pro meritis aeternam retributionem quaerimus? Si autem ita nostra sunt, vt dona Dei omnipotentis non sint, cur ex ijs omnipotenti Deo gratias agimus? sed sciendum est, quia mala nostra solummodò nostra sunt, bona autem nostra & omnipotentis Dei sunt, & nostra: quia ipse aspirando nos praeuenit, vt velimus, qui adiuuando subsequitur, ne inaniter velimus, sed possimus implere quae volumus.

Isidorus Hispalensis. 620.

De summo bono lib. 2. *cap.* 2. Sicut homo, libero arbitrio conditus, sua sponte diuertit à Deo: ita ex propria mentis conuersione credendo recurrit ad Deum, vt & libertas agnoscatur arbitrij, per propriam voluntatem, & beneficium gratiae, per acceptam fidei firmitatem.

De doctrina & fide cap. 20. Libertati arbitrij sui

commissus est homo statim in prima mundi conditione, vt sola vigilantia mentis adnitente præcepti custodia, perseueraret, si vellet, in id, quod creatus fuerat permanere: postquam verò seductione serpentis cecidit à naturæ dono, perdidit pariter & vigorem arbitrij, non tamen electionem: ne non esset suum peccatum, quod emendaret, nec meritò indulgeretur, quod non arbitrio diluisset. Manet itaque ad quærendam salutem arbitrij libertas, non tamen ad obtinendam sine illo quærentes facit inuenire, qui pulsantibus donat. Sicut ergo initium nostræ salutis Deo miserante & inspirante habere nos credimus: ita arbitrium nostrum sequax esse diuinæ inspirationis liberè confitemur. Initium nostræ salutis Deo miserante habemus: atque vt acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est: vt adipiscamur, quod acquiescendo admonitioni cupimus, diuini est muneris.

Concilium Toletanum quartum. 643.

Cap. 56. de Iudæis: Præcepit sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre. *Cui enim vult Deus miseretur, & quem vult indurat.* Non enim
om. 10 tales inuiti saluandi sunt, sed volentes, vt integra sit forma iustitiæ. Sicut enim homo propria arbitrij voluntate serpenti obediens perijt: sic vocante se gratia Dei propriæ mentis conuersione homo quisque credendo saluatur. Ergo non vi, sed liberi arbitrij voluntate, vt conuertantur, suadendi sunt, non penitus impellendi.

Audoenus. 650.

Vita S. Eligij lib. 2. cap. 16. Nemo se ignorantia tueri poterit, quandoquidem vita & mors, præmia iustorum, supplicia impiorum denuntiata sunt vobis. Iam in vestra optione est, & arbitrio eligere quod teneatis. Quod enim quisque hîc concupierit, id illic obtinebit. Vitam ergo æternam totis viribus concupiscite, nec emendationem vitæ procrastinetis, sed ob lucranda regna cælestia vltro ipsi relinquatis, quod tamen cum ipsa vita amittendum est.

Iulianus Toletanus. 680.

Lib. 3. Prognosticon cap. 56. Liberi arbitrij facultatem maiorem nobis in illa vita inesse, quàm hic vniuersitas Doctorum patenter insinuat. Nam si in hac vita, vt quidam ait, plerique libera voluntate viuunt, vbi & peccata cauere possunt, tamen sine peccato esse non possunt: quomodo non ibi liberiori animo erunt, vbi sic adhæsuri sunt Deo suo, vt nullo possint obnoxiari peccato?

Beda. 700.

Ad cap. 2. Genes. Lignum scientiæ boni & mali proprium est voluntatis arbitrium, in medium nostrum positum, ad dignoscendum bonum vel malum: de quo si quis relicta Dei gratia gustauerit, morietur.

Ad Luc. cap. 20. Quid nesciat Dominus vineæ, qui Deus Pater intelligitur? sed semper ambigere dicitur Deus, vt libera voluntas homini reseruetur.

Alcuinus. 750.

In Genes. quæst. 84. Quomodo intelligendum: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius?* Respondeo: Tu quia liberi arbitrij es, non habet peccatum super te dominium, sed tu super illud, & in tua potestate est, siue compescere, siue concupiscere illud.

De Trinitate lib. 2. cap. 8. Liberum arbitrium manet etiam nunc in hominibus per naturam: quòd in quibus voluerit Deus dignatur liberare per gratiam, ne malam habeant voluntatem. Ex quo enim primus homo libero arbitrio venundatus est sub peccato, ideo mala cœpit esse libertas hominis, quia ipsi libero arbitrio ablata est bonitas voluntatis, quam exinde nemo à seipso habere potuit, nisi gratia diuinæ misericordiæ adiutus habuisset, sine cuius adiutorio liberum arbitrium nec conuerti potest ad Deum, nec proficere in Deum. Vtrumque credere debemus, & gratiam Dei, & liberum arbitrium hominis.

Haymo. 800.

Ad caput 1. Esaiæ: Liberum arbitrium ex parte seruatur, dum dicitur: *Si volueritis, & si nolueritis,* vt in vtramque partem, non ex iudicio Dei, sed ex merito singulorum pœna vel præmium sit.

Ad cap 49. Esaiæ: *In vanum laboraui, & magnam partem Iudæorum ad te reuocare non potui.* Hæc autem dicuntur, vt liberum hominis monstretur arbitrium. Dei enim est vocare, & nostrum credere.

Ad caput 1. Malachiæ: Quia liberi sumus arbitrij, pro nostra voluntate aut ad vitia deflectimus, aut ad virtutes.

Rabanus Maurus. 850.

Ad caput 18. Hieremiæ: Et hoc dicimus, non quòd ignoret Deus, hoc vel illud gentem aut regnum esse facturum, sed quòd dimittat hominem voluntati suæ, vt vel præmia, vel pœnas sua voluntate, & suo merito recipiat. Nec statim totum erit hominis quod eueniat, sed eius gratiæ, qui cuncta largitus est. Ita enim libertas arbitrij reseruanda est, vt in omnibus excellat gratia largitoris.

De Vniuerso lib. 4. cap. 10. Postquam homo seductione serpentis per Euam cecidit, naturæ bonum perdidit pariter, & vigorem arbitrij: non tamen electionem, ne non esset suum, quod emendaret peccatum: nec meritò indulgeretur, quod non arbitrio diluisset. Manet itaque ad quærendam salutem arbitrij libertas, id est, rationalis voluntas: sed admonente prius Deo, & inuitante ad salutem, vt vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, id est, inspiratione Dei. Vt autem consequatur quod elegit, vel quod consequitur, vel quod occasione agit Dei, esse liberè confitemur. Initium salutis nostræ Deo miserante habemus: vt acquiescamus salutari inspirationi, nostræ potestatis est: vt adipiscamur quod ad acquiescendum admonitioni cupimus, diuini est muneris: vt non labamur adepto salutis munere, solicitudinis nostrę est, & cælestis pariter adiutorij: vt labamur potestatis est nostræ & ignauiæ.

Concilium Valentinum. 855.

Cap. 6. De gratia, per quam saluantur credentes, & sine qua rationalis creatura nunquam beatè vixit, & de libero arbitrio per peccatum in primo homine infirmato, sed per gratiam Domini Iesu fidelibus eius redintegrato & sanato, id ipsum constantissimè & fide plena fatemur, quod sanctissimi Patres auctoritate sacrarum Scripturarum nobis tenendum reliquerunt.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 880.

Cap. 4. Arbitrium est iudicium animæ, siue de bono, siue de malo: liberum autem ad vtrumque sine coactione.

Cap. 5. Deus est auctor salutis, liberum arbitrium tantùm capax. velle, posse, perficere solius est adiutricis gratiæ: sine qua nec Baptismus, nec fides, nec opus quod videtur effectum meriti habet. Sola igitur mater gratiæ libero arbitrio succurrit pro libertate æterna consequenda.

Ericus. 880.

Homilia 5. de S. Stephano: Quid autem est quod dicit: *Quoties volui, & noluisti?* Nunquid humana voluntas voluntati Dei præualet? cùm scriptum sit: *Omnia quæcunque voluit fecit?* Adhæc dicendū, quòd liberum arbitrium Deus homini contulit, propter quod dicit, *noluisti*, ac si diceret: ex mea parte volui, sed ex tua noluisti.

Radulphus Flauiacensis. 950.

Lib. 12. in Leuit. cap. 1. In nobis omnibus, qui natura sumus filij iræ, qui sub iugo dæmoniaco nascimur seruitutis, non expectatur quis velit exire, sed quem superna clementia velit liberare. *Non enim volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Rom. 9. Nec hoc dicentes humani arbitrij destruimus libertatem: libertas namque est hominis, si cælitus adiuuetur, alioquin nulla est, si gratia destituatur.

Leo Nonus. 1049.

Epistola ad Petrum Antiochenum: Credo & profiteor gratiam Dei præuenire & subsequi hominem, ita tamen, vt liberum arbitrium rationali creaturæ non denegem.

Petrus Damianus. 1050.

Serm. de Exaltatione S. Crucis: *Si quis*, inquit, *vult venire post me, abneget semetipsum: tollat crucem suam & sequatur me.* Audi consilium, non præceptum. Si enim præceptum esset, quicunque effectui non manciparent, cruciatus possent exspectare perpetuos: sed cùm dicit: *Si quis vult*, in nostra posuit voluntate, vtrum ex æquo cum eo currere festinemus.

Radulphus Ardens. 1060.

In Communi vnius Martyris: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Ex eo, quod habemus libertatem arbitrij, siue ad bonum, siue ad malum, promereri dicimur: quando videlicet malū, quod facere possumus, euitantes, bonum eligimus, & operamur. Pro opere enim, quod facere non possumus, nec pœnam, nec præmium meremur.

Anselmus. 1080.

Dialogo de libero arbitrio cap. 5. Sed nunc quomodo est humanæ voluntatis arbitrium hac potestate liberum, cùm sæpe rectam homo habens voluntatem, ipsam rectitudinem inuitus cogente tentatione deserat? *Mag.* Nemo illam deserit, nisi volendo. Si ergo inuitus dicitur volens, nemo deserit illam inuitus: ligari enim homo potest & inuitus, quia nolens: potest torqueri inuitus, quia nolens: potest occidi: velle autem non potest inuitus, quia non potest velle nolens velle. Nam omnis volens ipsum suum velle vult, &c. Quis potest voluntatem dicere non esse liberam ad seruandam rectitudinem, & liberam à tentatione & peccato, si nulla tentatio potest illam nisi volentem auertere à rectitudine ad peccatum, id est, ad volendum quod non debet. Cùm ergo vincitur, non aliena vincitur potestate, sed sua.

Cap. 10. Semper itaque habet rationalis homo liberum arbitrium: quia semper habet potestatem seruandi rectitud.nem voluntatis propter ipsam rectitudinem, quamuis aliquando cum difficultate. Sed cùm libera voluntas deserit rectitudinem per difficultatem seruandi, vtique post seruit peccato per impossibilitatem per se recuperandi. Sic
Psal. 101 ergo fit spiritus vadens, & non rediens: quoniam
Ioan. 8. *qui facit peccatum, seruus est peccati.*

De Concordia gratiæ & liberi arbitrij: Cum aliquid dicit sacra Scriptura pro gratia, non amouet omninò liberum arbitrium, neque cùm loquitur pro libero arbitrio, excludit gratiam, quasi sola gratia, aut liberum arbitrium solum sufficiat ad saluandum hominem, sicut videtur illis, qui faciunt hanc quæstionem. Ita quippe intelligenda sunt dicta diuina: vt, hoc, excepto, quod dixi de infantibus, nec sola gratia, nec solum liberum arbitrium salutem hominis operetur. Quippe cùm di-
Ioan. 15. cit Dominus: *Sine me nihil potestis facere*, non ait: nihil valet vobis vestrum liberum arbitrium: sed nihil potest sine mea gratia. Et cùm legitur: *Neque*
Rom. 9. *volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei:* non negatur in volente, neque in currente aliquid prodesse liberum arbitrium, sed significatur non esse imputandum libero arbitrio, quòd vult, & quòd currit, sed gratiæ.

Franco Affligeniensis. 1100.

De gratia Dei Tom. 2. Figulus noster creato homini liberum sui arbitrium derelinquit, optionem ei tribuit eligendi quod voluerit. Quid verò magis congruum imagini Dei, quàm fœda horrere, honesta amplecti? Quid magis conueniens rationi, quàm virtutes eligere, vitia detestari? Vtrumque autem ei, bonum scilicet & malum, proponitur: huius visus suadetur, illius prohibetur: stipendium & finis vtriusque prædicitur, huius vita æterna, illius mors, nihilominus & ipsa æterna.

Guigo Carthusianus. 1120.

In Institutione cap. 9. Præscientia tua non vtique cogit eos esse quod futuri sunt, tanquam necessariò sic sint futuri, quia sic eos esse futuros præscisti: quin potius, quia sic futura erant, ideo tu sciens omnia antequam fiant, etiam hoc præscisti, & omnino non potest falli præscientia tua.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Ad Psal. 17. Per hoc, quod ait: *Retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam*, liberum arbitrium per bonam voluntatem gratiæ consentiens innuit, per hoc verò, quod addit: *secundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi*, cooperans studium exprimit.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad caput 2. Ioannis lib. 3. Non idcirco quisque malè agit vnde pereat, quia Deus illum morti prædestinauit, sed idcirco Deus illum morti prædestinauit, quia malè acturum præsciuit, sicut contra hæreticos liberum arbitrium negantes copiosè disputatum est ab adiutoribus Dei. Nam teste Apo- Rom. 8.
stolo sicut vocationem prædestinatio Dei, sic prædestinationem eius præscientia præcedit.

Ad cap. 12. Ioannis lib. 10. Innocens & sancta præscientia Dei nullam malis hominum necessitatem importat, quomodo nec visus meus ei, quem ambulare video, vllam ambulandi necessitatem irrogat.

Hugo Victorinus. 1130.

Ad cap. 4. Genes. Hominis bene aut malè agere, ideo bonum velle aut malum vocat, quia voluntas hominis libera est, & ad hoc & ad illud absque exteriori adminiculo. Peccatum quidem, quod est in foribus vt exeat, praua voluntas est, quæ non potest celari, quin aliquando exeat & appareat aliquo signo. *Sub te erit appetitus eius.* Hoc est, in tua potestate erit, cauere tibi vel ab interiori praua voluntate, vel ab exteriore occasione peccandi.

Institutionis Monasticæ de arca morali lib. 4. cap. 3. Ordinatissimum est de nostra reparatione diuinæ dispensationis consilium, vt qui sponte recidit, nō coactus, sed sponte surgat: & qui per liberum arbitrium infirmatus est, sanitatem non recuperet, donec per liberum arbitrium sanari velit.

Bernardus. 1130.

Sermone 5. in Quadragesima: Magnum discrimē aduersus diabolicæ fraudis astutias tam crebros, imò continuos habere conflictus, quem nec videre quidem possumus, & quem nimis astutum fecerit tam natura subtilis, quàm longa exercitatio malitiæ eius. Verumtamen in nobis est, si vinci nolumus, & nemo nostrum in hoc certamine deijcitur inuitus. *Sub te est*, ô homo, *appetitus tuus, & tu* Gen. 4.
dominaberis illius. Potest inimicus excitare tentationis motum, sed in te est, si volueris, dare seu negare consensum. In tua facultate est, si volueris inimicum tuum facere seruum tuum, vt omnia tibi cooperentur in bonum. Ecce enim inflammat inimicus desiderium cibi, vanitatis, aut impatientiæ cogitationes ingerit, aut excitat libidinis mo-

nis motum: tu solummodò ne consenseris: & quoties restiteris, toties coronaberis.

Tractatu de gratia, & libero arbitrio: Si ex necessitate, & absque consensu propriæ voluntatis mala bonave fieri possent, rationalis creatura aut misera profectò esse nulla ratione deberet, aut beata penitus esse non posset. Cui nimirum in vtrauis parte id deesset, quòd solùm in ea miseriæ siue beatitudinis capax est, id est, voluntas, &c. Cæterùm quod sui liberum non esse cognoscitur, quo pacto vel bonum ei vel malum imputatur? Excusat nempe vtrumque necessitas. Porrò vbi necessitas, ibi libertas non est, vbi libertas non est, nec meritum, ac per hoc nec iudicium, &c. Manet libertas voluntatis, vbi etiam fit captiuitas mentis, tam plena quidem in malis, quàm & in bonis, sed in bonis ordinatior.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 2. dist. 25. lit. A. Potestas ipsa, & habilitas voluntatis, & rationis, quam supra diximus esse liberum arbitrium, libera est ad vtrumlibet, quia liberè potest moueri ad hoc, vel ad illud.

Litera E. Si diligenter inspiciatur, liberum videtur dici arbitrium, quia sine coactione & necessitate valeat appetere, vel eligere, quod ex ratione decreuerit.

Lit. N. Verùm nobis placet magis, vt ipsa libertas arbitrij sit & illa, qua quis liber est ad malum, & illa, qua quis liber est ad bonum faciendum. Ex causis enim varijs sortitur diuersa vocabula. Dicitur enim libertas ad malum faciendum, antequam per gratiam sit reparata: sed cùm per gratiam fuerit reparata, dicitur libertas ad bonum faciendum. Quia ante gratiam libera est voluntas ad malum: per gratiam verò libera fit ad bonum. Semper ergo voluntas hominis aliquo modo libera est, sed non semper bona est.

Richardus Victorinus. 1140.

In explicationibus aliquorum passuum difficilium Apostoli: Ad locum 1. Cor. 6. *Omnia mihi licent*: Deus in hominis posuit libertate, verum velit bona an
Eccle. 15. mala eligere. Hinc est illud Sapientis de Domino dictum: *Apposuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit, dabitur ei.*

Guilhelmus Abbas S. Theodorici. 1140.

In Meditationibus: Perge quærere, cur non dedisti mihi humilitatem? quia dedi tibi quod maius est, arbitrij libertatem, & tu ex ipso quasi potens in iniquitate dilexisti malitiam super benignitatem.

Potho Prumiensis. 1150.

Libro 1. de statu domus Dei: Velle quoque nobis adiacet, in quo est libertas arbitrij, continens in se speciem potestatis quadruplicem. Qua nimirum potestate vtimur, vel ad conseruandum, vel ad adipiscendum, vel ad expellendum, vel ad repellendum. Primò ergo potentia naturalis, quæ nobis inest per libertatem arbitrij, vires suas exerat, ad conseruandum domus Dei, quæ intra nos est, decorem.

Hugo Etherianus. 1160.

De regressu animarum ab inferis cap. 2. Si homo peccaret ex necessitate, nequaquā dedisset per Mosen Deus leges suppliciorum: neque, qui sortiti sunt principatum, si fati aut naturæ necessitate homines compellerentur delinquere, acerbissimis eos cruciatibus destinarent. Sub appetitu hominis
Sap. 5. igitur vitam & mortem posuit medicus animarum. Hinc est, quòd nolentium medelam recipere voluntatem minimè cogit: Principem enim, & sui iuris rationalem naturam condidit. Instructionibus, legibus à malis prohibet, ad potiora exhortatur: sed inuitum neminem cogit, nè legem naturæ conquasset. Vnde per Prophetam clamat: Esa. 1.
Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Et Psal. 33.
iterum: *Discite bene facere.*

Hildegardis. 1170.

In Quæstionibus. Gratia Dei & liberum arbitrium hoc commune habent, quòd homo in scientia boni & mali vtrumque & bonum & malum ad operandum eligere potest, & quòd per proprietatem liberi arbitrij, secundùm gustum & desiderium carnis, quæ nunquam coactas dimittere potest, elegerit, hoc diabolo adiuuante perficit, & quod secundùm voluntatem animæ elegerit, hoc gratia Spiritus sancti adiuuante perficit.

Ioannes Saresberiensis. 1170.

Lib 2. Polycraticon cap. 22. Non itaque motum aliquem prædestinanti ingerit, sed ei, qui saluandus est primitiua disponentis Dei gratia, patère asserit ostium salutis, & ianuam misericordiæ, qua procedente tempore possit saluari, imò saluabitur, licet possit & non saluari, &c. Ait enim Esaias: *Si volueritis ambulare in præceptis meis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd si nolueritis, & me ad iracundiam concitaueritis, gladius deuorabit vos, quia os Domini locutum est.* Ecce quia liberum hic seruatur arbitrium, dum *si volueritis, & si nolueritis*, dicens, in vtramque partem, non ex iudicio irretractabili fatoue Dei, sed ex merito singulorum omnibus pœnam vel præmium repromittit. Esset vtique in voluntatem collata conditio promerendi inutilis, si faciendi, vel non faciendi necessitas esset prouidentiæ vel fatorum nexibus illigata.

Innocentius Tertius. 1200.

Serm. de vno Martyre: Gratia principaliter operatur, cui secundario cooperatur arbitrium, iuxta quod dicit Apostolus: *Gratia Dei sum id quod sum.* 1. Cor. 15.

De sacro Altaris mysterio lib. 3. cap. 8. Votum bonū & hominis, & Dei est, sed Dei propter auctoritatem gratiæ, hominis propter libertatem arbitrij.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica 12. post octauas Pentecostes: Frustra manus ad operandum extenditur, & incassum ad loquendum lingua conatur, sine eius auxilio, *à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum est.* Debemus tamen ex libero arbitrio cooperari Christo. Vnde Esaias: *Sicut terra profert germen suum, &* Esa. 61.
sicut hortus germen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit iustitiam & laudem coram vniuersis gentibus. Per germen horti, qui quasi per se germinat, intelligitur prima gratia, quam nobis sine nobis Dominus infundit: in cultura autem terræ agricola Domino cooperatur. Quia post primę gratiæ infusionem debemus nos ex libero arbitrio cooperari Deo, postquam liberatum est per gratiam. Liberum enim arbitrium & ad bonum, & ad malum habemus.

Cesarius Heisterbachius. 1220.

Lib. 8. cap. 44. Licet homo habeat Angelum bonum ad custodiam, & malum propter exercitium, neuter tamen illorum voluntati humanæ vim inferre valet, vt propter illius consilium violenter inclinetur ad bonum, siue ob huius suggestionem trahatur ad malum. Liberum arbitrium est facultas voluntatis, & rationis, qua eligitur bonum assistente gratia, malum verò desistente gratia: liberum dicitur propter voluntatem, quæ libera est, & sine necessitate: Arbitrium, propter rationem, quæ ea, quæ voluntas appetit, arbitratur & discernit.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Pœnitentia cap. 2. Hominem libertate arbitrij præditum esse omnium ratiocinatio sanctior, &

maior

maior piæ ac veridicæ fidei auctoritas contestatur. Hoc & Ethnicorum, & mundanorum Philosophorum, qui de moribus scripserunt, testimonijs elucescit. Si enim vel naturæ intentio, vel vis inuincibilis libertatem voluntatis hominum abstulisset, vana esset omnium legum institutio, nihil imputandum esset homini, cùm vel necessitate naturæ prohiberetur, quò minus faceret, aut in vinculum coniecta ratione inuitus ad faciendum traheretur. Quare nec bene, nec malè quicquam fieri posset ab homine: superuacui etiam essent magistratus ac magisteria morum. Non enim agendum esset cum hominibus de morum suorum emendatione, sicut cum brutis animalibus aut lapidibus, cùm eos aut impossibilitas naturæ premeret, aut violentia raperet ad agendum.

Alexander Alesius. 1240.

Parte 1. *quæst.* 26. *m.* 4. *art.* 3. Deus dedit libero arbitrio vt consentiat, vel non consentiat bono, & ipsi malo consentiat, si velit: & quicquid faciat, siue bonum siue malum, semper ordinat ipsum prouidentia. Vnde subsunt prouidentiæ secundùm ordinationem: quia non cogit liberum arbitrium, licet sub ipsa sit, sed permittit ei facere quicquid vult, sed in bono ipsum adiuuat instinctu gratiæ, in malo autem non.

Albertus Magnus. 1240.

In caput 4. *Ioannis*: In voluntate nostra est obicem fidei ponere, vel consentire ad credendum: & per consequens in voluntate nostra est, vel in peccatis mori, vel de peccatis exire, &c. Liberum arbitrium Deus in nullo cogit.

Thomas Aquinas. 1250.

Quæstionum de veritate disputatarum quæst. 24. *art.* 1. Absque omni dubitatione hominem liberi arbitrij ponere oportet. Ad hoc enim & fides astringit, cùm sine libero arbitrio non possit esse meritum, vel demeritum, iusta pœna, vel præmium. Ad hoc etiam inducunt manifesta indicia, quibus apparet hominem liberè eligere vnum, & aliud refutare, &c.

Prima parte Summæ quæst. 83. *art.* 1. Homo est liberi arbitrij: alioquin frustra essent consilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia, & pœnæ.

Bonauentura. 1260.

Parte 5. *Breuiloquij cap.* 3. Liberum arbitrium licet sit sub Deo potentissimum, potest tamen per se in peccatum corruere, sed nullatenus resurgere potest sine adiutorio diuinæ gratiæ, quæ dicitur gratia gratum faciens. Illa autem gratia, licet sit sufficiens remedium contra peccatum, non tamen infunditur adulto, nisi adsit liberi arbitrij consensus. Ex quo colligitur, quòd ad iustificationem impij quatuor concurrunt, scilicet infusio gratiæ, expulsio culpæ contritio, & motus liberi arbitrij. Expellitur ergo culpa à Dei dono, non à libero arbitrio, non tamen sine libero arbitrio. Nam gratiæ gratis datæ est liberum arbitrium reuocare à malo, & excitare ad bonum: & liberi arbitrij est consentire, vel dissentire: & consentientis est gratiam suscipere, vel suscipientis est cooperari eidem, vt tandem perueniat ad salutem.

Ægidius Romanus. 1280.

Tractatu de Paradiso cap. 5. Sicut in Paradiso erat arbor scientiæ boni & mali: sic in anima sancta est liberum arbitrium, per quod possumus bene vel malè agere.

Aluarus Pelagius. 1340.

De planctu Ecclesiæ lib. 2. *art.* 8. Præuisio Dei non fallitur, nec mutatur: videt enim verè res sicut futuræ sunt: non tamen cogit liberum arbitrium ad bonum, nec ad malum: sed in nobis est sequi Deum ad virtutem, vel diabolum ad errorem. Eccles. 15. *Apposuit tibi aquam & ignem, &c.* Patet igitur quòd absque coactione possumus operari malum vel bonum: sed bonum non possumus sine auxilio gratiæ, malum verò possumus per nosmetipsos.

Gregorius Ariminensis. 1350.

In lib. 2. *Sentent. distinct.* 34. & 37. *q.* 1. *art.* 3. Deus sequitur determinationem voluntatis, non quòd determinatio voluntatis sit aliqua entitas distincta à voluntate, & actu eius, quæ primò fiat à voluntate, sicut imaginari videtur argumentum: nec etiam intelligendo, quòd prius natura voluntas agat actum illum, quam Deus, propriè loquendo de priori natura, quoniam tunc sequeretur, quòd posset illum agere Deo non coagente, sicut patet ex definitione prioris secundùm naturam: sed ad hūc sensum dico, Deum sequi determinationem voluntatis, quoniam ideo agit actum illum, quia eum voluntas agit: & non, quia Deus agit, ideo voluntas agit. Et ideo dicitur magis propriè Deus coagere voluntati, talem actum causando, quàm voluntas dicatur coagere Deo.

Ioannes Taulerus. 1350.

Serm. 6. *in festo Pentecostes* Nos nihil sine communi Dei influxu boni possumus, hoc est, nisi nos Spiritus sanctus singulari gratiæ suæ influxu præueniat. Interim tamen & hoc requiritur, vt homo faciat, quod in ipso est: nam & Spiritus sancti gratiæ ipsum præuenienti per liberum arbitrium resistere potest. Inde est quod Augustinus ait: Qui creauit te sine te, non saluabit te sine te, id est, nisi adhibueris liberi arbitrij consensum: sicut nec oculus videre potest, nisi à splendore solis, vel alio lumine præueniatur ac illustretur: sed nec cùm prope lumen positi sumus, ipsum videre possumus, nisi oculos aperiamus, deponentes prius, si quo fortè rudi panno aut assere obuelati sint.

Catharina Senensis. 1370.

Tractatu 1. *cap.* 14. Simili modo disponere se potest homo ad malum, sicut ad bonum, non obstante, quòd in sancto Baptismo gratiæ receperit infusionem. Vnde tempore discretionis aduenìente, propter arbitrij libertatem, quo ditatus est à Deo gratiosè, quilibet potest operari bonum, siue malum, vt à sua mera processerit voluntate. Et talis tantaq; libertas ista, qua dotatus est homo, & ita fortis factus est virtute sanguinis Christi, quòd omnes aliæ creaturæ quæcunque non valent, cum etiam ad minimam culpam alicuius peccati compellere, nisi sponte consentire voluerit. Ablata namque fuit ab eo seruitus, atq; libertati donatus, in sacratissima passione Filij Dei, vt propriæ sensualitati dominaretur, & æternam felicitatem obtineret.

Thomas VValdensis. 1414.

Lib. 1. *Doctrinalis fidei art.* 1. *cap.* 25. Nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur, quia liberi arbitrij nos condidit Deus.

Cap. 28. Planè patet peccatum hominis non habere causas tales superiores, præscientiam scilicet & voluntatem diuinam, sed committens solum arbitrium: nec factum bonum habet aliquam necessitatem, sed trahentem gratiam & præuenientem, omnesq; actus libertati nostræ substratos, liberrimæ potestati subiectos, & tam in operatione causarum primarum, quàm secundarum causarum magis necessitati ad peccatum, per causas medias, quàm alias eis priores, puta per voluntatem.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De Contemptu mundi cap. 8. Operum nostrorum merita ex gratia Dei, liberoq; nostro arbitrio

procre-

procreari, sanctorum Patrum probat auctoritas. Liberum autem arbitrium esse dixerim facultatem rationis, & voluntatis, qua eligitur bonum gratia existente. Hoc autem tantùm nostrum proprium esse noscamus: cætera autem, siue naturalia, siue gratuita Dei sunt munera, nobis collata, tam pro salutis adminiculo, quàm pro Dei circa nos dilectione propalanda. Præstitit namque Dominus liberam boni vel mali eligendi facultatem, qua mediante mercedem iustus, improbus autem meritò condignum habeat de mali perpetratione supplicium. Nemo igitur cùm malus est, esse potest excusabilis, sed malè eligendo fecit malum, luci tenebras, & bono præferens malum. Tantæ siquidem efficaciæ liberum arbitrium esse discernitur, vt meritorum ac emeritorum sit statera æquissima, in qua singulorum opera ab omnipotente & iusto iudice pensantur, redditurq; vnicuique quod iustitiæ censura dijudicat.

Bernardinus Senensis. 1440.

Tomo 3. Sermone de conuersione peccatoris, capite de operatione liberi arbitrij: Cooperatio necessaria est ad salutem: quia sicut dicit Augustinus: Qui fecit te sine te, non iustificabit te sine te. Et ideo dicit Apostolus Heb. 12. *Videte ne quis desit gratia Dei.*

Ioannes Capistranus. 1440.

In Speculo conscientiæ part. 1. numero 38. Liberum arbitrium comprehendit rationem & voluntatem. Nam liberum arbitrium est facultas rationis & voluntatis, qua bonum eligitur gratia assistente, & malum eligitur gratia desistente.

Numero 56. & 57. Sine rectitudine conscientiæ salus esse non potest: vnde sicut lex diuina, ita & conscientia recta, diuina gratia informata, ligat voluntatem ad faciendum ea, quæ in diuina lege præcipiuntur, & ad vitandum ea, quæ in illa prohibentur, & ad approbandum consilia, informationes, & exhortationes, quæ continentur in ea. Nõ tamen voluntas cùm sit libera ligatur violentia, vel necessitate aliqua absoluta, sed conditionata: quia si velit præmium obtinere, & supplicium euitare, necesse habet sequi durationem rectæ conscientiæ, &c.

Dionysius Carthusianus. 1460.

In Summa Orthodoxæ fidei lib. 1. artic. 115. Rerum quædam operantur sine iudicio, vt inanimata: quædam agunt cum iudicio, sed non libero, magis autem rationali, quemadmodum ouis cernens lupum, mox iudicat esse fugiendum: sed hoc iudicium non est ex præuia collatione, sed ex naturali instinctu, vnde nec liberum dicitur. Homo autem agit ex iudicio, quia ex ratione rei cognoscit, & liberè, quia per rationis collationem de aliquo iudicat, sic in vtramque partem ferri potest.

Gabriel Bielius. 1480.

Lectione 59. in Canonem Missæ: In prima nostra institutione accepimus facultatem liberè operandi, siue opera bona, siue mala, secundùm quod dixit Propheta: *Anima mea in manibus meis semper. In manibus meis*, id est, in potestate mea, vt per ipsam faciam, siue bonum, siue malum. Et Eccles. 15. *Deus à principio constituit hominem, &c.*

Concilium Senonense. 1528.

Cap. 15. De libero arbitrio: Prodierat hic primùm apud Gentiles, & summo omnium consensu mox explosus est: adeò liberum esse arbitrium, velut euidenti quodam experimento cognitum, omnium mentibus sese inculcat. Cùm igitur reliquerit: *Deus hominem in manu consilij sui*, apposuerit*q; coram eo ignem & aquam, bonũ & malum, vt ad quodcunque voluerit porrigat manum suam*, nec abs re, *beatus ille dicatur, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*: ac denique percurrenti sacram Scripturam passim obuium sit, quòd liberum vtramuis in partem hominis arbitrium asseueret: satis esse visum est sacro prouinciali Concilio libertatis eiusmodi vires & metas exponere. Neque enim liberum arbitrium asserentes, diuinã excludimus propterea gratiam, quod illi falsò toties imponere non verentur: sed iuxta sacram Scripturam eò extendimus, vt voluntas humana misericordiæ præuenientis auxilio suffulta, sese conuertat in Deum, Deo appropinquet, & ad veram illam gratiam se præparet, quæ tandem accepta sit ad vitam æternam, &c. Eccle. 15. Eccle. 31.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Rabbi Moses Hadarsan.

Ad caput 4. Geneseos: Et quod iam scriptum est: *Et ad te concupiscentia peccati*, scilicet, quod est figmentum malum iugiter concupiscens & affectans, *& tu dominaberis illius*, hoc est, si volueris, præualebis aduersus eum.

Rabbi Akiba.

In Capitulis Patrum: Nihil non cernitur (*à Deo.*) Et potestas data est, & in bono mundus iudicatur: cuncta tamen iuxta multitudinem operis. *Paulus Fagius in hunc locum*: Hebræi hanc sententiam sic explicant: Primùm commendari hic prouidentiam diuinam, quæ vbique præsto sit, adeò vt sine ea nihil generatur in rebus humanis, eam tamen sic cuncta moderari, vt interim cuiuis homini potestas tradita sit, vel bene vel malè agendi, neminemq; vt vel hoc, vel illud agat vi cogi.

Idem ibidem: Nihil non datum est cum pignore; & rete expansum est super omnes viuentes: apotheca aperta est, & Apothecarius concedit ad tempus: & pugillaris aperta est, & quicunque vult mutuò accipere, veniat & accipiat.

Fagius in Comment. Apotheca aperta est, &c. Hoc referunt ad liberum arbitrium, videlicet in nobis situm vt vel malè, vel bene agamus: Deum nobis mortem, aut vitam proponere.

Philo.

Libro quòd Deus sit immutabilis: Homo liberam facultatem & sui iuris sententiam sortitus, ex destinato pleraque faciens, meritò vituperium incurrit, si prudens sciensq; peccat: sicut è diuerso laudem, quando sua sponte bene facit. Nam stirpium animaliumque nec vbertas laudatur, nec, si malè proueniant, vituperantur, quod vterque hic motus, & vtraque mutatio non est voluntaria: sed sola hominis anima, quæ accepit à Deo motum voluntarium, hactenus illi similis, à molestissima grauissimaq; necessitate, quantum licuit, manumissa, iure accusari posset, si liberatorem suum non coleret, non euasura pœnam, quæ animaduertit in libertorum ingratitudinem. Itaque recogitauit, & intra se dixit Deus, non nunc primum, sed iam dudum firmiter, quod fecisset hominem, id est, qualem eum condidisset. Condiderat enim liberum, vt relictus voluntati propriæ, quicquid placeret, ageret, idq; hanc ob causam, vt sciens quid bonum sit, quid malum, & quid intersit inter honesta & turpia reputans, quid item inter æqua &

iniqua, & in vniuersum virtutem inter & vitium, eligeret meliora, deteriora fugeret. In eam sententiam & oraculum extat in Deuteronomio: *Ecce posui ante faciem tuam vitam & mortem, bonum & malum: tu vitam elige*. Ergo vtrumque hinc discimus, quòd & insita sit hominibus boni ac mali scientia, & meliora deterioribus anteferre debeant, cùm habeant deliberationem, tanquam incorruptum iudicem, quæ rectæ rationis monitis pareat, reiectis contrarijs suggestionibus.

Citat Leōtius libro. τῶν συλλογῶν

Lib.4. Allegoriarum: *Elige ergo vitam, vt viuas.* Beata res est, quòd cùm vtrumque auctor proposuerit, quod melius est anima potest suscipere: beatius verò est, quòd non ipsa ex se eligat, sed auctor eam adducat, & meliorem faciat. Non enim ex se humana mens eligit bonum, sed secundùm prospicientiam Dei donantis optima eis, qui digni sunt. Duo sunt enim apud Legislatorem capita: alterum est, Deum non more humano omnia moderari: alterum, more humano castigare & punire. Quia hoc posterius probat, id est, more humano castigare, nunc quod nostræ libertatis est: sic introducit quasi sufficientes simus ad cognoscendum, & volendum, & eligendum: cùm verò illud prius & posterius probat, omnia scilicet Deum regere non humano more, tum omnes vires & causas Deo assignat, vt cùm ait in Numeris: *Nouit Deus suos, & sanctos suos adduxit ad se:* si autem eligere bonum

Num.16

est, & non eligere malum propriè ab vna causa proficiscitur, quid me legislator, quasi potestatis eligendi compotem, vt vitam & non mortem eligam hortatur? Respondebit, inquit, dicta esse hæc eis, qui nondum magna mysteria de principatu & potestate Dei, & de nimia infirmitate creaturæ didicerunt.

Rabbi Moses filius Maimon.

Epistola aduersus Astrologos: Ac illud quidem intelligere debetis, præcipuum ac principale ex fundamentis legis nostræ, omnesque item Philosophos apertè confiteri, quæcunque ab ipsis hominibus fiunt, ea in ipsorum manu esse ac potestate, atque hic nullum esse, qui aut trahat, aut cogat, & impellat: sed, si velit homo, seruit Domino, semper sapiens, & in scholis Philosophorum considet: sin placet adire consilia impiorum, & furibus sese adiungere, illud quoque facit. Neque est in re, vel natura, vel natiuitas, quæ pertrahat illum ad vnam aliquam harum viarum: propterea iussum est illi, atque imperatum, & dictum: *Fac hoc*, multaque huiusmodi, &c. Astrologorum dicta esse falsa ipsamet ratio coarguit: Omnes enim, quas illi adferunt nugas & ineptias, iampridem ratio consentanea perspicuis apertisque argumentis euertit: Quin etiam eas falsas esse declarat legis traditio. Nam quòd si eo modo res se haberet, quid lex? quid præcepta? quid disciplina hominibus prodesset? Etenim eo pacto non relinqueretur alicui facultas quippiam sua ipsius ratione & arbitrio efficiendi. Quandoquidem aliud etiam repugnantem nolentemque pertraheret, &, vt talis esset, siue vt talis non esset, omnino cogeret, & quid ergo præcepta, & instituta, vel etiam studia vtilitatis adferrent?

Ioseph Albo.

In Libro Fundamentorum Tractatu 1. cap. 9. Dicit lex: *Ecce dedi ante te hodie vitam*, & liberum arbitrium in vita est, ad declarandum arbitrium & finem, qui est vita æterna.

Rabbi Iudas.

In Capitulis Patrum ad illa verba: *Omnia sunt aperta, & arbitrium datum est*: Interpretatur Rambam: Hæc sententia complectitur res magnas, & digna quæ prænuntietur à Rabbi Akiba, & hæc est eius explicatio succincta, & huiusmodi, vt hinc possis intelligere, quæ in præcedentibus dicta sunt: dicit, omnia quæ in mundo sunt nouit Deus, & apprehendit illa, & propterea dicit: Omnia aperta sunt, & postea dicit, ne putes, cùm res sciat, quòd ipsum cogere eas oporteat, vt dicunt hominis negotia cogi à rebus cælestibus: non ita res habet, sed venia data est homini in eo, quod facit: Et propterea dicit: Arbitrium datum est.

FINIS LIBRI PRIMI.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS: DE PECCATO HOMINIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

PECCATI CAVSAM NON ESSE DEI VEL PRÆSCIENTIAM, VEL PRÆDESTINATIONEM: SED HOMINEM NVLLA VI COACTVM, SVA SPONTE AC VOLVNTATE DIABOLVM monitorem sequi, & peccatum committere.

Anno ante natum Christū

NEGANT.

500. P*OETÆ fingunt Deos incestis connubijs, & alijs grauibus peccatis se polluisse.* Euripides in Hercule furente.

300. Chrysippus Stoicus, *Deus*, inquit, *bella & malitias operatur, homines incitando & peruertendo.* Plutarchus de Stoicis contrarietatibus.

Anno post natum Christū

Simon Magus Deum auctorem malorum, id est, scelerum, impietatum, flagitiorumq́; nostrorum ausus est dicere: quippe quem asserit talem manibus suis hominum creare naturam, quæ proprio quodam motu, & necessaria cuiusdam voluntatis impulsu nihil aliud velit, nisi peccare. Vincentius Lirinensis cap. 34.

50. *Marcion Deum esse causam mali dixit.* Irenæus lib. 1. cap. 29. Tertullianus contra Marcionem
160. lib. 1. & 2.

170. *Apelles dixit, à Deo factum esse alterum Deum, qui cùm malignus esset, mundum sua malignitate fecerit.* Augustinus hæresi 23.

180. *Florinus voluit, Deum esse causam mali.* Eusebius lib. 5. cap. 19.

200. *Hermogenes docuit aut materiam Deo esse coæternam, aut Deum esse causam mali.* Tertullianus contra Hermogenem cap. 10.

270. *Manes Deum veteris Testamenti dixit esse causam, & inuentorem malorum.* Cyrillus Hierosolym. Catechesi 6. *Malum ideo dixit Deum esse legis, quia deprædatus sit Ægyptios, & exceerit Amorrhæos, Gergeseosq́; atque alias gentes.* Epiphanius hæresi 76.

300. *Coluthiani, à Colutho quodā vocati, dicunt Deum malorum esse factorē.* Philastrius de Coluthianis.

350. *Seleucius & Hermias dixerunt, malū aliquando à Deo esse, aliquādo à materia.* Augustinus hæresi 59.

415. *Prædestinati asserebant, quòd nec piè viuentibus prosit bonorum operum labor, si à Deo ad mortem prædestinati fuerint: nec impijs obsit, quòd impiè viuant, si à Deo prædestinati fuerint ad vitam.* Sigebertus de anno 415.

500. *Persæ cum Manichæis duo & prima inducunt principia, alterum quidem vt bonum, ita & optima quæq; parturiens, alterum quod penitus his aduersetur: nomina verò istis imponunt & barbara, & pro eorum lingua composita. Bonum namque siue Deum siue Creatorem, Hormusdatam dicunt: Arimanes perniciosi ac pessimo dæmoni est apud hos nomen.* Agathias lib. 2. cap. 13.

630. *Mahometes nugatur Deum omnis mali auctorem esse latrones veneficos, aliosq́; vetiti facinoris conuictos, à Deo adhuc certo consilio destinatos fuisse, vt sic morerentur.* Azoara 16. Cedrenus in Heraclio, Cantacuzenus oratione contra Mahometem.

1150. *Petrus Abailardus dicebat, Deum non esse omnis boni auctorem.* Prateolus de illius hæresibus.

1200. *Albigenses fornicationem probant, quod eam Spiritus sanctus, qui omnia in omnibus agit, operetur.* Cæsarius Heisterbachius lib. 5. cap. 22.

1220. *Rabbi Salomon ad caput 1. Gene. super illa verba:* Fecit Deus luminaria magna, *dicit præceptum esse offerri holocaustum in die Nouilunij propter peccatum Dei, quod commisit, cum imminuit lumen lunæ.*

1350. *Ioannes de Mercuria docuit Deum facere quod aliquis peccet, & quòd nullus aliter peccet quàm Deus velit.* Collectio errorum Parisijs damnatorum anno 1360.

1390. Ioannes VVicleuus lib. 2. Trialogi cap 3. *Videtur mihi probabile, quòd necessitat creaturas singulas Deus ad quemlibet actum suum.*

1520. Martinus Lutherus in Assertionib. impressis VVitembergæ anno 1520. art 36. *Quomodo potest*

sese

sese homo ad bonum praeparare, cùm nec in potestate sit suas vias malas facere? Nam & mala opera in impijs Deus operatur, vt Prouer. 16. dicitur: Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, etiã impium ad diẽ malũ, &c. *Quis audet negare, se etiã in malis operibus saepe coactũ aliud facere quã cogitauit?*

De seruo arbitrio: *Si praesciuit Deus Iudam fore proditorem, necessariò Iudas fiebat proditor: nec erat in manu Iudae, aut vllius creaturae aliter facere, aut voluntatem mutare: licet id fecerit volendo, non coactus. Sed velle erat opus illius, quod omnipotentia sua mouebat Deus, sicut & alia omnia.*

1522. Philippus Melanchthon ad cap. 8. epi. ad Roman. (editione prima:) *Sit haec certa sententia à Deo fieri omnia, tam bona quàm mala. Quòd si obstrepit sensus carnis, multa indigna tanta maiestate committi videri esse contingentiam, memineris sacram doctrinam Scripturam esse proditam ad mortificandum sensum carnis. Consequitur itaque, ridiculum commentum esse liberum arbitrium: quia voluntas nostra adeò non est libera, vt eò tantùm feratur, quorsum à Deo impellitur, &c. Nos dicemus, non solùm permittere Deum creaturis vt operentur, sed ipsum propriè omnia agere: vt sicut fatentur proprium Dei opus fuisse Pauli vocationem, ita fateantur opera Dei propria esse, siue quae media vocantur, vt commedere, bibere, communia cum brutis; siue quae mala sunt, vt Dauidis adulterium, Manlij seueritatem animaduertentis in filium. Iam cùm constet Deum omnia facere, non permissiuè, sed potenter, vt Augustini verbo vtamur, hoc est, vt sit eius proprium opus Iudae proditio, sicut Pauli vocatio, &c. Ergo non est, cur frigidum glossema recipiamus, Deum mala permittere, non etiam facere. Iam & illa ipsa mala, quae fiunt, ipse ordinat ad suam gloriam, sicut ait Pharaoni:* In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te potentiam meam.

Ad caput 9. *Altera quaestio est: Si & mala & bona Dei voluntate fiunt, quare accusat & punit malos? Hanc quaestionem mouet, cùm ait: Dices ergo mihi: quid adhuc conqueritur, id est, quod accusat Deus, quãdoquidem pro sua voluntate omnia eueniunt, cui resistere nemo potest? Neq; ad hanc quaestionem respondetur. Est autẽ hoc mysteriũ inexplicabile. Nempe quòd Deus & velit peccata & tamen verè ea odio habeat.*

1530. Huldaricus Zvvinglius Sermone de prouidentia ad Cattorem Principem cap. 6. *Idem factũ, quod Deo auctore & impulsore fit, illi honorificum est, & homini crimen. Iure igitur plectuntur fontes: in legem enim peccârunt non quasi auctores, sed quasi instrumenta, quibus Deus liberius pro sua voluntate vti potest, quàm paterfamilias aquam aut bibere, aut humi effundere, &c. Mouet Deus latronem ad occidendũ innocentem, ac etiam imparatum ad mortem? Nec dicet quispiam: igitur innocens est latro, Deo impulsore occidit: nam contra legem peccauit. At, inquies, coactum esse ad peccandum. Permitto inquam ad peccandum coactum esse, sed in hoc, vt alter transferretur, & alter crucifigeretur. Impulit Deus vt occideret, sed aequè impellit iudicem, vt percussorem iustitia mactet. Et qui impellit, agit sine omni criminis suspicione. Nõ est enim sub lege. Unum idemq; facinus, puta adulterium, aut homicidium, quantum Dei est, auctoris, motoris, impulsoris opus est, crimen non est; quantum autem est hominis, crimen ac scelus est.*

1550. Petrus Martyr ad cap. 2. lib. 1. Samuelis: *Constituendũ est Deũ etiam certo quodã modo velle peccatũ.*
In epi. ad Romanos fol. 38. *ait Deũ velle inclinare & impellere volũtates impiorũ ad grauia peccata.*

1550. Ioannes Caluinus lib. de aeterna Dei praedestinatione, impresso Geneuae cũ caeteris eiusdẽ opusculis 1552. fol. 916. *Non nisi sciente, atque ita ordinante Deo cecidit Adam, seq; & posteros perdidit.*

Fol. 977. *Hinc certè colligere promptum est, quam inane & fluxum sit illud diuinae iustitiae patrociniũ, quae mala sunt non eius voluntate, sed permissu duntaxat fieri. Equidem quatenus mala sunt, quae mala omninò perpetrant homines, Deo minimè placere fateor: sed quod otiosum ea permittere fingunt, quae Scriptura non tantùm eo volente, sed auctore fieri pronuntiat, nimis friuolum est effugium.*

Lib. 1. Instit. cap. 18. §. 1. *Absurdum videtur volente ac iubente Deo excaecari hominem, qui mox caecitatis suae poenas daturus est. Tergiuersando itaque effugiunt, Dei tantum permissu, non autem voluntatẽ haec fieri. Ipse verò palam se facere pronuntians effugium illud repudiat.*

§. 4. Homo iustè Dei impulsu agit, quod sibi non licet.

Lib. 3. cap. 23. §. 8. *Lapsus est primus homo, quia Deus ita expedire censuerat. Cadit igitur homo Dei prouidentia sic ordinante.*

1550. Libertini docent *quaecunque fieri videntur, non ab hominibus, sed ab vno Spiritu Dei fieri, qui omnia in omnibus operatur: peccatum nihil esse praeter inanem & falsam opinionem, cùm Deus omnia faciat, qui nihil mali operari potest. Non debere reprehendi eos, qui occidũt, moechantur, furantur: id enim esse Deũ reprehendere: non oportere prohibere, quin pro suo quisque viuat arbitrio. Hinc celebris apud eos vox, si quisquam homicidium commiserit: non ille fecit, sed Deus fecit.* Ioannes Caluinus aduersus Libertinos cap. 13. Bullingerus lib. 2. contra Anabaptistas cap. 14.

1560. Augustinus Marloratus ad cap. 9. epist. ad Rom. *Paulus è suo ipsius sensu haec loquitur, Deum pro arbitrio suo quem visum illi fuerit misericordia dignari: in quemcunque libuerit iudicij seueritatem stringere. Hoc enim vult efficere apud nos, vt in ea, quae apparet inter electos & reprobos, diuersitate mens nostra contenta sit, quòd ita visum fuerit Deo alios illuminare in salutem, alios in mortem excaecare: neque superiorem causam eius voluntate inquirat. Insistere enim debemus in istas particulas,* Cuius vult, & quem vult; *vltra quas procedere nobis non permittit.*

1570. Theodorus Beza in Summa Christianismi cap. 2. Aphorismo 2. *Dei omnipotentis viae sunt imperscrutabiles, sine cuius aeterno & incommutabili decreto nihil vspiam à quoquam, neque vniuersaliter, ne ijs quidem exceptis, quae mala sunt, ac proinde detestanda.*

Cap. 3. Aphorismo 4. * *Fatendum est lapsum hominis non contigisse fortuitò, cùm Dei prouidentia ad res vsque minimas porrigatur: neque dici possit, quicquam nesciente, aut prorsus conniuente Deo euenire, quin (quod Deus auertat) cum Epicureis sentiamus.*

Annotat ad marginem: * Lapsus sine Dei voluntate & ordinatione fieri non potuit.

In absterſione calumniarum Heshusij ad primam calumniam de prouidentia Dei: *Si quid euenit aliter, quam Deus decreuerat, omnipotens non est, vtpote cuius irrita sunt aliqua decreta. Nam si excipias posse quidem eum, sed nolle interdum impedire, quin aliqua fiant, contra quam constituerat, aliud non*

minus absurdum sequeretur: nempe Dei voluntatem esse mutabilem, vt quæ hodie volens permittit rescindi, quod antea volens decreuerat vt fieret. Si quippiam vel tantillum accidat, absque eo vt interuenerit Dei decretum totidem Deos constituamus oportet, quot existent eiusmodi causæ Προκαταρκτικάς. *Nam qui à nullo superiore motore regitur, necessariò Deus est, cùm nihil eo sit superius. Deinde quàm prope abest ab Epicureismo, qui fieri quicquam posse existimat Deo vel inuito, vel ignorante, vel non curante? Hæc si impia sunt, vt sunt, profectò efficitur non omnia tantùm sed etiam singula ex Dei decreto fieri & euenire: & quidem eiusmodi decreto, vt falli nulla ratione possit. Iudas, si Dei decretum consideremus, eo ipso momento necessariò Dominum prodidit: Herodes quoque & Pilatus tum necessariò Christum condemnarunt, sicut inquiunt Apostoli, illos conuenisse, vt peragerent quæcunque manus & consilium Domini ante determinârat vt fieret.*

De arcana Dei prædestinatione contra Castellionem folio 359: *Nos Adamum dicimus sua quidem sponte & sua culpa lapsum, non tamen fortuitò, sed prout definitum Dei consilium, prouidentia, & manus iustè determinarant vt fierent.*

Folio 360. *Superest vt respondeam ad alterum, quod quærere soletis: Vbi nimirum in libris diuinis scriptum sit, Adamum non sine Dei decreto lapsum esse. Cur verò mihi non liceat, confirmandæ illius rei causa,*
Ephes.1. *de qua quæritur, Pauli dictum illud afferre, Deum omnia facere pro voluntatis suæ consilio?*

Folio 418. *Necessariò peccare homines, donec sint à seruitute peccati manumissi, liberè profitemur ex Dei verbo.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes 1. *vers* 31. Viditque Deus cuncta quæ fecerat: & erant valdè bona.

Deuter. 32. 4. Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia: Deus fidelis, & absque vlla iniquitate iustus, & rectus.

Psal. 5. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es. Neque habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes qui operantur iniquitatem.

Psal. 72. 27. Perdidisti omnes qui fornicantur abs te.

Psal. 105. 1. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.

Psal. 44. 17. Iustus Dominus in omnibus viis suis: & sanctus in omnibus operibus suis.

Prouerb. 15. 9 Abominatio est Domino via impij: qui sequitur iustitiam diligitur ab eo.

Sapient. 11. 25. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.

Sapient. 14. 9. Similiter odio sunt Deo, impius & impietas eius.

Ecclesiastici 15. 11. Non dixeris: Per Deum abest: quæ enim odit ne feceris, Non dicas. Ille me implanauit: non enim necessarij sunt ei homines impij, omne execramentum erroris odit Dominus. 21. Nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit spacium peccandi.

Ecclesiastici 39. 21. Opera Domini vniuersa bona valde.

Ieremiæ 19. 5 Aedificauerunt excelsa Baalim ad comburendos filios suos igni in holocaustum Baalim: quæ non præcepi, nec locutus sum.

Ezechielis 18. 23. Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat?

Oseæ 13. 9 Perditio tua Israel: tantummodò in me auxilium tuum.

Habacuc 1. 13. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.

Zachar. 8. 17. Vnusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, & iuramentum mendax ne diligatis: Omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus.

Marci 10. 18. Nemo bonus, nisi vnus Deus.

Rom. 9. 14. Nunquid iniquitas apud Deum? Absit.

1. *Cor.* 10. 13. Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.

1. *Tim.* 2. 4. Deus omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Iacobi 1. 13. Nemo cùm tentatur, dicat quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.

1. *Pet.* 2. 22. Christus peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.

2. *Pet* 3. 9. Dominus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire.

1. *Ioannis* 1. 5. Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.

1. *Ioan.* 3. 5. Apparuit vt peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Lib. 5. *Recognitionum*: Quia ergo in vnoquoque libertas est, in electione bonorum vel malorum, ipse sibi vel præmia, vel interitum quærit. Imò, inquis, quidquid cogitamus Deus nobis adducit ad mentem. Quid agitis, ô homines? Blasphematis: si enim omne quod cogitamus ipse nobis adducit ad mentem, ipse ergo nobis cogitationes adulterij

sugge-

suggerit, & auaritiæ, & blasphemiæ, omnisq; luxuriæ. Definiti quæso ab huiusmodi blasphemijs, & qui sit Deo dignus honor, intelligite. Ne dicatis, vt solent quidam vestrum, quòd Deus mortalium honore non indiget. Ille quidem verè nullius indiget, sed vos debetis eum agnoscere: quia vobis prodest honor, quem Deo defertis, &c. Dicis ergo: indignatur Deus, aut inuidet, si cùm ipse benefaciat, alijs gratiæ referantur? Etiamsi non indignetur, non vult tamen erroris auctor existere, vt sui operis beneficio inani idolo fides detur.

Lib. 10. *Recog.* Deus non facit malum, sed qui ab eo creati sunt, dum se iudicandos esse non credunt, indulgentes voluptatibus suis, à pietate & iustitia deuoluti sunt.

Dionysius Areopagita. 100.

De diuinis nominibus cap. 4 *parte* 4. Ac primû istud confidenter dicamus, quod malum ex bono nequaquam est. Et si ex bono fit, malum profectò nô est. Neque enim proprium est ignis refrigerare, neque boni non bona producere. Et si, quæ subsistunt, omnia ex bono sunt, natura enim est bono producere, atque seruare: malo autem corrumpere, & perdere, &c. Itaque non est in Deo malum, & malum diuinum non est: sed neque est ex Deo malum. Aut enim bonus non est, aut bona facit, & bona producit: neque aliquando quidem atque aliqua, aliquando verò non, & non omnia. Pateretur enim in hoc mutationem ac varietatem, etiam circa id, quod est omnium augustissimum atque causa. Sin autem in Deo bonum substantia est, & in eo malum: erit quidem transiens ex bono Deus, aliquando ens, aliquando verò non ens. Quod si participatione bonum habet, & ab alio habeat necesse est, sicq; aliquando habebit, aliquando verò non. Non igitur ex Deo malum est, neque in Deo, neque simpliciter, neque secundùm tempus.

Iustinus. 150.

Oratione 1. *ad Gentiles*: Plato ingenitam materiam esse prodidit, ne Deum mali auctorem esse dicere videretur. Platonis verba sunt hęc lib. 2. de Repub. Bonorum solus Deus causa est dicendus: malorum autem quamlibet aliam præter Deum quærere causam licet.

Dialogo cum Tryphone, paulò ante finē: Porrò quòd non Dei culpa, qui prænoscuntur & futuri sunt iniqui, siue Angeli, siue mortales mali sint: sed suapte pro se quisque culpa talis fit, qualis esse appareat, superius etiam probaui. Per nos ipsos Angeli iuxta ac homines coarguemur malignè egisse, nisi maturè pœnitentiam egerimus. Quòd si verbum Dei præmonstrat fore omnino vt Angeli quidam & homines excrucientur, eò quòd præsciuerit illos immutabiliter malos futuros, idipsum prædixit, non autem quòd Deus illos tales fecerit.

Quæstione 58. Si Christo ignorantiam ascribere impietatis est, certum fuerit omnium eum obtinere præscientiam perfectam. Quomodo ergo non est proditionis Iudæ, & iurisiurandi sacramento confirmatæ negationis Petri causa, qui hæc præsciuerit, & non impediuerit? Respondetur: Si fieri oportuit, vt Christus ab vno discipulorum inimicis hostibus proderetur, vt Scriptura impleretur, videlicet Christus Scripturæ impletionis causa fuerit, non Iudæ proditionis. Nam huius ipsemet Iudas causa fuit, quàm Deus fore cùm prænosceret, per Scripturam prædixit. Et non est præscientia causa eius quod futurum est sed id quod futurum est causa præscientiæ. Siquidem non præscientiam consequitur futurum, sed futurum consequitur præscientia. Et haudquaquam præscius causa est futuri. Quocirca non Christus causa est proditionis Iudæ, verùm proditio est causa Domini præscientiæ.

Theophilus Antiochenus. 170.

Lib. 2. *ad Antolycum*: Nihil noxium ab initio à Deo est conditum, sed hominis delictum conditionem creaturarum deteriorem reddidit.

Tatianus. 170.

Oratione 1. *contra Græcos*: Si Deus res huiusmodi creasset, vt earum ope fieret, quod hominibus libet, malarum sanè rerum esset opifex. Verùm ipse nihil non bonum in suo genere produxit: dæmonum autem luxuria rebus in mundo inuentis ad mala facinora abutitur: & istis, non Deo perfecto, idea malitiæ debet ascribi.

Irenæus. 180.

Lib. 1. *cap.* 29. Succedens Cerdoni Marcion Ponticus adampliauit doctrinam, impudoratè blasphemans eum, quia à Lege & Prophetis annuntiatus est Deus, malorum factorem, & bellorum concupiscentem, & inconstantem quoque sententia, & contrarium sibi ipsum dicit.

Eusebius lib. 5. *Histor. cap.* 19. Irenæus scripsit aduersus hæresin Florini, qui docuit Deum esse auctorem mali, quem reprehendit his verbis: Ista dogmata. Florine, vt tecum agam humanius, sanæ doctrinæ & sententiæ non sunt. Ista dogmata sunt Ecclesiæ repugnantia, vtpote quæ illos, qui eis obsequuntur, in maximam impietatem deijciant. Ista dogmata ne hæretici quidem, qui erant ab Ecclesia exturbati, vnquam affirmare audebant. Ista dogmata Presbyteri, qui ante nos fuerunt, quique erant Apostolorum discipuli, minimè tibi tradiderunt.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 1. *Pedagogi cap.* 8. Præstantius bono nihil est: prodest ergo quod bonum est: Deum autem esse bonum in confesso est: Deus ergo prodest. Bonum autem, quatenus bonum est, nihil aliud facit, quàm prodest. Deus ergo prodest in omnibus, &c. Vnusquisque nostrum supplicium eligit, cùm sponte peccat: culpa est autem eius, qui eligit: in Deum autem culpa conferri nequit. Si autem iniustitia nostra Dei iustitiam commendat, quid dicemus? Nunquid est Deus iniustus, qui infert iram? absit. Rom. 3.

Libro 4. Absurda non faciet omnipotens. Quid ad hanc vocem adhuc dicunt hæreses, cùm omnipotentem bonum Deum prædicet Scriptura, & vitij & iniustitiæ minimè esse auctorem? Siquidem ignorantia quidem propterea oritur, quòd non cognoscat Deus autem propterea nihil facit absurdum.

Libro 5. Eius, qui elegerit, culpæ non potest in Deû causa conferri. Deus enim nunquam est causa malorum. O Troiani bellicosi, inquit Lyricus Iupiter, regnator superum, qui omnia aspicit, non est mortalibus causa malorum, sed omnibus hominibus in medio est propositum vt apprehendât iustitiam castam, & sanctam, Eunomiæ comitem, & prudentis Themidis.

Origenes. 230.

Philocalia cap. 25. Ad hanc autem, quem arbitrātur, imaginis imaginem esse Filij Dei, conformes fieri eos Deus prædestinauit, quos propter præscientiam, quam de ipsis habuit, prædestinauit. Non igitur sentiendum futurorum causam esse præscientiam: sed quoniam futura erant, secundùm priuatos agentis impetus, ideo præsciuit. At cognoscens vniuersa priusquam efficiantur, nonnullos quidem præsciuit, & prædestinauit conformes futuros imaginis Filij sui, alios autem vidit futuros alienos. Si quis verò ad ista quærat, possintne non fieri, quæ futura prænouit Deus, respondebimus: Impossibile quidem esse quin fiant, non tamen idcirco necessarium esse, vt non fiant, vel fiant. Nam fiunt non quidem

planè necessariò, sed quod etiam fieri possit, vt non efficiantur, &c.

Dialogo 3. de ortu & causa malorum: *Marinus*: Causa mali est Bonus. *Adamantius*: Nihil obstat, quò minus extrinsecus mundanum exemplum sumamus, quò planius fiat & intelligentius quod dicitur: Cùm statuarius imaginem effictam argentoque exornatam tradiderit, post verò rubigo, tua negligentia, qui possides, eam per se quidem splendescentem exedat ac deformet, causa, te iudice, in statuarium transferenda est. *Marinus*: Qui id fieri potest? *Eutropius*: Quia rubigo ex natura non est, sed ex contingenti, eius videlicet incuria qui possidet: ita in Deum nec causa, nec culpa recidit. Etenim nitidum & illustre rationis lumen, quæ libera erat, Angelis & hominibus tradidit: ipse quidem omni reprehensione carebit: qui autem prædicti sunt, in vitio sunt. Malum enim ex natura non manare constat, at ex accidenti fortuitoque irrepere.

Lib. 6. contra Celsum: Quoniam igitur inuenitur in diuinis Scripturis alicubi ex persona Domini illud: *Ego sum qui facio pacem, & construo mala*: alicubi rursum de eo, quòd descenderunt mala à Domino in portas Hierosolymorum, strepitus curruum & equitum: & multos Scripturæ sacræ lectores hæc turbauerunt, quòd non valerent perspicere quid significetur bonorum malorumque appellatione: probabile est Celsum quoque hic hæsitantem quærere quomodo mala Deus fecerit: aut quia fortasse audiuit aliquem imperitè hunc locum interpretantem. At nos dicimus, quòd malum, hoc est vitium, eiusque opera, Deus non fecit: alioqui quomodo consisteret prædicatio futuri iudicij, in quo mali pro ratione maleficiorum pœnas persoluturi sunt, virtutis autem sectatores iam beati fruentur destinatis à Deo præmijs, si Deus malorum esset auctor, duntaxat in hoc genere, &c. Itaque mala, si intelligantur propriè, Deus non fecit: sed primarium eius opus pauca quædam consecuta sunt talia, suum tamen locum in hac vniuersitate habitura, quales primarium fabri opus consequuntur scobinæ ramentaque tortilia: & qualia cœmentarijs ædificantibus obiacent lapillorum in fragmentis & calce iuxta rudera. Quòd si quis de externis & ad corpus pertinentibus loquatur, quæ abusiuè mala dicuntur, concedemus interdum hæc à Deo fieri, ad conuertendos aliquos. Quid enim hic absurdum est? Nam in hoc significato mali nomen accipiendo, sicut filios à parentibus, præceptoribus, pædagogisq; castigatos malè tractari dicimus, & alios à chirurgis Medicinæ causa sectos vstosve, nemo tamen parentes aut præceptores pædagogosve sæuientes, aut chirurgos secantes accusat: ita quoties Deus dicitur illis vel illis malis ad meliorem mentem conuertere quosdam opus habentes tam duris remedijs, nihil inconueniens dictum videtur, neque dum mala descendunt à Domino in portas Hierosolymitanorum, hoste imminente castigationis eorum gratia: neque dum legem deserentium iniquitates cum virga visitat, & cum flagellis peccata eorum: neq; dum dicit: Habes carbones, sede super eos, hi tibi erunt auxilio. Eodem modo inter-
145. pretamur & illud: *Faciens pacem, & condens mala*. Condit enim mala corporis & externa, repurgans & castigans eos, qui nolunt verbis castigari sanaq; doctrina.

Proclus. 260.

Apud Epiphanium hæresi 63. Si diabolus factus est, etiam qui fecit ipsum auctor est, vt sit malum. At omnino non est Deus malorum causa. Non igitur est factus diabolus, &c. Non fecit Deus malum, nec est omninò auctor mali.

Eusebius Cæsariensis. 320.

De præparatione Euangelica lib. 6. cap. 9. Omnia Deus ab æterno videt, antecedentia, sequentia, causas rerum atque effectus, nec tamen omnium est ipse causa. Nam quemadmodum si quis temeritatem hominis alicuius perspexerit, & quia ignorantem eum cognouerit, propter temeritatem eius non dubitet, periculosa eum ac lubrica aggressurum itinera, in quibus lapsus miserè iacebit, non efficit hunc ipse temerarium illi homini lapsum: sic Deus cùm vniuscuiusque voluntatem præuideat, hunc perperam, illum rectè acturum non ignorat. Non ergo præcognitio futurorum causa est. Nec enim vllo pacto ad peccandum Deus quemquam impellit, aut mouet, sed è contra (dicam enim, etiamsi absurdum multis videatur) id quod futurum est, causa est, vt Deus euenturum illud præuideat. Non ergo ideo fit, quia præscitur: sed quia futurum erat, præscitur. Distinctione autem hæc res indiget. Nam si quis quando futurum aliquid dicimus, sic accipit, quasi necesse sit omnino fore, minimè ei id dabimus. Non enim dicimus, quia proditor Iudas præsciebatur, necesse fuisse ipsum prodere: si sic enim esset, non vituperaretur ab his, qui proditurum præuiderunt: vituperatur autem nimirum, quoniam potuisset etiam non prodere. Psal. 108
Audi quid Propheta de ipso dicit: *Nec sit qui misereatur pupillis eius, pro eo quod non est recordatus facere misericordiam, & persecutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare. Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Si quis autem ita futurum accipit, quasi euenturum sit, posset autem etiam aliter fieri, hoc ipsum est quod dicimus: Præscientiam enim Dei veram non esse, impossibile simpliciter est. Quæ verò contingentia sunt, quæque accidere & non accidere possunt, ea vel euentura, vel non euentura Deus certè præuidit. Sed liquidius forsan hoc modo dicetur: Si continget Iudam prodere, præsciuit hoc Deus: si non continget, similiter Deus præsciuit. Cùm ergo duo hæc contigentia sint, & potestas in Iuda sit, Deus præscientia sua præuidit, quid à Iuda eligetur, nec præscientia Dei ex contingenti necessaria fiet proditio: si enim ponamus Deum secum loqui, possibile est Iudam proditorem fore, sed contrarium quoque possibile est. Quamuis ergo contingens vtrumque sit, ego tamen video proditurum. Non enim similiter istud accipiendum est, quemadmodum si diceres, præuidere Deum hunc hominem nunquam volaturum: nulla enim volandi potentia inest homini, sed delinquendi, & non delinquendi potentia inest. Cùm ergo vtrumque possibile sit, qui rationi non obtemperat, is peiora sequitur, &c. Quòd verò præscientia Dei nullam necessitatem nobis imponat, inde quoque affirmari potest, qui sæpius in Scriptura pœnitentiam per Prophetas mandasse inuenitur, nec cognouisse simulauit vtrum conuerterentur delinquentes, an non, vt apud Hieremiam scribitur: *Forsan audient & agent pœnitentiam*: sed æqualiter vtrumque contingens à dictis esse ostendit, ne præscientia sua palam facta audientes deijciat, quasi necessariò aliquid eorum futurum sit: nec in delinquentibus conuerti & non conuerti potestas insit, & hæc res peccandi causa foret. Et è contra, si conuersionem eorum omnino futuram prædixisset, huiuscemodi prædictio dissolutionis causa fuisset, faceretque ne viriliter in voluptate insurgerent, quasi emendatio, velint nolintve, futura sit.

De praeparatione Euangelica libro 8. capite 5. Terræ motus, & pestilentiæ, fulminum ictus, & similia mala dicuntur, & non sunt: (nullius enim mali Deus causa est:) sed elementorum mutatione generantur: neque sunt principalia naturæ opera, sed ad ea, quę necessaria & principalia sunt, consequuntur: etsi aliquid damnum inde habuerunt, non est accusandus gubernator.

Athanasius. 340.

Oratione contra idola: Si Deum omnium conditorem volunt, necessariò quoque dabunt, etiam mali conditorem esse. Id autem absurdum simul & impossibile fuerit. Non enim ex malo bonum, neque in eo est, neque per eum: alioqui pro bono haberi non posiit, cùm aut miscellaneam, contaminatamque naturam haberet, aut causa auctorque malorum existeret. Hæretici verò decidui ex maiorum traditione, naufragiique in fide, & ipsi quoque per delirium veram essentiam malitiæ attribuunt, commenti pręter verum Christi Patrem, alium esse Deum, eumque ingenitum, mali conditorem, choragumque, illumque ipsum naturæ opificem esse, &c. Nullum malum nec à Deo, nec in Deo, nec ab initio extitit, neque vlla eius substantia est: sed homines per priuationem imaginandi cogitandique boni sibi illud quod malum est comminisci incœperunt, effinxeruntque pro libidine ea, quæ non erant.

In vita S. Antonij: Hoc primùm debemus mentibus affigere, nihil Deum fecisse quod malum est, nec ab eius institutione dæmonum cœpisse principia: Peruersitas ista non naturæ, sed voluntatis est vitium. Boni enim, vtpote à Deo cōditi, ex proprio mentis arbitrio ad terras ruêre de cęlis, ibique in cœni sordibus volutati, gentilitatis impias constituêre culturas.

Basilius Magnus. 370.

In Hexaëmeron diuini opificij Homilia 2. Si exuperat summi boni potentia, quid causæ est, vt mali natura non funditus sit sublata? si contra, quod nefas est dicere, miror quonam pacto seipsos ipsi non abhorreant (qui duo coæterna principia statuunt) ad tam nefanda maledicta delapsi. At neque à Deo ipsum malum profluxisse, pium est dicere: propterea quòd nihil contrariorum à contrario suo gignitur. Neque enim vita mortem parere solet, neque tenebræ principium afferunt luci, neque sanitatem morbus efficit vnquam: sed in affectuum quidem transmutationibus è contrarijs ad contraria fiunt transitiones: in generatione verò non à contrarijs, sed ex congeneribus vnumquodque eorum, quæ gignuntur, procedit. At si nec ingenitum est, inquies, ipsum malum, nec à Deo profluxit, vnde naturam sortitur? Nam mala esse nemo vitæ particeps contradixerit. Quid igitur est dicendum? Nempe malum non essentiam viuentem, animaque præditam esse, sed affectionem animæ virtuti contrariam, desidiosis ac inertibus, propterea quòd à bono deciderunt, inditam. Noli itaque malum forinsecus circumspicere, atque inquirere: neque quandam naturam principem malignitatis imaginare, sed malitiæ quisque suæ seipsum auctorem agnoscat, &c. Quod propriè malum est, id ab vltronea & voluntaria electione sumpsisse principium scito. Non enim si nobis inuitis eueniret, situmque in nobis non esset, tantus quidem à legibus metus ijs, qui iniurij sunt in alios, immineret: iam verò iudiciorum pœnæ indeprecabiles sunt, quas maleficis pro meritis flagitiorum æqua talione rependunt.

Homilia 9. Quòd Deus non sit auctor malorum: Apud inferos quæ sunt mala non Deum causam habent, sed nosipsos. Principium namque ac radix peccati in nobis est, & in nostra potestate. Nam quibus, si à malo abstinuissent, nihil omninò graue pati licebat: ijdem, si in peccatum per voluptatem ruant, quam rationem decentem adducere poterunt, ne sibi ipsis causam pœnarum dedisse dicantur? Malum igitur aliquod est secundùm nostrum sensum, aliud natura ipsa. Malum itaque natura ex nobis oritur, iniustitia, lascivia, inconsiderantia, timiditas, inuidia, cædes, veneficia, astutia, fallacia, & reliqua huiusmodi omnia, quæ animam ad Dei imaginem factam solent inquinare, & ipsius pulchritudinem aliquo modo inficere. Rursus malum dicimus, quod triste durumque sensibus fit nostris, vt corporis morbum, plagas, egestatem, ignobilitatem, pecuniæ damna, domesticorum amissiones: quorum quodlibet nobis à sapientissimo & optimo Domino ad vtilitatem inducitur. Diuitias quidem aufert ijs, qui malè illis vtebantur, instrumentumque illis iniustitiæ fuerant. Morbum inducit ijs, quibus magis expedit membra habere impedita, & impetus ad peccandum tardiores. Mors venit, vbi finis adest vitæ iam expletæ, quem cuilibet ab initio fixit iustum Dei iudicium, longè nostram vtilitatem prospicientis, &c. Vt enim bene facit medicus etiam vbi corpori molestiam & dolorem infert: sic & bonus Deus salutem omnibus per castigationem ac pœnam distribuit, &c. At, inquis, si malorum non est causa Deus, quomodo dicitur: *Ego sum qui paraui lumen, & feci tenebras: faciens pacem, & creans mala?* Et rursus: *Descenderunt mala à Domino super portas Hierusalem.* Et: *Non est malum in ciuitate, quod Deus non fecerit,* &c. Sed nihil horum apud eos, qui rectè Scripturæ sensum tenent, Dei, vt malorum auctoris, accusationem habet. Qui enim dicit: *Ego praeparo lumen, & facio tenebras,* creationis auctorem sese per hæc, non mali alicuius conditorem significat. Ne igitur existimes aliam lucis, aliam verò tenebrarum esse causam, seipsum dixit eorum, quæ contraria inter se videntur, secundùm creationem factorem & opificem esse: ne quæras alium ignis, & alium aquæ, alium aëris, & alium terræ opificem, quòd hæc ob qualitates contrarias inter se quodammodo pugnare videantur: quod iam quidam ita esse sentientes, in plurium Deorum opinionem venerunt. Facit autem pacem, & creat mala. Maximè quidem in te pacem facit, quando per bonam doctrinam tuam serenat ac tranquillat mentem, & affectus aduersus animam insurgentes conciliat. Creat autem mala, hoc est, transmutat ipsa, & in meliorem statum exitumque deducit, vt iam mala esse desinant, boniique naturam accipiant. *Cor mundum crea in me Deus.* Non dicit: nunc creat, sed in malitia inueteratum renoua, &c. Illud autem, quod supra memorauimus: *Descenderunt à Domino mala super portas Ierusalem*, ex seipso habet expositionem. Quæ mala? Sonitus curruum & equitum. Quando autem audieris: *Non est malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit*, intellige hîc mali nomen vexationem ac calamitatem significare, quam Deus peccantibus ad delicta corrigenda infligit. Afflixi, inquit, & fame pressi, vt benefaciam antequam per intemperantiam prorsus perdantur, & iniustitiam cohibui, quemadmodum flumen forti quodam solet obice & obstaculo contineri. Hac itaque de causa ciuitatum ac gentium morbi, siccitates aëris, terræ sterilitates, ac qui cuilibet in vita duri casus emergunt, quæ omnia ne malum vlterius progrediatur efficiunt. Talia itaque mala à Deo immittuntur veris ac natura ipsa malis resistentia. Huiuscemodi namque secundùm cor-

pus afflictiones & externæ molestiæ ad peccati compescendam licentiam à Domino excogitatæ sunt. Extinguit ergo Deus malum, non est ex Deo malum: quoniam & medicus morbum tollit, non morbum corpori infligit, &c. Malum propriè peccatum, hac verò dignum appellatione, à nostra voluntate pendet, propterea quòd in nobis situm est vel abstinere à malitia, vel malum committere.

Gregorius Nazianzenus. 370.

Inuectiua prima in Iulianum: Deus nullo modo est causa mali, quippe natura bonus, vitiumq; est eius qui elegit.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 2. Plantatio quidem bona, sed fructus ex voluntate malus: atque ideò plantator quidem in culpa non est, vinea autem comburetur, quoniam in bonum plantata est, & in malum fructificauit. Fecerat enim Deus hominem rectum, vt inquit Ecclesiastes, sed ipse quæsiuit quæstiones multas. Creator itaque cùm sit bonus, bonos creauit: creatura verò voluntate propria in amaritudinem conuersa est.

Epiphanius. 380.

Contra Caianos hæresi 38. Non propter cognitionem Iudas tradidit Saluatorem, neque Iudæi mercedem habent, quòd crucifixerunt Dominum, etiamsi per crucem nos salutem habeamus. Non enim Iudas tradidit illum, vt cederet nobis ad salutem, sed per ignorantiam, & æmulationem, & auaritiam, & Dei abnegationem. Nam tametsi dicat Scriptura Christum voluisse cruci tradi, aut etiamsi dicat diuina Scriptura, absurditates in extremis diebus per nos perficiendas: non tamen omnino aliquis ex nobis, qui iniqua facimus, excusationem inuenerit, Scripturæ testimonium producens vaticinantis hæc futura esse. Non enim quia dixit Scriptura facimus, sed quia facturi eramus Scriptura prædixit propter Dei prænotionem. Et vt Deus, qui bonus est, iram autem contra peccantes infert, non suspectus fiat, velut qui affectibus obnoxius sit: Ira enim Dei aduersus singulos peccantes non ab effectu proficiscitur: affectus enim expers est numen, infert autem iram contra hominem, non affectu indignationis correptum, neque ira superatum. Ostendit autem affectus exortem se Deus, præuaticinatus futurum iudicium, ac iustum supplicium fore, quò deitatem affectus exortem ostendat. Prædixit itaque Scriptura, iuxta præcognitionem nos præmuniens ac docens, vt ne incidamus in iram Dei immedicabilem, non ex affectu decretam, neque ex eo, quòd ab effectibus superatus sit, contingentem: sed hominibus peccatum facientibus iustissimè præparatam, & his, qui non agunt pœnitentiam ex veritate. Sic etiam de cruce: non quia dixit diuina Scriptura, Iudæi crucifixerunt, & Iudas prodidit Saluatorem: sed quia traditurus erat Iudas, & Iudæi crucifixuri, ea de causa Scriptura prædixit in veteri Testamento, & Dominus in Euangelio.

Hæresi 66. *contra Manicheos:* Vnum quidem hoc quærit improbus ille, vt ne malitiam Deo adminiculeat. Nam & absurdum est hanc Deo attribuere. Et diuinæ & Ecclesiasticæ Scripturæ character hoc confitetur, Deum penitus alienum & impermixtum à malo esse. Deus enim nihil mali fecit, sed omnia valde bona: vt qui bonus sit natura, incomprehensibilis essentia, omnia continens, & ipse à nemine contentus. Neque igitur malum semper erat, neque ex Deo factum est malum.

Gregorius Nyssenus. 380.

Libro de vita Mosis, seu de vita perfecta: Non debet historiæ literam ita sequi, vt Deum putemus cruciatus causam, sed vnumquemque sua electione sibi dolores præparasse, ac fecisse, credere debemus, vt etiam Apostolus ad eiusmodi hominem dicit: quòd *secundùm duritiem tuam*, quia cor tuum non pœnitet, *iram tibi in die iræ ac reuelationis & iusti iudicij Dei congregas, qui vnicuique tribuit iuxta operum suorum merita.* Nam quemadmodum si praui ac perniciosi humores in præcordijs ac intestinis lateant, non accusatur medicus, quòd eos ipse fecerit, si arte ipsos in cutem vt appareant traxerit, sed effecit quidem illos inordinata dieta, traxit autem in manifestius non imperitus medicus: sic cùm dolores & cruciatus hominibus à Deo factos audimus, intelligere decet à nobis ipsis initia & causas earum vexationum fuisse.

Homilia 2. *in Ecclesiasten:* Deus qui est natura bonus, bona quoque præbet omnino: quoniam *omnis arbor bona bonos fructus facit*, & neque ex spinis vua, neque ex vite spina nascitur. Quod sua natura bonum est, ex suis thesauris malum non produxerit. Neque enim bonus homo ex abundantia cordis mala loquitur, sed ea loquitur, quæ suæ naturæ sunt conuenientia: quanto ergo magis fons bonorum nihil mali ex sua natura profuderit?

Orationis Catecheticæ cap. 5. Quoniam homo Dei est opus, qui propter bonitatem hoc animal deduxit ad ortum, nemo iure eum, cuius bonitas causa fuit vt conderetur, illius defectionis causam esse suspicabitur.

Capite 7. Malorum causa non est Deus, qui est creator & effector eorum, quæ sunt, non eorum, quæ non sunt: qui visum fabricatus est, non autem cæcitatem: qui virtutem indicauit, non eius priuationem, bonæ electionis præmio, adiecto bonorum fine ijs, qui ex virtute vitam degunt: non violentæ alicui necessitati, vt sibi videretur, humanam subiungens naturam, tamquam vas aliquod inanimum inuitum ad bonum attrahens. Si autem lucis tempore sereno purè lucentis voluntariè quispiam solis apprehendat visionem, sol minimè causa est eius, qui non aspicit.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia de interdictione arboris ad Adam, quæ habetur post Homilias in Genesin: Nam manifestum est Deum noluisse Adam peccare, qui voluit eum ante dilectum præstruere. Potuit Adam & Deo parere, quod noluit: & consentire diabolo, quod maluit.

Homilia 23. *in Acta Apostolorum:* Nullus dicat Deus nobis auctor malorum est: satius fuerit sexcenties defodi, quàm Deum audire talia per nos.

Homilia 13. *in primam ad Corinth.* Nullum malum fecit Deus, sed omnia valde bona. Quamobrem bonæ quoque sunt pecuniæ: sed ita demum, si in eos, qui possident, dominatum non obtineant, & si proximos à paupertate eximant.

Homilia 17. Christus quoque dicit: *Necesse est vt veniant scandala*, non liberum perimens arbitrium, Matth. 18. neque necessitatem aut vim aliquam vitæ inferens, sed futurorum omnino prædicens ex mala mente hominum id quod erat futurum: non propter suam prædictionem, sed propter eorum mentem, qui erant incurabiles. Non enim quoniam prædixit, hæc fuerunt: sed quoniam omnino futura erant, propterea prædixit. Nam si scandala essent necessitatis, & non mentis eorum, qui ipsa inferunt, superuacaneè dixisset, *Væ illi, per quem veniunt scandala.*

In posterioris ad Timoth. cap. 3. Hoc solum scito, quòd Deus omnia prouidet, quòd liberi arbitrij

conditi

conditi sumus: quòd alia quidem operatur, alia verò permittit: quòd nihil mali vult fieri: quòd non ex sola ipsius voluntate fiunt omnia, sed ex nostra quoque. Mala omnia ex nostra tantummodò fiunt, bona omnia ex voluntate nostra & ipsius adiutorio.

Homilia de lapsu primi hominis: Angelus Sathaël ex defectu boni fecit initium mali: quia malum Deus non fecit. Ergo quando ei obortum est, vt diceret:
Esa.14. *Pono sedem meam in Aquilone, & similis ero Altissimo,* recessit à bono, vt faceret, vt dixi, initium mali. Pro tali errore & tyrannica præsumptione præcipitatus cæcidit irreparabiliter.

Marcus Eremita. 400.

De lege spirituali: Principio omnium certò scimus Deum omnis boni esse auctorem, cùm principium, tum medium, & finem.

Philo Carpathius. 420.

In Cantica: Nemo diuinam prouidentiam de salute sua carpat, nemo non falli posse causetur, ob idq; quicquid ab eo prouisum est, ab æterno necessariò esse venturum: nemo in eam causam suæ damnationis reijciat, &c.

Ioannes Cassianus. 430.

Collat.6.cap.5. Frequenter legimus in Scripturis sanctis Deum creasse mala, vel hominibus intulisse, vt est illud: *Quoniam absque me non est Deus, ego Dominus, & non est alter: formans lucem, & creans tenebrans: faciens pacem, & creans mala.* Et iterum:
Esa.45.
Amos 3. *Si est malitia in ciuitate, quam Dominus non fecit?* Respond. Nonnunquam solet Scriptura diuina abusiuè mala pro afflictionibus ponere, non quia per naturam propriè mala sint, sed secundū hoc, quod ab his sentiantur mala, quibus vtiliter inferuntur. Hominibus enim disputans diuina sensura, necesse est vt humanis verbis & affectionibus eloquatur. Etenim sectio vel vstio salutaris, quæ illis, qui vlcerum contagione putrefacti sunt, piè infertur à medico, mala à tolerantibus creditur: nec equo calcar, nec emendatio suauis est delinquenti. Omnes enim disciplinæ his, qui erudiuntur, amarę sentiuntur ad præsens, &c. Itaque mala nonnunquam pro afflictionibus poni solent, secundùm illud: *Et pœnituit Deus super malitiam, quam locutus est vt faceret eis, & non fecit,* &c. Et idcirco, vt ad quæstionem propositam recurramus, vniuersa quæ putantur mala nobis ab inimicis, vel à quibuscunque alijs irrogari, non sunt credenda mala esse, sed media.

Collat.8. cap.6. Absit vt Deum quicquam creasse cōfiteamur, quod substantialiter malum sit, dicente Scriptura: *Omnia, quæ fecit Deus, bona sunt valde.*
Gene. 1. Si enim à Deo tales isti creati sunt, vel ad hoc facti, vt hos malitiæ gradus teneant, ac semper deceptionibus & ruinis hominum vacent, contra prædictæ Scripturæ sententiam, infamabimus Deum, velut creatorem atque inuentorem malorum, quòd scilicet pessimas voluntates ac naturas ipse condiderit, ad hoc eas creans, vt semper in nequitia perseuerantes, nunquam transire possint in bonæ voluntatis affectum.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Ad Esaiæ cap. 45. *Ego igitur sum,* inquit Deus, *qui fabricaui lucem, & feci tenebras,* id est, diem ac noctem: vel lucem redemptis, tenebras perditis. Illi enim, veluti liberati vinculis, gaudebant: hi autem in miseria indeclinabili versabantur. *Ego sum, qui constituo pacem, & creo mala.* Et hoc accipies eo, quem iam dixi, sensu: pacem redemptis, mala verò, id est, malè affligentia, vel omnis malæ afflictionis efficientia crudelibus, & immanibus, qui intulerunt Israelem.

Libro 3, aduersus Iulianum circa medium: Igitur bona quidem, & bene operans eodem modo, imo ipsa bonitas est diuina, & ineffabilis natura: non ignorauit autem malum, sed nouit practicè, id quod nos sentimus, in omne venientes malum.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib.1. epist.240. Si Deus malorum auctor est, qui fit, vt super te pluat, ac solem oriri faciat, atque ad senilem vsque ætatem tibi hic vitam prorogârit, qui multis mortibus iam pridem dignus eras? Verùm ob ipsius misericordiam ad hoc vsque ætatis pœnitentiæ ac resipiscentiæ causa seruatus es.

Theodoretus. 450.

Lib.5. de natura hominis: Si bonus est Deus, sicuti bonus est, (communis enim hæc sententia est,) non vtique erit malorum causa, qui bonus est. Quòd si Deus non est causa malorum, quæ fiunt, (mala autem propriè appellamus non ea, quæ à multis existimantur mala, pauperatem videlicet, ægritudinem, quæque sunt præterea his similia, quæ nonnullis appellare damna mos est: sed malitiam, libidinem, cæterasque iniquitates,) nos igitur hæc ipsa facere audemus, causaque earum rerum in nos auctores referenda est, in Deum verò nequaquam, cùm ipse etiam latis legibus contraria fieri mandarit.

Quæst.37. in Deuteronomium: Quomodo illud intelligendum: *Non dedit vobis Dominus Deus vester cor intelligens,* &c. Intelligi debet quemadmodum & illud: *Tradidit illos in reprobum sensum, & tradidit eos in passiones ignominiæ.* Et: *Indurauit Dominus cor Pharaonis.* Bonorum enim auctor est Deus, malorum Rom. 1.
autem minimè. Nam quid sit agendum ostendit, Exo.10.
& contraria dissuadet: non tamen cogit animum humanum, sed libero suo arbitrio dimittit.

Dorotheus Abb. 520.

Doctrina 5. Quod bonum est, id tibi fuit à Spiritu sancto. Quicquid enim tuum est, omne malum est, à dæmone, & ab habitu vitioso.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap.1. Genesis: Hic obijcitur: Si prænouit Deus quæ futura sunt, necessariò euenient; quæ per astra denuntiantur, ne Deus prænoscens videatur aberrare. Huic opponimus quod sequitur exemplum: Propterea præcognouit Deus Iudam proditorem, siquidem haud illum latebat, quòd proditurus erat propria voluntate impulsus, quam, modò voluisset, potuisset inhibere, & non prodere, quem tamen prodidit. Itaque nemo dixerit prænotionem esse causam facti, imò factum afferat causam perhiberi prænotionis. Licet quis adulterium committat, non tamen præscitus est à Deo, vt fiat adulter. Si autem adulterio, cui resistere posset, modò voluisset, se polluat, ipse propria malitia hoc crimine profanatus est, & sic occasionem & ansam de se præbuit, vt talis prænosceretur à Deo futurus, &c.

In Numeros fol.415. Id si quis ad sui eruditionem arripiat, bono esse potest, vt in seipso omnem culpam, in que Deo nullam residere agnoscat, videlicet: Ac Deum quidem mali non auctorem, sed omnis bonitatis esse fontem.

Anastasius Synaites. 560.

Lib.11. Hexameron: Hæresis, quæ dicitur Encratitarum, abstinet à nuptijs, & à muliere, tanquam à re mala & insidiosa, similiter etiam ab arborum fructibus, vt qui sint peccati efficientes, propter arborem, quæ dicitur inobedientiæ. Nec hoc seculum, sed etiam plurimi ex Ecclesia conuertuntur ad impias de Deo cogitationes, corporaliter & crassè audientes ea, quæ facta sunt in Paradiso,

Si enim

Si enim præsciebat, inquiunt, Deus id, quod erat euenturum, ipse est eius auctor, vt qui serpenti concesserit statim corrumpere primò creatum opus manuum Dei. Quid enim opus erat omnino, vt ille dæmon simul cum illis degeret in Paradiso? Quidam autem inciderunt etiam in alias absurdiores cogitationes, quas, ne offendantur simpliciores, non est necesse dicere.

Hesychius. 600.

Libro 4. in Leuit. cap. 14. Quidam in nuper lecta lege hoc reprehendunt, quia secundùm quod Septuaginta asserunt, Deum dicentem Moses introduxit: *Dabo maculam lepræ in domibus vestris, in terra promissionis vestræ.* Putasne Deus, inquiunt, inducit mala? Quibus respondemus etiam, sed nec turpia sunt, nec mala ea quæ affligunt ad eruditionem, seu pœna pro iuuamine constituta, veluti fames, terræ motus, hiatus terræ, tempestas maris, bellum, atque similia, sicut & ipse per Prophetam (Esa. 45.) dicit: *Ego Dominus, & non est alius: formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans mala,* &c. Quæ quidem Deus non vt noceat ingerit, sed vt valde iuuet hominem. Afflictus quippe humiliatur, humiliatus currit ad eum, qui erigere potest.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

In Theoria: *Et ne nos inducas in tentationem.*) Quid enim? Inducit hominem in tentationem? absit. Non enim Deus est auctor malorum: sed obsecramus eum, vt per multas suas miserationes non sinat nos in tentationem incidere.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei libro 2. capite 30. Illud scire necesse est, Deum omnia quidem præscire, sed non omnia præfinire. Præscit enim ea etiam quæ in nostra potestate atque arbitrio sita sunt: at non item ea præfinit. Nec enim vitium admitti vult, nec rursus virtuti vim adfert. Quocirca diuina iussio cum præscientia coniuncta præfinitionem efficit.

Libro 4. cap. 20. Scire illud attinet, in Scripturæ more positum esse, vt Dei permissionem actionem ipsius appellet: velut cùm ait Apostolus in ea epistola, quam ad Romanos scripsit: *An non habet potestatem figulus ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud autem in ignominiam?* Quanquam enim ipse est, qui & hæc, & illa efficit (neque enim rerum omnium quisquam præter illum est opifex) non tamen ipse vel nobilia, vel ignobilia efficit, verum sua cuiusque voluntas animiqúe institutum. Id quod ex his verbis liquet, quibus idem Apostolus in secunda ad Timotheum vtitur: *In magna domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & fictilia: & alia quidem in honorem, alia autem in ignominiam.* Si quis igitur seipsum emundauerit ab his, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum præparatum. Nemini porrò obscurum est, quin purgatio voluntariè fiat. Si quis enim, inquit, emundauerit seipsum. Atqui consectaria conuersio ex aduerso respondet. Quod si non emundauerit, erit vas in ignominiam, Domino inutile, ac dignum quod perfringatur. Quocirca tum locus hic, quem in medium adduximus: tum ille: *Conclusit Deus omnia in incredulitate:* & ille: *Dedit eis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant,* hæc, inquit, omnia loca, non ita accipienda sunt, quasi Deus hæc ipse effecerit, sed quòd hæc permiserit, tum ob arbitrij humani libertatem, tum quia virtus nulla vi extorquenda sit. Liquet itaque ex Scripturæ vsu & consuetudine esse, de permissione Dei non secus ac de effectione loqui. Quin etiam cùm à Deo mala creari ait, neque vllum in ciuitate malum esse, quod Dominus non fecerit, (Esa. 45.) his verbis Deum esse malorum auctorem minime ostendit. Sed quia mali vocabulum anceps est, duplicemqúe significationem habet. Interdum enim id quod natura malum est indicat, quod quidem cum virtute ac Dei voluntate pugnat: interdum rursus quod sensus nostri iudicio malum ac molestum est, velut afflictiones & immissæ calamitates, quæ quidem opinione nostra malæ sunt, vt quæ dolorem afferant: at reuera bonæ. His enim, qui sagaci animo sunt, hoc præstant, vt ad meliorem frugem se recipiant, & salutem obtineant.

Dialogo aduersus Manichæos: Quemadmodum Iudex in eum, qui iam scelus aliquod admisit, meritò animaduertit, ac nisi animaduertat, iniquus est, neque ipse in causa est cur peccârit, aut puniatur is, de quo supplicium sumitur: verùm eius, qui scelus perpetrauit, voluntas animiqúe inductio: sic Deus eum, qui futurus erat, tanquam iam ortum intuens, vt in ortum prodiret, decreuit, atque vt cruciaretur, si suapte voluntate malus extitisset. Vnde etiam eum condidit, ac bonum effecit: at ille propria mentis inductione malus factus est, sibiq; ipsi supplicium accersiuit: imò, vt rectius loquar, seipsum excruciat, dum ea, quæ non sunt, expetit. Quòd autem Dei præscientia diabolo minimè causa fuerit, cur malus fieret, hinc constat. Nam nec medicus, dum futurum morbum prænoscit, morbo causam affert, verùm morbi quidem causa in præpostera & immoderata vitæ ratione consistit: at medici prænotio eruditionis ipsius argumentum est, prænotionis autem causa hæc est, quod ita futurum erat, &c. Ac quidem vis Dei præsciens à nobis causam haudquaquam habet. At verò vt ea, quæ facturi sumus, præsciat, à nobis proficiscitur. Nam si facturi non essemus, ne ipse quidem quod futurum non esset prænosceret. Et quidem Dei præscientia vera atque inuiolabilis est: verùm ipsa haudquaquam causa est, cur omnino fiat id quod futurum est: quin potius, quia hoc vel illud facturi sumus, idcirco prænoscit. Multa porrò prænoscit, quæ ipsi minimè grata sunt. Nec propterea tamen ipse horum causa est: quemadmodum nec medicus idcirco morbi auctor est, quia futurum prænouit, vt quispiam in morbum incideret: verùm ipsa quidem ægrotatio ab alia causa proficiscitur, quæ morbum parit: medici autem præscientia ab ea arte manat, qua ipse instructus est. Ad eundem modum id quoque, quod à nobis futurum est, à Deo causam non habet, sed à libera nostra voluntate. Voluntatis porrò libertas haud mala est, si vt nobis, & ad quem vsum data est, ea vtamur. Quin ne pœnarum quidem nostrarum Deus auctor est. Neque enim cur sceleratus pœnas luat, iudex causa est: etiamsi ipse volens sententiam ferat: verùm is, qui facinus admisit.

Elias Cretensis. 780.

In Orationem primam Nazianzeni: De Esau & Iacob nondum natis Rebeccæ ipsorum matri dictum est: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* (Rom. 9.) Nec tamen propterea Dei prænotio alios improbos, alios sanctos reddidit. Quamuis enim omnia prænoscat, tamen sola bona præfinit. At multi Scripturæ proprietatem ignorantes, malum natura esse censent, ac quosdam ab ipsa procreatione partim bonos, partim malos fieri. Est autem Manichæum ita sentire, vel potius delirare.

In Orationem tertiam: Nullo modo malorum causa diuinum numen est, cùm natura bonum sit, verùm nostræ voluntatis est vitium, & ea quæ malè & improbè à nobis fiunt, à rationibus diui-

næ pro-

næ prouidentiæ consentaneis remota sunt.

Leo Philosophus Imper. 880.

Epistola ad Omarum Saracenorum regem.: In lege vestra scriptum est, quicquid fecerit homo, siue bonum, siue malum, quod præscriptum & præordinatum sit illi à Deo antequam nascatur. Si ita est, non est illi gratia, si bonum operetur: neque peccatum, si malè operetur: quia non ille operatur, sed quod præscriptum & præordinatum est illi antequam nasceretur. Ergo Deus impiè videtur egisse. Sed hoc absit à Deo, vt ista in hominibus operetur.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 13. Matth. *Quia videntes non vident:* &c. Attende. Hic enim soluit quæstionem dicentium, quòd à natura & à Deo mali sunt quidam. Dixit enim, inquiunt, Christus: *Vobis datum est nosse arcana: Iudæis autem non est datum.* Dicimus ergo ad illos cum Deo, quòd Deus omnes faciat intelligere natura quantum opus est. *Omnem* enim *hominem illuminat venientem in hunc mundum:* voluntas autem nostra obtenebrat nos. Hoc igitur & in isto loco manifestatur. Dicit enim quòd videntes natura, hoc est à Deo facti vt natura intelligere possint, non vident voluntariè: & audientes, hoc est naturaliter à Deo ita facti, vt audire & intelligere queant, non audiunt, neque intelligunt, propter voluntatem, &c.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita S. Auxentij: Malum extra propositum, propria substantia consideratum nullum est in rerum natura. Quicquid enim à Deo creatum est, bonum est, & omnia, quæcunque fecit Deus, sunt valde bona.

De S. Iacobo Apostolo: Sed neque multorum morbum, qui suas defendentes cupiditates, peccatum dicunt esse à natura, & neque verentur existimare, Deum esse causam malorum, reliquit incuratum: sed tanquam medicus præstantissimus, auxilijs vtens præseruantibus, huic morbo resistit,
Iacob. 1. dicens: *Nemo qui tentatur dicat: A Deo tentor. Deus enim non tentatur à malis. Ipse autem tentat neminem,* &c. Sic vir iustus iustè iudicauit inter homines & Deum: illi quidem suo testimonio tribuens, quòd non esset auctor malorum, & linguis loquacibus persuadens, vt tacerent: efficiens autem, vt homines suam agnoscerent imbecillitatem, & sua peccata, & vt sibi, & non Deo ascriberent delicta, quæ ex mala consuetudine proueniunt & socordia, & sic discerent se humiliter gerere, & petere veniam.

Suidas. 970.

In voce κακῶν: Malorum Deus causa non est, Mala verò propriè dicimus, non ea, quæ plerique è vulgo sic appellant: sed vitia, & intemperantiam, & cætera facinora, quæ à nobis vltrò suscipiuntur: eorum causa nos sumus, non qui contraria lege sanxit Deus.

Oecumenius. 1050.

Ad caput 9. epistolæ ad Romanos: *Aliud quidem vas in honorem, ad ignominiam aliud.* Non quòd hos quidem bonos, alios verò malos faciat Deus. Nequaquam, sed cuncta Dei opera bona sunt, & quod ad se attinet, hoc est iuxta suum ipsius consilium ac voluntatem, omnes vellet probos esse & fideles.

Vasa iræ: Non Deus est causa malorum, sed quisque seipsum efficit vas iræ, quemadmodum & vas benignitatis siue misericordiæ. Ita Pharaoni non Deus, sed ipsius malitia fuit causa, vt pateretur ea, quæ passus est.

Euthymius. 1080.

Ad cap. 6. Matthæi: Deus neminem tentat, sicut Iacobus Apostolus ait. Quomodo ergo dicit: *Ne nos* Iacob. 1.
inducas in tentationem? illud sanè, *ne nos inducas,* tantundem valet, ac si diceret: ne permittas nos induci. Hoc autem Scripturæ idioma est: in eo enim quod permittit, ipse inducere videtur. Omnis siquidem tentatio à diabolo producitur: verùm nullum attingit hominem, nisi Deus permiserit, cùm neque porcis nocere potuerit, nisi ipso permittente.

Ad cap. 19. Matthæi: Aiunt quidam, quòd si omnia à Deo sunt, vtique & facere malum Deo possibile est. Quibus nos dicimus, quòd facere malum non est potentiæ, sed impotentiæ. Ideo etiam Dauid peccata appellauit imbecillitates, siue in-
firmitates. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum.* Et Psal. 15.
Paulus ait: *Cùm nos essemus infirmi,* siue peccato- Rom. 5.
res.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Heraclio contra Mahometum: Sacræ literæ docent, Deum nullius esse mali causam: hominem sua voluntate sibi vel salutem parere, vel exitium. At miserrimus ille, omnibusque modis detestandus, & implacabilis Dei hominumque hostis Mahometus, à prauissimo & multitudinis decipiendæ artifice dæmone inspiratus atque agitatus, omnis & boni & mali auctorem Deum audacter pronuntiat: atque omnia, quæcunque homini eueniunt, vel diaboli fraude, vel sua ipsius socordia atque impudentia, diuinæ prouidentiæ iussu euenire flagitiosè asserit.

Michael Glycas. 1120.

Parte 1. Annalium de Diabolo: Omnia quæ fecit Deus bona erant, & quidem valde bona, cùm malum nullum condiderit. Etenim malum nihil aliud est, quàm à bono secessio: quemadmodum caligo, nihil aliud est, quàm lucis ademptio. Quapropter præclarè dicitur Deum non esse mali auctorem. Quippe rerum per se subsistentium conditor est Deus non earum, quæ non existunt. Quòd si bona dicuntur in ortum à Deo producta, putandum est eorum appellatione venire res omnes, quæ existunt. At malum cùm à Deo conditum non fuerit, non etiam in numero rerum est existentium. De quo consequitur, Deum non esse mali auctorem, quando is nequaquam rerum non existentium opifex est. Dicitur autem malum non esse aliquid propterea, quòd substantiam nullam habet, nec per se subsistit.

Nicetas Choniates. 1200.

Libro 4. Thesauri Orthodox. hæresi 33. de Manichæis: Quòd si percontari velint, vndenam malum oriatur, nec enim fieri vllo modo potest, vt à bono malum originem traxerit,) malum nihil aliud, quàm boni priuationem esse dicimus: atque adeò euersionem eius, quod est naturæ consentaneum in id, quod est naturæ contrarium. Siquidem nullum malum naturæ consentaneum: Omnia enim quæcunque fecit Deus, valde bona sunt: si creationis eorum habeatur ratio. Proinde si qualia creata sunt, talia maneant, valde bona sunt: at si vltro ab eo, quod est naturæ consentaneum, ad id deficiant, quod naturæ repugnat, iam malo accensentur. Natura igitur omnia rerum opifici subijciuntur atque parent. Cùm verò creatura quæpiam rebellauerit, & Creatori suo minus morigeram se præstiterit, sibi vitium vltro accersiuit. Nam vitium neque substantia, neque substantiæ proprietas vlla est: sed accidens, seu spontanea quædam deflexio ab eo, quod est naturæ consentaneum, ad id, quod naturæ repugnet: quod quidem peccatum est. Peccatum autẽ liberæ diaboli voluntatis inuentum est.

Manuel Palaeologus. 1400.

In praeceptis educationis Regiae cap. 26. Quòd si vitijs aliquando succubuerimus, (vix enim in Angelos immunitas ab omni lapsu cadit,) nobis ipsis peccatum ascribamus, nisi per ignorantiam prorsus accidit.

Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus. 1580.

Responso primo ad Tubingenses cap. 19. Decimum nonum caput statuit, causam peccati esse nos, malam voluntatem nostram, propositumque nostrum: Deum verò nullo modo auctorem malorum esse. Hoc per omnia verè & rectè dicitur. Nam in explicatione epistolæ ad Timoth. Chrysostomus dicit: Scito Deum omnia administrare, omnibus prouidere. Alia operatur, alia permittit: nullum malum fieri vult, omnia bona & à nobis, & ab eius inclinatione sunt: quia nihil est quod lateat ipsum. Omnia verò mala à nostra voluntate sunt.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Contra Marcionem libro 2. capite 1. Ad omnia tibi occurrit Deus: idem percutiens, sed & sanans: mortificans, sed & viuificans: humilians, sed & sublimans: condens mala, sed & pacem faciens, vt etiam & hic respondeam hæreticis. Ecce enim, inquiunt, Esa.45. ipse se conditorem mali profitetur dicens: *Ego sum qui condo mala.* Amplexi enim vocabuli communionem, duas malorum species in ambiguitate turbantem, quia mala dicuntur & delicta, & suplicia: passim volunt eum cōditorem intelligi malorum, vt & malitiæ iniustè auctor renuntietur. Nos autem adhibita distinctione vtriusque formæ, separatis malis delicti & malis supplicij, malis culpæ & malis pœnæ: suum cuique parti definimus auctorem: malorum quidem peccati & culpæ diabolum: malorum verò supplicij & pœnæ Deum creatorem, vt illa pars malitiæ deputetur, ista iustitiæ mala condentis iudicia aduersus mala delicti. Creator profitetur malis, quæ conueniunt iudici. Quæ quidem illis mala sunt, quibus rependuntur. Cæterùm suo nomine bona quæ iusta, & bonorum defensoria, & delictorum inimica, atque in hoc ordine Deo digna.

De Oratione cap. 8. *Ne nos inducas in tentationem,* id est, ne patiaris induci, ab eo vtique qui tentat. Cæterum absit vt Dominus tentare videatur, quasi aut ignoret fidem cuiusquam, aut deijcere sit consentiens.

Libro aduersus Hermogenem capite 9. Iam ergo malum ab ipso, qui est mali, si non auctor, quia non effector, certè permissor, quia dominator.

Cyprianus. 250.

Libro 4. epist. 2. Sap. 2. *Epistola* 52. Cùm scriptum sit: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum,* vtique qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere, & per pœnitentiam denuò ad vitam redire, &c. Cùm corpora nostra membra sint Christi, & singuli simus templum Dei, quisquis adulterio templum Dei violat, Deum violat, & qui in peccatis committendis voluntatem diaboli facit, dæmonijs & idolis seruit. Neque enim mala facta de sancto Spiritu veniunt, sed de aduersarij instinctu: & de immundo spiritu natæ concupiscentiæ, contra Deum facere, & diabolo seruire compellunt.

Arnobius Rhetor. 300.

Libro 2. aduersus Gentes: Nihil à Deo principe, quod sit nocens atque exitiabile proficisci, hoc tenemus, hoc nouimus, in hac vna consistimus cognitionis & scientiæ veritate: nihil ab eo fieri, nisi quod sit omnibus salutarem, quod dulce, quod amoris & gaudij lætitiæque plenissimum.

Ambrosius. 370.

Lib. 1. cap. 8. Hexameron: Malitia ex nobis orta, non à creatore Deo condita: morum leuitate generatur, non vllam habens auctoritatem substantiæ naturalis, sed mutabilitatis vitium & errorem prolapsionis.

Lib. 1. de Isaac cap. 7. Omnium bonorum auctor est Deus: & quæ sunt, eius profectò omnia sunt, & nusquam illic malum: & si in illo mens nostra manet, & malum nescit.

De Paradiso cap. 8. Non necessitatem Deus vel illi Adæ præuaricationis, vel huic Iudæ proditionis imposuit: quia vterque, si quod acceperat custodisset, à peccato abstinere potuisset. Denique nec Iudæos omnes credituros sciebat, & tamen ait: *Non veni nisi ad oues perditas domus Israel.* Matt. 15. Ergo non in mandante culpa est, sed in præuaricante peccatum est. & quod in Deo fuit, ostendit omnibus, quòd omnes voluit liberare. Nec tamen dico quia præuaricationem nesciebat futuram, imò quia sciebat, assero, sed non ideo pereuntis proditoris inuidiam in se debuit deriuare, vt asser iberetur Deo, quod vterque sit lapsus.

Libro 2. de Cain & Abel capite 9. Vult te prouocare ad pœnitentiam Deus, vult de se sperari indulgentiam, vult demonstrare tua confessione, quòd non sit auctor malitiæ. Nam qui peccatum suum ad quandam referunt, vt gentiles asserunt, decreti aut operis sui necessitatem, diuina arguere videntur, quasi ipsorum vis causa peccati sit. Qui enim necessitate aliqua occiderit, quasi inuitus occidit. Ea verò, quæ à nobis sunt, excusationem non habent: quæ autem præter nos sunt, excusabilia sunt. Sed quanto grauius peccato ipso ad Deum referre quod feceris, & reatus tui inuidium transfundere in auctorem non criminis, sed innocentiæ?

Prudentius. 380.

De Hamartigenia:

Inuentor vitij non est Deus: angelus illud
Degener infami conceptum mente creauit, &c.
Sed fuit id quondam nobis sanctumque, bonumque,
Principio rerum cùm Christus conderet orbem:
Vidit, ait, Deus esse bonum, quodcunque creauit.
Hoc sequar, hoc stabili conceptum mente tenebo
Inspirante Deo, quod sanctus vaticinator
Prodidit, antiqua recolens primordia lucis,
Esse bonum quicquid Deus & Sapientia fecit.
Conditor ergo boni Pater est, & cum Patre Christus.
Nam Deus atque Deus Pater est & Filius vnum.

Philastrius. 380.

Contra Colathianos, qui Deum malorum dicebant esse factorem heresi 31. Scriptura Deum facere bona, & nihilominus & mala facere prædicauit, cùm dica Propheta: *Ego sum Dominus qui facio pacem, & creo mala.* Et alter Propheta: *Si est*, inquit, *malitia in ciuitate, quam Deus non fecit.* Sed mala ista non natura esse dixit Scriptura à Deo facta, sed causis existentibus hominum, scilicet in lege peccantium Domino, quæ sunt tentationes persecutionis, diuersæque angustiæ, quæ Deo permittente insurgunt peccantibus. Non enim fecisse malam Deum natu-

um naturam dicit Scriptura alicubi: *Ecce enim omnia erant valde bona, quæ fecit Deus.* Et alibi Propheta: *Quoniam Deus malum non fecit, neque delectatur in perditione viuorum.*

Hieronymus. 390.

Ad cap. 45. Esaiæ: Qui igitur tibi dedi fortitudinem, & solus Deus sum, ipse res inter se contrarias facio: *lucem, & tenebras,* id est, diem, & noctem: *pacem, & malum,* hoc est, otium, & bellum: per quæ significat & iratum se fuisse populo suo, quando tenebras captiuitatis, malaque sustinuit seruitutis: & rursum misertum, quando remissi in patriam, pacem & gaudium receperunt. Quomodo enim luci contrariæ sunt tenebræ, ita paci contrarium bellum est. Vnde confundatur hæresis, quæ malorum arbitratur conditorem Deum, cùm hic malum non contrarium bono, sed pro afflictione ponatur & bello, secundùm illud, quod in Euangelio scriptum est: *Sufficit diei malitia sua.* Matt. 6.

In Lamentat. Hieremiæ cap. 3. Tropicè Deus dicitur facere mala, hoc est, aduersa merentibus infligere, iuxta illud, quod in Esaia scriptum est: *Ego Dominus, & non est alter: formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum.* Mala, quæ nulla sua natura subsistunt, à Domino non creantur: sed creare se mala Dominus indicat, cùm res bene conditas nobis malè agentibus in flagellum format: vt ea ipsa & per dolores, quibus feriunt, delinquentibus mala sint, & per naturam, qua existunt, bona. Venenum quidem mors est homini, sed tamen vita serpenti. Esa. 45.

Ad cap. 1. ad Ephesios, explicans illud: *Qui vniuersa operatur secundùm consilium voluntatis suæ.* Non quò omnia, quę in mundo fiunt, Dei consilio & voluntate peragantur, (alioquin & mala Deo poterunt imputari,) sed quò vniuersa, quæ facit, consilio faciat & voluntate.

Augustinus. 400.

De natura & gratia cap. 3. Omnia quidem bona, quæ habet in formatione, vita, sensibus, mente, à summo Deo habet creatore & artifice suo. Vitium verò, quod ista naturalia bona contenebrat, & infirmat, vt illuminatione & curatione opus habeat, non ab inculpabili artifice contractum est, sed ex originali peccato, quod commissum est libero arbitrio. Ac per hoc natura pœnalis ad vindictam iustissimam pertinet.

Lib. 1. de libero arbitrio cap. 1. *Euod.* Dic mihi, quæso te, vtrum Deus non sit auctor mali? *August.* Dicam, si planum feceris, de quo malo quæras. Duobus enim modis appellare solemus malum. Vno, cum malè fecisse quenquam dicimus; alio, cum mali aliquid esse perpessum. *Euod.* De vtroque scire cupio. *August.* At si Deum bonum esse nosti vel credis (neque aliter fas est) malè non facit. Rursus si Deum iustum fatemur, (nam & hoc negare sacrilegum est,) vt bonis præmia, ita supplicia malis tribuit: quæ vtique supplicia patientibus mala sunt. Quamobrem si nemo iniustè pœnas luit, quod necesse est credamus; quandoquidem diuina prouidentia hoc vniuersum regi credimus, illius primi generis malorum nullo modo, huius autem secundi auctor est Deus.

Octoginta trium quæstionum quæst. 21. Boni igitur tantummodò causa est Deus, & propterea ipse summum bonum est. Quocirca mali auctor non est, qui omnium, quæ sunt, auctor est; qui in quantum est, in tantum bona sunt.

De peccatorum meritis & remissione lib. 2. cap. 17. Nullius culpæ humanæ in Deum referas causam. *Et cap. 18.* Malam voluntatem ad auctorem Deum esse referendam nefas est dicere.

De spiritu & litera cap. 31. Nusquam legimus in sanctis Scripturis, non est voluntas nisi à Deo: & rectè non scriptum est, quia verum non est: alioquin etiam peccatorum, quod absit, auctor est Deus, si non est voluntas nisi ab illo: quoniam mala voluntas iam sola peccatum est, etiamsi desit effectus, id est, si non habet potestatem.

Gaudentius. 400.

Tract. 3. de Dominica Paschæ: Certè ingentis sacrilegij est vel cogitare quòd Deus, qui non solum bonus & iustus, sed & ipsa bonitas est & iustitia, iubeat aliquid, vel cogat fieri quod factum damnet, &c. Præscientia quidem Dei non fallitur, sed nec homini concessa semel voluntatis libertas aufertur, ne nihil de eo iudicare possit, qui liber non fuerit in agendo.

Paulinus Nolanus. 410.

Epistola 36. Multò autem ineptius est vllam culpare naturam, aut malam dicere: quoniam si à Deo omnia, & Deus bonus est, omnia profectò, quæ fecit Deus, bona sunt.

Prosper. 440.

Epigram. 95. al. 97.

Per Verbum omnipotens Deus omnia condidit vnus,
A quo natura est nulla creata mali:
Et quod non fecit diues Sapientia Verbi,
Non habet in rerum conditione locum.
Nulla igitur vitijs substantia, nullaque vita est,
Quæ vegetet corpus, materiamque suam.
Sed cùm libertas discedit ab ordine recto,
Nec seruant proprium quæ bona sunt modulum:
In culpa & vitio est vagus in contraria motus,
Fitque malum veram deseruisse viam.
In quam si toto properat quis corde reuerti,
Nullus neglecti limitis error erit:
Itaque deleti peccati pœna peribit;
Condita in integrum restituente Deo.

In respon. ad capitula Gallorum cap. 12. Si Deus hominem sibi obedientem à pietate deturbat, & bene currentem cadere facit: ergo pro bonis mala retribuit, & iniustè punit, quod vt fiat impellit. Quid tam peruersum, quid tam insanum dici aut cogitari potest? Sed in talem sensum trahuntur, qui putant in omnibus hoc esse præscientiam Dei, quod & voluntatem: cùm voluntas eius nunquam velit nisi bona. Præscientia autem & bona nescit, & mala: sed bona, quæ aut ipse faciat, aut etiam vt nos faciamus imperat: mala autem, quæ omninò ipse non facit, neque fieri suasit, aut impulit.

Cap. 14. Infidelitas non credentium Euangelio nequaquam ex Dei prædestinatione generatur. Bonorum enim Deus auctor est, non malorum. Prædestinatio igitur Dei semper in bono est, aut ad retributionem iustitię, aut ad donationem pertinens gratiæ.

Responsione ad 10. obiectionem Vincentian. Non casus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio Dei aut suasit, aut excitauit, aut impulit: sed planè prædestinauit iudicium suum, quo vnicuique retributurus est *prout gessit, siue bonum, siue malum.* Quod iudicium omninò futurum non esset, si homines voluntate Dei peccarent.

Concilium Arausicanum Secundum. 444.

Cap. 25. Aliquos ad malum diuina potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.

Leo Primus. 450.

Epistola 93. ad Thuribium cap. 6. Deus, qui vniuersitatis est conditor, nihil non bonum fecit. Vnde & diabolus bonus esset, si in eo quod factus est permaneret: sed quia naturali excellentia malè vsus est, & in veritate non stetit, non in contrariam

transijt substantiam, sed à summo bono, cui debuit adhærere, desciuit.

Serm. 16. de Passione Domini cap. 2. Nunquid iniquitas persequentium Christum ex Dei est orta consilio? Et illud facinus, quod omni maius est crimine, manus diuinæ præparationis armauit? Non hoc planè de summa iustitia sentiendum est, quia multum diuersum, multumque contrarium est, id quod in Iudæorum malignitate est præcognitum, & quod in Christi est passione dispositum: non inde processit voluntas interficiendi, vnde moriendi: nec de vno extitit spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia redemptoris. Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit: nec præsciendo quod faciendum esset, coëgit vt fieret; cùm tamen ad hoc carnem suscepisset, vt fieret.

Eucherius Lugdunensis. 450.

De quæstionibus diffici. veteris & noui Testamenti: INTER. Quid respondendum est eis, qui dicunt nobis, quid fecerunt Iudæi, si credere non potuerunt? Quia necesse fuit vt sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, dicentis: *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & intelligant corde, & conuertantur, & sanem illos.* RESPON. Propheta hoc prædixit, quia Deus hoc futurum esse præsciuit. Neque enim potest ad peccatum compellere Deus, cui non potest placere peccatum. In his ergo non prædestinatio diuina intelligenda est, sed præscientia. De hoc in Euangelio scribitur: *Propterea non poterant credere, quia iterum dicit Esaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum,* & reliqua. *Non poterant credere,* ita dicitur, sicut & nos sæpè aliqua dicimus non posse, quia nolumus. Et de Pharaone scribitur: *In hoc excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam:* neque enim dixit, in hoc te feci, vt talis esses, sed in hoc te elegi, & suscitaui, cùm te talem ipse fecisses. Ergo & sic excæcati eorum oculi, & induratum esse cor dicitur, quia iam se ipsi hac cæcitate dignos effecerant. Excæcat autem & indurat Dominus peccatorem deserendo, & non adiuuando.

Syluianus Massiliensis. 480.

Lib. 7. de Prouidentia. Vnde agnoscere possumus, cuncta quidem, quæ affliguntur, iudicio Dei percuti, sed tamen propter peccata subuerti: ac per hoc quicquid actum est, peccatis, non Deo asscribendum: quia rectè illi rei factum ascribitur, qui, vt ita fieret, exegit. Nam & homicida cùm à iudice occiditur, suo scelere punitur: & latro, aut sacrilegus cùm flammis exuritur, suis criminibus concrematur.

Fulgentius. 500.

Ad Monimum lib. 1. cap. 19. Quia initium malæ voluntatis superbia est, quæ ex Deo non est, perspicuè claret, non ex Deo hominibus esse interitum malæ operationis, sed à iusto iudice retribui malis interitum vltionis. Mala quippe voluntas non pertinet ad optimum creatorem. Iusta verò iniusti angeli hominisque damnatio pertinet ad æquissimum cognitorem. Ad voluntatem igitur malam Deus hominem non prædestinauit, quia homini eam daturus ipse non fuit. Quomodo enim Deus hominem, quem ad imaginem suam fecit, prædestinaret ad malam voluntatem, quam ipse non fecit? Et quia huic malo auctor non est Deus, sed homo peruersus, dignè itaque homini, qui se perdidit peccato, redditur in tormentis æterna perditio.

Cap. 20. Peccati initium si attendatur, puto quod nihil est aliud, quàm ordinatarum rerum inordinata rationalis creaturæ dilectio, quæ sponte perdendo dilectionis ordinem, perdidit & salutem. Ad hoc non est rationalis creatura à Deo prædestinata. Neque enim alia est eius prædestinatio, nisi futurorum operum eius æterna præparatio: in qua nullius causa mali poterit inueniri: quia ex voluntate Dei nunquam processit origo peccati.

Cap. 21. Cùm negare non possimus, à Deo bono factum bonum hominem, si dixerimus eum à Deo prædestinatum ad opus aliquod malum, nos Deo misericordi & iusto tale opus (quod absit) adscribimus, vbi nec misericors possit inueniri, nec iustus. Si enim, cùm à Deo fieret homo, sic erat in præsenti opere Dei bonus, in prædestinatione eius esset malus: proculdubio Dei opere malus futurus erat, à quo ad peccandum prædestinatus fiebat. Vbi statim illa consequetur absurditas, vt dicatur: quia Deus, de quo Propheta dicit: *qui fecit, quæ futura sunt,* in se habuit (quod absit) iniquitatis originem: si hominem à se factum ipse prædestinauerat peccatorem. Prædestinatio enim eius, præparatio est operum eius. Et sicut competit Deo bono, vt causa sit totius operis boni; sic incongruum est, vt imputetur causa cuiuslibet operis mali.

Cap. 23. Proinde fidelibus congruit credere & fateri, Deum bonum & iustum, præscisse quidem peccaturos homines; quia nihil eum latere potuit futurorum, non tamen prædestinasse quemlibet hominem ad peccatum: quia si ad peccatum aliquod Deus hominem prædestinaret, pro peccatis hominem non puniret.

Boëtius. 520.

De consolatione Philosophica lib. 3. prosa 12. Num Deus facere malum potest? Minimè inquam.

Primasius. 540.

Ad cap. 2. prioris ad Timoth. *Qui omnes homines.*) Hinc probatur Deum nemini vim inferre, vt pereat: sed qui perit, suo merito perit: & qui saluantur, Dei gratia & miseratione saluantur. Quòd multi damnantur, pereuntium est meritum: quòd multi saluantur, saluantis est donum. Vt enim reus damnetur, inculpabilis est Dei iustitia: vt reus iustificetur, ineffabilis Dei est gratia. Constat Deum omnia bona velle, sed homines suo vitio præcipitantur in malis.

Cassiodorus. 540.

De amicitia cap. de origine amicitiæ: In hoc vehementer admiranda & prædicanda est sapientia Creatoris: quia cùm nihil fecerit malum, ipse tamen mala nostra sic ordinat, & disponit, vt nobis non noceant, sed ad correptionem & vltionem nobis proposita proficiant ad salutem. Ipse ergo incommutabiliter bonus, & beatus, solam rationalem creaturam prouidit, & voluit esse beatitudinis suæ capacem.

Fortunatus. 570.

Libro nono:

Ipse creat hominem, quod dicere possumus, idem
Qui dedit & recipit crimina nulla gerit.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 29. Moralium cap. 21. Dominus auctor est naturæ, non culpæ.

Homil. 9. in Ezechielem: Mala nostra solummodò nostra sunt: bona autem nostra & omnipotentis Dei sunt, & nostra.

In Psalmum 4. Pœnitentialem: Delinquentium mala videt Deus, non vt approbet, sed vt condemnet: non vt foueat, sed vt puniat: non vt semper patiatur, sed vt iudicio vlciscatur. Denique *oculi Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.*

Lib. 2. expositionis 1. Reg. cap. 1. Quid est quòd cùm seruare Sanctorum pedes Dominus dicitur, silentium memoratur impiorum, nisi qui ad peccati

lapsum

lapsum nequaquam impellimur, nisi cùm peruersa nobis malignorum spirituum tentamenta suggeruntur.

Isidorus Hispalensis. 620.

De summo bono lib. 1. cap. 11. Malum à diabolo non est creatum, sed inuentum. Et ideo nihil est malum: quia sine Deo factum est nihil; Deus autem malum non fecit, &c. Creditur ab hæreticis mentem à Deo, vitia à diabolo fuisse creata. Vnde & ab ipsis duæ naturæ bona & mala putantur. Sed vitia natura non sunt, & dum verè à diabolo sint, non tamen creata sunt.

Lib. 2. cap. 5. Obcæcare quosdam Deus dicitur, non vt in eis eandem ipse cæcitatem faciat, sed quòd pro eorum inutilibus meritis cæcitatem eorum ab eis ipse non auferat.

Eucherius Gallus. 640.

Lib. 1. in Genesin cap. 7. Cùm omnia leguntur bona à Deo creata, quare quædam noxia inueniuntur? Bona condita sunt, sed malè agentibus data sunt in flagellum. Hinc per Prophetam dicitur:
Esa. 45. *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum.* Creare se Dominus malum insinuat, dum bona condita peccatoribus in flagellum format, vt ea per dolorem, quo feriunt, delinquentibus mala sint: & per naturam, qua existunt, bona.

Beda. 700.

Ad cap. 3. Marci: *Animam saluam facere, an perdere?* hoc est, hominem curare, an non. Idem est quod præmiserat, *bene an malè facere.* Non quòd Deus summè bonus auctor mali nobis aut perditionis esse possit, sed quòd eius non saluare, Scripturæ consuetudine perdere dicatur: sicut dicitur indurasse cor Pharaonis, non quòd molle indurauerit, sed quòd meritis præcedentibus obduratum misericorditer emollire noluerit.

Alcuinus. 750.

Ad cap. 1. Eccles. Propterea dat ei solicitudinem siue afflictionem, quia peccator fuit, & non est caussa afflictionis in Deo, sed in illo, qui sponte ante peccauerit.

Ambrosius Ansbertus. 760.

Lib. 5. in Apocalyps. Absit vt à bono conditore
Gen. 1. mala crearentur, de quo scriptum est: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Quod autem idem Deus omnipotens in Esaia loquitur, & dicit:
Esa. 45. *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum:* non ad conditionem creaturarum, sed ad vitium refertur malè vtentis creaturæ, eius bona Dei mala existunt, sicuti bestiæ, serpentes, muscæ, pulices, & cætera, si qua sunt similia humano generi contraria.

Haymo. 820.

Homilia in die Natiuitatis Domini: Peccatum quia subsistendi naturam non habet, non est à Deo creatum, sed à diabolo inuentum: & ideò nihil est, & quicquid non subsistit nihil est.

Rabanus Maurus. 850.

De Vniuerso libro 4. cap. 10. Malum vel malitia non est à Deo creata, sed à diabolo inuenta; qui & ipse à Deo bonus creatus est; sed quia libero arbitrio, vtpote rationabilis creatura, commissus est, & cogitandi acceperat facultatem, scientiam boni vertit ad malum, & multa cogitando factus est inuentor mali.

Concilium Valentinum. 855.

Cap. 2. Deum præscire, & præscisse æternaliter & bona, quæ erant boni facturi: & mala, quæ mali sunt gesturi, quia vocem Scripturæ dicentis ha-
Dan. 13. bemus: *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant:* fideliter tenemus, & placet tenere, bonos præsciisse omninò per gratiam suam bonos futuros, & per eandem gratiam æterna præmia accepturos: malos præsciisse per propriam malitiam malos futuros, & per suam iustitiam æterna vltione damnandos: vt secundùm Psalmistam: quia potestas Dei est, & Domini misericordia, vt reddat vnicuique secundùm opera sua, &c. Psal. 61. Nec prorsus vlli malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, vt aliud esse non posit, sed quod ille futurus erat ex propria voluntate, ille sicuti Deus, *qui nouit omnia antequam fiant*, præscit ex sua omnipotentia & incommutabili maiestate. Nec ex præiudicio eius aliquem, sed ex merito propriæ iniquitatis credimus condemnari. Nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis vel merito originali vel actuali etiam permanserunt.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 890.

Cap. 3. Ratio non admittit, vt bonus creator mali quicquam fecerit, cùm valde bona dicantur, quæcunque creauit. *Discip.* Videtur mihi non posse optimum creatorem mali esse auctorem.

Leo Nonus. 1049.

Epistola ad Petrum Episcopum: Credo Deum prædestinasse solummodò bona: præsciuisse autem bona malaque.

Radulphus Ardens. 1050.

In Natali Domini: Ita Deus confert bona, quòd non infert mala: ita mutat homines à malo in bonum, quòd non transmutat eos de bono in malum: ita illuminat homines de luce virtutum, quòd non vicissim obumbrat eos de tenebris vitiorum. Quòd enim legitur Deus excæcare iniquos, vel indurare, hoc facit vtique non tenebras vitiorum infundendo, sed lumen gratiæ suæ subtrahendo, &c. Quandoque malum nuncupatur pœna, tribulatio, vel flagellum: quæ quia à summo iudice iustissimè immittuntur, à Deo sunt. Vnde legitur: *Non est malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus.* Quandoquidem etiam dicitur malum malitia, vel iniustitia, & quodlibet peccatum: quod quoniam est priuatio iustitiæ, nihil est, & ideo à Deo non est.

Anselmus. 1080.

Libro de concordia præscientiæ & prædestinationis: Sicut Deus non facit iniustitiam, ita non facit aliquid iniustum esse, qui tamen facit omnes actiones & omnes motus: quia ipse facit res, à quibus, & ex quibus, & per quas, & in quibus fiunt, & nulla res habet vllam potestatem nolendi aut faciendi, nisi illo dante.

Ad cap. 11. ad Rom. *Ex ipso sunt omnia,* id est, bona voluntas, & bona actio, & omnes naturæ. Neque enim ex ipso sunt peccata, quæ naturaliter substantia non sunt, sed bene conditam substantiam vitiant.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad cap. 17. Apocalyps. Malum Deo non placet, imò eos, qui mala operantur, ipse odit, sicut Scriptura ei testis est, dicens: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Psal. 5. Sed iterum Scriptura dicit: *Faciens pacem, & creans malum.* Esa. 45. Intra hæc secundùm veritatis rationem, & secundùm Patrum orthodoxorum veridicam auctoritatem, dicendum & sentiendum est, quia malum illud, quod est afflictio, siue bellum, paci contrarium, de qua dictum est: *Faciens pacem,* Deus aliquando creat propter correctionem: malum autem, id est, iniquitatem, siue peccatum, neque creat, neque illi placitum est.

Hugo Victorinus. 1130.

Ad cap. 1. Ioan. Quæritur de mala voluntate, & de mala actione, an per ipsum fiant? Quod si dicatur sic, & malum, & peccatum per ipsum fieri, dici posse videtur: cùm & mala voluntas, & mala actio

peccatum fit. Non sunt huiusmodi verba recipienda, quòd malæ voluntatis vel malæ actionis Deus auctor sit: quia Ecclesia huiusmodi verba damnat. Nam sensum hunc faciunt secundùm vsum Ecclesiæ, quòd ex Deo malitiam contrahant: quod falsum est. Veritas enim dici exigit, quòd omnis essentiæ voluntatis, & actionis Deus auctor & causa est. In actu enim homicidij quid est, cuius Deus causa non sit? Neque enim quòd leuo manum ad percutiendum aliunde est, quàm ex facultate, quam Deus mihi dedit: sed neque ipsum percutere aliunde est. Si autem actus iste, quòd manum erigo ad percutiendum pauperem, in eo quod actus est attendatur, nihil in ipso reperitur, quare à Deo non sit magis, quàm in isto, quòd erigo manum ad sustentandum pauperem. Neque tamen peccatum aliquod est, cuius Deus auctor sit. Ipsum enim nihil est. Vnde à quibusdam sic determinatur, per negationem, quæ tollit, & nihil ponit.

Lib. 1. de Sacramentis parte 5. cap. 27. Malis Deus potestatem tribuit solam, non voluntatem: quia licet ex ipsius permissione fit, quòd malum possunt; ex inspiratione tamen eius non est, quòd malum volunt. Malarum enim voluntatum Deus ordinator est, non creator.

Bernardus. 1130.

Sermone 4. de duabus mensis: Aliena ab vtrisque prima creatio, quia sicut nec culpam, ita nec pœnam Deus fecit. Quod de ea, quæ maior est omnium, morte videlicet, apertè Scriptura testatur.
Sap. 2. *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Et alio
Sap. 1. loco: *Deus mortem non fecit.*

Petrus Lombardus 1140.

Lib. 2. distinct. 37. Cùm in hoc omnes consentiant Catholici tractatores, scilicet quòd Deus non est auctor malorum: cauendum est tamen, ne malorum nomine pœnas, sicut peccata, generaliter includas. Pœnarum enim Deus auctor est, sicut ipse
Amos 3. per Prophetam ait: *Non est malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Item alibi ex persona sua ait:
Esa. 45. *Ego sum Deus creans malum, & faciens bonum.* Ecce hic dicitur creasse & fecisse malum: sed mali nomine pœna intelligitur, non peccatum, sicut è conuerso, cùm dicitur: Deus non est auctor malorum, nomine mali peccata intelliguntur.

Hugo Etherianus. 1160.

De regressu animarum ab inferis cap. 2. Si homo peccaret ex necessitate, nequaquam dedisset per Mosen Deus legem suppliciorum, neque qui sortiti sunt principatum, si fati aut naturæ necessitate homines compellerentur delinquere, acerbissimis eos cruciatibus destinarent. Sub appetitu igitur hominis vitam & mortem posuit medicus animarum. Hinc est quòd nolentium medelam recipere voluntatem minimè cogit. Principem enim & sui iuris rationalem naturam condidit: instructionibus, legibus à malis prohibet, ad potiora exhortatur, sed inuitum neminem cogit, ne legem naturæ conquasset.

Ioannes Saresberiensis. 1170.

Lib. 1. Polyc. cap. 21. Præscientia rebus eueniendi causa non est, at euentus rerum ei causa est præsciendi: ne aut temporalium motus æternæ prouidentiæ causa sit, aut à purissimo fonte bonitatis malorum profluant riuuli: Deus verò bonorum duntaxat auctor est.

Gulhelmus Aluernus. 1230.

Prima partis de Vniuerso part. 3. cap. 1. Non est bonitatis diuinæ intentio, vt mala eueniant vel fiant, mala dico culpabilia: sed neque eiusdem bonitatis est, procurare, vt huiusmodi mala fiant vel eueniant. Quare manifestum est, mala non esse prouisa à Creatore, sicut neque consultè procurata.

Thomas Aquinas. 1250.

Prima 2. q. 79. artic. 1. Sapientiæ 11. dicitur: *Nihil odisti eorum, quæ fecisti,* &c. Odit autem Deus peccatum, secundùm illud Sapient. 14. *Odio est Deo impius & impietas.* Ergo Deus non est causa peccati, &c. Homo dupliciter est causa peccati, vel sui, vel alterius: vno modo directè, inclinando scilicet voluntatem suam, vel alterius ad peccandum: alio modo indirectè, dum scilicet non retrahit aliquos à peccato. Deus autem non potest esse directè causa peccati vel sui, vel alterius: quia omne peccatum est per recessum ab ordine, qui est in Deum, sicut in finem. Deus ante omnia inclinat, & conuertit seipsum, sicut in vltimum finem. Vnde impossibile est, quòd sit sibi vel alijs causa discedendi ab ordine, qui est in ipsum. Vnde non potest directè causa esse peccati. Similiter etiam neque indirectè. Contingit enim quòd Deus alicui non præbet auxilium, ad euitandum peccata: quòd si præberet, non peccaret. Sed hoc totum facit secundùm ordinem suæ sapientiæ & iustitiæ, cùm ipse sit sapientia & iustitia. Vnde non imputatur ei, quòd alius peccet, sicut causæ peccati.

Richardus de media villa. 1280.

In lib. 2. Sentent. distinct. 34. art. 2. q. 2. Si accipiatur malum pro malo culpæ, sic malum non est à bono increato, nec esse potest. Impossibile enim est, quòd iustus iudex culpet aliquem pro aliquo, quod ipse fecerit in eo: sed bonum increatum, est iustus iudex. Præterea bonum increatum cùm sit summè bonum, est summè vnum: ergo sibi est summè concors. Discordia enim opponitur vnitati. Non est ergo contrarium sibi ipsi. Sed culpa est contra legem æternam, quæ est ipsum bonum increatum, & est quidam recessus ab ea. Ergo non potest esse ipsius culpæ causa.

Præterea malum culpæ in defectu actionis consistit, vel ex defectu actionis causatur. Defectus autem actionis est ex aliqua defectabilitate agentis. In Deo autem nulla defectibilitas est, nec esse potest. Ergo mali culpæ nec causa est, nec esse potest.

Ægidius Romanus. 1280.

In compendio Theologicæ veritatis cap. 30. Prædestinatio non infert rebus necessitatem, sicut verbi gratia: Dominus scit si ipse est comessurus hodie, vel non: nihilominus ipse habet potestatem comedendi, vel manum ad os porrigendi. Quoniam si prædestinatio rebus necessitatem imponeret, multa sequerentur inconuenientia. Nam frustra proponerentur bonis præmia, malis supplicia. Item iniustè remunerarentur boni, & punirentur mali. Item malorum nostrorum Deus auctor esset. Item non sperandi aliquid, non supplicandi vlla esset ratio. Item euacuaretur libertas arbitrij, qua se homo habet ad vtrumlibet.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 4. Exodi: Deus non est causa obdurationis cordis, in quantum est peccatum: sed hoc modo est à libero arbitrio. Dominus autem est causa indurationis, in quantum est quædam pœna: quia in pœnam peccati perpetrati subtrahit gratiam: cuius est cor molle facere, & ideo ea subtracta sequitur induratio cordis humani in malo suo.

Ad cap. 15. Ecclesiastici: Deus nullo modo est causa peccati, nec in se, cùm sit prima regula iustitiæ, nec in altero.

Ludolphus Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 2. cap. 50. Nullam necessitatem infert prouidentia Dei rerum euentibus; sed sicut se res habent ad vtrumlibet, scilicet fieri & non fieri; sic se prouidentur habere; quæ prouidentia

seu

seu, quod idem est, præscientia Dei, ex sua sapientia præscientis omnia antequam sint, omninò ineuitabilis est, & nullo modo potest falli: & ideo omnia à Deo præuisa necesse est fieri. Quia non potest simul esse, quòd præuisa sint, & non fiant. Sic quoque dicimus, me vidente te currere, necesse est, vt curras, hoc est, non potest simul fieri, vt videam te currere, & non curras, & ex hoc nequaquam prouenit, quòd necessariò curras. Et sic præuidit Deus mala istius opera, nec tamen causa est, quare iste malè operetur, veruntamen fiet, si præuisum est.

Thomas Argentinensis. 1350.

Lib.3. dist.12. art.1. Deus non potest esse causa peccati in se, vel immediatè: quia omne peccatum vel est ex ignorantia, vel ex impotentia, vel ex certa malitia. Sed in Deo nulla potest esse ignorantia, cùm sit infinitæ sapientiæ: nulla impotentia seu infirmitas, cùm sit omnipotens & infinitæ potentiæ: nec aliqua malitia, cùm sit infinitæ bonitatis. Ergo, &c. Præterea nihil Deus odit eorum, quorum Sap.11. est causa efficiens, quia de ipso dicitur: *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Sed Deus Sap.14. odit omne peccatum. Nam *pariter odio sunt Deo impius & impietas eius*, vt dicit Sapiens. Ergo Deus nullius peccati est auctor in nobis.

Catharina Senensis. 1370.

Tract.1.cap.46. Omnia, inquit Deus, creata sunt à me solùm, excepto peccato, quia nihil est. Et anima gratia se priuando reperit quoque se esse me priuatam, qui sum omne bonum. Itaque propter vtilitatem vestram virtutes mihi placent in vobis, vt inueniam vnde vos æterno præmio remunerare valeam in me vita durabili.

Petrus Aliacus. 1400.

Ad Psalm. 2. Pœnitentialem: Absit à me Deus, vt imputem peccatum meum tibi, vt dicam: Hoc Deus voluit, hoc fatum, hoc stellarum constellatio mihi fecit. Non est hoc confiteri iniustitiam meam aduersum me, sed aduersum te, & te, summè bonum, de malitia accusare.

Thomas VValdensis. 1410.

Doctrinalis fidei lib.1. artic.1. c.23. Diuina præscientia nullum arctat, nec eius prouidentia quenquam obligat ad sequelam. Præscit enim Deus pœnam, si cessant: præscit etiam præmium, si laborent, & præuidit certè culpam: non præuidet ad ruinam, sed gratiam præordinat ad coronam: nec hic tamen necessitat, nec ibi impellit.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De contemptu mundi cap. 8. Noli homo cùm delinquis bonitatem damnare diuinam, quòd suam tibi minimè prærogauit gratiam, quòd ad peccatum impulerit, & bene agendi tibi negauerit potestatem. Iniquè cogitas, dum talia meditaris. Nunquid scelerum auctor est Deus? An fortè peccatorum voluntatibus fauet malis? Nonne potius illas insequitur, iudicat, punit, & damnat? Vult quantum in ipso est omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: quatenus in omnibus reperiat quod coronet. Planè nihil eorum quæ fecit odit. Quoniam quicquid condidit, siue in cælo, siue in terra, seu in mari, bonum est. *Vidit Deus*, inquit Scriptura, *cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Gen.1. Non poterat bonitas nisi bona facere. Quòd verò inter bona quæ facta sunt videmus malum, non vtique illud bonus fecit, sed malus. Nam quemadmodum à bono bona, sic è contrario à malo proueniunt mala. Vis scire quis bonus, quisve malus sit? De his sapientiam Dei te erudientem audi: *Nemo bonus*, inquit, *est, nisi solus Deus.* Mali autem inuentor est diabolus: propter quod effectus est malus, incentorque malorum.

Dionysius Carthusianus. 1450.

Ad cap.4. Dionysii Areopagitæ de diuinis nominibus: Itaque non diuinum malum, id est, malum ex Deo non est tanquam positiuus eius effectus. Et malum non diuinum,) id est, malum non est diuinum, nec est Deus tenebrarum, qui sit essentialiter malum, aut malus, &c. Malum culpæ, secundùm quod tale est, nequaquam ex Deo est, nisi permissiuè: nec malum essentialiter, quia tale malum non est: neque in Deo est malum pœnæ, nisi causaliter, & idealiter. Veruntamen cognoscit mala culpæ, sicque in eo sunt cognitiuè, quasi per accidens. Vnde ait per Oseam: *Cognoui multa mala scelera vestra.* Oseæ 4.

Pius Secundus. 1460.

Epistola ad Morbisanum Turcarum Principem: Nos mortale peccatum auersionem quandam esse dicimus ab vltimo fine: nec possibile censemus Deum, qui vltimus finis est, voluntatem cuiuspiam à se auertere. Esset enim sibi ipsi contrarius. Et si Deus omnia diligit quæcunque fecit, quomodo consentaneum est vt peccati causa sit ipse Deus? Cùm dicit in Psalmis Dauid: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.*

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Philo Iudæus.

Libro de confusione linguarum: Ipsi omnipotenti non erat conueniens in rationali anima viam ad vitia sternere: quamobrem ministris eam partem faciendam commisit. Superest illud considerandum Deum bonorum tantummodò causam esse, mali autem prorsus nullius. Quandoquidem ipse bonum omnium antiquissimum est & perfectissimum. Decet autem suæ naturæ propria operari, optimum optima. Improborum autem pœnas per eius ministros sanciri.

De profugis: Ergo nullum facinus suppuratum, dolosum, & data opera patratum moretur, vt dicatur factum ex Dei sententia, sed ex nostra propria. Inter nos ipsos enim thesauri vitiorum sunt, apud Deum verò solorum bonorum. Quisquis igitur eò confugerit, idest, quicunque peccati auctorem non seipsum, sed Deum accusat, puniatur: non prosit ei refugium, quod solis supplicibus est saluiferum. Et meritò. Nam altare plenum est immaculatis victimis, animabus, inquam, purificatis & innocentibus. Est autem næuus insanabilis auctorem malorum Deum dicere. Proinde qui sic malè morati sunt, vt seipsos magis ament quàm Deum, procul à sacris manent scelesti, & impuri, nec è longinquo sacram flammam animæ inextinguibiliter accensæ à Deo consecratæ spectare idonei. Perpulchrum est, quod quidam è priscis sapientibus in hanc sententiam ausus est dicere: Deus haudquaquam iniustus est: sed dici non potest quàm sit iustissimus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

PECCATVM ORIGINALE OMNE GENVS HOMINVM INFECISSE: NON IMITATIONE, SED PROROGATIONE IN OMNES TRANSFVSVM ESSE.

NEGANT.

Anno post natū Christū 140. *CARPOCRATIANI in eo peccatum Originis negârunt, quia* (vt refert Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromaton) *senserunt, seipsos esse natura filios Dei, nec quicquam natura esse malum, sed opinione tantùm.*

200. *Clemens Alexandrinus parum nouisse de peccato originali videtur, dum scribit* (lib. 3. Stromaton): *Dicant nobis, vbi fornicatus est infans natus? vel quomodo sub Ada cecidit execrationem?*

270. *Manichæi carnalem concupiscentiam, qua caro concupiscit aduersus spiritum, non ex vitiata in primo homine natura nobis inesse infirmitatem: sed substantiam volunt esse contrariam, sic nobis adhærentem, vt quando liberamur atque purgamur, separetur à nobis, & in sua natura etiam ipsa immortaliter viuat.* Augustinus hæresi 46.

400. *Pelagianus Britannus, & Cælestinus docuerunt peccatum ex primo homine in alios non propagatione, sed imitatione transiisse: Negabant paruulos secundùm Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ prima natiuitate contrahere.* Augustinus de peccatorum meritis & remissione cap. 1. 2. 3. 9. 19.

420. Iulianus Celanensis Episcopus edidit libros quatuor aduersus Originale peccatum, scribens: *Ideo non est peccatum in paruulis, quia id sine voluntate, quæ in eis nulla est, esse non potest. Malum enim omne, quod peccatum definitur, non in natura, sed in voluntate consistit.* Augustinus lib. 3. cap. 5. contra Iulianum.

600. *Armenij dicunt nullum esse peccatum Originale.* Guido de Armenijs.

1140. *Petrum Abailardum non rectè sensisse de peccato Originis scribit Bernardus* Epist. 188. *Quis autem eius error fuerit, insinuat* Epistola 199. *vbi postquam dixerat Abailardum docuisse, Christum non venisse in mundum, nec passum, nec mortuum esse, nisi vt nos verbo & exemplo doceret ac institueret, inde colligit ex sententia Abailardi Adamum nobis non nocuisse, nisi exemplo: & infantes, qui institutionis & exemplorum capaces non sunt, neque in Adam periisse, neque per Christum saluari.*

1200. *Albigenses peccatum Originale nihil esse contendunt.* Antoninus parte 4. titulo 11. capite 7. §. 5.

1300. *Begardi dicunt, quòd homo in hac vita tantum potest acquirere perfectionis, quòd impeccabilis fiat.* Clemens V. de hæreticis lib. 5. tit. 3. cap. 3. Antoninus parte 4 tit. 11. cap. 7. §. 5.

1400. *Ioannes VVesaliensis dixit, nullum esse peccatum Originale, & quòd paruuli recenter nati, aut etiam concepti, non contrahunt Originale peccatum, nec credendum esse Augustino hoc esse asserenti.* Bernardus Lutzenb. de illius hæresi.

1510. *Iacobus Faber Stapulensis*, ad cap. 5. Epistolæ ad Romanos, & in Apologia pro commentarijs suis, *docet nil nos ex Adam trahere nisi obligationem ad mortem.*

1530. *Erasmus purgare se studuit à suspicione huius erroris, tamen non videtur planè purgatus. Nam cùm in Annotationibus suis ad cap. 5. ad Romanos scripsisset: In Adamo omnes peccasse imitatione, & hoc modo exposuisset illud,* in quo omnes peccauerunt: *ac deinde vidisset, propter eam explicationem se incidisse in suspicionem hæreseos Pelagianæ, in alia editione negauit se esse Pelagianum, & peccatum Originis se agnoscere disertis verbis testatus est. Cæterùm in tam longa disputatione nunquam dicit aliquid, vnde intelligi possit eum credidisse peccatum Originis non imitatione, sed generatione trahi. Hoc autem dicere debuit, si verè purgari cupiebat, cùm id esset, quod ei potissimum obijciebatur.*

Auctorem Commentariorum in Epistolas Pauli, qui falsò tribuuntur Hieronymo, cùm sint Pelagiani alicuius, qui illa verba: In quo omnes peccauerunt, *de imitatione exponit, commendat. Monet prouidendum nobis esse, ne nimis oderimus Pelagianos.*

1530. Huldaricus Zvvinglius de Baptismo Tractatu 3. fol. 89. b. digressione de peccato Originali; *Peccatum Originale nihil aliud esse dicimus, quàm morbum illum, qui hæreditario iure ab Adamo primo omnium nostrum parente in nos deriuatus est, &c. Vnde colligimus peccatum Originale morbum quidem esse, qui tamen per se culpabilis non est, nec damnationis pœnam inferre potest, vtcunque hic nobis Theologorum disputationes & sententiæ reclamitent, donec homo contagione hac corruptus, legem Domini transgreditur: quod tum demum fieri consueuit, cùm legem sibi positam videt & intelligit.*

De prouidentia Dei cap. 6. con. 3. fol. 372. *Infantium qui à fidelibus sunt, nulla potest esse labes. Originalis enim per Christum expiata est.*

1536. Ioannes OEcolampadius responsione ad Confessionem Lutheri: *Originalis ista contagio non tale peccatum est, quod culpam sibi coniunctam habeat, sed morbus potius, qui propter peccatum ab Adamo commissum nobis adhærere solet. Nec tamen obstamus, quo minus peccati nomen iste morbus accipiat.*

1540. *Anabaptistæ, qui se Catharos seu mundos vocant, negant peccatum Originale, & pueros sine peccato, immunesq; ab omni labe nasci, ideoq; baptismo non indigere putant. Quin seipsos quoque peccatorum exortes, mundos, atque puros esse credunt.* Caspar. Vlenberg. Causa 9. *Petrus Martyr*, Commentario ad cap. 5. ad Rom. *dicit eos non tantùm negare originale peccatum, sed etiam mortem & afflictiones huius vitæ ita referre ad causas naturales, vt nullo modo velint ex peccato primi hominis deriuari.*

1550. *Nona & decima Lutheranorum Secta eorum sunt, qui de originali peccato fœdè digladiantur, ac semetipsos in duas turmas diuidunt. Prior turma eorum est, qui peccatum Originis ipsam essentiam naturam atque substantiam hominis esse dicunt. Unde Substantiarij vocantur. Altera eorum, qui idipsum peccatum accidens esse contendunt. Unde priores illi Accidentarios eos nominant. Substantiarij Accidentarios Pelagianos, & hi vicissim illos Manichæos faciunt.* Caspar. Vlenberg. Caus. 9.

1550. Ioannes Caluinus libro de vera genuinaque Ecclesiæ reformatione: *Sancta ideo nascitur ex fidelibus progenies, quòd adhuc vtero inclusi ipsorum liberi, antequam vitalem spiritum hauriant, cooptati tamen sunt in fœdus vitæ æternæ.*

In Appendice de vera Ecclesia: *Liberi fidelium iam antequam gignantur adoptati sunt à Domino. Ideo baptizantur infantes, quia domestici sunt Ecclesiæ.*

Admonitione 2. contra VVestphalum *pluribus contendit infantes ex fidelibus genitos sanctos esse, & Ecclesiæ membra censeri debere, etiam antequam baptizentur.*

1560. Theodorus Beza in Creophagia fol. 307. *Ab vtero coram Deo sancti sunt fidelium pueri ex fœderis formula, sed ea sanctificatio per Baptismum obsignatur.*

In Confessione cap. 48. de infantium Baptismo: *In genere ex promissionis formula præsumimus sanctificatos esse, quicunque ex fidelibus parentibus, vel etiam altero duntaxat fideli parente nati sunt, nisi quid obstet vnde contrarium colligi possit.*

In abstersione calumniarum Tilmanni Heshusij fol. 333. *Dicimus oportere nos in fœdere comprehendi, ac proinde ad Christum pertinere priusquam baptizemur: neque gratiam adoptionis a Baptismo inchoamus, sed per eum potius dicimus illam in nobis obsignari, sicut iubetur Paulus Baptismo abluere peccata, quorum tamen veniam iam erat consecutus.*

De Cœna Domini contra VVestphalum ad cap. 36. de cæremonijs: *Sanctorum liberos ex formula fœderis iam in ipso vtero esse adoptatos arbitramur, ideoq; baptizamus.*

1560. *Ioannes à Lasko*, contra VVestphalum fol. 102. *scribit fidelium liberos sanctos nasci.*

1570. Ioannes Somerus Tractatu de Iustificatione: *Hæc de peccato disputatio ad eos tantùm pertinet, qui quid sit peccatum per ætatem intelligere possunt, & inter dextram & sinistram discernere. Infantibus Scriptura nusquam peccatum vllum tribuit: nec punit lex Dei vllum, nisi transgressorem legis. Nec aliunde opinio nata est, quàm ex prauo intellectu Scripturæ ad defendendam pædobaptismi superstitionem. Igitur ex Ecclesia Dei explodenda est.*

1592. Franciscus Puccius Felidinus assertione de Christi Saluatoris efficacitate in omnibus & singulis hominibus, quatenus homines sunt, Ratione 11. *Commune illud & originale hominum vitium tantum abest vt prouocat iram Dei, vt misericordiam potius prouocet, & ad excusandos humanos lapsus faciat.*

Ratione 13. *Labes originalis posterorum Adami potius vitium aut peccati pœna & fomes, quàm scelus indicari debet: & respectu illius neminem æterna morte plecti credendum est.*

Ratione 34. *Singuli mortales agnoscendi sunt in statu salutis, antequam contemnant incorruptum illum Dei & Christi spiritum, nempe rationem ipsam, quæ* illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Ratione 36. *Viri Israelitæ nobiscum sentient, nec iudicabunt perire quenquam parentum culpa, aut vitio sibi inhærente Adami lapsu.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Iob 14. vers. 4. Hebr. Interp. Quis dabit mundum ab immundo? Non vnus (*videlicet est*,) etiamsi breues dies eius.

Quæ verba Interpres noster reddidit: Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? Breues dies hominis sunt.

Septuaginta verterunt: τίς γὰρ καθαρὸς ἔσται ἀπὸ ῥύπου; ἀλλ' οὐθεὶς ἐὰν καὶ μία ἡμέρα ὁ βίος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς.

Augustinus: & alij veteres ex Septuaginta Interpretum versione hoc modo allegare solent: Nemo mundus à sorde, nec infans, cuius est vnius diei vita super terram.

Psalm. 50. 7. Ecce in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea.

Rom. 3. 23. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.

Rom. 5. 12. Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: ita & in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. 19. Per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi.

1. *Corinth.* 15. 22. Sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes viuificabuntur.

2. *Corinth.* 5. 14. Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.

Galat. 3. 22. Conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

Ephes. 2 3 Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Ignatius. 100.

Epistola ad Trallianos. Christus dedit semetipsum pro nobis redemptionis pretium, vt sanguine suo nos repurgaret à veteri impietate, & vitam daret vobis, qui ex malitia vestra perituri eratis.

Dionysius Areopagita. 100.

De Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. *part.* 3. Humanam naturam initio stolidè à diuinis beneficijs prolapsam obnoxia passionibus varijs vita suscepit, & mortis corruptibilis finis. Quippe perniciosa illa à vera bonitate defectio, & sacræ in paradiso legis præuaricatio eam (quæ sponte sua blandè mulcentibus atque infestis aduersarij fraudibus cedens, vitale excusserat iugum) his, quæ sunt diuinis bonis contraria, tradidit, &c. Oberrans itaque (*natura humana,*) & à recto itinere ad eum, qui veraciter Deus est, tendente auersa, & perditis atque maleficis turmis subiecta, minimè aduertit, se pro Deis atque amicis infestis hostibus fuisse obsecutam. Gen. 3.

Iustinus Martyr. 150.

Dialogo cum Tryphone. Christum ad amnem eum non ideo venisse pro comperto habemus, quòd vel Baptismi lauatione, vel Spiritus in specie columbæ aduentu opus ei fuerit: sicut nec nasci, & circuncidi, & crucifigi, propter functionis huiusmodi indigentiam sustinuit: sed humani generis causa, quod per Adam in mortem & fraudem seductionemque serpentis conciderat, vt interim propriam pro se malignè agentis cuiusque culpam taceam, &c.

Irenæus. 180.

Lib. 3. *cap.* 20. Non erat possibile eum hominem, qui semel victus fuerat & elisus per inobedientiam, replasmare, & obtinere brauium victoriæ: iterum autem impossibile erat, vt salutem perciperet, qui sub peccato ceciderat. Vtraque operatus est Filius Verbum Dei existens, à Patre descendens & incarnatus.

Libro 4. *cap.* 5 Non prohibebat eos credere in Filium Dei, sed adhortabatur dicens, non aliter saluari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundùm similitudinem carnis peccati in ligno martyrij exaltatus à terra, & omnia trahit ad se, & viuificat mortuos. Ioan. 3. Ioan. 12.

Lib. 5. *cap.* 17. Propter hoc Dauid prædixit: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates. Beatus homo, cui non imputauit Dominus peccatum,* eam, quæ per aduentum eius est, remissionem præmonstrans, per quam *deleuit chirographum,* debita nostra, *& affixit illud cruci:* vti, quemadmodum per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum facti sumus debitores Deo, per lignum accipiamus nostri debiti remissionem. Psal. 31. Col. 2.

Cap. 19. Quemadmodum astrictum est morti genus humanum per virginem, soluatur per virginem, æqua lance disposita virginalis inobedientia per virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplasti peccatum, per correptionem primogeniti emendationem accipiens, & serpentis prudentia deuicta in columbæ simplicitate, vinculis autem illis resolutis, per quæ allegati eramus morti.

Origenes. 230.

Homilia 8. *in Leuiticum.* Quòd si placet audire, quid etiam alij Sancti de ista natiuitate senserint, audi Dauid dicentem: *In iniquitatibus,* inquit, *conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea:* ostendens, quòd quæcunque anima in carne nascitur, iniquitatis & peccati sorde polluitur. Et propterea dictum esse illud: quia *nemo mundus à sorde, nec si vnius diei sit vita eius.* Psal. 50. Iob 14.

Homil. 12. *in Leuit.* Omnis qui ingreditur hunc mundum, in quadam contaminatione effici dicitur. Propter quod & Scriptura dicit: *Nemo mundus à sorde, nec si vnius diei fuerit vita eius.* Hoc ipso ergo, quòd in vulua matris est positus, & quòd materiam corporis ab origine paterni seminis sumit, in patre, & in matre contaminatus dici potest. Aut nescis, quia cùm quadraginta dierum factus fuerit puer masculus, offertur ad altare, vt ibi purificetur, tanquam qui pollutus fuerit in ipsa conceptione vel paterni seminis, vel vteri materni? Omnis ergo homo in patre, & in matre pollutus est: solus verò Iesus Dominus meus in hac generatione mundus ingressus est, in matre non est pollutus. Iob 25.

Athanasius. 340.

De Incarnatione Verbi: Mors inuidia diaboli mundum inuasit, excogitato inobedientiæ inuento, atque ita ex inobedientia diuini præcepti factus est homo capax superseminationis diaboli, ac peccatum iam inde in natura receptum, ad omnem concupiscentiam stimulabat: non tamen vt diabolus eam naturam finxerit: sed naturæ peruersio ex præuaricatione id efficit, &c. Per præuaricationem mors tyrannidem habuit in omnes.

Sermone in illud: *Omnia mihi tradita sunt,* &c. Postquam peccauerat, & lapsus esset homo, eiusque lapsu perturbatis omnibus mors inualuisset ab Adam vsque ad Christum, terraque execrationi data esset, infernus apertus, paradisus clausus, cælum infensum, & tandem corrupto, & interempto homine insiluisset diabolus contra nos, tum Deus, &c.

Didymus Alexandrinus. 360.

Ad cap. 7. Iob: *Si impius fuero, heu mihi, &c.* Fortasse tale quippiam dicit, siue consultò peccauero, heu mihi, siue tanquam ex Adæ præuaricatione, & ex debito ad nos successione deriuato, nec sic mihi tollendi oculos erit potestas, perinde quasi ab omni sim labe integer. Nam peccata quædam ex animi nostri electione existunt, quę supplicium comitatur: partim à parentibus trahuntur, quibus purgatio debetur.

Macarius Ægyptius. 370.

Homilia 12. Adam transgressus mandatum, duobus modis perijt. Priore quidem modo, quia perdidit puram & speciosam illam possessionem naturæ suæ, quæ creata erat ad imaginem & similitudinem Dei: altero modo, quoniam imaginem illam amisit, per quam promissionem acceperat totius hæreditatis cælestis.

Cyrillus Hierosolymitanus.

Catechesi 2. Per hunc (*Satanam*) pater noster Adam pulsus est, & pro Paradiso, admirando quodammodo sponte sua fructus ferente, terram spinife-

niseram accepit. Quid igitur (dixerit aliquis) decepti perijmus? nunquid non est deinceps salus? cecidimus, an non licet resurgere? excœcati sumus, ergo non licet prospicere? claudi sumus effecti, licebitne incedere? in summa, mortui sumus, num fieri potest vt resurgamus? Qui Lazarum quatriduanum, ô homo, excitauit, nonne te viuentem multò facilius suscitauerit?

Basilius Magnus. 370.

Homilia in Psalm. 32. explicans illud: *Misericordia Domini plena est terra:* Nequit homo mundo corde, ac liber omnino à sorde peccati reperiri, etiamsi vnius diei tempore super terram vixerit. Quamobrem si quis videat quotidie malitiam inualescentem, ac depascentem homines, & fragile genus hominum mille mortibus delictorum gratia dignum, tanto admirabitur magis diuitias bonitatis diuinæ, tolerantiæ, & longanimitatis.

In scholijs in Psalm. 50. *In iniquitatibus conceptus sum:* Præuaricationem, quæ initio mundi à progenitoribus nostris est commissa, in medium producit, & hunc fontem esse factum ipsorum fluentorum dicit. Si enim illi, inquit, non peccassent, mortis vtique mulctam non incurrissent: si autem mortales facti non essent, corruptioni quoque subiecti non fuissent, incorruptioni verò etiam impassibilitas coniuncta fuisset: si hæc gubernacula tenuisset, locus peccato non fuisset. Iam verò quoniam peccauerunt, traditi sunt corruptioni. Corruptibiles autem facti, consimiles genuêre posteros. Talibus iam concupiscentiæ, & metus, & voluptates adhærent.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 14. quæ est oratio 3. de Pace. Totus cecidi, atque ob primigenæ hominis inobedientiam & diaboli fraudem condemnatus sum.

Oratione 15. quæ est oratio in plagam grandinis: Illud cognitum habeamus, quòd omni vitio carere hominis modulum excedit, soliusque Dei est: (nihil enim de Angelis dico, ne vitiosis affectionibus occasionem demus, atque improbis contentionibus fenestram aperiamus:) perditè autem & incurabiliter ægrotare, prauæ illius & aduersariæ naturæ, atque eorum, qui ab ea afflantur: at verò post peccatum ad meliorem mentem redire hominum esse, verùm proborum.

Oratione 42. quæ est oratio 2. in sanctum Pascha: Quandoquidem enim nos, ab initio per peccatum lapsos, atque à voluptate vsque ad idolorum cultum ac nefarios cruores surreptos, & circunscriptos, propter viscera misericordiæ Dei Patris nostri, tanti manus suæ opificij, hoc est hominis, iacturam facere non sustinentis, reuocari, atque restitui in veterem statum oportebat, hanc in eo instaurando rationem initam esse existimamus, vt acriore & asperiore medicina improbata (vt quæ non modò fidem non factura, sed propter contractum temporis diuturnitate tumorem, fortasse etiam morbum exulceratura esset) leni & facili medicamenti genere ipsius resipiscentia procuraretur. Neque enim plantam incuruam subitam inflexionem, manusque erigentis violentiam ferre: sic enim potius fore vt lædatur, atque infringatur, quàm vt erigatur: nec equum præ ferocem, ac iam ætate aliquanto prouectiorem fræni tyrannidem perferre, nisi blanda quadam & adulabunda manu permulceatur. Propterea nobis adiumenti causa lex datur, veluti maceria quædam, inter Deum & idola interiecta, ab his quidem nos abducens, ad illum autem reuocans.

Oratione 38. quæ est oratio Panegyrica in Christi Natiuitatem: Deposito vetere homine nouum induamus, & quemadmodum in veteri Adamo mortui sumus, ita in Christo viuamus, dum nimirum eum Christo & nascimur, & cruci affigimur, & sepelimur, & resurgimus. Pulchra enim in contrarium mutatio mihi subeunda est, vt quemadmodum ex secundis rebus molestæ venerunt, sic etiam ex molestis lætæ & iucundæ redeant. *Vbi enim abundauit peccatum, superabundauit & gratia:* & si gustus condemnauit, quantò magis Christi passio iustificauit? Rom. 5.

Gregorius Nyssenus. 380.

Lib. de beatitudinibus, Oratione 6. Commixtum quodammodo malum est cum natura per eos, qui antiquitus passionem vitium & affectum admiserunt, qui per inobedientiam morbum inuexerunt, & introduxerunt. Quemadmodum autem successione atque continuatione subinde nascentium per quamque speciem animalium natura simul traducitur & propagatur, vt iuxta rationem naturæ, quod natum fuerit, idem sit cum eo, vnde natum est, itidem ex homine homo nascitur, ex obnoxio vitijs, perturbationibus, & affectibus, ijsdem obnoxius, ex peccatore peccator. Ergo vnà cum nascentibus aliquo modo peccatum existit, simul & nascens & augescens, & cum termino vitæ vnà desinens.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia ad Neophytos: Venit Christus, & paternis nos cautionibus inuenit astrictos, quas conscripsit Adam. Ille initium obligationis ostendit, peccatis nostris fœnus accreuit. Ibi maledictio fuit, & peccatum, & mors, legisque condemnatio: & hæc omnia Christus deleuit.

Homilia de Adam & Eua: Ipsa transgressio peccati totum labefecit mundum, factum alumnum peccati: quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Omnis quoque homo de eo natus, natus est illi obnoxius: quia seruus seruum generat. Et nisi per illum liberatorem acciperet genus humanum libertatem, omnes in seruitute huc vsque detinerentur, sicut ait Apostolus: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors:* & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt. Nam vnde est illud, quod clamat Propheta, dicens: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis mater mea in vtero me habuit?* De isto peccato venit, de quo dixit verus Dei cultor, homo sine querela, abstinens se ab omni malo, cui nemo similis super terram: non esse sine peccato nec infantem vnius diei natum super terram. Dicit item: *Graue iugum super filios Adæ à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ, quæ est mater omnium.* Insuper ipse alibi dixit: *Quomodo potest mundus esse de immundo conceptus semine?* Quid agimus? Ecce ipse Apostolus assumpsit personam ipsius primi hominis, vt totum obligatum in peccatis demonstraret mundum, dicens: *Concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret: non concupisces.* Lex ergo erat, quando audijt primus homo: *Ex omni ligno paradisi edes, ex arbore autem dignoscentiæ boni & mali ne tetigeris.* Hoc est dicere: *Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum fefellit me,* & per illud occidit, &c. De ipso ergo peccato transgressionis pullulant omnia peccata. Cùm ergo dicitur homo tradi desiderijs suis, ex ipsa propagine fit reus: quia desertus à Deo, cedit cupiditatibus atque consentit, vincitur, capitur, trahitur, possidetur.

2. Pet. 3. Rom. 5. Psal. 50. Iob 25. Iob 14. Rom. 7. Exo. 20. Deut. 5. Gen. 2. Rom. 1.

Sermone 6. de proditione, & mysterijs Cœnæ Dominicæ: Ergo quia primus homo adiudicante Deo de reatu incurrerat mortem, & eam delegauit suo generi, transmisit ad posteros: quia corpore iam mortalis generaret & morti obnoxios, non liberos, non absolutos, sed addictos: venit de cælo secundus homo, venit solus peccati nescius, venit solus reatus nostri alienus, venit qui peccato ni-

hil debebat & morti, venit vt fieret inter mortuos liber, vt mors morte damnaretur.

Homilia de Oratione Dominica: Quis castum se gloriatur habere cor, aut mundum se esse à peccatis? *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ergo ista sunt debita: quia *non est sine peccato nec infans vnius diei natus super terram.* Nam *quomodo potest mundus esse de immundo conceptus semine?* Quia in iniquitatibus concepti sumus, & in delictis mater nostra in vtero nos aluit. Exinde contraximus peccata, non tantùm originalia, sed & propria commissa.

Seuerianus Gabalensis. 420.

Ad cap. 2. lib. Iob: Non dicit, dies pereat, in quo creatus sum: sed: *Dies pereat, quo natus sum:* nempe vt ostenderet tum nobis generatione opus fuisse, cùm ob parentalem labem orbem terrarum mors est ingressa. Ita cùm Dauid peccatum deploraret, ad antiquum flagitium refert orationem: *Ecce,* inquit, *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea:* Debilitata enim est lubrica natura.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Gen. 3. *Lib. 1. in Genesin:* Vt primùm Eua calumnijs diaboli seducta eatenus est, vt legem transgrederetur, & lignum interdictum illud sibi in cibum assumpsit, ipséque progenitor Adam cum ea vnà corruit, & iam natura humani generis morte condemnatur.

Aduersus Antropomorphitas cap. 8. Inquirendum est, quo pacto in nos primus parens Adam pœnam sibi ob transgresionem illatam transmiserit: *quia terra es, & in terram reuerteris,* & ex incorrupto factus es corruptioni obnoxius, mortisqúe vinculis submissus. Posteaquam verò in hanc prolapsus, liberis curandis operam dedit, nati ex ipso, vtpote ex mortali, mortales effecti sumus. Hoc pacto sumus execrationis in Adam hæredes. Neque enim omnino, veluti cum ipso præceptum, quod ipsi iniunctum erat, infringentes, punimur, sed quia mortalis factus, execrationem in progeniem suam transmisit. Mortales enim facti sumus ex mortali.

Ioannes Cassianus. 430.

Collatione 23. cap. 10. Experti igitur se humanis viribus desideratum finem, obsistente carnis sarcina, non posse contingere, neque illi præcipuo summoqúe bono secundùm cordis sui desiderium posse coniungi, sed ab eius intuitu captiuos ad mundana traduci, ad gratiam Dei, qui impios iustificat, conuolantes, cum Apostolo protestan-
Rom. 7. tur: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Sentiunt enim se bonum istud, quod volunt, non posse perficere, sed illud, quod nolunt, quodqúe oderunt malum, id est, cogitationum motus, & curam corporalium rerum semper incurrere.

Theodoretus. 450.

In Psalm. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum,* &c. Ab initio, ait, & à principio peccatum in naturam imperium habuit. Quandoquidem mandati transgresio Euæ conceptionem præuenit. Post enim transgresionem, & diuinam sententiam, & paradisi priuationem, cognouit Adam vxorem suam Euam, & cùm concepisset, peperit Cain. Hoc igitur vult dicere: cùm peccatum nostros maiores occupasset, quandam viam & tramitem per humanum genus effecit. Hoc & beatus Paulus in-
Rom. 5. quit: *Quoniam enim per hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, in quo omnes peccauerunt.* Hoc etiam vniuersitatis Deus admirabi-
Gen. 7. li Noe dixit: *Sensus hominis in malum ab adolescentia sua omnibus diebus* assiduè vrgere. Cæterum per hæc omnia discimus, peccati vim naturalem minimè esse: (nam si ita se haberet, à supplicio liberi essemus:) sed naturam ipsam ad peccatum esse procliuem, cùm ab affectionibus turbetur, vincit tamen ratio, cùm laboribus pro auxilio vsa fuerit, &c. Si primi homines non peccassent, non accepissent mortem, præmium peccati: si autem mortales non essent, interitu superiores fuissent: si verò interitus non extitisset, perturbationibus obnoxij non essent: si autem non essent perturbationes, peccatum locum non haberet. Sed quoniam peccauerunt, interitui traditi sunt: mortales verò facti, tales procrearunt filios: hos tales concupiscentiæ, & timores, & voluptates, & mœrores, & ira, & inuidia secutæ sunt.

Dialogo 3. *Orthodoxus:* Tibi autem quomodo videtur esse iustum, vt, cùm Adam sit præceptum transgressus, genus quoque primum parentem consecutum sit? *Eranistes:* Etiamsi non illius fuit peccati genus particeps, sed alia tamen peccata perpetrauit, & ea de causa fuit mortis quoque particeps. *Orthod.* Atqui non solùm peccatores, sed etiam iusti, & Patriarchæ, & Prophetæ, & Apostoli, & qui in varijs virtutis generibus refulserunt, mortis laqueis implicati fuêre. *Eranistes:* Quemadmodum enim fieri potest, vt qui ex mortalibus parentibus orti sint, immortales permaneant? Adam cùm post transgresionem, & diuinam sententiam sub mortis esset potestatem subiunctus, cognouit vxorem, & pater est appellatus. Cùm ergo factus esset mortalis, mortalium pater constitutus est. Iure ergo omnes, qui mortalem naturam susceperunt, sequuntur primum parentem.

Olympiodorus. 480.

In Iob cap. 9. Quid attinet de homine plura dicere? quandoquidem neque hominis procreationem sine sorde, ac peccato esse contingit? Proinde baptizantur infantes, vt macula, quam ex Adami præuaricatione contraxerunt, eluatur. Imbecillam igitur, & ægram naturam nostram affectam esse confirmat, & ad peccatum procliuem, tum ex præuaricatione Adæ, tum ex ipsa voluptaria procreatione: non ideo, quòd cum nostra substantia peccatum penitus coaluerit, absit.

Ioannes Maxentius. 500.

Contra Nestorium: Originale peccatum per præuaricationem Adæ ingressum est in mundum.

Procopius Gazæus. 530.

In Numeros fol. 390. Nemo hominum extra peccatum est. *Si* enim *Domine iniquitates obseruaueris,* quis constabit tibi, & delicta quis componet?

Fol. 387. Quantumuis sanctum se Deo proponere conetur aliquis, peccati tamen sortem vitare propter imbecillitatem naturæ coniunctam nequit. Has enim primas solus habet Christus, qui dicit, *Princeps huius mundi venit, & in me non quicquam inueniet.*

Isychius. 580.

Lib. 2. in Leuit. cap. 6. Ad hoc paruulo opus est Baptismo, quia nemo est mundus à sorde. Nam *licet vnius diei vita sit super terram,* sordem tamen, quam ex Adam succesione & generatione traxit, retinet.

Lib. 3. cap. 12. Per literam semen suscipiens est mulier, quæ viri concipit ex semine. Hanc septem diebus esse immundam dicit, & hoc quamobrem? videlicet, quia sator immundus est, vtpote hæres Adam, qui per transgresionem immundus factus est, atque ita Euæ mixtus, omne genus humanum fecit immundum. Apertè autem hoc in sacra Scriptura legitur, quod postquam exijt Gen. 4.
de paradiso, mulierem suam Adam cognouit, atque ita deduci cœpit humanum genus. Septem autem dies ideo mulierem esse præcepit immun-

dam,

dam, quia Adam, per cuius semen suscepit immunditiam, cum genere vitam nostram polluit. Quomodo autem nostram polluit vitam? Inducens ei maledictionem, & transferens ad miseriam, eam, quam sortiti fueramus ab initio, beatitudinem. Quod manifestum est ex his, quę Deus ad Adam dicit: *Maledicta terra in operibus tuis, spinas & tribulos germinabit tibi.* Ipsa quidem substantia generis humani munda est, sicut à Deo creata: *Omnia enim quæ fecit Deus erant valde bona.* & multò magis homo. Propter quod ait, in sanguine immundo siue purificationis mulierem sedere. Quia autem per successionem Adæ transgredientis læsus est, necessariò quæ semen suscepit, & concepit omne sanctum non tangit, & in sanctuario non ingredietur, &c. Totam hic intentionem suam legislator aperuit: quia pollutionem non motus naturales faciunt, sed peccatum, de quo Dauid dicebat: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea:* non suæ matris peccatum aliquod accusans: sed matrem naturam appellat, immunditiam peccati Adæ & Euæ in omne genus nostrum descendisse significans.

Gen. 3.

Psal. 50.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 2. cap. 28. Corruptio ob vitium nostrum ad pœnam simul & vtilitatem inuecta est: *Deus quippe mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuentium.* Quin potius per hominem, hoc est, per Adami transgressionem mors & reliqua item supplicia extiterunt.

Sap. 1.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 5. ad Rom. Cùm Adam cecidisset, etiam illi, qui non ederunt de ligno isto, facti sunt ex illo mortales, mortiquè subiugati, perinde ac si ipsi etiam impegissent, quandoquidem ille impegerit.

Ad cap. 7. Non tantùm mortales facti sumus ex Adami præuaricatione, verùm etiam affectus prauos natura sub peccato venalita recepit, iuri planè & dominatui peccati subdita, ita vt caput erigere nequeat.

Moses Barcepha. 980.

Commentarii de Paradiso parte 1. cap. 19. Quærat aliquis cur Adami peccatum, quod quidem non videbatur grauissimum, durissima sit pœna concuta ipsa mors? Huic primò respondemus, nimis illum admisisse flagitium, quàm pependisse pœnam: multiplici enim noxarum genere rebellio illa constabat, inscientia, errore, superbia, incredulitate, calumnia, contemptu denique. Inscientia quidem, quia iumentis, bestijsque similis euasit qui alioqui sapientia, & ratione pollebat. Errore verò, quippe insidiosi impostoris sui verbis seductus est. Superbia quoque: nam diuinitatem affectabat. Insuper incredulitate: non credebat enim euentura ea, quæ sibi suus conditor Deus erat interminatus. Calumnijs denique, vt quibus ille suum est insectatus parentem. Postremò etiam contemptu: nam imperatam sibi legem vilipendit, spreuit, neglexit. Neque enim sceleris illius existimatione spectandus est cibus, quem sumpsit, sed quòd spreto suo effectore Deo, huius iussa violarit: contra verò insidiosi hostis sui verba magnifecerit. Id verò in rationem vocandum est. Inde flagitium illud magnum fuit, & grauissima pœna piandum, non in Adæ caput solùm, sed in omnem prorsus posteritatem propagata.

Euthymius. 1080.

Ad Psalmum 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum.)* Vt Deum magis ad misericordiam traheret, natiuitatem suam commemorauit. Nam si Adam non peccâsset, nunquam oportuisset illum Euæ coniungi. Peccatum itaque copulam generauit, & copula rursum eos produxit, qui ex Adam & Eua nati sunt. Et sic deinceps alij alios vsque ad Dauid. Et licet nuptiæ nunc ob filiorum procreationem in honore habeantur, natura tamen ex peccato prouenjunt. Ex peccato igitur conceptus & genitus sum.

Manuel Palæologus. 1400.

Institutionis Regiæ cap. 27. Arbitrare cor tuum bonum quoddam solum esse per se, quod ob ariditatem illam naturæ communem (de peccato primorum parentum, propter quod omni excidimus gratia) nihil boni producat: deinde per Baptismum velut aratrum quoddam repurgatum esse Deo, & per irrigationem vnguenti de duro mòlle factum.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De Patientia cap. 5. Quid, quòd Eua non sustinuit sola conuenta, sed apud Adam nondum maritum, nondum aures sibi debentem, impatiens etiam tacendi est? ac traducem illum (*sic vocat peccatum originale*) eius quod à malo hauserat, facit.

De habitu muliebri cap. 1. Si tanta in terris moraretur fides, quanta merces eius expectatur in cælis, nulla omninò vestrum, sorores dilectissimæ, ex quo Deum viuum cognouisset, & de sua, id est, de fœminæ conditione didicisset, lætiorem habitum appetisset, vt non magis in sordibus ageret, & squalorem potius affectaret, ipsam se circumferens Euam lugentem & pœnitentem, quo plenius id, quod de Eua trahit (ignominiam dico primi delicti, & inuidiam perditionis humanæ) omni satisfactionis habitu expiaret. *In doloribus & anxietatibus paries mulier, & ad virum tuum conuersio tua, & ille dominabitur tui:* & Euam te esse nescis? Viuit sententia Dei super sexum istum in hoc seculo, viuat & reatus necesse est. Tu es diaboli ianua, tu es arboris illius resignatrix, tu es diuinæ legis prima desertrix, tu es quæ eum suasisti, quem diabolus aggredi non valuit.

Gen. 3.

Cyprianus. 250.

Lib 3. epist. 8. *Epistola 59.* A Baptismo prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccauit, nisi quòd secundùm Adam carnaliter natus contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit. Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illo remittuntur non propria, sed aliena peccata.

De bono patientiæ: Quàm vtilis & necessaria sit patientia vt manifestius possit & plenius nosci, Dei sententia cogitetur, quam in origine statim mundi & generis humani Adam præcepti immemor, & datæ legis transgressor accepit: tunc sciemus quàm patientes in hoc seculo esse debeamus, qui sic nascimur, vt pressuris isthic & conflictationibus laboremus. *Quia audisti, inquit, vocem mulieris tuæ, & manducasti ex illa arbore, de qua sola præceperam tibi ne manducares, maledicta erit terra in omnibus operibus tuis, &c.* Vnde vnusquisque nostrum cùm nascitur, & hospitio mundi huius excipitur, initium sumit à lachrymis. Gen 3.

De ieiunio & tentationibus Christi: Fuerant & ante Christum viri insignes, Prophetæ & sacerdotes, sed in peccatis concepti & nati; nec originali, nec personali caruêre delicto, & inuenta est in omnibus vel ignorantia, vel insufficientia, in quibus erronei peccauerunt, & eguerunt misericordia Dei, per quam edocti & restituti gratias egerunt Deo, & ad plenitudinem iustitiæ multum si-

bi de-

bi deesse confessi sunt, & sperantes in Deo, nullam sibi soliditatem attribuere præsumpserunt. Non ita Christus, in quo Verbi carnisque sic conuenit natura, vt nulla alteri ex altero iniuria deueniret: quia in carne socia nullam diuinitus maculam reperit, nec secuta est, nec præcessit.

De passione Christi: Originali morti nullum nisi in Christi morte potuit esse remedium. Vulneri tam putrido, & antiquarum cicatricium fœtori non inueniebatur medicamentum conueniens, nisi vnguento sanguinis huius plaga vetus liniretur, & malagmate carnis in cruce extensę siccarentur venena, quæ calcaneo primi hominis & omni posteritati eius serpens ille seductor antiquus infuderat. Hæc vna medela corrosit illas, quæ in immensum excreuerant cicatrices.

Arnobius Rhetor. 300.

Libro 1. contra Gentes: Proni sumus ad culpas, & ad libidinis varios appetitus vitio infirmitatis ingenitę, &c. Naturalis infirmitas peccatorem hominem facit.

Rheticius Augustodunensis. 310.

De Baptismo: (apud Augustinum contra Iulianum Pelagianum lib. 1. cap. 3.) Hanc igitur esse principalem in Ecclesia indulgentiam neminem præterit, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignorantiæ nostræ facinora prisca delemus, vbi & veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuimus.

Lactantius. 320.

De ira Dei cap. 20. Nullus est qui nihil peccet, & multa sunt quæ ad peccandum irritant, ætas, violentia, egestas, occasio, præmium. Adeò subiecta est peccato fragilitas carnis, qua induti sumus, vt nisi huic necessitati Deus parceret, nimium fortasse pauci viuerent.

Lib. 6. Institut. cap. 13. Eò accedit, quòd nemo sine delicto esse potest, quamdiu carnis indumento oneratus est: cuius infirmitas triplici modo subiacet dominio peccati, factis, dictis, cogitationibus, &c. Etiam iusti homines, qui frænare se possunt ab omni opere iniusto, nonnunquam tamen ipsa fragilitate vincuntur, vt vel in ira malum dicant, vel in aspectu rerum delectabilium cogitatione tacita concupiscant. Quòd si mortalis conditio non patitur esse hominem ab omni macula purum, debent ergo largitione perpetua peccata carnis abolere.

Olympius Hispanus. 330.

Sermone quodam Ecclesiastico: Si fides vnquam in terris incorrupta mansisset, ac vestigia defixa tenuisset, quæ signata deseruit, nunquam protoplasti mortifera transgressione vitium sparsisset in germine, vt peccatum cum homine nasceretur. *Citatur ab Augustino lib. 1. cap. 3. contra Iulianum Pelagianum.*

Hilarius. 350.

Ad Psalm. 118. *Viuet anima mea, & laudabit te.* Viuere se in hac vita non reputat, quippe qui dixerit:
Psal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.* Scit se sub peccati origine, & sub peccati lege esse natum: meditationem autem legis Dei ob id elegit, vt viuat.

Ambrosius. 370.

De Tobia cap. 9. Quis est iste peccati fœnerator, nisi diabolus? à quo Eua mutuata peccatum obnoxiæ successionis, vsuris omne genus defœnerauit humanum.

Ad Psalm. 48. Alia est iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est vulneratus, & obnoxiam hæreditatem successionis humanæ suo vulnere dereliquit, vt omnes illo vulnere claudicemus.

In expositione Isaiæ: Ideo Christus quasi homo per vniuersa tentatus est, & in similitudine hominum cuncta sustinuit: sed quasi de Spiritu natus, abstinuit à peccato. Omnis enim homo mendax, & nemo sine peccato, nisi vnus Deus. Seruatum est igitur vt ex viro & muliere, id est, per illam corporum commixtionem nemo videatur expers delicti esse. Qui autem expers est delicti, expers est etiam huiusmodi conceptionis. *Citat Augustinus contra Iulianum Pelagian. lib. 1. cap. 4.*

Ad cap. 1. Lucæ: Nam & ille sub Helia diuiso amne fluuialium recursus vndarum in originem fluminis (sicut dicit Scriptura: *Iordanis conuersus est retrorsum*) significauit salutaris lauacri futura mysteria, per quæ in primordia naturæ suæ, qui baptizati fuerint, paruuli malitia reformantur.

Lib. 1. de Pœnitentia cap. 2. Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum dicente Dauid: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Psal. 50.

De mysterio Paschæ cap. 3. Homo in ipso exordio non nescius deprauatus inuidia, dum super indultum Dei opificium cupit fieri, quod natura non dederat, amisit gratiam, quam Creatoris pietas attribuerat: continuò ob concupiscentiam diabolicæ deceptionis sententiam mortis præuaricator incurrens, etiam ad futuræ ex se stirpis originem propagauit, vt diuina hoc loco rectè sententia compleretur: *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem.* Ita per occasionem delicti in vniuersis peccatoribus diabolus mortis fortitus est imperium, atque omnes à Deo deuiantes, peccati vinculo obstrictos, squallentis tartari clausos ergastulo possidebat. Sap. 2.

Auctor commentariorum in epistolas Pauli ad Ambrosium. 370.

Ad cap. 5. ad Romanos: Manifestum est in Adam omnes peccasse tanquam in massa. Ipse enim per peccatum corruptus, quos genuit, omnes nati sunt in peccato. Ex eo igitur omnes peccatores, quia ex ipso sumus omnes.

Ad cap. 4. ad Hebræos: *Iuxta similitudinem carnis sine peccato:* quia natura, quam veram suscepit, similis est carnis nostræ: Peccata verò nequaquam habuit, quæ caro nostra de parentibus contraxit: quia tale fuit originale peccatum in carne primi hominis, vnde & pœna, & remedium fieri potuisset.

Optatus Milenitanus. 370.

Libro 4. contra Parmenianum: Neminem fugit, quòd omnis homo, qui nascitur, quamuis de Christianis parentibus nascatur, sine spiritu immundo esse non possit, quem necesse sit ante salutare lauacrum ab homine excludi ac separari.

Pacianus. 370.

Paranesi ad Pœnitentiam: Dominatum est peccatum, cuius vinculis quasi captiui trahebamur ad mortem, scilicet sempiternam. Hoc verò peccatum ante legis tempora non intelligebatur, sicut Apostolus dicit: *Donec enim lex poneretur, peccatum in mundo non habebatur,* hoc est, non videbatur: id legis aduentum reuixit, &c.

Prudentius. 380.

In Apotheosi:

Hæc prima est natura animæ, sic condita simplex
Decidit in vitium per sordida fœdera carnis.
Ex in tincta malo peccamine principis Adæ
Infecit genus omne hominum, quod pullulat inde,
Et tenet ingenitas animarum infantia in ortum
Primi hominis maculas, nec quisquã nascitur insons.

Hieronymus. 390.

Ad cap. 47. Ezechielis: Quis enim hominum gloriari

riari potest, castum se habere cor, vel ad cuius mentem per oculorum fenestras mors concupiscentiæ non introibit, & (vt parum dicam) animi titillatio? *Mundus enim in maligno positus est, & à pueritia*
1.Ioan. 5. *appositum est cor hominis ad malum*, vt ne vnius qui-
Gen. 8. dem diei à natiuitate suæ exordio sine peccato sit
Job 14. humana cõditio. Vnde & Dauid confitetur in Psal-
Psal. 50. mo: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Non in iniquitatibus matris meæ, vel certè meis: sed in iniquitatibus
Rom. 5. humanæ conditionis. Vnde & Apostolus dicit: *Regnauit mors ab Adam vsque ad Mosen, etiam super eos, qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adæ.*

Ad Psalm. 39. *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.* id est, genus humanum circundatur originalibus peccatis, *& non potui vt viderem*, quia abstracta fuerat illa lux veritatis.

Siricius. 395.

Epistola ad Himerium cap. 2. Infantibus, qui necdum loqui valent per ætatem, vel his, quibus in qualibet necessitate opus fuerit vnda baptismatis, omni volumus celeritate succurri, ne ad nostrarum perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari, vnusquisque exiens de seculo, & regnum perdat, & vitam.

Ruffinus. 400.

Commentario in Psalm. 50. Ego (*inquit*) conceptus contraxi mecum iniquitatem originalis delicti. Nunquid de adulterio Dauid natus erat, de Iesse iusto viro & coniuge eius? Quid est ergo quòd se dicit in iniquitatibus conceptum esse, nisi quia detrahitur iniquitas ex Adam? Nemo nascitur nisi trahens culpam, & culpæ pœnam.

Sozymus Papa. 416.

Epistola ad totius orbis Episcopos, apud Augustinum Epistola 157. ad Optatum: Fidelis Dominus in verbis suis, eiusq; Baptismus re, ac verbis, id est, opere, confessione, & remissione vera peccatorum in omni sexu, ætate, conditione generis humani, eandem plenitudinem tenet. Nullus enim, nisi qui peccati seruus est, liber efficitur: nec redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit ante captiuus, sicut scriptum est: *Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis.* Per ipsum enim renascimur
Ioan. 8. spiritualiter, per ipsum crucifigimur mundo, ipsius morte mortis, ab Adam omnibus nobis introductæ atque transmissæ, vniuersæ animæ illud propagatione contractum chirographum rumpitur, in quo nullus omninò natorum, antequam per Baptismum liberetur, non tenetur obnoxius.

Augustinus. 420.

De ciuitate Dei lib. 14. cap. 1. A duobus primis (Adam & Eua) admissum est tam grande peccatum, vt in deterius eo natura mutaretur humana, etiam in posteros obligatione peccati, & mortis necessitate transmissa. Mortis autem regnum in homines vsque adeò dominatum est, vt omnes in secundam quoque mortem, cuius nullus est finis, pœna debita præcipites ageret, nisi inde quosdam indebita gratia liberaret.

Epistola 89. Quòd autem dicunt, infantem morte præuentum, non baptizatum, perire non posse, quoniam sine peccato nascitur: non hoc dicit Apostolus, & arbitror esse melius, vt Apostolo potius, quàm istis credamus. Dicit enim ille Doctor gentium, in quo Christus loquebatur: *Per v-*
Rom. 5. *num hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Et paulo post dicit: *Nam iudicium quidem ex vno delicto in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Proinde isti, quem fortè inuenerint infantem, non ex illius vnius hominis concupiscentia procreatum, ipsum dicant illi damnationi non esse obnoxium, nec per Christi gratiam ab illa damnatione esse liberandum. Quid est enim: *Ex vno delicto in condemnationem*, nisi illo delicto, quod deliquit Adam?

De peccatorum meritis & remissione lib. 1. ca. 11. *Regnauit mors ab Adam vsque ad Mosen, etiam in eos, qui non peccauerunt, in similitudine præuaricationis Adam*, qui nondum sua propria voluntate, sicut ille, peccauerunt, sed ab illo peccatum originale traxerunt.

Cap. 18. Si nulla originalis peccati ægritudine sauciati sunt paruuli, quomodo ad percipiendum sacramentum salutis æternæ suorum currentium pio timore portantur?

Concilium Milenitanum. 410.

Cap. 2. Placuit, vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur: vnde fit consequens, vt in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, non verè, sed falsè intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: *Per vnum hominem peccatum* Rom. 5.
intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica, vbique diffusa, semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

Celestinus Papa. 430.

Epistola ad Nestorium: Legimus quòd de originis vitio rectè sentias, quodque naturam ipsam culpa obstrictam non negas, & quòd eum exactum debitum iustè exoluere doceas, qui à debitrice generatione ortum trahit.

Concilium Arausicanum secundum. 444.

Cap. 2. Si quis soli Adæ præuaricationem suam, non etiam eius propagini asserit nocuisse, aut certè mortem tantùm corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per vnum hominem in omne genus humanum trãsisse testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: *Per vnum hominem peccatum intra-*
uit in mundum, & per peccatum mors in omnes homi- Rom. 5.
nes pertransijt, in quo omnes peccauerunt.

Philippus Presbyter. 430.

Lib. 1. in Iob cap. 14. Per Euam serpens peccatum homini propinauit, & exinde genus Adæ ob delictum inobedientiæ perdita immortalitate ad breue tempus vitæ redactum est, & repletum multis præsertim laboribus ærumnarum, &c. Sacculus significatiuo nomine quasi tota massa peccatricis generationis Adæ dictus videri potest, in quo sub signaculo imaginis eius (genuit quippe Adam ad imaginem & similitudinem suam) totam sobolem illius, in ipso præuaricatricem effectam, per multa secula Deus clausam tenuerit, sub peccato: & tamen in nouissimis seculorum temporibus per Baptismi vulnera delictorum pretiosa redemptione curauerit.

Prosper. 440.

Responsione 1. ad capitula obiectionum Vincentianarum: Contra vulnus originalis peccati, quo in Adã omnium hominum corrupta & mortificata natura est, & vnde omnium concupiscentiarum morbus inoleuit, verum, ac potens, & singulare remedium est mors Filij Dei Domini Iesu Christi,

qui liber à mortis debito, & solus absque peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortuus est.

De vita contemplatiua lib.3.cap.2. Ipse (*diabolus*) sciens se per superbiam de cælestibus corruisse, & in hunc caliginosi aëris carcerem trusum, hominum subuertendo, quem Deus fecerat sine vllo peccato, Gen.3. vitium persuasit serpentina calliditate superbiæ. Hinc est, quòd idem primus homo superbi spiritus elatione corruptus, omnem posteritatem suam, quæ in illo †radicaliter fuit, necessitati corruptionis ac mortalitatis addixit, vt corruptibilis ac mortalis effectus, corruptibiles mortalesque generaret: atque ita, quòd in illo egerat punienda superbia, in omnibus ex illo natis peccati fieret † pœna. Et propterea non eo modo iam possumus peccato resistere, sicut ille potuit, cui nihil aliud fuit non peccare, quàm nolle. Nobis autem irreprehensibiliter viuere velle non sufficit, nisi ipsum velle nostrum, quod languida possibilitate deficit, diuina virtus adiuuerit: quia illum ad non peccandum etiam iuuare poterat adhuc sana natura, nos iam impedit vitiata: & illum peccare fecit sola peccandi voluptas, nos etiam cogit plerunque peccandi iam facta necessitas. Propter quod Deo clamamus, & dicimus: Psal.24. *De necessitatibus meis libera me.* Ac sic ideo fortassis dicit Scriptura: Eccle.10 *Initium omnis peccati superbia.* Quòd ipsa processit in diabolo, & per ipsum subuersus est homo, de quo dicit Apostolus: Rom.5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Cæterùm nos, qui primo homine peccāte peccauimus, non in nostra separata iam vita, sed in eius natura, in qua fuimus, & corruptionem velut de radice superbiæ morbo conceptam contraximus, & in ipsa corruptione nostra omnes peccatorum causas habemus, qui non corruptibiles efficimur, quia peccamus, sed quia corruptibiles sumus, omne peccatum ex ipsa corruptione nostra committimus. Primus autem homo non ideo peccauit, quia corruptibilis fuit, sed cùm incorruptus esset, seipsum peccando corrupit, & corruptionem suam in nos propagatione transfecit.

†radicabiliter

†causa.

In Psal. 101. Omne genus humanum in Adam, à quo est vniuersalis propago, percussum est: & de illius vulnere gemunt, qui spe saluantur in Christo, non sine miserijs mortalitatis inde contractæ.

Hilarius Arelatensis. 440.

In Genesi ad Leonem:

Postquam primus homo vetito se pascere ligno
Non timuit, captusq; dolis se prauus anguis,
Stat reus & nudus, detecto lumine, respiciens
Implorans, Dominumq; fugit, vultumq; recondit.
Culpa comes sequitur, peccato obnoxia vita
Deotulit at vires, cælo venientia dona.
Aethere dimissus paulatim deficit ignis,
Frigore peccati torpentia corda rigescunt,
Cura cibi ventrisq; subibat, cura tegendi
Corporis, & facturi subeunt mortalia pectus.
Nascitur hinc proles peccati, germinat inde
Deterior soboles, multò peiorq; priori
Progenies sequitur, gradibus per crimina crescens,
Crimina quæ stimulis acuunt dementia corda.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone III. Quos sensus non tota hebetudo confundat, quos oculos non redigat in fontes, & fluenta lachrymarum, quando vnius lapsus exitiu ruina cunctorum, & vnius culpa omnium deduxit ad pœnam, ac parentis vitium vniuerso generi exitium ferale præparauit, dicente Apostolo: *Propterea sicut per vnum hominem in hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors.* Miserum me, ipse, qui erat causa bonorum omnium, ianua factus est hic malorum. *Peccatum in mundum intrauit. In hunc mundum.* Miraris eum posteris obfuisse, qui facinore suo damnauerit mundum: Sed dicis, quomodo intrauit, per quem intrauit? quomodo? Per culpam. Per quem? Per hominem. Et quid? Peccatum natura, an substantia: Nec natura est, nec substantia, sed accidens: & aduersa est hæc potestas, quæ videtur in opere, sentitur in pœna, impugnat animam, vulnerat mentem, ipsam violat, confunditque naturam. Et quid plura fratres? Hoc est peccatum naturæ, quod est fumus oculis, quod febris corpori, quod dulcissimis fontibus amara salsedo.

Leo Magnus. 450.

Sermone 7. de ieiunio decimi mensis, & eleemosyna cap.1. Natura nostra mutabilis, & de peccati labe mortalis, licet etiam iam redempta, & sacro Baptismate sit renata, in quantum est passibilis, in tantum est ad deteriora procliuis, corrumpereturque carnali desiderio, nisi spiritali muniretur auxilio: quia sicut illi nunquam deest, vnde corruat: ita semper præsto est, vnde subsistat, dicente Apostolo: *Fidelis enim Deus, qui vos non patietur tentari supra id quod potestis, sed faciet prouentum, vt possitis sustinere.* 1.Cor.10

Epist. 23. ad Clerum & plebem Constantinopolitanæ vrbis: Talis erat omnium à primis ducta genitoribus causa mortalium, vt originali peccato transeunte per posteros, nullus pœnam damnationis euaderet, nisi Verbum caro fieret, & habitaret in nobis. Ioan.1.

Epist. 86. ad Nicetam, cap.4. A paruulo recens nato vsque ad decrepitum senem, quamlibet corporis ætatem gerant, sicut nullus prohibendus est à Baptismo, ita nullus est, qui non peccato moriatur in Baptismo. Sed paruuli tantum originali, maiores autem etiam his omnibus moriuntur peccatis, quæcunque malè viuendo addiderunt ad illud, quod nascendo traxerunt.

Sedulius. 460.

Ad caput quintum Epist. ad Romanos: *Omnes peccauerunt:*) Quia omnes originali peccato infantes immunes esse non possunt, nisi ab eius reatu per Christi baptismum resoluantur, manifestum est in Adam omnes peccasse. Ipso enim per peccatum corrupto, omnes, quos generauit, nati sunt sub peccato, &c. Quomodo ex vno delicto in condemnationem? nisi quia fuit ad condemnationem etiam vnum originale peccatum, quod in omnes homines pertransijt. Gratia verò ideo ex multis delictis in iustificationem, quia non solùm illud soluit, quod originaliter trahitur, sed etiam cætera, quæ in vtroque homine motu propriæ voluntatis adduntur. Igitur *sicut per vnius delictum omnes homines in condemnationem*, subaudis, peruenerunt: nullus enim hominum, nisi per Adam, trahitur ad damnationem, de qua per lauacrum regenerationes homines liberantur, & nullus hominum ab hac damnatione nisi per Christum liberatur.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia secunda de Pascha: Christus peccatum originale deleuit per carnem similem peccati, & de peccato peccatum, id est, mortem de morte contriuit.

Homilia tertia: Christus vnicum ac primum illud originale debitum sacri fontis vnda vacuauit, illud singulare delictum primi parentis interemit.

Homilia 38. Ante aduentum Domini Saluatoris diabolus regnabat in mundo, & omnes populi, peccatores & iusti, exeuntes de corpore in infernum descendebant propter originalia peccata, quæ ab Adam traximus, pro eo, quòd primus Adam transgressus fuit mandatum Dei.

Gennadius Massiliensis. 480.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 39. Si quis soli Adæ præuaricationem suam, non etiam eius propagini asserit nocuisse, aut certè mortem tantùm corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ: per vnum hominem in omne genus humanum transisse testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo
Rom. 5. dicenti: *Per vnum hominem intrauit peccatum in mundum.*

Faustus Rhegiensis Episcopus. 480.

De libero arbitrio libro 1. *cap.* 2. Originale peccatum ex parentibus etiam baptizatis per carnis originem ad filios transire dubium non est, dicentibus nobis quotidie cum Propheta: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater*
Psal. 50. *mea*: sicut & Apostolus illud insanabile piaculum ex vno in omnes homines pertransisse confirmat.

Fulgentius. 500.

De gratia Iesu Christi cap. 31. Non prorsus omnes homines, quos per peccatum Adæ originaliter constat esse damnatos, simul omnes credere debemus iustificatos esse per Christum, sed quosdam ex illis omnibus.

De fide ad Petrum cap. 26. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci, impietati subditum, mortiqúe subiectum, & ob hoc natura filium iræ nasci: de qua Apostolus ait: *Eramus natura filij iræ.*

Alcimus Auitus. 500.

Libro 1. de initio Mundi cap. 1.

Quòd varij eueniunt humana in gente labores,
Vnde breuem capiunt mortalia tempora vitam:
Vel quòd polluti vitiantur origine mores,
Quos aliena premunt priscorum fata parentum,
Addatur quanquam nostra de parte reatus,
Quodq; etiam amisso dudum peccatur honore,
Ascribam tibi prime Pater, qui semine mortis
Tollis succidua vitalia germina proli.
Et licet hoc totum Christus persoluerit in se,
Contraxit quantum percussa in stirpe propago:
Attamen auctoris vitio, qui debita lethi
Instituit, morbosq; suis ac funera misit,
Viuit peccati moribunda in carne cicatrix.

Iustus Orgelitanus. 540.

In Cantica: Ex his operibus nutriuntur, qui originali peccato obnoxij, in Christo tanquam hinnuli renascuntur.

Primasius. 540.

Ad caput quintum ad Romanos: Mors tam animæ, quàm corporis transijt ex originali peccato & in Abraham, & in Isaac. Non solum ille mortuus est, qui transgressus est, sed etiam illi, qui ex transgressoribus sunt procreati, per naturæ vinculum tenentur obnoxij, id est, per omnes ramos vitium suum radix corrupta transmisit.

Ad caput septimum: Habitat in me consuetudo peccati, quæ mihi per transgressionem primi hominis ex vitiata natura transfusa est.

Aurelius Cassiodorus. 540.

De Anima cap. 15. Fuit quidem in primo homine beatitudo naturalis, liberi arbitrij potens & inuiolata sententia, sed infelici transgressione deceptus, diabolica fraude perdens quod posteris traditurus acceperat, ad nos transmittere non potuit quod amisit. Inde propagatus interitus, inde humani generis nutrita defectio, inde ignorantia rationi contraria, inde noxiæ curæ, inde pœnitenda consilia, inde obscurata cognitio, turpe desiderium, iustitiæ neglectus, inde mille criminum lapsus, & plura nobis cum pecoribus communia, quæ diuinitas fecerat esse discreta.

Ad Psal. 50. Quapropter interrogo, cur infantes à regno Dei redduntur alieni, qui de commissis nequeunt prauitate culpari? Restat ergo vt originali peccato infantes teneantur obnoxij, qui antequam propria faciant primi hominis secum probantur gestare peccata.

Fortunatus. 570.

Libro nono ad Chilpericum Regem, ac Predegundem Reginam:

Aspera conditio & sors irreuocabilis horæ,
Quam generi humano tristis origo dedit:
Quum suadens coluber proiecit ab ore venenum,
Morsu serpentis mors fuit Eua nocens.
Sumpsit ab ipso ex tunc Adam patre terra dolorem,
Et de matre gemens mundus amara capit:
Præuaricando duo probro damnantur acerbo,
Ille labore dolet, hæc generando gemit.
Mors venit inde vorax transmissa nepotibus ipsis,
Hæredesq; suos tollit origo nocens.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 6. expositionis in 1. *Regum cap.* 15. Quæ est mater carnalis sensus, nisi originalis culpa? Quia enim ante peccatum primi hominis nulla membris libido inerat, rex Amalechita non erat. Erat quippe sensus carnis, sed turpis ac libidinosus non erat: sed statim vt ad culpam cecidit, pruritum membrorum sensit, quia obedientem motum carnis habere non potuit, quando ipse Deo inobediens fuit. Culpa ergo originalis mater contumeliosi sensus carnis rectè intelligitur, quia ex illa nascendo prodiit, qui esse ab illa cœpit. Vnde & Apostolus, quasi seuerissimi tyranni legem carnalis sensus exhorrens, non solum ipsum regem, sed matrem ostendit dicens: *Itaque iam non ego operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum.* Rom. 7. Peccatum namque, quod se non operari perhibuit, motum carnis intellexit: peccatum autem in se inhabitans, originalem culpam. Quia ergo ex originali culpa fit peccatum motionis carnis, dum regem carnalem sensum attendimus, matrem eius esse primam culpam rectè nominamus. Liberi autem huius matris sunt omnes concupiscentiæ peccata & vitia. Absque liberis vtique fit mater, quando omnis à carne, omnis à mente iam culpa remanere videtur.

Ad Psalm. 4. *Pœnitentialem:* Opus est Domine vt miserearis, quia ab ineunte vitæ primordio in peccati foueam incidi, & concupiscentiæ carnalis sordibus inquinata natiuitatis meæ initia contraxi. Non in me illa, quam nouiter admisi, sola viget iniquitas, habeo in me etiam ex veteri, quod ignoscas. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.*) Non ideo homines in peccatis concipiuntur, quia peccatum fit coniugibus commisceri; sed quia à statu rectitudinis primus homo peccando corruit, peccati pœnam ad filios misit. Carnalis enim delectatio pœna peccati est, quæ ex radice peccati ita contrahitur, vt nullus absque illa in mundo generetur.

In cap. 25. *Iob lib.* 17. *cap.* 10. Humana iustitia auctori comparata, iniustitia est: quia etsi in ipsa sui conditioni homo persisteret, Creatori non posset æquari creatura. Cui tamen ad grauiora defectus

pondera, accessit & culpa, quam serpens insidians intulit, & mulier infirmata persuasit. Vnde nunc, quia homo per mulierem culpæ subditam nascitur, reatus primi infirmitas in prole propagatur. Et quia in radice putuit humani generis ramus, in conditionis suæ viriditate minimè subsistit. Sed ecce nonnulli per donum Spiritus adiuti, contra infirmitatem suę carnis eriguntur, virtutibus emicant, signorum quoque miraculis coruscant: nullus tamen est, qui sine culpa vitam transeat, quousque carnem corruptionis portat.

Isidorus Hispalensis. 620.

Sententiarum de Summo bono lib. 1. cap. 1. Cuncta mala per peccatum primi hominis pro pœna sunt translata in vniuersum genus humanum. Proinde quæcunque mala, partim nobis sæuiunt origine, partim culpa.

Concilium Toletanum sextum. 648.

Cap. 1. Ex his tribus diuinitatis Personis solum Filium fatemur ad redemptionem humani generis propter culparum debita, quæ per inobedientiam Adæ originaliter, & nostro libero arbitrio contraxeramus, resoluenda, à secreto Patris, arcanoq; prodijsse, & humanitatem sine peccato de sancta semper Virgine Maria assumpsisse.

Eucherius Gallus. 650.

Lib. 2. in Genesim, cap. 24. Si paruuli, quod vera fides habet, nascuntur non propriè, sed originaliter peccatores, (vnde illis gratiam remissionis peccatorum necessariam confitemur: profectò eo modo qui sunt peccatores, etiam præuaricatores legis illius, quæ in Paradiso data est, agnoscuntur: vt verum sit vtrumque, quod scriptum est: *Et praeuaricatores reputauit omnes peccatores terræ.*

Lib. 3. Reg. cap. 5. Omnes homines in monte superbiæ nati sumus: quia de præuaricatione primi hominis, quam superbia fecit, originem carnis traximus.

Aldhelmus. 670.

De Virginitate, cap. 10. Helias hactenus generali mortis debito caruisse dignoscitur, quam cuncti violentis naturæ legibus addicti, & primæ præuaricationis nexibus astricti, quasi ineuitabile vectigal & fiscale tributum pendere coguntur.

Concilium Toletanum duodecimum. 685.

Cap. 2. Paruulorum infantium vita peccato originali obnoxia, quæ nulli propter ætatem discernendi vel expetendi sensui aptior iudicetur, nisi ex sponsione fidelium Baptismi accipiant Sacramentum, nullo sensu, nulla etiam discretionis industria id appetere possunt.

Aponius. 700.

Lib. 3. in Cantica: Terra ista, quæ tecto tegitur cælo per peccatum primi hominis facta est domus leprosi. Nulla enim tam fœdissima lepra, quàm nota peccati, quæ facit proijci à facie Dei.

Beda. 700.

Ad caput 21. Leuitici: Omnis homo, qui hunc mundum ingreditur, in patre & matre contaminabitur, ex quibus originale peccatum trahit: *Ecce enim,* inquit, *in iniquitatibus conceptus me mater mea.* Solus Christus non est pollutus dum nasceretur de Virgine.

Ad cap. 9 Marc. Erubescat Iulianus, qui dicere audet, omnes homines absque vlla peccati contagione nasci in carne, tamque innocentes per omnia, quàm fuit Adam, quando creatus est. Quid enim habuit puer iste, vt ab infantia dæmonio vexaretur acerbissimo, si non vllo peccati originalis vinculo tenebatur, quem constat nullum adhuc proprium potuisse habere peccatum? Confiteatur Catholicus, quia nemo immunis à noxia primæ præuaricationis nascitur, & inuocet gratiam Dei, qua liberetur de corpore mortis per Iesum Christum Dominum nostrum.

Ad cap. 1. Lucæ: Nos etsi sancti efficimur, non tamen nascimur: quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringitur, vt meritò cum Propheta gementes singuli dicamus: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea.*

Alcuinus. 750.

In Psalm. 4. Pœnitentialem: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, &c.* Quis me potest ex immundo semine conceptum mundum facere, nisi tu Deus solus, qui sine peccato es? Quid mirum est autem, si fecerim, in quibus me peccatorem confiteor, qui iam ex originali peccato in iniquitatibus scio me esse conceptum? qui ante peccata contraxi, quàm vitæ principia haberem? O Domine Iesu, quibus misericordiam tuam laudibus efferimus? quas tibi gratiarum actiones dignas exoluere possumus, qui nos de huius chirographi debito in sanguine tuo liberasti, delens in cruce nostras peccatorum cautiones, quæ contra nos à primis parentibus conscriptæ sunt?

In Psal. 7. Pœnitentialem: *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens:*) Omne genus humanum significat originali peccato obnoxium. Ideo nullus, nisi gratia Dei liberatur, iustificari poterit. Quòd si nullus iustificari poterit de radice vitiata natus, quantò magis ego, peccatorum meorum pondere oppressus?

Lib. 5. in Ioann. cap. 9. Omnes homines, præter illum solum, qui ex Virgine natus est, originali peccato cæci, id est, cum peccato nati sunt, quod ex radice peccatrice primi parentis traxerunt.

Ambrosius Ansbertus. 760.

Lib. 7. in Apocal. cap. 15. Patenter elucet, quia & diabolus homini peccati vulnus influxit, quia malum fieri ex bono persuasit: & homo semetipsum plaga sauciauit, quia consensit: & Deus percussit, vel quia bonum præcepit, vel quia malum iustè fieri permisit, iratusq; nequaquam abstulit, sed damnauit. Ecce quomodo humano generi in primo parente peccati vulnus & diabolus, & idem homo, & Deus intorsit.

Haymo. 820.

Ad Psal. 17. Originale peccatum præoccupauit me etiam nescientem: quia ab ipsa etiam conceptione est homo illo peccato illaqueatus.

Ad Psal. 37. Adam infringens obedientiam, factus est mortalis, & patiens peccati, quod manet Ecclesiæ in filijs Adæ.

Ad caput 8. Epist. ad Roman. Corpus nostrum, & caro nostra, caro peccati est: quia libidinoso vsu procreatur: ideoq; cum peccato concipitur, cum peccato originali nascitur, & in hoc seculo sine peccato non potest conseruari.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 880.

Cap. 5. Si homo non peccasset, tam multa, tamq; vitiosa progenies de carne eius nunquam pullulasset, sed solum benedictionis fructum, id est, electos omnes, & solos germinasset, non more iumentorum ruendo in libidinem, sed rationis imperio per mundam carnis naturam ædificando prædestinatam cæli progeniem. Peccatum quippe generandi naturam nõ attulit, sed generationis instrumenta corrupit, & generi honorem eripuit, &c. Quia totius posteritatis propagatio de genitalibus fuit propaganda, ipsa carnis concupiscentia creuit, & apparuit ex inobedientia, vbi ipsa humana verecundia fomitem peccati ex ipsis genitalibus sensit erumpentem, & totius secuturę generationis massam corrupturum.

Rabanus Maurus. 830.

Ad cap. 20. *Exodi.* Peccatum originale à parentibus trahitur, & nisi per gratiam Baptismatis soluatur, etiam parentum peccata portamus, qui vnum adhuc videlicet cum illis sumus. Redditur ergo iniquitas parentum in filijs, dum pro culpa parentis ex originali peccato anima polluitur prolis. Et rursum non redditur parentum iniquitas in filijs: quia cum ab originali culpa per baptismum liberamur, non iam parentum culpas, sed quas ipsi committimus habemus.

Libro 9. *in Ecclesiasticum cap.* 2. Omnis homo ex viri semine & mulieris natus cum peccatis nascitur: & nisi per gratiam Christi renascatur, & liberetur à maledictione illa, non saluabitur.

De Vniuerso lib. 4. *cap.* 10. Nullus sanctus & iustus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse iustus vel sanctus, cùm affectu teneat sanctitatem. Non enim naturæ viribus, sed per Dei gratiam acquirimus sanctitatem: & ideò veraciter se omnes Sancti pronuntiant peccatores. Quia in veritate habent quod plangant, etsi non reprehensione conscientiæ, certè mobilitate præuaricatricis naturæ.

Remigius Antisiodorensis. 880.

Ad Psal. 18. *Ab occultis meis munda me.*) Id est, ab originalibus delictis, quæ occultè à parentibus, quasi hæreditario iure descendunt.

Ad Psalm 50. *Et in peccatis concepit me mater mea.*) Id est, in concupiscentia carnali concepit: quæ carnalis delectatio ex peccato primi parentis in carne nostra viget. Non ideo in peccatis concipiuntur homines, quia peccatum est misceri coniugibus: opus hoc castum in coniuge non habet culpam, sed origo peccati secũ trahit, quasi ex radice, debitam pœnam, &c. Meritò igitur in Adam omnes moriuntur, in Christo autem omnes viuificabuntur.

Radulphus Flaviacensis. 950.

In Leuiticum lib. 15. *cap.* 1. Necesse est vt in patris matrisq; morte contaminetur sacerdos: quia quilibet nostrum mox vt nascitur primorum parentum reatu contaminatus agnoscitur. Quod igitur vitari non potest, excusari potest: vt scilicet purget venia, quod ex antiqua transgressione nobis ignorantibus vitiata contrahit natura.

Lib. 17. *cap.* 2. Notum est quod primi parentis reatus nos & peccato seruos, & labori fecit obnoxios: sed sicut Deo iustè indignante in hanc necessitatem incidimus, vt nec peccato resistere, nec laborem declinare possemus: sic eo nobis propitio reddito, & peccati iugum iam reijcimus, & à laboribus nostris requiem expectamus.

Fulbertus Carnotensis. 1000.

Epist. 1. Scimus, & verè scimus, nos prima natiuitate pollutos esse, secunda natiuitate mundatos: prima natiuitate captiuos, secunda natiuitate liberos: prima natiuitate terrenos, secunda natiuitate cælestes: primæ natiuitatis vitio carnales, secundæ natiuitatis beneficio spirituales: per illam filios iræ, per istam filios gratiæ.

Berno Augiensis. 1020.

Sermone de Ascensione Domini: Ipsa natura, in primo parente vitiata & corrupta, audire meruit: *Terra es, & in terram ibis.*

Leo Nonus. 1049.

Epistola ad Petrum Episcopum: Animam non esse partem Dei, sed ex nihilo creatam, & absque baptismate originali peccato obnoxiam credo & prædico.

Algerus. 1060.

De Eucharistia lib. 1. *cap.* 1. Quia veræ fidei cognitione originalis delicti cæcitate tenti, ad varios errores decideramus, vt instigante diabolo idololatriæ & peccatorum passionibus deseruientes, ad mortem obstinata mente tenderemus, magna sua gratia *Verbum* Dei *caro factum est, & habitauit in nobis*, vt, qui de suo erat incomprehensibilis, de nostro fieret nobis cognoscibilis, & de nostro, quasi è vicino, fieret appetibilis, dum germanæ carnis nostræ gloriam in ipso, *gloriam quasi Vnigeniti à Patre*, videremus, & ex ipsius iam quasi originalis gloriæ visibilibus signis in inuisibilium amorem rapti ad vitæ æternæ patriam reduceremur. Ioan. 1.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

De conceptu Virginali cap. 26. Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam Adæ, iustitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes filij sunt iræ: quoniam & naturam accusat spontanea, quam fecit in Adam, iustitiæ desertio, nec personas excusat recuperandi impotentia, quam comitatur beatitudinis quoque nuditas: vt sicut sunt sine omni iustitia, ita sint absque omni beatitudine: per quas duas nuditates in huius vitæ exilio positi sunt & parentes, peccatis & miserijs incessanter vbique occurrentibus, & vndique irruentibus, nisi quantum diuina defenduntur dispositione.

Ad cap. 5. *epist. ad Romanos:* Per vnum hominem, qui primus peccauit, originale peccatum intrauit in hunc miserum mundum, id est, in vniuersum genus humanum: quoniam peccando omnem suam stirpem in seipso, tanquam in radice, vitiauit, vt quicquid prolis ex simul damnata, per quam peccauerat, coniuge (per carnalem concupiscentiam, in qua inobedienti pœna similis retributa est) nasceretur, traheret peccatum originale. Sicut enim Christus, in quo omnes viuificabuntur, præter id, quòd se ad iustitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam suis spiritibus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis baptizatis: sic & Adam, in quo omnes moriuntur, præter id, quod eis, qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta etiam tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabefecit in se omnes de stirpe sua venturo . Peccatum enim generationis hic intelligitur, non imitationis.

Petrus Alphonsus. 1106.

Titulo decimo: Quia Adæ peccatum duplex fuit, spirituale scilicet, & corporale: spirituale quidem, quia diabolo potius, quàm Deo credere, quod ad spiritum pertinet, & obedire elegit: corporale autem, quia se in vetiti fructus dulcedine, quod summum est corporis, delectauit, ideò sanè mortem carnis, & mortem animæ, pœnam scilicet duplicem in se sustinuit.

Rupertus Tuitiensis. 1110.

Lib. 2. *in Genesim cap.* 21. Quia vterq; scilicet, masculus & fœmina, præuaricator, & vterque Adam, id est, homo, est, rectè is, qui nascitur & moritur, in Adam mori dicitur: quia videlicet hæreditate vitæ, quam parens vterque iustè perdidit, filius iustè priuatur.

Hugo Victorinus. 1120.

Eruditionis Theologicæ Summa sententiarum, tractatu 3. *de creatione & statu humanæ naturæ cap.* 11. Quidam dicunt, quòd originale peccatum sit debitum, quo tenentur omnes pro peccato primi hominis: quia pro illo omnibus debetur pœna æterna, nisi per gratiam liberentur. Alij dicunt, quòd originale peccatum non sit peccatum. Sed si Scriptura quandoque vocat illud peccatum, astruunt, quòd ibi

peccatum pro pœna peccati accipitur. Et sicut pro peccato parentis quandoque exulant filij, secundùm iustitiam seculi: ita ex iustitia Dei omnes tenentur rei pro peccato illo, & ita, secundùm istos, in anima pueri nullum peccatum est. Quia dicunt ipsi: si anima pueri nunquam peccauit, non est in ea peccatum: & tamen concedunt, quòd est in ea originale peccatum, quia tenetur debito peccati. Sed planè contra Apostolum loquuntur isti, cùm Apostolus dicat: *Per inobedientiam vnius peccatoris constituuntur multi.* Ecce quòd Apostolus vocat eos peccatores, antequam regenerentur: sed si tantùm esset pœna, & non culpa in istis, non peccatores essent, &c.

Rom. 5.

Cap. 12. Peccatum originale ideo dicitur, quia ab origine trahitur, id est, à parentibus, quando generatur aliquis, traducit ipsum peccatum. Vnde David: *In peccatis concepit me mater mea, &c.*

Psal. 50.

Ad cap. 4. epist. ad Roman. Si primi parentes non peccassent, paruuli eorum haberent iustitiam originalem, per quam digni essent vita: cuius iustitiæ priuatio dicitur originale peccatum. Si non esset peccatum, anima in prima ætate haberet vsum & exercitium rationis: quia nullum inesse ei impedimentum: alioquin brutis animalibus inferiores nascerentur paruuli, vt modò. Maior enim viuacitas sensuum viget in animalibus ætatis illius, quàm in paruulis.

Bernardus. 1130.

Feria quarta hebdomadæ pœnosæ de Passione Domini. Originale peccatum maximum illud delictum vocatur, quod à primo Adam contrahimus, in quo peccauimus omnes, pro quo morimur vniuersi. Maximum planè, quod sic totum non modò genus humanum, sed & quælibet ipsius generis occupat, vt non sit, qui euadat, non sit vsque ad vnum: à primo homine vsque ad nouissimum protenditur, & in singulis quoque à planta pedis vsque ad verticem diffunditur hoc venenum. Sed & aliter nihilo minus in vniuersam dilatatur ætatem, ab ea scilicet die, qua sua quemque concipit vsque ad eam, qua communis eum recipit mater. Alioquin vnde graue iugum super omnes & totos filios Adam, idque à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium? In sordibus generamur, in tenebris confouemur, in doloribus parturimur. Ante exitum miseras oneramus matres, in exitu more vipereo laceramus: mirum quòd non ipsi pariter laceramur, &c. *Peccatum ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Et graue quidem omnino delictum illud originale, quod non solùm personam infecit, sed & naturam.

Richardus Victorinus. 1140.

In Apocalypsin cap. 1. Peccatum aliud est originale, aliud actuale. Originale, quod nascendo à parentibus contrahimus: actuale, quod postmodum ipsi operamur. Sed Iesus noster Saluator ab vtroque nos abluat, quia per gratiam Baptismi ab vtroque nos liberat.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 2. distinct. 30. litera I. Hoc est ergo originale peccatum, quo peccatores nascuntur omnes concupiscentialiter geniti, quod ex Adam siue ex eius inobedientia emanauit, & in posteros demigrauit. Vnde Apostolus consequenter, *per inobedientiam vnius hominis* multos dicit constitutos esse peccatores: quæ est actuale peccatum. Cùm autem dixerit, *per vnum hominem peccatum* intrasse in mundum, & in eo omnes peccasse, de originali dictum esse oportet accipi. Quod ergo ait: *Per inobedientiam vnius multi sunt constituti peccatores*: eo sensu dictum esse intelligendum est, quia ex inobedientia Adæ, scilicet ex peccato actuali Adæ, processit originale peccatum, quo omnes peccatores nascuntur: vt & in illo esset, & in omnes transiret.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Epistola prima: Qui sunt, qui non peccauerunt? Nonne de ipsis paruulis ait sermo diuinus: *Non est super terram sine peccato nec infans vnius diei?* Nonne & ab ore magni illius hominis in ora omnium Christianorum deriuatum est: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea?* Et quid necesse est rem patentem multis testimonijs cingere? Vtique nullus absque peccato, sic nec infans vnius diei absque peccato: nec in ipso matris vtero conceptus infans absque peccato.

Hugo Eterianus. 1160.

De regressu animarum ab inferis cap. 14. Hinc est quòd filij originale peccatum à patribus (quibus per fidei sacramentum dimissum est) contrahunt. Nam quamuis ad culpam dimissum sit, ad pœnam tamen retentum, obsidet genus humanum. Est enim originale peccatum fomes actualis peccati, concupiscentia, languor naturæ, qui mouet mala desideria. Quod quidem peccatum primi hominis ex voluntate prodijt, sed posteris non ex voluntate inest, sed ex societate. Nec mireris, si à parentibus, ab illo peccato mundatis per Baptismum, traducunt filij originale peccatum: quia in puro seminis grano remanet palea. Item pater non generat filium in eo, quòd baptizatus; sed in eo, quòd carnaliter ipse generatus fuit.

Hildegardis. 1170.

In quæstionibus solutis: Quæstio: Cùm nouæ animæ, de nihilo nouiter creatæ prouidentia Creatoris, in vteris matrum corpusculis paruulorum infundi credantur, qua ratione originalis peccati maculam contrahunt, & qua iustitia puniuntur? *Solutio.* Sicut vas figuli, quod veneno perfusum est, omnia, quæ in illud mittuntur, cum periculo immunditiæ inficit: sic omnis caro hominum per carnem primi hominis commaculata & infecta existit, nisi per mundam carnem Filij Dei, quam ex Maria Virgine induit, in Baptismo & Pœnitentia mundetur. Anima enim ex forma, quam Deus in vtero matris ad hoc format, vt spiraculum vitæ ad hoc mittat, per consilium serpentis, quo primus homo deceptus est, peccati maculam, pro qua punitur, sibi contrahit, quæ per antiquum consilium diuinitatis in Filio Dei per fidem & Baptismum abluitur.

Innocentius Tertius. 1200.

Ad Psalmum 4. Pœnitential. Quis nesciat concubitum etiam coniugalem nunquam omninò committi sine pruritu carnis, ac sine feruore ac fœtore concupiscentiæ, vnde semina concepta fœdantur, & corrumpuntur? Propter quod alibi legitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Ex seminibus ergo fœdatis atque corruptis concipitur corpus corruptum pariter, & fœdatum, cui anima tandem infusa corrumpitur, & fœdatur: non ab integritate, vel munditia, quam habuit, sed ab integritate, vel munditia, quam haberet, si non vniretur fœdato corpori & corrupto, quoniam & creando infunditur, & infundendo creatur. Sicut enim ex vase corrupto liquor infusus corrumpitur, & pollutum contingens ex ipso contactu polluitur: sic ex contagio corporis anima corrumpitur & fœdatur, &c.

Iob 14.

Nun-

Nunquid ergo dicendum est, quod tria simul ab anima peccata originalia contrahantur, videlicet difficultas vel tarditas discernendi inter bonum & malum, quæ spectat ad ignorantiam: & facilitas siue pronitas respuendi bonum, quæ spectat ad iracundiam: & pronitas seu facilitas appetendi malum, quæ spectat ad concupiscentiam. Hoc autem quibusdam absonum non videtur, quamuis probabiliter dici possit, vnum esse in anima originale peccatum, quod tamen minus propriè peccatum vocatur, & complectitur in se duo, videlicet labem & fomitem. Labes est fœditas corporis, ex qua anima est immunda, propter quam indigna est visione diuina, vel potius carentia diuinæ visionis est digna, secundùm quod

Matt. 5. legitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et ab hac fœditate vel immunditia purgatur anima paruuli ex aqua & spiritu per Baptismum, &c. Fomes & infirmitas seu languor naturæ, quædam videlicet passibilis qualitas, siue quædam priuatio, ex qua primi motus peccandi siue concupiscendi procedunt. Et talis qualitas, vel priuatio manet etiam post Baptismum. Vnde dicitur, quod originale peccatum transit reatu, quantum ad labem: & remanet actu, quantum ad fomitem, ex quo surgunt actus vel motus peccandi: sicut è contrario dici solet, quòd actuale peccatum transit actu, & remanet reatu. Et attenditur huiusmodi qualitas & priuatio circa vim concupiscibilem, præscripto modo corruptam atque fœdatam: quoniam ex concupiscentia procedit pruritus circa ianuam humanæ propaginis, per quam transfunditur originalis causa peccati.

De contemptu mundi lib. 1. *cap.* 3. Adam formatus fuit de terra, sed virgine: tu verò procreatus de semine, sed immundo.

Iob 14. *Quis enim potest facere mundum, de immundo conceptum semine?* Quis est homo, vt immaculatus sit, & iustus appareat natus de muliere?

Psal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Non in vna tantùm iniquitate, non in vno tantùm delicto, sed in multis iniquitatibus, & in multis delictis. In delictis videlicet & iniquitatibus proprijs: in delictis & iniquitatibus alienis.

Cap. 4. O grauis necessitas, & infelix conditio. Antequam peccemus, peccato constringimur: & antequam delinquamus, delicto tenemur.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica 2. *post Pascha:* Originale peccatum est, quod contrahit anima ex vase corrupto, cui in-

Psal. 50. funditur, de quo Dauid ait: *In peccatis concepit me mater mea.*

Guilhelmus Parisiensis. 1230.

De vitijs & peccatis cap. 1. Originale peccatum hæreditatem malam, & hæreditarium nobis malum dicimus, vtpote à primis parentibus ad nos deuolutum: hoc etiam peccatum contractum dicitur, hoc est, cum ipsa carne à parentibus tractum, & non proprio studio vel opere à nobis acquisitum.

Alexander Alesius. 1230.

Parte 2. *q.* 105. *memb.* 5. Originale peccatum in primis parentibus, & in ipsis paruulis discedentibus quodam modo conueniunt. Conueniunt enim quoad pœnam, quæ est carentia visionis Dei. Differunt tamen, quia in eis persona corrumpit naturam: quoad paruulos verò persona ex natura corrumpitur. Originalis ergo culpa fuit in primis parentibus sicut in subiecto. Fuit etiam causa transmittendi culpam originalem in paruulos.

Albertus Magnus. 1240.

Ad cap. 3. *Ioannis:* Obijciunt quidam quod secundùm hoc homo sanctus purgatus à peccato deberet generare filium non in peccato existentem: quia generauit in forma spiritus, quem habet, & habet Spiritum sanctum. *Resp.* Omnis homo in natura Adæ est vitiatus, & per hanc naturam vitiatam generat vitiatam, & regeneratione indigentem: quia hoc vitium naturæ non purgatur sanctitate personæ, quamdiu in natura remanet lex concupiscentiæ. Et ideò sicut circumcisus generat præputiatum, & sicut granum à palea iam depuratum generat paleatum granum: ita existens in gratia generat eum, qui in originale nascitur peccato, propter legem concupiscentiæ remanentem in natura vitiata, à qua nullus liberatur, nisi per regenerantem Spiritum gratiæ.

Thomas Aquinas. 1250.

Prima secundæ quæst. 81. *art.* 1. Peccatum primi hominis originaliter transit in posteros: propter quod etiam pueri mox nati deferuntur ad Baptismum, tamquam ab aliqua infectione culpæ abluendi.

Quæst. 82. *art.* 4. In originali peccato duo sunt: quorum vnum est defectus originalis iustitiæ, aliud autem est relatio huius defectus ad peccatum primi parentis, à quo per vitiatam originem deducitur.

Vrbanus Quartus. 1260.

Metaphrasi in Psal. 50. Ita & ego, Domine mi colende, dicendo pluraliter, in iniquitatibus originalibus & actualibus me conceptum, intelligo dicere, me conceptum de illo vno & singulari originali peccato, in quo omnes in Adam peccauerunt, vt in materia, vel in massa. Nam in eo seminaliter omnes erant, quando ipse naturam corrupit humanam, & ab illo vno homine, qui omnium nostrum fuit materia, & origo, omnes concupiscentialiter descendunt: & per propagationis successionem, & carnis concupiscentiam occultè illa corruptio in posteros demigrauit. Nec tamen hoc fecit propagatio, sed libido: non naturæ humanæ fœcunditas, sed libidinis fœditas, quam homines habent ex illius primi natura iustissima tua, Deus, condemnatione.

Bonauentura. 1260.

Parte 6. *Breuiloquij c.* 7. Originale peccatum priuat animam vita gratiæ, & omnium virtutum rectitudine habilitante, & pronam quodammodo reddit ad omne genus culpæ, & traducitur aliunde, & paruulum facit concupiscibilem, & adultum actu concupiscentem: redigit etiam in diabolicam seruitutem, & in potestatem principis tenebrarum.

Ægidius Romanus. 1280.

Tractatu de peccato originali cap. 6. Peccante Adam, ordo ille non solùm fuit interruptus, sed etiam quodammodo fuit in contrarium permutatus: ita quòd, sicut ex Adam primo parente secundùm naturam institutam nati fuissemus innocentes, & habentes originalem iustitiam: sic secundùm naturam corruptam ex Adam nascitur natura filij iræ, & priuamur illa rectitudine naturali. Itaque secundùm hunc ordinem, quem habemus ab Adam, non solum salutem non consequimur, sed in ipso morimur: quia in ipso peccauimus omnes, &c. Dicamus ergo quòd originale peccatum, ratione qua dicit carentiam originalis iustitiæ, non est formaliter culpa, sed magis est quædam habilitas ad culpam: ratione verò qua dicit debitum habendi eam, habet, quòd sit formaliter culpa. Ex eo igitur quòd tenemur vel debemus habere originalem iustitiam, & non habemus eam, est nobis culpa originalis.

Durandus à Sancto Portiano. 1310.

Libro 2. distinct. 3. quaest. 31. Originale dicitur peccatum naturæ, non quia à primo respiciat naturam animæ, sed quia tollit illud, quod toti naturæ fuerat collatum, scilicet iustitiam originalem, quamuis ipsa non esset principaliter in essentia animæ, sed magis in voluntate, vel in viribus sensitiuis.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad caput 5. epistolæ ad Romanos: Ad maiorem intelligentiam dictorum de originali peccato hic aliqua breuiter sunt annotanda. Primum est, quid sit originale peccatum: & quia priuatio cognoscitur per habitum, ideò primò videndum, quid sit originalis iustitia, cuius priuatio est originalis culpa. Est autem originalis iustitia quædam humanæ naturæ rectitudo, per quam corpus erat animæ subditum, & vires inferiores rationi, quamdiu anima subdita esset suo Creatori. Hæc autem rectitudo non erat ex principijs naturæ humanæ, cùm corpus humanum sit naturaliter corruptibile, sed à Deo data in prima hominis conditione, secundùm quod dicitur Eccles. 7. *Hoc scio, quòd à principio fecit Deus hominem rectum.* Et quia iustitia est quædam rectitudo, propter hoc talis rectitudo naturæ humanæ bene iustitia vocatur, & originalis, quia data est humanæ naturæ in sua prima origine. Et quia per originem in posteros fuisset transfusa, si ab Adam fuisset seruata, ipso verò peccante iustè fuit ab eo subtracta. Et quia carentia perfectionis, quæ debet inesse, culpabilis est in homine, cuiusmodi dicta fuit rectitudo seu originalis iustitia, ideo eius carentia cum debito eam habendi dicitur peccatum originale, ita quòd debitum habendi est ibi formale. Secundum est, quomodo peccatum Adæ posteris imputatur. Et satis faciliter videtur, quòd imputatur eis ad pœnam: Filij enim frequenter & iustè puniuntur pro peccatis parentum: sed difficilius est videre, qualiter eis imputatur ad culpam, de cuius ratione est, quòd sit voluntaria: aliter non esset culpa. Non potest autem dici voluntaria voluntate posterorum. Propter quod sciendum, quòd Adam non solùm consideratur vt singularis persona, sed etiam vt totius humanæ naturæ principium, à quo alij descendunt tamquam à mouente per vim generatiuam, & efficiuntur eius membra. Et ideo sicut homicidium manu factum dicitur voluntarium, à voluntate, quæ est in mente: sic suo modo carentia originalis iustitiæ in posteris dicitur voluntaria, à voluntate Adæ. Et quia accepit eam non solùm pro se, sed etiam pro tota posteritate, ideo omnes posteri, per vim generatiuam ab eo descendentes, in eo fuerunt obligati ad debitum habendi eam. Cùm ergo carentia originalis iustitiæ cum debito habendi eam sit culpabilis, & ideò meritò posteris imputatur ad culpam. Tertium est, qualiter contrahitur: quia peccatum solum est in anima, quæ non est ex traduce, sed est à Deo per creationem, qui non peccat eam infundendo, nec etiam parentes generando, nec possunt per consequens peccatum originale traducere, vt videtur maximè, quando sunt baptizati: quia nullus dat alteri quod non habet. Propter quod dicendum, quòd generatio competit hominibus secundùm esse, quod habent ab Adam, quod est esse naturæ corruptæ: non autem secundùm esse gratiæ, quod habent per regenerationem baptismalem. Generans autem in quantum huiusmodi generat sibi simile. Ideo Adam generauit sibi similes in esse naturæ destitutæ originali iustitia, cum debito habendi eam. Et eadem ratione omnes posteri generant sibi similes, cum tali defectu: quia descendimus ab Adam secundùm carnem, non secundùm animam, quæ est à Deo immediatè. Ideo originalis culpa à carne prouenit in anima sibi coniuncta. Sicut liquor bonus inficitur ex corruptione vasis, in quo ponitur: sic & peccatum originale prouenit ex carne causaliter, sed tamen in anima est subiectiuè & formaliter: sicut infirmitas est in cibo corrupto causaliter tantùm, quia non est infirmitatis susceptiuus, in corpore verò cibato formaliter est & subiectiuè. Ex dictis patet, quòd obiectio de parentibus baptizatis non valet, quia, sicut dictum est, non generant secundùm esse gratiæ, & vt sunt membra Christi: sed secundùm esse naturæ corruptæ, in qua sunt membra Adæ. Quartum est, qualiter peccatum originale per gratiam baptismi tollitur. Circa quod sciendum, quòd non est per hoc intelligendum, quod rectitudo, quæ fuit in Adam, per baptismum reddatur; quia baptizati rebellionem corporis ad animam, & sensualitatis ad rationem, in seipsis experiuntur, sed hoc, quòd per gratiam Christi tollitur debitum habendi dictam rectitudinem: & sic carentia dictæ rectitudinis non remanet, vt est culpa, quam formaliter facit debitum habendi illam rectitudinem, sed remanet tantùm vt est pœna & virtutis exercendæ materia, contra passiones sensualitatis fortiter pugnando, & infirmitates corporis patienter tolerando, in quibus adiuuat gratia Christi in præsenti ad augmentum meriti electorum. In resurrectione verò finali reparabitur natura, quia resurrectio illa erit ad vitam immortalem per Christum, non immortalitate, quæ fuit in statu innocentiæ, qua homo poterat non mori, sed immortalitate gloriæ, qua non poterit mori, sed cum Christo viuet in æternum.

Thomas Argentinensis. 1360.

In lib. 2. Sentent. dist. 30. & 31. q. 1. art. 1. Quilibet Catholicus habet concedere, quòd aliquod peccatum homo incurrat ab origine suæ conceptionis, iuxta quod ait Psal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Et istum textum exponit Glossa de peccato originali. Præterea si nullum esset peccatum, præter peccatum actuale, tunc non esset necesse paruulos baptizare. Propterea negare peccatum originale imponitur Pelagianis pro errore: ergo ad sui fassionem tenetur quilibet Catholicus. Præterea ait Apostolus: *Per vnum hominem peccatum introiuit in mundum, & per peccatum mors.* Et Augustinus de Ciuitate Dei lib. 13. ait sic: Adam sponte deprauatus genuit filios deprauatos.

Catharina Senensis. 1370.

Tractatus, cap. 14. Remansit solummodo signum originalis peccati, quod à parentibus nostris in conceptu contraximus. Quod vtique signum etiam ab anima tollitur, quamuis non ex toto, videlicet sacro baptismo, qui virtutē habet & gratiæ vitam exhibet in efficacia gloriosi & pretiosi sanguinis Christi. Quando enim anima recipit in Ecclesia sancta baptismum, aufertur ab ea peccatum originale, infunditur ipsi gratia, & fomes peccati videlicet inclinatio ad peccandum, ab originali peccato procedens, & remanens velut cicatrix ex vulnere, debilitatur, ita quod si anima voluerit, potest optimè refrenare.

Petrus Aliacus. 1400.

Ad Psalmum 4. Pœnitentialem: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum.)* O magna miseria, quæ simul mecum orta est ab origine mea. Ideò meritò ingemiscens peto, vt cures & sanes hanc meam miseriam, per magnam misericordiam tuam. Nec hoc ita dixerim, vt licitas nuptias condemnem, sed quia in omnibus trahitur iniquitas ab Adam. Nam hoc opus castum, propter bonum prolis excusa-

excusatum, in coniugio non habet culpam, sed origo peccati in prole secum trahit debitam pœnam. Ideo autem Domine non solùm actualem culpam meam, sed etiam originalem à parentibus traductam tibi confiteor humiliter.

Ioannes Gerson. 1420.

In compendio Theologiæ: Originale peccatum est illud, quod à nostra vitiosa origine trahimus, & est auersio quædam habitualis à Deo, quo anima prona effecta est non reddere iustitiam, quam debet. Vnde omnes ferè Doctores respectu effectus ipsius peccati originalis consonant in ipsam auersionem habitualem secundùm Augustinum. Hugo de S. Victore dicit, quod originalis culpa est corruptio, seu vitium, quod nascendo contrahimus per ignorantiam in mente, & concupiscentiam in carne. Alij volunt, quòd originalis culpa sit necesitas concupiscendi cum debito non concupiscendi: & ponunt exemplum de radio contiguato aquæ, qui mouetur aqua mota, & quiescente quiescit. Et hoc patet ex contiguatione sui cum aqua. Vnde cùm maior sit vnio animæ & carnis, quàm in casu prædicto radij & aquæ, cùm caro de se valde mobilis sit ad concupiscendum, anima eo ipso, quòd tali carni vnita est, habet statim talem quandam necessitatem concupiscendi. Cùm igitur caro paruuli, cui infunditur anima, per peccatum primi hominis ad concupiscendum sit mobilis, inerit ipsi animæ iam illi carni vnitæ necessitas quædam concupiscendi, nec potest anima ipsa illam carnem seu sensualitatem cohibere, sicut anima Adæ ante peccatum potuisset, quæ habuit potestatem super sensualitatem, & etiam libertatem concupiscendi vel non concupiscendi.

Patet igitur, quòd per peccatum, & post peccatum primi hominis inest animæ duplex necessitas, vna non possendi sensualitatem retinere, seu cohibere, & alia necessitas concupiscendi. Et prima est quædam necessitas non valendi facere quod debet: & secunda est quædam necessitas faciendi quod non debet. Et ita inest ei carentia vtriusque partis iustitiæ, quæ sunt declinare à malo, & facere bonum. Ex quo patet, quòd peccatum originale & est in carne, & est in anima: sed in carne originaliter, & materialiter: in anima verò formaliter, & tamquam in subiecto. Sola enim anima est susceptibilis virtutis & vitij: & tamen, sicut dictum est, & coniunctione ipsius ad corpus contrahit vitium illud, sicut quando quis cadit in lutum, fœdatur & maculatur. Talis autem animæ infectio non tantùm est pœna, sed etiam est culpa. Ipsa verò culpa, quæ macula est, deletur in Baptismo. Sic enim in Baptismo curatur culpa, quãtum ad reatum damnationis æternæ: sed non quin remaneat ipsa pœna, quantum ad motum & actum concupiscentiæ, cum qua oportet nos, quamdiu viuimus, pugnare, nisi extinguatur concupiscentia per specialem gratiam, sicut in beatissima Virgine in conceptione Filij Dei. Originale etiam peccatum sic in homine per Baptismum curatur, quòd nihilominus ab eo, qui curatus est, transmittatur in prolem, gratiam generat: sicut Iudæus circumcisus generat filium cum præputio, & granum & purum seminatum procreat granum cum palea. Quod hinc est, quia homo non filium secundùm quod in mente curatus est, sed secundùm quod in carne generat.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De casto connubio Verbi & animæ cap. 7. Ex infirmitate quidem, cùm diuino mens afflata desiderio, & virtutum animata profectu, in cunctis, quæ agit & loquitur, rectitudinem seruare contendit, nec valet. Reuerberata quippe propria infirmitate relabi compellitur. Nam peccati fomite depressa patitur nolens, & bene agere volendo non sinitur. Hæc est originalis pœna delicti, à qua nemo, quamuis insigni polleat sanctitate, liber existit. Quotquot enim ex ipsa nati sunt propagine (exceptis duntaxat Mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu, & ipsius Matre) sub hac peccati lege sunt conditi. Vnde Propheta voce omnium gemens, ait: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Hinc & Psal. 50. Apostolus deplorans, dicit: *Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si au-* Rom. 7. *tem quod nolo illud facio, non ego operor illud, sed quod inhabitat in me peccatum, &c.* Hanc itaque infirmitatem pro pœna peccati Dei Sapientia ordinatissimè dominari in suis permittit electis, vt semper vnde se humilient, seque exerceant, materia non desit. Conantes enim quod nequeunt agere humiles, & ex ipsa eadem impotentia efficiuntur fortes, conualescunt de infirmitate, & de bello fortiores fiunt.

Raymundus Sebundius. 1430.

In viola animæ cap. 55. Natura humana diuiditur in duas partes, in primos scilicet parentes, & in suos posteros. Primi parentes non sunt propagati, sed Dei manu conditi: tota autem posteritas carnem quidem propagatione sumpsit ab Adam, sed animam creando Deus infudit carni propagatæ. Quia carne ab Adam descendit tota posteritas, sequitur quòd omnis corruptio, quæ in posteris inuenitur, de carne corrupta venerit protoplasti. Sed hæc corruptionis diuersitas. Ille enim corruptionem carnis traxit de corruptione superbissimæ voluntatis: nos autem, qui posteri sumus, de carnis corruptione animarum nostrarum maculas possidemus. Illius carnem corrupit contumacis animæ inobedientia: nostram animam commaculat miserabilis & infirma caro, de fœtenti libidine per propagationem generata. Omnis enim caro humana, quæ per coitum fœdæ libidinis generatur, infirma est, sordida, caduca, mortalis, & rationi rebellis, plena concupiscentiarum & malorum motuum. Et ideo anima rationalis, quæ tali carni sociatur, continuò inficitur, peruertitur, corrumpitur, sordidatur, non aliter quàm si balsamum purissimum turpissimo vasi infuderis. Hanc corruptionem contractam à carne anima manifestat, quando vti incipit libero arbitrio. Tunc enim inuenitur Deum ignorare, se & sua bona & mala nescire, suam amare voluntatem, & Dei iussa contemnere.

Dionysius Carthusianus. 1460.

In Summa Orthodoxæ fidei lib. 2. art. 87. Secundùm fidem Catholicam credimus, quòd primi parentis peccatum transit in posteros, non quòd anima rationalis sit ex traduce, sed omnes homines particulares sunt vnus homo secũdùm speciem, propter specificæ naturæ communionem: & sic omnes homines, ex primo parente naturam trahentes, considerantur in natura humana primi hominis velut vnum quoddam. Quemadmodum multa membra sunt vnum corpus, & sicut omnium membrorum sunt actus voluntarij vna voluntate hominis: sic omnium nostrum originale peccatum est voluntarium, propter voluntatem parentis, in quo erat natura humana, sicut in primo principio: & ideo imputatur nobis.

Gabriel Bielius. 1480.

Ad Canonem Missæ lect. 72. Peccatum originale nostrum est, quia in nobis à prima origine nostra reperitur. Vnde dicit Apostolus, quòd *omnes nascimur filij iræ.* Et Propheta: *Ecce in iniquitatibus con-* Ephes. 2. Psal. 50.

ceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, &c. Cùm per peccatum suum Adam primam iustitiam suam perdidit, non solùm pro se perdidit, sed pro tota sua posteritate eam amisit, pro qua & eam liberaliter accepit. Perdidimus ergo eam & nos in Adam, sicut & ipsam in eo accepimus: non quidem per proprium nostrum actum & peccatum, sed per peccatum Adæ: vnde dicimus omnes in Adam peccasse: quia suum peccatum omnibus imputatur, & in omnes ab ipso genitos transfunditur, pro quanto omnes ab eo geniti debitores sunt illius iustitiæ, qua carent.

ARTICVLVS TERTIVS.

PECCATVM ACTVALE ALIVD ALIO ESSE GRAVIVS: ALIVD VENIALE, ALIVD MORTALE: IDEOQVE ANGVE PEIVS VITANDVM.

NEGANT.

Anno ante Christũ 300 STOICI *Philosophi docuerunt omnia peccata esse paria.* Cicero in Paradoxis.

Anno post Christũ 50. *Simon Magus docuit liberum hominibus esse, ut agerent quæcunque vellent nec extimescendas esse minas Legis* Irenæus libro 1. capite 20. Theodoretus de fabulis hæreticorum.

100. *Carpocrates omnem turpem actionem perficere docebat, & omne studium peccati. Et nisi quis* inquit, *per omnia progressus fuerit, & voluntatem omnium dæmonum & Angelorum perfecerit, ad supremum transcendere non poterit, neque Principatus, neque Potestates præterire.* Irenæus libro 1. capite 24. Epiphanius hæresi 27. Nicetas Orthodoxæ fidei libro 4. capite 3.

150. *Ethnicorum quidam sentiebant viuendum vt liberet.* Theophilus Antiochenus libro 3. ad Autolycum.

[illegible]. *Hiberni fas atque nefas eodem animo ducunt.* Solinus in Commentarijs rerum memorabilium.

350. *Eunomius vsque adeò bonis operibus fuit inimicus, vt assereraret, quòd nihil cuiquam obesset quorumlibet perpetratio peccatorum si huius, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset.* Hieronymus ad caput 4. Oseæ, Augustinus hæresi 54.

400. *Pelagius quolibet peccato iustitiam amitti docebat, ac per hoc omne peccatum esse mortale & quoniam multos iustos esse negare non poterat, affirmabat posse hominem in hac vita sine omni peccato viuere.* Hieronymus contra Pelagianos dialogo 1. & 2. Augustinus hæresi 58.

400. *Iouinianus dicebat, omnia peccata esse paria, nec posse peccare hominem post lauacrum.* Hieronymus contra Iouinianum lib. 2 cap. 15. & 16. Augustinus hæresi 82.

430. *Prædestinati libris Augustini malè intellectis, omnia prædestinationi & reprobationi ita tribuunt, vt negent opera vel prodesse vel obesse ad salutem.* Sigebertus in Chronicis.

1390. Ioannes VVicleuus 3. Trialogi cap. 5. *Videtur mihi expediens de peccatis amplius pertractandum, & primò de distinctione inter peccatum mortale, & veniale: quæ distinctio rotatur communiter in ore vulgarium ac Prælatorum: qui melius sciunt pro peccatis pecuniam extorquere, quam à culpis mundare, vel inter mortale ac veniale (de quo frequenter balbutiunt) iudicare. Quia autem iste terminus non fundatur expresse in fide Scripturæ, ideo videtur licitum limitare significationes illius secundum quod magis conuenit cum Scriptura.*

1520. Martinus Lutherus de captiuitate Babylonica capite de Baptismo: *Vides quàm diues sit homo Christianus, siue baptizatus, qui etiam volens, non potest perdere salutem suam, quantiscunque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata possunt eum damnare, nisi sola incredulitas. Cætera omnia, si credat, vel stet fides in promissionem diuinam baptizato factam, in momento absorbentur per eandem fidem.*

In Resolutionibus super propositiones suas: *Nam ideo dixi, nullum esse peccatum natura sua veniale sed omnia damnabilia Quòd autem venialia sunt gratia Dei tribuendum est.*

Sermone de piscatura Petri: *Quanto sceleratior es, tanto citius Deus suam gratiam infundit: si adornes te vt cattus bonis operibus, vt te Deus acceptet, nihil efficies.*

Sermone de eo: Sic Deus dilexit mundum: *Vbi fides est, nullum peccatum nocere potest.*

De libertate Christiana: *Bona opera non faciunt bonum virum, nec malum, &c. Vt infideli nullum opus bonum prodest ad salutem & iustitiam, sic è diuerso nullum opus malum facit malum, & damnatum, sed sola incredulitas.*

Digitized by

Dominica 8. post Trinitatem: *Nullum opus tam malum est, quod hominem damnare queat: neque vllum tam bonum est, quod saluare possit. Cæterùm sola fides saluat, sola incredulitas damnat.*

In epist. ad Galat. cap. 2. *Sola fides Christi necessaria est, quòd iusti simus: cætera omnia liberrima, neque præcepta ampliùs, neque prohibita,* &c. *Si conscientia dictat peccasti, responde peccaui. Ergo Deus puniet, & damnabit? Non. At hoc lex dicit. Sed nihil mihi cum lege. Quare? quia habeo libertatem.*

1530. *Philippus Melanchthon,* in Locis communibus, de discrimine peccati mortalis & venialis. *docet discrimen peccati mortalis & venialis non habere locum in non renatis. Quamquam,* inquit, *Nero & Epicurus multo atrociùs peccant quàm Cato: tamen vtrique sunt oppressi peccatis mortalibus horrendis, & ira Dei æterna. Nec necesse est in non renatis quærere discrimen peccati mortalis & venialis, quia omne quod non est ex fide peccatum est.*

1540. Ioannes Caluinus lib. 2. Instit. cap. 8. §. 19. *Habeant filij Dei omne peccatum mortale esse, quia est aduersus voluntatem Dei rebellio, quæ eius iram necessariò prouocat: quia est legis præuaricatio, in qua editū est sine exceptione Dei iudicium: Sanctorum delicta venialia esse, non ex suapte natura, sed quia ex Dei misericordia veniam consequuntur.*

§. 28. Hic in asylum confugiunt ineptæ distinctionis, peccata quædam venialia esse, quædam mortalia. Cùm assiduè peccatum mortale & veniale in ore habeant, nondum alterum ab altero discernere potuerunt, nisi quòd impietatem & immunditiam cordis peccatum veniale faciunt. Nos autem peccati stipendium pronunciamus esse mortem, & animam, quæ peccauerit morte dignam. Cæterùm fidelium peccata venialia esse: non quia non mortem mereantur, sed quia Dei misericordia nulla est condemnatio ijs, qui sunt in Christo Iesu, quia non imputantur, quia venia delentur.

1540. Henricus Bullingerus Decad. 3. Serm. 10. *Maximè vulgaris & idonea actualis peccati distinctio est illa, quòd aliud quidem mortale, aliud veniale peccatum dicitur. Mortale putant omne peccatum esse, quod ab infideli homini designatur: veniale verò, quod ab omni fiat fideli. Ego simpliciter, & secundum Scripturas arbitror, omnia hominum peccata esse mortalia. Nam fiunt contra legem seu voluntatem Dei.*

1540. *Antinomi dicunt: Si meretrix es, si scortator, si adulter, vel quicunque alius peccator, tantùm crede. & es in via salutis: cùm in medio peccati penitus hæres, tantùm crede, & es in medio salutis.* Confessio Mansfeldensium de secta Antonomorum.

1540. *Michael Seruetus scribit peccatum mortale non committi ante annos viginti.* Ioannes Caluinus in refutatione errorum Serueti.

1544. *Libertini diabolum mundum, & peccatum accipiunt pro imaginatione, quæ nihil est, talemq; hominem esse aiunt, quoad sit in ipsorum facta reformatus. Ideo hæc omnia vno verbo comprehendunt, nempe opinatione. Quo significare volunt imaginationes tantùm friuolas & inanes concipi, cùm aliquid de diabolo, aut peccato opinamur. Peccatum aiunt non solùm boni priuationem esse, sed est illis opinatio, quæ euanescit & aboletur, cùm nulla habetur eius ratio. Non solùm omnia vitæ genera probant, quæ repugnant veritati Scripturarum, sed etiam ea, quæ gentes sensu tantùm naturali prædite condemnarunt. Leno, inquiunt, fungatur munere suo, fur audacter furetur: est enim consentaneum rationi, vt vnusquisque vocationem suam sequatur. Si quis ex aduerso obijciat tam fœda illa esse, vt natura nos ab ijs abhorrere doceat: respondent hoc solùm sufficere, quòd vnusquisque in sua vocatione permanere debeat.* Ioannes Caluinus contra Libertinos cap. 12. & 20. Nicolaus Hemmingius ad cap. 1. prioris epist. Ioannis.

1545. *Georgius Dauid docuit, non spiritum, sed solam carnem peccare: stultos fuisse Apostolos, & Martyres, quòd tormenta mortemq; propter Christi confessionem passi sunt. Quia æquè bene saluentur spiritus infidelium, sicut fidelium; & æquè damnetur caro Apostolorum, sicut infidelium.* Ioannes Cochlæus de actis & scriptis Lutheri de anno 1545.

1550. *Sebastianus Francus,* Paradoxo 261. *Peccata quæuis parua esse asserit.*

1550. *Batenburgensium secta homicidia, latrocinia, spoliationes, furta non pro peccato, sed pro cultu Dei reputat, si in illos exerceantur, qui non sunt de ipsorum religione.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 4. *Vers.* 7. Dixit Dominus ad Cain: Nónne si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? 11. Maledictus eris super terram, quæ aperit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus & profugus eris super terram.

Leuitici 26. 14. Quòd si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea: si spreueritis leges meas, & iudicia mea contempseritis, vt non faciatis ea, quæ à me constituta sunt, & ad irritum perducatis pactum meum: ego quoque hæc faciam vobis. Visitabo vos velociter in egestate, & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras. Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus deuorabitur. Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subijciemini his, qui oderunt vos. Fugietis nemine persequente, *&c.*

Deuter. 24. 16. Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus, sed vnusquisque pro peccato suo morietur.

Deuteron. 28. 15. Quòd si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius, *&c.* venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te.

Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro, Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, *&c.*

Psal. 5.5. Non Deus volens iniquitatem tu es. Neque habebit iuxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.

Psalm. 10.6. Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.

Psalm. 31.10. Multa flagella peccatoris.

Psalm. 33.22. Mors peccatorum pessima.

Prouerb. 15.8. Victimæ impiorum abominabiles Domino: vota iustorum placabilia. Abominatio est Domino vita impij: qui sequitur iustitiam diligitur ab eo.

Ecclesiastis 9.18. Qui in vno peccauerit, multa bona perdet.

Sap. 16.14. Homo occidit per malitiam animam suam.

Isaiæ 59.1. Non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat, *&c.* Sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret.

Ezech. 18.24. Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundùm omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid viuet? omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur: in præuaricatione, qua præuaricatus est, & in peccato suo, quod peccauit, in ipsis morietur. Et dixistis: Non est æqua via Domini. Audite ergo domus Israel: Nunquid via mea non est æqua, & non magis viæ vestræ prauæ sunt? Cùm enim auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in iniustitia, quam operatus est, morietur.

Tobiæ 12.10. Qui faciunt peccatum & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.

Matth 5.22. Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.

Matth. 7.23. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.

Matth. 12.36. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.

Matth. 25.41. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: esuriui enim, & non dedistis mihi manducare, *&c.*

Rom. 6.23. Stipendia peccati mors.

1. *Cor.* 6.9. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auri, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.

Galat. 5.19. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, *&c.* & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.

Ephes. 5.3. Fornicatio, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet: sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, (quod est idolorum seruitus) non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.

Iacobi 1.14. Vnusquisque tentatur, à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.

1. *Ioannis* 5.16. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis. Omnis iniquitas, peccatum est, & est peccatum ad mortem.

Apocal. 18.5. Quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cælum, & recordatus est Deus iniquitatum eius. Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate duplicia secundùm opera eius: in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum. Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit: tantum date illi tormentum & luctum.

Apocalypsis 21.8. Timidis, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure.

ASSE-

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens I. Romanus. 90.

Const. Apost. lib. 2. c. 48. Ne de omni peccato idem iudicium pronuntietis, sed de vnoquoque suum, singulis delictis, tum paruis tum magnis, multa prudentia iudicatis: aliter, inquam, facto sermone, item aliter proposito alio modo conuicio, alio suspicione: atque alios etiam solis minis & terroribus subijcies, alios mulctationi largiendi pauperibus, rursus alios ieiunijs comprimes: item alios ex Ecclesia eijcies, pro magnitudine & grauitate criminis. Siquidem lex in omne delictum eodem supplicio puniebat, &c.

Theophilus Antiochenus. 170.

Lib. 1. ad Autolycum: Omnibus quidem sunt oculi, sed quorundam adeò obscurati, vt solis lucem intueri nequeant. Cæterùm non propterea solares radij fulgore carent, quòd à cæcis non videntur: imò se ipsos & suos oculos potius culpent cæci. Pari ratione, ô homo, animi tui oculis offusa est caligo, cuius causam nullam aliam, quàm tua scelera & peccata dicito.

Origenes. 230.

In Leuit. Hom. 14. Maius esse peccatum, in quo maledicitur Deus, quàm in quo nominatur, dubitare non possumus. Restat vt ostendamus multò esse grauius accipere peccatum, & habere secum, quàm morte mulctari. Mors, quæ pœnæ causa infertur pro peccato, purgatio est peccati ipsius, pro quo iubetur inferri. Absoluitur ergo peccatum per pœnam mortis, nec superest aliquid, quod pro hoc crimine iudicij dies & pœna æterni ignis inueniat. Vbi verò quis accipit peccatum, habet illud secum, ac permanet cum ipso, nec aliquo supplicio pœna quæ diluitur transit, cum ipso est etiam post mortem: & quia temporalia hic non persoluit, ibi expendit æterna supplicia. Vides ergo quanto grauius sit accipere peccatum, quàm morte mulctari.

Homil. 35. in Lucam: Vnusquisque pro qualitate & quantitate peccati diuersam mulctæ sententiam expendit. Si parum est quod peccas, ferieris damno minuti, vt Lucas scripsit, vt verò Matthæus, quadrantis. Veruntamen etiam necesse est hoc ipsum, quod extitisti debitor, soluere. Non enim inde exies, nisi & minima quæque persolueris, &c. Si qui parum debet, non egreditur nisi exoluat minutum, quadrantem: vtique qui tanto debito fuerit obnoxius, infinita ei ad reddendum debitum secula numerabuntur.

Athanasius. 340.

Quæst. 144. Quid est quod inquit: *Expergiscere qui dormis, surge à mortuis, & illucescet tibi Christus?* Resp. Dormientem vocat eum, qui peccatis immersus est. Nam qui in peccatis viuit, mortuus dicitur. Etenim vt mortuus immobilis est: ita, qui in peccato est mortuus, ad bonum non mouetur.

Macarius Ægyptius. 370.

Homil. 16. Peccatum causa est, quòd quidam paralypsi laborant, mutilati sunt, febricitãt, & ægrotant. Illud enim est radix omnium malorum, & inde procedunt affectiones concupiscentiarum animæ, & prauarum cogitationum.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 2. Graue malum est peccatum, sed non incurabile: graue retinenti, leue autem per pœnitentiam abijcienti, &c. Vrit peccatum neruos animæ, & conterit ossa mentis spiritalia, ac lumen cordis obtenebrat. Sed dixerit aliquis: Quid tandem est peccatum? animal est, vel Angelus? num dæmon est? Quid est hoc, quod tantam vim habeat? Non est hic inimicus, ô homo, qui tecum exterius pugnet: sed est mala soboles, à teipso voluntariè propagata. Rectis vide oculis, & non erit concupiscentia: non rapias aliena, & cessabit rapina: memineris iudicij, & non erit scortatio, nec adulterium, neque homicidium, neque vlla iniquitas apud te inualescet. Nam cùm Dei obliuisceris, tunc demum cogitas peruersa, & iniqua perficis.

Basilius Magnus. 370.

In Psal. 33. Omni in Christum credenti Angelus assistit, nisi illum à nobis per improbas actiones profligauerimus. Velut enim fumus apes fugat, & fœdus odor columbas expellit: sic Angelum vitæ nostræ custodem abigit multa lachrymarũ aspergine dignum, & graue olens peccatum.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Orat. 19. quæ est oratio funebris in laudem patris: Peccatum est animæ interitus.

Orat. 31 quæ est in dictum illud: *Cùm consummasset Iesus,* &c.) De corporea cæde non tantùm loquor, sed etiam de spirituali. Omne enim peccatum animæ mors est.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homil. 17. in Genesin: Nihil peccato peius. Ipsum enim vt introierit, non solùm confusione totos nos replet, sed & insipientes facit eos, qui antea intellectu & sapientia multa præditi fuerant.

Homil. 24. in Matth. *Quid vides festucam in oculo fratris tui?* Hic, vt apparet, non generaliter omnia peccata prohibuit iudicari, nec prorsus omnibus istius rei abstulit potestatem: sed his profectò solis, qui cùm flagitijs abundent innumeris, alios de leuibus quibusque delictis tota temeritate condemnant. Videtur autem mihi etiam Iudęos notare, qui de paruulis quoque omnino culpis accusatores amarissimi proximorum, ipsi nihilominus sua nec maxima quidem crimina cohibebant. Quod etiam in fine Euangelij Dominus exprobrat: *Alligatis,* inquit, *onera grauia & importabilia, ipsi autem digito non vultis ea mouere. Et decimatis mentham, & cyminum, & anethum, & dereliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, misericordiam, & fidem.*

Nilus Abbas. 420.

Apud Damasc. lib. 1. Parall. c. 12. Si inter serpentes alios alijs atrociores inuenimus, non est dubium, quin inter vitia quoque alia alijs grauiora sint, &c. Cùm animus per peccatum ab inescantibus impuris dæmonibus facilè interimatur, aptè profectò locutus est is, qui dixit: Capior tamquam leo ad cædem. Bonum suapte natura sursum fert, malum autem eum, qui malo delectatur, ad ima detrahit: Quemadmodum etiam ait Salomon: *Pedes stultitiæ eos, qui ipsa vtuntur, in infernum demittunt.*

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib. 1. in Esaiam c. 10. Indignè fert Deus cùm videt aliquos placita ipsius cõtemnere, ac pro nihilo ducere, omniq; honesto quasi excusso ad omne genus turpitudinis deflectere. Tales autem ille conuertit, & non tantùm trahit fortiter ad id, quod in eorum commodum maximè cedit. Sic enim inquit beatus Dauid: *Lupato & freno maxillas eorum constringes, qui non approximant ad te. Multa flagella peccatoru.* Sumit verò supplicium de his, qui delinquunt, tradens iram suam, velut virgam quandam in manus hominum non bonorum, vt illi fiant eorum, qui impietatem designárunt, animaduersores & vindices. Psal. 31.

Ioannes Cassianus. 430.

Collat. 26. c. 11. Verum ista prædictæ obliuionis definitio super capitalibus tantùm sit criminibus cõ-

ſtituta, quæ Moſaica quoque damnantur: quorum ſicut per conuerſationem bonam abijciuntur, vel conſumuntur affectus, ita etiam accipit pœnitentia finem. Cæterùm ab iſtis minutis, in quibus ſepties iuſtus cadit, vt ſcriptum eſt, & reſurgit, nunquam
Pro.24. deerit pœnitudo. Aut enim per ignorantiam, aut per obliuionem, aut per cogitationem, aut per ſermonem, aut per obreptionem, aut per neceſsitatem aut per fragilitatem carnis, ſingulis diebus vel inuiti, vel volentes frequenter incurrimus, pro quibus
Pſal.18. & Dauid orans Dominum, purificationem atque indulgentiam deprecatur, dicens: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.*

Collat.22. c.13. Multum intereſt inter iuſti & peccatoris hominis lapſum. Aliud eſt enim admittere mortale peccatum, & aliud eſt cogitatione, quæ peccato non caret, præueniri, vel ignorantiæ, aut obliuionis errore, aut facilitate otioſi ſermonis offendere, aut ad punctum in fidei theoria aliquid hæſitare, aut ſubtili quadam cenodoxiæ titillatione pulſari, aut neceſsitate naturæ aliquantiſper à ſumma perfectione recedere. Hæc enim ſunt ſeptem lapſuum genera, in quibus ſanctus licet nonnunquam cadat, tamen iuſtus eſſe non deſinit: quæ quamuis leuia videantur eſſe ac parua, tamen faciunt eum ſine peccato eſſe non poſſe.

Iſidorus Peluſiota. 440.

Lib.3.epiſt.103. Si leuibus ac ferendis & ſanabilibus peccatis admiſsis acerbi aliquid in hac vita perpetiamur, hac ratione peccatorum maculas abſtergimus. Teterrimus autem ac venia maioribus flagitijs perpetratis, ſi pœnam hic pendamus, illic quoque profectò adhuc pendemus, ſed mitiorem. Si autem huius vitæ ſupplicia effugerimus, acerbiſsimũ atque conſolationis omnis expertem cruciatum illic pendemus, &c. Etenim de ijs, qui ea peccata admittunt, quibus afferri medicina poteſt, ab Apoſtolo dictum eſt: *Cùm iudicamur, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* De ijs autem, qui inſanabilibus peccatis ſeſe deuinxerunt, atque hic quidem pœnas perpenderunt, illic rurſum pendent, iudex ipſemet dixit: *Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæ*, vt qui hic quoque pœnas dederint, & illic quoque daturi ſint: cæterùm leuiores.

Theodoretus. 430

Lib.7.de Sacrificijs: Delinquentes homines pungit interior cõſcientiæ ſtimulus, nec ſinit integram eſſe voluptatem peccati: ſed acerbiſsimos illi cruciatus admiſcet: id quod planè conſpici poteſt euenire ſicarijs, graſſatoribus, & adulteris, quique murorum perfoſsionem, latrocinia, proditionesque obeunt, aliudue quippiam audent, quod lege prohibeatur.

Titus Boſtrenſis. 460.

Ad c.15. Lucæ: Peccatum non iniuria aſsimulatur ſiliquis. Nam vt harum guſtus ſuauis eſt, & tamen adiunctam habet nonnullam aſperitatem: ita peccatum quoque ad breue quidem tempus oblectat, verùm poſtea cruciat prolixè: paucis delectat momentaneè, ſed flagellat æternè.

Olympiodorus Diaconus. 470.

In Protheoria cap.10. Iob: Priſcam igitur veramque diſce ſententiam, ob peccatum hominibus irrogari ſupplicium.

Olympiodorus Monachus. 500.

Ad caput 4. Eccleſiaſtis: Stultus cùm diligat turpes ſuas actiones, & amplectatur, proprias deuorat carnes, ipſe ſibi iuſtum ſupplicium parans.

Andreas Cæſarienſis. 500.

Ad cap.29. Apocal. Peccatum dulce eſt guſtui at amarum ſortitur exitum: nec coctu quoque facile eſt.

Procopius Gazæus. 530.

In Leuit. fol. 331. Scriptura vocat peccata etiam illa, quæ inconſultò & ignoranter delinquimus. Peccatum inconſultò commiſſum eſt, quod quis putat non tale eſſe. Chriſtus immolatus eſt vt expiaret ſacerdotis & populi delicta, & vt exolueret parua & magna peccata.

Fol.347. Non continuò malum, quod mortem importat, nos inuadit, quantiſper peccato reluctamur. Nam non omne peccatum eſt ad mortem.

Iuſtinianus Imperator. 530.

In Anthent. de Monachis & Aſcet. & eorum conuerſ. col.10. Si quis delinquat, (vt multa ſunt humana, neque quiſquam ita continere naturam poteſt, quin aliquãdo peccet: hoc enim ſolius Dei eſt,) hunc quidem, ſi mediocre delictum ſit, admoneto ad pœnitentiam, vt meliore ratione precepta ad ſeipſum redeat: ſi verò maior lapſus fuerit, pro modo peccati adhibetor etiam emendationis diligentia, & item vehementiorem admonitionem, & fortiorem pœnitentiam expetito. At ſi delictum atrocius ſit, quàm quod medela reparari poſsit, tunc à bonorum cohabitatione prorſus expellatur, vt cùm ſeipſum à melioribus ad deteriora contulerit, ipſe ſolus improbitatis ſuæ fructum capiat, neque vitiorum ſuorum aliquid cæteris contagione adfricet.

Sophronius Hieroſolymitanus. 630

Orat. in Chriſti Natalitia: Quomodo ipſi appropinquare non veremur, qui operum, quæ illi lætitiam & voluptatem parere dignoſcuntur, ſuaueolentiam nullam obtinemus? præſertim cùm flagitioſorum operum graueolentiam infeſtiſsimè odiſſe non ignoremus?

Concilium Trullanum. 710.

Canone 102. Oportet eos, qui ſoluendi & ligandi poteſtatem à Deo accepêre, peccati qualitatem conſiderare, & eius, qui peccauit, ad eam conuerſationem promptum ſtudium, & ſic morbo conuenientem adferre medicinam. Non enim eſt ſimplex morbus peccati, ſed varius & multiformis, & multas incommodi propagines germinans, ex quibus malum multum diffunditur, & vlterius progreditur, donec viribus medentis reſiſtat.

Theophylactus. 900.

Ad caput 5. Ioannis Diſcimus ex peccatis primum quidem natos hominum morbos, deinde vera enarrari de gehenna, æternumque eſſe ſupplicium. Igitur vbi nunc ſunt qui dicunt, ad vnam horam indulſi rei venereæ, quomodo in perpetuum puniar? Sanè peccata non iudicantur tempore, ſed ipſa delictorum natura. Ecce enim etiam hic non tot annis peccauerat, quot puniebatur: ſed fermè integram hominis vitam in ſupplicij menſuram amplam impendit. Quin hic & illud diſcimus, quòd licet grauem luamus pro primis peccatis pœnam, ſi deinde iterum in eadem incidamus peccata, iterum grauiora patiemur, idque meritò. Qui enim priori ſupplicio non emendatus eſt, ad maiora tormenta ducetur, tamquam inſenſatus & contemptor. Et quare (inquit) non omnes ſic puniuntur? Etenim multos videmus improborum bene valentes corpore, & in delicijs ac proſperitate viuentes. Verum quòd illi nihil hic patiuntur, viaticum eis erit ad ſupplicium grauius, quod alibi ferent.

Oecumenius. 1050.

Ad c.3 prioris Ioannis: *Qui facit peccatum, ex diabolo eſt.* Quoniam mutatus fuit diabolus peccando, ex ipſius inſtinctu agit quiſquis peccaminosè operatur: prius enim in peccãtem ingreditur per immiſsionem prauarum cogitationum, quemadmodum in Iuda. Sed quomodo intrat diabolus in eos, qui peccant, cùm illi antea peccauerint dando ipſi locũ? Ad quod dicendum eſt, idem eſſe facere peccatum, quod peccare, dando locum diabolo. Dat enim ipſi locum qui peccat concupiſcentiæ ſubiectus, poſtquam eum excepit efficaciter efficiens peccatum.

ASSE-

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De pudicitia cap.2. Causas pœnitentiæ delicta condicimus. Hæc diuidimus in duos exitus. Alia erunt remissibilia, alia irrremissibilia: secundùm quod nemini dubium est, alia castigationem mereri, alia damnationem. Omne delictum aut venia expungit, aut pœna: venia, ex castigatione: pœna, ex damnatione.

Cyprianus. 250.

De bono patientiæ: Adulterium, fraus, homicidium mortale crimen est.

De aleatoribus: Qui delinquit in Deum, nulla sit excusatio, nec indulgentia vlla, & nemini venia datur. In Euangelio Dominus dicit: *Si quis dixerit blasphemias in filium hominis, dimittetur illi: at is, qui peccauerit in Spiritum sanctum, non dimittetur illi nec hic, nec in futuro seculo.* Et iterùm Propheta dicit: *Si delinquendo peccet vir aduersus virum, orabitur pro eo ad Dominum: Si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro eo?* (Matt.12. 1.Re.24.)

Epist 52. Alia est Philosophorum & Stoicorum ratio, frater charissime, qui dicunt omnia peccata paria esse, & virum grauem non facilè flecti oportere. Inter Christianos autem Philosophos plurimum distat. (Libro 4. Epist.2.)

Lactantius. 320.

Lib.6.Inst.c.13. Nemo sine delicto esse potest, quãdiu indumento carnis oneratus est: cuius infirmitas triplici modo subiacet dominio peccati, factis, dictis, cogitatione. Per hos gradus ad summum culmen iustitia procedit. Primus est virtutis gradus, malis operibus abstinere: secundus etiam malis verbis: tertius, etiam cogitatione rerum malarum. Qui primum gradum ascendit, satis iustus est: qui secundum, iam perfectæ virtutis: si quidem neq; factis, neq; sermone delinquat: qui tertium, is verè Dei similitudinem assecutus videtur. Est enim penè supra humanum modum, ne in cogitationem quidem admittere, quod sit vel factu malum, vel improbum dictu. Itaque etiam iusti homines, qui frænare non possunt ab omni opere iniusto, nonnunquam tamen ipsa fragilitate vincuntur, vt vel in ira malum dicant, vel in aspectu rerum delectabilium cogitatione tacita concupiscant. Quòd si mortalis conditio non patitur esse hominem ab omni macula purum, debent ergo largitione perpetua peccata carnis aboleri.

Hilarius. 350.

Ad Psal.118. litera Gimel: Peccata opprobrio sunt digna, & idcirco peccatores exurgent in opprobrium sempiternum. Quòd autem peccata omnia opprobrio sint digna, in Euangelijs discamus, tũ cùm Dominus exprobrare illis ciuitatibus cœpit, in quibus plures virtutes eius effectæ essent, nec pœnituissent, Corozaim & Bethsaida. Quod ab illis cœptũ, necesse est, vt in omnes eiusdem criminis pares fiat.

Ambrosius. 370.

Libro 2. de pœnitentia cap.10. Quotidiani nos debet pœnitere peccati, sed hæc delictorum leuiorum, illa grauiorum est pœnitentia.

Ad cap.4. epist. ad Romanos: Tres gradus fecit Psalmus, propter delictorum varietatem: quorum primus gradus est iniquitas, vel impietas, dum non agnoscitur Creator: secundus, grauium peccatorum operibus: tertius verò leuium.

Optatus Milenitanus. 370.

Lib.7. cont. Parmen. Cùm & temporibus Mosi sine cuiusquam pœna lex iterata sit, & arca Testamenti ab hostibus vltrò sit reddita, & ab Hieremia Deo præcipiente charta sit altera scripta: quare putatur apud maiores vestros solos capitale fuisse peccatum, in quo per tot exempla nemo damnatus est?

Prudentius. 380.

Hymno 2. qui est de S. Laurentio:

Peccante nil est tetrius:
Nil tam leprosum aut putridum:
Cruda est cicatrix criminum,
Oletq; in antrum Tartari.

Hieronymus. 390.

Ad c.3. Malach. Ipse his, qui peccãt grauiter, ignis conflans est, atque consumens: qui autem leuia peccata committunt, herba fullonum, vt lotis munditiã restituat, secundùm illud, quod scriptum est in Esaia: *Lauabit Dominus sordes filiorum, & filiarũ Sion.* (Esa.4.)

Cont. Iouinian. lib.2. cap.16. Sunt peccata leuia, sunt gratia. Aliud est, decem millia talenta debere: aliud quadrantem. Et de otioso quidem verbo, & adulterio rei tenebimur: sed non est idem suffundi & torqueri, erubescere & longo tempore cruciari. Putas nostrum esse, quod loquimur? Audi Apostolum Ioannem: *Qui scit fratrem peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabit ei vitam peccanti nõ ad mortem: qui verò peccauerint ad mortem, quis orabit pro eis?* Cernis quòd si pro peccatis minoribus deprecemur, impetremus veniam: si pro maioribus, difficilis impetratio sit, & inter peccata & peccata magnam esse distantiam. Vnde & de populo Israel, quia peccauerat peccatum ad mortem, dicitur ad Heremiam: *Noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis deprecationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* Si autẽ omnes æqualiter & introimus seculum, & eximus de seculo, & hoc præiudicium futurorum est: ergo æqualiter & iusti, & peccatores habebimur ad Deũ, quia nunc pari modo & generamur, & morimur. (Matt.18. 1.Ioan.5. Hier.7.)

Cap.17. De eo autem, quòd niteris approbare cõuicium, & homicidium, Raka, & adulterium, & otiosum sermonem, & impietatem vno supplicio repensari: iam & supra responsum est, & nunc breuiter respondebo. Aut peccatorem te negabis, vt non sis reus gehennæ: aut si peccator fueris, etiam de leui crimine duceris ad tartarum. *Os,* inquit, *quod mentitur, occidit animam.* Suspicor te aliquando vt hominem fuisse mentium: *Omnis* enim *homo mendax,* vt sit solus Deus verax, *& iustificetur in sermonibus suis, & vincat cùm iudicaueris.* Aut igitur homo non eris, ne mendax sis: aut si, quia homo es, mendax fueris, cum parricidis, & adulteris punieris. Nulla est enim inter peccata diuersitas: & non tibi habebunt tantas gratias, quos de humili in sublime leuas, quantum irascentur, quos propter leue quotidianumq; peccatum in exteriores tenebras retrusisti. (Matt.5. Sap.1. Psal.115.)

Ad c.7. Matth. *Quid vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?*) De his loquitur, qui cùm ipsi mortali crimine teneantur obnoxij, minora peccata fratribus non concedunt, culicem liquantes, & camelum glutientes. Rectè ergo & isti simulatine iustitiæ appellantur hypocritæ, qui per trabem oculi sui festucam in oculo fratris sui aspiciunt.

Epist.14. ad Celantiam c.1. Stoicorum est, peccatorum tollere differentiam, & delicta omnia paria iudicare, nec vllum inter scelus & erratum discrimen facere. Nos verò, etsi multum inter peccata distare credimus, quia & legimus: tamen satis prodesse ad cautionem dicimus, etiam minima pro maximis cauere. Tantò enim facilius abstinemus à quocunque delicto, quantò illud magis metuimus: nec citò ad maiora progreditur, qui etiam parua formidat.

Augustinus. 400.

De spiritu & litera c.36. His constitutis, peccatum

erit hominis ex fide viuentis aliquando alicui delectationi illicitę consentire: non tantùm in illis horrendis facinoribus, & flagitijs perpetrandis, verùm etiam in istis leuioribus, vt vel aurem alicui voci, quæ audienda non esset: vel linguam alicui, quæ dicenda non esset, accommodet.

Enchir. ad Laur. c. 22. Non ideo mendacium poterit aliquando laudari, quia nonnunquam pro salute quorundã mẽtimur. Peccatum ergo est, sed veniale, quod beneuolentia excusat, & ideo fallacia damnat.

Cap. 71. De quotidianis, breuibus, leuibusq; peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum enim est dicere: *Pater noster, qui es in cælis*: qui iam Patri tali regenerati sunt ex aqua & Spiritu sancto. Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata.

Serm. 41. de Sanctis: Illo transitorio igne (de quo
1. Cor. 3. dixit Apostolus: *ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem*, non capitalia, sed minuta peccata purgantur, &c. Quibus peccatis licet occidi animam non credamus, ita tamen eam velut quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replentia deformem faciunt, vt eam ad amplexus illius sponsi cælestis aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant.

Paulinus Nolanus. 410.

Epist. 4. Homo in errore positus, & à iustitia relapsus, iustè, vt Samson, sapientiæ pariter & gratiæ virtute desertus, cæcitate punitur & mola, quia dignus est opere iumentario, qui seipsum lumine rationis orbauerit, & in similitudinem belluarũ corporis seruus abiecerit. Considera huiusmodi mortalium vitam, & tota tibi species iumenti molentis occurrat: vt ille pannis oculos corporis, sic iste sordibus vitæ suæ oculos mentis obsitus, per errores suorum sensuũ quasi circa ambages molarum, laboriosa miser statione versaturus, visu suo vacuus & operosus alieno, stat in via peccatorum, compeditus vinculis cupiditatum suarum: & ipse sibi carcer est, obsessus tenebris erroris sui, & conscientiæ squalore concretus, in semetipso pistrini ergastulum patitur, saxum cordis sui pertinacia iniquitatis induratum quasi molam versat, farinam hostibus suis de corrupta animæ suæ fruge conficiens.

Sixtus. 430.

De malis Doctoribus, & operibus fidei: Quod ergo minimum esse putemus peccatũ? credo illud, quod dum pro suæ paruitatis despectione contemnitur, per negligentiæ vitium sæpius à nobis exercetur. Quod tamen illud est? Ego aliud, quod aut leuius iudicemus, aut crebrius incurramus, non inuenio, quàm aut otiosum sermonem dicere, aut fratrem quemlibet fatuum vocitare. Hæc namque satis modica & exigua videntur esse delicta. Nunc ergo cuiusmodi supplicio censeantur attentius consideremus, vt ex inferiorum meritis quæ ampliorum sit mensura noscamus. Dicam nempe de illo, qui otiosi
Matt. 12. sermonis reus est: *Pro omni sermone otioso, quemcunq; dixerit homo, reddet de eo rationem in die iudicij.* Quæ extra iudicij examinationem culpa esse iam possit, penitus non inuenio: quandoquidem nec otiosi sermonis noxiam inultam fore præscribitur. De illo autem, qui fratri suo stultitiæ conuitium exprobrauerit, quid sentiat audiamus: *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis.* Si igitur gehennæ ignis reus erit, etiã qui fratrem suum fatuum sit locutus, quod peccatum sit, quod extra gehennam esse possit, in legentis arbitrio derelinquo.

Petrus Chrysologus. 440.

Serm. 111. Peccatum nec natura, nec substantia est, sed accidens: & aduersa est hæc potestas quæ videtur in opere, sentitur in pœna, impugnat animam, vulnerat mentem, ipsam violat confunditq; natu-rem. Hoc est peccatum naturæ, quod fumus oculis, quod febris corpori, quod dulcissimis fontibus amara salsedo.

Prosper. 450.

Sententia 47.

Cùm datur iniusto peccandi optata potestas,
Vt mala mens, praue quod cupit, efficiat,
Ira Dei magna est, qua multos sic quoque punit,
Vt quibus exultant criminibus pereant.
Crescit enim occultè cum longo pœna reatu,
Ausibus illicitis si nihil obstiterit:
Et magis erranti ne parcant flagra, timendum est,
Quam ne non fiat, quod voluisse nocet.

Sedulius. 460.

Ad cap. 4. epistolæ ad Ephes. Porta diaboli peccatum est, quemadmodum Spiritus sancti iustitia.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia de verbis Apostoli: *Si cuius opus manserit.* Illo transitorio igne, de quo dixit Apostolus: *ipse autem saluus erit sic tamen quasi per ignem*, non capitalia, sed minuta peccata purgantur. Et quamuis, quod peius est, non solùm maiora, sed etiam minuta, si nimium plura sint, mergunt. De ipsis tamen maioribus, siue minoribus peccatis, & si non omnia, vel aliqua commemoranda sunt, ne se aliquis excusare conetur, ac dicat: nescire se quæ sint minuta peccata, quæ autem crimina capitalia. Et quãuis Apostolus capitalia plura commemorauerit: nos tamen, ne disparationem facere videamur, breuiter dicemus quæ illa sint: sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, inuidia, auaritia, & si longo tempore teneatur iracundia, ebrietas si assidua sit, & detractio in eorum numero computatur. Quicunque enim aliqua de istis peccatis in se dominari cognouerit, nisi dignè (si habuerit spatium) longo tempore pœnitẽtiam egerit, & largas eleemosynas erogauerit, & à peccatis ipsis abstinuerit, illo transitorio igne, de quo dixit Apostolus, purgari non poterit, sed æterna illa flamma sine vllo remedio cruciabitur. Quæ autem sint minuta peccata, licet omnibus nota sint, tamen quia longum est, vt omnia replicentur, opus est, vt ex eis vel aliqua nominemus. Quoties aliquis aut in cibo, aut in potu plus accipit quàm necesse est, ad minuta peccata nouerit pertinere. Quoties plus loquitur quàm oportet, aut plus tacet quàm expedit: quoties pauperem importunè petentem exasperatur: quoties cùm sit corpore sanus, alijs ieiunantibus prandere voluerit, &c. Hæc & his similia ad minuta peccata pertinere dubium non est.

Faustus. 480.

De libero arbitrio: Peccatum est opus diaboli: mors pœna peccati.

Fulgentius. 500.

Lib. 1. ad Monimum cap. 17. Si initium peccati requiritur, nihil aliud nisi superbia inuenitur. Dicit enim Scriptura: *Initium omnis peccati superbia.* Eccle. 10

Primasius. 540.

Ad caput 15. prioris ad Corinthios: Sagitta mortis peccatum, per quod animæ iugulantur.

Cassiodorus. 540.

Ad Psalm. 118. Sunt enim illicita desideria, quæ originalis peccati necessitate committimus, sed in ijs consensu animi non tenemur. In istis mens beata non ambulat, quæ dono Domini cordis probitate superantur, vt, verbi gratia, repente aliquid pulchrum concupiscere, cibum desideranter expetere, bonis odoribus commoueri, iniqua subitò suggestione confundi, & his similia, quæ oratione sancta & crucis signaculo de-

ſtruuntur. Ita fit, vt & peccata Sancti ſuggeſtione carnis habeant, & tamen dum ijs minimè relaxantur effectus, ea non operari veraciter æſtimentur.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 2. Dialogorum capite 39. Sed hoc de prauis minimisque peccatis fieri poſſe credendum eſt, ſicut eſt aſsiduus otioſus ſermo, immoderatus riſus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix ſine culpa, vel ab ipſis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant, ſciunt: aut in non grauibus rebus error ignorantiæ: quæ cuncta etiam poſt mortem grauant, ſi adhuc in hac vita poſitis minimè fuerint relaxata. Nam cùm Paulus dicat Chriſtum eſſe fundamentum, atque ſubiungat: *Si quis ſuperædificauerit*, &c. ipſe autem ſaluus erit, 1.Cor. 3. ſic tamen, quaſi per ignem. Quamuis hoc de igne tribulationis in hac nobis vita adhibito poſsit intelligi, tamen ſi quis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, penſandum ſolicitè eſt, quia illum per ignem dixit poſſe ſaluari, non qui ſuper hoc fundamentum *ferrum, æs*, vel plumbum ædificat, id eſt, peccata maiora, & idcirco duriora, atque tunc iam inſolubilia: ſed *lignum, fœnum, ſtipulam*, id eſt, peccata minora, atque leuiſsima, quæ ignis facilè conſumat.

Libro 1. in Ezechielem Homil. 2. Omne peccatum graue eſt, quia non permittit animam ad ſublimia leuari.

Iſidorus Hiſpalenſis. 620.

De Summo bono lib. 2. cap. 23. Iſtis fontibus quaſi quibuſdam gradibus coaleſcit omne peccatum. Cogitatio namque praua delectationem parit, delectatio conſenſionem, conſenſio actionem, actio conſuetudinem, conſuetudo neceſsitatem. Sicque his vinculis homo implicatus, quaſi catena vitiorum tenetur aſtrictus: ita vt ab ea euelli nequaquam valeat, niſi diuina gratia manum iacentis apprehendat. Peccatum admittere, cadere eſt in puteum: conſuetudinem verò peccandi facere, os putei eſt coanguſtare, ne is, qui cecidit, valeat exire.

Eligius. 640.

Homilia 13. Videte ergo, vt gratia facinora, quæ fallente diabolo commiſiſtis, cum gemitibus & ſuſpirijs, quamdiu vixeritis, lugeatis. Et quomodo non deerunt vobis quotidiana peccatorum minorum vulnera: ſic non deſint eleemoſynarum, & orationum remedia, diem mortis ſemper præ oculis habentes: & qui vſque hodie in publica pœnitentia cilicio induti fuiſtis, induite deinceps ſobrietatem, abſtinentiam, temperantiam, &c.

Beda. 700.

Ad caput 5. prioris epiſtolæ Ioannis: *Qui ſcit fratrem peccare non ad mortem:)* Hæc, & huiuſmodi ſecundùm voluntatem Dei petuntur, quæ ad fraternæ dilectionis officium ſpectant. Loquitur autem de quotidianis leuibusque peccatis, quæ ſicut difficilè vitantur, ſic etiam facilè curantur, &c. Si dictu, vel cogitatu, vel obliuione, vel ignorantia fortè deliquiſti, vade ad fratrem, confitere illi, poſtula interuentionem. Sed hæc de leuioribus dicta ſint peccatis. Porrò ſi grauius aliquid admiſiſti, induc Presbyteros Eccleſiæ, & ad illorum examen caſtiga te.

Omnis iniquitas peccatum eſt.) Tanta eſt (inquit diuerſitas peccatorum, vt omne, quod ab æquitatis ratione diſcrepat, inter peccata numeretur, quamuis minima peccata iuſtis ſuæ iuſtitiæ meritum nequaquam auferre, vel minuere poſsint, illa duntaxat, ſine quibus hanc vitam nullatenus tranſigere valent: & item quædam peccata tantum ab omni iuſtitiæ ſorte diſcordent, tanta iniquitate patrentur, vt abſque vlla contradictione factorem ſuum, niſi corrigantur, æternam mergant in pœnam. De quibus ſcriptum eſt: *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur.* Qua beati Ioannis ſententia manifeſtè repudiatur inepta Stoicorum diſputatio, qui dicere auſi ſunt, contra omnem generis humani ſenſum, & affirmare, quòd omnia peccata ſint paria, dicentes: nihil diſtare vtrum hominem quis furatus ſit, an bouem, an gallinam: quia non animal crimen, ſed animus fecerit. Quos Iouinianus ſecutus eſt hæreticus, aſtruens nullam nuptiarum & virginitatis eſſe diſtantiam, non abſtinentes in aliquo retributionis priuilegio ſimpliciter epulantibus eſſe præferendos.

Ambroſius Anſbertus. 760.

In Apocalypſin libro 5. capite 12. *Nolite*, inquit Paulus, *locum dare diabolo.* Ille enim locum Ephe. 4. dat antiquo hoſti, qui quodlibet mortale crimen admittit. Nam hi, qui minima committunt, & tamen à maximis cauent, habitatio antiqui hoſtis non fiunt, nec eo præualente ſuccumbunt. Quia etſi per delectationem corda eorum nonnunquam penetrat, non tamen per conſenſum inhabitat. Intrat, inquam, per minima, ſed non inhabitat per maxima. Ille namque eius fit habitatio, in cuius mente regnat peccatum. Tolle regnum peccato, & non inuenitur locus diabolo.

Haymo. 820.

Ad epiſtolam Dominicæ octauæ poſt Pentecoſten: *Stipendium peccati*, id eſt, remuneratio peccatorum, *mors* æterna eſt. Non tamen de omnibus peccatis intelligendum eſt, ſed de criminalibus, de 1. Ioan. 5. quibus dicit Ioannes: *Eſt peccatum ad mortem: non dico pro hoc vt quis roget.*

Rabanus Maurus. 850.

Libro de vera pœnitentia cap. 5. Fideles, & qui Deo placent, non tantùm in leuibus peccare, verùm etiam immanitate ſcelerum viam ſibi præcludere regni cælorum poſſunt.

Radulphus Flauiacenſis. 950.

Libro 3. in Leuiticum capite 4. Si ad ſpiritualem recurras intelligentiam, omne peccatum magnum aut paruum, capitale ſeu veniale, hominis immunditia eſt: cui quicunque libens affectum iungit, iuxta peccati menſuram polluitur.

Libro 11. cap. 1. Peccata infernum expectant potius, quàm cælum: mortem merentur, non vitam: tormenta, non gloriam.

Smaragdus. 960.

In Diademate capite 44. Quatuor modis committitur peccatum in corde, quatuor perpetratur & opere. Admittitur corde ſuggeſtione dæmonum, delectatione carnis, conſenſu mentis, defenſione elationis. Committitur opere, nunc latenter, nunc palam, nunc conſuetudine, nunc deſperatione. Iſtis ergo gradibus & corde delinquitur, & opere. Tribus modis peccatum geritur, ignorantia, infirmitate, induſtria. Grauius eſt infirmitate, quàm ignorantia delinquere: rurſum grauius induſtria, quàm infirmitate. Induſtria peccat, qui ſtudio & deliberatione mentis malum agit: infirmitate, qui caſu vel præcipitatione. Nequius autem & de induſtria peccant, qui non ſolùm non bene viuunt, ſed etiam bene viuentes, ſi poſſunt, à veritate auertunt,

Sunt peccata leuia, quæ incipientibus quotidiana satisfactione purgantur, quæ à perfectis velut magna crimina euitantur. Quid igitur homines de magnis sceleribus agere debent, si perfecti leuia delicta quasi grauissima lugent? Experimento minorum peccatorum maiora committuntur peccata, vt durius feriantur pro magnis sceleribus, qui de paruis corrigi non nouerunt.

Anselmus. 1080.

Libro 1. cur Deus homo cap. 14. Sicut homo peccando rapit quod Dei est: ita Deus puniendo aufert quod hominis est. Quippe non solùm id suum alicuius esse dicitur, quod iam possidet, sed quod in eius potestate est vt habeat. Quoniam ergo homo factus est, ita vt beatitudinem habere posset, si nō peccaret, cùm propter peccatum beatitudine, & omni bono priuatur, de suo, quamuis inuitus, soluit quod rapuit.

De mensuratione crucis: Tria principaliter damna sunt in peccatis, scilicet quod in ijs meremur pœnam æternam, demeremur æternam beatitudinem: tempus (quod pessimum est) sine amore & laude Creatoris nostri expendimus.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

In Michæam libro 1. capite 2. Hic modus peccati est deterrimus, cùm quis non per ignorantiam, non per infirmitatem, sed scienter per superbiam peccare cognoscitur. Denique si per ignorantiam quis peccat, si per infirmitatem delinquit, adhuc venia proxima est illi.

Libro 2. can. 5. Simpliciter errare veniale est, sed errorem eundem pertinaciter defendere damnabile: quia hæreticum est.

Bernardus. 1130.

Sermone 3. in Natali Domini: Agnosce, ô homo, quàm grauia sint vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & ad mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur.

Sermone de cute, carne, & ossibus animæ. Sicut enim peccati cogitatio decolorat, affectio vulnerat: sic consensus omninò animam necat.

Richardus Victorinus. 1140.

Tractatu de mortali & veniali peccato: Mortale peccatum triplici ratione distinguitur. Mortale est, quod à quouis non potest committi sine grandi corruptione sui: mortale est, quod non potest committi sine graui læsione proximi: Mortale nihilominus, quod non potest committi sine magno contemptu Dei. Cætera verò omnia videntur mihi venialia. Veniale peccatum est reatus, cui, quantum est in se, solùm fide mediante, nunquam debetur æterna damnatio. Mortale peccatum est reatus, cui quantum in se solùm semper debetur condemnatio.

Super Cantica capite 25. Omne mortale committitur agendo contra præcepta, vel contra conscientiam. Quicquid enim conscientia dictaret mortale, etiamsi veniale esset, qui hoc contra talem conscientiam faceret, mortaliter peccaret, dicente Apostolo: *Omne quod non fit ex fide,* (id est, contra conscientiam) *peccatum est:* & quod contra conscientiam fit, ædificat ad gehennam. Cætera quæ fiunt mortalia, contra præcepta fiunt. Sunt autem quædam peccata, quæ semper sunt mortalia: sicut sunt odium, idololatria, veneficium, fornicatio, & huiusmodi. Ita verò, impatientia, gula, superbia, inanis gloria, detractio, & multa talia, non semper sunt mortalia, nisi videlicet in his aliquis peccet per grauem contemptum, vel faciat contra præceptum, id est, contra dilectionem Dei & proximi.

Rom. 14.

Petrus Lombardus. 1150.

Libro 3. distinct. 35. Peccatum, id est, culpa, propriè animæ corruptio est. Si autem quæritur, in quo possit corrumpi anima? In parabola illius, qui incidit in latrones, qui eum vulnerauerunt, & spoliauerunt, clarescit. Incidit enim homo in latrones, quando per peccatum in potestatem diaboli traditur. Et tunc per peccatum spoliatur gratuitis bonis, id est, virtutibus: & in naturalibus bonis vulneratur, quæ sunt ratio, intellectus, memoria, ingenium, & huiusmodi, quæ per peccatum obtenebrantur, & vitiantur. Per peccatum enim priuatur illo bono, cuius participatione cætera bona sunt, quo tanto magis priuatur, quantò magis se ab eo elongat. Nihil est, quod hominem adeò Deo dissimilem faciat, quemadmodum peccatum. Cùm autem peccatum sit priuatio vel corruptio boni, quæ est in anima, est etiam priuatio vel corruptio boni corporis: sicut corpus hominis priuauit beneficio illius immortalitatis & impassibilitatis, quam habuit ante peccatum.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone in Festo Mariæ Magdalenæ: Delictum in omittendo, peccatum in committendo consistit: delictum est non agnoscere faciendum, peccatum facere non agendum.

In Psalm. 3. Pœnitentialem: Peccata, quæ mihi dimissa sunt per Baptismum vel Pœnitentiam, computruerunt, id est, conuersa sunt in putredinem, dum iterata sunt ad reatum, qui est mentis putredo Heu si quis viderit animam peccatricem, quàm sit fœda, quàm fœtida & putrida: profectò leprosior est carne leprosa, &c. Quid insipientius est peccatore, qui & cognoscit facinus & committit, præcipitans se scienter in mortem? Certè brutum animal, si videt foueam, declinat ab ea, ne labatur in illam, & si forsitan alicubi difficultatem incurrit, non potest illuc sine difficultate reduci. Homo verò ab illicito semper illicitur, & in delictis iugiter delectatur. Caue igitur pœnitens iterare peccatum, ne propter ingratitudinis vitium requiratur à te debitum iam dimissum.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica 2. post Pascha: Peccatum veniale est, de quo Apostolus ait, quòd quidam ædificant ligna, fœnum, stipulam: & mortale, de quo Iacobus ait: 1. Cor. 3.
Peccatum, cum consummatum fuerit, generat mortem. Iacob. 1.
&c. Quoniam omne peccatum mortale trahit ad mortem & pœnam æternam, summo studio quodlibet peccatum mortale debemus à nobis relegare, siue sit peccatum carnis per fragilitatem & infirmitatem, quod dicitur fieri in Patrem, cui attribuitur potentia: siue sit peccatum insipientiæ vel simplicitatis per ignorantiam, quod dicitur fieri in Filium, cui attribuitur sapientia: siue sit peccatum obstinationis, per malitiam & mentis elationem, quod dicitur fieri in Spiritum sanctum, &c.

Dominica 14. post Octauam Pentecostes: Peccatum mortale animam hominis corrumpit, & abominabilem reddit. Vnde comparatur lepræ, quæ carnem hominis inficit, & corrumpit, & ipsum à consortio & cohabitatione Sanctorum, tamquam abominabilem eijcit. Lepra siquidem mortalis peccati non solum animam inficit, sed & interficit, & Dei similitudinem tollit.

Guilhelmus Alvernus. 1230.

De Sacramento Pœnitentiæ cap. 2. Quia peccata mortalia nihil aliud sunt quàm incendia, & vastationes, seu deprædationes animarum, manifestum est esse ea reuelanda his, qui ex officio prodesse debent & possunt.

Albertus Magnus. 1240.

Ad caput 4. Matt. Peccatum actuale in quantum contrarium est gratiæ, culpa vocatur: in quantum autem contrarium est virtuti, vocatur vitium. Et in actu interioris, vel exterioris, verbi, vel facti consideratum vocatur peccatum, habens tres effectus: quorum vnus est priuatio boni naturalis, & sic vocatur malum. Ex illa autem priuatione surgit deformitas, & quo ad hanc vocatur macula, non quidem positiuè, sicut est nigredo vel albedo, sed potius, vt dictum est, priuatiuè, sicut mutilatio auget maculam, vel cæcitas. Quia cùm peccatum sit defectus, non potest imprimere maculam, quæ positiuè aliquid sit. Ad hæc, quoniam omne, quod ponitur, est ens, & omne ens est à Deo, si macula positiuè esset, aliquid esset à Deo, quod ridiculum & absurdum esset. Vnde sicut mutilatio, & defectus nasi, est deformitas siue macula faciei: ita peccatum est priuatio naturalis boni, & sic malum est: vel deformitas, siue macula animæ, & sic est turpitudo. Tertius autem effectus est, in quantum est carens rectitudine legis, & sic obligat ad pœnam, & vocatur reatus.

Ad caput 15. Matth. Peccata mortalia introducunt ad mortem.

Thomas Aquinas. 1250.

In Summa de Veritate, materia 12. Omnia peccata mortalia habent in hoc conuenientiam quandam, quòd pro eorum quolibet homo separatur à Deo. Vnde gratia, quæ Deo hominem coniungit, ab omni peccato mortali liberat, non autem ab omni veniali: quia venialia à Deo non separant.

Bonauentura. 1260.

Tertia parte Breuiloquij cap. 9. Circa ortum peccatorum capitalium hoc est in summa tenendum, videlicet, quòd peccatorum actualium vnum est initium, duplex radix, triplex fomentum, septiforme caput siue capitale peccatum. Vnum est capitale initium, scilicet superbia. Iuxta quod Scriptura dicit: *Initium omnis peccati superbia.* Duplex radix: scilicet, Timor malè humilians, & amor malè accendens. Triplex fomentum, secundùm tria, quæ sunt in mundo, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitę. Septiforme verò caput, scilicet: Superbia, inuidia, ira, acedia, auaritia, gula, luxuria. Inter quæ quinque præcedentia sunt peccata spiritualia, duo verò vltima sunt carnalia.

Ægidius Romanus. 1280.

Tractatu de Inferno cap. 11. Quicunque in peccato mortali decedit, in perpetuum damnabitur.

Hugo Pratensis. 1300.

Serm. 70. Multa mala peccator patitur in peccato stando. Primum malum est cæcitas mentalis: quia peccator tamquam cæcus non perpendit vnde expellitur, & quò trahitur. Apoc. 2. *Memento vnde excideris.* Quia de numero filiorum Dei recedit ad filios diaboli, de refertis diuitijs ad summam paupertatem, de gloria ciuitatis Paradisi, ad furcas inferni. Secundum est infirmitas totalis: Peccator enim omni die in infirmitate languet. Esaiæ 1. *A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Quia & oculos habet pronos ad illicita videndum, & aures ad vana audiendum, & os ad prohibita comedendum, & manus ad mala exercendum, & pedes ad mala loca eundum, & memoriam ad iniurias recolendum, & intellectum ad proximum decipiendum per mirabiles industrias. Tertium est seruitus miserabilis: nam peccator, qui à diuina prouidentia omnium dominus est constitutus, pessimam seruitutem incurrit. Magna est, quia peccator est seruus omnium vitiorum, quæ in eo regnant, vt auarus pecuniæ, gulosus gulæ, superbus honoris, &c. Quartum est omnium bonorum priuatio generalis: nam peccator contra Dei maiestatem peccans, sicut pro crimine læsæ maiestatis omnibus bonis priuatur. Nam priuatur hæreditate vitæ æternæ: priuatur merito passionis Christi, & omnium Sanctorum: priuatur omnibus bonis, quæ fiunt in Ecclesia, ac etiam omnibus bonis, proprijs: priuatur omnibus virtutibus, & donis Spiritus sancti, &c.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 2. cap. 28. Per peccata homo Deum offendit, consortium Sanctorum & Angelorum amitit, suffragia Ecclesiæ perdit, animam interficit, diabolo se subijcit, & in infernum se demergit.

Ioannes Taulerus. 1350.

Sermone 3. in festo Pentecostes: Tantum illi roboris & constantiæ Spiritus sanctus præstat, vt non solum peccatum nullum mortale velit admittere, sed & potius, quàm Deum ex proposito animoque deliberato per venialem culpam offenderet, mortem subiret. Ita enim & Doctores sancti asserunt, potius mortem excipiendam, quàm peccatum etiam veniale committendum. De mortalibus autem dubium non est, quin multò libentius mori debeamus, quàm aliquid ex ijs sponte scienterque admittere.

Sermone 4. in Festo Sacramenti: Venialia peccata charitatis actualem feruorem diminuunt infrigidantque, cor distrahunt, deuotionem expellunt, sanctam labefactant vel extinguunt strenuitatem, Dei familiaritatem auferunt: & quamuis gratiam charitatemque non enecent penitus, hæc ipsa tamen damna inferunt, multumque disponunt ad mortalia peccata, & gratiæ amissionem.

Thomas Argentinensis. 1350.

Lib. 2. distinct. 42. q. 1. art. 4. Vitium potest dici capitale, vno modo, quia punitur capitis priuatione, puta morte, & sic omne peccatum potest dici capitale: quia omne peccatum mortale nisi per pœnitentiam deleatur, à iusto iudice punitur æterna morte. Alio modo dicitur capitale, quia ab ipso plura oriuntur vitia: sicut in arbore ramus dicitur capitalis, à quo plures rami oriuntur. Et sic septem sunt capitalia vitia: quia quamuis vnum istorum oriatur ex altero, tamen quodlibet istorum potest esse principium plurium specialium vitiorum.

Thomas VValdensis. 1410.

Tomo 2. cap. 155. Tot modis differentias peccatorum venialium & mortalium in Scripturis sanctis inuenimus, & in his tam in veteri, quàm in nouo Euangelij testamento, multisque alijs, secundùm signatas conditiones vtriusque, qualiter inter se distent, aut pœnæ quantum validæ, cogitares, si pro vocabulis non certares.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De spirituali animæ interitu libro. 1. Cunctis patet veritatem intelligentibus, septem esse lethalia crimina, quæ quisquis sponte perpetrauerit, procul dubio spirituali vita priuabitur & gratia. Horum, tamquam originale principium, primatum tenet superbia, &c.

Rupertus Lycius. 1480.

Sermone 7. Quadragesimali : Licet plerique iam accepérent mortalia peccata damnosa fore, verumtamen in hoc errore deuenire solent, vt omnia peccata Stoicorum more paria esse confirment: sic & futuras inferni pœnas æquales peccantibus omnibus esse præparatas. Contra quos est auctoritas Domini & Saluatoris nostri, qui Ioannis 19. dixit Pilato: *Qui me tradidit tibi, maius habet peccatum.* In quo verbo vnum supponitur, scilicet, quod Pilatus peccauit, & aliud à Christo exprimitur, quòd scilicet ille, qui tradidit, maius peccatum habuit.

ARTICVLVS QVARTVS.

SVPERBIAM, VT MORTALE PECCATVM, FVGIENDAM.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

L*Euitici* 26. *verſ.* 19. Conteram superbiam duritiæ vestræ, daboque vobis cælum desuper sicut ferrum, & terram æneam.

Deuter. 17. 12. Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo: ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israël: cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.

Tobiæ 4. 14. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.

Prouerb. 6. 16. Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius, Oculos sublimes, Linguam mendacem, Manus effundentes innoxium sanguinem, Cor machinans cogitationes pessimas, Pedes veloces ad currendum in malum, Proferentem mendacia testem fallacem, Et eum qui seminat inter fratres discordias.

Prouerb. 13. 10. Inter superbos semper sunt iurgia.

Sapien. 5. 8. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius præcurrens.

Ecclesiastici 10. 7. Odibilis coram Deo est & hominibus superbia. 14. Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo, quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor eius: quoniam initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem. 18. Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantauit humiles ex ipsis gentibus.

Isaiæ 13. 11. Quiescere faciam superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo.

Abdiæ verſ. 3. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum: qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum: inde detraham te, dicit Dominus.

Matth 23. 11. Qui maior est vestrum, erit minister vester. Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.

Lucæ 1. 51. Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Iacob. 4. 6. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Ignatius. 100.

Epiſt. ad Heronem : Superbiam fuge: *superbis enim Deus resistit, &c.*

Origenes. 230.

Homilia 2. in libros Iudicum : Odiosum satis est in conspectu Dei superbiæ vitium: quia, sicut Scriptura dicit: *Initium descendendi à Deo, superbia.* Et iterum alibi Scriptura dicit: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Si quis igitur Christi humilitate contempta, qui propter nos, cùm Deus esset, homo factus est, & humiliauit se vsque ad mortem, extollitur & effertur, & ad potestates & dignitates seculi prosilit, & artes, quibus hæc assequi nititur, etiam si contra fidem, & religionem sint, non refugit, nec horrescit, dummodò quod cupit obtineat, faciatque malignum in conspectu Domini: postquam adeptus fuerit summas infulas potestatum, & ad ipsa superbiæ fastigia summa conscenderit, inde deiectus traditur huic Chursarsaton, vni videlicet ex aëris Principibus,

vt hu-

vt humiliet eum, qui nimis fuerat exaltatus, vt affligat, vt conterat donec resipiscat, & quærat Dominum: quia cùm esset in superbia & elatione constitutus ignorabat Dominum.

Antonius Abbas. 330.

Epistol. 2. ad Arsenoitas: Pro certo est, quòd cùm se nouerit diabolus per superbiam & inanem gloriam cælitus fuisse deiectum, ideo & ille eos, qui peruenerint in magnam mensuram, aggreditur: imprimis artifices existentes per superbiam, & inanem gloriam, vt sint aduersum se alterutrum, scientes quòd per ista segregent nos à Deo.

Athanasius. 340.

De Virginitate seruanda: Ingens remedium est ad salutem animi humilitas, cùm satanas non ob scortationem, aut adulterium, aut furtum deiectus sit è cælo, sed superbia illum inde præcipitârit infra ipsam abyssum, cuius hæc verba fuêre: *Ascendam, & ponam solium è regione Dei, & ero æqualis Altissimo:* & ob hæc verba deiectus est, ignisque æternus illius hæreditas & portio factus est. Superbia in diabolo est, humilitas contra in Christo est.

Macarius Ægyptius. 360.

Homil. 27. Quemadmodum si quis liber & ingenuus more seculi ac valde locuples, reditum insuper cogat, & fructus inferat, ille arrogans est, ac sibi ipsi fidit: cumque sit intolerabilis, omnes calcitrat, & colaphis afficit: ita sunt quidam nulla discretione præditi, qui cùm paululum quietis precationisque fuerint adepti, extolli incipiunt, rebelles esse, atque de alijs iudicium ferre: & hoc pacto delapsi sunt in profundissima terræ.

Basilius Magnus. 370.

Homilia 22. quæ est de humilitate: Quæstus pecuniarum est argumentum auaritiæ, possessio illarum nihil facit ad bonam existimationem, sed frustra inflat, inaniter extollit. & ferè idem facit animæ, quòd inflammatio corpori. Inflammatorum enim corporum tumor nec sanus est, nec vtilis: sed morbidus, ac noxius, periclitandi principium adferens, & pereundi occasionem. Tale quid & circa animam facit superbia, & non solùm ex pecunijs nascitur animi elatio, neque superbo tantùm, qui ex pecunijs est, victu & vestitu in sublime feruntur homines, sumptuosiores, quàm necessitas exigit, ac voluptuarias mensas struentes, nec pro necessitatis vsu sese vestientes, amplas ædes adornantes, famulorumque subsequentium copiam, & adulatorum innumerabilium cœtus post se trahentes, sed magistratus honorem ex populi suffragijs adepti, supra naturam exaltantur. Si populus magistratum dederit, si quam præsidendi dignitatem assignauerit, & prærogatiuæ honorem decreuerit, & hîc quasi humanam excellant naturam, tantùm non ipsis se putantes insidere nubibus, proterendos arbitrantur subiectos homines, & aduersum eos quoque, vnde dignitatem, quam habent, acceperunt, eriguntur, & per quos quod sunt esse videntur, aduersum illos insolescunt, rem committentes dementia plenam, cùm gloria illorum quouis somno inanior sit, &c. Pharisæus ille impudens, & vehementer superbus, qui non solùm in seipso confidentiam habuit, sed & publicanum ad Deum traduxit, iustitiæ gloriationem superbiæ vitio perdidit, & descendit publicanus præ ipso iustificatus, propterea quòd gloriam Deo dedit. Vide igitur, & obserua exemplum grauis nocumenti, quod adfert superbia. Iustificationem amisit per superbiam elatus, mercedem perdidit per confidentiam temerarius, infra humilem & peccatorem abiectus est, seipsum supra illum extollens, & non Dei iudicium expectans.

In Reg. breuiorib. c. 35. Quibus signis superbus esse aliquis cognoscitur, & quomodo sanatur? Cognoscitur ille quidem ex eo, si ea quærat, vnde cæteris superior sit. Sanatur autem, si fidem habeat sententiæ illius, qui dixit: *Dominus superbis resistit.* Illud tamen intelligendum est, vt quis superbiæ iudicium extimuerit, non posse tamen ab eo morbo sanari, nisi se à studijs omnibus excellentiæ reliquorum auocauerit: quemadmodum idioma quoduis, aut cuiusuis generis artem nemo possit dediscere, qui non se prorsus remouerit, non modò à faciendis, aut loquendis rebus illis, quæ sint ex arte illa & lingua, sed ab audiendis: etiam qui loquantur, & qui faciant aspiciendis.

Admonitione ad filium spiritualem: Vir humilis Deo est similis, & in templo pectoris sui gestat eum: Superbus autem, cùm Deo sit odibilis, diabolo similis est. Humilis verò licet in habitu videatur vilissimus, gloriosus est in virtutibus: superbus autem homo, & si decorus videatur, aspectu est clarus, sed tamen inutilem eum manifestant opera illius, & per hos incessus & motus dignoscitur eius superbia, & ex verbis eius publicabitur leuitas ipsius. Cupit semper laudari ab hominibus, & virtutibus, quibus alienus se prædicare gestit. Non se patitur cuiquam esse subiectum, sed semper primatum cupit, & ad maiorem gradum se conatur immergere, & quod ex meritis obtinere non potest, ambiendo festinat. Ambulat semper tumens, vt venter vacuus & inanis, & sicut nauis absque gubernatore, cùm iactatur à fluctibus, ita & is circunfertur inter omnes actus suos.

In 2. Esaiæ: Dies Domini Sabaoth super omnem contumeliosum & superbum. Forsan primum illud peccatum contumelia ac superbia fuit: siquidem diabolus elatus superbia, pro expletione bonorum, quibus cumulatissimè affluebat, desciuit à Deo, secumque ad defectionem sollicitauit & abduxit aduersarias potestates dicens: *Super astra ponam solium meum, sedebo in monte præcelso, super montes excelsos, qui sunt ad Aquilonem. ascendam super nubes: ero similis Altissimo.* Eam ob rem cœpit illinc vindicta vltrix superbiæ. Si quis porrò excæcatus in iudicium inciderit diaboli, cum eo principe & quasi opifice superbiæ condemnabitur. Dominus enim superbis resistit. Videtur quodam modo contumelia origo esse elationis ac superbiæ. Qui enim alios despuit, nihili eos ducens, sed mendicos quidem hos appellat, illis autem opprobrat generis ignobilitatem, alios verò censet inscios & indociles, vt verbis hisce contumeliosis solus existimetur esse sapiens, intelligentia præditus, generosus, diues, potens. Suum principatum opponit, vt supra cæteros conspiciatur: anxiè contendit, vt superemineat multis. Hoc autem dum molitur perficere, proximum quidem pro nihilo habet, se verò venditat, & ad grauitatem componit. Est igitur contumelia, siue in proximum iniuria fons & origo superbiæ: & superbia, malum vtique ex arroganti contumelia in proximos oriundum. Ob hoc intenditur vindicta in omnem contumeliosum & superbum.

Ephram. 370.

Tomo 2. adhortatione 4. Si spiritus superbiæ aut ambitionis diuitiarum ve te conturbet, ne abripiaris, quin potiùs strenuè maligni ac fraudulenti spiritus impugnationi ex aduerso resiste.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Carmine de virtute humana:

——————Ergo cauendum
Ne tibi plus æquo tribuas, & mente superba
Viribus ipse tuis fidas, quantumlibet in te

Fulgeat insignis sapientia: neve virum quem
Inferiore gradu cernens, attollere cristas
Incipias, tanquam sublimior omnibus, atque
Vicinus meta: metam nam constitit intra
Virtutis quicunque viam non prorsus obiuit.
Pectore sis trepido, nimium nec lumina tollas.
Detrabit in terram fastus spes tollit ad astra,
Atque Dei in mentes semper furit ira superbas.
Hoc manibus iam carpe tuis: spera istud: at illi
Cede humilis: prudentis enim est agnoscere vita
Humana modulum. Non est in dispare culpa
Qui bona desperat: nimium sibi quisque, velut sit
Procliue esse bonum: fidit: virtutis vtrinque
Namque ita cessabit praeclarum insistere callem.
Missilibus telis semper pete pronidus album.
Non vltra Christi tendat praecepta sagitta:
Non etiam citra: sic namque vtrinque feretur
Irrita: saepe etenim immodicus conatus ab omni
Deficitur fructu, vana dum laudis amore
Tela, modum praeter, curuato mittimus arcu.
Quòd si forte tuam damnosa superbia mentem
Sollicitet, tum tu quisnam tibi cesserit ortus
Esto memor, quidnam fueris prius ipse, parentis
Quidnam cum grauida tegereris rursus in aluo,
Denique quidnam sis post vltima fata futurus:
Nempe cinis, tineaq, cibus, nil lumine cassos
Amplius inter habens, quam quiuis paupere censu.

Gregorius Nyssenus. 380.

In vita Mosis: Vexantur escarum Aegypti cupiditate, vnde serpentes immissi sunt, simulachro pendentis serpentis ex ligno superantur: ita crucifixi fides vel figurata liberauit: cupiditatis autem morbo depulso, superbia locum eius occupauit. Nam cùm humile atque abiectum esse crederent ordinem suum seruare, ad dignitatem sacerdotij seipsos intrudere conantur, ac eos depellere non erubescunt, qui mysterium id fuerant diuinitus consecuti: sed multi terrae hiatu absorpti perierunt, reliqui fulminibus conflagrârunt. Docet igitur, meo iudicio, his historia finem supercilij, atque superbiae definitionem sic edicere: Superbia est descensus ad inferiora. Quòd si vis verbi, vt multis videtur, contrarium ostendat: superbus enim, qui super alios est, dici videtur, non admiraberis: Veritatem enim diuinae historiae sequi malo, quàm nominum impositionem. Nam si qui se super alios praeferre volunt, hiatu terrae demersi ad infima decidunt, non est contemnenda definitio, cùm dicimus, casum ad infima superbiam esse.

Libro de Beatitudinibus: Verùm superbis, & iactas te nomine iuuentutis, & ad florem aetatis respicis, & gloriaris, & tibi places propter decorem & pulchritudinem, quòd tibi manus supra modum vigeant ad motum, quòd celeres & veloces ad saltum tibi sint pedes, quòd capillus ventis diffundatur, quòd lanugo maxillas distinguat, quòd tibi vestis purpurae tinctu supra modum florida sit, quòd panni tibi serici, praelijs, venationibus, aut historijs quibusdam variegati, distincti, atque exornati sint, aut fortè ad talaria adhibita cura in nigro nitentia, & superfluo opere fibularum lineis oblectantia spectas. Ad ista respicis, teipsum verò non intueris? ostendam tibi tanquam in speculo qui sis, & qualis sis. Non vidisti in loco publico sepeliendis hominibus destinato naturae nostrae mysteria? non vidisti ossium, alijs super alia temere abiectis, congeriem? caluarias carnibus nudatas, terribilem quendam & deformem aspectum exhaustis oculis praebentes? Vidisti ora ringentia, reliquaqúe membra prout fors tulit, diuulsa atque dispersa? Si illa vidisti, teipsum in illis spectasti. Vbi signa praesentis floris? vbi coloris bonitas in genis? vbi flos labiorum? vbi truculenta ac torua oculorum pulchritudo, sub vallo protegumentoqùe superciliorum elucens? vbi rectus nasus in medio genarum pulchritudinis collocatus? vbi ad ceruices vsque demissae comae? vbi circa tempora cincinni? vbi sagittariae, iaculatricesqúe manus? equitatores pedes? vbi purpura? vbi byssus? vbi paludamentum? vbi baltheus? calcaria? equus? cursus? fremitus? omnia, per quae nunc tibi fastus augetur? dic vbi haec, quorum nomine nunc animos tollis ac superbis, magnosqùe tibi spiritus sumis in illis? quod somnium adeò vanum & non subsistens? quaenam ex somno talia visa? quae vmbra adeò tenuis tactum subterfugiens, vt iuuentutis somnium simul & apparens, & protinus praeteruolans? Haec ad eos, qui in iuuentute propter aetatis robur imperfectum minus sapiunt, à me dicta sint. Quid autem dicat aliquis de ijs, qui aetate iam pleni, constituti, confirmatiqúe sunt? in quibus aetas quidem stabilis, mores autem & ingenium instabile est, morbus item superbiae augetur, nomen autem eiusmodi ingenij morbo spiritus & fastus imponitur. Magistratus autem, quodqúe ei adiunctum est imperium & potestas, plerumque superbiae materiam & occasionem praebet. Aut enim in ipso magistratu id vitium admittunt, aut hoc vitio impulsi ad eum aspirant, aut sermones de magistratu illati saepenumerò sopitum iam morbum exuscitant. Et quaenam eiusmodi oratio sit, quae aures eorum à praeconum voce praeclusas penetrare possit? quis ita affectis persuadebit, quòd nihil quicquam omnino differant ab ijs, qui in scena cum pompa prodeunt? Etenim illis quoque persona quaedam ex arte polita, atque ornata, vestisqúe purpurea auro intertexta iniecta est, & in curru magnificè inuehuntur, & tamen nullus superbiae morbus illos ex rebus huiusmodi inuadit: sed quo sensu atque spiritu erant antequam in scenam prodirent, eundem in animo habitum etiam in pompa conseruant, & postea non aegrè ferunt, neque anguntur, quòd & de curru descenderint, & habitus ipsis detrahatur, & adimatur. At illi, qui per tempus magistratus pompam in scena vitae ducunt, neque id, quod paulo ante praeterijt, neque quod paulo post sequetur reputantes, quemadmodum bullae inflatione intenduntur & intumescunt, eodem modo hi quoque ad claritudinem vocis praeconis intumescunt, & alicuius alienae personae formam sibi sumunt, naturalem habitum vultus mutantes, & in seueritatem atque terrorem componentes, sonusqúe ab ijs asperior ad audientium concussionem & horrorem in feritatem transmutatus excogitatur, non amplius intra terminos humanos se continent, sed in diuinam & potentiam, & potestatem se ingerunt & intrudunt. Nam vitae necisqúe se potestatem habere credunt: quod ex ijs, qui causas apud eos dicunt, alienum quidem sententia sua seruant, alium verò capitis condemnant. Ac ne hoc quidem vident, quis verè humanae vitae potestatem habeat, videlicet qui & initium & finem naturae statuit. quanquam hoc solum satis esset ad reprimendum vanum tumorem, atque inflationem, quòd multos magistratum gerentes, & in imperio constitutos, in ipsa magistratus scena è medijs & solijs tribunalibus raptos, & ad sepulchra portatos viderunt, in quibus lamentatio voces praeconis excepit.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homil. 43. ad populum antiochenum. Quemadmodum saeui quidem venti in tranquillum mare delati, totum ab imo subruunt, vt & arena cum vndis misceatur: sic & ambitio, & turpis quaestus animam subeuntes, omnia subuertunt. Excaecat

mentis intuitum præsertim gloriæ furor: nam pecunias quidem contemnere volenti satis est facile: honorem autem à multis collatum despicere, multi laboris indiget, magnæ sapientiæ Angelicæ cuiusdam animæ, ipsum cælestis testitudinis verticem tangentis. Cogita, cùm gloriam concupiscis, quod eam sis assecutus, & disce finem, & nihil inuenies. Cogita quantam ea res habeat iacturam, quot & qualibus bonis priuet: labores quidem sustinebit, & pericula: fructibus autem priuabitur, & certaminum præmijs &c. Cùm aliquid boni faciens cogites, quòd & hominibus oportet ostendere, & aliquos facti spectatores quæras, & solicitus sis vt videatur: cogita quòd Deus videt, & omnem illam extingues concupiscentiam: de terra recede, ad illud cæleste respicias theatrum. Homines licet laudauerint, mox tamen accusant, vel inuident, vel carpunt: sed hoc si non fecerint: nihil tamen omnino laudato prosunt: Deus tamen non ita, sed gaudet nostra laudans merita. Dixisti rectè, plaususq; consecutus es? Et quid emolumẽti? si enim adiuti quidem sunt plaudentes, & mutati, & meliores effecti prioribus abstinuêre malis, verè gaudendum est, non iam collatis laudibus, sed bona mirabiliq; mutatione: si verò laudantes quidem, & tumultuantes perseuerant, & plaudentes, nullum autem ex plausibus fructum reportant, dolendum magis est quoniam hæc eis in iudicium cædunt, & damnationẽ. Sed in pietate gloriam habes? si verè quidem sis pius, & tibi nihil conscius sis mali oportet gaudere, non quoniam videris, sed quoniam es. Si cùm sis, multorum quidem gloriam concupiscis, cogita quod non hi nobis iudices erunt in illa die: sed qui latentia perfectè nouit. Si verò tibi peccatorum consciens, apud omnes mundus esse suspicaris, non tantùm gaudere nos oportet, verùm & dolere, & amarè gemere, diem continuè cogitantem in quo omnia reuelantur, in quo absconditа tenebrarum illuminantur. Honore delectaris? hunc repelle, sciens quòd te debitorem constituit. Honorem tibi præbet nemo? & in hoc gaudendum est. Non enim cum alijs & hoc tibi Deus improperabit, quòd honore delectatus es. An non vides, quòd cum alijs beneficijs & hoc Deus per Prophetam

Ioel. 2. ait: *Accepi ex filijs vestris in prophetas, & ex iuuenibus vestris in sanctificationem?* Hoc igitur saltem lucraris, quòd maiori supplicio non eris obnoxius, &c. Anima namque cupiens honorem & glorificari, non videbit regnum cælorum. Non meus est hic sermo, sed Spiritus sancti. Non videbit, licet virtu-

Matt. 5. tem operetur: ait enim: *Receperunt mercedem suam.* Nõ prohibeo optare gloriam sed veram volo gloriam, quæ est à Deo, *cuius laus est*, inquit, *non ex ho-*

Rom. 12 *minibus, sed ex Deo.* In abscondito simus pij, nõ multo circundati fastu, & ostentatione, & simulatione: Ouis pellem abijciamus, sed potius oues efficiamur. Nihil hominum gloria vilius: dic enim mihi, si paruulorum videas multitudinem, lactentium dico, nunquid ab ijs gloriam concupisces? Sic erga cunctos homines disponaris propter gloriam. Idcirco cenodoxia dicitur. Nonne vides personas, quæ in scena versantes inducũtur, quàm sint pulchræ quidem, quàm verò splendidæ, quàm ad extremam pulchritudinis perfectionem effictæ? Potes mihi talem aspectum in veritate monstrare? nequaquam. Nunquid vnquam earum amore captus es? non. Quare? quia vacuæ sunt, & imitantur pulchritudinem? pulchritudo tamen non sunt, similiter & gloria inanis est &c. Cùm nolis gloriam contemnere, dic, Deo par fio, si contempsero: & statim contemnes. Non enim potest gloriæ seruus homo, non omnium seruus esse, & ipsis seruilior mancipijs, &c. Sicut est modestiæ principium ieiunium, id est, fundamentũ, & constitutio: sic & peccati superbia, & ab ea omne peccatum inchoatur. Ex superbia nascitur pauperum despectus, pecuniarum concupiscentia, amor principatus, multæ desiderium gloriæ: ad contumeliam victor est huiusmodi. Elatus enim nec à maioribus nedum ab inferioribus contumeliam pati sustinet: qui verò contumelia non tolerat affici, neque male pati sustinebit.

Ioannes Cassianus. 420.

Lib. 12. Instit. cap. 3. Nullum est vitium aliud quod ita omnes virtutes exhauriat, cunctaq; iustitia & sanctitate hominem spoliet, ac denudet, vt superbiæ malum, tanquam generalis quidam & pestifer morbus, non vnum membrum, partemve eius debilitare contentus, sed solidem corpus lethali corrumpit exitio, & in virtutum iam fastigio collocatos grauissima ruina deijcere ac trucidare conatur, &c. Et vt hoc ipsum, quod diximus, clarius possit intelligi, gastrimargia, id est, appetitus ventris, seu concupiscentia gulæ, temperantiæ rigorem corrumpit, castitatem libido contaminat, ita patientiam vastat, vt nonnunquam vni quis deditus vitio, alijs virtutibus non penitus destituatur: sed illa tantùm virtute truncata, quæ è diuerso æmulo sibi vitio repugnante succumbit, reliquas possit vel ex parte retinere: hæc verò cùm infelicem possederit mentem, vt quidam sæuissimus tyrannus sublimissima capta arce virtutum vniuersam funditus ciuitatem diruit, atque subuertit, Excelsa quondã sanctitatis mœnia vitiorum solo coæquans atq; permiscens, nullam deinceps imaginem libertatis animæ sibi subditæ superesse concedit, quantoq; cœperit ditiorẽ, tanto grauiore seruitutis iugo subditum, vniuersis virtutum facultatibus crudelissima deprædatione nudabit.

Nilus Abbas. 420.

De octo vitiosis affectionibus cap. de Superbia: Grauissimus atque omnium truculentissimus est superbiæ affectus, ac perfectos potissimum oppugnat, eosq; qui ad virtutum fastigium euecti sunt, deijcere contendit: atque vt contagiosus morbus in totum corpus, sic ipse quoque in totam animam serpit. Superbia est animæ tumor, sanie plenus. Superbus autem sibi ipsi, ac non Deo, quæ rectè atque ex virtute gerit, ascribit: aut certè eos, qui ab officio aberrant, aspernatur. Superbia arbor sublimis est, putrida tamen, atque eiusmodi ramos habens, qui facilè perstringantur, atque ascendentem in terram prosternant.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib. 3. in Ioannem cap. 20. Honor & gloria mundi fugienda est ijs, qui volunt gloriam Dei consequi: Stultum enim omnino est, si æterna regna desideras, regna huius mundi appetere. Caducam igitur gloriam, quæ superbiæ ac flatui coniuncta est, quasi acerbum hostem fugiamus, & humilitatis decorem amplectamur, alter alteri cedentes.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 1. epist. 164. *Superbis Deus resistit.* Quandoquidem etiam ipsorum principi ab initio sese opposuit. Considera igitur quantum est & Deum hostem atque aduersarium habere, & veterem hostem socium. Iacob. 4

Isaac Presbyter Antiochenus. 460.

De contemptu mundi cap. 51. Qui superbit, in blasphemiam cadere permittitur: & qui operatione virtutum extollitur, & qui Deum pro oculis non habet, contra Deum, vel contra proximum semper pensat, in fornicationem permittitur cadere, & de sapientia eleuatur, tenebrosus ignorantiæ laqueos patietur.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 22. Superbia est Dei abnegatio, inuentio dæmonum, aspernatio hominum, condemnationis mater, sterilitatis augmentum, laudum progenies, diuini adiutorij expulsio, stuporis præcursor, lapsuum ministra, casus materia, iracundiæ fons, simulationis ianua, firmamentum dæmonum, delictorum custos, duritiæ & crudelitatis artifex, compassionis & misericordiæ ignoratio, amarus exactor, immitis iudex, Dei aduersatrix. Initium superbiæ finis est inanis gloriæ, medium verò despectio proximi, & laborum suorum impudens diuulgatio: laudis amor, ex corde reprehensionis odium: finis autem est abnegatio diuini adiutorij, proprijque studij elatio & confidentia, dæmoniacus mos.

Antiochus. 600.

Homil. 44. Superbiæ ægritudo grauitate malitiæ cæteras animi turbulentas affectiones longè exuperat, quam & Deus odit infensissimè, nec vlli prorsus hominum consentanea est, aut congruens. Pulchrè illi competit & soli, qui nostræ est æmulus salutis, nempe diabolo, ad suam ipsius explendam malitiam, cùm per eam peturbatus sit regno cælorum. Is cùm gloriosus subsultaret, ac prægestiens diceret: *Ponam thronum meum super astra cæli,* momento inuentus est non habens vllum
Esa. 14.
tranquillæ quietis locum, sed quasi vnus aliquis manceps miserrimæ captiuitatis, quouis locorum triumphatus ostentatur ad gloriam summi Dei. Atque ita peculiaris hic dæmon superbiæ cùm præter cæteras affectiones animam miserrimè affligit, & cruciet: eos tamen omnium maximè impugnat, & vt deturbet atque euertat, aggreditur, qui profectu virtutum aliquousque iam promouerunt. Superbia perinde est ac morbus quidam pestilens, ac tabificus, qui non vnum modò corporis membrum, sed ipsum dira putrilagine depascitur, vitiat, conficit. Aliæ enim quantæcunque passiones sint, vnam aliquam portionem animæ suis offundunt tenebris, atque eam obturbant: superbiæ intemperies nullam non animæ vim horrenda caligine circunfundit, inquè non simplicem ruinam agit præcipitem. Anima enim superbi in præcelsum aliquod ac sublime fastigium finitur conscendere, vnde commodius deturbetur in subiectam foueam. Vt ramum copia fructuum exuberantem moles onerosa diffringere solet: sic animam generosam multiplicique fœtu virtutum præfertilem plerunque superbia deijcit gradu. Quemadmodum fructus marcore aut carie vitiatus, cultori suo nihil adfert commodi: ita & superbi oratio nihil ex Deo relatura est frugis bonæ. Ne dederis superbiæ animam tuam, & imagines horrendas atque plenas formidinis non cogeris perspicere. Anima enim superbi diuino destituitur præsidio: quo fit, vt in dæmonum vertatur ludibrium ac deridiculam gratulationem.

Maximus Monachus. 640.

Centuria 3. cap. 64. Affectio superbiæ duplici constat ignoratione: duæ porrò ignorationes in vnum concurrentes, reddunt vnum intellectum confusum. Ille quidem solus est superbus, qui tum auxilium diuinum ignorat, tum infirmitatem humanam. Superbia igitur est diuinæ humanæque cognitionis priuatio. Extremorum enim verorum inficiatione, vnica & mendax efficitur affirmatio.

Cap. 65. Vana gloria est recessus à scopo diuino, & ad alium scopum, quàm diuinum transitus. Quocirca vanæ gloriæ deditus est ille, qui suæ, & non diuinæ gloriæ causa virtutem exercet, proprijs laboribus non subsistentes laudes ab hominibus redimit.

Centur. 5. c. 5. Reuera detestanda est affectio superbiæ, quæ ex duobus vitijs componitur, arrogantia, inquam, & vana gloria: è quibus arrogantia quidem negat causam virtutis & naturæ: vana autem gloria & naturam & virtutem ipsam adulterinam statuit. Nam superbus nihil Deo gratum peragit: vanæ verò gloriæ studiosus secundùm naturam nihil oriri putat.

Cap. 6. Arrogantiæ proprium est, negare Deum esse virtutis auctorem & naturæ. At vanæ gloriæ proprium est, in partes diuidere naturam eius imminuendæ causa: è quibus oriri solet superbia, qui habitus est vitij compositus, continens spontaneam abnegationem Dei, & naturalis in distribuendis honoribus æqualitatis inscitiam.

Cap. 7. Superbia est arrogantiæ, vanæque gloriæ permixtio, quæ quoad Deum contemptu pollet, quo prouidentiam contumeliosè calumniari consueuit: quantum ad naturam dedita est inuersioni, qua res omnes naturales tractat præter naturam, abusu corrumpens decorum naturæ.

Thalassius. 640.

Hecatontidis 4. c. 34. Superbia facit diuino destitui auxilio, confidere in seipso, & inniti hominibus.

Cap. 35. Duo remedia aduersus superbiæ mala proponuntur, quæ si quis accipere renuit, tertium longè acerbissimum habiturus est.

Cap. 36. Superbiam tollunt precari cum lachrymis, contemnere neminem, denique damna præter voluntatem accidentia.

Theophylactus. 900.

In cap. 7. Marci: Superbia est quasi contemptus Dei, quando quis bonum operatur, & hoc non ascribit Deo, sed propriæ virtuti.

In caput 18. Lucæ: Non cessat Dominus pluribus argumentis repurgare superbiæ vitium: plus enim alijs vitijs mentem humanam turbat, propterea sæpe & multum de hac docet. Multa enim sunt philautiæ germina: opinio de se magna, arrogantia, & inanis gloriç cupiditas ab hac pullulant. Perniciosior autem omnibus alijs est superbia, quæ Dei est contemptus. Cùm enim quis non Deo, sed sibi sua bona opera tribuit, quid hoc aliud, quàm negare Deum est, & ei aduersari? Hoc igitur vitium, cui Cominus ita aduersatur, vt inimicus inimico, hac parabola medicari Dominus declaratur. Propter hoc enim, quòd confidunt in seipsis, & non totum Deo tribuunt, sed alios per hoc exinaniuit, hæc dicit, & ostendit, quòd iustitia quamuis alioqui sit mirabilis, & hominem Deo proximum constituat, cùm superbiam admiserit, hominem in locum infimum reijciat, & dæmonem reddat, qui iam se æqualem Deo fecerat.

Ad cap. 1. ad Roman. Ad omnium vitiorum arcem superbiam conscendit. Etenim si boni quicquam aliquis faciens, hoc perdit superbiens: quanto magis, qui mala perpetrat? neque enim ita affectus resipiscere potest. Veruntamen noueris, quòd superbia quidem Dei est contemptus, elatio verò siue arrogantia est hominum, è qua nascitur iniuria.

Manuel Paleologus. 1400.

Oratione septima: Humilitas animis exigit vitia, saneque mirabilia quædam efficit, cùm fidelibus adest: & malis genijs vt exitialis, sic eorundem expultrix est. Copias illas cælestes, quæ circa Deum sunt, in statu suo conseruat. Non enim in ista luce permansissent, si ab eis ipsa recessisset. Argumento est, quòd lapsus sit Lucifer

ob splen-

ob splendorem nimium animo supra dignitatis conditionem elato. Hoc ipse telo vulneratus, idem aduersus nos quoque continuò torquet, contra quosuis id seruiturum sibi putans: quam quidem opinionem suis ex malis haurit. Et est sanè telum hoc alio quouis nocentius, nisi obiecta huic modestia vim eius irritam reddat. Quamobrem ipsa elatio etiam Angelos perdit: at ei contraria modestia necessariò diuersum efficiet, hominesque saluos opifici suo restituet, quorum primos parentes oppositum humilitati vitium perdidit, quippe cùm apud animos suos æqualitatem cum Deo quandam imaginati fuissent, ipsi quidem excidêre tam Paradiso, quàm Deo. Quod autem ijs accidit, consimili modo posteris etiam ipsorum vsuuenit.

(*,*)

ASSERVNT PATRES LATINI.

Calixtus Primus. 218.

Epistola prima: Continentiæ prima labes est superbia, initium transgressionis & origo peccati. Quoniam mens spontè auida, nec abstinere nouit, nec pietati adhibere consensus.

Cyprianus. 250.

Lib. 1. Epist. 3. *Epistola 55. ad Cornelium:* Exaltatio, & inflatio, & arrogans ac superba iactatio, non de Christi magisterio, qui humilitatem docet, sed de Antichristi spiritu nascitur, cui exprobrat per Prophetam Dominus, & dicit: *Tu autem dixisti in animo tuo: In cælum ascendam, super stellas Dei ponam sedem meam: sedebo in monte alto, super montes altos in Aquilonem: ascendam super nubes, similis ero Altissimo.* (Isa. 14.) Et addidit dicens: *Tu verò ad inferos descendes in fundamenta terræ, & videbunt te, mirabuntur super te.*

Hilarius. 350.

In Psalmum 118. *Increpasti superbos:*) O infelix superbia. Dedignatur sub præceptis cælestibus viuere, quæ mandata diuina animi infidelis tumore fastidit. Plurima sunt humanorum vitiorum crimina, & diuersæ atque innumerabiles peccatorum operationes: sed nulla magis prouocandi in nos iram Dei, quàm superbiæ causa est. *Increpasti* enim, non auaros, non lasciuos, quibus vtique increpatio debita est, sed *superbos*: quia plures superbia, qua humana contemnunt, etiam Deo obsequi spernunt. Sed sint licet præclara cætera fidei opera, & in omnium diuinorum præceptorum custodia deuotio immoretur: tamen subrepente superbia eorum memoria, quæ rectè operamur, abolebitur: quando Euangelicus ille Pharisæus labore se in vitæ viam statuit, ne alienæ rei rapax esset, ne in quenquam iniuriosus existeret, ne adulterijs dissolueretur, laborauit bis in Sabbato ieiunans, & infelix hoc vitiosum corpus per abstinentiam cibi ingentis patientiæ virtute confecit, quando deinde labore auaritiæ vincendæ decimas substantiæ suæ in vsum egentium intulit. Quid his præclarius? quid horum executione difficilius? Sed incidit in superbiæ laqueum dicens: *Quia non sum sicut peccator iste & publicanus.* (Luc. 18.) Ex ingentibus operibus cecidit in crimen, & insolens per hanc virtutum suarum gloriam factus, iustificato magis publicano recessit.

In eundem Psal. *Humiliatus sum vsquequaque Domine.*) Ezechiam regem Scriptura laudat, quòd fecerit rectum & bonum in conspectu Domini: sed non vsque in finem potuit manere hæc laudatio, scriptum enim est in 2. Paralip. lib. *Et cecidit Ezechias ab altitudine cordis sui.* Vbi cor in altum erexerat, vbi in superbiam se per confidentiam laudationis extulerat, præteritorum gestorum gratiam per superbiæ crimen amisit.

Prudentius. 380.

In Psychomachia de superbia:

Fortè per effusas inflata Superbia turmas
Effreni volitabat equo, quem pelle leonis
Texerat, & validos villis onerauerat armos:
Quo se fulta iubis iactantius illa ferinis
Inferret, tumido despectans agmina fastu,
Turritum tortis caput accumularat in altum
Crinibus, extructos augeret vt addita cirros
Congeries, celsumq́ apicem frons ardua ferret.
Carbasea ex humeris summo collecta coibat
Palla sinu, teretem nectens à pectore nodum.
A ceruice fluens tenui velamine limbus
Concipit ingestas textis turgentibus auras.
Nec minus instabili sonipes feritate superbit,
Impatiens madidis frenarier ora lupatis:
Huc illuc frendens obuertit terga, negata
Libertate fuga pressusq́ tumescit habenis.
Hoc sese ostentans habitu ventosa virago
Inter vtramque aciem supereminet, & phaleratum
Circumflectit equum, vultuq́ & voce minatur,
Aduersum spectans cuneum, quem milite raro,
Et pauperimis ad bella coëgerat armis
Mens humilis, &c.

Hieronymus. 390.

Epistola 45. Dominus noster, humilitatis magister, disceptantibus de dignitate discipulis, vnum apprehendit è paruulis dicens: *Quicunque vestrum non fuerit conuersus, sicut infans, non potest introire in regnum cælorum.* (Matt. 18.) Quod ne tantùm docere, nec facere videretur, impleuit exemplo, dum discipulorum pedes lauat, dum traditorem osculo excipit, dum loquitur cum Samaritana, dum ad pedes sibi sedente Maria de cælorum disputat regno, dum ab inferis resurgens primùm mulierculis apparet. (Ioan. 13. Luc. 22. Ioan. 4. Luc. 7.) Satanas autem ex Archangelico fastigio non aliam ob causam, nisi ob contrariam humilitati superbiam ruit: & Iudaicus populus primas sibi cathedras & salutationes in foro vindicans, deputato antea in stillam situlæ, gentium populo succedente, deletus est: (Mar. 16.) contra Sophistas quoque seculi & sapientes mundi Petrus & Iacobus piscatores mittuntur. Cuius rei causa Scriptura ait: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* (1. Pet. 5.) Vide quale malum sit, quod aduersarium habet Deum, ob quod & Pharisæus in Euangelio arrogans spernitur, & humilis publicanus auditur. (Luc. 18.)

Augustinus. 400.

Epistola 56. ad Dioscorum: Nisi humilitas omnia quæcunque bene facimus & comitetur, & consecuta fuerit, & proposita, quam intueamur, & apposita, cui adhæreamus, & imposita, qua reprimamur, iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, totum extorquet de manu superbia. Vitia quippe cætera in peccatis, superbia verò etiam in rectè factis timenda est, ne illa, quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.

Libro de sancta Virginitate, capite trigesimoprimo: Superbiam sequitur inuidentia, tanquam filia pedissequa. Eam quippe superbia continuò parit, nec vnquam est sine tali prole atque comite. Quibus duobus malis, hoc est, superbiæ & inuidentiæ, diabolus præest.

De natura & gratia cap. 27. Cætera vitia tantùm in malè factis valent: sola autem superbia in rectè factis cauenda est. Vnde admonentur illi, ne dona Dei suæ potestati tribuendo, sesequè extollendo, grauius pereant, quàm si nihil operarentur boni.

In Psalm. trigesimumsextum: Fumus à loco ignis erumpens in altum extollitur, & ipsa elatione in globum magnum intumescit, sed quanto fiet globus ille grandior, tanto fit vanior: sic impius, quo magis exaltatur, tanto citius deficit.

Leo Magnus. 445.

Sermo 4. de Quadragesima cap. tertio: Vicinum est rectis actionibus superbiæ malum, & de proximo semper insidiatur virtutibus elatio. Quia difficile est, vt laudabiliter viuentem laus non capiat humana.

Sermone sexto de Quadragesima cap. tertio: Superbiæ spiritus, de quo omnia sunt orta peccata, humilitatis amore pellatur, & qui elatione tumucrant, mansuetudine mitigentur.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Homil. in Euangelium vndecima Dominica post Pentecosten: Sicut publicanus se humiliando exaltatus est, ita Pharisæus se exaltando humiliatus est. Radix omnium malorum superbia, custos omnium virtutum humilitas.

Prosper Aquitanicus. 460.

Epistola ad Virginem Demetriadem Si quis est, qui aliqua se habere existimat bona, quorum non Deus largitor sit, sed ipse sibi auctor existat, manifestum est, hunc non Dei spiritum habere, sed mundi, & de illa secularis sapientiæ tumere do-
1. Cor. 1. ctrina, de qua dicit Dominus: *Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentum reprobabo, &c.* Inter omnes lapsus hominum, inter omnia commissa peccantium, nulla est grauior quàm superborum ruina: maximè cùm ipsa elatio in Dei tendit iniuriam. Nam aliter inflantur, qui cupiditate extollentiæ singularis omnibus appetunt anteferri, aliter verò intumescunt, qui Dei auxilium refutantes, quæ fieri sine ipsius opere non possunt, ex sua perfici virtute contendunt, & spem suam à Domino auferunt, atque ad se transferunt,
Hier. 17. vt adimpleatur in eis quod scriptum est: *Maledictus homo qui spem habet in homine, & firmat carnem brachij sui, & à Domino discedit cor eius.* Hæc superbia à diabolo sumpsit exordium: qui quoniam sua, quam à Creatore acceperat, potentia & dignitate sibi placuit, seq; auctoris sui gloriæ comparauit, cum ijs angelis, quos in consensu impietatis suæ traxerat, à cælesti sublimitate deiectus est. Et ideo primis hominibus nocere potuit: quia illis malè credulis per mendacia venenata persuasit, vt meliores se futuros putarent, si in libertate sui arbitrij prosilirent, quam si in legis datæ custodia permanerent. Siue itaque in lapsu diaboli, siue in præuaricatione hominis, initium peccati superbia est: quæ congruenter & auaritia nominatur, quia vtraque appellatio eum significat appetitum, qui & suam mensuram concupiscat excedere, & non dignetur diues esse, nisi proprijs: tanquam habeat hoc simile Deo, vt bonorum suorum ipse sibi fons ipse sibi sit copia, &c.

De vita contemplatiua libro 3. cap. 2. Scriptura di-
Eccl. 10. uina immobilem sententiam protulit, dicens: *Initium omnis peccati superbia.* Quid potest apertius, quid probabilius dici? *Initium*, inquit, non alicuius sed *omnis peccati superbia*: vt euidenter ostenderet, quòd ipsa sit peccatorum omnium causa: quoniam non solùm peccatum est ipsa, sed etiam nullum peccatum fieri potuit, potest, aut poterit sine ipsa. Siquidem nihil aliud omne peccatum,
nisi Dei contemptus est, quo eius præcepta calcantur. Esa. 14.
Quem contemptum Dei nulla res alia persuadet hominibus, nisi superbia, quæ etiam in ipso diabolo, vt diabolus ex Angelo fieret, æternæ perditionis extitit causa. Denique & ipse sciens se per superbiam de cælestibus corruisse, & in hunc caliginosi aëris carcerem trusum, homini subuertendo, quem Deus fecerat sine vllo peccato, vitium persuasit serpentina calliditate su-
perbiæ: certus, quòd recepta superbia, quæ est Gen. 3.
malorum omnium causa, facilè iam peccata omnia, quæ non nisi superbo concipiuntur animo, perpetraret. Hinc est, quod idem primus homo superbi spiritus elatione corruptus, omnem posteritatem suam, quæ in illo radicaliter fuit, necessitati corruptionis ac mortalitatis addixit: vt corruptibilis & mortalis effectus, corruptibiles mortalesq; generaret: atque ita quod in illo egerat punienda superbia, in omnibus ex illo natis peccati fieret pœna. Et propterea non eo modo iam possumus peccato resistere, sicut ille potuit.

Epigrammate 48.

Omne genus vitij proprio tantùm valet actu,
Et peccata suam quæque gerunt speciem:
Sola est innumeris armata superbia telis,
Cui possunt vires & bene gesta dare.

Gelasius. 490.

Aduersus heresin Pelagianam: Dubium non est, superbiam super omne esse peccatum: quippe de
qua scriptum est: *Initium omnis peccati superbia:* quod Eccle. 10
tantum malum est, vt singula prauè facta in hoc ipso, quia praua sunt, censeantur esse damnanda, solaque sit superbia, quæ in bene factis periculosa doceatur. Hæc est, quæ non tantùm animal in terris positum constare non sinit, sed Angelicam quoque deiecit infesta naturam.

Fulgentius. 500.

Epistola tertia ad Probam de Virginitate, cap. 16. Superbia ideo initium omnis peccati dicitur, vt omne peccatum de ipsa tanquam de radice pullulare monstretur: quæ multiplici modo miseris inferens mortem, publico certamine carnales deijcit: spirituales verò, si quos incautos inuenerit, occultiore conflictu prosternit. Quis enim nesciat fornicarios, idolis seruientes, adulteros molles, masculorum concubitores, fures, auaros, ebrios, maledicos, rapaces, superbas aduersus Deum ceruices erigere, & nequissimus operibus magis diabolo militare? Sunt alij, quos in conspectu hominum superbia tanquam suos demonstrat hostes, & intrinsecus habet nequissimos milites. Ab his iniquitas callidè geritur, vt humanis obtutibus in-
stitia fallaciter ostendatur. Hos Dominus noster
sic increpat: *Vos estis, qui iustificatis vos coram ho-* Luc. 16.
minibus, Deus autem nouit corda vestra. Quos vt superbos euidenter ostenderet, sequutus adiunxit: *Quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Dominum.* Ad eos etiam, qui sub Christiana professione viuunt, & Christi præcepta manifestè peccando contemnunt, sic ipse Christus lo-
quitur: *Quid autem vocatis me Domine, Domine, &* Luc. 6.
non facitis quæ dico? Tales gentium quoque Doctor
his verbis obiurgat: *Confitentur se nosse Deum, factis* Tit. 1.
autem negant: cùm sint abominati & incredibiles, & ad
omne opus bonum reprobi. Nam & B. Iacobus dicit: Iacob. 2.
Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere opera autem non habeat? Nunquid potest fides saluare
eum? Humilitas ergo (quam docuit Christus, di- Matt. 11.
cens: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*), non in sola consistit fide, sed in fide simul & opere. Nam scriptum est: *Quia & dæmones credunt, &*

Iacob.2. *contremiscunt*, qui tamen Deo humiles non sunt.
Rom.8. Vnde etiam Apostolus Paulus asserit, *quia sapientia carnis inimica est Deo*. Legi enim Dei non subijcitur, nec enim potest. Quæ sapientia, secundùm
Iacob.3. Iacobi sententiam, non est desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.

Cap.17. Manifesta igitur superbia deprehenditur, cùm manifestè peccatur. Attamen cùm fuco iustitiæ iniquitas tegitur, illa superbiæ pestilentia venenosius serpit, illa periculosius irrepit: cùm ab his, qui iustitiæ studium gerunt, vel aliorum vita tanquam indigna despicitur, vel in operibus bonis aliquid humanis viribus assignatur. Illa denique superbia, qua cæteri ab his, qui sibi iusti videntur, velut peccatores despiciuntur, in Pharisæo condemnatur. Sicut etiam sanctus Euangelista testatur, dicens: *Dixit autem & ad quosdam, qui in se*
Luc. 18. *confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam: Duo homines ascenderunt in templum, vt orarent vnus Pharisæus, & alter Publicanus, &c.* In conspectu iudicis misericordis & iusti non est accepta superba iactatio bonorum operum, sed humilis confessio peccatorum. Illi etiam, qui virtutem bonæ voluntatis aut bonæ operationis suis nituntur superbè viribus assignare, ab Apostolo taliter denotantur: *Quia ignorantes*
Rom.10. *Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* In sua igitur iniustitia profectò deficit, qui iustitiæ Dei superba colla non subijcit. In his itaque quatuor superbiæ generibus, quibus diabolus velut quadrigis vehitur, & ad gehennam miserorum, quibus insidet, mortifero cursu raptatur, duobus animas opprimit, quas in carne iacentes perspicit, alijs duobus animas deijcit, quas de carne volare cognoscit. Istas captiuat delectatione vitiorum: illas circumuenit elatione virtutum. Illarum sic virginitatem præripit, vt se fornicari non dubitent: istas sic constuprat & maculat, vt se conculcari non æstiment.

Cassiodorus. 540.

*In Psalm.*102. Describitur quid sit homo, id est, spiritus pertransiens, mundum scilicet præsentem in quo diutissimè non potest permanere. Audiant qui superbiunt, & se gaudeant mundana felicitate subuectos, sic spiritus relinquere nostra corpuscula, quemadmodum solent flumina loca inundata transire. Illa enim spacia, quæ plena videntur esse torrentibus, quàm sunt vacua, cùm recedunt? Non est ergo de fugitiuo statu præsumendum, sed hic potius agendum, quod prodesse nouimus in futurum.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 34. Moralium cap. 18. Notandum quòd Leuiathan iste, qui per corpoream bestiam designatur, sublime videre describitur: quia videlicet cordis superbia, cùm exterius vsque ad corpus extenditur, prius per oculos indicatur. Ipsi quippe per fastum tumoris inflati, quasi ex sublimi respiciunt, & quò se deprimunt, altius extollunt. Nisi enim superbia per oculos quasi per quasdam se fenestras ostenderet, nequaquam Deo Psalmista dixisset: *Populum humilem saluum facies,*
Psal.17 *& oculos superborum humiliabis, &c.* Vt Leuiathan iste in cunctis, quæ superius dicta sunt, caderet, sola se superbia perculit. Neque enim per tot illos vitiorum ramos aresceret, nisi per hanc prius in radice putruisset. Sciptum est namque:
Eccl.10. *Omnis peccati initium superbia.* Per hanc enim ipse succubuit, per hanc se sequentem hominem strauit, &c. Sicut enim inferius radix tegitur, sed ab illa rami extrinsecus expanduntur: ita se superbia extrinsecus cælat, sed ab illa protinus aperta vitia pullulant. Nulla quippe mala ad publicum prodirent, nisi hæc mentem in occulto constringeret. Hæc est quæ Leuiathan istius sensum feruescere sicut ollam facit. Vnde & humanas mentes in quodam feruore insaniæ concutit, sed per aperta opera qualiter concussi animam euertat, ostendit. Intus namque prius ebullit in elatione, quod foris postmodum spumat in opere.

Isidorus Hispalensis. 620.

De summo bono libro 2. cap. 28. Omnis peccans superbus est, eò quòd faciendo vitia contemptui habeat diuina præcepta. Rectè ergo *initium omnis peccati superbia est*: quia nisi præcesserit mandatorum Dei inobedientia, transgressionis non sequitur culpa. Omnis superbia tanto in imo iacet, quanto Eccl.10.
in altum se erigit, tantoq́ue profundius labitur, quanto excelsius eleuatur. Qui enim per propriam attollitur superbiam, per Dei iustitiam inclinatur. Qui inflantur superbia, vento pascuntur. Vnde & Propheta: *Omnes*, inquit, *Pastores tuos pascet ventus*, hoc est, superbus spiritus. Qui de suis virtutibus superbiunt, ex ipsis iudicandi sunt operibus, quibus pro virtutibus vtuntur: quia rem bonam non bona voluntate faciunt. Nam reuera sine humilitate, & sine charitate virtus quælibet in vitio deputatur. Superbia sicut origo est omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum. Ipsa est enim in peccato prima, ipsa in conflictu postrema. Hæc enim prima aut in exordio mentem per peccatum prosternit, aut nouissimè de virtutibus eijcit. Inde & omnium peccatorum est maxima: quia tam per virtutes, quàm per vitia humanam mentem exterminat. Ibi cadit superbia, vbi & nascitur, vt non sit superbis aliud culpa, aliud pœna: sed ipsa culpa fit illis & pœna. De superbia nascitur arrogantia, non de arrogantia nascitur superbia. Nam nisi præcesserit occulta elatio mentis, non sequitur aperta iactantia laudis. Ita ergo in culpa præponitur superbia arrogantiæ, sicut præfertur ex origine. Vtilius est arroganti in quocunque vitio labi, & humilem post casum Deo fieri, quàm per elationem superbire, grauioremq́ue ruinam & damnationem per superbiam sumere.

Hier.22. (margin)

Hildephonsus. 670.

Sermone in Natiuitate Dei Genitricis: Initium peccati superbia fuit, vt homo de terra factus in mente conciperet, vt fieret æqualis Deo. Scire enim voluit, quod nequaquam habere potuit.

Aldhelmus. 680.

De Virginitate cap. quinto: Nam in conflictu octo principalium vitiorum licet vltima ponatur (*superbia:*) tamen quasi atrox regina tyrannicæ potestatis imperium, & dominandi monarchiam præ cæteris sibi vsurpare dinoscitur: quia sine ancipiti ambiguitatis scrupulo veraciter credendum est, quòd prius Lucifer parasitorum sodalibus inflatus violatus, & Apostatarum satellitibus glomeratus, in profundum superbiæ baratrum, & tetrum elationis tumidæ tartarum cassabundus corruisset quàm protoplastus &c. in gastrimargiæ voraginem crudeliter cecidisset.

Beda. 700.

Ad caput sextum Ioannis: Vt causa omnium morborum curaretur, id est, Superbia, descendit & humilis factus est Filius Dei. Quid superbis homo? Deus propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum.

Ad caput quartum Iacobi: Fures quidem, periuros, luxuriosos, & alios peccatores, quasi contempto-

temptores præceptorum suorum punit Deus, sed specialiter superbis resistere dicitur: quia nimirum maiori pœna plectuntur, qui confidunt in virtute sua, qui diuinæ potentiæ subdi pœnitendo negligunt, qui quasi sibiipsis ad saluandum sufficiant, auxilium supernæ gratiæ quærere detrectant.

Homilia secunda in solennitate Diui VVigberti: Fugiamus arcana diaboli, id est, superbiam: omnia enim vitia in malis operibus tantùm valent, sola superbia in perfectis rectèq; factis cauenda est, quia sine dubio frangit Deus omnem superbum, & semper superbis resistit Deus.

Alcuinus. 750.

Libro de Virtutibus & vitijs, cap. vigesimosecundo, De superbia: *Superbis resistit Deus, humilibus autem dat gratiam.* Maximum diaboli peccatum fuit superbia: quapropter omni vitio deterior superbia est, quæ sæpe & de bonis nascitur actibus, dum homo in suis operibus superbit, & hoc perdit per superbiam, quod habuit per charitatem. Omnium vitiorum nouissimum est superbia, dum homo virtutibus ornatur, & in his superbire cœpit. Eccl. 10. *Omnis* quoque *peccati initium superbia est*: dum enim anima præcepta Creatoris contemnit, mox in cuiuslibet peccati corruit foueam. Omnis superbia tantum infima iacet, quantum in altum se erigit. Nihil magis Christiano vitandum est, quàm superbia, quæ iram Dei prouocat: nam superbia ex Angelis dæmones fecit, humilitas autem homines sanctis Angelis similes reddit. Superbi cupiunt in se prædicari quod non faciunt, humiles refugiunt quicquid boni operantur agnosci. Non eleuetur homo in bono suo, nec laudem sibi quærat, quamuis aliquid boni faciat, sed Deum laudari cupiat in donis suis, qui nihil boni fecit, nisi quod Deus donauit illi facere.

Haymo. 820.

Ad Euangelium Dominicæ duodecimæ post Pentecosten: Nonnulli hic exaltantur, sed in futuro humiliantur, sicut sunt superbi diuites, qui iuxta Scripturæ vocem *ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Alij hic humiliantur, sed in futuro exaltantur, sicut sunt pauperes, & illi præcipuè, qui propter Deum omnia sua relinquentes, semetipsos spontanea voluntate humiliant, vt in futuro à Domino exaltari mereantur.

Halitgarus. 830.

Libro primo de Pœnitentia cap. secundo: *Initium omnis peccati superbia:* non alicuius, sed omnis peccati: quoniam non solum peccatum est ipsa, sed etiam nullum peccatum fieri potest, aut potuit, vel poterit sine ipsa. Siquidem nihil aliud omne peccatum nisi contemptus est, quo eius præcepta calcantur. Denique ipse diabolus inuentor superbiæ per ipsam de cælestibus corruit, quem Dominus fecerat sine vllo peccato. Et hæc est omnium malo- Iob. 21. rum causa. Hinc est, quod primus homo superbi spiritus elatione corruptus, omnem posteritatem suam, quæ in illo radicaliter fuit, necessitate corruptionis ac mortalitatis adduxit. Superba voluntas facit Dei præcepta contemni, & ex Angelis dæmones facit.

Rabanus Maurus. 850.

Libro tertio in Eccles. cap. tertio: De superbia nascuntur hereses, schismata, detrectationes, inuidia, verbositas, iactantia, contentiones, animositates, ambitio, elatio, præsumptio, vanitas, inquietudo, mendacium, periurium, & cætera eiusmodi.

Smaragdus Abbas. 960.

Ad cap. quartum Regulæ diui Benedicti: De ipsa superbia sic loquitur diuina Scriptura: *Odibilis,* in- Eccl. 10. quit, *coram Deo & hominibus superbia: qui autem tenuerit eam, adimplebitur maledictionibus.* Et: *Initium omnis peccati superbia.* Non ait alicuius, sed omnis peccati, vt euidenter ostenderet, ipsam esse peccatorum omnium causam: quoniam non solum peccatum est ipsa, sed etiam nullum peccatum fieri potuit, potest, aut poterit sine ipsa. Superba voluntas facit præcepta Dei contemni, humilis custodiri. Superbia ex Angelis dæmones fecit, humilitas homines sanctis Angelis similes reddit. Illa rebelles diabolo subdit, hæc humiles Christo coniungit.

Notgerus. 980.

Vita sancti Remacli cap. vigesimosecundo: Superbiam vel maximè respuite, vt vera possitis libertate potiri. Non enim ille liber censendus est, cuius animum superbia occupat.

Petrus Damianus. 1050.

Epistola 16. cap. 26. Superbia semper sibi, non alijs facit ruinam, quod vniuersa Scripturarum cælestium testatur auctoritas, sicut etiam per Spiritum sanctum dicitur in Propheta: *Non habitabit in* Psal. 100. *medio domus meæ qui facit superbiam.*

Anselmus. 1080.

De Similitudinibus cap. 98. Non est in altum eleuata superbia, sicut quidam putant, sed demissa, & vallis maxima, bellua vitiorum plena, & caligine tenebrarum densissima. Nam quanto amplius quis superbia inuoluitur, tanto lucem veritatis minus intuetur.

Hildebertus Cennomanensis 1100.

Epistola trigesimaprima. Superbia totum virtutis corpus inficitur, vitale columen emarcescit, formosa quæque deformantur. Superbia, natione cælestis, sublimes appetit mentes, & velut ad proprios ortus reuolans, in gloriam & puritatem irrumpit hominum, qui à gloria & puritate prorupit Angelorum. Ea prius in cælis, dehinc in terra triumphans, sic Angelis innata est, vt ab eis non recederet: sic homines infecit, vt à Deo separaret. Et quasi modicum profecerit, cùm Angelum deie- Matt. 4. cit & hominem, adiecit Deum tentare pariter & hominem, vt quem videbat similis consortem naturæ, consortem faceret & ruinæ. Prima hæc & vltima pernicies, ante omnia vitia superauit, post omnia superatur. Nam & postquam fidelis anima de abysso vitiorum emergens, salutare virtutum culmen ascendit, velut ex insidijs prosilit & occursat elatio, totum domus Domini ædificium concussura ad ruinam, quod surrexerat ad consummationem. Quid enim perniciosius iusto, quàm quòd iustus videri desiderat? quòd ad salutationes in foro hilarescit & exultat? quòd adulatorio fauore demulcetur? quòd penè hominem diffitens, æqualem se Superis metitur & mentitur? Qui dum malè gloriatur, & præsumit quod non est, in confusionem prosternitur, & amittit quod est. Tantoque fit à Deo per parietem superbiæ remotior, quanto sibi videbatur per celsitudinem virtutum propinquior. Vnde & per Psalmistam dicitur: *Cadent à latere tuo mille, & decem* Psal. 90. *millia à dextris tuis.* Vides igitur quanta morum dilapidatio sit superbia, quàm necessaria in bene gestis humilitas?

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad caput septimum Ioannis: Manifestum Iudæis erat, Deum Patrem, quem suum esse profitebantur, semper superbis restitisse: à quo Aaron & Ma-

ria contra Mosen superbientes plaga lepræ percussi sunt: & Dathan, & Abiron, & Chore per superbiam erecti, cum suis complicibus, alij viuentes à terra absorpti sunt, alij deuorati sunt: & Saul Christus Domini effectus, per superbiam spiritui dæmoniaco mancipatus est.

Bernardus. 1130.

Sermone primo de Aduentu: Quid tu superbis terra & cinis? Si superbientibus Angelis Deus non pepercit, quanto magis tibi putredo & vermis? Nihil ille fecit, nihil operatus est, tantùm cogitauit superbiam, & in momento, in ictu oculi irreparabiliter præcipitatus est: quia, iuxta Euangelistam, *in veritate non stetit.* (Ioan. 8.) Fugite superbiam Fratres mei (quæso,) multum fugite. *Initium omnis peccati superbia:* quæ tam velociter ipsum quoque syderibus cunctis clarius micantem æterna caligine obtenebrauit Luciferum: quæ non modò Angelum, sed Angelorum primum in diabolum commutauit. Vnde & protinus inuidens homini, quam conceperat in semetipso, in eo peperit iniquitatem.

Dominica quarta post Pentecosten, de David & Golia: Superbiæ vitium peccatum est maximum, quod Dei populo magis insultat, & insurgit specialiter aduersus eos, qui cætera iam videantur vicisse peccata. Hinc est quòd prouocat ad singulare certamen, tanquam cæteris iam subactis. Nam & Philistæi illo in tempore timebant omnino aduersus Israel inire conflictum, nisi quòd de Golia enormis magnitudinis viro eorum fiducia tota pendebat. Vnde enim eiusmodi animam superbia tentet, quã sibi subiugauit inuidia, seu tepiditas ea, quæ solet Deo vomitum prouocare, aut pigritia, quæ facit ad bouum stercoribus lapidetur? Vnde inquam ei superbia, vnde extollentia oculorum, cui adeo cætera vitia dominantur, vt dijudicari se ab vniuersis, tamquam malè sibi conscius arbitretur?

Hugo Victorinus. 1130.

Institutione nouitiorum cap. 11. Quid superbit cinis & puluis, fumus euanescens & vapor ad modicum parens? Quid est homo nisi putredo, & filius hominis nisi vermis? Vermis ipse, & vermis hæreditas eius: hæreditabit enim homo vermes, bestias, & serpentes. Quantumcunque excolatur & ornetur, quid est aliud caro quàm caro?

Libro tertio de anima cap. vigesimoquarto: Superbia sicut est origo omnium criminum, ita est ruina omnium virtutum: ipsa enim est in peccato prima, ipsa in conflictu postrema. Ipsa aut in exordio mentem per peccatum prosternit, aut in fine de virtutibus deijcit. Idcirco est omnium infectionum peccatorum pessima: quia tam per virtutes, quàm per vitia humanam mentem exterminat. Cætera vitia solas illas virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, vt luxuria pudicitiam, ira patientiam, sola verò superbia contra cunctas animi virtutes se erigit, & quasi generalis ac pestifer morbus omnes corrumpit.

Hildegardis. 1150.

In Quæstionibus: Nunc ô fili Dei, in valle veræ humilitatis positus, in quiete ambulat sine elatione, quæ præcipiti monti assimilata, difficilem & velut impossibilem ascensum vel descensum præbet innitentibus, & in cuius summitate nullum ædificium patet. Homo enim qui tentat altius ascendere, quàm possit peruenire, ille nomen sanctitatis absque securitate possidet: quia solo nomine sine ædificio bonorum operum & quadam inepta lætitia mentis gloriatur.

Helmoldus. 1170.

In Chronico Sclauorum libro tertio cap. nono: Væ tibi superbia, quæ in cælis quidem nata, sed cum genitore tuo diabolo ad inferiora barathri es demersa: & quanto fuit terra altior gradus, tanto factus est inferior casus. Tu quidem de stirpe pessima pullulasti, & infectis parentibus primis per inuidiam diaboli, in orbem terrarum introijsti. Tu autem diabole in lateribus Aquilonis sedem tibi parabas: sed credo, quia non sedem materialem affectasti, sed per hoc à charitate Dei discedens, & in frigore malitiæ perdurans, thronum tuum super filios superbiæ erexisti, qui sublimes habent oculos, qui non cum Apostolo *quæ sursum sunt* sapiunt, sed *quæ super terram: quorum Deus venter est*, & in prauitate cordis sui machinantur malum. Sed quid tibi cum spiritualibus? quid tibi cum his, qui religionem professi, in diuersis gradibus Ecclesiasticis consistunt, & ministri Domini nuncupantur? vel etiam cum his, qui sacerdotio funguntur, qui omni sanctitate & iustitia Domino seruire videntur? Væ, væ præsumptioni tuæ, qui multos eorum in perditionem misisti. Nec mirum: quia contra Altissimum præualere non potuisti, contra eius membra acrius exarsisti, dum de cælo velut fulgur decidisti. Propterea Deus destruet te in finem, euellet te, & eliminabit te de tabernaculo suorum electorum, & radicem tuam de terra viuentium.

Ioannes Saresberiensis. 1170.

Lib. 3. Polycrat. cap. tertio: Superbia radix omnium malorum est, mortisque fomentum. Arescunt riuuli, si fontis vena præscinditur, nec rami conualescunt, radice succisa, deficiunt vitia, si elatio iugulatur. At si stercora radici congerantur, pinguescunt rami, & arentium sterilitas resylueicit, si fonti liquentia superfundas, accessio transit in riuulos, si camino ignem adijcias, in ligna incendium recrudescit: sic si vitiatæ naturæ elationis innatæ toxicum foueas, quin vitalia ipsa mortiferum virus inficiat, nec si volueris, poteris impedire. Est enim omnibus non tam cognatus, quàm innatus amor sui.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone primo in Festo S. Laurentij: Sed & superbia multos ex.ulit, & prostrauit. Nabuchodonosor, quia potentiam suam superbè iactauit, regnum amisit, & cum bestijs quasi bos fœnum comedit. (Dan. 4.) Sennacherib, qui os suum posuit in cælum, & contra Deum superbè locutus est, in templo Nesrath à filijs est occisus. (4. Reg. 19. Esa. 37.) Aman, quia diuinum sibi voluit honorem impendi, suspensus est in patibulo. (Esth. 7.)

De contemptu mundi, libro secundo cap. trigesimo: O superbia cunctis importabilis, & omnibus odiosa! Inter omnia vitia tu semper es prima, tu semper es vltima. Nam omne peccatum te accedente committitur, & te recedente dimittitur. Scriptum est enim: *Initium omnis peccati est superbia.* (Eccl. 10.) Primogenita mors. Hæc enim inter ipsa rerum primordia creaturam contra Creatorem erexit: Angelum contra Deum, sed eum absque mora deiecit.

Cap. trigesimoquarto: Omnis ferè vitiosus diligit sibi similem: superbus autem odit eleuatum. (Prou. 15.) Vnde Salomon: *Inter superbos semper sunt iurgia: & vbi fuerit superbia, ibi & contumelia.* (Prou. 11.) Superbus insolita gestit, consueta fastidit, magnum reputat si loqui dignetur, maximum si surgat & amplexetur. Aestimat plus dignitatem ab ipso, quàm ipsum effectum ex dignitate. Nunquam vult vti paternitatis affectu, semper vult vti dominationis imperio. Superbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius, plus quàm fortitudo eius.

Iacobus Vitriacus.1220.

1. Reg.1. *Dominica sexta post Epiphaniam, ex Euangelio Matthæi:* Tumor superbiæ est quasi quidam mons, qui radios veri Solis ad animam transire non sinit. De hoc iugo Dominus in Euangelio ait: *Væ prægnantibus & nutrientibus.* Ipsi enim superbi fœtu pessimo, amore scilicet mundi, prægnantes sunt & inflati, semper laborantes, vt diuitijs, & honoribus & dignitatibus suam nutriant superbiam. Vnde Propheta Osee: *Ephraim pascit ventum, sequitur æstum. Pascit ventum* superbiæ, sequitur æstum, id est, ardorem inanis gloriæ.

Matt.24. Marc.13. Luc.21. Oseæ 12.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De moribus cap. decimo: Superbus omnibus iaculis & sagittis patet expositus, & omnium bestiarum morsibus, ita vt nec etiam cæcos sagittarios effugiat: nulla sagitta, nullum iaculum, nullus dens cuiuscunque bestiæ infernalis illum prætereit: vbique detractionum & laudum iaculis transfigitur, vbique maledicorum dentibus deuoratur: nisi enim cor eius distentum esset in omnem regionem & locum, & attingeret à mari vsque ad mare, & à fine vsque ad finem spiritualiter, non eum dentes maledicorum vbique læderent, neque iacula detractionum vbique transfigerent, &c. Superbus seipso, & suis oneratus, & etiam alienis, dum illa per arrogantiam sibi attribuit, quid mirum, si toto præcipitio fertur in profundum, ad quod huiusmodi ponderositas mouere solummodò nata est? Quòd autem superbus ponderosus sit, & quàm ponderosus, quasi vniuersali omnium testimonio comprobatur. Nemo enim videt superbum, qui non dicat, onerosus est mihi importabiliter, super collum meum porto ipsum. Similiter & vnusquisque dicit de superbo, totum mundum onerat, & omnes portant eum supra colla sua.

Antonius Paduanus. 1230.

Dominica vndecima post Trinitatem: Vnde pauper infelix tibi superbia? vnde tibi gloria? si vis superbire, superbias de cloaca stercoris, quam tecum defers. O miser pauper quem teipsum facis? quem te iactas? Nonne tu es, qui in cauerna latebrosa matricis matris tuæ fuisti de fœtido semine procreatus, ibidem nouem mensibus sanguine menstruo, quem si canes comederent statim in rabiem verterentur, fuisti pastus? Vnde ergo tibi superbia? Fortè de sanguine parentum. Certè si hoc est, de stercore, quo fuisti genitus, superbis: quia non tuæ sunt, sed tibi accommodatæ: tuum non est, quod tecum ferre non potes. Si strictissimum est mortis foramen, per quod pauper & nudus vix transire poteris, peccata, quæ nihil sunt, tecum inde deferes. Fortè de sapientia & eloquentia gloriaris. Non tibi gloria, sed illi, qui dat & sapientiam, qui mutos facit loqui, & surdos audire. O pauper, ô miserum corpus, cùm sis in tanta egestate & miseria positum, in tantum superbis & gloriaris? Quid faceres, si diues fores?

Guilhelmus Peraldus. 1255.

In Summa Tomo 2. de superbia cap. secundo: Vitium superbiæ quasi rex est vitiorum. Vnde maximum peccatum vocatur in Psalmis, vbi dicitur: *Emundabor à delicto maximo*, id est, à superbia dicit Glossa. Et coronam dicitur habere, sed maledictam. De qua legitur Esaiæ vigesimoseptimo: *Væ coronæ superbiæ.* Et ad modum regis, quando hoc vitium venit ad aliquem, non solum venit, sed adducit magnam societatem vitiorum. Vnde Eccles. decimo: *Initium omnis peccati est superbia, Qui tenuerit illam adimplebitur maledictis*, id est, vitijs: vbi dicit Glossa: De superbia nascuntur hæreses, schismata, detractiones, inuidia, verbositas, iactantia, contentiones, & huiusmodi.

Bonauentura. 1260.

In librum secundum Sentent. distinct. 6. quæst. prima: Lucifer eleuatus in superbiam, quia altior erat, cecidit profundius, & quia dignior, ad malum se conuertit inseparabilius. Vnde scimus quantum Deus odit peccatum, & maximè superbiam: quia pro vno motu cordis nobilissima creatura omnium creaturarum (Angelica) æternaliter sine spe veniæ est damnata.

Ioannes à S Geminiano 1300.

In Summa libro 1. cap. 75. Superbia assimulatur vento. Primò, quia ventus aëris est concitatiuus, turbatiuus, & obscuratiuus, siue inspissatiuus. Nam superbia intelligentias mentis obscurat, corda ad malum incitat, & hominum pacem perturbat. Ezechiel: *Ventus turbinis veniebat ab Aquilone*, id est, Ezech.1.
superbia perturbans venit, & orta est à dæmone.

Albertus Patauinus. 1320.

Sermone 95. Superbia nascitur ex bono, sed in similitudinem viperæ proles parentem occidit. Huius reginæ progenies sunt omnia vitia: sicut dicitur Tobiæ 4. *In superbia sumpsit initium omnis perditio: ideo nunquam eam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas.* Bene dicit: *Non permittas eam dominari in tuo sensu:* quia primi motus superbiæ, ex eo, quòd non præualent, sed subijciuntur rationi, crimina non sunt: sed si dominantur in nostro sensu, peccata mortalia sunt.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 2. cap. 62. Væ semel, væ væ bis, & væ iterum his, qui post tam præclarum humilitatis speculum superbia tolluntur in altum, opprobria refugiunt, & ad honores aspirant, rursus contemptui habentes Dei Filium, quem tanto ab hominibus amplius omni constat honorificentia dignum, quanto pro hominibus indigniora sustinuit.

Franciscus Petrarcha. 1350.

De remedijs aduersæ fortunæ, Dialog. 111. *Dol.* Superbia extollor. *Rat.* Quid superbis autem terra & cinis? tune tantorum maiorum fasce obrutus atque oppressus extolleris? &c. Nihil est odiosius Deo quàm superbia. Per hanc enim ille pulcherrimus creatus raptim corruit, per quam tu peccator vis ascendere, &c. *Dol.* Superbia vehor. *Rat.* Cur quæso? an non te mortalem, an non assiduè fatiscentem, an non peccatorem, an non mille casibus expositum, an non morti obnoxium incertæ, an non denique te miserum meministi? Scire velim, quid te horum potissimè ad superbiam cohortatur, an fragilitas membrorum, an vitæ breuitas, an cæcitas animi, inter spes vanissimas, metusque perpetuos fluctuantis, an præteritorum obliuio, an ignorantia futurorum ac præsentium? &c. Hæ non aliæ vobis sunt ad superbiam quam scalæ, his ascenditis ad ruinam.

Ioannes Bromiardus 1380.

In Summa de peccato: Superbia phreneticis comparatur atque dæmoniacis, qui nulli subesse volunt, nec in vinculis teneri: ita nec illi Deo, nec ministris eius subesse volunt, nec legibus, vel vinculis alligari Ecclesiasticis: sed ad modum Luciferi, sociorumque eius, omnes transcendere volunt. Et ideo teste Esaia, *Infirmata est altitudo, & terra interfecta est ab habitatoribus suis.* Esa. 44.

Ioannes Gerson. 1400.

De cognitione peccatorum consider. 4. Superbia erga DEVM haberi potest per hoc, quòd putatur

haberi gratia, quam quis non habet: aut per hoc, quòd quis putat eam, aut vult habere de seipso, scilicet per suam sapientiam, fortitudinem, aut pulchritudinem: aut per hoc, quòd putat eam benè meruisse erga Deum, quasi Deus ita teneatur facere, & quòd aliter faciendo iniustè faceret: aut per hoc, quòd quis putat, & vult habere gratiam à Deo, quasi pro se solo, & de hoc ipse superbit. Sicut peccauit Pharisæus, qui reddebat Deo gratias de bonis suis, quod bene factum est, sed in hoc ipse deficiebat, quòd gaudebat, quòd alij non habebant illa, vt publicanus. Et hoc signum erat, quòd putabat clarè, quòd bona sua essent de se, non autem de Deo solummodò. Aliàs enim non se plus glorificasset, quàm si bona illa fuissent in alio. In tribus vltimis casibus superbia semper est peccatum mortale, si adsit deliberatio, & plenus consensus.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De spirituali animi interitu lib. 1. Cunctis patet veritatem inteligentibus, septem esse lethalia crimina, quæ quisquis sponte perpetrauerit, procul dubio spiritali vita priuabitur, & gratia. Horum tamquam originale principium primatum tenet Superbia, quæ est peruersæ celsitudinis appetitus, & dominandi immoderata ambitio: ex qua germinantur inobedientia, discordia, hypocrisis, animi pertinacia, inepta lætitia, nouitatum præsumptio, peccatorum defensio, simulata confessio, & consuetudo peccandi. Hæc profectò sicut de sublimitate cælorum deiecit Luciferum, & de Paradiso deliciarum expulit Adam: ita quemlibet elatum à diuino conspectu efficit alienum, dicente beata Virgine: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* Luc. 1.

Bernardinus Senensis. 1440.

Tom. 2. *Serm.* 20. Grauis sententia & dura iustitia contra superbiam meritò paratur, eò quòd omnium flagellandorum scelerum, quæ contra charitatem fiunt, sit principium & origo, sicut dicitur Eccles. 10. *Initium omnis peccati est superbia, & qui tenuerit eam, implebitur maledictis*, id est, iudicijs & maledictionibus Dei.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad cap. 18. *art.* 41. Quemadmodum in materiali statera vna parte depressa altera eleuatur, & è conuersio: sic in diuina statera iustitiæ est discretum, vt qui in vita hac per superbiam eleuantur, in futura per pœnam confusibilem deprimantur, & vice versa.

Nicolaus de Nyse. 1480.

In Summa 2. *partis Destructorij*, *Tractatu* 3. *de Superbia*: Superbia regina & mater est omnium vitiorum: quia videlicet ordinat alia vitia in suum finem, qui est excellentia. Ideo Eccles. 10. *Initium omnis peccati superbia.*

Baptista Mantuanus. 1500.

De calamitatibus temporum libro 1. cap. de Superbia:

Euolat horrisono rapidi Phlegetontis ab amne
Ingenti alarum stridente Superbia ductu:
Sic illam dixère, super quia cætera sese
Tollit, & extento socias superemanet ore,
Omnia conuoluens, cæca de sede Barathri
Crimina nigrantem post se trahit omnia pompam.
Huius ab ardenti virosus anhelitus ore
Fumat, & obscuris oriens à faucibus humor
Defluit, hippomanes, aconita, canisq; virentem
Tænarij spumam superans, omnemq; veneni
Mortiferam rabiem, Stygij fex ima profundi.
Se superûm genus esse putat, veterumq; Deorum
Semen, & à magno se iactat Apolline natam.
Ardua frons, vnaq; oculo velata, rotundi
Circuitus, medioq; sedens in luminis orbe
Discessit, spacijs æqualibus vndique centrum.
Hoc insigne patris Phœbiq; ardentis imago,
Difficili vultu graditur, gestuq; maligno
Innocuos mitesq; animos irridet, & odit
Quem videt æternis illustrem laudibus altum
Per virtutis iter veri conscendere honoris
Culmen, & ad superos niti, caloq; propinquum, &c.
Scilicet omne Deo contra nitente superbum
Euanescit opus, sicut cùm surgit in auras
Eructantis aquæ fluctus, mox vertice presso
Decidit, & spumans alto demergitur amne,
Atque humiles inter sine nomine præterit vndas.

ARTICVLVS QVINTVS.

AVARITIAM VT MORTALE PECCATVM VITANDAM.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

PSalm. 48. *Vers.* 17. Ne timueris cùm diues factus fuerit homo: & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius. Quoniam cùm interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria eius.

Prouerb. 21. 6. Qui congregat thesauros lingua mendacij, vanus & excors est, & impingetur ad laqueos mortis. 13. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.

Ecclesiastis 5. 9. Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum non

capiet ex eis. & hoc ergo vanitas. Vbi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quòd cernit diuitias oculis suis? Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat: saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.

Ecclesiastis 6.1. Est & aliud malum quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines: Vir cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus vt comedat eo, sed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas, & miseria magna est.

Isaiæ 5.8. Væ, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci: nunquid habitabitis vos soli in medio terræ? In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum, *&c.*

Habacuc 2.6. Væ ei qui multiplicat non sua: vsquequo & grauat contra se densum lutum? 9. Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ.

Baruch 3.18. Vbi sunt principes Gentium, qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum; qui argentum fabricant, & soliciti sunt, nec est inuentio operum illorum? exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij loco eorum exurrexerunt.

Ecclesiastici 10.9. Auaro nihil est scelestius. Quid superbit terra & cinis? Nihil est iniquius quàm amare pecuniam. Hic enim & animam suam venalem habet; quoniam in vita sua proiecit intima sua.

Ecclesiastici 31.5. Qui aurum diligit, non iustificabitur. 8. Beatus diues qui inuentus est sine macula: & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia & thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum: fecit enim mirabilia in vita sua.

Matthæi 6.24. Non potestis Deo seruire & mammonæ. 34. Nolite soliciti esse in crastinum.

Marci 10.24. Filioli, quàm difficile est confidentes in pecunijs in regnum Dei introire? Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.

Lucæ 12.15. Videte & cauete ab omni auaritia: quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex his quæ possidet.

1. *Corinth.* 6.8. Vos iniuriam facitis, & fraudatis: & hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicarij, neque idolis seruientes, *&c.* neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.

Ephes. 5.5. Hoc scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod est idolorum seruitus) non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis. Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.

Colos. 3.5. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est simulachrorum seruitus: propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis.

1. *Timoth.* 6.9. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.

Hebr. 13.5. Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus: ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam: ita vt confidenter dicamus: Dominus mihi adiutor, *&c.*

Iacobi 5.1. Agite nunc diuites, plorate, vlulantes in miserijs vestris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt: & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginauit: & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducauit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 90.

Lib. 4. Recognit. Sicut ignis quanto magis ligna accéperit, tantò amplius accenditur, & inualescit: ita & cupiditatis rabies per ea, quæ adipiscitur, auctior & vehementior efficitur.

Theophilus Antiochenus. 170.

Lib. 2. ad Autolycum: Dies quintus produxit animalia, quę ex aqua Dei iussu procreata sunt; in quibus mirabilis Dei sapientia elucescit. Ceti, & volucres carniuoræ in memoriam nobis redigunt homines auaros & præuaricatores. Sunt enim ab vna radice tam aquatilia, quam volatilia procreata, & quædam naturale ius obseruant, nulli imbecil-

liori

liori iniuriam inferendo, verùm decenter legem Dei custodiunt, & victitant seminibus terræ. Quædam verò ex istorum grege transgrediuntur legem Dei, carnes vorant, & infirmiora iniurijs afficiunt. Ad eundem modum quotquot in iustorum album relati, legem Dei sedulò obseruant, neminem lædunt, neminemquè iniuria afficiunt, sanctè & iustè vitam agentes. Cæterùm raptores, homicidæ, & impij, nihil differunt à cetis, feris, & carniuoris auibus: potenter enim deuorant infirmiores.

Athanasius. 340.

In Quæstionibus, quæstione quid sit Christianus: Secundùm naturam sunt opes instè acquisitæ, præter naturam auaritia, supra naturam inopia.

Basilius Magnus. 370.

Homil. 6. quæ est in dictum illud Euangelij: *Destruam horrea mea, & maiora ædificabo*: Exemplum accusati diuitis tibi vbique occurrat: qui quidem præsentia custodiens, & de futurorum spe anxiè sollicitus, & incertus, num esset victurus crastino, hodie peccando diem anteuertit crastinum. Nondum collegit fructus, & iam auaritiæ iudicium & condemnationem accepit, &c. Quando terrena sapis, & Deum habes ventrem, totus quoque caro effectus, vitiosis affectibus obsequeris; audi te dignam appellationem, quam tibi nullus hominum, sed ipse Dominus indidit: *Stulte, hac nocte animam tuam abs te repetent. quæ autem præparasti cuius erunt?* &c. Habes, si vis, apothecas, ventres pauperum, thesauriza tibi thesauros in cælo: quæ illic reconduntur, ea neutiquam depascuntur tineæ, nulla depopulatur caries, aut erodit, nulli suppilant prædones. Dixeris: Atqui tum in indigos dispartiar, cùm horrea secunda compleuero. Longa tibi vitæ tempora præfixisti: vide ne te illud tempus, quod certo ac præstituto termino accelerare solet, fortè corripiat. Et profectò vitam tibi hoc modo confidentius polliceri, non bonitatis, sed malitiæ est indicium: vitam namque tibi polliceris, non vt posthac sis liberalior, aut tribuas, sed vt instantem mendicum à te propulses, &c. Esuriens fame absumitur, nudus frigore rigescit. Qui repetitur debitum, vinculis obtorto collo astringitur, & tu eleemosynam in crastinum differs? Audi Salomonem: *Ne dicas, regressus reuertere, & cras dabo. Ignoras enim quid sequens pariet dies.* Quantam te Deo beneficentissimo gratiam habere, quàm hilarem esse te simul & in inopes munificum atque liberalem oportebat, quod non ipse pro foribus alienis cogeris obstreperus esse & querulus: sed tuas alij occupant? Nunc autem tristis es, & rogatu difficilis: vnam tantùm nosti vocem: non habeo, non dabo: nam & pauper ego quoque sum. Pauper es profectò, pauper, & omnium egens bonorum. Pauper, inquam, charitate, pauper benignitate, in indigos pauper, fide erga Deum pauper, pauper æterna spe. Dixeris: Cui facio iniuriam, si mea retineo conseruoquè? Quæ illa, dic mihi, tua, vnde accepta hæc ad traducendam præsentem hanc vitam inuexisti? Perinde enim facis, ac si quis in theatro locum spectandi mox vt anteuertit alijs arripere, cæteros abarceat ingressu, suo vnius vsui id adiudicans, quod ad omnium communem vsum proponitur. Tales & diuites existunt. Communia namque cùm priores obtinuerint, propria faciunt occupando. Nonne nudus est vtero matris excidisti? rursusquè nudus reuerteris ad humum? hæc tibi præsentia bona vnde? si à casu dixeris, impius, es eum non agnoscens qui condidit te, neque ei, qui dedit, rependens gratiam. Quòd si ex Deo te illa habere fateris, dic mihi, quamobrem hæc sortitus es? Non enim iniustus est Deus, qui ea, quæ sunt ad victum, inæqualiter nobis diuiserit? Cur tu diues es, ille pauper? Profectò non ob aliam causam, nisi vt tu benignitatis ac fidelis administrationis mercedem accipias: ille verò patientiæ maximis præmijs honoretur. Tu verò insatiabilis auaritiæ lacertis omnia circumplexus, & tot homines illis priuans, neminem te lædere putas. Quis, quæso, est auarus? Ille, qui eo, quod satis esse debet, non est contentus. Quis verò peculator? Ille, qui ad se vnum transfert quæ singulorum sunt. Tu ergo non auarus? Non tu peculator, cùm ea, quæ ad dispensandum distribuendumquè receperis, tibi propria facis? Esurientis est panis, quem tu retines: nudi est vestis, quam in arca custodis: discalceati calceus, qui apud te marcescit; egentis argentum, quòd tu terræ in fossum possides. Quare tot iniurius es hominibus, quot poteras opem conferre. O quanto dignum pretio tibi censebitur in die iudicij verbum illud: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere?* Quanta rursus trepidatio & sudor, quantæ ob oculos tenebræ se tibi circumfundent, condemnationem audienti: *Ite maledicti in tenebras exteriores, paratas diabolo & angelis eius? Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare,* &c. Non ibi rapax accusatur: sed qui substantiam non communicauerit, condemnatur.

Homilia 7. quæ est in diuites auaros: Incertum est, inquis, quid futurum sit. Necessitati, quæ nos quandoque vrgere posset, prouidendum est. At longè certior defossi thesauri vsus: nec tamen pœna incerta, quæ tuorum morum manet inhumanitatem, &c. Vidi ego multos ieiunantes, orantes, præteritorum pœnitentia suspirantes, omnem denique sine sumptu pietatem ostendentes, egentibus verò ne obulum quidem præbentes. Quid his cætera virtutum diligentia prodest? Non propterea regnum Dei consequentur. Idcirco inquit Dominus: *Difficilius est diuitem intrare in regnum cælorum, quàm camelum per foramen acus,* &c. Matt. 19.
Quid miser iudici respondebis? parietes vestis, hominem non vestis? equos phaleris ornas, fratrem tuum laceris amictum pannis aspernaris? frumentum retinendo perdis, esurientes non respicis? aurum in terram condis, & oppressum non cures? &c. Quanquam ad tuas veniunt fores, miseram rogando vocem emittentes, tu tamen negas, affirmans rogantibus cunctis non posse sufficere. Et cùm lingua deieris, manu periurus argueris. Licet enim illa taceat, mendacium tamen tuum deprædicat, annulo, quem indigito habes, conspicua & illustris: annulus, inquam, tuus quantum æris alieni posset exoluere? vna tantùm tuarum vestium arcula totum populum frigore rigentem amicire posset. Verùm sustines inexoratus abs te pauperem reijcere, nec metuis iudicis minas, ac ea quæ se ille pollicitus est hominibus huiusmodi redditurum. Non te miseret? misericordiam non inuenies. Non aperuisti domum tuam? regno Dei excluderis. Non dedisti panem? non vitam recipies æternam. Sed & pauperem te ipsum dicis. Et ego tecum sentio. Pauper profectò est, qui multis indiget: Pauperes, inquam, insatiabilis concupiscentia reddit. Decem talentis totidem addere contendis: deinde viginti coactis, etiam totidem. Nec solum crescendo non expletur, sed ardentior redditur appetitus, &c. Ex quo anima continuò curis premitur, dum alios superare contendunt: oportebat illos gaudere, & gratos esse, quòd tam multis sint opulentiores: illi verò mœrent & lugent, quòd ab vno & altero opulentioribus vincuntur. Vbi ditiorem aliquem adæquarunt, mox & alterum, à quo superantur, adæquare student: & vbi istum quoque transie-

runt,

runt, erat aliura vltra adæquandum rapiuntur, &c.

Gregorius Nazianzenus, 380.

Iambico 18. de Virtute:

Rursus fluentes, ebria, cæca, vaga
Opes (tumorem plurimis quæ contrahunt,
Vaneq; fortunam hauriunt, intercuti
Similesq; prorsus sunt aquæ) alteros petant:
Medicina morbi plena, ludus temporis,
Inuidiæ & atra: sint licet pretio haud leui, &c.
Quorum vnum est hic, plus habere scilicet,
Quàm sit necesse, scire nec census modum:
Morboq; sic est pharmacum nocentius.
Hinc porrò, quàm res mira contingat, vide.
Vt nempe maior surgat ex potu sitis,
Per idq; miseri, quo carent, penuria
Semper laborent, gaudium nec sentiant
Ob parta: nam quod deficit, mentem premit.

Iambico 19.

Quanti putandum est, vt qui in sola Dei,
Qui dat, paternè & pascitur, spectet manum,
Amore lucri turpe nec quicquam gerat,
Auidam cruoris æmulans hirundinem,
Quædam tenens iam, mente quædam cogitans,
Oculisq; rursus non bonis quædam intuens,
Quædamq; inani spe, leuis fingens sibi,
Per expetita semper indigentior?

Iambico 22. aduersus opum amantes:

Quiddam tenes iam, quiddam aues, quiddam leui
Spe fingis, aliud turba lenonum tibi
Captant, vt alij fœminam ad stuprum solent.
Venerari auarum, conditas vestes habes
Tineis edendas: tritici emptor plurimus
Te circumit, at ipse vertis in quæstum famem.
Quidam ingemiscunt: spes tenet contra alteros.
Spes nam diurnum somnium est per quàm leue,
Partim recludis horrea, & partim obstruis,
Annona vt esse plurimum aut paulum vides:
Proh, proh, egentum demetis casus graues,
Aliena quæstus in tuos vertens mala,
Agrumq; faciens asperam nouum famem.
Quis tu ista, causis & quibus fidens, facis,
Habitura quem lux forsan est hæc mortuum,
A concupitis illicò auulsum boni?
Indigna res est, cuncta cùm donent Deo
Alij libenter, corpora, & totas opes:
Tu plura contra pectore insano expetas,
Vt consequaris ipse thesauros malos, &c.
Pauperiem honestam malo, quàm prauas opes;
Atque humilis esse, quàm tumens fastu graui,
Pro sanitate deputans morbum integra.
Vt Mida, in aurum sic tibi verti omnia
Sanè debebat: par tibi pœna vt foret,
Iustam obtinenti non probo ex voto famem.
Est viperarum quodpiam Dipsas genus,
Quas solitudo Pharia complures alit,
Ac vulnus eius quale sit, nomen docet:
Huic namque morbus, quem parit, nomen dedit.
Perit bibendo, quisquis hac ictus fuit,
Aquis repertis totus in eas irruens,
Quousque nimio turgidus potu crepet.
Vita cadente sæua sic cadit sitis.
Exod.16. *Nunquamne ad aures venit hoc, quæso, tuas,*
Fusum esse quondam cælitus panem agmini,
Deserta quod per sicca carpebat viam?
At constituta pœna erat cupidis nimis,
Quod plus olebat illicò: nam numeris
Modus necessitas erat: id ergo pati
Homines iniquos scilicet iustum foret,
Vt vel creparent, opibus aut tum pessimè
Partis olerent, vnum id illos sisteret.
Quin ipse corpus obijcis cuiuis tuum?
Sepulchra quin tu diripis, tecta effodis?
Opibus fruendis si quidem omnino studes,
Nec vnde curans, nec quibus prorsus modis.
Figere decori, visui, atque robori
Modum, choreis, cantilenis, cursibus,
Verbisq;, labor est id quidem, non vis rapax.
At non modus opum est vllus, his sed externus
Fruitur, labore parta quæ alius maximo
Tenebat, aut quæ liquerat moriens pater,
His fruitur, inquam, pauculos sæpè ad dies,
Qui fortè nec quæ possidet nouit bona.
Orbisne dabitur totus hic soli tibi?
Vt demus ipsum, nonnihil restat tamen.
Quid ergo facies? addere hæc satages quoque,
Semper laborans, pauper ob restantia?
Cohibebis at te? quin idem nunc iam placet?
Fructus tuorum te iuuat. nescis modum?
Opibus venenum, quas habes, addis miser:
Instarq; flamma est quicquid iniustè aduenit.
Quodcunque tangit, id statim simul interit.
Vt vnda salsa feruidam haud fugat sitim,
Nec flammam amoris fixus in amatam diu
Visus, sed inde surgit hæc duplo altior:
Cepêre sic quod, nimia quos opum tenet
Cupido, virus plurium est sitim afferens,

Gregorius Nyssenus. 380.

Lib. de vita Mosis: Crudelis domina auaritia est: quippe nullam vnquam requiem seruientibus ei præbere solet, sed quantò plura diei ac noctis laboribus & cruciatibus imperio dominæ quæritant, cupiditatemq; suam explere conantur, tantò magis anguntur, quasi nihil fecerint, magisq; inanes ac famescentes reperiuntur.

In Ecclesiasten Homil. 1. Si quis auaritia laborans pluribus diuitijs inhiat, & veluti quoddam mare immensam extendens cupiditatem, vndique affluentibus lucris non potest satiari, ad mare, quod est hic, aspiciens, morbum curet. Quomodo enim illud innumerabilibus aquarum influctionibus suum non transgreditur modum, sed æquè plenum semper remanet, perinde atque si ex aquis nulla fiat accessio: ita etiam humana natura in ijs, quæ adsunt, fruendis suis modulis comprehensa, per prouentuum ac vectigalium multitudinem non potest simul dilatare auidam præter naturæ modum fruendi cupiditatem, sed cessat quidem id quod influit, vis autem fruendi seruatur in proprio termino. Si ergo in fruendo non potest redundare copia: præter naturæ modum cur vestigalium attrahimus influxus pro ijs, quæ ingrediuntur, nunquam affusi ad benefaciendum alijs?

Homil. 4. Pulchrè diuinus Apostolus definit vitium auaritiæ, pronuntians ipsam esse omnium malorum radicem. Quomodo enim si in aliquam partem corruptus & putridus humor affluxerit, & in loco fuerit inflammatio, necesse est omnino, vt in aliquem abscessum, & corruptionem humor ille erumpat, cùm ad superficiem pus peruaserit: ità quibus pecuniæ cupiditatis morbus affluxerit, ad intemperantiam magna ex parte inclinat vitium. Propterea auri & argenti copiæ addit turpitudinem, quæ morbum, qui prius inuaserat, solet deinde consequi.

Euagrius. 380.

De octo vitiosis cogitationibus: Auaritia longam senectutem, manuumque in conficiendis operibus

imbe-

imbecillitatem, & famem futuram, & morbos euenturos, ac paupertatis molestias animo proponit: illudq; præterea turpe ac probrosum esse, ea, quæ necessaria sunt, ab alijs accipere.

Theophilus Alexandrinus. 390.

Epist. 3. Paschali: Infernus mortuis non expletur, sed quanto plures susceperit, tanto plures desiderat. Imitatur eum auaritia, quæ satiari non potest: sed quicquid habuerit plus requiret: minus putat ab eo quod cupit, omne quod possidet: semper immensa, semper immodica: ardorem peccatoris opum magnitudine non restinguens.

Ioannes Chrysostomus. 400.

In Matthæum Homil. 81. Audiatis hæc attentius omnes auari, qui grauissimo Iudæ morbo laboratis: audiatis, inquam, & teterrimam hanc ægritudinem fugiatis: namque si qui vnà cum Christo viuebat, si qui doctrinam Christi audiuit, si qui signa fecit, in profundissimum malorum barathrum ex hac ægritudine præcipitatus est: multò facilius vos, qui nec Scripturas audistis, & secularibus rebus affixi estis, hic morbus aggredietur, nisi iugiter ac perpetuò vigiletis. Quotidie ille cum eo erat, qui non habebat vbi caput reclinaret: & quotidie & verbis & operibus instituebatur, vt non argentum, non aurum, non duas tunicas habere vellet: & tamen reprimere se non potuit. Quomodo igitur tu speras absque magna cura & diligenti studio contagionem huius morbi effugere? Terribilis certè, terribilis hæc belua est: si tamen volueris, facillimè ipsam superabis: non habet enim à natura originem hæc cupiditas, &c. Pessima omnium hæc passio est: hinc sepulchrorum violatores, hinc homicidæ, hinc bella & pugnæ, hinc alia quamplurima mala oriuntur. Vbique certè auarus inutilis est, nec ad imperandum exercitui, nec vt præsit populo commodus. Cur dico in rebus publicis, cùm in priuatis etiam inutilis sit? Si vxor ducenda est, non probam, sed impudentissimam omnium pecunia eliget. Si domus emenda, non eam, quæ homini libero conueniat, emet, sed quæ pluris posset locari. Si serui, & quicquid aliud comparandum est, vilissimum semper inquiret. Quid minora percurro? si regnum orbis inuaserit, cæteris omnibus miserior tamen est, atque pauperior: terrarum pestis, vrbium pernicies, singulorum calamitas. Non enim quæ cæterorum sunt quasi sua tutatur, sed veluti vnus ex multis omnia rapis, pauciora putans cæteris omnibus habere. Nam cùm cupiditati eorum, quæ nondum possedit, ea quæ habet confert, nihil ea quæ habet præ illis esse opinatur: propterea quidam ait, nihil esse auaro iniquius. Qui auarus est, etiam seipsum perdit: auarus communis omnium hominum hostis: auarus non parum dolet, quia terra pro spicis aurum non producit, quia fontes non manant auro, quia montes loco lapidum aurum non habeant. Auarus fertilitatem temporum molestè fert, & communi felicitate contrahitur, omnemq; fastidit causam vnde argentum colligere non potest: è regione verò cuncta sufferr, vnde vel duos solummodo capere obulos possit. Omnes homines tam pauperes, quàm diuites odio prosequitur: pauperes, ne quid ab eo petant: diuites, quia quæ illorum sunt non possidet: vniuersos enim simpliciter quæ sua esse deberent, occupare putat, ac ideo quasi ab omnibus læsus, omnibus infensus est. Hic quid plenum sit nescit, saturitatem ignorat, omnium denique ita miserrimus est, quemadmodum expers auaritiæ, & oppositæ virtuti deditus omniū est beatissimus.

Homil. 7. in Ioannem: Nullo pacto fieri potest, vt qui omnia ad præsentis vitæ voluptatem refert, is cælestibus bonis fruatur: sed necessarium est, qui terrenis rebus inhiat, à cælestibus decidat. *Non potestis*, inquit, *Deo seruire, & mammonæ*: vnum teneamus, alterum odio habeatus oportet. Hoc quoque ipsa rerum clamat experientia. Quippe qui pecuniarum derident cupiditatem, hi maximè sunt, qui Dei flagrant desiderio: at contra qui illas præcipuè admirantur, hi maximè sunt, qui in Deum amorem habent remissiorem. Animus enim qui pecuniarum cupiditate distrahitur, non facilè ab his abstinet, quæ Deum ad iram prouocant: vtpote, qui alterius seruus sit domini, omnia ipsi contra diuinas leges præcipientis. Sobrij igitur sitis aliquando, & excitemini, & cui nostrum debeamus seruitium, intelligamus: eiusq; duntaxat regnum desideremus, clamemus, præterita defleamus tempora, quibus mammonæ seruiuimus, cuius graui & intolerabili iugo abiecto, Christi iugum & leue & facile subeamus. Nihil enim eorum quæ mammona, nobis Christus præcipit: siquidem illud omnium inimicitias, hic contra omnium amorem, omnibus salutem dicere. Illud nos luto & terræ astringens, neque enim aliud aurum est, ne noctu quidem vel minimum respirare nos sinit: hic nos inani & superuacanea cura liberat, iubetque vt in cælo thesauros sine cuiusquam iniuria propria iustitia recondamus. Illud post innumeros sudores atque miserias, neque nobis adesse, neque auxilium in necessitatibus præstare potest, quamuis multa & grauia perpessi simus, vt eius legibus pareamus, imò vehementiore afficit supplicio: hic etsi nobis iniungat vt calicem aquæ frigidæ demus, nunquam tamen nos sine mercede dimittit, sed incredibili liberalitate nos donat. Nonne summæ profectò dementiæ est tam leue, tam gratum imperium, & tantis redundans bonis, vt ingrato & fœdissimo seruias tyranno, contemnere: cùm nihil neque in hac, neque in æterna illa vita his, qui ipsi parent & seruiunt, afferre possit vtilitatis? Neque id solùm graue est & molestum, quòd nullum laborum præmium reddat, verùm quòd innumeris sibi obsequentes, vt iam diximus, malis accumulet: plurimi enim ex his, qui illic cruciantur, eò quòd pecunijs seruierunt, earumqúe cupiditati indigentibus nihil erogârunt, pœnas luunt. Quod ne nobis accidat, dispergamus, demus pauperibus, & noxijs huius vitæ curis, solicitudinibus, & eo, quod illic nobis impendet, supplicio animum liberemus, & pro terrenis pecunijs iustitiam cælo recondamus: perpetuos colligamus thesauros, qui vnà in cælum nobiscum euadere, & prosilire, & nobis periclitantibus præstò adesse, & iudicem conciliare possint: quem si nobis propitium, vt optamus, & in hac vita, & in die illa habuerimus, fidenter his bonis fruemur, quæ in cælis diligentibus se præparauit: quæ vtinam omnes consequamur.

Luc. 16.

Matt. 10.

Homil. 64. in Ioannem: Grauis morbus est auaritia, grauis inquam, qui & oculos cæcat, & aures obstruit, & fera sæuiores reddit, non conscientiam, non amicitiam, non consuetudinem, non propriæ animæ salutem cognoscere sinit, sed semel ab omnibus dirimens, in seruitutem sibi quos cepit more sæuissimi tyranni vendicat, &c. Dæmone grauior est pecuniarum cupiditas, cui multi magis obediunt, quàm illi idolis: illi enim in multis non parent, cui verò in omnibus; & quodcunque faciendum suggerit, obsequuntur. Quid dicit auaritia? Esto omnibus inimicus, obliuiscere naturam, contemne Deum, sacrificium mihi teipsum offer. Dicto citius parent. Et idolis quidem boues sacrificant: auaritia, offer mihi animam tuam, inquit, & persuadet. Vide quas habeat aras, quæ libamina accipiat. *Regnum cælorum auari non possidebunt.* Neque has minas formidant, &c.

1. Cor. 6.

Homilia 19. in Epist. ad Roman. in Moral. Non tam detrimentosa est ebrietas, quàm pecuniarum concupiscentia. Illic enim detrimentum intra perturbationem, atque afflictionem consistit, terminaturquę sensus stupore, atque ebrij exitio. At hic damnum ipsum infinitas animas peruadit, varia vndequaque bella succendens. Agè itaque & hunc cum illo componentes videamus, quas tandem causas cum illo communes habeat, quibus porrò in rebus plus illo abundet, &c. Aegritudinis genus differens est: alterum enim à vino, alterum à pecunijs existit: at affectus ipse consimilis, vterque enim absurdæ ex æquo concupiscentiæ seruit. Nam & qui vino ebrius est, is quò plures vini calices hauserit, eò plures appetit: qui autem pecuniarum amori seruit, quò magis ditescendi desiderio capitur, eò maiorem concupiscentiæ flammam incendit, pestilentioremquę sibi desiderij sitim accersit. In hoc igitur vno adsimiles sibi inuicem sunt. At in altero rursus auarus superiora omnia habet. Quonam quæso hoc? nempe quod ille quidem rem eam patitur, quæ iuxta naturam est. Vinum enim natura cùm sit calidum, insitamquę siccitatem intendat, facit qui eo poti, ebrijquę sint, ij vt sitiant adhuc. Auarus verò ille vnde plura semper concupiscit? vnde? Certè quum magnopere ditescit, tum maximè pauper est. Est porrò morbus hic talis, vt cognitu sit difficilis, ænigmati potius similis, &c. Videbimus eum, qui vino nimio potus delirat, desipitquę, sub vesperam oculis apertis neminem tamen videre, sed temerè huc illuc circumferri, atque ad vnumquemque sibi obuium pedibus offendere, eundemq; euomere, dilacerari, indecorè denudari, ac si vel vxor adfuerit, si filia, si ancilla, si quiuis alius, maiorem in modum ludibrio haberi. Agè itaque & ipsum quoque auarum in medium proferamus: hic enim non iam ad risum res pertinet, sed ad execrationem, ad ingentem excandescentiam, vnoquę verbo ad infinita fulmina: risum tamen in præsentia spectemus. Etenim hic vt ille omnes ignorans, & amicos, & inimicos, similiter oculis quidem apertis occæcatus est: ac quomodo illius oculis omnia vinum, sic huius omnia pecuniæ sunt, & præterea vomitus ipse longè lethalior. Neque enim cibum eructat: sed conuitij, sed contumeliæ, sed belli, sed mortis verba, infinita cælitus in ipsius caput fulmina attrahentia. Ac quemadmodum ebrij corpus liuidum esse solet, ac diffluens: sic & huius anima, atque adeò ne huius quidem corpus ab hoc morbo vacat: sed magis etiam eo detinetur, cura, solicitudine, iracundia, vigilantia totum illud sic arrodente, ac sensim absumente, vt à vino celerius lethaliúsve absumi nequeat. Adde quòd qui à vinolentia possidetur, transacta nocte ad sobrietatem redire potest. Hic autem continenter ebrius est, & interdiu & noctu, & euigilans & dormiens, maiori in cruciamento constitutus, quàm constituatur vel qui vinctus in custodia degit, vel qui ad effodienda metalla relegatus est, vel si quis est qui grauiori supplicio addictus sit. Hôccine igitur, quæso, vita, ac non potius mors est, atque adeò quiddam quauis morte mirabilius? Siquidem mors corpus quidem consopit, illud tum ludibrio, tum indecentia, ac turpitudine, tum peccatis liberans: at ebrietates huiusmodi in ista omnia illud præceps agunt, aures obturando, oculos occæcando, menti denique ipsi multam offundendo caliginem: neque enim audire, neque prorsus eloqui aliud quicquam auarus potest, quàm fœnora, quàm ex fœnoribus fœnora parta, quàm lucra turpia, quàm quæstus inuidiosos, quàm negotiationes seruiles, ac minimè liberales, canis in morem ad omnes adlatrans, omnes exosus, omnes auersatus, cum omnibus bellum gerens, &c. Hac igitur insania ecquidnam perniciosius esse queat? quid porrò miserius? cum tibi ipse nusquam non scopulos, nusquam non saxa latentia, nusquam non præcipitia, fossas, infinita barathra comparas?

Ioannes Cassianus. 420.

De capitalib. vitijs lib. 7. Hic morbus (*Philargyria*) posterius superueniens & extrinsecus accedens animæ, quantò facilius caueri potest ac respui, tantò neglectus & intromissus semel cordi, fit perniciosior cunctis, difficiliusq; propellitur. Malorum namque omnium efficitur radix, multiplices fructificans fomites vitiorum.

Cap. 23. Vis nosse quàm perniciosè, quàm noxiè fomes iste, nisi fuerit diligenter excisus, ad eius interitum, qui eum conceperit, fructificet, & omnigenis pullulet ramusculis vitiorum? Respice Iudam Apostolorum numero deputatum, quia noluit serpentis huius caput lethale conterere, qualiter eum suo veneno peremerit, & concupiscentiæ laqueis irretitum ad quàm abrupti præcipitij crimen impegerit, vt redemptorem mundi, & humanæ salutis auctorem triginta argenteis persuaserit vendere. Qui nequaquam esset ad tam scelestum proditionis facinus deuolutus, si non philargyrię morbo fuisset infectus: nec Dominicę necationis reus sacrilegus extitisset, nisi prius solitus fuisset creditos sibi loculos compilare.

Collat. 5. cap. 8. Quòd extra naturam sit Philargyria, hinc liquidò peruidetur, quia nec originale probatur in nobis habere principium, nec de materia concipitur quæ pertingit ad animæ vel carnis participationem, vitæquę substantiam. Nihil enim ad vsum vel necessitatem naturæ communis præter escam quotidianam ac potum certum est peruenire: reliquæ verò vniuersæ materiæ quantolibet studio atque amore seruentur, alienæ tamen ab humana indigentia etiam vsu vitæ ipsius approbantur, ideoquę hoc velut extra naturam existens, non nisi tepidos ac malè fundâtos monachos pulsat. Quæ autem naturalia sunt, etiam probatissimos monachorum, & quidem in solitudine commorantes, attentare non desinunt. Et in tantum hoc verissimum comprobatur, vt etiam gentes nonnullas ab hac passione, id est, Philargyria, liberas omnimodè agnoscamus, quia nequaquam vitij huius ægritudinem vsu & consuetudine receperunt. Illum quoque priorem mundum, qui ante diluuium fuit, diutissimè concupiscentiæ huius rabiem credimus ignorasse.

Collatione 12. capite 2. Quisquis non communicat necessitatibus egenorum, & pecuniæ suæ, quam infideli tenacitate conseruat, Christi præcepta postponit, idololatriæ crimen incurrit, amorem scilicet materiæ mundialis diuinæ præferens charitati.

Nilus Abbas. 420.

De octo vitiosis cogitationibus, de auaritia: Extremum est auaritię bellum, atque à natura nostra alienum, atque in Monachorum animis ex infidelitate duntaxat oritur. Etenim aliorum affectuum, hoc est, iræ, & libidinis, stimuli ansam à corpore arripere videntur, eoquę nomine cùm nobis à natura quodammodo insiti sint, non nisi longo temporis spatio, atque ægrè superantur. At hic affectus, cùm extrinsecus confletur, si quidem studium & diligentia adibeatur, facilius excinditur; sin autem negligatur, exitiosior alijs efficitur, radixquę omnium malorum, atque idolorum cultus quemadmodum Apostolus testatur, &c. Auarus ille habendus, non qui omnino pecunias 1. Tim. 6

non

non habet: sed qui eas amat, atque adipisci cupit. Nunquam sine fluctibus est mare, nec auarus sine ira & mœrore. Auarus in cælum contendens, huic similis est, qui pedibus suis vinculo constrictis currere conatur.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Ad cap. 2. Esaiæ: Auaritiam omnium malorum
1.Tim.6 radicem esse sapientissimus Paulus perspicuè testatur, &c. Imò à qui tandem nequitiæ genere eos qui diuitiarum stud[illegible]entur abesse videas? Corradunt enim hui[illegible]di homines quæstum, corrogantque pecunias ex vsuris & fœnoribus, ex cupiditate & iniustitia, ex rapina & calumnia. Adest & diuitijs insolentia, & ad prouentus & nefariarum & execratissimarum voluptatum magna procliuitas.

Ad cap. 5. Esaiæ: *Væ qui coniungunt domum domui, & agrum cum agro copulant, vt proximo aliquid auferant.* Inest enim omnino his qui ditescere volunt, & qui potentia valent, vt semper acquisitis iam aliquid adhuc velint accumulare, & vt suas facultates ac copias infinitis accessionibus coaceruare videantur. Insidiantur enim semper accolis vicinis, & vrbanas res amplificare student, & dominos suis prædijs finitimos opprimunt, & cum suis copulant ac coniungunt. Est enim insatiabile quiddam vir diues, si quidem accedat quoque, vt quod velit, non possit rectè conficere. Quiescet enim nunquam, neque desinet ad proximi bona assilire: quod nondum adest, sitit: & quæ nondum comparata sunt, concupiscit.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 2. epist. 146. Tu quidem pecuniarum atque opum desiderio teneri videris, & quia incurabili morbo laboras, excusationemque huius culpæ captas, Demosthenem (qui his verbis vsus fit: Opibus autem & pecunijs opus est, ac sine ijs nihil eorum, quæ in rem sunt, fieri potest) aduersus nos armis instruxisse, vt qui inuicto oratori reluctari minimè audeamus, &c. Si omissis calculis ipsam rei naturam expendere oportet, nullum in humana vita scelus reperietur, quod non ob pecuniarum amorem perpetretur. Ob eas odia, & pugnæ, & bella: ob eas cædes, & latrocinia, & calumniæ. Ob eas non vrbes duntaxat, sed etiam solitudines; non solùm cultæ & habitatæ, sed etiam incultæ & desertæ terræ cruore & cædibus redolent. Ac ne à mari quidem hoc malum abstinuit: verùm illic quoque ingenti cum furore grassatur, prædonibus illud obsidentibus, ac nouum quendam latrocinij modum excogitantibus. Ob eas & cognationis, & necessitudinis leges euersæ sunt, & naturæ sanctiones conuulsæ, atque adeò sepulturæ iura labefactata. Hic enim improbus ac scelestus amor non aduersus viuos duntaxat, sed etiam aduersus eos, qui mortem obierunt, furum sepulchra effodientium manus armauit: quippe quæ ne eum quidem, qui ex hac vita excessit, ab insidijs suis liberum atque immunem esse patiantur. Ac denique quæcunque mala quispiam inuenire queat, siue in concilijs, siue in iudicijs, siue in domibus, siue in vrbibus, ex hac radice ea pullulare conspicies. Verùm quid laboro? omnem huius morbi malignitatem, ne si omnes quidem mortales in vnum coierint, explicare poterunt.

Epistola 233. Corporum amorem, vt qui acris quidem sit, verùm celeriter extinguatur, ob eam causam pictores cum facibus & pennis depingunt: quia nunc libidinem inflammat, nunc rursum ob saturitatem auolat. At pecuniarum amorem nemo vnquam aut fingere, aut scribere ausus est: cuius rei hæc fortasse causa est, quia nec amor quidem est, sed insanabilis furor: aut hæc fortasse, quia nec fingi, nec describi potest: neque enim quinquaginta duntaxat habet capita, vt fabulosa illa Hydra, per quæ ob inexplebilem ventrem cibos transmiserat, nec insaturabilis illius portenti instar afficitur, nec denique Briarei in modum centum duntaxat manibus armatus est. Quin ne pennas quidem habet: satiari enim atque expleri nescit. Quonam itaque modo quisquam huiusmodi monstrum effingere aut pingere queat, cum quo Scylla comparata fidem inuenisset, etsi alioqui incredibilis, &c. Mihi puero haudquaquam similis esse videtur, (non enim amor, sed perspicuus furor est,) verùm fœminæ cuidam (nam hoc quoque amentiæ ipsius atque improbitatis indicium sit) belluina forma præditæ, ignemque spiranti, atque sexcentas viperas crinium loco in capite habenti perpetuò sibilantes, ac mortiferum venenum euomentes, sexcentas item manus vnguibus abundantes, quarum opera & adiumento alios lacerat, alios sagittis impetit, ab alijs pecunias extorquet, ac denique sexcenta ora. Neque enim minatur duntaxat, ac calumnias struit; verùm etiam adulatur, ac seruilem in modum alloquitur, & peierat, turpisque quæstus causa innumeras occasiones excogitat. Quin oculus habet, non, vt naturæ consentaneum est, cernentes, aut quemque verentes, non amicum, non fratrem, non cognatum, non benefactorem; verùm asperum quiddam, & acre, atque crudele, & inhumanum, igneumque obtuentes. Neque enim rerum naturam perspicit, nec illud animaduertit, quòd persæpè, cùm permulta mouerit, ad hostium manus pecunias transmiserit, vnde etiam innumeras ei, qui captus est, peccatorum notas inussit. Porrò autem aures vsque adeò septas & obturatas habet, vt nec supplices preces, nec gemitus, nec fletus, nec vituperationes audiat. Tantum verò ab eo abest, vt pennas habeat, (quæ saturitatem designant,) vt ne pedes quidem vir vllus cordatus tribuere queat. Neque enim ingredi, atque ab eo, qui captus est, secedere potest, verùm manus in omnes immittens, ferro quouis ac plumbo grauior insidet, atque ita comparata est, vt omnia quidem accipiat, atque omnes expilet, nunquam autem expleatur: verùm eorum, quæ accipit, multitudinem fomitis atque incitamenti materiam habeat, rerumque acceptarum finem accipiendarum initium efficiat. Ecquis igitur acerrimo huiusmodi & inexplebili furore, atque innumera peccata, & maledicta, & dedecora, & intemperantias, & petulantias nobis conflante capiatur? Ecquis in animum inducat tum in hac vita tam miserè viuere, vt dies noctesque velut flagris quibusdam laceretur, nec requiem vllam, aut somnum sentiat, & in futura suppliciorum atque cruciatuum initium accipere? Quid autem initium dico? Hic enim eos, quos ceperit, tyranno quouis acerbius torquet, & excruciat, in eos insultans, ac præcipuas partes attingens, ac ne tantillum quidem interquiescere finens, verùm grauiorem ipsis pœnam inferens, quàm ij luant, qui ad metalla (quæ atrocissima pœna est) damnati sunt. Nam illis confecto opere somno ac quiete frui licet: his autem ea somni quoque portum velut aggesta terra obstruens, noctu quoque sæua illa & inhumana edicta proponit. Hos enim ad latrocinia mittit, illos ad cædes perpetrandas. Quamobrem omnia ipsius vitia mente voluentes, nempe quòd belluina forma prædita est, atque tetra, & inamœna, & ignem spirans, atque inexplebilis, & oculis auribusque capta, & crudelis, & execranda, & Deo inuisa, & implacabilis, atque crudelis (neque enim cùm blanditijs atque obsequijs delinitur, aliquid remittit, verùm tum potius efferatur, cùm maximè colitur) maximè quidem per aures nullum non

tentationis genus admonebat, & per odoratum extimulabat, &c.

Theodoretus. 450.

Ad cap. 6. prioris ad Timoth. Qui ex pauperibus quidem natus est, diuitias autem expetit, & ad eas parandas nullam non viam init, eum non capiet quidem satietas desiderij, peccati autem laqueis implicabitur, fluctibusq́ue agitatus, & naufragium passus vitam finiet. *Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Cædes enim & præstigiæ, furta & rapinæ, fraudes & mendacia, iusiurandi violatio, & alia genera iniquitatis ex hac radice pullulant.

Basilius Seleucius. 450.

Orat. 4. de Lazari excusatione: Auaritia malum est, quod omnia sursum deorsumq́ue concitat, iustum & æquum omne deprauat. *Dona namque excæcant oculos iudicum, & quasi frenum in ore, euertunt correptiones eorum.* Hic auaritiæ morbus ex liberis seruos facit.

Titus Bostrensis. 460.

Ad cap. 12. Lucæ: Qui tanta bonorum copia vndequaque affluebat, anima adhuc angebatur, curisq́ue immensis distrahebatur. aiebat enim: *Quid faciam?* Non enim spectabat ad vitam futuram, neque oculos in Deum conijciebat, neque vllo prorsus pauperum amore aut cura tangebatur, neque vllam tandem gloriæ, quæ inde ad se redundare poterat, rationem habebat. Verùm omnia ad seipsum, suumq́ue commodum & vsum referebat. Et quod his omnibus absurdius est, longam sibi vitam promittebat: quasi illa quoque, tanquam reliqua humi nascentia, è terra decerperetur, &c. Nunquam quòd diuites aliquando fieri velimus, in animum inducamus. Profectò ter felix fortunatusq́ue est ille, opeq́ue citra vllam controuersiam præclara nititur, qui secundùm Deum diues est: sicut è diuerso verè miser & infelix haberi potest, qui in alteram partem abductus est. Imò verò omnis eiusmodi amens & stultus est: quemadmodum regius quoque Psaltes minimè obscurè alicubi id
Psal. 38. profitetur: *Veruntamen, ait, frustra conturbatur homo: thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea.*

Olympiodorus. 500.

In Ecclesiasten cap. 5. Famulus securam vitam ducens, quocunque demum victu alatur, dulci somno reficitur. At qui pecunijs seruit, herum habet importunum, qui dormire eum non finit, curam scilicet augendi lucri, anxietatibus plenam, &c. Omnes iniquitatis species morbi sunt ipsius animæ. Adeò verò grauis est & intensus auaritiæ morbus,
1. Tim. 6 vt *radix malorum omnium* meritò nominetur. Inquit ergo: Vidi asseruatas opes in perniciem possidentis. Aut enim peregrè proficiscens perdit auarus diuitias, cùm propter eas nonnunquam grassatorum insidias raptorumq́ue patitur, aut si cætera euadat incommoda, vita demum excedens, pecunijs tunc priuatur: planeq́ue intelligit se pro incerta re atque instabili laborasse, vt, quibus omnino cariturus erat, pecunias congregaret.

Æneas Gazæus. 530.

In Theophrasto: Prodigalitas & auaritia, itemq́ue temeritas & ignauia, omnium fœdissima & sunt, & nominantur mala: quorum nullum bonis inest.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 16. Auaritia siue cupiditas est idolorum veneratio, infidelitatis filia, infirmitatum occasiones præfert, senectutis est vates, terræ siccitatem præcinit, venturæ fami prospiciendum suadet. Auarus est Euangeliorum irrisor, transgressorq́ue voluntarius. Qui charitatem possidet, pecunias spargit: qui verò vtramque rem se tenere dicit, ipse se fallit. Qui semetipsum luget, etiam corpus abnegauit. Nam si ad id se tempus vacet, neque illi parcet. Ne dixeris, pauperum gratia pecunias congrego. Duobus enim minutis cæleste regnum venit. Hospitalis & auarus sibi inuicem obuiarunt, postremusq́ue priorem indiscretum appellauit. Qui vicit hoc vitium, amputauit curas: qui verò illo deuinctus est, nunquam orabit purè. Auaritiæ initium eleemosynas prætendit, finis verò est odium pauperum. Dum co[illegible]gat quisque misericors efficitur, at cùm fue[illegible]cunia cum copia, contrahit manus, &c. Neque fluctus vnquam deerunt mari, neque auaro iracundia & mœror deesse poterunt. Qui auaritiæ materiam contempsit, hic lite omni & controuersia liber euasit. Qui verò possidere amat, pro acu vsquè ad mortem corrixabitur. Fides constans recidit curas, porrò mortis memoria corpus ipsum quoque abnegabit. Non fuit in Iob vllum auaritiæ vestigium, atque priuatus omnibus sine perturbatione perstitit. Meritò *radix malorum omnium est*, & dicitur 1. Tim. 6
auaritia. Hæc enim & scelera, & furta, inuidias, cædes, diuortia, inimicitias, procellas, iniuriarum memoriam, crudelitatem, mala denique omnia inuenit.

Luc. 12.

Antiochus. 600.

Homilia 8. Pecuniæ amor morbus est mirè peruicax, expugnatu difficilis, denique & perniciosus. Impossibile namque ei, qui sit affectator voluptatum simul & congerendæ pecuniæ cupientibus, secundùm Deum vitam vt instituat suam. Planè si quando hic morbus animam internanciscetur segni torpore lentescentem, & animam diffidentem Deo: mox illi suggerit commenta quædam excusandi sui consentanea, vel quæ vmbram præferant iustæ excusationis. Eiusmodi prætextus vmbratilis secreta cogitatione Monacho se offert, senectutem prolixam esse, præterea infirmam esse valetudinem corporis. Vt mare, quantumlibet in se incurrentium fluminum excipiat multitudinem, nunquam tamen exatiatur aut impletur: haud secus auari concupiscentia: neque enim quantislibet expletur diuitijs, &c. Dæmon hic tinea quædam efficitur in ossibus auari, per anxiam & irrequietam solicitudinem & peruigilium ipsum arrodens ac depascens. Iure optimo 1. Tim. 6
in sacris literis pestilenti hac passione interdicimur, qua noscuntur laborare grauiter à fide speq́ue obtinendæ salutis alieni, imprimis tamen voluptati ac idololatriæ obnoxij: neque enim superest illis quicquam spei erga Deum, sed in animalcula regia, qui cùm à recto calle deflexerint, in præcipitia erroris atque perditionis barathrum prono illapsu feruntur, vel teste Scriptura: *Qui diligit aurum, non iustificabitur.* Rursus: *Auaro nihil iniquius.* Eccl. 31. Eccl. 10.
Et: *Multi dati sunt in ruinam propter aurum*, vt & Iudas: is enim per auaritiam non Apostolorum modò excidit cœtu, sed & proditor factus est Domini, ac demum gulam sibi præfocauit laqueo: iustè quidem. Scelus planè est & abominatio: lepra, inquam, est auiditas pecuniæ, vt & luculenter per Giezi demonstratum est.

Basilius Imperator Constantinop. 860.

In Exhortationibus cap. 27. Pecunia si iustè colligitur, possidenti multum adfert emolumenti, & neruos imperio addit: quæ verò ex lachrymis subditorum atque ex iniquitate corrasa fuerit, etiam iustè collectam dissipabit: attrahet enim Deum, qui iustitiæ leges condidit, ad vindicandam iniuriam. Ignis verò non ita celeriter paleam consumit, vt malè & iniustè congestæ opes etiam iure partas in perniciem secum abripiunt.

Leo Imper. cognomento Philosophus. 880.

Orat. Encomiastica in Chrysost. Deinde aduersus arcem

cem vitiorum, auaritiam inquam, dirigit aciem, deinde procedit aduersus eos, qui secant crumenas, quibus comprehensa est helluonum & assentatorum lues.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 12. *Ioan.* Quare, si quidem auarus erat & fur Iudas, pecuniarum dispensationem ei permisit Dominus? Propter istuc ipsum quòd fur erat, vt omnem ei occasionem auferret. Non enim poterat dicere, quòd propter pecuniarum amorem eum prodiderit. Nam satis consolationis ex marsupio habebat, & neque marsupium gerens fidelis erat. Portabat enim, hoc est furabatur, quæ mittebantur. sacrilegus erat, in suum vsum rapiens ea, quæ in diuinum dabantur. Audiant sacrilegi quarum partium sint. Et caput malitiæ est, quòd postea vendidit Dominum. Vides quò ferat auaritia? Ad proditionem. Bene igitur Paulus radicem omnium malorum hanc vocauit, vtpote quæ prodiderit Dominum, & quotidie hoc faciat.

Ad cap. 6. prioris ad Timoth. *Radix enim omnium malorum est auaritia.* Neque enim viuentibus parcit, neque mortuis, sed hos quoque deprædatur: in parentes & fratres insurgit, ac quæ Dei sunt spoliat. Tolle hanc è medio, & nullum bellum aut inimicitia aderit, neque erit fornicatio: scortum enim argenti causa se prostituit.

Constantinus Manasses. 1140.

In Annalibus de Mauritio Imp. O aurum tyranne crudelis, hominum persecutor audacissime, fraudulente, arx malorum, castellum perniciei, vastator vrbium, propugnaculorum euersor, murorum dilacerator, oppidorum oppugnator, ædium succussor, qualibus malis mortales diuexas? Nulla res in hominum vita tecum in certamen descendere potest: nulla res terrena potest tecum in comparationem venire: durum emollis, molle induras: linguam mutam soluis, loquacem comprimis: currendo valentem tardum efficis, ac vicissim de tardo volucrem: corda inflammas, & voluptate quadam demulces: sensus illecebris ineuitabilibus, ceu præstigijs quibusdam excantas, cùm interim venustas illa tua non minus veneno suo, quàm vipera noceat: leges & iura proculcas, verecundiam & pudorem abigis, sepulchra violas, parietes perforas: nihil non habes venale, nihil non prodis.

Manuel Palaeologus. 1400.

Oratione 1. Quos auaritiæ vitium semel occupat, eorum animis quandam sui perpetuam sitim instillat: quam illud ipsum, quod percipitur, nunquam non magis ac magis augens, vti materies ignem & flammam, mentes correptorum hoc morbo vitiat: quippe fieri nequit, vt qui æger est animo, mente sanus sit.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De patientia c. 7. Si detrimento rei familiaris animus concitatur, omni penè in loco de contemnendo seculo Scripturis Dominicis commonetur: nec maior ad pecuniæ contemptum exhortatio subiacet, quàm quòd ipse Dominus in nullis diuitijs inuenitur. Semper pauperes iustificat, diuites prædamnat. Ita detrimentum patientiæ, fastidium opulentiæ præministrauit, demonstrans per abiectionem diuitiarum, lęsuras quoque earum computandas non esse. Quod ergo nobis appetere minimè opus est, quia nec Dominus appetiuit, detruncatum vel etiam ademptum non ægrè sustinere debemus. Cupiditatem omnium malorum radicem Spiritus Domini per Apostolum pronuntiauit. (1.Tim.6) Eam non in concupiscentia alieni tantum constitutam interpretemur: nam & quod nostrum videtur, alienum est: nihil enim nostrum, quoniam Dei omnia, cuius ipsi quoque nos. Itaque si damno affecti impatienter senserimus, non de nostro amissum dolentes, affines cupiditatis deprehendemur. Alienum quærimus, cùm alienum amissum dolentes ægrè sustinemus. Qui damni impatientia concitatur, terrena cælestibus anteponendo, de proximo in Deum peccat. Spiritum enim, quem à Domino sumpsit, secularis rei gratia concutit. Libentes igitur terrena amittamus, cęlestia tueamur.

Urbanus Papa. 224.

Epist. Decretali: Quid suadet sapientia huius seculi, nisi nocitura quærere, & amare peritura; negligere salutaria, pro nihilo reputare perpetua? (1.Tim.6) Cupiditatem commendat, de qua dicitur: *Radix omnium malorum est cupiditas:* Quæ in primis hoc malum habet, quòd dum ingerit transitoria, abscondit æterna: & dum à foris posita conspicit, intra se latentia non introspicit: & dum aliena quærit, sectatori suo semetipsum alienum facit.

Cyprianus. 250.

Ad Demetrianum: De sterilitate aut fame quereris, quasi famem maiorem siccitas quàm rapacitas faciat, quasi non de captatis annonarum incrementis & pretiorum cumulis flagrantior inopiæ ardor excrescat. Quereris cludi imbribus cælum, cùm sic horrea cludantur in terris. Quereris minus nasci, quasi quæ nata sunt, indigentibus præbeantur. Pestem & luem criminaris, cùm peste ipsa & lue vel detecta sint, vel aucta crimina singulorum: dum nec infirmis exhibetur misericordia, & defunctis auaritia inhiat ac rapina: Ijdem ad pietatis obsequium timidi, ad impia lucra temerarij, fugientes morientium funera, & appetentes spolia mortuorum; vt appareat in ægritudine sua miseros ad hoc forsitan derelictos esse, ne possint, dum curantur, euadere. Nam perire ęgrum voluit, qui censum pereuntis inuadit. Tantus cladium terror dare non potest innocentiæ disciplinam; & inter populum frequenti strage morientem nemo considerat & se esse mortalem. Passim discurritur, rapitur, occupatur. Prædandi dissimulatio nulla, nulla cunctatio, nulla formido est. Quasi liceat, quasi oporteat, quasi ille, qui non rapit, damnum & dispendium proprium sentiat; sic vnusquisque rapere festinat. In latronibus est vtcunque aliqua scelerum verecundia, auias fauces & desertas solitudines deligunt, & sic illic delinquitur, vt tamen delinquentium facinus tenebris & nocte veletur. Auaritia palam sæuit, & ipsa audacia sua tuta in fori luce abruptæ cupiditatis arma prostituit. Inde falsarij, inde venefici, inde in media ciuitate sicarij, tam ad peccandum præcipites, quàm impunè peccantes.

Zeno Veronensis. 260.

Sermone 1. *de auaritia:* Nec singulare, nec friuolum crimen est, fratres, vel maximè Christianum cupiditatis compedibus alligari, profundæque noctis feralibus tenebris obcæcatum miserabiliter ad ima deferri, sed quia inextinguibilis pestis incendio totus mundus exarsit, auaritia, vt putatur, crimen esse desijt: quia neminem, qui se possit arguere, derelinquit: omnes enim passim furore insatiabili turpes præcipitantur in quæstus; nec quisquam prorsus inueniri potest, qui ei saltem vel vno momento iustitiæ frænos imponat: inquieta semper exæstuat, sæuit, pugnat, rapit, congregat, seruat, sui tenax, appetens alieni: non suo, non alieno, non ipso orbe contenta: totum possidet, & de inopia queritur semper. Denique

ad ſua nunquam peruenit vota: quantum fuerit auctor, ſit tanto miſerior: expers otij, expers ſatietatis, per fas, atque nefas artibus multis modis, ac verſutijs armata bacchatur, ſalutis ſuæ, alienæque contemptrix: ſolum metuens, ne deſit vlli, quod radat, &c. Rectè igitur Apoſtolus ait: *Radix omnium malorum eſt auaritia*: hac enim matre, eademque magiſtra vniuerſa, quæ diximus, ſed & alia multa, imò omnia vndique ſine pauſa, quæ ſcaturiunt, mala naſcuntur, atque concelebrantur.

Lactantius. 320.

In epitome diuinarum Inſtitutionum cap. 4. Tres affectus, vel (vt ita dicam) tres furiæ ſunt, quæ in animis hominum tantas perturbationes ciunt, & interdum cogunt ita delinquere, vt nec famæ, nec periculi ſui reſpectum aut curam habere permittant: Ira, quæ vindictam cupit: Auaritia, quæ deſiderat opes: Libido, quæ appetit voluptates. His vitijs reſiſtendum eſt, hæ ſtirpes eruendæ, vt virtutes ſeri poſsint.

Cap. 5. Auaritia frangitur, cùm habemus quod ſatis eſt. Quis enim furor eſt, in his congerendis laborare, quæ aut latrocinio, aut furto, aut proſcriptione, aut morte ad alios facilè ſit peruenire?

Hilarius. 350.

In Pſalm. 51. Stulti, non intelligentes hoc ſe magis religioſos oportere eſſe, quòd diuites ſunt, quia gratiam referre largitori bonorum ſibi deſiderabilium conueniat: & hoc magis inexcuſabilis auaritiæ ſit reatus, quia auaritiæ neceſsitatem non excuſet opulentia. Iam verò quàm infelix fiducia eſt rei inanis, Deum contemnere, habendo aurum: quaſi aurum non ex Dei ſit creaturis, aut aliquem per id iudicio ſanæ mentis beatæ vitæ acquirat profectum, quòd ſibi aurum iaceat ſuffoſſum, & hinc fiant generoſioris animæ & corporis, homoque alius poſsit eſſe quàm natus eſt: aut cùm vita excedat, auro ſuo ſit vſurus in morte. Vtetur planè, ſi eo rectè vtitur in vita: ſi eſurientem pane ſuo aluerit, ſi nudum veſte ſua texerit, aut ægrum ſumptu ſuo refouerit, aut captiuum libertati ſuæ redemerit. Hæ ſunt planè ambitioſæ apud Deum humani theſauri legationes, hæc potentia deprecandorum criminum, & vera ſuffragia.

In præfatione Pſalm. 61. Hic Pſalmus ad Idithum à Dauid cantatur, in quo à Dei timore ad humanarum ſiue ſpiritualium nequitiarum conſtantem tolerantiam eruditur: & ad contemptum opum, quia auaritia malorum omnium radix eſt, firmatur. In his enim beatæ æternæque vitæ ſtatus certus eſt, ſi & pietas in Deum ſit, & patientia in aduerſis, & contemptus opulentiæ.

In Pſalm. 125. At verò animæ captiuitas quàm infelix eſt? Auarus carititurus ſemetipſo, carere timet pecunia: negotioſus, triſtis, anxius, ſine requie vlla, damni metu ſemper detinetur: honeſtatis immemor eſt, amicitiarum inobſeruans, humanitatis fugax, religionem neſcit, bonitatem omninò odit.

Ambroſius. 370.

Eſa. 5. *Libro de Nabuthe Iezraelita cap.* 1. Quouſque extenditis diuites inſanas cupiditates? *Nunquid ſoli habitabitis ſuper terram?* Cur eijcitis conſortem naturæ, & vendicatis poſſeſsionem? In commune omnibus diuitibus atque pauperibus terra fundata eſt, cur vobis ius proprium ſoli diuites arrogatis? Neſcit natura diuites, quæ omnes pauperes generat. Neque enim cum veſtimentis naſcimur, nec cum auro argentoque generamur. Nudos fudit in lucem, egentes cibo, amictu, poculo nudos recipit terra quos edidit, neſcit fines poſſeſsionum ſepulchro includere, &c. Omnes ſimiles creat, omnes ſimili claudit gremio ſepulchri. Quis diſcernat ſpecies mortuorum? Redoperi terram, &, ſi potes, diuitem deprehende. Eruderato tumulum, & ſi cognoſcis egentem, argue: niſi fortè hoc ſolùm, quòd cum diuite plura pereunt. Sericæ veſtes, & auro intexta velamina, quibus diuitis corpus ambitur, damna viuentium, non ſubſidia defunctorum ſunt, &c. Hæredes relinquis qui litigent cum hæredibus, &c. Si frugi hæredes ſunt, cuſtodiunt: ſi luxurioſi, exhauriunt. Itaque aut bonos hæredes perpetua condemnas ſolicitudine, aut malos dimittis, quò tua facta condemnent.

Cap. 2. O diues, neſcis quàm pauper ſis, quàm inops tibi ipſi videaris, qui te diuitem dicis? Quanto plus habueris, plus requiris: & quanquam acquiſieris, tamen tibi adhuc indiges. Inflammatur lucro auaritia, non reſtinguitur, &c. Rex Achab in Iſrael erat, & pauper Nabuthe. Ille regni opibus affluebat, iſte anguſti ſoli ceſpitem poſsidebat. Nihil pauper de poſſeſsionibus diuitis concupiuit, rex ſibi egere viſus eſt, quia vineam habebat pauper vicinus. Quis igitur tibi pauper videtur? qui contentus eſt ſuo, an qui concupiſcit alienum? Alter certè pauper cenſu videtur, alter eſt pauper affectu. Affectus diues egere non nouit, cenſus abundans nequit auari pectus explere, &c. Quæ vox alia ſtipem publicè poſtulantis, niſi: *Da mihi?* Hoc eſt: Da mihi, quia egeo. Da mihi, quia aliud viuendi ſubſidium habere non poſſum, &c. Hæc quàm abiecta, quàm vilia? Non habent enim humilitatis affectum, ſed cupiditatis incendium.

Cap. 3. Auis auibus ſe aſſociat, pecus pecori adiungitur, piſcis piſcibus: nec damnum ducunt, ſed commercium viuendi, cùm plurimum comitatum capeſſunt, & quoddam munimentum ſolatio frequentioris ſocietatis affectant. Solus tu homo conſortem excludis: includis feras, ſtruis habitacula beſtiarum, deſtruis hominum. Inducis mare intra prædia tua, ne deſint belluæ: producis fines terræ, ne poſsis habere finitimum.

Cap. 4. Diuites magis alienum panem, quàm ſuum manducant, qui raptu viuunt, & rapinis ſumptum exercent ſuum, &c. Diuites eripitis quidem pauperibus vniuerſa, aufertis omnia, nihil relinquitis: pœnam tamen pauperum vos potius diuites ſuſtinetis, &c. Pauperes quidem non habent quo vtantur: vos autem nec ipſi vtimini, nec alios vti ſinitis, &c. Noui ego diuitem in agrum proficiſcentem, panes breuiores vrbe delatos numerare ſolere, vt pro numero panis æſtimaretur quot dies in agro futurus eſſet. Nolebat obſignatum aperire horreum, ne quid de condito minueretur. Panis vnus ſingulis diebus deputabatur, qui tenacem vix ſatiare poſſet. Comperi etiam viri fidem, ſi quando ei ouum eſſet appoſitum, queri quòd pullus eſſet occiſus. Hoc ideo ſcribo, vt cognoſcatis vindicem eſſe Dei iuſtitiam, quæ lachrymas pauperum veſtro vlciſcatur ieiunio.

Cap. 6. Quis artifex vnum diem vitæ hominis potuit adiungere? Quem diuitiæ eius ab inferis redemerunt? Cuius ægritudinem pecunia mitigauit? *Non in abundantia diuitiarum*, inquit, *vita eius*. Luc. 12.
Et alibi: *Nihil proſunt theſauri iniuſtis, iuſtitia autem liberat à morte.* Prou. 10
Meritò clamat Propheta: *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Pſal. 61.
Quid enim mihi proſunt, ſi me à morte liberare non poſſunt? Quid mihi proſunt, ſi mecum poſt mortem eſſe non poſſunt? Hic acquiruntur, hic relinquuntur. Somnium igitur loquimur, non patrimonium. Vnde bene ait idem Propheta de diuitibus: *Dormierunt ſomnium ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.* Pſal. 75.
Hoc eſt dicere: Nihil inuenerunt in operibus ſuis diuites, qui nihil pauperibus contulerunt, &c. Quid eſt diues, niſi quidam inexple-

bilis

bilis gurges diuitiarum inexplebilis auri fames? Quo plus hauserit, plus inardescit. Sic Propheta
Eccle. 5. admonet: *Qui diligit argentum, non satiabitur argento.* Et infra idem: *Et quidem hic pessimus languor. Sicut enim fuit, ita & abijt, & abundantia eius laborat in ventum. Et quidem omnes dies eius in tenebris & luctu, & iracundia multa, & languore, & ira.* Tolerabilior conditio seruulorum. Illi enim hominibus seruiunt, iste peccato, &c. Semper in laqueis, semper in vinculis est: nunquam liber à compedibus, quia semper in criminibus, &c. Naturę ipsius nescit munia, nec somni ipsius nouit vices, aut cibi fungitur suauitate, cuius nullum est immune seruitium, &c. Excitat eum cupiditas, exagitat cura peruigil aliena rapiendi, torquet inuidia, mora vexat, sterilitas prouentuum infœcunda perturbat, sollicitat abundantia.

Cap. 7. Nescit auarus bona, nisi ea quæ quæstuosa sunt, nominare. Sed acquiesco ei, vt bona dicantur quæ sunt pecuniaria. Cur ergo de bonis facitis mala, cùm de malis bona facere debeatis? Scriptum
Luc. 16. est enim: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Ei ergo, qui vti sciat, multa bona sunt: ei, qui vti
Psal. 111. nesciat, rectè mala. *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum.* Quid hoc melius bono, si pauperibus largiaris, in quo tibi debitorem Deum quadam pietatis fœneratione constituas? Bona sunt si aperias horrea iustitiæ tuæ, vt sis panis pauperum, vita egentium, oculus cæcorum, orbato-
Job 29. rum infantium pater, &c. Tu verò quod per te multis nasci voluit, tibi soli reseruas, imò & tibi ipsi adimis. Magis enim seruares tibi, si disperti-res alijs. Bonorum enim fructus munerum in eos ipsos qui contulerint reuertuntur, & gratia liberalitatis in auctorem boni operis redit.

Cap. 8. Adhuc tu tibi tempora viuendi longa promittis? *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam à te.* Bene ait, *nocte*: nocte enim anima auari reposcitur, quæ à tenebris incipit, & in tenebris perseuerat. Auaro semper nox est.

Prudentius. 380.

In Psychomachia Auaritiæ & Largitatis:

Fertur auaritia gremio præcincta capaci,
Quicquid edax luxus pretiosum liquerat vnca
Corripuisse manu, pulchra ad ludibria vasto
Ore inhians, auriq; legens fragmenta caduci
Inter arenarum cumulos, nec sufficit amplos
Impleuisse sinus, iuuat infarcire crumenis
Turpe lucrum, & grauidos furtis distendere fiscos,
Quos læua calante tegit, lateriq; sinistri
Velat opprimento: velox nam dextra rapinas
Abradit, spolijsq; vngues exercet ahenos.
Cura, fames, metus, anxietas, periuria, pallor,
Corruptela, dolus, commenta, insomnia, sordes,
Eumenides furiæ, monstri comitatus aguntur.
Nec minus interea rabidorum more luporum
Crimina persultant toto grassantia campo,
Matris Auaritiæ nigro de lacte creata.
Si fratris galeam fuluis radiare ceraunis
Germanus vidit commilito, non timet ensem
Exerere, atque caput socio mucrone ferire,
De consanguineo rapturus vertice gemmas.
Filius extinctum belli sub sorte cadauer
Aspexit si fortè patris, fulgentia bullis
Cingula, & exuuias gaudet rapuisse cruentas:
Cognatam ciuilis agit discordia prædam,
Nec parcit proprijs amor insatiatus habendi
Pignoribus, spoliatq; suos fames impia natos.
Talia per populos edebat funera victrix
Orbis Auaritia, sternens centena virorum
Millia vulneribus varijs: hunc lumine adempto
Effossuq; oculis velut in caligine noctis
Cæcum errare sinit, perq; offensacula multa
Ire, nec oppositum baculo tentare periclum.
Porrò alium capit intuitu, fallitq; videntem,
Insigne ostentans aliquid: quod dum petit ille,
Excipitur telo incautus, cordiq; sub ipso
Saucius occulto ferrum suspirat adactum.
Multos præcipitans in aperta incendia cogit,
Nec patitur vitare focos, quibus æstuat aurum,
Quod petit arsurus pariter speculator auarus.
Omne hominum rapit illa genus, mortalia cuncta
Occupat interitu: neque enim est violentius vllum
Terrarum vitium, quod tantis cladibus æuum
Mundani inuoluat populi, damnetq; gehennæ.
Quin ipsos tentare manu (si credere dignum est)
Ausa sacerdotes Domini, qui prælia fortè
Ductores primam ante aciem pro laude gerebant
Virtutum, magnoq; implebant classica flatu.
Et fors innocuo tinxisset sanguine ferrum,
Ni Ratio armipotens, gentis Leuitidis vna
Semper fida comes, clypeum obiectasset, & atra
Hostis ab incursu claros texisset alumnos.
Stant tuti rationis ope, stant turbine ab omni
Immunes, fortesq; animi, vix in cute summa
Perstringens paucos tenui de vulnere lædit
Cuspis Auaritiæ. Stupuit lues improba castis
Heroum iugulis, longè sua tela repelli
Ingemit, ac dictis ardens furialibus infit:
Vincimur heu segnes, nec nostra potentia præfert
Vim solitam, languet violentia sæua nocendi,
Sueuerat inuictis quæ viribus omnia vbique
Rumpere corda hominum: nec enim tam ferrea quenquam
Formauit natura virum, cuius rigor æra
Sperneret, aut nostro foret impenetrabilis auro.
Ingenium omne neci dedimus, tenera, aspera, dura,
Docta, indocta simul, bruta, & sapientia, necnon
Casta, incasta mea patuerunt pectora dextra.
Sola igitur rapui quicquid Styx abdit auaris
Gurgitibus, nobis ditissima Tartara debent
Quos retinent populos: quòd voluunt secula, nostrum est.
Quod miscet mundus vesana negotia, nostrum est.
Qui fit, præualidas quòd pollens gloria vires
Deserit, & cassos ludit fortuna lacertos?
Sordet Christicolis rutilans fulua moneta
Effigies, sordent argenti emblemata, & omnis
Thesaurus nigrante oculis vilescit honore.
Quid sibi docta volunt fastidia? nonne triumphum
Egimus è Scarioth, magnus qui Discipulorum,
Et conuiua Dei, dum fallit fœdere mensæ
Haudquaquam ignarum, dextramq; parapside tingit,
Incidit in nostrum flammante cupidine telum,
Infamem mercatus agrum de sanguine amici
Numinis, obliso luiturus iugera collo.
Viderat & Iericho propria inter funera, quantum
Posset nostra manus, cùm victor concidit Achan,
Cædibus insignis, murali & strage superbus,
Succubuit capto victis ex hostibus auro,
Dum vetitis insigne legens anathema fauillis,
Mœsta ruinarum spolia insatiabilis haurit:
Non illum generosa tribus, non plebis auitæ
Iuuit Iuda parens, Christo quandoque propinquo
Nobilis, & tali felix Patriarcha nepote, &c.

De Hamartigenia:

Cui quicquid agit, vesania, & error
Suppeditant, vt bella fremant, vt fluxa voluptas

Diffluat, impuro ferueſcat vt igne libido,
Surgeat vt cumulos nummorum faucibus amplis
Gurges auaritiæ, finis quam nullus habendi
Temperat, aggeſtis addentem vota talentis.
Auri namque fames parto fit maior ab auro:
Inde ſeges ſcelerum, radix & ſola malorum,
Dum ſcatebras fluuiorum omnes, & operta metalla
Eliquat ornatus, ſoluenda leno pudoris,
Dum venas ſqualentis humi ſcrutatur inepta
Ambitio, ſcalpens naturæ occulta latentis, &c.

Hieronymus. 390.

Epiſtola 22. quæ eſt ad Euſtochium, de cuſtodia virginitatis cap. 14. Auaritiæ tibi quoque vitandum eſt malum, non vt aliena non appetas, (hoc enim & publicæ leges puniunt,) ſed quo tua, quæ tibi ſunt
Luc. 16. aliena, non ſerues. *Si in alieno, inquit, fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt, quis dabit vobis?* Aliena nobis auri argentique ſunt pondera: noſtra poſſeſsio ſpi-
Prou. 13 ritualis eſt, de qua alibi dicitur: *Redemptio animæ viri, propriæ diuitiæ.*

Chromatius. 400.

Ad cap. 5. Matthæi: Seruire prohibemur auaritiæ & cupiditati, quam mammonam nuncupat, quæ interdum etiam religioſas mentes captiuare conſueuit. Vnde fugere ac vitare debemus cupiditatem pecuniæ, auaritiam ſeculi; ne nos indignæ ſeruituti eius, vel diabolo, qui auctor eſt auaritiæ, ſubiugemus.

Auguſtinus. 400.

Libro 3. de libero arbitrio cap. 17. Auaritia, quæ Græcè φιλαργυρία dicitur, non in ſolo argento, vel in nummis, vnde magis nomen duxiſſe reſonat: argento enim nummi, vel mixto argento frequentius apud veteres fiebant: ſed in omnibus rebus, quæ immoderatè cupiuntur, intelligenda eſt, vbicunque omnino plus vult quiſque quàm ſat eſt.

De diuerſis Sermone 28. cap. 3. Fortè, inquit, tu auarum & cupidum diceres, ſi quæreret aliena: ego autem dico, cupidè & auarè non appetas nec tua. Hoc eſt ab omni. *Cauete, inquit, ab omni auaritia.* Magnum pondus. Si fortè hoc pondus infirmis imponitur: rogetur, vt, qui imponit, vires dare dignetur. Non enim leuiter habendum eſt, fratres mei, quando Dominus noſter, &c. dicit: *Cauete.* Nouit ille quantum mali ſit: nos non nouimus, illi credamus. *Cauete,* inquit. Quid? Vnde? *Ab omni auaritia.* Meum ſeruo, alienum non tollo. *Cauete ab omni auaritia.* Non ſolùm auarus eſt, qui rapit aliena: ſed & ille auarus eſt, qui cupidè ſeruat ſua. Sed ſi ſic culpatur, qui cupidè ſeruat ſua: quomodo damnatur, qui rapit aliena? *Cauete,* inquit, *ab omni cupiditate:* quia non in abundantia hominis eſt vita eius ex his quæ ibi habet. Multa qui recondit, quantum inde tollit vt viuat? cùm tulerit inde, & quodammodo cogitatione ſeparauerit quod ſufficiat vnde viuat, videat cætera cui remaneant, ne fortè cùm ſeruas vnde viuas, colligas vnde moriaris.

Paulinus Mediolanenſis Presbyter. 400.

In vita Ambroſii: Ingemiſcebat vehementer, cùm videbat radicem malorum auaritiam pullulare, quæ neque copia, neque inopia minui poteſt, ac magis magiſque creſcere in hominibus, & maximè in iis, qui in poteſtatibus erant conſtituti, ita vt interueniendi illi apud illos grauiſsimus labor eſſet: quia omnia pretio diſtrahebantur.

Paulinus Nolanus. 420.

Epiſtola 2. ad Seuerum: Auaritia vna, omnibus armata criminibus, vel ſi ſola nos capiat, & Zabulo ad malitiam, & homini ad mortem ſufficit.

De S. Felice Natali 10.

——Sic corporis anxia cura,
Liuor edax, & auara fames, grauis ira, leuis ſpes,
Prodigaque ambitio proprij, ſitiens alieni,
Spinæ ſunt animo: quia ſemper inanibus angunt
Ancipites animas ſtimulis: quas iugiter vrit
Defectus miſeri metus, & miſer ardor habendi.
Atque ita & inter opes inopes, quaſi Tantalus ille
Inter aquas ſitiunt, nec habent quod habere videntur.
Nam partis vti metuunt, ſeruata relinquunt,
Dumque alimenta parant, viuendi tempora perdunt.

Sixtus. 430.

De diuitiis: Facilius libido, vel gula, quàm auaritia vincitur. Quia illa, cùm ſaturata fuerint, aliquid habere videntur horroris: hæc verò ſicut ſatiari neſcit, ita nunquam ſuis amatoribus perhorreſcit: imò eò amplius ab his diligitur, quò magis augetur, & cum ſuis veneratoribus venerata ſuccreſcit. Cupiditas enim igni ſimilis eſt, cuius fomentum mundanarum rerum videtur eſſe ſubſtantia. Adde igni pabulum, in immenſum flamma naſcetur: adde auaritiæ quod ſuum non eſt, in maius incendium cupiditas excreſcet.

Leo Magnus. 445.

De ieiunio decimi menſis, Sermone 6. cap. 2. Iniuſta & impudens auaritia, quæ beneficium ſe dicit præſtare, cùm decipit: non credit Deo veraciter promittenti, & credit homini trepidè paciſcenti: dumque certiora exiſtimat præſentia, quàm futura, meritò in hoc frequenter incurrit, vt ei cupiditas iniuſti lucri, non iniuſti cauſa ſit damni.

Proſper. 460.

Lib. 2. de vita contemplatiua cap. 15. Iubet ecce nobis imperioſa cupiditas, vt diuina paruipendentes poſſeſsionum terreſtrium damnoſa compendia cogitemus: vt in eis totam ſolicitudinem curamque ponamus, vt inde nos morbida vanitate iactemus, vt amplitudine patrimonij diffuſioris elati, fieri pauperes ſpiritu negligamus. O facinus inauditum: ſuaui iugo Chriſti contempto, ferreum cupiditatis imperium voluntaria mentium inclinatione ſuſcipimus, & Domini noſtri leui onere, quod ſubiectos non onerat, ſed ſubleuat, poſthabito, plumbeum pondus noſtris ceruicibus aggeramus, quod citius poteſt deponi, quàm ferri: quia & ipſa cupiditas, quæ nobis ſubiici vltrò volentibus hoc pondus imponit, contemni poteſt facilius, quàm expleri: & ideo qui ſe illi volentes dediderint oppugnanti, voluntatem reſiſtendi vlterius non habebunt tyrannicè dominanti. Et hoc fit iuſto Dei iudicio, vt qui cupiditati reſiſtere noluimus ingreſſuræ, iam reſiſtere nequeamus ingreſſæ. O plangendum miſerabiliter mentis expugnatæ ſeruitium! O intolerandum dæmoniacæ cupiditatis imperium, vt ex hoſtibus ſuis, quos poteſt vincere, victores faciat ſuos, promittit ingentia, & bonorum temporalium pollicitatione deceptos impellit iam miſeros, & miſerandos in turpia. Tenet nos lucrorum pœnaliter dulcium catenis addictos, & in ſua ditione captiuos: nec trahit inuitos, ſed quod eſt deterius, quocunque voluerit, volentes ducit. Vaſtat in nobis quicquid verecundiæ aut pudoris inuenerit: & quos ſuis triumphis iam addixit, adhuc tamquam reſipiſcendi ſuſpectos omnibus viribus honeſtatis exarmat, ne quando contra eam, qui bellare noluimus, rebellemus. Rapit nos ac paſsim per omnia acquiſitionum genera cupidos acquirendi diſpergit.

Cap. 16 Quem poſsidendi delectat ambitio, Deum, qui poſsidet omnia quæ creauit, expedita mente poſsideat, & in eo habebit quæcunque ha-

bere sanctè desiderat. Sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur à Deo, fit ipse primitus Dei possessio, & efficietur ei Deus possessor & portio. Et quid potest eo esse felicius, cui efficitur suus conditor census, & hereditas eius dignatur esse ipsa diuinitas: si modò eum sanctis operibus colat, omnes fructus ex illo percipiat: & in illo, & de illo iugiter viuat: & nihil terrenum cum illo possideat? Quia omnium conditor, cui nihil eorum, quæ fecit, valet æquari, non dedignatur cum his quę condidit possideri. Denique quid vlterà quærit, cui omnia suus conditor sit: aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? Hunc possidebat, & ab illo possidebatur ille, qui dicebat in spiritu: *Portio mea Domine, dixi custodire legem tuam.* Et: *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei.* Psal.118. Psal.15.

Saluianus Massiliensis. 480.

Ad Ecclesiam Catholicam lib. 3. Id studiosissimè procuratis, ne vel per vestros aliquid honoris Deus habere possit, cùm vos omnia per Dei munus habeatis. Cur (rogo) tam infideliter, cur tam impiè? Non exigimus, vt vestra Domino largiamini: aliquid Deo de suo reddite. cur tam auarè, cur tam impiè agitis? Non est vestrum quod denegatis.

Ferrandus Diaconus. 490.

In Christiani militis Pedagogo, Regula 2. Qui stipendijs suis noluerit esse contentus, aut fræna disciplinæ simul disrumpit, vt temerarijs excessibus aliena diripiat: & hoc prohibens sanctus Ioannes dixit: *Neminem concusseritis:* aut requirit causas offensionis, vt sub aliquo iustitiæ colore terreat innocentes, atque auaritiæ suæ, vel potius rapacitati satisfacere cogat inuitos. Quod prohibens sanctus Ioannes dixit: *Nulli calumniam feceritis.* Et remota huius duplicis malitiæ peruersitate, quid sequendum fuisset adiecit: *Contenti estote stipendijs vestris.* Beati erunt milites, si hæc præcepta custodiant. Beata Respublica, si tales meruerit habere milites. Beatus dux, in cuius exercitu tales esse contigerit plurimos.

Boëtius. 500.

De consolatione Philosophiæ lib. 2. metro 2.

Si quantas rapidis flatibus incitus
Pontus versat arenas,
Aut quot stelliferis edita noctibus
Cælo sydera fulgent,
Tantas fundat opes, nec retrahat manum
Pleno copia cornu,
Humanum miseras haud ideo genus
Cesset flere querelas.

Libro 2. metro 5.

Sæuior ignibus Æthna
Feruens amor ardet habendi.

Libro 3. metro 3.

Quamuis fluente diues auri gurgite
Non expleturas cogat auarus opes,
Oneretque baccis colla rubri littoris,
Ruraque centeno scindat optima boue.
Nec cura mordax deserit superstitem,
Defunctumque leues non comitantur opes.

Laurentius Nouariensis. 520.

Homilia de Pœnitentia: Auaritia infandum est vitium in hominibus. Radix est vna in præcordijs fixa, ex qua pullulant omnia mala. Quid est auaritia? *Cupiditas radix omnium malorum.* De ista radice exurgunt mendacia, oriuntur periuria. Qui enim est aut distractor, aut emptor, qui lucri gratia habet de cupiditate tractatus, nonne plerunque pererat, sæpe mentitur? sine hoc vitio negotiator aut rarus, aut nullus est. Et quid dico negotiatorem impostorem vsum commercijs? Videamus quæ res facit prædones, aut vnde erumpunt proditores. Nonne de auaritia prædo fuit rex Achab, quando per factionem dolosæ mulieris falsa sub proditione iustum trucidauit, vt vineam eius violentus inuaderet? Auarus fuit & Iudas cùm proderet Christum Iudæis, cùm acciperet ab eis triginta argenteos. Tolle auaritiam, & non est discordia: aufer auaritiam, & solus amor regnat: desinat auaritia, & cessat ambitio. Tolle cupiditatem, & nemo dicit, hoc meum, & hoc tuum. Fraus inde germinat, dolus inde consurgit, factio inde concinnatur: iræ quoque, insidiæque, homicidia, bella ipsa, siue publica, siue intestina, cupiditatis & auaritiæ fructus sunt, vt si quando vel armis, vel argumentis, alter alterum vel superauerit, vel truncauerit, res eius velut victor diripiat, suamque auaritiam suppleat. 1.Tim.6 3 Reg. 21 Matt.26

Aurelius Cassiodorus. 540.

De amicitia capite: Quanta mala sint in diuitijs: Vide imprimis quanta cum pecunia molestiarum turba versetur. Pecunia cum labore acquiritur, acquisita cum timore versatur, & tandem cum dolore amittitur. Et prouentus pecuniæ potest existimari miseriæ incrementum: Hydropici enim more, qui plus bibendo plus sitit, pecuniæ cupiditas ex multiplicatione grandescit. Timetur præterea potens, ne auferat: seruus, ne prodat: fur, ne surripiat: & impletur frequenter illud Sapientis, vt sint diuitiæ conseruatæ in malum domini sui.

Martinus Dumiensis. 540.

Libro de moribus: Monstro similis est auaritia. Quid enim stultius est, quod dici solet, quàm via deficiente viaticum augere? Omnes infantes terra nudos excipit. Non pudet te fortius nasci, quàm viuere?

Iornandes. 550.

De regnorum ac temporum successione: His, & alijs rebus in Syria bene gestis, vnius omnia fœdauit auaritia. Nam Crassus Consul, dum Parthico inhiat auro, vndecim legiones penè cum suo capite amisit. Cuius in conspectu & filius hostilibus telis effossus, & ipse peremptus, caputque eius præcisum, cum dextera manu ad regem reportatum ludibrio fuit, neque indigno. Aurum ei liquidum in rictum oris infusum est, vt cuius animus auri arserat cupiditate, eius etiam mortuum exangue corpus auro vreretur.

Arator. 550.

Libro 1. Actuum Apostolorum cap. 10.

Occidit infelix Ananias vulnere culpa,
Fur census sub fraude sui: cadit impia coniunx
Supplicio percussa pari, quia crimine ab vno
Fit commune nefas, quoties scelus ante peractum
Consensus facit esse suum: nam mentis auaræ
Vindex illa fuit sententia: denique quando
Auri cessat amor, qui pectora semper adurit,
Quo rapitur mortale genus, qua pullulat omne
De radice malum, cuius violentior ardet
Ambitio crescente modo, stimulantque rapinas
Addita lucra famem: sed quòd mutata voluntas
Falsi crimen habet, cumque est iam cautio voti,
Stare decet, nec velle prius, violare sequentis,
Ius proprium retinere magis, quàm demere fas est.

Columbanus Hibernus. 580.

Epistola ad Humbaldum, qua detestatur auaritiam:

Quid modò terrenis mentes intendere curis
Mortales cupiunt? Quid turpia lucra sequuntur?
Semper auarus eget, nec habet, quod habere videtur:
Ille domi solus nummos abscondit in arca,
Diuitias cumulans, dum sese nescit amare,
Plus amat hæredem, seruat cui cuncta fidelis.

O nimium felix, parcus cui sufficit vsus,
Corporis vt curam moderamine temperet aquo.
Non misera capitur, cacaqúe cupidine rerum,
Nec maiora cupit, quàm quæ natura reposcit:
Non lucri cupidus nummis marsupia replet,
Nec molles cumulat tinearum ad pabula vestes:
Pascere non pingui procurat fruge caballos,
Nec trepido tales doluit sub pectore curas,
Ne subitis pereat collecta pecunia flammis,
Aut fracta nummos rapiat fur improbus arca.
Viuitur argento sine, iam sine viuitur auro,
Nudi nascuntur, nudos quos terra receptat.
Diuitibus nigri reserantur limina Ditis,
Pauperibusqúe pijs cælestia regna patescunt.
Temnere diuitias monuit Saluator auaros.
Quisquis amat Christum, sequitur vestigia Christi.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 14. Moralium cap. 26. Auaritia velut amphora est, quæ os cordis in ambitu apertum tenet, &c. Auari quique per superbiam atque inanem gloriam & proximos iuxta se despiciunt: & superiora, quæ vltra ipsos sunt, nullatenus apprehendunt. Inter terram itaque & cælum feruntur: quia nec æqualitatem fraternitatis in infimis per charitatem tenent, nec tamen summa pertingere sese ex-
2.Cor.2 tollendo præualent, &c. *Radix est omnium malorum cupiditas.* Et quia quodlibet malum per auaritiam gignitur, dignum est vt domus auaritiæ in fœtore construatur.

Lib. 15. cap. 12. Auaritia desideratis rebus non extinguitur, sed augetur. Nam more ignis cùm ligna, quæ consumat, acceperit, accrescit: & vnde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulò post flamma cernitur dilatari. Et sæpe omnipotens Deus, cùm auaræ menti vehementer irascitur, prius ei permittit ad votum cuncta suppetere, & postea per vltionem subtrahit, vt pro eis debeat supplicia æterna tolerare.

Isidorus Hispalensis. 620.

Libro 2. de summo bono cap. 41. Omni peccato peior est auaritia, & amor pecuniarum. Vnde & per
Eccle.10 Salomonem dicitur: *Nihil est scelestius quàm amare pecuniam. Hic enim animam suam venalem facit: quoniam in vita sua proiecit intima sua.* Cupiditas omnium criminum materia est. Vnde & Aposto-
1.Tim.6 lus ait: *Radix omnium malorum cupiditas est: quam quidam appetentes errauerunt à fide.* Si ergo succiditur radix criminum, non pullulant cæteræ soboles peccatorum. Multi causa cupiditatis terrenæ etiam ipsam fidem abnegauerunt. Cupiditas enim Christum vendidit. Nam & plerisque tantum in rebus alienis est desiderium, vt etiam homicidium
3.Reg.21 perpetrare non vereantur: sicut Achab, qui appetitu cupiditatis suæ sanguinis expleuit effusionem. Sæpe iniqui mala, quæ concupiscunt, assequuntur, quatenus de affectu mali desiderij fortius puniantur: Electos autem suos Deus non dimittit ire in desideriorum malorum perfectionem, sed in dolorem mentem conuertit eorum, pro eo quod in seculo nequiter appetunt, vt hac experientia resipiscant, & conuertantur ad Deum, à quo mente recesserunt. Deum ergo sibi propitium nouerit aduersari, qui quod temporaliter concupiscit, non permittitur adimplere. Secreto autem Dei iudicio fieri creditur, vt durius pereant hi, quorum cupiditatem effectus sequitur actionis. Nunquam satiari nouit cupiditas. Semper enim auarus eget, quantoqúe magis acquirit, tanto plus quærit: nec solùm desiderio augendi excruciatur, sed etiam amittendi metu afficitur. Inopes nascimur in hac vita, inopes recessuri sumus de hac vita. Si bona mundi huius peritura credimus, cur peritura tanto amore cupimus? Plerique potentes tantą cupiditatis rabie inflammantur, vt de confinijs suis pauperes excludant, nec habitare permittant. Quibus rectè per Prophetam dicitur: *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum ad agrum copulatis, vsque ad terminum loci.* Tales quippe homines in- Esa.5.
fernum, id est diabolum rapere ad perditionem, idem Propheta consequenter annuntiat, dicens: *Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino, & descendent fortes eius & sublimes gloriosiqúe eius ad eum.* Nec mirum, quòd morientes inferni ignibus deputentur, qui viuentes flammam cupiditatis suę minimè extinxerunt. Qui desiderio cupiditatis exæstuant, flatu diabolicæ inspirationis vruntur.

Beda. 700.

Ad cap. 1. Prouerb. Salomonis: Semitas auari dicit subtiles eius cogitationes, quibus sedulus inquirit, qualiter pecunias augeat. Talesqúe semitæ rapiunt ad interitum animas possidentium, id est, eorum, qui possessionibus pecuniarum vltra rationem incumbunt. Non solùm ergo, inquit, hi, qui ob philargyriam rapinis innocentium & cædibus inuigilant, semetipsos hoc agentes perdunt: verùm eodem ordine, tametsi minore reatu, omnes auari meditationes, quæ aurum Deo præferunt, hunc ad interitum trahunt.

Alcuinus. 750.

De Virtutibus & vitijs, capite de Auaritia: Auaritia est nimia diuitias acquirendi, habendi, & tenendi cupiditas, quæ pestis inexplebilis est: sicut hydropicus, qui quanto plus bibit, tanto plus illi sitis addita crescit: sic enim auaritia, quanto magis habet, tanto plus desiderat, & dum modus illi non est in habendo, modus illi non erit in desiderando. Cuius germina sunt, inuidia, furta, latrocinia, homicidia, mendacia, periuria, rapinæ, violentiæ, inquietudo, iniusta iudicia, contemptus veritatis, futurę beatitudinis obliuio, obduratio cordis. Quæ fit contraria misericordiæ & eleemosynis in pauperes, & toti pietati in miseros. Quæ vincitur per timorem Dei, & per fraternam charitatem, & opera misericordiæ, & per eleemosynas in pauperes, & per spem futurę beatitudinis, dum falsæ huius seculi diuitiæ per futuræ veræ beatitudinis diuitias vincuntur.

Carolus Magnus. 780.

Libro 1. Legum cap. 127. Cupiditas in malam partem accipitur, si quis supra modum res quaslibet iniustè appetere vult, iuxta Salomonem: *Post concupiscentias tuas non eas.*

Cap. 128. Auaritia est alienas res appetere, & adeptas nulli largiri, & iuxta Apostolum, *hæc est radix omnium malorum.*

Haymo. 820.

Dominica 2. post Pentecosten: Diues quia micas panis Lazaro dare noluit, in ardore positus guttam aquæ ex eius digito decidentem impetrare non potuit. Audiant hoc auari, qui superflua diuitiarum suarum magis in putredinem verti sinunt, quàm in necessitatibus pauperum expendi, non timentes illud, quod terribiliter eis Iacobus Apostolus comminatur, dicens: *Agite nunc diuites, plorate, &c.*

Dominica 18. post Pentecosten: Proprium est hydropici, vt quò amplius biberit, eò magis sitiat. Ergo per hydropicum auarus quilibet designatur. Quia sicut hydropicus quò est crassior, eò est infirmior: ita auarus, quò plus abundat diuitijs, eò plenior est vitijs. Et sicut hydropicus, quò amplius bibit, eò amplius sitit: sic auarus quantò magis diuitias, quas concupiscit, acquisierit, tantò magis in ijs acquirendis exardescit. Quod pulchrè

quidam de sapientibus breui versiculo comprehendit, dicens:

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit,

Et sicut quidam ait: Auarus obulo indiget. Sicut enim sapienti totus mundus diuitiarum est: sic auaro totus mundus auaritiæ. Quia quicquid videt oculis, concupiscit mente, & habere desiderat. Alienum damnum, suum lucrum deputat, teste Salomone: *Auarus non implebitur pecunijs, nec anima eius satiabitur bonis.* Eccle. 5.

Rabanus. 850.

Apud Ludolphum Saxonem vitæ Christi lib. 2. cap. 74. O pestis magna auaritiæ, semper bonis animis detestanda, quod illæsum, quod inconcussum dimittis? tu genus hominum confudisti: tu Discipulum, comitem Christi, ab Apostolatu præcipitasti: tu milites custodientes Christi sepulchrum captiuasti. Nunquid bene dictum est Pecuniæ obediunt omnia?

Luitprandus Ticinensis. 950.

Libro 5. cap. 12. Improbi & auari, qui incertas & in casu positas possessiones habent, & plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc sibi sufficiens inuentus est, cui quod haberet esset satis, non modò non copiosi diuites, sed etiam pauperes & inopes existimandi sunt. Soli enim sunt diuites, & fructuosas & sempiternas possessiones possidentes, qui suis rebus contenti, satis esse putant quod est. Non esse cupidum, vera pecunia est: non esse emacem, vectigal est. Fateamur ergo, vter est ditior, cui deest, an cui superat? qui eget, an qui abundat? cui possessio quò est maior, eò plus requirit ad se tuendum, an qui se suis viribus sustinet? Contentum suis rebus esse maximæ sunt certissimæque diuitiæ.

Smaragdus. 970.

In Regulam Benedicti cap. 57. Auaritia non esse paruum malum, sed grande. Ignis est in corde auari inextinguibiliter ardens, & incessabiliter vrens. Hinc in libro Iob scriptum est: *Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* Quod beatus Gregorius exponens ait: Ignis tabernacula deuorat, cùm æstus auaritiæ cogitationes mentis deuastat. Iob 15.

Petrus Damianus. 1050.

Epistola 5. cap. 1. Auaritia in manu accipientis viscus est, quę quicquid apponitur, excuti non permittit: sed more picis hærere compellit.

De contemptu seculi cap. 6. Audisti (obsecro) nummicola & monache, quid tibi æstus auaritiæ pariat? Audisti ad quem finem pecunia congesta perducat? Iustum quippe est, vt cuius nunc mens amore carnis ardet in concupiscentia, illius postmodum & ipsa caro comburatur in pœna. Nunc fornax mentis inuisibili concupiscentiæ ardore succenditur: dignum est, vt tunc quoque caro (materialis incendij flamma) inextinguibiliter depascatur. Audi adhuc nummicola. Quòd autem nummicolam appello, à qualitate tui operis vocabulum traho, non contumeliæ in te nomen vsurpo: nummos enim colis, qui pecuniam diligis. Et cùm Dominus per Prophetam dicat: *Vacate, & videte, quoniam ego sum Dominus:* vacationis quidem cultum, quem Deo debueras, nummis exhibes, circa quorum custodiam vacas. *Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Quocirca sicut qui Christum colit, iure Christicola dicitur: ita & qui nummis per custodiam seruit, non immeritò nummicola perhibetur. Matt. 6.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad cap. 5. epist. ad Ephes. Pessima & praua res est auaritiæ quia auarum esse, non est solùm idolis seruiens, sed etiam ipsa idolorum seruitus. Auari enim Deus nummus est. Nam sicut qui idolis seruit, cultum debitum Creatori imaginatæ creaturæ attribuit: sic & auarus impendit cultum effigiatæ pecuniæ, cùm Deum colere deberet, non pecuniam. Ideoque pecunia, quam diligit, veneratur, & colit, facta est illi idolum: quia spem suam in ea posuit, & à Dei cultu pro ea recessit. Dum enim deberet adire Ecclesiam, custodit arcam: dum deberet rogare Deum, petit forum, vt augeat lucrum. Quapropter idololatria meritò iudicatur. Vel etiam ideo, quia sicut idololatria rapinam facit, honorem Dei tollendo, & idolis dando: sic auarus rapit pauperibus ea, quæ superfluè sibi coaceruat. Res enim, quas Deus seruiri vult indigentibus, ipse sibi vsurpat, & recondit.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Libro 1. in Iosue cap. 21. Qui sub specie pietatis pulchri incedentes, & religiosi, auaritiæ student, quæ est simulachrorum seruitus, & cuncta militiæ spiritualis faciunt venalia, quid aliud quàm anathemata furantur, & mentiuntur, & abscondunt inter vasa sua, imò inter conscientias suas. Vbi in sacerdotibus, vel in ijs, qui præsunt, auaritia regnat, & principatum obtinet pecunia, hi, qui sunt Israel, arma virtutum contra vitia tenentes, & prout oportet arguere, obsecrare volentes, stare non possunt contra hostes liberè repugnantes: quippe quos pecunia tuetur, vt de vitijs suis aliquando non saltem impunè arguantur.

Bernardus. 1130

Sermone de verbis Sapientiæ: *Super omnia peccatum auaritia inquinat animam:* Vnde & idolorum seruitus dicitur. Incuruat enim ad infima, & egena elementa animam, quæ soli Creatori subiecta, cæteris rebus deberet præesse.

Ioannes Saresberiensis. 1170.

In Euthetico in Polycraticum:

Ignis auaritiæ cùm fœnum carnis adurit,
Surgit, & æternum construit vsque focum.
Omnia cùm possit manus omnipotentis, auaræ
Mentis egestatem non satiare potest.
Non satiare potest manus omnipotentis auarum?
Dic mihi quis poterit, quod nequit illa manus?
Est antiqua nimis, nimis est sententia vera,
Quam docuêre patres, Ennius atque Cato:
Tam quod habet, quàm quo caret, omni deest auaro:
Occupat, incumbat res aliena tamen.
Semper abundabit, qui rebus nouerit vti:
Et mens vtendi nescia semper eget.

Lib. 8. Polycraticon cap. 15. Ingratissimum est & odiosissimum vitium, quod nec effectu prodest alijs, nec affectu. Hæc est auaritia, latentium indagatrix lucrorum, manifestæ prædæ auidissima vorago, neque habendi fructu felix, & cupiditate quærendi miserrima.

Guerricus Igniacensis. 1180.

Sermone 5. de Purificatione Mariæ: Post conuersionem nostram muniamus thalamum nostrum, ne auaritia, quæ *est radix omnium malorum*, rediens introeat, nosque ab vnius Dei cultura abstrahat, & idolorum cultores faciat. De qua inter cætera sic ait Apostolus: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est idolorum seruitus.* Ecce auaritiam idololatriæ comparat, & meritò. Quia sicut vni Deo idololatria nititur auferre gloriam, ne solus habeat nomen deitatis: ita auarus in Dei res se extendit, vt solus vsurpet, quæ Deus omnipotens in vsum plurimorum fecit. Vtraque Deo inimica, quia negat Deo, quæ sunt eius. Col. 3.

Innocentius Tertius. 1200.

De contemptu mundi lib. 2. cap. 11. Tantalus sitit in

vndis, & auarus eget in opibus, cui tantum est quod habet, quantum est quod non habet, quia nunquam vtitur acquisitis, sed semper inhiat acquirendis. Salomon: *Est quasi diues, cùm nihil habeat: & est quasi pauper, cùm in multis diuitijs sit.* Auarus & infernus vterque comedit, & non digerit: recipit,& non reddit. Auarus nec patientibus compatitur, nec miseris subuenit vel miseretur, sed offendit Deum, offendit seipsum, offendit proximum. Nam Deo retinet debita, proximo denegat necessaria, sibi subtrahit oportuna. Deo ingratus, proximo impius, sibi crudelis. Viro cupido & tenacissimo sine ratione est substantia, & homini liuido ad quid aurum?

Prou.13.

Cap. 13. Auarus ad petendum promptus, ad dandum tardus, ad negandum frontosus. Si quid expendit, totum amittit, tristis, querulus, & morosus, solicitus suspirat & anxiatur, dubius habet, & inuitus expendit. Magnificat datum, sed vilificat dandum: dat vt lucretur, sed non lucratur vt det: largus in alieno, sed parcus in proprio. Gulam euacuat, vt arcam impleat: corpus extenuat, vt lucrum extendat. Manum habet ad dandum collectam, sed ad recipiendum porrectam: ad dandum clausam, sed ad recipiendum apertam.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica 6. post Epiphaniam: Iugo comprimuntur superbi & auari. Superbia leuat hominem supra se, auaritia trahit extra se, & ita disrumpitur, & dissecatur miser homo seruus peccati. De iugo auaritię dicit Apostolus: *Radix omnium malorum est cupiditas. Quam quidam appetentes, à fide errauerunt, & inseruerunt se doloribus multis.* Vnde Propheta Nahum: *Plures fecisti negotiationes tuas, quàm sint stellæ cæli.* Hi sunt velut talpæ excæcati, terram congerentes supra se, vnde obruuntur. Percussi enim sunt auaritia, id est, auri auiditate, & calidis hirundinum stercoribus excæcati sunt. Stercora enim sunt temporalia in reputatione iustorum.

1.Tim.6

Naum 3

Cæsarius Heisterbachius. 1220.

Lib. 4. *cap.* 57. Auaritia est gloriæ, seu quarumlibet rerum insatiabilis & inhonesta cupido. Hoc vitium alio nomine vocatur philargyria. Videtur tamen inter hæc duo aliqua esse differentia. Quia auaritia est immoderatus appetitus habendi omnium rerum: philargyria verò, per quam singulari appetitu pecuniæ colligendæ fræna laxantur. Auaritiæ autem filiæ sunt fallacia, proditio, periurium, inquietudo, violentia, contra misericordiam obdurationes cordis. Auaritia in duobus consistit, in acquirendo scilicet, & retinendo. De cuius malitia per Salomonem dicitur: *Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam.*

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Secundæ partis de Vniuerso parte 2. cap. 53. Hoc habet euidenter doctrina & lex Christianorum, quòd auaritia est simulachrorum seruitus, & quoniam nihil iniquius, quàm amare pecuniam. Causa autem in hoc est euidentissima, quoniam creator ordinauit nos ad pecuniam, vt nos ea superponeret, & eam sub pedibus nostris poneret. Totam enim terram, & omne, quod terrenum est, posuit sub pedibus nostris corporalibus, &c. Ipsæ etiam pecunię totis viribus ponderum suorum contendunt, & conantur esse sub pedibus nostris: nec inde leuari, nisi inuitæ, & per violentiam patiuntur, manifestè ostendentes auaris iniquitatem, atque peruersitatem auaritię, quibus se pecunijs spiritualiter subiecerunt. Hæc igitur est peruersitas auaritiæ, quòd pecuniam, quam auari corpore calcant, corde adorant.

Thomas Aquinas. 1250.

Secunda 2. *quæst.* 118. *artic.* 4. Auaritia dupliciter dicitur: vno modo secundùm quod opponitur iustitiæ: & hoc modo ex genere suo est peccatum mortale. Sic enim ad auaritiam pertinet, quòd aliquis iniustè accipiat vel retineat res alienas ad rapinam vel furtum, quæ sunt peccata mortalia. Contingit tamen in hoc genere auaritiæ aliquid esse peccatum veniale, propter imperfectionem actus. Alio modo potest accipi auaritia secundùm hoc importat inordinatum amorem diuitiarum. Si ergo in tantum diuitiarum amor crescat, quòd præferatur charitati, vt scilicet propter amorem diuitiarum aliquis non vereatur facere contra amorem Dei & proximi, sic auaritia erit peccatum mortale. Si autem inordinatio amoris intra hoc sistat, vt scilicet homo, quamuis superfluè diuitias amet, non tamen præfert earum amorem amori diuino, vt si propter diuitias non velit aliquid facere contra Deum & proximum, sic auaritia est peccatum veniale.

Guilhelmus Peraldus. 1255.

In Summa Tom.2. de Auaritia: Auarus iniquus, est in Deum, in seipsum, & in proximum, vt inferiores creaturas. In Deum iniquus est, quia bona sibi commendata à Deo ad dispensandum proditiosè sua facit: diuites enim dispensatores sunt diuitiarum Domini. Iniquus est in Deum, quia vilissimam ei creaturam præponit. Iniquus est etiam in Deum, quia inde hostis Dei efficitur, vnde amplius eum amare debuit: scilicet propter bona huius mundi, quæ Deus sibi contulit. Iniquus in seipsum est. Primò, quia seipsum inimicis suis vendit. Valde iniquus reputaretur aliquis, qui proximum suum inimicis suis capitalibus venderet: sed iniquior valde reputaretur, qui cognatum vel fratrem venderet: iniquissimus, qui patrem, quem plùs amare deberet: sed multò iniquior videtur esse reputandus ille, qui seipsum vendit, cùm amplius seipsum debeat amare, quàm patrem. Secundò iniquus est auarus in seipsum, quia se euiscerat. Vnde Dauid: *Tabescere fecisti sicut araneam animam eius.* Tertiò iniquus est in seipsum, quia amat ea, quæ tot mala sibi faciunt: amat spinas diuitiarum, in quibus comburendus est. Iniquus etiam auarus est in proximum, quia sibi retinet, quod pauperibus erogare debuit: sicut eleemosynarius alicuius Principis, vel executor alicuius testamentum iniquus esset, si ea, quæ deberet distribuere pauperibus, sibi retineret. Iniquus est etiam in proximum, qui quasi occidit eum, cùm fame eum permittit perire, cùm potest subuenire. Vnde scriptum: Pasce fame morientem, quòd si non paueris, occidisti. Vnde Eccles. 34. *Panis egentium vita pauperum, qui defraudat illum, homo sanguinis est.* In creaturas verò inferiores iniquus est auarus, quia recludit eas in carcere custodiæ suæ, vbi eas putrescere facit. Vnde Iacob. 5. auaris: *Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt: aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum erit vobis in testimonium, & manducabit carnes vestras quasi ignis.*

Alanus Insulanus. 1300.

In Parabolis:

Non sibi, sed reliquis aries sua vellera portat:
Sic alijs vnit semper auarus opes.

Hugo Pratensis. 1300.

Dominica 17. post Trinitatem: Fœtet spiritualiter auarus coram Deo & hominibus: quia, vt dicit Boëtius, largitas semper charos facit, auaritia odiosos. Vnde auarum omnes maledicunt, & abominantur tanquam rem fœtidam. Multum fœtet auarus, qui Deum negat & crucem, nummum adorat, & animam suam vendit diabolo, & corpus

pus consumit, & familiam conturbat, & proximo non compatitur. Ecclesiastici 10. *Auaro nihil est scelestius: & nihil est iniquius quàm amare pecuniam. Hic enim & animam suam venalem habet,&c.*

Albertus Patauinus. 1320.

Sermone 95. Si quis diuitias cupiat quantum sufficiens est ad vitam secundùm conditionem status sui, non peccat: sed vltra hoc diuitias cupere, vitium est auaritiæ, de quo Ecclesiastici 10. *Auaro nihil est scelestius.*

Dantes Florentinus. 1320.

De inferno cap. 1. Bellua etenim, per quam clamas, id est, auaritia, non permittit quenquam transire suo itinere, sed tantum ipsum impedit, vt tandem perimat. Cuius natura tam syluestris & mala est, vt nunquam repleat rabidam voluntatem, & post epulum famescit plus quàm antea.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi partes 1. *cap.* 80. Perocissima pestis est cupiditas, quæ eos quos capit, egenos efficere solet, dum finem inquirendi non inuenit, sed vt magis quò fuerit locupletata mendicat.

Ioannes Taulerus. 1350.

Dominica decimaquinta Trinitatis: Sub hac solicitudine occultum quoddam vitium latet, quod est execranda auaritia, quę inter septem mortalia peccata numeratur, quæ occultè, & tam inaduertenter tam grauia infert damna hominibus, vt nihil ęquè noceat.

Rupertus Holcotius. 1360.

In Prouerbia Salomonis lectione trigesimasecunda: Auari similes sunt vasculo, in quo solent pueri congregatam pecuniam deponere, ex quo nihil extrahi potest, si non frangatur: similes etiam sunt pueris, qui de accepto à matre cibo, etiam plus quàm sufficiat, nemini etiam obnixè petenti largiuntur: cùm verò exaturati fuerint, in loco aliquo relinquunt: quia amplius comedere non valent.

Gerardus Zutphaniensis. 1380.

Lib. 1. *cap.* 29. Philargyriæ vel auaritiæ passio vexat tepefactos in Dei seruitio. Nam rarò impugnat legitimè pugnantes, præsertim si degunt sub alterius cura.

Ioannes Bromiardus. 1380.

In Summa Pred. de auaritia artic. 3. Auaritia est mater multarum turpissimarum filiarum, videlicet obdurationis ex retinentia nimia, ne emolliatur, vt sibi ipsi quoad animam, & miseris subueniat: secundò inquietudinis: tertiò doli: quartò fallaciæ, quæ fit simpliciter verbo: quintò fraudis, quæ fit in facto: sextò proditionis: septimò periurij. Est ergo auarus stipes, in quo diabolus omnem surculum inseruit.

Ioannes Gerson. 1420.

In Compendio Theologiæ, de septem vitijs capitalibus: Auaritia secundùm Apostolum dicitur *idolorum seruitus:* quia auarus propriè in effectu, & opere exhibet creaturæ, scilicet pecuniæ, illud, quod deberet Creatori, & præcipuè fidem, spem, & dilectionem. Nam ibidem tanquam in eo, vnde sibi speciale auxilium prouenturum credit, suam principaliter spem constituit, exinde in ardorem dilectionis transit. Et in hoc specialiter reprehenduntur auari, quòd rei vilissimæ, scilicet pecuniæ, quæ de terra venit, quam natura infimam ordinauit, tantum amorem suum exhibent, & impendunt. Et hinc in Ecclesiastico dicitur, quòd *auaro nihil est scelestius:* & hoc propter quatuor causas. Prima, quia vix est scelus seu vitium, ad quod perpetrandum auaritia non inducat, vt sunt furta, homicidia, proditiones, periuria, & cætera huiusmodi. Secunda, quia est contra legem naturæ, seu humanitatis, qua quisque alteri tenetur quod sibi velit fieri. Tertia, quia est contra legem vniuersalem, in omnibus rebus existentem, per quam se dari & communicari volunt, imò quodam modo compellunt. Auari enim eas captiuas detinent, ne communicari possint. Quarta, quia est contra legem diuinam scriptam. Vnde Lucæ 6. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.*

Laurentius Iustinianus. 1430.

In Ligno vitæ de obedientia cap. 5. O pestis maligna, & detestanda auaritiæ obedientia, & semper bonis animis exhorrenda, quid illæsum, quid inconcussum dimittis? Tu genus humanum confudisti. tu discipulum Christi comitem ab Apostolatu præcipitasti: tu milites custodientes Christi sepulchrum captiuasti. Amori enim pecuniæ vilis est omnis affectus, & anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit: nullumque est iustitiæ in illo corde vestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum.

Bernardinus Senensis. 1440.

Tomo secundo, Sermone decimooctauo, articulo tertio: Tertium vitium increpandum est auaritia, scilicet vt domini & regimina ciuitatum excludant eos, qui incorrigibiliter probati sunt argento, id est, denarijs, encœnijs, muneribus, & sic de alijs cupiditatibus. Quatuor enim peccata sunt ex auaritia originem sumentia, propter quæ Deus flagellat ciuitates & patrias. Primum est Simoniarum, & concussionum abominatio, secundum est rapinarum multiplicatio, tertium est pauperum oppressio, quartum est beneficiorum diuinorum ingratitudo: & de omnibus his vindex est Deus.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad cap. 12. *Lucæ:* Nihil est iniquius quàm amare pecuniam: hic enim animam suam habet venalem. Itaque cauendum est ab omni auaritia, scilicet tam mobilium quàm immobilium, à parua & magna: quoniam parua disponit ad magnam: estque vitanda auaritia tam in acquirendo, quàm in conseruando & erogando.

Baptista Fulgosius. 1480.

Libro nono Exemplorum cap. quarto: Auaritia fomentum auiditatis est, atque vrgens ad omne scelus calcar: ab animis enim, in quos semel ingressa est, amicitiam honorisque desiderium pellit, ac nunquam inde egreditur, quin potius cum annis crescit, & quamuis senio subeunte corporis vires decrescant, habendi cupiditas tempore ipso augetur: & in quo minus ad viuendum spatij superest, tanto plus struendis intenta opibus, timidius necessaria promit. Itaque quicunque auaritia captus laborat, cùm neminem amet, à nullo etiam amatur: & cùm omnia auro postponat, quanto plus auri possidet, tanto plus quærendo inhiat: veluti hydropicus, qui bibendo semper magis sitit, etsi totum aqua perfusum plenumque corpus habeat. Quæ res efficit, vt non sine ratione, omnium Italorum consensu, in idem conuenientium nomen (auaritiæ enim comes semper est miseria) auaros omnes miseros esse dicamus.

Nicolaus de Nyse. 1480.

In Summa 2. *partis destructorij tractatu tertio:* Auaritia est morbus multipliciter affligens, nec tamen miser auarus miseriam suam recognoscit. Augustinus: Quid miserius misero non miserante seipsum?

Baptista Mantuanus. 1500.

De calamitatibus horum temporum, lib. 1. De Philargyria:

Auri sacra fames hec est, rerumque cupido
Improba, diuitiis amor infinitus habendi.
Hec nummi sitis ardescens immensa vorago
Tartareis emissa vadis, imitata rapaces
Vnguibus Harpyias, armataque grandibus ora
Dentibus, in gyrum quales quantosque elephanti
Aethiopes, Indique ferunt, sinuatur in orbes, &c.

Iacobus Sadoletus. 1520.

De regno Vngariæ à Turcis oppresso & rapto: Auaritia vna est, quæ tanquam terra quædam horribilisque pestis dissipat omnem bonum morem, humanæque vitæ societatem disturbat & depopulatur, quorumque in animum inuasit, arcemque in iis obtinuit mentis atque consilij, eos illa statim à familia Dei ereptos atque abstractos, in seruitutem diaboli mancipat.

ARTICVLVS SEXTVS.

INVIDIAM, CVM SIT MORTALE PECCATVM, DEPONENDAM.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 4. vers. 4. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain autem, & ad munera illius non respexit: iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus eius. Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? & concidit facies tua? Nónne si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Dixitque Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.

Genes. 27. 41. Oderat ergo semper Esau Iacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater, dixitque in corde suo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.

Genes. 37. 4. Videntes fratres Ioseph quod à patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui. 11. Inuidebant ei igitur fratres sui: pater verò rem tacitus considerabat.

Leuitici 19. 17. Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum.

Numer. 12. 1. Locutaque est Maria & Aaron contra Moysen propter vxorem eius Aethiopissam, & dixerunt: Num per solum Moysen locutus est Dominus? nonne & nobis similiter est locutus? Quod cùm audisset Dominus, iratus est.

Prouerb. 10. 12. Odium suscitat rixas: & vniuersa delicta operit charitas.

Prouerb. 17. 5. Qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus.

Prouerb. 24. 17. Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum: ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam. 21. Cùm detractoribus non commiscearis: quoniam repentè consurget perditio eorum: & ruinam vtriusque quis nouit?

Prouerb. 28. 22. Vir qui festinat ditari, & alijs inuidet, ignorat quòd egestas superueniet ei.

Ecclesiastis 4. 4. Contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animaduerti patêre inuidiæ proximi. Et in hoc ergo vanitas, & cura superflua est.

Sapient. 2. 24. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.

Sapient. 6, 25. Neque cum inuidia tabescente iter habebo: quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ.

Ecclesiastici 6. 1. Noli fieri pro amico inimicus proximo: improperium enim & contumeliam malus hæreditabit, & omnis peccator inuidus & bilinguis.

Ezechiel. 25. 15. Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd fecerunt Palæsthini vindictam,

dicta,& vlti se sunt toto animo,interficientes & implentes inimicitias veteres: Propterea hæc dicit Dominus Deus:Ecce ego extendam manum meam super Palæsthinos,& interficiam interfectores,& perdam reliquias maritimæ regionis.

Rom. 1.28. Sicut non probauerunt Deum habere in notitia: tradidit illos Deus in reprobum sensum:vt faciant ea quæ non conueniunt: repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione,auaritia,nequitia,plenos inuidia,homicidio,contentione, dolo, malignitate,&c.

1. *Ioan*.3.11.Hæc est annuntiatio,quam audistis ab initio,vt diligatis alterutrum. Non sicut Cain,qui ex maligno erat:& occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erant: fratris autem eius iusta. 14. Qui non diligit,manet in morte. Omnis,qui odit fratrem suum,homicida est. Et scitis quoniam omnis homicidia non habet vitam æternam in semetipso manentem.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Ignatius. 100.

Epistola ad Heronem:Inuidiam fuge:Auctor enim illius diabolus est, & successor Cain, qui inuidia stimulatus,necem fratri machinatus est.

Irenæus. 180.

Lib.5.*cap*.24. Diabolus inuidens homini, apostata à Diuina factus est lege. Inuidia enim aliena est à Deo.

Gregorius Neocæsareensis. 260.

Metaphrasi in Ecclesiasten cap.4. Perspicuum mihi quoque factum est, quanta proximorum inuidia egregium virum sequatur, æstrum existens impuri spiritus: quodq; is, qui hanc susceperit, ac velut pectore complexus fuerit, nihil aliud habet,quàm quòd animam suam exest & dissecat, simulq; cum corpore absumit, mœrorem acerbissimum, nec solatio vllo mitigabilem aliorum prosperitatem existimans.

Athanasius. 340.

Homilia de semente: Prostratus est immanis ille Goliath à paruulo,peritus ab imperito & simplici: sumens deinde Dauid illius gladium,caput ipsi præcidit, caputq; deportatum est in Hierusalem:
Reg.18. gladius autem in custodiam datus est Abimelech sacerdoti, liberatusq; est populus ab aduersario, &c.Ibi tripudiatrices ille cecinêre, non ad dignitatem respectantes, sed ad merita rerum: percussit Dauid per myriades, & Saul per chiliades,&c. quæ res animum Saulis perculit. O magnam vecordiam, nónne debuit tam recens beneficium reuerentia prosequi? Quid inuides victori, ad vnam horam faustis vocibus celebrato, ipse qui ad quadraginta dies latuisti? Cur ab hostibus liberatus,laudibus assertoris laude digna patrantis,infestus es? verùm ille secum dicebat: *Dederunt mihi mille,& Dauidi decem millia*.Atque ideo infensis oculis Dauidem intuebatur. Vide mihi num posteri eius sunt, quibus hodie Seruator dextram illam aridam sanauit: & egressi sunt illi ad consilium capiendum, non vt Dominum glorificarent, sed quonam modo bene merito insidias ponerent. Euangelium enim dicit, quòd pleni vecordiæ egressi sint, & disceptauerint quid Iesu fecerent, posteri nimirum persecutoris, posteri, inquam,furiosi illius, posteri insidiatoris aduersus hominem bene meritum. Toruis igitur oculis intuebatur Dauidem, obliquis iam inde eum oculis notans. Tales enim sunt inuidi, tales sunt hypocrytæ: Ideoq; Scriptura tibi dicit: *Oculi tui recta videant*, nihil obliquum, nihil liuidum,aut quod amorem aut fauorem præ se ferat. Aspice amicum tuum rectè, nihil dissimulanter, nihil virulenter. Sed enim Saul infensis oculis aspiciebat Dauidem, considera mihi quidnam struatur. Videbat illum magni fieri, cupiebat igitur illi dare filiam suam in vxorem. Heu mihi qualis tentatio inuidiæ? insidiatur ei, quem in generum accipit.

Basilius Magnus. 370.

Homilia 11. *quæ est de Inuidia*: Nihil mortalium animis inuidiæ perturbatione perniciosius contingit: quæ ante omnia ipsi nocet auctori:alijs verò quàm minimum. Quemadmodum enim venenum ferrum, sic inuidia hos, qui eam possident, consumit atque vastat. Magis autem, sicuti viperas dicunt abrupto matris ventre nasci: sic & inuidia concipientem se animam corrodere simul ac tabefacere solet. Est enim inuidia dolor de proximi prosperitate ac rerum successu conceptus. Quapropter animo inuido nunquam tristitia,nunquam mœstitia deest. Abundat proximi ager, domus bonis omnibus repletur, ex voto denique eueniunt omnia, in rosa & viola viuenti. Cuncta hæc tristitiæ dolorisque occasionem inuido præbent. Ex quo nihil ab homine nudo, qui omnium iaculis petitur, differre videtur, &c. Quid hoc morbo perniciosius? Interitus vitæ, pestis naturæ, aduersa omnibus bonis ex Deo venientibus, demum ipsi Deo contraria. Quid enim principem malorum dæmonem ad bellum aduersus hominem internecinum impulit? Nonne inuidia? per quam & Deo aduersari palam deprehensus est. Dolens enim ob præclara dona homini concessa, quando Deo nocere non valuit,ipsum insidijs petit hominem, &c. Vidit Cain ex Gen.4.
Deo honorem fraternum, & exarsit in inuidiam, atque eum, qui honoratus erat à Deo,occidit, vt irritaret Deum, qui illum honorauerat. Cùm enim impar esset ad debellandum Deum, in cædem incidit fraternam. Quamobrem fratres dilectissimi, inuidiam fugiamus, pugnæ in Deum magistram, homicidij matrem, naturæ confusionem, amicitia ac familiaritatis expertem, calamitatem absurdissimam. Quid miser homo angeris, nihil mali passus? quid cum eo contendis, aut quid eum petis in bonis quibusdam existentem, qui de tuo nihil detrahit, aut minuit? &c. Sapiens profectò fuerit quicunque cum inuido minimè congreditur, aut conuersatur, nec etiam in eadem esse cum eo mensa studet, quòd ex conuictu reliquæ vitæ commercia vitari facilè nequeunt, &c. Quoniam ex Salomonis sententia: *Zelus hominis ex socio ipsius*. Et profectò sic res habet. Non enim Ægyptio vir Scytha inuidebit, sed suæ genti quilibet: & in eadem gente, non ignotis, sed familiaribus & vicinis, & eiusdem artis hominibus, aut alia de causa coniunctis, & his denique coæuis, cognatis & fratribus. Et omninò vt ærugo frumenti est vastatio, sic inuidia amicitiæ pestis. Illud autem in hoc malo laudauerit quisquam, quod inuidus quan-

Digitized by Google

tò in proximum vehementius mouetur, tanto sibimet maius parit incommodum. Quemadmodum sagittæ magna vi emissæ, si in durum aliquid ac respuens inciderint, in emittentem facilè redeunt: sic inuidia proximis tristitiam nequaquam affert, tantùm inuidenti officit. Quis enim vnquam in mœrore positus aliquod propterea proximo incommodum intulit? Sese solum vastat, atque cruciat, &c. Malum suscipis, per quod inimicus eorum fias, qui te nihil læserunt, inimicus præterea Dei boni, & qui omnis est expers inuidiæ. Fugiamus ergo fratres intolerabile malum. Serpentis id est præceptum, diaboli inuentum, inimici satio, punitionis arrabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam, regni cælorum priuatio. Nam & ipso fatentur ore hoc vitium inuidi. Aspectus illis est aridus & obscurus, gena subtristis, supercilium demissum, anima ipso morbo suffusa, prudentiam in dignoscenda veritate ac rebus agendis minimè habens, &c. Quid ergo faciendum, vt hanc animi pestem ab initio minimè quidem patiamur, aut in ea fortasse affecti facilè liberemur? Primùm quidem si nihil rerum humanarum magnum aut supra naturam existimemus: non potentiam, non gloriam, non opes, non corporis habitudinem prosperam: non enim in rebus fluxis bonum constituimus, sed ad sempiternorum & verorum bonorum participationem vocati sumus. Itaque nec diues æmulandus est propter diuitias, nec potens ob dignitatis ac magistratus culmen, nec fortis ob corporis robur, nec eloquens ob dicendi facultatem. Instrumenta sunt hæc virtutis rectè vtentibus, nihil per veræ felicitatis habentia. Miser igitur est qui his abutitur, non aliter quàm qui in pugna contra inimicos ensem corripiens, in se, ac interitum suum conuertit, &c. Omninò autem qui res humanas rationi subiecerit, & ad veram pulchritudinem laudemq; se conuerterit, multum abfuerit ab eo, vt in rebus terrenis & fluxis quenquam putet esse felicem & æmulandum. Qui verò ita fuerit animatus, vt nihil vsquam humanum admiretur, huic proculdubio dominari inuidia nullo modo poterit. Si quis verò ita gloriæ cupidus fuerit, vt omnes antecellere cupiat, nec secundas facilè patiatur, maximam profectò occasionem, causamq; inuidiæ dabit, &c. Sic demum teipsum incolumem seruabis, & in bonis longè maioribus claritatem habebis. Nam & virtus intra nos est, & ab ijs, qui ob eam labores subeant, apta possideri. Diuitiarum autem copia, forma corporis, potentiæ fastus intra nos nequaquam consistit.

Homilia vigesimaprima, quæ est in aliquot Scripturæ locos: Inuidia proprium est diaboli vitium &c. Malum est, quod satis exprimi nequit, quod medicinam spernit. Qui caput, aut membrum aliquod dolent, medico morbum aperiunt: at qui ægrotat inuidia, quid dicet? Angunt me proximi bona? Nam veritas hæc est, attamen hæc quisque verba fateri erubescit. Quid, quæso, te affligit, proprium malum, an alienum bonum? Certè malum tuum incurabile. Canes enim nutriendo, mansuetos reddimus, inuidum verò & malignum beneficio nostro demulcendo, longè peiorem reddimus. Non enim gaudet in ijs quæ recipit bonis, sed tua tristatur felicitate, quòd facultas tibi sit eius vsui subueniendi. Noli igitur in diaboli deceptionem incidere. Inuidit enim tibi, inuidit, inquam, cùm te è paradiso expulit, &c. Ne sequere illum, neue cum eo commercium suscipe vllum. Bis enim te læsit. Primùm, cùm te ab initio eiecit. Deinde nunc reditum tuum turbare contendit.

Ephræm. 370.

De virtutibus & vitijs, cap. de eo, qui ab inuidia & æmulatione alienus est: Beatus, qui inuidiæ & æmulationi non est obnoxius. Nam æmulatio & inuidia dependent à se inuicem, & qui alterutram habet, vtramque habet. Verè igitur beatus, qui in hæc vitia nō incidit, nec ab aliquo istorum vulneratus est. Nam qui iniustè fratri suo inuidet, cum diabolo condemnabitur. Vincitur inuidus, laborat odio & inimicitia, bono aliorum angitur progressu. Qui autem ab hoc morbo alienus est, nunquam aliorum profectu cruciatur, de honore alterius non turbatur, neque de dignitate dolet: cunctos enim se meliores præstantioresque ducit, indigniorem se alijs, omniumque infimum reputans, gloriam propriam non quærit, non sectatur honores.

Capite de eo, qui obnoxium est inuidiæ & æmulationi: Qui autem eiusmodi vitiorum laborat morbo, miser est atque infelix, ac diaboli consors, per quem mors introiuit in orbem. Inuidus enim & æmulator omnibus se aduersarium præbet, neminem sibi in honore præferri patitur, proborum existimationem diminuit, rectèque incedentibus scandalum constituit: rectè viuentes vituperat, & pietate ac religione conspicuos aspernatur, &c. Graue ergo & pestiferum est inuidiæ & æmulationis venenum, vnde detractiones, odia, ac cædes pullulant. Procul igitur ab hoc teterrimo vitio fugite, procul à vobis omnem inuidiam & æmulationem depellite, ne simul cum diabolo damnemini. Sap. 2.

Gregorius Nyssenus. 380.

Lib. de vita Mosis: Inuidia malorum princeps, mortis mater, prima peccati ianua, vitiorum radix, doloris initium, calamitatis parens, inobedientiæ causa, ignominiæ principium. Inuidia enim nos longè exterminauit à paradiso, versa in serpentem aduersus Euam: inuidia repulit à ligno vitæ, &c. Inuidia dico mortifer stimulus, mucro reconditus, naturæ morbus, bilis venenosa, tabes spontè adhibita, telum amarum, figens animam clauus, flamma cordis, intestinorum ignis: hanc qui habet, non suis malis, sed alienis bonis infelix est, & contra non suo bono, sed malis proximi felix est, inuidus enim felicitate aliorum dolet, calamitatibus gaudet. Miluos cadaueribus pasci, & pretiosis vnguentis emori aiunt: videtur enim natura sua ad putridum & purulentum esse affinis: quando verò huic morbo subiectus est aliquis, amicorum commodis quasi vnguento tabescit: & si quid calamitosum incidisse proximo intellexerit, illicò aduolat, rostro inuadit adunco, quo si qua latent, distrahit, atque dissipat, & in medium proponit omnibus.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione vigesimaseptima, quæ est de seipso, & ad eos, qui ipsum Cathedram Constantinopolitanam affectare dicebant: Vtinam ex hominum vita liuor interiret, inuidorum tabes, venenum eorum, qui eo laborant, solus ex omnibus affectibus iniquissimus simul & æquissimus: illud, quia bonis omnibus infestus est, hoc, quia dominos suos exest & conficit, &c. Hæc & Luciferum obscurauit, ob mentis elationem prolapsum, (indignum enim atque intolerandum ducebat, se, cùm diuinus esset, non Deum quoque existimari,) & Gen. 3. Adamum, per voluptatem & mulierem circumuentum, è paradiso expulit. Adductus est enim, vt Deitatem sibi inuideri crederet, dum à scientiæ ligno arceretur. Hæc & Cain ad inferendam Gen. 4. fratri necem impulit, quòd purius sanctiusque sacrificium æquo animo ferre non potuisset. Hæc

& mun-

Gen. 6. & mundum immundè & incompositè se gerentem aquis texit, & Sodomitas igne obruit. Hæc & Gen. 19.
Dathan, & Abiron, aduersus Mosen furore elatos, in terram defodit, & Mariam, quæ aduersus
Num. 16 fratrem tantummodò murmurauerat, lepra infecit.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia quadragesimaprima in Matthaeum: Tale certè malum inuidia est, qua nulla vnquam malignitas peior inuenitur. Nam adulterio inquinati, voluptatis saltem iniquæ fructum, vt putant, aliquem capiunt, & breui tempore peccatum committunt. Inuidi autem & multò ante seipsos, quàm quibus inuident, perturbant & cruciant, & ita in agendo semper inuidendoque sunt, vt nunquam peccandi afferant finem: sed quemadmodum sues lutosa immundicia, & dæmones nostris damnis lætantur: sic inuidi calamitate proximorum exultant. Cumque aliquid triste ac doloris efficiens proximo acciderit, tunc aliquantulum acquiescit, atque respirat inuidus: alienas enim iacturas suos quæstus existimat, & aliorum felicitatem miseriam suam arbitratur: nec magis considerat quid ipse suaue consequatur, quàm quid proximo calamitosum inferatur. Nonne igitur tales homines lapidibus petendi? Nonne omni cruciatu torquendi sunt? Non aliter profectò quàm canes rabie concitati, infestique dæmones, atque furiæ ipsæ. Nam quemadmodum scarabæi alieno stercore, sic inuidi aduersa aliorum fortuna nutriuntur, cùm sint communes humano generi hostes atque inimici. Et alij quidem homines, si animantes rationis expertes crudeliter cædi ac dilaniari viderint, aliquantulum commiserantur: tu verò cùm salutis beneficium conferri homini cernas, expalles & tremis, & in ferocitatem cædendi benefactoris conspiras. Et quid hac insania furiosius vnquam reperietur? His profectò de causis fornicatores, ac publicani ad cælos conscendere potuerunt, inuidiæ autem morbo laborantes, cùm intus essent, à
Matt. 8. regno cælorum exciderunt: *Filij autem,* inquit, *regni eijcientur foras.* Præterea omni prauitate illi ex animis expulsa, ea, quæ nunquam sperârunt, facilè nacti sunt. Pharisæi autem vel ea quæ retinebant bona penitus amiserunt: neque id iniuria. Nam inuidia pestiferum malum, hominem in diaboli conditionem, ac in dæmonem immanissimum conuertit. Inuidia prima hominis cædes apparuit. Inuidia fraterna charitas contempta est. Inuidia sanguine hominis terra primò
Gen. 4. maculata. Inuidia denique factum est, vt hiatu
Num. 16 suo terra Dathan, Chore, Abyron, vniuersumque illum populum viuos absorpserit, &c. Nam vnde Cain fratricida effectus est? Vnde verò Esau
Gen. 4. 27. fratrem insectabatur? Vnde Laban: vnde Iacob
Gen. 31. 37. filij: vnde Chore, Datham, & Abyron: vnde Maria atque Aaron inquinati fuerunt? Vnde ipse diabolus calumniæ nomen sortitus est? Adhæc il-
Num. 16 & 26. lud etiam tecum semper verte, quia non maiorem illi, cui inuides, quàm tibijpsi facis iniuriam, cùm teipsum versus mucronem impellas. Quid
Gen. 3. enim incommodi Cain Abel fratri suo intulit?
Gen. 4. Nonne illum quidem inuitus ad meliorem vitam citius transmisit, ac seipsum ærumnis inuol-
Gen. 27. uit? Esau verò qua in re mansueto Iacob obfuit, cùm ipse etiam paterna domo excidit: & post insidias illas in aliena vagabatur regione: Iacob verò multis bonis atque diuitijs abundauit. Qua in re fratres sui Ioseph peiorem reddiderunt?
Gen. 37. Nonne quanquam vsque ad sanguinem ferè venissent, inediæ malo in extremis periculis fuerunt, cùm ille regia potestate in Aegypto poteretur? Nam quanto maiore inuidia laboras, tanto maiora illi offers bona, cui inuides. Deus enim qui omnia perspicit, cùm viderit innocentem iniuria circumuentum, extollit multò magis, clarumque illum facit, inuidentem autem deprimit.

Homilia quadragesimaquarta ad populum Antiochenum. Sicut furentes sæpenumerò gladios in se conuertunt, itidem & inuidi, solam inuisi perniciem intuentes, propriam negligunt salutem: hi feris quoque peiores. Nam illæ quidem escæ indigentes, vel à nobis irritatæ, aduersus nos armantur: hi verò beneficijs quoque frequenter allecti, bene meritos maleficijs prosecuti sunt. Hi quidem peiores feris, dæmonibus autem pares, fortè verò peiores & istis. Hi namque contra nos bellum exercent impacatum, consortibus autem generis non insidiantur. Vnde Iudæis quoque Christus os occlusit, cùm eum in Beelzebub eijcere dæmonia calumniarentur. Hi verò neque naturæ communionem reueriti sunt, neque sibi pepercerunt. Nam antequam inuisos, animas suas pœnis afficiunt, tumultus omnis & ignobilitatis eas frustra & incassum implent. Cur enim doles, ô homo, proximi bonis? Dolere nos oportebat his quæ patimur malis, non in quibus alios probabiles haberi videmus. Propterea omni venia caret istud peccatum. Nam fornicator quidem concupiscentiam prætendere potest, fur paupertatem, homicida furorem, frigidas quidem & irrationabiles, habent tamen quas prætendant excusationes. Tu verò quam dices causam, rogo? Nullam penitus, nisi tantùm intensam nequitiam. Si enim inimicos diligere iubemur, cùm & diligentes oderimus, quam pœnam luemus? Nam si diligens diligentes nihilo gentibus melius affectus est, nihil iniuriæ operatos infestans, quam habebit veniam? quam excusationem? audi quid Paulus dicat: *Si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* 1. Cor. 13
Quòd autem vbi liuor, & inuidia, charitatis opera sublata sint, cuique patet. Hoc vitium & fornicatione peius est, & adulterio. Hoc enim in operato tantùm sistit: inuidiæ verò vis totam subuertit Ecclesiam, & toti nocet terrarum orbi. Hæc homicidij mater est: ita fratrem Cain occidit, ita Iacob Esau, ita Ioseph fratres, ita cunctos homines diabolus. Sed tu nunc non occidis, sed multa cæde facis grauiora, fratrem optans confundi, laqueos vndique tendens, sumptos pro virtute dissoluens labores, dolens quòd mundi placent Domino. Non illum itaque, sed ab eo cultum impugnas. Illum afficis contumelia, tuum illius præponens honori, & quod est omnium grauissimum, indifferens peccatum esse videtur, cùm omnium sit atrocissimum. Siue miserearis, siue vigiles, omnium es sceleratissimus, cùm inuideas fratri: & hoc illinc est manifestum. Quidam olim apud Corinthios fornicatus est, sed ac- 1. Cor. 5
cusatus fuit, & breui correctus. Abel Cain in- Gen. 4.
uidit, sed sanatus non est: quin & Deo statim ipsius vlceri curam afferente, magis intumescebat, & fluctuabat, & ad cædem properabat. Ita hoc vitium illo peius est, nec medicinæ, quamcunque adhibuerimus, facilè cedit. Funditus igitur eam vndique euellamus, illud pensantes, quòd quemadmodum offendimus Deum alienis tabescentes bonis, ita placemus gratulantes, & nosmetipsos participes faciamus bonorum bene merenti repositorum. Et propterea Paulus dicit: *Gaudete cum* Rom. 12
gaudentibus, & flete cum flentibus. Vtrinque magnum lucremur emolumentum. Cogitantes itaque quòd licet non laboremus, si laboranti condelectemur, illius coronarum efficimur participes: omnem eijciamus inuidiam, & in animabus nostris charitatem plantemus. Sed quod dixi, graue quid est, inuidia, & simulatione plenum.

Hoc mundum innumeris repleuit malis. Ex hoc morbo litibus plena sunt tribunalia : ex hoc liuores & pecuniarum amor, ambitio & inanis gloria. Hinc vrbes obsidentur, & mare piratas habet: hinc per orbem cædes, hinc genus nostrum dissipatum est. Quodcunque malum videris, ex hac radice producitur: iam enim & in Ecclesias debacchata est, & prius innumera parauit mala. Hoc auaritiam parit, vitium omnia confundens, & iustitiam corrumpens, &c. Lugeamus itaque non hos tantùm, verùm & inuidos: grauis enim & hic valde morbus est. Nec aberrauerit quis hanc diaboli filiam appellans, & post hæc inanis gloriæ fructum, quin autem & radicem. Hæc enim vtraque mala in alterutrum sese producere solent.

Ioannes Cassianus. 420.

Collatione decima octaua capite decimoseptimo: Sciendum sanè est, inuidiæ morbum difficilius ad medelam, quàm cætera vitia peruenire. Nam eum, quem semel veneni sui peste corruperit, penè dixerim carere remedio. Ipsa namque est lues, de qua figuraliter dicitur per Prophetam:
Hier. 8. *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos.* Rectè igitur à Propheta mortiferis Basilisci venenis morsus inuidiæ comparatur: qua primus ille venenorum omnium auctor & princeps & perijt & peremit. Nam ante suus, quàm eius, cui inuiderat, interemptor, priusquam in hominem, mortis virus effunderet, ipse se
Sap. 2. perdidit. *Inuidia enim diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Sicut enim ille, qui primus eiusdem mali peste corruptus est, nec medelam pœnitentiæ, nec fomentum vllius curationis admisit, ita & hi, qui iisdem se percutiendos morsibus tradiderunt, omnem opem sancti incantatoris excludunt: quia cùm vtique non culpis aliorum quibuslibet, sed prosperitate crucientur, erubescentes ipsam prodere veritatem, extrinsecus sibi quasdam superfluas & ineptas causas offensionis inquirunt. Quarum quia omnimodis falsæ sunt, vana curatio est, cùm illud mortiferum virus, quod nolunt prodere, lateat in medullis. De quibus alibi ille sapientissimus competenter ex-
Eccle. 10 pressit: *Si momorderit serpens non in sibilo, non est abundantia incantatori.* Isti enim sunt taciti morsus, quibus solis sapientium medicina non subuenit. Nam vsque adeò incurabilis est ista pernicies, vt blandimentis exasperetur, inflетur obsequijs, muneribus irritetur: quia, vt idem Salamon ait,
Prou. 6. *nihil sustinet zelus.* Quanto enim amplius alius aut humilitatis subiectione, aut patientiæ virtute, aut munificentiæ laude profecerit, tanto ille maioribus inuidiæ stimulis incitatur, qui non nisi ruinam aut mortem eius, cui inuidet, concupiscit. Denique illorum vndecim Patriarcharum zelus in tantum nulla innoxij fratris subiectione potuit deliniri, vt de his Scriptura comme-
Gen. 37. moret: *Inuidebant autem ei fratres sui, eò quòd diligeret eum pater suus, & non poterant ei loqui quicquam pacificum,* donec zelus eorum, qui nulla germani obsequentis atque subiecti sustinuit blandimenta, mortem eius cupiens, vix posset venditionis fraternæ crimine satiari. Cunctis ergo vitijs perniciosiorem atque ad purgandum difficiliorem esse constat inuidiam, quæ ipsis remedijs, quibus reliqua extinguuntur, accenditur.

Nilus Abbas. 430.

In capitulis Paræneticis cap. decimoquinto: Inuidus seipsum mulctat: Qui enim aduersus alterum loquitur, seipsum inscius malis afficit.

Isidorus Pelusiota. 440.

Libro tertio epist. quadragesimatertia: Haud mirum istud videri debet, quòd qui inuidiæ facibus inflammantur, ne beneficijs quidem meliores fiunt: Acceptis enim beneficijs magis irritantur, quia se benignitate opus habere agnoscunt.

Theodoretus. 450.

In cap. primum ad Romanos: *Plenos inuidia:*) Grauis animi perturbatio, & quæ felicitatem proximi ferre nequit. Ea autem & cædem gignit, & dolum concipit. Cain enim inuidia sauciatus, & doli ope vsus, fratrem in campum seduxit, cædem autem perpetrauit.

Basilius Seleucius. 460.

Oratione quarta de Lazari exsuscitatione: Inuidia nihil omnino rectè considerat, vt quæ mentis aciem prorsus occæcet. Nónne omnem hic vos docebat mansuetudinem? Nónne alapis cæsos, ne repercuterent monebat? &c. Grande sanè, & praua simulatione plenum malum est inuidia. Vnum hoc innumeris calamitatibus terrarum orbem implet: hoc morbo fœdè infecta sunt fora & tribunalia. Hinc enascuntur nefariæ æmulationes, & falsæ obtrectationes: hinc inexplebilis auri sitis: hinc turpis quæstus: hinc inanis gloriæ pestis. Hinc prouenit, vt publicæ viæ obsideantur, mariaque per piratas infestentur: hinc fit, vt multæ passim per terrarum orbem cædes edantur, adeoque vt genus nostrum miserè dissipetur. In summa nullum ferè malum in oculos incurrit, quod suum hinc ortum non trahat.

Agathias. 560.

Libro quinto, cap. nono: Belisarium populus vniuersus ex fama rerum tam egregiè & recèns gestarum effusus obuiã, cùm vrbem ineuntem spectassent, diuersim & per conuentus laudibus efferebãt, vt qui salutem his peperisset: sed magistratus plerosque, & principes ciuitatis ea pompa offendit inuidia & liuore captos, vitijs (vt fit) quæ potiora sunt, obtrectantibus.

Antiochus. 600.

Homilia quinquagesimaquinta: Iam inuidia quàm vehemens sit animi affectio, verius diabolica intemperies, vixq; vllam admittens medelam, quis referat? Ab ipso enim diabolo vixdum traxerat originem, & ecce è vestigio in fratricidam Cainum transiliuit, atque ordine deinceps prono cursu in Dominicidas Iudæos deuoluta est. Planè inuidia vehemens atque atrox malum, ac modis omnibus crudele est. Qui enim cuipiam inuidet, animi angore discruciatur, contabescit miserè, eliquatur totus. Inuidia enim quasi vermis in ligno, & in vestimento tinea, ita cor denique & faciem eius conficit ac macerat hebeti pallore, qui semel in ipsius manus incidit. Contra is, cui inuidetur, in hominum prospectu miris modis promouetur, ac proficit, à Domino protectus. Exemplo est beatus ille Ioseph: Quò enim faces fraternæ inuidiæ in illum exarserunt acrius, hoc ille sublimius à Deo prouehebatur, quousque tandem ad regni gubernacula promotus est. Sic & Saul œstro extimulatus inuidiæ, admirabilem illum Dauid persequebatur, sicut scriptum est, &c. 1. Reg. 17 Ab hac igitur (fratres) pestili lue inuidiæ quàm ocyssimè defugiamus, quæ diaboli germen est: vt ne compari mulcta damnationis cum Caino inuoluamur, qui quidem per suspiria crebra, artuumque miserabilem tremorem, vitam cùm exegisset, amara morte functus est. Gen. 4.

Maximus. 640.

Centuria quinta cap. sexagesimo: Quicunque motus inuidia odit, & perperam calumnioseque diffamat præstantiorem in certaminibus virtutum, & copia sermonis ad cognitionem spiritualem pertinentis, Saul est, qui à spiritu nequam suffocatur, non ferens gloriam eius, qui felicitate virtutis & cognitionis est illustrior, & ideo grauius insanit, quòd violentis manibus benefactorem interficere nequeat: sæpe verò asperè repellit ipsum etiam amicissimum Ionathan, ratiocinationem dico insitam in conscientia, quæ redarguit odium iniquum & veritatis amica, studia virtutis eius, qui odio habetur, enarrat.

Theophylactus. 900.

In Marci cap. sextum: Tam atrox malum est inuidia. Semper enim obscurat bona, nec illa ab inuidis videri finit.

In caput primum ad Romanos: *Plenos inuidia, homicidio.*) Nunquam non homicidium est ex inuidia. Sic Abel inuisus Caino redditus, occisus est. Hanc ob rationem Ioseph interimendus erat.

Simeon Metaphrastes. 950.

In certamine sancti Apostoli Onesimi: Inuidia Cain cum multis alijs docuit esse fratricidam, & in ijs, qui ipsam possident, perniciosas seminauit cogitationes.

Suidas. 970.

In Lexico: φθόνος:) Inuidia est perpessio doloris, ob successus alicuius boni viri, &c. Morbus animi humanus, deuorans animum, quem occuparit, vt ærugo ferrum, & amor idem est, quibus ille inimicissimum vocat numen, conferens innatum morbum in ipsos, qui hæc produxerunt. Sunt & versus Iambici hac de re:

τὸ δεύτερον τοῦ φθόνου σβέσας γράμμα,
φόνος ἐν αὐτῷ τὸν φόνον γεγραμμένον.

Si alteram Phthoni raseris literam,
Inuenies in eo Phonon scriptum.

id est, inuidia & cædes in Græco sermone vna litera differunt: & inter inuidum & homicidam parum interest.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Iustiniano: Inuidia, vt solet rebus prosperrimè succedentibus insidiari, Belisarium quoque ita adorta est, vt is per calumniam delatus, à magistratu & honore sit exutus.

Manuel Palæologus. 1400.

In præceptis educationis regiæ cap. vigesimotertio: Non aliter atque ferrum rubiginem æmulus & inuidus animus odium, fraudem, aliaque talia gignit. Ea coniuncta nonnunquam quidem & alijs adferunt exitium, prout eos impetiuerint: at ipsos auctores fieri non potest quin paulatim prorsus absumant, animis scilicet infixa perpetuò, quodque natura solent efficientia. Sed enim ferrum, quasi per vim à rubigine corrumpitur: at istud non ignorantes adoritur: ideoque malum hoc nostrum peius est, ac propè veniam nullam meretur. Quippe consimile quiddam accidit, ac si quis hostem quemcunque concremare volens lignum fieri sustineat, ac igni tradi, quo conflagraret is, quem odio prosequitur. Procul dubio Satanicum quiddam est inuidia. Quippe Satanas aliam nullam ob culpam plectitur, quàm quòd efficit, vt alij plectantur. Quin & amens est, qui laborat inuidia. Nam quin absumatur ipse, fieri nullo modo potest: an autem exitium sit allaturus alteri, certò non constat. Quandoquidem & vim lignorum magnam sæpius in cineres redactam scimus, cùm interim materiam crematu difficilem non absumpsisset. Gignit autem inuidia fraudem, & calumniam, & odium, cùm ipsa procreatur ab æmulatione.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Cyprianus. 250.

Sermone de zelo & liuore: Nihil magis Christiano cauendum, nihil cautius prouidendum, quàm ne quis inuidia & liuore capiatur, ne quis fallentis inimici cæcis laqueis implicatus, dum zelo frater in fratris odia conuertitur, gladio suo nescius ipse perimatur, &c. Quale malum est fratres dilectissimi, quo Angelus cecidit, quo circumueniri & subuerti alta illa & præclara sublimitas potuit, quo deceptus est ipse qui decepit? Exinde inuidia grassatur in terris, dum liuore periturus, magistro perditionis obsequitur, dum diabolum, qui zelat, imitatur, sicut scriptum est:
Sap. 2. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Imitantur ergo illum qui sunt ex parte eius, &c. Latè patet zeli multiplex & fœcunda pernicies. Radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. Inde odium surgit, animositas inde procedit. Auaritiam zelus inflammat, dum quis suo non potest esse contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus auctiorem, zelo excæcante sensus nostros, atque in ditionem suam mentis arcana redigente, Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, iudicij dies non prouidetur. Inflat superbia, exacerbat seuitia, perfidia præuaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira feruescit, nec se iam potest cohibere, vel regere, qui factus est potestatis alienæ. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, vnitas scinditur, ad hæreses atque ad schismata prosilitur, dum obtrectatur sacerdotibus, dum Episcopis inuidetur, dum quis aut queritur non se potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpositum, &c. Dumque ab inuidis nunquam liuor exponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur. Mala cætera habent terminum, & quodcunque delinquitur, delicti consummatione finitur. In adultero cessat facinus perpetrato stupro, in latrone conquiescit scelus homicidio admisso, & prædoni rapacitatem statuit præda possessa, & falsario modum ponit impleta fallacia: Zelus terminum non habet, permanens iugiter malum & sine fine peccatum, &c. Quincunque es inuidus & malignus, videris, quàm sis eis, quos odisti, insidiosus, perniciosus, infestus: nullius magis quàm tuæ salutis inimicus es. Quisquis ille est, quem zelo persequeris, subterfugere & vitare te poterit, tu te non potes fugere: Vbicunque fueris, aduersarius tuus tecum est, hostis semper in pectore tuo est, pernicies intus inclusa est, ineluctabili catenarum nexu ligatus & vinctus es, zelo dominante captiuus es, nec solatia tibi vlla subueniunt. Perseuerans malum est, hominem persequi ad Dei gratiam pertinentem: calamitas sine remedio est, odisse felicem. Et idcirco, fratres dilectissimi, huic periculo consulens Dominus, ne quis zelo fratris in laqueum mortis incurreret, cùm eum discipuli interrogarent, quis inter illos maior esset: *Qui fuerit*, inquit, *minimus in omnibus vobis, hic erit magnus.* Am-

putauit omnem æmulationem responso suo, omnem causam & materiam mordacis inuidiæ eruit & abscidit. Discipulo Christi zelare non licet, non licet inuidere. Exaltationis apud nos non potest esse contentio, de humilitate ad summa crescimus, didicimus vnde placeamus. Denique & Apostolus Paulus instruens & monens, vt qui illuminati Christi lumine tenebras nocturnæ conuersationis euasimus, in factis atque in operibus luminis ambulemus, scribit & dicit: *Nox transiuit, dies autem appropinquauit: abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis, tanquam in die decenter ambulemus: non in comessationibus, &c.* Si recesserunt de pectore tuo tenebræ, si nox inde discussa est, si caligo detersa est, si illuminauit sensus tuos splendor diei, si homo lucis esse cœpisti: quæ sunt Christi gere: quia lux & dies Christus est. Quid in zeli tenebras ruis? quid te nubilo liuoris inuoluis? quid inuidiæ cæcitate omne pacis & charitatis lumen extinguis? quid ad diabolum, cui renuntiaueras, redis? quid Cain similis existis?

Rom. 13

Hilarius. 350.

In Psalm. 138. Qui die repletus est, diem tantùm in se habet, & ideo ait: *Die replebuntur, & nemo in his.* Nemo in his erit præter diem, quo repleti sunt: non pecuniæ æstus, non voluptatum stimulus, non ambitionis ardor, non odiorum malignitas, non inuidiæ aculeus, non conuitiorum furor, non superbiæ amentia, non cætera quæ diaboli sunt arma atque virtutes: sed lux vera, sed dies sola, qua repleti sunt.

Ambrosius. 370.

Ad caput 4. Lucæ: Non mediocris inuidia proditur, quæ ciuicæ charitatis oblita, in acerba odia causas amoris inflectit. Simul hoc exemplo pariter & oraculo declaratur, quòd frustra opem misericordiæ cælestis expectes, si alienę fructibus virtutis inuideas. Aspernator enim Dominus inuidorum est, & ab ijs, qui diuina beneficia in alijs persequuntur, miracula suæ potestatis auertit, &c. Videte quid mali inuidia afferat. Indigna propter inuidiam patria iudicatur, in qua ciuis operetur, quæ digna fuit, in qua Dei Filius conciperetur.

Lib. 2. Offic. cap. 30. Filij fugite improbos, cauete inuidos. Inter improbum & inuidum hoc interest: Improbus suo delectatur bono, inuidus torquetur alieno. Ille diligit mala, hic bona odit: vt propè tolerabilior sit, qui sibi vult bene, quàm qui malè omnibus.

Hieronymus. 390.

Ad cap. 5. ad Galat. Inuidiam non putemus idem esse quod zelum: quia zelus, & in bonam partem accipi potest, cùm quis nititur ea, quę meliora sunt, æmulari: Inuidia verò aliena felicitate torquetur, & in duplicem scinditur passionem: cum aut ipse est aliquid in eo, in quo alium esse non vult: aut alium esse videns meliorem, dolet se ei non esse consimilem. Pulchrè quidam de Neotericis, Græcum versum transferens, eligiaco metro lusit,

Iustius inuidia nihil est: quæ protinus ipsum
Auctorem rodit, excruciatq́ animum.

Scripsit & beatus Cyprianus librum de zelo & liuore valde optimum: quem qui legerit, non dubitabit annumerare operibus carnis inuidiam. Inter inuidum autem & inuidiosum hoc interest, quòd inuidus feliciori inuidet: Inuidiosus autem is est, qui ab alio patitur inuidiam.

Epist. 27. in Epitaphio Paulæ viduæ cap. 8. Semper virtutes sequitur inuidia, *feriuntq́, summos fulgera montes:* nec mirum, si hoc de hominibus loquar, cùm etiam Dominus noster Pharisæorum zelo sit crucifixus, & omnes Sancti æmulos habuerint, in paradiso quoque serpens fuerit, cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum.

Sap. 2.

Cap. 10. Vsque ad diem mortis & huius patientia, aliorum zelus omnibus patuit, qui suum rodit auctorem, &, dum æmulum lædere nititur, in semetipsum proprio furore bacchatur.

Augustinus. 400.

Serm. 83. de Tempore: Sicut ærugo ferrum, ita inuidia illam ipsam animam, in qua est, interimit & consumit. Et sicut aiunt, viperas dilacerato & dirupto illo ipso materno vtero, in quo conceptæ sunt, nasci: ita & inuidiæ natura illam ipsam animam, à qua concepta est, & cōsumit, & perdit. Qualis hæc animæ tinea est? Quæ cogitationum tabes pectoris? Quanta rubigo, zelare in homine donum Dei, & in malo opprobrio bona aliena conuertere, aliorum gloriam facere pœnam suam, velut quosdam pectori suo admouere carnifices, cogitationibus & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent? Non cibus talibus lætus, non potus potest esse iucundus. Suspiratur semper, & ingemiscitur, ac doletur: diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur. Et quantum ille, cui inuidet, successu meliore profecerit, tantum inuidus in maius incendium liuoris ignibus exardescit: pallor in facie, tremor in labijs, stridor in dentibus. Quisquis ille est, quem in zelo suo persequitur inuidus, subterfugere eum forsitan poterit, & vitare: inuidus verò fugere non valebit. Vbicumque fuerit aduersarius suus, secum est hostis in pectore semper inclusus.

Paulus Orosius. 420.

Lib 4 cap. 6. Maximo illo & ineffabili, quem nec ipsi decernunt, stimulo compunguntur, non propter tempora mala, sed propter tempora Christiana: & deriuatio est inuidi hulceris, vt quicquid sub execrabili agitur, atrocius esse videatur: sicut etiam inter nos sæpe inimicorum oculis videri solet, eos, quos execrantur, nihil non prauum, nihil non turpe, nihil non subficiuum, nihil non in vulnus suum dicto factove agere: & hoc tamen penè simpliciter. In tantum enim captum cor obliquat inuidia, vt rectum natura non videat.

Petrus Chrysologus. 440.

Serm. 48. Inuidia de cælo deiecit Angelum, de paradiso exclusit hominem: ipsa primum contaminauit terras germano sanguine: ipsa germanos cōpulit venundare germanum: ipsa Moysen fugauit, Aaron in fratris excitauit iniuriam, Mariam maculauit liuore germani: ac ne multis, quod pauet mens, quod visus tremit, quod auditus non capit, ipsum Christi attendit & peruenit ad sanguinem. Inuidia omnibus malis peior: quos ceperit, liberari nequeunt: quos vulnerauerit, ad curam non veniunt, non redeunt ad salutem. Inuidia delictorum venenum, criminum virus, peccatorum mater, origo vitiorum: hanc qui non viderit, bona videt: hanc qui nescierit: hanc qui fugerit, viuit. Inuidia vitari fuga potest, non potest superari conflictu.

Serm. 172. Omnia quidem vitia ad suorum semper intendunt & prosiliunt læsionem, sed suos semper amplius inuidia consumit: inuidia suorum carnifex semper exitit, extendit sensus, torquet animos, discruciat mentes, corda corrumpit. Et quid plura? Hanc qui receperit, sua sustinet sine fine supplicia: quia in se domesticum semper diligit habere tortorem.

Prosper. 450.

Lib. 3. de vita contemplatiua, cap. 5. Inuidus certè, qui alienum bonum, suum facit inuidendo supplicium, nulla videtur ad inuidendum concupiscentia prouocari, sed tantum superbiæ morbo vexari. Sed si animi eius pestem, qua præcipitatur incentius, subtiliter altéq rimemini, inuenietis eum

& perditionis eius cupidine, cuius cupit interitum, & superbiæ malo teneri, quo sibi iugiter ingemiscit meliorem cui inuidet anteferri. Quis facile potest, quale sit hoc malum verbis exprimere, quo inuidus odio hominis persequitur diuinum munus in homine, cùm potius amari homo debeat, etiam pro sui meriti sanctitate? Tantos inuidus habet pœna iusta tortores, quantas inuidiosus haberit laudatores. Siquidem inuidiosum facit excellentia meriti, inuidum pœna peccati: nec ei ab homine potest remedium adhiberi, cuius est vulnus occultum.

Cap. 9. Donante Domino debemus ostendere, qualiter inuidi sanctè viuentium merita, sua faciant inuidendo peccata: & quantum in eis bonum corrumpat inuidia, qui quicquid boni fieri, vel dici à sanctis audierint, aut omninò non credunt, aut res bene gestas in malum malè interpretando conuertunt. Omne malum, quod de illis mendax fama iactauerit, statim, tamquam si ipsi viderint, credunt. Feraliter eis, qui illud verum non esse probare voluerint, contradicunt. Omnia suis æmulis fingunt, eorum profectu deficiunt, odia intra se abscondunt, & in suos cruciatus enutriunt, proficientibus inuident, peccantibus fauent. De bonorum malis gaudent, de profectibus lugent, de inimicitijs gratuitis ardent, deprehendi pectoris sui malitiam timent, semper amari, inunquam certi. Amici diaboli, inimici etiam sui, omnibus odiosi. Ad gaudenda anxij, ad plangenda læti, vtrobique peruersi. Inter amicos discordias seminant, discordantes ad tempus, si possunt, in dissensione confirmant. Opinionem bonorum mendacijs decolorant: in spiritualibus carnalia laudant, vt spiritualia bona eis deesse persuadeant. Amicitias simulant, vt eos, qui se incautè sibi commiserunt, qua possunt arte decipiant. Odiorum sibi occasiones prauis suspicionibus coaceruant: dæmones, quorum sectantur facta, lætificant: Sanctos viros, quibus sunt noti, contristant, velut amici in obsequio, hostes in animo. Continentes in verbo, turpes in facto. Prodigi secretorum, tenaces malorum. Prompti suspicionum malarum, inanes bonorum. Pleni sordium, prediti fraudibus. Aduersarij corde virtutibus, praui moribus, & insidiosi cunctis secum in simplicitate viuentibus. Hæc & his similia sunt, quæ omnes inuidos bonis voto siue animo inimicos ostendunt, &c. Considerate, obsecro, qualiter inuidos punitura sint mala sua, quos etiam bona puniũt aliena. Vbi isti fieri poterunt boni, qui sunt in bono mali: aut quando bene malis vsuri sunt, qui malè bonis vti non desinunt? &c. Item bonis vtitur inuidus malè, quia omnibus bonis, quæ miser execratur, abiunctus, animi sui supplicio relinquetur affligendus. Et quis ei poterit subuenire, qui se sibi exhibet inuidendo carnificem? Aut vnde sibi parabit salutem, qui de salutis materia (bonis malè vtendo) facit perniciem?

Claudius Marius Victor. 480.

Lib. 2. in Genesin:

Sic olim ante sui præsensit candidus Abel
Inuidiam fratris: nam cùm de fruge litasset
Ille sua, niueo ille agno, mox protinus altum
In cœlum ascendit combusto fumus ab agno.
At contra per inane volans de frugibus illis
In terram rediit fumus Olympo:
Aut quòd peiores Domino sacrauerat, aut quòd
Illi non gratum est, animo quod prodit auaro.
Inde Cain tamen insanas flammatur in iras,
Inuidia ducens illo de fonte venenum,
Vnde propinarat serpens, fratremq; cauendi
Ignarum sæua mactatum cæde trucidat.

Saluianus Massiliensis. 470.

De Prouidentia Dei lib. 3. Inuidiam iussit Deus procul esse à nobis: at nos è contra, non extraneis tantùm, sed etiam proximis inuidemus. Nec solùm inimicos, sed etiam amicos liuore perfundimus, adeò propè in omnium sensu hoc malum regnat, adeò esuriendi libido terminum habet, detrahendi libido terminum non habet. Nam sæpè admodum cibo, nunquam detractione saturamur. Sed forsitan leuis pœna istius labis est: *Detrahens*, inquit Scriptura sacra, *eradicabitur.* Grauis profectò & tremenda animaduersio, sed tamen nulla correctio dura: modò enim vnusquisque hominum alium lacerare non desinat, tanti putat, vt etiam sibi ipse non parcat: sed digna planè mali istius retributio est, quæ solùm persequitur auctorem: Illi enim nihil nocet penitus cui detrahit, tantummodò illum punit, à cuius ore procedit. Rom. 1.

Alcimus Auitus. 500.

Libro ad Sororem:

——Non vlli candida virtus
Inuidet, inuidia quamquam est subiecta maligna.

Seuerinus Boetius. 500.

Lib. 2. de differentijs Topicis Sit propositum demonstrare, quoniam inuidus sapiens non est. Inuidus est, qui alienis affligitur bonis: sapiens autem bonis non affligitur alienis. Inuidus igitur sapiens non est.

In libro Diuisionum: Nullus liuor inuidiæ debet obfuscare obliquis morsibus detractionis illud, quod arduum est in natura, & digestum est ad legentium vtilitatem.

Cassiodorus. 540.

Lib. 1. epist. 8. Quicquid ex inuidia dicitur, veritas non putatur.

Lib. 6. epist. 22. Maiori cura tractanda sunt, vnde inuidia plus timetur.

Lib. 10. epist. 11. Perfectis quidem proxima est indubitanter inuidia. Inuidia melius tolerantia vincitur, quæ contentione semper augetur.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 5. Moralium cap. 31. *Et paruulum occidit inuidia.)* Inuidere enim non possumus, nisi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus. Paruulus ergo est, qui liuore occiditur, quia ipse sibi testimonium perhibet, quòd eo minor sit, cuius inuidia torquetur. Hinc est, quòd hostis callidus primo homini inuidendo surripuit: quia amissa beatitudine, minorem se immortalitate illius agnouit. Hinc est, quòd Cain ad perpetrandum fratricidium corruit: quia despecto suo sacrificio, prælatum sibi infremuit, cuius Deus hostiam accepit, & quem meliorem se esse exhorruit, ne vtcumque esset, amputauit. Hinc Esau ad persecutionem fratris exarsit, quia primogenitorum benedictione perdita, quam tamen pro esu lenticulæ ipse vendiderat, minorem se eo, quem nascendo præibat, ingemuit. Hinc Ioseph fratres sui Hismaelitis transeuntibus vendiderunt: quia cognito reuelationis mysterio, ne se fieret melior, eius profectibus obuiere conati sunt. Hinc Saul Dauid subditum, lanceam intorquendo, persequitur, quia quem magnis quotidie augeri virtutum successibus sensit, vltra se excrescere expauit. Paruulus itaque est, qui inuidia occiditur: quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret. Sed inter hæc sciendum est, quia quamuis per omne vitium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus infunditur, in hac tamen nequitia, tota sua viscera serpens concutit, & imprimendæ malitiæ pestem vomit. De quo nimirum scri-

Gen. 4. Gen. 25. Gen. 37. 1. Reg. 18.

ptum est: *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Nam cùm diuitiùs cor liuoris putredo corruperit, ipsa quoque exteriora indicant, quàm grauiter animum vesania instigat. Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, & membra frigescunt, fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor: cumque in latebris cordis crescens absconditur odium, dolore cæco tenebrat conscientiam vulnus inclusum. Nil lætum de proprijs libet, quia tabescentem mentem sua pœna sauciat, quam felicitas torquet aliena: quantoque extranei operis in altum fabrica ducitur, tanto fundamentum mentis liuidæ profundius suffoditur: vt quo alij ad meliora properant, eo ipso deterius ruant, qua ruina videlicet etiam illud destruitur, quod in alijs actibus perfecto opere surrexisse putabatur. Nam inuidia cùm mentem tabefecerit, cuncta, quæ inuenerit, bene gesta consumit. Vnde bene per Salomonem dicitur: *Vita carnium sanitas cordis, putredo ossium inuidia.* Quid enim per vitam carnis, nisi infirma quædam ac tenera: & quid per ossa, nisi fortia acta signantur, &c. Qui ergo liuoris peste planè carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat, quæ & omnibus vna est, & singulis tota: quæ tanto largior esse ostenditur, quanto ad hãc percipientium multitudo dilatatur, &c. Quia autem paruulus est, qui terrena diligit: magnus, qui æterna concupiscit, potest etiamsi sic nõ inconuenienter intelligi, *Paruulum occidit inuidia,* quoniam huius pestis languore non moritur, nisi qui adhuc in desiderijs infirmatur.

Prou. 14

Pastoralis cura parte 3. admonitione 11. Admonendi sunt inuidi, vt perpendant quantæ cæcitatis sunt, qui alieno profectu deficiunt, aliena exaltatione contabescunt, &c. Quid istis infelicius, quos dum conspecta felicitas afficit, pœna nequiores reddit? Aliorum verò bona quæ habere non possunt, si diligerent, sua facerent. Sic quippe sunt vniuersi consistentes in fide, sicut multa membra vno continentur in corpore: quæ per officium quidem diuersa sunt, sed eo, quod sibi vicissim congruunt, vnum fiunt. Vnde fit vt pes per oculum videat, & per pedes oculi gradiantur: ori auditus aurium seruiat, & ad vsum suum auribus oris lingua concurrat: suffragetur venter manibus, ventri operentur manus, &c. Nimis itaque turpe est non imitari quod sumus. Nostra sunt nimirum, quæ etsi imitari non possumus, amamus in alijs, & amantium fiunt quæque amantur in nobis. Hinc ergo pensent inuidi, charitas quantæ virtutis est, quæ alieni quoque laboris opera nostra facit sine labore, &c. Dicendum est inuidis, quia dum se ista intrinsecus peste cõsumunt, etiam quicquid in se aliud boni habere videntur interimunt. Vnde scriptum est: *Vita carnium sanitas cordis, putredo ossium inuidia.* Quid enim per carnes nisi infirma quædam ac tenera, & quid per ossa nisi fortia acta signantur?

Prou. 14

Isidorus Hispalensis. 620.

Libro 3. de summo bono cap. 25. Liuor alieni boni suum ponit auctorem. Nam vnde bonus proficit, inde inuidus contabescit. Homines prauè viuentes, sicut de bonorum lapsibus gratulantur, ita de eorum rectè factis, bonique perseuerantia confunduntur. Inuidus membrum est diaboli, cuius *inuidia mors introiuit in orbem terrarum.* Sicut & superbus membrum est diaboli, de quo scriptum est: *Omne sublime videt, & ipse est rex super omnes filios superbiæ.* Nulla est virtus, quæ non habeat contrarium inuidiæ malum. Sola miseria caret inuidia quia nemo inuidet misero, cui reuera non liuor obijcitur, sed sola misericordia adhibetur. Multi

Sap. 2.

Iob 41.

& bonos imitari volunt, & de bonorum profectibus inuidiæ liuore tabescunt. Quò fit, vt nec illi corrigantur à malo suo: sed per inuidentiam deteriorentur, & bonos à recto studio, quantum in ipsis est, si potuerint, deprauare conentur. Quando mali boni proficere vident, non scandalizentur, sed quem sint finem habituri maximè cogitent. Hoc omnibus mũdus alienis virtutibus præstat, quod beato Iob Satan præstitit. Nam dum æmulatur prosperitatibus, commouit aduersa. Sed dum credit eum diabolus posse prosternere, inde eius aucta sunt merita, atque inde claruerunt probabiliora patientię documenta. Ita requirunt inuidi aditum malæ famæ, per quam bonorum vitam maculent, sicut ostium quærebant Sodomitæ, quo domum Loth nocituri introirent. Illi verò cæcitate erroris percussi, parietes videbant, ostium non inueniebant. Non aliter inuidi videndo velut parietem virtutes dissimulant: vitia verò perquirunt, per quæ eorum conscientiam vrant.

Iob 1. & 2.

Gen. 19.

Beda. 700.

Libro expositionis in Prouerb. cap. 14. Rectè subditur: *Putredo ossium inuidia:* quia per liuoris vitium ante Dei oculos pereunt ea, quæ humanis oculis fortia videntur. Ossa quippe per inuidiam putrescere, est quædam etiam robusta deperire.

Ad cap. 10. Lucæ: Venena inuidiæ sunt posse quidem superari, sed difficile conquiescere.

Alcuinus. 750.

De virtutibus & vitijs cap. 22. de Inuidia: *Inuidia diaboli mors subintrauit in orbem terrarum.* Dum inuidebat homini terreno cælum, quærebat quomodo perderet per transgressionem illius mandati, quod Creator homini statuit. Nihil nequius potest esse inuidia, quæ alienis torquetur bonis, & quod ipsa non habet, alij inuidet habere. Omnibus inimica est bonis inuidia. Vbi est inuidia, charitas esse non potest: & vbi charitas non est, ibi nihil boni esse poterit. Qui inuidet diabolo similis est, qui per inuidiam hominem de paradisi felicitate deiecit. Magnus vir est, qui inuidiam humilitate superat: discordia charitatem destruit. Quid infelicius est homini, quàm alterius bonum suum egisse supplicium? Omnis enim inuidus animo torquetur: vnde, si bonus proficit, inde inuidus contabescit. Melius est bonorum imitari exempla, quàm eos inuidiæ stimulis agitare. Inuidia enim sensum mordet, pectus vrit, mentem affligit. Nullus de alterius cuiuslibet doleat bono, vel felicitate aliena contristetur. Potest itaque is alterius bonum suum facere, dum in alio diligit quod non facit.

Sap. 2.

Heymo. 820.

Ad caput 1. epistolæ ad Romanos: Inuidus dicitur plenus inuidia: quia alterius felicitate torquetur, & scinditur in duplicem passionem: cùm aut quod ipse est, alium esse non vult; aut alium videns esse meliorem, dolet se non esse consimilem.

Halitgarius. 830.

De Pœnitentia lib. 1. cap. 1. Quanto interni liuoris vulnere animus sauciatur, tanto etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur: & quia quasi dolẽs membrum tangitur, idcirco oppositæ actionis manus velut grauius pressa sentitur.

Cap. 7. de remedio inuidiæ: Apostolus terribiliter comminatur dicens: *Qui odit fratrem suum homicida est, & qui inuidet fratri suo in tenebris est, & in tenebris ambulat.* Vnde si huic vitio valenter resistere cupimus, charitatem Deo exhibeamus & proximo, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Et facilè peccato resistimus, bonis omnibus abundamus,

damus, sæculi blandimenta contemnimus, & omnia, quę difficilia sunt humanæ fragilitati, vel aspera etiam cum dilectione perferimus, si hæc præcepta dilectionis custodimus.

Notgerus. 950.

Vita S. Remacli cap. 21. Non vos ossa consumens vastet inuidia: namque

Inuidus alterius rebus macrescit opimis. Et:
Inuidia Siculi non inuenêre Tyranni
Maius tormentum.

Smaragdus. 970.

Ad cap. 4. Regula Benedicti: Liuor alieni boni suum punit auctorem. Nam vnde bonus proficit inde inuidus contabescit. Vnde & membrum est diaboli, cuius *inuidia & mors introiuit in orbem terrarũ.* Nam zelare & inuidere alterius bono, non est paruum, sed grande & magnum peccatum. Diabolus inter initia mundi statim zeli liuore perculsus, perijt primus, & sic perdidit alios. Radix omnium malorum est, & fons vitiorum, zelare & inuidere alterius bono. Inde odium surgit, animositas inde procedit, auaritiam zelus excitat. Per zelum timor Dei spernitur, iudicij dies non prouidetur, inflatur superbia, exacerbatur humilitas, perfidia præuaricatur, patientia concutitur, furit discordia, feruescit ira. Hinc omne pacis vinculum rumpitur, hinc fraterna charitas violatur, hinc adulteratur veritas, scinditur vnitas: hinc vultus minax, toruus aspectus, &c.

Sap. 2.

Genes. 3.

Radulphus Ardens. 1050.

In Communi plurimorum Martyrum: Quantum supplicium sit inuidia ostendit Salomõ, dicens: *Putredo ossium inuidia.* Quasi dicat, non solùm carnes, sed etiam ossa tabefacit. Et poeta:

Iustius inuidia nihil est, quæ protinus ipsum
Auctorem punit, excruciatq́ suum.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De S. Heriberto Episcopo cap. 10. Quæ vnquam ciuitas sic super montem posita non inuidiam passa, & oppugnata est à ciuitate Cain terrena, & in valle posita, cuius princeps est Satanas? Aut quæ vnquam lucerna sic super candelabrum posita fuit, vt nullus ei nequam oculus inuidit? Quod vt iam manifestius dicam, quis vnquam Sanctorum ædificatus in monte virtutum, verboque & exemplo lucens ad ædificationem videntium & audientium, nullam ab ingratis & inuidis passus est tribulationem?

Bernardus. 1130.

Sermone 24. super Cantica: Non veniat anima mea in consilio detrahentium: quoniam Deus odit eos, dicente Apostolo: *Detractatores Deo odibiles.* Quam sententiam Deus ipse loquens in Psalmo, audi quomodo affirmat: *Detrahentem,* inquit, *secretò proximo suo, hunc persequebar.* Nec mirum, cùm id præcipuè vitium charitatem, quæ Deus est, & quidem cæteris acrius impugnare & persequi cognoscatur, quemadmodum vos quoque potestis aduertere. Omnis qui detrahit, primum quidem seipsum prodit vacuum charitate: deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi vt is, cui detrahit, veniat in odium vel contemptum ipsis apud quos detrahit? Ferit ergo charitatem in omnibus, qui se audiunt, lingua maledica: & quantum in se est, necat funditus & extinguit: non solùm autem, sed & in absentibus vniuersis, ad quos volans verbum fortè per eos, qui præsentes sunt, peruenire contigerit. Vides quàm facile & in breui ingentem multitudinem animarum velociter currens sermo tali malitiæ huius inficere possit? Propterea dicit de talibus Propheticus spiritus: *Quorum os*

Rom. 1.

Psal. 100.

Psal. 13.

maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Vtique tam veloces, quàm velociter currit sermo. Vnus est qui loquitur, & vnum tantùm verbum profert, & tamen illud vnum verbum vno in momento multitudinis audientium dum aures inficit, animas interficit. Cor siquidem felle liuoris amarum, per linguæ instrumentum spargere nisi amara non potest, dicente Domino: *Ex abundantia cordis os loquitur.* Et sunt species pestis huius dum alij quidem nudè atque irreuerenter, vti in buccam venerit, virus euomant detractionis. Alij autem quodam simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicq; quadam cum grauitate & tarditate, vultu mœsto, demissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto persuabiliorem, quanto creditur ab his qui audiunt corde inuito, & magis condolentis affectu, quàm malitiosè proferri.

Lucæ 6.

Sermone 49. super Cantica: Metientes nosmetipsos nobis, sentimus aliqui nostrum, pro nostræ imperfectionis experientia, quàm rara virtus sit alienæ non inuidere virtuti, nedum gaudere ad illam, nedum etiam tanto plus quàm ad propriam quemque gratulari, quanto se perpenderit in virtute superatum, &c. Et quomodò (ais) ego proficere possum, qui matri proficienti inuideo? Si doles quòd inuides, sentis, sed non consentis. Passio est quandoque sananda, non actio condemnanda. Tantùm non illic resideas, iniquitatem meditans in cubili tuo, qualiter videlicet foueas morbum, satisfacias pesti, persequaris insontem, bene ab illo gesta calumniando, deprimendo, peruertendo, atque impediendo gerenda. Alioquin non nocet ambulanti & extendenti se ad meliora, quòd iam non ipse operatur, sed quòd habitat in eo peccatum. Non est ergo damnatio illi, qui non dat membra sua arma iniquitati, non linguam ad detrahendum, non quicquam reliqui corporis ad lædendum nocendumue aliquo modo, magis autem confunditur sic se esse malè affectum: & insolitum ex longo vitium, confitendo, flendo, orando conatur expellere: & cùm non præualet, mitior inde ad omnes, atque apud se humilior inuenitur.

Rom. 6.

Sermone de triplici custodia manus linguæ, & cordis: An non amittunt vitam detractores, Deo odibiles, odibiles vitæ? Fugit vita quos odit: & quos vita fugit, mori necesse est. An non & ipse moritur, qui venenum bibit, quod ei malesuada detractoris lingua propinat? Siquidem furtim ei dilectionis vita subtrahitur: & dum nescit, paulatim in eo fraterna charitas refrigescit. Auditurus est fortassis ipse quoque cui detrahitur: vndique enim verba volant, & multorum prius ora sermo pertransiens, difficilè fieri potest quin singulorum creuerit linguis, & quasi iam prouectus referatur ad eum, ad cuius fecerat offensam. Itaque scandalizabitur audiens, & tabescet, eoque facilius extinguetur in eo charitas, quo amplius ante viuere videbatur. *Si inimicus, ait, meus maledixisset mihi, sustinuissem vtiq;* & quidem cauet sibi prudens auditor, cauet & ipse, si non desipit, qui sibi nouerit esse detractum; ille ne veneno inficiatur, iste ne scandalo perturbetur. Sed quod in se est tamen, lingua maledica & illius percutiens conscientiam, & istius vulnerans charitatem, secum pariter vtrumque perimit. Nunquid non vipera est lingua ista? Ferocissima planè, nimirum quæ tam lethaliter tres inficiat flatu vno. Nunquid non lancea est ista lingua? Profectò & acutissima, quæ tres penetrat vno ictu. *Lingua,* inquit, *eorum gla-*

Psal. 54.

dius acutus. Gladius equidem anceps, imò triceps est lingua detractoris. Nec verò eiusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, & membrum de membro, nec iam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit: sed etiam clauis ferreis, quos sanctissimis manibus illis & pedibus consummatio Iudaicæ iniquitatis infixit.

Hugo Victorinus. 1130.

De anima lib. 3. cap. 25. Inuidia est animi tinea, sensus comedit, pectus vrit, mentem conficit, cor hominis quasi quædam pestis depascit, & cuncta bona ardore pestifero deuorat. Inuidus alienum bonum suum facit esse peccatum.

Richardus Victorinus. 1140.

De eruditione interioris hominis cap 8. Inuidia est odium felicitatis alienæ: & quid magis malitiosum? Quid itaque est aliud inuidia, quam lucifuga & latebrosa malitia?

Ioannes Saresberiensis. 1160.

In Euthetico in Polycraticon:

Et fugias quos liuor edax felicibus hostes
Sic facit, vt virtus flectere nulla queat.
Muneribus fortasse tuis placabis auarum:
Lædere quò cesset inuidus, esto miser.
Alterius misera gaudet mens inuida sorte,
Cunctaq; victus commoda, damna putat.

Guerricus Igniacensis. 1180.

Sermone 5. de Purificatione beatæ Mariæ Virginis: Post conuersionem nihil vltra in nobis habeat inuidia, per quam mors intrauit in orbem terrarum. Diabolus enim inuidet homini ascensum vnde corruerat, & propter hoc tentauit, & in anima occidit. Hæc est illa, quæ non magnos, sed paruos semper torquet, dicente S. Iob: *Paruulum occidit inuidia.* Iob 5. In eo enim quòd aliquis alicui inuidet, minorem se ostendit eo, cui inuidet. Sic diabolus inuidit primo homini, sic Esau Iacob, & Cain Abel. Hæc inuidia paruulum occidit, quia nisi inferior esset, de bono alicuius non doleret. Hac peste nullus moritur, nisi qui terrena hæc appetit, quæ tota non veniunt pluribus. Vnde si qua desiderat, illi inuidet, qui penitus ea accepit: vel illi partem habendo, quantitatem ei restringit. Hunc paruulum occidit inuidia, quia dum nō potest adipisci, quod alij inuidet, in odium (inuidiæ filiam) cadit.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica 6. post Epiphaniam: Quid inuidis miserius, qui bonis aliorum deteriores fiunt, qui bono odore velut serpentes moriuntur, quos dum conspecta aliorum felicitas afficit pœna nequitiores reddit, qui alieno profectu deficiunt, aliena exaltatione tabescunt, alterius felicitate miseri fiunt?

Dominica 18. post octauam Pentecostes: Vbi regnat inuidia, non refrenatur lingua venenosa. Quàm miseri, qui dum vulnerant proximos detrahendo, seipsos occidunt eadem sagitta. Vnde Psalmista: *Sagittæ eorum factæ sunt plagæ eorum.* Paruulum siquidem occidit inuidia. Alij igitur detrahere, vel inuidere, est sibi ipsi manus inijcere.

Cæsarius Heisterbachius. 1220.

Lib. 4. cap. 23. Iræ succedit inuidia, & de ipsa nascitur. Est enim inuidia ira inueterata, odium videlicet felicitatis alienæ. Huius filiæ sunt odium susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, afflictio in prosperis eiusdem. Hoc vitium de Angelo diabolum fecit: hoc vitium hominem de paradiso eiecit: *Inuidia enim diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Sap. 2. Quàm graue & periculosum sit hoc vitium, in epistola sua Ioannes breui sermone concludit, dicens: *Qui odit fratrem suum, homicida est.* 1. Ioan. 3. Hoc vitium quanto est occultius, tanto est periculosius.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Lib. de moribus cap. 8. Inuidia solum bonum impugnat, & nullum malum, & ideò eam diximus purum malum. Vniuersale verò malum ipsa est, quia omne bonum impugnat. Est igitur inuidia purum & vniuersale malum, & est fera (vt ita dicamus) ferissima. Hæc est, per quam mors introiuit in orbem terrarum: hæc est, cuius domum Pallas introire noluit, sed constitit ante fores, nec vltra incedere fas est. Ipsa enim est, quæ sapientiam excludit ab eo, in quo fuerit, &c.

Thomas Aquinas. 1250.

Secunda 2. q. 36. art. 3. Inuidia ex genere suo est peccatum mortale. Genus enim peccati ex obiecto consideratur. Inuidia enim secundùm rationem sui obiecti contrariatur charitati, per quam est vita animæ spiritualis, secundùm illud 1. Ioan. 3. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam: quoniam diligimus fratres.* Vtriusque autem obiectum & charitatis & inuidiæ est bonum proximi, scilicet secundùm contrarium motum. Nam charitas gaudet de bono proximi: inuidia autem de eodem tristatur. Nam manifestum est, quòd inuidia ex suo genere est peccatum mortale.

Guilhelmus Peraldus. 1255.

In Summa Tom. 2 Tractatu 7. de inuidia: Ad detestationem inuidiæ primò facit hoc, quòd vitium istud est peccatum in Spiritum sanctum. Peccatum in Spiritum sanctum secundùm vnam acceptionem dicitur peccatum, quod est contra bonitatem Dei, quæ Spiritui sancto appropriatur, & sic omne peccatum, quod est ex certa malitia, peccatum est in Spiritum sanctum, &c. Secundò facit ad detestationem huius vitij hoc, quòd ipsum est oppositum charitati. Vnde cùm charitas virtus sit excellentissima, inuidia erit pessimum vitium. Tertiò facit ad detestationem huius vitij, quia hoc vitium purè malum est: quia quando diabolus capit homines alijs vitijs, ipse aliquam delectationem ponit tanquam escam: sed inuidos miseros capit, quia sine esca delectationis. Inuidia enim dolor est & amaritudo. Vnde mirabiliter cæci sunt, qui dolorem istū præponunt gaudijs æternis, qui dolore & cruciatu quotidiano dolorem æternum merantur, & dolori, quasi esca sit, adhærent, donec perueniant ad dolorem æternum.

Bonauentura. 1260.

In lib. 2. Sentent. dist. 42. quæst. 1. Resp. ad 5. Dupliciter potest quis inuidere gratiæ alienæ: aut quia ex hoc minuetur proprium bonum, cuius promotionem appetit singulariter, & sic est peccatum capitale: aut quia visus animæ est deprauatus, vt sicut non videt bonum in se, sic etiam nolit videre bonum in alio, & tunc est peccatum in Spiritum sanctum. Et isto vltimo modo non procedit, nisi ex magna corruptione & malitia voluntatis, quæ adeò gustum eius peruertit, vt bonum faciat apparere malum, & malum faciat apparere bonum.

Alanus de Insulis. 1300.

De contemptu naturæ: Inuidia quod monstrosius monstrum? aut quod damnosius damnum? quæ culpabilior culpa? quæ pœnalior pœna? Hæc est erroneæ cæcitatis abyssus, humanæ mentis infernus,

fernus, contentionis stimulus, corruptionis aculeus. Qui sunt inuidiæ motus, nisi humanæ tranquillitatis hostes, mundanæ tentationis satellites, animi laborantis vigiles hostes, alienæ felicitatis excubiæ?

Hugo Pratensis. 1310.

Sermone 95. Inuidia est peccatum inexcusabile, non nocet vt plurimum nisi inuido. Magna est stultitia se ipsum consumere, & inimico, cui inuidet, nil mali facere. Ex quo patet, quòd inuidia super omnia peccata turpiorem materiam habet. Miserorum enim est felicibus inuidere.

Franciscus Petrarcha. 1350.

De remedijs vtriusque Fortunæ lib. 2. dialog. 106. *Dolor* Inuideo. *Ratio:* Superior affectus vt bene tibi esset optabat, hic vt malè fit alij: tanto hic illi, auaritia peior liuor. Bene ergo Sapiens: *Nequam, inquit, est oculus liuidi, insatiabilis oculus cupidi. Dolor:* Inuidea torqueor. *Ratio:*

Inuidia Siculi non inuenêre tyranni

Maius tormentum, Flaccus ait: idq; ad vestros tyrannos pestilenti austro translatum est. *Dol.* Inuidia crucior. *Rat.* Simul & peccas, & plecteris expedita iustitia. *Dol.* Felicitas vicini mihi parit inuidiam. *Rat.* Credo hercle, nemo vestrum Regi Parthorum, aut Persarum inuidet, &c.

Rupertus Holcotius. 1370.

In cap. 11. *Sapient. lect.* 141. Proprium est inuidi occultas detractiones, deprauationes, & diffamationes quasi quendam liuidum fumum emittere, vt claritatem famæ bonorum denigret, &c.

Lect. 187. Quatuor sunt genera mala tristium personarum, qui ducunt communiter in tristitia dies suos, videlicet inuidi & perfidi, cupidi & stupidi. Inuidi mordaces, perfidi fallaces, cupidi tenaces, & stupidi pertinaces. Primò videmus quòd omnes inuidi sunt communiter tristes. *Et post fabulam Ouidij 2. Metamorph. ait:* Domus inuidiæ est statuata in vallibus pro tanto, quòd personæ humiles inuident superioribus, & omnis inuidus ideo inuidet, quia se inferiorem alio in aliquo, quod appetit, esse videt.

Ioannes Bromiardus 1380.

In Summa Prædic. de inuidia: Inter res inanimatas vitiosas habentes conditiones inuidia congruè monti assimilatur AEthnæ, qui est mons partium Siciliæ, de quo ignis eructans seipsum consumit, sibiq; plus quàm alijs ignem spirando nocet. Vnde versus:

Nil aliud nisi se valet ardens Aethena cremare:
Sic se, non alios inuidus igne coquit.

Quibus congruè dicitur Isaiæ 33. *Spiritus Dei, vt ignis vorabit vos inuidos.* Inuidos enim plus vorat ignis, dum sua inuidia spiritualiter interius consumuntur illo igne, vel putredine, de quo Prouerb. 14 *Putredo ossium est inuidia.*

Laurentius Iustinianus. 1430.

Libro 1. de spirituali animæ interitu: De inuidiæ liuore quid memorem, cùm ex natura sui odium sit felicitatis alienæ? Ab ipso quippe tenebrarum principe sumpsit initium, sacro dicente eloquio: *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum: assimu sequuntur, qui sunt ex parte illius.* Nullum profectò vitium fraternæ ita se opponit dilectioni, quemadmodum istud: detractioni semper vacat, bonis alienis derogat, cordium occulta dijudicat, dicit (ô quàm sæpe) bonum malum, & lucem tenebras. Torquetur de profectibus laudabiliter conuersantium, ac de eorum aduersitate lætatur. Iste languor tenebrosus impulit Cain, vt fratricidium perpetraret: Iacob filios, vt venundarent Ioseph: Saulis animum, vt persequeretur Dauid: atque Iudæorum peruidiam, vt interimerent Christum. Charitatis denique fontem exhaurit, se possidentem torquet grauiter, nec non & odibilem reddit Altissimo.

Bernardinus Senensis. 1440.

Tom. 3. *Sermone de exercitu spirituum malignorum, art.* 3. *cap.* 2. Dicitur inuidia à non videndo: quia non potest videre aliorum bona. Vnde inuidere, quasi non posse videre. Nam odium boni, quod latet in corde, etiam inaduertenter monstratur in facie. Proinde Seneca inquit: Quicquid mente fugimus, ingestum oculis vix videmus. Hic spiritus cum exercitu suo exagitat atque impellit animas ad quinque inuidiæ filias, videlicet ad odium, vt inuicem homines velint malum, & nolint bonum, ad exaltationem in proximorum aduersis, ad afflictionem in prosperis proximorum, ad susurrationem latentem, ad detractionem patentem. Ad tantam enim contrarietatem hic spiritus nequam ducit suos sequaces, vt ita Dei aduersarij sint, quòd sicut Deus tam bonus est, quòd etiam de malis elicit bonum: sic è conuerso isti tam mali sunt, quòd de bonis eliciunt malum. Et sicut bonis etiam mala cooperantur in bonum: ita inuidis omnia bona cooperantur in malum. Hinc similantur cani, qui blanditur in facie, & à tergo mordet crudeli ore.

Nicolaus de Nyse. 1470.

In Sentent. tract. 3. *parte* 3. *por.* 2. *quæst.* 2. Inuidia secundùm rationem sui obiecti repugnat charitati, per quam est vita spiritualis animæ. Charitas enim gaudet de bono proximi, de quo inuidia tristatur. Vnde patet quòd inuidia ex genere suo est peccatum mortale.

M. Antonius Sabellicus. 1480.

Lib. 9. *Exemplorum cap.* 2. Omnium vitiorum inuidia propemodum vetustissima, nec magis vetus, quàm homini pernitiosa: omne vitium in actu voluptatem aucupatur aliquam, sola hæc perpetuò est mœrori dedita, quæ quo maior est, eò peius qui inuidet afficitur, minusque sui compos est: res dira, cæterùm felicitatis pedissequa, etsi diuersi affectus. Enimuerò quò plus lætitiæ in illa est, eò tristior hæc, magisq; luctu & mœrore conficitur: cæca, amens, liuore infecta, omnium rerum ignara, præterquã latratus, & obtrectationis. Hæc Cain in fratrem suum non solùm odio, sed funesta etiam telo instruxit, vt penè prius id malum caput extulerit, quàm aliquid in terris esset, propter quod extollere debuerit.

Baptista Mantuanus. 1500.

Libro 1. de calamitatibus suorum temporum:

Liuor edax tristi surgens Acheruntis ab amne
Pallidus, & mœsto demissus lumina vultu,
Obliquumq; tuens rebus gaudere secundis
Nescius, æra virûm claris signata triumphis
Dente terens, tardoq; mouens vestigia passu,
Murmure nunc tenui, nunc sublimi e vocis aperto
Percutit insontes, bona vultu aliena maligno
Ingemit aspiciens, & felle grauatus amaro
Tabescit, quocunque terit teterrimus oris
Spiritus ægrarum virides interficit herbas, &c.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

GVLAM, EBRIETATEM, SEV OMNEM EXCESSVM IN CIBO AC POTV MORTALE ESSE PECCATVM.

NEGANT.

SARDANAPALVS Assyriorum rex gulæ & ventri deditissimus, natusq; bellationi & voracitati, scripsit in Epitaphio suo:

———Ede, bibe, lude.
Cùm te mortalem noris, præsentibus exple
Delitijs animum, post mortem nulla voluptas.
Namque ego sum puluis, qui nuper tanta tenebam.
Hæc habui quæ edi, quæque ex saturata libido
Hausit: at illa manent multa & præclara relicta.
Hoc sapiens vitæ mortalibus est documentum.

Sibaritis, vt ait Quintilianus libro 3. *odio erat frugalitas, delitijs & luxuria intemperanter fluebāt, voluptatem veluti Deam amplexabantur.*

Aristippus, conditor sectæ Cyrenaicæ, voluptatem statuit esse summum bonum, & in voluptate metiebatur voluptatem.

Eudoxius, cùm epularum voluptate duceretur, collum dari sibi gruis longius optabat, quod ex tractu caperet voluptatem. Aristotel. 3. Ethicorum.

Anno post natum Christũ 1420. *Apicius Imperator sexcentorum struthiorum capita vna cœna exhibuit ad edenda cerebella: exhibuit & conuiuium, vt haberet viginti & duo fercula ingentium epularum.*

Barbara Imperatrix viuendum dixit esse suauiter, dum vita suppetit, fruendumq; voluptatibus. Id tantum homini datum, cuius anima cum corpore simul extinguitur: somniare qui alteram sibi vitam promittunt. Æneas Syluius Historiæ Bohemicæ cap. 59.

1520. Lutherus de decem præceptis ante finem: *Species & differentias Gulæ omitto, quia non semper sunt peccata mortalia. Siquidem nec ipsa Gula semper est peccatum mortale, imò rarò, nisi sit in vsu.*

Idem Lutherus in captiuitate Babylonica, & Serm. de Piscatione Petri, necnon Concione 2. de Festo Ascensionis, asserit comessationes & cætera vitia carnis non obesse.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Num. 11. *Vers.* 33 Adhuc carnes erant in dentibus eorum, non defecerat huiuscemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Vocatusque est ille locus Sepulchra concupiscentiæ; ibi enim sepelierunt populum, qui desiderauerat.

Psalm. 77. 29. Et manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati à desiderio suo. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum: & ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit. In omnibus his peccauerunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus eius.

Prouerb. 20. 1. Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur, non erit sapiens.

Prouerb. 21. 17. Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.

Prouerb. 23. 20. Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt: quia vacantes potibus, & dantes symbola confundentur, & vestietur pannis dormitatio. 29. Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nónne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flauescit, cùm splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum

loquentur peruersa. Et eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo: & dices: Verberauerunt me, sed non dolui: traxerunt me, & ego non sensi. Quando euigilabo, & rursus vina reperiam?

Prouerb. 31. 4. Noli regibus, ô Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est vbi regnat ebrietas: ne fortè bibant, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent caussam filiorum pauperis.

Ecclesiastis 10. 16. Væ tibi terra, cuius rex puer est, & cuius principes mane comedunt. Beata terra, cuius rex nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriam.

Ecclesiastici 37. 32. Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam: in multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adijciet vitam.

Isaiæ 5. 22. Væ, qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.

Isaiæ 22. 12. Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, ad caluitium, & ad cingulum sacci: & ecce, gaudium & lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Et reuelata est in auribus meis vox Domini exercituum: Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini: dicit Dominus Deus exercituum.

Isaiæ 28. 7. Verùm hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt: sacerdos & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque, ita vt non esset vltra locus. Quem docebit scientiam? quem intelligere faciet auditum? *&c.*

Oseæ 4. 11. Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.

Amos 6. 1. Væ qui opulenti estis in Sion, *&c.* 4. Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterij: sicut Dauid putauerunt se habere vasa cantici. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Ioseph.

3. *Esdræ* 3. 18. Quàm præualet vinum omnibus hominibus qui bibunt illud? Seducit mentem. Itemque regis & orphani facit mentem vanam. Item serui ac liberi, pauperis ac diuitis, & omnem mentem conuertit in securitatem & iucunditatem, & non meminit omnem tristitiam & debitum, & omnia præcordia facit honesta, & non meminit regem, nec magistratum, & omnia per talenta loqui facit. Et non meminerunt, cùm biberunt, amicitiam, nec fraternitatem: sed non multum post sumunt gladios. Et cùm à vino merserint, & surrexerint, non meminerunt quæ gesserunt.

Lucæ 6. 24. Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.

Lucæ 21. 34. Attendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ.

1. *Corinth.* 6. 9. Nolite errare: Neque fornicarij, *&c.* neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. 13. Esca ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & has destruet.

Galat. 5. 19. Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, *&c.* homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Ephes. 5. 18. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Auctor Testamenti 12. Patriarcharum. 100.

In Testamento Iudæ: Ne inebriemini vino: quoniam vinum auertit intellectum à veritate, & immittit iram desiderij, & ducit in errorem oculos: spiritus enim fornicationis vinum vt ministrum ad voluptates habet intellectus: quoniam & duo hæc auferunt potentiam hominis. Si enim aliquis biberit vinum in ebrietatem, cogitationibus sordidis conturbat intellectum in fornicationem & accendit corpus in admixtionem. Et si adest desiderij causa, operatur peccatum, & non verecundatur.

Clemens Alexandrinus. 200.

Libro 2. Pædagogi cap. 1. Licet videre gulosos sui-

bus & canibus propter voracitatem assimilari potius, quàm hominibus, qui adeò festinant vt saturentur, vt ambæ buccæ simul inflentur, elatis vasis, quæ sunt in facie: quin etjam sudorem præterea diffundi, dum arctè comprimuntur propter insatiabilitatem, & anhelant propter intemperantiam, festinatione indecora, & ab honesta consuetudine aliena, abstruso in ventrem nutrimento, & tanquam ad viaticum, non ad digestionem, reponunt edulia.

Origenes. 230.

Homilia 5. in Genesin: Noe in tantum sopitus est vino, vt nesciret dormisse se cum filia priore, neque cum filia iuniore. Audite ebrietas quid agit, audite quantum facinoris conciliet temulentia. Audite, & cauete vos ò quibus illud malum non in crimine, sed in vsu est: ebrietas decepit, quem Sodoma non decepit. Vritur ille flammis mulierum, quem sulphurea flamma non vssit.

Athanasius. 340.

Libro de Virginitate: Valde dæmones oblectantur crapula, & otio corporis.

Quæstione 132. Non aboleuit ventrem, sed crapulam; nec etiam mediocrem cibum, sed immoderatum; siquidem ex his scortatio gignitur. Inquit ergo: Corpus non est datum sub potestatem ingluuiei, vt in scortationes incidat, sed vt Domino seruiat. Sicuti rursus retro dicit alicubi: *Omnia mihi licent, sed ego non redigar in potestatem à quoquam*. Hoc ipsum nihil est aliud quàm quod hic dicit, quòd omnes quidem cibi, quos creauit Deus homini nutrimentum, boni sunt, & licet mihi omnibus frui, eisque nutriri, sed illorum seruus non ero, neque sub suam potestatem me rediget gula: nam non conducit, nec ædificat in me bonum. Quapropter necessarijs contenti, respuamus reliqua, non tantùm veluti inutilia, sed etiam tanquam quæ noceant, & quæ gignant absurdas concupiscentias ijs, qui ea possident.

In definitionibus, quæstione quid sit Christianus: Secundùm naturam est temperantia in cibo, præter naturam crapula, supra naturam ieiunium.

Basilius Magnus. 370.

Homilia 14. in ebrietatem & luxum: Ebrietas dæmon est voluntarius, ex voluptate animabus nostris inditus. Ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica, fortem virum reddit ignauum, ex temperato facit lasciuum, iustitiam ignorat, prudentiam extinguit. Sicut enim aqua igni est aduersa, sic vinum immodicum rationem supprimit, &c. Qua in re dic homo miser à brutis differs? nonne rationis munere, quam à Deo omnium conditore accepisti, reliquæ creaturæ omnis factus dominus & imperator? Hoc igitur te mentis lumine per ebrietatem priuans, inter bestias ratione carentes annumerari poteris, similisque illis videri, &c. Nec solùm eo peiores brutis, quòd mente insani aut ebrij, sed etiam quòd sensibus longè infra illa deficere videantur. Quod, quæso, animal ita visu, audituve, atque ebrius homo debilitatur? Nonne familiarissimos interdum ignorant, alienis verò sæpe vt domesticis congrediuntur? An non vmbras sæpenumerò, tamquam sulcos aut loca prærupta transiliunt? Aures terrifico sonitu more fluctuantis maris refertas habent: terra interdum insurgere, ac in arduum ac rectum erigi, montes verò circummoueri videntur. Quandoque ab re & præter modum rident: nunc verò sine consolationis remedio plorant. nunc item audaces & temerarij: mox timidi & ignaui, &c. Lymphatus & malo dæmone captus, misericordia quidem dignus: ebrius verò eadem ferè & ipse patiens, minimè misericordia dignus, qui spontaneo seruit dæmoni. Quis est qui maledictionem Cain in seipsum transfert? an non qui vino tremit, & vacillat per omnem vitam? Naturali namque firmitate deficiente, necesse est corpus continuò vacillet, atque moueatur. Cum potatione procedente eò veniunt, vt de augenda hac insania certent, & de ebrietate per ambitionem contendant, cuius auctorem legis diabolum habent, victoriæ verò præmium peccatum. Nam qui plus hauserit meri, is præ cæteris laudatur, is victoriam refert. Atque ita gloria vt in ignominia illorum est. Inter se namque contendunt, & in iudicio aliquo defensitant, &c. Ebrietas itaque rationis interitus, fortitudinis pernicies, senectus immatura, mors momentanea. Quid quæso sunt ebrij, quàm gentium idola? *Oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt*, manus paralysi affectas habent, pedes infirmos, ac facilè offendentes.

Sermone de abdicatione rerum: Vt fons aquæ si in plures sit riuulos diffectus, vicina riuulis illis loca omnia herbarum viriditate conuestit, & quasi pubescere facit: sic vitium gulæ, si per cordis tui venas se effuderit & distraxerit, indeque permeans sensus tuos omnes irrigârit, vbi libidinum multarum in te syluam conseuerit, animum tuum ferarum habitaculum efficiet. Etenim multos ego animaduerti sæpe, qui cùm alterius cuiusuis generis vitijs laborarent, ad sanitatem tamen redierint postea: qui autem hoc morbo tenerentur, vt aut in occulto esitare eos delectaret, aut ventris ingluuie duci se sinerent, neminem ex omnibus vidi vnquam, qui conualuerit. Nam aut à continentiæ cultorum vitæ se societate penitus abruperunt, seseque capitalibus vitæ huius illecebris dediderunt: aut dum inter eos occultare se studuerunt, voluptatibus addicti, duce diabolo stipendia meruêre. Nam qui istiusmodi sunt, ij mendaces sunt, ad iusiurandum parati, periuriosi, litigiosi, pertinaces, clamosi, & qui saturi edisse se pertinacissimè pernegent, illiberales, qui victu delicato apprimè gaudeant, queruli, aliorum curiosi exploratores, tenebriones, totius honestæ vitæ de industria inimici, qui vt gulæ libidinem obtegant, innumerabilibus se alijs vitijs inuoluunt, qui cùm habitu quidem inter saluos esse videantur, rebus ipsis inter perditos numerandi sunt. Hæc fuit quæ Adæ interitum, & post ipsum etiam vniuersæ illius posteritati exitium apportauit. Gulæ libido ea est, per quam ludibrio habetur Noë; & Cain maledictioni subijcitur: per hanc primogenita amittit Esau, & cum Chananæis affinitate coniungitur: Lot se cum filiabus miscet, idem suipsius gener factus ac socer: & qui parens antea, modò vir etiam, postea efficitur & auus parens, vtrinque in præscriptos à natura hominibus fines petulanter proteruus. Hæc Israelitas induxit, vt simulachrum adorarent: ijsdem causa fuit, quamobrem in illa solitudinis vastitate eorum cadauera prostrata sint. Hæc Prophetam, qui à Deo ad obiurgandum scelestum regem fuerat missus, feræ bestiæ deuorandum obiecit: & de quo vniuerso regio suo apparatu Hieroboam rex pœnas sumere non potuerat, is gutturis fraude implicatus, miserabili admodum morte consumitur.

Admonitione ad filium spiritualem: Esto peritissimus auriga corpori tuo, vt per tramitem rectam possis pergere viam. Escæ enim plurimæ non solùm animam, sed & corpus nostrum plurimum lædunt. Sæpè enim per ciborum auiditatem sto-

machi franguntur vires, nec non abundantiam sanguinis & cholerarum ægritudines plurimas per escarum largitatem perpetimur. Sicut enim ista animæ & corpori contraria, ita medelæ sunt vtriusque temperata ieiunia. Quantum verò possumus mundi delitias & ciborum opulentiam fugiamus, ne quando cruciati in flamma guttam aquæ quæramus, nec refrigerium consequamur. Fugiamus ebrietatem, ne in retia luxuriæ incurramus. Vinum enim nobis Dominus ad lætitiam cordis, non ebrietatem creauit: non quantum gula exigit, sed quantum naturæ imbecillitas postulat. Et Apostolus Timotheo modico præcipit vti vino, & hoc propter dolorem stomachi, & propter eius frequentissimas infirmitates. Ne igitur nos quod ad medelam corporis nostri tributum est, ad perniciem deputemus. Plurimi namque maximam per vinum debilitatem contraxerunt, nec potuerunt consequi pristinam dignitatem, qui primum gulæ non temperarunt ardorem. Plerique per vinum homicidium perpetrauerunt, nec ipsi mortem recusauerunt. Alij per vinum à dæmonibus capti sunt, nec est aliud ebrietas, quàm manifestissimus dæmon. Ebriosus putat se boni aliquid agere, cùm per præcipitia deuolutus fuerit. Per vinolentiam armatur os ad maledicta, & conuitia proximorum, & immutatur mens, & lingua balbutit. Quæso quid minus habeatur quàm dæmonium? huiusmodi enim vir cùm se putat bibere, bibitur. Sicut enim piscis cùm auidis faucibus properat vt glutiat escam, & repente hamum inter fauces reperis hostem: vel sicut aues cùm per escam capiuntur in retibus, ita ebriosus intra se vinum suscipit inimicum, quod intra eum morans impellit se ad omne opus fœdissimum.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 38. quæ est panegyrica in Christi Natiuitatem: Nec toros altos figamus, ventri delitias sternentes. Nec fragrantia vina, coquorum lenocinia, ingentis sumptus vnguenta in pretio habeamus. Nec terra & mare pretiosum nobis stercus dono offerant. Nec alius alium intemperantia superare contendamus. Mihi enim intemperantia est, quidquid superfluum est, vsusque necessarios excedit: idque esurientibus aliis, atque inopia laborantibus: iis inquam, qui ex eodem luto & temperamento constant.

Iambico 15.

Vsus Lyæi nimius, est temulentia.
Exorta vino probra, debacchatio.
Crapula, proteruè post merum si te geras.
Est vna cædes corporis, animi altera.

In sententijs distichis elegiacis comprehensis: Aqua potio optima, menti bonam temperiem & habitudinem comparat: crapula contra arreptam mentem turbat, atque inficit. Vinum natura sua sobrietatem nescit: quin potius voluptates ciet atque irritat. Mentis subtilitatem crassus venter expellit: contraria enim contrariis aduersantur. Melior est mediocris cibus, modò suppeditet: quàm delicata cœna, quam sibi quis insomnij errore confinxit.

Gregorius Nyssenus. 380.

In Ecclesiasten Homilia 3. Quis ex omnibus nescit, quòd vinum, quando immoderatè sumptum excedit vsum, est fomes intemperantiæ, suppeditat voluptates, est pernicies iuuentutis, probrum senectutis, dedecus mulierum, insaniæ pharmacum, insolentiæ & petulantiæ viaticum, animæ venenum, mentis interitus, virtutis alienatio? Ex illo est risus absque vlla occasione, luctus sine causa, spontaneæ lachrymæ, quæ consistere non potest iactantia, in mendacio impudentia, eorum quæ minimè esse possint desiderium, spes eorum quæ nequeunt vlla fieri ratione, minæ nimis tumidæ, metus expers rationis, minimè sentire ea quæ sunt verè formidabilia, suspitio temeraria, humanitas rationi nequaquam consentanea, promissio eorum quæ fieri nequeunt, vt alia prætermittamus, indecoram dormitationem, dissolutam crapulam caput grauantem, ex immodica repletione turpitudinem, colli depressionem, quòd se non potest amplius sustinere super humeros, vini humore colli ligamentum resoluente. Quid nefarium fecit flagitium coitus cum filia? Quid in iis quæ fiebant Lot læsit mentem, vt qui flagitium perpetrauerit, & quod perpetrauit ignorauerit? Gen.19. Quid alienam illorum filiorum appellationem inuocauit tanquam in ænigmate? Quomodo scelerati partus matres fuerunt sorores suorum filiorum? Quomodo filij eundem simul habebant & patrem & auum? Quid est quod confudit naturam in nefario scelere? An non vinum, quod modum excessit, hanc, cui fides non habetur, inuexit tragœdiam? Non ebrietas historiæ talem annexuit fabulam, quæ sua hyperbole veras etiam superat fabulas. Suum enim, inquit, patrem potàrunt vino. Et sic mente ei vino deturbata, tanquam qui magia aliqua esset dementatus, hanc mundo tragicam reliquit narrationem, vt cui tempore perpetrati flagitij ab ebrietate furto surreptus fuerit sensus. O quàm malè mulieres illæ cum iis quæ Sodomis exportarunt, secum vinum tulerunt? O quàm malum amicitiæ iudicem potum ex malo cratere patri suo infuderit? Quàm longè erat melius cum omnibus illud quoque vinum interire Sodomi priusquam talem suppeditaret tragœdiam?

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 58. in Matthæum: Sed sufficit etiam hoc diaboli furorem deprimere, cui nemo magis amicus est, quàm qui delitiis & ebrietate maculatur: hic enim fons, hæc mater, atque origo vitiorum omnium est: hac via olim Hebræos in cultum diabolus idolorum iniecit, hac Exod.32. iniquos amores Sodomitarum inflammauit: Ezec.16. *hæc enim, ait, iniquitas est Sodomæ, in copia & plenitudine panis luxuriabantur:* hac denique via mille alij gehennæ traditi periêre. Quid enim deliciarum hæc fœditas mali non inducit? sues ex hominibus facit, imò verò etiam suibus multo deteriores, &c. Audiui enim multos, cùm insanæ istæ accidunt passiones, dicentes: Vtinam non esset vinum. O amentiam singularem, ô stoliditatem inauditam: alij delinquunt, & Dei tui dona criminaris. Putasne à vino hoc factum malum? Non fecit vinum certè, sed in continentia eorum qui vino abusi sunt. Dicas ergo; vtinam non esset ebrietas, non essent deliciæ. Si verò dicis, vtinam non esset vinum, ordine paulatim progrediens, optabis, ne sit ferrum propter homicidium, ne sit nox propter fures, ne sit lux propter calumniatores, ne sit fœmina propter adulterium, & sic omnia Dei opera tibi destruentur. Non igitur ita dicas: mentis enim istud est diabolicæ: nec vinum, sed ebrietatem crimineris: & ebrio, cùm in se fuerit reuersus, omni dedecore suo prius descripto, dicas, datum esse vinum ad lætitiam, non ad turpitudinem nostram: datum est vt rideamus, non vt derideamur: vt rectè valeamus, non vt ægrotemus: vt imbecilla corpora reficiamus, non vt robur animi deiiciamus: honorauit te hoc munere Deus, cur dehonestas propter intempe-

rantiam bibendi teipsum? Audi quid ad Timotheum dicit Paulus: (1.Tim.5) *Modico vino vtere propter stomachum tuum, & crebras infirmitates tuas.* Quòd si sanctus vir ille morbo depressus, & alternis ægritudinibus laborans, quousque magister permisit vino non vtebatur: quam veniam nos consequemur, vino ad ebrietatem sani abutentes? Et illi quidem dicebat, *pauco vtere vino propter stomachum tuum*: ebrioso verò dicet, vtaris modico vino propter fornicationes, vt crebra turpiloquia fugias, propter pestiferas cupiditates, quas ebrietas parit. Quòd si hæc non persuadent vobis, vt ab his abstineatis, saltem propter dolores & euersiones stomachi abstineatis. Non ad mœrorem, nec ad dolorem: sed ad lætitiam vinum datum est. (Psal.103) *Vinum* enim, inquit, *lætificat cor hominis*: quam eius virtutem vos deijcitis. Nam quæ lætitia est, si non es in teipso, si mille doloribus vexaris, si omnia tibi circumferri videantur, si tenebris detentus quasi febricitans hominibus indigeas, qui oleo caput tuum perfundant? Hæc non omnibus dicta esse velim, imò verò dicta sunt omnibus: non quia omnes vino corrumpantur, sed quia nullam de ebriosis curam sobrij habent: idcirco ad sobrios magis orationem direximus, quoniam & medicus ægrotis omissis, sanos, qui ipsis assident, alloquitur. Vos ergo sobrios oro, ne hac turpissima insania vnquam capiamini, & vt eos, qui capiuntur, diligenter sanare curetis. Nolite pati peiores bestijs homines fieri, nihil enim vltrà quàm opus est illæ desiderant: isti autem mediocritatis terminos excedentes, irrationabiliores illis constituuntur. Quanto enim melior asinus ebrioso est, quanto canis præstantior? Omnes certè animantes, quæ rationis expertes sunt, etiam bibunt, aut comedunt, vltra quàm satis est, etiam si mille homines cogerent, nunquam elabuntur. Peiores igitur irrationabilibus vos estis, qui inebriamini, non apud mentis compotes solùm, verùm etiam apud vos iudices. Inde namque manifestum est, canibus atque asinis vestro vos iudicio esse deteriores, & magis abiectos, quia nullum brutorum supra mensuram comedere, aut bibere cogitis.

Homilia 44. in Ioannem: Nihil gula perniciosius, nihil ignominiosius est: hæc obtusum & crassum ingenium, hæc carnalem animam reddit, hæc cæcat intellectum, nec sinit vt quicquam perspiciat.

Sermone contra luxum & crapulam: Eum, qui viuit in delicijs, & ebrietati deditus est, & parasitos alit, & adulatores, & carnium voratione, & vini potatione disrumpitur, sæpe & inuitum, & sponte necesse est peccare, & extra huius loci tempus, & cùm illinc recesserit. Nam sicut nauis oneraria, quæ supra suam magnitudinem vehenda capit, oneris magnitudine grauata submergitur: ita anima & corporis nostri natura, si plures acceperit cibos, quàm ferat natura sua, impletur, & iniectorum grauitatem non amat, & in perditionis pelagus demergitur, & nautas, & gubernatores, & eos qui in prora, & alios nauigantes, & ipsum onus cum hominibus perdit. Sicut igitur non tranquillitas maris, non scientia gubernatoris, non nautarum multitudo, non præparationis studium, non anni pars tempestiua, non aliud quicquam naui, quæ sic in tempestate est, prodest: ita & delicatis euenit, neque cogitationum multitudo, neque eruditio & admonitio, neque admonitiones & consilia, neque aliud quid, neque timor futurorum, neque pudor, neque accusatio præsentium, neque aliquid quid saluare potest sic periclitantem animam: sed inualescit luxus & amentia per omnia, & sub aquas nolens volens eum qui ægrotat defert, & graue facit naufragium. Vnde nihil facile, neque ad futuram vitam & iustificationes quæ alibi futuræ affert. Sed qui talibus vacat, & ad præsentem vitam inutilis fit, ad nihil accommodus, & vbique ridiculus, tam in publicis, quàm in priuatis rebus: & si in tumultu aliquid opus est fieri, non inuenitur habere aliquid prouidentiæ, vel gubernationis, ab omnibus inimicis capi potest, omnibus inutilis, amicis & accedentibus: & non solùm periculis & obsidionibus facilè potest rapi: non in tranquillitate solùm eum audire, pauore non caret, sed & in arduis, ob immodestiam morum, se accedenti erit inutilis. Nam ipsum illic, in aduersitatibus loquor, timor & effœminatio, & metus immodicus, & consilij inopia apprehendunt: hîc autem in prosperitate, audacia, & ignominia, & intemperantia, & inflatio, & arrogantia plus inutilem, quàm superiora efficiunt. Sanè talium non solùm corpora sic affecta, & iniucundis, & superfluis, & fœtidis vndique plena sunt, ita vt tolerari nequeant: sed & anima corpore multò iniucundior, multò maiores quàm illud morbos in se arripit ex delicijs. Nam sicut corpus non solùm superfluitates emittit naturales, sed multò plures, & vndique. Nam & oculi, & nares, & os grauedine, muco, & corruptione, & his, quæ intus generantur, lutulentis & impuris affectibus sunt plena: & ipsa natura carnis laxior fit quàm naturalis proportio, fœtidaque & inutilis, & ad omne opus bonum inutilis. Etenim & terra, quando à sua abundantia oppressa fuerit, suum innatum perdit calorem, perdit autem & suas vires, & neque ad opus, neque ad suam generationem est accommoda. Hinc autem incurabilibus & difficilimis implicantur morbis, qui perpetuò in voluptate viuunt. Nam in tremoribus, & palloribus, mirisque & pedum & manuum doloribus, & alijs pluribus, de quibus medici dicunt, irrecibiles fiunt.

Homilia 1. ad populum Antiochenum: Non simpliciter Apostolus Paulus dixit: *Vino vtere*: sed, *vino modico*: (1.Tim.5) non quòd hac admonitione & consilio Timotheus egeret, sed quòd nos indigemus. Idcirco ad illum scribens, nobis bibendi vini mensuram & terminos statuit, tantum bibere iubens, quantum valetudinem adiuuet, quantum corpori sanitatem præbeat, & non alterum morbum: non pauciores enim, quam continuatus aquæ potus, sed multo plures & difficiliores animi & corporis morbos immodica vini parit potatio, passionum bellum, absurdarum cogitationum hyemem menti introducens, & corporis vim molliorem & solubiliorem efficiens. Non enim ita terræ natura vexata aquarum superabundantia continuè dissoluitur, vt corporis vis mollescit, & diffluit, & exilis redditur vini potu continuo ingurgitata. Fugiamus igitur vtrinque intemperantiam, tum corporis valetudinem curando, tum ipsius lasciuias recidendo. Vinum enim à Deo datum est, non vt inebriemur, sed vt sobrij simus: vt delectemur, non vt doleamus. *Vinum enim lætificat*, inquit Dauid, *cor hominis*: (Psal.103) tu verò ipsum tristitiæ materiam facis. Etenim animo grauato sunt supra modum ebrij, tenebris multis menti offusis. Medicina optima est, quando commensurationem habet optimam, &c. Simpliciores postquam aliquos præ ebrietate se deturpantes viderint, illos vituperare omittentes, fructum à Deo datum calumniantur, dicentes: Non sit vinum. Ipsis itaque dicamus: Non sit ebrietas. Vinum enim Dei, ebrietas autem diaboli opus est: non vinum

ebrietatem facit, ne Dei creaturam accuses, sed conserui insaniam argue. Tu verò peccantem punire & corrigere omittens, benefactorem afficis contumelia. Cùm igitur quosdam hæc dicentes audierimus, obmutescere faciamus. Non enim vsus, sed immodestia ebrietatem facit: ebrietatem, inquam, malorum omnium radicem. Vinum datum est, vt corporis imbecillitatem corroboret, non vt animi sanitatem exterminet. Noli igitur immoderatè Dei munere vtens, stultis & imprudentioribus hominibus occasiones præbere. Quid enim ebrietate miserabilius? Mortuus est animatus ebrius, dæmon est voluntarius: morbus veniam non habens, ruina excusatione carens, commune generis nostri opprobrium. Non enim in conuentibus tantùm inutilis ebrius, aut in priuatis & publicis negotijs, sed etiam solo est aspectu omnium grauissimus, fœtores exhalans teterrimos, eructationes, & oscitationes, & voces ebriorum insuaues atque molestæ, eos qui spectant, & simul sunt, extremæ abominationis implent, &c. Hanc igitur improbam consuetudinem recidamus, & Paulum
Tim.5. audiamus dicentem: *Vino modico vtere.* Etenim ipsum modicum propter infirmitatem permisit: quòd nisi imbecillitas vexasset, neque modicum admittere discipulum coegisset. Necessarium enim est nobis traditos cibos & potus temporibus & necessitatibus semper metiri, & nullatenus necessitatem excedere, neque imprudenter & temere quid facere oportet.

Nilus. 420.

De interemptione Patrum Sina, &c. Qui ciborum se dedidit voluptati, facilè prosternitur ab eo, quod est sub ventre vitio, eò quòd à minore vincatur, maiorem casum pollicens.

De octo vitiosis cogitationibus, capite de Gula: Gulam veteres appellârunt, raptim, ac festinanter, & multa, & citra delectum, ac præmaturè comedere; ingluuiem autem, cibis delectari: sic nimirum, vt inter vtramque id sit discriminis, quòd illa in quantitate, hæc in qualitate consistat: quoniam enim μαργαίνειν, insanire significat, ventris quidem insania in quantitate versatur: gutturis autem in qualitate. Quamquam nonnulli sint, qui vtramque vno nomine gulam appellârunt. Hæc stomachi, & hepatis, & splenis dolores, ac denique imbecillitatem causatur, eosque, qui propterea in graues morbos inciderunt, nobis proponere consueuit. Vt frugum principium flos est, sic virtutis in actione positæ continentia, contraque turbidorum animi motuum gula: vt ignis materia lignum est, sic libidinis materia ingluuies. Atque vt illud flammam excitat, eodem modo hæc turpem cupiditatem. Venter egens perturbationes animi consopit: plenus autem easdem excitat. Aridum degendæ vitæ genus sobrios animos parit, humidum autem & molle eos obruit. Vt nubes solis radios obscurat, sic crassus vapor, è cibis emergens, menti obscuritatem adfert. Vt terra vasta atque inculta spinas producit, sic venter cibis onustus obscœnas cogitationes. Continentia castitatem parit, gula contra libidinis mater est. Qui ventrem implens impudicitiæ cultum profitetur, huic similis est, qui se ignis impetum stuppa conpressurum, aut flammam oleo extincturum pollicetur. Luxus mentis nubes est, perturbationum thesaurus, animæ vltrò accersita mors. Iuuenili corpori luxus & ebrietas voluptatum ignem accendunt: crassus venter turbulentos vapores assidue sursum efferens, mentis subtilitatem in fugam agere consueuit. Assidua ventris saturitas venereas prurigines extimulat. Gula sæpenumerò etiam per charitatis fenestram insilire solet. Gula laudabilium lachrymarum fontem siccat, contra turpissimarum animæ oblectationum fontem aperit. Dæmonum princeps est Satanas, vitiorum autem Gula. Posteaquam diabolus helluonum manus ac pedes somno tanquam vinculis quibusdam astrinxit, ita demum arbitratu suo agit omnia, atque impuris excretionibus & animum & corpus inficit.

Ioannes Cassianus. 420.

Collatione 9. capite 5. Notandum tamen quibus ex causis grauari mentem Dominus designauerit. Non enim adulteria, non fornicationes, non homicidia, non blasphemias, non rapinas, quæ mortalia esse & damnabilia nullus ignorat, sed crapulam posuit, & ebrietatem, & curas siue solicitudines seculares. Luc.21. Quæ in tantum nemo hominum mundi huius cauet, aut damnabilia iudicat, vt etiam nonnulli, quod pudet dicere, semetipsos monachos nuncupantes, iisdem ipsis distentionibus, velut innoxijs & vtilibus, implicentur. Quæ tria licet secundùm literam perpetrata aggrauent animam, atque à Deo separent, ac deprimant ad terrena, est tamen eorum facilis declinatio, & maximè nobis, qui tam longa remotione ab omni seculi huius conuersatione disiungimur, & istis visibilibus curis atque ebrietatibus & crapulis penitus nulla occasione misceamur.

Libro 5. Institutionum capite 6. Quibuslibet escis refectus venter seminaria luxuriæ parit, nec præualet mens discretionum gubernacula moderari, ciborum pondere præfocata. Non enim sola crapula vini mentem inebriare consueuit, verùm etiam cunctarum escarum nimietas vacillantem eam ac nutabundam reddit, omnique integritatis ac puritatis contemplatione dispoliat. Sodomitis causa subuersionis atque luxuriæ, non vini crapula, sed saturitas extitit panis. Audi Dominum per Prophetam Hierusalem increpantem: *Quid enim peccauit soror tua Sodoma, nisi quia panem suum in saturitate & abundantia comedebat?* Ezec.16. Et quia per saturitatem panis inextinguibili carnis fuerant ardore succensi, iudicio Dei cælitus sunt igne sulphureo concremati. Gen.19. Quòd si illos sola nimietas panis ad tam præruptum flagitiorum præcipitium vitio satietatis impegit, quid censendum est de his, qui vegetato corpore perceptionem carnium ac vini immoderata vbertate præsumunt, non quantum expetit imbecillitas, sed quantum animi libido suggesserit vsurpantes.

Cap. 13. Impossibile est saturum ventrem pugnas interioris hominis experiri, nec bellis robustioribus attentari dignum est eum, qui potest deijci leuiore conflictu.

Cap. 14. Prima ergo nobis calcanda est Gulæ concupiscentia, & eò vsque extenuanda mens non solùm ieiunijs, verùm etiam vigilijs, lectione quoque & crebra compunctione cordis, in quibus se forsitan vel illusam, vel victam reminiscitur: ingemiscens nunc horrore vitiorum, nunc desiderio perfectionis & integritatis accensa, donec eiusmodi curis ac meditationibus occupata pariter ac possessa, ipsius cibi refectionem, non tam iucunditati concessam, quàm oneris vice sibi impositam recogascat, magisque eam necessariam corpori, quàm desiderabilem animæ sentiat attributam. Quo studio mentis, & iugi compunctione detenti, lasciuiam carnis, quæ fotu escarum vehementius insolescit, & aculeos eius noxios retundemus, atque ita fornacē corporis nostri, quæ rege Babyloniæ occasiones peccatorum & vitia no-

bis iugiter subministrante succenditur, quibus naphthæ & picis vice acriùs exuramur, vbertate lachrymarum & fletu cordis poterimus extinguere: donec Dei gratia spiritu roris sui in cordibus nostris insibilante, æstus carnalis concupiscentiæ penitus valeant consopiri. Hæc est igitur nobis prima contentio, hæc nostra velut in Olympiacis certaminibus prima probatio, gulæ, ventrisque concupiscentiam desiderio perfectionis extinguere. Ob quod ciborum nō solùm superfluus appetitus virtutum contemplatione calcandus, sed etiam ipsi naturę necessarius, tanquam castitati contrarius, non sine cordis anxietate sumendus est.

Cap.23. Triplex natura est Gastrimargiæ: vna, quę canonicam refectionis horam præuenire compellit: alia, quæ tantummodò ventris ingluuie & saturitate quarumlibet gaudet escarū: tertia, quæ accuratioribus epulis & esculentioribus oblectatur. Ideoque aduersus eam necesse est Monachum obseruantiam triplicem custodire, id est, vt primùm legitimam tempus absolutionis expectet: deinde, vt saturitati non cedat: tertiò, vt qualibuscunque escis vilioribus contentus sit.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib.3.epist.69. Multos admonitionum modos in-
Genes.3 uestigare conor, per quos te è temulentia emergere
non modò volo, sed etiam opto. Dic igitur hî tu,
1.Reg.13. per ipsam Dei veritatem te obtestor, an non gula
primos parentes è delitijs expulit? an non superflu-
Exod.16 us hominum ac pecudum esus Saulum & regno &
vita exturbauit? an non carnium & ollarum cupi-
ditas Israelem in deserto cōmorantem innumeris
1.Reg.2. tormentis, & tentationibus confecit? an non rabi-
dus venter, & carnium ereptio, & crapula, & insa-
2.Reg.15 nus mulierum amor effecit, & Ophni & Phinees sa-
cerdotio, & Arca, & tribuum imperio, & gloria, &
honore truncati, hostili gladio trucidarentur? an
Dan.14. non carnium voracitas ignominiosos sacerdotes
Eliæ tempestate gladio, ac nece dignos reddidit? an
non ventris appetitus, & carnium desiderium Belis
quoque cultores & adoratores per cinerem conui-
Gen.9. ctos, ac deprehensos exitio addixit?

Epist.203. Cùm & Noe agriculturæ suæ pericu-
lum fecerit, ignorans quidnam ex vino ipsi accidis-
Gen.19. set, & Lot item à vino in amentiam inflexus sit, pa-
terque in senili ætate haud sponte ac voluntate factus
Matt.14 sit, & Herodes temulentiæ ludus effectus, magni
Ioannis cruore mensam suam ac pectus tinxerit, &
Eccli.39. denique omnia hominum vesana crimina à vino
promanent, quid tu voluntarium furorem accersis, ac non pudicam & temperantem rationem amplecteris?

Epist.277. Nimia potio prolapsio potius est, tam in opibus, quàm in negotijs: vt quæ & mentem magis perturbet, & corpus premat. Quod cum ita sit, ab immoderato vsu abstine, ac moderationi stude, quæ & sanitatis mater est, & prudentiæ ac sobrietatis causa.

Lib.3.epist.192. Luxus non modò peramabilem, atque imperio & opibus anteponendam sanitatem propellit, (hac enim absente nullius momenti illa sunt,) sed etiā varios & incurabiles morbos gignit. Quare si tibi sanitas curæ est, frugalitas quoque curæ sit. Siquidem bonæ valetudinis matrem inediam Medici non immeritò esse definiunt. Ego verò, quoniam mihi tecum, qui satietati quoque ipsi per saturitatem & ingluuiem contumeliam infers, sermo est, hoc tibi nuncio, frugalitatem tibi sanitatis, hoc est rei cum primis charæ, & expetendæ matrem fore.

Epist.210. Si luxui, qui ad venereos stimulos animum tanquam furore quodam adigit (nam hic libidinis radix & mater est) finem imposueris, impudentiæ quoque flamma extinguetur: detracta enim materia, ignis quoque profectò, qui ex ea augetur & excrescit, opprimetur. Quòd si tu materiam igni subministras, quonam tandem pacto definet ac conquiescet? si quiescentem feram excitas, quis eam sese agitantem ac furentem cicurabit? Hæc igitur atque his affinia cum animo tuo cōsiderans, luxui ac delitijs sine vlla intermissione operā dare desine.

Theodoretus. 450.

In Daniel. orat.5. *Præcepit ergo temulentus vt afferrentur vasa aurea, &c.)* His docet nos Propheta, non solùm impietatis exuperantiam, sed etiam damnum ab intemperantia vini profectum: Bibens enim rex, inquit, dixit in gustu vini, vt afferentur vasa aurea & argentea. Obruit enim rationem ebrietas, & incontinentia peperit insaniam.

In Ioelis c.1. Vinum bibere non est malum: sed intemperanter bibere pernitiosum est.

In c.13. ad Rom. Non prohibuit quo minus carnis cura geratur, sed delitias & intemperantiā expulit.

Titus Bostrensis. 460.

In Luca c.21. Vitæ huius cura, crapula, & ebrietas homini intellectum adimunt, fidem obscurant, & earum rerum, quæ sunt vtiles & necessariæ, obliuionem inducunt. Quocirca magna opus est vigilantia, vt præter iugem orationem conuenientia quoque ieiunia Deo offeramus.

Isaac Presbyter. 480.

De mundi contemptu c.14. Sicut nubes operiunt lumen Lunæ, ita & vapores ventris in anima sapientiam Dei. Sicut est flamma ignis in siccis lignis, ita est in ventre repleto. Sicut auget pinguis materia flammam ignis, ita & diuersitas ciborum corporis motum. In corpore luxurioso scientia Dei non habitat. Qui diligit corpus suum, Dei gratiam non acquiret.

Procopius Gazæus. 520.

In Esaiæ c.6. Hos etiam nunc luget Propheta, qui sobria mente intueri opera Domini non permittantur: vino enim succensi, flammam æstu ipso prodente, quæ perturbationibus alijs ista rursus augentibus excitatur, potandi finem non faciunt.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 14. de Gula: Gastrimargia est simulatio ventris: cùm enim satiatus fuerit, indigere se clamat: & cùm distentus atque disruptus, vociferatur esuriem. Gastrimargia est saporum, variorumque liquaminū opifex, suauitatis fons, &c. Gastrimargia est oculorū seductio, modica suscipiens, & vniuersa simul absorbere suggerens, &c. Cum varios delicatosque cibos anima concupiscit & quærit, naturæ proprium aliquid videtur inquirere. Quocirca summa industria contra huiusmodi callidissimam insidiatricē vigilandum est, alioqui grauissimum cōtra nos excitabit bellum, ruinæque laqueos parabit. Primum itaque abscindamus à nobis eos cibos, qui impugnare possunt: tum verò etiam calidos, ne oleum flammæ adijciamus: deinde verò suaues quoque ac delicatos, &c. Escarum satietas fornicationis est mater: afflictio autē ventris charitatem parit, &c. Gaudet Iudæus sabbato, & diem festum facit: monachus verò gulæ deditus Sabbato die & Dominico, ante tēpus cōputat Pascha, & ante plurimos dies escas parat. Secum voluit attonitus famulus ventris, quibus cibis epulabitur: Dei autē seruus, quibus gratijs ditabitur. Mox vt aduenit hospes, in charitate totus ex gulæ concupiscentia mouetur, detrimentumque suū consolationē fratris existimat. In aduentu quorundā vinum bibere statuit, & dum virtutem abstinētiæ sibi videtur occulere, vitij seruus efficitur. Contine ventrem, ne ipse ab eo tenearis, tuncque incipias cum rubore confusionis cōtinere. Norunt quid dixerim, qui in secretam foueā inciderunt: viri aut eunuchi hos experti nō sunt. Ventrem cogitatione sempiterni ignis circumcidamus. Quidā enim cū huic obtemperassent, postremò membra sua absciderūt, duplicemque mor-

tem sibi consciuerunt. Animaduertemus, si inquiramus diligentius, naufragia nostra omnia ab isto fieri. Mens ieiunantis cum sobrietate orat, intemperantis autem impletur immundus imaginibus. Ventris saturitas exiccauit fontes: sin verò ille siccetur, pariet latices. Qui ventri dum obsequitur fornicationis spiritum vincere vult, is ei similis est, qui oleo incendium extinguere nititur. Si affligatur venter, humiliabitur cor: sin autem ille foueatur, superbit cogitatio, &c. Post cibum gulæ iniquus spiritus abscedit, fornicationisquè in nobis spiritum immittit. Illique quid fecerit nuntians: apprehende, inquit, illum, occupa, & conturba: nam ventre distento non multum in deijciendo laborabis. Qui cùm venerit, continuò subridet, somnoq; deuinctis nostris manibus & pedibus omnia quæcunque voluerit facit, atque animam nostram, corpusq; contaminabit phantasijs, inquinationibus, obscœnisq; liquoris egestionibus. Et est sanè mirandum spectaculum, videre incorpoream mentem fœda corporis colluuione maculari atq; obscurari, eademq; rursus per carnis huius luctum emundari, atque in tenuissimam naturæ suæ redire substantiam. Si angustam, duramq; viam pergere Christo promisisti, reprime ventrem. Hunc enim si foueas atque distendas, pacta & conuenta cum Domino tuo irritasti.

Antiochus. 600.

Homilia 4. de ventris ingluuie: Nulli non hominũ apprimè necessarium sit, vim interre ventris edacitati, eamq; iusta temperie moderari: in primis tamen eos addecet, quibus curæ est, pia seruitute colere Deum. Honestum sanè sit prandium omne illud quod moderata transigitur quantitate. Nam citra vllam temperiem, ac irretentè suffarcinare ventrem edulijs, perquàm simile est naui onere immodico degrauatæ, quo velut oppressa, nullo negotio vndosis fluctibus immergitur, & pessum it. Et quidem corpus alimonia eget, non item cupediarijs lautitijsq; ferculis, quibus se ad voluptatem inuitet, & satiet. Ciborum frugalitas illi opportunior, non amœna satietas: edulio opus, quod satis sit: non item luxu profusiore, qui artus colluuilet corporis. Illa siquidem mirè iuuat & corpus & animam, quippe quæ sospitatem parit corpori, robur confirmat, & habitudinem addit pulchrè temperatam: extrema verò vtrumque lædunt, nec simpliciter. Neque enim sanitati solùm noxia sunt, genuina quadam sua ad corruptelam procliuitate; sed & morbos vix eluctabiles ac permolestos pariunt. Rei istius euidens argumentum exhibent Monachi, qui cùm exiguo contenti abeant cibo, vtique comperiuntur & acumine intellectus perspicaciores, & corporis temperatura illis sauiores, quos iuuat totos se immergere vitæ mollioris illecebris. Neque id boni solùm, sed & dum ventris frænas ingluuiem, animæ per hoc imminuis turbulentas affectiones. Nam qui se vinci sinit ciborum intemperie, vtique materiam exaggerat illicem atque incentiuam voluptatum. Vt enim copiosam lignorum congeriem igni si admoues, maiorem excitas flammam: ita & copia ciborum si inditur ventri, alit concupiscentiam.

Homilia 5. de ebrietate: Ebrietas multò exuperat suapte grauitate edacitatem, & eius vsu nobis prorsus Scripturæ diuinæ sanctio interdixit. Nec enim fas est cuiquam turpitudine istius gloriari ebrietatis; ceu quidam assolent, qui nihil tam resipiunt, atque mundi prudentiam, sese hoc nomine venditantes insolentius, quòd pulchrè ventrem mero onerârint. Aliud planè temulentia nihil meribibulo confert, quàm emotionem mentis, atq; paupertatem. Exolescit proinde per eam corpus, ac friatile redditur & enerue. Sanè quàm bonum sit nec improbandum, propter infirmitatem corporis modico vti vino. Vt enim terra moderato perfusa imbre, semen, quod in viscera sua deiectum purum excepit, multo cum fœnore emicare cogit & emergere, è diuerso, si immodicæ pluuiæ madescat illapsu & inebrietur, spinas profert solùm & tribulos: ita & terra cordis nostri, si quidem cum temperie vino vtemur, quę suopte genio semina pura accepit, reddit multiplici cum accessione, si tota vini humore permaduerit, seq; mero copiosiore proluerit, iam (velis nolis) spinas & aliud nihil exeret, nempe improbas cogitationes.

Maximus Monachus. 640.

De Incarnatione Verbi Dialogo: Voluptas, nec non cibi, potusq; satietas ventrem inflammat, desideriumque ad turpes incendit concupiscentias, ac totum animal ad irrationalem mixtionem impellit: tunc oculi impudici, manus effrænes, lingua blanda, auris verò vana auditu suscipiens, mens Deum contemnens, & anima mente adulterium perpetrans, corpus autem ad illicitam operationem prouocans.

Centuria 5. cap. 57. Affectio Gulæ consummata voluptatis cogitatione, veluti gladio, liberis complures priuauit virtutes. Temperantiæ siquidem semina per intemperantiam enecat, æqualitatem iustitiæ corrumpit auaritia, naturalem humanitatis connexionem amore sui diuidit, &c., vt paucis dicam, omnes virtutis fructus perimit affectio Gulæ.

Cap. 58. Affectio Gulæ cunctos virtutum trucidat fœtus diuinos: ipsa verò per gratiam fidei, & obsequendo mandatis diuinis, per cognitionem Verbi occiditur.

Elias Cretensis. 780.

In Oratione 19. Gregorij Nazianzeni: Cùm illud perspectum haberet, ciborum saturitatem libidinis esse matrem, ventris autem compressione castitatem conciliari: idcirco ventrem quidem eiusque circa cibos insaniam comprimebat, atque inexplebilem cupiditatem per abstinentiam edomabat.

Theophylactus. 900.

In cap. 13. Epist. ad Romanos: Nihil adeò cupiditatem accendit, & iram inflammat, vt ebrietas & temulentia.

Ad caput 6. prioris ad Corinthios: Ventrem, gulositatem, & crapulam dicit, non membrum nostrum: escas autem, immoderatum escarum vsum. Ait ergo, immoderatum ciborum vsum & luxum amicitiam & familiaritatem cum gulositate habere, hancq; cum illo. Nec possunt hæc nos ad Christum perducere, sed ad sese transmittunt, obtemperantes sibi: nimirum immoderatio ad gastrimargiam, siue gulositatem, gastrimargia verò ad immoderationem.

In cap. 5. ad Ephesios: *Nolite inebriari à vino:*) Vini immoderata potio iracundos facit ac temerarios. Quòd autem immoderatum istum vsum damnet, planum est ex eo, quòd non dixit: Ne bibite, sed ne inebriamini. Temulentia autem est ex immoderato vsu medijq; excessu.

In quo est luxus:) id est, immoderatus vsus. Non enim seruat, sed perdit, non corpus solùm, sed & animam: hæc enim est ἀσωτία, id est, luxus siue luxuria. Vel ἀσωτίαν iuxta vulgi consuetudinem pro libidine accipit: ex temulentia enim libido nascitur.

Simeon Metaphrastes. 950.

In Certamine S. Onesimi: Ebrietas cohabitat cum intemperantia, & est soror voluptatis, & inuentrix turpis sermonis, aliena à bona cogitatione,

quæ est indecora & habitu, & oratione, & dissoluit decorem eorum, quæ sunt secundùm naturam.

Manuel Palæologus. 1400.

Oratio 4. de voluptate seu gula: Multiforme quoddam monstrum est, varijs vultibus nimium quantum fallens ac nocens: atque vti minora prætermittam, inuenias voluptatem, si ab origine naturam eius exploraueris, interitus procurandi causa variè transformatam. Hæc nimbis igneis olim Sodomitis pluit: hæc telluris abyssos aperuit, ipsumque cælum, vt etiam natura rationis expertes inundarentur aquarum diluuio, quamuis vt natura nostra rei non essent.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Lib. 2, contra Marcionem cap. 18. Et si lex aliquid cibis detrahit, & immunda pronuntiat animalia, quæ aliquando benedicta sunt, consilium exercendæ continentiæ intellige, & frænos impositos illi gulæ agnosce, quæ cùm panem ederet Angelorum, cucumeres & pepones Aegyptiorum desiderabat. Agnosce simul & comitibus gulæ, libidini scilicet atque luxuriæ prospectum, quæ ferè venteris castigatione frigescunt. Manducauerat enim populus & biberat, & surrexerat ludere: proinde vt & pecuniæ ardor restingueretur ex parte, qua de victus necessitate causatur, pretiosorum ciborum ambitio detracta est. Postremò vt facilius homo ad ieiunandum Deo formaretur, paucis & non gloriosis escis assuefactus, & nihil de lautioribus esuriturus.

Hilarius. 350.

Ad Psal. 125. Quid verè infelicius ebrietatis dominatu? ventri vltra capacitatem infundere, sensui rationem adimere, non loqui, non meminisse, non stare, & mortem quandam naturæ incolumi imperare?

Ad Psalm. 136. Captæ mentes nostræ sunt corporum secolique dominatu, captæ à dæmonibus sunt iure potiorum, quæ imperium in nos suum per diuersa ministeriorum genera exercens, dum nos ebrietas possidet, dum luxus subijcit, dum auaritia deuincit, dum omnia in nobis regnant hæc incentiua vitiorum.

Ambrosius. 370.

Libro de Helia, & ieiunio cap. 12. Sicut mater fidei continentia, ita perfidei mater ebrietas est. In quod facinus non ista præcipitat? Sedentes in foribus tabernarum homines tunicam non habentes, nec sumptum sequentis diei, de imperatoribus & potestatibus iudicant, immò regnare sibi videntur, & exercitibus imperare. Fiunt ebrietate diuites, qui sunt in veritate inopes. Aurum donant, dispensant pecunias populis, ciuitates ædificant, qui non habent vnde cauponi potus sui pretium soluant. Feruet enim vinum in his, & nesciunt quid loquuntur. Diuites sunt dum inebriantur: mox vbi vinum digesserint, cernunt se esse mendicos. Vno die bibunt multorum dierum labores. De ebrietate ad arma consurgunt, calicibus tela succendunt. Pro vino sanguis effunditur, & ipsum sanguinem vina fuderunt. Quàm fortes sibi homines videntur in vino, quàm sapientes, quàm diserti, quàm etiam pulchri ac decori, cùm stare non possint? Mens titubat, lingua balbutit, pallor exanguis ora suffundit, fœtor ebrietatis horrori fit. Barbari in ferrum ruunt, vulgus in rixas. Si quis eorum pugno fuerit percussus, videas ora sauciorum vini lachrymas fundere, miserabiles epilogos decantare. Habet enim hoc temulentia, vt & molliat & resoluat corda temulentorum. Sicut enim ignis emollit ferrum durum, ita & vini incendio etiam superborum hominum cor liquescit. Omnes sibi in vino æquales videntur, nullius inferior. Non pauper diuiti cedit, vtpote qui pauperem se esse nescit. Non infirmus valido, cui omnis in bibendo est fortitudo. Non mendicus locupletiori, non ignobilis honorato: sed cùm bibunt, illum regem habent, qui bibendo superauerit cæteros. Meritoque scriptum est: *Aequalis vita hominibus, vinum in ebrietate.* Sed vtinam & quod sequitur audires: *Bibas illud moderatè, vt sis sobrius.* Non habes quòd accuses vinum: in iucunditatem creatum est, non in ebrietatem ab initio. Exultatio animæ & cordis est, si moderatè bibas: immoderatio autem potus iracundiam concitat, & ruinas multas efficit. Sed fortè dicant, has esse potationes vulgarium & leuissimorum hominum. Veniamus ergo ad potentiam & fortissimorum conuiuia. Eccl. 3. Psal. 1

Cap. 13. Primò minoribus poculis velut velitari pugna præluditur. Verùm hæc non sobrietatis est species, sed bibendi est disciplina. Etenim vt tragœdiarum actores primò sensim vocem excitant, donec viuæ vocis aperiant iter, vt postea magnis possint clamoribus personare: ita isti quoque in principio prælusorijs se exercent poculis, vt irritent sitim, ne fortè restinguant eam, & satiari postea bibere non possint. Ergo vbi res calere cœperit, poscunt maioribus poculis: feruor inardescit. Aridus cibus siti exæstuat, & vbi imminui vasa cœperint, potu meraciore reparantur. Certant pocula cum ferculis, & inter moras sæpe geminantur. Deinde procedente potu longius, contentiones diuersæ, & magna certamina quis bibendo præcellat. Nota grauis, si quis se excuset, si quis temperandum fortè vinum putet. Et hæc donec ad mensas perueniatur secundas. At vbi consummatæ fuerint epulæ, & putes iam esse surgendum, tunc de integro potum instaurant suum: & cùm consummauerint, tunc inchoare se dicunt, tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres quasi instrumenta bellorum. Ac ne immoderatum hoc arbitreris, mensura proponitur, certatur sub iudice, sub lege decernitur. Agonothetes illic furor est, stipendium debilitas, victoriæ præmium culpa: pendet anceps diu & dubius belli euentus. Furor enim illic est præliaris, &c. Quos manè insignes armis spectaueras, vultu minaces, eosdem vesperi cernas etiam à puerulis rideri: sine ferro vulneratos, sine senectute tremulos, in ipso iuuentutis flore marcentes.

Cap. 14. Rogas ad iucunditatem, cogis ad mortẽ: inuitas ad prandium, efferre vis ad sepulchrum. Cibos promittis, tormenta irrogas: vina prætendis, venena suffundis. Omne enim quicquid nocet, venenum est. Tollit sensus, viscera exurit, somnum infestat, caput vexat. Etiam maior vis vini, quàm veneni est. Denique venenum vino excluditur, non vinum veneno. Meritò Deus per Moysen non solùm veneno, sed etiam draconum veneno vinum comparauit, dicens: *Furor draconum vinum eorum, & ira aspidum insanabilis.* Et pulchrè additur, *Insanabilis.* Multi enim reliquorum serpẽtium veneno curantur, nemo ebrietate. Certè veneno caro vulneratur, vino mens. Noxia est ebrietas ad corporis sanitatem, menti etiam crimen adiungit. Aduerte etiam & perfidiæ venenum, vini declaratum nomine. Ait enim supra de alienigenis, qui nescirent Deum: *De vinea enim Sodomorum vi-* Deut. 3 Deut. 3

num eorum, & vitis eorum vitis Gomorrha: vua eorum vua fellis, botrus amaritudinis in ipsis.

*Cap.*16. Sudant vino corpora temulentorum: si leuius ea tetigeris, exprimis vinum. Ebrietas fo-
hes.5. mentum libidinis, ebrietas incentiuum insaniæ, ebrietas venenum sapientiæ. Hæc sensus hominum mutat & formas, per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes. Siquidem naturali vapore corporis calidi, & præter naturam vini calore flammati, cohibere se non queunt, & in bestiales libidines excitantur, vt nullum tempus præscriptum habeant, quod doceat indulgere concubitui. Vocem amittunt, colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt, sensu excidunt. Hinc phrenesis periculosa, hinc calculi grauis pœna, hinc exitialis cruditas, hinc vomitus frequens semesas epulas cum internorum viscerum cruore fundentium. Mentior nisi eadem Dominus per Hieremiam locutus est, di-
ier.25. cens: *Bibite, & inebriamini, & vomite, & cadetis, & non consurgetis.* Hinc etiam vanæ imagines, incerti visus, instabiles gressus, vmbras sæpè transiliunt sicut foueas. Nutat his cum facie terra, subitò erigi & inclinari videtur, & quasi vertatur, timentes in faciem ruunt, & solum manibus apprehendunt, aut concurrentibus montibus sibi videntur includi. Murmur in auribus tanquam maris fluctuantis fragor, & resonantia fluctu littora. Canes si viderint, leones arbitrantur, & fugiunt. Alij risu soluuntur incondito, alij inconsolabili mœrore deplorant, alij cernunt irrationabiles pauores. Vigilantes somniant, dormientes litigant. Vita his somnium est, somnus his mors est: excitari nullis vocibus possunt, quantolibet stimulando impulsu petas, nisi resipuerint, euigilare non possunt. Vnde bene Hieremias huiusmodi ho-
ier. 48 minem tanquam superfluam creaturam deflendum putat. Quid est homo ebrius nisi superflua creatura?

*Cap.*18. Sed quid de viris loquamur, quando etiam fœminæ, quas oportet solicitiorem castitatis sobrietatisque adhibere custodiam, vsque ad ebrietatem bibunt? Deinde surgentes, quas etiam inter secreta domus vel audiri ab alienis non conuenit, vel videri, prodire audent in publicum non velato capite, vultu procaci. Apostolus mulieres
Cor. 4 tacere etiam in Ecclesia iubet, domi viros suos præcipit interrogare. Illæ in plateis inuerecundos sub conspectu adolescentulorum intemperantium choros ducunt, iactantes comam, trahentes tunicas, scissæ amictus, nudæ lacertos, plaudentes manibus, saltantes pedibus, personantes vocibus, irritantes in se iuuenum libidines motu histrionico, petulanti oculo, dedecoroso ludibrio. Spectat corona adolescentum, & fit miserabile theatrum. Inter saltantium ruinas & spectantium lapsus cælum impuro contaminatur aspectu, terra turpi saltatione polluitur, quæ obscœnis cantibus verberatur.

Libro 1. *de pœnitentia cap.* 14. Pascitur libido conuiuijs, nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate inflammatur: grauiora sunt his fomenta verborum, vbi caro inebriatur, mens titubat, animus vacillat, cor fluctuat.

Prudentius. 380.

In Psychomachia Luxuriæ & Sobrietatis:

Venerat occiduis mundi de finibus hostis
Luxuria, extincta iam dudum prodiga fama,
Delibuta comas, oculis vaga, languida voce,
Perdita delitijs, vitæ cui causa voluptas
Elumbem mollire animum, petulanter amœnas
Haurire illecebras, & fractos soluere sensus.
Et tunc peruigilem ructabat marcida cœnam:
Sub lucem quia fortè iacens ad fercula raucos
Audierat lituos, atque inde tepentia linquens
Pocula, lapsanti per vina & balsama gressu
Ebria calcatis ad bellum floribus ibat.

Hieronymus. 390.

*Lib.*2. *aduersus Iouinianum cap.* 7. Quòd si quis existimat, & abundantia ciborum potionumque se perfrui, & vacare posse sapientiæ, hoc est, & versari in delicijs, & delitiarum vitijs non teneri, seipsum decipit. Cùm enim procul ab his remoti, sæpe capiamur naturæ illecebris, & cogamur ea capere, quorum copiam non habemus: quantò magis, si circundati retibus voluptatum, esse nos liberos arbitremur.

Capite octauo: Absque iustu autem & cibis impossibile est humanum corpus subsistere: adesse ergo debet ratio, vt tales ac tantas sumamus escas, quibus non oneretur corpus, nec libertas animæ prægrauetur: quia & comedendum est, & deambulandum, & dormiendum, & digerendum, & postea, inflatis venis, incentiua libidinum sustinenda. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas:* Prou.20
omnis, qui cum his miscetur, non erit sapiens. Ne tales accipiamus cibos, quos aut difficulter digerere, aut comesos, magno partos & perditos labore doleamus: holerum, pomorum, ac leguminum & facilior apparatus est, & arte impendijsque coquorum non indiget: & sine cura sustentat humanum corpus, moderateque sumptus (quia nec auidè deuoratur, quòd irritamenta gulæ non habet) leuiore digestione concoquitur: nemo enim vno aut duobus cibis, hisque vilibus, vsque ad inflationem ventris oneratur; quæ diuersitate carnium, & saporis delectatione percipitur. Cùm varijs nidoribus fumant patinæ ad esum sui, expleta esurie, quasi captiuos trahunt, vnde & morbi ex saturitate nimia concitantur, multique impatientiam gulæ vomitu remediantur: & quod turpiter ingesserunt, turpius egerunt. Hippocrates in Aphorismis docet, crassa & obesa corpora, quæ crescendi mensuram compleuerint, nisi citò ablatione sanguinis imminuantur, in paralysim & pessima morborum genera erumpere, & idcirco esse necessariam demptionem, vt rursum habeant in quæ possint crescere: non enim manere in vno statu naturam corporum, sed aut crescere semper, aut decrescere, nec posse viuere animal, nisi crescendi capax sit. Vnde & Galenus, vir doctissimus, Hippocratis interpres, athletas, quorum vita & ars sagina est, dicit in exhortatione medicinæ, nec viuere posse diu, nec sanos esse: animasque eorum ita nimio sanguine & adipibus, quasi luto, inuolutas, nihil tenue, nihil cæleste, sed semper de carnibus, & ructu, & ventris ingluuie cogitare.

Ad cap. 44. *Ezechielis:* Perspicuum est ebrietate & sicera statum mentis euerti, & non plenè nos sapere, quando vini satietate animus occupatur.

Ad cap. 5. *ad Galat.* Quartumdecimum locum inter carnis opera ebrietas tenet. Ebriosi quippe regnum Dei non possidebunt. Et Dominus ad disci-
pulos: *Cauete*, ait, *ne fortè grauentur corda vestra in* Luc. 21.
vino & crapula. Vino hominis sensus euertitur: pedes corruunt, mens vacillat, libido succenditur.
Vnde Apostolus clamitat: *Et vinum, in quo est luxu-* Ephes.5.
ria. Habet vnusquisque suæ sententiæ potestatem. Ego Apostolum sequor, in vino esse luxuriam, in vino ebrietatem. Ebrietatem autem & luxuriam inter carnis opera numerari, nec ille potest negare, qui eisdem passionibus vincitur. Et licet me quidam in eo libro, quem de seruanda virginitate scripsi, reprehendendum putent, quòd dixerim adolescentulas ita vinum debere fugere vt

venenum,

venenum, non me sententię pœnitebit. Opus quippe ibi magis vini, quàm Dei à nobis creatura damnata est: & licentiam tulimus virgini proprio ætatis calore ferventi, ne sub occasione parum bibendi plus biberet, & periret. Alioquin sciebamus & in Christi sanguinem vinum consecrari, & Timotheo vinum vt biberet, imperatum. Ebrietas au- 1.Tim.5.
tem tam ex vino, quàm ex cæteris bibendi generibus, quę vario modo conficiuntur, potest accidere: ex quo & de Sancto dicitur: *Vinum & siceram non bibet.* Sicera interpretatur ebrietas. Et ne quis vi- Luc.4.
num non bibens, aliud sibi putaret bibendum: exclusa causatio est, dum omne quod inebriare potest, cum vino pariter aufertur. Quintadecima, quæ & extrema inter carnis opera, comessatio est:
Exo.32. *Manducauit* quippe *populus, & bibit, & surrexerunt ludere.* Semper ebrietati iuncta luxuria est. Pulchrè quidam non ignobilis orator, cùm ebrium de somno describeret excitatum, ait: Nec dormire excitatus, nec vigilare ebrius poterat. Qua sententia expressit, quodammodo nec mortuum eum fuisse, nec viuum.

Ad cap.1. ad Titum: Quale est autem Episcopum videre vinolentum: vt sensu occupato, vel exaltet risum contra grauitatis decorem, & labijs dissolutis cachinnet: vel si paululum tristis cuiusdam rei fuerit recordatus, inter pocula in singultus prorumpat & lachrymas. Longum est ire per singula, & insanias, quas ebrietas suggerit, explicare. Videas alios pocula in tela vertentes, scyphum in faciem iacere conuiuæ: alios scissis vestibus in vulnera aliena proruere, alios clamare, alios dormitare: qui plus biberit, fortior computatur: accusationis occasio est, adiuratum per regem frequentius non bibisse. Vomunt vt bibant, bibunt vt vomant. Digestio ventris & guttur vno occupantur officio. Hoc nunc dixisse sufficiat, quòd secundùm Apostolum *in vino luxuria est.* Et vbicunque saturitas, at-
Ephes.5. que ebrietas fuerit, ibi libido dominetur. Specta ventrem & genitalia, pro qualitate vitiorum ordo membrorum. Nunquam ego ebrium castum putabo, qui etsi vino consopitus dormierit, tamen potuit peccare per vinum.

Epistola 83. ad Oceanum: Vinolentia scurrarum est, & comessatorum, venterq; mero æstuatus citò despumat in libidines. In vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia est. Qui luxuriatur, viuens mortuus est: ergo qui inebriatur, & mortuus & sepultus est. Noë ad vnius horæ ebrietatem nudat femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat. Lot per temulentiam nesciens libidini miscet incestum, & quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt.

Augustinus. 400.

Sermone 231. de Tempore: Cùm, fratres charissimi ebrietatis malum sit graue vicium & Deo odibile, ita per vniuersum mundum à pluribus in consuetudinem missum est, vt ab illis, qui Dei præcepta cognoscere nolunt, iam nec putetur, nec credatur esse peccatum: in tantum vt in conuiuijs suis irrideant eos, qui minus bibere possunt, & per inimicam amicitiam adiurare homines non erubescunt, vt potum amplius accipiant, quàm oportet. Qui enim alterum cogit, vt se plus quàm opus est bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem eius vulneraret gladio, quàm animam eius per ebrietatem necaret, &c. Omnes ebriosi tales quales paludes esse videntur. Quod enim in paludibus nascatur, non ignorat charitas vestra: totum quod ibi nascitur, nullum fructum habere cognoscitur. Nascuntur ibi serpentes, sanguisugæ: nascuntur ibi ranæ & diuersa genera vermium, quæ magis horrorem possunt generare, quàm aliquid quod ad victum proficiat exhibere. Istæ enim herbæ vel arbores, quæ aut in ipsis paludibus, aut circa ripas earum nasci solent, nihil vtilitatis habere videntur, in tantum vt in annis singulis incendio concrementur. Videte quod de ebrietate nascitur, igni præparatur. Tales enim sunt, sicut iam dixi, omnes ebriosi, quorum prandia ducuntur vsque ad noctem, quorum cœnas Lucifer videt, qui stare non possunt, etiam cùm videntur esse ieiuni, quorum sensus tardi, graues, obtusi, & quodammodo iam sepulti. Denique in ipsa frequenter ebrietate nec seipsos, nec alios recognoscunt, nec ambulare valent, nec stare, dicere aliquid, vel audire, quod ad rationem pertineat, omnino non possunt. Frequenter etiam vsque ad vomitum ingurgitare se non erubescunt, & ad mensuras sine mensura bibere. Maiora enim pocula prouidentur, certa bibendi lege contenditur: qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine. Inde lites & rixæ nascuntur: inde diuersis & horrendis saltationibus membra torquentur: inde adulteria & nonnunquam homicida perpetrantur. Et quoties nimium potum accipiunt, tanquam in paralysim resoluti, dum suis pedibus ambulare non possunt, fœdissima latera aliorum manibus portantur ad lectum. Et est in illis oculorum caligo, vertigo, fatigatio, & dolor capitis, suffusio vultus, membrorum omnium tremor, animæ ac mentis stupor. In talibus impletur
quod scriptum est: *Cui ve, cui tumultus, cui ira, cui* Prou.2
rixæ, cui sine causa vulnera, cui suffusio oculorum? Nònne hi, qui morantur in vino, & ei, qui inuestigant vbi potus sunt, & student calicibus epotandis? Sed illi, qui tales esse volunt, miserabiliter se excusare conantur, dicentes: Ingratum habeo amicum meum, si quoties illum ad conuiuium vocauero, potum ei, quantum ipse voluerit, non dedero. Et non sit tibi amicus, qui te Deo vult facere inimicum, qui & tuus & suus est inimicus. Si & te, & alium inebriaueris, habebis hominem amicum, habebis Deum inimicum. Et ideo sapienter considera, si iustum sit, vt te à Deo separes, dum te ebrioso coniungis. Ad extremum tu eum noli adiurare, noli cogere: sed in potestate illius dimitte, vt quantum sibi placuerit bibat: & si se inebriare voluerit, vel solus pereat, & non ambo pereatis. O infelicitas generis humani, quàm multi inueniuntur, qui ebriosos & luxuriosos amplius quàm oportet cogunt bibere, & ante ostium pauperibus petentibus vel vnum calicem dissimulant dare: nec attendunt, quia illud, quod luxuriosis videntur ingerere, CHRISTVS in pauperibus deberet accipere,
qui dixit: *Quod fecistis vni ex minimis meis, mihi* Mat.2
fecistis. Sed qui tales sunt, quando alios in nimio potu sepeliunt, pauperi eleemosynam petenti dicunt: Vade in ante, & dabit tibi Deus: & vtique dum ambulauerit homo, ei daturus est. Quid est ergo quod dicit, Vade in ante, & dabit tibi Deus: nisi, Vade ad illum hominem, qui habet Deum, quia daturus est Deus? Ac sic ore suo ipse confitetur, apud se Deum non esse, quo inspirante possit erogare pauperibus. Rogo, fratres charissimi, diligenter attendite & videte, quia quando animalia ducuntur ad aquam, vbi saturauerunt sitim suam, etiamsi supra aquam diutius teneantur, repleta siti bibere nolunt omnino, nec possunt. Considerent ebriosi, si non peiores animalibus iudicandi sunt. Cùm enim animalia amplius quàm eis opus est, bibere nolunt, illi & duplum & triplum eis quàm expedit, potum accipiunt. Et vnde trium aut quatuor dierum refectionem potuerant rationabilem habere, vno die cum grandi peccato contendunt perdere potiùs, quàm expendere propter inuidiam aut ebrietatem: atque vtinam potum tantummodò perderent, & non etiam ipsi perirent, &c. Ipsi, qui contra calumniam & amicam suam ebrietatem loquentibus irascuntur, libera à no-

bis

bis voce audiant: quia quicunque ebriosus pœnitentiam de ipsa non egerit, sed vsque ad mortem suam in ipsa ebrietate permanserit, in æternum profectò peribit: quia non mentitur Spiritus sanctus per Apostolum dicens: *Neque ebriosi regnum Dei possidebunt.* Et ideò quicunque sunt ebriosi melius faciunt, vt non nobis, sed sibi potius irascantur, & cum Dei adiutorio de luto fecis se excutiant, vel de cloaca ebrietatis, dum adhuc tempus pœnitendi est, festinent, quanta possunt celeritate, Deo auxiliante, consurgere, & totis animæ viribus cum Propheta supplicantes Domino dicant: *Eripe me de luto, vt non inhæream.* Et illud: *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum.* Ebrietas enim quasi inferni puteus, quoscunque susceperit, nisi digna subuenerit pœnitentia, & emendatio fuerit subsecuta, ita fortiter sibi vendicat, vt eosdem ipsos de inferni tenebroso puteo ad charitatis vel sobrietatis lucem redire sine pœnitentia non permittat. Sed hîc ante omnia intelligere & scire debemus, quia non vna die efficiuntur homines ebriosi: sed cùm paulatim adiurantibus & cogentibus crudelissimis inimicis potius quàm amicis, per singulos dies singulos aut binos calices ad potum consuetudinarium addunt. At vbi hoc in vsum miserint, ita eos ipsius ardor ebrietatis occupat, vt illos semper sitire compellat. Sed qui se de hoc malo desiderat liberare, quomodo sibi interuallo dierum potum addendo ad ebrietatis tenebras peruenit, ita paulatim subtrahendo ad sobrietatis lucem redeat. Qui si semel totum, quod amplius accipiebat, subtraxerit, vbi nimia siti cœperit exardescere, cum grandi amaritudine clamat & dicit: Malle se mori, quàm sibi bibendi vel inebriandi consuetudinem tollere: nec attendit quòd tolerabilius erat illi in carne mori, quàm in anima per ebrietatem interfici. Et ideo vt nec ardorem nimium patiatur, & de tam grandi malo, quod patitur, liberetur, sicut iam dictum est, per interualla dierum sibi aliquid de nimietate potus subtrahat, quousque ad rationabilem bibendi consuetudinem redeat. Qui hoc ita, vt diximus, per partes subducere voluerit, & de ebrietate liberabitur, & illam intolerabilem pœnam non patietur. Ergo, fratres charissimi, dum hæc suggero, me absoluo apud Deum. Quicunque me audire contempserit, & ad bibendum promtus fuerit, vel in conuiuio suo alios adiurare vel cogere voluerit, & pro se & pro illis in die iudicij reus erit.

1. Cor. 6.

Psal. 68.

Sermone 232. de Tempore: Illud verò quale est, quòd ipsi infelices ebriosi, quando se nimio vino ingurgitant, rident & vituperant eos, qui rationabiliter hoc tantùm, quod sufficit, bibere volunt, dicentes eis: Erubescite, & verecundia sit vobis, quare non potestis bibere quantum nos? Dicunt enim eos non esse viros. Et videte miseriam ebriosorum. Se dicunt esse viros, qui in ebrietatis cloaca iacent, & illos non dicunt esse viros, qui honestè & sobriè stant. Iacent prostrati, & viri sunt: stant erecti, & viri non sunt? Victor ebrietatis vituperatur, & victus ebrietate laudatur. Irridetur sobrius, qui & se & alios potest regere: & non irridetur, imò non plangitur ebriosus, qui nec se, nec alios potest agnoscere. Solent ebriosi ita se excusare, vt dicant: Persona potens me coëgit, vt amplius biberem, & in conuiuijs regis non potui aliud facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus: & quod implere nolumus, non potuisse nos dicimus. Nolle in culpa est nostra, & non posse prætenditur. Etiamsi ad hoc veniretur, vt tibi diceretur: Aut bibas, aut morieris: melius erat vt caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur. Sed excusatio ista

Psal. 140

falsò obijcitur. Ipsi enim Reges, & quicunque sunt alij potentes, quia Deo propitio & Christiani sunt, & prudentes, & sobrij, & toto corde Deum timentes, si te viderent definisse, vt eis non acquiescas pro timore Dei inebriari, si tibi sub mora videantur irasci, postea verò te in grandi admiratione suscipiunt, dicentes: Quantum cum illo egimus, quantis eum minis & terroribus fatigauimus, & tamen nunquam eum à sobrietate separare potuimus. Nam & Deus, qui te videt per eius amorem inebriari non velle, ipse tibi gratiam etiam illorum dabit, qui te vt amplius biberes videbantur hortari & cogere, &c. Ideo, charissimi, tanta infelicitate se inebriant homines, quia putant ebrietatem, aut paruum, aut nullum peccatum esse. Sed pro ista ignorantia maximè sacerdotes in die iudicij reddituri sunt rationem, si commissis sibi populis, quæ vel quanta mala de ebrietate nascuntur, assiduè noluerint prædicare. Qui ergo credit ebrietatem esse paruum peccatum, si se non emendauerit, & pro ipsa ebrietate pœnitentiam non egerit, cum adulteris & homicidis æterna sine remedio illum pœna cruciabit, secundùm illud, quod ipsi bene nostis beatum Apostolum prædicasse: *Neque,* inquit, *fornicarij, neque idolis seruientes, neque molles, neque masculorum concubitores, neque auari, neque adulteri, neque ebriosi regnum Dei possidebunt.* Videte ebriosos cum fornicatoribus, & idolis seruientibus, & masculorum concubitoribus, & adulteris iunxit. 1. Cor. 6.

Sixtus Tertius. 433.

De diuitijs: Difficilimum est gulæ voluptatibus deditum auaritiam vel libidinem vincere, cùm vna illi solatium præbeat, altera verò præsidium. Tam desolata est enim absque libidine gula, quàm absque auaritia destituta. Auaritia verò ipsa quodammodo se odisse videbitur, nisi gulæ libidinique deseruiat: sed & libido penitus stare non poterit, nisi gulæ, quæ per auaritiam constat, foueatur auxilio.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 41. Bella gentium legimus superasse quamplurimos, quos tamen pugnas carnis legimus non vicisse: & audiuimus eos dedisse delictis pectora, qui dorsa hostibus non dederunt. Proh dolor, victores gentium, vitiorum fuisse captiuos: nationum dominos turpi seruiuisse criminibus seruitute: stetisse inter sæuientes gladios, & inter eneruata lenocinia corruisse: regnis fuisse terrori, ludibrio fuisse peccatis: aduersas acies contriuisse ieiunos, & crapulatos suarum castra dissoluisse virtutum: iacuisse effuso vino, qui iacere effuso sanguine nescierunt. Vnde est hoc? vnde? quia hoc non est ratio, sed langor: non vita, sed febris: phrenesis, non natura. Nam quoties ciborum cruditas vitalia deijcit, infirmat stomachum, corrumpit sanguinem, vitiat humores, succendit choleram, extremum febris gignit incendium, totiens æger mentem perdit, amittit sensum, fertur deliderijs, contrarijs vrgetur, salutaria respuit, quærit noxia, fugit curam: tunc medici studio parant abstinentiæ remedio subuenire, vt sanetur: vt sanet abstinentia, quod voracitas sauciarat, &c.

Eucherius Lugdunensis. 450.

In Euangelium Domin. 1. in Quadrages. Quia cogitare non magnum peccatum est, nisi cogitatio ni delectatio succedat, opponit (*tentator*) menti diuersas ciborum delitias: vt sicut primum hominem decepit per gulæ intemperantiam, sic cæteros quoque decipiat. Quando igitur hæc tibi in mentem venerint, & oblitus eorum, quæ animæ sunt, sola ea, quibus caro delectatur, impinguatur, &

super

superbit, cogitare cœperis, recordare quia in deserto es, tentat te inimicus, & panes suos tibi apponit. Non vult vt ieiunes, non vult vt abstineas, non vult vt Sanctorum obseruationes custodias. Inuitat te ad carnis voluptatem, inuitat te ad crapulam & ebrietatem. Scit enim quantum caro his superbit, & eleuatur: scit quantum anima his premitur, ac superatur.

Prosper. 460.

De vita contemplatiua lib. 3. cap. 19. Temperantia temperantem facit, abstinentem, parcum, sobrium moderatum, pudicum, tacitum, serium, verecundum. Hæc virtus si in animo habitat, libidines frænat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes prauas remouet, inserit sanctas, ignem libidinosæ voluptatis extinguit, animi teporem desiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate componit, & totam semper ab omni vitiorum tempestate defendit. Temperantia intemperantiam nostram ad honestum modum redigit in cibo ipso vel potu, vt contenti simus appositis, ne poscamus impudenter, quod aut ille, qui poscitur forte non habeat: aut alios, quod desiderio nostro placet, offendat: aut gulæ nostræ intemperans appetitus appareat: nec iudicemus eos, qui volunt cibis, quos ipsi percipimus, abstinere, nec eis verecundiam faciamus, qui ea, quibus ipsi abstinemus, forte percipiunt, & Deo gratias agunt: certi quòd satis miserum sit, aliquos de cibi vel potus perceptione damnare, aut nobis arrogare per abstinentiam sanctitatem.

Martinus Dumiensis. 540.

De quatuor virtutibus cardinalibus cap. 3. Continentiam si diligis, circuncide superflua, & in arctum desideria tua constringe. Considera tecum quantum natura poscat, & non quantum cupiditas expetat. Si continens fueris, eousque peruenies, vt te ipso contentus sis. Nam qui sibi ipsi satis est, cum diuitijs natus est. Impone concupiscentiæ tuæ frænum, & modum, omniaque blandimenta, quæ occultam voluptatem trahunt, reijce. Ede citra cruditatem, bibe citra ebrietatem. Obserua ne in conuiuio, aut in qualibet vitę communitate, quos non imitaberis, damnare videaris: nec præsentibus delicijs inhærebis, nec desiderabis absentes. Victus tibi ex facili sit: nec ad voluptatem, sed ad cibum accede. Palatum tuum fames excitet, non sapores. Desideria tua paruo redime: quia hoc tantum curare debes, vt desinant: atque quasi ad exemplar compositus diuinum, à corpore ad spiritum, quantum potes te festina reducere. Si continentiæ studes, habita non amœnè, sed salubriter, nec dominum esse velis notum à domo, sed domum à domino. Non tibi ascribas quod non eris, nec quod es, nec maius quàm es videri velis. Hoc maius obserua, ne paupertas tibi immunda sit, nec parcimonia sordida, nec simplicitas neglecta, nec lenitas languida: & si tibi res exiguæ sunt, non tamen sint angustæ.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 30. Moralium cap. 13. Sciendum est, quia quinque nos modis gulæ vitium tentat. Aliquando namque indigentiæ tempora præuenit: aliquando verò tempus non præuenit, sed cibos lautiores quærit: aliquando quælibet sumenda sint præparari accuratius expetit: aliquando autem & qualitati ciborum, & tempori congruit; sed in ipsa quantitate sumendi mensuram moderatæ re-
1 Reg. 14 fectionis excedit. Nonnunquam verò & abiectius
Num. 11 est quod desiderat: & tamen ipso æstu immensi desiderij deterius peccat. Mortis quippe sententiam patris ore Ionathas meruit: quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit. Et ex Aegypto populus eductus, in eremo occubuit: quia despecto manna, cibos carnium petijt, quos lautiores putauit. Et prima filiorum Heli culpa suborta est, quòd ex eorum voto sacerdotis puer non antiquo more coctas vellet de sacrificio carnes accipere, sed crudas quæreret, quas accuratius exhiberet. Et cùm ad Hierusalem dicitur: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia:* apertè ostenditur, quòd idcirco salutem perdidit: quia cum superbiæ vitio mensuram moderatæ refectionis excessit. Et primogenitorum gloriam Esau amisit: quia magno æstu desiderij vilem cibum, scilicet lenticulam concupiuit: quam dum vendendis etiam primogenitis prætulit, quo in illam appetitu anhelaret indicauit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est. Vnde & lautiores cibos plerunque sine culpa sumimus, & abiectiores non sine reatu conscientiæ degustamus. Hic quippe quem diximus, Esau, primatum per lenticulam perdidit: & Elias in eremo per virtutem spiritus carnes edendo seruauit. Vnde & antiquus hostis quia non cibum, sed cibi concupiscentiam esse causam damnationis intelligit: & primum sibi hominem non carne, sed pomo subdidit, & secundum non carne, sed pane tentauit. Hinc est quòd plerunque Adam culpa committitur, etiam cùm abiecta & vilia sumuntur. Neque enim Adam solus vt à vetito se pomo suspenderet, præceptum prohibitionis accepit. Nam cùm alimenta quędam saluti nostræ Deus contraria indicat: ab his nos quasi per sententiam vetat. Et dum concupiscentes noxia attingimus, profectò quid aliud quàm vetita degustamus? Ea itaque sumenda sunt, quæ naturæ necessitas quærit, & non quæ edendi libido suggerit.

(Margin: 1. Reg. 2. — Ezec. 16. — Gen. 25. — 3. Reg. 17. — Gen. 3. — Matt. 4.)

Lib. 31. cap. 17. De ventris ingluuie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur.

Parte 3. curæ Pastoralis admonitione 20. Aliter admonendi sunt gulæ dediti, atque aliter abstinentes. Illos enim superfluitas locutionis, leuitas operis, atque luxuria: istos verò sæpe impatientiæ, sæpe verò superbiæ culpa comitatur. Nisi enim gulæ deditos immoderata loquacitas raperet, diues ille, qui epulatus quotidie dicitur splendidè, in lingua grauius non arderet, dicens: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Quibus profectò verbis ostenditur, quia epulando quotidie crebrius in lingua peccauerat, qui totus ardens refrigerari se in lingua præcipuè requirebat. Rursum quia gulæ deditos leuitas protinus operis sequitur, authoritas sacra testatur, dicens: *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Quos plerunque edacitas vsque ad luxuriam pertrahit: quia dum satietate venter extenditur, aculei libidinis excitantur. Vnde & hosti callido, qui primi hominis sensum in concupiscentiam pomi aperuit, sed in peccati laqueo strinxit, diuina voce dicitur: *Pectore & ventre repes:* ac si ei apertè diceretur: Cogitatione & ingluuie super humana corda dominaberis. Quia gulæ deditos luxuria sequitur. Propheta testatur, qui dum aperta narrat, occulta denuntiat, dicens: *Princeps cocorum destruxit muros Hierusalem.* Princeps namque cocorum venter est, cui magna cura obsequium à cocis impenditur, vt ipse delectabiliter cibis impleatur. Muri autem Hierusalem virtutes sunt animæ, ad desiderium supernæ pacis eleuatæ. Cocorum igitur princeps muros Hierusalem deijcit: quia dum venter ingluuie extenditur, virtutes animæ per luxuriam destruuntur, &c. Admonendi ergo sunt gulæ dediti, ne

(Margin: Luc. 16. — Exo. 32. — Gen. 3. — Hier. 52.)

ucæ 18. in eo quòd escarum delectationi incumbunt, luxuriæ se mucrone transfigant: & quanta sibi per esum loquacitas, quanta mentis leuitas insidietur, aspiciant: ne dum ventri molliter seruiunt, vitiorum laqueis crudeliter astringantur. Tanto enim longius à secundo parente creditur, quanto per immoderatum vsum, dum manus ad cibum tenditur, parentis primi lapsus iteratur, &c. Itaque ne aut illos appetitus gulæ à mentis statu eijciat, aut istos afflicta caro ex elatione supplantet, audiant

.ucæ 21. illi ex ore veritatis: *Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius mundi.* Vbi vtilis quoque pauor adiungitur: *Et superueniat in vos repentinus dies ille. Tanquam laqueus enim veniet in omnes, qui sedent super faciem omnis ter-*

Marc.7. *ræ.* Audiant isti: *Non quæ intrant per os coinquinant hominem: sed quæ exeunt de ore, illa sunt quæ inquinant hominem.* Audiant illi: *Esca ventri, & venter escis:*

.Cor.6. *Deus autem & hunc & hanc destruet.* Et rursum: *Non in comessationibus & ebrietatibus.* Et rursum: *Esca nos*

Rom.13. *non commendat Deo.* Audiant isti: *Quia omnia munda*

.Cor. 8. *mundis, &c.*

Lib. 5. expositionis in 1. Reg. cap. 11. cap. 1. Ex vno gulæ vitio innumera vitiorum agmina ad conflictum animæ producuntur. Et cùm idem gulæ vitium reciditur, alia multa nobis vitia subiugamus. Vnum quidem gulæ vitium est, sed aculei libidinis innumeri sunt, qui præcedentem illum, quasi regem, sequuntur. Qui læta quidem suggerunt, sed ad æterni fletus lamenta perducunt.

Isidorus Hispalensis. 620.

Libro 2. de summo bono cap. 42. Prima est luxuriæ materies saturitas panis. Vnde & Propheta

Ezec.16. Sodomam de satietate panis accusat, dicens: *Hæc fuit iniquitas Sodomorum, superbia, saturitas panis,*

Gen.19. *& abundantia aquæ.* Panem quippe Sodomitæ immoderatè sumentes, in turpitudines defluxêre flagitiorum, atque inde meruerunt, comitante superbia, cælestibus aduri incendijs, ex quo modum non tenuerunt edacitatis. Vtile est cauere gulam, ciborumquè concupiscentiam. Quid enim tam noxium, quàm vt animus seruiat ventri & escæ, quæ sunt destruenda, testánte Apostolo, &

1.Cor.6. dicente: *Deus autem & hunc & hanc destruet?* Proxima est ventri libido, sicut loco, sic vitio. Vbi enim ventris cura, ibi & eorum, quæ circa ventrem sunt proxima. In ordine namque membrorum genitalia ventri iunguntur, dumquè vnum ex his immoderatè reficitur, aliud ad luxuriam excitatur. Non ad luxuriam, vel ad satietatem, sed tantummodò vt corpus sustentetur, epulis est vtendum. Nam vt Philosophi dixerunt, cibandus est venter vt contineat animam, non vt corrumpat. Qui nimium cibis vtuntur, quanto magis ventrem pascunt, tanto amplius sensum mentis obtundunt. Nam Græci dixerunt: Ex crasso ventre subtilem sensum gigni non posse. Nam gulæ saturitas nimia aciem mentis obtundit, ingeniumquè hebescere facit. Libidinis ignes ciborum fomite increscunt: Corpus autem quod abstinentia frangit, tentatio

Lucæ 16. non exurit, &c. Cui abundantia est epularum, ardentis diuitis intendat supplicium, cuius tanta in inferno inter ignes erat inopia, quanta hîc epularum fuerat copia. In hoc enim seculo esurire & sitire noluit, propterea illic inter flammas sitiens stillam aquæ quæsiuit, nec meruit. Considerandum quàm vehementer arguantur comessatio & sumptuosa conuiuia. Nam per Prophetam comminatur Dominus, si non hanc relaxare iniquitatem his, qui eam libenter ambiunt. Dicit enim per

Esa.22. Esaiam Prophetam: *Ecce gaudium & lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Si dimittitur iniquitas hæc vobis donec moriamini.* Sicut omnes carnales cupiditates per abstinentiam resecantur, ita omnes animæ virtutes edacitatis vitio destruuntur. Inde est quòd & prin- Iere.52.
ceps cocorum muros Hierusalem subuertit, quia & venter, cui seruitur à cocis, virtutes animæ destruit. Neque enim potest quispiam virtutum perfectionem attingere, nisi prius ventris edomauerit ingluuiem. Nemo potest dominari cæteris vitijs, nisi prius ingluuiem ventris restrinxerit. Nec quisquam facilè poterit à semetipso spiritus immundos expellere, nisi per abstinentiam gulæ. Tunc enim hostes, qui extra nos sunt, à nobis fortius superantur, quando prius, quæ intra nos sunt, vitia extinguuntur. Nam frustra foris agit bellum, qui intus habet periculum. Non qualitatem ciborum, sed eorum cupiditatem cauendam. Nam sæpè accuratius præparata sine gulæ concupiscentia degustantur: & sæpè abiecta & vilia edendi cupiditate sumuntur. Sicquè fit, vt non sit in culpa ciborum qualitas, sed illud reputetur in vitio, quod cum desiderio degustatur. Quatuor sunt genera distinctionum in gulæ appetitu, id est, quid, quando, quantum, & quomodo appetatur. Quid ad rem ipsam pertinet, quæ appetitur. Quando, si ante legitimum tempus quid appetatur. Quantum verò ad immoderationem refertur. Quomodo ad impatientiam festinationis ascribitur. Nullus homini tam importunus exactor est, quàm venter, qui quotidianam refectionem quotidiana famis exactione adimplet. Cum cæteris enim vitijs etsi interdum nascimur, interdum tamen cum ijs nòn morimur. Plerumque voluptas vescendi ita sub obtentu necessitatis subrepit, vt dum putatur seruiri necessitati, voluptatis desiderio seruiatur, nec facilè decernitur, vtrum quod accipiatur gulæ, an indigentiæ deputetur.

Cap. 43. Esca crapulam, potus ebrietatem generat. Ebrietas autem perturbationem gignit mentis, furorem cordis, flammam libidinis. Ebrietas ita mentem alienat, vt vbi sit nesciat. Vnde etiam & malum non sentitur, quod per ebrietatem committitur. Verum est, quòd iuxta Prophetam *fornicatio & ebrietas aufert cor.* Vnde in Pro- Oseæ 4.
uerb. *Potentes,* inquit, *qui iracundi sunt, vinum non* Prou.31.
bibant, ne cùm biberint obliuiscantur sapientiam. Plerisque laus est multum bibere, & non inebriari. Audiant hi aduersum se dicentem Prophetam: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad* Esa. 5.
miscendam ebrietatem. Vino multo deditos, & luxuriosè viuentes, Esaias sic arguit, dicens: *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam; & potandum vsque ad vesperum, vt vino æstuetis.* De talibus & alio loco dicitur: *Væ tibi ciuitas, cuius rex iuuenis est, &* Eccl. 10.
cuius principes manè comedunt. Multi enim à manè vsque ad solis occubitum ebrietati & gulæ voluptatibus deseruiunt, nec intelligunt cur nati sunt, sed consuetudine belluina detenti, luxuriæ tantùm tota die epulisquè deseruiunt. Clamat Ioel Propheta his qui ebrietati deseruiunt, dicens: *Expergiscimini ebrij, & flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine.* Quo testimonio non ait tan- Ioel. 1.
tùm: *Flete omnes qui bibitis vinum,* vt bibere omninò non liceat: sed adiecit, *in dulcedine,* quod ad voluptuosam pertinet & prodigam effusionem. Nam quantum satis est necessitati educet Timotheum bibere Apostolus, dicens: *Vino modico vtere.* Non 1.Tim.5
solùm ex vino inebriantur homines, sed etiam ex cæteris potandi generibus, quæ variò modo conficiuntur. Vnde & Nazaræis, qui se sanctificabant Domino, præceptum est vinum & siceram Num. 6.
non bibere. Vtraque enim statum mentis euertunt, & ebrios faciunt: luxuriam quoque carnis vtraque æqualiter gignunt. Quidam continentes sicut panem cum pondere edunt, ita & aquam cum mensura sumunt, afferentes ad castimo-

niam carnis etiam aquæ abstinentiam conuenire.

Theodorus Cantuariensis. 650.

Apud Burchardi lib. 14 Decret.

In Pœnitentiali: Sacerdos quilibet si inebrietur per ignorantiam, septem dies pœniteat in pane & aqua: si per negligentiam, quindecim dies: si per contemptum quadraginta dies. Diaconus, vel Monachus secundùm ordinem, vt scriptum est, & reliqui clerici & ministri iuxta ordinem iudicio sacerdotis pœniteant. Laici, velut vota non habentes, si inebriantur, arguantur à sacerdote, quòd ebriosi regnum Dei non possidebunt, & interitus sit ebrietas, & compellat eos pœnitere. Qui cogit hominem vt inebrietur humanitatis gratia, acerrimè corripiatur, & septem dies pœniteat: si per contemptum, triginta dies. Nullus Christianus alium Christianum plus bibere cogat, quàm naturæ sufficiat. Quod si fecerit, iuxta id quod in pœnitentiali habetur pœniteat.

Beda. 700.

Homilia in die Cinerum: *Vbi thesaurus vester est, ibi & cor vestrum est.)* Hoc non solùm de pecunia, sed & de cunctis possessionibus sentiendum est. Gulosi Deus venter est. Ibi ergo habet, vbi & thesaurum. Luxuriosi thesauri epulæ sunt, lasciui ludicra, amatoris libido: huic seruit vnusquisque à quo vincitur.

Homilia 2. in Solennitate S. Vvigberti: Toto nisu vel affectu cauenda est ebrietas, quæ est radix omnium malorum ad peccandum.

Ad Lucæ cap. 21. *Ne corda vestra grauentur crapula.)* O stultam præsumptionem cordis humani, quæ lamentabilem finem cupiditatis ebrietatis & crapulæ nec ipso iudice contestante præuideat, sed edictum regis æterni, more serui nequam, postquam didicerit, spernat. Et certè, si quis nobis peritus ac sapiens medicus præciperet, *attendite*, inquiens, *vobis*, ne qui (verbi gratia) de illius vel illius herbæ succo auidius sumat, quod si fecerit, repentinus ei superueniet interitus, quanto quisque studio præmonentis medici mandata seruaret, ne videlicet vetitum gustando periret? At nùnc animarum simul & corporum Saluator ac Dominus iubet ebrietatis herbam & crapulæ vitandam, & quanti tamen nostrum his non solùm sauciari, sed etiam consumi non timent? Nulla credo causa, nisi quia fidem, quam medici præbent, dictis Domini præbere contemnunt. Si enim credidissent, credendo vtique timerent, timendo autem impendens periculum cauerent.

Alcuinus. 750.

De octo vitiis principalibus cap. 2. de gula. Primum corporale peccatum est gula, id est, intemperans cibi vel potus voluptas, per quam primi parentes humani generis Paradisi felicitatem perdiderunt, & in hanc ærumnosam huius vitæ miseriam deiecti sunt, vbi omnis homo per peccatum nascitur, per laborem viuit, per dolorem moritur. Quæ tribus modis regnare videtur in homine, id est, dum homo horam canonicam & statutam gulæ causa anticipare cupit, aut exquisitiores cibos sibi præparari iubet, quàm necessitas corporis, vel suæ qualitas personæ exigat, vel si plus accipiat in edendo vel bibendo, propter desiderium intemperantiæ suæ, quàm suæ proficiat saluti. De qua gula nascitur inepta lætitia, scurrilitas, leuitas, vaniloquium, immunditia corporis, instabilitas mentis, ebrietas, libido, quia ex saturitate ventris libido corporis nascitur, vel egeritur, quæ per ieiunia, & abstinentiam, & operis cuiuslibet assiduitatem vincitur optimè.

Rabanus Maurus. 850.

Libro 3. in Genes. cap. 10. Quinque modis nos gulæ vitium tentat. Aliquando namque præuenit tempora indulgentiæ: aliquando verò tempus non præuenit, sed cibos lautiores quærit: aliquando quæ sumenda sunt accuratius expetit præparari: aliquando autem & qualitate ciborum, & tempore congruit, sed in ipsa quantitate sumendi mensuram refectionis excedit: nonnunquam verò & abiectius est quod desiderat, & tamen in ipso æstu immensi desiderij deterius peccat. Quæ vitiorum tempora melius ostendimus, si hæc exemplis euidentioribus approbamus. Mortis quippe sententiam patris ore Ionathan meruit, quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit. Et ex AEgypto populus ductus in eremo occubuit, qui despecto manna, cibos carnium petijt, quos lautiores putauit. Et prima filiorum Heli culpa suborta est, quòd ex eorum voto sacerdotis puer non antiquo more coctas vellet de sacrificio carnes accipere, sed crudas quæreret, quas accuratius exhiberet. Et cùm ad Hierusalem dicitur: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia & saturitas panis, & abundantia*, apertè ostenditur, quòd idcirco salutem perdidit, quia cùm superbiæ vitio mensuram moderatæ refectionis excessit. Hinc primogenitorum gloriam Esau amisit, quia magno æstu desiderabilem cibum, id est, lenticulam concupiuit: quam cùm venditis etiam primogenitis prætulit, quo in illam appetitu anhelaret, indicauit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est. Vnde & lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, & abiectiores non sine reatu conscientiæ degustamus. Ezec. 16.

Paschasius Ratbertus. 880.

In vita S. Adelhardi: Monstrum videri posset, si gula sine luxu, aut luxus sine gula regnaret. Heu quàm misera conditio ventris, qui talium affinitate partium cohærens, vtroque clauditur fine, & malo felicitatis fastu, casso vestitur honore.

Smaragdus. 950.

Ad caput 4. Regulæ D. Benedicti: Quanto amplius edacitas carnalis cibi nimia implet ventrem, tanto à virtutibus spiritalibus vacuam facit mentem. Quanto magis corpus edax impinguescit, tanto animus à virtutibus ieiunans languescit. Edacitas autem carnem facit obesam, & mentem vacuam. Edacitas parit pinguedinem, pinguedo immittit soporem, sopor negligentiam, negligentia verò generat maledictionem. Edacitas nimia generat crapulam, crapula parit somnolentiam, somnolentus non amat vigilias, nec tempore congruo Deo cantat Psalmodiam, mentem ad cælum non erigit, nec ad compunctionis gratiam accendit, nec ad sublimia contemplationis eleuat animam.

Radulphus Ardens. 1050.

Dominica 17. post Trinitatem: *Cùm intraret Iesus domum principis sacerdotum manducare panem.* Proponit Dominus hic in comessatione sua exemplum frugalitatis & abstinentiæ, cùm in domo principis, & in Sabbato panem manducat. Non ait, *manducare* carnes, vel pisces, vel delicias; sed solum *panem*: cùm omnia hæc, & maiora, tamquam Dominus omnium, si vellet, ad manum haberet. Sed hoc in se ostendere voluit, quod alibi præcepit dicens: *Ne feceritis curam in desiderijs carnis.* Erubescant ergo gulosi, qui nesciunt manducare, nisi delicias & lenocinia habeant. Hoc enim desiderant, & ob hoc laborant, aëra, syluas, & aquas venando fatigantes.

Dominica 23. post Trinitatem: Nonne ventrem pro Deo colit, qui plus ventri quàm Deo obedit? qui plus pro ventre, quàm pro Deo facit? qui frequentius visitat coquinam, quàm Ecclesiam?

qui

qui plus delectatur odore carnium, quàm incensorum & orationum? Nos ergo fratres hoc grande vitium fugiamus, iuxta illud Philosophi:

Sint epulæ vicisse famem.

Aldhelmus. 680.

De laudibus virginitatis cap. 6. Primò importunus gastrimargiæ draco, qui pestiferum præuaricationis virus rudibus florulentis telluris colonis de venenosa fauce lethaliter euomuit, frugalitatis abstinentia explodatur.

Anselmus. 1080.

Ad cap. 3. Matth. Ex gula luxuria, dormitionis delectatio, & voluptates aliæ. Concupiscentia carnis solet incipere à gula, quia satur venter luxuriam appetit, & cæteras voluptates. Et ideo debet fidelis prius gulam domare, quæ est porta & initium cæterarum voluptatum: & quia contra gulam primitus insurgit, à ieiunio, quod est frænum gulæ, incipit.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad cap. 3. Matth. Sic incipiens populus ille per hoc vitium, scilicet per gulæ intemperantiam deliquit, & si rectè consideres, pestis illa, scilicet vitium gulæ, per maxima est vexatio generis humani, ex quo suboriuntur plurima sæua atque mortifera vitia carnis: & hæc iniquitas accidit ex radice peccati, quo primus homo vetitum lignum momordit.

Bernardus. 1130.

Libro de Passione Domini cap. 42. Si contingat aliquem habere virtutem abstinentiæ cum Ioanne, scilicet vt ipsam mente & opere exerceat, non condemnet eum qui abstinet cum perfectissimo Iesu, id est, qui abstinentiam prout tempora exigunt & personæ, pro vtilitate vel proprij corporis vel proximi, nunc intendit, nunc remittit, obseruans tamen in omnibus omnia, quæ circa virtutem abstinentiæ sunt seruanda, vt semper vitij abstinentiæ oppositi (id est gulæ) crimen euitet: cuius vitij abusiones hoc versu notantur:

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Præproperè enim comedunt & bibunt, qui tempus comedendi præueniunt: sola voluptate, non necessitate coacti. Legimus in vitis Patrum de sanctis Patribus, qui hospitum spiritualium charitate deuincti, tempus consuetum ciborum anticipauerunt: sed comedendo in charitate, se nequaquam soluisse ieiunium existimabant: ita vt etiam aliqui post talem refectiunculam Missarum celebrare solennia non timerent: quod quamuis nobis non conueniat trahere in exemplum, vt similiter faciamus, quoniam quidem ab eorum perfectione nimium separamur, eos tamen sine peccato talia fecisse confidimus, quæ nequaquam nisi Spiritu sancto ipsis veraciter reuelante fecissent. Lautè comedunt, qui delicatis vtuntur cibarijs, sola delectatione attracti, quibus non sufficit naturalis sapor carnium, siue piscium, quem Creator illis imposuit: sed modis naturæ contemptis quærunt adulterinos sapores piperis & salsamentorum variorum, vt sibi appetitum faciant comedendi, non metuentes optimum omnium Creatorem vituperare in creaturis suis, dum alios illis sapores ipsi faciunt, quàm Creator naturæ earum præstiterit. O quantum huiusmodi alienos sapores homo Christianus vitare deberet, si aduerteret dulcissimum & sapientissimum Dominum suum fecisse omnia bona valde, cuius creaturas verè bonas nullus nisi malus alterare consueuit. Consueuit dico, quia quandoque lautioribus vti cibarijs pro infirmitate corporis repellenda, palato non allubente, sed renitente cibarijs, nulla vel parua culpa esset. Ad eorum igitur confusionem, *quorum* (vt Apostolus ait) *Deus venter est, & gloria in confusione eorum:* quos idem asserit flendo inimicos esse crucis Christi, & imitatores illius pauperrimi & miserrimi diuitis, qui epulabatur non aliquando pro sanitatis remedio, sed pro voluntate quotidie splendidè, propter quod nec guttam aquæ, cùm in inferno sepultus esset, meruit impetrare, vt refrigeraretur lingua eius ardens profectò in flamma, quæ alienis semper & superfluis fuerat saporibus delectata, nec naturali aquæ frigore meruit refoueri, qui in voluptatibus suæ naturæ saporem alienauerat: ad horum inquam confusionem gentilis hominis memorare sententiam non grauabor, vt erubescat nomine Christianus, cùm à meliore seipsum ignorante docetur, qui neque creaturas per Creatorem venerari sciebat, nec asperos sciebat pati sapores pro Christo, quem vel nesciuit, vel non credidit pro se in crucis patibulo vinum myrrhatum bibisse cum felle mixtum, sed soli naturæ consentiens, contra voluptuosos exclamat:

——————ô prodiga rerum Lucanus lib. 4.
Luxuries, nunquam paruo contenta paratu,
Et quæsitorum terra pelagoque ciborum
Ambitiosa fames, ô lauta gloria mensæ.
Discite quàm paruo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat: non erigit ægros
Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus.
Non auro gemmisq; bibunt, sed gutture puro
Vita redit, satis est populis fluuiusq; Ceresq;,

id est, aqua & panis. Hæc satis concordant cum illa vsitata sententia & vera: *Panis & aqua, vita hominis.* Nec adhuc conteruntur hac confusione durissimæ frontes voratorum tam ipsius veritatis verissimi Iesu, quàm Apostoli eius, imò ne gentilis quidem hominis reprehensione & eruditione percussæ, & dicunt, Christiani sumus: non tamen recipiunt vocem Christi in Apostolo loquentis & monentis: *Curam carnis ne feceritis in desiderijs.* Vnde frequenter euenit, vt cùm adhuc escæ eorum sint in ore eorum, ira Dei ascendat super eos: qui vbi duxerunt in bonis dies suos, in puncto ad infernum descendunt, vbi vermis comedens ipsos non moritur, & ignis non extinguitur, pro delicijs breuibus mala recipientes sempiterna. Nimis comedere quid sit, omnibus notum est. Nimis enim comedit, qui vltrà quàm naturæ suæ sustentandæ possit sufficere, sumit alimenta, maximè si hoc scienter fecerit. Euenit enim non rarò, vt homo suis laboribus consideratis, plus vilium sumat alimentorum, vt in labore possit subsistere, & timore deficiendi cogente mensuram refectionis excedat: à quo peccato vix credo aliquem esse immunem. Sed talia peccata crebris confessionibus intermixtis voluntarijs abstinentijs statim vt deprehenduntur, purganda sunt. In nullo autem genere ciborum illud vitium superfluitatis ciborum & potuum excusatur: cùm etiam legatur quòd peccatum Sodomæ fuit abundantia panis: & diabolus tentaturus Dominum, non de alio aliquo, quàm de pane tentauit, sciens profectò in nimio sumptu panis peccatum non deesse, qui primos parentes, & per ipsos omnes homines, vnius pomi comestione decepit: quamuis non ita facilè in cibis vilibus mensura excedatur, vbi sapor non decipitur, sicut in cibarijs lautè præparatis, & saporibus alteratis. Ardenter comedere, est cibos vel potus cum nimio desiderio sumere: quod tam in vilibus, quàm in delicatis potest cibarijs euenire. Cuius rei exemplum habemus in Esau, qui vilis cibi delectatione attractus,

Eccle. 29. Rom. 13. Ezec. 16. Matt. 4.

ctus, vltrò vendidit primogenita sua, &c. Studiosè comedere, est in cibis vel in potibus nimis diu immorari. De hoc expertis loquimur, & vtinam non essemus experti, nec vnquam experturi. Frequenter solet accidere, quòd sumptis cibarijs, quæ secundùm consuetudinem necessitati sumentis possent & deberent sufficere, quædam surgat noua delectatio: quæ facit hominem improuidum, & insidias diaboli non cauentem, illi cibo cum tanto studio inhærere, tanquam nihil ante comederit, vel intra multos dies post hoc nil sit sumpturus ciborum. Et quia gulæ speciem in se deprehendunt, auxiliante Deo huic facilè possunt resistere: quia impetus eius non longius durat, quàm dum à mensa surgatur, & illius, quod tanto studio desideratur, memoria subducatur. Sunt autem plurimi, qui tale studium comedendi nec peccatum existimant, nec etiam cuiquam suggerenti esse peccatum, fidem adhibeant, habentes in consuetudine damnabili, nulli desiderio resistere, quod possit à natura aliqua obumbratione defendi: nec ponunt aliquam metam desiderio comedendi, donec tempore deficiant fatigati. Sed Christianus homo comedit, vt viuat; non viuit, vt comedat, sicut quidam ait, idque & illud bene de inutilibus & voracibus:

Nos numerus sumus, & fruges consumere nati:

Christianus autem non sic, sed semper ita surgat de mensa, vt adhuc habeat appetitum plura sumendi: & eum, qui adhuc esset implendus cibarijs, Domino Iesu pro grato munere conferat appetitum, qui pro nostra salute sæpius esurire voluit & sitire.

De interiori domo cap. 30. Guttur insatiabili ardet ingluuie, gula diuersis saporibus satiari non potest. Cor prauum dolo & malitia plenum, per puram confessionem purgare nunquam potui, &c. Stomachus & intestina nimio cibo & potu sæpe sunt distenta, & ideo dolore sunt plena. Nam vnde gula delectatur, inde venter inflatur, corpus infirmatur, & sæpe mors sequitur. Per gulæ delectationem corrui in ventris ingluuiem: & vnde debui mihi parare salutem, inde contraxi nimium comedendo perniciem.

De modo bene viuendi Serm. 25. *Ne intuearis vinum, quando flauescit, nec cùm splenduerit in vitro color eius. Ingreditur enim blandè, sed in nouißimo mordebit vt coluber: & quasi serpens venenum effundit: nullum secretum est, vbi ebrietas est.* Multos exterminauit vinum, & perduxit eos ad periculum corporum & animarum. Vinum in iucunditate creatum est, non in ebrietate. Vbicunque saturitas abundauerit, ibi luxuria dominabitur. Ventrem distentum cibis, & vini potationibus irrigatum, voluptas luxuriæ sequitur. Ebrietas corpus debilitat, animam illaqueat. Ebrietas generat perturbationem mentis. Ebrietas auget furorem cordis. Ebrietas nutrit flammam fornicationis. Ebrietas ita alienat mentem, vt homo nesciat semetipsum. Homo ebrius est ita à semetipso alienus, vt nesciat vbi sit. Plerisque laus est multum bibere, & non inebriari: quos Propheta increpat, dicens: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem, &c.* Etiam Ioel Propheta clamat, dicens: *Expergiscimini ebrij, & flete, & vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine:* non dicit, qui bibitis vinum in necessitate, sed *qui bibitis vinum in dulcedine*, hoc est, in delectatione. Ebrietas mortale crimen est. Ebrietas graue peccatum est. Ebrietas inter homicidia, & adulteria, & fornicationes reputatur. Ebrietas ejicit hominem à regno Dei. Ebrietas expellit hominem à paradiso. Ebrietas demergit hominem in infernum. Noë bibit vinum, & virilia, quæ per sexcentos annos celauerat, nudauit. Etiam Lot vino inebriatus dormiuit cum filiabus suis, nec tamen peccatum sensit, quia alienatus à semetipso fuit. Cogita ergo soror dilecta, quantum sit detestanda & fugienda ebrietas ab omnibus seruis Dei, &c. Igitur honesta virgo, bibamus non quantum gula quærit, sed quantum necessitas requirit. Caueamus igitur ne illud, quod Deus ad medelam nobis corporis tribuit, vitio gulæ deputemus. Caueamus ne vinum, quod Deus nobis dedit ad salutem corporum, in vsum vertamus vitiorum. Caueamus ne medicinam carnis in vitium conuertamus ebrietatis. Multi per vinum à dæmonibus capti sunt, nec est aliud ebrietas quàm manifestissimus dæmon. Tu ergo soror in Christo amabilis, bibe vinum temperatum & erit tibi sanitas corporis, & lætitia mentis. Bibe vinum cum sobrietate, & auferet à te pigritiam atque desidiam, & in Dei seruitio te faciet solicitam atque deuotam.

Hugo Victorinus. 1130.

Serm. 38. Sexta platea est Gula. Cuius vnam partem facit edacitas, alteram ebrietas. Ab huius plateæ mansione nos prohibuit Dominus, vbi dixit:
Videte ne grauentur corda vestra in crapula, & ebrietate. Luc. 21.
Et Apostolus: *Non in comessationibus & ebrietatibus.* Rom. 13.
Et in ea quidem parte, quæ est edacitas, sunt omnia genera panum, quæ fiunt arte pistoria; & obsoniorum, quæ fiunt arte coquinaria, genera diuersa carnium quadrupedum & volucrum, piscium marinorum & fluuialium, piper & allium & cyminum ad conficiendos sapores & condimenta. In altera parte, quæ est ebrietas, sunt vina diuersi coloris, & saporis, & vigoris, & odoris, confecta diuersis herbis & aromatibus, ad opus eorum, qui consurgunt mane ad ebrietatem sectandam, & ad potandum vsque ad vesperum, &c.

Libro de claustro animæ: Affluentiam ciborum comitari solet insolentia verborum: saturitatem ventris sequitur leuitas operis, & vanitas mentis. Vnde: *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.*

In Summa disciplinali: Sunt qui superstitiosum nimis in præparandis cibis studium adhibent: infinita frixurarum & condimentorum genera excogitantes, modò calida, modò frigida, modò assa, modò elixa, modò pipere & eiusmodi saporibus condita, secundùm consuetudinem mulierum prægnantium desiderantes.

Adam Victorinus. 1180.

In Dialogo de instructione animæ: Vilissimum profectò atque turpissimum mihi prorsus videtur, quòd qui sanctæ religionis habitum assumpserunt, atque nulla sunt corporis infirmitate debilitati, nimiam in præparandis multiplicandisque, atque exquisitam prorsusque superfluam in variandis & condiendis ferculis curam impendunt, ad instar infirmantium, vel quod etiam maius certè dedecus est, ad similitudinem prægnantium mulierum, nihil, nisi sapidum fuerit, in cibum sumere volunt. Mirum mihi videtur, quare tales vili habitu induti non erubescunt, qui non nisi delicatis cibis vesci volunt: quoniam si Deus eorum (quod procul absit) venter est, certè tam vili habitu tam pretiosus & gulosus Deus contegi non deberet.

Guarricus Igniacensis. 1180.

Sermone 5. de Purificatione Mariæ: Post conuersionem nostram muniamus thalamum cordis, ne gula rediens introeat, quæ & Adam innocentiæ veste, & Esau priuauit primogeniti dignitate. Hæc est illa pestis, quæ patres nostros in deserto ingratos beneficijs fecit, quæ compulit illos murmurare contra Deum, & dicere: *Vtinam mortui essemus in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus allia, cepe, & pepones.* Hæc est illa funesta

pestis, quæ eos ad blasphemiam duxit, quasi non
Esa.22. esset alia vita post istam, cùm dicebant: *Comeda-
mus & bibamus: cras enim moriemur*, id est, in futu-
ro. Quasi dicerent: Hoc solum habemus quod co-
medimus, nihil in futuro post hanc vitam nos ha-
bituros speramus. Hanc pestem cum homine pe-
1.Cor.6. rituram pronuntiat Apostolus, dicens: *Esca ventri,
& venter escis: Deus autẽ & hunc, & hanc destruet.* Hęc
pestis tripartita est, quia aut ante horam canoni-
cam, aut aliud quàm licet, aut plus quàm necesse
est, facit comedere, carnis curam in concupiscen-
tijs nititur facere. De qua nascitur inepta lætitia,
Exod.32. sicut de populo Israel dicitur: *Sedit populus mandu-
care & bibere, & surrexerunt ludere.*

Innocentius Tertius. 1200.

In Dominic. 1. Quadrages. Diabolus causas idoneas
ad tentandum & assumit inuentas, & inuenit assu-
mendas. Ad tentandum quippe de gula causam
idoneam assumpsit inuentam: quia cùm ieiunas-
set Iesus quadraginta diebus & quadraginta nocti-
bus, & postea esurijsset, accessit ad eum tentator, &
ait: *Dic vt lapides isti panes fiant:* intendens illi, si
posset per nimiam auiditatem edendi trahere ad
Gen.25. peccatum, sicut olim Esau, qui famem sustinere
non sufferens, pro lentis edulio vendidit primoge-
nita. Nos ergo fratres & filij caueamus astutiam
tentationis, ne fortè cùm ieiunamus, per nimiam
auiditatem edendi trahamur ad culpam. Quia non
solum in varijs ferculis & lautis cibarijs, sed in ho-
ra præuenta, & in appetitu immoderato peccatur.
Vnde non ait: Dic vt lapides isti carnes fiant, aut
pisces, ne fortè in cibis lautis & varijs deprehen-
datur facilius astutia tentatoris: sed dixit: *Dic vt
lapides isti panes fiant*, vt si famis impatiens, lapides
mutaret in panes, nimia deprehenderetur auiditas
comedendi. Attendant hoc illi, qui varios exqui-
rendo sapores, substantiam conuertunt in acci-
dens, & naturam in artem, vt prouocent & reuo-
cent appetitum.

Iacobus Vitriacus, 1220.

Dominica 6. post Epiphaniam: Secundum iugum
durum & onerosum valde est, iugum scilicet car-
nis, per quod gulosi & luxuriosi comprimuntur.
Vnde in Euangelio: *Attendite, ne corda vestra gra-
uentur crapula & ebrietate.* Gulositas enim est ratio-
nis sepulchrum, aceruus stercorum, origo immun-
ditiæ, mater nauseæ, hostis castitatis, seminarium
libidinis. Dum enim saturitate venter extenditur,
aculei libidinis excitantur. Gula enim carum tri-
butum exigit, sed vilissimum reddit. Inde grauatur
stomachus turbatur sensus, opprimitur intellectus,
generatur tam animæ quàm corporis varius mor-
Eccl.37. bus. Vnde & Eccles. *Noli esse auidus in omni epulatione,
& non te effundas super omnem escam.*

Cæsarius Heisterbachius. 1220.

Libro 4. cap. 73. Gula est solius corporis causa im-
moderatus & illecebrosus comedendi & bibendi
appetitus. Huius filiæ sunt, immunditia, scurrili-
tas, inepta lętitia, multiloquium, hebetatio sensus,
circa intelligentiam. In gula sunt quinque gradus
peccandi. Primus est, cibos pretiosos, & delicatos
exquirere: secundus, curiosè præparare: tertius,
ante tempus sumere: quartus, nimis auidè: quin-
Gen.3. tus, in nimia quantitate. Gula primus homo vi-
Gen.25. ctus in paradiso occubuit: hæc Esau primogenita
surripuit. Gula Sodomitas ad peccatum maxi-
mum incitauit. Ipsa filios Israel in deserto pro-
Psal.77. strauit: *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira
Ezec.16. Dei ascendit super eos. Iniquitas Sodomæ fuit saturitas
panis, & abundantia.*

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Libro de virtutibus cap. 18. Gulositas & ebrietas bal-
neorum & vnguentorum, vestimentorum & stra-
torum, nec non & habitaculorum vanissimæ deli-
tiæ intemperantiæ sunt, & vitia pessima, &c. Heu
quàm miserabile piorum oculis spectaculum mul-
titudo innumerabilis sit inescatorum per gulas
horribiliter ligatorum, qui trahuntur ad inferna-
le suspendium.

Thomas Aquinas. 1250.

Secunda 2. q. 148. artic. 2. Vitium gulæ propriè
consistit in concupiscentia inordinata. Ordo au-
tem rationis concupiscentiam ordinantis dupli-
citer tolli potest. Vno modo quantum ad ea, quæ
sunt ad finem, prout scilicet non sunt ita commen-
surata, vt sint proportionata fini. Alio modo quan-
tum ad ipsum finem, prout scilicet concupiscentia
hominem auertit à fine debito. Si ergo inordinatio
concupiscentiæ accipiatur in gula secundùm auer-
sionem à fine vltimò, sic gula erit peccatum mor-
tale. Quod quidem contingit, quando delectatio-
ni gulæ inhæret homo, tanquam fini, propter
quem Deum contemnit, paratus scilicet contra
præcepta Dei agere, vt delectationes huiusmodi as-
sequatur. Si verò in vitio gulæ intelligatur inor-
dinatio concupiscentiæ tantum secundùm ea, quæ
sunt ad finem: vtpote quia nimis concupiscit dele-
ctationes ciborum: non tamen ita, quòd propter
hoc faceret aliquid contra legem Dei, est peccatum
veniale.

Iacobus Genuensis. 1280.

Serm. 1. Domin. in Quinquages. Vani homines cùm
deberent laudare Deum, laudant & honorant cor-
pus suum, pascendo ipsum per diuersas epulas.
Istud autem vitium gulæ hominibus facit magnã
iacturam, & Deo magnam iniuriam. Hominibus tri-
plicem iacturam facit. Prima est, quia inducit cor-
pori nimiam deformitatem, ex eo, quod facit
ventrem nimis tumentem. Secunda est, quia indu-
cit infirmitatem multam, & aliquando mortem.
Tertia est, quòd inducit insaturabilitatem. Prou.
7. *Venter impiorum insaturabilis est.* Secundò vitium
gulæ facit Deo magnam iniuriam, ex eo quod gu-
losus ventrem suum deificat. Phil. 3. *Quorum Deus
venter est.*

Albertus Patauinus. 1300.

Serm. 137. Agunt festum Veneri & Baccho hi,
quorum finis interitus, *quorum Deus venter est, &
gloria in confusione*, qui terrena sapiunt. Sic agebat
festum diues epulo, *qui induebatur purpura & bysso,
& epulabatur quotidie splendide.* Sic omnes impij, vt
dicitur Sapientiæ 2. Istorum festiuitas vigiliam prę-
uenit. Nam hic luxuriantur in delicijs, quos infer-
nalis vigilia sequitur.

Dantes Florentinus. 1320.

De Purgatorio cap. 23. Omnis gens hæc, quæ can-
tando plorat, ex eo, quòd secuta gulam est vltra
mensuram, in fame & siti hic fit rursus sancta.

Ludolphus Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 2. cap. 63. Ecce qualis cœna daba-
tur Domino nostro: hora autem iam cœnandi: sed
præ labore & dolore non petijt aliud pro cœna nisi
potum: & filij diaboli dederunt ei pro cibo fel, pro
potu acetum. O nos miseri quid faciemus, qui ali-
ter cœnare, & aliter potare volumus, & delicias
quærimus. Certè si mille annis homo viueret, &
quotidie in pane & aqua ieiunaret, vnicam cœnam
illam sufficienter compensare non posset.

Franciscus Petrarcha. 1350.

De remedijs vtriusque fortunæ Lib. 1. dialog.
18. *Gaud.* Lautis & multiplicibus vtor cibis. *Rat.*
Propter crapulam multi perierunt, qui autem
abstinens est adijciet vitam. Ipse demum profes-
sor voluptatis Epicurus tenuem victum quasi vni-
cum auxilium suæ professionis & laudauit & co-
luit. Cibus autem tenuis ac modicus siccos, vali-

dos,& aspectu placidos,ac odore corporis, nec sibi nec alij molesto facit: victus autem crapulæ madidos, æstuantes, tremulos, & olentes, & (vt Ciceronis verbis vtar) sudantes & ructantes facit, vt aspectu videatur quid intersit inter frugalitatem & crapulam.

Lib.2. Dialog.108. *Dol.* Gula solicitor. *Rat.* Propriè id quidem: nulla res tam vilis tam solicitos vos habet, terrarum tractus, cæliquè & maris abdita penetratis. Meditati estis retia & hamo, viscū & laqueos, & rapaces volucres imperio parere, & prædari vobis docuistis, ad nil aliud, nisi vt gulæ satisfiat, quam non modò explendo, sed onerando fatigatis, & angustum ventrem varia arte laxatis, ac premitis obsequendo, cui aliquanto vtilior fàmes esset, vtilissima verò sobrietas.

Ioannes Bromiardus. 1380.

In Summa Prædicant. de Gula: Gulæ vitium non solum fugiendum est, propter eius vilitatem, sed quia (quod peius est) ipsi animę venenosum & mortiferum est, ipsam illaqueando & occidendo. Quia sicut aucupes & piscatores volucres cæli & pisces maris cibo capiunt: ita diabolus gulosos. In qua captione spiritualiter contra eos cautelam exercet, qua vsus est corporaliter Hannibal, qui missus contra Afros rebellantes, vinum venenauit ac dimisit, vt illo hausto Afros occideret: sic diabolus cibum & potum gulosorum veneno miscet peccati, dum illis eos excedere facit, vt spiritualiter occidantur.

Ioannes Gerson 1420.

In regulis moralib. cap. de Gula. Gulæ, quæ est appetitus immoderatus comedendi, non competit ex suo genere, quòd sit mortalis, nec etiam delectationi inde consequenti. Fit autem mortalis tripliciter. Aut si comestio est contra prohibitionem, vel votum, siue hoc sit ratione cibi, seu temporis, seu loci. Aut secundò, quando aliqua, duæ fieri præcepta sunt, ob gulam scienter verè vel interpretatiuè omittuntur, vel perpetrantur prohibita. Aut tertio denique, quando corpus aut ratio notabili detrimento per gulam scienter verè vel interpretatiuè prægrauatur.

Laurentius Iustinianus. 1430.

In Ligno vitæ lib. de sobrietate, cap. 3. Paucis minimisq; natura contenta est, cuius satietatem si superfluis vrgere velis, aut iniucundum, quod infundes, fiet, aut noxium. Propterea simplicior victus, & mensa mediocris plurimum iucunditatis habet & pacis. Diuitum autem mensæ execrabiles quodammodo, & horridæ, ac membrorum contaminationibus plenæ.

Libro 1. de spirituali animæ interitu: Enorme delictum, & æternæ mortis est filia ventris ingluuies, quæ ex immoderatæ gulæ appetitu prouenit. Non aliundè humani generis primi peccauêre parentes, de quibus sic legitur: *Vidit igitur mulier quòd bonum*
Gen.3. *esset lignum, & ad vescendum suaue, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit, deditq; viro suo, qui comedit, &c.* Ex gulæ etiam intemperantia primogenita sua vendidit Esau, & incestus crimen consummauit Lot. Per hanc quippe natura corrumpitur, libidinis nutriuntur incendia, subuertitur ratio, scelera panduntur, homicidia fiunt, proferuntur stultiloquia, detractiones, & verba scurrilia, hebetatur mens, maturitas relaxatur, comessationes frequentantur & ebrietates, lætitia inepta dissoluit, immunditia polluit, mors oritur culpæ, atque resolutionis, corporis memoria tollitur. Porrò ex voraci edacitate gulæ naturæ finibus non contenta emergit pestilentia luxuria, quæ ex immundis desiderijs veniens est lubrica carnis, & mentis prostitutio.

Dionysius Carthusianus. 1460.

In cap. 31. Ecclesiastici art. 32. Isti sunt pœnales effectus vini superfluè sumpti, videlicet vigilia afflictiua, seu priuatio somni conuenientis, & cholera, id est, euaporatio fellis in pectore ac gutture, & tortura, id est, intestinorum afflictio, pressura, tortionesqúe ventris: quæ omnia accidunt homini infrunito, id est, guloso, qui in præsenti quoque pro sua gulositate affligitur, & culpam suam punit in se: verùm post hanc vitam ineffabiliter grauiora ei infliguntur supplicia, &c.

Pius Quintus. 1566.

Constitutione 126. Diuersi iniquitatis filij propria temeritate confisi, postquam proprijs eorum bonis non aduersà fortuna, aut fortuitis casibus, siue hostium incursu, vel ventorum marisq; violentia & iniuria, sed sua ipsorummet incuria, negligentia prodigalitate, atque luxu in explendis proprijs voluptatibus penitus dilapidatis, proximos suos ad varia eorum bona sibi mutuanda sub spe restitutionis compulerunt, illis similiter profusis, creditores suos bonorum cessione deludentes, &c. Nos præmissa conniuentibus oculis transire nequeuntes, & attentè considerantes, nulla alia de causa in fures vltimi supplicij pœnam esse impositam, nisi vt talia perpetrandi hominibus via interclusa, liberum esset vnicuique sua absque periculo possidere, & vti: hos autem adeò furibus & latronibus similes esse, vt ab illis in nihilo differant, nisi vt quod eis nisi cum vitæ suæ periculo agitur, hoc decoctoribus impunè liceat, volentesq; propterea, vt par, immò grauius delictum parem etiam sortiatur pœnam, iurisq; rigorem in hoc grauiorem reddere, ac genus hoc hominum, tanquam humano generi infestum, è cæterorum cœtu segregandum meritò esse iudicantes, omnium & singularum legum & constitutionum tam imperialium quàm Apostolicarum, etiam in corpore iuris descriptarum tenores & formas, ac si de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, sine illarum aliquo præiudicio: quinimò illas confirmantes & reualidantes motu proprio, hac nostra perpetuò valitura constitutione sancimus, statuimus, & declaramus, quòd quęcunque persona, tam secularis quàm Ecclesiastica, cuiuscunque status existat, qui omnem eorum substantiam, non præmissis de casibus fortuitis, sed incuria, negligentia, prodigalitate & luxu suis: proprias voluptates explendo, & cupiditatibus non mediocri intemperantia feruentes subuerterint, & dilapidauerint, nec non qui se bona sua decoxisse simulantes, illa in fraudem creditorum suorum occultant, & eorum pecuniam totam in eorum vtilitatem forsan conuerterint, vt eorum creditores ad secum componendum facilius alliciant, vltimi supplicij, & ea, quæ fures ipsi de iure vel consuetudine, aut particulari vel municipali statuto plecti solent, puniri debeant.

ARTICVLVS OCTAVVS.

LVXVRIAM, SCORTATIONEM, ADVLTERIVM, ETC. GRAVE AC MORTALE ESSE PECCATVM.

NEGANT.

anno post natum Christi.

VENVS prima artem meretriciam instituit, auctorq; mulieribus in Cypro fuit, vt vulgo corpore quæstum facerent: quod idcirco impetrauit, ne sola præter alias mulieres impudica, & virorum appetens videretur. Lactantius lib. de vera religione cap. 17.

Cynici Philosophi docuerunt omnem titillationem carnis, & fluxum seminis ex qualicunque attritu, tactuq; in tempore non vitandam. Hieronymus in caput 5. ad Galatas.

50. *Simon Magus docuit promiscuum fœminarum vsum esse licitum, ita vt quisque qua vellet vti sine peccato posset.*

60. *Nicolaus Antiochenus, vnus è septem Diaconis dicebat, nisi quis venerem singulis diebus exerceret, non posse eum vitæ æternæ participem fieri: vnde etiam vxorem suam alijs communicabat, & hinc turpissima secta est, cui placet vsus indifferens fœminarum.* Irenæus, & Epiphanius de illis hæresibus.

160. *Apud Gnosticos scortationes sunt honestæ.* Epiphanius hæresi 26.

Valentinianorum mira sunt scortationes. Epiphanius hæresi 27.

750. *Vitiza Hispaniæ rex ad tantæ perditionis & dissolutionis peruenit cumulum, vt plures vxores ad satietatem libidinis simul detineret: & exemplo simili viros illustres & potentes Gothorum ad similia facinora inducebat, quorum exemplo in minoribus populi peccata in similibus exundabant. Dedit licentiam, imò præceptum omnibus Clericis, vt vxores & concubinas vnam aut plures haberent publicè iuxta libitum voluptatis.* Rodericus Toletanus de rebus Hispaniæ lib. 4. cap. 14. & 15.

820. *Michael Balbus scortationem non esse peccatum iudicabat.* Zonaras in Michaele Balbo Tomo 3. Annalium.

1000. *Lisoius & Heribertus voluptatum flagitijs credebant recompensari vltionis vindictam.* Glaber Rodolphus lib. 3. cap. 8.

1124. *Tandemus filias in matrum præsentia, & sponsas maritis intuentibus corrumpere (id quod tribus ferè millibus armatorum stipatus factitabat) spirituale opus esse asserebat.* Continuator Sigeberti de anno 1124.

1150. *Græci dicunt simplicem fornicationem, id est, coitum soluti cum soluta non esse mortale peccatum.* Guido de erroribus Græcorum.

1100. *VValdenses dicunt vrente carnis libidine omnem carnalem commixtionem tam inter viros, quàm inter fœminas esse licitam.* Guido, Nicolaus Eymericus, & Antoninus de erroribus illorum.

1200. *Albigenses, Si aliquis est in Spiritu sancto, aiebant, & faciat fornicationem, aut aliqua alia pollutione polluantur, non est ei peccatum. Quia ille Spiritus qui est Deus omnino separatus à carne, non potest peccare: & homo, qui nihil est, non potest peccare, quamdiu ille Spiritus est in eo.* Cæsarius Heisterbachius lib. 5. capite 22.

1200. *Almericus docuit, quòd suo tempore sic esset à Spiritu sancto charitas ampliata, vt illud, quod aliàs de natura sua esset peccatum, vt stupra, adulteria, & similia, diceret non esse peccatum, dummodo illa facerent carnaliter se commiscentes ex charitate.* Nicolaus Eymericus parte 2. q. 7.

Rabbi Moses docuit simplicem fornicationem non esse peccatum de iure naturali, sed solùm esse peccatum ex prohibitione Legis. Unde ante legem datam dicit fuisse licitum fornicari: propterea Iudam non peccasse cum Thamar, quia fuit ante legem. Nicolaus Eymericus parte 2. q. 4.

1280. *Gerardus Sagarellus & Dulcinus docebant, quòd quilibet homo, qualibet mulier, nudi simul possunt licitè iacere, sine omni peccato, in vno & eodem lecto.* Nicolaus Eymericus parte 2. quest. 11. *Dulcinus tam pudendæ ac effrenis libidinis extitit, vt ad sex millia vtriusque sexus sub charitatis specie cohabitare docuerit, qui Alpes incolentes in omnem luxuriam prolabebantur.* Bernardus Lutzemb.

1300. *Fraticelli (duce Hermanno quodam Italo) promiscuos concubitus in locis occultis exercebant. Alij quoque (Dulcino quodam duce) in Alpibus eandem fœditatem exercuerunt.* Sabellicus lib. 7. Ennead. 9. Blondus lib. 9. decad. 2. Bernardus Lutzemb.

1310. *Begardi actum carnalem (cùm ad hoc natura inclinet) non esse peccatum docuerunt, maximè cùm tentatur exercens.* Clemens 5. de hæreticis c. 3.

1315. *Lollardi negabant Deum scire, aut punire mala, quæ sub terra fierent, & ideo in subterraneis turpitudinem exercebant. Vnde puella quædam, nomine Gisla, cùm interrogaretur in ipso tempore, quo propter hæresin suam comburebatur, vtrum virgo esset, super terram, inquit, virgo sum: sub terra minimè. Credebant enim virgines sub terra non posse deflorari, etiamsi mille viris cognoscerentur, neque tale stuprum esse peccatum.* Trithemius in Chronic. Hirsaugiensi de anno 1315.

1360. *Fuerunt Parisijs quidam discipuli Almarici, qui dixerunt eo mortuo, quòd stuprum factum in charitate non est peccatum.* Collectione errorum, qui sunt Parisijs condemnati à Guillermo Episcopo Parisiensi.

1430. *Piccardus quidam è Gallia Belgica transmisso Rheno per Germaniam in Bohemiam penetrauit, qui prestigijs quibusdam fidem sibi concilians, breui tempore non paruam mulierum, virorumque plebem ad se traxit quos nudos incedere iubens, Adamitas vocauit, & naturæ ductum sequi in omnibus iubebat. Occupata insula quadam amne Lusinicio cincta, Filium Dei se dixit, & Adam vocari voluit. Connubia eis promiscua fuêre, nefas tamen iniussu Adami mulierem cognoscere: sed vt quisque libidine accensus in aliquam exarsit, eam manu prehendit, & adiens principem: In hanc, inquit, spiritus meus concaluit: cui princeps respondit: Ite,* Crescite, multiplicamini, & replete terram *Æneas Syluius historia Bohemica cap. 41. Bonfinius decad. 3. lib. 2.*

1500. *Moscouitæ dicunt fornicationem simplicem non esse peccatum mortale.* Iornnes Sacranius in Elucidario errorum Moscouitarum, errore 31.

1520. *Martinus Lutherus lib. de vita coniugali:* Crescite & multiplicamini *non est præceptum, sed plus quàm præceptum, quod nos non possumus impedire, vel prætermittere, sed perinde necessarium est quàm edere, bibere, ludere, expuere, purgare, dormire, & vigilare. Sicut in manu mea non est, quò minus sim mas, ita minimè, situm est in me, vt sim sine muliere.*

Plura eiusdem Lutheri magis obscœna, quæ his inserere pudet, vide in Anatomia Lutherana, edita à D. Ioanne Pistorio lingua Germanica Colonia 1595.

1540. *Libertini coniugia volunt inter fratres spiritualia, vxores habent communes, non patiuntur eas suis maritis infidelibus debitum reddere, facta nocturno tempore concione, luminibus extinctis, dicente Concionatore,* Crescite & multiplicabimini, *alter cum alterius vxore ad placitum scortatur, promiscuos laudant concubitus, hanc Patris voluntatem esse aiunt.* Lindanus dialogo 2. Dubitantij, Caluinus de Libertinis.

Leno, inquiunt, *fungatur munere suo, fur furetur audacter. Est enim consentaneum rationi, vt vnusquisque vocationem suam sequatur.* Caluinus ibidem.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 38. *vers.* 8. Dixit ergo Iudas ad Onan filium suum: Ingredere ad vxorem fratris tui, & sociare illi, vt suscites semen fratri tuo. Ille sciens non nasci sibi filios: introiens ad vxorem fratris sui, semen fundebat in terram: ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, eo quòd rem detestabilem faceret, 24. Post tres menses nuntiauerunt Iudæ, dicentes: Fornicata est Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumescere. Dixitque Iudas: Producite eam vt comburatur.

Leuit. 20. 10. Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui, morte moriantur & mœchus & adultera.

Num. 25. 1. Morabatur autem eo tempore Israel in Setim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt & adorauerunt deos earum. Initiatusque est Israel BoelPhegor: & iratus Dominus ait ad Mosen: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis: vt auertatur furor meus ab Israel. Dixitque Moyses ad iudices Israel: Occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt BeelPhegor. Et ecce vnus de filijs Israel intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem vidente Moyse, & omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores tabernaculi. Quod cùm vidisset Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione ingressus est post virum Israelitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet & mulierem in locis genitalibus. Cessauitque plaga à filijs Israel: & occisi sunt viginti quatuor millia hominum.

Deuteronomij 23. 17. Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortatur de filijs Israel. Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo DOMINI DEI tui, quicquid illud est quod vouerint: quia abominatio est vtrumque apud Dominum Deum tuum.

3. *Reg.* 11. 1. Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, *&c.* 2. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore. Fueruntque ei vxores quasi reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ: & auerterunt mulieres cor eius. Cumque iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos, *&c.*

Tobiæ 4. 13. Attende tibi fili mi ab omni fornicatione: & præter vxorem tuam

nunquam patiaris crimen scire.

Prouerb. 6. 23. Quia mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ, vt custodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ. Non concupiscat pulchritudinem eius cor tuum, ne capiaris nutibus illius. pretium enim scorti vix est vnius panis: mulier autem viri pretiosam animam capit. Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius? sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cùm tetigerit eam. Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit: furatur enim vt esurientem impleat animam: deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam: turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.

Ecclesiastici 19. 2. Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguent sensatos: & qui se iungit fornicarijs, erit nequam. putredo & vermis hæreditabunt illum, & extolletur in exemplum maius, & tolletur de numero anima eius.

Ecclesiastici 41. 21. Erubescite à patre & à matre de fornicatione. 25. à respectu mulieris fornicariæ. 27. Ne respicias mulierem alieni viri, & ne scruteris ancillam eius, neque steteris ad lectum eius.

Daniel. 13. 56. Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.

Osee 4. 11. Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.

1. *Corinth.* 5. 1. Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris aliquis habeat. Et vos inflati estis: & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. 9. Scripsi vobis in epistola, Ne commisceamini fornicarijs. 11. Si is qui frater nominatur est fornicator, aut auarus, *&c.* cum eiusmodi nec cibum sumere.

1. *Corinth.* 6. 9. Nolite errare: Neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, *&c.* regnum Dei possidebunt. 15. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne vna. Qui autem adhæret Domino, vnus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. (Gen. 2.)

Galat. 5. 19. Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, *&c.* quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Ephes. 5. 3. Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis. 5. Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod est idolorum seruitus) non habet hæreditatem in regno Dei.

1. *Thessalon.* 4. 3. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore.

Hebr. 13. 4. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus.

Apocal. 21. 8. Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, *&c.* pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Irenæus. 180.

Libro 1. *cap.* 27. Nicolaitæ magistrum quidem habent Nicolaum, vnum ex septem, qui primi ad Diaconum ab Apostolis ordinati sunt, qui indiscretè viuunt. Plenissimè autem per Ioannis Apocalypsin manifestantur qui sint, nullam differentiam esse docentes in mœchando, & idolothyton edere. Quapropter dixit de ijs Sermo: *Sed hoc habes, quòd odisti opera Nicolaitarum, quæ & ego odi.* (Apoc. 2.)

Origenes. 230.

Homil. 20. *in Numer.* Proh nefas, vix prohibetur libido legum minis, vix gladij terrore reprimitur: quid sceleris non perpetret, vbi facinore suo placituram se mulier regi credidit, & salutem patriæ quæsituram? Captiuantur ergo Israelitæ non ferro, sed luxu; nec virtute, sed libidine; & fornicantur in mulieres Madianitidas, & ira Dei insurgit super eos, &c. Est execrabilis corporis fornicatio: quid enim ita execrabile, quàm templum Dei violare, ac tollere membra Christi, & facere membra meretricis?

In Psalm. 37. Homilia 1. *Tota die contristatus ingrediebar, quoniam renes mei completi sunt illusionibus.*) In renibus, vel in lumbis humanorum seminum receptaculum esse dicitur. ex quo illud genus indicatur peccati, quod per libidinem geritur. Huius namque opus est res illa, quam Apostolus inter prima sacrilegia designauit, dicens: *Tollens ergo mem-*

bra Chri-

bra Christi faciam membra meretricis? Absit. Cùm ergo quis propensius & incontinentius in huiuscemodi lasciuiam fluxerit, tunc renes eius, vel lumbi repleti esse illusionibus asseruntur. Illusio enim est diaboli, illudentis hominem, atque huiuscemodi peccati incontinentiam prouocantis. Non ergo mirum est si peccatorum hominum renes illusionibus repleti sunt, cùm & Iob de dracone, qui
140. diabolus intelligitur, ita dicat: *Virtus eius omnis in lumbis est, & potentia eius in vmbilico ventris eius.* Virtus ergo diaboli præcipuè circa lumbos hominis est, vnde fornicatio, adulteriaqúe procedunt, vnde puerorum corruptio, vnde omnis spurcitia generatur.

Concilium Neocæsareense. 316.

Canone 1. Presbyter si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, penitus extrudatur, & ad pœnitentiam deducatur.

Ephram. 370.

In illud: Attende tibi ipsi, *cap.* 9. Nosse cupis quam grauis & periculosa sit fornicatio? Quos occidere nequiuerunt morsus serpentum, hos Madianitarum fornicatio prostrauit, & per fornicationem etiam idolorum victimam comedere non recusârunt, vnde ex populo ceciderunt vno die 23. millia.

um.25 t. o.32.

Basilius Magnus. 370.

Epistola 1. *ad Amphilochium Canone* 21. Si vir cum muliere cohabitans, postquam matrimonio non delectatus, in fornicationem inciderit, eum fornicatorem iudicamus, & eum pœnis amplius grauamus: Canonem tamen non habemus, qui cum adulterij crimini subijciat, si in solutam à matrimonio peccatum commissum sit. Nam *adultera* quidem, inquit, *polluta polluetur, & ad virum suum non reuertetur, & qui adulteram detinet, stultus est & impius.* Qui autem fornicatus est, non excludetur à cohabitatione cum vxore, quemadmodum mulier maritum suum à fornicatione reuertentem excipiet: vir autem eam, quæ polluta est, à suis ædibus amandabit.

Canone 58. Qui adulterauit, in quindecim annis Sacramentis non communicauerit. In his autem quindecim annis sic quoque dispensabitur: quatuor annis erit deflens, quinque audiens, quatuor substratus, in duobus consistens sine communione.

Canone 59. Fornicator septem annis sanctis non communicabit, duobus deflens, & duobus audiens, & in vno solo consistens, octauo autem ad communionem admittetur.

Homilia 7. *in Hexameron:* Adulterium naturæ quoddam est viperæ murenæqúe mutuus ille complexus. Discant igitur ij, qui alienis insidiantur nuptijs, cuinam reptili sint similes. Id vnum est mihi cordi, id vnum propositum, vt Ecclesiam vndequaquam nostram hanc ædificem. Intemperantium, incontinentiumqúe hominum perturbationes, tam à mari, quàm à terra sumptis exemplis, castigatæ sedentur.

Apud Damascenum in Parallelis libro 3. *cap.* 28. Fornicationis spiritus ignominiæ labem in vno duntaxat defigere non sustinet: verùm statim æquales assumuntur: comessationes, & pocula, & fœdæ narrationes, & scortum vnà bibens, atque huic arridens, illum extimulans, & omnes ad peccatum suum inflammans.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Tetrasticho 42.

Vinum, libido, liuor, & dæmon, pares:
Hos mente priuant, quos tenent. His tu prece
Medere, fusis lachrymis, ieiunio.
Medela morbis hæc enim certa est meis.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione in illud Apostoli: *Omne peccatum quod fecerit homo est extra corpus, qui autem fornicatur, peccat in proprium corpus:* Quando iacit telum forma meretricia, honestum est tergum vertere, & aduersum vultum fugere. In oculos enim telum dirigit fornicatio: & oportet meminisse præcepti imperatoris: *Fugite fornicationem.* Habet enim aliquid magis timendum, quàm alia scelera. Nam alia quidem peccata videntur abstinere à carne eorum, qui ipsa admittunt: & quod actum est, in eo solo se sistit, quod suscipit actionem: vt in rapinis, eorum est solum damnum, quibus est raptum. In vitio inuidiæ, id erumpit in eos solum, quibus inuidetur. In sycophantijs & calumnijs, si eis fides habeatur, is solus vocatur in periculum, qui eis appetitur. In ijs quoque similiter qui cædem fecerunt, eius est in quem facta est infortunium. Si quis nefariorum factorum persequatur actiones, inueniet eorum quidem qui faciunt iniuriam partem lucrari: eorum autem quibus fit iniuria, damnum accipere. Fornicatio autem non suscipit eiusmodi diuisionem: nec eius qui passus est actionem separat ab eo qui egit: sed vtrumque simul euertit, & colligat communi vinculo pollutionis. Possunt auari cùm alium damno affecerint, ipsi nullo damno affici. Fornicatores autem non possunt corpus probro & dedecore afficere, quinetiam simul cum eo qui probro est affectus, ipsi quoque probro afficiuntur. Ij qui occidunt cædem facientes, fieri potest vt non simul occidantur cum ijs qui sunt interfecti. Fornicatoribus autem, si carnem inquinauerint, non licet esse mundis ab inquinamento. Considera autem mihi hac in re Pauli subtilitatem: *Fugite*, inquit, *fornicationem.* Cur? *Quoniam omne peccatum quod fecerit homo, est extra corpus,* nempe corporis non corrumpens naturam, & non consistens ad membrorum ignominiam, & non completum inquinamento corporis, sed effectum extra damnum corporis quod id egit. *Qui autem fornicatur in proprium corpus peccat,* non sicut homicida in alienum, inuulneratum suum corpus conseruans. Non sicut auarus in alterum suæ carnis cauens offensionem: sed ipse sui corruptor fornicatur, configitur ipse telo suæ infamiæ. Fur vt alat corpus, audet aggredi facinus. Fornicator autem suæ carni parat insidias, vt eam deprædetur. Auarum ad rapinam incitat lucri appetens cogitatio. Fornicatio autem damnum honestatis corporis. Inuidia struit facinus, cùm amicus esse censeatur, &c. Fornicator autem peccati seruus turpior & ignominiosior, cœnum haurit, ab ipso ordinatus, sordium congerit cumulum, immundo munere fungitur. An non est res grauis & terra volutari in cœno, turpitudine ali, habere corpus non differens à panno? Quænam enim est panni & fornicatoris differentia? Eo quòd à pietatis sit abscissus corpore, quotidiana corrumpitur putredine. In vijs peccati proiectus, iacet tanquam pannus inutilis, & ab omnibus conculcatur dæmonibus. In eo diabolus suam subigit, & imprimit putrefactionem. Ea autem, quæ cadit sub intelligentiam fornicatoris, miseria & infelicitas, non est minor ea, quæ est aperta & manifesta. Est enim in ædibus fugiendus, in congressibus abominandus, contumelia appropinquantibus, inimicis opprobrium, cognatis probrum ac dedecus, ijs, qui simul habitant, execrandus, dolor parentibus, familiæ publicum ludibrium, vicinis ridicula narratio. Si velit vxorem ducere, reijciendus. In matrimonio suspectus sponsus, pater filijs odiosus, despicabilis consiliarius, largiens ingratus, petens ingratior, mortuus magis laborans

infamia.

infamia. Tantæ malorum multitudinis matrem videns Paulus fornicationem, victricem nobis modò præcipiens fugam, clamabat: *Fugite fornicationem.*

Epiphanius. 380.

Hæresi 64. Qui scortatur, in proprium corpus peccat. Fastus enim, & incredulitas, & iracundia, & simulatio, animæ peccata sunt; scortatio verò & stimulus, & delitiæ, corporis: cum quibus neque anima ad veritatem subuolabit, neque temperantiæ dogmatis subijcietur: sed ambo dilabentur à regno Christi.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia in Psal. 49. *Et cum in adulteris portionem tuam ponebas*, veniens ad id quod maius est. Illud enim hoc longè minus est. Quidam autem hęc peccata inter se conterens, sic dixit:
Prou. 6. Non est mirum si quis furans deprehensus fuerit: furatur enim, vt animam suam impleat esurientem. Si huic ergo ignosci non potest, multo magis nec adulterio. Adulterium enim hîc vocat fornicationem. Si videris ergo aliquem eorum, qui tecum congregantur, fornicantem, & ad Sacramenta accedentem, dic
1. Cor. 11. ei, qui est minister distributionis eorum: Hic est indignus Sacramentis, arce profanas manus. Si enim ne iustitias quidem enarrare dignus est, considera quò eius procedet punitio, quando sacram etiam mensam ausus fuerit attingere: non solùm autem eius, sed illius etiam qui adumbrat ac prætexit.

Homil. 41. *in Matthæum:* Sicut castitas via est quæ ducit ad Christum, & misericordia, cæteræqúe virtutes: sic fornicatio via est, quæ ducit ad diabolum, & auaritia, cæteræqúe species malæ.

In Ioannem Homil. 62. Sanctificationem continentiam appellat, vt vnusquisque sua contentus sit vxore, neque alienam quærat. Qui sua contentus non est, saluus esse non potest: sed necessariò peribit, etiamsi innumera bona opera fecerit. Fornicando impossibile est intrare in regnum cælorum: imò non fornicatio hæc, sed adulterium. Quemadmodum enim alligata viro, si alium co-
Matt. 5. gnoscit, adulteratur: ita alligatus vxori, si aliam habet, adulterij reus est: hic non hæreditabit regnum cælorum, sed in gehennam intrudetur. De
Esa. 66. his inquit Deus: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Nullam enim veniam consequitur, qui capta vxore, post hoc carnis remedium alienæ iniuriatur: hoc enim lasciuia est, &c. Graue malum est fornicatio, graue inquam, & immortale afferens supplicium, & in hac vita innumera secum mala trahit. Cogitur enim vitam miseram & infelicem viuere, qui hoc morbo afficitur. Neque meliori loco res suæ sunt, quàm eorum, qui supplicijs distrahuntur. Alienam domum trepidus & formidolosus ingreditur, omnia timet, & seruos, & liberos. Quare hortor vos hoc morbo dissoluatis, quod si non placet, nolite hæc sacra ingredi penetralia. Siquidem minimè oportet scabiosas & morbidas oues in sanarum & bene valentium grege versari, sed ab ouili exigendæ sunt, quoad bonam recipiant valetudinem. Membra Christi sumus, nolimus fieri meretricis. Non est locus hic lupanar, sed Ecclesia. Si membra meretricis habes, abesto ab Ecclesia, ne pręsentia tua fordescat.

In 1. ad Corinth. Homil. 18. *Fugite fornicationem.* Non dixit, abstinete à fornicatione, sed *fugite*: hoc est, studium ponite, vt à malo liberemini. *Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat:* hoc est minus priore. Sed quoniam ab eo agebatur de fornicatoribus, vndique id extollit, & à maioribus, & à minoribus crimen amplificans. Illud quidem prius dictum est religiosioribus, hoc autem imbecillioribus. Nam hoc quoque est Pauli sapientiæ, pudorem incutere non solùm ex magnis, sed etiam ex minoribus, vt ex eo, quod est turpe & indecorum. Quid verò, inquit, homicida, non manum polluit? Quid verò auarus & raptor? cuiuis est perspicuum. sed quoniam non poterat dici, nihil esse peius fornicatore, aliter id amplificauit, dicens: In fornicatione totum corpus fit sceleratum & execrandum. Tanquam enim incidens in lebetem immunditiæ, sordibusqúe & inquinamento tinctum, sic polluitur. Est autem hic quoque noster mos. Nam ab auaritia quidem, & fraude, & rapina non curarit quisquam ire in balneum, sed citra vllum discrimen redit domum. A concubitu autem cum meretrice, tanquam totus effectus immundus, venit ad lauandum. Ita turpiorem quandam existimationem ex hoc peccato habet conscientia. Atque sunt vtraque quidem grauia, & auaritia, & fornicatio, & inijciunt in gehennam.

In 1. ad Thessalonicenses Homilia 5. Re vera omnibus exitium affert hoc malum: & sic porcus luto plenus, quocunque ingressus fuerit, omnia implet fœtore, & sensus implet stercore: ita etiam scortatio est malum, quod difficulter potest elui. Quando etiam hoc faciunt aliqui, qui habent vxores, quanta est absurditas? *Hæc est autem*, inquit, *voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis à fornicatione*, &c. Vnicuique Deus tribuit vxorem: naturæ constituit terminos, nempe cum vna concubitum. Quamobrem qui est cum altera, concubitus est transgressio, & latrocinium, & quod per auaritiam & plura habendi cupiditatem infertur damnum: imò verò est grauior quouis latrocinio. Non enim adeò dolemus si nostrę exportentur pecunię, vt si nostrum matrimoniale perfodiatur cubile, &c. Hoc non solum est adulterium, quando viro coniunctam corrumpimus mulierem, sed etsi liberam & solutam ipsi alligati vxori, ea res est adulterium. Quid enim si quæ mœchatur non est alligata, tu verò es alligatus, legem es transgressus, iniuria affecisti carnem tuam. Nam cur, dic mihi, vxorem punis, si scortata fuerit cum soluto, & qui non habet vxorem? quoniam est adulterium. Quamobrem? Atqui qui cum ea est scortatus non habet vxorem? sed ipsa est viro alligata. Ergo tu quoque alligatus es vxori. Quamobrem & quod à te fit, est similiter adulterium, &c. Qui non didicit scortari, ne adulterium quidem sciet admittere. Qui cum illis autem, nempe cum meretricibus, volutatur, ad hoc quoque citò veniet, etiamsi non cum viro coniunctis, sed cum solutis stupri habeat consuetudinem.

Nilus. 420.

Apud Damascenum in Parallelis libro 3. *cap.* 28. Fornicationis tres summas differentias de Apostoli sententia iam sæpe attulimus, nimirum libidinem, auaritiam, & idolorum cultum. Idem diabolus sæuum etiam ac crudelem amorem suadet, idem ipse postquam ad perpetrandum adulterium quempiam impulerit, nonnunquam intolerandum odium quoddam ciet, non quidem eiusmodi, quod ad bonam pœnitentiam, sed quod ad immanem cædem ducat. Vnde nonnulli post commissum adulterium ei sæpenumerò cum qua rem habuerunt gladio vitam ademerunt. Facilè ille fornicationis aquis demergitur, qui formas pulchritudine præstantes minimè fugit, sed libenter eas intuetur.

Libro de octo vitiosis cogitationibus, cap. de Fornicatione: Cùm te libidinis ardore flagrare sentis, tum ingemiscens his verbis vtere: Heu me miserum, si diabolum Deo, & impuritatem puritati ante-

posi-

posuero: eijcientes me nunc circundederunt me: *exultatio mea erue me à circundantibus me.* Sunt etiam nonnulli, qui fustem quendam accipiant, seque acerrimè feriant, atque ita dolore voluptatem protrudente ac propellente, ardorem eiusmodi restinguant. Libido tuam animam emollit & inficit, ipsiusque principatum in turpem seruitutem transfert, tum corporis vigorem labefactat, atque ad morbos propensum reddit.

Ioannes Cassianus. 420.

Collat. 5. *cap.* 11. Fornicationis genera sunt tria. Primum, quod per commixtionem sexus vtriusque perficitur. Secundum, quod absque fœmineo
Gen. 38. tactu, pro quo Onan Patriarchæ Iudæ filius à Domino percussus legitur, quod in Scripturis sanctis immunditia nuncupatur, super quo Apostolus:
1.Cor.7. *Dico autem innuptis & viduis, bonum est illis, si sic permanserint, sicut & ego: quòd si se non continent, nubant: melius est enim nubere, quàm vri.* Tertium, quod animo ac mente concipitur. De quo Dominus in
Matt.5. Euangelio: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Quæ tria genera beatus Apostolus pari modo extinguenda
Col.3. pronuntians: *Mortificate,* inquit, *membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem,* &c. Et iterum de duobus ad Ephesios: *Fornicatio & immunditia nec nominetur in vobis.* Et ite-
Ephes.5 rum: *Illud autem scitote, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei.*

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 1. *cap.* 234. Quid tu incassum libros gestas, & eorum lectionem, per ea, quæ facis, auersaris? Nam cùm Dominus ipsum quoque curiosum fœminarum conspectum damnet, tu tamen non modò insano pulchritudinum amore flagras, verùm etiam seruilem, vt intellexi, vitam amplexus es, vt qui contubernale scortum acceperis, ac sempiternam ignominiam ames. Atqui te illud Scripturæ
Hebr.13. ob oculos habere oportebat: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus: fornicatores autem, & adulteros Deus iudicabit.* Atque illud consectandum, hoc odiendum. *Horrendum est incidere in manus Dei.* Qui hæc Scripturæ verba attendit, haudquaquam his delectatur, verùm resistit.

*Epist.*296. Natura legitimum concubitum habet: scortatio autem insidiosam rabiem excogitauit. Quamobrem qui iniquo & rabido quodam furore naturæ limites excesserunt, hos legis terror ad pudicitiæ studium erudiuit.

Theodoretus. 450.

Ad 1. ad Corinth cap. 6. *Fugite fornicationem.* Non dicit odio habete, & auersamini; sed fugite, sciens quàm sit acre & vehemens hoc peccatum, & eum, qui ipsum insequitur, erigit, & præcipit, vt insequens fugiat. Quin etiam docet, quàm sit res execranda. *Omne enim peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est. Qui autem fornicatur, in suum corpus peccat.* Qui enim vel innumerabilia alia peccata committit, & iurisiurandi fidem frangit, & maledicto ac blasphemia linguam polluit, & in ea, quæ ad se non pertinent, inuadit, non vsque adeò peccati sensum accipit: Qui autem libidinis seruus fuerit, statim post peccatum malum sentit, & ipsum corpus abhorret, & auersatur, & ideo lauacris etiam vtentes corpus purgant, ea ratione se probrum eijcere existimantes.

In Epitome diuinorum decretorum lib. 5. *cap. de Fornicatione.* Fornicationem autem & omnem intemperantiam tanquam iniquas actiones legique contrarias, prohibemus. Audiuimus enim diuinissi-
Ephe.5. mum Paulum clamantem: *Fornicatio autem & immunditia ne nominetur quidem in vobis, sicut decet sanctos.* Et rursus: *Ne quis fornicator vel prophanus vt Esau.*

Basilius Seleucius. 460.

Oratione 3. *de exuscitatione Lazari:* Dirum execrandumque malum est fornicatio, quod non alio quoque, quàm æterno supplicio mulctatur, &c. Si meretricis membrum effectus es, discedas ab Ecclesia, ne sacrum locum tua præsentia polluas. Quòd si nulla extaret gehenna, si nullum in adulteros supplicium posthac esset constitutum, nihilominus post fœdera illa coniugalia, post tædas & lampadas nuptiales, post sobolis procreationem, post mutuam corporum communicationem, qua fronte alteri te andes adiungere? quomodo ingenti rubore non suffunderis?

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 15. Catholica Ecclesia hæreticum quidem, cùm hæresin priorem toto animo repudiauerit, atque anathematizauerit, suscipit ad sanctorum mysteriorum communionem, & vt idoneum admittit: eum verò, qui in fornicationem lapsus fuerit, confitentem, atque peccatum ipsum omnino deserentem, introrsus suscipiens per annos aliquot eum à venerandis immaculatisque mysterijs ex traditione Apostolica separari permittit.

Isychius Hierosolymitanus. 590.

*Lib.*5. *in Leuiticum cap.*17. Bene seruire idolis fornicationem appellauit: apertè nos docens, quia nostras animas Deus ad salutem despondit, & ideo fornicatio dicitur ab illo discessio. Insuper terret eos, qui in carne fornicantur, & docet quale est fornicationis peccatum, vt idolorum cultum fornicationem, & ad dæmones confugium nominaret.

Antiochus. 600.

Homilia 19. *de Fornicatione:* Fornicationis affectus multifidus quidem ex familiari cooritur & surgit mulierum consuetudine. Nullo enim negocio assentatrix illa & illex congressio procacium mulierum se hominis inserit cordi, illecebra veteratoriæ artis perquàm plena. Neque id simplex malum, cùm fornicationis dæmonem duplicem esse constet. Est enim qui aduersus animam, est & qui aduersum corpus conspiret. Istius rei gratia agon duplex nobis excipiendus aduersus impurum hunc. Neque enim sustinendo huic conflictui satis fuerit corporale ieiunium, solum si adsit, vt hoste triumphato palmarium reportes perfectæ sobrietatis & castimoniæ. Etenim necesse sit adsint hæ comites, cordis contritio, deprecatio iugis ad Deum, crebra meditatio Scripturarum. His adde laborem, & manuariam industriam. Sanè possunt hæc insolescentes atque importunos animi motus supprimere.

Maximus Monachus. 640.

De Charitate Centuria 2. *cap.* 19. Grauis scortationis dæmon est, & vehementer eos infestat, qui contra affectus nauiter pugnant, maximè verò in victus rationis negligentia, & mulierum conuersationibus. Etenim fraudulenter irrepens, voluptatis illecebris decipit animum, ac deinceps memoriæ securi & incauti se insinuat, & corpus cupiditate inflammans, & varias formas animo exhibens, ad peccandi propositum eundem pelliciendo irritat: has si nolueris in animo tuo multum morari, ad ieiunium, laborem, & vigilias conferas te necesse est, neque non honestam mentis tranquillitatem spectes oportet, indesinenter precando.

Anastasius Nicenus. 850.

Quæstio-

Quæstione 8. Quot modis fiant fornicationes, & tentationes in hominibus: Quemadmodum dicunt Patres, vitia oriuntur ex quatuor: nempe ex naturali inflammatione, quæ accenditur ex nimio potu & cibo, & ex longo somno: & aut ex animi superbia ac elatione: aut ex inuidia dæmonum, quando nos viderint proficere secundum Deum: fieri etiam potest, vt ex virtutis debilitate & imbecillitate quispiam sustineat somnium. Feri autem rursus quoque potest, vt ex mala carnis consuetudine compellatur ad pollutionem & fornicationem. Duo enim sunt sunt fluxus, qui consistunt ex corpore. Vnus quidem qui sæpe polluit & inquinat: & vnus qui sanctificat: nempe semen & lachryma. Et quomodo *omne peccatum, quod facit homo, est extra corpus: Qui autem fornicatur*, tamquam ex sua carne maligno offert hostiam, nempe suum semen, &c. Ego certè vidi viros, centum annos natos, imbecillos, & toto ferè trementes corpore, qui tamen non potuerunt abstinere à peccato corporali propter diuturnam consuetudinem. Ita omnibus malis est grauior, & omnium malorum pessima consuetudo. Et ideò suadens dicit Apostolus: *Deponamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, tanquam in die honestè ambulemus: non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs*, &c. Sed sciendum est, quòd sunt multa & diuersa apud iustum iudicem iudicia, & quas facturus est punitiones in eos, qui peccant in sua corpora, &c. Aliud est iudicium eius, qui fornicatur in iuuentute: aliud eius, qui in senectute, &c. Aliter punitur is, qui secundùm naturam vtitur natura: & aliter, acerbè & plusquàm quoduis peccatum, punietur is, qui præter naturam id agit, quod Sodomitis attulit interitum, quod nerationis quidem expertia faciunt animantia.

Theophylactus. 900.

In 1. Corinth. 6. Fornicatione totum corpus coinquinatur: vnde & ad balneas accurrere solent qui fornicati sunt, ceu corpore iam polluto. In ipsum itaque corpus delinquit scortator, contaminans ipsum, sordibusquè conspurcans. Ac etiamsi cædes per corpus fieri videatur, non omnino tamen corpus coinquinat. Nam verisimile est lapide petere, vel ligno, vel alio quopiam instrumento, & non inquinari corpus: fornicationem autem circa corpus perficere, impossibile est: vnde necessariò etiam coinquinatur.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Lib. de pudicitia cap. 1. Nec enim mœchia & fornicatio de modicis & de medijs delictis deputabuntur, vt vtrunque competat, & solicitudo quæ præcauet, & securitas quæ indulget. Sed cùm ea sint, quæ culmen criminum teneant, non capiunt & indulgeri quasi modica, & præcaueri quasi maxima.

Cap. 4. Reliquas libidinem furias impias, & in corpora, & in sexus vltra iura naturæ, non modò limine, verùm omni Ecclesiæ tecto submouemus, quia non sunt delicta, sed monstra.

Capite 5. Ergo mœchia, quod etiam fornicationis est res, secundùm opus criminis quanti æstimanda sit sceleris prima lex Dei præstò est. Siquidem post interdictam alienorum Deorum superstitionem, ipsorumquè idolorum, fabricationem: post commendatam Sabbathi venerationem: post imperatam in parentes secundam à Deo religionem: nullum aliud in talibus titulis firmandis mouendisquè substruxit præceptum, quàm: *Non mœchaberis.* Post spiritalem enim castitatem sanctitatemquè, corporalis sequebatur integritas. Et hanc itaq; muniuit, hostem statim eius prohibendo mœchiam. Quale delictum iam intellige, cuius cohibitionem post idololatriam ordinauit. Nihil secundùm longinquat à primo. Nihil tam proximum primo, quàm secundum. Quod fit ex primo, aliud quodammodò primum est. Itaque mœchia affinis est idololatriæ.

Exo. 20.

Cyprianus. 250.

Lib. 3. ad Quirinum cap. 63. Graue delictum esse fornicationis, Paulus ad Corinthios: *Omne delictum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est: Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.*

1. Cor. 6.

Lactantius. 370.

Diuin. Instit. libro 1. de falsa religione, cap. 17. Quid loquor obscœnitatem Veneris omnium libidinibus prostitutæ, non Deorum tantùm, sed & hominum? Hæc ex famoso Matris stupro genuit Harmoniam: ex Mercurio Hermaphroditum, qui est natus Androgynus: ex Ioue Cupidinem: ex Anchise AEneam: ex Bute Erycen: ex Adone quidem nullum potuit, quòd etiam tum puer ab apro ictus, occisus est. quæ prima (vt in historia sacra continetur) artem meretriciam instituit, auctorq; mulieribus in Cypro fuit, vti vulgò corpore quæstum facerent. Quod idcirco imperauit, ne sola præter alias muleres impudica, & virorum appetens videretur. Etiamne habet hæc aliquid numinis? cuius plura numerantur adulteria, quàm partus.

Epitome diuinarum institutionum capite 4. Tres affectus sunt, &c. Ira, quæ vindictam cupit: auaritia, quæ desiderat opes: libido, quæ appetit voluptates. His vitijs resistendum est, hæ stirpes eruendæ, vt virtutes seri possint.

Cap. 5. Libido extra legitimum thorum non euagetur, sed creandis liberis seruiat. Appetentia enim nimia voluptatis & periculum parit, & insaniam generat, & (quod est maximè cauendum) mortem incurrit æternam.

Hilarius. 350.

In Psalm. 125. Cui libido domina est, in quo cœno dedecoris volutatur? pendet ad occasiones adulteriorum: anxius circa lasciuiæ suæ feruorem, oculis, mente, corpore totus in scortis est. Videns quotidie atque audiens humanas in adulteros leges, adulterium in ipso foro cogitat: quod agit, timet: & quod timet, non fugit.

Ambrosius. 370.

Libro 1. de Cain & Abel capite 5. Vini ebrietas fomes libidinis, quo per carnes vaporantur interna viscera, animus ignescit, anima exuritur. Sæuus criminum stimulus libido est, quæ nunquam manere quietum patitur affectum. Nocte feruet, die anhelat, de somno excitat, à negotio abducit, à ratione reuocat, aufert consilium, amantes inquietat, lapsos inclinat, castis insidiatur, potiendo inflammat, vsquè accenditur. Nullus peccandi modus, & inexplebilis scelerum sitis, nisi morte amantis extingui non potest. Et ideo ait Apostolus: *Fugite fornicationem*, vt veloci fuga tanquam furiosæ dominæ declinare sæuitiam, & tetro seruitio exire possimus. 1. Cor. 6.

De Noe & Arca, cap. 9. Nihil est quod tam miserè seruituti subijciat hominem, quàm libido, atque eiusmodi cupiditates, quæ iugo quodam criminum graui deprimunt miseram conscientiam, vt se nequeat attollere, vtpote quæ libertatem innocentiæ amiserit.

Digitized by Google

Dei. Templum intras, templum exis, templum in domo tua manes, templum surgis. Vide quid agas, vide ne offendas templi habitatorem, ne deserat te, & in ruinam vertaris. *Nescitis*, inquit, *quia corpora vestra* (& hoc de fornicatione loquebatur Apostolus, ne contemnerent corporalia peccata) *templum in vobis est Spiritus sancti, quem habetis à Deo, & non estis vestri?* 1.Cor. 6.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Ad Euangelium Feria 4. post primam Dominicam Quadragesimæ: Luxuria, fornicatio, voluptas, superbia, auaritia, discordia, omnisque immunditia, ornamenta diaboli sunt.

Prosper. 450.

Lib. 3. de vita contemplatiua cap. 6. Plerosque gula & abundantia vini turpiter in luxuriam soluunt: alios in iniuriam pudicitiæ sordidæ cogitationes incendunt: nonnullos de proposito castitatis occasiones oblatæ deijciunt: quosdam sub impudicitiæ iugum exempla perditè viuentium mittunt. Sunt alij, quorum vitam lingua turpis inflammat, aut turpem conscientiam manifestat: qui prius inuerecundos sermones aut proferunt libenter, aut audiunt, ac deinde paulatim morbo crescente ab honestate deficiunt, attritoque pudore viles effecti, dum indecenter elegantes videri volunt, passim iam turpibus verbis impudenter insaniunt. Hoc enim loquuntur quique, quod diligunt: & delectabiliter audiunt, quod assiduis cogitationibus voluunt, &c. Qui nisi concupiscentiæ morbo corrupti essent, nunquam vel loquerentur talia, vel audierent: quia non eos ista corrumpunt, sed corruptos ostendunt. Ac ne me ista veraciter arguentem quisquam iudicet arguendum, nouerit propter hoc fortè ab antiquis fuisse decretum, ne qui adolescentium legerent Geneseos librum, ac patrem pariter Ezechielis Prophetæ, vel Canticum Canticorum, & cætera talia, in quibus generationes, & actus, & nomina quarundam scripta sunt mulierum. Quas licet secundùm historiam fuisse credamus, earum tamen nominibus virtutes figuratas accipimus: quoniam sicut illæ non solùm viris suis per sanctos mores, sed etiam extraneis sine dispendio sui pudoris ob nimiam pulchritudinem placuerunt, ita sanctæ virtutes & suos mirabiles omnibus reddunt, & extraneos quadam admiratione sui perstringunt. Hinc est quòd & ipsi, qui vitiosè viuunt, virtutes vitijs anteponunt: quia aliud est quod faciunt morbo, aliud quod coguntur probare iudicio. Sed ne fortè hæc spiritualia secundùm carnem adhuc carnales acciperent, nec virtutes cogitarent, quas mulieres illæ significant, sed ipsas cogitando carnaliter deperirent, consultò iuniores legere sunt illa prohibiti, quæ sicut spiritualiter accepta viuificant, ita carnaliter intelligentibus ipsa carnalis intelligentia occasiones carnalis concupiscentiæ subministrat. Earum quisque nomina frequenter habet in ore, quarum desideria vulnerato gestat in corde: aut turpitudinem, quam exercere verecundatur in facto, tenet in animo, reus non humano iudicio, sed diuino.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 16. Dicit aliquis, iuuenis sum, & ideo voluptatem vincere, & libidinem superare non possum. Si te non potes continere, audi Apostolum dicentem: *Melius est nubere, quàm vri.* Cùm enim vxorem ducere liceat, & concubinas habere, vel adulterium perpetrare non liceat, quare vis exercere quod non licet? Nullus magis illicita vitare debet, quàm qui respuit, quod libet. 1.Cor.7.

Apud Bedam in Scintillis, cap. de Fornicatione: Contra reliqua vitia nos omni virtute oportet resistere: contra libidinem verò non expedit repugnare, sed fugere.

Saluianus Massiliensis. 480.

De prouidentia Dei lib. 7. Inter pudicos barbaros impudici sumus. Plus adhuc dico, offenduntur barbari ipsi impuritatibus nostris. Esse inter Gothos non licet scortatorem Gothum, soli inter eos præiudicio nationis ac nominis permittuntur impuri esse Romani: Et quæ nobis rogo spes ante Deum est? Impudicitiam nos diligimus, Gothi execrantur: puritatem nos fugimus, illi amant: fornicatio apud illos crimen atque discrimen est, apud nos decus. Et putamus nos ante Deum posse consistere? Putamus nos posse saluos esse, quando omne impuritatis scelus, omnis impudicitiæ turditudo à Romanis admittitur, & à barbari vindicatur? Hic nunc illos requiro, qui meliores nos putant esse quàm barbaros.

Boetius. 500.

De Scholastica disciplina: Meretrix nonaria est inferni ianua, via iniquitatis, scorpionis percussio, viscarium scelerum, puteus interitus.

Gregorius Magnus. 590.

Parte 3. Pastoralis curæ cap. 28. Admonendi sunt cœlibes, ne sine damnationis iudicio misceri se fœminis vacantibus putent. Cùm enim Paulus fornicationis vitium tot criminibus execrandis inseruit, cuius sit reatus indicauit, dicens: *Neque fornicatores, neque idola seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* 1.Cor.6.

Isidorus Hispalensis. 620.

Libro 2. de Summo bono capite 39. Vnusquisque suæ deputet culpæ, quòd cecidit, quoties libidine vincitur: quia nisi præcessisset latens superbia, non sequeretur libidinis manifesta ruina. Luxuriosis atque superbis dæmones plus fautores existunt, dumque in cæteris vitijs spiritus maligni deseruiunt, his tamen maiori familiaritate iunguntur, ijsque amplius iuxta eorum desiderium famulantur. Principaliter his duobus vitijs diabolus humano generi dominatur, id est, superbia mentis, & luxuria carnis. Qui delectationem refrænat libidinosæ suggestionis, non transit ad consensum libidinis. Citò enim resistit operi, qui titillanti consensum non accommodat delectationi. Antequam perficiatur adulterium in opere, iam extat adulterium in cogitatione. Ex corde enim primùm fornicationes sunt auferendæ, & non prorumpunt postea in opere. Hinc est quòd per Prophetam dicitur: *Accingite lumbos vestros super vbera vestra*, hoc est, in corde libidines resecate, quæ ad lumbos pertinent. Nam cor sub vberibus est, non in lumbis. Libidinis immoderata licentia nescit habere modum. Nam dum se vitiosus animus inexplenda fornicatione carne luxuriante laxauerit, nihilo minus ad alia nefanda scelera suadentibus dæmonibus transit: denique cùm immoderatè metas pudoris excesserit, crimen criminibus adijcit, paulatimque ad deteriora procedit. Non ita suauis est amantium, imò amentium incerta carnis libido, sicut experta: nec ita delectat fornicatio, dum primùm committitur: nam repetita maiorem delectationem ingerit. Iam verò si in vsum venerit, tantò perditis dulcior fit, vt superare difficile fit. Vnde & sæpe ex consuetudine delinquendi quasi captiui ad peccandum cum quadam violentia trahimur, sensusque nostros contra rectam volunta- Esa. 32.

tem in nobis rebellare sentimus. Inter cætera septem vitia fornicatio maximi est sceleris, quæ per carnis immunditiam templum Dei violat, & tollens membrum Christi, facit membrum meretricis. Maximè per carnis luxuriam humanum genus subditur diabolo, quàm per cætera vitia. Dæmones scientes pulchritudinem animæ esse castitatem, & per hanc hominem Angelicis meritis, è quibus illi lapsi sunt, æquari, liuore percussi inuidiæ, inijciunt per sensus corporis opus desideriumque libidinis, quatenus à cælestibus deorsum deiectam animam, pertrahant, secumque, quos vicerint, gloriantes ad tartara ducant. Quando impulsu dæmonum mens ad delectationem fornicationis impellitur, diuini iudicij metus, & æterni tormenta incendij ante oculos proponantur, quia nimirum omnis pœna grauioris supplicij formidine superatur. Sicut enim clauus clauum expellit, ita sæpe recordatio ardoris gehennæ ardorem excludit luxuriæ.

Beda. 700.

In Prouerbia Salomonis libro 1. capite 6. *Pretium scorti vix vnius est panis.*) Recordare, quia breuis voluptas fornicationis, & perpetua est pœna fornicatoris. Sicut enim vnus panis diuturnam effugat esuriem, & nihilominus postmodum esurit, qui comesto pane saturatus abscesserat: sic qui intrat ad scortum, ad horam quidem eua portat libidinem, sed post paululum ardentior redit.

Alcuinus. 760.

Libro de diuinis officijs capite 13. De luxuria, quæ à luxu nomen accepit, & est immunditia corporalis, vnde & luxuriosus, quasi solutus & corruptor dicitur, nascitur cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affatus præsentis seculi, horror autem vel desperatio futurorum. Est autem vitium corporale. De ipso dicit Apostolus: *Fugite fornicationem.* Et idem: *Fornicatores & adulteros iudicabit Dominus.* Hieronymus: Væh illi qui tunc habuerit terminum luxuriæ, quando & vitæ. Diabolus per superbiam & fornicationem omni hominum generi dominatur. Omnibus peccatis fornicatio maior est. melius mori, quàm fornicari. Libido in infernum hominem mergit. Et sciendum quia fornicatores, libidinosi, Sodomitæ, adulteri, incestuosi, constupratores, raptores, molles, masculorum concubitores, immundi, pollutores, impudici, generaliter luxuriosi nominantur. Vnde fornicatio dicitur amor legitimo connubio solutus, & vaga explendæ libidinis consectandæ licentia. De qua scriptum est: *Qui fornicatur, in carne sua peccat:* & maioris est criminis, quia tollit membra Christi, & facit membra diaboli. Libidinosi dicuntur, qui faciunt quod eis libet: sunt enim cupidi voluptatis. Sodomitæ interpretantur exclusores ipsorum. Adulteri dicuntur, quia alterius torum violant, siue polluunt. Incestus dicitur quasi incastus, propter illicitam commixtionem, id est, quicunque cum parente propria, aut sorore, vel vidua, siue nouerca, filia, vel cognata, atque Domino sacrata præsumpserit fornicari. Stupratores dicuntur virginum corruptores. Raptores à rapiendo, qui rapto stupro fruuntur, &c. Stuprum in virgine, adulterium in nupta, incestus in parentibus. Molles sunt effœminati, vel qui barbas non habent, siue qui alterius fornicationem sustinent, &c. Impudici à podice vocantur, putorem enim fœtorem dicimus: siue impudicus, qui turpitudinem flagitio infert.

Libro de virtutibus & vitijs capite 3. Fornicatio est omnis corporalis immunditia, quæ fieri solet ex incontinentia libidinis, & mollitia animæ, quæ consentit suæ carni peccare. Nam anima domina debet esse, & imperare carni, & caro famulari & obedire dominæ suæ, id est, rationali animæ. Quæ fornicatio fit per commixtionem carnis cum fœmina qualibet, vel etiam quacunque immunditia ad explendum libidinis ardorem. De qua fornicatione nascitur cæcitas mentis, inconstantia oculorum, vel totius corporis, amor immoderatus, sæpe periculum vitæ, lasciuia, ioci, petulantia, & omnis incontinentia, odium mandatorum Dei, & mentis eneruatio, & iniustæ cupiditates, negligentia vitæ futuræ, & præsentis delectatio, quæ vincitur per castitatem, & continentiam consuetam, & recordationem ignis æterni, & timorem iudicij, & amorem sempiterni Dei.

Ambrosius Ansbertus. 760.

Libro 2. in Apocalypsin: Dum opus desideratæ voluptatis venerit ad effectum, fit mens vehementius anxia quàm fuerat, & auget in corde flammas libidinis, effectus ipsius perpetratæ commixtionis, seseque ipsam petulans anima non capit libidine cæca. Marcescit spiritus, languescunt & membra, atque vt cæra ante faciem ignis, totus pariter homo liquescit: vnde & rectè ipsa Iezabel fluens vocatur. Quia verò, cùm opus peruersæ actionis in consuetudinem venerit operantis, amittit reuerentiam pudoris, bene Iezabel quoque sterquilinium interpretatur. Dum enim lubrici atque incontinentes assiduitate turpis operationis reuerentiæ frontem perdunt, ex ipsis perpetratæ luxuriæ inquinamentis longè lateque malæ opinionis fœtorem emittunt. De quibus aptè per Prophetam dicitur: *Computruerunt iumenta in stercore suo.* Et de quibus rursum scriptum est: *Quorum carnes sunt carnes asinorum.* Carnes autem fornicantium idcirco asinorum carnibus comparantur: quia non solùm naturalibus, verùm etiam his, qui contra naturam sunt, amplexibus plerunque iunguntur. Ioel. 1. Ezec. 23.

Carolus Magnus. 780.

Libro 6. Legum capite 312. Quòd penè omnibus peccatis grauior & deterior sit fornicatio, & veraciter dici potest laqueus mortis, & puteus inferni, ac vorago perditionis, eò quòd adulteri, vel luxuriosi, propter cordis inopiam perdunt animas suas. Nam vt ait Scriptura: *Pretium scorti vix vnius est panis: & qui se iungit meretrici, vnum corpus efficitur: & qui luxuriatur, mortuus est in corpore viuente.*

Haymo. 820.

Ad caput 6. prioris ad Corinthios: *Fugite fornicationem:* Non dixit, pugnate contra fornicationem, sed *fugite.* Cùm enim multa sint vitia, contra quæ pugnare debeamus, verbi gratia, sicut contra ebrietatem, & gulositatem, abstinendo à nimia potatione vini, & perceptione ciborum, similique modo contra alia, contra fornicationem non præcipitur nobis pugnare, sed fugere: quia nullo modo melius vitari potest. Debemus enim fugere locum, & vitare personas, quibus facilè fornicatio suggeritur, & quærere multitudinem bonorum hominum, quarum reuerentia timeamus fornicationem perpetrare, licet concupiscentia nobis suggerat.

Paschasius Ratbertus. 880.

In vita S. Adelhardi: Videbat & prouidebat iam senex Pater, hoc in tempore miseram humani generis vitam delicijs eneruari, & Iezabel Prophetam se dicere, & seducere seruos Dei, fornicari & manducare de idolothytis, ventris ingluuiem sequi, & libidine coronari. Quia, inquam, monstrum videri posset, si gula sine luxu, aut luxus Apoc. 2.

sine

sine gula regnaret. Heu quàm misera conditio ventris, qui talium affinitate partium coherens, vtroque clauditur fine, & malę felicitatis fastu casso vestitur honore.

Smaragdus. 950.

Ad caput 4. Regulæ D. Benedicti: Sicut castus corde & corpore Angelis & hominibus facit suauem odorem: ita pollutus corde & corpore vbique horridum spargit fœtorem. Castus enim puritatis virtute nitescit, pollutus sordibus immundis fœtet. Castus & purus sanctis coniungitur Angelis, immundus immundis sociatur dæmonibus. Pollutum polluti dæmones mergunt in tartarum: castum verò sancti Angeli suscipiunt in cælum.

Petrus Damianus. 1050.

Epistola 10. capite 4. Cur ô sacerdos, qui sacrum dare, hoc est, sacrificium Deo debes offerre, temetipsum prius maligno spiritui non vereris victimam immolare? Fornicans enim à membris Christi abscinderis, meretricis corpus efficeris, Apostolo attestante, qui ait: *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur.* Et item: *Tollam,* inquit, *membra Christi, & faciam membra meretricis? Absit.* 1.Cor.6.
Quid ergo tibi cum corpore Christi, qui per carnis illecebrosæ luxuriam membrum factus es Antichristi? *Quæ enim conuentio lucis ad tenebras? aut quæ societas Dei ad Belial?* Nunquid ignoras Dei Filium adeò carnis elegisse munditiam, vt ne quidem de pudicitia coniugali, sed de clausula potius incarnatus sit virginali?

Anselmus. 1080.

Ad caput 5. epistol. ad Galatas: Fornicatio vulgariter fit cum meretricibus, quæ prostituebantur sub arcuatis, & loca illa vocabantur fornices, vnde & fornicatio nomen accepit. Fornicatio prima ponitur inter opera carnis: quia nullum peccatum ita redigit animam ad carnalitatem, sicut fornicatio. Quoniam misera anima nihil aliud cogitare valet, nisi ea, quæ carnis sunt, quamdiu turpissimo fornicationis opere est occupata. Immunditia verò est, quam mares inter se perpetrant, vel quam solus quis agit. Impudentia ea verò est, quam cognati inter se exercent, alio nomine dicta incestus. Luxuria autem fit cum mulieribus, quæ nec publicæ meretrices sunt, nec legitimæ vxores. In his omnibus apparet quàm magnum & principale vitium sit fornicatio, de qua tot mortiferæ pestes prodeunt.

Rupertus Tuitiensis. 1110.

De operibus Spiritus sancti lib. 5. cap. 13. De fornicatione quidem vnus idemque omnibus sensus est, quia inquinat, & munda conscientia nullatenus admitti potest.

Bernardus. 1130.

Sermone 23. de Fornicatione: Fornicatio carnis, vt ait B. Isidorus, adulterium est. Fornicatio animæ, seruitus idolorum est. Prima fornicatio tela oculorum sunt, secunda verborum, sed qui non capitur oculis, potest resistere verbis. Omnis immunda pollutio fornicatio dicitur, quamuis quisque diuersa turpitudinis voluptate perfruatur. Ex delectatione enim fornicandi variæ gignuntur flagitia, quibus regnum Dei clauditur, & homo à Deo separatur. Inter cætera septem vitia Fornicatio maximum scelus est, quia per carnis immunditiam templum Dei violat: & tollens membrum Christi, facit membrum meretricis. Igitur honesta virgo, si verum est quòd in te Deus viuit, mortua sit in te fornicatio. Luxuria inimica est Deo, & paternæ benedictionis atque substantiæ perditio. Fornicatio non solùm maculat corpus, sed & conscientiam. Qui luxuriatur, quamuis videatur viuens, tamen mortuus est. *Fornicatores & adulteros iudicabit Deus,* id est, damnabit eos. Audi igitur soror charissima beati Isidori verba: Fornicatione coinquinari, deterius est omni peccato: fornicatio maior est omnibus peccatis. Fornicatio graue peccatum est, fornicatio omnia mala superat, fornicatio grauior est morte. Melius est mori, quàm fornicari: melius est mori, quàm fornicatione maculari: melius est mori, quàm per fornicationem animam perdere. Luxuria perducit hominem ad pœnas inferni: luxuria mergit hominem in infernum: luxuria mittit hominem ad tartarum. Oculi annuntij sunt fornicationis. Visio est prima occasio fornicationis. Mens enim per oculos capitur. Per oculos intrat ad mentem sagitta amoris: visio oculorum mittit sagittas fornicationis in mentem: oculus est prima sagitta fornicationis. Igitur in Christo soror, reprime oculos tuos, ergo subtrahe visum, &c. Si te caro tua adhuc impugnat, si te adhuc luxuria tentat, si te adhuc libido inuitat, si adhuc memoria fornicationis te cruciat, memoriam mortis tuæ tibi obijce. Finem vitæ tuæ ante oculos adhibe, diem exitus tui propone tibi. Propone tibi futura tormenta, futurum iudicium quotidie cogita: versetur ante oculos tuos imago futuri iudicij. Reduc ad memoriam horribiles pœnas inferni. Ardor gehennæ extinguat in te ardorem luxuriæ. Recordatio æterni iudicij excludat ardorem corporis tui. Flamma inferni inextinguibilis repellat à te memoriam fornicationis: maior ardor minorem ardorem superet. Maior ardor minorem ardorem vincat. Stridor flammarum horribilis amorem depellat libidinis. Sicut clauus clauum expellit, ita sæpè ardor gehennæ emittit foras ardorem luxuriæ.

Hugo Victorinus. 1130.

De proprietatibus & epithetis rerum, c. 10. Luxuria gratuita tollit, animam inficit, corpori morbum paralysis ingerit, & cæcitatem oculis, corpus inquinat, famam deflorat, pecuniam tollit, inimica est proximo, fœtet Deo, placet diabolo, odibilis Angelis, eius ignis descendit in infernum, fumus eius vindictam petens ascendit in cælum.

Guerricus Igniacensis. 1170.

Serm. 5. de Purificatione Mariæ. Post conuersionem nostram muniamus thalamum cordis nostri, ne luxuria rediens introitum inueniat, quæ pestilentia rediens est peior quàm ante fuerat. Nunquam enim sola redit, sed, sicut Dominus ait in Euangelio, *assumit septem spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Matt.12.
Hæc est pestis illa, quæ corpus Christi dimembrat, quæ de membris Christi facit membra diaboli. 1.Cor.6.
Nam qui adhæret alicui personæ causa libidinis explendæ, vnum corpus fit cum illa persona, & fit membrum diaboli, cuius & illa membrum est, per coniunctionem malorum operum. Hæc est illa pestis, quæ ignem infernalem in corpus humanum accendit, vt vegetum fit & robustum ad libidinem explendam, quæ igni illi inextinguibili materiam semper apponit, & vires ministrat, vt de suo semper habeat, vnde sine fine ardeat.

Adelredus 1200.

In speculo amoris, cap. 6. Libidinum sordibus oblectari, ac instar immundissimæ suis in cœno turpitudinis volutari, sicut nil turpius, nil fœdius, nil magis erubescendum, nil tam confusione dignum, nil profectò, nil magis inquietum, nil ita omni quiete ac tranquillitate vacuum. Nam de eius fœditate quid dicendum, cùm hæc sordidissima lues & carnem contaminet, & mentem effœminet?

Innocentius Tertius. 1200.

De contemptu mundi libro 2. cap. 21. O extrema libidinis turpitudo, quæ non solùm mentem effœminat, sed etiam corpus eneruat: non solùm maculat animam, sed fœdat personam. *Omne namque peccatum, quodcunque fecerit homo, extra suum corpus est: qui* 1.Cor.6 *autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Semper illam præcedunt ardor & petulantia, semper comitantur fœtor & immunditia, sequuntur semper dolor & pœnitentia.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica 6. post Epiphaniam: Libidinis iugum grauissimum est, in qua velut in altero inferno sunt fœtor, ardor, vermis malæ conscientiæ. Appetitus enim eius plenus est anxietate, satietas plena pœnitentia, vt ait Boëtius. Luxuria enim futura excruciat, præsens non satiat, præterita non delectat. Caro enim luxuriosa non sinit animam quiescere, &c. Luxuria primò *blandè ingreditur, sed in fine mordet vt coluber. & quasi regulus venena diffundit.* Diabolus coluber dicitur, quasi colens lumbos, in quibus est sedes luxuriæ. Hoc est grauissimum iugum: hoc enim vitio spiritus à carne absorbetur, & quasi totus caro efficitur, dum putrescunt iumenta in stercore suo.

Cæsarius Heisterbachius. 1220

Lib. 4. cap. 92 Luxuria est ex immundis desiderijs lubrica & effrenata mentis & carnis prostitutio. Huius filiæ sunt amor sui, odium Dei, affectus præsentis seculi, horror vel desperatio futuri, præcipitatio, inconstantia, inconsideratio, cæcitas mentis. Gradus luxuriæ sunt fornicatio, stuprum, adulterium, incestus, contra naturam. Luxuria diluuij permaxima causa fuit. Ipsa Pentapolim sulphure & igne consumpsit. Luxuria Ioseph sanctum incarcerauit: ipsa multos filios Israel in deserto prostrauit. Hoc factum est, quando peccantes cum Madianitis initiati sunt Beel Phegor. Luxuria Samsonem fortissimum ligauit, infirmauit, exoculauit. Ipsa & filios Heli gloria sacerdotij, simulq́ue vita priuauit. Dormiebant enim cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi. Luxuria Dauid electum Domini adulterum fecit, & homicidam. Ipsa Salomonem infatuans sapientissimum perduxit ad idololatriam. Luxuria Susannam condemnauit, Ioannem Baptistam decollauit.

Guilhelmus Aluernus, 1230.

De tentationibus & resistentijs, cap. 4. Fugienda est fornicatio, vt spurcitia abominabilis, & hoc auersis oculis, & obturatis naribus, quemadmodum à spurcitijs corporalibus facere consueuimus, nec sine expuitione, siue execratione recedere: hoc enim profuit aliquibus viris sanctis. Quoties enim diabolus ante oculos cordium eorum ponebat spurcitiam fornicationis, huiusmodi gestus corporum exercebant, hoc est, oculos claudebant, nares obturabant, ore spuebant, in abominationem huiusmodi spurcitiæ vultus auertebant, facies rugabant, & proderat eis ad repellendum huiusmodi tentationem.

Thomas Aquinas. 1250.

Secunda 2. quest. 154. art. 2. Absque omni dubio tenendum est, quod fornicatio simplex sit peccatum mortale.

Guilhelmus Peraldus. 1255.

Tomo 2. Summæ de luxuria: Luxuria videtur esse de numero peccatorum illorum, de quibus etiam erubescũt dæmones. Vnde glossa super illud Ezech. 16. *Dabo te in animas odientium de filiarum Palæstinarum, quæ erubescunt in via tua scelerata.* dicit, loquens de spirituali Hierusalem. Tanta miseriæ Hierusalem erit correctio, vt erubescant etiam dæmones nostrorum magnitudinem peccatorum. Cuius ratio esse potest hæc: peccatum diaboli est superbia, hominum verò luxuria, & alia carnalia peccata. Luxuria verò videtur esse turpior superbia, quæ quia minus turpis creditur, minus vitatur. Luxuriam eò magis erubescunt homines, quia omnes turpem nouerunt.

Hugo Pratensis. 1310.

Dominica 2. Quadrag. de epist. A luxuria propter tria cauere debemus, & contra ipsam adhibere remedia opportuna. Primum est Dei contumelia, & displicentia. Nam omnes sumus filij Dei ad eius imaginem creati. Sed nonne vnus rex ad magnum vituperium sibi reputaret, quòd aliquis cum filiabus suis fornicaretur? Certè sic. Quanto magis fornicatio filiorum & filiarum Dei cedit in verecundiam Dei? Secundum est proximi iniuria. Maxima enim iniuria in hoc peccato proximo infertur, & quam proximus magis molestè portat. Nam quod carius habet ab eo aufertur, scilicet mater, filia, soror, vel vxor. Omnem enim fidem, qui hoc vitio laborat, proximo frangit. Vnde Dauid fidelissimũ militem suum, scilicet Vriam, proditoriè occidi fecit propter vxorem eius. Tertium est propria iactura. Mirabilem enim iacturam homo patitur ex hoc vitio. Nam ex hoc vitio perdit homo spiritualia bona, corporalia, & semetipsum. Quod totum in filio prodigo patet, qui dissipauit substantiam suã, & perdidit stolam primam, scilicet virtutes & dona animæ, & seruus dæmonis est effectus, vt patet Luc. 8. Propter hoc luxuria comparatur igni, qui omnia consumit. Iob 31. *Ignis est vsque ad consummationem deuorans.*

Aluarus Pelagius. 1340.

De planctu Ecclesiæ lib. 2. c. 52. Oscula, si ex libidinoso animo fiant, mortale est peccatum, propter deliberatum consensum in actum peccati. Matth. 5. Siue autem natura inclinet, seu non inclinet, (& tamen etiam ad oscula inclinat,) peruersa voluntas, quæ creaturæ delectationem Creatori proponit, est id, quod facit peccare. Matth. 15. *De corde procedunt cogitationes malæ.* &c. Dominus ait Exod. 20. *Non mœchaberis.* Item Apostolus Gal. 5. præmissa fornicatione ait: *Qui talia agunt, regnum Dei nõ possidebunt.* Tobiæ 4. *Præter vxorem tuam non patiaris crimen scire.* 1. Cor. 6. *Qui fornicatur, in corpus suum peccat.* Licet verò nõ tentari sit impossibile, tamen non consentire tentationi per Dei gratiam facile est. Matth. 6. *Ne inducas nos in tentationem.*

Franciscus Petrarcha. 1360.

De remedijs vtriusque fortunæ lib. 2. Dial. 110. *Dol.* AEstu quatior libidinum. *Ratio:* Atqui libidinẽ tropor gignit: gula autem illam parit. Quid miri igitur filiam post parentes sequi? Gulam certè & luxuriam communes vobis esse cum belluis, maximeq́ bestialem vitam vestram facere sapientibus visum est. Itaque cùm sint alia grauiora mala, nullum vilius. *Dol.* Libidine rapior. *Rat.* Quonam verò nisi ad mortem animæ & corporis, & infamem notam, seramq́ pœnitentiam, & fortasse inutilem? I nunc, & raptantem sequere, quæ te tales rapiet ad exitus.

Ioannes Bromiardus. 1400.

Prima parte Summæ capite 7. de Luxuria: Luxuria est omnis immunditia, pertinens ad libidinosam & illicitam delectationem, quocunque modo fiat, siue cordis cogitatione, siue oculorum defectione, siue oris locutione, sicut in turpiloquio, & huiusmodi, siue in quibuscunque alijs motibus, sicut in osculis, tactibus, & amplexibus, & alijs quibuscunque ad delectationem malam pertinentibus.

Ioannes Gerson. 1420.

In Compedio Theologiæ: Si quæratur, an teneamur aliqua credere, quæ non sunt articuli: sicut verbi gratia, fornicatio est peccatum mortale, & consimilia, dici debet quod sic: Oportet enim multa credere, quæ non sunt articuli, maximè ea, quæ articulos fidei præcedunt. Credere enim Deo non est articulus, sed articulos præcedit, & tamen oportet Deo credere, quia antecedit articulos. Vnde cùm credere Deo, sit credere verbis eius, siue sacræ Scripturę, quæ dicit fornicationem esse peccatum mortale, patet quòd, quamuis non sit articulus, oportet illud credere. Et sicut qui negare principia alicuius artis vellet, diceretur hæreticus in illa arte: sic qui negaret fornicationem esse peccatum mortale, vel aliquid quod asserit sacra Scriptura, quod quidem articulos fidei antecedit, hæreticus in fide deberet reputari.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De spirituali animæ interitu lib 1. Ex voraci edacitate gulæ naturæ finibus non contenta emergit pestilentia, luxuria, quæ ex immundis desiderijs veniens, est lubrica carnis & mentis prostitutio. Hæc cùm sit mors animæ, multifariè perficitur, videlicet per fornicationem, per adulterium, per stuprum, per incestus, ac per horrendam contra naturam pollutionem. Equidem vitium hoc adeò est detestabile, vt nedum illud perpetrare, verùm etiam de ipso particulariter loqui verecundum sit, atque deforme. Quis non erubescat propalare obscœnas contrectationes, colloquia impudicissima, meretricia oscula, mollitiei scelera, insatiabilem voluptatem, commixtiones brutorum, & cætera delicta luxuriæ, per quæ polluitur tellus, elementa contremiscunt, denigrantur sidera, cælum clamoribus repletur, & in ipsa humana specie subuertitur quicquid decoris est, quicquid rationis, quicquid honestatis, quicquid meriti, quicquid religionis inseruit gratia, acquisiuitque virtus. Sanè ab hac matre pessima nefariæ oriuntur filiæ, scilicet cæcitas mentis, inconsideratio mortis & extremi iudicij, desideriorum ac cogitationum inconstantia, inordinatus amor sui, præcipitatio operis, odium Dei, affectus præsentis seculi, nec non desperatio futuræ vitæ. Hæc diluuium intulit mundo & sulphureo Sodomam & Gomorrham concremauit incendio.

Bernardinus Senensis. 1440.

Tomo 2. *Serm.* 52. Per tineam, quæ de veste nascitur, & illam consumit, designatur illecebra carnis, quæ de carne nascitur, & illa consumit, non tantum in futuro per gehennam, sed etiam in præsenti per multiplicem culpam, & pœnam.

Baptista Mantuanus. 1500.

Lib. 1. de calamitate suorum temporũ, de Luxuria:

Hac fera Cocyti de tristibus enatat vndis
Ore nitens, animo maculata, simillima sorbo,
Quod nitido tristes claudens in cortice succos
Decipit ignaros, morsuq; venenat amaro.
Illecebris & fraude potens, astuq;, doloq;
Dimicat, & vultu pacem prætendit amico.
Hanc contra certare caue, contendere vinci est,
Vincere terga dare, & retrò vestigia ferre.
Fulget in egregio decor insuperabilis ore,
Ornatuq; iuuat formam, ligat auricolorem
Lutea vitta comam, molles quæ fusa per armos
Leuiter inflexos sensim finitur in orbes.
Candida frons, lateq; patens ad tempora currit.
Clara supercilijs velantur lumina nigris, &c.

ARTICVLVS NONVS.

IRAE, QVIA EST PECCATVM RESISTENDVM.

NEGANT.

PERIPATETICI multis verbis iracundiam laudant: cotem fortitudinis esse dicunt, multoq; & in hostem, & in improbum ciuem vehementiores iratorum impetus esse: leues autem ratiunculas eorum, qui ita cogitarent: Prælium rectum est hoc fieri: Conuenit dimicare pro legibus, pro libertate, pro patria. Hæc nullam habent vim, nisi ira excanduit fortitudo. Nec verò de bellatoribus solùm disputant: imperia seueriora nulla esse putant, sine aliqua acerbitate iracundiæ. Oratorem denique non modo accusantem, sed ne defendentem quidem probant sine aculeis iracundiæ, quæ etiamsi non adsit, tamen verbis atque motu simulandam arbitrantur, vt auditoris iram oratoris incendat actio. Virum denique videri negant, qui irasci nesciat: eamq; quam lenitatem nos dicimus, vitioso lenitudinis nomine appellant. Nec verò solùm hanc libidinem laudant, (est enim ira, vt modò definiui, vlciscendi libido,) sed illud ipsum genus vel libidinis, vel cupiditatis ad summam vtilitatem esse dicunt à natura datum. Cicero Tusculanarum Quæstionum lib. 4.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Iob 5. *vers.* 2. Virum stultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia.
Psalm. 4. 5. Irascimini, & nolite peccare.

Prouerb. 12. 16. Fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat iniuriam, callidus est.

Prouerb. 15. 1. Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem. 18. Vir iracundus prouocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas.

Prouerb. 18. 6. Labia stulti miscent se rixis, & os eius iurgia prouocat.

Prouerb. 26. 21. Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem: sic homo iracundus suscitat rixas.

Prouerb. 27. 3. Graue est saxum, & onerosa arena: sed ira stulti vtroque grauior. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati spiritus ferre quis poterit?

Prouerb. 29. 22. Vir iracundus prouocat rixas: & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum procliuior.

Ecclesiastis 7. 9. Melior est patiens arrogante. 10. Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit.

Ecclesiastici 8. 19. Cum iracundo non facias rixam, & cum audace non eas in desertum: quoniam quasi nihil est ante illum sanguis, & vbi non est adiutorium, elidet te.

Ecclesiastici 28. 1. Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit. Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Homo homini reseruant iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam: & de peccatis suis deprecatur? Ipse dum caro sit, reseruat iram: & propitiationem petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius? Memento nouissimorum, & desine inimicari. Tabitudo enim & mors imminent in mandatis eius. Memorare timorem Dei, & non irascaris proximo. Memorare testamentum Altissimi, & despice ignorantiam proximi. Abstine te à lite, & minues peccata, homo enim iracundus incendit litem, & vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam. Secundùm enim ligna syluæ, sic ignis exardescit: & secundùm virtutem hominis, sic iracundia illius erit, & secundùm substantiam suam exaltabit iram suam. Certamen festinatum incendit ignem: & lis festinans effundit sanguinem: & lingua testificans adducit mortem.

Ecclesiastici 30. 26. Zelus & iracundia minuunt dies.

Matth. 5. 23 Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.

Ephes. 4. 26. Sol non occidat super iracundiam vestram. 31. Omnis amaritudo, & ira & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia.

Coloss. 3. 8. Nunc autem deponite & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. 12. Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis si quis aduersus aliquem habet quærelam, sicut & Dominus donauit vobis ita & vos.

Iacobi 1. 19. Sit autem omnis homo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Hermas. 100.

Mandato 5. Aequanimis (inquit) esto & patiẽs, & omnium operum nequissimorum dominaberis, & operaberis omnem iustitiam. Quòd si patiens fueris, Spiritus sanctus, qui habitat in te, mundus erit, & non obscurabitur ab aliquo nequissimo spiritu, sed gaudens dilatabitur, & epulabitur in vase, in quo inhabitat, & apparebit Domino hilaris in pace magna. Quòd si iracundia aliqua superuenerit, continuò Spiritus sanctus, qui in te est, angustiabitur, & quæret discedere. Suffocatur enim aspectu nequissimo, & non habet locum apparendi Domino, sicut vult: tribulatur enim ab iracundia.

Origenes. 230.

Homilia 7. *in Leuiticum*: Iracundia inebriat animam, furor verò eam plus quàm ebriam facit.

Homilia 2. *in Psalmum* 36. Iracundiæ durum & acutum vitium inflammat, & exagitat etiam eos, qui videntur esse sapientes. Vnde & Salomon in Prouerbijs dicit: *Ira perdit etiam prudentes.* Idem: Noli, inquit, mirari, si insipientem, si malum, si infidelem iracundia inflammat, quia frequenter etiam bonos & prudentes viros ira exagitat. Est ergo hoc peccatum vnum ex illis, quod ad ædificium deferet ligna, fœnum, & stipulam, & necesse 1. Cor. 3.
est huiusmodi materias (sicut scriptum est) per ignem probari, ita vt permaneamus tamdiu in igne, donec de nobis ligna iracundiæ consumantur, & fœnum indignationis, & stipula verborum, eorum videlicet, quæ huiusmodi vitijs exagitati protulimus.

Athanasius. 340.

Libro de Virginitate: Non retinebis offensam alicuius in corde tuo, alioqui precatio tua non purè Ephes. 4
ascendit. Non enim occidet sol in ira tua. Mansuetudinem retine, tolerantiam, longanimitatem, clementiam.

Ephram.

Ephræm. 360.

Tom. 2. de humilitate comparanda: Contendere ac propriam voluntatem ostendere turbas excitat, & iracundiam insanabilem: ira autem in sinu quiescit impiorum, & vis iræ eius ruina est ipsi. Vnde & Apostolus admonet, dicens: *Seruum Domini non oportet contentiosum esse.* 2. Tim. 2

Basilius Magnus. 370.

Homilia 10. quæ est de ira: Quando semel iræ perturbatio mentem præcipitans imperium animæ sumpserit, hominem penitus in feram conuertit, nec hominem qui rationis sit compos esse sinit. Quod enim venenum virus emittentibus erit, hoc item & furor animo irritatis ac perturbatis. Impetu feruntur, insiliunt, rabie vt canes afficiuntur, punguntur vt scorpij, mordent vt serpentes. Nouit & Scriptura eos, qui hoc vitio tenentur, ferarum appellatione vocare, quibus sese ob peruersitatem similes ac familiares reddiderunt. Nam & canes, & serpentes, & genimina viperarum, & his similia nominat. Qui enim ad mutua inter se eiusdem generis parati sunt inferenda incommoda, iure feris ac venenatis ascribi possunt, quibus ex natura continuum aduersus homines odium inest. Effrænes linguæ, ora incustodita, incontinentes manus, contumeliæ, probra, accusationes, verbera, & alia eiusmodi quæcunque quis enumerare poterit, iræ sunt ac furoris fructus. Ob iram ensis acuitur, mors homini ex homine venit, fratres inter se ignorantur, parentes ac liberi naturæ obliuiscuntur. Sed & ante omnia seipsos haud agnoscunt irati, deinde neque quotquot habent necessarios. Quemadmodum enim torrentes ad curua loca decurrentes secum obuia quæque trahunt: sic & iratorum impetus violenti & instabiles, omnia similiter percurrunt atque obruunt. Non eis senectus venerabilis, non vitæ virtus, non generis propinquitas, non acceptæ iam gratiæ, non denique quicquid aliud quamuis æstimandum in honore est. Momentanea quædam insania est ira. Quin & maximum se in malum sæpius conijciunt, & studio vindicandi seipsos negligunt. Eorum namque memoria quibus læsi sunt, velut œstro quodam incitati, & animo exacerbato atque æstuanti non prius desinunt, quàm incommodum aliquod infestanti infligant: vel ipsi (si id contingat) accipiant: quemadmodum sæpe euenit, vt quæ per vim tentata sunt, plus accipiant incommodi, quàm inferant. Quis enim in ea se mala conijceret, quæ ira feruidi homines quauis occasione vociferantes & exasperati subeunt atque tolerant? Nam & omni fera venenata impudentius ruunt, nec prius desistunt, quàm aliquo magno malo & intolerabili, ira intumescente, æstuantem exatient animum. Neque enim ensis acies, neque ignis, neque horrendum aliquid animum ira intumescentem ac furentem satis compescere valebit, non magis quàm à dæmonibus detenti, à quibus irati nihil, nec forma, neque animi affectu differunt. Nam ijs, qui ad vindictam anhelant, ita quidem circum præcordia sanguis feruet, quasi vi ignis ebulliat & exæstuet. Supernè verò accensa facie alio aspectu visendum exhibet iratum, eam formam, quæ omnibus consueta est & nota, quasi larua quadam, vt in scena fieri solet, prorsus immutans: oculi consueti non apparent, sed ignei micantesque: dentes acuunt, veluti sues grassantes: vultu sunt liuenti sanguine suffuso. Oris tumore increbescente venæ ob turbati intra viscera spiritus angustiam disruptæ. Vox aspera & intensa, sermo inconstans & confusus, ac temerè cadens, nec concinnè, nec significanter, ne ex parte quidem prolatus. Postquam verò ira sicut flamma sicca materia succensa irritantes inuasit, tunc nec sermone dicenda, neque referenda videre licet spectacula. Manus quidem erectas etiam aduersus contribules, & per omnes corporis partes distractas: pedes extra omnem ordinem, & ab re certatim discurrentes, denique partes corporis omnes insaniæ instrumenta factas. Si autem pariter aliquem ex aduerso concurrentem inueniant, iramque mutuam inter se exerceant, ea patiuntur, quæ fas est eos pati, qui sub tali dæmone contendunt ac certant. Membrorum mutilationes, vulnera, mortes præmium pugnæ ferunt. Cœpit qui primus manibus iniuriam intulit: alter vlciscitur: hic instat: ille non cedit: corpus obiter vulneribus petitur. Ira verò facit, vt dolor & incommodum minimè sentiantur. Non enim damna corporis aut sensum curant, cùm omni studio & omnibus viribus sint animo tantummodò ad vlciscendum commoti & excitati. Ne fratres dilectissimi malum malo curate, neu contendite inuicem calamitate mutua vincere. In rixa enim is inferior est, qui victor est, ac peccatis longè grauior discedit, &c. Ira certamen excitat, certamen verò conuitium, conuitium verbera, verbera demum vulnera, ex quibus & mortes sæpe sequuntur, &c. Ille maledixit, tu benedicas. Verberauit, tu patere. Expuit, nihilque te existimauit, tu cogita quemadmodum ex terra es, & in terram reuerteris. His namque modis atque rationibus te confirmans, longè leuiora, quàm re vera sint, inuenies tibi aduersarij facta iurgiaque. Sic etiam talionem illi securius reddes, ostendesque quàm sis contumelijs inuulnerabilis, ac præclaram tibi patientiæ coronam comparabis, dum alterius insaniam, occasionem philosophiæ ac tuorum feceris meritorum. Quamobrem, si mihi credis, probra contumeliasque minimè curabis: obscurum te & inglorium vocauit, nulliusque æstimationis? terram te ac cinerem esse dicas. Nec tu melior es patre nostro Abraham, qui se eadem vocauit, ignarum, pauperem, ignobilem nominauit. Tu vermem te dicas, & è stercore genus ducere, verba Dauid memorans. His etiam Mosis decus adde. Ille ab Aaron & Maria verbis petitus probrosis, non ad Deum aduersus illos interpellauit, sed pro eis orauit. Quorum tu, dic mihi, cupis esse discipulus? beatorumne hominum, & Deo gratorum, an eorum qui spiritui referti sunt maligno? Quando enim verborum contumelia tentaris, illud existima, periculum de te fieri, an Deo per patientiam adhæreas, seu per iram in aduersarij partes inclines. Da tempus cogitationibus, ad optimam eligendi partem opportunum. Nam è duobus alterum procul dubio consequeris, aut inimicum tuæ mansuetudinis exemplo munitiorem reddes, vel certè, si despexeris, acrius illum vindicabis, &c. Si enim malum est ira, cur malum id non euitas? Si venia dignum, cur irato succenses? Ex quo si secundus venisti ad iram, nihil te hoc iuuabit. Non enim in certaminibus palæstram prius prouocans, sed qui superat, coronatur. Quamobrem non solùm is, qui facinus aliquod graue, prius tentauerit, sed qui mali ducis ad scelus fuerit exemplum imitatus, omninò mulctatur. Si enim te pauperem verè appellat, verum respuere nequaquam debes. Si mentitur, quid ad te dicta vanitas? Sicut enim ad laudes tuas, si veritatem excedunt, efferri non debes: ita nec ad probra, in te non verè iactata, minimè dolere. Nonne vides, quemadmodum sagittæ, si duriora offendant, resultant ac excidunt: in mollibus verò & obedientibus facilè figuntur: ita & in contumelijs euenit: qui eis occurrit ac resistere quærit, illas in sese recipit: qui autem mansuetudine ac patientia armatus, ad eas excipiendas se præparauerit, omninò excutiet ac euitabit. Quid miser angeris pau-

Gen. 18. Psal. 21. Num. 12.

peris

peris appellatione? Reminiscere quod quemadmodum nudus in mundum venisti, nudus etiam egressurus es. Quid enim nudo pauperius? Nihil profectò graue audisti, nisi tibi ipse quæ obiecta sunt agnoscas. Quis vnquam ob paupertatem in carcerem ductus est? Nam egere non turpe quidem, aut aliquod probrum fuerit: sed paupertatem generosè non ferre. Memor sis Domini nostri Iesu CHRISTI: qui cùm diues esset, nostri gratia egere voluit. Si verò & stultus & indoctus appellaberis, reminiscere eorum, quæ à Iudæis iactata

Ioan. 8. sunt in veram sapientiam: *Samaritanus es, & dæmonium habes.* Si enim contra hæc maledicta irasceris, iam ea corroborasti. Quidnam est ira stultius? Si verò quietus & immobilis persistas, pudorem maledicenti magnum intulisti, cùm re ipsa prudentiam modestiamquè ostenderis. Alapa seu pugillo cæsus es? expuit aliquis in faciem? Eadem

Matt. 26 & Dominus est passus. *Nec enim ab expuentibus aut*

Esa. 50. *cædentibus faciem auertit.* Calumniam pateris? Et Dominus. Tua laceratur vestis? Et à Domino quoque vestis per vim extracta, & super eam missæ sortes. Nondum condemnatus es, nondum cruci affixus. Multa tibi toleranda, vt ad eius imaginationem peruenias. Talia igitur, & horum similia tibi succurrant: mentisquè tuæ impetum ac iram compescant. Similes namque præparationes & animi dispositiones morsus cordis & impulsus facilè delebunt, & animi cogitationes in tranquillum statum deducent, &c. Quomodo igitur iræ incommoda fugiamus? si eam nullo modo mentem rationémve occupare sinamus. Quamobrem si fortè in cogitationem veniat aut cadat, eam ita retineamus, vt equum iugalem nobis ratione, vt fræno quodam obtemperantem, ac ordinem proprium nequaquam excedentem: & via ingredientem, qua à mentis recto consilio dirigitur, &c. Sic itaque ira quando oportet, & vt oportet ex ratione dispensata, fortitudinem patientiamquè ac constantiam parit: præter verò rectam rationem tractata, furor & insania efficitur. Idcirco nos Psalmus

Psal. 4. admonet: *Irascimini, & nolite peccare.* Ipse namque

Matt. 5. Dominus in Euangelio illum, qui temerè fratri iratus fuerit, reum iudicij facit. Illum verò, qui tanquam pharmaco ad ea quæ oportet ira vtitur,

Gen. 3. minimè condemnat. Dicitur namque: *Ponam inimi-*

Num. 31 *citiam inter te & serpentem.* Et rursus: *Hostes sitis Madianitis.* Docentis verba sunt, vt ira veluti armis vtamur. Ideo Moses omnium hominum mansuetissimus, vituli idololatriam damnans, Leuitarum manus in cædem fratrum armauit. *Vnusquisque*, inquit, *vestrum gladium ad latus teneat, & transite à*

Exo. 32. *porta in portam, & flectite per circuitum castrorum, & suum quisque fratrem interimat, & quilibet proximum suum.* Et paulo post ait Moses: *Vestras hodie manus Deo consecrastis, quilibet in filio suo & fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Quid Phinees iustum reddidit? Nonne iusta contra fornicantes ira, qui alioqui mitis ac mansuetus existens, postquàm stuprum Zambri & scorti Madianitis palam in populo vidit, adeoquè impudenter admissum, vt nec tam turpe spectaculum occultare vellent: minimè tam indignum facinus passus, ira vt oportebat vsus, protinus vtrumque trucidauit, &c. Si ex Dominico præcepto omnium vltimus esse assueueris, quonam modo maledictis præter dignitatem prouocatus ægrè ferre aut respondere poteris? Nam si paruus puer verbis te contumeliosis peteret, occasionem tibi potius ridendi daret. Quòd si phrenesi captus, & sensu excidens verba vitæ incomposita & stulta, minimequè vera dicat, misericordia potius quàm odio dignus erit. Non igitur verba solent tristitiam mouere, sed superbia aduersus eum qui nos vituperat, & vniuscuiusque de seipso phantasia. Quòd si horum alterutrum menti tuæ exemeris, inanes quidam sonorum strepitus erunt, quæ ab aduersario dicentur. Quamobrem iram omninò sedabis, indignationemquè, ne iram illam, quæ de cælo supra omnem impietatem & iniustitiam hominum reuelabitur, experiare. Si enim animo sapienti amaram indignationis radicem extirpare poteris, multa cum hoc principio perturbationum semina facilè extingues. Nam & dolus, & suspicio, & infidelitas, & malignitas, & insidiæ, & audacia, & omnia his similia, huius vitij germina sunt atque appendices. Itaque fratres amantissimi, ne obsecro tantum nobis malum inducamus, animæ morbum, rationis tenebras, à Deo alienationem, obliuionem familiaritatis, principium bellorum, plenitudinem calamitatum, dæmonem pessimum nostris animis innatum, incolam quendam impudentem, nostra interiora possidentem, denique sancti Spiritus iter ad nos impedientem. Vbi inimicitiæ sunt, contentiones, indignationes, sectæ, nostris animabus perpetuos generantes tumultus, ibi spiritus mansuetudinis Ephes. 4

haud requiescit. Quamobrem beati Pauli mo- Matt. 5.

nitis obtemperantes, omnem à nobis indignationem, ac clamorem cum omni malitia abijciamus, ac inuicem boni & misericordes existamus: expectantes beatam spem mansuetis omnibus promissam.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Iambico 21. aduersus Iram:

Irascor ira, dæmoni intus condito.
Nam iusta sola hæc bilis est ex omnibus
(Si quid necesse est perpeti quod nos ferat.)
Nam quando nos iam carmine horcum pressimus,
Tulimusq; fructum hunc maximum silentij,
Illud scientes, ira quòd radix fiet
Horci (alia præter, ex quibus malum hoc fluit)
Radix agrestis maximè, & nigra admodum,
Hanc quoque fauente numine amputabimus
Mucrone verbi, quatenus vires ferent.
Ac posco primum sermo ne quemquam meus
Irritet est nam tanta vis moris istius,
Vt sæpe ad vmbras contrahat flammam leues,
Infestus & sit optimis monitoribus.
Nec verò quicquam proloqui molle addecet,
De peste cùm sit sermo tam dira mihi:
Verùm ignis instar, qui vorax flammam excitat,
Salitq;, & ardet, & quatit queque obuia,
Fluitatq; sursum sæuus animato impetu,
A fronte & ipsi quicquid est semper rapit,
Hanc premere, iacto puluere, & iactis aquis,
Aut nemore denso belluam egressam velut,
Quæ spumat, oculos igneos voluit, fremit,
Pugnamq;, lapsus, & neces rapida expetit,
Conficere fundis, lanceis, ferri ictibus.
Sic nam queamus frangere hoc forsan malum,
Donante Christo, mitius vel hoc premi.
Non parua porrò, nec leuis res est mihi,
Vel parua vitij maximi remissio,
Velut his grauis quos obsidet morbi dolor.
Examinemus morbum at hunc paulò altius,
Et quisnam, & vnde, quoq; fugiendus modo,
Considerantes prisca quid sensit cohors,
Cui nosse rerum cura naturas fuit.
Pars æstuantem sanguinem pectus prope,
Subitum esse dixit impetum iracundiæ:
Hunc nempe tribuens corporis morbum vnico,
Permulta vt alijs genera morborum solet.
Pars referiendi dixit hanc cupidinem.
(Animæ imputant hi noxiam hanc, non corpori.)
Iramq; vocitant, cùm ruit: sint at, malum

Medi-

Meditans, latescit, μηνιτικαίαν nominant.
At qui vtriusque partis hanc morbum putant,
Aestum cruoris dictitant. sed cui tamen
Cupido causam præbeat, ratio & simul.
Sed qualia hæc sint, huius haud est temporis
Dispicere: at istud omnibus certò liquet,
Quòd mens gubernat cuncta, quam sociam Deus
Aduersus animi turbidos motus dedit.
Vt ergo diras grandines arcent domus,
Lapsusq; frutices ingrauant præstant opem,
Pugnaq; victis mœnia salutem ferunt:
Sic ratio, præsens ira cùm turbas mouet.
Cùm fumat id quod pectus exurit tuum,
Ignem priusquam pariat & flammam excitet,
Statim vt moueri conspicis ventum asperum,
Regi supremo iunge te, atque hunc cogitans,
Vt præsidemq; bilis, & testem tuæ,
Pudore siste cum metu cunctum impetum,
Consilia donec morbus admittit proba.
Apostolorum protinus clama in modum,
Magister, atrox turbo me miserum quatit,
Propelle somnum, sic tuam bilem exiges,
Dum mentis ipse compos es, quam feruidi
Torrentis instar morbus hic primam obruit:
Dumq; illa nondum contumax equus velut
Frænum momordit, concito & fertur pede,
Cursumq; spirat præter, & scopulos, nihil,
Hebetante visus bile, qui corpus regunt.
Ratione primò nam premes hanc ocyus,
Abreptus ipse quam queas hanc sistere.
Namque in· stare non prius se desinit,
Quam mentis equitem de statu deiecerit.
Iam fœditatem, quanta sit, quæso vide,
Qualemq; reddat ira, cui plagam intulit.
Nam cæterorum tectus est morbus quisque,
Amor, odiumq; mæror, & liuor malus.
Atque in quibusdam pressa sic morbi lues.
Tenetur, vt non prorsus, aut extet parum.
Ac fortè citius intimo in cordis sinu
Liquescit, hominum visibus quàm se exerat.
Occulta porrò commodum est calamitas.
Ast ira nudum penitus, & clarum est malum,
Inusto imago corpore altè prominens.
Si visus aliquis captus hoc morbo est tibi,
Quod dico nosti: pingere & nunc hoc libet.
Prostaret vtinam feruidus ira grauis
Speculum, vt videntes dedecus, probrum & suum,
Huiusce morbi quidpiam hinc remitterent,
Taciteq; carpti flexiles mentes darent.
Quin hoc statutum est, nempe violator tuus,
In quo ipse tete, si vacat, cernas licet.
Morbi parum nam paria sunt symptomata.
Vultus cruentus, luminum transuersus situs,
Crines apriui, barba madida, & pallidæ
Genæ (esse quales morte confectis solent.)
Alijs rubentes, sunt quibus plumbo pares
(Hunc nam colorem nunc, & hunc rursus genis
Furibundus indit pictor, & prorsum improbus.)
Inflata ceruix, venulæ incuruæ, frequens
Ac verba scindens spiritus, & anhelitus
Rabidum quid efflans, fremitus omninò indecens,
Latusq; nasus, & minas spirans graues,
Manuumq; plausus, & pedum saltatio,
Inflexiones, risus, & sudor grauis
Et lassitudo, (solus hanc dæmon parit.)
Nutus deorsum stolidus, & sursum simul.
Buccæ tumentes, instar & tritæ areæ
Sonitum excitantes: ictaq; digitis manus

Minitatur, atque strepitus est præludium.
Iam, quæ sequuntur, versibus quì exprimam?
Maledicta, pulsus, fœditas, periuria,
Aspersiones feruidæ linguæ vberes.
(Spumescit vt cum rupibus illisum mare.)
Iam probra quædam proijcit, quædam parat,
Alijsq; rursus premitur, ac nescit statim.
Et, si quietos videat astantes, dolet.
Tumultuari cuncta nam secum cupit.
Tonitrua poscit, fulgurat, firmus sua
Quòd maneat etiam sede, succenset polo.
Aliud malorum iam patrat, mentem altero
Pascit, cupita vt executa, se efferens.
Persequitur, vrit, opprimit, quid horum agens?
Tam cæca reuellit mentis irata calor?
Repentè mutus, debilis, ductor boum,
Fit ille, rhetor qui prius, rex, & Milo.
Obscurus & inops, pauperem atque ignobilem
Appellat hunc, qui dies est, clara & domo:
Præstante forma præditum fœdum vocat
Fœdus supra omnes splendidum infamam asserit
Is, qui nec vnde, nec quis est, fari queat.
Istudne lachrymis diguer, an risu, haud scio.
Tela instar ira cuncta sunt, absint licet.
Gigas videri, simius cùm sit, studet.
Manum ipse torquet, curuat & digitos suos,
Quæritq; montem quempiam, aut Aetnam alteram,
Iaculetur hanc vt vi manus longissimè,
Hostiq; telum quæ sit, & tumulus simul.
Quis ignis, aut quæ reprimet hoc grando malum?
Vt fudit autem tela verborum furor,
Manus sequuntur, resq; geritur cominus.
Ac sæuum initur prælium atque hostem suum
Deuincit is, qui victus est, miser & magis.
(Victum, in malis qui vicerit, nam iudico.)
Hæc nónne dæmon plusq;, si casum eximas?
Qum & cadentes contigit quosdam mihi
Videre, ferret impetus cum hos spiritus.
Hæc nónne dirimunt maximo planè à Deo?
Est namque placidus, lenis est summus Pater:
Turpare cuius regiam effigiem haud decet,
Formam inferentes exteram loco illius.
Nil tale nobis, tale nil infamia:
Nil tale morbi corporum infelicium
Mala quippe sunt hæc, non item volentium:
Quamuis molesta meq;, cum adsunt, mordeant, &c.
Damnanda res est (quis neget?) temulentia.
Est nam volentis. quisquis etenim, cùm sciat,
Quantum malorum constet, huic cedit tamen,
Censendus huius hic mali certè est pater.
Illic at omne clauditur risu tamen
Malum: quod vnus protinus sistet sopor.
Feruente at ira quod grauius vsquam malum
Cognoris, ede, pharmacum & quodnam mali?
Medicamen alijs est Deus menti obuius.
Ast ira primùm numini occludit fores,
Cùm grauior extat. si Deum quis proferat,
Malum ingrauescit: iungit hunc conuicijs.
Vidi ipse, saxa, puluerem, & verba aspera
Qui iaceret in eum (proh scelus nefarium!)
Nulla arte, nullo qui modo vinci potest.
Iura obteruntur, non amicus noscitur;
Non hostis: vxor, genitor, affines, idem.
Fert cuncta torrens, impetus cuncta vincit.
Reprimere tentes? in caput bilem tuum
Trahes, furentem vt belluam sono edito.
Atque indigebis ipse, opem ferens, ope, &c.
Materia quippe surgit hinc ira amplior,

Quæ dulcis eſt res, atque ſaturari negat.
Extrema noſtri hæc clauſula hortatus erit:
Quid rebus extat mitius cunctis? Deus.
Quis feruet ira? carnifex mortalium.
Namque & vocatur ira, præter cætera,
Quæ fecit illa nomina ingens prauitas.
Harum tu vitæ mulis partium partem elige, &c.
Quid reſtat? ô quæ es agmini chara improbo,
Simul inimica præſes, adiutrix ſimul,
Tumesq́; & Orco tradis, vt cedas Deo
Te adiuro, cedas his meis ſermonibus.
O ira, feruor, dæmonis domus horridi,
Manifeſta vultus macula, turbo mentium,
Crapula, & aſile, tartari ad lacus ferens,
Horrenda legio, multiplex labes mali,
Et vincla rumpens, & pedum nexus graues, &c.

Gregorius Nyſſenus. 380.

De Beatitudinibus oratione ſecunda: Beati illi, qui ad perturbatos & vitioſos animi motus non procliues, pręcipites, atque propenſi, ſed ratione ſedati ſunt: in quibus ratiocinatio veluti frænum quoddam impetus reprimens, non ſinit animum ad immodeſtiam, inſolentiam, ac perturbationem rapi atque efferri. Magis autem id aliquis cernere poſſit in ea perturbatione, quæ per iracundiam contingit, quàm beata res habenda lenitas ſit. Poſteaquam enim vel verbum, vel factum, vel ſuſpicio moleſtior minusqúe iucunda eum morbum commouerit, & ſanguis circa cor efferbuerit, & animus concitatus fuerit in vltionem: quemadmodum fabulæ per medicamentorum quandam potionem, in brutorum animalium ſpecies naturam tranſmutari fingunt: ita virum repentè videre licet aprum, aut canem, aut pantheram, aut aliam quampiam ſimilium ferarum ab ira factum eſſe. Oculi ſanguine ſuffuſi ſunt capillus erectus ſurgit & inhorreſcit: vox aſpera ac verbis incitata: lingua perturbatione torpens, & non ſubſeruiens moribus inteſtinis: labia conſtricta, & non articulatè verba exprimentia, neque cohibentia in ore præ perturbatione innatum humorem, ſed indecorè ſpumam ſimul cum voce expuentia: tales manus, tales pedes, talis corporis diſpoſitio tota: vnoquoque membro pront animi motus fuerit ita diſpoſito, pariterq́ affecto.

Oratione 7. Quis affectus & vitia iræ dignè expoſuerit? quæ oratio turpitudinem eiuſmodi morbi deſcribet? Vides eorum, qui à dœmone vexantur, affectus in ijs, qui ab ira victi ſunt, apparere. Reputa ad inuicem comparata, tum quæ iratis, tum quæ à dœmone correptis accidunt atque contingunt, ecqua ſit in his differentia? Sanguine ſuffuſi ac diſtorti eorum, qui à dœmonio vexantur, oculi ſunt, lingua præceps, aſpera loquela, acuta ac latratui ſimilis vox. Communia hæc tum irę, tum dœmoni: quaſſatio capitis, manuum ſtolidi motus, concuſsio & quaſi æſtuatio corporis totius, pedes inſtabiles: vna vtriuſque morbi per eiuſmodi accidentia deſcriptio eſt. Tantum duntaxat alterum ab altero variat, quòd vnum quidem voluntarium malum eſt, alterum abſque voluntate ipſorum accidit, in quibus exiſtit. At quanto miſerabilius eſt, ſi præter animi ſententiam alicui quippiam accidat, quàm ſi proprio impetu in calamitatem incidat? Ac morbum quidem ex dœmone accidentem ſi quis animaduerterit, non poteſt non miſerari: ex ira verò prouenientem vecordiam, ſimulatque vidit, imitatur, damno ſibi ducens, ſi ſuo morbo non ſuperauerit eum, qui prior ægrotare cœperit. Ac dœmon quidem torquens obnoxij corpus vlterius malum non extendit, quàm vt in aërem fruſtra furentis manus diſijciat: iracundiæ verò dæmon non irritos corporis efficit motus. Cùm enim perturbatio præualuerit, & ſanguis circa cor ſupra modum efferbuerit, nigra bile, vt aiunt, ex iracunda affectione per totum corpus diffuſa, tunc præ coarctatione vaporum internorum omnia ſenſuum vaſa circa caput in anguſtum rediguntur: oculi quidem vltra palpebrarum limites protruduntur ſanguineo quodam ac draconico obtutu in id, quod offendit, intenti: viſcera autem anhelitu coarctantur atque præmuntur: tumeſcunt in collo venæ: lingua efficitur craſſa: vox, in anguſtum redacta arteria, ſponte ſua redditur acuta: labia ſuffuſione frigidæ illius bilis, quaſi concreſcunt & congelantur, obnigreſcunt atque torpeſcunt ad naturalem diſtinctionem & occluſionem, vt ne ſaliuam quidem in ore redundantem continere poſſint, ſed vnà cum verbis emittant, coacto ſono ſpumam ſimul expuente. Tunc igitur & manus, & pedes itidem præ morbo moueri videre licet. Mouentur autem hæc membra non iam amplius fruſtra, quemadmodum fit in ijs, qui à dæmone vexantur, ſed in perniciem eorum, qui inter ſe per morbum confligunt. Protinus enim aduerſus ſenſoria ictibus opportuna ſe inuicem pulſantium impetus feruntur. Quòd ſi fortè os in conflictu corpori appropinquauerit, ne dentes quidem otioſi manent, ſed feræ in modum iis, quæ inuaſerint, inhæreſcunt. Et quis ſingulatim omnia mala, quæ ex ira proueniunt, enumerare poſsit? Qui igitur prohibet eiuſmodi turpitudinem, ob maximum beneficium iure beatus & honorandus nominabitur.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Homilia vigeſimanona ad populum Antiochenum: Nihil iracundo homine inſuauius, nihil grauius, nihil infeſtius, turpius nihil ſicut è contrà, nil neſcio iraſci iucundius. Feræ potius, quàm iracundo homini cohabitandum eſt. Nam illa cùm ſemel manſuefacta fuerit, ſuam ſeruat legem: hunc autem quotieſcunque mitigaueris, rurſum efferatur, niſi quis in talem habitum ipſum induceret. Sicut enim dies clara & ſerena, & hyems multæ plena triſtitiæ: itidem & iraſcentis animus, & manſueti, &c. Quis tortor ita laniare latera poterat? Quæ ignita tela corpus ita perforarent? Quis furor ex naturalibus ita ſenſibus excedere facit, ſicut furor & iræ conſternatio? Noui multos ex ira morbos incurriſſe, & febrium difficillimæ præſertim hæ ſunt. Si verò ita corpora læduntur, animas cogita: ne cogites enim quod non vides, ſed cogita, ſi malitiam ſuſcipiens ita læditur, quantum patiens patietur detrimentum. Multi oculos amiſerunt, in grauiſſimum multi morbum inciderunt: generosè quidem ferens omnia facilè ſuſtinebit. Veruntamen talia tanquam grauia imperat, & horum nobis mercedem ſtatuit gehennam, & diabolus eſt, & noſtræ ſalutis inimicus: & magis huic quàm Chriſto paremus, qui Saluator eſt, & benefactor, & protector, & talia dicit, quæ iucundiora ſunt, & honeſtiora, vtilioraqùe, ac magis expediunt, & nobis, & neceſſarijs noſtris plurimum proſunt. Nil iracundia peius, chariſſimi: nil ira intempeſtiuius. Non opus eſt multa dilatione, acutus eſt morbus. Frequenter ex ira verbum aliquis emiſit, ad cuius remedium totius indiget vitæ: & aliquid commiſit, quod omnem ipſius vitam ſubuertit. Hoc enim eſt difficile, quod in breui tempore, & per ſolam actionem, & per vnum duntaxat verbum æternis nos frequenter excluſit, & multos euacuauit labores. Itaque vos hortor, vt omnia faciatis, vt hanc feram cohibeatis, &c. Parcamus itaque Deo, nec in barathra nos præcipitemus: ſed dum tempus eſt,

equum cohibeamus, ne sessorem subuertamus: iræ amputemus alas, ne amplius malum in altitudinem extollatur. Acutum enim est ira vitium, acutum & efficax animas nostras furari: propterea passim oportet ei aditum obstruere. Absurdum enim est, feras quidem mansuetacere posse, animam verò nostram insolescentem despicere. Ignis est vehemens ira omnia deuorans: nam & corpus perdit, & animam corrumpit, & reddit in suauem, & in visu quemque turpissimum. Quòd si furoris tempore posset irascens sibimetipsi notus fieri, non alia foret opus admonitione. Nihil enim irascentis deformius aspectu. Ebrietas quædam est ira, imò verò difficilior ebrietate, & dęmone miserabilior: sed si modestè agere meditemur, optimam Philosophiæ viam inueniemus.

Homil. 30. ad populum Antioch. Non habitat Spiritus sanctus vbi furor: maledictus iracundus. Nihil sani potest emanare, vnde procedit ira. Sicut enim in maris tempestate multus tumultus, clamor magnus, nec ibi quis philosophandi tempus habet: ita nec in ira, &c. Vide dæmonibus pressorum vultus, ebriorum & furentium. Quid inter se differunt? nonne furoris totum est? Quid enim si hoc ad tempus efficitur? Nam furens ad tempus premitur, hoc autem quid peius, quòd & se non confunduntur excusare? Nesciebam, inquit, quid dicerem. Et quare nesciebas hoc, cùm sis homo rationalis? Rationem habens, irrationalium opera facis, tanquam effrænis equus furore correptus & impetu? Et excusatio quidem est accusatione digna. Vtinam enim scisses quæ dicebas. Iræ sunt, inquit, verba, non mea. Quomodo sunt illius? Certè vires ira non habet, nisi sumat abs te, &c. Ab hoc igitur dæmone liberemur: eum corripiamus incipientem, sigillum pectori quasi quoddam frænum imponamus. Canis est impudens ira. sed legem audire discas, &c. Multò peius pressis dæmonio sumus, qui peccamus, dispositi. Sed non spumamus, nec oculos contorquemus, nec manus. Vtinam hoc in corpore pateremur, & non in anima. Vis tibi demonstrem animam spumantem & immundum? Cogita irascentes & ebrios ex ira. Qua spuma non emittunt immundiora verba? Verè velut fœtidam saliuam emanant. Et sicut illi pręsentium nôrunt neminem, ira nec hi, obtenebrata eis mente, & oculis conuersis, non amicum, non inimicum, non venerabilem, non contemnendum, sed omnes similiter aspiciunt. Nónne vides eos trementes, sicut & illos? At non humi sternuntur. Sed eorum anima iacet humi, & palpitans cadit. Si namque recta stetisset, non passa fuisset ea quæ passa est. An non esse tibi videntur animæ prostratæ, & propria spoliatæ solertia, quæ faciunt & dicunt ebrij ira? Est & alia furoris species difficilior. Qualis autem hæc? Cùm nec iram dimittere sustinent, sed proprium malũ apud se nutriunt, mali memoriam, quasi quendam tortorem. Ipsos enim primos occidit mali recordatio, vt omittam futura. Quantum esse putas tormentum homini præcordia percusso, quotidie qualiter inimicum vlcisçatur consideranti? Priorem semetipsum punit & castigat, intra seipsum tumens, aduersus se pugnans & exardescens. Nam necesse semper est apud te ignem accensum esse, &c. Nec ad vesperam vsque maneat, inquit Paulus: tanquam enim tabes quædam, &
Ephes. 4 tinea mentis nostræ radicem corrodit. Quam tuis visceribus feram includis? Satius est anguem vel viperam in corde tuo latere, quàm iram & rancorem. Illa namque nos repentè relinquunt, hæc autem semper remanet, dentes infigens, infundens venenum, graues adducens cogitationes, &c. Non est contemptibilium hominum ab ira non vinci. Contemptibilium autem est ita timere risum extrinsecus, vt propterea capiantur, & proprio succumbant vitio, & Deum offendant, seque vlciscantur.

Homilia trigesimaprima ad populum Antiochenum: Bestiam, cùm maximè efferatur, tunc fugimus omnes: sic & irascentem. Hocne honorem esse censes, quoniam & bestiam honoramus, & furentes cùm declinamus? Nequáquam. Nota magis hæc est contumeliæ: imò verò neque nota, neque contumelia, sed misericordia & humanitas. Non cernis nautas, cùm vehemens ventus spirauerit, vela demittentes, ne submergatur nauigium? Equos, cùm in campum delati sessorem abripuerint, à sessore non retrahi, ne vires incassum exhauriat? Ignis est ira, flamma est velox, indigens materiæ. Igni fomitem ne prębeas, & statim malum extinxeris. Non habet ex se fortitudinem ira, nisi sit alter qui nutriat eam. Nulla tibi est excusatio. Ille furore tenetur, & nescit quid agat: tu conspiciens eum, cùm in eadem incideris, nec ex illo fueris correctus, quam veniam sperabis? Si quem, in conuiuio constitutus, ab initio videris ebrium, & turpiter agentem, nonne multò magis post illum inebriatus venia fueris indignus? Itidem & hic, quam excusationem esse putamus, dicendo scilicet, ego non cœpi? hoc contra nos est, quòd nec illum conspicati, sumus correcti. Vt si quis diceret: Ego prius non interfeci: propterea namque puniri dignus es, quoniam nec exemplum intuitus temetipsum coercuisti. Si videris vomentem ebrium, distrahi, dissipari, oculos habere distentos, immunditia mensam implere, omnes eum fugere, & postmodum in eadem incidas: num eris magis odiosus? Talis est & irascens, imò verò vomentis venas intendit, oculos inflammat: distrahit intestina, verba multo illis immundiora cibis eructat, indigesta loquitur omnia, elaboratum nihil: non enim ira permittit, sed sicut illic humorum immoderatio stomachum vexans, vt plurimum omnia eijcit, itidem & hic immodicus feruor animam vexans, ea tegere, quę tacere bonum est, non permittit. Sed effabilia dicit, & ineffabilia, non audientes, sed seipsum dedecorans. Sicut igitur à vomentibus fugimus, sic & ab irascentibus, puluerem eorum inijciamus vomito. Quid agentes? tacentes, canes vocemus, vt ipsa deuorent vomita. Noui quòd audientes nauseam patimini: sed cùm hæc fieri videtis, hoc volo vos tunc pati, non autem super facto delectari. Cane sordidior est contumelijs gaudens, qui reuertitur ad vomitum suum. Nam si postquam semel euomuit, destitisset, non esset par illi: si verò rursum eadem vomit, manifestum est quod eadem comedit. Quid itaque tali magis abominabile? Quid autem illo sordidius ore, quod tales cibos manducauit? Atqui hoc est opus naturæ, illud verò minimè: imò verò & hoc præter naturã, & illud. Quomodo? Non enim secundùm naturam est, temerè contumeliam inferre, sed præter naturam. Nihil igitur vt homo loquitur, sed hæc quidem vt fera, hæc autem vt furens: Sicut enim corporum morbus est præter naturam: similiter & hoc. Et quoniam præter naturam est, si in eo moratur diu, paulatim moritur: in eo verò quod iuxta naturam est, diu commorans non perit. Mallem cum homine cœnum edente mensam communicare, quàm cum talia loquente. Non cernitis porcos stercus mandentes? sic & isti. Quid enim fœtidius verbis quæ contumeliosi loquuntur? Studium eis est nihil sanum eloqui, mundum nihil, sed si quid turpe, si quid deforme, hoc tam facere, quàm dicere: & quod grauius est, alios se confundere putant, cùm seipso dedecore magis afficiant.

Homilia 4. in Matthæum: Ponamus, si placet, iram quoque bestiam esse quandam: quantum igitur ab alijs erga mitigandum leonem studium commodatur, tantam tu erga iracundiam impende curam, & effice huiusmodi cogitationem mitem atque mansuetam. Siquidem hæc fera & vnguibus sæuissimis armatur, & dentibus: & nisi illam sollicitè mansuefeceris, cuncta simul disperdet, atque lacerabit. Nullus enim leo, nulla sic vipera viscera queunt laniare, vt hominis iracundia ferreis quibusdam vnguibus vniuersa confodiens. Neque enim solummodò corpori nocet, sed ipsius etiam corrumpit animæ sanitatem: cunctas siquidem eius omninò vires discerpit ac deuorat, eamq; ad omnia inutilem facit. Si enim ij, qui vermes in interioribus corporis nutriunt, ne respirare quidem sinuntur, vexatis profectò adesisque visceribus: quo modo nos, venenatam hanc in nobis alentes viperam, iram dico, quæ omnia interiora hominis depascitur, quid vnquam sanum aut forte poterimus cogitare, aut parere?

Homilia 18. in Matthæum: Medici quando iniurijs & calcibus cæduntur furentum, tunc illorum magis magisq; miserentur, tum maximè ad reddendam illis sanitatem parantur, scientes quòd excellentiam morbi significat ea iniuria. Et tu igitur de inimicis eandem teneto sententiam, sicq; tractes iniurios. Illi namque sunt maximè ægroti, omnemque violentiam sustinentes. Libera eum à graui isto dolore, & da operam, vt iram remittat: Libera eum à sæuissimo dæmone: propriæ scilicet mentis furore. Nam & cùm aliquos à dæmone actos videmus, sæpe lachrymamur: non autem agimus, vt ipsi quoque eadem illa patiamur. Hoc igitur etiam in ira percitis seruemus: illorum enim sunt similes iracundi, imò illis longè miseriores, qui vtique sensibus adhuc integris insaniunt. Propter quod veniā non meretur istorum demētia. Noli igitur insultare iacēti quin imò miserere. Etenim si videamus aliquem horribiliter à bile vexatum, & vertiginis suæ tenebris obtectum, quiq; etiam malignum illum humorem vrgatur euomere, porrigimus manum, & supportamus huc illucq; iactatum. Et si vestimenta ille nostra polluat, non auersamur, neque abijcimus ægrotum: sed illud tantummodò vnum requirimus, quemadmodum à tam grandi hac eum angustia liberemus. Hoc igitur etiam erga istos faciamus, vt & supportemus vomentes, & confoueamus ægros: nec eos vspiam relinquamus, priusquam totam prorsus amaritudinem ponant: & tunc tibi gratiam, qui talis fuerit, exoluet maximam. Quando enim eiusmodi æger à passione requieuerit, tunc liquidò cognoscet, à quanta illum conturbatione sanaueris. Et quid dico ab illo tibi gratiam referendam? Deus deilicò coronabit, & in numeris remunerabit bonis, quia fratrem tuum grauissima ægritudine liberasti: sed etiam ille te honorabit vt dominum, modestiam tuam per cuncta miratus.

Homilia 6. in Acta Apostolorum: Nihil insuauius homine iracundo, nihil onerosius, nihil molestius, nisi fœdius, quemadmodum scilicet nihil suauius est eo, qui nescit irasci. Melius est cohabitare bestiæ, quàm homini tali: nam illa quidem, si semel cicuretur, seruat suam legem: illum autem quoties placaueris, iterum exasperatur. Sibi enim habitum quendam talem indidit semel. Quemadmodum enim dies candidus ac lucidus, & hyems plena conturbatione inter se multum distant: ita etiam iracundi & mansueti animæ. Sed nondum quæ ab illis ad alios veniunt incommoda, sed solùm quæ sibi ipsis inferunt, audiuimus: quamuis & hoc non paruum damnum, alium damno affecisse, &c.

Ioannes Cassianus. 420.

De capitalibus vitijs lib. 8. cap. 1. Quarto quoque certamine est iræ mortiferum virus de recessibus animæ nostræ funditus eruendum. Hac enim in cordibus nostris insidente, & oculum mentis noxijs tenebris occæcante, nec iudicium rectæ discretionis acquirere, nec honestæ contemplationis intuitum, nec maturitatem consilij possidere, nec vitæ participes, nec iustitiæ tenaces, sed ne spiritalis quidem ac veri luminis capaces poterimus existere: *quia turbatus est*, inquit, *præ ira oculus meus*. (Psal. 30.) Nec sapientiæ participes effici, tametsi sapientes omnium pronuntiari opinione videamus, quia *ira in sinu insipientium requiescit*. (Eccle. 7.) Sed ne vitam quidem immortalitatis consequi poterimus, quamuis prudentes videamur definitione hominum iudicari, quia ira perdit etiam prudentes. Nec iustitiæ moderamina perspicaci discretione cordis valebimus obtinere, licet perfecti sanctiq; cunctorum opinationibus æstimemur: quia *ira viri iustitiam Dei non operatur*. (Iacob. 1.) Ipsam quoque honestatis grauitatem, quæ etiam viris seculi huius solet familiaris existere, nullo modo possidere poterimus, licet nobiles & honesti natalium prærogatiua putemur: quia vir iracundus inhonestus est. Consilij etiam maturitatem nullatenus valebimus obtinere, quamuis graues & summa scientia prædíti videamur: quia vir iracundus agit sine consilio. Sed nec quieti esse à perturbationibus noxijs, nec poterimus carere peccatis tametsi nequaquam nobis inquietudines ab alijs inferantur: quia *vir animosus parit rixas, vir autem iracundus effodit peccata*. (Pro. 29.)

Collatione 16. cap. 27. Cohibere ergo nos oportet omnes iracundiæ motus, & gubernatrice discretione moderari, ne in illud, quod à Salomone damnatur præcipiti furore raptemur. *Totam iram suam profert impius, sapiens autem dispensat per partes*. (Pro. 29.) id est, stultus quidem ad vltionem sui iræ perturbatione succenditur, sapiens autem paulatim eam maturitate consilij ac moderatione extenuat, & expellit. Tale est & illud, quod ab Apostolo dicitur: *Non vosmetipsos vindicantes charissimi, sed date locum iræ*: (Rom. 12.) id est, nequaquam ad vindictam iracundia cogente tendatis: *sed date locum iræ*: hoc est, non sint corda vestra sic impatientiæ ac pusillanimitatis angustijs coarctata, vt violentam commotionis procellam cùm irruerit sustinere non possint, sed dilatamini in cordibus vestris, suscipientes aduersos iracundiæ fluctus in illis extentis sinibus caritatis, quæ *omnia suffert, omnia sustinet*: (1. Cor. 13.) & ita mens vestra amplitudine longanimitatis ac patientiæ dilatata, habeat in se consiliorum salutares recessus, in quibus receptus quodammodo atque diffusus teterrimus iracundiæ fumus protinus euanescat.

Nilus Abbas. 420.

De octo vitiosis cogitationibus, de ira: Ira cùm semel pectus obsederit, atque exarserit, mentem fumo occæcat, iudiciumque corrumpit, ac denique lubrica omnia ac confusa reddit. *Conturbatus est enim*, inquit Scriptura, *in ira oculus meus*. (Psal. 30.) Et rursum: *Ira in sinu stultorum requiescit, atque id, quod iustum est, odio habet*: (Eccle. 7.) *Ira enim viri*, vt alio loco habetur, *iustitiam Dei non operatur*. (Iacobi 5.) Illud etiam efficit, vt turpiter & indecorè homo se gerat. Vir enim iracundus, inquit ille, parum venustus est. Cumque in tot, ac tanta mala eum, quem semel inuasit, conijceat, miserandum in modum ei humanitatem omnem excutit. Quocirca ita comparati esse debemus, vt lenitatem, placiditatemq; tum consectemur, nosq; ab omni perturbatione puros conseruemus, cùm eum, qui aliquid peccati admisit,

corrigere aggredimur, ne alioqui per medicinam
Psal.4. morbum contrahamus. *Irascimini* enim, inquit ille, *& nolite peccare.* At quî fieri possit, vt quis succensendo non peccet? nimirum si aduersus vitia sua semper irascatur, atque iracundiæ causas suæ ipsius socordiæ ascribat. Quòd si aduersus proximum commoueamur, at certè in gratiam cum eo confestim redeamus. Scriptum est enim:
Ephes.4 *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Vt nubes, cùm sursum effertur, aërem condensat: sic iracundiæ excitatio iracundi mentem. Iracundi mens fons est turbidus, latex sordidus & inutilis. Vt vir honestus & grauis obscœnum diuersorium auersatur: sic Deus iracundi pectus. Vt fumus oculos turbat: sic ira precantis animum. Iracundi cogitationes viperini fœtus sunt, ac pectus, ex quo exortæ sunt, erodunt. Vt torrens exundans quicquid obuium habuerit deuoluit: sic iracundia inferuescens mentem secum trahit. Iracundia canum in morem cæcas cogitationes parit. Ira cùm supra modum efferbuit, furorem parit.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Libro 6. contra Iulianum: Iam quid turpius ira? an non pessimus animæ morbus est ira impotens, & affectio implacabilis, & amaritudo vehemens? Non enim sic mare, vento æquor turbante, sæuit, & graues fluctuum impetus terræ ac mari appellit, vt viri anima graui & infreni ira laborans. Id-
Psal.36. circò & diuina Scriptura admonet, dicens: *Quiesce ab ira, & derelinque furorem. Ira enim perdit etiam prudentes.* Et iterum: *Vir iracundus non agit aptè.* Talis enim à quibus abstinet facinoribus? vel quomodo non totum frænum linguæ laxat? imò & temerarijs sermonibus illudet, & ipsos fortasse, qui offenderunt nihil. Quemadmodum enim si lapis in præceps eat, & contra omne quod inuenit impetu fertur: ita etiam audax & asper, si ferocitatis & furoris vim ferat, à nullo vel verbo, vel opere abstinebit: Deum etiam sicut hominem linguæ suæ immoderantia, & iræ impotentia inuadet.

Isidorus Pelusiota. 440.

Libro 2. epist. 189. Quoniam cum iracundia rationis, quæ aurigæ munere fungitur, habenas infregit, hominis mentem extra naturæ terminos plerumque transuersam agit: idcirco Paulus huiusmodi lapsui excogitata, non modò optima, sed etiam celerrima medicina, his verbis vsus est: *Sol non occidat super iracundiam vestram:* hoc est, antequam sol in occasum vergat, naturam agnoscite, furorem extinguite, arrogantiam comprimite, cognationem & propinquitatem, quæ etiam feris dominatur, complectimini: ne nox interiecta morbum immedicabilem efficiat. Nam tum diabolus idoneum tempus nactus, ea, quę contigerunt, magis inflammat, ad vltionem irritat, ad inimicitiam extimulat, ad accusationes excitat, iniuriarum memoriam parit, innumeraqúe hinc mala procreat. Nam quod Diuus Paulus, vt hæc excinderet, dissidentes quàm ocyssimè inter se reconciliari iusserit, ex eo patet, quòd mox subiunxit: *Nolite locum dare diabolo*, qui exiguos affectus magnos occultè reddit, eaqúe, quæ facilè curari possunt, vix, aut etiam nullo modo curabilia efficit.

Nemesius. 480.

Libro de natura hominis cap. vigesimo primo: Ira est feruor sanguinis, quo cor suffusum est, ex respiratione fellis, aut conturbatione natus. Idcirco & χολὴ à Græcis, id est, bilis, & χόλος dicitur. Aliquando ira est appetitio vindictæ. Nam dum iniuria afficimur, aut opinamur nos iniuria affici, irascimur, & tum mixta fit affectio ex libidine & ira. Species iræ tres, excandescentia, quæ & χολὴ, id est, bilis, & χόλος dicitur, simultas, & inimicitia. Ira enim principium & motum habens, excandescentia & bilis appellatur. Simultas ira inueterascens. Hæc Græcis dicitur μῆνις à manendo, & quòd memoriæ sit tradita. Inimicitia vocatur ira obseruans occasionem vlciscendi: hanc Græci κότον dicunt, παρὰ τὸ κεῖσθαι, hoc est, quòd reposita sit. Est autem ira satellitium rationis. Cùm enim ratio iudicarit rem esse dignam quæ ægrè & molestè feratur, succedit ira, si modò proprium & naturalem ordinem tueantur.

Dorotheus Abbas. 520.

De vita rectè & piè instituenda Doctrina 8. Differuere sæpe maiores nostri nihil adeò alienum, & extraneum à Monachis esse, vt irasci, aut vllum tristitia afficere. Item eum, qui iram superaret, dæmones superare: eum autem, qui ab hac passione superaretur, esse omninò ab institutione monastica alienum. Quid igitur nos de his dicemus, qui non solùm ad animum vsque, iramqúe perueniunt, sed etiam ad studium vindictæ impelluntur? Quid aliud debemus dicere, nisi nostrum hunc miserrimum & infelicissimum statum deflere? Abstineamus fratres igitur, & nobis ipsis opem feramus, vt fauente Deo eripiamur ab hac amara & perdita passione. Ea enim est, cùm quis post datam pacem fratri suo ex aliqua (vt plurimum fit) vel perturbatione, vel afflictione inter vos proueniente, perseuerat tristis & mœstus, varijsqúe angitur cogitationibus. Quas nemo vestrum debet contemnere, sed quàm potest celerrimè illas amputare: est enim hæc iracundia, opusqùe est (vt prædixi) continentia & sobrietate plurima, opus pœnitentia, opus certamine, ne in his diutius immoratus periclitetur & pereat. Qui enim pacem dedit ex præcepto, iram quidem in præsentiarum fugit: contra studium vindictæ autem nondum reluctatus est: eamqúe ob causam contra fratrem suum tristis & mœstus est. Aliud enim est μνησικακία, aliud ὀργή, aliud θυμός. Subijciam exemplum, hoc vobis vt clarius fiat. Accendit quis ignem, primùm habet carbunculum, id est, verbum vnicum, quo quis fratrum affligitur. Quid vnicum fratris verbum est, si illud æquo animo feras? illicò ignitum carbonem extinxisti. Sin verò post verbum illud tute tecum pergas cogitare, & dicere: hoc mihi cur dixit? quid rei mihi est cum ipso? nisi me affligere voluisset, hoc non esset locutus: sed ne dubitet se quoque à me pariter remordendum. En verbis huiuscemodi & cogitatione adiecisti ligna & fomenta, vt qui ignem accendit, cœpistique fumum excitare, quæ est ipsa perturbatio. Perturbatio enim est ipse motus & congressus cogitationum, quæ excitant, & ferocius audaciusqúe cor reddunt. Audacia verò est excitatio vindictæ aduersus eum, qui nos afflixit: quæ & τολμηρία dicitur, vt differebat Abbas Marcus. Malitia enim in animo versata, audire cor facit, extincta autem per orationem & spem conterit ipsum. Si enim æque tuleris (vt dixi) vnicum illud verbum fratris, extinxeris ilicò carbunculum illum, nec venies ad perturbationem. Quia etsi perueniſti, potes tamen & adhuc illam subitò vti paruam extinguere per orationem, per taciturnitatem, per vnicam cordis pœnitentiam. Sin verò pergas fumum excitare, & commouere cor tuum varijs cogitationibus, ita reputans tecum: Quare hoc mihi locutus est? quid illi mecum rei est? ex hoc congressu & agitatione cogitationum, corde quasi attrito & calefacto, fit ex-

candescentia animi, τοῦ θυμοῦ, qui est feruor quidam sanguinis circa cor, vt definit Diuus Basilius. Et si te iam θυμὸς factus, est, hic est quem vocauit ὀξυχολίαν, id est, acutam choleram: quòd si volueris, & hanc poteris extinguere antequam fiat ὀργὴ: sin verò pergas perturbatus alium commouere, ita facis, vt qui ligna in ignem congerit, magisquę excitat, & incendit ignem, sicquę fuerint ex vno carbone plures. Atque id est, quod Abbas Zosimas aiebat. Interrogatus enim vt sententiam hanc exponeret: Vbi non fuerit θυμὸς, languescet pugna: Si quis (ait) principio turbationis (cùm scilicet incipit fumus erumpere, & scintillare ignis) seipsum increpet, corrigat, & accuset, agatque pœnitentiam antequam erumpat flamma, & fiat θυμὸς, in pace adhuc & quiete est. Post autem exortum θυμὸν, non amodò quiescit: sed commoto & accenso corde perseuerat, assimilis factus ei, qui ligna in ignem congerit, accendens illa magnos carbones efficit. Vt autem carbones extincti & repositi, plures annos perstant incorrupti, nec, si in eos etiam aquam quis infuderit, computrescunt: sic & cùm diuturnior in aliquo fuerit, sit, & nisi emunxeris omnem eius sanguinem, abigi haud vnquam vix poterit.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 8. Sicut aqua, si paulatim igni adijciatur, flammam penitus extinguit: ita & veri luctus lachrymæ omnem flammam iracundiæ ac furoris extinguere consueuerunt. Quocirca nos quoque ista consequenter suo ordine subijciemus. Iræ vacuitas inexplebile est ignominiæ desiderium: sicut contra in his, qui inani gloriæ student, infinitus est laudis appetitus. Iræ vacuitas, est naturæ superatio, absque vllo iniuriarum sensu, ex certaminibus & sudoribus proueniens. Mansuetudo est animi immobilis status, inter vituperationes & laudes eodem modo perseuerans. Initium quidem iræ vacuitatis, est labiorum silentium in perturbatione cordis: medium autem, silentium quoque ipsarum cognitionum in animi tenuissimo metu: finis verò est inter immundorum spirituum flatus stabilis ac fixa tranquillitas. Ira est toleratio occulti odij, memoria scilicet iniuriarum altè animo impressa. Ira est desiderium, quo eum, qui nos irritauit, affligi cupimus. Iracundia est subita cordis excandescentia, nec diuturna. Amaritudo est iniucundus atque insuauis motus in animo considens. Furor est morum inconstans motus, animiquę turpitudo. Sicut cùm sol apparuerit, fugantur tenebræ: ita cùm afflare cœperit suauissimus humilitatis odor, omnis amaritudo, omnisquę furor ex animo exterminatur. Quidam cùm sint nimium ex furore mutabiles, negligentiores ad hunc sanandum curandumquę fiunt, non intelligentes miseri quid Scriptura sacra commemoret, dicens: *Momentum furoris eius ruina est illi*, &c. Qui voluptatibus studet, seipsum fortassis, aut alterum suorum morum discipulum corrumpere ac perdere solet: iracundus verò lupi in morem gregem totum sæpe perturbat, animasquę plurimas humilians vulnerat. Graue quidem est, oculum cordis præ furore turbare, secundùm Psalm. testimonium dicentis: *Turbatus est à furore oculus meus*. Longè verò grauius & labijs etiam animi impetum exprimere: grauissimum autem, ac totius monasticæ, & Angelicæ, diuinæquę conuersationi alienum, atque omninò inimicum, manibus quoque furori satisfacere &c. Vinciatur iam tyrannus iste mansuetudinis nexibus, flagelloquę longanimitatis verberatus, atque à charitate pertractus, sistatur tribunali rationis, atque vt conuenit nit examinetur, & ita discutiatur. Dic nobis, ô stulte, & turpissime, genitoris tui, & eius, quæ te malè peperit, appellationem, filiorumquę tuorum, & sceleratissimarum filiarum, præterea & eorum, qui te debellant, & necaturi sunt, nomina edicito. Ille verò sic interrogatus, ita respondere videbatur: Plurimæ generationes meæ sunt, nec vnus mihi pater est. Matres verò meæ sunt, inanis gloria, cupiditas, gastrimargia, nonnunquam verò & fornicatio. Qui autem me genuit, fastus appellatur. Porrò filiæ meæ, memoria iniuriarum, inimicitia, disceptatio, & odium. Aduersariæ verò meæ, quibus nunc vinctus teneor, quæ his obiectæ sunt, mansuetudo & inirascentia. Ea autem quæ mihi insidiatur, humilitas dicitur.

Prou. 28 · Psal. 6.

Gradu 9. Memoria iniuriarum est furoris complementum, peccatorum custos, iustitiæ odium, virtutum perditio, venenum animæ, mentis assiduus vermis, orationis confusio, deprecationis excisio, charitatis alienatio, clauus infixus animæ, iniucundus sensus, qui in amaritudinis suauitate diligitur, iuge peccatum, nunquam dormiens iniquitas, horis singulis admissa malitia.

Antiochus. 600.

Homilia 23. *de Ira*: Necesse sit non mediocrem vim sibi inferat homo & eluctetur, turbulentam hanc vt frænet affectionem iræ, vimque animæ ad iram propendentem vt contineat in officio per longanimam tolerantiam, per orationem, ac sui quàm humillimam deiectionem: adeò vt se nec fucatè iudicet, qui in aliorum censu numeretur, esse indignum. Innumeris siquidem modis iræ incentor hic dæmon, ac multiformi conflictu hominem adoritur & oppugnat: eos potissimùm, qui ad sustinendum agonem hunc in procinctu iam sunt: vt quos ingenti cum labore congeris fructus, siue ieiunio, siue peruigilio noctis, oratione, & decantatione Psalmorum, aut certè administrandi officio, ad vnum dispergat omnes ac dissipet, &c. Suggerit enim hominis menti dæmon hic, totius malignitatis artifex, quot fructus eatenus coëgerit, tanto nimirum tempore, eos vt vel momento intercipiat, & disperdat. Atqui homo talis deinceps inuenitur ebrius, non item à vino. Huic, assimiles deplorat miserè Propheta, dicens: *Væ qui ebrij estis sine vino*. Homini igitur semel infesso passione hac iræ, opus admodum sit, multum eluctetur præsidio extentæ orationis eam à se vt ableget, & agat in exilium. Sanè cui est cordi perfectionis scopus, cui magnopere placet agon spiritualis, ab omni turbulento defectu iræ se reddat extorrem. Interdum enim spiritus hic iræ cordi assidens, tenebricosis suis intemperijs oculum mentis excæcat adeò, vt in reliquum quæ saluti parandæ commodent & conferant nequeamus discernere: non vllam deprehendere intelligentiam scientiæ spiritualis, non vllius obtinere salutaris consilij perfectionem: exortes prorsus efficimur vitæ felicioris, non iam capax aut idonea fuerit mens diuinæ lucis contemplationi, non denique sapientiæ reddimur participes, sed nec vnum admittimus salutare consilium aduersus perplexam animi hæsitationem: non iustitia moderatrice iam possimus in sobrietate premere cordis intemperiem. Nulla igitur ex causa par est concitri nos per iram aduersus fidei comparis virum, præterquam aduersus proprias affectiones, contra cogitationes improbas, quæ eò deuergunt prono cursu, vt nos à rectitudine auocent veræ viæ, &c.

Esa. 29.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 2. cap. 16. Ira est ebullitio sanguinis in corde, hinc existens, quòd bilis ad superantes partes exhalet, aut certè perturbetur. Vnde

& χολὴ, & χόλος, id est, bilis, & indignatio dicitur. Est etiam interdum ira vlciscendi libido. Nam cùm ab aliquo lædimur, aut lædi nos existimamus, ira commouemur: ac tum mixtus hic fit affectus, nimirum ex cupiditate & ira. Tres porrò iræ sunt species: iracundia, quæ etiam χολὴ & χόλος appellatur, μῆνις, & κότος. Nam cùm ira exoritur, ac moueri incipit, bilis nuncupatur: μῆνις autem est bilis diuturniorem moram trahens, hoc est, acceptæ iniuriæ memoria. Vnde etiam hoc nomen nacta est ἀπὸ τοῦ μένειν, id est, quòd maneat, memorięque infigatur. κότος denique est ira, vlciscendi occasionem captans. Vnde etiam nomen traxit ἀπὸ τοῦ κεῖσθαι, ab eo, quòd reposita ac recondita sit. Est porrò ira rationis velut satelles, ac vindex concupiscentiæ. Nam cùm rei alicuius desiderio tenemur, atque ab aliquo nobis impedimentum affertur, tum, quasi iniuria accepta, aduersus eum exardescimus: ratione videlicet eam rem iracundia dignam iudicante, in ijs vtique, qui ordinem suum, vt naturæ consentaneum est, tuentur atque conseruant.

Elias Cretensis. 780.

In Orationem 4. Nazianzeni: Qui quidem cùm tales essent, nullum iratorum hominum affectum præ se ferebant, quos, cùm aut molestus quidem sermo, aut actio, aut etiam suspicio incitârit, ac sanguis eorum circum cor inferbuerit, repente eos cernere est in apros, aut canes, aut pardos, aut aliud quoddam huiusmodi ferarum genus, præ animi cogitatione atque iracundia mutatos. Quibus subcruentus oculus est, capitis pili inhorrescunt, vox asperatur, atque inter loquendum acuitur, lingua præ huiusmodi affectu torpescit, nec internis cupiditatibus administrandi operam nauat, labra rigent, nec articulatum sermonem edunt, nec pituitam eam, quam turbulentus hic motus parit, ore coercent, verùm spumam vnà cum voce indecorè ac turpiter expuunt. Hæc sunt, quæ irascentibus hominibus accidunt.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 4. ad Ephes. *Omnis amarulentia, &c.)* Sustulit & per supra commemorata sanè iram, nunc autem stirpitus eam euellit: amarulentia enim & tumoris, & iræ radix est. Cùm enim succus amarus exasperatus fuerit nimium, excedit quo continetur vasculum, folliculum videlicet, perquè totum corpus funditur, ac hominem planè efferat. Amarulentia igitur est occulta inflammatio, dolus, praua suspicio ad malefaciendum præparata: tumor autem iræ est principium, veluti accensio quædam. Ira autem est, quæ iam ad opus etiam patrandum turget. Quia verò ira nisi habuerit clamorem simul inflammantem ipsam, facilè extinguitur, adijcit quòd clamor etiam tollatur, hoc est, sopiatur, obscuretur, vt nullæ adeò reliquiæ maneant. Equus enim est vociferatio, ascensor autem ira. Impedi equum, & subuertisti ascensorem. Tolle etiam blasphemiam, siue conuicium quod nascitur ex ira. Accendit autem eam vehementius per vociferationem. Quia verò plerique sunt, qui clanculum mordeant, nihil quidem palam dicentes, mordentes autem clanculum, obscuram & reconditam malitiam subseruantes, propterea adijcit: *Cum omni malitia*, hoc est, & modica, & magna.

Simeon Metaphrastes. 950.

In certamine Apostoli Onesimi: Ira maledicti inuentrix, malarum plagarum effectrix, vulnerum procreatrix, & mater cædis.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Libro de Oratione cap. decimo: Quomodo placabit Patrem iratus in fratrem, cùm omnis ira ab
Gen. 4. initio interdicta sit nobis? Nam & Ioseph dimit-
Gen. 45. tens fratres suos ad perducendum patrem: *Et ne,*
Psal. 118. inquit, *irascimini in via*, nos scilicet monuit. Aliàs enim via cognominatur disciplina nostra. Tum ne in via orationis constituti ad Patrem cum ira
Matt. 5. incedamus. Exinde apertè Dominus amplians legem, iram in fratrem homicidio superponit, ne ... quidem malo permittit expungi; etiam si
Ephes. 4 ...nium est, non vltra solis receptum, vt Apostolus admonet. Quàm autem temerarium est aut diem sine oratione transigere, dum cessas fratri satisfacere, aut orationem perseuerante iracundia perdere. Nec ab ira solummodò, sed omni omninò confusione animi libera debet esse orationis intentio, de tali spiritu emissa, qualis est spiritus ad quem mittitur.

Cyprianus. 250.

Libro 3. ad Quirinum cap. 8. Iracundiam vincendam esse, ne cogat delinquere, apud Salomonem
Prou. 16 in Parœmijs: *Melior est vir patiens forti. Qui enim iracundiam continet, melior est, quàm qui vrbem capit, &c.*

Lactantius. 300.

Diuinarum Institut. de vero Dei cultu lib. 6. cap. 19. Tres sunt affectus, qui homines in omnia facinora præcipites agunt, ira, cupiditas, libido. Propterea Poëtæ tres furias esse dixerunt, quæ mentes hominum exagitent. Ira vltionem desiderat, cupiditas opes, libido voluptates. Sed his omnibus Deus certos limites statuit, quos si transcenderint, maioresquè esse cœperint, necesse est naturam suam deprauent, & in morbos ac vitia vertantur. Qui autem sint isti limites, non est magni laboris ostendere. Cupiditas ad ea comparanda nobis data est, quæ sunt ad vitam necessaria: libido ad sobolem propagandam: iræ affectus ad coercenda peccata eorum, qui sunt in nostra potestate, id est, vt arctiore disciplina minor ætas ad probitatem, iustitiamquè formetur, quæ nisi metu cohibeatur, licentia pariet audaciam, quæ ad omne flagitium & facinus euadet. Itaque vt ira vti aduersus minores, & iustum est, & necessarium: sic aduersus pares, & perniciosum est, & impium. Impium, quòd violatur humanitas: perniciosum, quòd illis repugnantibus, aut perdere necesse est, aut perire. Hanc autem, quam dixi esse rationem, cur homini sit iræ affectus datus, ex ipsius Dei præceptis intelligi potest, qui iubet, vti maledicis & lædentibus non irascamur: manus autem nostras supra minores semper habeamus: hoc est, vt peccantes eos assiduis verberibus corrigamus: ne amore inutili, & indulgentia nimia educentur ad malum, & ad vitia nutriantur. Sed rerum imperiti, & rationis ignari, eos affectus, qui sunt homini ad vsus bonos dati, exterminauerunt, & latius, quàm ratio postulat, euagantur. Inde iniustè atque impiè viuitur. Vtuntur ira contra pares: hinc dissidia, hinc expulsiones, hinc bella contra iustitiam nata sunt, &c. Quicunque illos affectus intra fines suos redegerit, quod ignorantes Deum facere non possunt, hic patiens, hic fortis, hic iustus est.

In Epitome diuinarum Institutionum cap. 4. Tres af-

fectus, vel (vt ita dicam) tres furiæ sunt, quæ in animis hominum tantas perturbationes ciunt, & interdum cogunt ita delinquere, vt nec famæ, nec periculi sui respectum aut curam habere permittant: Ira, quæ vindictam cupit: auaritia, quæ desiderat opes: libido, quæ appetit voluptates. His vitijs resistendum est, hæ stirpes eruendæ, vt virtutes seri possint, &c. Ira ad coertionem peccatorum, id est, ad regendam subiectorum disciplinam, data est à Deo, vt metus licentiam comprimat, & compescat audaciam: & qui terminos eius ignorat, irascitur paribus aut fortioribus. Inde ad immania facinora prosilitur: inde ad cædes, inde ad bella consurgitur.

Hilarius. 350.

Canone 4. in Matthæum: Lex vetuit occidere, reatum homicidij seueritate iudicij expiatura. Sed malè in alterum commotę mentis affectio idem in Euangelijs habet pœnæ: & ex præcepto fidei non minus rea ira est sine ratione suscepta, quàm in operibus legis homicidium.

In Psalm. 125. Quàm dedecorosus est furentium motus, temeritatis impetus, odiorum stimulus, liuoris anxietas? Quanta ergo perturbatio eorum est, quanta calamitas, qui supra memoratis malis seruiunt?

Ambrosius. 370.

Libro 1. Officiorum cap. 21. Caueatur iracundia: aut si præcaueri non potest, cohibeatur. Mala enim lex peccati indignatio est, quæ ita animum perturbat, vt rationi non relinquat locum. Primùm est igitur, si fieri potest, vt morum tranquillitas, vsu quodam affectionis proposito, in naturam vertatur. Deinde quoniam ita plerunque motus infixus est naturæ ac moribus, vt euelli atque euitari non queat: si præuideri potuerit, ratione reprimatur. Aut si prius occupatus fuerit animus ab indignatione, quàm consilio prospici ac prouideri potuerit, ne occuperetur: meditare quomodo motum animi tui vineas, iracundiam temperes. Resiste iræ, si potes: cede, si non potes: quia
[Rom. 12] scriptum est: *Date locum iræ.* Iacob fratri piè cessit,
[Gen. 27.] & Rebeccæ, id est, patientiæ instructus consilio, abesse maluit & peregrinari, quàm excitare fratris indignationem: & tunc redire, cùm fratrem mitigatum putaret. Et ideò tantam apud Deum inuenit gratiam. Quibus deinde obsequijs, quantis muneribus fratrem ipsum reconciliauit sibi, vt ille prærepta benedictionis non meminisset, meminisset delatæ satisfactionis. Ergo si præuenerit & præoccupauerit mentem tuam iracundia, & ascenderit in te, non relinquas locum tuum. Locus tuus patientia est, locus tuus sapientia est, locus tuus ratio est, locus tuus sedatio indignationis est. Aut si te contumacia respondentis mouerit, & peruersitas impulerit ad indignationem: si non potueris mitigare mentem, reprime linguam
[Psal. 33.] tuam. Sic enim scriptum est: *Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Deinde inquire pacem, & sequere eam. Pacem illam sancti Iacob vide, qua primùm sedato animum. Si non præualueris, frænos linguæ impone tuæ: deinde reconciliationis studium non prætermittas. Hæc oratores seculi de nostris vsurpata in suis posuêre libris. Sed ille sensus huius habet gratiam, qui prior dixit: Vitemus ergo aut temperemus iracundiam, ne sit eius aut in laudibus exceptio, aut in vitijs exaggeratio. Non mediocre est, mitigare iracundiam, non inferius quàm omnino non commoueri. Hoc nostrum est, naturæ illud. Illæ denique commotiones in pueris innoxiæ sunt, quæ plus habent gratiæ, quàm amaritudinis. Et si citò pueri inter se mouentur, facilè sedantur, & maiori suauitate in se recurrunt. Nesciunt se subdolè artificiosèque tractare, &c. Ita ergò te compara, vt quasi puer iniuriam non teneas, malitiam non exerceas, omnia à te innocenter proficiscantur. Non consideres quid ab alijs in te referatur, locum tuum serua, simplicitatem & puritatem tui pectoris custodi. Noli respondere irato ad iracundiam eius, siue imprudenti ad imprudentiam eius. Citò culpa culpam excutit. Si lapides teras, nonne ignis erumpit? Ferunt Gentiles, vt in maius omnia verbis extollere solent, Archytæ Tarentini dictum Philosophi, quod ad villicum suum dixerit: O te infelicem, quam te afflictarem nisi
iratus essem. Sed etiam Dauid, & armatam dexteram in indignatione compresserat, & quantò plus [1 Reg. 25]
est non remaledicere, quàm non vindicare? Et bellatores aduersus Nabal ad vltionem paratos, Abigail deprecatione reuocauerat. Vnde aduertimus, tempestiuis quoque intercessionibus non solùm credere nos, sed etiam delectari oportere. Eousque autem delectatus est, vt benediceret interuenientem, quod ab studio vindictæ reuocatus foret. Iam
dixerat de inimicis suis: *Quoniam declinauerunt in* [Psal. 54.]
me iniquitates, & in ira molesti erant mihi. Audiamus turbatus in ira quid dixerit: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Illi ergo ad iracundiam prouocabant, hic tranquillitatem eli-
gebat. Iam dixerat: *Irascimini, & nolite peccare.* Moralis [Psal. 4.]
magister, qui naturalem affectum inflectendum magis ratione doctrinæ, quàm extirpandum nouerat, moralia docet. Hoc est: Irascimini vbi culpa est, cui irasci debeatis. Non potest enim fieri, vt non rerum indignitate moueamur: alioquin non virtus, sed lenitudo & remissio iudicatur. Irascimini ergo ita, vt à culpa abstineatis. Vel sic: Si irascimini, nolite peccare, sed vincite ratione iracundiam. Vel certè sic: Si irascimini, vobis irascimini, quia commoti estis, & non peccabitis. Qui enim sibi irascitur, quia citò commotus est, desinit irasci alteri. Qui autem vult iram suam iustam probare, plus inflammatur, & citò in culpam ca-
dit. Melior est autem secundum Salomonem, qui [Prou. 16]
iracundiam continet, quàm qui vrbem capit: quia ira etiam fortes decipit. Cauere igitur debemus, ne in perturbationes prius incidamus, quàm animos nostros ratio componat. Exanimat enim mentem plerunque aut ira, aut dolor, aut formido mortis, & improuiso percellit ictu. Ideo præuenire pulchrum est cogitatione, quæ voluendo mentem exerceat, ne repentinis excitetur commotionibus, sed iugo quodam rationis & habenis constricta mitescat.

Prudentius. 380.

In Psychomachia Patientiæ & Iræ:

Ecce modesta graui stabat Patientia vultu,
Per medias immota acies, variosque tumultus,
Vulneraque, & rigidis vitalia peruia pilis
Spectabat defixa oculos, & lenta manebat.
Hanc procul Ira tumens, spumanti feruida rictu,
Sanguinea intorquens suffuso lumina felle,
Vt belli exortem, teloque, & voce lacessit,
Impatiensque moræ conto petit, increpat ore,
Hirsutas quatiens galeato in vertice cristas.
En tibi Martis, ait, spectatrix libera nostri,
Excipe mortiferum securo pectore ferrum.
Nec doleas, quia turpe tibi gemuisse dolorem.
Sic ait, & stridens sequitur conuitia pinus
Per teneros crispata notos, & certa sub ipsum
Defertur stomachum, rectoque illiditur ictu:
Sed resilit duro lorica excussa repulsu.
Prouida nam virtus conserto adamante trilicem
Induerat thoraca humeros, squamosaque ferri
Texta per intortos commiserat vndique neruos.
Inde quieta manet Patientia, fortis ad omnes
Telorum nimbos, & non penetrabile durans.

Nec mo-

Nec mora est iaculo monstri sine more furentis,
Opperiens propriis perituram viribus iram.
Scilicet indomitos postquam stomachando lacertos
Barbara bellatrix impenderat, & iaculorum
Nube superuacuam lassauerat irrita dextram,
Cùm ventosa leui cecidissent tela volatu,
Ictibus & vacuis hastilia fracta iacerent:
Vertitur ad capulum manus improba, & ense corusco
Conixa in plagam, dextra sublimis ab aure
Erigitur, mediumquè ferit librata cerebrum.
Aërea sed cocto cassis formata metallo
Tinnitum percussa refert, aciemquè retundit
Dura resultantem, frangit quoque vena rebellis
Illisum chalybem, dum cedere nescia cassos
Excipit assultus, ferienti & tuta resistit.
Ira, vbi truncati mucronis fragmina vidit,
Et procul in partes ensem crepuisse minutas:
Iam capulum retinente manu sine pondere ferri,
Mentis inops, ebur infelix, decorisquè pudendi
Perfida signa abiicit, monimentaquè tristia longè
Spernit, & ad proprium succenditur effera lethum,
Missile de multis, quæ frustra sparserat, vnum
Puluere de campi peruersos sumit in vsus,
Rasile figit humi lignum, ac se cuspide versa
Perfodit, & calido pulmonem vulnere transit.
Quam super assistens Patientia: Vicimus, inquit,
Exultans vitium solita virtute, sine vllo
Sanguinis ac vitæ discrimine: lex habet istud
Nostra genus belli, Furias, omnemquè malorum
Militiam, & rabidas tolerando extinguere vires.
Ipsa sibi est hostis vesania, sequè furendo
Interimit, moriturquè suis ira ignea telis.

Chromatius. 390.

Ad cap. 5. Matth. Rudi & duro populo Legis tradita sunt mandata iustitiæ, perfecto autem & fideli populo Euangelica traduntur præcepta consummatæ fidei & cælestis iustitiæ. Lex præcepit non occidendum; Euangelium verò nec irascendum: vt omnem radicem peccati auferat de cordibus nostris: quia per iracundiam potest etiam vsque ad homicidium perueniri. Vnde non immeritò bea-
Iob 5. tus Iob in libro suo ita testatus est, dicens: *Stultum interficit iracundia, seductum autem occidit æmulatio.*
Psal. 4. Dauid quoque ita ait: *Irascimini, & nolite peccare: dicite in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.* Quod testimonium S. Apostolus interpreta-
Ephe. 4. tus est, dicens: *Sol non occidat super iracundiam vestram, neque detis locum diabolo.* Cùm ergo irasci non liceat: multò minus homicidij crimen admittere. Et cùm iracundia teneatur in futuro iudicio, quam putamus pœnam habiturum ipsius sceleris factorem?

Hieronymus. 390.

Ad cap. 5. epist. ad Ephes. Furor incipiens ira est, & feruescens in animo indignatio. Ira autem est, cuius amaritudo, & furor species sunt, quę furore restincto desiderat vltionem, & eum, quem nocuisse putat, vult lædere. Quæ quidem licet in Deo sæpe
Psal. 6. dicantur, secundùm illud: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me:* non sunt perturbationes animi computandæ, sicut in nobis, quia in illo moderata & ordinata sunt omnia, & pœna, qua peccatores corriguntur, nostris vocibus appellatur. Nos verò si irascimur, perturbamur, & furore rapti, nostri esse desinimus. Vnde à nobis omnis amaritudo, & furor, & ira penitus auferen-
Matt. 5. da sunt. Nam ad illud Euangelij: *Quicunque irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio*, frustra est additum, *sine causa:* quia nec cum causa nobis irasci conceditur, manifestissimè Apostolo nunc dicente: *Amaritudo, & furor, & ira, tollatur à vobis.*

Augustinus. 400.

Libro de vera religione cap. 45. Inuicti esse volumus, & rectè: habet enim hoc animi nostri natura post Deum, à quo ad eius imaginem factus est: sed eius præcepta erant seruanda, quibus seruatis nemo nos vinceret. Nunc verò dum ipsa, cuius verbis turpiter consensimus, domatur dolore pariendi, & nos in terra laboramus, & cum magno dedecore superamur ab omnibus, quæ nos commouere ac perturbare potuerint. Itaque nolumus ab hominibus vinci, & iram non possumus vincere. Qua turpitudine quid execrabilius dici potest? Fatemur hominem hoc esse quod nos sumus, qui tamen etsi habeat vitia, non est tamen ipse vitium. Quanto igitur honestius homo nos vincit quàm vitium? Quis autem dubitet immane vitium esse inuidentiam, qua necesse est torqueatur, & subijciatur, qui non vult in rebus temporalibus vinci? Melius est ergo vt homo nos vincat, quàm inuidentia, vel quodlibet aliud vitium.

Ep. st. 87. ad Felicitatem & Rusticum: Sicut acetum corrumpit vas, si diutius ibi fuerit: sic ira corrumpit cor, si in alium diem durauerit.

Epist. 149. ad Profuturum: Quàm vigilandum sit, ne cuiusquam odium cordis intima teneat, neque sinat vt oremus Deum in cubili nostro clauso Matt. 6.
ostio, sed aduersus ipsum Deum claudat ostium, nosti optime frater: subrepit autem, dum nulli irascenti ira sua videtur iniusta. Ita enim inueterascens ira fit odium, dum quasi iusti doloris admixta dulcedo, diutius eam in vase detinet, donec totum acescat, vasquè corrumpat. Quapropter multò melius, nec iustè cuiquam irascimur, quàm velut iustè irascendo in alicuius odium iræ occulta facilitate delabimur. In recipiendis enim hospitibus ignotis, solemus dicere: multo esse melius malum hominem perpeti, quàm forsitan per ignorantiam excludi bonum, dum cauemus ne recipiatur malus. Sed in affectibus animi contra est. Nam incomparabiliter salubrius est etiam iræ iustè pulsanti non aperire penetrale cordis, quàm admittere non facilè recessuram, & peruenturam de surculo ad trabem. Audet quippe impudenter etiam crescere citius, quàm putatur. Non enim erubescit in tenebris, cùm super eam sol occiderit.

Libro 1. de Sermone Domini in monte cap. 11. Quid interest inter reum iudicio, & reum concilio, & reum gehennæ ignis? Nam hoc postremum grauissimum sonat, & admonet quosdam gradus factos à leuioribus ad grauiora, donec ad gehennam ignis veniretur, &c. Non enim reatus ipse haberet gradus, nisi gradatim etiam peccata commemorarentur, &c. Gradus itaque sunt in istis peccatis, vt primò quisque irascatur, & eum motum retineat corde conceptum. Iam si extorserit vocem indignanti ipsa commotio, non significantem aliquid, sed illum animi motum ipsa eruptione testantem, qua feriatur ille cui irascitur, plus est vtique, quàm si surgens ira silentio premeretur. Si verò non solùm vox indignantis audiatur, sed etiam verbum, quo iam certam eius vituperationem in quem profertur designet & notet, quis dubitet amplius hoc esse, quàm si solus indignationis sonus ederetur? Itaque in primo vnum est: id est, ira sola: in secundo duo: ira, & vox, quæ iram significat: in tertio tria: & ira, & vox, quæ iram significat, & in voce ipsa certæ vituperationis expressio.

Ad Psalm. 4. *Irascimini, inquit, & nolite peccare.* Quod duobus modis intelligi potest. Aut, etiamsi irascimini, nolite peccare: id est, Etiamsi surgit motus animi, qui iam propter pœnam peccati non est in potestate, saltem ei non consentiat ratio & mens, quæ intus regenerata est secundùm Deum, vt mente seruiamus legi Dei, si adhuc carne seruimus legi peccati. Aut, agite pœnitentiam, id est, irascimini vobisipsis de præteritis peccatis, & vlterius peccare desinite.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 58. Vult nos vitia non repensare vitijs, sed superare virtutibus: & in ipsis scintillis adhuc extinguere iram, quæ si peruenerit ad totum furoris incendium, sine sanguine non sedatur. Ira vincitur lenitate, mansuetudine extinguitur furor, malitia bonitate palpatur, crudelitas pietate prosternitur, impatientia patientia punitur, contentio superatur iniurijs, superbiam humilitas sternit, &c. Nonne quoties miserum hominem choleræ inflammauerit incendium, & dominante febre vesanum reddiderit ægrotantem, turbatur sensus, mens deperit, feritas accedit, recedit humanitas, & ne multis, moriente homine furor viuit? Hinc est quòd frendit dentibus, parentes laniat, scindit proximos, cædit pugno, morsu agit, atque afficit obsequentes.

Prosper. 460.

In Sententijs, Epigrammate 98.

Nemo suæ mentis motus non æstimat æquos:
Quodquе volunt homines, se bene velle putant:
Vnde animus celeri pace est reuocandus ab ira,
Ne robur sæuis tempora dent odijs.
Offensas sibimet parcentia corda remittant.
Nam nemo est, qui non indigeat venia:
Quam nostri memores, mundi inter vana vicissim
Omnibus in causis & damus, & petimus.

Alcimus Auitus. 500.

Libro ad Sororem:

Ira, furor, mœror, liuor, discordia, luxus,
Lingua duplex, constricta manus, laxata voluntas
Mœchantur cum corde hominis.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 5. Moral. cap. 30. *Virum stultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia.)* Sciendum nobis magnopere est, quia quoties turbulentos motus animi sub mansuetudinis virtute restringimus, ad similitudinem redire Conditoris conamur. Nam cùm tranquillitatem mentis ira diuerberat, dilaniatam quodammodo, scissamquе perturbat, vt sibimetipsi non congruat, ac vim intimæ similitudinis amittat. Quanta ergo sit iracundiæ culpa pensemus, per quam dum mansuetudo amittitur, supernæ imaginis similitudo viriatur. Per iram sapientia perditur: vt quid, quoúe ordine agendum sit, omninò nesciat, sicut scriptum est: *Ira in sinu stulti requiescit:* quia nimirum intelligentiæ lucem subtrahit, cùm mentem permouendo confundit. (Eccli. 7.) Per iram vita amittitur, etsi sapientia teneri videatur, sicut scriptum est: *Ira perdit etiam prudentes:* quia scilicet confusus animus nequaquam explet, etiam si quid intelligere prudenter valet. Per iram iustitia relinquitur, sicut scriptum est: *Ira viri iustitiam Dei non operatur:* (Iacob. 1.) quia dum perturbata mens iudicium suæ rationis exasperat, omne, quod furor suggerit, rectum putat. Per iram gratia vitæ socialis amittitur, sicut scriptum est: *Noli esse assiduus cum homine iracundo, ne discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ.* (Prou. 22.) Et idem: *Quis poterit habitare cum homine, cuius spiritus facilis est ad irascendum?* Quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est, vt bestialiter solus viuat. Per iram concordia rumpitur, sicut scriptum est: *Vir animosus parit rixas, & vir iracundus effundit peccata.* (Prou. 15.) Iracundus quippe peccata effundit, quia etiam malos, quos incautè ad discordiam prouocat, peiores facit. Per iram lux veritatis amittitur, sicut scriptum est: *Sol non occidat super iracundiam vestram:* (Ephe. 4.) quia cùm menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit. Per iram sancti Spiritus splendor excluditur, quo contra, iuxta vetustam translationem scriptum est: *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos?* (Isa. 66.) Cùm enim humilem diceret, quietum protinus adiunxit. Si ergo ira quietem mentis subtrahit, suam sancto Spiritui habitationem claudit, cuius recessione animus vacuus, ad apertam mox insaniam ducitur, & vsque ad superficiem ab intimo cogitationum fundamento dissipatur. Nam iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur noti. Ore quidem clamorem format, sed sensus, quid loquatur, ignorat. In quo itaque iste ab abreptitijs longè est, qui actionis suæ conscius non est? Vnde fit plerunque, vt vsque ad manus ira prosiliat, & quò ratio longius recedit, audacior exurgat, seque ipsum animus retinere non valet: quia factus est potestatis alienæ: & eò furor membra foris in ictibus exercet, quò intus ipsam membrorum dominam mentem captiuam tenet. Aliquando autem manus non exerit, sed in maledictionis iaculum linguam vertit. Fratris namque interitum precibus exposcit, & hoc Deum perpetrare expetit, quod ipse peruersus homo facere vel metuit, vel erubescit. Fitquе vt voto, & voce homicidium peragat, etiam cùm à læsione proximi manibus cessat. Aliquando ira, perturbato animo, quasi ex iudicio silentium indicit, & quò se foras per linguam non exprimit, intus deterius ignescit, vt iratus quisque collocutionem suam proximo subtrahat, & nil dicendo, quàm sit auersus dicat. Et nonnunquam hæc silentij seueritas per disciplinæ dispensationem geritur: si tamen solicitè in intimis discretionis forma teneatur. Nonnunquam verò, dum accensus animus à consueta locutione restringitur, per accessum temporis penitus à proximi dilectione separatur, & acriores stimuli ad mentem veniunt, causæquе, quæ grauius exasperant, oriuntur, atque in irati oculo festuca in trabem vertitur, dum ira in odium permutatur. Plerumque ira per silentium clausa intra mentem vehementius æstuat, & clamosas tacita voces format: verba sibi, quibus exasperetur, obijcit, & quasi in causæ examine posita durius exasperata respondet, quod Salomon breuiter insinuat, dicens: *Præstolatio impiorum furor.* (Prou. 11.) Sicquе fit, vt perturbatus animus maiorem strepitum sui silentij sentiat, eumquе grauius clausa iræ flamma consumat. Vnde bene ante nos quidam sapiens dixit: Cogitationes iracundi viperæ sunt generationis, mentem comedunt matrem suam. Sciendum verò est, quòd nonnullos ira citius accendit, facilius deserit. Nonnullos verò tardè quidem commouet, sed diutius tenet. Alij namque accensis calamis similes, dum vocibus perstrepunt, quasi quosdam accensionis suæ sonitus reddunt, citius quidem flammam faciunt, sed protinus in fauilla frigescunt. Alij autem lignis grauioribus durioribusquе non dispares, accensionem tardè suscipiunt, sed tamen accensi semel difficilius extinguuntur: & quia se tardius in asperitatem concitant, furoris sui diutius ignem seruant. Alij autem, quod est nequius, & citius iracundiæ flammas accipiunt, & tardius deponunt. Nonnulli verò has & tardè suscipiunt, & citius amittunt. In quibus nimirum quatuor modis liquidò lector agnoscit, quia & ad tranquillitatis bonum vltimus plus quàm primus appropinquat, & in malo secundum tertius superat. Sed quid prodest, quòd iracundia quomodo mentem teneat, dicimus, si non etiam qualiter compesci debeat exprimamus? Duobus etenim modis fracta possidere animum ira desuescit. Primus quippe

est, vt mens solicita antequam agere quodlibet incipiat, omnes sibi quas pati potest, contumelias proponat: quatenus Redemptoris sui probra cogitans, ad aduersa se præparet. Quæ nimirum venientia tanto fortius excipit, quanto se cautius ex præscientia armauit. Qui enim improuidus ab aduersitate deprehenditur, quasi ab hoste dormiens inuenitur, eumque citius inimicus necat, quia non repugnantem perforat. Nam qui mala imminentia per solicitudinem prænotat, hostiles incursus quasi in insidijs vigilans expectat: & inde ad victoriam valenter accingitur, vnde nesciens deprehendi putabatur. Solerter ergo animus ante actionis suæ primordia, cuncta debet aduersa meditari: vt semper hæc cogitans, semper contra hæc thorace patientiæ munitus, & quidquid acciderit, prouidus superet: & quidquid non accesserit, lucrum putet. Secundus autem seruandæ mansuetudinis modus est, vt cum alienos excessus aspicimus, nostra, quibus in alijs excessimus, delicta cogitemus. Considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Patienter namque illatam iniuriam tolerat, qui piè meminit quòd fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari. Et quasi aqua ignis extinguitur, cùm surgente furore animi, sua cuique ad mentem culpa reuocatur, quia erubescit sibi peccata non parcere, qui vel Deo, vel proximo sæpe se recolit parcenda peccasse. Sed inter hæc solerter sciendum est, quòd alia est ira, quam impatientia excitat: alia, quam zelus iustitiæ format. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Si enim nulla ira ex virtute surgeret, diuinæ animaduersionis impetum Phinees per gladium non placasset. Hanc iram quia Heli non habuit, motum contra se implacabiliter supernæ vltionis excitauit. Nam quo contra subditorum vitia tepuit, eo contra illum districtio æterni Rectoris exarsit. Psal. 4. De hac ira per Psalmistam dicitur: *Irascimini, et nolite peccare.* Quod nimirum non rectè intelligunt, qui irasci nos nobis tantummodò, non etiam proximis delinquentibus volunt. Si enim sic proximos, vt nos amare præcipimur, restat, vt sic eorum errantibus, sicut nostris vitijs irascamur. De hac per Eccle. 7. Salomonem dicitur: *Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* De hac Psal. 6. iterum Psalmista ait: *Turbatus est præ ira oculus meus.* Ira quippe per vitium oculum mentis excæcat, ira autem per zelum turbat: quia cum saltem recti æmulatione concutitur, ea, quæ nisi tranquillo corde percipi non potest, contemplatio dissipatur. Ipse namque zelus rectitudinis, quia inquietudine mentem agitat, eius mox aciem obscurat, vt altiora in commotione nõ videat, quæ bene prius tranquilla cernebat.

Beda. 700.

Lib. 2. capite 24. in Prouerbia Salomonis: Ira, quia non corporale, sed spirituale vitium est, quò minus deprehenditur, eò amplius grauat. Vnde non absolutè iram, sed iram stulti dicit saxo & arena grauiorem. Nam sapientes quò modò actus suos ac sermones, ita mentis quoque motus solerter examinare & castigare satagunt.

Capite 28. Ianua omnium vitiorum iracundia est, qua clausa, virtutibus intrinsecus dabitur quies: aperta verò ad omne facinus armabitur animus.

Alcuinus. 750.

Libro de virtutibus & vitijs capite 23. de Iracundia: Egregius mundi Prædicator dicit: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia.* Nec enim *ira Dei iustitiam* operari poterit, ita sine temperamento expers est rationis. *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem. Vir iracundus* (vt ait ibidem Salomon) *prouocat rixas, qui patiens est, mitigat suscitatas. Spiritum* verò *ad irascendum facilem quis sustinere poterit? Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor.* finem vindictæ nouit. Si te, ô homo præoccupauerit ira, mitiga eam. Illa ira mala est, quæ mentem turbat, vt rectum consilium perdat. Illa ira iusta est & necessaria, quando homo contra propria irascitur peccata, & contra seipsum indignatur, dum malè agit. Dicit Propheta: *Irascimini, & nolite peccare:* concessit quod naturæ est, tollit quod culpæ est. Ira alterius tua leniatur patientia. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum:* alterius peccatum tuum sit præmium. Displiceat tibi alterius ira, & quod tibi in alio displicet, in te ipso quoque displiceat. Noli tranquillitatem mentis alterius perturbatione maculare. Noli æqualem te stulto facere: quia *ira in sinu stulti requiescit.* Si tu irasceris contra eum, eritis duo mali, tu & ille: proinde melius est, te esse bonum, quanquam ille sit malus. Cur tu ex alterius malitia malus efficiaris?

Ephes. 4. Iacob. 1. Prou. 15. Prou. 18. & 27. Psal. 4. Rom. 12. Eccle. 7.

De octo vitijs principalibus, cap. 5. de Ira: Ira vna est de octo vitijs principalibus: quæ si ratione non regitur, in furorem vertitur, & ita homo sui animi impotens erit, faciens quæ non conuenit. Hæc enim si cordi insidet, omnem eximit ab eo facti prouidentiam, nec iudicium rectæ discretionis inquirere, nec honestæ contemplationis virtutẽ, nec maturitatem consilij habere poterit: sed omnia per præcipitium quoddam facere videtur. De ira pullulat mentis tumor, rixæ, contumeliæ, clamor, indignatio, præsumptio, blasphemiæ, sanguinis effusio, homicidia, vlciscendi cupiditas, iniuriarum memoria: quæ vincitur per patientiam & longanimitatem, & per rationem intellectualem, quam Deus inserit mentibus humanis, & per recordationem orationis Dominicæ, vbi Deo dicitur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Haymo. 820.

Homilia Dominicæ 7. post Pentecosten: Tanta pœna punitur ira in nouo Testamento, quanto homicidium in veteri, secundùm quod Ioannes Apostolus ait: *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* 1. Ioan. 3.

Halitgarius. 830.

De Pœnitentia libro 1. cap. 8. Si irasci fas non est, aut dicere *Racha*, aut *fatue*, multò minus est licitum tenere aliquid animo, vt in odium indignatio conuertatur. Est enim ira mentis furor, quæ si in corde infigitur, omnem eximit prouidentiam ab eo facti: nec iudicium rectæ discretionis inquirere, nec honestæ contemplationis virtutem, nec consilij poterit habere maturitatem, sed omnia per præcipitium quoddam facere videtur, ex quo nascitur homicidium.

Smaragdus. 970.

In caput 4. Regulæ Benedicti: Inter iram & iracundiam ita distinguitur. Ira præsens est indignatio, quæ subitò ex aliqua commotione animi nascitur: Iracundiæ vitium naturale est, & perpetuum. Ergo iratus pro tempore concitatur: iracundus autem frequenter, & leuiter irascitur, de quo scriptum est: *Iracundus effodit peccatum.* Et Apostolus nos per iram peccare prohibet, dicens: *Irascimini, & nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo.* Considera ergo, ô beate Monache, quia qui per iram in fratrem expetit vindictam, in corde suo diabolo ad habitandum ædificat locum, & Christo, qui verus est sol, quantum in semetipso est, occasum præparat. Fuge ergo, auxiliante Deo, iram, & noli per iram fratri reddere vindictam. Attende di-

Prou. 15. Ephes. 4. Psalm. 4.

ligenter

ligenter quid non Paulus admonens, dicat. Ait enim: *Deponentes & vos omnem iram, & indignationem, & malitiam*, &c. (Col.3.) Cauendum est ergo maximè Monachis, qui ad supera feliciter volunt scandere regna, ad effectum suum perducere iram, sed magis eos mansuetos esse ad omnes oportet, atque mitissimos. Et si iracundiæ furor eorum pulsauerit animum, fraternus amor comprimat illum, fraterna dulcedo temperet iracundiam, fraterna dilectio temperet animositatem, fraterna dilectio mitiget indignationem. Grande enim vitium est iracundia. Per iram sapientia perditur, per iram iustitia relinquitur, per iram societas fraterna dissoluitur, per iram pacis concordia rumpitur, per iram lex veritatis amittitur. Iracundiæ stimulis agitatum corpus totum tremit, lingua balbutit, vultus ignescit, cor pulpitans tremulat, & oculi turbati caligant. Hæc ergo ne tibi contingant, quantum vales refræna iram, & omnia age cum tranquillitate & patientia, vt & hic modestè, & patienter eam gubernes, & in æternum animæ tuæ possessor læteris.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad cap. 5. Matthæi: Cùm Dominus hic prohibet
Psal.4. iram, videtur contrarius esse ei, qui dicit: *Irascimini, & nolite peccare*. Sed qui dicit, *Irascimini*, de passione dicit, quæ auferri non potest, & non est criminalis, imò naturalis. Deus autem prohibet passionis iram, quæ est ex deliberatione, quæ est criminalis, quæ est mors. Iram prohibet ideo, & ipsam voluntatem mœchandi: per quæ duo intelliguntur omnes motus ad nocendum fratri, & omnes motus ad concupiscendas carnales voluptates. Qui duo motus vocantur ira & concupiscentia, ex quibus omnes nascuntur actus. Et sciendum est, quòd omnes motus ad nocendum fratri inter genera homicidij computantur, id est, detractio, quæ est effectus odij & iræ, & homicidium dicitur. Vnde Apostolus Ioannes: *Qui odit fratrem suum homicida est.*

Bernardus. 1130.

Sermone 13. in Psalm. *Qui habitat in adiutorio*: Affectio naturalis ira hominum est, sed abutentibus bono naturæ grauis perditio est, & miseranda pernicies. Occupemus illam fratres, in quibus expedit, ne fortè ad inutilia, illicitaq́ue prorumpat, &c. Et ego vobis dico: non autem ego, sed veritas: non ego, sed Dominus: Nolite irasci eis, qui transitoria vobis auferunt, qui conuitia inferunt, qui ingerunt fortè supplicia, & post hoc faciunt nihil. Ostendam autem vobis cui debeatis irasci. Irascimini ei, quæ sola vobis nocere potest, sola facere vt omnia illa non prosint. Vultis scire quænam illa sit? Iniquitas propria. Ita dico vobis, huic irascimini. Nulla enim nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Qui perfectè huic irascitur, cæteris non mouetur, magis & amplectitur ea. *Ego, inquit, in flagella paratus sum.* Sit damnū,
Psal.35. sit conuitium, sit læsio corporalis, *paratus sum, & non sunt turbatus: quoniam dolor meus in conspectu meo semper.* Quidni exteriora omnia paruipendam in huius æstimatione doloris? *Filius (inquit) vteri*
1.Reg.16 *mei persequutur me, & conuitianti seruulo indignabor? Cor meum dereliquit me, dereliquit me virtus mea, &*
Psal.93. *lumen oculorum meorum*: & damna temporalia plangam, aut incommoda corporalia reputabo? Hinc nimirum nō modò mansuetudo oritur, cui draconis flatus non noceat, sed etiam magnanimitas, quam rugitus non terreat.

Guerricus Igniacensis. 1180.

De Purificatione Mariæ Sermone 5. Post conuersionem nostram ira non habeat in nobis locum, quia, vt ait Dominus in Euangelio, gradatim ducit ad Gehennæ puteum, dicens: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio: Qui dixerit Racha*, hoc est, vocem in- Matt.5.
dignationis per iram emiserit, *reus erit concilio*, in quo tractatur qua pœna sit mulctandus. *Qui dixerit fatue*, hoc est, tale quid fecerit aut verbo, aut verbere, vt inter fratres despiciatur, *reus erit gehennæ ignis*, nisi resipuerit. Hæc est ira, quæ stultorum oculos extinguit, sapientum oculos nonnunquam turbat, &c.

Innocentius Tertius. 1200.

In Psalm. 1. Pœnitentialem: Triplex est ira hominis, naturalis, venialis, & criminalis. De prima dicitur: *Irascimini, & nolite peccare.* Hanc iram habe, si Psalm.4
pij patris iram tibi adhiberi desideras. De secunda legitur: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Ephes.4
Hanc iram tempera, si iustam iram Domini circa te desideras mitigari. De tertia verò scribitur: *Ira viri* Iacob.1.
iustitiam Dei non operatur. Hanc iram prorsus euita, si seueram iudicis iram à te desideras prorsus auerti. *Omnis enim, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Matt.5.
Ira, inquit, *illis secundùm similitudinem serpentis, &* Psal.57.
furor aspidis insanabilis. Hanc iram, & hunc furorem omnino declina, si furorem & iram Domini desideras declinare.

Cæsarius Heisterbachius. 1220.

Lib. 4. cap. 16. Ira est irrationabilis perturbatio mentis. De ira nascuntur rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ. Ira in corde latet, in verba prorumpit, iniurias exercet.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De virtutibus cap. 19. Iracundia naturalis, & etiam consuetudinalis, & domesticus hostis, & ægritudo pestilens, & incendium spirituale est.

Antonius Paduanus. 1230.

Dominica 6. post Trinitatis: Iracundiæ veneno aliquis huius seculi potens infectus, quasi basiliscus flatu suæ malitiæ extinguit herbas, id est, pauperes: necat arbores, id est, huius seculi diuites mercatores & vsurarios: animalia, id est, suos domesticos occidit, & incendit.

Thomas Aquinas. 1250.

Secunda 2. quæst. 158. art. 2. Ira propriè nominat quandam passionem. Passio autem appetitus sensitiui in tantum est bona, in quantum ratione regulatur. Si autem ordinem rationis excludat, est mala. Ordo autem rationis in ira potest attendi quantum ad duo. Primò quidem, quantum ad appetibile, in quod tendit, quod est vindicta. Vnde si aliquis appetat, quòd secundùm ordinem rationis fiat vindicta, est laudibilis iræ appetitus, & vocatur ira per zelum. Si autem aliquis appetat, quòd fiat vindicta qualitercunque contra ordinem rationis, puta si appetat puniri eum, qui non meruit, & vltra quàm meruit, vel etiam non secundùm legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui est conseruatio iustitiæ, & correctio culpæ, erit appetitus iræ vitiosus, & nominatur ira per vitium. Alio modo attenditur ordo rationis circa iram, quantum ad modum irascendi, vt scilicet motus iræ non immoderatè ferueścat, nec interius, nec exterius, quod quidem si prætermittatur, non erit ira absque peccato, etiamsi aliquis appetat iustam vindictam.

Guilhelmus Peraldus. 1255.

In Summa Tomo 2. de Ira: Proximo multum nocet ira: quia ferè omnia mala, quæ inferunt homines sibi inuicem, procedunt ex ira. Ideo multum deberet homo sibi cauere ab ira: quia nisi hoc fecerit, intolerabilis erit hominibus. Prou. 27. *Graue est saxum, & onerosa arena: sed ira stulti vtroque grauior est.*

Iacobus Genuensis. 1280.

Dominica 22. Serm. 3. Frænate iram, quæ vos stimulat ad vindictam. Ira enim scorpio est, qui stimulando occidit, dum tangitur, vel leuiter molestatur. Si te vindicare vis de inimico tuo, ad iram tuam ne conuerte: quia ipsa est inimica tua, quæ occidit animam tuam.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad caput 5. Matthæi: Saluator ponit triplicem gradum iræ: primus est in corde: secundus in ore per verbum contumeliosum, confusum tamen: tertius est gradus, quando proceditur ad contumeliam determinatam. Primus gradus est minoris culpæ, quàm secundus: & secundus, quàm tertius, &c. Considerandum tamen, quòd licet ira sit peccatum, vt hic dicitur, non tamen omnis ira. Ira enim est appetitus vindictæ. Vindicta enim si sit iusta, non est peccatum eam appetere. Sed tamen si sit iniusta, & hoc contingit quadrupliciter: vel quoniam appetitur pœna eius, qui non meruit: vel si appetatur ordine debito prætermisso: vel quia appetitus propter indebitum finem: vel quando appetitus solùm propter vindictam, non propter iustitiam.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 1. cap. 34. Moses & lex securim posuit ad ramum arboris, prohibens homicidium: Christus verò, tamquam sapiens agricola, & Euangelium securim posuit ad radicem, prohibens iram, & omnem radicem peccati de cordibus nostris auferret: quia per iracundiam etiam vsque ad homicidium perueniri potest. Et bene incipit ab ira: quia secundùm Glossam ianua omnium vitiorum est iracundia: qua clausa, virtutibus intrinsecus dabitur requies: aperta ea, ad omne facinus armabitur animus. Ira est omnis malus motus ad nocendum. Aut ergo surgit subitò, & sic est veniale: aut ex deliberatione & consensu, & sic est peccatum mortale.

Rupertus Holcotius 1350.

In librum Sapient. lect. 125 Ira facit iniuriam Deo, proximo, & subiecto proprio. Subtrahit enim Deo effectum suæ potentiæ, proximo affectum debitæ beneuolentiæ, proprio subiecto aspectum rationis & intelligentiæ.

Franciscus Petrarcha. 1360.

De remedijs vtriusque fortunæ lib. 2. dialog. 108. *Dol.* Sed irascor. *Ratio*: Ego aduersis opem polliceor, non vitijs: non fortuita enim illa, sed voluntaria sunt, & in vestra potestate. Quis te igitur cogit irasci? *Dol.* Irascor offensus. *Rat.* Is fortasse, qui offendisse te arguitur, se offensum abs te queritur: Non tantum est offensarum, quantum insolentiæ. *Dol.* Ira æstuo. *Rat.* Furis ergo: *Ira furor breuis est*, inquit Flaccus. Fit autem à plerisque mala consuetudine, & impatientia longus furor Ennius autem iram initium dixit insaniæ: cùm plerisque nimis illam sequentibus finis & insaniæ fit, & vitæ.

Ioannes Bromiardus. 1380.

In Summa Præd. de Ira: Ira ipse irascenti multiplex infert damnum. Primò namque ei omne bonum aufert: quia Deum & Angelos ab ipso fugat. Secundò impedit, ne bonum inibi fiat, vbi moratur, nec cogitando, nec loquend, vel operando: quia de illo, contra quem irascitur, non finit bene cogitare, vel loqui, vel bene erga eum operari. Tertiò omne malum infert indignatio, videlicet contumeliam, vindictam, tumorem mentis, rixam: quia *vir iracundus prouocat rixas*, Prouerb. 15. Quartò ad idem malum ducit: quia sicut illum, qui offendit, diabolus ad infernum ducit propter factum malum, quod facit: ita excessiuè irascentem, & contra rationem vindictam appetentem, eadem ducit via propter iram, & sic in inferno in id incidit iracundus, quod maximè vita, illius videlicet, contra quem irascitur, societatem, cùm sicut ille facto, ita tu ira *thesaurizas tibi iram in die iræ*. Rom. 2.

Ioannes Gerson. 1420.

In Regulis moralibus: Ira per zelum, qui est de malo culpæ, dicitur ex se laudabilis: sed ex modo prosequendi potest fieri vituperabilis, dum nec tempus, nec locum, nec modum nouit obseruare: præsertim quando pertinatiæ coniuncta est, & turbantium seditionum magis adductiua, quàm sedatiua. Ira, quæ est motus concitatus ad inferendam vindictam pro malo sibi verè illato, si sit secundùm ordinem iuris, non est de se vituperaabilis, sed reducitur ad iram zeli, vt in iudice, vel per iudicem: secùs si ex libidine propriæ vindictæ principaliter, vel si iniuria non sit verè facta, sed ita leuiter, & irrationabiliter æstimat. Ira est quandoque naturalis passio, vt in melancholicis & cholericis: quandoque primus motus: quandoque sola impatientia, absque appetitu vlterioris vindictæ: quandoque refrigeratio charitatis erga proximum circa odium. In quibus casibus aut nullum est de se, aut veniale peccatum. Ira, quæ est appetitus deliberatus vindictæ propriæ præter, aut contra iuris ordinem, ex se, & vt sic, est mortalis, præsertim si vindicta si notabilis detrimenti.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De casto connubio Verbi & animæ cap. 11. Non quidem mediocriter furor mentis oculum offuscare consueuit, ideoque Propheta hoc in se patiens Psal. 6.
dicebat: *Turbatus est à furore oculus meus.* Nihil prorsus sic mentis statum euertit, velut conturbans furor. Est quidem animi passio subuersio naturæ, dehonestatio hominis, opprobrium seruorum Christi, repulsio gratiæ, fraternitatis dissipator, dæmoniaca imitatio, fugator paracleti, omnisque sanctitatis inimicus. Nullum sanum consilium, nulla matura potest esse deliberatio, vbi iræ passio dominatur. Periclitatur ratio, inebriatur cor, incomposita verba prosiliunt, immutatur facies, lumen oculorum præsente furore caligat. Propterea sponsa, ne in illo tyranni huius pessimi detrimentum patiatur, & patientiæ & mititatis arce se collocat, timoris ac silentij seris os obstruens.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tomo 3. de triplici mititate Sermone 2. capite 2. Mitiga affectum tuum, vt non irascaris, aut certè iratus non peccaueris. Præclarum est enim motum temperare consilio. Nec minoris virtutis esse videtur cohibere iracundiam, quàm omninò non irasci: cùm plurimum istud sit, non irasci sit leuius. Hoc autem, scilicet motum iræ cohibere, fortius existimo. Proinde Propheta inquit: *Irascimini, & nolite peccare*, id est, si primus motus iræ insurgat, *nolite peccare*, scilicet consentiendo in corde, vel ad effectum perducendo in opere, vel diu retinendo in mente. Quod necessitatis est, permittit: quod verò culpæ est, interdicit.

Sermone de mundi amore cap. 3. Tertius capitaneus spiritus pessimus nuncupatur. Hic cum exercitu suo impellit ad iracundiam, seu iram, & inimicitiam: diuisiones, & guerras. Dicitur autem ira ab vr, quod est ignis, quasi vra: quia vrit, & inflammat. Inde iracundus, quia faciliter irascitur. Hic est, qui accenso sanguine in furorem compellitur. Hic spiritus pessimus, qui est spiritus iræ, concitat animas ad sex filias iræ, videlicet ad ri-

xam, hoc est, ad audacem voluntatem vindicandi iniuriam præcedentis facti, tamen aduersantem propter inimicitias extimulatas. Impellit ad cōtumelias, hoc est, ad voluntatem se vindicandi per exprobrationem malorum. Compellit ad clamorem, id est, ad voluntatem se vindicantem in exaltando vocem. Solicitat ad vituperium, pertueniens ad aures aliorum, per signum molestiæ exterius declaratiuum. Infestat ad blasphemiam, hoc est, ad voluntatem se vindicandi, per opprobrium Deo, seu Sanctis illatum.

Ioannes de Turre Cremata. 1460.

Ad caput 4. Regulæ D. Benedicti tractatu 25. Ad actum irascendi octo pertinent. Primum est, vt homo non ex leui causa irascatur Prouerb. 8. *Spiritum ad irascendum facilem sustinere quis poterit?* Secundum est, vt non velociter irascatur. Tertium, quòd iræ resistatur, ne homo ab ea superetur. Quartum est, vt ira citò sedetur. Quintum, vt ira sermone non indicetur. Sextum, vt ira operari non permittatur: cùm enim sit in tenebris animus iratus, non videt quid agendum. Septimum, vt irascatur vitio, non personæ. Octauum est, vt potius irascatur culpæ propriæ, quàm alienæ.

Nicolaus de Nyse. 1480.

In Sentent. tractatu 3. parte 3. port. 2. quæstione 3. Cùm irascitur secundùm rectam rationem, tunc irasci est laudabile: puta, si quis vindictam appetit secundùm ordinem rationis: talis ira est laudabilis, & vocatur ira per zelum. Si quis verò appetat vindictam fieri de eo, qui non meruit, vel vltra quàm meruit, vel etiam non secundùm legitimum ordinem, vel non propter debitum finem fieri mouetur aliquis immoderatè in animo, aut etiam exterius, talis ira est vitiosa, & vocatur ira per vitium. Deinde notandum, quòd motus iræ potest esse inordinatus dupliciter, vno modo ex parte appetibilis, vtpote cùm quis appetit iniustam vindictam, vel iniusto ordine, vel propter indebitum finem: & sic ira est peccatum mortale: quia contrariatur iustitiæ & charitati. Potest tamē contingere, quòd talis appetitus vindictæ sit peccatum veniale, propter imperfectionem actus: quæ quidem imperfectio attenditur, vel ex parte appetentis: puta cùm motus iræ præuenit iudicium rationis, vel ex parte appetibilis. Alio modo potest esse motus iræ inordinatus ex modo irascendi quia scilicet nimis ardenter irascitur interius, vel nimis manifestat iram suam exterius, & sic ira secundùm se non habet rationem peccati mortalis. Potest tamen contingere, quòd sit peccatum mortale: puta, si quis ex vehementia iræ excidat à dilectione Dei vel proximi. Postremò notandum, quòd ira hoc habet, quòd ex ea multa vitia oriuntur duplici ratione. Primò ratione appetibilis, in quantum vindicta appetitur sub ratione iusti, & honesti, quod sua dignitate allicit. Alio modo ex suo impetu, quo præcipitant mentem ad multa inordinata peragenda. Vnde patet, quòd ira est vitium capitale.

Baptista Mantuanus. 1500.

Libro 1. de calamitate suorum temporum:

Ira minax, odijq́ parens, Mauortis alumna
Secum agit indomitum Stygia de sede furorem,
Stentorea qui voce tonat, qui gutture lato
Fulminat, & rauco resonans clamore fugacem
Pantagiam superat, mugire tonitrua dicas,
Horrificaq́ fremens attatas voce cohortes
In rigidos enses, alternaq́ vulnera mittit.
Sanguinolenta graui vibrans hastilia ferro,
Bella ciens, rixasq́ mouens, hostemq́ lacessens,
Labra, manusq́ tremit, scintillant lumina toruis
Fulta supercilijs, strepit, & conuicia iactans
Bacchatur, si fortè aliquo nequit obice pœnas
Sumere, vindictas in idonea tempora differt,
Fitq́ odium, quod longa fouens incendia pectus
Vrit, & accensis lambit præcordia flammis, &c.

ARTICVLVS DECIMVS.

ACEDIAM, PIGRITIAM, DESIDIAM, TRISTITIAM, ETC. ESSE FVGIENDAM.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

PROVERB. 6. *Vers.* 3. Discurre, festina, suscita amicum tuum: ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quasi damula de manu, & quasi auis de manu aucupis. Vade ad formicam ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiam: quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat. Vsquequo piger dormies? quando consurges è somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus vt dormias: & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet vt fons messis tua, & egestas longè fugiet à te.

Prouerb.

Prouerb 10. 4. Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium diuitias parat. 26 Sicut acetum dentibus,& fumus oculis: sic piger his qui miserunt eum.

Prouerb. 13. 4. Vult & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur.

Prouerb. 18. 8. Pigrum deijcit timor: animæ autem effœminatorum esurient. Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.

Prouerb. 19 15. Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet. Qui custodit mandatum, custodit animam suam: qui autem negligit viam suam, mortificabitur. 24. Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam.

Prouerb. 25. 20. Sicut tinca vestimento,& vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi.

Ecclesiastici 5. 8. Non tardes conuerti ad Dominum,& ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius,& in tempore vindictæ disperdet te.

Ecclesiastici 7. 16. Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo.

Ecclesiastici 14. 2. Felix qui non habuit animi sui tristitiam, & non excidit à spe sua.

Ieremiæ 48. 10. Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter, *vel, vt habent Septuaginta Interp.* ἀμελῶς, *id est*, negligenter.

Matthæi 7. 19. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

Matthæi 11. 12. A diebus autem Ioannis Baptistæ vsque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Matthæi 25. 26. Serue male, & piger, sciebas quia meto vbi non semino, & congrego vbi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam numularijs, & veniens ego recepissem vtique quod meum est cum vsura. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores. Illic erit fletus & stridor dentium.

Marci 13. 33. Vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit. 35. Vigilate ergo, (nescitis enim quando Dominus domus veniat: serò, an media nocte, an gallicantu, an mane) ne cùm venerit repente, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate.

Rom. 12. 11. Solicitudine non pigri. Spiritu feruentes: Domino seruientes. Spe gaudentes. In tribulatione patientes. Orationi instantes. Necessitatibus sanctorum communicantes.

Rom. 13. 11. Et hoc scientes tempus, quia hora est iam nos de somno surgere.

2. *Corinth*. 7. 10. Seculi autem tristitia mortem operatur.

Ephes. 5. 14. Surge qui dormis,& exurge à mortuis: & illuminabit te Christus. Videte itaque fratres quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

Apocal. 3. 2. Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe qualiter acceperis & audieris: & serua, & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Ephrem. 370.

Parænesi 23. Nouitios in Cœnobijs Monachos variè oppugnare solent inimicus: nam aliquibus odium ac alienationem suggerit in labore atque exercitio manuum. Manè surgit frater, orationem sibi facturus in cella sua. Deinde accepto opere, infert ei tunc honestatis inimicus dæmon cogitationem acediæ: & si obueniente acedia resisteret frater operando, & se exercendo: tunc acediæ spiritum diuinæ gratiæ auxilio repelleret. Nam ingruente ipsi acedia, non resistit ei per patientiam: statim enim cogitationem laxans, incipit secum dicere: Hodie quasi dissolutum & læsum me sentio esse, & minus valeo: potius otiabor, vt paululum meipsum reficiam: & cras opus meum persequar, faciamqúe duorum dierum opus. Interea in otio versatur frater per primum diem, subtrahitqúe deinde opus vnius diei. Similiter postero die honestatis hostis dæmon vehementiorem fratri circumfundit Acediam, quàm die præcedenti, &c.

Basilius Magnus. 370.

Oratione 11. *de mærore & tristitia:* Nimia tristitia auctor peccati esse solet, cùm mœror mentem submergat, consilij inopia vertiginem afferat, penuria cogitationis ingratum animum generet.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Lib. 3. *de prouidentia Dei:* Omni actione diabolica potentior est ad nocendum mœroris magnitudo.

Namque & dæmon quoscunque superat, per mœrorem superat. Eum si auferas, nihil à dæmone quisquam lædi poterit.

Paraenesi priore ad Theodorum lapsum: Ignatiia desperationem parit, ab ea mutuò & illa nutricatur, adeoque dum seruant inter se execrabiles vices dandi accipiendique, confirmantur in potentiam haud mediocrem. Alteram itaque rescindens abarcensque, alteram, quæ consequitur, facili opera conficiet. Nunquam enim qui non torpescit, in desperationem proruet: neque qui alitur spe bona, aut qui expectationem salutis non abdicat, in socordiam delabitur. Par istud pessimum dissipa, & iugum confringe, hoc est, illam variam, illam grauem cogitationem.

Ioannes Cassianus. 420.

Lib. 10. Institut. cap. 1. Sextum nobis certamen est, quod Græci ἀκηδίαν vocant, quam nos tædium, siue anxietatem cordis possumus nuncupare. Affinis hæc tristitiæ est, & vagis maximè ac solitarijs magis experta, & in eremo commorantibus infestior hostis ac frequens, maximè circa horam sextam Monachum inquietans, vt quędam febris ingruens tempore præstituto, ardentissimos æstus accensionum suarum, solitis ac statutis horis animæ inferens ægrotanti. Denique nonnulli senum hunc esse pronuntiant meridianum dæmonem, qui in Psalmo nonagesimo nuncupatur.

Cap. 2. Qui cùm miserabilem obsederit mentem, horrorem loci, fastidium cellæ, fratrum quoque, qui cum eo vel eminus commorantur, tanquam negligentium ac minus spiritualium aspernationem gignit atque contemptum. Ad omne quoque opus, quod intra septa sui cubilis est, facit desidem & inertem. Non eum in cella residere, nec operam sinit impendere lectioni, nihilque se proficere tanto tempore in eadem commorantem crebrius ingemiscit, nec habere se fructum aliquem spiritalem, donec fuerit illi consortio copulatus, conqueritur atque suspirat, & ab omni se dolet spirituali quæstu inanem, in locoque vacuum consistere: vtpote qui cùm posset etiam alios regere, ac prodesse plurimis, nullum ædificauerit, nec quemquam institutione sua, doctrinaque lucratus sit, &c.

Cap. 4. Huius ægritudinis vniuersa incommoda vno versiculo B. Dauid eleganter expressit:
Psal. 118. *Dormitauit*, inquiens, *anima mea præ tædio*, id est, præ acedia. Propriè satis non corpus dixit, sed animam dormitasse. Verè enim ab omni contemplatione virtutum, & intuitu spiritualium sensuum dormitat anima, quæ perturbationis huius telo fuerit sauciata.

Cap. 5. Itaque Christi verus athleta, qui agonem perfectionis cupit legitimè decertare, hunc quoque morbum de latebris animæ suæ festinet extrudere, & ita contra hunc quoque nequissimum acediæ spiritum vtrobique contendat, vt neque somni telo elisus concidat, neque de monasterij claustris expulsus, quamuis sub prætextu coloris pij fugitiuus abscedat.

Nilus Abbas. 420.

De octo vitiosis cogitationibus cap. de Acedia: Acediæ spiritus spiritum mœroris comitatur. Acer autem ac imprimis grauis est hic dæmon, semperque Monachis infestus: ac præsertim circa meridiem insidias struit, vnde etiam meridianus
Psal. 90. nuncupatur. Horrorem & languorem affert, odiumque tum loci ipsius, tum fratrum quibuscum aliquis degit: ac denique socordiam in precibus & lectione. Inducit autem in animum vt ad loca alia migret, atque alterius instituti cupiditatem, si immittet, atque aliam vitam ad salutem aptiorem proponit, idque persuadere nititur, fore, vt, nisi aliò pergat, prorsus deficiat: tum etiam in hanc cogitationem eum impellit, vt fructus scilicet alicuius, aut visitationis causa, fratres adeat. Quod cùm illi persuaserit, leuem, & inconstantem, ac voluptatum studiosum, animoque distractum eum reddit, ac sensim mundi curis & occupationibus tanquam vinculis quibusdam astringit: sin autem victoriam obtinere nequiuerit, grauem somnum aduersus eum armat, atque eum immergere conatur, vt hac ratione superior existat. Opus est autem per orationem, & lectionem, & patientiam, & tolerantiam, & abstinentiam ab inani sermone, ac denique per opus, & laborem eum euertere, ac profligare. Acedia est languor animę tolerantia carentis: aut desidia animę voluptatum amore laborantis. Vt ventus nubem aqua vacuam propellit: sic mentem tolerantiæ expertem acediæ spiritus. Vt arborem, quæ altè radices egit, vis venti concutere nequit: sic nec animam fixam & stabilem acediæ impetus.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 13. de Acedia: Vnus & hic nonnunquam ex loquacitatis famis est, patriaque progenies acedia est. Quocirca congruum illi ordinem in nequissima catena distribuimus. Acedia est animi remissio, mentis resolutio, neglectio vitæ monasticæ, professionis odium: è cellula item prodire hortatur, sonitum aliquem, aut fragorem pedumque strepitum excitans. Qui seipsum luget, acediam nescit: hæc seculares beatos dicit: Deum vt inclementem & immisericordem calumniatur: est in psalmodia inualida, in oratione imbecillis, in ministerio ferrea, in opere manuum pigra, in obedientia improba. Vir bene subiectus alienus est ab acedia, & per ea, quæ sensibilia sunt, ad intellectualia proficit. Cœnobium acediæ resistit: viro autem solitario hæc indiuidua in æternum comes est, neque illum ante mortem deseret, quotidieque dum vixerit oppugnabit, &c.

Antiochus. 620.

Homil. 26. Hic etiamtum dæmon acedia planè intolerandus, cooperatus cùm sit, & nihilo dispar spiritui tristitiæ: est alioqui ea sua grauitate molestior, vt cùm circa horam sextam, velut ex insidijs, assilit Monacho, tædiosam ac formidabilem agoniam illi incutiens, vsque adeò vt vel locum oderit, verùm autem fratres ipsos inuisos habeat, quibus cum viuit communiter. Quid? ad opus quodlibet, ad diuinæ Scripturæ lectionem, nescio quàm illi ingerit insuauem & hiulcam oscitationem. His adde, esuriem suggerit tempore prolixiore sustinendam. Ad eum modum supinus ille, ac securus boni operis, scopum vnicum spectat, nempe horam sumendæ alimoniæ.

Maximus Monachus. 640.

Centuria 1. de Charitate c. 67. Omnes alij affectus, aut iracundiam in anima attingunt, aut concupiscentiam, aut partem animæ rationalem, cuius generis est obliuio, aut ignorantia: Acedia verò omnes animæ vires inuadens, omnes ferè vnanimiter affectus commouet. Quapropter ex omnibus alijs quoque affectibus est grauissima. Probè itaque Christus aduersus hanc nobis præstitit pharmacum: *In patientia*, inquit, *vestra possidete animas vestras.*

Daniel Monachus. 680.

In vita Ioannis Climaci: Acediam, animique desidiam (quam meritò iugem animæ mortem dixerim) mortis memoria, iugique pietatis exercitatione deuitauit. Cumque nullius mortalis rei affectione teneretur, æternorumque solùm sensu pasceretur, noxiæ tristitiæ liber euasit.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 2. cap. 14. Tristitię quatuor sunt species, ἄχος, molestia, inuidia, misericordia. ἄχος est tristitia vocem adimens, molestia tristitia premens, inuidia tristitia ex alienis bonis suscepta, misericordia denique tristitia ob res aliorum aduersas.

Elias Cretensis. 790.

In orationem 17. Nazianzeni: Acedia est animi quædam remissio, mentisque dissolutio, in exercitijs pijs negligentia, professionis odium, prædicatrix rerum mundanarum tanquam beatarum, Dei criminatrix tanquam immisericordis & inhumani. Huius parentes sunt ἀναισθησία, siue stupor animi, & ἀμνημοσύνη, id est, obliuio Dei.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Ambrosius. 370.

Ad cap. 12. ad Romanos: *Solicitudine non pigri.)*
Hier. 18 Hoc est quod dicit Propheta Hieremias, quia *maledictus, qui facit opera Domini negligenter.* Piger enim in conuersatione diuina, sine spe est; ideo subiecit: *Spiritu feruentes,* hoc est, in exercitio diuini operis aut legis non sit tepidus, sicut dicitur in
Apoc. 3 Apocalypsi Ioannis: *Quoniam tepidus es,* inquit, *euomam te ex ore meo.* Quotidiana enim meditatio tollit soporem, & facit vigilantem.

Hieronymus. 390.

Ad Ecclesiastis cap. 10. *In pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum stillabit domus.)* Domus nostra, quæ cum statu hominis erecta est, & habitatio, quam habemus in cælis, si pigri sumus, & ad bona opera tardiores, humiliabitur. Et omnis contignatio, quæ debet culmen portare in sublime, ad terram corruens, habitatorem suum opprimit. Cumque auxilium manuum virtutumque torpuerit, omnes desuper tempestates & nimborum ad nos turbo prorumpit. Porrò quod in homine vno interpretati sumus, melius potest super Ecclesia accipi: quòd per negligentiam principum omnis eius corruat altitudo: & ibi vitiorum illecebræ sint, vbi tegmen putabatur esse virtutum.

Epistola 4. ad Rusticum Monachum cap. 5. Facitò aliquid operis, vt te semper diabolus inueniat occupatum.

Ruffinus. 400.

Ad Psalm. 43. De tristitia nascuntur rancor, pusillanimitas, amaritudo, desperatio: de acedia otiositas, somnolentia, importunitas, inquietudo, præuaricatio, instabilitas mentis & corporis, verbositas, & curiositas.

Augustinus. 420.

Sermone 245. de Tempore cap. 2. Laboriosum est fidei tempus. Quis negat? Laboriosum est, sed hoc est opus, cuius illa merces est. Noli piger esse in opere, cuius mercedem desideras. Si quem enim & tu ipse mercenarium conduxisses, non ante mercedem numerares, quàm in opere exerceres: diceres ei: Fac, & accipe: non tibi diceret: Da, & facio. Sic ergo & Deus: Tu non fallis mercenarium tuum timens Deum, & te ipse Deus fallit, qui iussit, ne fallas mercenarium?

Lib. 10. Confessionum cap. 32. Nemo securus esse debet in ista vita, quæ tota tentatio nominatur, verum qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior.

Leo Magnus. 450.

Sermone 2. de Epiphania cap. 3. Non dormientibus prouenit regnum cęlorum, sed in mandatis Dei laborantibus atque vigilantibus: vt si dona illius irrita non fecerimus, per ea, quæ dedit, mereamur accipere quod promisit.

Boëtius. 500.

De Scholastica disciplina: Sicut in vnoquoque opere mater inuenitur constantia, ita vniuersæ doctrinæ & disciplinæ nouerca est negligentia.

Cassiodorus. 540.

In Psalm. 118. ad illa verba: *Dormitauit anima mea prætedio.* Dormitat anima, quando à sua intentione flaccescit, & in otium fessa remittitur, dum ad illud, quod intendebat, minimè peruenire monstratur. Et vide quia dormitauit posuit, non dormiuit. Dormire enim obliuiosi atque socordis est, dormitare fessi & expectantis. Sed vt hunc quoque defectum ab anima fatigata remoueret, sequitur: *Confirma me in verbis tuis,* quatenus, si adhuc expectatio differenda erat, in verbis Domini fixa atque immutabilis anima permaneret. Cognoscimus enim tali remedio quasuis moras, quæuis tædia, quoslibet labores omnimodis consolandos, si legem Domini frequenti iteratione meditemur. Hanc dormitationem Cassianus seruorum Dei optimus institutor acediam vocat, quam magno studio Monachis persuadet esse fugiendam.

Gregorius Magnus. 590.

Parte 3. Curæ Pastoralis, Admonitione 16. Aliter admonendi sunt pigri, atque aliter præcipites. Illi namque suadendi sunt, ne agenda bona dum differunt amittant: isti verò admonendi sunt, ne dum bonorum tempus incautè festinando præueniunt, eorum merita immutent. Pigris itaque intimandum est, quòd sæpe dum oportunè agere, quæ possumus, nolumus, paulo post cùm volumus non valemus. Ipsa quippe mentis desidia, dum congruo feruore non accenditur, à bonorum desiderio funditus conualescente furtim torpore mactatur. Vnde apertè per Salomonem dicitur: *Pigredo immittit soporem.* Piget enim rectè sen- Prou. 19
tiendo quasi vigilat, quamuis nihil operando torpescat. Sed pigredo soporem immittere dicitur, quia paulisper etiam rectè sentiendi vigilantia amittitur, dum à bene operandi studio cessatur. Vbi rectè subiungitur: *Et anima dissoluta esuriet.* Nam mens quia se ad superiora stringendo non dirigit, neglectam se inferius per desideria expandit. Et dum studiorum sublimium vigore non constringitur, cupiditatis infimæ fame sauciatur: vt quo se per disciplinam ligare dissimulat, eo se esuriens per voluptatum desideria spargat, &c. Cui rectè
per Salomonem dicitur: *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei,* &c. Prou. 20
Propter frigus quippe piger non arat, dum parua ex aduerso mala metuit, & operari maxima prætermittit, &c. Bene hinc per eundem Salomonem rursum dicitur: *Qui obseruat ventum, non seminat: & qui considerat nubes, nunquam metit.* Quid Eccle. 11
enim per ventum nisi malignorum spirituum tentatio exprimitur? Et quid per nubes, quæ mouentur à vento, nisi aduersitates prauorum hominum designantur? A ventis quippe impelluntur nubes, quia immundorum spirituum afflatu praui excitantur homines.

Lib. 31. Moral. cap. 17. vel 31. De tristitia malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita nascitur.

Isidorus Hispalensis. 620.

Lib. 2. Soliloquiorum: Per torporem vires & ingenium defluunt.

Beda. 700.

In Quæst. super Deuteron. cap. 16. Septem gentes septem sunt principalia vitia, quæ per gratiam Dei vnusquisque spiritalis miles exuperans extermimare penitus admonetur. De Gastrimargia nascuntur comessationes, ebrietates, &c. De tristitia rancor, pusillanimitas, amaritudo, desperatio. De Acedia otiositas, somnolentia, importunitas, inquietudo, peruagatio, instabilitas mentis & corporis, verbositas, & curiositas. Quem tristitia morte operante occupauerat, incipiat excludere fortitudo salutaris, & plena gaudij lætitia possidebit. Quem acedia vastabat, incipiat excolere fortitudo.

Super Prou. lib. 2. *Vult, & non vult piger.*) Pigri vocabulo denotatur qui vult regnare cum Deo, & non laborare pro Deo: delectant præmia, cùm pollicentur; deterrent certamina, cùm iubentur.

Alcuinus. 750.

De octo vitijs principalibus c. 6. Acedia est pestis, quæ Deo famulantibus multum nocere probatur. Homo enim otiosus torpescit in desiderijs carnalibus, nec in opere gaudet spiritali, nec in salute animæ suæ lætatur, nec in adiutorio fraterni laboris hilarescit: sed tantùm concupiscit, & desiderat, & otiosa mente per omnia discurrit. Hæc est quæ maximè Monachos excutit de cella in seculum, & de regulari conuersatione eijcit eos in abrupta vitiorum: quæ cùm miserabilem obsidet mentem, multis eam inficit miserijs: quæ multa docet mala. De qua nascitur somnolentia, pigritia boni operis, instabilitas loci, vel vagatio de loco in locum, tepiditas laborandi, tædium cordis, murmuratio, & magniloquia. Quæ vincitur per studium lectionis, per assiduitatem operis boni, per desiderium futuræ præmiorum beatitudinis, per confessionem tentationis quam in mente habet, per stabilitatem loci & propositi sui, atque exercitium cuiuslibet artis vel laboris, vel orationum & vigiliarum instantiam, vt nunquam inueniatur otiosus seruus Dei. Difficilius inuenit diabolus tentandi locum in homine; quam in opere inuenit bono, quàm cùm otiosum reperit, & nihil boni agentem.

Halitgarius. 830.

De Pœnitentia lib. 1. *cap.* 10. Tristitia quoque deuictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cùm dicit: Quid habes vnde gaudeas, cùm tanta mala de proximis portas? Perpende cum quo mœrore omnes intuendi sunt, qui in tanto contra te amaritudinis felle vertuntur. Apostolica aduersus hæc dicit sententia: *Qui nos separabit à charitate Christi? tribulatio, angustia,* &c. Sunt quippe duo genera tristitiæ: vnum salutiferum, aliud verò pestiferum. Tristitia salutaris est, quando animus ex delictorum recordatione contristatur, &c. Alia huius mundi est tristitia, quæ mortem operatur animæ, nihilque in boni operis desiderio valet perficere, quæ perturbat animum, & sæpe mittit in desperationem, ac futurorum spem abstrahit bonorum: cui etiam hoc patienti vitium nulla est delectatio vitæ præsentis.

Cap. 11. Superatur hoc nefas spiritali lætitia, & spe futurorum, & consolatione Scripturarum, vel fraterno in spiritali iucunditate colloquio, vel cùm ad mentem reducit, quàm parua sint quæ videntur, sicut scriptum est: *Quæ enim videntur, temporalia sunt,* &c. Quicunque hoc vitio carere desiderat, orationibus frequenter insistat, mortem animæ quotidie ante oculos ponat, & quia omnis caro fœnum est recognoscat, misericordiam & bonitatem Dei erga omnes sperantes in se cum magna consideratione aut per se meditando, aut ab alijs audiendo, ex toto animo considerare non negligat.

Bernardus. 1130.

Sermone 3. de Ascensione Domini. Non dubito ego intellectum omnium vestrum (qui hic estis) illuminatum esse: sed non affectum æquè esse purgatum, manifestis approbabo coniecturis. Omnes quod bonum est nostis, & viam per quam incedere, & quomodo in ea incedere debeatis, sed voluntas non vna est. Quidam enim ad omnia viæ & vitæ huius exercitia non solùm ambulant, sed & currunt, imò potius volant, vt eis & vigiliæ breues, & cibi dulces, & panni suaues, labores non solùm tolerabiles, sed & appetibiles videantur. Alij autem non sic, sed corde arido, & affectione recalcitrante, vix trahuntur ad hæc, vix gehennali timore compelluntur. Quosdam nec compellimus quidem, quibus frons mulieris meretricis facta est, & nolunt erubescere. Sunt iterum multi inter nos, qui de vno pane comedunt nobiscum, dormiunt nobiscum, cantant nobiscum, laborant miseri & miserabiles, vtpote socij tribulationis, sed consolationis non ita. Nunquid abbreuiata est manus Domini, vt omnibus donare non possit, *qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione?* Quid ergo in causa est? Illud omninò, quia non vident Christum cùm tollitur ab eis, id est, non cogitant quomodo eos orphanos reliquerit, quòd peregrini & aduenæ sint super terram, quòd tamdiu fœculenti corporis horrido carcere teneantur, & non sint cum Christo. Huiusmodi autem si diu ita permanserint sub onere, aut opprimuntur & succumbunt, aut quodammodo in inferno sunt, vt nunquam ad plenum respirent in luce miserationum Domini, nec in libertatem spiritus, quæ sola facit iugum suaue, & onus leue. Inde autem tam perniciosa tepiditas emanat, quia affectus, id est, voluntas eorum nondum purgata est, nec bonum sic volunt sicut nouerunt, à propria concupiscentia abstracti grauiter & illecti. Amant enim in carne sua terrenas consolatiunculas, siue in verbo, siue in signo, siue in facto, siue in aliquo alio: & si hæc interrumpunt aliquando, non tamen penitus rumpunt. Inde est, quòd rarò affectiones suas dirigunt in Deum, & eorum compunctio non continua, sed horaria est. Impleri autem visitationibus Domini anima non potest, quæ distractionibus subiacet: & quanto magis illis euacuabitur, tanto amplius istis implebitur: si multum, multum; si parum, parum. Vel certè si magis probas, nunquam istæ illis misceri poterunt in æternum, quia vbi vasa vacua non inuenit oleum, stare necesse est: nec mittunt vinum nouum nisi in vtres nouos, vt ambo conseruentur. Neque enim spiritus & caro, ignis & tepiditas in vno domicilio commorantur, præsertim cùm tepiditas ipsi Domino soleat vomitum prouocare. Si enim Apostoli adhuc carni Dominicæ inhærentes, quæ sola sancta (quia sancti sanctorum) erat, Spiritu sancto repleri nequiuerunt, donec tolleretur ab eis: tu carni tuæ (quæ sordidissima est, & diuersarum spurcitiarum phantasijs repleta) astrictus, & conglutinatus, illum meracissimum spiritum te posse putas suscipere, nisi carneis istis consolationibus funditus renuntiare tentaueris? Reuera, cum inceperis, tristitia implebit cor tuum: sed si perseueraueris, tristitia tua conuertetur in gaudium. Tunc enim purgabitur affectus, & voluntas renouabitur, vel potius noua creabitur: vt omnia, quæ primò difficilia, imò impossibilia videbantur, cum multa percurrantur dulcedine & auiditate. *Emitte,* inquit, *Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Psal. 103 Sicut per faciem exterior homo cognoscitur, sic per voluntatem demonstratur interior. Emisso ergo spiritu creatur & renouatur facies terræ, id est, terrena voluntas fit cœlestis, parata ad nutum citius obedire. Beati qui tales sunt: qui non solùm malum non sentiunt, sed mira quadam cordis

dilatatione commorantur. De illis enim, quos supra commemorauimus, terribiliter ait Deus: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt*, id est, carnales: & quicquid in eis spiritus fuerat, in carnem euanuit. Gen. 6.

Serm. 4. Vtinam hæc vt intellectum admonent, moueant & affectum, ne sit intus amarissima contradictio, & diuisio molestissima, dum hinc quidem sursum trahimur, sed retrahimur inde deorsum. Nimirum aduertere potes in omnibus ferè religiosis congregationibus, viros repletos consolatione, superabundantes gaudio, iucundos semper & hilares, feruentes spiritu, die ac nocte meditantes in lege Dei, crebrò suspicientes in cælum, & puras manus in oratione leuantes, sollicitos obseruatores conscientiæ, & deuotos sectatores bonorum operum: quibus amabilis disciplina, dulce ieiunium, vigiliæ breues, labor manuum delectabilis, & vniuersa denique conuersationis huius austeritas refrigerium videatur. Contra sanè inuenire est homines pusillanimes & remissos, deficientes sub onere, virga & calcaribus indigentes, quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est, quorum breuis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conuersatio: quorum obedientia sine deuotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione: quos denique (vt videmus) vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio, vix disciplina coercet. Non tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur, dum intellectu affectui, & affectu intellectui repugnante, necesse habent mittere manum ad operà fortium, qui cibo fortium minimè sustentantur, socij planè tribulationis, sed non consolationis? Exurgamus obsecro quicunque eiusmodi sumus, resarciamus animas, spiritum recolligamus, abijcientes perniciosam tepiditatem, & si non quia periculosa est, & Deo solet (vt interdum miserabiliter plangimus) etiam vomitum prouocare: certè quia molestissima, plena miseriæ & doloris, & inferno planè proxima, vmbra mortis iure censetur. Si quærimus quæ sursum sunt, etiam sapere & prælibare interim studeamus.

Hugo Victorinus. 1130.

De fructu carnis & spiritus c. 7. Acedia est ex nimia confusione animi nata tristitia, siue tædium, & amaritudo animi nimia, qua iucunditas spiritualis extinguitur, & quodam desperationis principio mens in seipsa subuertitur.

Ioannes Saresberiensis. 1170.

Lib. 8. Polyc. c. 1. De tristitia malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta vagatio mentis erga illicita prodeunt, &c. Tristitia quoque ad auaritiam deriuatur: quia dum confusum cor bonum lætitiæ in semetipso intus amiserit, vnde cõsolari debeat foris quærit: & tanto magis exteriora bona adipisci desiderat, quanto gaudium non habet, ad quod intrinsecus recurrat.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica in Quinquages. Themate de Introitu Missæ: Sub acedia militant tristitia, obduratio cordis, somnolentia, tædium boni operis, inutiles cogitationes, pusillanimitas, impœnitentia, ignorantia, torpor, curiositas, otium, euagatio, dissolutio, & similia.

Cæsarius Heisterbachius. 1220.

Lib. 4. c. 27. Acedia est ex confusione mentis nata tristitia, siue tædium, & amaritudo animi immoderata, qua iucunditas spiritualis extinguitur, & quodam desperationis præcipitio mens in semetipsa subuertitur. Dicitur autem acedia, quasi acida, eò quòd opera spiritualia nobis acida reddat, & insipida: de qua per Salomonem dicitur: *Manus remissa tributis seruiet.* Item: *Pigrum deijcit timor à bono* Prou. 12 Prou. 18
opere: animæ autem effœminatorum esurient. Dicit autem de ea Seneca: Turpissima iactura, quæ per negligentiam fit. Acediæ siue tristitiæ propagines sunt malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, euagatio mentis circa illicita: acedia multos tentat, & multos præcipitat. Epist. 1.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De virtutibus c. 17. Verissimè acedia est fastidium spiritualis boni, quod nec exuritur desiderio, nec sapit suauitate vel gaudio, &c. Deum igitur ipsum fontem omnium suauitatum in primis fastidit acediosus: deinde apothecam spiritualem psalmodiarum, hymnorum: canticorum, & quicquid est sacrorum eloquiorum: tertiò sacrarum obseruationum dulcissimam exercitationem, nubiloso, & caliginoso corde, facie obscura semper existens inerti corpore ad ea; quæ sunt piarum exercitationum, augetur interdum, & iuuatur istud vitium humore, vel fumo melancholico: huiusmodi medicamentum primum & maximum est gratia.

Thomas Aquinas. 1250.

Secunda 2. q. 35. art. 3. Peccatum mortale dicitur, quod spiritualem vitam tollit, quæ est per charitatem, secundùm quam Deus nos inhabitat. Vnde illud peccatum ex suo genere est peccatum mortale, quod de se secundùm propriam rationem contrariatur charitati Huiusmodi autem est acedia. Nam proprius effectus charitatis est gaudium de Deo: Acedia autem est tristitia de bono spirituali, in quantum est bonum diuinum. Vnde secundùm suum genus acedia est peccatum mortale.

Guilhelmus Peraldus. 1255.

In Summa tomo 2. de Acedia, c. 2. Ad detestationem acediæ possunt valere illa verba sacræ Scripturæ, quæ suadent laborem, vel dissuadent otium vel pigritiam. Vnde Eccl. vlt. *Verba sapientum quasi stimuli, & quasi claui in altum defixi.* Stimulus valet contra tarditatem iumentorum: sic verba sapientum contra pigritiam hominum.

Bonauentura. 1260.

In 25. Memorial. Omnem frigiditatem acediæ & tristitiæ, cum qua latet via confusionis, quæ ducit ad mortem, à te ipso summo studio depelle.

Ioannes à Sancto Geminiano. 1300.

In Summ. lib. 6. cap. 1. Acedia assimulatur melancholiæ. Est enim secundùm Auicennam quædam species melancholiæ, vt plurimum eueniens in Februario, quæ quatuor mala accidentia causat in homine. Primum est, quia facit eum solitarium. Facit enim vt homo patiens eum diligat fugere ab omnibus hominibus viuis; & cupiat appropinquare mortuis; & sepulchris: vnde talis de nocte vadit; & de die se abscōdit, quod solum facit, quia diligit solitudinem, & elongationem ab hominibus. Similiter acedia facit fugere ab hominibus viuis, id est, ab hominibus sollicitis & operosis, & appropinquare mortuis, id est, desidiosis & otiosis, qui sunt tamqum mortui; & nihil operantur boni, &c.

Franciscus Petrarcha. 1350.

De remedijs vtriusque fortunæ lib. 2. Dialog. 109: *Dol.* Torpeo in agendis. *Rat.* Quis miretur si post gulæ studium prægrauatumq; corpusculum animi torpor obrepat? *Dol.* Animi grauor torpore. *Rat.* Torpor hic ex imperfecta voluntate oritur, mox vt bonum velle cœperis, ardor erit, atque impetus, qui cum ad multa sit pessimus, est optimus ad virtutem. *Dol.* Torpeo, & ad bona opera lentus assurgo. *Rat.* Est torpor quidam animis obsitus, nec minus ardor quidam generosa pars animæ: sed & hic ardor accenditur, & ille torpor excutitur fuga temporis intellecta, quæ tanta est, vt vix metiri eam quamuis celer animus possit, & specie vir-

tutis adamata, quæ talis est, vt si corporeis oculis cerni posset (quod vult Plato) mirum sui amorem paritura esset. Hinc te amor igitur, illinc metus excitet, vtraque res insomnis: neque qui amat enim, neque qui metuit torpere solet, & tamen hoc ipsum, ne torpor soporq; vos noxius premat, ad diuinas laudes surgentes nocte precamini: non est somno locus aut inertiæ, vbi vos hinc mors territat, hinc honestas allicit. Quis enim inter magna pericula, magnaq; præmia consopitur? vbi ad ista respexeris, redibit vigor ad animum, fugiet somnus ab oculis cogitantis quantum nunc etiam superest imperfecti, quantum transierit otiosi: quod quia non fit, longas ætates inutiles effluxisse conspicimus, & senes attonitos, & stupentes dicere: Quid hic in tot annis egimus? Comedimus, bibimus, dormiuimus, serò tandem experrecti sumus. Cuius mali præcipua causa est torpor iste, quem quereris, abigendus in tempore stimulis industriæ, fræno prouidentiæ, ne cunctando ad inglorium finem cum multitudine rapiaris.

Gerardus Zutphaniensis. *1380.*

Lib.1.cap.54. Acediæ natura est, vt tædium boni generet, animi torporem causet, mentem grauet tristitia, ad somnum & dissolutionem incline: horrorem loci, & cella fastidium, fratrum contemptum, & aspernationem gignit: nihil operis libet, maximè spiritualis. Nam interdum opus arripit, vt possit spiritualia, orationem, & consimilia relinquere.

Ioannes Bromiardus. *1380.*

In Summa Præd. cap.8. Nascitur acedia instinctu diabolico, ponente in corde, quàm verecundum sit confiteri, quam graue pœnitentiam agere, ieiunare, restituere, & huiusmodi facere. Et ex tali cogitatione afficitur quodam tædio, & horrore, & quadam contra ritum Ecclesiæ impatientia: est impatiens sui, & sic affectus amittit, & fastidit omnem spiritualem saporem in his, quæ Dei sunt, & habet quodammodo vitam propriam in tædio. Vnde Seneca epistola 19. Vitam in odium otium adducere solet.

Ioannes Gerson. *1420.*

In Regulis moralibus: Acediam esse dicimus tædium interni boni. Quæ ex genere venialis est, quia contrariatur non charitati, sed eiusdem feruori: fit autem mortalis, dum per eam, aut ex ea mortale crimen incurritur, vt omissio eorum, quæ sunt de necessitate salutis, aut desperatio de diuino auxilio, aut suipsius interfectio. Sola negligentia mortalis est, per quam id, quod sub præcepto cadit, omittitur.

Laurentius Iustinianus. *1430.*

Libro 1. de spirituali animæ interitu: De acedia, quæ est diffidentia de proprijs viribus cum auxilio Dei implendi ardua, minimè reticendum est: locum enim specialem inter vitia capitalia sortitur. Et ab ipsa, tamquam à genitrice pessima, procedunt malitia, id est, voluntas machinandi alicui: desperatio propriorum meritorum, ac cælestium diffidentia præmiorum: pusillanimitas quoque ex interioris infirmitatis consideratione orta: rãcor, qui aduersus proximos inueteratum est odium: torpor animi contra præcepta, nec non mentis euagatio circa illicita. Fortes ipsa acedia deprimit viros, & spirituali assuetos in bello frequentissimè ex cordis ignauia facit dormitare præ tædio. Ab hac quisquis fuerit corde possessus, iudicium diuinum non metuit, legis mandata negligit, suamq; salutem contemnere hinc videtur. Illi non placet legere, non libet psallere, orationi vacare, celebrare ieiunia, nocturnisq; fastidit interesse vigilijs. Amittit quicquid deuotionis est, quicquid spiritualis lætitiæ, quicquid futuræ felicitatis poterat in mente dulcescere, & veluti defunctus quodam insensibilitatis aggere agnoscitur esse sepultus. Quonam modo non iste censendus est mortuus, qui caret spe veniæ, spiritualis vitæ deficit motu, omniq; interioris exercitationis priuatus est sensu?

Bernardinus Senensis. *1440.*

Tomo 3. Serm. de exercitu spirituum malignorum cap. 5. Quintus capitaneus est spiritus infirmitatis: Et hic cum exercitu suo ad acediam conatur animas propulsare, flectere, & inclinare. Est enim acedia quædam tristitia, vel molestia, seu anxietas, aut tædium mentis. Et de hac Ecclesiast. 30. scriptum est: *Multos enim occidit tristitia.* Et iterum 2. Cor. 7. *Seculi autem tristitia mortem operatur.* Et Propheta etiam inquit: *Dormitauit anima mea præ tædio.* De spiritu huius criminis Lucæ 13. scriptum est: *Ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.* Meritò igitur acedia sic definitur: Acedia est de virtutum laudabili exercitio vtriusque hominis languida deiectio. Vel aliter: Acedia est diffidentia de proprijs viribus & auxilio Dei implendi ardua. Dupliciter hoc vitium nominatur, scilicet tristitia, & acedia. Ratio huius est: quia in hoc vitio est auersio à spirituali bono, quod existimatur graue, sicut ieiunare, prædicare, vigilare, & similia.

Nicolaus de Nyse *1480.*

In Summa 2. partis destructoriȳ tractatu 3. de Acedia: Acedia importat quoddam tædium bene operandi. Pertingit autem motus quandoque propter repugnantiam carnis ad spiritum: & tunc est peccatum veniale: quandoque autem pertingit vsque ad rationem, quæ consentit vsque in fugam, & horrorem, & detestationem boni diuini: & tunc manifestum est, quod est peccatum mortale, quando videlicet est ibi secessus à bono spirituali, cui oportet mentem inhærere de necessitate salutis.

Ioannes Trithemius. *1490.*

Homilia 5. Radix desperationis est acedia, & non solùm radix, sed & nutrix eius, & mater: quæ si mentem hominis Deo dicati semel oppresserit, omnem viam salutis illicò præcludit.

Baptista Mantuanus. *1500.*

Libro 1. de calamitate suorū temporum, de Acedia:

Hæc est curarum genitrix, exercita nullis
Artibus, officij nullo laudabilis vsu,
Segnities, inter socias nutrita Megera,
Doctaq; languores animi, luctusq; magistra:
Sola sedens, oculosq; solo defixa, malignum
Crispa supercilium, pallens, impexa capillos,
Plit hirias impatiens scalpit caput vnguibus vncis:
Os immunda, manus illota, cadente saliua
Barba madet, pluit imbrifer is de naribus humor.
Debilis, & longo pendens in pectora dorso
Fauce tumet, leuat angusto sub pectore ventrem
Vtris ad exemplum, morbiq; intercutis instar
Cum exile gelu surgens, pes pinguis & amplus
Tardat iter, grauibusq; dolet iunctura podagris.
Hæc fera seruilis sancta fastidia vitæ
Ingerit, & tardos ad clara negotia sensus
Somnifero languore premit, frigentia corda
Inuoluit gelido densæ velamine nubis.
Nil nisi terrenis haustum de fæcibus vnquam
Cogitat, &c.

LIBER TERTIVS DE IVSTIFICATIONE HOMINIS, SEV FIDE ET OPERIBVS.

ARTICVLVS PRIMVS.

HOMINES IMPIOS, ET NONDVM BAPTISMATE RENATOS, VERA IN CHRISTVM SALVATOREM FIDE, ET EIVS CONFESSIONE, ABSQVE OMNI PRAECEDENTIVM BONORVM OPERVM, quæ non habent, adminiculo saluari, & sine illa fide nullum hominem salutem consequi.

Anno post natum Christũ

NEGANT.

100. BASILIDES *docuit fidem persecutionis tempore etiam cum periurio negandam esse.* Irenæus, Clemens Alexandrinus, & Philastrius de Basilide.

200. *Helchesaita fidem ore tenus negare, cum necessitas vrgebat, indifferens esse dicebant, modo interiore cogitatione rectè de fide sentiretur.* Eusebius ex Origine Hist. lib. 6. cap. 38.

1520. *Erasmus Roterodamus,* in Commentarijs in Tusculanas Quæstiones Ciceronis, *Ciceronem sine fide saluatum esse credit.*

1530. Huldaricus Zuuinglius in expositione fidei Christianæ, tomo 2. fol. 559. articulo 12. de vita æterna: *Credimus animas fidelium, protinus vt corporibus euaserint, subuolare cœlo, numini coniungi, æternoq; gaudere. Hic Adamum, Abelum, Enochum, Petrum, Paulum, hîc Herculem, Theseum, Socratem. Aristidem, Numam, Camillum, Catones, Scipiones: hic antecessores tuos, & quotquot in fide hinc migrârunt, maiores tuos videbis. Quo spectaculo quid lætius cogitari potest?*

De peccato originali ad Vrbanum Regium Tomo 2. fol. 118. *Toto cœlo errant, qui damnationi æternæ solent adiudicare nunc Christianorum infantes, cùm non sint baptismate tincti; nunc vero eos omnes quos Gentiles vocamus. Quid enim scimus, quid fidei quisque in corde suo Dei manu scriptum teneat? Senecæ sanctissimi fidem quis non admiretur, quam epistola ad Lucilium 34. prodidit? Hoc enim:* Qui non crediderit, condemnabitur, *nullatenus est absolutè intelligendum, sed de his, qui audito Euangelio credere noluerunt. Vnde infantes, & qui non audierunt Euangelium, hac lege non tenentur.*

De prouidentia Dei Tomo 1. fol. 370. b *Ego certè malim, si optio daretur, Socratis, aut Senecæ sortem eligere, qui vt numen vnum agnouerunt, ita mentis puritate satagerunt illud demereri: quàm aut Romani Pontificis, qui tamen se Deum vel ipse indicaret, si licitator adsit: aut cuiusquam Imperatoris, Regis, ac Principis, qui hunc ficulnum Deum tuetur. Illi enim vt religionem ad verbum, & quod ad Sacramenta pertinet, non agnouerint: attamen quod ad rem ipsam, aio religiosiores & sanctiores fuisse, quàm omnes vnquam Dominicastri & Franciscani.*

1530. *Rodulphus Gualterus,* in Apologia pro Zuuinglij libris, *probans ac defendens huiusmodi Zuuingliana paradoxa, ostendit quidem aliquos ante natum Christum Gentiles fide in venturum Christum saluatos esse, sed quòd illi idololatræ, quos Zuuinglius nominat, saluati sint absque fide, non demonstrat.*

1531. Sebastianus Francus epistola de abrogandis omnibus Ecclesiæ statutis ac politijs: *Agnosce spiritualem Ecclesiam apud omnes populos ac Gentiles, &c. Pro fratribus tuis habe omnes Turcas ac Gentiles, vbicunque fuerint, qui timent Deum, operantur iustitiam, edoctos & intrinsecùs imbutos à Deo, etiamsi nunquam de Baptismo, atque adeò de ipso Christo vllam vel historiam vel Scripturam audierint, sed solum virtutem ipsius per interius verbum in se perceperunt, atque sic fructificârunt.*

1540. *Georgius Maior docuit in prima hominis impij iustificatione solam fidem non sufficere, sed etiam bona opera ita esse necessaria, vt etiam infantes sine iis non saluentur.* Staphylus in Genealogia Lutheri.

1540. *Georgius David dixit non esse peccatum negare Christum coram hominibus: non spiritum, sed carnem duntaxat peccare: stultos fuisse Apostolos & Martyres, quòd tormenta mortemq; propter Christi confessionem passi sunt.*

1578. Nathaniel Aelianus in Matthæi I., B. 8. *Pars septima. Patres non saluati sunt fide in Christum.*

Digitized by Google

Ex hoc puto constare primò falsum esse, quòd Patres per Christi meritum saluati sint, cum nullus modus, quo Christus saluet populum, in Scriptura legatur, qui Patriarchis applicari possit: deinde & alienum esse à veritate Christum hoc modo, vt iam quisque putat, nos saluare, & intercedere pro nobis.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 15. *vers.* 6. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.

Habacuc. 2. 4. Iustus autem in fide sua viuet.

Matt. 10. 32 Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est: qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.

Marci 16. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.

Ioannis. 3. 16. Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Actorum 10. 43. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum.

Rom. 3. 28. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis.

Rom. 10. 10. Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum non confundetur. 13. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? 17. Ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum Christi. Esa. 28.

Ephes. 2. 8. Gratia enim estis saluati per fidem (& hoc non ex vobis, Dei enim donum est,) non ex operibus, vt ne quis glorietur.

Heb. 11. 6. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Ignatius. 100.

Epistola ad Smyrnenses: Nemo erret, nisi crediderit Iesum Christum in carne conuersatum, & crucem illius confessus fuerit, non assequetur vitam æternam.

Iustinus: 150.

Dialogo cum Tryphone: Nemo ex illis quidem, qui se posteros Abrahami gloriantur, quicquam assequetur, nisi ex animo fidem Abrahami referat, &c. Purificamur fide per sanguinem Christi, mortemqúe ipsius. Omnes omnium gentium homines, tam serui, quàm ingenui, quicunque in Christum credunt, & norunt vera Prophetarum oracula, sciunt se vna cum eo hæreditatem accepturos.

Irenæus. 180.

Lib. 4. *cap.* 13. Non incognitus erat Dominus Abrahæ, cuius diem concupiuit videre: sed neque Pater Domini: didicerat enim à Verbo Domini, & credidit ei. Quapropter & deputatum est ei ad iustitiam à Domino. Fides, quæ est ad Deum altissimum, iustificat hominem.

Clemens Alexandrinus. 200.

Libro 1. *Stromatum:* Abraham non ex operibus iustificatus est, sed ex fide. Nihil ergo eis post vitæ finem proderit, etiamsi nunc rectè operentur, nisi fidem habeant.

Lib. 4. Non credere veritati, affert mortem: sicut credere, vitam.

Lib. 6. Saluatoris opus est saluare: quod quidem certè fecit, vt qui eos, qui in ipsum voluerint credere, per prædicationem, vbicunque essent, traxerit ad salutem.

Lib. 7. Per fidem solummodò efficitur fidelis perfectus.

In Paranetico: Fides clauis est regni cælorum.

Origenes. 230.

Homilia 3. *in Leuiticum:* Siclus sanctus fidei nostræ formam tenet. Si enim fidem obtuleris tanquam pretium, CHRISTO velut ariete immaculato in hostiam dato, remissionem accipies peccatorum, &c. Certum est, quòd remissionem peccatorum nullus accipiat, nisi detulerit integram, probam, & sanctam fidem, per quam mercari possit arietem: cuius natura hæc est, vt peccata credentis abstergat. Et hic est siclus sanctus, probata & syncera fides, id est, vbi nullus perfidiæ dolus, nulla hæreticæ calliditatis peruersitas admiscetur, vt syncetam fidem offerentes pretioso Christi sanguine, tanquam immaculatæ hostiæ diluamur.

Libro 1. *in Iob:* Sicut credenti omnia sunt possibilia, vt saluetur, & refrigerium inueniat apud eum, cui credidit: sic non credenti nihil est possibile, neque vt saluus fiat, neque vt refrigerium inueniat, neque vt introeat.

Ad caput tertium ad Romanos: Dicit sufficere solius fidei iustificationem: ita vt credens quis tantummodò iustificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum. Imminet igitur nobis, qui integram esse Scripturam Apostoli conamur asserere, & ordine suo cuncta constare, vt requiramus, quis sine operibus sola fide iustificatus sit. Quantum igitur ad exemplum pertinet, sufficere arbitror illum latronem, qui cum Christo crucifixus clamauit ei de cruce: *Domine Iesu memento mei cum veneris in regnum tuum.* Nec aliud quicquam describitur boni operis eius in Euangelijs: sed pro hac sola fide ait ei Iesus: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. 23. Aptemus nunc, si videtur, huius latronis verba caussæ Apostoli Pauli, & dicamus

ad Iu-

ad Iudæum: *Vbi est ergo gloriatio tua?* Certum quia exclusa est, exclusa autem non per legem operum, sed per legem fidei. Per fidem enim iustificatus est hic latro sine operibus legis: quia super hoc Dominus non requisiuit quid prius operatus esset, nec expectauit quid operis, cùm credidisset, expleret, sed sola confessione iustificatum, comitemque sibi paradisum ingressurus assumpsit. Sed & mulier illa, quæ in Euangelio secundùm Lucam refertur, quæ cum cognouisset, quòd Iesus recubuit in domo Pharisæi, &c. Iesus autem dixit ad Pharisæum parabolam quingentorum vel quinquaginta denariorum, & ex nullo legis opere, sed pro sola fide

Luc. 7. ait ad eam: *Remittuntur tibi peccata tua.* Et iterum: *Fides tua te saluam fecit: vade in pace.* Sed & in multis Euangelij locis hoc sermone vsum legimus Saluatorem, vt credentis fidem causam dicat esse salutis eius. Ex quibus omnibus claret, quòd rectè arbitratur Apostolus iustificari hominem per fidem sine operibus legis.

Eusebius Cæsareensis. 320.

Ecclesiast. histor. lib. 1. cap. 4. Quanquam Abrahamum longo tempore post ferunt Circuncisionis mandatum accepisse: tamen ante illud quidem præceptum eum fide iustificatum traditur, sic de

Gen. 15. eo sacro affirmante eloquio: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Ac cùm ante Circuncisionem talis factus esset, diuinum oraculum à Deo, qui se in eius conspectum obtulisset (idem iste erat Christus, Dei Verbum) de illis qui posterioribus seculis simili ratione cum Abrahamo iustificarentur, hoc modo antea promissum fecit, in-

Gen. 12. quiens: *Benedicentur, inquit, in te omnes tribus terræ.*

Athanasius. 340.

Oratione 1. contra Arianos: Abraham non morte ad coronam venit, sed fide in Deum: aliique item Sancti, Gedeon, Baruch, Samson, Iephtha, Dauid, Samuel, sociique eorum, non effuso sanguine consummati sunt, sed per fidem iustificati sunt.

In Symbolo: Quicunque vult saluus esse, ante omnia opus est vt teneat Catholicam fidem: quam nisi quisque integram inuiolatamque seruauerit, absque dubio in æternum peribit.

Basilius Magnus. 370.

Homilia 22. quæ est de humilitate: Ea demum perfecta & omnimoda gloriatio est in Deo, quando neque propter suam ipsius quis iustitiam extollitur, sed agnoscit se quidem vera destitui iustitia, verùm sola in Christum fide iustificatum esse.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 5. Abraham non ex operibus tantùm iustificatus, verùm etiam ex fide multa perfecta officia fecit. Seu neque prius amicus Dei vocatus est, quàm credidisset, & omne opus secundùm fidem perfecisset. Reliquit parentes per fidem, deseruit patriam, & regionem, & domum per fidem. Quemadmodum igitur ille iustificatus est, & tu iustificeris.

Præfatione in Catecheses: Nihil aliud à nobis requirit Deus præter voluntatem bonam. ne dixeris quomodo mea delebuntur peccata? Ego affirmo tibi, quod volendo & credendo. Quid autem his facilius?

Epiphanius. 380.

In Ancorato: Factus est mihi Christus iustitia, sanctificatio, & redemptio. Iustitia quidem, quoniam per fidem ipsius peccata dissoluit: sanctificatio verò, quia per aquam & Spiritum, & Verbum suum me liberauit, &c.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Sermone ex Apostolo de fide, spe, & charitate: Fides est origo iustitiæ, sanctitatis caput, deuotionis principium, religionis fundamentum. Nullus vnquam sine hac Dominum promeruit: nullus sine illa fastigium sublimitatis ascendit. Est enim fides innocens ac pura credulitas, qua ad Deum accedimus, qua præceptis insistimus, qua expiata mente Dominum veneramur. Hæc excludit dubia, tenet certa, promissa consignat. Hanc qui tenet, felix est: qui deseruerit, miser. Hæc in Ecclesia signa ostendit, virtutes exercet, charismata complet. hæc amplexanda nobis est semper: hæc mentis virtute tenenda. Per illam enim venimus ad Christum, per illam pergimus ad Deum, per illam properamus ad cælum.

Sermone de Fide & lege naturæ: Ante opera fides primùm inducenda est. Eum qui operatur opera iustitiæ sine fide non possum probare viuum fuisse: Fidelium autem absque operibus possum monstrare & vixisse, & regnum cælorum assecutum. Nullus sine fide vitam habuit. Latro credidit duntaxat, & iustificatus est à misericordissimo Deo. Luc. 23.
Atque hic ne mihi dixeris, defuisse ei tempus, quo iustè viueret, & honesta faceret opera. Neque enim de hoc contenderim ego: sed illud vnum asseuerauerim, quòd sola fides per se saluum fecerit. Nam si superuixisset, & operum fuisset negligens, à salute excidisset.

Marcus Eremita. 400.

Contra eos, qui se putant operibus iustificari: Deus nos peccatores mortuos proprio sanguine suo mercatus est, & ijs, qui ita credunt, gratiam suam gratuitò largitus est.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib. 4. in Ioannem cap. 9. Ianua & via in vitam fides est, & recursus quidam atque reductio à corruptione in immortalitatem.

Lib. 10. Thesauri cap. 8. Subiectus nunc quoque Christus Patri est, non tamen pro omnibus, sed pro solis credentibus in eum, pro quibus seipsum tanquam immaculatum agnum Patri obtulit, vt ab omni peccato liberatos Patri offerret.

Theodoretus. 450.

De sacrificijs lib. 7. *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Neque enim vllis operibus nostris, sed per solam fidem mystica bona consecuti sumus. Hinc & Apostolus manifestè testatur: *Gratia salui facti estis: & hoc non ex vobis, Dei donum est, ne quis glorietur?* Ephes. 2.

Ad cap. 3. epist. ad Romanos: Sola fide allata, peccatorum remissionem accepimus: quoniam velut quoddam redemptionis pretium Dominus Christus corpus suum obtulit, &c. Dominus Christus & verus Deus est, & propitiatorium, & Pontifex, & agnus, & in suo sanguine salutem nostram procurauit, solam à nobis fidem exigens.

Ad cap. 2. epist. ad Ephes. Non nostra sponte credimus, sed vocati accessimus; & cùm accessissemus, non exegit vitæ puritatem & innocentiam, sed sola fide suscepta condonauit peccata.

Basilius Seleucius. 450.

Oratione 2. de excusatione Lazari: Magnum præclarumque bonum est fides, præsertim quando à feruida mente, multaque & ardenti vi amoris procedit. Hæc vna sapientes nos esse ostendit: hæc humanam imbecillitatem tegit: hæc terrenis cogitationibus missis, cælestium rerum contemplationi intendit. Quod humana sapientia præ luminis debilitate assequi nequit, hoc illa capit, hoc illa tradit. Adhæreamus itaque fidei, nec humanis rationibus nos circumduci patiamur.

Victor Antiochenus. 460.

Ad cap. 5. Marci: *Confide filia, fides tua te saluam fecit.*) Etiam vocat illam Iesus filiam: quia per & propter fidem sanitatem obtinuerat. Est autem fides res quædam ipsa corporis sanitate potior, vt quæ filiorum adoptionem conciliet. *Fides*, inquit

tua te saluam fecit.) Hæc disertè indicant, vestimenta contacta eam non sanasse, sed fidem. Igitur neque locus, neque verba, neque aliud quippiam eiusmodi externum hominem saluat, sed vnumquemque sua fides saluat.

Olympiodorus Monachus. 500.

Ad caput 4. Ecclesiastis: Populus in Dei cognitionem ex gentibus conuocatus, verè sapiens, ac redemptus à diabolica seruitute, & per fidem Christi Saluatoris consecutus regale sacerdotium, spiritu quidem pauper, sed Euangelica beatitudine decoratus.

Ad cap. 7. Dominus noster Iesus, qui est ipsa sapientia, ei, qui in se crediderit, iam per fidei lumen sapienti effecto auxiliatur multò validius, quàm decem præcepta legis, quæ in ciuitate Iudæorum potentiam & auctoritatem magnam habent.

Ioannes Maxentius. 510.

In Confessione fidei: Quapropter nullum ab Adam nunc vsque per naturæ vigorem credimus esse saluatum, nisi dono gratiæ Spiritus sancti, in fide nomine Iesu. Quia *non est aliud nomen sub cælo, &c.* Credentes etiam omnes ab Abel vsque ad Christum, siqui saluati sunt, ea gratia, qua & nos esse saluatos.

Ioannes Climacus. 580.

In recapitulatione gradus 26. Qui fidem non habet & bona quædam fortè operatur, is ei similis est, qui haustam aquam in perforatum dolium immittit.

Isychius. 590.

In Leuiticum lib. 2. cap. 7. Per pectusculum fidem designat, & confidentiam, quam offerri Domino vult ab eo, qui saluari desiderat: quia *sine fide impossibile est nos placere Deo.*

Lib. 4. cap. 14. Miseratus Deus humanum genus, cùm illud ad explenda legis opera infirmatum vidisset, iam non ex operibus saluari, sed per gratiam hominem voluit. Gratia verò ex misericordia, atque compassione præbetur, & fide comprehenditur sola, *non ex operibus*, vt Paulus dicit ad Ephes. Nam gratia iam non erit gratia.

Antiochus. 600.

Homilia 1. de fide: Inprimis necesse fit, vt credat
Heb. 11. *in Deum, quia est, & exquirentibus se remunerator sit.*
Eccl. 40 *Fides enim in seculum stabit. Et: Iustus ex fide viuet.*
Heb. 10. Iustus autem, qui veraci fide nititur, fidem habet mirè efficacem: Fidem (inquam) quotidiana accessione coalescentem, fidem nulla ex parte hæsitantem, fidem ad opera laude digna illustrantem, vt per ea glorificetur vniuersorum Deus. Fides principium est diuinæ vocationis. Quisquis perfectè credit, lapis est templi Dei, lapis est solerti apparatu leuigatus, & exæquatus in substructionem Dei Patris, lapis in sublime euectus, machina quapiam admirabili Iesu Christi, quæ crux eius est, præsidio adiutus funiculi, qui Spiritus sanctus est. Fides hominis prædux viæ est: Charitas ipsa via est, ad Deum vsque subuehens hominem.

Maximus Monachus. 640.

Centuriæ 3. cap. 34. Quisque nostrum iuxta proportionem fidei suæ manifestam obtinet Spiritus efficaciam.

Cap. 35. Fidei cuiusque mensura est causa distributionis diuinorum bonorum. Prout enim credimus, accessionem etiam promptitudinis ad agendum obtinemus. Quamobrem qui operatur iuxta proportionem actionis, declarat fidei modum, suscipiens mensuram gratiæ, quatenus credidit.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 12. Si quis fide tanquam manu ductus, Deum bonum, & omnipotentem, & verum, & sapientia & iustitia præstantem reputet, omnia plena & æquabilia, viamque rectam inueniet. Nam fieri sine fide non potest, vt quisquam salutem adipiscatur. Siquidem fide cum humana omnia, tum spiritualia constant.

Photius. 860.

Ad cap. 4. epistolæ ad Rom. Vides quòd nihil omnino habeat Abraham, ne vestigium quidem operum ad eiusmodi beneficia, quæ à Deo accepit? Vnde ergo dignus habitus est? ex sola fide.

Ad cap. 5. Ob quam actionem, ob quod rectum opus gratia hæc data est? Ob solam fidem. Tantum enim credidimus, & omnia nobis per Baptismum gratis donata sunt.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 2. Abacuc: Ex operibus legis nulla iustificatur caro. Lex enim iram operatur, si quis eam transgressus fuerit, & interimit præuaricantes: fides autem per gratiam soluens delicta iustificat.

OEcumenius. 1050.

Ad cap. 3. epist. ad Rom. Omnes, qui in Deum crediderunt, gratis iustificantur, ipsum credere tantùm conferentes.

Ad cap. 4. Vides quod nihil omnino habeat Abraham, ne vestigium quidem operum ad eiusmodi beneficia, quæ recepit? Vnde ergo dignus habitus est? ex sola fide. *Credidit enim Abraham Deo,* ait Scriptura, *& imputatum est ei ad iustitiam.* Credidit, & à Deo iustificatus est, vt tanta & talia consequeretur.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 1. In omnem terram Euangelij prædicatio diuulgata est, & credentes salutem consequuntur. Qui verò non credunt, pereunt. Nec tamen hæc culpa in Christum, sed in infideles incidit, qui suam ipsorum salutem produnt.

Contra Mahometem orat. 3. Si fides (vt Scriptura docet) sine operibus mortua est, multò magis opera sine fide mortua sunt: vbi verò nec fides, nec opera præstò sunt, quidnam illic iudicandum est? Vt enim corpus sine anima mortuum est, sic & anima sine fide & operibus. Si enim fides adfuerit, licet vulneretur anima, sanationis tamen vias habet, per pœnitentiam scilicet & opera. Fide autem absente, omnis actio aut virtus, quæ in speciem esse videtur, vana est & inanis. Fide autem præsente, etiam virtus adest, licet aliquando virtutis defectus, id est, peccatum oboriatur. Vbi ergo fides non est, nec virtus est. Quapropter & Esaias ait: *Nisi credideritis, non intelligetis.*

Gennadius Scholarius. 1450.

In Dialogo: Verbum Dei natum est ex carne sanctæ Virginis, & manifestum est toti orbi: & qui credunt in eum, salui sunt.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis Episcopus Lemouicensis. 100.

Epist. ad Burdegalenses cap. 9. Ex hac claritate, quæ illuxit in cordibus vestris, per fidem, qua in mortem Domini credidistis, conseruabitur in vobis æterna beatitudo, quæ neque in Deo Patre, & Domino Iesu Christo & Spiritu Dei initium, nec in vobis finem operabitur.

Tertullianus. 200.

Lib. 4. contra Marcionem cap. 34. Fide Abraham Deo credidit, nullo sub iugo legis, nec in signo Circuncisionis.

Cyprianus. 250.

Ad Quirinum lib. 3. cap. 42. Fidem in totum prodesse, & tantum nos posse, quantum credimus. In
Gen. 15. Genesi: *Credidit Abraham Deo, & deputatum est ei ad*
Esa. 7. *iustitiam.* Item apud Esaiam: *Si non credideritis, non intelligetis.*

Lib. 2. *Epist.* 2. Quantum illuc fidei capacis afferimus,
Epist. 2. tantum gratiæ inundantis haurimus.

Lib. 1. *Epist.* 7. Parum est adipisci aliquid potuisse, plus
Epist. 5. est quod adeptus es posse seruare: sicut & fides ipsa, & natiuitas salutaris, non accepta, sed custodita viuificat.

Lib. 2. *Epist.* 63. Si Abraham Deo credidit, & deputa-
Epist. 3. tum est ei ad iustitiam, vtique quisquis Deo credit, & fide viuit, iustus inuenitur, & iam pridem in
Gen. 15. Abraham fideli benedictus & iustificatus ostenditur, sicut beatus Paulus Apostolus probat, dicens:
Galat. 3. *Credidit Abraham Deo, & deputatum est ei ad iustitiam.* Cognoscitis ergo quia qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ.

Caius Papa. 290.

Epist. ad Felicem Episcopum: Fides iustificans impios, & creans iustos, ad humanitatis retracta participium, in Christo acquirit salutem.

Arnobius. 300.

Lib. 2. contra Gentes: Nemo seu operibus, seu precibus commendatitijs, aut sacrificijs saluus fit, sed solo auxilio Christi.

Lactantius. 320.

Instit. lib. 4. cap. 19. Nulla spes alia consequendæ immortalitatis homini datur, nisi crediderit in eum.

Hilarius. 350.

In Matth. Can. 7. Salus Gentium ex fide est, & in præceptis Domini vita est vniuersorum.

Can. 8. Monet Scribas, remissum esse ab homine peccatum. Hominem enim tantùm in Iesu Christo contuebantur: & remissum ab eo, quod lex laxare non poterat. Fides enim sola iustificat.

De Trinitate lib. 6. Si verò hæc sola fides confessa Christum Dei Filium omnium beatitudinum gloriam meruit in Petro, &c.

Lib. 10. Dominum Iesum confiteri, & à mortuis suscitatum credere, salus est.

Marius Victorinus Afer. 360.

Libro aduersus Arium: Credendum est in Filium Dei, vt vita sit in nobis.

Ambrosius. 370.

Lib. 9. epist. 71. Nemo glorietur in operibus: quia nemo factis suis iustificatur: sed quia iustus est donatum habet, quia post lauacrum iustificatus est.

Auctor commentariorum in epistolas Pauli apud Ambrosium. 380.

Ad cap. 3. epist. ad Rom. Iustificati sunt gratis: quia nihil operantes, neque vicem reddentes, sola fide iustificati sunt dono Dei.

Ad cap. 4. Sine operibus legis credenti impio, hoc est gentili, in Christum, reputatur fides eius ad iustitiam, sicut Abrahæ. Quomodo ergo per opera legis Iudæi iustificari se putant, cùm videant Abraham non ex operibus legis, sed sola fide iustificatum?

Hieronymus. 390.

Ad cap. 5. Hieremiæ: Domine oculi tui respiciunt fidem, non opera Iudæorum, in quibus, iuxta legis cæremonias, exultabant, sed fidem Christianorum, per quam gratia salui facti sumus.

Ad cap. 2. epist. ad Galatas: Sancti, qui antiquitus fuerunt, ex fide Christi iustificati sunt.

Ad cap. 2. epistola ad Ephesios: Ideò, inquit, abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate in superuenturis seculis ostensurus est: quia gratis salui facti estis per fidem, non per opera. Et hæc ipsa fides non ex vobis est, sed ex eo, qui vocauit vos.

Ad cap. 3. Fiducia, atque accessus ad Deum, atque origo fides est in Christo.

Ruffinus. 390.

In explicatione Symboli: Credo primò omnium ponitur, sicut & Paulus Apostolus ad Hebræos scribens dicit: *Credere* enim *primò omnium accedentem* Hebr. 11.
ad Deum oportet, quia est, & credentibus in se remunerator sit. Vt ergo intelligentiæ tibi aditus patescat, rectè primò omnium te credere profiteris: quia nec nauem quis ingreditur, & liquido ac profundo vitam committit elemento, nisi se prius credat posse saluari. Nec agricola semina sulcis obruit, & pro frugibus spargit in terram, nisi crediderit venturos imbres, affuturum quoque solis teporem, quibus terra confota, segetem multiplicata fruge, ac ventis spirantibus nutriat. Nihil denique est, quod in vita geri possit, si non credulitas ante præcesserit. Quid ergo mirum, si accedentes ad Deum credere nos primò omnium profitemur, cùm sine hoc nec ipsa exigi possit vita communis? Hoc autem idcirco in principijs præmisimus, quia pagani nobis obijcere solent, quòd religio nostra, quia quasi rationibus deficit, in sola credendi persuasione consistat. Et ideo ostendimus nec stare, nec agi aliquid posse, nisi præcesserit vis credendi.

Augustinus. 400.

Ad Psalm. 31. *Credenti in eum,* inquit, *qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam.* Si iustifi- Rom. 4.
catur impius, ex impio fit iustus: si ex impio fit iustus, quæ sunt opera impiorum? Iactet etiam impius opera sua, & dicat: Do pauperibus, nihil alicui aufero, vxorem alienam non concupisco, nonquenquam occido. Hæc omnia dicat. Quæro verum pius sit, an impius? Et quomodo sum impius, inquit, ista faciens? Quomodo illi, de quibus dictum est: *Et seruierunt creaturæ potius quàm Creatori.* Ecce Rom. 1.
quomodo es impius. Quid si de his omnibus bonis operibus aut illum speras, quod sperandum est; sed non ab illo, à quo sperandum est; aut hoc speras, quod sperandum non est, etiam ab illo, à quo æterna vita speranda est?

Ad Psalm. 67. Sine bonorum operum meritis per fidem iustificatur impius, sicut dicit Apostolus: *Credenti in eum, qui iustificat impium, deputatur fides* Rom. 4.
eius ad iustitiam.

In Psalm. 104. Non quisquam præter istam fidem, quæ est in Christo Iesu, siue ante eius incarnationem, siue postea reconciliatus est Deo.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia 4. de Christi Natali: Christus omnibus quidem natus est, sed fidelibus dat salutem.

Leo Magnus. 450.

Sermone 2. de Natiuitate cap. 4. Redit in honorem suum ab antiquis contagijs purgata natura: mors morte destruitur, natiuitas natiuitate mutatur: quoniam simul & redemptio aufert seruitutem, & generatio mutat originem, & fides iustificat peccatorem.

Serm. 4. cap. 5. Sicut per fidem iustitia, ita etiam per fidem veram vita obtinetur æterna.

Sermone 4. de Epiphania cap. 1. Hoc enim est, quod iustificat impios: hoc est, quod ex peccatoribus facit sanctos, si in vno eodemque Domino nostro Iesu Christo & vera deitas, & vera credatur humanitas.

Sermone 14. de Passione Domini cap. 2. Vna fides iustificat vniuersorum temporum Sanctos, & ad eandem spem fidelium pertinet quicquid per Mediatorem Dei & hominum Iesum Christum vel nos confitemur factum, vel Patres nostri adoptauêre faciendum.

Petrus Chrysologus. 440.

Serm. 34. Et quid plura? Christus mulieris docuit exemplo, quàm fides sola totam proficiat ad salutem.

Prosper. 450.

De vita contemplatiua lib.3. cap.decimooctauo: Quicunque quocunque tempore, in quacunque gente in Deum credentes ex fide vixerunt, illius dono temperantes ac prudentes, iusti ac fortes vtique fieri potuerunt. Qui autem nescientes Deum, vel etiam blasphemantes, fine fide vixerunt, nihil earum virtutum à Deo accipere, vel habere potuisse credendi sunt.

Ad capitula Gallorum, responsione 8. Nec alia gratia, aut alia fide quenquam hominum, siue ante legem, siue legis tempore, iustificatum esse credendum est, quàm hac eadem, per quam Dominus noster Iesus Christus, secundùm consilium voluntatis suæ, in fine seculorum venit quærere & saluare quod perierat.

In epigrammat. cap.46.

Nec prodest quicquam recti sapuisse malignis,
Si verum & summum non coluêre Deum.
Vna fides igitur, spes vna est, atque amor vnus,
Quo fiat iustus, fitque beatus homo.
Nam bona, quæ prauis naturæ ex dote supersunt,
Augent peccati pondera, non minuunt.

De ingratis cap.19.

Si verò merito ascribis, voluisse renasci:
Nempe vtero fides parta est tam recta voluntas.
Porrò fidem quis dat nisi gratia? sic bene velle
Gratia dat, tribuendo fidem, quæ credita poscat.

Claudius Marius Victor. 460.

Libro 3. in Genesim de Abrahamo:

———— sic fatus finit: at ille
Credidit, & nuda fides confessio sola
Plenam ad iustitia & meritis reputata coronam est.

Sedulius. 460.

Ad cap.4. ad Rom. Conuertentem impium per solam fidem iustificat Deus, non per opera, quæ non habuit prius, alioquin per impietatis opera fuerat puniendus. Hoc dicit, quia fine operibus legis credenti impio in Christum reputatur fides eius ad iustitiam.

Eucherius Lugdunensis. 460.

Dominica 14. post Pentecosten: Magna est virtus fidei, *sine qua* (vt Apostolus ait) *impossibile est placere Deo. Credidit* enim *Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Fides igitur saluat, fides iustificat, fides interius & exterius hominem satiat.

Homilia 2. de Symbolo: Fides religionis Catholicę lumen est animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ. Quicunque hac derelicta, velut pessimum ducem proprium sequitur intellectum, quicunque per sapientiæ suæ sensum ad mysteriorum cælestium se putat posse peruenire secretum, sic facit, quomodo si absque fundamento ædificet domum; aut si prætermisso ostio, velit intrare per tectum: vel si nocte fine lumine inferat gressum, totum se clausis oculis vrgeat in profundum. Hanc ergo nobis fidem velut magnam lampadem Christus aduenıens errantibus viam monstraturus exhibuit, per quam possit Deus ignotus requiri, quæsitus credi, creditus inueniri.

Faustus Rhegiensis. 480.

De libero arbitrio lib.1. cap.7. Tempus gratiæ, quo redempti sumus, merita hominum non expectauit, opera penitus non quæsiuit, sola Deus fidei nostræ deuotione contentus fuit, secundùm illud Apostoli: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.*

Fulgentius. 500.

De fide ad Petrum Diaconum in Prologo: Gaudeo quòd pro vera fide fine vllo perfidiæ vitio custodienda solicitudinem geris, fine qua nulla potest prodesse, imò nec esse conuersio. Apostolica quippe dicit auctoritas, quia *fine fide impossibile est placere Deo.* Fides namque bonorum omnium est fundamentum: fides est humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei numerum potest peruenire: quia fine ipsa nec in hoc seculo quisquam iustificationis gratiam consequitur, nec in futuro vitam possidebit æternam. Et si quis hic non ambulauerit per fidem, non perueniet ad speciem: fine fide omnis labor hominis vacuus est.

Primasius. 540.

Ad cap. 4. ad Rom. Omnes, qui ex gentibus credunt, secundùm fidem filij sunt Abrahæ, dum illis sola fides ad iustitiam reputatur, etiam ipsi circuncisi non carne, sed corde.

Ad cap.8. Propositum Dei est, vt fine operibus legis, vel quibuscunque alijs meritis, per fidem solùm iustificaret impios.

Ad cap.2. epist. ad Galat. Non ex operibus, sed sola fide per gratiam vitam habere te nosti. Si gentes fides sola non saluauit, nec nos: quia ex operibus nemo iustificabitur.

Fortunatus. 580.

In Symbolum Apostolorum: Nobis in hoc sermone sola credulitas sufficit.

Gregorius Magnus. 590.

Ad Psalmum quartum Pœnitentialem: Iustitia Dei fides est, sicut scriptum est: *Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, quia iustus ex fide viuit.* Gen.15.
Si ergo iusti vita fides est, consequens est eandem fidem esse iustitiam, fine qua quisque esse iustus non potest.

In 1. Reg. cap. 16. Quia doctoris fides ad salutem sibi tantùm, non autem auditoribus proficit, mitti & adduci præcipitur, vt vnusquisque fidem eius habeat, per quam saluari mereatur.

Isidorus Hispalensis. 620.

De summo bono lib. 2. cap. 2. Non potest ad veram beatitudinem perueniri, nisi per fidem.

Concilium Toletanum Sextum. 648.

Cap.1. Hic ergo Dominus noster Iesus Christus, missus à Patre, venit in hunc mundum peccatores saluos facere, & credentes iustificare: faciensque mirabilia, traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Hac fide corda purificantur, hac hæreses extirpantur, in hac omnis Ecclesia collocata iam in cælesti regno, & deinceps in præsenti seculo gloriatur, & non alia est in fide salus. *Nec enim nomen aliud sub cælo datum est hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Act. 4.

Iulianus Pomerius. 680.

Lib.1. contra Iudæos: Dimissa sunt peccata, quæ per fidem nominis Domini nostri Iesu Christi omnibus in eum credentibus remittuntur.

Beda. 700.

Ad Psalm. 77. Per iustitiam factorum nemo saluabitur, sed per solam iustitiam fidei.

Ad cap. 2. Lucæ: Qui vel ante tempora Circuncisionis, vel etiam post datam Circuncisionem de exteris gentibus extitêre fideles, vt exemplar patientiæ Iob, & amici liberique illius, siue victimis hostiarum se suosque ab originali peccato, seu certè sola fide saluabant. Quia *iustus ex fide viuit, & fine fide impossibile est placere Deo.*

Alcuinus. 750.

Epistola ad Carolum Magnum: Catholica fides humanum genus sola viuificat, sola sanctificat.

Libro de Trinitate cap.2. Ad veram beatitudinem peruenire volentibus primò omnium fides necessaria

saria est, sicut Apostolica docet auctoritas, dicens: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Constat ergo neminem ad veram peruenire posse beatitudinem, nisi Deo placeat, & Deo neminem placere posse, nisi per fidem: Fides namque est bonorum omnium fundamentum, fides est humanæ salutis initium: sine hac nemo ad filiorum Dei potest consortium peruenire.

Concilium Moguntinum. 813.

Cap. 1. Initium actionis nostræ de fide esse decernimus, quæ bonorum omnium est fundamentum: quia *sine fide impossibile est placere Deo.*

Haymo. 820.

Ad cap. 3. epist. ad Rom. Redemptio nostra, qua sumus redempti, & per quam iustificamur, passio Christi est, quæ iuncta Baptismo iustificat hominem per fidem, & postmodum per pœnitentiam.

Ad cap. 3. epist. ad Galat. Lex non completur fide, sed opere: Euangelium autem completur fide magis, quàm operibus. Quia solà fides saluat.

Halitgarius Episcopus. 830.

De vtilitate Pœnitentiæ lib. 2. cap. 3. Fides iustitiæ est fundamentum quam nulla bona opera præcedunt, & ex qua omnia bona opera procedunt. Ipsa nos à peccatis omnibus purgat, mentes nostras illuminat, Deo reconciliat, cunctis participibus nostræ naturæ consociat, spem nobis futuræ remunerationis inspirat, auget in nobis virtutes, ac nos in earum possessione confirmat. Ipsa quoque gradus ascensionis est, per quam gressus omnis dirigitur, vt errores humanæ vitæ transfugiat, & ad cælestia securus perueniat. Quam sacerdos nosse debet, vt doceat, & populus credere ea, quæ docentur, vt intelligat, dicente Apostolo: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Vnde datur intelligi, quòd non fides ex intellectu, sed ex fide intellectus existat: ac per hoc vt bene agat, quasi intelligere studeat, & vt intelligat credat. Debet doctor Ecclesiæ prædicare, quod audiat crediturus: quia sine prædicatione nullus erit auditus, sicut scriptum est: *Quomodo audient sine prædicante?* Verbum fidei prædicandum est, vt audiens credat, credens intelligat, & intelligens opus bonum perseueranter exerceat, & faciat.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 900.

Cap. 1. loquens de Circuncisione: Sed quid de salute illorum coniectare possumus, qui vel ante diem octauum mortui sunt, vel in deserto infra quadraginta annos nati mortui sunt? Credendum est, quia fide sola saluati sunt, siue propria, qui credere potuere, siue aliena, qui credere non potuerunt.

Cap. 3. Tempora diuersa diem vnum perficiunt: quia fides vna, variatis licet temporibus, Ecclesiæ simul membra concludit. Dies iste fides vna est: quia quod nos credimus factum, illi crediderunt faciendum.

Radulphus Flauiacensis. 950.

Dan. 9. *Lib. 15. in Leuiticum cap. 4.* Homo per peccatum mel contaminatus, iam à reatu suo sanctificari non potest, nisi per fidem illius, qui Sanctus sanctorum per Prophetam nominatus est, &c. Nemo sanctificatur, qui fidem non habens, à corpore eius, quæ est Ecclesia, alienus efficitur. Quòd si etiam fidem habeat mortuam, quæ per dilectionem non operetur, nec illa sanctificare eum potest. Odibilis verò est illorum præsumptio, qui cùm aut infideles sint, sine fide iustificari se æstimant, aut etiam si fideles sunt, cùm infidelium mores habeant, vel sanctos se putant, vel sanctitatis laudem contra conscientiam affectant.

Anselmus. 1080.

Ad cap. 3. ad Roman. Ei, qui non operatur, hoc est, qui postquam baptizatus est, non habet tempus operandi, vel propter infirmitatem non potest operari, quamquam velit, sed absque opere ex hac vita rapitur, cum fide & bona voluntate, huic nihil operanti, sed tantummodò credenti in eum, qui iustificat impium, hoc est, Deum, reputatur fides ad iustitiam, hoc est, sola fides sufficit ei ad iustitiam, & ita ad salutem.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De gloria & honore Filij hominis libro 2. Quem tu erudieris Domine, ille scit, ille confitetur, quòd iustitia nulla sit, quòd omnis ex operibus iustitia vana sit, nisi testimonium habeat ex fide Iesu Christi.

Bernardus. 1130.

Sermone primo in Annuntiatione B. Mariæ: Necesse est primò omnium credere, quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei: deinde, quod nihil prorsus habere queas boni operis, nisi & hoc dederit ipse, &c. Ideoque si credis peccata tua non posse deleri, nisi ab eo, cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, bene facis: sed adde adhuc, vt & hoc credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet in corde nostro Spiritus sanctus, dicens: *Dimissa sunt tibi peccata tua.*

Sermone 22. in Cantica: Quisquis pro peccatis compunctus, esurit ac sitit iustitiam, credat in te, qui iustificas impium, & solam iustificatus per fidem, pacem habebit ad Deum.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 3. dist. 25. litera A. Sine fide Mediatoris nullum hominem vel ante, vel post legem fuisse saluum sanctorum auctoritates contestantur, &c. His alijsq; pluribus testimonijs perspicuè docetur, nulli vnquam salutem esse factam, nisi per fidem Mediatoris.

Guerricus Igniacensis. 1180.

Sermone ad excitandam deuotionem ad Psalmodiam: Quòd si fidei cohærentia sine morum conformitate nequaquam saluat adultos, longè minus saluare potuerunt opera sine fide.

Innocentius Tertius. 1200.

Ad Psal. 4. Pœnitential. Cùm fides adultis sine Sacramento proficiat, vbi Sacramentum non religionis contemptus, sed articulus necessitatis excludit: Sacramentum verò Baptismi sine fide adultis non valeat, iuxta quod Veritas ait: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quid est, quòd hoc in loco plus attribuitur Sacramento quàm fidei? Nam minus est aspergi, quàm ablui, & minus mundari, quàm dealbari, maximè super niuem. Sciendum est ergo, quòd fides Christi, quæ iustificat impium, reuera mundat à culpa, sed non semper ab omni pœna. Sacramentum verò Baptismi, si dignè sumatur, liberat omninò à culpa, pariter & à pœna. Marc. 16.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominic. in Albis, Them. ex Epist. Sine fide non est salus, nec vita æterna: quoniam qui non credit, nõ quærit, qui non quærit, non inuenit, & qui non inueniet, non intelliget, vel cognoscet: & ita vita æterna carebit. *Hæc est enim vita æterna, vt cognoscant ipsum verum Deum, & quem ipse misit Iesum Christum.* Ioan. 17. Fide enim cor mundatur, sicut scriptum est: *Fide mundans corda eorum:* & anima illuminatur, vt Act. 15. Christi beneficia cognoscat, & ingratus non existat tanto benefactori.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Moribus cap. 1. Inter hæc prima fides sic de se ipsa incipit loqui: Ego sum prima vita mentis humanæ, Deo ipso teste Abacuc 2. *Iusta mens ex fide viuit:* Cùm enim Deus vita animarum sit, vt dicit

Augustinus, & tres sint coniunctiones ipsius ad animam humanam: prima scilicet ad eius affectum: secunda ad eius intellectum, & vtraque istarum vita sit gratiæ, tertia verò ad eiusdem sit sensum, scilicet interiorem, spiritualem, immediatum, & secundùm totum diuinæ luminositatis. & hæc est diuinæ vita gloriæ: quare ego sum prima vita gratiæ: quia prima coniunctio viuificantis virtutis, quæ Deus est ad mentem humanam.

Albertus Magnus. 1240.

Ad caput 1. Lucæ: Prudentia iustorum non de legis operibus iustitiam præsumere, sed ex fide salutem quærere, vt quamuis in lege positi, legis iussa perficiant, gratia tamen Dei se saluandos per Christum intelligant.

Thomas Aquinas. 1250.

Ad caput tertium epist. ad Ephes. Virtus Christi copulatur nobis per fidem.

Bonauentura. 1260.

Parte prima distinct. 15. q. 1. In sola fide passionis Christi remittitur omnis culpa, & sine fide eius nullus iustificatur.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad caput tertium ad Galat. *Et nos in Christum credimus, vt iustificemur.*) Per eandem enim fidem iustificantur fideles noui testamenti: quia quem illi crediderunt venturum, isti credunt venisse, & redemptionis mysterium compleuisse.

Simon Cassianus. 1350.

De religione Christiana libro decimo, cap. septimo: Abrahæ credulitas solùm sibi ad iustitiam deputata est.

Nicolaus Gorranus. 1370.

Ad caput 3. epist. ad Romanos: Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis cæremonialibus, vel etiam sine operibus moralibus fidem præcedentibus.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De triumphali Christi agone cap. primo: Quantum sit necessaria fides militanti Christo Apostolum audi: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Gratificat enim hominem, & amabilem Deo facit fides, atque ad spiritualia optimè habilitat.

Capite quarto: Inter difficilia, quæ humanæ saluti necessaria fore noscuntur, primum tenere locum Sacramentorum rectam fidem quis dubitet?

Paulus Brugensis. 1440.

In Postillam Lyræ ad cap. tertium ad Galatas: Ex operibus legis veteris nemo iustificatur apud Deum, quod intelligitur de iustitia, qua homo dignus est vita æterna, quod probatur ex hoc, quod Abacuc dicit: *Iustus ex fide viuit*, non addens, nec assignans aliquod opus exterius factum.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad cap. secundum epist. ad Galat. Fides est virtus prima, *sine qua impossibile est placere Deo*, nec sine ea vnquam aliquis est saluatus: sicut enim per fidem nunc saluamur, qua credimus Christum venisse, sic veteres saluabantur per fidem Christi venturi.

Ioannes Trithemius. 1500.

Lib. octauo Quæstionum ad Maximilianum Cæsarem quæst. 2. Neminem excipit, nullam conditionem admisit, qui pro cunctis venerat pati, per solam fidem omnium prouiderat saluti.

Epistola ad Iacobum Theologum: Veram quæram salutem & sapientiam, quæ in sola fide Domini nostri Iesu Christi formata existit.

Iacobus Sadoletus. 1530.

Ad caput tertium epistolæ ad Romanos: Hac fide in Deum freti asseueremus primùm illud, quod indubitatum, certumque retinemus, sola fide erga Deum per Christum Iesum posse nos saluos fieri, neque aliud nomen esse sub cęlo, vt Lucas inquit, in quo salus sit mundo proposita.

Ad caput quartum: Gloriæ talis fundamentum est fides: quandoquidem in fidem solam hæc Dei excellens iustitia transmittitur.

Michael Medina. 1560.

In Apologia contra Dominicum à Soto pro defensione Ioannis Feri: Quàm sit Catholica hæc phrasis in præcedentibus multis auctoribus in lucem produximus. Vnde quod ex dicto auctoris concludit, quod per solam fidem saluemur, libenter concedimus, dum de fide Christiana, quæ dilectionem & opera includit, de qua semper vel nolens videt auctorem loqui, id intelligat. Lutherani autem non de hac fide, sed de infœcunda & informi credulitate loquuntur, quando hæretici iustitiam aut felicitatis consecutionem fidei attribuunt. Quia & auctor, vt ex eius verbis colligitur, hoc sensu per solam fidem participes meritorum Christianos fieri docet, quòd nec natura, nec alio præter Christi fidem eorundem participatio contingat. Sola enim fides Christi est, per quam Christo inserti, & vnum cum ipso effecti, eius virtutem & merita participamus.

Petrus Canisius. 1570.

De corruptelis Verbi Dei lib. primo capite duodecimo: Verè sola Fides iustificat & saluat, id est, non alia, quàm Christiana atque Catholica: non autem illa, quam ab Ecclesia separati seiunctique homines profitentur. Sola item fides Euangelica iustificat, hoc est, sine operibus, quæ fiunt vel à Iudæis, per legem Mosaicam, vel à Philosophis per naturam sine gratia. Rursum iustificat sola fides sine bonis operibus, id est, sine meritis operum, quæ nulla sunt ante iustificationem. Ad hęc sola fides iustificat, id est, absque Sacramenti susceptione, quando tempus & necessitas prohibent.

ARTICVLVS SECVNDVS.

HOMINES FIDE IVSTIFICATOS, PER DEI GRATIAM ET AVXILIVM CHRISTI MANDATIS PARERE POSSE.

NEGANT.

Anno post natum Christũ 1520. MARTINVS Lutherus in confutatione rationis Latomianæ: *Tot Scripturæ testimonia probant mandatum esse impossibile nobis, vt nihil sit manifestius.*

In Responsione ad Dialogum Syluestri Prieratis: *Pessimè facis, quòd negas Saluatorem impossibilia iussisse: plus quàm pessimè facis, quòd hoc falsitatem audes appellare. Non possumus in hac vita mandata Dei implere.*

1525. Philippus Melanchthon ad caput 4. epist. ad Romanos, editionis primæ: *mandat lex diligi Deum, perinde impossibilia iubet, atque si præcipiat nobis transuolare Caucasum.*

1550. Ioannes Caluinus lib. 2. Instit. cap. 7. *Sit extra controuersiam, impossibile esse in hac carne legis implementum.*

1560. Ioannes Monhemius Dialogo 3. *Nemo, quantumuis perfectus, præstare potest quod lex iubet.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 6. *vers.* 9. Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit.

Genes. 17. 1. Dixit Dominus Abrahæ: Ego Dominus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus.

Deuteronomij 30. 6. Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui: vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere. 11. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, vt possis dicere: Quis nostrum valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare positum, vt causeris, & dicas: Quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre: vt possimus audire, & facere quod præceptum est? sed iuxta te est sermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.

Iosue 11. 15. Sicut præceperat Dominus Moysi seruo suo, ita præcepit Moyses Iosue, & ille vniuersa compleuit: non præterijt de vniuersis mandatis nec vnum quidem verbum, quod iusserat Dominus Moysi.

3. *Reg.* 14. 8. Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo.

3. *Reg.* 15. 5. Eo quòd fecisset Dauid rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ Hethæi.

4. *Reg.* 23. 25. *de Iosia*: Similis illi non fuit ante eum rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi.

2. *Para.* 15. 15. *de Asa, & populo*: In tota voluntate quæsierunt eum (*Dominum*,) & inuenerunt, 17. Cor Asa erat perfectum cunctis diebus eius.

Iob. 1. 1. Vir erat in terra Hus, nomine Iob: & erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.

Psal. 118. 10. In toto corde meo exquisiui te: ne repellas me à mandatis tuis. 32. Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum. 168. Seruaui mandata tua & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Ezech. 36. 26. Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum po-

nam in medio vestri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.

Matth. 1. 19. Ioseph autem vir eius cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.

Matth. 11. 30. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.

Matth. 19. 21. Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus.

Luc. 1. 7. Zacharias & Elizabeth erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.

Luc. 2. 25. Simeon homo iustus & timoratus, expectans consolationem Israël: & Spiritus sanctus erat in eo.

Ioannis 13. 35 In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.

Ioannis 14. 23 Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.

Ioannis 15. 12. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. 14. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.

Actorum 13. 22. Inueni Dauid filium Iessæ, virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

Galat. 5. 14. Omnis enim lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Philip. 3. 15. Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.

Philip. 4. 13. Omnia possum in eo qui me confortat.

1. *Ioan.* 5. 3. Hæc est enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt.

1. *Ioan.* 2. 5. Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 4. Stromat. cap. 8. Quin etiam præcepta sunt eiusmodi, vt à nobis possint fieri, vel non fieri. quæ consentaneum est vt consequatur laus & vituperatio.

Origenes. 230.

Homilia 9. in Iosue: Quantæ ex mulierum sexu apud Deum in viris fortibus numerantur? & quanti, ex viris inter remissas & languidas mulieres reputantur? An non tibi videtur inter mulieres existimandus ille vir: qui dicit: non possum obseruare quæ scripta sunt: vendere quæ habeo, & dare pauperibus non possum, percutienti maxillam præbere alteram non possum, maledicentem benedicere non possum, blasphematus deprecari non possum: cætera similia, quæ mandantur, qui dicit implere non possum, quid tibi videtur aliud, quàm inter mulieres, quæ nihil virile possunt, esse numerandus?

Athanasius. 340.

De virginitate seruanda: Intende vnicuique præcepto, & id quod iubetur præsta. Si enim ista serues, dignâ habeberis cælesti thalamo. Ne dixeris in corde tuo: At quonam ista modo præstare potero? Ne pauorem concipiat mens tua, sed cum omni alacritate seruabis ea. Siquidem timentibus Dominum præcepta Domini difficilia non sunt.

Basilius Magnus. 370.

In regulis Breuioribus Responsione 176. Nos quoque ad idem faciendum hortatur Paulus, cùm dicit. *Estote imitatores Dei sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, &c.* Sine dubio autem non præcepisset, hoc, qui bonus ac iustus est, nisi etiam facultatem, qua id faceremus, fuisset largitus. Quam quidem etiam in natura ipsa insitam videri voluit.

Homilia in illud Moysis: *Attende tibi ipsi*: Impium est asserere præcepta Spiritus sancti impossibilia esse obseruatu.

Ephrem. 380.

Sermone ad pietatem bonaq; opera Christi athletam excitante: Diuinis præceptis nos semper occupare studeamus, vt cùm spem hæreditatis tantorum bonorum perfruendæ conceperimus, etiam communicationem spiritus semper expectemus; vt anima & corpore hinc sanctificati, cunctisque mandatis Dominicis per spiritus communicationem, à nobis impletis, digni efficiamur Christo: sicq; filij supercælestis Patris per communicationem sancti Spiritus eius fieri mereamur: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Ad Psalm. 111. Dei præcepta, quæ sunt salutaria, & gloriæ plena, & magnam nobis præbent Philosophiam, & animam meliorem efficiunt, oportet cum magna voluptate suscipere, & nihil esse difficile in eis existimare. Difficultatem enim non natura præceptorum, sed multorum solet socordia efficere. Itaque si quis ea cum studio & alacritate animi suscipiat, videbit ea esse leuia & facilia. Quocirca dicebat Christus: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Matt. 11.

Homil. 18. in Matth. Ne igitur impossibilia putemus esse præcepta, quæ certè & vtilia nobis sunt, & valde facilia, si tota vtique mente vigilemus, tantumque in se lucri continent, vt non solùm nobis, sed ipsis quoque lædentibus maximè prosint.

Homil. 39. in Matth. *Tollite iugum meum super vos.*) Nolite igitur iugum audientes pertimescere: suauitatis enim eximiæ plenum est. Neque metuatis etiamsi onus dixerim: leue enim est. Quomodo autem in superioribus dicebat angustam esse ianuam, & arctam tribulationibus viam? Quando videlicet desidia, quando ignauia dissolutus es. Nam quando quæ dicta sunt perfeceris, leue tunc onus erit. Quomodo autem, inquies, quæ dicta sunt perficiam animo? si humilitate syncera, si mansuetudine vera, si moderatione integra te communies.

Homil. 2. in 1. ad Corinth. Quæ præcepit Dominus sunt adeò facilia, vt multi propter Philosophiæ abundantiam eius præcepta superent.

Homil. 9. Si iussisset quidem grauia, & quæ non possent fieri, posset fortasse proferre quispiam legum difficultatem. Si autem sunt admodum facilia, quidnam habemus quod dicemus, si ne eorum quidem vllam habemus rationem? Non

potes ieiunare, neque virginitatem exercere? Atqui potes, si velis: & nos accusant ij, qui possunt. Nec tamen adeò seuerus & rigidus fuit in nos Deus, neque hæc iussit, neque lege constituit: sed dimisit in libero arbitrio, & electione auditorum. Potes autem esse temperans in matrimonio, & potes non inebriari. Non potes omnes abijcere pecunias? quanquam potes, & ostendunt, qui fecerunt. Sed tamen ne hoc quidem iussit. Sed iussit non rapere, & ex facultatibus egenis opem ferre. Si quis autem dicat, quòd nec vxore sola potest esse contentus, seipsum decipit & vallit, & eum accusant qui absque vxore sunt continentes. Quid verò, dic quæso, non potes non probro & maledicto appetere? non execrari non potes? Atqui ea facere est graue, non autem non facere. Quam ergo habemus excusationem, quæ sunt adeò leuia & facilia non seruantes? Non potest dici nos habere vllam.

Sermone 2. in epistolam ad Philippenses, in morali digressione: Ecquod enim Christi præceptorum graue? ecquod valde molestum est? Non potes in virginitate degere? licet tibi matrimonio iungi: non potes tuis te rebus omnibus priuare? licet tibi ex bonis tuis alteri suppeditare. *Vestra*, inquit, *abundantia illorum inopiam suppleat*. 2.Cor.8. Nam ista quidem valde grauia videri possint, pecunias pro nihilo habere & corporea cupiditate superiorem esse. Alia verò vt præstes nullo sumptu, nulla violentia opus est. Quam enim tibi vim afferas oportet, vt ne maledicas, nec crimineris temerè? ne cæterorum bonis inuideas? ne ambitione capiaris? Tormentis subijci, nec de gradu deijci, patientiæ est: paupertatem ferre, cum fame ac siti luctari, patientiæ est. At vbi nihil horum præstare cogerit, sed licet tibi bonis tuis, quatenus Christianum decet, frueni, alienis non inuidere, quam adhibeas violentiam oportet? &c.

Homilia 8. de Pœnitentia: Nequaquam Dominum accuses, haud mandat impossibilia. Multi etiam ipsa superant præcepta.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Libro 10. in Ioannem cap. 4. Si seruare mandata, diligere est: non seruasse mandata, odisse necessariò est. Signum enim non diligendi, est mandata paruipendere, & præcepta, quasi iniuriam inferant, contemnere. Quemadmodum igitur in seruantibus mandata Filius cum Patre habitat, eodem certè modo à non seruantibus deuolat.

Libro 3. contra Iulianum: Verbum Dei vnigenitũ reformans hominis naturam in suam originem, aboleuit quidem in peccatum in carne, factum homo, & transtulit nos in nouitatem vitæ, & repastinare iussit primam naturæ dignitatem, in quam iterum plantetur admirabili gloria. *Eapropter*, inquit, *dictum est antiquis: Non mœchaberis: ego autem dico vobis: non concupisces*. Matt. 5. Quamuis res sit, vt opinor, ad quam pertingi nequeat, vtpote incomprehensibilis, & quodammodo super naturam. Sed sic sapere non finit. Quod enim impossibile legis, in quo infirmabitur per carnem, Deus misso Filio Rom.7. suo in similitudine peccati mortis, & de peccato condemnauit peccatum in carne, vt impletio legis impleatur in nobis, qui non secundùm carnem non incedunt, sed secundùm spiritum.

Esaias Abbas. 460.

Oratione octaua, ad eos qui mundo renuntiarunt: Ad mortem vsque serua diuina mandata, & ea nunquam despice.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap. 30. Deuteronomij: *Prope te est verbum hoc valde.*) Non immensum est mandatum: tanquam infantes enim lacte potauit. Ecquid mirum verò esse debet, cùm Ioannes quoque Christi mandata leuia esse astruit? Quia & ipsemet inquit: *Iugum meum bonum, & onus meum leue*, 1.Ioan.5. quanto magis pedagogi, quod circa sensilia vertitur, mandatum? Matt. 11.

Isychius Hierosolymitanus. 580.

Libro 7. in Leuit. cap. 26. Nos si mandatis Dei intendimus, dicentes sicut Dauid: *Viam iustificationum tuarum insinua mihi*. Psal. 118. Et rursus: *Deduc me in semita mandatorum tuorum*: & custodierimus mandata eius, nihil eorum corrumpentes, neque secundùm nostram intentionem, sed secundùm eius, & quæ eius sunt, agentes: hoc enim est propriè eius custodire mandata: intelligibiliter expectemus vnumquodque eorum, quæ prædicta sunt. Quia autem à Iudæis inueniemus omnimodo hæc secundùm literam impleta: multi enim Dei Prophetæ, custodientes eius mandata, & in præceptis eius ambulantes, in multa fuerunt afflictione constituti, nec panem suum cum satietate, sed cum egestate comederunt, quemadmodum Ezechiel, cui ab ipso hoc Deo præceptum est. Sed & Paulus eos, qui in lege, & Prophetis iustificati sunt, exponens, dicebat: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, humiliati & afflicti, quibus dignus non erat mundus*. Heb. 11. Illud autem magis intendere in his, quæ dicta sunt, oportet: quia custodientibus Dei mandata triginta benedictiones in præsenti lex posuit.

Anastasius Nicenus. 850.

Quæst. 5. Cùm dicat Dominus: *Iugum meum est suaue, & onus meum leue*: Matt. 11. est perspicuum, quòd qui est & senex, & impotens, potest eius legem seruare. Scriptum est enim: *Rectæ viæ Domini, & iusti ambulabunt in eis: impij autem erunt in eis imbecilli*. Osee 14. Et: *Omnia sunt in conspectu eorum, qui intelligunt, & recta ijs qui inueniunt cognitionem*. Psal. 32. Et: *Rectum est verbum Domini, & omnia opera eius in fide*. Neque enim nobis solam constituit charitatem, neque rursus vt recedamus ab omnibus quæ sunt in mundo, sed constituit vt Deum diligamus & proximum: vt simus humiles, non mentiamur, & simus misericordes, vt oremus, toleremus afflictiones, simus mites & pacifici, vt iniuriæ acceptæ non simus memores, nec despiciamus, &c. Vides quòd nihil sit constitutum quod sit graue, & quod à nobis non possit fieri. Meritò ergo dicebat Dominus: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*. Matt. 11.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 11. Matthæi: Dicuntur omnia mandata Christi iugum leue: quoniam propter futuram retributionem leuia, tametsi ad breue tempus grauia videantur.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Cyprianus. 250.

De Baptismo Christi: In quibusdam per legem tuam promissa præmia nos inuitant: in multis pœnæ propositæ, & supplicia, vel damna territos animos à scelerum retrahunt appetitu: neq; lex tua scripta à lege naturali in aliquo dissonat, sed reprobatio mali, & electio boni sic animæ rationali infixa sunt diuinitus, vt de hoc nemo rectè causetur: quia nulli ad harum rerum perfectionem deest scientia, siue potentia: quia & quod agendum est, scimus, & quod scimus facere possumus. Quòd si impossibilia essent præcepta tua, vel tantis difficultatibus onerata, vel voluntas tua sic abdita, vt non posset intelligi, quid à no-

bis tua expeteret altitudo, licet inuitus nemo peccet, posset tamen ex multis excusare delictum, nisi nobis & moderatio mandati, & veritatis cognitio, & agendorum distinctio auctoritate cognoscibili prouidissent: & simul se complecterentur possibilitas & facilitas, scientia & potestas. Præcipis mihi Domine Deus, vt diligam te: hoc & possum, & debeo: & totum me, & interius tibi esse iubes obnoxium, & de proximo iubes, vt ad meam eum mensuram complectar. Gratias ago tibi clementissime Deus, quia quod quæris à me, prius ipse donasti: & quo modo tu me dilexeris, si linguis hominum & Angelorum loquar, nec dignè possum eloqui, nec vniuersa complecti, quæ mihi gratiæ tuæ contulit amplitudo. Iustum est Domine vt diligamus te, quia & ipse nos diligis, & iniquum omnino est, vt te in aliquo dilecti tui offendant, &c. Hoc natura, hoc ratio, hoc Domine verbi tui clamat auctoritas, &c. Non pertinet Domine ad te, nec de tuis est, qui te non diligit: nec diligit te, qui scienter offendit.

Hilarius. 350.

Ad Psal. 118. Lit. Lamed: *Latum mandatum tuum vehementer.*) Latum igitur mandatum Dei est, & in omnia spei nostræ genera diffunditur, vt non difficile sit, si voluntas adsit, præcepto Dei obtemperare: cùm latum & diffusum sit ad placendum officiosæ religionis varietate. Neque solùm latum, sed vehementer latum: latitudinis infinitate hac ipsa superlatiui adiectione monstrata.

Hieronymus. 390.

Ad caput quintum Matthæi: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos, &c.* Multi præcepta Dei imbecillitate sua, non sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia quæ præcepta sunt, & dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicos: cæterùm diligere plus præcipi, quàm humana natura patiatur. Sciendum est ergo Christum non impossibilia præcipere, sed perfecta, quæ fecit Dauid in Saul, & in Absalon: Stephanus quoque Martyr pro inimicis lapidantibus
Acto. 7. deprecatus est: & Paulus anathema cupit esse pro persecutoribus suis.
Rom. 9. Libro 3. aduersus Pelagianos cap. 1. *Crito*: Frustra ergo dantur præcepta, si ea implere non possumus. *Atticus*: Deus possibilia mandauit, hoc nulli dubium est: sed, quia homines possibilia non faciunt, idcirco omnis mundus subditus est Deo, & indiget misericordia eius.

Augustinus. 400.

Lib. de natura & gratia cap. 43. Non igitur Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis.

Cap. 69. Valdè bona sunt præcepta, si legitimè his vtamur. Eo quippè ipso, quo firmissimè creditur, Deum iustum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe fiunt facilia charitati, cui vni Christi sarcina leuis est, aut ea vna est sarcina ipsa
Matt. 11. quæ leuis est: secundum hoc dictum est: *Et præcepta eius grauia non sunt:* vt cui grauia sunt, consideret
1. Ioan. 5. non potuisse diuinitus dici, *grauia non sunt*, nisi quia potest esse cordis affectus, cui grauia non sunt, & petat quo destruitur, vt impleat quod iubetur. Et quod dicitur ad Israel in Deuteronomio, si piè, si sanctè, si spiritualiter intelligatur, hoc idem significat: quia vtique cùm hoc testimonium commemorasset Apostolus: *Prope est verbum in ore tuo,*
Deut. 30. *& in corde tuo:* quod hic habet, in manibus tuis: in
Rom. 10. corde enim sunt spirituales manus. *Hoc est*, inquit, *verbum fidei quod prædicamus.* Conuersus ergo quisque sicut ibi præcipitur, ad Dominum Deum suum
Ioan. 13. ex toto corde suo, & ex tota anima sua, mandatum Dei non habebit graue. Quomodo est enim graue, cùm sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, & ideo graue est; aut diligit, & graue esse non potest.

Sermone 61. de Tempore: Sed dicet aliquis: Nulla ratione possum inimicos meos diligere. In omnibus Scripturis Deus tibi dicit, quia potes. Tu è contrariò respondes, non posse. Considera nunc, vtrum tibi, an Deo debeat credi. Et ideo quia veritas mentiri non potest, iam vanas excusationes suas relinquat humana fragilitas: quia nec impossibile aliquid potuit imperare, qui iustus est: nec damnaturus est hominem pro eo, quod non potuit vitare, quia pius est.

Sermone 191. de Tempore: Est autem patrum nostrorum fides hæc: *Credimus in Deum Patrem omnipotentem, &c.* Execramur etiam blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in communi posse seruari.

Sixtus Tertius. 433.

De malis Doctoribus & operibus fidei: Conueniat sanè Deo aliquid impossibile præcepisse, si vel homini conuenit, aut si etiam humana conditio iniquum putat contra possibilitatem cuiquam aliquid imperare, quæ peruersitas est, hoc sentiri de Deo, quod nec mortalium quidem natura suscipiat? Estne aliquis tam improuidus, tam iniustus, tam totius æquitatis ignarus, qui aut famulo, aut cuiquam subdito id imperare audeat, quod eum implere non posse cognoscat? Verbi gratia, præcipietne seruo suo quis, vt aut quatriduum iter vnius diei labore conficiat, aut spatiosi maris fluctus natando potius, quàm nauigando transmittat, aut vt montes lubrico apice inuios, inaccessibilesque conscendat, & quæcunque alia, quæ sunt naturę contraria, faciat. Quod si iubere præsumpserit, quis non hunc non modò, iniquum, verùm etiam & insanum putet, quem illa imperare homini videat, quæ sua nullo modo queat natura supplere? Et si de huiusmodi homine tale potest haberi iudicium, quid de Deo sentiant, qui eum aliquid naturæ contrarium præcepisse existimant, prudentiæ tuæ iudicio derelinquo.

Concilium 2. Arausicanum. 444.

Cap. 25. Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per Baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.

Leo Primus. 450.

Sermone quinto in solennitate Epiphaniæ cap. tertio: Hic labor (dilectissimi) piis filijs, & bonis seruis, non solùm nec asper, nec onerosus, sed etiam suauis & leuis est, dicente Domino: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite* Matt. 11.
iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Nihil ergo arduum est humilibus, nihil asperum mitibus, & facilè omnia præcepta veniunt in affectum, quando & gratia prætendit auxilium, & obedientia mollit imperium.

Sermone quinto de Quadragesima, capite primo: Gratiæ Dei se obedientia humana non subtrahat, nec ab illo bono, sine quo non potest esse bona, deficiat. At si quid sibi impossibile aut arduum in mandatorum effectibus experitur, non in se remaneat, sed ad iubentem recurrat: qui ideo dat præceptum, vt excitet desiderium, & præstet auxilium, dicente Propheta: *Iacta in Deum cogitatum tuum, &* Psal. 54.
ipse te enutriet.

Fulgentius. 500.

De fide ad Petrum cap.32. Firmiſsimè tene, & nullatenus dubites, poſſe quidem hominem verba ſanctæ legis & Euangelij audire: ſed diuinis mandatis neminem obedire poſſe, niſi quem Deus gratia ſua præuenerit, vt quod audit corpore, corde etiam percipiat, & accepta diuinitus bona voluntate & virtute, mandata Dei facere & velit, & poſsit.

Primaſius. 540.

Ad caput 8. epiſtola ad Romanos: In illis viua & repugnante carne iuſtificatio legis impleri non potuit: in nobis impletur, qui Chriſti adiutorio carnem mortificamus cum vitiis. Præcepta legis implentur per charitatem, quæ per timorem non poterant impleri.

Gregorius Magnus. 590.

Homilia 17. in Ezechielem: De charitate ſcriptum eſt: *Latum mandatum tuum nimis.* De hac iterum
Pſal.118. Pſalmiſta ait: *Statuiſti in loco ſpacioſo pedes meos.* Sed
Pſal. 30. ecce, dum loquor, animo occurrit, quomodo lata eſt charitas. Si per charitatem pertingitur ad
Matt. 7. Deum, & per ſeipſam veritas dicit: *Intrate per angu-*
Pſal. 16. *ſtam portam.* Et rurſum Pſalmiſtam audio dicentem: *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras:* atque in Euangelio Dominus dicit: *Iugum*
Matt.11. *enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Quo modo ergo aut lata charitas, ſi anguſta porta: aut quo modo iugum ſuaue eſt, & onus leue, ſi in præceptis Dei viæ duræ ſunt, quæ cuſtodiuntur? Sed hanc nobis quæſtionem citius ipſa veritas ſoluit, quia via Dei & inchoantibus anguſta eſt, & perfecta iam viuentibus lata. Et dura ſunt, quæ contra conſuetudinem ſpiritualiter animo proponimus, & tamen onus Dei leue eſt, poſtquam hoc ferre cœperimus: ita vt pro amore eius etiam perſecutio placeat, & omnis pro ea afflictio in mentis dulcedine veniat, ſicut ſancti quoque Apoſtoli gaudebant, cùm pro Domino flagella tolerabant. Ipſa ergo anguſta
Actor.5. porta amantibus lata fit, ipſæ viæ duræ ſpecialiter currentibus molles ac planæ fiunt, dum ſcit animus, ſe pro temporibus doloribus gaudia æterna recipere, & hoc incipit quod affligitur amare.

Beda. 700.

Ad caput 5. prioris Ioannis: *Et mandata eius gra-*
Matt. 11. *uia non ſunt.)* Et ipſe Dominus dicit: *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Neque his vel Domini, vel beati Ioannis verbis debet videri aduerſum quod & ipſe Dominus alibi dicit: quia *anguſta porta*
Matt.7. *& arcta via eſt, quæ ducit ad vitam.* Et Propheta ad
Pſal.16. eum: *Propter verba,* inquit, *labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.* Et Apoſtolus: *Quia per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei.* Quæ enim natura ſua dura ſunt & aſpera, ſpes cæleſtium præmiorum, & amor Chriſti facit eſſe leuia. Ideo mandata diuina non ſunt grauia, quia omnes, quæ vera deuotione his mancipantur, & aduerſa mundi huius & blandimenta pari mente contemnunt, ipſam quoque mortem velut ingreſſum patriæ cæleſtis amantes.

Ad caput 1. Ioannis: Lex quidem per Moyſen data eſt, in qua quid agendum, quid vitandum ſit, cæleſti iure decernitur: ſed quod illa præcepit, non niſi gratia Chriſti completur.

Bernardus. 1130.

Epiſtola 341. Pudeat negligentius nunc in vitam, quàm prius in mortem ire, & minori ſtudio ſalutis acquirere, quàm perditionis augmentum. Nam vt omninò ſimus inexcuſabiles, in via vitæ quò citius, eò facilius curritur: & leue Saluatoris onus, quò creſcit amplius, eò portabilius eſt. Nonne & auiculas leuat, non onerat pennarum ſuarum plumarum numeroſitas ipſa? Tolle eas, & reliquum corpus pondere ſuo fertur ad ima. Sic diſciplinam Chriſti, ſic ſuaue iugum, ſic onus leue, quò deponimus, eò deprimimur ipſi, quia portat potius, quàm portatur.

Antonius Paduanus. 1230.

Ad Euangelium Dominica 2. Aduentus: Aut Dominus diſcipulis Ioannis poſsibile præcepit, aut impoſsibile, cùm ait: *Ite, renuntiate Ioanni.* &c Sed Dominus nunquam præcipit impoſsibile. Sed ſi Ioannes antequam diſcipuli redirent mortuus fuit in carcere, Dominus impoſsibile præcepit: *Ite, renuntiate.* Cui renuntiarent? mortuo? non vtique. Conſtat ergo, quòd diſcipuli Ioannem viuum inuenerunt, cui audita & viſa renuntiarent. Dominus enim ſemper poſsibile præcipit.

Hugo Pratenſis. 1310.

Dominica 18. de Euangelio Sermone 39. Quadruplex eſt cauſa, quare ſic ſpecialiter dedit mandatum de amore. Prima eſt, propter facilitatem: quia nihil eſt tam facile ſicut amare, & ita nihil liberum, & in poteſtate hominis ſicut amor. Vnde nemo poteſt ſe excuſare à mandato amoris. Deuteron. 30. *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum, vt diligas Dominum Deum tuum.* Secunda eſt, propter ſuauitatem: quia amor omnia ſuauia reddit. Bernardus: Amanti nihil eſt difficile. Matthæi 11. *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue,* ſcilicet amanti. Figura huius patet Geneſis 29. Si enim amor mundi tantum alleuiat, vt omnia grauia homo ſuſtineat, quanto magis amor Dei?

&c.

(*,*)

ARTI-

ARTICVLVS TERTIVS.

FIDE SEMEL IVSTIFICATIS, AD MAIOREM DEI GRATIAM, IVSTITIAM, ET VITAM ÆTERNAM CONSEQVENDAM, SOLAM DEINCEPS FIDEM NON SVFFICERE, SED ETIAM BONA OPERA NECESSARIA ET MERItoria esse.

NEGANT.

Anno post natum Christũ

50. *PSEVDOAPOSTOLORVM quidam asserebant, ad salutem obtinendam solam fidem sufficere: quia Paulus dixerat, iustificari hominem fide, sine operibus legis.* Augustinus de fide & operibus cap.14.

60. *Simon Magus dicebat, liberum hominibus esse, vt agerent quæcunque vellent, non extimescendas esse legis minas, & rationem attexebat, secundùm ipsius gratiam saluare homines, non secundùm operas iustas: addebat iniustam esse seruitutem, quòd homines debeant bonis & honestis operibus vacare.* Irenæus lib.1. cap.20. Theodoretus de hæreticorum fabulis, Nicetas lib.4. Thesauri cap.1.

140. *Valentiniani continentiam & bona opera haudquaquam sibi, vt spiritualibus; sed nobis, vt psychicis, salutem necessaria docebant.* Irenæus lib.1.cap.1.

350. *Eunomius vsque adeò bonis operibus fuit inimicus, vt assereraret, quod nihil cuiquam obesset quorumlibet perpetratio peccatorum, si huius, qui ab illo docebatur, fidei particeps esset.* Hieronymus ad caput 4. Oseæ, Augustinus hæresi 54.

415. *Prædestinati dicebant, quòd nec piè viuentibus prosit bonorum operum labor, si à Deo ad mortem prædestinati fuerint: nec impijs absit, quòd improbè viuant, sed à Deo prædestinati fuerint ad vitam.* Sigebertus in Chronicis de anno 415. Bernardus Lutzemb. de hæresibus.

630. Mahometus dicit: *Ne committatis rapinas, & cædes, vel periuria: quia Deus hæc molestè fert. Quòd si tamen feceritis, Deus benignus est & misericors, illaq; condonaturus est.* Ioannes Cantacuzenus oratione 2. in Mahometum.

1000. *Lisious & Heribertus omne Christianorum opus, pietatis duntaxat & iustitia, quod existimatur pretium remunerationis æternæ, laborem superfluum esse iudicabant.* Glaber. Rodolphus lib.2. cap.12

1300. *Begardi dicunt, quòd exercere se in actibus virtutum, est hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat à se virtutes.* Clemens Quintus Extra. de hæreticis cap.3. Aluarus Pelagius de planctu Ecclesiæ libro 2. cap.52.

1510. Martinus Lutherus de captiuitate Babilonica cap. de Baptismo: *Vides quàm diues sit homo Christianus, siue baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem, quantiscunque peccatis, nisi nolit credere. Nulla peccata eum damnare possunt, nisi sola incredulilas. Nulla alia via potest homo cum Deo conuenire, aut agere, quàm per fidem; opera ille nihil curat, nec indiget.*

In argumento epistolæ ad Galatas editionis primæ: *Summa ars & sapientia Christiana est, nescire legem, ignorare opera, & totam iustitiam actiuam.*

Ad cap.2. ad Galat. *Sola fides Christi necessaria est, vt iusti simus: cætera omnia liberrima, neque præcepta amplius, neque prohibita, &c. Quando sic docetur. Fides iustificat quidem, sed simul seruare oportet mandata Dei, quia scriptum est:* Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, *ibi statim Christus negatus est, & fides abolita: quia mandatis Dei siue legi tribuitur, quod est solius Dei.*

De libertate Christiana: *Sola fides & verbum in anima regnant, vt clarum sit, homini Christiano suam fidem sufficere pro omnibus: nec operibus ei opus fore, vt iustificetur. Quòd si operibus non habet opus, nec lege opus habet: si lege non habet opus, certè liber est à lege, verumq; est:* iusto non est lex posita. *Atque hæc est Christiana libertas fides nostra.*

Contra Ambrosium Catharinum: *Nullum est peccatum, nisi incredulitas: nulla iustitia nisi fides.*

De votis monasticis: *Opus non potest doceri, nisi lædas fidem: cùm fides & opera in re iustificationis extremè aduersentur. Ita fit, vt doctrina operum necessariò sit doctrina dæmoniorum.*

Ad Euangelium Dominicæ 8. post Trinitatis: *Nullum opus tam malum est, quod hominem damnare queat; neque vllum tam bonum est, quod saluare possit. Cæterùm sola fides saluat: sola incredulitas damnat.*

Sermone de eo: Sic Deus dilexit mundum, &c. Ego tibi dico, quia angusta est via, oportet te fieri tenuem si vis per eam transire. Cæterum qui operibus ornati sunt, sicut conchilibus videmus onustos Iacobi peregrinos, ij non poterunt penetrare.

Sermone de piscatura Petri: Erga Deum non operibus, sed nuda fide indigemus. Debemus enim cum solo Isaac venire hoc est, cum fide: seruos & asinos, hoc est, opera, deorsum demittere oportet. Quanto sceleratior es, tanto citius Deus suam gratiam infundit. Si adornes te vt cattus bonis operibus, vt te Deus acceptet, nihil efficies.

Sermone de nouo Testamento, siue de Missa: Caueamus à peccatis, sed maximè ab operibus bonis & legibus, solamq; promissionem Dei attendamus, & fidem. Ipsa enim breuis est perfectio: nec aliqua lex requiritur, nec opus: imò & legem proscindit & opus.

In Assertionibus artic. 31. Iustus in omni opere bono peccat.

Articulo 32. Opus bonum optimè factum, est veniale peccatum.

1521. Philippus Melanchthon in Locis Communibus, editione prima: Omnia hominum quantumuis laudabilia opera, planè, vitiosa sunt, & morte digna peccata.

Editione secunda, pagina 76. Necesse est, vt fateamur, Decalogum quoque abrogatum esse. Sophistæ nostri iudicialia & ceremonias abrogatas esse dicunt: legem de moribus nouo Christo auctam. Adeò ex Christo bis Mosen faciunt.

Ad caput 6. epistolæ ad Romanos editione prima: Ceremonialia & iudicialia sunt antiquata: est & lex morum antiquata.

1530. VVolfgangus Fabritius Capito damnat bona opera, dicens ea à sacrilegis excogitata ad Dei misericordiam inualida & otiosa esse. Prateolus de hæresibus.

1540. Antinomi dicunt: Lex non est digna, vt vocetur verbum Dei. Si meretrix es, si scortator, si adulter, vel quicunque alius peccator, tantùm crede, & es in via salutis, cùm in medio peccati penitus hæres. Decalogus ad curiam pertinet, non ad suggestum. Quibuscunque cum Mose res est, rectà via tendunt ad diabolum: imò ad malam rem cum Mose. Dictum Petri: Certam facite vocationem vestram per bona opera, est inutile. Quandocunque tibi talis incidit cogitatio, hoc, vel illo modo in Ecclesia rem geri debere, vt sint, homines boni, honesti, sancti, & casti, iam aberrasti ab Euangelio. Confessio Mansfeldensium in secta Antinomorum.

1540. Sebastianus Francus Paradoxo 243. Opera quantumuis bona, non iustificant, vt pessima quæque non damnant, sed testantur modò de homine.

Paradox. 244. Opera non sunt peccata, neque iustitia.

1552. Nicolaus Ambsdorffius edidit librum contra Georgium Maiorem, quæ inscripsit: Quòd bona opera sint perniciosa ad salutem: in quo inter cætera B. 1. facie 2. Qui docet, quod bona opera ad salutem sunt necessaria, hic iam anathematizatus est. Quamobrem dico ego Nicolaus Ambsdorffius, quicunq; hæc verba vt sonant (bona opera necessaria sunt ad salutem) docet & prædicat, hic est Pelaganus, Apostata, & duplex Papista. Nam Papistæ VVicelius, Cochlæus, &c. huiusmodi verbis eodem modo quo Maior aduersum vos vsi sunt, &c. Paulus apertè scribit, quòd iustitia sua ex lege, hoc est, sua bona omnia noxia & condemnatoria sibi fuerint. Ad eundem modum Prophetæ dicunt, quòd Iudæorum bona opera, & sacrificia ipsorum, & thymiamata, peccata sint & idololatria, hoc est, ad salutem summè noxia. Vtrumque hunc, Prophetam scilicet & Paulum, secutus Lutherus, plus quàm in vno loco expressè scribit, quòd bona opera sint perniciosa ad salutem, vt ad Galat. Tom. 3. fol. 21. Omnia opera etiam legis sunt peccata, & tantùm peiorem hominem reddunt. Tom. 7. Mea iustitia nihil mihi prodesse, sed tantùm obesse potest, &c. Si quis scire volet, quid, quomodo, & quo pacto Lutherus de bonis operibus loquatur, legat ipsius Postillam super epistolam 23. Dominicæ, vbi inter cætera sic scribit: Quamobrem legis iustitia coram Deo nihil mihi profuit, sed magis obfuit. Et mox: Obserua hic, an nimium imperitè & contemptim dictum sit de iustitia legis, quòd Paulus æstimat, illa non solùm impedimento & inutilia esse, sed etiam noxia & abominabilia. Quis os aperire in tantum auderet, & tam inculpata vita iuxta legem ita loqui, qui nollet ab omnibus Diaboli Apostolus, & minister vocari, si Paulus ipse non faceret? Aut quis deinceps huiusmodi iustitiam sectabitur, si quis de illa tali modo concionabitur? Deinde sic loquitur Lutherus in Ecclesiastica Postilla ad Euangelium in die Natiuitatis: Vniuersa Scriptura reijcit opera, vt inutilia & noxia ad iustificationem.

1568. Altemburgi de articulo Iustificationis inter Electoris & Ducis Saxoniæ Theologos anno 1568. à 20. Nouemb. vsque ad 9. Martij Anni 1569. colloquium est habitum. Theologi Ducis Saxoniæ fuerunt Ioannes VVigandus, Ioannes Fridericus Cælestinus, Christophorus Irenæus, &c. Theologi Electorales fuerunt Paulus Eberus, Henricus Salmuth, Andreas Freiches, Caspar Cruciger Iunior, &c. Illi asserunt: bona opera ad salutem esse necessaria. Hi dicunt: Christiani Concionatores prædicare debent verum Euangelium, & non legem. Opera bona legis, & noua obedientia, non ad regnum Christi, sed ad mundum pertinent. Lex non docet bona opera, nec idcirco prædicanda est, vt bona opera peragantur. Nihil ad nos Christianos præcepta Decalogi pertinent. Qui credit Christianus, super omnem est obedientiam, & supra omnem legem. Ad Satanam spectant Christiani cum operibus bonis, sola fides sine operibus bonis efficit omnia; non solùm quod ad meritum, sed etiam quod ad præsentiam bonorum operum attinet. Precari Deum oportet, vt in fide sine bonis operibus omnibus ad finem vsque constantes perseueremus. Ab Apostolo Paulo non solùm bonorum operum meritum, sed etiam bona opera nostra excluduntur. Paulus in semetipso adeò separat opera, & iustitias à salute, vt ea pro retrimentis, atque adeò damnis salutis deputet. Falsa est propositio Opera sunt necessaria: adeò necessaria illa non sunt, vt etiam ad salutem incommodent, sintq; perniciosa. Colloquium hoc impressum est Ienæ 1570. in 4.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

*Psalm.*14.*Vers.*1. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula,& operatur iustitiam.

*Psalm.*18.12. Etenim seruus tuus custodit ea,in custodiendis illis retributio multa.

*Psalm.*61.13. Tu reddes vnicuique iuxta opera sua.

Ecclesiastici 16. 15. Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundùm meritum operum suorum,& secundùm intellectum peregrinationis ipsius.

Ecclesiastici 18.22. Non impediaris orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari:quoniam merces Dei manet in æternum.

Isaiæ 40.10. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet,& brachium eius dominabitur:ecce, merces eius cum eo.

*Matth.*5 12. Gaudete & exultate,quoniam merces vestra copiosa est in cælis. 17. Sic luceat lux vestra coram hominibus,vt videant opera vestra bona. 21. Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum,non intrabitis in regnum cælorum.

*Matth.*7.21. Non omnis,qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.

*Matth.*16.27. Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet vnicuique secundùm opera eius.

*Matth.*19.17. Si vis ad vitam ingredi,serua mādata. 29. Omnis,qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios,aut agros propter nomen meum:centuplum accipiet,& vitam æternam possidebit.

*Matth.*20.8. Voca operarios,& redde illis mercedem.

*Matth.*25.34. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare:sitiui, & dedistis mihi bibere, *&c.*

Luca 10.28. Hoc fac,& viues.

Ioannis 5.29. Procedent,qui bona fecerunt,in resurrectionem vitæ:qui verò mala egerunt,in resurrectionem iudicij.

Ioannis 13.17. Si hæc scitis,beati eritis si feceritis ea.

Ioannis 15.14. Vos amici mei estis,si feceritis quæ ego præcipio vobis.

*Roman.*2. 6. Reddet vnicuique secundùm opera eius. ijs quidem, qui secundùm patientiam boni operis,gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam, *&c.* 13. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum:sed factores legis iustificabuntur.

Roman. 6. 20. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati, ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ, in sanctificationem.

Rom. 8. 17. Cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur.

1.*Corinth.*13.2. Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam,charitatem non habuero:nihil sum. 13. Nunc autem manent fides,spes,charitas tria hæc: maior autem horum est charitas.

2.*Corinth.*4.17. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ,supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

2.*Corinth.*7.10. Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur:seculi autem tristitia mortem operatur.

*Galat.*5.6. In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet,neque præputium: sed fides,quæ per charitatem operatur.

*Galat.*6.8. Qui autem seminat in spiritu,de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes,non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus,operemur bonum ad omnes,maximè autem ad domesticos fidei.

*Ephes.*2. 10. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus,vt in illis ambulemus.

*Philip.*2.2. Cum metu & tremore vestram salutem operamini.

*Colos.*3.23. Quodcunque facitis, ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus:scientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.

d by Google

1. *Timoth.* 2. 15. Saluabitur autem mulier per filiorum generationem, si permanserit in fide & dilectione & sanctificatione cum sobrietate.

1. *Timoth.* 4. 8. Pietas autem ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.

2. *Timoth.* 4. 7. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ: quam reddet mihi Dominus in die illa iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius

Hebr. 6. 10. Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomie ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis.

Iacobi 1. 12. Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

Iacobi 2. 14. Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere: opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum? 17. Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. 24. Ex operibus iustificat homo: & non ex fide tantùm. 26. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est: ita & fides sine operibus mortua est.

2. *Petri* 1. 10. Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.

Apocal. 2. 10. Esto fidelis vsque ad mortem: & dabo tibi coronam vitæ.

Apocal. 7. 14. Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni: ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte, &c. 16. Non esurient, neque sitient amplius.

Apocal. 22. 11. Qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc. Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 90.

Constit. Apost. libro 3. *cap.* 12. Nomen viduitatis non introducet eas in regnum cælorum, sed potius vera fides, & opera sancta.

Epistola 1. Audiri à Deo ita demum merebitur, si orationes ipsæ bonis moribus, & bonis operibus adiuuentur.

Epistola 4. Cùm regeneratus fuerit per aquam, bonis operibus repletus hæres efficitur eius, à quo in incorruptione regeneratus est.

Libro 1. *Recognitionum.* Tendamus ad amicitiam Conditoris: amicitia autem efficitur bene viuendo, & voluntati eius obediendo: quæ voluntas omnium obedientium lex est.

Ignatius. 100.

Epistola ad Mariam Cassobolitem: Hortor, vt labori huic tuo incrementa adijcias. Præsens namque labor modicus, multa autem, quæ hinc expectatur, merces.

Epist. ad Ephesios: Non itaque vos lædet aliqua diabolica cogitatio, si, vt Paulus, perfectam habueritis in Christum & fidem, & charitatem, quæ initium vitæ & finis est. Principium vitæ fides, finis eiusdem charitas. Hæc autem duo quoties in vnum coeunt, Dei hominem perficiunt.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiastica Hierarchia cap. 7. *part.* 3. Ostendit per id profectò omnes in resurrectione illas consecuturos sortes, ad quas hîc vitam propriam direxerunt: puta, si ad diuinam hic imaginem quispiam sanctissimè vixerit, quâtum viro possibile est Deum imitari, diuina in seculo futuro, & beatissima donabitur requie: sin autem ad summam illam non peruenit effigiem, sanctè tamen se in vita habuit, paria & ista meritis præmia referet.

Hermas. 130.

Lib. 3. *similitudine* 5. Si præter ea, quæ mandauit Dominus, aliquid boni adieceris, maiorem dignitatem tibi conquires, & honoratior apud Deum eris.

Polycarpus. 140.

Epistola ad Philippenses: Paulus scripsit vobis epistolas, ad quas deflectimini, vt possitis ædificari in fide, quæ data est vobis, quæ est mater omnium nostrum, subsequente spe, præcedente dilectione, quæ est in Deo, & in Christo, & in proximo.

Iustinus Martyr. 150.

Oratione ad Antoninum Pium: Sempiternam & puram vitam concupiscentes, ad consuetudinem cum Deo parente & opifice vniuersorum viuendi aspiramus, & ad confessionem Christianam festinamus: persuasum habentes atque credentes, consequi hanc eos posse, qui factis ipsis Deo probant se illum consectari, & vitæ eius consuetudinem adamare, in qua nullam aduersariam perstrire est prauitatem, &c. Qui si dignos se operibus ipsis illius consilio & voluntati præstiterint, conuersatione sua dignatum iri scimus, cum illo simul regnaturos, & corruptionis, perpessionisque expertes futuros, &c. Nos immortales duntaxat eos fieri scimus, qui sanctè per virtutem, ad imitationem Dei viuunt: torqueri autem igne æterno eos, qui iniustè absque resipiscentia ætatem transigunt, credimus.

Irenæus. 180.

Lib. 1. *cap.* 1. Valentiniani quidem nobis necessariam esse bonam conuersationem respondent: aliter enim impossibile esse saluari. Semetipsos autem non per operationem, sed eò quòd sint naturaliter spiritales, omninò saluari dicunt. Quemadmodum enim choicum impossibile est salutem percipere: non enim esse illum capacem salutis dicunt: sic iterum quod spiritale (quod semetipsos esse volunt) impossibile esse, corruptelam percipere, licet in quibuscunque fuerint factis. Quemadmodum enim aurum in cœno depositum non amittit decorem suum sed suam naturam custodit, cùm cœnum nihil

nocere auro possit: sic & semetipsos dicunt, licet in quibuscunque materialibus operibus sint, nihil semetipsos noceri, neque amittere spiritualem substantiam. Quapropter & intimoratè omnia, quæ vetantur, hi, qui ipsorum sunt perfecti, operantur: de quibus Scripturæ confirmant: *quoniam qui faciunt ea, regnum Dei non hæreditabunt.* Gal. 5.

Lib. 1. cap. 20. Simon dixit Prophetas à mundi fabricatoribus Angelis inspiratos dixisse prophetias: qua propter nec vlterius curarent eos, hi qui in eum & in Selenen eius spem habeant, & vt liberos agere quæ velint: secundùm enim ipsius gratiam saluari homines, sed non secundùm operas iustas.

Theophilus Antiochenus. 170.

Lib. 3. ad Autolycum: Legem & præcepta sancta nobis communicauit Deus. Quæ si homo seruarit, salutem consequi, & resurgens hæreditatem incorruptibilem nancisci poterit.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 2. Stromaton: Præcedit fides, timor ædificat, perficit autem dilectio.

Libro 3. Hæc dicit Dominus de Eunuchis: *Si custodieritis Sabbata mea, & feceritis quæcunq; præcipio vobis, dabo vobis locum meliorem à filijs & filiabus.* Non sola enim iustificat castitas, sed nec Sabbatum Eunuchi, nisi fecerit mandata.

Libro 4. Deus omnibus omnia distribuit pro meritis, cùm iusta sit dispensatio & œconomia. Facultatibus ergo, inquit, contemptis, quas Deus distribuit, propter tuam magnificentiam sequere ea, quæ à me dicitur, contende ad ascendum spiritus, non solùm iustificatus per abstinentiam à malis, sed etiam Dominica consummatus beneficentia.

Libro 5. Gratia seruamur, sed non absque operibus bonis.

Libro 6. Quando audierimus, *fides tua te saluam fecit*, non accipimus eum dicere absolutè, eos saluos futuros, qui quomodocunque crediderint, nisi facta quoque fuerint consecuta. Proportione habita, sunt variæ mansiones pro dignitate & meritis eorum, qui crediderunt.

Libro 7. Quomodo medicus præbet sanitatem ijs, qui ei opem ferunt ad sanitatem: ita Deus æternam salutem ijs, qui illi opem ferunt, cooperantur cum eo ad cognitionem, & ad bonas actiones.

In Parænetico: Ne pigeat vos laborasse, licet vobis, si velitis, pretiosissimam salutem emere proprio thesauro, charitate & fide vitæ. Quod quidem iustum est pretium, quod libenter Deus accipit.

Hippolytus. 220.

Oratione de consummatione mundi: Humanus enim sum, inquit Dominus, & iustus quoque iudex. Nam omnes pro dignitate remunerabor, omnibus pro cuiusque labore mercedem præstabo, omnibus pro suo certamine præmia rependam.

Origenes. 240.

Homilia 1. in Ezechielem: Quare ægrè fers, niti, laborare, contendere, & per bona opera teipsum causam salutis tuæ fieri?

In Cantica Homilia 3. Dupliciter constat salus credentium, per agnitionem fidei, & operum perfectionem. Ratio fidei primus habeatur salutis gradus: secundo verò loco operum perfectio memoretur.

Tractatu 32. in Matth. Qui profitentur quidem fidem in Iesu: non autem præparant se bonis operibus ad salutem, assimulantur virginibus fatuis.

Ad cap. 2. ad Romanos: Nunc inquirámus de iusto Dei iudicio, in quo reddet vnicuique secundùm opera sua. Et primò quidem excludantur hæretici, qui dicunt animarum naturas bonas vel malas, & audiant, quia non pro natura cuique Deus, sed pro operibus suis reddit. Secundo in loco ædificentur fideles, ne putent sibi hoc solum sufficere posse quod credunt, sed sciant iustum iudicium Dei reddere vnicuique secundùm opera sua, &c. Non expedit incircumcisum esse in fide & operibus, vt sit circumcisus corde, qui fidem habet: & circumcisus carne, qui opera non habet. Alterum namque sine altero reprobatur: quia & fides sine operibus mortua dicitur, & ex operibus sine fide nemo apud Deum iustificatur. Sic ergo, vt ego arbitror, dictum propheticum conuenienter aptabitur fidelium populo, quibus dicitur: *Omnis alienigena, qui est in vobis in medio domus Israel, circumcisus corde, & incircumcisus carne, non introibit in Sancta mea.* Ezec. 44. Hoc est mirum quod & Dominus in Euangelio dicit: *Qui credit in me, mandata mea custodit.* Ioan. 14 Et iterum: *Qui audit verba mea, & facit ea.* Matt. 7. Et iterum: *Quid dicitis mihi Domine, Domine?* &c. Vides ergo vbique fidem cum operibus iungi, & opera sociari cum fide. Cordis ista circumcisio nihil sordidum, nihil indignum sentire de fide: carnis circumcisio est, nihil immundum, nihil contaminatum in opere gestisq; committere. Qui enim in altero horum incircumcisus fuerit & immundus, Dei vocibus ingredi prohibetur in Sancta.

Ad cap. 3. ad Romanos: Sed fortassis hæc aliquis audiens resoluatur, & bene agendi negligentiam capiat: siquidem ad iustificandum sola fides sufficiat. Ad quem dicemus: quia post iustificationem si iniustè quis agat, sine dubio iustificationis gratiam spreuit. Neque ob hoc quis accipit veniam peccatorum, vt rursum sibi putet peccandi licentiam datam. Indulgentia namque non futurorum, sed præteritorum criminum datur.

Eusebius Cæsariensis. 320.

Ecclesiast. histor. lib. 1. cap. 4. Abraham cùm paterna superstitione, & prioris vitæ errore reiecto, repudiatoque, vnum Deum, omnium moderatorem confessus esset: huncque non obseruatione legis postea per Moysem traditæ, sed virtutis & probitatis officijs syncerè coluisset, fide in Christum Dei Verbum, quod illi apparuerat, iustificatus est. Atque eundem illum pietatis & religionis modum, quem Abraham excoluit, apud solos Christianos, per vniuersum orbem, rectè factis (quæ multò plus ponderis habeat, quàm verba, ad id quod agitur confirmandum) sedulò exercitatum constat.

Antonius Eremita. 340.

Epistola 1. Qui si sustinuerit obediens hortantem se Spiritum ad pœnitendum, Creator quoque illius, miserationis visceribus motus, supra labores eius, quibus in egestatibus corporeis, id est, ieiunijs plurimis, in vigilijs, in meditationibus multis, in verbo Dei, ac precibus largis, vel in abdicationibus mundanis, in humilitate, in paupertate spiritus, in quibus cunctis sustinentem Deus benignus aspiciens, & considerans, & patientiam eius in tentationibus perdurantem miserans, adiuuabit eam.

Didymus Alexandrinus. 360.

Ad caput 2. epistolæ Iacobi: *Sicut corpus sine spiritu mortuum est: sic & fides sine operibus mortua est.)* Quoniam sicut spiritus cohærens corpori viuificat illud, sic & opera fidei coaptata, viuam eam esse procurant, cogitandum est, vt fides habeatur cum operibus virtute dignis, vt non mortua, sed viua consistat.

Basilius Magnus. 370.

Sermone de Ascesi, hoc est, de cultu seu exercitatione Monastica: Custodientibus mandata eius retributio multa, merces nimirum illa copiosa est, & coronæ iustitiæ, æterna tabernacula, vita finem nunquam habitura, gaudium inenarrabile, perpetua mansio apud Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, qui est verus in cælo Deus, faciei ad faciem manifestatio, choreæ cum Angelis, cum Patribus, cum Patriarchis, cum Prophetis, cum Apostolis, cum Martyribus, cum Confessoribus.

In Proœmio de iudicio Dei: Causam, cur ita ab se discedere illos iubeat, subiicit: non quòd aut quenquam interfecistis, inquit, aut fornicati estis: sed quid? quòd bona opera facere neglexistis: *Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare*, &c.

Homilia 12. in principium Prouerbiorum: Omnes Angelicam viam ambulantes mercatores sumus: per opera mandatorum nobis possessionem cælestium negotiantes.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 1. Remissio peccatorum ex æquo datur omnibus: communicatio autem Spiritus sancti secundùm fidei vniuscuiusque proportionem donatur. Si parum laboraueris, parum accipies: si multum operaberis, multa te merces manet.

Catechesi 15. Tremendum est iudicium, ita vt per ea etiam, quæ de illo nuntiamus, timor incutiatur: Nam regnum cælorum proponetur, & ignis æternus præparabitur. Quomodo igitur, dixerit aliquis, ignem effugiemus, & quomodo regnum cælorum ingrediemur? *Esuriui*, inquit, *& dedistis mihi manducare*. Discite viam, &c. Hæc si nunc feceris, regnabis: si non feceris, condemnaberis. Iam igitur incipe hæc operari, & perseueres in fide: ne sicut stultæ virgines empturus oleum excludaris. Non in hoc confidas, quòd solam lampadem habes, sed custodi illam ardentem. Non in hoc solùm confidas, quòd credis, sed fidem ardentem conserua, vt luceat lux tua coram hominibus per opera bona, ne blasphemetur propter te Christus. Feras quoque indumentum incorruptionis cum operibus bonis, quod te deceat, & quod accipis à Deo, vtiliter gerens negotium.

Macarius Ægyptius. 370.

Homilia 27. Non statim vt quis audiuit verbum Dei, quam primùm fit bonæ partis. Si enim audiendo simul efficeretur partis bonæ, nequaquam extitissent certamina, aut bellorum occasiones, aut cursus: sed sine labore, modo audisset, peruenisset ad quietem, ac mensuram perfectam. At non ita se res habent. Tollis enim hominis voluntatem, dum hoc inquis, & negas repugnantem facultatem esse, quæ luctatur cum animo. Nos autem dicimus, eum, qui verbum audit, venire in compunctionem: deinde per dispensationem subducente se gratia, ad vtilitatem hominis, in exercitationem & disciplinam militarem ingredi: tum luctari, & inire certamen aduersus Satanam, ac multo cursu pugnaque reportata victoria Christianum fieri. Nam si quis ex auditu solo, sine labore, ad bonam partem pertineret, etiam qui spectaculis theatralibus oblectantur, & scortatores irent in regnum & vitam: quam profectò nemo dabit illis citra laborem, & pugnam: quoniam angusta via est, & afflictionis plena. Per hanc duram viam incedere, sustinere, & affligi necesse est, & ita vitam ingredi. Nam si absque labore feliciter agere liceret, Christianismus vltra non esset lapis offensionis, & petra scandali.

Ephram. 370.

De vita spiritali cap. 91. De fide disserens; an opera fidei correspondentia habeas, vide. Nam si dicendi duntaxat, & audiendi sis cupidus, in te quadrabit, quod scriptum est: *Vis scire, ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est?* Iacob. 2. Verè enim mortui sunt omnes, qui Deum nosse se profitentur, factis autem negant. Tit. 1.

De Virginitate: Cupis esse castum & immaculatum templum Dei, imaginem eius in corde tuo semper habeto: imaginem, inquam, non colorum varietate in ligno, aliaue materia deformatam: verùm illam, quæ per bona opera, vt ieiunia, vigilias, honestas actiones, continentiam, & orationes mirabili quodam modo, purè iugiterque depingitur in anima. Colores verò imaginis illius cælestis Domini rectè facta sunt, & cogitationes mundæ, ac terrenarum rerum nuditas; cum lenitate ac vita sancta omni tempore.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 28. quæ est, cùm post ea, quæ à Maximo perpetrata fuerant, rure in vrbem redijsset: Vt actio, si à fide deseratur, laudem non meretur (quandoquidem multi gloriæ studio, atque etiam à natura ita informati, virtutem colunt): ita fides sine operibus mortua est. Ac videte, ne quis eorum vos inanibus verbis decipiat, qui omnia omnibus hac vna de causa facilè concedunt, vt impia dogmata complexentur, malamque rei malæ mercedem soluunt. Ex operibus ergo fidem, terræque vestræ fœcunditatem ostendite: vt perspicuum fiat, an frustra sementem fecerimus, an manipulus quidam in vobis reperiatur, ex quo confici farina queat, dignusque, qui in horreum inferatur: quò alacrioribus animis vos in posterum excolamus. Iacob. 2. Ephes. 5.

Oratione 40. quæ est oratio in sanctum Baptisma: Decimo ac postremo loco super hoc dogmatum fundamento bona opera extrue: Quandoquidem fides sine operibus mortua est, quemadmodum & opera, si fides absit.

Gregorius Nyssenus. 380.

Homilia 8. in Ecclesiasten: Cùm Apostolus cum fide connexuisset & contexuisset iustitiam, per ea armato munit thoracem, rectè & tutè per vtrumque militi pectus muniens. Non potest enim fieri, vt alterum ab altero disiunctum, ex se tuta præbeat arma ei, qui ipsa tractat. Neque etiam fides absque operibus iustitiæ sufficit ad seruandum, neque rursus vitæ iustitia per se tuta est ad salutem, si seiuncta sit fides.

Oratione 1. de pauperibus amandis: Pro suis quemque meritis ornatum cerno. Illis, qui boni, benignique fuerint, summa & perpetua quies tribuitur in regno cælesti: inhumanis autem & improbis supplicium ignis, idque sempiternum.

Oratione 2. de pauperibus amandis: Quid ergo faciendum est nobis, vt nihil in naturæ legem peccasse videamur? satisne fit pauperum afflictiones deplorare, & oratione morbum extollere, atque ipsa commemoratione commoueri? An necesse est, vt facto etiam aliquo misericordiam & beneuolentiam erga illos nostram declaremus? Sic est profectò. Nam quæ proportio est inter res veras & adumbratas picturas, eandem obtinent verba, si ab operibus seiungantur. Non enim in verbis salutem consistere dicit Dominus, sed in salutis operibus faciendis. Matt. 7. Lucæ 6.

Theophilus Alexandrinus. 390.

Libro 1. Paschali: Sermo, & ratio, & scientia, & fides absque opere, cassa sunt & instabilia.

Lib. 3. Paschali: Hi qui ieiunia, id est, Angelicam conuersationem in terris imitantur, per continentiam breui & paruo labore magna sibi & æterna conciliant præmia.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 5. in Genesin: Quia peregrini hîc sumus & aduenæ, oportet vt prouideamus & reponamus nobis spiritualium virtutum viatica, vt quando præceperit nobis Dominus in nostram redire patriam parati simus, & alia quidem nobiscum afferamus alia autem iam præmissa habeamus. Horum enim viaticorum talis natura est, vt ea, quæ per bonorum operum actionem voluerimus ante nos præmittere, cùm illuc nos præuenerint, ianuas nobis aperiant fiduciæ ad Dominum, & introitum facilem, & absque pauore, & magnam apud iudicem beneuolentiam procurent.

Homil. 42. in Genesin: In medijs illis Olympicis certaminibus corona post victoriam nihil aliud est, quàm folia lauri, quàm applausus, & acclamatio vulgi, quæ tamẽ omnia vespera ingruente marcescunt, & pereunt: at corona, quæ pro virtute, & eius sudoribus datur, nihil habet sensibile, neque in hoc seculo nobiscum dissoluitur: sed perpetua est, immortalis, extendens se in omnia secula. Et labor quidem est parui temporis, merces autem laborum finem non habet, neque cedit tempori, neque marcescit.

Sermone in beatos Iob & Abraham: Diues erat Iob ex benedictionibus, vtebatur'q; pro necessitate diuitijs, ita vt satiando pauperes diabolum mirum in modum cõtristaret. Bona enim opera humana, plagæ & vulnera sunt dæmonibus.

In Psalm. 142. *Doce me facere voluntatem tuam.)* Non dixit absolutè, doce me voluntatem tuam, sed *doce me facere voluntatem tuam*, id est, ad ipsa me facta deduc: superna enim ope, & cælesti doctrina opus est, vt ingrediamur viā, quæ ducit ad virtutem, non nobis otio degentibus, sed quæ sunt nostra conferentibus.

Homil. 16. in Matth. Vis ostendam tibi causam vt in omni necessitate nunquam desperes? Fac bene, & operare iustitiam, vt spem habeas apud Deum, & non desperabis in terra. Bona enim opera sunt, quæ sperare faciunt, & mala opera desperare compellunt.

Homilia 11. in Marcum: Nihil prodest habere verba, si scientiam non habueris: cùm acceperis σιαγόνα, cùm acceperis pectusculum, tunc accipis & brachiola, hoc est opera: nihil prodest habere te verba, habere te scientiam, si non habueris opera.

Homilia 9. in Ioannem: Ad animæ puritatem seruandam non satis est baptizari duntaxat, & credere: sed si perpetuò ea frui munditia & pulchritudine volumus, dignam se vitam exhibere oportet, &c. Nolimus fidem nobis ad salutem satis esse existimare. Nam nisi vitam puram exhibuerimus, & hac cælesti vocatione digna nos induerimus vestimenta, quibus ad nuptias admittamur, nihil nos eripiet, quin eodem, quo miser ille, afficiamur supplicio.

Homilia 30. in Ioannem: Nunquid ergo satis est ad vitam æternam in Filium credere? Minimè.
Matt. 7. *Non enim omnis, inquit, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Et peccatum in Spiritum, vel solum est satis, quod in gehennam detrudat. Et quid de parte doctrinæ loquor? Nam si in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum rectè credideris, non autem rectè vixeris, nulla tibi ad salutem vtilitas. Cùm ergo dicit: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum:* nolimus hoc nobis ad salutem satis arbitrari. Opus namque nobis est & vitæ, & morum puritate pollere, & licet hoc in loco dicat: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* Nec bona tantùm, sed suppliciorum quoque formidinem proponit, quòd *qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum:* non tamen dicimus, satis esse solam fidem ad salutem, quod quæ de vita sæpe in Euangelij dicuntur ostendunt. Cur enim non dixit, ipsa est vita æterna sola: neque, qui credit in Filium solum, habet vitam æternam: sed in vtroque vitam esse significanit? Nam, nisi mores sequantur, sequetur supplicium.

Sermone admonitorio de Eucharistia in Encænijs: Non satis fuerit simpliciter & vulgariter Christianos homines dici nos: eius rei, si placet, fide dignum testem fratrem Dei Iacobum adhibeo dicentem: *Fides sine operibus mortua est.* Ergo vbique opus est mandatorum Dei operatione. Nam illa absente, neq; Christiani nominis appellatio nobis prodesse poterit.

Homilia 5. in epistolam ad Romanos: *Iis quidem, qui perseuerantes in benefaciendo, &c.)* Hoc loco eos, qui animam perferendis tentationibus despondenrint, erigit: ostenditq; non oportere fiduciam omnino suam in sola fide habere. Nam illud prætorium & facta item examinat.

In epistolam ad Philemonem Homilia 2. Fides efficax est, si habeat opera. Nam sine operibus fides mortua est.

Oratione 7. in epistolam ad Hebræos: Fides res est magna, & salutaris, & absque ea fieri non potest, vt salui simus. Vnde ideo Paulus quoque eos admonet, qui iam sunt dignati mysterijs, dicens: *Festinemus ingredi in illam requiem. Festinemus,* inquit, ac studeamus, vtpote quòd fides non sufficiat, sed etiam debeat vita adijci, & magnum adhiberi studium. Reuera enim multo opus est studio, vt ascendamus in cælum.

Homilia de Anna & Samuelis educatione: Professio Christi fit non tantùm per fidem, sed etiam per opera: adeò, vt si hæc absint, veniamus in periculum, ne cum abnegantibus pœnas luamus. *Profitentur se nosse Deum, sed factis negant.* Tit. 1.

Marcus Eremita. 400.

Responsione ad eos, qui de diuino Baptismate dubitant: Fides est, vt non solùm in Christum baptizemur, sed etiam eius mandata opere compleamus, &c. Dedit Christus mandata, vt ea peragentes, donatam nobis perfectionem consequamur.

De his, qui putant se operibus iustificari cap. 17. Quidam non facientes præcepta, se tamen rectè & sanè credere existimant: rursus sunt nonnulli facientes, qui tamquam debitam mercedem regnum cælorum se suscepturos sperant. Horum vtrique à regni cælestis possessione frustrati excident.

Philo Carpathius. 420.

In Cantica: *Pulchra es dilecta.)* Quare fides integerrima, spes firmissima, sycera charitas necessariæ sunt sponsæ, & cuicunque fideli animæ, si victrices aduersus callidissimos hostes euadere cõtendunt.

In hortum nucis descendi.) Nec quisquam ex solis operibus legis Mosaicæ saluari poterit, sed ex fide Christi Iesu, & pretiosissimo illius sanguine, & mandatorum obseruatione salus æterna paratur.

Nilus Abbas. 420.

Institutione ad Monachos: Ab æterno igne non liberabit te fides, nec Baptisma, sine iustitiæ operibus. Si enim Christo mandata eius te seruaturum promisisti, & quæ futura sunt credis, ad gloriam contende sempiternam, & flammeum gladium pertimesce. Quòd si Dei mandata non obserues, nec te fidelem esse dicas.

In capitibus paræneticis: Si vis virtuti citra laborem studere, cogita laborem temporaneum esse, mercedem verò æternam. Si poculum aquæ frigidæ iustificat misericordem, quanta putas retri-

butio expectat distribuentem omnia pauperibus?

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Libro 10. in Ioannem cap.14. Qui per fidem Christo solummodò coniunguntur, sola illi confessione inhærentes, nec charitatis vimine se colligantes, palmites quidem sunt, sed infructuosi. Nam fides absque operibus mortua quædam res est.

Cap.18. Qui verbis nudis Christum confitentur, sed mandatorum obseruatione, id est, charitate, ad perfectionem non conformantur, quamuis Christo fide inhærent, in eoq; hac ratione maneant; verba tamen eius non habent. Non obliti quidem illi prædicationis Euangelicæ, sed illecebris voluptatum capti, spiritus gratiam abijciunt. De quibus Saluator ait: Matt. 7. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui est in cælis.* Quòd autem fides ad salutem non sufficiat, Christi etiam discipulus ostendit, scribens. *Tu credis quia vnus est Deus,* Iacob. 2. *dæmonia etiam credunt, & horrescunt.* Si ergo fides sola sufficeret, multitudo dæmonum perire non posset. Quare oportet ad fidem opera charitatis accedere: Nam qui sic facit, is & in Christo per fidem manet, & in corde suo verba eius conseruat.

In expositione Symboli Niceni: Recta sanè & irreprehensibilis fides, quam fulgor ex bonis operibus comitatur omni bono vos implet, & decoram nactos gloriam ostendit. At operum fulgor, si expers esse videatur rectorum dogmatum, inculpatæque fidei, humanæ animæ nullo modo vtilis fuerit. Nam sicut fides absque operibus mortua est: ita si vertas, & dicas opera absque fide mortua, verum esse fatemur.

Proclus Constantinopolitanus. 430.

Epistola ad Armenios: Fides charitatis est speculum, & charitas fidei probatur esse firmamentum. Credimus quòd Deus Verbum impassibiter incarnatus est, & piè credimus. Hęc enim fides salutis nostræ fundamentum esse cognoscitur. Omnis itaque Christianus, qui non est diues fide, spe, & charitate, id quod dicitur non est.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib.3.epist.73. Videris ea ignorare, quæ etiam puerulis nota & perspicua sunt. Neque enim hoc existimes, quòd fides (si tamen fides dicenda est, quæ operibus tuis refutatur) salutem tibi adferre possit. Etenim fides ea, quæ primùm iustificauit, consentaneas sibi actiones exigit, quibus remotis nemo salutem consequi potest. Nam eum, qui per gratiam assumptus est, proprijs quoque virtutum dotibus exornari conuenit, ne alioqui ingrati animi notam incurrat.

Epist.118. Diuina quædam res est sermo, diuinior autem virtus, diuinissima denique pietas. Quamobrem, qui & sermone, & opere, & fide ornatus est, insuperabilis est, & clarus, & celebris, summaque beatitudine dignus. Cui autem horum aliquid deest, tantum huic decedit, quantum eius quod deest portio requirit.

Epistola 158 Fides operibus potius, quàm sermonibus prædicari debet: quodq; hoc verum sit, tum externi testantur, cùm aiunt: opera monstrant clarius quàm sermo: tum etiam efficacius Apostolus his verbis: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Ex operibus enim, & non sermonibus ea, quæ abdita sunt, indicari debent.

Theodoretus. 450.

Quest.63.in Exodum: Non sufficit sola fides ad salutem, sed operibus indiget ad perfectionem.

Ad Psalm. 96. Postquam non sola fide nobis opus est, verùm etiam bonis operibus, necessariò & hanc admonitionem Propheta adfert: *Qui diligitis Dominum, odite malum.*

In epitome diuinorum Decretorum, capite de Pœnitentia: Sunt medicabilia, quæ post baptismum fiunt vulnera: medicabilia autem, non vt olim per solam fidem data remissione, sed per multas lachrymas, & fletus, & luctus, & ieiunium, & orationem, & laborem facti peccati quantitati commoderatum.

Ad cap. 5 posterioris ad Corinth. Non sufficit fides ad salutem, sed conuenit benefactorem in omnibus colere & obseruare.

Basilius Seleucius. 450.

De exuscitatione Lazari: Quòd recta fides, si impura deprauataq; adsit vita, nihil prosit, hoc Christus & Apostolus, vbi ea de re disserunt, luculenter ostendunt: *Non omnis,* ait Christus, *qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum,* &c. Qui enim sui ipsorum curam non habent, etsi rectâ fide destituti non sint, ij leui de causa in improbitatem præcipites abeunt, quam vnam nos toto conatu fugere, & detestari oportet. Quandoquidem fieri omnino non potest, vt Christum videamus, integra castaq; vita non ornati.

Titus Bostrensis. 460.

Ad cap.11. Lucæ: Quin ob mutum quoque & surdum, quem paulò ante sanauerat, illud dixisse videri potest. Hic enim Christi beneficio huc iam adductus videri poterat, vt Dei verbum audire, & discere: audiendo verò, & discendo credere: credendo autem operari: operando demum gloriæ coronam cum ijs omnibus, qui Domini præcepta obseruant, consequi posset.

Esaias Abbas. 460.

Oratione 21. Porrò monens nos, ne sola fide, in qua non sunt opera, confidamus: *Ingressus,* inquit, Matt. 22 *Rex, vt recumbentes videret, aspexit illic hominem non indutum veste nuptiarum: iussit eum ligari, & extrudi in tenebras exteriores.* Ingrediuntur enim, quia sunt nomine Christiani: eijciuntur autem, quia non habent opera nomini congruentia.

Oratione 25. Nisi quis Domini Iesu actionem imitetur, reprobus est, & sponsa eius esse nequit: & virgines omnes parauerunt lampades suas, sed quæ non habebant opera reiectæ sunt: zizania simul Matt. 25 cum tritico creuerunt, sed cùm messis aduenisset, ligata sunt, & in ignem proiecta: palmites, qui fructum non tulerunt, in ignem proiecti sunt. Omnes se credere profitentur, sed qui bona non habent opera, eijciuntur foras.

Isaac Presbyter Antiochenus. 470.

De contemptu mundi capite 27. Si credis Deum, benefacis: sed fides eget operibus: & spes, quæ de eo habetur, eget afflictionibus ad virtutes. Credis quòd Deus prouideat, credis creaturis suis, & quòd sit in omnibus potens: sed fidem tuam sequatur conueniens operatio, & tunc exaudiet te. Noli tenere ventum in pugno tuo, sine operibus videlicet fidem tuam.

Procopius Gazæus. 500.

In Leuiticum fol.342. Per camelum & leporem, quæ animalia quantitate inter se differunt, commonstrauit celebres, & obscuros, mediæque notæ homines, quibus plerunque fides & opera mortua insunt, aut alterutrum solum, & sic neutrum. Nam fides absque operibus est mortua, nec non opera sine fide quoque mortua dicuntur.

Andreas Cæsareensis. 500.

Ad caput 7. Apocalyps. Increpat Sardicensem Ec-

clesiam, quod nudum tantùm vitæ fidei nomen teneat: ad bona verò opera quod spectat, demortua iaceat.

Capite 50. Vigilare, & vestem custodire nihil aliud esse videtur, quàm bonis operibus impigrè insistere. Ea enim Sanctorum sunt indumenta & ornamenta. Quibus proinde qui orbatus est, nudus, confusioneque & turpitudine plenus appareat oportet.

Olympiodorus Monachus. 500.

Ad cap. 7. *Ecclesiastis*: Qui duce virtute suam moderatur vitam, de vita in vitam transit, ac de fide in fidem proficit bonis operibus. *Sapientia cum hereditate ac forte.*) Hoc est, fides cum operibus amplius aliquid præstat habentibus se, quàm alijs, qui mortuam sine operibus fidem habent.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu primo: Christianus is est, qui Christum quantum homini possibile, imitari nititur verbis & operibus, & tota intentione animi in sanctam Trinitatem rectè atque incomprehensibiliter credens.

Antiochus. 600.

Homilia 1. *de Fide*: Vitæ origo ea est, quæ fidem & dilectionem operatur, cui nihil anteponitur. Fidem sanè dixerim, non qualemcunque, sed opere ipso commendabilem: cùm fides sine operibus mortua sit in semetipsa. Opera proinde fidei istius operatoriæ sunt, charitas, gaudium, bonitas, humilitas, exultatio in Domino, fiducia erga Deum. Præterea, carnem affigere cruci, est eam auocare & sedare ab omnibus suis operibus.

Homilia 79. *de agone*: Sunt contra & bona opera, quæ vt opereris necesse est, non item vt ab ijs concineas. Omnium primum fides est: deinde timor Domini, charitas, concordia animarum, &c.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Oratione in Christi Natalitia: Metuo, magnoque tremore constringor, ne, qui orthodoxam fidem habere videmur, secundùm illam quoque laborare deprehendamur: vt qui eam solam, hoc est, ab honestarum actionum coniugio seiunctam, bonorumque operum comitatu destitutam oberrare permiserimus. Si enim fides, studiosa fragrantium operum actione orbata, secundùm Iacobum, fratrem Domini, est mortua, quomodo nos rectum cursum tenebimus, qui fidem operibus, quasi alis quibusdam exornare non curamus? neque animos nostros pernicibus operum misericordiæ pennis obarmamus? Quamobrem opera cum fide consociemus, neque ob operum, quæ adesse oportebat, absentiam, eam infirmemus: ita enim fiet, vt quemadmodum fide fortes validique consistimus, sic bonis quoque operibus firmemur: & Christum ipsum, qui honestis actionibus impensè delectatur, fide simul & operibus non parum recreemus, clementissimamque ipsius celsitudinem nobis promereamur. Ipse enim est, qui tamquam legislator hæc decreta disertè pronuntiat: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui est in cælo.*

Iacob. 2.

Maximus Monachus. 640.

Cent. 1. *cap.* 26. Fides fundamentum est eorum, quæ ipsam sequuntur, spei dico, & charitatis, firmiter ipsam veritatem sustinens: spes vtriusque est robur charitatis scilicet & fidei: charitas verò harum est consummatio.

Cap. 45. Cæca præditus est fide, qui non peragit mandata diuina per fidem.

Dialogo de Incarnatione Verbi: Dicetur fortassis: Sed fidem habeo, & satis est mihi, quæ in ipsum est ad salutem. Verùm hic Iacobus contradicit, inquiens, quòd *& dæmones credunt, & contremiscunt.* Et rursus: *Fides sine operibus mortua est*, per se, quemadmodum & opera sine fide.

Iacob. 2.

In expositione Liturgiæ c. 6. Quam primam habens potestate per prudentiam ratio, actu postea per virtutem ostendit, eam operibus manifestando. *Fides* enim *sine operibus mortua est*, vt scriptum est. Quicquid autem est mortuum, & non operatur, nemo vnquam, qui sapuerit, inter ea, quæ bona sunt, esse innumerandum dicere ausus fuerit.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. *c.* 10. Quamuis peccatorum remissio omnibus æquè per Baptismum detur: Spiritus tamen gratia pro fidei, & præcedentis purgationis modulo ac ratione comparatur. Et quidem nunc Spiritus sancti primitias per baptismum accipimus, & regeneratio nobis alterius vitę initium, & signaculum, & præsidium, & illuminatio efficitur: cæterùm in hoc nobis omnibus viribus est incumbendum, vt nos ab obscœnis operibus puros atque integros seruemus, ne rursum canis instar ad vomitum nostrum redeuntes, nos ipsos rursus peccato in seruitutem addicamus. *Fides* enim *sine operibus mortua*, operaque item fide sublata. Vera enim fides per opera exploratur & comprobatur.

Rom. 8.

2. Pet. 2.

Historia Barlaam & Iosaphat c. 11. Iam itaque, inquit Iosaphat, baptismum suscipere paratus sum, atque omnia quæ præscripseris seruare. Quidnam autem mihi post Baptismum faciendum est? Satisne est ad salutem credere, & baptizari? An autem alia quædam adiungere necesse est? Dixit autem ad eum Barlaam: audi quid tibi post Baptismum faciendum sit. Nempe vt ab omni peccato, & ab omni vitiosa affectione abstineas, atque orthodoxæ fidei fundamento virtutum studium superstruas. Quoniam *fides sine operibus mortua est*, quemadmodum opera etiam remota fide, &c. Hæc aliaque eiusdem generis bona opera, tamquam gradus & scalæ inter se cohærentes, atque aliæ ab alijs suffultæ, animum in cælum subuehunt.

Michael Syngelus. 830.

In encomio Dionysij Areopagitæ: Neque verò eorum quæ tradiderat, atque docueret, fructus repetere negligebat: minimè verò, quin diuinorum sermonum mysteria, quæ non rectæ factis niterentur, arboribus foliorum quidem vbertate ornatis, cæterùm sterilitate laborantibus, similia esse asseuerabat, & fidem sine operibus mortuam esse docebat, istudque imprimis doctrina eius spectabat, vti fideles mandatorum sese obseruationibus decorarent, neque vllum aliud certius argumentum syncerae ac stabilis in Christum fidei & dilectionis existere dicebat, admonens vt horrendum futurum iudicium pertimescerent, in quo quisque prout vixerit, aut egerit, rationem est redditurus. Et eum, qui rectam fidem custodierit, vitam Christiano vero consentaneam egerit, incorrupto iudici rectè factis placuerit, perpetuam bonorum verè beatorum voluptatem percepturum. Qui verò optima vitæ instituta, & opera fidei non adiunxerit, sed hanc vitæ turpitudine contaminauerit, iustas hunc propriæ amentiæ pœnas daturum, & seuerissimo ac perpetuo cruciatu torquendum aiebat.

Anastasius Nicænus. 850.

Respon. 1. Quodnam est signum perfecti Christiani? *Resp.* Recta fides, & pia opera: Christianus enim est vera domus Christi, constans ex bonis operibus, & pijs dogmatibus. Vera ergo fides probatur per opera: quoniam *fides absque operibus mortua est*, sicut etiam opera absque fide. Quamobrem oportet se totis viribus firmiter & constanter seruare mundum à sordidis operibus, ne nobis quoque dicatur: *Deum se nosse confitentur, factis autem negant.*

Photius. 860.

Ad cap. 12. *epist. ad Romanos*: Vtrumque oportet, & fidem vitæ, & vitam fidei esse conformem. Siquidem

dem quemadmodum is, qui rectam obtulerit fidem, si prauus sit moribus, operibus suis confessionem accusat fidei: ita etiam, qui bonas exhibet operationes, si fidem impiam præponat, cùm impius sit, etiam actiones deprauat, ac diuulgat nullum eis inesse fructum spiritualem.

Theophylactus. 900.

Ad c.7.Matth. *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine,* &c. Docet nos, si fidem absque operibus habuerimus, nihil nobis eam profuturam. Nam dicendo: *qui facit voluntatem*, non dicit, qui semel fecit, sed qui vsque ad mortem facit.

Ad caput 5. Ioannis: Ne putemus, quòd fides sola ad salutem sufficiat, dicit, quòd *resurgent hi, qui mala fecerunt, in resurrectionem condemnationis: qui autem bona, in resurrectionem vitæ.* Non igitur sola fides absque operibus iustificat, sed oportet etiam opera adesse. Tunc enim propriè fides est.

Ad cap.15. Ioannis: Quòd si quidem nudam & solam confessionem fidei quis habeat, & non per obseruationem mandatorum fructum ferat, mortuus palmes fit: *Fides enim absque operibus mortua est.* Iacob.2.

Ad cap.15. epist. ad Romanos: Non sola fides sanctificat, sed & vita. Simulac enim credidimus, ac baptizati sumus, accipimus Spiritum sanctum. Enimuerò nisi vita accesserit Spiritu digna, gratia Spiritus extinguitur.

Ad cap.4. epist. ad Hebræos: Pulchrè dixit *festinemus*, siue *adnitamur*. Non enim fides ipsa per seipsam sufficiens est, vt introducat in illam (requiem) nisi proba pariter conuersatio, adeoq; vita adfuerit.

Simeon Metaphrastes. 970.

In vita Theodosij Cœnobiarchæ: Quomodo oculis apprehendemus terribilem illum & insignem diem Domini, in quo eos quidem, qui dexteræ Domini per bonas appropinquant actiones, excipiet regnum Domini: eos verò, qui ad sinistram sunt abiecti, propterea quòd à nobis deserti sunt operibus, abscondet gehenna ignis, & tenebræ æternæ, & stridor dentium.

Oecumenius. 1080.

Ad cap.1. epist. ad Romanos: Neque enim sola fides sufficit, sed & opera sunt necessaria.

Ad cap.3. prioris ad Corinthios: Post fidem operatione & ædificatione opus est, &c. Itaque nihil prodest fides recta absque operibus bonis.

Ad caput 2 Iacobi: Iacobus simplicem assensum dicit fidem mortuam, & viuificantium operum expertem: Paulus verò dicit eam, quæ est ex affectu, quæ factis nullo modo destituitur. Neque enim hęc absque honestis factis innasci posset. Siquidem hâc Abraham nequaquam consecutus est, nisi prius certamine præmisso, quo paterna cognatione expelleretur, cui certamini fides in præmium declarabatur. Sed hanc operibus præposuit Paulus, nempe Sabbatorum obseruationibus iuxta legem, circumcisione, cæterisq; purificationibus. Siquidem duo quoque significata conspiciuntur in operibus. Nam & opera quædam fidem confirmare dicuntur, quorum expers si sit fides, mortua est: rursumque opera dicuntur, quæ legis sunt: sine quibus & Abraham, & omnes qui sequuntur Christum iustificantur.

Euthymius. 1080.

Ad caput 28. Matthæi: *Docentes eos seruare omnia, quæcunque præcepi vobis.*)Hoc rursum præceptum de conuersatione est. Neque enim sufficiunt ad salutem Baptismus, & dogmata, nisi etiam digna conuersatio accedat.

Ad caput 16. Marci: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, modò fidem ac Baptismum impolluta conseruauerit, aut post cōtractas sordes emundauerit, ac purificauerit. Intellligitur autem verbum hoc & alio modo: *Qui crediderit, ac baptizatus fuerit, saluus erit*, si ea, quæ fidei sunt per Baptismum susceptæ, demonstrauerit. Illa verò sunt operatio mandatorum Dei, atque sui ipsius custodia. Non dixit autem, qui solùm crediderit, neque, qui baptizatus fuerit tantùm, sed vtrumque coniunxit. Alterum enim sine altero non saluum facit hominem.

Theodulus. 1200.

Ad caput 2. epistola ad Romanos: Non fides tantùm sufficit, sed operum etiam suus est vsus & commoditas.

Nicolaus Cabasilas. 1280.

De Liturgia cap.25. *Estote parati.* Hic enim fides & opera. Fides quidem quæ apparet per confessionem: opera autem p.r charitatem, quæ est finis omnis boni operis, & summa omnis virtutis.

Cap 29. De morte Christi quis nescit, eam esse solam, quæ peccatorum remissionem in mundum introduxerit? sed illud etiam scimus, quòd post mortem illam etiam fide, & pœnitentia, & confessione opus est, & sacerdotum oratione.

Athanasius Constantinop. 1300.

Epistola 5. Ante omnia verò baptizatos omnes hortari debemus, vt vsque ad sanguinem integerrimè seruent quæcunque Christus præcepit, affirmantes absque operibus mortuam esse fidem: & quòd *non omnis, qui dicit: Domine, Domine, introibit in regnum cælorum.*

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 1. Non omnibus simpliciter & nudè credentibus salus contingit, sed iis, qui per fidem faciunt opera salute digna.

Græci, qui fuerunt in Concilio Ferrariensi. 1439.

In Apologia Concilio exhibita: Paulus docet opera absque fide mortua esse, ipsamq; fidem rursus absque operibus otiosam, & nihil valere.

Ioannes Basilius Moscouita. 1570.

Cap.6. Considerandum est, quod Iacobus in sua Catholica ponit: *Quæ est vtilitas, fratres mei, si quis se habere fidem absque operibus dicat? num hunc fides absque operibus seruare potest?* Et post haud multa sic cōcludit: *Videtis igitur operibus iustum fieri hominem, non vnica fide.* Quid ergo hic nobis faciendum est, Paulo de fide, Iacobo de operibus scribente? an putas esse inter Apostolos dissensionem? Nulla est, imò verò magna est inter hos concordia. Vnus enim opera, alter fidem firmat: vtrisque nobis studendum: quòd illorum eadem sit vtilitas, salus hominis. Animaduerte vt idem Paulus fidem prædicet, opera verò stabiliat. Nisi enim Abel sacrificium fecisset, non fuisset iustus pronuntiatus.

Hieremias Constantinop. 1580.

Respons.1. cap.4. Catholica Ecclesia fidem viuam requirit, quæ bonis operibus testificata sit. Fides enim, quæ est sine operibus, mortua est, vt Iacobus inquit. Hinc Magnus Basilius ait. Neque superna gratia venit ad eum, qui accipere non studet: sed vtraque commisceri conuenit, tum studium humanum, tum quod per fidem supernè descendit auxilium ad perfectionem virtutis.

Resp.2. cap.3. Fides sine operibus, & opera sine fide iuxta à Deo reijciuntur. Quare hoc etiam euidenter ab hac cernemus specula. Qui enim se nobis in tribus personis vnum patefecit Deus, is & hanc nobis viam monstrauit manifestissimè. Cognoscite itaque deinceps: Fides, spes, charitas, triplex auro conserta iris, si à nobis obseruetur, salutem nobis conciliat.

(*,*)

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis Lemouicensis Episcopus 100.

*Epistola ad Tholosanos cap.*17. Vobis enim est testis scrutator renum & cordium. In eius obedientia nihil arroganter, nihil superbè, nihil temerè præsumere: sed tamquam pusillus grex Dei, voluntatem eius implere studete in verbis sanctis, & operibus bonis.

Tertullianus. 200.

*De Resurrectione carnis c.*48. Vnusquisque in suo ordine (*viuificabitur:*) scilicet quia & in suo corpore. Ordo enim non aliud quàm meritorum dispositor. Merita autem cum corpori quoque adscribantur, ordo quoque corporum disponatur necesse est, vt possit esse meritorum.

*Libro 2. contra Marcionem cap.*6. Quoniam & aliàs positum hominem sub iudicio Dei, oportebat iustũ illud efficere de arbitrij sui meritis, liberi scilicet. Cæterùm nec boni nec mali merces iure pensaretur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisset inuentus, non voluntate.

*In Scorpiaco cap.*6. Quomodo multæ mansiones apud Patrem, si nõ pro varietate meritorum? quomodo & stella à stella distabit in gloria, nisi pro diuersitate radiorum?

Cyprianus. 250.

De vnitate Ecclesiæ: Iustitia opus est, vt promereri quis possit Deum iudicem. Præceptis eius & monitis obtemperandum est, vt accipiant merita nostra mercedem.

De opere & Eleemosynis. Quæ illa erit, fratres charissimi, operantium gloria, quàm grandis & summa lætitia, cùm populum suum Dominus cœperit recensere: & meritis atque operibus nostris prēmia promissa contribuens, pro terrenis cælestia, pro temporalibus sempiterna, pro modicis magna præstare, offerre nos Patri, &c. Præclara & diuina res, fratres charissimi, salutaris operatio, solatium grande credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, munimentum spei, tutela fidei, medela peccati: res posita in potestate facientis, res & grandis & facilis: sine periculo persecutionis, corona pacis: verum Dei munus & maximum, infirmis necessarium, fortibus gloriosum, quo Christianus adiutus perfert gratiam spiritalem, promeretur Christum iudicem, Deum computat debitorem. Ad hanc operum salutarium palmam libenter ac promptè certemus: omnes in agone iustitiæ Deo & Christo spectante curramus, &c. Si expeditos si celeres, si in hoc operis agone currentes, dies nos vel redditionis, vel persecutionis inuenerit, nusquam Dominus meritis nostris ad prēmium deerit, in pace vincentibus coronam candidam pro operibus dabit, in persecutione purpuream pro passione geminabit.

Lib.3. epist.18. *Epistola* 14. Pœnitentiam ille agit, qui diuinis præceptis mitis & patiens, & sacerdotibus Dei obtemperans, obsequijs suis & operibus iustis Dominum promeretur.

Lib.3. epist.25. *Epist.*77. An ego possim tacere, & vocem meam silentio premere, cùm de charissimis meis tam multa & gloriosa cognoscam, quibus vos diuina dignatio honorauit, vt ex vobis pars iam martyrij sui consummatione præcesserit, meritorum suorum coronam de Domino receptura: pars adhuc in carcerum claustris, siue in metallis & vinculis demoretur, exhibens per ipsas suppliciorum moras corroborandis fratribus & armandis maiora documenta: ad meritorum titulos ampliores tormentorum tarditate proficiens, habitura tot mercedes in cælestibus præmijs, quot nunc dies numerantur in pœnis?

Zeno Veronensis. 260.

Inuitatione 5. ad fontem: Quantum quis crediderit, & operatus fuerit, tantum beatitudinis & habebit.

Victorinus Pitabionensis. 270.

In Apocalypsi: *Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.*) Non enim satis est arborem misericordiæ, & fructum non habere: sicut nec satis est Christianum dici, & ipsum confiteri, & Christum in opere non habere, id est, eius præcepta non facere.

Lactantius. 320.

*Libro 3. Institutionum cap.*9. Seruire Deo, nihil aliud est, quàm bonis operibus tueri, & conseruare iustitiam.

*De opificio Dei cap.*20. Si (*homo*) virtute contempta desiderijs se carnis addixerit, cadet, & premetur in terram: sin autem (vt debet) statum suum, quem rectum rectè sortitus est, promptè, constanterquè defenderit, si terræ, quam calcare ac vincere debet, non seruierit, vitam merebitur sempiternam.

*In epitome diuinarum Institutionum cap.*12. Teneat innocentiam: prosit quamplurimis: incorruptibiles sibi thesauros bonis operibus acquirat, vt possit Deo iudice pro virtutis suæ meritis vel coronam fidei, vel præmium immortalitatis adipisci.

Hilarius. 350.

In Matthæum Canone 5. Omnem expectationem nostrã in fide repromissionum & virtutis suæ potestate exegit collocari: vt cura rerum, quibus indigemus, omissaq; ab eo potius omnia, à quo ipsi vitale exordium sumpsimus, expetamus, regnumq; Dei vitæ nostræ stipendijs quæramus. Et hæc rectè perfecteq; viuentium merces est, vt in nouam cælestemq; substantiam ex hac corruptibilis corporis materie transferantur, & corruptio terrena cælesti incorruptione mutetur.

Can. 6. De nostro est beata illa æternitas promerenda, præstandumq; est aliquid ex proprio, vt bonum velimus, malum omne vitemus, totoq; affectu præceptis cælestibus obtemperemus, ac talibus officijs cogniti Deo simus, agamusquè potius quod vult, quàm quod potest gloriemur, repudians eos ac repellens, quos à cognitione sua opera iniquitatis auerterint.

Can. 6. Salus gentium omnis ex fide est, & in præceptis Domini vita est vniuersorum.

Can. 28. Ita enim in vniuersorum fidelium corporibus mentibusq; transfunditur, vt hæc humanitatis officia, aut gratiam suam impensa mereantur, aut offensam negata commoueant.

In Prologo in Psal. Prius in bonis operibus viuendum est, vt per facta posset ea, quę deinceps succedit, diuini sacramenti esse cognitio, secundùm id quod dictum est: *Desiderasti sapientiam, serua mandata*, Dominus præstabit tibi eandem. Præstat ergo Dominus sapientiam his, qui per meritum operum gratiam intelligentiæ consequuntur.

Ambrosius. 370.

*Lib.*10. *epist.*82. Quæ nobis salus esse potest, nisi ieiunio eluerimus peccata nostra, cùm Scriptura dicat: *Ieiunium & eleemosyna à peccato liberat.* Qui sunt Tob.4. & 12.
ergo hi præceptores noui, qui meritum excludunt ieiunij? Nonne gentilium vox ista est dicentium: *Manducemus, & bibamus*, &c.

*Lib.*1. *de Officijs cap.*15. Nonne euidens est, meritorum aut præmia, aut supplicia post mortẽ manere?

Libro 2. cap. 2. Scriptura diuina vitam beatam in cognitione posuit diuinitatis, & fructu bonæ operationis. Denique vtriusque assertionis Euangelicum suppetit testimonium. Nam de scientia ita
Ioan. 17. dicit Dominus Iesus: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Et de operibus ita respondit: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrē*
Matt. 19 *aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet &c.* Habet ergo vitam æternam fides, quia fundamentum est bonum, Habent & bona facta, quia vir iustus & dictis & rebus probatur. Nam etsi exercitatus sit in sermonibus, & desidiosis in operibus, prudentiam suam factis repellit: & grauius est scire quid facias, nec fecisse quod faciendum cognoueris. Contra quoque strenuum esse in operibus, affectu infidum, ita est ac si vitioso fundamēto pulchra culminum velis eleuare fastigia: quod quò plus struxeris, plus corruet: quia sine munimento fidei bona opera non possunt manere.

Ad cap. 11. Lucæ. Ne rursus fidei nos studiosos faciat operum negligentes, perfectionem fidelis viri breui sermone concludit, vt & fide & operibus approbetur, dicens: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.*

Auctor Commentariorum in epistolas Pauli apud Ambrosium. 380.

Ad caput 6 epistolæ ad Romanos: Si accepta peccatorum remissione, bonorum actuum æmuli fuerimus, acquirimus sanctitatem, finem verò habebimus, hoc est, exitum vitam perpetuam. Qui non peccant, alieni sunt à morte secunda, &c. Si fideles in bonis operibus se exerceant, habent repromissionem vitæ.

Ad Titum 2. Quomodo illi, qui solum Patrem prædicat, spes nulla est, si non profiteatur in eadem veritate & Filium: ita & huius spes frustra est, qui solam professionem fidei habet sine bonis operibus.

Ad cap. 4. ad Hebræos: Magna quidem res est fides, & salutaris, & sine hac saluari non est possibile alicui, sicut dictum est: *Sine fide impossibile est placere*
Heb. 11. *Deo.* sed sola fides non sufficit: operari per dilectionem fidem necessarium est, & conuersari dignè Deo. Proinde etiam Paulus commonet, dicens: *Festinemus ingredi in requiem illam. Festinemus,* inquit, quoniam non sufficit fides: sed debet addi & vita fidei condigna, & multum studium debet adhiberi, ne fides sit otiosa. Si enim illi terram intrare non meruerunt, quia murmurarunt contra Deum, quomodo nos cælum merebimur intrare, indifferenter viuentes sicut gentes? Opus est quippe omni volenti cælum possidere fidem operibus bonis ornare.

Hieronymus. 390.

Libro 1. contra Iouinianum cap. 6. Circuncisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Nihil enim prodest absque operibus cælibatus & nuptiæ, cùm etiam fides, quæ pro-
Iacob. 2. prié Christianorum est, si opera non habuerit, mortua esse dicatur, & hac lege virgines quoque Vestæ & Iunonis vniuiræ in sanctarum queant ordine numerari.

Lib. 3. cap. 1. Frustra nobis in eo plaudimus, cuius mandata non facimus. *Scienti bonum, & non facienti illud peccatum est. Quomodo corpus sine spiritu mortu-*
Ioan. 14 *um est, sic & fides sine operibus mortua est.* Nec grande putemus vnum Deum nosse, cùm & *dæmones cre-*
Iacob. 1. *dant, & contremiscant.* Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Eli-
1. Ioan. 2 gat aduersarius è duobus quod vult: Optionem enim damus. Manet in Christo, an non manet? Si manet, ita ergo ambulet vt Christus. Si autem temerarium est similitudinem virtutum Domini pollicere, non manet in Christo, quia non ingreditur vt Christus.

Cap. 15. Dicerem vobis, quia vado, & præparabo vobis locum, si non mansiones multæ essent apud Patrem, hoc est, si non vnusquisque mansionem sibi non ex largitate Dei, sed ex proprijs operibus prepararet: & ideo non est meum parare, sed vestrum.

Ad cap. 5. ad Galatas: Si ergo omne mandatum recapitulatur in eo, quod dictum est: *Diliges proximum tuum tanquam te*: fides autem per charitatem operata valet plurimum, manifestum est operationem fidei per charitatem, plenitudinem mandatorum omnium continere. Quomodo autem iuxta Apostolum Iacobum, *fides absque operibus mortua est*, sic absque fide, quamuis operā bona sint, mortua computantur? Qui igitur in Christo non credunt, & sunt probis moribus, aliud quid magis habent quàm opera virtutum. Exemplum fidei, quæ per charitatem operatur, de Euangelio illa meretrix tribuat, quæ cùm in domo Pharisæi accubanti Domino pedes lauisset lachrymis, tersisset crinibus, linisset vnguento, & Pharisæo murmurante Dominus parabolam quinquaginta & quingentos denarios debitoris proposuisset, adiecit: *Propter quod dico tibi: Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Et ad ipsam mulierem conuersus ait: *Fides tua te saluam fecit: vade in pace.* Apertè Luc. 7.
enim in hoc loco demonstratum est, mulierem istam habuisse fidem per charitatem operatam, quę multum valuerit in Christo.

Ad Matth. cap. 7. Sicut supra dixerat, eos qui haberent vestem vitæ bonæ, non recipiendos propter dogmatum nequitiam: ita nunc è contrariò asserit, ne his quidem accommodandam fidem, qui cùm polleant integritate fidei, turpiter viuunt & doctrinæ integritatem malis operibus destruunt.

Ad cap. 25. Matthæi: Oleum habent virgines, quæ iuxta fidem & operibus adornantur. Non habent oleum, quæ videntur simili quidem fide Dominum confiteri, sed virtutum opera negligunt.

Ad cap. 3 Sophoniæ: Frustra quis vocem Domini Dei sui audire se dicit, & confidere in Domino, quando operibus fidem destruit, & magis mammonæ iungitur, quàm Domino Deo suo.

Ad cap. 3. Michææ: Si autem iuxta LXX. quod dicitur, de hæreticis voluerimus accipere, qui verè pseudoprophetæ sunt, & dicunt: *Hæc dicit Dominus,* & Dominus non misit eos, non errabimus. Illi enim populum quondam Dei errore decipiunt, & hoc faciunt, vt comedant eos: vel simpliciter in accipiendis muneribus, vel mysticè in occisione animarum eorum, & promittunt eis pacem & regna cælestia, & dicunt, non necesse est vt viuas continenter & sanctè habeto fidem, quam docemus, & omnia promissa Domini consequeris: quæ loquentes magis aduersum eos iram Domini concitant, & prælium in illos sanctificant.

Epistola 27. ad Eustochium cap. 14. Fides & opera tua Christo te sociant: præsens facilius, quod postulas, impetrabis.

Gaudentius Brixiensis. 400.

In Præfatione ad Beneuolum: Non minore diligentia seruare studes Dei præcepta, quàm discere: robustam Catholicæ fidei professionem præclaræ vitæ meritis æquiparare contendens, vt habeat syncera fides opera suæ puritatis nitore condigna.

Tractatu 3. Cuius Agni nos sanguinem, signum videlicet passionis, vel in duobus postibus, seu fide & opere, seu corde & ore: vel in liminaribus

 haben-

habentes nostrarum frontium, ab omni incursu sæuientis plagæ protegimur.

Tract.4. Sobrij estote per omnia, &c. orationib. hymnis, Psalmis, & canticis spiritualibus nobiscum vigilanter incumbite. Hæc sint otij vestri opera, quibus debitum reddentes Christo Domino famulatum, mercedem vitæ æternæ consequi ab ipso possitis.

Ad Geminium de Villico iniquitatis: Vis autem nosse, quòd ad æternam vitam non per notitiam secretorum, sed per operum bonorum efficientiam peruenitur? Dominus &c. sic respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, &c.* Sicut caro sine anima, ita fides sine operibus mortua est, secundùm Iacobi sancti sententiam. Lumen quippe fidei tunc erit iuge atque perpetuum, si affatim bonorum operum pinguedine illuminetur.

Chromatius. 400.

Ad cap.5.Matth. O verè beata paupertas, quæ cùm nihil de mundi facultate habeat, tantum de cœlo largitur? Non dat quidem argentum vel aurum, sed, quod plus est diuitijs omnibus, reddit corporis sanitatem. Talium ergo pauperum Dominus docet esse regnum cœlorum, qui se causa religionis ac fidei seculo pauperauerunt, vt locupletem sanctum Spiritum possiderent.

Augustinus. 400.

De fide & operibus cap.14. Quare iam illud videamus, quod excutiendum est à cordibus religiosis, ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere solam fidem putauerint, bene autem viuere, & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam etiam temporibus Apostolorum, non intellectis quibusdam subobscuris sententijs Apostoli Pauli, hoc eum dicere quidam arbitrati sunt. Faciamus mala, vt veniant bona: quia
Rom. 3. dixerat: *Lex subintrauit, vt abundaret delictum vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia,* &c. Cùm ergo Apostolus dicit, *arbitrari se iustificari ho-*
Rom. 5. *minem per fidem sine operibus legis*: non hoc agit, vt percepta ac professa fide opera iustitiæ contemnantur, sed vt sciat se quisque posse per fidem iustificari, etiamsi legis opera non præcesserint. Sequuntur enim iustificatum, non præcedunt iustificandum, &c. Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta, aliæ Apostolicæ epistolæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ contra eam maximè dirigunt intentionem, vt vehementer astruant, fidem sine operibus nihil prodesse: sicut etiam ipse Paulus non qualemlibet fidem, qua in Deum creditur: sed eam salubrem, planeqúe Euangelicam definiuit, cuius opera ex dilectione procedunt: *Et fides,*
Gal. 5. inquit, *quæ per dilectionem operatur.* Vnde illam fidem, quæ quibusdam sufficere ad salutem videtur, ita nihil prodesse asseuerat, vt dicat: *Si habeam om-*
1. Cor. 13 *nem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Vbi autem hęc fidelis charitas
Rom. 13. operatur, sine dubio bene viuitur. *Plenitudo* enim *legis charitas.*

Sermone 39. de verbis Domini: *Declina à malo, & fac bonum*, & cùm hoc feceris, securus expecta vitam: & tunc bona fronte dices: Domine feci quod iussisti, redde quod promisisti.

Sermone 16. de verbis Apostoli: A fide incipit homo. sed quia & dæmones credunt, necesse est addere spem & charitatem.

Sermone 22. Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.

Ad cap.6. Ioannis: Magna quidem est fides, sed nihil prodest, si non habeat charitatem. Fide siquidem membra Christi & Ecclesia efficimur: viua autem membra sola efficit charitas.

Paulus Nolanus. 420.

Epistola 26. ad Vectrnium: Quid ergo miremur tam potentem te esse meritorum, tam diuitem gratiarum, cùm hoc tibi fuerit virtutum in Christo rudimentum, quod longorum laborum paucis consummatio est? Dubitemus etiam nunc, an perfectus sis, qui de perfectione cœpisti? Et si legitimè coronandus sis agone decurso, cùm currere cœperis à corona? Memineris, quæso te, nostri in illa die, qua te innumera meritorum tuorum cohorte comitatum, ornamentisq; felicibus comptum, vt pretiosam diademati suo margaritam rex æternus aptabit, nec tuarum tibi tantùm præmia, se debere virtutum iudex iustus agnoscet, &c.

Cælestinus. 425.

Epistola ad Gallos cap. 12. Tanta ergo omnes homines est bonitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona: atque pro his, quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus.

Sixtus Tertius. 433.

De malis Doctoribus & operibus fidei: Ex his omnibus credo iam manifestum esse, his tantùm professionem fidei ad vitæ gloriam profuturam, qui eam habere se bonorum operum exercitatione, & sanctæ conuersationis protestatione monstrauerint. Illis verò non satis eius prerogatiuam collaturam, qui vitam suam probroso delictorum inquinamento, & turpissimo flagitiorum cœno fœdauerint. Sed dices mihi, si fides absque iustitiæ operibus minus proderit, quo modo per Prophetam Dominus dicit: *Iustus autem meus ex fide* Abac. 2.
viuit? Non dixit, peccator in fide viuit, si in delictorum suorum conuersatione durauerit, aut si fidem habet, permanens in peccatis suis ex fide viuit, & peccatorem, etiamsi peccare non desinat, sola iustificat fides, demonstrare te par est. Cæterùm eius rei præmium, quod solis iustis promittitur, puto quòd in sua iniustitia perseuerantibus denegetur. Memento de baptizatis, non te catechumenis haberi sermonem. Præscius enim fuit Dominus nouissimis temporibus tales fore Doctores, qui sub velamento fidei omnem disciplinæ rigorem atque iustitiæ adulatoriæ niterentur persuasionis oblectatione destruere. Et idcirco huius sententiæ definitionem, ac inexpugnabilem iustitię murum ante construxit, quem nequaquam peruersæ doctrinæ aries possit agitare. *Iustus autem* Abac. 2.
meus ex fide viuit, hoc est dicere, illi tantùm fides proderit ad salutem, qui secundùm me iustus esse voluerit, &c. Ego, inquit Iacobus, ne solam sibi fi- Iacob. 2.
dem sufficere existimarent, nihil solius fidei prærogatiuam absque iustitiæ operibus ijsdem profuturam esse testatus sum.

Arnobius Iunior. 440.

Ad Psalmum 106. Tu Nouatiane dicis, qui adhuc non sunt redempti, ipsi possunt ad indulgentiam per pœnitentiam peruenire. Nos dicimus, illi per solam fidem ad indulgentiam pertingunt. Isti autem, qui iam redempti sunt, non per fidem solam, quæ iam crediderunt, sed per pœnitentiam perueniunt ad misericordiam Redemptoris.

Synodus Arausicana. 449.

Cap. 18. Debetur merces de bonis operibus si fiant: sed gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiant.

Prosper. 450.

De vita contemplatiua lib. 1. cap. 19. Eum, qui potest vti liberæ voluntatis arbitrio, nec opera sine fide, nec fides sine operibus iustificat.

Responsione ad cap. 6. Gallorum: Iustificatus homo, id est, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito, accipit donum, quo medio acquirat & meritum.

Ad Psalmum 111. *Potens in terra erit semen eius.*) Semen futuræ messis opera esse misericordiæ Apostolus testis est, dicens: *Bonum autem facientes non* Galat. 6.
deficiamus, tempore autem proprio metemus. Quid autẽ

potentius

potentius hoc semine, cuius impendio comparatur regnum cælorum, & vita æterna?

Ad Psalm. 125. De fructu bonorum operum pij coronabuntur agricolæ, & cum manipulis gloriæ, id est, meritis actionum aduentui Domini Saluatoris exultanter occurrent.

Petrus Chrysologus. 440.

Serm. 13. Tria sunt, fratres, per quæ stat fides, constat deuotio, manet virtus: oratio, ieiunium, misericordia. Quod oratio pulsat, impetrat ieiunium, misericordia accipit.

Leo Magnus. 450.

De collectis Sermone 4. Sciens Diabolus Deum nō solùm verbis, sed etiam factis negari, multis, quibus auferre non potuit fidem, sustulit charitatem: & agro cordis ipsorum auaritiæ radicibus occupato, spoliauit fructu operum, quos non priuauit cōfessione labiorum.

Sermone 5. *de collectis*: Hæc virtus omnes facit vtiles esse virtutes, quæ ipsam quoque fidem, ex qua iustus viuit, & quæ sine operibus mortua nominatur, sui admixtione viuificat. Quia sicut in fide operum ratio est, ita in operibus fidei fortitudo. Iacob 2.

De Epiphania Serm. 2. Sicut Magi de thesauris suis mysticas Domino munerum species obtulerunt: ita & nos de cordibus nostris, quæ Deo sunt digna promamus. Quamuis enim omnium bonorum sit ipse largitor: tamen nostræ etiam fructum quærit industriæ. Non enim dormientibus prouenit regnum cælorum, sed in mandatis Dei laborantibus atque vigilantibus.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Sermone de Dominica 4. Aduentus: *Dirigite*, inquit, *viam Domini*, vt ipse ad vos venire, & in vobis habitare dignetur, qui non nisi per viam rectam incedere nescit. Fides enim, & spes, & charitas, pietas, iustitia, & misericordia, viæ sunt, per quas ad nos Dominus venit, si eas habeamus & ad Dominum dirigamus.

Victor Cartenna Episcopus. 450.

De Pœnitentia cap. 33. Consequemur omnia, quæ ex fide credimus, si iustis nos actibus, & vita inuituperabili componamus. Merebimur remissiam omnium peccatorum, resurgemus in vitam æternam in resurrectione credentium, in regna cælorum cum iustis intrabimus, cum quibus partem per pœnitentiam habere meruimus.

Sedulius. 460.

Ad cap. 3. *ad Roman.* Sine quibus operibus legis Apostolus iustificari hominem per fidem dixisse credendus est? scilicet Circuncisionis, & Sabbati, & cæterorum huiusmodi, non absque iustitiæ operibus, de quibus B. Iacobus dixit: *Fides sine operibus mortua est.* Hîc autem de illo dicit, qui ad Christum veniens, sola, cùm credit, fide saluatur. Addendo autem, *sine operibus legis*, ostendit esse etiam gratiæ opera, sine quibus mortua est fides. Quomodo iustificatur homo sine operibus legis? Credit aliquis, percipit fidei sacramenta, & mortuus est, defuit illi operandi tempus, planè dicimus iustificatum, credentem in eum, qui iustificat impium. Ergo iste iustificatus, & operatus non est. Impletur sententia Apostoli, dicentis: *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis*, vt latro, qui cum Christo crucifixus credidit, & iustificatus est. Potest ergo homo iustificari ex fide sine operibus legis, cum fides per dilectionem operetur in corde, etiamsi foris non exit in opere. Fortassis autem hæc aliquis audiens, resoluatur, & bene agendi negligentiam accipiat: siquidem ad iustificandum sola fides sufficiat. Ad quem dicemus, quia post iustificationem, si iniustè quis agat, sine dubio iustificationis gratiam spreuit, neque enim ob hoc quis accipit veniam peccatorum, vt rursum sibi putet peccandi licentiam datam: indulgentia namque non futurorum, sed præteritorum criminum datur.

Ad caput 4. Iustificat Christus eos tantummodò, qui nouam vitam exemplis resurrectionis ipsius susceperunt, & vetusta iniustitiæ atque iniquitatis indumenta velut causam mortis abijciunt.

Ad cap. 5. ad Ephes. *Hoc autem scitote.*) Hoc contra illos agit, qui solam fidem posse sufficere dicunt.

Saluianus Massiliensis. 470.

De Prouidentia lib. 4. Spiritus sanctus nec fidem quidem dicit hominibus Christianis sine operibus bonis prodesse posse, &c. Hunc ipsum fidei fructum infructuosum Apostolus sine operibus bonis testatur esse, dicens: *Fides sine operibus mortua est.* Et iterum: *Sicut enim corpus sine spiritu, sic fides sine operibus mortua est.* Iacob. 2.

Salonius. 480.

In Parabol. Salomonis: Verè melior est frater idiota & simplex, qui operatur bona, quæ nouit, vnde vitam æternam mereatur in cælis.

In Ecclesiastis cap. 11. Vbicunque sibi homo locum ad futuram sedem præparauerit, siue ad Austrum, cùm ceciderit, id est, mortuus fuerit, in requie Paradisi & gloria regni cælestis permanebit in æternum. Si verò malè viuendo sibi locum præparauerit ad Boream, inferni pœnas luet in secula seculorum.

Mane semina semen tuum, & vesper ne cesset manus tua.) Semen hoc loco intelligendum est frumenti, vel alterius, sed semen boni operis, ex quo nascitur fructus iustitiæ, & merces æternæ remunerationis. Vt nullo tempore, nulla ætate à bonis operibus cessemus, & nostram matutinam iustitiam vesper inueniat, & vespertinam misericordiam iterum sol ortus accumulet.

Faustus Rhegiensis. 480.

Epistola ad Paulinum: Secundo quęsisti loco: vtrū sola proficiat ad salutem vnitæ scientię Trinitatis? In rebus diuinis non solùm credendi ratio requiritur, sed placendi. Fides ergo nuda meritis, inanis & vacua est, sicut Apostolus dicit: *Quid prodest, si quis fidem se dicit habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit seruare eum?* Sequitur enim: *Fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.*

Ferrandus Diaconus. 480.

In Pædagogo Christiani militis Regul. 5. Christus iudicaturus viuos & mortuos, & damnaturus incredulos, credentibus verò remissionem peccatorum largiturus, æternamque vitam si tamen in Ecclesia Catholica perseuerauerint, ab omni vitiorum contagione mundati.

Cæsarius Arelatensis. 480.

Homilia 2. Hoc diuinæ misericordiæ artificium est, vt dum pauperes patienter egestatem tolerant, indulgentiam peccatorum accipiant: similiter & diuites, dum superflua misericorditer erogant, vt à peccatis sę redimant, & ad præmia æterna perueniant. Considerate fratres charissimi, & videte, quia nulla excusatio nobis potest remanere, per quam dicamus peccata nostra non potuisse redimere.

Homilia 11. Taliter vos exhibere debetis fratres, tam sanctè, & tam iustè, & tam piè, vt merita vestra non solùm vobis sufficere, sed etiam peccantibus alijs in hoc seculo possint veniam impetrare.

Homilia 25. Nec hoc nobis sufficere putemus ad plenam salutem, quòd inter seruos Dei vel habitatione censemur: Clamat enim Dominus noster: *Non omnis, qui dicit mihi: Domine Domine, intro-* Matt. 7.

Rom. 2. *ibit in regnum cælorum.* Hoc quare? Quia *non auditores legis iusti sunt apud Dominum, sed factores legis iustificabuntur.*

Fulgentius 500.

Sermone de Confessoribus. Hoc ergo fratres necessarium est omnibus nobis, vt in bonis operibus nemo sit segnis, nemo sit sterilis, nemo præsentium delectatione futura contemnat, nemo æterna despiciens, sola temporalia peruersus aspiciat, nemo spiritualibus corporalia præferat, nemo terrena cælestibus anteponat, &c.

De remissione peccatorum lib. 2. cap. 1. Vita bona non veraciter dicitur, quæ peruersæ credulitatis vitio deprauatur: neque sufficit ad salutem fides rectè credentis, si conuersatio moribus atque operibus turpatur obscœnis. Propter quod sicut mortuam

Iacob. 2. sine operibus fidem beatus Iacobus prædicat: sic omne, quod non est ex fide, peccatum esse. Paulus sua prædicatione confirmat.

Alcimus Auitus. 500.

De consolatoria castitatis laude:

Non vanum præ se tumefacta scientia nomen
Nostra ferat, sed iuncta sibi dilectio subsit.
Nam si Christicolas nosmet sanctosq; putamus,
Aggrauat hoc etiam, nomen ni facta sequantur.

Hormisda 514.

Epistola 6. ad Anastasium A. Abraham pater noster non nuda Deo fide, sed opere fidem commendante placuit.

Primasius. 540.

Ad cap. 3. epist. ad Galat. Quæritur, vtrum sola fides sufficiat Christiano? Et vtrum non sit maledictus, qui Euangelica præcepta non seruat? Fides sufficit, vt primò credentem iustum efficiat, si deinceps in iustificatione permaneat: cæterùm sine operibus mortua est: sed fidei operibus, non legis.

Ad caput 5. Non ergo sola ad vitam sufficit fides, vt laciniosa legis præcepta vno dilectionis capitulo concludantur.

Ad cap. 5. ad Ephes. *Omnis fornicator, aut immundus.*) Contra illos agit, qui solam fidem dicunt posse sufficere ad salutem, sine operibus: quod de illis solis bene dicitur, qui post baptismum rapiuntur, & tempus non habent operandi.

Ad cap. 4. ad Hebræos. Magna quidem res & salutaris est fides: quoniam sine hac saluari non est alicui possibile, sicut scriptum est: *Sine fide impossibile est placere Deo*: sed ad salutem non sufficit sola fides: necessarium est operari per dilectionem fidei, & conuersari dignè Deo: quia fides sine operibus mortua est.

Arator. 540.

In historia Actuum Apostol. de Dorcade:

——————*Non murmure tristi*
Affectum pietatis agunt, nec ab ore frequentant
Instrumenta precum: quicquid bona facta merentur,
Officijs voluêre loqui.

Cassiodorus. 540.

In Cantica Canticorum cap. 7. Fides vtriusque populi maximè in operibus manifestatur. Nam sine operibus mortua est.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 4. Moral. cap. 31. Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa proculdubio discretio dignitatum: vt quo hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat.

Lib. 7. cap. 13. Qui promerendæ vitæ mercedem bene agendo non prouidet, in conspectu Domini vacuus apparet. Hinc de iustis per Psalmistam

Psal. 125 dicitur: *Venientes autem venient in exultatione, portantes manipulos suos.* Ad examen quippe iudicij portantes manipulos veniunt, qui in semetipsis recta opera, quibus vitam mereantur, ostendunt.

Homilia 9. in Ezechielem: Vnusquisque homo à Conditore suo aut fide recedit, aut opere. Sicut ergo, qui à fide recedit, apostata est: ita qui ad peruersum opus, quod deseruit, redit, ab omnipotente Deo apostata absque vlla dubietate deputabitur, etiamsi fidem tenere videatur. Vnum enim sine altero nihil prodesse valet: quia nec fides sine operibus, nec opera adiuuant sine fide, nisi fortasse pro fide percipienda fiant: sicut Cornelius ante pro bonis operibus meruit audire, quàm fidelis existeret.

Homilia 29. in Euangelia: Fortasse vnusquisque apud semetipsum dicat: Ego iam credidi, saluus ero: verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Summo bono libro secundo, cap. 2. Frustra libidinosus sibi de sola fide blanditur, si bonis moribus non ornatur: beatus est, qui rectè credendo bene viuit, & bene viuendo rectam fidem custodit.

De differentijs cap. 30. Fides sine operibus nequaquam prodest: quia non potest per fidem Deo placere, qui Deum contemnit in opere, ob hoc & *fides sine operibus mortua est*, iuxta Iacobum, & opus extra fidem vacuum est, iuxta Paulum.

Eucherius Gallus. 640.

In librum 4. Regum: Dominus noster ad nationum Ecclesiam veniens, & eam extra portam ciuitatis, patrio videlicet in errore reperiens, non eam signis, & mirabilibus, maximisq; portentis, vt Israëli fecerat, ad confessionem sui nominis prouocauit, sed verbo eidem tantummodò imperauit, dicens: *Da mihi pauxillum aquæ in vase, vt bibam, & buccellam panis in manu tua.* Aqua enim in vase fides accipienda est cordis, qua creditur ad iustitiam: buccella verò panis in manu, misericordiæ intelligendum est opus. Fides quoque & opera vinculo sibi quodam indissolubili connectuntur. Vbi enim vna defuerit, altera penitus non stabit. Iacob. 2.
Quia, vt Iacobus Apostolus ait: *Fides sine operibus mortua est*, & opera sine fide inania redduntur & friuola.

Aponius. 700.

Libro sexto in Cantica: Quod ergo ait: *quæ ædificata est cum propugnaculis suis*, docuit, non sufficere solam rectæ fidei sententiam ad deuitandas insidias inimici, nisi super hæc ædificata fuerint propugnaculorum exempla, quæ faciendo tradidit Christus Sermo Patris, manu fortis, id est, dilectio proximi, misericordiæ inconcussa veritas, contemptus præsentium rerum, tranquillitas mentis, ieiuniorum & assiduæ orationis consuetudo.

Beda. 700.

Ad cap. 16. Marci: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.*) Fortasse vnusquisque apud seipsum dicat: Ego iam credidi, saluus ero: verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera enim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit.

Ad cap. 1. Ioan. Consideremus quanta virtus est fidei, cuius meritò potestas datur hominibus filios Dei fieri. Vnde bene scriptum est: *Iustus ex fide viuit*, non illa, quæ labiorum tantùm confessione profertur, sed ea: quæ per dilectionem operatur. Iacob. 2.
Alioquin fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.

Gregorius Tertius. 730.

Epistola 2. ad Germanos: Facite fructus dignos, vt in die aduentus Domini nostri Iesu Christi syde-

veas mereamur adipisci mansiones.

Zacharias PP. 740.

Epistola ad Pipinum: Qui obedierit diuino præcepto, bonis actibus inhærens, habet vitam æternam.

Alcuinus. 750.

Libro 1. in Ioannem cap. 1. Vt vitam propter fidem & dilectionem per bona opera percipiamus æternam, gratia Dei est: quia ne à bono deuitemus itinere, ipso duce semper opus habemus, cui dicitur: *Deduc me Domine in via tua, & ambulabo in veritate tua.*

Lib. 1. de Trinitat. cap. 1. Ad veram & sempiternam beatitudinem nisi per fidem Catholicæ pacis, cooperante charitate Dei ac proximi, neminem peruenire posse certissimum est.

Claudius Altisiodorensis. 800.

Ad cap. 5. ad Galat. u: Non sola ad vitam sufficit fides, nisi quis sicut se diligit, ita & proximum: & non solùm ei malum non facit, quod sibi non vult, sed etiam bonum facit, quod sibi vult ab alio fieri: & vniuersam legem implet, quæ habet duo genera mandatorum, non faciendum malum, & faciendum bonum.

Haymo. 800.

Ad caput 4. Epistola ad Hebræos: Quisquis Deo non credit, non saluatur. Sed ad salutem non sufficit sola fides: necessarium est etenim cooperari per dilectionem fidei, & conuersari dignè Deo: quia *fides sine operibus mortua est, &c. Festinemus,* inquit, quoniam non sufficit sola fides, sed debet addi & vita fidei condigna.

Dominica 9. post Pentecosten: Non sufficit sola confessio, si defuerit bona operatio, Domino alibi dicente: *Quid autem vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Hinc Iacobus Apostolus ait: *Fides sine operibus mortua est.* Vnde eos, qui de sola fide gloriabantur, exemplo dæmonum terruit, dicens: *Tu credis, quoniam Deus vnus est? bene credis, & dæmones credunt, & contremiscunt.* Luc. 6. Iacob. 2.

Angelomus. 830.

Lib. 3. Regum cap. 7. Non sufficit præteritorum remissio peccatorum, si non quisque deinceps bonis studuerit insistere operibus. Alioquin diabolus, qui exierat de homine, si hunc à bonis viderit vacare, multiplicius redit, facitque nouissima hominis illius peiora prioribus, &c. Omnis, qui lauacrum Baptismi ad salutem accipit, & veram fidem, spem, & charitatem debet habere, nec sine his tribus virtutibus quisque aliquid iam operari, vel intrare ad vitam valet.

Lib. 4. Regum cap. 13. Qui solam fidem sine operibus bonis & meditatione legis Dei sibi sufficere credunt ad salutem, rectè à Propheta arguuntur: quia secundùm Apostoli Iacobi sententiam: *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* Iacob. 2.

Halitgarius Episcopus. 830.

De vtilitate Pœnitentiæ lib. 2. cap. 3. Verbum fidei prædicandum est, vt audiens credat, credens intelligat, & intelligens opus bonum perseueranter exerceat, & faciat. Quoniam nec opera sine fide, nec sine operibus fides sola iustificat. Et ideo: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.*

Christianus Druthmarus. 830.

Ad cap. 7. Matth. Non in hoc confidat aliquis, quia Christianus est: si non fecerit opera Christianitatis, non intrabit in vitam æternam: quia qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non seruat, mendax est.

Rabanus Maurus. 850.

In Ecclesiasticum lib. 4. cap. 6. Necessarium est vnicuique, vt dum viuit, & præualet, locum sibi æternæ beatitudinis rectè credendo & bene operando præparet: quia post finem istius vitæ non est tempus operationis, vt recipiat vnusquisque pro vt gessit, siue bonum, siue malum.

Ad caput 4. Hester: Quid enim aliud agunt Prædicatores sancti, quando Catechumenos suos instruunt veritate fidei nisi vt bonis operibus eâdem fidem eos adornare doceant: ieiunijs, orationibus, atque eleemosynis, cæterisque virtutum operibus pristinas sordes veteris hominis abluere, & noui decorem induere festinent?

Remigius Antisiodorensis. 880.

Ad Psal. 77. Virtus nostra & pulchritudo sunt Baptismus, & cætera, quæ in manus inimici traduntur, quando quisque se saluari putat per fidem tantùm, velut multi, qui negligendo bene operari, dicunt: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit:* non attendentes, quia *Fides sine operibus mortua est.* Marc. 16 Iacob. 2

Radulphus Flauiacensis. 950.

In Leuiticum lib. 15. cap. 4. Nemo sanctificatur, qui fidem non habens, à corpore eius, quæ est Ecclesia, alienus efficitur. Quòd si etiam fidem habeat mortuam, quæ per dilectionem non operetur, nec illa sanctificare eum potest. Odibilis verò est eorum præsumptio, qui cùm aut infideles sint, sine fide se iustificari existimant: aut si etiam fideles sint, cùm infidelium mores habeant, vel Sanctos se putant, vel sanctitatis laudem contra conscientiam affectant.

Smaragdus. 970.

De Ascensione Domini: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.*) Fortasse vnusquisque, &c. *vt supra in Beda.*

In diademate Monachorum cap. 4. Quamuis nonnulli videantur sancti fide & operibus esse participes: tamen qui priuantur à charitate fraternæ dilectionis, nullum habent incrementum virtutis. Nam sicut ait Apostolus: *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Sine amore charitatis, quamuis quisque rectè credat, ad beatitudinem peruenire non potest, quia tanta est charitatis virtus, vt etiam prophetia & martyrium sine ea nihil esse credatur. Nullum præmium charitati pensatur: Charitas enim virtutum omnium obtinet principatum.

Cap. 63. Ille dignè Deo ambulat, qui fidem, quam in baptismate per gratiam Domini suscepit, bonis operibus quotidie accumulat, qui membra sua, quæ sunt super terram, mortificat, vt Deo spiritualiter viuat.

Radulphus Ardens. 1030.

Dominica 2. Quadragesimæ: Quicunque vult rectè viuere, metam sibi statuat Deum, viam intret, id est, fidem teneat: proficiendo addat bonum opus, bono operi bonum studium, bono studio bonam dietam, bonæ dietæ, vt sic ad Deum valeat peruenire. Non enim sufficit fides sine operibus habenti lo um & tempus, sicut nec via sine progressu: quia, vt ait Iacobus, *Fides sine operibus mortua est:* Et item: *Dicis quia credis, & dæmones credunt, & contremiscunt.* Sed nec sufficiunt opera sine fide, sicut nec celerrimus cursus extra viam. Tenete fidei viam: quia *sine fide impossibile est* quicquam *placere Deo.* Proficite etiam in operibus, sine quibus non est promouere, sed remanere.

In Communi plurimorum Martyrum: Nec fides cordis, nec confessio oris sufficiunt, si non sequatur, si tempus adfuerit, attestatio operis. Teste enim Iacobo: *Fides sine operibus est mortua: Dæmones enim credunt, & contremiscunt.* Vnde in Euangelio dicunt: *Fili Dei, vt quid venisti ante tempus torquere* Iacob. 2.

bona æterna, quæ speranda sunt: sine ista fide impossibile est placere Deo, & cum ista impossibile est displicere Deo.

Potho Pruniensis. 1160.

De statu domus Dei lib. 1. Quia fides non est otiosa, neque solitaria, indiuidua comes ei iungitur bonæ operationis instantia. Nam cùm per fidem quisque cognita incipit amare, consequenter exercet operando quod amat. Fides namque per dilectionem operatur. Ergo cognitio diuinitatis, quæ ex fide datur, & fructus bonæ operationis, quæ est probatio fidei ac dilectionis, inseparabiliter ei adsit, qui cupit in semetipso inuenire locum Domino tabernaculum Deo Iacob. Fide siquidem atque operatione domus Domini structura in nobis proficit, &c. Hoc fundamentum fidei in opere domus nostræ primo loco ponitur, vt consequenter reliquæ partes structuræ superædificentur. Post fundamentum quippe paries spei leuatur, &c. Spes est fiducia futurorum bonorum ex gratia, & ex bona conscientia. In spe proficit virtutis ædificium, cùm mens ad summa erigitur. Spes autem vera est certitudo, veniens ex præcedentibus meritis, & ideo sine meritis aliquid sperare, non spes, sed præsumptio debet dici, & sine charitate nullum est meritum. Charitas verò merito & ordine maior est, & in ædificio spiritali summum tenens locum, tectum consummat, &c. Vigilanti cura mens conseruet naturæ beneficium, vt ad id, quod à conditore casualiter inditum est per liberum arbitrium, adiuuante gratia virtutis, adipiscatur meritum, & per meritum acquirat æternæ beatitudinis præmium.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 3. in dedicatione Templi: In domo gratiæ fundamentum est Fides, de qua dicit Apostolus:
Heb.11. *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Tectum est charitas, de qua Ia-
Iacob.5. cobus ait: *Charitas operit multitudinem peccatorum.*
Matt.19. Ostium obedientia, de qua Dominus ait: *Si vis intrare ad vitam, serua mandata.* Pauimentum humi-
Psal.118. litas, de qua Psalmista: *Adhæsit pauimento anima mea.* Quatuor laterales parietes sunt quatuor principales virtutes, iustitia, fortitudo, prudentia, temperantia. Hæc sunt in Apocalypsi quatuor la-
Apo.10. tera ciuitatis æqualia. Fenestræ sunt hospitalitas cum hilaritate, & misericordia cum largitate. Hæc est domus, de qua Dominus ait: *Si quis diligit me,*
Ioan.14 *sermones meos seruabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Sermone habito in Concilio Lateranensi: Vigilemus, & dormiamus: sed dormiamus à malis, & vigilemus in bonis. Siquidem vitæ perfectio in duobus consistit, in declinandis vitijs, & in exercendis
Psal.36. virtutibus, secundùm illud: *Diuerte à malo, & fac bonum.* Per alterum vitamus supplicium, per alterum acquirimus præmium.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap.1. Non solùm virgines & continentes, verùm etiam coniugati per fidem rectam & operationem bonam placentes Deo ad æternam merentur beatitudinem peruenire.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica in Albis, Them. de epist. Illa fides mundi blandimenta contemnit, quæ per dilectionem operatur, & de se non præsumit, sed in Deo sperat, & ab ipso auxilium flagitat. Verè enim credit, qui sic viuit, quomodo Deus præcipit. Fides enim dicitur, vt fiant dicta. Hæc est fides, qua Deum corde credimus, ore confitemur, opere fidei nostræ testimonium perhibemus. Vnde beatus Iacobus ait: *Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam, &c.*

Hæc fides, *quæ per dilectionem operatur,* non est otiosa. Qui enim diligit regem, non negligit eius legem, qui præcipit bona operari, & mundum prohibet diligi.

Alexander Alesius. 1240.

Parte 4. quæst.24. memb. 4. artic.5. Opera facta in mortali ad multa valent, vt supra tactum est: multò plus & ad plura valent facta in charitate. Et valent ad septem, quæ his versibus continentur:

Virtus multiplicans opus, hæc in mente relinquit:
Iucundat, stabilit, auget bona, crimina purgat,
Debilitat legem membrorum, pigritiamque
Tollit, & insultus tentantis dæmonis aufert.

Albertus Magnus. 1240.

Ad cap. 7. Matth. Perfecta inuocatio conficitur ex tribus: ex deuotione & fide cordis, & confessione oris, & operis attestatione. Et tunc perfecta est inuocatio, &c. Regnum cælorum non intratur, nisi per obseruationem iustitiæ, & legum ad ipsum regnum pertinentium. Vsus autem doctrinæ sine iustitia non est veritas regni, sed vanitas nudi sermonis.

Thomas Aquinas. 1250.

Prima 2. quæst. 114. artic.4. Meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem: ad alias autem virtutes secundariò, secundùm quod earum actus à charitate imperantur.

Ad cap. 3. Apocalyps. Fides cum operibus necessaria est ad salutem.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. secundum Iacobi: Vtrumque necessarium est ad iustificationem. Nam fides, quæ non operatur per dilectionem, mortua est, & informis: & iterum opera sine fide non sunt Deo placentia.

Ludolphus Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 1. cap.66. Ad efficaciam merendi tria valent. Primum est, difficultas operis, quod patet in martyrio: quia, vt ait Gregorius, maioris meriti est, aduersa patienter tolerare, quàm bonis operibus insudare. Secundum est, promptitudo voluntatis: quia, secundùm Apostolum, *Hilarem datorem diligit Deus.* Tertium est, magnitudo 2.Cor.9.
charitatis: quia ipsa charitas pondus est sanctuarij, secundùm quod omnia, quæ in templo erant, ponderabantur. Et ideo opus tantum in conspectu Leu.27.
iudicis ponderat, quantum amor, vnà procedit. Opera autem bona meritoria sunt trium, scilicet vitæ æternæ, augmenti gratiæ, remissionis pœnæ, &c.

Ioannes Taulerus. 1350.

Dominica prima Quadragesimæ Sermone 2. Certa fide tenendum est, neminem mandatorum Dei & sanctæ Ecclesiæ obseruatione, virtutumque exercitio absolutum & exemptum esse. Nemo etiam cum Deo vniri potest in otio, nisi & amet Deum, atque desideret. Nemo sine bonis operibus aut sanctus est, aut esse potest. Nulli fas est à bonorum operum studio & exercitio cessare. Nemo in Deo quiescere potest absque amore diuino. Nemo in Deum subleuari potest, quamdiu hunc neque desiderat, neque sentit. Nulli à diuinis & sanctis operibus otiosum esse licet, sed omnipotenti Deo multa cum gratitudine quisque cooperabitur, ne diuinam præpediat operationem. Indubiè quoque tenendum est, hominem in virtutibus proficere, mereri quoque, & exercere se posse quoad vixerit, atque ipsa Dei opera in seipsis esse æterna, & incommutabilia.

Catharina Senensis. 1370.

Tractatu primo capite quadragesimo sexto: His, qui si-

qui fidem absque virtuosis operibus habent, apertissimè dicitur: quia fides eorum est omninò mortua.

Ioannes Gerson. 1420.

Tractatu de verbis Domini: *Venite ad me omnes*: Notandum, quòd vnaquælibet bona operatio nostra & regratiatoria est præteritorum, & meritoria futurorum Dei donorum: futurorum, inquam, tam in præsenti, quàm in futura vita, &c. Sicut peccatum aliquod pœna est peccati præcedentis, & causa subsequentis: ita è regione virtus est donum virtutis præcedentis & causa subsequentis: & nihilominus vtriusque, tam virtutis videlicet, quàm peccati retributio manet in æternum. Ecce quibus meritis, & quibus modis obtinere possum regnum cælorum.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De Institut. & regimine Prælatorum cap. octauo: Singulis condigna dabitur gloria, pro qualitate mentis, pro mensura virtutis, pro labore certaminis, & pro ardore charitatis. Nam apud æquissimum iudicem nostrum nulla cognoscetur esse personarum acceptio, sed operum singulorum retributio vera.

Ioannes de Turre cremata. 1460.

Tractatu tertio in Regulam Diui Benedicti: Succincti ergo fide, vel obseruantia bonorum operum.) Hic sanctus Pater reddit discipulum suum attentum doctrinæ suæ: & hoc ex tribus. Primò, ex necessitate bene operandi: quia absque bonis actibus ad regnum cælorum non peruenitur. Secundò, ex debito reuerentiæ diuinæ maiestatis, quæ nos continuè expectare dicitur, vt sanctis suis monitis & præceptis factis respondeamus. Tertiò, ex cruciatu pœnæ gehennalis, quam indubiè incurrunt sanctæ obedientiæ contemptores.

Ioannes Trithemius. 1500.

Homilia tertia, Quæ sit armatura militiæ spiritualis: Quotiescunque de fide Scriptura loquitur, non vulgaris & mortua, sed bonis operibus formata, atque diuini amoris dulcedine illustrata semper oportet intelligatur. Nemo enim saluabitur per fidem tantùm, sicut Iacobus dicit in epistola: sed oportet fidei coniungere Christianæ opera pietatis.

ARTICVLVS QVARTVS.

ORATIONEM HOMINIS RECTE IN CHRISTVM CREDENTIS ESSE OPVS BONVM, AD SALVTEM NON MINVS VTILE, QVAM NECESSARIVM.

NEGANT.

Anno ante natũ Christũ 300. EPICVRVS, *qui* (vt est apud Ciceronem lib. 1. de Natura Deorum) *dixit Deum nihil agere, nullis occupationibus implicari, nulla opera moliri, sua tantùm sapientia & virtute gaudere: sic prouidentiam tollendo, omne orationis studium, non solùm extenuauit, sed etiam omnino sustulit. Quid enim prodest orare Deum, si nostra non curat, si nulla est diuina prouidentia?*

200. *Peripatetici, quia omnia fatali necessitate fieri volebant, credebant preces ad Deum fusas nullius esse momenti.* Clemens lib. 5. Stromat. Origenes lib. 2. contra Celsum.

Post natũ Christũ 180. *Prodicus, qui Cyrenaicorum Philosophorum dogmata sectabatur, dicebat, non esse orandum.* Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromat.

400. *Pelagiani, si non vtilitatem, certè necessitatem orationis tollebant, cùm dicerent, posse homines suis viribus bene viuere, seruare mandata, gratiam Dei & gloriam promereri. Quare Augustinus tum libro de hæresibus cap. 88. tum epist. 106. ad Paulinum inter præcipuos Pelagianorum errores posuit, quòd destruerent orationes Ecclesiæ.*

1080. *Bogomili omnes orationes præter Dominicam multiloquia vocant, & sola Dominica vtuntur.* Euthymius in Panoplia.

1300. *Begardi dicunt orare non debere hominem, postquam gradum perfectionis fuerit consecutus.* Clemens Quintus Extra de hæreticis cap. 3. Aluarus Pelagius de planctu Ecclesiæ lib. 2. artic. 52. Bernardus Lutzemburgensis de Begardis.

1390. *Ioannes VVicleuus,* teste Thoma VValdensi Tom. 3. cap. 1. & 2. *docebat, Deum non requirere à nobis cogitationem, aut vocem, sed bonis operibus esse contentum. Idem etiam cùm diceret, tria esse genera orationis: aliam esse orationem mentalem, aliam vocalem, aliam vitalem: in oratione vitali; id est, in operibus bonis omnia comprehendi, & ipsam solam sine mentali & vocali ad salutem sufficere contendebat.*

Articulus 26. VVicleui Constantiæ damnatus: *Oratio præsciti nihil valet.*

1420. *Barbara Sigismundi Imperat. coniunx ancillas suas sæpè orantes & ieiunantes increpauit, quòd corpus suum frustra macerarent, stultumque cæli numen verbis placari crederent.* Æneas Syluius historiæ Bohemicæ cap. 59.

1520. Martinus Lutherus de pijs cæremonijs in cœtu Ecclesiæ seruandis: *Non existimemus Deum placari multo murmure, aut recitatione precationum, vt hactenus obseruatione cæremoniarum factum est.* Sermone de Ascensione Domini: *Constanter dicimus, orando etiam peccare iustum. Iuxta illud:* Et oratio eius fiat in peccatum.

1540. Sebastianus Francus Paradoxo 205. *Plurimum orantes vt minimum orant.* Paradoxo 206. *Oratio non est sacrificium.* Betten ist kein Gottesdienst.

1550. *Lutherani quidam, persuasi à Luthero, omnia necessitate absoluta fieri, orationem, tanquam rem inutilem, penitus reijciunt. Nam si omnia necessariò fiunt, frustra quis, inquiunt, Deum orat pro eare, quæ si futura est, etiamsi non oret, eueniet: & si futura non erit, etiam si oret, nunquam eueniet.* Alphonsus de Castro contra hæreses de oratione.

1560. Ioannes Monhemius, in Catechismo Dialogo 6. *Non nostras exigit preces Deus, vt ijs ad largiendum moueatur, sed vt fiduciam, spem, atque amorem nostrum erga se, tanquam optimum & benignissimum Patrem alat, & extolat, dum orantibus ea dat, quæ daturus erat aliàs.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Exodi 17. *vers.* 10. Pugnante Iosue cum Amalec, cùm leuaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. Manus autem Moysis erant graues: sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit: Aaron autem & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte. Et factum est, vt manus illius non lassarentur vsque ad occasum solis. Fugauitque Iosue Amalec, & populum eius in ore gladij.

1. *Regum* 12. 17 Nunquid non messis tritici est hodie? inuocabo Dominum, & dabit voces & pluuias: & scietis, & videbitis quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem. Et clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces & pluuias in die illa.

4. *Regum* 20. 1. In diebus illis ægrotauit Ezechias vsque ad mortem: & venit ad eum Isaias filius Amos, Propheta, dixitque ei: Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe domui tuæ: morieris enim tu, & non viues. Qui conuertit faciem suam ad parietem, & orauit Dominum, dicens: Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te fecerim Fleuit itaque Ezechias fletu magno. Et antequam egrederetur Isaias mediam partem atrij, factus est sermo Domini ad eum, dicens: Reuertere, & dic Ezechiæ duci populi mei: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymam tuam: & ecce, sanaui te, die tertio ascendes templum Domini. Et addam diebus tuis quindecim annos: sed & de manu regis Assyriorum liberabo te, & ciuitatem hanc, & protegam vrbem istam propter me, & propter Dauid seruum meum.

1. *Esdræ* 8. 23. Ieiunauimus autem, & rogauimus Deum nostrum pro hoc: & euenit nobis prosperè.

Psalmo 49. 15 Inuoca me in die tribulationis: & eruam te, & honorificabis me.

Psalmo 119. 1. Ad Dominum cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me.

Prouerb. 15. 29. Longè est Dominus ab impijs: & orationes iustorum exaudiet.

Ecclesiastici 18. 22. Non impediaris orare semper.

Ecclesiastici 35. 20. Qui adorat Deum in oblectatione, suscipietur: & deprecatio illius vsque ad nubes propinquabit. Oratio humiliantis se nubes penetrabit: & donec propinquet non consolabitur: & non discedet, donec Altissimus aspiciat.

Matthæi 6. 6. Cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi in manifesto.

Matth. 7. 7. Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti, aperietur.

Lucæ 18. 1. Oportet semper orare, & non deficere.

Lucæ 21. 36. Vigilate itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.

Ioannis 14. 13. Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: vt glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

Coloss. 4. 2. Orationi instate: vigilantes in ea in gratiarum actione.

1. *Thess.* 5. 17. Sine intermissione orate.

Iacobi 5. 16. Orate pro inuicem, vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua. Elias homo erat similis nobis passibilis: & oratione orauit vt non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum orauit: & cælum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum.

1. *Ioannis* 5. 14. Hæc est fiducia quam habemus ad Deum: quia quodcunque petierimus secundùm voluntatem eius, audit nos. Et scimus quia audit nos quicquid petierimus.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Iustinus Martyr. 150.

De veritate Christianæ religionis: Quis vestrum ignorat, precationem eam maximè flectere Deum, quæ ad commiserationem mouendam lachrymis est comparata ab eo, qui supinus prouoluitur, & in genua procumbit?

Ireneus. 180.

Libro 2. *cap.* 56. Sæpissimè propter aliquod necessarium ea, quæ est in quoquo loco, Ecclesia vniuersa postulante per ieiunium, & supplicationem multam, reuersus est spiritus mortui, & donatus est homo orationibus Sanctorum.

Clemens Alexandrinus. 200.

Libro 5. Stromaton: *Pulsanti* enim, inquit, *aperitur. Petite, & dabitur vobis.* Qui enim regnum rapiunt, sunt violenti, non contentiosis sermonibus, sed rectæ vitæ assiduitate, & orationibus, quę fiunt sine intermissione, dicti sunt vim afferre, vt qui ex prioribus peccatis contractas abstulerint maculas.

Libro 7. *Stromaton*: Precatio est conuersatio & collocutio cum Deo: licet ergo susurrantes, & ne labra quidem aperientes, tacitè loquamur, intus clamamus. Omnium enim intrinsecus paratam collocutionem Deus exaudit perpetuò, &c. Hic mihi venit in mentem quorundam qui diuersa sentiunt, nempe Prodici hæresis sectatorum dogmatum, quæ inducunt non esse orandum. Ne ergo de hac sua impia sententia, tanquam noua & aliena hæresi se efferant, sciant eam quidem prius fuisse acceptam à Philosophis, qui dicuntur Cyrenaici. Suo autem tempore dicetur aduersus impiam execrandorum illorum dogmatum cognitionem, ne si huic Commentario inferetur contra eos disputatio, quæ de ijs prolixa futura esset pertractatio, interrumperet cœptam orationem, cùm nos solùm ostendamus verè pium ac religiosum Dei esse cultorem, qui ex regula Ecclesiastica verè est cognitione præditus, cui soli, cùm ex Dei voluntate dispertiat ac distribuat, fit petitio, cùm petiuerit atque adeò cogitauerit. Quomodo enim quicquid vult potest Deus, ita quicquid petierit is, qui est cognitione præditus, id accipit. Omnino enim nouit Deus eos, qui bonis digni sunt, & qui non, vnde & dat ea, quæ singulis conueniunt. Quamobrem indignis, etiamsi sæpe petiuerint, non dabit: dabit autem scilicet ijs, qui sunt digni. Non est tamen petitio superflua, etiamsi bona dentur absque oratione.

Origenes. 230.

Homilia 11. *in Exodum*: Populus Dei non tam manu & armis, quàm voce & lingua pugnabat: id est, orationem fundens ad Deum, prosternebat inimicos. Ita ergo & tu, si vis vincere inimicos, eleua actus tuos, clama ad Deum, vt dicit Apostolus: *Orationi instantes, & vigilantes in ea.* Hæc enim est Christiani pugna, qua superat inimicum.

Col. 4. *Homilia* 13. *in Numeros*: Sed nec contra Amalechitas quidem tantum vis armorum, quantum Moysis valuit oratio. Vt enim eleuasset Moyses manus ad Deum, vincebatur Amalech. Remissæ verò & deiectæ, vinci faciebant Israel, &c. Audierat Balach rex Moab, quia populus hic orationibus vincit, & pugnat aduersus hostes ore, non gladio, & ob hoc sine dubio apud semetipsum cogitauit, dicens: Quoniam quidem orationibus populi huius, & precibus nulla possunt arma conferri, ideo etiam mihi tales aliquæ preces, & talia requirenda sunt arma verborum, & orationes tales, quæ superare possint orationes istorum.

Eusebius. 320.

Ecclesiast. hist. lib. 5. *cap.* 5. Antonini fratrem Marcum Aurelium Cæsarem, fama est, contra Germanos & Sarmatas aciem instruentem, cùm exercitus illius ingenti siti opprimeretur, omninò non habuisse quid ageret. Vnde milites in ea legione, quæ Melitina appellabatur (quæ sanè ab illo tempore ad hanc nostram ætatem magnopere propter fidem commendata est) in ipsa acie contra hostes instructa, genibus humi positis (vt nobis, cùm oramus, in more est) se ad preces Deo adhibendas totos conuertisse dicuntur. Ac dum hostes eiusmodi spectaculum magnoperè mirabantur, aliud quoddam multò admirabilius statim insecutum fertur. Fulmen enim hostes in fugam vertisse, eosque interemisse: & imbrem in exercitum eorum, qui diuini numinis opem implorauerunt, de cælo affatim ruentem, eum vniuersum (qui parum aberat, quin præ siti intolerabili iam iam extingueretur) refecisse, recreasseque. Eadem historia apud gentiles Scriptores, qui longè à nostra religione dissentiunt, quique laborem cœperunt ea, quæ illis temporibus gerebantur, literis persequendi, commemoratur. Commemoratur etiam à nostris.

Constantinus Imperator. 320.

Oratione ad Sanctorum cœtum cap. 26. Nemini obscurum est, sanctissimum manuum ad cælos sublatarum cultum, cum fide pura & syncera coniuncta, Deo deberi, & precibus obsecrationibusque, quæ manibus eleuatis fiunt, omnia, quæ ad hominum commoda efficiuntur, rectè geri. tantumque emolumentum inde & ad priuatum, & ad communem vsum apportari, quantum quisque sibi suisque charissimis optauerit. Pugnas viderunt gentiles, bellum conspicati sunt, prouidentia Dei victoriam populo suo largiente. Animaduerterunt etiam Deum precationum nostrarum virtute nobis opem tulisse. Est enim iusta precatio res planè inexpugnabilis, ac nemo sanctè religioseque precatur, qui non id, quod est in optatis, assequatur. Nec mundus aliquando repulsam fert, nisi solùm cùm vacillet fidei constantia. Iacob. 1.

Athanasius. 340.

In vita D. Antonij: Necessarium est, donum spirituum discernendorum à Domino petere, vt possimus tam fraudes eorum, quàm studia præuidentes, aduersum disparem pugnam vnum Dominicæ crucis eleuare vexillum. Hoc munere Paulus accepto, docebat, dicens: *Non enim eius ignoramus astutias*, &c. Hostile illis contra omnes Christianos, 2. Cor. 2. maximè verò contra Monachos & virgines Christi, odium est. Eorum semitis laqueos tendunt, eorum mentes impijs atque obscœnis cogitationibus nituntur euertere: sed nihil vobis in hoc terroris incutiant. Fidelium enim orationibus atque ieiunijs ad Dominum, statim corruunt, &c. Pertimescit Satanas rectè viuentium vigilias, orationes, ieiunia, mansuetudinem, &c.

Basilius Magnus. 370.

De Precatione & Oratione 2. Necessarium est nos, fratres, precationem nostram nō syllabis explere, sed magis animi proposito, & actionibus, quæ virtute omni tempore vitæ nostræ cōdiantur, &c. Nō enim simplicia verba orationis prosunt, sed illud

demum,

demum, quod ex feria animi affectione proficiscitur, &c. Omni tempore fac memor sis Dei, ô homo, & ipsum etiam atque etiam extimesce, omnesque in societatem orationis recipito. Magni enim ponderis eorum auxilium est, qui possunt precibus flectere Deum, & supplicationes mutuæ, cùm in hac vita salutares sunt, tum cùm ex hac vita decedimus, copiosum nobis viaticum ad vitam futuram suppeditabunt.

Macarius Ægyptius. 370.

Homilia 43. Nulla maior virtus est, nulla efficacior consolatio, quàm vera inuocatio. Si enim fuerint dæmones robustis montibus fortitudine pares, tanquam ab igni cera comburentur ab oratione.

Ephram. 370.

Sermone de Virginitate: Desidera orationem, familiare cum Deo colloquium. Omnis enim oratio sancta & pura cum Deo familiariter agit. Oratio autem perfectè Deum desiderantium magna cum lætitia fiduciaque multa ipsum etiam cælum iugiter penetrat. In ipsa Angeli atque Archangeli exultant, & coram throno sancti & excelsi vniuersorum Domini in illam statuunt.

Sermone de orando Deum, siue de oratione: Quan-
Psal.54. docunque poteris, genua flecte: quando non potueris, mente Deum inuoca, & vesperi, & manè, & meridie. Quòd si orationem operi præmiseris, & surgens è lecto primorum motuum tuorum initia ab oratione duxeris, aditus peccato in animam non patebit. Oratio temperantiæ est custodia, iracundiæ frænum, animi elati repressio, & ad modestiam reuocatio, odij ob acceptas iniurias medicina, inuidiæ destructio, impietatis correctio. Oratio, corporum robur, rei familiaris administratio, recta iuris legumque constitutio, regni potentia, trophæum atque vexillum belli, tutela pacis. Oratio virginitatis sigillum est, fides nuptiarum, viatorum præsidium, dormientium custos, euigilantium confidentia, agricolarum fertilitas, nauigantium salus. Oratio reorum patrona, vinctorum relaxatio, mœrentium consolatio, lætantium iucunditas, lugentium solamen, celebritas festi natalitij, coniugum corona, morientium sepultura. Oratio cum Deo est colloquium, par cum
Ionæ 1. Angelis honor, proborum promotio, ab improbis
& 2. auersio, & peccantium emendatio. Oratio Ionæ
Esa.38. Prophetæ balænam pro domo concessit: Ezechiam
4.Re.20 ex portis mortis ad vitam reduxit: ipsisque tribus
Dan. 3. pueris in Babylone flammam ignis in flatum roris
3.Reg.17 conuertit. Oratione Elias cælum clausit, ne plueret
& 18. annis tribus, & mensibus sex. Videtis, fratres, quid
Luc.4. quantumque valeat oratio. Neque enim est alia in
Iacob.5. tota vita humana pretiosior oratione possessio: ab hac nunquam vos separari patiamini, ab hac nunquam recesseritis.

Gregorius Nyssenus. 380.

De oratione Dominica Orat. 1. Per orationem cum Deo esse contingit. At qui cum Deo est, ab aduersario remotus est. Oratio pudicitiæ præsidium atque
Luc.18. tutamen est, iræ moderatio, superbiæ sedatio atque repressio, iniuriarum tenacis memoriæ expurgatio, inuidiæ profligatio, iniustitiæ sublatio, impietatis correctio. Oratio corporum robur est, abundantia domus, recta iuris ac legum in ciuitate constitutio, regni vires, belli trophæum, pacis securitas, dissidentium reconciliatio, coniunctorum conseruatio. Oratio virginitatis sigillum est, matrimonij fides, viatoribus scutum, dormientium custos, vigilantium fiducia, agricolarum fertilitas, nauigantium salus, &c. Oratio conuersatio sermocinatioque cum Deo est: visum effugientium contemplatio, eorum, quæ concupiscuntur, certa fides: eiusdem cum Angelis honoris conditio, bonorum progressus & incrementum, malorum subuersio, peccatorum emendatio, præsentium fructus, &c. Oratio Ionæ quidem cetum domum effe-
cit: Ezechiam verò ex portis mortis ad vitam re- Ionæ 3.
duxit: tribus autem adolescentibus in ventum ro- 4.Re.20
rantem flammam conuertit: Israelitis aduersus Dan.3.
Amalecitas trophæum erexit, & centum octoginta Exod.17
quinque millia Assyriorum vna nocte gladio inui- 4.Re.19
sibili prostrauit. Atque sexcenta præter hæc ex ijs, quæ iam acciderunt, exempla licet inuenire: quibus palam fit, nihil ex ijs, quæ per hanc vitam coluntur, & in pretio sunt, orationi præstare, &c. Oratio petitio est bonorum, quæ Deo cum supplicatione offeruntur.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Libro 1. *de orando Deum:* Vitam piam, ac Dei cultu dignam, miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, & ceu thesaurum recondit animis nostris, &c. Neque enim fieri potest, non potest, inquam, fieri, vt qui postulant à Deo pudicitiam, iustitiam, mansuetudinem, ac benignitatem, non
assequantur id quod petunt. *Petite* enim, inquit Matt. 7.
Dominus, *& dabitur vobis*, &c. Quisquis enim non orat Deum, nec diuino colloquio cupit assiduè frui, is mortuus est, & vita carens, expersque sanæ mentis, &c. Arbitror itaque cunctis esse manifestum, quòd simpliciter impossibile sit, absque precationis præsidio cum virtute degere, cumque hac huius vitæ cursum peragere. Etenim qui fiat, vt quis virtutem exerceat, nisi continenter adeat, vt supplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem suppeditat ac largitur hominibus? Rursum qui fiat, vt aliquis concupiscat esse temperatus ac iustus, nisi lubens cum eo consuetudinem & colloquium habeat, qui cùm hæc, tum his etiam plura exigit à nobis? Quin & illud paucis demonstrare volo, quòd etiam si nos peccatis refertos precatio deprehenderit, celeriter purgatos reddit. Quid itaque maius aut diuinius obtingere possit, quàm deprecatio, cùm hanc animis ægrotantibus pharmacum quoddam esse liqueat? &c. Iam verò quòd animam peccatis obnoxiam deprecatio facilè puram
reddit, docet nos Publicanus ille, qui petijt à Deo Luc.18.
remissionem peccatorum, & impetrauit. Docet & Matt. 8.
leprosus, qui simul vt procidit ad pedes Dei, mundatus est.

Libro 2. *de orando Deum:* Adhæc quantum valeat ac possit sancta precatio, vel hinc cognoscas licebit, si consideres, quantum bonorum singulis diebus ac singulis horis accipiant hi, qui iugiter Deo supplicant. Quem enim fugit, quòd solis, Lunæ, stellarumque lumen, quòd cæli temperiem, ac variam alimentorum copiam, quòd opes, quòd vitam, denique quòd alia innumera bona cuncta ex æquo mortalibus largitur Deus iustis pariter atque impijs, videlicet ob immensam suam humanitatem, qua afficitur erga nos? Porrò si nec rogantes, nec postulantes, tanta quotidie misericordia prosequitur ac refocillat, quantis bonis probabile est fruituros eos, qui per omnem vitam precibus & obsecrationibus vacârunt? Agè iam & illud exponamus vobis, quàm multis Sanctis datum sit, deprecationis præsidio seruare, non solùm gentes ac ciuitates, verùm etiam orbem vniuersum, &c. Deprecatio incendij vim exuit, leones mites reddit: hoc quidem in Daniele, illud verò in tribus pueris, per quos nimirum declaratum est omnibus, quòd quoscunque deprehenderit in periculo constitutos, facilè exurgentibus malis eripiat deprecatio, salutis causa, immortalitatis animæ conciliatrix, Ecclesiæ murus, qui rumpi non possit, munimentum inconcussum, dæmonibus quidem formidabile, pijs verò nimirum nobis salutiferum.

Marcus Eremita. 400.

De his, qui putant se operibus iustificari cap. 88. Ad parandum Dei subsidium nihil est precatione efficacius, aut potentius, atque ad eiusdem beneplacitum nihil illa vtilius.

Nilus Abbas. 420.

De oratione cap. 2. Oratio est colloquium mentis cum Deo. Quo igitur statu oportet esse mentem, vt possit vsque ad Dominum suum extendi, & non conuerti retrò, cum eoque sine vllo interprete, & sequestre colloqui?

Cap. 5. Vtere lachrymis ad rectè orandum, antequam petas: Oratione enim lachrymantis magnopere Dominus delectatur.

Cap. 78. Oratio est actio atque vsus mentis præstantior & purior, qui dignitatem eius in opere docet.

Ioannes Cassianus. 420.

Collat. 9. cap. 11. Obsecratio est imploratio seu petitio pro peccatis, qua vel pro præsentibus, vel pro præteritis admissis suis vnusquisque compunctus veniam deprecatur.

Cap. 32. Cùm orantes nos nulla interpellauerit hæsitatio, & fiduciam petitionis nostræ quadam desperatione deiecerit, si obtinuisse nos in ipsa orationis effusione quod poscimus senserimus, non ambigamus preces nostras ad Deum efficaciter penetrasse. Tantum enim quis exaudiri atque obtinere merebitur, quantum vel inspici se à Deo, vel Deum crediderit posse præstare. Irretractabilis
Marc. 11. namque est illa Domini sententia: *Quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & venient vobis.*

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Ad Esaia cap. 37. Non caruit præmio, quòd ad domum Dei cucurrerit, simulque precibus doloris quoque lachrymas emiserit. Placatur sic humanissimus vniuersorum Dominus.

Theodoretus. 450.

Lib. 7. de Sacrificijs: Sufficit Deo rationabilis congraque oratio super omnes greges ouium & caprarum, supra omnia boum armenta, eamque libenter accipiens rependit offerentibus quæ conueniant. Opem enim suam indigentibus porrigit, eosque opportuna oratione defendit ab eorum manibus vindicatos, qui eis detrimenta inferre conabantur.

In historia sanctorum Patrum cap. 16. Medici vnicuique morbo exhibent conueniens medicamentum: Sanctorum autem deprecatio, est commune omnium malorum remedium.

Isaac Presbyter. 460.

De mundi contemptu cap. 22. Oratio refugium est auxilij, & fons salutis, ac confidentiæ thesaurus, & lumen ijs, qui in tenebris sunt, & portus liberans à tempestate, & confortatio infirmorum, & protectio tentationum, & auxilium in ægritudinis violentia, & clypeus liberationis in prælio, & sagitta acuta contra inimicos. Et simpliciter dico, per orationem habet iudicium tota multitudo bonorum, & ideò epulatur homo in oratione fidei, & cor eius decoratur ex confidentia, & nullatenus in priori cæcitate & oris locutione moratur, cùm taliter animo percipit, tunc possidet orationem in anima sua, sicut thesaurum, & præ multa lætitia formas orationis in voces gratiarum commutat.

Titus Bostrensis. 460.

Ad cap. 11. Lucæ: Hæc per modum parabolæ proponuntur, ne ignauo negligentique animo precationi insistamus, neve, si prima fortè oratione fusa auditi non fuimus, secundam statim, tamquam quæ nullum nobis operæpretium afferre queat, auersemur, &c. Hæc igitur, aliaque similia animo versantes, orationi impigrè incumbamus, in eaque constanter perseueremus. Etenim quæ citra sudorem obtingunt, vel ex parato subministrantur, ea, vt non contemnantur, certè minoris plerumque fiunt. Cùm enim dicit: *Quærite*, laborem: cùm verò, *pulsate*, constantiam, & quandam importunitatem iniungit. E rebus igitur, quæ apud nos receptæ sunt, quod vtile est, venari discentes, quæramus, pulsemus, & importunè insistamus.

Andreas Cæsareensis. 500.

In Apocalypsin cap. 71. Ex animo mansueto, cordeque humili mundoque humilis, constansque, & turbationis exors oratio nascitur, quæ mentem Deo, qui occultorum inspector est, exhibet ab omni terrena & materiali cogitatione nudam & immunem, & à diabolicis imposturis & insultibus liberam. Sanè impostor ille, & hostis nihil æquè desiderat, atque cordi nostro, cùm Deum interpellare, familiariterque cum eo versari contendit, adulterino modo sese insinuare, atque ea corruptionis semina ipsi inserere, per quæ ab vnione cum Deo abstrahatur: ne videlicet in illius meditatione exardescat ignis, quæ illius molitiones, occultosque conatus absumat frangatque.

Isychius. 580.

In Leuit. lib. 1. cap. 2. Quomodo in thure accipiatur oratio, quærens eius vim, perscrutansque cognoscis. Vt quippe eo contra interiores passiones medici solent, oculorumque ægritudinis curare vulnera: & si quis incendens fumum eius suscipiat, restringit accedentes ex infirmitate lachrymas. Hoc eodem modo oratio quoque plurima operatur: hæc quippe maximè animæ passiones sanat, hæc etiam intelligibilium oculorum curat vulnera, absoluens ab ignorantia, atque ex ea, quæ verè est ægritudo, id est, ex peccato lachrymas accedentes saluat. *Infirmatur enim quis in vobis*, ait Iacobus, *conuocet Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum.* Iacob. 5.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 28. de oratione virtutum matre: Oratio in qualitate quidem sua coniunctio atque vnitio est, hominis videlicet & Dei: secundùm actionem verò constantia mundi, ornatus collectio, reconciliatio Dei, lachrymarum mater, earumque item filia, peccatorum propitiatio, tentationum pons, tribulationum interpositus pariete, bellorum confractio, Angelorum opus, incorporearum omnium virtutum cibus, futura lætitia, infinita operatio, virtutum fons, gratiarum ministra, profectus inuisibilis, nutrimentum animæ, mentis illuminatio, desperationis amputatio, spei & fidei demonstratio, tristitiæ solutio, Monachorum diuitiæ, solitariorum thesaurus, iræ minutio, speculum profectus, mensurarum indicium, status insinuatio, futurorum reuelatio, clementiæ significatio. Oratio eis, qui rectè orant, curia, & iudicium, & tribunal Domini ante futurum tribunal est.

Antiochus. 600.

Homilia 105. Sit sanè in ore tuo perpes ac iugis Psalmus: Deus enim dum nominatim aduocatur, dæmones abs te submouet longius, ac profligat.

Homilia 106. Vacare orationi indiuulsè ac iugiter, cum primis necessarium, & nobis perquàm frugiferum est. A Deo igitur & Patre Domini nostri IESV Christi postulemus, nobis vt imper-

tiat intelligentiam spiritualem, qua veluti conciliatrice, & attenti simus, & peruigiles, ab ipso vt postulare nouerimus eius voluntatem fieri in nobis, &c. Sanè oratio mansuetudinis est & inirascentiæ germen: oratio est gaudij, & gratiarum actionis tutelare propugnaculum, tristitiæ verò & pusillanimitatis amuletum præsentaneum. Oratio cum luctu coniuncta, & ad Deum effusa in spiritu alimonia mentis est, haud secus ac panis corpori.

Maximus Monachus. 640.

Centuria 3. cap. 80. Quoniam multum valet deprecatio iusti efficax, scio duobus modis hanc efficacem esse. Vno quidem, quando precator cum operibus mandatorum orationem præsentat Deo, & non in nudo duntaxat sermone, & inani vocis sono linguæ sitam precationem, quæ vacua excidit, & non subsistit: sed efficacem, & viuam, operibus mandatorum animatam. Orationis enim & precationis fundamentum est profectò per virtutes præceptorum implementum, quo validam, & quæ potest omnia, iustus obtinet orationem mandatis incumbentem. Altero autem modo, cùm is, qui opus habet oratione iusti, peragit orationis opera, tum emendatione pristinæ vitæ, tum valida precatione iusti, per honestam eius conuersationem potentiore facta. (Iacob. 5.)

Dialogo de Incarnatione Verbi: Orationis gratia mentem Deo conglutinans, ab omnibus segregat cogitationibus, & tunc mens nuda cum Deo conuersans, Deo similis efficitur: hoc cùm fit, ab eo decentia petit, nec vnquam preces illæ fiunt inanes. Quapropter Apostolus indesinenter orare iubet, quo assiduè mentem ad Deum eleuantes, paulatim rerum materialium abijciamus affectus. (1. Thes. 5)

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 3. cap. 24. Oratio est mentis ad Deum ascensus: aut, eorum à Deo postulatio, quæ postulare conuenit.

Historia Barlaam cap. 20. Qua ratione cum Deo colloqueris? Nimirum per orationem & obsecrationem ad eum appropinquans. Nam qui ardentissimo desiderio ac purgato pectore orat, atque ab omnibus rebus ex materia concretis, & terrenis abducta mente, tamquam coram Deo astat, ac cum metu ac tremore preces ad eum adhibet, hic nimirum cum eo consuetudinem habet, facieque ad faciem cum eo colloquitur. Siquidem bonus noster Deus ac Dominus vbique adest, eos, qui syncero ac puro animo ipsum precantur, exaudiens: quemadmodum ait Propheta: *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.* (Psal. 33.) Quo fit vt Patres, hominis cum Deo coniunctionem, orationem esse definiant, eamque Angelorum opus, ac futuræ lætitiæ præludium appellent. Siquidem in hoc potius, quàm in vllis alijs rebus situm esse cælorum regnum censent, vt quis ad sanctam Trinitatem appropinquet, eamque contempletur. Quam quidem ad rem cùm precandi assiduitas mentem velut manu ducat, non abs re beatitudinis illius prę ludium, ac velut effigies quędam appellata est. Verùm non omnis oratio eiusmodi est; sed ea demum hoc nomine nuncupanda est, quæ Deum, qui orationis materiam oranti suppeditat, magistrum habet, quæque supra terrena omnia assurgit, atque cum Domino Christo sine vlla intermedia re versatur. Hanc velim tibi acquiras, atque in ea prouehi contendas. Etenim ipsa hanc vim habet, vt te à terra in cælos subuehere possit, &c.

Michael Syngelus. 830.

In Martyrio Dionysii Areopagitæ: Totus diuinę resurrectionis amator ac pugil efficitur, assiduis precibus die noctuque intentus, totam noctem ducit insomnem.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 14. Ioannis: Per petitionem, orationem, & inuocationem nominis eius mira operari quis poterit. Ita & Apostoli: *In nomine Iesu Christi surge, & ambula.* (Actor. 3.)

Ad 2. Corinth. 1. *Adiuuantibus & vobis per orationem pro nobis.)* Hinc discimus ipsius orationis vim. Multum enim efficit precatio Ecclesiæ, si fiat vt oportet. Et adeò, vt & Paulus hac opus habeat.

Ad Philemonem: *Per orationes vestras donabor vobis.)* Duo hic discimus: alterum, quòd sit ingens orationum virtus: siquidem Paulus talis tantusque illarum ope indigeat: alterùm, quòd oporteat nos humiles esse spiritu.

Euthymius. 1080.

In Psalm. 8. *Admirabile est nomen tuum in omni terra,* cuius sola inuocatio dæmones fugat, mortuos suscitat, ægritudines pellit, elementa commutat, & omnia potest.

Ioannes Zonaras. 1100.

Tomo 3. Annalium, de Imperio Constantini, Constantij, & Constantis: Iulianus in Persidem ingressus, dæmonem in Occidentem misit, qui & inde celeriter responsum perferret. Eum dæmonem quidam Monachus progressu per decem dies prohibuit, ita vt dęmon progredi non valens ad Iulianum redierit. Iuliano causam moræ sciscitante, non modò, inquit Dæmon, tardè, sed etiam re infecta redij. Expectabam enim dum Publius quidam Monachus precandi finem faceret: qui cùm decem dies continenter precaretur, non potui iussum tuum exequi.

Nicolaus Cabasilas. 1280.

De Liturgia cap. 1. Hanc nobis habent potestatem preces, Psalmi, & si quid sacrosanctè in ea fit, & dicitur: Nos enim sanctificant & disponunt, partim quidem, vt rectè suscipiamus, partim autem vt sanctificationem conseruemus, & retinere pergamus. Dupliciter autem sanctificant. Vno quidem modo, quo ab ipsis precibus iuuamur, & Psalmis, & lectionibus. Preces enim ad Deum conuertunt, & peccatorum remissionem conciliant, & Psalmodiæ similiter eum nobis efficiunt propitium, & quod illinc dependet momentum attrahunt: *sacrifica* enim, inquit, *Deo sacrificium laudis,* & liberabo te, & glorificabis me.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Respons. 1. cap. 13. Præparatio ad id opus conducibilis, sunt preces, Psalmorum cantiones, & frequens lectio sacrarum literarum, &c. Quoniam igitur tanta rectæ ad participanda mysteria præparationis necessitas est: oportuit etiam hanc adesse huius sacræ operationis constitutioni, vt & adest. Hanc enim vim possident preces, Psalmi, cæteraque sacra ibi dicta factaque. Sanctificant enim nos, & disponunt, tum ad rectam perceptionem, tum ad firmam sanctificationis retentionem. Dupliciter autem sanctificant. Vno modo, quo ex ipsis precationibus, Psalmorum cantationibus, & è lectionibus meliores reddimur. Precationes enim ad Deum conuertunt, peccatorumque veniam à Deo impetrant: similiter & cantiones Psalmorum ipsum nobis placant, eiusque inclinationem voluntatis ad nos attrahunt.

(*₊*)

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis Lemonicensis Episcopus. 100.

Ad Tholosanos cap. 15. Oratio vobis necessaria est. Instantes itaque orationi instate quotidie. Quia aduersarius vester in circuitu quærens, vt fera pessima, quem ex quibus Dei dilaceret: qui maximè per fidem stabilem & orationem puram fugit ab ouili Dei.

Tertullianus. 200.

De Oratione cap. 9. Ab ipso igitur (*Deo*) ordinata religio orationis, & de spiritu ipsius iam tunc, cum ex ore diuino ferretur, animata suo priuilegio ascendit in cælum, commendans Patri, quæ Filius docuit. Quoniam tamen Dominus prospector humanarum necessitatum, seorsum post traditam orandi disciplinam: *Petite, inquit, & accipietis,* & Ioan.16. sunt quę petantur pro circumstantia cuiusque, pręmissa legitima & ordinaria oratione, quasi fundamento, accidentium ius est desideriorum, ius est superstruendi extrinsecus petitiones.

Libro 2. *contra Marcionem cap.* 26. Ad hoc, famulo suo Mosi dixit Deus: *Sine me, & disperdam illos,* vt Exod.32. ille postulando & semetipsum offerendo non sineret, atque ita disceres, quantum liceat fideli, & Prophetæ apud Deum.

Cyprianus. 250.

1.Ioan.2. *De oratione Dominica*: Cùm Christum habeamus aduocatum apud Patrem pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris petimus, aduocati nostri verba promamus. Nam cùm Ioan. [illegible] dicat: Quia quodcunque petierimus à Patre in nomine eius, dabit nobis, quanto efficacius impetramus quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione? Sit autem orantibus sermo & precatio cum disciplina, quietem continens & pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare: placendum est diuinis oculis & habitu corporis, & modo vocis, &c. Nec verbis tantùm, sed & factis Dominus orare nos docuit, ipse orans frequenter & deprecans: & quid facere nos oporteret, sui exempli contestatione demonstrans, sicut Marc.1. scriptum est: *Ipse autem fuit secedens in solitudinem, & adorans.* Et iterum: *Exiuit in montem orare, & fuit* Luc.6. *pernoctans in oratione Dei.* Quòd si ille orabat, qui sine peccato erat, quanto magis peccatores oportet orare? Et si ille per totam noctem iugiter vigilans, continuis precibus orabat, quanto nos magis in frequentanda oratione debemus nocte vigilare? &c. Sollicitè & cautè Apostolus admonet, Col.4. dicens: *Orationi instate, vigilantes in ea,* docens scilicet, & ostendens, eos impetrare quod postulant de Deo posse, quos Deus videat in oratione vigilare. Orantes autem non infructuosis, nec nudis precibus ad Deum veniant. Inefficax petitio est, Matt.3. cùm precatur Deum sterilis oratio. Nam cùm *omnis arbor non faciens fructum excidatur, & in ignem mittatur,* vtique & sermo non habens fructum, promereri Deum non potest, qui nulla est operatione fœcundus. Et ideo Scriptura diuina instruit Tob.12. dicens: *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna.* Nam qui in die iudicij præmium pro operibus & eleemosynis redditurus est, hodie quoque ad orationem cum operatione venienti benignus auditor est. Sic denique Cornelius Centurio cùm oraret, meruit audiri: faciens fuit multas eleemosynas in plebem, & semper orans Deum. Huic circa horam nonam oranti astitit Angelus, testimonium reddens sui operis, & dicens: *Corneli orationes* Act.10. *tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt ad memoriam coram Deo.* Cito orationes ad Deum ascendunt, quas ad Deum merita operis nostri imponunt. Sic & Raphael Angelus Tobiæ oranti semper, & semper operanti testis fuit, dicens: *Opera Dei reuelare & confiteri honorificum est.* Nam *quando orabas tu &* Tob.12. *Sara, ego obtuli memoriam orationis vestræ in conspectum claritatis Dei.*

Lactantius. 320.

Diuinarum Institutionum lib. 6. *cap.* 25. Vt sit Deo charus, omniquè macula careat, misericordiam Dei imploret semper, nihilquè aliud precetur, nisi peccatis suis veniam, licet nulla sint.

Hilarius. 350.

In Psalm. 54. Promptæ semper precationi hominum Dei aures sunt.

In Psalm. 60. Protectionis meritum ex fide orationis indultum est, secundùm illud: *Petite, & dabitur vobis.*

In Matth. Can. 6 Vt igitur sentiamus credamusquè omnia, & nullo ambiguæ voluntatis differamur incerto, orandum est, quærendum est, pulsandum est: oratione misericordiam, inquisitione profectum, tentamento aditum reperturis. Quinetiam ad spem obtinendi exemplo humani affectus docemur Nam cùm nos filiis piscem panemve poscentibus, non serpentem simus aut lapidem reddituri; quanto magis nobis optimus ac præstantissimus Pater Deus orantibus perfectæ fidei munera largietur, neque sit pro vitæ cibo lapidem duritiæ gentilis, aut pro Baptismi conseruatione serpentem veneni hæretici præstiturus.

Ambrosius. 370.

Sermone 93. *in Natali Sanctorum Nazarij & Celsi*: Oratio, quæ castitatis, iustitiæ, eleemosynarum operibus adiuuatur, excedit mundum, penetrat paradisum, euolat vsque ad ipsum summæ maiestatis Angelo conferente conspectum. Sicut quodam loco vox testatur Angelica: *Et cùm tu,* inquit, Tob.12. *orares, ego obtuli orationem tuam in conspectu claritatis Dei.* Beata anima, charissimi, cuius votum, cuius compunctionis incensum, cuius supplicationis holocaustum, nulla infidelitate fumidum, nullo carnalis illecebræ fœtore pollutum, nulla sæuitia cruentum, nulla odij simultate maculatum, sed fide igneum, conscientia nitidum, synceritate cordis odoriferum, concordia & charitate perfectum, vsque ad Dei vultum per cælestium nuntiorum defertur obsequia.

Hieronymus. 390.

Ad cap. 7. *Hieremiæ: in ea verba: Tu ergo noli orare.*) Ne videatur rogans Propheta non impetrare quod postulat, præcipit Deus, ne pro populo peccatore, & nullam agente pœnitentiam deprecetur. Quod autem dicit: *& non resistas mihi*: illud ostendit, quòd Sanctorum preces Dei iræ possint resistere. Vnde & Dominus loquitur ad Moysen: *Dimitte me, vt percutiam populum istum, & faciam te in gentem magnam.* Exo.32. Et in Psalmis legitur: *Et stetit Phinees,* Psal.105 *& placauit, & cessauit quassatio, & reputatum est ei ad iustitiam.* Aaron quoque accepto thuribulo, inter Num.16 ignem, arsurumquè populum medius stetit, & ira Dei cessauit.

Augustinus. 400.

Sermone 230. *de Tempore*: Oratio est refectio ieiuniorum, aduocat gratiam Spiritus sancti. Oratio duritiam cordis mollit, austeritatem temperat, ieiunium dulcificat. Sicut enim sine potu non est plena refectio, sic & ieiunium sine oratione non potest animam perfectè nutrire. Quid autem oratio, nisi ascensio animæ de terrestribus ad cæ-

lestia, inquisitio supernorum, inuisibilium desiderium? Abeat, dissensio secularium morum, quibus premitur mens humana quotidie. Oratio coniunctio Spiritus sancti: si tamen orationi intentus sit animus: sicut clamat Propheta: *Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi & caro mea.* Quid autem sitiendum est, sequitur: *Vt videat virtutem.* Credite mihi, si ad videndam plenam virtutem Dei plenè sitiant animæ humanæ substantiæ, nec fastidio victa dissimulet, replebitur adipe & pinguedine spiritali. Et sitiens illam Dei visitationem sensu
Psal. 62. proprio cum fide clamabit: *Adhæsit anima mea post te, suscepit me dextera tua.* Ieiunium inertiam tollit de anima, impedimenta carnalia aufert. Oratio verò perseuerans iungit Deo, atque ita gaudens assistere se Domino gloriatur.

Paulinus Nolanus. 410.

Natali 8.

Quanta precum virtus, quæ sit medicina parenti
Flere Deo, doceat luctu seruata Niniue,
Et senis impensa Moysi prece victus Amalech,
Et maledictus Aman sancta prece perditus Esther,
Qui bene pœnarum versa vice, quæ malè sanctis
Miscuerat, solus bibit impius, & cruce iusta,
Quam populo Domini præfixerat, ipse pependit, &c.
Quid loquar Heliæ precibus clausum atque reclusum
Cœlum, & sanctiloquo sublimis in ore Prophetæ
Terrarum mansisse famem, rediisse salutem?

Paulus Orosius. 420.

Lib. 7. cap. 36. Igitur Mascezil iam inde à Theodosio sciens, quantum in rebus desperatissimis oratio hominis per fidem Christi à clementia Dei impetraret, Caprariam insulam adijt, vnde secum sanctos seruos Dei aliquot permotos precibus suis sumpsit: cum his orationibus, ieiunijs, psalmis, dies & noctes continuans, sine bello victoriam meruit, ac sine cæde vindictam.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia 2. de cruce & sepultura: Tum citius nostra exauditur oratio, cùm Christum, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur. Hoc etiam exemplo Moses sanctus, cùm contra Amalech bellum gereret, non armis, non ferro, sed eleuatis eum ad Deum manibus superauit.

Leo Primus. 450.

Sermone 2. de ieiunio septimi mensis cap. 2. Grata est Deo, & terribilis diabolo ieiunantis oratio: nec latet quantum acquirat saluti suæ, tantum præstat alienæ.

Prosper Aquitanicus. 460.

De vocatione gentium lib. 2. cap. 36. Quamuis quod statuit Deus, nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrij deuotio relaxatur: cum implendæ voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, vt per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum: & qui bona gesserint, non solùm secundùm propositum Dei, sed etiam secundùm sua merita coronentur.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 28. Quomodo nauis sentinatur à fistula, sic anima ab omnibus malis oratione Dominica liberatur; si dicat, & verum dicat: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Homilia 33. Vt Deo auxiliante possimus hęc complere, & hostem callidissimum opitulante diuina gratia reuincere, ieiuniorum, vigiliarum, vel orationum arma nobis debemus iugiter prouidere.

Saluianus. 480.

Lib. 2. de prouidentia Dei: Semper ad audiendas Sanctorum preces paratæ sunt Domini nostri aures, semper attentæ sunt.

Boëtius. 500.

In Prosa 6. lib. 5. Nec frustra sunt à Deo positæ spes precesque. Cùm rectæ sint, inefficaces esse non possunt.

Eugippius Abbas. 500.

In vita S. Seuerini Norici: Quibus ea nocte ab illis finibus exterminatis imperio diuino, probatum est, quantum valeat oratio fidelis, &c.

Ennodius Ticinensis. 500.

Epistola ad Faustum: Quicquid medicina mortalium non valet, fusæ ad Deum preces impetrant.

Cassiodorus. 540.

In Psalm. 118. *Intret postulatio mea in conspectu tuo, &c.* Per hanc præsentiam quanta sit virtus piæ orationis ostenditur, quia nos per ipsam præsentamur, quando illa conspectibus Domini offerri posse cognoscitur, sicut alio Psalmo dicitur: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.*

Ad cap. 5. Cantic. Omnibus quidem se piè quærentibus adest Dominus semper, se inuocantibus respondet, id est, ad salutem exaudit, &c. Ad hoc plerumque differt vota & orationes Sanctorum, vt ardentius eum desiderare incipiant. Exaudit ergo Christus semper electos suos, sed semper quasi declinat, cùm non statim postulata concedit.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 1. Dialogorum cap. 9. Hoc ex magna Conditoris nostri dispensatione agitur: vt per minima, quæ percipimus, sperare maiora debeamus. Exauditus namque est in rebus vilibus puer sanctus & simplex, vt in paruis disceret, quantum de Deo præsumere in magnis petitionibus deberet.

In Psalmum 6. pœnitentialem: Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicit: *Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matt. 11.
Esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus, caue ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire quem rogas, esto raptor, vt regnum cælorum accipias: esto violentus, vt vim etiam ipsis inferas cælis. Quid hac rapina locupletius? Quid hac gloriosius violentia? Bona violentia, qua Deus non offenditur, sed placatur; proximus non læditur, sed iuuatur; peccatum minuitur, non multiplicatur.

Isidorus Hispalensis. 620.

De summo bono libro 3. cap. 7. Hoc est remedium eius, qui vitiorum tentamentis exæstuat, vt quoties quolibet tangitur vitio, toties se ad orationem subdat. Quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit. Tamen perseueranter intendere oportet animum nostrum, orando & pulsando, quousque importunas desideriorum carnalium suggestiones, quæ nostris obstrepunt sensibus, fortissima intentione superemus, ac tamdiu insistere, quousque persistendo vincamus. Nam negligentes orationes nec ab ipso homine impetrare valent quod volunt. Quando quisque orat, sanctum ad se Spiritum aduocat: at vbi aduenerit, confestim tentamenta dæmonum, qui se mentibus humanis immergunt, præsentiam eius ferre non sustinentes, effugiunt. Oratio cordis est, non labiorum. Neque enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor aspicit, &c. Sicut orationibus regimur, ita psalmorum studijs delectamur. Psallendi enim vtilitas tristia corda consolatur, gratiores mentes facit, fastidiosos

oblectat, inertes exuscitat, peccatores ad lamenta inuitat, &c.

Eligius. 640.

Homilia 11. in Cœna Domini: Sedulæ preces prouocant animum iudicis ad misericordiam. Et sicut militi sine armis ad bellum exire non conuenit, ita homini Christiano procedere quolibet sine oratione non expedit. Egredientes de hospitio armet oratio, regredientibus de platea animo occurrat. Quicquid Christianus inchoat, antea dirigat orationem ad Dominum. Quicquid perficit, & hoc cum oratione perficiat: & semper sensu, mente, voce, & opere, omnipotentem Dominum oret, vt det ea velle, dicere, pariter & facere, & ea vsque ad boni operis perseuerantiam retinere, quibus ad vitam perpetuam feliciter peruenire concedat: frequenter orationibus insistat, & mala sua præterita cum lachrymis, & gemitu quotidie in oratione Deo confiteatur.

Concilium Toletanum Quartum. 643.

Cap. 9. Nonnulli sacerdotum in Hispanijs reperiuntur, qui Dominicam orationem, quam Saluator noster docuit & præcepit, non quotidie, sed tantùm die Dominica dicant. Et quia sine intermissione vt oremus, Apostolus docuit, qualiter autem oremus Christus præcepit, dicens: *Cùm autem oratis, dicite: Pater noster qui es in cœlis:* Quomodo ergo quotidie non dicitur, quod sine intermissione dici iubetur? Nam in tantum quotidie hæc oratio dicenda est, quantum & ipso titulo vtitur, dum vocatur oratio quotidiana, &c. Ergo sicut Christus præcepit, sicut Apostolus monuit, & quemadmodum Doctores Ecclesiastici instituerunt, quia quotidie vel cogitatione, vel verbo delinquimus, quotidie hanc orationem effundere in conspectu Dei debemus.

1. Thes. 5
Matt. 6.

Beda. 700.

Ad cap. 1. Actorum: Vnanimiter perseuerant in oratione, qui aduentum sancti Spiritus expectant. *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Et ideo quicunque eius promissa cupierit accipere dona, perseueranter debet instare precibus, fraterna charitate conditis.

Ad cap. 5. Iacobi: *Multum valet oratio iusti.)* Decenti astruit exemplo, quantum deprecatio iusti assidua valeat, cùm Helias vna tantùm oratione orando, tam longo tempore cælos continuerit, terris imbres auerterit, fructus mortalibus negauerit: & rursus, vbi voluit, vbi tempus esse perspexit, vbi longa inediæ tabe cor regis superbi, & gentis idololatræ ad pœnitentiam vidit inflexum, vna solummodò oratione orauerit, & fructus atque aquas, quas negauerat, terris restituerit. Semel ergo & prius, & postmodum orauit, & hic vnus Elias talia, ac tanta impetrauit, quantum valet frequens plurimorum oratio iustorum? Sed ne trepidaret nostra fragilitas, reputans se tanto Prophetæ, qui curru igneo rapi meruit ad cælos, similia facere non posse, consultè B. Iacobus, de eius oratione locuturus, ita inchoauit: *Helias homo erat similis nobis, passibilis. Homo* namque *erat,* tametsi nulla virtute secundus: *& similis nobis,* origine carnis: *passibilis,* vt nos, & mentis fragilitate & carnis.

Ambrosius Ansbertus. 760.

Lib. 4. cap. 8. in Apocalyps. Non autem mirum, si orationes nostræ vel lachrymæ non per nos, sed per summum Pontificem, nostro Deo offerantur, cum Paulus exhortetur, dicens: *Per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo.*

Heb. 13.

Lib. 8. cap. 18. Oratio fumi virgula dicitur, quia dum sola cælestia postulat, secreta progreditur, vt ad terrena, atque temporalia appetenda, pro terreno studio minimè reflectatur.

Idiota. 800.

De Amore diuino cap. 18. Amor & dilectio postulata à te promptè & facilè obtinet. Quia illum, qui te veraciter diligit, libenter exaudis, & postulata ei concedis.

Haymo. 820.

Ad cap. 5. Canticorum: Ad hoc plerunque differt vota, & orationes Sanctorum Deus, vt ardentius eum desiderare incipiant.

Homilia de Feria 2. Litaniarum: Assidua debet esse fidelium deprecatio, si obtinere cupit quod petit.

Angelomus. 830.

Ad cap. 1. lib. 1. Regum: *Respexit Dominus ad orationem Annæ,* &c. Nobis optimus modus orandi ad exemplum datus est, vt non in multiloquio formemus preces nostras ad Dominum, sed in compunctione cordis, & effusione lachrymarum nos exaudiri ab eo credamus. Quia *sacrificium est Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non* spernit. Quod tunc dignè fit, si oratione completa, in eodem tenore iustitiæ permaneamus.

Rabanus Maurus. 850.

De modo Pœnitentiæ cap. 4. Nec prius obsecratione cessemus, quàm impetrare peccatorum nostrorum veniam mereamur. Hoc enim verè est constantis animæ & pertinacis, vt nequaquam repellatur à perseuerantia deposcendi, desperatione impetrandi: sed perseueret ac persistat in precibus, donec misereatur Deus.

Lib. 8. in Ecclesiasticum cap. 4. Bene orat, qui mandata Dei seruat, & qui munus rectæ fidei *(quæ per dilectionem operatur)* Deo exhibet, talisque deprecatio coram oculis Dei inueniet gratiam, quia bene operando seruauit iustitiam.

Lib. 4. cap. 2. Apud Deum pura & deuota multum valet precatio.

Nicolaus Primus. 860.

In responsis ad consulta Bulgarorum cap. 38. Quanto plus hostes sæuiunt, & necessitas vel tribulatio incumbit, tanto instantius orationi operam detis. Nam Patres nostri plus orando, quàm pugnando victores fuerunt, & voti compotes plus precibus quàm prælijs extiterunt. Denique Moses orabat, & Iosue pugnabat: sed plus ille vincebat orando, quàm iste pugnando. Aptius ergo ab armis, quàm ab oratione vacandum est.

Radulphus Flauiacensis. 950.

Lib. 1. in Leuit. cap. 4. Non nisi amantium virtus orationis est. Amor nempe desiderium parit, desiderium orantes facit. Vera namque postulatio, non in oris vocibus, seu in cogitationibus cordis. Valentiores enim voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Æternam quippe vitam si ore petimus, nec tamen desideramus, clamantes tacemus: si verò desideramus ex corde, etiam cùm ore conticescimus, tacentes clamamus. *Desiderium enim pauperum exaudiuit Dominus, & desideria cordis eorum exaudiuit auris tua.* Psal. 9.

Lib. 17. cap. 2. Qui Deum audiunt præcipientem vt benigni proximis existant, ipsi quoque à Domino petentes exaudiuntur, vt quod alijs impendunt citius assequantur.

Smaragdus Abbas. 970.

In diademate Monachorum cap. 1. Hoc est remedium eius, qui tentamentis exæstuatur, vt quoties quolibet vitio tangitur, toties ad orationem se subdat. Tam perseueranter intendere oportet

animum

animum nostrum orando, atque pulsando, quousque importunas desideriorum carnalium suggestiones, quæ nostris obstrepunt sensibus, fortissima intentione superemus, & tamdiu insistere, quousque insistendo vincamus. Nam negligentes orationes nec ab homine possunt impetrare quod volunt. Quando quisque orat, sanctum Spiritum in se aduocat. At vbi venerit, confestim tentamenta dæmoniorum, quæ sensibus se humanis immergunt, præsentiam eius ferre non sustinentes, effugiunt.

Commentarijs in Prologum Regulæ D. Benedicti: Sed vt hæc tibi, quisquis es, Monache, Deo largiente proueniant, non tardè, non trepidè, sed
instantissima oratione deposcas. Audi Apostolum
Col. 4. de instantia orationis monentem. Ait enim: *In-*
Matt. 26 *state orationi, vigilantes in ea.* Et iterum: *Vigilate, &*
Luc. 18. *orate.* Et alibi dicit: *Oportet enim semper orare, &*
Iacob. 5. *nunquam deficere. Multum enim valet*, ait Apostolus,
3. Reg. 17 *oratio iusti assidua.* Oratio Heliæ cæli cardines clau-
Dan. 3. sit. Oratio Danielis leonum ora conclusit. Oratio
Dan. 6. trium puerorum caminum ignis extinxit. Ora-
Act. 12. tio Ecclesiastica Petri vincula soluit. Oratio Cor-
Act. 10. nelij aures penetrauit Domini. Oratio in cruce
Luc. 23. latroni paradisum aperuit. Non enim pigeat in-
stanter orare Monachum, quia quem orat, ha-
bitatorem intra se habet Dominum: sic enim ait
1. Cor. 3. Apostolus: *Templum Dei estis, & Spiritus Domini*
habitat in vobis. Citò enim ab habitatore Domino exaudiuntur, qui eius habitationis templum & habitaculum fiunt. Intra enim se portat, quem rogat: imò ab illo exauditur, à quo portatur. Qui vult ergo opus bonum ad perfectionem perducere, orationi frequenter debet incumbere. Oratio enim supplicatio, vel petitio dicitur. Dicta autem oratio, quasi oris ratio. Contextus autem verborum sine sensu, non est oratio, quia non est oris ratio.

Radulphus Ardens. 1080.

In Litania maiori: Oratio est pius mentis affectus ad Deum, qui quandoque pigritante animo excitatur per vocem. Oratio igitur non est vox, sed potius mentis affectus, quia scilicet affectamus aliquid obtinere à Deo. Et hæc debet esse pia, quoniam quę ad pietatem pertinent debemus per orationem postulare. Quando enim animus noster in oratione pigrescit, debemus illum per vocem excitare, vt sonus oris intrans per aures, excitet pigritiam mentis. Oratio igitur, quæ fit solo corde, etsi non
Dan. 13. labijs, Deo accepta est. Vnde & Susanna tacens dici-
tur clamasse, propter vehementem mentis inten-
tionem, & à Deo audita fuisse. Oratio verò, quæ so-
lis labijs fit, non est ante Deum acceptabilis. Vnde
Matt. 15. & ipse dicit: *Populus hic labijs me honorat, cor autem*
eorum longè est à me.

Anselmus. 1080.

Ad tertium caput posterioris ad Thessalonicenses: Ideo Deus per orationes fidelium non credentes credere facit, vt ostendat, quia ipse facit. Nemo est enim tam imperitus, tam carnalis, tam tardus ingenio, qui non videat Deum facere, quòd se rogare præcepit vt faciat.

Hugo Victorinus. 1130.

Eruditionis Didascalicæ lib. 5. cap. 9. Quoniam consilium hominis sine diuino auxilio infirmum est, & inefficax, ad orationem erigere, & eius adiutorium pete, sine quo nullum potes facere bonum, vt videlicet ipsius gratia, quæ præueniendo te illuminauit, subsequendo etiam pedes tuos dirigat in viam pacis.

Bernardus. 1130.

De modo bene viuendi Sermone 49. de Oratione: Charissima soror, audi quæ dico: Ante tempus orare est prouidentia. In tempore constituto orare, est obedientia. Tempus orandi præterire, est negligentia. Tanto crebrior debet esse oratio, quanto est vtilior. Dominus dicit in Euangelio: *Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Et Paulus Apostolus: *Sine intermissione orate.* Et Iacobus: *Multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Soror venerabilis, *ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* In oratione præpara te, & ostende conscientiam cordis tui, vt ampliorem gratiam consequaris à Deo tuo. Tunc veraciter oras, quando aliud in corde non cogitas. Citius ad precem iudex flectitur, si peccator à prauitate sua corrigatur. Oratio cordis est, non labiorum. Melius est cum silentio cordis orare, quàm solis verbis sine intentione mentis. Pura est oratio quando in suo tempore superfluæ cogitationes non conturbant. Longè quippe est à Deo animus, qui in oratione cogitationibus seculi est occupatus. Duobus modis oratio impeditur, ne impetrare quisque possit quod postulat: nempe, si adhuc homo mala committit, aut si peccanti in se ex toto corde non dimittit. Mens nostra cælestis est: & tunc Deum in oratione bene contemplatur, quando nullis terrenis curis aut erroribus impeditur. Quando quisque orat, Spiritum sanctum ad se vocat: sed postquam venerit, confestim omnia tentamenta dæmoniorum, quæ se mentibus hominum immergunt, præsentiam eius ferre non sustinentes, effugiunt. Qui læditur, non desistat orare pro se lædentibus. Alioquin iuxta Domini sententiam peccat, qui pro inimicis suis non orat. Sicut nullum proficit in vulnere medicamentum, si adhuc in eo est ferrum: ita nihil proficit oratio illius, qui odium habet in corde. Culpabiliter expandit manus ad Deum, qui facta sua orando iactanter manifestat: sicut Pharisæus in templo iactanter orabat, & magis laudabat semetipsum de bonis operibus, quàm Deum. Soror dilecta, ora cum lachrymis indesinenter. Ora iugiter, precare Deum diebus ac noctibus. Oratio fit sine cessatione, oratio fit frequens. Orationis sint arma assidua. Oratio de ore tuo non cadat. Insiste orationi, frequenter incumbe orationi. Geme semper & plange: surge in nocte ad precem: vigila, & ora. Pernocta in oratione & prece, incumbe nocturnis vigilijs. Ad modicum clausis oculis, rursus ora. Oratio frequens diaboli iacula submouet. Oratio quotidiana diaboli tela exuperat. Oratio est prima virtus aduersus tentationum incursus: oratio superat tentamenta inimicorum: vincit dæmones: superat immundos spiritus. Per orationem vincuntur dęmonia: oratio dæmonijs omnibus malis præualet. Honesta virgo sit oratio tua pura. Moneo te charissima, vt ores pro bonis hominibus, vt in bonis perseuerent. Rogo etiam te, vt ores pro malis hominibus, vt de malo ad bonum conuertantur. Ora pro amicis tuis, ora & pro tuis inimicis. Ora etiam pro omnibus fidelibus viuis & defunctis. *Dirigatur oratio tua sicut incensum in conspectu Dei.*

Richardus Victorinus. 1140.

De eruditione interioris hominis lib. 1. cap. 8. Multa tempore compunctionis & orationis mens hominis mala & iniusta esse inuenit, quę prius ex animi impetu, & quasi præcipitanter definiuit: quæ tamen iniusta esse tunc temporis non aduertit, & multa sæpe ex eodem spiritus sui impetu contra conscientiam suam dictat, & tamen eandem animi sui præcipitationem postmodum sub orationis, & deuotionis suæ tempore temperat, & ad saniorem sententiam reformat.

Guerricus Igniacensis. 1180.

Sermone in diebus Rogationum: Scio equidem, quia

vis nos esse tibi importunos, vt licet dissimules, licet excuses, eò quòd iam in cælum receptus sis, & Apostoli tui tecum sint in cubili, nos tamen nihilominus perseueremus in petendo, quærendo, pulsando: scientes, quia doctrinam non sola vitæ meretur innocentia, qua amici efficimur, sine assiduitate studij & instantia precis, qua importuni videamur.

Innocentius Tertius. 1200.

Proœmio in Psalmos Pœnitent. Oratio debet esse fidelis, humilis, pia, deuota, compendiosa, assidua, & discreta: & quæ talis fuerit, meretur procul dubio exaudiri.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De diuina Rhetorica cap. 30. Est & aliud fortissimum orationis adiutorium, scilicet assiduitas, sicut testatur Iacobus capite vltimo dicens, quia *multum valet deprecatio iusti assidua.* Et Apostolus ad Thessal. *Sine intermissione orate.* Et ipsa veritas in Euangelio: *Quoniam oportet semper orare & non deficere.*

Cap. 38. Oratio ad Deum velut quidam nuntius est, qui ad Deum mittitur, ad ipsum intrat: nec discedet, donec aspexerit Altissimus.

Albertus Magnus. 1240.

Ad caput 6. *Matth.* Oratio est vtilis & bona, fragilitati nostræ expediens.

Thomas Aquinas. 1250.

Secunda 2. *quæst.* 83. *art.* 15. Oratio præter effectum spiritualis consolationis, quam præsentialiter affert, duplicem habet virtutem respectu futuri effectus, scilicet virtutem merendi, & virtutem impetrandi. Oratio autem, sicut & quilibet actus virtutis, habet efficaciam merendi, in quantum procedit ex radice charitatis, cuius proprium obiectum est bonum æternum, cuius fruitionem meremur. Procedit tamen oratio à charitate, mediante religione, cuius est actus oratio, comitantibus etiam quibusdam alijs virtutibus, quæ ad bonitatem orationis requiruntur, scilicet humilitate & fide. Ad religionem enim pertinet, ipsam orationem Deo offerre: ad charitatem verò pertinet desiderium rei, cuius complementum oratio petit: fides autem est necessaria ex parte Dei, quem oramus, vt scilicet credamus ab eo nos posse obtinere quod petimus: humilitas autem est necessaria ex parte ipsius petentis, qui suam indigentiam recognoscit. Est etiam & deuotio necessaria. Efficaciam autem impetrandi habet ex gratia Dei, quem oramus, qui etiam nos ad orandum inducit.

Parte 4. *quæst.* 92. *memb.* 2. *art.* 7. Inter omnes actus nostros summè necessarium nobis est orare: quia oratio est omnium bonorum nostrorum inchoatio, promotio, & consummatio. Quia orationis exercitium horum cooperatiuum, vtpote in quo est peccatorum cognitio, cordis humiliatio, desideriorum inflammatio, & meritorum consummatio.

Guilhelmus Peraldus. 1255.

In Summa Tomo 1. *de oratione cap.* 3. Ad commendationem orationis primò valere potest frequens admonitio, quam sacra Scriptura facit ad orandum. Erubescat humana pigritia: plus vult ille dare, quàm nos accipere: plus vult ille misereri, quàm nos à miseria liberari. Secundò exempla: & inter ea est efficacissimum exemplum Christi, qui licet oratione non indigeret, cùm per se omnia posset, tamen vt daret nobis exemplum orandi, toties orabat.

Bonauentura. 1260.

De processu religionis cap. 9. Multiplex est orationis vtilitas, in quibus etiam alias bonas actiones oratio excellit. Prima, quia per eam facilius & citius impetramus quæ à Deo desideramus: ita vt quandoque citius aliquis obtineat, quod diutius ieiunijs, & alijs laboribus, & pijs operibus vix obtineret, licet alia bona opera ad hoc aliquatenus suffragentur. Vnde in omni casu, in omni periculo, in omni desiderato semper inuenimus Sanctos principaliter ad orationis studium refugisse, quasi inde promptius quod petebant consecuturi. In Matth. *Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes accipietis.* Quid enim non potest oratio efficere? Oratio iram Dei placat. In Exodo orauit Moses dicens, &c. placatusque est Dominus. Veniam peccatorum impetrat. In Matth. *Omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me,* &c. Matt. 21. Exo. 32. Matt. 18.

Dauid Augustanus Minorita. 1270.

In Formula nouitiorum cap. 37. Orate, & nolite deficere: quia oratio locutio est ad Deum. Quando enim serui Dei legunt, sine dubio Deus ijs loquitur: sed quando orant, suauiter cum Deo loquuntur. Orate in omni loco, vt saluemini. Oratio facta est columna sanctarum virtutum, deitatis schola, viduarum marita, Angelorum cognata, fundamentum fidei, Monachorum corona, coniugatorum leuamen. Beatus, qui te amat: beatissimus, qui te frequentat: beatus, qui te astringit: sed beatior, qui in te perseuerat: beatus, qui ad te lachrymas fundit: quoniam holocaustum Deo sanctum & immaculatum, &c.

Iacobus Genuensis. 1280.

Dominica 5. *post Pascha Serm.* 2. Sicut thymiama bene confectum delectat hominem odorantem, sic oratio iusta suauis est ante Deum. Sicut murus opponitur, & aduersario venienti occurritur: ita Dei ira Sanctorum precibus frangitur.

Hugo Pratensis. 1300.

Sermone 56. Oratio in fide & dilectione facta duodecim miracula facit. Cogit Deum, aperit cælum, imperat soli & lunæ, fugat elementa, fugat dæmones, expellit morbos, suscitat mortuos, vincit Scripturam, mutat naturam, impetrat veniam, acquirit gratiam, & confert gloriam, &c.

Ludolphus Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi part. 1. *cap.* 39. Orationis virtus est inæstimabilis & efficax ad omnia bona & proficua impetranda, ac mala & nociua repellenda. Si vis ergo patienter aduersa tolerare, ora: si vis prauas affectiones conculcare, ora: si vis iacunditer in opere Dei viuere, ac laboribus & afflictionibus non crescere, ora: si vis in spiritu & te vita exercere, & carnis curam in desiderijs non agere, ora: si vis animam tuam sanctis ac bonis cogitationibus, ac desiderijs, feruoribus, ac deuotionibus impinguare, ora: si vis cor tuum virili spiritu, & constanti proposito in Dei beneplacito stabilire, ora: si vis vitia extirpare, & virtutibus imbui, ora: si vis ad contemplationem ascendere, & sponsi amplexibus frui, ora: si vis cælestium dulcedinem, & alia Dei magnalia degustare, ora. Et breuiter, in quacunque necessitate oratio valet, quæ spiritus malos à nobis fugat, & bonos ad nos vocat.

Ioannes Taulerus. 1350.

Dominica 9. *post Trinitat.* Quicquid hoc est, quod vel mihi, vel alteri amico fideli quæsiturus erat, id Deo soli quæratur, non hominibus, totumque illi hilariter offerat, & ipse faciet. Imò centies millies libentius faciet, quàm ipse desiderare queat. Quandoquidem infinitum ille dare paratior est, quam homo accipere.

Ioannes Bromiardus. 1380.

In Summa Præd. de oratione: Sicut magna est armorum vtilitas, quando fortes sunt milites & va-

lidi, qui cum illis hostes inuadunt: ita omnino de armis sentiendum est orationis. Per ipsam namque primò diabolus impeditur, & fugatur. Quia sicut ad clamorem pastoris & custodis pecorum lupus fugatur, & impeditur, ne oues deuoret: sic ad clamo-
1.Pet.5. rem orationis ille lupus inferni, qui *circuit quærens quem deuoret*, fugatur & impeditur, ne tantum, quantum vellet, malitias suas exerceat. Secundò per ipsam hostes semel fugati, timidi efficiuntur ipsos, pro quibus oratur, iterum inuadere. Quia sicut multiplicato auxilio exercitus timent hostes eum inuadere: sic multiplicatis adiutoribus per orationem, timent tentatores animæ. Tertiò per ipsam omnia acquiruntur bona, tam præsenti vitæ necessaria, quàm futuræ.

Thomas VValdensis 1416.

Tomo 3 titulo 1. cap.3. Vitæ synceritas precibus conualescit. Nec igitur est sancta vita sine sanctis operibus, nec possunt sine precibus opera esse sancta.

Ioannes Gerson. 1420.

De solicitudine Ecclesiasticorum parte 39. Constat imprimis, quòd licet Deus non egeat intentione nostra, vel oratione particulari, sicut nec alijs bonis nostris: nihilominus vult secundùm ordinem suæ sapientiæ dare aliqua, dum specialiter ad ipsum dirigamus orationes nostras, qualia non esset daturus sine illis, vt non sint vacua sapientiæ suæ opera, iuxta verbum Sapientis.

De Theologia speculatiua parte 8. consideratione 43 Oratio quidem describitur, quod est eleuatio mentis in Deum, per pium & humilem affectum. Ecce quod oratio transcendit mētem & spiritum. Transit enim supra per desiderium, per pium & humilē affectum. Sed qualem affectum? vtique mentalem, aut intellectualem supremum, & non solùm sensualem. alioquin non esset oratio perfecta, qualem loquimur, & qualem describit Apostolus, cùm dicit: *Orabo spiritu & mente.*

Laurentius Iustinianus. 1430.

In ligno vitæ de oratione cap. 2. Omnes medici pecunijs, Deus autem noster pura oratione ad conferendam sanitatem placatur. Hæc spirituales sanat morbos. Nam hæc est potissimum remedium eius, qui vitiorum tentamentis æstuat, vt quotiescunque quolibet tangitur vitio, toties se ad orationem vertat: quia frequens oratio vitiorum expugnationem extinguit. Et sicut aqua ignis extinguitur, ita concupiscentiarum vitiosarum impetus oratione superatur. Ipsa orationis virtus in corporali bello triumphat: quod euidentissimè in Mose patet, &c.

Bernardinus Senensis. 1440.

Tom 2. de origine charitatis, seu diuini amoris Serm. 1. art.2. cap.1 Licet oratio sit solùm meritoria quoad iustos: tamen est etiam impetratiua quoad malos. Quapropter & iusti, & etiam peccatores debent pro hac conuersionis gratia impetranda Domino Iesu Christo porrigere preces suas, vt verificetur, quod subinfertur merito.

Ioannes de Turre Cremata. 1460.

In Regulam Benedicti Tractatu 42. Oratio ad multa valet, propter quæ meritò frequenter est incumbendum illi. Primò enim placat Deum: secundò peccatorum veniam impetrat: tertiò tentationis impetum sedat: quartò sanat morbos spirituales: quintò valet ad curationem infirmitatum corporalium: sextò vitam prolongat: septimò valet ad effugandum dæmones: octauo valet ad victoriam habendam de hostibus: nonò liberat de periculis tentationum: decimò valet ad impetranda bona: vndecimò ad familiaritatem Dei confert: duodecimò totam curiam cælestem quasi quadam redolentia delectat.

(*,*)

ARTICVLVS QVINTVS.

CERTA ORATIONVM LOCA DELIGERE, MAGNIFICIS ÆDIFICIIS ORNARE, ET SOLENNIBVS PONTIFICVM PRECIBVS CONSECRARE, PIVM ESSE, ET VTILE.

NEGANT.

Anno ante natum Christū 1000. HIEROBOAM (apud Iosephum lib.8 Antiquit. cap.3.) *Viri populares* inquit, *notum vobis existimo, quòd nullus locus est Deo vacuus, & quòd is nullo certo loco includitur: sed vbiq; vota exaudit. vbiq; cultores suos respicit. Quare non placet mihi hoc tempore vos Hierosolyma vrbem infensam longo itinere proficisci religionis ergò. Homo illud templum struxit.*

250. *Chrysippus Stoicus aras & templa neque esse, neque ædificari oportere censuit.* Plutarchus de Stoicis contrarietatibus.

Anno post natum Christū 366. *Iulianus Apostata nullum malitiæ genus aduersus Christi dogma omisit, quo Ecclesias destrueret, pecunias anathemata ac vasa auferret.* Sozomenus lib.5. cap.5.

380. *Messaliani Ecclesias & altaria contemnunt, quasi eos, qui pietatem profitentur, haud quaquam in Ecclesiasticis communionibus perseuerare deceat, ijs precibus contentos, quas ipsi suis in oratorijs Deo fundunt.* Nicetas de Messalianis lib.4. hæresi 33.

442. *Vandali in Africa sæuientes, ipsas quoque sacrosanctas Dei Ecclesias suis præsidijs maculabant, ex eis nonnullis stabula facientes.* Iustinianus C. de offic. Præf. Præt. Afr. Victor Vticensis de persecutione Vandalica lib.1 Prosper in Chronicis de Anno 442.

1050. *Bogomili in sacris omnibus templis habitare dæmones dicunt: cùm ea quisque sortitus sit proportione ordinis & virtutis. Satanam quidem sibi quondam celeberrimum Hierosolymorum templum delegisse, sed eo euerso, Sophiæ templum Constantinopoli suscepisse. Neque enim, inquiunt, in manufactis templis Altissimus habitat, cùm cælum sit eius domicilium.* Euthymius parte 2. Panopliæ titulo 23. cap. 18.

1130. *Petrobrusiani dicunt, Templorum, vel Ecclesiarum fabricam fieri non debere, facta insuper subrui oportere: nec esse necessaria Christianis sacra loca ad orandum: quoniam æquè in taberna, & in Ecclesia; in foro, & in templo; ante altare, & ante stabulum inuocatus Deus audit, & eos, qui merentur, exaudit.* Petrus Cluniacensis lib. 1. epist. 1. Guilhelmus Abbas vitæ S. Bernardi lib. 2. cap. 5.

1160. *VValdenses aiunt, templum Dei latè patens ipsum mundum esse: coarctare maiestatem eius, qui Ecclesias, Monasteria, oratoriaq́; construunt, tanquam propitior in eis diuina bonitas reperiatur.* Æneas Syluius historiæ Bohemicæ cap 35.

1200. *Albigenses ire ad Ecclesias, vel in eis orare, nihil prodesse contendunt.* Cæsarius Heisterbachius libro 5. cap 21.

1280. *Gerhardus Sagarellus dixit, quòd Ecclesia consecrata non plus valet ad orandum, quàm stabulum equorum vel porcorum: & quòd melius possit Christus adorari in nemoribus, quàm in Ecclesijs.* Guido de erroribus Pseudoapostolorum cap 8. Nicolaus Eymericus par. 2. quæ. 11.

1300. *Begardi nullum honorem Ecclesijs impendere volebant.* Ioannes Gerson de nuptijs Christi & Ecclesiæ.

1350. *Flagellantes dixerunt, quòd post transitum crucifratrum Ecclesiæ materiales fuerunt, & sunt nō nisi congeries lapidum, publica domus peccatorum, & spelunca latronum.* Bernardus Lutzenburg.

1390. Ioannes VVicleuus secundo Sermone Domini de monte cap. 6. *Christus videtur parum curare de templi ædificio sumptuoso, & sic de Basilicis ab hypocritis in Ecclesiam introductis, vt patet Matth. 24. Talia enim sensibilia, mundo splendentia, videntur aperire ostium domus, & introducere in suum cubiculū inimicos.*

1450. *Thaborita Ecclesiarum consecrationes irrident.* Æneas Syluius Epist. 130.

1520. Martinus Lutherus ad Euangelium Dominicæ 1. Aduentus: *Satanæ commentum est, & nocentissimum figmentum, quòd pompas illas templorum vulgo habent pro spiritualibus bonis, & vnde aliqua ad Ecclesiam vtilitas redeat, &c. Ex animo velim, sug gestus simul vniuersi, vnà cum Monasterijs, Collegijs, templis, cellis, & sacellis igne flagrassent pridem, redactaq́; essent in cinerem, propter horrendam animarum seductionem atque cladem, quæ ab istis in orbem redundauit.*

In solennitate S. Stephani: *Nullus finis hactenus fuit templa & sacella extruendi, vt nullus hodie locus illis vacet: satius multò erat, omnia Collegia funditus euertere, igneq́; consumere, etiamsi temerè, & citra iussum magistratus fieret, quàm vnam animam abductam in hunc errorem perire. Etenim Deus nihil de templis, ac solis animabus præcepit: & hinc liquere potest, quæ causa sit, quòd templa crebrius reliquis ædibus fulmine feriuntur: nimirum, quòd Deus nullis æquè infensus est, sicut in nullis alijs, imò in nullis speluncis latronum, in nullis prostibulis tanta cædes animarum perpetratur.*

1522. *VVittenbergensis Senatus in constitutione Germanica VVittemberga impressa anno 1522. Nulli stationarij, aut ei, qui pro templis construendis pecunias colligunt, hic tolerentur: quoniam iamdudum plura eorum, quàm opus est, extructa sunt.*

1530. Franciscus Lambertus ad cap. 2. Lucæ: *Impiè quidam multiplicârunt templa, in eis volentes potius, quàm alibi Deum orare.*

1540. Sebastianus Francus Paradoxo 89. *Templorum nullus in nouo Testamento vsus est. Templa sola Ethnicorū superstitio inuenit, quæ suum cuique Deo templum construebat: in primitiua Ecclesia ad Originem vsque nulla fuerunt templa Christianorum. Sed post ea deficiente fide, paulatim templa ædificari cœpta sunt. Christus autem suos orare docet non in templo, sed in conclaui. Et ipse oraturus, non templum ingressus, sed nunc eremum, nunc montem petijt.*

1540. *Anabaptistarum quidam, allegantes locum Pauli Act. 17.* Deus non in manufactis templis habitat, *templorum vsum improbant.* Iacobus Pamelius in Tertulianum de idololatria.

1550. Ioannes Caluinus lib 3. Instit. cap. 20. §. 30. *Cauendum est, ne secretam, nescio quam templis affingamus sanctitatem, quæ sacratiorem apud Deum orationem reddat. Vera enim Dei templa cùm simus ipsi, in nobis oremus oportet, si in sancto templo suo Deum volumus inuocare. Illam verò crassitiem Iudæis, aut Gentibus relinquamus, qui præceptū habemus de inuocãdo citra loci discretionē in Spiritu & veritate Dominū.*

Ad cap. 28. Genes. vers. 17. *Insulsè Papistæ hunc locum ad sua templa detorquent, quasi in fœdis lupanaribus habitet Deus.*

Ad Psalm. 26. vers. 8. *Quæcunque censentur templa in Papatu, sunt potius Satanæ prostibula.*

1560. *Magdeburgenses,* Centuriæ 7. cap. 6 *irrident templorum multitudinem & consecrationes.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 28. *vers.* 12. Vidit (*Iacob*) in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam. 16. Cumque euigilasset Iacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Pauensque: Quàm terribilis est, inquit, locus iste? non est hîc aliud nisi domus Dei, & porta cæli.

Exod. 3. 5. Solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.

Exod. 25. 8. Facient mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum iuxta omnem si-

militudinem Tabernaculi, quod ostendam tibi, & omnium vasorum in cultum eius.

Exod. 26. 1. Tabernaculum verò ita facies: Decem cortinas de bysso retorta, & hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, variatas, opere plumario facies.

Num. 7. 1. Factum est autem in die, qua compleuit Deus tabernaculum, & erexit illud: vnxitque & sanctificauit cum omnibus vasis suis, altare similiter, & omnia vasa eius

Deut. 16. 5. Non poteris immolare Phase in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi: sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.

Iosue 5. 15. Solue, inquit, calceamentum tuum à pedibus tuis: locus enim in quo stas, sanctus est.

3 *Reg.* 6. 1 Anno quarto (mense Zio, ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel, ædificare cœpit domum Domino. Domus autem, quam ædificabat Rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine. Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, iuxta mensuram latitudinis templi. 21. Domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, & affixit laminas clauis aureis. Nihilque erat in templo, quod non auro tegeretur: sed & totum altare oraculi texit auro, *&c.* 28. Texit quoque Cherubim auro, *&c.* 30 Sed & pauimentum domus texit auro intrinsecus & extrinsecus.

1. *Paral.* 17. 11 Dicit Dominus Dauidi per Nathan Prophetam: Suscitabo semen tuum post te, quod erit de filijs tuis: & stabiliam regnum eius Ipse ædificabit mihi domum, & firmabo solium eius vsque in æternum.

2. *Paral.* 6. 1. Tunc Salomon ait: Dominus pollicitus est vt habitaret in caligine: ego autem ædificaui domum nomini eius, vt habitaret ibi in perpetuum. 18. Si cælum & cæli cælorum non te capiunt: quantò magis domus ista, quam ædificaui? Sed ad hoc tantùm facta est, vt respicias orationem serui tui, & obsecrationem eius, Domine Deus meus, & audias preces, quas fudit famulus tuus corã te: vt aperias oculos tuos super domum istam diebus ac noctibus, super locum, in quo pollicitus es vt inuocaretur nomen tuum: & exaudires orationem, quam seruus tuus orat in eo, & exaudias preces famuli tuis, & populi tui Israel. Quicunque orauerit in loco isto, exaudi de tabernaculo tuo, id est, de cælis, & propitiare.

1. *Esdræ* 1. 1. In anno primo Cyri regis Persarum, vt compleretur verbum Domini ex ore Ieremiæ, suscitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum: & traduxit vocem in omni regno suo, etiam per scripturam, dicens: Hæc dicit Cyrus Rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Ierusalem, quæ est in Iudæa. Quis est in vobis de vniuerso populo eius? Sit Deus illius cum ipso. Ascendat in Ierusalem, *&c.* & ædificet domum Domini Dei Israel, *&c.* Omnes reliqui in cunctis locis vbicunque habitant, adiuuent eum viri de loco suo, argento & auro, & substantia, & pecoribus, excepto quod voluntariè offerunt templo Dei, quod est in Ierusalem. 6 Vniuersique, qui erant in circuitu, adiuuerunt manus eorum in vasis argenteis & auris, in substantia & iumentis, in supellectili, *&c.*

1. *Esdræ* 3. 12. Plurimi etiam de sacerdotibus & Leuitis, & principes patrum, & seniores, qui viderant templum prius cùm fundamentum esset, & hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna: & multi vociferantes in lætitia, eleuabant vocem.

1. *Esdræ* 6. 3. Anno primo Cyri regis, Cyrus rex decreuit, vt domus Dei ædificaretur, quæ est in Ierusalem, in loco vbi immolent hostias, & vt ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta, *&c.* sumptus autem de domo regis dabuntur.

Psal. 5. 8. Introibo in domum tuã, adorabo ad templum sanctum tuũ in timore tuo.

Psal. 25. 8. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

Psalm. 28. 2. Adorate Dominum in atrio sancto eius.

Isaiæ 56. 7. Holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super altare meo: quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis, ait Dominus Deus.

Aggei 1. 7. Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras, ascendite in montem, portate ligna, & ædificate domum: & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus. Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus: & intulistis in domum, & exsufflaui illud: quam ob causam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisque in domum suam. Propter hoc super vos prohibiti sunt cæli, ne darent rorem & terra prohibita est, ne daret germen suum. 14. Et suscitauit Dominus spiritum Zorobabel filij Salathiel ducis Iuda, & spiritum Iesu filij Iosedec sacerdotis magni, & spiritum reliquorum de omni populo: & ingressi sunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui.

1. *Mach.* 4. 56. Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & obtulerunt holocausta cum lætitia, & sacrificium salutaris & laudis. Et ornauerunt faciem templi co-

ronis aureis & scutulis: & dedicauerunt portas & pastophoria, & imposuerunt eis ianuas.
59 Et statuit Iudas, & fratres eius, & vniuersa ecclesia Israel, vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum per dies octo, *&c.*

2. Mach. 3.1. Propter Oniæ pontificis pietatem, *&c.* fiebat, vt & ipsi reges & principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent: ita vt Seleucus Asiæ rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.

Matthæi 21. 12. Intrauit Iesus in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit: & dicit eis: Scriptum est: Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum. Isaiæ 56. Ierem. 7.

Lucæ 2. 37. Anna prophetissa non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die.

Ioan. 2. 15. Et cùm fecisset (*Iesus*) quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque & boues, & numularioum effudit æs, & mensas subuertit. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.

Act. 3. 1. Petrus autem & Ioannes ascendebant in templũ, ad horam orationis nonã

1. Cor. 11. 18. Conuenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos. 22. Nũquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis?

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Can. Apost. 10. Omnes fideles, qui ingrediuntur Ecclesiam, & Scripturas audiunt, non autem perseuerunt in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commouentes, conuenit communione priuari.

Epist. 2. Ecclesias per congrua & vtilia facite loca, quę diuinis precibus sacrari oportet, & in singulis sacerdotes diuinis orationibus dicatos poni.

Lib. 10. *Recog.* Tantam itaque Spiritus sanctus in illa die gratiam virtutis suæ ostendit, vt omnes à minimo vsque ad maximum vna voce confiterentur Dominum: & ne multis immorer, intra septem dies, plusquam decem millia hominum credentes Deo baptizati sunt, & sanctificatione consecrati, ita vt omni auiditatis desiderio Theophilus, qui erat cunctis potentibus in ciuitate sublimior, domus suæ ingentem Basilicam Ecclesiæ nomine consecraret: in qua B. Petro Apostolo constituta est ab omni populo cathedra, & omnis multitudo quotidie ad audiendum verbum conueniens, credebat sanæ doctrinæ, quam sanitatum efficacitas affirmabat.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiast. Hierarch. cap. 4. Eodem modo, quo in Synaxi, ordines eorum, qui minus perfecti sunt, excluduntur: cùm scilicet & Pontifices, & circum lotum templum odoribus incensis referta perfectio, & Psalmorum recitatio accessisset, &c.

Irenæus. 180.

Lib. 4. *c.* 28. Sic autem & populo tabernaculi factionem, & ædificationem templi, & Leuitarum electionem: sacrificia quoque, & oblationes, & monitiones, & reliquam omnem Legis statuebat deseruitionem. Ipse quidem nullius horum est indigens.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 5. *Stromaton:* Hoc autem erat, quod tacitè significabat, quicunque is fuerit, qui inscripsit in aditu templi in Epidauro.

Esse decet castum, sancti qui limina templi Ingreditur. Castitas autẽ est sancta cogitare. Hic enim Dei templum tribus cernitur fundatum fundamentis, fide, spe, & charitate.

Hippolytus. 220.

Orat. de Antich. Iuuenilis formæ nemo miserebitur: templa diuina domorum instar erunt: locis omnibus euersiones fient Ecclesiarum: Scripturæ contemnentur, &c. Lugebunt Ecclesiæ luctum magnum, quia nec oblatio, nec suffitus fiet, nec cultus Deo gratus: sed Ecclesiarum ædes sacræ tugurij instar erunt.

Origenes. 240.

Hom. 2. *in Exod.* Sin autem videas, quomodo Scripturæ noui ac veteris Testamenti timorem Dei docentes, domos Ecclesiæ faciant, vti vniuersum orbem terræ orationum domibus repleãt, tunc quod scriptum est, rationabiliter scriptum videbitur.

Eusebius Cæsarensis. 320.

Lib. 3. *Vita Constantini c.* 24. His rebus ad hunc modum cõstitutis, aliud quoddam opus maximè memorabile apud Palæstinorum gentem diuinus iste Imperator efficere aggressus est. At quoddam quæso? Sanctissimum illum salutaris Christi resurrectionis locum Hierosolymis existimauit ita à se illustrari debere, vt omnibus eximius & veneratione dignus videretur. Idcirco mandauit, in eo statim templum construi: neque istud opus aggredi absque pulsu diuino, imò verò ipso Seruatoris spiritu incitatum, in animum induxit.

Cap. 28. His rebus ad hunc modum confectis, extemplò Imperator non modò sacratis legibus sanciuit, vt templum augustum circa salutare illud antrum extrueretur. verum etiã subsidijs ad eam rem suppeditatis, &c. illud magnificè ac splendidè exædificandum curauit. Gentium igitur præfectis Orientem versus habitantium mandat, vt adiumentis necessarijs abundanter & copiosè subministratis, opus eximium, amplum, & magnificum fabricandum curarent.

Orat. de laudibus Constantini: Quin etiam Ecclesias, templa, ædes sacras, sumptibus ad eam rem liberali & regia manu suppeditatis, extruendas mandauit.

Constantinus Imperator. 320.

Epist. ad Macarium Episcop. Hierosol. apud Eusebium vita Constan. lib. 3 *c.* 29. & 30. Illud, quod cuique perspicuum esse arbitror, pro certo tibi cum primis persuasum velimus, hoc nobis præ cæteris rebus omnibus maximè curæ esse, vt locus ille sacer, quem Dei iussu turpissima simulachrorum mole tanquã graui quodã onere imposito purgauimus, &c. præclara ædificiorum structura exornetur. Par est igitur, vt tua prudentia ita opus disponat, & prouidè

res qualque occurret necessarias, quò non modò sanctuarium templi reliquis omnibus, quæ vbique sunt, pulchritudine antecellat: sed etiam cæteræ eius partes tales sint, vt omnia templa, quæ in singulis ciuitatibus primas tenent, huius ædificij dignitate longius superentur.

Concilium Gangrense. 324.

Can.5 Si quis docet domum Dei esse contemnendam, & quæ fiunt in ea cógregationes, anathema sit.

Athanasius. 340.

Apolog. ad Constant. Idem illud & à beatæ memoriæ Alexandro, alijsq; Patribus actũ est, qui populi conuentus habuêre, & absoluto opere agendis Deo gratis dedicationem celebrauerunt. Huius ergo dedicationis te, literarum studiosissime Imperator, auctorem esse oportet. Locus enim ille exędificatus, præsentiam tuæ pietatis requirit. Hoc enim solum ei deest, ad plenum ornatum. Hoc igitur vt adimpleas, vt vota tua Domino, cui hanc domum construxisti, reddas, omnium vota & optant, & suspirant.

De passione Imaginis Christi c.5 Postquam verò baptismum consecuti sunt, rogabant enixius sanctum virum, vt Synagogam suam Ecclesiam consecraret in honore S. Saluatoris mundi. Quorum petitionẽ minimè aspernatus, Synagogam illorum, quæ maior esse videbatur, in nomine Vnigeniti Dei Filij Redemptoris mundi consecrauit. Ex tunc itaq; per diuersas orbis terræ nationes & prouincias mos inoleuit, vt Basilicas plurimas, vel oratoria, Pontifices Christianæ legis, in honore S Saluatoris mundi condere, & dedicare non desinant.

Concilium Laodicenum. 360.

Can. 58. Non oportet in domibus fieri oblationem ab Episcopis, vel Presbyteris.

Can.59. Non oportet priuatos & vulgares aliquot Psalmos dici in Ecclesia, nec libros non Canonicos, sed solos Canonicos veteris ac noui Testamenti.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Orat.19. quæ est oratio in laudem defuncti Patris: Quoniam autem magnanimitatis ipsius monimentum quoq; posteris relinqui oportebat, quidnam aliud potius conueniebat, quàm hoc templum, quod Deo & nobis extruxit (populi quidem largitione nonnihil adiutus, maiorem autem partem è suo impendens) opus sanè haud silentio dignum, magnitudine supra multa, pulchritudine autem penè supra omnia. Nam & octo æquilateris rectis in se occurrit, & columnarum ac porticuum elegantia per laquearia in altum assurgit, & quidem eiusmodi picturis ornata, vt nec naturæ ipsi concedant. Quid quòd cælo desuper collustratur, vberrimisq; lucis fontibus spectantium oculis irradiat, vt verò lucis domicilium? Ad hæc orbicularibus & æquiangulis splendidissimæ materiæ cursibus, atque ingentem in medio locum abientibus cingitur, ac portarum & vestibulorum venustate prælucet, atque accedentes eminus excipit. Nondum de externo ornatu loquor, de quadrati lapidis, atque in crinem concinnati pulchritudine & magnitudine, tam qui marmoreus est, nempe in basibus & capitibus, quibus anguli intercipiuntur, quam qui patrijs, nulla tamen in re externo cedens.

Gregorius Nyssenus. 380.

Orat. in S. Martyrem Theodorum: Quòd si venerit ad aliquem locum similem huic, vbi hodie noster conuentus habetur, vbi memoria iusti, sanctæquè Reliquiæ sunt: primum quidem earum rerum magnificentia, quas videt, oblectatur, dum ædem vt templi Dei, & magnitudine structurę, & adiecti ornatu decore splendidè elaboratum intuetur: vbi & faber in animalium figuram lignum formauit, & latomus ad argenti leuitatem crustas lapideas expoliuit: induxit autem etiam pictor flores artis in imagine depictos, fortia facta Martyris repugnantias, cruciatus, efferatas & immanes tyrannorum formas, impetus violentes, flammeum illã fornacem, beatissimam consummationem athletæ.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Hom.51. in Matth. Nec prohibeo magnifica templa condere, sed hæc cum illis, immò verò hæc ante illa facere moneo: nemo enim quia templa magnifica non condiderit, vnquam accusatus est: at verò gehenna, ignis inextinguibilis, supplicia dæmonum imminent, nisi quis diligenter ista peragere velit. Cùm ergo ædes exornes, noli afflictum fratrem despicere.

Hom.18. in Act. Apost. Num opus est, vt vnusquisq; fidelium ædificet Ecclesiam? & vt credat simul etiã Doctor sit? Nunquid ante omnia hoc considerandum, vt omnes sint Christiani? Quomodo, dic mihi, Christianus erit agricola, videns te sic suam negligere salutem? Non potes facere signa, & persuadere ijs, quibus illi persuaserint, misericordia vtere, cura, mansuetudine, affabilitate, alijsq; omnibus. Ac fora quidem ac balnea faciunt multi, Ecclesias autem non item, & omnia magis quam has. Ideo oro ac supplico, & gratiam peto, imò & legem pono, vt nullus qui habet villam, appareat carere Ecclesia. Ne mihi dixeris, prope est, in vicinia est, magnus est sumptus, non magnum commodum: si quid habes insumendum in pauperes, illuc insume, melius illuc quàm ibi, educa magistrum, educa diaconum, & sacerdotalem ordinẽ. Quasi ducta vxore vel sponsa, vel data virgine, sic erga Ecclesiam affectus sis, dotẽ ascribe illi, ita tibi benedictionis prædium multiplicabitur. Quid enim nõ erit illic bonorũ? Parúmne est oro torcular benedici? Parúmne est Deum ex omnibus frugibus ac decimis prius partem ac decimas accipere? Ad pacem agricolarũ hoc vtile. Venerabilis erit & Presbyter postea, & ad securitatem agri conducet. Preces illic perpetuæ propter te, laudes & synaxes propter te, oblatio per singulos dies Dominicos. Quid magis mirandum, quod alij extruunt clara sepulchra, vt posteri audiant quod ille construxit, an quòd tu Ecclesias excitas? Cogita quòd vsque ad Christi aduentum mercedem habiturus sis, qui altare Dei excitaturus es. Dic enim oro, si Rex tibi præcepisset domum extruere, vt illic habitet, nonne omnia fecisses? Nunc igitur regia est Christi Ecclesię constructio, ne sumptum spectes, sed fructum computa.

Hom.28 ad populum Antiochenum: Non paruam vigilans habet disciplinam, & aduertere volens etiam ex oratorijs ædibus. Propterea enim & ante Ecclesias, & Martyrum monumenta pro foribus pauperes sedent, vt nos ex huiusmodi spectaculo multum capiamus vtilitatis, &c. Ad veras autem regias, Ecclesiam dico, & oratorias ædes, & Martyrũ templa, dæmonibus pressi, truncati, pauperes, senes, cæci, membra præferentes obtorta. Quid hoc tandem? Vt tu docearis ex horum spectaculo, &c.

Homilia 3. de incomprehensibili Dei natura: Sed ô frigidam excusationem excusandi, quam à compluribus reddi audio. Orare vel domi possumus, dicunt, sed homiliam doctrinamq; audire non nisi in Ecclesia possumus. Te homo decipis, & magno in errore versaris. Nam si & domi quoque datur orandi facultas, tamen fieri non potest, vt domi tam bene ores, quàm in Ecclesia, vbi tot patres, vbi clamor felici societate excitus ad Deum immortalem refertur: non pariter exoras, cùm solus Dominum obsecras, atque tuis cum fratribus. Est enim in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conspiratio, copula amoris, & charitatis, sacerdotum clamores: præsunt enim ob eam rem sacerdotes, vt populi orationes, quæ infirmiores per se sunt, validiores illas complexæ, simul in cælum euehantur.

Synesius.

Synesius. 410.

Hymno 3.

Templa verò quotquot
Extructa sunt, ô rex,
Vt tuis sanctis
Seruiant sacris,
Omnia adij:
Procumbens supplex,
Solum palpebrarum
Rigans roribus,
Ne mihi inane
Iter contingeret.

Epist. 67. Tandem hic quidem discessit, claues habens: ille autem aperuit, illataq; mensa paruam consecrauit ædiculam in lato colle.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib. 2. ad Reginas: Non propter regium vestrum genus Christi regnum capessere omittitis: partim præclaris actionibus, inculpataq; fide præstantes, partim cùm vestras, tum principum vestrorum denique sumptuosissima templa Christo Domino excitantes.

Theodosius Imperator. 430.

Extat in Synodo Ephesina Tom. 5. c. 21. & in lib. 3. 4. ar ma quoq. C. de his qui ad E[illegible] fugiunt.

In edicto, qui metus causa ad Ecclesias confugiunt: Quapropter ne amplius ædibus sacris, & altaribus, ex nimia confugientium desperatione, vel confidentia, contemptu, vel temeritate, vel audacia iniuria aliqua inferatur: tum quò extremus miserorum portus patentioribus quam hactenus consueuit, finibus huiusmodi excipiat, hoc nostro regno ac tempore, non solùm diuina altaria, & quadratum illud populi oratorium, murorum ambitu vndique circumseptum, fugitiuorum securitati patrocinari volumus ac decernimus: verùm etiam, si quid existit vlterius, vsque ad extremas Ecclesiæ fores, quæ precaturis primò occurrunt, hoc totum propitiam aram transfugientibus constituimus, &c. Nobis igitur imperium moderantibus, non solùm sacrosancta altaria, & quadratum populi oratorium muris inclusum, & quidquid præterea inde est loci, vsque ad Ecclesiæ portas extremas, per quas preces facturi ingrediuntur, hoc totum miseris asylum definimus, & constituimus: verùm reliqua etiam omnia loca templo in circuitu cohærentia, siue domus, siue hortuli, siue atria, siue balnea, siue etiam porticus sint, eis perfugium esse iubemus, & volumus, &c. Si qui diuinæ opis implorandæ specie sanctissima Dei templa armati ingredi voluerint, nullo modo sacratis ea locis inferre, aut etiam attingere sunt permittendi.

Sozomenus. 440.

Hist. lib. 2. cap. 25. Dum hæc geruntur, circiter trigesimum annum imperij Constantini, cùm templum Hierosolymis, quod magnum vocabatur, in Caluariæ loco extructum esset: Marianus, vir nobilis, & scriba Imperatoris, accedens Tyrum, concilio tradidit literas, quibus erat mandatum, vt Episcopi quàm maturimè Hierosolymam peterent, nouumq; templum consecrarent. Quin etiam istud quoque (sic enim secum ante deliberauerat) necessarium putauit, vt Episcopi, qui Tyri in vnum conuenerant, lites inter ipsos susceptas primò omnium dirimerent: sicque deinde à discordia & offensione animorum purgati, ad templum dedicandum se conferrent: nam concordiam sacerdotum tali festo peraccommodatam esse. Itaque Episcopi contendunt Hierosolymam, & non templum solùm, verùm etiam thesauros, & monimẽta ab Imperatore illuc missa consecrant: quæ ad hoc tempus in eo templo manent reposita, multumq; admirationis propter suam magnificentiam & amplitudinem spectatoribus excitant. Ex quo tempore Ecclesia Hierosolymitana quotannis diem festum splendidè admodum celebrat: adeò vt in eo initiationes sacrorum peragantur, & dies octo deinceps conuentus fiant: compluresq; ex omnibus totius orbis terræ partibus, qui vndique ad sacra loca visenda confluerent, tempore, quo hic dies festus celebrabatur, eò conuenirent.

Libro 7. cap. 5. Gregorius in exigua quadam cellula cœtum suum colligebat, quæ per quosdam suæ fidei homines tum ipsi, tum ijs, qui consimilem religionem amplectebantur, in domum precatoriam constructa erat. Sed eadem postea templum vrbis effecta fuit præ cæteris illustre: estque non solùm structuræ elegantia & maiestate, sed & euidenti quoque diuinæ apparitionis vtilitate conspicuum. Etenim diuina vis hîc manifestè apparens, tum per somnium, sæpè multis, qui morbis & varijs rerum casibus affligebantur, opem tulit.

Theodoretus. 460.

Ad caput 11. prioris ad Corinthios: Si acceditis vt lautè & opiparè epulemini, hoc facite in domibus: hoc enim est in Ecclesiam contumelia, & aperta insolentia. Quomodo enim non est absurdum, intus in templo Dei, præsente Domino, qui communem nobis mensam apposuit, vos quidem lautè viuere, eos autem, qui sunt pauperes, esurire, & propter paupertatem erubescere?

Ecclesiast. histor. lib. 1. cap. 18. Helena his rebus constitutis, artifices materiæ cuiusque generis vndique cogere, templaque & ob magnitudinem amplissima, & illustrissima ob splendorem extruere cœpit: quorum pulchritudinem amplitudinemq; oratione describere valde superuacaneum arbitror, præsertim, cùm omnes pij prope dixerim illò procurrant, operumque magnificentiam suis ipsorum oculis aspiciant.

Marcianus Imperator. 460.

In l. Denuntiamus, C. de his, qui ad Ecclesias confugiunt: Denuntiamus omnibus vobis, vt in sacrosanctis Ecclesijs, & in alijs quidem venerabilibus locis, in quibus cum pace & quiete vota competit celebrari, abstineatis ab omni seditione: nemo conclamationibus vtatur, nemo moueat tumultum, aut impetum committat, vel conuenticula collecta multitudine in qualibet parte ciuitatis, vel vici, vel cuiuscunque loci, colligere conetur.

Cyrillus Eremita. 510.

In vita Euthymij Abbatis: Beata Eudocia, cùm quàm plurima templa Deo ædificasset, iussit in quodam ex eis templis, quæ erant ab ea ædificata, cisternam fodere, gratia alicuius vsus necessarij.

Anastasius Imperator. 500.

In l. Si quis, C. de hæreticis & Manich. Nostræ Serenitatis vndique ad hunc exitum prouidentia ducit, vt omnipotentis Dei templa, (in quibus nostræ fidei instituta perdurant) cultu assiduo per omnia secula rediuiua seruentur.

Iustinianus Imperator. 530.

C. de offic. Præfect. Præt. Afr. Vandali in Africa ipsas quoque sacrosanctas Dei Ecclesias suis præsidijs maculabant: aliquas verò ex ijs stabula fecerunt.

Nouella 77. cap. 1. Sancimus præ omnibus, nulli licentiam esse neque Monasterium, neque Ecclesiam, neque orationis domum incipere ædificare, antequam ciuitatis Deo amabilis Episcopus orationem in loco faciat, & crucem figat, publicum processum ibi faciens, & causam manifestam omnibus statuens. Multi enim simulantes fabricare quasi orationis domum, suis medentur languoribus, non orthodoxarum Ecclesiarum fabricatores facti, sed speluncarum illicitarum.

Cap. 2. Deinde non aliter quempiam Ecclesiam ex nouo ædificare, priusquam loquatur ad Episcopum, & definiat mensuram, quam deputat, & ac luminaria, & ad sacrum ministerium, & ad incorrumpendę domus custodiam, & obseruantium alimenta. Et si sufficienter habere videtur, faciat prius donationem eorum, quæ futura sunt deputari, & ita domus ædificetur.

Procopius Historicus. 540.

De ædificijs Iustiniani Oratione 1. *de templo Sophiæ:* Exstructa igitur Ecclesia est in spectaculum planè pulcherrimum: ijs quidem, quibus videre contigit, stupendum: illis verò, qui audiunt, incredibile prorsus: assurgit in altitudinem cæli, & tanquam alijs ædificijs præeminens impendet alteri subiectæ ciuitati, quam perinde exornat, atque si in ipsa templum esset: in tantum surrigitur templum, vt hinc exornetur, & veluti à specula prospiciatur ciuitas. Longitudo, & latitudo templi tanto studio composita sunt, vt & longum & omnino latum, non inconcinnè tamen, dici poterit, elegantia inenarrabili decoratum, mole politum, & mensura, nihil quod abundet, nihil quod desit continens: lumine & splendoribus solis mirificè abundat. Diceres locum illum non externo sole illuminari, sed fulgorem in ipso templo enasci: tanta copia luminis templo affunditur.

Euagrius. 590.

Lib. 4. *cap.* 30. Iustinianus Constantinopoli cùm alias multas sacras ædes pulcherrimo artificio elaboratas Deo & Sanctis erexit, tum insigne illud, & præ cæteris eximium ædificium, amplissimum dico Sophiæ templum exstruxit: quod quidem tale fuit, quale non aliquando visum fuisset, quodq́ue ornatu & splendore adeò excelluit, vti nulla dicendi vi facilè explanari posset. Testudo sanctuarij quatuor fornicibus in sublime erecta, & ad tantam sublata altitudinem, vt ad eius hemisphærij fastigium acies eorum, qui infra ad basin consistentes, oculos sursum tollebant, ægrè penetrare posset: & qui supra stabant, etiamsi valde essent animosi, despicere neutiquam auderent, oculos ve ad basin deijcere.

Antiochus. 600.

Præfatione in Pandectas: Gratia plenus Spiritus sancti templa Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ quidem barbarico igni conflagrarunt, in sublime erigit, omni prorsus digna veneratione, puta ædes sanctas Caluariæ, ac sanctæ Resurrectionis: domũ insuper omni honore venerandæ crucis dignam quæ mater Ecclesiarum est: sed & sanctæ Assumptionis ædem à fundamentis exædificat.

Synodus Trullensis. 700.

Canone 74. Non oportet in Dominicis locis vel Ecclesijs eas, quæ dicuntur, agapas, id est, charitates facere, & intus in æde comedere, & accubitus sternere. Qui autem hoc ausi fuerint, vel cessent, vel segregentur.

Canone 76. Non oportet intra sanctos ambitus cauponatorum officinam, vel quæ fiunt per aromata species proponere, vel alias venditiones facere, suam venerationem Ecclesijs seruantes: Seruator enim noster & Deus, per suam in carne vitæ agendæ rationem nos instituens, non facere
Ioan. 2. domum Patris sui domum negotiationis iussit: qui etiam nummulariorum mensas effudit, & eos, qui sacrum commune faciunt, eiecit. Si quis ergo in prædicto delicto deprehensus fuerit, segregetur.

Germanus Constantinopolitanus. 710.

In Theoria: Ecclesia est domus diuina, vbi mysticum vitæ sacrificium celebratur, & interiora sacrarij, & sancta spelunca, & sepulchrum, & mensa nutrix animarum, & viuifica.

Ioannes Damascenus. 730.

Lib. 2. *Parallel. cap.* 14 *de Ecclesia, domo Dei, & altari:* Quòd in Ecclesia commercia exerceri non oporteat, Hierem. 7. *Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus.*

Synodus Nicæna Secunda. 790.

Can. 7. Quæcunque templa consecrata sunt absq; Reliquijs Martyrum, in eis fieri statuimus Reliquiarum depositionem cum consuetis precibus. Qui autem templum consecrat sine sanctis Reliquijs deponatur, vt qui Ecclesiasticas Traditiones transgressus sit.

Leo Philosophus Imper. 880.

Constit. 15. Etiam hic venerandæ sextæ Synodi sacer Canon, qui non in priuatarum ædium oratorijs seorsum, sed in solis in communem vsum consecratis templis diuinam regenerationis lotionem perfici vult, cùm similia cum illis iubeat, qui sacrosancta sacrificia & mysteria in priuatis domibus celebrari vetant, ideoq; à nobis iam pridem consideratius expensi sunt: tanquam illorum germanus similiter correctionem consequetur. Statuimus igitur, quemadmodum de sacrificijs, sic quoque de salutifero Baptismate, vt & ipsum in quocunque sacro oratorio quibuslibet peragere licitum sit.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 11. *ad Corinth.* Cùm Dominicam Cœnam priuatam feceris, manducans apud te ipsum, in Ecclesiam & locum es iniurius.

Simeon Metaphrastes. 950.

Vita S. Gregorij Marty. Armeniæ cap. 31. Deinde Deo, & eius Martyribus sacra templa ædificabant, & ea intrinsecus cingebant parietibus, & eis illorum opes, pretiosas vestes, possessionesq; & thesauros dedicabant.

Suidas. 970.

In Gratiano: Gratianus lege concessit omnibus, vt securè & absque contentione in suis Ecclesijs conuenirent, solis; templis arcerentur Eunomiani, Photiniani, Manichæi.

Oecumenius. 1080.

Ad cap. 11. prioris ad Corinthios: *An Ecclesiam Dei contemnitis?*) Nam qui propriam cœnam in Ecclesia facit, & sanctum locum iniuria afficit, & Dominicam Cœnam non facit: quin etiam pauperes pudefacit.

Euthymius. 1080.

Parte 2. Panopliæ titulo 23. cap. 18. *Nolite*, inquit Christus, *domum Patris mei domum negotiationis facere*, cùm de Hierosolymorum templo loqueretur. Quòd si templum illud erat Dei, multo magis hoc, quod est in hac vrbium regina, &, vt breuiter dicam, omnia templa, quæ quouis in loco tum Deo, tum Matri eius, tum omnibus Sanctis consecrata sunt, diuina sanctaq́ue sunt, & dæmones expellunt. Vbi enim diuina habitat gratia, inde omnis malus spiritus, & omnis dæmonum vis expellitur.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Basilio: Basilius templa multa, terræ motibus superiorum temporum rupta & concussa, refecit, quædam etiam prorsus prostrata instaurauit, alijs ornamenta & elegantiam addidit.

Michael Glycas. 1110.

Parte 4. *Annalium:* Iustinianus Dei placandi caussa dignum hoc admiratione condidit opus, literis in omnes terrarum orbis partes dimissis, quibus significabat Constantinopolim deportandum esse, quidquid extaret vbique gentium vel lapidum, vel columnarum, vel aliarum rerum splendidarum,

dedarum. Materia totos septem annos congerebatur, & Cyzigo maiori ex parte aduehebatur: templum vniuersum annis septendecim absolutum est.

Constantinus Manasses. 1140.

In Annalibus de Iustiniano Imperat. Quòd si etiam lubeat alicui beatam vrbem Constantinopolitanam cum globo cælesti comparare, ac sacrosanctas eius ædes cum lucidis syderibus, non prorsus, opinor, abs re fecerit. Ac splendentia quidem omnia huius vrbis templa perpetuis quasi luminibus, suisque gratijs coruscant, ipsam rerum creaturam collustrantia, tanquam lucida mortalium sydera: verùm vbi sol exoritur, aliorum omnium faces occultantur. Etenim inter minora sydera, quæ sacra sunt delubra, fanum illud diuinitus extructum, terræ totius ornamentum veluti sol alter cælestisque gygas insigniter fulget.

Nicetas Choniates. 1200.

In Alexio Comneno Porphyrogenito: Si Titus Imperator, vrbis Hierosolymorum oppugnator, Salomonio templo vsque adeò pepercit, & ei defendendo ita studuit, vt ab erumpente inde Iudaica cohorte telis peti, & malè tractari suum exercitum, quàm sumptuosum & mirandum illud opus violari maluerit, &c. qui honos à religiosis & Christianis huic pulcherrimo, & planè diuino templo (*D. Sophiæ*) habendus non fuit, quod omnino Dei manibus fabricatum est, primum ac postremum opus pulcherrimum atque inimitabile, nec in terris aliud, quàm orbis quidam cælestis ex...?

De rebus post expugnatam vrbem gestis: Age verò vrbs sanctissima placato Deum, prætende templa, Martyrum Reliquias, ipsas calamitates &c. Nunquid templum amplissimum & diuinissimum vnquam posthac te vide, cælum terrenum, solium gloriæ Dei, Cherubici currus firmamentum alterum, fabricam manuum Dei annuncians spectaculum ac opus singulare, firmum vniuersæ terræ decus?

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 7. cap. 49. de Constantino Magno: Templa, quæ vbique terrarum ædificauit, quid attinet enumerare? Primum quidem manibus ipse suis, Romæ in Lateranensi Palatio describendo conformauit. Quod sanè Palatium ipse quoque ingentibus impensis magnificè construxit, & Christo sacrauit. &c. Tria quoque Constantinopoli maxima templa Seruatori Christo constructa dedicauit, S. Sophiæ siue Sapientiæ, Sanctæ Pacis, & sanctæ Virtutis. Ea omnia à successoribus Imperatoribus magnificè sunt instructa, atque ornata.

Lib. 15. cap. 24. Pulcheria celebris Imperatrix ingens sub Marciano Dei matri condidit templum, vbi sepulchrales fascias reposuit. Leo autem Magnus aliud construxit, in quo magnificè vestem D. Virginis consecrauit.

Nicephorus Gregoras. 1330.

Historiæ Bizantinæ lib. 7. Irene Imperatrix pecuniam suam maximam, partim ipsa liberis suis dederat, partim ad sarciendum maximum Dei sapientiæ templum Imperator contulit. Audierat enim ex architectis, duas eius partes, Septentrionalem, & Orientalem, vetustate labascentes breui ruinam minitari, nisi maturè occurretur. Quare multis aureorum millibus datis de Imperatricis pecunia, eas quasi videmus pyramides ex altis fundamentis ad periculum illud propulsandum erexit. Hoc loco declarandi occasio datur, quo animo in huiusmodi rebus fuerit. Nam cæteri quidem Imperatores ad sacras ædes ex...ruendas ambitione quadam sunt impulsi, quæ parum abest à vanitate & superbia: quæ vbi eminent, actionis honestas vacillat, veluti pomorum elegantiam vermes contaminant. Andronicus verò satius esse iudicauit, iam extructas tueri & exornare, & contra pericula vetustatis munire, quàm eas collabi sine re, & alias è fundamentis ad ostentationem extruere, &c. His igitur de causis Imperator vetera fana curabat & fulciebat: quamuis maiores sumptus postularent, quàm extructio nouorum.

Gennadius Scholarius. 1450.

De primatu Papæ Sect. 15. Constantinopolitana vrbe expugnata, templum conculcatum est, aræ prophanatæ, moniales pollutæ, virgines corruptæ, sacra vasa confracta.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Higinius. 137.

De consecrat. distinct. 1. Omnes Basilicæ cum Missa semper debent consecrari, & Ecclesiæ destructæ. Vbi autem plures sunt, quàm necesse sit, aut maioris magnitudinis, quàm ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, Episcopi prouidentia modus inueniatur, qualiter consistere possint, aut restaurari.

Tertullianus. 200.

De Idololatria cap. 7. Tota die ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Christianum ab idolis in Ecclesiam venire, de aduersaria officina in domum Dei venire.

De velandis virginibus cap. 3. Trahantur virgines sanctæ in Ecclesiam.

Cap. 13. Certè virginitatem suam in Ecclesia abscondant, quàm extra Ecclesiam celant, &c. Constanter audeant & in vicis virgines videri, sicut audent in Ecclesijs.

De corona militis cap. 3. Aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur, &c.

Aduersus Valentinianos cap. 3. Nostræ columbæ domus simplex, etiam in æditus semper & apertis & ad lucem: amat figuram Spiritus sancti, Orientem Christi figuram.

Cyprianus. 250.

De opere & Eleemosynis: Locuples & diues es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis: quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis. *Dominicum posterius alia ratione quàm prius vocat. Prius dicit Dominicam Cœnam, seu sacrificium: posterius vocat, quod Græci κυριακὸν, Latini templum vocabant, à qua voce tum temporis Christiani abstinebant, vt differrent à templis deorum, & potius Ecclesiam dicebant.*

Lactantius. 320.

De passione Domini:

Quisquis ades, medijsq; subis in limina templi,
Siste parum.

Ambrosius. 370.

Ad caput 19. Lucæ: Deus templum suum non mercatoris vult esse diuersorium, sed domicilium sanctitatis: non vendibili religionis officio, sed obsequio gratuito vsum ministerij sacerdotalis informat. Considera igitur, quòd tibi exemplum viuendi Dominica gesta præscribant. Sequitur enim. *Et ingressus in templum, cœpit eijcere vendentes ex illo, &c.* Generaliter supra docuit, seculares à

Dei

Dei templo abesse debere contractus, specialiter autem nummularios pepulit, &c.

Lib. 2. Officio. cap. 21. Maximè sacerdoti hoc conuenit, ornare Dei templum decore congruo, vt etiam hoc cultu aula Domini resplendeat.

Cap. 28. disputans vasa Ecclesiæ tempore necessitatis licere erogare: Nemo potest dicere, cur pauper viuit? nemo potest queri quid captiui redempti sunt, nemo potest accusare, quia templum Dei ædificatum est.

Epist. 5. Ortus est sermo de Basilicæ, quam condidit Apostolorum nomine, dedicatione, dedit huic sermoni viam: siquidem significabat, quòd sedulò quæreret tuæ Sanctitatis præsentiam.

Prudentius. 380.

Hymno de Beato Hyppolyto:

Stat sed iuxta aliud quod tanta frequentia templum
Tunc adeat cultu nobile regifico:
Parietibus celsum sublimibus, atque superba
Maiestate potens, muneribusq; opulens.
Ordo columnarum geminus laquearia tecti
Sustinet, auratis suppositus trabibus:
Adduntur graciles tecto breuiore recessus,
Qui laterum seriem iugiter exsinuent,
Ad medios aperit tractus via latior alti
Culminis, exurgens editiore apice.
Fronte sub aduersa gradibus sublime tribunal
Tollitur, Antistes prædicat vnde Deum.

Hieronymus. 390.

Epistola tertia, seu in Epitaphio Nepotiani cap. 5. Nepotianus erat solicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si tersa pauimenta, si ianitor creber in porta, vela semper in ostijs, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, & in omnes cærimonias pia solicitudo disposita, non minus, non maius negligebat officium. Vbicunque eum quæreres, in Ecclesia inuenires: Basilicas Ecclesiæ, & Martyrum conciliabula diuersis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbrauit, vt quidquid placabat in Ecclesia, tam dispositione, quàm visu Presbyteri laborem & studium testaretur.

Ruffinus. 390.

Ecclesiast. Historiæ libro 1. cap. octauo: Helena in Iudæa euidenti signo voti compos effecta, templum in eo loco, quo crucem repererat, regia ambitione construxit.

Libro secundo cap. 33. Theodosius ad bellum profecturus, omnia orationum loca circuibat.

Concilium Carthaginense Quartum. 390.

Cap. sexto: Placuit de Ecclesijs, quoties super earum consecratione hæsitatur, vt sine vlla hæsitatione consecrentur.

Augustinus. 400.

Quest. 57. super Leuiticum: Quærendæ etiam locutiones, per id quod continet, id quod continetur, &c. Sicut Ecclesia dicitur locus, quo Ecclesia congregatur. Nam Ecclesia homines sunt, de quibus dicitur: *Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam.* Hanc tamen vocari etiam ipsam domum orationum, idem Apostolus Paulus testis est, vbi ait: *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? An Ecclesiam Dei contemnitis?* (1. Cor. 11.) Et hoc quotidianus loquendi vsus obtinuit, vt ad Ecclesiam confugere non dicatur, nisi quod ad locum ipsum, parietesque prodierit vel confugerit, quibus Ecclesiæ congregatio continetur.

Contra Crescorium Grammaticum libro 4. cap. 40. Felicianus in Mustitana positus ciuitate, Deo omnipotenti parietes consecratos, Ecclesiam venerandam quasi quadam obsessione credidit retinendam.

Sermone 252. de Tempore, qui est primus in anniuersario Dedicationis: Quotiescunque, fratres charissimi, altaris vel templi festiuitatem colimus, si fideliter ac diligenter attendimus, & sanctè ac iustè viuimus, quicquid in templis manufactis agitur, totum in nobis spiritali ædificatione completur.

Sermone 256. de Tempore, qui est quintus in anniuersario dedicationis, cap. 1. Celebritas huius congregationis, dedicatio est domus orationis.

Cap. 6. Adhuc amplius agendæ sunt Deo gratiæ. Hanc enim Ecclesiam, quam fecit nomini suo construi, fecit etiam sanctorum Martyrum Reliquijs amplius honorari.

Seuerus Sulpitius. 410.

Vita S. Martini cap. 10. Ante Martinum pauci admodum, imò penè nulli in illis regionibus Christi nomen receperant: quod adeò virtutibus illius, exemploque conualuit, vt iam ibi nullus locus sit, qui non aut Ecclesijs frequentissimus, aut Monasterijs sit repletus. Nam vbi fana destruxerat, statim ibi aut Ecclesias, aut Monasteria construebat.

Paulinus Nolanus. 420.

Epistola 11. ad Seuerum: Frater Victor, inter alias operum tuorum & votorum narrationes, retulit nobis, desiderare te ad Basilicam, quam modò apud Primuliacum nostrum, priore maiorem cōdideris, de sacris Sanctorum Reliquijs benedictionem, qua adornetur domestica tua Ecclesia, vt fide & gratia tua dignum est. Testis est autem Dominus, quòd si vel scrupulum sacri cineris habuissemus, supra quàm nobis ad Basilicam, quæ proximè in nomine Domini consummabitur dedicandam necessarium erat, misissemus vnanimitati tuæ.

Prosper. 450.

In Chronicis de anno 442. Gesericus Carthaginem dolo pacis inuadit, omnesq; opes eius in ius suum vertit. Nec ab Ecclesiarum despoliatione abstinens, & sacris vasis exanitas, & sacerdotum administratione priuatas, non iam diuini cultus loco, sed suorum iussit esse habitacula.

Saluianus Massiliensis. 470.

De prouidentia Dei lib. 3. Ecclesias, vel totius templa atq; altaria Dei minoris reuerentiæ quidam habent, quàm cuiuslibet minimi ac municipalis iudicij domum. Siquidem intra ianuas non modò illustrium portarum, sed etiam Præsidum aut præpositorum, non omnes passim intrare præsumunt, nisi quos aut iudex vocauerit, aut negotium traxerit, aut ipsa honoris proprij dignitas introire permiserit: ita vt si quispiam ingressus insolenter fuerit, aut cædatur, aut propellatur, aut aliqua verecundia atque existimationis suæ labe mulctetur. In templa autem, vel potius in altaria, atque in sacraria Dei, passim omnes sordidi ac flagitiosi sine vlla penitus reuerentia sacri honoris irrumpunt: non quia non omnes ad exorandum Deum currere debeant, sed quia qui ingreditur ad placandum, non debet egredi ad exacerbandum.

Victor Vticensis. 480.

De persecutione Vandalica lib. 1. Vandali (*Ariani*) in Ecclesijs, Basilicisque, & cæmiterijs sceleratius sæuiebant, & maioribus incendijs domum orationis magis, quam vrbes cunctaq; oppida concremabant.

Sidonius. 480.

Lib. 2. epist. 10. ad Hesperium: Ecclesia nuper constructa Lugduni est, quæ studio Papæ Patientis ad summum cœpti operis accessit. Huius ædis extimis tumultuarium carmen inscripsi Trochæis

triplicibus, adhuc mihi, iamque tibi persamiliaribus.

Quisquis Pontificis Patriq; nostri
Collaudas Patientis hic laborem,
Voti compote supplicatione,
Concessum experiere quod rogabis.
Aedes celsa nitet, nec in sinistrum,
Aut dextrum trahitur, sed arce frontis
Ortum prospicit aequinoctialem.
Intus lux micat, atque bracteatum
Sol sic sollicitatur ad lacunar,
Fuluo vt concolor erret in metallo,
Distinctum vario nitore marmor.
Percurrit cameram, solum, fenestras,
Ac sub versiculoribus figuris
Vernans herbida crusta saphiratos
Flectit per prasinum vitrum lapillos.

Gelasius. 490.

Epistola 6 ad Episcopos per Lucaniam Brutios, & Siciliam constitutos, cap. 6. Basilicas nouiter institutas, non petitis ex more praeceptionibus, dedicare non audeant, nec ambiant Episcopi sibimet vindicare clericos potestatis alienae.

Cap. 27. De locorum consecratione sanctorum, quamuis superius strictim fuerit comprehensum, nobis quoque patefactum est, quod absque praecepto Sedis Apostolicae nonnulli factas Ecclesias, vel oratoria sacrare praesumant.

Ennodius Ticinensis. 516.

In lectione missa Honorato Episcopo Nouariensi in dedicatione Basilicae Apostolorum: Veni piissime Domine, & ad consecrationem operis tui plenus illabere: purgentur haec templa corpi hactenus dedicata patrocinio, institue Domino vertenda sacrificia, & dum puris cumulamus altaria sancta donarijs, &c.

Hormisda. 510.

Apud Gratianum de consecratione dist. 1. Nullus Presbyter in Ecclesia consecrata aliud altare erigat, nisi quod ab Episcopo loci fuerit consecratum vel permissum: vt sit discretio inter sacrum, & non sacrum.

Theodericus rex. 520.

Apud Cassiodorum lib. 3. epist. 47. Conscius facti sui intra septa Ecclesiae refugiens, declinare se credidit praescriptam legibus vltionem, quem Vulcaniae insulae perpetua relegatione damnamus, vt & sancto templo reuerentiam habuisse videamur, nec vindictam criminosus euadat in totum.

Ioannes Primus. 521.

Epistola ad Episcopos Italiae: Ecclesias Arianorum vbicunque inueneritis, Catholicas eas diuinis precibus & operibus absque vlla mora consecrate: quia & nos, quando fuimus Constantinopoli, tam pro religione Catholica, quàm & pro regis Theodorici causa negotij, suadente atque hortante, Arianosq; extirpante Iustino Imperatore, quascunque illis in partibus Arianorum Ecclesias reperire potuimus, Catholicas eas, Domino opem ferente, consecrauimus.

Felix Quartus. 526.

Epist. 1. De Ecclesiarum consecratione, & de Missarum celebrationibus non alicubi quàm in sacratis Domino locis, absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus, quibus sunt nota noui ac veteris Testamenti praecepta, &c. Solennitates verò dedicationum Ecclesiarum & sacerdotum, per singulos annos solenniter sunt celebrandae, ipso Domino exempla dante, qui ad festum dedicationis templi, omnibus id faciendo dans formam, cum reliquis populis eandem festiuitatem celebraturus venit, sicut scriptum est: *Facta sunt encaenia in Hierusalem.* Ioan. 10.

De Ecclesiarum verò consecratione quoties dubitatur, & nec certa scriptura, nec certi testes existunt, à quibus consecratio facta sit sciatur, absque vlla dubitatione scitote, eas esse consecranda, ne talis trepidatio faciat deteriorationem: quoniam non monstratur esse iteratum, quod nescitur factum.

Vigilius. 537.

Epist. 1. cap. 4. De fabrica cuiuslibet Ecclesiae, si diruta fuerit, instauranda, & si in eo loco consecrationis solennitas debeat iterari, in quo sanctuaria non fuerint, nihil iudicamus officere, si per eam minimè aqua benedicta iactetur. Quia consecrationem cuiuslibet Ecclesiae, in qua Sanctuaria non ponitur, celebritatem tantùm scimus esse Missarum.

Gildas Badonicus. 560.

Epistola de excidio Britannico: Bilustro supradicti turbinis necdum ad integrum expleto, emarcescentibusq; nece suorum auctorum nefarijs decretis laetis luminibus omnes Christi tyrones, quasi post hyemalem ac prolixam noctem, temperiem lucemq; serenam aurae caelestis excipiunt, renouant Ecclesias ad solum vsque destructas, basilicas sanctorum Martyrum fundant, construunt, perficiunt, ac velut victricia signa passim propalant, dies festos celebrant, sacra mundo corde oreq; conficiunt, omnes exultant filij gremio ac si matris Ecclesiae confoti.

Fortunatus. 570.

Libro 2. Poëmatum de Ecclesia Moguntiae ciuitatis:

Ardua sacrati Baptismatis aula coruscat,
Quo delicta Adae Christus in amne lauat.
Hic pastore Deo puris grex mergitur vndis,
Ne maculata diu vellera gestet ouis.
Traxit origo necem de semine, sed Pater orbis
Purgauit medicis crimina mortis aquis.
Hanc tamen Antistes Sidonius extulit arcem,
Qui Domini cultum templa nouando fouet.
Struxit Berthoare voto complente Sacerdos,
Quae decus Ecclesiae cordis amore placet.
Catholicae fidei splendor pietate coruscans
Cultorum cultrix prodiga pauperibus.

Concilium Bracarense secundum. 573.

Cap. 6. Placuit, si quis Basilicam non pro deuotione fidei, sed pro quaestu cupiditatis aedificat, vt quicquid ibidem de oblatione populi colligitur, medium cum clericis diuidat: eò quòd Basilicam in terra sua quaestus causa condiderit, quod in aliquibus locis vsque modò dicitur fieri. Hoc ergo de caetero obseruari debet, vt nullus Episcoporum tam abominabili voto consentiat, nec Basilicam, quae non pro Sanctorum patrocinio, sed magis sub tributaria conditione est condita, audeat consecrare.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 2. epistola 9. Timothea illustris foemina petitoria nobis insinuatione suggessit, quod habetur in subditis, intra ciuitatem Ariminensem, in loco iuris sui oratorium se pro sua deuotione fundasse, quod in honorem sanctae Crucis desiderat consecrari. Et ideò, frater charissime, si in tuae ciuitatis iure memorata constructio consistit, & nullum corpus ibidem constat humatum esse, percepta primitus donatione legitima, id est, totius facultatis eius excepta familia, prius mobilium vel immobilium, seu mouentium vncijs octo retento sibi vsufructuario diebus vitae suae, gestisque municipalibus alligatam, praedictum oratorium absque Missis publicis solenniter consecrabis.

Lib. 12. epistol. 32. De dedicationum Ecclesiarum

dubitatione, super qua inter cætera nos consulere voluistis, hoc vos ritè tenere debetis, quod nos ab antecessoribus nostris traditum accepimus, id est, vt quoties tam de Baptismo aliquorum, vel Confirmatione, quàm de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, & nec scriptis, nec testibus ratio certa habetur vtrum baptizati, vel confirmati, siue Ecclesiæ consecratæ sint: vt baptizentur tales ac confirmentur, atque Ecclesiæ canonicè dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: quoniam non certis indicijs ostenditur ritè peractum.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Ecclesiasticis Officijs lib. 1. cap. 35. Annuas festiuitates Ecclesiarum ex more veterum celebrari in Euangelio legimus, vbi dicitur: *Facta sunt encænia Hierosolymis.* Encœnia autem festiuitas erat dedicationis templi: Græcis enim καινὸν nouum dicitur. Quandocunque enim nouum aliquid fuerit dedicatum, encænia vocatur. Illum enim diem, quo templum dedicatum est, Iudæi solenniter celebrabant, & ipse dies apud ipsos festus agebatur. Qui licet vsus in illis exoleuit, quia caruerunt & cultu & templo, Christiani tamen seruant morem illum Patrum, in quos gloria translata videtur. Ioan. 10.

Adamnanus. 680.

Lib. de locis sanctis. Hierosolymis Constantinianā Ecclesiam Constantinus Imperator, eò quod ibi Crux Domini ab Helena eius matre reperta sit, magnifico & regio cultu construxit. Ab Occasu Golgathana videtur Ecclesia, in qua etiam rupis illa apparet, quæ quondam ipsa infixo Domini corpore crucem Domini tulit argenteam, &c.

Beda. 700.

Histor. Angli. lib. 5. cap. 4. Contigit eodem tempore Episcopum illò ad dedicandam Ecclesiam ab eodem Comite vocari: cumq; dedicata esset Ecclesia, rogauit Comes eum ad prandendum domum suam ingredi.

Zacharias PP. 730.

Epist. 2. ad Bonifacium: Si autem Ecclesias in nomine Trinitatis consecrauit, dum sacerdotio fungebatur, consecratio Ecclesiarum sit confirmata.

Carolus Magnus. 790.

Lib. 1. Legum cap. 150. Vt Ecclesiæ vel altaria melius construantur, & nullus Presbyter annonam vel fœnum in Ecclesia mittere præsumat.

Cap. 151. Ecclesia vel altaria, quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur.

Concilium Cabilonense. 813.

Cap. 16. Sicut pro dedicandis Basilicis, & dandis Ordinibus nihil accipiendum est: sic etiam pro balsamo Presbyteri accepturi nihil dent.

Agobardus Lugdunensis Episcopus. 830.

In translatione Reliquiarum S.S.S. Cypriani, Sperati, & Panthaleonis:

Hic dum Basilicas Deo dicatas,
Et Christi subeunt veranda templa,
Cernunt vt tua Cypriane Martyr
Seruaret loculus neglectus ossa.

Amalarius Treuirensis. 830.

De Officijs Eccl. lib. 3. cap. 2. Ecclesia est conuocatus populus per ministros Ecclesiæ ab eo, qui facit vnanimes habitare in domo. Ipsa domus vocatur Ecclesia, quia Ecclesiam continet. Ipsa vocatur κυριακὴ, quia est Dominicalis. κύριος Græcè, Latinè dominus: ac ideo κυριακὴ Dominicalis. Ipsa vocatur βασιλικὴ, id est, regalis, à βασιλεύς, βασιλεὺς rex dicitur, quasi basis populi: λαὸς populus dicitur, βασιλεὺς basis populi. Vnde Isidorus: Basilicæ prius vocabantur regum habitacula, vnde & nomen habent. Nam βασιλεὺς rex, & basilicæ regiæ habitationes. Nunc autem ideo diuina templa basilicæ nominantur, quia ibi regi Deo cultus & sacrificia offeruntur.

Concilium Aquisgranense sub Pip. 837.

Lib. 1. cap. 24. Vnde hodie Christiana religio exemplum sumens, & antiqua Patrum traditione domos in honorem Dei ædificat, ac dedicat, &c.

Hincmarus. 840.

In vita Caroli Magni: Religionem Christianam, qua ab infantia fuerat imbutus, sanctissimè, & cum summa pietate coluit, & propter hoc miræ pulchritudinis Basilicam Aquisgrani extruxit, auroq; & argento, & luminaribus, ex ære solido cancellis, & ianuis ornauit. Ad cuius structuram cùm columnas & marmora aliunde habere non posset, Roma, atque Rauenna deuehenda curauit.

Rabanus Maurus. 850.

De Institutione Cleri lib. 2. cap. 45. Quòd in dedicatione templi, in nocte præcedente diem dedicationis, Reliquiæ Sanctorum feretro conditæ, in tentorio vigilijs custodiuntur, quid aliud demonstrat, quàm quòd Arca Testamenti cum sanctis, quæ in ea erant, in tabernaculo Mosaico ante ædificationem templi per excubias Leuitarum seruabatur? Et quòd in tempore dedicationis, multitudine vndique conuocata, feretrum cum Reliquijs Sanctorum per sacerdotes de tentorio ad templum defertur, quid aliud intimat, quàm quod liber Paralipomenon narrat, quòd venerunt omnes Israelitæ ad regem Salomonem in die solemni, & portauerunt Leuitæ Arcam fœderis Domini cum omni apparatu tabernaculi, & intulerunt eam sacerdotes in locum suum, id est, oraculum templi, in sancta sanctorum. 2. Par. 5.

Concilium VVormatiense. 868.

Cap. 3. Placuit, quoties ab aliquo fidelium ad cōsecrandas Ecclesias Episcopus inuitatur, non quasi ex debito munus aliquod à fundatore requirat: sed si ipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit, non respuatur. Attamen vnusquisque Episcopus meminerit, vt non prius dedicet Ecclesiam, nisi antea dotem Basilicæ, & obsequium ipsius per donationem chartulæ confirmatum accipiat. Nam non leuis est ista temeritas, si sine luminaribus, vel sine substantiali sustentatione eorum, qui ibidem seruituri sunt, tanquam domus priuata consecretur Ecclesia.

Anastasius Bibliothecarius. 880.

Lib. 16. Historiarum: Iustinus cùm esset pius, adornauit Ecclesias, quas Iustinianus ædificauerat, videlicet tam magnam Ecclesiam, & sanctos Apostolos, quàm Ecclesias & Monasteria, donans eis thesauros, & omnem reditum.

Regino Prumiensis. 910.

De anno 913. Eodem anno Carolus Imperator obijt, & in Basilica S. Saluatoris, & S. Dei Genitricis Mariæ honorificè sepultus est, quam Basilicam ipse mirifico opere à fundamento ædificari fecit.

Radulphus Flauiacensis. 950.

In Leuit. lib. 14. cap. 4. Legimus in antiqua historia, templi violatores, vel eos, qui sacris vasis dignam reuerentiam non exhibuerunt, repentè percussos. Filij Aaron, cùm ad altare ignem obtulissent alienum, statim ignis egressus à Domino deuorauit eos. Oza, in Regum historia, cùm extendisset manum ad arcam Dei, & tenuisset eam, iratus est Dominus contra eum, & percussit eum super temeritate. Sed & in Numeris reperies, quòd Moses & Aaron cum filijs suis iubentur habere custodiam sanctuarij: *Quisquis,* inquit, *alienus accesserit, moriatur.* Si igitur loco illi tanta exhibebatur reuerentia, in quo vitulorum & hircorum sanguis offerebatur, quid illi honoris exhibendum est, 2. Mac. 3. Dan. 5. Leui. 10. 2. Reg. 6. Num. 3.

in quo populus sacrarum Christi assumit, Corpus, bibit & beatum sanguinis ipsius haustum, &c. *Sanctuarium ergo meum, inquit, metuite.*

VVitichindus. 950.

Libro 2. Annalium: Ottonis temporibus templum famosissimum Fuldense igne consumptum est, & ab eo restauratum, & multo maiori decore perfectum.

Marianus Scotus. 1070.

In Chronicis de anno 1011. Hoc anno Babenbergensis Ecclesiæ dedicatio facta est, quadraginta sex ad hoc vocatis Episcopis.

Anselmus. 1080.

Ad cap. 21. Matthæi: Quia vrbem ingressus primò templum adijt, formam religionis, quam sequamur, demonstrauit: vt quocunque venerimus, domum orationis, si ibi est, primùm adeamus, & per orationem Deo commendati, sic ad agenda negotia securius accedamus.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de Sacramentis Dedicationis: Quoniam ad dedicationem præsentis Basilicæ hodie deuotè conuenistis, oportet, vt quæ in his sanctis manufactis fieri videtis, totum impletum esse in vobis cognoscatis.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

In Genes. lib. 7. cap. 24. Hæc dicta Iacob: *Verè Dominus est in loco isto, &c.* bene Catholica Christi Ecclesia de ore eius rapuit, & de omni loco, in quo inuocatur nomen Domini, veraciter protestatur, & constantissimè dicit: *Terribilis est locus iste, hic domus Dei, & porta cæli.* Vbi enim sanctum celebratur baptisterium, & corporis & sanguinis Domini conficitur Sacramentum, vnde animæ fideles cæli nascuntur, & Angelorum descendentium & ascendentium manibus feruntur in cælum, quid nisi porta cæli, & infernalibus portis terribilis locus est? Proinde non vanè consecratio templi vel altaris festiuis laudibus per annos singulos celebrari consueuit, &c.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis lib. 2. parte 5. cap. 2. Primùm Pontifex aquam benedicit, typicum sal admiscens: deinde Ecclesiam ipsam extrinsecus ter gyrando aspergit clero & populo subsequente. Interim verò in circuitu dedicandæ Ecclesiæ intrinsecus duodecim accensa sunt luminaria. Per singulas autem vices ad portam Basilicæ veniens (quam ob sacramenti figuram clausam esse oportet) percutit virga pastorali superliminare ipsius, dicens: *Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* Cui Diaconus intus positus respondet: *Quis est iste rex gloriæ?* Pontifex autem: *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Tertia demum vice reserato ostio intrat Pontifex cum clero & populo dicens ter: *Pax huic domui.* Deinde cum sacerdotibus, & leuitis, & clericis ad orationem prosternitur pro sanctificatione ipsius domus dedicandæ. Postea consurgens &c. hortatur cunctos ad orandum. His completis incipit de sinistro angulo Basilicæ ab Oriente per pauimentum scribere alphabetum vsque in dextrum angulum Occidentis, atque iterum à dextro angulo Orientis vsque in sinistrũ angulum Occidentis. Dehinc ad altare conscendit, & stans ante altare Deum sibi in adiutorium inuocat, &c. Post hoc aquam benedicit, salem & cinerem admiscens: & faciens ter signum crucis super ipsam: cui mixturæ vinum etiam additur. Post hæc tingit digitum in aqua, & facit crucem per quatuor cornua altaris. Indè venit ante altare, & circuiens aspergit illud septem vicibus, aspersorio facto de hyssopo. Circuit dehinc totam Ecclesiam, intrinsecus aspergens parietes ipsius eadem aqua, faciens hoc & tertiò, &c.

Psal. 23.

Luc. 10.

Bernardus. 1130.

Sermone 1. in dedicatione Ecclesiæ: Quando domus ista per manus Pontificum dedicata est Domino, propter nos sine dubio factum est: non solùm qui præsentes sumus, sed & quicunque vsque in finem seculi Domino in hoc loco sunt militaturi. In nobis proinde spiritualiter impleri necesse est, quæ in parietibus visibiliter præcesserunt. Et si vultis scire, hæc vtique sunt, aspersio, inscripto, inunctio, illuminatio, benedictio. Hæc vtique hac visibili in domo fecere Pontifices: hæc & Christus assistens Pontifex futurorum bonorum inuisibiliter quotidiè operatur in nobis.

Serm. 4. in dedicatione Ecclesiæ: Votiuis laudibus celebramus hanc diem, & festiuis eam gaudijs, honoramus, &c. Miramini forsitan cur ista præloquimur, cùm vestris sese obtutibus Ecclesia præsens manifestius ingerat, cuius anniuersaria dedicatio celebratur. Quis enim parietes eius sanctos dicere vereatur, quos manus sacratæ Pontificum tantis sanctificauêre mysterijs? Ex tunc quoque & deinceps sanctarum inibi lectionum resultare frequentia, sanctarum orationum deuota murmurare susurra, sanctarum Reliquiarum honorari beata præsentia, sanctorum spirituum indefessa noscitur custodia vigilare.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Epist. 1. contra Petrobrusianos: Nonne, vt gestorum veracium series narrat, primus ipse princeps Apostolorum Petrus in vrbe orbis capite templum Christo inter innumera gentilium templa construxit? Nonne & nos ipsi Romæ positi frequenter vidimus in cryptis antiquissimis oratoria & altaria, qualia eo tempore fieri poterant?

Lucius Tertius. 1180.

Extra. de immunitate Ecclesiarum tit. 49. cap. 5. Cùm Ecclesia Dei, secundùm Euangelicam veritatem, domus orationis esse debeat, non spelunca latronum, non sanguinis forum, seculares iudices causas, vbi de sanguinis effusione & corporali pœna agitur in Ecclesijs vel cæmiterijs, agitare, sub interminatione anathematis, prohibemus.

Cælestinus Tertius. 1190.

Extra. de Ecclesijs ædificandis tit. 48. Quia occasione iuramenti, quod de rebus Ecclesiæ non alienandis te asseris præstitisse, in locis tui Episcopatus, in quibus populi habitantes oratorijs egere videntur, (ne prætextu nouarum Ecclesiarum commissa tibi Ecclesia destitui videretur,) Ecclesias formidas erigere: fraternitati tuæ mandamus, quatenus illius iuramẽti occasione nullatenus prætermittas, quin populo indigenti super Basilicarum institutione studeas salubriter prouidere.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 1. in Dedicatione Templi: Licet vbique sit Deus adorandus, specialiter tamen in templo, secundùm illud: *Adorate Dominum in aula sancta eius.* Psal. 28.
Specialiter quoque ad Orientem, secundùm quod in libro Sapientiæ legitur: *Ad ortum lucis oportet adorare.* Sap. 16.
scilicet vt nobis adorantibus Deum, oriatur lux vera, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sol iustitiæ,* Christus Deus noster. Ioan. 1.
Frustra namque tanto studio, tantoque labore templum Domino fieret, nisi gratius acceptaret in eo Dominus adorari. Legimus enim quòd templo constructo & dedicato Salomon adorauit ad Dominum, vt quicunque Iudæus vel gentilis ascenderet in templum orans pro peccatis, vel quacunque tribulatione clamans ad Dominum, in his, quæ iustè postularet, exaudiretur à Domino. 3. Reg. 8.
Quam quidem orationis formam adhuc seruat Ecclesia, quæ in dedicatione templi sic orat: *Vt quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur.* Assistunt enim in sacris tẽplis Angeli Dei fide-

Psal. 137. libus adorantibus, vt deuotas eorum orationes offerant Domino, secundùm illud: *In conspectu Angelorum psallam tibi, & adorabo ad templum sanctum tuum.*

Gregorius Nonus. 1222.

De immunitate Ecclesiarum cap. 9. Ecclesiæ, in qua diuina mysteria celebrantur, licet adhuc non extiterit consecrata, nullo iure priuilegium immunitatis adimitur: quia obsequijs diuinis dedicata, nullius est temerarijs ausibus profananda.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De legibus cap. 29. Duo genera templorum sunt: Alterum viuum & verum, quod est totus cœtus Sanctorum, & vnusquisque eorum: alterum verò mortuum, videlicet ex mortuis lignis & lapidibus. Et hoc est ad viuum & verum templum sicut figura ad veritatem.

Matthæus Parisius. 1250.

De anno 1237. Basilicarum dedicatio à veteri Testamento cognoscitur habuisse initium, & in nouo est à Sanctis Patribus obseruata, in quo est eò dignius & studiosius facienda, quia in illo tantùm offerebantur hostiæ animalium mortuorum: in isto verò cælestis hostia viua & vera, ipse scilicet Vnigenitus Dei Filius in altari offertur pro nobis manibus sacerdotis. Quare statuerunt prouidè sancti Patres, ne in alijs, quam Deo dicatis, nisi necessitatis causa, celebraretur officium tam sublime.

Thomas Aquinas. 1250.

Secunda 2. q. 84. artic. 3. Determinatus locus eligitur ad orandum, non propter Deum, qui adoratur, quasi loco concludatur: sed propter ipsos adorantes, & hoc triplici ratione. Primò quidem, propter loci consecrationem, ex qua specialem deuotionem concipiunt orantes, vt magis exaudiantur, sicut patet ex oratione Salomonis 3. Reg. 8. Secundò, propter mysteria sacra, & alia sanctitatis signa, quæ ibi continentur. Tertiò, propter concursum multorum adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis, secundùm illud Matth. 18. *Vbi duo vel tres sunt congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum.*

Guilhelmus Peraldus. 1255.

In Summa Tom. 1. de iustitia, vbi sit orandum cap. 7. Locus idoneus ad orandum est templum materiale Deo dicatum. Matth. 21. *Domus mea domus orationis vocabitur.*

Guilhelmus Tornacus. 1270.

De officio Episcopi cap. 11. Cùm Iudæi iam careant templo, & cultu diuino, quid mirum si careant festo dedicationis, cùm à nobis nunc Christianis mos ille primarius custodiatur, quia ad nos translata gloria comprobatur. Tabernaculum primùm Moses Domino condit, deinde Salomon templum instituit, quod Esdras postmodum reparauit: sed cùm fides Christi enituit, pia Christianorum deuotio per totum mundum Christo Ecclesias consecrauit.

Iacobus Genuensis. 1280.

Sermone 1. de dedicatione Ecclesiæ: Festum dedicationis est magnæ auctoritatis: trahit enim auctoritatem à tempore Legis naturæ. Genes. 28. *Tulit Iacob lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit titulum, infundens oleum desuper.* A tempore Legis scriptæ. Exodi vltimo: *Assumpto vnctionis oleo, vngens tabernaculum, &c.* A tempore Legis gratiæ. Ioan. 10. *Facta sunt encœnia Hierosolymis.*

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 2. cap. 29. Nota quadruplicem esse vsum Ecclesiæ: quia primò est domus reconciliationis, quoad pœnitentes, secundùm illud Gen. 28. *Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli.* Secundò orationis. Tertiò instructionis, quoad perfectos, secundùm illud Esaiæ: *Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos.* Esaiæ 2.
Quartò iubilationis & laudis, quoad omnes, Psal. 67.
secundùm illud: *In Ecclesijs benedicite Deo.* Et illud: Psal. 83.
Beati qui habitant in domo tua Domine.

Ioannes Taulerus. 1350.

Dominica quinta post Trinit. Serm. 1. In summi templi extructione diuersa sunt opera, & varij modi: & fortasse plus quàm centum homines in illo opere laborant, aut aliquod ministerium impendunt, diuersis licet modis, dum alij comportant lapides, alij calcem offerunt, alij alia agunt: quæ tamen diuersa officia, siue ministeria ad eum solum finem referuntur, vt templum illud splendidè construatur: hoc autem ideo, vt domus orationis fiat: sicque omnia illa propter orationem aguntur, cui nimirum multiplicia hæc opera, & varij modi deseruiunt.

Thomas VValdensis. 1410.

Tom. 3. titu. 17. cap. 144. Si non attendit Deus Basilicas & structuras, cur tanta cura arcam sibi iusserat fabricari propitiatorium, & mensam, & candelabrum, cum hastilibus, sphærulis, & cuncta vasa sanctuarij, & altare thymiamatis cum labio, & basibus, & vestes sanctas in ministerio Aaron & filiorum eius? Impleuit Beseleel, & Oliab spiritu suo ad ista facienda prout descripserat, Exod. 31. Cùm item propter mansionem eiusdem arcæ in domo Obededon benedixerit ei Dominus 2. Reg. 6. & non permisit Dauid dilectum suum fabricare sibi domum, in qua quiesceret arca, sicut nec aliquis ante eum: quia omnes erant viri sanguinum, sed seipsum dixit ambulasse in tabernaculo & tentorio per cuncta loca, per quæ transiuit & arca, 2. Reg. 7.

Ioannes Gerson. 1420.

De nuptijs Christi & Ecclesiæ: Quòd inquiris quo pacto materialis Ecclesia spiritualem significet, ratio patet facilis ex institutione consecrationis & dedicationis suæ. Vnde perspicuùm redditur, quis & quantus honor, quantus reuerentiæ cultus materiali debetur Ecclesiæ contra Begardorum errorem, contra superbiam illorum, quos alloquitur Apostolus, dicens: *An Ecclesiam Dei contemnitis?* contra dissolutiones indecoras. Denique non sine causa Christus eiecisse legitur vendentes & ementes de templo, grauiter intonans illud propheticum: *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.*

Bernardinus Senensis. 1440.

Tom. 1. Sermone 20. Templum reuerentia dignum esse probatur septuplici ratione, seu respectu. Primò, propter præsentiam Dei: secundò, propter præsentiam Dominici Sacramenti: tertiò, propter assistentiam Angelorum: quartò, propter diuersa beneficia ibidem nobis donata: quintò, propter maiorum exempla & signa: sextò, quia ibi sunt res sacræ: septimò, quia ibi diuina officia celebrantur.

Æneas Syluius. 1460.

Cap. 7. Europæ sue de vrbis Constantinopolitanæ expugnatione: Templum Sophiæ, Iustiniani Cæsaris opus, toto orbe famatum, & cui comparari alterum nequeat, nudatum sacra supellectile, ad omnes spurcities patuit: altaria diuina in templis ipsis aut lupanaria meretricum facta, aut equorum stabula.

(*.*)

ARTICVLVS SEXTVS.

CAMPANAS, QVIBVS CLERVS ET POPVLVS AD PRECES CONVOCATVR, EARVMQVE BENEDICTIONEM ET PVLSVM ADVERSVS TONITRVA ET TEMPESTATES.

IMPROBANT.

Anno post natum Christū 1470. *TVRCÆ campanarum vsum non admittunt, & Christianos, qui sub illorum ditione viuunt, illis vti vetant.* Platina in Vrbano Tertio, Cuspinianus de religione Turcarum, Lonicerus in Chronico Turcico.

1530. Ioannes Oecolampadius Responsione ad confessionem Lutheri parte 3. *De campanis dicimus, quatenus hæ eo loci, & superstitionis per abusum deuenerunt, vt boni alicuius operis aut meriti spem inde concipiant homines, eatenus relinqui & omitti debent.*

1550. Caspar Hombergius libro, quem inscripsit de superstitiosis campanarum pulsibus: *Secundus campanarum vsus est, quo Satanam, & totum eius apparatum earum clangore & fremitu abigunt, idq́; vel in nubium fragore, vel in sacris solennitatibus, vel in angoribus, vel in exequijs, vel in similibus nugis aperta & sacrilega idololatria est, quam vel pueri explodendam intelligunt, &c. Campanarum vsurpatio tonante cælo ad suscitandas preces confecta, est pudendum βδέλυγμα, ἀταξία, Ecclesiasticæq́; constitutionis dissipatio, siue pastores, siue auditores, siue pietatis sobrietatem, siue Dei opera hominumq́; commenta respicis.*

PROBANT SACRÆ LITERÆ.

Numer. 10. *vers.* 1. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare posis multitudinem, quando mouenda sunt castra. Cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis. 9. Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant aduersum vos clangetis vlulantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, vt eruamini de manibus inimicorum vestrorum. Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis, vt sint vobis in recordationem Dei vestri.

Iosue 6.5. Cùm insonuerit vox tubæ longior atque concisior, & in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent ciuitatis.

PROBANT PATRES.

Ephram. 370.

Paræneſi 23. Signo ad Synaxin & officium dato, omnium vltimus tunc frater accurrit, & ante omnes è congregatione exire conatur.

Gregorius Turonensis. 580.

De vita Patrum cap. 4. Obseruatores ostium baptisterij obseruatum inuenientes, claue sua solita aperiebant: commotoque signo Sanctus Dei, sicut reliqui, nouus ad officium Dominicum consurgebat.

Audoenus. 650.

Vita S. Eligij lib. 2. *cap.* 21. Cùm aliquando visitaret Diœcesin suam, vt solent Episcopi, interdixit, ne Cursus, id est, preces Canonicæ, & sacrificium celebrarentur in Basilica quadam, donec ipse iuberet. Erat illic Presbyter quidam sibi malè conscius, ob cuius culpam id fecerat beatus Episcopus. Is parui pendens eius sententiam, cùm procul illum recessisse arbitraretur, campanam hora statuta, vti moris erat, pulsare cœpit. Sed vt eius temeritas reprimeretur, campana rationis expers, beato viro obtemperans, nullum sonum reddidit. Perstitit ille trahendo restim campanæ, sed sonum exprimere non potuit. Itáque egressus è Basilica omnibus rem exponit, &c.

Beda. 700.

Historia Anglicana lib. 4. *cap.* 23. Erat in eodem Monasterio quædam sanctimonialis fœmina nomine Begu, quæ triginta & amplius annos dedicatâ Domino virginitate, in monachica conuersatione seruiebat. Hæc tunc in dormitorio sororum pausans, audiuit subitò in aëre notum campanæ sonum, quo ad orationes excitari, vel conuocari solebant; cùm quis eorum de seculo fuisset euocatus, &c.

Auctor Ordinis Romani. 730.

In ordine processionis, cùm Episcopus festiuis diebus Missam celebrare voluerit: Cùm tintinnabulũ ad tertiam sonuerit, omnes simul fratres in chorum ordinatim conuenire debent:

In ordine, qualiter Episcopus ordinetur in Romana Ecclesia: Electus sacris vestibus indutus procedat vnà cum Archiepiscopo, & cæteris Episcopis è sacrario ante altare: factoq; ibi scrutinio, & concrepan-

tribus signis Ecclesiæ cantor incidit Antiphon. &c.

Ordo ad benedicendum signum: Imprimis dicatur Litania. Postea sex Psalmi veniales, &c. *Sequitur Exorcismus salis*:

Exorcizo te creatura salis per Deum viuum, per Deum sanctum, per Deum totius creaturæ, qui diuina voce oris sui locutus est, ad discipulos suos dicens: *Vos estis sal terræ*, vt efficiaris sal exorciza-
Matt. 5. tum ad euacuandum & expellendum ab hoc Ecclesiæ signo inimicum, omnemque virtutem putredinis eius, &c.

Exorcismus aquæ: Discede immunde spiritus ab omnibus, quibus fides nostra vsura est, religiosi officij sacramentis, nec prætendas culpam criminis, qui agnoscis potentiam Saluatoris. Non est meriti confidentia, sed præcepta, licet ipsa potestas ministerij dignitas sit ministri. Te igitur per communem Dominum aquæ creatura conuenio, vt conseruare motum sensibilitatis intelligens, subijci seruitio, quo placere Deum nitimur, non recules, omnem à te dæmonum communionem, omne collegium iniquitatis expurges, totam phantasmatis labem, capax Dominicæ protectionis extermines, vt gratia sanctificationis adepta, tuo nostroque pariter Creatori deseruiens, omnem prauorum spirituum nequitiam ab hoc Ecclesiæ signo, & in quocunque loco fuerit aspersa, deijcias, & sanctæ copiam benedictionis inducas.

Benedictio aquæ: Benedic Domine hanc aquam benedictione cælesti, & assistat super eam virtus Spiritus sancti, vt cùm hoc vasculum, ad inuitandos filios Ecclesiæ præparatum, in ea fuerit tinctum, vbicunque sonuerit hoc tintinnabulum longè recedat virtus inimicorum, vmbra phantasmatum incursio turbinum, percussio fulminum, læsio tonitruorum, calamitas tempestatum, omnes spiritus procellarum, & cùm clangorem illius audierint filij Christianorum, crescat in eis deuotionis augmentum, vt festinantes ad piæ matris Ecclesiæ gremium, cantent ibi in Ecclesia sanctorum canticum nouum, deferentes in sono præconium tubæ, modulationem psalterij, suauitatem organi, exultationem tympani, iucunditatem cymbali, quatenus in templo sancto gloriæ tuæ, suis obsequelis & precibus, inuitare valeant multitudinem exercitus Angelorum, &c.

Post hæc canuntur Psalmi, &c. Qui dum canuntur, lauet signum de aqua benedicta, & sale benedicto, cum oleo sancto, cruces in eo faciendo, & dicat hanc orationē: Deus qui per beatum Moysen legiferum tubas argenteas fieri præcepisti, quas dum Leuitæ tempore sacrificij clangerent, sonitu dulcedinis populus monitus, ad te adorandum fieret præparatus, quarumque clangore etiam hortatus ad bellum, tela prosterneret aduersantium, præsta vt hoc vasculū, tuæ Ecclesiæ præparatum, sanctificetur à sanctificatore omnium Spiritu sancto, vt per illius tactum & sonitum fideles inuitentur ad præmium, & cùm melodia illius auribus insonuerit, populorum crescat in ijs deuotio fidei, procul pellantur omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum, impetus tempestatum, temperentur infesta tonitrua, ventorum flabra fiant salubriter ac moderatè, suspensa prosternat aëreas potestates dextera tuæ virtutis, vt hoc audiētes tintinnabulū contremiscant, & fugiant ante sanctæ crucis in eo depictum vexillum. Per Dominum nostrum, &c.

Tunc extergat illud cum linteo mundo, & canatur Antiphona: Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit. Dominus super aquas multas, *vsque in finem, cum* Gloria. *Et quot vicibus in Psalmis dicit*: Vox Domini, *totidem signa faciat cum Chrismate deforis in campana, & fiant à foris septem, intus quatuor. Deinde dicat hanc Collectam.*

Omnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam fœderis per clangorem tubarum muros lapideos, quibus aduersantium cingebatur exercitus, cadere fecisti, tu hoc tintinnabulum cælesti benedictione perfunde, vt ante sonitum eius longius effugentur ignita iacula inimici, percussio fulminum, impetus lapidum, læsio tempestatum, vt ad interrogationem propheticam: *Quid est tibi mare quod fugisti?* suis motibus cum Iordanico retroactis flu- Psal. 113.
ento respondeant: *A facie Domini commota est terra, à facie Dei Iacob: qui conuertit solidam petram in stagnum aquæ, & rupes in fontes aquarum*: *Non* ergo *nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* super misericordia tua, vt cùm præsens vasculum, sicut reliqua altaris vasa, sacro Chrismate tāgitur, oleo sancto vngitur, quicunque ad sonitum eius conuenerint, ab omnibus inimici tentationibus liberi, semper fidei Catholicæ documenta sectentur, Per, &c. *Tunc ponatur in incensorio ignis & thymiama, thus & myrrha, & erigatur signum super incensorium, vt totum illud fumum colligat, & dicatur hæc Antiphona*: Deus in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster? Tu es Deus, qui facis mirabilia. Viderunt te aquæ Deus, &c.

Oremus: Omnipotens Dominator Christe, quo secundùm assumptionem carnis dormiente in naui, dum oborta tempestas maria cōturbasset, te protinus excitato, & imperante dissiluit, tu necessitatibus populi tui benignus succurre, & hoc tintinnabulum Spiritus sancti rore perfunde vt ante sonitum illius semper fugiat inimicus, inuitetur ad fidem populus Christianus, hostilis terreatur exercitus, confortetur in Domino per illud populus euocatus, atque sicut super Dauidicam cytharam delectatus, desuper descendat Spiritus sanctus, atque vt Samuele crinigero agnum mactante in holocausto tuo rex æterni imperij fragor aurarum turbam repulit aduersantium: ita dum huius vasculi sonitus transit per nubila, Ecclesiæ tuæ conuentum manus seruet Angelica, fruges credentium, mentes & corpora saluet protectio sempiterna. Per te Iesu Christe, qui cum Deo Patre in vnitate eiusdem Spiritus sancti viuis & regnas.

Zacharias Papa. 740.

Priuilegio Casinensibus concedit, vt in Horis diurnis & nocturnis signum in Ecclesia pulsent.

Alcuinus. 750.

De diuinis Officijs cap. 17. de Cœna Domini: Quia vna est persona Filij Dei, & Filij hominis, qui pati venerat, conformat se Ecclesia capiti suo, & de glorificatione eius reticet, vsque dum exaltetur per triumphum victoriæ. Quia ordo prædicatorum tempore passionis siluit, reticetur sonus signorum atque campanarum. Pro hoc enim humilior sonus lignorum ad congregandum populum assumitur.

Capite 19. de Sabbato Sancto Paschæ: His finitis pulsantur signa ad Missam publicam.

Capite 38. quid significent vestimenta: Signorum vsus à veteri Testamento sumptus est. In libro Num. dixit Dominus Mosi: *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare possis multitudinem.*

Ludgerus Monasteriensis Episcopus. 800.

De S. Suiberto cap. 9. Quo facto pulsata est campana Conuentus per aliquot horas, ad honorem Dei & gloriam S. Suiberti.

Concilium Aquisgranen. sub Ludoico I. 816.

Cap. 131. Studeant summopere Canonici prædictas Horas vigilantissima cura custodire, & in his diuinum officium humiliter & deuotè persoluere. Mox enim vt datum fuerit signum, festinato omnes ad Ecclesiam conueniant.

Amalarius Treuirensis 820.

De Ecclesiasticis Officijs lib. 3. cap. 1. Signorum vsus à veteri Testamento sumptus est. Scriptum est in libro Numer. *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare*

posse multitudinem, &c. Prædicationem, quam significat clangor tubarum, Hieronymo exponente, significat signum, quod in nostra Ecclesia reboat. Signum nostrum est ex metallo æris. Æs est metallum durabile & sonorum. Habet idem signum interius plectrum ferreum, quo tunditur, vt audiatur: Oraque prædicatorum significat noui Testamenti, quæ plus durant, quàm tubæ veteris Testamenti, atque altius resonant. Ora prædicatorum nostrorum durabunt vsque in finé, & auditur longè sonus eorum vsque in fines terræ. Tempore Iudæorum notus erat tantùm in Iudæa Deus: at nunc in omni terra. Vas metalli æris ora significat, vt diximus, prædicatorum: ferrum interius linguam eorum: per funem intelligimus mensuram vitæ nostræ, &c.

Lib. 4. cap. 21. de Cœna Domini, Parasceue, & Sabbato sancto: Omnis salutatio deest in istis tribus diebus, siue noctibus, ad vitandam salutationem pestiferam, qualem diabolus Iudas exercuit. Nec non etiam altitudo signorum, quæ fiebat per vasa ærea, deponitur, & lignorum sonus, vsquequaque humilior æris sono, necessariò pulsatur, vt conueniat populus ad Ecclesiam. Potest & in hoc humilior vsus Ecclesiæ Romanæ designari antiquis temporibus, quàm nunc fit, & præcipuè tunc, quando latitabat per cryptas propter persecutores. Nam adhuc iunior Roma, quæ antiquis temporibus sub vno domino cum antiqua Roma regebatur, vsum lignorum tenet, non propter æris penuriam, sed propter vetustatem. Et quia Saluatoris nostri humiliatio per sepulturam triduò celebratur, conuenit vt per tres dies, id est, quintam feriam, sextam, & septimam humiliatio nostri officij subsequatur.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap. 5. De vasis fusilibus, vel etiam productilibus, quæ simpliciter signa vocantur, quia eorum sonoritate, quibusdam pulsibus excitata, significantur horæ, quibus in domo Dei statuta celebrantur officia: de his, inquam, hic dicendum videtur, quòd eorum vsus non adeò apud antiquos habitus proditur, quia nec tam multiplex apud eos conuentuum assiduitas, vt modò est, habebatur. Apud alios enim deuotio sola cogebat ad statutas horas concurrere. Alij prænuntiationibus publicis inuitabantur, & in vna solennitate proximè futuras discebant: apud quosdam tabulis, apud nonnullos cornibus horæ prodebantur. Vasorum autem, de quibus sermo ortus est, vsum primò apud Italos affirmant inuentum. Vnde & à Campania, quæ est Italiæ prouincia, eadem vasa maiora quidem campanæ dicuntur: minora verò, quæ & à sono tintinnabula vocantur, nolas appellant, à Nola eiusdem ciuitate Campaniæ, vbi eadem vasa sunt primò commentata. Quia verò tu-
Num. 10 bas æreas & argenteas in lege habemus, & Prophe-
Isaiæ 58. ta quasi tuba vocem prædicationis exaltare iubet, congruè his vasis vtimur in conuocatione fidelium, vt prædicatio nostra in Ecclesia pura in argento, in ære significetur durabilis & sonora, id est, vt nec hæretica fœdetur rubigine, nec negligentiæ lassetur pigritudine, nec humana supprimatur formidine.

Eulogius Toletanus Episcopus. 870.

In Memoriali Sanctorum: Quid illud memorem, quod in contumeliam signi venerabilis proferunt, quòd cùm fortè competens tempus psallendi signum fidelibus dare compulerit, & imminens hora obsecrationis indicium populis facere consuetum poposcerit; mox vt intellectum superstitione mendaci vulgus clangorem tinnientis metalli aure captauerit, in omnem maledictionem & spurcitiam linguam admouere non differt?

Ido Clericus Paderbornensis. 900.

Vitæ S. Liborij cap. 11. Ornatur itaque clerus omnis sacerdotalibus & Ecclesiasticis indumentis, eleuatoque feretro sanctorum pignorum in humeros sacerdotum, sonantibus quoque signis omnium per vrbem Ecclesiarum, deducitur cum ingenti cunctorum veneratione.

Luitprandus Ticinensis. 950.

Lib. 3. cap. 8. Ecclesiam ipsam νέαν, hoc est nouam, alij vocant, alij verò ἐννέαν, quod lingua nostra nouennalem sonat, appellant: eò quòd ibidem horarum Ecclesiasticarum machina nouem pulsata ictibus seu vocibus sonet.

Notgerus Leodiensis. 960.

Vitæ S. Remacli lib. 2. cap. 6. Vigilabat tunc illic frater quidam, isque ante gallorum cantum vidit è cælo lucem descendere, & per fenestras templi penetrans, feretro, quo sacrum corpus vehebatur, incumbere; simulque tenebras dispelli omnes, feretrum commoueri, campanas cælesti vi impulsas sonum edere: fratres & vicini expergiscuntur, rei insolita obstupescunt, & licèt molestum esset præter morem surgere, attamen surgunt ad persoluendas preces nocturnas.

Anselmus. 1080.

In Elucidario: De campana alijs dulcis sonus redditur, & ipsa assiduo pulsu atteritur.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epist. 167. Cùm omne donum non tantum ex sua quantitate, quantum ex dantis affectu æstimandum sit: campanas, quas beatæ & perpetuæ Virgini dedistis, tum pro vestra deuotione, tum pro sua delectabili sonoritate vice ipsius perpetuæ Virginis gratanter suscepimus, & in loco celebri ad auditum confluentium populorum collocari fecimus. Quæ quoties ad significationes certarum horarum mouentur, ita auditorum mentes mulcentur, vt vestra memoria in multorũ cordibus renouetur.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De diuinis officijs lib. 1. cap. 16. Sonora esse instrumenta in Ecclesia, quibus ad laudem Dei populus excitetur, diuinæ auctoritatis & antiquæ consuetudinis est. Nam olim tubæ, nunc autem campanæ, diuersa quidem specie, sed eadem habentur ratio-
ne. Legimus in Leuitico, tubas ex iussu Domini Num. 10
factas, quarum vsus esset in iubilæo, tantæ virtu- Iosue 7.
tis, vt ad crepitum earum corrueret Hiericho &c. At nunc ad confitendum Domino, & ad annuntiandum mane misericordiam eius, per noctem
ænea signa personant, & ad omnem horam diuini Psal. 91.
officij, tanquam in exordio præclaræ orationis has partes tenent, vt attentos docilesque ac beneuolos diuinæ laudis auditores efficiant. Hæc igitur Ecclesiæ signa atque illæ legales tubæ vnum atque idem significant, scilicet sanctos Ecclesiæ prædicatores, qui ad Sion montem, & ciuitatem sanctam cælestem Hierusalem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & ad futurum Dei iudicium populum inuitant ac præparant, &c.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone in Cœna Domini: His tribus ante Pascha diebus sepulturam Domini celebramus: & ideo in diuinis officijs tristitiam discipulorum eius simulamus, dum Gloria Patri, & alios cantus lætitiæ non resonamus, nec signa ad horas sonamus: vt eorum gaudij etiam consortes fiamus.

Hugo Victorinus. 1130.

Eruditionis Theologicæ ex Miscellaneorum 2. lib. 5. tit. 18. Campanæ, sicut & legales tubæ, sanctos Ecclesiæ prædicatores significant, qui ad Sion montem, & ciuitatem sanctam Hierusalem, & futurum Dei iudicium populum inuitant, & præparant. Duritia metalli fortitudinem mentis, plectrum ferreum, quo sonus editur, constantiam sermonis imitatur.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

PVBLICAS ET SOLENNES ECCLESIÆ PRECES, LITANIAS, SVPPLICATIONES, ET PROCESSIONES.

IMPROBANT.

Anno post natū Christū 1530. MARTINVS Lutherus in Postilla maiori Dominica V. post Pascha: *Hæc hebdomada Litanijs destinata fuit, in qua precationes fundere, cumque templorum vexillis deambulare consuetum est. Et qui primùm instituerunt, pia fortassè mente instituerunt: sed minus profectò cecidit opportunè. In istiusmodi namque Processionibus, quas vocant, multa nefanda, & nihil minus quàm preces ad Deum fusa sunt, vt meritò abrogari, omittique debeant.*

1560. *Magdeburgenses*, Cent.3.cap.10. in Tertulliano, *Processionum ritum inter Montani heretici ceremonias, & Tertulliani næuos & errores referunt.*

PROBANT SACRÆ LITERÆ.

Numerorum 10. *Vers.* 33. Profecti sunt ergo *Israelitæ* de monte Domini viam trium dierum, arcaque fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres prouidens castrorum locum. Nubes quoque Domini super eos erat per diem, cùm incederent. Cumque eleuare-
Psal. 67. tur arca, dicebat Moyses: Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te, à facie tua. Cùm autem deponeretur, aiebat: Reuertere Domine ad multitudinem exercitus Israel.

Iosue 6. 4. Septimo autem die sacerdotes tollent septem buccinas, quarum vsus est in iubilæo, & præcedent arcam fœderis: septiesque circuibitis ciuitatem, & sacerdotes clangent buccinis. Cumque insonuerit vox tubæ longior atque concisior, & in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent ciuitatis *Iericho*, ingredienturque singuli per locum contra quem steterint.

1. *Paral.* 13. 2. Ait *Dauid* ad omnem cœtum Israel: Si placet vobis, & à Domino Deo
2.Reg.6 nostro egreditur sermo, quem loquor, mittamus ad fratres nostros reliquos in vniuersas regiones Israel, & ad sacerdotes & Leuitas, qui habitant in suburbanis vrbium, vt congregentur ad nos, & reducamus arcam Dei nostri ad nos: non enim requisiuimus eam in diebus Saul. Et respondit vniuersa multitudo vt ita fieret: placuerat enim sermo omni populo. Congregauit ergo Dauid cunctum Israel à Sihor Ægypti vsque dum ingrediaris Emath, vt adduceret arcam Dei de Cariath-iarim. Et ascendit Dauid, & omnis vir Israel ad collem Cariath-iarim, qui est in Iuda, vt afferret inde arcam Domini Dei sedentis super Cherubim, vbi inuocatum est nomen eius. Imposueruntque arcam Dei super plaustrum nouum, de domo Aminadab: Oza autem, & frater eius minabant plaustrum. Porrò Dauid & vniuersus Israel ludebant coram Deo omni virtute in canticis, & in citharis, & psalterijs, & tympanis, & cymbalis, & tubis.

2. *Paral.* 20. 21. Iosaphat dedit consilium populo, & statuit cantores Domini, vt laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum, ac voce consona dicerent:
Psal. 35. Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia eius. Cumque cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Ammon & Moab, & montis Seir, qui egressi fuerant vt pugnarent contra Iudam, & percussi sunt, *&c.*

Ioelis 2. 1. Canite tuba in Sion: vlulate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ. 15. Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congre-

gate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos, & sugentes vbera: egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium.

Matth. 21. 8. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via: turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini: hosanna in altissimis.

PROBANT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclef. Hierarch. cap. 4. Iuxta eundem Synaxis modum eorum, qui necdum initiati sunt, absoluuntur ordines, vbi scilicet præcessit Pontificis circum omnem phani ambitum redolens thure profectio, Psalmorumqúe modulatio.

Synodus Laodicensis. 370.

Can. 17. In Processionibus non connectere, id est, ex diuersis versibus & sensibus libri vnum canticum minimè coniungere, sed singulorum Psalmorum ordinabiliter fieri debere de medio lectionem.

Marcus Gazæus. 430.

In vita sancti Porphyrij: Congregato populo in sancta Ecclesia, quæ appellatur Irene, iussit omnes psallentes simul proficisci in Marnium, quod olim fuerat. Ipse verò sequebatur, portans S. Euangelium, & circa se habens pium clerum, reuera imitans Christum cum discipulis. Præcedebat autem populum semper memorandus Barochas, venerandæ crucis portans effigiem. Ab vtrisque verò partibus populi erant milites, qui relicti fuerant ad continendam in officio ciuitatem. Euntes autem psallebant, & in versiculorum Psalmi intercisione dicebant: *Venite exultemus Domino*, &c. Dicebant autem alios quoque Psalmos, donec ingressi sunt in Marnium. Psal. 94.

Sozomenus. 440.

Lib. 7. *cap.* 10. Circa idem tempus & Meletij Reliquiæ Antiochiam translatæ, & iuxta loculum Babylæ Martyris conditæ fuerunt. Fertur autem, eas regia continuè via ex Imperatoris mandato intra mœnia in ciuitates fuisse receptas, præter consuetudinem Romanis vsitatam, & alternatis Psalmorum cantibus vnoquoque in loco honoratas, donec Antiochiam vsque transportarentur.

Socrates. 440.

Ecclef.hist. lib. 3. *cap.* 16. Imperator Iulianus loculum Martyris Babylæ inde transferri iubet. De qua re Christiani Antiochiæ certiores facti, vnà cum mulieribus & pueris exultantes gaudio, Psalmosqúe canentes, loculum ex Daphne in vrbem Antiochiam transferunt. Psalmi autem, quos cecinêre, reprehensionem Deorum gentilium, & eorum, qui in idola credebant, complexi sunt.

Theodorus Lector. 500.

Lib. 1. Martianus ad supplicationes, quæ in Campo fiebant, pedes egressus, multa largitus est egenis. Anatolium verò Episcopum hortatus est, vt secundùm consuetudinem vrbis illius Episcoporum à Tauro ad Campum vsque vectus supplicaret. Hic cùm Martianum pedes ingredientem videret, pedes & ipse supplicauit.

Iustinianus Imperator. 530.

Authen. 1. 123 *de sanctissimis Episcopis, & clericis cap.* 31. Si hæc sacra ministeria conturbauerit, aut celebrare prohibuerit, capitaliter puniatur. Hoc ipso & in Litanijs, in quibus Episcopi & clerici reperiuntur, custodiendo. Et si quidem iniuriam solùm fecerit, is verberibus exilioqúe tradatur.

Cap. 32. Omnibus autem laicis interdicimus Litanias facere sine sanctis Episcopis, & qui sub ijs sunt reuerendissimis clericis. Qualis enim est Litania, in qua sacerdotes non inueniuntur, & solennes orationes faciunt? Sed & ipsas honorandas cruces (cum quibus & in Litanijs ingrediuntur) non alibi, nisi in venerabilibus locis reponi: & si quando opus vocauerit ad Litanias celebrandas, tunc solùm ipsas sanctas cruces accipere eos, qui consuetè eas portare solent, & cum Episcopo & clericis Litanias celebrare: hoc custodientibus sanctissimis locorum Episcopis, aut etiam eorum clericis, & per loca iudicibus.

Agathias. 550.

Lib. 5. *cap.* 3. Vnde supplicationes publicæ factæ, hymniqúe supplices vniuersis astantibus ad id vnum coactis audiebantur.

Euagrius. 590.

Lib. 4. *cap.* 25. Thomas Episcopus Apameorum vitalecrucis lignum profert, vti omnes vicini ibi in vnum conuenire possent, & salutis inde promanantis participes fierent. Eò etiam parentes mei cum alijs commearunt, meqúe id temporis ad scholam euntem secum duxerunt. Postquam verò nobis data fuit potestas honoratam crucem adorandi, amplexandiqúe, Thomas sublatis manibus lignum crucis, quo vetus peccati maledictio deleta fuit, totum sanctuarium circumiens (vti in statis adorationis diebus fieri solebat) omnibus ostendit. Ac Thomam de loco in locum progredientem ingens flamma ignis splendescentis, non ardentis sequebatur, adeò vt totus locus, in quo consistens venerandam crucem populo ostendebat, conflagrare videretur. Atque hoc factum est non semel aut iterum, sed sæpius, cùm Thomas omnem illum locum circuiret, & populus congregatus, eum, vt illud faceret, rogaret.

Eustathius Presbyter. 600.

In vita S. Eutychij: Non ignoratis magnam & diuturnam, antequam reuerteretur, pestem extitisse: quæ quidem ita sæuiebat, vt, nisi hic à Deo electus, tamquam alter Phinees, obstitisset, omne genus hominum, atque omnis ætas interijsset. Quomodo autē placatus est Deus? Supplicationibus, quas ipse cum Christi studioso populo adhibuit, à sanctissima magna Ecclesia incipiens, vsque ad ædem sanctæ & immaculatæ Dominæ nostræ Dei Genitricis, semperqúe Virginis Mariæ, quæ in Blachernis colitur. Dum igitur supplicationes ad Christum Deum nostrum fierent, pepercit ille populo, Angelumqúe cohibuit, qui ciuitatem sine intermissione percutiebat. Num. 25

Georgius Presbyter. 620.

In vita Theodori Archimandritæ: Cùm in oppidis finitimis supplicationes fierent, & cruces, quæ gestari solent, miserabili spectaculo per se concute-

rentur

rentur & commouerentur, interrogatus vir diuinus, quid id sibi vellet, respondit Deum, ô filij, precibus placate, quoniam magnæ mundo imminent calamitates. Domitius autem Patricius, vir clarissimus, promiserat se auream crucem ad supplicationis adorationisq; vsum effecturum.

Synodus Nicæna Secunda. 790.

Actione 4. Agedum & in Cæsarea Palæstinæ regionis mirifica à sancto Anastasio Martyre designata recenseamus. Cùm sanctæ ciuitati Reliquiæ sacræ appropinquassent, omnibus ea res fuit significata & declarata. Itaque lætitia magna perfusi omnes, surgentes subitò, lignaqúe sacra pulsantes, inuicem obuiam facti sunt in veneranda Virginis Deiparæ æde, quæ appellatur Noua. Illinc cum cruce & supplicatione egreßi, læti & gaudentes, cum gratiarum actione sacris Reliquijs occurrerunt.

Simeon Metaphrastes. 960.

De gestis Cornelij Centurionis cap. 11. Continuò ergo Episcopus cùm sacrum sumpsisset Euangelium, fusis prius precibus, simul & ter sanctum hymnum cœpit canere, & cum eo omnes simul concinebant: & egreßi sunt supplicantes. Deinde etiam capsa (ô magna tua, Domine, miracula) secuta est, tanquam animata, nemine omnino eam mouente, nec tangente.

Michael Glycas. 1100.

Parte 4. Annalium: Ingens sub Theodosio terræmotus extitit. Itaque Patriarcha Proclo & Imperatore discalceatis supplicationes instituentibus, accidit vt puer quidam abriperetur in aëra, & orationem hymni sanctißimi concinendi edoceretur: quo facto, ira diuina sedata fuit, &c. Mauritius Imper. instituit, vt die præparationis supplicationes in Blachernis fiant, & ad Chalcopratea vsque procedatur.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Iustiniano fol. 305. Vndecimo anno magnum templum dicatum est, exiuitqúe proceßio à templo S. Anastasiæ, cum Patriarcha, Imperatore, & populo.

In Mauritio: Mauritius Catiana rostra in Blachernis condidit, in eoqúe omnem suam à pueritia vsque ad imperatoriam dignitatem vitæ historiam depingit. Constituit, vt publica fieret deprecatio siue intercessio in Parasceue à Blachernis ad Chalcopratea.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 14. cap. 3. Cùm vberiores deciderent imbres, ibi tum egregiam suam erga Deum pietatem declarauit, per præcones populo denuntiari iubens, conducibilius esse, vt spectaculo repudiato, Deum, qui præsenti calamitate eos liberaret, precibus placerent. Id quod confestim est factum. Litania instituta est: supplicantes proceßêre, laudibus Deum vexêre, atque vna concors Ecclesia ciuitas tota facta, & ipse medius hymnis canendis præijt, habitu priuato incedens. Minimè verò eum opinio fefellit. Statim enim cælum aërem turbidum serenitate commutauit, & frumenti non mediocrem inopiam ingens quædam frugum copia & vbertas est consecuta.

Georgius Codinus. 1400.

De Officialibus Palatij Constantinopolitani fol. 140. Die festo Palmarum quandoquidem fit ambulatio, dum adhuc officium matutinum psallitur, & necesse est fieri de more supplicationem, atque in ea supplicatione Imperatorem quoque ambulare: fit quidem ambulatio, sed Imperator ambulat, gestans albam prætextam vittatam loris, & tiaram.

Fol. 162. Patriarcha cum Litania & sanctis imaginibus ad purpuream columnam venit, super quam crux stat, & procedit Imperator, auditqúe illam consequentiam, quæ illic de more perficitur.

Leonardus Chiensis. 1450.

De vrbis Constantinopoleos iactura: Nos tantam religionem admirati, Deum propitiatorem profusis lachrymis precabamur, sacras imagines processionaliter compuncti, per vallum vrbemqúe transferentes, nudis pedibus, mulierum virorumqúe turbis consequentibus, deprecabamur cum pœnitudine cordis, ne hæreditatem suam Dominus demoliri permitteret, & quòd dignaretur fidelibus nostris in tanto certamine porrigere dextram, qui solus Deus, & non alius pro Christianis pugnare potuisset.

Theodosius Zygomala. 1570.

Epistola de Constantinopolitanorum cladibus: Hostibus vrbem oppugnantibus, Patriarcha precationibus insistebat, mœniaqúe cum lachrymis & sacris vasis circuibat, &c. Circuibant mœnia, venerabile lignum crucis, in qua Dominus pependerat, & sanctas imagines, & alia sacra vasa & Euangelia ferentes.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Lib. 2. ad vxorem cap. 4. Vt si statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas: si ieiunia obseruanda sunt, maritus eadem die conuiuium exerceat: si procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio adueniat.

De Præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 43. Vbi metus in Deum, ibi grauitas honesta, & diligentia attonita, & cura solicita, apparitio deuota, processio modesta, & Ecclesia vnita, & Dei omnia.

Ambrosius. 370.

Sermone 83. Comperi fratres, quòd per absentiam meam ita rari quique in Ecclesiam veniatis, ita pauci admodum procedatis, quasi me proficiscente, mecum pariter veneritis, & quasi cùm neceßitatibus ego protrahor, vos mecum traxerit ipsa necessitas.

Hieronymus. 390.

Epistola 22. ad Eustochium cap. 6. Rarus sit egressus in publicum: Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo: nunquam causa deerit procedendi, si semper, quando necesse est, processura sis in publicum.

Ruffinus. 400.

Ecclesiast. historiæ lib. 2. cap. 33. Igitur Theodosius præparatur ad bellum, nō tam armorum telorumque, quàm ieiuniorum, orationumq; subsidijs, nec tam excubiorum vigilijs, quàm obsecrationum pernoctatione munitus: circuibat cum sacerdotibus & populo omnia orationum loca, ante Martyrum & Apostolorum thecas iacebat, cilicio prostratus, & auxilia sibi fida Sanctorum interceßione poscebat.

Augustinus. 400.

De Ciuitate Dei lib. 22. cap. 8. Memorati memoriam Martyris Stephani, quæ posita est in castello Synicensi, eiusdem loci Lucillus Episcopus, populo præcedente atque sequente, portabat: fistula, cuius molestia iam diu laborauerat, & familiarissimi sui medici, qui eam secaret, operiebatur ma-

mus, illius piæ sarcinæ vectatione repente sanata est, &c. Inde ad me accurritur, vbi sedebam iam processurus: irruit alter quisque post alterum, omnis posterior quasi nouum, quod alius prior dixerat, nuntiantes, meq; gaudente, & apud me gratias Deo agente, ingreditur etiam ipse cum pluribus, inclinatur ad genua mea, erigitur ad osculum meum. Procedimus ad populum, plena erat Ecclesia, personabat vocibus gaudiorum.

Sermone 173. de Tempore: Nullus sibi de industria occupationes inquirat, per quas se de Ecclesiæ conuentu subducat. Sine dubio peccatorum suorum vulnera diligit, qui in istis tribus diebus ieiunando, orando, & psallendo medicamenta sibi spiritualia non requirit. Abundant, & nimium abundant negligentiæ, quas per totum anni spacium congregauimus: & ideo vel in istis tribus diebus, quod ad nitorem vel purgationem animæ pertinet, agere studeamus. Nolite vos de Ecclesiæ conuentu subtrahere: quia non tam longo spatio fatigamur, vt hoc sustinere non valeamus.

Seuerus Minoricensis Insulæ Episcopus. 420.

Epistola ad omnes Ecclesias, de Reliquiis S. Stephani: Pergere ad synagogam cœpimus, & hymnum Christo per plateam ex multitudine lætitiæ canebamus: psalmus autem, quem mira iucunditate etiam à Iudæorum populis decantabatur, hic fuit: *Perijt memoria eorum cum strepitu, & Dominus in æternum permanet*, &c. Nos ad Ecclesiam cum hymnis ex more perreximus, &c.

Leo Magnus. 450.

Sermone 3. de ieiunio septimi mensis cap. 3. Plenissima peccatorum obtinetur abolitio, quando totius Ecclesiæ vna est oratio, & vna confessio. Si enim duorum vel trium sanctorum pio consensui omnia, quæ poposcerint, Dominus præstanda promittit, quid negabitur multorum millium plebi vnam obseruantiam pariter exequenti, & per vnum spiritum concorditer supplicanti? Magnum est in conspectu Domini, valdeq; pretiosum, cùm totus Christi populus ijsdem simul instat officijs, & in vtroque sexu, omnes gradus, omnesque ordines, eodem cooperantur affectu: cùm in declinando à malo, ac faciendo bono par cunctorum & vna sententia est: cùm in operibus seruorum glorificatur Deus, & totius pietatis auctori in multarum gratiarum actione benedicitur.

Epistola 81. cap. 2. Posidonius Presbyter nostris processionibus atque ordinationibus frequenter interfuit.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 33. de Litania: Orationum arma licet omni tempore necessaria esse probentur: præcipuè in istis tribus diebus, quos regulariter in toto mundo celebrat Ecclesia, nullus se à sancto conuentu subducat: nullus Ecclesiam, quasi cælestis medici scholam, occupatus terrenis actibus derelinquat.

Sidonius Apollinaris 480.

Libro 5. epist. 14. Rogationum solennitatem primus Mamercus pater & Pontifex reuerendissimo exemplo, vtilissimo experimento, inuenit, instituit, inuexit. Erant quidem prius, quod salua fidei pace sit dictum, vagæ tepentes, infrequentesque, vtq; sic dixerim, oscitabundæ supplicationes, quę sæpe interpellantium prandiorum obicibus hebetabantur, maximè aut imbres, aut serenitatem deprecaturæ, ad quas, vt nihil amplius dicam, figulo pariter atque hortulano non oportuit conuenire. In his autem, quas suprafatus summus sacerdos & protulit pariter, & contulit, ieiunatur, oratur, psallitur, fletur. Ad hęc te festa, ceruicum humiliatarum, & sternatium ciuium suspiriosa contubernia, peto, & si spiritalem animum tuum bene metior, modò citus venies, quòd non ad epulas, sed ad lachrymas inuitaris.

Lib. 7. Epist. 1. ad Mamercum: Solo tamen inuectarum te auctore rogationum palpamur auxilio, quibus inchoandis instituendisque populus Aruernus, etsi non effectu pari, affectu certè non impari cœpit initiari, & ob hæc circumfusis necdum dat terga terroribus. Non enim latet nostram oscitationem primis temporibus harumce supplicationum instituta ciuitas cælitus tibi credita per huiuscemodi prodigiorum terriculamenta vacuabatur. Nam modò scænæ mœnium publicorum crebris terræ motibus concutiebantur, nunc ignes sæpe flammati caducas culminum cristas superiecto fauillarum monte tumulabant, nunc stupenda foro cubilia collocabat audacia pauenda mansuetudo ceruorum. Cùm tu inter ista discessu primorum populariumque statu vrbis exinanito, ad noua celer veterum Niniuitarum exempla decurristi, ne diuinæ admonitioni tua quoque desperatio conuitiaretur, & verè iam de Deo tu minimè poteras absque peccato post virtutum experimenta diffidere. Nam cùm vice quadam ciuitas conflagrare cœpisset, fides tua in illo ardore plus caluit, & cùm in conspectu pauidæ plebis obiectu solo tui corporis ignis recursus in tergum fugitiuis flexibus sinuaretur, miraculo terribili, nouo, inusitato, affuit flammæ cedere per reuerentiam, cui sentiri debuit per naturam. Primùm igitur & ijs paucis nostri ordinis viris indicis ieiunia, interdicis flagitia, supplicia prædicis, remedia promittis, exponis omnibus nec pœnam longinquam esse, nec veniam: doces denuntiatæ solitudinis minas orationum frequentia amoliendas, mones assiduitatem furentis incendij aqua potius oculorum, quàm fluminum posse restingui, mones minacem terræ motuum conflictationem fidei stabilitate firmandam, cuius confestim sequax humilis turba consilij, maioribus quæque suis fuit incitamento, quos cùm non piguisset fugere, redire non puduit. Qua deuotione placatus inspector pectorum Deus, fecit esse obsecrationem vestram vobis saluti, cæteris imitationi, vtrisque præsidio. Denique illic deinceps non fuêre vel damna calamitati, vel ostensa formidini. Quæ omnia sciens populus iste Viennensibus tuis & accidisse prius, & non accessisse posterius, vestigia tam sacrosanctæ informationis amplectitur sedulò, petens vt conscientiæ tuæ beatitudo mittat orationum suarum suffragia, quibus exempla transmisit.

Alcimus Auitus. 500.

Homilia de prima festi Rogationum institutione: Inspirante compunctorum cordibus Deo, auditur à cunctis, confirmatur, attollitur, eligitur temporis triduum præsens, quod inter Ascensionis sacræ cultum, diemq; Dominicum, quasi quodam opportunitatis propriæ limbo circumpositis solennitatibus marginaretur. Explorante autem Episcopo feruorem inchoationis, & maximè verente, ne ob tardam populi sequacitatem, paucioribus eductis obseruatio ipsa confestim in sui nouitate reuilesceret: ad Basilicam, quæ tunc mœnibus vicinior erat ciuitatis, orationem primæ processionis indicit. Itur celebri alacritate, copiosa multitudine, & maxima compunctione, vt reuera populi lachrymis laboribusq; breuis & angusta processio videretur.

Cyprianus Arelatensis. 500.

Vita Cæsarij Arelatensis cap.11. Vbi percrebuit apud Arelatenses hominem Dei reuerti, iamque cum vrbi appropinquare, omnes vtriusque sexus cum crucibus & cereis ei processêre obuiam, psallentes, & ingressum eius opperientes.

Concilium Aurelianense Primum. 506.

Cap.29. Rogationes, id est, Litanias, ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita vt præmissum triduanum ieiunium in Dominicæ Ascensionis solennitate soluatur: per quod triduum serui & ancillæ ab opere relaxentur, quò magis plebs vniuersa conueniat. Quo triduo omnes abstineant, & Quadragesimalibus cibis vtantur.

Gregorius Turonensis. 580.

Historia Francorum lib.3. cap.29. Cæsaraugustani obsessi in tanta humilitate ad Deum conuersi sunt, vt induti cilicijs, abstinentes à cibis & poculis, cum tunica B. Vincentij Martyris muros ciuitatis psallendo circuirent: mulieres quoque amictæ nigris pallijs, dissoluta cæsarie, superposito cinere, vt eas putares virorum funeribus deseruire, plangendo sequebantur.

Lib.4. cap.5. Sanctus Gallus Rogationes illas instituit, vt media Quadragesima psallendo ad Basilicam beati Iuliani Martyris itinere pedestri venirent.

Fortunatus. 580.

Vita S. Germani cap.34. Beretrudis quædam mulier, Monsonithi cuiusdam matrona, dum tempore Litaniarum præcæcatis oculis non posset ire cum populo, audiens chorum psallentium, cum lachrymis domini Germani implorat auxilium. Tertia verò hinc sequenti nocte per soporem visus est ei idem vir beatissimus prope lectulum, & quasi cæcis oculis eius crucis fecisse signaculum. Euigilans mulier marito narrat quæ gesta sunt, moxque stillante sanguine dies oculis reducitur, ac diuturnum post nubilum lumina sereno radio micuerunt. Clarescente quoque die ad Missam cum populo progreditur mulier in processu, ita vt sancti viri sic visa per somnium illi esset imago remedium.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.11.epist.2. Proinde, fratres charissimi, contrito corde, & correctis operibus, crastina die primo diluculo, ad septiformem Litaniam, iuxta distributionem inferius designatam, deuota mente cum lachrymis veniamus. Nullus vestrum ad terrena opera in agros exeat, nullus quodlibet negotium agere præsumat: quatenus ad sanctæ Genitricis Domini Ecclesiam conuenientes, qui simul omnes peccauimus, simul omnes mala, quæ fecimus, deploremus: vt districtus iudex, dum culpas nostras nos punire considerat, ipse à sententia propositæ damnationis parcat. Litania clericorũ exeat ab Ecclesia B. Martyris Marcelli: Litania Monachorum ab Ecclesia Martyrum Ioannis & Pauli: Litania ancillarum Dei ab Ecclesia beatorum Martyrum Cosmæ & Damiani: Litania fœminarum coniugatarum ab Ecclesia beati primi Martyris Stephani: Litania viduarum ab Ecclesia B. Martyris Vitalis: Litania pauperum & infantium ab Ecclesia beatæ Martyris Cæciliæ.

Concilium Toletanum Quartum. 643.

Cap.25. Presbyteri quando vel ad Litanias, vel ad Concilium venerint, rationem Episcopo reddant, qualiter susceptum officium celebrent.

Concilium Toletanum Quintum. 646.

Cap. 1. In cuncto regno specialis & propria hæc religiosa omni tempore teneatur obseruantia, vt à die Iduum Decembrium Litania triduò vbique annua successione peragatur, & indulgentia delictorum lachrymis impetretur. Quòd si dies Dominica intercesserit, in sequenti hebdomada celebretur, vt quoniam abundante iniquitate efficitur, vt vsquequaque prolata malitia, noua exerceantur facinora, noua quoque hæc ipsa surgat consuetudo, quæ possit ante omnipotentis Dei oculos nostra esse purgatio.

Concilium Toletanum Sextum. 654.

Cap. 2. Religiosissimi principis nostri deuotionem, & nostrorum consacerdotum primo anno regni sui constitutionem cum magna reuerentia & veneratione suscipientes, quam constat iam in omni regno suo annua vice celebrari, placuit etiam nostra assensione firmari. Proinde vniuersalis auctoritate censemus Concilij, vt hi dies Litaniarum, qui in Synodo præmissa sunt instituti, eodem tempore, quo iussi sunt excoli, annuo recursu omni obseruatione habeantur celeberrimi, vt pro illis, quibus nunc vsque simul implicati sumus delictis, sit nostra explicatio ante oculos Dei omnipotentis.

Auctor vitæ S. Arnulphi Metensis. 660.

Cap.6. Eo tempore, quo triduanum ieiunium Ecclesia vniuersalis celebrare consueuit, vir Sanctus extra ciuitatem cum crucibus atque promiscua plebe, orandi gratia, iuxta morem processit: & ecce è media hominum frequentia fœmina à dæmone arrepta, clamare incipit. Eam vt vidit Episcopus, crucis vexillo iniecto, quàm primùm eam ab hoste liberauit.

Beda. 700.

Historia Anglic. lib.1. cap.26. Illi diuina virtute præditi veniebant, crucem pro vexillo ferentes argenteam, & imaginem Domini Saluatoris in tabula depictam, Litaniasque canentes, pro sua simul & eorum, propter quos, & ad quos venerant, salute æterna Domino supplicabant.

Auctor Ordinis Romani. 730.

In Ordine Ecclesiastico Romanæ Ecclesiæ: Diebus solennibus, sicuti est Pascha, primò omnes Acolythi regionis tertiæ, & defensores omnium regionum, conuenientes diluculo in Patriarchio Lateronensi, præcedunt Pontificem pedestres, ad stationem: Stratores autem laici à dextris & sinistris equi ambulant, ne alicubi titubet: qui autem eos equitantes præcedunt, hi sunt Diacones, primicerius, & duo notarij regionarij, defensores regionarij, Subdiaconi regionarij. Procedunt verò diuisis turmis, spatium inter se, & Apostolicum facientes, &c.

Zacharias Primus. 740.

Epistola ad Bonifacium: Dominus vos consolabitur, si fideliter ad eum clamaueritis, & ieiunium supplicationesque Litaniarum in populis commissis agendas prædicaueritis.

Alcuinus. 750.

De diuinis Officijs capite 15. de Festo Palmarum: Insuper etiam laicorum schola cum vexillis atque fanonibus à longè præeunte: exeunte enim Claro ab Ecclesia, inchoatur Antiphona; *Cùm appropinquaret Dominus.* Qua finita, inchoat schola Antiphonam: *Cœperunt omnes.* Item: *Cùm audissent.* Item: *Appropinquante,* &c. His finitis, ante atrium Ecclesiæ loco competenti subsistit schola cum baiulis & reliquo ornatu; & clerus seu populus expectant in loco atrij, inchoantes Antiphonam: *Occurrerunt,* &c.

Capite 23. de diebus Rogationum: Tres dies Rogationum, qui celebrantur ante Ascensionem Domini, constituit S. Mamertus Viennensis Episcopus ob incursionem scilicet malarum bestiarum,

quæ tunc temporis grauissimè afficiebant populum Dei. Nam cùm exigentibus peccatis, Galliarum populi luporum rabie acriter interimerentur, nec huius flagelli aliquod remedium inueniretur, congregati traduntur Galliarum Episcopi apud Viennam, qui in commune statuerunt, vt triduano ieiunio misericordiam Domini implorarent, antiquorum Patrum vestigia sequentes. Cumque ad eorum preces oculus diuinæ pietatis respiciens, flagelli huius pestem misericorditer abstulisset, hi dies in consuetudinem annuæ celebritatis venerunt, vt per Galliarum prouincias ante Ascensionis diem celebrarentur, quæ consuetudo apud nos vsque hodie pro diuersis calamitatibus deuotissime recolitur.

Paulus Diaconus. 780.

Lib.14. variarum historiarum: Tricesimo imperij Theodosij anno terræmotus magni facti sunt Constantinopoli per quatuor menses, ita vt timentes Bizantij extra ciuitatem, in loco, qui dicitur Campus, essent perseuerantes, vnà cùm Episcopo ad Deum precibus & Litanijs vociferantes. Quadam ergo die fluctuante terra, & omni plebe attentius clamante κύριε ἐλέησον, circa horam tertiam omnibus videntibus à diuina contigit virtute sustoli quendam adolescentulum in aërem, & audiri diuinam vocem admonentem eum Episcopo ac populo nuntiare, vt Litanias sic facerent, & dicerent: Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis miserere nobis, nihil aliud apponentes. Proclus autem Episcopus hac suscepta Litania, præcepit populo sic facere, & statim terræ motus cessauit.

De gestis Longobardorum libro 3. capite 25. al. 11. Gregorius, qui tunc Leuita erat, à cunctis generaliter Papa electus est. Qui dum septiformem Litaniam fieri ordinasset, intra vnius horæ spacium, dum populi Deum precarentur, octoginta ex ijs subitò ad terram corruentes, spiritum exhalârunt. Septiformis autem Litania ideò dicta est, quòd totius vrbis populus à B. Gregorio in septem partes Deum deprecaturus diuisus est.

Carolus Magnus. 800.

Lib.6. Legum cap.74 Litania major more Romano 7. Kal. Maij celebretur.

Haymo. 800.

Sermone de Litanijs, id est, supplicationibus, & de exordio earum: Quia dies Litaniarum, id est, supplicationum annua reuolutione recolimus, libet propter simpliciores, vnde exordium sumpserunt, breuiter commemorare. Non enim absque Euangelica & Apostolica auctoritate in consuetudinem venisse credendi sunt, &c.

Concilium Moguntinum. 813.

Cap.33. Placuit nobis, vt Litania maior obseruanda sit à cunctis Christianis diebus tribus, sicut legendo reperimus, sicut sancti Patres nostri instituerunt, non equitando, nec pretiosis vestibus induti, sed discalceati, cinere & cilicio induti, nisi infirmitas impedierit.

Hincmarus. 840.

Epistola ad clerum & plebem Cameracensem: Defuncto pastore vestro Ioanne necesse est, vt de eligendo atque constituendo vrbis pastore, doctore, atque rectore, secundùm Ecclesiasticas regulas, votis vestris in vnum Domino mediante conuenientibus, præmissis ieiunijs, ac Litaniarum obsecrationibus, tractare quantocius maturetis.

In vita S. Remigij: Sicque præcedentibus sanctis Euangelijs, & crucibus cum hymnis & canticis spiritualibus, atque Litanijs, Sanctorumque nominibus acclamatis, sanctus Pontifex manum tenens regis à domo regia perrexit ad baptisterium.

Rabanus Maurus. 850.

De institutione Cleri libro 2. capite 40. Ante hanc diem Ascensionis mos est Ecclesiarum Occidentis, per dies tres proximos ieiunium exercere, & Litanias agere: & hoc cógruè. Nam si credimus Christum in hoc tempore ad cælos ascendisse, dignum est etiam, vt ante Ascensionis diem operam demus ieiunijs, & orationibus, castigantes carnem nostram, & crucem eius in nobismetipsis gestantes: quatenus illum sequi mereamur.

Ericus Monachus. 880.

Homilia in festo Purificationis: Hac ipsa die festiuitatis Beatæ Mariæ plebs, clerusque, & sacerdotes cum cereis & hymnis Ecclesiarum loca circumeunt.

Notgerus Leodiensis. 950.

Vitæ S. Remacli lib. 2. capite 15. Rusticus quidam primo Rogationum die, cùm deberet diuino cultui vacare, contra fas abijt ad syluam, & ligna cecidit in vsu domus suæ Galliarum Ecclesiæ ex præscripto B. Mamerti Episcopi Viennensis, triduo illo Litanias concelebrant, ieiunijs se macerant, pio affectu à mundi illecebris abstinent, animarum potius quàm corporum alimoniæ student. Ea consuetudo, hodieque perseuerans ob multas auertendas clades, non debet ob friuolas quasdam occasiones violari. Sed id rusticus negligens, deique sanctificationis reuerentiam non exhibens, diuinam sensit vltionem. Fascem enim lignorum humeris impositum domi absportat, baculo se sustentans: dumque onus deponit, manus curuatis digitis adhæret baculo, nec ab vllo potuit amoueri, &c.

Fulpertus Carnotensis. 1000.

Epist. 46. Processio fit de Ecclesia Carnotensi, ad Ecclesiam Aureliacensem.

Hugo Floriacensis. 1040.

In Chronicis lib. 6. Floruit his temporibus Theodulphus Floriacensis Abbas, & Aurelianensis Episcopus, qui cùm insimulatus multis criminibus apud Ludouicum Imperatorem fuisset, Andegauis in exilio relegatus est, qui dum custodia teneretur, contigit, vt idem in die Palmarum veniret iam dictus pijssimus Imperator, & cùm secus domum, qua custodiebatur idem Theodulphus Episcopus, processio pertransiret, facto silentio præsente Imperatore illos pulcherrimos versus, qui nunc vsque per Galliam eadem solennitate psalluntur, à se editos per fenestram decantauit: quorum est exordium: *Gloria, laus, & honor, &c.*

Radulphus Ardens. 1050.

In Vigilia Ascensionis Domini: Repræsentat hanc Christi victoriam sancta Ecclesia per Processiones, quas in his diebus facere consueuit. Procedit quippe in processione, tamquam victor crucifixus in carne, cruce cum armis videlicet, cum quibus triumphauit, &c. Procedunt autem vexilla, suæ victoriæ signa: procedit & draco tamquam victus ante victorem, qui solo capite vigens est vacuus in parte posteriori: quoniam ad primam peccati partem, id est, cogitationē suggerere valet. Subsequitur populus fidelium in processione crucifixum, tamquam liberati liberatorem, expectantes ab eo suarum dona gratiarum.

Ioannes Micrologus. 1070.

De Ecclesiasticis obseruationibus cap. 57. Maior Litania à beato Gregorio Papa primò pro pestilentia illius temporis instituta est. Qui & Ioanni Episcopo Rauennati scribens, diem Litaniæ tempus

pus cineris & cilicij appellat. Triduanæ autem Litaniæ ante Ascensionem Domini, non Romanæ, sed Gallicanæ sunt. Quia illas sanctus Mamertus Viennensis Episcopus instituisse legitur: quas sancti Patres non equitando, non vestibus pretisis vtendo, sed in cinere & cilicio, sicut & maiorem Litaniam obseruare statuerunt.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De Officijs Ecclesiasticis libro 7. cap. 20. Cum crucibus & vexillis, quæ sunt insignia victoriæ Christi, omnes albati, & exultantes in laude resurrectionis sanctæ procedimus, cum tanta populi expectatione sexus vtriusque maiorum & minorum, vt corporaliter quoque illud propheticum in nobis impleri
Isaiæ 55. videatur: *Cum iucunditate exibitis, & cum gaudio deducemini*: Nam & montes, & colles exilient, expectantes vos cum gaudio.

Cap. 21. Vt autem processio ageretur, ex mystica Euangelij auctoritate tractum est, scilicet ex eo, quòd Angeli mulieribus præcipiunt, dicentes: *Ite, dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam*: & ipse Dominus occurrens illis exeuntibus à monumento, cùm tenuissent pedes eius, & adorassent eum: *Ite*, inquit, *nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam: ibi me videbunt.*

Hugo Victorinus. 1130.

Excerptionum priorum libro 9. capite 7. Hac tempestate Sanctus Gregorius septiformem Litaniam propter pestilentiam, quam inguinariam vocabant, instituit, & celeriter est populus liberatus.

Bernardus. 1130.

In Purificatione Mariæ Sermone 2. de ordine & modo Processionis: Meritò sanè bini & bini procedimus. Sic enim ob commendationem fraternæ charitatis, & societatis vitæ missos à Saluatore discipulos Euangelia sacra testantur. Turbat Processionem si quis solitarius incedere curat, nec sibi soli nocet, sed etiam cæteris est molestus.

Gulielmus Tyrius. 1180.

Libro 8. capite 11. Die statuta de publico decreto indictæ sunt vniuerso populo Litaniæ, & assumptis crucibus, & Sanctorum patrocinijs, Episcopi & clerus vniuersus, induti sacerdotalibus & Leuiticis indumentis, nudis pedibus, & cum multa deuotione populum subsequentem vsque ad montem Oliueti præcesserunt.

Innocentius Tertius. 1200

Can. 6. *Lib. 2. de mysterijs Missæ cap. 12.* Disponitur ista Processio velut castrorum acies ordinata. Nam & maiores & fortiores, quasi custodes exercitus, præueniunt & sequuntur: minores, quasi debiliores, colliguntur in medio. Præcedunt enim Episcopi & Presbyteri, subsequuntur Pontifex & Diaconi, colguntur in medio Subdiaconi & Acolythi: Cantores autem, quasi tubicines, præcedunt exercitum, vt eum ad prælium contra dæmones excitent, & inuitent: Crux quasi regale vexillum præmittitur & præfertur, vt fugiant qui oderunt eum à facie eius.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica in Ramis Palmarum: Sicut in prima processione primi aduentus cum Simeone & Anna lumẽ in manibus portãtes ei occurrimus: ita in hac secunda processione secundi eius aduentus prædicto modo cum ramis & floribus occuramus, vt tandem in tertia processione, quæ repræsentatur in die Ascensionis, ipse nobis & nos ei occurramus obuiam in aera, & sic semper cum Domino erimus, cantantes ac psallentes Osanna Filio Dauid.

Conradus Abbas Vrspergensis. 1225.

In Chronicis de anno 1101. Summo mane cum Litanijs à sepulchro Domini nudipedes processimus, ingressique ante templum Domini, &c.

Matthæus Parisius. 1250.

In historia Anglicana de anno 1099. Cùm in oppugnatione Christiani per mensem vnum circa manus laborantes ad negotij consummationem peruenissent, placuit Episcopis & sapientibus exercitus, vt inter omnes pax reformaretur, ieiunia fierent, & processiones etiam cum orationibus deuotis. Die verò statuto his omnibus ritè peractis, adfuit peregrinorum armis instructa ad vrbem oppugnandam peregrinorum copiosa multitudo, &c.

Gulielmus Durandus. 1280.

In Rationali diuinorum libro 6. cap. 67. Facit Ecclesia hac die Processionem corporaliter & spiritualiter. Exierunt enim pueri extra castra obuiam Domino venienti de Bethania in Hierusalem, & nos similiter debemus extra castra, id est, extra delicias carnis exire obuiam ei.

Cap. 102. Duplex est Litania, scilicet, maior & minor. Maior est in festo beati Marci, quæ inuenta fuit à B. Gregorio, propter pestem inguinariam, &c. Minor verò Litania, quæ etiam Rogationes & Processiones vocantur, fit tribus diebus ante Ascensionem, &c.

Ludolphus Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 2. capite 81. Hanc vltimam processionem discipulorum post Iesum, qui vnanimiter sunt egressi, & postea vnanimiter regressi, repræsentat Ecclesia Dominicis diebus egrediendo de Ecclesia, & redeundo ad eam, quasi de Hierusalem. Vnde in eo, quòd de Ecclesia egredimur, crucem Domini præferendo, repræsentamus, quòd illi egressi sunt præeunte crucifixo. In eo autem, quòd cum cruce Domini redimus, licet illi sine crucifixo redierint, repræsentamus quod ait: *Vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.*

Petrus Aliacus. 1400.

Ad Canticum Simeonis: Tres sunt Processiones præcipuæ in Ecclesia, vna in Purificatione Mariæ, secunda in celebritate Paschæ, tertia in Ascensione: Prima fit cum lucernis, secunda cum floribus & palmis, tertia cum vexillis & crucibus.

Ioannes de Turre Cremata. 1460.

Super Decreto 3. part. de consecratione dist. 3. cap. Rogationes, num. 1. Litania Græcè, apud nos supplicatio, siue rogatio dicitur, in qua sancta Ecclesia Deum orat, vt nos à periculis eruat, hostes visibiles & inuisibiles remoueat, pacem tribuat, pestem repellat, aërem salubrem indulgeat, carnalia desideria deprimat, & omnes in salutis suæ prosperitate disponat. Rogamus etiam Sanctos, vt pro nobis apud Deum intercedant.

Baptista Mantuanus. 1500.

Lib. 4. Fastorum de Litania maiore:

Hac maior quoque luce meat Litania per vrbes
Ac per rura procul clamore per aera misso.
It populus supplex, longis per compita pompis
Manè recens viridi dum ros in gramine lucet.
Protulit hunc olim morem dum pestifer annus
Mauritio Romam premeret sub Cæsare maior
Gregorius, quando passis apparuit alis
Angelus Augusta super alta cacumina molis.

De Litania minore:

Ante triumphali Christus quàm sydera pompa
Conscendat, Litanea minor per rura, per vrbes
Incedit, tres manè dies pulsantibus æra
Turribus, & sparsis passim cum floribus herbis.

(*,*)

ARTICVLVS OCTAVVS.

IEIVNIVM ESSE BONVM OPVS, VALDE PRODESSE HOMINI AD SALVTEM, ET AD IMPETRANDA A DEO QVAE CVPIT.

NEGANT.

Anno post natum Christū

380. *MESSALIANI docuerunt, post Baptismum neque ieiunio reprimente corpus, neque doctrina refrenante, & ad decus, & ad ordinem instruente opus, opus esse.* Theodoretus. hist. Eccles. lib 4. cap. 11. Damascenus de hæresibus.

400. *Iouinianus dicebat, ieiunium non prodesse, nec esse vllius meriti apud Deum.* Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianum, Augustinus de hæresibus ad Quod vult Deum hæres. 82.

1180. *VValdenses ieiunia Ecclesiastica contemnebant, & nullius esse meriti dicebant.* Guido de VValdensibus, Æneas Syluius hist. Bohemicæ cap 35.

1300. *Begardi contendebant, quòd ieiunare non oporteret hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis fuerit assecutus, quòd tunc sensualitas sit ita perfectè spiritui & rationi subiecta, vt homo possit liberè corpori concedere quicquid placet.* Clemens Quintus Extr. de hæret. cap. 3. Aluarus Pelagius de Planctu Ecclesiæ lib. 2. cap. 52. Antoninus 4. parte Summæ titulo 11. cap. 5. §. 4.

1315. *Lollardi ieiunia irridebant.* Trithemius in Chronico Hirsaugiensi de anno 1315.

1420. *Barbara Sigismundi Imper. vxor ancillas suas ieiunantes increpabat, quòd corpus suum frustra macerarent.* Æneas Syluius historiæ Bohemicæ cap. 59.

1500. *Piggardi ieiunia & vigilias dicunt esse fucum & tectorium hypocritarum.* Ioannes Schechta Epistola ad Erasmum.

1520. Martinus Lutherus Responsione ad Ambrosium Catharinum: *Hodie si ieiunatur, non vt caro mortificetur, sed quia bonum opus sit hoc die ieiunasse, isto vel isto cibo abstinuisse, quo cælum mercantur. Quid autem hoc aliud, quam impia facies Antichristi est?*

1530. Philippus Melanchthon in Locis Communibus titulo de Ceremonijs Ecclesiæ: *Error est perniciosus ieiunia, & similes ἀσκήσεις esse opera & cultus Dei.*

1550. Ioannes Caluinus lib. 4. Instit. cap. 12. §. 19. disputans de ieiunio: *Alterum*, inquit, *malum summoperè cauendum est, ne pro opere meritorio, aut specie diuini cultus censeatur. Nam cùm sit res per se media, nec quicquam habeat momenti nisi propter fines, in quos respicere debet, perniciosissima superstitio est, confundere cum operibus à Deo mandatis, & per se necessarijs, non alio respectu. Alius error non quidem adeò impius est, periculosus tamen: tamquam vnum ex præcipuis officijs morosius exigere, ac immodicis encomijs sic extollere, vt homines se aliquid eximium fecisse putent, quando ieiunauerint. Qua in parte non in totum excusare audeo veteres, quin superstitionum quædam semina iecerint.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Iudicum 20. *Vers.* 26. Omnes filij Israel venerunt in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino: ieiunaueruntque die illo vsque ad vesperam, & obtulerunt ei holocausta, atque pacificas victimas.

1. *Regum* 7. 5. Dixit Samuel: Congregate vniuersum Israel in Masphath, vt orem pro vobis Dominum. Et conuenerunt in Masphath, hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino.

2. *Regum* 1. 11. Apprehendens Dauid vestimenta sua scidit, omnesque viri qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vsque ad vesperam super Saul, & super Ionatham filium eius.

3. *Regum* 21. 27. Cùm audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten: Nónne vidisti humiliatum

Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, nō inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui eius.

2. Paral. 20. 3. Iosaphat timore (*aduenientium hostium*) perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum: & prædicauit ieiunium vniuerso Iuda.

1. Esdræ 8. 21. Et prædicaui ibi ieiunium iuxta fluuium Ahaua, vt affligeremur coram Domino Deo nostro, & peteremus ab eo viam rectam nobis. 23. Ieiunauimus autem, & rogauimus Deum nostrum pro hoc, & euenit nobis prosperè.

Nehemiæ 1. 4. Cùm audissem verba huiuscemodi, sedi, & fleui, & luxi diebus multis: & ieiunabam, & orabam ante faciem Dei cæli.

Tobiæ 3. 10. Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domus suæ: & tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit: sed in oratione persistens cum lachrymis deprecabatur Deum, vt ab isto in properio liberaret eam.

Iudith 4. 8. Clamauit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliauerunt animas suas in ieiunijs & orationibus, ipsi & mulieres eorum. Et induerunt se sacerdotes cilicijs, *&c.*

Iudith 8. 5. Iudith in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur: & habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter Sabbata, & neomenias, & festa domus Israel.

Esther 4. 16. Vade, *inquit Esther ad Mardochæum*, & congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo.

Esther 14. 2. Esther cùm deposuisset vestes regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro vnguentis varijs, cinere & stercore impleuit caput, & corpus suum humiliauit ieiunijs; omniaque loca, in quibus antea lætari consueuerat, crinium laceratione compleuit. Et deprecabatur Dominum Deum Israel.

Psal. 34. 13. Humiliabam in ieiunio animam meam.

Psal. 108. 24. Genua mea infirmata sunt à ieiunio: & caro mea immutata est propter oleum.

Ieremiæ 36. 9. Anno quarto Ioacim *&c.* prædicauerunt ieiunium in conspectu Domini omni populo in Ierusalem, & vniuersæ multitudini, quæ confluxerat de ciuitatibus Iuda in Ierusalem.

Daniel 10. 2. In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum. 12. Ait ad me *Angelus, &c.* Ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua: & ego veni propter sermones tuos.

Ioelis 2. 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu. 15. Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum.

1. Mach. 3. 47. Et ieiunauerunt illa die, & induerunt se cilicijs, & cinerem imposuerunt capiti suo, & disciderunt vestimenta sua.

Matthæi 6. 16. Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, vt pareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua: ne videaris hominibus ieiunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

Matthæi 17. 21. Hoc genus *dæmoniorum* non eijcitur nisi per orationem & ieiunium.

Lucæ 2. 37. Anna Prophetissa non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die.

Lucæ 5. 34. Nunquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare? Venient autem dies: & cùm ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus.

Actor. 13. 2. Ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.

Actor. 14. 22. Et cùm constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros, & orassent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt.

2 Corinth. 6. 4. Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, *&c.* in vigilijs, in ieiunijs, in castitate.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Const. Apost. lib. 5. cap. 19. Post celebratam Pentecosten celebrate hebdomadam vnam, & post illam ieiunate item vnam: æquum enim est tum lætitiam de dono Dei capere, tum post relaxationem corporis rursus ieiunare: siquidem & Moyses, & Elias quadraginta diebus ieiunârũt, & Daniel tribus hebdomadis dierum panem desideriorum non comedit, & caro ac vinum non ingressa sunt in os eius. Et beata Anna cùm à Deo peteret Samuelem: *Vinum,* inquit, *& te metum non bibi, & effundam animam meam coram Domino.* Item Niniuitæ facto ieiunio trium dierum, & totidem noctium impendens diuinæ iræ periculum effugerunt. Item Esther, & Mardochæus, & Iudith ieiunio facto malum, quod impij Holofernes, & Aman Iudæis moliebantur, declinârunt. Et Dauid ait: *Genua mea infirmata sunt à ieiunio, & caro mea immutata est propter oleum.* Igitur & vos quæ à Deo petitis, ieiunando petite. Post totam verò istã ieiunij hebdomadam præcipimus vobis quartis, & sextis ferijs ieiunare, & quæ ex ieiunio vobis redundant, egentibus largiri.

Exo. 24. & 34. 3 Reg. 19. Dan. 10. 1 Reg. 1. Ionæ 3. Esth. 4. Iudit. 9. Psal. 108

Hermas. 130.

Visione 13 Cumq; consummassem scripturã libelli, subitò raptus est de manu mea libellus, à quo autem non vidi. Post quindecim autem dies, cùm ieiunassem, multumq; rogassem Dominum, reuelata est mihi scientia Scripturæ.

Iustinus. 150.

Oratione ad Antoninum Pium Quicunque persuasi fuerint, crediderint vera esse, quæ à nobis traduntur ac dicuntur, ac viuere se ita posse receperint: orare ieiunantes, & petere à Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobis cum illis vnà & orantibus & ieiunantibus.

Irenæus. 180.

Lib. 2 cap. 56. Sæpenumerò propter aliquid necessarium, ea, quæ est in quoquo loco Ecclesia vniuersa, postulante per ieiunium & supplicationem multam, reuersus est spiritus mortui, & donatus est homo orationibus Sanctorum.

Origenes 230

Homil. 4. in diuersos: Superabundanter, & dignè Dominus consequentia orationis ieiunium commendauit. Conueniens & consequens orationis ieiunium: & procurat oratio ieiunium, vel iterum ieiunium orationem. Ideo Apostolos in quodam loco hoc significans ait: *Vacate ieiunio & orationi.* Qualis anima erit, quæ sic voluntati carnis coniungitur, vt alacri deuotione ieiunet, & oret? & quomodo quæ propter Deum vtraque adimplet, proficit? Ideo cùm ieiunatis, ait Dominus, non propter humanam laudem, nec propter vanam cuipiam placendi cupiditatem, quæ præterit, sed cùm ieiunatis, ex dilectione Dei ieiunate, propter regnum cælorum ieiunate. Cùm autem ieiunatis, per Sanctorum viam pergite, ipsius Domini vestigia sequimini. Sic & Moyses ieiunium magnificans dicit: *Ieiunaui quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, panem non manducaui, & aquam non bibi.* Sic & Helias per æquale ieiunium, & tempus, illam magnificam vidit visionem Dei. Sic & Daniel ieiunans gloriatur, & dicit: *Ego Daniel fui ieiunans per tres dierum hebdomadas, panem desideriorum non manducaui, vinum non bibi, & caro non intrauit in os meum.* Sic illi tres pueri deliciosam contemnentes mensam, legumina in ieiunio sumebant, & ita flammam fornacis cincti virtute fidei extinxerunt. Sic & illi beati duodecim Apostoli assumpto ipso post resurrectionem, Euangelij prædicationem ieiunantes commendârant mundo. Cùm autem ieiunatis charissimi, ad spiritualia conuertimini, ad cælestia eleuamini. Cùm autem ieiunatis, dæmones vincitis, omnemq; classem illam malignam retrorsum conuincitis, mala desideria affugatis.

1 Cor. 7. Dan. 9. Dan. 1. Actor. 1

Athanasius. 340.

Exhortatione ad Monachos: Ieiuniorum quoq; non fit volentibus certa mensura, sed in quantum possibilitas valet, nisi laborantis extensa, quæ præter Dominicam semper sint solennia, si votiua sint. His sese Moyses beatissimus præparans, affatibus Dei dignus ingessit. His prædictas per Ionam Niniuitæ minas in placidam rursus flexêre sententiam: His Bethuliæ populus Assyria obsidione conclusus, & vsque ad deditionem sui, experta plurima virtute conterritus, ab Holofernis tumentibus minis constantis manu fœminæ meruit vindicari. His Mardochæus Aman crudelem superbia, præparato sibimet ligno, acceptæ pœnæ conuersione suspendit. His Iesus Saluator noster in carne hominis, quam assumpserat, eruditus, suadelas diaboli tentâtis obtundit. Quas etsi aliter potuisset expellere, docendos tamen populos voluit hac imitatione formare.

Libro de virginitate seu meditatione: Amplectamur valde ieiunium. Magnum enim munimentum est ieiunium, oratio item, & eleemosyna, cùm ex morte hominem liberent. Vt enim ob escam & inobedientiam proturbatus est Adam ex paradiso: ita rursum per ieiunium & obedientiam in paradisum, qui volet, redibit. In hac virtute cultum corporis tui, ornamentaq; quære, ô virgo, & placebis cælesti sponso. Nam quæ cum mundo coalescunt, & conferuntur, & vnguẽtis, aromatibus, & fragrantijs, & amictu pretioso, & auro venustant sua corpora, vt placeant hominibus, Deo placere non possunt: Christus autem nihil horum à te requirit, nisi solum cor mundum, & os incõtaminatum, ieiunioq; lucidum. Quòd si accedant aliqui, & dicant tibi: ne frequenter ieiunes, ne imbecillior fias, nec illis credas, nec auscultes: istos enim diabolus subornauit. Reminiscere eius quod scriptum est, quòd cùm Daniel & tres pueri capti essent à rege Babylonis Nabuchodonosore, & alij pueruli vnà cum illis, iussumq; esset ab eo, vt de sua regia mensa comederent, & de suo vino biberent, Danielem & tres pueros noluisse saturari ex mensa regia, & ad eunuchum dixisse, qui eos curabat: *Da nobis de seminibus terræ, & vescemur.* Quibus responsum est ab eunucho: *Timeo ego regem, qui hunc cibum & potum vobis imperauit dari, ne facies vestras regi præ cæteris pueris, qui regia mensa aluntur, appareant squalidiores, & puniat me.* Cui ita responderunt: *Experire id in seruis tuis plus minus decem diebus.* Et dedit eis legumina ad cibum, & aquam ad potum, & produxit eos ad regem, & visæ sunt species illorum eximiæ super eos, qui ex regia mensa vescebantur. Vide ergo quid faciat ieiunium, morbos sanat, destillationes exiccat, dæmones fugat, malasq; cogitationes expellit, & mentem nitidiorem reddit, & cor purgatius, & corpus salubrius, & ad thronum Dei hominem sistit. Sed ne putes ista temerè dici, habes eius rei testimonium in Euangelijs, ab ipso Christo prolatum. Suscitati sunt ab eo discipuli, dicentes: Domine declara nobis, quonam pacto immundi spiritus propelluntur? Quibus responsum est à Domino: *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi ieiunijs & orationibus.* Quisquis igitur ab hoc immundo spiritu vexatur, certum habere debet, hoc pharmaco, ieiunio inquam, statim spiritus malos afflictos abscedere, vim ieiunij metuentes. Valde enim dæmones oblectantur crapula, & otio corporis.

Dan. 1. Matt. 17.

poris. Magna vis in ieiunio, & magna & præclara fiunt per illud. Alioqui vnde fieri posset, vt homines tam mirifica præstent, vt Dominus per eo vel signa faciat, vel sanitatem laborantibus donet, nisi planè ob deuotas meditationes, & humilitatem animi, & conuersationem bonam? Ieiunium enim Angelorum cibus est, & qui eo vtitur, ordinis Angelici censendus est. Sed nè, mi dilecta, simplex quiddam, & promiscuum ieiunium putes. Non enim qui à cibis ieiunat, solummodò probè se gesserit, sed qui abstinet ab omni opere malo.

Ephram. 370.

De ieiunio: Appete optimum ieiunium, rem pretiosam atque spectabilem: ieiunium vehiculum est ad cælum: ieiunium Prophetas suscitat, legislatores sapientiam docet: ieiunium bona animæ custodia, & corporis securus cohabitator: ieiunium strenuis militibus telum, athletisque exercitium: ieiunium tentationes retundit, ad pietatem inungit, sobrietatis comes, temperantiæ opifex: ieiunium fortitudo viri est in bellis, ignis virtutem extinxit: ieiunium ora leonum obturauit: ieiunium orationes in cælum dirigit: ieiunium mater sanitatis: ieiunium iuuentutis disciplina, ornamentum senibus: ieiunium optimus itineris comes viatoribus: ieiunantis corpus venustum est, & anima pretiosa: ieiunium Lazarum in sinu Abrahæ reficit. Hoc igitur & nos amplectamur, vt nos quoque Abrahæ sinu excipiamur. Ieiunium bona ciuitatis lex, forisque moderatio atque tranquillitas: ieiunium domestica pax est: ieiunium virginitatis adminiculum atque præsidium.

Paraenesi 1. Nouella planta à Deo sanctificata est Monachus abstinentiæ rore rigatus. Ieiunium frænum est Monachi, quod qui reijcit, equus insanus comperietur.

Basilius Magnus. 370.

Homilia 1. *de laudibus ieiunij:* Quemadmodum vermes, qui in puerorum intestinis germinant, pharmacis quibusdam vehementer acribus, & amaris excutiuntur: ita peccatum in intimis recessibus habitans, extinguit, enecatque simul atque in animam superuenerit ieiunium, ob hoc ipsum suo dignum nomine, quòd inedia purget animæ viscera, &c. Quicquid vetustate præcellit, idem venerabile est. Reuerere igitur ieiunij caniciem. Tam vetus est, vt simul cum homine condito cœperit: in Paradiso præscriptum est. Primum illud præceptum accepit Adam, ne de ligno scientiæ boni ac mali ederet. Hoc autem verbum: *Non edetis*, ieiunij & abstinentiæ lex est. Si à ligno ieiunasset Eua, nequaquam hoc nunc ieiunio opus haberemus: neque enim qui valent egent medico, sed qui malè habent. In morbum incidimus per peccatum, sanemur per pœnitentiam. Sed pœnitentia sine ieiunio otiosa & infrugifera est. Maledicta terra spinas & tribulos progignet tibi. In tristitia viuere iussus es, non indulgere delicijs. Per ieiunium satisfacito Deo, &c. Quoniam non ieiunauimus, exulamus è Paradiso. Ieiunemus igitur, vt ad illum postliminio reuertamur, &c. Ieiunium Prophetas generat, potentibus addit robur. Ieiunium legum latoribus subministrat sapientiam, bona animæ custodia, corpori tutus conuictor, armatura fortiter belligerantibus, athletis exercitium. Hoc tentationes depellit, hoc vngit ad pietatem, vigiliæ familiaris comes, sobrietatis architectus. In bellis addit fortitudinem, in pace docet quietem. Nazaræum sanctificat, sacerdotem reddit sacris idoneum, &c. Ieiunium restinxit vim ignis, obturauit ora leonum. Ieiunium preces nostras subuehit in cælum, dum illis alarum vice fit, quò sursum ferantur. Ieiunium familiarum est incrementum, sanitatis mater, iuuentutis pedagogus, ornamentum senibus, bonus comes viatori, tutus conuictor coniugatis, &c. Adde, quòd non solùm ad venturi seculi fugienda mala, & assequenda bona, vtile est ieiunium, sed hic interim ipsi carni conducibilius est, &c. Si cupis mentem reddere validam, fac carnem domes ieiunio. Hoc enim est quod ait Apostolus, quòd quantum externus homo corrumpitur, tantum internus renouatur. 2.Cor. 4 Item illud: *Cùm infirmor, tunc potens sum*, &c. 2.Cor.12 Ieiunium armatura est ad confligendum cum impijs spiritibus. Nam hoc genus non eijcitur nisi per deprecationem ac ieiunium. Tam multa bona prouenıunt è ieiunio, &c. Caue tamen ne ieiunij vtilitatem sola escarum abstinentia metiaris. Verum enim ieiunium est ab omnibus vitijs esse alienum. Solue omne vinculum iniquitatis, condona proximo.

Homilia 2. Quemadmodum oleum oblinit athletam, ita ieiunium robur addit ei, qui ad pietatem exercet sese. Itaque quantum subtraxeris carni, tanto reddes animam habitudine spirituali nitidiorem. Nam robur aduersus inuisibiles hostes non superat corporis distensione, sed fortitudine spiritus, & erga afflictiones tolerantia. Ita ieiunium per omne quidem tempus vtile est, ijs, qui illud sponte recipiunt (Neque enim assultus dæmonum quicquam audet aduersus ieiunantem, ac vitæ nostræ custodes Angeli diligentius adsunt ijs, qui ieiunio purgatam habent animam) sed multo magis hoc tempore, quo per vniuersam terrarum orbem vndique denuntiatur ieiunij præconium, &c. Ieiunium seruat paruulos, sobrium reddit iuuenem, venerabilem facit senem. Venerabilior enim est canities ieiunio decorata.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 16. *quæ est oratio de pauperum amore:* Pulchra res est corporis castigatio: id tibi Paulus persuadeat, seipsum adhuc domans & coercens, ac per Israelem ijs, qui sibi ipsis fidunt, corporique indulgent, terrorem inijciens: atque adeò Iesus ipse ieiunans, atque & tentationem subiens, & tentatorem superans.

Oratione 18. *quæ est de* [illegible] Ieiunij & chameuniæ pharmaco sese communiuit.

Carmine de silentio, quod ieiunij tempore coluit:

Cùm carnem astrinxi, cupiens [illegible]
Supplicijs Christi mystica [illegible]
Vicenis, Christi vt lex fert, [illegible]
Purgata carnis [illegible]:
Id primum studui, me [illegible] *q* [illegible] *te,*
Solus agens, animi cur[illegible].

Carmine Tetrasticho 4.

Vinum, libido, liuor, [illegible]
Hos mente priuaui [illegible] *His supprece*
Medere, fusis lach[illegible]
Medela morbis hæc [illegible]

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione 1. *de pau*[illegible]: Propter munditiam animæ sunt indicta ieiunia. Quid confert ieiunium corporis, nisi mens pura mundaque sit? Nihil prodest currum [illegible] ac strenuis quadrigis instructum esse, si auriga insaniat. Ieiunium virtutis fundamentum est. Quemadmodum autem nauium carinæ, & fundamenta domus, licet ingentia subiectas, manifesta

vanaque sunt, nisi reliquas item partes perite & scienter exædificaueris: sic istius abstinentiæ nullum erit emolumentum, nisi aliæ iustitiæ partes accesserint.

Amphilochius. 380.

In vita Basilij: Mox præcepit populo & clero omni cauitatis, vt cum fœminis & paruulis ascenderent in montem Didymi, vbi triduanum exigentes ieiunium petierunt à Deo dissipari impij Iuliani propositum, &c.

Theophilus Alexandrinus. 380.

Epist. 3. Paschali: Iustum est cunctos timore Domini purgatos dignam peragere solennitatem, continentijs & ieiunijs redimere castitatem, & dormientem sensum vigili suscitare fide, &c. Ergo qui ieiunia, id est, conuersationem Angelicam imitantur in terris, meminerint illius dicti: *Regnum Dei non est cibus & potus, sed iustitia, & gaudium, & pax, & lætitia,* quæ per continentiam breui & Rom. 14 paruo labore magna sibi & æterna conciliant præmia. Et multo plus accipiunt quàm offerunt, & futuri temporis gloria præsentes angustias mitigant.

Epiphanius. 380.

Hæres. 33. Seruatur & apud nostros ieiunium, quod apparet. Nam & animæ aliquid conferre potest, si cum ratione fiat, &c.

In compendiaria doctrina: Ieiunamus, non vt beneficium aliquod ei, qui pro nobis passus est, exhibeamus: sed vt Domini passionem, quam pro nobis ipse suscepit, ad salutem nostram confiteamur, & vt pro peccatis nostris ieiunia nobis apud Deum supputentur.

Nectarius Constantinopolitanus. 380.

Oratione de Sancto Theodoro Martyre. Etenim si ieiunia ab animi perturbationibus nos liberauerint, & eleemosynæ vitam æternam conciliauerint, nullo defectu laborantes, vnà cum Christo sponso in cælestes nuptias ingrediemur.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 2. in Genesin: Ieiunium est animarum nostrarum tranquillitas, senum decor, adolescentum pædagogus, continentium magister, quod omnem ætatem & sexum quasi diademate quodam ornat.

Sermone 1. de Ieiunio: Propitiationis tempus adest, temporis opportunitatem ne contemnamus: abijciendorum peccatorum tempus est, gratiam ne negligamus, sed ieiunemus à cibis, sed primùm à peccatis, &c. Bonum ieiunij iupatum his, qui diligunt ieiunij vtilitatem. Ne attendas ad solum laborem, sed etiam ad fructum. Nisi enim ad vsum spectaret, non sementem faceret qui serit, vt ne reposita dispergere videretur. Respiciens autem in spem, seminauit quæ habuit, vt quæ non habuit, metat. Dolet in ieiunijs caro, sed epulatur anima. Quid melius in nobis, anima, vel corpus? Hæc accipit vt non doleat. Nutritur autem & hoc pulchrius & melius. Oportet nos esse in ieiunio, nec est propterea corpori corruptio, sed medicina & cura. Nam qui ieiunant, & à fluxibus corporis liberantur: & qui se præparant, superfluitatem carnium liquefaciunt, & animam deficientem nutriunt. Semper anima corporis curam habeat. Nutrit autem & seipsam, & sui ipsius curam habet. Corporis mores anima moderatur, sibijpsi verò rationem. Iam cùm corporis curam agit, multò magis decet, vt & ipsa sui curam agat. A Deo ordinatum est, vt anima corpori imperet. Qui præferunt corpus animæ, subuertunt rectum ordinem. Non ipsa corpori seruit, sed si rectè fiat, semper animæ seruit corpus. Si autem ferias suas feriabitur anima in damnum corporis, & non sapit quæ sunt corporis, corpus saluatur. Quando regit corpus animam, & ipsa corrumpetur; & corpus perit. Ne putetis paruum quoddam lucrum esse ieiunium. Ab vno ligno si abstinuisset Adam, si ab vno ieiunasset, mortua fuisset mors, imò non fuisset mortua, quæ non erat. Vides si hoc pharmaco fuisset vsus Adam, non fuisset mortale Gen. 3. nostrum genus. Quantæ gratiæ fuit vsus, vt resoluatur quod inuenit Adam, per intemperantiam? Quando vides, quid mali operatum sit contrarium, hoc est, quòd non abstinuit ab vno ligno Adam: cognosce quantum bonum ieiunium & abstinentia ab his quæ licita sunt afferant. Nam vbi attigit Adam quod non licebat, cecidit: contra abstinentia ab his quæ licent sua beneficentia ruinam reparat. Vtinam & Esau ieiunasset, & non vendidisset primogenita, sed cibo minor factus, naturæ priuilegium pro lentibus vendidit, &c. Ieiunium Angelorum imitatio est pro nostra virili, contemptus præsentium, schola precum, alimonia animæ, frænum oris, & mitigat concupiscentias: sciunt qui ieiunant: & mitigat voluptates, & non ignorant, qui tentârunt: mollit furorem, compescit iram, sedat fluctus naturæ, excitat rationem, claram facit animam, alleuiat carnem, fugat fœdas intemperantias nocturnas, liberat ab ebrietate, tollit capitis dolores, claros affert & colores, & aspectus. Bene compositi ieiunis sunt gestus, facilis lingua: abest risus ebriorum, recta est cogitatio: non enim effunduntur concupiscentiæ: hilaris est continentia, serenitas inualescit, &c.

Sermone 2. de Ieiunio: Cùm igitur ieiunium aduersarijs nostris obsistat, & iugum seruitutis expellat, & ingenuitatis securitatem restituat: quid aliud argumenti est, omnium bonorum atque Gen. 2. beneficiorum cardinem esse, nisi ieiunium constitutum? &c. Et cùm in paradiso ieiunium pro magna commoditate indicitur, multo magis extra paradisum necessarium postulatur. Et cùm ante plagam remedium vtiliter demonstratum est, multo magis sauciatis appetendum est, vt præstet vulneribus sanitatem. Et cùm ante conflictum ad resistendum libidinosis voluptatibus clypeus nobis abstinentiæ necessarius fuit: multò magis in ipso nostro certamine ieiunij auxilium ad nostram victoriam flagitandum est.

Palladius. 400.

Historiæ sacræ sect. 19. capite 22. de Moyse Eremita: Cùm accessisset ad magnum Isidorum Moses, tertio ad eum retulit de bello fornicationis. Cui respondit sanctus: Ne conturberis, ô frater: sunt principia, & ideo te vehementius inuaserunt, priorem requirentes consuetudinem. Sicut enim canis cùm assueuerit in macello ossa rodere, non recedit à consuetudine: sed si fuerit clausum macellum, & nemo ei dederit, fame enectus non amplius accedit. Sic tu quoque, si permanseris in tua continentiæ exercitatione, mortificans membra tua, quæ sunt supra terram, & excludens ab ingressu inquietem, quæ parit intemperantiam, ægrè ferens dæmon, vt qui cibos non habeat qui accendant, à te recedet. Cùm ergo secessisset Christi seruus Moyses, & ab illa hora seipsum inclusisset in cella, maximam in omnibus exercebatur tolerantia, maximè autem in abstinentia à cibis: vt qui nihil aliud sumeret præter panis sicci vncias duodecim, plurimum operans, & quinquaginta orationes quotidie peragens.

Ioannes

Ioannes Cassianus. 430.

Lib.5. Institut. cap. 21. Non solùm nobis istud ieiunium vilibilium ciborum ad perfectionem cordis & corporis puritatem sufficere posse credamus nisi fuerit huic animæ quoque ieiunium copulatum. Habet namque & illa suos noxios cibos, quibus impinguata etiam sine escarum abundantia ad luxuriæ prærupta deuoluitur, &c.

Cap. 22. Nouerimus itaque nos idcirco laborem continentiæ corporalis impendere, vt ad puritatem cordis hoc possimus ieiunio peruenire.

Collat.1.cap.7. Ieiunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatū, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt: quia non in ipsis consistit disciplinæ illius finis, sed per illa peruenitur ad finem.

Collat. 21. cap.17. Talem igitur definitionem super ieiunij qualitate iugiter retinentes, ita illud totis viribus animi appetamus, vt tamen tunc demum id nobis congruum nouerimus, si in eo temporum ratio, si qualitas, si mensura seruetur: nec ita vt in ipso spei nostræ terminum defigamus, sed vt per ipsum ad puritatem cordis & Apostolicam charitatem peruenire possimus.

Sozomenus. 430.

Lib.6.cap.34.de Monachis Edissenis: Nonnulli istorum Monachorum ad perfectissimam continentiam peruenêre: verbi gratia, Batthæus tanta vsus est continentia, tantaq; inedia, vt vermes ex eius dentibus serperent: Alam quoque ferunt ad spatium octoginta annorum panem non gustasse: Heliodorum etiam multas integras noctes nihil somni cepisse, & pariter integras hebdomadas ieiunasse.

Socrates. 430.

Lib.4. cap. 18. Bono animo esto, inquit Macarius, viginti equidem iam annis continuis nec panem, nec aquam, nec somnum cepi ad satietatem. Nam panem comedi pondere, aquam mensura bibi, parieti inclinatus paulum somnij surripui.

Isidorus Pelusiota. 440.

Ionæ 3. Dan.1. & 3. *Lib.1.epist.69.* An non ieiunium Niniuitis, cùm breuem ac celerem mortis sententiam accepissent, vitam attulit? An non ieiunium eximiæ virtutis adolescentem Danielem, eosq; qui eadem, qua illi

Matt. 3. mente præditi erant, & tyranno & tonante igne superiorem reddidit? An non ieiunium ac vitæ sanctitas hoc Ioanni præstitit, vt incarnatum Deum

1.Cor.12. baptizaret? An non ieiunium & nuditas & chameunia, & corporis maceratio hoc Paulo attulit, vt paradisi arcanorum auditor esset? Quid igitur harum rerum imitatione relicta, malo consilio deteriora complecteris?

Theodoretus. 450.

Ad Ioelis cap. 1. *Sanctificate ieiunium, clamate ad Dominum vehementer: heu, heu, heu, mihi in die illa.*) Ex dictis plenè docemur, vt ieiunium animæ malè habenti sit medicina salutaris. Quare ieiunio subiunxit curationem: *Sanctificate*, inquit, *ieiunium, prædicate curationem.*

Victor Antiochenus. 460.

Ad caput 9. Marci: *Hoc genus dæmoniorum in nullo potest eijci, nisi in ieiunio, &c.*) Per duo hæc asserit Dominus, omne dæmoniorum genus profligari posse. Discis hinc autem, quomodo Christus Seruator noster doctrinam de ieiunio proponat, eiusdemque necessitatem & vsum tacitè insinuet, &c. Quem gulæ dæmonium sauciauit, illum ieiunij & abstinentiæ pharmacum sanet oportet.

Isaac Presbyter. 470.

De mundi contemptu: Ieiunium protectio est omnis virtutis, & initium certaminis, & corona continentium, & pulchritudo virginitatis & sanctitatis, & splendor [illegible] litatis, & principium vitæ Christianitatis, & mater orationis, & fons sapientiæ, & magister tranquillitatis, quæ præcedit omnia bona. Sicut imitator sanus oculus desiderium lucis: ita sequitur ieiunium, quod cum discretione fit, desiderium orationis. Cùm quis cœperit ieiunare, ex hoc desiderium alloqui Deum, & peruenire ad eum incipit in mente sua. Ieiunans corpus non expectat in lecto suo, vt dormiat tota nocte: cùm sigillum ieiunij superponitur ori hominis, mens in compunctione meditatur, & cor eius producit orationem, & mœstitia iacet in vultu eius, & prauæ cogitationes elongantur ab ipso. Hilaritas non inuenitur in oculis eius, & concupiscentiarum & vaniloquiorum non est amicus. Nunquam vidi aliquem ieiunantem cum discretione à mala concupiscentia redactum in seruitutem: est enim hoc magnum donum ad omne bonum, quoniam illud est mandatum, & qui negligit illud, amouet omne bonum, quod ab initio fuit impositum ad custodiam nostræ naturæ, & inde condit principium plasmationis nostræ.

Procopius Gazæus. 530.

In Esaiæ cap.1. Ieiunium postulat, quod ostentationis studio neglecto carnis superbiam retundat.

In cap. 58. Veri ieiunij clamor vsque ad Deum penetrat: quod verum est ieiunium, corporis quidem labores in occulto subit, vultus autem hilaritatem in apertum depromit, caputque, sicut Saluator iubet, vngit. Præbet enim pietatis fructus nulli non conspicuos.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 14. Ieiunium est naturæ violentia, circuncisio suauitatis faucium, incentiuorum omnium abscisio, malarum cogitationum amputatio insomniorum liberatio, orationis munditia, insigne lumen animæ, mentis custodia, obcæcationis solutio, compunctionis ianua, suspirium humile, læta contritio, loquacitatis abdicatio, quietis occasio, obedientiæ custos, somni leuiatio, sanitas corporis, tranquillitatis auctor, peccatorum remissio, paradisi porta & delitiæ.

Antiochus. 600.

Homilia 7. de ieiunio: Monachus, qui merito ieiunij sincerioris magnopere cupit Dei gratiam emereri, sibiq; conciliare eam familiariter, prorsus is debet primò omnium sibi ieiunium asciscere, non qualecunque, sed quod purissimum sit peccati omnis, secumque decreto immobili constituat nulli, dum in viuis fuerit, seruire vnquam vitioso affectui.

Maximus Monachus. 640.

De Charitate centuriæ 1. cap. 79. Eleemosyna quidem rationalem animæ partem sanat: at ieiunium sedat concupiscentiam, & oratio purgat animum, & ad rerum contemplationem eum adornat.

Theosterictus. 800.

Oratione funebri in S. Nicetam: Erat eius corpusculum vigilijs ac ieiunijs ita liquefactum, vt propter summam imbecillitatem vix loqui posset. Quis ita continentiam amplexus est, vt pater noster Nicetas? qui vel res necessarias, panem dico, & aquam parcè sumebat?

Michael Syngelus. 830.

In Dionysio Areopagita: Carnem ieiunijs domat, & deteriorem partem præstantiori subijcit, nempe puluerem menti, & terrenam crassitudinem, quæ sensibus perinde ac nebula quædam tenebrosa solaribus sese radijs opponere consueuit, comminuit.

Theophylactus. 900.

Ad Ionæ cap. 3. Ieiunium non fuit per sese sufficiens,

ciens, vt propitium redderet, aut placeret Deum, nisi & mores correxissent, & bona opera exhibuissent.

Ad cap. 9. Marci: Oportet ieiunare eum, qui dæmonem patitur, & qui sanaturus est, & vtrisque necessariũ est ieiunium, magis autem illius, qui dæmonem patitur, ieiunium exigit sermo: oportet autem non ieiunare solùm, sed & orare, neq; solùm orare, sed & ieiunare. Sic enim veræ preces fiunt, si non oretur solùm, sed & ieiunetur.

Ad 1. ad Timoth. 4. Quidam ieiunium asseuerant corporalem exercitationem esse, sed non est: nam istud spirituale est.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita S. Iacobi Eremitæ: Aliquando verò cùm adolescens quidam à dæmone tentatus fuisset, vtroque pede dissolutus fuit: quem eius consanguinei baiulantes, ad sanctum virum tulerunt, eum rogantes, vt pro ipso Deum precaretur. Ille autem cùm tres dies ieiunásset, & diuinis precibus operam dedisset, paralyticum hominem sanum restituit.

In vita Melanæ Romanæ: Quum videret multas ex ijs, quæ erant apud ipsam, mulieribus magni facere ieiunium, & timeret, ne in eo existimantes omnia contineri, alias virtutes negligerent, tales eis adducens similitudines, ad ipsarum excitabat studium. Dicebat enim, animam quidem esse sponsæ similem: quæ sunt autem circa ipsam virtutes, nuptialibus indumentis vnamquamque partem aliquam corporis ornare. Ieiunium verò esse pedum ornamentum. Quomodo ergo cum alijs indumentis oportet etiam ea habere, quæ pedes ornant, ita etiam animæ cum alijs adesse oportet ieiunium.

De S. Gregorio Martyre cap. 27. Sequenti die ieiunium quidem ad sexaginta vsque dies totos vniuerso populo denuntiat, & ipse ea, quæ in mysteriorum initijs prius dicta fuerant, in his repetens, & quæ deerant adijciens, & vitam eorum, qui in virtute excelluerunt, in medium adducens, ad imitationem illorum animos accendebat.

De S. Gregorio Agrigentino Episcopo cap. 23 Cùm & Ioannes Chrysostomus ieiunium admirabile cerneret, (neque enim cibum nisi septem singulis diebus, ac tum quidem olera modico condita sale accipiebat) ac vigilias naturam humanam egredi, nihilosecius laboribus inuictum, precibus ac contemplationi constantissimè inhærere, stupore magno affectus est.

In vita S. Syluestri cap. 8. Cùm itaque conuocasset quotquot Romæ erant fideles, & omnibus triduanum præcepisset ieiunium, & vt rogarent Dominum, vt admirabilem faceret misericordiam suam: ipse autem ante alios precationi vacabat & ieiunio.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

In Apologetico aduersus Gentiles cap. 40 Nos ieiunijs aridi, & omni continentia expressi, ab omni vitæ fruge dilati, in sacco & cinere volutantes, inuidia cælum tundimus, Deum tangimus, & cùm misericordiam extorserimus, Iupiter honoratur.

Libro ad Scapulam cap. 4. Marcus Aurelius in Germanica expeditione Christianorum militum orationibus ad Deum factis imbres in siti illa impetrauit. Quando non geniculationibus & ieiunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ?

Libro de Resurrectione carnis cap. 8. Nam & sacrificia Deo grata, conflictationes dico animæ, ieiunia, & seras, & aridas escas, &c.

Libro de ieiunijs, aduersus Psychicos cap. 7. Per hanc mœroris sequelam & inediam, etiam ciuitas illa
Ionæ 3. peccatrix Niniue de exitio prædicato liberatur. Satis enim pœnitentia scelerum commendauerit Deo ieiunium triduo functa, etiam pecudibus enectis, quibus iratus Deus non erat. Sodoma quoque & Gomorra euasissent, si ieiunassent, &c. Ieiunium in Deum reuerentiæ opus est, per quod Anna quo-
1. Reg. 1. que ambiens vxor Helcanæ retro sterilis impetrauit facilè à Deo inanem cibo ventrem filio implere, & quidem Propheta. Sed non modò naturæ mutationem, aut periculorum auersionem, aut delictorum obliterationem, verùm etiam sacramentorum agnitionem, ieiunia de Deo merebuntur. Aspice Danielis exemplum, circa somnium re-
Dani. 2. gis Babylonis omnes turbantur Sophistæ, negant vltro de præstantia humana posse cognosci. Solus Daniel Deo fidens, & sciens quid ad demerendam Dei gratiam faceret, spatium tridui postulat, cum sua fraternitate ieiunat, atq; ita orationibus commendatis, & ordinem & significationem somnij per omnia instruitur, tyranni Sophistis parcitur, Deus glorificatur, Daniel honoratur, &c.

Cap. 17. Nos non dubitamus exertè mandare, ie-
1. Cor. 16 iunemus fratres & sorores, ne fortè cras moriamur. Palã disciplinas nostras vindicemus nos certi sumus, eos, qui in carne sunt, Deo placere non pos-
Rom. 8 se, non vtique substantia carnis, sed in cura, sed in affectione, sed in operatione, sed in voluntate. Macies non displicet nobis: neque enim ad pondus Deus carnem tribuit, sicut nec spiritum ad mensuram. Facilius si fortè per angustam salutis ianuam introibit caro exilior, citius resuscitabitur caro leuior, diutius in sepultura durabit caro aridior. Saginentur pugiles & pictæ Olympici: illis ambitio corporis competit, quibus & vires necessariæ, & tamen illi quoque xerophagijs inualescunt: sed nostra alia robora, aliæquè vires, sicut & alia certamina: *quibus non est luctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus mundi potestates, aduersus spiritualia malitiæ.* Ephes. 6 aduersus hæc non carne & sanguine, sed fide & spiritu robusto oportet adsistere.

Cyprianus. 250.

Sermone de ieiunio & tentationibus Christi. Ieiunijs vitiorum sentina siccatur, petulantia marcet, concupiscentiæ languent, fugitiuæ abeunt voluptates. Extinguitur ardentis Aethnę incendium, & flammiuomi fornax Vulcani extincta intrinsecus, montes conterminos non adurit. Ieiunium si discretione regatur, omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ spoliat, & exarmat. Ieiunium extraordinarios motus in cippo claudit & arctat, & appetitus vagos distringit & ligat. Ieiunium si humilitate ornetur, seruos Dei, mundi efficit contemptores. Ieiunium carnes azymas mundat & solidat: & putredines, quæ ex adipe prodeunt, consumit & siccat. Ieiunium scripturarum delicijs pascitur, contemplatione reficitur, gratia stabilitur, cælesti pane nutritur. Daniele interpretatio somniorum reuelatur ieiunio, & Dan. 2. & 3.
tres pueri de Babylonio illæsi egrediuntur incendio. Moyses in monte quadraginta diebus cum Domino perseuerans, & Dei familiare colloquium, & legis ministerium ieiunio promeretur. Exo. 24.
Helias quoque eodem dierum numero abstinens, in eremo conuersatur. Vtilitas ieiuniorum temporibus Christianis clarius patuit, & à multis frequentata in plurimos se effudit. Quotquot viros virtutum vidimus, sine ieiunio non legimus ascendisse: nec aliquid magnum moliti sunt, nisi prius abstinentia præcessisset. Quoties aliquid à Deo obtinere conati sunt, ieiunijs incubuêre & 3. Reg. 19

lachry-

lachrymis, & pernoctantes in orationibus, cilicijs carni hærentibus supplices beneficia postularunt. Nec defuit prouentus, vbi ad pedes Dei sacrificium contriti cordis offerens se prostrauit humilitas: sed prope fuit inuocantibus se Deus, & porrexit manum naufragis, & subuenit afflictis. Ezech.14.

Libro de lapsis. Daniel ieiunijs Deum promereri nititur.

Hilarius Pictauiensis. 350.

In Psalmum 118. litera Zain: Scit ieiunia sua cælesti atque Euangelica benedictione saturari: scit humilitatem suam glorioso esse honoris premio munerandam.

Litera Lamed: Non ab omnibus omnia expectantur, neque vniuersi vniuersa ad summam placendi implere possunt. Alius ieiunio placet, alius simplicitate fidei promeretur, alius vitia eleemosynis redimit: alius securitate consummat.

Ad Matth. can. 5. Ieiuniorum profectum docet extra iactantiam confecti corporis esse oportere: neque de inediæ ostentatione fauorem gentium consectandum, sed omne ieiunium in sanctæ operationis decore ponendum.

Hymno Quadragesimali:

Iesu Quadragenaria
Dicator abstinentia,
Qui ob salutem mentium
Hoc sanxeras ieiunium,
Quo paradiso redderes
Seruata parsimonia,
Quos inde gastrimargia
Huc illecebra depulit.

Ambrosius. 370.

Matt.4. *De Helia & ieiunio cap.2.* Magna virtus ieiunij, & tam speciosa eius militia est, vt ieiunare delectaret & Christum: tam valida, vt ad cælum homines eleuaret. Et vt humanis magis, quàm diuinis vtar exemplis, Heliæ ieiunio vox ore emissa cælum clausit sacrilego populo Iudæorum, &c. Quid eius reliqua contexam? Ieiunus filium viduæ ab inferis suscitauit, ieiunus pluuias ore deposuit, ieiunus ignes de cælo eduxit, & quadraginta dierum ieiunio diuinam acquisiuit præsentiam: tunc denique plus meruit, quando plus ieiunauit. Ieiuno ore statuit fluenta Iordanis, & redundantem fluminis alueum repente siccatum, pulueruIento transmigrauit vestigio. Merito illum dignum cælo diuina iudicauit sententia, vt cum ipso raperetur corpore, quoniam cælestem vitam viuebat in corpore ac supernæ vsum conuersationis exhibebat in terris. 3.Reg.17. 4.Reg.1. 4.Reg.2.

Cap.3. Quid est ieiunium, nisi vitæ imago cælestis? Ieiunium refectio animæ, cibus mentis est: ieiunium est vita Angelorum, ieiunium culpæ mors, excidium delictorum: remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis. Hoc ad Deum gradu citius peruenitur.

Psal. 68. *Cap.4.* Gula nudos facit, ieiunia operiunt etiam exutos. Vnde Dauid ait: *Operui in ieiunio animam meam.* Bonum operimentum, quod animam tegit, ne à tentatore deprehendatur, ne à tentatore nudetur. Bonum velamen, quod tegit culpam, tegit abstinentia, tegit gratia. Tegit gratia, dum remittit, & omnem abolet errorem. Tegit abstinentia, dum obumbrat vitium, mœsto abscondit affectu, atque extenuat pœnitendo. Etenim ieiunium & eleemosyna à peccato liberant.

Cap.7. Ieiunium virtutem ignis extinxit, ieiunium ora obstruxit leonum, ieiunium maris fluenta solidauit, ieiunium petram soluit in fontes aquarum, virtute ieiunij contra suam mutata naturam, & fluctus obriguit, & petra inundauit.

Cap. 8. Ieiunium continentiæ magisterium est, pudicitiæ disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma virtutis, purificatio animæ, miserationis expensa, lenitatis institutio, charitatis illecebra, senilis gratia, custodia iuuentutis. Ieiunium est infirmitatis leuamen, alimentum salutis.

Cap. 9. Est ergo ieiunium reconciliationis sacrificium, virtutis incrementum, quod fecit etiam fœminas fortiores augmento gratiæ.

Cap. 10. Mystica quoque mensa ieiunio comparatur. Illa mensa, de qua dicit Dauid: *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* Psal. 22. Mensa ista famis acquiritur pretio, & poculum illud inebrians sobrietate cælestium Sacramentorum, siti quæritur, &c. Ergo si ad mensam illam venerabilem ieiunia sancta nos perducunt, si hac fame illa, quæ sunt æterna, mercamur: quid de ijs dubitamus, quæ in vsu humano sunt, quòd etiam suauiora hæc nobis faciat ieiunium? Non autem omnis fames acceptabile ieiunium facit, sed fames, quę Dei timore suscipitur, &c. Nemo in ieiunio culpam includat, præferat innocentiam. Ieiunium etenim culpæ interfectorium est.

Cap. 11. Nemo amarioribus præopter dulciora: dulcis voluptas videtur, amarum ieiunium. Hoc amaro illud dulce tollatur. Solent amara etiam ipsis plus prodesse corporibus. Sicut enim cùm in intimis puerorum visceribus vermes ex cibi indigestione nascuntur, extingui non queunt, nisi cùm amarior potus infunditur, aut medicamentorum vis inolescit asperior, quorum odore moriantur: ita profundum animæ virtus ingressa ieiunij culpam latentem interficit.

De fide ad Gratianum lib. 3. cap. 2. Non per luxuriam nobis Christus, sed per ieiunium salutem attulit. Neque ille emerendæ gratiæ suæ causa, sed nostræ eruditionis gratia ieiunauit. Neque infirmitate corporis victus est, vt esuriret, sed esuriendo suscepti corporis fidem præstitit, vt non solùm corpus, sed etiam infirmitates nostri corporis doceret à se esse susceptas.

Epistola 82. ad Ecclesiam Vercellensem, quorundam Iouinianistarum errorem confutans: Audio homines, qui dicunt nullum esse abstinentiæ meritū, nullum frugalitatis, nullum virginitatis gratiam pari omnes æstimari pretio; delirare eos, qui ieiunijs castigent carnem suam, vt menti subditam faciant. Quod nunquam fecisset, nunquam scripsisset ad instruendum alios Paulus Apostolus, si deliramentum putasset. Gloriatur itaque dicens: *Sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne alijs prædicans ipse reprobus inueniar.* 1.Cor. 9. Ergo qui non castigant corpus suum, & volunt prædicare alijs, ipsi reprobi habentur. An quicquam tam reprobum, quā quod ad luxuriam, ad corruptelam, ad lasciuiam prouocat, quàm incitamentum libidinis, incontinentiæ fomes, incendium cupiditatis? Quæ istos Epicuræos noua schola misit, non Philosophorum, vt ipsi aiunt, sed imperitorum, qui voluptatem prædicent, delicias suadeant, castimoniam nullius esse dicant vtilitatis? Fuerunt nobiscum, sed non fuerunt ex nobis. Neque enim pudet dicere quod dicit Euangelista Ioannes. 1.Ioan.2. Sed hi positi primò ieiunabant, intra monasterium continebantur: nullus erat luxuriæ locus, interdicta ludicrosæ disputationis licentia. Hoc delicati non potuerunt ferre. Abierunt, deinde volentes redire non sunt recepti. Pleraque enim audieram quæ deberent cauere. Monueram, nihil profeceram. Efferuescentes itaque disseminare talia cœperunt, quibus incentores essent vitiorum omnium. Miserabiles, perdiderunt vtique quod ieiunauerunt. Perdiderunt quod se aliquo continuerunt tempore. Nunc itaque diabolico studio inuident aliorum operibus bonis, quorum ipsi fructu exciderunt, &c. Quomodo igitur voluptas ad paradisum reuocare nos

potest,

potest, quæ sola nos paradiso exuit? Vnde & Dominus Iesus volens nos aduersus diaboli tentamenta fortiores reddere, certaturus ieiunauit, vt sciremus, quia aliter illecebras mali non possemus vincere. Denique ipse diabolus primum tentamentorum suorum spiculum de voluptate intorsit, dicens: *Si Filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant,* Vnde ait Dominus: *Non in pane solo viuit homo, sed in omni verbo Dei:* & noluit facere, cùm posset, vt magis lectionis studio, quàm voluptatis, intendere nos salutari præcepto doceret. Et quia isti ieiunandum negant, qua causa Christus ieiunauerit astruant, nisi vt nobis exemplo esset eius ieiunium. Deniq; in posterioribus docuit, nõ facile malum posse nisi nostro vinci ieiunio, dicens: *Hoc genus non ejcitur, nisi in oratione & ieiunio.* Quid etiam sibi vult Scriptura, quæ docet ieiunasse Petrum, & ieiunanti atque oranti de baptizandis gentibus reuelatum mysterium, nisi vt ostenderet etiam ipsos Sanctos, cùm ieiunant, tunc fieri præstantiores? Denique Moyses cùm ieiunaret, legem accepit. Et ideo Petrus, cùm ieiunaret, edoctus est noui Testamenti gratiam. Daniel quoque ieiunij merito ora clausit leonum, futurorumq; temporum vidit negotia. Aut quæ nobis salus esse potest, nisi ieiunio eluerimus peccata nostra, cùm Scriptura dicat: *Ieiunium & eleemosyna à peccato liberat?* Qui sunt ergo hi præceptores noui, qui meritum excludant ieiunij? Nonne gentilium vox ista est decentium: *Manducemus & bibamus? &c.*

Matt. 4.
Matt. 17.
Act. 10.
Exo. 34.
Dan. 9. 10. 14.
Tob. 4. 12.

In Hymno Horæ Primæ:

Carnis terat superbiam
Potus cibiq; parcitas.

Prudentius. 380.

Hymno 7. ieiunantium:

Adesto castis Christe parsimonijs,
Festumq; nostrum Rex serenus aspice,
Ieiuniorum dum litamus victimam.
Nihil hoc profectò purius mysterio,
Quo fibra cordis expiatur liuidi,
Intemperata quo domantur viscera,
Aruina putrem ne resudans crapulam,
Obstrangulatæ mentis ingenium premat.
Hinc subiugatur luxus, & turpis gula,
Vini atque somni degener socordia,
Libido sordens, inuerecundus lepos,
Variæq; pestes languidorum sensuum.
Parcam subacta disciplinam sentiunt.
Nam si licenter diffluens potu, & cibo,
Ieiuna rite membra non coercitas,
Sequitur frequenti marcidus oblectamine,
Scintilla mentis vt tepescat nobilis,
Animusq; pigris stertat vt præcordijs.
Frenentur ergo corporum cupidines,
Detersa vt intus emicet prudentia:
Sic exacutæ perspicax acumine,
Liberq; flatu laxiore spiritus
Rerum parentem rectius precabitur.
Helias tali creuit obseruantia
Vetus sacerdos, ruris hospes aridi,
Fragore ab omni quem remotum & segregem
Spreuisse tradunt criminum frequentiam,
Casto fruentem Syrtium silentio.
Sed mox in auras igneis iugalibus,
Curruq; raptus euolauit præpes,
Ne de propinquo sordium contagio
Dirus quietum mundus afflaret virum,
Olim probatis inclytum ieiunijs.

Oriesiesis. 380.

De Institutione Monachorum: Ieiunijs & afflictione corporis debemus acquirere animæ libertatem.

Hieronymus. 390.

Epistola 8. ad Demetriadem cap. 6. Post cogitationum diligentissimam cautionem, ieiuniorum tibi arma sumenda sunt, & canendum cum Dauid: *Humiliaui in ieiunio animam meam.* Et: *Cinerem tanquam panẽ manducaui.* Et: *Cum molesti erant mihi, induebar cilicio.* Eua per cibum eiecta est è paradiso. Helias quadraginta dierum exercitatus ieiunio, igneo curru rapitur in cælum. Moyses quadraginta diebus ac noctibus familiaritate ac sermone Dei pascitur, in se verissimum probans, quod dicitur: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei, &c.* Neque verò immoderata tibi imperamus ieiunia, & enormem ciborum abstinentiam, quibus statim corpora delicata franguntur, & antè ægrotare incipiunt, quàm sanctæ conuersationis iacere fundamenta, &c. Sic debes ieiunare, vt non palpites, & respirare vix possis, & comitum tuarum vel porteris, vel traharis manibus, sed vt, fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in Psalmis, nec in vigilijs solito quid minus facias. Ieiunium non perfecta virtus, sed cæterarum virtutum fundamentum est, & sanctificatio, atque pudicitia: sine qua nemo videbit Deum: gradus præbet ad summa scandentibus, nec tamen, si sola fuerit, virginem coronare poterit.

Psal. 34.
Psal. 101.
Gen. 3.
3. Reg. 19.
4. Reg. 2.
Exo. 24.
Deut. 8.
Matt. 4.

Epistola 27. in Epitaphio Paulæ cap. 8. Paula tantæ continentiæ fuit, vt propè mensuram excederet, & debilitatem corporis nimijs ieiunijs ac labore contraheret: quę, exceptis diebus festis, vix oleum in cibo caperet, vt ex hoc vno æstimetur, quid de vino & liquamine, piscibus & lactè, & melle & ouis, & reliquis, quæ gustui suauia sunt, iudicarit.

Ad cap. 6. Danielis: Si rex nesciens Deum ieiunat pro altero, quem vult de discrimine liberari, quantò magis nos pro peccatis proprijs inedia & vigilijs debemus Deum ad clementiam flectere?

Ad caput 3. Ionæ: Saccus & ieiunium arma sunt pœnitentiæ, auxilia peccatorum.

Libro 2. contra Iouinianum cap. 10. Adam in Paradiso accepit præceptum, vt ab vna arbore ieiunaret: beatitudo paradisi absque abstinentia cibi non potuit dedicari. Quamdiu ieiunauit, in paradiso fuit, comedit, & eiectus est. Moyses quadraginta diebus & noctibus ieiunus in monte Sina, etiam tunc probans non in pane solo viuere hominem, sed in omni verbo Dei, cum Domino loquitur: populus autem satur, idola fabricatur. Ille vacuo ventre legem accipit, scriptam digito Dei: iste manducans, & bibens, consurgensque ludere, aurum conflat in vitulum, & Aegyptium bouem præfert Domini maiestati: tot dierum labor vnius horę saturitate perit. Frangit audacter Moyses tabulas: sciebat enim Dei sermonem non posse audire temulentos, &c. Sed nec secunda conscriptio tabularum absque ieiunio potuit impetrari. Quod ebrietas perdiderat, inedia reperit. Ex quo ostenditur, posse nos per ieiunium redire in paradisum, vnde per saturitatem fueramus eiecti. In Exodio aduersus Amelech oratione Moysis & totius populi vsque ad vesperam ieiunio dimicatum est. Iesus filius Naue stationem imperauit soli & lunæ, & inediam plus quàm vnius diei victoris exercitus protelauit, &c.

Gen. 2.
Exo. 24.
Deut. 8.
Exo. 32.
Deut. 32.
Exo. 17.
Iosu. 10.

Augustinus. 440.

Tractatu de vtilitate Ieiunij cap. 2. Si caro in terram vergens onus est animæ, & sarcina prægrauans prouolantem: quantum quisque delectatur superiore vita sua, tantum deponit de terrena sarcina sua. Ecce quod agimus ieiunantes.

Cap. 3. Non vobis ergo videatur leuis res, aut

super-

ſuperflua, ne quiſquam fortè hoc faciens Eccleſiæ conſuetudine, cogitet apud ſe, & dicat ſibijpſi, vt ſuggerentem intrinſecus audiat tentatorem: quid facis quia ieiunas? defraudas animam tuam, non ei das quod eam delectat, tibi ipſi ingeris pœnam tuus ipſe tortor & cruciator exiſtis. Deo ergo placet, quia te crucias? Ergo crudelis eſt qui delectatur pœnis tuis. Reſponde huiuſmodi tentatori: Excrucio me planè, vt ille parcat: do de me pœnas, vt ille ſubueniat, vt placeam oculis eius, vt delectem ſuauitatem eius. Nam & victima excruciatur, vt in aram imponatur. Minus premet mentem meam caro mea. Et tali diſſuaſori, malo ſeruo ventris, reſponde per hanc ſimilitudinem, & dic: Si iumento fortè inſideres, ſi equo vtereris, qui te gèſtiendo poſſet præcipitare: nónne vt ſecurus iter ageres, cibaria ferocienti ſubtraheres, & fame domares, quem fræno non poſſes? Caro mea iumentum meum eſt: iter ago in Hieruſalem: plerumque rapit, & de via conatur excludere: Via autem mea Chriſtus eſt. Ita exultantem non cohibebo ieiunio? Si quis hoc ſapit, etiam ipſo experimento probat, quàm vtiliter ieiunetur. Nunquid enim caro iſta, quæ nunc domatur, ſemper domabitur? Dum temporaliter fluitat, dum mortalitatis conditione prægrauatur, habet exultationes ſuas, manifeſtas & periculoſas menti noſtræ. Caro eſt enim adhuc corruptibilis, nondum reſurrexit. Nam non ſemper ſic erit, nondum habet ſtatum proprium cæleſtis habitudinis. Nondum enim facti ſumus æquales Angelis Dei.

Sermone 60. de Tempore: Cum ipſe Dominus dicat: [Matt. 6.] *Vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris ieiunans hominibus:* ergo contra Chriſti præcepta facimus, qui publicè ieiunium indicimus, & vidente toto populo pariter cum ipſo ieiunamus? Et in hoc ſenſu oportet intelligi, vt nemo pro laude humana, ſed pro peccatorum indulgentia, vel pro miſericordia diuina ieiunet.

Sermone 65. de Tempore: Quantum ſit bonum ieiunij, breui ſermone exemplis additis diſſeramus. Moyſes primus quadraginta diebus ac noctibus cùm ieiunaſſet, legem Domini accipere meruit, per quam populis imperaret. Impetrauerunt vnius hominis ieiunia, quod totius populi ſaturitas deſperauerat. Aduertamus ergo quanta ſit inter ieiunium & ſaturitatem diſtantia, inter ventrem va- [Exo.24.] cuum, & pulmones epulis æſtuantes. Moyſes ergo quia ieiunauit, Dominum vidit: populus quia manducauit & bibit, idola fabricatus eſt. Sed quid [Gen.3.] de Moyſe, & Iſraelitica multitudine loquar? Princeps ille humani generis Adam, quamdiu ieiunauit ſeruans mandatum, in pardiſo fuit. Vbi verò comedit, eiectus eſt de paradiſo. Et qui in paradiſo Dei virgo fuerat, eiectus de paradiſo cognouit vxorem. Semper enim iuncta ſaturitati laſciuia. Vicina ſibi ſunt venter & genitalia, & pro membrorum ordine ordo vitiorum intelligitur. Eiecit ergo nos de paradiſo cibus, reducat eſuries, reducat ieiunium. Diximus ergo quid ſanctus Moyſes meruit ieiunando: deinde & cunctos videamus. Sancto Heliæ ieiunanti etiam elementa famulata ſunt. Hic denique tribus annis & ſex men- [3.Reg.17] ſibus cælum clauſit: ad cuius vocem etiam ſuper- [Iacob.5.] num deſcendit incendium. Et cùm eum Iezabel [4.Reg.1] Regina vellet occidere, & feſſus ſub arbore fron- [3.Reg.19] doſa iaceret in ſolitudine, Angelus ad eum mittitur, & dicit ei: *Sume paululum panis & aquæ.* Videte quanta ſit Dei clementia erga ieiunantes, chariſſimi.

Sermone 69. Quanto plures dies ſunt ieiunij, tanto melior eſt cauſa remedij: quanto prolixior abſtinentiæ curſus, tanto redemptio copioſior eſt ſalutis.

Chromatius. 400.

Ad cap. 6. Matth. Longè differt ille, qui propter Deum ieiunat, ab eo, qui propter homines ieiunare proponit: quia huic, pro mercede laboris, compenſatio ſit laudis humanæ: illi, pro deuotione humilitatis, meritum gloriæ in futuro ſeruatur, &c. Sanctiſsima Iudith, cùm magno mœrore pro populo eſſet afflicta, poſt ſolennitatem triduani ieiunij, capite vncto & lota facie, ita internæ afflictionis triſtitiam texit, vt ſimulato gaudio lætari hoſtibus videretur: ac ſic demum per lætitiam vultus ieiunium texit, & ab hoſte victoriæ triumphum reportauit.

Paulinus Presbyter Mediolanenſis. 400.

In vita S. Ambroſij: Ipſe autem vir venerabilis Epiſcopus erat multę abſtinentię, vigiliarum multarum & laborum, quotidiano ieiunio macerans corpus. Cui prandendi nunquam conſuetudo fuit, niſi die Sabbati & Dominico, vel cùm Natalitia celeberrimorum Martyrum eſſent.

Paulinus Nolanus. 410.

Natali 7. Sancti Felicis:

Noſtis eum morem, vt ieiunare ſolemus
Ante diem, & ſero libatis veſpere Sacris,
Quiſque ſuas remeare domos: tunc ergo ſolutis
Cœtibus à templo Domini, poſtquam data feſſis
Corporibus requies, ſumpta dape, cœpimus hymnis
Exultare Deo, & pſalmis producere noctem.

Maximus Taurinenſis. 430.

Homil. 3. de Ieiunio Quadrageſimæ: Nos fratres, quibus propugnator inuictus hanc venerabilem Quadrageſimam dedicauit, repudiantes carnalia deſideria, ſic caſtigemus membra ieiunijs, vt animas virtutibus ſaginemus. Ieiunet in nobis pernicioſa luxuries, ieiunet omnis iniquitas, ieiunet odioſa contentio: abſtineamus ab epulis, magis abſtineamus à vitijs: ſic nos temperemus, ſic ſobrij ſimus à vino, vt nulla nobis voluptatum dominetur ebrietas.

In Litanijs, & de ieiunijs Niniuitarum: Tota in tribulatione Niniuitarum ciuitas ieiunauit. Bene dixi tota. Non ſolùm enim ſenes, iuuenes, & infantes: ſed etiam pecudes legimus ieiunaſſe. Mira res: ieiunat pro ciuitatis peccato, quem peccati conditio non conſtringit. Vnde & nos fratres, temporum anguſtias ſuſtinentes, omnes pariter ieiunare debemus, & miſericordiam Dei cunctorum abſtinentia deplorare. Nam quale ſit hoc ieiunium, pro ſalute ſua non facere, quod pecudes pro ſalute hominum fecerunt? niſi quòd ſtolidior pecude eſt, qui indicto pro ſe à ſacerdote ieiunio non ieiunat. Nónne enim pecus eſt, qui non intelligit, quid illi immineat, quid incumbat? Et pecus quidem videns declinat foueam, cauet præcipitia: tu autem non vis ieiunando periculum declinare quod cernis? Deſperationis hoc genus eſt, tunc te manducare, cùm abſtinere debeas: tunc gaudere, cùm debeas deplorare.

Leo Magnus. 450.

Sermone 2. de ieiunio decimi menſis: Decimi menſis celebrandum eſt ieiunium, quo pro conſummata perceptione omnium fructuum diligentiſsimè largitori eorum Deo continentiæ libamen offertur. Quid enim poteſt efficacius eſſe ieiunio? cuius obſeruantia appropinquamus Deo, & reſiſtentes diabolo, vitia blanda ſuperamus. Semper virtuti cibus ieiunium fuit. De abſtinentia prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, ſalutaria conſilia. Et per voluntarias afflictiones caro concupiſcentijs moritur, virtutibus ſpiritus innouatur.

Sermone 4. de ieiunio decimi menſis: In omni tempore, omniquè vita huius ſeculi, ieiunia nos contra peccata faciunt fortiores: ieiunia concupiſcentias vincunt, tentationes repellunt, ſuperbiam

inclinant, iram mitigant, & omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt: si tamen in societatem sibi beneuolentiam charitatis adsumant, & in operibus misericordiæ se prudenter exerceant.

Sermone 1. de Ieiunio septimi mensis. Obseruantiam quidem vestram, dilectissimi, ita nouimus esse deuotam, vt animas vestras non solùm legitimis, sed etiam voluntarijs ieiunijs excolatis. Veruntamen adijcienda est huic studio etiam nostræ admonitionis exhortatio, vt si qui sunt in hoc exercitio tardiores, in his saltem diebus communi abstinentiæ se obedienter adiungant, in quibus nos oportet sacratissimam consuetudinem attentius celebrare, vt per humilitatem ieiunij, contra omnes hostes nostros, diuinum mereamur auxilium.

Sermone 2. cap. 1. In omni agone certaminis Christiani vtilitas continentiæ plurimum valet, ita vt quidam sæuissimorum spiritus dæmonum, qui ab obsessis corporibus nullis exorcizantium fugantur imperijs, sola ieiuniorum & orationum virtute pellantur, dicente Domino: *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi in ieiunio & oratione.* Grata est ergo Deo, & terribilis diabolis ieiunantis oratio: nec latet quantum acquirat suæ saluti, quæ tantum præstat alienæ.

Matt.17.
Marc. 9.

Sermone 3. Ad exorandam misericordiam Dei, & ad renouandum statum fragilitatis humanæ, quantum valeant religiosa ieiunia, sanctorum Prophetarum prædicatione cognoscimus, qui diuinæ iustitiæ commotionem, quam frequenter populus Israel merito iniquitatis inciderat, non nisi ieiunio protestantur posse placari.

Petrus Chrysologus. 450.

Sermone 7. Ieiunium, quod contra vitia prima virtus est nobis, in arce pectoris collocetur: quia illo in interioribus præsidente, vitia nos quatere in exterioribus non valebunt.

Sermone 8. Ieiunium est vitiorum mors, vita virtutum: est pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitæ. Ieiunium est robur mentium, vigor animarum. Ieiunium est castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas sanctitatis. Ieiunium est schola meritorum, magisterij magisterium, disciplinarum disciplina. Ieiunium est Ecclesiasticæ viæ viaticum salutare. Ieiunium est inuictus Christianæ militiæ principatus. Sed in his virtutibus ieiunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat, cum duce misericordia pugnat. Misericordia & pietas ieiunij sunt alæ, per quas tollitur & portatur ad cælum: sine quibus iacet & volutatur in terra.

Sermone 12. Ieiunium, fratres, scimus esse Dei arcem, Christi castra, murum spiritus, vexillum fidei, castitatis signum, sanctitatis trophæum. Hoc
Gen.3. Adam seruauit in Paradiso, quem inde detraxit
Gen.7. gula. Hoc in arca custodiuit Noë, mundum ebrietas
Gen.19. cùm demersit. Per hoc Loth Sodomiticum restrinxit incendium, qui per ebrietatem incesti est adu-
Exo.32. stus incendio. Hoc Mosen diuini feruoris fecit lumine perlucere, quando comessatio & ebrietas Israëliticum populum simulachrorum tenebrauit
4 Reg.2. erroribus. Hoc Eliam peruexit ad cælum, quando
Marc.6. Achab impium ebrietas ad inferna deiecit. Hoc Ioannem in natis mulierum fecit esse maiorem, quando tumulentia Herodem Principem imperio mulierum reddidit homicidam.

Prosper. 450.

De vita contemplatiua lib. 2. cap. 22. Membra sua, quę sunt super terram, mortificant, quando insolens corpus ieiuniorum continuatione castigant: quando intra necessarium modum suum temperant appetitum: quando non solùm se à delicatioribus cibis moderata districtione suspendunt: sed etiam in ipsis communibus nihil carni suæ pro desiderio, sed pro sustentandæ vitæ necessitate permittunt: certi, quòd nec delitiæ qualibet, si absque desiderio percipiantur, officiunt: & viles cibi plerumque abstinentiæ profectum, si appetenter accipiantur, impediunt. Huc accedit, quod & ipsam mentem abstinentiæ fructus alacrem facit: carnem quoque non vsque ad lassitudinem fatigatam, sed spiritui ordinanti subiectam, mobilem reddit: sensus etiam, quos dicuntur crassos efficere vel grauare congestæ delitiæ, consuetudo parcitatis exonerat, & velut quadam politura religiosæ exercitationis attenuat.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Homilia 1. de Ieiunio Quadragesimæ: Per gulæ & incontinentiæ vitium mors intrauit in terram. Ieiunij beneficium quid conferre possit aduerte, cùm cibi appetitum primo homini nimium nocuisse cognoscas, Christum ipsum ab aduersario esse tentatum cibi solicitatione perspicias: ab illo saltem require, abstinere quid prosit, qui se, contra diabolum pugnaturus, ad informationem tui, abstinentiæ virtute præcinxit. Quam quidem vitam Apostolis suis Iesus insinuauit, vt requirentibus quod remedium ei, qui à dæmonio vexabatur, possent adhibere, responderit: *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi per orationem & ieiunium.* Vide quid commodi circa propriam operetur salutem, quod alio ieiunante interdum etiam ad alienam pertinet sanitatem, vt homo per abstinentiam Angelicam possit expugnare naturam. Ex hoc quantum in ea insit vtilitatis intellige. Ecce extrinsecus virtus augetur, corpus affligitur, & diabolus effugatur. Audi quid dicat Apostolus, cùm inuisibiles aduersarios ieiuniorum gestibus se elidere sentiret: *Ego igitur sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo,* inquit, *corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cùm alijs prædicauerim, ipse efficiar reprobus.*

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 1. Ait sermo diuinus: *In diebus solennitatū vestrarum affligite animas vestras.* Quare hoc dixit? Leuit.16
Quia ieiunia, ac vigiliæ, & sanctæ afflictiones humiliata corpora macerant, sed immaculata corda purificant: membris subtrahunt fortitudinem, sed conscientijs addunt nitorem.

Eugippius. 500.

Vita S. Seuerini cap. 2. Quadam die ad Ecclesiam processit ex more, tunc Presbytero, clero, & ciuibus requisitis, cœpit tota mentis humilitate prædicere, vt hostium insidias imminentes orationibus, ac ieiunijs, & misericordiæ fructibus inhiberent, &c. Mox ingressus Ecclesiam, cunctos de salute propria desperantes, ieiunio, & orationibus, atque eleemosynis hortatur armari: proponens antiquæ salutis exempla, quibus diuina protectio populum suum contra opinionem omnium mirabiliter liberasset.

Cassiodorus. 540.

Lib. 11. epist. 2. Ecclesiasticis ieiunijs fames est exclusa popularis, decoris lachrymis tristitia fœda discessit, & per sanctos viros acceleratum est, ne traheretur diutius quod grauabat.

Gregorius Magnus. 590.

In 1. Reg. cap. 11. Et quidem in tres partes diuiditur, vt sacræ abstinentiæ fructus, & dignitas ostendatur: quia ad eam, quam manducando perdidimus, sanctæ Trinitatis contemplationem ieiunando reuocamur. Hinc est enim, quòd Legis, & Pro- Exo.34
phetiæ, & Euangelij ieiunia commendantur. Nam Moyses, vt legem percipere mereretur, bis quadraginta dierum numero ieiunauit. Helias, vt Iezabel 3.Reg.19
manus euaderet, quadraginta diebus in virtus cibi fortitudine ad Oreb Dei montem peruenit. Domi- Matt. 4

nus ac Redemptor noster Iesus Christus per quadraginta dies in eremo ieiunans, nullum omnino cibum sumpsit.

Hymno ieiunantium:

Clarum decus ieiunij
Monstratur orbi calitus,
Quod Christus auctor omnium
Cibis dicauit abstinens.
Hoc Moyses charus Deo,
Legisq; lator factus est.
Hoc Heliam per aëra
Curru leuauit igneo.
Hinc Daniel mysteria
Victor leonum viderat.
Per hoc amicus intimus
Sponsi Ioannes claruit.
Hæc nos sequi dona Deus
Exempla parsimonia:
Tu robur auge mentium,
Dans spiritale gaudium.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Ecclesiasticis officiis lib.1.cap. 42. Quis parsimoniam non laudet? ieiunium non prædicet? Ieiunium res sancta est, opus cæleste, ianua regni, forma futuri: quod qui sanctè agit, Deo iungitur, alienatur à mundo, spiritualis efficitur. Per hoc enim prosternuntur vitia, humiliatur caro, diaboli tentamenta vincuntur.

Libro 2. de Summo bono cap. 44. Per ieiunium etiam occulta mysteriorum cælestium reuelantur, diuiniq; Sacramenti arcana panduntur. Sic namque Daniel Angelo reuelante mysteriorum sacramenta cognoscere meruit. Hæc enim virtus & Angelorum manifestationes, & eorum annuntiationes ostendit. Ieiunia fortia tela sunt aduersus tentamenta dæmoniorum: citò enim per abstinentiam deuincuntur. Vnde etiam Dominus & Saluator noster eorum incursus ieiunijs & orationibus præmonet superare, dicens: *Hoc genus non eijcitur, nisi per orationem & ieiunium.* Immundi enim spiritus ibi sese magis inijciunt, vbi plus viderint escam & potum.

Eligius. 640.

Homilia 3. de Ieiunio Quid autem sint, & quantum sacra prosint ieiunia, audiat in breui charitas vestra: ieiunia sunt gratiæ Dei primordia, reconciliationis sacrificia, salutis remedia, castitatis fundamenta. Hæc vitam imitantur Angelicam: his excitantur mentes fidelium, his reficiuntur animæ: per hęc moriuntur culpę, delentur delicta: his gradibus peruenitur ad cælestia, his armis dimicamus contra diabolum, & vincimus exemplo Domini nostri Iesu Christi, qui per ieiunium nostrum præliatur contra diabolum: non quòd ille aut ieiunio, aut isto egeret certamine: sed vt primùm nos doceret debellare, & postea donaret vincere.

Homil. 11. de Cœna Domini: Necessaria sunt animæ nostræ ieiunia, sicut vulneribus medicina. Medelam enim conferunt vitæ perpetuæ: ita tamen, vt duarum rerum testimonijs commendentur, oratione scilicet, & misericordia.

Beda. 700.

In Homil. Aestiu. Dominic. Exaudi: Quia & ante passionem, & post resurrectionem Dominicam, propter ipsius Domini præsentiam lugere ac ieiunare discipuli nequiuerant, constat profectò quia post ablationem eius spontaneis se subdidêre ieiunijs. Nam vbi sancti Spiritus sunt acceptatione recreati, sicut à cæteris mundialibus illecebris: sic & ab epularum appetitu mentem prorsus auerterant, animæ potius, quàm corporis alimonio gaudentes, & præ memoria patriæ cælestis orationibus ac lachrymis insistentes salubribus.

Alcuinus. 750.

De virtutibus & vitijs, cap. 16. de ieiunio: Perfectum est ieiunium, quod eleemosynis & orationibus in cælum transit, & ad thronum altissimi Dei peruenit: tunc enim homo spiritualis effectus, Angelis coniungitur, Deoq; liberius copulatur, si abstinentia carnis, orationibus exaltatur. Per ieiunia & orationes occulta mysteriorum cælestium reuelantur, & diuini sacramenti arcana panduntur. Quamdiu Adam abstinuit, mansit in Paradiso: manducauit, & expulsus est. Ieiunia fortia tela sunt aduersus tentamenta dęmoniorum: citò enim per abstinentiam vincuntur, &c. Abstinentia corpus macerat, sed cor impinguescit: carnem debilitat, sed animā confortat. Sed sciendum est, quòd ieiunia cum bonis operibus Deo sunt acceptabilia: qui autem cibis abstinent, & prauè agunt, dæmones imitantur, quibus esca carnalis non est, sed nequitia spiritualis semper inest.

Haymo. 800.

Dominica Inuocauit: Sicut fomentum omnium vitiorum est gula, sic nutrix omnium virtutum est abstinentia. Quamdiu primi parentes in Paradiso manserunt, tamdiu à cibo vetito abstinuerunt. Postquam verò gulæ desiderijs satisfecerunt, Paradisi amœnitatem protinus amiserunt. Et posthæc Moyses, qui ieiunauit, legem Dei accepit: populus, qui comedit, idola fabricauit. Mortis quoque sententiam Ionathas promeruit, quod indictum ieiunium à patre nesciens violauit. Daniel namque & tres pueri, qui in aula regis miræ abstinentiæ fuerunt, non solùm leonum dentes euaserunt, sed etiam interpretandi sacra mysteria scientiam acceperunt.

Homil. de Litanijs, id est, supplicationibus: Fortissima sunt arma ieiunij contra dæmonum tentationes, Domino dicente: *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur, nisi oratione & ieiunio.* Non solùm contra tentationes ieiunia iuuant: sed etiam cognoscenda diuina mysteria mentem eleuant. Denique Moyses, vt legem mereretur accipere, quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit: Daniel verò, vt secreta mysteria intelligere posset, non solum in aula Babylonæ miræ abstinentiæ fuit, sed etiā triū hebdomadarū diebus in oratione & ieiunio permāsit.

Rabanus Maurus. 830.

Lib. ij. in Hieremiam: Conueniens ordo, vt in indictione pœnitentiæ prædicetur ieiuniū parsimoniæ, vt qui per luxum, non cauendo vitia, in peccatum inciderant, per abstinentiam & afflictionē corporis idem abluere contendant. Nam cogitandum summopere est, vt qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere.

Smaragdus. 970.

In Regul. Benedicti cap. 4. Ieiunio anima ab omni periculo illecebrarum defenditur: ieiunio vires vitiorum franguntur: ieiunio tentamenta dæmoniorum fugantur: ieiunio carnis delectatio refrænatur: ieiunio incentiua libidinum extinguuntur: per ieiunium liberius oratio penetrat cælum, & in cōpunctionis dono intentius ieiunæ mentis acies figit obtutum. Per ieiuniorum namque dona & cælestium mysteriorum occulta, & diuinorum secretorum homini reuelantur arcana. Per ieiunij donū de carnali spiritualis efficitur homo, & sanctorum omnium Angelorum coniungitur choro.

Petrus Damianus. 1050.

Epistola 10. Quomodo potest fieri, vt si parua disciplina purificat, in conspectu Dei multiplicata sordescat? Nam si diurnum ieiunium bonum est, biduanum vel triduanum melius est. Sic vigilare, sic psallere, sic laborare, sic obedire, sic meditationibus Scripturarum vigilanter insistere: vnusquisque pius labor, qui prolixior est, eo pro-

pensioris mercedis gloria dignus est.

Radulphus Ardens. 1050.

Dominica 1. Quadragesimæ: Ieiunare & tentari voluit Christus ob tres causas: ob ministerium, ob triumphum, ob exemplum. Ob ministerium, quia voluit demonstrare, se & suum ieiunium per Legem & Prophetas fuisse præfiguratum, ieiunauit quippe legislator Moyses 40 diebus: Ieiunauit quoque & Helias totidem diebus: ieiunauit & Christus, Legis & Prophetarum Dominus, totidem diebus. In quibus & præmia ieiunantium pariter attendamus. Ieiunauit Moyses 40. diebus, & locutus est cũ Deo, & accepit Legem. Ieiunauit quoque & Helias, & cũ Deo loquitur, & flãmeo rappitur curru. Ieiunauit etiam Christus, & accedentes Angeli ei ministrant, &c. Ieiunium est tam spirituale, quã corporale. Spirituale ieiuniũ est, ieiunare à peccato: corporale ieiunium est, abstinere à cibo. Porrò spirituale ieiunium sine corporali semper valet: corporale verò sine spirituali nunquam valet. Vnde Dominus per Esaiã: *Quod est, inquit, ieiunium, quod elegi? nunquid tanquam circulũ cõtorquere caput suum, & saccum & cinerem sternere? Nonne hoc est ieiuniũ quod elegi dicit Dominus? Dissolue colligatiões impietatis, pone fasciculos deprimentes.* Ieiunemus igitur fratres dupliciter, & à peccato in mente, & à cibo in corpore. Esa. 58.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad cap. 9 prioris ad Corint. Ego non vacuos ictus verborum in aduersarium iacto, sed vt illum possim lædere, castigo ieiunijs & afflictionibus corpus meum, vt & exemplum abstinentiæ idem alijs; & ideo non quasi aërem verberans pugno, quia dum carnem restringo, ipsis abstinentiæ meæ ictibus nõ aërem, sed diabolum verbero: & dum hoc, quod intra me est, subijcio, extra positum aduersarium ferio. Corpus verò castigare, est ieiunijs reprimere illud, & ea illi dare, quæ ad vitam proficiant, non ad luxum.

Petrus Alphonsus. 1100.

Titul. 12. Quid igitur valet ieiunium? Totius est sanè boni initium, quod & ad corpus humanũ præcipitur debilitandum, & à vitijs compescendum.

Rupertus Tuitiensis. 1110.

De diuinis officijs lib. 10. cap. 26. Non contristat aut obscurat, sed magis illustrat obseruantia ieiuniorum illam de aduentu sancti Spiritus solennitatem: quippe quia delitiæ sancti Spiritus deliciarum carnalium fastidium important electorum mentibus: & quia sponsus ablatus est, ieiunandum est filijs eius, hoc Spiritu sancto paracleto sic suam dispẽsante gratiam & consolationem, vt delectetur gemitibus inenarrabilibus, gementes vt columbæ, gemitumquè pro cantu habentes.

Bernardus. 1130.

Sermone 1. de ieiunio: Quidni cõmune sit Christi ieiunium omnibus Christianis? Quidni caput suum membra sequantur? Si bona suscepimus ab hoc capite, mala autem quare non sustineamus? An respuere tristia volumus, & communicare iucundis? Si ita est, indignos nos capitis huius participatione probamus. Omne enim quod patitur ille, pro nobis est. Quòd si in opere salutis nostræ ei collaborare piget, in quo deinceps coadiutores nos exhibebimus illi? Non est magnum si ieiunet cum Christo, qui sessurus est ad mensam Patris cum ipso. Non est magnum si compatitur membrum capiti, cum quo & glorificandum est. Felix membrum, quod huic adhæserit per omnia capiti, & sequetur illud quocunque ierit.

Serm. 3. Quanta deuotione suscipiendum est vobis ieiunium, quod à sancto Moyse tanquam hæreditario iure traditur, cui speciali præ ceteris Prophetis prærogatiua facie ad faciem Dominus loquebatur? Quanto feruore amplectẽdum est, quod Helias ille commendat, igneo curru raptus in cælũ? Ecce enim quã multa millia à diebus illis generalis mortis conditio inuasit Helias tamen vsque adhuc conseruante Domino, manus eius euasit. Iam verò si commendant ieiunium præsens Moyses & Helias, quamuis magni, tamen conserui nostri, quãtum commendat illud Iesus Dominus noster, qui & ipse diebus totidem ieiunauit? Qualis ille est, non dicam Monachus, sed Christianus, qui minus deuotè ieiunium suscipit, quod ei tradit ipse Christus? Denique tanto deuotius imitandum est nobis Christi ieiunantis exemplum, quanto certius est, propter nos eum ieiunasse, non propter seipsum.

Sermon. 4. Pro eo, quòd à licitis abstinemus, ea nobis, quæ prius commisimus, illicita condonantur. Quid verò est condonari commissa, nisi ieiunio breui ieiunia redimi sempiterna? Gehennam enim meruimus, vbi nullus vnquam cibus est, consolatio nulla, terminus nullus: vbi guttam aquæ diues postulat, & accipere non meretur. Bonum ergo & salutare ieiunium, quo redimuntur æterna supplicia, dum remittuntur hoc modo peccata. Non solùm autem est abolitio peccatorum, sed extirpatio vitiorum: non solùm obtinet veniam, sed & promeretur gratiam: non solùm delet peccata præterita, quæ commisimus, sed & repellit futura, quæ committere poteramus, &c. Luc. 16.

Serm. 66. in Cant. Ego aliquando abstineo, sed abstinentia mea satisfactio est pro peccato, non superstitio pro impietate.

Hugo Victorinus. 1130.

De proprietatibus & epithetis rerum lib. 4. cap. 9. Ieiunium corpus castigat, vitia comprimit, libidines arcet, mentem erigit, animam impinguat.

Innocentius Tertius. 1200.

Serm. 1. in die cinerum: Dignitas ieiunij multipliciter commendatur. A loco, à tempore, ab auctore. Matt. 6.
Fuit enim ieiunium præceptum à Deo, præceptum Adæ, præceptum in principio, præceptum in Paradiso: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas, quacunque die comederis, morte morieris.* Primum ergo præceptum, quod Deus intulit homini, de ciborum extitit abstinentia. Quod donec ipse custodiuit, fideliter perstitit: vbi verò trãsgressus est, mortaliter corruit. Vnde per eius contrarium intelligi potest, quòd bonũ sit ieiunium. *Omnis enim anima, quæcunque non humiliauerit in ipso ieiunij die, exterminabitur de populo suo.* Vtilitas ergo ieiunij multiplicius assignatur. Legitur enim ieiunium valuisse ad iram Dei placandam, & veniam impetrandam: ad pœnam vitandam, & nequitiam extirpandam: ad munditiam retinendam, & ignorantiam repellendam: ad victoriam consequendam, & gratiam obtinendam, &c. Quia verò longum esset ex Scripturis singulas virtutes ieiunij numerare, illud potissimum attendamus, quod per temporale ieiunium meremur æternum conuiuium. Iuxta quod Veritas ait: *Beati qui nunc esuriunt, quia saturabuntur.* Gen. 2. Leuit. 23.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In cap. Ieiunij, ex lib. Sapientiæ: Tempus Quadragesimalis obseruantiæ, tempus Deo charum & acceptabile, tempus est militiæ Christianæ, tempus belli & victoriæ, tempus conculcationis hostium & exaltationis fidelium, tempus curationis infirmorum, & reconciliationis pœnitentium, purgationis peccatorum, & ablutionis sordium: dies remedij & indulgentiæ, dies propitiationis & misericordiæ.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De diuina Rhetorica cap. 29. Valet exercitatio corporis per se ad frangendum vires carnis, & interdum ad extinguendos ardores concupiscentiarum carnalium. Et ad hoc efficax est valde ieiunium, quẽadmodum subtractio lignorum, ad extinguen-

dum incendium, sicut dicitur:

Detrahe ligna foco, si vis extinguere flammam:
Et carnis motus, otia, vina, dapes.

Lib. de Virtutibus: Quædam abstinentia iustitia est, vindicans Dei iniurias & contumelias in carne nostra: & quædam est sanctitas, sanctificans corpora nostra per ieiunium: & quædam iterum obedientia, per quam non aliud intendit abstinens seu ieiunans, nisi obedire statutis Ecclesiæ Dei.

Thomas Aquinas. 1250.

De Natiuitate Christi cap. 10. Ieiunium assumitur principaliter ad tria. Primò quidem ad carnis concupiscentias comprimendas: secundò, vt mens hominis eleuetur ad superiora: tertiò ad satisfaciendum pro peccatis. Non solùm autem obtinet veniam, sed & meretur gratiam: non solùm delet peccata præterita, quæ commisimus, sed & repellit futura, quæ committere poteramus.

Guilhelmus Peraldus. 1255.

Tom. 1. Summa de Iustitia cap. 6. Ieiunium multipliciter est commendabile. Primò exemplis: specialiter exemplo Moysis, qui ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Exod 34. Item exemplo Heliæ, qui similiter ieiunauit 40. diebus & noctibus, 3. Reg. 19. Item exemplo Christi, de quo Matth. 4. Secundò ob hoc, quòd dicitur esse fundamentum virtutum. Hieronym. Ieiunium non est perfecta virtus, sed est cæterarum virtutum fundamentum. Tertiò à multiplici suo effectu. Ieiunium rectè factum misericordiam Dei impetrat. Vnde Ionę 2. *Facto ieiunio misertus est Dominus Niniuitis.* Item gratiam Dei conseruat. Esaię 30. *Dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem: & nō faciet à te auolare doctorem tuum.* Item ad intelligentiam & sapientiam iuuat, Daniel. 1. *Tollebat Malasar cibaria, & vinum potum eorum, dabatq́ eis legumina.* Pueris autem his dedit Deus scientiam & disciplinam in omni libro & sapientia: Danieli autem dedit intelligentiam omnium somniorum, & visionum. Item ieiunium consolationem Dei, & Angelorum meretur. Vnde post ieiunium Domini accesserunt Angeli, & ministrabant ei. Matth. 4. Cornelio ieiunanti & ornanti apparuit Angelus Actor. 10.

Guilhelmus Durantius. 1280.

In Rationali diuinorum lib. 6. cap. 7. de ieiunijs: Ieiunium est communis omnium membrorum satisfactio, vt scilicet membra satisfaciant secundùm peccatum, quod commiserunt, vel gesserunt, vt si gula peccauit, ieiunet, & sufficit. Quia enim sola fuit in culpa, sola sit in pœna.

Iacobus Genuensis. 1280.

Dominica 2. Quadragesima Serm. 1. Vincitur diabolus per ieiunium, quod est theriaca Dei. Sicut enim, secundùm Ambrosium, sputum hominis ieiuni est venenum serpentum: sic ieiunium est venenū diabolo, & theriaca homini, Matth. 9. *Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi in ieiunio & oratione.*

Hugo Pratensis. 1300.

Serm. 33. Gula fuit principium omnis peccati, ex qua luxuria generatur. Quia gula & luxuria sunt duæ sorores, siue sunt mater & filia, sicut ligna & ignis. Sicut ergo subtractis lignis diminuitur ignis, sic temperata per ieiunium gula, & luxuria, & omne peccatum carnis penitus refrænatur, & per consequens homo vtitur ratione, & dignitatem recuperat, quam amisit.

Durandus à sancto Portiano. 1310.

Lib. 4. dist. 15. q. 9. Ieiunium valet ad tria: Primò ad concupiscentiam carnis reprimendam: secundò valet ad hoc, quòd mens liberius eleuatur ad sublimia contemplanda: tertiò valet ad satisfactionem pro peccatis.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 1. cap. 36. De vtilitate & fructu ieiunij sic dicit Augustinus: Ieiunium purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subijcit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinem extinguit, caritatis lumen accendit.

Ioannes Taulerus. 1350.

Dominic. 4. post Trinit. Serm. 1. Vigiliæ & ieiunia, quatenus ea sufferre quis potest, non mediocriter, imò plurimum certè vitæ conferunt diuinæ ac spirituali.

Ioannes Bromiardus. 1380.

In Summa Prædicantium de ieiunio: Prima ieiunij vtilitas est sanitas non solùm mentis, sed etiam corporis: quia sicut medicus ægrotis, vel malè dispositis abstinentiam imponit, vt sanitatem consequantur corporis, ita Deus ieiunium Christianis, vt sanitatem consequantur tam corporis, quàm animæ. Sic ergo abstinentia & ieiunium animabus corporibusque sanandis salubriter institutum est. Sed, heu, medico creditur, corporis abstinentiam iniungenti, & medico non creditur, animarum ieiunium imponenti. Secunda dęmonis, & culpæ expulsio. Tertia, quia carnem domat, & contra spiritum debiliorem reddit, sic spiritum fortificat, sicut debilitata parte vna exercitus, fortificatur alia. *Propter hoc, cùm mihi molesti essent, ego induebar cilicio, humiliabam in ieiunio animam meam. Psal. 34.* &c.

Ioannes Gerson. 1420.

In Moralibus regulis cap. de gula: Ieiunijs Ecclesiæ vel alteri abstinentiæ nemo cum notabili & præcognito grauamine sui corporis & vsus rationis obligatur, secluso scandalo. Nemo tamen leuiter sibi fingat grauamina ex ieiunij abstinentia. Quoniam ex ipsa pauciores pereunt, quàm ex gula. Pueri, & senes, & prægnantes, & infirmi, & pauperes non habentes vnde semel refici possint, & laborantes non habentes aliunde statum competentem, & itinerantes auctoritate Prælati, & alij consuetudinem diœcesis, in qua sunt, insequentes, ab Ecclesiæ ieiunijs regulare ius excipit.

Laurentius Iustinianus. 1430.

Lib. de ligno vitæ, de oratione cap. 5. Ieiunium & abstinentia ad orationis eleuat summitatem. Nihil enim sublimius, nihil potentius homine orante: Qui autem orat cum ieiunio, duplices habet alas, quibus ad rimanda cælestia sustollitur. Nam nec oberrat, nec torpet, nec perire permittitur. Quamuis verò ieiunium morbos auferat vitiorum, carnis amputet passiones, criminum causas propellat: tamen sine deuotionis vnguento, absque orationis exercitatione sanitatem mentibus non reponit, nec à terrenis animum quiescere sinit.

Bernardinus Senensis. 1440.

Tom. 1. Serm. 5. de sacro ieiunio, de quatuor fructibus ieiunij: Primus ieiunij fructus dicitur refrænatio: domat enim corpus, & eius illecebras premit. Quanto enim corpus magis fouetur, tanto anima magis attenuatur, & è conuerso. Ratio huius est, quia ieiunium partem superiorem regnare facit super inferiorem, & austeriorem eam ab illecebris carnis reddit. Nam exercendo se ad austeros, & amaros actus ieiunij, exercet se ad virtutem, vel virilitatem, & excutit à se omnem mollitiem, & inertiam, secundùm quam subiacet suæ carni, & sibi ipsi. Vnde & huius exemplum se ponit Apostolus 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Per castigationem, inquit, se corpus in seruitutem redigere. Et meritò: nam cùm corpus in creatione factum fuerit animæ seruus, ex patrata culpa factum est animæ dominus: sed per pœnitentiam &

ieiunia in seruitutem debitam etiam reformatur, vt meritò per abstinentiam gulæ anima corpori dominetur: sicut per inobedientiam gulæ caro animæ inobediens facta est. Quamdiu enim Eua in Paradiso abstinuit, virgo permansit. Præterea Hester, vt dicitur cap. 14. humiliauit corpus suum ieiunijs. Subtractis lignis ollæ, cessat feruor: remota causa, remouetur effectus: non potest sine anima moueri corpus, non sine sole radius, non sine mari fluuius, non sine fonte riuulus, nec sine radice ramusculus: sic nec sine gula rebelle est corpus.

Ioannes de Turre Cremata. 1460.

Super Decret. cap. Quid prodest, part. 1. d. 86. n. 1 Bonum est ieiunare, sed non prodest ad meritum vitæ æternæ, nisi abstineatur à peccato, quod charitatem excludit, sine qua nihil prodest, vt dicit Apostolus 1. Cor 13.

Ioannes Trithemius. 1490.

Homil. 15. Qui diligit abstinentiam, sapiens est, & qui ieiunium amat, dominator fortis. Mens sobria domicilium sapientiæ: qui autem sectatur conuiuia, in egestate animæ morietur. Difficile est hominem euadere sapientem, qui vitam agit in delitijs. Paucis contentur natura, & in modicis vitæ sanitas conseruatur. Multis nocuit diutius continuata voracitas, & plures crapula quàm gladio pereunt.

Baptista Mantuanus. 1500.

Libro 4. Syluarum, de sanctitate ieiunij Quadragesimalis:

Iam cineres adsunt: adsunt ieiunia verni
Tempore, & madidis fletus metanœa genis.
Nunc opus ò comites sensum cohibere fluentem,
Atque bonos mores, iustitiamq; sequi.
Hactenus oppressa clauum ratione voluptas
Rexit, & ad Stygias ire coegit aquas.
Nos dedit in prædam dominis crudelibus Orci,
Vendidit inferno pectora nostra Ioui.
Hac duce nos olidis Barathri infixêre cloacis,
Et sibi nos diræ prostituêre canes.

ARTICVLVS NONVS.

INDICTA AB ECCLESIA IEIVNIA, VT SVNT QVADRAGESIMÆ, QVARTAE, ET SEXTAE FERIAE, ITEM SABBATI &c. SERVANDA ESSE.

Anno post natum Christũ

NEGANT.

170. M*ONTANVS, repudiata vna Ecclesiæ Quadragesima, tres introduxit, quasi tres passi sint Saluatores.* Hieronym. epist. ad Marcellam.

270. *Manichæi contemptis ab Ecclesia mandatis ieiunijs, die Dominica tantùm ieiunabant.* Ambrosius epist. 83.

330. *Eustathius præscripta ab Ecclesia ieiunia auersando, Dominicis tantùm diebus ieiunandum docuit.* Socrates lib 2. c. 33.

350. *Aerius Ponticus, prohibens ieiunium quarta Feria, prosabbati, & Quadragesimæ si quis verò* inquit, *ieiunare velit hoc faciat. sed quando voluerit. Non enim sumus sub lege.* Epiphanius, Augustinus, & Damascenus de Aerianis.

630. *Mahometus Quadragesimale ieiunium, vt Ecclesia obseruat abrogauit, ac in Quadragesimam vnius lunæ quæ quouis anni tempore obueniret, transmutauit.*

1160. *VValdenses ieiunia ab Ecclesia indicta contemnunt, nec volunt vllius esse meriti.* Guido de hæresibus.

1350. *Flagellantes docebant ieiunia per sacerdotes indicta non esse obseruanda, nisi tantùm Vigiliam Natiuitatis Domini, & Assumptionis B. Mariæ.* Bernardus Lutzenburgen.

1520. Erasmus Roterodamus in Paraphrasi 2. cap. Marci: *Tristia sunt ieiunia, quæ præscribit Lex: & ob hoc ingrata Deo, qui diligit hilarem datorem.*

1530. Luth rus de doctrinis hominum vitandis: *Erroneum est & plenum mendacijs, quòd certis temporibus anni, Vigilijs Apostolorum, & aliorum Sanctorum ieiunus necessitatem imponunt sub graui peccato, tanquam Ecclesiæ decreto & mandato. Nam ieiunia, quòd ad dies & cibos attinet, libera & adiaphora in perpetuum esse debent.*

1550. Ioannes Caluinus lib. 4. Instit. cap. 12. §. 20. *Tunc passim inualuerat superstitiosa Quadragesimæ obseruatio: quia & vulgus eximium aliquod obsequium se præstare Deo in ea existimabat: & Pastores eam commendabant pro sancta Christi imitatione: sed fuit mera κακοζηλία & superstitionis plena, quod titulô ac colore imitationis Christi ornabant.*

1560. Nicolaus Hemmingius ad cap. 2. posterioris ad Corinth. *Statutum & ordinarium ieiunium est, quod certo tempore anni, mensis, aut septimana est affixum, quale est apud Papistas Quadragesimale quod vocant ieiunium, item quatuor temporum, Apostolorum, &c. in quibus nihil sani, sed mera superstitio, multiplex impietas, & ἐθελοθρησκεία ab Apostolo damnata imperium tenet.*

1568. Confessio Ministrorum Ecclesiæ in Heluetia ac Tiguri ann.1568. impressa ca.24. *Quadragesimale ieiunium vetustatis habet testimonia, sed nulla ex literis Apostolicis. Ergo non potest, nec debet imponi fidelibus.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Leuitici 23. *vers*.27. Decimo die mensis huius septimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus: affligetisque animas vestras in eo, & offeretis holocaustum DOMINO. 29. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis.

Zachariæ 8.14. Hæc dicit Dominus exercituum: Sicut cogitaui vt affligerem vos, cùm ad iracundiam prouocassent Patres vestri me, dicit Dominus, & non sum misertus: sic conuersus cogitaui in diebus istis, vt benefaciam domui Iuda & Ierusalem: nolite timere. Hæc sunt ergo verba quæ facietis: Loquimini veritatem vnusquisque cùm proximo suo: veritatem & iudicium pacis iudicate in portis vestris. 19. Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iudæ in gaudium, & lætitiam, & in solennitates præclaras: veritatem tantùm & pacem diligite.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

*Canone Apostol.*68. Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor sanctam Paschæ Quadragesimam non ieiunat, vel quartum diem, vel Parasceuen, præterquam si propter imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur. Si laicus sit, segregetur.

*Constit. Apostol. lib.*5. *cap.*12. Post dies Epiphaniarū seruandum nobis est ieiunium Quadragesimæ, quod vitæ Christi, & legislatæ recordationem cōtinet. Celebretur verò ieiunium hoc ante ieiunium Paschæ, incipiens quidem à secunda feria, desinens verò in sextam. Deinde dimisso ieiunio, incipite sanctam hebdomadam Paschæ, ieiunateq; omnes cum timore & tremore, facientes per eos dies precationem pro pereuntibus.

*Cap.*14. Itaque præcepit nobis ieiunare his sex diebus, propter impietatem & scelus Iudæorum, hortatus ad deflendum & lamentandum interitū eorum: Siquidem & ipse illachrymatus est illis, quòd ignorassent tempus visitationis. Quarta verò feria, & sexta iussit nobis ieiunare: illa quidem propter proditionem, hac verò propter passionem: ieiunium verò soluere præcepit septima die post gallicantum: ipso autem Sabbato ieiunare, non quidē quòd ieiunandum sit Sabbato, quod est requies Domini à mundi opificio, sed quia illo tantùm ieiunandum, quo ipse auctor mundi adhuc erat sub terra.

*Lib.*7. *cap.*24. Ieiunia vestra ne sint cum hypocritis communia: ieiunant enim secunda hebdomadis feria, & quinta: at vos aut quinque diebus ieiunate, aut quarta, & sexta feria: Quoniam quarta quidem iudicium in Dominum pronuntiatum est, postquam Iudas proditionem pecunia promiserat: sexta verò mortem in cruce sub Pontio Pilato passus est.

Ignatius. 100.

Epistola ad Philippenses. Festiuitates ne dehonestetis, Quadragesimale ieiunium ne spernatis. Cōtinet enim exemplum conuersationis Dominicæ. Post Passionis Dominicæ hebdomadam ieiunare quartis & sextis ferijs ne negligatis, ciborum reliquias pauperibus elargientes.

Irenæus. 180.

Apud Eusebiū lib.3. Histor. ep. 24. *Epistola ad Victorem*: Non enim de die Paschatis solùm, sed etiam de ieiunij ratione & modo est ista constituta controuersia. Quidam namque vnum diem se ieiunare oportere existimant: alij duos, non pauci plures, multi quadraginta: atque diurnis nocturnisque horis omnibus numeratis, diem suum metiuntur ac statuunt. Atque eiusmodi eorum, qui hęc obseruabant ieiunia, varietas ac discrepantia, non iam nostra ætate cœpta est, verùm etiam longè ante apud maiores nostros: qui (vt coniectura assequi licet) non accuratè consuetudinem eorum, qui vel simplicitate quadam, vel priuata auctoritate aliquid in posterum tempus statuissent, obseruârunt. Atque nihilominus cùm isti inter se pacem tranquillam retinuerunt, tum nos etiam inter nos retinemus: sicque varia ac discrepans ieiunij ratio concordiam fidei plurimum commendat.

Clemens Alexandrinus. 200.

*Lib.*7. *cap.*7. *Stromaton*: Nouit fidelis ieiunij quoque ænigmata horum dierum, quarti, inquam, & sexti. Dicitur autem ille quidem Mercurij, hic verò Veneris. Ecce enim ieiunat in vita, & ab auaritia, & à libidine, ex quibus omnia oriuntur vitia.

Origenes. 230.

*Homilia*10. *in Leuiticum*: Nec hoc tamen ideò dicimus, vt abstinentiæ Christianæ fræna laxemus. Habemus enim Quadragesimæ dies ieiunijs consecratos: habemus quartam & sextam septimanæ dies, quibus solenniter ieiunamus. Est certè libertas Christiano per omne tempus ieiunandi, non obseruantiæ superstitione, sed virtute continentiæ. Nam quomodo apud eos castitas incorrupta seruatur, nisi arctioribus continentiæ fulta subsidijs? Quomodo Scripturis operam dabunt? Nonne per continentiam ventris & gutturis? Quomodo quis seipsum castrat propter regnum cælorum, nisi ciborum affluentiam resecet, nisi abstinentia vtatur ministra? Hæc ergo Christianis ieiunandi est ratio.

In Iob lib. 1. Similiter autem & in conuentu Ecclesiæ in diebus sanctis legitur passio Iob, in diebus ieiunij, in diebus abstinentiæ, in diebus, in quibus tanquam compatiuntur ij, qui ieiunant & abstinent, admirabili illi Iob, in diebus, in quibus in ieiunio & abstinentia sanctam Domini nostri Iesu Christi passionem sectamur, vt terribilem eius passionem transeuntes, ad beatam eius resurrectionem venire mereamur, compassi nunc, vt & conregnemus, condolentes modò in temporr passionis, vt & congaudeamus post hoc in tempore resurrectionis.

Dionysius Alexandrinus. 260.

Epistola ad Basilidem, de tempore, quo Christus resurrexit, & hora, qua Paschatis ieiunium soluere fas sit:

Spectatissimè eruditissimeq; fili, sciscitare ex me quanam hora Paschalis solennitatis ieiunium soluere liceat? Sunt enim, vt scribis, fratres quidam, qui circa gallicinium rectè id fieri existiment. Alij verò, qui hora vespertina id licitum doceant. Addis Romanos fratres galli cantum operiri solitos: illos autem, qui hic nobiscum versantur, maturius ieiunium illud more suo soluere. Petis proinde vt exactam, certoqúe definitam horam exponam. Ast non modò difficile est quod quæris, sed admodum quoque lubricum, & obscurum: siquidem Paschalis festi celebritatem, festamquè eiusdem diei lætitiam, ante Dominicæ resurrectionis tempus inchoare non licet. Nam & vnanimi sensu atque consensu profitentur omnes, vsque ad illud animos ieiunio humiliare oportere. De illo autem, vt non ighoras, certò non constat. Etenim vt per ea, quæ eruditè diuinisqúe Euangelijs consentaneè ad me scribis, ostendis, de hora, circa quam Christus Dominus resurrexit, nihil in illis certò & definitè proditum extat, &c. Cùm hæc igitur ita se habeant, illis, qui anxiè nimis qua tandem hora, aut semihora, aut horæ quadrante Dominicæ resurrectionis gaudium auspicari liceat, inquirunt, pauci respondemus: alios quidem plus satis hic maturare: cuiusmodi inter cæteros sunt, qui ante vel circa mediam noctem ieiunia soluunt. Quos proinde velut supinos & intemperantes non iniuria vituperamus. Esto fortassis, ieiuniorum curriculum non ita multum ante legitimum tempus absoluant. Nam, vt sapiens quidam admonet, minimè parum est, quod parum abest. Illos verò, qui tempus hoc prorogant, & vsque ad quartam noctis vigiliam, secundùm quam Dominus suprà mare gradiens discipulis apparuit, in ieiunio perstant, tanquam generosos laborumq; patientes meritò probamus. Illos tandem, qui intermedio tempore, veluti in fluctu laborantes, vel imbecilles cessant, non prorsus auersamur. Obseruandum est hic quoque, non omnes ieiunantes sex postremos ieiuniorum dies æqualiter obseruare, neque vno omnes modo in ieiunio omnes traducere. Sunt enim qui omnes, citra vllum omnino cibum transmittant. Sunt rursum, qui duos, aut tres, aut quatuor prorsus ieiuni transigant. Sunt denique, qui ne vnum quidem absolutè obseruent. Iam qui propter diuturnam inediam planè defatigati, præq; virium imbecillitate tantùm non prostrati sunt, illi sanè venia digni sunt, si intempestiuius cibum sumant. Qui verò quatuor primos luxu verius, quàm in ieiunio exigunt, duos autem postremos tantùm, Sabbatum videlicet, & prosabbatum omnis cibi expertes traducunt, illos, tametsi magnum quiddam atq; præclarum sese præstare arbitrentur, si vsque ad auroram in ieiunio perdurent, non par cum ijs certamen inire, aut laborem subire existimo, qui pluribus diebus puro illo absolutoq; ieiunio sese macerârunt.

Petrus Alexandrinus. 300.

Canone vltimo: Non reprehendet nos quispiam, quartam & sextam Feriam obseruantes, in quibus nobis ieiunare secundùm traditionem præceptum est. Quartam quidem propter initum à Iudæis consilium de proditione Domini: sextam autem, quòd ipse pro nobis passus sit.

Eusebius Cæsariensis. 320.

Ecclesiast. hist. lib. 2. cap. 16. Verùm quid præterea attinet commemorare frequentes in vnum congressus & virorum in vno, mulierum autem in altero loco separatim congregatarum exercitationes, & seueram disciplinæ rationem, quę de more adhuc à nobis obseruata est, quamque potissimum in Festo salutaris Domini passionis non ieiunijs solùm & vigilijs, sed attenta sacrarum Scripturarum auditione excolere & celebrâre consueuimus? Quæ planè idem Philo eodem modo, quo adhuc à nobis solis obseruantur, accurata oratione exponit.

Synodus Gangrensis. 324.

Capite 19. Si quis eorum, qui in proposito sunt continentiæ, præter necessitatem corporalem, & superbiens, ieiunia communia totius Ecclesiæ putauerit contemnenda, perfectam in sua scientia vindicans rationem, anathema sit.

Concilium Nicanum. 325.

Capite 5. Fiant autem Concilia semel quidem ante dies Quadragesimæ, vt omnibus, si quæ sunt, simultatibus amputatis, mundum & solenne Deo munus possit offerri: secundum verò agatur circa tempus Autumni.

Athanasius. 340.

Epistola ad vbique Orthodoxos, cùm per Arianos persecutio fieret: Vidisses Presbyteros & laicos in ius trahi, virgines à cœtu suo diuulsas, ad tribunal præsidis raptari, & in carcerem conijci, alios fisco addici, alios flagellis cædi, panes sacrificiorum ministris & virginibus interdici. Hæc aut sub Pascha in sacra Quadragesima acta sunt, per quod tempus ieiunijs dediti erant.

Concilium Laodicenum. 360.

Canone 49. Non oportet in Quadragesima panem offerre, nisi Sabbato, & solis Dominicis.

Can. 50. Non oportet in Quadragesimæ postrema septimana ieiunium soluere, & totam Quadragesimam iniuria afficere: sed oportet totam Quadragesimam ieiunare aridis vescentes.

Can. 51. Non oportet in Quadragesima Martyrũ natales peragere, sed sanctorum Martyrum facere commemorationes in Sabbatis & Dominicis.

Can. 52. Non oportet in Quadragesima nuptias vel natalitia celebrare.

Ephram. 370.

Cantico in laudem & amorem doctrina & sapientia: Ieiunium quadraginta dierum ieiuna, & panem tuum esurienti suppedita.

Basilius Magnus. 370.

Homil. 2. de laudibus ieiunij: Ieiunium per omne quidem tempus vtile est ijs, qui illud sponte suscipiunt, sed multo magis hoc tempore, quo per vniuersum terrarum orbem vndique denuntiatur ieiunij præconium. Nec vlla est insula, nec vlla terra continens, non ciuitas, non gens vlla, non extremus mundi angulus, vbi non sit auditum ieiunij edictum. Quin & exercitus, & viatores, & nautæ, & negotiatores, omnes pariter audiunt edictum, & summo gaudio excipiunt. Ne quis igitur semet excludat à numero ieiunantium, in quo omne genus hominum, omnis ætas, omnes dignitatum formę censentur. Angeli sunt, qui in singulis Ecclesijs describunt ac recensent ieiunantium capita.

Hom. 14. in ebrietatem & luxum, quibus die Pascha populum affectum vidit: Si in tot admonitionibus quas & superiore tempore vos adhortando non prætermisimus, & deinceps septem istis ieiunij hebdomadis nocte ac die per Euangelicam vos doctrinam sine intermissione obtestati, nihil penitus profecimus, quas vos spe hodierna die alloquemur amplius, aut adhortabimur?

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 4. Ante fidei traditionem operæ pretium existimo nunc continua repetitione atque summaria necessaria dogmata comprehendere: ne multitudine dicendorum & interuallo dierum totius sanctæ Quadragesimæ obliuio eorum, quæ diligenter mente tenenda essent, vobis inducatur.

Valentinianus, Valens, & Gratianus.
Imppp. 370.

In l. Quadraginta, C. de Ferijs: Quadraginta diebus, qui auspicio cæremoniarum Paschale tempus anticipant, omnis cognitio inhibeatur criminalium quæstionum.

Nectarius Constantinopolitanus. 380.

Narratione, propter quam causam in primo Sabbato Sanctorum ieiuniorum celebramus memoriam Theodori Martyris cap. 4. Cùm venissent casti & diuini dies Quadragesimæ, in quibus omnis ætas apud se cogitat quæ prius sunt admissa peccata, in quibus & facilè est cadere, cùm tunc grauius oppugnet inimicus, & reuocari est difficile, &c.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 40. quæ est in sanctum Baptisma: Christus paulo ante tentationem ieiunauit: nos ante Pascha. Ieiunium vnum idemquè est: at vtriusque temporis non parua est differentia. Ille enim ieiunium aduersus tentationum impetus objicit: nobis autem hinc significatur, cum Christo emoriendum esse ac professæ cuiusdam purgationis vice est huiusmodi inedia. Iam ille totos quadraginta dies à cibo abstinuit, vtpote Deus: nos autem ad virium nostrarum modulum ieiunium attemperauimus: etiamsi quidam, zelo impulsi, vltra virium facultatem in ieiunando prosiliant.

De silentio, quod ieiunij tempore coluit:

Lingua sile: mutam at vocem mea penna tabellis
Scribe, oculusq; animi contine sensa tui.
Cùm carnem astrinxi, cupiensq; occumbere mundo,
Supplicijs Christi mystica sacra tuli.
Vicenis Christi vt lex fert, totidemq; diebus
Purgata carni cùm medicina venit:
Id primùm studui mentem stabilire quiete.
Solus agens, animi cumq; dolore dies.

Epiphanius. 380.

Haresi 75. contra Aërianos: A quo verò non assensum est in omnibus orbis terrarum regionibus, quòd quarta & prosabbato ieiunium est in Ecclesia decretum? Si verò etiam oportet constitutionem Apostolorum proferre, quomodo illic decreuerunt quarta & prosabbato ieiunium per omnia, excepta Pentecoste, & de sex diebus Paschatis, quomodo præcipiunt nihil omnino accipere, quàm panem & salem & aquam, qualemquè diem agere, & quomodo dimittere in illucescentem Dominicam, manifestum est. Quis autem magis de his nouit, hicne seductus homo, qui etiam nunc superest, & hucvsque in mundo versatur, aut qui ante nos testes fuerunt, habentes ante nos traditionem in Ecclesia, quiquè etiam à Patribus suis traditum acceperunt, quemadmodum etiam hi à suis Patribus didicerunt, qui ante ipsos fuerunt, quomodo Ecclesia acceptam à Patribus suis veram fidem vsque huc continet, itemq; traditiones?

In Compendiaria vera doctrina de fide Catholica & Apostolica Ecclesia: Quarto verò & pro sabbato ieiunium statutum est vsque ad horam nonam. Nam illucescente quarta assumptus est Dominus, & prosabbato crucifixus est. Et tradiderunt Apostoli, vt in his diebus ieiunia fierent: ita vt impleatur dictum hoc: *Cùm ablatus fuerit ab ipsis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus.* Et non vt gratiam aut beneficium exhibeamus ei, qui pro nobis passus est, ieiunium nobis constitutum est: sed vt confiteamur ad nostram salutem Domini passionem, quam pro nobis ipse suscepit: & vt pro peccatis nostris, ieiunia nobis apud Deum supputentur. Et per totum quidem annum ieiunium hoc seruatur in eadem sancta Catholica Ecclesia, quarta, inquam, & prosabbato, vsque ad horam nonam, excepta sola Pentecoste, per totos quinquagintà dies, in quibus neque genua flectuntur, neque ieiunium imperatum est. Cæterùm pro communionibus, quæ quarta & prosabbato, ad horam nonam fiunt, in die Dominica matutinis horis communiones fiunt. Insuper verò, in quinquaginta diebus Pentecostes, de quibus dixi, non est ieiunium, neque in die Epiphaniorum, hoc est, apparitionis & aduentus, quando natus est in carne Dominus, ieiunare licet, etiamsi contingat vt sit quarta aut prosabbatum. Verùm ex bono proposito, pietatis exercitatiores in ipsa Ecclesia semper ieiunant, excepta Dominica & Pentecoste: semper item vigilias agunt. At verò Dominicas omnes delicatas ducit sancta hæc Catholica Ecclesia, & communiones manè perficit, & non ieiunant. Inconsentaneum enim est in Dominica ieiunare. Porrò Quadragesimam ante septem dies sancti Paschatis, similiter seruare solet eadem Ecclesia, in ieiunijs perseuerans, Dominicis verò omnino non, neque in ipsa Quadragesima. Cæterùm per sex dies ipsius Paschatis, omnes populi in siccorum esu perseuerant, pane, inquam, & sale, & aqua tunc vtentes ad vesperam. Sed & pietatis studiosi duplas & triplas ac quadruplas transmittunt, & aliqui totam hebdomadam, vsque ad gallicinium Dominicæ illucescentis.

Theophilus Alexandrinus. 390.

Epistola 1. Paschali: Incipientes Quadragesimam à tricesima die mensis Mechir, & hebdomadam salutaris Paschæ quinta die mensis Pharmuthi: finientesq; ieiunia, secundùm Euangelicas traditiones, vespere Sabbati decima die Pharmuthi: & illucescente statim Dominica festa celebremus vndecima die mensis eiusdem.

Epistola 3. Incipient sanctæ Quadragesimæ ieiunia ab vndecima die mensis Phamenoth, & hebdomadæ Dominicæ passionis 16. die mensis Pharmuthi: & finiamus ieiunia vestra Sabbati, & sequenti die Dominica Pascha celebremus.

Honorius & Theodosius. Impp. 400.

C. de Ferijs: Prouinciarum præsides moneantur, vt in quæstionibus latronum, & maximè Isaurorum, nullum Quadragesimale tempus, nec venerabilem Paschæ diem existiment excipiendum.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homil. 1. in Genesin: Ea propter & ipse hodie ingenti alacritate surrexi, vnà vobiscum lætitiæ illius spiritualis particeps futurus, & volens aduentus sanctæ Quadragesimæ, remedij, inquam, animarum nostrarum, annuntiator esse. Communis enim nostri omnium Dominus, veluti pater filios indulgenter amans, cupiens ea, quæ vnquam peccauimus, nos abluere, hanc nobis, quæ per ieiunium fit, curationem adinuenit.

Homil. 11. in Genesin: Sicut in mari littora sunt, & portus, vt in eos è iactatione se recipiant nauigantes, & expectent donec ventorum impetus conquiescant, & sic iterum nauigare incipiant: ita & nunc his, qui in hac quadragesima ieiunij cursum suscepêre, quasi stationes, & diuerticula, & littora, & portus, per duos hebdomadæ dies Dominus quietem largitus est, & vt corpori aliquantulum ieiunij labores remittantur, & animam refocillent ieiunantes, & exactis duobus illis diebus, in pulchrè cœpto itinere alacriter pergant, &c. Hæc nunc dico, non vt charitatem vestram contristem, sed vt excitem, vt instruam, non simpliciter ieiunijs corpus castigare, neque temerè & in vanum dies sanctæ Quadragesimæ transmittere.

Ad populum Antiochenum Homilia 73. de sancta Quadragesima ieiunio, & quòd torpentibus nobis nulla erit excusatio: Non hoc solùm exquiritur, charissimi, vt per singulos dies huc conueniamus, & de iisdem audiamus continuè, & totam ieiunemus Quadragesimam. Si nihil enim ex eo, quòd huc assiduè conuenimus, & admonemur, & ex ieiunij tempore lucrari deberemus, hæc modò nihil nobis prodessent, verùm & maioris occasio damnationis fierent nobis, &c.

Palladius Monachus. 400.

Capite 19. & 20. sectione 17. de duobus Macarijs: Cùm autem præterijsset aliquantum temporis, aduenit Quadragesima, & vidit senex Macarius vnumquemque suscepisse diuersas viuendi rationes: alium quidem comedere vespere, alium verò post duos dies, alium post quinque: alium stare per totam noctem, interdiu verò sedere ad opus. Ipse autem cùm aliquot palmæ ramos sibi madefecisset, stetit in vno angulo, & donec quadraginta dies impleti essent, & aduenisset Pascha, non sumpsit panem, non aquam, non genu flexit, non sedit, non accubuit, nihil aliud gustauit præter pauca cruda crambes folia, quæ sumebat die Dominico, vt videretur comedere, & non incideret in arrogantem de se persuasionem.

Cap. 52. sectio. 48. Catholica & generalia ieiunia non licet soluere sine ingenti necessitate. In quarta enim Feria traditur Seruator, & in Parasceue crucifigitur. Qui ea ergo soluit, Seruatorem vnà tradit, & vnà crucifigit, &c.

Palladius Episcopus Helinopolitanus. 420.

In vita Ioannis Chrysostomi: Interea aduenit Quadragesimale ieiunium, quod annis singulis instar veris efflorет.

Ioannes Cassianus. 420.

Collat. 21. cap. 24. *Germanus:* Quid causæ est, vt sex hebdomadibus Quadragesima celebretur, licet in quibusdam prouincijs religionis forsitan propensior cura adiecisse hebdomadam etiam septima videatur, cùm neuter numerus, die Dominico, Sabbatoque subtracto, quadraginta dierum impleat summam? Sex enim & triginta dies in ipsis hebdomadibus tantummodò concluduntur.

Exo. 22 Cap. 25. *Theonas:* Lege Mosaica vniuerso populo generalis est promulgata præceptio: *Decimas tuas & primitias offeres Domino Deo tuo.* Itaque qui substantiarum nostrarum omniumque fructuum decimas offerre præcipimur, multo magis necesse est, vt ipsius quoque conuersationis nostræ, & humani vsus operumque nostrorum decimas offeramus, quæ profectò in supputatione Quadragesimæ euidenter implentur. Omnium enim dierum numerus, quibus reuolutus in orbem annus includitur, triginta sex semis dierum numero decimatur. In septem verò hebdomadibus, si dies Dominici & Sabbata subtrahantur, quinque & triginta supersunt dies ieiunijs deputati, sed adiecta illa vigiliarum die, qua vsque in gallorum cantum illucescente Dominica ieiunium Sabbati protelatur, non solùm sex & triginta dierum numerus adimpletur, verùm etiam pro decimis quinque dierum, qui residui videbantur, si illud quod superest adiectum noctis spatium computetur, plenitudini totius summæ omninò nihil deerit.

Cap. 27. Porrò quòd dicitis, diuerso more, id est, sex vel septem hebdomadibus per nonnullas prouincias Quadragesimam celebrari, vna ratio idemque ieiuniorum modus diuersa hebdomadarum obseruatione concluditur. Hi enim sibi sex hebdomadarum obseruantiam præfixerunt, qui putant die quoque Sabbati ieiunandum: sex ergo in hebdomada ieiunia persoluunt, qui eosdem sex & triginta dies sexies reuoluta consummant.

Cap. 28. Vna ergo ratio, idemque est ieiuniorum modus, licet in hebdomadarum numero discrepare videatur. Sed profectò cùm rationem huius rei humana obliterasset incuria, tempus hoc, quo anniuersariæ, vt dictum est, decimæ Deo triginta & sex semis ieiunijs offeruntur, Quadragesimæ nomen accepit, quòd fortasse vel propter hoc visum sit hoc vocabulo debere censeri, quòd Moyses, vel Helias, vel ipse Dominus noster Iesus Christus quadraginta diebus ieiunasse traduntur. Ad cuius numeri sacramentum illi quoque quadraginta anni, quibus Israel est in solitudine commoratus, & quadraginta similiter mansiones, quibus eam mysticè pertransisse describitur, non incongruè coaptantur. Et fortasse ipsa decimatio rectè quasi ab vsu telonei Quadragesimæ nomen accepit.

Sozomenus. 430.

Lib. 7. cap. 19. Iam illam, quæ huic (*Dominica Resurrectioni*) præcessit, quæque appellatur Quadragesima, in qua populus ieiunat, alij in sex dierum septimanas computant, vt Illyrij, & qui ad Occidentem siti sunt, nec non vt vniuersa Libya & AEgyptus, cum Palæstinis: alij in septem, vt Constantinopolitani, & nationes circumiacentes vsque ad Phœnices: alij sparsim tres intra sex aut septem istas ieiunant: alij tres Pascha immediatè præcedentes continuant.

Socrates. 430.

Lib. 5. cap. 21. Ieiuniorum rationem, quæ ante Pascha fiunt, aliter ab alijs obseruatam esse, facile est reperire. Nam qui sunt Romæ, tres septimanas ante Pascha, Sabbato & Dominico exceptis, simul ieiunant: qui autem in Illyria, & tota Græcia, quique Alexandriæ habitant, ante sex septimanas ieiunia, quæ ante Pascha fiunt, ordiuntur, illudque tempus Quadragesimam nuncupant. Alij præter horum consuetudinem, septem septimanas ante illud festum initium ieiunandi facientes, quamuis quindecim dies solùm, quibusdam interuallis interpositis ieiunent: nihilominus tamen tempus illud Quadragesimam vocant. Vnde non mediocris me capit admiratio, qua ratione isti, licet numero dierum dissentiant, omnes eodem nomine Quadragesimam appellent. Alij aliam causam huius nominis, suopte ingenio excogitatam tradunt.

Lib. 7. cap. 22. Theodosius Imperator tanta corporis & animi tolerantia fuit, vt tum algorem, æstumque forti & virili animo sustineret, tum crebrò ieiunaret, & maximè diebus Mercurij & Veneris, quas Græci τετράδας, καὶ παρασκευὰς ἡμέρας vocāt. Atque hoc ab eo factitatum fuit, dum Christianam videndi rationem cumulatissimè explere contenderet.

Basilius Seleuciæ 450.

Oratione 3. de Lazari exuscitatione: Si plurimi, quando tempus ieiunium exigit, aut orationem deposcit, à proprijs vxoribus se continent: qui sua non contentus, aliam inducit, quantam putas capiti suo perniciem accersit?

Victor Antiochenus. 460.

Ad cap. 2. Marci: Inter eos, qui in Moysi; & eos rursum, qui in lege gratiæ ieiunijs dant operam, hoc præter cætera interest, quòd illi quidem ieiunia à Deo præfinita habebant, quæ proinde modis omnibus explere obligabantur, etiamsi aliàs noluissent: hi verò virtutis amore, liberaque voluntatis electione ieiunant verius, quàm vlla omnino legis coactione. Quòd si verò Quadragesimale, vel aliud quodcunque ieiunium definitum habemus,

bemus, propter ignauos & negligentes, quò nimirum ij quoque officium faciant, præfinitum habemus. Studiosi namque, pietatiq; dediti, certo animi consilio, propensaq; voluntate ieiunium illud persoluunt magis, quàm vlla omnino legis aut præcepti vi compulsi.

Ad caput 14. Marci: *Erat Pascha & azima post biduum.*) Duobus diebus ante passionem Scribæ, & Pharisæi, & Magistratus populi consilium inter se de nece Christo inferenda iniêre. Qua de causa quarta hebdomadæ feria ieiunia agitamus, quasi passio illius aliquod tum temporis exordium fecerit.

Dorotheus Archimandrita. 520.

Iun.18 *De sancto Ieiunio doctrina* 15. In Lege scriptum est, imperasse Deum filijs Israel, vt singulis annis decimas darent omnium, quæ possiderent, & id facientes in cunctis operibus suis benedicebantur. Hoc agnoscentes Apostoli sancti, consuluêre commodis & vtilitatibus animarum nostrarum, quo decimationem hanc excellentius redderemus: dum scilicet dierum vitæ nostræ decimas daremus, & sic Deo nostro sacrificaremus, sic ab eo benediceremur in operibus nostris, sic quoquo anno peccata purgaremus, quæ per integrum annum essent à nobis perpetrata: atque hoc inter se tractantes, consecrârunt nobis ex trecentis sexaginta diebus septem has hebdomadas ieiuniorum. Quibus Patres nostri aliam addere cogitauerunt, quo ad labores venturi ieiunij praepararemur, & ipsum ieiunium numero sanctæ Quadragesimæ, quam Dominus noster integram ieiunauit, honoratius redderent: Octo enim hebdomadas, subtractis Sabbatis & Dominicis, quadraginta dies perficiunt, &c.

Euthymius Eremita. 540.

De S. Saba cap. 51. Tempore ieiuniorum accessit ad quendam torrentem, qui à maxima Laura distabat decem stadijs, & cùm offendisset quandam speluncam in torrentis parte, quæ erat ad Boream, in ea quidem totam transegit Quadragesimam.

Ioannes Nesteuta. 580.

In Nomocanone: Quoniam autem sunt nonnulli, qui vi habitus, ne in magna quidem Quadragesima se possunt à peccatis continere, ipsi quoque sæpe mulieres habentes, oportet postquam ipsi pœnas iniunctas peregerint, si multum tempus præterierit, nec potuerint communicare, eò quòd in peccato semper incidant, in sancta quidem Quadragesima se à peccato continere, & sic cum timore ac tremore tribus Paschæ diebus communicent.

Georgius Presbyter. 600.

Oratione de Sanctis 318. Patribus Nicænæ Synodi cap. 8. Quoniam autem ijs videbatur restare de die principali, cùm à multis in illud vsque tempus celebraretur, nullo certo præstituto termino, adeò alij quidem essent in vestibulis sanctæ ieiuniorum Quadragesimæ, alij verò peragerent dimidium certaminum abstinentiæ, alij autem celebrarent Symbola salutaris Resurrectionis: & alij quidem in tristitia, & lachrymarum profusione & abstinentia à cibis se duriter gererent: alij verò victoria Domini exultarent, per quam fractus est infernus, & mors deleta, surrexit Adam, & Satan est alligatus: de eo quoque diuini Patres sancto inspirato Spiritu constituerunt, vt omne genus Christianorum vno eodemque tempore Christi Dei nostri diem sanctum ageret Resurrectionis: vt orationis, & abstinentiæ, lætitiæque & choreæ communem domum Ecclesiam, sibi Catholicam conseruarent.

Leontius. 610.

De Simeone Salo: Quando veniebat sancta Quadragesima sanctorum ieiuniorum, nihil comedebat vsque ad sanctam quintam feriam.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

De vita Mariæ Ægyptiacæ: Transactis aliquot diebus appropinquauit tempus, quando sacra ieiunia Christianis traditum est celebrare, & purificare se ob diuinæ passionis resurrectionisq; Dei salutationem, &c. Dominica, quam primam ieiuniorum hebdomadam nominare mos est, agebantur pro consuetudine diuina sacramenta.

Synodus Trullensis. 710.

Can. 29. Statuimus Apostolicas & paternas traditiones sequentes, non oportere in Quadragesimæ postrema septimana, quinta Feria ieiunium soluere, & totam Quadragesimam iniuria afficere.

Can. 52. In omnibus sanctæ Quadragesimæ ieiunij diebus, præterquam Sabbato, & Dominica, & sancto Annuntiationis die, fiat sacrum præsanctificatorum ministerium.

Can. 89. Diem salutiferæ passionis in ieiunio, & oratione, & cordis compunctione peragentes fideles, vsque ad mediam magni Sabbati noctem ieiunare oportet.

Ioannes Damascenus. 730.

Libro de hæresibus: Aërius hæreticus negat quicquam offerendum esse pro mortuis: ieiunium Feria quarta & sexta, & quadraginta diebus seruari, & Pascha celebrari prohibet. Carnibus & cibis omnis generis vsus est sine religione. Quòd si quis ieiunium seruare velit, id ab eo certis & statutis diebus seruari negat oportere, sed quando volet.

Nicephorus Confessor. 780.

Can. 1. Oportet Monachos ieiunare die Mercurij & Veneris Septuagesimæ, & vbicunque fuerint caseum comedere post sanctificatorum solutionem.

Methodius Constantinopolitanus. 800.

De ijs, qui abnegarunt per diuersos modos & ætates: Si sint adolescentes, vel senes, si quidem per tormenta negauerunt, clementer ac benignè cùm ijs agatur: sed duas Quadragesimas ieiunent, vacantes orationibus, & genuum flexionis assiduasq; preces peragentes. Duarum autem Quadragesimarum fine appropinquante, octo diebus preces propitiatorias accipiant, &c.

Theostericlus. 820.

Oratione funebri in S. Nicetam: Cumq; hyemis tempus & sanctorum ieiuniorum dies transijsset, malorum inuentori Ioannis eos tradidit, vt qua vellet ratione ipsos affligeret.

Anastasius Nicenus. 850.

Quæst. 77. Non oportet ieiunare octo hebdomadas in magna Quadragesima, vt Ariani, qui exuperant numerum quadraginta dierum, quem nobis dedit Dominus, &c. Si enim sunt ieiunandæ octo hebdomadæ, non debet amplius nominari Quadragesima, sed Quadragesima septima. Quæ quidem Quadragesima impletur ad festum Palmarum. Magnam enim hebdomadam ieiunamus propter Christi passionem, & Pascha, & propter Quadragesimam.

Simeon Metaphrastes. 950.

De S. Athanasio Episcopo: Hebdomada post sanctam Pentecosten populus, qui ieiunauerat, egressus est ad orandum circa cæmiterium S. Petri Episcopi & Martyris.

De S. Athanasia: Sanctis Quadragesimæ diebus post biduum sumens cibum, crudis tantùm oleribus contenta erat, in illis sanctis diebus omnino

non

non potum gustans. Neque solùm in sancta & magna Quadragesima, sed etiam sanctorum Apostolorum, & sacratissimi diei Natalis Christi Saluatoris nostri temporibus, eandem exercitationis, & vitæ regulam seruabat.

Theodorus Balsamus. 1130.

*In Canonem Apost.*69. Quadragesimale ieiunium primùm quidem à Domino traditum est, qui tot diebus ieiunauit, deinde per præsentem Canonem à sanctis Apostolis.

Manuel Patriarcha Constantinop. 1150.

Interrogatione 2. Quidam sacerdotes in magna Quadragesima præsanctificatos diuinos panes in panarijs recondentes, ijs deinde opera dæmonis ex septo diuino subreptis à muribus, & cane ostium aperiente: vel etiam cùm sacerdos sacrificaret, & ad mensas precationes legeret, delitescens mus, post oblationem consecratum diuinum corpus subripuit. Quam censuram merentur sacerdotes? &c.

*Respons.*6. Sacerdotes, qui in magna Quadragesima nuptiales fecerunt benedictiones, si per simplicitatem id fecerint, mediocri correctione sunt digni: sin autem per malitiam, & clam commiserint, maiore pœna afficiantur.

Athanasius Patriarcha Constantinop. 1300.

*Epist.*5. Videndum est etiam, vt coniugium non solùm licitum sit concessum, sed decorum quoque, ne inquam puella seni nubat, ne ante benedictionem vnà cubent, ieiunia quatuor temporum ne soluantur, neque ieiunia quartæ & sextæ Feriæ.

Georgius Codinus. 1400.

De Officialibus Palatij Constantinop. folio 118. Oratione habita ad mensam Imperatoris, quia præterijt Quadragesima, & principium temporis aduenit, quo eduntur carnes, panem & missum accipit, & abit.

*Fol.*134. Per totam & magnam Quadragesimam Sacerdotes & Diaconi gestant manipulos, & penulas purpureas.

Zaga Zabo Episcopus Æthiops. 1536.

In Confessione fidei: Primò oportet nos ieiunare singulis diebus Mercurij, in memoriam consilij Iudæorum, quo die ab ijs decretum & consultum fuit, Christum occidendum esse. Præterea ieiunandum est singulis diebus Veneris, quo die Christus Iesus crucifixus & mortuus est pro peccatis nostris. Et in his duobus diebus præceptum est ieiunare vsque ad occasum solis. Quadraginta verò diebus quadragesimalibus pane & aqua ieiunandum iniunxerunt.

Ioannes Basilius Dux Moscouiæ. 1576.

De Theologia Moscouitica capite 10. Christus simul ac aquis egressus est, quadraginta dies ac noctes ieiunauit, &c. Qua de causa & nos Christiani, Christum Dominum nostrum imitati, dies 40. ieiunamus, his addentes diuinam eius passionem & resurrectionem. Deinde ieiunium Apostolorum, continentiæ causa nobis præceptum, sponte obseruamus. Item in honorem Deiparæ ieiunamus. Præterea illa annua diebus Mercurij & Veneris ieiunia seruamus, &c.

Alexander Gaguinus in descriptione Sarmatiæ Europæ: Rutheni quatuor ieiunia magna, quibus carnibus abstinent, habent. Primò in Quadragesima septem integris hebdomadis ab esu carnium abstinent. Secundò ieiunant post octauam Pentecostes vsque ad Ferias Petri & Pauli Apostolorum, appellantque hoc ieiunium Diui Petri. Tertiò à prima Augusti vsque ad Assumptionem Mariæ Virginis ieiunio se macerant. Quartò sex septimanis in Aduentu Domini carnem & butyrum abhorrent, vocanturque hoc ieiunium Philippi secundùm Ruthenicum Calendarium, &c.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Thelesphorus. 127.

*Epistola ad omnes vniuersaliter cap.*1. Cognoscite, à nobis, & à cunctis Episcopis, in hac sancta & Apostolica Sede congregatis, statutum esse, vt septem hebdomadas plenas, ante sanctum Pascha, omnes clerici, in sortem Domini vocati, à carne ieiunent: quia sicut discreta esse debet vita clericorum à laicorum conuersatione, ita & in ieiunio debet fieri discretio, &c. Has ergo septem hebdomadas omnes clerici à carne & delitijs ieiunent, & hymnis, & vigilijs, atque orationibus Domino inhærere, die noctuque studeant.

Tertullianus. 200.

*Lib.*2. *ad vxorem cap.*4. Sed viderit qualiter viro officia pendat. Domino certè non potest pro disciplina satisfacere, habens in latere diaboli seruum, procuratorem domini sui, ad impedienda fidelium studia & officia. Vt si statio facienda est, maritus de die condicat ad balneas: si ieiunia obseruanda sunt, maritus eadem die conuiuium exerceat: si procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio adueniat.

*Libro contra Psychicos, id est, Catholicos, scripto c.*13. Præscribitis constituta esse solennia huic fidei scripturis, & traditione maiorum, nihilque obseruationis amplius adijciendum, ob illicitum in nouatianis. State in isto gradu, si potestis. Ecce enim conuenio vos, & præter Pascha ieiunantes, citra illos

Matt. 9 dies, quibus ablatus est sponsus, & stationum semiieiunia interponentes, & vos interdum pane & aqua victitantes, vt cuique visum est: denique respondetis, hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio, &c. Bene autem, quòd & Episcopi vniuersæ plebi mandare ieiunia assolent, non dico de industria stipium conferendarum, vt vestræ capturæ est, sed interdum & ex aliqua solicitudinis Ecclesiasticæ causa.

Præter Pascha ieiunantes. *Alludit ad ieiunia Ecclesiæ, Præter id est, extra Pascha, seu Quadragesimam, & inter cætera, ad quatuor Tempora, quæ sub Calixto hoc pene tempore, quo liber hic scriptus est, instituta sunt: semiieiunia appellans quarta & sexta Sabbati, vtpote in quibus ad horam nonam ieiunia soluuntur.*

Calixtus. 218.

*Epist. ad Benedictum Episcopum cap.*1. Ieiunium, quod ter in anno apud nos celebrare didicisti, conuenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus: vt sicut annus per quatuor voluit tempora, sic & nos quaternum solenne agamus ieiunium, per anni quatuor tempora. Et sicut replemur frumento vino & oleo ad alenda corpora, sic repleamur ieiunio ad alendas animas.

Urbanus Papa. 224.

*Apud Gratianum dist.*76. Statuimus, vt ieiunia quatuor temporum hoc ordine celebrentur: primum initio Quadragesimæ, secundum in hebdomade Pentecostes, tertium verò in Septembri, quartum in Decembri more solito fiat.

Cyprianus. 250.

Sermone de ieiunio & tentationibus Christi: Forma ieiuniorum proposita, fixoque exemplo, postquam quadraginta dierum abstinentiam Dominus consummauit, Satan, cùm esurientem videret, accessit.

Eusebius Papa. 309.

Apud Gratianum de consecratione dist. 5. *& Iuonem cap.* 19. Ieiunia in Ecclesia à sacerdotibus constituta, sine necessitate rationabili non soluantur.

Concilium Elibertinum. 313.

Cap. 23. Ieiunia, seu abstinentias per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensium Iulij & Augusti, ob eorundem infirmitatem.

Hilarius. 350.

Can. 15. *in Matthæum*: Venturi ad baptismum prius confitentur se credere in Dei Filio, & in passione ac resurrectione eius: & huic professionis sacramento fides redditur. Atque vt hanc verborum sponsionem quædam rerum ipsarum veritas consequatur, toto in ieiunijs passionis Dominicæ tempore demorantes, quadam Domino compassionis societate iunguntur. Igitur siue ex sponsionis sacramento, siue ieiunio, omne illud passionis Dominicæ cum Domino agunt tempus.

Hymno ieiunantium:

Iesu quadragenaria
Dicator abstinentia,
Qui ob salutem mentium
Hoc sanxeras ieiunium,
Quo Paradiso redderes,
Seruata parsimonia,
Quos inde gastrimargia
Huc illecebra depulit.
Tu retro acta crimina
Tua remitte gratia,
Vt expiati annuis
Ieiuniorum victimis,
Tendamus ad Paschalia
Dignè colenda gaudia.

Liberius. 361.

In Decretis cap. 10. Abstinendum est his quadraginta diebus à coniugibus, & castè & piè viuendum est, vt sanctificato corde & corpore isti dies transigantur, donec perueniatur ad diem sanctæ Paschæ. Quia nihil plane valet ieiunium, quod coniugali opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ, & eleemosynæ non commendant.

Ambrosius. 370.

Sermone 23. *de Quadragesima*: Sanctæ Quadragesimæ rationem, cuius hodie initium celebramus, frequenter edidimus, & cur tot dierum numero ieiunemus, sæpe docuimus. Diximus enim quòd Dominus Iesus Christus hunc eundem numerum ieiunij consecrauit, & continuatis diebus noctibusque non capiens cibum, vnum ieiunij corpus effecerit, hoc est, licet diei ordo noctis interrumperetur aduentu, non tamen interruptus est ordo ieiunij. (Matt. 4.) Vnde erant apud eum plura temporum curricula, sed abstinentiæ dies vna, ostendens nobis ita nos hunc numerum integrum ieiunare debere, vt quia totam Quadragesimam complecti non possumus solido & vno ieiunio, vel quotidianis eandem sine intermissione ieiunijs celebremus: vt si quisquam vnam diem abstinendo prætermiserit, totam Quadragesimam violârit, & propter modici temporis cibum magni fructum laboris amiserit. Sed dicet aliquis: Quadragesimæ aliquoties accepimus rationem, & eam consecratam à Domino frequenter audiuimus: sed cur eadem Quadragesima quadraginta & duos dies habeat, audire gestimus. Legimus in veteri Testamento, cùm sanctus Moyses filios Israel de iugo Ægyptiæ captiuitatis erueret, vt in terram eos repromissionis induceret, quadraginta & duorum dierum eum ad memoratam terram mansionibus peruenisse, (Deut. 8.) tantoque illum temporum numero potitum esse promissis, quanto & nos promissis nobis à Saluatore perfrui gratulamur. Eodem, inquam, numero Moyses per mansiones peruenit ad requiem, quo & nos per ieiunia properamus ad cælum. Ieiunia enim nostra mansiones quædam sunt, per quæ iter spiritualiter facientes, animæ virtutibus ambulamus, &c.

Sermone 25. *de Quadragesima*: Non enim, fratres, leue peccatum est, fidelibus indictam Quadragesimam à Domino violare, & ieiunia consecrata ventris voracitate dissoluere. Scriptum est: *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* (1. Ioan. 2.) Si vis ergo Christianus esse, debes quod Christus facere. Ille qui peccatum non habebat, Quadragesimam ieiunauit, tu non vis Quadragesimam ieiunare qui peccas? Ille, inquam, peccatum non habebat, sed pro nostris ieiunauit peccatis. Qualis ergo apud conscientiam tuam Christianus es, cùm Christo pro te esuriente tu prandes? Cùm Saluatore pro te ieiunante tu reficeris? Non igitur, sicut dixi, leue peccatum est, indictum violare ieiunium.

Sermone 36. *de Quadragesima*: Ante dies deuotionem sanctæ Quadragesimæ prædicantes, sacrarum literarum exempla protulimus, quibus approbaremus hunc quadragenarium numerum non esse ab hominibus constitutum, sed diuinitus consecratum; nec terrena cogitatione inuentum, sed cælesti maiestate præceptum. Atque ideo qui constitutum numerum vna die manducando præterit, non vt vnius diei violator accusatur, sed vt totius Quadragesimæ transgressor arguitur. Vnde bonum est homini, vt dictum, numerum sine labore ieiunet, & totius Quadragesimæ consequatur pariter sanctitatem. Hæc autem non tam sacerdotum præcepta quàm Dei sunt. Atque ideo qui spernit, non sacerdotem spernit, sed Christum, qui in suo loquitur sacerdote.

De Helia & Ieiunio capite 10. Considera Quadragesima totis præter Sabbatum & Dominicam ieiunatur diebus. Hoc ieiunium Domini Pascha concludit.

Hymno de ieiunio Quadragesimali:

Ex more docti mystico
Seruemus hoc ieiunium,
Deno dierum circulo
Ducto quater notissimo.
Lex & Prophetæ primitus
Hoc protulerunt, postmodum
Christus sacrauit, omnium
Rex atque factor temporum.
Vtamur ergo parcius
Verbis, cibis, & potibus,
Somno, iocis, & arctius
Perstemus in custodia.

Philastrius. 380.

Libro de hæresibus hæresi 97. Per annum quatuor ieiunia in Ecclesia celebrantur: in Natali primum, deinde in Pascha, tertium in Epiphania, quartum in Pentecoste. Nam in Natali Saluatoris Domini ieiunium est, deinde in Paschæ Quadragesima, inde vsque ad Pentecosten diebus decem. Id quod postea fecerunt beati Apostoli post Ascensionem ieiunijs & orationibus insistentes, sicut scriptum est, &c. (Act. 1.)

Prudentius. 380.

Cathemerinon Hymno ieiunantium:

annum Sabbatis prandent, vtrumque videlicet significantes, & in vno anniuersario die luctum discipulorum, & in cæteris Sabbatis quietis bonum, &c. Sed quoniam non inuenimus in Euangelicis & Apostolicis literis, quæ ad noui Testamenti reuelationem propriè pertinent, certis diebus aliquibus euidenter præceptum obseruanda esse ieiunia, & ideo res quoque ista, sicut aliæ plurimæ, quas enumerare difficile est, inuenit in veste illius filiæ Regis, hoc est, Ecclesiæ, varietatis locum, indicabo tibi quid mihi de hoc requirenti responderit venerandus Ambrosius, à quo baptizatus sum, Mediolanensis Episcopus. Nam cùm in eadem ciuitate mater mea mecum esset, & nobis adhuc Catechumenis parum ista curantibus, illa solicitudinem gereret vtrum secundùm morem nostræ ciuitatis sibi esset Sabbato ieiunandum, an Ecclesiæ Mediolanensis more prandendum, vt hac eam cunctatione liberarem, interrogaui hoc supradictum hominem Dei. At ille: Quid possum, inquit, hic docere amplius, quàm ipse facio? Vbi ego putaueram nihil eum ista responsione præcepisse, nisi vt Sabbato pranderemus. Hoc quippe ipsum facere sciebam: sed ille sequutus adiecit: Quando hic sum, non ieiuno Sabbato: quando Romæ sum, ieiuno Sabbato: & ad quamcunque Ecclesiam veneritis, inquit, eius morem seruate, si pati scandalum non vultis, aut facere. Hoc responsum retuli ad matrem, eique sufficit, nec dubitauit esse obediendum: hoc etiam nos sequuti sumus. Sed quoniam contingit, maximè in Africa, vt vna Ecclesia, vel vnius regionis Ecclesiæ, alios habeant Sabbato prandentes, alios ieiunantes, mos eorum mihi sequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio regenda commissa est.

Epistola 118. ad Ianuarium cap. 2. Alia verò, quæ per loca terrarum regionesque variantur, sicuti est, quòd alij ieiunant Sabbato, alij verò non: alij quotidie communicant corpori & sanguini Dominico, alij certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi Sabbato tantùm, & Dominico; alibi tantùm Dominico: & si quid aliud huiusmodi animaduerti potest, totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes: nec disciplina vlla est in his melior graui prudentique Christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcunque fortè deuenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos viuitur, societate seruandum est. Credo te aliquando ex me audisse, sed tamen etiam nunc commemoro. Mater mea Mediolanum me consecuta, inuenit Ecclesiam Sabbato non ieiunantem: cœperat perturbari, & fluctuare quid ageret, cùm ego talia non curabam, sed propter ipsam consului de hac re beatissimæ memoriæ virum Ambrosium: respondit se nihil docere me posse, nisi quod ipse faceret, quia si melius nosset, id potius obseruaret. Cumque ego putassem, nulla reddita ratione auctoritate sola sua nos voluisse admonere, ne Sabbato ieiunaremus, subsecutus est, & ait mihi: Cùm Romam venio, ieiuno Sabbato: cùm hic sum, non ieiuno. Sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Hoc cùm matri renuntiassem, libenter amplexa est. Ego verò de hac sententia etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tamquam eam cælesti oraculo susceperim.

Epistola 119. ad Ianuarium cap. 15. Quadragesima sanè ieiuniorum habet auctoritatem, & in veteribus libris, ex ieiunio Moysi & Heliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit, de- Exo. 34. 3. Reg. 19

monstrans Euangelium non dissentire à Lege & Prophetis. In persona quippe Moysi, lex: in persona Heliæ, Prophetæ accipiuntur, inter quos & in monte gloriosus apparuit: vt euidentius emineret, quod de illo dicit Apostolus, testimonium habens à Lege & à Prophetis. In qua ergo parte anni congruentius obseruatio Quadragesimæ constitueretur, nisi confini atque contigua Dominicæ passioni? Quia in ea significatur hæc vita laboriosa, cui opus est continentia, vt ab ipsius mundi amicitia ieiunetur, quia vtique fallaciter blandiri, & illecebrarum fucos circumspergere, atque iactare non cessat. Numero autem quadragenario vitam istam propterea figurari arbitror: quia denarius, in quo est perfectio beatitudinis nostræ, sicut in octonario, quia redit ad primum: ita in hoc mihi videtur exprimi: quia creatura, quæ septenario figuratur, adhæret creatori, in quo declaratur vnitas Trinitatis per vniuersum mundum temporaliter annuntianda, &c. Matt. 4.

In Psalm. 110. Sicut dies isti (*Paschales*) præteritis diebus Quadragesimę, quibus ante Resurrectionem Dominici corporis vitæ huius significatur mœror, solenniter grata hilaritate succedunt: sic dies ille, qui post resurrectionem dabitur plenario corpori Domini, hoc est, sanctæ Ecclesiæ, cunctis vitæ ærumnis exclusis perpetua beatitudine succedet.

Sermone 55. de Tempore: Ecce, fratres charissimi, Deo propitio, tempus Quadragesimæ venit, & ideo rogo dilectissimi, vt dies istos corporibus salubres, & animæ medicinales ita cum Dei adiutorio sanctè ac spiritaliter celebremus, vt obseruatio sanctæ Quadragesimæ non nobis iudicium pariat, sed profectum.

Sermone 62. de Tempore: Rogo vos, fratres charissimi, & admoneo, vt in isto legitimo ac sacratissimo tempore, exceptis Dominicis diebus, nullus prandere præsumat, nisi fortè ille, quem ieiunare infirmitas non permittit. Quia alijs diebus ieiunare remedium est, aut præmium: in Quadragesima non ieiunare peccatum est. Alio tempore qui ieiunat, accipiet indulgentiam; in Quadragesima qui non ieiunat, sentiet pœnam. Et tamen qui ieiunare non præualet, secretius sibi soli, aut si est alius infirmus cum ipso in domo sua præparet quod accipiat, & illos, qui ieiunare præualent, ad prandium non inuitet. Quia si hoc fecerit, non solùm Deus, sed etiam homines possunt intelligere illum non pro infirmitate non posse, sed pro gula ieiunare non velle, &c.

Innocentius Primus. 402.

Epistola 1. c. 4. Sabbato ieiunandum esse, ratio euidentissima demonstrat. Nam si diem Dominicum ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Iesu Christi non solùm in Pascha celebramus, verùm etiam per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus, ac sexta Feria propter passionem Domini ieiunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam atque lætitiam temporis illius videtur inclusum. Nam vtique constat, Apostolus biduo isto & in mœrore fuisse, & propter metum Iudæorum se occuluisse. Quod vtique non dubium est, in tantum eos ieiunasse biduo memorato, vt traditio Ecclesiæ habet, isto biduo sacramenta penitus non celebrari: quæ vtique forma per singulas tenenda est hebdomadas, propter id, quod commemoratio diei illius semper est celebranda. Quòd si putant, semel atque vno Sabbato ieiunandum, ergo & Dominica, & sexta Feria semel in Pascha erit vtique celebranda. Si autem Dominicæ diei & sextæ Feriæ per singulas hebdomadas reparanda imago est, dementis est, bidui Ioan. 20.

agere consuetudinem Sabbato prætermisso, cùm non disparem habeat causam, à sexta videlicet Feria, in qua Dominus passus est, quando & ad inferos fuit, vt tertia die resurgens, redderet lætitiam post biduanam tristitiam præcedentem. Non ergo nos negamus sexta Feria ieiunandum, sed dicimus & Sabbato hoc agendum, quia ambo dies tristitiam Apostolis, vel his, qui Christum secuti sunt, indixerunt. Qui die Dominico exhilerati, non solum ipsum festiuissimum esse voluerunt, verùm etiam per omnes hebdomadas frequentandum esse duxerunt.

Paulinus Nolanus. 410.

Epistola 24. Nam cùm in diebus Quadragesimæ aduenisset, & eum vt clericum fraterno excepissemus affectu, quotidiana ieiunia non refugit, & pauperem mensulam vespertinus conuiua non exhorruit, &c. Nam vt solennitas Paschalis reuocauit dies prandiorum, incipiebat nobis circa meridiem murmurare, dicens: *Exaruit sicut testa guttur meum, & lingua mea adhæsit faucibus meis,* &c. Respondebatur illi quidem: Fili in humilitate sustine, & concupiscentia ventris non apprehendat te:
Matt. 4. quia non in pane solo viuit homo, sed in omni verbo Dei.

Seuerus Minoricensis Episcopus. 420.

Epistola ad Ecclesiam: Sanè per hos octo, quibus hæc gesta sunt, dies, ante initium Quadragesimæ quingentas & quadraginta animas ad Ecclesiam constat adiectas.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia 3. de ieiunio Quadragesimæ: Nos verò, fratres, quibus propugnator inuictus hanc venerabilem Quadragesimam dedicauit, repugnantes carnalia desideria, sic castigemus membra ieiunijs, vt animas virtutibus saginemus. Ieiunet in nobis perniciosa luxuries, ieiunet omnis iniquitas, ieiunet odiosa contentio: abstineamus ab epulis, magis abstineamus à vitijs; sic nos temperemus, sic sobrij simus à vino, vt nulla nobis voluptatum dominetur ebrietas. Quid enim prodest, obseruatione quadraginta dierum ieiunandi nos tempora custodire, & legem non tenere ieiunij?

Homilia 4. Et ideo, fratres, Dominici certaminis victoriæque exemplum sequentes, & diabolicas præcauentes insidias, horum quadraginta dierum acceptabile Deo nostro ieiunium celebremus.

Homilia 3. de Pentecoste: Sic enim disposuit Dominus, vt, sicut in eius passione in Quadragesimæ ieiunijs contristaremur: ita eius resurrectione in Quinquagesimæ Ferijs lætaremur.

Sixtus Tertius. 433.

De Castitate, disputans alia ante, alia sub lege, alia post natum Christum licita vel illicita pijs fuisse: Abraham nunquam ieiunauit, nec tu vel solennibus diebus ieiunare debebis, cui interdictum peccatum sit præuaricare ieiunium. Abraham Deo hostias carnes animalium immolauit, & te quoque tale oportet offerre. Absit, absit, inquies, aliud nunc tempus est. An aliud tempus ad baptismum, aliud ad ieiunium, aliud ad sacrificia, non aliud ad nuptias?

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 11. Quòd Quadragesimam ieiunamus, non humana inuentio, sed auctoritas diuina est; & est mysticum, non præsumptum; nec est de terreno vsu, sed de cælestibus est secretis.

Serm. 166. Ecce Quadragesimæ ieiunium, quod deuotione solenni die crastino suscipit vniuersalis Ecclesia. Multi putant abstinentiæ tantùm studio vel nobis traditum, vel pro nobis Dominum peregisse, nec altioris intelligentiæ continere mysterium, sed solummodò castigandis corporibus, resecandis vitijs, temperandis mentibus hoc prouisum. Porrò quadragenarius iste numerus, tam sacratus esse à seculis, tam mysticus reperitur, vt semper in efficiendis rebus diuinis, & maximis Dei negotijs explicandis, adhibitus lege inuiolabili perscribatur.

Leo Primus. 450.

Sermone 3. de ieiunio septimi mensis capite 2. Ieiunium, quod vniuersa Ecclesia suscepit, neminem à generali purificatione seiungit, & tunc fit potentissimus Dei populus, quando in vnitate sanctæ obedientiæ omnium fidelium corda conueniunt, & in castris militiæ Christianæ similis est ex omni parte præparatio.

Sermone 1. capite 3. de Quadragesima: Scientes dæmones nos agere sanctissimos dies Quadragesimæ, in quorum obseruantia omnes præteritæ desidiæ castigantur, omnes negligentiæ diluuntur, ad hoc totam suæ malignitatis vim intendunt, vt celebraturi sanctum Pascha Domini, in aliqua inueniamur indigni: & vnde nobis obtinenda erit propitiatio, inde contrahatur offensio.

Sermone 5. cap. 3. Quando oportunius, dilectissimi, ad remedia diuina recurrimus, quàm cùm ipsa nobis sacramenta redemptionis nostræ temporum lege referuntur? Quæ vt dignius celebremus, saluberrimè nos quadraginta dierum ieiunio præparemus.

Sermone 11. cap. 1. Appropinquante festiuitate Paschali, adest maximum sacratissimumque ieiunium, quod obseruantiam sui vniuersis fidelibus sine exceptione denuntiat: quia nemo tam sanctus est, vt non sanctior: nemo tam deuotus, vt non debeat esse deuotior.

Sermone 2. de Pentecoste capite 9. Ad præsentem autem solennitatem etiam ista nobis est assumenda deuotio, vt ieiunium, quod ex Apostolica traditione subsequitur, sancta obseruantia celebremus. Quia & hoc inter maxima Spiritus sancti dona numerandum est, quòd nobis aduersum illecebras carnis, & insidias diaboli, ieiuniorum sunt collata præsidia, quibus omnes tentationes, Deo iuuante, vincamus. Quarta igitur & sexta Feria ieiunemus, Sabbato autem apud B. Petrum Vigilias celebremus.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Sermone de eo, quod dicitur: Frange esurienti panem tuum, &c. Rogo vos, fratres charissimi, vt in isto legitimo & sacratissimo Quadragesimę tempore, exceptis Dominicis diebus, nullus prandere præsumat, nisi fortè ille, quem ieiunare infirmitas non permittit: quia alijs diebus ieiunare aut remedium, aut præmium est, &c.

Constantinus Presbyter. 480.

Vita S. Germani lib. 1. cap. 28. Aderant enim Quadragesimæ venerabiles dies, quos religiosiores reddebat præsentia sacerdotum in tantum, vt quotidianis prædicationibus instituti, certatim ad gratiam baptismatis conuolarent.

Sidonius. 480.

Lib. 7. epist. 1. ad Mamercum: Primùm igitur, & ijs paucis nostri ordinis viris indicis ieiunia, interdicis flagitia, supplicia prædicis, remedia promittis, exponis omnibus nec pœnam longinquam esse, nec veniam.

Eugippius Abbas. 500.

Vita S. Seuerini cap. 39. Quadragesimæ temporibus

bus vna per hebdomadem refectione contentus, æquali vultus hilaritate fulgebat.

Concilium Aurelianense Primum. 500.

Cap. 29. Rogationes, id est, Litanias, ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita vt præmissum triduanum ieiunium in Dominicæ Ascensionis solennitate soluatur: per quod triduum serui & ancillæ ab opere relaxentur, quò magis plebs vniuersa conueniat. Quo triduo omnes abstineant, & quadragesimalibus cibis vtantur.

Concilium Agathense. 506.

Cap. 12. Placuit etiam, vt omnes Ecclesiæ filij (exceptis diebus Dominicis) in Quadragesima, etiam die Sabbato, sacerdotali ordinatione & distinctionis comminatione ieiunent.

Concilium Gerundense. 517.

Cap. 2. Vt expleta solennitate Pentecostes, in sequenti septimana à quinta Feria in Sabbatum, per hoc triduum abstinentia celebretur.

Cap. 3. Item secunda Litania facienda est Kalendis Nouembris, ea tamen conditione seruata, vt si ijsdem diebus Dominica intercesserit, in alia hebdomada, secundùm prioris abstinentiæ obseruantiam, à quinta Feria incipiatur, & in Sabbati vespere missa facta finiatur, quibus tamen diebus à carnibus & vino decreuimus abstinendum.

Benedictus. 530.

In Regula capite 49. Licet omni tempore vita Monachi Quadragesimæ obseruationem debeat habere, tamen quia paucorum est ista virtus, ideo suademus diebus Quadragesimæ omni puritate vitam suam custodire, id est, omnes pariter negligentias aliorum temporum his diebus sanctis diluere. Quod tunc dignè fit, si ab omnibus vitijs temperemus: orationi cum fletibus, lectioni, & compunctioni cordis, atque abstinentiæ operam demus.

Cassiodorus. 540.

In Psalm. 40. Ipse quoque Dominus totidem diebus ac noctibus ieiunauit, vt nobis formam beatæ purificationis ostenderet Quadragesimæ: Quia etiam ipsius exemplo præmittitur tempus abstinentiæ, vt deletis sordibus peccatorum ad resurrectionem Domini puris mentibus accedamus.

Concilium Aurelianense Quartum. 547.

Cap. 2. Hoc etiam decernimus obseruandum, vt Quadragesima ab omnibus Ecclesijs æqualiter teneatur. Neque Quinquagesimam, aut Sexagesimam ante Pascha quilibet sacerdos præsumat indicere. Sed neque per Sabbata absque infirmitate quisquam soluat Quadragesimæ ieiunium, nisi tantùm die Dominico prandeat. Quod sic fieri specialiter Patrum statuta sanxerunt. Si quis hanc regulam irruperit, tanquam transgressor disciplinæ à sacerdotibus censeatur.

Synodus Turonensis Secunda. 570.

Cap. 18. De ieiunijs verò antiqua à Monachis instituta conseruentur, vt de Pascha vsque Quinquagesimam, exceptis Rogationibus, omni die fratribus prandium præparetur. Post Quinquagesimam tota hebdomada exactè ieiunent. Postea vsque ad Calendas Augusti ter iti septimana ieiunent, secunda, quarta, & sexta die, exceptis his, qui aliqua infirmitate constricti sunt, &c.

Fortunatus. 570.

De S. Radegunde lib. 1. *c.* 4. Diebus Quadragesimæ satis est scire qualiter se redegerit inter vestes regias singulariter pœnitentem. Igitur appropinquante ieiunij tempore, ad religiosam monacham, nomine Piam, mittebat, cui ad sanctum propositum illa dirigebat veneranter in linteo sigillatum cilicium, quod sancta induens, ad corpus per totam Quadragesimam subter vestem regiam, dulcem portabat in sarcinam. Transactis autem diebus, similiter sigillatum retransmittebat cilicium.

Concilium Bracarense Primum. 572.

Cap. 16. Si quis quinta Feria Paschali, quæ vocatur Cœna Domini, hora legitima, post nonam ieiunus in Ecclesia Missas non tenet, sed secundùm sectam Priscilliani festiuitatem ipsius diei ab hora tertia per Missas defunctorum, soluto ieiunio, colit, anathema sit.

Concilium Bracarense Secundum. 573.

Cap. 9. Tertio die, celebratis hora nona siue decima Missis, dimisso populo præcipiant Quadragesimæ seruare ieiunia, & mediante Quadragesima ex viginti diebus baptizandos infantes, ad exorcismi purgationem offerre.

Concilium Matisconense Primum. 576.

Cap. 9. Vt à Feria sancti Martini vsque ad Natalem Domini secunda, quarta, & sexta Sabbati ieiunetur, & sacrificia quadragesimali debeant ordine celebrari.

Gregorius Turonensis. 580.

Libro de vitis Patrum cap. de Senoch Abbate: Inprimis arcto vitæ tramite incedebat, exiguosque cibos & tenues potiones sumens. Diebus autem Quadragesimę sanctę addebatur augmentum abstinentiæ ciborum diminutione.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 3. *Dialogorum cap.* 33. Cùm sacratissimo Sabbato, in quo omnes, & paruuli pueri ieiunant, ego ieiunare non possem, cœpi plus mœrore, quàm infirmitate deficere. Sed tristis animus consilium citius inuenit, vt virum Dei Eleutherium secretò in oratorium ducerem, eumque peterem, quatenus mihi, vt illo die virtus ad ieiunandum daretur, suis apud omnipotentem Dominum precibus obtineret: quod & factum est, &c.

Homilia 16. *in Euangelia:* Quia Quadragesimæ tempus inchoamus, discutiendum nobis est, cur hæc ipsa abstinentia per quadraginta dierum numerum custoditur. Moyses enim, vt legem acciperet secundò diebus quadraginta ieiunauit. Helias in deserto quadraginta diebus abstinuit. Ipse auctor hominum ad homines veniens, in quadraginta diebus nullum omnimodò cibum sumpsit. Nos quoque, in quantum possumus, annua Quadragesimæ tempore carnem nostram per abstinentiam affligere conemur. Cur ergo in abstinentia quadragenarius numerus custoditur, nisi quia virtus Decalogi per libros quatuor sancti Euangelij impletur? Denarius etenim quater ductus, in quadragenarium surgit, &c. A præsenti die vsque ad Paschalis solennitatis gaudia sex hebdomadæ veniunt. Quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt. Ex quibus dum sex dies Dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia, quàm triginta & sex remanent dies. Dum verò per trecentos & sexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta & sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus: vt qui nobismetipsis per acceptum annum viximus, auctori nostro nos in eius decimis per abstinentiam mortificemus.

Hymno in ieiunio Quadragesimali:

Audi benigne Conditor
Nostras preces cum fletibus,
In hoc sacro ieiunio
Fusas quadragenario.
Sic corpus extra conteri
Dona per abstinentiam,
Ieiunet vt mens sobria
A labe prorsus criminum.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Ecclesiasticis Officijs libro 1. capite 36. Ieiuniorum tempora secundum Scripturas sacras quatuor sunt, in quibus per abstinentiam, & lamentum pœnitentiæ Domino supplicandum est: & licet omnibus diebus orare & abstinere conueniat, his tamen temporibus amplius ieiunijs & pœnitentiæ seruire oportet. Primum ieiunium Quadragesimarum est, quod à veteribus libris cœpit ex ieiunio Moysis & Heliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit: monstrans Euangelium non dissentire à Lege, & Prophetis. In persona quippe Moysis Lex, in persona Heliæ Prophetæ accipiuntur, inter quos in monte Christus gloriosus apparuit, vt euidentius

Rom. 3. emineret, quod de illo dicit Apostolus: *Testimonium habens ex Lege & Prophetis.* In qua ergo anni parte congruentius obseruatio Quadragesimæ constitueretur, nisi confini atque contigua Dominicæ passionis? &c.

Cap. 37 Secundum ieiunium est, quod iuxta Canones post Pentecosten alio die inchoatur, secun-

Deut. 16. dum quod Moyses ait: *Initium mensis hordearij facietis vobis hebdomadas septem*, &c.

Cap. 38. agit de ieiunio septimi mensis.

Cap. 39 & 40. de ieiunio Kalendarum Nouembrium & Ianuarium.

Cap. 42. Præter hæc autem legitima tempora ieiuniorum omni sexta Feria propter passionem Domini à quibusdam ieiunatur. Sed & Sabbati dies à plerisque, propter quod in eo Christus iacuit in sepulchro, ieiunio consecratus habetur.

Eligius. 640.

Homilia tertia de Quadragesimæ laudibus: Vide quomodo te Christus suo ieiunio docuerit ieiunare, & sacrauerit hoc tempus Quadragesimale: sicut tentatorem superauit, sic te superare docuit.

Homilia octaua: Quadragenario numero cursus vitæ nostræ, & conuersatio nostra mysticè designatur. Et ideo ante Pascha, quia præsentem vitam significat, quadraginta dierum ieiunium obseruamus, vt Pascha, quod æternæ vitæ imaginem habet, cum gaudio celebrare possimus. Moyses quadraginta diebus ieiunauit: Helias vero eundem numerum ieiunando compleuit: & Dominus ac Saluator noster nihilominus quadragenarium ieiunium consecrauit, & in eremo populus Israeliticus quadraginta annis est demoratus.

Homilia 16. Diebus Quadragesimæ vos omnibus modis abstinete à commixtione coniugum vestrarum. Nam vt quidam sapiens ait: Similis reatus est fideli Christiano diebus Quadragesimæ cum propria vxore concumbere, sicut & carnes in cibo sumere.

Concilium Toletanum Quartum. 643.

Cap. 7. Quidam in die Passionis Dominicæ ab hora nona ieiunium soluunt, conuiuijs adhibentur: & dum sol ipse eadem die tenebris palliatus lumen subduxerit, ipsaque elementa turbata, mœstitiam totius mundi ostenderint, illi ieiunium tanti diei polluunt, epulisque inseruiunt. Et quia totum eundem diem vniuersalis Ecclesia propter passionem Domini in mœrore & abstinentia peragit, quicunque in eo ieiunium, præter paruulos, senes, & languidos, ante peractas indulgentiæ preces soluerit, à Paschali gaudio depellatur: nec in eo Sacramentum corporis & sanguinis Domini percipiat, qui diem passionis eius per abstinentiam non honorat.

Cap. 10. Cognouimus quosdam Hispaniæ sacerdotes, qui in Quadragesimæ diebus Alleluia decantant, præterquam in vltima hebdomada Paschæ, quod deinceps fieri interdicimus: statuentes, vt in omnibus prædictis Quadragesimæ diebus (quia tempus non est gaudij, sed mœroris) Alleluia non decantetur. Tunc enim opus est fletibus ac ieiunijs insistere, corpus cilicio & cinere induere, animum mœroribus deijcere, gaudium in tristitiam vertere. Hoc enim Ecclesiæ vniuersalis consensio in cunctis terrarum partibus roborauit, quod & à nobis in omnibus vt conseruetur per Hispanias Galliciasque prouincias oportebit.

Concilium Toletanum Octauum. 654.

Cap. 9. Cùm Quadragesimæ dies anni totius decimæ deputentur, quæ & in oblatione ieiunij Domino consecrantur, quibus etiam saluberrimè conditio humani generis expiatur, dum à quatuor mundi partibus ad hanc homo religionem crediturus adducitur: & ex quatuor elementis formatus, propter transgressionem Decalogi quaterdecies conuenienter affligitur: illis, qui ausu temerario hæc omnia contemnunt, nec voracitatis ingluuiem frenant, & (quod peius est) Paschalia festa illicitorum esuum perceptione profanant, ex hoc adeò acerrimè interdicitur, vt quisquis absque ineuitabili necessitate, atque fragilitate, & euidenti languore, seu etiam impossibilitate ætatis, diebus Quadragesimæ esum carnium præsumpserint attentare, non solum reus erit resurrectionis Dominicæ, verùm etiam alienus ab eiusdem diei sancta communione.

Beda. 700.

Ad caput 4. Lucæ: Quadragesima ieiuniorum habet auctoritatem & in veteribus libris ex ieiunio Moysi, & Heliæ, & ex Euangelio: quia totidem diebus Dominus ieiunauit, demonstrans Euangelium non dissentire à Lege & Prophetis.

Libro 5. Historiæ Anglic. cap. 2. Hic vir Dei Ioannes Hagustaldensis Episcopus, vbi oportunitas arridebat temporis, & maximè in Quadragesima, manere cum paucis, atque orationibus, ac lectioni quietus operam dare consueuerat.

Vitæ sancti Cuthberti cap. 5. Quadam die, dum iter solus ageret, diuertit hora tertia in villam, quam eminus fortè positam reperit, intrauitque domum cuiusdam religiosæ fœminæ, paulum ibidem quiescere desiderans, & iumento potius, cui insidebat, quàm sibi alimentum poscere curans. Suscepit ergo eum mulier benignè, rogauitque solicitè, vt prandium parare, atque illum reficere liceret. Negauit vir Domini: Non possum, inquiens, adhuc manducare, quia dies ieiunij est. Erat namque sexta Sabbati, qua plerique fidelium ob reuerentiam Dominicæ passionis vsque ad nonam horam solent protelare ieiunium. Perstitit in rogando mulier, hospitalitatis studio deuota: Ecce, inquiens, itinere, quo vadis, nullum viculum, nulla hominum habitacula reperies, & quidem longum restat iter, neque ante solis occubitum valet consummari. Vnde precor, antequam egrediaris accipias cibos, ne tota die ieiunium sustinere, vel etiam procrastinare

nare

Digitized by Google

nare cogaris. At ille, quamuis rogante fœmina, roganus instantiam religionis amore deuincens, ieiunus viam repetijt, ieiunus diem duxit ad vesperum.

Alcuinus. 750.

Libro de diuinis Officijs, cap. 12. de Quadragesima: Quadragesima incipit à sequenti Dominica post Quinquagesimam, & finitur quarta Feria ante Pascha Domini, quando canimus: *In nomine Domini omne genu, &c.* In Quadragesima namque iam aliqua pars pugnæ nostræ peracta est. Quem namque in Quinquagesima protectorem inuocauimus, in Quadragesima dicit quasi consolando in Introitu: *Inuocauit me, &c.*

Capite 28. de quatuor temporibus anni: Quatuor sunt tempora anni, id est, ver, æstas, autumnus, & hyems. Hæc tempora solent nos per delectamenta sua reuocare ab amore charitatis. In quibus oportet nos ieiunare, etiamsi venerint infra Pentecosten, quando celebratur festiuitas septiformis Spiritus, vt impleatur illud Dominicum: *Venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus, tunc ieiunabunt.*

Carolus Magnus. 780.

Libro 5. Legum cap. 86. Constituimus, vt quatuor tempora anni ab omnibus cum ieiunio obseruentur, id est, in mense Martio hebdomadâ prima, Feria quarta, & sexta, & Sabbato veniant omnes ad Ecclesiam hora nona cum Litanijs ad Missarum solennia. Similiter in mense Iunio hebdomada 2. Feria quarta & sexta & Sabbato ieiunetur vsque ad horam nonam, & à carne ab omnibus abstineatur. Similiter in mense Septembris hebdomada tertia, & in mense Decembris hebdomada, quæ fuerit plena ante Vigiliam Natalis Domini, sicut in Romana Ecclesia traditum est.

Concilium Moguntinum. 813.

Cap. 34. Constituimus *&c. vt suprà.*

Cap. 35. Quòd si quis indictum ieiunium superbiendo contempserit, & obseruare cum cæteris Christianis noluerit, in Gangrensi Concilio præcipitur, vt anathematizetur, nisi emendare se studeat.

Haymo. 820.

Dominica Inuocauit: Quia indignè viuendo præcepta Decalogi transgressi sumus, ipsam carnem per pœnitentiam affligamus, vt ad quadragenarium perfectum numerum peruenire possimus. Nec debet onerosum videri, si de hoc quadragenario numero, pro communi vtilitate, aliqua adhuc inferamus. A præsenti die vsque ad sanctum Pascha quadraginta duo dies venturi sunt, quorum sunt hebdomadæ sex. Subtractis ergo sex diebus, qui in Dominicis eueniunt, non amplius quàm triginta sex in abstinentia remanent. Cùm autem anni circulus per 365. dies voluitur, si rectè consideremus, hoc tempus Quadragesimæ decimatio est vitæ nostræ. Dignum est enim, vt qui per totum annum nobis viximus, saltem istis diebus sacris Deo viuamus, vt non solùm de nostris rebus, sed etiam de nostris corporibus Deo decimas demus.

Amalarius Treuirensis. 830.

De officijs Ecclesiasticis libro 1. cap. 4. In Quadragesima aliqua pars pugnæ peracta est. Dicit nobis, quem in Quinquagesima protectorem inuocauimus: *Inuocauit me, & ego exaudiam eum, &c.* Epistola ita: *Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te.* Et in Responsorio: *Angeli Domini custodiunt nos.* In Tractu: *Scuto veritatis circundati sumus, &c.* Numerus ipse illud tempus significat, quo in hoc seculo, & in hac vita regi nos oportet à Christo, secundùm laboriosam disciplinam, qua flagellat Deus omnem filium, quem recipit. Ergo numerus iste laboriosi huius temporis sacramentum, quo sub disciplina regis Christi aduersus diabolum dimicamus, etiam illud declarat, quod quadraginta dierum ieiunium, hoc est, humilitatem animæ consecrauit, & Lex & Prophetæ per Mosen & Heliam, qui quadragenis diebus ieiunârunt: & Euangelium per ipsius Domini ieiunium, &c. Iste quadragenarius numerus, qui inchoatur à sequenti Dominica post Quinquagesimam, finitur quinta Feria ante Pascha Domini.

Rabanus Maurus. 850.

Libro 2. de Institutione Cleric. cap. 18. Obseruatio Quadragesimæ in vniuerso orbe institutione Apostolica obseruatur circa confinium Dominicæ passionis.

Cap. 23. Præter hæc & alia legitima tempora ieiuniorum sunt, sicut est omnis sexta Feria, in quâ propter passionem Domini à fidelibus ieiunatur: & Sabbati dies, qui à plerisque, quòd in eo Christus iacuit in sepulchro, ieiunio consecratus habetur, &c.

Nicolaus Primus, 860.

Ad consulta Bulgarorum cap. 44. Nulla ratio sit in Quadragesimali tempore venationibus vti. Venantes enim nihil præter carnes captant. Vt ergo nihil carnale sectari videamini, decenter à carnibus captandis in Quadragesimali præcipuè tempore vobis est abstinendum. Quanto enim ieiunij tempore arctius est diuinis cultibus insistendum: tanto est in cunctis mundi nociuis oblectamentis longius recedendum, præsertim cùm neminem nisi reproborum venationes exercuisse sacra designet historia.

Cap. 45. A nobis scire cupitis, si in Quadragesimali tempore iudicia sint exercenda, & ad mortem aliquis addicendus: in quo nos noueritis eadem die Quadragesimali tempore super hac respondere consultatione, quæ de diebus festis duodecimo harum responsionum nostrarum capitulo respondimus.

Cap. 48. Nec vxorem ducere, nec conuiuia facere in Quadragesimali tempore conuenire posse vllatenus arbitramur.

Ioannes Diaconus. 870.

Vita sancti Gregorij libro 1. cap. 7. Cùm quodam tempore incisionem vitalium, quam Græci dicunt συγκοπὴν, pateretur, crebrisque angustijs per horarum momenta deficeret, & ad exitum propinquaret, ac nisi eum fratres frequenter cibo reficerent, vitalis ei spiritus funditus intercipi videretur, Paschalis superuenit dies. Et dum sacratissimo Sabbato, in quo omnes, etiam paruuli pueri ieiunant, ipse ieiunare non posset, cœpit plus mœrore, quàm infirmitate deficere. Mox accersito sanctissimo viro Eleutherio, à quo audierat fuisse mortuum suscitatum, oratorium petijt, seque cum lachrymis, vt saltem die illo ad ieiunandum sibi virtus daretur, in orationem dedit. Et post paulùlum completa oratione digressus, tantam virtutem suum stomachum percepisse cognouit, vt ei cibus & morbus funditus de memoria tolleretur.

Concilium Triburiense. 895.

Cap. 35. Secundùm sanctorum statuta Patrum in hoc sancto præiudicamus Concilio, vt nullus Comes, nullusque omnino secularis, diebus Dominicis, vel Sanctorum in festis, seu Quadragesimæ aut ieiuniorum placitum habere, sed nec populum

pulum illo præsumat coercere, &c. Diebus Quadragesimæ & ieiuniorum summa deuotione ieiunandum est, & omni intentione est orandum, atque vnicuique pro facultatibus suis eleemosynæ tribuendæ, & nullæ lites vel contentiones habendæ.

Regino Prumiensis. 920.

Libro 1. de disciplina Ecclesiastica cap. 276. ex Moguntino Concilio probat septimo Kalendas Maij cum ieiunio Litaniam obseruandam esse: diebus quoque Rogationum, ac in Sanctorum Vigilijs, & quatuor temporibus, iuxta veterem constitutionem, ieiunium celebrandum esse ibidem monet.

VVitichindus. 950.

Libro 3. Annalium: Facta sunt autem hæc initio Quadragesimalis ieiunij. Barbari verò post Pascha proximum irruunt in regionem Duce VVigmanno.

Smaragdus Abbas. 950.

Ad cap. 49. Regulæ Benedicti: De hoc enim tempore Quadragesimæ scriptum est: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* In quibus diebus vnusquisque nostrum, in quantum illi vires suppetunt, carnem maceret, eiusque desideria affligat, concupiscentias turpes de corde suo repellat, & hoc modo aliorum negligentias his diebus sanctis pœnitendo deleat.

2. Cor. 6.

Otho I. Imperator. 950.

Lib. 5. Legum Francicarum tit. 4. In Natiuitate Domini, in Epiphania, & statutis ieiuniorum diebus, & in diebus Quadragesimalibus iudiciarios motus exequi penitus prohibemus.

Berno Augiensis. 1026.

De rebus, quæ ad Missam spectant cap. 7. de ieiunio quatuor temporum: Quia quatuor annorum tempora nos impediunt ad amorem Dei, quatuor ieiunia facimus, per singula quæque tempora suum ieiunium, vnumquodque pro suo tempore. Quia vnumquodque tempus tres menses habet, pro vnoquoque mense singuli dies ieiunio consecrantur. At verò quia quotidiana peccata aggrauant, non sufficit vnum ieiunium per vnumquodque tempus, ac per hoc quadragesimale tempus inducimus, quo quotidiana peccata affligantur. Eadem verò quatuor temporum ieiunia solent his diebus celebrari, scilicet quarta Feria, sexta, & Sabbato. Ideo quarta, quia Iudæi in ea fecerunt consilium, vt occiderent Christum: sexta, quoniam occiderunt eum: Sabbato ex auctoritate sanctæ Romanæ Ecclesiæ, concluditur ieiunium propter tristitiam Apostolorum, quam de morte nostri Redemptoris habuerunt.

Concilium Salegunstadiense. 1023.

Cap. 1. Vt quatuordecim dies omnes Christiani ante festiuitatem sancti Ioannis Baptistæ in abstinentia sint carnis & sanguinis, nisi infirmitate impediente, aut alicuius festi solennitate, quæ in illo Episcopio celebris habetur, intercedente. Et ante Natiuitatem Domini similiter, & in Vigilia Epiphaniæ, & in omnium Vigilijs Apostolorum, & in Vigilia Assumptionis sanctæ Mariæ, & in Vigilia sancti Laurentij, necnon etiam in Vigilijs omnium Sanctorum: adijcientes prædictis Vigilijs vnam horam refectionis, excepta infirmitate, & nisi aliquis sit, qui proprio voto maiori abstinentia vti velit.

Cap. 2. De incerto autem ieiunio quatuor temporum hanc certitudinem statuimus, vt si Kalendæ Martij in quarta Feria siue antea euenerint, eadem hebdomada ieiunium celebretur. Sin Kalendæ Martij in quintam Feriam, aut sextam, aut Sabbatum distendantur, in sequentem hebdomadam ieiunium differatur. Simili quoque modo, si Kalendæ Iunij in quartam Feriam aut antea euenerint, in subsequente hebdomada ieiunium celebretur. Et si in quintam Feriam, aut sextam, aut Sabbatum contigerit, ieiunium in tertiam hebdomadam reseruetur. Et hoc sciendum est, quòd si quando ieiunium mensis Iunij in Vigilia Pentecostes, secundùm prædictam regulam euenerit, non ibi celebrandum erit, sed in ipsa hebdomada solenni Pentecostes, &c.

Humbertus. 1040.

Contra Nicetam: Excepta grauissima infirmitate, cuncti solicitè ieiunamus diebus Quadragesimæ: adeo vt interdum decennes pueros eam faciamus ieiunare, nec soluimus per Sabbata Quadragesimalem abstinentiam, quia Dominus non soluit in quadragesimis ieiunij sui diebus.

Petrus Damianus. 1050.

Tractatu de Ordine Eremitarum, & facultatibus eremi fontis Auellani: Ecce enim de duabus illis Quadragesimis, quæ vel Natalem Domini, vel sanctum Pascha præcedunt, licet ego taceam, vos tamen scitis, quia nonnulli hic sunt, qui absque diebus Dominicis duplex illud Quadragesimale spatium totum ieiunando transcurrere soleant, exceptis tribus solennitatibus, S. videlicet Andreæ, sancti Benedicti, & Annuntiatione Dominica.

Ioannes Micrologus. 1060.

De Ecclesiasticis obseruat. cap. 24. de ieiunio vernali: Quamuis à capite ieiunij, pro quodam complemento quadragesimalis abstinentiæ incipiamus: à subsequenti tamen Dominica, iuxta assertionem sancti Ambrosij, Gregorij, & aliorum sanctorum Patrum, Quadragesimam propriè exordimur, &c.

Petrus Alphonsus. 1106.

Titulo 12. Quia Christus venit, & totam legem compleuit, & quadraginta dies ieiunauit, ideo Apostoli, discipuli scilicet, sui, quadraginta dies in loco vnius præceperunt: quia magis valet ieiunium quadraginta dierum, quàm vnus, & pœnitentia quadraginta dierum magis proficit, quàm vnius.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De diuinis officijs libro 3. cap. 5. Inter cæteras hebdomadæ Ferias quarta & sexta Feria maximè ieiunijs idcirco deputantur, quia Dominicæ passionis memoria præ alijs insignitæ sunt. Quarta namque Feria Dominus à Iuda traditore venditus, & sexta à Iudæis crucifixus est. Itaque per singulas Dominicas proprias Euangeliorum & Epistolarum lectiones habent, & ieiunijs, Litanijs, & abstinentijs pœnitentium magis idoneæ iudicatæ sunt; vt quibus diebus innocens Dominus venditus, & pro seruis suis passus est, seruus peccator fleat, & ieiunet, & lectionem sanctam solemnius audiat. Quapropter quatuor temporum ieiunia per easdem Ferias celebrari instituta sunt, addita Dominicæ sepulturæ die, scilicet Sabbato, vt tres dies ieiunij sint, quatenus trium mensium cuiusque temporis temperiem bonam, trium dierum, quibus ieiunamus, salubri commercio impetremus, vt pro mense diem vnum Domino offerentes, tranquillam vitam peragamus.

Lib. 4. cap. 9. Non solùm Dominica hæc Quadragesima dicitur, quemadmodum illæ, quæ præcesserunt,

ferunt, Quinquagesima, Sexagesima, & Septuagesima: sed & hoc omne tempus, quod ab hac die vsque ad sacratissimam Paschæ solennitatem tenditur, Quadragesima nuncupatur, videlicet propter imitationem Dominici ieiunij, quam per hos dies extendimus.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone in Dominic. 1. Quadragesimæ: Ista Quadragesima est Christianorum carrina: nam multa in anno committimus, quæ pertinent ad carrinam, & ideo Ecclesia statuit, vt pro ijs ieiunemus hanc Quadragesimam. Est etiam decima vitæ nostræ. Sicut enim de alijs rebus, ita etiam decimam debemus dare de diebus. Annus namque 360. diebus constat: & cùm nos de ista 40. exceptis Dominicis diebus 36. abstinemus, quasi decimam de diebus persoluimus, &c. Qui quatuor nostri corporis qualitatibus, in quatuor anni temporibus, contra Dei decem præcepta fecimus, iustum est, vt ijs quaterdenis diebus Deo nostro satisfaciamus. Hoc autem ideo circa passionem Domini agimus, quia si compatimur, & conregnabimus.

Bernardus. 1130.

In Vigilia S. Andreæ Apostoli: Sanctorum Festa præcipua Patrum sanxit auctoritas votiuis præuenienda ieiunijs. Vtiliter planè, & non ad insipientiam nobis, si adfuerit qui aduertat. Multa siquidem quotidie peccata contrahimus, *& in multis offendimus omnes*, nec tutum omnino est celebrandas suscipere festiuitates sacras, maximeqúe eas quæ maximæ sunt, nisi prius abstinentiæ purificatione præmissa, quò & digniores, & capaciores inueniamur spiritualium gaudiorum, &c. Non modò tamen præparatio est ad proximam celebritatem obseruatio præmissa ieiunij: est & admonitio quædam, eruditioqúe non parua. Discimus ex hoc ipso, quænam vera sit via festiuitatis æternæ. Quid est enim quòd ieiunijs solennia præuenimus, nisi quòd per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei? Indignus quippe solenni lætitia est, qui statutam Vigiliæ abstinentiam non obseruat. Planè, inquam, si renuis affligere animam tuam in Vigilia, indignus iure censeris requie & exultatione festiua.

Sermone 1. de Quadragesima: Hodie, dilectissimi, sacrum Quadragesimæ tempus ingredimur, tempus militiæ Christianæ. Non nobis singularis est hæc obseruatio, vna omnium est, quicunque in eandem fidei conueniunt vnitatem. Quidni commune sit ieiunium omnibus Christianis? Quidni caput suum membra sequantur?

Sermone 3. de Quadragesima: Rogo vos, dilectissimi, tota deuotione suscipite Quadragesimale ieiunium, quod non sola abstinentia commendat, sed multo magis sacramentum. Nam si deuotè vsque modò ieiunamus, vtique sancto hoc tempore ieiunandum nobis est multo deuotius. Si quid enim additur ad solitum abstinentiæ modum, nunquid non valde indignum est, vt nobis onerosum sit quod Ecclesia portat vniuersa nobiscum? Hactenus vsque ad nonam ieiunauimus soli, nunc vsque ad vesperam ieiunabunt nobiscum pariter vniuersi reges & principes, clerus & populus, nobiles & ignobiles, simul in vnum diues & pauper.

Hugo Victorinus. 1130.

De specialibus Missarum obseruationibus lib. 3. cap. 1. Per quattuor anni tempora, scilicet Ver, AEstatem, Autumnum, & Hyemem, in quibus in multis deliquimus omnes, constituit primitiua Ecclesia quatuor celebrari ieiunia: quibus pro qualitate criminum, alij plus, alij minus abstinentes peccata sua deflerent.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 1. in die Cinerum: Triplex est solenne ieiunium, quod generaliter indicit Ecclesia: primum in quatuor temporum obseruantia: secundum in Quadragesimalium abstinentia: tertium in festiuitatum Vigilia. Quodlibet eorum certis temporibus, certisqúe diebus, certis rationibus, certisqúe causis est institutum.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica in Quinquagesima: Appropinquante sacro Quadragesimali ieiunio, non debemus pedes coinquinare, sed magis abluere & purificare, more eorum, qui ingressuri sunt balneum.

In capite ieiunij, ex libro Sapientiæ: Tempus Quadragesimalis obseruantiæ tempus Deo charum & acceptabile est: tempus est militiæ Christianæ, tempus belli & victoriæ.

Conradus Vrspergensis Abbas. 1226.

In Chronicis de anno 1124. de Ottone Episcopo Bambergensi: Pomeranos ad fidem conuertit, eosqúe docuit, vt Quadragesimam ieiunijs, vigilijs, eleemosynis, & orationibus diligentissimè obseruare studeant.

Hugo Cardinalis. 1240.

Ad cap. 2. Marci: In Quadragesima Ecclesia ieiunat, & cantica lætitiæ subticet, scilicet Alleluia. In septimana Pentecostes ieiunat, & cantica lætitiæ frequentat: Tunc enim cantatur Alleluia.

VVilhelmus Durandus. 1280.

In Rationali diuinorum lib. 6. cap. 7. de ieiunijs: Comedere ante horam comedendi, & ante Missam in ieiunijs statutis & necessarijs, mortale peccatum esse sacri Canones affirmant: in voluntarijs verò veniale.

Iacobus Genuensis. 1280.

Dominica in Quadragesima Sermone 2. Ieiunium Quadragesimale approbatum fuerat per legem Mosaicam, & per legem Propheticam, & per legem Euangelicam.

Albertus Patauinus. 1300.

Sermone 3. In Quadragesima non ieiunare peccatum est. Alio tempore qui ieiunat, accipiet indulgentiam: in Quadragesima qui potest & non ieiunat, sentiet pœnam.

Durandus à sancto Portiano. 1316.

Lib. 4. Sentent. distinct. 15. quæst. 9. Ieiunium Quadragesimæ, & alia ieiunia per Ecclesiam instituta, & generali consuetudine approbata, cadunt sub præcepto: ita, quòd qui ea non obseruat, sed absque necessitate frangit, vel causa rationabili, peccat mortaliter.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 1. cap. 22. Sicut in Lege iubemur offerre primitias & decimas rerum: ita quadraginta diebus ieiunando, offerimus primitias & decimas dierum. Igitur tempore Quadragesimæ plus solito debemus abstinentiæ & deuotioni intendere, & aliorum temporum negligentias hoc tempore sancto diluere & emendare.

Guido Carmelita. 1340.

De Aërianis: Errant in eo, quòd dicunt: Ieiunia non debent institui, ne videamur esse sub lege, sed quisque ieiunet pro libito voluntatis. Quia præcepta dantur de actibus virtutum, quæ obligant in omni Lege, nec in hoc est minor obligatio in noua, quàm in veteri Lege, cùm virtuosum esse, sit de iure naturali, quo quisque tenetur, vt sit bonus & virtuosus, & hoc recta ratio præcipit, & dictat secundùm Philosophum 2. Ethicor. Sed constat quòd ieiuniorum obseruantia ad virtutem pertinet temperantiæ & sobrietatis. Ergo in

noua Lege, in qua magis præcipiuntur virtutes, sunt ieiunia statuenda, & præcipienda.

Ioannes Bromiardus. 1400.

In Summa Pred. de Ieiunio: Tempus ad ieiunium ordinatum (præter alias Vigilias, quæ in Ecclesia sub præcepto cadunt) est tota Quadragesima, exceptis diebus Dominicis. Ita bene sub præcepto cadit Feria tertia, quinta, sicut sexta: quia dicit decretum, quòd illud ieiunium adeò strictè est obseruandum, vt qui vnum diem fregerit, bis commedendo, totam Quadragesimam videtur violasse, siue inhonorasse.

Ioannes Gerson. 1420.

Opusculo tripartito de præceptis Decalogi: Transgredimur quartum præceptum, indicta ab Ecclesia ieiunia sine causa rationabili soluentes, cùm tamen ea obseruari possent sine corporis notabili grauamine.

Bernardinus Senensis. 1440.

Tom. 1. de sacro Ieiunio, Serm. 5. artic. 2. Obligatur homo ad ieiunium Ecclesiæ, quia sic est ab Ecclesia institutum, scilicet, quòd aliquibus temporibus homo ieiunare teneatur. Vnde præceptum est ieiunium primò per totam Quadragesimam, exceptis diebus Dominicis. Secundò in quatuor anni temporibus. Tertiò in omnibus Vigil. ijs Apostolorum, Philippi & Iacobi, & Ioannis Euangelistæ, & Barnabæ exceptis. Quartò in Vigilia Dominicæ Natiuitatis. Quintò in Vigilia Pentecostes. Sextò in Vigilia Assumptionis gloriosæ Virginis. Septimò in Vigilia B. Ioannis Baptistæ, sancti Laurentij, & omnium Sanctorum: & hoc de consuetudine approbata, quæ ligat. Octauò, in Vigilia B. Bartholomæi Apostoli. Nonò debitum est ieiunium secundùm consuetudinem patriæ approbatam. Decimò in tribus diebus Rogationum ante Ascensionem Domini ieiunandum est.

Ioannes Capistranus. 1440.

Sermone in capite Ieiunij: In aliquibus partibus seu regionibus in die Sabbati comeduntur carnes: in die autem Veneris, siue in sexta Feria, institutum est per Canones, abstinendum à carnibus. Seruetur igitur consuetudo regionis ac prouinciæ. Dicis, quare aues sunt prohibitæ comedi tempore Quadragesimæ, & non pisces, cùm tamen tam aues, quàm pisces ex aqua sint procreati? Respondetur, quòd hæc causa est, quòd aues sint calidæ naturæ, & pisces frigidæ. Modò illud, quod est calidæ naturæ, magis incitatiuum est ad libidinem, quàm quod est frigidæ naturæ. Sed ex quo hoc tempore Quadragesimali magis debemus castè viuere, quàm alijs temporibus: ideò prohibentur comedi aues, pari modo & carnes, & non pisces, qui sunt frigidæ naturæ.

Dionysius Carthusianus. 1450.

Sermone 1. in epistola Dominicæ 1. Quadragesimæ: Quamuis omne tempus nostrum in hac vita appelletur acceptabile, ac dies salutis: specialissimum tamen tempus illud Quadragesimalis ieiunij, quod sancta ordinauit, instituit, atque deputauit Ecclesia, vt in ipso singularissimè actibus pœnitentiæ insistamus, compunctioni & deuotioni vacemus, Christo propter nos passo compatiamur, cum ipso etiam ieiunemus, cæterorum dierum negligentias, ac peccata recuperemus, & emendemus, sicque ad recolendam & celebrandam Christi passionem & resurrectionem, atque ad corporis & sanguinis sui dignam susceptionem salubriter disponamur.

Sermone 3. super Euangel. Dominicæ 1. Quadragesimæ: Quoniam tempus istud Quadragesimale est tempus ieiunij, & ieiunium Quadragesimale appellatur: sciendum, quòd ieiunium est actus virtutis, quæ abstinentia dicitur, quæ est species temperantiæ. Præcepit autem Ecclesia, vt omnes Christi fideles ieiunium istud Quadragesimale obseruent; quos ætas, aut debilitas, aut alia causa rationabilis non excusat. Idcirco quicunque absque rationabili causa istud non seruat ieiunium, peccat mortaliter, & toties, quoties frangit istud ieiunium. Istud ergo ieiunium est de necessitate salutis, quoniam cadit sub præcepto.

Ioannes de Turre Cremata. 1460.

Tractatu 115. super Regulam Benedicti: Tempus Quadragesimæ est tempus pœnitentiæ, tempus ieiunij, tempus lachrymarum, & tempus salutis, tempus iustificationis, & tempus recõciliationis, tempus certaminis, & tempus accumulationis meritorum.

Baptista Mantuanus. 1500.

Libro 2. Pastorum de Quadragesima:

Sanctum Pascha volens veterum prudentia Patrum
Reddere nobilius, dignoque attollere cultu,
Subiunxêre dies atros, & tempora longa
Dura fame, postquam Christus ieiunia fecit
Exemplo veneranda suo, cùm flumine tinctus,
Iuit in excelsi deserta cacumina montis,
Atque quaterdenos vltra sua prandia soles
Distulit, expositus vento, gelidaque pruina.
At quia lux Solis nunquam ieiunia seruat:
Christus enim dedit hunc illi rediuiuus honorem:
Sex iunxêre dies hac ad ieiunia sancti,
Pro totidem, quos hæc fugit obseruantia, Patres.
Prætereo tres hebdomadas, quas addidit istis
Religio, quia vim legi dare noluit vsus:
Vsus enim firmare potest, & frangere leges
Temporis istius tetrici nimiumque seueri.
Prima dies cupiens infrænem extinguere luxum,
Manè sacrat cineres, turbisque ad templa vocatis
In caput effundit, memor atque nouissima fata, &c.

Concilium Moguntinum. 1549.

Cap. 47. Pastores eos, quos necessitas nulla excusat, etiam ad statuta Ecclesiæ ieiunia obseruanda inducant, ipsumque ieiunium diuini esse præcepti doceant. Tempora verò ieiunandi, prout salubritati corporum & animarum expedire videbatur, ab Ecclesia ordinata, & totius Christiani orbis consensu recepta, & iam inde ab Apostolorum temporibus obseruata sunt, quæ qui extra necessitatem non obseruauerint, velut Ecclesiasticæ disciplinæ violatores, & consuetudinum Ecclesiæ temerarij contemptores, seueritate pœnarum coerceri debent.

(****)

ARTI-

ARTICVLVS DECIMVS.

STATVTIS IEIVNIORVM TEMPORIBVS A CERTIS CIBORVM GENERIBVS ABSTINENDVM ESSE.

NEGANT.

Anno ante natũ Chri stũ 100. NICOLAITÆ, & Valentiniani cibos etiam idolis immolatos audacter edebant. Irenæus lib. 1. cap. 1. & 27.

350. *Aerius tempore ieiuniorum omni genere carnium delicatissimè vtebatur.* Epiphanius de Aerianis.

380. *Iouinianus dicebat, à certis cibis abstinentiam non prodesse, nec vllius esse meriti.* Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, Augustinus libro de hæresibus ad Quoduultdeum, hæresi 82.

400. Faustus Manichæus apud Augustinum lib. 30. cap. 3 & 4. contra eum scripto: *Si Quadragesima,* inquit, *non superstitiosè è vobis colitur, sed diuina lege quotannis omni studio per orbem terrarum in conuentu Catholico seruatur, videte, ne summa dementia sit, hoc à Paulo dictum putare, quòd dæmoniorum doctrina sit omnis abstinentia cibi.*

1180. *VValdenses dicunt, quòd comedere carnes in Quadragesima, & in diebus ieiuniorum non sit peccatum, cùm eas comedere non prohibuerit Christus.* Guido de VValdensibus errore 22.

1315. *Lollardi ieiunium irridebant, carnibus omni tempore, etiam sexta feria Parasceues vescebantur.* Trithemius in Chronico Hirsaugiensi de anno 1315.

1520. Erasmus Roterodamus epistola præposita Paraphrasi primæ ad Corinthios: *Mihi purioris Christianismi videtur, magisque consentaneum Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ, si nullum certum cibi genus præscribatur, sed admoneantur omnes, vt quisque pro corporis habitu vescatur, quæ maximè conducunt bonæ valetudini, non ad luxum, sed ad sobrietatem, cum gratiarum actione ac studio bonæ mentis.*

Et in Paraphrasi capitis octaui prioris ad Corinth. *Approbo quod dicis, esca non commendat nos Deo: cùm enim Deus vniuersa creauerit ad vsus humanos, neque quicquam à nobis exigat, præter vitæ pietatem, quid illius refert, piscium, an quadrupedum, an volatilium carnibus vescamur? Nihil enim pietati quicquam vel addit, vel adimit horum delectus: superstitiosum facere potest, pium nequaquam. Christus nullum horum discrimen docuit. Proinde temeritas est, si quis homunculus conetur quemquam huiusmodi constitutionibus onerare: pro suo quisque corporis affectu vescatur, quibus velit, modo sobriè parcéque, super omnibus gratias agens Deo.*

Epistola ad Episcopum Basileensem: *Paulatim irrepsit consuetudo, quæ diem Veneris pisculentum nobis reddidit. Deinde vbi hoc successit, adiuncta est & Sabbati dies: nunc etiam Mercury periclitatur, ob idque genus obseruatiunculas videmus homines affligi, & denique mori, sibique Christianos videri, cùm sint Iudæi.*

1522. Lutherus Sermone de simulachris, & delectu ciborum: *Verum est nos liberos esse, omniquè esca, siue carnibus, siue piscibus, ouis, aut butyro liberè vesci posse, id quod nemo inficias ibit. Si quis te vi adigere vellet, vt Papa in suis constitutionibus fecit, vt Feria sexta à carnium esu tibi temperares, & pisces comederes, similiter tempore ieiunii piscibus, non ouis, aut butyro, & id genus alys victitares, hic nullo modo te à libertate, in qua à Deo positus es, deturbari permittas, sed contra potius, vt talem malè vras, facito, sic ipsi in os ostendendo, dicas: Ecce tu, quia carnis esum mihi interdicis, & ex libertate mea præceptum mihi facere conaris, ob eam maximè rem, vt tibi doleat, iam vescor carne.*

De doctrinis hominum vitandis: *Liberum & concessum est fidelibus, & iis, qui agnouerunt veritatem, vesci lacte, butyro, caseo, carne quolibet die, siue Dominica, siue Veneris, siue in Quadragesima, siue in Aduentu.*

Contra Ambrosium Catharinum: *Octaua Antichristi facies est, delectus ille ciborum & ieiuniorum, quæ libera per omnes dies sunt. At hodie sic ieiunatur, non vt caro mortificetur, sed quia bonum opus sit, hoc vel illo cibo abstinuisse, quo cælum mercantur. Quid autem hoc aliud, quàm impia facies est?*

1530. *Huldaricus Zuinglius,* libro de delectu & libero ciborum esu, *quouis die quouis ciborum genere vesci licere asserit.*

1550. Ioannes Caluinus lib. 4. Instit. cap. 12. §. 21. *Latæ sunt impiæ leges, quæ conscientias exitialibus vinculis stringunt. Interdictus est carnium esus, quasi hominem contaminaret. Additæ sunt sacrilegæ opiniones aliæ super alias, donec in profundum omnium errorum ventum est.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 1. *vers.* 29. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam.

Genes. 2. 16. Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comede: De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris

Genes. 9. 3. Et omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia: excepto quòd carnem cum sanguine non comederis

Leuitici 10. 6. Dixitque Dominus ad Aaron: Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonij, ne moriamini: quia præceptum sempiternum est in generationes vestras: Et vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum: doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quæ locutus est DOMINVS ad eos per manum Moysi.

Numer. 6. 2. Loquere ad filios Israel, & dices ad eos: Vir, siue mulier, cùm fecerint votum vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, à vino, & omni quod inebriare potest, abstinebunt. Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quicquid de vua exprimitur, non bibent: vuas recentes siccasque non comedent cunctis diebus quibus ex voto Domino consecrantur: quicquid ex vinea esse potest, ab vua passa vsque ad acinum non comedent.

Iudic. 13. 3. Angelus Domini apparuit vxori Manue, & dixit ad eam: Sterilis es & absque liberis: sed concipies & paries filium, caue ergo ne bibas vinum aut siceram, nec immundum quicquam comedas 13. Dixitque Angelus Domini ad Manue: Ab omnibus, quæ locutus sum vxori tuæ, abstineat se: & quicquid ex vinea nascitur, non comedat: vinum & siceram non bibat, nullo vescatur immundo: & quod ei præcepi, impleat atque custodiat.

Ieremiæ 35. 1. Verbum quod factum est ad Ieremiam à Domino, &c. dicens: Vade ad domum Rechabitarum, & loquere eis, & introduces eos in domum DOMINI in vnam exedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum. Et assumpsi Iezoniam filium Ieremiæ filij Habsaniæ, & fratres eius, & omnes filios eius, & vniuersam domum Rechabitarum. Et introduxi eos in domum Domini, ad gazophylacium filiorum Hanan, filij Iegedeliæ hominis DEI. 5. Et posui coram filijs domus Rechabitarum scyphos plenos vino, & calices: & dixi ad eos, Bibite vinum. Qui responderunt: Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum vos & filij vestri vsque in sempiternum. Et domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis: sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, vt viuatis diebus multis super faciem terræ, in qua vos peregrinamini. Obediuimus ergo voci Ionadab filij Rechab, patris nostri, in omnibus quæ præcepit nobis: ita vt non biberemus vinum cunctis diebus nostris nos & mulieres nostræ, filij & filiæ nostræ. 18. Domui autem Rechabitarum dixit Ieremias: Hæc dicit DOMINVS exercituum, Deus Israel: Pro eo quòd obedistis præcepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa quæ præcepit vobis: propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.

Danielis 1. 8. Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensam regis, neque de vino potus eius: & rogauit enuchorum præpositum ne contaminaretur. Dedit autem Deus Danieli gratiam & misericordiam in conspectu principis enuchorum. 12. Dentur, *inquit Daniel*, nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum: & contemplare vultus nostros, & vultus puerorum qui vescuntur cibo regio. 15. Post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus pueris qui vescebantur cibo regio, &c.

Danielis 10. 2. In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, sed neque vnguento vnctus sum, donec complerentur trium hebdomadarum dies.

1. *Machab.* 1. 65. Et multi de populo Israel definierunt apud se, vt non manducarent immunda: & elegerunt magis mori, quàm cibis coinquinari immundis: & noluerunt infringere legem Dei sanctam, & trucidati sunt.

Matthæi 3. 4. Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pel-

liceam circa lumbos suos: esca autem eius erat locustæ & mel syluestre.

Lucæ 1.13. Ait Angelus ad Zachariam: Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem. 15. Vinum & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur.

Actor. 15.28. Visum est enim Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos bene agetis.

Rom. 14. 19. Quæ pacis sunt, sectemur: & quæ ædificationis sunt, inuicem custodiamus. Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.

1. *Corinth.* 8. 13. Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

1. *Timot.* 5. 23. Noli adhuc aquam bibere: sed modico vino vtere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Canone Apostolorum 50. Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quiuis omninò de sacerdotali consortio, nuptijs, carnibus, & vino abstinuerit, non propterea quo mens ad cultum pietatis reddatur exercitatior, sed propter abominationem, corrigitor, aut deponitor, & ex Ecclesia eijcitor: consimiliter & laicus.

Can. 52. Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus carnibus & vino festiuis diebus non vtatur, idque propter abominationem, non propter exercitationem ad cultum pietatis, deponitor.

Constitut. Apostol. lib. 5. *cap.* 17. Ieiunate igitur diebus Paschæ, incipientes à secunda Feria vsque ad sextam, & Sabbatum: sex diebus pane tantùm, sale, oleribus, & aqua mensæ adhibitis. Abstinete his diebus à vino & carne, dies quippe luctus, & non festi sunt.

Hegesippus. 160.

Libro 5. *de Iacobo Iusto:* Hic ab vtero matris suæ sanctus fuit, vinum & siceram non bibit, animalium carnibus abstinuit.

Irenæus. 180.

Lib. 1. *cap.* 1. *de hæresibus Valentinianorum:* Quapropter & intimoratè omnia, quæ vetantur, hi, qui sunt ipsorum præfecti, operantur. De quibus Scripturæ confirmant, quoniam qui faciunt ea, regnum Dei non hæreditabunt. Etenim idolothyta Galat. 5. indifferenter manducant, nihil inquinari ab ijs putantes, & in omnem diem festum Ethnicorum pro voluntate in honore idolorum factum primi conueniunt: vt in nihilo quidem abstineant, quod est apud Deum, & apud homines odiosum muneris homicidiale spectaculum.

Clemens Alexandrinus. 200.

Libro 2. *Pædagogi cap.* 1. Victus Christiani ratio non lautitijs paratur & delitijs. A cibis enim titillantibus, & ad venerem incitantibus, procul est mensa veritatis. Etsi enim maximè propter homines omnia facta sunt, non tamen omnibus vti bonum est, sed neque semper. Nam tempus, occasio, modus, & ad aliquid relatio, non parum ei, qui instituitur, momenti adferunt ad id, quod sibi est vtile.

Concilium Ancyranum. 316.

Can. 14. Qui in clero sunt Presbyteri vel Diaconi à carnibus abstinentes, visum est eas attingere, & sic, si velint, ab ijs abstinere: si autem nolint olera, quæ cum carnibus apponuntur, comedere, & Canoni non cedant, ab ordine cessare.

Eusebius Cæsareensis. 320.

Lib. 5. *histor. cap.* 1. Biblis in martyrio ad se reuersa: Quomodo, inquit, eiusmodi viri liberos suos deuorare in animum poterunt inducere, quibus ne licitum quidem sit sanguinem animalium ratione carentium comedere?

Concilium Gangrense. 324.

Canone 2. Si quis eum, qui carnem, præter sanguinem, & idolothytum, & suffocatum, cum pietate & fide comedit, condemnat, tanquam eò quòd ea vescatur, spem non habebat, sit anathema.

Athanasius. 340.

In vita D. Antonij: Inediæ autem & vigiliarum in tantum patiens erat, vt credulitatem viribus vinceret: pernoctabat in oratione sæpissimè, edebat semel in die, post solis occasum: nonnunquam biduo triduoque sic permanens, quarta demum die reficiebatur. Sumebat verò panem & sal, potumque aquæ perparuum. De carnibus verò & vino melius tacere puto, quàm quicquam dicere. Quoniam nec apud plurimos quidem Monachorum istiusmodi escæ in vsu habentur, &c. Sic Antonio impenetrabilia montium, & deserti interiora captanti, orationibus etiam dedito, introeuntes fratres magnis vix precibus extorserunt, vt oliuas, & legumen, & oleum, quod post menses aliquot ministrabant, dignaretur accipere, & simili modicum laxaret ætati.

Basilius Magnus. 370.

In Constitutionibus Monasticis cap. 26. Ciborum diuersitatem nullo modo consectari Monachus debet: neque prætextu videlicet continentiæ ab solitis in communi vsurpari escis discedere. Siquidem hoc communis disciplinæ peruersio, & scandalorum occasio est: & væ illi, qui in pietatis cultorum conuentum huiuscemodi causas perturbationis attulerit. Sed licet vsitatum hoc salsamentum, quod iure incoctum veteribus sanctis Patribus, pulmentis loco alterius cuiusdam condimenti addi placuit, commistum sit cum reliquo ferculo, aquæ, olerumve, neutiquam per simulationem ab se inuentæ suæ vanæque cuiusdam religionis reijcere debet, illud quasi qui carnes repudiet, & fercula alia meliora, & pretij maioris inquirere: sed in minimi salitæ carnis frusti decocto, buccеam reiecta omni obseruatione intingere, & cum omni gratiarum actione assumere. Siquidem minutissimum frustulum illud in tam magnam aquæ copiam, aut leguminum (si ita fors ferat) coniectum, nequaquam indicium cupediæ est, sed seuerissima & verè durissima pietatis cultorum

rum continentia. Quæ igitur huiusmodi sunt, hæc religionis cultor obseruando captare non debet. Neque enim propterea ab his non abstinemus, quòd Iudæorum ritibus faueamus, sed vt deliciarum saturitatem fugiamus.

Ad Amphilochium de differentia ciborum: Egregijs autem Encratitis ad præclaram eorum obiectionem, cur nos quoque non omnia comedimus, illud dicatur, quòd etiam excrementa nostra abominamur. Nam dignitate quidem olera nobis carnes sunt: quòd verò ad eorum quæ sunt vtilia attinet discretionem, sicut & in oleribus id quod est noxium discernimus. Nam olus quidem est cicuta, quemadmodum & vulturina caro, caro est: tamen nec quis hyoscyamum attigerit, si capiat, nec canem attigerit, nisi magna necessitate vrgente. Quamobrem qui comedit non iniquè fecit.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 4. Ieiunamus à vino & à carnibus abstinentes, non quòd oderimus hæc tanquam abominationes, sed quòd præmium expectamus, vt sensibilia despicientes, spirituali deinceps & intellectuali mensa fruamur: & nunc seminantes in lachrymis, in futuro seculo cum exultatione metamus.

Epiphanius. 380.

Hæresi 75. Si verò etiam oportet constitutionem Apostolorum proferre, quomodo illi decreuerunt, quarta & prosabbato ieiunium per omnia, excepta Pentecoste, & de sex diebus Paschatis, quomodo præcipiunt nihil omnino accipere, quàm panem, & salem, & aquam, qualemque diem agere, & quomodo dimittere in illucescentem Dominicam, manifestum est. *Constit. Apostol. lib. 5. cap.*

In compendiaria doctrina: Per sex dies ipsius Paschatis omnes populi in siccorum esu perseuerant, pane, inquam, & sale, & aqua tunc vtentes ad vesperam. Sed & pietatis studiosi duplas & triplas ac quadruplas transmittunt, & aliqui totam hebdomadam, vsque ad gallicinium Dominicæ illucescentis. Sunt præterea aliæ præeminentes vitæ conuersationes, quæ in eadem sancta Catholica Ecclesia seruantur: eorum, inquam, qui ab omnibus carnibus abstinent, quadrupedibusque & volatilibus ac piscibus, ouo item & caseo, & alia diuersa vitæ instituta. Nam vnusquisque secundùm proprium laborem accipiet mercedem. Et quidam sanè abstinent ab omnibus his, aliqui verò à quadrupedibus solùm, volatilibus verò & reliquis vescuntur: alij verò à volucribus abstinent, vtuntur autem ouis & piscibus: alij neque ouis vescuntur: alij piscibus solis: alij etiam à piscibus abstinent, caseo verò vescuntur: alij autem neque caseum sumunt. Iam verò adhuc alij etiam à pane abstinent, alij etiam ab arborum fructibus duris ac nucibus, & à coctis, &c.

Theophilus Alexandrinus. 390.

Epist. 3. Paschali: Nequaquam diebus Quadragesimæ, sicut luxuriosi diuites solent, vini poculum suspiremus, neque in procinctu & prælio, vbi labor & sudor est necessarius, carnium edulio delectemur, &c. Qui autem legum præcepta custodiunt, ignorant vinum in ieiunijs, carnium esum repudiant, & insatiabilem auaritiam Dei timore compescunt. Vnde ad continentes Scriptura quotidie clamitat: *Vinum & siceram non bibent.* Et è contrario Iudæi ob culpam audiunt: *Dabatis bibere sanctis vinum, & Prophetis,* & præcipiebatis, dicentes: Non possunt suscipere correctionem, qui luxuriæ oblectatione capiuntur, neque ventris ingluuiem ratione & consilijs refrænare, amore ieiunij, qui desidia & peritura citò voluptate studium virtutis infamant, non erubescentes vinum clam bibere, & auidis faucibus arbitros declinantes, in cubiculis mussa potare, vt inediam & ieiunia, quæ vltrò appetere debebant, ieiuniorum tempore luxuria & ebrietate committant: nescientes quòd etiamsi hominum conscientiam fugiant, & clausis parietibus vescantur carnibus, atque aues altiles diebus Quadragesimæ, & propinquante Pascha immundis manibus lacerent, tristi vultu foris ieiunia promittentes, corripiat huiuscemodi Dominus, & dicat: *Iniquitates magnas faciunt isti, vt recedant à sanctis meis.* Non decet ieiunantes, tempore agonis & prælij, vesci carnibus, monente Scriptura: *Affligetis animas vestras.* Neque phasides aues solicito labore perquirere, & garrulas volucres, earumque pinguedinem hianti ingerere gulæ. Nec inuestigare magni pretij coquos, qui ventris rabiem iure multiplici, & carnibus confusione mutatis, diuersoque ciborum sapore demulceant: fumantibus patinis, & nidore sui furori gutturis blandientibus, cum iniuria continentiæ, diuersi saporis & coloris vina quærantur. Docet nos sancti Danielis historia, & trium puerorum virtus, consona appetere & honorare ieiunia, qui in seruitutem libertate mutata, cùm captiui debuerunt desiderare delitias, contempserunt Babylonias dapes, & simplicem cibum regali mensæ prætulerunt, &c. Suademus eis, qui tempore ieiuniorum esu carnium delectantur, imitari Sanctorum continentiam, qui nulla vi superari potuerunt, vt rigorem virtutis amitterent, vt Babyloniorum imperia formidantes, captiuam in se ostenderent voluptatem: sed manserunt liberi, ventrisque desideria ratione superârunt, & titillantem gulæ vicerunt luxuriam, nobisque suæ fortitudinis exemplaria reliquerunt, habitantes in Babylone corporibus, sed sensu & fide cum Angelis in cælesti Hierusalem morantes, vt omnem deinceps ætatem docerent, ieiuniorum tempore à vino & carnibus abstinendum, sumere de terra semina, & potandam aquam, quibus comitibus vtitur pudicitia. Quid memorem insignes Machabæorum victorias, qui ne illicitis carnibus vescerentur, & communes tangerent cibos, corpora obtulêre cruciatibus, totiusque orbis in Ecclesijs Christi laudibus prædicantur, fortiores pœnis, ardentiores quibus comburebantur ignibus. *Leu. 23.*

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia prima in Genesim: Hæ (*Quadragesimales*) Feriæ sunt, vbi animarum salus, vbi pax, & concordia est, vbi omnis huius vitæ apparatus abigitur, vbi clamor & tumultus, & coquorum discursus, & pecudum mactationes è medio tolluntur.

Homilia secunda: Ieiunium est animarum nostrarum tranquillitas, senum decor, adolescentum pædagogus, continentium magister, quod omnem ætatem & sexum quasi diademate quodam ornat. Nusquam hodie tumultus, vel clamor, vel carnium concisiones, vel coquorum discursus: sed omnia illa abierunt, & imitatur hæc ciuitas honestam quandam, continentem, & sobriam matremfamilias.

Sermone 1. de Ieiunio: Cuius gratia occisi sunt filij Aaron sacerdotes? Nonne quia in ministerio vinum gustarunt? Quæ erat lex Nazaræorum? Nonne abstinere à vino, & omnibus quæ inebriant? Daniel cum suis legumina comedebant, contemnentes mensam tyranni Nabuchodonosor. Ieiunauit Daniel triginta sex dierum hebdomadas: & vir ille desideriorum, quia à concupiscentijs sibi temperabat, cognomen sortitus est. Et quomodo ieiunauit non vnum Iudaicum diem, & breuem, sed triginta sex dierum hebdomadas? Et ipse præfigurabat Ecclesiæ consuetudinem. *Panem,*

ait, *delicatum non comedebam.* Alij autem pro voluptate sua aliquando bibunt: *Vinum & caro non intrauit in os meum*, à quibus ieiunat Ecclesia. Vide in veteri Christianam vitam.

Homilia 6. ad populum Antiochenum: Consuetudo res est tam facilis & expedita, quòd adueniente ieiunio, & si millies quis exhortetur, & infinita crucient: & cogant vinum delibare, vel aliud quid ieiunij lege non concessum gustare, omnia quis mallet pati, quàm prohibitum tangere nutrimentum.

Palladius. 400.

Historia sanctorum Patrum cap. 20. de sancto Macario: Me præsente adductus est ad eum puer, qui vexabatur à spiritu: cùm vnxisset eum oleo sancto, & aquam infudisset, præcepit ne quadraginta diebus carnes tangeret, nec vinum, & sic eum curauit.

Cap. 145. de Candida: Hanc ego vidi egregiã mulierem tota nocte laborantem & molentem, & proprijs manibus facientem panem oblationis, ad vires corporis deprimendas, & dicentem: Cùm non sufficiat ieiunium, hanc ei do sociam laboriosam vigiliam, vt Esau dissoluam, eneruemq; lasciuiam. Ea ab ijs, quæ sunt sanguine prædita & animata omnino abstinuit, nisi quòd sumebat pisces, & oleum, & olera, idque solum in die festo. Omni autem alio tempore contenta erat oxycrato & pane arido.

Nilus Abbas. 420.

De interemptione Patrum Syne, &c. Multi autem vescuntur crudis oleribus & baccis, mensam minimè artificiosam, & nullis condimentis instructam amplectentes: eorum, qui obsonia condiunt, & panem conficiunt, curiositatem multum valere iubentes: ne si in curando corpore multum temporis ponerent, negligentes essent in eo, in quo oportet perseuerare, sed pura mente Deum colerent, nec carnium crapula grauatam habentes cogitationem, neque ciborum varietate ventris voluptati blandientes.

Cyrillus Alexandrinus. 430

Lib. 7. contra Iulianum: Cæterùm fortasse illud diceret: ab omni animali abstinemus, & Pythagoræ nugas veneramur, &c. Plurimi quidem apud nos fuêre summa bonitate conspicui, qui ad eam peruenêre continentiam, & ita seipsos castigârunt, vt etiam ijs, quæ ad vitam vtilissima, strenuè abstinere voluerint, nempe pane, & oleo: & herbis, & leguminibus ineuitabilem ventris necessitatem placârunt, vsi pura aqua, & exercitationis labore gaudentes: & reiectaneus quidem apud ipsos nullus cibus fuit: abstinuerunt autem à nonnullis, vt dixi, mentis ad deteriora propensionem remorantes, & carnis lasciuiam compescentes.

Socrates. 440.

Libro 5. cap. 21. loquens de diuersis ieiunij obseruationibus: Alij omnino ab omni animantium genere abstinent: alij inter animantia pisces solos comedunt: alij cum piscibus volucres etiam manducant, easq; ex aqua, vt est apud Mosen, nasci asserunt: alij à fructibus, duris integumentis inuolutis, & ab ouis temperant: alij arido pane solo vescuntur: alij ne illo quidem.

Theodoretus. 450.

In Epitome diuinorum decretorum capite de abstinentia: A vino autem, & ab esu carnium, & ab alijs eiusmodi abstinentiam non similiter ac hæretici amplectitur Ecclesia. Illi enim ab ijs, tanquam abominandis, abstinendum esse censent. Ecclesia autem nihil horum decernit. Neque enim eorum prohibet participationem: & ideo alij quidem permissis à Lege bonis, & voluptatibus securi fruuntur, alij verò ab ijs abstinent, nullus autem qui sapit, & rectè sentit, condemnat eum, qui comedit. Nam & abstinentia, & esus participatio sunt in mentis potestate. Porrò autem vita monastica non est ex necessitate, sed libera animi voluntate suscepta. Et hoc ex Apostolicis legibus didicimus: *Qui comedit,* inquit, *non comedentem non spernat, & qui non comedit, comedentem non iudicet.* Rom. 14

In historia sanctorum Patrum cap. 26. de Simeone Stilite: Ex ijs, qui crediderant, quidam Ismaelita Deo votum fecerat, hoc diuino viro teste. Pollicitus autem erat futurum, vt se deinceps perpetuò abstineret ab esu cuiusuis animati. Hoc promissum nescio quomodo quodam tempore transgressus, occisam auem ausus est comedere. Cùm Deus autem per increpationem eum ad conuersionem voluisset deducere, & suum famulum honorare, qui fuerat testis promissi, quod is fuerat transgressus, mutata est in lapidis naturam caro auis, adeò vt nec si vellet quidem, deinceps eo vesci posset.

Diadochus. 480.

De perfectione spirituali cap. 43. Continentiam in victu ita oportet seruare, vt nemo aliquid cibi detestetur. Hoc enim execrabile est, & dæmonis inuentum. Non enim à cibis tanquam malis abstinemus, absit: sed vt à copioso & inutili victu nos refrænantes, partes corporis efferuescentes moderatè castigemus.

Procopius Cæsareensis. 540.

De ædificijs Iustiniani orat. 1. Iustinianus omnibus illis diebus, qui Paschalem solennitatem præcedunt, ieiunio addictis duram quandam vitam egit, nedum regi alienam, sed ne priuato ciui aliquo modo acceptabilem. Per duos dies cibis abstinebat, summo manè identidem è lecto surgens Reipub. inuigilauit. Cibi appetens, vinum, panem, & id genus alia cibaria abesse voluit, brassicam solùm, & agrestes herbas, longo tempore sale & aceto maceratas edebat: potus aqua erat sola. Neque ijs ad saturitatem vtebatur, sed petitum cibum paulisper degustatum mox dimisit, non eo sumpto, qui naturæ erat satis.

Antiochus. 600.

Homil. 7. de ieiunio: Est & illud opus, vt obserues in abstinentia, quæ circa cib. sumptionem versatur, vt ne quem cibum aliquando abomineris. Hoc enim execrabile cum primis, & dæmonum malignitati perquàm simile. Neque enim ab vllo ciborum genere nobis temperamus, quòd suapte natura mali sint, (absit hoc:) magis verò vt nos à pollucibiliore eduliorum voluptate atque illecebra auulsi, membra hæc carnis nostræ, quæ facilè inflammantur & intumescunt, moderatè castigemus.

Georgius Presbyter. 620.

In vita Theodori Archimandritæ: Antiochus Eremita ad centesimum annum peruenerat: sexaginta annorum spatio nec vinum, nec oleum, nec aliud huiusmodi gustauerat: triginta iam annis panem non comederat, oleribus crudis cum sale & aceto vescebatur, & aquam bibebat.

Synodus Trullensis. 710.

Can. 56. Accepimus in Armeniorum regione, & in alijs locis, & in Sabbatis, & in Dominicis sanctæ Quadragesimæ quosdam oua & caseum comedere. Visum est ergo, vt omnis Dei Ecclesia, quæ est in vniuerso terrarum orbe, vnum ordinem sequens ieiunium perficiat, & abstineat sicut ab omni mactabili, sic & ab ouis & caseo, quæ quidem sunt fructus & fœtus eorum, quibus abstinemus: si autem hæc non seruauerint, si sint clerici, deponantur, si laici, segregentur.

Ioannes Damascenus. 730.

Libro de Hæresibus: Aërius ieiunium Feria quarta & sexta, & quadraginta diebus seruari prohibet: carnibus & cibis generis omnis vsus est sine religione.

Ad Cometam de Ieiuniis: Ieiunium non est solùm, cùm quis ab aurora vsque ad vesperam nihil prorsus edit: sed etiam cùm quibusdam cibis abstinemus, vt vino & carne. Sabbatis Quadragesimæ & Dominicis abstinentia à quibusdam cibis sancita est: quia præualet resurrectio, quia vincit, inquam, causa lætitiæ ex resurrectione ad soluendum ieiunium.

Theosterictus. 820.

De S. Niceta: Quis ita continentiam amplexus est, vt pater noster Nicetas, qui vel res necessarias, panem dico & aquam, parcè sumebat? De vino autem, & reliquis delicatis cibis superfluum est dicere.

Anastasius Nicenus. 850.

Quæstione 77. Cùm Christus dicat, non quæ intrant per os coinquinant hominem, cur statuerunt Patres, ne vesceremur carnibus in sanctis ieiunijs? non de cibis hoc dixit Dominus. Nam sciuit quidem, quod nimius esus & potus coinquinant hominem, in ipso excitantes affectiones carnis ad libidinem. Sed quoniam Pharisæi damnauerunt Apostolos, vt qui illotis manibus comederent, ad ea respondens Dominus dicit: Non quicquid per os intrat coinquinat hominem, vtpote sordes manuum, quas vos obseruatis, sed peccata, quæ exeunt ex homine, illa coinquinant hominem.

Simeon Metaphrastes. 950.

De sancta Athanasia cap. 7. Cùm etiam abstinentia multum valeret, paululum panis & aquæ post nonæ horæ tempus gustabat, caseo & pisce omninò abstinens, quæ in solo die festo Paschæ, Deo gratias agens, gustare solita erat. Sanctæ verò Quadragesimæ diebus post biduum sumens cibum, crudis tantùm oleribus contenta erat, in illis sanctis diebus omnino potum non gustans.

Ioannes Zonaras. 1100.

In Canonem Apostolorum 51. A nuptijs & esu carnium viniquè potu propter abstinentiam temperare, probandum id laudandumq́ue venit. Sed hæc abhorrere ac velut animæ perniciosa reijcere, non caret crimine. Nihil enim eorum, quæ fecit Deus, malum est, sed eorum abusus noxia res est, & damnosa.

Theodorus Balsamus. 1130.

In Canonem 51. Apost. Ecclesia eos, qui carnibus vescuntur, & vino vtuntur, non abhorret, nec eos, qui ab his propter exercitationem abstinent, punit. Et ideo animaduertendum est, quomodo quis ijs abstinet. Et si quidem, vt vel maximè impij Bogomili, propter eorum odium, & quòd mali causa sint ijs, qui eis abutuntur, deponetur, si post denuntiationem non corrigatur, vel quod magis est, etiam ex Ecclesia exterminabitur, vt qui aduersus Dei creaturas blasphemet. Si autem propter exercitationem, & quandam religionem ab ijs abstinet, non condemnabitur. Et ideo multi etiam Monachi, qui satis longo tempore propter continentiam nec caseum, nec ouum, nec vinum gustauerant, ea aliquando gustarunt, & omne, quod malam de ijs suspicionem afferebat, offendiculum amputarunt, vt Beatus ille Hesychastes, qui Ferratus dictus est, & qui Eleæ Episcopus vocatus est, Monachus Theodulus in Synodo, vt offendiculum, & improborum quorundam murmurationes tolleret, caseum & ouum gustauit.

Nicetas Choniates. 1200.

Lib. 4. Annalium de Imperio Comneni: Cùm autem Alexius, dum opibus affluebat, summus amator esset lautitiarum, & conuiuijs delectaretur, atque omnes voluptates consectaretur, & carnibus, nec ieiuniorum diebus, vt Feria quarta & Feria sexta, nec alijs solennibus Ferijs abstineret: tum crudis herbis & pomis vescebatur, ieiunijs gaudebat, ac tandem piscibus etiam festis diebus pro delitijs suauissimè vescebatur. Quoties verò veterum cupediarum, & curiosæ illius popinæ recordabatur, condimenta nihil aliud esse dicebat, nisi ventris fastidium: & appetitus irritamenta: naturam enim paucis contentam esse: & bonam corporis habitudinem quouis cibi genere æquè conseruari.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 17. cap. 32. Cùm fames Bizantij increbuisset, rerum necessariarum inopia Imperator Iustinianus secunda statim ieiunij hebdomada carnes in foro venales proponendas promulgauit. Et hoc quidem sic per vim actum. Populus autem, qui pietatem sibi consectandam statuisset, neque eas emebat, neque edebat: mortem sibi potius adeundam esse censens, quàm vt quicquam de patrijs moribus ac traditionibus mutaret.

Nicephorus Gregoras. 1330.

Lib. 7. Annalium: Ioannes Glycys Patriarchicam sedem muneris loco accepit, vxore eius statim monasticum habitum induta. Quem & ipse reuerentia sedis induisset, nisi illius conatui Cæsar obstitisset. Nam cùm corruptus humor non ita multo ante certis anni interuallis articulos eius inuasisset, grauissimè cruciabatur, & de sententia medicorum ei carnibus vescendum erat: qua de causa monasticus habitus ei non est concessus.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 4. Vetus Lex hasce obseruationes habebat, Euangelium verò nequaquam: sed omnia in vniuscuiusque potestate & arbitrio sunt constituta: propter diuinam verò consuetudinem à quibusdam animalibus abstinent, nec illis vescuntur: quemadmodum, qui penes nos sunt, Monachi ab omnium carnium esu abstinēt, nòn quòd has impuras, & reijciendas esse arbitrentur, sed vitam augustiorem sequi cupientes, & Remp. habere longè sublimiorem, propter corporis sui tolerantiam carnibus abstinent.

Georgius Codinus. 1400.

De officialibus palatij Constantinopolitani fol. 118. Et oratione habita ad mensam Imperatoris, quia præterijt Quadragesima, & principium temporis aduenit, quo eduntur carnes, panem, & missum accipit, & abit.

Græci. 1536.

In Horologio Anno 1079. Indictione 14. Vigilia Natalium Christi Dominica κρεοφάγια, id est, tempus edendarum carnium dies 56. ἀπόκρεω, id est, dies abstinentiæ à carnibus 18. Februarij.

Zaga Zabo. 1536.

In Confessione fidei Aethiopica: Die Sabbati, excepto Quadragesimali tempore, carnes semper comedimus, &c. Delectum ciborum sanctissimè obseruatum volumus.

Christiani in Moscouia. 1550.

Ioannes Faber de religione Moscouitarum: Abstinētia apud illos tempore Quadragesimali adeò perficitur, vt hoc tempore in perpetuum nulli suorum hominum carnibus, ouis, caseo & butyro vesci liceat. Tanta est illis harum constitutionum obseruantia, vt quocunque ieiunio piaculum esset aliquem carnibus vesci aut ouis. Narrabant interim quoq; ex suis inueniri, qui cùm ieiunia persoluūt, nihil quod vnquam visum sit vita fungi, neque pisces ipsos ederent: inueniri & alios, qui ieiunio

statutis

statutis diebus neque vinum, neque quicquam aliud potuum bibant.

Paulus Iouius de legatione Basilij Magni Principis Moscouiæ ad Clementem Septimum: Vniuersus populus quater in anno, & pluribus semper diebus ieiunare consueuit, abstinetq; ab esu carnium, ouorum, & lactis. Per hebdomadam diem Mercurij sine carnibus, diem autem Veneris sine ouis, lacteque traducunt.

Ioannes Latiscius in cap. 10. de Theologia Moscouitica: Moscouitæ ante Natalem Domini sex hebdomadas ieiunant, à carnibus, butyro, caseo, ouis abstinentes, leguminibus contenti.

Martinus Crusius Turcograeciæ lib. 3. fol. 273. Monachi Græci haud vnquam vescuntur carnibus, sed plerunque piscibus, nec tamen nisi ratione ieiunij permittente. Tota enim Quadragesima ante Natiuitatem Christi, & Quadragesima post, cum septimana sancta, nec non ab Ascensione Domini diu, & à Kalendis Augusti vsque ad Assumptionem S. Mariæ, item diebus Mercurij & Veneris à piscibus quoque, ouis, & lacticinijs non solùm clerici, sed & laici abstinent: vescuntur interea marinis conchis, ostreis, sardellis, hordeo, oriza, acetarijs, oliuis, raphanis, & alijs huiusmodi fructibus. Ieiunia hæc rigidissimè, sine vlla dispensatione etiam in periculo mortis obseruant: nec vnquam sanguineis piscibus vescuntur durante ieiunio. *Consentit Petrus Bellonius lib. 1. cap. 48. in sua peregrinationis obseruationibus.*

ASSERVNT PATRES LATINI.

Thelesphorus. 127.

Epistola ad omnes vniuersaliter cap. 1. A nobis, & à cunctis Episcopis, in hac sancta & Apostolica Sede congregatis, statutum est, vt septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes clerici, in sortem Domini vocati, à carne ieiunent.

Tertullianus. 200.

De cultu fœminarum cap. 9. Quidam ipsam Dei creaturam sibi interdicunt, abstinentes vino, & animalibus exultantes, quorum fructus nulli periculo aut solicitudini adiacent, sed humilitatem animę suæ in victus quoque castigatione Deo immolant.

De Resurrectione carnis cap. 8. Nam & sacrificia Deo grata: conflictationes dico animæ, ieiunia, & seras, & aridas escas, & appendices huius officij sordes, caro de proprio suo incommodo instaurat.

De ieiunijs cap. 1. Xerophagias obseruamus, siccantes cibum ab omni carne, & omni iurulentia, & vuidioribus quibusque pomis, ne quid vinositatis vel edamus, vel potemus.

1. Tim. 4 *Cap. 15.* Reprobat Apostolus illos, qui iubebant cibis abstinere, sed de prouidentia Spiritus sanctus, prædamnans iam hæreticos, perpetuam abstinentiam præcepturos ad destruenda & despicienda opera Creatoris: quales inueniam apud Marcionem, apud Tatianum, apud Iouem hodiernum de Pythagora hæreticum: non apud Paracletum. Quantulum est enim apud nos interdictio ciborum? Duas in anno hebdomadas Xerophagiarum, nec totas, exceptis scilicet Sabbatis & Dominicis offerimus Deo, abstinentes ab eis, quæ non reijcimus, sed differimus. Atquin ad Romanos scribens, vos nunc compungit retractatores huius officij:

Rom. 14 *Ne propter pabulum, inquit, solueritis opus Dei.* Quod opus? De quo ait: *Bonum est carnem non edere, & vinum non potare.*

Ambrosius. 370.

Lib. 3. de Virginib. Modico vino vtere, ne infirmitatem corporis augeas, non vt voluptatem excites. Incendunt enim pariter duo, vinum & adolescẽtia. Infrenant etiam teneram ætatem ieiunia, & parsimonia cibi retinaculis quibusdam indomitas cohibent cupiditates, &c. Escis quoque omnibus, quæ gignant membris calorem, parcè vtendum puto. Carnes enim etiam aquilas volantes deponunt: in vobis quoque ales interior illa, de qua legimus:

Psal. 102 *Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua,* sublime tenens, virgineo præpes volatu, superfluæ carnis nesciat appetentiam.

Hieronymus. 390.

Lib. 1. contra Iouinian. cap. 10. Quòd autem nobis obijcit *Iouinianus,* in secunda Dei benedictione comedendarum carniũ licentiam datã, quę in prima

Matt. 19 concessa non fuerat: sciat, quo modo repudiũ iux-

Deut. 24 ta eloquiũ Saluatoris ab initio nõ dabatur, sed propter duritiam cordis nostri, per Moysen humano generi concessum est, sic & esum carnium vsque ad diluuium ignotum fuisse: post diluuium vero, quasi in eremo murmuranti populo coturnices, ita dentibus nostris neruos & virulentias carnis ingestas, &c. Exo. 16. Ab exordio conditionis humanæ nec carnibus vescebamur, nec dabamus repudium, nec præputia nobis eripiebantur in signum, hoc cursu vsque ad diluuium peruenimus: post diluuium autem cum datione legis, quam implere nullus potuit, carnes ingestæ sunt ad vescendum, & repudia Gen. 9. concessa duritiæ: & cultellus circuncisionis appositus, quasi Dei manus plus in nobis creauerit, quàm Deut. 24 / Gen. 17. necesse est. Postquam autem Christus venit in fine temporum, & ω reuoluit ad α, & extremitatem retraxit ad principium: nec repudium nobis dare permittitur, nec circuncidimur, nec comedimus Matt. 19. carnes, dicente Apostolo: *Bonum est vinum non bibere, & carnes non comedere.* Et vinum enim cum carnibus post diluuium dedicatum est. Rom. 14 / Gen. 9.

Lib. 2. cap. 6. Esus carnium, & potus vini, ventrisque saturitas, seminarium libidinis est. Vnde & Comicos: Sine Cerere, inquit, & Libero friget Venus.

Cap. 9. Dicæarchus in libris Antiquitatum, & descriptione Græciæ refert, sub Saturno, id est, in aureo seculo, cùm omnia humus funderet, nullum comedisse carnes, sed vniuersos vixisse frugibus, & pomis, quæ sponte terra gignebat. Persarum regis Cyri vitam Xenophon octo voluminibus explicat, polenta, & cardamo, & sale, ac pane cibario eos asserens victitare. Lacedæmoniorũ mensæ, frugalitatisq; & supra scriptus Xenophon, & Theophrastus, & omnes penè Scriptores Græciæ testes sunt. Chæremon Stoicus, vir eloquentiss. narrat de vita antiquorũ Aegypti sacerdotum, quòd &c. ex eo tempore, quo cœpissent diuino cultui deseruire, carnibus & vino se semper abstinuerint, propter tenuitatem sensus, & vertiginem capitis, quam ex paruo cibo patiebantur, & maximè propter appetitus libidinis, qui ex his cibis, & ex hac potione nascuntur. Pane rarò vescebantur, ne onerarent stomachum: & si quando comedebant, tusum pariter hysopum sumebant in cibo, vt escam grauiorem illius calore decoquerent: oleum tantùm in holeribus nouerant, verùm & ipsum parum, propter nauseam, & asperitatem gustus leniẽdam. Quid loquar, inquit, de volatilibus cùm ouum quoque pro carnibus vitauerint, & lac? quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant, colore mutato, &c. Iosephus in secunda Iudaicæ captiuitatis historia, & in 18. Antiquitatum libro, & cõtra Appionem duobus voluminibus, tria describit dogmata Iudæorum, Pharisæos, Sadducæos, Essenos: quorum nouissimos miris effert laudibus, quòd & ab vxoribus, & vino, & carnibus semper abstinuerint, & quotidianum ieiunium verterint in naturam, &c. Cleanthes Cizycenus, & Asclepiades Cy-

prius, ætate, qua Pygmaleon in Oriente regnabat, scribunt esum carnium non fuisse. Eubulus quoque, qui historiam Mithræ multis voluminibus explicuit, narrat apud Persas tria genera Magorum: quorum primos, qui sint doctissimi, & eloquentissimi, excepta farina, & holere, nihil amplius in cibo sumere. Apud Eleusinam etiam volucribus, & piscibus, & quibusdam pomis abstinere solenne est. Bardesanes, vir Babylonius, in duo dogmata apud Indos gymnosophistas diuidit: quorum alterum appellat Bragmanas, alterum Samanæos: qui tantæ continentiæ sint, vt vel pomis arborum iuxta Gangen fluuium, vel publico orizæ, vel farinæ alantur cibo: & cùm rex ad eos venerit, adorare illos solitus sit, pacemque suæ prouinciæ in illorum precibus arbitrari sitam. Euripides in Creta Iouis prophetas non solùm carnibus, sed & coctis cibis abstinuisse refert. Xenocrates Philosophus de Triptolemi legibus apud Athenienses tria tantùm præcepta in templo Eleusinæ residere scribit, honorandos parentes, venerandos Deos, carnibus non vescendum. Orpheus in carmine suo esum carnium detestatur.

1. Tim. 4 *Cap.* 11. Reprobat quidem Apostolus eos, qui prohibebant nuptias, & iubebant cibis abstinere, quos Deus creauit ad vtendum cum gratiarum actione: sed Marcionem designat, & Tatianum, & cæteros hæreticos, qui abstinentiam indicunt perpetuam, ad destruenda, & contemnenda, & abominanda opera Creatoris. Nos autem & creaturam omnem laudamus Dei: & maciem saginæ, abstinentiam luxuriæ, ieiunia præferimus saturitati.

Epist. 7. ad Lætam c. 5. Cibus eius olusculum sit, & simila, rarôque pisciculi. Et, ne gulæ præcepta longius traham, sic comedat, vt semper esuriat: vt statim post cibum possit legere, orare, & psallere.

Epist. 27. cap. 8. in Epitaphio Paulæ: Paula tantæ cõtinentiæ fuit, vt prope mensuram excederet, & debilitatem corporis nimijs ieiunijs ac labore contraheret: quæ, exceptis diebus festis, vix oleum in cibo caperet: vt ex hoc vno æstimetur, quid de vino, & liquamine, piscibus, & lacte, & melle, & ouis, & reliquis, quæ gustui suauia sunt, indicauerit: in quibus sumendis quidam se abstinentissimos putant: & si his ventrem ingurgitauerint, tutam pudicitiã suspicantur.

Cap. 10. Quid memorem clementiam, & sedulitatem in ægrotantes, quas miris obsequijs, & ministerijs confouebat? Cumque alijs languentibus largè præberet omnia, & esum quoque exhiberet carnium: si quando ipsa ægrotasset, sibi non indulgebat, & in eo inæqualis videbatur, quòd in alijs clementiam, in se duritiam commutabat.

In vita Pauli Eremitæ: Cibum & vestimentum ei palma præbebat. Quod ne cui impossibile videatur, Iesum testor, & sanctos Angelos eius, in ea eremi parte, quæ iuxta Syriam Saracenis iungitur, vidisse me Monachos, de quibus vnus per triginta annos clausus, hordeaceo pane, & lutulenta aqua vixit: alter in cisterna veteri, quam gentili sermone Syri cubam vocant, quinque caricis per singulos di-
Marc. 9. es sustentabatur. Hæc igitur incredibilia esse videbuntur his, qui non crediderint, quia omnia sunt possibilia credentibus.

In vita Hilarionis: A vicesimo primo anno vsque ad 27. tribus annis dimidium lentis sextarium madefactum aqua frigida comedit, & alijs tribus panẽ aridum cum sale & aqua. Porrò à 27. vsque ad 30. herbis agrestibus, & virgultorum quorundam radicibus crudis sustentatus est. A tricesimo autem primo vsque ad 35. sex vncias hordeacei panis, & coctũ modicè holus absque oleo in cibo habuit. Sentiens autem caligare oculos suos, & totum corpus impetigine, & pumicea quadam scabredine contrahi, ad superiorem victum adiecit oleum, & vsque ad 63. vitæ suæ annum hoc continentiæ cucurrit gradu, nihil extrinsecus aut pomorum, aut leguminis, aut cuiuslibet rei gustans. Inde cùm se videret corpore defatigatum, & propinquam putaret imminere mortem, à 64. anno vsque ad 80. pane abstinuit, incredibili feruore mentis: vt eo tempore quasi nouus accederet ad seruitutem Domini, quo cæteri solent remissius viuere.

Ad cap. 10. Danielis: *In diebus illis ego Daniel lugebam.*) Hoc docemur exemplo, tempore ieiunij à cibis delicatioribus abstinere, (quod ego nunc puto dici panem desiderabilem,) nec carnem comedere, nec vinũ bibere: insuper & vnguenta non quærere.

De viris illustribus in Iacobo: Iacob frater Domini de ventro matris sanctus fuit, vinum & siceram non bibit, carnem nullam comedit, nunquam attonsus est, nec vnctus vnguento, nec vsus balneo.

Augustinus. 400.

Libro 30. contra Faustum Manichæum cap. 5. Audi ergo, quod conficeris te non videre, qua mente aut consilio hoc aduersum capitulum proferamus: nõ quod à carnibus abstineatis: nam hoc à quibusdam & primi patres nostri fecerunt, sicut commemoras non tamen ea damnandi, sed significandi gratia, quod non intelligitis: & vnde iam quantum sufficere videbatur, in superioribus partibus operis huius locutus sum: & Christiani non hæretici, sed Catholici, edomandi corporis causa, propter animam in orationibus amplius humiliandam, non quòd illa esse immunda credant, non solùm à carnibus, verùm à quibusdam etiam terræ fructibus abstinent: vel semper, sicut pauci: vel certis diebus atque temporibus, sicut per Quadragesimam ferè omnes, quanto magis quisque vel minus seu voluerit, seu potuerit. Vos autem ipsam creaturam negatis bonam, & immundam dicitis, quòd carnes diabolus operetur fœculentiore materia mali: ac per hoc eas, tamquam immundiora & truculentiora Dei vestri vincula, exhorrentes abijcitis.

Tractatu 73 in Euang. Ioannis: Non est malum carne vesci, cùm de hac re loquens Apostolus dicat: *Omnis creatura Dei bona est, & nihil abijciendum quod cum gratiarum actione accipitur:* sed quia, sicut idem
ipse ait: *Malum est homini, qui per offensionem manducat.* Et si per hominis offensionem, quanto ma- 1. Tim. 4
gis Dei? Cuius in Israëlitis non parua erat offensio, Rom. 14
repudiare quod dabat sapientia, & petere id, quo inhiabat concupiscentia, quamuis illi nec peterent, sed quia deerat murmurarent. Sed vt sciremus, non Dei creaturam esse culpabilem, sed inobedientiam contumacem, & inordinatam cupiditatem: non
propter porcum, sed propter pomum mortem pri- Gen. 3.
mus homo inuenit, & Esau primatus suos non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit.

Serm. 64. de Tempore: Sed & illa est in Quadrage- Gen. 25.
simæ diebus grandis vtilitas, quòd dum etiam à licitis abstinemus, magis ac magis admonemur illicita vitare. Qui enim abstinemus nos à carnibus, quibus alijs diebus vti licet: qui nos abstinemus à vino, quo moderatè vti licet: qui ergo ista vitamus, quæ aliquando licent, in primis peccata fugiamus, quæ omnino nunquam licent.

Concilium Carthaginense Quartum. 395.

Cap. 85. Baptizandi nomen suum dent, & diu sub abstinentia vini & carnium, ac manus impositione crebra examinati, baptismum percipiant.

Gaudentius Brixiensis. 400.

Tract. 15. de Machabæis: Præceperat Iudæis Deus, ne porcum, cæteraque illi similia manducarent, &
erat hoc duplici de causa (fratres charissimi) siue Leu. 11.
vt luxuriosus populus flammam carnaliũ vitiorũ Deut. 14
calidis carnibus non nutriret: perhibentur enim calorem nimium præstare corporibus: siue vt porcorum more non viuerent. Nam sues semper immundi sunt, & de fonte vel de fluuio exeuntes, ite-

rum

rum voluuntur in cœnum: nec vnquam intuentur cælum, sed prono semper ad terram capite ventri deseruiunt. Et idcirco Dominus legionem dæmonum in gregem permisit ire porcorum: id est, in eorum gregem, qui tantùm ventris sunt animalia, qui nunquam cælestia intuentur, sed immunditijs
Matt. 8. semper dediti, & cœno sunt obliti vitiorum. Salubriter ergo Deus vel abstinentiam gulæ, vel continentiam immundarum actionum imperauit. *Lex*
Rom. 7. *enim sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum.* Salutaria videntur, mandata diuina sunt nam
Deut. 4. qui *fecerit ea homo, viuet in illis.* Sed finge nihil noxietatis inesse suillis carnibus, nec vllum fomentum illecebris augere corporeis, quin etiam esse hodie
Tit. 1. *omnia munda mundis, sanctificata per verbum Dei, & orationem:* præcipientis tamen Dei erat potestas & auctoritas cogitanda, qui istud iusserat tunc temporis obseruari. Nemo enim imperantem Dominum aut sine pœna sui sacrilegij discutit, aut impunè contemnit. Nam neque in illa arbore inesse malum potuit, quam inter cæteras arbores Paradisi bonus Creator plantauerat, cuius fructus ita erat speciosus ac dulcis, vt cõcupiscentiam præstaret oculis, gulæ conciliaret illecebram. Scriptum
Gen. 2. est enim: *Et vidit mulier fructum ligni quia gratus est ad aspectum, & dulcis ad escam, & accepit, & manducauit, & dedit viro suo.* Sed si fortè dixeris, non omne quod gratum videtur & dulce, bonum quoque esse: quia sint aliqua etiam mala, quæ grata videãtur, & dulcia. Cedo, acquiesco, consentio. *Mel enim distillat* (vt
Prou. 16. ait Scriptura) *à labijs mulieris meretricis*, quæ ad tempus impingat fauces suas, nouissimum autem amarius felle inuenies, & acutius gladio vtraque parte acuto. Et certè malum nihil est, vel in specie, vel in sexu mulieris, sed est vtique malum in voluntate peccantis, & per intemperantiam concupiscentiæ transgredientis à legitimo iure coniugij. Nam & vini natura cùm bona sit, rectè tamen damnatur ebrietas. Audi modò generalem de creatis omnibus diuinæ Scripturæ sententiam: *Et vidit Deus omnia*
Gen. 2. *nia quæ fecit, & ecce bona valde.* Tamen quia veritatis ratio postulabat, & seruilis humana conditio legem Dei dominantis acceperat, proprij arbitrij libertati permissa, vnam Deus elegit arborem de omnibus lignis Paradisi, non vtiq; malam, sed in qua esse scientia boni & mali videtur, in qua seruorum suorum obedientiam pertentaret, vt libertas arbitrij vel immortalitatis præmium possideret obediens, vel contemnens exciperet mortis interminatæ sententiam. Mãducauit homo, quia voluit: mandatum non custodiuit, quia noluit: morte mulctatur, quia mandatum seruare potuit, & non studuit. Arbor quidem bona, & fructus quidem bonus, sed præuaricatio mandati mala, & contemptus Dei malus: atque ita malum non in fœtu arboris est, sed in voluntate hominis transgressoris. Igitur si vnius arbusculæ fructus contra Dei mandatum temerè à Protoplastis degustatus, mortem generi acquisiuit humano, potuit & Machabæis, tunc sub Lege positis, interitum parare mandati diuini transgresio, quibus nunc honorem & gloriam præcepti eius custodia comparauit.

Maximus Taurinensis. 430.

Homil. 3. de Ieiunio Quadragesimæ: Quale est ieiunium, quòd non vescaris carnibus, & de ore tuo omni esca sordidius egreditur maledictum?

Sixtus Tertius. 433.

De malis Doctoribus & operibus fidei: Abstinemus à carnibus, sed non à malitia: vinum non bibimus, sed ira inebriamur.

Leo Primus. 450.

Sermon. 4. De ieiunio Quadragesimali cap. 4. Vtilis quidem est abstinentia, quæ parco assueta victu, delitiarum cohibet appetitum: sed væ illorũ (*Manichæorum*) dogmati, apud quos etiam ieiunando peccatur. Damnant enim creaturarum naturam in Creatoris iniuriam, & contaminari edentes asserunt ijs, quorum non Deum, sed diabolum conditorem esse definiunt, cùm prorsus nulla sit substantia mala, nec ipsius mala sit vlla creatura.

Cap. 5. Vos autem Catholicæ matris sancta generatio libertatem vestram congrua ratione moderamini, scientes quoniam bonum est & à licitis abstinere, & cùm castigatius viuendum est, ita discernere cibos, vt vsus semoueatur, non natura damnetur.

Prosper. 460.

De vita contemplatiua lib. 2. cap. 22. Veraciter abstinentes, escarum non naturas, sed concupiscentias damnant, ac voluptates suas desiderati cibi vel potus abusione mortificant.

Gennadius Massiliensis. 470.

De Ecclesiastis dogmatib. cap. 68. Sacratæ Deo virginitati nuptias coæquare, aut pro amore castigandi corporis abstinentibus à vino vel carnibus nil credere meriti accrescere, non hoc Christiani, sed Iouiniani est.

Fulgentius. 510.

De Fide ad Petrum cap. 3. Humiles Christi serui, qui cupiunt Domino suo sine impedimento, & absque animi noxia occupatione seruire, coniugia omninò non appetunt, & à carnibus & vino abstinent, in quantum corporis valetudo permittit: nõ quia peccatum est aut coniugem habere, aut vinum carnesq; percipere: Nam & B. Apostolus dicit. *Quia omnis creatura Dei bona est, &c.* Ideoque serui Dei in 1. Tim. 4
eo, quòd à carnibus, & à vino abstinent, non tanquam res immundas refugiunt, sed mundioris vitę instituta sectantur.

Cap. 42. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem creaturam Dei bonam esse, & nihil reijciendum, quòd cum gratiarum actione percipitur, & Dei seruos, qui à carnibus, aut vino abstinent, non tanquam immunda, quæ Deo facta sunt, respuere, sed à fortiori cibo & potu pro sola castigatione corporis abstinere.

Concilium Aurelianense Primum. 506.

Cap. 29. Litanias ante Ascensionem Domini placuit celebrari, ita vt præmissum triduanum ieiunium in Dominicæ Ascensionis solennitate soluatur. Quo triduo omnes abstineant, & Quadragesimalibus cibis vtantur.

Concilium Gerundense. 517.

Canone 3. Secunda Litania facienda Kalen. Nouemb. ea tamen conditione seruata, vt si ijsdem diebus Dominica intercesserit, in alia hebdomada, secundùm prioris abstinentiæ obseruantiam, à quinta Feria incipiatur, & in Sabbati vespere missa facta finiatur: quibus tamen diebus à carnibus & vino decreuimus abstinendum.

Benedictus Abbas. 530.

In Regula cap. 36. Carnium esus infirmis omninò debilibusq; pro reparatione concedatur. At vbi meliorati fuerint, à carnibus more solito omnes abstineant.

Gordianus. 560.

Vita S. Placidi cap. 52. Non diebus, non noctibus à colloquijs diuinis & psalmodia cessabat, omni tempore quadragesimalem vitam ducens, vinum nunquam bibens. In Quadragesima Dominica die, tertia & quinta Feria pane tantùm & aqua contentus erat, alijs diebus omninò nihil recipiens.

Fortunatus. 570.

Vita S. Radegundis lib. 1. c. 7. In mensa sub fladone siligineum panem absconsum, vel hordeaceum manducabat occultè, sic vt nemo perciperet. Nam ex illo tempore, quo B. Medardo consecrante velata est, vsque ad finem, præter legumen & olera, non

pomum, non piscem, non ouum, vel aliud quid edit. Potum verò, præter aquam mulsam atque pyratium, non bibit: non vini puritatem, non medi decoctionem, ceruisiæque turbedinem.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 1. Dialog. cap. 1. Honoratus ab annis puerilibus ad amorem cælestis patriæ per abstinentiam exarsit: cumque tam magna conuersatione polleret, seque iam ab otioso quoque sermone restringeret, multum per abstinentiam carnem domaret, die quadam parentes eius vicinis suis conuiuium fecerunt, in quo ad vescendum carnes paratæ sunt: quas dum ille ad esum contingere per abstinentiæ amorem recusaret, cœperunt eum parentes eius irridere, ac dicere: comede, nunquid piscem in his montibus tibi allaturi sumus? Illo verò in loco pisces audiri consueuerant, non videri. Sed cùm his sermonibus Honoratus irrideretur, repentè in conuiuio aqua ad ministerium defuit, & cum situla lignea, sicut illic moris est, mancipium ad fontem perrexit: dumque hauriret aquam, piscis situlam intrauit. Reuersumque mancipium ante ora discumbentium piscem cum aqua fudit, qui ad totius diei victum potuisset Honorato sufficere. Mirati sunt omnes, totaque illa parentum irrisio cessauit. Cœpêre namque in Honorato venerari abstinentiam, quam ante deridebant, sicque à Dei homine irrisionis detersit opprobria piscis allatus de fonte.

Isidorus Hispalensis. 620.

De officiis Ecclesiasticis lib. 2. cap. 44. Non quia carnes malæ sunt, ideo prohibentur: sed quia earum epulæ carnis luxuriam gignunt: fomes enim ac nutrimentum omnium vitiorum esca ventri, & venter escis.

Eligius. 640.

Homilia 9. de vulnerato & Samaritano: Et quia, fratres mei, multa illicita commisistis, debetis abstinere à licitis: Licitum enim est homini comedere carnem, & bibere vinum, & cætera corpori necessaria, quæ non cum saturitate pœnitentes debent sumere, sed cum sustentatione corporis, vt quæ ventri subtrahunt, erogent pauperibus.

Hom. 16. Diebus Quadragesimæ vos omnibus modis à coniugum commixtione vestrarum, sicut decet Christianos, abstinere oportet: Nam, vt quidam sapiens ait: Similis reatus est fideli Christiano diebus Quadragesimæ etiam cum propria vxore concumbere, sicut & carnes in cibo sumere.

Concilium Toletanum Quartum. 643.

Cap. 10. In Kalend. Ianua. præter piscem & olus, sicut & in illis quadraginta diebus, ceteris carnibus abstinetur, & à quibusdam etiam nec vinû bibitur.

Concilium Toletanum octauum. 654.

Cap. 9. Quisquis absque ineuitabili necessitate, atque fragilitate, & euidenti languore, seu etiam impossibilitate ætatis, diebus Quadragesimæ esum carnium præsumpserit attentare, non solùm reus erit Resurrectionis Dominicæ, verùm etiam alienus ab eiusdem diei sancta communione: & hoc illi cumuletur ad pœnam, vt ipsius anni tempore ab omni esu carnium abstineat gulam, quia sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam. Illi verò, quos aut ætas incuruat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quàm à sacerdote permissum percipiant.

Fructuosus Episcopus Bracharensis. 655.

Apud Smaragdum Abbatem in Regulam Benedicti ca. 39. & apud Gratianum dist. 5. de Consecratione: Carnem cuiquam Monacho nec sumendi, nec gustandi est concessa licentia: non quòd creaturam Dei iudicemus indignam: sed quòd carnis abstinentia vtilis & apta Monachis æstimetur. seruato tamen moderamine pietatis erga ægrotorum necessitudines, vel longè proficiscentium, &c.

Aribo Frisingensis. 760.

Vita S. Corbiniani cap. 13. Cùm quadam die ad Tusciæ partes peruenisset sexta Feria ieiunij, in qua abstinere oportebat ab esu carnium, videntes hi, qui præerant itineri, quòd hora gustandi tardius protrahebatur, dixerunt, vt vel paululum repausarent. His dictis, is, qui alimenta ad mensam Pontificis ministrabat, dixit se ad esum Episcopi nihil præter carnem habere, quam eo die non esse mansurum Episcopum nouerat. Hoc eo dicente, vir Dei sursum aspiciens, vidit aquilam in aeris altitudine volantem, & ait: Ecce auis, per quam nobis Dominus misericordiæ suæ largitate daturus est alimenta. His dictis, ab intuentium oculis longius aquila recessit, & de tanta altitudine oculorum acie piscē in maris fluctibus videns, submissis alis areptum ad litus perduxit. Illis ergo pergentibus, quidam cocus Pontificis more itinerantium hoc videns, ad litus cucurrit, inuenit aquilam in piscis adhuc vitui capite sedentem, piscemque palpitantem. Qui cùm aduenisset, aquila piscem dimisit, & auolauit. At cocus arreptum piscem obtulit Pontifici, & factum aquilæ enarrauit. Magnitudo verò piscis tanta erat, vt non solùm Pontifici sufficeret, sed etiam cunctis, qui apud illum comederunt.

Paulus Diaconus. 780.

De gestis Episcoporum Metensium, de S. Arnulpho: Post aliquot verò annos, cùm ad Episcopatus ascendisset officium, ei die quadam piscator quidam piscem attulit. Quem ille sibi (quia carnibus abstinebat) ad refectionem vespertinam iussit præparari, &c.

Rerum Roman. lib. 16. Anno 19. Iustiniani facta est inopia frumenti, vini, & olei, ac pluuia magna: & factus est terræ motus magnus Constantinopoli, & euersio die sancto Paschæ, & cœpit vulgus abstinere à carnibus mense Februario. die quarta autem præcepit Imperator alia hebdomada carnem apponi: & omnes carnium venditores occiderunt, & apposuerunt, & nemo emebat aut edebat. Porrò Pascha factum est, & inuentus est populus ieiunans hebdomada superflua.

Concilium Moguntinum. 813.

Cap. 34. Constituimus, vt quatuor anni tempora ab omnibus cum ieiunio obseruentur, &c. Similiter in mense Iunio, hebdomada secunda, Feria quarta & sexta, & Sabbato ieiunetur vsque ad horam nonam, & à carne ab omnibus abstineatur.

Leo Quartus. 847.

De Consecratione distinct. 3. De esu carnium apud nos vetustissima & non improbanda traditio semper est tenenda, vt à cœnæ termino, quæ fit in principio noctis quartæ Feriæ, quæ lucescit in quarta Feria, vsque ad diluculum quintæ Feriæ, & similiter à cœna noctis sextæ Feriæ, quæ lucescit in sexta Feria, non imperitè ieiunatio vsque ad Sabbati lucem, quantum de diei parte aliquis ieiunare maluerit, vel debuerit, protendatur.

Rabanus Maurus. 850.

De vniuersis lib. 4. cap. 10. Bonum est in cibo cum gratiarum actione sumere quicquid Deus edendû præcepit: abstinere aliquibus, non quasi à malis, sed quasi non necessariis non est malum. Pro amore castigandi corporis abstinentibus à vino, vel carnibus, nihil credere meriti accrescere, non est Christiani, sed Iouiniani.

De Institut. Cleri lib. 2. cap. 25. Leguntur aliqui Sâctorum per biduanas, siue per triduanas, siue etiam per totam hebdomadam ieiunium extendisse: plerique quòd nec vinum, nec siceram biberint, nec aliquid manducauerint præter panem, siccum & olera: alij, quòd ab omni carne se abstinuerint, quòd nec pane in cibo vsi sint, sed paucis caricis

corpus

corpus suum sustentauerint. Et alia plurima sunt genera abstinentiæ.

Nicolaus Primus. 860.

Ad consulta bulgarorum cap.4. Quot temporibus vel diebus in circuitu sit anni à carnibus abstinendum nunc vobis, qui rudes estis, & in fide quodammodò paruuli, superfluè ducimus exponendum: verùm interim in diebus ieiuniorum, in quibus per abstinentiam & lamentum pœnitentiæ præcipuè Domino supplicandum est, modis omnibus est à carnibus abstinendum, &c. In sexta Feria omnis hebdomadæ, & in cunctis Vigilijs insignium festiuitatum à carnium esu cessandum, & ieiunijs incumbendum, &c.

Cap.5. Quarta Feria si quis vult, potest omninò carnes comedere: sexta verò Feria, passionem Dominicam & Apostolorum mœstitiam recolentes, ab omnium carnium epulis & pinguedine gustus noster arcendus est.

Petrus Damianus. 1060.

Epistola 1. ad fratres, qui indicta sibi mandata erant transgressi: Pleraque capitula ad continentiæ pertinentia disciplinam, quæ inter vos regulariter constituimus, ita nunc obliuioni sunt tradita, ac si deliro cuilibet fuerint opilioni mandata, videlicet vt vinum vtroque Quadragesimali tempore non bibatur, non piscis edatur, vt nisi præcipuis festiuitatibus, molis legumina non terantur, vt vespertinæ refectionis pulmentarium non pararetur, &c. Verùm ista dicentes, nec cum illis non sentire quis iudicet, qui prohibent à cibis, quos Deus creauit, nec Apostolicæ contraire sententiæ, qua nos manducare præcipit quæcunque apponuntur, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. 1.Co.10. Aliud est enim quòd creaturas Dei bonas indifferenter asserimus, aliud quòd pudicitiæ sobrietatisque seruandæ castigatione corporum prouidemus. Bonum erat quippe in paradiso lignum, Gen.2. à bono scilicet opifice conditum: bonum nihilominus non fuit manducare: sed dum bonum bono non bene iungitur, mors protinus ex virulento semine superbiæ generatur. Quod enim bonum fuerat per naturam, malum factum est per inobedientiæ culpam.

Gregorius Septimus. 1070.

De consec. dist.5. Quia dies Sabbati apud sanctos Patres nostros in abstinentia celebris est habitus: nos, eorum auctoritatem sequentes, salubriter admonemus, vt quicunque se Christianæ religionis participem esse desiderat, ab esu carnium eadem die (nisi maiore festiuitate interueniente, vel infirmitate impediente) abstineat.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad cap.4. prioris ad Timotheum: Multum interest inter abstinentes à cibis propter sacratam significationem, vel propter corporis castigationem: & abstinentes à cibis, quos Deus creauit, dicendo quòd eos Deus non creauit. Nam & primi patres nostri à quibusdam cibis abstinuerunt, non tamen eos damnandi, sed significandi gratia: & nunc fideles, non quia cibos putent immundos, sed edomandi corporis causa, propter animam in orationibus amplius humiliandam, non solùm à carnibus, sed à quibusdam terræ fructibus abstinent, vel semper, sicut pauci: vel certis diebus atque temporibus, sicut per Quadragesimam ferè omnes. Manichæi verò ipsam creaturam negabant esse bonam, & dicebant esse immundam.

Bernardus. 1130.

Homilia 66. in Cantica: Hinc quoque hæreticos se probantes non sanè quia abstinent, sed quia hæreticè abstinent. Nam & ego interdum abstineo, sed abstinentia mea satisfactio est pro peccatis, non superstitio pro impietate. Num redarguimus Paulum, quòd castigat corpus suum, & in seruitutem redigit? 1.Cor.9. Abstineo à vino, quia in vino luxuria est: Ephe.5. aut si infirmus sum, modico vtor, iuxta consilium Pauli, &c. Hæreticus aliter. Nempe horret lac, & quicquid ex eo conficitur, postremò omne quod ex coitu procreatur. Rectè & Christianè, si non idcirco quia ex coitu, sed ne ad coitum prouocent. Cæterùm quid sibi vult, quòd ita generaliter omne, quod ex coitu generatur, vitatur? Suspicionem generat mihi obseruatio ista ciborum tam signanter expressa. Veruntamen si de regula medicorum hæc profers nobis, non reprehendimus curam carnis, quam nemo vnquam odio habuit, si tamen non nimia fuerit. Si de disciplina abstinentium, id est, spiritualium medicorum schola: etiam virtutem approbamus, qua carnem domas, frænas libidinem. At si de insania Manichæi præscribis beneficentiæ Dei, vt quod ille creauit & donauit ad percipiendum cum gratiarum actione, tu non modò ingratus, sed & censor temerarius immundum decernas, & tanquam à malo abstineas: non planè abstinentiam collaudabo, sed execrabor malitiam & blasphemiam: te magis immundum dixerim, qui immundum quid putas.

Otto Frisingensis. 1150.

Lib.7. Chronicorum cap.35. Abstinent Monachi omnes communiter à carnibus. Alij ab omnibus delicatioribus cibis, vinoque se cohibentes, legumine interdum, interdum cum pane vtuntur & aqua.

Adam Victorinus. 1180.

Dialogo de instructione animæ: Durum tibi videtur & graue, quòd quamdiu nulla corporeæ debilitatis ægritudine grauaris, carnium tibi esus subtrahitur; dum certè omnium tibi aliorum ciborum genus liberalissimè conceditur. Vilissimum profectò atque turpissimum mihi prorsus videtur, quòd qui sanctæ religionis habitum assumpserunt, atque nulla infirmitate sunt debilitati, nimiam in præparandis multiplicandisque, atque exquisitam prorsusque superfluam in variandis, & condiendis ferculis curam impendunt.

Conradus Vrspergensis. 1220.

In Chronicis de Anno 1124. Otto Episcopus Bambergensis Ponteranos conuersos docuit, secundùm sanctorum Patrum instituta, vt sexta Feria abstineant à carnibus & lacte, more cæterorum Christianorum.

Rodericus Toletanus. 1240.

Rerum Hispanicarum lib.8. cap 14. In Quadragesima ad tantæ necessitatis angustias peruenerunt, quòd ipse Pontifex cum fratrum capitulo potius carnes comedere, quàm terram deserere decreuerunt, nisi Dominus aliter prouideret. Sed Dei abundantia pietati misericorditer sic prouidit, vt prædicto Pontifici alimonia non deesset.

Reinerus Pisanus. 1300.

In Pantheologia de ieiunio cap.4. In ieiunio Quadragesimali, quod cæteris ieiunijs arctius obseruatur, carnes, oua, & lacticinia, quoad esum interdicuntur, & prohibentur. Ratio autem huius est: quia ieiunium est ab Ecclesia institutum præcipuè ad repressionem carnalis concupiscentiæ: & ideo Ecclesia illos cibos ieiunantibus interdicit, qui communiter in comedendo, maximam delectationem habent, & maximè prouocant ad libidinem. Huiusmodi autem sunt carnes animalium in terra quiescentium, &c.

Hugo Pratensis. 1310.

Sermone 3. Quæritur, quæ cibaria in ieiunijs

posſint comedi? Ad quod dicendum: quòd carnes, oua, caſeus, vbique & totaliter ſunt prohibita in Quadrageſima. Extra verò Quadrageſimam in ieiunijs Eccleſiæ ſimiliter carnes ſunt vbique prohibitę: oua verò, & caſeus poſſunt comedi, vel non comedi, ſecundùm Eccleſiæ conſuetudinem diutius approbatam.

Ludolphus Saxo Carthuſianus. 1330.

Vitæ Chriſti parte 2. cap. 53. Multi quartis & ſextis Ferijs ieiunare conſueuerunt: multiq; abſtinent à carnibus quarta Feria, quia tunc caro Chriſti fuit vendita.

Ioannes Gerſon. 1420.

In Summa Theologica lib. 4. de ieiunio: Quæritur, ſi dies Natiuitatis Domini occurat in die Veneris, vtrum liceat carnes comedere? *Solutio.* Dicendum eſt, quòd ſic exceptis vouentibus & profeſsis voto, vt quia vouerunt non comedere in ſexta Feria. Quæritur, quæ cibaria ſint comedenda diebus ieiunabilibus? Illa cibaria, quæ non mouent ad concupiſcentiam, vel quæ minus mouent. Ideò carnes, cùm citò conuertantur in materiam ſeminis, ſunt prohibitæ: piſces autem non: quia non ita confirmantur complexioni hominum, nec ita citò conuertuntur in materiam ſeminis, ſicut carnes. Vinum autem, licet inflammet concupiſcentiam, tamen non prohibetur ieiunantibus: quia eius inflammatio non tantum durat, quantum inflammatio concupiſcentiæ, quæ procedit ex comeſtione carnium. Item vinum non prohibetur propter digeſtionis impedimentum, quæ nimis debilitaretur.

Ioannes Trithemius. 1490.

Homilia 15. Carnem ſiue in Monaſterio, ſiue extra, nunquam comedimus: piſces hic in rure campeſtri verò rariſsimè videmus: nemo inter nos vnquam lautiora vidit cibaria: delicata habere nec poſſumus, nec quidem debemus eſculenta. Cibaria autem noſtra ſunt ordeum, auena, faba, piſa, olera, lac quoque, caſeus, & oua. Ex his vitæ noſtræ quotidiana percipimus ſuſtentacula: quorum ne conſurgat faſtidium, fames incitat appetitum. Piſces extra tempus ieiunij Quadrageſimalis adeò nobis ſunt rari, vt vix in menſe ſemel pauci afferantur ex Nabo flumine, atque minutiſsimi.

Eraſmus Roterodamus. 1530.

De amabili Eccleſiæ concordia: Delectum ciborum ac ieiunia non indixit Eccleſia, niſi ad ſanitatem corporis & animi. Itaque qui piſcium eſu periclitantur, aut ieiunio & valetudinem corporis, & animi vigorem lædi ſentiunt, hos nequaquam obligat Eccleſiæ conſtitutio. Qui verò ſentiunt ſe ex abſtinentia carnium, & ieiunio & corpore & animo melius habere, quæ rogo contumacia eſt, velut in odium Eccleſiæ hoc reijcere, quod tantam adfert vtilitatem?

Concilium Moguntinum. 1549.

Cap. 47. Huic ieiuniorum obſeruationi iungendus eſt ciborum delectus, itidem conſenſu totius Eccleſiæ ad noſtra vſque tempora retentus: monendiq; ſunt fideles, vt diebus ieiuniorum, ſimiliter ſextis Ferijs & Sabbatis, à carnium & aliorum ciborum eſu, quos Eccleſiæ conſuetudo per eos dies huc vſque vitare perſeuerauit, extra legitimam neceſſitatis excuſationem, ſibi temperent, non quidem ab ijs, velut immundis, abſtinentes, ſed edomandi corporis cauſa, propter animam ab irrationabilibus motibus amplius humiliandam.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

ELEEMOSYNAM INDIGENTIBVS DARE ESSE OPVS BONVM, DEO ACCEPTVM, DANTI BONO ANIMO DE SVIS MERITORIVM.

NEGANT.

Anno ante natum Chriſtũ

400. PLATO lib. 11. de Legibus: *Nemo in noſtra ciuitate mendicus eſto: quicunque id tentauerit, & miſerabilibus precibus ſtipem victumq; collegerit, eum fori præfecti è foro, ædiles è tota vrbe, agrorum præfecti toto agro, extra imperij fines exterminanto, & ab eiuſmodi animali regio ſit immunis.*

200. Plautus apud Lactantium libro 2. cap. 2. *Malè meretur, qui mendico dat, quod edat. Nam & illud quod das perit: & illi producit vitam ad miſeriam.*

50. Cicero in Officijs: *Largitio, quæ fit ex re familiari, fontem ipſum benignitatis exhaurit: ita benignitate benignitas tollitur, quæ quò in plures vſus ſis, eò minus in multos vti poſſis. Quid autem eſt ſtultius, quod libenter facias curare vt id diutius facere non poſſis?*

Anno poſt natum Chriſtũ

270. *Manichæi benignitatem & humanitatem, quæ in pauperes exercetur, reprehendunt. Hinc eſt quòd mendicanti homini, qui Manichæus non ſit, panem vel aliquid frugum, vel aquam ipſam, quæ omnibus vilis eſt, dari prohibent: ne membrum Dei, quod his rebus admixtum eſt, ſuis peccatis ſordidatum, à reditu impediat.* Auguſtinus libro 2. de moribus Manichæorum, & libro 6. contra Fauſtum, Athanaſius epiſtola ad ſolitariam vitam agentes.

340. *Georgius quidam Arij ſectator iuſſit ea, quæ eleemoſynis deſtinata eſſent, diripi. Euſebiani eos, qui*

eleemo-

360. *eleemosynas tribuebant, verberabant.* Athanasius epistola ad vitam solitariam agentes.

Messaliani inhumanitatem in mendicos introducunt, negant eos, qui mundo renunciauerint, vel omnino quicquam boni agere valuerint, iis quicquam erogare oportere, qui stipem publicè mendicant, aut desertis viduis, aut iis, qui varia pericula subierunt, aut corpore mutilati, aut morbis affl.cti, aut creditorum sauitiā, aut barbarorum excursiones, aut alias id genus calamitates experti, rerum suarum iacturam fecerunt: sed sibi ipsis, qui pauperes spiritu re vera sint, omnia suppeditanda esse aiunt. Nicetas Orthodoxæ fidei lib. 4. hæresi 36. Damascenus de Messalianis. Euthimius in Panoplia parte 2. titulo 22.

400. *Vigilantius Gallus prohibebat Hierosolymam in vsus sanctorum aliqua sumptuum solatia dirigi.* Hieronymus contra Vigilantium.

1150. *Cathari nullas, aut paucas eleemosynas faciunt, & quas faciunt eas ad ostentationem faciunt.* Guido de Catharis.

1250. *Syriani auaritia studentes, minimè eleemosynas largiuntur.* Borchardus in descriptione Terræ sanctæ.

1315. *Lollardi peccatoribus dandam esse eleemosinam negant.* Thomas VValdensis Tomi 1. libro 4. art. 1. cap. 49.

1390. Ioannes VVicleuus art. 20. Constantiæ damnato: *Conferens eleemosynam fratribus, ipso facto est excommunicatus.*

1400. Ioannes Hussus Sermone habito Pragæ ad Clerum: *Aspice quid facit multa, magna, sed inordinata eleemosyna distributio. Et concipies quia facit litem in pauperibus, & consumptionem inutilem: quæ si sparsim daretur, magis foret fructifera, & minus pauperum turbatiua.*

1522. VVitembergenses in Statutis Germanicè editis anno 1522. *Si quis peregrinus apud nos studiis incumbere volet, ipse sibi de victu prouidebit. Nos enim hic nulli permittimus, vt mendicet, & victum petat.*

1525. Philippus Melanchton in editione prima Locorum communium de discrimine veteris & nouæ Legis: *Sicut in hoc non edis aut bibis, vt necessitati corporis seruias: ita nec in hoc largiare eleemosynam, vt iustificeris, &c. Quam non iustificat edere, bibere, dormire, stare, sedere: tam non iustificant, non modò Circumcisio, sed & moralia illa, castitas, subseruire fratrum necessitati, & similia. Sola enim fides iustificat.*

1552. Lutherani in Confessione VVirtembergensi: *Eleemosynam vehementer commendamus, sed quod alicubi dicitur:* Eleemosynam delere peccatum, sicut aqua extinguit ignem, *iuxta fidei analogiam intelligimus. Quid enim opus fuisset ad delenda peccata passione Christi Filii Dei, si peccata delerentur merito eleemosynæ? Et quis vsus esset ministerio Euangelii, si eleemosyna diuinitus fuisset ordinata pro organo, quo applicaretur nobis meritum Christi?*

1560. *Magdeburgenses,* Centuriæ 6. cap. 4. columna 282 *recensentes seculi illius errores, Iustum Orgelitanum in Cant. Cassiodorum in Psalm. Gregorium Magnum in Iob, nimium eleemosynis tribuisse asserunt.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

***Deuteronomii* 15. *Vers.* 7.** Si vnus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuæ, in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem deuenerit: non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris. 11. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, vt aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra.

***Tobiæ* 4. 7.** Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.

***Tobiæ* 12. 8.** Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quàm thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam.

***Psalm.* 40. 1.** Beatus vir, qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

***Prouerb.* 13. 8.** Redemptio animæ viri diuitiæ suæ: qui autem pauper est, increpationem non sustinet.

***Prouerb.* 14. 21.** Qui despicit proximum suum, peccat: qui autem miseretur pauperis, beatus erit. Qui credit in Domino, misericordiam diligit. 31. Qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius: honorat autem eum, qui miseretur pauperis.

***Prouerb.* 15. 27.** Per misericordiam & fidem purgantur peccata.

***Prouerb.* 25. 21.** Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da illi aquam bibere: prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi.

Prouerb. 28. 27. Qui dat pauperi, non indigebit: qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam.

Eccleſiaſtici 3. 33. Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis.

Eccleſiaſtici 12. 1. Si benefeceris, ſcito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa. Benefac iuſto, & inuenies retributionem magnam: & ſi non ab ipſo, certè à Domino.

Eccleſiaſtici 17. 18. Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit: & poſtea reſurget, & retribuet illis retributionem, vnicuique in caput ipſorum.

Iſaiæ 58. 7. Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam. Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris.

Daniel. 4. 24. Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum.

Matthæi 6. 1. Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Cùm ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua: vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito: & Pater tuus, qui videt in abſcondito reddet tibi.

Math. 19. 21. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni ſequere me. 29. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.

Matth. 25. 40. Quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.

Lucæ 6. 38. Date, & dabitur vobis: menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.

Lucæ 11. 41. Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.

Lucæ 14. 13. Cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum.

Lucæ 16. 9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Actor. 10. 4. Corneli (*inquit Angelus*) orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.

1. *Cor.* 16. 1. De collectis autem, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinaui Eccleſijs Galatiæ, ita & vos facite. Per vnam Sabbati vnuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit: vt non cùm venero, tunc collectæ fiant.

2 *Corinth.* 9. 7 Hilarem datorem diligit Deus.

Heb. 13. 16. Beneficentiæ & communis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtijs promeretur Deus.

Iacobi 1. 27. Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt: Viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 10.

Conſtit. Apoſt. lib. 3. *cap.* 4. Quid enim, ſi quæ ſunt non viduæ, aut ſi qui non vidui, egent tamen ope propter paupertatem, aut valetudinem infirmam, aut egent ad alendos filios? oportet te proſpicere omnibus, omneſque curare: Qui enim dona afferunt, non ea ex tempore dant viduis, ſed potius omninò conferunt, quæ voluntaria nominant. vt tu Epiſcope, qui calamitoſos noris, tamquam bonus diſpenſator, dona illa optimè diſpertiâs, ac diſtribuas. Scit enim Deus eum, qui dedit, quamuis tu, eo abſente, egentibus diuidas. Atque ille quidem habet beneficentiæ mercedem, tu verò diſpenſationis recta conſcientia adminiſtratæ laudem. Dicite, quibuſcunque dona diſpertitis, quis illa dederit, vt nominatim pro eo precentur: Oportet enim omnibus hominibus benignè facere ſine ſtudio ſcrutandi hunc vel illum, quicunque ſit: Dominus enim ait: Lucæ 6.
Omni petenti à te da, ſcilicet omni verè indigenti, ſiue amicus ſit, ſiue inimicus, ſiue cognatus, ſiue alienus, ſiue vxorem non duxerit, ſiue duxerit. In vniuerſa enim Scriptura hortatur Dominus, vt pauperibus ſuppeditemus.

Lib. 7. *cap.* 13. Si habes da tuis manibus, vt pecca- Prou. 19
tis tuis redimendis operam des: *Eleemoſynis* enim, inquit, *& fide eluuntur peccata.* Ne dubita largiri pauperi, neque largiendo murmures: cognoſces

enim quis sit remunerator. *Qui miseretur*, inquit, *pauperis, fœneratur Deo:* quantum autem fuerit ab eo datum, tanta fiet ei remuneratio. Ne repellas indigentem: qui enim, inquit, *aures obturat, ne audiat opem rogantem, ipse implorabit auxilium, & non erit qui exaudiat eum.* Habe omnia cum fratre tuo communia, & ne dixeris propria esse: omnibus fuit instructa à Deo communis participatio. Prou. 21

Ignatius. 100.

Epistola ad Heronem: Pauperes ne negligas, vbi tibi copia fuerit: *Eleemosyna enim & fide peccata expiantur.* Prou. 15

Hermas. 120.

Libro 3. Similitudine 10. Dic omnibus, vt non cessent, quicunque rectè facere possunt, bona opera exercere. Vtile est illis. Dico autem omnem hominem de incommodis eripi oportere. Is enim qui eget, & in quotidiana vita patitur incommoda, in magno tormento est, ac necessitate. Quisquis igitur huiusmodi animam eripit de necessitate, magnum gaudium sibi acquirit.

Polycarpus. 140.

Tob. 4. *Epistola ad Philippenses:* Cùm potestis benefacere, nolite differre: quia *eleemosyna à morte liberat.*

Iustinus. 150.

Oratione ad Antoninum Pium: De communicatione facultatum cum egentibus, & quòd nihil sit ad gloriam aucupandam faciendum, hæc præcepit: *Omni petenti date, & mutuo sumere volentem ne auerseminis. Si namque mutuo iis datis, à quibus vos recepturos speratis, quid noui facitis? faciunt hoc & publicani. Vos autem ne vobis thesauros reposueritis in terra, vbi ærugo & tinea corrumpit, & prædones effodiunt: sed recondite vobis thesauros in cælis, vbi neque ærugo, neque tinea corrumpit.*

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 2. Stromaton: Re vera Dei est imago homo benefaciens. Qua in re ipse etiam beneficio afficitur: sicut gubernator simul seruat & seruatur.

Lib. 4. Stromaton: Misericordes esse vult, non solùm qui faciunt misericordiam, sed etiam qui misereri volunt, etsi non possunt, quibus adest, vt sponte & libera voluntate operentur. Nonnunquam enim volumus vel dando pecuniam, vel corpoream dando operam, facere misericordiam: vtpote egenti opem ferre, vel ægrotanti inseruire, vel ei adesse, qui est in aliqua calamitate, nec possumus, vel propter paupertatem, vel morbum, vel senectutem (nam ea quoque morbus est naturalis) exequi institutum, ea quæ cupimus, & ad quæ interno animi motu ferimur, non potentes efficere. Eundem autem honorem consequentur ij, qui voluerunt cum ijs, qui potuerunt, quorum est voluntas æqualis, etsi alij superent facultatibus.

Origenes. 230

Lib. 2. in Leuiticum: Audi nunc quantæ sint remissiones peccatorum in Euangelijs. Et ista prima, qua baptizamur in remissionem peccatorum: secunda remissio est in passione martyrij: tertia est quæ eleemosyna datur. Dicit enim Saluator: *Veruntamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*, &c. Cùm eleemosynam feceris, & erga indigentes affectum misericordiæ solicita pietate dependeris, altare sacrum pinguibus hœdis onerasti. Lucæ 11.

Ad cap. 12. epistolæ ad Romanos: Aliud est dare indigenti, & aliud affectu misericordiæ cum indigente partiri. Et ideo non vult in tali opere esse tristitiam. Qui enim erogat pecuniam suam, si infidelis sit, & recepturum se desperet, necessariò, tamquam qui eam perdiderit, contristatur. Qui verò cum fide & spe hoc agit, certus quòd cùm parua hæc pro mandato Dei expendit indigentibus, sibi opes cælestium diuitiarum, insuper autem & æternam conferant vitam.

Gregorius Neocæsariensis. 260.

In Paraphrasi Ecclesiastis cap. 11. Iustum est egenti panem, & ea, quæ ad vitam tuendam necessaria sunt, impartiri. Quamuis enim id statim perdidisse quibusdam videaris, vt si panem in aquam conieciſſes: tamen progressu temporis nequaquam infrugifera tibi apparebit beneficentia. Quin liberaliter quoque porrige, pluribusque tuas facultates diuide.

Athanasius. 340.

Epistola ad solitariam vitam agentes: Christus nos admonet, vt pauperum memores essemus. Et vendenda esse bona, & danda in eleemosynam. Et: Matt. 19
Esuriui, inquit, *& dedistis mihi quod comederem: sitiui, & dedistis potum. Quatenus enim vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.* Isti autem Ariani, vt reuera Christo infesti, eius voluntati hac in parte obsistere conati sunt. Cùm enim à fratribus in egenos & viduas, quibus in Ecclesijs, quæ per Ducem in Arianorum potestatem concesserant, sedere non liceret, ac proinde in locis per clericos, in quorum tutela erant, assignatis versarentur, eleemosynas benignè conferri conspicerent, non ferentes hanc pietatem, miseros illos ferire, ac verberibus insectari cœperunt, criminibus quoque in donatores eleemosynarum intentatis, eos eo nomine apud Ducem accusârunt. Matt. 25.

Libro de Virginitate: Magnum munimentum est ieiunium, oratio item, & eleemosyna, cùm ex morte hominem liberent.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi 8. Poterit sanè aliquis etiam per pecunias iustificari. *Esuriui*, inquit, *& dedistis mihi manducare*, omnino id per pecunias. Et vis nosse, quòd bona, & opes possunt esse ostium regni cælorum? *Vende omnia quæ habes*, inquit, *& da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis.*

Basilius Magnus. 370.

Homilia 6. in ditescentes auaros: Quid stultius quam laboribus nunquam finiendis se conficere, ac summo cum studio ædificare, nec minore cura eadem demoliri. Habes si vis apothecas, ventres pauperum, thesauriza tibi thesaurum in cælo. Quæ illic reconduntur, neutiquam depascuntur tineæ, nulla depopulatur caries, aut erodit, nulli suppilant prædones.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 16. quæ est de pauperum amore: Charitatis præcipuam partem in eo sitam esse comperio, vt pauperes amore ac beneuolentia complectamur, atque eorum, vt qui nobis cognatione coniuncti sunt, calamitatibus moueamur, & doleamus. Neque enim vllus omninò cultus Deo perinde gratus est, vt misericordia: (quandoquidem nec aliud quicquam est, quod Deo magis conueniat, vtpote quem misericordia & veritas præcedant, & cui misericordia ante iudicium offerenda sit:) nec vlli alij rei potius, quàm benignitati benignitas ab eo rependitur, qui iustè remetitur, atque in pondere & mensura misericordiam ponit.

Nectarius Constantinopolitanus. 380

Narratione, propter quam causam in primo Sabbato ieiuniorum celebramus memoriam Sancti Martyris Theodori cap. 9. Hæc cùm sciamus, ô dilecti, ipsi quoque aliquid conferamus Deo, qui donat talia. Quid autem offeramus aliud, nisi eleemosynam. Nulla

enim re ex omnibus æquè ac ea solet Deus delectari, maximè cùm ipsum tempus pulcherrimè nos ad hoc adhortatur. Est enim ieiunij tempus, & sancti ieiunij, in quo purificatio animæ & corporis ijs, qui id verè exercent, per copiosam eleemosynæ largitionem.

Theophilus Alexandrinus. 390.

Epistola 2. Paschali: Habeamus in cunctos imaginem bonitatis eius, pœnitentia emendemus errores, oremus pro inimicis, pro detractoribus, oleo eleemosynæ peccatorum sordes lauemus, captiuorum vincula nos videantur astringere, & propitium illis imprecemur Deum. Et his, quorum corpora morbus regius occupauit, & iugi tabe membra soluuntur, propter repositam in cælis mercedem, solicito ministerio seruiamus.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 34. in Genesin: Hic erudiamus, vt magnâ in dandis eleemosynis largitate vtamur, quò datis paruis adipiscamur magna. Quomodo enim parta sunt, dic obsecro, dare parum argenti, & obtinere peccatorum remissionem? pascere esurientem, & in die illa horribili fiduciam assequi, &
Matt.25 audire verba nulli regno conferenda: *Esuriui, & dedisti mihi quod comederem?* Num qui tibi tantam rerum dedit vbertatem, potuit & illius inopiam lauare & solari? Hac de causa reliquit illum inopia vexari, vt & ipse patientia multum mercedis acquireret, & tu per eleemosynam tibi fiduciæ materiam illuc præmitteres, &c. Itaque dum cogitas, quod propter te, & propter tuam vtilitatem, ille cum inopia conflictans fame perit, ne absque misericordia transeas, sed esto fidelis eorum, quæ tibi à Domino concessa sunt, bonorum dispensator, vt adiutus illius penuria, tibi supernam concilies gratiam. Et glorifica Dominum Deum tuum, quòd propter te & salutem tuam permittat illum in paupertate versari, vt tibi via pateat, per quam peccata possis abluere, &c. Nullum enim omninò aliud bonum sic poterit restinguere peccatorum nostrorum incendium, vt eleemosynæ largitas: ista & peccatorm nostrorum abolitionem operatur, & magnam nobis fiduciam conciliat, & præparat, vt ineffabilibus illis bonis frui tunc liceat.

Homilia 33. ad populum Antiochenum: Ars omnium artium quæstuosissima est eleemosyna. Si enim artis est proprium ad aliquam vtilitatem peruenire, eleemosyna verò nihil est vtilius, clarum est profectò, quòd & ars, & omnium est artium optima. Non enim nobis conficit calceamenta, neque vestimenta contexit, nec has luteas domos ædificat: verùm & æternam ministrat vitam, ex mortuis manibus eripit, & in vtraque vita claros exhibet, & mansiones ædificat in cælis, & æterna parat illa tabernacula. Hæc lampades nostras non sinit extingui, nec sordidis indutos vestibus in nuptijs videri: sed lauat, & niue mun-
Lucæ 16 diores reddit, &c. Non sinit nos eò decidere, vbi diues ille: nec audire verba tremenda, sed in Abrahæ sinus deducit.

Homilia 36. Absque eleemosyna sterilis oratio, omnia immunda absque hac, omnia inutilia, ma-
1.Ioa. 4. ior virtutis pars est amputata. *Qui non diligit fratrem suum*, inquit, *Deum non nouit*: tu verò quomodo diligis, neque parua hæc & vilia volens ei communicare? &c. Dic enim mihi, nisi foret eleemosynæ subsidium, cùm multis criminibus admissi nos vltionis reos statuissemus, nónne multum doleremus? nónne diceremus: vtinam per pecunias à peccatis ablui liceret, & omnia daremus. Vtinam pecunijs Dei liceret iram expellere, neque rebus vllis parceremus. Nam si hoc in ægritudine facimus, & in morte dicimus: si mors redimi posset, ille omnia sua dedisset: multò magis hoc. Et vide quanta sit Dei misericordia, temporalem redimere mortem tibi non concessit, sed concessit æternam mortem. Ne breuem, inquit, emas vitam hanc, sed vitam illam æternam: illam tibi vendo, non hanc, non illudo tibi.

Nilus. 420.

In Capitibus paræneticis cap. 55. Pauperes foneto: ipsi enim iudicem nobis conciliant. Inopiæ Sanctorum subueni: per eos enim tibi cum Deo contigit societas.

Cap. 82. Si vis manuum tuarum labores diuinos, & non terrenos fieri, quædam ex ijs communicabis cum egentibus.

Cap. 178. Si seminaueris pauperibus, quæ tua sunt serito: aliena enim zizanijs sunt amariora.

Cap. 185. Si poculo frigidæ aquæ iustificat misericordem, quanta putas retributio expectat distribuentem omnia pauperibus?

Ioannes Cassianus. 420.

Collat. 20. c. 8. Etiam per charitatis affectum pec- 1.Pet.4.
catorum moles obruitur: *Charitas enim operit multitudinem peccatorum.* Similiter etiam per eleemosy-
narum fructum vulneribus nostris medela præsta- Eccl.3.
tur: quia, *sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.*

Isidorus Pelusiota. 430.

Lib. 2. epist. 151. Cùm eleemosynam singulari amore complecteretur, id tamen studiosè captabat, vt obscura & incognita esset ea benignitas; quòd exploratum haberet, eleemosynam in hoc maximè sitam esse. Nam si ostentationis particeps est, ij, qui ea funguntur, non mihi benignitatem exhibere, verùm eorum, qui beneficio afficiuntur, calamitates exaggerare videntur, diuinum opus molestissimo morbo labefactare. Nam dum humani ac liberales vocari cupiunt, aliorum miserias euulgare minimè detrectant. At clarus ille vir, non modò largiendo, sed etiam occultè id faciendo, eos, qui in paupertatis fornace versabantur, velut rore quodam perfusos recreabat.

Epist. 214. Eleemosynam à probro & contumelia puram atque immunem esse oportet. Nam qui ei hæc adiungunt, fragranti vnguento cœnum admiscent, atque accipientium animas percutiunt, &c. Quocirca pauperibus leniter & placidè respondere oportet, ac pro viribus præbere, atque eleemosynam, tamquam ingenuam quãdam & nobilem virginem, occultare, ac non omnibus eam propalare.

Sozomenus. 436.

Lib. 7. c. 26. Epiphanius cùm largus esset in pauperes, & eos, qui vel naufragijs, vel alijs infortunijs afflicti erant, postquam iam olim suas ipsius facultates insumpserat, exigente necessitate, etiam pecunias Ecclesiæ erogabat. Fuerant hæ sanè multæ: vndique enim multi, quibus opes suas in pios vsus conuertere decretum fuerat, & viuentes illius Ecclesiæ tradiderunt, & morientes reliquerunt. Considerabant enim, quòd ille, qui & rerum dispensator, & numinis diuini cultor bonus erat, munera, quæ contulerant, ex ipsorum sententia distributurus esset. Aiunt igitur, quodã tempore paucis admodum reliquis pecunijs, Ecclesiæ dispensatorem indignatum fuisse, & quasi nimis profusum reprehendisse: sed illum ne sic quidem abstinuisse à munificentia sua erga egenos declaranda. Erogatis igitur cunctis, accessit quidam ad domunculam, in qua dispensator habitabat, & crumenam multis nummis aureis refertam dedit. Sed cùm neque qui dederat, neque qui miserat, manifestus esset: videretúrq; meritò insolens, hominem quemquam in tantarum pecuniarum largitione seipsum præbere ignotum, tum verò omnes rem di-

uinitus esse gestam agnouerunt.

Cyrillus. 430.

Apud Damasc. lib. 2. Parallelorum c. 16. Eleemosyna peccata expurgat, iudicium superexaltat, supplicij flammam mitigat, iudicem flectit, vel, vt rectius loquar, cum Deo copulat, in Sanctorum chorum ac numerum ascribit, in supernam ciuitatem attollit, cælorum regnum cociliat, gloriam immarcescibilem, spem firmam ac stabilem, & quid non denique eorum, quæ ad constantem animi hilaritatem momenti aliquid habent? Qui paupertate atque inopia laborantibus opes suas impertit, nunquam pauper erit. *Qui* enim *miseretur pauperis*, inquit ille, *fœneratur Deo.* Soluendo est hic debitor: fidus hic, qui accipit: scit quod datum est cum fœnore dissoluere. Diues ac liberalis est, qui hominis ad misericordiam propensi depositum accepit.

Isaac Presbyter. 450.

De mundi contemptu c. 8. Si habes quid vltra necessitatem tuam diurnam, pauperibus illud eroga, & eris cum securitate. Offer orationes tuas, id est, loquere cum Deo, sicut filius cum patre suo. Nihil facit ita appropinquare Deo, sicut eleemosyna: nihil ita facit mentis tranquillitatem, sicut paupertas, quæ voluntariè sustinetur.

Victor Antiochenus. 460.

Ad Marc. c. 9. Ne quis paupertatem prætexat, illos etiam, qui aquæ duntaxat frigidæ poculum obtulerunt, vbi aliud, quod offerri possit, ad manum non fuerit, sua mercede haud frustratum iri permittit.

Titus Bostrensis. 460.

Lucæ 12 Ad Lucæ c. 16. *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam*: Et quidem lex hæc diuinæ voluntatis citra vllam controuersiam est vtilis & salutaris: verùm humana mens est admodum infirma, & ad res terrenas plus satis semper incuruata. Propter hæc ergo Dominus per similitudinem, hoc loco propositam, facilem expeditamq́ue salutis viam nobis ostendit: tantùm non eiusmodi oratione omnes compellans. Si qui ex vobis sunt, qui omnibus omnino, quas in terra possident, opibus, simul & semel desertis, sublimem illam vitæ conuersationem capessere volunt, minimum ex eo, quod à necessario sumptu redundat, pauperum œconomi fiant: quò nimirum vel hac qualicunque facultatum suarum communicatione, multis amicis, multisq́ue misericordiæ testibus hic comporatis, quando olim è caduca hac, terrenaq́ue vita excedent, in eorum tabernaculis tum locum aliquem inueniant, quibus in hoc seculo benignè quandoque fecerant. Quòd si verò ne hoc quidem facere in animum induxerint: verùm omnia, quæ gratis à Domino acceperunt, suis tantùm sumptibus, & voluptatibus consecrare, aut in momentaneos honores conuertere perrexerint, obliti Dei dicentis: *Aperiendo aperies viscera tua fratri*
Deut. 15. *tuo egeno*, aliorumq́ue omnium, quæ diuina Scriptura de subleuanda miserorum inopia passim præcipit, morte iam illis insultante, & ab omnibus, quæ in bonis habebant, ipsos vel inuitos submouente, & trahente, à sua vilicatione omninò amouebuntur. Et quod his grauius est, propter inclementem illam, duramq́ue, & inhumanam in pauperes voluntatem, æternorum tabernaculorum loco, æternum inextinguibilemq́ue ignem sortientur.

Olympiodorus. 500.

Ad caput 5. Ecclesiastici: Monet, vt partem sibi decentius decretam accipiat, hoc est, hæreditatem ac sortem, quæ sit illi stabilis, ac perpetuò duratura. Ea verò est, dispergere pauperibus opes suas, & de huiusmodi dispensatione solidam lætitiam capere. Hoc enim est verè donum Dei, in eleemosynis, & charitate pauperum, vitam operamq́ue consumere. Tunc verò vt magis illis persuadeat partem hanc sibi propriam capere, hoc est, bene suis vti diuitijs, vt ita stabiles illi fiant, reuocat illi in memoriam breuitatem vitæ huius, cùm dicit, quòd non multos recordabitur dies vitæ suæ. Huiusmodi autem hominis occupatio in pauperibus subleuandis, & acceptissima est Deo, & misericordis cor animamq́ue lætificat.

Dorotheus Abbas. 520.

Doctrina 14. Optat verò aliquis vestrum agnoscere, quantum sit bonum, quanta gratia eleemosynæ? Magna profectò est, quæ potest peccata dimittere, vt ait Propheta: *Redemptio animæ sunt propriæ diuitiæ.* Et alio loco: *Eleemosynis redime peccata tua.* Prou. 13. Dan. 4.

Iustinianus. 530.

In Authent. de sanct. Episcop. §. Sed neque, Col. 9. Si quis voluerit aliquid suarum rerum offerre Ecclesiæ, non solùm non prohibemus, sed etiam magis inuitatus eos talia pro salute animæ suæ facere.

In Authent. vt determinatus sit numerus Clericorum, §. Sicut enim: Expensæ, quæ fiunt ex Ecclesiasticis quæstibus, circa pios erogentur actus, & Deo placentes, & illis hæc ministrentur, qui pro veritate egent, & non habent aliundè alimentorum occasionem: Hoc enim Dominum Deum placat.

Agapetus Diaconus. 540.

In expositione capitum admonitoriorum cap. 6. Vestimentum inuetustabile, est beneficentiæ amictus: & incorrupta stola est, charitas erga pauperes. Quàm igitur oportet, qui piè regnare vult, talium indumentorum pulchritudine animam exornare? Amoris enim in egenos qui indutus est purpura, cælestis quoque regni compos efficitur.

Cap. 44. Inexhaustæ sunt beneficentiæ opes. Nam largiendo acquiruntur, & dissipando colliguntur. Has tuo infitas animo habeas munificentissime Imperator, largire omnibus affatim petentibus abs te: infinitas enim habebis pro his remunerationes, quum tempus reddendi vicem venerit.

Isychius Hierosolymitanus. 580.

In Leuit. lib. 3. cap. 11. Ea, quæ nutriunt animam, id est, bonas actiones nos viuificamus, si bene ijs vtamur: sin autem malè, non viuificamus, sed mortificamus. Qui enim ex iniquitate facit eleemosynam, mortificat eius virtutem sine potentiam.

Lib. 7. cap. 25. Omnes iustitias Dei, omnia eius iudicia prius custodiamus, & postea faciamus. Custodiamus non corrumpentes intentionem eorum, sed districtè custodientes, & immutabiliter: veluti si quis eleemosynam operari vult, nec proximo nocens operetur: neque si pauper est, ipse rapiat diuitum pecunias, vt præbeat pauperibus. Deus enim eleemosynam ex iustitia offerri vult.

Ioannes Moschus. 600.

In Prato spirituali cap. 75. Narrauit nobis quidam Patrum de Zenone Imperatore, dicens, quòd mulierem quandam in filia ipsius iniuriosè tractauerit. Hæc autem vacabat in templo Dominæ nostræ sanctæ Dei Genitricis, orans eam, & deprecans, & cum lachrymis dicens: Vindica me de Zenone Imperatore. Cùm ergo multis diebus hoc faceret, apparuit ei sancta Dei Genitrix, dicens: Crede mihi, mulier, vltionem tuam sæpè facere volui, sed manus eius prohibet me. Erat enim valde misericors, & eleemosynas faciens.

Cap. 185. Cùm in Samo insula essemus, narrabat nobis venerabilis pauperum cultrix Maria mater domini Pauli candidati, dicens: Cùm essem in ciuitate Nisibæ, erat ibi Christiana mulier virum habens gentilem. Erant autem pauperes, habebant tamen quinquaginta numismata. Die verò quadam ait vir vxori suæ: Demus hæc numismata fœneratori, vt aliquod solatium ex

eis capiamus. Ea enim sigillatim consumimus, & deficiunt. Respondens autem illa bona vxor ait viro. Si placet ea fœnerari, veni, demus illa sub fœnore Deo Christianorum. Dicit ei vir eius: Et vbi est Deus Christianorum, vt demus ei? Ait illa: Ego tibi ipsum ostendam. Si enim huic dederis ea, non solùm non illa perdes, si & vsuras tibi persoluet, & capitale duplum reddet. Qui ait illi: Eamus, ostendi mihi illum, & demus ei. Illa verò assumens virum suum, duxit in sanctam Ecclesiam. Habet autem Ecclesia illa quinque magnas ianuas. Cùm ergo induxisset illum in Ecclesiæ porticum, ostendit ei pauperes, dicens: Istis si præbueris, Deus Christianorum ipsa accipit. Isti enim omnes sui sunt. Qui mox cum gaudio numismata cœpit erogare pauperibus. Reuersiq; sunt in domum suam. Cùm verò post menses tres necessitate sumptuum angustarentur, ait vir vxori suæ: Soror, nihil, vt video, daturus est nobis Deus Christianorum ex debito illo, & nunc angustamur inopia. Respondit mulier, & ait illi: Profectò dabit. Vade vbi illa dedisti, & exhibebit ea tibi cum omni alacritate. Quo audito, ille currens abijt in sanctam Ecclesiam, veniensque in loco, vbi erogauerat numismata pauperibus, & circuens totam Ecclesiam, neminem vidit, qui sibi debitum redderet, nisi solos pauperes denuò sedentes. Cùm ergo cogitaret in seipso, cui diceret aliquid, vel à quo exigeret, aspexit ante pedes suos in marmore iacere numisma vnum ex illis, quæ pauperibus ipse erogarat, inclinansque se, & accipiens illud, abijt in domum suam, & ait coniugi suæ: Ecce profectus sum in Ecclesiam, & crede mihi, mulier, quia Deum Christianorum non vidi: vt dixisti, nullusque mihi aliquid dedit, nisi quòd hoc numisma ibi positum vidi, vbi ego priùs erogaueram. Tunc ait ad eum mulier illa mirabilis: Ipse est, qui tibi hoc inuisibiliter præstitit. Ille enim inuisibili potestate manus suæ disponit hunc mundum. Sed vade, domine mi, eme nobis aliquid, vt comedamus hodie, rursusque ipse prouidebit nobis. Abijt ille, & emit sibi panem, & vinum, & piscem, & veniens domum dedit vxori. Quæ accipiens piscem, cœpit ipsum purgare, & exenteransque illum, inuenit in visceribus eius lapidem valdè mirabilem, ita vt miraretur mulier illius pulchritudinem. Non tamen sciebat quid esset. Seruatum autem ostendit reuertenti viro, dicens: Ecce hunc lapidem in pisce reperi. Videns autem & ipse miratus est quidem ipsius pulchritudinem, ignorabat tamen quid esset. Cùm autem comedisset, ait vxori: Da mihi lapidem, vt vadam & vendam illum, si quid fortassis pretij de illo accipere contingat. Neque enim, vt dixi, nouerat & ipse quid esset, vtpote simplex & rudis. Tulit itaque lapidem, & abijt ad trapezitam, cuius erat proprium talia emere, & vendere, inuenitque illum iam clausis omnibus egredientem (ad vesperum enim iam dies erat) & ait illi: Vis emere hunc lapidem? Ille verò considerans lapidem, dixit ei: Quid vis, vt tibi pro eo soluam? Ait autem ille: Da quicquid vis. Ad quem ipse: Accipe, inquit, quinque numismata. Putans autem venditor quia illuderet sibi, dicit ei: Et tantum vis pro illo persoluere? Existimans trapezita, quòd ita ille per ironiam loqueretur, ait ipsi: Accipe decem pro eo numismata. Venditor iterum se irrideri arbitrans, tacuit. Dixit illi trapezita: Viginti numismata accipe. Ille autem tacebat, nihil respondens. Cùm verò ad triginta, quadraginta, & quinquaginta numismata emptor ascenderet, & se daturum ea iuramento affirmaret, cœpit ille amplius lapidem æstimare. Paulatim verò emptor ascendens vsque ad trecenta numismata peruenit, deditq; illa vendenti. Ipse igitur dato lapide, acceptaq; pecunia, venit ad vxorem suam gaudens. Quæ cùm videret illum exultantem dixit: Quāto illum vendidisti? Putabat autem, quòd illum quinque, vel decem minutis vendidisset. Tunc ille trecenta numismata proferens, dedit illa vxori suæ dicens, tanto se illum vendidisse. Illa verò summam diuinæ bonitatis clementiam admirans, dixit ei: Ecce Deus Christianorum qualis est, quàm bonus, quàm gratus, quàm diues: Vides quia non solùm quinquaginta numismata tibi reddidit, quæ tu illi mutuasti: sed paucis diebus ipsa tibi sextuplicata restituit? Agnosce igitur, quia non est Deus alius, neque in terra, neque in cælo, nisi ipse solus. Ille verò miraculo admonitus, cum experimento didicisset & ipse veritatem, effectus est repente Christianus, & glorificauit Deum, & Saluatorem nostrum Christum, cum Patre, & Spiritu sancto, plurimas referēs gratias prudentissimæ vxori suæ.

Leontius. 620.

In vita Ioan. Eleemos. Humilis Zacharia (inquit ad ministrum suum) esto misericors, & verbum promissionis habe ex Deo per infirmitatem meam, quia neque in vita mea, neque post mortem deerit tibi Deus, quod seruat vsque hodie. Multas enim benedictiones mittit ei Deus, sed non dimittit quicquam, quod non statim det pauperibus, propemodum constringens & in nihilum redigens domum suam. Multoties in exultatione inuenerunt eum quidam dicentem Deo: Sic sic, aut tu mittendo, aut ego dispergendo, videbimus quis vincat. Liquet enim, quoniam tu diues Domine, & vitæ nostræ miserator es. Porrò autem, quando iuxta euentum nō habet ad horam aliquid quod det à se petenti, contristatus dicit ad tabernarium, aut negotiatorem: da mihi vnum tremissem, id est, tertiam partem solidi aurei, & seruiā tibi vno mense, vel duobus, vt vis, & vbi vis, quoniam esuriunt valde, qui in domo mea sunt. Et sumens dat egenti, rogans vt nemini dicat.

Ibidem. Non iustum est, (*inquit Ioannes eo die, quo in Patriarcham electus esset*) ô fratres, ante alterius cuiusquam curam habere, quàm Christi. Omni verò multitudine, quæ conuenerat, audito verbo compuncta ac sustinente dicit iterum ille beatus: Euntes ergo per totam ciuitatem, conscribite mihi vsque ad vnum omnes dominos meos. Illis autem non intelligentibus, qui hi domini essent, sed rogantibus dicere, & mirantibus quinam Patriarchæ domini existerent, respondit rursus Angelicum illud os, & ait: Quos vos egenos & mendicos vocatis, illos ego dominos & auxiliatores prædico. Ipsi enim nobis verè & auxiliari, & cælorum regnū donare poterunt. Et cùm hoc multa velocitate vidisset factum Christi imitator, præcepit eis per singulos die stipendia tribui, & per proprium dispensatorem præberi ijs sufficientem necessitatem: plus autem erant quàm septem millia quingenti. Tunc quasi pastor verus, & non mercenarius, cum sacrosancto ouili, & cum conuenientibus sanctis viris Episcopis ad Ecclesiam sanctam pergens, consecratus est de diuino iudicio. Cùm essem (inquit Patriarcha) adhuc in Cypro iuuenis quasi annorum quindecim, vidi vna noctium in somnis puellam quandam, cuius species supra solem splendebat, ornatam supra omnem humanum sensum, quæ venit, & stetit ante lectum meum, & pulsauit me in latere. Expergefactus verò vidi eam in veritate stantem, & æstimaui eam esse mulierem. Figura igitur crucis signatus, dixi ei: Quæ es tu es? Et quomodo ausa es intrare ad me, dum dormirem? Habebat autem & coronam de oliuarum ramis super caput suū. Tunc illa hilari vultu, & subridendo dicit mihi: Ego sum prima filiarum Regis. Cùm hæc audissem, statim adoraui eā. Tunc dicit mihi: Si me possi-

des amicam, ego te ducam in conspectum Imperatoris. Etenim nemo habet potestatem apud eum, sicut ego. Ego quippe feci eum in terris hominem fieri, & saluare homines. Et hæc dicens, disparuit. Ego verò in memetipsum reuersus, intellexi visionem & dixi: Credo, compassio ac Eleemosyna est,& ideo habet in capite ex oliuæ folijs coronam. Etenim veraciter compassio, & benignitas erga homines Deum carne vestiri fecit. Statim ergo vestij me, & nullum domus meæ excitans, in Ecclesiam abij. Erat enim iam aurora. Et cùm irem obuiam fratri frigore vexato, expoliaui me indumento caprino, & dedi ei, dixiquè intra me: Ecce in hoc sciam, si vera est vtique visio, quam vidi, an dæmoniaca. Et veritate testante, nondum Ecclesiam comprehenderam, & subitò obuians mihi quidam, albis indutus vestimentis, dat mihi ligaturam centum numismatum, dicens: Accipe hæc frater & dispensa vt vis. Ego autem prę gaudio statim hæc suscipiens, reuersus sum, volens ei reddere ligaturam illam, quasi nihil indigens, & amplius non vidi aliquem. Tunc dixi, veraciter non esse phantasiam. Ex illa verò hora sæpe dabam confratri aliquid, & dicebam: Videbo si Deus mittat mihi, vt dixit, centupla. Et cùm tentassem Dominum malè faciens,& satisfactum mihi esset diuersis modis per eas res, dixi: Cessa misera anima tentando intentabilem. Adrione existente eadem populi multitudine in ciuitate, quidam peregrinorum videns tantam compassionem eius, voluit tentare eum, & indutus vestiméta vetera, accessit ad eum, euntem ad visitandos, qui in Nosocomio, id est, in Infirmario iacebant, (bis enim per hebdomadam, vel ter ibat illuc,) & dicit ad eum: Miserere mei, quoniam captiuus sum. Dicit datori, da ei sex numismata. Deinde cùm hæc accepisset, vadit, & mutat habitum, & obuiat ei aliundè, & procidit ei dicens: Miserere mei, quia coarctor. Dicit denuò Patriarcha datori, da ei sex aureos nummos. Cum verò isset, dicit ille distributor ad aurem illius Patriarchæ: Per orationes tuas domine, idem ipse accepit secundò. Fecit verò seipsum Patriarcha tamquam nesciret. Venit itaque tertiò iterum accipere,& tetigit dator Patriarcham qui aurum ferebat, significans quòd ipse esset. Tunc respondit ei Dei amicus ille veraciter misericors: Da ei duodecim numismata, ne fortè Christus meus sit, & tentet me. Referebat semel coram omnibus ille Sanctus dicens: Habebam, inquit, ministrum in apotheca mea in Cypro fidelem valde, & virginem vsque ad obitum suum. Hic narrabat mihi, quia in Africa existente me, facta est res huiusmodi. Permanebam enim, ait, cum quodam telonario diuite vehementer, & immisericordi. Semel ergo pauperibus in hyeme sedentibus ad solem, seque calefacientibus cœperunt singuli domos eleemosynariorum collaudare, & pro ijs orare per singulos eorum: similiter & domos eleemosynam non facientium vituperare. Inter quæ venit in medium eorum & nomen senioris mei Telonarij, & cœperunt singuli interrogare proximum: Verè tu frater accepisti aliquando de domo illa benedictionem? Et omnibus interrogantibus inuicem, nullus inuentus est accepisse aliquando de domo eius aliquid. Dicit ergo vnus ex ijs: Quid dabitis mihi, & ego accipiam ex eo hodie benedictionem? Et facientibus cum eo pactum, venit, & stat foris portam domus, expectans quando ad domum suam reuerteretur. Ex dispensatione Dei peruenerunt simul ipse ingrediens portam,& animal portans siligines à mancipio causa prandij ipsius. Videns igitur egenum, non inueniens lapidem, per furorem arripit siliginem de clitella, & iactauit in faciem eius. Ille verò suscepit eam, & abijt, vt satisfaceret confratribus suis, quòd ex ijsdem manibus accepisset eam. Itaque post duos dies ægrotauit infirmitate vsque ad mortem idem Telonarius, & vidit in somnis seipsum rationem ponentem, & omnes actus suos super stateram appendi. In vna quidem acie congregabantur Mauri quidam deformes, altera autem acies erat aliorum quorundam candidatorum & terribilium specie. Qui nihil inuenientes boni, vt & ipsi appenderent è contra aduersum mala opera, quæ collecta erant à Mauris, in acie ipsorum nimis turbabantur, & tristabantur, & mente consternabantur ad alterutrum, & dicebant: Ergo nos nihil hîc habemus? Tunc dicit vnus eorum: Verè nihil habemus, nisi vnam siliginem, quam dedit ante duos dies Christo,& ipsam non voluntariè. Et mittentibus eis siliginem æqualitas facta non est. Tunc dicunt Telonario hi, qui apparuerunt ei, candidati: Vade, & auge siliginem hanc, alias verò Mauri isti te apprehendent. Euigilans ergo agnouit, quæ visa sunt ab eo, non esse mendacia, sed vera. Omnia verò, quæ à iuuentute sua commiserat, & quorum ipse erat oblitus, videbat AEthiopes illos congregare, & deportare ad libram, & dicebat: Papè, si vna siligo, quam iactaui per furorem, ita profuit, à quantis malis se liberat, qui dat in simplicitate sua bona indigentibus? Et de cætero ita modestus, & prudens, atque summus eleemosynator factus est, vt etiam corpori proprio non parceret, &c. Si proprio sanguini non pepercerunt quidam hominum, sed hunc dederunt in manus fratrum, imò Christi, quomodo putas nos cum alacritate & humilitate debemus de facultatibus nostris dare Christo, & egenis, atque pauperibus, vt recompensationem recipiamus à iusto, & mercedem redditore Deo, in illa timenda & horrenda retributionis die? *Qui nunc seminat parcè, parcè & metet: qui verò seminat in benedictionibus*, id est, largè & magnanimiter, *multipliciter & metet*, id est, bona illa hæreditabit, quæ omnem mentem transcendunt.

Ioannes Damascenus. 730.

Lib. de die iudicij: Attendite fratres, quòd Dominus illis, qui ad dexteram futuri sunt, promisit dicere: *Venite benedicti: quia esuriui, & dedistis mihi manducare*. Illis verò, qui ad sinistram erunt, dicturus est: *Discedite à me maledicti: quia esuriui, & non dedistis mihi manducare*, &c. Non dixit: *Discedite à me:* quia furtum & homicidium fecistis, & alia mala, sed ait: quia de substantia vestra pauperibus non dedistis. Sicut illos, qui ad dexteram futuri sunt, sola misericordia liberabit: ita eos, qui ad sinistram sunt, sola auaritia condemnabit. Non ideo audituri sunt: *Venite benedicti*, quia non peccastis: nec illis dicturus est: *Discedite à me maledicti*, quia peccastis: sed quia peccata vestra eleemosynis redimere noluistis. Nullus sine peccato esse potest, sed peccata sua omnis homo (Deo adiuuante) eleemosynis potest redimere. Dominus enim ait: Qui esurientem non pauerit, & nudum non vestierit, mittetur in ignem ęternum. Et si cum diabolo condemnatur, qui pauperi non dederit, vbi damnandus est, qui tulerit alienum? Si in inferno damnatur, qui peregrinum non susceperit in domo sua, vbi damnandus est, qui foras expellit? Si in ignem mittitur, qui nudum non vestiuit, vbi damnandus est, qui expoliauit? Tenete vos, fratres, ad eleemosynam, vel misericordiam: quia eleemosyna non patitur operarium suum ire in tenebras. Sicut enim ait Daniel Propheta: *Consilium meum Rex tibi placeat: peccata tua eleemosynis redime:* & si neglexeris, sine causa ad cælum pulsabis, &c.

Historia Barlaam & Iosaphat cap. 15. Dixit Iosaphat ad senem: Quanam igitur ratione pecuniarum thesauros illuc prætermittere queam, vt eorum, cùm hinc abscessero, fructum ab omni furto & interitu alienum nanciscar, quonamque item

pacto meum in res præsentes odium demonstrare, resque sempiternas consequi possim, apertè mihi velim explices. Ait igitur Barlaam: Diuitiæ ad sempiternam regionem per pauperum manus præmittuntur. Ait enim quidam sapientissimus Propheta Daniel nomine, ad Regem Babylonis:
Dan. 4. *Propter hoc, Rex, consilium meum tibi placeat, & peccata tua eleemosynis redime, atque iniustitias tuas in miserationibus pauperum.* Quin etiam Saluator his verbis vtitur:
Luc. 16. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Multaque de eleemosyna & largitione erga pauperes in Euangelico volumine inculcat. Ad hunc scilicet modum quàm tutissimè fortunas tuas omnes per egentium manus illuc præmiseris. Nam quicquid in eos beneficij contuleris, Dominus sibi adsciscens, magno cum fœnore tibi rependet. Etenim eos, qui ipsius amore præditi sunt, beneficiorum remunerationibus semper superat. Ad hunc, inquam, modum huius seculi, cui diu iam non sine ingenti afflictione seruijsti, surreptis thesauris, ex his præclarè viaticum tibi in futurum comparabis, atque alieno eos eripiens, tibi ipsi prius recondes: per fluxa nempe & caduca hæc bona, ea, quæ firma & stabilia sunt, emes.

Basilius Imperator. 860.

Exhortationum ad Leonem filium cap. 5. Limitem mortis etiam mouet eleemosyna, secundùm id, quod vulgo fertur, vitam quoque posse emi pecunia: quoniam se muneribus concuti interdum patitur Deus, ad vitam & salutem nobis indignis concedendum. Diuitias ergo caducas super terram spargens, immortales tibi coaceruas in cælo: ita tamen, vt nihilominus etiam terrenas hic insuper acquiras. Siquidem inexhaustus est beneficentiæ thesaurus: dum enim spargitur, colligitur: & dum donatur, recipitur. Neque solùm eos, qui illum possident, facit hic opulentos, sed illic etiam beatos.

Leo Imperator cognomento Philosophus. 880.

In encomio Ioannis Chrysostomi: Ante omnia autem docendo alendos esse pauperes, alebat eorum, qui ipsos nutriebant, animas nouus ille frumenti dator; vtpote, quòd omnium bonorum operationem contineat & comprehendat eleemosyna, quæ etiam docuit: *Quod vni horum fecistis*, sic omnia comprehendens. Diuini itaque viri audientes orationem, adeò trahebantur omnes ad ea obseruanda, vt in dispergendis opibus, ij, qui eis abundabant, fierent pauperiores ijs, qui erant olim pauperes: perfectè autem fierent in Christo diuites, & thesaurum cælestem acquirerent. Propter quæ is, qui hæc bona introduxerat, nominabatur Ioannes Eleemosynæ.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 11. Lucæ: Quia duos morbos eis exprobrauit, vno remedio eleemosynæ vtrumque sanat, quæ prima est ianua deificantis charitatis. Si enim affuerit dilectio, vbi manebit auaritia & inuidia?

Ad cap. 3. epistola ad Titum: Non tantam adfert pauperibus vtilitatem per nostram eleemosynam, quantam nobis per illos. Dimissionis enim peccatorum, & fiduciæ erga Deum pauperes nobis sunt auctores.

Simeon Metaphrastes. 950.

In encomio S. Georgij Martyris: At ne illi per angustam portam intrare aggredienti terrenarum facultatum cumulus impedimento foret, necessariò faciendum iudicauit, vt diuino præcepto ritè vteretur, quod ait: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni, & sequere me*, &c. Cùm igitur ex ea re animum perfectè confirmasset, eumque diuino amori affixisset, auaritiæ, quæ animorum corruptela est, impulsorem diabolum euertit, & primam hanc coronam aduersus illum arripuit: ipsorum denique pauperum precibus seipsum communiuit, & ex ipsis victoriæ spem bonam certa fide collegit. Ita fidenti animo, tamquam leo, cùm crucem suam sustulisset, ad bellum contra impietatem gerendum prosilijt. Bene enim norat sapiens ille vir eleemosynis & multa fide peccata expurgari, quæ sunt victoriæ impedimenta. *Eleemosyna* enim *à morte* præter cætera *liberat.*

Matt. 19.

Tob. 12.

Suidas. 970.

In voce eleemosyna: Fraudatio est aliena rapere & detinere: cùm verò eleemosynam non damus, æquè ac fraudatores punimur.

Euthymius. 1080.

Ad cap. 25. Matthæi: Meritò qui misericors fuit regnum possidet: quia charitatem, quæ virtutum caput est, opere compleuit. Eius enim pars est eleemosyna. Qui verò immisericors, in ignem ablegatur: quia loco dilectionis odium possedit, quod caput est vitiorum, & eius præcipua pars est inhumanitas. Ille quoque misericordem humanumque Deum imitatus est, hic autem immisericordem inhumanumque diabolum.

Manuel Palæologus. 1400.

In præceptis educationis regiæ cap. 9. Recipit Deus id, quod à nobis debetur, non manibus suis, sed pauperum & opis egentium. Nam sic eum accipere à nobis consentaneum est, & nobis ipsum vicissim largiri.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

In Apologetico cap. 39. Præsident probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti. Neque enim pretio vlla res Dei constat. Etiam si quod arcæ genus est, non de ordinaria summa, quasi redemptæ religionis congregatur: modicam vnusquisque stipem menstrua die, vel cùm velit, & si modò velit, & si modò possit, apponit: nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque, & pueris, ac puellis re ac parentibus destitutis, iamque domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodijs, duntaxat ex causa Dei sectæ, alumni confessionis suæ fiunt.

Cyprianus. 250.

Libro de opere & eleemosynis: Cùm Dominus adueniens sanasset illa, quæ Adam portauerat vulnera, & venena antiqui serpentis curasset, legem dedit sano, & præcepit, ne vltra iam peccaret, ne quid peccanti grauius eueniret. Coarctati eramus, & in angustum innocentiæ præscriptione conclusi. Nec haberet quid fragilitatis humanæ infirmitas atque imbecillitas faceret, nisi iterum pietas diuina subueniens, iustitiæ & misericordiæ operibus ostensis, viam quandam tuendæ salutis aperiret, vt sordes postmodum quascunque contrahimus, eleemosynis abluamus. Loquitur in Scripturis diuinis Spiritus sanctus, & dicit:

Tob. 4. Prou. 13 *Eleemosynis & fide delicta purgantur.* Non vtique illa delicta, quæ fuerant ante contracta: nam illa Christi sanguine, & sanctificatione purgantur.
Eccles. 3 Item denuo dicit: *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum.* Hic quoque ostenditur, & probatur, quia sicut lauacro aquæ salutaris gehennæ ignis extinguitur: ita eleemosynis atque operibus iustis delictorum flamma sopitur. Et quia semel in Baptismo remissio peccatorum datur, assidua & iugis operatio, baptismi instar imitata, Dei rursus indulgentiam largitur. Hoc & in Euangelio Dominus docet: nam cùm denotarentur discipuli eius quòd ederent, nec prius manus abluissent, respondit, & dixit:
Luc. 11. *Qui fecit quod intus est, fecit & quod foris est: verùm date eleemosynam, & ecce omnia munda vobis:* docens scilicet, & ostendens, non manus lauandas esse, sed pectus; & sordes intrinsecus potius, quàm extrinsecus detrahendas: verùm qui purgauerit quod est intus, eum quoque id quod foris est repurgasse, & emundata mente, cute quoque & corpore mundum esse cœpisse. Porrò autem monens & ostendens vnde mundi & purgati esse possimus, addidit eleemosynas esse faciendas. Misericors monet misericordiam fieri: & quia seruare quærit, quos magno pretio redemit, post Baptismi gratiam sordidatos docet denuò posse purgari, &c. Raphael quoque Angelus paria testatur, & vt eleemosyna libenter & largiter fiat hortatur, dicens:
Tob. 12. *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna: quia eleemosyna à morte liberat, & ipsa purgat peccata.* Ostendit orationes nostras ac ieiunia minus posse, nisi eleemosynis adiuuentur: deprecationes solas parum ad impetrandum valere, nisi factorum & operum accessione farciantur. Reuelat Angelus, & manifestat, & firmat eleemosynis petitiones nostras efficaces fieri, eleemosynis vitam de periculis redimi, eleemosynis à morte animas liberari.

De duodecim abusionibus seculi cap. 4. Quartus abusionis gradus est diues sine eleemosyna, qui superflua vsus sui, quæ custodienda in posterum recondit, indigentibus & nihil habentibus non distribuit. Per quod efficitur, vt dum in terra quæsita diligenti cura custodit, cælestis patriæ perennem thesaurum amittat. Ad quem thesaurum Dominus Iesus adolescentem diuitem, qui eum de imperfectione interrogauerat, ita respondens inuitat:
Matt. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cælo.* Quem thesaurum nullus vnquam hominum habere potest, nisi qui pauperibus solatia præstat, aut qui per seipsum pauper est. Non ergo dormiat in thesauris suis, qui pauperes dormire non finit. Diues namque, etsi multa congregauerit, his frui solus nequaquam poterit: quia vnius hominis natura multis rebus non succurrit. Quid ergo stultius est, quàm propter vnius hominis victum & vestitum totam regni cælestis perdere perennem iucunditatem, & æternos inferni cruciatus absque consolationis præstolatione subire? Quod igitur aliquando per necessitatem amittendum est, pro æterna remuneratione sponte distribuendum est.

Lactantius. 300.

Libro 6. cap. 12. Captiuorum redemptio magnum atque præclarum iustitiæ munus est. Itaque hæc benignitas, inquit Tullius, etiam Reipub. est vtilis, redimi è seruitute captos. Hæc est grauium hominum, atque magnorum. Proprium igitur iustorum opus est alere pauperes, ac redimere captiuos: cùm apud iniustos, si qui hæc faciant, graues & magni appellentur.

Cap. 13. Quòd si mortalis conditio non patitur esse hominem ab omni macula purum: debent ergo largitione perpetua peccata carnis aboleri. Vnum est sapientis & iusti & vitalis viri opus, diuitias suas in sola iustitia collocare. Si Deorum cultores simulachra insensibilia excolunt, & quicquid pretiosi habent in ea conferunt, quibus nec vti possunt, nec gratias agere, qui acceperint: quanto iustius est & verius, viuentia Dei simulachra excolere, vt promereare inuenire viuentem? Quæ sicut vsui habent quicquid acceperint, & gratias agunt: ita Deus, in cuius conspectu bonum feceris, & probabit, & mercedem pietatis exoluet.

Hilarius. 350.

In Psalm. 118. Latum mandatum tuum nimis. Non ab omnibus omnia expectantur, neque vniuersi vniuersa ad summam placendi implere possunt. Alius ieiunio placet, alius simplicitate fidei promeretur, alius vitia eleemosynis redimit, alius securitate consummat.

In Psalm. 133. Eleuanda nostra opera sunt in Dei sancta: id est, in nudis vestiendis, in esurientibus cibandis, in sitientibus potandis, in afflictis consolandis, in oppressis adiuuandis, in omnibus diligendis. Hæc enim nos in hac corporis nostri infirmitate sanctificant: hæc Deo placita & sancta sunt.

Ambrosius. 370.

Sermone 15. de Natali Domini: Nullum est tam graue delictum, quod non purgetur abstinentia, eleemosynis extinguatur. Ait enim sanctus Propheta: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Eccles. 3 Magna est ergo eleemosyna, quæ ardentium criminum globos beneuolentiæ suæ fonte refrigerat, & quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum, vt quamuis offensus Deus, quamuis criminibus prouocatus, cogatur liberare eleemosynis, quem disposuerat punire peccatis.

De Helia & ieiunio cap. 20. Habemus etiam plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus. Pecuniam habes, redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es: Peccatis tuis venundatus es, redime te operibus tuis, redime te pecunia tua. Vilis pecunia, sed pretiosa est misericordia. *Eleemosyna,* inquit, *à peccato liberat.* Prou. 13. Et alibi dicit: *Redemptio viri diuitiæ eius.* Tob. 12. Et in Euangelio Dominus dicit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Luc. 16.

Libro 1. Officiorum cap. 11. Bona etiam misericordia, quæ & ipsa perfectos facit, quia imitatur perfectum Patrem. Nihil tam commendat Christianam animam, quàm misericordia. Primùm in pauperes, vt communes iudices partus naturæ, quæ omnibus ad vsum generat fructus terrarum, vt quod habes largiaris pauperi, & consortem & conformem tuum adiuues. Tu nummum largiris, ille vitam accipit: tu pecuniam das, ille substantiam suam æstimat: tuus denarius census illius est. Ad hæc plus ille tibi confert, cùm sit debitor salutis. Si nudum vestias, teipsum induis iustitiam: si peregrinum sub tectum inducas tuum, si suscipias egentem, ille tibi acquiret Sanctorum amicitias, & æterna tabernacula. Non mediocris ista gratia: corporalia seminas, & recipis spiritualia. Miraris iudicium Domini de sancto Iob? mirare virtutem eius, qui poterat dicere: *Oculus eram cæcorum, & pes claudorum. Ego eram infirmorum pater, velleribus agnorum meorum calefacti sunt humeri eorum: foris non habitabat peregrinus: ostium meum omni venienti patebat.* Iob 29. Beatus planè, de cuius domo nunquam vacuo sinu pauper exiuit. Neque enim quisquam magis beatus, quàm qui intelligit super pauperis necessitatem, & infirmi atque inopis ærumnam: in die iudicij habebit salutem à Psal. 4.

Domino, quem habebit suæ debitorem misericordiæ.

Prudentius. 380.

In Hymno ieiunantium:

Est quippe & illud grande virtutis genus,
Operire nudos, indigentes pascere,
Opem benignam ferre supplicantibus,
Vnam, paremquè sortis humanæ vicem
Inter potentes atque egenos ducere.
Satis beatus quisquis dextram porrigit
Laudis rapacem, prodigam pecuniæ,
Cuius sinistra dulce factum nesciat:
Illum perennes protinus complet opes,
Ditatquè fructus fœnerantem centuplex.

Gaudentius. 390.

De Natali Domini contra auaritiam Iudæ, & pro pauperibus Tractatu 13. Dominus sibi præstitum reputat, quicquid egeno præstiteris. Vnde legimus:
Prou.19 *Qui miseretur pauperibus, Deo fœneratur.* Recipiet enim magna pro modicis, & cælestia pro terrenis, ab ipso Dei Filio sempiterno.

Hieronymus. 390.

Epistola 27. in Epitaphio Paulæ cap. 8. Solent plerque matronarum buccinatoribus suis dona conferre, & in paucos largitate profusa, manum à cæteris retrahere: quo illa omnino carebat vitio: ita enim singulis suam pecuniam diuidebat, vt singulis necessarium erat, non ad luxuriam, sed ad necessitatem. Nemo ab ea pauperum vacuus reuersus est: quod obtinebat non diuitiarum magnitudine, sed prudentia dispensandi, illud semper re-
Matt.5. plicans: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericor-*
Eccles.3 *diam consequentur.* Et: *Sicut aqua extinguit ignem, ita*
Luc.16. *eleemosyna extinguit peccatum.* Et: *Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in æterna taber-*
Luc.11. *nacula.* Et: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda*
Dan.4. *sunt vobis.* Et verba Danielis, regem Nabuchodonosor monentis, vt eleemosynis redimeret peccata sua. Nolebat in his lapidibus pecuniam effundere, qui cum terra & seculo transituri sunt, sed in viuis lapidibus, qui voluuntur super terram, de quibus
Apoc.21 in Apocalypsi Ioannis: ciuitas magni regis extrui-
Esa. 54. tur, quos in sapphirum, & smaragdum, & iaspidem, & cæteras gemmas esse vertendos Scriptura commemorat.

Epistola 28. ad Lucinium: Abundantia tua multorum inopiam sustentauit, vt & horum diuitiæ in tuam indigentiam redundarent. Fecisti ti-
Luc.16. bi amicos de iniquo mammona, qui te reciperent in æterna tabernacula. Laudanda res, & Apostolicorum temporum virtutibus coæquanda: quan-
Actor.4 do, venditis possessionibus suis, credentes afferebant pecunias, atque fundebant ante pedes Apostolorum, ostendentes auaritiam esse calcandam. Sed Dominus magis quærit animas credentium,
Prou. 13 quàm opes. Legimus: *Redemptio animæ viri propriæ diuitiæ.* Possumus quidem diuitias proprias intelligere, quæ non de alieno, non de rapinis sunt, iuxta
Prou.3. illud: *Honora Deum de tuis iustis laboribus:* sed melior est intelligentia, vt diuitias proprias cogno-
Luc.12. scamus thesauros absconditos, quos nec fur possit suffodere, nec latro violentus eripere.

Epistola 30. ad Oceanum cap. 2. Omnem censum, quem habere poterat, (erat autem amplissimus, & respondens generi eius) dilapidauit, ac vendidit, & in pecuniam congregatum, vsibus pauperum præparauit; & prima omnium νοσοκομεῖον instituit, in quo ægrotantes colligeret de plateis, & consumpta languoribus atque inedia miserorum membra foueret. Describam ego nunc diuersas hominum calamitates, truncas nares, effossos oculos, semiustos pedes, luridas manus, tumentes aluos, exile femur, crura turgentia, & de exesis ac putridis carnibus vermiculos bullientes? Quoties morbo regio, & pedore confectos humeris suis ipsa portauit? quoties lauit purulentam vulnerum saniem, quam alius aspicere non valebat? Præbebat cibos propria manu, & spirans cadauer sorbitiunculis irrigabat. Scio multos diuites & religiosos, ob stomachi angustiam, exercere huiusmodi misericordiam per aliena ministeria, & clementes esse pecunia, non manu. Quos equidem non reprobo, & teneritudinem animi nequaquam interpretor infidelitatem: sed sicut imbecillitati stomachi veniam tribuo, sic perfectæ mentis ardorem in cælum laudibus fero.

Cap. 3. Magna fides ista contemnit. Scit quid Luc. 16.
in Lazaro diues purpuratus aliquando non fecerit, quasi superba mens retributione damnata sit. Ille, quem despicimus, quem videre non possumus, ad cuius intuitum nobis vomitus erumpit, nostri similis est, de eodem nobiscum formatus est luto, iisdem compactus elementis: quidquid patitur, & nos pati possumus: vulnera eius existimemus propria, & omnis animi in alterum duritia, clementi in nosmetipsos cogitatione frangetur.

Non mihi, si linguæ centum sint, oraquè centum,
Ferrea vox,
Omnia morborum percurrere nomina possim,

quæ Fabiola in tanta miserorum refrigeria commutauit, vt multi pauperum sani languentibus inuiderent. Quamquam illa simili liberalitate erga Clericos, & Monachos, ac virgines fuerit. Quod monasterium non illius opibus sustentatum est? quem nudum, & clinicum non Fabiolæ vestimenta texerunt? in quorum se indigentiam non effudit præceps & festina largitio? Angusta misericordiæ eius Roma fuit. Peragrabat ergo insulas, & totum Etruscum mare, Volscorumquè prouinciam, & reconditos curuorum litorum sinus, in quibus Monachorum consistunt chori, vel proprio corpore, vel transmissa per viros sanctos ac fideles munificentia, circumibat.

In cap. 7. Ezechielis: Quæ ego dederam in ornamentum possidentium, atque diuitias, illi verterunt in superbiam, vt de quibus poterant per eleemosynas & bona opera suam animam liberare, ex illis haberent materiam arrogantiæ.

In Psalm. 133. Da pauperibus eleemosynam, & benedic Domino: gratias age Domino, quia tibi dederit, vnde des fratri. Magis tu agito gratias Christo, quando dederis: quàm frater, qui ex eo quod à te acceperit, tibi aget gratias. Grande nobis beneficium præstant pauperes. Peccata, quę iam aliter lauare non possumus, extinguit eleemosy-
na. Quid scriptum est? *Sicut aqua extinguit ignem,* Eccles. 3
sic eleemosyna extinguit peccata. Hoc præstat eleemosyna, quod & baptisma. Quomodo baptisma nobis peccata dimittit: ita & eleemosyna nobis peccata dimittit. *Sicut aqua extinguit ignem: sic eleemosyna extinguit peccata.* Peccatis enim gehennæ ignes præparati sunt. Hos autem extinguit eleemosyna.

Epistola 150. ad Hedibiam quæstione 1. Interrogas, quo modo perfectus esse quis possit, & quo modo viuere debeat vidua, quæ sine liberis derelicta est, &c. Ego tibi Domini nostri respondebo sermonibus: Si vis esse perfecta, & tollere crucem tuam, & sequi Dominum Saluatorem, & imitari Petrum dicentem: *Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te: vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus,* & sequere Saluatorem. Non dixit, da filiis, da fratribus, da propinquis: quos etiam si haberes, iure iis Dominus præferretur; sed *da pauperibus*; immò da Christo, qui in pauperibus pascitur, &c. Vis esse perfecta, & in primo stare fastigio dignitatis? fac quod fecerunt Apostoli,

vende

vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere Saluatorem, & nudam solamqúe crucem nuda sequaris & sola. Non vis esse perfecta, sed secundum vis tenere gradum virtutis, dimitte omnia quæcunque habes, da filijs, da propinquis. Nemo te reprehendit, si inferiora secteris: dummodò illam scias tibi iure prælatam, quæ elegerit prima. Dices: Hoc Apostolorum est, & virorum: mulierem autem nobilem non posse omnia vendere, quę multis adiumentis huius vitæ indigeat. Audi igi-
2.Cor.8. tur Apostolum commonentem: *Non vt alijs refrigerium, vobis autem tribulatio: sed ex æqualitate vestra abundantia illorum sustentet inopiam: vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.* Vnde inquit
Luc.3. Dominus: *Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti.* Quid si Scythiæ frigora sint, & Alpinæ niues, quæ non duabus & tribus tunicis, sed vix pecudum pellibus repelluntur? Quicquid ergo corpori nostro sufficere potest, & humanæ succurrere imbecillitati, quos nudos natura profudit, hoc vna appellanda est tunica: & quicquid in præsentibus alimentis necessarium est, hoc vnius diei victus ap-
Matt. 6. pellatur. Vnde præceptum est: *Non cogitetis de cra-*
1.Tim.6 *stino*, hoc est, de futuro tempore. Et Apostolus: *Habentes*, inquit, *victum & vestitum, his contenti simus.* Si plus habes, quàm tibi ad victum vestitumqúe necessarium est, illud eroga, & in illo debitricem esse te noueris.

Chromatius. 400.

In cap. 6. Matth. Vult Dominus opus misericordiæ non esse publicum, sed occultum, id est, vt non propter hominum laudem, sed propter Deum tantum operemur, à quo expectamus gloriam, & futuræ benedictionis mercedem. Huius autem fidelis operis eleemosynam sub religiosæ taciturnitatis silentio Salomon, Ecclesiam collaudans, olim
Cant.4. protestatus est, dicens: *Speciosæ sunt genæ tuæ, præter taciturnitatem tuam.*

Augustinus. 400.

De verbis Domini Sermone 25. cap. 3. Diues & pauper duo sibi sunt contraria: sed iterum duo sunt sibi necessaria. Nullus indigeret, si inuicem se supportarent; & nemo laboraret, si se ambo iuuarent. Diues propter pauperem factus est, & pauper propter diuitem factus est. Pauperis est orare, & diuitis erogare: Dei est pro paruis magna pensare. De misericordia eius parua magna nascitur copia. Fœcundus est ager pauperum, citò reddit dominantibus fructum. Via cæli est pauper, per quam venitur ad Patrem. Incipe ergo erogare, si non vis errare. Patrimonij tui, quo es ligatus, compedem in hac vita resolue, vt liberè ad cælum possis accedere. Abijce abs te diuitiarum onera, abijce vincula voluntaria, abijce anxietates & tædia, quæ te pluribus in annis inquietant. Da petenti, vt possis ipse accipere: tribue pauperi, si non vis flammis exuri: da in terra Christo, quod tibi reddat in cælo. Obliuiscere quod es, & attende quod futurus es. Præsens vita fragilis est, & in mortem procliuis. Nemo potest stare, sed omnes cogimur transire. Nolentes imus, inuiti eximus, quia mali sumus. Si autem ante nos aliquid mitteremus, non ad inane hospitium veniremus. Quod enim pauperi damus, ante nos præmittimus: quod autem rapimus, hic totum dimittimus.

Serm. 35. cap. 1. Recens Euangelica lectio admonuit facere amicos de mammona iniquitatis, vt eos, qui faciunt, recipiant, & ipsi sint in æterna tabernacula. Qui sunt, qui habebunt tabernacula æterna, nisi Sancti Dei? Et qui sunt, qui ab ipsis accipiendi sunt in tabernacula æterna, nisi qui eorum indigentiæ seruiunt, & quod eis opus est hilariter subministrant.

Sermone 50. de Tempore cap. 8. Quid sunt pauperes, quibus damus, nisi laturarij nostri, per quos in cælum de terra migramus? Da, laturario tuo das, ad cælum portat quod das. Quomodo, inquis, ad cælum portat? En video, quia manducando consumit. Prorsus non tenendo, sed manducando transportat. An excidit tibi: *Venite benedicti,* Matt.25.
percipite regnum: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare? Et: *Cùm vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis?*

Cap. 10. Quàm multa posset in impios dicere, si quærerent, quare imus in ignem æternum? quare, quæris adulter, homicida, fraudator, sacrilege, blasphemator, infidelis? Nihil horum: sed, quia *esuriui, & non dedistis mihi manducare.* Video vos moueri, sicut moueor. Et verè mira res. Huius autem admirabilis rei rationem colligo, vt possum, quam vos non celabo. Scriptum est:
Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extin- Eccl.3.
guit peccatum. Item scriptum est: *Include eleemo-* Eccl.29.
synam in corde pauperis, & ipsa pro te deprecabitur Dominum. Item scriptum est: *Consilium meum au-* Dan.4.
di rex, & peccata tua eleemosynis redime. Et multa alia sunt diuini eloquij documenta, quibus ostenditur, multum valere eleemosynam ad extinguenda & delenda peccata. Proinde illis, quos damnaturus est, imò plus illis, quos coronaturus, solas eleemosynas imputabit, tanquam dicens: Difficile est, vt si examinem vos, & appendam vos, & scruter diligentissimè facta vestra, non inueniam vnde vos damnem: sed ite in regnum: *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare.* Non ergo itis in regnum, quia non peccastis: sed quia vestra peccata eleemosynis redemistis. Rursus & illis: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* Et illi tanquam noxij, olim rei, serò trementes, attendentes peccata sua, quando auderent dicere, immeritò se damnari, immeritò in se hanc depromi à iudice tam iusto sententiam? Considerando conscientias suas, considerando omnia vulnera animæ suæ, quando auderent dicere: Iniustè damnamur? De quibus ante in Sapientia dictum est: *Traducent eos ex aduer-* Sap.5.
so iniquitates eorum. Sine dubio videbunt se iustè damnari pro sceleribus & criminibus suis, & quasi eis diceret: Non inde, vnde putatis, sed quia *esuriui, & non dedistis mihi manducare.* Si enim ab illis omnibus vestris factis auersi, & ad me conuersi, illa omnia crimina atque peccata eleemosynis redemissetis, ipsæ eleemosynæ modò liberarent vos, & à reatu tantorum criminum absol-
uerent. *Beati enim misericordes, quoniam ipsis mise-* Matt.5.
ricordia præstabitur. Modò autem ite in ignem æter-
num. *Iudicium sine misericordia ei, qui non fecit mise-* Iacob.2.
ricordiam.

Cap. 11. Breuiter ergo audiant homines, dignequé considerent, quantum sit meritum, Christum pauisse esurientem, & quale sit crimen, Christum contempsisse esurientem. Mutat quidem homines in melius pœnitentia peccatorum: sed nec ipsa videtur aliquid profutura, si ab operibus misericordiæ sterilis fuerit.

Sermone 76. de Tempore: Facilè curatur vulneribus peccatorum, qui necessitatem curauerit pauperum: & misericordiam accipiet, qui proximo pietatis non denegat officia. Denique cui dare præcipitur, gaudeat, quòd non ea sorte natus sit, vt indigeat. Sufficit ad gloriam dantis, quòd alterius miseria in paupere locuples donando existat, quòd misericordia fœneret Deum, quòd pascat in paupere Christum, quòd per alterius inopiam peccatorum accipiat indulgentiam. Obiurgantis Domini vox est: *Si in alieno Mammona fide-* Luc.16.
les non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis? Talem enim se exhibere quis pauperi debet, qualem sibi

alium exhibere vellet, si pauper ipse fuisset. Cæterùm dispendium magnum est, si Deum de Dei dono promereri nolueris, aut cùm tibi Dominus ad hoc dederit, vt dispenses, eius delegata non serues. Semper enim tibi Dominus sua dispensanda interim commendauit, de re sua pauperibus te dare præcepit. Cur dantis iussa contemnis? Cur pactum destituis? Cur Dominum iubentem dare non audis? Facilè enim poterit pecuniam acceptam amittere, qui quod accepit in lucrum noluerit erogare, &c.

Psal. 40 *Libro 50. Homeliarum, Homil. 39.* exponens illud Psalmi: *Beatus qui intelligit super egenum.* Felix operarius cultor eleemosynarum, eò quòd ære suo comparauerit cælum, & dans panem esurientibus, delictorum suorum presserit incendium. Cui Propheta tale exhibet testimonium, & patronum habet Spiritum sanctum in tali causa. Talis operarius felix viuit, & securus iam moritur, cum quo ambulat patrimonium, immortale horreum, in quo debitorem fecit Dominum, dum pascit alterum dando. Accepit ipse modicum in pera, panes comparauit, vitæ cælestis se faciens hæredem. In die iudicij nullam poterit incurrere perniciem, qui comparauerit eleemosynis pietatem, &c. Perfecta est ergo misericordia, vt ante occurratur esurientibus, quàm roget mendicus. Non enim est perfecta misericordia, quæ precibus extorquetur. Sed si tacet mendicus, loquitur pallor in facie, penè lassus, fessus, & elisus, nusquam suspectus. Festina pietate succurrere, ne audias rogantem, ne quod debetur Domino, vendices tibi, &c. Magnum opus est eleemosyna, vt faciat homo quod fecit Deus, qui hos paucos esurientes in terra dimisit, qui vno vasculo orbem cæli pascit, per quem & nobis liceat erogare. Sed si vbique fuisset abundans, perierat misericordia, dedit nobis Deus secundum baptismum. Quis enim sine peccato? Nam *sicut aqua extinguit ignem, sic & eleemosyna extinguit peccatum.* Ecclef. 3 In horreis nostris habemus abundantiam, quæ flammas nostras oblatione vnius panis extinguat: & ante fores gehennæ stat misericordia, & neminem permittit in carcerem mitti. Et quicunque misertus fuerit, miserebitur ei. Da panem, cùm potes: quia nemo esuriet in inferno quem possis pascere, nec habebis post mortem frumentum, nec inuenies illic aliquando mendicum: quia non erit tempus miserendi.

Homilia 47. Remedia peccatorum, fratres, medicina est eleemosynarum. Tob. 4. *Eleemosyna enim à morte liberat, & non patitur hominem ire in tenebras.* Patrocinantur in die iudicij homini, vt flammas æternas non timeat. Sicut Iacobus in epistola sua dicit: Iacob. 2. *Superexaltat misericordia iudicium.* Et: *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Sed talis debet esse ipsa misericordia, fratres, quæ suscipiatur, non quæ repellatur: quæ peccata purget, non quæ animam grauet. De bono, de iusto labore, de propria facultate, non de pauperum egestate. Fratres, non vult Deus hominem à misericordia cessare, nec libenter aspicit Deus quenquam de fraudibus dantem: sicut Salomon Propheta dicit: Prou. 3. *Honora Dominum Deum tuum de tua substantia, ac de iustis laboribus tuis.* De iustis laboribus iussit dari, de iniustis verò rapinis prohibuit dari. Sed cùm iudicare cœperit Deus, dicturi sunt hi, qui de fraudibus viuunt, & de spolijs miserum eleemosynam faciunt: Matt. 25 Domine, præcepta tua seruauimus, & in nomine tuo misericordias fecimus, pauperes pauimus, nudos operuimus, & peregrinos hospitio recepimus. Quibus dicturus est Deus: Quod dedistis, dicitis: quod rapuistis, non dicitis. Quos pauistis, memoramini: quare non recordamini quos necastis? Quos operuistis, gaudent: quos expoliastis, plangunt. Quos hospitio recepistis, retinetis: & obliti estis quantos de suis habitaculis expulistis. Ego misericordiam fieri iussi, fraudes & rapinas exerceri non mandaui. Vnus repletur panibus, quem de rapinis satiasti, & benedicet Dominus non te, sed eum, quem necasti. Ille miser necatus ingemuit, & exaudiuit gemitum eius, qui vidit quod feceris ei. De malo acquiris, & gaudes: rapis, & lætaris: pauper rogat, & contristaris: prandium paras, & tales ad tuum prandium vocas, qui tibi vicem rependant. Ornas conuiuium, ne quid desit, & cum amicis tuis expularis, & ante ianuam tuam rogantem pauperem non audis. Tu diuersis bonis repleris, & egenti non misereris. Multis epulis distentus, & multo vino madidus, pauperem rogantem contemnis. Oblitus es dictum Prophetæ, dicentis: *Qui*, inquit, *auerterit aurem* Prou. 21 *suam ab egeno, & ipse inuocabit Dominum, & non exaudiet eum.* Inclina aurem tuam, audi egentis vocem & fame pereuntis, vt & tuam vocem Deus exaudiat tribulantis. Da, de quo dederit tibi Deus. Ipse te diuitem fecit, ideo redde illi quod suum est. Ipse se dicit accipere, quod pauperibus datur: sibi collatum conclamat, quod in corde pauperis fuerit seminatum. Sicut in Euangelio dicit; *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui recipiant* Luc. 16. *vos in æterna tabernacula.* Ecce habes, Christiane, æternum tabernaculum, si dederis pauperibus victum. Si quid das, illuc transmittis, tibi in futuro repones: non vnde carnaliter satureris, sed vnde spiritaliter glorieris: non vnde ventrem repleas, sed vnde flammas extinguas: quia scriptum est: *Eleemosyna à morte liberat, & non patitur hominem ire in tenebras.* Tob. 9. Misericordia est, fratres, quæ iram Dei auertit, & peccata dimittit, & ignes futuros extinguit. Sicut Salomon dicit: *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna resistit peccatis.* Ecclef. 3 Da ergo egenti, confer non habenti, succurre fame pereunti. Crudele est, vt de quo habes, non des ei quem scis non habere. Graue est, vt de tua abundantia non sustentes egentis inopiam. Vnde semper flagellamur in frugibus: quia bene egentibus non facimus. Reuera si consideres homo vnde damna, vnde pericula, vnde calumniæ, nisi de sterilitate nostra. Tu non das indigenti quod potes, quod te non grauat; venit vna calumnia, & perdes quod non habes. Ventre pleno ambulas, & vacuum pauperis ventrem non consideras. Bene est tibi de bonis Dei, nihil indiges, honestis vestibus vteris, & nudum, & trementem frigore non vestis.

Paulinus Nolanus. 410.

Epistola 12. Commodemus ergo securi nunc egeno, & in pauperibus suis Christo, vt ex eius abundantia in ijsdem gloria participare possimus. Propterea enim Dominus ipse præmonet, dicens: *Facite vobis amicos de iniquo mammona.* Luc. 16. Vides quomodo omnipotens faciat de nocte lucem, & de iniquitate iustitiam: *vt cùm defeceritis*, inquit, *recipiant vos in æterna tabernacula.* Quia vicissitudine quadam copiæ vel inopiæ humanum genus temperatur, quod in illo inferno diuite, & superno paupere Euangelicus sermo patefecit, vt intelligamus consilium communis auctoris, quòd diuitem pauperi, & pauperem diuiti præparauit, vt abundans egenti substantia alimoniæ sit, & opulento inops materia iustitiæ, vt fiat (sicut Apostolus dixit) æqualitas, 2. Cor. 8. & in illo seculo repensanda illis egestate præsenti opibus æternis: redundet illorum abundantia ad inopiam nostram, si nostra illic abundantia ad illorum indigentiam commodauerit. Seminemus ergo illic carnalia, vt metamus ab illis spiritualia. Laboret nunc de terrenis manus, vt tunc de cælestibus anima reficiatur:

spes præsens ædificet rem futuram. Faciamus istic tecta, quę nos illic tegant. Pascatur istic pauper, vbi me diutte eget; vt me illic pascat, vbi me egente saturabitur. Videte commercium spirituale, &, si potestis, negate nos auaros, qui terram vendimus & tributum, vt immunitatem regni cum æternitate coëmamus. Fragilem arenam iacimus, vt domum fundemus æternam, & de vilibus attingamus astra cæmentis, &c.

Epist. 31. Sua cuique parti debita persoluisti: Lachrymas corpori fundens, eleemosynam animæ infundens. Verè conscius veritatis & filius lucis, vbi mortem sciebas esse, fleuisti: vbi vitam credis, operatus es: vacuis inania, viuis viua dependens. Itaque patronos animarum nostrarum pauperes, qui tota Roma stipem meritant, multitudinem in auiam Apostoli congregasti, &c.

Seuerus Sulpitius. 410.

In vita S. Martini cap. 2. Quodam tempore, cùm iam nihil præter arma & simplicem militię vestem haberet, media hyeme, quæ solito asperior inhorruerat, adeò vt plerosque vis algoris extingueret, obuium habuit in porta Ambianensium ciuitatis pauperem nudum: qui cùm prætereuntes, vt sui misererentur oraret, omnesq́ue miserum præterirent, intellexit vir Deo plenus sibi illum, alijs misericordiam non præstantibus, reseruari. Quid tamen ageret? Nihil præter chlamydem, qua indutus erat, habebat. Iam enim reliqua in opus simile consumpserat. Arrepto itaque ferro, quo erat accinctus, mediam diuidit, partemq́ue eius pauperi tribuit, reliqua rursus induitur. Interea de circunstantibus ridere nonnulli, quia deformis esset, & truncatus habitu videretur: multi tamen, quibus erat mens sanior, altius gemere, qui simile nihil fecissent, cùm vtique plus habentes, vestire pauperem sine sua nuditate potuissent. Nocte igitur insecuta, cùm se sopori dedisset, vidit Christum chlamydis suæ, qua pauperem texerat, parte vestitum: intueri diligentissimè Dominū, vestemq́ue, quam dederat, iubetur agnoscere. Mox ad Angelorum circunstantium multitudinem audiuit Iesum clara voce dicentem: Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit. Verè memor Dominus dictorum suorum, qui ante prædixerat: *Quamdiu fecistis hæc vni ex hisce minimis, mihi fecistis.* se in paupere professus est fuisse vestitum Et ad confirmandum tam boni operis testimonium, in eodem se habitu, quem pauper acceperat, est dignatus ostendere. Matt. 25

Leo Primus. 450.

Sermone 3. *de ieiunio Pentecostes:* Tunc demum ad animæ curationem proficit medicina ieiunij, cùm abstinentia ieiunantis esuriem reficit indigentis. Quia ergo scimus apud misericordem Deum ieiunijs præcellere eleemosynæ largitatem, dicente ipso Domino: *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis:* si animas nostras à peccatorum sordibus cupimus emundari, eleemosynam pauperibus non negemus, vt in die retributionis ad promerendam Dei misericordiam misericordiæ operibus adiuuemur. Luc. 11.

Sermone 10. *in Quadragesima:* In pauperes quoque & diuersis debilitatibus impeditos benignior nunc largitas exeratur, vt gratiæ Deo multorum voce referantur, & ieiunijs nostris egentium refectio suffragetur. Nulla enim deuotione fidelium magis Dominus delectatur, quàm ista, quæ pauperibus eius impenditur, & vbi curam misericordiæ inuenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit. Non timeatur in ijs expensis defectio facultatum, quoniam ipsa benignitas magna substantia est: nec potest largitatis deesse materies, vbi Christus & pascit, & pascitur. In omni hoc opere illa interuenit manus, quæ panem frangendo auget, & erogando multiplicat. Securus & hilaris fit eleemosynæ distributor: quia tunc maximum lucrum habebit, quando sibi minimum reseruauerit, dicente beato Apostolo Paulo: *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ, in Christo Iesu Domino nostro.* 2. Cor. 9.

Sermone 1. *de Collectis:* Multis Scripturarum diuinarum testimonijs edocemur, quantum eleemosynarum meritum, & quanta sit virtus. Certum est enim vnumquemque nostrum animæ suæ benefacere, quoties misericordia sua inopiæ succurrit alienæ. Prompta ergo & facilis, dilectissimi, apud nos largitas esse debet, si credimus sibi vnumquemque id præstare, quod indigentibus tribuit. Thesaurum enim suum condit in cælo, qui Christum pascit in paupere. Benignitatem itaque in hoc & dispensationem diuinæ pietatis agnosce. Idcirco enim te abundare voluit, vt per te alius non egeret, & per ministerium operis tui pauperem ab egestatis labore, te à peccatorum multitudine liberaret. O mira prouidentia & bonitas Creatoris, vt vno facto duobus vellet esse succursum!

Serm. 3. Etsi non est omnium æqualis facultas, debet esse par pietas: quoniam fidelium largitas non de muneris pensatur pondere, sed de beneuolentiæ quantitate. Habeant in hoc misericordiæ commercio etiam pauperes lucrum, & ad sustentationem egentium, de quantacunque substantia aliquid, quod eos non contristet, excerpant. Sit diues munere copiosior, dum pauper animo non sit inferior. Quanuis enim maior speretur reditus de maiore semente, potest tamen etiam de exigua satione multus fructus prouenire iustitiæ. Iustus enim est iudex & verax, qui neminem fraudat mercede meritorum.

Serm. 5. *de Collectis:* Non solùm spiritales opes & dona cælestia Deo donante capiuntur, sed etiam terrenæ & corporeæ facultates ex ipsius largitate proueniunt; vt meritò rationem earum quæsiturus sit, quæ non magis possidenda tradidit, quàm dispensanda commisit. Muneribus igitur Dei iustè & sapienter vtendum est, ne materia boni operis fiat causa peccati. Nam diuitiæ quidem, quantum ad ipsas species earum atque substantias pertinet, bonę sunt, & humanę societati plurimum prosunt, cùm à beneuolis habentur & largis, nec illas aut luxuriosus prodigit, aut auarus abstrudit, vt tam pereant malè conditæ, quàm insipienter expensæ, &c. Sed fortè sunt aliqui diuitum, qui licet nullis largitionibus pauperes Ecclesiæ soleant adiuuare: alia tamen mandata Dei custodiunt, & inter diuersa fidei & probitatis merita veniáliter sibi æstimant vnam deesse virtutem. Verùm hæc tanta est, vt sine illa cæteræ, etsi sint, prodesse non possint. Quamuis enim quis fidelis sit, & castus, & sobrius, & alijs maioribus ornatus insignibus, misericors tamen si non est, misericordiam non meretur. Ait enim Dominus: *Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus,* &c. Illo magno summoq́ue iudicio tanti æstimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, vt pro plenitudine omnium virtutum, & pro summa omnium commissorum, & per vnum bonum isti introducantur in regnum, & per vnum malum illi mittantur in ignem æternum. Nemo igitur, dilectissimi, de vllis sibi bonæ vitę meritis blandiatur: si illi defuerint opera charitatis: nec de sui corporis qualitate securus sit, qui nulla eleemosynarum purificatione mundatur. Eleemosynæ enim peccata delent, mortem perimunt, & pęnam perpetui ignis extinguunt. Sed qui ab earum fructu fuerit vacuus, erit ab indulgentia retribuentis alienus, dicente Salomone: *Qui obturat aures, ne audiat imbecillem, & ipse inuocabit Dominum,* Matt. 5. Prou. 21

minum, & non erit qui exaudiat eum. Vnde & Tobias
Tob.4. filium suum præceptis pietatis instituens: *Ex substantia,* inquit, *tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita fiet, vt nec à te auertatur facies Dei.*

Petrus Chrysologus. 460.

Sermone 8. de ieiunio & eleemosyna: Fratres, esurit ieiunium, ieiunium sitit, quod non pietatis cibo pascitur, quod potu misericordiæ non rigatur. Alget ieiunium, ieiunium deficit, quod non eleemosynæ vellus tegit, quod non miserationis operit vestimentum. Fratres, quod est terris ver, hoc misericordiam scimus esse ieiunio. Sicut verni flatus tota facit florere germina camporum: ita misericordia tota ieiunij semina producit in florem, in cælestem messem totam ieiunij facit fructificare virtutem, &c. Ieiunantes, fratres, prandium nostrum reponamus in manu pauperis: vt seruet nobis manus pauperis, quod venter fuerat nobis perditurus. Manus pauperis Abrahæ sinus est: vbi quicquid pauper acceperit, mox reponit. Thesaurus cęli est manus pauperis, quod suscipit, ne in terra pereat, reponit in cælum. Manus pauperis est gazophylacium Christi: quia quicquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo pauperi terram, vt accipias cælum. Da nummum, vt accipias regnum. Da micam, vt accipias totum. Da pauperi, vt des tibi: quia quicquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter.

Sermone 43. Tria sunt, per quæ stat fides, constat deuotio, manet virtus: Oratio, ieiunium, misericordia. Quod oratio pulsat, impetrat ieiunium, misericordia accipit. Oratio, misericordia, ieiunium, sunt hæc tria vnum; dant hæc sibi inuicem vitam. Est nanque orationis anima ieiunium, ieiunij vita misericordia est. Hæc nemo rescindat, nesciunt separari. Horum qui vnum habet, ista qui simul non habet, nihil habet. Ergo qui orat, ieiunet: qui ieiunat, misereatur: audiat petentem, qui petens optat audiri: auditum Dei aperit sibi, qui suum supplicanti non claudit auditum.

Prosper. 460.

De promißionibus & prædictionibus Dei parte 2. cap. 7. O quàm breue compendiosumque sacrificium, quod intrinsecus atque extrinsecus totumque hominem mundat.
Tob.4. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa purgat peccata.* Eleemosyna munus bonum est omnibus facientibus eam coram summo Deo. Hęc est, quæ perpetuos ignes extinguit: hæc est, quæ resistit peccatis: hæc est, quæ Christum pascit esurientem
Matt.25 in paupere: hæc vestit nudum: hæc visitat infirmum: hæc peregrinum hospitio excipit: hæc quæ omnem angustiam carceris tollit: hæc omnem inopiam finit: hæc diuitibus confert remedia: hæc vitam æternam comparat: hæc fœnorat Deum:
Matt.25 hæc continet regnum cælorum: hæc est, quę discernit agnos ab hœdis: hæc est, quæ ad dextram collocat iudicis: hęc Angelis sociat: hæc ex seruis filios Dei fieri præstat.

Epigram.75.

Si qua igitur superant, quorum non indiget vsus,
Debilibus prosint, atque iuuent inopes.
Quisquis enim cupidè non expedienda recondit,
Quæ nulli tribuit, pauperibus rapuit.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 9. de eleemosyna: Pius & misericors Dominus multis modis occasiones vel opportunitates prouidere dignatur, quibus possumus sine grandi labore ac difficultate peccata nostra redimere. Nam quos videt pro peccatis suis ad ieiunandum virtutem non habere, & à carne & vino abstinere non posse, vendere etiam substantiam suam, & pauperibus erogare, pauperum inopia prouidet, & abundantiores fructus tribuit: vt dum superflua sua pauperibus largiuntur, peccatorum indulgentiam consequantur. Quid tam pium & delegatum? quid tam facile ac in promptu positum esse potest, quàm de hoc, quod amplius quàm opus est, tibi Deus dignatus fuerit dare, eleemosynam dando studeas peccata tua redimere? Non hoc iubet Deus, vt ea quæ tibi, aut tuis necessaria sunt, debeas erogare. De quibus etiam Apostolus dicit: *Non vt alijs sit refrigerium, vobis autem tribulatio superflua.* Non ille sibi indiget expendere, sed tibi vult in ęterna beatitudine conseruare. Nam & pauperes ideo esse voluit, vt diuites haberent, quomodo peccata sua redimerent. Potuit enim Deus omnipotens homines diuites facere: sed diuitibus voluit locum misericordiæ prouidere.

Constantius Presbyter. 480.

Vita sancti Germani lib. 2. cap. 11. Egressus vrbe opulentissima, dum iter sensim carperet, occurrunt pauperes eleemosynam postulantes. Consulit Diaconum, quantum esset in sumptibus, tres tantùm aureos esse respondit: totosque statim pręcepit erogari. Ad hæc Diaconus: Vnde victuri hodie sumus? Respondens, ait: Pascet Deus pauperes suos: tu quod habes præsta pauperibus. Diaconus quasi prouidus, duos erogat, reseruat vnum. Dumque iter agitur cœptum, intuentur post se equites concitatos: qui breui adiuncti, statim desiliunt, & prouoluti genibus, huiusmodi precem fundunt: Dominus noster vir spectabilis Leporius, non longè abhinc domicilio fruitur: qui cum familia sua ita implicitus diuerso tenetur incommodo, vt & propria & suorum infirmitate succumbat. Cuius ad vos lachrymas deportamus: infirmum, si dignum ducitis, visitate. Si verò precem nostram vestræ occupationis necessitas vincit, orationem intercessionis impendite: mereatur benedictionem, si non meretur aspectum. Ad hæc vir beatissimus, repletus misericordia, & relicto itinere, ea via rectior iudicatur, quæ mercedem boni operis præparabat. Diuertit, reclamantibus suis, & desideratum petentibus præstat aduentum, dicens: Nihil mihi prius est, quàm pręcepta Domini complere. Tum illi cum exultatione, cum gaudio ducentorum solidorum munus, quod transmissum fuerat, obtulerunt. Deinde conuersus ad Diaconum, ait: Accipe quæ traduntur, & intellige te fraudem fecisse pauperibus. Nam si totum, quod dedi, indigentibus contulisses, remunerator noster trecentos hodie reddidisset. Contremuit Diaconus, secretum reatus sui innotuisse Pontifici.

Ferrandus Diaconus. 490.

In Parænetico Regula 5. Eleemosynarum sacrificium quis ita possit offerre, sicut dux optimus? Cui magnitudo potestatis abundantes præbet occasiones misericordiæ tribuendæ, si tamen diuina præponat humanis. An inaniter Daniel Propheta Nabuchodonosor dixit: *Consilium meum placeat tibi* Dan.4.
rex, & peccata tua eleemosynis redime, & iniustitias tuas miserationibus pauperum, & erit Deus parcens peccatis tuis: nisi quoniam potentioribus potentior est facultas eleemosynarum? Quibus etiam secundum genus eleemosynæ amplius operari possibile est, ignoscere scilicet delinquentibus.

Fulgentius. 500.

Sermone de Confessoribus: Si non omnes possunt implere, quod Dominus ait: *Vendite quæ possidetis:* Luc.12.
illud tamen, quod adiecit dicens: *Date eleemosynam,* omnibus est possibile: si adsit bona voluntas, omnibus facile: si non adsit dira cupiditas,

omni-

omnibus salubre: si ferueat charitas, cunctis debet esse commune, vt omnibus donetur æterna felicitas. Qui ergo tantam virtutem accepit à Domino, vt omnia, quæ in mundo sunt, cælestis regni amore contemnat, quæ habet vendat, & egenis expendat. Qui verò tantæ virtutis nondum est, de his, quæ habet, inquantum habet, eleemosynam faciat: tantum operetur bona voluntas, quantum suppetit facultas. Perfectus posideat primum virtutis locum: imperfectus perueniat saltem ad secundum: efficiatur ille gloriosè dignus, fit iste laudabiliter largus: fit ille sanctæ paupertatis ardentissimus amator, fit iste sanctorum pauperum pijssimus consolator. Habeat iste apud Deum patronos pauperes, quos ille se gaudet virtutis habere consortes: fit ille talis, qui cum Domino iudicaturus sedeat, fit iste talis, qui ad dexteram iudicandus assistat. Sit ille talis, qui æterna tabernacula perpetuo iure possideat, fit iste talis, quem ille recipiat.
Luc. 16. Admonet enim nos Dominus, dicens: *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, qui vos recipiant in æterna tabernacula.*

Laurentius Nouariensis. 500.

Eccles. 3. *Homil. de Pœnitentia:* Non audisti quid scriptum est? *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum.* Magna hæc sententia, desinat querela, desinat dubitatio. Nam vbi eleemosyna, ibi aqua, & vbi aqua, ibi spiritus, vbi spiritus, ibi remissio, &c. Porrige modicum, & promerere multum. Eroga terrena, & exige sempiterna: sicut fecit Zachæus, qui dum terrenam dispergit substantiam, nõ solùm congestam molem fontibus eleemosynę diluit, sed etiam hæres regni cælestis, & filius Abrahæ esse promeruit. Vidisti elegantissimum documentum, vidisti Zachęum nefas auaritiæ eleemosynæ imbribus expiantem. O quàm singulare salutis compendium, erogare pauperibus, & ablui de peccatis! Eleemosyna subitò conuersum hominem de peccatis non solùm purificauit, sed etiam coronauit, & fecit de publicano paradisi ciuem.

Alcimus Auitus. 500.

Libro ad sororem:

——————Pars auget, & altera sumptus
Imminuit retinens, quas sola eleemosyna seruat: (&c.
Crescit enim in cumulos quicquid confertur egenis,
Felix illa manus, largis quæ prouida donis
Accensum pura fouit pinguedine lumen:
Tantum namque olei vasis infunditur amplis,
Quantum quis miseratus misero porrexit egeno.

Cassiodorus. 540.

In Psalm. 40. Eleemosyna propriè fit purgatio
Eccles. 3. peccatorum. Legitur enim: *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum.*

Fortunatus. 580.

In vita S. Germani cap. 4. Cęterùm quibus illic eleemosynis profusus extiterit, illa res vna testis est, cùm iam rebus reliquis pauperibus erogatis, nec panis ipse resideret, quatenus fratres reficeret: insurgentibus aduersum se illis, retrudens se in cellulam, amarè fleuit, ac doluit. Inter hæc autem, ipso orante, quædam Anna nobilis matrona duorum cum pane saumariorum dirigit onera. Sequenti etiam die cum annona destinauit plena nihilominus carpenti vehicula, ita videlicet, vt exinde Monachi cùm saturarentur cibo, terrerentur miraculo.

Cap. 14. Quadam vice Childebertus Rex, cùm ei direxisset sex millia solidorum pauperibus eroganda, expendens tria millia, reuertitur ad palatium: interrogatusque à rege, si adhuc resideret, quod egenis tribueret? respondit, medietatem resedisse, nec inuenisse se inopes, quibus mox totum expenderet. Cui rex inquit: domine dona quod restitit: Nam Christo largiente, quod donetur, non deficit. Incidens igitur aurata missoria, ac argentea vasa comminuens, quicquid primum habuit dat sacerdoti, ne perderet. Erat ergo spectanda contentio inter sacerdotem & principem: faciebant apud se de misericordia pugnam, & de pietate certamen: thesauros videlicet vt spargerent, & de suis talentis egeni ditescerent, vt festini ad futura lucra brateum semen sererent, & post messores accederent aurulentam per segetem.

Gregorius Turonensis. 580.

Libro de gloria Confessorum cap. 107. Fuit vir vitæ venerabilis Paulinus Nolanæ vrbis ex nobili stirpe ortus: Tarasiam similem sibi sortitus est coniugem, habens diuitias multas, & tam in fundorum possessione, quàm in prætidio domorum valde diues erat ac locuples. Sed cùm primùm aurec eius Euangeliorum lectio illa penetrauit, in qua Dominus adolescentem pro diuitijs arguit, dicens: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus,* Matt. 19.
& habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me: facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem introire in regnum Dei: statim venditis omnibus, quæ habebat pauperibus erogauit. Exoneratus à cunctis cupiditatibus, magistrum liber sequitur, per hęc se putans paradisi diuitijs locupletari, si videretur nihil de transitorijs possidere. Cui maiestas diuina tribuit, vt quod impossibile dixerat per Euangelium, hic possibiliter adimplere mereretur per actum. Quadam verò die venit ad eum qui stipem peteret, & ait coniugi: Vade, & da ei quod habet necessarium. Quæ respondit: Non est nobis amplius quàm vnus panis. Cui ille: Vade, inquit, porrige eum: Dominus enim dabit nobis victum. Sed illa, quasi strenua reseruari cupiens, ne aliquid deesset, porrigere noluit. Interea aduenerunt quidam dicentes, missos se à dominis suis, vt illi annonæ & vini deferrent speciem: sed per hoc se moratos, quòd orta tempestas vnam eis cum tritico abstulerit nauem. Tunc vir Dei conuersus ad mulierem, ait: Intellige te nunc pauperi vnum panem fuisse furatum, & ideo hanc nauem esse mentiam. Perrexit ergo cum coniuge, quasi peregrinaturus in aliam regionem, nihil habens præter statum proprium.

Historia Francorum lib. 5. *cap.* 19 Cùm Iustinus Imperator amisso sensu amens effectus esset, & per solam Sophiam Augustam eius imperium regeretur, populi Tyberium Cæsarem elegerunt, vtilem, strenuum, atque sapientem, eleemosynarium, inopumque optimum defensorem. Qui cùm multa de thesauris, quos Iustinus aggregauit, pauperibus erogaret, & Augusta eum frequentius increparet, quòd Remp. redegisset in paupertatem, diceretque: Quod ego multis annis congregaui, tu infra paucum tempus prodigè dispergis: aiebat ille Non deerit fisco nostro, tantùm pauperes eleemosynam accipiant, aut captiui redimantur: Hic est enim magnus thesaurus, dicente Domino: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea corrumpit: & vbi fures non effodiunt, neque furantur.* Ergo de quo Deus dedit, congregemus per pauperes in cælo, vt nobis Dominus augere dignetur in seculo. Et quia, vt diximus, magnus & verus Christianus erat, dum hilari distributione pauperibus opem præstat, magis ac magis ei Dominus subministrat. Nam deambulans per palatium, vidit in pauimento domus tabulam marmoream, in qua Crux Dominica erat sculpta, & ait: Cruce tua, Domine, frontem nostram munimus, & pectora, & ecce crucem sub pedibus conculcamus.

collectis fratribus, inobedientem Monachum de infidelitate sua, & superbia coram omnibus increpauit.

Cap.29. Qua increpatione completa, sese cum eisdem fratribus in orationem dedit. In eo autem loco, vbi cum fratribus orabat, vacuum erat ab oleo dolium & coopertum. Cumque sanctus vir in oratione persisteret, cœpit operimentum eiusdem dolij oleo excrescente subleuari. Quo commoto atque subleuato oleum, quod excreuerat, ora dolij transiens, pauimentum loci, in quo incubuerat, inundabat. Quod Benedictus Dei famulus vt aspexit, protinus orationem compleuit, atque in pauimentum oleum defluere cessauit. Tunc diffidentem inobedientemque fratrem latius admonuit, vt fidem habere disceret & humilitatem. Idem verò frater salubriter correptus erubuit: quia venerabilis Pater virtutem omnipotentis Dei, quam admonitione intimauerat, miraculis ostendebat, nec erat iam vt quisquam de eius promissionibus dubitare posset, qui in vno eodemque momento pro vitreo vase penè vacuo plenum oleo dolium redidisset.

Isidorus Hispalensis. 620.

De summo bono lib. 3. cap. 64. Grauiter in Deum delinquunt, qui diuitijs à Deo concessis, non in rebus spiritualibus, sed in vsibus prauis vtuntur. Nesciunt enim impertire pauperibus, oppressis subuenire despiciunt: & inde magis augent delicta, vnde redimere debuerunt. Hoc habet tantum boni possessio præsentium rerum, si vitam reficiant miserorum.

Eligius. 640.

Homilia 1. de pace seruanda: Omnes in commune auscultent, quod omni ordini, atque omni congruit & necessarium est ætati, vt iuxta facultatem virium suarum operibus eleemosynæ insistentes, cuncti in omnibus, quibus indigent proximi, sic eis subueniant, quomodo sibi, si necesse fuerit, desiderant subueniri. Sic enim dicitur: *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.* Luc. 16. Ergo si quis vestrûm huc vsque aliena rapuerit, amodò sua dare incipiat: & qui hactenus sua parcius dabat, iam nunc, quia Deo fœneratur, recepturus centuplum, ea largius expendat.

Audoenus. 660.

Vita S. Eligij lib. 1. cap. 20. Si pauperem vidisset, sustentabat: si diuitem, ad benefaciendum cohortabatur: Deum testem inuocans, pro eius se nomine hæc omnia facere. Nemo pauperum ab eo vacuus reuersus est, illud Domini in Euangelio aliquando iugiter commemorante: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Idemque illud: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Et illud: *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Nam sicut de beato Iob dicitur, ianuæ eius omni aduenienti patebant, vt & ipse cum eodem posset voce libera proclamare: Ostium meum viatori patuit. Erat pes claudorum, & oculus cæcorū, orphanorum pater, ac viduarum consolator: non carcere clausis, non ægritudine fatigatis suum vnquam, quatenus facultas suppeditauit, negauit auxilium: sed misericorditer consulens miseris, omne semper eis adminiculum præbuit. Quem enim cæcum non suum vocauit hæredem? aut quem debilem non eius sustentauit manus? Fores quippe eius iugiter à ministris obsessæ, expeditum ei ad bellum præparabant solatium. Hoc iugiter comitatus incedebat exercitu: in his Christum aspiciens, se amplecti gestiebat: atque indumenta tribuens, sub inopis veste, Christi se membra tegere credebat. Hoc certè existimabat se perdere, quicquid eleemosyna non absumeret: id se tutissimè gaudebat recondere, quod dura egentium necessitas ipsi auferret. Valde quippe deuotus, in eorum vsibus substantiæ exaggerabat pondus: vt quo pauperior esset seculo, locupletior Deo fieret. Considerabat quidem, quia quotidie deesse non potest, quod peccetur: ideo nec quotidianas debere deesse eleemosynas, quibus peccata tergantur.

Beda. 700.

In Prouerb. Salomonis lib. cap. 3. *Honora Dominum de tua substantia.)* Multi multa pauperibus, sed de aliena substantia, ac frugibus, quas vi, vel fraude rapuerant, tribuunt. Multi largiuntur de suo, sed largiendo Dominum non honorant: quia fauore humano, & non amore superni inspectoris faciunt. Qui ergo proficuum sibi eleemosynæ fructum fore desiderant, & de suis proprijs, & in Conditoris honorem, qui sua benigna clementia largiri abundè dignatus est, tribuat: vt scilicet homines, qui eius plasma, qui ad eius imaginem sunt facti, recreentur: nos autem veri fidelesque eius dispensatores bonorum inueniamur.

Historiæ Anglicanæ lib. 3. cap. 6. Osvvaldus regni culmine sublimatus, nihilominus pauperibus & peregrinis semper humilis, benignus, & largus fuit. Denique fertur, quòd tempore quodam, cùm die sancto Paschæ cum Aidano Episcopo consedisset ad prandium, positusque esset in mensa coram eo discus argenteus regalibus epulis refertus, iamque essent manus ad panem benedicendum missuri, intrasse subitò ministrum ipsius, cui suscipiendorum inopum erat cura delegata, & indicasse regi, quia multitudo pauperum, vndecunque adueniens maxima, per plateas sederet, postulans aliquid eleemosynæ à rege. Qui mox dapes sibimet appositas pauperibus afferri iussit: sed & discum confringi, atque ijsdem minutatim diuidi præcepit. Quo viso Pontifex, qui assidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit dextram eius, & ait: Nunquam inueterascat hæc manus. Quod & ita, iuxta votum benedictionis eius, prouenit. Nam cùm interfecto illo in pugna, manus cum brachio à cætero essent corpore resecatæ contigit vt hactenus incorruptæ perdurent. Denique in vrbe regia, quæ à regina quadam nomine Debba cognominatur, loculo inclusæ argenteo, in Ecclesia sancti Petri seruantur, ac digno à cunctis honore venerantur.

Alcuinus. 750.

De virtutibus & vitijs cap. 17. de Eleemosyna: Sciendum est esse pietatis opus, vt de his, quæ nobis cælestis Pater misericorditer contulit, nos quoque alios adiuuemus, &c. Felix illud est horreum, & omnium fructuum multiplicatione dignissimum, de quo egenorum, & debilium, & peregrinorum saturatur esuries: quos ideo sub diuersis molestijs iustitia Dei laborare permisit, vt & miseros pro patientia, & misericordes pro beneuolentia coronaret. Efficacissima enim pro peccatis deprecatio est in eleemosynis atque ieiunijs, & velociter ad diuinas conscendit aures talibus oratio eleuata suffragijs: quoniam sic scriptum est: *Anima sua benefacit vir misericors.* Prou. 11. Pars enim corporalium facultatum, quæ indigentibus ministratur, in diuitias largienti transit æternas: ità vt misericordiam Dei & indulgentiam peccatorum nostrorum pauperum miseratione & eleemosynis mereamur, quoniam qui suum ad inopem aduertit animum, citò ad se Domini conuertit auditum, dicente Domino: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Luc. 6. Quod redditurā se promittit Veritas, secura expendat humanitas. Constans esto Christiane largitor: da, quod accipias, sere, quod metas, sparge, quod colligas. Noli metuere dispendium, noli de dubio suspirare prouentu. Substantia tua, cùm bene erogatur, augetur. Remunera-

tor eius vult te esse munificum, & qui dat vt habeas, mandat vt tribuas, dicens: *Date, & dabitur vobis.* (Luc. 6.) Quare si aurum diligis, vel diuitias seculi, da, ne perdas. Si seruaueris, sine dubio perdes: si erogaueris, omnino eas habebis æternaliter, dicente ipsa (Matt. 6) Veritate: *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi nec erugo, nec tinea demolitur, nec fures effodiunt, & furantur*, &c. Tria sunt genera eleemosynarum: vna corporalis, egeno dare quidquid potueris: altera spiritualis, dimittere à quo læsus fueris: tertia, delinquentem corrigere, & errantes in viam deducere veritatis.

Haymo. 820.

In cap. 11. ad Hebræos: Eleemosyna, quæ pauperi largitur in terra, à Deo recipitur in cælo. Et noli attendere quòd hoc tibi sit redditurus, quod accepit. Tu enim terram dedisti, illi cælum reddet: temporalia dedisti, æterna mercaberis.

Homil. Dominicæ 1. post Pentecost. Quæ pœna præparata est raptoribus, quando diues iste, qui aliena non legitur rapuisse, sed sua non dedisse, in inferno sepultus esse memoratur? Si enim in inferno cruciatur, qui sua non dedit, qua pœna puniendus est, qui aliena tollit? Non solùm rapina, sed etiam superflua tenacitas inferni pœnam meretur.

Æmoinus. 825.

De gestis Francorum lib. 3. cap. 19. Cùm Tiberius Imperator Remp. gereret, & multas egenis eleemosynas erogaret, magnam ei Dominus auri copiam subministrauit. Nam deambulans per palatium, vidit in pauimento domus tabulam marmoream, Dominicæ crucis vexillo insignitam, & ait: Crucem Domini, qua pectus frontemque munire debemus, indignis vt quid pedibus conculcamus? Et simul cum verbo iussit eandem tabulam auferri à pauimento: qua amota, reperiunt & aliam simili signaculo expressam, post hanc quoque reperiunt & tertiam. Quibus ablatis, inæstimabilis diu occultatus in lucem profertur thesaurus: quem Tiberius iuxta consuetum sibi morem pauperibus erogauit. Narsetis quoque thesaurum, in quadam Italiæ vrbe terra defossum, quodam decrepito iudicante sene, inuentum in simile opus distribuit.

Hincmarus. 840.

In vita Caroli Magni: Circa pauperes sustentandos, & gratuitam liberalitatem, quam Græci eleemosynam vocant, deuotissimus erat, vt qui non in patria sua solùm, & in suo regno eam facere curauerit: verùm trans maria, in Syriam, & Aegyptum, atque Africam, Hierosolymas, Alexandriam, atque Carthaginem, vbi Christianos in paupertate viuere compererat, penuriæ eorum compatiens, pecuniam mittere solebat.

Rabanus Maurus. 850.

In Ecclesiast. lib. 7. cap. 2. Eleemosyna non solummodò est in victu & in vestitu, quibus consulitur quidem egenti, sed in omni re, qua per misericordiam fauetur necessitatem patienti corporaliter, siue spiritualiter.

Ioannes Diaconus. 870.

Libro 1. vitæ S. Gregorij cap. 10. Gregorium de more quadam scribentem, Angelus Dei reperiens, misereri sibi flebiliter sub habitu naufragi postulabat. Cui Gregorius ex intimo corde compatiens, bis ternis numismatibus datis, abire præcepit. Nec multò post, eadem die idem naufragus rediit seque multa perdidisse, pauca verò suscepisse perhibuit: à quo, pari modo senis numismatibus sumptis, lætabundus abscessit. Sed die tertia rediens identidem adiutorium naufragus importunis vocibus requirebat. Cui liberalissimus Pater, accersito vestiario, alia sex numismata dari præcipiens, cognouit in vestiario nihil numismatum: vnde posset consolari naufragium, remansisse. Quid faceret, nesciebat. Aestuabat Deo deuoti pectoris pietas, non sufferens vacuam proximi reliquisse miseriam. Rursus vestiarium suum, si fortè vas quodlibet, aut vestimentum haberet, interrogans, audiuit nihil penitus remansisse, præter matris argenteam, quæ cum infusis leguminibus mitti solita erat, scutellam. Mox alacrior factus: Ergo, inquit, frater hanc defer, ne tristis abeat, qui consolari quærit, pauper. Itaque delatam scutellam Gregorio satis hilariter largiente, pauper, qui putabatur, lætus amplectitur, non iam ad expetenda, sed ad conferenda suffragia rediturus. A quo videlicet Angelicæ visitationis tempore tantis miraculis, tantis est virtutibus publicatus, vt omnibus secum viuentibus & exemplo fuerit, & terrori.

Remigius Antisiodorensis. 880.

Ad Psal. 32. Tribus modis fit eleemosyna: duobus modis de superiori, scilicet primum: cùm nos ipsos impendimus, quod præcipuum est: secundum, cùm proximum ad charitatem Dei trahimus: tertium de inferiori, cùm in carnalibus proximis ministrando, Deo seruimus.

Ericus. 880.

Dominica quinta post Pentecosten Dicendo, *dimittite, & dimittemini*: & mox addendo, *date, & dabitur vobis*, ostendit, quia non sufficit tantùm dimittere his, qui in nos peccant, nisi etiam iis quæ possumus beneficia impendamus: Quisquis enim bona temporalia vel spiritualia aliis amore diuino largitur, quisquis in se peccantibus indulgentiam tribuit, sicut ipse à Domino veniam impetrare desiderat, hic procul dubio imitator Dei efficitur.

Radulphus Flauiacensis. 950.

Libro 1. in Leuit. cap. 8. Non magni est eleemosyna meriti, quæ ex superabundanti, & cum nimia deliciarum resolutione tribuitur. Illa omninò, illa accepta est, qua sic indigenti consulitur, vt & tribuentis nonnulla indigentia subsequatur: *Vnusquisque*, ait Dominus, *ex eo quod abundabat eis, miserunt* (Marc. 12) *in Gazophylacium: hæc autem pene omnia, quæ habuit,* (Luc. 21.) *misit, totum victum suum.*

Lib. 10. cap. 1. Tantus est misericordiæ fructus, vt ab homine crimina tollat, in homine dona custodiat, & in terra viuentium beatum illum efficiat.

Smaragdus. 970.

Ad caput 4. Regulæ D. Benedicti: Tunc optimè ieiunamus, quando quæ ventri subtrahimus, pauperibus erogamus. Hinc Propheta nos admonet, dicens: *Sanctificate ieiunium.* Ac si diceret: Quod tempore ieiunij, vt affligatur, subtrahitis corpori, pro (Ioel. 2.) sanctificatione & benedictione animi, porrigite pauperi. Scriptum est enim: *Pauperi porrige manum tuam, vt perficiatur propitiatio, & benedictio tua, &c.* (Eccle. 7) Non nobis oberit diuitiarum congregatio iusta, si adfuerit distributio larga. Debemus ex illis munus misericordiæ egenis porrigere, pauperum nuditatem operire, peregrinorum inopiam supplere, pupillorum miseriam detergere, esurientium famem replere, sitientium sitim fugare, & infirmantium desideria supplere, &c. Cum magna ergo mentis alacritate debemus eleemosynas dare: quoniam ipsi Domino datur, quod hilariter pauperibus erogatur. Christum in æternum habebimus retributorem, si pro illo pauperibus porrexerimus panem. Ab illo æternam consequemur misericordiam, si pro illo plenam pauperibus porrexerimus dexteram.

Osbertus Anglus 1020.

In vita S. Elphegi: Nullum Parochianorum suorum publicè mendicare permisit, nec alterius loci pau-

ci pauperem vacuum abire siuit, immane horrendumque nefas reputans, si quod natura commune constituit, hoc velit homo ceu proprium vsurpare. Quapropter nec Dominici corporis membrum esse, qui pauperum indigentijs nollet subuenire, vigilanter disputabat. Nam si patiente vno corporis membro compatiuntur cætera, manifestum est, eiusdem corporis membrum non esse, quod patiente alio compassionis affectum nescit habere. Vbi verò illa defecerunt, quæ ex iure Ecclesiæ ministerio pauperum competere potuissent, thesauros Ecclesiæ, quos ipse multiplices parauerat, iubet distribui: docens ex hoc ornatissima quæque Ecclesias possidere, vt tempore felicitatis sint honestati, tempore verò necessitatis sint vtilitati.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad cap. 9. posterioris ad Corinth. Quanto maiori affectu piæ compassionis quis indigentiæ proximi subuenit, tantò maiorem sibi frugem acquirit æternæ refectionis.

Bruno Carthusianus. 1080.

Ad cap. 10. posterioris ad Corinth. Sicut ille qui seminat, in præsens perdit, quod in futuro multiplicatum recipiat: sic qui dat eleemosynam, ad præsens perdit, quod centuplicatum colliget in gloria.

Hildebertus Cenomanensis. 1100.

Epistola 61. In foro candidatis diuitibus rei suam committunt actionem: in cælo autem nulli melius pro reis agunt, quàm pauperes aduocati: pauperes ante supremum tribunal in propulsandis dilationibus obtinent principatum. Vnde fit, vt bene speret de iudice, quisquis pauperum meretur interuentum: pro quo eorum voces conualescunt, sententiam non timet capitalem. Hos igitur tibi compares, hos facias aduocatos, horum inopiæ copiæ tuæ subueniant. Illis egentibus egere Christum crede.

Sigebertus Gemblacensis. 1100.

In Chronicis de anno 606. Hoc tempore pauper quidam, cùm à nautis eleemosynam peteret, nec acciperet, dicente nauclero, desiste eleemosynam petere à nobis, quia nihil præter lapides habemus: cùm subiecisset pauper: omnia ergo vertantur in lapides: quicquid manducabile in naui erat, in lapides conuersum est, colore & forma eorum permanente.

Honorius Augustodunensis. 1120.

In Speculo Ecclesiæ: In nullo melius, quàm in pauperibus, potestis peccata vestra redimere, & æternas diuitias acquirere.

Bernardus. 1130.

In Cœna Domini Serm. 3. Quis tibi donauit quod habes? Nonne pauperis Dominus? Nonne pauperis & tui Creator? nonne natura vos creauit æquales, & vna eademque conditione estis exituri? Cur te non tangunt confinia sortis? Suscipe miserum, recollige mendicum & peregrinum, refice famelicum, vesti nudum, & operibus misericordiæ incumbe prout potes. Cùm pauper petierit, manum aperire non differas. Nam eleemosynam tuam cum paupere suscipit Christus. Tu autem, mi Lector, ne pauperem quæso abhorreas, sed tam citò cùm illum videris, adorare ne negligas: licet sit scabiosus, siue leprosus, veste sordidus, anhelitu fœtidus, tamen brachijs charitatis astringe, & quod à te petierit charitatiuè impende. In veritate donas Christo, accipit Christus: ipsemet testis est, ipse mentiri non potest: & in die iudicij tibi redditurus est æternam mercedem.

Epist. 129. Serite, plantate, negotiamini, vt antiqua mala non solùm non iteretis, sed etiam de iustis laboribus vestris expiare & delere possitis. Scriptum quippe est: *Redemptio animæ viri propriæ diuitiæ.* Et rursum: *Date eleemosynam, & omnia munda vobis.* Prou. 13. Luc. 11.

Hildegardis. 1170.

Lib. 2. visione 6. cap. 88. Quoniam difficile est homini, vt asperè & secundùm quod iustum est pœniteat: ideo matrem sibi eleemosynam assumat, quatenus cum ea id perficiat, quod corpori suo laboriosum est. Nam quemadmodum mater necessitati filij sui subuenire non cessat, quamuis ille iam educatus esse videatur: ita etiam eleemosyna teneritudini corporis in pœnitentia hominis succurrit, quamuis idem homo in maceratione corporis sui pœnitendo fortis appareat.

Innocentius Tertius. 1200.

Dominica 9. post octauam Pentecostes Serm. 1. Hic est fructus, hæc merces, hoc præmium præmissæ parabolæ, vt per eleemosynam temporalem acquiratur gloria sempiterna. *Mammona* lingua Syriaca diuitiæ nuncupantur. Præcepit ergo Dominus, vt de Mammona iniquitatis faciamus nobis amicos, id est, vt iniquas diuitias pauperibus erogemus: quatenus per erogationem earum iniquitas deleatur.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica 4. post octauam Pentecost. Dominus ad eleemosynam nos inuitans, ait: *Date, & dabitur vobis.* Date beneficium, & dabitur vobis præmium: date transitoria, & dabitur vita æterna: date paleam temporalium, & dabitur vobis granum æternorum. O admirabile commercium! Teste enim Augustino, Remedium peccatorum medicina est eleemosynarum, &c.

Guilhelmus Peraldus. 1250.

Dominica 2. in Aduentu Sermone 2. super epistol. Eleemosyna duodecim bona facit, propter quæ multum est eleemosynis insistendum. Peccato obstat, Deum placat, bona temporalia multiplicat, gratiam conseruat, diabolum impugnat, ea quæ petit à Deo impetrat, ab omnibus benedici facit, ad bonum finem perducit, morienti societatem facit, in infernum ire non permittit, in iudicio benedictionem impetrat, in regno cœlorum locum assignat.

Iacobus Genuensis. 1280.

Domin. 9. post Trinitat. Sermone 2. Bonus eleemosynarius faciet sibi in vita amicos, in morte, & post. In vita, quia per eleemosynam expellit frigus culpæ, cùm sit ignis. Vnde dicitur Eccle. 3. *Sicut in sereno glacies, sic soluentur peccata tua.* Generat benedictionem gratiæ, cùm sit semen Dei. Secundò in morte, quia eleemosyna animam sibi associat. Ambrosius: Non sunt hominis bona, quæ secum ferre non potest. Sola eleemosyna comes est defunctorum. Hostes fugat, viam demonstrat. Prou. 16. *Donum dilatat viam eius.* Tertiò prouidet sibi post mortem: quia eleemosyna animam ab inferno liberat. Tobię 4. *Eleemosyna non patitur animam introire in tenebras.*

Hugo Pratensis. 1300.

Dominica 2. post Trinitat. de epistola: Ad eleemosynam faciendam quinque nos inducere debent. Primò, quia extinguit peccandi concupiscentiam, quæ militat in membris nostris. Secundò, reducit hominem ad viam veritatis. Exemplum de Cornelio centurione, &c. Tertiò, conseruat pacem, & bonum statum hominis, & terræ, & totius regni. Quartò, tenet Deum, ne proferat sententiam mortis con-

LIBER QVARTVS: DE CONSILIIS EVANGELICIS, ET VITA MONASTICA.

ARTICVLVS PRIMVS.

CONSILIA EVANGELICA.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ 170. ENCRATITÆ, auctore Tatiano, docuerunt omnes Christianos debere à nuptijs abstinere, & cælibes viuere, & sic continentiam volebant esse præcepti, non consilij. Irenæus lib. 1. cap. 30.

200. *Apostolici affirmabant, non posse saluari eos, qui non viuerent in cælibatu ac paupertate more Apostolorum.* Epiphanius hæresi 61. Augustinus hæresi 40.

363. *Iulianus Apostata lege lata decreuit, ne se Christiani vlla ratione defenderent, etiamsi spoliarentur, vel occiderentur iniustè, & rationem legis reddens, dicebat, velle se Christianos cogere, vt Euangelium obseruarent, quo præceptum esset, vt nihil possiderent, & percutienti vnam maxillam, alteram præberent.* Nazianzenus oratione 1. in Iulianum.

400. *Pelagianorum quidam,* vt apparet ex epist. Augustini 89. *docere videbantur, neminem saluum esse posse, nisi omnia venderet, & daret pauperibus, quasi non consilium, sed præceptum hoc esset.*

400. *Iouinianus dicit, nullum esse consilium vel præceptum continentiæ, cùm eiusdem meriti sint virgines & maritatæ.* Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, Augustinus hæresi 82.

1390. *Ioannes VViclefus* articulo 21. Constantiæ damnato sess. 8. *dicit eos, qui ingrediuntur religiones, eo ipso reddi ineptos ad seruanda mandata Dei: ex quo sequitur, continentiam, obedientiam, & paupertatem religiosam non consuli in Euangelio, sed prohiberi.*

1520. Martinus Lutherus libro de votis Monasticis: *Hic incidunt duo eorum principia fidei, seu potius perfidiæ tractanda: quorum est primum, Euangelium non esse omnibus commune, sed partitum in consilia & præcepta: suam verò monasticen sequi consilia, non tantùm præcepta, quæ reliquo vulgo proposita sunt. Hic verò non vno, neque paruo errore labuntur. Et vt omittam, quod hac distinctione sese ignorare testantur, quid sit propriè Euangelium (dum præcepta & consilia ex ipso faciunt) quod est meræ promissiones Dei, exhibita beneficia hominibus annunciantes, &c. Si probare poterimus, non esse consilia, quæ illi iactant & vouent, nónne deprehendemus eos damnabiliter errare, & super mendacia impietatis niti eorum vota? Nam asserere consilia, quæ consilia non sunt, & diuina mandata soluere, quid est nisi veritatem Dei negare, & in mendacium mutare, imò & Deum blasphemare? An non est blasphemia, si Deus dicat: Hoc est meum præceptum: & illi dicant in nomine Domini contra eum: Non est præceptum, sed consilium? &c. Consilia quæ illi fingunt ferme sunt, quæ Christus Matth. 5. docet &c. vendenda & relinquenda omnia, & veniendum post Christum, omnibus sese submittere, etiam indignioribus. His adde virginitatem & continentiam, &c. Esse autem hæc omnia non consilia, sed necessaria mandata, primùm hoc probat, &c.*

1530. Philippus Melanchthon in Apologia Confeßionis Augustanæ capite de votis Monasticis: *Euangelium non consulit discrimina vestium, ciborum, abdicationem rerum propriarum. Hæ sunt traditiones humanæ.*

In Locis communibus de discrimine consiliorum & præceptorum: *Inscitia iustitiæ fidei multos errores peperit. Hinc manauit imaginatio eorum, qui finxerunt in Euangelio tria consilia tradi, de non vindicando, de desertione facultatum, & de virginitate. Longum esset omnes errores recensere, qui in hoc deliramento continentur.*

1550. Ioannes Caluinus lib. 4 Instit. cap. 13. §. 12. *Apertè docent, se plus oneris suscipere, quàm suis Christus imposuerit: quoniam scilicet Euangelica consilia, de diligendis inimicis, de non appetenda vindicta, de non iurando, &c. se seruaturos promittant, quibus non sunt communiter astricti Christiani. Nulli vnquam veterum hoc in mentem venit: omnes vna voce clamant, nullam penitus voculam à Christo emissam, cui*

non ſit neceſſa io obtemperandum. Et hæc ipſa nominatim, quæ iſti boni interpretes Chriſtum conſuluiſſe duntaxat nugantur, nulla dubitatione vbique docent.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Eſaiæ 56. *Verſ.* 3. Non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum: quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui cuſtodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis quod non peribit.

Matth. 19. 21. Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.

Lucæ 10. 35. Et altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcunque ſupererogaueris, ego cùm rediero reddam tibi.

1. *Corinth.* 7. 25. De virginibus præceptum Domini non habeo: conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Origenes. 230.

Ad cap. 15 *ad Romanos:* Ea, quæ ſupra debitum facimus, non facimus ex præceptis: verbi cauſa: virginitas non ex debito ſoluitur: neque enim per præceptum expetitur, ſed ſupra debitum offertur.

Euſebius Cæſarienſis. 320.

De Demonſtratione Euangelica lib. 1. *cap.* 8. In Eccleſia Dei duo modi viuendi inſtituti ſunt. Alter quidem naturam noſtram, & communem hominum viuendi rationem excedens, non nuptias, non ſobolem, non ſubſtantiam, non opum facultatem requirens, & ſoli diuino cultui, ex immenſo rerum cæleſtium amore, addictus, &c. Et talis quidem exiſtit in Chriſtianiſmo perfectus vitæ modus. Alter verò remiſsior atque humanior: hic & modeſto coniugio, & ſobolis procreatione implicatur, & rei familiaris curam aſſumit, & iuſtè militantibus quæ ſint agenda deſcribit: agros quoque, & mercaturam, aliumque magis ciuilem viuendi morem, adiuncta religione non negligit. Ijs autem, qui hunc modum elegerunt, & exercitationum tempora: & his quidem ſecundus pietatis attributus eſt gradus.

Athanaſius. 340.

De humanitate Verbi poſt medium: Quis hominum vel poſt mortem, vel in vita ſeruandæ virginitatis fuit? At non contra arbitratus eſt eam virtutem præſtari non poſſe? Attamen Saluator noſter & omnium Rex Chriſtus tantum valuit in huiuſmodi præceptis, vt pueri nondum maturi legum diſciplinæ virginitatem, quæ ſupra leges eſt, profiteantur.

Baſilius Magnus. 370.

Libro de vera virginitate: Voluit Dominus eximiæ virtutis meritum non iuſsionis neceſsitati obnoxium fieri, ſed egregij ac ſingularis animi ſpecimen atque indicium eſſe, dum ſponte ſua, nulla imperij neceſsitate cogente, quod mandata omnia excellit, & ſupra naturæ humanæ modum eſt, deſiderio affectuque virtutis efficeret. Coniugium quippe naturale eſt, vbi etiam lex conuenientia naturæ diſponit: Virginitas verò ſupergreſſa naturam, legis vinculis non tenetur aſtricta, quæ incorruptionis excellentem virtutem Creatori & auctori legis iure pretioſi muneris offert.

Gregorius Nazianzenus. 3[?]0.

Oratione 3 [illegible] *inuectiua prima in Iulianum:* Ad hæc, quomodo illud non animaduertis, omnium ſapientiſsime & ingenioſiſsime, atque ad virtutis arcem & verticem Chriſtianos coarctans, quòd in legibus noſtris alia parendi neceſsitatem imponunt, nec ſine periculo prætermitti poſſunt, alia non neceſsitate conſtringunt, ſed in arbitrio ac voluntate poſita ſunt; ac proinde hanc rationem habent, vt qui ea cuſtodierint, præmijs ac honore afficiantur: qui autem minus ea expleuerint, nihil periculi pertimeſcant. Etenim ſi fieri poſſet, vt quàm optimi omnes eſſent, & ad ſummum virtutis faſtigium peruenirent, hoc quidem præclariſsimum & perfectiſsimum eſſet. Quoniam autem diuina ab humanis dirempta ſunt, atque alij quidem nullo non virtutis genere excellunt, alij autem bene ſecum agi putant, ſi vel mediocritatem aſſequantur, quæ hæc tua ratio eſt, dum ea indicis & præſcribis, quæ non omnium ſunt, aut eos pro damnatis habes, qui non cuſtodiunt?

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Homilia octaua de Pœnitentia: Nequaquam Dominum incuſes: haud mandat impoſsibilia: multi ipſa ſuperant mandata. *Et infra, poſtquam exempla poſuit de continentia & paupertate, ait in perſona Dei:* Non cogo, non grauo, ſed proficientem quidem coronabo: non proficientem non punio.

Homilia 21. *in priorem ad Corinthios:* Nec mihi dicas: Non eſt hoc, aut illud prohibitum, propter quod offenditur, aut permittitur. Nam ego tibi dico maiora; nempe quòd etiamſi ipſe Chriſtus permiſerit, videris autem lædi quempiam, deſiſte, & ne vtere permiſsione. Nam hoc quoque fecit Paulus, qui cùm liceret accipere concedente Chriſto, non accepit. Etenim cùm benignus ſit Dominus, ſuis præceptis admiſcuit multum manſuetudinis, vt non ſolùm ex iuſſu, ſed etiam animi libero faciamus arbitrio. Potuiſſet enim, ſi hoc voluiſſet, præcepta magis intendere, & augere, & dicere: Qui non perpetuò ieiunat, puniatur: qui non exercet virginitatem, det pœnas: qui ſe non omnibus exuit facultatibus, luat vltimum ſupplicium: ſed non hoc fecit, tibi præbens, vt ſi velis contendas, vt laudem & honorem conſequaris. Propterea & quando differebat de virginitate, dicebat: *Qui poteſt capere, capiat.* Et in diuite alia quidem præcepit, alia verò permiſit libero animi arbitrio. Non enim dixit: Vende quæ habes, ſed: *Si vis perfectus eſſe, vende.* Matt.19.

Theodoretus. 450.

Ad cap. 7. prioris ad Corinth. *De virginibus præceptum Domini non habeo.* Dominus enim, cùm dixiſſent Apoſtoli: *Si ita eſt lex vxoris, expedit vxorem non ducere,* reſpondit: *Non omnes capiunt verbum hoc.* Matt.16. Et rurſus: *Qui poteſt capere, capiat.* Propterea quoque diuinus dixit Apoſtolus: *Præceptum Domini non habeo.* 1.Cor.7. Si ergo legem non accepiſti, quid ſibi vult, quod dicis: *Conſilium autem do.* Non legem

fero,

fero, sed consilium affero. Etenim Deus, cùm quæ sunt secundùm naturam præcepisset, adhortatur ad ea, quæ sunt supra naturam. Quoniam autem verisimile erat futurum, vt quidam huic rei, tamquam rei nouæ, contradicerent, consilio adiecit: *tamquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis.* Cum solita modestia Apostolicam auctoritatem ostendit. Sum consiliarius fide dignus, inquit, per misericordiam Domini vocatus, & cui credita est prædicatio. Quid autem consulis? *Existimo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est sic esse. Alligatus es vxori? Noli quærere solutionem.* Illud, *existimo*, adiecit, non dubitans virginitatem esse bonum, & bonorum optimum ac præstantissimum: sed ne adhortatio lex fieret, adiecit dubitationem. Legem enim consequitur obseruatio, & transgressio, & eorum qui transgrediuntur punitio: & ideo quæ magna sunt non præcipit, sed ad ea hortatur.

Dorotheus Abbas. 520.

Doctrina 1. Sic igitur Patres nostri non solùm præcepta Dei obseruauêre debita, sed & gratuita munera pariter obtulêre: qualia virginitatem, castitatem, inopiam omnium. Hæc enim, quæ non præcipiuntur, sed offeruntur, dona sunt. Neque enim cuique omnium aliquando præceptum est, ne vxorem ducat, ne filios generet. Non item cogitur quisquam sua venundare, & dare pauperibus. Nam cùm legis peritus ille ad Dominum venisset, dicens: *Domine, quid faciendo vitam æternam possidebo?*
Matt.19. Respondit de præceptis: *Non homicida, non fur, non adulter ero.* Respondente exinde illo, quòd hæc omnia à iuuentute sua obseruasset, intulit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Non dixit: *Vende omnia quæ habes*, tamquam imperans, sed tamquam consulens: illud enim *si vis*, consulentis est, non imperantis.

Maximus Monachus. 640.

Centuriæ 4. *de Charitate cap.* 67. Quæ à nobis secundùm Deum fiunt, partim ex præcepto fiunt, partim ex non præcepto, sed quasi aliquis diceret voluntaria oblatione ista fieri. Nimirum ex præcepto fit, vt Deum & proximum diligamus, vt inimicos amemus, ne adulterium committamus, ne quem occidamus, & id genus alia, quæ transgredientes condemnamur. Cæterùm non ex præcepto est virginitas, cœlibatus, paupertas, vita eremitica, & id genus alia plura. Hæc donorum rationem habent, vt si qua præcepta ex infirmitate implere nequiuerimus, per dona optimum illum Dominum placare studeamus.

Elias Cretensis. 780.

In orationem 4. *Nazianzeni:* In lege nostra quædam necessariò obseruanda sunt, eaque violantibus periculum impendet. Quædam rursus in voluntate & electione, non autem in necessitate posita sunt: quæ qui custodiunt, honorem & præmium consequuntur; qui autem non custodiunt, nullo propterea in periculo versantur. Atque ea quidem necessariò obseruanda sunt, quæ non custodientibus pœnam minantur. Cuiusmodi est illud: *Quicunque irascitur fratri suo sine causa, reus est iudicio*, Matt.5. cæteraque generis eiusdem. Ea autem in voluntatis libertate consistunt, quæ in eos, qui minimè custodiunt, pœnæ comminationem adiunctam non habent. Quo in genere illud est: Iniuriam non vindicare, nec iudicio prosequi. Et illud: *Qui te angariauerit mille passus, vade cum eo duo:* Matt.5. & quæcunque his similia sunt. Hæc enim iis quidem, à quibus custodiuntur, honorem conciliant: nullum autem supplicium iis, qui ea non exequuntur.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 4. prioris ad Thessalon. *Scitis enim quæ præcepta dederimus vobis per Dominum nostrum Iesum Christum)* παραγγελία, id est, præceptum, vel interdictum, est de iis, quæ fugienda sunt, quę si fiant, pœnam ferunt: non peracta verò, nil merentur præconij. Sunt autem quædam, quæ non sunt præcipienda, hoc est cum minis exigenda, sed in animo atque arbitrio auditorum relinquenda, vt facultates omnes vel relinquere, vel in pauperes spargere, virginitatis statum seruare, vel permanere cœlibem. Matt.19. Nam *qui potest capere, capiat*, inquit Dominus.

Ad Titum 1. Quin etiam secundùm præceptum illud mihi est iniunctum, pro eo quod est vel inuitus ista cogor facere. Res enim quæ transiguntur, nonnullæ ex mandato fiunt, nonnullæ per adhortationem. Quemadmodum: *reconciliare fratri tuo*, mandatum est, & qui non facit istud, punietur. Quod verò ait: *Vende omnes facultates tuas:* Et: *Qui potest capere, capiat*, adhortatio est: & qui non facit, non punitur.

OEcumenius. 1080.

Ad cap. 7. *prioris ad Corinth.* Quoniam ad maiorem venit doctrinam, timet illam purè nudéque verbis iubere, casum veritus eorum, qui aggrederentur. Idcirco non tamquam præceptum, sed quasi consilium tradit illud.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Cyprianus. 250.

De habitu virginum prope finem: Nec hoc iubet Dominus, sed hortatur: nec iugum necessitatis imponit, quando maneat voluntatis arbitrium liberum: sed cùm habitationes multas apud Patrem suum esse dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat. Habitacula ista meliora vos petitis, carnis desideria castrantes, maioris gratiæ præmium in cælestibus obtinentes.

De Natiuitate Christi: *De virginibus*, ait Apostolus,
1.Cor.7. *præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus.* Vult, & laudat ex imperio Domini, vt quæ nupserint, sic permaneant: quæ verò virgines sunt Dei, cumulatione castitatis integritatem exhibeant Christo: & in hunc modum, quæcunque auctoritate diuina immobilia constant, sic maneant: quæ verò in alterutrum potest libertas arbitrij flectere, locum eligant priorem. Quia etsi bona sunt, & à Deo instituta coniugia, melior est tamen continentia, & virginitas excellentior, quam non cogit necessitas, aut mandatum, sed perfectionis suadet consilium. Quòd si diuinis consiliis obuiauerint tentamenta, & liberas mentes ad carnales reuocauerint appetitus, adest Deus fortis, nec spem ponat homo in homine, nec in brachio carnis suæ confidat. Quia qui mundum vicit, victoriam suis promittit militibus, & qui victores sunt sui, cælo vim inferunt. Quoniam scriptum est: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matt.11.

Optatus Milenitanus. 370.

Libro 6. *contra Parmenianum:* A Paulo cùm quæreretur, quid de virginibus præciperet? Respondit, sibi de virginibus nihil esse mandatum: confessus est, se duo testamenta, hoc est, duos dena-

rios erogasse: explicati quodammodo sumptus erant. Sed quia qui saucium quodammodo commendauerat, promiserat se redditurum, quicquid in curam amplius erogasset, post impensos duos denarios, non præcepta, sed consilium erogat Paulus ad virginitatem. Nec impedimento est voluntati, nec nolentes impellit, aut cogit. *Qui dederit,* inquit, *virginem suam, bene facit: & qui non dederit, melius facit.* Hæc sunt verba consilij, nec sunt vlla præcepta coniuncta.

Ambrosius. 370.

Epistola 82. ad Ecclesiam Vercellensem: Qua reuerentia virginitatis locutus est sanctus Apostolus: [1.Cor. 7] *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus à Domino?* Præceptum non habet, consilium habet. Non enim præcipitur quod supra legem est, sed magis dato suadetur consilio. Nec auctoritas præsumitur, sed demonstratur gratia: nec à quocunque demonstratur, sed ab eo, qui misericordiam Dei meruit. Horum ergo meliora, quàm Apostolorum consilia? Apostolus dicit: *Consilium autem do:* isti dissuadendum putant, ne qua studeat virginitati, &c. Bonum ergo consilium: quia in consilio vtilitas est, & in præcepto laqueus. Consilium inuitat voluntarios, præceptum astringit inuitos. Si qua ergo secuta fuerit consilium, & eam non pœnituerit, acquisiuit vtilitatem. Si quam verò pœnituerit, non habet quòd accuset Apostolum. Ipsa enim de infirmitate sua iudicare debuit, & ideo sibi voluntatis suæ rea est, cuius grauiore quàm ferre posset laqueo se ac nodo ligauit. Itaque tamquam bonus medicus, qui & fortioribus stabilitatem virtutis conseruare cupiat, & infirmis salubritatem dare, alijs dat con- [Rom.14] silium, alijs demonstrat remedium. Qui infirmus est, olera manducet, accipiat vxorem: qui validior est, fortiorem virtutis cibum expectet. Meri- [1.Cor. 7.] toque adiunxit: *Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens voluntatis suæ, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, bene facit.*

[Hebr.13.] *Libro de viduis:* Honorabile coniugium, sed ho- [1.Cor. 7.] norabilior integritas. Nam & *qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit.* Quod igitur bonum est, non vitandum est; & quod est melius, eligendum est. Itaque non imponitur, sed præponitur. Et ideo bene Apostolus dixit: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Etenim præceptum in subditos fertur, consilium amicis datur. Vbi præceptum est, ibi lex est; vbi consilium, ibi gratia est. Præceptum, vt ad naturam reuocet: consilium, vt ad gratiam prouocet. Et ideo lex Iudæis data est: gratia autem electioribus reseruata est. Lex, vt à naturæ finibus culpæ studio demeantes, ad naturæ obseruantiam pœnæ terrore reuocaret: gratia autem, vt electos tum studio bonorum operum, tum propositis etiam præmijs prouocaret. Et vt intelligas distantiam præcepti atque consi- [Matt.19.] lij, illum recorderis, cui in Euangelio ante præscribitur, ne homicidium faciat, ne adulterium admittat, ne falsum testimonium dicat. Præceptum etenim ibi est, vbi est pœna peccati. At verò cum se præcepta legis memorasset implesse, consilium ei datur, vt vendat omnia, & sequatur Dominum. Hæc enim non præcepto imperantur, sed pro consilio deferuntur. Duplex namque forma mandati est, vna præceptiua, altera voluntaria. Vnde & Dominus in alia dicit: *Non occides:* [Luc. 17.] vbi præcepit. In alia: *Si vis perfectus esse, vende omnia tua.* Ergo hic liber est à præcepto, cuius defertur arbitrio. Itaque qui præceptum impleuerint, possunt dicere: *Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Hoc virgo non dicit: non dixit ille, qui bona sua vendidit, sed quasi repositū [Matt.19.] expectat præmia, sicut sanctus Apostolus ait: *Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo nobis erit?* &c. Sunt enim spadones, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Sed hoc non omnibus imperatur, sed ab omnibus flagitatur. Etenim qui mandata dat decretorum, semper tenere debet mensuram, &c. Virgo prouocatur consilijs, non vinculis alligatur. Sed nec vidua præceptum accipit, sed consilium: consilium autem non semel datum, sed sæpe repetitum. Et primò dixit: *Bonum est mulierem non tan-* [1.Cor. 7.] *gere.* Et iterum: *Volo sic omnes homines esse, sicut & meipsum.* Et tertiò: *Bonum est illis si sic maneant, sicut & ego.* Et quartò: *Bonum est propter instantem necessitatem: & hoc placere Domino: & hoc honestum esse.* Postremò beatiorem esse in viduitate perseuerantem, non tantùm suo consilio, sed etiam Dei spiritu definiuit. Quænam igitur talis consiliarij benignitatem recuset, qui & voluntati habenas indulgeat, & id suadeat alijs, quod in se expertus vtile iudicauit, non facilè comprehendi, nec fastidiosius æquari? Quænam igitur refugiat sancta fieri corpore & spiritu, cùm supra laborem sit præmium, supra vsum gratia, supra opus merces?

Hieronymus. 390.

Aduersus Iouinianum libro 1. cap. 7. Proponit ἀγωνοθέτης præmium, inuitat ad cursum: tenet in manu virginitatis brauium: ostendit purissimum fontem, & clamitat: *Qui sitit, veniat ad me, & bibat: qui potest capere, capiat.* Non dicit: Velitis, nolitis, bibendum vobis est, atque currendum: sed qui voluerit, qui potuerit currere, atque potare, ille vincet, ille saturabitur. Et ideo plus amat Christus virgines, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum: maiorisque gratiæ est offerre quod non debeas, quàm reddere quod exigaris.

Epistolæ 22. cap. 8. *De virginibus,* inquit Apostolus, *præceptum Domini non habeo.* Cur? Quia & ipse vt esset virgo, non fuit imperij, sed propriæ voluntatis. Quare ergo non habet Domini de virginitate præceptum? Quia maioris est mercedis, quod non cogitur, & offertur. Quia si fuisset virginitas imperata, nuptiæ videbantur ablatæ: & durissimum erat contra naturam cogere, Angelorumque vitam ab hominibus extorquere, & id quodam modo damnare, quod conditum est.

Augustinus. 400.

Sermone 61. de Tempore: Aliud est consilium, aliud præceptum: consilium datur, vt virginitas conseruetur, vt à vino & à carnibus abstineatur, vt vendantur omnia, & pauperibus erogentur. Præceptum verò datur, vt iustitia custodiatur, vt omnis homo diuertat à malo, & faciat bonum. Denique de virginitate dicitur: *Qui potest capere, capiat.* [Matt.19.] De iustitia verò non dicitur: Qui potest facere, faciat: sed: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum,* [Matt. 5.] *excidetur, & in ignem mittetur.* Consilium qui libenter audierit, & fecerit, maiorem habebit gloriam. Præceptum qui non impleuerit, nisi pœnitentia subuenerit, euadere pœnam non poterit.

In Enchiridio ad Laurentium cap. 121. Quæcunque ergo mandat Deus, ex quibus vnum est: *Non mœchaberis,* & quæcunque non iubentur, sed spiritali consilio monentur, ex quibus vnum est: *Bonum est homini mulierem non tangere,* tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad dili[gendum] Deum, & proximum propter Deum.

De adulterinis coniugijs libro 1. cap. 14. Multa sunt facienda non iubente lege, sed libera charitate: & ea sunt in nostris officijs gratiora, quæ cùm lice-

ret no-

ret nobis non impendere, tamen causa dilectio-
Matt.17 nis impendimus. Vnde prior ipse Dominus, cùm se tributum non debere monstrasset, soluit tamen, ne scandalizaret eos, quibus ad æternam salutem gerens hominem consulebat. Iam verò Apostolus quemadmodum ista commendet, eius ver-
1.Cor. 9 ba testantur, vbi dicit: *Cùm enim liber sim ex omnibus, omnium seruum me feci, vt plures lucri facerem:* cùm paulò superius dixisset: *Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi? Nunquid non habemus licentiam sororem mulierem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? An ego solus & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi? Quis militat suis stipendijs vnquam? Quis plantauit vineam, & de fructu eius non edit?* &c. Item alio loco, de quibusdam, quæ ad
1.Cor.12 escam pertinent: *Omnia,* inquit, *mihi sunt licita; sed ego sub nullius redigar potestate. Esca ventri, & venter escis. Deus autem & hunc, & has euacuabit.* Item alibi de hoc ipso: *Omnia licita sunt, sed non omnia expe-*
1.Cor.10 *diunt: Omnia licita sunt, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed id quod alterius est.* Atque vt ostenderet, vnde loqueretur: *Omne,* inquit, *quod in macello venit manducate, nihil interrogantes propter*
1.Cor.8. *conscientiam.* Et tamen alibi: *Non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Itemque
Rom.14 alibi: *Omnia quidem munda, sed tamen malum est homini, qui per offensionem manducat.* Quid est, *omnia licita sunt?* Ipsum est, omnia quidem munda. Et quid est: *sed non omnia expediunt?* Ipsum est, sed malum est homini, qui per offensionem manducat. Ita ostendit ea, quæ licita sunt, id est; nullo præcepto Domini prohibentur, sicut expedit potius esse tractanda, non præscripto legis, sed consilio charitatis. Hæc sunt, quæ amplius erogantur saucio, qui curandus ad stabulum Samaritani illius miseratione perductus est. Et ideo dicuntur non à Domino præcipi, quamuis à Domino moneantur offerri, vt tantò intelligantur esse gratiora, quantò magis ostenduntur indebita.

Libro de sancta Virginitate cap. 14. *De virginibus,* inquit, *præceptum Domini non habeo.* Præcepto enim quisquis non obtemperat, reus est & debitor pœnæ. Proinde quia vxorem ducere vel nubere peccatum non est: si autem peccatum esset, præcepto vetaretur: propterea præceptum Domini de virginibus nullum est. Sed quoniam deuitatis remissisue peccatis, adeunda est vita æterna, in qua est quædam egregia gloria, non omnibus in æternum victuris, sed quibusdam ibi tribuenda, cui consequendæ parum est liberatum esse à peccatis, nisi aliquid ipsi liberatori voueatur, quod non sit criminis non vouisse, sed vo-
1.Cor.7 uisse ac reddidisse sit laudis. *Consilium,* inquit, *do, tamquam misericordiam consecutus à Deo, vt fidelis essem.* Neque enim inuidere debeo fidele consilium, qui non meis meritis, sed Dei misericordia sum fidelis. *Existimo itaque hoc bonum esse propter præsentem necessitatem. Hoc est,* inquit, *vnde præceptum Domini non habeo, sed consilium do:* hoc est, *de virginibus existimo bonum esse propter præsentem necessitatem.* Noui enim, quid præsentis temporis, cui coniugia seruiunt, necessitas cogat, vt ea, quæ Dei sunt, minus cogitentur, quàm sufficit adipiscendæ illi gloriæ, quæ non erit omnium,
1.Cor.15 quamuis in æterna vita ac salute manentium. *Stella enim ab stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.*

Libro 2. Quæstionum Euangelicarum cap. 19. Stabulum est Ecclesia, vbi reficiuntur viatores, de peregrinatione redeuntes in æternam patriam. Altera dies est post resurrectionem Domini. Duo denarij sunt duo præcepta charitatis, quam per Spiritum sanctum acceperunt Apostoli ad Euangelizandum cæteris: vel promissio vitæ præsentis & futuræ. Secundùm enim duas promissiones auctum
est: *Accipiet in hoc seculo centies tantum & in seculo futuro vitam æternam consequetur.* Matt. Stabularius ergo est Apostolus. Quod supererogat aut illud est consilium, quod ait: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do:* aut quòd etiam manibus suis operatus est, ne infirmorum aliquem in nouitate Euangelij grauaret, cùm ei liceret pasci ex Euangelio.

Cap. 30. loquens de præceptis & consilijs: In illis Dominus imperat vobis; in his autem, si quid amplius supererogaueritis, in redeundo reddet vobis.

Sermone 18. de verbis Apostoli cap. 11. Ambierunt virgines illam maiorem pulchritudinem cordis sui, tamquam dicerent: Quid iubes? Ne adulteræ simus? hoc præcipis. Amando te plus facimus, quàm iubes.

Paulinus Nolanus. 410.

Epistola 4. ad Seuerum Sulpitium: Hic Samarites hominem suum prætermissum à prauijs, nec curatum miseratus accessit, & iumento suo, hoc est, Verbi incarnatione suscepit, & oleo gratiæ ac vino passionis suæ commendatum stabulario, profecto illi magistro gentium, in duobus Testamentis denarij mercede sanauit, redditurus illi & beatæ virginitati de innumeris huius boni fructibus vberes gratias, & innumerabiles coronas: quia hoc consilium præcepto adijciens, de suo supererogauit.

Sedulius. 450.

Ad cap. 7 prioris ad Corinth. Si Dominus virginitatem imperaret, condemnare videretur coniugium, & seminarium hominum excideret, vnde virginitas procreata est. Quare præceptum Domini de virginibus non habuit: quia maioris mercedis est, quod non cogitur, sed offertur.

Fulgentius. 500.

Prologo in libros ad Monimum: Quid est, *si quid supererogaueris,* nisi si quid à me magis acceperis? Nam & ipse, qui supererogabat, in eo quod non acceperat præceptum, sed dabat ex charitate consilium, misericordiam se profitebatur vtique consecutum.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 15. Moralium cap. 11. Carnis virginitas nequaquam iussa est, sed tantummodo laudata. Nam si illa iuberetur, nimirum coniugium iam culpa crederetur: & tamen multi virtute virginitatis pollent, vt videlicet plus impendant obsequio, quàm acceperunt præcepto: sic plerunque peruersi quique in prauis actibus exercentur, vt plus inueniant in peruersa operatione quod faciant, quam ex vsu reproborum iniquitatis accipere exempla potuerunt.

Lib. 26. cap. 20. Alij non iudicantur & regnant, qui etiam præcepta legis perfectione virtutum transcendunt, qui nequaquam hoc solum, quod cunctis diuina lex præcipit, implere contenti sunt, sed præstantiori desiderio plus exhibere appetunt, quàm præceptis generalibus audire potuerunt. Quibus Dominica voce dicitur: *Vos, qui* Matt.19
reliquistis omnia, & secuti estis me, cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israel. Et de quibus Propheta ait: *Dominus ad iudicium veniet cum* Esaiæ 3.
senioribus populi sui. Et de quibus Salomon, cùm de sanctæ Ecclesiæ sponsa loqueretur, intulit dicens:
Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus Prou.31
terræ. Hi itaque in extremo iudicio non iudicantur, & regnant: quia cum auctore suo etiam iu-

dices

dices veniunt. Relinquentes quippe omnia plus prompta deuotione executi sunt, quàm iuberi generaliter audierunt. Speciali namque iussione paucis perfectioribus, & non generaliter omnibus dicitur hoc, quod adolescens diues audiuit: *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, & sequere me.* Si enim sub hoc præcepto cunctos iussio generalis astringeret, culpa profectò esset aliquid nos de hoc mundo possidere. Sed aliud est, quod per sacram Scripturam omnibus generaliter præcipitur: aliud quod specialiter perfectioribus imperatur. Hi ergo rectè sub generali iudicio non tenentur, qui & præcepta generalia viuendo vicerunt. Sicut enim non iudicantur & pereunt, qui suadente perfidia legem tenere contemnunt: ita non iudicantur & regnant, qui suadente pietate etiam vltra generalis diuinæ legis præcepta proficiunt. Hinc est, quòd Paulus etiam specialia præcepta transcendens, plus opere exhibuit, quàm institutione permissionis accepit. Cùm enim accepisset, vt Euangelium prædicans, de Euangelio viueret, & Euangelium audientibus contulit, & tamen Euangelij sumptibus sustentari recusauit. Cur ergo iste iudicetur vt regnet, qui minus, quod seruaret, accepit; sed maius, quod viueret, inuenit? Dicatur igitur rectè: *Iudicium pauperibus tribuit:* quia quanto huic mundo magna humilitate despecti sunt, tanto tunc acceptis sedibus maiore culmine potestatis excrescunt.

Matt. 19 Marc. 10 — 1. Thessal. 2. — Iob 36.

Beda. 700.

Ad cap. 10. Lucæ: *Et quodcunque supererogaueris ego, cùm rediero, reddam tibi.*) Supererogat stabularius, quod in duobus denarijs non accepit, cum dicit Apostolus: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Itemque: *Et Dominus ordinauit his, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere: sed non vsi sumus hac potestate, ne quem vestrum grauaremus.* Cui rediens quod promiserat debitor reddet, quia veniens in iudicio Dominus dicit: *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.*

Haymo. 800.

Ad Euangelium Dominica 14. post Pentecosten. Supererogat stabularius quando hoc agit homo Doctor ex voto, quod non accepit ex præcepto. Quod fecit Paulus Apostolus, quando habens licentiam, vt Euangelium annuntians, de Euangelio viueret, noluit vti hac potestate, sed die prædicabat, & noctibus laborabat, vnde sibi suisque victum & vestimentum tribueret. Samaritanus cùm redierit, quod supererogauit reddet ei, quando in iudicium veniens, pro maiori labore prædicationis maiorem retribuet retributionem.

Ad cap. 7. prioris ad Corinth. *De virginibus præceptum Domini non habeo.* Quia Dominus virginitatem laudauit, non tamen præcepit, ne videretur nuptias damnare, sed dixit: *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum Dei: qui seipsos castrauerunt,* subdit: *Qui potest capere capiat. Consilium autem do,*) quod non displiceat alijs. *Tamquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis.*) subaudis, consiliator, & idoneus in dandis salutaribus consilijs.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad caput 7. prioris ad Corinthios: De coniugatis dedi præceptum Domini, quod acceperam ex Euangelio, & subieci consilium meum. Sed *de virginibus non habeo præceptum Domini,* quod vobis proferam: quia Dominus nulla præcepti necessitate virgines coëgit sic permanere, sed in arbitrio voluntatis eorum posuit, vt si vellent nuberent, vel virgines permanerent. Nam maioris est mercedis, quod non cogitur, sed offertur. Quia si fuisset imperata, nuptiæ fuissent ablatæ.

Bernardus. 1130.

Libro de præcepto & dispensatione cap. 1. Prima quæstio circa regulam nostram versatur, de qua (nisi fallor) & reliquæ omnes, aut penè omnes oriuntur. Quæritis nempe, regularis illa institutio quomodo, & quatenus sit pensanda profitentibus eam: vtrum videlicet cuncta, quæ continet, putanda sint esse præcepta, consequenter & damnosa transgredienti: an consilia tantùm vel monita, & ob hoc nullius, aut non magni ponderis sit ipsorum professio; nullius, aut non grauis culpæ ipsorum præuaricatio: an certè quædam sint deputanda imperijs, quædam pro consilijs reputanda: quò partim ea liceat, partim non liceat omninò prætergredi? &c.

Cap. 2. Itaque, vt sentio ego, Regula sancti Benedicti omni homini proponitur, imponitur nulli: prodest, si deuotè suscipitur, & tenetur: non tamen, si non suscipitur, obest. Quod autem in voluntate est suscipientis, non in potestate proponentis, voluntarium meritò dixerim, non necessarium. Attamen hoc ipsum, quod dico voluntarium, si quis ex propria voluntate semel admiserit, & promiserit deinceps tenendum, profectò in necessarium sibi ipse conuertit, nec iam liberum habet dimittere, quod ante tamen non suscipere liberum habuit, &c. Omnia sancti Benedicti instituta, exceptis sanè nonnullis de spiritualibus, verbi causa, charitate, humilitate, mansuetudine, quæ non tam ipsum constat instituisse, quàm Deum, & ob hoc penitus non esse mutanda, de cætero reliqua vniuersa non profitentibus quidem monita tantùm seu consilia censenda sunt, nec grauant non obseruata, cùm tamen profitentibus in præcepta, præuaricantibus in crimina fiant: siue illis voluntaria, vel factitia; istis necessaria, & tamquam naturalia non immeritò reputantur.

Thomas Aquinas. 1250.

Prima secundæ quæst. 108. *artic.* 4. Hæc differentia est inter consilium & præceptum, quòd præceptum importat necessitatem, consilium autem in optione ponitur eius, cui datur. Et ideo conuenienter in lege noua, quæ est libertatis, supra præcepta sunt addita consilia, non autem in veteri lege, quæ erat lex seruitutis. Oportet igitur, quòd præcepta nouæ legis intelligantur esse data de his, quæ intelliguntur esse necessaria ad consequendum finem æternæ beatitudinis, in quem lex noua immediatè introducit: consilia verò oportet esse de illis, per quæ melius & expeditius potest homo consequi finem prædictum. Est autem homo constitutus inter res mundi huius, & spiritualia bona, in quibus æterna beatitudo consistit. Ita quòd quantò plus inhæret vni eorum, tantò plus recedit ab altero, & è conuerso.

Contra impugnantes religionem cap. 2. Doctrina Euangelica non solùm præcepta, sed & consilia cõtinet. Conuenientissimè ergo doctrinam Euangelicam docet, qui non solùm præcepta, sed etiam consilia seruat: cuiusmodi sunt religiosi.

Contra Gentiles lib. 3. *cap.* 139. Consilium non datur, nisi de meliori bono. Dantur autem consilia in lege diuina de paupertate, continentia, & alijs huiusmodi. Hæc igitur meliora sunt, quàm matrimonio vti, & temporalia possidere.

Bonauentura. 1260.

In quarta Diæta, de consilijs Euangelicis cap. 1. Post tractatum de præceptis, dicendum est de consilijs Euangeliorum. Hæc est enim quarta diæta salutis, scilicet de præceptis ad consilia Euangelica,

ficut

sicut à minus perfectis ad magis perfecta venire. Et quoniam istam diætam ambulant viri perfecti, sicut religiosi, ideò dicendum est hic de religione in commune.

Ioannes Scotus. 1300.

Lib. 4. dist. 34. quæst. 4. Notandum generaliter, quòd promissio facta de consilio obligat ad non contemnendum. Qui enim contemnit consilium, contemnit consulentem. Et ideo nolens seruare Euangelicum consilium, quasi contemnens illud, tamquam irrationabile, & infructuosum, peccat mortaliter. Quapropter videant mordentes paupertatem Euangelicam, ne fortè, si nolint seruare, quia non est necessarium, contemnant: quoniam sic paruipendentes contemnunt Christum, qui hanc suasit obseruari, tamquam meritoriam & vtilem ad vitam æternam.

Rainerus Pisanus. 1300.

In Pantheologia de donis Spiritus sancti cap. 16. Tale consilium est, quod datur de paupertate Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes.* Quod est consilium, non præceptum. Et de virginitate 1. Cor. 7. *De virginibus,* scilicet quòd nubant, vel perpetuò contineant, *præceptum Domini non habeo.*

Ludolphus Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 2. cap. 12. Præceptis & prohibitionibus tenemur, sed consilijs & permissionibus non tenemur. Nam consilium pertinet ad perfectos: præceptum autem ad perficiendos: sed permissio pertinet ad imperfectos: prohibitio verò ad peruersos. Ad obseruantiam quidem præceptorum vtilis est obseruantia consiliorum. Sunt autem duodecim Consilia Euangelica, quæ Christus adiecit ad præcepta. Primum est paupertatis, quæ consistit in abdicatione proprietatis. Vnde est
Matt. 19. illud: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & veni sequere me.* Secundum est obedientiæ. Tertium est castitatis. Quartum consilium est cha-
Luc. 6. ritatis. Vnde illud: *Diligite inimicos vestros.* Istud quantum ad dilectionem affectus, est præceptum: sed quantum ad dilectionem effectus, est consilium: quia inimico velle gratiam & gloriam, est necessitatis; sed impendere opera beneficentiæ, & ostendere illi signa beneuolentiæ, est consilij & perfectionis. Quintum consilium est mansuetudinis. Vnde
Matt. 5. illud: *Si quis te percusserit in maxillam vnam, præbe ei & alteram,* id est, paratus sis ad aliam percussionem sustinere patienter. Et istud est consilium patientiæ, respectu læsionis corporum. Sextum est
Luc. 6. misericordiæ & erogationis. Vnde est illud: *Omni petenti te tribue,* non propter se, sed propter bonum
Matt. 10. commune. Et illud: *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Dare superfluum in extrema necessitate, est necessitatis, & debiti: sed dare quibus egemus, est consilij. Septimum est de simplicitate verborum. Vnde est illud: *Sit sermo vester: est, est: non, non:* id est, si affirmatio vel negatio
Matt. 5. est in ore, sit etiam in corde. Et illud: *Audistis quia dictum est antiquis, non periurabis: ego autem dico, ne omninò iuretis.* Iurare, quantum ad infirmitatem pertinet, permissionis est: non iurare autem, quantum ad perfectionem pertinet, consilij est. Octauum est de vitanda occasione peccandi. Vnde est illud: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te.* Vbi secundùm Augustinum, nullum membrum ad literam præcipitur erui, sed occasio peccandi: quia non solùm peccata, sed etiam occasiones peccandi sunt fugiendæ. Nonum est de rectitudine intentionis, & simplicitate operis vel
Matt. 6. finis. Vnde est illud: *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Et illud: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant ope-*
ra vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis Matt. 5.
est. Decimum est de conformitate operis, & doctrinæ. Vnde est illud: *Qui fecerit, & sic docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum,* &c. Vn-
decimum est de vitanda solicitudine. Vnde est il- Matt. 6.
lud: *Nolite soliciti esse.* Et illud: *Nolite cogitare de crastino,* &c. Duodecimum consilium est de fraterna correptione. Vnde est illud: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum,* &c.

Ioannes Taulerus. 1350.

Dominica 17. post Trinitatis: Non aliud sunt consilia Dei, quàm virtutum semitæ, puta obedientiæ, castitatis corporis, & paupertatis: Ista, inquam, vocatio & priori celsior est, & multum diuersa ab illa, quæ ad præceptorum executionem vocat. Vt autem consilijs Dei in hac vocatione dignè obtemperetur, Ecclesia sancta, ex sancti Spiritus instinctu atque suasu, religiosas congregationes & Monasticos Ordines instituit, in quibus memorata Dei consilia possint adimpleri. Qui licet numerosas habeant constitutiones, atque decreta, ad hunc tamen finem omnia tendunt.

In Ferijs Paschalibus Serm. 4. Ex instrumento veteri præcepta habemus: ex nouo autem non præcepta tantum, sed etiam consilia Saluatoris. Et præcepta quidem omnia nobis illicita interdicunt, & pertinent ad infirmos, & imperfectos: consilia verò pro perfectis sunt, & charioribus filijs Dei, qui contendunt intrare per arctam viam, quæ ducit ad vitam, quam alioqui pauci apprehendunt. Sicut enim corporaliter infirmis multa propter ipsorum ægritudinem admittuntur: ita & illis, qui sola præcepta sectantur, multa licita sunt atque concessa, quæ secretioribus atque singularibus Dei amicis haudquaquam licita sunt. Proinde quisquis optima rectissimaque cupit ambulare via, in qua minimum fallatur decipiaturque, ille pergat in Emaus, vt videlicet iuxta consilia vitam suam appetat instituere: verbi gratia, sectando Christi paupertatem, in castitate, in obedientia, hoc est vera resignatione viuendo, aliaque virtutum arripiendo exercitia, ad quæ Christus ipse suo nos exemplo inuitat, & dirigit verbo. Hoc pacto quisquis viuit, secundùm consilia viuit, & in Christo viuit, & Christus in illo, eidemque multo semper vicinior est Christus, quàm sit ipse sibi.

Catharina Senensis. 1370.

Tractatu 1. cap. 47. Obseruant quoque consilium ex affectu mentis, quem à se præciderunt venenum amoris inordinati. Tales in communi charitate morantur. Illi verò, qui seruant actualiter & mentaliter præcepta pariter & consilia, sunt in statu perfectæ charitatis, & cum vera simplicitate seruant Iesu Christi consilium, &c. Perfecti consilia realiter obseruant: mundum, & omnes eius diuitias affectuosè relinquentes, macerando corpus cum abstinentia, vigilia, & oratione continua. Illi verò, qui viuunt in charitate communi, non relinquendo diuitias eorum actualiter, non priuantur ex hoc æterna vita: quia non obligantur ad hoc ex præcepto: sed si volunt eas habendo possidere, faciant, vt iam dixi, &c.

Thomas VValdensis. 1410.

Tom. 3. Tit. 9. cap. 75. Tantum distant professor simplicis mandati, & professor consilij, quantum à coronato pro præmijs seruus inutilis.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tomo 3. Sermone de summa perfectionis Euangelicæ: Quod intelligens vera Sapientia Dei Christus, tria admirandæ sapientiæ consilia dedit, in quibus con-

sistit totum studium sapientiæ spiritualis in schola sanctæ religionis, quæ opposita sunt sapientiæ mūdi. Primum est consilium obedientiæ, contra mundi superbiam: secundum castitatis, contra mundi luxuriam: tertium paupertatis, contra mundi auaritiam. Per obedientiam anima subijcitur Deo, per castitatem caro spiritui subiugatur, per paupertatem verò corpori nostro subijcitur totus mundus.

Laurentius Iustinianus. *1440.*

De contemptu mundi cap.5. Nouus apparens in assumpta humanitate præceptor, nouæ religionis rudimenta instituit, ac nouæ vitæ mandata proposuit, vt abolitis consuetudinibus antiquis, expoliatóque vetere homine cum actibus suis, noua fierent omnia, & in nouitate vitæ incedere inchoarent mortales, qui eousque solo carnis ac naturalis rationis ducebantur impulsu. Equidem quod consuluit Sapientia, suasit Verbum, atque consummauit in opere idem Dei & hominum Mediator, carnalis sensus, rationalis intelligentiæ, naturalis ordinis, socialisque vitæ supergreditur limites. De contemptu mundi ingessit scientiam, exemplum præbuit, formam dedit, atque præmiorum illius sublimitatem
Matt.19. indicauit dicens: *Vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.*

Cap.11. Consiliorum Christi ea lex est, vt quisquis ea implere voluerit, omninò studeat abnegare quod est: sic ipsum Dominum in Euãgelio dixisse legitur: Lucæ 9.
Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

Ioannes de Turre Cremata. *1460.*

Tractatu 5. in Regulam D. Benedicti: Differt monitio siue consilium à præcepto in tribus. Primò, quia præceptum semper est superiorum: consilium verò & admonitio, non modò superioris est, sed etiam paris aut inferioris, secundùm illud Matth.18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* Secundò, quia præceptum de se adimplendi necessitatem importat: consilium verò & admonitio ex natura sua non, sed in optione ponitur eius, cui datur, secundùm illud Gregorij cap.3. Quod præcipitur 14. quæst.1. Quod præcipitur, imperatur: quod imperatur, necesse est fieri: si non fiat, pœnam habet. Vbi consilium datur, offerentis arbitrium est: vbi præceptum, necessitas seruantis, vel imperantis est. Tertiò, quia præceptum obligat ad culpam: admonitio verò de sui natura non obligat: sed ex contemptu potest obligare. Non enim sine culpa potest esse, quòd aliquis contemnat admonitiones maiorum illorum, quibus obedire tenetur.

Gabriel Biellius *1480.*

In die S. Ioannis Euangelistæ: Non obligat consilium ad sui obseruantiam, alioquin non esset consilium, sed præceptum: obligat tamen ad non contemnendum, tanquam inutile.

ARTICVLVS SECVNDVS.

MONASTICAM VITAM, VT ANTIQVISSIMAM, SIC OMNIVM PIORVM ENCOMIIS CELEBRATAM, AD RECTIVS ANIMVM PIIS OPERIBVS EXCOLENDVM VALERE.

NEGANT.

Anno post natum Christi 360. L*VCIVS Arianorum Episcopus ad Monasteria furoris sui arma conuertit, vastat eremum, & bella quiescentibus indicit, ter mille simul, atque eo amplius viros per totam solitudinem secreta & solitaria habitatione dispersos oppugnare pariter aggreditur, mittit armatam equitum ac peditum manum, tribunos, præpositos, & bellorum duces, tamquam aduersus barbaros pugnaturos elegit. Quò cùm venissent, nouam belli speciem vident, hostes suos gladijs obiectare ceruices, & nihil aliud dicere, nisi amice ad quid venisti?* Ruffinus lib.2.cap.3. Socrates lib.2.cap.17.

370. *Valens Imperator Arianus vsque adeò odit Monachos, vt lege lata Monachos omnes aut arma sumere, militesque fieri, aut fustibus cadi, mactarique decreuerit.* Hieronymus in Chronicis.

380. Eunapius Ethnicus libro de vitis Philosophorum in Ædiosio: *Christiani in loca sacra* (Deorum) *inuexerunt Monachos sic dictos, homines quidem specie, sed vitam turpem pecorum more exigentes.*

380. *Donatistæ Virginum sacrarum capita velata denuò nudârunt, vt priorem professionem irritam facerent.* Optatus lib.2. contra Donatistas.

390. *Vigilantius Gallus deterrens à cœpto Monachos: Si omnes,* inquit, *se clauserint, ac fuerint in solitudine, quis celebrabit Ecclesias, quis seculares homines lucrifaciet?* Hieronymus contra Vigilantium.

400. *Petilianus hæreticus perrexit ore maledico in vituperationem Monasteriorum & Monachorum, arguens etiam Augustinum, quòd hoc vitæ genus etiam ab ipso fuerit institutum.* Augustinus lib.3. cap.4. contra Petilianum.

400. *Rutilius Numatianus Ethnicus, Christianæ religionis hostis insignis, libro primo Itinerarij Monachorum vitam sic carpit:*

Processu pelagi iam se Capraria tollit:
  Squallet lucifugis insula plena viris.
Ipsi se Monachos Graio cognomine dicunt,
  Quòd soli nullo viuere teste volunt
Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur:
  Quisquam sponte miser, ne miser esse queat?
Quænam peruersi rabies tam stulta cerebri,
  Dum mala formides, nec bona posse pati?
Siue suas repetunt ex fato ergastula pœnas
  Tristia seu nigro viscere felle tument:
Sic nimiæ bilis morbum assignauit Homerus
  Bellerophonteis sollicitudinibus.

650. *Lampetiani liberum vitæ institutum Monachis tam in vestitu, quàm in alijs rebus permittunt.* Damascenus de hæresibus.

700. *Constantinus Copronimus totus in hoc erat occupatus, vt ordinem Monasticum deleret, idq; ex eo tempore, quo regnare cœpit.* Theosterictus oratione funebri in sanctum Nicetam.

830. *Theophilus Imperator*, in suis Constitutionibus, *edixit, ne Monachus vllam vrbem intrare liceret, nec tutum erat illis alibi conspici: Monasteria fecit mundana hospitia.*

1130. *Arnoldus Brixianus Monachorum acerrimus hostis fuit.* Guntherus lib. 3.

1200. *VValdenses dixerunt mendicantium religiones fuisse malorum dæmonum inuentum.* Alphonsus contra hæreses.

1250. *Guilhelmus de sancto Amore scripto libro persuadere conatus est, hominem non posse saluari in Ordine mendicantium Monachorum.* Alphonsus contra hæreses.

1300. *Gerhardus Sagarellus & Dulcinus Nouariensis dicunt, quòd omnes Ordines religiosorum sint ad fidei Catholicæ detrimentum.* Nicolaus Eymericus part. 2. quæst. 11.

1390. Ioannes VViclefus articulo 21. Constantiæ damnato: *Si quis ingreditur religionem tam professionatorum, quam mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad obseruanda mandata Dei.*

Articulo 45. *Augustinus, Benedictus, Bernardus damnati sunt, nisi pœnitentiam egerint de hoc, quòd habuerunt possessiones & introierunt Religiones.*

1424. *Ziska Hussitarum Dux multis victorijs inde elatior factus, magis ac magis in Ecclesias ac Monasteria sæuiebat, Sacerdotes ac Monachos, qui alicuius erant existimationis apud Catholicos, aut cremabat viuos, aut alijs exquisitis supplicijs interimebat: viliores verò exectis testiculis dimittebat, vt plebi ludibrio essent.* Cochlæus libro 5. historiæ Hussitarum.

1520. Martinus Lutherus de votis Monasticis: *Cupio eradicata, & extincta, & abolita esse vniuersa Monasteria. Quæ vtinam Dominus igne & sulphure cælesti ad exemplum Sodomæ & Gomorrhæ demergat, adeò, vt ne memoria quidem illorum supersit. Neque satis fuerit illis Anathema imprecari,* &c. *Vota Monastica sunt impia, Gentilia, Iudaica, sacrilega, mendacia, erronea, dæmoniaca, hypocritica, Apostatica, etiam Sanctorum exemplis aduersaria. Quare cum omni fiducia reuocanda, & discernenda sunt, etiamsi pia & seria opinione emissa fuerint.*

In prioris ad Corinth. cap. 17. *Qui cælibem in Monasterijs vitam degunt, idolo Moloch corpora sua cremant.*

1530. *Philippus Melanchthon*, in Apologia Confessionis Augustanæ, articulo de votis Monasticis, *dicit Monasticam vitam recens esse excogitatam: vota atque opera Monachorum nunc hypocriticas simulationes, nunc etiam traditiones Pharisaicas, atque Mahumeticas appellat.*

1540. *Ioannes Caluinus*, lib. 4. Instit. cap. 13. *Monasteria dicit esse lupanaria, vota Monastica retia vocat Satanæ. Monachos omnes appellat Sophistas cucullatos, qui ab Ecclesia defecerint, & se totos diabolo consecrarunt.*

1560. Magdeburgenses, Centuria 10. cap. 4. vbi agunt de Monachis & Eremitis eius seculi: *Sed quis*, aiunt, *hæc hominum monstra non execretur, vt inimicos humanæ societatis, & contra secundam tabulam delinquentes.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Lucæ 1. *Vers* 80. Ioannes puer crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israel.

Actorum 2. 44. Omnes, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Possessiones & substantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis: collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.

Liturgia Iacobi Apostoli.

Pro ijs, qui in Virginitate & castitate in Monasterijs, ac venerando connubio degunt, Dominum oremus.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiast. Hierachia cap. 6. Initiandorum omnium excellentior ac sublimior ordo Monachorum est sancta distinctio, expiatione omni tota virtuteatque exactissima suarum operationũ castitate mundata: omnis item sacræ operationis spiritualiter speculatrix, & particeps facta, Pontificumq; consummantibus virtutibus tradita: quorum diuinis fulgoribus & Pontificalibus traditionibus conspecta pro ordine suo sanctorum mysteriorum sacrificia ediscens, à sacra eorum scientia ad exactissimam perfectionem diuina ratione subuehitur. Vnde sancti præceptoris nostri diuinis eos appellationibus sunt prosecuti, partim Therapeutas, id est, cultores, à syncero Dei famulatu, atq; cultu: partim Monachos, ab indiuidua & singulari vita appellantes, vt quæ illos sanctis diuisibilium complicationibus in diuinam & Deo gratam monadem perfectionemq; promoueat.

Theophilus Antiochenus. 170.

Libro primo Allegoriarum in Matth. *Erunt duo in lecto.*) In lecto esse Monachos significat, qui amant quietem, alieni à tumultu generis humani, & Domino seruientes.

Hippolytus. 220.

Oratione de consummatione mundi: Pastores fient quasi lupi, Monachi expetent quæ sunt mundi, diuites animum misericordiæ exuent, pauperi non succurrent principes.

Eusebius Cæsareensis. 380.

Ecclesiast. historia libro 2. *c.* 16. Iam verò Philo cum eorum viuendi rationem, qui apud nos ἀσκηταὶ, id est, Monachi religiosiq;, virtutis studio, & exercitationi maximè dediti, appellati sunt, quàm accuratissimè percenseat: cumq; Apostolicam vitam agerent, quiq; ab Hebræis, vt videtur, ducerent originem, & propterea permulta vetera instituta propius ad Iudæorum consuetudinem accedentia obseruarent, diuina laude & prædicatione efferat: satis constare poterit, illum eandem non oculis vidisse solum, sed sententia & opinione vehementer approbasse. Primùm ergo in eo libro, quem de Vita in contemplatione posita, siue de Supplicibus inscripsit, simulatq; se nihil à veritate alienum, nihil suo Marte, & suopte ingenio confictum his rebus, quas esset narraturus, adiecturum asseuerauit, eos θεραπευτὰς, id est, curatores, vel cultores nuncupatos atque mulieres eadé cum illis vitę consuetudinem secutas, θεραπευτρίδας, id est, curatrices, seu cultrices vocatas tradit: talesque eius appellationis causas refert, vel quòd tamquam medici, curatione adhibita eorum mentes, qui ipsos adirent, à vitij & turpitudinis morbo ereptas, ad integram valetudinẽ restituerent, vel quòd syncero ac puro cultu, religioneq; erga sacrum Dei numen ipsi imbuerentur. Siue igitur Philo ipse, dum propriam & appositam hominum moribus appellationem attribuere volebat, suo ipsius arbitratu & iudicio, illis istud nomen imposuerit: siue reuera ab initio auctores eius religionis, cùm adhuc Christianorum appellatio nusquam penè locorum diuulgata esset, eos ita nominarit, longa oratione disquirere non est opus. Verùm, vt ad rem redeamus, principio illos facultates suas opesq; abijcere, & simulac in hanc diuinam videndi rationem se abdere incipiunt, suis se bonis omnibus ac fortunis prorsus exuere testatur. Deinde quibusq; vitæ curis depositis, depulsisq;, extra vrbium mœnia progressos, in locis solitarijs, & hortis, à populi conspectu remotis, domicilia rerum suarum collocare.

Lib. 8. *cap.* 10. Petrus ἀσκητὴς, id est, Religiosus, vel Monachus, vitam solitariam, & meditationi deditam secutus, Cæsareæ per ignem, velut aurum purissimum, fidem in Christum Dei, generoso & excelso animo accuratè probauit.

Concilium Nicenum Primum. 325.

Can. 76. *ex Arabico translato:* Vt Religiosi, tum Monachi, tum Moniales habeant alia indumenta, & alios mores quàm habent laici.

Athanasius. 340.

Præfatione in vitam Antonij. Optimum, fratres, inijstis certamen, aut æquari Aegypti Monachis, aut superare nitentes virtutis instantia. Etenim apud vos iam plurima sunt Monasteria, Monachorum quoque nomen est celebre, & hanc voluntatem iustè quisque mirabitur.

In vita S. Antonij: Erant in monte Monasteria tamquam tabernacula, plena diuinis choris psallentium, legentium, orantium, tantumq; ieiunandi & vigiliarum ardorem cunctorum mentibus sermo eius afflauerat, vt futuræ spei auiditate ad charitatem mutuam, & misericordias indigentibus exhibendas, iugi studio laborarent: qui infinitam regionem quandam, & oppidum à mundana conuersatione seiunctum, plenum pietatis, & iustitiæ videbantur incolere. Quis tantum Monachorum agmen aspiciens, quis virilem illum concordiæ cœtum cernens, in quo nullus nocens, nulla detractio susurronis, sed multitudo abstinentium, & certamen officiorum erat, non in hanc statim erumperet vocem? *Quàm bona domus tua Iacob, tabernacula tua Israel! tanquam nemora obumbrantia, tanquam Paradisus super fluuios, tanquam tabernacula, quæ fixa sunt à Domino, tanquam Cedri Libani circa aquas.* Num. 23

Quæst. 79. Quando homo relicto mundo asperioris vitæ in deserto exercitium subierit, à sancti Spiritus igne calefactus, à suis affectibus arescit, & ab omni repurgatur immunditia, atque per virtutes accepta Deo fit hostia.

Basilius Magnus. 370.

Sermone Commonitario ad complexum monastici propositi: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Dei ista sunt verba, quæ siue vitæ huius, in qua nunc sumus, siue consequentis refectionem significant, illud certè planum est, ea hortari nos, vt qua quidem deposita superuacanearum diuitiarum sarcina, eaq; in egentes distributa, qua verò, vt innumerabili penè, quæ ex studio opes congerendi cumulatim accreuit, peccatorum multitudine per largitionem & confessionem reiecta, crucem gestaturi, ad Monachorum accedamus vitam. Quocirca qui sibi proposuit Christo obedire, & ad vitæ genus rerum omnium possessione nudum, neque vllis distractum seculi huius curis festinat, verè admirabilis ille est, beatusq; dicendus. Matt. 11.

De Institutione Monachorum Sermone 2. Monachorum vitæ ratio vnum sibi tantummodò propositum habet, animæ salutem, & quicquid prodesse ad eum finem potest, id vt tamquam Dei mandatum cum timore obseruet. Neque enim ipsa Dei mandata quicquam aliud spectant, nisi vt salutem adipiscatur is, qui ipsis auscultauerit. Conuenit igitur, vt quemadmodum qui in bal-

um ingrediuntur, vestimentis se omnibus denudant: ita & qui colendæ pietatis causa ad solitariam vitam accedunt, omni rerum vitæ huius materia exuti, genus vitæ, quod est secundùm Philosophiam, ingrediantur. Deinde oportet, vt qui ad excellens hoc vitæ genus aspirat, is pecunia se omni spoliet, &c.

Epistola ad Gregorium Theologum de vita in solitudine degenda, narrans seculi huius molestias: Harum, *inquit*, fuga vna est, separatio à mundo vniuerso. Est verò secessus à mundo non extra mundum corpore esse, cæterùm à consensu corporis mutuaque affectione animum abrumpere, non ciuem esse, non domum habere, nihil proprium possidere, &c.

Ephram. 370.

Paranesi 49. de differentia atque præstantia vitæ Monasticæ supra vitam secularem: Primùm quidem, qui cupit fieri Monachus, renuntiat seculo, renuntiat propriæ voluntati, accipitque crucem suam, & Saluatorem nostrum Christum sequitur. Non contentiosè agit, non maledicit, non peierat, non diffamat, non meditatur verba mendacia per loquacem & nugacem Philosophiam: temperans est, non deliciatur, cunctos Dei Angelos sibi amicos habet, inimicum autem diabolum: non affligit agricolam, non violat viduam, non rapit quæ inopis sunt, non sæuit in orphanos, non furit in diuitijs, contentus viuit præsentibus: non est sollicitus de familia, aut quomodo vxori placeat: non cogitat stipendia facere suismet filijs, aut quo pacto filias nuptui tradat: non est constrictus distractionum vinculis, verùm suæ dat operam saluti: non est elatus, verùm humiliter sentit & agit, verùm benignus est & mansuetus psallit, & non tragœdias excitat: precatur, & non mente vagatur: non fluctibus & vndis negotiorum huius vitæ agitatur: non curat quomodo gloriam atque existimationem sibi terrenam comparet. Pro tibijs ac tympanis, alijsque instrumentis musicis Domino psallit & orat.

Gregorius Nazianzenus: 380.

Oratione 1. in Apologetico: Nihil mihi tam optandum cuiquam esse videbatur, quàm vt occlusis sensibus, atque extra carnem mundumque positus, & in seipsum collectus, nec, nisi quantum necessitas exigit, quicquam humanarum rerum attingens, atque secum ipse & cum Deo colloquens, superiorem ijs rebus, quæ in aspectum cadunt, vitam agit, diuinasque species puras semper, nec terrenis vllis & errantibus formis admixtas, in seipso circunfert, Deique rerum ac diuinarum purum speculum omnino est, indiesque efficitur, ac lucem per lucem assumit, clariorem videlicet per obscuriorem, iamque futuri æui bonum spe percipit, & cum Angelis versatur, ac licet adhuc in terris sit, terram deserit, atque à spiritu sursum collocatur.

In definitionibus Iambicis: Quid Monachus? est qui viuit Legi & Deo.

Oratione 20. in laudem Basilij Magni: Ac propterea aduersus Basilium Ecclesiæ pars selectior & sapientior concitatur; si modò sapientiores ij habendi sunt, quàm plerique, qui seipsos à mundo seiunxerunt, ac vitam suam Deo consecrârunt. Nazaræos nostrates dico, atque in huiusmodi rebus maximum studium atque operam ponentes, &c. Quis magis quàm Basilius, aut virginitatem in pretio habuit, aut carni leges imposuit? Cuius sunt virginum cœnobia? cuius præcepta illa literis mandata, quibus cùm omnes sensus coercebat, tum membra omnia componebat, &c. Cùm igitur solitaria vita, & ea, quæ societate gaudet, vt plurimum inter se dissiderent, ac pugnarent, &c. præclarè eas inter se reconciliauit, ac permiscuit, pietatis nimirum gymnasia & Monasteria extruens, &c.

Carmine ad fictos Monachos:

Ast ego: Tune siles lacrymas, ieiunia, noctes
Insomnes, genuum vulnera tunc taces?
Queis veri Monachi perimunt sua corpora morte?
(Nam iubeo falsos ipse valere greges.)

Carmine 18. de Virtute:

Vitam intuentes inguer qui calitem
Christo dicârunt, non comam, aut opes suas:
Sed castitatem corporis, cui nihil habent
Quod comparari possit in bonis suis,
Hos Nazaræos dico, qui nouo agmine
Omnes abundant conditis totus bonis.

Epiphanius. 380.

Heresi 80. In singulis Monasterijs tum in AEgyptiorum regione, tum in alijs omnibus sic laborant ad iustitiam, velut apis in manibus quidem habens ceram opificij, in ore verò guttas mellis, cùm propria hymnifera voce vniuersorum Dominum iuxta proprium sensum laudat.

Marcus Eremita. 390.

In Disputatione: Verè Monachi non sunt eiusmodi, imò contra aliorum vitia compatiendo dissimulant; sua verò declarant Deo, ideoque apud ignaros homines parui fiunt: quia non tam student hominibus placere, quàm Deo: in hoc quidem rectè placentes, illo verò seipsos condemnantes: Vtroque tamen nomine accepturi remunerationem à Domino dicente: *Qui se exaltat, humiliabitur.* Luc. 14.

Oriesiesis. 390.

De Institutis monasticis: Itaque fratres charissimi, qui Cœnobiorum vitam & præcepta sectamini, state in arrepto semel proposito, & implete opus Dei, vt pater, qui primus instituit Cœnobia, gaudens pro nobis loquatur ad Dominum: sicut tradidi eis, sic viuunt, &c. Vigilemus attentius, & sciamus, quòd magnam nobis Deus præstiterit gratiam per patrem nostrum Pachomium, vt renuntiaremus seculo, & omnem solicitudinem mundi, vt curas rerum secularium pro nihilo poneremus, &c. Nolite quæso obliuisci semel arrepti propositi, & traditiones Patris nostri scalas putemus ad cælorum regna tendentes.

Ioannes Chrysostomus. 400.

In comparatione Regis & Monachi: Solitudo iustos in hac vita bonis multis cùm repleuerit, à vitæ exitu hilares & ludibundos ad Dei & Seruatoris tribunal ducit, quo potissimum tempore eorum, qui imperio functi fuerint, bonam partem magnas peccatorum in vita admissorum pœnas luere videas, &c. Quòd si & noctis tempus examinare voluerimus, Monachum quidem videbimus Dei optimi cultu, ac precibus insignem multo ante gallinaceos tempore canentem, Angelis conuictoribus vtentem, cum Deo colloquentem, cælestibus bonis fruentem.

Libro 3. aduersus vituperatores vitæ monasticæ: Monachi conuersationem planè cælestem elegerunt, nihilque deterius Angelis affecti sunt. Vt enim illis nulla inest inæqualitas, nec alij successibus secundisque rebus gloriantur elati, alij extremis malis & incommodis oppressi gemunt, sed omnes pariter in gaudio, & quiete, summaque illa & cælesti gloria exultant: ita fieri quoque perspicias in Monasterijs, nullus ibi paupertatem exprobrat, nullus diuitijs honestior est. Inde id, quod omnia peruertit, & perturbat, *Meum & tuum* penitus eliminatum est. Cuncta quippe illis communia sunt, mensa, domus, indumentum, & quod sanè mirabilius

lius est, vnus etiam idemque omnibus animus est. Omnes eadem sunt nobilitate nobiles, omnes eadem seruitute serui, eadem libertate liberi: vnæ omnibus illic diuitiæ, quæ veræ diuitiæ sunt: vna gloria, quæ verè gloria est. Non enim in appellationibus, sed in ipsis rebus bona eorum consistunt. Vna ibi voluptas, &c.

Homilia 8. in Matthæum: Si quis nunc ad AEgypti veniant solitudines, paradiso quouis omnem illam eremum videbit digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus. Est enim cernere tota illa regione diffusum exercitum Christi, & admirabilem illum regium gregem, virtutumque cælestium conuersationem in terris micantem. Atque hæc non in viris solùm, verùm etiam in fœminis splendere conspicias. Non ita varijs astrorum choris cælum fulget, vt AEgyptus innumeris Monachorum ac virginum distinguitur habitaculis.

Homilia 69. in Matthæum: Ferte obsecro, vt facile videatis Monachorum & crucifixorum vitam, quæ onerosior vobis ac molestior solet videri, multò hac tenera, molli, & flexibili iucundiorem esse, ac magis expetendam. Cuius rei vosipsos audeo testes citare, qui in periculis nonnunquam vestris, ne in calamitates & ærumnas incidatis, mortem optatis: & illos, qui in montibus & speluncis degunt, qui cælibem vitam, & minimè negotiosam viuunt, beatos verè, & ex animo appellatis, &c. Forum, & vrbes, & tumultus platearum fugientes, in montibus viuere maluerunt, vbi nihil sibi cum hic secularibus rebus commune est, vbi nihil humanarum rerum perturbat, non mœstitia, non dolor, non acerbior cura, non pericula, non insidiæ, non liuor, non turpis amor, non aliud huiusmodi, sed quæ sunt futuri regni iam meditantur. Valles & montes apud fontes, in solitudine ac tranquillitate habitantes, & cum Deo ipsi colloquentes, &c.

Nilus. 420.

De Auaritia oratione 3. Monachus, qui nihil possidet, est pugil inuictus, & cursor leuis, qui vocationis brauium celeriter assequitur. Monachus auarus cumulari prouentibus gaudet, pauper autem spiritu precibus & lectionibus incumbit. Monachus auarus auro studet arcam implere, pauper spiritu thesaurum in cælo reponere.

Ioannes Cassianus. 430.

Collat. 18. cap. 4. Tria sunt in AEgypto genera Monachorum: quorum duo sunt optima, tertium tepidum atque omni modo euitandum. Primum est Cœnobitarum, qui scilicet in congregatione pariter consistentes, vnius senioris iudicio gubernantur: cuius generis maximus numerus Monachorum per vniuersam commoratur AEgyptum. Secundum est Anachoretarum, qui prius in cœnobijs instituti, iamque in actuali conuersatione perfecti, solitudinis elegêre secreta, cuius professionis nos quoque optamus esse participes. Tertium reprehensibile Sarabaitarum est.

Cap. 5. Itaque Cœnobitarum disciplina à tempore prædicationis Apostolicæ sumpsit exordium. Nam talis extitit Hierosolymis omnis illa credentium multitudo, quæ in Actis Apostol. ita describitur: *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat.* Act. 4. Talis, inquam, tunc erat omnis Ecclesia, quales nunc perpaucos in Cœnobijs inuenire difficile est. Sed cùm post Apostolorum excessum tepescere cœpisset credentium multitudo, ea vel maximè, quæ ad fidem Christi de alienigenis ac diuersis gentibus confluebat, à quibus Apostoli, pro ipsis fidei rudimentis, ac inueteratæ gentilitatis consuetudine, nihil amplius expetebant, nisi vt ab immolatitijs idolorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine temperarent, Act. 15. atque ista libertas, quæ gentibus propter infirmitatem primæ credulitatis indulta est, etiam illius Ecclesiæ, quæ Hierosolymis consistebat, perfectionem paulatim contaminare cœpisset, & crescente quotidie vel indigenarum numero, vel aduenarum, primæ illius fidei refrigesceret feruor, non solùm hi, qui ad fidem Christi confluxerant, verùm etiam illi, qui erant Ecclesiæ principes, ab illa districtione laxati sunt, &c. Hi autem, quibus adhuc Apostolicus inerat feruor, memores illius pristinæ perfectionis, discedentes à ciuitatibus suis, illorumque consortio, qui sibi, vel Ecclesiæ Dei remissioris vitæ negligentiam licitam esse credebant, in locis suburbanis, & secretioribus commanere, & ea, quæ ab Apostolis per vniuersum corpus Ecclesiæ generaliter meminerant instituta, priuatim ac peculiariter exercere cœperunt: atque ita coaluit ista, quam diximus, discipulorum, qui se ab illorum contagio sequestrauerant, disciplina. Qui paulatim tempore procedente segregati à credentium turbis, ab eo, quòd à coniugijs abstinerent, & à parentum se consortio, mundique istius conuersatione secernerent Monachi, siue μονάζοντες, à singularis ac solitariæ vitæ districtione nominati sunt. Vnde consequens fuit, vt ex communione consortij Cœnobitæ, cellæque ac diuersoria eorum Cœnobia vocarentur. Istud ergo solum fuit antiquissimum Monachorum genus, quod non modò tempore, sed etiam gratia primum est, quodque per annos plurimos solum inuiolabile vsque ad Abbatis Pauli vel Antonij durauit ætatem. Cuius etiam nunc adhuc in districtis Cœnobijs cernimus residere vestigia.

Cap. 6. De hoc perfectorum numero, &, vt ita dixerim, fœcundissima radice sanctorum etiam Anachoretarum post hæc flores fructusque prolati sunt. Cuius professionis principes hos, quos paulo ante memorauimus, sanctum videlicet Paulum, & Antonium nouimus extitisse. Qui non, vt quidam pusillanimitatis causa, nec impatientiæ morbo; sed desiderio sublimioris profectus, contemplationisque diuinæ, solitudinis secreta sectati sunt, &c.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Epistola Ephesi ad Monasteriorum præfectos scripta: Licet inimicus sit iam debellatus: attamen nonnullis curarum reliquijs adhuc distenti, vestris ad Deum precibus egemus. Quapropter necessum est, vt vos, qui vestram vitam Deo consecrastis, puras ad illum manus leuetis, atque idipsum identidem nostri causa factitetis. Extat in Concilio Ephesino Tom. 2. cap. 22.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 1. epist. 129. Dei regnum Monastica vita est, vt quæ nulli vitiosæ affectioni succumbat, verum alta sapiat, ac virtutes cælo superiores præstet.

Epistola 278. Monastica vita, ô amice, omnium Dei mandatorum imitatio est, ac receptaculum. Etenim ab ira, improbitate, fastu, pecuniarum studio, sui ipsius amore remota est, obedientiam colit, omnibus inseruit, à corpore omnino aliena est, ac spiritus duntaxat propria: linguam ad gratiarum actionem procliuem, atque orationem vtilem habet, ad maledictum immota est: persuasione & obsequio cuncta facit, atque ad moderatoris nutum & arbitrium, quem & tempus, & labor, & diuinus calculus ad antistitij gubernacula collocauit, vt qui ventorum impetus & cognitos habeat, & vitet.

Sozomenus. 440.

Lib. 1. cap. 12. Per id temporis, qui monasticum

vitæ genus excolebant, cùm Ecclesiam maximè omnium illustrare, tum religionem Christianam suis pijs viuendi institutis magnopere dilatare visi sunt. Nam talis, & tam sapiens vitæ ratio, ad homines à Deo tamquam res planè vtilissima delata, multiplicem scientiarum cognitionem, & argutam disserendi subtilitatem, veluti rem superuacaneam, & otium, quod in præstantioribus studijs ponendum est, sibi surripientem, & ad vitam rectè instituendam nihil afferentem adiumenti, penitus contemnit: solaque hæc naturali quodam & minimè curioso prudentiæ genere docet ea, quæ vitiositatem vel omnino tollunt, vel vehementer diminuunt. In nullo bonorum numero ducit ea, quæ inter vitiositatem & virtutem media interiecta sunt: sed his solùm, quæ sunt verè bona, lætatur, atque eum, qui à malo quidem abstinet, sed bonum non facit, improbum putat. Nam non virtutem ostentat, sed eam exercet sedulò: proque nihilo ducit illam gloriam, quæ ab hominibus colligi solet. Animi quoque perturbationibus viriliter resistit, & neque naturæ cedit necessitatibus, neque corporis imbecillitati succumbit: sed diuinæ mentis nacta virtutem, ad omnium rerum opificem Deum semper aciem intendit, eum noctes diesque sanctè colere, & precibus atque orationibus placare non cessat. Atque animi puritate, & pijs vitæ actionibus Deum religiosè colere exorsa, expiationes, aspersionesque, & id genus alia aspernatur. Nam peccata solùm habet pro inquinamentis. Quin etiam casus extrinsecus inuectos euincit, & omnibus (verè dixerim) dominatur: atque neque perturbatione vlla, qua vita solet implicari, neque necessitate à proposito depellitur: neque onerata contumelijs discruciatur, neque incommodis affecta se vlciscitur, neque morbo aut inopia rerum necessariarum pressa animo cadit: imò verò de his omnibus gloriatur, & per totam vitam nihil aliud meditatur, quàm vt res aduersas toleranter ferat, mansuetudinem colat, paucis contenta sit, & quantum in humana natura situm est, ad Deum quàm proximè accedat, &c. Hanc præclaram viuendi rationem primus, vti quidam memorant, instituit Propheta Helias, & Ioannes Baptista. Philo porrò Pythagoræus tradit, Hebræorum facilè præstantissimos vndique in locum ad lacum Mariam in colle situm coactos, se pio & seuero vitæ generi dicasse. Quorum domicilia, victus rationem, & institutionem vitæ talem perhibet, qualem nos etiam hoc tempore à Monachis in AEgypto obseruatam videmus.

Lib. 6. cap. 34. de Monachis Edessenis: Quibus omnibus communis disciplina fuit animæ quàm maximam curam gerere, eamque consuetudine ad res huius seculi relinquendas paratam efficere: in precibus, ieiunijs, & diuinis hymnis magnam vitæ partem consumere: pecuniam, ciuilium rerum tractationem, indulgentiam curamque corporis omnino contemnere.

Socrates. 440.

Lib. 4. cap. 18. Ea loca, quæ dicuntur ἀσκητήρια, id est, in quibus Monastica viuendi disciplina excolitur, quamquam fortasse in AEgypto ante longum temporis spatium initium sumpsêre: tamen ab Ammone viro sanctissimo fuêre multo magis aucta amplificataque.

Theodoretus. 450.

Ecclesiast. histor. libro 4. cap. 26. Erant eodem tempore alij vitæ monasticæ disciplina valde præstabiles. Nam in solitudine Chalcidensi Abitus, Marcianus, Abraames, & alij præterea non pauci, in corporibus, perturbationibus obnoxijs, vitam ab omni perturbatione vacuam traduxerunt. In Apamea item Agapetus, Simeones, Paulus, & alij in eo vitæ genere facilè primas tulerunt. In solitudine porrò Zeugmatensi Publius, & Paulus. In Cyrestensi quoque vir ab omnibus laudatus Aceplemas se conclusit in cellulam, & eum vitæ modum sexaginta annos continuos transegit, neque visus à quoquam, neque cuiquam locutus. In solitudine etiam Antiochena Marianus, Eusebius, Ammianus, Palladius, Simeones, Abraames, & alij quoque, qui imaginem Dei, ad cuius similitudinem conditi erant, integram conseruârunt. Atque tum horum, tum illorum vitam scriptis prodidimus. Itemque mons, qui vrbi illi amplissimè imminet, huiusmodi floribus pratensibus pulchrè vestitus est. Nam in eo cum magna nominis celebritate vixit Petrus Galata, & eius gentilis AEgyptius. Quin etiam Romanus, Seuerus, Zeno, Moses, Malchus, & alij quàm plurimi, vulgo quidem ignoti, Deo autem penitus perspecti & cogniti.

Græcarum affectionum lib. 9. de legibus: Montani quoque vertices ab eo, quo tenebantur, errore liberati iam sunt. Vbi enim prius obscœnæ aræ dæmonum præstigijs, imposturisque seruiebant, ibi nunc insident Monachorum chori, qui Christum crucifixum, Patremque illius Deum, & Spiritum sanctum laudant.

Valentinianus & Martianus Impp. 457.

L. generali C. de sacrosanctis Ecclesijs: Generali lege sancimus, siue vidua, siue diaconissa, vel virgo Deo dicata, vel sanctimonialis mulier, siue quocunque alio nomine religiosi honoris vel dignitatis fœmina nuncupata, vel testamento, vel codicillo suo (quod tamen alia omni iuris ratione munitum sit) Ecclesiæ, vel martyrio, vel clero, vel monachio, vel pauperibus aliquid, vel ex integro, vel ex parte, in quacunque re vel specie, crediderit relinquendum, id modis omnibus ratum firmumque consistat.

Isaac Presbyter. 460.

De contemptu mundi cap. 15. Monachus est, qui sedet extra seculum, & semper supplicat Deo, vt adipiscatur futura bona.

Synodus Chalcedonensis. 460.

Can. 4. Qui verè & syncerè monasticam vitam aggrediuntur, digni conuenienti honore habeantur. Quoniam autem nonnulli monachio prętextu vtentes, & Ecclesias, & negotia ciuilia perturbant, temerè & citra vllam discriminis rationem in vrbibus circumcursantes, quin etiam Monasteria sibi constituere studentes, visum est, nullum vsquam ædificare, nec construere posse Monasterium, vel oratoriam domum, præter sententiam ipsius ciuitatis Episcopi: Monachos autem, qui sunt in vnaquaque regione & ciuitate, Episcopo subiectos esse, & quietem amplecti, & soli ieiunio & orationi vacare, in quibus ordinati sunt locis fortiter perseuerantes, nec Ecclesiasticis, nec secularibus negotijs se ingerere, vel communicare, propria relinquentes Monasteria, nisi quandoque à ciuitatis Episcopo eis permissum fuerit. Nullum autem in Monasterijs seruum recipi, ad hoc vt sit Monachus, præter voluntatem domini sui.

Leo & Anthemius Impp. 470.

Lege seruis, C. de Episcop. & Cler. Seruis, si dominorum fuerint voluntate muniti, solitariam vitam participandi licentia non denegetur: dummodo tamen eorum domini non ignorent. Quòd si seruis suis ad Monasteriorum cultum migrandi tribuerint facultatem: eorundem seruorum domi-

nio, donec ijdem serui in eodem Monachorum habitu durauerint, spoliandos esse censemus: alioquin, si relicta forte vita solitaria ad aliam quamlibet sese conditionem transtulerint, certum est eos ad seruitutis iugum, quam monasticæ professionis cultu euaserant, reuersuros.

Zeno & Anthemius Impp. 473.

Leg. 29. C. de Episcopis & Clericis: Qui in Monasterijs degunt, potestatem inde exeundi ne habento, vel in Antiochensi ciuitate, seu alijs quibuscunque ciuitatibus conuersandi: exceptis duntaxat apocrisarijs, quibus licentiam damus volentibus, vt apocriseon solarum causa exire possint.

Diadochus. 480.

De perfectione spirituali cap. 40. Non oportet, vt hac spe vllus monasticam vitam capessat, ne hic inueniat satanas facilem animam ad rapiendum eam ad se, sed vt solummodò tales euadamus, qui in omni sensu & plenitudine cordis Deum amemus: quod quidem est amare ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente. In quo enim hoc gratia Dei operatur, peregrinatur à mundo, quamuis in mundo sit.

Dorotheus Abbas. 500.

De renuntiatione Doctrina 1. Antonius, Pachomius, Macarius, cæterique Deserti Patres intellexerunt proculdubio sese, quòd mundani essent & seculares, nequaquam posse ad virtutem conscendere. Quare sibi ipsis duriorem vitam, peregrinamque stationem, quam nos solitariam vocamus, & eremiticam appellamus, excogitârunt, cœperuntque ilicò mundum deserere, & vastas eremos incolere, ieiunijs, vigilijs, ac nudæ terræ indormitionibus, alijsque afflictionibus seipsos macerantes: renuntiaruntque omninò patriæ, affinibus, pecunijs, agris, & possessionibus, atque (vt breuiter dicam) in cunctis mundum sibiipsis crucifixère.

Iustinianus. 530.

Nouella 5. de Monachis. Præfatio: Conuersationis Monachalis vita sic est honesta, sic commendare nouit Deo ad hoc venientem hominem, vt omnem quidem humanam eius maculam detergat, purum autem declaret, ac rationabili naturæ decentem, & plurima secundùm mentem operantem, & humanis cogitationibus celsiorem. Si quis igitur futurus est Monachus perfectus, indiget & diuinorum eloquiorum eruditione, & conuersationis integritate, vt tanta dignus factus sit mutatione.

Nouella 133. cap. 1. Solitaria vita, atque in ea contemplatio res planè sacra est, & quæ suapte natura animas ad Deum adducat, neque ijs tantùm, qui eam incolunt, commodet; sed etiam omnibus alijs puritate sua, & apud Deum interpellatione, competentem de se vtilitatem præbeat. Vnde & olim ea res Imperatoribus studio fuit habita, & nos non pauca de dignitate & honestate eorum legibus complexi sumus. Sequimur enim sacros in hoc Canones, & sanctos Patres, qui hæc comprehenderunt legibus, &c. Ac descripsimus quidem iam constitutionem, quæ vult, vt Monachi, etsi magno continentur numero, secundùm formam Cœnobiorum (vt appellant) in commune vitam degant, neque proprias habeant possessiones, neque opes accumulent, neque clam testibus viuant: sed & communiter cibum capiant, & in communi loco cubent, & vndique bene compositam persequantur vitam, testesque sint inuicem mutuæ honestatis, &c.

Nouella de non alienandis aut permutandis bonis Ecclesiæ cap. 11. Quia verò cognouimus aliquod pessimum delictum factum & apud Alexandrinos, & apud AEgyptios, iam autem & in alijs quibusdam imperij locis quosdam præsumere ipsa venerabilia Monasteria vendere, aut permutare, aut donare, (in quibus & altare collocatum est, & sacrum exhibitum ministerium, quale moris est in sanctissimis Ecclesijs celebrari, sacris quippe lectis Scripturis, & sacrosancta & ineffabili communione tradita, & Monastica illic facta habitatione) ita vt hæc mutarentur ex sacro & Deo amabili schemate ad priuatam mansionem & statum: hæc omninò de cætero fieri prohibemus, nulli hominum permittentes hoc delinquere, sed etiam factum infirmum omnibus declaramus modis, & pretiorum casum imponimus accipientibus: venditorem quoque damnificamus & rei casu, & pretij amissione, sanctissimæ Ecclesiæ eius loci & venerabilibus Monasterijs hoc tribuentes: quatenus ipsi prouideant, vt quod malè alienatum est, rursus ad Monasticam reuocent figuram.

Cyrillus Eremita. 530.

De S. Saba Abbate. Si terrestris Regis miles, (*inquit Sabas ad parentes, qui ipsum à vitæ Monasticæ professione ad militiam terrestrem conabantur auocare,*) qui conspectus fuit ordinem deserere, magnas luit pœnas: quantum est periculum, si quis eius, qui est verè rex, miles effectus, & in numeros illius ascriptus, proprium ordinem reliquerit, & tam paruam militiam ea permutauerit?

Procopius Gazæus. 530.

Ad Esaiæ cap. 62. Seminis appellatione vel doctrinam, vel discipulos docet intelligere, qui ipso oculorum sensu, propter operum bonitatem, cogniti velut Sanctorum discipuli, semen à Deo benedictum existunt. Cuiusmodi sunt sancti Monachorum cœtus, de quibus apud Paulum in hæc verba legimus: *Qui autem Iesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum affectibus & cupiditatibus.* Galat. 5.

Procopius Cæsariensis. 540.

De ædificijs Iustiniani orat. 5 Montem Sina Monachi incolunt, quorum vita sedula quædam meditatio mortis est, solitudine sibi gratissima liberius perfruuntur. hisce Monachis, postquam nihil habuit Iustinianus Rex quod optarent (nempe humana omnia contemnentes, nihil possidere, non curare corpora, nulla re oblectari studebant) templum extruxit, extructumque Dei Genitrici consecrauit, vt hic iam liceat ipsis preces effundere, obire sacra, & vitam degere.

Euagrius. 600.

Lib. 1. cap. 21. Eudocia Imperatrix sancta ædificauit Monasteria, & loca illa, quæ Lauras vocant: in quibus tametsi varia ratione viuitur, tamen vitæ institutio ad vnum eundemque finem spectat, eumque sanctissimum. Nam alij gregatim vitam degunt, nihil rerum, quę animos hominum ad terram deprimere solent, possident. Quippe aurum illis non suppetit. Quid dixi aurum? imò ne propria vestis, aut cibariorum quicquam. Nam quo pallio aut tunica vnus iam induitur, alter vestitur eodem paullo post, adeò vt omnium vestitus vnius esse videatur, & vnius omnium. Quin etiam mensa communis apponitur, non opiparis instructa delicijs, aut alio quouis cibariorum genere: sed oleribus solùm & leguminibus apparata, ijsque eatenus suppeditatis, quatenus solùm satis essent ad viuendum. Porrò autem in precibus solùm, quas communiter inter ipsos ad Deum fundunt, se dies noctesque defigunt. sicque atterunt sese, sic laboribus affligant, vt mortui insepulti super terram iacentes videantur, &c.

Antiochus. 610.

Homilia 89. Facultatum omnium possessione ablegata

gata semel à quopiam, & excussa, nihil obscurè declarat, synceram esse Monachi conuersationem, qui nullum possidet peculium. Monachus aquila est altiuola. Inops Monachus liber fit paucorum vsu, vt quàm plurimis perfruatur.

Homilia 102. Monachus sui ipsius potestatem non habet. illius enim addixit se & mancipauit seruituti, cuius accensus est militiæ, & ascriptitius. Ceruicem enim illius substrauit iugo, qui ipsum delegit, vt eos demetat.

Homilia 105. Monachis peculiari quadam prærogatiua vel in primis conuenit, quòd institutum vitæ prorsus Angelicæ vltronei delegerunt.

Eustachius. 620.

In vita Eutychij: Vir admirandus blandas vitæ voluptates, & sensus pulchrè commutauit, dansque temporaria, vt acciperet sempiterna, propter excellentem cognitionis magnitudinem, imitatus

Matt. 19 est Apostolos, qui relictis omnibus secuti sunt Christum, se totum solitariæ vitæ tradidit, Monachi vestem induens, & re atque habitu & sermone philosophiam illam amplectens, quam ex vetero matris adamauerat: imitatus est Heliam Thesbitem, & Ioannem Baptistam, qui exercitationis viam imitari volentibus ostendentes, solitudinem primi coluerunt. Quamquam magnus Eutychius non solitudinem, non Carmelum; sed Amaseorum Metropolim elegit, vbi desiderio suo satisfaceret. In hac enim ciuitate sanctum est Monasterium, quod sanctissimi quondam Episcopi Meletius, & Vranius, & Seleucus exædificandum curârunt. Ac Meletius quidem, & Seleucus, cùm sanctissimam Amaseorum Ecclesiam rexissent, in ea sanctè dormierunt, & in hodiernum vsque diem miracula & curationes operantur. Nam de magno quidem Seleuco miraculum celebratur, quod per illum Deus, cùm adhuc viueret, operatus est, & cæt.

Maximus. 640.

De Charitate Centuria 2. cap. 54. Monachus est, qui mentem suam à rerum terrenarum amore segregatam habet, atque per continentiam, & charitatem, & psalmodiam, & precandi assiduitatem in Deo amando & colendo perdurat.

Synodus Sexta in Trullo. 710.

Can. 40. Quoniam Deo hærere per secessum ex vitæ strepitu ac perturbatione valde est salutare, oportet nos non sine examinatione eos, qui vitam Monasticam eligunt, intempestiuè admittere, sed nobis a Patribus traditum decretum in eis quoque seruare, vt vitæ secundum Deum professionem, vt iam firmam & à scientia ac iudicio factam, tunc admittamus, post rationis complementum. Qui ergo Monachicum iugum est subiturus, ne sit minor quàm decem annos natus, eius quoque rei examinatione in Præsulis arbitrio sita, an augeri tempus conuenientius existimet ad introductionem & constitutionem in vita Monastica.

Can. 41. Eos, qui in vrbibus, aut vicis, vel in clausuris (ἐγκλείστρους) volunt secedere, & sibi ipsis separatim, seu in solitudine mentem adhibere, prius quidem in Monasterium ingredi oportet, & Anachoreticam, hoc est, ab alijs separatam ac semotam viuendi rationem exercere, & spatio triennij ei, qui præest mansioni, in Dei timore parere, & obedientiam in omnibus, vt æquum est, implere, &c.

Can. 43. Licet omni Christiano ἀσκητικὸν βίον, id est, vitam exercitatricem eligere, & rerum ad vitam pertinentium deposita tempestate, Monasterium ingredi, atque instar Monachi tonderi, in quacunque prolapsione deprehensus fuerit. Serua-

Ioan. 6. tor enim noster Deus inquit: *Eum, qui ad me venit, non eijciam foras.* Tanquam ergo monachali vitæ agendæ instituto in pœnitentia nobis vitam describente, ei, qui ad illud germanè ac syncerè accedit, acquiescimus ac fauemus.

Ioannes Damascenus. 730.

Historiæ Barlaam cap. 12. Posteaquam crudeles illi, ac bellum tyranni miserè perierunt, persecutioque finem accepit, multi pij sic se comparabant, vt omnes vitiosarum affectionum actiones amputarent, seipsosque ab omni carnis ac spiritus inquinamento repurgarent. Quoniam autem hoc non alia ratione, quàm per mandatorum Christi obseruationem à se præstari posse intelligebant, mandatorum porrò obseruationem ac virtutum cultum in medijs mundi tumultibus ægrè consequi se posse perspiciebant, nouum quoddam, & ab alijs diuersum vitæ genus sibiipsis instituerunt, ac iuxta diuinam vocem relictis omnibus rebus, hoc est, parentibus, liberis, amicis, cognatis, opibus, delicijs, cunctisque mundi commodis contemptis, in solitudines, tamquam exules quidam, sese contulerunt, *egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non* Hebr. 11.
erat mundus. In solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ, ac seipsos ab omnibus terrenis iucunditatibus ac voluptatibus procul remouentes, atque adeò panis etiam & graui vestimentorum penuria laborantes. Quod vt facerent duplex eos causa impellebat: altera, vt vitiosarum affectionum materias minimè cernentes, earum cupiditates radicitus ex animis suis euellerent, earumque memoriam obliterarent, & diuinarum ac cœlestium rerum amorem & desiderium in seipsos insererent: altera, vt per afflictionem corpus conficerent, animoque ac voluntate Martyres effecti, ea gloria, quam ij, qui martyrio perfuncti sunt, obtinent, minimè carerent. Ad hunc igitur modum optima consideratione adhibita, Monasticam ac solitariam vitam consectati sunt, & cæt.

Synodus Nicæna Secunda. 790.

Can. 20. A præsenti statuimus non fieri duplex Monasterium, quoniam hoc fit multis scandalum & offensio: si qui autem volunt cum cognatis mundo renuntiare, & vitam sequi Monasticam, viros quidem oportet in virorum Monasteria discedere: fœminas autem ingredi in mulierum Monasteria. Hoc est enim Deo acceptum. Quæ autem hucusque duplicia fuerunt, seruentur secundùm Canonem sancti Patris nostri Basilij, & secundùm eius constitutionem, quæ sic definit: In vno autem Monasterio ne versentur Monachi & Monachæ. Adulterium enim habet intercedentem conuersationem. Nec Monachus liberè cum Monacha loquatur, nec Monacha cum Monacho seorsum confabuletur, nec cubet Monachus in Monacharum Monasterio, nec Monacha seorsum comedat.

Theostericius. 820.

Oratione funebri in Sanctum Nicetam: Totum eius viri (*Constantini Copronymi*) propositum & studium erat omnino in ea re occupatum, vt Ordinem monasticum deleret, idque ex eo tempore, quo regnare cœpit.

Nicephorus Philosophus. 830.

Oratione funebri in S. Antonium Patriarcham: Cùm ad duodecimum peruenisset annum, ad res diligentius considerandas se applicans, (ô mentem stabilem, ô bonum propositum!) genus vitæ discreuit & elegit: alijsque reiectis ad monasticam intuens flagrabat cupiditate. Rerum enim principia à fine diiudicata præbent tutam electionem eius, quod est melius. Non enim quod proportioni ætati responderet, procedens habuit iudicium: sed in iuuenili corpore canam ostendebat intelligentiam, per ea, quæ operabatur, suam cum eo, quod est bonum, & honestum, indicans con-

iunctionem. Et iis, ad quæ se extendebat, significabat incorruptæ mentis stabilitatem: & gloriam quidem despiciens, respuens autem quicquid non fert ad Deum, elegit eam, quæ fert ad ipsum, asperam quidem, sed quæstuosam viam, & quæ sola potest bonos mercatores transmittere ad illam verè pretiosam margaritam, &c. Apostolorum sequens doctrinas & traditiones, & eis suam vitam semper componens, factis germanum confirmauit martyrium, in eo quòd Martyrum zelum haberet pro pietate, & quotidie sua moreretur conscientia, monasticorum laborum diuturna & acerba perpessione: quod martyrica virtute nulla in re est abiectius.

Synodus Constantinopolitana sub Photio. 870.

Canone 1. Res adeo veneranda, & honorabilis, & à beatis & sanctis Patribus nostris iam olim pulchrè excogitata, Monasteriorum ædificatio, hodiè malè geritur. Nonnulli enim suis copiis & facultatibus nomen Monasterij imponentes, & eas Deo sanctificare profitentes, se eorum, quæ sunt consecrata, dominos esse inscribunt, & sola appellatione Deo dicare machinari decreuerunt. Eandem enim potestatem etiam post consecrationem sibi vsurpare non erubescunt, quam prius habere non vetabantur: & tanta rei cauponatio adhibita est, vt multa eorum, quæ sunt consecrata, ab iis ipsis, qui consecrârunt, vendita cernantur, &c. Propterea sancta definijt Synodus, vt nemini liceat Monasterium ædificare absque Episcopi sententia & consilio. Illo autem sciente atque permittente, & eam, quam debet, orationem peragente, vt ab antiquis piè & religiosè cautum est, Monasterium quidem ædificetur: omnia autem, quæ ad ipsum pertinent, cum illo ipso in breui inscribantur, & in Episcopalibus archiuis reponantur, &c.

Canone 5. Quæ temerè & sine iudicio & probatione fiunt renuntiationes, bono monastico Ordini magnum afferre incommodum inuenimus. In monasticam enim vitam se facilè inijcientes, & ad asperam, & laboriosam exercitationem se segniter gerentes, ad carnalem & voluptuariam vitam rursus miserè reuertuntur. Propterea ergo statuit sancta Synodus, vt nemo monastico habitu dignus putetur, prius quàm triennij tempus, ad experientiam iis relictum, eos esse probatos, & tali vita dignos ostenderit.

Leo Philosophus Imp. 880.

Constitut. 6. Quo tempore eos, qui Monasticam vitam subire desiderant, re concupita potiri oporteat, id quia non vnum atque idem, sed aliud atque aliud, à diuinis nostris Patribus præstitutum sit, vt ad hunc etiam tractatum dijudicandum, & quæ subesse videtur contrarietatem conciliandam me componerem effectum est. Itaque quæ magnus ille ac admirandus decernit Basilius (vt videlicet, qui monachicum habitum ambiunt, decimo sexto primùm, aut decimo septimo ætatis anno digni illo habeantur,) quæque sancta sexta Synodus mandat, anno decimo, qui istiusmodi vitam capesserent, suscipiendos esse monens, hæc cum sanctissimo Patriarcha, Deoque amantissimis Metropolitanis expendentes, neutram sacrarum legum diximus esse contemnendam: sed contra ad vtrumcumque tempus religioso habitu, qui illum sumere cupiunt, dignos haberi iubemus, &c.

Epist. ad Amphil. can. 18.

Can. 40.

Constitut. 8. Subit mirari quomodo lex vetus iis, qui Monasticæ vitæ exercitationi se emancipassent, deinde verò stationem suam & ordinem deseruissent, quomodoque sacræ literæ habent, tanquam canes ad suum ipsorum vomitum, aut sues ad pristinæ vitæ cœnosam cloacam reuersi essent, ac prophanorum in habitu statuque se ipsi collocassent: improbum hoc scelus tentari, omninoque perfici permiserit. Iubet enim, vt qui semel Monasticæ vitæ institutum reliquerint, vnde flagitiosè exissent, reuerterentur: qui verò iterum id ausi essent, ex eo tempore pulsi monachatu, inter cohortales prouincialis cohortis recenserentur. Atqui si, vt desertor Ordinis, profanorum habitu indueretur, id illi statuto pulchrum visum fuit, quid causæ est, cur ipsum ab initio ita non vestierit: sed vt qui Monachus professionem suam semel deseruerit, is ad illam, quamlibet inuitus, denuò cogeretur, constituerit? Si hoc ita præcipi decorum putauit, quare in eodem decreto non consistit, sed tanquam ipsum placiti sui pœniteat, miserum illum Monachum ad militarem vitam protrahit? Nequaquam verò id nobis esse fas videtur, neque qui in diuinæ militiæ legiones receptus sit, hunc in mundanis militijs placet collocari. At contra, quod Ecclesiastico Ordini obseruari debere visum est, vt si quis sæpius vitam Monasticam aspernatus vagetur, huic profanum habitum recipere non concedatur, id per legem etiam nos iubemus: Si enim qui vitam Monasticam exuit, mundanæ voluptatis velut asylo concitus id facit: quæ ratio est, tametsi semel cupiditatis suæ motu prohibitus sit, quum si rursum ad hoc faciendum animum appellat, se ad finem insolens suum consilium perducturum, ac in profanorum statum recipiendum esse sciat, vt is non omnibus modis Monasticæ vitæ institutum iterum communi viuendi modo mutet?

Const. 10. Quàm præstans Monasticæ vitæ professio sit, quique suaue illud & beatum iugum suscipiunt, quanta illi reuerentia & honore digni sint scimus quidem & ipsi. Itaque non quo illum vituperemus, sed potius quo vituperationi eximamus, hæc statuere visum est, & censemus. Quanto enim illa admirabilior est diuiniorque, tanto maiore, & quidem quanto maxima attingi cum veneratione, nequaquam verò ingratitudinis & improbitatis velamen ac prætextum Monasticæ vitæ dignitatem fieri oportet, &c.

Theophylactus. 900.

Ad caput duodecimum Lucæ: Omnis, qui in solitaria vita actiuam vitam agit, & seruiles affectiones, iram & concupiscentiam gubernat, & suam cuique mensuram tritici in tempore distribuit, iram quidem ita, vt odio habeat odio habentes Dominum, & suas inimicitias aboleat: concupiscentiam verò ita, vt necessariam carnis gerat curam, & omnem in Deum dirigat: omnis, inquam, talis beatus est, & assequetur etiam contemplationem, & super omnia quæ Domini sui sunt constituetur.

Simeon Metaphrastes. 930.

In vita S. Euphrasinæ: Beati, qui suscipiunt vitæ genus monasticum: quoniam & hic sic viuunt, vt parum, aut nihil ab Angelis differant, & postquam hinc excesserint, vita fruuntur æterna.

In vita sancti Theodosij Cœnobiarchæ: Cùm itaque templum extructum, & ædificatum est monasterium, vel, vt melius dicam, virtutum habitaculum, aut tabernaculum in terra, quod est reuera terra superius & cæleste, quod quidem est & magnitudine maximum, vt quod paulatim creuerit iis, quæ factæ sunt, accessionibus, & abundat bonis omnibus, non iis solis, quæ sunt ex spiritu & virtute, sed iis etiam, quæ sunt ad vsum corporis.

Suidas. 960.

In voce μόναχος: Sacrum Monachorum institutum ordo est altior iis omnibus, qui initiantur, omni-

omnibus purgatus modis, totis viribus & perfecta suarum actionum castitate: eique fas est contemplari omne sacrificium in contemplatione intelligenti, & communione constituta, & Hierarchicarum initiatorijs facultatibus tradito, &c. Vnde diuini proceres nostri cognomenta eis sacra indiderunt, ac alij eos θεραπευτάς, cultores, alij μοναχοὺς, solitarios appellarunt, à Dei puro ministerio & cultu, & impartili & vnica vita, tanquam vniente eos in rerum diuisibilium sacris implicationibus in Deiformem monadem, & Dei amantem perfectionem.

In μονήρης βίος: Solitariam vitam amplexi, degant vt solitariam: cui sacerdotium obtigit, sanctè fungatur sacerdotio. Quisque ea tractet, in quibus est exercitatus.

Psellus. 1080.

In Encomio Simeonis Metaphrastis cap. 7. His nihilominus refulsit vita Monasticæ exercitationis. Nam hic quoque est carnis consumptio, & deliciæ, non se dedere delicijs in ijs, in quibus non oportet, & à mundo separari, & ad Deum cum ipsis euolare corporibus, & innatis resistere affectionibus, & ijs, quæ à malis spiritibus affluunt extrinsecus. Est igitur amborum præclara vita, &c.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Theophilo: Edixerat Theophilus, ne Monachis vllam vrbem intrare liceret: iusserat omni modo eos arceri, atque adeò non tutum erat eos conspici in ea regione. Abrahamitæ Monachi, liberè in conspectum regis progressi, ex sanctorum Patrum dictis, magni videlicet Dionysij, Hierothei, & Irenæi, demonstrârunt, non nuper viuendi rationem institutionemque Monasticam extitisse, sed perantiquam esse.

Ioannes Zonaras 1100.

De Imperio Constantini, Constantij, & Constantis, Tom. 3. Annalium: Iulianus in Persidem ingressus, dæmonem in Occidentem misit, qui ei inde celeriter responsum perferret. Eum dæmonem quidam Monachus progressu per decem dies prohibuit, ita vt dæmon progredi non valens, ad Iulianum redierit. Iuliano causam moræ sciscitante. Non modò, inquit dæmon, tardè, sed etiam re infecta redij. Expectabam enim dum Publius quidam Monachus precandi finem faceret, qui cùm decem dies continenter precaretur, non potui iussum tuum exequi. Hoc audito, Iulianus graui indignatione concitus, minatus est se à reditu gentem Monachorum deleturum. Hoc cùm quidam procerum eius audiuisset, admiratione ductus, post reditum suum omnia pauperibus distribuit: atque ad senem istum profectus, præclarus Monachus euasit, omnibus prædicans Monachorum vim, qua aduersus tenebriones dæmones sunt præditi.

Nicetas Choniates. 1200.

Lib. 7. de Manuele Comneno: Monasterium in Ponti faucibus extruxit, in quo celeberrimos quosque & præstantissimos Monachos collocauit, ea ratione, vt solitariam & quietam vitam sine vlla solicitudine possent degere. Cùm enim Monachos possessionibus, & negotijs turbatos & tranquillitate animi & Dei cultu excidere intelligeret, nullas eis vineas, nullos agros, nullas eis possessiones assignauit; sed ex fisco tantum pendi iussit, quantum ad victum, & cultum opus esset.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 9. cap. 14. de duobus Macarijs Monachis: Ambo certè diuini prorsus erant viri, atque in monastica philosophia admirandi, diuinarum prædictionum non inexpertes, dæmonum industrij expulsores, & prodigiorum sanationumque prompti & expediti authores, &c.

Lib. 11. cap. 41: Omnes isti Monachi longæui fuêre: id quod dispositione & prouidentia Dei mihi factum esse videtur, vt tam diuturno & exacto vitæ instituto incrementum religio caperet, quod non Syros tantùm, sed & Persas, atque Saracenos plurimos ad fidem nostram pertraxit, & Græcæ superstitionis sectatores plerique, vt cultum suum abnegarent, effecit. Ex quibus omnibus plurimi persuasi sunt, vt Philosophiam monasticam summopere colerent, & ad eorum, quos diximus, exemplum Monachorum sodalitatibus præirent.

Georgius Pachymerius. 1300.

Lib. 4. Histor. Monachi terrestres, cæli ciues.

Athanasius Patriarcha Constantinopolitanus. 1300.

Epistola 5. Qui Canones seruare non didicit, eum neque baptizare, neque Monachum fieri liceat: qui à monasterio aufugerit, qui receperit, aut ordinauerit, puniatur.

Nicephorus Gregoras. 1320.

Lib. 3. de Imperatoris Theodori Lascaris obitu: Imperatorem annum ætatis sextum & trigesimum agentem molestus, ac difficilis, & planè lethalis morbus inuasit: qui paulo ante obitum alacriter Monasticum habitum induit.

Emanuel Malaxus. 1570.

Lib. 2. Hist. Ecclesiast. cap. 6 Dionysius Patriarcha Constant. mox vrbe cum omni suo peculio, & supellectile, omnibusque rebus, quas habebat, exiuit, & in Monasterium sanctissimæ non manufactę Deiparæ Cosinissæ prope Cabalam situm intrauit. Ibi vitam pœnitentię plenam egit, multa Monasterij illius instaurauit, melius extruxit, eleganter ornauit, ad vsus rectè parauit. Ibi sedens, pace fruens; extra omnes rixas & offensiones vixit: venerantibus ipsum, quantum satis erat, & Abbate, & senibus, & cunctis Monachis.

Hieremias Patriarcha Constantinop. 1570.

Resp. 1. cap. 20. Monasticam vitam cæteraque his similia nominatis opera inutilia. Hoc non est bonum, nec sanctis Patribus consonum. Prodeat statim Basilius Magnus: is ita dicit: Ascetica vita (id est, Monastica vita in studio & exercitatione sita) vnum sibi habet finem propositum, scilicet animæ salutem, & vt omnia, quæ huic proposito inseruiunt, tamquam mandatum diuinum, cum timore Dei obseruet, &c.

Cap. 21. Ideo nemo etiam fidelium ausus est Monasticam vitam, & diuino scopo institutam deridere. Etiamsi enim hoc incipere multi fortasse ausi fuerunt, tamen idem fortasse à paucis dignè ad finem vt perduceretur elaboratum fuit.

Resp. 2. cap. 6. Prisci Monachi necessariò cum tonsura & voto ad monasticam accesserunt vitam: eodem modo etiamnum fit. Ac primùm discipulus atque successor Pauli ille diuinarum rerum studijs eruditissimus Dionysius Areopagita in Ecclesiastica Hierarchia sic dicit: Stat sacerdos ante diuinum altare monasticam precationem reuerenter recitans, &c. *vt supra ex Dionysio.* Sequitur Basilius Magnus, qui in Ascetico suo sermone, qui est de abrenuntiatione vitæ, sic dicit: Venite omnes, &c. *vt supra in eodem Basilio.* Hoc modo Sanctus ille de hoc genere loquitur. Et nos non existimamus malos & inutiles homines foueri, qui in cella & solitaria vita degunt. Appropinquant enim multi huic studiosæ & laudatæ vitæ Monachorum: sed pauci iugum eius suscipiunt. Vi enim agentium est regnum cælorum, & violenti rapiunt id. Vim appellat corporis depressionem & subiugationem, quam sua voluntate sustinent, discipuli Christi, &c.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Thelesphorus. 117.

Damasus in vita Thelesphori: Thelesphorus natione Græcus ex Anachoreta sedit annos 11. menses tres.

Soter. 161.

Epist.2. Sacratas Deo fœminas vel Monachas sacra vasa contingere reprehensione plenum est.

Dionysius. 260.

Damasus in vita Dionysii: Dionysius ex Monacho, cuius generationem reperire non potuimus, sedit annos sex, menses duos.

Eutychianus. 275.

Apud Iuonem in Decretis lib.3. Nihilominus etiam in quibusdam locis inolitum inuenimus vsum stultitia plenum, & Ecclesiasticæ auctoritati contrarium, eo quòd videlicet nonnullæ Abbatissæ, & aliquæ ex sanctimonialibus viduis, & puellis virginibus, contra fas velum imponere præsumant: Et ideo nonnullæ iniustè velatæ, putant se liberius suis carnalibus desiderijs posse seruire, & suas vo-
20.q. Statuimus. vt si. luntates explere. Quapropter statuimus, vt si Abbatissa, aut quælibet Sanctimonialis post hanc definitionem in tantam audaciam proruperit, vt aut viduam, aut puellam virginem velare præsumat, iudicio Canonico vsque ad satisfactionem subdatur.

Marcellus Primus. 304.

Apud Gratianum 2.q.1. Si in minori ętate filij Monasterio fuerint oblati, vel sacram tonsuram, vel velamina susceperint, dignum quidem duximus, vt decimo quinto anno à Prælatis moniti, verbis inquirantur, verum in ipso habitu perseuerare cupiant, an non?

Iulius Primus. 336.

Epistola 1. Qui talia agere tentauerint, siquidem Clerici fuerint, à proprio gradu decidant: si verò Monachi, aut laici fuerint, anathematizentur.

Ambrosius. 370.

In Psalm. 36. Considera aliquem per aliquot annos habuisse studium probitatis, castitatis custodiam, vitæ attentioris affectum, piæ propositum seruitutis, sedulæ obseruationis officium, subitoque eum esse mutatum, discessisse de Monasterio, valedixisse ieiunijs, continentiæ renuntiasse, indulgere delicijs, studere luxuriæ. Dudum de Monasterijs exierunt, & nunc luxuriæ sunt magistri, disseminatores incontinentiæ, incentores petulantiæ, obtrectatores pudoris.

Epist.82.ad Ecclesiam Vercellensem. Quòd si in alijs Ecclesijs tanta suppetit ordinandi sacerdotis consideratio, quanta cura expeditur in Vercellensi Ecclesia, vbi duo pariter exigi videntur ab Episcopo, Monasterij continentia, & disciplina Ecclesiæ? Hæc enim primus in Occidentis partibus diuersa inter se Eusebius sanctæ memoriæ coniunxit, vt & in ciuitate positus instituta Monachorum teneret, & Ecclesiam regeret ieiunij sobrietate. Multum enim adiumenti accedit ad sacerdotis gratiam, si ad studium abstinentiæ & normam integritatis iuuentutem astringat, & versantes intra vrbem abdicet vsu vrbis & conuersatione. Hinc illi processerunt viri, Helias, Helisæus, Ioannes, Elizabeth, qui pelliceis tunicis, & caprinis exuuijs induti, inopes atque
Hebr.11. egentes, angustijs & doloribus afflicti, in solitudinibus errabant, inter alta & condensa montium, inuia rupium, speluncarum horrida, fouearum vadosa, quorum conuersatione dignus orbis terrarum non erat, &c. Hæc patientia in S. Eusebio Monasterij coaluit vsu, & durioris obseruationis consuetudine hausit laborum tolerantiam. Namque hæc duo in attentiore Christianorum deuotione esse præstantiora quis ambigat, Clericorum officia, & Monachorum instituta? Ista ad comitatem & moralitatem disciplina, illa ad abstinentiam assuefacta atque patientiam. Hæc velut in quodam theatro, illa in secreto. Spectatur ista, illa absconditur. Hęc ergo vita in stadio, illa in spelunca. Hęc aduersum confusionem seculi, illa aduersus carnis appetentiam. Hæc subijciens, illa refugiens corporis voluptates. Hæc gratior, illa tutior. Hęc seipsam regens, illa seipsam coercens. Vtraque tamen se abnegans, vt fiat Christi, &c.

Syricius. 390.

Epistola ad Hymerium Tarraconensem cap. 6. Præterea Monachorum quosdam atque Monacharum, abiecto proposito sanctitatis, in tantam protestaris demersos esse lasciuiam, vt prius clanculo, velut sub Monasteriorum prætextu, illicita ac sacrilega contagione se miscuerint: postea verò in abruptum conscientiæ desperatione perducti, de illicitis complexibus liberè filios procrearint: quod & publicæ leges, & Ecclesiastica iura condemnant. Has ergo impudicas detestabilesque personas à Monasteriorum cœtu, Ecclesiarumque conuentibus eliminandas esse mandamus.

Cap. 13. Monachos quoque, quos tamen morum grauitas, ac vitæ & fidei institutio sancta commendat, clericorum officijs aggregari & optamus, & volumus.

Concilium Quartum Carthaginense. 398.

Cap. 11. Sanctimonialis virgo, cùm ad consecrationem sui Episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper vsura est, professioni & sanctimoniæ aptis.

Hieronymus. 398.

Epistola 1. ad Heliodorum cap. 9. O desertum, Christi floribus vernans! ô solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi ciuitas magni regis extruitur! ô eremus familiarius Deo gaudens! Quid agis frater in seculo, qui maior es mundo? Quamdiu te tectorum vmbrę premunt? quamdiu fumosarum vrbium carcer includit?

Epistola 17. ad Marcellam cap. 6. Certè flos quidam, & pretiosissimus lapis inter Ecclesiastica ornamenta Monachorum & virginum chorus est. Quicunque in Gallia fuerit primus, huc properat: diuisus ab orbe nostro Britannus, si in religione processerit, occiduo sole dimisso, quærit locum fama sibi tantùm, & Scripturarum relatione cognitum. Quid referamus Armenios, quid Persas, quid Indiæ, quid AEthiopum populos, ipsamque iuxta AEgyptum, fertilem Monachorum, Pontum, & Cappadociam, Syriam, Cœlen, & Mesopotamiam, cunctaque Orientis examina?

Epistola 22. ad Eustochium de custodia virginitatis cap. 15. Tria sunt in AEgypto Monachorum genera. Primum Cœnobitæ, quod illi Sauses gentili lingua vocant, nos in communi viuentes possumus appellare. Secundum Anachoritæ, qui soli habitant per deserta, & ab eo, quòd procul ab hominibus recesserint, nuncupantur. Tertium genus est, quod Remoboth dicunt, deterrimum, atque neglectum, & quod in nostra prouincia aut solum, aut primum est. Hi bini vel terni, nec multo plures simul habitant, &c. His quasi quibusdam pestibus exterminatis, veniamus ad eos, qui plures sunt, & in commune habitant, quos vocari Cœnobitas diximus. Prima apud eos confœderatio est, obedire maioribus, & quicquid iusserint facere: diuisi sunt per decurias atque centurias, ita vt nouem hominibus decimus pręsit, & rursus decem

præ-

præpositos sub se centesimus habeat: manent separati, sed iunctis cellulis, vsque ad horam nonam, vt institutum est: nemo pergit ad alium, exceptis his Decanis, quos diximus, vt si cogitationibus fortè quis fluctuat, illius consoletur alloquijs: post horam nonam in commune concurritur, psalmi resonant, Scripturæ recitantur ex more, & completis orationibus, cunctisque residentibus, medius, quem Patrem vocant, incipit disputare: quo loquente, tantum silentium fit, vt nemo alium respicere, nemo audeat excreare, dicentis laus in fletu est audientium, &c.

Epist.25.ad Paulam cap.2. Reuera, si seculare desiderium, &, quod Deus à suis auertat, delicias vitæ huius cogitantem mors immatura rapuisset, plangenda erat, & omni lachrymarum fonte ploranda. Nunc verò, cùm propitio Christo ante quatuor fermè menses secundo quodam modo propositi baptismo se lauerit: & ita deinceps vixerit, vt, calcato mundo, semper Monasterium cogitarit, non vereris, ne tibi Saluator dicat: Irasceris Paula, quia tua filia mea facta est filia? Indignaris de iudicio meo, & rebellibus lachrymis facis iniuriam possidenti? scis enim quid de te, quid de cæteris tuis cogitem. Hoc est quod mihi Monasterium promittebas, quòd habitu à matronis cæteris separato, tibi quasi religiosior videbaris?

Epistola 41. ad Ruffinum: Audio te Aegypti secreta penetrare, Monachorum inuisere choros, & cælestem in terris circumire familiam. O si mihi nunc
Actor.8 Dominus Iesus Christus vel Philippi ad Eunu-
Dan.14. chum, vel Abacuc ad Danielem translationem repente concederet, quàm ego nunc tua arctis stringerem colla complexibus, quàm illud os, quod mecum vel errauit aliquando, vel sapuit, impressis figerem labijs.

Aduersus Vigilantium cap. 6. Nec à suo studio Monachi deterrendi sunt à te lingua viperea, & morsu sæuissimo, de quibus argumentaris, & dicis: Si omnes se clauserint, & fuerint in solitudine, quis celebrabit Ecclesias? quis seculares homines lucrifaciet? quis peccantes ad virtutes poterit cohortari? Hoc enim modo, si omnes tecum fatui sint, sapiens quis esse poterit? Et virginitas non erit approbanda: si enim omnes virgines fuerint, nuptiæ non erunt: interibit humanum genus, infantes in cunis non vagient, obstetrices absque mercedibus mendicabunt, & grauissimo frigore solus atque contractus Dormitantius vigilabit in lectulo. Rara est virtus, nec à pluribus appetitur, atque vtinam hoc omnes essent, quod pauci sunt,
Matt.22 de quibus dicitur: *Multi sunt vocati, pauci verò electi:* vacui essent carceres. Monachus autem non doctoris, sed plangentis habet officium, qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pauidus præstoletur aduentum: qui sciens imbecillitatem suam, & vas fragile, quod portat, timet offendere, ne impingat, corruat, atque frangatur. Vnde & mulierum, maximeque adolescentularum vitat aspectum, & in tantum castigator sui est, vt etiam quæ tuta sunt, pertimescat. Cur, inquies, pergis ad eremum? videlicet vt te non audiam, non videam: vt tuo furore non mouear: vt tua bella non patiar: ne me capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Respondebis: hoc non est pugnare, sed fugere: sta in acie, aduersarijs armatus obsiste, vt postquam viceris, coroneris. Fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Si fugero, gladium deuitaui: si stetero, aut vincendum mihi est, aut cadendum. Quid autem necesse est certa dimittere, & incerta sectari? aut scuto, aut pedibus mors vitanda est. Tu, qui pugnas, & superari potes, & vincere. Ego cum fugero non vinco in eo, quod fugio, sed ideo fugio, ne vincar. Nulla securitas est vicino serpente dormire: potest fieri, vt me non mordeat; tamen potest fieri, vt aliquando me mordeat. Matres vocamus, sorores, & filias, & non erubescimus vitijs nostris nomina pietatis obtendere. Quid facit Monachus in cellulis fœminarum? quid sibi volunt sola & priuata colloquia, & arbitros fugientes oculi? Sanctus amor impatientiam non habet. Quod de libidine diximus, referamus ad auaritiam, & ad omnia vitia, quę vitantur solitudine. Et idcirco vrbium frequentias declinamus, ne facere compellamur, quæ nos non tam natura cogit facere, quàm voluntas.

Lib.2. Comment. in cap.3. Lament. Hieremiæ: Militum Christi perfectio est, exutam mentem habere à cunctis terrenis negotijs, & tumultu seculi, iuxta illud Apostoli: *Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus, &c.* eamque, quantum humana imbecillitas sinit, festinat vnire cum Christo. Quam quidem speciem conuersationis boni Eremitæ & Monachi, qui voto Monasticæ disciplinæ obligati sunt, imitari contendunt: sed rara est, & paucissimis dono Dei hæc perfectio concessa. Is enim verè, & non ex parte perfectus est, qui & in eremo squalorem solitudinis, & in Cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate sustentat. Et ideo vtraque professione per omnia consummatum inuenire difficile est: quia nec Anachorita contemptum ac priuationem materialium rerum, nec Cœnobita theoricam ad integrum potest assequi puritatem: sed tamen quantum superexcellat serenitas tranquillæ vitæ turbulentiam secularis conuersationis, nouit qui hanc expertus est, & Dominicum iudicium in Euangelio inter duas mulieres cernit, ad Martham dicens: *Martha, Mar-* Luc.10.
tha sollicita es, & turbaris circa plurima: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. 2.Tim.2

In Psalm.115. Sicut Martyres laudant Dominum purè in regione viuorum: ita & Monachi, qui die ac nocte psallunt Domino, debent eandem puritatem habere Martyrum, siquidem ipsi Martyres sunt. Quod enim faciunt Angeli in cælis, hoc Monachi faciunt in terris.

Gaudentius. 400.

Tractatu de dedicatione Basilicæ Sanctorum: In ipsa maxima Cappadociæ ciuitate, quæ appellatur Cæsarea, vbi habent ijdem quadraginta beatissimi Martyres insigne martyrium, reperimus quasdam Dei famulas, Monasterij sanctarum virginum dignissimas matres, prorsus Mariæ & Marthæ consimiles, quas meritò diligat Iesus, natura, fide, & integritate germanas.

Ruffinus. 400.

Lib.2. cap.8. Florebat ea tempestate Aegyptus non solùm eruditis in Christiana philosophia viris, verùm etiam his, qui per vastam eremum commanentes, signa & prodigia Apostolica simplicitate vitæ & cordis synceritate faciebant. Ex quibus interim, quos ipsi vidimus, & quorum benedici manibus meruimus, hi sunt: Macarius de superiori eremo, alius Macarius de inferiori, Isidorus in Scythi, Pambus in Cellulis, Moses & Beniamin in Nitria, &c.

Augustinus. 400.

In Ioannem Tractatu 97. In Antiochia primùm post Ascensionem Domini appellati sunt discipuli Christiani, sicut legitur in Actibus Apostolorum, & Monasteria & Xenodochia postea sunt appellata nouis nominibus: res tamen ipsæ & ante nomina sua erant, & religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur.

In Psalm. 75. Quid est, *primam fidem irritam fecerunt?* Vouerunt, & non reddiderunt. Nemo ergo positus in Monasterio frater dicat: Recedo de Monasterio:

nasterio: neque enim soli, qui sunt in Monasterio, peruenturi sunt ad regnum cælorum, & illi qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respondetur ei: Sed illi non vouerunt: tu vouisti, tu retro respexisti, &c.

In Psalm. 132. *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum.)* Iste dulcis sonus, ista suauis melodia, tam in cantico, quàm in intellectu, etiam Monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in vnum concupierunt: iste versus fuit tuba ipsorum. Ipsi primò ha-
Actor. 4 bitauerunt in vnum, qui omnia, quæ habebant, vendiderunt, rerumque suarum pretia ad pedes Apostolorum posuerunt, &c. Ex voce huius Psalmi appellati sunt & Monachi, ne quis vobis de isto nomine insultet Catholicis. Quando vos rectè hæreticis de Circumcellionibus insultare coeperitis, vt erubescendo saluentur: illi vobis insultant de Monachis, &c. Sed tamen dicere consueuerunt: Quid sibi vult nomen Monachorum? Quanto melius dicimus nos: quid sibi vult nomen Circellionum? Fortè Circumcelliones vocantur, non Circelliones. Planè si hoc vocantur, exponant quid sint, &c. Qui nobis dicunt, ostendite vbi scriptum sit nomen Monachorum, ostendant vbi scriptum sit nomen Agonisticorum. &c. Hi etiam insultare nobis audent, quia fratres, cùm vident homines Deo gratias dicunt. Quid est, inquiunt, Deo gratias? Itane surdus es, vt nescias quid sit Deo gratias? Qui dicit Deo gratias, gratias agit Deo. Vide, si non debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem suum. Num enim non est locus gratulationis, quando se inuicem vident, qui habitant in Christo? Et tamen vos, Deo gratias nostrum ridetis: Deo laudes vestrum plorant homines. Sed certè reddidistis rationem de nomine, quare appelletis Agonisticos. Ita fiat vt appellatis: ita fiat, omnino fauemus. Præstet Dominus, vt illi contra diabolum certent, & non contra Christum, cuius persequuntur Ecclesiam.
2. Tim. 4 Tamen quia certant, dicitis Agonisticos, & inuenistis vnde appelletis, quia dixit Apostolus: *Bonum agonem certaui*. Quare ergo & nos non appellemus Monachos, cùm dicit Psalmus: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum?* μόνος enim vnus dicitur: & nō vnus quomodocunque: nam & in turba est vnus, sed vnà cum multis vnus dici potest: μόνος non potest, id est, solus: μόνος enim vnus solus est. Qui ergo sic viuunt in vnum, vt vnum hominem faciant, vt sit illis verè quod
Actor. 4 scriptum est: *Vna anima, & cor vnum.* multa corpora, sed non multæ animæ: multa corpora, sed non multa corda: rectè dicitur μόνος, id est, vnus solus. Vnde & ille vnus sanabatur in piscina. Respondeant nobis, & exponant, qui insultant nomini Monachorum, quare ille, qui inuentus est triginta octo annos habens in infirmitate, hoc respondisset Domino: *Cùm mota fuerit aqua, nō*
Ioan. 9. *habeo qui me deponat, alius ante me descendit.* Descenderat vnus: iam alius non descendebat. Vnus solus sanabatur, vnitatem Ecclesiæ figurabat. Meritò insultant nomini vnitatis, qui se ab vnitate præciderunt: meritò illis displicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in vnum cum fratribus: sed sequentes Donatum, Christum dimiserunt.

Lib. 8. Confessionum cap. 6. Inde sermo Potitiani deuolutus est ad Monasteriorum greges, & mores suaueolentiæ tuę, & vbera deserta eremi, quorum nos nihil sciebamus. Et erat Monasterium Mediolani plenum bonis fratribus sub Ambrosio nutritore, & non noueramus.

Libro de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 31. Iam accipite Manichæi perfectorum Christianorum, quibus summa castitas, non laudanda tantùm, sed etiam capessenda visa est, mores & continentiam singularem: ne vos impudenter iactare apud animos imperitorum, quasi difficillima rerum abstinentia, si quid in vobis pudoris est, audeatis. Nec ea dicam, quæ vos ignoratis, sed quæ nobis occultatis. Quis enim nescit summæ continentiæ hominum Christianorum multitudinem per totum orbem indies magis magisque diffundi, & in Oriente maximè, atque Aegypto, quod vos nullo modo potest latere. Nihil de ijs dicam, quos paulo ante commemoraui, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa interualla temporum affertur, & aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi Sanctorum intellectu percipi non potest. Nihil, inquam, de his loquar: videntur enim nonnullis res humanas plusquam oporteret deseruisse, non intelligentibus quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, & vita ad exemplum, quorū corpora videre non sinimur. Sed si hoc excedit nostram tolerantiam, quis non illos miretur & prædicet, qui contemptis atque desertis mundi huius illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul ætatem agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus: nulla superbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi: sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam, & intentissimam in Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, à quo ista posse meruerunt. Nemo quicquā possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Operantur manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & à Deo mens impediri non possit. Opus autem simul tradunt ijs, quos Decanos vocant, eò quòd sint denis prępositi, vt neminem illorum cura sui corporis tangat, neque in cibo, neque in vestimento, neque si quid aliud opus est, vel quotidianæ necessitati, vel mutatæ (vt assolet) valetudini. Illi autem Decani cum magna sollicitudine omnia disponentes, & præsto facientes quicquid illa vita propter imbecillitatem corporis postulat, traditionem tamen etiam ipsi reddunt vni, quem patrem vocant. Hi verò Patres non solùm sanctissimi moribus, sed etiam diuina doctrina excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nulla superbia consulunt ijs, quos filios vocant, magna sua in iubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate. Conueniunt autem diei tempore extremo de suis quisque habitaculis, dum adhuc ieiuni sunt, ad audiendum illum Patrem, & conueniunt ad singulos Patres, terna, vt minimum, hominum millia: nam etiam multo numerosiores sub vno agunt. Audiunt autem incredibili studio, summo silentio, affectiones animorum suorum prout eos pepulerit differentis oratio, vel gemitu, vel fletu, sed modesto & clamore vacuo, gaudium significantes. Corpus deinde reficitur, quantum saluti & salubritati sat est, coercente vnoquoque concupiscentiam, ne se profundat, vel in ea ipsa, quæ præsto sunt, parca & vilissima. Ita non solùm à carnibus & vino abstinent, pro sufficientia domandarum libidinum, sed ab ijs etiam, quæ tanto concitatius ventris & gutturis prouocant appetitum, quanto quasi mundiora nonnullis videntur, &c.

Seuerus Sulpitius. 400.

In vita D. Martini cap. 4. Cùm intra Gallias quoque discessu sancti Hilarij, quem ad exilium hæreticorum vis coēgerat, turbatam Ecclesiam comperisset, Mediolani sibi Monasterium statuit. Ibi quoque eum Auxentius, auctor & princeps Arianorum, grauissimè insectatus est, multisque affectum iniurijs de ciuitate exturbauit.

Cap.

Cap. 5. Cumquè ab Hilario iam reuerso gratissimè fuisset susceptus, haud longè sibi ab oppido Monasterium collocauit.

Cap. 7. Iam verò sumpto Episcopatu (*Turonico*) qualem se, quantumquè præstiterit, non est nostræ facultatis euoluere. Idem enim constantissimè perseuerabat, qui prius fuerat. Eadem in corde eius humilitas, eadem in vestitu eius vilitas erat. Atque ita plenus auctoritatis & gratiæ, implebat Episcopi dignitatem, vt non tamen propositum Monachi virtutemquè desereret. Aliquandiu igitur adhærente ad Ecclesiam cellula vsus est. Deinde cùm inquietudinem se frequentantium ferre non posset, duobus ferè extra ciuitatem millibus Monasterium sibi statuit. Qui locus tam secretus & remotus erat, vt eremi solitudinem non desideraret. Ex vno enim latere præcisa montis excelsi rupe ambiebatur: reliquam planitiem Liger fluuius, reducto paululum sinu clauserat: vna tantùm, eademquè arcta admodum via adiri poterat. Ipse ex lignis contextam cellulam habebat: multiquè ex fratribus in eundem modum: plerique saxo superiecti montis cauato receptacula sibi fecerant. Discipuli verò octoginta erant, qui ad exemplum beati magistri instituebantur. Nemo ibi quicquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur. Non emere aut vendere (vt plerisque Monachis moris est) cuiquam licebat. Ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur, cui tamen operi minor ætas deputabatur, maiores orationi vacabant. Rarus cuiquam extra cellulam fuit egressus, nisi cùm ad locum orationis conueniebant. Cibum vnà omnes post horam ieiunij accipiebant. Vinum nemo nouerat, nisi quem infirmitas coëgisset. Plerique camelorum setis vestiebantur: mollior ibi habitus pro crimine erat. Quod eo magis sit mirum necesse est, quòd multi inter eos nobiles habebantur, qui longè aliter educati, ad hanc se humilitatem & patientiam coëgerant. Pluresquè ex his postea Episcopos vidimus. Quæ enim esset ciuitas, aut Ecclesia, quæ non sibi de Martini Monasterio cuperet sacerdotem?

De Virtutibus Monachorum Orientalium Dialog. 1. *cap.* 4. Longum est, si omnia cupiam referre, quæ vidi: tamen pauca perstringam è pluribus. Haud longè ab eremo contigua Nilo multa sunt Monasteria: habitant vno loco plerunque centeni, quibus summum ius est sub Abbatis imperio viuere, nihil arbitrio suo agere, per omnia ad nutum illius potestatemquè pendere. Ex his, si qui maiorem virtutem mente conceperint, vt acturi solitariam vitam se ad eremum conferant, non nisi permittente Abbate discedunt. Hæc illorum prima virtus est parere alieno imperio. Transgressis ad eremum Abbatis illius permissione panis vel quilibet cibus alius ministratur, &c.

Paulinus Nolanus. 410.

Epist. 3. Sed super hoc institutum concludam: ita Domini gratiam farina nostra in fratris Victoris manu sensit, vt quæ vix ante sufficiebat panibus, nunc abundet & pultibus, fraternitatemquè monacham, vespertinis post ieiunia cibis auidam, duplici ministerio fermentatis viribus, aut soluto farre distentat.

Natali 10. sancti Felicis:

Vita prior pereat, pereat ne vita futura:
Sponte relinquamus mundum, non sponte cauendum,
Sponte nisi fugimus: moriamur, ne moriamur:
Lethalem vitam vitali morte tegamus.
Terrena intereat, subeat cælestis imago,
Et Christo vertatur Adam, mutemur & istic,
Vt mutemur ibi, qui nunc permanserit in se,
Idem & in æterno non immutabitur à se.

Paulus Orosius. 420.

Lib. 7. *cap.* 33. Valens Imperator velut effrenatâ libertatis audacia legem dedit, vt Monachi, hoc est, Christiani, qui ad vnum fidei opus, dimissa secularium rerum multimoda actione, se redigunt, ad militiam cogerentur. Vastas illas tunc Aegypti solitudines, arenasquè diffusas, quas propter sitim ac sterilitatem, periculosissimamquè serpentum abundantiam conuersatio humana non nosset, magna habitantium Monachorum multitudo compleuerat. Huc Tribuni & milites missi, qui sanctos ac veros milites Dei, alio nomine persecutionis abstraherent, interfecerunt ibi agmina multa Sanctorum.

Hilarius Arelatensis. 440.

In vita sancti Honorati: Verùm ille tam integram in sacerdotio Monachi humilitatem conseruabat, quàm plenè Monachus sacerdotij merita possederat. Industria illic sua sufficiens electis Dei Ecclesiæ templum excitatur, apta Monachorum habitaculis tecta consurgunt, negatæ à seculis aquæ largiter fluunt. Quæ adhuc terra, quæ natio in Monasterio illius ciues suos non habet? Quam ille barbariem non mitigauit? Quoties de immanibus belluis quàm mites fecit columbas?

Leo Magnus. 450.

Epist. 92. *ad Rusticum Narbonensem Episcopum cap.* 12. Propositum Monachi proprio arbitrio, aut voluntate susceptum deseri non potest absque peccato. Quod enim quis vouit Deo, debet reddere. Vnde qui derelicta singularitatis professione, ad militiam, vel ad nuptias deuolutus est, publicæ pœnitentiæ sanctificatione purgandus est. Quia etsi innocens militia, & honestum potest esse coniugium, electionem tamen meliorem deseruisse transgressio est.

Faustus Rhegiensis. 460.

Institutione ad Monachos: Dico, charissime, non grandis spes est, si nauis in fluctibus constituta, licet ipsa non pereat, tamen iacturam maximam de honore ac mercibus suis faciat, & ad portum vacua perueniat: sic non grande gaudium est, si aliquis ad seculi fluctus reuertens, nomen atque habitum professionis suæ custodire videatur, anima verò eius negligentijs tabescat ac defluat. Et quid grauius, quando subitò tanquam aliquis repentinus eradicarius de loco, ad quem te Dominus tuus vocauerat, in quo te primùm post mala seculi quasi in portum de tempestate induxerat, obliuisci subitò fraternæ societatis, & consolationis, & loci illius, in quo primùm dulcissimum immutationis habitum & nomen secularis exueris?

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 28. Quomodo nauis, postquam pelagi fluctus euaserit, si in portu destinata non fuerit, de minutissimis guttis impletur & mergitur: sic & Monachus, deuictis & superatis seculi tempestatibus, & mundi huius criminibus, quasi periculosis fluctibus, cùm ad portum Monasterij venerit, si subrepentia, & minuta, & quotidiana peccata, de animæ suæ sentina exhaurire neglexerit, in ipso portu naufragij discrimen incurrit, &c. Sicut gaudendum est de illo, qui ad Monasterium veniens, mansuetudinem, obedientiam, & patientiam voluerit mitis & humilis exhibere: ita è contrario, lugendum est de illo, qui corpore tantùm de seculo exisse videtur, corde tamen in mundo aut remansisse infideliter, aut infeliciter redisse cognoscitur, & pro humilitate profert superbiam, pro patientia iracundiam, contemptum pro obedientia, pro charitatis medicamēto malitiæ effundit venenum.

Saluianus Massiliensis. 480.

De Prouidentia Dei lib. 8. Ita igitur & in Monachis, hoc est sanctis Dei Afrorū probatur odium: quia irridebant scilicet, quia maledicebant, quia

infectabantur, quia detestabantur, quia omnia in illo pene fecerunt, quæ in Saluatorem nostrum Iudæorum impietas fecit, &c. Eos non sine causa oderunt, in quibus omnia sibi æmula & inimica cernebant. Illi enim viuebant iugiter in nequitia, isti in innocentia: illi in libidine, isti in castitate: illi in ludis, isti in monasterijs. illi prope iugiter cum diabolo, isti sine cessatione cum Christo. Non sine causa itaque istud fuit, quòd intra Africæ ciuitates, & maximè intra Carthaginis muros, palliatum & pallidum, & recisis comarum fluentium iubis ad cutem tonsum videre, tam infelix ille populus, quàm infidelis sine conuitio atque execratione vix poterat. Et si quando quis Dei seruus aut de AEgyptiorum Cœnobijs, aut de sacris Hierosolymorum locis, aut de sanctis Eremi venerandisquè secretis, ad vrbem illam officio diuini operis accessit, simul vt in populo apparuit, contumelias, sacrilegia, & maledictiones excepit.

Gelasius. 490.

Epistola ad Episcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam constitutos, cap.3 Si quis de religioso proposito, à disciplinis monasterialibus eruditus, ad munus clericale accedat, imprimis eius vita præteritis acta temporibus inquiratur.

Alcimus Auitus. 500.

Libro ad sororem de consolatoria castitatis laude cap.3.

Sed tibi cùm geminum tetigerunt tempora lustrum,
Mox stola syrmate velat te candida cultu.
Virginitatis habitumque decens, quem mater amictum
Religiosa tibi manibus confecerat, &c.

Concilium Agathense. 506.

Cap. 19. Sanctimoniales, quantumlibet vita earum & mores probati sint, ante annum ætatis suæ quadragesimum non velentur.

Cap. 27. Monasterium nouum, nisi Episcopo aut permittente, aut probante, nullus incipere aut fundare præsumat. Monachi etiam vagantes ad officium clericatus, nisi eis testimonium Abbas suus dederit, nec in ciuitatibus, nec in parochijs ordinentur.

Cap. 28. Monasteria puellarum longius à Monasterijs Monachorum aut propter insidias diaboli, aut propter oblocutionem hominum collocentur.

Concilium Aurelianense Primum. 506.

Cap. 23. Monachus in Monasterio conuersus, si postea pellici aut vxori fuerit sociatus, tantæ præuaricationis reus, nunquam Ecclesiastici gradus officium sortiatur.

Eugippius. 510.

Vita S. Seuerini cap. 43. Grande nefas est peccata sectari hominem secularem, quanto magis Monachos, qui blandimenta seculi, quasi atrocem bestiam fugientes, Christum cunctis affectibus prætulerunt, quorum incessus & habitus creditur esse documentum.

Cassiodorus. 540.

In Psalm. 103. Illic passeres nidificabunt, herodij domus dux eorum. Passer minuta & cautissima nimis auis est, Monachorum significans paruitatem, qui in cedris Libani, id est, in patrimonijs potentium Christianorum, velut in quibusdam ramis, Monasteria sibi, quasi nidos aliquos, ædificare monstrantur, eorumquè robore sustentati, velut passeres laudes Domini assidua voce præcinunt. Cælestis in terra vita, imitatio fidelium Angelorum, spiritualiter in carne viuere, & mundi vitia non amare, vitam præsentem contemnere, & futuræ beatitudinis gaudia semper exquirere: ad postremum ipsius templum fieri, cuius imaginem conditio humana suscepit. Amœnus reuera paradisus, in quo tanta florent poma virtutum. His enim [?] est propositum est, hostes suos non reluctando vincere, sed patiendo superare: triumphus illis omnis est in proprij corporis passione, & tunc aduersarios efficaciter vincunt, quando laudabiliter succumbunt. Reuera milites Christi, qui nullam præsumptionem in humanis viribus ponunt, sed aduersa omnia virtute Domini superare se posse confidunt. Hi enim cum alijs non habent iurgia, sed secum semper litigant: miserentur omnibus, sibi solis non parcunt, & cælesti charitate flammati, bona, quæ sibi euenire cupiunt, alijs communicare contendunt. Sed magna est gloria illi arbori, vbi nidus iste compingitur. Audiat enim à Domino [?] plantatum, qui tale continere noscitur institutum.

Concilium Aurelianense Quintum. 548.

Canone 19. Quæcunque puellæ seu propria voluntate Monasterium expetunt, seu à parentibus offeruntur, annum in ipsa, qua intrauerint, veste permaneant. In his verò Monasterijs, vbi non perpetuò tenentur inclusæ, in qua veste intrauerint triennium permaneant, postmodum secundùm Monasterij statuta, in quo loco elegerint permanere, vestimenta religionis accipiant. Quæ si deinceps sacra loca relinquentes, propositum sanctum seculi ambitione transcenderint, illæ, quæ in domibus proprijs tam puellæ, quàm viduæ, commutatis vestibus conuersantur cum his, quibus coniugio copulantur, Ecclesiæ communione priuentur. Sanè si culpam sequestratione sanauerint, ad communionis gratiam reuocentur.

Turonensis secunda Synodus. 570.

Cap. 16. Si qui in Monasterio conuersi sunt, aut conuerti voluerint, nullatenus exinde licentiam habeant euagandi, nec (quod absit) vllus eorum coniugem ducere.

Cap. 17. Vt mulier intra septa Monasterij nullatenus introire permittatur. Si Abbas in hac parte, aut Præpositus negligens apparuerit, qui eam viderit, & non statim eiecerit, excommunicetur.

Matisconense Primum Concilium. 573.

Cap. 19. Licet priori titulo legatur definitum, quid de puellis, quę se diuinis cultibus aut parentum, aut sua voluntate dicauerint, debeat obseruari. tamen quia Monacha nomine Agnes, quæ de Monasterij septis fuga ante aliquot annos discesserat, in eodem Monasterio est reuocata, & dicitur (instigante diabolo) agellos, vel quascunque res ad se pertinentes, aliquibus potentibus velle donare, dummodo per eorum patrocinium se possit de intra Monasterij sui septa subtrahere, & voluptatibus seculi clandestina vel singulari habitatione vacare: ideo præsenti constitutione sancimus, vt tam illa, quàm quæcunque alia Monacha, quæ sub hac argumentatione se de religionis habitu ad illecebras seculi, aut res suas, pro tam iniqua inde liberationis causa, quibuscunque dare censuerit, tam illa, quæ hoc dare voluerit, quàm illi, quicunque acceperint, tam diu sint à communis gratia sequestrati, quàm diu res ipsas eis, à quibus has acceperant, digna pœnitentiæ satisfactione restituant.

Gregorius Turonensis. 580.

Historiæ Francorum lib.10. cap.29. de S. Aredio: Construxit templa Dei in honore Sanctorum, expedijtquè eorum pignora, ac ex familia propria tonsuratos instituit Monachos, Cœnobiumquè fundauit, in quo non modò Cassiani, verùm etiam Basilij, & reliquorum Abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, celebrantur regulæ. Beata muliere victum atque vestitum singulis ministrante.

Libro 6. cap. 8. Eparchius Petragoricæ vrbis incola fuit, sed post conuersionem Clericus factus, Engolismum veniens, cellulam sibi ædificauit: in qua

in qua collectis paucis Monachis, in oratione morabatur assiduè. Et si ei aliquid auri argentique offerebatur, aut in necessitatibus pauperum, aut in redemptione captiuorum distribuebat.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.1.epist.38. Et tibi gratum confidimus, si fratris tui viri venerabilis Episcopi Paulini peregrinationis onera releuentur, & sub eius regimine communi mercede B. Theodori Monasterium, in ciuitate tua fundatum, studiosius omnipotenti Deo deseruiat. Quod etiam te iam voluisse facere, eius relatione didicimus. Ideoque rectori patrimonij nostri præcepimus, vt Monachos Monasterij memorati Episcopi perquisitos ad vnum congreget: & in eodem monasterio, cum ijs, qui nunc ibi sunt, collocare non differat: quatenus eo rectore dignius animarum suarum curam exerceant.

Epist.40. Si quos à clericatu in monachicam conuersionem venire contigerit, non liceat eis ad eandem vel aliam Ecclesiam, quarum pridem milites fuerant, sua voluntate denuò remeare: nisi talis vitæ Monachus fuerit, vt Episcopus, cui ante militauerat, sacerdotio dignum præuiderit, vt ab eo debeat eligi, & in loco, quo iudicauerit, ordinari. Propterea experientiæ tuæ iussione præsenti mandamus, vt neque Monacho vlterius de monasterio in monasterium liceat migrare, neque eorum aliquem peculiare quidquam habere permittas.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Eccl. offic. lib.2. cap.15. Primum Monachorum genus est Cœnobitarum, id est, in commune viuentium, instar sanctorum illorum, qui temporibus Apostolorum Hierosolymis vendita & distributa omnia sua dabant indigentibus, qui habitabant in sancta communione vitæ, non dicentes aliquid proprium, sed erant illis omnia communia, & anima vna, & cor vnum in Deum. Horum igitur institutione monasteria sumpsêre principium. Secundum genus est Eremitarum, qui procul ab hominibus recedentes, deserta loca & vastas solitudines sequi atque habitare perhibentur, ad imitationem scilicet Heliæ & Ioannis Baptistæ, qui Eremi secessus penetrauerunt. Hi quippe incredibili mundi contemptu, sola solitudine delectantur, herbis tantùm arescentibus victitantes, aut pane solo (qui eis per certa temporum interualla defertur) & aqua contenti, sicque secretissimi penitus, & ab omni hominum conspectu remoti, diuino tantùm colloquio perfruuntur, cui puris mentibus inhæserunt, cuius amore non solùm mundum, sed etiam hominum consortia reliquerunt. Tertium genus est Anachoretarum, qui iam cœnobitali conuersatione perfecti, includunt semetipsos in cellis, procul ab hominum conspectu remotis, nulli præbentes accessum, sed in sola contemplatione diuina viuentes perseuerant, id est, theoria. Sed isti examinatione Cœnobiorum probati, in omnibus disciplinis Monasterij per triginta annos, ad hanc contemplationem per obedientiam eliguntur.

Act.2.

Concilium Toletanum Quartum. 643.

Cap. 48. Monachum aut paterna deuotio, aut propria professio facit. Quicquid horum fuerit alligatum, tenebit. Proinde his ad mundum reuertendi intercludimus aditum, & omnes ad seculum interdicimus regressus.

Cap. 49. Clerici, qui Monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab Episcopo in monasterijs largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.

Concilium Anglicanum. 673.

Apud Bedam hist. Anglic. lib.4. cap.5. Quæ Monasteria Deo consecrata, nulli Episcoporum liceat ea inquietare, nec quicquam de eorum rebus violenter abstrahere. Ipsi Monachi non migrent de loco ad locum, hoc est, de monasterio ad monasterium, nisi per dimissionem proprij Abbatis, sed in ea permaneant obedientia, quam tempore suæ conuersionis promiserunt.

Beda. 700.

Hist. Anglic. lib. 3. cap.3. Construebantur Ecclesiæ per loca, confluebant ad audiendum verbum Dei populi gaudentes, donabantur munere regio possessiones & territoria ad instituenda Monasteria: imbuebantur præceptoribus Scotis paruuli Anglorum, vnà cum maioribus, studijs & obseruatione disciplinæ regularis. Nam Monachi erant, maximè qui ad prædicandum venerant. Monachus ipse Episcopus Aidanus, cuius Monasterium in cunctis penè Septentrionalium Scotorum, & omnium Pictorum Monasterijs non paruo tempore arcem tenebat, regendisque eorum populis præerat.

Cap.8. Earcongote filia Regis Angliæ magnarum fuit virgo virtutum, indesinenter semper seruiens Deo in Monasterio, quod in regione Francorum constructum est ab Abbatissa Fara, in loco, qui dicitur Brige. Nam eo tempore necdum multis in regione Anglorum Monasterijs constructis, multi de Britannia monasticæ conuersationis gratia Francorum vel Galliarum Monasteria adire solebant: sed & filias suas ijsdem erudiendas, ac sponso cælesti copulandas mittebant: maximè in Brige, & in Cale, & in Andilegum monasterio. Huius virginis Deo dicatæ multa quidem ab incolis loci illius solent opera virtutum & signa miraculorum vsque hodie narrari.

Luitprandus rex Longobardorum. 735.

In Legibus tit.22. §.1. De his fœminis, quæ velamen sacræ religionis suscipiunt, atque à parentibus suis Deo vouentur, atque ipsæ eligunt religionis habitum & vestem monasticam induere, quamquam à sacerdote consecratæ non sint, placuit pro Dei amore, vt in ipso habitu in omnibus perseuerent.

Bonifacius Moguntinus. 740.

Epist. ad Zachariam Papam. Est locus syluaticus in eremo vastissimæ solitudinis in medio nationum prædicationis nostræ, in quo Monasterium construentes, Monachos constituimus sub Regula sancti Patris Benedicti viuentes, viros strictæ abstinentiæ, absque carne & vino, absque sicera & seruis, proprio manuum suarum labore contentos. Hunc locum per viros religiosos & Deum timentes, maximè Carlomannum quondam Principem Francorum, iusto labore acquisiui, & in honorem S. Saluatoris dedicaui.

Concilium apud Palatium Vernis. 755.

Cap. 5. Constituimus, vt Monasteria tam virorum quàm puellarum secundùm Ordinem regulariter viuant.

Cap.6. Constituimus, vt nulla Abbatissa duo Monasteria habere præsumat, nec extra Monasterium licentiam habeat exire, nisi hostilitate cogente: sed Dominus Rex, quando aliquam de ipsis Abbatissis ad se venire iusserit, semel in anno, per consensum Episcopi, in cuius parochia est, vt tum ad eum aliqua veniat ex sua iussione, si necessitas fuerit, & alibi omnino non debeat nec per villas, nec per alia loca demorari, nisi tantùm quàm celerius potuerit ambulare, & reuerti.

Stephanus Secundus. 756.

Epist. ad Pipinum regem: Longobardos serui Dei Monachos, qui pro officio diuino in Monasterijs morabantur, plagis maximis tundentes, plures laniauerunt, & sanctimoniales fœminas atque reclusas, quæ ab infantia & pubertatis tempore pro Dei amore sese clausuræ tradiderunt, abstrahentes, cum magna crudelitate polluerunt.

Paulus Diaconus. 780.

De gestis Longobardorum lib. 6. cap. 13. Monasterium sancti Vincentij Martyris etiam nunc magna congregatione refulget, à tribus nobilibus fratribus Tato, Taso, & Paldo iam tunc ædificatum erat.

Concilium Foroiuliense. 790.

Cap. 12. Monasteria puellarum, quæ sub disciplina regulæ degunt, obstructius munitis claustris, nullo pateant, nisi fortè summa compellente necessitate, aditu virorum. Sed neque Presbyteri, vel Diaconi, vel quilibet de Clero, vel etiam Archimandritis, quasi visitationis vel prædicationis causa, sine permissu Episcopi ciuitatis, sibi licentiam tribuat ineundi. Quin etiam nec Episcopus absque sacerdotibus vel clericis suis, vt decet, & honestè conuenit, adire illuc licentius se existimet. Sed siue ipse, siue quælibet Religiosa persona, alienus ab illicita suspicione, quem morum grauitas ornat, permittente & admonente Episcopo exhortationis vel ædificationis obtentu, quæ ad salutem animæ pertinet, dignum fuerit, vt adeant hæc Deo dicata loca, non aliter, sed cum idoneis testibus peragant, ne propter incautam præsumptionem, sanctæ Ecclesiæ infametur Angelicus ordo. Et nulla vllo vnquam tempore licentia sit Abbatissæ, vel cuilibet Monachæ, transfigurante se satana in Angelum lucis, quasi orationis causa, suggerente eis, Romam adire, vel venerabilia loca circuire.

Carolus Magnus. 800.

Lib. 5. Legum cap. 226. Si Monachus Monasterium suum dimiserit, omnia bona ipsius, & quæ in Monasterium introduxit, Domino Monasterij sint, & ipse officio præsidis seruire cogatur: si verò Monachus ad aliud Monasterium migrauerit, substantiam eius prius Monasterium possideat, & in alio Monasterio ipse non recipiatur.

Lib. 6. cap. 139. Quicunque post sanctæ religionis professionem apostatant, & ad seculum redeunt, & postmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, communionem non accipiant. Quos etiam iubemus ad clericatus officium non admitti.

Concilium Turonense Tertium. 813.

Cap. 24. Simili modo & Abbates Monasteriorum, in quibus Canonica vita antiquitus fuit, vel nunc videtur esse, solicitè suis prouideant Canonicis, vt habeant claustra & dormitoria, in quibus simul dormiant, simulque reficiantur, Horas Canonicas custodiant, victum & vestimenta, iuxta quod poterit Abbas, habeant, quò facilius ad Dei seruitium possint constringi: sintque Abbates sibi subditis bene viuendo duces & preuij, viamque demonstrent, qua rectè gradiendo, ad meliorem vitam peruenire valeant.

Concilium Moguntinum. 813.

Cap. 11. Abbates autem censuimus ita cum Monachis suis pleniter viuere, sicut ipsi, qui in præsenti Synodo aderant, palam nobis omnibus promiserunt, id est, secundùm doctrinam sanctæ regulæ Benedicti, quantum humana permittit fragilitas.

Cap. 12. Ac deinde decreuimus, sicut sancta regula dicit, vt Monasterium, vbi fieri possit, per Decanos ordinetur: quia illi præpositi sæpe in elationem incidunt, & in laqueum diaboli. Hoc tamen omnino volumus, vt Monachi ad secularia placita nullatenus veniant: neque ipse Abbas sine consilio Episcopi sui.

Cap. 13 Abbatissas autem cum sanctis Monialibus omninò rectè ac iustè viuere censemus: quæ verò professionem sanctæ regulæ Benedicti fecerunt, regulariter viuant. Sin autem, Canonicè viuant pleniter, & sub diligenti cura custodiam habeant, & in claustris suis permaneant, neque foras exitum habeant: sed & ipsæ Abbatissæ in Monasterijs sedeant, nec foras vadant sine licentia Episcopi.

Haymo. 820.

Homilia de Martyribus: Rebus & spiritu sunt pauperes perfecti Monachi, qui propter Deum omnia relinquentes, nec corporis proprij potestatem in suo arbitrio relinqunt: & ideo quanto hîc propter Deum sunt pauperiores, tanto in futura gloria erunt ditiores.

Concilium Parisiense. 829.

Lib. 1. cap. 46. Comperimus etiam quosdam Canonicos, & Monachos, posthabito religionis suæ pudore, Monasteria sanctimonialium tam Monacharum, quàm Canonicarum, inconsulto Episcopo suo, impudenter atque irreuerenter adire; qui obtendere solent, se non ob aliud illuc accedere, nisi aut propinquitatis, aut familiaritatis, aut certè nescio cuius collocutionis gratia. Quod factum quia nec Canonico, nec Monastico conuenit proposito, prorsus interdicimus, nisi fortè causa prædicationis, aut certè ineuitabilis necessitas id facere coëgerit. Et hoc nullatenus sine licentia Episcopi, aut illius, qui vice illius fungitur, fieri præsumatur.

Concilium Meldense. 845.

Cap. 9 Sacrum quoque monasticum ordinem, à Deo inspiratum, & ab ipsis Apostolis fundatum, seu à nominatissimis ac sanctissimis Patribus excultum, atque per istud imperium à vestris piæ memoriæ prædecessoribus propagatum, laicorum curæ & potestati vos commisisse dolemus. Quapropter pro Christo deuotissimè obsecramus, vt tam magnam offensam, & iustam reprehensionem, atque periculosam sine exemplo præcedentium præsumptionem, ab animabus vestris, & felicitate regni vestri pellatis, & loca venerabilia, & habitum ac ordinem sacrum, eis, qui ad hoc vocati sunt, viris scilicet ex clericali & Ecclesiastico vel Monastico ordine religiosis, seu & in suo sexu fœminis Deo dicatis, atque deuotis, atque in schola Christi eruditis, ad custodiendum & prouidendum committatis, qui & quæ Dei sunt, Deo; & quæ sunt Cæsaris, Cæsari reddant, &c. Matt. 22

Nicolaus Primus. 860.

Apud Gratianum dist. 27. C. Quod interrogasti. Fœmina, quæ post obitum mariti sui sacrum velamen super caput suum imposuit, & finxit se sub eodem velamine Monialem esse, postea verò ad nuptias redijt, debet pœnitentiam agere de illusione nefanda, & reuerti ad id, quod spopondit.

Paschasius Ratbertus. 880.

In vita Adelhardi: Despiciens itaque Pharaonis regni diuitias, peruenit tandem, vt Monachus velut Moyses in Eremo Dei frueretur alloquijs. Neque enim adhuc seculo ita calceatus poterat cæleste visum in monte videre: sed exutus his omnibus, & sanctificatus, Dei agente gratia, Discipulus factus est Saluatoris. Legerat ergo: *Nisi quis renuntiauerit omnibus, quæ possidet, adhuc & semetipsum, non potest meus esse discipulus.* Et ideo deposuit aselli onera, vt facilius arctam & strictam viam mandatorum Dei curreret. Quibus depositis, Corbeiæ, imò Christi ibidem expetijt fontem. Luc. 14.

Concilium Triburiense. 895.

Cap. 26. Si quis Monachus pro lucro animæ, vel animarum, à suo Monasterio exire, & aliud proposuerit intrare, consentientibus Episcopo, Abbate, & fratribus, consentimus & concordamus: quia id fecisse multos Sanctos legimus. Si verò fuga regularis disciplinæ elapsus, propositum sanctitatis calcauerit, omnimodis coercendus, & ab hominibus detestandus, atque omni onere est grauandus: vt saltem rubore verecundiæ confusus, & onere paupertatis afflictus redeat, quem relicta singularitatis professione inimicus tene-

bat. Si autem tam irreuerens & pertinax est, vt ad Monasterium redire, & propositum Monachi reluctauerit obseruare, impleantur super eum constituta, quæ de eo scripta sunt in sancto Canone in Concilio Chalcedonensi cap. 4. Papæ Syricij 6 Leonis 26. quatenus retrusus ergastulo, decoqui possit pœnitudinis igne purgatorio.

Regino Prumiensis. 910.

Libro 2. Annalium de anno 868. Ferunt de gentis Bulgarorum Rege, quòd tanta perfectione post perceptam Baptismi gratiam cœperit, vt diebus ornamentis regijs indutus coram populo procederet, noctibus verò sacro vestitu latenter Ecclesiam intrans, super pauimentum ipsius Basilicę substrato tantùm sibi cilicio, prostratus in oratione iaceret, non post multum tempus diuina inspiratione commotus, regnum terrenum dimisit, vt in cælis æternaliter regnaret cum Christo. Et ordinauit in suum locum Regem filium suum maiorem natu, comam capitis deposuit, habituqúe sanctæ conuersationis suscepto, Monachus effectus est, eleemosynis, vigilijs, & orationibus, die noctuqùe intentus.

Notgerus. 960.

Vita S. Remacli cap. 11. Ex voluntate Dei, inquit Rex, & vestro, cæterorumq; nobis fidelium consensu, duo statuimus condere Monasteria intra fines Arduennæ. In quibus degant viri religiosi, Monasticæ vitæ cultores, qui pro nostra & successorum nostrorum incolumitate, & totius regni stabilitate & tranquillitate, atque eorum, qui curis regni distinentur, conseruatione, Deum omnipotentem deprecentur.

Smaragdus Abbas. 960.

Ad cap. 1. Regulæ S. Benedicti: De hoc Cœnobitarũ perfectorum numero & vita dixerim fœcundissima radice, sanctorum & Anachoretarum posthæc flores fructusqúe prolati sunt. Cuius professionis principes fuerunt Paulus & Antonius, qui non, vt quidam, pusillanimitatis causa, nec impatientiæ morbo, sed desiderio sublimioris profectus, contemplationisqúe diuinæ solitudinis secreta sectati sunt.

Ioannes Decimus tertius. 970.

Epistola ad Theodoricum Metensem Episc. Conuenit nos Apostolico moderamine sancta venerabilia loca, quæ dudum fuerant in ruinis, magnaq; inopia & paupertate degentia, oportunè ordinare, seu ad meliorem sine dubio statum perducere, præsertim vbi illa perantur, quæ non ad commodum temporale, sed ad perpetuam prouidentiam pertinent Domino seruientium animarum, scilicet, vt venerabilis locus, qui à Theodorico dilectissimo filio nostro in vno conglobatus atque annexus est, cum proprijs congregationibus, quæ regulariter in psalmis, hymnis, & orationibus Deo Saluatori nostro Iesu Christo peruigiles excubias exhibent, ab insolentijs exterioribus circummunitæ iugiter valeant pij famulatus officia in Monasterio sancti Vincentij exhibere: & quoniam constat tuam religiositatem huius priuilegij Apostolicam confirmationem postulare à nobis, propter immutationes temporalium rerum, variosqúe hominum casus, munitionem S. Vincentij Martyris Christi, cum omnibus ad idem Monasterium pertinentibus, atque corroborationem tui tuæq; congregationis, & successorum tuorum, in perpetuum fieri censuimus, quatenus nunc (sicut à te disponuntur) ita in posterum vsque in finem conseruentur: & vt illa congregatio inconcussa in vnum Deum perseuerans, sedulas laudes Deo persoluere valeat, & sicut à Deo eorum studia imbuta sunt iugiter perseuerare liceat, atque sub vno Abbate iam prædictus locus constitutus, in honore S. Vincentij indiuisus sit, & indiuisa congregatio.

Petrus Damianus. 1056.

Serm. 5. de S. Nicolas Episc. Contemne igitur hæc omnia, quæ omnia contemnenda sunt, & de his omnibus fac sarcinam tuam, contemptum mundi. Decursa verò hac regione, & quod pretiosus est inde sublato, transi ad secundam, quæ est paradisus claustralis: verè claustrum est Paradisus, hic prata virentia Scripturarum, præterfluens lachrymarum vndositas, quam de purissimis affectibus, amor ille cælestis eliquat. Hic sunt arbores erectissimæ, chori Sanctorum, nullaqúe est, quę non multa fructus gaudeat vbertate. Hæc est illa sublimis mensa, in qua Deus est & cibans, & cibus, munerans & munus, offerens & oblatum, conuiua & conuiuium. Hic aggestę sunt omnipotentis diuitię, hic refusa est gloria Angelorum. Putasne nullas hic esse nundinas, & otiari illos, qui habitant vnius moris in domo? Videas hunc sacris lectionibus intendentem, illum incumbentem orationibus, hunc pro suis excessibus lachrymantem, illum in Dei laudibus exultantem, hunc vigilantem, ieiunantẽ illum, & officia pietatis sibi ad inuicem inuidere. Nocte consurgunt ad confitendum Deo: vespere, mane, ac meridie narrant & annuntiant laudem eius: & omnis illorum sedulitas in orbem diuini rotatur obsequij. Curre ergo per omnes, curre per singulos, & de vniuersis ac singulis fac sarcinam tuam, formam viuendi.

Epist. 3. cap. 11. Profectò Monachus, si ad proferendos fructus boni operis sit intentus & feruidus, nihil inter homines potest esse præstantius: alioquin si frigidus & infœcundus arescat, ac dormiens stertat, iure, tanquam vitis alga, despicitur, & ipsis quoque secularibus non æquatur.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Epistol. 3. Multi dicunt: Grauius Deus irascitur peccante Monacho, quàm alio: quia de proposito altiori cadit. Hoc verum est, quàm diu cadit in peccato. Sed certè benignius & familiarius suscipit Deus Monachum pœnitentem, si ad suum propositum redit, quàm non Monachum, qui ad idem propositum non venit. Multa de Monarchicæ vitæ altitudine & celsitudine, de quiete & iucunditate dicere possem, si epistola modum non excederet. Festina ergo ad tantum bonum: quia nullo bono efficacius venies ad summum bonum.

Epistol. 11. Certus esse debes, quia cùm teipsum Deo totum vouisti, & reddidisti per Monachicam professionem, soluisti omnia minora vota quarumlibet actionum, quæ prius sine iureiurando, & fidei alligatione promisisti.

Edinerus Anglus. 1100.

Vita Anselmi lib. 1. Ter, inquit Anselmus, antiquus serpens, insurrexit in Osbernum Monachum, quia de peccatis, quæ post baptismum admiserat, priusquam à parentibus ad seruitium Dei in Monasterium offerretur, illum diabolus accusauit. De peccatis etiam, quæ post oblationem parentum ante professionem suam fecerat, illum accusauit: de peccatis nihilominus, quæ post professionem ante obitum egerat, illum accusauit. Sed ter cecidit in semetipsum. Quia peccata, quæ in seculo constitutus admiserat, per fidem parentum, quando eum Deo obtulerunt, deleta inuenit. Et peccata, quæ postmodum in Monasterio degens ante suam professionem fecerat, in ipsa professione deleta inuenit. Peccata etiam, quæ post professionem ante obitum suum egerat, per veram confessionem & pœnitentiam deleta atque dimissa in ipso eius obitu diabolus confusus inuenit.

Franco Affligemensis. 1110.

Epistol. quòd Monachus abiecto habitu non possit saluari: De quorum collegio ille tuus nescio quo no-

mine censendus, qui iam nec clericus, nec Monachus: vtpote, qui alterius habitum proiecit, alterius illicitè vsurpauit, sicut à patre suo didicit, in operimentum nuditatis suæ folia fici modò consuit, quicquid libet licere sibi asserit: vt pridie Monachus, hodie sit clericus, cras vel perendie, nisi quod corio suo metuit, miles futurus. O ordo, sine ordine! ô defectus, non profectus! ô quanto melius, ô quanto salubrius pijssimo illi & omnipotenti medico vulnera sua detegeret, emplastrumquè pretioso sauguine Agni incontaminati confectum putridis vulneribus, die noctuq; lachrymando, gemendo, suspirando ab eo inquireret, &c. Monachus renuntians parentibus, facultatibus, voluptatibus, ad extremum, quod & suum est, & propriæ voluntati renuntians, ac iugo obedientiæ Christi ceruicem humiliter inclinans, manum ad aratrum mittit: quæ si aliquando diabolo suadente proiecto habitu repetit, procul dubio retro respicit.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Lib. 1. de pietate cap. 8. Ordines habitumquè Monasticum secundum baptismum sancti Patres dicere non dubitauerunt.

Honorius Augustodunensis. 1120.

In speculo Ecclesiæ: Recordemur, quòd seculum pro suprema patria reliquimus, & quod claustralem seruitutem pro æterna libertate subiuimus. Claustralis namque disciplinę obseruatio est, quasi cuiusdam camini examinatio, in qua rubigo peccatorum nostrorum debet purgari, & imago Dei in animabus nostris reformari. Postquam verò in igne tribulationis, vt aurum probabimur, tunc de fornace sumpti, in palatio cælestis regis Angelis coæquabimur. Qui enim Monachi nuncupamur, intus Martyres computamur, si pro confessione factis exæquamur. Martyres namque quamuis grauia, tamen breuia sunt perpessi supplicia. Claustralis enim inclusio, regularis districtio, vestium abiectio, piatorum inuectio, iuge silentium, alienum imperium, crebra ieiunia, assidua flagella, iuges vigiliæ, quotidianarum horarum excubiæ, insuper confessionis confusio, pœnitentię amaritudo, publica coram fratribus obiurgatio, vel corporis castigatio, orationum instantia, lectionum vigilantia, hæc omnia sunt magna carnis cruciamenta. Et ideo quantum ab argento auri pretium, tantum differt ab alijs iustis nostræ remunerationis præmium.

Hugo Victorinus. 1130.

Sermone 72. Per speciosa deserti conuenienter intelligimus sanctos viros solitarios, qui à mundi strepitu remoti, in saltibus nemorum & locis desertis habitant, & eadem loca sua sancta conuersatione decorant & adornant. Ex his speciosis deserti Helias extitit, dum ad torrentem Carith solus pluribus diebus sedit, & dum in deserto Bersabeæ, sub iunipero quieuit, dumq; in monte Sinai in spelunca mansit. Ex speciosis, imò speciosissimum deserti B. Ioannes Baptista fuit, qui pilis camelorum indutus, locustas & mel syluestre in deserto comedit, & aquam bibit. Speciosa quoque deserti fuerunt innumerabiles Aegyptiorum Monachorum multitudines, ex quibus alij in alijs locis deserti habitabant, centeni ac milleni. Speciosa deserti sunt multa millia Monachorum, seu Canonicorum in saltibus nemorum, aut locis solitarijs hodie degentium, vt sunt Carthusienses, Cistercienses, Præmonstratenses, & illi, qui dicuntur de magno monte, & alij plures Eremitæ, vel Anachoritæ, plures pariter aut pauciores, soliue locis desertis commorantes, & ipsum desertum suæ sanctitatis perfectione decorantes. Tales enim vniuersi desertum speciositate suæ iustitiæ adornant, in eo conseruantes religiosè, exemplo, verbo, silentio, abstinentia, labore, continentia, labore manuum, asperitate vestium, duritia lectorum, continuatione vigiliarum, spiritualium melodia cantuum, instantia orationum, eleemosynæ largitate, hospitalitatis humanitate, cunctarum denique exercitatione virtutum, ac bonorum exhibitione operum. Ista ergo reuera speciosa deserti sunt, & in his, quæ dicta sunt, non in carne, sed in spiritu mirabiliter quotidie pinguescunt. Dum enim carnem macerant, spiritum impinguant: dum carnem debilitant, spiritum roborant: dum carni foris parum auferunt, intus spiritui multum conferunt. *Id enim quod in præsenti est momentaneum & leuè tribulationis eorum, supra modum in sublimitatem æternam gloriæ pondus operatur in ijs.*

Bernardus. 1130.

Apologia ad Guilhelmum Abbatem: Heu me miserum qualemcunque Monachum, cur adhuc viuo, videre ad id deuenisse Ordinem nostrum, Ordinem scilicet, qui primus fuit in Ecclesia, imò à quo cœpit Ecclesia, quo nullus in terra similior Angelicis ordinibus, nullus vicinior ei, quæ in cælis est Hierusalem mater nostra, siue ob decorem castitatis, siue propter charitatis ardorem: cuius Apostoli institutores, cuius hi, quos Paulus tam sæpe sanctos appellat, inchoatores extiterunt? Et quidem inter illos, cùm nihil quod suum esset quispiam retinuisset, *diuidebatur* (vt scriptum est) *singulis prout cuique opus erat.*

De præcepto & dispensatione cap. 23. Audire & hoc vultis à me, vnde inter cætera pœnitentiæ instituta Monasterialis disciplina meruerit hanc prærogatiuam, vt secundum baptisma nuncupetur? Arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, & singularem excellentiam vitæ spiritualis, qua præeminens vniuersis vitæ humanæ generibus huiuscemodi conuersatio, professores & amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit: imò diuinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo instar baptismi. Et quasi denique secundò baptizamur, dum per id, quòd mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram, rursum Christum induimus, complantati denuò similitudini mortis eius. Sed & quomodo in baptismo eruimur de potestate tenebrarum, & in regnum transferimur claritatis æternæ: ita & in sancti huius secunda quadam regeneratione propositi de tenebris æquè, non vnius originalis, sed multorum actualium delictorum in lumen virtutum euadimus, redaptantes nobis illud Apostoli: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit.*

Petrus Cluniacensis. 1140.

Lib. 3. epist. 2. Vnde & ipse Dominus, vt non mitigari, sed vehementius instigari, solitudine atque ieiunijs inimicum salutis humanæ demonstraret, & suos ad ei resistendum præpararet: non priusquam in desertum à spiritu duceretur, nec antequam quadraginta diebus ac noctibus ieiunaret, diabolum ad se tentandum admisit. Testes sunt & Patres antiqui, Antonius Hilarion, Macarius, & cæteri ob solitariam conuersationem acrioribus aduersarij impugnationibus fatigati. Nam claustralium communiter viuentium cohabitatio castrorum ad pugnam ordinatorum multitudini videtur comparari: vbi quisque tanto securius aduersus aduersarium dimicat, quanto sibi vicinius adiutorium de commilitonis dextera sperat. In illo enim prælio non solùm de sua qualibet præliator virtute præsumit, sed etiam de aliorum dextera, læuaquè compugnantium viribus quandoque magis, quàm de suis confidit.

Otto Frisingensis. 1150.

Lib.7.Chronicorum cap.35. Igitur exceptis his, qui piè, sobriè, iustè, ex Clericis & laicis, sua tamquam non sua possidentes, fratrum necessitatibus misericorditer deseruiunt, diuersa sunt Sanctorum agmina, qui proprijs desiderijs, facultatibus, parentibus, iuxta mandatum Euangelicum, abrenuntiantes, crucemq; mortificationis in carne iugiter portantes, cælesti desiderio pleni, Christum sequuntur. Quorum alij in vrbibus, castellis, vicis, & agris cōmorantes, proximis normam rectè viuendi verbo & exemplo tribuunt: alij quidem commanentiam hominum aspernantes, & quieti suæ amplius prouidentes, frequentiam fugiunt, soliqúe Deo vacantes ad syluarum abditorumq; locorum latibula se conferunt. Illi lucem suam coram hominibus lucere ad gloriam Dei non abnuunt. Illi mortuos se mundo cognoscentes, vitam suam cum Christo in Deo in præsenti abscondunt, gloriamq; suam, donec Christus vita eorum gloriosus appareat, enitescere non cupiunt. Aequè tamen omnes, vitæ & conscientiæ puritate ac sanctimonia cælesti, etiam Angelica in terris vita degunt. Commanent autem cor vnum & animam vnam habentes in vnum in Cœnobijs, vel Ecclesijs, somnum simul capiunt, vnanimiter ad orationem surgunt, in vna domo reficiuntur, pariter orationi & lectioni, operiq; die noctuq; ita indefessa incumbunt vigilantia, vt excepto illo, quo lassa quieti membra, vilibus & vimineis stramentis, seu sago tradunt momento, aliquod horarum spatium, sine diuina occupatione nefas arbitrentur effluere.

Petrus Blesensis. 1160.

Epist.40. Disciplina Monastica vnica est clauis innocentiæ, religionis anchora, custos Ordinis, & per quam spiritualiter motus animi reuocantur à malo, & stabiliuntur in bono.

Hildegardis. 1150.

In Quæstionum solutionibus: Eremitæ, siue Monachi, qui propter Christum seculo renuntiauerunt, sine societate secularis pompæ viuere debent, sicut virgo post votum sine memoria viri: quia virgines & Monachi inter Angelicos ordines idem sunt. Quoniam sicut Angeli nihil aliud, quàm faciem Dei inspicere desiderant: sic & ipsi omnibus pompis secularibus abiectis, Agnum Dei, Christum scilicet, crucem eius baiulantes, sequuntur, in quibus propter verum contemptum seculi rutilantes flores Dominicæ passionis generant.

Ioannes Salesberiens. 1160.

Lib.7.Polycraticon.cap.21. Claustrales, qui planè verè religiosi sunt, dum professionibus seruiunt, ab hac malitia immunes sunt. Nulla vita fidelior, nulla simplicior, nulla felicior, quàm eorum, qui in claustris fideliter degunt, & humiliter abiectione sua gaudentes, obedientes Prælatis suis, in omni subiectione & reuerentia, nec appetentes sub obedientiæ nomine dominatum, aut fraudandi, aut vagandi, aut otiandi licentiam, vasa sua possidentes in sanctificatione & honore, præstolantes in silentio & patientia salutare Dei, à detractione & murmure alieni, excipientes ab ore Domini in quiete verbum, quod potest saluare animas suas, grata miscentes cum Deo colloquia, & quasi terrestres Angeli sunt, totius mundanæ perturbationis ignari.

Cap. 23. Sancti sunt vtique Cistercienses Monachi, sancti Cluniacenses, sancti Monachi, & Canonici regulares, & in his, sicut stella à stella differt in claritate, sunt alij alijs sanctiores: & quamuis professionem professio antecedat, in quauis eorum fortè reperientur, qui possint sanctia superioribus adæquari.

Helmoldus. 1170.

In Chronico Slauorum lib.3. cap.9. Quid olim erat vita Monachorum, nisi puritas innocentiæ, semita iustitiæ, viuendi forma, via paradisi? Hæc enim est Angelorum socia, Apostolorum assecla, Martyrum lætitia, Confessorum gloria, Virginū corona. Hanc Præcursor Domini Ioannes, primus Eremiticam vitam ducens, docuit, Christus in deserto ieiunans confirmauit, Eremitarum signis & virtutibus extulit, & Cœnobitarum innumera multitudo toto orbe terrarum dilatauit. Hanc vt cognouerūt Principes, glorificauerunt, eamq; super aurum & topazion diligentes, patrimonia latissima conferendo, copiosissimè dilatauerunt.

Adam Villorinus. 1180.

In Dialogo de instructione animæ, capite de lege claustrali: Suauis profectò, & non dura: leuis, & non grauis est lex claustri, præsertim ei solūm, qui eam humiliter, & perseueranter tenere voluerit. Nam in claustro scrutaris profunditates, sacrarum Scripturarum expositionem, narrationes diuinæ legis, exemplorum & dulcissimum percipis ruminasqúe cibum Psalmorum.

Concilium Lateranense sub Alexandro Tertio. 1180.

Parte 1.cap.10. Monachi non pretio recipiantur in Monasterio, non peculium permittantur habere, non singuli per villas & oppida, seu ad quascunque Parochiales mittantur Ecclesias: sed in maiori conuentu, aut cum aliquibus fratribus maneant, nec soli inter seculares homines spiritualium hostium conflictionem expectent.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 2. in Festo omnium Sanctorum: Propter hoc summum bonum adipiscendum & obtinendum deseruistis seculum & eremum elegistis, non quamcunque, sed illam videlicet, quam Pater & Patronus noster B Benedictus elegit, in qua vitam Monasticam constituit, & Monasterium ordinauit. Cuius vtique statuta non solummodò propter votum, sed etiam propter locum tenemini custodire.

Adelredus. 1200.

In Speculo amoris cap. 47. Seculi abrenuntiatio, castitatis propositum, cuiuslibet arctioris vitæ professio, inter voluntaria sacrificia computantur.

Concilium Lateranense sub Innocentio. 1215.

Cap.12. Diœcesani Episcopi Monasteria sibi subiecta ita studeant reformare, vt cūm ad ea Visitatores accesserint, plus in illis inueniant quod commendatione, quàm quod correctione dignum sit, attentissimè præcauentes, ne per eos dicta Monasteria indebitis oneribus aggrauentur. Quia sic volumus superiorum iura seruari, vt inferiorum nolimus iniurias sustinere.

Cæsarius Heisterbachius. 1220.

Lib.8.cap.19. Duplex est religiosorum crucifixio, hominis interioris, per alienam compassionem: & hominis exterioris, per propriam carnis mortificationem. Crux dicitur à cruciatu: Crux Monachorum rigor Ordinis est, tum propter vigilias & orationes, tum propter ieiunia & castigationes, tum propter silentium & opera manuum, tum propter carnis continentiam & vestimentorum stratiqúe duritiem. Qui autem sunt Christi? qui cum Apostolo dicere possunt: *Christo confixi sumus cruci:* carnem suam crucifixerunt, id est, cruci affixerunt cum vitijs operum, & concupiscentijs desideriorum pugnantes. Nec ponuntur illi duo genitiui plurales instrumentaliter, Galat. 2

sed passiue, eò quòd per virtutes in carnis maceratione mortificentur. Tres claui, quibus corpus Monachi cruci debet esse affixum, tres sunt virtutes, per quas, teste Hieronymo, Martyres efficiuntur, scilicet obedientia, patientia, humilitas. Manum Monachi dextram configat obedientia sine murmuratione, sinistram patientia sine simulatione: clauum obedientiæ impellat amor supernæ libertatis: clauum patientiæ timor pœnæ gehennalis.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Moribus cap. 9. In hoc pauperes efficiuntur viri religiosi, religionem intrantes, quòd possessioni & dominio diuitiarum, & iuri earum in eis, iurique determinato siue particulari renuntiant. Etsi enim in communi massa (vt ita loquamur) bonorum Monasteriorum, quorum religioni voto se obligant & obstringunt, vsum habeant victus, & vestitus, vt fratres & filij, non tamen hanc partem numero, neque hunc vsum numero, sed vsum in communi, & illum vsum necessarium.

Rodericus Toletanus. 1240.

De Rebus Hispanicis libro 7. *cap.* 33. Rex Aldephonsus vt Altissimo complaceret, prope Burgis ad instantiam serenissimæ vxoris suæ Monasterium Dominarum Cisterciensis Ordinis ædificauit, & nobilissimis fabricis exaltauit, & multis redditibus & possessionibus varijs sic dotauit, vt virgines sanctæ Deo dicatæ, quæ ibi die ac nocte laudabiliter Deo psallunt, nec inopiam sentiunt, nec defectum, sed structuris claustro & Ecclesia, & cæteris ædificijs regulariter consummatis, expertes solitudinis in contemplatione & laudibus iugiter delectentur.

Guilhelmus Durandus. 1270.

De diuinis Officijs lib. 5. *cap.* 3. Monachorum ordò figurat Cherubim, quæ inter Angelorum Ordines eximior prædicatur. Nam sicut Cherubim, ita & Monachi sex alis velantur, dicente Scriptura: *sex alæ vni, & sex alæ alteri*, &c.

Augustinus Triumphus. 1320.

Quæst. 97. *art.* 4. Solitaria vita maiorem perfectionem requirit quàm socialis. Socialis namquam vita est status volentium perfici ad instructionem in intellectu, per monitionem in affectu, & per correctionem in effectu. Cùm contingit à perfectionis via deuiare. Sed solitaria vita est perfectorum, & talium, qui nullo istorum indigeant. Solitarij enim aliorum consortia spernentes, & ciuiliter & socialiter non conuersantes, necessariò (vt Philosophus dicit) vel sunt vt bestiæ, vel sunt homine meliores. Vnde non solùm secundùm Sanctorum, imò secundùm Philosophorum dogmata, solitariè & virtuosè viuere perfectorum est, & magis tales debent dici quidem Dij, quàm homines, vel tamquam supremi, & perfectissimi homines sunt honorandi & admirandi. Quanto ergo status perfectorum excedit statum perficiendorum, tanto solitaria vita Monachorum excedit vitam viuentium in societate. Si verò loquimur de perfectionis opere, hoc idem patet. Opus enim solitariæ vitæ est contemplatio: socialis verò est actio. Planum est autem, quòd contemplatio præeminet actioni, & est opus magnæ perfectionis, propter Christi exemplum imitandum. De quo
Lucæ 6. scribitur, quòd exijt in montem orare, *& erat pernoctans in oratione Dei*, propter diuinum auxilium impetrandum.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi par. 1. *cap.* 14. Agnoscat Monachus nomen suum. *μόνος* enim Græcè, vnus Latinè: & *ἄχος* Græcè, Latinè tristis dicitur. Inde Monachus, quasi vnus & tristis interpretatur. Sedeat solus, & tristis, & officio suo vacet alienumque officiū non vsurpet. Qui tamen si docere vult, audiat consilium Hugonis, qui dicit: Vilitas habitus tui, & simplicitas vultus, & sanctitas conuersationis tuæ docere debent homines. Melius fugiendo mundum doces, quàm sequendo. Qui etiam secundùm consilium Gregorij reuerentiam sui habitus in actu, in cogitatione, in locutione semper circumspiciat, vt ea, quæ mundi sunt, perfectè deserat, & quod ostendit humanis oculis habitu, hoc ante oculos Dei moribus prætendat. Non ergo gloriaris, quòd in solitudine, vel in religione sis, aut longo tempore fueris, nisi in ea bene vixeris: quia nihil tibi proderit, imò magna damna pateris, si Eremita, vel Religiosus vocaris, & vitam non agis. Vt enim ait Hieronymus: Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est.

Cap. 30. Vis, ô Monache, esse discipulus Christi: imò vis discipulorum eius esse discipulus? Fac quod fecit Petrus, quod fecit Iacobus, & Ioannes: habebant oculum scandalizantem patrem, & nauem, & rete. Dicit eis Iesus: *Venite sequimini me*, abscinditur oculus, & hi sequuntur Iesum. Monachi Apostolorum imitatores sunt, non ergo possumus eos imitari, nisi fecerimus, quòd fecerunt & Apostoli. Nemo ergo Monachorum dicat habeo patrem, habeo matrem, & cætera pietatis charorum nomina. Respondeo tibi. Habes Iesum, quid quæris ista, quæ mortua sunt? Qui habet Iesum, habet patrem, habet matrem, habet filios, habet omnem propinquitatem; quid quæris mortuos? Matt. 8.
sequere viuum, *dimitte mortuos, sepeliant mortuos suos.*

Ioannes Taulerus. 1350.

Sermone 2. *de Circumcisione Domini:* Si quis plura vota emisisset, vt quòd ieiunijs, & precibus ad certum vsque numerum & tempus insisteret, quòd peregrinationis molestiam subiret, limina Apostolorum inuiseret, &c. ab his omnibus absoluitur, dum aliquam subit Religionem & Ordinem: in Ordine quippe & cunctis virtutibus, & ipsi Deo obligatur, astringiturque.

Dominica 17. *post Trinitatis:* Ecclesia sancta ex sancti Spiritus instinctu atque suasu religiosas congregationes atque monasticos ordines instituit, in quibus consilia Euangelica possint adimpleri.

Matthæus VVestmonasteriensis. 1370.

In Chronicis de anno 757. Eadbertus Rex habitum & tonsuram Monachi suscepit. Iste est octauus Rex Anglorum, qui pro Regno temporali commutauerunt æternum, vt octo beatitudinum iucunditatem, quæ voluntariæ paupertati debetur, pro lucro haberent in cælis.

Petrus Aliacus. 1400.

In Speculo considerationis cap. 5. Claustralis solicitudo ab huiusmodi perturbationibus quieta ad purganda peccata liberius poterit intendere, & corrigendo præterita, & præcauendo futura. Cur ita? Quia cum tres sint aduersarij Mundus, Caro, Diabolus, quibus impugnatur humanum genus, & ad peccata atque vitia prouocatur: illa solitaria & spiritualis tranquillitas est velut castrum munitissimum, vbi eorum insidijs ac machinamentis resistitur. Ibi quippe Mundi vanitas contemnitur, carnis vilitas despicitur, & fallax diaboli malignitas facilius euitatur. Ibi contra horum aduersariorum insultus tres turres fortissimæ stabilitæ ac stabiliter firmatæ sunt. Contra mundi auaritiam voluntaria paupertas, contra carnis concupiscentiam

munditia & castitas, contra diaboli superbiam obedientia & humilitas. Quid plura? Ibi aduersus huiusmodi hostium ictus & iacula ieiunijs, vigiliis, orationibus, alijsque regularibus disciplinis atque armis spiritualibus humana fragilitas pugnando ac resistendo protegitur. Imò verò ibi non sufficit peccatis atque vitijs pugnando resistere, sed ea deuota religio satagit vincendo repellere, repellendo purgare, purgando radicitus extirpare.

Thomas VValdensis. 1410.

Tomo 1. libro 3. artic. 1. cap. 6. Cœnobitæ religiosi nostri communiter viuentes, nihil addunt culpabiliter religioni Christi vulgari ex vi status: quia in his additis planè imitantur Apostolos, & primos credentes: de quibus etiam tunc vel multi, vel maior pars religiosi erant, & astricti regulis religionis perfectæ, & distinctæ à religione Christi vulgari. Et ne foret contentio de nomine, imò & Monachi appellati ab Apostolis, & nomine gaudentes religionis, distinctæ à cæteris Christi vulgaribus, dicente Dionysio de Ecclesiastica Hierarchia cap. 7. loquendo de religiosis temporis illius: Diuini nostri Duces, &c. *vt supra.*

Thomas Malleolus Campensis. 1420.

De Imitatione Christi cap. 17. Oportet vt discas teipsum in multis frangere, si vis pacem & concordiam cum alijs tenere. Non est parum in monasterijs, vel in congregatione habitare, & ibi sine querela conuersari, & vsque ad mortem perseuerare. Beatus quidem, qui ibi bene vixit, & feliciter consummauit, &c. Habitus & tonsura modicum conferunt, sed mutatio morum, & integra mortificatio pasiionum, verum faciunt religiosum.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De vita solitaria cap. 12. Nusquam conuenientius, quæ memorata sunt, valebis perficere, quàm in remotis Cœnobijs sanctorum Deo dicatis: nempe si in his laudabiliter fueris conuersatus, quemadmodum multimodam experientiam tentationum, ita singularium percipies rudimenta virtutum. Vbi quæso melius, quàm ibi misericordiæ opera, & mutuæ charitatis poteris complere officium, visitando ægrotos, docendo inscios, & reliqua, quæ ad vtriusque hominis beneficium spectant, peragendo? Ibi sanè in gerendis aliorum oneribus, perferendis infirmitatibus, communicandis laboribus, ac tribulationibus sustinendis, optimè patientiæ perficitur virtus. De obedientia verò quid memorem, cùm sine illa in Cœnobio nil agere liceat? ipsa namque vigilijs mensuram imponit, tempus indicit cellæ, operi manuum iniungit ministerium, ori silentium imperat, diuinas inuitat ad laudes, orationi horas debitas ordinat, totumque sic prudenter religioni concordat, vt humanæ saluti nihil congruentius, nihilque securius Cœnobitarum institutionibus conuenire noscatur.

Dionysius Carthusianus. 1450.

De Reformatione Claustralium articulo 3. Monachus est, qui solùm quæ Dei sunt agit, cogitat, loquitur: Christo vnitus omni tempore, loco, & negotio. Hæc (*Climaci*) descriptio datur de Monacho, secundùm completam monasticæ vitæ perfectionem. Quia ad hoc ordinatur & tendit institutio regularis, atque professio monachalis, vt Monachus, quantum possibile est, in hac vita transcendat & deserat vniuersa carnalia, transitoria, & mundana, omnes suas actiones, cogitationes, affectiones, & locutiones secundùm legem diuinam, & regulæ suæ, aut statutorum tenorem dirigens, & disponens: sicque solùm quæ Dei sunt, id est, quæ Deo sunt placita ac diuina agit, cogitat, loquitur, Christo vnitus actualiter, aut saltem habitualiter, in omni loco, tempore, & negotio: quoniam taliter se habendo non peccat: & quamuis venialia, non tamen mortalia conuersationi suæ miscentur.

Æneas Syluius. 1460.

Epistola ad Morbiscum Turcarum Principem: Quid dicemus de religiosis domibus, in quibus Angelica ducitur vita, & pro peccatoribus assiduè effunduntur preces Domino, nec vnquam cessant diuinæ laudes & psalmodiæ? Benedictus Nursiensis apud nos multorum Monachorum doctor & pater extitit, apud Græcos Magnus Basilius: secuti sunt Bernardus Abbas Claræuallensis, & Bruno, qui Carthusiam instituit. Quotidie sanctorum virorum apud nos augetur numerus, ædificantur noua monasteria, & sancta renouantur instituta. Quos fructus edit Seraphicus Franciscus eximius paupertatis amator? Quot eum discipuli secuti sunt, quot sub eius regula viri sanctissimi floruerunt? Antonius Pataui iacens miraculis clarus: Bernardinus Senensis in Aquila, quem nostra ætas quasi alterum Paulum prædicantem audiuit.

(***)

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Philo.

De vita contemplatiua, siue de supplicum virtutibus: Postquam de Esseis disseruimus, qui vitam actiuam exercent omnibus, aut quod minus inuidiosum dictu est, plerisque felicius: ordo postulat, vt deinceps dicamus, quæ dicenda sunt de contemplatione deditis, nihil affingendo rei ornandæ gratia, sicut poetæ scriptoresque solent, destituti vera honestaque materia, sed simplicissimè veritatem sectando, quam vix vlla eloquentia potest assequi: conabimur tamen, & operam ei nauabimus pro viribus. Non debet enim huiusmodi virorum virtus eximia causam præbere silentij his, qui nihil honestum putant tacendum dissimulandumque. Institutum autem huius philosophiæ mox apparet ex ipsis appellationibus: vocantur enim Therapeutæ, Therapeutridesque, hoc est curatores, & curatrices, siue cultores & cultrices vero nomine; vel quia profitentur medicinam præstantiorem ista vulgata per oppida omnia. Hæc enim medetur solis corporibus: illa & animas liberat morbis grauibus, & aduersus medelas contumacibus, quos inflixerunt voluptates, concupiscentiæ dolores, timores auaritiæ, &c. Relictis igitur facultatibus & auocamentis omnibus, fugiunt sine respectu fratrum, liberorum, parentum, vxorumque, & deserunt numerosas cognationes, societates, amicitias, ipsas denique patrias, in quibus geniti educatique sunt: quandoquidèm consuetudo magnum momentum habet ad allectandos animos. Demigrant autem non in aliam ciuitatem, sicut serui, qui se vendi heris alijs imperrant, miseri, vt qui seruitutem mutant, non effugiunt. Quæuis enim ciuitas, vel optimè ornata legibus, plena est tumultu plurimo, quem nemo sapientiæ sectator sustineat: sed extra mœnia degunt in hortis, aut villis solitarijs, amantes solitudinem, non hominum odio, sed ad cauendos congressus cum dissimilibus, quos sciunt moribus bonis officere. Hoc genus reperitur in multis orbis regionibus, meritò vt absolutæ probitatis receptum: à Græcis atque Barbaris, maximè tamen in AEgypto frequentatur

per pra-

per præfecturas singulas, præsertim circa Alexandriam. Ex omnibus autem locis optimus quisque Therapeutarum, tamquam in huius generis patriam colonus mittitur in locum quendam aptissimum, situm ad stagnum Mariam. Singuli habent sacras ædiculas, quæ Semnea vocant, siue monasteria, vbi solitarij, sanctæ vitæ mysterijs dant operam, nec cibi potusve quicquam eò inferunt, aliudve in vsum corporis, sed, Legem tantùm, & Prophetarum oracula diuinitus prodita, hymnosque, & quædam alia pietati scientiæque promouendæ vtilia. Itaque perpetuam habent Dei memoriam, vt ne in somnis quidem aliud eis obuersetur, quàm imagines diuinarum pulchritudinum. Quotidie bis precari solent, mane ac sub vesperam: oriente sole petentes diem verè felicem, vtque mentes eorum cælesti repleantur lumine: occidente verò, vt anima in totum exonerata sensibus, molèque rerum sensibilium, veritatem vestiget in consistorio domestico: medium verò matutini vespertinique temporis interstitium totum meditationi attribuitur. Versantes enim sacra volumina, dant operam Philosophiæ per manus acceptæ à maioribus, scrutando eius allegorias; quoniam sub opertis verbis latere credunt secreta naturæ coniecturis explicanda probabilibus. Habent etiam priscorum commentarios, quia huius sectæ auctores multa monumenta reliquerunt de allegorijs eiusmodi: ad quorum imitationem posteri se accommodant. Itaque non solùm contemplantur, sed etiam cantica hymnosque in Dei laudem componunt, vario metrorum carminumque genere, rythmis concinnatos in angustiorem ac religiosam speciem. Per sex dies seorsum quisque in suis illis modò dictis Monasterijs philosophantur, non progredientes foras, imò ne prospicientes quidem. Septima verò conueniunt in cœtum communem, & iuxta ætatis ordinem considunt, decenti habitu manus continentes sub pallio, &c.

Iosephus.

Antiquitatum Iudaicarum lib. 18. cap. 2. Miranda est etiam Essenorum institia, qua omnes Græcos & Barbaros longè superant, multis iam seculis triti in eius continuis studijs. Facultates omnes in commune possident, nec aliquis diues magis vtitur suis bonis, quàm quiuis nihil possidens. Atque hoc instituto viuunt virorum supra quatuor millia, nec vxores habentium, nec seruos: quod alterum ad iniuriam communis naturæ pertinere censeant: alterum tranquillitati vitæ parum commodum. Quare per se ipsi viuentes, inuicem sibi ministrant. Quæstores creant viros probos, ex sacerdotum numero, qui ex agrorum reditibus & frugum prouentu cibos eis conficiant.

De bello Iudaico lib. 2. cap. 7. Tria sunt apud Iudæos genera Philosophiæ. Horum vnum Pharisæi profitentur: alterum Sadducæi: tertium verò, quod etiam probabilius habetur, Esseni colunt, gente quidem Iudæi, verùm inter se mutuo amore coniunctissimi: & qui præter cæteros voluptates quidem quasi malefica vitarent, continentiam verò seruare, neque cupiditati succumbere virtutem maximam ducerent. Itaque nuptias quidem fastidiunt, alienos verò filios, dum adhuc molles sunt, eruditioni traditos, pro cognatis habentes, suis moribus diligenter instituunt: non quia coniugia, vel humani generis successionem censeant perimendam, sed quia cauendam putent intemperantiam fœminarum, nullam earum vni viro fidem seruare credentes. Quin & diuitiarum contemptores sunt, rerumque apud eos communicatio admirationi habetur, neque inueniās alteri alterum opulentia præstare: legemque sibi dixerunt, vt qui disciplinam suam sectari vellent, bona contubernio publicarent. Itaque enim fore, ne vel paupertatis humilitas, vel diuitiarum dignitas appareret, sed permixtis facultatibus, velut inter fratres, vnum esset omnium patrimonium, &c. Sectæ verò suæ studiosis non statim cum eis vna collectio, sed per integrum annum extrinsecus commoranti, cuique eundem victus ordinem tribuunt: dolabellam quoque, & quod prædictum est perizoma, & albam vestem tradentes. Cùm verò processu temporis experimentum continentiæ dederit, accedit etiam ad communem cibum, & purioribus, ob castificationem scilicet, aquis participat, neque tamen in conuictum assumitur. Post ostensionem quippe continentiæ, duobus annis alijs eius mores probantur. Cumque dignus apparuerit, tunc demum in consortium assumitur, &c. Viuunt autem quàm longissimè, ita vt plurimi eorum vsque ad centenariam perueniant ætatem, propter simplicitatem victus, vt equidem puto, & institutionem bene in omnibus ordinatam.

ARTICVLVS TERTIVS.

FACVLTATES SVAS RELINQVERE PROPTER CHRISTVM CONSILII ESSE EVANGELICI, ET MERITI SINGVLARIS: ERGO NON LICERE MONACHIS POST PRAESTITVM PAVPERTATIS VOTVM proprium obtinere.

NEGANT.

Anno post natū Christum 400. *VIGILANTIVS Gallus docebat, eos melius facere, qui vtuntur rebus suis, & paulatim earum fructus pauperibus diuidunt, quàm eos, qui possessionibus venundatis, semel omnia largiuntur.* Hieronymus contra Vigilantium.

1250. *Desiderius Longobardus docuit, non esse licitū omnia pro Christo relinquere, nisi talem religionem in-*

nem intret, quæ possessiones habeat; vel nisi talis sit, qui de labore manuum viuere possit. Alphonsus contra hæreses.

1260. *Guilhelmus de sancto Amore tractatum scripsit contra Monachos mendicantes, quo persuadere conatur, paupertatem habitualem esse licitam, non autem actualem: hoc est, licitam esse animi promptitudinem ad relinquendum omnia pro Christo, cùm necessitas vrgeret, hac tamen necessitate seclusa, illicitam esse voluit paupertatem, per quam aliquis renuntiat omnibus, quæ possidet, vt liberius Deo seruire liceat.*

1390. *Ioannes VVicleuus dixit esse fatuos, & se periculo vitæ exponere Religiosos paupertatem vouentes.* Thomas VValdensis Tomo 1. lib. 4. artic. 1 cap. 16.

1520. Lutherus contra triginta duos articulos Louaniensium Thesi 59. *Paupertas, quam vouent, est rapina orbis terrarum, & opes mundi, sicut scriptum est:* Ecce peccatores abundantes in seculo obtinuerunt diuitias.

De votis Monasticis: *Votum paupertatis videtur à Satana in hoc effectum, vt Religiosi prætextu eius liberi fiant, a iuuanda paupertate aliorum, & ab impudendis operibus misericordia.*

1540. Philippus Melanchthon in Locis communibus de discrimine consiliorum & præceptorum: *Euangelium nec consulit, nec præcipit discedere à facultatibus, nisi eripiantur: nec præcipit, nec consulit res in communne conferre.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Matth. 19. *vers.* 21. Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me. 27. Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

Actor. 4. 32. Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. 34. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat.

Actor. 5. 1. Vir autem quidam nomine Ananias, cum Saphira vxore sua vendidit agrum, & fraudauit de pretio agri, conscia vxore sua: & adferens partem quandam, ad pedes Apostolorum posuit. Dixit autem Petrus: Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit. Et factus est timor magnus super omnes, qui audierunt. Surgentes autem iuuenes amouerunt eum, & efferentes sepelierunt. Factum est autem quasi horarum trium spatium, & vxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, introiuit. Respondit autem ei Petrus: Dic mihi mulier, si tanti agrum vendidisti? At illa dixit: Etiam, tanti. Petrus autem ad eam: Quid vtique conuenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum ad ostium, & efferent te. Confestim cecidit ante pedes eius, & exspirauit. Intrantes autem iuuenes, inuenerunt illam mortuam: & extulerunt, & sepelierunt ad virum suum. Et factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia, & in omnes qui audierunt hæc.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Hegesippus. 160.

Lib. 5. *cap.* 24. Nulla est passio, quæ magis virtutem animi effœminet, quàm cupiditas diuitiarum.

Athenagoras. 170.

Apologia pro Christianis: Corporibus & vitis nostris, postquam renuntiatum à nobis est opibus, insidiantur, & criminum aceruos aduersus nos deblaterant.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 2. *Pædagogi cap.* 3. Aurum enim & argentum, & priuatim & publicè est inuidiosa, vt semel dicam, possessio, si vsum excesserit: rara ad acquirendum, difficilis ad custodiendum, &c. Quocirca dicit Dominus: *Vende quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Sequere Deum nudus ab arrogantia, nudus à pompa momentanea, quod tuum est, quod bonum est, quod auferri non potest, in Deum fidem, in passum confessionem, beneficentiam in homines possidens: quod quidem est beneficentia pretiosissima.

Lib. 2. *Stromaton:* Paupertas est existimanda, non facultates diminuere, sed augere insatiabilitatem. Non est enim paupertas pecuniæ paucitas, sed insatiabilitas: quæ si recesserit, qui bonus est, diues quoque fuerit.

Origenes. 230.

Homilia 16. in Genesin: Vis scire quid intersit inter sacerdotes Dei, & sacerdotes Pharaonis? Pharao terras concedit sacerdotibus suis: Dominus autem sacerdotibus suis partem non concedit in terra, sed
Num. 18. dicit eis: *Ego sum pars vestra.* Obseruate ergo, qui hæc legitis, omnes Domini sacerdotes, & videte, quæ sit differentia sacerdotum, ne fortè qui partem habent in terra, & terrenis cultibus ac studijs vacant, non tam Domini, quàm Pharaonis sacerdotes esse videantur. Ille enim est, qui vult sacerdotes suos habere possessiones terrarum, & exercere agri, non animæ culturam; ruri, & non legi operam dare. Christus autem Dominus noster sa-
Luc. 14 cerdotibus suis quid præcepit, audiamus: *Qui non abrenuntiauerit, inquit, omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Contremisco hæc dicens, &c. Negat Christus suum esse discipulum, quem viderit aliquid possidentem, & eum, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet. Et quid agimus? Quomodo hæc aut ipsi legimus, aut populis exponimus, qui non solùm non abrenuntiamus his, quæ possidemus: sed & acquirere volumus ea, quę nunquam habuimus, antequam veniremus ad Christum? Nunquidnam, quia nos redarguit conscientia, tegere, & non proferre quæ scripta sunt possumus? Nolo duplicati criminis fieri reus. Confiteor hæc palam, populo audiente, confiteor hæc scripta esse, etiamsi nondum implesse me noui. Sed ex hoc saltem commoniti festinemus implere, festinemus transire à sacerdotibus Pharaonis, quibus terrena possessio est, ad sacerdotes Domini, quibus in terra pars non est, quibus portio Dominus est. Talis enim erat & ille, qui dicebat:
2. Cor. 6. *Tanquam egentes, multos autem locupletantes: vt nihil habentes, & omnia possidentes.* Paulus hic est, qui in talibus gloriatur. Vis audire quid etiam Petrus de seipso pronuntiet? Audite eum cum Ioanne pa-
Actor. 3. riter profitentem, & dicentem: *Aurum & argentum non habeo, sed quod habeo, hoc tibi do. In nomine Iesu Christi surge, & ambula.* Vides sacerdotum Christi diuitias, vides nihil habentes, quanta & qualia largiuntur. Istas opes largiri non potest terrena possessio.

Athanasius. 340.

In vita D. Antonij: Post mortem parentum, annorum circiter decem & octo, seu viginti, cum sorore admodum paruula derelictus, & domus, & sororis honestam curam gerebat. Necdum verò sex fluxerant menses, quibus ad Ecclesiam (vt solebat) accurrens, recordabatur, quomodo & Apostoli omnibus spretis, secuti fuissent Saluatorem, & multi, vt legitur in Actis Apostolorum, facultatibus suis venditis, pretia ad pedes eorum detulissent egentibus partienda, quæve, aut quanta spes iisdem reposita esset in cælis. Talia secum voluens, intrauit Ecclesiam, & accidit vt tunc legeretur Euangelium, in quo Dominus dicit ad diuitem: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia tua, quæcunque habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. & habebis thesaurum in cælo.* Quo audito, quasi diuinitus huiusmodi ante memoriam concepisset, & veluti propter se hæc esset Scriptura recitata, ad se Dominicum traxit imperium: statimque regressus possessiones, quas habebat, vendidit. Erant autem ei trecentæ palmæ vberes, & valde optimæ, quas vicinis largitus est, ne in aliquo aut sibi, aut sorori molestia gigneretur. Cætera verò, quæ in mobilibus possidebat, vniuersa vendidit, & aggregato non exiguo pretio indigentibus dedit: paucis tamen ob sororem reseruatis, quæ & sexu, & ætate videbatur infirmior. Rursum autem Ecclesiam ingressus, cùm audisset Dominum in Euangelio di-
Matt. 6. centem: *Nolite cogitare de crastino,* reliquam quoque portionem pauperibus distribuit, neque se versari passus est domi: sed sorore fidelibus ac notis Virginibus commendata, vt earum nutriretur exemplo, ipse iam omnibus seculi vinculis liber, asperum atque arduum arripuit institutum.

Macarius Ægyptius. 370.

Homilia 11. Præcepit ergo nobis vt egrediamur è mundo, & renuntiemus omnibus, quæ videmus: neque geramus solicitudinem terrenam; sed noctu diuque stemus ad ianuam expectantes, quando clausa corda aperiat Dominus, & effundat in nos donum Spiritus sancti. Iussit ergo, vt relictis auro, argento, & cognatione, vendamus quæ habemus, & distribuamus pauperibus, & thesaurizemus ea, quæramusque in cælis. *Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Nouerat enim Dominus, Matt. 6.
quòd inde Satanas vires accipiebat, ad traducendas cogitationes in solicitudinem rerum materialium & terrenarum. Propterea Deus consulens animæ tuæ, iussit omnibus rebus renuntiare: vt vel inuitus quæras opes cælestes, & habeas ita cor tuum apud Deum: quia si volueris reuerti ad possessiones, nihil ex iis, quæ in mundo sunt, reperies te possidere: & ob id (velis, nolis) cogeris mittere ad cælestia, vbi ea thesaurizasti ac deposuisti. *Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* In Lege ita- Num. 21.
que præcepit Deus Mosi facere serpentem æneum, & hunc exaltatum ad summitatem ligni affigere: & quicunque à serpentibus percussi erant, spectantes serpentem æneum sanabantur. Quod quidem non sine dispensatione fiebat: vt qui terrenis curis, idolorum cultura, voluptatibus Satanæ, & quacumque impietate detinebantur, hoc saltem modo erigerentur aliquatenus ad superiora: & mortui, quo ad hæc inferiora, oculos attenderent ad sublimia: & rursum ab illis promouerent ad id, quod est altissimum: & ita paulatim gradientes ad sublimiorem, & superiorem progeniem, cognoscerent esse quendam Altissimum supra omnem creaturam. Eadem ratione iussit te Deus pauperem fieri, & omnibus venditis largiri pauperibus, vt postmodum (etiam si velis) denuò repere super terram non possis. Itaque incipe scrutans cor tuum disputare cum cogitationibus tuis, inquiens: *Cùm nihil possideamus super terram, transeamus ad cælum, vbi thesaurum habemus,* & vbi negotiati sumus.

Basilius Magnus. 370.

In Regulis fusius disputatis interrogatione 9. Cùm Dominus noster Iesus Christus dixerit: *Vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.* Et item: *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam:* Equidem ex hoc colligo, Matt. 19. Luc. 12.
qui hac mente à suis discedat, hunc huiuscemodi curam, de parte patrimonij sui, nullo modo oportere negligere, contràque illud accurare, vt cùm eam omnem diligentissimè secum abstulerit, eam veluti rem iam Domino consecratam summa cum religione distribuat, vel ipse per se, si huiuscemodi muneri scienter administrando esse ipse par possit, vel per alios, quos ante maxima adhibita diligentia delegerit, quique certissima dederint documenta, posse se illam fideliter ac prudenter distribuere, cùm illud persuasum sit, non vacare periculo, siue propinquis suis illam relinquat, siue in ea distribuenda, cuiusuis, nulla adhibita delectione, opera vsus sit. Etenim si, qui præfectus est procurandæ regiæ pecuniæ, esto de rebus iis, quæ partæ iam sunt, nihil interuerterit omnino, ad seque transtulerit: is tamen, si quæ præterea acquiri poterant, negligentia sua non acquisiuerit, sed passus sit deperire, nihilominus tamen vtique in crimine est: quàm graue tandem censere debemus

iudicium illi imminere, qui in rebus Dei nomini iam consecratis vindicandis lentè ac negligenter se gesserint? An non in eadem cum illis iudicij causa
Hier. 48 futuros, de quibus scriptum est: *Maledictus homo, qui facit opera Domini negligenter?*

In constitutionibus monasticis cap. 19. Perfectissimam ego vitæ communionem illam appello, à qua priuata omnis rei cuiusque exclusa possessio est, & eliminata: itemque vnde dissensio omnis, ac perturbatio omnis, contentio omnis abest, & rixæ: contraque vniuersa communia, animi, mentes, corpora, eaque, quibuscuque necessariò ad victum, cultumque vtimur: communis Deus, communis pietatis mercatura, communis salus, communia certamina, communes labores, communia præmia, & certaminum exantlatorum coronæ, vbi multi vnus, & vnus non solus, sed in pluribus. Huic vitæ instituto quid est tandem, quod iure æquiparari possit? quid eo beatius dici? quid hac coniunctione, vnitate, & necessitudine aptius excogitari? Quid mutua inter se morum, animorumque contemperatione gratiosius fingi? Homines ex diuersis nationibus ac regionibus professos per exactam morum & disciplinæ similitudinem adeò in vnum veluti coaluisse, vt in pluribus corporibus vnus modò animus esse videatur, vicissimque plura corpora mentis vnius instrumenta cernantur. *Et paulò post:* Hi liberatoris nostri, eiusquè vitæ, dum inter nos versaretur, institutorum veri perfectiquè imitatores existunt. Quemadmodum enim ille coacto discipulorum choro communia cuncta, seque ipsum communem Apostolis præbuit: Item hi quoque Antistiti suo obtemperantes (qui modò vitæ suæ præscripta rectè conseruant) genus viuendi Apostolorum ac Domini imitantur. Hi vitæ diligenter communitate retenta, Angelorum viuendi ritum æmulantur. Nulla est inter Angelos lis, nulla contentio, nulla controuersia: sed cùm habeat quisque que omnium sunt, omnes tamen integras apud se suas diuitias conseruant. *Et post pauca:* Hi perfectè rerum omnium paupertatem tenent, in quibus nihil proprium cuiusquam sit, sed communia omnium omnia.

Constitutionum Monasticarum capite 35. Debet autem pietatis cultor, qui eam, quam supra exposuimus, in vita communitatem amplexus sit, ab omni priuata rerum, quæ in materia consistunt, possessione liber esse. Etenim nisi hoc facit, primùm quidem societatis exactam disciplinam priuata possessione corrumpit: tum ipse etiam magnopere de se indicio est, vt qui Deum perpetuò ijs alimenta suppeditaturum diffidat, qui in nomine ipsius congregati sint, neque illud audi-
Psal. 36. uerit, quod dicitur à Propheta: *Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.* Vel eos nimirum, qui intelligentia percipiuntur, prudentiæ scilicet, vel qui sensu, quibus corpus alitur. Nam si vbi duo vel tres congregati sunt in nomine Christi, ibi ipse in medio illorum est, multo certè verisimilius ibi idem esse credendus est, vbi multo copiosior ac frequentior hominum congregata multitudo sit. Aut igitur necessarium nihil nobis deerit, si Christus nobiscum adfuerit. Siquidem neque Israelitis in vasta illa solitudine ipsorum vsui necessarium quicquam defuit. Aut si etiam defuerit, ad probationem nostram satius est inopia laborare, & cum Christo esse, quàm disiunctos ab eius societate in rerum vitæ huius omnium affluentia versari. Porrò incommodum, quod ex huiusmodi possessione nascitur, nequaquam hic tantum resistit, sed vlterius etiam progreditur. Etenim qui proprium habere aliquid studet, is sine dubio nihil aliud, quàm disiunctionem, ac defectionem à cæteris meditatur. Nam cui hoc in animo non est, quid est tandem, quod ipse possidere seorsum velit? cùm id certum sciat, Christi beneficio seruos ipsius in necessariarum rerum copia assiduè versari. Proinde perspicuum est, qui talis sit, eum de præcidenda, & morte afficienda anima sua meditari, qui exiguis obolis salutem suam addicere ac prodere paratus sit, & alter Iudas efficiatur, nempe, qui à furto exordiatur, & in proditionem desinat: quando vt ille Dominum, sic iste veritatis verbum prodit. Quando enim instituti nostri regula hoc habet, non licere nobis neque ab ea societate, ad quam aggregati sumus, disiungi, neque priuatam vllam pecuniam acquirere, neque denique clancularium quiduis moliri, aut eiusmodi quod exempli peruersitate reliquorum fratrum saluti possit obesse, dum aliquis neglecto Dei timore, & legimus Spiritus sancti violatis, societatem primùm expilare: (societatis enim expilatio est, rei cuiuscunque & vndecunque in priuatum vsum seuocatio:) deinde defectionem etiam, ac separationem cogitauerit, qui defendi potest, hunc non verbum veritatis prodidisse, & alterum Iudam factum esse? qui, quantum in reipsa fit, veritatem prodat? Quocirca omni modò fugiendũ nobis est ne priuatim omninò quicquam possideamus, præter ea, quæ promiscuè omnibus simul comparantur.

De institut. Monachorum Serm. 1. Danda omnino sedulò opera est, ne quid quoquo pacto professione nostra indignum faciamus, neùe simili atque Ananias iudicio efficiamur obnoxij. Licebat e- Act. 5.
nim initio Ananiæ possessiunculam suam Deo non polliceri, atque vouere: sed postquam humanæ gloriæ cupiditate inductus, quicquid in bonis habebat, per professionem Deo consecrauit, quo videlicet egregio istiusmodi facto hominum de se admirationem excitaret, de pretio autem callidè postea nescio quid interuertit, eiusmodi aduersum se indignationem Dei prouocauit, cuius Petrus minister fuit, vt ne ad pœnitentiam aditum inuenire potuerit. Quocirca ante religiosæ istius vitæ professionem liberum est vnicuique, quatenus per Dei indulgentiam leges permittunt, communem cum cæteris viuendi morem sequi, sibiquè vxorem adiungere. Vbi verò iam quis sponte sua ipse professus est, hic Deo custodire seipsum debet, veluti eorum aliquid, quæ dicata sunt Deo, ne sacrilegij iudicium incurrat, cùm videlicet corpus, quod semel Deo consecrauit, ministerio rursum communis vitæ contaminet.

Oriesiesis. 380.

De Institutis monasticis: Magnam nobis Deus præstitit gratiam per patrem nostrum Pachomium, vt renuntiaremus seculo, & omnem sollicitudinem mundi, vt curas rerum secularium pro nihilo poneremus. Qui nobis occasio relicta est, vt habeamus quicquam proprium à funiculo vsque ad corrigiam calciamenti, cùm habemus præpositos, qui pro nobis cum timore ac tremore solliciti sunt tam in cibo, quàm in vestitu, & corpusculi languore, si fortè obuenerit, vt in nullo timeamus, & per occasionem carnis animæ emolumenta perdamus? Liberi sumus, iugum de ceruicibus nostris mundanæ seruitutis abiecimus, cur rursum volumus reuerti ad vomitum nostrum, & aliquid habere vnde solliciti simus, & perdere metuamus? Ad quos vsus superfluum palliolum, aut epulæ lautiores, aut melior lectus, cùm omnia in commune sint præparata, & cruce Christi nihil durius?

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 16. quæ est oratio de pauperum amore:

Pulchra res inopia, & pecuniarum contemptio testis est Zachæus, atque etiam Christus. Ille dum domum suam Christo ingredienti omnes propemodum opes suas dono obtulit: hic, dum diuiti illi perfectam vitam hac re definiuit.

Carmine de beatitudinibus, & spiritualis vitæ regulis:

Felix, qui multis iunctis non plurima versans
Distrahitur, pectus sed dedit omne Deo.
Felix, qui Christum fortunis omnibus emit,
Cunctorumq; crucem, quam gerit, instar habet.

Euagrius. 380.

Apud Nicephorum libro 11. cap. 43. Ex fratribus quidam vnicum Euangelij librum in bonis suis habuit: quo & ipso vendito, pretium eius ad esurientium alimenta dedit, memoria digno verbo illo addito: Propter illud oraculum librum vendidi, quod dicit: *Vende ea, quæ habes, & da pauperibus.*

Ioannes Chrysostomus. 400.

In locum Pauli ad Romanos: *Salutate Priscam & Aquilam.* Cùm dicit: *Si vis perfectus esse*, consulendo & admonendo dicit. Non est autem idem consulere & legem ponere. Nam qui legem statuit, modis omnibus fieri vult quod præcipit: qui vero consulit & adhortatur, sententiæ & arbitrio auditoris permittit, vt ex dictis quod voluerit eligat, sicq; faciendorum dominus auditor relinquitur. Propterea non simpliciter dixit: *Vade, vende facultates tuas*, sed vt discas, quòd in arbitrio audientium res sitæ sint.

Homilia 11. in epistolam ad Hebræos, in Moral. Sunt & aliæ quoque hostiæ verè holocausta, nempe Martyrum corpora: illic & anima & corpus. Illa magnum habent odorem suaueolentiæ. Potes tu quoque, si velis, tale offerre sacrificium. Quid enim si igne corpus non combusseris? Sed potes alio igne, vt puta igne paupertatis voluntariæ, igne afflictionis. Licere enim delicatè lauteque & splendidè vitam agere: laboriosam autem & acerbam vitam eligere, & corpus morte afficere, an non est oblatio holocausti? Corpus tuum morte affice, & crucifige, & ipse quoque accipies coronam huius martyrij. Nam quod illic operatur ensis, hoc hic faciat prompta animi alacritas. Non vrat, neque detineat amor pecuniæ, sed vratur & extinguatur ipsa turpis & nefaria cupiditas igne spiritus, concidatur gladio spiritus.

Ioannes Cassianus. 410.

Collatione 24. cap. 26. Multò credibilius est, multoqúe manifestius, eum, qui aliquid secularium vel affectuum, vel bonorum Christo suadente contempserit, à fratribus atque consortibus propositi sui, qui ei spiritali glutino colligantur, centuplo gratiorem etiam in hac vita recipere charitatem. Hanc siquidem, quam inter parentes & filios atque germanos, coniuges, vel propinquos, siue societas copulæ, seu consanguinitatis necessitudo coniungit, satis breuem esse constat, ac fragilem. Denique etiam boni ac pij cùm adoleuerint filij, à parentum domibus nonnunquam ac substantijs excluduntur, communio quoque consortij coniugalis interdum etiam honesta causa interueniente diuellitur, fratrum dirimit charitatem contentiosa diuisio. Monachi soli perpetuæ coniunctionis retinent vnitatem, atque indiscretè possident vniuersa, qui omnia sua esse quæ fratrum, omnia fratrum credant esse quæ sua sunt. Si ergo istis, quibus carnalis charitas copulatur affectibus, dilectionis nostræ gratia conferatur, profectò centuplo hæc dulcior atque sublimior est. Recipietur sanè etiam de continentia coniugali maior centuplo suauitas, ab illa quæ eis inuicem per commixtionem sexuum præbebatur. Pro lætitia quoque illa, quam in vnius agri, ac domus possessione quis habuit, centuplo maiore diuitiarum gaudio perfruetur, qui in adoptionem transiens filiorum Dei, vniuersa quæ æterni sunt Patris, vt propria, possidebit, & affectu atque virtute, ad imitationem veri illius filij proclamabit: *Omnia quæ habet Pater, mea sunt*. nec iam cum illa pœnali distentionis ac sollicitudinis cura, sed securus ac lætus, velut in proprijs vbique succedet, audiens quotidie sibimet ab Apostolo prædicari: *Omnia vestra sunt, siue mundus, siue præsentia, siue futura.* Et à Salomone: *Fidelis viri totus mundus diuitiarum.* Habes ergo istam centupli retributionem, in magnitudine meriti, & in discretione tam incomparabilis qualitatis expressam. Neque enim si pro æris, aut ferri, aut vilioris cuiusquam metalli certo pondere, tantundem ponderis, sed auri quispiam reddidisset, non etiam amplius quàm centuplum restituisse videretur: ita cùm pro contemptu voluptatum atque affectuum terrenorum spirituale gaudium & pretiosissimæ charitatis iucunditas repensatur, etiamsi ipse sit numerus, centuplo tamen hæc maior atque præclarior est, &c.

Ioan. 16

1.Cor. 3

Nunc ad quantitatem earum rerum, quas pro contemptu mundi & aliorum commodorum nobis in hoc seculo Christus restituit, transeamus, præcipuè secundùm Euangelium Marci ita dicentis: *Nemo est qui reliquit domum, aut fratres, aut sorores, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos, fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros cum persecutionibus, & in seculo futuro vitam æternam.* Centuplam namque fratrum parentúmve recipiet quantitatem, quisquis patris vnius, vel matris, seu filij pro Christi nomine charitate contempta, in omnium, qui Christo deseruiunt, dilectionem syncerissimam transit, pro vno scilicet tot inueniens patres, fratresqúe feruentiore ac præstantiore sibi affectione deuinctos. Multiplicata etiam domorum atque agrorum possessione ditabitur, quisquis vna domo pro Christi dilectione reiecta, innumera monachorum habitacula tamquam propria possidebit, in quacunque orbis parte velut in suæ domus iure succedens. Quomodo enim non centuplum, & si Domini nostri sententiæ superadijci aliquid fas est, plus quàm centuplum recipit, qui decem vel viginti seruorum ministeria infida, & coactitia derelinquens, tot ingenuorum ac nobilium spontaneo fulcitur obsequio? Quod ita esse etiam vestris experimentis probare potuistis, qui singulis patribus, matribusqúe, ac domibus derelictis, quamlibet mundi partem fueritis ingressi, patres, matres, fratresqúe innumeros, domos quoque & agros, seruosqùe fidelissimos, absque vllo solicitudinis labore conquiritis, qui vos, & proprios dominos submissè suscipiunt, amplectuntur, fouent, venerantur officijs, &c.

Mar. 10

Libro 7. de institutis Cœnobiorum capite 14. Triplex itaque est huius valetudinis morbus, qui ab vniuersis Patribus æquali detestatione damnatur. Vnus hic, cuius superius descripsimus labem, qui decipiens miserabiles quosque, ea quæ ne antea quidem, cùm in seculo degerent, possidebant, congregare persuadet. Alius, qui hæc, quæ in primordijs suæ renuntiationis abiecerant, postea resumere ac rursum desiderare compellit. Terti-

us, qui

us, qui initio malo vitiosoque contractus, & ab imperfectione incipiens, eos, quos semel hoc tempore mentis infecerit, paupertatis ac diffidentiæ timore perterritos, spoliare se cunctis mundi facultatibus non sinit: eosque pecunias, vel substantias, quas vtique renuntiantes abijcere debuerant, reseruantes, ad Euangelicam perfectionem nunquam peruenire concedit. Quarum trium ruinarum exempla in Scripturis sanctis etiam inuenimus non leui pœna fuisse damnata.

Isidorus Pelusiota. 440.

Libro 1. epistol. 212. Habes in diuina Scriptura pullulantes earum rerum, quas seris, fructus. Cernis
Matt. 19. egregiorum tuorum certaminum palmas, nempe & pro sponte suscepta paupertate centuplo ampliora, tum hic, tum illic bona pollicente bono illo pastore, ac Saluatore: & pro subitis aduersus vitia certaminibus, & palæstris, corruptionis expertem
1. Cor. 9. coronam tibi nectente Paulo.

Libro 3. epistol. 205. Vitæ huius ignominia nunquam intermorituram gloriam parturit, & vltro suscepta paupertas cælestes opes parit. Tunc enim apparebunt bona, cùm finem acceperint molestiæ.

Sozomenus. 440.

Libro 2. cap. 8. Quorum calumnijs persuasus Sapores Rex Persarum, primò omnium tributis immoderatis eò affligit Christianos, quòd ipsorum quàm plurimos voluntariam egestatem excolere norat.

Theodoretus. 450.

Epistola ad Leonem PP. Quòd autem, cùm tot annis fuerim Episcopus, non domum possederim, non agrum, non obulum, non sepulchrum: sed sponte electam amplexus sim paupertatem, & quæ nobis à parentibus obuenerant, post illorum mortem statim distribuerim: norunt omnes, qui in Oriente habitant.

Victor Antiochenus. 460.

In Marci cap. 10. *Vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.)* En quanta præmia, en quales coronæ ijs hîc præponantur, qui in hoc spontaneæ paupertatis stadio impigrè currunt. Quòd si adolescens tentator accessisset, Dominus sanè hæc illi præmia nequaquam proposuisset: nunc autem hæc illi tanta ob oculos ponit, tantamque remuneratione promittit, quò eum præmiorum amore ad se polliceat. *Et habebis thesaurum in cælo.)* Rectè sapienterque Christus hoc loco non vitæ æternæ, sed thesauri meminit, quandoquidem de pecunijs erat sermo: spondet autem se plura maioraque redditurum, quàm erant illa, quæ in pauperes erogare iubebatur: & quidem tanto maiora, quantum cælum maius est terra.

Isaac Presbyter Antiochenus. 470.

Libro 1. de Contemptu Mundi cap. 9. Si posueris animæ tuæ terminum paupertatis, & per gratiam Dei fueris à solicitudinibus liberatus, & in tua paupertate factus fueris supra mundum, caue ne propter amorem pauperum quæstum diligas pro eleemosyna facienda, & ponas animam tuam in turbatione, vt accipias ab alio vt alijs largiaris, & existimes honorem tuum subiectione petitionis rerum nomine aliorum, & excidas à libertate, & nobilitate intentionis tuæ in solicitudines secularium rerum: quia gradus tuus sublimior est gradu misericordium: supplico tibi ne subijciaris eleemosynæ: similis est nutrimento puerorum, sed solitudo perfectionis caput est: si res habes, simul illas disperge. Quòd si non habes, noli habere. Munda igitur cellam à superfluitatibus & delicijs. Quia hoc te adducit ad abstinentiam etiam inuitum & nolentem.

Procopius Gazæus. 530.

In caput 2. Esaiæ: Paupertas, quæ iniustè partis opibus caret, est dux & magistra ad pietatem: Diuitiæ verò contumeliæ, & iniuriarum hortatrices. Quò fit, vt in terra thesauros colligere Christus prohibuerit.

Iustinianus Imperator. 530.

In Authentica de Monachis & Ascet. col. 10. Nullus omnino quicquam habeat proprij, sed diu noctuque in commune viuant, & noctu eandem inter ipsos cum diebus habeant obseruationem.

De Monachis, §. Illud quoque, collat. 1. constitut. 5. Ingressi Monasteria ipso ingressu se suaque dicant Deo: nec ergo de his testentur, vtpote nec domini rerum.

Æneas Gazæus. 530.

In Theophrasto: Neque enim ipse ignoras paupertatem, & morbum, & ipsam mortem, neque turpia, neque mala esse, vel Socrati, atque ipsi quoque Philosophiæ videri: quippe quæ ipsa multis sæpe saluti fuêre. Ipse enim Socrates in paupertate quasi superbiebat, eamque diuitiarum nomine quasi dignam ducebat, & Philosophiæ sociam atque amicam appellabat.

Procopius Cæsariensis. 540.

De ædificijs Iustiniani oratione 5. Montem Sina Monachi colunt, quorum vita sedula quædam meditatio mortis est, solitudine sibi gratissima liberius perfruuntur: hisce monachis, postquam nihil habuit Iustinianus Rex quod optarent, (nempe humana omnia contemnentes, nihil possidere, non curare corpora, nulla re oblectari studebant,) templum extruxit, extructumque Dei Genitrici consecrauit.

Cyrillus Eremita. 540.

Vita S. Sabæ cap. 11. Cùm nescirent ergo parentes, quid agerent, cesserunt filij constantiæ, & tandem vel inuiti concesserunt quidem, vt abiret: eum autem vehementer rogârunt, vt suæ pecuniæ acciperet aliquid ad parandum viaticum, quo opus habet peregrinatio. Atque illi quidem prompto & alacri animo Sabæ præbebant viginti aureos: ipse vix tribus acceptis, eisque, quòd rogarent parentes, ne eos despiceret, soluit Alexandria vnà cum Ioanne. Quòd autem propter parentes eos tres aureos acceperit, non est procul quærenda probatio. Cùm enim iam venisset in Monasterium, eos ferens, dat in manus Theoctisto, ipse nihil volens habere proprium, & alioqui ne malignus hinc acciperet occasionem suggerendi ei cogitationem auaritiæ.

Antiochus. 600.

Homilia 89. de inopia: Facultatum omnium possessio ablegata semel à quopiam & excussa, nihil obscurè declarat, synceram esse Monachi conuersationem. Qui nullum possidet peculium Monachus, aquila est altiuola. Inops Monachus liber fit paucorum vsu, vt quàm plurimis perfruatur. Qui peculio exuit se, vtique nouit quia inquilinus est, & aduena super terram. Ex eo enim quòd nihil circumfert secum rei temporariæ ac secularis, per hoc prodit se sempiterna illa expetere. Qui se exuit possessione facultatum, Heliæ comperitur esse imitator, Ioannis item, & eorum, qui dicunt: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* Qui tales, ab ipso salutis

nostræ vindice audiunt: *Quia vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, multiplicia accipietis in seculo isto, & in futuro vitam æternam.* Qui inops est, super terram quidem versatur, conuersationem verò iam in cælis sibi comparauit. Inopiæ enim merito cum Angelis congreditur familiariter, choro accensetur iustorum. Dum enim hæc auersatur, & repudiat terrena, & ipsa imaginatione colligit iam & contemplatur cælestia. Non vides quanto inter se dissideant discrimine, hæc corruptiua dimisisse, & possedisse incorrupta: hæc qualiacumque, quæ nostra non sunt, reliquisse, & illis perfrui, quæ parata sunt diligentibus Deum, *quæ oculus non vidit, non auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt?* Quisquis mundi istius osor est & mammonæ, perspicuum euadit, quia hic mundi opificem diligit. Inferioribus enim transmissis, præstantiora nihil obscurè expetit. Generosæ prorsus, ac Deum synceriter amantis animæ argumentum est, nihil mundi possidere velle. Qui eiusmodi est, hæres quidem Dei, cohæres autem fit Christi. Qui igitur adipisci vult margaritum illud multo pretiosissimum, præsentium bonorum omnium possessionem à se cum gaudio excutiat, vt agrum sibi comparet, in quo vitæ quidem thesaurum inuenit eatenus retrusum & reconditum. Tunc enim locum quis nanciscitur, in quo gratia Dei delituit, cùm temporales hasce diuitias omnes à se abiecerit. Rationi prorsus consentaneum est, vt nos (quibus datum est semel nosse pietatis viam) vniuersa, quæ adsunt, disperdamus: nimirum vt ex his, quæ supersunt, iuxta imperium Domini, dispensemus facultates, vt ne dum præteximus in singulos dies nos velle implere mandata, deprehendamur malè fuisse morigeri tam salutari mandato. Primum enim, quod ex huiusmodi abdicatione facultatum proficiscitur, ingenua est, & perquàm honesta libertas curæ omnis, & quæ hinc etiamnum resilit, paupertas nullis patens insidijs.

Luc. 18.

Gregorius Alexandrinus. 620.

In vita Ioannis Chrysostomi: Excurso non ita multo post tempore, & ipsius beata mater finem vitæ accepit, relictis ei diuitijs permultis in auro, veste pretiosa, prædijs, mancipijs, iumentis, alijsque id genus peculijs, ac per quàm multis facultatibus. Sanè quidem aurum in pauperes & indigos incunctanter dilargitus est: quod autem nulla insigni nota erat percussum, in Ecclesias dispartiuit, ac finitima Monasteria proximè adiacentia ciuitati ad exornandas pretiosas Reliquias: seruos & ancillas ad vnum omnes seruitutis vinculo emancipatos, asseruit libertati. His tandem exolutus vinculis negotiorum, superfluè mentem vrgentium, quicquid resederat è suis facultatibus, in vsum ciuitatis distribuit, vt vacuus maximè esset ab omni intemperie & molestia exactorum publici tributi.

Maximus Monachus. 640.

Centuria 2. de Charitate num. 88. Omni possessione caret, qui omibus suis possessionibus renuntiauit, neque omnino quicquam super terram præter corpus possidet, erga quod omni quoque affectu posito, soli Deo & pijs hominibus suarum rerum dispensationem credidit.

Ioannes Damascenus. 730.

In historia Barlaam & Iosaphat cap. 15. Iosaphat itaque ad eum ait: Istud ipsum, nempe omnia pro nihilo putare, atque vsque adeò asperum vitæ genus suscipere, quemadmodum superius dixisti, vetúsne institutum est, ab Apostolorum doctrina manans, an recens mentis vestræ solertia excogitatum, tanquam scilicet hoc, vt melius ac præstantius, vobis amplexandum duxeritis? Senex autem ait: Non recens inductam legem tibi affero, (absit istud,) verùm antiquitus nobis traditam. Dixit enim Dominus ad diuitem quendam, qui ex ipso percontabatur, quidnam sibi faciendum esset, vt vitam æternam consequeretur, iactabatque se cuncta, quæ in Lege scripta erant, seruasse: *Vnum tibi deest, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, ac sublata cruce me sequere.* At ille his auditis mœstitia affectus est. Erat enim admodum diues. Cùm igitur Iesus eum mœrore affectum vidisset, dixit: *Quàm difficile ij, qui pecunias habent, intrabunt in regnum Dei? Facilius enim est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.* Hoc igitur mandato audito, sancti omnes id studuerunt, vt ab huiusmodi opum difficultate se abstraherent, ac per largitionem erga pauperes, dispersis omnibus facultatibus, sempiternisque diuitijs sibiipsis reconditis, crucem sustulerunt, Christumque secuti sunt: sic nimirum, vt quidam, velut à me dictum est, martyrio perfungerentur, quidam autem religiosæ vitæ exercitatione concertarent, atque, quantum ad veræ huiusce Philosophiæ rationem attinet, nihilo illis inferiores essent. Quocirca illud scias velim, Regis nostri, ac Dei mandatum hoc esse, per quod homines sempiternorum bonorum participes redduntur. Cùm igitur, inquit Iosaphat, tam antiqua ac necessaria huiusmodi Philosophia sit, quid causæ est, quamobrem hodierna die pauci sint, qui hanc vitam imitentur? Respondit senex: Multi quidem eam imitati sunt, & etiamnum imitantur. At multo plures cunctantur, ac mores nectunt. *Pauci enim sunt*, vt ait Dominus, *qui per arctam & angustam viam incedant: qui autem per facilem & latam, quàm plurimi.* Nam qui semel pecuniarum cupiditate, & vitiorum, quæ ex voluptatibus oriuntur, amore correpti, vanæque & inani gloriæ addicti sunt, vix ab ipsis diuelli possunt, vt qui alieno domino, quique omnia, contra ac Deus, imperat, atque ipsos tanquam cathenis quibusdam vinctos tenet, vltro seipsos manciparint. Animus quippe, cùm semel salutis suæ spem abiecerit, habenas suas auersis à ratione cupiditatibus permittens, quaquauersum fertur.

Matt. 19.

Matt. 7.
Lucæ 13.

Ioannes Patriarcha Hierosolymitanus. 800.

In vita Ioannis Damasceni cap. 16. Cùm duæ ipsi Dominicæ sententiæ propositæ essent, altera, quæ hoc statueret, vt facultates suas venderet, ac pauperibus distribueret: altera, vt domos, & agros, aliaque omnia Domini causa relinqueret, ita se comparauit, vt nec in priori temporis aliquid sibi terendum putaret, ne fortasse ea res ipsi moram afferret: nec item in secunda, ne si facultates suas temere relinqueret, inter eos, qui sanguine ipsi coniuncti erant, lites atque conflictiones orirentur, alijs nimirum aliud quoddam hæreditatis capessendæ ius proferentibus. Verùm inter vtrumque graditur, atque confestim bonis suis in pauperes, captiuos, seruos suos (quos etiam libertate donauerat) & cognatos distributis, atque diuinis templis consecratis, quemadmodum ex matris suæ vtero nudus exierat, sic etiam, necessarijs indumentis exceptis, nudus è mundo excessit. Ac Hierosolymam profectus, cùm in his venerandis locis adorationis munere, vt par erat, perfunctus fuisset, tanquam ceruus diuina siti flagrans, in solitudinem contendit, atque ad diuini viri Sabæ Lauram se confert, comitem ac socium non itineris duntaxat, sed instituti etiam Cosmam habens, &c.

Matt. 19.
Lucæ 18.

Theodorus Studites. 830.

Oratione funebri in sanctum Platonem cap. 9. Cùm omnia, & paternam etiam domum vendidisset, pauperibusque pecuniam distribuisset, ac seruos ipsos libertate donasset, & duabus sororibus pauca quædam reliquisset, exijt è loco, in quo erat, Gen.12. eo proposita, quo Abraham olim exierat, &c. Talem ad perfectam veramque in Patrem beneuolentiam ostendendam se præstabat, vt cùm paterna quidem omnia officia in potestate haberet, animum ipsum à terrenarum rerum amore sic alienum seruaret, vt ne oboli quidem vnius esset dominus.

Synodus Constantinopolitana sub Photio 870.

Canone 6. Monachi nihil debent habere proprium, sed omnia eorum Monasterio ascribi. Dicit enim beatus Lucas de ijs, qui credunt in Christum, & Monachorum institutionem describunt, quòd nemo quicquam eorum, quæ aderant, proprium esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et ideo ijs, qui Monachi esse volunt, prius datur facultas de suis rebus testandi, ac disponendi, & quibuscunque velint personis, lege scilicet non prohibitis, sua transmittendi. Postquam enim Monachi facti fuerint, omnium bonorum dominium Monasterium habebit, & nullam de rebus proprijs curam gerere vel disponere ijs permissum est. Si quis autem deprehensus fuerit possessionem aliquam, quæ Monasterio non ascripta fuerit, sibi priuatim attribuere, & acquirendarum possessionum cupiditate seruire, ea quidem ab Episcopo recipiatur, & in multorum præsentia vendita, pauperibus & mendicis distribuatur.

Theophylactus. 900.

In caput 19. Matthæi. Ne quis suspicitur quod dictum est solis congruere discipulis, dilatat promissionem ad omnes, qui similia faciunt. Habebunt enim pro carnalibus cognatis familiaritatem & fraternitatem cum Deo, pro agris paradisum, & pro lapideis ædibus supernam Hierusalem, pro matre presbyteram Ecclesiam, pro patre Presbyteros, pro vxore omnes fideles mulieres: num nuptijs? absit, sed spirituali affectione, & misericorde erga se cura.

Ad caput 10. Marci: Cùm solus Petrus rogasset, omnibus generaliter Christus loquitur, dicens: *Omnis, qui reliquerit vxorem, vel patrem.* Hæc dicit, non quòd velit parentes auxilio destitui, & ab vxoribus separari: sed docet nos præferre pietatem erga Deum omnibus carnalibus. Quia enim verè bellum à prædicatione accensum erat, & negaturi erant pueri parentes propter pietatem, dicit: Quisquis reliquerit cognatos, quos sibi natura dedit, & in summa, corporalia omnia propter Euangelium, centupla omnia accipiet in præsenti seculo, & in futuro vitam æternam. Nunquid ergo & mulieres centum accipiet? Etiam. Tametsi maledictus Iulianus hoc irriserit. Quid confert vxor domui viri? Omnino curat, vt vir habeat quod edat, quibus induatur, & horum omnium curam adimit viro. Vide itaque hoc etiam in Apostolis. Quot mulieres fuêre, quibus cura erat de amictu & esu illorum, & quæ ministrârunt eis, qui nihil horum curabant, sed solùm sermonem & doctrinam? Similiter matres & patres multos habuerunt Apostoli, qui diligerent & amico affectu erga se essent. Et Petrus, qui vnam domum reliquerat, postea omnium suorum discipulorum domos habebat. Et nunc quoque vbique terrarum erecta sunt templa in nomine eius, quæ sunt claræ domus.

Ad caput 18. Lucæ: Postquam autem adolescens se omnia hæc seruasse dixit à iuuentute, præscripsit ei Dominus paupertatem, caput omnium virtutum. Vide autem legem Christiana vita dignam: *Omnia quæcunque habes, vende,* inquit. Nam si quid reliqueris, illius seruus es. *Et distribue,* non diuitibus cognatis, sed *pauperibus.* Habuit autem & distribuendi verbum Emphasin quandam, vt cùm diiudicatione, & non fortuitò dispergantur bona. Quoniam autem cum paupertate & alias habere virtutes Christianum oportet, propterea dicit: *Et veni, sequere me:* Hoc est, & in omnibus alijs esto discipulus meus, & semper sequere, non hodie quidem, cras autem non, &c. Postquam diues audijt, abijciendas diuitias, mœrore affectus est. Vnde dicit Dominus admirabili figura, quomodo difficile sit habentes pecunias in regnum cælorum ingredi. Non dicit, quòd impossibile sit eos regnum cælorum ingredi, sed difficile. Non enim impossibile est saluari tales. Possibile [illegible] dere pecuniam, & superna assequi. Et difficile quidem hoc. Tenaciores enim visco adh[illegible] cuniæ, & difficile abstrahitur, qui à tali[illegible] comprehensus, &c. Tuguriola quidem reliq[illegible]rant Apostoli omnes, & nunc [illegible] templa, & res familiares, & [illegible] & vxores multas quæ illis feruore fidei adhæ[illegible], aliaque omnia; in futuro autem seculo non [illegible] tales, multiplices & corporales retributiones, [illegible] vitam æternam.

Simeon Metaphrastes. 970.

De S. Ioanne Eleemosynario: Cùm aliquando incidisset in vitam Serapionis Sidonij, non cessabat virum illum admirari, & res illius narrare, quemadmodum cùm [illegible] pauperem se pallio exuit, & dedit ei. Deinde cùm obuiam factus esset alteri egenti, similiter ei præbuit tunicam: [illegible] tenens Euangelium. Deinde ab aliquo interrogatus, quisnam eum nudasset: Hoc, inquit, ostendens Euangelium. Cùm verò eo quoque vendito, pro eo acceptum pretium distribuisset pauperibus, cuidam discipulo, qui eum rogauit: Vbi est, pater, paruum Euangelium? Crede mihi, inquit, Fili, parens ei, qui dicit: *Vende quæ habes, & da pauperibus* ne ipsi quidem libro, in quo hoc scriptum erat, statui parcere. Matt.19.

De S. Melana: Cùm autem hi præclari sua cœpissent, vt volebant, dispensare, non longo abhinc tempore magnas illas suas pecunias in pauperes exhauserunt. Neque enim vllus alius, excepto Imperatore, de diuitijs cum eis contendisset: tam magna vis pecuniæ, & prope incredibilis, ex agris eorum quotannis redibat, auri, vt ai[illegible] duodecim millia. Illi autem hoc vniuersum distribuebat pauperibus, atque illos ipsos agros [illegible]stea vendiderunt. Hoc verò est argumentum eorum diuitiarum. Eorum enim domum, quæ erat adeò splendida, & magnifica, nullus Romanorum potuit iusto pretio emere. Igne autem postea à barbaris exustam, cum multum de pretio remisissent, eam quoque similiter vendiderunt, maius quiddam quàm Iob, vt qui videtur hac in re faci[illegible]entes. Nam ei quidem paupertas fuit inuoluntaria, hi autem lubentes ex ditissimis facti sunt pauperrimi. Et eius quidem vxor [illegible] animo ferebat quod contigerat. Melana autem non solùm quod ad se attinebat libenter faciebat sed etiam maritum faciebat participem sui instituti.

De S. Ephram: Ephræm nunquam fuit crumena, non virga, non pera, neque aurum, neque argentum: sed nec in terra vllam h[illegible]essi[illegible]

nem. Bonum enim Regem audiui, inquit in suis Euangelijs præcipientem: *Nihil in terra possideretis.* Quocirca nec affectione quidem tale quid habuit.

Euthymius. 1080.

Ad caput 19. Matthæi. Marcus & Lucas manifestius de his recitantes, centuplam retributionem hoc tempore rependi dicunt, in hoc videlicet seculo, vitam autem æternam in futuro. Centupla verò, hoc est, variè multiplicata, aut multo plura, sicut dixit Lucas. Sed quomodo variè multiplicatam accipiet quis hanc retributionem in præsenti seculo? Quomodo? sicut acceperunt Apostoli, & Martyres, cæterique omnes iusti. Vide enim quòd omnium fidelium dolus sibi habebant apertas: fratres etiam & sorores parauerunt omnes sanctos & sanctas: patres verò omnes ipsos colentes, ipsorumque curã habentes, ac erga ipsos compassionis affectu tactos. Nam hæc sunt propria patris: matres quoque omnes pari modo se habentes: vxores verò omnes ministrantes, subseruiẽtes, ac curantes eos: hæc siquidem vxoris sunt opera: filios præterea omnes discipulos. Ad hæc omnes fidelium agros in sua potestate habeant: quodque omnium est maximè admirabile, omnia hæc habebant cum persecutionibus, prout addidit Marcus, hoc est, à fide inimicis persecutionem sustinentes.

Theodorus Balsamon. 1180.

Ad Canonem 6. Synodi Constantinopolitanæ octauæ: Si quis, postquam Monachus factus fuerit, aliquid ex ijs rebus sibi priuatim tribuere conatus fuerit, hoc quidem Præfectus, vel Episcopus recipiat, & vendat in multarum hominum præsentia, vt sit ab omni calumnia, & reprehensione remotus, & pretium mendicis diuidat. Monachus autem, qui quæ ad Deum pertinent surripuerit, more illius Ananiæ pœna castigabitur.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Lucæ 6. Lib. 4. aduersus Marcionem cap. 14. *Beati mendici* (sic enim exigit interpretatio vocabuli, quod est in Græcò) *quoniam illorum est regnum cælorum.* Iam
Psal. 44. hoc ipsum, quod à benedictionibus cœpit, Creatoris est, qui vniuersa prout edidit, nulla alia voce, quàm benedictionis dedicauit. *Eructauit* enim, inquit, *cor meum sermonem optimum.* Hic erit sermo optimus, benedictionis scilicet, qui & noui quoque Testamenti initiator agnoscitur de veteri exemplo. Quid ergo mirum est, si & ab affectibus Creatoris ingressus est per huiusmodi dictionem, semper mendicos, & pauperes, & humiles, ac viduas, & pupillos vsque diligentis, consolantis, asserentis, vindicanti? vt hanc Christi quasi priuatam benignitatem, riuulum credas de fontibus Saluatoris.

Vrbanus Primus. 224.

Epistola ad omnes Christianos: Quicunque vestrum communem vitam susceptam habet, & vouit se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat: sed hoc, quod Domino est pollicitus, fideliter custodiat, ne damnationem, sed præmium sibi acquirat. Quoniam satius est non vouere, quàm votum, prout melius potest, non perficere.

Minutius Felix. 230.

In Octauio: Quòd plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria: animus enim vt luxu soluitur, ita frugalitate firmatur: & tamen quis potest pauper esse, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo diues est? Magis pauper ille est, qui cùm multa habeat, plura desiderat. Dicam tandem quemadmodum sentio. Nemo tam pauper potest esse, quàm natus est. Aues sine patrimonio viuunt, & in diem pascua pascuntur: & hæc nobis tamen nata sunt, quæ omnia si non concupiscimus, possidemus. Igitur vt qui viam terit, eo felicior, quo leuior incedit: ita beatior in hoc itinere viuendi, qui paupertate se sublevat, non sub diuitiarum onere suspirat: & tamen facultates, si vtiles putaremus, à Deo posceremus vtique. Indulgere posset aliquantum, cuius est totum: sed nos contemnere malumus opes, quàm continere: innocentiam magis cupimus, magis patientiam flagitamus: malumus nos bonos esse, quàm prodigos. & quod corporis humana vitia sentimus & patimur, non est pœna militia est. Fortitudo enim infirmitatibus roboratur, & calamitas sæpius disciplina virtutis est: vires denique & mentis & corporis sine laboris exercitatione torpescunt.

Cyprianus. 250.

Libro de lapsis: Decepit multos patrimonij sui amor cæcus: nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ velut compedes ligauerunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ: quibus & virtus retardata est, & fides pressa, & mens vincta, & anima præclusa: vt serpenti terram secundùm Dei sententiam deuoranti, præda & cibus fierent, qui terrestribus cupiditatibus inhærerent. Et idcirco Dominus Matt. 19
bonorum Magister, & præmonens, & consulens in futurum: *Si vis,* inquit, *perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni, sequere me.* Si hoc diuites facerent, per diuitias suas non perirent: thesaurum in cælo reponentes, hostem nunc & expugnatorem domesticum non haberent: esset in cælo cor, & animus, & sensus, si thesaurus esset in cælo. Nec vinci à seculo posset, qui vnde vinceretur in seculo non haberet. Sequeretur Dominum solutus & liber, vt Apostoli, & sub Apostolis multi, & nonnulli sæpe fecerunt, qui & rebus suis, & parentibus derelictis, indiuiduis Christo nexibus adhæserunt. Sequi autem Christum quomodo possunt, qui patrimonij vinculo detinentur? Aut quomodo cælum petunt, & ad sublimia & alta conscendunt, qui terrenis cupiditatibus degrauantur? Possidere se credunt, qui potius possidentur: census sui serui, nec ad pecuniam suam domini, sed magis pecuniæ mancipati. Hoc tempus, 1. Tim. 6
hos homines Apostolus denotat, dicens: *Qui autem volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & muscipulam, & desideria multa inutilia, & nocentia, quæ mergunt hominem in perditionem, & in interitum. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, naufragauerunt & inseruerunt se doloribus multis.* Dominus autem quibus nos præmijs ad contemptum rei familiaris inuitat? Parua hæc & exigua huius temporis damna, quibus mercedibus Marc. 10
pensat? *Nemo est,* inquit, *qui relinquat domum, aut agrum, aut fratres, aut parentes, aut vxorem, aut filios, propter regnum Dei: & non recipiat septies tantum in isto tempore, in seculo autem venturo vitam æternam.* Quibus cognitis, & de Domini pollicentis veritate compertis, non tantùm timenda non est eiusmodi, Lucæ 6.
sed & optanda iactura, ipso denuò Domino prædicante & monente: *Beati eritis, cùm vos persecuti fuerint homines,* &c.

De ora-

De oratione Dominica: Dominus perfectum & cōsummatum docet fieri, qui omnibus suis venditis, atque in vsum pauperum distributis, thesaurum sibi condat in cælo. Matt. 19. Eum dicit posse se sequi, & gloriam Dominicę passionis imitari, qui expeditus & succinctus, nullis laqueis rei familiaris inuoluitur, sed solutus ac liber facultates suas, ad Deum ante præmissas, ipse quoque comitatur.

De opere & eleemosynis: Cogitemus, fratres dilectissimi, qui sub Apostolis fecerit credentium populus, quando inter ipsa primordia maioribus virtutibus mens vigebat, quando credentium fides nouo adhuc fidei calore feruebat: domicilia tunc & prædia venundabant, & dispensandam pauperibus quantitatem libenter & largiter Apostolis offerebant, terreno patrimonio vendito atque distracto, fundos illuc transferentes, vbi fructus caperent possessionis æternæ: illic comparantes domos, vbi inciperent semper habitare.

Pontius Diaconus. 260.

In vita D. Cypriani: Deinde quod maius est, cùm de lectione diuina quædam iam non pro conditione natiuitatis, sed pro fidei festinatione didicisset, statim rapuit, quod inuenit promerendo Domino profuturum: distractis rebus suis ad indigentiam multorum pauperum sustentandam, tota prædia pretio dispensans, duo bona simul iunxit, vt Osee. 6. & ambitionem seculi sperneret, qua pernitiosius nihil est, & misericordiam, quam Deus etiam sacrificijs prætulit, quam nec ille, qui legis mandata seruasse se dixerat, fecit, impleret: & præpropera velocitate pietatis, penè ante cæpit perfectus esse, quàm disceret.

Ambrosius. 370.

In caput 6. Lucæ: *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Primam benedictionem hanc vterque Euangelista posuit. Ordine enim prima est, & parens quædam generatioq́ virtutum: quia qui contempserit secularia, ipse merebitur sempiterna. Nec potest quisquam meritum regni cælestis adipisci, qui mundi cupiditate pressus, emergendi non habet facultatem, &c. Non omnes beati pauperes, paupertas enim media est: possunt & boni esse, & mali pauperes: nisi fortè illi intelligendus pauper beatus, quem Prou. 19. Propheta describit, dicens: *Quia melior est pauper iustus, quàm diues mendax: Beatus pauper, qui clamauit,* Psal. 33. *& Dominus exaudiuit eum.* Pauper à crimine, pauper à vitijs, pauper in quo mundi princeps nihil inuenit. Pauper, illius æmulus pauperis, qui cùm diues esset, propter nos pauper factus est. Vnde plenè Matthæus apperuit, dicens: *Beati pauperes spiritu:* Pauper enim spiritu non inflatur, non extollitur mente carnis suæ, Quid enim mihi prodest carere secularibus, nisi fuero mitis atque mansuetus?

Epistola 36. ad Sabinum Episcopum: Paulinum splēdore generis in partibus Aquitaniæ nulli secundum, venditis facultatibus tam suis, quàm etiam coniugalibus, in hos se induisse cultus ad fidem comperi, vt ea in pauperes conferat, quæ redegit in pecuniam, & ipse pauper ex diuite factus, tanquam deoneratus graui sarcina, domui, patriæ, cognationi quoque valedicat, quò impensius Deo seruiat, &c.

Hieronymus. 390.

Ad Heliodorum epistola 1. cap. 6. Sed forsitan dicturus es: Quid ergo? quicunque in ciuitate sunt, Christiani non sunt? Non est tibi eadem causa, quæ cæteris. Dominum ausculta dicentem: *Si vis* Matt. 19. *perfectus esse, vade, vende omnia tua, & da pauperibus, & veni sequere me.* Tu autem perfectum te fore pollicitus es. Nam cùm, derelicta militia, te castrasti propter regnum cælorum: quid aliud quàm perfectam secutus es vitam? Perfectus autem seruus Christi, nihil præter Christum habet, aut, si quid præter Christum habet, perfectus non est: &, si perfectus non est, cùm se perfectum fore Deo pollicitus sit, ante Deū mentitus est. *Os autem, quod* Sap. 1. *mentitur, occidit animam.* Igitur, vt concludam: si perfectus es, cur bona paterna desideras? Dominum fefellisti, si perfectus non es. Diuinis Euangelium vocibus contonat: *Non potestis duobus dominis* Matt. 6. *seruire.* Et audet quisquam mendacem Christum facere, Mammonæ & Domino seruiendo? Vociferatur ille sæpe: *Si quis vult post me venire, abneget se* Luc. 9. *metipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Et ego onustus auro arbitror me Christum sequi? *Qui dicit se in Christum credere, debet, quomodo ille ambulauit, & ipse ambulare.* Quòd si nihil habes, vt te responsurum scio, cur tam bene paratus ad bella non militas?

Ad caput 19. Matthæi super ea verba: *Si vis perfectus esse, &c.* In potestate nostra est, vtrum velimus esse perfecti; Tamen quicunque perfectus esse voluerit, debet vendere quę habet, & non ex parte vendere, sicut Ananias fecit & Saphyra, sed totum Actor. 5. vendere, & cùm vendiderit, dare omne pauperibus, & sic sibi præparare thesaurum in regno cælorum. Et hoc ad perfectionem non sufficit, nisi post contemptus diuitias Saluatorem sequatur, id est, relictis malis, faciat bona. Facilius enim sacculus contemnitur, quàm voluptas. Multi diuitias relinquentes, Dominum non sequuntur. Sequitur autem Dominum, qui imitator eius est, & per vestigia illius graditur, &c. Grandis fiducia: Petrus piscator erat, diues non fuerat, cibos manu & arte quærebat, & tamen loquitur confidenter: *Reliquimus omnia.* Et quia non sufficit tantum relinquere, iungit quod perfectum est, *& secuti sumus te.* Fecimus quod iussisti, quid igitur nobis dabis præmij? Iesus autem dixit illis: *Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, &c.* Non dixit, qui reliquistis omnia: hoc enim Crates fecit Philosophus, & multi alij diuitias contempserunt: sed *qui secuti estis me*: quod propriè Apostolorum est, atque credentium.

Ad Demetriadem de seruanda virginitate epist. 8. cap. 7. Apostolici fastigij est, perfectæque virtutis, vendere omnia, & pauperibus distribuere, & sic leuem atque expeditum cum Christo ad cælestia subuolare. Nobis, imò tibi, diligens credita est dispensatio, quanquam in hoc omni ætati, omniqúe personæ libertas arbitrij relicta sit. *Si vis,* inquit, *perfectus esse.* Non cogo, non impero, sed propono palmam, ostendo præmia: tuum est eligere, si volueris in agone, atque certamine coronari. Et consideremus, quàm sapienter Sapientia sit locuta: *Vende quæ habes.* Cui ista præcipiuntur? nempe illi, cui dictum est: *Si vis perfectus esse,* non partem bonorum tuorum vende, sed omnia. Cumq́ vendideris, quid sequitur? *Et da pauperibus.* Non diuitibus, non propinquis, non ad luxuriam, sed ad necessitatem, siue ille sacerdos sit, siue cognatus & affinis, nihil in illo aliud consideres, quàm paupertatem: laudent te esurientium viscera, non ructantium opulenta conuiuia. In Actis Acto. 4. Apostolorum, quando Domini nostri adhuc calebat cruor, & feruebat recens in credentibus fides, vendebant omnes possessiones suas, & pretia earum ad Apostolorum deferebant pedes, vt ostenderent pecunias esse calcandas: dabaturq́ singulis prout cuiq́ opus erat. Ananias & Saphyra, dispensatores timidi, imò corde duplici, & ideo conde- Actor. 5. mnati, quia post votum obtulerunt quasi sua, & non eius, cui semel ea vouerant, partemq́ sibi iam alienæ substantiæ reseruârunt, metuentes famem, quam vera fides non timet: præsentem meruêre vindictam, non crudelitate sententiæ, sed corre-

ptionis exemplo. Denique & Apostolus Petrus nequaquam imprecatur ijs mortem, vt stultus Porphyrius calumniatur: sed Dei iudicium prophetico spiritu annuntiat, vt pœna duorum hominum sit doctrina multorum. Ex eo tempore, quo virginitati perpetuæ consecrata es, tua non tua sunt, imò verè tua, quia Christi esse cœperunt, quæ, auia viuente vel matre, ipsarum arbitrio dispensanda sunt. Sin autem obierint, & somno Sanctorum requieuerint: scio enim & hoc illas optare, vt te habeant superstitem, cùm ætas maturior fuerit, & voluntas grauior, firmiorque sententia: facies quod tibi visum fuerit, imò quod Dominus imperat, scitura te nihil habituram, nisi quod in bonis operibus erogaueris.

Quæstione 1. ad Hedibiam epistola 150. Interrogas, quomodo quis perfectus esse possit, & quomodo viuere debeat vidua, quæ sine liberis derelicta est. Hoc idem in Euangelio Legis Doctor interrogat: Matt. 19. *Magister, quid faciens vitam æternam possidebo?* Cui respondit Dominus: *Mandata nosti?* dicit ille: *Quæ* Iesus autem dixit: *Non homicidium facies, non adulterium, non furtum, non falsum dices testimonium: honora patrem & matrem: & diliges proximum vt teipsum.* Et illo dicente: *Hæc omnia feci,* Dominus intulit: *Vnum tibi deest: si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Itaque & ego tibi Domini nostri respondebo sermonibus: Si vis esse perfecta, & tollere crucem tuam, & sequi Dominum Saluatorem, & imitari Petrum dicentem: *Ecce nos dimisimus omnia, & secuti* Matt. 10. *sumus te. Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere Saluatorem.* Non dixit: da filijs, da fratribus, da propinquis, quos etiamsi haberes, iure ijs Dominus præferretur: sed da pauperibus, imò da Christo, qui in pauperibus pascitur. Qui cùm diues esset pro nobis pauper factus est, &c. 2. Cor. 8 Dicunt Apostoli se omnia, quæ sua fuerant, dimi- Matt. 10. sisse: & mercedem pro hac virtute audacter expo- Matt. 19. scunt. Quibus respondit Dominus: *Omnis qui reliquit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum: centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* O quanta beatitudo, pro paruis magna recipere, æterna pro breuibus, pro morituris semper viuentia, & habere Dominum debitorem: si quæ autem vidua habet liberos, & maximè si nobilis familiæ est, egentes filios non dimittat, sed ex æqualitate eos amet, & vt meminerit primum animæ suæ, & ipsam putet esse de filijs, & partiatur potius cum liberis, quàm omnia filijs derelinquat: imò Christum liberorum suorum faciat cohæredem. Respondebis: difficile est, durum est, & contra naturam. Sed Dominum audies tibi respondentem: *Qui potest capere, capiat.* Et si vis esse perfecta, non tibi iugum necessitatis imponit, sed Matt. 19. potestati tuæ liberum concedit arbitrium. Vis esse perfecta, & in primo stare fastigio dignitatis, fac, quod fecerunt Apostoli: *Vende omnia, quæ habes, & sequere* Saluatorem, & nudam solamque crucem nuda sequaris & sola. Non vis esse perfecta, sed secundum vis tenere gradum virtutis: dimitte omnia quæcunque habes, da filijs, da propinquis, nemo te reprehendit, si inferiora secteris, dummodò illam scias tibi iure prælatam, quæ elegerit prima. Dices: Hoc Apostolorum est, & virorum: mulierem autem nobilem non posse omnia vendere, quæ multis adiumentis huius vitæ indigeat. Audi igitur Apostolum commonentem: *Non* 2. Cor. 8. *vt alijs refrigerium, vobis autem tribulatio: sed ex æqualitate, vestra abundantia illorum sustentet inopiam*: vt & illorum abundantia vestræ inopiæ fit supple- Luc. 3. mentum. Vnde inquit Dominus: *Qui habet duas tunicas, det alteram non habenti.* Ananias & Saphira Apostoli meruêre sententiam, quia sua timidè reseruârunt. Act. 5. Ergone, inquies, puniendus est, qui sua non dederit? Minimè: ideo puniti sunt, quia mentiri voluerunt Spiritui sancto, & reseruantes necessaria victui suo, quasi perfectè seculo renuntiantes, vanam gloriam sectabantur. Alioqui licet liberè dare, vel non dare: quanquam ei, qui cupiat esse perfectus, præsens paupertas futuris diuitijs compensanda sit.

In consolatione ad Pammach. super obitu Paulinæ vxoris epist. 26. cap. 3. Parua dimisimus, & grandia possidemus. Centuplicato fœnore Christi promis- Gen. 26. sa redduntur. In tali & Isaac quondam agro seue- Matt. 19. rat, qui paratus ad mortem, ante Euangelium Euangelicam portauit crucem. *Si vis,* inquit, *perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Si vis perfectus esse*: semper grandia in audientium ponuntur arbitrio: & ideo virginitatem Apostolus non imperat, quia Dominus disputans de Eunuchis, qui se castrassent propter Rom. 9. regna cælorum, ad extremum intulit: *Qui potest capere, capiat: Non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Si vis perfectus esse.* Non tibi imponitur necessitas, vt voluntas præmium consequatur. *Si vis* ergo *esse perfectus*, & desideras esse, quod Prophetæ, quod Apostoli, quod Christus est: *vende*, non partem substantiæ ne timor penuriæ infidelitatis occasio sit, & cum Anania & Saphira pereas, sed *vniuersa quæ possides.* Cumque vendideris, *da pauperibus*, non locupletibus, non superbis: da quo necessitas sustentetur, non quo augeantur opes.

Cap. 4. Pars sacrilegij est, rem pauperum dare non pauperibus. Et tamen non est satis perfecto & consummato viro opes contemnere, pecuniam dissipare, & proijcere, quod in momento & perdi & inueniri potest. Fecit hoc Crates Thebanus, fecit Antisthenes, fecerunt plurimi, quos vitiosissimos legimus. Plus debet Christi discipulus præstare, quàm mundi Philosophus, gloriæ animal, & popularis auræ, atque rumorum venale mancipium. Tibi non sufficit opes contemnere, nisi Christum sequaris. Christum autem sequitur, qui peccata dimittit, & virtutum comes est, &c.

In vita Hilarionis. Parentibus iam defunctis partem substantiæ fratribus, partem pauperibus largitus est, nihil sibi omnino reseruans, timens illud de Actibus Apostolorum Ananiæ & Saphiræ vel exemplum, vel supplicium, maximeque Domini memor dicentis: *Qui non renuntiauerit omnibus quæ habet, non potest meus esse discipulus.* Erat autem tunc annorum quindecim. Sic nudus & armatus in Luc. 14. Christo, solitudinem, quæ in septimo milliario à Maiomæ Gazæ emporio, per littus euntibus Aegyptum ad læuam flectitur, ingressus est.

Chromatius. 400.

In cap. 5. Matth. Hos vtique pauperes significat esse beatos, qui contemptus mundi diuitijs, spretaque seculi facultate, vt Deo fierent diuites, mundo pauperes esse voluerunt. Hi tales pauperes quidem seculo esse videntur, sed Deo diuites sunt, egentes seculo, sed Christo locupletes. Cuius beatæ paupertatis exemplum nobis primi in se Apostoli præbuerunt, qui contempta omni facultate, statim secuti Domini vocem, ipsius esse discipuli me- Matt. 4. ruerunt. Hos tales pauperes etiam Apostolorum temporibus inuenimus, qui primi credentes, vniuersis rebus suis possessionibusque distractis, sub hac deuota paupertate Domini diuitias quæsierunt. Vnde & Apostolus in tali paupertate diuitias inesse cælestes ostendit, dicens: *Tanquam nihil* 2. Cor. 6 *habentes, & omnia possidentes.* Inde denique Petrus, cùm ascendens in templum à claudo eleemosynam Acto. 4. peteretur, ait: *Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Domini Iesu Christi*

surge

surge & ambula. O verè beata paupertas, quæ cùm nihil de mundi facultate habeat, tantum de cælo largitur. Non dat quidem argentum vel aurum, sed quod plus est diuitijs omnibus, reddit corporis sanitatem. Imaginem Cæsaris in nummo, quam daret, non habuit: sed Christi imaginem in homine reformauit. De huiusmodi pauperibus in præsenti loco Dominus loquitur, de quibus & Dauid
Psal. 21. multis locis testatur dicendo: *Edent pauperes, & sa-*
Psal. 71. *turabuntur, & viuet cor eorum in seculum seculi.* Et ite-
Psal. 33. rum: *Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum.* Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum. Talium ergo pauperum Dominus docet esse regnum cælorum, qui se causa religionis ac fidei seculo pauperes fiunt, vt locupletem sanctum Spiritum possiderent: vel certè beatos pauperes dicit, qui nulla superbia diaboli inflantur, nulla ambitione seculi extolluntur, sed humilitatem spiritus cum fidei deuotione custodiunt.

Augustinus. 400.

Epistola 89. ad Hilarium: Audi iam pauca de diuitibus, quod in epistola tua sequitur inquirendum. Hoc enim posuisti quosdam dicere: Diuitem manentem in diuitijs suis regnum Dei non posse ingredi, nisi in omnia sua vendiderit, nec ei prodesse, si fortè ex ipsis diuitijs mandata fecerit &c. Magister bonus mandata legis ab ista excellentiore perfectione, distinxit. Ibi enim dixit: *Si vis venire ad vitam, serua mandata.* Hîc autem: *Si vis perfectus*
Matt. 19. *esse, vade, vende omnia quæ habes, &c.* Cur ergo nega-
Luc. 6. mus diuites, quamuis ab illa perfectione absint, venire tamen ad vitam, si mandata seruauerint & dederint, vt detur illis, & dimiserint, vt dimittatur illis? &c. Hac lege & conditione, non illi tantùm, qui mentis excellentia perfectionis consilium receperunt, vt vendita sua pauperibus distribuerent, & humeris ab omni huius seculi sarcina liberioribus leuem Christi sarcinam ferrent: sed etiam quisquis infirmior, & illi gloriosissimæ perfectioni minus idoneus, qui tamen se meminit veraciter esse Christianum, cùm audierit sibi proponi, quòd nisi hæc omnia dimiserit, dimissurus est Christum, apprehendet potius turrim fortitudinis à facie inimici, &c. Renuntiat etiam diuitijs suis, si quas habet, aut sic, vt eas omninò non diligens, totas distribuat indigentibus, & superfluis exoneretur sarcinis, aut sic, vt plus diligens Christum, spem ab ijs transferat in ipsum, atque ita vtatur illis, vt facilè tribuens & communicans, thesaurizet in cælo, paratusque sit quemadmodum parentes, & filios, & fratres, & vxorem, hoc modo & istas relinquere, si talis conditio proposita fuerit, vt nisi dimisso CHRISTO eas habere non possit. Nam si aliter huic seculo renuntiat, quando accedit ad fidei sacramentum, facit quod de lapsis B. Cyprianus ingemuit, dicens: Seculo verbis solis renuntiantes, & non factis, &c. Multi, quos rerum suarum venditione piguerat ante perfici, Christi imitata passione sunt repente perfecti, & qui nonnullam infirmitatem carnis & sanguinis suis diuitijs perfecerunt, subitò aduersus peccatum pro fide vsque ad sanguinem certârunt. Quibus autem non prouenit corona martyrij, neque illius perfectionis, de vendendis rebus suis consilium tam grande, tamque præclarum receperunt, & tamen à damnabilibus immunes criminibus, esurientem Christum pauerunt, sitienti potum dederunt, nudum vestierunt, peregrinantem susceperunt, non sedebunt quidem cum Christo sublimiter iudicaturi, sed ad ipsius dexteram stabunt
Matt. 5. misericorditer iudicandi. *Beati enim misericordes:*
Iacob. 2. *quoniam ipsorum miserebitur Deus.* Et: *Iudicium sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam.* Superexultat autem misericordia iudicio. Proinde isti desinant contra Scripturas loqui, & in suis exhortationibus ad maiora sic excitent, vt minora non damnent, &c. Ego, qui hæc scribo, perfectionem, de qua Dominus locutus est, quando ait diuiti adolescenti: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus,* Matt. 19.
& habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me: vehementer adamaui, & non meis viribus, sed gratia ipsius adiuuante sic feci. Neque enim quia diues non fui, ideo minus mihi imputabitur. Nam neque ipsi Apostoli, qui priores hoc fecerunt, diuites fuerunt, sed totum mundum dimittit, qui & illud, quod habet, & quod optat habere, dimittit. Quantum autem in hac perfectionis via profecerim, magis quidem noui ego, quàm quisquam alius homo: sed magis Deus, quàm ego. Et ad hoc propositum quantis possum viribus alios exhortor, & in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est: sic tamen, vt præcipuè sana doctrina teneatur, nec eos, qui ista non faciunt, vana contumacia iudicemus.

Epistola 109. ad Monachas: Hæc sunt, quæ vt obseruetis præcipimus in Monasterio constitutæ. Primum propter quod estis in vnum congregatæ, vt vnanimes habitetis in domo, & sit vobis cor vnum & anima vna in Deo, & non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia, & distribuatur vnicuique vestrum à Præposita vestra victus & tegumentum: non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed vnicuique sicut opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apostolorum: Quia *erant ijs omnia communia, & distri-* Actor. 2. & 4.
buebatur singulis prout cuique opus erat. Quæ aliquid habebant in seculo, quando ingressæ sunt Monasterium, libenter velint illud esse commune. Quæ autem non habebant, non ea quærant in Monasterio, quæ nec foris habere potuerunt, sed tamen earum infirmitati quod opus est tribuatur, etsi pauperies earum quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat inuenire.

Sermone 49 de diuersis cap. 1. Nostis omnes, aut penè omnes sic nos viuere in ea domo, quæ dicitur domus Episcopi, vt quantum possemus imitemur eos sanctos, de quibus loquitur liber Actuum Apostolorum: *Nemo habebat aliquid proprium, sed erant* Actor. 2. & 4.
illis omnia communia. Quia fortè aliqui vestrum non sunt tam diligentes vitæ nostræ scrutatores, vt hoc sic nouerint, quomodo volo vos nosse, dico quid sit quod breuiter dixi. Ego, quem (Deo propitio) videtis Episcopum vestrum, iuuenis veni ad istam ciuitatem, vt multi vestrum nouerunt. Quærebam vbi constituerem Monasterium, & viuerem cum fratribus meis: spem quippe omnem seculi reliqueram, & quod esse potui, esse nolui: nec tamen quæsiui esse quod sum, &c. Et quia hîc disponebam esse in Monasterio cum fratibus, cognito instituto & voluntate mea, beatæ memoriæ senex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc est Monasterium. Cœpi boni propositi fratres colligere, compares meos, nihil habentes, sicut nihil habebam, & imitantes me: vt quomodo ego tenuem paupertatulam meam vendidi, & pauperibus erogaui, sic facerent & illi, qui mecum esse voluissent, vt de communi viueremus. Commune autem nobis esset magnum & vberrimum prædium ipse Deus. Perueni ad Episcopatum: vidi necesse habere Episcopum exhibere humanitatem assiduam quibusque venientibus siue transeuntibus: Quod si non fecissem, Episcopus inhumanus diceretur: si autem consuetudo ista in Monasterio permissa esset, indecens esset. Et ideo volui habere in ista domo Episcopi mecum Monasterium clericorum.

Cap. 2. Ecce quomodo viuimus: nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium: sed

fortè aliqui habent: nulli licet. *Et paulò pòst, plangens Ianuarium Presbyterum, qui reseruatam pecuniam moriens Ecclesiæ legauerat, ait:* Testamentum fecit Presbyter socius noster, nobiscum manens, de Ecclesia viuens, communem vitam profitens: testamentum fecit, heredum instituit. O dolor illius societatis! ô fructus natus non de arbore, quam plantauit Dominus! Sed Ecclesiam scripsit hæredem. Nolo munera ista, non amo amaritudinis fructum. Ego illum Deo quærebam: societatem professus erat, hanc teneret, hanc exhiberet, nihil haberet, testamentum non faceret: habebat aliquid, non se nostrum socium quasi Dei pauperem fingeret. Magnus inde mihi dolor est fratres.

Actor.2. & 4. *Cap.* 4. Qui societatem communis vitæ iam susceptam, quæ laudatur in Actibus Apostolorum, deserit, à voto suo cadit, & à professione sancta cadit. Obseruet iudicem, scilicet Deum, non me, &c. Ego scio quantum mali sit, profiteri sanctum aliquid, nec implere. *Vouete, inquit, & reddite Domino:*
Psal. 75. Et: *Melius est non vouere, quàm vouere, & non reddere.*
Eccle. 5. Virgo etsi nunquam fuit in Monasterio, & virgo sacrata est, illi nubere non licet, quamuis esse in Monasterio nõ compellitur: Si autem cœpit esse in Monasterio, & deseruit, & tamen virgo est, dimidia ruit: sic & clericus duas res professus est, & sanctitatem, & clericatum: interius sanctitatem: Nam clericatum propter populum suum Deus imposuit
Deut.32. ceruicibus ipsius, cui magis est onus, quam honor. Sed *quis sapiens, & intelligit hæc?* Ergo professus est sanctitatem, professus est communiter viuendi so-
Psal.132. cietatem: & professus est *quàm bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Si ab hoc proposito ceciderit, & extra manens Clericus fuerit, dimidius & ipse cecidit. Quid ad me? non eum iudico. Si foris seruat sanctitatem, dimidius cecidit: si verò intus habuerit simulationem, totus cecidit. Nolo habeat necessitatem simulandi: scio quomodo homines ament clericatum, nemini eum tollo nolenti mecum communiter viuere: sed habeat Deum, qui mecum manere vult. Si paratus est pasci à Deo per Ecclesiam ipsius, non habere debet aliquid proprium, sed aut erogare pauperibus, aut in commune mittere, maneat mecum. Qui hoc non vult, habeat libertatem: & videat, vtrum habere possit felicitatis æternitatem.

Seuerus Sulpitius. 410.

In vita S. Martini cap. 26. Sermo Martini non alius apud nos fuit, quàm mundi huius illecebras, & seculi onera relinquenda, vt Dominum Iesum liberi expeditiq; sequeremur: præstantissimumque nobis præsentium temporum illustris viri Paulini exemplum ingerebat: qui summis opibus abiectis, Christum secutus, solus penè his temporibus Euangelica præcepta complesset. Illum nobis sequendum, illum clamabat imitandum, beatumque esse præsens seculum tantæ fidei, virtutisq; documento: cùm secundùm sententiam Domini, diues & possidens multa vendendo omnia & dando pauperibus, quod erat facto impossibile, possibile fecisset exemplo.

Possidius Calamensis Episcopus. 430.

Vita S. Augustini cap. 2. Mox (post Baptismum) ex intimis cordis medullis ad Deum conuersus, spem omnem, quam habebat in seculo, dereliquit, iam non vxorem, non filios carnis, non diuitias, non honores seculi quærens: sed soli Deo cum suis seruire statuit, in illo, & ex illo pusillo grege esse studens, quem Dominus alloquitur, dicens: *Noli timere*
Luc.12. *pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare*
Matt.19. *vobis regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos non veterascentes, thesauros non deficientes in cælis, &c.* Et illud, quod dicit Dominus, idem vir sanctus facere cupiens: *Si vis esse perfectus, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni sequere me, &c.*

Cap. 5. Factus ergo Presbyter, Monasterium intra Ecclesiam mox instituit, & cum Dei seruis viuere cœpit, secundùm modum & regulam sub sanctis Apostolis constitutam, maximè vt nemo quicquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia, & distribueretur vnicuique prout cuique opus erat, quod iam ipse prior fecerat dum de transmarinis ad sua remeasset.

Cap. 31. Testamentum nullum fecit, quia vnde faceret pauper Christi non habuit.

Sixtus Tertius. 433.

De diuitijs: Cùm multos [illegible]um suorum egere conspiciant, laudandus est i[illegible]e, qui superflua egentibus erogauerit, & secundùm veteris Testamenti doctrinam sufficientiæ fuerit quantitate contentus. Sed illi maiori laude dignus est, qui non tantùm Testamenti veteris, sed & noui voluerit implere mandata: præsertim cùm hoc Dominus & Saluator noster suo tam verbo, quàm exemplo docuerit. Verbo, quod dixit: *Omnis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest esse meus discipulus.* Luc. 14.
Exemplo autem, quòd eum secundùm assumpti hominis formam tam pauperem fuisse legimus, vt Matt. 8.
nec vbi caput declinaret proprium possideret. De quo & B. Apostolus testatur, dicens: *Quia pauper factus est, cũ diues esset, vt illius inopia vos locupletaremini.* 2.Cor.8.
Ostendere volens, tum maximè nos cælestibus diuitijs locupletandos fore, cùm terrenas opes Christi spreuerimus exemplo.

Leo Magnus. 450.

Sermone de Festo omnium Sanctorum: De quibus pauperibus Veritas loqueretur, fortè esset ambiguum, si dicens: *Beati pauperes,* nihil adderet de intelligenda pauperum qualitate: & sufficere videretur ad promerendum regnum cælorum ea sola inopia, quam multi sub graui & dura necessitate patiuntur. Sed cùm dicit: *Beati pauperes spiritu,* ostendit eis regnum cælorum tribuendum, quos humilitas commendat animorum magis, quàm indigentia facultatum. Dubitari autem non potest, quòd humilitatis istius bonum facilius pauperes, quàm diuites assequantur, dum & illis in tenuitate amica est mansuetudo, & istis in diuitijs familiaris elatio, &c. Beata illa paupertas, quæ rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri appetit: sed cælestibus bonis ditescere concupiscit. Huius nobis magnanimæ paupertatis exemplum primum post Dominum Apostoli præbuerunt, qui omnia sua sine differentia relinquentes, ad vocem cælestis magistri, à captura piscium, in piscatores hominum alacri conuersione mutati sunt, & multos sui similes fidei suæ imitatione fecerunt, quando illis primitijs Ecclesiæ vnum cor omnium, & anima vna erat credẽtium, qui vniuersis suis rebus possessionibusq; distractis, per deuotissimam paupertatem bonis ditabantur æternis, & ex Apostolica prædicatione gaudebant nihil habere de mundo, & omnia possidere cum CHRISTO.

Prosper. 460.

Libro 2. *de vita contemplatiua cap.* 9. Quisquis omnibus quæ habuit dimissis aut venditis, fit rei suæ contemptor, cùm Præpositus fuerit factus suæ Ecclesiæ omnium, quæ habet Ecclesia, fit dispensator. Deinde sanctus Paulinus (vt ipsi me melius nostis) ingentia prædia, quæ fuerunt sua, vendita pauperibus erogauit, sed cum postea factus fuisset Episcopus, non contempsit Ecclesiæ facultates, sed fidelissimè dispensauit. Quo facto satis ostendit, & propria debere propter perfectionem contemni, & sine impedimento perfectionis posse quæ sunt communia Ecclesiæ possideri. Quid sanctus

Hilarius?

Hilarius? Nonne & ipse omnia bona sua aut parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogauit? Is tamen cùm merito perfectionis fieret Arelatensis Ecclesiæ Episcopus, quod illa tunc habebat Ecclesia non solùm possedit, sed etiam acceptis fidelium numerosis hæreditatibus ampliauit.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homil. 23. Peculiarius istud ad professionem nostram pertinet, nihil in hac vita consolationis requirere, nihilque quietis recipere, vel bona in vita sua: sed honores fugere, subiectione atque abiectione gaudere, paupertatis studium quærere, & non solùm facultates, sed etiam ipsas cupiditates de cordibus eradicare. Nihil enim interdum possidere, necessitatis est, nihil per auaritiam cupere, virtutis. Et ideo hunc sibi specialiter modum ponere religiosus debet, vt tantum habeat, quantum necessitas poscit. Habendi enim amor, nisi ad integrum resecetur, ardentior est in paruis, & plus torquetur in minimis. Et nisi ex toto corde & affectu pauper sis, paupertas ipsa non virtus, sed miseria iudicanda est.

Gennadius Massiliensis. 470.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 71. Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare: melius est pro intentione sequendi Dominum in simul donare, & absolutum solicitudine cum Christo egere.

Saluianus Massiliensis. 480.

Ad Ecclesiam Catholicam lib. 2. Licet vetus decretum largam cunctis ampliandarum opum dederit facultatem: omnes tamen Leuitas & Sacerdotes intra certum habendi limitem coarctauit: quos scilicet neque segetem, neque vllum omninò fundum habere permisit. Ex quo intelligi potest, an ea nunc Deus noster velit in Euangelio viuentes clericos suos mundanis post se hæredibus derelinquere, quæ adhuc in lege positos ne ipsos quidem voluit possidere. Vnde est, quod Saluator eis, in Euangelio, non vt cæteris voluntarium, sed imperatiuum officium perfectionis indicit. Quid enim illum laico adolescenti dixisse legimus? *Si vis esse*
Matt. 19. *perfectus, vende quæ habes, & da pauperibus.* Quid autem ministris suis? *Nolite*, inquit, *possidere aurum,*
Matt. 10 *neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calciamenta, neque virgam.* Videte, quanta sit in vtroque hoc Dei sermone diuersitas. Laico dixit: *Si vis, vende quæ possides.* Ministro autem: Nolo possideas. Sed & hoc parum existimauit, vt possessionem ei substantiæ amplioris auferret, nisi etiam perâ ipsam acturo iter longum Apostolo sustulisset, & vnius eum tunicæ singularitate mulctasset. Et quid postea? Nec hoc satis est, nudis quoque insuper seruos suos lustrare pedibus orbem terrarum iubet, & calciamenta plantis gelu rigentibus tulit. Quid dici amplius potest? Pedum de Apostoli manu rapuit, & peragrantibus vniuersum mundum ministris suis vsum vnius virgulæ non reliquit. Et post hæc parum est successoribus eorum, id est, Leuitis ac Sacerdotibus, tanta diuinarũ administratione fungentibus, si ipsi tantum diuites fuerint, nisi etiam hæredes diuites relinquant.

Libro 3. Et ego eos pauperes esse volo, sed vt habeat tamen præmium suum ipsa paupertas, ac præclara demutatione eligant inopiam ex copia, vt ex inopiæ electione copiam consequantur.

Benedictus Abbas. 530.

Cap. 33. *Regulæ*: Præcipuè hoc vitium radicitus amputandum est de Monasterio, ne quis præsumat aliquid dare aut accipere sine iussione Abbatis, neque aliquid habere proprium, nullam omninò rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omninò. Quippe quibus nec corpora sua, nec voluntatem licet habere in propria potestate: omnia verò necessaria à Patre Monasterij sperare, nec quicquam liceat habere quod Abbas non dederit, aut promiserit, omniaq; sint omnibus communia, vt scriptum est, nec quisquam
suum aliquid esse dicat, vel præsumat. Quod si Acto. 4.
quisquam huic nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel & iterum: si non emendauerit, correptioni subiaceat.

Cap. 58. *de disciplina suscipiendorum fratrum*: Res, si quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solenniter donatione conferat Monasterio, nihil sibi reseruans ex omnibus: quippe qui ex illo die nec proprij corporis potestatem se habiturum sciat.

Cassiodorus. 540.

Libro 6. *Variarum, Formula* 20. Pecunijs potest indigere mediocris bonorum talenta non potest habere, qui iustus est. Non pauescas largas consulum manus. Habent & boni pauperes diuitias suas. Illud ergo à te quæritur, quod in pectore humano nascitur, non quod terræ visceribus continetur. Quanto melius triumphare ex animi thesauro, vnde nunquam nascitur pœnitudo? Quia nec tenuis efficeris, cùm plura concedis: quinimò tantum locupletior redderis, quantum te bonæ conscientiæ sparsisse cognoscis.

Dinamius Patritius. 570.

Vita S. Martini cap. 3. Porrò etiam omnium facultatum suarum copiam deserens, Lirinense Monasterium petijt, vbi sempiternas diuitias iustus inueniret: Euangelica secutus præcepta, sciens se perfectum fieri non posse, nisi venderet omnia sua, & à cunctis opibus alienum se faceret. In ea autem congregatione cùm omnes perfecta charitate diligeret, ipse itidem ab omnibus amabatur.

Gregorius Turonensis. 580.

Historia Francorum lib. 10. *cap.* 1. Gregorius de Senatoribus primis ab adolescentia deuotus Deo, in rebus proprijs sex in Sicilia Monasteria congregauit: septimum intra vrbis Romæ muros instituit: quibus tantam delegans terrarum copiam, quanta ad victum quotidianum præbendum sufficeret, reliqua vendidit cum omni præsidio domus, ac pauperibus erogauit, & qui ante serico contextu ac gemmis micantibus solitus erat per vrbem procedere trabeatus, nunc vili contectus vestitu, ad altaris Dominici ministerium consecratur, septimusq; Leuita ad adiutorium Papæ asciscitur.

De gloria Confessorum cap. 107. Fuit vir venerabilis Paulinus Nolanæ vrbis ex nobili stirpe ortus, Tharasiam similem sibi sortitus coniugem, habens diuitias multas, & tam in fundorum possessione, quàm in præsidio domorum valde diues erat ac locuples. Sed cùm primum aures eius Eu-
angeliorum lectio illa penetrauit, in qua Domi- Matt. 19.
nus adolescentem pro diuitijs arguit, dicens: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me: facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei:* statim venditis omnibus, quæ habebat, pauperibus erogauit. Exoneratus à cunctis cupiditatibus, magistrum liber sequitur, per hæc se putans paradisi diuitijs locupletari, si videretur nihil de transitorijs possidere. Cui maiestas diuina tribuit, vt quod impossibile dixerat per Euangelium, hic possibiliter adimplere mereretur per actum.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 4. *Dialogorum cap.* 55. Neque hoc silendum

Alcimus.750.

Præfatione Commentariorum in Ecclesiasten Salomonis: Mementote vos aliena dispensare, non propria possidere: de quibus ipsa Veritas ait: *Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis?* Alienæ sunt à nobis huius seculi facultates, id est, extra nostram sitæ naturam. *Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus.* Nostra autem possessio regnum cælorum, nostra vita Christus est, nostræ opes sunt spiritalium operum fructus: Quas congregare vos filij charissimi omni intentione exhortor: nec in incerto diuitiarum sperare, quæ aut deserunt possidentem, aut à possidente deseruntur. In quas mentis nostræ intentionem Spiritus sanctus per Prophetam anhelari prohibuit, dicens: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Quarum copia est aliorum inopia. De quibus Dominus in Euangelio ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Idcirco iniquas nominauit huius seculi diuitias, quia Mammona Syra est lingua, & Latinè diuitiæ dici possunt, quia diuitiæ aut per iniquitatem congregantur, vel iniquè pauperibus subtrahuntur. De quarum vana possessione in huius seculi delicijs penè sapientissimus Salomon totum composuit librum, cui titulus est, Ecclesiastes, dicens in Capite libri: *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, & omnia vanitas.* Si omnia vanitas, quæ vtilitas est diuitias retinere caducas?

Haymo. 800.

In explicatione Euangelij de Martyribus, ad illa verba: *Beati pauperes spiritu:*) Et quæ virtus talem inter reliquas beatitudines tenere debet principatum, nisi spontanea paupertas? Ex ipsa enim cæteræ virtutes exordium quoddam & originem sumunt: sicut denique ex vna radice arboris multi rami & folia prodeunt, sic ex spontanea paupertate multæ virtutes generantur. Qui enim spontaneam amat paupertatem, erit misericors per largitatem, & non tenax per auaritiam. Erit consequenter & mitis, quia diuitias non quærit per iactantiam, qui paupertatem diligit cum humilitate. Erit & pacificus, quia non erit occasio rixandi, vbi non est voluntas acquirendi. Habebit etiam & cordis munditiam, quia sicut illi, qui diuitias diligunt, turbulenti sunt animo, ita qui spontaneam paupertatem amant, *solliciti sunt, quæ Dei sunt, quomodo placeant Deo.* Sed illud diligenter considerandum, quia illa paupertas laudabilis, quæ aut habere non cupit, aut si fortè habet, propter Deum distribuenda relinquit. Vnde Matthæus Euangelista, vt hanc paupertatem ad beatitudinem pertinere ostenderet, cum additamento
Matt. 5. ait: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Alij enim sunt pauperes spiritu, & rebus, alij nec rebus, nec spiritu, alij rebus, & non spiritu, alij spiritu, & non rebus. Rebus sunt pauperes, & non spiritu, qui nihil habentes, multa habere concupiscunt. Spiritu sunt pauperes, & non rebus, sicut illi, qui secundùm Apostolum tanquam nihil habentes, & omnia possidentes sunt: quales fuerunt Abraham, Iacob, & Dauid, qui regali solio sublimatus erat, pauperem se ostendit spiritu di-
Psal. 39. cens: *Ego autem mendicus sum & pauper.* Et iterum:
Psal. 87. *Egens sum, & in laboribus à iuuentute mea.* Nec rebus, nec spiritu sunt pauperes, diuites superbi, qui facultatibus locupletati, nihilo minus mente sunt turgidi, de quibus dicitur in Psalmo: *Ecce ipsi pec-*
Psal. 72. *catores, & abundantes in seculo, obtinuerunt diuitias.* Rebus, & spiritu sunt pauperes perfecti Monachi, qui propter Deum omnia relinquentes, nec corporis proprij potestatem in suo arbitrio relinquunt: & ideo quanto hic propter Deum sunt pauperiores, tanto in futura gloria erunt ditiores, iuxta promissionem Domini dicentis: *Omnis, qui reliquerit domum, agros, patrem, & matrem, fratres, & so-* Matt. 19.
rores, vxorem, & filios propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

Synodus Moguntina sub Rabano.834.

Cap.14. Nullus Monachorum aliquid proprietatis habeat, & res seculares, quibus renuntiauit, nullatenus sibi vsurpet, nec Parochias Ecclesiarum accipere præsumat sine consensu Episcopi.

Rabanus Maurus. 840.

De Vniuerso lib. 4. *cap.* 10. Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare: melius est pro intentione sequendi Dominum simul donare, & absolutum solicitudine indigere cum Christo.

Ioannes Diaconus. 870.

Vita sancti Gregorij libro primo, cap. 6. Septimum, intra Romanæ vrbis mœnia, sub honore S. Andreæ Apostoli, iuxta Basilicam sanctorum Ioannis & Pauli ad Cliuum Scauri Monasterium in proprio domate fabricauit. In quo, relictis sericis, auro, gemmisque radiantibus togis, simulque suppellectilibus reliquis in vsum pauperum erogatis, ex huius mundi naufragio nudus euasit, diuque desideratum Monachicum capiens indumentum, primò sub Hilarionis, deinde sub Maximiani venerabilium Patrum regimine, multis sibi sociatis fratribus, regulari tramite militauit.

Paschasius Ratbertus. 830.

In vita S. Adelhardi: Exutus his omnibus, & sanctificatus, Dei agente gratia factus est discipulus Saluatoris. Legerat ergo: *Nisi quis renuntiauerit omnibus, quæ possidet, adhuc & semetipsum, non potest* Luc. 14.
meus esse discipulus. Et ideo deposuit aselli onera, vt facilius arctam & strictam viam mandatorum Dei curreret. Quibus depositis Corbeiæ, imò Christi ibidem expetijt fontem.

Smaragdus. 970.

Ad cap.33. Regulæ Benedicti: Quid proprium potest habere sanctus Monachus, qui nec corpus suum, nec voluntatem suam in suam propriam reseruauit potestatem, sed totum abnegauit sibi, vt sequeretur Christum? Quid de mundo habere potest proprium, cui mundus crucifixus est, & ille Gal. 6.
mundo? Qui semel mortuus est mundo, nec desiderando, nec possidendo res mundi, debet iterum viuere mundo? semel enim relicto implicare se non debet mundo.

Notgerus Leodiensis.980.

Vita S. Remacli Episcop. cap. 22. Si minores fortassis adsint facultates, nolite conqueri:

Pauper enim non est, cui rerum suppetit vsus,

& ipsa nos natura quotidie admonet quàm paucis, quàm vilibus, quàm paruis egeat.

Non opibus mentes hominum curæque leuantur.

Petrus Damianus. 1050.

De contemptu seculi epist. 12. *cap.* 3. Quis, rogo, Ananiam & Saphiram rebus proprijs abrenuntiare coëgit? sed quia vterque pro sustentanda quasi longa vita retinuit aliquid, repentinæ mortis sententiam non euasit. Et quia nequaquam iuxta abrenuntiatorum regulam contenti sunt viuere, iuxta præuaricatorum animaduersionem coacti sunt immaturo exitu infeliciter expirare. Et quidem illi, vtpote rudes, & ad fidem primò venientes, necdum fortasse ad plenum Euangelica præcepta didicerant, &c. Nos autem, qui cuncta sacri eloquij volumina nouimus, qui innumerabilium sanctorum Patrum vitas atque præcepta, post illud aureum Apostolorum seculum existentium, præ oculis assidua discussione versamus, ante

tribunal Christi quid excusationis obtendere, quod tergiuersationis argumentum poterimus inuenire? Ecce longè nobilioris quęstus obtentu, quęstus, & lucra terrena non modò reliquimus, sed & perpetuam eorum abrenuntiationé non homini, sed Deo potius professi sumus. Si ergo adhuc marsupio nostro nummus includitur, si ad inferni spectatoris iniuriam quantumlibet pecuniæ reseruatur, quid illi in reddenda ratione dicemus? qua nos defensionis arte purgabimus? &c.

Cap. 4. Qui ad ea, quæ reliquit, terrena quælibet congerendo reuertitur, sicut alienus est à seculo, quo se decreuit exuere, ita etiam regno Dei aptus vltra non est, quod indubitanter acceptum noluit possidere. Fatuus nimirum viator, nec eò reuerti potest, vnde irreuocabiliter prodijt, & quò ire disposuerat, non peruenit. Enimuerò cùm mundo renuntiauimus, proprietatem nostram cęlum esse constituimus, & nos illius proprietas consequenter effecti sumus, vt & ille esset portio nostra, & nos peculiariter hæreditas sua, &c. Quapropter, ô Monache, vis in tuo loculo recondere Christum? Excute prius nummum: neque enim in vno receptaculo congruè sociatur. Nam si vtrumque simul incluseris, alterum sine altero vacuus possessor inuenies. Quanto quippe in egenis mundi lucris copiosior fueris, tanto à veris diuitijs ærumnosius inanescis. Nummus ergo si est, in aliena protinus iura concedat, vt vacuam tui pectoris arcam Christus inueniat. Magnus quippe hospes in diuersorij tui quærit angusta descendere, atque idcirco solus vult, & sine consortibus habitare. Cedat, cedat terrena pecunia, vbi cælestis thesaurus admittitur.

Radulphus Ardens. 1060.

In Communi vnius Martyris: Abnegare proprias res tantùm est perfectorum, qui implentes non solùm præcepta, sed etiam consilia Christi, dicentis: *Si vis perfectus esse, vade, & da quæ habes pauperibus, & veni, & sequere me*, omnia relinquunt, & nudum Christum nudi sequuntur. Tenemur quidem ex mandato fratres mei omnes tam perfecti, quàm imperfecti cupiditatem & amorem abnegare, sed ipsas res relinquere ex mandato non tenemur, sed ex consilio admonemur, eò quòd exoneratus, & nudus magis expeditus sit ad viam percurrendam.

Anselmus. 1080.

Ad cap. 19. Matthæi: Sic illud centuplum intelligendum est, qui reliquerit carnalia, recipiet spiritualia. Centenarius enim numerus ad cælestia pertinet, quia centenarius de læua in dexteram translatus est in computatione: sicut autem læua ad temporalia, sic dextra ad cælestia refertur. Cùm ergo centenarius dexteræ accidat, meritò cælestia significat. Quòd autem subdit: *Et vitam æternam possidebit:* expositio est, & determinatio: vel centuplum accipiet, id est, voluntatem nihil habendi.

Theodoricus Abbas S. Trudonis. 1100.

Vita S. Bauonis cap. 7. Bauo facta solenniter donatione, omnes possessiones suas ad loca Sanctorū contradere: peculiare, quod nullum vel rarum ex priori erogatione remanserat, in vsus pauperum iterum contradere: nihil sibi ex omnibus reseruare: postremò sibimetipsi abrenuntiare, & crucem Christi lætis humeris portare. Laudent alij Pompeios, Metellos, & Marios, triumphali largitione auram popularem venantes: mihi videtur pauper pro Christo Bauo plus laudandus, qui omnem gloriam suam habens ab intus, in triumphato seculo præcones habuit Sanctorum Ecclesias, & mendicantium cateruulas. Quid enim hac virtute mirabilius? quid hac constantia robustius? Virum nobilis familiæ & Senatorum genus, tam obfirmato animo pompam seculi & diuitias, in quibus totus educatus fuerat, calcâsse, vt tum demum se æstimaret verè diuitem, cùm pro Christo assumpsisset spontaneam paupertatem? Alij pecunias mittant, & de superfluis suis æra in Euangelicum corbanan proijciant: teste Veritate, nemo plus misit, quàm qui de omnibus nihil sibi retinuit. Luc. 11. Matt. 11.

Vita S. Romoaldi cap. 1. Hic denique sceptro regni potiturus erat, generis insignia, delitiarum commoda, Præsulatus culmina lubrica æstimauit: & vt de bonis caducis & transitorijs fortunæq; fallaci subiectis ad immarcessibiles diuitias mentem aspiraret, voluntaria paupertate sacratissimus Dei seruus carnem propriam domans, mentem synceram & solidam Creatori suo cum omni deuotione dedicauit: vt in persona eius impleretur quod dictum est: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.*

Hugo Victorinus. 1130.

In Regulam D. Augusti. cap. 1. Et non dicatis aliquid proprium, &c. Non debemus aliquid habere proprium, aut quicquam dicere meum, sed nostrū: vt dicatur, nostra capa, nostra tunica, nostra domus, & in cæteris similiter. Omnia enim in communi debemus habere, & omnia communi nomine appellare, &c. Ergo non debemus habere propria, sed sint nobis omnia communia. Partes sibi faciunt homines in hoc seculo: alius argentum & aurum: alij domos & familias: alius nomen grande, potentiam & gloriam. Iste hoc, alius aliud, diuersi diuerso modo. Pars verò piorum ipse est Deus. Et nos, si volumus habere talem partem, talem hæreditatem, vt est Dominus, tales oportet nos exhibere, vt digni simus eum possidere, & possideri ab ipso. Ergo si volumus in hæreditatem possidere Deum, nihil debemus habere extra Deum. Nam nimis est auarus, cui non sufficit Deus. Quia si quippiam aliud quærimus, verbi gratia, aurum, argentum, possessiones: cum illis partibus pars fieri Dominus dedignatur.

Bernardus Abbas 1130.

Vita S. Malachiæ cap. 24. A die primo conuersionis suę vsque ad extremum vitæ, sine proprio vixit: non seruos, non ancillas, non villas, non viculos, non denique quicquam redituum Ecclesiasticorum secularium ve vel in ipso habuit Episcopatu. Mensæ Episcopali, nihil prorsus constitutum vel assignatum, vnde Episcopus viueret. Nec enim vel domum propriam habuit.

In Festo omnium Sanctorum Serm. 1. Diligenter attende, quòd Dominus non simpliciter pauperes nominat, propter plebeios pauperes necessitate miserabili, non laudabili voluntate. Spero equidem profuturam ijs apud diuinæ bonitatis misericordiam, hanc ipsam afflictionis suæ miseriam: scio tamen Dominum hoc in loco non de huiusmodi fuisse locutum, sed de his, qui possunt dicere cum Propheta: *Voluntariè sacrificabo tibi.* Attamen nec voluntaria quidem paupertas omnis laudem habet apud Deum. Nam & Philosophi omnia sua reliquisse leguntur, vt expediti mundialibus curis, studio vanitatis possent vacare liberius: & nolebant censu abundare terreno, vt abundarent magis in sensu suo. Hos discernit quod dictum est: *Spiritu:* id est, spirituali voluntate. *Beati* verò *pauperes spiritu*, id est, spirituali intentione, desiderio spirituali, propter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem: *quoniam ipsorum est regnum cælorum, &c.* Verumtamen quid sibi vult, quòd eadem promissio facta est pauperibus & Martyribus, nisi quia verè martyrij genus paupertas voluntaria. Psal.

luntaria est? *Beatus vir*, ait Propheta, *qui post aurum non abijt, nec sperauit in thesauris pecuniæ.*

Alexander Tertius. 1160.

In Concilio Lateranensi parte 27. cap. 5. Priori & fratribus iuxta disciplinam bonæ memoriæ viuentibus in primis in statuimus, vt professionem maiori Priori omnes laici faciant, in manu eius se absque proprio victuros promittentes, &c. Nullus proprium habeat: si quid acquisierit, rectori suo assignet.

Ioannes Salesberiensis. 1160.

Lib. 5. Polycrat. cap. 17. Fœcunda virorum paupertas naturam optimam bene viuendi ducem imitatur, quę virtutum parens & custos est, sola; securitatem parit, quæ sola parit incentiua bellorum. Non habet iurgia, quæ contentionis causas ignorat: trepidat orbis, & Cæsaream manum solus pauper non timet. Vtique si ob aliam causam non fugerentur, aut contemnerentur diuitiæ, nisi quia sapientiæ vias sapiunt spinis, eas oportuerat, non amari.

Adam Victorinus. 1180.

Dialogo de instructione animæ, capite de proprietatis vitio professis omnibus detestando maximè: Quomodo tibi graue peccatum non est, proprium aliquid habere, cùm tibi B. Augustinus prohibeat aliquid etiam dicere proprium? Estne peccatum graue furtum, mendacium, sacrilegium, apostasia? Qui certè proprietati student, fures sunt, & mendaces: sunt quoque sacrilegi, sunt & apostatæ. Iam enim ad vomitum redeunt: quibus in facta professione renuntiauerunt, iterum possidere nituntur. Vide igitur vt sine agnitione & licentia Prælati tui nihil prorsus habeas, ne Ananiæ & Saphyræ in crimine socius fias, quorum certè quàm grauis extitit culpa, subsequens innotuit grauissima pœna.

Innocentius Tertius. 1200.

Epistola ad Abbatem & Conuentum Sublacensem: Prohibemus quoque in virtute obedientiæ, sub obtestatione diuini iudicij, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat: sed si quis aliquid habeat proprij, totum in continenti resignet. Si verò post hæc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione præmia, de Monasterio expellatur, nec recipiatur vlterius, nisi pœniteat secundùm Monasticam disciplinam. Quòd si proprietas apud quemquam inuenta fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subteretur, secundùm quod Beatus Gregorius in Dialogo narrat se fecisse. Vnde si quicquam fuerit alicui specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, vel Cellario assignetur.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Libro de Moribus cap. 9. Paupertas, seu quæcunque alia priuato, occasio est etiam positionum, & rerum verissimè existentium. Et si fortè non possit esse causa efficiens, & per se, quemadmodum priuatio, & defectus cibi in stomacho occasio est famis, causa verò efficiens est virtus appetitiua gustabilis. Dicimus igitur, quòd illud nihilum & vacuum paupertatis fundamentum est, & firmamentum virorum perfectorum. Quemadmodum enim auari & cupidi firmamentum & fundamentum suū habent diuitias, sic viri sanctitate perfecti paupertatem istā. Et hoc est, quod legitur Prou. 10. *Substantia diuitis vrbs fortitudinis eius.* Hoc est, quod legitur Iob 26. *Qui extendit aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum:* Aquilonem vocans Ecclesiam de gentibus, quoniam ad Aquilonem maximè erant gentes eo tempore conuertendæ. Eandem vocans & terram, cui benedixit Dominus, Aquilonem: super hoc fundabat vacuum, & hanc terram appendebat super hoc nihilum, quando fundamentum Christianæ religionis ponebat, dicens Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Expressius autem in Euangelio Matth. 7. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Et Luc. 6. *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.* Et Luc. 10. *Nolite portare sacculum & peram.* Non aliter in eis fundaturus Ecclesiam, hoc est, in Apostolis, nisi prius eos ad istud nihilum deduxisset, & ipsos in eo stabilisset atque firmasset. Denique hoc nihilum fundamentum est omnis religionis, professionis, & Ordinis. Vnde & nullus religionem aliquam intrat, nisi in isto nihilo primò fundatus fuerit & firmatus, nisi ad illud voto se astrinxerit, & in illo se perpetuò permansurum promiserit. Diuites enim, religionem intrantes, quasi cameli gibbosi per foramen acus intrant, & ideo gibbositatem sacculorum & marsupiorum temporalium bonorum prius deponunt, alioquin non intrant. Ego sum, dicit Paupertas, mater religionis, & nutrix, & custos, &c.

Thomas Aquinas. 1250.

2a.2æ.q.186. in resolutione argumenti ad secundum: Ille, qui omnia sua dimittit propter Christum, non exponit se periculo, neque spirituali, neque corporali. Spirituale enim periculum ex paupertate prouenit, quando non est voluntaria. Quia ex affectu congregandi pecunias, quem patiuntur illi, qui inuoluntariè sunt pauperes, incidit homo in multa peccata: secundùm illud 1. ad Timot. vlt. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli.* Iste autem affectus deponitur ab his, qui voluntariam paupertatem sequuntur: magis autem dominatur in his, qui diuitias possident. Corporale etiam periculum non imminet illis, qui intentione sequendi Christum omnia sua derelinquunt, diuinæ prouidentię se committentes.

Bonauentura. 1260.

In Apologia Pauperum 2. responsionis particula 3. articulo 1. Euangelicæ paupertatis est, possessiones terrenas, quantum ad dominium & proprietatem, derelinquere, vsum verò non omnino reijcere, sed coarctare: iuxta illud, quod dicit Apostolus: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* 1. Tim. 6. Ex his potest intelligi paupertatis Euangelicæ ratio, scilicet quòd ipsa sit virtus temporalium abdicatiua bonorum, qua quis nihil proprium habens, sustentatur de non suo. Ideo paupertatis Euangelicæ duplex est modus, duplexqúe perfectio. Cùm enim duplex sit rerum dominium, scilicet, priuatum & commune: vnum quidem spectans ad determinatam personam, alterum verò ad determinatum Collegium: & primum abdicari possit, retento secundo: possit etiam secundùm hunc duplicem modum, paupertatis perfecta professio, &c.

Vita S. Francisci cap. 7. Inter cætera charismatum dona, quæ à largo datore Franciscus obtinuit, prærogatiua quadam speciali promeruit, in diuitias simplicitatis excrescere, per altissimæ paupertatis amorem. Hanc Filio Dei vir sanctus familiarem attendens, & iam quasi toto orbe repulsam, charitate sic studuit desponsare perpetua, quòd non solùm pro ea patrem matremqúe reliquit, verùm etiam quæ habere potuit vniuersa dispersit. Nemo tam auri, quàm ipse cupidus paupertatis, nec thesauri custodiendi solicitior vllus, quàm iste huius Euangelicæ margaritę. In hoc præcipuè suus offendebatur aspectus, si quicquam videret in fratribus, quod paupertati non per omnia consonaret. Reuera ipse à principio religionis vsque

ad mortem tunica, chordula, & fœmoralibus diues, ijs contentus fuit: Christi Iesu paupertatem, & Matris frequenter cum lachrymis reuocabat ad mentem: inde hanc virtutem asserens esse reginam quia in Rege Regum, & in Regina matre ipsius tam præstanter effulsit. Nam & fratribus in conclaui quærentibus, quæ virtus magis amicum redderet Christo, quasi secretum sui cordis aperiens, respondebat: Paupertatem noueritis, fratres, spiritualem viam esse salutis, tamquam humilitatis fomentum, perfectionisque radicem, cuius est fructus multiplex, sed occultus.

Ioannes à S Geminiano.1300.

In Summa lib.9. cap.22. Diuitiæ sunt causa timoris & persecutionis, & paupertas est causa securitatis. Nam si arbor non haberet fructus, non inuenitetur, qui projceret lapidem super eam, vel ramum traheret: cum autem abundat fructibus, vix transit aliquis, qui non proijciat super eam lapidem, vel ramum frangat: sic qui diuitias habet, insidias latronum, & oppresiones principum, & exactiones violentorum officialium non euadet, &c.

Rainerus Pisanus. 1300.

In Pantheologia de Eleemosyna cap.35. Paupertas est dispositio, & via ducens ad perfectionem, & est effectus vel signum perfectionis. Primò paupertas est dispositio, vel via ducens ad perfectionem, quod sic probo. Perfectio, ad quam paupertas disponit, consistit in vacatione mentis ad Deum: tentio autem mentis in Deum, & vacatio mentis in Deo, consistit in contemplando Deum, & amando, & eius voluntatem implendo, & ideo ad amputandam solicitudinem bonorum corporalium, datur consilium de paupertate, Matt. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende, &c.* Et hoc, vt animus hominis ab affectu temporalium auertatur, & sic liberius in Deum contemplando, amando, & eius voluntatem implendo feratur. Secundò dico, quòd paupertas est effectus vel signum perfectionis. Cuius ratio est, quia cum mens vehementer amore & desiderio alicuius rei afficitur, consequens est, quòd alia postponat, & ideo ex hoc, quòd mens hominis amore & desiderio in diuina fertur, sequitur, quòd omnia, quæ possunt ipsum impedire & retardare, quo minus feratur in Deum, abijciat.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæst.105. art.1. In paupertate voluntaria propter Christum assumpta, in qua consistit perfectionis status, quatuor modi inueniuntur secundùm Hieronymum. Primus modus fuit Apostolorum, & aliorum fidelium in primitiua Ecclesia, qui vendebant possessiones, & de pretio ipsarum prouidebatur vnicuique sicut opus erat. Secundus modus fuit, & est, quorundam Monachorum, qui habentes possessiones in communi, de fructibus & prouentibus ipsarum prouidentur omnibus necessaria vitæ. Nullus namque debet eligere talem paupertatem, in qua subtrahat sibi possibilitatem prouidendi in necessarijs. Tertius modus fuit, & est adhuc quorundam Religiosorum, qui mundum spernentes, de labore manuum suarum victum, & vestitum, & alia necessaria eis subministrant, quo modo Apostolus vsus est quandoque, ne offendiculum daret Euangelio. Quartus modus est quorundam Religiosorum mendicantium, qui spiritualibus vacantes, & doctrinam Euangelicam prædicantes, de his, quæ à personis fidelibus offeruntur, in voluntaria paupertate viuunt. Quamuis ergo omnes isti modi viuendi in voluntaria paupertate sint boni & meritorij: iste tamen quartus perfectior, & securior esse dicitur, propter quatuor. Primò, quia solicitudinem temporalium minus habet annexam, quàm alij modi. Secundò, quia ad spiritualium contemplationem maiorem dispositionem habet coniunctam. Tertiò, quia ad recompensationem eorum, quæ recipiant, maiora bona subministrant. Quartò, quia ad imitationem modi viuendi Christi & Apostolorum maiorem conformitatem habet: scribitur enim Lucæ 8. quòd mulieres multæ sequebantur Christum, ministrantes sibi de facultatibus suis, &c.

Ludolphus Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 1. cap.33. Voluntaria paupertas est quoddam genus martyrij: quia vtrobique oportet vincere animam quoad delectabilia huius mundi. In regno quoque includuntur duo, scilicet diuitiæ & damnatio. Promittitur ergo regnum pauperibus, per respectum ad diuitias: quia qui propter Christum abrenuntiant diuitijs temporalibus, in futuro gaudebunt æternis.

Rupertus Holcotius. 1340.

Ad caput 2. Sapien. lect.22. De paupertate sciendum est, quòd triplex in hominibus reperitur paupertas. Est enim paupertas egestatis, paupertas honestatis, & paupertas vanitatis. Prima miserabilis, quia voluntati contraria: secunda commendabilis, quia virtuosa & voluntaria: tertia est vituperabilis, & nulli necessaria, & talis fuit paupertas quorundam philosophorum tempore Ioannis Euangelistæ, qui pro vana gloria mundi gemmas pretiosas fregerunt, in signum mundani contemptus. Primam paupertatem, quæ vocatur egestas, sustinent isti, qui inuoluntariè sunt pauperes, qui si possent, libenter haberent diuitias: isti Deum accusant de iniquitate, proximum de tenacitate, fortunam suam de infelicitate, & hi sunt pleni murmurationibus, furtis, & mendacijs, & licet vitiosi sint vt plurimum, tamen pium est eorum defectibus subuenire. Secunda est paupertas honestatis, & est voluntariè assumpta, propter Christum, qua non solùm homo solicitudinem seculi deserit, imò indigentijs multis se exponit. Et isti triplicem securitatem habent. Nam sunt Christo similiores in conuersatione, validiores in tentatione, beatiores in remuneratione, &c.

Thomas VValdensis. 1414.

Tomo.1. lib.4. art.1. cap.1. Ab initio electis Christi pauperibus placuit hæc disciplina paupertatis, & semper grata fuit perfectis studentibus Iesu Christi: non tamen semper placuit, imò displicuit scholaribus talibus, qualis ille iuuenis Euangelicus, qui tristis abscessit. Sed ne solus abscederet, moderni Doctores, diuitiarum palpones, comites itineris cum eo vadunt, laudantque sententiam iuuenis cupidi: laudemus & nos decretum pauperis Christi. O me miserum, qui dum profitebar pauperem fratrem Carmelitam, non satis dilexi paupertatem, nec adhæsit anima mea ex integro post Iesum Christum.

Ioannes Gerson. 1420.

Secunda parte contra proprietarios: Paupertatis votum castitatis quoque, & obedientiæ tendit sursum in Deum, &c.

Parte 3. Paupertatis voto abijcitur solicitudo rei exterioris consilio diuinæ legis. Matth.19. *Si vis perfectus esse, &c.* Paupertas non contrariatur virtuti, nec est prodigalitas abijcere omnia propter Christum, cùm hoc facit Religiosus debito sententiæ, rationis, & charitatis, &c. Sileat ergo Vigilantius hæreticus cum suis complicibus & fautoribus: sileant quoque Proprietarij, eorumque defensores & fautores, conuertanturque ab errore viæ suæ, & soluant vota, quæ distinxerunt labia sua,

vt tan-

vt eandem audire mereantur: *Vos, qui reliquistis omnia, &c. centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.*

Laurentius Iustinianus. 1430.

Ligno vitæ parte de paupertate cap. 1. Non misceri poterunt vana veris, æterna caducis, spiritualia corporalibus: propterea necessarium est, cupientibus ad perfectionem quietis pertingere, vt hanc paupertatis virtutem teneant, & ipsam pro fundamento collocent. Facile namque proficere poterunt, si hanc temporalium possessionem non habuerint. Nam paupertas spiritus est cum spirituali intentione voluntaria abdicatio temporalium. Est etiam quædam manuductrix in via, quæ ducit ad cælum, vnctio athletica, & exercitatio magna & mirabilis. Est quoque portus tranquillitatis, nutrix confidentiæ, quietis fundamentum, orationis adiutorium, peregrinationis exhortatio, perfectionis porta, sine qua nemo coram Deo in spiritu diu perdurare poterit.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad cap. 5. Matth. artic. 9. *Beati* sunt iam in spe, imò & beati in re, loquendo de beatitudine viæ, *pauperes*, id est, temporalibus bonis carentes, *spiritu*, id est, cum affectu cordis, ita quòd diuitias non appetunt, sed contemnunt, & in paupertate sua lætantur, nihil proprium possidentes: dicen-
Phil. 3. tes cum Paulo: *Omnia arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* Hæc est paupertas Euangelica,
Luc. 4. quam consuluit Christus, dicendo: *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Itemque: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Hæc est paupertas illa di-
2. Cor. 8. tissima, de qua Apostolus loquitur: *Altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum.* Hæc quoque est paupertas potentissima, de qua Pe-
Actor. 3. trus claudo nato: *Argentum, ait, & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc do tibi, &c.* Hæc paupertas contemnit omnia exteriora, honores atque diuitias, quantum possibile est, quatenus summo enti, in quo omnia bona, omnia pulchra ac desiderabilia superplenissimè continentur absoluta, tota & libera mente adhæreat homo, qui tanto minus Deo coniungitur, quanto amplius transitoriis implicatur, & per diuersa distrahitur. O amanda, veneranda, & amplectenda paupertas, cuius se Christus dedit exemplum, propter nos pauper factus, cùm esset diues.

Ioannes de Turrecremata. 1470.

Tractatu 92. in Regulam Benedicti: Attendendum est hic, quòd grande periculum sit Monacho aliquid habere proprium: quia B. Benedictus hoc vitium non simpliciter vitium, sed nequissimum appellat, id est, pessimum. Et in hoc cognoscitur, quòd nequissimus est Monachus, qui habet, vel habere proprium desiderat.

Nicolaus de Nise. 1480.

In Summa 2. partis Ædificatorij animi Tractatu 3. Primum votum est paupertatis, vt scilicet aliquis sine proprio viuat, dicente Domino Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me.* Primum fundamentum religiosæ structuræ & perfectionis diuinæ charitatis est voluntaria paupertas.

Ioannes Murmellius. 1508.

Lib. 2. elegia 18. ad amicum quendam de laude paupertatis.

Non tua centenis scinduntur iugera bobus,
Diuite non arca fulua metalla tegis.
Te tamen & mæror refugit, curæque relinquunt:
Tranquillus lætos transigis vsque dies.
Vt quondam fertur, cum chara vxore Philemon
Pauper in exigua consenuisse casa:
Qui paupertatem nec iniqua mente ferebat;
Nec regum miseras desciebat opes.
Cuius ad hospitium dignatus Iuppiter ire,
Mercuriusque suo cum genitore fuit.
Sic tua decurrit populo mirabilis ætas,
Vt certè nullum ferre poteris onus.
Spernis enim, solida nitens virtute, caducas
Diuitias, soli fidis & ipse Deo.
Optima dux vitæ quantum natura requirit
Nosti, cui satis est panis & haustus aquæ.

(* * *)

ARTICVLVS QVARTVS.

CASTITATEM ESSE CONSILII EVANGELICI, DEO MAGIS, QVAM CONIVGIVM PLACERE: ERGO MONACHOS ET MONIALES POST PRAESTITVM VOTVM, CONTINENTER DEBERE VIVERE.

NEGANT.

Anno ante natũ Christũ 1530. HERMES Trismegistus lib. 9. qui inscribitur Sermo vniuersalis: *Maxima in vita & piissima cura est prudentibus filiorum procreatio: & maximum infortunium & impietas sine filijs aliquem ex hominibus excedere, & pœnas iste dat post mortem dæmonibus.*

400. Plato lib. 6. de Legibus: *Quòd si quis in cælibe vita ad annum trigesimum quintum vsque perdurauerit, damnis & mulctis quotannis plectitur: si de maximo censu est, drachmas centum; si de secundo, septuaginta; si de tertio, sexaginta; si de quarto, triginta.*

Martinus Buccerus ad cap. 1. Matthæi: *Discendum nobis est, ne priuati quicquam nobis in vita deligamus, præcipuè ne cælibatum arripiamus temerè. Qui enim non graues & temeritatis & arrogantiæ pœnas iure pendat, quicunque tam apertam Dei institutionem ac legem, qua mares patresfamilias, fœminas matresfamilias esse instituit ac præcepit, vel suam ipsius, vel aliorum rationem secutus, posthabeat atque transgrediatur, amplexus viuendi genus tam periculosum, cuiusq; præceptum nullum, exempla habeat rarissima? Quòd enim cælebs Christus vixit, & mater eius virgo seruata est, id ita salutis nostræ interfuit, nostriq; causa factum est, non quòd cælibatui per se sanctimonia inesset. Quare qui sibi aliquid, vel meritum apud Deum, vel tranquillitatem vitæ præsentis iniussu Dei cælibatu quærunt, hos nihil minus quàm Christi aut Mariæ exemplum referre constat.* 1540.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Matth. 19. 11. Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.

1. *Corinth.* 7. 8. Dico non nuptis & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. 25. De virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. 32. Qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori: & diuisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi: quomodo placeat viro. 37. Qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, bene facit. Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit. Quod si dormierit vir eius, liberata est: cui vult nubat, tantùm in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundùm meum consilium. Puto autem quòd & ego spiritum Dei habeam.

Apocal. 14. 4. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati. Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocunque ierit.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constitut. Apostol. libro 4. cap. 13. De virginitate verò mandatum non accepimus. Quare hanc rem potestati cuiusque voluntatis permittimus, vt votum. Illud modò monemus: ne quid facilè vel leuiter promittatur. Siquidem Salomon ait: *Melius esse non fecisse votum, quàm factum non reddere.* Sit igitur hæc virgo sancta corpore & anima, & templum Dei, & domus Christi, vt Spiritus sancti domicilium. Eccles. 5

Ignatius. 100.

Epistola ad Tharsenses: Eas, quæ in virginitate degunt, in pretio habete, velut Christi sacerdotes: viduas in pudicitia manentes, vt altare Dei.

Ad Philippenses: Si quis castè, si quis continenter viuit, non extollatur, ne perdat mercedem, &c. Saluto collegium virginum & cœtum viduarum, quibus & fruar.

Ad Philadelphienses: Virgines solum Christum in precibus vestris ante oculos habete, & Patrem illius, illuminatæ à Spiritu: fruar vestra sanctimonia, vt Iesu filij Naue, vt Melchisedech, vt Helisæi, vt Ioannis Baptistæ, vt dilecti illius Discipuli, vt Timothei, vt Titi, vt Euodij, vt Clementis, qui in puritate exegerunt hanc vitam.

Ad Heronem: Virgines serua vt pretiosa Christi monilia.

Hermas. 130.

Mandato 4. Si vir, vel mulier alicuius decesserit, & nupserit aliquis illorum, nunquid peccat? Qui nubit, non peccat: sed qui per se permanserit, magnum sibi conquirit honorem apud Dominum. Serua ergo castitatem & pudicitiam, & viues Deo.

Iustinus. 160.

Apologia 2. ad Antoninum Pium: Permulti profectò vtriusque sexus, & sexaginta & septuaginta nati annos apud nos, qui à pueris sunt disciplinam Christi affectati, incorrupti & cælibes perdurant: & glorior me per omne genus hominum nostrorum tales monstrare posse.

Theophilus Antiochenus. 170.

Libro 2. Allegoriarum in Marcum: Hi sunt, qui supra terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum Dei, & ij faciunt vnum tricesimum, quod ad coniuges pertinet: aliud sexagesimum, quod ad viduas respiciens dicit: aliud centesimum, virginibus fructus iste conuenit.

Athenagoras. 180.

Oratione pro Christianis: Reperire est apud nos permultos & viros & mulieres, qui in cælibatu consenescunt, spe illa adducti, quòd in tali vitæ genere conuersari prolixius cum Deo possint. Quòd si virginitas & eunuchismus propius nos ad Deum adducunt, quarum rerum cogitationes fugimus, earum facta multo magis deuitamus.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 3. Stromatum: Est continentia corporis despicientia* conuenienter pactis conuentis cum Deo initis. Non solùm enim in rebus venereis, sed etiam in alijs, quæ anima perperam concupiscit, non natura necessarijs, versatur continentia, &c. Nos propter dilectionem in Dominum, & propter ipsum honestum, amplectimur continentiam, templum Spiritus sanctificantes. Honestum enim est propter regnum cælorum seipsum castrare ab omni cupiditate, & emundare conscientiam à mortuis operibus, ad seruiendum Deo

duntaxat apud nos Christianos. Atque in eo magnum documentum est, apud nos esse veram religionem. Has præ reliquis omnibus beatæ memoriæ religiosissimus pater tuus Constantinus, Augustinus in pretio habuit, & tua religiositas sæpius eas in suis scriptis religiosas & sanctas nominauit.

Libro de Virginitate seu de meditatione : Si enim, qui se mundo copulant, relinquuntqúe patrem & matrem, mortalibus hominibus copulantur, quanto magis virgo continens relinquere debet terrestria omnia, & Domino soli agglutinari? A quo tempore statuisti Deo casta esse, corpus tuum sanctificatum, & templum Dei est, &c. Magna virtus continentia, ingens gloriatio puritas, magna encomia virginis. O Virginitas opulentia indeficiens, ô virginitas corona immarcessibilis, ô virginitas templum Dei, & domicilium sancti Spiritus, ô virginitas margarita speciosa, vulgo inconspicua, & quæ non nisi à paucis inuenitur, ô continentia amica Dei, & à Sanctis deprædicata: ô continentia apud multos odiosa, sed apud dignos spectata: ô continentia mortem & infernum profligans, & quæ ab immortalitate possidetur: ô continentia gaudium Prophetarum, & Apostolorum gloriatio: ô continentia, Angelorum vita, & Sanctorum corona. Beatus est, qui te tenet: beatus, qui obdurat in tolerantia, quoniam pauxillulum fatigatus, multum in te gaudebit.

Basilius Magnus. 370.

Libro de vera virginitat: statim à principio : Magnum re vera quiddam ac præclarum virginitas est, quæ (vt totum simul explicem) hominem incorruptibili Deo simillimum facit. Hæc autem profectò non à corporibus ad animas manat, sed cùm incorporalis animæ propria & præcipua sit, eius pretiosissima integritate corpora quoque incorrupta seruantur. *Et post libri medium*: Virginitas vitam nostram de corruptione ad sanctitatis gloriam colligit, &c. Præoccupârunt virtutis opere virgines, quod in regeneratione per eam corporum mutationem, quæ in resurrectione continget, in ipsis Dei virtute perficiendum est: Hic enim Angelorum instar, neque nubunt, neque nubentur, verum & virtute animæ & corporis integritate Angelis æquales sunt, &c. Nusquam Dominus virginitatem inter veteris vel noui Testamenti mandata constituit. Voluit quippe eximiæ virtutis meritum non iussionis necessitati obnoxium fieri, sed egregij ac singularis animi specimen, atque iudicium esse, dum sponte sua nulla imperij necessitate cogente, quod mandata omnia excellit, & supra humanæ naturæ modum est, desiderio affectuq; virtutis efficeret. Coniugium quippe naturale est, vbi etiam lex conuenientia naturæ disponit: Virginitas verò supergressa naturam, legis vinculis non tenetur astricta, quę incorruptionis excellentem virtutem Creatori & auctori legis iure pretiosi muneris offert, &c. Quocirca quoniam integerrima hæc castitas pretiosissima omnium est, maximaqúe possessio, hisqúe, qui hanc fuerint adepti, reposita sunt gloriosissima præmia, doctrinæ Domini obtemperantes, ea ratione sabbatizare studeamus, impollutamqúe, & ab omni macula intactam assiduè naturalem diuinæ effigiei seruemus pulchritudinem, &c. *Et Esaia verba de Eunuchis interpretatum, ait*: Pro humano nomine Angelorum immortalium eis nomen dabo, quod non deficiet, vt cælum & cæli pulcherrimam partem habeant ad immorandum, atque in cæli pulcherrima sede, hoc est, in domo mea, intra septa habitantes, non Esai. 56.

Angelorum iam naturam tantùm ac dignitatem perpetuæ successionis accipiant, ipsi sibi in æterna vita pro successione generis sufficientes, verùm & locum inter Angelos habeant illustrem, atque insignissimum, nomenqúe pro eximiæ virtutis splendore indelebile, &c. Cùm virginitatem Domino professæ sint, carnali postmodum voluptate malè blanda delinitæ ac deuictæ, stupri scelus honesto coniugij nomine obtegere cupiunt. Non ignorant huiusmodi, quamuis ignorantiam simulent, quæ sponsi dextram, & fœdera præuaricata sit, eam nec illius vltra se sponsam, quem nequitiæ dans manus dereliquit, neque eius vxorem per vllas leges dici posse, cui se, deserto sponso, libidine incitata coniunxit. Tunc enim legitimum constat esse connubium, & secundùm diuina iura institutum, cùm non voluptatis affectus legis scita præcesserit, sed adiumenti necessarij prolisqúe causa fuerit huiusmodi facta coniunctio, &c. Non se fallat, qui à virginitatis curriculo ad carnis vitia deflexit. Coniugium quippe illi in peccatum reputabitur. Primum quidem, quia pessimum coniunctionis huius fundamentum voluptatem iecit, præuaricationisqúe malum: deinde, quia causa non esset libera: neque enim est mortuus vir eius, vt cui velit nubat: viuente immortali viro meritò censetur adultera, quæ mortalem hominem ob carnis vitia Domini thalamis intulit.

Epistola 185. ad Virginem lapsam: Reuoca in memoriam honestam professionem, quam professa es coram Deo ac Angelis & hominibus. Reuoca in memoriam venerandam congregationem, & sacrum virginum chorum, & concilium Domini, &c. Ob hæc quis non luctu commotus dixerit: *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis Sion?* Quomodo autem non ipse Dominus ad aliquem ex his, Esaiæ 1 qui nunc in spiritu Hieremiæ obambulant, dixerit?. Vidisti, quæ fecit mihi virgo Israel? Ego despondi ipsam mihi in fide, & integritate, & in iu- Hier. 18 stitia, & in iudicio, & in misericordia, & miserationibus, quemadmodum per Oseam ipsi promisi. Oseæ 2 Ipsa autem dilexit alienos, & viuente me viro immortali adultera appellatur, & non timet alteri viro commisceri.

Gregorius Nazianzenus. 380.

De Virginitatis laude:

Salue virginitas, diuino tradita dono,
Mater inoffensæ vitæ, bona maxima fundens,
Christi pars, & spiritus sociata supernis
Ignaris thalami. Nam magnus coniugis expers
Est Deus, atq; Dei rutilans chorus omnipotentis, &c.
Tum denique nostro
Virginitas generi præclaro lumine fulsit,
Instabilem mundum abrumpens, abruptaq; mundo
Connubium tantum exuperans, & vincula vitæ,
Quantum animus carni præstat, conuexaq; cæli
Regia tellurem superat, quantoue fugaci
Illud in æternum durans præstantius æuum est,
Quanto mortali melior Deus.

De Pudicitia:

Bonum ligari nuptijs, castè modò,
Deoq; plus des, quàm thoro connubij:
At præstat esse liberum vinculis tamen,
Deoq; totum, rebus & superis dare.
Est numen minx, Angelis non est caro:
At coniugata labris & plena est hyle,
Et cura prolis coniugis, & est nuptijs:
At cura Christi cælibi. Si par Deo
Est vxor, est par cælibi vitæ thorus.
Sin prorsus impar, impares vitæ quoque.

Vos

Vos ergo patres, ne probris me aspergite,
Tedas sequentes, non thori vitam inscitiam,
Thoro pudicitiam iugali do quidem,
At puritatis calibes carpunt decus, &c.

Oratione 11. quæ est in laudem sororis Gorgoniæ: Pudicitiæ quidem laude adeò excelluit, vt cùm in hęc duo cunctis vita diuisa sit, nempe in matrimonium, & cœlibatum, atque hic quidem sublimior & diuinior sit, verùm laboriosior & periculosior, illud autem humilius, sed tamen tutius: vitatis vtriusque molestijs, quicquid in vtroque pulcherrimum erat, elegerit, atque in vnum copularit, alterius nimirum sublimitatem, alterius securitatem: fueritqúe citra supercilium pudica, cœlibatus bonum matrimonio admiscens, illudqúe ostendens, neutrum horum aut Deo nos omninò astringere, aut ab eo dirimere: ita vt alterum natura sua prorsus fugiendum sit, alterum omni ex parte laudandum, & amplectendum, verùm mentem esse, quæ & virginitatem & coniugium pulchrè regat & moderetur, atque hæc instar materiæ cuiusdam ab artifice ratione dirigi, & ad virtutem elaborari.

Oratione 31. quæ est in illud: *Cùm consummasset Iesus hos sermones,* &c. Bonum est matrimonium: sed, quòd virginitate præstantius sit, dicere non possum. Neque enim magnum aliquid esset virginitas, nisi re aliqua bona melior ac præclarior esset. Nolite hoc molestè ferre, quæ matrimonij iugo subiectæ estis. Cæterùm facite,, vt inter vos quasi vinculo constringamini, & virgines, & vxores, atque vnum sitis in Domino, mutuumqúe aliæ aliarum ornamentum. Non est cœlebs, nisi nisi matrimonium esset. Vnde enim in hanc vitam virgo prodijsset? Non esset honorificum & venerandum matrimonium, nisi virginem proferret, tum Deo, tum vitæ, &c. Quæ sub iugo est, aliqua ex parte Christi sit: quæ virginitatem amplexa est, tota Christi sit. Illa mundo non prorsus alligetur: hæc nullo modo animum mundo addicat. Quod enim coniugatæ est pars, id virgini totum est. Angelorum vitam elegisti, in eorum ordinem te aggregasti, qui iugum nesciunt, ne in carnem prolabaris, ne in materiam deijciaris, ne cum materia matrimonio iungaris, etiamsi alioqui in cœlibatu perstes.

Oratione 40. quæ est in sanctum Baptisma: Nondum carni copulatus es? ne baptismi perfectionem extimescas. Puritatis tibi ratio etiam inito matrimonio constabit. In me hoc periculum recipio, ego harum nuptiarum conglutinator, ego auspex. Nec enim quia honoratior est virginitas, idcirco turpe & ignominiosum est matrimonium.

Cyrillus Hierosolymitanus. 380.

Catechesi 4. Ac præcipuè de temperantia sermonem audite, secundùm ordinem solitariam vitam agentium, & virginum vitam æqualem Angelis ducentium. Magna vobis reposita est fratres corona. Ne parua voluptate vendatis magnam dignitatem. Audite quid dicat Apostolus:
Heb. 12. Estne aliquis impurus sicut Esau, qui pro esca vendidit primogenita sua? sed tu in libros Euangelicos inscriptus cùm sis, propter institutum continentiæ, caue igitur ne delearis propter scortationem: neque rursus, cùm magnopere studes temperantiæ, sis inflatus aduersus illos, qui occupati sunt nuptijs: nam & hi mundi sunt. Honorabile enim coniugium, & thorus immaculatus, dicit
Hebr. 13. Apostolus, & tu, qui id ignoras, nunquid non ex nuptijs natus es? Non ergo ideo quòd aurum posides, argentum reprobes.

Catechesi 12. Adoretur qui de Virgine natus est Christus, agnoscant virgines sui status vel dignitatis coronam. Agnoscat eorum ordo & institutum, qui solitariam vitam agunt, castitatis gloriam: neque enim priuamur castitatis dignitate. In ventre enim Virginis fuit nouem mensium tempore Saluator, vir factus Dominus triginta trium annorum. Itaque si veneratur Virgo propter nouem mensium tempus, multo magis nos propter multorum annorum tempus. Omnes autem castitatis cursum Dei gratia curramus, *iuuenes, & virgines, senes cum iunioribus:* non intemperantias exercentes, sed laudantes nomen Domini. Non ignoremus castitatis gloriam. Angelica enim est corona, & supra hominem hæc perfectio: parcamus corporibus, quæ lucere debent sicut sol. Ne propter paruam voluptatem tantum ac tale corpus polluamus. Paruum enim est ad horam peccatum: longæua autem est ex eo, & æterna verecundia. Angeli obambulantes in terra, sunt castitatis operatores. Virgines cum Maria Virgine habebunt partem.

Catechesi 15. Inscriptum est omne coniugium rectè custoditum: inscripta est continentia, propter Deum instituta. Præipuam enim coronam in Scripturis habet virginitas, & castitas, cuius gratia lucebis sicut Angelus.

Ephram. 380.

Sermone de Castitate: O castitas, cui abominationi sunt deliciæ, venustas corporis, & ornatus vestium. O castitas dapibus, epulis, ebrietatiqúe inimica. O castitas oculorum frænum, quæ è tenebris ad lucem totum corpus transfers. O castitas, quæ carnem castigas, & in seruitutem redigis, ac cælestia velocissimè penetras. O castitas, mater dilectionis, & Angelicæ vitæ ratio. O castitas, quæ mundo es corde, ac dulci gutture, hilariqúe aspectu. O castitas, quæ homines Angelis similes reddis. O castitas, quæ Dei amicum ita exaltasti in patria æterna, vt & eos, qui emerant ipsum, redimeret. O castitas donum Dei, benignitatis, disciplinæ, cognitionis, atque scientiæ plena. O castitas portus tranquillus, in summa pace ac securitate constitutus. O castitas cælestis prudentia, & sancta prædicatio. O castitas, quæ cor possidentis te lætificas, & animæ ad cælestia alas adiungis. O castitas, quæ spiritale gaudium paris, & mœrorem aufers. O castitas, quæ malum odio habes, & bono adhæres. O castitas, quæ passiones minuis, & animum à perturbationibus liberas. O castitas, quæ iustos illuminas, & diabolo tenebras offundis, celeriq; cursu ad brauium supernæ vocationis in Christo contendis. O castitas, quæ pigritiam depellis, & patientiam adfers. O castitas onus leue, quod in aquis non submergitur, æternæq; diuitiæ in anima hominis Christum amantis reconditæ: quas qui possederit, in tempore necessitatis inueniet. O castitas pulchra possessio, quæ à feris non vastatur, & ab igne non comburitur. O castitas, quæ in manibus haud pœnitandas contines diuitias, desidiamq; fugas. O castitas currus spiritalis, possessorem suum in sublime euehens. O castitas, quæ in mansuetorum & humilium animis habitas, homines q; diuinos efficis. O castitas, quæ rosæ instar in medio animæ & corporis flores, vniuersamqúe domum odoris fragrantia reples. O castitas præcursor atque cohabitator Spiritus sancti. O castitas, quæ Deum placas, eiusqúe promissa perfers, & apud quoscunque homines gratiam inuenis. Hanc Sancti cuncti amârunt. Hanc sanctus Ioannes Euangelista amplexus est, Ioan. 13. 23. amplectandoqúe super pectus Domini gloriæ recumbere meruit. O castitas, quæ non à virginibus solùm, sed & ab ijs, qui ad pænitentiam conuersi sunt, posideris atque excoleris. Hanc quoque

nos

nos serui benedicti Saluatoris toto pectore diligamus, complectamurq́ue, vt inhabitantem Spiritum Dei in nobis gaudio perfundamus.

Sermone de Virginitate: De Virginitate & animæ sanctificatione à Paulo Apostolo optimo consiliatio omnes docemur, quippe qui virginitatis gradum & præstantiorem, & superiorem mundo arbitratur. Nam *qui vxorem habet*, inquit Apostolus, *sollicitus est quomodo placeat vxori.* At qui in virginitate permanet, cogitat quæ sunt Domini, & quomodo placeat ei. Illa cura sæpe abducit ad pœnam, hæc verò in vitam ducit æternam. 1. Cor. 7.

Amphilochius. 380.

Homilia in Purificationem Dei Genitricis: Multi quidem non vulgares, sed viri summi atque præstantes virginitatem admiratione magna prosequuntur: idq́ue non immeritò faciunt, cùm verè sit admirabilis, vt Angelorum naturæ cognata, & eundem cursum sibi proponens, quem & naturæ illæ incorporeæ propositum habent: Ecclesiæ sanctæ lampadem gestans, vt mundum superans, vt affectus & perturbationes carnis conculcans, vt appetitum refrænans, vt cum Eua non communicans, vt à dolore ac tristitia liberata, vt castitati adhærens, &c. Verè igitur virginitas ipsa est admirabilis, vt possessio quædam à seruitute libera, vt germen nunquam exarescens, sed semper virens ac florens, vt vitæ institutio insignis, vt exercitationis & vitę laudabilis ornamentum, vt humano habitu superior, vt corporeis affectibus pura, vt denique vnà cum sponso Christo in thalamum regni cælestis ingrediens. Virginitatis igitur multiplex gloria talis tantaq́ue est, cui hæc, & his similia conueniunt. *Deinde cùm & coniugium commendasset, subdit:* Cùm ergo tam eximium sit coniugium, quid virginitas erit coniugij flos? Non enim & alia re, quàm ex coniugio virginitas gignitur. Hæc autem cùm dicimus, inter virginitatem & nuptias contentionem aut pugnam non introducimus, sed vtriusque bona, vt par est, admiramur: quandoquidem tam coniugij, quàm virginitatis curam habet Dominus ipse, qui non alterum alteri, tanquam in trutina opponit, sed facit, vt in vtraque parte Dei timor adsit. Nam si pietas absit, & Dei timor, neque virginitas ipsa veneranda, neque sunt nuptiæ honoratæ.

Epiphanius. 380.

Hæresi 58. *Et sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum.*) Quinam igitur hi fuerint, quàm generosi Apostoli, ac monasticam vitam degentes, & deinceps virgines? Ioannes quidem, & Iacobus filij Zebedæi, qui manserunt in virginitate, neque tamen proprijs manibus membra resecuerunt, neque nuptias contraxerunt, sed proprio corde decertârunt, & mirabiliter gloriam coronæ certaminis huius abstulerunt. Post ipsos verò quot millia in mundo solitariam vitam degentes, & à Monasterijs, & à virgineis conuentibus huius certaminis gloriam abstulerunt? qui corporibus mulierum non mixti sunt, sed in perfectissimo certamine decertauerunt: velut etiam Helias in veteri Testamento reperitur, & Paulus dum dicit: *Dico autem inconiugatis, bonum est ipsis si sic manserint, vt & ego: si verò se non continent, contrahant matrimonium.* Quomodo igitur ipse mansit? siquidem enim resectus erat, & secundùm ipsum manserunt assimilati ipsi, vt implerent hoc, sicut & ego. Quomodo exectus aliquis potest matrimonium contrahere, si se non continet? sed & matrimonium contrahant, & ne vrantur. Vides quòd de continentia dicit, & non de membrorum ablatione?

Hæresi 61. Tradiderunt sancti Dei Apostoli peccatum esse, post decretam virginitatem ad nuptias conuerti. Et scripsit Apostolus: *Si nupserit virgo non peccauit.* Quomodo igitur hoc cum illo concordat? Imò etiam illam virginem dicit, quæ non est dicata Deo, sed propter penuriam raritatis in illo tempore eorum, qui in Christum credebant, necessariò sic fiebat.

In Compendiaria doctrina fidei Catholicæ: Ecclesiastici ordinis veluti fundamentum est sancta virginitas, quàm multi sanctè magna cum laude perpetuò conseruant, &c.

Gregorius Nyssenus. 380.

De vera & incorrupta virginitate cap. 1. Ego tam excellens hoc & admirabile bonum, quantum in me erit, prædicare nunquam desinam: propriamq́ue virginalem laudem, ac maximè omnium accommodatam, rectè agentibus naturaliter inesse dixerim, atque ex ipso magis nomine cognosci, quod cum ipsa re simul enuntiatur. Etenim qui nuptijs se continet, eum castum & incorruptum didicit appellare hominum consuetudo. Magni igitur huius, & diuini muneris vel ex eo solo ostenditur excellentia, quòd, cùm multa sint, & illa quidem magna, quæ in perfecto virtutis officio elucent, hæc tamen vna virtutis ex omnibus incorruptionis nomine, ac laude ornata est. Ergo quæ laus virginitatis est? vt scilicet statuat quis virtutem ipsam omni laude præstantiorem esse.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Libro de Virginitate cap. 10. Mihi ipse persuadeo virginitatem coniugio multò esse præstantiorem, neque tamen propterea connubium in malis pono: quin etiam ipsum magnis laudibus afficio.

Cap. 11. Virginitas est bonum: id ego quoque fateor. Atqui nuptijs etiam melior: & istud tibi assentior: ac si libet, illud adiungam, tanto nuptijs eam præstare, quanto cælum terræ, quanto hominibus Angeli antecellunt, ac si quid præterea audendum est, etiam magis. Nam si neque nubunt Angeli, neque vxorem ducunt, non etiam carne & sanguine coagmentati sunt, in terris preterea non commorantur, non cupiditatum aut libidinum perturbationibus sunt obnoxij, non cibi indigent aut potus, &c.

Cap. 12. At humanum genus, cùm natura beatis illis mentibus inferius sit, omni vi studioque contendit, vt, quoad eius fieri potest, illas assequatur. Quomodo? Non nubunt Angeli, neque vxorem ducunt: at neque etiam virgo. Assistentes illi semper ad Deum, eidem inseruiunt & istud ipsum virgo. Quamobrem Paulus ab omnibus curis eas auocat, vt attentè & assiduè Deo seruire, neque vlla inde retlistrahi possint, &c. Videsne virginitatis præstantiam? Quomodo terrarum incolas sic afficiat, vt ijsdem illi, quibus cælites, muneribus perfungantur, & qui corpore vestiti sunt, eos incorporeis mentibus exæquet, & homines ipsos æmulos studij efficiat Angelorum? &c. Pijs autem virginibus multa & maxima præstò erunt bona, & planè ea, quæ non modò supra sunt oculorum & aurium sensum, sed omnem hominum mentem & cogitationem superant. 1. Cor. 7.

Cap. 34. Etiamne, quæso nuptias quisquam cum virginitate conferre, vel omninò in eius conspectu ponere audeat? At non id permittit D. Paulus, qui magnum inter vtrumque ponit interuallum. *Hæc enim inquit, cogitat quæ Domini sunt: illa autem cogitat quæ sunt mundi, &c.* Quò magis (virginitas) diutiusq́ue seruatur, eò maiorem habet laudem: coniugio verò cùm quis ad satietatem abutitur, cum maximè omni laude priuatur. *Hoc autem dico, inquit, secundùm indulgentiam.* At cui indulgentia tribuitur, nullus ipsi ea in re locus ad laudem 1. Cor. 7.

relin-

relinquitur. De virginibus autem cùm differeret, *Præceptum*, inquit, *Domini non habeo, consilium autem do.* An igitur propterea coniugium virginitati confert? minimè id quidem. Nam de virgine consilium dat, hic tribuit indulgentiam, neutrum certè iubet, &c. Quòd si eius sententiam nosse vis, audi quæ dicat ipse: *Volo*, inquit, *omnes homines sicut meipsum continentes esse.* Si vis omnes vti se contineant, neminem vis iungi coniugio. At enim eos, qui connubio iungi volunt, neque propterea prohibeo, neque accuso: omnes tamen oro, & opto ab omnibus, vt similes mei sint: concedo illis connubium propter fornicationem: quòd verò illud mihi optatius est, propterea dixi initio; *Bonum esse homini mulierem non tangere.*

Cap.36. Cùm illud acceperis ab eo: *Vnusquisque proprium donum habet*, ne concidas animo, neve sic tecum loquaris: nihil mihi ad hanc rem l[illegible]t ore, aut studio meo opus est: donum enim eam Paulus vocauit: neque enim ita dixit, quòd continentiam in numerum cælestium munerum vellet referre, sed modestiæ causa donum appellauit. Non
Matt.19. enim adeò & à seipso, & à Christo dissentiret, cuius illud est: *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum.* Et illud *Qui potest capere, capiat.* Sibi certè, ijs condemnatis, quæ, cùm viduitatem elegissent, non manserunt in sententia, mi-
1.Tim.5 nus ipse constaret. Nam si donum id est, quid ipsis comminaris? *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Nusquam enim Christus in eos animaduertit, qui dona non habuerunt: at illos semper pœna afficit, qui honestè vitam non agunt.

Marcus Eremita. 400.

In præceptis salutaribus: Non enim hoc sancimus, aut præscribimus, quasi iugum necessarium tibi velimus imponere, sed amica exhortatione tibi proponimus excogitationem & methodum probam, ad iuuandam virginitatem veram, & exactam temperantiam, atque consulimus relinquentes libero tuo arbitrio.

Ioannes Cassianus. 410.

Collat.12.cap.4. Ob hoc sanè solummodò se vnusquisque infatigabiliter in his exercitijs perdurare debere cognoscat, vt per illorum afflictionem misericordiam Domini consecutus, de impugnatione carnis ac dominatione præpotentium vitiorum diuino mereatur munere liberari, non quò adepturum se per illa confidat istam, quam cupit, inuiolatam corporis castitatem. Tanto autem erga acquisitionem castimoniæ desiderio atque amore inflammetur, quanto quis pecuniarum cupidissimus appetitor, vel qui summa honorum ambitione distenditur, vel qui intolerabili pulchræ mulieris amore raptatur, desiderium suum impatientissimo ardore optat expleri.

Cyrillus Alexandrinus. 430

Lib.11.in Genesin: Nos, qui in Christum traducti sumus, vt fructum spiritualem adferamus, etsi matrimonium honore prosequimur, maius tamen illud, quod excellentius fit, magnisque laudibus apud Scripturam sacram commendatur, omni studio eligimus atque sectamur, vt soli scilicet Deo adhæreamus, nullæque res mundanæ nobis impedimento sint. Qui enim cum vxore est, soli-
1.Cor.7. citus est quæ mundi sunt, quomodo placeat vxori, & diuisus est.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 2. epist.133. Bonum est matrimonium: at melior virginitas. Pulchra est luna: at sol præclarior.

Lib.3.epist.176. *Nunquid*, inquit Paulus, *non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut & reliqui Apostoli?* Non quòd ij, qui virginitatem suadebant, & castitatem prædicabant, ac virginum choros moderabantur, cum mulieribus consuetudinem haberent. (Quis enim eos virginitatem suadentes tulisset, siquidem ipsimet in voluptatum cœno sese volutantes deprehensi fuissent?) Non igitur hoc ait: Nam alioquin mulierem vxorem dixisset: sed quia ipsos sequebantur, vt bonis suis paupertatis magistros alentes: idcirco sororem quidem dixit, vt castitatem indicaret; mulierem autem, vt naturam declararet.

Epist. 351. Soli eos, qui virginitatem amplexi sunt: lunæ autem eos, qui continentiam: ac denique stellis eos, qui honorabile connubium amplexi sunt, atque conseruârunt, comparare licet, maximè cùm diuinus Paulus calculum suum addat, ac dicat: *Alia gloria solis, alia gloria lunæ, alia stellarum gloria.*

Socrates. 440.

Lib.4.cap.18. Ammon cùm adolescens esset, à nuptijs adhorruit ille quidem: sed tamen cùm nonnulli amicorum eum hortarentur, vt non ita contumeliosè nuptias insectaretur, sed vxorem duceret, illis morem gessit, venitque ad nuptias. Ac statim vt virginem è thalamo exemerat, & consueta cum pompa in interius deduxerat cubiculum: tandem vbi necessarij illius decessissent, arrepto in manum libro, epistolas Pauli complectenti, primum epistolam Apostoli ad Corinth. cœpit legere, præceptaque illius de nuptijs coniugi exponere: deinde multa aliunde adijcere, docere nuptiarum incommoda, quàm tristis sit inter virum & mulierem vitæ consociatio, quàm acerbi dolores mulierem grauidam pungant, addere etiam molestias, quæ in liberorum educatione inesse solent. Postremò virginitatis commoda persensere, & quatenus vita pura, inuiolata, & ab omni labe vacua, sit libera: & quod virginitas ad Deum nos quàm proximè faciat accedere. Hæc aliaque multa apud vxorem virginem elocutus, persuasit illi, vt priusquam congrederentur, eam vitæ rationem, quam humana consuetudo postulat, prorsus abijcerent. Ambo igitur quasi fœdere de ea re pacto ad montem, qui Nitria vocatur, recta se conferunt, ibique ad exiguum tempus in tugurio ætatem degentes, communem vitæ Monasticæ disciplinam exercuerunt, nullo virilis aut muliebris sexus discrimine habito, sed vnum corpus, vt est apud Apostolum, fuerunt in Christo. Non longo post tempore noua sponsa & virgo incorrupta Ammonem sic affatur: Non te decet, qui temperantiæ & castitate colendæ te totum dedisti, fœminam in tantillo domicilio conspicari. Quare, si videtur, quisque nostrum separatim in Monastico vitæ genere exercendo se ponat. Hoc itaque de vtriusque sententia pactum est, atque alter ab altera segregatus, quod reliquum erat vitæ eo pacto contriuit.

Sozomenus. 440.

Lib.6. cap.3. Iouinianus misit generale edictum, quod iubebat, vt qui sacratam virginem vel ad nuptias contrahendas pellicere conaretur, vel lasciuo solùm obtutu aspiceret, maximè omnium, si per vim rapere tentaret, capitis supplicio mulctaretur.

Lib. 9. cap.1. Pulcheria, soror Imperatoris, nondum decimumquintum agens annum, supra ætatem sapientissimum ac diuinum spiritum accepit. Ac primùm Deo virginitatem suam deuouit, deinde & sorores suas ad idem vitæ institutum educauit, ne fortè virum quemquam alium imperio subinduceret, sed potius omnem inuidiæ & insidiarum occasionem præcideret. Vt igitur ea, quæ constituerat, consignaret, ac Deum ipsum ac sacerdotes, omnesque subditos testes faceret vo-

luntatis suæ, ex auro gemmisque pretiosis admirabile quoddam donarium, & spectaculum omnium pulcherrimum pro virginitate sua, & imperio fratris, sacram mensam Ecclesiæ Constantinopolitanæ dedicauit: idque ipsum, vt cunctis esset conspicuum, in fronte eiusdem mensæ literis expressit.

Theodoretus. 450.

Ecclesiastica historia libro 2. cap.14. Georgius Arianus virgines, quæ perpetuæ castitati se addixissent, coegit non modò Athanasij denegare communionem, verùm etiam fidei Patrum anathema denuntiare.

Lib.4. cap. 12. Pelagius Episcopus Laodicensis, cùm adolescens adhuc esset, duxit vxorem: primoque nuptiarum die, in ipso nuptiali thalamo, sponsæ vt castitatem pluris quàm concubitum æstimaret, & vt amorem fraternum pro coniunctione iugali teneret edocuit.

In Epitome diuinorum Decretorum capite de virginitate: Dominus autem Deus non tulit quidem leges de virginitate: intellexit enim esse rem supra naturam: eam autem laudibus prosequendo, eos, qui vellent, ad certamen adhortatus est. Cùm enim dixissent Apostoli: *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit vxorem ducere.* Respondens Dominus, dixit: *Non omnes capiunt verbum hoc: sed quibus datum. Sunt enim Eunuchi, qui quidem castrati sunt ab hominibus: & sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum Dei.* Hoc autem non de testium, sed de prauarum cogitationum amputatione dixit. Deinde subiunxit: *Qui potest capere, capiat.* Qua de causa diuinus etiam Apostolus, de virginitate loquens, dixit: *Præceptum Domini non habeo.* De virginitate enim legem non tulit Dominus: *Consilium autem do,* &c. Huic nempe, *sic esse*, addidit illud, *existimo*, non dubitans de ijs, quæ consulebat: sed orationem moderans, vt non esset lex. Lex enim etiam habet transgressionem: transgressio autem etiam inducit supplicium. Ea autem de causa adiecit illud. *Puto*, vt ostenderet, id quod dicitur non esse legem, sed consilium, &c. Hoc autem (*non peccat*) dicit de ijs, quæ virginitatis pacta conuenta, seu vota nondum fecerant.

Matt.19.

1.Cor.7.

Valentinianus & Marcianus A A. 457

C.lib.1.tit.2.de sacrosanctis Ecclesijs leg.13. Generali lege sancimus, siue virgo, siue vidua, siue Diaconissa, vel virgo Deo dicata, vel sanctimonialis mulier, vel quocunque alio nomine religiosi honoris, vel dignitatis fœmina nuncupata Ecclesiæ aliquid reliquerit, &c.

Basilius Seleucius. 460.

Oratione 1. de Verbi Incarnatione: O virginitas, propter quam Angeli hominum ministerio delectantur, qui genus nostrum dudum ante auersabantur, iure meritoque exultant.

Procopius Gazæus. 530.

In Leuiticum fol. 330. Mel significat carnalem voluptatem, quæ quidem si non subditur legi, prorsus abijcienda est: sin vero inter legum limites, sicuti postulat legitimum matrimonium, carnis delectatio se contineat, non reprobatur: non tamen facit ad odorem bonæ fragrantiæ Domino, quemadmodum virginitas & continentia. Paulus enim inquit: *Ne defraudaueritis vos inuicem:* deinde ilicò subiungit: *Hæc dico propter intemperantiam vestram, parcens vobis: non secundùm præceptum.* De virgine talia verba facit: *Beatior erit, si sic maneat.*

1.Cor.7.

Iustinianus Imperator. 530.

L. Raptores C. de Episcopis & Clericis: Raptores virginum, vel viduarum, vel diaconissarum, quæ Deo fuerint dedicatæ, pessima criminum peccantes, capitis supplicio plectendos esse decernimus.

Hesychius. 570.

Libro 7. in Leuiticum cap.27. Tres fructificationes de bona terra Christus proposuit: per centenarium virginitatis & non possidendi, per sexagenarium continentiæ, per tricenarium casti coniugij vitam designans.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 15. de incorruptibili castitate: Castitas est incorruptibilis naturæ familiaritas. Castitas est Christi iucundum diuersorium, terrestrisque clypeus cordis. Castitas excelsiua naturæ abnegatio, corporisque mortalis, atque corruptibilis reuera ad incorpoream, spiritualemque substantiam contentio. Castus ille est, qui amore amorem exclusit, ignemque igne Spiritus extinxit.

Antiochus. 600

Homilia 21. de Virginitate: Virginitas cum Angelis ipsis proximè congreditur, ac Deo appropinquat per integritatem ac mundiciam. Non igitur mediocris prærogatiua est possessio virginitatis, Angelicæ puritatis æmula cum sit, eoque cælestis, &c.

Homilia 112. de Renuntiatione: Fac repræsentes Ioannem illum Christi Præcursorem, verè Angelum Domini, puritate vitæ prælignem: aut certè alterum illum Ioannem imitare, Domino tam familiariter ac domesticè notum, quem meritò castimoniæ virginalis deamabat Iesus. Paulum item sectare, Barnabã, & Timotheum, qui vitæ cursum atque agonem in castitate explicuerunt, nulla aspersi labe obscœnæ pollutionis.

Ioannes Moschus. 620.

In Prato spirituali cap. 108. Isidorus Abbas in Samo narrauit nobis, dicens. Hic Presbyter fuit valde mirabilis, quem parentes inuitum atque renitentem vxorem accipere compulerunt. Verùm ille non solùm voluptatis illecebra non captus est, quamuis iuuenis existeret, & legitimæ coniunctus vxori: sed & ipsam induxit castè secum & pudicè viuere. Didicerunt ergo ambo Psalterium, amboque simul in Ecclesia psallebant, seruantes seipsos virgines vsque in finem.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Oratione in Christi Seruatoris Natalitia: Deus in terra agit, & quis in cælum non euadat? Deus è Virgine natus in medium prodit, & quis hodie diuinus non efficiatur? quis quò propius ad Deum accedere queat, ad virginitatis sanctitatem non anhelet? continentiamque alacri animo non complectatur?

Maximus Monachus. 640.

De Charitate Centuria 4. cap.67. Quæ à nobis secundùm Deum fiunt, partim ex præcepto fiunt, partim non ex præcepto, sed quasi aliquis diceret, voluntaria oblatione ista fieri. Nimirum ex præcepto fit, vt Deum & proximum diligamus, &c. Cæterùm non ex præcepto est virginitas, cœlibatus, paupertas, vita Eremitica, & id genus plura alia. Hæc donorum rationem habent, vt si qua præcepta ex infirmitate implere nequiuerimus, per dona optimum illum Dominum placare studeamus.

Cap.68. Qui cœlibatum aut virginitatem honorat, ei necesse est, vt habeat lumbos præcinctos, & lucernam ardentem per precationem & contemplationem, & spiritualem charitatem.

Synodus Trullensis. 710.

Canone 4. Si Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, &c. cum muliere Deo dicata coierit, deponatur, vt qui Christi sponsæ vitium attulerit. Sin autem laicus, segregaretur.

Thoma Sanctimonialis. 700.

Vita S. Febroniæ cap. 13. Nihil virginitate præstantius: multa enim ipsius est merces, & præmium virginitatis sponsus immortalis est: qui & immortalitatem his præbet, qui eam exoptant.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei libro 4. cap. 25. Virginitatem carnales homines insectantur, & qui voluptati student, testimonij loco istud proferunt:
Deut. 25 *Maledictus omnis, qui non suscitat semen in Israel.* Nos verò, Dei Verbi ex Virgine incarnati ope atque auxilio freti, hoc dicimus, virginitatem antiquitus atque ab initio in hominum natura consitam fuisse. Etenim homo ex terra virgine effictus est. Ex ipso item Adamo Eua creata est: virginitas etiam in paradiso vigebat. Ait quippe diuina Scriptura:
Gen. 3. *Nudi erant,* (Adamus scilicet & Eua) *& non erubescebant.* Postquam autem à diuino mandato recesserunt, nudos se esse agnouerunt, ac pudore suffusi, perizomata sibi consuerunt. Ac posteaquam violato præcepto Adamus audiuit: *Terra es, &*
Gen. 2. *in terram reuerteris,* ac mors per transgressionem in mundum introiuit, tum denique Euam vxo-
Gen. 3. rem suam cognouit, ac concepit, & peperit. Itaque ne mors genus humanum obtereret, & absumeret, matrimonium inuentum est, vt per liberorum procreationem genus nostrum conseruaretur, &c. Ergo via quadam progrediamur, ac virginitatis, siue etiam castitatis dotes atque ornamenta videamus. Noe, cùm arcam ingrederetur, atque hoc ei munus imponeretur, vt mundi semina custodiret, huiusmodi iussum accepit: *In-*
Gen. 7. *gredere,* inquit, *tu, & filij tui, & vxor tua, & vxores filiorum tuorum.* Quibus verbis eos ab vxoribus distraxit: vt castitatis adminiculo pelagus, atque vniuersum illud mundi naufragium effugerent. At verò compresso diluuio: *Egredere,* inquit, *tu,*
Gen. 8. *& vxor tua, & filij tui, & vxores filiorum tuorum.* En rursus quo pacto propagationis causa matrimonium permissum fit. Elias denique, ille, inquam,
4. Reg. 2 ignem spirans auriga, ac cælipeta, an non cœlibatum amplexus est, eiusque virtutem humana conditione præstantior euectio comprobauit? Quis cælos clausit? quis mortuos ad vitam reuocauit? quis Iordanem scidit? An non Helias? Quid discipulus ipsius Helisæus? an non, cùm eiusdem virtutis specimen edidisset, spiritus gratiam, quam duplam petiuerat, est consecutus? Quid tres pueri? nonne cùm virginitatem coluis-
Dan. 3. sent, ignis ardorem superârunt, id videlicet per virginitatem adepti, vt eorum corpora igne confici minimè possent? Nam quid de Daniele di-
Dan. 6. cam, cuius corpus virginitate ita obduratum est, vt ferarum dentes ei infigi nequiuerint? Quid? an
Exod. 19 non cùm Deus sui videndi copiam Israelitis facturus esset, hoc eis imperauit, vt corpus ab omni libidine purum continerent? An non sacerdotes à rebus venereis prius abstinebant, atque ita demum ad sanctiorem templi partem ingrediebantur, ac victimas offerebant? An non denique lex ingens votum castitatem nuncupauit? Quæ cùm ita sint, legis præceptum altiori sensu, magisque spiritali accipi debet. Est enim semen spirituale quod per charitatem & timorem Dei concipitur in animæ vtero spiritum salutis parturiente, atque in lucem edente. Sicque intelligendum
Esa. 26. est illud: *Beatus qui habet semen in Sion, & propinquos in Hierusalem.* Quid enim si ganeo sit, si temulentus, si idolorum cultor, beatusne erit, modò semen in Sion, & propinquos in Hierusalem habeat? Nemo certè sanæ mentis hoc dixerit. Virginitas enim Angelorum munus est, ac peculiaris omnis incorporeæ naturæ nota. Nec verò hæc eò à nobis dicuntur, vt matrimonium sugillemus, absit, &c. verùm quia nuptijs, quamuis alioqui bonis, præstantiorem esse virginitatem exploratum habemus. Etenim & in virtutibus, & in vitijs altiores atque inferiores gradus existunt. Illud scimus, mortales omnes è matrimonio fluxisse: si quidem generis nostri auctores excipiamus. Nam illi virginitatis soboles, ac non matrimonij figmentum extiterunt. At cœlibatus Angelorum, vt diximus, vitam imitatur. Ex quo fit, vt quantum Angelus hominem antecellit, tantum virginitas quoque matrimonio præstet. Quid autem Angelorum dico? Christus ipse virginitatis decus atque ornamentum est, vt qui non modò ex Patre citra fluctionem vllam ac congressum genitus sit: sed etiam homo nostri instar effectus, carnem ex Virgine sine virili congressu assumpserit, ipseque veram virginitatem omnibus numeris absolutam in seipso ostenderit. Ac proinde hanc quidem ille nobis lege lata minimè
præscripsit (*non enim, vt ab eo dictum est, omnes hoc verbum capiunt:*) Matt. 19.
verùm reipsa nos eam edocuit, ad eamque nobis robur conciliauit. Eccui enim perspicuum non est, virginitatem nunc inter homines vigere? Ac bona quidem est liberorum procreatio, quam matrimonium conflat: bonum item matrimonium ob fornicationes, quas amputat, atque ob libidinis rabiem, per legitimum videlicet concubitum homines ad scelesta flagitia furioso impetu ruere non sinens. Bonum, inquam, est matrimonium ijs, quibus continentia deest. At melior virginitas, quæ animæ fœcunditatem auget, ac Deo precationem, tanquam fructum tempestiuum, offert.

Elias Cretensis. 780.

In Orationem 11. *Nazianzeni*: Vita nostra bifariam quodammodo diuisa est, hoc est, in matrimonium, & cœlibatum. Ex quibus cœlibatus quidem excelsus & diuinus est. Cœlibes enim superi sunt, coniugijque expertes, & nec gignunt, nec gignuntur. Matrimonium contra humilius, & abiectius est, atque à virginitatis fastigio longè remotum.

Theophylactus. 900.

Ad caput 7. prioris ad Corinthios: *Et si nupserit virgo, non peccauit.*) Virginem hîc dicit, non eam, quæ Deo consecrata sit: (ea enim si nupserit, peccauit omninò, vtpote quæ mœchum superinduxerit sponso suo Christo:) sed innuptam puellam. Ea enim si nupserit, non peccauit. Nec enim res impura est matrimonium, &c. Quid virginitate honestius, & purius? & vt liberi à nuptiarum turbis, citra auulsionem Domino seruiatis, ipsique assideatis, curam vestram in ipsum transferentes.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita S. Iuliani: Christus corporis castitatem intactam seruantibus æternam vitam largitur. Si Christi ipsius præcepta mecum vnà seruare volueris, vt eum tota animi attentione diligamus, vt virginitatem ingenti præmio remunerandam conseruemus, vt denique in hoc seculo vasa ipsius electa efficiamur, in his ipsis in futuro illo æuo habitabimus, cum Christo ipso regnabimus, &c.

In vita S. Auxibij: Ordinauit S. Auxibius B. Themistagoram Diaconum sanctæ Ecclesiæ: beatam vero Timo eius vxorem Diaconissam ipsius Ecclesiæ. Ex quo enim acceperunt sanctum ac salu-

tare baptismum, se à se inuicem separârunt ex consensu propter regnum cælorum, & ambo de cætero, tanquam fratres, processerant ad impatibilitatem.

Suidas. 970.

In voce Ἑλένη: Helena sæpe etiam eas, quæ per omnem vitam virginitatem tuerentur, conuocauit, & ipsas in lectulis collocauit, eisque ministrauit.

Theodorus Balsamon. 1160.

Ad Canonem quartum Synodi Trullensis: Canone Apostolico etiam qui qualemcunque fœminam stuprauit clericus, deponitur: multò autem magis, qui sponsam Christi, & vas Deo dedicatum polluit, deponetur.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Libro de velandis virginibus cap. 3. Omnis publicatio virginis bonæ, stupri passio est. Et tamen vim carnis pati, minus est; quia de officio naturæ venit. Sed cùm spiritus ipse violatur in virgine, sublato velamine didicit amittere, quod tuebatur. O sacrilegæ manus, quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt. Quid peius aliquis persecutor fecisset, si hoc à virgine electum cognouisset? Denudasti puellam à capite, & tota iam virgo sibi non est: alia est facta.

Cap. 15. Sed enim vera, & tota, & pura virginitas nihil magis timet, quàm semetipsam: etiam fœminarum oculos pati non vult, alios ipsa oculos habet: confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat aduersus ictus tentationum, aduersus iacula scandalorum, aduersus suspitiones, & susurros, & æmulationem, ipsum quoque liuorem.

Cap. 16. Nupsisti Christo: illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuam. Incede secundùm sponsi tui voluntatem.

Lib. 1. ad vxorem cap. 3. Prohiberi nuptias nusquam omninò legimus, vt bonum scilicet. Quid
1.Cor.7. tamen bono isto melius sit, accipimus ab Apostolo, permittente quidem nubere, sed abstinentiam præferente: illud propter insidias tentationum, hoc propter angustias temporum.

Cap. 4. Carnis concupiscentia ætatis officia defendit, decoris messem requirit, gaudet de contumelia sua: dicit virum necessarium sexui, vt auctoritatis & solatij causa, vel vt à malis rumoribus tuta sit. Et tu aduersus consilia hæc eius adhibe sororum nostrarum exempla, quarum nomina penes Dominum, quæ nulla formæ vel ætatis occasione pressæ, maritis sanctitatem anteponunt: malunt enim Deo nubere: Deo speciosæ, Deo sunt puellæ: cum illo viuunt, cum illo sermocinantur, illum diebus & noctibus tractant: orationes suas velut dotes Domino assignant: ab eodem dignationem velut munera maritalia, quotiescunque desiderant, consequuntur. Sic æternum sibi bonum Domini occupauerunt, ac iam in terris non nubendo, de familia Angelica deputantur. Talium exemplis fœminarum ad æmulationem te continentiæ exercens, spiritali affectione carnalem illam concupiscentiam humabis, temporalia & volatica desideria formæ, vel ætatis inimicantium bonorum compensans delenda. (Matt.22)

Cap. 6. Quot enim sunt, qui statim à lauacro carnem suam obsignant? Quot item, qui consensu pari inter se matrimonij debitum tollunt? Voluntarijs spadonibus pro cupiditate cælesti saluo matrimonio abstinentia toleratur, quanto magis adempto?

Cap. 8. Non tantùm virginibus datum opinor, licet in illis integritas solida, & tota sanctitas, de proximo visura sit faciem Dei: Tamen vidua habet aliquid operosius: quia facile est non appetere quod nescias, & auersari quod desideraueris nunquam. Gloriosior continentia, quæ ius suum sentit: quæ quid viderit, nouit. Poterit virgo felicior haberi, at vidua laboriosior. Illa, quòd bonum semper habuit: ista, quòd bonum sibi inuenit. In illa gratia, in ista virtus coronatur. Quædam enim sunt diuinæ liberalitatis, quædam nostræ operationis. Quæ à Domino indulgentur, sua gratia gubernantur: quæ ab homine captantur, studio perpetrantur. Stude igitur ad virtutem continentiæ, modestiæ, quæ pudori procurat: sedulitati, quæ nugas non facit: frugalitati, quæ seculum spernit.

Lib. 1. contra Marcionem c. 29. Sanctitatem sine nuptiarum damnatione nouimus, & sectamur, & præferimus, non vt malo bonum: sed vt bono melius: non enim proijcimus, sed deponimus nuptias: nec præscribimus, sed suademus, sanctitatem seruantes, & bonum, & melius, pro viribus cuiusque sectando.

Lib. 5. contra Marcionem c. 15. Continentiam & virginitatem nuptijs antepono: sed non prohibitis. Destructores enim Dei nuptiarum, non sectatores castitatis retundo.

Minutius Felix. 230.

In Octauio: Plerique nostrum inuiolati corporis perpetua virginitate fruuntur potius, quàm gloriantur. Tantum denique abest incesti cupido, vt nonnullis rubori sit etiam pudica coniunctio.

Cyprianus. 250.

De disciplina & habitu virginum: Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quò sublimior gloria est, maior & cura est. Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas: quantoque plus copiosa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit. Ad has loquimur, has adhortamur, affectione potius quàm potestate, &c. Si præmium pollicitationis attendas, minus est quod laboras: immortalitas perseueranti datur, perpetua vita promittitur, regnum Dominus pollicetur. Seruate virgines, seruate quod esse cœpistis, seruate quod eritis. Magna vos merces manet, præmium grande virtutis, munus maximum castitatis, &c. Domini vox est illa dicentis: *Filij huius seculi generant, & generantur:* qui autem habuerint dignationem seculi illius, & resurrectionis à mortuis, non nubunt, neque matrimonium faciunt: neque enim incipient mori: æquales enim sunt Angelis Dei, cùm sint filij resurrectionis. Quod futuri sumus, iam vos esse cœpistis: vos resurrectionis gloriam in isto seculo iam tenetis, per seculum sine seculi contagione transitis. Cùm castæ perseueratis & virgines, Angelis Dei estis æquales: tantùm maneat & duret solida & illæsa virginitas, &, vt cœpit fortiter, iugiter perseueret, &c. Prima sententia crescere & generare præcepit: secunda continentiam suasit. Cùm adhuc rudis mundus & inanis est, copiam fœcunditate generantes propagamur, & crescimus ad humani generis augmentum. Cùm iam refertus est orbis, & mundus impletus, qui capere continentiam possunt, spadonum more viuentes, (Luc. 20.) (Genes. 3.) (Matt. 19.)

castrantur ad regnum. Nec hoc iubet Dominus, sed hortatur: nec iugum necessitatis imponit, quando maneat voluntatis arbitrium liberum. Sed cùm Ioan.14. habitationes multas apud Patrem suum dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat: habitacula ista meliora vos petitis, carnis desideria castrantes, maioris gratiæ præmium in cælestibus obtinetis.

Sermone de Natiuitate Christi: Etsi bona sunt, & à Deo instituta coniugia, melior tamen est continentia, & virginitas excellentior, quam non cogit necessitas, aut mandatum, sed perfectionis suadet consilium.

De disciplina & bono pudicitiæ: Virginitas & continentia extra ius omne sunt, nihil ad virginitatem de matrimoniorum legibus pertinet, altitudine sua transcendit omnes. Si vlla praua hominum leges ausa supergredi conantur, virginitas æquat se Angelis: si verò exquiramus, etiam excedit: dum in carne luctata, victoriam etiam contra naturam refert, quam non habent Angeli. Virginitas quid aliud est, quàm futuræ vitæ gloriosa meditatio? Virginitas neutri sexus est: virginitas est perseuerans infantia: virginitas est voluptatum triumphus: virginitas filios non habet, sed, quod plus est, filiorum contemptum habet: non habet fœcunditatem, sed non habet orbitatem: felix, quòd est extra partus dolorem: felicior autem, quòd est extra funerum filiorum calamitatem. Virginitas quid aliud est, quàm soluta libertas? maritum non habet dominum: virginitas affectionibus omnibus soluta est. Non matrimonijs est dicata, non seculo, non liberis.

Zeno Veronensis. 260.

Sermone de Continentia: Non nuptias condemno: sed nuptijs meliora præpono, & quidem etiam Apostolo hortante sic Paulo: *Dico autem innuptis & viduis, bonum est illis, si sic permanserint, sicut ego*, &c. Iam te hîc Christiane cognosce, elige quid velis, remedium, an sanitatem. Denique, si videtur, conferamus, quæ sit inter virginem nuptamque discretio. Nupta cogitat quemadmodum placeat marito: virgo quomodo placeat Deo. Hęc ex contrarijs ornamentis ornatur: longè illa ornatior, aliundè quia nescit ornari.

Ambrosius. 370.

Epistola 81. Agrestis vlulatus est, nullam virginitatis gratiam, nullum castitatis ordinem seruare, promiscuè omnia velle confundere, diuersorum gradus abrogare meritorum, & paupertatem quandam cælestium remunerationum inducere, quasi Christo vna sit palma, quam tribuit, ac non plurimi abundent tituli præmiorum. Simulant se ista donare coniugio: sed quæ potest laus esse coniugij, si nulla est virginitatis gloria? Neque verò nos negamus sanctificatum à Christo esse coniu- Gen.2. gium, diuina voce dicente: *Erunt ambo in carne vna, & in vno spiritu*: sed prius est, quod nati sumus, quàm quod effecti, multoque præstantius diuini operis mysterium, quàm humanæ frugalitatis remedium. Iure laudatur bona vxor: sed melius pia 1.Cor.7. virgo præfertur, dicente Apostolo: *Qui iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Hæc enim cogitat quæ Dei sunt, illa quæ mundi.* Illa coniugalibus vinculis colligata est, hæc libera vinculorum: illa sub lege, ista sub gratia. Bonum coniugium, per quod est inuenta posteritas successionis humanæ: sed melior virginitas, per quam regni cælestis hæreditas acquisita, & cælestium meritorum reperta successio. Per mulierem cura successit, per virginem salus euenit.

Epistola 82. Quid loquar quanta sit virginitatis gloria, quæ meruit à Christo eligi, vt esset etiam corporale Dei templum, in qua corporaliter (vt legimus) habitauit plenitudo diuinitatis? Virgo genuit mundi salutem, virgo peperit vitam vniuersorum. Sola ergo non debet esse virginitas, quæ omnibus in Christo profuit? Virgo portauit, quem mundus iste capere, aut sustinere non potest.

Libro 1. *de Virginibus*: Nec immeritò virginitas viuendi sibi vsum quæsiuit è cælo, quæ sponsum sibi inuenit in cælo. Hæc nubes, aëra, Angelos, syderaque transgrediens, Verbum Dei in ipso sinu Patris inuenit, & toto hausit pectore. Nam quis tantum cùm inuenerit relinquat boni? Cant.1. *Vnguentum* enim *exinanitum est nomen tuum: propterea adolescentulæ dilexerunt te, & attraxerunt te.* Postremò non meum est illud: quoniam *quæ non nubunt, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei in cælo.* Matt.22. Nemo ergo miretur, si Angelis Dei comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur. Quis igitur neget, hanc vitam fluxisse de cælo, quam non facilè inuenimus in terris? Nisi postquam Deus in hæc terreni corporis membra descendit: tunc in vtero virgo concepit, *& Verbum caro factum est*, Ioan.1. vt quod caro factum est, caro fieret Dei, &c. Quod nuptæ præ cæteris concupiscunt, vt sponsi decore se iactent, eo necesse est impares sacris se fateantur esse virginibus, quibus solis contingit dicere: Psal.44. *Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis.* Quis est iste sponsus? non vilibus addictus obsequijs, non caducis superbus diuitijs; *cuius sedes in sæculum sæculi: filiæ regum in honore eius*, &c. Ego licet laudationem non susceperim virginitatis, sed expressionem, ad rem tamen pertinere arbitror, vt quæ sit ei patria, quis auctor appareat. Ac prius, vbi sit patria definiamus. si enim ibi est patria, vbi genitale domicilium: in cælo profectò est patria castitatis. Itaque hîc aduena, ibi incola est. Quid autem est castitas virginalis, nisi expers contagionis integritas? Atque eius auctorem quem possumus existimare, nisi immaculatum Dei Filium, cuius caro non vidit corruptionem, diuinitas non est experta contagionem? Videtur igitur quanta virginitatis merita sunt, &c. Conferamus, si placet, bona mulierum cum vltimis virginum. Iactet licet fœcundo se mulier nobilis partu: quo plures generauerit, plus laborat. Numerat solatia filiorum, sed numeret pariter & molestias. Nubit, & plorat. Qualia sunt vota quæ flentur? &c. Audistis parentes, quibus erudire virtutibus, quibus instituere disciplinis filias debeatis, vt habere possitis, quarum meritis vestra delicta redimantur. Virgo Dei donum est, munus parentum, sacerdotium castitatis. Virgo matris hostia est, cuius quotidiano sacrificio vis diuina placatur, &c. Non vtique dissuadeo nuptias, si fructus sacræ virginitatis enumero. Paucarum quippe hoc munus est, illud omnium. Nec potest esse virginitas, nisi habeat vnde nascatur. Bona cum bonis comparo, quo facilius quid præstet eluceat. Neque meam sententiam affero, sed eam repeto, quam edidit Spiritus sanctus per Prophetam: *Melior est*, inquit, *sterilitas cum virtute*, &c. Sap.4. Vobis virgines sanctæ speciale præsidium est, quæ intemerato pudore sacrum Domini seruatis cubile. Neque mirum, si pro vobis Angeli militant, quæ Angelorum moribus militatis. Meretur eorum præsidium castitas virginalis, quorum vitam meretur. Et quid pluribus exequar laudem castitatis? Castitas enim Angelos fecit. Qui eam seruauit, Angelus est: qui perdidit, diabolus, &c. Nam de resurrectione quid dicam, cuius præmia iam tenetis? Matt.22. *In resurrectione autem neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli*, inquit, *in cælo.*

Prudentius. 380.

Libro

Libro 2. contra Symmachum:

Sunt & virginibus pulcherrima præmia nostris,
Et pudor, & sancto tectus velamine vultus,
Et priuatus honos, nec nota & publica forma,
Et rara tenuesque epulæ, & mens sobria semper,
Lexque pudicitiæ vita cum fine peracta.

Syricius. 385.

Epistola ad Mediolanensem Ecclesiam: est apud Ambrosium epist. 80. Nos sanè nuptias non aspernanter accipimus, quibus velamine intersumus: sed virginum nuptias Deo deuotas maiore honorificentia veneramur.

Optatus Mileuitanus. 380.

Libro 6. contra Parmenianum: A Paulo cùm quæreretur, quid de virginibus præciperet? respondit, sibi de virginibus nihil esse mandatum, confessus est, se duo testamenta, hoc est, duos denarios erogasse: explicati quodammodo erant sumptus. Sed quia qui saucium commendauerat, promiserat se redditurum, quicquid in curam amplius erogasset, post impensos duos denarios, non præcepta, sed consilium erogat Paulus ad virginitatem. Nec impedimento est voluntati, nec
1.Cor.7. nolentes impellit, aut cogit. *Qui dederit*, inquit, *virginem suam, bene facit: & qui non dederit, melius facit.* Hæc sunt verba consilij, nec vlla sunt præcepta coniuncta, &c. Virginitas, si illæsa sit, sine mitrella tuta esse potest. Spiritale nubendi hoc genus est: in nuptias sponsi iam venerant voluntate & professione sua, & vt secularibus nuptijs se renuntiasse monstrarent, spiritali sponso soluerant crinem, iam cælestes celebrauerunt nuptias. Quid est quòd eas iterum crines soluere coëgistis? Quid? quòd ab ipsis per vos exacta est professio secunda? Quis est alter spiritalis sponsus, cui iterum nuberent? Quandò mortuus est cui nupserant, vt iterum nubant?

Hieronymus. 390.

Libro 1. aduersus Iouinianum cap. 7. In propatulo
1.Cor.7. est, cur Apostolus dixit: *De virginibus præceptum Domini non habeo*: profectò, quia præmiserat Dominus: *Non omnes capiunt verbum, sed quibus datum est: & qui potest capere, capiat.* Proponit ἀγωνοθέτης præmium, inuitat ad cursum: tenet in manu virginitatis brauium: ostendit purissimum fontem,
Ioan. 7. & clamitat: *Qui sitit, veniat, & bibat: qui potest cape-*
Matt.19. *re, capiat.* Non dicit: Velitis, nolitis, bibendum vobis est, atque currendum; sed qui voluerit, qui potuerit currere, atque potare, ille vincet, ille satiabitur. Et ideo plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum: maiorisque gratiæ est, offerre quod non debeas, quàm reddere quod exigaris. Apostoli vxoris onera contemplati: *Si talis est*, inquiunt, *causa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Quorum Dominus sententiam probans: Rectè quidem sentitis, ait, quòd non expediat homini, ad cælorum regna tendenti, accipere vxorem: sed difficilis res est: & *non omnes capiunt verbum istud, verùm quibus datum est.* Alios eunuchos natura facit, alios vis hominum: mihi illi eunuchi placent, quos castrauit non necessitas, sed voluntas: libenter illos in meos sinus recipio, *qui se castrauerunt propter regnum cælorum*, & ob mei cultum noluerunt esse, quod nati sunt. *Qui se*, inquit, *castrauerunt propter regnum cælorum.* Si castrati mercedem habent regnum cælorum: ergo, qui se non castrauerunt, locum non possunt accipere castratorum. *Qui potest*, inquit, *capere, capiat.* Grandis fidei est, grandisque virtutis, Dei templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre Domino: & iuxta eundem Apostolum, esse sanctum & corpore, & spiritu.
1.Cor.7 Hi sunt eunuchi, qui se lignum aridum ob sterilitatem putantes, audiunt per Esaiam, quòd pro fi- Esa.56.
lijs & filiabus locum habeant in cælis paratum. Horum typus est Abdemelech eunuchus in Hie- Hier.38.
remia, & spado ille reginæ Candaces in Actis Apo- Actor.8
stolorum, qui ob robur fidei viri nomen obtinuit. Ad hos & Clemens successor Petri scribit epistolas, omnemque pene sermonem suum de virginitatis puritate contexuit, & deinceps multi Apostolici, & Martyres, & illustres tam sanctitate, quàm eloquentia viri, quos ex proprijs scriptis nosse perfacile est.

In epistolam ad Philemonem: Virginitas propterea maiori præmio coronatur, quia præceptum Domini non habet, & vltra imperata se tendit.

In Apologia pro libris aduersus Iouinianum ad Pammachium capite 1. Reprehendunt me quidam, quòd in libris, quos aduersus Iouinianum scripsi, nimis fuerim vel in laude virginum, vel in suggillatione nuptiarum, & aiunt condemnationem quodammodo esse matrimonij, in tantum pudicitiam prędicare, vt nulla videatur inter vxorem & virginem comparatio derelinqui. Ergo, si bene problematis memini, inter Iouinianum & nos ista contentio est, quòd ille exæquet virginitati nuptias, nos subijciamus: ille parum, vel nihil; nos multum interesse dicamus. Denique idcirco te post Dominum faciente damnatus est, quòd ausus sit perpetuæ virginitati matrimonium comparare, &c. Aurum virginitatem, argentum diximus matrimonium: centesimum & tricesimum fructum de vna terra exposuimus, & de vna se mente generari, licet multum differat in numero.

Epistola 22. ad Eustochium de custodia virginitatis cap. 8. Dicat aliquis: Et audes nuptijs detrahere, quæ à Deo benedictæ sunt? Non est detrahere nuptijs, cùm illis virginitas antefertur. Nemo malum bono comparat. Glorientur & nuptæ;
cùm à virginibus sint secundæ. *Crescite, ait, &* Genes.1
multiplicamini, & replete terram. Crescat, & multiplicetur ille, qui impleturus est terram. Tuum agmen in cælis est, &c. Laudo nuptias, laudo coniugium: sed quia mihi virgines generant, lego de spinis rosam, de terra aurum, de concha margari-
tum. *De virginibus*, inquit Apostolus, *præceptum* 1.Cor.7.
Domini non habeo. Cur? quia & ipse, vt esset virgo, non fuit imperij, sed propriæ voluntatis. Neque enim audiendi sunt, qui eum vxorem habuisse confingunt, cùm de continentia disserens, & suadens perpetuam castitatem, intulerit: *Volo omnes esse sicut meipsum.* Et infra: *Dico autem innuptis & viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut ego.* Et
alio in loco: *Nunquid non habemus potestatem cir-* 1.Cor.9
cumducendi mulieres, sicut & cæteri Apostoli? Quare ergo non habet Domini de virginitate præceptum? Quia maioris est mercedis, quod non cogitur, & offertur: quia, si fuisset virginitas imperata, nuptiæ videbantur ablatæ: & durissimum erat contra naturam cogere, Angelorumque vitam ab hominibus extorquere, & id quodam modo damnare quod conditum est.

Ruffinus. 390.

Ecclesiast. histor. lib. 1. cap. 8. Helena virgines, quas Hierosolymis reperit Deo sacratas, ad prandium inuitatas, tanta deuotione curauit, vt indignum crederet, si famularum vterentur officijs, sed ipsa manibus suis habitu succincta cibum apposuit, poculum porrexit, aquam manibus infudit.

Gaudentius. 390.

De lectione Euangelij Tractatu 1. qui est ordine octauus: Benedixit ergo, quod constituerat à primordio, legitimum Christus coniugium, dum pergere ad nuptias non renuit inuitatus: & tamen Virginita-

ginitatem docuit esse meliorem, dum magis per eam nasci dignatur. Probauit sanctam Virginem esse domicilium suum Deus, vbi tamen pudoris perpetuum seruet ingressus, dum sine detrimento integritatis maternæ nascitur, sine corruptela conceptus. Ideoque vas electionis Apostolus, ad id bonum quod consecutus fuerat, cæteros inuitabat, dicens innuptis: *Bonum est, si sic permanserint, sicut ego.* Exemplo felicitatis hortatur, non legis potestate compellit: *De virginibus,* inquiens, *præceptum Domini non habeo: consilium autem do, quasi misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis: quia expedit bonum sic esse.* Et post longam monitionem, qua castimoniæ beatitudinem conditioni prætulit nuptiarum, sententia postrema conclusit: *Igitur & qui dat virginem suam nuptui, bene facit: & qui non dat, melius facit.* Quod ego arbitror non parentibus virginum fuisse à beato Apostolo dictum, quos constat alienæ voluntatis arbitrio dominari non posse, sed vnicuique homini, tam viro, quàm fœminæ optionem fuisse ab eodem Sancto propositam, vt virginem natam, hoc est, carnem suam virginem natam, aut integritati conseruet, meliorem partem liberamque eligens; aut agnita conditione, nuptui eam, si se non continet, tradat. Parentes autem, vel consanguinei quique virginum tam puerorum quàm etiam puellarum, nolo sibi de supradicta libertate arbitrij blandiantur, quòd alienis mentibus eos dominari non posse tractauimus. Imperare quidem perpetuam continentiam non possunt, quia res esse noscitur voluntatis: sed voluntatem tunc in melius nutrire possunt, & debitores sunt vt moneant, vt hortentur, vt foueant, vt pignora sua Deo magis gestiant obligare, quàm sæculo: vt de propinquis feminis sui, vel in cleri ordine dignos altari diuino ministros exhibeant, vel in sanctarum numero fœminarum puellas castimoniæ dicatas enutriant: vt Ecclesiam Dei talibus nutrimentis ornantes, beatitudinem debitam consequantur.

1.Cor.7.

Concilium Carthaginense Tertium. 397.

Cap. 4. Placuit, vt ante viginti quinque annos ætatis nec Diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur.

Cap. 36. Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret.

Augustinus. 400.

Libro de sancta Virginitate cap. 13. Virginalis integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, Angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia coniugalis: illa non est in potestate, illa non est in æternitate; fœcunditatem carnalem non habet liberum arbitrium: pudicitiam coniugalem non habet cælum. Profectò habebunt magnum aliquid præter cæteros in communi illa immortalitate, qui habent aliquid iam non carnis in carne. Vnde mirabiliter desipiunt, qui putant huius continentiæ bonum non esse necessarium propter regnum cælorum, sed propter præsens seculum: quòd scilicet coniugia terrenis curis pluribus atque arctioribus distenduntur, qua molestia virgines & continentes carent: quasi ob hoc tantum melius sit non coniugari, vt huius temporis relaxentur angustiæ, non quòd in futurum seculum aliquid prosit. Hanc vanam sententiam ne cordis propria vanitate protulisse videantur, adhibent ex Apostolo testimonium, vbi ait, &c.

Cap. 21. Nos secundùm Scripturarum sanctarum fidem, sanamque doctrinam, nec peccatum esse dicimus nuptias, & earum tamen bonum, non solùm infra virginalem, verùm etiam infra vidualem continentiam constituimus: præsentemque necessitatem coniugatorum non quidem solùm ad vitam æternam, verùm etiam ad excellentem gloriam & honorem, qui perpetuæ continentię reseruatur, impedire eorum meritum dicimus, neque hoc tempore nisi ijs, qui se non continent, nuptias expedire, & tribulationem carnis ex affectu carnali venientem, sine quo nuptiæ incontinentium esse non possunt, nec tacere voluisse Apostolum, vera præmonentem, nec plenius explicare hominum infirmitati parcentem.

Concilium Quartum Carthaginense. 400.

Cap. 11. Sanctimonialis virgo, cùm ad consecrationem sui Episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper vsura est, professioni & sanctimoniæ aptis.

Cap. 104. Sicut bonum est castitatis præmium, ita & maiori obseruantia & præceptione custodiendum est, vt si quæ viduæ, quantumlibet adhuc in minoribus annis positæ, & matura ætate à viro relictæ, se deuouerunt Domino, & veste laicali abiecta, sub testimonio Episcopi & Ecclesiæ religioso habitu apparuerint, postea verò ad nuptias seculares transierint, secundùm Apostolum damnationem habebunt, quoniam fidem castitatis, quam Domino vouerunt, irritam facere ausæ sunt. 1.Tim. 5

Seuerus Sulpitius 410.

Dialogo 2. de virtutibus B. Martini cap. 7. Boues ex parte prata depauerant, porci etiam nonnulla suffoderant, pars cætera, quæ manebat illæsa, diuersis floribus, quasi picta, vernabat. Speciem, inquit Martinus, gerit illa pars coniugij, quæ pecore depasta, etsi non penitus gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem: illa verò, quam porci pecora immunda foderunt, fornicationis imaginem fœdam prætendit. cæterùm illa portio, quæ nullam sensit iniuriam, gloriam virginitatis ostendit, herbis fœcunda luxuriat, fœni in ea fructus exuberat, & vltra omnem speciem distincta floribus, quasi gemmis micantibus ornata radiat: beata species & Deo digna: nihil enim virginitati est comparandum. Ita & illi, qui coniugia fornicationi comparant, vehementer errant: & illi, qui coniugia virginitati æquanda æstimant, miseri penitus, & stulti sunt. Verùm hæc à sapientibus tenenda distinctio est, vt coniugium pertineat ad veniam, virginitas spectet ad gloriam, fornicatio deputetur ad pœnam, nisi satisfactione purgetur.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia de S. Agnete: Hæc dicentes, non vituperamus coniugium sancta commercia, sed virginum perseuerantiam adornamus. Non enim virginitas malis rebus superponenda est, sed est optimis rebus præferenda. Quæ enim est mundis mundior, & sanctis sanctior, non indiget malarum rerum vituperatione laudari.

Sixtus Tertius. 433.

Libro de Castitate: Mira castitas hæc est, in parte concupiscentiæ nullius sexus nosse consortium. Hanc in duas diuidimus species: vnam virginitatis, & viduitatis aliam: huic matrimonij iungenda continentia est, cui coniunx ita viuens moritur, vt habens non habeatur. De prima ergo castitatis specie, virginitatis scilicet à nobis sermo promendus est, cuius bonum prius debemus monstrare quàm præmium. Quia nemo de eius rei mercede dubitabit, quam bonam esse cognouerit. Dicis forsitan: Quid poteris de virginitatis, seu castitatis bono dicere, vel qua ratione eam ma-

trimonijs anteferre, cùm à Deo sciamus esse coniugia? Dicam in primis, quòd Deo in hac parte sit similis, dum in integritatis sanctitate persistit. Neque enim dicere audebit non superiorem statum diuinam illam potentiam obtinere. Hinc primum virginitatis bonum respice, quod illud diuina magnitudo possideat, amplectenda res homini, quæ Deo digna est, &c. Primus virginitatis & incorruptionis status in ipso humani generis principe dedicatus est: in quo iam figuraliter ostensum est, maiorem de virginitate, quàm de matrimonio Deo curam esse. Illam propria formauit manu, hoc hominum arbitrio derelinquit. Quale ergo bonum sit, quæso diligenter aduerte, talem te semper esse, qualem à primordio Deus hominem fecit, & qualem postmodum partus emisit. Vide quantæ beatitudinis sit, hoc te perpetuò esse quod factus es, & primæ natiuitatis lineamenta seruare.

Prosper. 450.

In Epigrammat. cap. 74.

Carnis virginitas intacto corpore habetur:
Virginitas animæ est intemerata fides.
Quæ sine corporei nil prodest cura pudoris:
Sed mentis pietas auget vtrumque bonum.

Constantius Presbyter. 480.

Vita sancti Germani cap. 21. Interrogat Germanus Genoëfam, si velit vitæ sanctimonialis cœlibatum suscipere, ac Christi sponsalitio titulari. Illa tanti sponsi nomine delectata, titulum virginitatis amplectitur, seque huius professionis iamdudum astringi desiderio profitetur. Exorat, vt, si id dignum ipse duceret, sanctitatis eius benedictione voci sui compos redderetur. Rursus in amplexus virginis sacerdos incumbit, & vt constantis esset animi, exhortatur. Interim gressum diuertit ad Ecclesiam maximo populorum agmine prosequente, ibique inter diutissimos Psalmorum concentus, ac prolixam orationis continuationem beatus Germanus dexteram super caput virginis indefessè tenuit. Expleta solenniter oratione, cibum vnà cum gratiarum actione sumpserunt.

Gennadius Massiliensis. 480.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 66. Bonæ sunt nuptiæ, sed causa filiorum, & compescendæ fornicationis obtentu. Melior est continentia, sed non sibi sufficit ad beatitudinem, si pro solo amore pudicitiæ retinetur, sed si & cum hoc affectu causa vacandi Domino eligatur, alioquin diuortium magis coniugij videbitur esse, quàm appetitio castitatis. Virginitas vtroque bono præcellsior est quia naturam vincit & pugnam. Naturam corporis integritate: pugnam pace castimoniæ, qua pro solo amore pudicitiæ in pace est.

Saluianus Massiliensis. 480.

Libro 2. ad Catholicam Ecclesiam: Hæc viduitatis est regula. Nam de coniugibus continentiam professis, spiritu Dei plenis, dubitare quis debeat, quin sita hæredibus mundanis seruire nolint, qui se ipsos mundo eliminauerint? &c. De coniugibus ista sufficiunt, transeamus ad sacras virgines quibus legem deuotionis Saluator ipse præscripsit, exemplo scilicet decem virginum, &c.

Fulgentius. 490.

De Fide ad Petrum Diaconum cap. 3. Coniugium imprimis hominibus instituit Deus, & benedixit.
Heb. 13. Propter quod Apostolus ait: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Ideoque serui Dei in eo, quòd à carnibus & vino abstinent, non tamquam res immundas refugiunt, sed mundioris vitæ instituta sectantur. Et ideo quòd coniugia non habent, non nuptiarum bonum crimen esse existimant, sed continentiam ingem bonis nuptijs meliorem non esse dubitant, isto quàm maximè tempore, quando dicitur de continentia: *Qui potest capere capiat.* De nuptijs verò dicitur: *Qui se non continet, nubat.* In vna enim ratione virtus exorituer, in altera infirmitas remedio subleuatur, &c. Matt. 19.

Epist. 3. ad Probam cap. 9. Dicimus à sanctis nuptijs, vbi nubunt, qui se continere non possunt, sanctam virginitatem merito potiore distare, quantum distant à bonis meliora, ab humilibus celsa, à terrenis cælestia, à beatis beatiora, à sanctis sanctiora, à mundis mundiora, à mortali connubio immortale connubium, à carne spiritus, ab infirmitate virtus, à fœtu transititiæ prolis permansuri germinis fructus, à tribulatione securitas, à perturbatione tranquillitas: à bono, quod est cum angustia momentaneum, melius, quod est cum lætitia sempiternum.

Alcimus Auitus. 500.

De consolatoria Castitatis laude, ad Fuscinam sororem:

Par ergo est sponte ingressum ceruice fideli
Sanctum ferre iugum, nec vincla in coniugis ire,
Mundanas odisse vias, percurrere mundas.
Illinc nolle thoros, hinc Christum quærere sponsum,
Ignorare virum, fœtus tamen edere tales,
Quos nunquam possit tristis tibi tollere casus.
Sic nunquam orba gemes fœcunda pignora vita,
Nec viduam sponso metues super esse, perennis
Expers ipsa mali, nec te sententia anget,
Qua prolis mortisque parens compellitur Eua,
Occisam partens sobolem viuente reatu
Plangere, quam sequitur quæcunque ol[illegible]xia mater,
Quæ subiecta viro, & dominum passa [illegible]
Seruit, in obscœno tolerans connubia lecto.
Quæ captiua thori, nomen comportat inane
Coniugis, vt vana dicatur imagine consors,
Sola subacta iugo non æquam ducere sortem:
Et cum longa decem complent fastidia menses,
Perfectoque grauis fœtu distenditur aluus,
Semina quæ patris fuerant, hæc pondera matri
Infligunt duros vtero turgente dolores:
Et cum luctato soluuntur viscera partu,
Carnis de[illegible] immenso tormine pendit, &c.
At longè lateque tuam discernere sortem
Libertas cum lege potest, qua nescia, vt te
Impia fallentis non stringant gaudia mundi.
Tu Mariam sequeris, donec cui contigit alto
Virginis & Matris gemina gaudere corona, &c.

Concilium Cæsaraugustanum. 518.

Cap. 8. Virgines non velentur, quæ se Deo vouerunt, nisi quadraginta annorum probata ætate, quam sacerdos comprobauerit.

Primasius. 540.

Ad cap. 5. prioris ad Timotheum: *Quia primam fidem irritam fecerunt.*)Quia fecerunt sibi illicitum, quod licebat, vouendo castitatem. Hæc verò regula non solùm in viduis, sed etiam in virginibus, continentibusque seruanda est.

Lib. 4. in Apocal. Nullus vnquam putauerit virginale decus vel pudicitiæ coniugali, vel viduali continentiæ coæquandum, quod licet multis opus declaretur: cui exponendo B. Augustinus properans, eumque suscipiens exponendum, quid vel promiserit, vel senserit ex eius libro, quem de sancta virginitate edidit, in hoc opus curaui transferre, quo clareat virgines præ cæteris honorabilem locum habere, quæ super rectitudinem fidei, secundùm quam virgo est omnis Ecclesia, se Christo vouerunt, etiam carnis integritate seruata. Dicit enim: Habent coniugia bonum suum, &c. His S. Augustini dictis ostenditur, quali debeat hic locus intentione cognosci.

Fortunatus. 570.

Lib. 6. Poëmatum, de Berthilda sacra Virgine:

Signa pudicitiæ debentur præmia sacra:
Virgo dicata Deo hinc rapien la polo.
Ille tenet cælos; cum eu complexa videris:
Quò tuus est sponsus, huc eris ipsa simul.

Lib. 8. vers. in laude virginum:

Inter Apostolicas acies, sacrosque Prophetas,
Proxima Martyribus præmia Virgo tenet.
Splendida syderio circundata lumine pergens,
Iungitur Angelicis casta puella choris:
Fruge pudicitiæ cæli dotante talento
Æterni regis ducitur in thalamos.
Pulchra corona caput triplici diademate cingit,
Et gemma exornant pectora, colla, comam.
Virgo Dei, fructus cæli, victoria mundi,
Vt semper regnes, has pete Regis opes.

Dinamius Patricius. 580.

Vita sancti Maximi cap. 2. Postquam excessisset ex ephebis, luxuriæ illecebras, & blandimenta animi magisterio & censura edomabat, vt pollicitatione virginitatis palmam incorruptæ integritatis obtineret, & in regnis cęlestibus è carne sub iugum missa triumpharet.

Gregorius Turonensis. 580.

Historia Francorum lib. 6. cap. 34. Voluit Rex aliam filiam illuc dirigere, quam de Audouera habebat, & eam in Monasterio Pictauensi posuerat: sed illa distulit, resistente præcipuè beata Radegunde, ac dicente: Non est dignum, vt puella Christo dicata, iterum ad seculi voluptates reuertatur.

Concilium Toletanum Tertium. 590.

Cap. 10. Si quis propositum castitatis viduæ vel virginis impedierit, à sancta communione, vel à liminibus Ecclesiæ habeatur extraneus.

Gregorius Magnus. 600.

Lib. 9. epist. 39. Si vtrisque conuenit continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare? duobus enim modis sancti viri etiam à licitis solent abstinere: aliquando vt merita sibi apud omnipotentem Deum augeant: aliquando verò, vt anteactæ vitæ culpas detergant.

Isidorus Hispalensis. 620.

De summo bono libro 2. cap. 40. A Deo datur continentia, sed: *Petite,* inquit, *& accipietis.* Tunc autem tribuitur, quando Deus gemitu interno pulsatur. Prælatam virginitatem esse nuptiarum coniugio: illud enim bonum, hoc optimum: coniugium concessum est, virginitas admonita tantùm, non iussa: sed ideo tantùm admonita, quia nimis excelsa. Geminum est bonum virginitas: quia & in hoc mundo solicitudinem seculi adimit, & in futuro æternum castitatis præmium percipit. Virgines feliciores sunt in vita æterna, Esaia attestante: *Hæc dicit Dominus Eunuchis: Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Esa. 56. Nec dubium, quod qui casti perseuerant, & virgines, Angelis Dei efficiuntur æquales. Amanda est pulchritudo castitatis, cuius degustata delectatio dulcior inuenitur, quàm carnis. Castitas enim fructus suauitatis est, & pulchritudo inuiolata sanctorum. Castitas securitas mentis est, & sanitas corporis. Vnde & aliquos gentilium gymnicos legimus perpetuam veneris abstinentiam exercuisse, ne virtutem libidine frangerent. Luxuriosa namque vita carnem citò debilitat, fractamque celeriter ducit ad senectutem. Omne peccatum per pœnitentiam recipit sanitatem vulneris: Virginitas autem si labitur, nullatenus reparatur. Nam quamuis pœnitendo veniæ percipiat incorruptionem, tamen nullatenus recipit pristinam.

Aldhelmus. 680.

Libro de laudibus Virginitatis cap. 3. Igitur si sanctæ virginitatis gloria Angelicæ beatitudinis germana creditur, & pulchra supernorum ciuium sodalitas merito pudicitiæ prædicatur, debitis attollenda est præconijs. Quæ inter cæteras virtutum infulas summi principatus sceptra, & regnandi monarchiam gubernare dignoscitur. Siquidem & humanis faucibus, & mortalium palato omne quicquid iucundum ac delectabile illatum sentitur, mellitæ dulcedinis gustum admodum incomparabiliter præcellit. Ita diuina maiestas (quod tamen cum pace & reuerentia Sanctorum loquar quondam iugalitatis nexibus fœderatorum) omnibus generalium virtutum gradibus, quæ in catalogo charismatum enumerantur, speciale virginitatis priuilegium præposuit.

Aponius. 700.

Libro 6. in Cantica: Qui pro hominum salute per Virginem mundo ostensus est, integritatis & castimoniæ flores toto orbe sparsit. Cuius pulchritudinis partem, id est, fragmen, virginitatem & continentiam ostendit habere, in quibus Ecclesiæ facies intacti sanguinis conseruati pulcherrima demonstratur. Illud verò quod ait: *Absque eo, quod intrinsecus latet,* solam pro omnibus bonis operibus etiam castitatem in his, qui ministri sunt plebis Christianæ, (in qua homines vident castitatem) speciosam Ecclesiam reddere indicat, absque eo, quod intrinsecus in secreto mentis Deo pulcherrimum est, & homines latet. Principes autem virginum Ecclesiæ, alteram in veteri Testamento, alteram in nouo, duas Marias, sororem Mosi & Aaron, & electam matrem Domini virgines opinor intelligi: quæ primæ cœperunt sponsæ Ecclesiæ genas mirandas efficere, integritatem seruando.

Beda. 720.

In Hexameron: Non damnandæ sunt nuptiæ, quas ad propagationem humani generis, terramque replendam supernæ gratia benedictionis instituit: sed magis honoranda, maiore est digna benedictione virginitas, quæ postquam impleta est terra hominibus, casta mente simul & corpore Agnum quocunque ierit, id est, Dominum Iesum, in cælestibus sequitur, & canticum nouum, quod nemo alius potest ei cantare, desiderat. Deus namque & Dominus noster in primordio mundi nascentis fœminam ex virili latere formauit, vt mutua illorum coniunctione terram esse implendam doceret: ipse in fine seculi assumpsit virum de carne Virginis, totius contagionis expertem, tota diuinitatis plenitudine perfectum, vt virginitatis se gloriam potius, quàm nuptias diligere probaret.

Alcuinus. 750.

De Virtutibus & Vitijs cap. 18. Castitas Angelica vita est: castitas cum humilitate Spiritus sancti meretur habitationem, quam expellit immunditia libidinis, &c. Quid prodest homini filium habere, nutrire, amare, si æternis eum nutrias tormentis? Castitas hominem cælo coniungit, Angelis facit conciuem.

Ambrosius Ansbertus. 760.

In Apocal. lib. 6. cap. 14. Dignè primitijs frugum comparantur ex omnibus frugibus ad emendum electis hi, qui virginitatem carnis & cordis habere videntur: quia primum sanctitatis fructum ac centesimum afferre videntur. Nam cùm alij sexagesimum, alij dicantur afferre trigesimum, hi tamquam

quam primitias seipsos offerentes centesimum referunt. Quantæ namque sit celsitudinis virginale decus, apertissimè locus ille Euangelicus indicat, quo cùm discipuli insolubile coniugale vinculum excepta causa fornicationis à Domino audissent, carnis integritatem coniugio præferentes, aiunt ad eum: *Si ita est hominis causa cum vxore, non expedit nubere, &c.* O beata virginitas carnis, sed si adfuerit integritas mentis. Nihil enim prodest esse virginem corpore, si contigerit mente corruptum quempiam esse. Matt.19.

Haymo. 800.

Dominica Sexagesima: Centesimum fructum virgines proferunt, dum carnis incorruptionem Domino promittunt, tanto magis præmium percepturi, quanto vberiorem & grauiorem Deo fructum proferunt. Cuius perfectio in ipsa digitorum computatione demonstratur, quemadmodum centenarius numerus de læua transit in dextram, & circulum exprimens fit in modum coronæ, illam immarcessibilem coronam virginis ostendens, quam per Prophetam Dominus pollicetur, dicens: *Eunuchis, qui custodierint præcepta mea, & elegerint quæ volui, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum.* Qui etiam, si pollutionem non solùm mente, sed etiam corpore fugarint, audiant quod Ioannes ait in Apocalypsi: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt.*

Ad 1. Corinth. 7. Virginitatem seruare honestum est. Ergo omne honestum sanctum: ideoque virginitas sancta, honesta, & Deo accepta est.

Ionas Aurelianensis. 850.

Libro 3. de cultu imaginum: Nunquid castitas reprobatur, quæ sectatores suos non solùm in futura beatitudine Angelis coæquabit, sed etiam in mortalibus adhuc corporibus imitationem Angelicam videre contendit, dicente Domino: *Quia filij resurrectionis non nubent, neque nubentur: sed sunt sicut Angeli Dei in cælis?*

Rabanus Maurus. 850.

De Vniuerso lib. 4. cap. 10. Bonæ sunt nuptiæ, sed causa filiorum, non concupiscentiæ fornicationis obtentu: melior est continentia, sed sibi non sufficit ad beatitudinem, si pro solo amore pudicitiæ retinetur: sed si cum hoc affectu causa vacandi Domino eligitur: alioquin diuortium magis coniugij esse videbitur, quàm castitas. Virginitas vtrique bono pretiosior est: quia & naturam vincit, & pugnam. Nam naturam corporis integritate, pugnam castimoniæ pace.

Eulogius Presbyter. 880.

In Martyrio SS. Georgij, Aurelij, &c. cap. 4 Quamobrem, inquit Aurelius ad coniugem, primò omnium munditiæ & castitati studentes, vacemus orationi, quò facilius ad reliqua sanctitatis opera properemus. Fiat dehinc soror, quæ hactenus coniunx fuit, & spreta conglutinatione corporum cœnosa, nouerit mens præstantior, spreto carnis oblectamento, perpetuæ incolumitatis producere germina, si quo modo digni reddamur martyrij præmio.

Cap. 5. Suscipit lætantibus animis venerabilis mulier pium viri consilium, gaudensque multis modis in tam subita insperatæ salutis oblatione: Hæc sunt, inquit, quæ semper optabam audire, videlicet vt carne morientes, viuamus spiritu, vnum pariter effecti cum illo, sicut scriptum est: *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est.* 1.Cor.6.

Hugbaldus Elnonensis. 900.

De S. Rictrude cap. 11. Post abiectas à suis humeris onerosas prædiorum & facultatum sarcinas, post nuncupatum Deo continentiæ votum, post acceptum monasticæ religionis habitum, non contenta se solam Deo offerre oblationem viuam, sanctam, eique placentem: etiam tres filias suas illi obtulit virgines, corde & corpore immaculatas, vt perpetuam seruantes virginitatem, Agnum virginem, Virginis matris Filium, quocunque ierit, sequantur, cantentque ante thronum Dei canticum nouum, id est, cum Agno æternum exultent de carnis seruata integritate & incorruptione. Quod canticum licet audire possint Sancti, nemo tamen dicere poterit, nisi illa candida turba incontaminatorum. Apo.14.

Smaragdus Abbas. 970.

In cap. 4. Regulæ Benedicti: Amanda est maximè à Monachis pulchritudo castitatis, quæ zonæ aureæ comparatur. Cuius degustata dilectio dulcior inuenitur, quàm omnis dilectio carnis. Castitas enim fructus suauitatis est, & pulchritudo inuiolata Sanctorum, securitas mentis, & sanitas corporis. Per hanc homines leuantur ad cælum, & choro sociantur Angelico, &c. Castitas dicitur corporis & cordis incorruptio. Quidam autem dixerunt castitatem esse in mente, virginitatem in corpore: sed illa est vera & veraciter castitas, quæ nec mentem finit maculari, nec corpus pollui: quæ non solùm in virginibus, sed & in continentibus fulget, & pulchritudinis suæ candore nitescit. Cuius pulchritudinem admirans Scriptura dicit: *O quàm pulchra est casta generatio.* Nam virgines feliciores fore in vita æterna Esaias testatur, dicens: *Hæc dicit Dominus Eunuchis: Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Amanda est ergo pulchritudo castitatis, quæ amatores suos à mundi curis separat, & in Hierusalem cælesti nomen sublimissimum, & lucidissimum locum præparat: quæ suis cultoribus continentiæ præmium, & nomen tribuit filiorum: donat nomen æternum, & choro sociat Angelorum. Amanda est ergo pulchritudo castitatis, quæ virgines & continentes Angelis facit æquales. Castitas enim corporis humilitate & puritate cordis sanctificatur, atque perficitur. Sap.4. Esa.56.

Radulphus Ardens. 1050.

In Festo Innocentium: Culmen omnium virtutum est virginitas. Nec de omni virginitate hoc dico. Est enim quædam virginitas coacta & inutilis, vt illorum, vel illarum, qui propter timorem vel custodiam virgines sunt. Est & virginitas naturalis & vtilis, vt illorum, qui propter dignitatem, ætatem, vel frigiditatem corporis virgines sunt. Est & virginitas virtuosa, & valde meritoria, vt illorum, qui propter ardorem diuinæ charitatis virgines sunt. Hanc virginitatem dico omnium virtutum culmen: vtpotè, quæ omni virtute, omni merito, & martyrio cumulatur. Quæ enim maior est virtus, quod meritum maius, quàm viuere in carne, non secundùm carnem: quàm esse in igne, & non ardere: manere in luto, & non contaminari, & inter malitias huius mundi Angelicam ducere vitam? Quod martyrium maius, quàm seipsum crucifigere, quàm secum quotidie luctari, & suis voluptatibus & voluntatibus abrenuntiare?

Anselmus. 1080.

Ad 1. Corinth. 7. *Volo, si possibile est, omnes homines esse sicut meipsum*, id est, abstinentes ab omni concubitu, sicut ego abstineo: *sed vnusquisque fidelium habet proprium donum ex Deo: alius quidem sic*, id est, vt sit omninò continens: *alius verò sic*, vt vxori copulatus, nulli alij misceatur. Vbi satis apparet, non solùm continentiam donum Dei esse, sed coniugatorum etiam castitatem. Cùm autem dona Dei esse monstrantur, à quo petenda sint, discitur, si non habentur, & cui sint agendæ gratiæ, si habentur.

Hildebertus Cennomanensis. 1100.

Epistola 36. Virginitas maritalis ignara negotij, non labores puerperæ, non noui partus spurcitias experitur. Virginitas nutricis vigilias ignorans, quàm multa supellectile, quibusve sorbitiunculis alumnus indigeat, non inquirit. Virginitas contenta paruo, solicita est pro natura, non ambitiosa pro matrona. Virginitas curarum est silentium, pax carnis, vitiorum redemptio, virtutum principatus. Virginitas Angelicam redolens conuersationem, cantat canticum nouum, canticum felix, canticum quod nemo potest dicere, prę-
Apo.14. ter eos, *qui cum mulieribus non sunt coinquinati.* Cantat aliquid virgo, quod vidua cantare non potest, quod non potest coniugata. Quicquid autem vel coniugata cantat, vel vidua, totum cantare potest & virgo.

Epistola 79. Ante annos circiter 30. de virginitate seruanda edidi librum, in quo necesse mihi fuit ire contra vitia, & propter instructionem virginis, quam monebam, diaboli insidias patefacere: qui sermo offendit plurimos, dum vnusquisque in se intelligens quod dicebatur, non quasi monitorem libenter audit, sed quasi criminatorem sui operis auersatus est, &c. Certè & B. Cyprianus egregium de virginitate volumen edidit, & multi alij, tam Latino sermone, quàm Græco, omniumqúe gentium literis, atque linguis, pręcipueqúe in Ecclesijs, virginis vita laudata est.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epistola 10. Gloriosum nomen virginitatis, sed gloriosior est fructus. Cùm enim iustus quisque Domini sui vestigia iubeatur sequi quà poterit, de virginibus legitur, quòd sequuntur Agnum quocunque ierit. Et cùm vnusquisque gradus coniugatorum vel continentium semper habeat de perpetrata carnis corruptione quod defleat: virginitas intemerata semper habet in auctore suo quo gaudeat. Cuius quanto superior gradus, tanto grauior est casus. Cui perseueranti quanto felicior, & suprema speranda est glorificatio, tanto cadenti miserior & extrema timenda damnatio. Virginitas supernæ ciuitatis est virtus, supernorum ciuium decus, vbi non habet quis de integritate quod perdat, de corruptione quod doleat: quam quisquis in hac mortalitate studiosius æmulabitur, familiarius sponsi virginum visitatione & caritate delectabitur.

Bernardus. 1130.

Super Missus est Homil. 3. Solent virgines, quæ verè virgines sunt, semper pauidæ, & nunquam esse securæ, & vt caueant timenda, etiam tuta pertimescere, scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum, & nimis arduum esse viuere Angelicè inter homines, & in terris more cęlestium conuersari, & in carne cœlibem agere vitam.

De Passione Domini cap. II. *de florente lilio castitatis:* Non potuit deesse in vite nostra florente flos lilij candentis, excellens castitatis insigne. Inter omnes virtutes castitas quadam speciali prærogatiua flos meruit appellari, quæ per lilium figuratur. Castitatis autem nomine hoc tractatu non quamcunque accipe castitatem, sed eam, quæ virginitas appellatur. Est enim & castitas continentium, seu viduarum, & est castitas maritalis. Sed hæ iam minimè flores appellantur, quia virginitatis florem lilij amiserunt. Eos igitur, qui deflorati non sunt, id est, virgines, flore lilij in præsenti volumus nuncupari: nec hoc dicendo facimus iniuriam continentibus & maritatis. Non enim cùm laudamus castitatem Ioannis, vituperamus coniugium Abrahæ: nec commendando virginitatem Mariæ, viduitatem Annæ reprobamus. Sed habent singuli merita sua, non parua tamen dignitate distincta. Quis autem fructum tricesimum non laudat in coniugatis, sexagesimum in viduis, licet his excellenter præferatur fructus centesimus virginitatis? De hac igitur gratia lilij, in quo vitis nostra floruit, locuturi videamus, vera luce nos illuminante, quare tanta virtus per lilium figuretur. Et manifestè quidem occurrit, quia propter candoris munditiam, qua ille flos cæteris floribus est prælatus. Hinc sanè munditia virginalis meritò figuratur typo lilij. Nullus præterea alius flos vel ipso prospectu tantum præ se fert gratiæ, quantum hic vnus: quare meritò mundissima, & omnibus pijs gratiosa virginitas per hunc figuratur florem. Quibus itaque laudibus te efferam ô virginalis candor? prorsus nescio.

De modo bene viuendi Sermone 21. *de Virginitate:* Moneo te, soror dilecta, mihi vt sis mente & corpore virgo, vt post hanc vitam merearis collocari in cælesti thalamo à Iesu Christo cælesti sponso. Virginitas non est iussa, sed admonita: quia nimis est excelsa. Duplicatum est bonum virginitatis: quia in hoc mundo solicitudine caret seculi, & in futuro præmium castitatis recipiet. Sine dubio qui casti perseuerant, & virgines, Angelis Dei erunt æquales. Virgines feliciores erunt in æterna beatitudine, Esaia testante, qui ait: *Hæc dicit Dominus Eunuchis: Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum.*

De modo bene viuendi Sermone 22. *de continentia:* Castitatis fructus est suauitas. Castitas est pulchritudo inuiolata Sanctorum: castitas est securitas mentis, & sanitas corporis. Luxuria carnem debilitat, fractamqúe celeriter ducit ad senectutem. Longa castitas pro virginitate reputatur. Igitur, soror veneranda, amanda est pulchritudo castitatis. Continentes, & castè viuentes, Deo in semetipsis præparant habitaculum. Vnde Apostolus: *Castè viuentes templum Dei sunt, & Spiritus sanctus habitat in eis.* Continentia facit hominem proximum Deo. Ibi habitat Deus, vbi permanet continentia. Castitas iungit hominem cælo. Castitas perducit hominem ad regnum. Castè viuentibus promittitur regnum cælorum. Castè viuentes habebunt hæreditatem in cælo. Bona est castitas coniugalis, sed melior est continentia vidualis: optima verò integritas virginalis.

Hugo Victorinus. 1130.

De nuptijs carnalibus vitandis cap. 1. Quieta est continentiæ vita, quam non inquietat vxoris suspicio, non solicitant ancillarum sumptus, nec conturbat filiorum peruersitas. Quæ munditiæ gignit florem, puritatis parit fructum, bonæ conscientiæ profert odorem. Hæc tergit carnis maculas, animam syncerat, restringit cogitationum fluxus.

Sermone 60. Virgines de celsitudine suæ munditiæ in altum se eleuant, & cælestibus bonis, donis suæ puritatis altius cæteris appropinquant. Perfectio namque virginalis non tam terrena, quàm Angelica vita est: quin semper est Angelis cognata virginitas.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Epistolarum lib. 6. *epist.* 40. Præsumite itaque, fidite, roboramini, permanete, quæ vouetis & redditis Domino Deo vestro vota perpetuæ continentiæ: non propter præsens seculum, sed propter regnum cælorum. Quanta virginitatis est laus? Merebitur, si perstiterit, Margarita mea, quod non meretur Magdalena Maria. Quare hoc? quia non patientia, non humilitas, nec ipsa charitas, non quælibet alia virtus soror dicitur Angelorum, sed virginitas.

Hildegardis. 1160.

Epistola ad Monachos Griseos: Virginitas solem figni-

gnifi-

gnificat, qui totum mundum illuminat: quia Deus virginitatem sibi adiunxit, quæ viro relicto illum genuit, quem radius diuinitatis perfudit, qui & omnia regit. Rex namque, qui cuncta regit, Deus est: & illi virginitas coniuncta est, quando Deus & homo de Virgine natus est. Sic *astitit regina à dextris eius in vestitu deaurato, circundata varietate*:
Psal. 44 quoniam diabolo repugnans, astitit virginitas virtuti diuinitatis in opere fulgente, vbique comprehensa multitudine diuersarum virtutum. Diuinitas quippe virginitatem sibi desponsauit, cùm primus Angelus ad sinistram partem cecidit, & tunc etiam populum saluationis in Adam sibi elegit, quem dexteram suam nominauit, de quo populo virginitatem sibi adiunxit, quæ maximum opus protulit: quia vt Deus per Verbum suum omnia creauit: ita & virginitas per calorem Sanctæ Diuinitatis Filium Dei genuit, &c. Virginitas vetera suffert, & noua sustinet, & ipsa radix & fundamentum est omnium bonorum: quia semper, & semper cum illo fuit, qui sine initio & sine fine est.

Visione 2. num. 24. Virginitas est pulcherrimum pomum inter omnia poma conuallium, & magna persona in omnibus personis, quæ in palatio indeficientis regis sunt.

Innocentius Tertius. 1200.

Mysteriorum Missæ lib. 5. cap. 8. in prima commemoratione Sanctorum in Canone Missæ: Ioannes disponitur, & cum alijs numeratur propter dignitatem Apostolatus. In hac autem commemoratione repetitur, & cum Stephano sociatur, propter priuilegium cœlibatus. *Virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocunque ierit*: & propterea cæteris præmittuntur. Virginitas enim Ioannis inde maximè commendatur: quia Christus in cruce matrem discipulo, virginem virgini commendauit. Stephani verò virginitas ex eo maximè comprobatur: quia ipse est, qui ab Apostolis deputatus est ad ministerium viduarum, & in hoc, quòd fœminis est præpositus, testimonium meruit syncerissimæ castitatis.

Cæsarius Heisterbachius. 1220.

Lib. 8. cap. 79. Tanta est gloria virginalis, vt Angelis comparetur: quia qui *non nubent, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei*. Hinc est, quòd in taberna-
Matt. 22 culo fœderis tertio operimento, quod erat de pellibus rubricatis, quartum fuerat suppositum de
Exo. 26. pellibus hyacinthinis: per pelles rubricatas designatur matyrium, quod est consummatio omnium virtutum: per hyacinthinas, quæ aërei coloris sunt, virginitas, quæ, vt quidam dicunt, super omnem virtutem est, & Angelicam redolet conuersa-
Apoc. 14 tionem: *Virgines enim sequuntur Agnum quocunque ierit* vtroque pede, id est, integritate mentis & corporis. *Apol.* Ergo virgines continentibus & coniugatis maiores sunt? *Cæsarius*: Maiores sunt, si compares statum ad statum: quia dignior est ordo virginum, quam ordo coniugatorum.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Virtutibus cap. 13. Prima species seu pars temperantiæ est castitas, à castigando rebellionem & petulantiam carnis, quæ cùm eousque inualuerit, vt etiam coniugale remedium non quærat, sed abdicet, sanctimonia vocatur. Vnde & sanctimoniales vocantur mulieres sanctæ, quæ ita omnem voluptatem libidinis à se abdicauerunt, vt etiam nuptias amore cælestis sponsi reliquerint. Accidit ergo castitati sanctimoniam esse: quoniam ex hac perfectione sanctimonia & est, & dicitur. Si ergo virgo nubat, & nupta debitum coniugale marito reddat, non propter hoc amittit virtutem, quæ prius dicebatur virginitas: quare remanet ea virtus in illa post contractum matrimonium: sed reuera desinit vocari & esse virgo.

Thomas Aquinas. 1250.

Secunda secundæ quæst. 186. *art.* 4. Ad statum religionis requiritur subtractio eorum, per quæ homo impeditur, ne totaliter feratur in Dei seruitium. Vsus autem carnalis copulæ retrahit animam, ne feratur totaliter in Dei seruitium dupliciter. Vno modo, propter vehementiam delectationis, ex cuius frequenti experientia augetur concupiscentia, vt Philosophus dicit in 3. Ethicorum. Et inde est, quòd vsus venereorum retrahit animum ab illa perfecta intentione tendendi in Deum. Et hoc est quod Augustinus dicit in primo Soliloquiorum: Nihil esse sentio, quod magis arce deijciat animum virilem, quàm blandimenta fœminæ, corporumque ille contactus, sine quo vxor haberi non potest. Alio modo propter solicitudinem, quam ingerit homini de gubernatione vxoris, & filiorum, & rerum temporalium, quæ ad eorum sustentationem sufficiant. Vnde Apostolus dicit, quòd *qui sine vxore est, solicitus est quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, & quomodo placeat vxori.* Et ideo continentia perpetua requiritur ad perfectionem religionis, sicut & voluntaria paupertas. Vnde sicut damnatus est Vigilantius, qui adæquauit diuitias paupertati: ita damnatus est Iouinianus, qui adæquauit matrimonium virginitati.

Guilhelmus Peraldus. 1250.

Dominica infra Octauam Natiuitatis sermone 1. *in Euang.* Virginitas est velut thesaurus. Iob. 38. *Nunquid ingressus es thesauros niuis?* Et dicitur virginitas thesaurus, propter pretiositatem, niueus, propter puritatem. Iste thesaurus est impretiabilis: quia non est digna ponderatio continentis animæ. Eccles. 26. *Et si amissus fuerit, erit irrecuperabilis.* Licet Deus multa miracula in terris fecerit, tamen nulli, si virginitatem amisisset, eam restituit.

Matthæus Parisius. 1250.

In histo. Anglorum de anno 1111. Fredesuuitha fuerat antiquitus pro reuerentia beatæ Virginis sanctimonialibus deputata, quæ sponsi cælestis amore sponsum contempsit terrenum. Nam cùm regis cuiusdam filius ad virginis nuptias animum applicuisset, precibus tandem & blanditijs inaniter consumptis, violenter contendit rem agere cum puella: quo comperto Fredesuuitha in syluam quandam latenter aufugit: nec tamen latibulum latere potuit amatorem: quia desidia non defuit, quin diligentius quæreret fugientem. Virgo igitur, iterato iuuenis furore comperto, per occultos tramites Deo comitante Oxoniam de nocte fugiens peruenit. Cumque mane illuc curiosus amator aduolasset, puella de fuga iam desperans, simulque de lassitudine nusquam progredi valens, Dei tutelam sibi, & persecutori pœnam anxia imprecatur. Iamque iuuenis ille cum comitibus portas vrbis subibat, cùm cælesti plaga irruente cæcitatem incurrit. Intellecto igitur pertinaciæ suæ delicto, iuuenis luce priuatus, & Fredesuuitha, vt misereretur, per nuntios exhortata, eadem facilitate lumen recepit, qua imprecante puella incurrerat cæcitatem.

Bonauentura. 1260.

De processu religionis cap. 37. Castitas est virtus originæ cælestis, hanc ipsi Angeli sancti ab ipso Domino omnium virtutum fontali principio primitus didicerunt, & indeclinabiliter seruauerunt: & hanc summus & vnus magister noster, qui est in cœlis Angelorum magister Christus Dominus nobis de cælesti schola ad terram publicè docendo attulit, & matrem gloriosam Virginem perfectam primamque post se huius disciplinæ ma-

gistram in cathedram virginalis munditiæ cæteris mirandam & imitandam præfecit.

In quarta Dieta cap.4. Castitas est florens sicut lilium inter spinas: habet lilium incorruptibile, habet pretium impretiabile, habet folium insuperabile, habet pretium inter gemmas, tenet solium super stellas.

David Augustanus.1270.

In Formula Nouitiorum cap. 2. de Obedientia: Qui artem aliquam discere cupit, debet regulas sui doctoris tenere, & proprias adinuentiones relinquere: ita tu nihil facias, quod magistrum tuum nolle præsumas: te enim dedisti ei propter regnum cælorum, iam non es tuus, sed eius, cui te vendidisti: & ideo nihil licet tibi de te agere, sine eius voluntate: ipse enim est dominus tuæ voluntatis. Contrectatio rei alienæ domino inuito furtum est, furtum cælo non appropinquat: ipsi rectores nostri sunt vicarij Domini super nos, & nos debemus eis obedire sicut Domino, & non hominibus: quia non propter ipsos, sed propter Dominum nos subiecimus illis.

Rainerus Pisanus. 1300.

In Pantheologia de virginitate cap. 3. Quicquid Christus elegit & seruauit, omni alio est nobilius: sed Christus matrem Virginem elegit, & ipse seruauit virginitatem, & virginem virgini commendauit. Ergo ipsa virginitas est nobilior. Sicut actio mentis actionem excellit corporis, & actio vitæ contemplatiuæ excellit actionem vitæ actiuæ: sic virginitas, quæ ad contemplandum ordinatur, est melior vel nobilior matrimonio, quod ordinatur ad multiplicationem prolis.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 19. Matth. *Dicunt ei discipuli.)* Posito eo, quod est necessitatis in virtute continentiæ, consequenter ponitur, quod est supererogationis & consilij, videlicet, continentia ab omni actu venereo. Discipuli enim audientes quòd vinculum matrimonij est indissolubile, dixerunt : *Si ita est causa hominis cum vxore,* quòd non posisit eam dimittere, nisi modo prædicto, *non expedit nubere.)* Maius meritum est continere simpliciter, quàm coniugalis continentia. Vnde supradictũ est, quòd continentia virginalis habet fructum centesimum &c. Illa continentia, quæ est per voluntatem reprimentem concupiscentiam ab actu venereo, illa propriè est laudabilis, &c. *Qui potest capere, capiat.)* Quasi diceret, tantum bonum non est necessitatis, sed supererogationis.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæst. 96. art. 1. Planum est, quòd virginitas perfectius est opus, quàm matrimonium.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 1. cap. 64. Tres sunt gradus castitatis. Primus est castitas coniugalis, per quem gradum vitatur illicitus concubitus: licito tamen cõcubitu retento in matrimoniali actu. Secundus gradus est castitas vidualis, per quem euitatur de cætero omnis cõcubitus, vt animus posit de cætero liberius Deo seruire, licet posit licitè matrimonium contrahere. Tertius gradus est virginalis, qui est superior istis, per quem omnis concubitus simpliciter euitatur, vt mens ipsa tanquam sponso suo soli Deo per amorem copuletur.

Ioannes Taulerus. 1350.

In festo omnium Sanctorum: Plurimum inde commendanda est virginitas, quòd perpetuum liberrimumque semper in Deum accessum habeat. Vnde Christi sponsa semper ita se gerere debet, vt in nulla re cuiquam præterquam soli Deo placere cupiat: si modò sponsa illius dici aut esse velit.

Laurentius Iustinianus 1430.

De institutione & regimine Prælatorum cap. 8. Beatus homo, qui post carnis petulantiam non abijt, & qui sacræ virginitatis hortum conclusum fontemque signatum Christo Domino inuiolabiliter consecrauit. Ipse procul dubio in nuptiali & æterno sponsi conuiuio lætabundus & gaudens, cantans & laudans Agnum sequitur quocunque ierit, vnà cum beata Maria Virgine, virginis matre, reginaque virginum, choris virgineis sociatus, sicut idem sponsus Dominus Iesus per discipulum virginem perhibet, dicens: *Hi sunt,* inquit, *qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocunque ierit. Hi empti sunt ex omnibus primitiæ Deo & Agno, & in ore ipsorum non est inuentum mendacium: sine macula enim sunt ante thronum Dei.* Apoc. 14

Bernardinus Senensis. 1440.

Tomo 2. Sabbato post Dominicam de passione Sermo. 48. de laudibus virginitatis, articulo 1. cap. 2. Matrimonium liberauit à generali diluuio, sed virginitas liberat à peccato, propter quod diluuium est factum. Nam Genes. 6. dicitur: *Omnis quippe caro corruperat viam suam super terram.* Matrimonium saluauit corpora, sed virginitas animas. Illud liberauit à morte corporali, sed aliud à morte æternali. Sicut igitur salus animæ præfertur saluti corporis, sic virginitas matrimonio antefertur.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad cap. 19. Matt. art. 33. *Sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt.)* Hoc est, vsum genitalium sibi voluntariè subtraxerunt, omninò castè viuendo, *propter regnum cælorum,* id est, amore felicitatis cælestis, vt eam copiosius adipiscantur per hoc, quòd nũc continenter viuunt, vt spirituali dilectione fortius accendantur, diuinorumque contemplationi liberius, purius, atque stabilius vacent, imò Angelicam vitam ducant in carne.

Ioannes Trithemius. 1490.

Homilia 21. Castitate nihil pulchrius est, quę conceptum de immundo semine fecit mundum, de hoste quoque efficit domesticum, & de homine terrestri Angelum. Castitas virtus est omnium virtutum speciosissima, quæ dum pro Christi amore vsque ad mortem seruanda promittitur, inæstimabili præmio remuneratur. Castitas Angelorum societati est proxima, & summa Christianæ mentis medicina. Castitas est Iesu Christi æterni regis amabile domicilium, & futuræ incorruptionis mirabile principium. Castitas est plenitudo cælestis gratiæ, per quam redintegratur omnis corruptio naturæ.

ARTI-

ARTICVLVS QVINTVS.

OBEDIENTIAM, QVAM INFERIORES SVPERIORIBVS EXHIBENT, ESSE DEO GRATAM ET ACCEPTAM: ERGO MONACHOS POST PROFESSIONEM IVXTA REGVLAM SVIS PRAELATIS OBEDIRE DEBERE.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ 670. LAMPETIANI *liberum vitæ institutum tum in vestitu, quàm in alijs rebus etiam Monachis permittunt.* Damascenus de hæresibus.

1300. *Begardi dicunt eos, qui sunt in gradu perfectionis, in spiritu libertatis, non esse humanæ subiectos obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligari: quia dicunt, vbi spiritus Domini, ibi libertas.* Clemens Quintus de Hæretic. cap. 3. Aluarus Pelagius de planctu Ecclesiæ lib. 2. artic. 52. Antoninus quarta parte Summæ tit. 11 cap 7. §. 4.

1400. Ioannes Hussus Articulo 12. Constantiæ damnato sess. 15. *Obedientia Ecclesiastica est secundùm adinuentionem sacerdotum Ecclesiæ, præter expressam auctoritatem Scripturæ.*

1520. Martinus Lutherus de captiuitate Babylonica: *Christianis nihil vllâ in re imponi potest legum, siue ab hominibus, siue ab Angelis, nisi quantum volunt. Liberi enim sunt ab omnibus.*

De falso statu Ecclesiast. *Nulla est potestas Ecclesiastica.*

Libro de votis Monasticis agens de obedientia Monachorum: *Peccant hic eadem insania Monastici, qua & in paupertatem. Primò, quòd consilium eam faciunt: deinde quòd solis sibi arrogant. Ideo dum eam vouent, & impiè negant mandatum Dei, & sacrilegè damnant votum baptismi sui. Si verò aliqui piè vouent, non nisi corporalem vouent. At nisi spiritus in eis sit, & tandem alijs quoque subdat, nihil vouetur, nisi contrarium Euangelicæ obedientiæ. Inter omnia vota Monastica nullum est minus substanciale quàm obedientiæ votum. Igitur stat conclusio: Obedientiam monasticam esse rudem & puerilem obedientiam, pro rudimento duntaxat iuuentutis institutam, nec aliter apud Deum acceptam, nec aliter voueri possibilem, nisi impiam & sacrilegam fieri voles.*

1560. Lutherani in Colloquio Aldenburgensi: *Opera bona Legis, & noua obedientia non ad regnum Christi, sed ad mundum pertinent. Qui credit Christianus, supra omnem est obedientiam, & supra omnem legem.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Deut. 17. *vers.* 12. Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille.

1. *Reg.* 15. 22. Melior est enim obedientia, quàm victimæ.

Prouerb. 15. 28. Mens iusti meditabitur obedientiam: os impiorum redundat malis.

Prouerb. 21. 28. Vir obediens loquetur victoriam.

Ecclesiastis 4. 17. Multo enim melior est obedientia, quàm stultorum victimæ.

Ecclesiastici 3. 1. Filij sapientiæ, Ecclesia iustorum: & natio illorum, obedientia & dilectio.

Ierem. 35. 1. Verbum quod factum est ad Ieremiam à Domino in diebus Ioacim filij Iosiæ regis Iuda, dicens: Vade ad domum Rechabitarum, & loquere eis, & introduces eos in domum Domini in vnam exedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum. Et assumpsit Iezoniam, filium Ieremiæ filij Habsaniæ, & fratres eius, & omnes filios eius, & vniuersam domum Rechabitarum. Et introduxi eos in domum Domini, ad gazophylacium filiorum Hanan. 5. Et posui coram filijs domus Rechabitarum scyphos plenos vino, & calices, & dixi ad eos: Bibite vinum. Qui responderunt: Non bibemus vinum: quia Ionadab filius Rechab, pater noster, præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filij vestri vsque in sempiternum. 8. Obediuimus ergo voci Ionadab filij Rechab, patris nostri, & omnibus, quæ præcepit nobis, ita vt non biberemus vinum cunctis diebus nostris, &c. 13. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Vade, & dic viris Iuda & ha-

bitatoribus Ierusalem: Nunquid non recipietis disciplinam, vt obediatis verbis meis, dicit Dominus? Præualuerunt sermones Ionadab filij Rechab, quos præcepit filijs suis, vt non biberent vinum: & non biberunt vsque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui: ego autem locutus sum ad vos, de mane consurgens & loquens, & non obedistis mihi, &c. 16. Firmauerunt igitur filij Ionadab filij Rechab præceptum patris sui, quod præceperat eis: populus autem iste non obediuit mihi. Idcirco hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Ecce ego adducam super Iudam, & super omnes habitatores Ierusalem vniuersam afflictionem, quam locutus sum aduersum illos, eò quòd locutus sum ad illos, & non audierunt: vocaui illos, & non responderunt mihi. Domui autem Rechabitarum dixit Ieremias: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Pro eo, quòd obedistis præcepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa, quæ præcepit vobis: propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.

Matth.16.24. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.

Matth 23.2. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite: secundum opera verò eorum nolite facere.

Rom 13.1. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. 2. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.

Hebr.13.17. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus, 10.

Epistola 1. Petrus docebat seniores venerari, iuniores diligere. Episcopos, sacerdotes suos, ac cunctos reliquos Ecclesiæ ministros, atque omnem plebem sibi commissam verbo diuino & mandato instruere, ac dirigere: hosque omnes, & eorum Episcopos tota animi virtute diligere, vt oculos suos, quia oculi sunt illorum. Eorum præceptis in omnibus obedire, etiamsi ipsi aliter (quod absit) agant, memores scilicet illius Dominici præcepti:
Matt.23. *Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite.* Ipsi autem Episcopi, si exorbitauerint, ab istis non sunt reprehendendi, vel arguendi: sed supportandi, nisi in fide errauerint. Illi ergo super istos sunt, non autem isti super illos: quoniam maior à minore nec argui, nec iudicari potest. Nullus se extollat erga Doctores, ac magistros suos: quia discipulus super magistrum esse non debet, nec potest. Præcepta Domini, Doctorumque ac Magistrorum factis quotidie adimplere, & in Christi nomine pro inimicis orare oportet. Obedientia enim &
Eccles.8. humiliatio, quæ Magistris agitur, Domino exhibetur.

Ignatius. 100.

Epistola ad Magnesianos Hortor, vt hoc sit omnibus studium, in Dei concordia omnia agere, Episcopo præsidente Dei loco, Presbyteris loco senatus Apostolici, Diaconis mihi suauissimis, vt ijs, quibus commissum est Iesu Christi ministerium.

Origenes. 230.

Homilia 6. *in Esaiam, de eo, quod scriptum est: Quem mittam, &c. cap.* 6. Bonum est non prosilire ad eas, quæ à Deo sunt dignitates, & principatus, & mysteria Ecclesiæ, sed imitari Moysen, & dicere cum eo: *Prouide alium quem mittas*: Neque enim ad principatum Ecclesiæ venit, qui saluari vult, & si præest, sed ad seruitutem Ecclesiæ, si oportet dicere de Euangelio: *Principes quidem gentium dominantur ijs, & qui potestatem habent in illis magistratus vocantur.*
Matt. 9. *Non sic autem erit in vobis. Nec enim dominantur principes in vobis: sed qui vult vestrum esse maior, erit omnium minimus.* Qui vocatur ergo ad Episcopatum, non ad principatum vocatur, sed ad seruitutem totius Ecclesiæ.

Ephræm. 370.

De Virtutibus & vitijs, cap. de obedientia: Beatus, qui vera & minimè simulata præditus est obedientia: quoniam hic imitator est optimi nostri præceptoris, qui obediens fuit vsque ad mortem. Ve- Phil.2.
rè igitur, qui obedientiæ fruitur possessione, beatus est: quia cùm Domini sit imitator, etiam cohæres illius efficitur. Qui obedientiam obtinet, vinculo caritatis cum omnibus coniungitur. Qui obtinet obedientiam, magnam possessionem obtinet, magnasque sibi diuitias accumulauit. Qui obediens est, omnibus gratus est, ab omnibus laudatur, & ab omnibus probatur. Vir obediens citò exaltatur, & celeriter progressus magnos efficiet. Vir obediens præcipientibus non resistit, & iubentibus non aduersatur. Reprehensus non irascitur, ad omne opus bonum promptissimus est: ab iracundia non facilè capitur: si reprehendatur, non commouetur: & si contumelijs afficiatur, nequaquam excandescit. In calamitatibus gaudet, & in tribulationibus Deo gratias agit. De loco in locum non transmigrat, & ex vna in aliam mansionem non se transfert: admonitus non perturbatur: ad quem destinatus est locum, in eo manet, & tędio non afficitur. Patrem non despicit, & fratrem nequaquam spernit, monasticæ vitæ rationem non carpit. Recreationes & otia fugit, ac locorum, aërisque amœnitates minimè sectatur: sed secundum 1.Cor.7.
Apostolum, in qua vocatione vocatus est, in ea manet. Multi igitur, vt apparet, sunt fructus obedientię. Quamobrem beatus est, qui possidet illam.

De Virtute cap. 2. Si sub obedientia spiritualium Patrum consederis, non cùm demulceris, & audis verba assentationis, apparet fidei tuæ stabilitas, ac firmitas: sed quando contemptus, atque percussus sustinueris: nam etiam fera meritò cùm demulcetur, mansuescit atque mitescit. Ne itaque ergo corripientem, & instituentem te, amarulentior fias, si nimirum cupis vas electionis euadere: sciensque obedientiæ in Domino ac humilitatis profectum, eò progressus es: nempe si eius gloriam cognoscens, eam tibi delegisti. In ea, frater, sanctorum vita illustris est & magnifica. Moyses enim seruus Do- Exod. 3.
mini, etsi doctrina Iethro non erat imbutus: ve- Deut.34.
runtamen illi se subiecit atque seruiuit: quamuis in Ægypto satis esset eruditus. Iesus quoque Naue Iosu.1.
filius perfecta sua obedientia tantum donum promeruit, vt Moysis successor fieret. Et Samuel per 1. Reg. 3.
obedientiam, quam Heli sacerdoti præstitit, di-

4.Reg.2. ſitus habitus eſt, qui vocem Dei audiret. Eliſæus verò huius adminiculo pallium & gratiam ſui accepit Magiſtri.

Baſilius Magnus. 370.

In Conſtitutionibus Monaſticis cap. 20. Oportet, vt qui ſe ad vitæ huius rationem contulerit, is ſtabili, firma, immobiliq; voluntatis conſtantia ſit, iudicioq; eiuſmodi, quòd à maleuolis ſpiritibus neque attentari poſſit, neque loco depelli: animi præterea firmitate tanta, vt ad mortem vſque Martyrum conſtantiam præ ſe ferat, cùm diuinis præceptis retinendis, tum obedientia aduerſum magiſtros ſuos conſeruanda. Siquidem hoc totius vitæ huius inſtituti caput eſt. Quemadmodum enim Deus, qui omnium Pater & eſt, & appellari ſua ſolius vult dignatione, ſummam, à quibus colitur, obedientiam requirit: ſic qui ſpiritualis in hominibus pater eſt, cùm præſcripta ſua ad diuinarum legum exemplum accommodet, perfectiſsimam ipſe quoque obedientiam requirit. Etenim ſi quis ſe alicui artium iſtarum illiberalium, ac mechanicarum dediderit, artifici ſuo quacunque ratione parendum putat, neque vlla in re præceptis eius aduerſatur: multo certè credibilius eſt, qui ſe ad pietatis religioniſq; percipiendam doctrinam contulerunt, eos Antiſtiti ſuo libentiſsimè obſequi, diligentiſsimè obtemperare.

In Conſtitutionibus Monaſticis cap. 23. Dixit diſcipulis Ieſus, cùm rudes adhuc in eius diſciplina eſſent, ac tantum non iam regnaturum eum putarent. Quid igitur hæc expectantibus illis & ſperantibus
Matt.10 dixit? *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum.* Porrò illi re audita ſpei ſuæ ſummè contraria, nequaquã dixerunt: Alia adducti ſpe ad te acceſſeramus, & tu contraria nobis, atque ſperauimus, imperas? Horum nihil omninò dixerunt, ſed his omnibus auditis, ſubmiſſa mentis ceruice obedientiæ iugum ſubierunt, alacriq; animo in pericula, in fora, in contumelias, in lapidationes, in ignominias, in cruces, in varias neces proceſſêre, tantaq; hæc alacritate ſuſtinebant, vt magnificè lætitia efferentur, cùm digni habiti ſunt, qui pro
Acto. 5. Chriſti nomine illa paterentur. Hanc obedientiam is, qui ſecundùm Deum eſt verè Monachus, Antiſtiti ſuo præſtet oportet. Siquidem (vt iam dictum eſt) diſcipulos Chriſtus in hoc elegit, qui hoc vitæ inſtitutum æmularentur, vt per eos formam relinqueret eandem ſecuturæ poſteritati. Nihil eſt enim aliud Antiſtes, (qui modò diligenter munus exequatur, cui præpoſitus ſit, pietatem videlicet,) quàm is qui perſonam Chriſti ſuſtinet, & ſequeſter eſt inter Deum & homines, eorum, qui in ipſius officio ſunt, ſalutem ſacrificans Deo, &c. Quemadmodum igitur paſtori ſuo oues obtemperant, & viam, quamcunque ille vult, ingrediuntur, ſic qui ex Deo pietatis cultores ſunt, moderatoribus ſuis obſequi debent, nihil omnino illorum iuſſa curioſius perſcrutantes, quando libera ſunt à peccato: contraq; ea ſumma animi alacritate, ſummoque ſtudio conficere.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 9. quæ eſt de ſuis ſermonibus, & ad Iulianum tributorum executorem: Ne quis caput ſit, qui vix aut manus, aut pes aut vllius quoddam corporis membrum eſt: verùm, quo vocatus eſt, in eo gradu quiſq; maneat, etiamſi alioqui præſtantiori dignus ſit, plus vtique laudis habiturus ex eo, quòd præſenti acquieſcit gradu, quàm ſi eum quærat, quem non accepit. Ne quis, cùm ſine periculo alium ſequi liceat, præire cum periculo expetat: nec obedientiæ lex, quæ tam terrena, quàm cœleſtia tuetur, atque conſeruat, infringatur: neque committamus, vt perfectorum multitudo in diſſolutam ſine vllis præfectis viuendi licentiam recidat.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Ad caput 1. ad Galat. Has ob cauſas in tumultu ac turbatione ſunt res noſtræ, adeò vt qui diſcipuli eſſe debuerant, multa repleti mentis elatione, ſubuerterint ordinem, & quæ erant ſuperiora, facta ſint inferiora. Quòd ſi quis illos vel leuiter accuſet, conſpuunt eos, quorum imperio ſubſunt. Ideò faciunt, quòd nos eos perperam à pueris inſtituimus. Verùm enimverò etiamſi qui præſunt, improbi forent, innumeriſq; ſcaterent malis, ne ſic quidem fas eſſet diſcipulo dictis non audientem eſſe. Etenim ſi de Iudæorum Doctoribus dictum eſt, quoniam ſuper cathedram Moſis ſedebant, eos eſſe dignos, qui à diſcipulis audirentur, quamquã operibus erant tam malis, vt Dominus præceperit, ne illa imitarentur: qua venia digni erunt, qui Eccleſiæ præſides per gratiam Dei modeſtè viuentes, conſpuunt & conculcant? Quòd ſi fas non eſt, vt alius alium iudicet, quanto magis fas non eſt iudicare Doctores?

Syneſius. 410.

Epiſtola 67. ad Theophilum Epiſcopum Alexand. Verùm præualet ex nunc quicquid tuo paterno viſum erit capiti. Nam ſi hoc, quod tibi tum viſum fuit, iuſtum illis fuit, & hoc prætendunt: id quod non amplius tibi videatur, iuſtum illud aufert mutatiq;. Quare quicquid decreueris, hoc multitudini iuſtum erit: obedientia enim vita eſt, mors autem inobedientia.

Palladius. 410.

Hiſtoria ſanctorum Patrum cap. 87. Quidam Pior nomine, Aegyptius genere, ætate iuuenis, cùm mundo renuntiaſſet, exijt è domo paterna: & propter inſignem amorem ſpiritalem Deo eſt profeſſus, ſe nullum de ſuis viſurum amplius. Quinquaginta ergo poſt annis ſoror eius, quæ conſenuerat, & ab aliquo reſciuerat fratrem ſuum viuere, veniebat in mentis emotæ periculum, niſi ipſum videret. Cùm autem non poſſet venire in vaſtum deſertum, rogauit illius loci Epiſcopum, vt ſcriberet ad ſanctos Patres, qui erant in ſolitudine, vt ipſum mitterent, & eum videret. Cùm ergo ijs magna vis afferretur, Patribus obediens ſtatuit vno alio aſſumpto abire, & ſignificauit domui ſororis fratrem ſuum Pior aduenire, & foris ſtare. Cùm autem ſenſiſſet ſtrepitum oſtij, & quòd eius ſoror ei veniret obuiam, Pior clauſis oculis clamauit ad ipſam: O ſoror N. ego ſum Pior frater tuus, &c.

Cap. 28. *de vita Abbatis Pauli Simplicis:* Tunc dicit ei Antonius: Potes eſſe ſaluus, ſi habeas obedientiam, & quod à me audieris, hoc feceris. Paulus dixit: Faciam quæcunque iuſſeris. Talemq; vitæ aſperæ agendæ rationem in illis diebus ſuſcepit Antonius, qualem quando erat in principio iuuentutis. Eius ergo mentem probans Antonius, ei dixit: ſta, & ora in hoc loco: donec ingrediar, & adferam tibi quod opereris. Ingreſſus autem ſpeluncam, per feneſtram animaduertit eum in eo loco totam hebdomadam manere immobilem, cùm ab æſtu torreretur. Egreſſus autem poſt hebdomadam, cùm ex palmis ramos madefeciſſet, ei dicit: accipe, & contexe catenam, vt me vides. Texit ſenex ad horam vſq; nonam quindecim vlnas magno labore. Cùm autem vidiſſet Antonius id quod contexuerat, id minimè ei placuit, & ipſi dicit: Malè contexuiſti, retexe, & denuò contexe, cùm iã ſeptimo die ieiunus ageret, idq; cùm eſſet grandis ætate. Is autem eoſdem ramos & retexuit, & iterum contexuit cum magno labore, quòd ex contextura prima fuiſſent corrugati. Cum ergo vidiſſet magnus Antonius eum nec murmuraſſe, neque animũ abieciſſe, neque vultũ ſuũ omnino auertiſſe, & neq; vel tantillum ſuccenſuiſſe, propter eum eſt com-

punctus, & sole occidente ei dicit: Patercule, vis comedamus fragmentum panis? Dicit ei Paulus: Vt tibi videtur, Abba, &c.

Ioannes Cassianus. 430.

De Institutis Cœnobiorum lib. 4. cap. 10. loquens de Tabennsiotarum Monachorum in Thebaide commorantium obedientia: Post hæc tanta obseruantia obedientiæ regula custoditur, vt iuniores absque præpositi sui scientia vel permissu, non solùm non audeant cellam progredi, sed ne ipsi quidem communi ac naturali necessitati satisfacere sua auctoritate præsumant. Sicque vniuersa complere, quæcunque fuerint ab eo præcepta, tanquam si à Deo sint cælitus edita, sine vlla discussione festinant, vt nonnunquam etiam impossibilia sibimet imperata ea fide ac deuotione suscipiant, vt tota virtute ac sine vlla cordis hæsitatione perficere ea, aut consummare nitantur: & ne impossibilitatem quidem præcepti pro senioris sui reuerentia metiantur. De quorum obedientia speciatim nunc dicere prætermitto. Exemplis enim eam ipsis paulo post tradere suo loco disponimus.

Collatio 2. cap. 11. Hoc igitur modo ad scientiam discretionis veræ peruenire facillimè poterimus, vt seniorum vestigia subsequentes, neque agere quicquam noui, neque discernere nostro iudicio præsumamus: sed quemadmodum nos vel traditio illorum, vel vitæ probitas informarit, in omnibus gradiamur. Qua institutione firmatus, non modo ad perfectam discretionis rationem quisque perueniet, verùm etiam à cunctis insidijs inimici tutissimus permanebit. Nullo namque alio vitio tam præcipitem diabolus Monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quàm cùm eum neglectis consilijs seniorum in suo iudicio persuaserit ac definitione doctrinave confidere.

Collat. 4. cap. 20. Vnum sanè atque idem in inobedientiæ genus est, vel propter operationis instantiam, vel propter otij desiderium senioris violare mandatum, tamque dispendiosum est pro somno, quam pro vigilantia Monasterij statuta conuellere. Tantum denique est Abbatis transire præceptũ vt legas, quantum si contemnas vt dormias.

Sozomenus. 440.

Lib. 6. cap. 29. Pior, cum statuisset ab ineunte ætate vitæ monasticæ se consecrare, eo ipso temporis vestigio, quo ea de causa paternis ædibus egressus sit, spopondit Deo, se de cætero neminem ex suis aliquando oculis aspecturum. Post annos quinquaginta soror accepit eum adhuc viuere. Quæ cùm præ immenso gaudio nuntij tam insperati esset penè obstupefacta, quiescere non potuit, nisi fratrem oculis intueretur. Quam ætate prouectam, lamentantem, & implorantem in hac re auxilium, Episcopus illius loci commiseratus, scripsit ad præsides Monachorum in solitudine degentium, vt Piorem ad se mitterent. Qui iussus, eò profectus est, quippe cùm non posset illis contradicere. Nam non fas erat Monachis Aegypti, credo item alijs, imperatis resistere. Ille igitur, vno secum assumpto, venit in patriam. Atque stans pro foribus domus paternæ, signum dedit se venisse. Vbi verò fores crepare sensit, oculis occlusis sororem nomine cõpellauit, dixitque: Ego Pior frater tuus, &c.

Dorotheus Abbas 520.

Doctrina 1. Si liberari perfectè volumus, & ab hoc seculo discedere, oderimus in primis voluntatem nostram, & sic breui diuino præsidio ad impassibilitatem animi perueniemus. Nihil enim adeò adiuuat hominem ad hoc, quam sensus suos odisse, &c. Narrare licet & vobis miraculum, quod mea ætate contigit, vt intelligatis, tantam esse obedientiæ & abnegatæ voluntatis vim, quæ à morte quoque eripere & liberare hominem possit. Cùm essem quandoque apud Abbatem Seridum, ad eum profectus est ab oris Ascalonicis Monachus, ab Abbate suo cum mandatis missus: imperatum autem ei à seniore fuerat, ad vesperam omninò redire. Interim oborta est immensa tempestas, imber maximus, tonitrua horrenda; videbaturque torrenti similis ea inundatio. Volebat infelix reuerti vrgente senioris præcepto, nos verò è contra cohortabamur expectare serenitatem, asserentes periclitari illum maximè in tantis aquarum eruptionibus. Non acquieuit ille nobis vllo pacto, vt maneret. Decreuimus igitur eum adusque flumen subsequi, sperantes ipsum, cùm illud vidisset, emendaturum consilium, & reuersurum. Eò autem postquam vnà peruenimus, exutus ille vestes, eas ceruici collectas imposuit, & accinctus scapulare suum, sese dedit præcipitem in torrentem, statimque natare cœpit. Formidantibus autem nobis ne mergeretur, subitò in littus alterum (mirabile dictu) conspectus est, & resumptis denuò vestibus, à nobis impetrata venia, discessit. Nos autem plus quam dici queat obstupuimus, mirati virtutis vim & potentiam. Nobis enim vix in eum fine tremore contuentibus, ipse solus intrepidus, absque vlla formidine & periculo enatauit, fretus obedientiæ merito, &c. Vt currus vno equo non satis commodè trahitur, nisi & alterum apponas: ita & obedientia humilitatem coniugatam sibi deposcit. Qua sanè gratia & virtute haberi nemo dignus potest, nisi ante consuescat præcidere, & amputare propriam voluntatem, & seipsum post Deum patri suo dedere, atque ab eo in nulla re postmodum dissentire: sed omnia ipsius arbitrio facere, ea fide & certitudine, ac si Deo in cunctis, non homini pareret.

Doctrina 5. Inter Prouerbia dicitur: *Quibus non est gubernatio, decidunt vt folia: salus autem est in multo consilio.* Contemplamini sententiæ vim, fratres, contemplamini diuinam Scripturam. Cauere nos admonet, ne nos ipsos informemus, ne peritu adeamur esse non satis nobis ad regimen nostrum. Opus est enim nobis præter Deum, opus coadiutoribus. Nihil est miserabilius, nil quod citius expugnari queat his, qui nullos duces, nullos auctores habent ad viam Dei.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 4. de Obedientia: Obedientia est animæ propriæ perfecta abnegatio, per corpus certius ostensa. Aut fortè versa vice: obedientia est mortificatio membrorum in viuente animo. Obedientia est inexaminatus atque indiscussus motus, spontanea mors, vita curiositate carens, securum periculum, immediata ad Deum excusatio, metus mortis cõtemptio, tuta nauigatio, confectum dormiendo iter. Obedientia est sepulchrum voluntatis, & excitatio humilitatis: nihil resistit, nihilque discernit, mortuus in bonis, aut in his, quæ videntur mala. Nam qui piè animam suam mortificauerit, securus pro omnibus rationem reddet. Obedientia est discretionis depositio inter diuitias discretionis. Initium quidem mortificationis, vel membrorum corporis, vel animæ voluntatis labor est. Medium verò interdum labor, interdum requies. Finis autem iam omni motus perturbatione, omnique laboris sensu vacat. Tunc demum labore & dolore fatigari deprehenditur, viuens hic beatus mortuus, cùm se animaduerterit voluntati propriæ obtemperasse, metuens scilicet propriæ voluntatis onus. Quicunque ad intellectualis congressionis stadium exire conamini: quicunque iugum Christi tollere super ceruices vestras cupitis, & sarcinam vestram alterius collo imponere satagitis: quicunque venditiones vestras sponte scribere curatis, vt pro illis in æternam libertatem conscribamini: quicunque aliorum manibus sublati, & natantes mare hoc magnum traijcitis, scitote quòd breuem quandam

& asperam viam pergere conanimi, in qua vnus & solus latet error, quem Græci ἰδιορυθμίαν, nos suimet moderationem dicere possumus, cùm scilicet quisque sibi idoneus ad se regendum & moderandum videtur. Quem qui effugerit, ad ea, quæ honesta & spiritalia sunt, ac diuinæ maiestatis oculis gratissima, ferè ante veniet, quàm ire cœperit. Obedientia est enim nunquam sibi, ne in his quidem, quæ videntur optima, vsque ad consummationem vitæ credere.

Euagrius. 600.

Lib.1.cap.13. Cùm Simeone peregrinam hanc viuendi viam in columna, hominibus planè incognitam institueret, sanctæ eremi incolæ mittunt quendam ad illum, iubentq; vt ab eo sciscitaretur: quid hæc noua & inusitata vitæ ratio sibi vellet, & quamobrem trita viuendi via, & Sanctorum pressa vestigijs relicta, aliam quandam peregrinam sequeretur, eumq; hortantur per nuntium, vt ex suo domicilio descenderet. Quòd si alacri animo ac parato descendere videretur, mandârunt, vt ei sua ipsius viuendi via insistendi potestas fieret: (ex obedientia enim satis posse constare dixerunt, eum Deo duce in eam viam ingressum fuisse:) sin resisteret, aut suæ inseruiret voluntati, ac non statim ipsorum hortationi morem gereret, vt vi inde abstraheretur. Nuntius vbi accessit ad eum, & Patrum mandatum illi exposuit, isqúe exemplò alterum produxit pedem, patrum hortationi obsecuturus, permisit sua ac propria viuendi via incedere, &c.

Antiochus. 610.

Homilia 39. de Obedientia: Qui syncero affectu per omnia spiritualium Patrum monitiones sectatur, & obedit, nihil non eorum, quæ per se facit, ad Dei transcribit gloriam, & illi vni quicquid laude cum primis dignum magna animi contentione conficere potuerit, multa cum alacritate consecrat. Vir planè obediens, tametsi in vita præsenti est, attamen ita conuersatur, tanquam à mundo extorris, & exoticus. Propriam enim voluntatem renuntiando cùm à se excusserit, eam perficit liberius, quæ Domini est. Atqui talis transit in numerum Christi Confessorum. Nec id assequitur solum, sed & quod reliquum illi est temporis sui incolatus, prorsus vitæ curæ omnis liber. Ad hæc, opere ipso sedulum se probat Domini imitatorem. Ipse enim *factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Sanè obedientia est, qua quis persuadetur, & obedit citra vllam diiudicationem, adeò vt quod superioris imperio imponitur, iucundus quis & alacer, non item turbulentus expleat. Obedientia renuntiatio est propriæ voluntatis, nulla non sui parte perfecta, quæ solo moderatoris sui annutu ad quiduis operandū nihil turbulentè mouetur. Ad explenda opere mandata obedientia primum sortitur locum: inter eas virtutes, quæ hominem veluti manu ducunt, & instituunt ad pietatem, quiddam egregium in se complecti perspicitur obedientia. Hæc stultam illam sui existimationem siue arrogantiam aspernatur: Iure quidem parens modestiæ cùm sit, atque humilitatis.

Phili. 2.

Daniel Monachus. 640.

In vita Ioannis Climaci: Inclinans verò ceruicem, & confidens in Domino, ac ei, qui se susceperat, Patri veluti optimo cuidam gubernatori se totum permittens, altissimos atque sæuissimos vitæ præsentis fluctus sine periculo traijciebat. Adeò verò perfectè mundo ac proprijs voluntatibus mortuus erat, vt inexpertem rationis ac voluntatis animam quandam habere videretur, atque proprietate naturali omnino liberatam.

Ioannes Damascenus. 730.

Historia Barlaam cap.12. Alij Cœnobiticam vitam consectantur. Qui quidem maximo numero in vnum coacti, vnius Præfecti atque Antistitis (qui omnibus virtute præstat) imperio seipsos subdunt, ac voluntatem suam obedientiæ mucrone prorsus truncantes, sibiq; velut emptitia mancipia vltro reputantes, non iam sibi ipsis viuunt, sed ei, cui ob Christi amorem sese submiserunt.

Ioannes Hierosolymitanus Patr. 800.

Vita S. Ioannis Damasceni cap.18. Diuturno itaque temporis spatio Ioannes per omne tentationis & experimenti genus à sene instituebatur, atque in omnibus rebus certam obedientiam præ se ferebat. Non obluctabatur ille in ijs, quæ ipsi imperabantur. In lingua murmur non erat, nec vlla in corde disceptatio, internè ea explorans, quæ magister præscriberet. Verùm hoc vnum in media mente, non secus atque in tabulis penitus exsculptum & incisum habebat, nempe vt in omni negotio & edicto sine murmuratione, velut Paulus præcipit, ac disceptatione, quod imperatum esset faceret. Nam alioqui quidnam ad eum, qui boni aliquid, quodcunque tandem id fuerit, efficit, vtilitatis redire queat, si vel in ipsius labijs murmur insideat, vel improba cogitatio serpentis instar in pectore delitescat? Deinde vt senex pugilem suum maioribus obedientiæ certaminibus assuefaceret, quid comminiscitur? Permultis sportis, quas pro opere habebant, in vnum collectis, hoc prætextu vtitur, Ioannem sic alloquens: Audiui, fili, sportas Damasci carius, quàm in Palestinæ partibus vendi. Multis porrò, vt nosti, rebus indigemus. His itaque acceptis, illuc quam celerrimè poteris proficiscere, neque vel obolo quidem minoris eas vende, quàm tibi impero. Pretium porrò duplo, quàm par erat, maius ipsi constituebat. Huic imperio minimè aduersatus est, nec imperantis sermonem sibi discutiendum & explorandum putauit ille ad mortem vsque obediens: verùm obedientia tanquam alijs quibusdam instructus, huiusmodi fascem in humeros tollit, atque Damascum petit. Qua in vrbe, qui prius insignis & clarus erat, laceris vestibus indutus, ac squallens, ac sordidus forum peragrabat, vt sportas suas venderet. Cùm igitur nimium eas æstimaret, risum sui excitabat, omniumque probris & contumelijs exagitabatur. Vnus autem ex ijs, qui ipsi, cùm in vrbe clarus & ornatus esset, ministrabat, ante ipsum stans, ipsiusque faciem in animum inijciens, quisnam esset, qui tum ita humilis & abiectus ac panniculus esset, agnouit: pectoreque grauissimo dolore fracto, ad eum tanquam ignotum accedit, sportasque emit, persoluto omni eo pretio, quod ab illo postulatum erat. Quo quidem accepto, generosus ille vir ad eum, à quo missus fuerat, se refert, ac victoris cuiusdam instar, humi prostrato aduersario, id est, inanis gloriæ ac superbiæ parente, reuertitur.

1.Tim.2

Theostericius. 820.

Oratione funebri in sanctum Nicetam: Omnem prauitatem, & ad obediendum difficultatem, facili & ab omni curiositate ac simulatione aliena obedientia superauit, &c. Quæ à Præside ipso dicebantur, tanquam à Deo ipso dicta excipiens, omnem quidem curiositatem & hæsitationem abijciens, fidem autem ac certam persuasionem habens, omnia exequebatur.

Theodorus Studites. 830.

Oratione funebri in S. Platonem cap. 13. Postquam verè terrenis rebus renuntiauit, tunc & obedientiam non adulterinam, sed germanam, & legitimā præstitit. Illud enim antecedit, hoc sequitur, vt fulgur tonitruo, & vt sole oriente Lucifer prius apparet. Nam qui optimè facultatibus, quas possi-

der renuntiauerit, optimè videlicet & obedientiam præstabit: at qui non rectè in alterutro se gesserit, in alterutro videlicet is claudicet necesse est. Multa quidem sunt virtutis exercendæ studia, extenuatio corporis, quæ continentiæ propria est: sobrietas in vigilando: macies, quæ à lachrymis proficiscitur: in precibus alacrem esse, humi cubando se affligere, &c. Sed nihil tale viro illi, qui obedientiam profitetur, quale est confessionis studium, & obedientiæ munus perfectum præstare: quibus rebus anima illuminatur, & propriæ voluntatis affectus extinguitur, perfectaque eius, qui per spiritum nascitur, in eum, à quo gignitur, adoptio efficitur. Nam qui non hæc alijs rebus prætulerit, is ad obedientiam præstandam imbecilis existet, & quibus rebus videtur salutem suam procurare, his deceptus, perniciem & exitium patietur. Continentia enim, vigiliæ, & vnaquæque earum rerum, quas supra diximus, ipsa quidem per se laudabilia esse concedet aliquis: sed nihil tamen expedire, imò verò & ruinæ causam illi esse affirmamus, qui suo arbitrio in his faciendis vtitur, nisi eius, qui præest, ductu & regula dirigatur. Quamobrem qui confessionem cum obedientia coniunctam exercuerit, alijs, quæ supra diximus, secundas partes tribuet, duobus his, quæ paulò ante dicta sunt, omnia concludens.

Simeon Metaphrastes. 950.

Vita S. Theodoræ Alexandrinæ cap. 8. Erat quidam lacus prope Monasterium: in eo habitans crocodilus, in quemcunque incidisset hominem vel bestiam, seu paruam, seu magnam, eam protinus exedebat. Iis itaque, qui in ea regione habitabãt, erat malum adeò terribile, vt ipse præfectus ciuitatis in eo loco statuerit milites ad arcendos eos, qui illac transibant. Cùm ergo sciuisset præfectus Monasterij, qualis esset vita Theodoræ, & quòd prope conferri posset cum ipsis Angelis, & quòd non esset expers diuinæ gratiæ, eam accersiuit, & ei dixit: Tolle vrnam, & propera nobis aquam afferre ex hoc lacu. Illa autem ex Apostolico præcepto sciens esse parendum ijs, qui præsunt, impleuit quod iussa fuerat. Et multis iubentibus illam è loco excedere, si non mortem cuperet apertissimè, illa tamen freta fide in Deum, & peragens opus obedientiæ, quæ nouit vitam conciliare, non mortem, cùm effugisset omnes, qui arcebant, accedit ad lacum, & (ô admirabilia opera tua Domine!) conspecta fuit vehi à bellua, & cùm aquam hausisset, & implesset vas, quod erat in manibus, vecta rursus ab illa bellua terræ redditur. Et sic illa quidem in terra conseruatur illæsa, bellua autem, cùm sancta ipsam increpâsset, luit pœnas eorum, quæ ad hoc vsque tempus admiserat, & in eo loco statim cernitur mortua. Rom. 13 Heb. 13.

Vita S. Theoclistis cap. 2. Sed quoniam est etiam merces obedientiæ, resque est & salutaris, & beata ducitur, meritò absoluar à crimine audaciæ, implens mandatum viri ab ineunte ætate Deo consecrati, & qui elegit habitare solitudinem, conuenienter magno Heliæ & Ioanni, qui est supra omnes, qui sunt inter natos mulierum.

Nicephorus. 1300.

Ecclesiasticæ historiæ lib. 11. cap. 37. Aegyptijs, imò alijs etiam Monachis fas non est imperata non facere.

(*,*)

ASSERVNT PATRES LATINI.

Cyprianus. 250.

De Baptismo Christi, & manifestatione Trinitatis: Scribæ & Pharisæi in cathedra Mosi sedentes, dum agunt, quæ ad cathedram pertinent, per omnia plenitudine potestatis vtuntur, & officium, non vita, tantis effectibus honoratur.

Ambrosius. 370.

Sermone 65. Sunt plerique, qui singularem vitam proponentes, singuli esse non possunt: sed quærunt sibi contubernia, atque vtinam fratrum. Inuenisti Christianum Monachum, cui cum fratre non conuenit, & libentius ei conuenit cum sorore, qui non sequitur seniorem vtilia commonentem, & sequitur adolescentulam incongrua cachinnãtem: eius etsi syncere corpus sit, anima non potest esse syncera. Sed & ille clericus iter Domino facit, qui secundum Euangelium viuit, & per omnia obtemperat sacerdoti. Aliqui enim, cùm sint minus subditi, molestè ferunt, cùm à senioribus arguuntur. Dicunt: Grauiter irascitur Episcopus, patientior esse deberet. Audi ergo optime clerice, sacerdotis exigis patientiam, & tui non exigis disciplinam? Nescis quia mihi salutis causa arguere aliquando permissum est, tibi nunquam peccare concessum est? Dicit enim Apostolus: *Increpa opportune, importune argue.* Esto ergo in omnibus subditus sacerdoti, si vis eum
2. Tim. 4 esse mansuetum.

Hieronymus. 390.

Epistola 4. ad Rusticum Monachum cap. 6. Nulla ars absque magistro discitur: etiam muta animalia, & ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt: grues vnam sequuntur ordine litterato. Imperator vnus, iudex vnus prouinciæ. Roma, vt condita est, duos fratres simul habere reges non potuit, & parricidio dedicatur. In Rebeccæ vtero Esau atque Iacob bella gesserunt. Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archidiaconi, & omnis Ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur. In naui vnus gubernator: in domo vnus dominus: in quamuis grandi exercitu vnius signum expectatur. Et ne plura replicando fastidium legenti faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, sed viuere debere in Monasterio sub vnius disciplina patris, consortioque multorum, vt ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam: hic te silentium, ille doceat mansuetudinem: non facias quod vis, comedas quod iuberis, vestiare quod acceperis: operis tui pensum persoluas, subijciaris cui non vis, lassus ad stratum venias, ambulansque dormites, & necdum expleto somno surgere compellaris.

Cap. 7. Dicas Psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur, dicente Apostolo: *Psallam spiritu psallam & mente.* Et *Cantantes in cordibus vestris Domino.* Seruias fratribus, hospitum laues pedes, passus iniuriam taceas. 1. Cor. 14
Præpositum Monasterij timeas vt Dominum, diligas vt parentem. Credas tibi saluare quicquid ille præceperit, nec de maiorum sententia iudices, cuius est officij obedire, & implere quæ iussa sunt, dicente Moyse: *Audi Israel, & tace.* Ephe. 5.

Epistola 8. ad Demetriadem de seruanda virginitate cap. 10. Bonum est obedire maioribus, parere præfectis, & post regulas Scripturarum vitæ suæ tramitem ab alijs discere, nec præceptore vti pessimo, scilicet præsumptione sua. Deut. 6

Ruffinus. 390.

In Psalmum 46. Præclarum officium est prædicare, monere, corrigere, & in Ecclesijs Christi vices tenere: subiectorum officium est audire, obedire, omnem subiectionem Prælatis suis, tanquam ipsi Domino Christo, exhibere. Neque enim quod dicunt: *subiecit populos nobis*, ex sua persona hoc dicunt, sed ex eius persona, cuius ministerium agunt. Hinc Petrus quosdam admonet, dicens:

Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Dominum.

Augustinus. 400.

De moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 31. Hi verò patres (*Cænobitæ*) non solùm sanctissimi moribus, sed etiam diuina doctrina excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nulla superbia consulunt his, quos filios vocant, magna sua in iubendo auctoritate, magna ipsorum in obtemperando voluntate.

Epistola 109. *ad Monachas, quæ volebant mutare Præpositam*: Præpositæ tamquam matri obediatur, honore seruato, ne in illa offendatur Deus: multo magis Presbytero, qui omnium vestrûm curam gerit. Vt ergo cuncta ista seruentur, & si quid seruatum non fuerit, non negligenter prætereatur: sed emendandum corrigendumqúe curetur, ad Præpositam præcipuè pertinet, ita vt ad Presbyterum, qui vobis intendit, referat, quod modum vel vires eius excedit. Ipsa verò non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente felicem. Honore coram hominibus prælata sit vobis, coram Deo substrata sit pedibus vestris. Circa omnes seipsam bonorum operum præbeat exemplum: corripiat inquietas, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmas, patiens sit ad omnes, disciplinam libens habeat, metuens imponat. Et quamuis vtrumque sit necessarium, tamen plus à vobis amari appetat, quàm timeri, semper cogitan Deo se pro vobis reddituram esse rationem. Vnde magis obediendo non solùm vestri, verùm etiam ipsius miseremini, quæ inter vos quanto in loco superiore, tanto in periculo maiori versatur.

Epistola 165. In illum ordinem Episcoporum Romanorum, qui ducitur ab ipso Petro vsque ad Anastasium, qui nunc eandem cathedram sedet, etiam si quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præiudicaret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis: quibus Dominus prouidens, ait de præpositis malis: *Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim, & non faciunt.* Vt certa sit spes fidelibus, quæ non in homine, sed in Domino collocata, nunquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur.

Matt. 23.

Epistola 166. Quod vsque adeò cælestis magister cauendum præmonuit, vt etiam de Præpositis malis plebem securam faceret, ne propter illos doctrinæ salutaris cathedra desereretur, in qua coguntur etiam mali bona dicere. Neque enim sua sunt quæ dicunt, sed Dei, qui in Cathedra vnitatis doctrinam posuit veritatis. Proinde ille verax & ipsa veritas de Præpositis sua mala facientibus, & Dei bona dicentibus, ait: *Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite, &c.*

Matt. 23.

Seuerus Sulpitius. 410.

Dialogo primo de virtutibus Monachorum Orientalium cap. 12. Præcipua ibi virtus, & prima est obedientia: neque aliter adueniens ad Monasterium Abbatis suscipitur, quàm qui tentatus prius fuerit, & probatus, nullum vnquam recusaturus, quamlibet arduum ac difficile, & indignumqúe toleratu Abbatis imperium.

Cap. 13. Duo vobis referam incredibilis obedientiæ admodum magna miracula, licet suppetant plura recolenti: sed & excitandam virtutum æmulationem, cui pauca non sufficiunt, multa non proderunt. Ergo cùm quidam seculi actibus abdicatis, Monasterium magnæ dispositionis ingressurus, cœpisset rogare: Abbas ei cœpit multa proponere, graues esse istius disciplinæ labores, sua verò dura imperia, quæ nullius facilè valeret implere patientia aliud potius Monasterium, vbi facilioribus legibus viueretur, expeteret: non tentaret aggredi, quod implere non posset. Ille verò nihil his terroribus permoueri, sed magis ita omnem obedientiam polliceri, vt si eum Abbas in ignem ire præciperet, non recusaret intrare. Quam illius professionem vbi Magister accepit, non cunctatur probare profitentem. Casu clibanus prope ardebat, qui multo igne succensus, coquendis panibus parabatur: exundabat abruptis flamma fornacibus, & intra camini illius concaua totis habenis regnabat incendium. Hoc igitur aduenam illum iubet Magister intrare: nec distulit parêre præcepto, medias flammas nihil cunctatus ingreditur, quæ mox tam audaci fide victæ, velut illis quondam Hebræis pueris, cessêre venienti. Superata natura est, fugit incendium, & qui putebatur arsurus, velut frigido rore perfusus, se ipse miratus est. Sed quid mirum, si tuum Christe tyronem ignis ille non attigit, vt nec Abbatem pigeret dura mandasse, nec discipulum pœniteret imperio paruisse? qui eo die, quo aduenerat, dum tentaretur infirmus, inuentus est perfectus: meritò felix, meritò gloriosus, probatus obedientia, glorificatus est passione. In eodem monasterio factum, quod dicturus sum, recenti memoria ferebatur. Quidam itidem ad eundem Abbatem recipiendus aduenerat, cùm prima ei lex obedientiæ poneretur, ac perpetuam polliceretur ad omnia vel extrema patientiam: casu Abbas storacinam virgam, iam pridem aridam manu gerebat: hanc solo fixit, atque illi aduenæ id operis imponit, vt tamdiu virgulæ aquam irriguam ministraret, donec, quod contra omnem naturam erat, lignum aridum in solo arente viuisceret. Subiectus aduena duræ legis imperio, aquam proprijs humeris quotidie conuehebat, quæ à Nilo flumine per duo ferè milia petebatur. Iamqúe emenso anni spacio, labor non cessabat operantis, & de fructu operis spes esse non poterat, tamen obedientia virtus in labore durabat. Sequens quoque annus vanum laborem iam affecti fratris eludit. Tertio demum succedentium temporum labente curriculo, cùm neque noctu neque interdiu aquarius ille cessaret operator, virga floruit. Ego ipsam ex illa virga arbusculam, quæ hodie intra atrium monasterij est, ramis virentibus vidi: quæqúe quasi in testimonium manens, quantum obedientia meruit, & quantum fides possit, ostendit.

Leo Magnus. 450.

Epistola 84. *ad Anastasium Episcopum cap.* 11. Qui quibusdam scit se esse præpositum, non molestè ferat aliquem sibi esse prælatum: sed obedientiam, quam exigit, etiam ipse dependat. Sicut non vult grauis oneris ferre sarcinam, ita nō audeat alij importabile pondus imponere.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Homilia 3. *ad Monachos*: Et hæc omnia animæ detrimenta ex inobedientiæ malò eueniunt, obedientes autem & humiles animæ multas tribulationes, atque omnes labores prosternunt, atque in compendium mittunt. Sciendum est enim, quòd quanto humiliores & obedientiores fuerimus, tanto super nos leuius & dulcius iugum Domini sentiemus. Quanto obedientiores fuerimus præpositis & patribus, in tantum obediet Deus orationibus nostris. Videamus quàm acceptabilia sunt Domino opera, & ieiunia eorum, qui suis potius quàm seniorum voluntatibus obsequuntur: clamant illi, quare ieiunamus, & nescisti? humiliauimus animas nostras, & non aspexisti. & ille respondet: Ideo qui in diebus ieiuniorum vestrorum inueniuntur voluntates vestræ. Videmus per inobedientiam animarum opera non respici, ieiunia non audiri, vota non suscipi. Vnde nos amplius illius mandata sectemur, qui ad hoc è cælo

descendit, vt non solùm nos redimeret mortis pretio, sed etiam vt vitæ ædificaret exemplo: & cum illo dicamus: *Ego non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem illius qui misit me Patris.* Ire autem post voluntates proprias tam penitiosum est, vt hoc Dominus iam postmodum iratus pro damnatione peccati irroget, dicens: *Et dimisi illos secundùm desideria cordis illorum.* Quamobrem qui vult tuta esse opera sua vel recta in conspectu Dei, nihil obedientiæ præferat, nihil penitus anteponat, siue senior, siue iunior sit. Nullum sibi finem faciat proficiendi, nullumqúe terminum constituat acquirendi, cùm sibi dici audiat: Para in exitu opera tua. & iterum: *Non verearis iustificari vsque ad mortem.*

Prosper. 460.

In Sententijs cap. 238. Perfectè Deus euidenterqúe monstrauit, quantum bonum sit obedientia, cùm hominem in paradiso positum ab ea repo- tuit tenere palmam, sola inobedientia incidit pœnam.

Faustus Regiensis. 480.

In Sermone ad Monachos: Sciendum est, quòd quanto humiliores & obedientiores fuerimus Præpositis & patribus nostris, in tantum obediet Dominus orationibus nostris. Videamus quàm acceptabilia sunt Domino vel opera, vel ieiunia illorum, qui suis potius, quàm seniorum voluntatibus obsequuntur. Clamant illi: *quia ieiunauimus, & non aspexisti: humiliauimus animas nostras, & nescisti.* & ille respondens: Ideo *quia in diebus ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* Videmus ergo, per inobedientiam animorum opera non respici, ieiunia non audiri, vota non suscipi. Vnde nos amplius illius mandata sectemur: quia ad nos è cælo descendit, non solùm vt nos redimeret mortis pretio: sed etiam vt vitæ ædificaret exemplo, & cum illo dicamus: *Ego non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem illius, qui misit me Patris.* Ire autem post voluntates proprias tam pernitiosum est, vt hoc Deus iam postmodum iratus pro damnatione peccati inobedientibus irroget, dicens: *Et dimisi illos secundùm desideria cordis illorum.* Quamobrem qui vult opera sua esse recta in conspectu Dei, nihil obedientiæ, nihil præceptis præponat: siue ille iunior, siue senior est, tanto plus debet studere ædificationi & perfectioni. Nullum sibi finem faciat proficiendi, nullum terminum constituat acquirendi. Ioan. 4.

Constantius Presbyter. 490.

Epistola ad Patientem Episcopum Lugdunensem: Meritò inter omnes virtutes obedientia vendicat principatum, quæ facit plerosque tentare quod nequeunt. Et ideo dignæ deuotionis laude habendi sunt, qui considerata sua impossibilitate, iubentibus obsequuntur.

Nouatus Catholicus. 500.

De humilitate & obedientia: Humilitas si fuerit in homine, obedientem facit illum: Obediens verò qui fuerit, non hominibus obedit, sed Deo. Si enim Dominus ait: *Qui vos audit, me audit: qui me audit, audit eum qui me misit.*

Concilium Aurelatense Primum. 506.

Cap. 21. Monachi Abbati omni obedientia, & deuotione subiaceant.

Benedictus. 530.

Regulæ cap. 5. Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora. Hæc conuenit his, qui nihil sibi Christo charius existimant: propter seruitium sanctum, quod professi sunt, seu propter metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ, mox vt aliquid imperatum à maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo. Ergo hi tales relinquentes statim quæ sua sunt, & voluntatem propriam deserentes, mox ex occupatis manibus, quod agebat imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede iubentis vocem factis sequuntur. Sed hæc ipsa obedientia acceptabilis tunc erit Deo, & dulcis hominibus, si quod iubetur non trepidè, non tardè, aut cum murmure, vel cum responsione nolentis efficiatur. Quia obedientia, quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur.

Primasius. 540.

Ad caput 4. epistolæ ad Romanos: Grande crimen inobedientiæ: quam qui habuerit Christianus, quodcunque boni fecerit, euacuat. *Obedientiam*, inquit, *malo quàm sacrificium.*

Gregorius Magnus. 590.

Libro 35. in cap. 42. Iob cap. 10. Sed quia ad ostendendam virtutem obedientiæ occasio opportuna se præbuit, libet hanc paulo vigilantius solicitiusqúe discutere, & quanti sit meriti demonstrare. Sola namque virtus est obedientia, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasqúe custodit. Gen. 2.
Vnde & primus homo præceptum, quod seruaret, accepit, cui se si vellet obediens subdere, ad æternam beatitudinem sine labore perueniret. Hinc Samuel ait: *Melior est obedientia, quàm victimæ: & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Obedientia quippe victimis iure præponitur. Quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò propria voluntas mactatur. Tanto igitur quisque citius Deum placat, quanto ante eius oculos repressa arbitrij sui superbia, gladio præcepti se immolat. Quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, vt quanta sit virtus obedientiæ demonstretur. Ex aduerso igitur melius ostenditur, quid de eius laude sentiatur. Si enim quasi ariolandi peccatum est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere, sola est, quæ fidei meritum possidet, sine qua quisqu infidelis esse conuincitur, etiamsi fidelis esse videatur. Hinc per Salomonem in ostensione obedientiæ dicitur: *Vir obediens loquitur victorias.* Vir quippe obediens victorias loquitur: quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus, &c. Quid ergo mirum, si homo peccator se obedientiæ in præsentis vitæ breuitate subijcit, quando hanc Mediator Dei & hominum, & cùm obedientes remunerat, non reliquit? Sciendum verò est, quòd nunquam per obedientiam malum fieri, aliquando autem debet per obedientiam bonum, quod agitur, intermitti. Neque enim mala in Paradiso arbor extitit, quam Deus homini ne contingeret interdixit: sed vt melius per obedientiæ meritum homo bene conditus cresceret, dignum fuerat, vt etiam à bono prohiberetur: quatenus tantò verius hoc, quod ageret, virtus esset, quantò & à bono cessans, auctori suo se subditum humilius exhiberet, &c. Sciendum summoperè est, quòd obedientia aliquando, si de suo aliquid non habeat, nulla est: aliquando autem, si de suo aliquid non habeat, minima. Nam cùm huius mundi successus præcipitur, cùm locus superior imperatur, is, qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem euacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad accipienda huius vitæ prospera libidini propriæ ambitionis seruit. Rursum cùm mundi despectus præcipitur, cùm probra adipisci, & contumeliæ iubentur, nisi ex seipso animus hæc appetat, obedientiæ sibi

Marginal references: 1. Reg. 15. — Prou. 21 — Gen. 2.

meritum

meritum minuit: quia ad ea, quæ in hac vita despecta sunt, inuitus, nolensque descendit. Ad detrimentum quippe obedientia ducitur, cùm mentem ad suscipienda probra huius seculi nequaquam ex parte aliqua etiam sua vota comitantur. Debet ergo obedientia & in aduersis ex suo aliquid habere, & rursum in prosperis ex suo aliquid omnimodo non habere.

In 1. Regum caput 3. Samuel puer humiliter homini subiectus, atque obedientiæ ardua arce sublimatus, dum vocatus accessit, iussus rediјt, quid aliud nobis exemplo præbet, nisi altissimæ formam obedientiæ? Vera namque obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: quia qui omne vitæ suæ iudicium maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur. Nescit enim iudicare quisquis perfectè didicerit obedire: quia hoc tantùm bonum putat, si præceptis obediat.

In 1. Reg. cap. 10. Quia perfecta obedientia, quam hominibus exhibemus, munus est Creatoris, qui septem diebus expectat, oblationem offerre dicitur, & pacificas victimas immolare. Oblatio quidem Domini est, quia hominibus pro Deo offertur, sed oblata hominibus, à Deo suscipitur. Victimæ sunt obsequia obedientium: quia cùm hominibus pro Deo subijcimur, superbos spiritus superamus. Cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergo sunt, qui obediunt: quia dum voluntatem suam alijs perfectè subijciunt, ipsi lapsis per obedientiam Angelis dominantur.

In 1. Regum cap. 15. Inobedientes dùm tumenti corde maiorum iussa non faciunt, cùm meliorare quod eis iniungitur conantur, sua opera Deo offerre dum cupiunt, semetipsos tollunt. Nam per alias virtutes nostra ei impendimus, per obedientiam nosmetipsos exhibemus. Samuel ergo subiungens, ait: *Nunquid vult Deus holocausta & victimas? non potius vt obediatur voci Domini?* Quid enim sunt bona electorum hominum opera, nisi victimæ & holocausta? Cùm ergo holocausta & victimas per legem offerri Dominus præcepisset, quid est, quòd Dominus holocausta & victimas nolle dicitur, velle autem vt ei obediatur pollicetur: nisi quia, qui præter obedientiam fiunt, holocausta & victimæ non sunt? Quasi dicat: Tunc bona sunt bona opera, quando à Præpositorum conscientia non discordat. Si verò hoc ideo dicitur, vt virtus obedientiæ commendetur, liquet, quàm sublime bonum sit, quod victimis & sacrificijs excellit, &c. Longè altioris meriti est, propriam voluntatem alienæ semper voluntate subijcere, quàm magnis ieiunijs corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare. Qui perfectè voluntatem præceptoris sui implere didicit, in cælesti regno & abstinentibus & flentibus excellit.

Ionas Monachus. 640.

Vita S. Columbani cap. 12. Cognouit per reuelationem fratres, qui Luxouij erant, diuersis morborum generibus vexari, nec plures superesse incolumes, quàm qui ægrotis ministrarent. Egressus itaque de specu, Luxouium venit: cumque omnes afflictos cerneret, iubet omnes surgere, & messam in area virgis cædere. Surrexerunt ergo, quorum conscientiam obedientiæ feruor incendebat, ad areamque venientes, virgis fruges cædere ardenti fide aggressi sunt. Videns autem Pater fidem in filijs, & obedientiæ gratiam abundare: Sinite, inquit, fessa ægritudine membra à labore recreari. Mirantur obedientes fratres, nullo doloris vestigio remanente, integra se sospitate frui. Iubet Pater apparari mensas, vt vberi gaudio omnes reficerentur. Increpat deinde inobedientes, arguit fidei ignauiam, ægritudinis longam moram denuntiat. Mira vltio. Supra anni tempus immorigeros morbi dolor tam vehementer attriuit, vt vix mortem euaderent, impleuerúntque pœnitentiæ mensuram pro admissæ inobedientiæ ratione.

Theodorus Cantuariensis. 660.

Apud Bedam histor. Anglic. libro 4. cap. 5. Monachi non migrent de Monasterio ad Monasterium, nisi per dimissionem proprij Abbatis: sed in ea permaneant obedientia, quam tempore suæ conuersionis promiserunt.

Concilium Anglicanum. 673.

Apud Bedam Anglic. histor. libro 2. cap. 5. Monachi nõ migrent de loco ad locum, hoc est, de monasterio ad monasterium, nisi per dimissionem proprij Abbatis: sed in ea maneant obedientia: quam tempore suæ conuersionis promiserunt.

Beda. 700.

In cap. 2. Ioannis: Abraham pro obedientiæ virtute eximia perpetuæ benedictionis hæreditate donatur. Audiens quanta virtus obedientiæ quanta mercede muneratur, & ipse obedientiam discere atque habere satagis.

Carolus Magnus. 780.

Libro 7. Legum cap. 103. Volumus, atque præcipimus, vt omnes suis sacerdotibus, tam maioris Ordinis, quàm inferioris, à minimo vsque ad maximum, vt summo Deo, cuius vice in Ecclesia legatione funguntur, obedientes existant. Nam nullo pacto agnoscere possumus, qualiter nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles, & suis sacerdotibus inobedientes apparuerint, aut qualiter nobis obedientes, nostrisque ministris ac legatis obtemperantes erunt, qui illis in Dei causis & Ecclesiarum vtilitatibus non obtemperant.

Concilium Moguntinum. 813.

Cap. 9. In omnibus, quantum humana permittit fragilitas, decreuimus, vt Canonici clerici canonicè viuant, obseruantes diuinæ Scripturæ doctrinam, & documenta sanctorum Patrum, & nihil sine licentia Episcopi sui, vel magistri eorum positi agere præsumant in vnoquoque Episcopatu: & vt simul manducent, & dormiant, vbi his facultas id faciendi suppetit, vel qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt, & in suo claustro maneant, & singulis diebus mane primo ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad mensam similiter lectionem audiant, & obedientiam secundùm Canones suis magistris exhibeant.

VVandelbertus Diaconus. 840.

Vita sancti Goaris libro 1. cap. 8. Nos Monachi obedientiam Prælatis exhibere debemus.

Nicolaus Primus. 856.

Epist. 9. ad Michaelem Imperatorem. Hoc certè Gregorius omnino agere non debuit, etiamsi nulla commissa extitissent, pro quibus damnari potuisset. Quoniam Prælati iudicium semper inferioribus formidandum est, ne si ei non obedierint, licet ab eo fortassis iniustè ligentur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa, id est, inobedientia mereantur.

Epistola 10. ad Episcopos Constantinopolitanæ sedi subiectos: Nolite communicare peccatis alienis, nolite nobis inobedientes esse: quoniam inobedientia protoplastum de paradiso expulit. Inobedientia idololatria meritò nuncupatur, sicut S. Samuel ad Samuelem meritò loquitur, dicens: *Quasi peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* 1. Reg. 15. Perpendite ergo quantum sit execrabile repugnare, quantum detestandum acquiescere nolle, quòd ariolandi peccato scelerique idololatriæ comparatur. Clamat Apostolorum Prin-

cepæ:

Actor 4. ceps: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Et
Rom. 13. Coapostolus eius Paulus: *Qui resistit,* inquit, *potestati, Dei ordinationi resistit.* Iudicate ergo, cui potius obediendum sit, Deo, an hominibus. Iudicate, cui potius resistendum sit, potestati, quam in Petro Deus omnipotens ordinauit, quamquè super cuncta Ecclesia extulit, an ordinationi Gregorij Syracusani.

Notgerus Leodiensis. 970.

Vita S. Remacli cap. 22. Obedientiam maioribus exhibete, eorum institutionibus animos accommodate. Tum enim quisque rectè viuit, si curat id esse, quod audit.

Smaragdus Abbas. 970.

In expositione Prologi in Regulam Benedicti: Omnes humanos labores, qui voluntariè fiunt, obedientiæ labor exuperat. Quid enim fortius esse potest, quàm vt se homo ex omnibus seruum faciat hominum, & cùm sit liber, & honoratus, velut vile mancipium, despectumq; se cunctis exhi-
Psal. 21. beat, & abiectum, ita vt dicat: *Ego autem sum vermis, & non homo?* Quid fortius & durius esse potest, quam vt homo homini voluntariè se in omni subdat obedientia, & duras & contrarias in ipsa obedientia patienter illatas sustineat iniurias? quàm vt omni vilitate & extremitate contentus sit, & ad omnia, quæ illi iniunguntur, paratus, & omnibus se inferiorem, & viliorem, non solùm sua lingua pronuntiet, sed etiam corde existimet: & vbicunque fuerit, sederit, vel ambulauerit, inclinato sit semper capite?

Ad caput 5. Regulæ S. Benedicti: Qui cum murmure facit obedientiam, nec ab imperante laudem, nec à Domino recipit mercedem: sed potius ab Abbate corporis disciplinam, & à Domino eam, quæ murmurantibus debetur, iustam recipit pœnam. Infeliciter enim perdit vtrumque, & pœnaliter conquirit vtrumque. Perdit laudis & mercedis gratiam, & conquirit corporis simul & animæ pœnam, &c. Cùm magno cordis amore, corporisquè velocitate fieri debet obedientia, quam ipse Dominus factam in suam recipit personam: vt facientibus eam, cùm retributionis tempus aduenerit, plenissima tribuat præmia. Ipse enim omni-
Matt. 11. bus in laboris obedientia positis, cúm tempus æternæ retributionis aduenerit, dicet: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ergo cum magna cordis alacritate debet Monachus obedientiam facere, qui talem sperat ex illa habere retributorem.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone 3. de beato Apollinari: Hæc, & multa huiusmodi excusationis verba B. Martyr potuisset obtendere, si indomita ceruice mentis iugum voluisset obedientiæ detractare. Veruntamen non restitit, non contradixit: sed mox, vt iubentis accepit imperium, omnino credidit necessarium, quod sibi per os magistri ab ipso Domino cognouit iniunctum. Et vt per omnia in virtutæ obedientiæ B. Apollinaris Abrahæ similis videatur, sicut illi
Gen. 12. Deus præcepit, dicens: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi,* qui nihil hæsitans paruit: sic & iste, mox & verba Apostolicæ iussionis accepit, protinus ad obediendum spe certa animum roborauit. Et quod docturus erat verbo, operis præmonstrauit exemplo: Hoc denique studuit humiliter exhibere subiectus, quod iustè accepturus erat & ipse prælatus.

Vita S. Romoaldi cap. 24. Venerius Monachorum consortium deserens, in solitudinem properauit. Vbi per sex annos absque vino omniquè pulmento sub nimiæ districtionis arriditate permansit, Qui Romoaldo interroganti, sub cuius regimine obedientiam exhiberet, respondit se alieno solutum imperio, hoc sequi, quod sibi vtilius videretur. Cui Romoaldus ait: Si crucem Christi portas, superest vt Christi obedientiam non relinquas. Vade igitur, & consensu à proprio Abbate suscepto, reuertere, ac sub eius dominio humiliter viue, quatenus sancti operis ædificium, quod bona voluntas ædificat, humilitas erigat, atque obedientiæ, virtus extollat. Ille igitur sancti viri documenta gratanter amplectens, Abbatem suum protinus adijt, consensum accepit, & ad dilectam solitudinem quantotius remeauit.

Tractatu de Ordine Eremitarum, & facultatibus Eremi fontis Auellani. De cæteris verò Monasticæ institutionis obseruationibus quicquid in regula & districto Monasterio tenetur, idem etiam hîc cautè & solerter nihilominus custoditur, videlicet de promptissima obedientia, vt quodcunque præcipitur, feruentissimè peragatur: de non dando, vel accipiendo, sine iussione Prioris: de non proprio habendo: vt dum sunt in claustro, quod est iuxta Ecclesiam, siue in festiuis diebus, siue omnibus, in competentibus horis silentium teneant: vt in Capitulo, in oratorio, in refectorio regularem consuetudinem non postponant: vt cum hospitibus non loquantur, atque ideò à cellulis videlicet ad Ecclesiam siue venientes, siue redeuntes, à censura silentij non recedant.

Radulphus Ardens. 1060.

In Communi vnius Martyris: Abnegare propriam voluntatem perfectorum est, qui non solùm propria vitia, & proprias res, sed etiam proprias voluntates abnegant, subdentes se mandato spiritualis patris: & iam non quod ipsi voluerunt, sed quod ipse præceperit, faciant. Omnes quidem tenemur malas voluntates abnegare: sed & isti etiam suas bonas voluntates abnegant, vt iam de cætero neque etiam orare, neque ieiunare, neque aliquam bonam voluntatem suam facere, nisi iuxta arbitrium & voluntatem Abbatis sui queant: effecti spirituales Iesu Christi imitatores, qui de seipso ait: *Non veni vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Ioan. 4.

Gregorius Septimus. 1076.

Libro 1. epist. 22. Humilitatis discipuli humilitatem induite, Christi vicem super vos habenti ex debito obedite: consilia & admonitiones ejus vero amore amplecti insudate: scientes cùm sibi, Christo, qui pro vobis passus est, obederitis, eius verò prædicationes iudicia etiam cùm susceperitis, Christi per omnia suscipietis. Ait enim: *Qui vos* Lucæ 10.
suscipit, me suscipit: qui vos spernit, me spernit. Aliter verò si feceritis, in Christum peccatis, Christum spernitis, Christi discipuli esse desinitis, Apostolo resistitis, qui ait: *Omnis anima potestatibus subli-* Rom. 13.
mioribus subdita sit. Cùm ergo mundanis potestatibus obedire præcepit Apostolus, quanto magis spiritualibus, & vicem Christi habentibus inter Christianos?

Anselmus. 1080.

Epistola 6. Non debetis considerare, quàm parua res sit, quam contra prohibitionem facitis: sed quantum malum sit inobedientia, quam pro parua re incurritis. Sola enim obedientia potuit hominem in paradiso retinere, vnde per inobedientiam eiectus est: neque ad regnum cælorum aliquis, nisi per obedientiam reducitur. Pensate, quia si homo per vnam solam inobedientiam in tantam miseriam, quam patimur in hoc mundo, proiectus est: quantum debeamus eam horrere, & obedientiæ bonæ studere. In obedientia totus vigor bene viuendi construitur: in eius negligen-

tia de-

tia destruitur. Abbati ergo vestro obedientiam non solùm opere, sed etiam in voluntate per omnia exhibete, & ad inuicem pacem & concordiam per mutuam dilectionem habete.

Edinerus Anglus. 1100.

Vita sancti Anselmi libro 2. Monachus sub Abbatis sui imperio positus, obedientiam in omnibus, quæ sibi secundùm Deum iniunguntur, professus, sua, quantum in se est, voluntate nunquam claustra Monasterij pro quouis seculari negotio egredi volens. Huic fortè præcipitur, vt extra claustrum ad custodiendam aliquam Ecclesiæ villam eat. Excusat se, & ne fiat, obsecrat. Perstat Abbas in sententia sua, & per obedientiam iubet peragi imperata. Non audens ille recusare, paret: ecce venit ad mulam, necessariò illum molere oportet. Insurgunt hinc inde querelæ, placita, lites. Custodiat ergo sapiens Monachus farinam suam, eamqúe in vas suum diligenter recipiat, ne in fluuium defluat. Quo, inquis, pacto? Nihil per inanem iactantiam agat, nihil quod Deus prohibet, cuiuslibet lucri gratia facit: obedientiæ, quæ sibi iniuncta est, ita studeat, vt res Ecclesiæ contra omnes viriliter iusteqúe tueatur, & protegat, & de alieno per iniustitiam sub dominium Ecclesiæ nil redigere satagat. Si in huiusmodi conuersatur, & viuit, quamuis aliquando pro talibus Missas perdat, nonnunquam loquatur, cùm fratres in claustro tacent, & quædam similia horum faciat, vel dimittat, quæ ipsi nec faciunt, nec dimittunt: obedientiæ virtus, quam exercet, hæc cuncta consumit.

Hugo Folietanus. 1120.

Apud Godfridum Tilmannum in Allegorijs super Genesin fol. 13. Vt peruersis obedias Prælatis monuit, qui etiam malè operantibus obedire iussit: vt sic ingrediaris cum Dauid sub Saule, & eundem honores licet reprobum cum Samuele. Inobedientes ergo, & superbos seipsos esse testantur, qui Prælatis, licet peruersis, non obediunt, & eos non venerantur. Nec bonis tamen obedias in malum, nec peruersis contradicas in bonum.

Bernardus. 1130.

Sermone de tribus Ordinibus Ecclesiæ, ad Patres in Capitulo facto: Quisquis vel apertè, vel occultè satagit, vt quod habet in voluntate, hoc ei spiritualis pater iniungat, ipse se seducit, si fortè sibi quasi de obedientia blandiatur. Neque enim in ea re ipse Prælato, sed magis ei Prælatus obedit.

Sermone ad milites templi cap. 13. Sanè non omninò debeo transire silenter domum obedientiæ, Bethaniam videlicet, castellum Mariæ & Marthæ, in quo Lazarus est resuscitatus, vbi nimirum & vtriusque vitæ figura, & Dei erga peccatores mira clementia, nec non & virtus obedientiæ vnà cum fructibus pœnitentiæ commendatur. Hoc ergo in loco breuiter intimatum sufficiat, quòd quidem nec studium bonæ actionis, nec otium sanctæ contemplationis, nec lachryma pœnitentis extra Bethaniam accepta esse poterunt illi, qui tantam habuit obedientiam, vt vitam quàm ipsam perdere maluerit, factus obediens Patri vsque ad mortem.

Sermone de virtute obedientiæ, & eius gradibus: Inter summè mala, & summè bona, quædam media sunt, ad alterutrum se habentia, & boni maliqúe nomen assumunt. Media sunt ambulare, sedere, loqui, tacere, comedere, ieiunare, vigilare, dormire, & si qua sunt similia: quæ, si pastoris licentia fiant, summam expectant retributionem. In his igitur medijs subditi esse, & obedientes debemus ad nutum Præpositorum, nihil interrogantes propter conscientiam: quia in his nullum præ- 1.Cor.10.

fixit opus Deus, sed Prælatorum dereliquit imperio disponenda. Non autem te moueat magister imperitus, indiscreta potestas, sed memento, quia *non est potestas nisi à Deo: & qui resistit potestati, Dei resistit ordinationi.* Rom.13. Hæc est propria hominis obedientia, quam homini debemus, qui homini subditi sumus. Communis est etiam ista inter Deum & hominem. Quia quicquid obedientiæ Prælatis exhibetur, ei exhibetur, qui dicit: *Qui vos audit, me audit.* Lucæ 10. Cum magna igitur cautela hoc tramite dicimus incedendum. quia multi gradus ibidem delitescunt, quorum qui vnum reliquerit, cæteros sine retributione tenebit. Primus gradus obedientiæ gradus est obtemperare simpliciter. *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.* Prou.10. Multos videmus post præcipientis imperium multas facere quæstiones: cur, quare, quamobrem, sæpius interrogare: crebras ingeminare querelas: quærere, quare hoc præcipit? vnde hoc venit? qui hoc adinuenit consilium? Inde murmuratio, inde verba murmurationem & indignationem sonantia, & redolentia amaritudinem: inde frequens excusatio, simulatio impossibilitatis, aduocatio amicorum. Non sic Abraham. Audi quid Dominus de simplici populo protestetur: Gen. 12. 22. *In auditu,* inquit, *auris obediuit mihi,* Psal.17. vt videlicet ostenderet, vno eodemqúe momento processisse & imperantis imperium, & obsequium obsequentis. Tertius gradus est, hilariter obedire. *Hilarem enim datorem diligit Deus. Non ex tristitia,* (inquit Apostolus,) *aut ex necessitate.* 2.Cor.9. Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus, multum colorant obedientiam obsequentis. Quartus gradus est obsecundare velociter. Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes: totum se colligit, vt imperantis colligat voluntatem. Quintus gradus est adimplere viriliter. *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.* Psal.30. Sextus gradus est, humiliter obedire. Septimus gradus est, indesinenter obtemperare. Non qui incœperit, sed *qui perseuerauerit, saluus erit.* Incipere multorum est, perseuerare paucorum. Perseuerantia singularis est filia summi Regis, virtutum fructus, earumqúe consummatio, totius boni repositorium, virtus sine qua nemo videbit Deum, nec à Deo videbitur. Sola est, quę amatorem obedientiæ ad Regis cubiculum introducit, vt eum videat in decore suo, *in quem desiderant Angeli prospicere.*

Sermone 3. de Circumcisione Domini: Verùm cùm eligit esse in congregatione multorum, nunquid eliget esse magister, qui nondum discipulus fuit, & docere quod didicit nunquam? Eligat abiectus esse in domo Dei sui, & subiectus esse magistro, sub quo frangatur eius voluntas, & obedientiæ fræno concupiscentia reprimatur: sitqúe, quod ait Propheta: *Imposuisti homines super capita nostra.* Psal. 65. Nec dedignandum seruo, quod præcessit in Domino. Siquidem *non est seruus maior Domino suo.* Ille enim cùm iam creuisset ætate, sapientia, & gratia apud Deum & homines: cùm iam duodecim esset annorum, & remansisset in Hierusalem, inuentus à beata Virgine & Ioseph, cuius filius putabatur, in medio Doctorum, audiens illos, & interrogans, Lucæ 2. tamen descendit cum illis, & erat subditus illis. Et tu ergo subditus esto propter illum. Sed iam tibi in ipsa obedientiæ via aliqua fortasis dura, & aspera occurrere possunt, vt accipias interdum præcepta nonnulla, quæ licet salubria sint, minus tamen suauia videantur. Hæc si molestè cœperis sustinere, si dijudicare Prælatum, si murmurare in corde, etiamsi exterius implens quod iubetur, non est hæc virtus patientiæ, sed velamentum malitiæ.

Tractatu de præcepto & dispensatione cap. 12. Siue Deus, siue homo vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum: vbi tamen contraria Deo non præcipit homo. Quod si contigerit, pergendum indubitanter consulo in Petri sententiam: *Quia obedire oportet Deo magis, quàm hominibus,* &c. Quicquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo: haud secus omnino accipiendum est, quàm si præcipiat Deus. Quid enim interest, vtrum per se, an per suos ministros, siue homines, siue Angelos hominibus innotescat suum placitum Deus? Act. 5.

Cap. 13. Imperfecti cordis & infimæ prorsus voluntatis indicium est, statuta seniorum studiosius discutere, hærere ad singula quæ iniunguntur, exigere de quibusque rationem, & malè suspicari de omni præcepto, cuius causa latuerit, nec vnquam libenter obedire, nisi cùm audire contigerit, quod fortè libuerit, aut quod non aliter licere, seu expedire monstrauerit, vel aperta ratio, vel indubitata authoritas: delicata satis, imò nimis molesta est huiusmodi obedientia.

Hugo Victorinus. 1130.

De claustro animæ cap. 13. Inobedientiæ morbus ex superbiæ tumore procedens, sicut sanies ex vulnere, sic ex vlcere contemptus emanat. Morbus inobedientiæ languor est animæ. Qui enim operari non vult & potest, viuit, sed languet; viuit potestate, sed languet voluntate: bestijs terræ præpositus fuit, per inobedientiæ verò culpam suppositus, etiam nunc muscis & culicibus per posteros seruit.

Hugo Præmonstratensis. 1140.

Vita sancti Northberti cap. 28. Dæmoniacus iuuenis cùm vix à multis circumstantibus teneri posset, iuuenis quidam clericus, humilem de vera obedientia, cui totus deditus erat, sumens fiduciam, dixit: præcipiatur mihi per obedientiam, & tenebo eum, non meis, sed obedientiæ manibus & vinculis. Cui cùm præceptum fuisset, & recessissent, ille solus eum tenuit, & vsque ad aquam benedictam adduxit: ponitur in aqua exorcizata, leguntur exorcismi, fiunt adiurationes, leguntur Euangelia, alijs ex fratribus flentibus, alijs in oratione permanentibus, tandem cum fœdissimi fœtoris crepitu exiuit.

Arnulphus Lexouiensis. 1160.

Epistola ad Danielem Priorem S. Barbaræ: Si qua vnquam ratione ab hac vocatione fueras absoluendus, non debuisti apud fratres tuos, nec apud auctoritatem nostram literis excusari, nec propriæ voluntati, cui te renuntiasse cognoscis, morem gerere: sed personam tuam, quæ magis nostra, quàm tua est, pedibus nostris humilis & deuotus offerre, fratrumque tuorum trahi desiderijs, & mandatis Pontificalibus inclinari.

Ad Abbatem sancti Ebrulfi: Nosse siquidem debes, in eo, quo religionem professus est, inobedientiam crimen esse, ipsumque ad exactissimam diligentiam teneri, qui obedientiam Prælato suo viua voce, & scripto iuramento etiam corporaliter interueniente, adhibita salutiferæ crucis impressione signauit.

Helmoldus. 1170.

In Chronico Slauorum libro 3. cap. 9. O Monache, qui vanum seruas nomen religionis, & vias sectaris superstitionis: regulam profiteris, sed quasi conscientia illam discutiendo legis, cùm omnia in contrarium facis. Illa te per obedientiam præcipue docet saluari: tu verò contradictionibus plenus es. Et de obedientia quidem charitatis nihil tibi constat, cùm obedientia voluntatis, aut necessitatis te impellat. Illa in rebus duris & contrarijs sibimet ex charitate obedit, iuxta illud: *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Hęc autem si ad voluntatem aliqua præcepta fuerint, suscipit iubentis imperium: sin autem, minimè obedit, nisi per necessitatis stimulum. Es ergo auditor legis, non factor. In quo ergo habes fiduciam? Legem non seruas, sed quasi de solo habitu & tonsura Iudaizas.

Adam Victorinus. 1180.

In Dialogo de instructione animæ libro 1. Memento te iussis seniorum debere magis per veram obedientiam humiliter obtemperare, non eorum vitam imprudenter condemnare. Nescis quòd præcepta seniorum sunt Dei præcepta? Nescis quoniam loco summi Prælati in stadio præsentis vitæ tibi præsunt? Ignoras, quia qualescunque ipsi sint licet, successores tamen Apostolorum Iesu Christi sunt, quibus dictum est à Domino: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit?* Nescis quia *non est potestas nisi à Deo? Itaque qui resistunt potestati, Dei ordinationi resistunt.* Qui autem resistunt, quod sequitur, auertat omnipotens Deus à te.

Libro 2. Quæcunque tibi seniores tui secundùm Deum vel præceperint, vel prohibuerint, tam obedienter, quàm humiliter & perseueranter accipe, amplectere & venerare, tanquam de cælo ipsius Dei ore præcepta essent, vel prohibita.

Alexander Tertius. 1180.

Parte 17. cap. 5. Priori tam clerici quàm laici, sicut proprio magistro, & animarum rectori, debitam in omnibus obedientiam promittant. Nec alicui inter vos professo liceat ad alium Ordinem, absque Prioris licentia, vllo modo transire, nisi fortè ad religionem migrauerit arctiorem.

Innocentius Tertius. 1200.

Epistolarum Decretalium libro 2. epistola ad omnes tam clericos, quàm laicos Constantinopoli constitutos: Quàm magnum sit bonum obedientiæ, quantumque ab omnibus fidelibus appetendum, ex contrario eius euidenter apparet, cùm teste Propheta: *Peccatum ariolandi sit repugnare, & quasi scelus nolle acquiescere:* sitque in illos grauiter vindicatum, qui schisma in populo facientes, inobedientes extitêre suis superioribus & rebelles. Ad huius virtutis eminentiam nullus attingere poterit subditorum, nisi Prælatis suis iurauerit humiliter obedire.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica 3. Aduentus: A nobis non est inquirendum, quàm diu non sunt manifesta vitia dispensatorum: sed obediendum est eis in his, quæ non sunt contra Deum: *Omnis enim potestas à Deo est. Qui igitur potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Vnde Dominus: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Et in Ecclesiastico: *In tota anima time Deum, & sacerdotes illius sanctifica.* Rom. 13. Luc. 10. Eccles. 7

Dominica in Albis: Cùm tantam potestatem Dominus sacerdotibus contulerit, quicunque *potestati* Prælatorum *resistit, Dei ordinationi resistit.*

Cæsarius Heisterbachius. 1220.

Lib. 8. cap. 19. Manum Monachi dexteram configat obedientia sine murmuratione: sinistram patientia sine simulatione: clauum obedientiæ impellat amor supernæ libertatis: clauus patientiæ timor pœnæ gehennalis. Pedes illius vera humilitas configat, vt non solùm Prælatis, sed & fratribus se propter Christum subijciat, vt dicere possit cum Psalmista: *Humiliatus sum vsquequaque Domine.* Et in alio loco: *Imposuisti homines super capita nostra.* Psal. 118. Psal. 65.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Virtutibus cap. 12. Obedientia debetur superioribus, in quantum superioribus, hoc est, quantum ad magistratum eorum imperare. Quapropter imprimis Deo, deinde ministris ipsius, tam secularibus, quàm Ecclesiasticis debetur, sicut legitur ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus superioribus subdita sit.* Pet. 1. *Regem honorificate: serui subditi estote in omni timore dominis, non tamen domesticis, & modestis: sed etiam discolis.* Quòd obediendum sit ministris propter Deum, ipsa Veritas expressè dicit Matth. 10. *Quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, tolerabilius erit terræ Sodomorum in die iudicij.* Et iterum: *Qui recipit vos, me recipit.* Similiter Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit,* &c. Sunt & aliæ quæstiones ferè innumeræ circa iustitiam, & potissimum circa obedientiam. Vtrum videlicet Monachus, sciens se carne esse lubricum, & alijs passionibus carnis infirmum, sciens sibi bene esse in claustro, in mundo verò præmissis periculis, & alijs exponi, si debeat exire de claustro ad præceptum Abbatis, & recipere Prioratum foris, in medio huiusmodi periculorum multorum. Quibusdam enim videtur, quòd adeò debet confidere de virtute obedientiæ, vt pericula huiusmodi vincat, & euadat: attendens, quia Petrus virtute huiusmodi fretus atque suffultus, super mare pedibus ambulauit, sicut legitur Matth. 14. Et beatus Maurus S. Benedicti discipulus, longo tractu super aquam simili virtute præditus cucurrit. Verùm priuilegia paucorum siue iubentium, siue obedientium non faciunt legem communem: quamquam verum sit, quia Petrus omnipotentis Domini virtute iubentis hæc fecisse merito credendus sit: & Maurus merito tanti Patris iubentis & virtute Dei ab aquis sustentatus sit. Nobis autem videtur, quòd in huiusmodi casu, quem posuimus, si obtinere non potuerit Monachus supplicationis instantia, vt Abbas mandatum huiusmodi reuocet, significare debet illud Episcopo loci, & de ipso similiter, si noluerit adhibere remedium, munire se appellatione: quia procul dubio grauatur manifestè. Nec videtur nobis, quòd Abbas ex potestate, vel officio suo possit huiusmodi pericula præcipere. Potestatem enim illam Deus dedit in ædificationem, & non in destructionem, sicut legitur 2. ad Corinth. vlt. Et iterum ibidem: *Non possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate.* Quòd si quis dixerit, quia illa pericula incerta sunt, quæ dicit se timere Monachus, periculum verò inobedientiæ certum est, & euidens: respondemus, quia non est verum: Non enim est inobedientia vbicunque non sit iussum, sicut nec iniustitia vbicunque non sit iustum. Quemadmodum enim lapis non est iniustus, quamuis non faciat iustum, siue iustè: sic nec ipse Monachus inobediens est. Vbi non habet quis potestatem imperandi, ibi non habet locum inobedientia, si eidem non paretur: & hoc nobis hic videtur, quòd non habet Abbas auctoritatem vel potestatem tam periculosa imperandi. Et si quis diligentius consideret, non videtur Abbas imperare vt Abbas, id est, vt pater & minister salutis, sed magis Monachum exponere periculis, & tradere bestijs vitiorum, & dæmonum deuorandum vt hostis. Tolerabilius autem longè esset Monacho illi sententiam excommunicationis incurrere vsque ad expulsionem Monasterij: ad quam si veniretur, necesse habet tunc vel iussum Abbatis implere, vel ad aliud Monasterium se transferre, nisi per superiorem contra hoc remedium obtineret. Vbi verò dubitat subditus, an id licitum, an illicitum sit, quod iubet Prælatus, determinatum est, quia parere debet iussu prælati. Causa autem in hoc est, quoniam in eiusmodi dubijs ad consilium Prælatorum recurrendum est, & eidem standum. In hoc enim subditis præpositi sunt Prælati, vt in huiusmodi consulant eidem. Si tamen ea fuerit imperitia Prælati, vt meritò in talibus non sit consulendus, ad prudentiorum consilia recurrendum erit.

Thomas Aquinas. 1250.

Secunda secundæ quæstione 186. articulo 5. Status religionis est quædam disciplina vel exercitium tendendi in perfectionem. Quicunque autem instruuntur vel exercitantur, vt perueniant ad aliquem finem oportet quòd directionem alicuius sequantur, secundùm cuius arbitrium instruantur, vel exercitentur, vt perueniant ad aliquem finem, quasi discipuli sub magistros: Et ideo oportet, quòd religiosi in his, quæ pertinent ad religiosam vitam, alicuius instructioni & imperio subdantur. Vnde & 7. quæst. 1. dicitur: Monachorum vita subiectionis habet verbum, & discipulatus. Imperio autem & alterius instructioni subijcitur homo per obedientiam, & ideo obedientia requiritur ad religionis perfectionem. Ad primum ergo dicendum, quòd obedire Prælatis in his, quæ pertinent ad necessitatem virtutis, non est supererogationis, sed omnibus commune: sed obedire in his, quæ pertinent ad exercitium perfectionis, pertinet propriè ad religiosos. Et comparatur ista obedientia ad aliam, sicut vniuersale ad particulare. Illi enim, qui in seculo viuunt, aliquid sibi retinent, & aliquid Deo largiuntur, & secundùm hoc obedientiæ Prælatorum subduntur: illi verò, qui viuunt in religione, totaliter se & sua tribuunt Deo. Vnde obedientia eorum est vniuersalis.

In resolutione ad quartum: Votum obedientiæ ad religionem pertinens, se extendit ad dispositionem totius humanæ vitæ. Et secundùm hoc votum obedientiæ habet quandam vniuersalitatem, licet non se extendat ad omnes particulares actus, quorum quidam ad religionem non pertinent: quia non sunt de rebus pertinentibus ad dilectionem Dei & proximi.

Bonauentura. 1260.

In 4. Diata cap. 2. Obedientia est schola Saluatoris, & nobile genus martyrij, palma triumphalis, & scala paradisi. Obedientia est nauis ad cælum transiens, clauis cælum aperiens. Item est summa in merito, vicina Deo, & proxima cælo.

In lib. 2. Sentent. dist. 44. q. 2. Aliter loquendum est de obedientia exigenda Prælato à subdito religioso secundùm obedientiæ perfectionem, aliter secundùm necessitatis obligationem. Si loquamur de ipsa secundùm perfectionem, sic dicendum est, quod dicit Bernardus: Perfecta obedientia finem nescit, & perfectus obediens non solùm in his, quæ mandat; sed etiam supra omnia, quæ mandat, promptum habet affectum, ad subiacendum præcepto Prælati, desiderans illum imitari, qui humilians seipsum factus est obediens vsque ad mortem. Si autem loquamur de obedientia secundùm necessariam obligationem, sic habet terminum & mensuram iuxta magnitudinem voti emissi. Non enim amplius tenentur obedire suis Prælatis, nisi in his, quæ promiserunt Domino obseruare, & quæ non sunt contraria animæ & regulæ suæ. Vnde si Prælatus aliquid præcipiat, quod sit supra votum, subditus non tenetur ad illud implendum. Et ideo concedendum est, quod religiosi non tenentur Prælatis suis obedire in omnibus, licet sanum sit consilium, quòd in omnibus obediant, quæ non sunt contra Deum.

Vita S. Francisci cap. 6. Cùm quæreretur ab eo quis esset verus obediens iudicandus, corporis

mortui similitudinem pro exemplo posuit. Tolle, inquit, corpus exanime, & vbi placuerit pone: videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quòd si statuatur in cathedram, non alta, sed ima respiciet: si collocetur in purpura, pallescet. Hic verus est obediēs, qui cur moueatur, non diiudicat: vbi locetur, non curat: vt transmutetur, non instat: euectus ad officium, solitam tenet humilitatē: plus honoratus, plus reputat se indignum.

Vmbertus Quintus Generalis Minister Prædicatorum. 1260.

Epistola ad suos fratres de tribus votis cap. 5. Vt obedientia vestra omnipotenti Deo sit acceptabilis, studeat quisque habere promptam sine dilatione, deuotam sine dedignatione, voluntariam sine contradictione, simplicem sine discussione, ordinatam sine deuiatione, iucundam sine turbatione, strenuam sine pusillanimitate, vniuersalem sine exceptione, perseuerantem sine cessatione.

Engelbertus Admontensis. 1300.

De ortu & fine Romani Imperij cap. 17. Omnis status & conditio hominum in præsenti vita exigit subalternationem esse in singulis, & omnibus hominibus secundùm gradum subiectionis, & prælationis, vt subditi & subiecti per Prælatos, tamquam perfectiores, & perfectionem felicitatis huius vitæ perducantur, secundùm illud Apostoli ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, &c.

Durandus à sancto Portiano. 1310.

Lib. 2. dist. 44. quæst. 4. Debitum obedientiæ religiosorum ex voto religionis consurgit. Per solùm enim votum obligat se vltra communem obligationem necessariam omnibus ad salutem. Votum autem religionis non est ad obediendum in omnibus, sed ad obediendum secundùm regulam, & legitima statuta religionis.

Nicolaus Lyranus. 1320.

In caput 23. Matth. Prælatis etiam malis obediendum, nisi in iis, quæ sunt manifestè contra Deum. Et sunt habendi in reuerentia, quamdiu tolerantur in suo officio. Quod patet per exemplum Dauid, qui venerabatur Saulem, licet sciret eum malum, & à Deo reprobatum.

Aluarus Pelagius. 1340.

Libro 2. de planctu Ecclesiæ capite 52. Deuteron. 17. *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, moriatur.* Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Nullam excipit, quamuis perfectam. Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris.* Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit.* Et: *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Ergo quilibet est obligatus ad Canones seruandos, sicut ad præcepta Dei. 1. Pet. 2. *Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem: sed sicut serui Dei.* Gal. 5. *Vos in libertatem vocati estis fratres, tantùm ne libertatem detis in occasionem carnis.*

Ioannes Taulerus. 1350.

Dominica 3. Trinitatis Sermone 1. Felices Monachi si in obedientia perseuerarint. Quodlibet namque etiam vilissimum & minimum opus ex vera peractum obedientia, ratione ipsius obedientiæ multò nobilius, Deoque longè acceptius est, quàm alia omnia, quamlibet etiam magna opera, ex propria voluntate peracta: nec aliquod in hac vita humili & obedienti corde charius digniusque Deo omnipotenti sacrificium offerri potest. Quicunque sub obedientia viuunt, semper alacriter & frequenter obedire, cunctaque alia, siue venias, [illegible] vocant, siue meditationes, siue orationes, [illegible] alia quæcunque, quolibet nomine censeantur, interim postponere missaque facere debent: quo fiet, vt ad humilem sui ipsorum tam in spiritu, quàm natura, abnegationem resignationemque breui pertingant, & purè Deus in ipsis viuat atque nascatur, in eundemque ipsi sine medio ducantur: quibus omnibus frustrantur miserè, quotquot suæ proprietati inhærent, nec promptè obedire discunt. Reuera tam præclara virtus obedientia est, vt præ cunctis alijs virtutibus singulariter semper Deo placeat, & grata sit, quamlibet etiam minima sint opera, quæ ex ipsa peraguntur.

Catharina Senensis. 1370.

Tractatu 6. cap. 159. Ille, qui vult ordinem aliquem sanctum ingredi, debet incedere cum lumine sanctissimæ fidei, cum quo lumine cognoscat, quòd eum oportet occidere propriam voluntatem, gladio videlicet odij cuiuscunque sensitiuæ passionis, in sponsam illam assumendo, quam ei assignabit charitas vera atque sororem suam sponsam, intelligo obedientiam veram atque promptam, cum sorore sua, scilicet placentia, atque nutrice, quæ est humilitas: quia si non haberet iuxta se nutricem istam obedientia, procul dubio fame periret.

Cap. 163. O delectabilis obedientia, ô suauis obedientia placida, ô verè dulcis & illuminatiua obedientia, quoniam amoris proprij tenebras expulisti. Tu virtus obedientiæ viuificas animam, exhibendo sibi vitam gratiæ, qua te in sponsam elegit, & se ipsam voluntate propria priuauit, quæ mortem infert animæ, atque quotidie molestiam.

Stephanus Iuliacus. 1400.

Vita S. Coletæ cap. 7. Fuit etiam obedientiæ virtus eximia in ea. Nam quemadmodum Apostoli Christum vocantem promptè secuti fuêre: ita & illa ad primum sancti Spiritus instinctum lubenti animo se obtulit ad complectendam vitam meliorem, &c. Quid verò post Monasticæ vitæ professionem senserit, ex his, quas subijcimus, eius constitutionibus facilè poterit animaduerti: Sorores meæ, inquit, multum diligenter aduertere debetis, quatenus quandocunque per superiores aliquid mandatum, siue prohibitum fuerit, nullatenus vtamini vestro proprio sensu, seu propria voluntate, nec proprijs consilijs: sed magis promptè ac voluntariè pro amore Domini nostri Iesu Christi debetis obedire, vosque submittere voluntati & determinationi vestræ præsidentis. Nam melius est proprios sensus, & propriam voluntatem, ac propria consilia pro Dei amore relinquere, quam omnes mundi diuitias acquirere, sensu proprio cum sua voluntate retentis. Nec credo aliquam viam fore latiorem, nec quæ facilius ducat in æternam damnationem, quàm sit propria voluntas: nec aliquam ex opposito breuiorem ad vitam sempiternam, quàm sponte renuntiare illi.

Thomas VValdensis. 1414.

Tomo 1. libro 3. art. 2. cap. 25. Semper tutum est vt religiosus vir per sanctæ obedientiæ viam incedat, nec credat propriæ coniecturæ, ne sibi ipsi fit magister incertus. Quod enim iuuenis expertus sum, dico prouectus: tutius humiliter obeditur, quàm magister contemnitur: & quamuis malus, imò vt cum æmulo loquar, quamuis diabolus, vel præscitus, quia ratio fidei fideles certificat, quòd propter virum infidelem non poterit vxor fidelis fidem præstitam violare: & secundùm eundem Apostolum, seruus non potest Domino quamuis infideli & præscito fidem subtrahere seruitutis: & fidei sacramentum, quod Christianus inierit cum pagano, temerare non poterit, secundùm Augustinum epistola ad Publicolam. multò magis fides sanctæ obedientiæ, ob amorem Christi homini præstita, & voto promissa, euacu- 1. Cor. 7. Ephes. 5.

ari non

ari non potest impunè, etiam quamuis discolus sit Prælatus. Quia Samuel non obediuit voci Domini, sed mandato Heli, quamuis reprobi, & à Deo proiecti. Qua fronte ergo abijcitur Prælatus, quem Deus certificè non deiecit? Et hoc dico, cùm regula Apostoli Pauli non sit incerta, quæ dicit: *Obedite Præpositis vestris, & subiacete ipsis.* Heb. 13.

Ioannes Gerson. 1420.

Tractatu de verbis Domini: *Venite ad me omnes,* &c. Oportet vt ipsa obedientia sit constans, sit vera, sit hilaris, sit affectuosa. Constans illorum obedientia non est, qui ad ea, quæ sibi placuerint, tantùm obedire proponunt. Vera illorum obedientia non est, qui pro lucro, vel commodo temporali obediunt. Hilaris illorum obedientia non est, qui cum murmure, vel responsione, nolentes quæ iubentur perficiunt. Affectuosa illorum obedientia non est, qui etsi respondere non audent, rancorem tamen, & maleuolentiam in pectore versant.

Consideratione 1. pro Religiosis, &c. Censeri debet pro regula generali, illud esse melius, illud pulchrius, illud nobilius, illud vtilius, delectabilius, & honestius, quod est obedientiæ proximius: sit illa res, in qua obeditur, vilis, abiecta, turpis, inutilis, laboriosa, vana, stulta, quantumlibet inhonesta, solo peccato excluso, &c.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De ligno vitæ parte de Obedientia cap. 3. Tantæ excellentiæ est virtus obedientiæ, quòd hominem fratrem Christi facit. Dum autem Dominus occupatus esset in officio prædicandi, suggessit ei quidam de matre & fratribus, insidias tendens, vt spirituali operi carnem & sanguinem anteponeret. Cui Dominus: *Ecce mater mea, & fratres mei. Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui est in cælis, ipse meus frater, soror, & mater est.* Quare sic respondit Dominus Iesus? Vtique propter nos, vt conuersos ad Dominum, iam non solicitet cura parentum carnalium, & necessitudines illorum non impediant exercitium spirituale. Quamdiu enim in mundo sumus, debitores nos constat esse parentum. Postquam verò per obedientiam nosmetipsos reliquerimus, nos ab eorum necessitatibus cognoscamus esse solutos. Hæc hominem gratum reddit Deo, & ei acceptissimum præstat obsequium. Legitur enim Ecclesiastici 4. *Multò melior est obedientia, quàm stultorum victimæ.* Marc. 3.

Ioannes de Turre cremata. 1460.

Tractatu 55. *in Regulam D. Benedicti:* Status, in quo sub obedientia viuitur, valde est laudabilis, multiplici ratione. Primò quidem, quia per obedientiam virtuti multum adijcitur. Cùm enim sapiens dicat: Hoc solum virtuti adijcies, quod propriæ voluntati detraxeris, multum virtuti adijcitur, cùm per obedientiam propria voluntas omninò amputatur. Est enim obedientia subiectio, qua homo spontaneè, intuitu Dei, alterius hominis subditur voluntati. Secundò, per obedientiam triumphus nobilissimus acquiritur. Nobilissimum genus triumphi est, vincere seipsum, quod facit obediens. Prouerb. 21. *Vir obediens loquetur victorias.* Tertiò, per obedientiam meritorum abundantia cumulatur. Aliæ enim virtutes multa lucrantur circa vnam materiam: obedientia verò circa omnia, & quasi continuè. Quartò, obedientia hominem de Dei placito certificat. Nisi enim sit malum, quod à superiore præcipitur, sic accipiendum est, ac si à Deo præciperetur. Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit.* Quintò, obedientia hominem à solicitudine sui ipsius exonerat. Alij enim incumbit solicitudo & spiritualiter & temporaliter pro illo, qui in religione est, &c.

Ioannes Trithemius. 1490.

De nouem ascensionis gradibus Sermone 7. Magna est virtus obedientiæ, quæ factum opus bonum duplicat, & meritum augens operanti, quasi arborem Deo cum fructu repræsentat. Non vos permoueant verba hominum obedientiam contemnentium, qui libertatem voluntatis subiectioni Monachorum præferunt, & opus bonum ex libertate factum obedientiæ meritis anteponunt. Nam etsi Monachus ex necessitate professionis suæ obediat, bona tamen voluntas, qua se pro Dei amore obligauit ad obedientiam, hanc necessitatem multipliciter commendat.

ARTICVLVS SEXTVS.

VOTA HONESTA DEO REDDENDA: ERGO EOS, QVI VOVERVNT VITAM MONASTICAM, NON POSSE AD SECVLVM REDIRE.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ 1260. GERHARDVS Sagarellus docuit, *quòd perfectius sit viuere sine voto, quàm cum voto.* Guido de erroribus Pseudo-Apostolorum.

1520. Lutherus de captiuitate Babylonica: *Vnum hoc addo, quod vtinam cunctis queam persuadere, id est, vt vota omnia prorsus tollerentur, aut vitarentur, siue sint religionum, siue peregrinationum, siue quorumcunque operum, maneremusque in libertate religiosissima & operasissima baptismi,* &c. *Quare consulo Magnatibus Ecclesiarum, vt omnia ista vota, seu vitas votariorum tollant, vel non probent, & extollant.*

De Votis Monasticis: *Quod ad ipsam voti rationem attinet, neque præcipit, neque consulit Scriptura, vt quicquam deuoueatur. Non probat autem Deus, nisi quod præcipit, vel consulit. Quare non video, quid accedat pietati per votum,* &c.

De Vita coniugali: *Et aduersum hæc nihil te mouebit, etiamsi decies iuraueris, ventris mera ferrea & ada-*

& adamantina pacta peregeris. Nam vt nihil minus vouere potes, quam vt non sis mas aut fœmina, (& si voueres, stultum esset votum, nec quicquam valeret: non enim potes te alium formare,) tanto minus etiam potes vouere, quod non velis coire, & multiplicare terram.

Ad Episcopos & Diaconos Ecclesiæ VVittenbergensis de voto Religiosorum disputantes: *Votum religionum, aut quodcunque omnino, quædam lex est conscientiam natura captiuans. Itaque vouere virginitatem, cælibatum, religionem, & quodlibet sine fide: Tale votum sacrilegum, impium, idololatricum dæmonibus vouetur.*

1540. Philippus Melanchthon disputatione 16. de iureiurando: *Non valent Monachorum vota, quæ sine peccato non possunt præstari.*

1550. Ioannes Caluinus lib. 4. Institutionum cap. 13. §. 7. *Non obscurum est, quanta superstitione in hac parte laborauit mundus aliquot seculis. Alius se abstemium fore vouebat, alius carnis abstinentia se astringebat ad certos dies, quibus singularem aliquam præ alijs religionem subesse sibi vana opinione finxerat. Quædam etiam longè magis puerilia nunc habentur: etsi non a pueris. Fuit enim hoc pro magna sapientia habitum, votiuas peregrinationes ad sanctiora loca suscipere, ad interdum vel pedibus iter conficere, vel corpore seminudo, quò plus meriti ex lassitudine acquireretur. Hæc & similia, quorum incredibili studio mundus aliquando æstuauit, si rectè examinentur, non tantum inania deprehenduntur, ac nugatoria; sed manifesta impietatis.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 28. *Vers.* 20. Vouit etiam *Iacob* votum, dicens: Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

Numer. 6. 2. Vir, siue mulier, cùm fecerint votum, vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare: à vino, & omni, quod inebriare potest, abstinebunt. Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quicquid de vua exprimitur, non bibent: vuas recentes siccasque non comedent cunctis diebus, quibus ex voto Domino consecrantur.

Numer. 15. 2. Cùm ingressi fueritis Terram habitationis vestræ, quam ego dabo vobis, & feceritis oblationem Domino in holocaustum, aut victimam pacificam vota soluentes, vel sponte offerentes munera, aut in solennitatibus vestris adolentes odorem suauitatis Domino, de bobus, siue de ouibus: offeret, quicunque immolauerit victimam, sacrificium similæ, *&c.* 8 Quando verò de bobus feceris holocaustum aut hostiam, vt impleas votum vel pacificas victimas, dabis per singulos boues similæ tres decimas conspersæ oleo, *&c.*

Numer. 21. 2. At Israel voto se Domino obligans, ait: Si tradideris populum istum in manu mea, delebo vrbes eius. Exaudiuitque Dominus preces Israel, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit subuersis vrbibus eius.

Numer. 30. 3. Si quis virorum votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento: non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit. Mulier si quippe vouerit, & se constrinxerit iuramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari: si cognouerit pater votum, quod pollicita est, & iuramentum, quo obligauit animam suam, & tacuerit, voti rea erit: quicquid pollicita est & iurauit, opere complebit: sin autem statim vt audierit, contradixerit pater, & vota, & iuramenta eius irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eò quòd contradixerit pater. Si maritum habuerit, & vouerit aliquid, & semel de ore eius verbum egrediens animam eius obligauerit iuramento: quo die audierit vir, & non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcunque promiserat: sin autem audiens statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius, verbaque, quibus obstrinxerat animam suam, propitius erit ei Dominus. Vidua & repudiata quicquid vouerint, reddent. Vxor in domo viri cùm se voto constrinxerit, & iuramento, si audierit vir, & tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcunque promiserat: sin autem extemplò contradixerit, non tenebitur promissionis rea: quia maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit. Si vouerit, & iuramento se constrinxerit, vt per ieiunium vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam: in arbitrio viri erit siue faciat, siue non faciat. Quòd si audiens vir tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam: quicquid vouerat atque promiserat, reddet: quia statim vt audiuit, tacuit. Sin autem contradixerit postquam resciuit, portabit ipse iniquitatem eius.

Deut. 12. 6. Offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum, vota atque donaria, primogenita boum & ouium, *&c.* 11. Illuc omnia, quæ præcipio, conferetis, holocausta, & hostias, ac decimas, & primitias manuum vestrarum: & quicquid præcipuum est in muneribus, quæ vouistis Domino.

Deut. 23. 21. Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris

polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labijs tuis, obseruabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es.

Iudic. 11. 29. Factus est ergo super Iephte spiritus Domini, & circuiens Galaad & Manasse, Maspha quoque Galaad, & inde transiens ad filios Ammon, votum vouit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicunque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti cum pace à filijs Ammon, eum holocaustum offeram Domino. 34. Reuertente autem Iephte in Maspha domum suam, occurrit ei vnigenita filia sua cum tympanis & choris, non enim habebat alios liberos. Qua visa scidit vestimenta sua, & ait: Heu me filia mi, decepisti me, & ipsa decepta es. Aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero. Cui illa respondit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcunque pollicitus es, concessa tibi vltione atque victoria de hostibus tuis.

1. *Reg.* 1. 10. Cum esset Anna amaro animo, orauit ad Dominum, flens largiter, & votum vouit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque seruæ tuæ sexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non ascendet super caput eius.

2. *Reg.* 15. 7. Dixit Absalom ad Regem Dauid: Vadam, & reddam vota mea, quæ voui Domino, in Hebron. Vouens enim vouit seruus tuus, cùm esset in Gessur Syriæ, dicens: Si reduxerit me Dominus in Ierusalem, sacrificabo Domino. Dixitque ei Rex Dauid: Vade in pace.

Psalm. 21. 26. Vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Psalm. 49. 14. Immola Deo sacrificium laudis: & redde Altissimo vota tua.

Psalm. 65. 13. Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.

Psalm. 75. 12. Vouete, & reddite Domino Deo vestro: omnes qui in circuitu eius affertis munera.

Ecclesiastis 5. 3. Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio: sed quodcunque voueris, redde: multoque melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere.

Isaiæ 19. 21. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptij Dominum in die illa, & colent eum in hostijs & muneribus: & vota vouebunt Domino, & soluent.

1. *Timoth.* 5. 11. Adolescentiores autem viduas deuita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Primus. 90.

Constitutionum Apostolicarum libro 3. *cap.* 1. Viduas verò constituite non minoris ætatis, quàm annorum sexaginta, vt quodammodo propter ætatem ipsam pro rato, & stabili habeamus, carere eas suspitione nubendi iterum: si verò adolescentiorem in gradu viduali constitueritis, & viduitatem in adolescentia non ferens, nupserit, gloriam gradus vidualis dedecorabit: rationemque Deo reddet, non quidem, quia iterum nupsit, sed quia promissionem suam non seruauit, quæ quasi habenas quasdam Christo dirupit, quia non venit cum fide, & metu Dei ad seruandam promissionem. Quocirca oportet non temere, neque inconsideratè promissionem facere, sed cautè. Melius est enim ei non fecisse votum, quàm fecisse, & non reddere. (1. Tim. 5)

Libro 4. *cap.* 13. Virgines, quæ Virginitatis votum fecerunt, debent exercendo quæ voto digna sunt demonstrare veram esse promissionem suam studio pietatis factam, & non ad vituperandum coniugium.

Iustinus Martyr. 160.

Quæstione 99. Permisit Deus filiam Iephtæ in sacrificio victimam offerri: non quòd humano delectaretur sanguine, verùm vt homines posteri documentum haberent, ne vnquam vota sua Deo infinitè (*ἀορίστως*) nuncuparent. Multa enim absurda sunt per huiuscemodi generale votum cauenda: quæ ne acciderent, prouidens Deus permisit, vt Iephtæ filia victima sacrificij fieret. Quod sanè quidem minimè delectus, aut instituti principaliter fuit, neque Dei, neque Iephtæ ipsius: sed fortuiti quodammodo euentus, qui votum indefinitum est consecutus. Quapropter cùm Iephte pietatis erga Deum suæ obseruationem, filia sita pro hostia mactanda, declarauerit: non immeritò memoria eius in iustorum nomenclaturam est inserta.

Origenes. 230.

Homilia 11. *in Leuiticum:* Segregati dicimus non locis, sed actibus; nec regionibus, sed conuersationibus. Denique & ipse sermo in Græca lingua, quod dicitur *ἅγιος*, quasi extra terram esse significat. Quicunque enim se consecrauerit Deo, meritò extra terram, extra mundum videbitur. Potest enim & ipse dicere: *Super terram ambulantes, conuersationem in cælis habemus.* Salomon quoque in Prouerbijs dicit: *Laqueus est viro fortis, citò aliquid de suis sanctificare.* Postea enim quàm (Pro. 20.)

vouerit, euenit pœnitere. Et hoc est vtique, quod dicit: ne quis fortè cùm fructus ex area, aut vinum ex torcularibus colligit, & dixerit, volo tantum offerre Ecclesiæ, vel in vsum pauperum, aut peregrinorum tantum præbere: si postea ex his, quæ vouet, aliquid ad vsus proprios præsumat, iam non de suis fructibus præsumpsit, sed sancta Dei violauit. Et ideo laqueus fortis est sanctificare aliquid, hoc est vouere Deo, & postmodum pœnitentia ductum ad vsus proprios ea, quæ consecrauerat, reuocare. Sed etsi nosipsos consecramus, & offerimus Deo, aut etiam si alios vouemus, obseruemus hunc laqueum, ne fortè posteaquam nos Deo vouerimus, iterum humanis vsibus, vel actibus subiugemur. Vouet autem se vnusquisque, verbi gratia, sicut Nazaræi faciebant tribus, aut quatuor, aut quot placuisset annis, templa se consecrantes Dei, vt ibi semper vacarent, obseruantes illa, quæ de Nazaræis scripta sunt, vt comam [Num.6.] capitis nutrirent, nec ascenderet ferrum super caput eorum, toto voti sui tempore, vt vinum non contingerent, neque aliquid ex vite, & cætera quæcunque, donec completa fuisset voti professio. Sed & alium quis ita vouet Deo, sicut Anna fecit Samuelem. Ante enim quàm nasceretur obtulit eum, dicens: [1.Reg.1.] *Dabo eum Domino datum omnibus diebus vitæ suæ*. Ex quibus omnibus clarum est, quomodo vnusquisque nostrum, qui vult esse sanctus, consecrari debeat Deo, & nullis præterea negotijs, vel actibus, qui ad Deum minimè pertinent, occupari.

Homilia 24. in Numeros: Cùm venitur ad istum iam profectum, vt lex Dei suscipiatur, & vota Domino offerantur: Vota autem Domino offerre nemo potest, nisi qui habet aliquid in semetipso, & in substantia sua, quod offerat Deo: non sufficit iste exterior homo legem Dei suscipere, nec vota solus offerre: n[illegible] enim potest aliquid dignum Deo habere: sed [illegible] interior est homo, qui ma- [1.Reg.1.] gis habet in se quod offerat Deo, &c. Scio diuersa vota in Scripturis referri. Anna quidem Deo vouit fructum ventris sui, & Samuelem consecra- [Iudic.11] uit in templo. Alius, quodcunque sibi post victoriam redeunti occurrisset, vouit Deo, occurrente filia, vota lachrymanda persoluit. Alij vitulos, aut arietes, aut domos, aut alia huiusmodi ratione carentia, vota offerunt Deo. Ille verò, qui appellatur Nazaræus, semetipsum deuouit Deo. Hoc est enim votum Nazaræi, quod est super omne votum. Nam filium offerre, vel filiam, aut pecus, aut prędium, hoc totum extra nos est: semetipsum Deo offerre, & non alieno labore, sed proprio placere, hoc est perfectius & eminentius omnibus votis, quod qui facit, imitator est Christi, &c. Qui in castitate viuit, corpus suum vouit Deo, secun- [1.Cor.7.] dùm eum, qui dixit: *Virgo autem cogitat quomodo sit sancta corpore & spiritu.* Nam & hoc ipsum, quod dixit sancta, ad hoc respicit: Sancti enim dicuntur illi, qui se vouerunt Deo. Vnde & aries (verbi causa) si vouetur Deo, sanctus appellatur, quem tonderi ad communes vsus non licet. Sed & vitulus, si deuotus fuerit Deo, sanctus nihilominus appellatur, nec licet eum iungi in opus commune. Ex ijs ergo colligamus, quid est hominem vouere Deo. Si te voueris Deo, imitandus tibi est vitulus, quem non licet humanis operibus deseruire, nihil facere, quod ad homines & ad præsentem pertineat vitam. Sed quicquid ad animam pertinet, & ad diuini cultus obseruantiam, hoc & agendum & cogitandum tibi est. Sed interim præsens lectio continet diuersitates quasdam votorum. Etenim si vir fuerit, qui vouit, liber esse dicitur in votis suis, nullique subiectus. Mulier autem si voueat, siquidem in domo patris sui sit, votum eius in patris pendet arbitrio: & siquidem ille recusauerit, liberabitur: si verò non recusauerit, & ipse, & filia tenentur obnoxij. Quòd si posteaquam non recusauerit pater, non reddiderit votum filia, peccatum ipsi manet.

Gregorius Neocæsariensis. 260.

Metaphrasi in caput 5. Ecclesiastis: Pollicitatio voto facta finem per opus accipiat. Est hoc stultorum proprium, vt reiectitij sint. At tu promissi veritatem præsta, sciens longè tibi satius esse, non vouere, nec facturum aliquid polliceri, quàm post conceptum votum id relinquere.

Eusebius Cæsariensis. 320.

De Preparatione Euangelica lib. 13. cap. 7. Hæc nos quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites, vt Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus, tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum iuuari profitemur.

Athanasius. 340.

In Passionem & Crucem Domini: Scire debemus, & nequaquam ignorare, quòd quæcunque promittimus Deo, non ea deinde nostra esse, sed Dei. Et si inde quid defraudamus, ea non nos sumere iam tamquam nostra, sed vt Dei sacrilegio compilare. Neque ista promissio solùm ad pecunias pertinet, sed etiam ad verba professionemque pertingit. Certè diuinum reuera & magnum mysterium nostrum, non in pecunijs habet promissionem suam, sed in professione perfecta, & in fide erga Deum: omnes certè promittimus, & omnes sumus promissionis debitores, adeò vt necessum sit præstare, virginem quidem virginitatem qualem promisit, continentem continentiam, maritatos pudicitiam, & mutuam inter se dilectionem & reuerentiam.

In vita sancti Antonij: Ideo precor, vt ad finem propositi omni labore tendamus. Nemo post tergum respiciens, Lothi imitetur vxorem, præsertim cùm Dominus dixerit, nullum ponentem manum super aratrum, & respicientem retrorsum, dignum esse regno cælorum. Respicere autem retrorsum, nihil aliud est, quàm in eo pœnitere quod cœperis, & mundanis rursus desiderijs obligari.

Ephrem. 370.

Adhortatione 1. Quemadmodum si quis votum vouens Deo munus Domino obtulerit, quod sacerdos acceptum, in templo seponit, sicque postea pœnituerit eum, qui munus obtulit, non amplius in sua potestate iam est auferre donum, postquam Domino illud obtulit, adeò vt si occultè hoc suffurari molitus fuerit, non iam quasi suum auferre velit, à culpa absoluetur, sed velut sacrilegus punietur: sic quoque, qui Deo suas animas consecrarunt, corporis sui potestatem amplius non habent. Beati, qui hæc seruant, & iustitiam æstimant: Gaudentes enim & collaudantes Deum, in regnum cælorum introibunt.

Basilius Magnus. 370.

Epist. 1. ad Monachum lapsum: Vide ne fortè, dum vis quæ quibusdam pactus es custodire, transgrediaris pacta à te inita cum Deo, quæ professus es coram multis testibus.

Quæstione vel regula 14. fusius explicata: Cæterùm horum vnusquisque si postea, quàm intra reliquorum fratrum societatem ascriptus fuerit, factam iam ab se professionem resciderit, is perinde aspici debet, vt qui in Deum peccauerit, quem videlicet professionis suæ testem adhibuerit, cuique solenni se voto obligarit; *Si verò in Deum quis peccauerit*, inquit, *quis orabit pro eo?* Etenim qui seipsum semel Deo deuouit, hic si ad aliud deinde vitæ ge-

nus transfuerit, sacrilegij se scelere obstrinxit, quippe qui seipsum Deo, cui se consecrauerat, veluti subterfuratus sit. Porrò huiuscemodi hominibus rationi quidem consentaneum fuerit, vt nullo modo aperiantur fratrum ianuæ, ne si prætereuntes quidem ea re modo vt tecto recipiantur, ad ipsos diuerterint.

Sermone 1. de Institutionibus Monachorum: Danda omninò nobis sedulò opera est, ne quid quoquo pacto professione nostra indignum faciamus, neue simili atque Ananias iudicio efficiamur obnoxij. Act. 5. Licebat enim initio Ananiæ possessiunculam suam Deo non polliceri, ac vouere; sed postquam humanæ gloriæ cupiditate inductus, quicquid in bonis habebat per professionem Deo consecrauit, quo videlicet egregio istiusmodi facto hominum de se admirationem excitaret, de pretio autem callidè postea nescio quid interuertit, eiusmodi aduersum se indignationem Dei prouocauit, cuius Petrus minister fuit, vt ne ad pœnitentiam aditum inuenire potuerit. Quocirca ante religiosæ istius vitæ professionem liberum est vnicuique, quatenus per Dei indulgentiam leges permittunt, communem cum cæteris viuendi morem sequi, sibiquе vxorem adiungere: vbi verò iam quis sponte sua ipse professus est, hic Deo custodire seipsum debet, veluti eorum aliquid, quæ dicata sunt Deo, ne sacrilegij crimen incurrat, cùm videlicet corpus, quod semel Deo consecrauit, ministerio rursum communis vitæ contaminet.

In Psalm. 49. *Laus* hîc pro glorificatione ponitur: *vota* verò promissiones dicit, & rectè, *Redde.* Transit enim res ista post promissionem in debitum.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Tetrasticho 8.

Nil pollicere, sit licet paruum, Deo:
Nam munus ante iam Dei est, quàm sumpserit.
Fur es tuorum (ô debiti genus nouum!)
Nisi des: docent hoc Saphyra, & vir perfidus.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione 1. de Oratione Domini: Cùm oratis, inquit: non dixit, ὅταν εὔχεσθε, id est, cùm votum facitis: sed, ὅταν προσεύχεσθε, id est, *cùm oratis,* quasi id, quod ad votum pertinet, officium iam ante præstitum esse conueniat, priusquam per orationem Deus adeatur. Sed quænam est horum nominum, quod ad significationem attinet, differentia? εὐχὴ, id est, votum, quidem promissio est alicuius rei, quæ pietatis nomine dedicetur, & sacris destinetur: προσευχὴ autem, id est, oratio, est pretio bonorum, quæ Deo cum supplicatione offertur. Quoniam igitur fiducia nobis, vt liberè loquamur, opus est, cùm supplicaturi pro commodis nostris ad Deum accedimus, necessariò, quod ad votum pertinet, officium præcedet, vt eo, quod à nobis præstari decebat, officio functi, ita deinceps confidenter inuicem à Deo beneficium petamus. Quamobrem Propheta: *Vota* Psal. 65. *mea,* inquit, *persoluam tibi, quæ labia mea nuncupauerunt.* Psal. 46 Et: *Vota facite, ac persoluite Domino Deo vestro.* Ac multis Scripturæ in locis eiusmodi τὰς εὐχὰς, id est, voti significationem videre licet, vt cognoscamus, quòd votum quidem sit doni pro gratiarum actione offerendi facta promissio: προσευχὴ verò, id est, oratio, cùm, qui post promissi impletionem ad Deum fit, aditum significat. Docet igitur nos verbum Sermo, ne prius aliquid petamus à Deo, quàm aliquid ei munus gratum & acceptum obtulerimus. Vouere enim prius oportet, deinde orare: perinde ac si quis dicat, sementem prius fieri, quàm fructus percipi oportere. Ergo voti semina prius deijcere, atque ita ex deiectis seminibus adultas iam atque maturas fruges percipere oportet per orationem, remunerationem accipiendo. Proinde quasi colloquium cum fiducia fieri non possit, nisi per præcedens aliquod votum & donum aditus factus sit, necessariò votum orationem præcedet.

Oratione in diem Natalis Domini nostri IESV *Christi:* Habebatur matribus ex lege honor quidam, quo carebant fœminæ, quæ liberos nullos susceperant. Quapropter & hæc (*Anna mater Deiparæ*) imitata id, quod de matre Samuelis 1 Reg. 1. scriptum est, ad sanctum sanctorum accedit, & supplex Deum orat, ne se legis benedictione sinat excidere, cùm nihil vnquam admiserit contra legem. Quòd si mater euaserit, se, quodcunque pepererit, ei dedicaturam. Quamobrem cùm voti compos effecta filiam suscepisset, eam vocauit Mariam, vt ipso etiam nomine testaretur, acceptum munus à Deo. Illam igitur, cùm iam grandiuscula esset, nec vbere matris amplius indigeret, ducens ad templum, Deo reddidit, & studiosè promissum exoluit.

Ioannes Chrysostomus. 400.

In Psalm. 49. *Redde Altissimo vota tua.*) Hic dicit supplicationes, suadens, vt in oratione assiduè perseueremus, & quæ professi fuerimus, cum celeritate reddamus. Pulchrè autem dixit: *Redde.* Post promissionem enim efficitur debitum. Ita etiam Anna reddidit filium, vt debitum maximum. Tu ergo siue promittas eleemosynam, siue vitam pudicam, siue aliquid aliud tale, ad id exoluendum festina. Si quis autem exactè perpenderit, etsi minimè promittatur, virtus tamen ei debetur. Id autem Christus significans dicebat: *Quæ enim debuimus facere, fecimus.* Luc. 17. Atqui dixit parabolam serui, cui erat minimum imperatum, nempe vt non accumberet, sed transiret, ac ministraret. Porrò autem quidam alius quoque dicit: *Ne tardaueris reddere votum tuum.* Eccle. 5. Pollicitus es? redde, ne fortè mors te inuadat, & id rescindat.

In Psalm. 115. *Vota mea Domino reddam.* Vota hîc dicit promissa & pollicitationes. In his enim ærumnis ad Deum confugiebat, & se debitorem ei constituebat, pollicens, si ea mala effugeret, se exoluturum esse sacrificium. Quoniam ergo, inquit, cessauit calamitas, *vota mea reddam Domino coram omni populo.*

In Psalm. 142. Est quidem προσευχὴ & precatio, quæ fit per verba, & est etiam promissum, seu votum. Quocirca suadet etiam quidem Sapiens, dicens: *Ne iteraueris verbum in oratione tua.* Eccle. 7. Non autem hortatur, & suadet, vt non eadem bis dicamus, cùm Deum rogamus, & precamur: absit: (iubemur enim perseuerare in orationibus), Luc. 11. sed ne differamus, quando Deo aliquid fuerimus polliciti, & id soluere properemus. Et ideo dicit alibi: *Ne differas reddere votum.* Eccle. 5. Futurum enim est incertum: vel enim morbus, vel quæ præter opinionem accidunt negotia prohibuerint. Quòd si etiam mors interueniens te interruperit, non dabitur tibi venia.

Palladius. 420.

Historiæ Lausiacæ cap. 113. de Pinterono: Is pedestri itinere venit Romam vsque ad orandum in martyrio Sanctorum Petri & Pauli. Peruenit autem etiam vsque ad Alexandriam, cùm venisset in martyrium venerandi athlethæ Marci. Dignus autem sum, inquit, habitus, qui voti gratia bis proprijs pedibus venirem Hierosolyma, ad honoranda loca sancta.

Cap. 118. de Ruffino: Viginti & septem annis excipiebat eos, qui veniebant Hierosolyma voti cau-

sa, & Episcopos, & Monachos, & virgines, & omnes, qui aduentabant, suis fouebat expensis.

Nilus Abbas. 420.

De interemptione Patrum Sina: Ego autem in tempore illius afflictionis os meum ad Dominum aperui, & continentiæ, & alterius malorum perpessionis professus sum austeram seruitutem, si te viuum solummodò reciperem, & audiui vocem dicentem: Stabiliet Dominus, stabiliet verbum, quod egressum est ex ore tuo. Non oportet autem, ô fili, transgredi professionem, nec eum fallere, qui diuino responso confirmauit promissum. Cùm sic bonum finem votum acceperit, ego quoque, ô pater, inquit puer, tecum prompto & alacri animo laborem suscipiam, & promissi ero socius, quandoquidem sui gratiæ quoque particeps, & beneficij maximum percepi fructum. Nam tu quidem luctum, ego autem mortis euasi periculum: cùm etiam vniuersum à Deo in tuam gratiam factum sit. Si enim Iephtæ, qui pro consequenda in bello victoria votum fecit, inseruijt filia, sui cæde & sacrificio, dans seipsam futuram hostiam propter conseruandam patris existimationem: quisnam ego fuerim, si non velox & præcurrens sim debiti paterni exolutor? Itaque cùm sim Deo redditurus debitum, qui scit exolutionem rursus secunda rependere gratia: & quod redditur debitum, non accipit tanquam debitum: sed hoc accipit loco fœnoris, & se confitetur debere exolutionem in remunerationem grati animi debitoris. Quamobrem cùm me in exoluendo promptum socium habeas pater, incipe reddere. Omnino autem Deus, qui nostras nouit vires, conuenienter eis exiget debitum, nec maiores postulabit labores, quàm possit robur præstare, naturæ sciens imbecillitatem. Ego autem his quoque verbis sum precatus: Os, ô fili, detur exire ad opus, & in rebus conspici: vt & promissum suum finem accipiat, sitque votum efficax, & merces consequatur labores.

Iudic. 11.

Ioannes Cassianus. 430.

Lib. 4. de institutis renuntiantium cap. 36. Caue ne quando superbiam, quam nunc incipiens ardore fidei, ac plena humilitate calcasti, cùm cœperis Psalmorum vel professionis huius quandam notitiam degustare, paulatim elatus resuscitare mediteris, ac secundùm Apostoli sententiam, quam destruxisti, iterum reædificans, præuaricatorem constituas temetipsum: sed potius, vt in hac nuditate, quam coram Deo & Angelis eius professus es, ad finem vsque perdures.

Isidorus Pelusiota. 440.

Libro 1. epist. 461. Si pastorum cum Christo initorum obliuione captus es, submonendi tui causa hæc scripsi: si autem, vt homo, mutatus es, fac quamprimùm resipiscas. Etenim Deo munus minimè promisisse periculo vacat: at cùm aliquid voueris, id minimè præstare, condemnatione dignum est.

Socrates. 440.

Lib. 7. cap. 46. Theodosius Imperator Eudoxiam coniugem Hierosolymam misit. Quippe pollicitus erat, illam hoc votum persoluturam, si filiam in matrimonio collocatam cerneret.

Theodoretus. 450.

Quæstionum in lib. Numer, quæst. 11. Quid est hoc: *Quicunque summum vouerit votum*, nempe consecrare sanctimoniam Domino? Votorum species erant permultæ. Quidam enim victimam pollicebantur: quidam pecunias: alij seipsos deuouebant: alij certorum dierum numero se vinum non bibituros, nec caput rasuros. Huius generis erant, de quibus Diuus Iacobus diuino Paulo dicebat: *Sunt quidam votum habentes in seipsis, hos assume, & sanctificare cum eis, & impende in illos*, hoc est, præbe tu victimas, quæ secundùm legem offerri solent pro illis, vt tollas suspitionem. De istis hîc lex statuit: & iubet eos, qui talem promissionem emiserint, etiam ab aceto, vua, & acinis abstinere cunctis diebus voti sui (votum autem appellat promissionem) & non radere caput, donec compleantur dies, quas vouerit Domino: sanctumque vocat nutrientem comam, tanquam qui consecrarit illam Deo.

Act. 21.

In Psalm. 65. *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Quod, inquit, promisi cùm mœrebam, cumque obsecrabam, beneuolè persoluam.

In Psalm 75. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro.*) Inuicem iubentur, vt promittant dona, & promissiones perficiant. Turpe enim & ingrati animi crimen est, vt finitimi ob timorem hoc faciant, & hi, qui beneficium consecuti sunt, vt ingrati animi morbo laborent. Hoc namque per ea, quæ sequuntur, ostendit: *Omnes, qui in circuitu eius, afferetis munera.*

Olympiodorus Monachus. 500.

Ad caput 5. Ecclesiastis: Votum est, cùm quid Deo pollicemur nos reddituros. Vouemus autem Deo, & pollicemur, non pecunias modò, sed abstinentiam victus, & castitatem, & quæ sunt generis eiusdem. Quia ergo stultis persæpe pollicitorum pœnitentia subit ac dolor, nolentes vota persoluere: hortatur, vt citò ac velociter quæ promisimus Deo reddamus. Melius est te non vouere, quàm post votum promissa non reddere. Malum est procuIdubio ac detestabile, si nihil vnquam velis Deo tribuere: multo tamen est peius, si pollicearis te Deo quid daturum, neque persoluas. Duobus igitur propositis malis, bonum dixit, quod minus est malum. Alio quoque sensu intellige: Caue, ne quid temere promittas in conspectu Dei: quia simul ac reus voti factus fueris, multitudo te circumueniet tentationum, quæ persoluere promissionem impediat, ita vt ne dormiens quidem sine molestia sis futurus. Vt exempli gratia: pecunias auarus quispiam vouit Deo se redditurum, mox autem non interdiu solùm torquetur, & auocatur, rationibus hinc inde subductis, egestatem sibi ac pauperiem ante oculos ponens, sed (vt par est) dormiens quoque eisdem imaginibus conturbatur, ne vota Deo persoluat. Quanto autem supplicio torquendi sint, qui contemnunt vota complere, docent nos in Actibus Apostolorum Ananias & Saphira, repentina morte sublati. Act. 5.

Procopius Gazæus. 530.

In Leuiticum ad finem: Salomon periculosum & graue esse docet, si quis vouerit votum, & deinde id reddere vel noluerit, vel non persoluendi votum consilium inierit. Hanc impietatem vitauit Iephte, cùm diceret nullo modo fieri posse, vt filia liberetur, vel soluatur dura voti necessitate. Non restitit patris sententiæ pia filia, quæ typus fuit casti & puri Christi, qui seipsum permisit voluntati Patris, vt pro nobis atrocissimam obiret mortem. Cæterùm crudelis illa voti persolutio, semel celebrata, postmodum vetita est, vt declararet Christum semel pro mundi peccato diros cruciatus perpessum. Exemplum verò Iephtæ in literarum monumenta relatum est, vt simus cauti, ne quid temere voueamus Domino: aut si quid vouerimus, id bona fide persoluamus. Nam promissiones, quas Deo fecerimus, illibatas conseruari oportet, etiamsi hominis vitam concernant. Proinde Iephtæ exemplum proposuit, qui in re maxima Domino seruauit fidem, vt nos similiter agamus, eiusque iustitiam imitemur. Iephte promissis stetit, ne deprehenderetur transgredi legem.

legem. Quamuis votum illud reddiderit, non tamen id fecit secundum scientiam. Animus enim integer & incorruptus magis in hoc facto considerandus est. Vt vniuersalem quandam proferamus expositionem de his rebus, quæ consecratæ fuerint Deo, sic audi: Quædam consecrabantur Domino, & nominabantur sancta: licebat sacerdoti hæc vel retinere, vel alienare. Quædam dedicabantur Domino, & appellabantur Anathemata: hæc nunquam ad humanos & profanos vsus reuocari poterant, perpetuò consecrata, & diuinis vsibus destinata seruabantur.

In Numeros fol. 427. *Non irritum faciet verbum suum.*) Si enim homini mentiri graue est, quanto magis Deo? Quod verò de sua cuiusque anima dicit, hoc est, si ciborum abstinentiam vouerit, aut tonsionem, aut ouem, aut vitulum offerat. Vbi Malachias optima quæque adducere præcipit: *Maledictus,* dicens, *qui in grege suo masculum habet, & votum nuncupans immolat debilem Domino.* Ipsa sanè Iephte filia mortem subire maluit potius, quàm vt patris votum vanum mendaxque fieret, quamuis ignoraret, se typum salutaris victimæ, per ipsam figuratam consummare. Quapropter sanè à reprehensione immune hoc factum erat, nec aliquod exemplum habet, eò quòd lex non sit, quod semel signi gratia est concessum, præsertim verò cùm Deus hominum victimas abrogârit.

Euagrius. 590.

Ecclesiast. hist. lib. 6. cap. 20. Septimo Idus Ianuarij postulauimus opem à S. Sergio, votumque fecimus, si Cabellarij nostri Zadespram vel interficerent, vel captiuum secum ducerent, nos auream crucem lapillis distinctam ad eius templum missuros, qua venerandum eius nomen illustraretur: atque ad quintum Idus Februarij caput Zadespram ad nos perlatum fuit. Itaque postulationis nostræ facti compotes, quò res gesta nemini dubia esset, ad venerandum S. Sergij nomen illustrandum, hanc crucem à nobis fabricatam ad templum eius misimus.

Georgius Presbyter. 600.

In vita Gregorij Nazianzeni: Mater autem & ipsa sacra, & à progenitoribus sacris originem traxit, atque vt aliorum bonorum, ita pietatis quoque matrimonium hæreditate accepit. Quæ cùm masculæ prolis cupiditate flagraret, supplex Deum huiusmodi beneficiorum auctorem precata est, vt se desiderij compotem faceret, eique ante conceptionem (ô fidem incredibilem! ô prædicandum animi feruorem!) se nasciturum filium oblaturam pollicetur, quemadmodum Anna Samuelem. Quid igitur ille, qui *voluntatem timentium se*
1. Reg. 1. *facit?* per nocturnum visum ei filium nondum
Psal. 144 procreatum ostendit, puerique vultum & nomen indicat. Hæc verò ipsum, haud ita multo post, quàm in lucem editus fuerat, Deo consecrauit, maternos partus dolores fidei alacritate, & mulierum socordiam largiendi liberalitate superans, &c. Cùm ætate adoleuisset, atque Parthenium mare turbulento tempore atque ad nauigandum incommodo nauigaret, orta tempestate, omnibus mortem corporis deflentibus, ipse animæ exitium atque internecionem extimescebat: & miracula Dei in memoriam reuocans, se facturum recipit, vt si maris periculo liberaretur, atque expetito baptismo frueretur, ei, à quo salutem accepisset, seipsum consecraret: precibus ipsum flectit, quippe benignum & facilem, precesque nostras naturæ suæ suauitate peruertentem. Ita tempestas statim conquieuit, &c. Ac primùm diuino baptismate tingitur, vi & facultate iam ante collustratus, legemque sibi indicit nunquam iurandi, quamdiu in hac vita versaretur: quam etiam ad extremum vsque diem seruauit.

Ioannes Moschus. 620.

In Prato spirituali cap. 20. Cùm bellum in Africa gererent cum Mauritanis Romani, & plurimi illorum passim cæderentur, militem quendam vnus ex barbaris nactus, hastam, vt illum feriret, vibrare cœpit. Quod ille cùm cerneret, orare Deum cœpit, ac dicere: Domine Deus, qui apparuisti ancillæ tuæ Theclæ, & eripuisti eam de iniquorum manibus, libera & me de hac necessitate, & salua ex hac acerba morte, mox ibo in eremum, & agam vitam solitariam. Conuersus autem neminem ex barbaris vidit. Itaque continuò venit ad hanc Lauram Cupatha. Manseratque iam in spelunca, Dei se protegente gratia, annos triginta quinque.

Ioannes Damascenus. 730.

Libro 3. Parallelorum cap. 95. De pollicitationibus, & quòd eas explere oporteat, Numer. 30. *Omne bonum, quod ex ore vestro egressum fuerit, facietis illud: Si quis virorum votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum votum suum: sed omne, quod promisit, implebit, &c.*

Ioannes Hierosolymitanus. 780.

De institutione Monachorum cap. 35. Vnde cùm cœtus professorum huius religionis audisset, in Hierusalem iuuenculam illam Mariam vouisse Deo virginalem continentiam; confestim perpendit, quòd aduentus Filij Dei propè, & in ianuis erat.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 6. *Matthæi:* Aliud est votum: aliud oratio. Votum est promissio coram Deo: vt quando promittit quis se abstinere à vino, vel alia quadam re. Oratio autem petitio bonorum.

Ad cap. 8. Si illi neque patrem sepeliri licuit, væ his, qui Monasticen professi, ad mundana regrediuntur negotia.

Ad cap. 1. Nahum: *Redde vota tua*, hoc est, promissiones, quas promisisti, reple, sacra faciens, aliaque legitima persequens. Promiserant enim, cùm in captiuitate essent, sese multam Deo reddituros gratiam, multaque dona gratitudinis symbola, si in patriam reuerterentur, perinde ac in Psalmo 65. & 66. inueniemus.

Suidas. 950.

In voce εὐχὴ: εὐχαὶ, id est, vota sunt promissiones: *Vota mea Domino reddam.* Psalm. 115. Votum enim promissio Deo, eorum, quæ iuxta religionem dedicantur: προσευχὴ verò votum, id est, precatio, quæ cum supplicatione Deo offertur.

Simeon Metaphrastes. 970.

In vita Iuliani Martyris: Adolescens autem ille honestissimus septem dierum spatio, quod à parentibus impetrauerat, diurna & nocturna tempora in precibus transigebat, à Deo petens, ne pateretur Virginitatem, quam illi seruandam promiserat, quauis causa violari.

Euthymius. 1080.

In Psalm. 49. *Redde Altissimo vota tua*, id est, orationes & preces pro salute tua. Debes enim id facere vel per vota, promissiones intellige, quas feceras Deo. Ita enim se facturos Deo pollicebantur Iudæi, & nos etiam pollicemur tanquam serui.

In Psalm. 55. *In me sunt Deus vota.*) In mea, inquit, memoria illæ laudationis tuæ promissiones sunt, quas me redditurum affirmo. Pollicitus enim fuerat beatus Dauid, se Deum benefactorem suum laudaturum esse.

Nicetas. 1200.

In octauum Nazianzeni Tetrastichon: Nil te Deo daturum pollicere, ne parua quidem & interitui obnoxia, cuiusmodi sunt omnia terrena. Hæc

enim omnia, quæ nobis habere videmur, priusquam aut ab eo acceperimus, aut ille à nobis, sine vlla controuersia ipsius sunt, vtpote rerum omnium parentis & opificis, cuiusque munere ac beneficio omnia nobis suppetunt. Quid igitur est quamobrem Deo ea, quæ ab eo condita sunt, te daturum profiteris? quodque sceleratius est, ne vota quidem tua præstas; contemnens videlicet illud Ecclesiastis: *Melius est non vouere, quàm quod voueris non reddere.* Quid igitur facis, cùm voto eo, quo te obstrinxisti, defungi non curas? Nempe aut tua ipsemet furaris: siquidem hoc demus, tua ea esse; aut quæ Dei sunt, nefariè ac sacrilegè surripis, Ananiæ ac Saphiræ instar pecuniam auertens, Deoque, non hominibus mentiens.

Nicephorus Callistus. 1290.

Lib. 11. cap. 37. Pior admodum adolescens monasticam Philosophiam complexus, cùm paternam relinqueret domum, votum Deo nuncupauit, nunquam se propinquorum suorum cuiquam in conspectum venturum esse. Postquam verò quinquagesimo anno post soror eius viuere illum accepit, continere seipsam non potuit: atque indicio, quod ei præter opinionem omnem acciderat, in immensam sublata lætitiam, summoperè vt eum videret expetiuit. Quapropter loci eius Episcopum flens atque vociferans rogauit, vt in Scetim literas daret, quibus efficeret, vt frater ad eam mitteretur. Ille fœminæ senectutem miseratus, Monachorum Antistitibus, vt Pior veniret, scripsit. Is, vt hoc faceret, iussus, in patriam venit, fratre alio secum ducto. Atque vbi pro foribus paternarum ædium fuit, præsentiam suam sorori insinuauit. Et cùm strepitum pedum eius sentiret, & ianua aperta strideret, oculis conniuens, de nomine sororem compellans: Ego, inquit, Pior sum frater tuus, conspectu meo, sicuti tibi visum est, fruere. Atque illa quidem fratrem satis intuita, Deo, qui desiderium eius impleuisset, gratias egit: ipse autem ad fores precatione habita, rursum discessit, & in regionem solitam reuertit.

Lib. 14. cap. 2. Pulcheria virginitatem se per omnem vitam Deo conseruaturam esse Deo vouit: deinde vt idem facerent sorores, eis quoque persuasit.

Georgius Trapezuntius. 1460.

In Martyrio Andreæ de Chio cap. 3. Verùm dum hęc Constantinopoli fierent, Andreas febribus grauiter laborabat, cælibemque se perpetuò fore Reginæ misericordiæ Virgini vouit, si euaderet. Sedatis ilicò febribus, paulò post quasi ex morte surrexit, & albis se vestimentis induit, vt scilicet nunquam obliuisci posset munditiem corporis, quam Creatoris obtulit Matri.

Cap. 12. Ego cùm inde decimo octauo Martyrij die soluissem, statim primo die, imò in ipsa soluendi hora, non in paruum incidi periculum, cùm nimbis contra flantibus, inque saxa nauem depellentibus, implorani subitò Martyris auxilium, promisique, si ad meos Romam incolumis deuenirem, martyrium eius summatìm Latina lingua me conscripturum. Euasi maris & latronum pericula, quodque miraculo est, senex ægrotusque hinc recessi, iunior, sanusque, ac multo robustior remeaui, &c. Promissionis autem meæ nunquam mihi venit in mentem, nisi post duos annos, dum Georgij Martyris memoria celebratur. Nam cùm ea die recolerem Georgij dolores, quos ille pro Christo Domino nostro subijcit, ilicò pupugit animum promissionis memoria. Itaque statim eo ipso die calamum accepi, & promissionis debitum iam solui.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Libro de Ieiunijs cap. 11. Sed & illud in medio est, quædam ex his officijs à Deo homini imperata legem constituisse, quædam ab homine Deo oblata votum expunxisse: tamen & votum, cùm à Deo acceptatum est, legem in posterum facit per auctoritatem acceptatoris: exinde enim faciendum mandauit, qui factum comprobauit.

Lib. de cultu fœminarum cap. 9. Non enim & ita multi faciunt, & se spadonatui assignant, propter
Matt. 19. regnum Dei tam fortem, & vtique permissam voluptatem sponte ponentes? Quidam ipsam Dei creaturam sibi interdicunt, abstinentes vino, & animalibus exulantes, quorum fructus nulli periculo aut sollicitudini adiacent, sed humilitatem animæ suæ in victus quoque castigatione Deo immolant.

Libro de velandis virginibus cap. 11. De cęteris verò, id est, quæ desponsatæ non sunt, viderit parentum procrastinatio ex angustijs vel scrupulositate descendens, viderit & ipsum continentiæ votum.

Cap. 13. Quòd si vnius Victoriati, vel quamcumque eleemosynæ operationem, sinistra conscia facere prohibemur, quantum tenebrarum circumfundere debemus, cùm tantam oblationem Deo offerimus, ipsius corporis & ipsius spiritus nostri, cùm illam ipsam naturam consecramus.

Vrbanus. 224.

Epist. 1. cap. 2. Ipsæ verò res in ditione singularum Parochiarum Episcoporum, qui locum tenent Apostolorum, erant, & sunt vsque adhuc, & futuris semper debent esse temporibus. E quibus Episcopi, & fideles dispensatores eorum, omnibus communem vitam degere volentibus ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, vt nemo in ijs egens inueniatur. Ipsæ enim res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debent in alijs vsibus, quàm Ecclesiasticis, & prædictorum Christianorum fratrum vel indigentium conuerti: quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atque ad prædictum opus explendum Domino traditæ. Si quis autem (quod absit) secus egerit, videat ne damnationem Ananiæ & Saphiræ percipiat, & reus sacrilegij efficiatur, sicut illi effecti sunt, qui pretia prædictarum rerum fraudauerunt.

Cyprianus. 250.

Libro 3. ad Quirinum cap. 30. Quod quis Deo vouerit, citò reddendum. Apud Salomonem: *Prout* Eccle. 5.
voueris votum Deo, ne moram feceris reddere illud. De hoc ipso in Deuteronomio: *Si autem voueritis vo-* Deut. 23.
tum Domino Deo tuo, non tardabis reddere illud: quia inquirens quæret illud Dominus à te, & erit in peccatum: ea, quæ egredientur per labia tua, obseruabis: & facies donum, quod locutus es ore tuo. De hoc ipso in Psalmo 49. *Sacrifica Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* De hoc ipso in Actibus Apostolorum: *Cur impleuit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui* Act. 5.
sancto, cùm esset fundus in tua potestate? Non hominibus mentitus es, sed Deo. Et apud Hieremiam: *Maledictus,* Hier. 48.
qui facit opus Domini negligenter.

Hilarius. 350.

In Psalm. 64. Deo vouenda sunt contemptus corporis, castitatis custodia, ieiunij tolerantia. Atque ideo ait: *Et tibi reddetur votum in Ierusalem.* Vota enim tantùm Ecclesiasticæ religionis vtilia sunt: quæ cùm & dignis Deo cantionibus, & propositæ

in Ecclesia obseruantiæ studio probantur: tum digni erimus, pro quibus Deum sanctus Spiritus interpellat.

Ambrosius. 370.

In cap. 20. Lucæ: Quam grauia vincula promittere Deo, & non soluere: *Melius est*, inquit, *non vouere, quàm vouere, & non reddere.* Maior est contractus fidei, quàm pecuniæ. *Redde promissum, dum in hoc corpore es, priusquam veniat exactor, & mittat te in carcerem. Amen dico tibi, non exies, donec reddas nouissimum quadrantem.*

Lib. 1. de Cain & Abel cap. 7. Vnde præceptum est: *Si voueris votum, non facias moram reddere illud: Melius est enim non vouere votum, quàm vouere, & non reddere.* Cùm enim moram facis, non reddis. Votum est autem postulatio bonorum à Deo cum soluendi muneris promissione. Et ideò cùm impetraueris quod petisti, ingradi est tardare promissum. Sed interdum, aut negligentibus irrepit obliuio impetratorum, aut tumidis & elatis.

Hieronymus. 390.

Epistola 7. ad Lætam cap. 3. Hæc retuli, vt moneam quanto metu, & cautione seruare debeas, quod Deo spopondisti.

Epistola 8. ad Demetriadem cap. 11. Omnium gentium literis atque linguis præcipuè in Ecclesijs Agnes vita laudata est: sed hoc ad eas pertineat, quæ needum elegerunt Virginitatem, & exhortatione indigent, vt sciant quale sit, quod eligere debeant. Nobis electa seruanda sunt, & quasi inter scorpiones, & colubros incedendum, vt, accinctis lumbis,
Exod. 12 calciatis pedibus, & apprehensis manu baculis, iter per insidias huius seculi, & inter venena faciamus, vt possimus ad dulces Iordanis peruenire aquas, & terram repromissionis intrare, & ad domum Dei ascendere, ac dicere cum Propheta: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Et illud: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*
Psal. 25.
Psal. 26.
Felix illa conscientia, & beata virginitas, in cuius corde, præter amorem Christi, qui est sapientia, castitas, patientia, atque iustitia, cæteræque virtutes, nullus alius versatur amor, nec ad recordationem hominis aliquando suspirat: nec videre desiderat, quem cùm viderit, nolit dimittere. Sanctum virginum propositum, & cælestis Angelorumque familiæ gloriam quarundam non bene se habentium nomen infamat.

Epist. 14. ad Celantiam cap. 9. Duplex, vt vides, malum, æquale & anceps periculum est. Ex vtroque arctaris, ex vtroque constringeris. Contemnere omninò virum atque despicere, apertè contra Apostoli sententiam est: perdere verò tanti temporis castitatem, & Deo non reddere quod promiseras, tumendum atque metuendum est, vt vulgo dicitur: Facile ex amico inimicum facies, cui promissa non reddas. Sic enim Scriptura dicit: *Quod si voueris votum Domino Deo, non moreris reddere illud. Quia quærens quæret illud Dominus Deus abs te. Et erit tibi in peccatum.*
Deut. 23.

Concilium Carthaginense Quartum. 395.

Cap. 104. Quæ viduæ, quantumlibet adhuc in minoribus annis positæ, & matura ætate, à viro relictæ, se deuouerunt Domino, & veste laicali abiecta, sub testimonio Episcopi & Ecclesiæ religioso habitu apparuerint, postea verò ad nuptias seculares transierunt, secundùm Apostolum damnationem habebunt, quoniam fidem castitatis, quam Domino vouerunt, irritam facere ausæ sunt. Tales ergo personæ sine Christianorum communione maneant, quæ etiam nec in conuiuio cum Christianis communicent.
1. Tim. 5.

Augustinus. 400.

Epist. 45. Priusquam esses voti reus, liberum fuit quo esses inferior: quanuis non sit gratulanda libertas, qua fit, vt non debeatur, quod cum lucro redditur. Nunc verò, quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam iustitiam inuito, sed à magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, si non feceris quod vouisti, qualis mansisses, si nihil tale vouisses. Minor enim tunc esses, non peior: modò autem tanto (quod absit) miserior, si fidem Deo fregeris, quanto beatior, si persolueris. Nec ideo te vouisse pœniteat, imò gaude, iam tibi non sic licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaque intrepidus, & dicta imple factis: ipse adiuuabit, qui vota tua expetit. Felix necessitas, quæ ad meliora compellit.

In Psalm. 75. super illud: *Vouete, & reddite Domino Deo nostro.*) Quisque quod potest voueat, & reddat. Ne voueatis, & non reddatis: sed quisque quod potest voueat, & reddat. Non sitis pigri ad vouendum: non enim viribus vestris implebitis. Deficietis, si de vobis præsumitis: si autem de illo, cui vouetis, vouete, securi reddetis, &c. Est quidam modus communis omnibus. Furtum non facere, non castimoniali præcipitur, & nuptæ non præcipitur: adulterium non facere omnibus præcipitur, &c. Hoc totum omnes vouere debemus. Sunt etiam vota propria singulorum: alius vouet Deo castitatem coniugalem, vt præter vxorem suam non nouerit aliam: sic & fœmina, vt præter virum suum non nouerit alium. Alij etiam vouent, etsi experti tale coniugium, vltra tale nihil pati, nihil tale concupiscere, aut sustinere: & ipsi vouerunt aliquid maius, quàm illi. Alij virginitatem ipsam ab ineunte ætate vouent, vt nihil tale vel experiantur, quale illi experti sunt, & reliquerunt: & isti vouerunt plurimum. Alij vouent domum suam esse hospitalem omnibus sanctis aduenientibus: magnum votum vouent. Alius vouet relinquere omnia sua distribuendo pauperibus, & ire in communem vitã, in societatem sanctorum, magnum votum vouit. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro.* Quisque quod vouere voluerit, voueat: illud attendat, vt quod vouerit, reddat. Vnusquisque Deo quod vouet, si respicit retrorsum, malum est. Nescio quæ castimonialis nubere voluit. Quid voluit? Quod & virgo quælibet. Quid voluit? quod & mater ipsius. Aliquid mali voluit? Mali planè. Quare? quia iam vouerat Domino Deo suo. Quid enim dicit de talibus Apostolus Paulus, cùm dicat: *viduas adolescentulas si nubere velint?* sed tamen ait quodam loco: 1. Tim. 5.
Beatior autem erit, si sic permanserit, secundùm meum consilium. Ostẽdit beatiorem, *si sic permanserit.* Quid 1. Cor. 7.
autem ait de quibusdam, quæ vouerunt, & non reddiderunt? *Habentes*, inquit, *damnationem quia primam fidem irritam fecerunt.* Quid est, *primam fidem irritam fecerunt?* Vouerunt, & non reddiderunt. Nemo ergo positus in Monasterio frater, dicat: Recedo de Monasterio. Neque enim soli, qui sunt in Monasterio, peruenturi sunt ad regnum cælorum: & illi, qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respondetur ei: Sed illi non vouerunt, tu vouisti, tu retro respexisti, &c. Quæ respexit ad nuptias, non quia voluit nubere, damnatur: sed quia iam ante recesserat, & sit vxor Lot respiciendo retrorsum. Non sitis pigri, qui potestis, quibus aspirat Deus, apprehendere gradus meliores: quia non ista ideo loquimur, vt non voueatis: sed vt voueatis, & reddatis. Iam quia ista tractauimus, fortè volebas vouere, & modò non vis vouere. Ergo vouere volebas, & non reddere? Imò vtrumque fac: Vnum sit ex professione tua, aliud ex adiutorio Dei perficietur. Aspice eum, qui te ducit, & non respicies retrò, vnde te educit. Qui te ducit, ante te ambulat: vnde te educit post te est. Ama ducentem, & non te damnat retro respicientem.
1. Tim. 5.

in anteriora extendens seipsum, secundùm quod in Psalmis dicitur: *Vouete, & reddite Domino Deo vestro:* quod scit esse licitum, & ad profectum melioris vitæ pertinere cognoscit, & libenter voueat, & celeriter reddat, & in hoc quod votum reddit, meliore semper conatu proficiat. Omni enim vouenti Deo, & reddenti quod vouit, ipse quoque Deus reddet cælestis regni præmia, quæ promisit. Psal. 75.

Epistola 1. de coniugali debito cap. 5. Non quia rebus à Deo concessis vsus hominibus non interdicitur, ideo debet homo Deo quod vouerit non reddere, cùm scriptum sit: *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.* Et ne sibi quisquam vellet excusationem tribulationis ad frustrandæ licentiam promissionis assumere, nec se putaret voti reum, si se dixisset ad aliquid vouendum non voluntate, sed tribulatione cõpulsum, docens beatus Dauid omnia esse Deo reddenda, quæ fuerint legitimè duntaxat etiam in tribulatione promissa, cum dixisset Deo: *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea:* continuò subdidit. *Et locutum est os meum in tribulatione mea.* Nam & in Deuteronomio scriptum est: *Si autem voueris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere illud: quia exquirens exquiret Dominus Deus à te, & erit in te peccatum, &c.* Psal. 65. Deut. 23.

Aurelianense Concilium secundum. 533.

Cap. 12. Ne quis in Ecclesia votum suum cantando, bibendo, vel lasciuiendo dissoluat: quia Deus talibus votis irritatur potius, quàm placetur.

Arator. 540.

Libro 1. Actuum Apost. de Anania & Saphira:

———————*sed quòd mutata voluntas*
Falsi crimen habet, cumq; est iam cautio voti,
Stare decet, nec velle prius violare sequenti,
Ius proprium retinere magis, quàm demere fas est,
Omnibus exemplum sanxit vindicta duorum,
Ne quis dona vocet, quæ sponsio debita poscit.

Concilium Matisconense Primum. 576.

Cap. 12. De puellis, quæ se Deo vouerint, & præclarè decore ætatis ad terrenas nuptias transierint, id constituendum esse decreuimus, vt si qua puella voluntatis, aut parentibus suis rogantibus religionem professa, vel benedictionem fuerit consecuta, & postea ad coniugium aut illecebras seculi transgredi præsumpserit, vsque ad exitum communione priuetur.

Gregorius Turonensis. 580.

In vitis Patrum de S. Nicetio: Dado vnus ex his pagensibus, cùm in hostilitate illa, quæ apud Conuenas acta est, accessisset, & plerunque in periculis mortis irrueret, vouit, vt si domum reuerteretur incolumis, ad memoratam Ecclesiam exornandam, in honore Beati Nicetij aliqua ex his, quæ acquisierat, largiretur. Rediens igitur duos calices argenteos detulit, vouitque iterum in itinere, quòd hos Ecclesiæ conferret, si ad propria sospes accederet. Domum igitur suam accedens, vnum tãtummodò dedit, alio Sanctum fraudare procurauit, dans coopertorium sarmaticum, quo altare Dominicum cum oblationibus tegeretur. Apparuit autem illi vir beatus per somniũ, dicens: Quousque dubitas, & votum implere dissimulas? Vade, inquit, & calicem alterum, quem vouisti, redde Ecclesiæ, ne pereas tu, & domus tua. Coopertorium verò, quia rarum est, non ponatur super munera altaris: quia non exinde plenè tegitur mysterium corporis sanguinisq; Dominici. At ille exterritus, nihilque moratus, votum, quod vouerat, velociter adimpleuit.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 32. Moralium cap. 4. Iuramentum proferre, est voto nos diuinæ seruitutis alligare. Et cum bona opera promittimus, bene nos facere spondemus. Cùm verò abstinentiam cruciatumq; carnis nostræ vouemus, malè ad præsens nos nobis facere iuramus. Sed quia nullus in hac vita ita perfectus est, qui Deo deuotus sit, inter ipsa quantumcumque pia vota non peccet, pro peccato agna offerri de gregibus, siue capra præcipitur. Quid enim per agnam, nisi actiuæ vitæ innocentia? quid per capram, quæ in summis sæpe extremisque rupibus pendens pascitur, nisi contemplatiua vita signatur? Qui ergo se conspicit promissa ac proposita non implesse, ad sacrificium Dei sese studiosius debet vel innocentia boni operis, vel sublimi pastu contemplationis accingere.

Pastoralis curæ parte 3. admonitione 28. *Melius est nubere, quàm vri.* Sine culpa quippe ad coniugium veniunt, si tamen necdum meliora vouerunt. Nam quisquis bonum maius subire proposuit, bonum minus, quod licuit, illicitum fecit. Scriptum quippe est: *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno cælorum.* 1. Cor. 7. Luc. 9.

Homilia 20. in Ezechielem: Qui se per fidem in cõuersatione sancta Domino deuouerunt, holocaustum Domino facti sunt: sed quia adhuc multa in se de corruptibili sua carne patiuntur: quia adhuc in eis cordis munditia sordidis cogitationibus inquinatur, quotidie ad lachrymas redeunt, atque a fletibus affliguntur. Sanctorum enim Patrum dicta & facta considerant, & cùm se indignos pensant, in portarum ostio holocaustum lauant. Ecce etenim quis pro timore omnipotentis Domini patiens esse deuouit, nulli conuitium pro conuitio reddere, omnia æquanimiter tolerare, & tamen cùm hunc contumelia, ab ore proximi illata, subitò percusserit, turbatur: fortè aliquid loquitur, quòd loqui non debuit. Certè iste iam holocaustum est, sed adhuc inquinatum, &c. Alius ea, quæ possidet, apud semetipsum decreuit indigentibus cuncta tribuere, nil sibi reseruare, vitam suam soli supernæ gubernationi committere, sed dum præbet pauperibus quæ habet, fortasse cogitatio mentem subrepit, quæ dicit: Vnde viues, si cuncta dederis? Nec tamen desistit tribuere: sed quod lętus dare cœperat, postmodum tristis præbet. Quid huius mens, nisi misericordię holocaustum est? sed tamen per tristitiam cogitationis inquinatum. Aut enim deliberare summa non debuit: aut post deliberationem nullo modo dubitare. Alius contempta mundi superbia, honores atque dignitates huius seculi decreuit vitare. Vltimum appetit inter homines locum tenere, vt tanto excelsior inueniatur in permanenti gloria, quanto humilior aspicitur in transeunte vita. Is fortassis cùm subitò se à proximo despici agnoscit, dedignatur cur despicitur. Vult quidem in loco humili, sed tamen attendi contemptibilis non vult. Hunc iam deuotio eleuat, sed adhuc infirmitas grauat. Iam ergo per deuotionem holocaustum est, sed adhuc ex infirmitate inquinatum, &c. Cùm quis suum aliquid Deo vouet, & aliquid non vouet, sacrificium est. Cùm verò omne quod habet, omne quod viuit, omne quod sapit omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est.

Libro 1. epist. 33. Ananias pecunias Deo vouerat, quas post diabolica victus persuasione subtraxit: sed qua morte mulctatus est, scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos, quos dederat, nummos Deo abstulit, considera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo omnipotenti, cui te sub Monachali habitu deuoueras, subtraxisti? Considera iudicium Dei, quod mereatur, qui semetipsum Deo vouit.

Concilium Antisiodorense. 614.

Cap. 3. Non licet conuentus in domibus propriis, nec vigilias in festiuitatibus Sanctorum facere, nec inter sentes aut arbores sacriuos, vel ad fontes vota exoluere: sed quicunque votum habuerit, in Ecclesia vigilet, & matricolæ ipsum votum, aut pauperibus reddat, nec subtilia aut pede, aut hominem linco fieri penitus præsumat.

Isidorus Hispalensis. 620.

De contemptu mundi: Fac bonum, quod spopondisti, & non sis in verbis facilis, & in factis difficilis. Melius est non promittere, quàm post promissa non soluere: displicent Deo, qui vota sua non reddunt. In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum, & quod incautè vouisti, ne facias. Impia enim promissio cum peccato adimpletur.

Beda. 700.

Historiæ Anglicanæ lib. 2. *cap.* 12. Cùm ergo videret Paulinus difficulter posse sublimitatē animi regalis ad humilitatem viæ salutaris, & suscipiendum mysterium viuificæ crucis inclinari, ac pro salute illius, simul & gentis, cui præerat, & verbo exhortationis apud homines, & apud diuinam pietatem verbo deprecationis ageret, tandem didicit in spiritu, quod, vel quale esset oraculum regi quondam cælitus ostensum. Nec exinde distulit, quin continuò Regem admoneret explere votum, quod in oraculo sibi exhibito se facturum promiserat, si temporis illius ærumnis exemptus ad regni fastigia perueniret.

Libro 3. *cap.* 27. Egbertus vir sanctus vouit, etiam votum, quia adeò peregrinus viuere vellet, vt nunquam in insulam, in qua natus est, rediret: quòd præter solennem canonici temporis psalmodiam (si non valetudo corporis obsisteret) quotidie psalterium totum in memoriam diuinæ laudis decantaret, quòd in omni septimana diem cum nocte ieiunus transiret.

Alcuinus. 750.

In caput 5. *Ecclesiastæ:* Melius est non promittere, quàm promissa non facere: quia displicent Deo vota infidelium, qui non implent quod promittunt Deo. Deus verax est, & veritas, eosque amat, qui veritatis opera faciunt. Consideret homo quid Deo voueat, an implere possit quæ vouere cogitat.

Ludgerus Episcopus Monasteriensis. 780.

De S. Svviberto cap. 6. Crescente per momenta temporum dolore corporis, consilio proborum flexis genibus humiliter Deo vouit Notelmus, deuotè visitare sepulchrum S. Svviberti, & Ecclesiam eius in fauillas redactam, iuxta facultatem suam restaurare, modò intercessionibus ipsius à Deo recuperaret pristinum visum, & sanitatem corporis. Quo voto coram multis dolenter & deuotè facto, protinus dolor viscerum cessauit, visus rediit, & ipse surgens, lachrymabili voce Deum deuotissimè laudans, cunctis aperuit, vt meritis Sancti Svviberti liberatus sit, & VVerdam vsque properans, votum cum multa familia deuotè adimpleuit.

Synodus Anglicana. 786.

Extat Centuria 8. Magdeb. fol. 583.

Cap. 18. Dauid Propheta implens votum, nobis præcepit, dicens: *Vouete, & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu eius sunt: afferte munera terribili. & ei qui aufert spiritum principum, terribili apud omnes reges terræ.* Salomon quoque ait: *Cum feceris votum, festina reddere illud, ne forte Dominus irascatur tibi.* Item Scriptura: *Melius est non vouere, quàm post votum non reddere.* Vnde obsecramus, vt vnusquisque ad mentem suam reuocet, quicquid in prosperitate & angustia Deo vouit, ne tardet reddere illud: ne fortè iterum in angustiis implicati audire mereamini: quod dudum pollicitus est mihi, mentitus est, ad seruandam duritiem etiam, & *cor impœnitens, thesaurizasti tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicii Dei. Ideo in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis quod timebatis aduenerit.* Nihil namque damus, aut promittimus, nisi quod prius nobis dedit.

Carolus Magnus. 800.

Lib. 1. *Legum cap.* 73. Simul & hoc rogare curauimus, vt omnes vbicunque, qui se voto Monachicæ vitæ constrinxerunt, Monachi & regulariter omnimodis secundùm votum suum viuant, secundùm quod scriptum est: *Vota vestra reddite Domino Deo vestro.* Et iterum: *Melius est non vouere, quàm vouere, & non reddere.*

Haymo. 820.

In Psalmum 75. Sunt quædam, quæ non essent necessaria ad faciendum, nisi vouerentur, sicut abstinere ab vxore, à carne. Et ideo sunt alliciendi homines, vt voueant.

VVandelbertus Diaconus. 830.

Vita S. Goaris lib. 2. *cap.* 8. Imperator Carolus, qui filiis egressis solis cum suis in naui remanserat, cùm ad prædictum locum tendere vellet, coorta repente densissima nube, & nebulis tenebrosissimis subsecutis, ita in flumine deerrauit, vt neque ipse, neque comitum eius quispiam, sed neque nauis gubernator, quò tenderent, quoue nauim agerent, vllatenus scire vel videre valerent. Sic per reliquum, quod supererat, diei in pelago fatigati, vix postquam suam culpam Imperator agnoscere, & beato Goari supplicare cœpit, multa iam die, & ingruente nocte in continentem egressi sunt, tribus tamen aut paulo amplius à loco, in quem proposuerat egredi, millibus, vbi & ea manere nocte non sine rerum necessariarum inopia compulsus est Imperator: factoque die, publicè testatus est, sui esse peccati & meriti, quòd periclitatus in flumine, quòd à commoditate itineris & apparatu regiæ mansionis sit longissimè disparatus: nec frustra sibi hæc accidisse, sed beatum Goarem pœnas pro contemptu meritas repetisse, seque supplicia expendisse merentem: vouere se, & firmissimè polliceri, nunquam locum viri sanctissimi vlla, quamuis magna, itineris festinantia, si ad eum in vicino veniat, declinaturum, quem tali incommodo sit expertus posse de iis, qui se negligendum putauerint, expetere quam voluerit vltionem. His votis ad Cellam viginti libras argenti, & pallia holoserica duo misit, nec deinceps omni vita sua, quod vouerat, aliqua ex causa neglexit. Denique is, qui tum Regiæ nauis gubernator fuit, nunc vsque superest, reique gestæ indubitabile testimonium perhibet.

Concilium Aquense. 837.

Lib. 1. *c.* 38. Si illi, qui propria voluntate Deo vouit, & non reddidit, in peccatum reputatur: quod (putas) peccatum Domino sibi reputante incurrit, qui aliorum vota, voluntariè Domino exhibita, auferre præsumit, & tantæ comminationis pœnam non formidat? Quia ergo qui votum vouit, & non reddit, Dominus sibi in peccatum reputat, & quisquis ea, quæ Domino vouit, reddit ei, nullo modo postea auferre licet: multo minus ea, quæ alii vouerunt, & reddiderunt ei, fas est auferre.

Remigius Antisiodorensis. 880.

In Psalm. 75. Necesse est, vt qui vouet, etiam reddat, quia vouendo se debitorem fecit. Et melius est non vouere, quàm post votum non soluere. Audi quid sit vouendum. Quisquis cogitat quid bene voueat, seipsum voueat, & reddat: hoc debetur,

betur, hoc exigitur. Sunt etiam vota quædam hominibus communia, quædam specialia. Communia, vt qui furabatur, iam non furetur, & à cæteris vitijs abstinere, quod profitetur omnis, qui baptizatur. Specialia vota sunt, quando aliquis vouet se Monachum fieri, vel aliquid aliud, quod dicit: *Vouete, & reddite Domino Deo vestro.*

Notgerus Leodiensis. 950.

In vita S. Landoaldi: In ipsa villa fuit & altera intra annos infantiæ ita debilitata, vt ante annum nec pedibus incedere, nec saltem à lecto quiuerit surgere. Hanc mater, supradictis virtutibus excita, primo manè inter brachia sub diuo sustulit, pro eius recuperatione votum Sanctis fecit, scilicet illò se cum sobole venturam, oblationem pariter deuotam secum delaturam. Quod vt expleuit, puella paulatim subrigens sese in pedes, stetit, conualuit, ambulare cœpit, & abijt. Ibidem extitit & alia Leuuich vocitata, itidem omni virtute corporis inualida. Et cùm iam penè desperasset de vita, audita signorum, quæ illic fiebant, fama, cereum Sanctorum luminarijs deuouit. Mox vt illuc destinauit, valentia totius corporis statim reintegrari meruit.

Vita S. Remacli cap. 6. Interea S. Trudo etiamnum puer primos iam virtutis fructus proferebat. Cumque is superbi sanguinis multa generositate polleret, maior tamen ei diuini amoris & virtutum ardor atque studium inerat, adeò vt quandoque voto se obligaret, si Christo opitulante sacras didicisset literas, se in fundo suo Ecclesiam exædificaturum, illic Dominò perpetuò seruiturum, & quos posset ad Dei cultum & ministerium sibi socios aggregaturum. Atque eo flagrans desiderio, nocturna visione afficitur, & Angelica consolatione hunc in modum confirmatur: Noueris frater, inquit Angelus, ea vota, quæ Christo puer nuncupasti, illi esse grata, precesque illum admisisse tuas: nec dubites, quin quod præueniens tibi aspirauit, etiam adiuuando sit prosecuturus, & affectum perducturus in effectum.

Radulphus Flauiacensis. 950.

Libro 20. cap. 6. in Leuiticum: Neque enim fas est, vt qui Deo vouit continentiam, qui virginitatem vouit, qui terrenis possessionibus renuntiauit, votum suum reuocans, aut carnalem ineat copulam, aut diuitias repetat, & primam sponsionem aliqua suarum facultatum erogatione se compensaturum confidat.

Smaragdus Abbas. 950.

Ad caput 49. Regulæ D. Benedicti. Cum gaudio sancti Spiritus offerre debet Monachus Domino Deo suum votum, qui & ab illo sperat accipere regnum cælorum. Qui enim cum gaudio & hilaritate Domino seruit, vel donat aliquid, *centuplum ab illo accipiet, insuper & vitam æternam possidebit.* Matt. 19.

Fulpertus Carnotensis. 1000.

Vita sancti Aechardi cap. 1. Hac legis obseruatione præstrictus pater, filium militaribus negotijs assuescere præmonebat, vt tali in tempore filius inter armatas legiones militaturus patrem supportaret annosum. Mater verò è contra mariti consilium longè aliò inflectere nitebatur, protestata se pro filio votis insolubilibus esse obligatam. Nam eo tempore, quo ipsa partu imminente crebris doloribus quatiebatur, affirmabat, si saluo partu, cæli Dei adiutorio mortis periculum euasisset, affirmabat, inquam, se quicquid peperisset, diuinis cultibus deuouisse. Hanc igitur præstari sibi indulgentiam à marito postulabat, ne retractata promissione voti ream efficeret, neue filius pro hac re aliquando iudicio Dei periclitaretur. Verùm dum pater multa obstinatione votum mulieris improbaret, nec ipse à proposito suo emolliri potuisset, ecce ad dirimendam litem inter eos medius illis filius interuenit, dicens patri, nullà se rerum mortalium ambitione teneri, & ideo nulla inanis militiæ pompa delectari. Christi, inquit, Pater, me militem esse decreui, &c.

Osbertus Cantuariensis. 1020.

Vita S. Dunstani cap. 7. Cùm iam aliquantulum sopito languore, verba Pontificis & duritiam sui cordis, in se reuersus, ad mentem reduceret, suspirans grauiter erubuit, quòd potentior in eo fuit tertianæ febris igniculus ad extinguendam carnis suę concupiscentiam, quàm ille ignis, quem vt in fidelium cordibus vehementer arderet, Dominus venit mittere in terram. Luc. 12. Versa igitur vice, ardorem ignis diuini in se succendens, carnalibus illecebris funditus renuntiauit, seque perpetuò virginem perseueraturum diuinitatis confisus auxilio vouit.

Petrus Damianus. 1040.

De contemptu seculi cap. 3. Nos, qui vbique terrarum tam largissima Ecclesiarum patrimonia cernimus, vt quotidie, dum mundus imminuta possessione contrahitur, Ecclesia copiosissimè dilatetur, si tanquam de futuris alimentis lucrum carnale reponimus, dum nobis in posterum prouidendo ditescimus, thesauro fidei nos vacuos esse monstramus. De quo Apostolus: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Et dum cautionem, quam cum Christo pepigimus, frangimus, violatæ fidei potius tormenta metuere, quàm præmia possumus de nostra conuersione sperare. In conuentione etenim pacti, quod inter duos fit, sponsionis vox vtraque parte procedit, vt nimirum vterlibet, qui condicta seruauerit, modum deliberati fructus accipiat: è contra, qui transgressus fuerit, iacturam violatæ sponsionis incurrat. In pactione autem illa, qua cum Deo conuenimus, vox nostra hæc procul dubio fuit, quia Christum sequentes, mundum, & quæ sunt mundi, abrenunciare promisimus. Diuina autem vox consequenter ad istam respondit: *Amen dico vobis, qui vos, qui secuti estis me, in regeneratione; cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis, & vos super sedes, iudicantes duodecim tribus Israel.* Et quod quidem, si propositæ sponsionis iura seruamus. Alioquin, si post terga respicimus, terribile mox oraculum diuinæ comminationis audimus: *Nemo mittens manum suam ad aratrum; & respiciens retro, aptus est regno Dei.*

Sermone 2. de Dedicatione Ecclesiæ: Tenemur etiam Domino reddere vota, quæ fecimus. Audite quid dixerit, & quid fecerit Apostolus: *Non sum dignus vocari Apostolus: quia persecutus sum Ecclesiam Dei, &c.* 1. Cor. 15. Vouit Dauid, & reddidit: *Vota,* inquit, *Domino mea reddam.* Psal. 115. Vouit votum Iacob, & reddidit: *Si fuerit,* inquit, *Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, &c. erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, &c.* Gen. 28. Ipsum vnigenitum Dei Filium iurasse Patri ac vouisse scimus, attestante Psalmista, qui ait: *Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob:* Psal. 131. scilicet sacramentum religionis in passione suæ carnis pro salute generis humani expleret. Faciamus & nos similiter, & vota, quæ vouimus, integrè persoluamus.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Libro 2. Cur Deus homo cap. 5. Si quid hodie sponte promittis te cras daturum, eadem cras voluntate das, quamuis necesse sit te cras reddere promissum: si non poteris, aut non vis mentiri. Non tamen minus tibi debet ille pro impenso benefi-

cio, cui das, quàm si non promisisses: quoniam te debitorem ante tempus dationis illi facere non es cunctatus, nec coactus. Tale est cùm quis sanctæ conuersationis vouet propositum. Quamuis namque seruare illud ex necessitate post votum debeat, ne Apostatæ damnationem incurrat, & licet cogi posset, seruare si nolit: si tamen non inuitus seruat quod vouit, non minus, sed magis gratus est Deo, quàm si non vouisset. Quoniam non solùm communem vitam, sed etiam licentiam eius sibi propter Deum abnegauit.

Bruno Carthusianus. 1080.

In caput 5. prioris ad Timoth. *Fuerint luxuriatæ:*)id est, præ nimia abundantia lasciuientes, (*volunt nubere,*) & hoc (*in Christo,*)id est, legaliter, non meretricari: (*habentes damnationem:*) *quia* sic frangendo vota *fecerunt irritam primam fidem*, quam in baptismo pollicitæ fuerant, vbi diabolo se abrenuntiare dixerant, cui frangendo votum continentiæ, quam vouerant, se iterum mancipauerunt, parenter innuentes, quia egentes confugerunt ad subsidia Ecclesiæ non amore continentiæ.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epist.10. Virginibus in Dunensi Monasterio: Christo vouistis nubere, non clericis: Christo vouistis nubere, non secularium hominum colloquia frequentare.

Hildebertus Cennomanensis. 1100.

Epist. 81. Isti itaque duo status, vnus superior, alius inferior, qui ante votum sunt voluntarij, post votum verò necessarij habent modos & institutiones suas, quæ obseruatæ, alijs remedium alijs acquirunt supplicium: obseruatæ præmium acquirunt, non obseruatæ verò æternum merentur supplicium. In his itaque ante susceptionem deliberandum est, post susceptionem verò perseuerandum.

Theodericus Abbas S. Trudonis. 1120.

Lib. 1. cap. 2. Vitæ S. Trudonis: Ingreditur dehinc nouæ ædificationis suæ domum, & toto corpusculo proiectus in conspectu Domini exercituum, quod potissimum habebat, diuino altari imponit sacrificium, *cor scilicet contritum & humiliatum.* Et cùm aliquamdiu hoc suum holocaustum multo sancti Spiritus igne consummasset, voto volens se obligat, quòd si aliquando proprij iuris, & paternæ fieret successor hæreditatis, Ecclesiam, quam quasi imaginauerat, in effectum transferret, & in suo erectam, de suo consummaret, consummatam sufficienti dotaret. Cuius voto & deuotæ petitioni non defuit manus Domini, quæ pueri affectum tempore sequenti in omnem perduxit effectum.

Lib. 2. cap. 2. Recolens voti suæ illius quondam puerilitatis, & quia periculosè vouetur, quod post votum non redditur, concepta auctoritate lineam iacit fundandæ Ecclesiæ, in id opus totam defigit animæ intentionem, &c.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Lib. 2. in Leuiticum cap. 46. Notandum in primis
Psal. 75. votum ex præcepto non esse, quamuis dicat Psalmus: *Vouete & reddite.* Nempe quod dicit *vouete*, non ex auctoritate iubentis, sed ex animo est consulentis: quod autem addit, *& reddite*: iam ex auctoritate imperantis est. Etenim vt voueat, aut non voueat quis, in potestate habet: postquam autem vouerit, iam ex necessitate reddit, quia debet.

Hugo Victorinus. 1130.

Sermone 53. Votum est attestatio quædam promissionis spontaneæ, quæ ad solum Deum, & ad ea, quæ Dei sunt, magis propriè refertur. Vouere siquidem est testificatione promissionis spontaneæ Deo se obligatum ac debitorem statuere. Nam qui promittit, simpliciter spondet se facturum aliquid: qui vero vouet, contestatur promissioni suæ, & affirmat promissionem suam.

Bernardus. 1130.

De præcepto & dispensatione cap. 20. Et quomodo ego (inquit aliquis professus Regulam) non secundùm regulam cum bona queam degere conscientia? siquidem vouens, & non soluens, quid nisi peiero? Quasi non multo magis habeas vnde conqueri alibi quoque cùm cœperis purè iuxta regulam conuersari. Profectò etiam tunc. Et quanam, inquies, conscientia habitare sustineam extra domum meam priorem, quæ me de seculo fugientem excepit, initiauit ad bonum, signauit in salutem, molestus fratribus, inobediens seniori, stabilitatis insuper præuaricans pactum, & primam irritam faciens fidem? Veruntamen neutra iusta querimonia est. Nam qui se ideo periurum putat, quòd ad punctum regulam non obseruat, videtur mihi non satis attendere quid iurauerit. Nemo quippe cùm profitetur, spondet regulam, sed determinatè secundùm regulam sui quisque conuersionem, suamque deinceps conuersationem sese pollicetur dirigere. Hæc profectò huius temporis omnibus fermè Monachis communis est professio.

De modo bene viuendi Sermon. 62. Necesse est, vt qui saluari desiderat, bona, quæ Deo vouit, cum omni deuotione reddat. Quicunque ad gaudia æterna desiderat peruenire, necesse est, vt bona, quæ Deo promisit, studeat adimplere. Vnde Propheta: *Vouete, & reddite Deo vestro.* Ac si diceret: Vos ipsos vouete, & reddite: quia necesse est, vt qui vouit, etiam reddat: quia vouendo se debitorem fecit. Et melius esset non vouere, quàm post votum promissa non soluere. Sunt etiam quædam vota omnibus communia, quædam verò specialia. Communia vota sunt ea, quæ in Baptismo promisimus, scilicet vt non peccaremus, & vt diabolo & operibus eius abrenuntiemus: specialia vota sunt, quando quis se Monachum fieri, aut Canonicum, aut Eremitam, vel aliquid aliud promittit. Quod si ille, qui vouit, non reddiderit, saluus esse non poterit. Quare? quia qui Deo, vt bene viueret, promiserit, si hæc bonis operibus non impleuerit, saluari non poterit. Quisquis bona, quæ Deo pollicitus est, implere neglexerit: ad illa bona, quæ Deus promisit, peruenire non poterit. Ille, qui Deo non vult reddere bona, quæ vouit ei: quomodo vult à Deo accipere bona, quæ ei Deus promisit? Quomodo vult à Deo accipere donum cæleste, qui Deo non vult reddere, suum votum? aut quomodo se putat à Deo accipere cælestia dona, qui Deo negligit persoluere vota sua? quia non est fidelis, sed infidelis. Inter infideles condemnabitur ille, qui Deo vota sua negligit reddere. Inter infideles peribit, qui votum suum in bonis non consummauerit.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. distinct. 38. Votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo, & de his, quæ Dei sunt, propriè fieri debent. Sunt tamen & vota stultorum, quæ frangenda sunt. Sciendum verò quòd votorum aliud est commune, aliud singulare. Commune, vt illud, quod in Baptismo omnes faciunt, cùm spondent renuntiare diabolo & pompis eius. Singulare, vt cùm quis sponte promittit seruare virginitatem, vel continentiam, vel aliquid huiusmodi. Singulare votum, aliud est priuatum, aliud solenne. Priuatum est in abscondito factum: solenne verò in conspectu Ecclesiæ factum. Priuatum votum si violetur,

peccatum est mortale: solenne verò violare peccatum, & scandalum est.

Petrus Cellensis. 1160.

Lib. de panibus cap. 4. Voti præuaricatio, est mortis attractio. Qui citra votum delinquit, est quasi equi pullus, qui sine fræno in præcipitium currit: qui autem contra votum facit, quasi qui corruens in frænum impingit.

Adamus Villarinus. 1180.

In Dialogo de instructione animæ: Promisisti tua professione conuersionem morum tuorum (ô anima): vt si prius inquinata eras, amodò sis casta, & munda: si prius superba & inuida, modò humilis & benigna, &c. Hæc nimirum vouisti, quando conuersionem morum tuorum promisisti. Quæ ergo vouisti, ne moreris reddere. Vouisti stabilitatem cordis & corporis in domo tua seruandam, quantum ad te pertinet, eam quoque ante vitæ tuæ terminum non dimittes.

Innocentius Tertius. 1200.

In die Parasceues Sermone 1. Votum reddere nec debere, non votum, sed gratuitas dicitur propriè. Is etenim votum facit, qui, quod non debet, gratuitò se facturum promittit. At qui non fornicari promittit, votum non facit: id est, non quod non debet promittit, sed id quod debet reddere decreuit.

Cæsarius Heisterbachius. 1220.

In vita sancti Engelberti lib. 3. Monachus iuuenis, dum vena illi inciditur, ita in brachio intumuit, vt morbus fistulæ timeretur. Dolore vrgente promittit se beato Engelberto psalterium lecturum, ilicò sentit se habere melius. Alius iuuenis monachus tribus mensibus paralysi in brachijs dirè vexatus, vbi ex alio iuuene iam dicto percepit quàm facilè curatus esset à nostri temporis Martyre, vouit se illi quotidianas oblaturum preces, moxque sanatus est: sed deinde preces illas negligens, pristino dolore cruciatur: resipiscit verò, omissa repetit, redit incolumitas.

Saxo Grammaticus. 1220.

Historica Danica lib. 14. Pro regis pueri salute, & incrementis, tum votis, tum etiam officijs, impensius excubabant. Hunc tandem humani auxilij diffidentia altaribus offerentes, religiosa voti nuncupatione sanxerunt, si paternos honores diuina clementia adipisceretur, susceptum beneficium, quoad viueret, pagani nominis odio pensaturum. Mox voti probator Deus ingenui Principis Conradi patrocinium ei conciliauit. Cuius opera paternorum bonorum heres effectus, quamquam voti auctores exhortationis officia non omitterent, &c. à bello aduersus Sclauos continuando, tum auaritia, tum etiam desidia adductus abstinuit, perceptam munificentiam ingrato æstimans animo.

Thomas Aquinas. 1240.

In Quodlibeticis, quodlib. 3. *art.* 3. Dicere, quòd illi, qui voto, vel iuramento sunt obligati ad intrandum religionem, non teneantur intrare, est manifestè hæreticum, &c. Cùm impletio voti pertineat ad latriam, manifestum est, quòd quicunque dicit votum non esse implendum, loquitur contra primum præceptum primæ tabulæ, quod est de cultu latriæ soli Deo exhibendo. Qui verò dicit iuramentum non esse implendum, loquitur contra secundum præceptum primæ tabulæ, quod est: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Vnde manifestè est hæreticus qucunque hoc dicit, nisi fortè dicat, quòd intrare religionem non sit licitum. Iuramentum enim, vel vota facta de rebus illicitis non sunt obligatoria, secundùm illud Isidori: In malis promissis rescinde fidem. Sed hoc est hæreticum dicere. Est enim expressè contra Christi consilia. Vnde quicunque dicit, quòd ille, qui est obligatus voto, vel iuramento ad intrandum religionem, potest absque peccato in seculo manere, est manifestè hæreticus.

Secunda secundæ quæst. 88. *artic.* 2. Quædam sunt, quæ in omnem euentum sunt bona: sicut opera virtutis, & alia bona, quæ possunt absolutè cadere sub voto. Quædam verò in omnem euentum sunt mala: sicut ea, quæ secundùm se sunt peccata, & hæc nullo modo possunt sub voto cadere. Quædam verò sunt quidem in se considerata bona, & secundùm hoc possunt cadere sub voto: possunt tamen habere malum euentum, in quo non sunt obseruanda: & sic accidit voto Iephte, qui, vt dicitur Iudicum 11. *Votum vouit Domino dicens: Si, &c.* Hoc autem poterat malum euentum habere, si occurrerit ei aliquod animal non immolandum, sicut asinus vel homo, quod etiam accidit. Vnde & Hieronym. dicit: In vouendo fuit stultus, quia discretionem non habuit, & in reddendo impius. Præmittitur tamen ibidem, quòd factus est super eum Spiritus Domini, quia fides & deuotiò ipsius, ex qua motus est ad vouendum, fuit à Spiritu sancto, propter quod ponitur in catalogo Sanctorum, & propter victoriam, quam obtinuit, & quia probabile est eum pœnituisse de facto iniquo, quod tamen aliquod bonum præfigurabat, &c. Maceratio proprij corporis, puta per vigilias, & ieiunia, non est Deo accepta, nisi in quantum est opus virtutis: quod quidem est, in quantum cum debita discretione fit, vt scilicet concupiscentia refrænetur, & natura non nimis grauetur. Et sub tali tenore possunt huiusmodi sub voto cadere, propter quod & Apostolus Rom. 12. postquam dixerat: *Exhibeatis corpora, &c.* addit, *Rationabile obsequium vestrum.* Sed quia in his, quæ ad seipsum pertinent, de facili fallitur homo in iudicando, talia vota congruentius secundùm arbitrium superioris sunt vel seruanda, vel prætermittenda: ita tamen, quòd si ex obseruatione talis voti magnum & manifestum grauamen sentiret, & non esset facultas ad superiorem recurrendi, non debet homo tale votum seruare. Vota verò, quæ sunt de rebus vanis & inutilibus, sunt magis deridenda, quàm seruanda.

Articulo 9. Si puer, vel puella, ante pubertatis annos nondum habeat vsum rationis, nullo modo potest ad aliquid se voto obligare: si verò ante pubertatis annos attingit vsum rationis, potest quidem, quantum in ipso est, se obligare, sed votum eius potest irritari per parentes, quorum curæ remanet adhuc subiectus. Quantumcunque tamen sit doli capax, ante annos pubertatis non potest obligari voto solenni Religionis, propter Ecclesiæ statutum, quod respicit id, quod in pluribus accidit. Post annos autem pubertatis possunt iam se voto religionis obligare, vel simplici, vel solenni, absque voluntate parentum.

De perfectione vitæ spiritualis cap. 11. Triplex commune votum inuenitur, scilicet paupertatis votum, continentiæ, & obedientiæ vsque ad mortem. Per votum paupertatis primam perfectionis viam religiosi assumunt, omni proprietati abrenuntiantes: per votum autem continentiæ aggrediuntur viam secundam, matrimonio perpetuò abrenuntiantes: per votum autem obedientiæ maximè viam tertiam assumunt, voluntatem propriam abnegando.

Guilhelmus Peraldus. 1255.

In Summa Tomo 2. *de Luxuria:* Septem sunt, quæ aggrauant peccatũ carnis in clericis in sacris Ordinibus constitutis. Primum est voti fractio, & ista est circunstantia valde aggrauans peccatum, &c.

De peccato linguæ cap. 19. Specialiter cauere debe-

mus à voto indiscreto, ne scilicet voueamus, quod implere nolumus. In quo multum peccant aliqui Claustrales, qui vouent ea, quæ sciunt se non impleturos: in quo etiam aliqui multum peccant, qui suscipiendo sacros Ordines continentiam promittunt, quam tamen non proponunt seruare, quod valde periculosum est.

Bonauentura. 1260.

In lib. 4. Sentent. dist. 38. q. 1. Duo sunt de essentia voti, scilicet promissio, & obligandi intentio, cùm votum sit obligatio noua & voluntaria: quia de nouo est superaddita, promissio est necessaria: quia verò voluntaria, oportet quòd velit obligari, & quòd se obligare intendat. Sed contingit promittere duplici verbo, scilicet interiori & exteriori. Promissio quantum ad verbum interius cogitationis, & deliberationis, est de necessitate voti simplicis, quod obligat quantum ad Deum, qui intuetur cor: sed promissio quantum ad verbum, vel signum exterius, est de necessitate voti solemnis, quod obligat quantum ad faciem Ecclesiæ, quæ iudicat secundùm ea, quæ patent. Et secundùm hoc duplex datur definitio de voto. Illa magistralis & communis est de voto simplici conceptio melioris propositi, &c.

Quæstion. 2. Votum generaliter loquendo est de ijs, quæ ad Deum pertinent, & faciunt ad salutem: simpliciter verò & propriè est de ijs, quæ promouent ad salutem vltra statum communem. Vnde quæcunque sunt talia, cadunt sub voto: quæ autem his opposita sunt, & quæ ad dispendium salutis vergunt, sub voto cadere non possunt. Quoniam votum debet habere comites, quos habet iuramentum, scilicet, veritatem, iudicium, & iustitiam. Primò namque necesse est, vt in eo sit iustitia, scilicet vt illud, quod vouetur, spectat ad salutem, & sic bonum est, & honestum. Secundò necesse est in eo esse iudicium, vt vouens deliberatè voueat, non præcipitanter. Tertiò, quòd sit in eo veritas, vt discretè, & iustè voueat, & hoc persoluat. Si ergo id vouetur, quod ad detrimentum iustitiæ facit, non est ibi lex voti, nec obligatio, sed ipsi voto fit iniuria: nec est obligatio ad seruandum, sed potius ad pœnitendum, sicut de conscientia erronea iudicatur. Secundùm hanc regulam communem iudicandum est de his, quæ quæruntur in speciali. Quoniam quod quæritur vtrum votum sit de omni bono, scilicet præcepti, & consilij, dicendum quòd votum propriè accipiendo est de dono supererogationis: largè tamen, si dicatur quæcunque testificatio, potest esse de bono præcepti.

Quæstion. 3. Votum procedit à libera voluntate. Omnis ergo, qui liberè potest facere quod vult, nullo impedimento in se existente, nullo homine de facto præpediente, nullo iure prohibente, potest simpliciter vouere. Qui autem in omnibus subest, nihil potest p se vouere. Qui autē in aliquibus subest, secundùm id, in quo subest, non potest vouere. Quoniam ergo vxor subest viro, & puer patri in regimine vitæ, nihil possunt circa hoc vouere quod sit stabile, sine eorum auctoritate. Vir autem, subest vxori in debito carnis, ideo illud non potest vouere. Religiosus subest in omnibus, quæ sunt infra Religionem, & ideo nihil potest vouere sine Prælati sui voluntate. Sed seruus subest quantum ad seruitium corporale: ideo quod contra hoc sit vouere non potest, nisi domini auctoritate: si quid autem est, quod liberè possit facere, illud potest vouere.

Bonifacius Octauus. 1290.

Sexto Decretalium lib. 3. tit. 15. de Voto, & voti redemptione: Quid votum dici debeat solenne, ad dirimendum matrimonium efficax, nos consulere voluisti. Nos igitur attendentes, quòd voti solennitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inuenta: matrimonij verò vinculum ab ipso Ecclesiæ capite, rerum omnium Conditore, ipsum in Paradiso & statu innocentiæ instituente, vnionem & indissolubilitatem acceperit: præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solenne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solennizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. Reliqua verò vota, etsi quandoque matrimonium impediant contrahendum, non tamen rescindere possunt matrimonia post contracta.

Nicolaus Lyranus. 1300.

Ad caput 5. prioris ad Timotheum: *In Christo nubere volunt, habentes damnationem.*) Ex hoc patet, quod loquitur de illis, quæ fecerunt votum continentiæ vidualis, quibus non solùm nubere, sed etiam velle nubere damnabile est: si enim votum non fecissent de hac obseruantia, licitum esset eis velle nubere, & etiam nubere. *Quia primam fidem irritam fecerunt*, factam Deo per votum de continentia viduali.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica q. 96. art. 2. Votum est promissio spontanea & voluntaria facta Deo. Igitur virginitas seruanda, cùm voto est promissa ac dedicata Deo, cum toto conatu & libera voluntatis operatione. Quia vouere libera operatio est voluntatis. Et hinc est, quòd qui non sunt sui iuris, vouere non possunt.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte prima cap. 54. Dicit Basilius, quòd abnegatio suipsius, est totalis sui obliuio & recessus à proprijs voluntatibus. Et isto modo relinquere propriam animam conuenit secundo discipulatui. Et nota, quòd hæc omnia prædicta, propter Christum relinquenda, comprehenduntur in professione Religiosorum, etiam hoc modo, & aliter quàm supra. Nam relictio rerum exteriorum, ac etiam propinquorum & amicorum, comprehenditur in voto voluntariæ paupertatis: relictio vitæ carnalis & delectationis corporalis, intelligitur in voto castitatis: relictio propriæ voluntatis, intelligitur in voto obedientiæ.

Vita Christi parte prima, cap. 79. Tria vota communia sunt omni Religioni: super quibus Dominus quemlibet nostrum interrogabit cum exactione magna, quomodo fuerint obseruata: sed timendum est multis, ne ista vota inueniat fracta, vel malè obseruata.

Ioannes Taulerus. 1350.

De Circumcisione Domini Sermone secundo: Certè à voto ipsi Deo præstito nemo potest absoluere, nisi in aliquod melius commutetur. Per votum enim se quisque Deo obligat & obstringit. Vnde si quis plura vota emisisset, vt quòd ieiunijs ac precibus ad certum vsque numerum & tempus insisteret, quod peregrinationis molestiam subiret, limina Sanctorum inuiseret, & id genus alia pia opera faceret, ab his omnibus absoluitur, dum aliquam subit Religionem, & Ordinem. In Ordine quippe & cunctis virtutibus, & ipsi Deo obligatur astringiturque.

Dominica Lætare Sermone 2. Omnes omnipotenti Deo vouimus, quòd ipsum amore ac intentione prosequeremur, eidemque ad mortem vsque perseuerantem exhiberemus famulatum, quando pri-

do primùm ſeculo abrenuntiauimus, & Monaſticen profeſsi ſumus. Et ab hoc voto nec Pontifices omnes, nec ſacerdotes nos abſoluere poſſent. Et ſi quæ fides ſanctis eſt habenda Doctoribus, plus hoc votum obligat, quàm quoduis iuramentum, in iudicio præſtitum. Vnde hoc manifeſtè ſequitur, multo magis nos periurij crimen incurrere, quando ſponte animoq; deliberato cor & intentionem noſtram, quæ Deo ſemel conſecrauimus, alicui tradimus creaturæ extra Deum, quàm ſi iuramentum violaremus. Et ob hoc noſter Ordo inſtitutus eſt, & hic finis omnium Religioſarum conſtitutionum.

Matthæus VVeſtmonaſterienſis. 1370.

In Chronicu de anno 655. Oſuiuus Rex Northumbriæ, cùm hoſtes nec pretio, nec precibus mouere poſſet, ad diuinum confugit auxilium, vt ab impietate barbarica poſſet liberari, votoq; ſe obligãs, ait: Si paganus neſcit noſtra accipere donaria, offeramus ei, qui nouit, Domino Deo noſtro. Vouit ergo, quia ſi victor exiſteret, filiam ſuam Domino ſacra virginitate dicaret, ſimul & duodecim manſiones prædiorum ad conſtruenda monaſteria donaret. Et ſic paruo ſtipatus agmine ſe certamini dedit: denique fertur paganum tricies maiorem exercitum habuiſſe. Nam ducibus triginta, ad bellum diligenter inſtructis, Oſuiuus ſolus cum filio Aelfrido Chriſto duce occurrens, illos fugauit, & inſequendo peremit. Tunc Rex Oſuiuus, iuxta quod Domino vouerat, pro collata ſibi victoria gratias Deo referens, dedit filiam ſuam, quæ vix vnius anni ætatem impleuerat, perpetua virginitate conſecrandam in Monaſterio, quod Inſula Cerui nuncupatur.

Ioannes Bromiardus. 1400.

In Summa Præd. Tomo 2. cap. 11. de Voto: Votum tantæ eſt virtutis & fortitudinis, quòd ſimpliciter vouentem vſque ad mortem Deo ligat, ſicut patet de Religioſis, qui per votum, quod in profeſsione ſolemnizant, vſque ad mortem in gratia, & vſque in ſempiternum in gloria Deo copulantur, ex voto ſe obligantes Domino. Numer. 21. In tantum enim vouentem ligat, & obligat ad ſoluendum, quod promiſit, quòd Epiſcopus, propter votum prius emiſſum, de Religionem ingrediendo tenetur Epiſcopatum dimittere, & votum ſuum implere, &c. Ex quo patet, quòd licet ſit voluntatis votum emittere, eſt tamen neceſsitatis reddere. Ergo *vouete, & reddite Domino Deo veſtro.*

Thomas VValdenſis. 1410.

Tomo 1. libro 3. art. 1. cap. 17. Sicut retrocedens ab effectu primi voti, ſcilicet fidei baptiſmalis, eſt Apoſtata fidei: ſic retrocedens à ſecundo voto, ſcilicet abrenuntiatione diaboli, in generali, eſt Apoſtata de religione vulgari. Et ſic retrocedens à renuntiatione facta in ſpeciali diuitijs & concupiſcentijs, apoſtatat à Religione perfecta. Et notanter dico, retrocedens: quia quamuis tendat ab vna religione in aliam: puta à vulgari ad perfectam, non propter hoc apoſtatat, imago magis proficit. Sed ſi à magis perfecta tendat ad minus perfectam, vel ad imperfectiorem peccabiliter oppoſitam, tunc apoſtatat, & retrocedit. Quia tunc poſuit manum ad aratrum, & retroſpexit. Lucæ 9

Tomo 3. titulo 9. capite 187. Cuius Procurator eſt VVicleuus, quando tam ſedulò prouocat, tentat, inſtat, vt Religioſi reſiliant à propoſito, quod profeſsione ſacra Deo vouerunt? nonne Satanæ? Qui tentauit omni arte callida Chriſtum à pinnaculo templi deijcere, & ieiunium ſacrum ſoluere, quod elegit, & per ſaporem lucri ſecularis Satanam adorare? Hoc idem agit, vt religioſum virum ab arte perfectionis & profeſsionis voto deponat, & ſacram eius abſtinentiam à mundi conuerſatione reſoluat, & illecebris ſeculi ſe iterum polluat, quod deuouit. Vbi iam ſunt leges diuinæ, quas vltimò ſoſet de Eccleſiaſticis extorquere? Nunquid recolere poteſt ſcriptum eſſe: *Cùm voueris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere, &c.* Deut. 23

Ioannes Gerſon. 1420.

De Conſilijs Euangelicis & ſtatu perfectionis: Vota ſuam immediatam obligationem accipiunt à voluntate hominis vouentis: qui quantum vult ſe ligat & obligat, & pro libitu votum ſuum qualificat. Præcepta ſunt de neceſſarijs ad ſalutem, non ſic autem vota. Magis autem obligamur ad illa, quæ ſunt de neceſsitate ſalutis, quàm ad ea, quæ non ſic neceſſariò requiruntur. Proinde vota non habent vim obligandi, niſi ab ipſis præceptis. Vnde tenetur quis vota ſua implere, virtute præcepti illius iuris naturalis, quo iubetur promiſſa reddere.

Bernardinus Senenſis. 1440.

Tomo 1. Sabbato poſt Dominicam 1. in Quadrageſima de ſacra Religione Sermone 16. articulo 3. capite 3. Cùm aliquis ſuum aliquid Deo vouet, & aliquid non vouet, ſacrificium eſt. Cùm verò omne quod habet, omne quod viuit, omne quod ſapit omnipotenti Deo vouerit, holocauſtum eſt. Quod quidem impletur per tria Religionis vota. Per ſacrificij enim oblationem ſecundùm antiquæ legis mandatum pro peccatis ſatisfacere oportebat, &c. Sicut ergo holocauſtum ſacrificium eſt perfectum, ita per hæc tria ſanctiſsima vota anima ſe perfectè ſacrificat Deo, cui & de exterioribus rebus, & de corpore proprio, & de proprio ſpiritu medulloſum holocauſtum offert. Sicq; aſtrictio hæc non ſolùm de perfectione non minuit, ſed culmen perfectionis inducit, quia de noſtro facit diuinum, dum non ſolum actum, ſed etiam voluntatem dedicans Deo, totum illud, quod eſt offert, & redigit ſub iure & dominio Dei.

Ioannes de Turre Cremata. 1460.

Tractatu 6. in regulam D. Benedicti: Facere contra votum, eſt peccatum mortale, vt patet per illud, quod eſt 1. Timoth. 5. Quòd viduæ, quæ volunt nubere, *damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt.*

Nicolaus de Nyſe. 1480.

In Summa Aedificatorij animæ tract. 3. Quod ſit ex voto, quemadmodum ea, quæ ex religione fiunt, magis laudabile eſt, & meritorum, quàm ſine voto, &c. Voti oblatio non minuit, ſed auget meritum.

Baptiſta Mantuanus. 1500.

In Voto pro recipienda ſoſpitate poſt febrem acerrimam:

Erue me tantis igitur Regina periclis,
Et lacera ſparſas collige nauis opes.
Mox vbi liber ero Lauretia templa reuiſam,
Et tibi de noſtro carmine munus erit.
Carmine perſoluam grates, & carmine laudes:
Carmine diuinam teſtificabor opem.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

MONACHORVM HABITVM.

IMPROBANT.

Anno ante natum Christū

740. CONSTANTINVS *Copronymus Monachorum habitum traduxit, & contumelia in circo exposuit.* Cedrenus in Constantino Copronymo.

1530. *Martinus Lutherus excusso cucullo, passim in suis scriptis habitum monasticum ludibrio proscindit.*

1540. VVolfgangus Musculus in Locis communibus, capite de Votis: *Respondeant Monachi quo loco cucullos suos habeant, & quomodo ab hypocrisi & superstitione tueantur, quod singulari & colore, & forma, à consueto sese ac populari amictu disiunxerunt. Sunt qui pratexant nescio humilitatis & innocentia indicia.*

PROBANT SACRÆ LITERÆ.

4. *Regum* 1. *Vers.* 7. Cuius figuræ & habitus est vir ille, qui occurrit vobis, & locutus est verba hæc? At illi dixerunt: Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait: Elias Thesbites est.

Matthæi 3. 4. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos.

Hebr. 11. 37. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus, *&c.*

PROBNAT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiastica Hierarchia cap. 6. Ex oratione finita, sacerdos ad eum accedens, interrogat primùm, an renuntiet diuisibilibus omnibus, non solùm viris, verùm imaginibus quoque & phantasijs. Deinde exponit illi perfectissimam vitam, illud apertè cõtestans, oportere illum medio lõgè antecellere. Vbi verò ista omnia intentè promiserit, cõsignans eum crucis signo, sacerdos tondet, trinas diuinæ beatitudinis personas inclamans, exutumq́ veste omni aliam induit, & cum sanctis alijs, qui astant, ipsum salutans, diuinorum mysteriorum participem efficit, &c. Vestis positio, alteriusq́ assumptio, migrationem illam à media vita, sacra licet, ad perfectiorem significat: sicut in diuina regeneratione promotionem indicabat à purgata vita ad contemplantem illuminantemq́ habitum illa vestis candentis immutatio.

Synodus Nicæna Prima. 325.

Canone 76. *Arabico*: Religiosi, tum Monachi, tum Moniales habeant alia indumenta, & alios mores, quàm habent laici.

Athanasius. 340.

De Virginitate: Materia tuarum vestium ne sit pretiosa: indumentum tuum fuscum sit, non tinctum, sed natiui coloris, aut saltem album: amiculum fimbrijs careat, eiusdemq́ coloris sint manicæ laneæ, brachia obtegentes vsque ad digitos manuum: capilli circumtonsi: crinalis vitta ex lana sit caput astringens: cucullula, & superhumerale lacinias non habeat. Si occurras homini, facie conuelata & cernua esto, neque attollas vlli vultum, nisi duntaxat Deo tuo.

In vita S. Antonij: Vestimentorum meorum (inquit Antonius moriturus) sit ista diuisio: Melotem & pallium tritum, cui superiaceo, Athanasio Episcopo date, quod mihi nouum ipse detulerat. Serapio Episcopus aliam accipiat melotem: vos cilicinum habetote vestimentum.

Basilius Magnus. 370.

Epistola 1. *ad Gregorium Theologum de vita in solitudine degenda*: Et consentaneus quidem fuerit submissis atque abiectis animis tristis oculus atque deorsum vergens, habitus neglectus, squalida coma, vestis sordida, adeò quæ lugentes consultò meditatorq́ faciunt, ea suapte animi sponte in nobis, & veluti habitu temerario extitisse videri debent. Tunica cinctu appressa sit corpori, & astricta cinctus neque muliebrem in modum ilia exuperet, neque prælaxus fluxam tunicam efficiat.

Ephram. 370.

In doctrina varia de humilitate comparanda cap. 58. Quando quis vitæ renuntians, egressus fuerit ad fratres, ipso adhuc in primordijs religionis con-

stituto,

stituto, suggerit ei desiderium improbus ad habitum accipiendum intempestiuè, vt frater nimiam cupiditatem sancti habitus perferre nequiens, fugiat stadium: sin autem sustinuerit, donec habitum arripuerit, tunc vrget ipsum exire Cœnobio.

Cap. 88. Arbitror conducere Monacho, maximè nouitio, non exire cella sine superhumerali: indecens enim esset absque pallio prodire, siquidem nudo aliquo amictu, siue cum solo colobio nouitium incedere, Monacho turpe est & indecorum.

Oriesiesis. 380.

De institutis Monasticis: Sufficit nobis habere, quod homini satis est, duo leuitonaria, & alium attritum, & palliolum lineum, duos cucullos, zonam lineam, gallicam pellem, & virgam, cui ministerium aliquod, & dispensatio est credita Monasterij.

Epiphanius. 380.

Haresi 80. Oportet filios sanctæ virginis matris Ecclesiæ esse reuerendos in tonsura, & colere Deum occultè videntem occulta, & retribuentem in conspicuo, atque hoc honesto habitu propter externos. Alienum est à Catholica Ecclesia saccus conspicuus, & coma extenta à prædicatione Apostolorum.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 12. *quæ est de pace post reconciliationem Monachorum præsente patre dicta*: Atque hæc etiam vitæ Deo gratæ pulchra indicia & argumenta, tacitique præcones sordida nimirum & squallida coma, pedes nudi, & Apostolicos imitantes, nihil mortuum ferentes, apta & moderata tonsura, amictus factum coërcens, zona ob ornatus neglectum culta & ornata, pallium nonnihil restringens, ita vt restringere minimè videatur, gressus constans, oculus minimè vagus.

Theodosius, Arcadius, & Honorius A A A. 390.

Cod. de Episcopali audientia leg. 5. Mimæ, & quæ ludibrio corporis sui quæstum faciunt, publicè habitu earum virginum, quæ Deo dicatæ sunt, non vtantur.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 56. *ad populum Antiochenum*: Vestis autem Monachis fortitudine digna. Non enim caudatis vtentes vestibus, iuxta eneruatos & molles induuntur, sed iuxta beatos illos Angelos Heliam, Helisæum, Ioannem, secundùm Apostolos; cùm vestimenta sint ipsis parata, his quidem ex caprarum pilis, his autem è camelorum. Sunt autem & quibus solæ sufficiunt pelles, & hæ iam dudum confectæ.

Homilia 58. *ad populum Antiochenum*: Vna mensa & ministerium suscipientibus & exhibentibus, eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita. Et quid miraris, quòd omnibus vna sit diæta, vestis, & mensa, quippe cùm omnibus vna sit anima?

Homilia 69. *in Matthæum*: Amictus Monachis fortitudini suæ conueniens circumiacet. Non enim effœminatæ ac eneruæ per terram tibi vestes trahuntur, sed ita eis præparatæ sunt, vt beatissimis Angelis illis, Heliæ dico, Helisæo, Ioanni, ac vniuersis Apostolis. Etenim alijs caprarum, alijs camelorum pilis confectæ sunt, multis coria solùm, & ea vetustate consumpta satisfaciunt.

Palladius. 420.

In Historia sanctorum Patrum c. 41. Atque aliarum virginum erat huiusmodi habitus, vt essent tonsæ, & haberent cucullos in capite.

Ioannes Cassianus. 430.

De institutis Cœnobiorum libro 1. *cap.* 1. De institutis ac regulis Monasteriorum dicturi, vnde competentius, donante Deo, quàm ab ipso habitu Monachorum sumemus exordium? Quorum interiorem cultum consequenter tunc poterimus exponere, cùm exteriorem ornatum sub oculorum depinxerimus obtutibus.

Cap. 2. Itaque Monachum vt militem Christi, in procinctu semper belli positum, accinctis lumbis iugiter oportet incedere: hoc enim habitu etiam illos ambulasse, qui in veteri Testamento huius professionis fundauêre primordia, Heliam scilicet, & Helisæum diuinarum Scripturarum auctoritate monstratur: ac deinceps Principes auctoresque noui Testamenti, Ioannem videlicet, Petrum, & Paulum, cæterosque eiusdem ordinis viros taliter incessisse cognoscimus.

Cap. 4. Sunt præterea quædam in ipso AEgyptiorum Monachorum habitu, non tantum ad curam corporis, quantum ad morum formulam congruentia, quo simplicitatis & innocentiæ obseruantia etiam in ipsa vestitus qualitate teneatur. Cucullis namque perparuis, vsque ad ceruicis, humerorumque demissis confinia, quibus tantùm capita contegant, indesinenter diebus vtuntur ac noctibus, scilicet vt innocentiam, & simplicitatem paruulorum iugiter custodire etiam imitatione ipsius velaminis commoueantur, &c.

Cap. 5. Collobijs quoque lineis induti, quæ vix ad cubitorum ima pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus, vt amputatos habere eos actus, & opera mundi huius suggerat abscissio manicarum, & ab omni conuersatione terrena mortificatos eos velaminis linei doceat indumentum, &c.

Nilus. 430.

In Asceticis: Inde factum est, vt ab ijs, à quibus coli nos oportebat, tamquam importuna turba, despiciamur, & vicinis atque obuijs hominibus in foro mixti ludibriosissimus: vt qui nulla re cæteris, vt æquum erat, præstemus, nec eximia viuendi ratione, sed habitu tantùm differamus: & tamen eam gloriam furiosè appetamus, quæ debetur virtuti, cùm labores, quibus virtus excolitur, negligamus, & veritatis personam duntaxat, tamquam in scena, gestemus. Et hodie non desunt, qui grauem hunc habitum sumant, cùm animæ maculas nondum abluerint, &c. sibique placent, tamquam solo habitu virtus acquiratur: circumferunt instrumenta, quorum artem non didicerunt, & quam ne summis quidem labris gustârunt, scientiam habitu profitentur.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 2. *epist.* 127. Hic igitur Martinianus, cùm se Pelusium contulisset, in extrema paupertate viuens, ac multorum ope subleuatus, Monachi habitum induens, & probæ ac temperantis vitæ speciem præ se ferens, cleri munus captabat.

Sozomenus. 440.

Lib. 3. *cap.* 13. Monachis Tabinisiotis habitus erat & vitæ institutio à reliquorum Monachorum disciplina in quibusdam rebus discrepans, in virtutis contemplatione aciem mentis defigens: animum sic tum ad rerum terrenarum despicientiam, tum ad cælestium indagationem excitans, vt cùm è corporis custodia migraret, aditum ad cælum haberet perfacilem. Isti ad exemplum Heliæ Thesbitis pellibus se induebant, vt singuli ex pelle corpori circumiecta (sicut mihi quidem videtur) virtutem Prophetæ semper in memoriam reuocantes, strenuè contra cupiditates venereas contenderent. Fertur item eos indumenta alia, quàm quibus Monachi AEgypti vti solebant, sibi comparasse,

paraſſe, quo ſpecimen darent ſeuerioris cuiuſdam viuendi diſciplinæ: neque tamen temerè & inconſultò à cæterorum Monachorum habitu variaſſe. Nam tunicis ſe induebant manicis carentibus, quò docerent, ſe manus habere ab iniuria & contumelia facienda penitus alienas: caput integumento, quod cucullum appellare ſolent, operiebant: quò oſtenderent, ſe vitam perinde ſimplicem atque ſynceram degere, atque pueros lacte nutritos, quorum caput, quod in membris obtinet principatum, eiuſmodi tiaris obuoluitur, vti tum tegatur ab æſtu & frigore, tum vndique foueatur. Habebant præterea cingulum, & humerale, quorum altero lumbos circumdantes, humeros & brachia altero amicientes, ſignificârunt, ſe ad Deo ſeruiendum, & ad ea opera exequenda, quæ ab eo præcipiuntur, paratos eſſe.

Theodoretus. 450.

In Hiſtoria ſanctorum Patrum de Maſima: Aiunt eum neque tunicam, neque cilicium ſæpe mutaſſe, ſed ijs, quæ in eis fiebant, rupturis, aliquot pannos conſuendo, ſenectuti hoc modo remedium attuliſſe.

Eſaias Abbas. 460.

Ad fratres Oratione 3. Si proximi tui aut veſtem, aut zonam, aut cucullam, aut aliud quippiam videris, id ne concupiſcas.

Dorotheus Abbas. 500.

Doctrina 1. Vt enim mundo & rebus eius abrenuntiamus, ita & priſtinis illius paſsionibus abrenuntiare debemus: diſcere item, quæ vera ſit abrenuntiatio, & ad quid profecti ſimus in Monaſterium, quidquid nobis innuat habitus noſter, atque illi nos adaptare & conformare, certareque pro virili parte, vti patres noſtri. Habitus noſter is eſt: Tunica abſque manicis, & zona pellicea, analabus, & cucullus. Hæc autem ſigna ſunt omnia. A nobis igitur perdiſcendum eſt, quid hæc habitus noſtri ſigna per ſe ferant. Vt quid autem tunicam feramus abſque manicis, cùm cætera quæque manicas habeant? Manicæ ſigna ſunt manuum. Manus & practicem pertinent. Cùm igitur ſurrepit cogitatio aliqua operandi & agendi quippiam per priſtini hominis manus, vtpote furari vel verberare, atque, vt dicam breuiter, peccatum aliquod patrare cogitamus, aduertamus tunc oculos mentis ad habitum noſtrum, diſcamusque abeſſe illi manicas, id eſt, non habere nos manus ad operandum quippiam priſtini hominis. Habet & tunica ſignum purpureum. Quid (oro) id igitur? Habet vnuſquiſque regi militans purpuram in lena ſua. Ex quo enim Rex purpuram ferre cœpit, omnes eius milites togulis ſuis purpurea ſigna appoſuêre, vt ex his appareat regios ſe ſe eſſe, & regi commilitare: ſic & nos purpureum ſignum pro amictu noſtro ſumpſimus, vt appareat commilitare nos Chriſto, & quòd tot illius gratia perferre debemus, quot ille noſtri cauſa pertulit. Habemus autem & zonam pelliceam circa renes noſtros. Id ſignum eſt, ad opus quodque accincti vt quamprimùm ſimus, & parati: laboraturus enim quis primò accingitur, & ſic demum opus aggreditur, vt dicitur: *Accingimini renes veſtros.* Mortificati quoque corporis ſignum eſt: nos enim deſideria noſtra mortificare debemus. Habemus & Analabum. Analabus in crucis modum ponitur. Super humeros autem noſtros crucis ſignum deferimus ex eo, quod dicitur: *Tolle crucem tuam, & ſequere me.* Ferimus & cucullum, quod innocentiæ ſignum eſt, & puritatis. Pueri enim paruuli cucullum ferunt, non viri perfecti. Nos igitur ideo cucullum ferimus, vt paruuli ſimus malitia. Eſt & cucullus ſignum gratiæ Dei. Quoniam quemadmodum cucullus tuetur & fouet pueri caput, ſic & gratia Dei mentes noſtras defendit. Eſt igitur cucullus ſignum gratiæ Saluatoris noſtri, tuentis caput noſtrum, & circumfouentis, quæ in Chriſto eſt, ſynceritatem, ob eos qui nos continuò aggrediuntur, vt percutiant & vulnerent. Habemus & zonam ad lumbos noſtros, ſignum ſanè mortificandi irrationabilis appetitus noſtri. Et Analabum, id eſt, ſcapulare ab humeris pendet, quod eſt crux. Ecce & cucullum innocentiæ & puritatis ſignum. Nobilitemur igitur ex habitu noſtro, & ne alienum ſchema feramus.

Iuſtinianus Imperator. 530.

Nouella 5. *de Monachis cap.* 2. Sancimus ergo ſacras ſequentes regulas, eos, qui ſingularem conuerſationem profitentur, non promptè mox à reuerendiſſimis Præſulibus venerabilium Monaſteriorum habitum percipere monachalem: ſed per triennium totum tolerare, nondum Monachicum habitum promerentes, ſed tonſura & veſte eorum, qui laici vocantur, vti, & manere diuina addiſcentes eloquia.

Cap. 3. Et dum triennio toto ita permanſerint, optimos ſemetipſos & tolerabiles alijs Monachis & Præſuli demonſtrantes, hos monachicam promereri veſtem atque tonſuram.

Georgius Presbyter. 600.

In vita Theodori Archimandritæ: Cùm ad Iordanem, in quo Saluator & Deus noſter baptizatus eſt, deſcendiſſet, ingreſſus eſt in propinquum Dominæ noſtræ Dei Genitricis templum, quod Chuzoba vocatur: cumque ibi precatus eſſet, & Archimandritam, & qui cum illo erant patres conſalutaſſet, habitum ab eis monaſticum & euangelicum efflagitauit. Archimandrita verò cùm ſciret diuinitus, quis eſſet, nulla interiecta mora habitum illi conceſsit, & ſimul cum reliquis patribus Deum obſecrauit, vt coram ipſo & coram hominibus probaretur.

Ioannes Moſchus. 620.

In Prato ſpirituali cap. 118. Menas Diaconus Monachus relicto monaſtico habitu ad ſeculum rediit. Poſtea profectus Theopolim, cùm rediret in Seleuciam, vidit Monaſterium S. Simeonis Stylitæ de longè, & ait intra ſe: Aſcendam, & videbo magnum Simeonem: nunquam enim eum viderat. Euntem verò, & iam cœnobio appropinquantem, vt vidit Abbas Simeon, diuinitus agnoſcens quòd eſſet Monachus, & quia Diaconus fuiſſet, vocauit miniſtrum ſuum, dicens: Affer huc forfices, & tonde eum, oſtendens illum digito. Admiratus ille in verbo ſenis, ſimulque timore magno comprehenſus, ſuſcepit tonſuram, nihil omnino loquens.

Synodus Trullenſis. 710.

Can. 45. Quoniam intelleximus in nonnullis mulierum Monaſterijs mulieres, quæ ſacro illo amictu dignæ habentur, prius ſericis, & omnis generis veſtibus; præterea autem & mundis auro & gemmis variatis ab ijs, qui illas ducunt, exornari, & ſic ad altare accedentes, exui tanto opum apparatu, & ſtatim in illis fieri habitus benedictionem, illasque nigro amictu indui, ſtatuimus ne hoc deinceps fiat. Neque enim fas eſt, vt quæ iam propria voluntate omnem vitæ iucunditatem depoſuit, & eam, quæ eſt ſecundùm Deum vitæ agendæ rationem amplexa eſt, per eum, qui interit ac fluit, mundum, & quorum iam oblita eſt, memoriam reuocet.

Ioannes Damaſcenus. 730.

Hiſtoria Barlaam & Ioſaphat cap. 18. Barlaam dixit: veſtes nobis ex aſperis cilicijs, & ouium pellibus ſunt, vetuſtæ omnes, atque ex varijs pannis conſutæ, imbecillam noſtram carnem atterentes.

Etenim eadem nobis estium æstatis, tum hyemis vestis. Quam etiam vt semel induimus, exuere postea non licet, quousque vetustate confecta prorsus deleatur. Ad hunc enim modum & frigoris, & æstus molestijs corpus assistantes, futuræ immortalitatis vestem nobis comparamus.

Nicephorus Philosophus. 830.

Oratione funebri in S. Antonium Patriarcham: Cùm diuinus Antonius tum esset inter adolescentes, & improuisò esset è porta egressus, contigit currum repente conturbari, quòd eam (*mulierem*) ex alto deorsum deturbasset, nisi eam seruassent, qui cum ipsa ambulabant. Illa autem conturbata eo quòd acciderat, venerandum ludificabatur habitum, vt in rebus huiusmodi solent, qui sunt pusilli & abiecti animi. Cui dixit is, qui erat perfectus in iuuentute: Mulier, noli eum incessere maledictis. Meis enim manibus venies ad hunc habitum. Hæc dixit Sanctus: & cùm multi anni præterissent, ad effectum peruenit prædictio, &c.

Synodus Constantinopolitana sub Photio. 870.

Can. 4. Multis modis malignus monasticum venerabilem habitum probrosum efficere contendit, & magnam ad eam rem inuenit eius, quæ præcessit, hæresis occasionem.

Can. 5. Statuit sancta Synodus, vt nemo Monastico habitu dignus putetur, priusquam triennij tempus, ad experientiam eis relictum, eos esse probatos, & tali vita dignos ostenderit.

Leo Imperator Philosophus. 880.

Constit. 6. D. Basilius eos, qui Monachicum habitum ambiunt, decimosexto primùm, aut decimoseptimo ætatis anno, vt illo digni habeantur decernit: Sexta Synodus mandat, anno decimo, qui eiusmodi vitam capessserent, suscipiendos esse, hæc expendentes, neutram sacrarũ legum diximus esse cõtemnendam: sed contra ad vtrumque tempus religioso habitu, qui illum sumere cupiunt, dignos haberi iubemus.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita Stephani Monachi: Hæc cùm Abbas, aliaq; huic proposito conuenientia monuisset, Stephanum tondet, & monastica veste induit, decimum sextum iam vitæ annum agentem.

In vita Ioannis Calybitæ: Ad hæc Ioannes: Obtestor te per purissimam Trinitatem, vt hodie me tondeas: quoniam isto Angelico habitu indui vehementer cupio, ac studeo. Tunc Archimandrita puero illi benedixit, cumq; eum totondisset, habitu induit.

In Martyrio sancti Anastasij: Tradit verò Iustinus Anastasium vni ex discipulis suis: qui cum eum & Græcas literas docuisset, & psalterium, eiusque institutionem animaduertisset, iam rectè se habere ad vitam monasticam, tonsis statim capillis eius, & in eo factis omnibus, quæ lex postulat, cum habitu induit monastico, & ex habitu hoc facit Anastasium, quod prius re erat, & moribus.

Theodorus Balsamon. 1150.

In Canonem 4. Synodi Trullensis: Canone Apostolico 25. etiam qui quamcunque mulierem stuprauit clericus deponitur, multò autem magis, qui sponsam Christi, & vas Deo dicatum polluit, deponetur.

In Canonem 5. Sancti Patres nullum alium præter Cantores & Lectores vxores ducere posse decernunt. Nullum autem alium præter hos, siue Hypodiaconum, siue Diaconum, siue Presbyterum, post ordinationem legitimam vxorem accipere, vel propter Canonis transgresionem deponi.

Nicetas Choniates. 1200.

In Manuele: Denique Manuel Imperator admota ad arteriam manu, & pulsu pertentato, cum alto suspirio femur percussit, & monasticum habitum postulauit. Quo dicto, cùm, vt fieri solet, tumultus esset ortus, & spiritualem vestem nigro panno, omnis ornatus expertem, ministri nescio vbi nacti, mollibus & regijs vestibus detractis, & aspero illo diuinæ vitæ indumento illi induto, in spiritualem eum conuestiunt militem, & galea thoraceq; insigniore ornatum, in cælestis Imperatoris catalogum referunt.

Nicephorus Callistus. 1300.

Libro 9. cap. 14. de Monachis Tabennesiotis: Indumentum illis erat melota seu pellis ouilla: symbolum atque monumentum, vt opinor, generosæ & fortis illius Eliæ Thesbytæ, rei venereæ, & concupiscentiæ macerationis atque mortificationis, vt æmulatione & ardore eiusdem cum illo spei, ad continentiam & castitatem strenuè grassarentur. Cæterùm reliquorum quoque Monachorum AEgyptiorum amictus, vt opinio fert, ad exemplum aliquod & specimen arcanioris Philosophiæ spectat. Non enim illi temere à communi habitu vestitum suum mutauêre. Amiculum namque manicis carens, indicium atque institutionem esse arbitror, ne manus ad iniuriam inferendam faciles sint & promptæ: Capitis verò tegmen acumina um, vt simplices sint, & iniurias non vindicent, pureque & innocenter viuant: lactentium puerorum instar, quorum capita eiusmodi lineis mitris operiri solent, quæ partem rationis principatum imperiumq; obtinentem tegunt, atque fouent. Zona porrò & quæ humeros & brachia cõprimit cinctura, promptam alacritatem in ministerio Dei subobscurè indicat, vt quæ adimplere iussi sunt succincti perficiãt.

PROBANT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Tertullianus, cũ quinto Seueri Imperatoris anno Christo nomen dedisset, & toga reiecta pallio vestiretur, vt simplicitati religionis responderet cultus simplicitas, à quodam inconstantia notatus, orationem scripsit de pallio, quæ extat operum eius Tomo 1. folio 5. quam ita concludit: Hęc nimirum indignitas erit, à toga ad pallium? Sed ista pallium loquitur. At ego iam meilli etiam diuinæ sectæ commercium confero. Gaude pallium, & exulta, melior iam te philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire cœpisti.

Pontius Diaconus. 270.

In vita S. Cypriani: Finge enim tunc illum martyrij dignatione translatum. Quis emolumentum gratiæ per fidem proficientis ostenderet? Quis virgines ad congruentem pudicitiæ disciplinam, & habitum sanctimonia dignum, velut frænis quibusdam lectionis Dominicæ coerceret?

Marcellus Primus. 304.

Apud Gratianum 20. quæst. 1. Illud autem statuendum esse censemus, vt si in minori ætate filij Monasterio fuerint oblati, vel sacram tonsuram, vel velamina susceperint, dignum quidem duximus, vt decimo quinto anno à Prælatis moniti, verbis inquirantur: vtrum in ipso habitu perseuerare cupiant, an non? Si verò permanere professi fuerint, vlterius pœnitendi locum minimè amplecti possunt. Si verò ad secularem habitum reuerti voluerint, redeundi licentia nullo modo dene-

gętur.

getur: quia satis inutile est, vt coacta seruitia Domino præstentur.

Syluester. 320.

In Concilio Romano cap.10. Pudicitia custodita virgo vncta vertice introducatur ad nuptias Christi, velamen capitis ferens, non cordis.

Ambrosius. 370.

Lib.1.ad Virginem lapsam cap.5. Non es memorata diei sanctæ Dominicæ Resurrectionis, in quo diuino altari te obtulisti velandam?

Lib. 3. de Virginibus: Quoniam quæ habuimus digessimus superioribus libris duobus, tempus est, soror sancta, ea, quæ mecum conferre soles, beatæ memoriæ Liberij præcepta reuoluere, vt quò vir sanctior, eò sermo accedat gratior. Namque is, cùm in Saluatoris Natali, ad Apostolum Petrum, virginitatis professionem vestis quoque mutatione signare, (quo enim melius die, quàm quo Virgo posteritatem acquisiuit?) atque astantibus etiam puellis Dei compluribus, quæ certarent inuicem de tua societate: bonas, inquit, filia nuptias desiderasti.

Epistola 36. de Paulino, qui vnà cum vxore Monasticam vitam amplexus erat: Hæc vbi audierint proceres viri, quæ loquentur? Ex illa familia, illa prosapia, illa indole, tanta præditum eloquentia migrasse à senatu, interceptam familiæ nobilis successionem, ferri hoc non posse? Et cum ipsi capita & supercilia sua radant, si quando Isidis suscipiunt sacra, si fortè Christianus vir attentior sacrosanctæ religioni vestem mutauerit, indignum facinus appellant. Equidem doleo tantam esse in mendacio obseruantiam, in veritate negligentiam, vt confundantur plerique attentiores ad sacrosanctam religionem videri, non considerantes vocem dicentis: *Qui me confusus fuerit coram hominibus, confundar & ego cum coram Patre meo, qui in cælis est.* Sed non confusus est Moyses, qui cùm esset ascitus in domum regiam, thesauris AEgypti opprobrium Christi præferendum putauit. Non confusus est Dauid, qui ante arcam testimonij coram omni populo saltauit. Non confusus est Esaias, qui nudus & discalciatus ibat per populos, oracula clamans cælestia. Quid vtique tam deforme visibili spectaculo, quàm histrionicos simulare gestus, & fœmineo vsu mollire membra? Sed hæc, quæ corporeo aspectu fiunt turpia, sacrosanctæ religionis contemplatione reuerenda sunt, vt qui ista reprehendunt, ipsi in laqueos reprehensionis animas suas induant.

Lucæ 9. Exod.2. 2. Reg.6 Esai.20.

Hieronymus. 390.

In vita S. Pauli Eremitæ: Postquam alia dies illuxit, ne quid pius hæres ex intestati bonis non possideret, tunicam eius sibi vendicauit, quam in sportarum modum de palmæ folijs sibi contexuerat, ac sic ad Monasterium reuersus (*Antonius*) discipulis cuncta ex ordine replicauit, diebusqúe solemnibus Paschæ & Pentecostes semper Pauli tunica vestitus est, &c. Obsecro quicunque hæc legis, vt Hieronymi peccatoris memineris: cui si Dominus optionem daret, multo magis eligeret tunicam Pauli cum meritis eius, quàm regum purpuram cum pœnis suis.

In vita Hilarionis: Igitur sacco tantùm membra coopertus, & pelliceum habens ependyten, quem illi beatus Antonius proficiscenti dederat, sagumqúe rusticum, inter mare & paludem vasta & terribili solitudine fruebatur, &c. Super nudam humum, stratumqúe iunceum vsque ad mortem cubitauit: saccum, quo semel fuerat indutus, nunquam lauans, & superfluum esse dicens, munditias in cilicio quærere. Nec mutauit alteram tunicam, nisi cùm prior penitus scissa esset, &c. Octuagesima ætatis suæ anno, cùm absens esset Hesychius, quasi testamenti vice breuem scripsit epistolam, omnes diuitias suas ei derelinquens, Euangelium scilicet, & tunicam sacceam, cucullam, & palliolum.

Epistola 4. ad Rusticum cap. 2. Tu, si Monachus esse vis, non videri, habeto curam, non rei familiaris, cui renunciando hoc esse cœpisti: sed animæ tuæ. Sordidæ vestes, candidæ mentis indicia sint: vilis tunica contemptum seculi probet: ita duntaxat, ne animus tumeat, ne habitus sermoqúe dissentiant.

Cap.7. Vidi ego quosdam, qui postquam renuntiauêre seculo, vestimentis duntaxat, & vocis professione, non rebus, nihil de pristina conuersatione mutârunt.

Epistola 8. ad Demetriadem de seruanda virginitate cap. 2. Incredibilis animi fortitudo, inter gemmas & sericum, inter eunuchorum & puellarum cateruas, appetisse eam ieiuniorum laborem, asperitatem vestium, victus continentiam. Legerat enim Domini verba, dicentis: *Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt:* stupebat ad conuersationem Heliæ, & Ioannis Baptistæ: quorum vterque zona pellicea astrinxit, & mortificauit lumbos suos. Matt.11. 4 Reg.1 Matt.3.

Cap. 3. His & alijs pluribus inflammata stimulis, omnem corporis cultum & habitum secularem, quasi propositi sui impedimenta, proiecit: pretiosa monilia, & graues censibus vniones, ardentesqúe gemmæ redduntur scrinijs: vili tunica induitur, viliori tegitur pallio: & insperata auiæ genubus repente prouoluitur: fletu tantùm & planctibus, quæ esset, ostendit. Obstupuit sancta & grauis fœmina, alienum habitum in nepte conspiciens: mater gaudio stabat attonita: vtraque verum non credere, quod verum esse cupiebat. Certatim in oscula neptis, & filiæ, mater & auia ruunt, vbertim flere præ gaudio, iacentèm manu attollere: amplexariqúe trepidantem, agnoscere in illius proposito mentem suam, & gratulari, quòd nobilem familiam virgo virginitate sua nobiliorem faceret.

Ad Paulinum de institutione Monachi epist. 13. cap. 1. Tunicam mutas cum animo, nec pleno marsupio, gloriosas sordes appetis: sed puris manibus, & candido pectore, pauperem te spiritu & operibus gloriaris. Nihil est enim grande, tristi & lurida facie, vel simulare, vel ostentare ieiunia possessionum reditibus abundare, & vile iactare palliolum.

Ad Marcellam de laudibus Asellæ epist. 15. Cùm primùm Asella hoc propositum arripuit, aurum colli sui, quod quidem murænulam vulgus vocat, absque parentibus vendidit, & tunicam fusciorem, quam à matre impetrare non poterat, induta, pio negotiationis auspicio, se repente Domino consecrauit: vt intelligeret vniuersa cognatio, non posse aliud ei extorqueri, quæ iam seculum damnasset in vestibus.

Ad Eustochium de obitu Paulæ epist. 27. cap. 10. Vnus omnium habitus. Linteamine ad tergendas solum manus vtebantur: à viris tãta separatio, vt à spadonibus quoque eas seiungeret, ne vllam daret occasionem linguæ maledicæ.

Concilium Carthaginense Quartum. 398.

Cap.11. Sanctimonialis virgo, cùm ad consecrationem sui Episcopo offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper vsura est, professioni & sanctimoniæ aptis.

Cap. 104. Sicut bonum est castitatis præmium: ita & maiori obseruantia, & præceptione custodiendum est, vt si quæ viduæ, quantumlibet adhuc in minoribus annis positæ, & matura ætate à

viro

viro relictæ, se deuouerunt Domino, & veste laicali abiecta, sub testimonio Episcopi & Ecclesiæ, religioso habitu apparuerint, postea verò ad nu-
1. Timi. 5 ptias seculares transierint, secundùm Apostolum damnationem habebunt.

Augustinus. 400.

Epist. 109. ad Moniales: Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus: nec sint vobis tam tenera capitum tegmina, ne reticula subter appareant.

1. Tim. 2 *Epist. 199. ad Edictam:* Scriptum est quidem; mulieres esse non debere in habitu ornato, aurique circumpositione, & intortione crinium, & cætera huiusmodi, quæ vel ad inanem pompam, vel ad illecebram adhiberi fermè solent, meritò reprehensa sunt. Sed est quidam pro modulo personæ habitus matronalis, à viduali veste distinctus, qui potest fidelibus coniugatis salua religionis obseruantia conuenire.

Innocentius Primus. 406.

Epist. 1. cap. 12. Quæ Christo spiritualiter nupserunt, & velari à sacerdote meruerunt, si postea vel publicè nupserint, vel se clanculo corruperint, non admittendæ sunt ad pœnitentiam agendam, nisi is, cui se iunxerant, de seculo decesserit.

Cap. 13. Hæ verò, quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se permanere promiserant, licet velatæ non sint, si fortè nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia sponsio earum à Domino tenebatur.

Paulinus Nolanus. 410.

Epistola 7. Epistolas, quas per nostrum illum inspiritalem Monachum miseras, verè spiritalis tabellarius intercepit & pertulit, id est, filius noster Sorianus. In quo duplicem gratiam Dominum contulisse perspeximus: ne vel ille ad nos sermonis tui vacuus adueniret, qui nos de tuis visceribus imbuto affectu desiderauerat: ne vel iterum tuas nobis literas Marracinus adferret: qui diuinitus (vt credo) inspirata sibi aut verecundia nos videndi, aut pigritia vltra vrbem itineris porrigendi, Romæ literas tuas supradicto fratri dedit, gaudens optati occasione compendij, qua sibi aduersum tua præcepta consultum putabat, ne cogeretur Monachum aut in se (vt iusseras) fingere, aut in me, vt necesse erat, cernere. Sibi ergo habeat ille armilausam suam, & suas caligas, & suas buccas, quarum alia mutare, alia deducere timuit: nos adeant, & reuisant conseruuli, & compallidi nostri, non vestibus pictis superbi, sed horrentibus cilicijs humiles: nec chlamyde curtalini, sed sagulis palliati: nec baltheo, sed reste succincti: nec improba attonsi capitis fronte criniti, sed casta informitate capillum ad cutem cæsi, & inæqualiter semitonsi, & destituta fronte prærasi, & ornatu pudicitiæ inornati, & decenter inculti sint, & honorabiliter despicabiles, cùm ingenitam quoque speciem corporis pro interiore cultu aspernantes, etiam studio deformantur, vt fiant pudenter inhonesti vultibus, dum perficiantur salutariter honesti mentibus. Huiusmodi hominum & vultus,
2. Cor. 2 & habitus, & odor nauseam illis facit, quibus odor mortis est in odorem vitæ, quibus dulce, quod amarum: & turpe, quod castum: & hostile, quod sanctum est.

Seuerus Sulpitius. 420.

Vita sancti Martini cap. 7. Plerique camelorum setis vestiebantur: mollior ibi habitus pro crimine erat. Quod eo magis sit mirum necesse est, quòd multi inter eos nobiles habebantur, qui longè aliter educati, ad hanc se humilitatem & patientiam coëgerant. Plures ex his postea Episcopos vidimus. Quæ enim esset ciuitas & Ecclesia, quæ non sibi de Martini Monasterio cuperet sacerdotem?

Constantinus Presbyter. 470.

Vita S. Germani cap. 9. Indumentum, cuculla, & tunica, indiscretis fuêre temporibus. Nam neque hyeme accessit adiectio, neque æstate leuamen admissum est. Quod vtrumque tam diu in vsu fuit, nisi fortè donatum est, donec attritione nimia solueretur, cilicio semper interius inhærente.

Faustus Rhegiensis. 490.

Instructione ad Monachos: Non grande gaudium est, si aliquis ad seculi fluctus reuertens, nomen atque habitum professionis suæ custodire videatur: anima verò eius negligentijs tabescat, & defluat. Et quid grauius, quando subitò tamquam aliquis repentinus eradicaris de loco, ad quem te Dominus tuus vocauerat: in quo te primùm post mala seculi, quasi in portum de tempestate induxerat, obliuisci subitò fraternæ societatis & consolationis, obliuisci illius loci, in quo primùm dulcissimum immutationis habitum & nomen secularis exueris?

Alcimus Auitus. 500.

Libro ad sororem cap. 3.

Sed tibi cùm geminum tetigerunt tempora lustrum,
Mox stola syncera velat te candida cultu,
Virginis os habitumquè decens, quem mater amictum
Religiosa suis manibus confecerat, &c.

Benedictus Abbas. 530.

Cap. 55. Regula: Vestimenta fratribus secundùm locorum qualitatem, vbi habitant, vel aërum temperiem, dentur: quia in frigidis regionibus amplius indigetur: in calidis verò minus. Nos in mediocribus locis sufficere credimus Monachis per singulos cucullam, & tunicam: cucullam in hyeme villosam, in æstate puram, aut vetustam: & scapulare propter opera. Indumenta pedum pedules, & caligas. De quarum rerum omnium colore, aut grossitudine, non causentur Monachi, sed quales inueniri possunt in prouincia, qua habitant, aut quod vilius comparari potest. Abbas autem de mensura prouideat, vt non sint curta ipsa vestimenta vtentibus eis, sed mensurata. Sufficit Monacho duas tunicas, & duas cucullas habere, propter noctes, & propter lauare ipsas res.

Concilium Aurelianense Quintum. 549.

Cap. 19. Quæcumque puellæ seu propria voluntate Monasterium expetunt, seu à parentibus offeruntur, annum in ipsa, qua intrauerint, veste permaneant: postmodum secundùm statuta Monasterij ipsius, in loco, quo elegerint permanere, vestimenta religionis accipiant.

Concilium Matisconense Primum. 576.

Cap. 5. Vt nullus clericus sagum, aut vestimenta, aut calceamenta secularia, nisi quod religionem deceat, induere præsumat. Quòd si post hanc definitionem clericus aut cum indecenti veste, aut cum armis inuentus fuerit, à seniore ita coerceatur, vt triginta dierum inclusione detentus, aqua tantùm & modico pane diebus singulis sustentetur.

Gordianus. 560.

Vita S. Placidi cap. 1. Et primò quidem non cognouerunt eum, ob id scilicet, quia ex quo beato Benedicto oblatus est, illum vlterius non viderant, & post tanti temporis spatium vir factus, & monachali habitu indutus erat.

Martinus Bracharensis. 570.

In Capitulis Græcarum Synodorum cap. 66. Non oportet clericos comam nutrire, & sic ministrare: sed attonso capite, patentibus auribus, & secundùm Aaron vestem talarem induere, vt sint in habitu ornato.

Fortunatus. 580.

Lib. 8. Carm. de Berthilde sacra virgine:

Non cupis auro humeros, nec collum pingere gemmis.
Sed melius casto pectore pura micas.
Mutasti vestem, mutasti generis honorem,
Cùm thalamis Domini sponsa iuganda venis.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 2. Dialog. cap. 1. Sanctus Benedictus conuersionis habitum à Romano Monacho accepit.

Lib. 1. epist. 33. ad Venantium, qui habitum Monasticum dimiserat: In quo habitu fueris recolis, & supernæ districtionis animaduersione postposita, ad quid sis delapsus agnoscis. Culpam ergo tuam pensa, dum vacat; districtionem futuri iudicis, dum vales, exhorresce, ne tunc illam amaram sententiam audias, cùm eam iam nullis fletibus euadas, &c. Si Ananias mortis periculo dignus fuit, qui eos, quos cederat, nummos Deo abstulit, considera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos, sed teipsum, quem Deo omnipotenti sub monachali habitu deuoueras, subtraxisti?

Lib. 10. epist. 22. Quid est habitus Monachi, nisi despectus mundi? Quomodo igitur mundum despiciunt, qui in Monasterio positi aurum quærunt?

Homilia 17. in Euangelia: Cùm Monachum videmus, admonendus est, vt reuerentiam habitus sui in actu, in locutione, in cogitatione sua semper circumspiciat, vt ea, quæ mundi sunt, perfectè deserat, & quod ostendit humanis oculis habitu, hoc ante Dei oculos moribus prætendat.

Ioannes Scotus. 640.

Vita sancti Eustachij cap. 3. Interea peracta legatione sua Eustachius pater remeat, puellam custodia liberat, patrem terribiliter increpat, religionis vestem per Pontificem vrbis illius Gundoaldum nomine induit, sacratque salutaribus sacramentis.

Concilium Toletanum Sextum. 652.

Cap. 6. Procliuis est cursus ad voluptatem, & imitatrix natura vitiorum. Quamobrem quisquis virorum vel mulierum habitum semel induerit spontaneè religiosum, aut si vir deditus Ecclesiæ choro vel fœmina fuerit, aut fuit delegata puellarum Monasterio: in vtroque sexu præuaricator, ad propositum inuitus reuerti cogatur, vt vir detondeatur, & puella in Monasterium regrediatur. Viduæ quoque, sicut vniuersalis Synodus iamdudum statuit, professionis vel habitus sui desertrices, superiori sententia condemnentur.

Concilium Toletanum Decimum. 658.

Cap. 6. De his, qui in parua ætate coram parentibus religionis habitum tenuerunt, quoniam vsque huc dissolutæ operationis effectus interdum mutare fecit honestum constitutionis edictum, &c. Ideo, si in qualibet minori ætate vel religionis tonsuram, vel religioni debitam vestem in vtroque sexu filijs, aut vnus, aut ambo parentes dederint, certè aut nolentibus, vel nescientibus sese susceperant, non mox visam in filijs abdicauerint: sed vel coram se, vel coram Ecclesia, palamque in conuentu eosdem filios talia habere permiserint, ad secularem reuerti habitum, ipsis filijs quandoque penitus non licebit: sed conuicti, quòd tonsuram aut religiosam vestem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum habitumque reuocentur, & sub strenua districtione huiuscemodi obseruantiæ inseruire cogantur.

Beda. 700.

Historiæ Anglicanæ lib. 3. cap. 26. In magna erat veneratione tempore illo religionis habitus, ita vt vbicunque Clericus aliquis, aut Monachus aduenisset, gaudenter ab omnibus, tamquam Dei famulus exciperetur.

Lib. 4. cap. 27. Chutbertus à prima ætate pueritiæ studio religiosæ vitæ semper ardebat: sed ab ineunte adolescentia monachicum & nomen assumpsit & habitum.

Luitprandus Rex Longobardorum. 730.

In Legibus titulo 22. §. 1. De his fœminis, quæ velamen sacræ religionis suscipiunt, atque à parentibus suis Deo vouentur, atque ipsæ eligunt religionis habitum & vestem Monasticam induere, quanquam à sacerdote consecratæ non sint, placuit pro Dei amore, vt in ipso habitu in omnibus perseuerent.

Auctor Ordinis Romani. 730.

In Ordine ad faciendum Monachum: Oremus: Deus æternorum bonorum fidelissime promissor, certissime persolutor, qui vestimentum salutare & indumentum æternæ iucunditatis tuis fidelibus promisisti, clementiam tuam suppliciter exoramus, vt hæc indumenta, humilitatem cordis, & contemptum mundi significantia, quibus famulus tuus sancto visibiliter est informandus proposito, propitius benedicas, vt beatæ castitatis habitum, quem te aspirante suscepit, te protegente custodiat, & quem vestibus venerandæ promissionis induis temporaliter, beata facias immortalitate vestiri.

Tunc exuatur ab Abbate ipse nouitius proprijs vestimentis, & interroget eum, si propria voluntate abrenuntiet mundo, &c. si omnia ista gratuito animo promiserit, Abbas dicat illi: Expolia te veterem hominem cum actibus suis, & indue nouum Dominum Iesum Christum. *Resp.* Amen. *Et adijciens dicat:* Accipe hoc salutare indumentum, quod venerabilis Pater Benedictus illæsum custodiuit, vt per eius imitationem, ipsis cœtui aggregatus, ante tribunal Christi valeas peruenire. *Et indutus ipsam melotem, toto corpore prostratus ante altare dicat hunc versum:* Suscipe me secundùm eloquium tuum, &c.

Zacharias Papa. 740.

Epistola ad Pipinum: Monachi laneis indumentis iuxta normam & regulam Monasticæ disciplinæ, atque traditionem Sanctorum probabilium Patrum, sine intermissione vtantur. Si enim abrenuntiantes ea, quæ seculi sunt, tota se Deo intentione contulerunt, de omnibus illicitis debent abstinere, vt quantum corpori suo sustinuerint laborem, tantum remunerationis præmium à Deo percipere mereantur.

Adelinus Sagiensis. 880.

In vita S. Opportunæ: Interea appropinquat dies, quo B. Opportuna Episcopali benedictione velamen consecratum capiti suo imponat, & abiectis iucunditatis & secularibus ornamentis, induatur vestibus sacræ religionis. Itaque deposita regia purpura, multum lætatur vili circumamicta tunica, &c. Omnibus seculi rebus valefaciens, & soli Deo vacare cupiens, accepto sanctæ conuersationis habitu, cœtui sanctarum coniuncta est fœminarum, Domino ibidem famulantium.

Ado Viennensis. 880.

Ætate 6. de anno 727. Carolus Monasterium in monte Sarepte, in veneratione S. Syluestri construxit, ibique sub monastico habitu aliquo tempore vixit. Inde ad S. Benedictum in Casino monte perueniens, Monachis sociatus est.

Hucbaldus Elnonensis. 900.

Vita S. Aldegundis cap. 6. Deducta est Aldegundis à sanctis Episcopis in oratorium quoddam, vbi sacerdotali benedictione consecrantes eam, æter-

no sponso Saluatori desponderunt, sacrumque velamen in habitum sanctæ religionis super caput eius imposuerunt.

Smaragdus. 930.

In Diademate Monachorum cap. 19. Monachus reuerentiam habitus sui in actu, in locutione, in cogitatione sua semper circumspiciat, atque ea, quæ mundi sunt, perfectè deserat, & quod ostendit humanis oculis habitu, hoc ante Dei oculos moribus prætendat.

Anselmus. 1080.

Ad cap. 2. epistola ad Romanos: Baptismus prodest, si Euangelium obserues: si autem præuaricator legis sis, baptismus tuus nihil tibi valebit. Sic & Monacho cuculla prodest, si Regulam obserues; si autem præuaricator Regulæ sis, cuculla tua inutilis facta est.

De Similitudinibus cap. 92. Quòd Monachus nigras vilesque fert vestes, vt se vilem reputet, peccatoremque commonet. Quòd ijsdem à capite vsque ad pedes tegitur, hoc eum facere à principio vsque ad finem vitæ hortatur. Hæc enim est talaris tunica, & polymita, quam filio suo Ioseph fecisse legitur Iacob Patriarcha. Quòd autem eædem sunt in modum crucis, eum semper habere commonet memoriam Dominicæ passionis.

Franco Affligeniensis. 1100.

Epistola quòd Monachus abiecto habitu non possit saluari: Vestimenta in ministerium & ministrorum Dei vsum inuocatione nominis Christi consecrata, in quo sanctificantur omnia, quæ in cælo, & quæ in terra, salutem præstant, sanctitatem multiplicant, si tamen vtentium ijs vita & conuersatio digna fuerit, quibus inuocatio sancti nominis incrementum conferat sanctitatis. Porrò perditè & indignè habitu sancto vtentibus, habitus (non diffiteor) nihil confert salutis, sed est eis testimonium & cumulus damnationis. Non potest ergo (vt asseris) Monachus habitum professionis suæ absque detrimento salutis suæ abijcere, & habitum clerici assumere, cui iam omnis habitus illicitus factus est, præter eum, in quo professus est.

Guido Carthusianus. 1130.

In Meditationibus cap. 2. Continuum mendacium est habitus tuus, & corona tua: quoniam quod deest significant.

Hildegardis. 1150.

Epistola ad Griseos Monachos: Vestitus Monachorum non à seculo est, sed mirabiliter à Deo, quemadmodum Deus in illis ordinauit, qui hunc primitus ostendendo & docendo protulerunt. Nam cuculla eius ab Angelicis spiritibus præsignata est, qui in faciem Dei, & non in alium aspiciunt: & latitudo eius ad similitudinem nubis tendit: quoniam & Angeli in nubibus multoties visi sunt: & quia etiam vestis innocentiæ Adæ, quasi lucida nubes erat. Homines itaque isti cuculla caput suum tegunt, ne ad sinistram vel dextram declinantes, rectè coram se in impetu spiritus gradiantur, Deum semper inspicientes, ne de bonis operibus reuertantur.

Abbas Ioachim. 1180.

Ad cap. 4. Hieremiæ: Hic nota pro eo, quòd coruus est vnicolor, & columba discolor, in seipsis datur intelligi, quòd Ordines eorum diuersi erunt quoad habitum, non quoad animum: quia ad vnum granum tendunt, & vno studij proposito & voto concurrunt.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap. 16. Clerici clausa deferant desuper indumenta, nimia breuitate vel longitudine non notanda: pannis rubeis, aut viridibus, nec non manicis, aut sotularibus consutitijs, seu rostratis, &c. non vtantur. Cappas manicatas ad diuinum officium intra Ecclesiam non gerant: sed nec alibi, qui sunt in sacerdotio, vel personatibus constituti, nisi iusti causa timoris exegerit habitum transformari. Pontifices in publico superindumentis lineis omnes vtantur, nisi Monachi fuerint, quos oportet deferre habitum monachalem.

Saxo Grammaticus. 1220.

Historia Danica lib. 13. Rex desperato languoris remedio, quia corpori non poterat, spiritui consulere cupiens, regiam vestem cuculla permutat, vocataque militum cohorte, palam regno renuntiat.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Libro de moribus cap. 7. Monachus, aut alterius Ordinis professor, si habitu sui Ordinis abiecto, secularem habitum deferat, Monachus apostata iudicandus est: sic clericus clericali habitu abiecto, si secularem assumpsit, clericus apostata iudicandus est.

Guilhelmus Durandus. 1270.

In Rationali diuinorum lib. 5. cap. 3. Habitus Monachorum habitum imitatur Sanctorum. De Helia namque legitur: *Vir pilosus, & zona pellicea accinctis renibus.* Et de ipso, & de illi similibus dicit Apostolus: *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis.* Et de Heb. 2.
Ioanne Baptista: *Baptistæ,* inquit Euangelista, *zona pellicea circa lumbos.* Adhuc cuculla Monachorum sumpta est à collobijs Apostolorum, quæ vt dalmatica formabantur, & in eis forma crucis prætendebatur: quia illi se vitijs & concupiscentijs crucifigebant: eius nigredo est mundi contemptus, longitudo perseuerantia in bono.

Rainerus Pisanus. 1300.

In Pantheologia de Religiosis cap. 2. Cùm habitus exterior sit signum dispositionis mentis, religiosus potest vti habitu bene & malè. Bene quidem potest vti, & sic est laudabilis vilis & humilis habitus in Religiosis, propter quatuor rationes. Prima est, propter pœnitentiæ executionem: secunda est, propter mundanæ gloriæ vitationem: tertia est, propter sui humiliationem: quarta, propter aliorum ædificationem. Prima causa, quare habitus humilis vel vilis est laudabilis, propter pœnitentiæ executionem. Sicut enim tempore solennitatis & gaudij vtuntur personæ cultioribus vestimentis: ita etiam tempore pœnitentiæ vtuntur pœnitentes vilioribus vestimentis. Sed religiosus est in statu pœnitentiæ. Ergo vilitas vestis sibi competit. Secunda est causa, propter mundanæ gloriæ vitationem. Cùm enim Religiosus sit mortuus mundo, pompam mundi debet contemnere. Signum autem contemptus diuitiarum & fastus mundi est vilis habitus, &c.

ARTICVLVS OCTAVVS.

MONACHORVM ET CLERICORVM TONSVRAM.

IMPROBANT.

Anno post natū Christū 1400 VICLEVISTÆ, in libello, quem scripserant ad Parlamentum Regis Angliæ Richardi Secundi. *Dolorosum interludium est hominibus sapientibus videre Episcopos ludere cum Spiritu sancto in collatione suorum Ordinum, qui ipsi dant coronas in characteribus loco alborum cornorum: & hac litera Antichristi introducta in sanctam Ecclesiam ad coronandam otiositatem.*

1430. *Apud Thaboritas sacerdotes neque coronas ferunt, neque barbas tondent.* Æneas Syluius epist. 130.

1520. *Martinus Lutherus*, in libro de Votis Monasticis, de Missa priuata, & alibi, *tonsuram clericorum & monachorum miris sannis & ludibrijs proscindit.*

1540. Ioannes Caluinus lib. 4 Institut. cap. 19. §. 25. *Radunt eos in vertice, vt corona regale decus significet: assignant & alias rationes. Summitas capitis denudatur, vt mens ad Dominum libera demonstretur. Omnia in figuris scilicet, quia* velum templi *nondum* scissum *est. Quousque nos talibus fucis & prastigijs ludent? Cur non magis sanctitatem verè exhibent, quàm falsis mendacibusque signis ipsius speciem simulant?*

1550. *Hortensius landus, Augustinianæ tonsuræ desertor, libellum emisit in lucem, quem inscripsit de persecutione barbarum, in quo miris sannis Clericorum & Monachorum tonsuram persequitur.*

1560. Magdeburgenses Centuriæ 4 cap.6. pag 467. ad dictum Dionysij Areopagitæ de habitu & tonsura Monachi: *Hæc superstitiosa sunt,* inquiunt, *non consentanea sacris literis, nec obseruationi purioris Ecclesiæ.*

PROBANT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 6. Vbi iste illa omnia intentè promiserit, consignans eum crucis signo sacerdos tondet, trinas diuinæ beatitudinis personas inclamans, &c. Porrò tonsura crinium vitam mundissimam indicat, & nulla figura fucatam, & quæ nullis fictis coloribus inductis animæ deformitatem exornet.

Constantinus Imperator. 320.

In donatione: Ipse Syluester Papa super coronam seu tonsuram, quam habuit ad Dei honorem, & S. Petri, noluit ferre coronam ex auro, vel margaritis.

Synodus Nicæna Prima. 325.

Canone 76. Arabico: Vt religiosi, tum Monachi, tum Moniales, habeant alia indumenta, & alios mores, quàm habent laici, & tondeant caput in modum coronæ, & cingant se.

Athanasius. 340.

De Virginitate: Materia vestium tuarum ne sit pretiosa, capilli circumtonsi, crinalis vitta ex lana sit, caput astringens.

Epiphanius. 380.

Hæresi 80. Oportet filios sanctæ virginis matris Ecclesiæ esse reuerendos in tonsura, & colere Deum occultè videntem occulta, & retribuentem in conspicuo: atque hoc honesto habitu propter externos. Alienum est à Catholica Ecclesia saccus conspicuus, & coma extenta à prædicatione Apostolorum.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 12. quæ est oratio de pace post reconciliationem Monachorum præsente Patre habita: Atque hæc etiam vitæ Deo gratæ pulchra inditia & argumenta, tacitique præcones, sordida nimirum & squalida coma, pedes nudi, & Apostolicos imitantes, nihil mortuum ferentes, apta & moderata tonsura, amictus fastum coercens.

Palladius. 400.

Historiæ sanctorum Patrum cap. 41. Atque aliarum virginum erat huiusmodi habitus, vt essent tonsæ, & haberent cucullos in capite.

Iustinianus Imperator. 530.

Nouella 5. de Monachis c. 2. Sancimus eos, qui singularem conuersationem profitentur, non promptè mox à Præsulibus habitum percipere monachalem, sed per triennium totum tolerare, nondum monachicum habitum promerentes, sed tonsura & veste eorum, qui laici vocantur, vti.

Cap. 3. Qui triennio toto ita permanserint, optimos semetipsos alijs Monachis, & Præsuli demonstrantes, hos monachicam promereri vestem atque tonsuram.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 4. Quem optimus ille pastor & peritissimus medicus per dies septem sic probatum, confessum statim tonderi fratribusque aggregari permisit.

Leontius Cyprius. 600.

Vitæ Simeonis Sali c. 7. Quocirca sapiens ille medicus & doctor, cùm ea, quæ ipsi inerat sapientia

& ex-

Digitized by Google

& experientia eos armasset talibus monitis & præceptis, rursus dicit vtrisque: vultisne capitis vestri comam tonderi, an paruo adhuc tempore versari in laico habitu, quem hodie geritis? Illi autem vno consilio, vel potius vno sancto Spiritu ceciderunt ambo ad Præfecti pedes, petentes ab eo, vt eos statim tonderet, & citra dilationem.

Antiochus. 610.

Homilia 89. Nos exuti primùm veterem hominem cum actibus suis, quin externè etiam detonsi, nosque ad eleemosynas exponentes, nudi quoque cura omni & veste in stadium ascendamus exercendæ virtutis.

Ioannes Moschus. 620.

In Prato spirituali cap. 118. Menas Diaconus monachus, relicto monastico habitu, ad seculum rediit: postea profectus Theopolim, cùm rediret in Seleuciam, vidit monasterium S. Simeonis Stylitæ de longè, & ait intra se: Ascendam, & videbo magnum Simeonem. Nunquam enim eum viderat. Euntem verò, & iam cœnobio appropinquantem vt vidit Abbas Simeon, diuinitus agnoscens quòd esset Monachus, & quia Diaconus fuisset, vocauit ministrum suum, dicens: Affer huc forfices. Cumque attulisset, ait illi: Benedictus Dominus, tonde illum, ostendens eum digito. Erant enim multi circa columnam. Admiratus autem ille in verbo senis, simulque timore magno comprehensus, suscepit tonsuram, nihil omninò loquens. Intellexit enim, quia Deus reuelasset seni de se. Cùm minister ergo totondisset illum, ait illi magnus Simeon: Fac orationem Diaconi, & cùm orasset, ait iterum: Perge in Raythu, vnde existi.

Concilium Trullense. 710.

Can. 42. Eos, qui dicuntur Eremitæ, qui quidem nigris vestibus induti, & capite comati vrbes obeunt, & cum viris ac mulieribus versantur, & propriæ professioni faciunt iniuriam, statuimus, si elegerint quidem tonsis comis reliquorum Monachorum amictum suscipere, eos in Monasterio constitui, & inter fratres referri.

Can. 43. Licet omni Christiano vitam exercitatricem eligere, & rerum ad vitam pertinentium deposita tempestate, Monasterium ingredi, atque instar Monachi tonderi, in quacunque prolapsione deprehensus fuerit.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

In Theoria: Tonsura capitis sacerdotis, & rotunda pilorum eius media sectio, vice coronæ est spineæ, quam Christus gestauit. Duplex corona circumposita capiti sacerdotis, ex capillorum significatione, imaginem refert venerandi capitis Apostoli Petri, quæ, cùm missus esset ad prædicationem Domini, ac magistri, ei tonsa est ab iis, qui eius sermoni non credebant, vt illuderetur ab ipsis, eique magister Christus benedixit, & infamiam in honorem, illusionem in gloriam conuertit.

Elias Cretensis. 780.

In orationem 19. *Nazianzeni*: Per excoriationem in cute, profundam tonsuram, atque ad pellem vsque accedentem intelligit, ita vt ipsam attingat. Ea quippe Monachis decus atque ornamentum est.

Synodus Nicæna Secunda. 790.

Can. 14. Quoniam videmus nonnullos à pueris tonsuram cleri accipientes, nondum accepta Episcopi manuum impositione, & in congregatione in suggestu legentes, & id non canonicè facientes, hoc à præsenti Canone non fieri permittimus: hoc ipsum autem etiam in Monacho seruari.

Ignatius. 820.

In vita sancti Tarasii: Tunc de cætero inspiratione principalis & diuini Spiritus, conspirante etiam consilio Imperatoris, limi mundani mutata dignitate, & tonsa coma ritu clerici, honestoque & venerando alio sumpto amictu, diuinis & spiritualibus inuocationibus, sicut Aaron & Phinees, suscipit vnctionem honoris sacerdotalis, & ascendit ad altitudinem cathedræ pastoralis.

Leo Imperator cognomento Philosophus. 880.

Constitutione 6. De bonorum dispositione peculiarem sententiam pronuntiamus, vt nempe, qui sextodecimo aut decimoseptimo tonderi voluerit anno, de rebus suis quomodo velit statuere, possit.

Simeon Metaphrastes. 950.

De S. Cyro, & Ioanne: Cùm ergo (*Cyrus*) sic, & propter hæc venisset in Arabiam, statim mutat habitum, vitæ formam & studium, & cùm caput cute tenus totondisset, amictu induitur monastico, & ad viuendi rationem extollitur sublimiorem.

Vita Danielis Stylitæ cap. 5. Cùm præfectus sacri gregis iussisset omnes congregari in Dominico, & Danieli sacram recitasset regulam, tondet ei capillos, & monastico eum induit habitu.

In vita SS. Menæ, Hermogenis, & Eugraphi: Maximinus Imperator Ethnicus: Dic mihi, inquit, ô infelix Hermogenes, quidnam te mouit, vt sineres hunc diutius versari in vanitate, & non solùm eum ab errore non reduceres, sed eiusdem malæ opinionis fieres socius, & tibi præterea caput, ô stulte, tonderes, & reputareris esse vnus ex iis, qui sunt in theatro, histrionibus?

Ioannes Zonaras. 1100.

Tomo 3. *Annalium in Romano Lacapeno*: Filium natu minimum Theophylactum, cui Pontificatum vrbis Imperatoriæ ambiebat, detonsa coma clericum fecit, à Patriarcha Syngelum quoque designatum.

In Romano Argyropolo: Zoë Imperatrix Petrinum professa, sororem Theodoram pro Monacha totondit.

Theodorus Balsamon. 1160.

Ad Canonem 33. *Synodi Trullensis*. Nota, quòd simulac acceperunt aliqui tonsuræ characterem à manu Antistitis, eos pro clericis habeat Canon. Audiui etenim nonnullos dicentes, non esse lectorem, nec dici clericum, qui fit in cleri ordinem relatus, sed eum demum esse clericum, qui solùm habet tonsuram: & ideo ei licere in laicalem habitum transmutari. Quod mihi quidem non videtur. Sed & Monachos, qui non habent Episcopales coronas, sed monachicam tonsuram, dicunt nonnulli posse in suggestu legere, & reliqua, quemadmodum & clerici, tamquam monachalis tonsura vtique sufficiat pro tonsura clericali. Mihi autem videtur Monachum, qui à sacerdote, qui præest, lector est constitutus, in suggestu posse legere. Eum autem, qui habet solam monachalem tonsuram, hoc facere non posse.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Responso 2. *c. de vita Monastica*. Respondemus priscos Monachos se necessariò cum tonsura, & voto ad solitariam contulisse vitam: eadem id ratione etiamnum fieri.

Stephanus Gerlachius.

Epistola Constantinopoli ad Martinum Crusium scripta de Græcorum ritibus: Dominus Patriarcha Hieremias vir hilaris & humanus est, hominibus arridens: in medio capitis rasura, in syncipite corolla, in occipitio & temporibus longi capilli, sicut in omnibus illic Monachis.

PROBANT PATRES LATINI.

Anicetus. 154.

Epistola ad Gallia Episcopos cap. 4. Prohibete, fratres, per vniuersas regionum vestrarum Ecclesias, vt clerici, qui laicis & simplicibus virtutis, honestatis, pudicitiæ, & grauitatis exemplar esse debent, ac seipsos, tamquam signum purioris vitæ, rudioribus ad imitationem prudenter exhibere, iuxta Apostolum,
1.Cor.11.
comam non nutriant, sed desuper caput in modum sphæræ radant: quia sicut discreti debent esse in conuersatione, ita & in tonsura, & omni habitu discreti debent apparere.

Marcellus Primus. 304.

Apud Gratianum 20. quæst.1. Illud autem statuendum esse censemus, vt si in minori ætate filij Monasterio oblati fuerint, vel sacram tonsuram, vel velamina susceperint, dignum quidem duximus, vt decimoquinto anno à Prælatis admoniti, verbis inquirantur, vtrum in ipso habitu permanere cupiant, an non?

Ambrosius. 370.

Ad Virginem lapsam cap. 8. Lugubris tibi accipienda est vestis, & mens, ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præbuerunt.

Prudentius. 380.

Hymno 13. de S.Cypriano:

Vnus erat iuuenum doctissimus artibus sinistris,
Fraude pudicitiam perfringere, nil sacrum putare:
Sæpe etiam magicum cantamen inire per sepulchra,
Quo geniale tori ius solueret æstuante nupta:
Luxuriæ rabiem tanta cohibet repente Christus,
Discutit & tenebras de pectore, pellit & furorem,
Implet amore sui, dat credere, dat pudere facti.
Iamquè figura alia est, quàm quæ fuit oris & nitoris:
Exuitur tenui vultus cute, transit in seueram,
Defluа cæsaries compescitur ad breues capillos:
Ipse modesta loqui, spem quærere, regulam tenere,
Viuere iustitiæ Christi, & penetrare dogma nostrum.
His igitur meritis dignissimus vsque Episcopale
Prouehitur solium Doctor, capit & sedile summum.

Hieronymus. 390.

Epistola 48. ad Sabinianum cap. 3. Moris est in Ægypti, & Syriæ Monasterijs, vt tam virgo, quàm vidua, quæ se Deo vouerint, & seculo renuntiantes, omnes delicias seculi conculcârint, crinem Monasteriorum matribus offerant desecandam,
1.Cor.11
non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessuræ capite, sed ligato pariter ac velato. Nec hoc quisquam præter tondentes nouit, & tonsas, nisi quòd quia ab omnibus fit, pene scitur ab omnibus.

Epistola ad Augustinum, quæ est inter epistolas Augustini 26. Fratres tuos dominum meum Alipium, & dominum meum Euodium, vt meo nomine salutes precor coronam tuam.

Augustinus. 400.

Epistola 147. ad Proculianum Episcopum: Honorant nos vestri, honorant vos nostri. Per coronam nostram nos adiurant vestri, per coronam vestram vos adiurant nostri.

Paulinus Nolanus. 410.

Epist. 4. Venio nunc ad maiorem fratris erga me Victoris operam, qua me suis manibus tondere dignatus est, quod ipsum tamen beneficium tibi me debere voluit.

Epistola 7. Monachi non improba attonsi capitis fronte criniti, sed casta informitate capillum ad cutem cæsi, & inæqualiter semitonsi, & destituta fronte prærasi, & ornatu pudicitiæ inornati, & decenter inculti, & honorabiliter despicabiles, cùm ingenitam quoque speciem corporis pro interiore cultu aspernantes, etiam studio deformantur, vt fiant prudenter inhonesti vultibus, dum perficiantur salutariter honesti mentibus.

Eucherius Lugdunensis. 430.

In Natali plurimorum Martyrum: Ibi oriuntur peccata, vbi radices figunt: quę vbi succisæ fuerint, non est vbi crescant. Vnde scriptum est: *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* Vnde & sacerdotes comam nutrire interdicuntur.

Sidonius Apollinaris. 470.

Lib. 4. epist. 13. Nuper rogatus Germanici spectabilis viri Cantilensem Ecclesiam inspexi. Et ipse loco sitorum facilè primus, quiquè post tergum cùm iam duodecim lustra transmittat, quotidie tamen habitu cultuquè continuò non iuuenescit solum, sed quodammodo repuerascit. Etenim vestis astricta, tonsus cothurnus, crinis in rotæ speciem accisus, barba intra rugarum latebras mersis ad cutem secta forficibus, ad hoc & munere superno membrorum solida coniunctio, integer visus.

Constantius Presbyter. 480.

Vita sancti Germani cap. 4. Beatus Amator videns Germanum illustrissimum nihil oneris portantem, præcepit ostiarijs, Ecclesiæ fores claustris vt arctarent. Ipse verò glomerata secum turba clericorum atque nobilium, inijciens manus Germanum apprehendit, & inuocato nomine Domini cęsariem eius capiti detrahens, habitu religionis, reiectis secularibus ornamentis, cum promotionis honore induit.

Concilium Agathense. 506.

Cap. 20. Clerici, qui comam nutriunt, ab Archidiacono (etiamsi noluerint) inuiti detondeantur: vestimenta etiam, vel calciamenta, nisi quæ religionem deceant, vti, aut habere non liceat.

Benedictus Abbas. 530.

In Regula cap. 1. Tertium Monachorum teterrimum genus est, Sarabaitarum, qui nulla regula approbati experientia magistra, sicut aurum fornacis, sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus seruantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur.

Gregorius Turonensis. 580.

Vitæ Patrum cap. 9. Patroclus abijt ad Arcadium Biturigiæ vrbis Episcopum, petijtquè sibi comam capitis tonderi, accirique se in ordinem clericorum. Quod Episcopus Domino volente fine mora compleuit.

Hist. Franc. lib. 5. cap. 5. Transeunte interea B. Tetrico Episcopo Syluester tonso capite Presbyter ordinatur.

Martinus Bracharensis. 590.

Græcarum Synodorum cap. 66. Non oportet Clericos comam nutrire, & sic ministrare: sed attonso capite, patentibus auribus, & secundùm Aaron talarem vestem induere, vt sint in habitu ornato.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 8. epist. 23. Monasterijs omnibus fraternitas vestra districtius interdicat, vt eos, quos ad conuertendum susceperint, prius quàm biennium in conuersatione compleant, nullo modo audeant tonsurare: sed hoc spatio vita moresquè eorum solicitè comprobentur.

Faustus. 600.

In vita D. Mauri: Dimittens Florum Rex, dixit ad illum: Quæ cum viro Dei de nostra ad locum illum inueneris professione, citius nobis remandare satage. Multum enim vellem, si possi-

bile

bile esset, die, quo capitis comam deposueris, tibi adesse.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Ecclesiasticis officijs lib. 2. cap. 4. Tonsuræ Ecclesiasticæ vsus à Nazaræis, ni fallor, exortus est, qui prius crine seruato denuò post vitæ magnæ continentiam, deuotione completa, caput radebant, & capillos in ignem sacrificij ponere iubebantur, scilicet, vt perfectionem consecrationis Domino consecrarent. Huius ergo exempli vsus ab Apostolis introductus est, vt hi, qui in diuinis cultibus mancipati Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est, sancti Dei, crine præciso innouentur, &c. Est autem in clericis tonsura signum quoddam, quod in corpore figuratur, sed in animo geritur, scilicet, vt hoc signo in religione vitia resecentur, & criminibus carnis nostræ, quasi crinibus exuamur, atque inde innouatis sensibus, vt comis rudibus innotescamus, *expoliantes nos*, iuxta Apostolum, *veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, qui in agnitionem Dei renouatur.* Quam renouationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, vbi mens noscitur habitare. Quòd verò detonso capite inferius circuli corona relinquitur, sacerdotium regnumquè Ecclesiæ in eis existimo figurari. Tiara enim apud veteres constituebatur in capite sacerdotum. Hæc ex bysso confecta rotunda erat, quasi sphæra media, & hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autem, latitudo aurei est circuli, quæ regum capita cingit. Vtrumque itaque signum exprimitur in capite clericorum.

Concilium Toletanum Quartum. 646.

Cap. 40. Omnes clerici vel lectores, sicut Leuitæ & sacerdotes, detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant. Non sicut huc vsque in Galliciæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis, vt laici, comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispanijs huc vsque hæreticorum fuit. Vnde oportet, vt pro amputando ab Ecclesijs scandalo, hoc signum dedecoris auferatur, & sit vna tonsura vel habitus, sicut totius Hispaniæ est vsus. Qui hoc non custodierit, fidei Catholicæ reus erit.

Concilium Toletanum Decimum. 658.

Cap. 6. Conuicti, quòd tonsuram aut religiosam vestem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum, habitumquè reuocentur.

Ceolfridus Anglus. 680.

Epistola ad Naitanum regem: Neque ob id tantùm in coronam attondemur, quia Petrus ita attonsus est: sed quia Petrus in memoriam Dominicæ passionis ita attonsus est, idcirco & nos, qui per eandem passionem saluari desideramus, ipsius passionis signum, cum illo in vertice summa videlicet capitis nostri parte gestamus. Sicut enim omnis Ecclesia signum sanctæ crucis in fronte portare consueuit, vt crebro vexilli huius munimine à malignorum spirituum defendatur incursibus, crebra huius admonitione doceatur, se quoque carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifigere debere: ita etiam oportet eos, qui vel Monachi votum, vel gradum clericatus habentes, arctioribus se necesse habent pro Domino continentiæ frænis astringere, formam quoque coronæ, quam ipse in passione sua spineam portauit in capite, vt spinas & tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est, exportaret & auferret à nobis, suo quemque in capite per tonsuram præferre, vt se etiam irrisiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo sufferre, ipso etiam frontispicio doceant, vt coronam vitæ æternæ, quam repromisit Deus diligentibus se, se semper expectare designent.

Beda. 700.

Historia Anglicana lib. 4. cap. 1. Theodorus Subdiaconus ordinatus, quatuor expectauit menses, donec illi coma cresceret, quò in coronam tonderi posset. Habuerat enim tonsuram more Orientalium.

Lib. 5. cap. 13. Iucuningus regis Alfridi rogatu in Monasterio inditus, ac monachia est tonsura coronatus.

Vita S. Chutberti cap. 6. Post dies paucos obtinuit apud Abbatem monasterij, vt accepta tonsura, fratrum iungeretur consortio.

Auctor Ordinis Romani. 730.

In Ordine ad capillaturam incidendam: Oratio, cùm quis tonsuratus fuerit: Deus propitiare peccatis nostris, & ab omni seruitute secularis habitus hunc famulum tuum N. dum ignominiam huius mundi deponit, eruere, & conseruare dignare, vt tua semper gratia perfruatur, & sicut similitudinem coronæ eum gestare fecimus in capite, sic tuam virtutem & hæreditatem sequi mereatur in corde.

Alcuinus. 750.

Libro de diuinis officijs cap. 35. de tonsura clericorum: Fertur B. Petrus primus sibi huiusmodi tonsuram fecisse, ad similitudinem spineæ coronæ Domini: siue vt clerici à laicis non solùm differant habitu, verùm & tonsura.

Concilium Moguntinum. 813.

Cap. 23. De Clericis hoc statuimus, vt hi, qui hactenus inuenti sunt, siue in Canonico, siue in Monachico ordine tonsurati, sine eorum voluntate, si liberi sunt, vt ita permaneant: & deinceps cauendum, vt nullus tondeatur sine legitima ætate, & spontanea voluntate, vel licentia domini sui.

Amularius. 830.

De diuinis officijs lib. 2. cap. 5. Caput nostrum significat principale mentis nostræ, vbi agnitio Dei est. Agnitio Dei est in mente. Duæ sunt partes animæ, superior & inferior. Superior est mens, in qua est Dei agnitio: illam radere debemus à superfluis cogitationibus, vt oculus intellectus nostri æterna possit intueri. De qua re dicit Gregorius in Moralibus. Quid verò per caput, nisi ea, quæ per principale vniuscuiusque actionis mens ipsa signatur? *Et post pauca:* Caput ergo tondere, est cogitationes superfluas à mente resecare. Inferior verò pars habet capillos, id est, multifluas cogitationes, in qua solemus de temporalibus sæpe cogitare, &c. Capilli in inferiori capitis parte manent: circulus verò capillorum virtutem æqualitatis rationi vndique consentientem significat. Superiorem partem rasorio sæpe renouamus, cùm forti solicitudine superfluas temporiasquè cogitationes de superiori parte animæ resecamus. In inferiori parte coronam portamus, cùm ea, quæ secundùm mundum necessaria gubernare debemus, concorditer cum ratione æquamus.

Rabanus Maurus. 850.

Lib. 2. de institutione cleri cap. 3. de tonsura clericorum eadem habet quæ Isidorus.

Ericus Altisiodorensis. 880.

In vita S. Germani Altisiodorensis Episcopi lib. 1.

Antistes sacri circumfuso agmine cleri,
Viquè manuquè virum primus peruadit inermem,
Magno ausu præbente Deo: cuiusque vocato
Nomine sublimi crinem de vertice carpens,
Mutatumquè animo mutans discrimine vestis,
Promotum iubet esse gradus in honore secundi.

Ado Viennensis. 880.

Aetate 6. de anno 717. Amore diuino inflammati multi Anglorum gentis de Britannia Romam ve-

[illegible]s temporibus maximè studuerunt, ibique [illegible]m religionis tonsuram clericalem susce-[illegible]

Huchaldus Elnonensis. 900.

[illegible] *Rictrudis cap.* 14. Amandus Maurontum [illegible]siastico totondit, decisa coma capitis [illegible]næ signum vel effigiem ferret in ca-[illegible]u, quod exterius fiebat, innuens, quid [illegible] significatione intus seruari oporteret: nempe, vt vertice capitis nudato, designaretur præpotenti Deo nuda & aperta esse etiam arcana pectorum, nihilqúe vel abditissimis versari cogitationibus, quod fugiat oculos cuncta cernentis. Porrò crebra capillorum resectio, indicaret assiduè resecandas malarum cogitationum superfluitates. Denique corona & summi sacerdotis tiaram, & regiæ dignitatis diadema exprimeret: vt inde admoneretur, ad regale se pertinere sacerdotium, & post victoriam, ex multifarijs mortalis vitæ tentationibus reportatam, meritò se recepturum vitæ immortalis coronam, *quam Deus repromisit diligentibus se.*

Fridegodus. 950.

Vita S. Audoeni cap. 10. Postea verò tum regis voluntate, tum multorum hominum religiosorum consilio & hortatu, clerici tonsuram accepit, vno eodemqúe tempore etiam ipso Eligio viro Dei comam ponente.

Radulphus Ardens. 1050.

Sermone de vno Confessore: Nos sacerdotes coronam habemus: quæ quidem corona, si in moribus eius significationem exprimimus, corona est vtique nobis gloriæ & honoris, aliàs opprobrij & confusionis.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

De similitudinibus cap. 93. Corona capillorumqúe tonsura, eum esse debere sacerdotem regemqúe demonstrat. Sacerdotes quippe in lege mithra tegebant caput: ad similitudinem eius & huic caput raditur. Reges autem coronis vtuntur: ad cuius similitudinem huius capilli tondentur. Hæc itaque coarctant eum, vt sacerdotis & regis gerat officium.

Carmine de mundi contemptu, & vita Monachorum:

Quid deceat Monachum, vel qualis debeat esse,
Qui iubet vt dicam, porrigat ipse manum.
Non tonsura facit Monachum, non horrida vestis:
Sed virtus animi, perpetuusqúe rigor.
Nil tonsura iuuat, iuuat aut vilissima vestis,
Si lupus es, quamuis esse videris ouis.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de excellentia sacrorum Ordinum: Ad hoc capillos in modum coronæ in summitate capitis raditis, vt & regnum spirituale, quo cæteris præminetis, tali figura ostendatis, & curæ mortalis illecebras frequenter redeuntes sic amputetis de corde, sicut crines frequenter resurgentes abraditis de capite. Residuos autem capillos eo ordine præcidere debetis, vt aures, oculos, & alios sensus capitis liberos reddant, & curam exteriorum non in superfluis desiderijs carnis, sed necessarijs tantùm exercendum cognoscant.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De diuinis officijs lib. 2. *cap.* 25. Sic subornati caput intactum præferimus, & rasuram, quam coronam nominamus, nullo ornamento contegimus. Non est enim plenum gaudium nostrum: quoniam non in re præsentium, sed in spe gaudemus futurorum. Idcirco autem rasi sumus, quia sumus filij Core, id est, calui, scilicet Domini nostri Iesu Christi, qui in Caluariæ loco crucifixus est: dictumqúe est ei, videlicet Helisæo, à pueris cum illusione: *Ascende calue.* Rasis ergo capitibus antiquam Nazaræorum legem mutauimus. Olim namque Nazaræi capillos nutriebant, nos è contra capillos decidimus. Hoc humilitatis insigne vocamus coronam, id est, victoriam: quia fidelis illa Domini decaluatio, cuius hæc rasura signum est, procul dubio victoria est, triumphus est, honor est, & gloria nostra.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei lib. 2. *parte* 3. *cap.* 1. Coma capitis clerico in modum coronæ tondetur, & ipsa capitis summitas desuper nudatur, & reuelatur, vt per hoc detur intelligi, quòd ad regiam in Christo potestatem assumitur, & quòd inter ipsum & Deum deinceps velamen esse non debet, vt reuelata facie, & pura mente Domini sui gloriam contempletur. Summum capitis, summum est mentis: Denudatio capitis, illuminationem significat mentis.

Guido Carthusianus. 1130.

In Meditationibus cap. 2. Continuum mendacium est habitus tuus, & corona tua: quoniam quod deest significant.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. *d.* 24. Corona signaculum est, quo clerici signantur in partem sortis ministerij diuini. Corona regale decus significat: quia seruire Deo, regnare est Summitas capitis desuper nudatur, vt eorum mens ad Dominum libera monstretur, quæ reuelata facie gloriam Dei contempletur. Summitas enim capitis, est eminentia mentis denudatio capitis, est reuelatio mentis. Clericus enim secretorum Dei non ignarus esse debet. Tondentur etiam capilli vsque ad reuelationem sensuum, scilicet oculorum, & aurium, vt vitia in corde & opere pullulantia doceantur præcidenda.

Alexander Tertius. 1160.

Extra. de vita & honestate clericorum: Clerici, qui comam nutriunt, & barbam, etiam inuiti tondeantur à suis Archidiaconis.

Stephanus Eduensis. 1180.

In Prologo de Sacramento Altaris: Qui ad gradus Ecclesiasticos promoueri intendunt, regale signum prius accipiunt, quod habent in summitate capitis expressum, & à rotunditate corona nuncupatum. Tonsio capillorum, & rasura ostendunt vitia, quæ pullulant, esse resecanda: rotunda forma tonsionis, regnum spirituale, quo præeminent cæteris. Tonsura capillorum à Nazaræis videtur habuisse exordium, qui crine seruato, deuotione completa, caput radebant. Vnde ab Apostolis est institutum, vt qui diuino cultui sunt mancipati, hoc signaculo sint Domino consecrati.

Innocentius Tertius. 1200.

Epistola ad Rotomagensem Episcopum: Cùm contingat interdum, vt laici ad sua Monasteria conuolantes, à suis Abbatibus tonsurentur, requisisti an clericatus ordo in tonsura huiusmodi conferatur: super quæ tibi respondendum, quòd cùm in septima Synodo sit statutum, vt lectores per manus impositionem licencia sit vnicuique Abbati in proprio Monasterio solummodò faciendi, dummodò ipsi ab Episcopo (secundùm morem præficiendorum Abbatum) manus impositio facta noscatur, & constat eum existere sacerdotem, per primam tonsuram, iuxta formam Ecclesiæ datam, à talibus clericatus ordo confertur.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap. 16. Clerici coronam & tonsuram habeant congruentem, & se in diuinis, & alijs exerceant studijs diligenter.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In dic

In die Circumcisionis Domini: Clerici tondentur, & capita eorum raduntur: per quod temporalium abiectio, & superfluorum designatur resectio, & quòd purè & immediatè Deo debent adhærere. Nolite ergo, ô clerici, errare, *Deus non irridetur*, qualas vos exterius ostenditis in corpore, tales sitis interius in mente.

VVilhelmus Aluernus. 1230.

Libro de Sacramentis, de Sacramento Ordinis cap. 3. Per primam tonsuram militiæ clericali simpliciter ascriptus, non ex hoc alicuius clericalis officij specialem dignitatem adipiscitur.

Thomas Aquinas. 1250.

Lib. 4. *Sent. dist.* 24. His, qui ad diuina mysteria applicantur, competit tonsura & rasura, in modum coronæ, & ratione figuræ. Quia corona est signum regni, & perfectionis, cùm sit circularis. Illi autem, qui diuinis ministerijs applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute esse debent. Competit etiam ijs ratione subtractionis capillorum, & ex parte superiore per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus contemplatione diuinorum retardetur, & ex parte inferiori per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus obuoluatur.

Concilium Oxoniense. 1260.

Capite, Ne clerici comam nutriant: Nec ipsi Decani, & Presbyteri, nec alij clerici comam nutriant: sed honestè tonsi, & coronati incedant, nisi fortè iusta causa exegerit habitum transformare.

Bonauentura. 1260.

Lib. 4. *Sent. dist.* 24. *quæst.* 1. Tonsura vel corona in superexcellenti parte debet poni, vt significetur officium nobilitatis, ad quod parati sunt. Deinde tonsura inferior cum rasura superiori circularem figuram faciunt in capillatura, & illa appellari potest corona: quia signat eos parari ad regale sacerdotium.

Conradus Archiepiscopus Coloniensis. 1260.

In Statutis suis cap. 4. Districtè præcipimus, vt clerici tonsuram comæ, quæ clericalis sit, habeant, & suas coronas competentes, & eas radere non omittant: quod tamen inuenimus aliquos omittere, quod maximè detestamur, dum tales & taliter se gerentes, priuilegio quidem clericali gaudere contendant, & tamen signum istius priuilegij aspernentur.

Guibertus Tornacus. 1270.

De officio Episcopi cap. 31. Cùm modò clerici fiunt, portant tonsuram: cuius mysterium est, quia capilli in capite significant cogitationes in mente: capilli autem in inferiori parte capitis remanent. Circulus capillorum virtutem æqualitatis rationi vndique consentientem significat. Tunc enim bene gubernantur res temporales, si rationi conuenerint. Et sic clericus, sicut dicit Horatius:

Fortis, & in seipso totus teres, atque rotundus.

Iacobus Genuensis. 1280.

Sermone de Officio diuino: Minister in suo habitu debet esse decorus. Primò, quia in capite coronam decoram debet habere. In qua corona tria fiunt, scilicet pilorum abrasio, capillorum detruncatio, & formæ sphæricæ figuratio. Abrasio autem capillorum in superiori parte capitis fit, ad innuendum, quòd inter ipsos ministros & Deum nihil debet esse medium, sed immediatè Deo debent vniri per vinculum charitatis, per identitatem voluntatis, & per opera pietatis. Capillorum detruncatio super aures fit, ad innuendum, quòd omnia superflua debent resecare, & superfluas cogitationes abijcere à mente, & ad mandata Dei adimplenda auditum liberum, & expeditum exhibere, & habere. Circularis autem figuratio in modum coronæ fit, ad innuendum quòd Deo seruire regnare est, & quòd sint ministri illius, qui principio caret & fine, & quòd de corona sacerdotalis dignitatis peruenturi sint ad coronam æternæ felicitatis.

Siffridus Archiepiscopus Coloniensis. 1290.

In Statutis Colonien. cap. 9. Denuntiamus omnibus, qui gaudere volunt priuilegio alicuius Ordinis clericalis, quòd nos ipsos non defendemus prætextu priuilegij clericalis vel ordinis, nisi tempore, quo passi fuerint iniuriam, tonsuram & habitum detulerint clericalem.

Bonifacius Octauus. 1300.

In Decretis: Clerici gerant aures patentes, crinibus non opertas, & coronam habeant approbanda latitudine.

Rainerus Pisanus. 1300.

In Pantheologia de Ordine cap. 5. Ad receptionem Ordinis requiritur primò dispositio ex parte corporis, scilicet corona. Nam eis, qui ad diuina mysteria applicantur, competit rasura vel tonsura in modum coronæ: quæ quidem tonsura est dispositio congrua, non necessaria, ad receptionem Ordinis. Quia tonsura fit in corpore, ordo verò imprimitur in anima.

Durandus à Sancto Portiano. 1310.

Lib. 4. *dist.* 24. *quæst.* 4. Per tonsuram clericalem illi, qui tonsurantur, separantur à statu laicorum, & præparantur ad statum ministrorum. Et quia separantur à statu laicorum, ideò deponunt capillos, & tondentur in signum depositionis superfluæ curæ. Cùm verò præparantur ad ministerium Dei, cui seruire regnare est, ideo raduntur in modum coronæ, quæ est signum regale. Religiosi verò Monachi, non clerici, tondentur quidem, quia à secularibus separantur: sed non in modum coronæ: quia non applicantur ad ministerium diuinum.

Henricus Coloniensis Archiepiscopus. 1320.

In Statutis Colonien. cap. 2. Quilibet clericus, siue secularis, siue religiosus, cuiuscunque dignitatis, conditionis, aut status existat, habeat tonsuram, & coronam in capite, suo Ordini & statui congruentem, quæ secundùm sui Ordinis & status decentiam detecta appareat sine fraude in capite non abraso, seu cum forcipe super pectinem detonso, & decurtato, nisi infirmitas, aut alia legitima causa excuset.

VValramus Coloniensis Archiepiscopus. 1336.

In Statutis cap. 18. Nonnulli clerici coronas non deferunt, & si ipsas deferunt, in locis hoc faciunt indebitis, retro videlicet in capite, vt dum velint ipsas, de quibus deberent meritò gloriari, possint sub crinibus occultare, &c.

Aluarus Pelagius. 1340.

De planctu Ecclesiæ lib. 2. *cap.* 14. Clericis computatis ad diuina ministeria competit rasura & tonsura in modum coronæ ratione figuræ. Quia corona est signum regis & perfectionis: cùm sit circularis figura, carens angulo, in signum carentiæ sordium. Quia secundùm Bernardum, vbi angulus, ibi sordes. Si igitur alios virtutibus regere, & se sordibus mundare debent: per rasuram autem ex parte superiori capilli subtrahuntur, ne mentes ipsorum per occupationes seculares retardentur à contemplatione diuinorum mysteriorum. Summitas enim capitis est eminentia mentis. Per ipsius ergo denudationem mentis reuelatio designatur. Et quia conuersi Religiosi ministerijs diuinis non occupantur, superius non raduntur, licet inferius tondentur.

Fridericus Archiepiscopus Coloniensis. 1370.

In Statutis cap. 5. Statuta antecessorum nostrorum edita contra clericos, qui coronam, seu tonsuram Ecclesiasticas debitas, iuxta status & ordinis recepti exigentiam, non deferunt, barbas & comam nutriunt, inuiolabiliter præcipimus obseruari.

Thomas VValdensis. 1410.

Tomo 3. titulo 9. cap. 80. In primæuis Ecclesiæ, non Occidentalibus tantùm, vt nunc, sed & Græciæ, & Asiæ, Monachi tondebantur. Nec mirum. Ipsi enim apud Iudæos, vnde fluxit summa religio, sacerdotes veteres tondebantur, hac ipsa ratione, qua Monachi. Vnde super versum Psalm. 39. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei,* Cassiodorus: Non frustra in comparatione delictorum capilli adducti sunt. Nam in veteri Testamento sacerdotes ipsa similitudine radebantur, vt tali emendatione purgati carnis vitia deposuisse viderentur.

Concilium Constantiense. 1414.

Sessione 43. de vita & honestate clericorum: Inter cæteros Prælatorum & Clericorum excessus hoc maximè inoleuit, quòd spreta in vestibus forma Ecclesiasticæ honestatis, plurimi delectantur esse deformes, & cupiunt laicis conformari: quodque mente gerunt, habitu confitentur. Vnde præter cætera, quæ circa vestes, tonsuram, & habitum Clericorum tam in formis, quàm in coloribus, atque comam seu capillos, vitamque & honestatem clericorum iura statuunt, sacro approbante Concilio innouamus, & præcipimus diligenter obseruari, &c.

Raimundus Sebundius. 1430.

Dialogo 6. cap. 81. Quia tales personæ ordinatæ ab alijs distinguuntur, & eleuantur, ideo oportet quòd sit quædam differentia visibilis, & ideo ante omnia tonsura præcedit, per quam tanquam in signo à laicis separantur.

Ioannes Capistranus. 1440.

In Speculo Clericorum: Clerici sunt reges, id est, se aliosque virtutibus regentes, & ita in Deo regnum habent. Et hoc designat corona in capite. Hanc coronam habent ex institutione Romanæ Ecclesiæ, in signo regni, quod in Christo expectatur. Rasio verò capitis, est temporalium omnium depositio.

Ioannes de Turre Cremata. 1460.

Tractatu 8. in Regulam Benedicti: Tonsura, cùm sit quædam rasura capitis, significat omnium temporalium rerum depositionem, & abrenuntiationem. Dicuntur ergo tales mentiri per tonsuram, & etiam habitu, qui aliud operantur, quàm habitu & tonsura prætendunt. Habitu enim & tonsura prætendunt seculo abrenuntiasse: ipsi verò operibus seculo seruant fidem.

M. Antonius Sabellicus. 1480.

Ennead. 7. lib. 9. Tondentur nouacula à vertice infra dimidium caluæ: capillus infernè recisus, in parui circuli speciem circa aures & tempora totum ambit caput. Vetus, vt mihi videtur, res est, nudatio capitis in ijs, qui sacris initiantur, ac postquam Christiana sit pietas condita, in quibusdam sacerdotijs à veteribus vsurpata. Cæterùm siue à nostris inter ipsa religionis primordia nouiter instituta est, siue veteri ritu sumpta, ita se omnibus initiatorum Ordinibus inseruit, vt nullum sit hodie maius inter mortales sacri profanique capitis discrimen, etiamsi clerus omnium parcissimè tondetur.

(***)

ARTICVLVS NONVS.

MONACHOS ET CLERICOS, QVI DEO ET ECCLESIÆ INSERVIVNT, DOMOS, AGROS, DECIMAS, ET PECVNIAS RECTE A LAICIS ACCIPERE, VT INDE ET IPSI VIVANT, PAVPERIBVS SVBVENIANT, SACRAS AEDES SARTAS TECTAS SERVENT:

Ergo iniquè facere, qui huiusmodi bona rapiunt, vel repetunt.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ 350. *AVDEANI Catholicorum Episcopos culpant, quòd sint diuites.* Epiphanius & Damascenus de Audeanis.

400. *Vadiani, seu Anthropomorphitæ, dicebant non licere Episcopis diuitias possidere.* Augustinus hæresi 40.

1140. *Arnoldus Brixiensis volebat, nec clericos proprietatem, nec Monachos possessiones habentes aliqua ratione saluari posse: cuncta hæc principis esse, ab eiusque beneficentia in vsum tantùm laicorum cedere oportere.* Otto Frisingensis de gestis Friderici Imp. lib. 2. cap 20. Guntherus lib. 3.

1180. *VValdenses dixerunt, sacerdotes pauperes esse debere, sola contentos eleemosyna.* AEneas Syluius histor. Bohemicæ cap. 35.

1200. *Albigenses dicunt, quòd Ecclesia non potest aliquid possidere, nisi in communi.* Antoninus quarta parte Summæ tit. 11. cap. 7. §. 5.

1280. *Gerhardus Sagarellus cum suis Pseudoapostolicis dixit decimas non debere dari sacerdotibus Romanæ Ecclesiæ: quia non sunt pauperes, sicut Apostoli.* Guido de hæres. Nicolaus Eymericus part. 2. quæst. 11.

Digitized by Google

1300. *Beguinæ dicunt, quòd Euangelica perfectio necessariò exigit nihil habere in proprio vel communi.* Guido de Beguinis.

1350. *Marsilius Patauinus dicebat, Ecclesiam temporalia bona possidere non posse.* Bernardus Lutzemburg.

1390. Ioannes VVicleuus quarto Trialogi cap. 10. *Nos dicimus Principibus, quòd ne dùm possunt auferre temporalia ab Ecclesia habitualiter delinquente, nec solùm quòd licet illis hoc facere, sed quòd debent hoc facere sub pœna damnationis gehennæ. Quoniam debent de sua stultitia pœnitere, & satisfacere pro peccato, quo Christi Ecclesiam taliter macularunt.*

Libello de Ecclesia: *Videtur mihi propinquum fidei, siue fides, quòd omnes clerici, & specialiter Prælati Ecclesiæ debent viuere expropriatariè, sicut Christus: & per locum à maiori, sicut vixerunt sacerdotes veteris Testamenti. Secundò videtur mihi probabile, quòd omnes Patres legis gratiæ, siue Papæ, siue sancti Doctores, qui admiserunt donationes Ecclesiæ, vel consenserunt illi donationi, grauiter peccauerunt. Quia contra legem Dei, tam in lege noua, quàm in lege veteri deliquerunt.*

1414. Ioannes Hussus Articulo 3. per Alanum Episcopum ex illius libris excerpto: *Sicut Christus non fuit palliatus temporalibus, & Apostoli eius: ita nec Vicarij, nec successores debent temporalia possidere.*

1450. *In Poli oppido, in Æquicolis posito, erant qui dicerent, nullum verè Christi Vicarium esse eorum, qui post Christum fuerunt, nisi qui paupertatem Christi imitati sunt.* Platina in Paulo Secundo.

1530. *Anabaptistæ, qui se Apostolicos dicunt, omnia communia esse debere docentes, nihil proprij possidendum esse contendunt: inuehuntur in clericorum diuitias.*

1560. Trinitarij in libello, quem Albæ Iuliæ ediderunt, in Antithesibus veri & falsi Christi, tertiam Antithesin hanc ponunt: *Falsus Christus, sicut est Deus æternus, & ditissimus: sic dedit suis sacerdotibus decimas, & multa bona temporalia: Christus autem verus, qui homo temporalis & pauper fuit, pauperes etiam vult ministros.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Exod. 22. *vers.* 29. Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere: primogenitum filiorum tuorum dabis mihi: De bobus quoque, & ouibus similiter facies.

Leuitici 27. 28. Omne quod Domino consecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager, non veniet, nec redimi poterit. Quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino. Et omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur. Omnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur. Si quis autem voluerit redimere decimas suas, addet quintam partem earum. Omnium decimarum bouis & ouis & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quicquid decimum venerit, sanctificabitur Domino.

Numer. 18. 8. Locutusque est Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia, quæ sanctificantur à filijs Israel, tradidi tibi & filijs tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna Hæc ergo accipies de his, quæ sanctificantur, & oblata sunt Domino. Omnis oblatio, & sacrificium, & quicquid pro peccato atque delicto redditur mihi, & cedit in Sancta sanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum.

Numer. 35. 1. Hæc quoque locutus est Dominus ad Moysen in campestribus Moab supra Iordanem contra Iericho: Præcipe filijs Israel, vt dent Leuitis de possessionibus suis vrbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum: vt ipsi in oppidis maneant, & suburbana sint pecoribus ac iumentis.

Deuter. 18. 1. Non habebunt sacerdotes, & Leuitæ, & omnes, qui de eadem tribu sunt, partem & hæreditatem cum reliquo Israel: quia sacrificia Domini, & oblationes eius comedent, & nihil aliud accipient de possessione fratrum suorum: Dominus enim ipse est hæreditas eorum, sicut locutus est illis. Hoc erit iudicium sacerdotum à populo, & ab his qui offerunt victimas: siue bouem, siue ouem immolauerint, dabunt sacerdoti armum ac ventriculum: primitias frumenti, vini & olei, & lanarum partem ex ouium tonsione, &c.

Iosue 13. 33. Tribui autem Leui non dedit possessionem: quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio eius, vt locutus est illi.

4. *Regum* 12. 4. Dixitque Ioas ad sacerdotes: Omnem pecuniam sanctorum, quæ illata fuerit in templum Domini à prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ, & quam sponte & arbitrio cordis sui inferunt in templum Domini, accipiant illam sacerdotes iuxta ordinem suum, & instaurent sarta tecta domus, si quid necessarium viderint instauratione.

2. *Paral.* 31. 4. Præcepit (*Ezechias*) etiam populo habitantium Ierusalem, vt darent partes Sacerdotibus, & Leuitis, vt possent vacare legi Domini. Quod cùm percrebuisset in auribus multitudinis, plurimas obtulêre primitias filij Israel, frumen-

ti, vini, & olei, mellis quoque, & omnium, quæ gignit humus, decimas obtulerunt.

Tob. 1. 2. Tobias in captiuitate poſitus, viam veritatis non deſeruit. 5. Cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Ieroboam fecerat rex Iſrael, hic ſolus fugiebat conſortia omnium: & pergebat in Ieruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſrael, omnia primitiua ſua, & decimas ſuas fideliter offerens.

Eccleſiaſtici 7. 33. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica ſacerdotes, & propurga te cum brachijs. Da illis partem, ſicut mandatum eſt tibi, primitiarum & purgationis: & de negligentia tua purga te cum paucis. Datum brachiorum tuorum, & ſacrificium ſanctificationis offeres Domino, & initia ſanctorum.

Ezechiel 44. 28. Ego hæreditas eorum: & poſſeſsionem non dabitis eis in Iſrael: ego enim poſſeſſio eorum. Victimam & pro peccato & pro delicto ipſi comedent: & omne votum in Iſrael ipſorum erit. Et primitiua omnium primogenitorum, & omnia libamenta ex omnibus quæ offeruntur, ſacerdotum erunt: & primitiua ciborum veſtrorum dabitis ſacerdoti, vt reponat benedictionem domui tuæ.

Malachiæ 3. 10. Inferte omnem decimam in horreum, & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc dicit Dominus.

Lucæ 10. 7. In eadem autem domo manete edentes & bibentes quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſua.

1. *Corinth.* 9. 7. Quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? 9. Scriptum eſt enim in lege Moy-
Deut. 14. ſi: Non alligabis os boui trituranti. 11. Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus? 13. Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt? & qui altari deſeruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Canone 37. Omnium rerum Eccleſiaſticarum curam Epiſcopus gerat, & eas adminiſtret tamquam Deo intuente. Ne liceat autem ex ijs aliquid ſibi vendicare, vel proprijs cognatis quæ Dei ſunt largiri. Si autem ſunt pauperes, vt pauperibus ſuppeditet; ſed non eorum prætextu vendat quæ ſunt Eccleſiæ.

Canone 41. Præcipimus, vt in poteſtate ſua Epiſcopus res Eccleſiæ habeat. Si enim animæ hominum pretioſæ illi ſunt creditæ, multo magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita vt poteſtate eius indigentibus omnia diſpenſentur per Presbyteros & Diaconos, & cum timore omnique ſolicitudine miniſtrentur. Ex ijs autem, quibus indiget (ſi tamen indiget) ad ſuas neceſsitates, & ad peregrinorum fratrum vſus ipſe percipiat, vt nihil eis poſsit omnino deeſſe. Lex enim Dei præcipit, vt qui altari deſeruiunt, de altari paſcantur: quia nec miles ſtipendijs proprijs contra hoſtes arma ſuſtulit.

Conſtit. Apoſtol. lib. 2. *cap.* 25. Quæ ſecundùm Dei mandatum tribuuntur, decimas dico, & primitias, inſumat Epiſcopus, vt homo Dei: quæ cauſa pauperum ſponte offeruntur, diſtribuat decenter in pupillos, in viduas, in afflictos, &c. Hæc quidem non dicimus, vt Epiſcopi laboribus veſtris non fruamini. Scriptum eſt enim: *Non obligabis os bouis triturantis*: ſed vt moderatè cum iuſtitia. Vt igitur bos, cùm in area operatur, ore non obligato inde paſtum capeſsit, non tamen totum, quod in area eſt, ab eo depaſcitur: ſic etiam vos, cùm in area, id eſt, Eccleſia Dei operam exercetis, edite ex Eccleſiæ bonis, vt Leuitæ quoque faciebant, qui in tabernaculo teſtimonij miniſtrabant, quod ex omni parte figura erat Eccleſiæ. Hic igitur Leuitæ, qui in tabernaculo aſsidui erant, ex ijs, quæ Deo ab vniuerſo populo nomine oblationis donabantur, & ex portionibus, primitijs, & decimis, & ex hoſtijs, & oblationibus liberè accipiebant ipſi. Quia verò eorum munus erat miniſtrare in tabernaculo, idcirco non ſunt inter filios Iſrael datæ eis poſſeſsiones: quoniam populi oblationes poſſeſsio Leui erant, & hæreditas Leuiticæ tribus. Vos ergo Epiſcopi eſtis hodie populo veſtro Sacerdotes, Leuitæ, &c. Ergo oportet vt pondus fertis, ſic quoque fructum impræmis percipiatis, eumque cum egentibus communicetis. Oportet namque, vt qui in Eccleſia aſsidui ſunt, Eccleſia eos alat, vtpote ſacerdotes, Leuitas, Præpoſitos, miniſtros Dei, ſicut in libro Numerorum ſcriptum eſt, &c. Quæ Num. 18.
antea ſacrificia, nunc precationes, & obſecrationes, & Euchariſtiæ: quæ tunc primitiæ & decimæ, & portiones ac dona, nunc oblationes, quæ per ſanctos Epiſcopos offeruntur Domino Deo per Chriſtum, qui pro omnibus mortuus eſt.

Origenes. 230.

Homilia 11. *in Leuiticum*: Inuenimus vaſa miniſterij ſancta vocitari, & veſtimenta ſancta dici, & loca nihilominus, quæ in vrbibus vel ſuburbibus poſita ſunt, & ſacerdotibus deputata.

Homilia 11. *in Numeros ex cap.* 18. Primitias omnium frugum, omniumque pecudum ſacerdotibus lex mandat offerri: ita vt omnis, qui poſsidet agrum, vel vineam, vel oliuetum, vel etiam hortum, & ſi quid eſt, quod exercetur in terris, ſed & ſi quis peculia cuiuſcumque pecoris nutriat, offerat ex ijs Deo omne quod primum eſt, id eſt, ad ſacerdotes deferat: Deo enim offerri dicitur, quod ſacerdotibus datur. Et hoc eſt quod docemur ex lege: quia nemo licitè, nec legitimè vtatur fructibus, quos terra produxit, nec animantibus, quæ pecudum protulit partus, niſi ex ſingulis quibuſque Deo primitiæ, id eſt, ſacerdotibus offerantur. Hanc ergo legem obſeruari, etiam ſecundùm literam, ſicut & alia nonnulla, neceſſarium puto. Sunt enim aliquanta legis mandata, quæ etiam noui Teſtamenti diſcipuli neceſſaria obſeruatione cuſtodiant.

Tract. 31. *in Matth.* Multa ſapientia opus eſt, qui vult bene diſpenſare Eccleſiaſticos reditus, vt etiam in iſtis fidelis & prudens diſpenſator inuentus, beatus efficiatur.

Conſtantinus Imp. 320.

Extat apud Eusebium l. 2. vita Cōstāt. cap. 39.

Epistola ad Prouinciales Palæstinæ: Neque enim si quid ærarium earum rerum, quas ante posuimus, possideat, firmè retinere illi liberum erit: imò verò contra sacrosanctas Ecclesias nihil omnino dicere audeat, & quas res ad tempus per iniuriam possederit, eas Ecclesijs iure restituat. Omnia igitur, quæ rectè vereque ad Ecclesias pertinere videantur, siue domus, siue agri, siue hortus, vel si quæ sunt alia eiusdem generis, quæ in alicuius possessionem venerint, quò ius nullius, qui ad Rempublic. id est, ad Ecclesiam spectat, violetur, sed omnia syncera & simplicia maneant, restitui mandamus.

Edicto ad Anilinum: *extat apud Eusebium lib. 10. cap. 5.* Est hæc nostræ clementiæ ratio, & modus, Aniline honoratissime, vt illa, quæ ad alienum ius pertinent, non solùm non perturbare, sed etiam cuique restituere quàm maximè cupiamus. Quare volumus, vt simulac hasce literas à nobis acceperis, si quæ ex his possessionibus, quæ ad Catholicam Christianorum Ecclesiam, in quibusque ciuitatibus, aut alijs locis pertinent, etiamsi adhuc à ciuibus, aut ab alijs quibusdam retineantur, eas quàm primùm ijsdem Ecclesijs facias restitui. Quandoquidem animo instituimus, vt ea, quæ Ecclesiæ ante possederunt, ad ipsarum ius denuò reuertantur. Cùm igitur tua pietas animaduertat, decretum hoc absque dubio de nostra sententia esse publicatum, enitere atque labora, vt siue horti, siue ædes, siue aliud quodcunque aliquando ad ius ipsarum Ecclesiarum spectauerit, omnia illis quàm celerrimè reddantur.

Concilium Nicænum Primum. 325.

Can. 63. Arabico: Vt sit in vnaquaque Ecclesia œconomus, & cum eo alij, qui habeant curam prouentuum & agrorum, & alij villarum & sumptuum quotidianorum, alij frumenti & leguminum, alij vasorum auri & argenti, & vestimentorum & ornamentorum Ecclesiæ.

Basilius Magnus. 370.

Epist. 140. Multi totas domos, quas possidebant, ad Ecclesiarum vsum destinari passi sunt: alij verò vltrò quoque omnem suam attulêre substantiam, atque optimam exercuêre negotiationem, dum propter cælestes diuitias pauperes facti sunt.

Epiphanius. 380.

Heresi 80. Ex ipsis Dei sacerdotibus quidam, vnà cum prædicatione verbi imitantes sanctum ipsorum post Deum in Christo patrem, Paulum, inquam, sanctum Apostolum, etiam ipsi pro viribus, etiamsi non omnes, attamen plures proprijs manibus operantur, qualem tandem iuxta proportionem dignitati & Ecclesiasticę curæ assiduitati conuenientem repererint artem: quo cum verbo & prædicatione conscientia ipsa gaudeat, dum etiam per manus proprias fructum adfert, & sibi ipsi suppeditat, fratribusque ac indigentibus impertit ministerij fructum, ex primitijs inquam, & oblationibus, & ex manuum labore partis, propter excellentem affectionem erga Deum, proximis vltrò impertiens. Quamquam ipsi ad hoc non cogantur, neque deputati sint, sed iustitiæ labores, & operationem Ecclesiasticam habeant, & secundùm iustitiam alantur: verùm propter excellentem voluntatis promptitudinem ipsi hoc faciant.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homil. 81. in Matt. Demus eleemosynam ab omni auaritiæ labe puram: demus non parcè, sed copiosè: veniat in mentem vobis, octo millia Leuitarum Iudæos alere solitos fuisse, & cum his viduas, & parentibus orbos: præterea muneribus alijs subiectos militiæ quoque operam dedisse: nunc autem agros, domos, locationes ædificiorum, vehicula, equos, mulos, multaque alia huiusmodi propter vos, & vestram crudelitatem Ecclesia possidet. Oportebat enim hunc Ecclesiæ thesaurum vos retinere, ac Ecclesiam non paruos ex vestra deuotione consequi fructus. Modò autem duo quædam mala committuntur: nam & vos quasi nihil dare debeatis, nihil confertis, & Dei sacerdotes à sacerdotio aliena pertractant. An non poterant etiam tempore Apostolorum domus, & agri ab Ecclesia possideri? Cuius igitur rei gratia vendentes pecuniam offerebant? Quia id multo melius erat profectò. Nunc verò secularium cura rerum vobis furentibus, timor nostros inuasit patres, ne dum colligere, ac nihil seminare studeatis, viduarum, orphanorum, & virginum, multitudo fame depereat. Qua re commoti, hæc sibi comparare coacti sunt. Non libenter ad hanc deformitatem se immiserunt, qui desiderabant fructus ex vestra deuotione sic acquirere, vt orationibus solùm attendere possent: nunc verò coegistis eos eorum, qui secularia gerunt negotia, curam & gubernationem imitari, vnde vniuersa commiscentur atque turbantur.

Hom. 15. ad cap. 5. prioris ad Tim. Oportet doctoribus necessarium victum affatim ministrari, ne deficiant, neque soluantur: neque minimis occupati, magnis seipsos atque alios priuent: vt spiritualia operentur, nullam secularium habentes rationem: Huiusmodi Leuitæ erant, qui nullam secularium rerum habebunt curam, quemadmodum laici. Ipsis quoque Leuitarum cura erat permissa, & lege illis constituti fuerant reditus, decimę, aurum, primitiæ, vota, & alia plurima. Verùm illis lege ista meritò permittebantur, præsentia tantùm & terrena quærentibus. Ergo Ecclesiæ Præsules audenter dixerim nil præter victum & vestitum habere oportere, ne ad ista trahantur desiderio.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De adoratione in spiritu & veritate lib. 13. Definit decimas Leuitis pro mercede laboris in ministerio suscepti. Neque enim sanctorum hominum labor mercede caret, imò verò præcipuis honoribus afficientur, illustriaque sunt eorum præmia.

Sozomenus. 440.

Lib. 5. cap. 5. Cùm Constantinus res Ecclesiæ ritè disposuisset, ex vectigalibus cuiusque ciuitatis ea, quæ erant satis ad res comparandas necessaria, clero cuiusque Ecclesiæ erogauit, illudque lege stabiliuit, quæ lex ex eo tempore, quo moriebatur Iulianus, hactenus diligenter obseruata fuit.

Concilium Chalcedonense. 453.

Can. 26. Quoniam in nonnullis Ecclesijs, vt sæpe à nobis auditum est, Episcopi absque œconomo tractant res Ecclesiasticas, placuit omnem Ecclesiam Episcopum habentem, ex proprio clero œconomum habere, vt nec sine testibus sit Ecclesiæ administratio, nec ideo res eius dissipentur, & probrum ac dedecus sacerdotio inuratur. Si autem hoc non fecerit, eum diuinis etiam Canonibus subijci.

Valentinianus & Marcianus. 453.

C. de sanctis Ecclesijs, l. Priuilegia: Quia humanitatis nostræ est egenis prospicere, & dare operam, vt pauperibus alimenta non desint; salaria etiam, quæ sacrosanctis Ecclesijs in diuersis speciebus de publico hactenus ministrata sunt, iubemus nunc quoque inconcussa, & à nullo prorsus imminuta præstari, liberalitatique huic perpetuam tribuimus firmitatem.

Leo & Anthemius A A. 468.

Codice de Sanctis Ecclesijs l. 14. Iubemus nulli posthac Archiepiscopo, in hac regia vrbe sacrosanctæ Ecclesiæ præsidenti, nulli œconomo, cui res Ecclesiastica gubernanda mandatur, esse facultatem fundos, vel prædia, siue vrbana, siue rustica, res postremò im-

mò immobiles, &c. ad quamcunque transferre personam, &c. Ea, quæ ad beatissimæ Ecclesiæ iura pertinent, vel posthac fortè peruenerint, tamquam ipsam sacrosanctam & religiosam Ecclesiam intacta conuenit venerabiliter custodiri: vt sicut ipsa religionis, & fidei mater perpetua est: ita eius matrimonium iugiter seruetur illæsum.

Procopius Gazæus. 530.

Ad finem Leuitici: Quędam dedicabantur Domino, & nominabantur sancta. Licebat sacerdoti hæc vel retinere, vel alienare. Quædam dedicabantur Domino, & appellabantur anathemata. Hæc nunquam ad humanos vel prophanos vsus reuocari poterant: perpetuò consecrata, & diuinis vsibus destinata seruabantur.

Ad illa verba Numer. *Et dabunt Leuitis de sortibus:* Sanctis sufficientem possessionem concedit, non sortitione, verùm dedicatione, ne inopia valde premantur, neue copia emollescerent. Habentes enim victum & amictum, ijs erimus contenti. Ad Dei enim cultum, non agrorum eos consecrauit.

Iustinianus Imp. 530.

In Authent. vt determinatus numerus sit clericorum, §. inuestigantes: Inuestigantes vndique inuenimus, quoniam singuli eorum, qui sanctissimas Ecclesias ædificauerunt, non pro ædificio solùm cogitauerunt, sed etiam vt expensas sufficientes darent à se factis venerabilibus: & determinarent, quantos quidem competens esset presbyteros per vnamquamque Ecclesiam, quantosque Diaconos masculos atque fœminas, quantos Subdiaconos, & rursus Cantores, atque Lectores, & Ostiarios constitui: & super hæc etiam oratorij expensas definierunt, & reditus proprios dederunt, sufficientes ijs, quæ à se constituta sunt.

In Authent. de non alienandis, aut permutandis rebus Ecclesiasticis, &c. Vnam intentionem hanc semper proponimus, omne quicquid prius imperfectum, aut confusum videbatur, hoc & expurgare & perfectum ex imperfecto declarare. Quod etiam in omni legislatione facientes, credimus oportere, & in alienationibus, quæ fiunt super sacris rebus vna complecti lege, quæ priores omnes & renouet, & emendet, & quod deest adijciat, & quod superfluum est abscindat. A Leone siquidem bonæ memoriæ scripta lex est de alienationibus Ecclesiasticis, conclusa in huius ciuitatis maiore Ecclesia: & laudamus plurima huius legis cum omni vehementia & Dei cultura posita. Sed eo, quòd non generaliter posita sit in omnibus, egere etiam eam quadam correctione credimus. Ab Anastasio quoque piæ memoriæ scripta quædam de talibus lex est, neque similis priori, &c. Hæc ergo nos omnia emendantes, vnam existimamus oportere legislationem imponere omnibus sanctissimarum Ecclesiarum, Xenodochiorum, & Nosocomiorum, & Monasteriorum, & totius sacrati Collegij rebus, & hanc legem Leonis piæ memoriæ constitutioni adijcere. Vult enim illa neque Deo amabilem Archiepisc. & Patriarcham huius ciuitatis, neque œconomum vendere, aut donare, aut aliter alienare rem immobilem, domum forsan, aut agrum, aut colonũ, aut mancipia rùstica, aut ciuiles annonas, (nam & hæc inter immobilia sunt numerãda,) quæ cõpetunt Constantinopolitanæ sanctissimæ maiori Ecclesiæ. sed neque pro vlla compensatione, aut alia quabet circumuentione, tale aliquid agi: & interminatur quidem emptori rei restitutionem, vt reddat per temporà œconomo rerum sanctissimæ Ecclesiæ rem, quam ipse perceperit, cum omni medij temporis fructu, & alijs lucris: casu imminente rectori ipsi ei, qui tale aliquid accipere, aut comparare præsumpserit: cùm etiam hoc quidem, quod cõtra leges actum est, ita ponat, ac si neque à principio gestum sit. OEconomum verò hæc prauari artem, dare quidem de suo sanctissimæ Ecclesiæ iubet omne quicquid ex ea causa lucratus est, aut sanctissimam Ecclesiam damnificauit. Super hoc etiam excludit eum officium œconomi, & dat actionem Ecclesiæ, non contra solos œconomos, sed etiam contra successores eorum: siue ipsi hoc alienauerint, siue pro tempore Deo amabilem Episcopum, aut aliquem aliorum clericorum vidẽtes alienantem, taciturnitate degeneri & sine libertate passi sunt, & multo potius si consentientes & videntes tale aliquid permiserunt, & nõ causam prohibuerunt. Ad hoc autem & tabellionem, qui talia cõfecit instrumenta, perpetuò tradit exilio: nullam ei clementiam, neque reuersionem participans. Ipsos quoque maximos iudices, q ad hæc accedunt, & ministrant talibus causis, aut confici apud semetipsos monumenta pro confirmatione talium donationum, aut aliorũ actuum patiuntur, & cingulo, & dignitate, & substantia interminatur, excludere, &c. Nos igitur sancimus, neque sanctissimam maiorẽ huius ciuitatis Ecclesiam, neq; sub ea constitutas Ecclesias, quarum ipsa prærogationem suscepit, neque alias omnes Ecclesias, in hac existentes ciuitate, aut circa eius cõfinia, neque sub Patriarchica Sede huius felicissimæ ciuitatis constitutas, quarum Metropolitas ipse ordinat, neque alium vllum vndiq; Patriarcham, neque Episcopum (dicimus autẽ & eos, qui in Oriẽte, & qui in Illyrico, insuper & in AEgypto, & Lycaonia, atque in Lycia, & eos, qui in Africana prouincia sunt, & cõplexiuè dicẽdo per omnes quæcunque nostræ sunt terræ, nec nõ in Occidente sunt Deo amabiles Episcopos, ab ipsa seniori Roma vsque ad Oceanum cõsistentiam sanctissimarum orthodoxarum Ecclesiarum) neque cuiusuis generis piorũ locorum œconomũ, aut monasterij virorũ vel mulierũ Abbatem vel Abbatissam, aut quemlibet omnino præsidentem venerabilibus collegijs licentiam habere alienare rem immobilẽ, aut in domibus, aut in agris, &c. nec per specialis pignoris occasionem tradere creditoribus. Alienationis autem nomẽ generalius ideo posuimus, vt prohibeamus & venditionẽ, & donationem, & commutationem, & in perpetuum extensam emphyteusim, quæ non procul ab alienatione cõsistit. Sed omnes vbiq; sacerdotes ab huiusmodi alienatione prohibemus, subditos pœnis, quibus Leonis vsa est constitutio.

Synodus Nicæna Secunda. 790.

Can. 12. Si quis Episcopus, vel Monasterij præfectus inuentus fuerit ex Episcopatus vel monasterij agris, in principis alicuius, aut magistratus manus alienare, vel alteri personæ tradere, nullius sit momẽti traditio, vt sanctorum Apostolorum vult Canon, qui dicit: Omnium rerum Ecclesiasticarũ curam Episcopus gerat, & ea administret, tanquam Deo intuente. Ne liceat autem quicquam ex eis sibi vẽdicare, vel proprijs cognatis, quæ Dei sunt, elargiri. Si sint autem pauperes, vt pauperibus suppeditet: sed non eorum prætextu res Ecclesiæ venundet. Sin autem aliqua improba calliditate vtentur, & ab agricola, vel clerico agrum præses vel magistratus emerit, sic quoque nullius sit momenti venditio, & Episcopatui vel Monasterio restituatur. Porrò Episcopus vel Monasterij præfectus, qui hoc fecerit, exturbetur quidem Episcopus ab Episcopatu, monasterij verò præfectus à monasterio, vt qui malè dissipent, quæ non congregauêre.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Basilio: Cùm reditus Ecclesiastici essent attenuati, & periculum esset, ne penuria olei sacræ lucernæ extinguerentur, amplissimi prædij, cui Mantia nomen, donatione & lucernis prospexit, & eius è reditibus liberaliora cantoribus templi stipendia constituit.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Pius Primus. 150.

Epistola 2. Ad Sedem Apostolicam perlatum est, quòd sint inter vos contentiones, & æmulationes: & prædia, diuinis vsibus tradita, quidam humanis applicant vsibus, & Domino Deo (cui tradita sunt) ea subtrahunt, vt suis vsibus inseruiant. Quapropter ab omnibus illius vsurpationis contumelia depellenda est, ne prædia vsibus secretorum cælestium dicata, à quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quisquam præsumpserit, sacrilegus habeatur, & sicut sacrilegus iudicetur. Ipsos autem, qui hoc agunt, clericos & Domini sacerdotes persequi, eosq; infamare audiuimus, vt malum super malũ addant, & deteriores fiant, non intelligentes quòd Ecclesia Domini in sacerdotibus consistit, & crescit in templum Dei. Et sicut qui Ecclesiam Dei vastat, & eius prædia & donaria expoliat & inuadit, fit sacrilegus: sic & ille, qui eius sacerdotes insequitur, sacrilegij reus existit & sacrilegus iudicatur.

Vrbanus Primus. 224.

Epistola 1. Scimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter bonos Christianos viguit, & adhuc gratia Dei viget, & maximè inter eos, qui in sortem Domini sunt electi, id est, clericos, sicut in Actibus Apostolorum legitur: *Multitudinis* Acto. 4. *credentium erat cor vnum, &c.* Videntes ergo sacerdotes summi & alij, atque Leuitæ & reliqui fideles, plus vtilitatis posse adferre, si hæreditates & agros, quos vendebant, Ecclesijs, quibus præsidebant Episcopi, traderent, eò quòd ex sumptibus eorum, tam præsentibus, quàm futuris temporibus, plurima & elegantiora possunt ministrare fidelibus communem vitam ducentibus, quàm ex pretio eorum: cœperunt prædia & agros, quos vendere solebant, matricibus Ecclesijs tradere, & ex sumptibus eorũ viuere. Ipsæ verò res in ditione singularum Parochiarum Episcoporum, qui locum tenent Apostolorum, erant, & sunt vsque adhuc, & futuris semper debent esse temporibus. E quibus Episcopi, & fideles dispensatores eorum, omnibus communem vitam degere volentibus, ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, vt nemo in eis egens inueniatur. Ipsæ enim res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debent in alijs vsibus, quàm Ecclesiasticis, & prædictorum Christianorum fratrum, vel indigentium conuerti: quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atq; ad prædictum opus explendum Domino traditæ.

Cyprianus. 250.

Lib. 4. epist. 5. *Epist. 34.* Cæterum presbyterij honorẽ designasse nos illis iam sciatis, vt & sportulis ijsdem cum Presbyteris honorentur, & diuisiones mensurnas æquatis quantitatibus partiantur, sessuri nobiscum prouectis & corroboratis annis suis.

Lib. 1. epist. 5. *Epist. 66.* Quæ nunc ratio & forma in clero tenetur, vt qui in Ecclesia Domini ordinatione clerica promouentur, in nullo ab administratione diuina auocentur, nec molestijs & negotijs secularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum, tamquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sacrificijs non recedant, sed die ac nocte cælestibus rebus & spiritualibus seruiant.

Lucius PP. 254.

Ad Episcopos Galliæ & Hispaniæ cap. 6. Res quoq; Ecclesiarum vestrarum, & oblationem fidelium, quas significasti à quibusdã irruentibus vexari, vobisq; & Ecclesijs vestris auferri, indubitanter maximum est peccatum, testãte ipsa Scriptura, quæ ait: *Qui abstulerit aliquid patri vel matri, & dicit hoc nõ esse peccatum, homicidæ particeps est.* Pater ego noster sine dubio Deus est, qui nos creauit: & mater nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritualiter generauit. Et ideo qui Christi pecunias & Ecclesiæ aufert, fraudat, & rapit, homicida in conspectu iusti iudicis esse deputabitur. Vnde scriptum est: Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem facit: qui autem pecunias vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegiũ facit, &c. Hæc fieri Prophetæ, hæc Apostoli, hæc successores eorum, & omnium Catholicorum Patrum vetant decreta: & tales præsumptiones, sacrilegium esse dijudicant. Quorũ nos sequentes exempla, omnes tales pręsumptores, & Ecclesiæ raptores, atque suarum facultatum alienatores, vnà nobiscum à liminibus sanctæ matris Ecclesię anathematizatos, Apostolica auctoritate pellimus, & damnamus; atque sacrilegos esse iudicamus. Et non solùm eos, sed & omnes consentientes eis: quia non solùm, qui faciunt, rei iudicantur, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Stephanus Papa. 256.

Epistol. 1. Infames eos esse dicimus, qui indigna sibi petunt loca tenere, aut facultates Ecclesiæ abstrahunt iniustè.

Epist. 2. cap. 9. Laicis, quamuis religiosi sint, nulli tamen de Ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur vnquam attributa facultas.

Ambrosius. 370.

De Pœnitentia lib. 2. cap. 9. Sunt, qui opes suas tumultuario mentis impetu, non iudicio perpetuo, vbi Ecclesiæ contulerunt, postea reuocandas putauerunt: quibus nec prima merces grata est, nec secunda. Quia nec prima iudicium habuit, & secunda habuit sacrilegium. Sunt quos pœnituerit opes suas diuisisse pauperibus, sed eos, qui pœnitentiam agunt, hoc solùm pœnitere non debet, ne ipsius pœnitentiæ agant pœnitentiam.

Hieronymus. 390.

Ad cap. 3. Malachiæ: Quod de decimis primitijsq; diximus, quæ olim dabantur à populo Sacerdotibus atque Leuitis, in Ecclesię quoque populis intelligite: quibus præceptum est, non solùm decimas, & primitias dare, sed vendere omnia quæ habent, & dare pauperibus, & sequi Dominum Saluatorem. Quod si facere nolumus, saltem Iudæorum imitemur exordia, vt pauperibus partem demus ex toto, & Sacerdotibus ac Leuitis honorem debitum deferamus. Quod qui non fecerit, Deum fraudare, & supplantare conuincitur.

Augustinus. 400.

De hæresibus cap. 40. Apostolici, qui se arrogantissimo isto nomine vocauerunt, eò quòd in suam cõmunionem non reciperent vtentes coniugibus, neque res proprias possidentes, quales habet Ecclesia Catholica & Monachos & Clericos plurimos. Sed ideo isti hæretici sunt, quoniam se ab Ecclesia separantes, nullam spem putãt eos habere, qui vtuntur his rebus, quibus ipsi carent.

In Psalmum 146. exponens illa verba Psalmi: *Qui parat terræ pluuiam, producens in montibus fœnum.* Accipe pluuiam, & da fœnum. Etenim ista omnia, quę Ecclesiæ ad necessitatem seruientium Deo dantur à diuitibus, quid sunt nisi fœnũ? &c. Debetur pluuiæ fructus, debetur seruo cibus, sicut Dominus ait: *Manducate quæ ab ipsis sunt.* Et ne putarent aliquid Matt. 10. de suo donare: *Dignus est,* inquit, *operarius mercede sua, &c.* Exime aliquam partem redditυum tuorum: decimas vis? decimas exime, & quid ait Dominus: *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scri-* Matt. 5. *barum & Pharisæorum, non intrabitis in regnũ cælorũ.*

Homil. 48. ex lib. 50. Homiliarũ: Maiores nostri ideo copijs omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant: modò autem, quia cessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. No-

luimus partiri cum Deo decimas, modò autem totum tollitur.

Serm. 219. de Tempore: Deus, qui dignatus est totum dare, decimam à nobis dignatur repetere, non sibi, sed nobis sine dubio profuturam. Sic enim per Prophetam ipse promisit, dicens: *Inferte omnem*
Mal. 3. *decimam in horreum meum, vt sit cibus in domo mea, & probate me in his, dicit Dominus: Si non aperuero vobis cataractas cæli, & dedero vobis fructum vsque in abundantiam.*

Sixtus Tertius. 436.

Epistola ad Episcopos Orientales: Condemnatus Bassus à Synodo, ita tamen, vt in vltima die viaticum ei non denegetur, propter humanitatem pietatis Ecclesiæ. Valentinianus quoque Imperator scripto eum condemnauit cum Augusta matre Placidia, & omnia prædia facultatum eius, futuris de talibus dans hominibus formam ita faciendi, Ecclesiæ Catholicæ sociauit.

Possidius. 440.

Vita S. Augustini cap. 24. Domum, vel agrum, seu villam nunquam emere voluit. Verùm si fortè Ecclesiæ à quoquam sponte tale aliquid vel donaretur, vel titulo legati dimitteretur, non respuebat, sed suscipi iubebat, &c. Quidam ex honoratis Hipponensium, apud Carthaginem viuens, Ecclesiæ Hipponensi possessionem donare voluit, & confectas tabulas, sibi vsufructu retento, vltro eidem sanctæ memoriæ Augustino misit. Cuius ille oblationem libenter accepit, congratulans ei, quòd æternæ suæ memor esset salutis. Verùm post aliquot annos, nobis fortè cum eodem cominus constitutis, ecce ille donator literas per filium suum mittens, rogauit, vt illæ donationum tabulæ suo filio redderentur, pauperibus verò erogandos direxit solidos cẽtum. Quo ille Sanctus cognito ingemuit, hominem vel finxisse donationem, vel eum de bono opere pœnituisse, & quanta potuit, Deo suggerente cordi eius, condolente animo ex eadem refragatione dixit, in illius scilicet increpationem & correctionem. Et tabulas, quas ille sponte miserat, nec desideratas, nec exactas, confestim reddidit, pecuniamque illam respuit, rescriptis eundem sicut oportuit, & arguit, & corripuit, admonens, vt de sua simulatione, vel iniquitate, cum pœnitentiæ humilitate Deo satisfaceret, ne cum tam graui delicto de seculo exiret.

Prosper. 450.

Libro 2. de vita contemplatiua cap. 9. Expedit facultates Ecclesiæ possideri, & amore perfectionis proprias contemni: Non enim propriæ sunt, sed communes Ecclesiæ facultates: & ideo quisquis omnibus, quæ habuit, dimissis aut venditis, fit rei suæ contemptor, cùm præpositus fuerit factus Ecclesiæ, omnium quæ habet Ecclesia efficitur dispensator. Denique sanctus Paulinus (vt ipsi melius nostis) ingentia prædia, quæ fuerunt sua, vendita pauperibus erogauit: sed cùm postea factus esset Episcopus, non contempsit Ecclesiæ facultates, sed fidelissimè dispensauit. Quo facto satis ostendit, & propria debere propter perfectionem contemni, & sine impedimento perfectionis posse quæ sunt communia Ecclesiæ possideri. Quid S. Hilarius? nonne & ipse omnia bona sua, aut parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogauit? Is tamen cùm merito perfectionis suæ fieret Arelatensis Episcopus, quod illa tunc habebat Ecclesia non solùm possedit, sed etiam acceptis fidelium numerosis hæreditatibus ampliauit. Isti ergo tam sancti, tam perfecti Pontifices factis euidentibus clamant, posse & debere fieri quod fecerunt. Qui vtique homines tam secularium, quam diuinarum literarum sine ambiguitate doctissimi, si scirent res Ecclesiæ debere contemni, nunquam eas debuerãt, qui omnia sua reliquerant, retinere. Vnde datur intelligi, quòd tales ac tanti viri, (qui volentes esse Christi discipuli, renuntiauerunt omnibus, quæ habebant,) non vt possessores, sed vt procuratores facultates Ecclesiæ possidebant. Et idcirco scientes, nihil aliud esse res Ecclesiæ nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vendicauerunt in vsus suos, vt proprias, sed vt commendatas pauperibus diuiserunt.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 17. Si illi, qui diuites sunt, aridas, & contractas manus habuerint ad eleemosynas faciendas, vt quibuscunque seruis Dei, vigilijs, lectionibus, vel orationibus insistentibus, quæ sunt corpori necessaria dare noluerint, efficiuntur velut vlmus sterilis, quæ vitem sustinere dissimulat, &c. Audiuimus Apostolum dicentem: *Qui parcè seminat, parcè & metet.* Et post pauca: *Operamini quod bonum est ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* Qui sunt domestici fidei fratres, nisi clerici, boni Monachi, & quicunque alij serui Dei, impedimenta huius mundi fugientes, Deo vacantes, lectionibus & orationibus insistentes? Omnibus quidem petentibus secundùm quod possumus dandum est: seruis autem Dei, qui petere à nobis erubescunt, etiamsi non petierint, ingerendum est.

Gelasius. 490.

Epistola 6. ad Episcopos per Lucaniam, Siciliam, & Brutios constitutos cap. 29. Quatuor tam de reditu, quã de oblatione fidelium, prout cuiuslibet Ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, conuenit fieri portiones. Quarum sit vna Pontificis, altera clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. De quibus sicut sacerdotis intererit integram ministris Ecclesiæ memoratam dependere quantitatem, sic clerus vltra delegatam sibi summam nihil insolenter nouerit expetendum. Ea verò, quæ Ecclesiasticis ædificijs attributa sunt, huic operi veraciter prærogata, locorum doceat instauratio manifesta sanctorum: quia nefas est, si sacris ædibus destitutis, in lucrum suum Præsul impendia his designata conuertat. Ipsam nihilominus ascriptam pauperibus portionem, quamuis diuinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur, tamen iuxta quod scriptum est: *Vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est:* oportet etiam Matt. 5.
præsenti testificatione prædicari, & bonæ famæ præconijs non taceri.

Symmachus. 500.

Epist. 3. ad Cæsarium cap. 1. Possessiones, quas vnusque Ecclesiæ proprio dedit aut reliquit arbitrio, alienare quibuslibet titulis atque distractionibus, vel sub quocunque argumento non patimur, nisi forsitan aut clericis honorum meritis, aut Monasterijs religionis intuitu, aut certè peregrinis si (necessitas largiri suaserit:) sic tamen vt hæc ipsa non perpetuò, sed temporaliter perfruantur.

Concilium Romanum Tertium sub Symmacho. 502.

Cap. 6. Quicunque oblitus Dei, & decreti huius immemor, cuius Romanæ ciuitatis sacerdotes volumus religiosis nexibus deuinciri, in constitutum præsens committens, quicquam de iure titulorum vel Ecclesiæ præfatæ, quolibet modo, præter aurum argentum, vel gemmas, vestes quoque, si sunt, vel si accesserint aliqua mobilia, ad ornamenta diuina minimè pertinentia, perpetuo iure, exceptis duntaxat sub præfata conditione domibus, alienare tentauerit, donator, alienator, ac venditor, honoris sui amissione mulctetur.

Concilium Romanum Sextum. 506.

De inuasoribus rerum Ecclesiasticarum: Quicunque

res Ecclesiæ confiscare, aut competere, aut peruadere periculosa, aut sua infestatione præsumpserit, nisi se citissimè per Ecclesiæ, de qua agitur, satisfactionem correxerit, perpetuo anathemate feriatur.

Concilium Agathense. 506.

Cap. 22. Statuimus, quod omnes Canones iubent, vt ciuitatenses, siue diœcesani Presbyteri, vel clerici, saluo iure Ecclesiæ, rem Ecclesiæ, sicut permiserunt Episcopi, teneant: vendere autem, aut donare penitus non præsumant. Quod si fecerint, vel fecerunt, & facta venditio non valebit, & de facultatibus (si quas habent proprias) indemnem Ecclesiam reddant, & communione priuentur.

Cap. 36. Clerici omnes, qui Ecclesiæ fideliter vigilanterque deseruiunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundùm seruitij sui meritum, vel Ordinationem Canonum à sacerdotibus consequantur.

Concilium Aurelianense Primum. 506.

*Cap.*16. Antiquos Canones relegentes, priora statuta credimus renouanda, vt de his, quæ in altario oblatione fidelium conferuntur, medietatem Episcopus sibi vendicet, & medietatem sibi dispensandam secundùm gradus clerus accipiat, tam de prædijs proprijs, quàm de omni commoditate in Episcoporum potestate durantibus.

Cap. 17. De his, quæ Parochijs, in terris, vineis, mancipijs, atque peculijs quicunque fideles obtulerint, antiquorum Canonum statuta seruentur, vt omnia in Episcopi potestate consistant. De his tamen, quæ in altario accesserint, tertia fideliter Episcopis deferatur, duæ Clericis: Decimæ autem, secundùm quosdam, singulis annis tertia pars, aut in tertio tota. Sed tamen nos sequentes Romanos, singulis annis quartam partem, aut in quarto anno totam Episcopi recipiant.

*Cap.*25. Si Episcopus humanitatis intuitu vineolas, vel terrulas clericis vel Monachis præstiterit excolendas, vel pro tempore tenendas, etiamsi longa transisse annorum spatia comprobentur, nullum Ecclesia præiudicium patiatur, nec secularis legis præscriptio, quæ Ecclesiæ aliquid impediat, opponatur.

Theodoretus rex Gotthorum in Italia.

520.

Apud Caßiodorum libro 2. epist. 29. Specialiter Ecclesias ab omni iniuria reddi cupimus alienas: quibus dum æqualia præstantur, misericordia diuinitatis acquiritur. Et ideo Eustorchij Episcopi Mediolanensis petitione permoti, præsentibus te affatibus admonemus, vt prædijs vel honoribus illius Ecclesiæ intra Siciliam constitutis tuitionem studeas salua ciuilitate præstare. Nec à quoquam cuiuslibet nationis homine contra fas patiaris opprimi, quos decet diuinitatis intuitu subleuari.

Concilium Aurelianense Tertium. 537.

*Cap.*23. Abbatibus, Presbyteris, cæterisque ministris, de rebus Ecclesiasticis vel sacro ministerio alienare vel obligare, absque permissu & subscriptione Episcopi sui, nil liceat. Quod qui præsumpserit, regradetur communione concessa: quod temerè præsumptum aut alienatum est, ordinatione Episcopi reuocetur.

Concilium Aurelianense Quartum. 547.

Cap. 9. Episcopus, qui de facultate propria Ecclesiæ nihil relinquit, de Ecclesiæ facultate si quid aliter, quàm Canones loquuntur, obligauerit, vendiderit, aut distraxerit, ad Ecclesiam reuocetur. Sanè si de seruis Ecclesiæ liberros fecerit numero competenti, in ingenuitate permaneant, ita vt ab officio Ecclesiæ non recedant.

*Cap.*14. Quæcunque Ecclesijs aut Pontificibus sub competenti, ac iusto documento fuerint derelicta ab hæredibus legitimis dignum est, vt Dei contemplatione seruentur.

Concilium Aurelianense Quintum.

549.

*Cap.*13. Ne cui liceat res vel facultates Ecclesijs, aut Monasterijs, vel Xenodochijs, pro quacunque eleemosyna, cum iustitia delegatas retentare, alienare, atque subtrahere. Quod quisquis fecerit, tamquam necator pauperum, antiquorum Canonum sententijs constrictus, ab Ecclesiæ liminibus excludatur, quamdiu ab ipso ea, quę sunt ablata vel retenta, reddantur.

Synodus Secunda Turonensis. 570.

*Cap.*25. Illud quoque quamquam priorum Canonica sit auctoritate præfixum, quòd dum inter se sæuiunt Domini nostri, ac malorum hominum stimulo concitantur, & alter alterius res rapida cupiditate peruadit, ne ista caduca actione, qua inter se aguntur, Ecclesiastica rura contingere, aut contaminare præsumant, inuiolabiliter obseruandum censemus, vt quicumque tam Ecclesiæ, quam Episcopi res proprias (quæ & ipsæ Ecclesiæ noscuntur esse, quas Pontifex actoribus Ecclesiæ dignoscitur assignasse) vel Abbatum, aut Monasteriorum siue Presbyterorum, quaqua temeritate peruadere, competere, vel confiscare præsumpserit, tunc reseruato correctionis hoc loco adhuc Presbyter eiusdem Ecclesiæ, cuius interest, peruasorem conuenit admonere: & si restitutionem distulerit, adhuc quasi filius ab omnibus fratribus ad reddendum missis epistolis compellatur. Qui si pertinaciter in peruasione perstiterit, & se tollere post tertiam commonitionem de re illa aut Ecclesiæ aut propria noluerit, conuenit vt omnes omninò vna conniuentia simul cum nostris Abbatibus, ac Presbyteris, vel clero, qui stipendijs ex ipso alimento pascuntur, quia arma nobis non sunt alia, auxiliante Christo, circumsepto clericali choro, necatori pauperum, *qui res peruadit Ecclesiæ, Psalmus 108. dicatur, vt veniat super eum illa maledictio, quæ super Iudam venit, &c.

Capite 26. Placet itaque, ac omnibus nobis conuenit obseruare, vt quia nonnulli memores sui per quaslibet Scripturas pro captu animi de facultatibus suis Ecclesijs aliquid contulisse probantur, quod à diuersis, Deum minus timentibus, eatenus mortifera calliditate tenetur, vt aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam, nec intueri corde possint diem iudicij, dum nimiæ cupiditatis delectantur ardore. Quicumque ergo immemor interitus sui, res Ecclesijs delegatas iniustè possidens præsumpserit retinere, & veritate comperta res Dei seruis eius dissimulauerit reformare, ab omnibus Ecclesijs segregatus, à sancta communione habeatur extraneus.

Gregorius Turonensis. 580.

Histor. Franc. lib. 5. cap. 34. Chilpericus rex multa Ecclesijs largitus est.

Concilium Matisconense Secundum. 588.

Cap. 5. Leges diuinæ, consulentes sacerdotibus ac ministris Ecclesiarum pro hæreditaria portione, omni populo præceperunt, decimas fructuum suorum locis sacris præstare, vt nullo labore impeditiores, legitimè spiritualibus possint vacare ministerijs, quas leges Christianorum congeries longis temporibus custodiuit intemeratas. Nunc autem paulatim præuaricatores legum penè Christiani omnes ostenduntur, dum ea, quæ diuinitus sancita sunt, adimplere negli-

Cap.13.al.43. Eò tempore Luitprandus Rex donationem patrimonij Alpium Cottiarum Romanæ Ecclesiæ confirmauit.

Lib. 23. variarum Historiarum: Cùm venisset Ephesum Constantinus, & apud Dei locum orationes fecisset, commercium nundinarum, quod centum esset auri librarum, indulsit ad famulatum sancti Ioannis Apostoli.

Carolus Magnus. 780.

Lib.1. Legum cap.83. Quia iuxta sanctorum Patrum traditionem nouimus res Ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, cuique non solùm habita conseruare, verùm etiam multa Deo opitulante conferre optamus: tamen vt ab Ecclesiasticis de non diuidendis rebus illius suspicionem dudum conceptam penitus amoueremus, statuimus, vt neque nostris, neque filiorum, & Deo dispensante successorum nostrorum temporibus, nullam penitus diuisionem vel iacturam patiatur.

Lib.6.cap.321. Omnibus nos ipsos corrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, qualiter interdicimus, vt nullus laicus homo, vel Imperator, vel Rex, aut aliquis Præfectorum, vel Comitum, seculari potestate fultus, sibi per violentiam rapiat, aut à nobis competere, vel quocunque modo inuadere præsumat Monasterium, aut prædia, vel qualecunque res, de potestate Episcopi, vel Abbatis, aut Abbatissæ, & incipiat ipse vice Abbatis regere, & habere sub se Monachos, & pecuniam possidere, quæ sunt Christi sanguine comparata. Talem hominem antiqui Patres nominabant raptorem, & sacrilegum, & homicidam pauperum, & lupum diaboli, intrantem in ouile Christi.

Cap.322. Placuit nobis, & omnibus obseruare conuenit, vt quia nonnulli memores sui per quaslibet Scripturas pro remedio animæ suæ, de facultatibus suis Ecclesijs aliquid contulisse probantur, quod à diuersis Deum minus timentibus hactenus mortifica calliditate tenetur, ita vt aliorum oblatio illis pertineat ad interitum, nec intueri corde possunt diem iudicij Dominici, qui hoc cupiditatis delectantur ardore. Quicunque immemor interitus sui, res Ecclesijs delegatas iniustè possedit, præsumpseritque retinere, & veritas compertas res Dei seruis dissimulauerit reformare, ab omnibus Ecclesijs segregatus, à sancta communione habeatur extraneus. Nec aliud mereatur habere remedium, nisi cùm culpam propriam rerum emendatione purgauerit. Indignè enim ad altare Dei properare permittitur, qui res Ecclesiasticas aut audet rapere, aut iniustè possidere: qui verò in hac iniqua defensione perdurant, & necatores pauperum omnes iudicandi sunt, quòd eorum taliter alimenta subtraxerint.

Cap.324. Volumus omnes scire, quòd qui Christi & Ecclesiæ pecunias auferunt, resque eius fraudant, rapiunt, vastant, vel diripiunt, homicidæ ante Deũ esse deputantur: quia res pauperum, quos Ecclesia pascere debet, diripiunt.

Lib.7. cap. 104. Nouimus multa regna & reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliauerunt, resque earum vastauerunt, alienauerunt, vel diripuerunt, Episcopisque, & sacerdotibus, atque, quod maius est, Ecclesijs eorum abstulerunt, & pugnantibus dederunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec victores extiterunt, &c. Iubemus, vt nullus tam nostris, quàm futuris temporibus à nobis vel successoribus nostris vllo vnquam tempore, absque consensu & voluntate Episcoporum, in quorum Parochijs noscuntur esse res Ecclesiarum, petere, aut inuadere, vel vastare, aut quocunque ingenio alienare præsumat. Quod si quis fecerit, tam nostris, quàm & successorum nostrorum temporibus pœnis sacrilegij, subiaceat, & à nobis, atque successoribus nostris, nostrisque iudicibus sicut sacrilegus & homicida, vel fur sacrilegus legaliter puniatur, & ab Episcopis nostris anathematizetur.

Apud VViguleium Hundium I.C. in Metropoli Salizburgensi, de Episcopis Ratisbonensibus: Carolus Dei gratia Rex Francorum, & Longobardorum, & Patricius Romanorum. Quicquid ob amorem Dei locis Sanctorum venerabilium beneuola deliberatione dedimus, vel condonamus, hoc nobis ad æternæ remunerationis præmia capessenda profuturum liquidò credimus. Quoniam hoc procul dubio ad saluationem corporis & animæ nostræ fore creditur, vt hi qui in laude Dei sunt, sine querela persistant, & exinde sæpius & deuotius in nostra maneant memoria. Igitur notum sit omnibus successoribus nostris, & fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentibus & futuris, qualiter nos propter nomen Domini & æternam remunerationem, seu pro opportunitate dilectissimi filij nostri Ludoici regis absque omnium hominum contradictione confirmamus Ecclesiam Dei liberam esse, & in potestate Imperatorum siue Regum vsque in æuum permanere, quæ est constructa in honore Domini nostri Iesu Christi, & matris eius Mariæ, &c. iuxta muros ciuitatis nostræ Regensburg, &c. Proinde nouerit omnium Christi nostrique fidelium vniuersitas, omnia, quæ à patre meo Pipino Rege, & ab Antecessoribus meis, vbicunque locorum hactenus tradita sunt & collata, per hanc nostram auctoritatem perennibus temporibus ea videlicet ratione confirmamus, vt neque Dux, neque Episcopus ejusdem loci aliquam potestatem habeant prænominata bona præfatæ Ecclesiæ auferre, vel abalienare. Sed rector eiusdem loci, suique successores habeant potestatem, quicquid eis placuerit faciendi ad vtilitatem tantummodò Monachorum sub sancto ordine consistentium.

Concilium Foroiuliense. 790.

Cap. 14. De decimis verò vel primitijs, saluis scilicet allegoricarum rerum mysticis sacramentis, nihil melius puto docere, quàm quod scriptum est in Malachia Propheta, dicente Domino: *Inferte omnem decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea, & probate me in hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam, & increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum: & beatos vos dicent omnes gentes.* Sed quia indignatio & ira Dei manet super gentem vel populum, qui hoc Domini præceptum toto corde & bona voluntate non adimplet, supra præmiserat, dicens: *Si affiget (inquit) homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis: In quo configimus te? In decimis & primitiis vestris. In penuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota.* Qua de re quis non alacri & læto pectore offerat Deo, vt possit illam promereri benedictionem, de qua dicit: *Effundam super vos benedictionem meam vsque ad abundantiam?* Vel quis non timeat, vel contremiscat illam maledictionem, quam minatur nolentibus offerre: *Vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota?* Mal.3.

Adrianus Primus. 790.

Epistola ad Constantium Imperatorem: Carolus Dux Francorum & Longobardorum, & Patritius Romanorum nostris obtemperans monitis, atque

adimplens in omnibus voluntates, omnis Hesperię, occiduęq; partis barbaras nationes suis prosternens commaculauit pedibus, & suo subijciens regno adunauit. Vnde per sua laboriosa certamina eidem Dei Apostolicæ Ecclesiæ, ob nimium amorem, plura bona in perpetuò obtulit possidenda, tam prouincias, quàm ciuitates & castra, & cætera territoria: imò & patrimonia, quę à perfida Longobardorum gente detinebantur, brachio forti eidem Dei Ecclesiæ restituit, cuius esse dignoscebantur. Sed & aurum, & argentum, quotidie pro luminariorum concinnatione seu eleemosynis pauperum non desinit offerendo.

Concilium Moguntinum. 813.

*Cap.*38. Admonemus, atque præcipimus, vt decimas Deo omnino dari non negligatur, quas Deus ipse sibi dari constituit. Quia timendum est, vt quisquis Deo debitum suum abstrahit, ne fortè Deus per peccatum suum auferat ei necessaria sua.

Concilium Cabilonense Secundum. 813.

*Cap.*19. Questi sunt quidam fratres, quòd essent aliqui Episcopi & Abbates, qui decimas non finerent dari Ecclesijs, vbi illi coloni Missas audiunt. Proinde decreuit sacer iste conuentus, vt Episcopi & Abbates de agris & vineis, quæ ad suum vel fratrum stipendium habent, decimas ad Ecclesias deferri faciant: familia verò ibi dent decimas suas, vbi infantes eorum baptizantur, & vbi per totum anni circulum Missas audiunt.

Concilium Arelatense Quartum. 813.

*Cap.*9. Vnusquisque de proprijs laboribus decimas & primitias Deo offerat, sicut scriptum est: *Decimas & primitias tuas non tardabis offerre Domino Deo tuo.*

Cap. 10. Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis, nec alia possessione priuentur.

Haymo. 820.

Ad cap.5. prioris ad Timoth. Duplicem honorem præcipit exhiberi Presbyteris, in salutationibus videlicet, vt se humilient illis subditi, & in exhibendis donis subsidijsq; temporalibus.

Concilium Moguntiæ habitum sub Gregorio Quarto. 834.

*Cap.*10. Volumus, vt decimæ, quæ singulis dantur Ecclesijs, per consulta Episcoporum à Presbyteris ad vsus Ecclesiæ & pauperum summa diligentia dispensentur. Quatuor autem tam de redditibus, quàm de oblationibus fidelium, prout cuiuslibet Ecclesiæ facultas admittit, conuenit fieri portiones: quarum sit vna Pontificis, altera Clericorum, pauperum tertia, quarta Ecclesiæ fabricis applicanda. Admonendum tamen est, vt decima Deo dari omninò non negligantur, quam Deus ipse sibi dari constituit.

Synodus Aquisgranensis. 837.

*Lib.*1.*cap.*3. Sunt quidam, dignitatem Ecclesiasticam non curantes, imò suam cupiditatem explere volentes, sibiq; in Deo oblatis sacratisq; rebus auferendis impunitatem inaniter promittentes, qui cōtra salutem suam hæc temerario, imò perniciosissimo solent dicere ausu: Quid mali, quidve discriminis est, si rebus Ecclesiasticis in nostris pro libitu vtimur necessitatibus? Quid curæ est Deo Sanctisque eius, ob quorum amorem & honorem Deo dicuntur oblatæ, cùm vtique in eorundem Sanctorum vsus nihil ex his cedat? &c.

*Cap.*37. Quisquis quæ alijs fideles de hæreditate possessionum suarum, ob remedium animarum suarum, Deo ad honorem & decorem Ecclesiæ suæ, eiusq; ministrorum vsus contulerunt, aut abstulerit, aut auferre præsumit, procul dubio aliorum data in suarum animarum conuertit pericula.

Pinus Rex Aquitanorum. 840.

*Apud Aemoinum lib.*5. *cap.*17. *in confirmatione Priuilegiorum Monasterij S. Germani:* Adierunt nos Monachi sancti Germani, quibus præest Hildoinus Abbas, & humiliter deprecati sunt mansuetudinem culminis nostri, vt villas eiusdem Ecclesiæ S. Germani, quæ infra ditionem regni nostri consistunt, cum omnibus appendicibus earum, quas partim auus noster Carolus in sua eleemosyna eidem reddidit Ecclesiæ, partim in processu temporum dominus & genitor noster Ludouicus Imperator eisdem fratribus perpetualiter confirmauit, & ad stipendia eorundem Monachorum in integrum deputauit, Nos quoque ob honorem & amorem Christi similiter per nostrum præceptum easdem confirmaremus villas, vt eorum sumptibus ac stipendijs per nostram inde confirmationem deseruirent. Nos verò eorum petitioni, ob diuini cultus amorem, & animæ nostræ salutem libenter annuimus, & hoc nostræ regiæ potestatis præceptum fieri decreuimus. Per quod & statuimus, & perpetuò mansurum Domino adiuuante volumus, vt eædem villæ, cum omnibus, ad eas iustè legaliterqúe pertinentibus vel aspitientibus, in aui nostri & genitoris, nec non & nostra eleemosyna, in vsus vel stipendia memoratæ Ecclesiæ Monachorum tam præsentium, quàm futurorum confirmatæ permaneant. Ita videlicet, vt absque vllius cuiuslibet ordinis, vel potestatis, in regno nostro degentis, inquietudine & præiudicio, sub eorum dominio, disponente & ordinante ipsius Ecclesiæ Abbate, omni tempore teneant atque possideant: quatenus cum cæteris rebus sibi deputatis, huius nostri beneficij iuuamine suffragati, liberius & expeditius omnipotentis Dei misericordiam pro memorato auo & genitore nostro, nec non & nobis, coniuge, prole, totiusq; regni statu iugiter exorent. Illud etiam ad cumulum mercedis nostræ pertinere non ambigimus, vt easdem villas sub tuitionis nostræ immunitate consistere faceremus.

Carolus Caluus. 840.

Epistola ad Clerum Rauennatensem: Episcopi, & rectores Monasteriorum, & rerum seu facultatum Ecclesiasticarum dispensatores, eas non vt proprias, sed vt vota fidelium, pretia peccatorum, stipendia seruorum Dei & pauperum, debent fideli deuotione tractare, sicut & Canones sacri præcipiunt.

Rabanus Maurus. 850.

*In Numeros lib.*2.*cap.*22. Qui altari seruiunt, altari participent. Et sicut hoc decens & dignum est: sic è contrario indecens & indignum est, imò impium, vt is, qui Deum colit, & ingrediatur Ecclesiam Dei, qui scit sacerdotes & magistros assistere altari Dei, & aut verbo Dei, aut Ecclesiæ deseruire, de fructibus terræ, quos Deus dedit, solem suum producendo, & pluuias suas ministrando, non offerat primitias sacerdotibus, non mihi videtur huiusmodi anima habere memoriam Dei, nec cogitare, nec credere, quia Deus dederit fructus, quos cœpit, quos ita recondit quasi alienos à Deo. Si enim à Deo sibi datos crederet, sciret vtique honorando sacerdotes, honorare Deum de datis & muneribus suis.

Cap. 23. In veteri & nouo Testamento ministris altaris, & seruitoribus templi Domini mandatum est, de oblationum largitate, & decimarum dato, nutrimentum habere, nec terrenis possessionibus concessum est, eis adipiscendis vllo modo inhiare. Vnde Dominus in Euangelio Apostolis & prædicatoribus præcepit, dicens Matth. 10. *Euntes, prædicate dicentes: Quia appropinquauit regnum cælorum. Nolite possidere aurum, neque argentum,* &c.

quia

quia dignus est operarius mercede sua. Hinc Paulus Corinth. loquens: *Nescitis, inquit, quoniam qui in sacrario operantur, qui de sacrario sunt edunt?* &c. Ita Dominus ordinauit his, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere. Non conueniens est, vt ille, quem semper oportet astare officio diuino, pro acquirendo occupetur terreno lucro.

Concilium Valentinum. 855.

Cap. 8. Placuit, ne prædia & possessiones Ecclesiarum, voto fidelium collatæ, cupidis ad inuadendum paterent, & ne tali fraude rebus suis vacuarentur, & spoliarentur Ecclesiæ, ne & gloriosorum Principum animi, subreptione quorundam talium deceptiuis callidisq; mendacijs læderentur: vt si quis non metuens iudicium Dei, & damnationem æternam, & possessiones Ecclesiarum, siue expoliare quæ pertinent ad ius earum præsumpserit, excommunicationis sententiam, quousque præsumptionis factum recorrigat, secundùm Ecclesiasticam censuram ferat.

Cap. 10. Sed & de fiscis & villis, quas constat dominio Ecclesiæ à fidelibus olim fuisse contraditas, & nunc potestati secularium subditas, voluntate eorum ordinari, placuit, vt edictis Principum iussum est, nonę & decimæ ipsis Ecclesijs, vnde subtractæ sunt, fideliter persoluantur. Hi, qui eas retinuerint, vt sacrilegos nouerint se ab Ecclesiæ liminibus pellendos. Sed & decimas suas omnes fideles promptissimè Deo offerant de omnibus, quæ possident, nec vllis oppositionibus, quod statutum est, permutare audeant, ne fortè cogamur eos districtione Ecclesiastica ferire.

Nicolaus Primus. 860.

Dist. 12. *q.* 2. De rebus, quæ semel Deo contributæ atque dicatæ sunt, & postea sub occasione concessionis Principum, à quibusdam inuaduntur, atque diripiuntur, sancimus, vt prius consulatis Principem ad resecandam tam præsumptiuam factionem. Et cognoscendum, vtrum sit illius concessio, an inuasoris præsumptio. Quòd si Principis inordinata fuerit largitio, & ipse Princeps sit pro emendatione redarguendus: si autem inuasoris declaratur præsumptio, vsque ad emendationem excommunicationis vindicta sit coercendus.

Dist. 15. *q.* 6. Quin etiam præfato fratri nostro, filijsque Treuirensis Ecclesiæ hæc in mandatis damus, vt spirituali simul, & materiali gladio, tam diu malignos illos, eorumq; fautores insequantur, quousque cum integritate possessiones, vel quæcunque res Ecclesiasticæ hoc facto, vel quocunque pacto distractæ seu direptæ sunt, reuocentur.

Concilium Moguntinum sub Arnulpho. 880.

Cap. 13. Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis, nec alijs possessionibus priuentur, ita vt nouis oratorijs tribuantur.

Cap. 17. Admonemus, atque præcipimus, vt decima omnino Deo dari non negligatur, quam Dominus ipse sibi dari constituit. Timendum est enim, vt quisquis Deo debitum suum abstrahit, Deus propter peccatum suum auferat ei necessaria sua. Qui verò decimas post crebras admonitiones dare neglexerint, excommunicentur.

Concilium Triburiense. 896.

Cap. 13. De decimis Augustinus Doctor mirabilis, sub breui ratiuncula satis videtur dilucidasse, cùm ait: Decimæ ex debito requiruntur. Quid si diceret Deus, nempe meus es, ô homo: mea est terra, quam colis: mea semina, quæ spargis: mea animalia, quæ fatigas: meus est solis ardor: cùm omnia mea sint, tu, qui manus accommodas, solam decimam merebaris, sed seruo tibi nouem: si dederis mihi decimam, multiplicabo nouem. Si ergo quærit aliquis, cur decimæ dentur, sciat, quod ideo dandæ sunt, vt hac deuotione Deus placatus largius præstet quæ necessaria sunt, & vt ministri Ecclesiæ exinde releuati, liberiores fiant ad spiritualis seruitij expletionem: & vt munus populi ex hinc in quotidiana oblatione Domino immoletur: nec non secundùm statuta Canonum in sustentationem pauperum, & restaurationem Ecclesiarum proficiant. Quatuor enim partes fieri iuxta Canones iudicamus de decimis & oblationibus fidelium, vt vna sit Episcopi, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta restaurationi Ecclesiarum reseruetur.

Regino Prumiensis. 910.

Libro 1. *Chronicorum*: Dagobertus Basilicam S. Dionysij potissimum dilexit, vbi postmodum ingentia dona contulit, & numerosa prædia dedit.

Luitprandus Ticinensis. 950.

Lib. 4. *cap.* 15. Cùm Comes Abbatiam à Rege Ottone pro præmio auxilij peteret, respondit. Otto: Scriptum est: *Nolite sanctum dare canibus.* Quod quàuis à Doctoribus spiritualiter intelligendum esse prædicetur, ego tamen satis me dare canibus sanctum censeo, si Monasteriorum prædia, quæ à religiosis viris Deo sunt militantibus tradita, tulero; & seculo militantibus dedero. Tibi vero tam procaciter iniusta petenti sub testimonio totius populi nec hoc, nec aliud vnquam te à me accepturum esse testificor.

Otto Primus Imperator. 950.

In Priuilegio Cœnobij S. Emmerani: Nouerit omnium fidelium nostrorum præsentium, nec non futurorum solertia, quòd nos quasdam iuris nostri, pro remedio animæ nostræ, ad Ecclesiam B. Petri principis Apostolorum, S. quoque Emmerani Martyris Christi, in proprium concessimus, id est, in villa Nuchinga, in pago Hertinga, in Comitatu Eberhardi Comitis curtem regalem, id est, cum omnibus appenditijs & adiacentijs suis, iustè legitimeque illuc pertinentibus, iure perenni in proprium, curtilibus, mancipijs vtriusque sexus, ædificijs, agris, pratis, pascuis, syluis, aquis, piscationibus, mansionarijs, Barschalckis, aurearijs, brunearijs, cidelarijs, molendinis, vijs & inuijs, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, mobilibus & immobilibus. Insuper etiam dedimus ad supradictam Ecclesiam curtem regiam, id est: in villa Helffendorff sitam, cum omnibus suis pertinentibus rebus, curtilibus, mancipijs, &c.

Gregorius Septimus. 1076.

Apud Iuonem lib. 8. *in fine, & apud Gratianum causa* 16. *q.* 7. Decimas, quas in vsum pietatis concessas esse Canonica auctoritas demonstrat, à laicis possideri Apostolica auctoritate prohibemus: siue enim ab Episcopis, vel regibus, & quibuslibet personis eas acceperint, (nisi reddiderint) sciant se sacrilegij crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere. Oportet autem congruentius nos decimas & primitias, quas iure sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere, quas fideles Domino præcipiente offerunt, iuxta illud vaticinium Malachiæ Prophetæ: *Inferte omnem decimationem in horreum meum, vt sit cibus in domo mea.* Has verò decimas sub manu Episcopi fore censemus, vt ille, qui cæteris præest, omnibus iustè distribuat, nec cuique personæ honorabilius exhibeat, vnde alij scrupuloso corde moueatur, sed sint omnia communia. Quia inhonestum videtur, vt alij sacerdotes habeant, alij verò detrimentum patiantur: sed sicut vna est fides Catholica, ita necesse est, vt ille, qui prouisor

est loci, quamuis multæ sint Ecclesiæ, omnibus tamen fideliter distribuat.

Anselmus. 1080.

Ad cap. 9. prioris ad Corinthios: Dominus permisit, non iussit, sacerdotibus vt acciperent sumptus, vt si quis eos non acciperet, maiorem inde mercedem acquireret, sicut & virginitatem laudauit, non præcepit, & cumulum gloriæ eorum, qui eam seruauerint, &c. *Quis militat suis stipendijs vnquam?* Per has similitudines humanæ consuetudinis ostendit rationabiliter, quia sibi & alijs prædicatoribus licet accipere sumptus. Nam & ipsi spiritualiter Regi Christo militabant, & ideo à Christianis plebibus, tamquam à prouincialibus stipendia sumebant. Ipsi Ecclesiam quasi vineam plantabant, & idcirco de fructu eius meritò comedebant. Ipsi gregem ouium Christi doctrina veritatis pascebant, & ideò iure de gregis lacte, id est, de cibis eius temporeis accipiebant.

Bruno Carthusianus. 1080.

Ad caput 9. prioris ad Corinthios: *Quis militat suis stipendijs vnquam?* Postquam prouidit se Apostolum, probat quòd iure Apostolatus possit accipere temporalia ab his, quibus ministrat spiritualia. Quòd licitum sit ei accipere, probat & humanis rationibus, & per legem veterem, & per Euangelium.

Sigebertus. 1100.

De anno 711. Oda vxor Boggis Aquitanorum Ducis sanctitate claret, quæ Dei Ecclesias sua ditauit munificentia.

Bernardus. 1130.

Sermone 46. super Cantica: Quomodo stabunt Ordines clericorum, & administrationes eorum, si non principum tamquam tignorum beneficio & munificentia sustententur, & protegantur potentia?

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei lib. 2. parte 2. cap. 7. De terrenis bonis ad terrenam vitam pertinentibus, quæ vel possident Prælati in subiectis, vel subiecti possident à Prælatis, quædam Ecclesijs Christi deuotione fidelium concessa sunt possidenda, saluo tamen iure terrenæ potestatis. Sic enim rationabile est, & bonum: quia Deus noster pacis amator est, & nihil inordinatum approbare potest vera iustitia. Sic igitur quando huiusmodi, quæ ad terrenam spectant potestatem, Ecclesijs Christi conceduntur, ij quidem largitores sunt muneris, hoc solum concedere possunt in ea, quod possident: quia nec subiecti id, quod suis superioribus debetur, ad aliam possunt transferre potestatem, nec Prælati in his, quæ iustè à subiectis possidentur, alienos possessores inducere. Hoc est, vt nec Prælati id, quod subditorum est, alijs tribuant: nec subiecti id, quod prælatorum est, immutare præsumant.

Helmoldus. 1170.

In Chronicis Sclauorum libro 1. cap. 78. Henricus Comes Polahorum dedit Episcopo Raceburgensi insulam ad habitandum prope castrum. Præterea trecentos mansos resignauit Duci dandos in dotem Episcopij. Porrò decimas terræ recognouit Episcopo, quarum tamen medietatem recepit in beneficio, & factus est homo Episcopi, exceptis trecentis mansis, qui cum omni integritate tam redituum, quàm decimarum sunt Episcopi.

Saxo Grammaticus. 1190.

Historia Danica libro 11. Eginus ijsdem fermè temporibus, opitulante rege, Laurentianæ ædis inchoatum à se opus expleuit. Quibus rebus dedicare iussis, mirificam dotis nomine munificentiam erogauit. Nam in æde Laurentiana annua Cantorum stipendia, Pontificis subsidio fultus, instituit. ipse enim partim ex fisco suo, regijsq; latifundijs, partim Antistes ex ante collatis templo beneficijs quotidianos eorum sumptus exhibuit: tantaq; inter ipsos religiosi certaminis alacritas fuit, vt vter in Deum venerabilior fuerit, incertum extiterit. Prima itaque dedicationis die Rex solenniter altaria veneratus, quartam regij numismatis, quartam suæ in ciues exactionis, quartam æstiui census portionem ei, qui pro tempore loci Antistes extiterit, muneris loco perpetuo iure possidendam cōcessit. Nec parcius priuata Clericorum iura tutatus, ab eis, qui sacrarij rus excolunt, vniuersum penè regiæ pensionis ius ascriptis chori ministris deferendum curauit.

Gulielmus Tyrius. 1180.

Lib. 11 cap. 12. Balduinus Rex Bedar, Sophis, Caicapham Bethlehemiticæ Ecclesiæ attribuit.

Innocentius Tertius. 1200.

Extra. lib. 3 tit. de rebus Ecclesiæ non alienandis: Possessiones ad mensam tuam, vel Capituli pertinentes, alienare non debes, aut Ecclesias, in quibus Monachi ministrare consueuerant, clericis vel laicis assignare.

Concilium Lateranense 1215.

Cap. 53. In aliquibus regionibus quædam permixtæ sunt gentes, quæ secundùm suos ritus decimas de more non soluunt, quamuis censeantur nomine Christiano. Hos nonnulli domini prædiorum ea tribuunt excolenda, vt decimis defraudantes Ecclesias, maiores inde reditus assequantur. Volentes igitur his Ecclesiarum indemnitatibus prouidere, statuimus, vt ipsi domini, talibus personis, & taliter sua prædia excolenda committant, quod absque contradictione decimas Ecclesijs cum integritate persoluant, & ad id si necesse fuerit per censuram ecclesiasticam compellantur. Illæ quippe decimæ necessariò sunt soluendæ, quæ debentur ex lege diuina, vt loci consuetudine approbata.

Conradus à Lichtenavv. 1225.

De anno 1210. Fridericus Romæ coronatur in Imperatorem, vbi Imperator de bonis, & prædijs Imperij, in Italia sitis, multa contulit Ecclesiæ Sancti Petri.

Matthæus Parisius. 1240.

In historia Anglicana de anno 1090. Circa hos dies VValbertus de Molbraio Northumbrensis Comes, diuina inspiratione tactus, volens Ecclesiam B. Osvvini, iam dudum desolatam restaurare, atque ibi Deo & sancto Martyri Osvvino Monachos seruituros constituere, consilio amicorum suorum Paulum Ecclesiæ S. Albani Abbatem conuenit, petens vt ex Monachis suis aliquos illuc transmittere dignaretur, promittens omnia, quæ ad victum & vestitum necessaria sunt, se eis suppeditaturum. Petitioni quidem Abbas non defuit. Nam quosdam illuc ex S. Albani Monachis mitti procurauit, quos cùm Comes præfatus manerijs, Ecclesijs, reditibus, piscarijs, molendinis, & rebus omnibus locupletasset, & literis suis prædicta omnia ab omni seculari seruitio exempta & penitus libera confirmasset, dedit prædicto Abbati Paulo, eiusq; successoribus & Ecclesiæ beati Albani Anglorum Protomartyris, Ecclesiam Tinemutanam, cum omnibus appendicibus suis, pro salute propria & omnium antecessorum suorum, siue successorum in perpetuum possidendam.

Thomas Aquinas. 1250.

Secunda secundæ quæst. 87. in Corpore quæst. 1. Decimæ da-

mæ dabantur in veteri Lege ad sustentationem ministrorum Dei. Vnde dicitur Malachiæ 3. *Inferte omnem decimationem in horreum meum, vt sit cibus in domo mea.* Vnde præceptum de solutione decimarum partim erat morale, inditum naturali ratione: partim autem erat iudiciale, ex diuina institutione robur habens. Quòd enim eis, qui diuino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria victus ministraret, ratio naturalis dictat, sicut & his, qui communi vtilitati inuigilant, scilicet principibus, militibus, & alijs huiusmodi stipendia victus debentur à populo. Vnde & Apostolus hoc probat 1. Corinth. 9. per humanas consuetudines, dicens: *Quis militat suis stipendijs vnquam? aut quis plantat vineam, & de fructibus eius non edit?* Sed determinatio certæ partis exhibendæ ministris diuini cultus non est de iure naturali, sed est introducta institutione diuina, secundùm conditionem illius populi, cui lex dabatur, &c. Determinatio decimæ partis soluendæ, est auctoritate Ecclesiæ tempore nouæ Legis instituta, secundùm quandam humanitatem, vt scilicet non minus populus nouæ Legis ministris noui Testamenti exhiberet, quàm populus veteris Testamenti exhibebat: cùm tamen populus nouę legis ad maiora obligetur, secundum illud Matth. 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra,* &c. Et cùm ministri noui Testamenti sint maioris dignitatis, quàm ministri veteris Testamenti, vt probat Paulus 2. Corinth. 3. Sic ergo patet, quòd ad solutionem decimarum homines tenentur, partim quidem ex iure naturali, partim etiam ex institutione Ecclesiæ, quæ tamen pensatis opportunitatibus temporum & personarum possit aliam partim determinare soluendam, &c.

Bonauentura. 1260.

In tertium Senteut. distinct. 3. quæstione 1. Decimatio fuit actus moralis, sacramentalis, & figuralis. Secundùm quod fuit actus moralis, sic decimatio dicitur alicuius certæ partis donatio, ad sustentationem eorum, qui seruiunt Domino, & deputati sunt cultui diuino, & hoc modo decimatio perseuerat, vsque modo, &c.

Nicolaus Lyranus. 1300.

Ad cap. 47. Genes. *Et statuta cibaria.* Ex hoc loco habetur, quòd illis, qui sunt deputati diuino cultui & studio, debent de victu ab his, qui habent curam regendæ communitatis, prouideri.

Ad caput 18. Numer. in Moralibus: Per hoc, quòd sacerdotibus assignantur primitiæ, & Leuitis decimæ, pro sua familiarumque suarum sustentatione ostenditur, quòd in nouo Testamento populus tenetur prouidere seruientibus Deo de victu, & vestitu secundùm rationem statuum & personarum.

Ad caput 9. prioris ad Corinthios: Apostoli fuerunt milites, contra hæreticos insurgentes, & in vinea Domini cultores, & gregis Dominici Pastores; propter quod à populo sumptus eis debebatur.

Ioannes Vigesimus secundus. 1318.

Constitut. 1. Inter cæteras, quorum nos cura sollicitat, illa præcipuè meditatio mentem nostram occupat, illaque sollicitudo fatigat, vt Ecclesiæ iura non pereant, & si quæ forte sunt deperdita, in statum pristinum restaurentur. Audiuimus siquidem relatione fideli, quòd quidam, patrimonij beati Petri Comitatus Sabinæ, &c. ad nos & Ecclesiam Romanam spectantes Rectores, & officiales, diuersas locationes, alienationes, donationes, & concessiones, de terris, castris, bonis, iuribus eiusdem Ecclesiæ sub varijs formis, modis, & temporibus fecisse noscuntur, &c. Nos igitur volentes super his eiusdem Ecclesiæ honori, & indemnitatibus prouidere, locationes, alienationes, donationes locorum prædictorum factas auctoritate Apostolica reuocauimus, cassauimus, annullauimus, irritauimus, vacuauimus, & nullam decreuimus habere roboris firmitatem, & easdem terras, ciuitates, & castra, bona, & iura ad ius & proprietatem ac dominium eiusdem Ecclesiæ reuocauimus.

Augustinus Triumphus Anconitanus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæstione 92. artic. 1. Concessit Christus, vt Apostoli, & omnes prædicatores non de proprio, sed de stipendijs subditorum, quibus prædicabant, possent viuere.

Guido Perpinianus. 1330.

In Confutatione errorum Beguinorum cap. 2. Christus habuit loculos ad suam & suorum necessitatem, Ioannis 13. &c. Constat quòd Ecclesia tempore Pauli reseruabat oblata à fidelibus ad prouidendum viduis, 1. Timoth. 5. &c. Paulinus Nolanus & Hilarius Arelatenses Episcopi, cùm ex amore perfectionis sua propria reliquissent, facti Episcopi non solùm susceperunt, sed etiam laudabiliter Ecclesiæ facultates communes auxerunt, non ad proprium dominatum, sed ad dispensandum ministris Ecclesiæ & pauperibus. Imò sicut in veteri, sic etiam in nouo Testamento fuerunt multi reges, & Martyres, & Confessores valde perfecti, cùm tamen proprium aliquod possiderent.

Aluarus Pelagius. 1340.

De planctu Ecclesiæ libro 1. capite 68. Christus habuit loculos, Ioannis 12. & Ecclesia primitiua pecunias in communi, Actorum 4. & 5. Item si sancti Martyres & Confessores Prælati sciuissent, esse peccatum bona temporalia possidere, nunquam donationes talium recepissent, & dispensassent.

Ludolphus Bebenburgus. 1340.

De veterum Principum Germanorum zelo capite 5. Veteres Germaniæ Principes Ecclesiam grandibus & varijs donationibus extulerunt, eidem plures terras, & ciuitates, & loca, cum suis iuribus, & iurisdictionibus, nec non alia bona immobilia & mobilia copiosa munificentia, & præcipua largitate donando. Pipinus namque Francorum Rex ciuitatem Rauennam cum quinque ciuitatibus adiacentibus Ecclesiæ Romanę donauit. Quam donationem Carolus Magnus eiusdem Pipini filius, tempore Adriani primi, adiunctis duobus Ducatibus Spoletano scilicet, & Beneuentano eidem Ecclesiæ confirmauit.

Petrus Aliacus. 1400.

Homilia [illegible] in Synodo super illa verba: *Designauit Dominus & alios septuaginta duos discipulos:* Primò ministrorum Ecclesiasticorum retributio est corporalis sustentatio, de qua Dominus ait: *In eadem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua.* Vbi ostendit Christus, quòd ministri Ecclesiastici, qui populo Christiano in spiritualibus seruiunt, de iure diuino & humano debent ab eo in corporalibus sustentari.

Thomas VValdensis. 1420.

Tomo 1. lib. 4. artic. 3. cap. 40. docens quòd nullo modo liceat Principibus vel alijs auferre bona, quæ semel contulerint Ecclesiæ. Si hæc, inquit, animum VVicleui non perforant, sed Scripturam expectat audire, quæ directè mandet oppositum, audiat quid Scriptura dicat, vbi iam pridem dotationem Ecclesiæ quantum fieri potest in Scriptura veteri, diximus

esse

esse fundatam. Dicit enim lex Domini immaculata Leuitici vltimo: *Omne, quod Domino consecratur, siue homo fuerit, siue animal, siue ager, non vendituir, nec redimi poterit: quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino.* Nec mirum quòd non solùm sanctum, sed & sanctum sanctorum erit, quicquid semel fuerit Domino consecratum, ita vt Oza iam retro cadat, si vel semel ad res sacras manus violentas apponat. Propter hoc etiam res sacerdotales de manu mortua appellantur, non solùm legibus regum, sed etiam lege Dei. Vnde in Leuitico scribitur: *Omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur.* Quod de morte naturali non intendebatur, quia homines, & domus consecratæ offerebatur Domino, sed moriebantur morte ciuili, secundùm Nicolaum de Lyra. Quia quantum ad vsus seculi, erant quasi non essent, & ne ficta responsio repelleret veritatem, dicendo hoc esse mandatum veteris Legis, & esse cæremoniale, non morale, vel tale quid, approbatio eius in lege Euangelij statim occurrit, vbi beati Petri sententia Ananiam & Saphiram repentina morte peremit, quia facultates, quas semel Domino voto suo consecrauerant, subtrahere nitebantur.

Leu. 27.

Ioannes Gerson. 1425.

Tractatu de contractibus parte 1. consideratione 20. Licitum est Ecclesiasticis de reditibus in communi vel proprio viuere, iuxta determinationem Christi & Apostoli (1. Corinth. 9.) & obseruationem totius Ecclesiæ. Denique detrahentes Ecclesiasticæ dotationi, propter hoc damnati sunt, vt hæretici, nouissimè in Concilio Constantiensi. Et hæc est causa, quæ Martyrem Thomam Cantuariensem fecit.

De Concilio generali vnius obedientia in schismate: Tempore Syluestri & Constantini Magni placuit Domino ad dilatationem Ecclesiæ inspirare Constantino, quòd tales possessiones daret, tum Ecclesiæ, quòd reciperet. Et durauit huiusmodi dotatio Ecclesiæ vsque ad tempora nostra, per successiones sanctorum Patrum Gregorij, & Ambrosij, & aliorum, quos non est credibile in retentione talium errasse, contra Christi iussionem.

De statibus Ecclesiasticis, consideratione de statu summi Pontificis, &c. Consideratione 2. Status prædictus dotandus est vel fouendus pro debita & honesta sustentatione temporalium, sine quibus in hac uita misera spiritualia diu non subsistunt: quemadmodum alter status quicunque Ecclesiasticus inferior seu subditus dotatus est, vel dotandus iuxta sui qualitatem.

Ioannes Capistranus. 1440.

De Papæ & Concil. auctor. fol.43. Habebat Dominus loculos à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus & alijs indigentibus tribuebat: tunc primùm Ecclesiastica pecuniæ forma est instituta, vt intelligeremus, quòd præcepit non esse cogitandum de crastino, non ad hoc fuisse præceptum, vt nihil pecuniæ seruetur à sanctis: sed ne Deo propter ista seruiatur, & propter inopiæ timorem iustitia deseratur, quod etiam habetur in Decretis 12. q. 1. Habebat. Et Apostolus dicit 1. Corinth. 9. *Quis militat suis stipendijs vnquam?* & infra: *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si carnalia vestra metamus?* &c. *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, & qui altari deseruiunt, cum altario participant?* &c.

Æneas Syluius. 1450.

Apologia ad Martinum Mayer: Quòd si non deberent Ecclesiæ bonis abundare, malè fecisset Constantinus Imperator, qui Romanam tantopere ditauit Ecclesiam, qui (vt ait Damasus ad Hieronymum) multa illi bona concessit: malè fecissent & Carolus Magnus, & pater Pipinus, & Ludoicus filius, qui Ecclesiæ multa donârunt: malè quoque vestri Ottones, qui non solùm Romanam Ecclesiam ditauerunt, sed etiam Theutonicas ditarunt: malè Henricus 2 Imperator, qui Sanctus habetur, & cælo creditur raptus, qui Bambergensem Ecclesiam & fundauit, & ditauit, in qua sepultus claret miraculis: malè Comitissa Mathildis paternam hæreditatem à Radicofono Thusciæ, vsque ad Caperanum Campaniæ medias vrbes & oppida beato Petro tradidisset, seu melius dicam restituisset: malè sanctus Syluester dona Imperij accepisset: malè Damasus, Stephanus, Leo, Adrianus, & Gregorius, in possessione tot bonorum perseuerassent. Prosperi verba hæc sunt: Expedit facultates Ecclesiæ possidere, &c. vt supra.

FINIS LIBRI QVARTI.

LIBER QVINTVS: DE SACRAMENTIS, BAPTISMO, ET CONFIRMATIONE.

ARTICVLVS PRIMVS.

SACRAMENTA VETERIS LEGIS NON HABVISSE EANDEM VIRTVTEM ET EFFICACIAM, QVAM HABENT SACRAMENTA NOVAE LEGIS.

NEGANT.

Anno post natum Christū 1520.

MARTINVS Lutherus in Captiuitate Babilonica capite de Baptiſmo: *Error eſt Sacramenta noua Legis differri à Sacramentis veteris Legis penes efficaciam ſignificationis, &c. Fieri non poteſt, vt Sacramenta noua differant ab antiquis Sacramentis.*

1550. Ioannes Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 14. §. 23. *Hoc dogma Scholaſticum, quo tam longum diſcrimen inter veteris & noua Legis Sacramenta notatur, perinde ac ſi illa non aliud quàm Dei gratiam adumbrauerent: hac verò præſentem conferant, penitus explodendum eſt.*

In Antidoto Concilij Tridentini ad Canonem ſecundum ſeptimæ Seſsionis: *Vulgare eſt apud Sophiſtas dogma, Sacramenta legis Moſaica figuraſſe gratiam, noſtra verò exhibere. Nos autem Deum aſſerimus ſemper in ſuis promiſſis fuiſſe veracem: nec quicquam figuraſſe ab initio, quod non patribus reipſa exhibuerit. Nam ſub Moyſe conſtabat Circumciſionis veritas. Et tunc eandem fuiſſe eſcam ſpiritualem, qua participabant, eundemq́; potum ſpiritualem teſtis eſt Paulus.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Pſalm. 39. *Verſ.* 7. Sacrificium & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti.

Pſal. 50. 18. Si voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique: holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo, ſpiritus contribulatus.

Iſaiæ 1. 11. Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum?

Ieremiæ 11. 15. Nunquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es?

Amos 5. 22. Quòd ſi obtuleritis mihi holocautomata & munera veſtra, nō ſuſcipiam: & vota pinguium veſtrorum non reſpiciam.

Rom. 4. Apoſtolus ex profeſſo probat Abrahamum non Circumciſione, ſed in præputio fuiſſe iuſtificatum, vt inde admoneat Circumciſionem non eſſe datam, vt iuſtificaret: Si enim is, cui ea primò data eſt, non fuit ex ea iuſtificatus, quanto minus alij ex ea iuſtificandi erunt?

1. *Corinth.* 7. 19. Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt.

Galat. 4. 9. Quomodo conuertimini iterum ad infirma ac egena elementa, quibus denuò ſeruire vultis?

Galat. 6. 15. In Chriſto enim Ieſu neque Circumciſio valet, neque præputium: ſed noua creatura.

Philip. 3. Paulus dicit ſe arbitrari detrimentum iuſtitiam, quæ eſt ex lege, & hoc aliquoties repetit. Quod certè non diceret: ſi ex vlla legali cæremonia iuſtificatus fuiſſet. Vn-

de Circumcisionem per contemptum concisionem vocat: *Videte* inquit, *concisionem*. Nam, vt exponit Chrysostomus, circumciditur, quòd aptè expolitur, resecatis superfluis: conciditur, quod temerè, & præter artem conciditur in frusta. Ibidem Apostolus ait, se non habere fiduciam in carne, & per fiduciam in carne exponit ipse fiduciam in circumcisione, alijsque id genus rebus.

Colos. 2.16. Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum: quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi.

Hebr. 7.18. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem.

Hebr 9. Cæremonias veteres dicit fuisse iustitias carnis, & sanctificasse quidem inquinatos, sed solùm ad emendationem carnis.

Hebr. 10. dicit legem vmbram habuisse, non ipsam imaginem rerum: nec potuisse accedentes perfectos facere, nec potuisse auferre peccata, & mundare conscientiam, quod intelligi debet in ordine ad iustificationem ex opere operato Nam alioqui negari non potest, quin placuerint ex obedientia, & deuotione offerentis: Nam vocatur odor suauissimus Domino, Leuit. 1.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 90.

De Ecclesiastica Hierarchia cap. 5. par. 1. Post illam cælestem supermundanamque Hierarchiam, ad nostra quoque summa illa diuinitas sua sacratissima munera benigne deriuans, cùm paruuli (iuxta eloquium) essemus, legale indulsit sacerdotium, obscuris verarum rerum imaginibus & figuris à primitiuis suis remotissimis, signisque haud facile penetrabilibus, ac typis opertam habentibus, neque discerni facilem intelligentiam, congruam, & viribus nostris conuenientem lucem, & imbecillioribus oculis innocuè infulgens. Huic autem legali sacerdotio tete fuit, ad cultum spiritualem, obsequiumque prouectio. Duces verò ad eam hi sunt, qui sanctum illud tabernaculum à Mose sacratius didicerunt, primo scilicet legalium sacerdotum præceptore ac duce. Ad quod sacrum tabernaculum cùm imbuendis rudibus legale sacerdotium pingeret, ad ostensi sibi in Syna monte exemplaris imaginem, omnia quæ secundum legem consummarentur, euocabat: instructi verò hi dici possunt, qui suo ordine à legalibus signis ad perfectiorem instructionem promouentur. Porrò perfectiorem eruditionem, hierarchiam nostram Theologia vocat impletionem hanc illius, sacrumque appellans finem. Est autem tam cælestis illa perfunctio, quàm legalis: quarum nostra hæc, quòd sit media, vtriusque extremitates apprehendit, societate mutabili hac superiori illi quidem spiritualibus intelligentijs, fulgoribusque communicat: inferiori verò, quod signis carnalibus variatur, perque ipsa sacratius promouetur in Deum.

Iustinus Martyr. 160.

Dialogo cum Tryphone: Nam & ipse Abraham in præputio cùm adhuc esset, propter fidem, qua Deo credidit, iustificatus est, & benedictione auctus, prout Scriptura dicit Circumcisionem autem in signũ, non ad iustitiam accepit: quemadmodum & Scripturæ, & res ipsę nos fateri cogunt. Et quod genus muliebre Circumcisionis capax non est, satis id ostendit, in signum datam Circumcisionem istam, & non vt sit iustitiæ opus.

Irenæus. 180.

Lib. 4. cap. 30. Circumcisionem non quasi consummatricem iustitiæ, sed in signo eam dedit Deus, vt cognoscibile perseueret genus Abrahæ, &c. Et quia non per hæc iustificabatur homo, sed in signo
Rom. 4 data sunt populo, ostendit, quòd ipse Abraham sine circumcisione credidit Deo, *& reputatum est ei ad iustitiam.*

Origenes. 230.

Lib. 2. contra Celsum: Quæ verò sunt illæ impietates Iesu? Proferat præsertim Iudæus à Celso introductus, nisi fortè impium est desistere à corporali Circumcisione, & sabbatis, nouilunijs, cæterisque festorum corporalium obseruationibus, & purarum impurarumque rerum discrimine, ab hisque transferre animum ad veram Dei legem, spiritualem, & dignam Deo.

Homil. 3. in Genes. Nos imbuti per Apostolum Paulum dicimus: quia sicut multa alia in figura, & in imagine futuræ veritatis fiebant, ita & circumcisio illa carnalis circumcisionis spiritualis formam gerebat: de qua & dignum erat, & decebat Deum maiestatis præcepta mortalibus dare. Audite ergo quomodo Paulus Doctor gentium in fide & veritate de Circumcisionis mysterio Christi Ecclesiã docet: *Videte*, inquit, *circumcisionem* (de Iudæis loquens, Phili. 3
qui circumciduntur in carne) *nos enim sumus*, ait, *circumcisio, qui spiritu Deo seruimus, & non in carne fiduciã habemus.* Hæc vna Pauli de Circumcisione sententia. Rom. 2
audi & aliam: *Non enim qui in manifesto Iudæus est*, inquit, *neque quæ manifeste est in carne circumcisio, sed qui in occulto Iudæus, circumcisione cordis, in spiritu, non litera.* Non tibi dignius videtur talis circumcisio dicenda in sanctis, & amicis Dei, quàm carnis obtruncatio?

Athanasius. 340.

Orat. in illud, *Omnia tradita sunt mihi à Patre*: Circuncisio nihil denotabat, nisi depositionem, exuuiasque detractæ natiuitatis. Eum enim, qui sexto die mortuus est, exuimus, & renouamur Dominica die, cùm antiquus ille exutus, regenerationem resurrectione acceperit. Hoc enim Paulus ad Coloss. loquitur: Col. 3.
In quo circumcisi estis circumcisione non manufacta, in expoliatione carnis, in circumcisione Christi, consepulti estis in baptismate ad infernum, in quo & resurrexistis. Nam circuncisio figura erat exuuiarum, quę per baptismum deponuntur: illamque in membris genitalibus iussit fieri, vt animaduerterent circuncisi, circuncisionem signum esse exuendæ vetustatis. Abraham enim, vbi Deo crediderat, circuncisionem recepit pro nota, insignibusque eius regenerationis, quæ per baptismum conficitur. Quapropter vbi venerat res, quæ figura denotabatur, nota ipsa figuraque intercidit, & conquieuit. Circuncisio enim nota erat: lauacrum autem regenerationis id ipsum est quod denotabatur. Veteri enim homine in totum exuto, superflua erat nota illa, quæ ex parte rei adumbrationem præ se ferebat: & vt Dominica dies, quæ initialis est nouæ creaturæ, sabbatismum finit, ita

eadem

eadem illa regenerato homine in otium, dedit Circuncisionem, &c. Sicut sacrificia vmbræ erant rerum futurarum, ita circuncisio particularis, totius hominis circuncidendi adumbratio delineatioque fuit.

Basilius Magnus. 370.

Lib. de Spiritu S. c. 14. Qui veritatem vmbræ comparans, cumque figuris conferens ea, quæ figuris significantur, vniuersam pariter Euangelicam dispensationem eleuare aggreditur, &c. Quid confers lauacra cum lauacris, quæ solam nominis appellationem habent communem, rerum verò tanta est differentia, quanta est inter somnia & veritatem, inter vmbras imaginesque, & inter ea quæ reuera sunt?

Epiphanius. 380.

Hæresi 8. quæ est Epicureorum: Illic circuncisio fuit carnalis, quæ deseruijt tempori, vsque ad magnam illam circuncisionem, hoc est, Baptismum, qui circuncidit nos à peccatis.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Hom. 27. in Genes. Attende, quòd Deus Circuncisionem pro lege statui voluit, non quòd ad animæ salutem perficere hæc possit aliquid: sed vt Iudæorum pueri hoc gratitudinis indicium circumferrent, quasi signum & sigillum, & ne liceret eis commisceri gentium commixtionibus. Hinc B. Paulus signum hoc vocat, dicens: *Et signum dedit Circuncisionem sigillum.* Nam ad iustitiam ipsa circuncisio nihil conducit.

Homil. 39. Ingrati, insensatique Iudæi etiam hoc tempore Circuncisionem seruare volunt, puerilemque declarant mentem. Cuius enim gratia, dic mihi, circuncidi volunt? Nam tunc quidem, vt ne impijs gentibus se commiscerent, hoc in mandatis acceperunt: nunc autem per Dei gratiam omnibus ad lucem veritatis adductis, quæ Circuncisionis vtilitas? Nunquid ad animæ libertatem confert carnis depositio? Non audierunt manifestè Deum dicentem: *Et erit in signum Testamenti:* quasi demonstrantem, quòd ob multam insipientiam tali signo indiguerint. Ita enim & in humanis rebus nonnunquam fieri solet: quando non habemus aliquibus fidem, curamus vt ab ipsis signum pignoris loco recipiamus. Similiter & omnium Dominus, sciens ipsorum animi inconstantiam, hoc ab ijs signum petere voluit: non vt semper maneat signum hoc, sed vt postquam signata finem acceperint, & signi vsus auferatur.

Homil. 40. Considera Dei misericordiam, & effabilem eius erga nos beneficentiam. Illa enim circumcisio dolorem habet, & laborem. Et nulla alia ex Circuncisione fuit vtilitas, quàm hæc sola, quòd ex hoc signo essent cognobiles, & ab alijs gentibus sequestrentur. Nostra autem circuncisio, vel Baptismatis, inquam, gratia medicinam habet citra dolorem, & innumera bona nobis adfert, & Spiritus S. gratia nos implet, & nullum definitum habet tempus sicut illic.

Homilia 14. in epist. ad Hebr. *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto & melioris Testamenti mediator est,)* Vides, inquit, quanto ministerio melius est ministerium: siquidem illud quidem est exemplar & figura, hoc verò veritas.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Libro 10. in Iulianum: Sacrificamus nunc multò melius, quàm illi olim. Descendit enim cælitus nō sensibilis ignis, imaginem ineffabilis naturæ complens, sed ex Patre per Filium Spiritus sanctus, illustrans Ecclesiam: Adhibemus & sacrificia, spiritualia scilicet, & mentalia. Nam illi, qui ex sanguine Israel, offerebant Deo boues & oues, turtures & columbas, & ex fructibus, & similam oleo sparsam, & lagana, & thura. Nos autem tam crasso ministerio relicto, præceptum habemus, vt spirituale & subtile perficiamus, &c. Quòd autem in vmbris secundùm legem eos, qui ex sanguine Israel, absque prudentia immorari non permiserit Deus, & ex ipsis sciemus sacris Scripturis. Etenim præcipit quidem immolari agnum, ad figuram Christi: veruntamen sic comedetis illum, dicit: *Sint lumbi vestri præcincti, & calceamenta in pedibus vestris.* Vide igitur quomodo in peregrinorum humilitate comedere iusserit, vt res ipsæ significent, quòd figuræ non semper duraturæ sint, sed quodammodo ad veritatem currant. Igitur cùm peruenisset figura ad veritatem, nos pro igne sensibili spiritum accipientes, rationabile implemus ministerium. Ita enim dicitur Christus baptizare nos in Spiritu sancto & igne, &c. Iam quid sibi vult, dicet aliquis, Circuncisio? Bona sanè est, & vtilis, si typus esse credatur rei spiritualis: absurdarum enim concupiscentiarum & voluptatum, quæ sunt in humana mente, abiectionem significat, quam per Spiritum sanctum in nobis omnibus Christus operatur.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 2. epist. 115. Ac siquidem Circumcisionem, quæ in occulto est, indicat, admirationem suam augeant, ac tum eos prædicent, qui sine circuncisione cupiditates suas circuncidunt. Si autem signi loco, vt ne gentibus admiscerentur, ipsis data est, non secus atque contumacibus ac ferocibus equis frænum ac sigillum, haud magnopere ob eam, qua eorum stoliditas, & inscitia notatur, animos efferant. Nam cùm & Abel, & Enoch, & Noë, & Abraham, antequam circuncisio aut visa, aut audita esset, cum laude atque gloria vixerint, ea certè non laudis, aut gloriæ materia est, sed sigillum.

Theodoretus 450.

Quæstione 67. in Genesin: Quare Deus iussit ipsum circuncidi? Cùm Deus prædixisset incolatum, pietati custodiam aliquam molitur, ne hominibus impijs permixti, maculent nobilitatem, sed in signum intuentes, indelebilem memoriam eius, qui dedit illud, conseruent. Atque hoc esse verum, testatur desertum. Nam cùm in eo vixissent quadraginta annos, superfluam existimabant Circuncisionem: nempe à cæteris gentibus segregati, & seipsos gubernantes. Quando verò postea ingressi sunt terram promissam, tunc iterum Deus omnium præcepit Iesu filio Naue circuncidere omnes, & ita Dominum terræ tradere. Erant enim futuri proximi populis alienis: quamobrem indigebant necessariò signo quodam, quo illos distingueret ab alienigenis nationibus. Quòd si Iudæi gloriantur de Circuncisione, sciant certò, quòd non solus Patriarcha circuncisus est, sed etiam Ismael semiseruus, & vernaculi, & Argyronitæ similiter & Idumæi, atque qui ex Cetura orti sunt. AEgyptij quoque didicerunt ab Israelitis circuncidi. Non igitur Circuncisio iustos reddit. Illi enim omnes tanquam impij à diuina Scriptura notantur. Ergo neque Abraham circuncisio iustificauit, sed fides illum iustum declarauit? & illustriorem reddidit virtus. Circuncisio autem data est veluti signum fidei.

Procopius Gazæus. 530.

Ad c. 17. Genes. Ne quis arbitretur Circuncisionem esse fœdus ipsum, sed fœderis signum & signaculū, vt Apostolus docet in epist. ad Galat. Quod est illud fœdus? Quòd scilicet sit Abrahami & eius seminis Deus. Erat igitur fœdus seu testimonium quasi sigillo confirmatum & obsignatum, nec cuiquam licebit id refringere, & aperire, nisi soli hæredi, qui est Christus. Is enim cum sua morte vires dedisset testamento, apparuit hæres, signaque abstulit, & omnibus mysticam testamenti virtutem explicauit.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthod. fidei lib. 4. c. 26. Circuncisio Abrahæ ante

legem,

legem, & post benedictiones, ac pollicitationes data est, tanquam signum, quòd eum, liberosq; ipsius, ac vernas à gentibus, quibuscum degebat, discerneret. Argumento est, quod cùm Israelitæ 40. annis in deserto secum ipsi sortim versarentur, nec cum vlla alia gente commercium haberent, ex ijs, qui in deserto nati sunt, nullus omnino circuncisus est. At postquam Iosue Iordanem eos traiecit, tum demum circuncisi sunt, extititq; lex secunda circuncisionis. Nam tempore Abrahæ lex Circuncisionis data est: deinde 40. annis in deserto cessauit: ac secundò rursus Deus Circuncisionis legem post transmissum Iordanem dedit Iosue. Ex quo perspicuum est, Circuncisionem signum extitisse, quòd Israelem à Gentibus, quibuscum versabatur, distingueret. Ea porrò Baptismi figura erat. Quemadmodũ enim Circuncisio nõ vtile aliquod ac necessarium corporis membrum, sed superuacaneum excremẽtum abscindit: ita per S. Baptisma peccatum nobis amputatur.

Theophylactus. 900.

Ad c. 2. ad Rom. Sed quomodo dixit? *Iustificationes legis*, hoc est, quæ videntur iustificare per operationem ipsorum. Circuncisio enim non est operatio, sed passio patientis, nempe circũcisi. Ne iustificatio igitur quidem legis dici queat. Nam data est in signum, vt ne cum gentibus Iudæi miscerentur.

Simeon Metaphrastes. 950.

Orat. de Circumcisione Domini. Circunciditur Iesus ex ea lege, quam tulerat, die octauo: non vt doceret circuncidi, sed vt faceret cessare Circuncisionẽ: vel potius, vt veteris quidem & inutilis eueheret anticipationem, nouæ autem & salutaris aperiret potentiã: vt aboleret quidem eam, quæ est secundùm carnem: produceret autem eam, quæ est secundùm spiritum: & illius quidem argueret imbecillitatem huius autem ostenderet fortitudinem, &c. Quæ est secundùm carnem circuncisio non describit solùm & adumbrat peccatorum depositionem, & eam, quæ est in baptismate Christi, circuncisionem: sed etiam tanquam in vmbra describit ipsam vniuersi resurrectionem, & alterationem: per quam omnis carnalis hominum sensus & cogitatio circunciditur, & excatur, & in aliam vitam transformatur. Huius veluti quædam obscura & adumbrata præfiguratio erat ea, quæ est secundùm carnem, circuncisio. Cùm ergo rerum imago, & quæ est in spiritu circuncisio, nondum locum haberet, necessaria est fortè existimata secundùm carnẽ circuncisio. Cùm autem ea, quæ est in spiritu, per Christum manifesta fieret, per ipsum oportebat omnino quoque aboleri eam, quæ erat in carne, circuncisionem. Etenim, si hæc circuncisionis, quæ in carne fiebat, & animalium sacrificiorum ratio, aut lex fuisset perfecta, vt quæ posset perficere eos, qui illa ritè peragebant, ea nullo modo, aut tempore potuisset dissolui: *Verbum enim Domini*, inquit, *manet in æternum.* Esai. 40
Quoniam autem data erat ad pedagogicam institutionem eorum, qui erant habitu imperfecti, & infantes, vsque ad tempus correctionis, cùm id, quod est perfectum, suo tempore refulsisset, oportebat omnino id, quod est imperfectum & minus, aboleri, & supprimi: oportebat, oriente sole, lunam & stellas obscurari, & minui, & aperta vera circuncisione, & cultu, vmbrosas veritatis imagines, & figuras cedere.

Oecumenius. 1050.

Ad c. 4. epist. ad Rom. Si cùm esset in præputio iustificatus est, certè beatificatio, quæ à Dauid dicta est, maiorem locum habet in præputium, quàm in Circuncisionem. Circuncisio ob has tres causas data est, vt fidei signum esset, vt Abrahæ genus manifestaret, demumq; vt esset nota ac inuiolatum indicium puræ ac temperatæ conuersationis. Data est enim, nõn vt iustitiam operaretur, sed vt sigillum esset ac signum iustitiæ, quæ est per fidem.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Lib. contra Iudæos c. 2. Si Circũcisio purgat hominem, Deus Adam incircuncisum cùm faceret, cur eum non circuncidit, vel posteaquam deliquit, si purgat circuncisio? Certè in paradiso constituens eum incircuncisum, paradisi colonum præfecit. Igitur cùm neque circuncisum, neque sabbatizantem Deus Adam instituerit, consequenter quoque sobolem eius Abel offerentem sibi sacrificia, incircuncisum, nec sabbatizantem laudauit, &c. *Cap. 3.* Sed Abraham, inquit, circuncisus est. Sed ante Deo placuit, quàm circunciderctur, nec tamen sabbatizauit. Acceperat enim circuncisionem, sed quæ esset in signum temporis illius, non in salutis prærogatiuam. Denique sequentes Patriarchæ incircuncisi fuerunt, vt Melchisedech, vt qui ipsi Abrahæ iam circunciso reuertenti de prælio panem & vinum obtulit incircuncisus. Sed & filius, inquit, Moysi cũ ab Angelo præfocatus fuisset, si non Seffora mater eius calculo præputiũ infantis circuncidisset. Vnde, inquit, Circuncisionis maximum periculum est, si præputium carnis quis non circunciderit. Et ideò si salutem omni modo Circuncisio adfert, etiam ipse Moyses in filio suo non intermisisset, quo minus octaua die circunciderct eum, quando constet Sefforam coactam ab Angelo id fecisse in itinere. Conuincemus itaque quod non potuerit vnius infantis coacta circuncisio omni populo præscribere, & quasi legem huius præcepti condere in salutem. Nam prouidens Deus, quod hanc circuncisionem in signum, non in salutem esset daturus populo Israel, idcirco filium Moysi ducis futuri instigat circuncidi, vt cùm cœpisset per eum dare populo præceptum circuncisionis, nõ aspernaretur populus, videns exemplum istud in ducis filium iam celebraturũ. Dari enim habebat Circuncisio, sed in signum, vnde Israel in nouissimo tempore dignosci haberet, quando secundùm sua merita in sanctam ciuitatem ingredi prohiberetur, &c. Hæc igitur Dei prouidentia fuit dandi circuncisionem Israel in signũ, vnde dignosci posset, cùm adueniret tempus, quo meritis suis in Hierusalem admitti prohiberetur: quod & quia futurum erat, nuntiabatur: & quia factum videmus, recognoscimus. Sicut ergo Circuncisio carnalis, quæ temporalis erat, imbuta est in signum populo contumaci, ita spiritalis circuncisio est in salutem populo obaudienti.

Cyprianus. 250.

Lib. 1. contra Iudæos c. 8. Quòd circuncisio prima carnalis euacuata sit; & secunda spiritalis repromissa sit, apud Hieremiam hæc dicit Dominus: *Renouate inter vos nouitatem; & ne seminaueritis in spinis: circuncidite vos Deo vestro, & circuncidite præputium cordis vestri*, &c. Item Moyses dicit: *In nouissimis diebus circuncidet Deus cor tuum, & cor seminis tui, ad Dominum Deum amandum*, &c. Item quòd Adam primus à Deo factus incircuncisus, & Abel iustus, & Enoch, qui Deo placuit, & translatus est, & Noë, qui terris hominibusq; ob delicta pereuntibus solus, in quo humanum genus seruaretur, electus est, & Melchisedech sacerdos, secundùm cuius ordinem Christus repromissus est, tum quòd illud signaculum fœminis non proficit, signo autem Domini omnes signantur.

Hier. 4.
Deut. 30
Gen. 14.

Lib. 3. epist. 8. ad Fidum. Quòd in Iudaica Circuncisione carnali octauus dies assertabatur, Sacramen- Epist. 59.

mentum est in vmbra atque in imagine ante præmissum, sed veniente Christo veritate completum Nam quia octauus dies, id est, post sabbatum primus dies futurus erat, quo Dominus resurgeret, & nos viuificaret, & circuncisionem nobis spiritalem daret: hic dies octauus, id est, post sabbatum primus & Dominicus præcessit in imagine: qua imago cessauit postmodum superueniente veritate, & data nobis spiritali circuncisione. Propter quod neminem putamus à gratia consequenda impediendum esse, ea lege, quæ iam statuta est, nec spiritalem circuncisionem impediri carnali circuncisione debere.

Ambrosius. 370.

Epist.72. ad Irenæum. Signum circuncisio corporalis, veritas circuncisio spiritualis: illa membrum amputat ista peccatum.

Ad c. 4. ad Rom. Non ergo circuncisio habet aliquid dignitatis, sed signum est tantùm: quod signum ideo accipiebant filij Abrahæ, vt scirentur eius filij esse, qui credens Deo hoc signum acceperat, vt æmuli essent paternæ fidei.

Lib.2. de Sacram. c.4. Miramur mysteria Iudæorum, quæ patribus nostris data sunt, primùm vetustatem Sacramentorum, deinde sanctitatem præstantium. Illud præmitto, quòd diuiniora & priora sunt Sacramenta Christianorum, quàm Iudæorum. Quid præcipuum, quàm quòd per mare transijt Iudæorum populus? vt de Baptismo interim loquamur. Attamen, qui transierunt Iudæi, mortui sunt omnes in deserto. Cæterùm qui per hunc fontem transit, transit à terrenis ad cælestia: hoc est enim Pascha, id est, transitus eius, transitus à peccato ad vitam, à culpa ad gratiam, ab inquinamento ad sanctificationem. Qui per hunc fontem transit, non moritur, sed resurgit.

Cap.6. Si huius Baptismatis forma præcessit, vides ergo superiora mysteria Christianorum, quàm fuerint Iudæorum.

De his, qui mysterijs initiantur c.8. Probatum est antiquiora esse Ecclesiæ Sacramenta, nunc cognosce esse potiora. Reuera mirabile est, quòd manna Deus pluerit patribus, & quotidiano cæli pascebantur alimento. Sed tamen panem illum, qui mãducauerunt, omnes mortui sunt in deserto: ista autem esca, quam accipis, iste panis viuus, qui de cælo descendit, vitæ æternæ substantiam subministrat: & quicunque hunc panem manducauerit, non morietur in æternum: & corpus Christi est.

Augustinus. 400.

Ad Psal.73. Sacramenta non sunt eadem, promissa non eadem: quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Saluatorem Sacramenta noui Testamenti dant salutem: Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Saluatorem, &c. Mutata sunt Sacramenta, facta sunt faciliora, pauciora, salubriora, feliciora.

Epist.19 ad Hieronymum. Cur non dicam præcepta illa veterum Sacramentorum nec bona esse, quia eis non iustificantur homines? vmbræ enim sunt prænuntiantes gratiam, qua iustificamur.

Lib. 19. contra Faustum c. 13. Prima Sacramenta, quæ obseruabantur & celebrabantur ex lege, prænuntiatiua erant Christi venturi, quæ cùm suo aduentu Christus impleuisset, ablata sunt, & ideo ablata, quia impleta. Non enim venit soluere legem, sed adimplere. Et alia sunt instituta, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam iustitia fidei reuelata. Matt. 5.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Sabbato post 1. Dominicam Quadragesimæ: *Faciamus hic tria tabernacula.* Primum tabernaculum est Synagoga, secundum Ecclesia, tertium cælum. Primum quidem fuit Mosi, qui illius populi princeps fuit: secundum autem est Heliæ, de quo Dominus ait: *Elias quidem venturus est, & restituet omnia:* tertium verò Christi, de quo Apostolus ait: *Non enim in manufacta introiuit Iesus, sed in ipsum cælum, vt appareat vultui Dei pro nobis.* Primum in vmbra fuit & figura: secundum in figura est, & veritate: tertium in veritate sola. In primo ostenditur vita: in secundo datur: in tertio possidetur. Non enim Sacramenta Ecclesiæ, sicut Sacramenta Synagogæ, medicinam docent & ostendunt, sed ipsa potius sunt medicina & remissio peccatorum.

Laurentius Nouariensis. 500.

Homil. de Pœnitentia: Quid circumduceris? signum accepisti de fonte, non desperationis, sed miserationis. non defectionis, sed remissionis: non & vt vnquam desperes. Signum acceperunt Iudæi: Quale? Circuncisionis. Signum acceperunt & Christiani: Quale? Miserationis. Ecce signum in Iudæis, circuncisio carnis. In Christianis, circuncisio cordis. Sed satis hæc illa præstantior. In illa sanguis incisionis, & hac aqua remissionis: ibi plaga carnis, hic palma pietatis: ibi obseruantia regida, hic indulgentia regia. Et hoc vtrumque signaculum Christus pendens in patibulo prænotauit, quando de vulnere suo & aquam eduxit, & sanguinem: vt sanguinis signaculum daret Iudæis, aquæ verò indicium Gentibus. Signum ergo accepisti de fonte, non Iudaicum, sed Euangelicum. Ex illa die, illaque hora, qua egressus es de lauacro, ipse tibi fons iugis, & diuturna remissio.

Arator. 540.

Lib.2. historiæ Apostolicæ

Iam rabidas hominum Paulus superauerat iras
Velificante fide, subitas vomuere procellas
Iudaica de nube doli, non posse vlli
Posse lauacra dari, quam circuncisio carnis
Accedat de lege Dei. gens dura quid vltra
Ad lapides, ferrumq, vocas? hoc vmbra figura,
Non species mansura fuit. simulata relinque,
Quæ iam certa vides. Christi processit ab ore.
Vita manens, omnesq, iubet de fonte renasci,
Qui veniunt. cur membra secent, partemq, resoluant,
Cùm totum saluare queant? ne quære vetusto
More premi nouitatis opem, deflexaq, retro
Lumina constitui, postquam via rectior omnes
Dirigit, & cassis illustrat sentibus orbem.

Beda. 700.

Lib. Quæst. var. Si fides iustificat, sicut scriptum est: *Iustus autem ex fide viuit:* tunc originalia & actualia peccata per eam remittuntur, insuper etiam augentur merita. Vnde meritò quæritur, cur prouidentiæ diuinæ placuit superinducere circuncisionem, aut superinducta quid profit? *Resp.* Misericordia Dei nos semper de virtute in virtutem ascendere cupit, & nihil magis quàm profectum nostrum desiderat. Sicut ergo primo homini legem posuit, qua seruata ad honorem impassibilitatis atque immortalitatis perueniret: sic & Abrahæ & posteris eius dedit Circuncisionis præceptum, quo completo, ingens obedientiæ illorum accresceret meritum. Vel per carnalem circuncisionem designabatur spiritualis, quæ est cordis munditia, & vitiorum mentis amputatio, vt sicut à cæteris gentibus distabat in interiori homine, sic quoque exteriori homine discerneretur per circuncisionem. Voluit etiam eos Deus hoc signum in corpore suo portare, & quasi sub oculis habere, vt eius significationem frequenti meditatione attenderent, etiam fidei operibus studerent.

Haymo. 800.

Ad c. 4. ad Rom. Ne dicerent Iudæi superfluè cir-

cuncisum esse Abraham, si per illam non est iustificatus, ostendit illam circuncisionem signum esse iustitiæ, non augmentum, vt significaret iustitiam Christi, quæ est ex fide, &c. Illa circuncisio significabat iustitiam fidei, quæ erat in Abraham, & latebat ibi signaculo vera Circuncisio, qua Christus, qui ex eius genere erat nasciturus, per Baptismi gratiam suos fideles erat à sordibus cunctis peccatorum circuncisurus. Fuit præterea signum Iudæis circuncisio data, quo cognosceretur eorum gens, vt permixtione non confunderetur, dum inter gentes multas habitarent: vel cùm inter gentes multas captiui ducerentur, & ignoraretur quod de genere Abrahæ descenderet Christus, ac tam diu mansit in typo ac figura, quousque compleretur adueniente Christo remoto signaculo, sub quo latebat, id est, eadem circuncisione carnali penitus sublata.

Radulphus Ardens. 1050.

Homil. de Circuncis. Domini: Fuit iussa circuncisio ob tres causas: vt esset in signum magnæ fidei Abrahæ; & vt per obedientiam homo circuncidendo mereretur, sicut per inobedientiam primus homo demeruerat; & vt per circuncisionis characterem populus Dei à cæteris discerneretur.

Petrus Alphonsus. 1106.

Titulo 12. Quòd ad gentis discretionem mandata fuerit circuncisio, non ad saluationem, duo sanè habemus argumenta. Vnum quidem, quòd præceptum est fieri octaua die, & non ante, propter hoc, quòd nec ante octauam diem à matre separetur, nec formido vlla habetur, quòd alijs commisceatur: die autem octaua, qua de illa pollutione mundari mulier & lauari præcipitur, priusquam hoc faciat, puer circunciditur, ne remota matre cambiatur, seu alius commisceatur. Aliud verò, quòd quadraginta annis, quibus in deserto filij Israel morati sunt, omnes, qui ibidem nati sunt, circuncisi non fuerunt, ex quo autem ad terram habitabilem venerunt, ne alijs gentibus miscerentur, statim per Iosue à Domino circuncidi iussi sunt. Iof. 5. Quòd autem circuncisionem saluationis causam esse dixisti, vtique circuncisio tantùm causa non fuit eius rei, imò etiam fides bona, sacrificia, atque opera recta, & post datam circuncisionem, & antea, sicut patet in Adam, Seth, Enoch, Mathusalem, Noë, & Sem, & Iob, & socijs eius, atque Iudaicis mulieribus, qui omnes sine circuncisione, fide recta saluati sunt ac bonis operibus, &c. Postquam baptismus venit, cùm ipse generalis saluatio virorum ac mulierum sit, iam vltra circuncisio ad salutem necessaria non fuit.

Hugo Victorinus. 1130.

Ad cap. 4. ad Rom. Dicunt quidam, quòd tanta fuit efficacia Circuncisionis in tempore legis, quanta est nunc baptismi. Quibus sic obijcitur. In Spiritu sancto renascitur, qui baptizatur, quod non credimus fieri in circuncisione. Item in baptismo fit remissio omnium peccatorum, insuper datur virtus bene operandi, in bono proficiendi, & in profectu perseuerandi. In circuncisione tantùm fuit remissio omnium peccatorum. Non ergo tantum profuit, vel tantam habuit efficaciam quantam baptismus.

Eruditionis Theologicæ lib. 2. part. 6. cap. 3. Quia Circuncisio eas tantùm, quæ foris sunt, enormitates amputare potest; eas verò, quæ intrinsecus sunt, pollutionum sordes mutare non potest, venit post circuncisionem lauacrum aquæ, totum purgans, vt perfecta iustitia signaretur.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. Sent. dist. 1. Iam videre restat differentiam Sacramentorum veterum & nouorum, vt Sacramenta vocemus, quæ antiquitus res sacras significabant, vt sacrificia, & oblationes, & huiusmodi. Eorum autem differentiam breuiter Augustinus assignat, dicens: Quia illa promittebant tantùm, & significabant: hæc autem dant salutem.

Godfridus Viterbiensis. 1170.

Parte 13. *Chronicorum cap. Quòd non per Circuncisionem, sed per baptismum promissa fuit olim remissio peccatorum:* Quòd per baptismum fieret purgatio peccatorum, non per circuncisionem, quæ fuerat in forma baptismi, Scripturarum voces idipsum apertè declarant. De quo baptismo Esaias ait: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*, &c.

Innocentius Tertius. 1200.

Epistola ad Arelatensem Archiepiscopum: Notandum tamen est, quanto plus baptismus hodie conferat Christianis, quàm quondam Iudæis circuncisio contulisset, dictum est in fine prædictæ auctoritatis, inductæ de veteri Lege: *Peribit de populo suo.* In Euangelica verò veritate subiunctum est: *Non intrabit in regnum Dei.* Gen. 17. Quoniam etsi originalis culpa remittebatur per circuncisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perueniebatur ad regnum cælorum, quod vsque ad mortem Christi omnibus fuit obseratum: sed per Sacramentum Baptismi Christi sanguine rubricati culpa remittitur, vitatur periculum, & ad regnum cælorum etiam peruenitur.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Hist. Occident. cap. 35. Sacramenta nouæ Legis efficiunt quod figurant. Sicut enim aqua baptismalis exterius corpus abluit, sic anima spiritualiter interius emundatur. Sacraméta verò veteris Testaméti non iustificabant, sed tantum significabant. Legalia enim non fuerunt instituta ad iustificandum, sed data fuerunt duris in flagellum, imperfectis in pædagogum, perfectis autem in signum.

Thomas Aquinas. 1250.

Par. 3. q. 61. Sacramenta veteris Legis Apostolus vocat egena & infirma elementa, quia gratiam non continebant, nec causabant: nostra autem Sacramenta gratiam continent, & causant. Galat. 4

Richardus de Media Villa. 1280.

Libro 4. Sentent. distinct. 1. art. 6. quæst. 4. Conueniens fuit circuncisionis cessatio, quia sicut dicit Apostolus 1. ad Corinth. 13. *Cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est.* Sed Baptismus est medicina perfectior, quàm circuncisio, quantum ad significationem, & quantum ad gratiæ collationem, & etiam quantum ad ampliorem sui extensionem. Significat enim sanationem morbi expressius, & confert gratiam abundantius, & est Sacramentum communius: quia sibi non propriat nec sexum, nec gentem, &c. Aliorum etiam legalium conueniens fuit cessatio, & propter eorum significationem, & imperfectionem, & humani generis eruditionem pleniorem. Instituta enim fuerunt ad significandam futuram gratiam noui Testamenti, quę postquam aduenit, talis pręfiguratio cessare debuit: quia non conuenit quòd res significetur futura, quæ præsens est, & hanc rationem alio modo tangit Apostolus ad Hebræos 10. cùm dicit: *Vmbram habens lex bonorum futurorum*, &c. Imperfecta etiam erant: quia gratiam, quam significabant, non conferebant: & ideo eorum obseruatio conuenienter fuit mutata in obseruationem Sacramentorum Euangelicæ legis, quæ gratiam conferunt, non tantùm significant. Vnde Apostolus Hebr. septimo: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem*, &c.

Ioannes Scotus. 1300.

Lib.4. Sent. dist.2. quæst.1. Passio Christi, cùm esset causa meritoria respectu efficaciæ Sacramentorum veterum, & etiam respectu gratiæ collatæ antiquis Patribus: tamen maiorem efficaciam habet respectu nostrorum Sacramentorum, & gratiæ nunc conferendę, quàm tunc: quia iustè obsequium exhibitum ad bonum maius acceptat, quàm præuisum. Trinitas autem nunc confert tanquam propter passionem Christi exhibitam, etiam à nobis creditam, vt exhibitam: tunc autem contulit, vt propter eam à seipso præuisam, & ab alijs fidelibus præcreditam exhibendam. Hinc apparet quare baptismus aperuit ianuam, non autem circuncisio, non quidem ex parte meritorum: quia quantumcunque magna gratia in virtute passionis Christi præuisæ non conferebatur, vt efficax ad finem gratiæ, scilicet ad beatitudinem, nisi prius ad obsequium illud esset solutum. Minima autem si conferretur, tunc in virtute hujus obsequij iam soluti: conferretur tamen vt sufficienter disponens ad beatitudinem.

Hugo Pratensis. 1300.

De Epistola in Circuncisione Domini: Excedit Baptismus circuncisionem in virtute, quantum ad septem. Primò, quia per Baptismum omnes saluantur, quicunque saluantur. Vnde est Sacramentum necessitatis, Ioan.3. *Nisi quis renatus fuerit*, &c. Per Circuncisionem autem non omnes saluabantur, nec erat omnibus necessaria. Secundò, quia per Baptismum mundamur, & à culpa, & à pœna, & à peccato originali & actuali. Quia, vt dicit Augustinus, in paruulis delet originale, in adultis originale & actuale. Circuncisio autem mundabat hominem solùm à culpa originali, non autem à pœna: quia carentiam diuinæ visionis, quæ erat pœna originalis peccati, non auferebat. Circuncisi enim descendebant ad limbum, sicut alij. Nec etiam inuenitur dictum ab aliquo Sancto, quòd Circuncisio auferet peccatum actuale: sed solùm originale, quod verum est principaliter. Sed ex consequenti etiam auferebat actuale, si inueniebat & hoc. Tertiò, quia in Baptismo confertur gratia, & datur Spiritus Sanctus abundè ad vincendum ex omni parte peccatum, per quem eneruantur vires peccati, vt concupiscentia non ita dominetur nobis, & per quam habilitantur omnes potentiæ animæ ad bene operandum, & delectabiliter, &c. Circuncisio autem etsi conferebat gratiam, per quam homo fiebat dignus Deo, non tamen conferebat gratiam abundantem, quæ eneruaret concupiscentiam peccati, & habilitaret potentias animæ, ad faciliter & delectabiliter operandum bonum. Quartò, per Baptismum regeneramur in filios Dei, & renouamur à veteri homine in nouam creaturam. Et ideo statim baptizati dicuntur Christiani, id est, filij Dei. Vnde in Baptismo imprimitur character, qui est quoddam signum distinctiuum ponens hominem in specialem potestatem: per circuncisionem autem non regenerabantur circuncisi in filios Dei magis, quàm alij iusti, qui circuncisi non erant, nec in ipsa imprimebatur character, per quem circuncisus in aliqua excellentia super alios poneretur. Quintò, per baptismum totaliter homo eripitur à potestate diaboli, vt nec hic, nec alibi baptizato dominetur: quia Christus in cruce, in cuius virtute agit Baptismus, diabolum debellauit, & in inferno religauit. Circuncisio autem non totaliter eripiebat à potestate diaboli, quia omnes saltem post mortem incarcerati in inferno detinebantur. Sextò, per baptismum confertur baptizato mirabilis vestis omnium virtutum & donorum Spiritus sancti, quæ virtute passionis Christi in Baptismo confertur, &c. Hanc vestem circuncisio cum tanta virtute non conferebat, quia quamuis conferret gratiam, cum qua virtutes infunduntur, tamen, illa gratia pro tunc non faciebat hominem dignum nuptijs æternis, nec per illam tunc ad nuptias ibat. Septimò Baptismus aperit cælum, in cuius figuram baptizato Christo aperti sunt cæli, Matth.3. Circuncisio autem cælum non aperiebat.

Franciscus Maronius. 1320.

In lib.4. Sententiarum dist.1. Quatuor defectus Circuncisionis à Baptismate. Primus, quantum ad culpam: quia Sacramentum Baptismi omnem culpam delet sacramentali virtute: de virtute autem Circuncisionis non habetur expressè, quòd purgaret omnem culpam. Secundus est, quòd Baptismus absoluit à pœna & culpa: de Circuncisione autem non habetur expressè. Tertius est, quòd Baptismus culpam delet, & absoluit à pœna damni & sensus, quia statim euolant ad gloriam: sed Circuncisio non nisi tantum pœnam sensus delebat. Quartus, quia Baptismus gratiam completam confert, sed Circuncisio diminutam: ideo dicunt Sancti, quòd solam culpam expellebat.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 1. cap.10. Hodierna die cessat Circuncisio, & habemus pro ea baptismum, qui est maioris gratiæ & minoris pœnæ. Nam gratia Baptismi superueniens carnis circuncisionem euacuauit, quemadmodum fructu adueniente flores decidunt, & marcescunt.

Thomas Argentinensis. 1350.

Libro 4. dist.1. quæst.3. art.3. Quamuis Deus tam circuncisis quam baptizatis contulerit gratiam, tamen baptizatis amplior confertur gratia: quia, vt communiter dicitur, gratia in Baptismo collata magis refrænat fomitem peccati, quam gratia data in circuncisione. Etiam gratia baptismatis, maximè post mortem Christi, aperuit ianuam regni cælestis, quæ tempore Circuncisionis continuè remãsit clausa.

Thomas VValdensis. 1416.

Tomo secundo de Sacramento Eucharistiæ cap.34. Ideo antiqui Patres hanc inuenerunt inter Sacramenta distantiam primam & præcipuam, quòd Sacramenta Iudæorum signa fuerunt & figuræ: nostra veritas reuelata.

Ioannes Gerson. 1420.

Tractatu 9. super Magnificat: Diximus supra quantum virtus Eucharistiæ sacramentaliter operatur in sui digna perceptione. Differt ex hoc maximè à Sacramentis antiquæ legis: quoniam virtus inanis erat, si non ex deuotione suscipientium, aut si virtus erat in circuncisione, erat longè minor.

Eugenius Quartus. 1439.

In Concilio Ferrariensi: Sacramenta nouæ legis multum differunt à sacramentis antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.

Nicolaus de Nyssa. 1480.

Super Sent. Tract.6. part.3. quæst.2. Circuncisio figurabat gratiam, & conferebat, sed non ita perfectam, sicut baptismus: tempore enim legis scriptæ fuit gratia, sed non ita perfecta, sicut fuit tempore nouæ legis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORVM SACERDOTIS MALAM VITAM ET DOCTRINAM NIHIL OBESSE, SI MODO IVXTA INSTITVTVM ET INTENTIONEM ECCLESIAE SVO MVNERE FVNGATVR.

Anno post natum Christū

NEGANT.

230. *AGRIPPINVS Carthaginensis Ecclesiæ Episcopus docuit ab hæreticis baptizatos esse rebaptizandos.* Augustinus de Baptismo lib.2.cap.6. Vincentius Lirinensis de hæresibus cap.9.

250. *Cyprianus cum multis alijs Africanis Episcopis, Concilio Carthagine celebrato, decreuit baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos, de quo vide eiusdem Cypriani epist. ad Quintum, ad Pompeium, & ad Iubeianum: item Eusebium lib 7.cap.2.*

350. *Donatistæ volebant Sacramenta, à Catholicis, quos hæreticos putabant, administrata nullius esse virtutis, & omnes peccatores manifestè arcebant à Sacramentorum administratione.* Ambrosius ad caput 1. prioris ad Corinth. Augustinus contra epistolam Parmeniani lib. 3. cap. 2. contra Cresconium lib.2.cap.28.

830. *Luciferiani admittebant quidem baptisma collatum ab hæreticis, sed non Ordinationem.* Hieronymus Dialogo contra Luciferianos.

1140. *Pseudoapostolici negabant homines malos posse efficaciter Sacramenta administrare.* Bernardus Sermone 66. super Cantica.

1180. *VValdenses dicunt, Presbyteros, qui grauiter peccant, nec Eucharistiam conficere, nec alios à peccatis absoluere: quod Presbyterum non dignitas, sed vitæ meritum faceret, & omnis potestas, tam laicalis, quàm clericalis amittatur per peccatum mortale.* Thomas Aquinas lib.4. contra Gentes, Nicolaus Lyranus ad cap. 7. epist. ad Hebræos Guido de VValdensibus, Aeneas Syluius hystoriæ Bohemicæ cap.35. Antoninus 4 parte Summæ Tit.11 cap.7.§.2.& 5.

1200. *Albigenses dicunt, quòd obest subdito, & Sacramento vita mala Prælatorum: item quòd nullus malus potest esse Episcopus* Antoninus parte 4. Titu.11.cap.7.§.5.

1300. *Gerhardus Sagarellus, & Dulcinus Nouariensis dicunt, quòd nullus Papa Romanus potest aliquem absoluere à peccatis, nisi sit ita sanctus, sicut fuit B. Petrus Apostolus, viuendo in omnimoda paupertate sine proprio.* Nicolaus Eymericus parte 2. quæst.11.

1390. Ioannes VVicleuus: articulo 4. *Si Episcopus vel sacerdos est in mortali peccato, non conficit, non ordinat, non baptizat, non consecrat.*

Secunda parte Sermonum Domini in monte: *Valde iniustus, propter indignitatem personæ, pro qua oratur, communiter non auditur. Quæ ergo euidentia necessitandi Deum ad audiendum sacerdotem reprobum mediante oratione blasphema taliter deprecantis?*

1410. Ioannes Hussus de Decimis: *Quid ergo miri, si ad bonum sensum conceditur, quòd nullus existens in peccato mortali est Episcopus, sacerdos, vel Christianus? Patet verum esse articulum. Si Episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non baptizat.*

1530. *Anabaptistæ docent Sacramenta non esse efficacia, nisi à probis & fidelibus administrentur.* Martinus Kemnitius parte 2. examinis concilij Tridentini, Bullingerus aduersus Anabaptistas lib.3.ca.7.

1540. Caspar Zuenckfeldius lib. de sacra Scriptura pag.22. *Ministri*, inquit, *Ecclesiæ inepti, & non timentes Deum, ministerium suum in docendo verbo, & porrigendis Sacramentis expedire non possunt.*

1560. *Piggardi*, responsione edita aduersus Lelicienses. *dicunt malum sacerdotem Sacramenta polluere.* In Confessione sua dicunt, *res istas ministeriales ex se non conferre sanctitatem, & eas pollui, si ad earum administrationem malus sacerdos accesserit.* Antonius Posseuinus in Examine sectæ Piccardicæ.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Matth.23. vers. 2. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt.

Ioannis 1.33. Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.

Ioannis 11.49. Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illi-

us, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit, quod Iesus moriturus erat pro gente.

1. *Corinth.* 3. 7. Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Eusebius. 320.

Apud Damascenum in Parallelis lib. 3. ca. 44. Multi peccatores, cùm presbyteri sint, sacris operantur, nec Deus eos auersatur, verùm per Spiritum sanctum proposita dona consecrant: ac panis quidem pretiosum corpus Domini efficitur, poculum autem pretiosus Domini sanguis. Sunt igitur, qui se rem æquam ac rationi consentaneam facere putent, cùm ab ipsis epulo sacro excipi recusant, nescientes videlicet hinc se grauius condemnari Quis enim es tu, qui præfectum tuum atque Antistitem iudicas?

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 40. quæ est oratio in sanctum Baptisma: Ne dicas, baptizet me Episcopus, atque is Metropolitanus, aut Hierosolymitanus, (non enim locorum est gratia, sed Spiritus,) isque etiam nobili aut claro genere ortus, (graue enim fuerit nobilitati meæ ob eius, qui baptizat, obscuritatem labem ac dedecus inferri,) aut si Presbyter, saltem qui cælebs sit, qui continentię laude atque Angelica viuendi ratione floreat: graue enim fuerit, si in purgationis tempore inficiar, atque commaculer. Ne concionatoris aut baptizantis auctoritatem inquiras. Alius horum iudex est, ac rerum obscurarum explorator: quandoquidem homo faciem, Deus autem cor intuetur. Tibi autem quiuis ad purgationem satis idoneus est, qui modò inter probatos censeatur, ac non apertè condemnatus sit, atque ab Ecclesia alienus. Qui curatione indiges, in iudices iudicium ne arripe, nec eorum, à quibus purgaris, dignitates excute, nec inter genitores delectum habe. Est quidem alius alio præstantior, vel inferior: te autem quiuis est superior. Sic tecum reputa: Sint duo annuli, alter aureus, alter ferreus, atque ambo eandem Imperatoris imaginem insculptam habeant, ac deinde ceram imprimant. Quid tandem hoc signum ab illo differet? Nihil. Materiam in cera internosce, quamlibet singulari solertia sis. Dic verum è duobus signis aureo annulo, vtrum ferreo expressum sit, quoque modo vnum idemque existat. Discrimen enim in materia est, non in signo. Sic tibi quoque omnes, qui baptizandi munere funguntur, idonei habeantur. Quamuis enim alius alium vitæ probitate antecellat, eadem tamen Baptismi vis est: ac quiuis tibi initiator est, qui modò eadem fide est informatus.

Ioannes Chrysostomus. 400.

In Ioannem Homilia 85. Hæc dico, non quòd indignos ad sacerdotium assumi probem, sed miserescens, ac lachrymans: non tamen propterea à subditis iudicandi sunt, etiamsi malè & vitiosè viuant. Tu autem si tibi consules, nihil in his, quæ illis à Deo commissa sunt, damni accipies. Nam si asinum loqui fecit, & per vatem benedictiones spirituales largitus est, & in muto ore, & lingua immunda Balaam propter offendentes Iudæos operatus est: multo magis propter vos fideles, etiamsi praui sint sacerdotes, Deus omnia per eos perficiet, & mittet Spiritum S. Neque enim pura mens propter propriam puritatem Spiritum attrahit, sed gratia omnia operatur. *Omnia enim*, inquit, *vos, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas.* Quicquid enim concreditum habet sacerdos, solius Dei donum est: & vbi humanam exercet sapientiam, minor illius gratia apparet. Neque hoc dico, vt pigrius viuamus, sed ne pigrè qui vobis præpositi sunt viuentibus, vos his commissi aliquando mala vobis comparetis. Et quid sacerdotes dico? Neque Angelus, neque Archangelus quicquam in his, quæ à Deo data sunt, efficere potest: sed Pater, & Filius, & Spiritus sanctus omnia facit. Sacerdos & linguā & manus præbet. Neque enim iustum est, propter alterius malitiam ad salutis nostræ symbola fide accedentes offendi.

Num. 22

1. Cor. 3.

In priorem ad Corinthios Homil. 8. Contingit quidem principes esse malos, & sceleratos, eos autem, qui illorum parent imperio, bonos & moderatos: & laicos quidem in pietate vitam agere, sacerdotes autem in improbitate & nequitia: & neque futurum esset baptisma, nec corpus Christi, nec oblatio per illos, si vbique dignitatem ac merita requireret gratia. Nunc autem etiam per indignos Deus solet operari, neque baptismatis gratia quicquam læditur à vita sacerdotis. Nam qui accipit, minus esset habiturus. Quamobrem etiam si hæc rarò fiunt, fiunt tamen. Hæc autem dico, ne quisquam ex ijs, qui astant, de vita sacerdotis curiosè inquirens offendatur in mysterijs, quæ peraguntur. Nihil enim adfert sacerdos ad ea, quæ sunt proposita, sed vniuersum est opus Dei virtutis: & ille est, qui nobis exhibet mysteria.

Homil. 11. in epist. ad Thessalon. Gratia Dei per indignos operatur, non propter ipsos, sed propter eos, quibus opitulandum est.

Nilus Abbas. 420.

In quodam fragmento tractatus Parænetici: Non oportet sacerdotes iustè vel iniustè iudicare, vel eos examinare: sed etsi quis in eis labitur, à Deo iudicabitur, & arguetur in hoc & in futuro sæculo, vel à maiori sacerdote. Sacerdos non est, qui pro sacerdotis dignitate non viuit. Non oportet offendi propter sacra, quæ celebrantur ab improbo sacerdote: eadem est oblatio, etsi habeat vitam impuram is qui offert. Audiendi sunt doctores & sacerdotes dum docent, ex diuinis scilicet Scripturis, vt Deo placet, & non secundùm proprias cupiditates, vt scriptum est, & non iudicare ipsos, etiamsi malam vitam habeant.

Isidorus Pelusiota. 440.

Libro 1. epistol. 120. Eusebij temeritatem, & Zosimi audaciam ne mireris, verùm Dei lenitatem, ad pœnitentiam nos ita expectantis, atque ex impura manu incensum accipientis. Nam si quis in sceleribus educatus, atque omni sordium ac peccatorum genere compunctus, & inultus Dei aras attingit, ac sancta profanè tractat, ipse quidem pœnas luet, diuinum autem sacrarium, improbis ipsius actionibus minimè contaminatur.

Lib. 2. epist. 37. Quandoquidem Zosimi presbyteri vita offensus, vt scripsisti, eos, qui ab eo baptizantur, grauissimis ac maximi momenti detrimentis mulctari existimas, rescribendum ad te quàm celerrimè duxi: nimirum quòd is, qui initiatur, quantum ad salutaria symbola spectat, ex

improba-

improba sacerdotis vita nullo damno afficitur, verùm ipse prorsus atque omnino (asseueratione quippe vti oportet) diuinis atque omni dicendi facultate præstantioribus beneficijs fruetur: Sacerdos autem grauiores vitæ suæ rationes subibit, tantusq; ad ipsius pœnam atque cruciatum cumulus accedet, quantus prius in eum honor collatus est, &c. Hæc autem dico, non tamquam omnes sacerdotes tales sint. verùm vt illud ostendam, quòd etiamsi omnes eiusmodi essent, nihil tamen hinc ad eum, qui baptizatur, detrimenti redit. Quòd si hæc hominum duntaxat rationes esse arbitraris, à diuinis oraculis fidem tibi facere conabor. Quid enim Balaam illo impurius ac scelestius extitit? Et tamen ipsius lingua Deus ad benedictiones abusus est? Quid rursus Caiapha sceleratius? Et tamen vaticinatus est, & gratia linguam quidem ipsius tetigit, at non item mentem tetigit. Quòd si quid etiam, quod magis mirandum sit, intelligere cupis, per coruum, hoc est, immundam auem, cælipetam illum Heliam pascebat. Quocirca ne dubites, quin per flagitiosos quosdam sacerdotes diuina & natura sublimiora beneficia tribuuntur.

Nu. 24. Ioan. 11. 3 Reg. 17

Libro 3. epistola 340. Nullo detrimento is, qui suscipit sacrosancta mysteria, afficitur, etiamsi is, qui tribuit, indignus esse videatur, neque incontaminata mysteria conspurcantur, etiamsi sacerdos omnes mortales improbitate superet. Quòd si mihi diffidis, coruum cogita, impurum inquam illud, atque in pupillos suos crudele animal, cuius opera ille in cælum excurrens ac cæli ciuis Elias alebatur.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 20. Ioannis: Vide insuper sacerdotum dignitatem, quòd diuina sit: Dei enim est remittere peccata. Sic igitur illi honorandi sunt, vt Deus. Nam quamuis indigni sunt, quid hoc? Diuinorum donorum ministri sunt, & gratia operatur per eos, sicut & per asinam Balaam locutus est. Non enim indignitas nostra gratiam prohibet: atque ita, quia per sacerdotes gratia suppeditatur, honorandi sunt.

Euthymius. 1080.

Ad caput 11. Ioannis: Caiaphas non quòd dignus esset vaticinatus est, sed quod Pontifex esset anni illius: non propter propriam virtutem, sed propter pontificalem dignitatem. Adhuc enim diuina gratia in templo permanebat, quæ ore illius vtens, cor non tetigit.

Nicetas. 1200.

In Orationem 40. Nazianzeni: Quemadmodum duo annuli, alter auro, alter ferro confectus, vnam eandemq; Principis imaginem insculptam habentes, ac deinde ceram imprimentes, tametsi materia differant: (aurum enim splendore ferrum antecellit:) tamen vtraque impressio eandem Principis formam refert: consimili modo de Baptismi ministris existimandum est. Quamuis enim vitæ & morum ratione alius alium superet, quemadmodum illic aurum ferro præstat,) tamen vis baptismi eadem est, non secus atque sigillorum nota: omnisq; Christianus sacerdos baptizandi munere fungens, eum, qui baptizatur, ritè initiat.

Nicolaus Cabasilas. 1290.

Cap. 46. de sacrificio: Sacerdos dominus non est donorum oblationis, &c.

Bessarion Nicænus. 1450.

Libro de Eucharistia: Panis & vini in corpus & sanguinem transmutatio, non petentium meritis, sed eius potentia, qui cuncta ex nihilo produxit, per sacerdotem, tanquam per ministrum efficitur. Vnde non minus ab indignis sacerdotibus atque peruersis, quàm à bonis sanctisq; consecratur. Ex quo manifestum est, non orantis sanctitatem, sed ipsum Dominum proprijs suis verbis, à sacerdote prolatis, panem & vinum in proprium corpus transmutare. Nam si humanæ preces hoc possent, potius bonorum virorum preces, etsi non sacerdotum, quàm prauorum sacerdotum, hoc diuinum opus efficerent. Atque indecens esset, atque ab humana salute alienum, existimare tantum Sacramentum à re dubia dependere. Quippe dubium & ambiguum est, an preces ac supplicationes nostræ Deo acceptæ sint futuræ: ex quo fieret, vt & salus, à nobis virtute huius mysterij expectata, dubia foret.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Responsio 1. cap. 8. Affirmamus & nos, etiamsi ab indignis peragantur mysteria, nihilq; ipsi inde iuuentur, sed potius damno afficiantur: tamen eos, qui accipiunt, sanctificari, aciuuari. Nam etiam per indignos ministros gratia diuina est efficax, & mysteria perficit, &c. Si nihil Deus per sacerdotem operatur, tunc nec lauacrum habes, nec mysteria participas, nec benedictionibus frueris. Non ergo Christianus es. Quid igitur? Omnes Deus designat, etiam indignos? Non omnes quidem designat, per omnes tamen, quamuis indignos, ad salutem populi operatur. Si enim per asinam, & per Balaamum hominem sceleratum populi causa locutus est, quanto magis per sacerdotem? Quid enim Deus salutis nostræ causa non facit? Quid non loquitur? per quod non agit? Si per Iudam operatus est, & per illos, qui prophetarunt, quibus ait: *Non noui vos: recedite à me operarij iniquitatis.* Si tales etiam dæmonia eiecerunt, quanto magis per sacerdotes efficax erit?

(*,*)

ASSERVNT PATRES LATINI.

Cyprianus. 250.

De Baptismo Christi, & manifestatione Trinitatis: Si in Petri vel Pauli nomine baptismi gratia donaretur, posset alius alio videri sublimior, & secundùm ministrorum merita hæc singularis gratia æstimari, vt melior esset baptismus eius, qui sanctior videretur: & indignior esset, qui ab eo acciperetur, quem non amplior æstimatio commendaret. Hæc & in alia Sacramenta transferretur iniuria, vt non in eis vnitas, sed diuersitas haberetur, sic censerentur à melioribus fieri meliora, & minus haberent vtilitatis & ponderis, quæ fierent ab indignis. Sic Eucharistia vna aliâ melior, & baptismus pro ministerio vel melior, vel deterior crederetur. Absit hoc à fide Catholica, absit à religione Christiana tantæ corruptionis fermentum. Vna nobis fides, vnus Dominus, vnum baptisma: quod si ab indigno fortè fuerit consecratum, non audet iustus iterare vel corrigere, quod semel est factum: quia per quemcunque fiat, idem est: nec hoc priuilegium meritis est datum, sed gratiæ, & propriè tibi omnipotentia Dei retinet hunc effectum. Neque enim Paulus pro nobis crucifixus est, aut nos gloriamur in Paulo: sed in cruce Domini gloriamur, cuius virtus omnia peragit Sacramenta.

De cœna Domini: Sacramenta quidem quantum in se est, sine propria esse virtute non possunt: nec vllo modo diuina se absentat maiestas mysterijs, sed quamuis ab indignis se sumi vel contingi Sacramenta permittant, non possunt tamen spiritus esse participes, quorum infidelitas vel indi-

gnitas tantæ sanctitudini contradicit.

Concilium Arelatense Primum. 330.

Cap. 8 De Arianis, qui propria lege sua vtuntur, vt rebaptizentur placuit. Si ad Ecclesiam aliqui de hac hæresi venerint, interrogent eos nostræ fidei sacerdotes symbolum. Et si peruiderint in Patre, & Filio, & Spiritu sancto eos baptizatos, manus eis tantùm imponatur, vt accipiant Spiritum sanctum. Quod si interrogati non responderint hanc Trinitatem, baptizentur.

Concilium Carthaginense Primum. 340.

Cap. 1. Ergo si vobis placet, consideremus primum titulum rebaptizationis. Vnde sanctitatem vestram postulo, vt mentis vestræ placita producatis ad descendentem in aquam, & interrogatum in Trinitate, secundùm Euangelij fidem, & Apostolorum doctrinam, & confessum bonam conscientiam in Deum, de resurrectione Iesu Christi, si liceat iterum interrogari in eadem fide, & in aqua iterum intingi. Vniuersi Episcopi dixerunt: Absit, absit. Illicitas esse sancimus rebaptizationes, & satis esse alienum à syncera fide & Catholica disciplina.

Ambrosius. 370.

Iudic. 6. *De ijs, qui mysterijs initiantur cap.* 5. Cùm tibi Scriptura relletur, quòd ad Hierobaal preces ignis descenderit de cælo: & rursus precante Helia,

2. Reg. 18 ignis est missus, qui sacrificium consecrauit, non merita personarum considere, sed officia sacerdotum. Et si merita spectes, sicut Heliam consideres, Petri quoque merita spectato vel Pauli, qui acceptum nobis à Domino Iesu hoc mysterium tradiderunt.

Lib. 1. *de Spiritu sancto in Prologo.* Non mundauit Damasus, non mundauit Petrus, non mundauit Ambrosius, non mundauit Gregorius. Nostra enim seruitia, sed tua sunt Sacramenta. Neque enim humanæ opis est diuina conferre: sed tuum Domine munus & Patris est, qui locutus est per Prophetas, dicens: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij & filiæ eorum.* Ioëlis 2.

Optatus Mileuitanus. 370.

Lib. 5. *contra Parmenianum*: Cùm ergo videatis omnes, qui baptizant, operarios esse, non dominos, & Sacramenta per se esse sancta, non per homines, quid est, quod vobis tantum vendicatis? quid est, quòd vos solos munus principale esse dicitis? quid est, quòd Deum muneribus suis excludere contenditis? Concedite Deo præstare, quæ sua sunt. Non enim potest munus ab homine dari, quod diuinum est. Si sic putatis, & Prophetarum voces, & Dei promissa inanire contenditis, quibus probatur quod Deus lauat, non homo, &c. Dignamini, vt vel Prophetæ vos vincant, vel sic agnoscite, quia non lauat homo, sed Deus. Quàm diu dicitis, qui non habet quod det, quomodo dat: videte Deum esse datorem: videte Deum vnumquemque mundare.

Hieronymus. 390.

Dialogo contra Luciferianos cap. 2. *Orthodoxus:* Multa quidem de sacris voluminibus memoriter, copioseque dixisti: sed cùm totum circumieris saltum, meis cassibus concluderis. Sit quippe, vt vis, Arianorum Episcopus hostis Christi, sit infatuatum sal, sit lucerna sine igniculo, sit oculus sine pupilla, nempe eo peruenies, vt salire non possit, qui sal ipse non habeat, non illuminet, cæcus, non accendat, extinctus. Tu autem cùm conditum ab eo cibum deuores, cur insulsum arguis conditorem? De igniculo eius Ecclesia tua lucet, & lucernam eius criminaris extinctam? Oculos tibi præbet, & cæcus est? Quamobrem oro te, vt mihi sacrificandi ei licentiam tribuas, cuius baptisma probas: aut reprobes eius baptisma, quem non existimas sacerdotem. Neque enim fieri potest, vt qui in baptismate sanctus est, sit apud altare peccator.

Siricius Papa. 390.

Epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum cap. 1. Prima paginæ tuæ fronte signasti, baptizatos ab impijs Arianis plurimos ad fidem Catholicam festinare, & quosdam de fratribus nostris eosdem denuò baptizare velle: quod non licet, cum hoc fieri & Apostolus vetet, & Canones contradicant, & post cassatum Ariminense Concilium missa ad prouincias à venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant, quos nos cum Nouatianis, alijsque hæreticis, sicut est in Synodo constitutum, per inuocationem solam septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione, Catholicorum conuentui sociamus. Quod etiam totus Oriens Occidensque custodit, &c. Ephes. 4

Collatio Carthaginensis. 400.

Collatione 54. Qui putant negandum esse Baptismum Christi, quia eum & hæretici tradunt, possunt putare negandum esse etiam ipsum Christum, quia eum & dæmones confitentur. Et ideo ad Christum venire debent, qui extra eius communionem baptismum eius habent, non vt quod deerat adsit, sed vt quod inerat prosit.

Augustinus. 400.

Lib. 5. *contra Donatistas cap.* 10. Baptismus Christi verbis Euangelicis consecratus, & per adulteros, & in adulteris sanctus est, quamuis illi impudici sint, & immundi: quia ipse eius sanctitas pollui non potest, & Sacramento suo diuina virtus assistit, siue ad salutem bene vtentium, siue ad perniciem malè vtentium. An verò solis, vel etiam lucernæ lux, cùm per cœnosa diffunditur, nihil inde sordium contrahit, & Baptismus Christi potest cuiusquam sceleribus inquinari?

Lib. 4. *cap.* 4. Si per vim Sacramenti Dei auarus dimittit peccata, etiam hæreticus: si per vitæ meritum, nec iste, nec ille.

Contra Crescontum lib. 4. *cap.* 20. Non ideo veriora, & sanctiora sunt Sacramenta, quæ ministrantur, quia per meliorem ministrantur. Illa namque per se ipsa vera & sancta sunt, propter verũ & sanctum Deum, cuius sunt. Et ideo fieri potest, vt accedens ad societatem populi Dei, alium inueniat, à quo facilè baptizetur, alium eligat, quem salubriter imitetur. Certus est enim, sanctum esse Sacramentum Christi, etiamsi per minus sanctum, vel non sanctum hominem ministratum sit: se autem eiusdem sacramenti sanctitate puniri, si indignè acceperit, si malè vsus fuerit, si ei non congruenter & congruè vixerit.

Tractatu 5. *in Euangelium Ioannis*: Aliud est baptizare per ministerium, aliud baptizare per potestatem. Baptisma enim tale est, qualis est ille, in cuius potestate datur, &c. Quid tibi facit minister malus, vbi bonus est Dominus? Sint ministri iusti, si volunt: si autem noluerint, securum me fecit Magister meus, de quo Spiritus eius dixit: *Hic est qui baptizat.* Quo modo securum me fecit? *Scribæ,* inquit, *& Pharisæi super cathedram Moysi sedent, quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim, & non faciunt.* Si fuerit minister iustus, computo illum cum Paulo, computo illum cum Petro, cum illis computo iustos ministros: qui verò fuerit superbus minister, cum Zabulo computatur, sed non contaminatur donum Christi, quod per illum fluit purum, &c. Baptisma, quod dabatur à Paulo, & quod dabatur à Petro Christi est, & quòd datum est à Iuda Christi erat. Dedit Iudas, & non baptizatum est post Iudam. Dedit Ioan. 1. Matt. 23

Ioannes, & baptizatum est post Ioannem. Quia quod datum est à Iuda, Baptismum Christi erat: quod autem à Ioanne datum est, Ioannis erat. Non Iudam Ioanni, sed baptismum Christi, etiam per Iudæ manus datum, baptismo Ioannis etiam per manus Ioannis dato rectè præponimus Etenim dictum est de Domino antequam pateretur, *quia baptizabat plures quam Ioannes.* deinde subiunctum est: *quamuis ipse non baptizaret, sed discipuli eius.* Ipse, & non ipse. Ipse potestate, illi ministerio. Ergo baptizabant discipuli eius, & ibi adhuc erat Iudas inter discipulos eius. Quos baptizauit Ioannes, baptizauit Ioannes: quos autem baptizauit Iudas, Christus baptizauit. Sic ergo quos baptizauit ebriosus, quos baptizauit homicida, quos baptizauit adulter, si baptisma Christi erat, Christus baptizauit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam: quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: *Hic est qui baptizat.*

Actô.19.

Ioan. 4.

Leo Magnus. 450.

Epistola 79. ad Nicetam cap. 7. Hi, qui baptismum ab hæreticis acceperunt, cùm baptizati antea non fuissent, sola inuocatione Spiritus sancti per impositionem manuum confirmandi sunt: quia formam tantùm Baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt. Et hanc regulam (vt scitis) seruandam in omnibus Ecclesijs prędicamus, vt lauacrum semel initium nulla iteratione violetur, dicente Apostolo: *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Cuius ablutio nulla iteratione temeranda est, sed (vt diximus) sola sanctificatio sancti Spiritus inuocanda est, vt quod ab hæreticis nemo accipit, à Catholicis sacerdotibus consequatur.

Ephes. 4

Epist. 92. cap. 16. Hi autem, de quibus scripsisti, qui se baptizatos sciunt, sed cuius fidei fuerint, qui eos baptizauêre, se nescire profitentur, quolibet modo formam baptismatis acceperint, non sunt rebaptizandi: sed per manus impositionem inuocata virtute Spiritus sancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi sunt.

Prosper Aquitanicus. 460.

Libro Sententiarum ex Augustino cap. 325. Regenerationis gratiam ita etiam hi non minuunt, qui eius dona non seruant: sicut lucis nitorem loca immunda non polluunt. Qui ergo gaudes baptismi perceptione, viue in noui hominis sanctitate, & tenens fidem, *quæ per dilectionem operatur*, habe bonum, quod nondum habes, vt prosit tibi bonum, quod habes.

Galat. 5.

Anastasius Secundus. 496.

Epist. ad Anastasium Imperatorem c. 7. Nam secundùm Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem sacratissimum Serenitatis tuæ pectus agnoscat, quòd nullũ de his, vel quos baptizauit Acatius, vel quos sacerdotes siue Leuitas secundùm Canones ordinauit, vlla eos ex nomine Acatij portio læsionis attingat, quò forsitan per iniquum tradita Sacramenti gratia, minus firma videatur. Nam & baptismum, quod procul sit ab Ecclesia, siue ab adultero, siue à fure fuerit datum, ad percipientem munus peruenit illibatum: quia vox illa, quæ per columbam sonuit, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, qua declaratur ac dicitur: *Hic est, qui baptizat Spiritu sancto & igne.* Nam si visibilis solis radij, cùm per loca fœtidissima transeunt, nulla contactus inquinatione maculantur, multò magis illius, qui istum visibilem fecit, virtus nulla ministri indignitate constringitur. Nam & Iudas, cùm fuerit sacrilegus atque fur, quicquid egit inter Apostolos pro dignitate commissa, beneficia per indignum data, nulla ex hoc detrimenta senserunt: declarante hoc Domino manifestissima voce: *Scribæ*, inquit, *& Pharisæi super cathedram Moysi sedent: quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt.* Quicquid ergo ad hominum profectum quilibet in Ecclesia minister officio suo videtur operari, hoc totum contineri, implente diuinitatis effectu, ita ille, per quem Christus loquitur, Paulus affirmat: *Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit. Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* A Deo autem non quæritur, quis vel qualis prædicet: sed quem prædicet, vt inuidos etiam bene prædicare Christum confirmet, quo malo diabolus ipse deiectus est, & hoc ipso prædicare non desinit.

Matt. 5.
Luc. 3.

Ioan. 12.

Matt. 23.

1. Cor. 3.

Phil. 1.

Cap. 8. Ideo ergo & ipse Acatius, cuius nomen dicimus esse reticendum, malè bona ministrando, sibi tantùm nocuit. Nam inuiolabile Sacramentum, quod per ipsum datum est, alijs perfectionem suæ virtutis obtinuit, ei autem obfuit, &c.

Arator. 540.

Libro 2. Actuum Apostolorum:

Cùm tamen hæretica nigredine plenus auerni
Polluitur quicunque lacu, si lumen habere
Ecclesiæ vult fortè piæ, non cogit ad vndam
Nostra fides hunc ire iterum: quia nomine trino
Dogmata praua trahunt: nec qui, sed quid dare possint,
Explorare solet, posita quem vera fateri
Instituêre manus, soluitq; repellitur error
In diuersa trahens, quod spiritus efficit vnum.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 9. Epist. 61. Epistolis vestris studuistis inquirere, sacerdotes ac plebes, quæ Nestorianæ hæreseos errore confusæ sunt, cùm ad matrem omniũ electorum Catholicam Ecclesiam reuertuntur, vtrum baptizari debeant, an certè solius veræ fidei confessione eiusdem matris Ecclesiæ visceribus adiungi. Et quidem ab antiqua Patrum institutione didicimus, vt qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut vnctione Chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei, aut sinum matris Ecclesiæ reuocentur. Vnde Arianos per impositionem manus Occidens, per vnctionem verò sancti Chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ Catholicę Oriens reformat. Monophysitas verò, & alios ex sola vera confessione recipit. Quia sanctum baptisma, quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cùm vel illi per impositionem manus Spiritum sanctum acceperint, vel isti propter professionem veræ fidei sanctæ, & vniuersalis Ecclesiæ visceribus fuerint vniti. Hi verò hæretici, qui in Trinitatis nomine minimè baptizantur, sicut sunt Bonosiani, & Cataphrygæ, illi cùm ad Ecclesiam veniunt, baptizantur: quia baptismum non fuit, quod in errore positi, in sanctæ Trinitatis nomine minimè perceperunt.

Causa 1. q. 1. cap. Multi: Multi secularium hominũ, cùm plus sacerdotis vitam, quàm suam discutiunt, in magnum contemptionis diuinorum Sacramentorum crimen incurrunt. Magna enim trabe vulneratos habentes oculos, eamq; negligentes, festucam tenuem in aliorum conspiciunt oculis: quam dum incautè festinant auellere, erroris in foueam delabuntur, &c. Vnde fit, vt non solùm ab ijs dicta respuunt, sed etiam (quod est deterius) diuina mysteria contemnant, vt nec corporis communionem, nec sanguinis Domini nostri Iesu Christi eorum ministerio confectam assumant ij, putantes, hanc minus esse sanctificatam, si illorum fiat officio, quorum vita eorum oculi videtur ignobilis. Heu in quam magnum laqueum incidunt, vt diuina & occulta mysteria, plus ab alijs sanctificata posse fieri credant: cùm vnus idemquè Spiritus

sanctus

sanctus in Ecclesia ea sanctificet, & benedicendo benedicat.

Isidorus Hispalensis. 620.

Lib.6. Etymol.cap.18. Sacramenta ideo fructuosè penes Ecclesiam fiunt, quia sanctus in ea manens Spiritus eorundem latenter Sacramentorum operatur effectum. Vnde seu per bonos, seu per malos ministros, intra Dei Ecclesiam dispensentur: tamen quia Spiritus sanctus mysticè illa viuificat, qui quondam Apostolico in tempore visibilibus apparebat operibus: nec bonorum meritis dispensatorum hæc dona amplificantur, nec malorum attenuantur. Quia *neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid: sed qui incrementum dat Deus.* Vnde & Grecè μυστήριον dicitur, quòd secretam & reconditam habeat dispensationem.

De diuinis Offic. lib.2.cap.24. Hæretici, si tantum in Patris, & Filij, & Spiritus S. attestatione docentur baptisma suscepisse, non iterum baptizandi, sed solo Chrismate, & manus impositione purgandi sunt. Baptismus enim non hominis est meritum, sed Christi. Ideoq́ nihil interest, hæreticus, an fidelis baptizet. Habet quidem baptismum Christi hęreticus: sed quia extra vnitatem fidei est, nihil ei prodest. At vbi ingressus fuerit, statim baptisma, quod habuerat foris ad perniciem, incipit illi iam prodesse ad salutem.

Theodorus Cantuariensis. 660.

In Pœnitentiali Rubrica 41. Licet malus sacerdos sit, tamen conficit corpus & sanguinem Christi vt bonus: quia quæ sancta sunt, non possunt pollui. Et licet Sacramenta obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.

Beda. 700.

Ad cap. 3. Ioannis: Postquam semel expleta fuerit spiritalis regeneratio, nequaquam potest repeti: siue enim hæreticus, siue schismaticus, siue facinorosus quisquam in confessione sanctæ Trinitatis baptizet, non valet ille, qui ita baptizatus est, à bonis Catholicis rebaptizari, ne confessio vel inuocatio tanti nominis videatur annullari.

Gregorius Tertius. 731.

Epistola ad Bonifacium: Quosdam absque interrogatione Symboli ab adulteris & indignis Presbyteris fassus es baptizatos. In his tua dilectio teneat antiquum morem Ecclesiæ: quia quisquis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizatus est, rebaptizari eum minimè licet. Non enim in nomine baptizantis, sed in nomine Trinitatis huius gratiæ donum percepit. Et teneatur quod Apostolus ait: *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma.* (Ephes.4) Doctrinam verò spiritalem talibus studiosius vt impertias demandamus.

Zacharias Papa. 740.

Epistola 4. ad Bonifacium. Retulerunt nuntij tui, quòd fuit in eadem prouincia sacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, nesciens latini eloquij, infringens linguam diceret: Baptizo te in nomine patria, & filia, & spiritu sancta: & per hoc tua reuerenda fraternitas considerauit rebaptizare. Sed, Sanctissime frater, si ille, qui baptizauit, non errorem introducens, aut hæresin, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis, infringendo linguam (vt diximus) hoc baptizans dixisset, non possumus consentire, vt denuò baptizentur: quia baptizatus ab hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nullo modo rebaptizari debet: sed per solam manus impositionem purgari debet.

Alcuinus. 750.

Ad caput 6. Ioannis: Quòd imminente Pascha Dominus turbas reficit, significat, quia quisquis pane diuini verbi, & corpore & sanguine Domini desiderat refici, debet spirituale Pascha facere, id est, de vitijs ad virtutes transire. Item, quando per manum sacerdotis corpus Christi accipis, non sacerdotem, quem vides, sed illum, quem non vides, attende. Sacerdos est dispensator huius cibi, non auctor.

Rabanus Maurus. 840.

De Vniuerso lib. 5. cap. 11. Sacramenta seu per bonos, seu per malos ministros intra Dei Ecclesiam dispensentur: tamen quia Spiritus sanctus mysticè illa viuificat, qui quondam Apostolico in tempore visibiliter apparebat operibus, nec bonorum meritis dispensatorum amplificantur, nec malorum attenuantur. Quia *neque qui plantat aliquid est, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* (1.Cor.3)

Nicolaus Primus. 860.

Ad consulta Bulgarorum cap.71. Sciscitantibus vobis, si à sacerdote, qui siue comprehensus est in adulterio, siue de hoc fama sola respersus est, debeatis communionem suscipere, necne: respondemus, non potest aliquis, quantumlibet pollutus sit, Sacramenta diuina polluere, quæ purgatoria cunctarum remedia contagionum existunt. Nec potest solis radius per cloacas, & latrinas transiens, aliquid exinde contaminationis attrahere. Proinde qualiscunque sacerdos sit, quam sancta sunt, coinquinare non potest: idcirco ab eo vsquequo Episcoporum iudicio reprobetur, communio percipienda est. Quoniam mali bona ministrando, se tantummodo lædunt, & cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, alijs verò lumen in tenebris administrat: & vnde alijs commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet. Sumite igitur intrepidè ab omni sacerdote Christi mysteria, quoniam omnia in fide purgantur.

Paschasius Ratbertus. 880.

De Corpore & sanguine Domini cap.12. Verè credere, & indubitanter scire debemus, intra Catholicam Ecclesiam, vbi Catholica fide hoc mysterium celebratur, quod nihil à bono maius, nihilq́ à malo minus percipiatur sacerdote, nihilq́ aliud quàm caro Christi & sanguis, dum Catholicè celebratur, consecretur. Quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris, & virtute Spiritus S. vt caro Christi & sanguis, non alia quam quæ de Spiritu sancto creata est, vera fide credatur, & spirituali intelligentia degustetur. Si enim in merito esset sacerdotis, non ad Christum pertineret. Nunc autem, sicut ipse est, qui baptizat, ita ipse est, qui per spiritum sanctum hanc suam efficit carnem, &c. Licet leprosus sit, qui offert, munda tamen sunt, quæ hauriuntur: quia caro & sanguis Saluatoris nullius immunditia sordidantur. Ex officio ergo sacerdotis ista, non ex merito præstantur. Idcirco licet reus sit, officium ministerij sacrum est, & gradus sacerdotij à summo Pontifice Christo compensatur, vt nihil minus carnis & sanguinis habeat hoc mysterium à quouis indigno, quàm ab Apostolica propagine consecrata exhibeatur: quia non ex eo, sed ex eius officio, à summo Pontifice gratia, quam ipsa veritas repromisit, impletur, vt in nullo sacerdotium eius, & Pontificatus officium alicuius merito minoretur. Virtus enim consecrandi est in eo, quod habet is, qui ordinatur.

Odo Cluniacensis. 920.

Lib.1. Collat.cap.21. Non melior est Baptismus per manus cuiuslibet sancti hominis, quàm per manus peccatoris donatus. Quoniam qualiscunque sit baptizator, Iesus est qui baptizat. Sic & de mysterio altaris debet intelligi: quia scilicet per manus iusti aut iniusti sacerdotis oblationem consecrat ipse Christus.

Luitprandus Ticinensis. 950.

Lib.3. cap.8. Sergius cunctos, quos Formosus ordinauerat, gradu proprio depositos, iterum ordinauit. Quod quàm malè egerit, in hac animaduertere poteris, quoniam & hi, qui à Iuda Domini nostri Iesu Christi proditore ante proditionem salutem seu benedictionem Apostolicam perceperant, ea, post proditionem proprijque corporis suspensionem, minimè sunt priuati, nisi quos improba fortè defœderant flagitia. Benedictio siquidem, quæ ministris Christi impenditur, non per eum, qui videtur, sed qui non videtur, sacerdotem infunditur. *Neque enim qui rigat est aliquid, neque qui plantat, sed qui incrementum dat Deus.*

Berno Augiensis. 1020.

De ijs, quæ spectant ad Missam cap. 2. Quid aliud esse posset in Sacramentis diuinis, quod non sit presbyteris commune cum Episcopis? præcipuè cùm id, quod excellentissimum est in omnibus Sacramentis, sanctum videlicet corpus & sanguis Domini, quotidie sicut Episcopi, ita & consecrant Presbyteri, nec sanctius sit illorum, quàm istorum.

Petrus Damianus. 1050.

Epist.15. cap.4. Syncera atque integra fides habetur, quòd sicut Baptismus, ita nihilo minus sacerdotis consecratio nulla sordentium ministrorum labe polluitur, nullo reatus alieni crimine violatur. Sed quamuis facinorosus, quantislibet sit criminibus inuolutus ille, qui consecrat, is, qui consecratur, nullo propter hoc sacri muneris detrimento percellitur, nec aliqua cælestis gratiæ diminutione fraudatur. Non enim ex ministerio sacerdotis, sed ex officio, quo fungitur, consecrationis mysterium in alterum propagatur. Nec expedit in consecratore considerare, qualiter vixit, sed ministerium tantummodo attendendum est, quod accepit.

Cap.9. de Baptismo & Eucharistia: Neque per bonos sacerdotes meliora fiunt illa mysteria, nec per malos sunt peiora. Nimirum siue per fures, siue per adulteros, siue etiam per homicidas hęc Sacramenta fiant, nihil prorsus ab illis, quæ sancti dedicant, mysterijs differunt.

Guitmundus Auersanus. 1060.

Libro 3. de Sacramentis paulò ante finem: Si propter indignum Presbyterum nihil de pane & vino immutatum est, præualuit igitur (quod absit) iniquitas sacerdotis verbis Domini Saluatoris. Falsa est etiam Ecclesiæ fides, quæ per bonos, & per malos Ecclesiæ ministros verba Domini credit æqualiter operari. Sed absit à cunctis fidelibus hoc, vt iniquitas hominis verba Saluatoris infirmare posse credatur: absit vt Ecclesiæ fides falsa sit, quæ sola apud Deum laudabilis est, quæ & per bonos, & per malos ministros verba Christi æqualiter operatoria credit. Non igitur quod sumpturus erat indignissimus Presbyter, propter ipsum immutabile permansit.

Algerus. 1060.

Libro 3. de Sacramento cap.3 Si pro meritis ministrantium apud hos, vel illos melius, vel peius fieri putarentur Sacramenta, non iam Christi gratiæ, sed eorum meritis ascriberentur, & cùm quilibet nunc peius, nunc melius non idem, sed diuersum sit, iam non staret vnitas Baptismi, vel corporis Christi: quia baptismus eius in his, vel illis, melior, vel peior, esset diuersus, & similiter corpus Christi diuersum. Si enim à malo mala, à bono bona, à meliore meliora fierent Sacramenta, nonne pro varijs meritis hominum varia essent baptismata & Christi corpora? Et multa corpora Christi, ergo non vnus, sed multi Christi, nec vna Ecclesia, sed multæ, quod nefas est, &c.

Anselmus. 1080.

Ad caput 1. prioris ad Corinthios: Baptizauit Paulus tanquam minister, non tanquam ipsa potestas. Baptizauit autem Christus, tanquam potestas. Et potuit hanc potestatem seruo dare, sed noluit. Si enim daret hanc potestatem seruis, id est, vt ipsorum esset quod Domini erat, tot essent baptismi, quot serui, vt quomodo dictum est baptisma Ioannis: sic diceretur baptisma baptismus Petri, baptismus Pauli, baptismus Iacobi, & cæterorum. Ergo ne tot baptismi dicerentur, quot essent serui, qui baptizabant, accepta potestate à Domino, sibi tenuit baptizandi Dominus potestatem, seruis ministerium dedit, vt in illo spes esset baptizatorum, à quo se baptizatos cognoscerent. Noluit ergo seruum spem ponere in seruo: & ideo sibi soli retinuit hanc potestatem, quam si vellet, potuit vel alicui, vel vnicuique seruorum dare, vt tanta vis esset in baptismo serui, quantam vim habet baptismus à Domino datus, sed noluit: ideoque non differt siue bonus, siue malus, cui contingit ministerium vt baptizet: quia quisquis sit minister, Christus est Dominus qui baptizat. Propter quod tantum valet baptismus per hominem contemptibilem, quantum per Apostolum datus.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epistol.180. Sacramentum ordinationis, quamuis ab ordinatoribus ordinationem illicitè vsurpantibus semel acceptum, manet in ordinatis: sic Sacramentum coniugij, quamuis ab inobedientibus presbyteris impositum, manet in coniugatis. Quia virtutem Sacramentorum cassare non possunt praua merita vsurpatorum. Semper ergo sanctitas eorum est honoranda, vsurpantium verò peruersitas est punienda. Sic thuribula Core, quia eis ante Dominum ministratum est, iubente Domino, altari apposita sunt: fautores verò eius igne consumpti sunt.

Sigebertus Gemblacensis. 1100.

In Chronicis de anno 1074. Sacramenta, quæ in Ecclesia fiunt, baptismus scilicet, Chrisma, corpus & sanguis Christi, Spiritu sancto latenter operante eorundem Sacramentorũ effectum, seu per bonos, seu per malos intra Ecclesiam Dei dispensentur: tamen quia Spiritus sanctus mysticè illa viuificat, nec meritis bonorum dispensatorum amplificantur, nec peccatis malorum attenuantur. Vnde est: *Hic est qui baptizat.*

Hugo Victorinus. 1130.

In primam ad Corinth. quæst. 102. Quæri solet, an praui sacerdotes hoc sacrificium conficere queant? *Solutio.* Licet aliqui sint vita praui, si intus sint nomine & sacramento, creduntur quòd verè consecrant. Qui autem excommunicati sunt, & de hæresi manifestè notati, non videntur hoc posse. In hoc Sacramento tria oportet seruari, scilicet formam, ordinem, & intentionem: formam, à Domino institutam: ordinem, vt sit sacerdos: intentionem, vt intendat hoc facere.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib.4. dist. 5. Post hæc sciendum est, Sacramentũ Baptismi à bonis & malis ministris dari, sicut à bonis & malis sumitur. Nec melior est baptismus, qui per meliorem datur: nec minus bonus, qui per minus bonum datur: nec malus, qui per malum datur: nec minus in baptismo dato à malo, sed æquale: quia non est munus hominis, sed Dei.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Feria 5. in Cœna Domini: Licet peccatis grauibus sacerdos sit irretitus, nihilominus tamen si conficit, confectum est, dummodò intentionem habeat conficiendi in forma Ecclesiæ: Virtus enim Sacramenti non dependet ex merito conficientis.

Dominica in Albis. Catholica tenet Ecclesia, quòd

malus

malus sacerdos ligare potest & soluere, non ex vitæ merito, sed ex officio.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Sacramento Baptismi cap. 2. Inuocationes istæ & benedictiones nomine Ecclesiæ, & ex parte totius populi sanctorum fiunt, & propter hoc audit eos clementissimus Deus, licet per malos eidem ministros offerantur. Quemadmodum enim princeps non vilitatem cursoris, qui ex parte amicorum suorum literas petitorias ei porrigit, sed petitionem ipsam & merita petentium, quidque eum facere deceat, potius attendit: sic clementissimus Deus non vilitatem, aut indignitatem ministrorum Ecclesiæ suæ, petitiones, & vota offerentium, & velut ore ei porrigentium: sed potius ipsam Ecclesiam suam, & eius merita, quidque magnificentiam misericordiæ suæ facere deceat, attendit. Et sicut solem visibilem, quantumcunque malitia aperientis fenestram, etiamsi ad furandum vel occidendum hominem eam aperiat, non prohibet ab infusione luminis, & immissione radiorum, nec ipsum lumen prohibet malitia eiusdem, quo minus ingrediatur, & domui se infundat: sic solem intelligentiæ malitia quantumcunque ministri, ministerio suo viam præparantis, lumine gratiæ suæ, & quasi aperientis eam fenestram cordis eius, quem baptizat, non prohibet, nec lumen gratiæ, quo minus intret, auertit.

Vincentius Burgundus. 1240.

In speculo historiali lib. 8. c. 25. Sacramento quidem facit iniuriam, qui dicit ipsum pollui per pollutionem ministrorum. Dicimus tamen, quòd Baptisma hæreticorum facit quosdam filios Dei, vt paruulos: quosdam verò non, vt adultos, qui imbuti sunt errore hæreticorum: tamen verum baptisma recipiunt, vnde si veniant ad vnitatem Ecclesiæ, non sunt rebaptizandi, &c.

Thomas Aquinas. 1250.

Libro 4. contra Gentiles cap. 77. Manifestum est, quòd ministri Ecclesiæ potentiam quandam in Ordinis susceptione diuinitus suscipiunt ad Sacramenta fidelibus dispensanda. Quod autem alicui rei per consecrationem acquiritur, perpetuò in eo manet. Vnde nihil consecratum iteratò consecratur. Potestas igitur Ordinis perpetuò in Ecclesiæ ministris manet. Non igitur tollitur per peccatum. Possunt igitur etiam à peccatoribus, & à malis, dummodò Ordinem habeant, Ecclesiastica Sacramenta conferri.

Tertia parte Summæ quæst. 64. Sicut ministri Ecclesiæ instrumentaliter operantur in Sacramentis, eò quòd quodam modo eadem ratio est ministri & instrumenti. Sicut autem instrumentum non agit secundùm propriam formam, aut virtutem: sed secundùm virtutem eius, à quo mouetur. Et ideo accidit instrumento, in quantum est instrumentum, qualemcunque formam vel virtutem habeat, præter id, quod exigitur ad rationem instrumenti, sicut quòd corpus medici (quod est instrumentum animæ habentis artem) sit sanum vel infirmum: & sicut quòd fistula, per quam transit aqua, sit argentea vel plumbea. Vnde ministri Ecclesiæ possunt Sacramenta conferre, etiamsi sint mali, &c. Ministri Ecclesiæ neque à peccatis mundant homines ad Sacramenta accedentes, neque gratiam conferunt sua virtute: sed facit hoc Christus sua potestate per eos, sicut per quædam instrumenta. Et ideo effectus consequitur in suscipientibus Sacramenta, non secundùm similitudinem ministrorum, sed secundùm configurationem ad Christum.

Bonauentura. 1260.

Lib. 4. Sentent. dist. 5. quæst. 1. Malus sacerdos non tantum Sacramentum, sed & rem dat, non ipse, sed Deus: cùm Sacramenta sunt bona & impolluta. In Baptismo enim non mundat, neque interius baptizat minister, sed Deus. Sed cùm Deus lauat interius præcedente lotione exteriori, & exterior displiceat, quomodo consequens est, vt lauante malo sacerdote exterius, Deus lauet interius? Et ad illud notandum est, quòd est quoddam opus, quod habet virtutem à charitate interna solùm: quoddam, quod habet ab institutione diuina. Primum opus est virtutis & vitij, & à Deo pensatur secundùm qualitatem voluntatis. Secundum est opus Sacramenti, & hoc pensatur secundùm meritum & dignitatem Christi instituentis, & tale semper remanet efficax, & impollutum, nec potest aliquo modo pollui, sicut nec meliorari. Habet enim virtutem à Christo, & non à ministro: sicut semen iactum in terram æqualiter fructificat, siue sit bonus qui seminat, siue malus. Nam Sacramenta sunt benedictiones Dei, non malorum.

Dist. 13. quæst. 2. Sacramentum Eucharistiæ conficiendæ spiritualibus personis commissum est aut ratione sanctitatis, aut ratione auctoritatis. Si sanctitatis, vt dicunt hæretici, tunc ergo nemo scit vtrum conficiat, & salus nostra pendet ex aliena bonitate.

Guilhelmus Durantius. 1280.

In Rationali diuinorum lib. 4. c. 1. In Sacramento corporis Christi nil à bono magis, nil à malo minus perficitur sacerdote, dummodò ille cum cæteris in arca consistat, & formam obseruet traditam à Columba: quia non in merito sacerdotis, sed in verbo conficitur Creatoris. Aurum enim æquè verum est in arca furis, sicut in arca regis. Vnde & Caiphas Pontifex, vnius & verissimi sacerdotis persecutor, quamuis ipse verax non esset, quod tamen dedit consilium, verum fuit: sed non solum dedit, sed Dei: id est, in forma Ecclesiæ. Non ergo sacerdotis iniquitas impedit effectum Sacramenti, sicut nec medici infirmitas virtutem impedit medicinæ. Quamuis igitur opus operans aliquod sit immundus, opus tamen operatum semper est mundum.

Ioannes Scotus. 1300.

In librum quartum Sententiarum distinct. 5. quæst. 1. Veritas illius quæstionis patet ex auctoritatibus multis, quòd quacunque malitia minister sit malus, siue hæreseos, siue schismatis, siue morum, salua vnitate Ecclesiæ, si intendit facere, quod facit Ecclesia, & seruet modum Ecclesiæ, verè confert Baptismum, verè habet effectum in baptizato, non obstante malitia ministri, nisi obstet malitia suscipientis in hoc, quod recipit à tali ministro. Veritas autem istius solutionis non habet nisi rationem vnam, propter quid scilicet: quia sic placuit Christo instituere, vt malitia ministri non impediret Sacramentum, nec eius effectum, &c. Quòd autem ita fuerit baptismus instituendus, sunt plures rationes congruæ. Prima, quòd rationabile est Deum assistere suo signo practico ad causandum signatum ex denominatione voluntatis suæ, præcedente omnem conditionem ministri, vt sicut illa determinatio sua, qua tribuit signo esse certum, est signum ab ipso immediatè omnino, & primo: ita & assistentia consequens illam determinationem ad cooperandum sit immediatè ab ipso. Secunda congruentia sumitur ex fine. Quia si baptismus non posset conferri, nisi à bono, non esset in magnum remedium viatoris, sed quasi communiter in detrimentum. Cùm enim quasi nullus posset esse certus de bonitate propria, multò magis nec de bonitate alterius. Ergo si ex bonitate ministri dependeret Baptismus, nunquam posset aliquis esse certus se verè recepisse baptismum, quod est inconueniens.

Cap. 4. Malus minister in baptizato fideli nec gratiam adimit: quia tunc Deus dat per seipsum: nec item malus violat Sacramentum.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica lib. 4. de Sacramento Eucharistia: Quantum ad id, quod est essentiale in Missa, scilicet Corpus Domini, à quocunque dicatur, æqualiter bona est. Vnde Augustinus lib. de Corpore Domini: In mysterio Corporis & sanguinis Domini nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur sacerdote: quia non in meritò consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris, & virtute Spiritus sancti, & illud dicitur opus operatum.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tom. 1. Sermone 19. fol. 125. Nesciunt distinguere inter sacerdotum gradum & vitam: licet enim vita multorum clericorum sit criminibus plena, auctoritas tamen in illa est plena & veneranda.

Ioannes de Turre Cremata. 1460.

In Summa de Ecclesia lib. 1. cap. 99. Potestas spiritualis in ministris Ecclesiæ sicut per bonitatem vitæ non acquiritur: (superat enim omnem humanam facultatem, nisi diuinitus conferatur:) sic per malitiam non amittitur, &c. Christus iubet malis Prælatis obedire, quod non faceret, nisi in ijs etiam malis existentibus potestas spiritualis maneret. Matt. 23

Concilium Tridentinum. 1560.

Sessione 7. de Sacramentis in genere Can. 12. Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, seruauerit, non conficere, aut non conferre, anathema sit.

ARTICVLVS TERTIVS.

IN ALIQVIBVS SACRAMENTIS, VT BAPTISMO, CONFIRMATIONE, ET ORDINE IMPRIMI ANIMÆ CHARACTEREM, SEV SIGNVM ALIQVOD SPIRITVALE, ET INDELEBILE.

Anno post natū Christū 1390.

NEGANT.

IOANNES VVicleuus lib. 4. Trialogi cap. 15. *Characterem Sacramentalem affirmat nec Scriptura, nec ratione posse probari.* Thomas VValdensis Tomo 2. de Sacramentis cap. 109.

1520. Martinus Lutherus in Captiuitate Babylonica cap. de Ordine: *Commentum illud characteris indelebilis iam olim irrisum est. Concedo vt Papa hunc characterem imprimat, ignorante Christo: Cæterùm si ruat hoc Sacramentum, & commentum aliquando, vix consistet ipse Papatus cum suis characteribus.*

1540. Ioannes Caluinus contra Synod. Tridentinæ sessionis 7. Can 9. *Quod de charactere indelebili fabulantur, veteribus ignotum fuit, & magis consentaneum est incantationibus magicis, quàm sanæ Euangelicæ doctrinæ.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Isaiæ 66. *vers.* 18. Venio vt congregem cum omnibus gentibus & linguis: & venient, & videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum.

Ezech. 9. 4. Signa Thau super frontes virorum gementium & dolentium.

2. *Corinth.* 1. 21. Qui vnxit nos, Deus: qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.

Ephes. 1. 13. In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.

Ephes. 4. 30. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei: in quo signati estis in die redemptionis.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

De Ecclesiastica Hierarch. cap. 2. part. 1. Quod igitur initium est reuerendissima Dei mandata peragendi? Quod animales habitus nostros ad alia suscipienda sacrata eloquia, & opera commodissimè format: quod nobis, vt ad cælestia præmia subuehamur, viam sternit, & sacratissimæ ac penitus diuinæ regenerationis nostræ traditio.

Parte 3. Hunc ita accedentem diuina maiestas in sui consortium intus admittit, eique lucem suam perinde atque signum aliquod tradidit, sanctum efficiens, & sanctorum sortis ordinisque participem.

Basilius Magnus. 370.

Exhortatione ad Baptismum: Tesseram duces sub se militantibus dant, vt amici facilius inuicem se noscentes exhortentur, & si cum hostibus commisceantur, eò facilius discerni ac separari possint. Quòd si fortè commilitonum separatio fiat, nemo te, qua-

te, quarum, nostrarum, an aduersarij partium sis noueris, nisi mysticis signis familiaritatem præ te feras, nisi super te signatum sit lumen vultus Domini: nisi characterem in te agnoscat Angelus, quonam modo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit? Quomodo, inquam, dices Dei sum, signa non ostendens? An ignoras quemadmodum signatas domos in ÆGypto exterminator præterijt: in non signatis verò primogenita peremit? Thesaurus non obsignatus furibus facilè patebit. Ouis absque nota insidijs protinus est obnoxia. Iuuenis es? ętatem fræno baptisimi retine, &c. Baptismus est captiuorum, & æris alieni remissio, peccati mors, animi regeneratio, amictus splendens, character indeprehensibilis.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

In Præfat. Catechescon: Magnum sanè est propositum hoc baptisma, captiuitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum & indelebile.

Catech. 3. Aqua sanè mundat corpus, Spiritus autem signat animam.

Catech. 16. Spiritus sanctus ad hodiernam vsque diem obsignat animas in baptismo.

Catech. 17. Tu quidem accede ad baptismum: accede autem, non vultum tantùm istum visibilem baptizantium respiciens, sed memineris istius Spiritus sancti, de quo nunc nobis sermo est. Hic enim paratus est obsignare animam tuam, & dare tibi signaculum, quod demones tremunt, cęleste quoddam & diuinum, sicut scriptum est: *In quo & credentes obsignati estis Spiritu sancto promissionis.*

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 40. quæ est in sanctum Baptisma: Si per baptismum te ipsum præmunieris, ac pulcherrimo & firmissimo auxilio tibi in futurum caueris, animum scilicet & corpus vnctione & spiritu consignans, quemadmodum olim Israel nocturno illo cruore, qui primigenes tuebatur, quid tibi accidet? Audi Salomonis Prouerbia: *Si sederis*, ait, *intrepidus eris: si dormieris, suauem somnum carpes.* Audi etiam quid læti tibi nunciet Dauid: *Non timebis*, inquit, *à timore nocturno, ab incursu & dæmonio meridiano.* Hoc tibi viuo maximum ad securitatem momentum afferet. Pecus enim signata, non facilè insidijs appetitur: quæ autem minimè signata est, à furibus facile capi potest.

Epiphanius. 380.

Hæresi 8. Magna Circuncisio Baptismus, circuncidit nos à peccatis, & obsignat nos in nomen Dei.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Oratione 2. in epist. ad Ephesios: *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ.* Rursus magnum est indicium curæ ac prouidentiæ, quòd sint signati, non separati: neque quòd non solùm sint sorte vocati, sed etiam signati. Quomodo enim si quis eos, qui sorte sibi obtigerunt, manifestos fecerit, ita etiam Deus eos separauit ac secreuit ad credendum: signauit ad hoc, vt sint hæredes in futurum. Quamdiu fuerunt in prescientia, nulli fuerunt manifesti: postquam autem fuerunt signati, fuerunt manifesti, sed non sicut vos. Erant enim manifesti præter paucos. Signati fuerunt etiam Israelitæ, sed circuncisione, sicut oues & bruta. Nos quoque signati sumus, sed sicut filij Spiritu.

Theodoretus. 450.

Ad cap. 1. posterioris ad Cor. *Qui vnxit nos Deus, qui & signauit nos.*) Deus horum bonorum causa est. Ipse enim nobis firmam in Christum fidem donauit. ipse nos vnxit, & sanctissimi Spiritus signaculo dignos duxit, veluti quandam futurorum bonorum arrham, hanc nobis gratiam largiens.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 10. Nunc Spiritus sancti primitias per baptismum accipimus, ac regeneratio nobis alterius vitæ initium, & signaculum, & præsidium, & illuminatio efficitur.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 1. posterioris ad Corinth. *Qui & vnxit, & signauit nos:* id est, Prophetas, sacerdotes, & reges nos fecit. Talis enim est, qui baptizatus est: nempe Propheta: quippe qui viderit, *quæ oculus non vidit, nec auris audiuit.* Sacerdos enim, vt qui debeat seipsum offerre hostiam viuentem, sanctam, bene placentem Deo. Tum Rex, vt Dei summi Regis, & Imperatoris filius factus, futurique regni hæres, & qui nunc regnet domineturque in omnes absurdas cogitationes, constitutusque sit super vniuersum mundum. Perinde igitur, vt apud priscos sacerdotes & reges inungebātur oleo: sic hodieque nos Spiritu sancto inuncti sumus, dante Deo arrhabonem in cordibus nostris. Quòd si arrhabonem autem appellat, quæ nunc dantur charismata Spiritus.

Ad cap. 1. ad Ephes. Iudæi quidem per Circuncisionem signati sunt, tanquam rationis expertia bruta sigillum carnale recipientes: nos verò tanquam filij Dei, supra quam carnis patiatur conditio, Spiritu signati sumus.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Ambrosius. 370.

De Spiritu sancto lib. 1. cap. 6. Sicut Apostolus ad
Ephes. 1. Ephesios ait: *In quo credentes signati estis Spiritu promissionis.* Sancto igitur Spiritu signati sumus, non natura, sed à Deo, quia scriptum est: *Qui vnxit nos Deus, & qui signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Signati ergo Spiritu à Deo sumus. Sicut enim in Christo morimur, ita etiam Spiritu signamur, vt splendorem atque imaginem eius, & gratiam tenere possimus, quod est vtique spiritale signaculum. Nam etsi specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur, vt Spiritus sanctus exprimat in nobis cælestis imaginis effigiem.

De ijs, qui mysterijs initiantur cap. 7. Vnde repete, quia accepisti signaculum spiritale, spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilij atque virtutis, spiritum cognitionis atque pietatis, spiritum sancti timoris: & serua, quod accepisti. Signauit te Deus Pater, confirmauit te Christus Dominus, & dedit pignus in cordibus tuis.

Augustinus. 400.

De Baptismo lib. 6. cap. 1. Satis eluxit pastoribus Ecclesiæ Catholicæ toto orbe diffusæ, per quos postea plenarij Concilij auctoritate originalis consuetudo firmata est, & ouem, quæ foris errabat, & Dominicum characterem à fallacibus deprædatoribus suis foris acceperat, venientem ad Christianæ vnitatis salutem ab errore corrigi, à captiuitate liberari, à vulnere sanari, characterem tamen Dominicum in ea agnosci potius, quàm improbari.

Contra Cresconium lib. 1. cap. 30. Vide ergo nos quàm probabilem rationem sequamur, qui ea, quę schismatici vel hæretici corruperunt, cùm ad nos inde veniunt, corrigamus: quæ verò sicut acceperunt, tenuerunt, agnoscimus & probamus, ne commoti humanis vitijs, vltra iustitiam faciamus vllam diuinis rebus iniuriam, cùm Apostolum videamus etiam in ara gentilium, à quibus idola colebantur, Dei nomen inuentum confirmasse potius, quam negasse. Neque enim propterea immu- Act. 17.

candus, vel improbandus est regius character in homine, si erroris sui veniam, & militandi ordinem à rege impetrauerit: quia eundem characterem, quē sibi satellites congregaret, desertor infixit: aut propterea signa mutanda sunt ouibus, cùm Dominico gregi sociantur, quia eis Dominicum signum fugitiuus seruus impresit.

In Ioannem Tract.6. Iam cœpisti cognoscere quid gerendum sit. Verum dicis, quia reus es: non quia (Sacramentum) accepisti, sed quia fors accepisti. Tene ergo quod accepisti, emenda quod foris accepisti. Accepisti rem columbæ præter columbam. Duo sunt quæ audis: accepisti, & præter columbam accepisti. Quod accepisti, approbo: quia foris accepisti, improbo. Tene ergo quod accepisti: non mutatur, sed agnoscitur. Character est regis mei, non ero sacrilegus: corrigo desertorem, non muto characterem.

Epistola 50. ad Bonifacium, loquens de hereticis ad Ecclesiam redeuntibus: Sic enim error corrigendus est eius, vt non in ea corrumpatur signaculum Redemptoris. Neque enim si quisquam regio charactere à signato desertore designetur, & accipiat indulgentiam, atque ille redeat ad militiam, ille autem esse in militia, in qua nondum erat incipiat, in aliquo eorum character ille rescinditur, an non potius in ambobus agnoscitur, & honore debito, quoniam regius est, approbatur?

Contra Epistolam Parmeniani libro 2. cap.13. Si quisquam est, siue desertor, siue qui nunquam omninò militauit, qui nota militari priuatum aliquem signet, nonne vbi fuerit deprehensus ille signatus pro desertore punietur, & eò grauius, quò probari potuerit, nunquam omninò se militasse, simul secum punito, si eum prodiderit, audacissimo signatore? Aut si fortè illum militiæ characterem in corpore suo non militans pauidus exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fusa, ac impetrata iam venia, militare cœperit: nunquid homini liberato atque correcto character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An fortè minus hærent Sacramenta Christiana, quàm corporalis hæc nota, cùm videamus nec Apostatas carere baptismate, quibus vtique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse iudicatur? An dicenda de militia similitudo non fuit, cùm Apostolus de agonisticis
2.Tim.2 certaminibus clamet, ac dicat apertè: *Nemo militans Deo, &c.*

Primasius. 540.

Ad cap. 1. ad Ephes. *In quo & credentes signati estis. In quo* Euangelio, vel in Christo vno charactere signati, & huic cognoscimini vnus esse grex, quia & vos similiter vt nos virtutes per spiritum operamini, quæ virtutes arrha sunt futuræ hæreditatis.

Ad cap. 4. *In quo signati estis.*) Nouum signum habere cœpistis. *In die redemptionis.* In die Baptismi signaculum Spiritus sancti accepistis.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 2. epist. 32. Illud autem quod dicitis, vt is, qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculum est, & ab ingenij vestri consideratione extraneum, nisi fortè quod exemplum ad medium deducitur, de quo & ille iudicandus est, qui tale aliquid fecisse perhibetur. Absit autem à fraternitate vestra sic sapere. Sicut enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet. ita qui consecratus est semel, in eodem iterum ordine non debet consecrari. Sed si quis forsitan cum leui culpa ad sacerdotium venit, pro culpa pœnitentia indici debet, & tamen Ordo seruari.

Libro 12. epistola 32. De dedicationum Ecclesiarum dubitatione, super qua inter cætera nos consuluistis, hoc vos ritè tenere debetis, quod nos ab antecessoribus nostris traditum accepimus, id est, vt quoties tam de Baptismo aliquorum, vel Confirmatione, quàm de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, & nec scriptis, nec testibus ratio certa habetur, verum baptizati, vel confirmati, siue Ecclesiæ consecratæ sint, vt baptizentur tales, ac confirmentur, atque Ecclesiæ canonicè dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indicijs ostenditur ritè peractum.

Haymo. 800.

Ad cap. 1. posterioris ad Corinth. *Qui signauit nos*, id est, qui asignauit nos, dando signum suum nobis. Dum enim dixit Christus: *Sicut me misit Pater, & ego mitto vos*, signum suum in ijs posuit. *Et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Pignus propriè est, quod propter rem creditam datur, vt dum illa reddita fuerit, istud recipiatur: sed hic Apostolus potius pro arrha posuit, quæ Deo datur, vt certus sit de promisso, & quod minus deest compleatur. Nos ergo arrham seu pignus accepimus, gratiam videlicet Spiritus sancti in baptismate, vt securitatem & certitudinem de promissione æternæ patriæ habeamus.

Ad cap. 1. ad Ephes. *In quo credentes signati*,) id est, sigillati vel asignati estis *Spiritu promissionis sancto*, id est, per Spiritum sanctum, qui promissus est à Domino Apostolis, & per quem habemus promissionem vitæ in Baptismo. Asignati ergo sumus Deo per Spiritum sanctum, quem percepimus in Baptismo: quia signaculum similitudinis Dei, quod perdidimus in primo parente nostro, illud recipimus in baptismo, hoc est, innocentiam & sanctitatem animæ, in qua homo factus est ad imaginem & similitudinem Dei. Non enim in corpore fuit ista similitudo & imago, sed in anima.

Anselmus. 1080.

Ad cap. 1. ad Ephes. Quia credidistis, signati estis à Spiritu sancto, hoc est, signum accepistis, quo distingueremini à cæteris, quòd Spiritu sancto repleti estis, quem non habent increduli.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Sacramento Confirmationis: Qui sigillum, siue characterem baptismalem falsificant, cuius veritate tenetur ius hæreditatis æternæ, procul dubio nolle se ostendunt, & ipso facto nullum se ius habere in hæreditate cælesti: quemadmodum si quis sigillum regium super donatione castri, vel realterius sibi facta falsificaret, & eo ipso donationi per illud sibi factæ renuntiaret, illam inutilem & irritam sibi redderet: sic & isti donationem cælestis hæreditatis, in baptismo sibi factam, omninò euacuant, dum sigillum baptismale, siue characterem falsificant, quod est, dum veritatem sanctitatis, quam ipsum designat, & quæ ipsi subesse debet, cuiuscunque peccata mortalia execratione subtrahunt, & diluunt.

Richardus de Media Villa. 1280.

Libro 4. distinct. 5. artic. 2. quæst. 4. Non per quodlibet Sacramentum imprimitur character, nec etiam per actus virtutum. Character est enim signum spirituale, indelebile, distinctum; & spiritualis potestas indelebilis, deputata ad aliquod Sacramentum, & hæc communia sunt cuilibet characteri, &c. Sola tria ista Sacramenta Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem.

Ioannes Scotus. 1300.

In Reportationibus super quartum Sententiarum dist.

6. *quæst.* 8. Character est signum spirituale, impressum in susceptione Sacramenti non iterabilis, distinctiuum, remediatiuum, assimulatiuum, configuratiuum, aliud à gratia, prius gratia, dispositio ad gratiam indelebilem.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 1. posterioris ad Corinth. *Et qui signauit nos:* Signo crucis in Baptismo & Confirmatione.

Ad cap. 4. ad Ephes. *In quo signati estis:* Per Sacramentum Baptismi, in quo character imprimitur.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potest. Eccles. q. 58. artic. 7. Triplex potentia est in Sacramentis spiritualibus. In Baptismo imprimitur potentia recipiendi. Baptizatus enim potest omnes perfectiones spirituales & sacramentales recipere. In Confirmatione verò imprimitur potentia resistendi, vt non ibi faciliter recipiatur peregrina impressio contra nomen Christi. Sed in Sacramento Ordinis imprimitur potestas agendi, & administrandi cætera alia Sacramenta. Cùm ergo character & potestas spiritalis in istis tribus Sacramentis à Christo imprimatur in delebiliter, à quo Sacramenta sunt instituta, sicut Papa non potest dispensare in characteris, & dictæ potestatis impressione, vel expulsione: quia ex quo imprimitur animæ, nunquam potest auferri per suspensionem, vel degradationem, quinimò in anima separata remanet: sic non potest dispensare in dictorum Sacramentorum reiteratione, &c. Secundùm communiorem opinionem in quolibet Ordine imprimitur character: & quantumcunque in minoribus Ordinibus ordinati transferant se ad laicatum, semper tamen in eis remanet characteris impressio: quia si de laicatu ad clericatum reuertantur, non sunt iterum in illis Ordinibus ordinandi.

ARTICVLVS QVARTVS.

BAPTISMVM ESSE PRIMVM NOVÆ LEGIS SACRAMENTVM, GRATIAM CONFERRE, ET SINE EO NEMINEM SALVARI.

NEGANT.

Anno post natū Christū 180. CAIANI *dicunt, baptisma non esse necessarium: quia fides satis sit.* Tertullianus de Baptismo cap. 13.

200. *Quintilla, ex Caiana hæresi prodiens, baptismum negat.* Tertullianus de Baptismo cap. 1.

270. *Manichæi dicunt, baptismum in aqua nihil cuiquam salutis adferre.* Augustinus hæresi 46.

350. *Archontici execrantur sacrum lauacrum, etiamsi quidam ex ipsis sint præoccupati & baptizati.* Epiphanius hæresi 40.

370. *Seleuciani, & Herminiani baptismum in aqua non recipiunt.* Philastrius & Augustinus de illorum hæresibus.

380. *Messaliani dicebant, baptismum nihil conferre, neque peccati radicem excindere, sed assidua precatione hæc omnia fieri.* Theodoretus lib. 4. cap. 10.

390. *Adelphius nullam vtilitatem ex diuino baptismo ad eos, qui eo vterentur, peruenire dixit: solam autem orationem dæmonem vernaculum eijcere.* Nicephorus lib. 11. cap. 14.

400. *Pelagiani voluerunt baptismum non esse necessarium ad remissionem peccati originalis: sed solùm ad consequendum regnum cælorum.* Augustinus hæresi 69.

410. *Vincentius Victor dixit, aliquos eorum, qui sine baptismo Christi ex hac vita emigrauerint, interim non ire in regnum, sed in paradisum: postea verò in resurrectione mortuorum, etiam ad regni cælorum beatitudinem peruenire.* Augustinus de origine Animæ lib. 3 cap. 14.

600. *Armenij dicunt, quòd Sacramenta nouæ Legis non conferunt gratiam.* Guido de Armenijs, errore 16.

630. *Mahometus vetuit, ne sui baptizarentur.* Cedrenus in Heraclio.

730. *Samson Scotus dicebat, sine mystica inuocatione, aut lauacro regenerationis posse fieri Catholicum Christianum, per Episcopalis manus impositionem.* Zacharias Papa epist. ad Bonifacium.

1022. *Stephanus Aurelianensis abnegabat sacri baptismatis gratiam.* Papyrius Massonus lib. 3. Annalium in Hugone & Roberto ex Hugone Floriacense.

1230. *Petrus Ioannis ait, in Baptismo gratiam & virtutes Theologicas non infundi.* Guido de erroribus huius Petri Ioannis.

1350. *Lollardi Sacramentum baptismi deridebant, dicentes: Si baptismus est Sacramentum, ergo quodlibet balneum est sacramentum: & per consequens quilibet balneatus est Deus.* Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

1350. *Flagellantes seipsos virgis concidentes, interim prædicabant, neminem saluari posse, nisi in sanguine, de*

proprio

proprio suo corpore per flagella excusso baptizaretur. Nam baptismum aqua mutatum esse in baptismum sanguinis.

1390. *Ioannes VVicleuus non solùm ad remissionem peccati, sed etiam ad regnum cælorum baptisma negauit esse necessarium.* Thomas VValdensis Tomo 2. cap. 96.

1520. Martinus Lutherus in Captiuitate Babylonica cap. de Baptismo: *Baptismus neminem iustificat, nec vlli prodest; sed fides in verbum promissionis, cui additur baptismus: hæc iustificat, & adimplet id, quod baptismus significat.*

1522. Philippus Melanchthon in Locis communibus editis anno 1522. capite de Signis: *Non iustificant Signa, vt Apostolus ait:* Circuncisio nihil valet: *ita baptismus nihil est, participatio mensæ Domini nihil est, sed testes sunt καὶ σφραγῖδες diuinæ voluntatis erga te.*

1530. Huldaricus Zvvinglius ad Vrbanum Regium de peccato originali: *Baptismi lauacro nullum prorsus peccatum tollitur: baptismus est Ecclesiæ signum, non aliter quam cùm exercitus aliquis signatur: non quod signum hoc coniungat Ecclesiæ, sed quòd ei iam coniunctus est, & publicam tesseram accipit, sicut nemo in exercitu scribitur, eò quod signum induit: sed is qui in exercitum iam scriptus est, signo publico dignus ducitur, quo omnibus manifestus fiat nomen dedisse ei duci, sub quo se militaturum promisit.*

Libro de Baptismo: *Ferè omnes, quotquot ab Apostolorum tempore de Baptismo scribere instituerunt, non in paucis a scopo aberrarunt. Neque enim ex eorum numero quenquam inuenire licet, qui non aquæ tribuerit, quod nec illa habet, nec Apostoli eam habere docuerunt. Externus baptismus, qui aqua constat, ad peccatorum ablutionem nihil facit.*

1540. Martinus Bucerus ad cap. 3. Matthæi: *Baptismus, vt ab homine geritur, nec præcipuè in Christum respicit, quid aliud quàm hominis opus est? Fatendum ergo erit de baptismate, ad hunc modum considerato, id quod Apostolus scripsit de Circuncisione, nempe illud nihil esse, aut valere: sed nouam requiri creaturam, & obseruantiam mandatorum Dei.*

1550. *Lucas Sternbergius sacrum baptisma reiecit, appellans illud Satanicam institutionem: dixit illos, qui eo utuntur, non nisi ad tartarum baptizari, & in æternum damnari. Diuinitus enim non baptismum, sed circuncisionem institutam esse.* Fridericus Staphylus de Lutheranorum inter se concordia.

1550. Ioannes Caluinus lib. 4. Instit. cap. 14. §. 17. *Cauendum ne in errorem nos inducant, quæ ad amplificandam Sacramenti dignitatem paulò magnificentius à veteribus scripta sunt, vt scilicet arbitremur latentem aliquam virtutem Sacramentis annexam, affixamque esse, quæ ipsa per se Spiritus sancti gratiam nobis conferant, quemadmodum vinum in cratere propinatur: cùm hoc tantùm diuinitus illis iniunctum sit munus, sanctificari nobis, ac sanciri Dei in nos beneuolentiam, nec vlterius proficiant, nisi accesserit Spiritus sanctus.*

1560. *Svvenckfeldiani dicunt homines sine mysterio & Sacramentis saluari posse.* Confessio Mansfeldensium cap. de Svvenckfeldianis.

1578. *Ioannes Sommerus*, Declamatione contra Baptismum adultorum, *asserit non modo pueros, sed etiam adultos non esse baptizandos: mandatum Christi:* Baptizate omnes gentes: *ad eos, qui tunc viuebant, non ad Christianos huius seculi pertinere, quorum cùm maiores baptizati sint, non esse necesse, vt nepotes baptizentur.*

1592. Franciscus Puccius Felidinus, Assertione de Christi Seruatoris in omnibus & singulis hominibus efficacitate, Ratione 23. *Absurdissimum est credere Deum esse iratum, & minime clementem, & non parcere innumeris mortalibus, non circuncisis, nec baptizatis aliorum culpa: aut experdita Adæ massa elegisse paucos, quos seruaret, relictis cæteris in pernicioso originis vitio, vt multi sentiunt, ac docent.*

Ratione 56. *Illud non nasci, vel non reformari denuò, intelligendum est positiuè, non priuatiuè, ita vt rei essent, non qui carebant illa reformatione, sed qui illam impugnabant. Quapropter ex verbis ad Nicodemum non probatur quemquam perire defectu Baptismi, sed declaratur pœna imminens peruersis contemptoribus Baptismi.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Psal 50 *vers*. 9. Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.

Ezech. 36. 25. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.

Zachar. 13. 1. In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris & menstruatæ.

Matth. 3. 11. & *Lucæ* 3 16. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.

Marci 16. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.

Ioan. 1. 33. Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.

Ioan. 3. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, nō potest introire in regnum Dei.

Actor. 2. 38. Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum: & accipietis donum Spiritus sancti.

1. *Corinth*. 6. 11. Et hæc quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.

Galat. 3. 27. Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.

Ephes. 5. 25. Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea: vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, *&c.*

Tit. 3. 5. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti.

1. *Petri* 3. 21. Saluos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Epist. 4. Sed dicitis fortasse: Quid confert aquæ baptismus ad cultum Dei? Primò quidem, quia quòd Deo placuit, impletur: secundò, quia regenerato ex aquis, & Deo renato, fragilitas prioris natiuitatis, quæ vobis per hominem facta est, amputatur, & ita demum peruenire poteritis ad salutem. Aliter impossibile est. Sic enim nobis cum Sacramento verus Propheta testatus est, dicens: *Amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua viua, non introibit in regnum cælorum.* Et ideo accelerate. Est enim in aquis istis misericordia eius quædam, quæ ex initio ferebatur super aquas: & agnoscit eos, qui baptizantur sub appellatione triplicis Sacramenti, & eripit eos de supplicijs futuris, quasi donum quoddam offerens Deo animas, per Baptismum consecratas. Confugite ergo ad aquas istas. Solæ enim sunt, quæ possunt vim futuri ignis extinguere. Ad quas qui moratur accedere, constat, in eo adhuc infidelitatis idolum permanere, & ab ipso prohiberi ad aquas properare, quæ salutem conferunt. Ioan. 3.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiast. Hierarchia cap. 3. Sic igitur & sacrum diuinæ generationis Sacramentum, quia primi luminis consortium tradit, omniumquе diuinarum illustrationum principium est, ex ipso effectu, ipso verissimo illud illuminationis cognomine prædicamus. Etsi enim alijs quoque sacerdotalibus Sacramentis commune est, ijs qui perficiuntur sacri luminis consortium dare: istud tamen imprimis mihi videndi præstitit munus, ipsiusquе principali maximè lumine, ad alia inspicienda Sacramenta, lucis gratiam cepi.

Iustinus Martyr. 150.

Orat. ad Antoninum Pium: Deinde catechumeni eò adducuntur à nobis, vbi est aqua, atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur. Nam in nomine cunctarum rerum Parentis, & Seruatoris nostri Iesu Christi, & Spiritus sancti in aqua tum lauantur: Christus enim ipse dixit: *Nisi regenerati fueritis ex aqua & spiritu, non introibitis in regnum cælorum,* &c. Quandoquidem priorem natiuitatem nostram ignorantes necessitate quadam, liquido genitali satu, mutua parentum mixtione intercedente progenerati sumus, & in malis moribus, prauaquе consuetudine educti, vt ne necessitatis & ignorantiæ liberi permaneamus, sed delectus ac scientiæ filij fiamus, ac remissionem ante commissorum peccatorum consequamur in aqua: super eo, qui renascendum sibi esse statuerit, atque per pœnitentiam ab admissis delictis resipuerit, Patris rerum omnium, & Domini Dei nomen nominatur, atque idipsum solùm, lauaturum istum ad lauacrum ducentes, inuocamus. Vocatur verò lauacrum hoc illuminatio, quòd eorum, qui hæc discunt, mentes illuminentur.

Quæstione 36. Hoc discrimen est inter baptizatos & non baptizatos infantes, quòd illi bona per baptismum obuenientia consequuntur: hi verò non consequuntur: digni autem fiunt baptismi commodis, fide eorum, qui illos ad baptismum offerunt.

Irenæus. 180.

Libro 3. *cap.* 19. Sicut de arido tritico massa vna fieri non potest sine humore, neque vnus panis: ita nec nos multi vnum fieri in Christo Iesu poteramus sine aqua, quæ de cælo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat: sic & nos, lignum aridum existentes, primùm nunquam fructificaremus vitam, sine superna voluntaria pluuia. Corpora enim nostra per lauacrum illud, quod est ad incorruptionem, vnitatem acceperunt: animæ autem per Spiritum. Vnde & vtraque necessaria sunt, cùm vtraque proficiant in vitam Dei, miserante Domino nostro Iesu Christo.

Clemens Alexandrinus. 200.

Libro 1. *Pædagogi cap.* 6. Tincti illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur. *Ego,* inquit, *dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes.* Multis autem modis vocatur hoc opus: Gratia, illuminatio, perfectum, & lauacrum. Lauacrum quidem, per quod peccata abstergimus: Gratia autem, qua remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur: Illuminatio autem, per quam sanctam illam & salutarem lucem speculamur, hoc est, per quam id, quod est diuinum, perspicimus. Perfectum autem dicimus, cui nihil deest. Quid enim ei desit, qui Deum nouit? Est enim reuera absurdum, Dei vocari gratiam, quæ non sit perfecta & vndequaque plena. Qui autem est perfectus, perfecta vtique largietur, &c. Qui est solummodò regeneratus, quemadmodum etiam illuminatus dicitur: illuminatus quidem protinus à tenebris liberatur, & ab eo tempore lucem accepit. Vt ergo qui somnum excusserunt, ab eo tempore protinus intus vigilant: ita etiam qui tingimur, abstersis peccatis, quæ diuino Spiritui instar caliginis tenebras offundebant, liberum, ab omnique impedimento vacuum, & lucidum habemus Spiritus oculum; quo quidem solo quod diuinum est intuemur, cælitus influente nobis Spiritu sancto. Psal. 81.

Origenes. 240.

Homil. 4. *in Cant.* Amputantur & execrantur ab hominibus peccata, cùm in Baptismo donatur remissio peccatorum.

Tractatu 7. *in Matthæum:* Vsque trans Iordanem secutæ sunt Iesum turbæ multæ, quas & sanauit in ipsis finibus Iudæę trans Iordanem, vbi baptismus dabatur hominibus. Et forsan ideo dicitur de turbis sequentibus Dominus ad baptismum Iordanis: *Et sanauit eos ibi.* Verè enim omnes ab infirmitatibus suis spiritalibus saluantur in Baptismo.

Homil. 14. *in Lucam:* Quia per Baptismi Sacramentum natiuitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur & paruuli. *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non poterit introire in regnum cælorum.* Ioan. 3.

Gregorius Neocæsareensis. 260.

Orat. in Epiphaniam: Baptiza me (inquit Christus ad Ioannem) qui baptizaturus sum credentes aqua,

tes aqua, Spiritu, & igne. Aqua quidem, quæ valeat peccatorum lutum abluere: Spiritu, qui possit terrenos reficere: igne, qui spinas peccatorum possit exurere.

Eusebius Cæsareensis. 330.

Vita Constantini lib. 4. cap. 61. Vt verò ei in mentem venit extremus eius vitæ dies, existimaretque hoc tempus opportunum esse ad delenda illa errata, quæ, quoniam mortalis erat, admiserat: credebatque arcanorum mysteriorum efficacia, & salutaris lauacri initiatione mentem expiari supplicem se Deo offerebat.

Oratione Constantini ad Sanctorum Cœtum cap. 20. Si quæ labes humanorum scelerum residebat, illa vniuersa sacro baptismatis lauacro absterfa est.

Concilium Nicænum. 330.

Libro 3. de sancto Baptismate: Baptisma nostrum non oculis corporis considerandum est, sed mentis oculis. Aquam vides? considera virtutem Dei in aquis absconditam. In sancto enim Spiritu & igni baptizari nos docet Euangelium. In fide enim baptizantis, & fide baptizati, per sacram inuocationem plenas sanctificatione Spiritus, & ignis diuini aquas considera. *Ipse enim*, inquit, *baptizabit, Spiritu, & igne.* Descendit itaque qui baptizatur reus peccatorum, & obnoxius seruituti corruptionis: & ascendit liberatus ab hac seruitute, & peccato, factus filius Dei, & hæres eius gratiæ, cohæres autem Christi, indutus ipsum Christum, sicut scriptum est: *Quicunque in Christum baptizati estis, Christum induistis.*

Athanasius. 340

Quæst. 134. Quid est, quod dicit: Et omnes per Moysen baptizati sunt? *Resp.* Baptismi signum erat, quòd per rubrum mare transijt Israeliticus populus. Nam sicut illi transmissi effugerunt inimicorum insidias, & in deserto nutriebantur manna: sic etiam baptizati liberantur à spirituali Pharaone, & ab AEgyptijs dæmonibus, sustentanturque supercælesti pane Spiritus sancti.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Præfatione in Catech. Magnum est sanè propositum hoc Baptisma: captiuitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum & indelebile, currus ad cælum, deliciæ paradisi, regni cælestis conciliatio, & charisma adoptionis filiorum.

Catechesi 3. Aqua sanè mundat corpus, Spiritus autem signat animam, vt abluti in corpore aqua munda, & repurgati in corde, accedamus ad Deum. qui ita in aquam descensurus es, non aquæ simplicitati mentem adhibe, sed Spiritus sancti virtute salutem suscipe. Nam si vtrique ad perfectionem deduci non poteris, & si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos Martyres, qui vel sine aqua regno cælesti potiuntur, &c. Descendis quidem in aquam ferens peccata, sed gratiæ inuocatio signans animam non permittit deinceps ab horrendo illo submergi dracone. Mortuus in peccatis descendisti, & ascendis viuificans in iustitia. Descendens in aquam, & quodammodo consepultus Christo, sicut ille in petra excitaris, rursus in nouitate vitæ ambulans: deinde cùm tibi gratia confertur, tunc rursus tibi aduersus contrarias virtutes dat potestatem.

Basilius Magnus. 370.

Exhortatione ad Baptismum: At nunc cùm anima tua, quàm omni scelere contaminatam reddidisti, per Baptismum renouari ac regenerari nuntietur, tantùm despicis beneficium, nec vltrò properas, aut id pollicenti fis obuiam. Num non tanti muneris rem miram videre desideras? Quomodo videlicet absque matre regeneretur homo, quomodo vetus, ac secundùm desideria erroris corruptus, rursus in pubertatem, ætatisque florem reconcinnetur? Baptismus igitur est captiuorum, & æris alieni remissio, peccati mors, animæ regeneratio, amictus splendens, character indeprehensibilis, cæli iter, regni cælestis conciliatio, adoptionis gratia, &c. Quoniam non materiæ alicuius fucum, sed animæ purgationem tibi Rex munificus pollicetur, debebas ad hoc donum accurrere. ô rem admirandam! Renouaris, nec conflaris, refingeris, nec contereris; curaris, nec dolorem sentis: & tamen hanc gratiam non expendis.

De Spiritu sancto cap. 14. Quomodo mare baptismi typum gerens separat à Pharaone: sic & lauacrum hoc à diabolica tyrannide. Illud quidem occidit hostem in sese: moritur & hic inimicitia, quæ nobis fuit cum Deo. Ab illo populus exijt illæsus: ascendimus & nos ab aquis, tamquam ex mortuis viui, seruati per gratiam eius, qui vocauit nos. At vmbra, quam fecit nubes, figura est doni proficiscentis à Spiritu sancto, quæ flammam cupiditatum mortificando, membra nos refrigerat. Quid igitur? Num quia per figuram in Moyse baptizati sumus, ideò protinus exigua est gratia baptismatis?

Cap. 15. Tribus igitur demersionibus, ac totidem inuocationibus, magnum Baptismatis mysterium peragitur, vt & mortis figura adumbretur, & per traditionem diuinæ cognitionis animus repurgetur eorum, qui baptizantur. Itaque si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aquæ natura, sed ex Spiritus præsentia.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 40. quæ est oratio in sanctum Baptisma: Baptismus igitur est splendor animarum, vitæ in melius mutatio, conscientiæ ad Deum interrogatio. Baptismus infirmitatis nostræ adiumentum. Baptismus est carnis adiectio, Spiritus assectatio, Verbi participatio, figmenti correctio peccati diluuium, lucis communicatio, tenebrarum oppresio. Baptismus vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Christo, fidei adminiculum, mentis perfectio, cælestis regni clauis, vitæ commutatio, seruitutis depulsio, vinculorum solutio, compositionis in meliorem statum conuersio. Quid plura commemorare attinet? Baptismus omnium Dei beneficiorum præclarissimum est, & præstantissimum. Vt enim quædam Sancta sanctorum vocantur, & Cantica canticorum, quòd scilicet latius pateant, & plura complectantur, præcipuamque dignitatem habeant: eodem modo baptismus quoque illuminatio dicitur, quòd omnes alias illuminationes sanctitate superet. Quemadmodum autem Christus, huius dator, multis ac diuersis nominibus appellatur, ita ipsum quoque donum varia nomina sortitur, siue id nobis ob miram quandam rei lætitiam accidat (sit enim ferè, vt qui rem aliquam impensissimè amant, nomina quoque ipsa libenter vsurpent) siue quòd multiplex huius beneficij vtilitas multas quoque appellationes nobis pepererit. Donum vocamus, gratiam, baptismum, vnctionem, illuminationem, incorruptionis indumentum, regenerationis lauacrum, sigillum, ac denique excellentissimo quouis nomine appellamus. Donum dicitur, quia ijs, qui nihil prius contulerunt, datur. Gratia, quia etiam debentibus. Baptismus, quia peccatum in aqua sepelitur. Vnctio, quia sacer & regius. Huiusmodi enim ea erant, quæ vngebantur. Illuminatio porrò, quia splendor & claritas. Indumentum, quia ignominiæ nostræ velamen est. Lauacrum, quia abluit. Sigillum, quia conseruatio est, ac dominationis significatio.

catio. Huic gratulantur cæli, hunc Angeli propter splendoris cognationem celebrant. Hic beatitudinis illius simulachrum gerit: hunc laudibus quidem & hymnis celebrare volumus, verùm pro rei dignitate non possumus, &c. Atque hæc baptismi gratia & facultas est, non orbem terrarum, vt olim, aquis obruens, sed vniuscuiusque hominis peccatum purgans, easque obstructiones vel maculas, quæ vitio contrahuntur, prorsus abstergens. Quandoquidem autem duabus partibus, hoc est, corpore & animo constamus, quarum altera in aspectum cadit, altera oculorum sensum fugit, duabus quoque rebus constat baptismus, aqua scilicet & Spiritu, illa visibili & corporeo modo accepta, hoc verò incorporeo & inuisibili concurrente: illa typica, hoc verò & intimos animi sinus purgante. Qui primæ natiuitati opem & adiumentum ferens, ex veteribus nouos, ex humanis diuinos efficit, absque igne nos rursus conflans, & absque confractione rursus effingens, &c.

Epiphanius. 380.

Hæresi 8. de Epicurei secta: Magna Circuncisio Baptismus, circumcidit nos à peccatis, & obsignat nos in nomen Dei.

In Ancorato: Aquæ non in vno hominis membro fiunt, sed totum hominis corpus purificant, & circuncidunt, & ab omnibus malis liberant.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione de baptismo: Baptisma igitur peccatorũ expiatio est remissio delictorum, renouationis & regenerationis causa. Regenerationem autem intellige eam, quæ cogitatione cernitur, oculis non videtur. Non enim verè quemadmodum Hebræus ille Nicodemus dixit, atque crassius intellexerat, senem mutabimus in puerum: neque rugosum & canum in tenerum & iuuenem transformabimus: aut iterum hominem in vterum matris reducemus, sed compunctum notis peccatorum & malis moribus inueteratum gratia regia eò redigimus, vt innocens fit sicuti infans. Vt enim modò natus puellus à criminibus & pœnis liber est, ita etiam regenerationis puer non habet, cuius nomine causam dicat, vt qui regio dono causæ dictioni exemptus, & à rationibus vitæ reddendis liberatus sit. Hoc autem beneficium non aqua largitur (esset enim omni creatura sublimior,) sed Dei præceptum & Spiritus, qui mysticè ad nostram libertatem venit accessus: aqua verò subseruit ad ostendendam purgationem. Quoniam enim sordibus ac cœno fœdatum corpus aqua lauantes purum reddere solemus, propterea etiam in mystica actione eam adhibemus, re sub sensum cadenti, incorporeum splendorem significantes.

Concilium Primum Constantinopolitanum. 380.

In Symbolo: Credimus vnum baptisma, in remissionem peccatorum.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Hom. 39. in Genesin: Nam id, quòd illic operatur circuncisio in depositionem carnis, hoc agit hic baptismus in depositionem peccatorum.

Hom. 25. in Ioannem: Quod est matrix embryoni, hoc est fideli aqua: siquidem in aqua fingitur & formatur. Nam primùm dictum est: *Producant aquæ reptile animæ viuentis.* Ex quo autem Iordanis alueum ingressus est Christus, non amplius reptilia animarum viuentium, sed animas rationales & spirituales aqua producit. Genes. 1.

Homilia ad Neophytos: Ecce libertatis serenitate perfruuntur, qui tenebantur paulo ante captiui: & ciues Ecclesiæ sunt, qui fuerunt in peregrinationis errore: & iustitiæ in sorte versantur, qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantùm sunt liberi, sed & sancti: sed & iusti: nec solùm iusti, sed & filij nec solùm filij, sed & hæredes: nec solùm hæredes, sed cohæredes: non solùm cohæredes, sed membra: non membra tantùm, sed & templum: nec tantùm templum, sed & organa Spiritus. Vides quot sint Baptismatis largitates! Sed multis quidem videtur cælestem gratiam in peccatorum tantùm remissione consistere: nos autem honores computauimus decem. Hac de causa etiam infantulos baptizamus, vt non sint coinquinati peccato, vt ijs addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, vt eius membra sint omnes, vt Spiritus habitatio fiat.

Ad cap. 10 prioris ad Corinth. *Nolo vos ignorare*, &c. Transitus ille Iudæorum futuri baptismatis typus erat. Nam ibi aqua, & hic aqua: lauacrum hic, & ibi pelagus: omnes hic in aquam ingrediuntur, & ibi omnes. Postea vis cognoscere illorum veritatem? ibi quidem liberati sunt ex AEgypto per mare, hic autem ab idololatria: & ibi quidem Pharao submersus est, hic autem diabolus: ibi AEgyptij submersi, hic autem vetus homo peccatis defoditur.

Serm. 11. in epist. ad Philippenses: Christus pharmacum quasi quoddam antidotum lauacrum dedit: ita omnem euomuimus vitiositatem: ita omnia simul in fugam se dederunt: inflammatio cessit, febris extincta est, & sanies exiccata. Omnia enim & quæ ab auaritia, & quæ ab ira, & cætera omnia mala per Spiritum euanuerunt: aperti sunt cæli, apertæ sunt aures, aperti sunt oculi: aptam vocem locuta est lingua, vires acquisiuit anima.

Philo Carpathius. 420.

In Cantica Canticorum: *Et dentes tui sicut greges lotarum.*) Addit vt ex vera confessione suorum scelerum in ipso lauacro regenerationis toti mundati sint, & niue candidiores facti, veterem hominem cum malefactis suis omnibus exuerint.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

In Apologia ad Imperatorem Theodosium: Iustificamur per sanctum baptisma, mortem Christi annuntiantes, & simul resurrectionem eius confitentes.

De recta fide ad Theodosium: Præterea, illustrem illam sacri baptismatis gratiam, quæque ipsi cohæret, viuificationem, & Dei participationem per sanctificationem in Spiritu per Iesum Christum nobis obtingere, inficiari non possumus. Meminimus enim Ioannem dicentem: *Qui post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare: ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igne.* Iam hic te interrogo, num Spiritu sancto & igni baptizare opus sit solius humanæ naturæ? Quis quæso isthuc credat? Atque cùm virum illum vocet, tametsi adhuc absentem & inaspectabilem, Spiritu nihilominus sancto & igne baptizaturum prædicat. Immittet autem hic Spiritum baptizatis, non alienum: sed eum, qui ex illo & per illum est. Matt. 3.

Libro 2. in Ioannem cap. 42. Quemadmodum viribus ignis intensiùs aqua calefacta, non aliter quàm ignis vrit: sic Spiritus sancti operatione ad diuinam aquæ reformantur virtutem, quæ baptizati corpus abstergunt.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 2. epist. 37. Neme ex ijs, qui diuino Baptismatis Sacramento, quod cæleste regnum initiatis aperit, imbuuntur & consecrantur, vt hinc ad salutis tesseram damno atque incommodo affectus, in cura & solicitudine versetur: nec cùm in peccatum lapsus fuerit, speciosam excusationem se sacerdotij vitam habere existimet.

Lib. 3. epist. 195. Quoniam magnificentia tua per literas ex me quæsiuit, quid sit causæ, cur infan-

tes, cùm

tes, cùm peccatis careant, baptizentur necessariò, tibi rescribendum esse putaui. Quidam igitur nimis tenuiter, & ieiunè aiunt eos spurcitiem eam, quæ ob Adami transgressionem ad humanam naturam transfusa est, eluere. Ego verò hoc quidem etiam fieri persuasum habeo: at non solum, (neque enim id tam magnum esset,) verùm alia quoque multa, naturam nostram longè superantia, beneficia nobis concessa esse. Neque enim natura nostra id duntaxat accepit, quod ad peccatum de medio submouendum ac delendum requirebat: verùm etiam diuinis beneficijs aucta & ornata est. Neque enim solùm supplicio exempta est, atque improbitatem omnem exuit: sed etiam supernè regenita est, (diuina, & omnem orationis vim ac facultatem excedente regeneratione, tamquam ex machina quadam excogitata,) & redempta, & sanctificata, & in adoptionis ius adducta, & iustificata, & Vnigeniti cohæres effecta est, ac per sacrorum mysteriorum perceptionem concorporea ipsi reddita, & in ipsius carnem censetur, &c. Quæ cùm ita sint, ô amice, ne hoc existimes, baptismum peccata tantùm delere: verùm & adoptionem, & diuinam cognationem, & sexcenta alia bona procreare.

Theodoretus. 450.

Ad cap. 10. ad Hebreos: In Lege vtebantur aspersionibus, & corpus frequenter lauabant. Qui autem ex nouo Testamento vitam instituunt, per sanctissimum baptisma animum expurgant, & à prioribus maculis liberam reddunt conscientiam.

In Epitome diuinorum decretorum capite de Baptismo: Pro illis aquæ aspersionibus sufficit ijs, qui credunt, donum sanctissimi baptismatis. Non solùm enim donat remissionem veterum peccatorum, sed etiam spem inserit promissorum bonorum, & mortis Dominicæ, resurrectionisque efficit participes, & doni Spiritus largitur participationem, & filios Dei reddit. Et non solùm filios, sed etiam hæredes Dei, & cohæredes Christi.

Quæst. 19. in Leuitic. Qui credit Christo Saluatori, sacrosancti baptismatis aqua lustratus, peccatorum maculis abstergitur.

Diadochus. 460.

De perfectione spirituali cap. 78. Quia peccato Adæ non solùm lineæ formæ animæ sordidatæ sunt, sed corpus quoque nostrum sub interitum cecidit: idcirco sanctum Dei Verbum carnem assumpsit, donauitque nobis, vtpote Deus, aquam salutarem per baptismum suum ad regenerationem. Per aquam enim operatione viuifici Spiritus regeneramur, quo confestim anima & corpore mundamur, si modò toto animo affecti, ad Deum accedimus. Qui igitur in sacro certamine cursores sumus, credimus multiformem illum serpentem per lauacrum incorruptibile ex penetralibus mentis eijci. Neque verò mirari debemus, cur post baptismum turpia cum honestis cogitamus. Sanctus enim baptismus maculam quidem peccati ex nobis delet: illam verò voluntatem nostram duplicem non mutat nunc, neque dæmones, ne nos impugnent, prohibet, aut ne verbis vtantur ad decipiendum, scilicet, vt quod in naturali illo statu positi non custodiuimus, acceptis armis iustitiæ, virtute Dei custodiamus.

Andreas Cæsareensis. 500.

Ad cap. 22. Apocalyps. Per fluuium, qui in mortali hac vita ex Ecclesia procedit, regenerationis lauacrum adumbratur. Hoc enim per Spiritum sanctum motum, omnes, quotquot in eo abluuntur, omni niue & chrystallo puriores nitidioresque reddit.

Olympiodorus Monachus. 500.

Ad cap. 3. Ecclesiastis: Spiritualis natiuitas per lauacrum regenerationis vnum & idem tempus habet cum morte. Nam qui renascuntur in diuino lauacro, consepulti sunt Christo in baptismate.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap. 1. Esaiæ: Quod in lege deficiebat, aduentu suo suppleuit Christus, non corporis, non vestium imperata lotione & munditie, sed animorum per baptismum purgatione, & ad virtutum superstructionem adhortatione. Vt enim eam, quæ per lauacrum est, purgationem sibi vendicat Dei in homines amor: sic scelerum prauos habitus nostra opera exuere, si diuino auxilio voluntas nobis ad virtutem dirigatur, possumus. Neque enim decet quemquam gratia baptismatis innixum otio languere, & à rebus gerendis auocari: cùm purgare quidem, lauacri sit; virtutum autem, splendorem & ornatum addere.

Anastasius Synaites. 580.

Lib. 3. Hexameron: Et super aquam quietis educauit, & conuertit, amotis ab aqua veteribus tenebris, & quietis aqua facta baptismatis, in quo depositum est onus peccatorum præsentibus, & redundantibus, & fluuium manu vnanimiter tenentibus gentibus, & dicentibus: Exultemus propter salutare nostrum: nos enim induit indumento salutaris baptismatis, & ornauit tamquam vestimento salutis & incorruptionis.

Hesychius. 600.

Lib. 1. cap. 5. in Leuitic. Aqua baptismatis remissionem præbente, mens diaboli conteritur. Vnde Dauid Deo dicebat: *Tu contribulasti capita draconum super aquas.*

Germanus Constantinopolitanus. 720.

In Theoria: Aqua mysticè nobis declarat mysticum lauacrum aquæ & ignis sancti Spiritus, ad purgationem sordium peccati nostri, & inuestigationem regenerationis, & vitæ æternæ restitutionem: per quod baptisma adoptionem filiorum consecuti, liberati sumus à seruitute & potestate diaboli, & accepimus libertatem gratiæ filij Dei: in quo & nos sanctificatos, & purgatos aqua & Spiritu Deo admonit.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 2. cap. 9. Pulcherrimum elementum est aque, atque ad multos vsus accommodatum, eamque vim habet, vt non modò corporum, sed etiam animorum, si quidem Spiritus sancti gratia accesserit, spurcitiem eluat.

Historia Barlaam cap. 8. Sanctæ huius & incontaminatæ fidei Christianorum velut radix ac certum fundamentum diuini baptismi gratia est, vt quæ omnia à natiuitate contracta peccata expiet, atque ea inquinamenta, quæ ex vitio conflata sunt, prorsus expurget. Sic enim Saluator mandauit, vt per aquam & Spiritum regeneremur, atque ad veterem dignitatem redeamus: per orationem videlicet, & salutarem inuocationem ad aquam accedente sancto Spiritu. Baptizamur igitur iuxta Saluatoris sermonem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Atque ita Spiritus gratia in eius, qui baptizatur, anima immoratur, eam illustrans, ac diuinam reddens, atque imaginem illam & similitudinem Dei, ad quam condita est, ipsi instaurans.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 3. Ioannis: Natiuitas per baptismum, illuminationem præbens animo, regnum Dei, hoc est, vnigenitum illius Filium, videre, hoc est, intelligere dat, &c. Homo cùm ex duobus constet, ex corpore & anima, habet natiuitatis quoque duplicem modum. Aqua enim, si visibiliter acci-

accipiatur, ad corporis pertinet purificationem: Spiritus verò inuisibiliter concurrens, ad inuisibilis animæ regenerationem pertinet. Quòd si rogas, quomodo aqua potest generare? Interrogabo & ego, quomodo semen, & ipsum aquosum existens, potest in hominem transformari? Igitur sicut in corporali semine totum est gratiæ diuinæ: ita & in baptismate aqua subdita est, & Spiritus omnia operatur, & inuocatio per preces, imò Dei præsentia.

Ad 3. cap. posterioris ad Corinth. Quemadmodum argentum è contrario solis positum, remittit radios etiam ipsum ex repercussu solis: sic & nos in baptismate per Spiritum purgati, illiusqúe radijs illustrati, iubar quoddam spirituale, quod sola mente comprehenditur, remittimus: ac transformamur ad eandem imaginem, à gloria Spiritus ad gloriam nostram: eamqúe talem, qualem par est habere eum, qui à Spiritu Domini, qui nulli est subiectus, illustratus est. Nam cùm Dominus sit, heriles etiam faces & flammam habet. Siquidem omnes fideles Spiritu sancto replentur per baptisma, animaque ipsorum fulget.

Ad cap. 1. ad Hebræos: Per baptismum semper præteritorum peccatorum condonationem recipimus, atque potentiam, ne posthac adeò facilè peccatis succumbamus.

Theodorus Abucara. 950.

Disputatione vltima: Christus nos in aqua & Spiritu baptizat, & sanctissimi Spiritus gratia nos confirmat, omneqúe peccatum, infirmitatem, ac morbum abradit, renouat, restaurat, & pristinis illis viribus, pulchritudiniqúe, quibus ante transgressionem anima prædita erat, restituit.

Simeon Metaphrastes. 950.

Vita S. Syluestri cap. 13. Hæc est (inquit Syluester ad Constantinum baptizandum) piscina, quam dixerunt ij, qui à te visi sunt, & aqua, quę est in ipsa, sanctificata inuocatione Trinitatis, purgat animas: tibi autem ea erit & carnis curatio ac purgatio, & morbum tuum fugabit. Ingredere ergo diuinum lauacrum, primum quidem purgandus à peccatis & delictis tuis: deinde etiam à morbo, qui in tuo corpore pullulauit.

OEcumenius. 1050.

Ad cap. 6. ad Romanos: Baptizati peccata deponimus, quod Christi mors cœpit efficere, &c. Quamquam enim baptisma non sit mors corporalis, mors tamen peccatorum esse dicitur.

Euthymius. 1080.

Ad cap. 5. Ioannis: Probatica piscina figura erat piscinæ sacri baptismi. Sicut enim illa morbos sanabat, ita ista: sed illa quidem corporales, hæc verò spirituales. Illa statuto tempore, hęc autem semper: illa descendente Angelo, hæc adueniente Spiritu sancto. Nam maiora sunt noua veteribus.

Nicetas Serronius.

Ad Orationem 40. Nazianzeni: Hanc gratiam ijs confert baptismus, qui ipsius gratiam agnoscunt. Baptizemur itaque, vt victoriam referamus.

Michael Glycas. 1120.

Parte 2. Annalium: In ipsum Christum in Iordane Spiritus descendebat, non quòd ille Spiritus egeret; sed vt nos disceremus, Spiritum in quemuis hominem, qui baptizatur, descendere, ac eum sanctificare.

Nicetas Choniates. 1200.

Thesauri Orthod. fidei lib. 4. hæresi 36. aduersus Messalianos: Diuino baptismate, Christiqúe mysteriorum perceptione, animam, vnam quidem illam, nec duplicis naturæ, vt Euchytæ nugantur, purgari, hominemqúe perfectum reddi, ipsius Dei verbis constat, quæ remissionem peccatorum spiritualemqúe cælitus factam regenerationem baptismum vocant, &c. Baptismus à nobis orthodoxis initium & fundamentum fidei censetur, atque adeò causa, quæ diuinum ad nos Spiritum alliciat.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 7. cap. 33. Antistes ad aquam baptismi respiciens: Hæc, inquit, Imp. aqua diuina virtute, per inuocationem viuificæ Trinitatis concepta, sicut extra corpus hominis abluit: ita etiam animam à sorde & inquinatione omni mundificans, splendidiorem radijs solaribus efficit.

Manuel Palæologus. 1400

In præceptis educationis Regiæ cap. 27. Arbitrare cor tuum aruum esse quoddam, quod ob ariditatem illam naturæ communem, (de peccato primorum parentum, propter quod omni gratia excidimus,) nihil boni producat. Deinde per baptismum, velut aratrum quoddam, repurgatum esse Deo, & per irrigationem vnguenti de duro molle factum.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Responso 1. cap. 7. Baptisma regenerat Spiritu: quia primam, quæ sub innocentiæ statu, generationem amisimus, & in iniquitatibus concepti sumus, & in peccatis concepit vnumquemque nostrum mater sua: quibus malis lauacrum diuinum subuenit, ea expurgans.

Responso 1. cap. de Sacramentis: Baptismatis beneficio fit, vt simus, omninoqúe secundùm Christum subsistentiam habeamus. Illud enim nos peccato mortuos & corruptos accipiens, ad vitam introducit. Sed & per huius mysteria, tamquam per quasdam fenestras, in tenebricoso hoc mundo sol ingreditur iustitiæ, & dignos illuminat. Certè, qui non regeneratus est ex aqua & Spiritu, non potest in vitam ingredi. Et morimur mortem illius, vt pari resurrectione resurgamus, & regni hæredes simus.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis. 100.

Epistola ad Tholosanos cap. 1. Vos enim estis membra Christi, & corpus immaculatum, nec aliqua in re coinquinatum, neque sordibus obuolutum. Iam enim sanctificati & mundati estis aqua regenerationis.

Cap. 4 Adorate Deum & Saluatorem nostrum Iesum Christum: in cuius nomine nisi quis baptizatus fuerit per aquam regenerationis, saluari non potest.

Tertullianus. 200.

De Baptismo cap. 4. Omnes aquæ de pristina originis prærogatiua Sacramentum sanctificationis consequuntur, inuocato Deo. Superuenit enim statim Spiritus de cælis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt, &c. Igitur medicatis quodammodò aquis per Angeli interuentum, & spiritus in aquis corporaliter diluitur, & caro in eisdem spiritaliter mundatur.

Capite 5. Piscinam Bethsaidam Angelus interueniens commouebat, obseruabant qui valetudinem querebantur. Nam si quis præuenerat descendere illuc, queri post lauacrum desinebat. Figura ista medicinæ corporalis spiritalem medicinam canebat, ea forma, qua semper carnalia in figura spiritalium antecedunt. Proficiente itaque in hominibus gratia Dei plus aquis & Angelo accessit: qui vitia corporis remediabant, Ioan. 5.

nunc

nunc ſpiritum medentur: qui temporalem operabantur ſalutem, nunc æternam reformant: qui vnum ſemel anno liberabant, nunc quotidie populos conſeruant, deleta morte per ablutionem delictorum. Exempto ſcilicet reatu, eximitur & pœna, &c.

Cap. 13. Hic ergo ſceleſtiſsimi illi (*Caini*) prouocant quæſtiones. Adeò, dicunt, baptiſmus non eſt neceſſarius, quibus fides ſatis eſt: nam & Abraham nullius aquæ, niſi fidei ſacramento Deo placuit. Sed in omnibus poſteriora concludunt, & ſequentia antecedentibus præualent. Fuerit ſalus retrò per fidem nudam ante Domini paſsionem & reſurrectionem. At vbi fides aucta eſt credendi in natiuitatem, paſsionem, reſurrectionemque eius, addita eſt ampliatio Sacramento, obſignatio Baptiſmi, veſtimentum quodammodò fidei, quæ retro erat nuda, nec potentiam habuit ſine ſua lege. Lex enim tinguendi impoſita eſt, & forma præſcripta. *Ite*, (inquit) *docete nationes, tinguentes eas in nomen Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Huic legi collata definitio illa: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cælorum*, obſtrinxit fidem ad baptiſmi neceſsitatem. Itaque omnes exinde credentes tinguebantur. Tunc & Paulus, vbi credidit, tinctus eſt.

Matt. 28

Ioan. 3.

Act. 6.

De Reſurrectione carnis cap. 8. Caro abluitur, vt anima ſanctificetur.

Cyprianus. 250.

Lib. 2. *epiſt.* 2.

Epiſtola 2. Ergo cùm in tenebris atque in nocte cæca iacerem, cumque in ſalo iactantis ſeculi nutabundus ac dubius veſtigijs oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ neſcius, veritatis ac lucis alienus; difficile prorſus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in ſalutem mihi diuina indulgentia pollicebatur, vt quis renaſci denuò poſſet; vtque in nouam vitam lauacro aquæ ſalutaris animatus, quod prius fuerat exponeret, corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. Qui poſsibilis, aiebam, eſt tanta conuerſio, vt repente ac perniciter exuatur, quod vel genuinum ſitu materiæ naturalis obduruit, vel vſurpatum diu ſenio vetuſtatis inoleuit? Alta hæc, & profunda penitus radice ſederunt, &c. Hæc egomet ſæpe mecum, &c. ſed poſtquam vndæ genitalis auxilio ſuperioris æui labe deterſa, in expiatum pectus ac purum deſuper ſe lumen infudit, poſtquam cælitus Spiritu hauſto in nouum me hominem natiuitas ſecunda reparauit; mirum in modum protinus confirmare ſe dubia, patere clauſa, lucere tenebroſa, facultatem dare, quod prius difficile videbatur, geri poſſe, quod impoſsibile putabatur, vt eſſet agnoſcere terrenum fuiſſe, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viueret: Dei eſſe cœpiſſe, quod iam Spiritus ſanctus animaret. Scis ipſe profectò, & mecum pariter recognoſcis, quid detraxerit nobis, quidve contulerit mors iſta criminum, vita virtutum: ſcis ipſe, nec prædico.

Lib. 4. *epiſt.* 7.

Epiſtola 76. Cùm ad aquam ſalutarem, atque ad baptiſmi ſanctificationem venitur, ſcire debemus, & fidere, quia illic diabolus opprimitur, & homo Deo dicatus diuina indulgentia liberatur. Nam ſi ſcorpij & ſerpentes, qui in ſicco præualent, in aquam præcipitati, præualere poſſunt, aut ſua venena retinere: poſſunt & ſpiritus nequam, (qui ſcorpij & ſerpentes appellantur, & tamen per nos data à Domino poteſtate calcantur) permanere vltra in hominis corpore, in quo baptizato & ſanctificato incipit Spiritus ſanctus habitare. Hoc denique & rebus ipſis experimur, vt neceſsitate vrgente in ægritudine baptizati, & gratiam conſecuti, careant immundo ſpiritu, quo antea mouebantur: & laudabiles ac probabiles in Eccleſia viuant, pluſque per dies ſingulos in augmentum cæleſtis gratiæ per fidei incrementa proficiant.

De ablutione pedum: Ornata & honorata eſt Eccleſia quaſi Paradiſus, in amplitudinis ſuæ vmbilico fontem continens gratiæ ſingularis, flumina creans in vitam æternam ſalientia, viuam habens originem & decurſum perennem. Hinc egredientia quatuor Euangelij flumina per vniuerſum mundum ſecum regenerationis euehunt lauacrum: & de abdito & ſecretiſsimo Spiritus ſancti munere huius gratiæ liquor emanat, ſic lauans quos parentalis labes infecerat, vt nec actualis, nec originalis macula aliqua ſui poſt ablutionem illam veſtigia derelinquat. Gen. 3.

Melchiades. 311.

Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ: Spiritus ſanctus ſuper aquas baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu. In baptiſmo regeneramur ad vitam. Regeneratio per ſe ſaluat, mox in pace beati ſeculi recipiendos. Confirmatio armat, & inſtruit ad agones mundi huius, & prælia reſeruandos.

Lactantius. 320.

Libro 3. *Inſtitut. cap.* 26. Dei præcepta, quia & ſimplicia, & vera ſunt, quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonſtrant. Da mihi virum, qui ſit iracundus, maledicus, effrænatus: paucisſimis Dei verbis tam placidum quàm ouem reddam. Da cupidum, auarum, tenacem: iam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam ſuam proprijs pleniſque manibus largientem. Da timidum doloris, ac mortis: iam cruces, & ignes, & Phalaridis taurum contemnet. Da libidinoſum, adulterum, ganeonem: iam ſobrium, caſtum, continentem videbis. Da crudelem, & ſanguinis appetentem: iam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da iniuſtum, inſipientem, peccatorem, continuò & æquus, & prudens, & innocens erit. Vno enim lauacro malitia omnis abolebitur. Tanta diuinæ ſapientiæ vis eſt, vt in hominis pectus infuſa, matrem delictorum ſtultitiam vno ſemel impetu expellat. Ad quod efficiendum non mercede, non libris, non lucubrationibus opus eſt. Gratis iſta fiunt, facilè, citò: pateant modò aures, & pectus ſapientiam ſitiat. Nemo vereatur nos: aquam non vendimus, nec ſolem mercede præſtamus. Dei fons vberrimus, atque pleniſsimus patet cunctis: & hoc cæleſte lumen vniuerſis oritur, quicunque oculos habent. Num quis hæc Philoſophorum aut vnquam præſtitit, aut præſtare poteſt?

Libro 7. *cap.* 5. Quæ ratio docet, mortalem naſci hominem, poſtea verò immortalem fieri, cùm cœperit ex Deo viuere, id eſt, iuſtitiam ſequi, quæ continetur in Dei cultu, cùm excitauerit hominem Deus ad aſpectum cæli, ac ſui. Quod tum fit, cùm homo cæleſti lauacro purificatus, exponit infantiam cum omni labe vitæ prioris, & incremento diuini vigoris accepto, fit homo perfectus ac plenus.

Rheticius Auguſtodunenſis. 320.

Apud Auguſtinum libro 1. *contra Iulianum cap.* 3. Hanc eſſe principalem in Eccleſia indulgentiam, neminem præterit, in quo antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignorantiæ noſtræ facinora priſca delemus, vbi & veterem hominem cum ingenitis ſceleribus exuimus.

Iulius Firmicius Maternus. 350.

De erroribus profanarum religionum cap. 2. Fruſtra tibi

tibi hanc aquam, quam colis, putas aliquando prodesse. Alia est aqua, qua renouati homines renascuntur. Hanc aquam, quam colis, per annos singulos vis alia, decoctis venarum meatibus, siccat, aut certè funestus regis tui sanguis commaculat: illa, quam despicis, venerandi Spiritus maiestate decoratur, vt ex ipso per veteres conscientiæ cicatrices credentibus hominibus salutaris sanitas irrogetur.

Hilarius. 350.

In Psalm. 63. Quis non renasci in innocentiam volet, cùm peccati remissionem Sacramentum nouæ natiuitatis indulgeat.

In Psalm. 65. Quid ergo mihi ad salutem tanto tempore post genito Iordanis tum arefactus (cùm populus Hebræus ingressus est terram promissionis) impertit? Impertit planè. Huius enim primum aquis peccatorum ablutio, Ioanne pœnitentiam prædicante, donata est, & per quem populo in repromissionis terram iter fuerat, per eum nobis via cælestis regni, & nouæ regenerationis lauacro possessio æternorum corporum inchoatur, aquis ipsis baptismate Domini consecratis, &c. Per has enim Iordanis aquas, in illa, quæ à Prophetis promissa sunt terræ bona gressu abluendorum corporum transitum est, & transitur, & ibi cælestis Sacramenti exordijs lætamur.

Contra Arianos: Sacramento baptismi verè filius Dei vnusquisque perficitur.

Marius Victorinus. 360.

Lib. 3. aduersus Arium: Omnis, qui baptizatur, & credere se dicit, & fidem accipit, Spiritum accipit veritatis, id est, Spiritum sanctum, fitque sanctior à Spiritu sancto.

Ambrosius. 370.

Libro 2. de Pœnitentia cap. 2. Imposibile videbatur, vt peccatum ablueret aqua. Denique Naaman Syrus lepram suam mundari per aquam posse non credidit. Sed quod imposibile erat, fecit Deus esse posibile, qui tantam nobis donauit gratiam.

Sermone 31. Quænam est illa aqua, quæ consumit flammas, nec ipsa consumitur à peccatoribus, sed gehennę consumit incendia? Quæ dum per baptismum infunditur, & ipsa in hominibus & tartari restinguit ardorem. Viuit planè in hominibus, sicut ait Dominus: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis*, &c. Mirum ergo in modum aqua Christus vna eademque operatione & viuificat, & extinguit. Viuificat enim animas, delicta restinguit, has lauacri sui refrigerio reparat, illas gurgitis sui vnda consumit, &c. Sed nec mirum, si in baptismi Sacramento aperiatur infernum, cùm tunc quoque reseretur & cælum. Ioan. 4.

De Sacramentis lib. 1. cap. 4. Qui per hunc fontem transit, transit à terrenis ad cælestia. Hoc est enim Pascha, id est, transitus eius: transitus à peccato ad vitam, à culpa ad gratiam, ab inquinamento ad sanctificationem. Qui per hunc fontem transit, non moritur, sed resurgit.

De ijs, qui mysterijs initiantur cap. 3. Aqua est, qua caro mergitur, vt omne abluatur peccatum. Sepelitur illic omne vitium.

Cap. 9. Si superueniens Spiritus sanctus in Virginem conceptionem operatus est, & generationis munus impleuit, non vtique dubitandum est, quòd superueniens in fontem, vel super eum, qui baptismum consequitur, veritatem regenerationis cooperetur.

Ad cap. 22. Lucæ: O aqua, quæ humano aspersum sanguine, vt præsentium lauacrorum figura præcederet, orbem terrarum lauisti! O aqua, quæ Sacramentum Christi esse meruisti, quæ lauas omnia, nec lauaris! Tu incipis prima, tu comples perfecta mysteria. A te principium, in te finis: vel potius tu facis vt finem nesciamus. Per te fœtor tabidæ carnis aboletur, & pereuntia situ viscera, asperso sale, in multam seruantur ætatem.

Ad caput 6. ad Romanos: Ideo per aquam baptisma celebratur, vt sicut aqua sordes corporis abluit: ita & nos per baptismum ab omni peccato spiritaliter purgatos, nos & innouatos credamus, vt quod incorporale est inuisibiliter abluatur.

Libro de ieiunio & Helia cap. 22. Nonne hoc dicit, qui excusat se à baptismate? Ad quantam gratiam vocaris, ô homo. Purgaris, & non exureris sanaris, & non doles: reformaris, sed non dissolueris: istum mortis non excipis, & resurgis.

Pacianus. 370.

Sermone de Baptismo: Credendum est igitur, posse nos renasci. Sic enim ait Philippus: *Si credis, potes.* Recipiendus est Christus, vt generet. Quia sic Ioannes Apostolus dicit: *Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Hæc autem compleri aliàs nequeunt, nisi Lauacri, & Chrismatis, & Antistitis Sacramento. Lauacro enim peccata purgantur, Chrismate sanctus Spiritus superfunditur. Vtraque verò ista manu & ore Antistitis impetramus, atque ita totus homo renascitur, & innouatur in Christo. Act. 8. Ioan. 1.

Optatus Milevitanus. 370.

Contra Parmenianum lib. 3. Hinc est ille piscis, qui in baptismate per inuocationem fontalibus vndis inseritur, vt quæ aqua fuerat, à pisce etiam piscina vocitetur. Cuius piscis nomen, secundùm appellationem Græcam, in vno nomine per singulas literas turbam sanctorum nominum continet ἰχθὺς, quod est Latinè, Iesus Christus Dei Filius Saluator.

Lib. 5. Baptisma Christianorum Trinitate confectum confert gratiam: si repetatur, facit vitæ iacturam, &c. Quis nesciat singulare baptisma virtutum esse vitam, criminum mortem, natiuitatem immortalem, cælestis regni comparationem, innocentiæ portum, peccatorum naufragium Has res vnicuique non eiusdem rei operarius, sed credentis fides & Trinitas præstat.

Prudentius. 380.

Peristephan. Hymno 8.

Electus Christo locus est, vbi corda probata
Prouehat ad cælum sanguine, purget aqua.
Hic duo purpureum Christi pro nomine cæsi
Martyrium pulchra morte tulére viri.
Hic etiam liquido fluit indulgentia fonte,
Ac veteres maculas diluit amne nouo.
Qui cupit æternum cæli conscendere regnum,
Huc veniat sitiens, ecce parata via est.
Ante coronati scandebant ardua testes
Atria, nunc lota celsa petunt animæ, &c.

Hieronymus. 390.

Libro 1. aduersus Ruffinum cap. 7. Audio præterea obijci mihi à Chrysogono, sectatore eius, cur in baptismate dixerim vniuersa peccata dimitti, & mortuo bimarito, nouum virum in Christo resurgere, atque istiusmodi sacerdotes in Ecclesijs esse nonnullos, &c. Audiat nos iterum proclamantes: Veterem Adam in lauacro totum mori, & nouum cum Christo in baptismate suscitari: perire Choicum, & nasci supercælestem.

Ad caput 1. Esaiæ: Pro superioribus victimis & holocaustis Euangelij mihi placet religio, vt baptizemini in sanguine meo, per lauacrum regenerationis, quod solum potest peccata dimittere.

Contra Luciferianos cap. 3. Cùm in Patre, & Filio, & Spiritu sancto baptizatus homo templum Domini fiat, cùm veteri æde destructa, nouum Trinitatis delubrum ædificetur: quomodo dicis, sine aduentu Spiritus sancti apud Arianos peccata posse dimitti? quomodo antiquis sordibus anima purgatur, quæ sanctum non habet Spiritum? Neque enim aqua lauat animam, sed prius ipsa lauatur à Spiritu, vt alios lauare spiritualiter possit. *Spiritus Domini,* inquit Moyses, *ferebatur super aquas.* Ex quo apparet, baptisma non esse sine Spiritu sancto. Gen. 1.

Epistola 83. *ad Oceanum cap.* 2. Omnia scorta, & publicæ colluuionis sordes, impietas in Deum, parricidium, & incestus in parentes, atque in extraordinarias voluptates vtriusque sexus mutata natura Christi fonte purgantur, &c. Omnia in baptismate condonata sunt crimina: nec post indulgentiam iudicis est metuenda seueritas, dicente Apostolo: *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Omnia peccata donata sunt. Bene, & fideliter. Quantam vim habeat baptisma, & aqua in Christo sanctificata gratiam, paululum pòst docebo. 1. Cor. 6.

Cap. 3. Rudis mundus, necdum sole rutilante, nec pallente luna, nec astris micantibus, incompositam & inuisibilem materiam, abyssorum magnitudine, & deformibus tenebris opprimebat. Solus Spiritus Dei in aurigæ modum super aquas ferebatur, & nascentem mundum in figura baptismi parturiebat, &c.

Ad cap. 13. *Zachariæ:* Baptismum in Iordanis fluento idcirco quasi pœnitens, cùm esset à peccatis liber, Christus accepit, vt cæteros edoceret mundandos esse per baptismum, & in filios noua adoptione generari.

Chromatius. 400.

Ad cap. 6. *Matthæi:* Quia Christus nouum baptisma daturus erat, ad generis humani salutem, & remissionem peccati, prior ipse baptizari dignatus est, non vt peccata deponeret, sed vt aquas baptismi sanctificaret, ad diluenda peccata credentium. Nunquam enim aquæ baptismi purgare peccata credentium potuissent, nisi tactu Dominici corporis sanctificatæ fuissent. Ille ergo baptizatus est, vt nos lauaremur à peccatis: ille tinctus est in aqua, vt nos à delictorum sordibus purgaremur: ille lauacrum regenerationis accepit, vt nos ex aqua & Spiritu sancto renasceremur.

Gaudentius. 400.

De Exodo Tractatu primo: Catechumenis adhuc tantùm primitiua dæmonum sunt interfecta: his verò, qui ad gratiam baptismi merentur accedere, totus exercitus diaboli submergitur & necatur. Vt meritò ac verè audiant in Christo renati: *Mensis hic vobis initium mensium primus est in mensibus anni.*

Augustinus. 420.

Libro 1. *contra duas epistolas Pelagianorum cap.* 13. Dicimus baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, vnde crescant iterum resecanda peccata.

Libro 3. *cap.* 3. Baptismus quidem abluit peccata omnia, prorsus omnia: factorum, dictorum, cogitatorum: siue originalia, siue addita: siue quę ignoranter, siue quæ scienter admissa sunt; sed non aufert infirmitatem, cui regeneratus resistit, quando bonum agonem luctatur.

In Enchiridio ad Laurentium cap. 64. Excepto baptismatis munere, quod contra originale peccatum donatum est, vt quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur, & tamen actiua quoque peccata, quæcunque corde, ore, opere commissa inuenerit, tollit. Hac ergo excepta magna indulgentia, vnde incipit hominis renouatio, in qua soluitur omnis reatus, & ingeneratus, & additus, &c.

Tractatu 80. *in Ioannem:* Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens, &c. Mundatio nequaquam fluxo & labili tribueretur elemento, nisi adderetur in verbo. Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, vt per ipsam credentem, offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem.

Sermone 6. *de verbis Apostoli:* Quid est secundùm carnem ambulare? carnalibus concupiscentiis consentire. Quicquid in nobis egit concupiscentia carnis præteritorum peccatorum, siue in factis, siue in dictis, siue in cogitationibus, totum deletum est in sacro baptismate: omnia debita deleuit vna indulgentia.

Ad Bonifacium epistola 23. Aqua exhibens forinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, soluens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerat hominem in vno Christo, ex vno Adam generatum.

Libro 1. *Retractationum cap.* 7. Lauacrum regenerationis purgat à reatu omnium peccatorum, quæ humana traxit natiuitas, & contraxit iniquitas.

Innocentius Primus. 406.

Epistola 22. Per baptismum totum quod vetus homo gesserat putatur auferri.

Paulinus Nolanus. 420.

Epistola 12.

Hic reparandarum generator fons animarum
Viuum diuino lumine flumen agit.
Sanctus in hunc cælo descendit Spiritus amnem,
Cælestiquè sacras fonte maritat aquas.
Concipit vnda Deum, sanctamquè liquoribus almis
Edit ab æterno semine progeniem.
Mira Dei pietas, peccator mergitur vndis,
Mox emergit ea iustificatus aqua.
Sic homo & occasu felici functus, & ortu,
Terrenis moritur, perpetuis oritur.
Culpa perit, sed vita redit: vetus interit Adam,
Et nouus æternis nascitur imperiis.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia 2. *de Eleemosyna:* Quænam est illa aqua, quæ consumit flammas, nec ipsa consumitur à peccatoribus? Quæ dum per baptismum infunditur, & ipsa in hominibus & tartari restinguit ardorem: viuit planè in hominibus, sicut ait Dominus: *Aqua autem, quam ego dabo, fiet ei fons aquæ salientis,* & reliqua. Mirum ergo in modum aqua Christi vna eademquè operatione & viuificat, & extinguit. Viuificat enim animas, delicta restinguit: has lauacri sui refrigerio reparat, illa gurgitis sui vnda consumit. Et quod ad maiorem baptismatis pertinet gratiam, apud superos mysterium celebratur, & apud inferos gehenna restinguitur: hic fluunt aquæ, & illic tepescit incendium: hic in fonte homo mergitur, & illic de Tartaro liberatur. Sed nec mirum, si in baptismi Sacramento aperiatur infernum, cùm tunc quoque reseretur & cælum. Aperiuntur enim hæc elementa, vt ad lauacrum Christi conueniant libertas & gratia. Libertas enim resurrecturis tribuitur, gratia regeneraturis: illi eruuntur Ioan. 4.

depœna, hi assumuntur in gloria: illi, qui erant serui peccati, liberi fiunt iustitiæ: hi, qui angustijs seculi tenebantur, paradisi amœna percipiunt. In baptismo ergo Christi aperiuntur cæli, aperiuntur & Tartara: inde & Spiritus sanctus adueniat, illuc vt misericordia Saluatoris accedat: deferatur de cælo vita, mors à Tartaro destruatur.

Sixtus Tertius. 430.

Carmine ad epistylia marmorea, & columnas porphyreticas, quas erexit in basilica Constantiniana ad fontem:

Gens sacranda polis hic semine nascitur almo,
Quam fœcundatis Spiritus edit aquis.
Virgineo fœtu genitrix Ecclesia natos,
Quos spirante Deo concipit, amne parit.
Cælorum regnum sperate hoc fonte renati,
Non recipit felix vita semel genitos.
Fons hic est vita, & qui totum diluit orbem,
Sumens de Christi vulnere principium.
Mergere peccator sacro purgande fluento,
Quem veterem accipiet, proferet vnda nouum.
Insons esse volens, isto mundare lauacro,
Seu patrio premeris crimine, seu proprio.
Nulla renascentum est distantia, quos facit vnum
Vnus fons, vnus Spiritus, vna fides.
Nec numerus quemquam scelerum, nec forma suorū
Terreat, hoc natus flumine sanctus eris.

Arnobius Romanus. 440.

Ad Psalm. 74. *Tu confregisti capita draconum in aquis*, id est, capita dæmonum in baptismate. Quòd autem aquis dixit, voluit ostendere, vnum baptisma in aquis posse omnibus celebrari, fluminum, maris, fontium, torrentium, stagnorum: ibi capita draconum confringuntur, id est, in omnibus aquis.

Ad Psalm. 104. Non est inuentus in his, qui per aquam transierunt, vllus infirmus. Nullus enim inuenitur in omnibus mille his generationibus baptizatis vel vnus peccatum habens in hora baptismatis. Alioquin si peccatum habet, non credidit, & cum AEgyptijs mersus est. Nam omnes, qui crediderunt, ex hora, qua transierunt, venientes ad consignationem, non inuenitur in tribubus eorum infirmus, omnes firmi sunt. Omnes enim confirmati sunt.

Concilium Secundum Arausicanum. 440.

Cap. 25. Hoc etiam secundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per Baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad nostram salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.

Petrus Chrysologus. 440.

Homilia 137. Christi baptisma sic regenerat, sic immutat, sic hominem reddit ex vetere nouum, vt præterita nesciat, non recordetur antiqua: qui de terreno cælestis, iam cælestia possidet & diuina.

Leo Magnus. 450.

In Natiuitate Domini Sermone 4. *cap.* 3. Terra carnis humanæ, quæ in primo fuerat præuaricatore maledicta, in hoc solo beatæ Virginis partu germen edidit benedictum, & à vitio suæ stirpis alienum. Cuius spiritalem originem in regeneratione quisque consequitur, & omni homini renascenti aqua baptismatis instar est vteri virginalis, eodem Spiritu sancto replente fontem, qui repleuit & Virginem: vt peccatum, quod ibi euacuauit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio.

Sermone 5. *cap.* 5. Originem, quam sumpsit ex vtero Virginis, posuit in fonte baptismatis: dedit aquæ, quod dedit Matri. Virtus enim Altissimi, & obumbratio Spiritus sancti, quæ fecit vt Maria pareret Saluatorem: eadem facit, vt regeneret vnda credentem.

Sermone 6. *cap.* 2. Quicquid hominum, in quacunque mundi parte credentium, regeneratur in Christo, interciso originalis tramite vetustatis, transit in nouum hominem renascendo, nec iam in propagine habetur carnalis patris, sed in germine Saluatoris.

Eucherius Lugdunensis. 430.

Homil. generali de sancta Trinitate: Videamus attentius inter ipsa generationis sacrosancta mysteria quid agat Spiritus sanctus. Secreta & ineffabili potentia lauat culpas, infectas ad infectum redigit maculas, absoluit reas, & purificat conscientias, quarum solus emundator, solus est cognitor, &c. Ipse ad regenerandas animas steriles benedicit aquas: ipse sacri fontis irriguum illa, qua dudum Mariam locupletauit, virtute fœcundat: occidit peccatum, & viuificat peccatorem: fluentis in talibus reus abluitur, & reatus absoluitur, debitum originale vacuatur, pondus perditionis exuitur, & in comprehensibili miraculo, de profundo fontis mortuo resurgente, in fonte mors moritur.

Prosper. 460.

Epigrammate 87.

Si mundo moritur diuino fonte renascens,
Fitque nouus vita, qui sepelitur aqua:
Fraudati non sunt sacro baptismate Christi,
Fons quibus ipsa sui sanguinis vnda fuit:
Et quicquid sacri fert mystica forma lauacri,
Id totum implent gloria martyrij.

De ingratis cap. 18.

——————*Purgatorisque lauacri*
Munere, nulla mali linquentis signa prioris,
Exempti mundo mutârunt Tartara cælo.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 5. *de Pascha:* Ingreditur anima vitales vndas, velut rubras Christi sanguine consecratas: ingreditur mortiferis plena debitis, paulò post felicibus peccatorum ditanda naufragijs. In vno eodemque vndæ salutaris elemento, tanquam AEgyptius peccator perit, tamquam Hebræus iustitia tota permansit: reus diluitur, reatus aboletur. Mira Domini clementia, quæ irreuocabile scelus, & infectas criminum maculas ad infectum reuocat, & peccatorem peccato moriente viuificat. Ecce homo fonte demergitur, & sola secreto munere hominis culpa damnatur. Criminosus tingitur, & solum crimen extinguitur. Quo genere propheticum illud impletur oraculum: *Et operuit aqua tribulantes eos, & vnus ex eis non remansit.* Psal. 105 *Vnus ex eis* id vnicum ac primum illud originale debitum sacri fontis vnda vacuauit. Illud singulare delictum primi parentis interemit. Ostendit hoc in loco magnificentia tanti muneris beatam præsentiam Trinitatis. Ecce mala innumera antiquis, & recentibus impressa vulneribus, perpetuis gehennæ vix expianda supplicijs, æterna submersione purgantur. Vno momento operante velociter Deo, inter aquarum sinus, flammarum pabula consumuntur. Et ideo beatus Apostolus ait: *Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem.* Demerguntur animæ sacro gurgite, veniunt confinia mortis, & vitæ. Et quæ perditioni obnoxiæ fuerant, illo primæ natiuitatis ex ortu, salutifero renascuntur occasu. Exuuntur fœditate inuisibilis senectutis, & peccatorum deformitate contractæ, induuntur pulchritudine cælestis infantiæ.

Faustus Rhegiensis. 480.

De libero arbitrio lib.1.cap.15. Cui autem ad baptismum sponte venienti baptismum non protulisse poteris docere, cùm etiam hæretico, in Trinitatis nomine regenerato, tantum per se virtus ipsa mysterij conferat, vt si postmodum ad fidem Christi transeat, baptismatis iteratione non egeat? sed ita operante gratia ablutus iudicetur, vt tantùm benedictione Chrismatis induatur, &c. In baptismo peccatum originale abolетur, & firmum esse baptismum comprobatur, vbi indiuisa Trinitas inuocatur.

Paschasius Diaconus. 500.

De Spiritu sancto lib.1.cap.5. Per aquam celebratur imitatio sepulturæ, per Spiritum sanctum confertur veritas vitæ, & spes salutis æternæ. Remoueatur Spiritus sancti inuocatio, & videamus si quicquam prodesse possit aquę illius sola infusio. Creatura itaque est, quę sepeliendi committit officium: Deus est, qui beneficium tribuit renascendi.

Alcimus Auitus. 500.

Libro 4. qui est de Diluuio mundi:

Porrò autem terris ex hoc iam non erit vltra
Diluuium regnans, carnem quod conterat omnem.
Vnum quod fuerit, signo monstrabitur vno:
Nec similem repetita necem peccata videbunt.
Et si crimen erit, terror non deerit alter.
Sic vnum Genitor sirans baptisma sacrabat,
Vt semel abluto lymphis purgantibus orbe,
Baptismum haud liceat nobis sperare secundum.

Libro 5. qui est de transitu maris rubri:

Nos verò Christi solennem in morte triumphum
Baptizati agimus, tanta est baptismatis eius
Gratia, quò veteris peccatum expellitur Adam
In nobis, viuitque nouus, pereunte vetusto:
Quo mala noxa perit, quo virtus inclyta crescit:
Israel verus sacris quo tingitur vndis.

Iustus Orgelitanus. 540.

In Cantica: Libanus candor interpretatur: nisi enim quis candorem in sacro Baptismate, quo peccatorum remissio datur, perceperit, ad Christum venire non potest.

Arator. 540.

Lib. 1. Hist. Apost.

Conspectis properanter aquis ardescere cœpit
Eunuchi fœcunda fides, qui gurgite mersus,
Deposuit serpentis onus, plaustroque cucurrit:
Elise meditatus iter, non parua figura
Causa subobscura regionis imagine lucet.

Libro 2.

————Nec iam sua iura Pharao,
AEgyptusque tenet: mox omnia dæmonis arma
His merguntur aquis, quibus ille renascitur infans,
Qui captiuus erat: falsi quoque fluctus abyssi
Linquuntur, & tetri superantur stagna draconis.

Iulianus Africanus. 540.

De partibus diuinæ Legis lib. 2. cap.17. Baptisma figura est mortis Domini nostri Iesu Christi, sicut dicit Apostolus: *Quotquot baptizati estis, in morte Christi baptizati estis.* Quid enim aut baptismate gratius, vbi à peccato purgamur, & quo filij Dei efficimur: aut morte mœstius, ad quam ipse quoque, qui eam fuerat sponte sumpturus, tamen mœstus accessit?

Cassiodorus. 540.

In Psalm. 22. Aqua refectionis est baptismi lauacrum, quo anima sterilis ariditate peccati ad bonos fructus inferendos diuinis muneribus irrigatur.

In Psalm. 50. In baptismo sic omnia & originalia delicta, & propria admissa mundantur, vt nos restituat puritati, in qua primus Adam noscitur esse procreatus.

In cap. 1. Cantic. Engaddi fons hœdi interpretatur, per quod significatur baptisma: quia peccatores suscipit, sed immaculatos, & mundatos ab omnibus peccatis reddit.

Fortunatus. 570.

Libro 3. cap. 11.

Ardua sacrati Baptismatis aula coruscat,
Quo delicta Adæ Christus in amne lauat.
His pastore Deo puris grex mergitur vndis,
Nec maculata diu vellera gestat ouis.
Traxit origo necem de semine, sed Pater orbis
Purgauit medicis crimina mortis aquis.

Libro eodem, Hymno de Resurrectione Domini ad Felicem Episcopum:

Rex sacer, ecce tui radiat pars magna triumphi,
Cùm puras animas sacra lauacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus vndis,
Atque vetus vitium purgat in amne nouo.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 4. Moralium cap. 3. Quisquis regenerationis vnda non soluitur, reatus primi vinculis ligatus tenetur. Quod verò apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium Circuncisionis. Nam quia vnusquisque cum primi parentis culpa concipitur, Propheta testatur, dicens: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Psal. 50. Et quia is, quem salutis vnda non diluit, originalis culpæ supplicia non amittit, apertè per semetipsam veritas perhibet, dicens: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non habebit vitam æternam.* Ioan. 3.

Libro 9. epist. 39. Si qui sunt, qui dicunt peccata in baptismate superficie tenus dimitti, quid est hac prædicatione infidelius, in qua ipsum fidei Sacramentum festinant soluere? In quo principaliter ad cælestis munditię mysterium anima ligatur, vt absoluta radicitus à peccatis omnibus, soli illi inhæreat, de quo Psalmista ait: *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* Psal. 72. Certè enim maris rubri transitus figura sancti baptismatis fuit, in quo hostes à tergo sunt mortui, sed alij contra faciem in eremo sunt inuenti. Sic quippe omnes, qui in sancto baptismate tinguntur, eorum peccata præterita omnia laxantur, quia eis veluti AEgyptij hostes à tergo moriuntur. Sed in eremo alios hostes inuenimus: quia dum in hac vita viuimus, priusquam ad promissionis patriam pertingamus, multæ tentationes nos fatigant, & ad terram viuentium tendentibus iter intercludere festinant. Qui ergo dicit, peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in mari rubro AEgyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur AEgyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est peccata in baptismate funditus mori: quia nimirum plus valet in absolutione nostra veritas, quàm vmbra veritatis. In Euangelio Dominus dicit: *Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Ioan. 13. Si igitur peccata in baptismate funditus minimè dimittuntur, quomodo is, qui lotus est, mundus est totus? Totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit. Sed nemo resistit voci veritatis, quæ ait: *Qui lotus est, mundus est totus.* Nihil ergo ei de peccati sui contagione remanet, quem totum fatetur mundum ipse, qui redemit.

Isidorus Hispalensis. 620.

De summo bono lib. 1. cap. 24. Baptismus à pœna æterna, non à præsentis vitæ supplicio liberat.

De Ecclesiasticis officijs lib.2.cap.24. Perfectum baptisma cœpit à Iesu: Ipse enim baptizauit primò in Spiritu sancto, sicut & Ioannes dicit: *Ego quidem baptizo in aqua, medius autem vestrum stat, quem vos nescitis: ipse baptizabit vos in Spiritu sancto & igni.* Hæc est perfectio Baptismi. Deus est enim qui ba-

ptizat, vt possint & qui baptizantur fieri filij Dei. Tria sunt autem genera baptismi, quorum primum, quo sordes peccatorum per regenerationis lauacrum abluuntur: secundum, quo quis sanguine suo per martyrium baptizatur: tertium est baptisma lachrymarum, &c. Perfectis ætate baptismum vel ad purgationem originalis noxæ, vel ad ablutionem actualis peccati proficere credimus: Paruulis autem, vt ab originali peccato abluantur, quod ab Adam prima natiuitate contraxerunt. Quamuis autem per regenerationem pereat originale delictum, pœna tamen mortis, quæ per præuaricationem mandati introiuit, manet in eis, quos à reatu originis purgat baptisma Saluatoris.

Concilium Toletanum Quartum. 640.

Cap. 5. In aquis mersio, quasi ad infernum descensio est: & rursus ab aquis emersio, resurrectio est, &c. Iordanis fluenta cum arca populus Dei semel transijt, per quod significatur simpla mersio baptismatis, cuius Sacramento Ecclesia abluitur, & de seculi huius laboribus, per baptismum, quasi per Iordanem, ad terram cælestis repromissionis ingreditur.

Eucherius Gallus. 640.

Libro 4. Regum cap. 20. Omnes, qui baptizantur, siue senex sit, siue iuuenis, omnes tamen infantes appellantur: quia per Adam & Euam veteres nascuntur, per Christum & Ecclesiam noui regenerantur. Prima generatio perducit ad mortem, secunda generatio perducit ad vitam. Prima generatio filij iræ, secunda generatio vasa misericor-
1.Cor.15 diæ, sicut Apostolus dicit: *In Adam omnes moriuntur, in Christo omnes viuificabuntur.* Quomodo Naaman senex septies lauando factus est veluti puer: sic populus gentium, cùm esset peccatis veteribus senex, & multis iniquitatum maculis velut lepra perfusus, per gratiam baptismi ita renouatur, vt in eo nec originalis, nec actualis lepra remaneat, & qui fuerat criminum ponderibus curuus, ad exemplum Naaman renouatur vt paruulus, & prima
Gal. 3. stola induitur. De qua Apostolus ait: *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

Hildephonsus Toletanus. 680.

Contra eos, qui disputant de perpetua virginitate S. Mariæ, & eius parturitione: Corruptæ naturæ filij, de concubitu iniquitatis concepti, & in delictis de matris vtero cum doloribus proiecti, non aliud esse queunt, quàm iræ filij. Hinc ergo est, quòd regenerantur ex aqua & Spiritu sancto, vt per hanc regenerationem soluantur ex Christi gratia à delictis primæ damnationis, & adoptentur in filios Dei.

Aponius. 700.

In Cantic. lib. 3. Fons hœdi est sacrosancti baptismatis fons, vbi hœdi descendunt, qui erant deputandi à sinistris ante tribunal iudicis, æterno igni tradendi: & ascendunt agni immaculati, qui à dextris iudicis congregentur, æterno regno donandi. Nam certum est vnum esse fontem baptismatis in toto mundo, vbi Trinitatis æternæ inuocato nomine tincti sanctificantur, vt ex hœdis agni efficiantur. Fons enim baptismatis propter peccatores est constitutus, qui hœdi sunt appellati: non propter iustos, qui lauari non indigent.

Beda. 720.

Libro quæst. quæst. 15. In baptismate sine omni pœna, sola & plena gratia aqua regenerationis totum hominem ablui præcepit, vt in omni parte sua totus interior homo ab omni peccato suo, tam originali, quàm actuali mundari, & insuper in nouum splendorem virtutum reformari gratis, & candidari videatur. In quo tanto mysterio suo complendo, idoneum curauit eligere elementum, scilicet vt non vinum, & oleum, vel quemlibet liquorem pretiosum, &c. Sicut aqua non solùm præ omnibus liquoribus sordes abluit, sed & candorem reducit: sic gratia baptismi non solùm sordes omnium abluit vitiorum, sed incendia extinguens libidinum, candorem reducit omnium virtutum.

Ad cap. 3. *Ioannis:* Carnalis generatio visibiliter administratur: spiritualis autem generatio tota inuisibiliter agitur. Nam videtur quidem, qui baptizatur, in fontem descendere: videtur aquis immergi: videtur de aquis ascendere. Quid autem in illo lauacrum regenerationis egerit, minimè potest videri: sola autem fidelium pietas nouit, quia peccator in fontem descendit, sed purificatus ascendit: filius mortis descendit, sed filius resurrectionis ascendit: filius diaboli descendit, filius Dei ascendit. Sola hoc Ecclesia mater, quæ generat, nouit. Cæterùm oculis insipientium videtur talis exire de fonte, qualis intrauit, totumque ludus esse, quod agitur. Vnde in finem videntes gloriam Sanctorum dicent, gementes in tormentis: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum.* Sap. 5.

In Psalm. 77. In baptismate omnes hostes nostri, id est, omnia originalia & actualia peccata destruuntur.

Alcuinus. 750.

Libro 2. in Ioannem cap. 3. Quis sine lauacro regenerationis remissionem peccatorum consequi, & regnum valet intrare cælorum?

Paulus Diaconus. 780.

De gestis Longobardorum lib. 6. cap. 4. al. 15.

Fonte renascentem quem Christi gratia purgans,
Protinus albatum vexit ad astra poli.
Mira fides regis, clementia maxima Christi,
Cuius consilium nullus adire potest.

Haymo. 820.

Homilia in Octaua Pentecostes: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu.)* Conuenienter in ordine baptizandi vtrumque posuit, aquam scilicet, & Spiritum sanctum: quia aqua corpus lauat, sed Spiritus sanctus mentem renouat. Superfluè enim aqua esset, nisi Spiritus sanctus peccata dimitteret. Aqua igitur exterius significat, quod Spiritus sanctus interius operatur, id est, mundationem peccatorum.

Ad cap. 6. *ad Romanos:* In baptismate tria sunt corporalia & visibilia, & tria incorporalia & inuisibilia. Visibilia, vt sacerdos, corpus baptizandum, & aqua. Tria inuisibilia, vt fides, & anima quæ abluitur à peccatis, & Spiritus quo operante remissio peccatorum datur.

Angelomus. 830.

Lib. 3. *Regum cap.* 6. Baptizato Christo cæli aperti sunt, vt ostenderetur, quia per baptisma, quod nobis ipse consecrauit, ianuam patriæ cælestis deberemus ingredi.

Cap. 7. Quicquid visu, quicquid auditu, quicquid olfactu, quicquid gustu deliquimus, totum hoc nobis gratia Dei per ablutionem viuifici fontis relaxat.

Hincmarus. 840.

In vita S. Remigij: Peccata nostra præterita in baptismatis perceptione nobis donata sunt: attamen post baptisma multa commisimus, sed lauari iterum baptismatis aqua non possumus. Quia ergo & post baptismum inquinamus vitam, baptizemus lachrymis conscientiam.

Rabanus Maurus. 850.

De Vni-

De Vniuerso lib.5. cap.11. Baptismus Græcè, Latinè tinctio interpretatur. Quæ idcirco tinctio dicitur, quia ibi homo Spiritu gratiæ in melius immutatur, & longè aliud, quàm erat efficitur. Prius enim fœdi eramus deformitate peccatorum, in ipsa tinctione. reddimur pulchri dealbatione virtutum. Voluit Dominus, vt res illa inuisibilis, per congruentiam scilicet, per contrectabile & visibile impenderetur elementum, super quod etiam in principio ferebatur Spiritus sanctus. Nam sicut aqua purgat exterius corpus, ita latenter eius mysterio per Spiritum sanctum purificatur & animus. Cuius sanctificatio ita est. Inuocato enim Deo descendit Spiritus sanctus de cælis, & medicatis aquis, sanctificat eas de semetipso, & accipiunt vim purgationis, vt in eis & caro & anima delictis inquinatæ mundentur.

De Institutione Cleri libro 1. cap. 30. Nunquam baptismatis aqua filios lucis generare posset, nisi prius ipsa dono Spiritus sancti illuminata esset: vt in ipsa mirabiliter partum spiritalis lucis efficeret idem Spiritus, qui in primordio simul cum Patre & Filio illam purgationi aptam creauit.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 880.

Cap. 8. In baptismo omne peccati veteris fermentum euacuatum est, & ô vtinam vsque ad resurrectionem nostram hoc fermento carere possemus.

Cap. 22. In baptismate Spiritum sanctum quisque peccatorum sordibus ablutus accipit, & à Deo Patre profiteri filius adoptionis gratia incipit, & tunc sibi regni cælorum ianuam aperiri, & ciuem se cælestis patriæ consortem intelligit.

Paschasius Ratbertus. 880.

De Corpore & Sanguine Domini cap. 3. Sic planè nemo dubitare debet, quòd in alueo baptismi, prius quàm infans à fonte surgat, Spiritus sanctus in eum, qui renascitur, adueniat, etsi non videatur. Quia non minus est diuina virtus prouida & præstabilis ad regenerationem sacræ adoptionis, quàm fuit prius in natiuitate carnis, & viuificaret sata hominis membra, licet concepta sint ex delicto.

Cap. 9. Licet omnia peccata donata sunt in baptismo: infirmitas tamen peccati adhuc in carne manet.

Remigius Antissiodorensis. 880.

Ad Psalm. 17. Cùm vnum sit baptisma, & omnia vitia ibi demergantur præterita, sicut AEgyptij demersi sunt in mari rubro, vt nec vnus superesset. Significat enim mare rubrum baptismum, qui sanguine Christi sanctificatus & rubefactus est, ad demergenda vitia potens.

Ad Psalm. 77. In baptismate omnes hostes nostri submerguntur: quia peccata originalia & actualia abluuntur. Sed interrumpitur postea: quia etsi omnes æqualiter recipiunt in baptismate remissionem peccatorum: non tamen omnibus est ad salutem. Quia his, qui post resurrectionem baptismatis apostatant, est ad perditionem.

Radulphus Flauiacensis. 950.

Lib.10. in Leuiticum cap.1. Habes Naaman Syrum, qui vt lepra sua mundaretur, in typum baptismatis, quo peccatorum lepra abluitur, septies in Iordane lauari iussus est.

Smaragdus Abbas. 950.

Ad cap. 3. Ioannis: Qui ex aqua & Spiritu regeneratur, inuisibiliter in nouum mutatur hominem, & de carnali efficitur spiritualis: qui ideo rectè non solùm spiritualis, sed etiam Spiritus vocatur: quia sicut substantia spiritus inuisibilis est nostris aspectibus: ita is, qui per gratiam Dei renouatur, inuisibiliter fit spiritualis, & Dei filius, cùm visibiliter omnibus & filius hominis appareat.

Ad cap. 3 prioris D. Petri: Sancta Ecclesia in Sacramentum Dominicæ resurrectionis baptismi lauacrum percipit: vt sicut ipse resurrexit à mortuis, per gloriam Patris, ita & nos expurgati à peccatis per aquam regenerationis, in nouitate vitæ ambulemus.

Fulpertus Carnotensis. 1000.

Epistola 1. ad Adeodatum. Scimus, & verè scimus, nos prima natiuitate pollutos, secunda natiuitate mundatos: prima natiuitate captiuos, secunda natiuitate liberos: prima natiuitate terrenos, secunda natiuitate cælestes: primæ natiuitatis vitio carnales, secundæ natiuitatis beneficio spirituales: per illam filios iræ, per hanc filios gratiæ, &c. Vide quid agat artifex misericordiæ: tale tibi inuenit tumuli genus, quo sciret peccata sepelire, & peccatorem nesciret obruere, vt descendente homine in fontem, tanquam in sepulchrum delictorum, reus exiret ad portum, sola paterentur delicta naufragium. Proinde aqua & Spiritus sanctus sociantur causis, sed beneficijs separantur. Requiritur sanè in baptismatis Sacramento aqua, propter sepulturam: Spiritus sanctus, propter vitam æternam. Remoue Creatoris nomen, & non habet creatura quod præstet.

Berno Augiensis. 1020.

Sermone de Assumptione Mariæ: Hinc est, quòd in die secundæ natiuitatis nostræ idem Rex & Deus noster maternæ pietatis officium gerēs, per aquam regenerationis nos lauit in salutem, ac pro libidinosæ mentis vmbilico cingulo castitatis nos donauit, suæque sapientiæ sale nos condiuit, insuper vestimento iustitiæ velut pannis inuoluit.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone 1. in dedicatione Ecclesiæ: Primum est baptismatis Sacramentum. Hoc pretiosius est cunctis opibus, & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari.

Radulphus Ardens. 1050.

Homilia in Euangelium de Trinitate: In Baptismo Domini sunt: Sacramentum exterius, & res, & purificatio interior. Sacramentum exterius, id est, exterior ablutio ab exterioribus sordibus fit ex aqua, quando scilicet homo ter in ea mergitur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: purificatio verò interior à peccatis fit à Spiritu sancto.

Algerus. 1060.

Lib. 3. de Sacramentis cap. 4. Vt gratia Dei omnimodo esset gratuita in Sacramentalibus speciebus, non quæsiuit dignitatem, sed aptitudinem. Quia enim aqua extinguit, mundat, & candidat præ cæteris liquoribus, ideo etiam in baptismate carnis incentiua extinguit, peccatorum tam originalium quàm actualium labem abluit, innocentiæ candorem reducit, & dum sic cælestis Patris imaginem reformat, filios adoptionis regenerat.

Anselmus. 1080.

In Euangeliorum enarratione cap. 2. Lucæ: Octauus dies, in quo circunciditur infantulus, dies est baptismatis, in quo neophytus quisque exuitur labe primæ generationis, & ascendens de lauacro, fit particeps resurrectionis Christi, quæ die octauo mundum illustrauit.

Ad cap. 4. posterioris ad Corinthios: Momento vno fit in baptismo peccatorum remissio: neque enim vel vnum quantulumcunque remanet, quod non remittatur.

Ad cap. 6. ad Hebræos: Malè tenet baptisma, qui non credit omnia in eo peccata ablui, nisi superadditis carnalibus obseruantijs.

Ad cap. 10. Omnia peccata delentur in baptismo, tam interiora, quàm exteriora. Quia ergo per baptismum facti sumus à peccato liberi, & restaurata est nobis libertas arbitrij, & gratia Dei

data,

data, & nullam habemus excusationem, accedamus ad eum, qui tot nobis beneficia largitus est.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de Sacramentis Neophytorum: Cedit mare virga Mosis percussum, præbet viam populo Dei, hostes à tergo sequuntur, & submerguntur. Et hic repetita est baptismi, per lignum salutiferum * consecrati, sanctificatio. Nam rubet mare rubrum: rubet & baptismus, Christi sanguine consecratus. Hostes à tergo sequentes moriuntur, quia peccata præterita per baptismum delentur, &c. Sub responsione trinæ interrogationis trina mersione catechumenus à sordibus vetustatis abluitur, & nouum hominem indutus, triduanę Domini sepulturæ consepelitur.

* al. consecuti.

Petrus Alfonsius. 1100.

Titulo 12. Baptismus ipse est saluatio virorum, & mulierum, &c. Gratia baptismi confert donum Spiritus sancti, qui corda hominum ita illuminat, ne falsi aliquid credere præsumant.

Franco Affligemensis. 1109

De gratia Dei Tomo 9. Ecce quid nobis Sacramentum baptismatis, ecce quid contulit dignitatis, gratiæ, & vtilitatis. Dignitatis, vt nos in filios Dei adoptet: Gratiæ, vt paterna adoptatos charitate foueat, atque sanctificet: vtilitatis, vt sanctificatos ita de virtute in virtutem prouehat, vt ex nobis ipsis sibi semper bene complaceat.

Rupertus Tuitiensis. 1110.

De diuinis officijs lib. 4. *cap.* 16. Septies lauatur leprosus, quia in baptismo propria est operatio septiformis Spiritus sancti, ex quo & renascimur, & remissionem peccatorum accipientes, noui restituimur.

Libro 2. *in Exodum cap.* 34. Primum donum & summa baptismi vtilitas, quæ est remissio peccatorum, sciendum quia non particulariter distribuitur, neque alij plus, alij minus donatur, sed omnium æqualiter pari gratia, in dissimili donationis abundantia, omnium, inquam, peccata absorbentur, & baptismi fluctibus omnes AEgyptij, cuncti reatus, tam originalis culpæ, quàm actualium criminum confestim obruuntur.

Libro 2. *in Ioannem cap.* 1. Vnus est, qui baptizat; vnus & solus hic est, qui sanctificat: vnus est fons, vnus est riuus salutaris baptismi, qui per qualescunque canales influat, hic est qui baptizat, de cuius ore profluit ipsa vis Sacramenti purificans, emundans, viuificans.

Hugo Victorinus. 1120.

De Sacramentis lib. 1. *cap.* 13. Virtutem & efficaciam dat baptismo & baptismus Christi, & sanguis Christi. Ipse enim ad baptismum Ioannis accedens, vim regeneratiuam contulit aquis, vt efficaciam remissionis haberent, non tamen ex seipsis, sed ex gratia operante per sanguinem fusum pro peccatis. In cuius signum quoniam sacrificiorum sanguis fundebatur sub lege, etiam ex ipso remissionis efficaciam habuisse creditur.

Bernardus. 1130.

Sermone 1. *de Cœna Domini:* Ad hæc instituta sunt omnia Sacramenta, ad hæc Eucharistiæ participatio, ad hæc pedum ablutio, ad hæc denique ipse baptismus initium Sacramentorum omnium: in quo complantamur similitudini mortis eius. Quæ est gratia, vnde per baptismum inuestimur? Vtique purgatio delictorum. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi qui solus est mundus, & in quem peccatum non cadit, Deus? Huius quidem gratiæ Sacramentum prius erat circuncisio, vt originalis rubiginem culpæ, quæ manauerat à parentibus primis, cultellus eraderet: sed veniente Domino, qui Agnus est totus suauis & mitis, cuius *iugum suaue est, & onus leue,* optimè satis mutatum est, vt inueteratam rubiginem cum vnctione sancti Spiritus aqua dilueret, & acerbitas illa cessaret, &c. Lauamur in baptismo, quia deletur chirographum damnationis nostræ, & gratia hæc nobis confertur, ne iam nobis concupiscentia noceat, si tamen à consensu abstineamus, &c. Duo illud Sacramentum operatur in nobis: vt videlicet & sensum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omninò consensum.

Epist. 77. In maiori ætate quisquis post vulgatum baptismi vbique remedium renuit iam baptizari, generali originaliqúe maculæ addit & ex proprio crimen superbiæ, duplicem secum portans iustissimæ damnationis causam, si sic de corpore exire contigerit. Tamen si ante exitum resipuerit, & voluerit, & petierit baptizari, sed mortis præoccupatus articulo fortè obtinere nequiuerit, dum non desit fides recta, spes pia, charitas syncera, propitius sit mihi Deus, quia huic ego ob solam aquam, si defuerit, nequaquam omninò possum desperare salutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere spem, nec excidere charitatem, tantùm si aquam non contemptus, sed sola (vt dixi) prohibeat impossibilitas.

Petrus Lombardus. 1140.

Libro 4. *Sentent. distinct.* 3. *L. de causa institutionis Baptismi:* Causa verò institutionis baptismi est innouatio mentis, vt homo, qui per peccatum vetus fuerat, per gratiam baptismi renouetur, quod fit depositione vitiorum, & collatione virtutum. Sic enim fit quisque nouus homo, cùm abolitis peccatis ornatur virtutibus. Abolitio peccatorum pellit fœditatem, appositio virtutum adfert decorem: & hęc est res huius Sacramenti, scilicet interior munditia.

Dist. 4. F. *Quid prosit baptismus his, qui cum fide accedunt:* Solet etiam quæri de illis, qui iam sanctificati Spiritu, cum fide & charitate ad baptismum accedunt, quid eis conferat baptismus. Nihil enim eis videtur præstare, cùm per fidem & contritionem iam remissis peccatis iustificati sunt. Ad quod sanè dici potest, eos quidem per fidem & contritionem iustificatos, id est, à macula peccati purgatos, & à debito æternæ pœnæ absolutos: tamen adhuc teneri satisfactione temporali, qua pœnitentes ligantur in Ecclesia. Cùm autem baptismum percipiunt, & à peccatis, si quæ interim post conuersionem contraxerunt, mundantur, & ab exteriori satisfactione absoluuntur, & adiutrix gratia, omnisqúe virtus in eo augetur, vt verè nouus homo tum dici possit. Fomes quoq; peccati in eo amplius debilitatur, &c. Quod verò omnis exterior satisfactio ibi relaxetur, Ambrosius ostendit super illum locum: Sine pœnitentia sunt dona Dei, & vocatio, dicens: Gratia Dei in baptismo non requirit gemitum, vel planctum, vel aliquod opus: sed & omnia gratis condonat. *In cap.* 11. *ad Rom.*

Richardus Victorinus. 1140.

De superexcellenti Baptismo Christi: In hoc, quòd visibiliter tali specie super Dominum baptizatum se manifestauit Spiritus sanctus, insinuauit quid in nobis inuisibiliter fiat, cùm in Christo renascimur. Sicut Filius non propter se, quasi indigens aliquo remedio, sed vt nobis humilitatis aliquod præberet exemplum, & salutis conferret remedium, baptizatus est: & ipse Pater sic intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, &c.* sic demonstrans nos eius filios effici per virtutem tanti Sacramenti. Considerate quanta sit huius Sacramenti dignitas, quod ipse Filius sic commendauit illud suscipiendo, & Spiritus sanctus se præsentando, & Pater sic intonando: per efficaciam eius efficimur mem- Ioan. 3.

bra Christi, templum Spiritus sancti, & Filij Dei.

Otto Frisingensis. 1150.

Lib. 4. Chronicorum cap. 18. Quidam nostri temporis Theologi diuinant, post promulgatam sententiam Euangelij, qua dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu*, &c. aliquos sine Sacramento baptismi vel effusione sanguinis ob testimonium passionis Christi, vel attestatione Dominica saluari posse, sic ratiocinantes: quòd non alligauit Deus Sacramentis potentiam suam: non bene considerantes quid, secundùm quid loquantur auctores, quid opinando, quid asserendo, quid ex magnitudine doloris semet consolando. Quod tametsi verum sit, Dei potentiam regulis Ecclesiasticis vel Sacramentis non cohiberi: mihi tamen, qui Christiana regula stringor, necessarium erit credere, præter hoc neminem posse saluari. Quare quamuis Deo, tamquam omnipotenti, Iudæum, vel gentilem, vel non baptizatum, sine effusione sanguinis, vt dictum est, vel attestatione propria, possibile sit saluare: mihi tamen hoc credere erit impossibile, & ita diuina potentia in talibus non sibi, sed mihi alligatur. Et mirum si hoc pietate ducti dicunt, quare non eadem pietate hoc de paruulis sentiant. Quòd si obijciunt, quòd isti tanquam adulti credere possunt, quòd non illi: audiant quòd illi solo originali delicto obligati tenentur, quòd non isti. Restat ergo, vt nos cum illis, & illi nobiscum, diuinam admiremur in talibus, non discutiamus, potentiam, exclamantes cum Apostolo: *O altitudo, &c.*

Godfridus Viterbiensis. 1170.

Parte 13. Chronicorum cap. Quòd non per Circuncisionem, sed per Baptismum promissa fuerit olim remissio peccatorum: Pro omnibus victimis, quas memorauit Esaias, pro cunctis neomenijs, & Sabbatis, atque alijs solennitatibus, solam baptismi purificationem præcepit: pro cunctis quoque inquinamentis peccatorum, solum lauacrum, quo tantùm peccata abluuntur, solummodò quæsiuit.

Stephanus Eduensis. 1180.

Præfatione ad librum de Sacramento altaris: Sacramentum baptismi ordinatur in aquis regenerationis. Quia sicut aqua sordes exteriores abluuntur: ita spirituali gratia in lauacro regenerationis data mundantur interiora inquinamenta.

Innocentius Tertius. 1200.

Serm. 2. in Festo Pentecostes: Nomen, id est, inuocatio Trinitatis, sanctificat aquam, vt tingens corpus, purificet cor. Et ideo dicebat, *mundans eam*, id est, Ecclesiam, *lauacro aquæ, in verbo vitæ.* Nam accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.

Ad Psalm. 4. Pœnitentialem: Tria pertinent ad effectum baptismi: Remissio culpę, relaxatio pœnę, & infusio gratiæ. Primum notatur, cùm dicitur: *Lauabis me.* Secundum, cùm additur: *Dealbabor.* Tertium, cùm adiungitur: *Super niuem. Effundam*, inquit Dominus per Prophetam, *super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem in ablutione peccatoris & menstruatæ.* Cùm igitur audis: *Asperges me hyssopo, & mundabor*, in aspersione sanguinis Christi fidem passionis intellige. Cùm autem: *Lauabis me*, audis, *& super niuem dealbabor*, in ablutione aquæ baptismi Sacramentum agnosce. Porrò, cùm fides adultis sine Sacramento proficiat, vbi Sacramentum non religionis contemptus, sed articulus necessitatis excludit: Sacramentum verò baptismi sine fide adultis non valeat, iuxta quod Veritas ait: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quid est, quòd in hoc loco plus attribuitur Sacramento quàm fidei? Nam minus est aspergi, quàm ablui; & mundari, quàm dealbari, maximè super niuem. Sciendum est ergo, quòd fides Christi, quæ iustificat impium, re verà mundat à culpa; sed non semper ab omni pœna: Sacramentum verò baptismi, si dignè sumatur, liberat omninò à culpa pariter & à pœna. Vnde Sacramentum regenerationis à Domino appellatur, cùm ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei.* Quia per hoc Sacramentum homo regeneratur in gratia, liberatur à culpa pariter & pœna. Rectè igitur *lauabis me* per Sacramentum Baptismi, *& super niuem* gratiæ, quæ mundat à culpa, *dealbabor* etiam Sacramenti virtute ab omni pœna, præter illam duntaxat, quam necessitas primæ corruptionis inducit.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In die Circuncisionis Domini: Them. de Euang. Successit Circũcisioni Baptismus, multiplici ratione. Prima, quia Sacramentum baptismi communius est: conuenit enim tam maribus, quàm fœminis. Secunda, quia suauius, quòd designatur gratiæ suauitas, sicut per circuncisionem legis asperitas. Tertia ratione, quia perfectius est, & pleniori gratia accumulatum. In circuncisione enim solummodò peccatum originale dimittebatur, & actualia in adultis: sed nec gratia ad bene operandum adiutrix, nec virtutum possessio, vel augmentum conferebatur, sicut in baptismo, vbi non solummodò abolentur peccata, sed & gratia adiutrix confertur, & virtutes infunduntur vel augentur. Delet autem baptismus non solùm originale, sed omnia peccata actualia: remittitur insuper pœna, & exterior satisfactio: confertur robur baptizato, cumulus gratiæ præstatur, fomes debilitatur, paradisi ianua baptizatis aperitur.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Sacramentis cap. 1. Virtute benedictionis siue inuocationis diuinæ sanctificatio fit. Vt enim iste, qui baptizatur in aqua visibili, siue mergitur, baptizetur aqua salutari, inuisibilis virtus facit benedictionis, siue diuinæ inuocationis, & hoc solo beneplacito, & abundantia diuinæ pietatis, qua electis suis inuocantibus se præsto est Deus, & in isto mysterio tanto promptius est atque paratius, quanto istud est ad maiorem salutem suscipientis.

Alexander Alesius. 1240.

Parte 4. quæst. 8. m. 8. artic. 2. §. 1. In Sacramento baptismi, si plenè percipitur eius efficacia & remedium, omnis culpa deletur, & restituitur homo in pristinam innocentiam, quantum ad animam. Si quæratur ratio huius, dicendum, quòd huius ratio causalis fuit diuina liberalitas, quæ tantam huic Sacramento contulit efficaciam.

§. 2. Sacramento Baptismi contulit Deus primos & præcipuos effectus passionis suæ. Passio autem Saluatoris habet duos effectus primos & principales, scilicet mundationem à culpa, & solutionem pretij, quæ fiebant in fluxu sanguinis & aquæ de latere Christi, Ioan. 19. In fluxu enim aquæ fiebat purgatio à culpa: in effluxu sanguinis solutio pretij, siue satisfactio damni, quod receperat Deus Pater ex amissione hominis. Istos duos effectus contulit Baptismo, cuius est virtus ex fluxu aquæ & sanguinis de latere Christi.

Thomas Aquinas. 1250.

In Summa contra Gentiles lib. 4. cap. 59. Vita spirituali priuatus est homo in sua origine per peccatum originale. Et ad hoc quæcunque peccata sunt addita, abducunt à vita. Oportuit ergo baptismum, qui est spiritualis regeneratio, talem virtutem habere, quòd etiam peccatum originale, & omnia actualia peccata commissa tollat. Et quia signum Sacramenti sensibile, congruum debet esse ad

se ad repræsentandum spiritualem Sacramenti effectum: fœditatis autem ablutio in rebus corporalibus facilius & conuenientius fit per aquam, idcirco baptismus conuenienter in aqua confertur per verbum Dei sanctificata.

Ad cap. 4. Apocalyps. Triplex est effectus Baptismi. Primus est synceritas à culpa. Baptismus enim à culpa purificat, & ideo dicitur mare. Secundus claritas, innocentia, siue sapientia: quia baptismus clarificat animam ad cognoscendum Dominum per fidem. Tertius firmitas contra vitia, maximè quando gratiæ baptismali susceptæ cooperatur homo, sustinendo viriliter suscepta.

Bonauentura. 1260.

Parte 3. Centiloquij sectione 48. Effectus, qui recipitur in baptismo ab homine humiliter accedente, est characteris impressio, gratiæ infusio, & innocentiæ restitutio, cæli apertio: Gratia, inquam, infunditur regenerans, rectificans, & purificans ab omni culpa originali, & actuali, tam mortali, quàm veniali: absoluens nihilo minus à pœna æternali, & ab omni pœna satisfactoria temporali.

Guilhelmus Peraldus. 1260.

Dominica 6. post octauam Pentecostes Sermone 1. de epistola: Primus baptismi effectus est, spiritualium sordium ablutio. Baptismus velut quoddam balneum est, quod cælestis sponsus Ecclesiæ suæ præparauit, in quo ipse primò balneauit se, & contactu corporis sui sanctissimi vim abluendi animas dedit ei. Secundus effectus est baptismi, quòd ignem infernalem, & etiam purgatorium extinguit, quantum ad ipsum baptismum, vt de cætero ignis infernalis vel purgatorius non possit in ipsum, nisi ipse peccando reaccenderit eum contra se. Tertius effectus est, quòd ardorem prauarum concupiscentiarum refrigerat. Minus enim possunt huius ardores in baptizatis, quàm alijs. Quartus effectus est, quòd exercitum diaboli submergit quantum ad potestatem, &c.

Guibertus Tornacus. 1270.

De Officio Episcopi cap. 48. Gratiæ Spiritus sancti, & dona septem in baptismo dantur baptizatis, &c. Virtute Christi datur baptizatis refrigerium contra incentiua vitiorum, & illuminatio contra tenebras cæcitatis, & ignorantiæ.

Ægidius Columnius. 1280.

Tractatu de Paradiso cap. 6. Sicut homo prius non fuit in paradiso conditus, sed positus: sic nos ex primordiali generatione nostra corporali, cùm in peccato nascimur, non habemus quòd sumus filij Ecclesiæ, sed ex regeneratione spirituali, secundùm quam ab hoc peccato absoluimur. Sicut igitur Adam extra paradisum formatus fuit, & per Deum in paradisum positus: sic nos renascimur extra Ecclesiam, sed per gratiam diuinam, & regenerationem in baptismo in Ecclesiam collocamur.

Concilium Viennense. 1305.

In Clementinis cap. 1. de Summa Trinitate: Tam adultis, quàm paruulis, in baptismo informans gratia, & virtutes conferuntur.

Ioannes à S. Geminiano. 1310.

Lib. 1. cap. 10. Fons est sordium ablutiuus, & baptismus omnes sordes abluit peccatorum, scilicet originalis, actualis, & venialis. Baptismus se suscipientes fœcundat, in quantum fructus gratiæ, id est, virtutes confert non habenti, & auget habentibus.

Durandus à S. Portiano. 1320.

Ad lib. 4. Sententiarum distinct. 4. quæst. 3. Baptismus dignè suscipientibus tollit, quantum in se est, omnem culpam, tam originalem, quàm actualem.

Nicolaus Lyranus. 1320.

In cap. 6. epist. ad Hebreos: In Sacramento baptismi confertur gratia, quæ de cælo datur.

Ludolphus Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 1. cap. 21. A morte Christi, & sanguinis effusione habet baptismus virtutem & efficaciam, sicut & alia Sacramenta, siue ante legem, siue in lege. Per hunc enim Christus peccata, quæ facta sunt, dimittit: adiuuat, ne amplius fiant: perducit, vbi omninò fieri non possunt.

Guido Rocherius. 1333.

In Manipulo curatorum tractatu 2. cap. 7. Effectus principales baptismi sunt delere omnem culpam, tam originalem, quàm actualem, & conferre gratiam, & aperire ianuam regni cælestis.

Thomas Argentinensis. 1350.

Ad lib. 4. Sentent. dist. 4. quæst. 1. artic. 1. Primò, & principaliter per rem Sacramenti hîc debet intelligi gratia gratum faciens: ex consequenti verò per rem Sacramenti hîc debet intelligi omnis culpæ priuatio, æternæ pœnæ remissio, & virtutum infusio. Hæc enim infallibiliter consequuntur gratiam baptismalem in tantum, quòd si aliquis confestim moreretur, postquam mediante Sacramento Baptismi recepit gratiam baptismalem, talis immediatè ad vitam æternam auolaret absque omni purgatorio.

Catharina Senensis. 1370.

Tractatu 1. cap. 14. Quando anima recipit ab Ecclesia sancta baptismum, aufertur ab ea peccatum originale, infunditurque ipsi gratia: & fomes peccati, videlicet inclinatio ad peccandum, ab originali peccato procedens, atque remanens, veluti cicatrix ex vulnere debilitatur, ita quòd si anima voluerit, potest optimè refrænare.

Thomas VValdensis. 1410.

Parte 3. Tit. 8. cap. 69. de Pœnitentia Sacramento: Omnia prorsus delicta, inquit Augustinus, delet sanctum Baptisma, &c. Si ergo sanctum baptismatis Sacramentum, diuino sibi munere coniugato, cuncta peccata dimittit in ministerio sacerdotis, cur aliud æquè Sacramentum remissionis peccatorum indubitanter, quamuis insensibiliter, non delet peccata, ipsum dico pœnitentiæ Sacramentum, in ministerio sacerdotis sacramentaliter absoluentis?

Vincentius Valentinus. 1418.

Dominica in Albis Sermone 6. Anima ante baptismum propter peccatum originale immunda, & abominabilis est, in tantum, quòd si persona moritur ante baptismum, non potest intrare Paradisum: sed in baptismo anima mundatur, & recipit ibi illud pulcherrimum signum characteris.

Ioannes Gerson. 1420.

In Compendio Theologiæ, de Sacramento baptismi: Quis sit effectus baptismi liquet ex doctrina magistrorum, qui ponunt triplicem eius effectum. Primus effectus est, omnimoda euacuatio culpæ originalis in paruulis, & tam originalis quàm actualis in adultis, præter exteriorem pœnitentiam. Secundus est debilitatio fomitis. Tertius est collatio gratiæ.

Raymundus Sebundius. 1430.

In Viola animæ lib. 7. cap. 70. Anima humana, carni corruptæ putridæ & malis concupiscentijs infectæ copulata, trahit à sua carne omnem corruptionem, & culpam originalem, & concupiscentiam maculosam: & ideo necesse est, si debeat à suis sordibus emundari, ad aquas baptismi lauanda festinet: alioquin si non fuerit aquis lustrationis pur-

purgata, portabit in æternum immunditiam suam. Ista ablutio regeneratio vocatur: quia vetus homo illic renouatur, & anima recipit nouum esse spirituale, quod non habebat, & efficitur Dei filia, hæres Dei, & cohæres Christi.

Laurentius Iustinianus 1430.

De perfectionis gradibus cap.14. Cæterorum Sacramentorum baptismus est fundamentum & ianua: per quam introitur in Ecclesiam, & ab Ecclesia transitur ad regnum. Abolετur namque per hoc sacrum lauacrum originale delictum, & vniuersa (si qua sunt) perpetrata facinora: facitque præterea eo ablutum gratum Deo, Ecclesiæ filium, Sanctorum contubernio dignum, thesaurorum Christi participem, innocentiæ candore vestitum, æqualem Angelis, mysticique corporis Christi membrum viuum. Porrò qui eo caret, palmes est præcisus à vite, nullum Deo gratum ferens fructum: sed igni perpetuo æternaliter concremandus.

Concilium Florentinum. 1439.

In Decreto Eugenij Quarti: Sacramenti baptismi effectus est, remissio omnis culpæ originalis & actualis: omnis quoque pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis iniungenda est satisfactio, sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cælorum, & ad Dei visionem perueniunt.

Bernardinus Senensis. 1440.

Tomo 2. Serm.51. fol.511. Sanctificatio, quæ fit per baptismum, duo bona in homine operatur: Primò enim remouet culpam, secundò confert gratiam.

Dionysius Carthusianus. 1460.

In Summa fidei Orthodoxæ libro quarto articulo 85. Sacramenta ex institutione diuina sortiuntur virtutem. Tunc ergo instituuntur, quando virtutem sanctificandi recipiunt. Christus autem in suo baptismo contulit tactu suæ purissimæ carnis vim regeneratiuam aquis. Idcirco in Christi baptismo Sacramentum baptismi institutum est. Sed vtendi necessitas post resurrectionem incœpit: tunc enim omnia figuralia in Christo impleta consummataque sunt.

Concilium Senonense. 1528.

Decreto 10. de Baptismo: Cùm igitur abolitio peccatorum, ab iniquinamentis & spurcitijs emundatio, salus, renouatio, regeneratio Spiritus sancti, cæteraque id genus, infusionem gratiæ palam insinuent, perspicuum euadit, Baptismi Sacramentum sua virtute gratiam conferre.

Concilium Tridentinum. 1560.

Sessione 5. in Decreto, de originali peccato, Canone 5. Si quis per Christi Iesu Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari: anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis ijs, qui verè consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem: qui non secundùm carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & nouum, qui secundùm Deum est creatus, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita vt nihil prorsus eos ab ingressu cæli remoretur.

ARTICVLVS QVINTVS.

BAPTISMVM IOANNIS NON HABVISSE EANDEM VIM ET EFFICACIAM CVM BAPTISMO CHRISTI AD REMISSIONEM PECCATORVM.

Anno post natum Christi

NEGANT.

400. *PETILIANVS Donatista vnum voluit esse baptisma Christi & Ioannis. Nam distinguens tres gradus baptismi, dixit Ioannem baptizasse aqua, Christum Spiritu, Paracletum igne, & hæc tria ad vnum & eundem baptismum pertinere.* Augustinus lib. 2. contra literas Petiliani cap. 32. 34. 37.

1080. *Bogomili baptismum nostrum, quia per aquam fit, Ioannis baptisma esse dixerunt: suum verò Christi, qui fit per Spiritum.* Euthymius in Panoplia parte 2. tit. 22. ca. 16.

1530. Philippus Melancthon contra Anabaptistas de Baptismo Ioannis & Christi: *Externus Baptismus, quem administrat Ioannis, nihil differt ab externo baptismo, quem Christus administrat sine Apostoli.*

In Locis communibus, titulo de baptismo Ioannis: *Et si differentia erat in hoc articulo, Ioannes de passuro Christo, Apostoli de passo, & resuscitato prædicant, tamen ministerium fuit idem, & effectus eosdem habuit in credentibus.*

1540. Ioannes Caluinus lib. 4. Instit. cap. 15. §. 17. *Neminem perturbet, quòd alterum baptisma ab altero discernere veteres contendunt, quorum non tanti nobis debet esse calculus, vt Scripturæ certitudinem quæ te faciunt. Quis enim Chrysostomo potius auscultet, quàm Lucæ? Nec recipienda est illa Augustini argutia. in spe dimissa fuisse peccata baptismo Ioannis, Christi baptismo reipsa dimitti.*

1550. Ioannes Brentius ad cap.3. Lucæ: *Baptisma Ioannis nihil differt à baptismo Apostolorum, quo nunc vtitur Ecclesia.*

1560. Ad cap.19. Actor. *Ioannes primus fuit Euangelista, nec alio Baptismo baptizauit, quam quo Apostoli baptizarunt.*

Magdeburgenses Centuriæ 1. lib.1. cap.4. de baptismo: *Quod ad baptismum Ioannis Baptistæ, & Apostolorum attinet, ministerio & efficacia prorsus conueniunt. Nam à Deo Ioannes missus est, vt hanc nouam cærimoniam auspicaretur, & baptismo Ioannis remissio peccatorum applicabatur. Tantùm Ioannes inter se & Christum distinguit.* Ego quidem, *inquit*, baptizo aqua ille baptizabit Spiritu sancto, & igni *Quibus verbis testatur, se tantum esse ministrum baptismi, efficaciam autem tribuere, esse Christi opus.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Matthæi 3. *Vers* 7. Videns autem (*Ioannes*) multos Pharisæorum & Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, &c. 11. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est (fortior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare,) ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.

Matth. 21.25. Baptismus Ioannis vnde erat? è cælo, an ex hominibus?

Actorum 1.5. Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies

Actorum 19.1. Factum est autem, cùm Apollo esset Corinthi, vt Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum, & inueniret quosdam discipulos, dixitque ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audiuimus. Ille verò ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis baptismate. Dixit autem Paulus: Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens: In eum qui venturus esset post ipsum vt crederent, hoc est, in IESVM. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Iustinus. 160.

Quæstione 37. Baptismus Ioannis prooemium fuit Euangelij gratiæ. Quocirca supra legem fuit. Alioquin non admisisset eos, qui secundum legem peccauerant: vt in hoc per pœnitentiam & fidem Christi reciperent commissorum peccatorum remissionem.

Origenes. 230.

Tomo 8. in Ioannem: *Ego*, inquit Ioannes, *aqua baptizo*, veluti purgans & deterrens à rebus malis, & ad resipiscentiam inuitans: vt præpararem enim veluti populum instructum ego veni: & ad præparandum locum resipiscentiæ per baptismum post me venturo: qui hac etiam ratione longè potentius, præstantiusq́; quàm mea sit potentia, vobis adiumento futurus est. Siquidem illius baptismus non est corporalis, cùm resipiscentem repleat Spiritus sanctus, qui igne diuiniori quicquid vel materiale, vel terrenum fuerit, demolitur, consumitque. Et hoc non tantùm in eo, qui ipsum admiserit, sed etiam in eo, qui audierit ipsum habentes, &c. Quin & hoc insuper notandum, quod Ioannis baptismus Iesu baptismo, quod dabatur per discipulos eius, inferior erat. Qui ergo in Actis baptizati erant in Ioannis baptismo, & neque an Spiritus sanctus esset, audierant, denuò ab Apostolo baptizantur: quia regeneratio non apud Ioannem, sed apud Iesum, per Apostolos suos fiebat, atque etiam regenerationis quod dicitur lauacrum: quod fiebat, cùm renouationem Spiritus, qui etiam nunc prætertur aquæ, (quoniam à Deo est) sed non omnibus post aquam imprimitur, & ingeneratur.

Macarius Episcopus Hierosolymitanus. 325.

In Synodo Nicæna prima lib.2. responsione 2. Christus vsque ad tricesimum annum transigens, vt omni ætati benediceret, tunc ad Baptismum venit, prædicante Ioanne Zachariæ filio ad populum baptismum pœnitentiæ, non autem remissionis peccatorum, aut adoptionis filiorum donum largiente. Non enim erat Ioannis hoc dare, sed neque Angeli, sed ipsius duntaxat incarnati, & inhumanati Verbi Dei.

Antonius Eremita. 340.

Epist. 3. Sermo iste vobis fit manifestus, quòd Ioannes quidem præcursor Iesu baptizauerit in remissionem peccatorum propter nos, Spiritu autem sanctificati fuerimus in Christo.

Athanasius. 350.

Quæstion. 134. Quartum baptisma fuit Ioannis, introductiorum quidem illud, nondum tamen omnino spirituale, quo nos quoque baptizamur.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi. 3 Magnus Ioannes: sed quid is ad Dominum? magnifica vox clamantis, sed quid ad Dominum? magnificus præco, sed quid ad regem? Bonus ille, qui baptizabat, sed quid ad illum, qui baptizabat Spiritu & igne? Spiritu sancto & igne Apostolos baptizabat Saluator, quando est de cælo factus repente sonus, tanquam venientis spiritus vehementis.

Basilius Magnus. 370.

Exhortatione ad Baptismum: Ioannes, ad quem omnis accedebat Iudæa, pœnitentiæ baptismum prædicauit: Dominus autem adoptionis filiorum longè præclarius annuntiat. Quis igitur eorum, quibus spes est in eo, non obediet? Initiatorium erat Ioannis baptisma, istud verò perfectorum. A peccato illud auocabat, istud cum Deo coniungit, & familiarem reddit.

Homilia: *Quomodo baptizetur aliquis baptismate*

quod

quod est in Euangelio Domini nostri Iesu Christi. Et Ioannes Baptista, quo inter natos mulierum maior est nemo, testificatur, dicens: *Nunc quidem illum oportet crescere, me autem minui: nunc vero ego quidem baptizo vos in aqua ad resipiscentiam: ille vero baptizabit vos in Spiritu sancto & igne*, & talia multa. Quantum verò discriminis est inter Spiritum & aquam: tantundem videlicet est & inter eum, qui baptizat in Spiritu sancto: & eum, qui baptizat in aqua. Ita & de ipso baptismate habet, vt ipse Ioannes, qui tantus, ac talis, & tantopere ab ipso Domino deprædicatus est, liberè prædixerit: *Non sum sufficiens ad hoc, vt corrigiam calceamenti illius soluam.* Itaque ex his omnibus manifestum est, quæ sit baptismatis secundùm Euangelium Christi eminentia, quam etiamsi pro dignitate cognoscere impossibile sit, vel pro nostra facultate, eaq; vt à Deo nobis subministratur, ex Scripturis commendare: pium est, & vtile. Baptismus itaque per Mosen traditus, primùm peccatorum differentiam obseruauit. Non enim quæuis peccata remissionis gratiam assequebantur. Deinde verò & differentia sacrificia exigebat, purificationem studiosè petebat, impurum & maculatum aliquandiu à reliquis seperabat, dierum & horarum obseruantiam statuebat: & tunc baptismus illis, à quibus accipiebatur, quasi quædam purificationis erat obsignatio. Ioannis verò baptisma multis modis excelluit. Nullam enim prorsus peccatorũ faciebat differentiam: nullum exigebat sacrificiorum discrimen, purificationem studiosè non efflagitabat, nec dierum aut horarum habebat obseruantiam, nec vllam prorsus faciebat ad gratiam Dei, & Christi ipsius perueniendi dilationem. Simul atque accesserat quis, & peccata sua, quantacunque & qualiacunque fuissent, confessus fuerat, in Iordanis flumine baptizabitur, & confestim peccatorum remissionem accipiebat. Domini verò baptisma omnem humanam rationem superat, & gloriam habet quodcunque humanum desiderium ac votum excellentem, ac maiore gratiæ ac virtutis supereminentia reliqua superat, quàm solis splendor cæteras stellas excellit.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 39. quæ est oratio panegyrica in sancta lumina: Age de varijs baptismorum generibus, aliquid disseramus, vt hinc purgati discedamus. Baptizauit Moses, verùm in aqua, priusque etiam in nube, & in mari. Cæterùm hoc per figuram agebatur, quemadmodum & Paulo placet. Mare enim aquam, nubes Spiritum, manna panem illum vitæ, potio diuinam potionem adumbrabat. Baptizauit etiam Ioannes: non iam ille quidem Iudaico more: (non enim in aqua solùm, sed etiam ad pœnitentiam:) nondum tamen prorsus spiritualiter: nec enim addit, in Spiritu. Baptizat quoque Iesus, sed in Spiritu. Quod quidem perfectum, numerisq; omnibus absolutum baptisma reddit.

Ioannes Chrysostomus. 400.

In Matthæum Homil. 11. Postquam Ioannes baptismatis sui professus est simplicitatem, nec quicquam illud amplius habere monstrauit, quàm vt eos ad pœnitentiam duceret: non enim dixit in aqua remissionis, sed pœnitentiæ: tum demum ponit etiam Christi baptisma, ineffabilium donorum liberalitate cumulatum.

Homilia 12. Sancti Spiritus gratia in Christi baptismate est: Ioannis verò baptisma hac donatione priuatur.

Homil. 40. ad cap. 19. Acto. *Et cùm imposuisset*, inquit, *illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super illos, & loquebantur linguis, ac prophetabant.*) Ab ipso baptismo prophetant: hoc autem Ioannis baptismus non habebat. Ideo & imperfectus erat. Vt autem talibus digni fierent, prius illos præparauit, atque hoc volebat Ioannes baptizans, vt crederent in eum, qui post se venturus. Hinc ostenditur dogma magnum, quòd perfectè purgantur à peccatis qui baptizantur. Nisi enim purgarentur, non accepissent illi Spiritum, non tam statim consecuti essent charismata. Et vide quòd duplex donum fuerit, & linguæ, & prophetiæ. Bene autem dixit Baptisma pœnitentiæ, quod Ioannis est, & non remissionis: adducens illos & suadens, quod absque ea fit illud. Posterius enim dati baptismatis opus, est remissio.

Auctor operis imperfecti in Matthæum apud Chrysostomum 400.

Homilia 3. Christi baptismus non soluit Ioannis Baptismum, sed in se inclusit. Qui enim baptizatur in nomine Christi, vtrumque baptismum habet, & aquæ, & Spiritus. Quia Christus Spiritus erat, & corpus suscepit, vt & spirituale & corporale baptisma daret. Ioannis autem baptismus non inclusit in se baptismum Christi: quia quod maius est, minus in se includit, quod autem minus est, maius in se includere non potest. Ideo Apostolus, cùm inuenisset quosdam Ephesios Ioannis baptismate baptizatos, iterum baptizauit eos in nomine Christi: Acto. 19
quia in Spiritu non erant baptizati. Si ergo super Ioannis baptisma, quod plenum quidem non erat, tamen rectum erat, iterum baptismum Christi dare licuit Apostolo, quomodo tu dicis, quia super baptismum meum melius non debes baptizare, quod nihil habet in se præter baptismi nomen? &c. Ergo Paulus secutus Christi exemplum, baptizabat eos, qui baptismate Ioannis fuerant baptizati: quoniam & Christus iterum baptizauit eos, qui à Ioanne erant baptizati, sicut Sermo demonstrat, dicens: *Ego quidem baptizo vos in aqua, ille autem baptizabit in Spiritu.* Nec videbatur iterum baptizare, sed semel. In quo enim amplius erat Christi baptismum, quàm Ioannis, in hoc nouum baptismum videbatur, & non iteratum. Si ergo post baptismum Ioannis, quod etsi perfectum non erat, tamen legitimum erat, baptizabat Christus, vt aliquid amplius daret hominibus, quomodo post impium baptismum non licet dare sanctum?

Cyrillus Alexandrinus. 430

Libro 1. *in Ioannem cap.* 26. Ego, inquit Ioannes præparando aqua inquinatos peccatis lauo ad initium pœnitentiæ, & hoc pacto ab his minoribus sublimiora vos præparabo. Ad hoc enim missus sum, & hoc tam re baptizans, quàm verbis facio, prædicans præparare viam Domini. Maiorum autem rerum, & summæ perfectionis largitor medius vestrûm stetit, quem adhuc, quia carne indutus est, non cognouistis.

Lib. secundo capite 57. *in Ioannem:* Videbat Euangelista, Spiritus sancti gratia illuminatus, quàm necessarium esset ea narrare, quibus quantum Christi baptismus Ioannis baptismo præstaret, aperiretur: perspexit non multò post aliquos futuros, qui aut nullam inter baptismum & baptismum differentiam facerent, sed pari laude vtrunque coronarent, aut ob imperitiam & lapsum hominem meliorem esse baptismum Ioannis putarent. Ne igitur temerarij homines aquam Ioannis, qua in pœnitentiam baptizabat, spirituali baptismo Christi anteferre auderent, causas tam turpis temeritatis euertens, ipsum Baptistam exponit huius quæstionis fragilem nodum dubitantibus suis discipulis dissoluisse. Baptizabat enim Christus per discipulos suos: Ioannes quoque ipse non per alios, sed manibus suis: nec in ijsdem fontibus, in quibus Christus hæc faciebat, sed iu-

xta Salim, & in fonte quodam certo atque vicino: vt etiam hac fontis determinatione subobscurè & ænigmaticè subaperiret, baptismum suum, cùm esset imperfectus, introductorium ad perfectiorem fuisse. Nam veluti lex Mosaica futurarum rerum & spiritalis cultus præparatio quædam fuit, occultam veritatem parturiens: sic baptismus Ioannis ad baptismum Christi collatus, præparationis vim obtinebat.

Titus Bostrensis. 460.

Ad cap. 3. Lucæ: Baptisma Christi ex vi propria perfectam peccatorum remissionem habet: at verò Ioannis Baptisma, licet peccatorum remissionem adiunctam habebat, non eam tamen ex se habebat, sed ex pœnitentia. Erat enim imperfectum, quamuis cæteris Iudæorum Baptismatis perfectius. Præparabat enim homines ad pœnitentiam: eosdemque, qui Christi aliquando baptismum suscipere[n]t, capaces reddebat.

Victor Antiochenus. 460.

Ad caput 1. Marci: Ad Baptismi Ioannis vim & rationem quod attinet, obtinebat illud medium quodammodo inter nostrum & Iudæorum: erat namque Iudaico perfectius, nostro verò multis partibus imperfectius. Quare ex ipsa baptismi natura, quo Dominus vsus est, in peccatorum expiationem ablutum non esse, manifestum est: Ipse enim vnus ille erat, & est, qui tollebat, *& tollit peccata mundi: quia peccatum non fecit, nec est inuentus in ore eius dolus.* Sed neque ob id quoque Ioannis baptismo initiatus est, quòd Spiritus sancti gratia, aut aliquo eiusdem Spiritus dono indigeret. Siquidem baptisma illud vtriusque vacuum, neutrum per se præstare poterat. At verò multo minus in pœnitentiæ symbolum (quo sensu cæteri ad Ioannis baptismum accedebant) in Iordanis flumine lustratus est, &c.

Nonnus. 500.

Paraphrasi capitis 1. Ioannis:

Sed ipse mihi dixit sua significatiua voce,
Qui me præmisit regenerationem corpus hominum
Baptizare non igniti, & Spiritu carentibus lauacris:
Super quem conspexeris leuem descendentem
Spiritum Dei intelligentis, & ibi firmiter manentem,
Hic non illuminatis incem hominibus præbebit.
Igne baptizans & Spiritu. Et ipsum oculis vidi ego.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 10. Quartum baptisma Ioannis fuit, rudimentarium videlicet illud: eosque qui baptizantur, ad pœnitentiam ducens, vt Christi fidem postea amplecterentur. *Ego enim*, inquit, *aqua vos baptizo: qui autem post me venit, ipse vos in Spiritu sancto & igne baptizabit.* Itaque Ioannes homines ad Spiritum per aquam ante purgabat, ac præparabat.

Elias Cretensis. 790.

In Orationem 24. Nazianzeni: Scriptum est, quòd
Acto. 19. cùm Paulus Ephesum se contulisset, illicque discipulos quosdam inuenisset, sciscitabatur ex ijs, in quem baptizati fuissent. Cumque respondissent, in Ioannis baptismo, Paulus rudimentarium hunc esse dixit, atque ad Christum, qui post eum venturus erat, transmittere. Quod illi vt audierunt, statim à Paulo hunc baptismum petierunt, ab eoque in Christi nomine baptizati sunt: & cùm manus ipsis imposuisset, venit super eos Spiritus sanctus.

Theophylactus. 900.

Ad caput 3. Matthæi: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto* hoc est, mundabit vos largiter Spiritus sancti gratijs, quia meum, inquit, baptisma non dat spiritalem gratiam, sed neque peccatorum remissionem: ipse autem & remittit vobis peccata, & Spiritum liberaliter dabit.

Ad cap. 3. Lucæ: Prędicauit Ioannes Baptisma pœnitentiæ populis, hoc est, inuulgauit. Porrò baptisma cooperabatur illis in remissionem peccatorum quæ per baptismum Christi datur. Neque enim baptisma Ioannis remissionem peccatorum habebat, sed ad remissionem conferebat: hoc est, præparabat homines, vt acciperent Christi baptisma, quod habebat remissionem peccatorum.

Oecumenius. 1050.

Ad cap. 19. Act. Apost. A Ioannis baptismo vaticinatur, eosque inducit dicens, quòd hoc vellet Ioannis baptisma: deinde ostenditur parui momenti fuisse Ioannis Baptisma. Neque enim dixit remissionis fuisse, sed pœnitentię, postmodum baptizatos eos in nomine Domini dicit sub manibus Pauli Spiritum sanctum accipere.

Euthymius. 1080.

Ad cap. 1. Marci: Quòd tamen baptismus, quo baptizabat Ioannes, non conferebat peccatorum remissionem, manifestum est. Siquidem baptismus Ioannis pœnitentię solùm erat: Christi verò baptismus remissionis erat. Quam eorum differentiam ipse Præcursor docuit, dicens: *Ego quidem baptizo vos in aqua*, scilicet nuda: *Ipse autem baptizabit vos in Spiritu sancto.* Ante Saluatorem enim nusquam apparet data remissio peccatorum, sed primus Christus hoc donum largitus est per semetipsum, & per suum baptisma. Manifestum est ergo baptisma Ioanni, præparationem fuisse ad peccatorum remissionem. Oportet enim vt peccatorem primum pœniteat, deinde remissionem adipiscatur. Sed iam videamus quid Euangelista dicat: *Fuit*, inquit, *Ioannes baptizans in deserto, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Non dixit: pœnitentiæ, & remissionis peccatorum, ne putes illud baptisma remissionem quoque tribuisse, sed addidit: *In remissionem peccatorum*, hoc est, propter remissionem. Nam prædicabat pœnitentiam causa remissionis, vt per pœnitentiam de peccatis redarguti & compuncti, eum feruenter quærerent, qui tollit peccatum mundi, quo apparente procurrerent, & peccatorum remissionem ab eo acciperent.

Nicetas. 1200.

In Oratione 39. Nazianzeni: Baptisma Ioannis in aqua quidem fuit, & ad pœnitentiam, cæterùm nō in Spiritu. *Hic est enim*, inquit, *qui baptizat in Spiritu sancto*: Et: *ipse baptizabit vos in Spiritu sancto.* Is enim qui baptizandi munere fungi iubet, baptizare dicitur. Quocirca Ioannis baptismus puerilis cuiusdam institutionis vice erat: Christi autem baptismus perfectionem afferebat. Ille pœnitentiæ, hic adoptionis: ille secessio erat à peccato, hic adiunctio ad Deum.

In Orat. 42. Nazianzeni: Ad accipiendum Spiritum per aquam præpurgabat Ioannes: *Ego enim*, inquit, *baptizo vos in aqua: ipse autem baptizabit vos in Spiritu sancto.* Præpurgator itaque Ioannis baptismus erat, ad spiritualem Christi baptismum ducens, qui & purgandi, & perficiendi vim habet.

Nicephorus Callistus. 1300.

Ecclesiast. hist. lib. 1. cap. 18. Ioannes apertè confirmabat, se præmissum esse ei, qui iam prope adesset, Seruatori Christo, ad occupandas quam primum, expediendasque vias illius pœnitentiæ disciplina, & aquæ baptismo. Illum autem ipsum iam iam adfuturum, qui igne & Spiritu sancto baptizaturus, atque triticum, & eos, qui inutilem & infructuosam atque adeo palearem vitam egissent, discreturus esset. Ad hunc modum præuia Verbi vox ad se accedentes Iordanis fluuij vndis, præcedente peccatorum confessione, immittebat, pręcidaneisque expiationibus per aquam purgabat, & aduenienti illi reponebat, certoque reseruabat.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Libro de Baptismo cap.10 Baptismus ab Ioanne denuntiatus iam tunc habuit quæstionem, ab ipso quidem Domino propositam Pharisæis, cælestisne is baptismus esset, an verò terrenus? De quo illi non valuerunt constanter respondere, vtpote non intelligentes, quia nec credentes. Nos porrò quantula fide sumus, tantulo & intellectu possumus æstimare, diuinum quidem eum baptismum fuisse, mandatu tamen non & potestate, quòd & Ioannem à Domino missum legimus in hoc munus, cæterùm humanum conditione. Nihil enim cæleste præstabat, sed cælestibus præministrabat, pœnitentiæ scilicet præpositus, quæ est in hominis potestate. Denique legis doctores & Pharisæi, qui credere noluerunt, nec pœnitentiam egêre. Quòd si pœnitentia humanum est, & baptismus ipsius eiusdem conditionis fuerit necesse est, aut daret & Spiritum sanctum, & remissionem delictorum, si cælestis fuisset. Sed neque peccatum dimittit, neque Spiritum indulget, nisi Deus solus. Etiam ipse Dominus, nisi ipse prius ascenderet ad Patrem, aliter negauit Spiritum descensurum. Id quod Dominus nondum conferebat, seruus vtique præstare non posset. Adeò postea in Actis Apostolorum inuenimus, quoniam qui Ioannis baptismum habebant, non accepissent Spiritum sanctum, quem ne auditu quidem nouerant: ergo non erat cæleste, quod cælestia non exhibebat, &c. Agebatur itaque baptismus pœnitentiæ quasi candidatus remissionis & sanctificationis in Christo subsecuturæ. Nam quòd prædicabat baptismum pœnitentiæ in remissionem delictorum, in futuram remissionem enuntiatum est. Siquidem pœnitentia antecedit, remissio subsequitur, & hoc est viam præparare: qui autem præparat, non idem ipse perficit, sed alij perficiendum procurat. Ipse profitetur sua non esse cælestia, sed Christi, dicendo: *Qui de terra est, de terra loquitur: qui de supernis venit, super omnes est.* Item sola se pœnitentia tinguere, venturum mox qui tingueret in Spiritu & igni.

Act. 19.

Ioan. 3. Luc. 3.

Annot. *Ex his intelligimus, quomodo sint accipienda illa verba, quæ capite 1. huius libri auctor ponit:* Neque quicquam refert inter eos, quos Ioannes in Iordane, & Petrus in Tiberi tinxit: *nam non loquitur de toto baptismo, sed solùm de materia, & docet non referre qua quis aqua baptizetur.*

Cyprianus. 250.

Epist.73. Nec recusabunt baptizari apud nos hæretici legitimo & vero Ecclesiæ baptismo, quando ex nobis didicerint, baptizatos quoque à Paulo eos, qui iam baptismo Ioannis baptizati fuissent, sicut legimus in Actibus Apostolorum. Et nunc apud quosdam de nostris hæreticorum baptisma occupatum asseritur, & inuidia quadam quasi rebaptizandi, baptizare post hostes Dei nefas ducitur: cùm baptizatos inueniamus, quos Ioannes baptizauerat: ille Ioannes maior inter Prophetas habitus, ille diuina gratia adhuc in vtero matris impletus, ille Heliæ spiritu & virtute subnixus, qui non aduersarius Domini, sed Præcursor & prædicator fuit.

Act. 19.

De Baptismo Christi & manifestatione Trinitatis: Bonis quippe sæpe malorum ministeria suffragantur. Supponit itaque ceruicem sanctam manibus hominis humilitas Redemptoris, & licet plenam non habeat virtutem, suscipit tamen Christus baptisma Ioannis. Præparabat viam Domino Ioannes, lauando exterius corpora, vt præcederet exterius lauacrum secuturum baptisma, in quo conferretur animarum ablutio, & peccatorum remissio. Præcessit quod erat ex parte, vt consummatio sequeretur.

Hilarius. 350.

In Matthæum Can.2. Quia legis opus inefficax esset ad salutem, & Ioannes baptizandis in pœnitentiam nuntius extitisset, se quidem baptizare in pœnitentiam dicit, sed fortiorem esse venturum, cuius ferendorum ac soluendorum calciamentorum sit indignus officio: Apostolis circumferendæ prædicationis gloriam derelinquens, quibus speciosis pedibus pacem Dei erat debitum nuntiare. Salutis igitur nostræ, & iudicij tempus designat in Domino, dicens: *Ille baptizabit vos in Spiritu sancto & igni:* Quia baptizatis in Spiritu sancto, reliquum sit consummari igne iudicij.

Ambrosius. 370.

Ad cap.3. Lucæ: Ego (inquit) *vos aqua baptizo.*) Citò probauit non esse se Christum, qui visibili operetur officio. Nam cùm ex duabus naturis homo, id est, ex anima subsistat & corpore: visibile per visibile, inuisibile per inuisibile mysterium consecratur. Aqua enim corpus abluitur: spiritu animæ delicta mundantur. Aliud agimus, aliud inuocamus: licet etiam in ipso fonte sanctificatio diuinitatis aspiret. Non enim aqua omnis ablutio est, sed hæc inter se diuisa esse non possunt: & ideo aliud fuit baptisma pœnitentiæ, aliud gratiæ est. Istud ex vtroque, illud ex vno. Nam cùm communia delicta sint mentis & corporis, purificatio quoque debuit esse communis.

Sermone 16. de Natali Domini: Christus erat lucerna ardens: Ioannes autem vt præcedens lucernæ lumen exiguum, ait: *Ecce venit post me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.* Simul etiam intelligens lumen suum solis radijs offuscandum, ante prædicit: *Illum oportet crescere, me autem minui.* Ioan. 3.
Sicut enim lucernæ claritas destruitur solis aduentu: ita & Ioannis pœnitentiæ baptismum superueniente Christi gratia vacuatum est.

Optatus Mileuitanus. 380.

Libro 5. contra Parmenianum: In hac re omnes discipuli eius sumus, & nos operemur, vt ille det, qui se daturum esse promisit. Et tamen cùm Ioannes infinita millia hominum baptizaret, iam Christo præsente operabatur seruus, & vocabat Dominus antequam baptizandi daret formam. Peractum est non modicum tempus, millia hominum in pœnitencia & remissione tincta sunt peccatorum. Sed nemo tinctus fuerat in Trinitate: nemo adhuc nouerat Christum: nemo audierat esse Spiritum sanctum. At vbi venit tempus plenitudinis, certo tempore dedit leges baptismatis Filius Dei: & dedit viam, qua iretur ad regna cælorum, dum præcepit dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ex ea die oportuit fieri quod mandatum est. Ante tempus noluit emendare quod operatum, ne licentiam rebaptizandi daret: quamuis alterum fuerit baptisma Ioannis, & alterum sit Christi. Baptisma Ioannis ante leges plenum esse voluit, quod non erat plenum. Et tamen supra memorata millia hominum, qui in eo crediderant, quamuis ignorarent Filium Dei & Spiritum sanctum, regnum cælorum eis denegari non potuit. Inde vox Filij Dei dicentis: *A diebus Ioannis vsque in hodiernum diem, regnum Dei vim patitur: & qui vim faciunt, diripiunt illud.* Ideo dixit: *Vim patitur*, quia

adhuc baptizabat Ioannes. Denique quia alterum tem-, us erat ante præcepta, alterum post præcepta. Qui post præcepta in nomine Saluatoris baptizati sunt, in regnum legibus intrauerunt. Qui ante præcepta, sine lege vim fecerunt, sed exclusi non sunt. Ergo ante præcepta baptisma Ioannis, cùm esset imperfectum, pro perfecto iudicatum est ab eo, cuius nomen indicabat. Et quia quasi limes quidam fixus esset iussionis inter tempora antecedentia & sequentia: Cùm apud Ephesum baptizarentur aliqui baptismate Ioannis post præcepta, hos videns beatissimus Paulus interrogauit: An accepissent Spiritum sanctum: Dixerunt illi, se nescire an esset Spiritus sanctus. Et dixit illis, vt post baptisma Ioannis acciperent Spiritum sanctum. Sic enim baptizati erant, quemadmodum multi à Ioanne fuerant baptizati. Sed qui ante leges baptizati sunt, ad indulgentiam pertinuerunt, quia præsens fuerat qui indulgentiam daret: & non erant ex toto rei, qui legibus non fuerant occupati. Hi verò, qui apud Ephesum post leges Ioannis baptismate baptizati fuisse leguntur, post leges in Sacramento errauerant: quia iam introductum fuerat baptisma Domini, & exclusum fuerat serui. Et ideo quia post mandata diuina legibus debuerant ire in regnum, non per violentiam: (iam enim terminum temporis fixerat Christus, dicendo: *A diebus Ioannis vsque in hodiernum*). Post hodiernum iam non licebat quod heri licuerat. Quare nolite vobis blandiri de dicto Apostoli Pauli, qui non post personam operarij interrogauit, sed post rem: cui res, non persona displicuit. Denique baptisma Saluatoris iussit, vt discerent qui non nouerant: quia non ipsum, sed aliud acceperant. Vos verò quid imitamini? Si res potestis mutare, rectè feceritis: si tamen de lege aliquid faceretis. Paulus dixit: *In quo baptismate baptizati estis?* Et dixerunt: *Ioannis*. persuasit eis, vt baptisma Christi acciperent.

Hieronymus. 390.

Dialogo contra Luciferianos cap. 3. Ioannes Spiritum sanctum non dedit, quem Cornelius Centurio, antequam baptizaretur, accepit? Responde, quæso, cur non dederit? Ignoras? Audi quid Scripturæ doceant: Ioannis Baptisma non tam peccata dimisit, quàm baptisma pœnitentiæ fuit, in peccatorum remissionem, id est, in futuram remissionem, quæ esset postea per sanctificationem Christi subsecutura. Si Ioannes, vt confessus est ipse, non baptizauit in Spiritu, consequenter neque peccata dimisit: quia nulli hominum sine Spiritu sancto peccata dimittuntur. Aut si contentiosè argumentaris, ideo Ioannis baptisma dimisisse peccata, quia de cælis fuit: edoce, quid amplius in Christi baptismate consequamur, quod peccata dimittit, & liberat à gehenna. Quod à gehenna liberat, perfectum est. Perfectum autem baptisma non est, nisi quod in cruce & in resurrectione Christi est. Ita tu peruersè religiosus, dicente ipso Ioanne: *Illum oportet crescere, me autem minui:* dum serui baptismo plus quàm habuit tribuis, Dominicum destruis, cui nihil amplius relinquis. Quorsum ista tendit assertio? videlicet, vt non tibi durum videatur, si ij, qui à Ioanne fuerant baptizati, postea per impositionem manus Apostolorum sint Spiritum sanctum consecuti, cùm constet eos, ne peccatorum quidem sine subsecutura fide remissionem consecutos. Ioannis
Act. 19. baptisma intantum imperfectum fuit, vt constet postea Christi baptismate baptizatos, qui ab eo fuerant baptizati.

Epist. 150. ad Hedibiam quæst. 9. Vnde & in Actibus Apostolorum, qui Ioannis baptismate fuerant baptizati, & credebant in Deum Patrem & Christum, quia Spiritum sanctum nesciebant, iterum baptizantur, imò tunc verum accipiunt baptisma. Absque enim Spiritu sancto imperfectum est mysterium Trinitatis.

Augustinus. 420.

In Enchiridio ad Laurentium cap. 49. Non renascebantur, qui baptismate Ioannis baptizabantur, à quo & ipse Christus baptizatus est, sed quodam præcursorio illius ministerio, qui dicebat: *Parate viam Domino:* huic vni, in quo solo renasci poterant, parabantur. Huius enim baptismus est non in aqua tantùm, sicut fuit Ioannis, verùm etiam in Spiritu sancto, vt de illo Spiritu regeneretur quisquis in Christum credit, de quo Christus regeneratus, regeneratione non eguit. Matth. 3.

Tractatu 5. in Ioannem: Et rursus, ne hoc ipsum, quod accepit à Ioanne Christus, præponeretur baptismati Christi, permissi sunt & alij baptizari à Ioanne. Sed qui baptizati sunt à Ioanne, non ijs suffecit. Baptizati sunt enim baptismo Christi: quia non baptismus Christi erat baptismus Ioannis. Qui accipiunt baptismum Christi, baptismum Ioannis non quærunt: qui acceperunt baptismum Ioannis, baptismum Christi quæsierunt. Ergo Christo suffecit baptismus Ioannis? Quomodo non sufficeret, quando nec ipse erat necessarius? Illi enim nullum baptisma erat necessarium, sed ad hortandos nos ad baptisma suum, suscepit baptismum serui. Et ne præponeretur baptismus serui baptismo Domini, baptizati sunt alij baptismate conserui: sed qui baptismate conserui baptizati sunt, oportebat vt baptizarentur baptismate Domini. Qui autem baptizantur baptismate Domini, non opus habent baptismate conserui.

Innocentius Primus. 406.

Epistola 27. cap. 5. Baptizatos ritè ab Euangelista Philippo Petrus & Ioannes sola manus impositione consummant. Illos verò, quos Apostolus Paulus Ioannis baptismate baptizatos reperit, interrogauitque an Spiritum sanctum accepissent, fatentibusque se ne illud quidem nomen audiuisse, iussit eos baptizari. Videtis ergo ritè baptizatos, illo dono iterari non posse: & aliter sola aqua lotos baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti necessarium peruideri.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia septima in Epiphania Domini: Prædicabat in deserto Ioannes baptismum pœnitentiæ populo peccatori, non quo crimina commissa deleret, sed quo emendaret errantes. Nam remissio peccatorum Christi gratiæ seruabatur, &c. Properante Saluatore ad fluuium, Ioannes circumstantibus turbis talem prorupit in vocem: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Hoc est dicere, cessate iam, cessate à baptismo meo, quo pœnitentia suscipitur: ecce Baptista, per quem crimina dimittuntur. Definite vlterius à conseruo vestro baptizari velle, præsens est Dominus omnium nostrum, qui baptizat ad vitam.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone centesimo trigesimo septimo: Erat penes Ioannem venia, sed non sine pœnitentia: erat remissio, sed luctibus comparata: erat cura vulneris cum dolore: erat baptisma, quod culpam tolleret, conscientiam non deleret. Et quid plura? Per baptisma Ioannis purificabatur homo ad pœnitentiam, non promouebatur ad gratiam. At verò Christi baptisma sic regenerat, sic immutat, sic hominem reddit ex vetere nouum, vt præterita nesciat, non recordetur antiqua, qui de terreno cælestis, iam cælestia possidet & diuina.

Leo Primus. 450.

Epistola 4. cap. 6. Si quis Epiphaniæ festiuitatem, quæ in suo ordine debito honore veneranda est, ob hoc existimat priuilegium habere baptismatis, quia hoc quidam putant, quòd in eadem die Dominus ad baptismum S. Ioannis accesserit, sciat, illius baptismi aliam gratiam, aliam fuisse rationem, nec ad eandem pertinuisse virtutem, qua per Spiritum sanctum renascuntur, de quibus dicitur: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Ioan.1.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Dominica 4. Aduentus: In aqua, non Spiritu baptizabat Ioannes: quia peccata non soluebat, sed corpora tantùm lauabat, & Christi baptismum baptizando significabat. Illius ergo baptismus vmbra quædam erat, & significatio melioris baptismi.

Homil.1.de Ioanne Baptista: Ioannes salutem prædicauit, Christus contulit: Ille baptizauit in pœnitentiam, iste generauit in gratiam.

Arator. 540.

Historiæ Apostolicæ lib.2.

Nomine venturi Præcursor in orbe Ioannes
Exhibuit baptisma suum, Dominoquê parauit
Ipse viam, memorans cunctis baptisma futurum
Post aliud, quod iure datur, quod trina potestas
Illustrare solet. sed quod magis eligit huius
Tangere Christus aquas, formam facit omnibus ad se
Currere fonte pio, sacram ne deserat vndam
Vlterius mortale genus, quam corpore mundo
Et Dominus dignatus erat, cum diluit amnem
Per famulum mergente Deo: iam flumine tacto
Discipulis hoc cessit opus, quos dogmata plures
Baptizasse canunt: serui cessare lauacrum
Fas fuerat veniente Dei, prænuntius ex quo
Dixerat ista prius, quo fecit tempore Iesus
Iam plenum baptisma geri, velut ante Ioannes
Insolitum propriumque daret. Quæ regula Paulum
Compulit, vt Christi deberent fonte renasci.

Gregorius Magnus. 590.

Super Euangelia Homilia 7. *Ego baptizo in aqua.*) Ioannes non in Spiritu, sed in aqua baptizat: quia peccata soluere non valens, baptizatorum corpora per aquam lauat; sed tamen mentem per veniam non sanat. Cur ergo baptizat, qui peccata per baptisma non relaxat, nisi vt præcursionis suæ ordinem seruans, qui nasciturum nascendo præuenerat, baptizaturum quoque Dominum baptizando præueniret? Et qui prædicando factus est præcursor Christi, baptizando etiam præcursor eius fieret, imitatione Sacramenti?

Homil.20. Cunctis legentibus liquet, quia Ioannes non solùm baptismum pœnitentiæ prædicauit, verùm etiam quibusdam dedit: sed tamen baptismum suum in remissionem peccatorum dare non potuit. Remissio enim peccatorum in solo nobis baptismo Christi tribuitur. Notandum itaque quod dicitur: *Prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum:* quoniam baptismum, quod peccata solueret, quia dare non poterat, prædicabat: vt sicut incarnatum Verbum Patris præcurrebat verbo prædicationis, ita baptismum pœnitentiæ, quo peccata soluuntur, præcurreret suo baptismate, quo peccata solui non possunt: vt quia eius sermo præcurrebat præsentiam Redemptoris, ipsum quoque eius baptisma præcedendo, fieret vmbra veritatis.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Officijs Eccles. lib.2. cap.24. Baptizauit & Ioannes, sed non ex toto Iudaicè: Non solùm enim in aqua, nec tamen in Spiritu sancto: sed hoc solùm addidit, quòd in pœnitentia baptizauit, sicut ait Paulus in Act. Apostol. *Ioannes baptismo pœnitentiæ baptizauit populum.* Cui tamen ita datum est baptizare in aqua, vt Christus, qui in aqua & Spiritu sancto baptizaturus erat, Ioannis baptismate manifestaretur in Israel. Cœpit ergo perfectum baptisma à Iesu. Ipse enim baptizauit primò in Spiritu sancto, sicut & Ioannes dicit: *Ego quidem baptizo in aqua, medius autem vestrum stat, quem vos nescitis: ipse baptizabit vos in Spiritu sancto, & igni:* hæc est perfectio baptismi. Act.19. Ioan.1.

Beda. 700.

Ad cap.1. Marci: Cunctis legentibus liquet, quòd Ioannes baptismum pœnitentię non solùm prædicauit, verùm etiam quibusdam dedit: sed tamen baptismum in remissionem peccatorum dare non potuit. Remissio enim peccatorum in solo nobis baptismo Christi tribuitur. Notandum itaque quod dicitur: *Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum:* quoniam baptisma, quod peccata solueret, quia dare non potuit, prædicabat, vt sicut incarnatum Verbum Patris præcurrebat verbo prædicationis: ita baptismum pœnitentię, quo peccata soluuntur, præcurreret suo baptismate, quo peccata solui non possunt.

Alcuinus. 760.

Ad cap.1. Ioannis: Ioannes non Spiritu, sed aqua baptizat: baptizatorum corpora per aquam lauat, sed tamen mentem per veniam non sanat. Cur ergo baptizat, qui peccata per baptisma non relaxat, nisi vt præcursionis suæ ordinem seruans, qui nasciturum nascendo præuenerat, baptizaturum quoque Dominum baptizando præueniret? Et qui prædicando factus est præcursor Christi, baptizando etiam præcursor eius fieret, imitatione Sacramenti?

Ad cap.3. *Respondet Ioannes: Non potest homo accipere quicquam.*) Si meo testimonio creditis, scitote me non esse Christum, sed illum: & illius baptismum esse, in quo remissio peccatorum & Spiritus sanctus datur, non meum, in quo tantummodò pœnitentia datur, & fides in eum, de quo querimoniam nunc habetis.

Haymo. 820.

Ad cap. 6. epist. ad Romanos: Quatuor sunt genera baptismatum: vnum tantùm in aquis, sicut fuit baptisma Ioannis, quod remissionem peccatorum non dedit: aliud in igne, vel Spiritu, quo baptizati sunt Apostoli in die Pentecostes: tertium in aqua & Spiritu, in quo sancti Apostoli baptizabant, pręcipiente Domino: quod genus baptismatis sancta Ecclesia modò retinet: quartum est in sanguinis effusione, &c.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Eccles. cap. 26. Baptizauit Ioannes non in remissionem peccatorum, quod Christi baptismo agi consueuit, sed in pœnitentiam, dicens *in eum, qui venturus erat, vt crederent*, hoc est, in Iesum. De quo etiam testimonium perhibuit, dicens: *Ego quidem baptizo vos aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne.* Matt.3.

Radulphus Ardens. 1030.

Dominica 1. Aduentus: Ioannes baptismum non solùm prædicauit, sed etiam pluribus dedit: non quòd peccata dimitteret, sed quòd ad pœnitentiam homines monebat.

Dominica 4. Aduentus: Ego, inquit Ioannes, *baptizo in aqua*, id est, sola corpora, non animas laco. Sed dicis: Quare ergo baptizabat? Triplici de causa: prima, vt sicut nascendo, & prædicando,

ita Christum præcurreret baptizando: secunda, vt populum ad baptismum assuefaceret: tertia, vt populum ad pœnitentiam inuitaret.

Anselmus. 1080.

Ad caput 3. Matthæi: Baptismus Ioannis non conferebat remissionem peccatorum: quia nondum effusus erat sanguis Christi, sed tamen homines lauari consuescebant, &c. Oportebat ergo eosdem rebaptizari in baptismate Christi. Vnde quidam inueniuntur in Actibus Apostolorum baptizati in baptismate Ioannis, rebaptizati à Paulo in baptismum Christi. Sicut ergo Ioannes fuit præcursor prædicationis, ita & baptismatis.

Rupertus Tuitiensis. 1110.

De diuinis officijs libro 10. cap. 5. Hodierna lectio vnicam baptismi Christi commendat dignitatem, in eo, quòd Paulum discipulos, qui baptizati fuerant in Ioannis baptismate, rebaptizasse: imò quia baptizati non fuerant, in nomine Domini IESV baptizasse commemorat. Causa autem manifesta est, videlicet quia baptismus Ioannis non ad eandem virtutem pertinuit, quam operatur in nobis baptismus Christi Primò, quia omnes baptizabat in pœnitentiam: Christus verò baptizabat in remissionem peccatorum. Deinde, quod maximum est, Ioannes non baptizabat in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quæ sola & vnica regula est baptizandi.

Hugo Victorinus. 1130.

Tractatu 5. de Baptismo cap. 1. Baptismum Christi prænuntiauit Ioannes suo baptismate, quod sola aqua, & non Spiritu fiebat. Vnde ipsemet dicit:
Matt. 3. *Ego baptizo in aqua in pœnitentiam.* Sola enim corpora abluebat, peccata verò non tollebat. Ad quid ergo vtile? vt præparet ad baptisma Christi, sicuti Catechismus baptismum præcedit.

De Sacramentis fidei libro 2. parte 6. cap. 6. Inter baptisma Ioannis & baptisma Christi hæc distantia est: quòd in baptismo Ioannis per intinctionem aquæ solum Sacramentum dabatur: in baptismate verò Christi, cum Sacramento etiam res Sacramenti percipitur. Ioannes enim peccatores aqua tinxit, & peccata confitentibus pœnitentiam iniunxit: Christus baptizat, & peccata dimittit. Ille baptizans venturum, & baptizaturum in Spiritu prædicauit: hic baptizans ad remissionem peccatorum Spiritum infundit. Illic homines baptizabantur in nomine venturi: hic homines baptizantur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Petrus Lombardus. 1140.

Libro 4. distinct. 2. Baptismum Christi Ioannes suo baptismate prænuntiauit: qui primus baptizasse legitur, sed in aqua, non in Spiritu, sicut ipse ait: *Ego baptizo vos in aqua, in pœnitentiam.* Sola enim corpora abluebat: à peccatis verò non mundabat. Baptismus Ioannis erat in pœnitentiam, non in remissionem: baptismus verò Christi in remissionem. Quia Ioannes baptizans, homines ad pœnitentiam vocabat: & quos baptizabat, pœnitere docebat: secundùm illud: *Veniebant ad Ioannem in Iordanem, confitentes peccata sua:* sed in baptismo Ioannis non dabatur peccatorum remissio, quæ data est in Christi baptismo. Ad quid ergo vtilis erat Ioannis baptismus? Quia homines vsu baptizandi præparabat ad baptismum Christi.

Petrus de Riga. 1170.

In Aurora:

Sed baptisma suum nullius crimina mundat:
Baptismus Christi solus ad astra viget, &c.

Maxima plebs ad eum properabat, eosque lauans,
Baptizabat aquis, crimina nulla lauans.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In Octaua Epiphaniæ: Forma baptismi Ioannis fuit: *Baptizo te in nomine venturi,* scilicet Messiæ, vel Christi: baptismus eius fuit in aqua tantùm, vt homines assuefaceret ac præpararet ad suscipiendum Christi baptismum. Vnde & baptizati à Ioanne, postea baptizati sunt baptismate Christi ex aqua & Spiritu sancto.

Thomas Aquinas. 1250.

Tertia Summæ quæstione 38. articulo 3. Baptismus Ioannis gratiam non conferebat, sed solùm ad gratiam præparabat tripliciter. Vno quidem modo, per doctrinam Ioannis, inducentem ad fidem Christi: alio modo, assuefaciendo homines ad ritum baptismi Christi: tertio modo, per pœnitentiam præparando homines ad suscipiendum effectum baptismi Christi.

Richardus de Media Villa. 1280.

Libro 4. Sententiarum distinctione 2. artic. 2. quæstione 1. Quòd si extendamus nomen Sacramenti ad omne signum rei sacræ, sic baptismus Ioannis erat Sacramentum: quia expresse repræsentabat Christi baptismum, res sacras suscipientem. Si autem restringamus nomen Sacramenti ad id, quod sacræ rei signum & causa, sic non erat Sacramentum: quia non conferebat gratiam ex vi Sacramenti. Vnde respectu baptismi Christi debet dici fuisse Sacramentale: quia fuit quædam dispositio, & præparatio ad illius baptismi susceptionem.

Durandus à S. Portiano. 1300.

Libro 4. distinct. 2. quæstione 4. Baptismus Ioannis non conferebat gratiam, quod probatur auctoritate sacræ Scripturæ, & ex determinatione Ecclesiæ, & probabili ratione. Auctoritas Scripturæ habetur Matthæi 3. vbi dicit Ioannes: *Ego baptizo vos in aqua, ipse baptizabit vos in Spiritu sancto:* & Actor. 1. dicit Christus: *Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini in Spiritu sancto non post multos hos dies.* Ex quo arguitur, quòd gratia, per quam est remissio peccatorum, non datur nisi per Spiritum sanctum. Sed baptismus Ioannis erat in aqua, & non in Spiritu sancto, vt patet ex differentia, quæ ponitur inter ipsum & baptismum Christi. Ergo baptismus Ioannis non conferebat gratiam.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 3. Matthæi: Baptismus Ioannis ad hoc erat ordinatus, quasi quædam præparatio, & quædam præfiguratio baptismatis ipsius Christi de proximo venturi. Et ideo Ioannes non solùm prædicabat, sed etiam baptizabat. Quia sicut sua prædicatione nuntiabat Christum de proximo venturum, sic suo baptismate assuefaciebat homines ad libentius suscipiendum Christi baptismum. Vnde baptismus Ioannis erat quædam protestatio credendi in Christum venturum, & faciendi opera pœnitentiæ, vt deuotius reciperent ipsum.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 1. cap. 17. Baptismus Ioannis disponebat homines ad suscipiendum Christum: ideo non baptizabantur ab eo, nisi Iudæi, quibus principaliter promissus fuit Christus. Mulieres etiam non baptizabantur: quia ipsæ erant instruendæ à viris. Nec infantes baptizabantur: quia mysterium non intelligebant, & cognitio necessaria

ſaria erat. Baptiſmus verò Chriſti datur omni ſexui, omni genti, omni ætati, in remiſsionem peccatorum. Quod ergo hic dicitur: *In remiſsionem peccatorum*, non eſt referendum ad baptiſma Ioannis: ſed ad pœnitentiam, quæ baptiſmo annectebatur: ſola enim ipſa pœnitentia remittebat. Baptiſmus quidem Ioannis baptiſmus pœnitentiæ erat: quia ad pœnitentiam baptizandos monebat, & non niſi adultos, quos pœnitentes videbat, baptizabat, &c. Baptiſmus ergo Ioannis erat baptiſmus pœnitentiæ: quia pœnitentiam delictorum habebat, ſed ea relaxare non poterat. Baptiſmus autem Chriſti eſt baptiſmus gratiæ: quia in Chriſto datur, & peccata relaxantur.

Thomas Argentinenſis. 1350.

Lib.4.diſt.2. q 2.art.1. Nulli confertur gratia ſine Spiritu ſancto: ſed baptiſmo Ioannis non conferebatur Spiritus ſanctus, penſato opere operato. Ergo non conferebat gratiam ipſis baptizatis. Probatur Minor: quia ex balneatione corporis non confertur Spiritus ſanctus, niſi ex diuina ordinatione hoc eſſe inſtitutum. ſed licet tale ſtatutum aut pactum ſit in baptiſmo Ioannis. Propter quod ait Chriſtus diſcipulis: *Ioannes quidem baptizauit aqua, vos verò baptizabimini Spiritu ſancto.*

Ioannes Gerſon. 1420.

Super Marcum lectione 2. *Confitentes peccata ſua.*) Quemadmodum Ioannis baptiſmus non erat ſacramentalis, ſic nec iſta confeſsio: erat tamen vtrumque, & baptiſmus, & confeſsio, præparatorium quoddam, & introductiuum ad vera Sacramenta Baptiſmi & Confeſsionis poſterius inſtituta.

De vita ſpirituali animæ lect.1. Antiqua iam atque nouiſsima Patrum traditione compertum habemus, quid operabatur baptiſmus Ioannis, & quid baptiſmus Chriſti. Nam cùm baptizari ſit naſci denuò, ſicut Nicodemo dicebat Chriſtus: tamen intereſt inter baptiſmum Ioannis & Chriſti, quantum ipſa diſpoſitio ad vitam differt ab introductione eiuſdem vitæ ſpiritualis in nobis. Erat itaque nobis baptiſmus Ioannis præparatorium ad vitam Spiritus ſancti, complendam in ſuſcipientibus: ſed Chriſtus ſolus verè viuificabat: quia ſolus verè baptizabat Spiritu ſancto.

Dionyſius Carthuſianus. 1460.

Ad cap.3. Matthæi art.6. Quæritur, an baptiſmus Ioannis fuerit Sacramentum, vel ſolum quid ſacramentale? Reſpondendum, quòd erat Sacramentum: quoniam fuit ſignum rei ſacræ, puta baptiſmatis Chriſti. Quamuis enim non contulit gratiam, fuit tamen inchoatio quædam Sacramentorum gratiæ, nouæq; Legis: vnde propriè dicitur medium inter Sacramenta veteris Teſtamenti & noui: quemadmodum diſpoſitio ad formam media eſt inter priuationem & formam. Conueniebat enim cum Sacramentis veteris Legis in hoc, quòd erat ſignum duntaxat: cum Sacramentis verò nouæ Legis & gratiæ in hoc, quòd de propinquo diſponebat ad gratiam, & in forma atque materia conuenientiam habuit cum baptiſmo. Fiebat namque in aqua, & nomine Chriſti. Quæritur ergo ſub qua forma baptizauit Ioannes? Reſpondendum, quòd ſub iſta: Ego te baptizo in nomine venturi. Iuxta illud: *Ioannes baptizauit populum dicens, in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederent*: hoc eſt, in Ieſum. Acto.19.
Quamuis enim Chriſtus tunc venit in carnem, nondum tamen venit ad prædicationem. Sed ſi baptiſmus Ioannis non præſtitit gratiam, quæritur cur baptizauit? Reſpondendum, quòd multas ob cauſas, quarum primam ipſemet tangit Ioannes, loquens de Chriſto: *Vt manifeſtaretur* (inquit) *in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans*, id eſt, ad hoc, vt oſtenderem populo Iſrael, quòd Chriſtus eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto. Ex hoc enim, quòd Ioannes baptizauit, quod nulli Prophetarum ante eum conceſſum eſt, concurrebat ad eum populus, ſicq; omnibus manifeſtare potuit Chriſtum, cuius fuit ipſe Præcurſor. Secundò, vt ordinem ſuæ præcurſionis in omnibus obſeruaret, quatenus ſicut Chriſtum præiuit naſcendo & prædicando, ſic eum quoque præcederet baptizando. Tertiò, vt ad Chriſti baptiſmum diſponeret. Quod enim catechumenis nondum baptizatis confert inſtructio fidei, hoc contulit credentibus baptiſmus Ioannis dabatur in nomine venturi, videlicet Chriſti, idcirco erat quædam proteſtatio atque profeſsio credendi in Chriſtum, & opera pœnitentiæ digna agendi. Ordinabatur quippe ad hæc: & quia pœnitentia non competit pueris, ideo non conferebatur, ſicut nec fœminis, vt aliqui dicunt, quoniam inſtruendæ erant per viros. Quamuis autem baptiſmus Ioannis non contulit gratiam ſua virtute, tamen ex fide & deuotione ſuſcipientis, ex ſanctitate quoque & precibus dantis præſtitit gratiam, ſicut & Sacramenta legis, &c.

Gabriel Biel. 1480.

In libr.4.Sent. diſtinctione 2. In baptiſmo Ioannis nihil aliud fuit factum, quàm illud, quòd totum Ioannes operabatur, exterior ſcilicet corporis lotio, ita vt nec pœnitentiam, nec remiſsionem peccatorum contulerit.

Concilium Tridentinum. 1560.

Seſsione 7. de Baptiſmo Canone 1. Si quis dixerit baptiſmum Ioannis habuiſſe eandem vim cum baptiſmo Chriſti, anathema ſit.

ARTI-

ARTICVLVS SEXTVS.

INFANTES ESSE BAPTIZANDOS, PROPRIA FIDE CARERE, ET SINE BAPTISMO NON SALVARI.

NEGANT.

Anno post natum Christū 400. PELAGIANI *promittebant paruulis non baptizatis vitam beatam, sed extra regnū Dei, & tamen baptizandos dicebant, non in originalis peccati, sed in propriorum peccatorum remissionem: aut regni etiam Dei, non æternæ vitæ causa.* Augustinus hæresi 88. De peccatorum meritis lib. 1. cap. 20. Contra epist. Pelag. lib. 4. cap. 22.

Vincentius Victor docuit, infantes, antequam baptizentur, morte præuentos, perue-
400. *nire posse ad originalem indulgentiam peccatorum. De infantibus, qui priusquam renascantur in Christo, præueniuntur occiduo scriptum esse* : Raptus est ne malitia
Sap. 4. mutaret intellectum illius. *Augustinus de anima & eius origine lib. 3. cap. 14.*

600. *Armenij aiunt paruulos, qui sine baptismo decedunt, non quidem habere vitam æternam, sed ire in paradisum terrestrem, si modo filij sint fidelium.* Guido de Armenijs.

850. *Hincmarus Laudunensis dixit, infantes non esse baptizandos.* Hincmarus Rhemensis epistola ad eum scripta.

1050. *Berengarius baptisma paruulorum euertens & cassans, in profundum omnium malorum, vtpote postmodum baptizandos, impune ruere suadebat.* Guitmundus Auersanus de Eucharistia lib. 1.

1140. *Petrobrusiani, Henriciani, & Pseudoapostolici paruulis vsu rationis carentibus, eò quod fidem non haberent, baptisma non esse conferendum dicebant.* Bernardus Epist. 240. & Herm. 66. super Cant. Petrus Cluniacensis in argumento epist. 1.

1160. *Cathari dicunt, Baptismum nihil prodesse paruulis, qui baptizantur. Quia per seipsos baptismum petere non possunt, & quia nullam fidem possunt profiteri.* Eckbertus Sermone 1. de Catharis.

1180. *Albigenses in paruulis baptismum non admittunt.* Petrus Blesensis de Synodo.

1220. *Petrus Ioannis dicit, quod in baptismo paruulo gratia ac virtutes non conferantur.* Guido de illius hæresibus.

1300. *Lollardi volunt, quod fœtus à fidelibus propagatus non sit sacramentaliter baptizandus: imò paruulis dixerunt inutiliter baptisma conferri secundum ritum, quem seruat Ecclesia, pro eo quòd quàm citò anima est corpori vnita, infunditur gratia Spiritus sancti, ex quo conficiunt filios fidelium mundos sanctosq́; prodire ex vtero.* Thomas VValdensis tomo 2. tit. 5. cap. 153.

1390. *Ioannes VVicleuus*, lib. 4. Trialog. cap. 2. *ait definientes paruulos sine sacramentali baptismo decedentes, non fore saluandos, stolidos, & præsumptuosos esse.*

1523. Martinus Lutherus libro aduersus Cochlæum: *Dicimus ad baptismum infantes credere per vim verbi, quo exorcizantur, & per fidem Ecclesiæ eos offerentis, & eis fidem orationibus suis impetrantis. Alioquin mera, & intolerabilia esse mendacia, quando baptizans à paruulo quærit, an credat, non baptizaturus, nisi vice eius respondeatur:* Credo. *Ut quid interrogat, an credat, si certum est eos non credere, vt Cochlæus contendit? Asserimus paruulos non esse baptizandos, si verum est eos in baptismo non credere: ne illudatur diuinæ maiestatis Sacramentum. Debemus autem & hunc negatæ fidei errorem Sophistis.*

De adoratione Sacramenti ad VValdenses: *Displicet in vobis, quòd paruulos in futuram fidem baptizatis, quam discere debent cùm adoleuerint. Hic dixi, præstare non baptizare paruulum, quàm Sacramentum & nomen Dei in vanum assumere.*

1524. *Balthasar Pacimontanus lectis huiusmodi Lutheri sententijs, nec credens paruulos propriam habere fidem, puerorum baptismum primus hoc seculo impugnare cœpit: & propterea Viennæ Austriæ anno 1528. tamquam hæreticus igne combustus est.* Cochlæus de actis & scriptis Lutheri.

1525. *Thomas Monetarius baptismum infantium non esse ex Deo asserebat, ideoq́; spiritali ac meliori baptismo rebaptizari oportere.* Bullingerus aduersus Anabaptistas lib. 1. cap. 1.

Sebastianus Francus epistola de abrogandis cæremonijs: *Quicquid de baptismo puerorum à Pa-*
1530. *pistis didicimus, dediscendum est.*

Michael Seruetus, in fine libri de regeneratione, *scribit puerorum baptisma esse horrendam abo-*
1540. *minationem, Spiritus sancti extinctionem, regni Christi conculcationem, Christi abnegationem, quòd verum baptisma nec possit, nec debeat suscipi.* Confessio Mansfeldensis, Caluinus lib. 4. Institut. cap. 16 §. 29. Bullingerus contra Anabaptistas lib. 2 cap 12.

1550. *Maioristæ asserunt, infantes non saluari solo baptismate, sed opera etiam requiri.* Staphylus in Genealogia Lutheri.

1550. *Petrus Martyr,* in Genesin pag. 69. *ait, infantes, ex fidelibus parentibus natos, ante baptismum ad Deum pertinere: & si non patrem aut matrem Deo coniunctos habuerint, fortè habuisse aliquos ex suis maioribus, vel eo esse membra Ecclesiæ, proptereaq; sanctos esse ex mera Dei misericordia, licèt fidem veram in Christum non habeant.*

1550. Ioannes Caluinus lib.1.Instit. cap.16.§.26. *Explodendum est eorum commentum, qui omnes non baptizatos æternæ morti adiudicant. Solis adultis administrari baptismum ex eorum postulatu fingamus, quid puero fieri dicent, qui pietatis rudimentis ritè probeq; imbuitur, dum tinctionis dies appetit, si subita morte præter omnium spem mori contingat? Nondum baptizatum Dominus nullum damnasse comperitur.*

Defensione 2. contra VVestphalum *contendit infantes ex fidelibus parentibus genitos sanctos esse, & Ecclesiæ membra censeri debere, etiam antequam baptizentur.* Paulo pòst addit: *Per verbum patefactam adoptionem infantes nondum natos sanctificare. Igitur baptismum esse tantum obsignationem promissionis, & pignus sacræ communionis cum Christo.*

1560. Beza de Cœna Domini contra VVestphalum cap.36. *Si cuius prolem contigerit ante mori, quàm afferri baptismo potuerit; minimè tamen dubitamus de eius salute. Quoniam putamus baptismi contemptum, non autem priuationem esse exitialem. Vbi autem non dedit Dominus, vt ordine Ecclesiæ consueto infans baptizaretur, contemptus nullus esse potest.*

In Confessione *asserit, infantes natos ex fidelibus parentibus, vel ex altero duntaxat fideli parente, esse sanctificatos, etiam ante vsum baptismi.*

Libro 2. Quæst. fol. 65. *ait infantes fidelium sanctorum parentum Deo gratos & acceptos esse, etiamsi non baptizentur.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Matth. 18. *vers.* 14. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis.

Matth. 19. 14. Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cælorum. Et cùm imposuisset eis manus, abijt inde.

Ioannis 3. 5. Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constitutionum Apostolicarum lib. 6 cap. 15. Baptizate vestros pueros infantes, & educate eos in disciplina, & monitione Dei: *Sinite enim,* ait Dominus, *pueros venire ad me, & ne prohibete eos.*

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 7. Illud verò, quòd pueri, qui necdum possunt intelligere diuina, sacri batismatis altissimorumq; communionis sacrosanctæ signorum participes fiant, videtur quidem profanis rationabiliter irridendum, si auditores minus idoneos Episcopi diuina edocent, & non intelligentibus sanctas traditiones nequicquam tradunt: &, quod adhuc ridiculosius est, alij pro ipsis abrenuntiant, sanctaq; ineunt fœdera: verùm oportet tuam sanctam prudentiam errantibus non indignari, sed religiosè simul & instructionis illorum gratia cum charitate rationem reddere, & confutare obiecta.

Iustinus. 160.

Quæst. 56. Infantes digni fiunt baptismi commodis, fide eorum, qui illos ad baptismum offerunt.

Irenæus. 180.

Libro 2. cap. 39. Omnes venit Christus per semetipsum saluare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, & paruulos, & pueros, & iuuenes, & seniores.

Origenes. 230.

Homilia 8. in Leuiticum: Addi his etiam illud potest, vt requiratur quid causæ sit, cùm baptisma Ecclesiæ in remissionem peccatorum detur, secundùm Ecclesiæ obseruantiam, etiam paruulis baptismum dari: cùm vtique, si nihil esset in paruulis quod ad remissionem deberet, & ad indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua videretur.

Homilia 14. in Lucam: Paruuli baptizantur in remissionem peccatorum. Quorum peccatorum? vel quo tempore peccauerunt? aut quomodo potest vlla lauacri in paruulis ratio subsistere, nisi iuxta illum sensum, de quo paulo ante diximus: *Nullus mundus à sorde, nec si vnius diei quidem fuerit vita eius super terram?* Et quia per Baptismi Sacramentum natiuitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur & paruuli. *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poterit intrare in regnum cælorum.* Ioan. 3.

Lib. 5. in caput 6. ad Romanos: Pro quo peccato offertur hic pullus vnus? Nunquid nuper editus paruulus peccare potuit? & tunc habet peccatum, pro quo hostia iubetur offerri, à quo mundus negatur quis esse, & si vnius diei fuerit vita eius. De hoc ergo etiam Dauid dixisse credendus est, quia *in peccato concepit me mater mea.* Secundùm historiam enim nullum matris eius declaratur peccatum. Pro hoc & Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit, etiam paruulis baptismum dare. Sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt diuinorum, quia essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam & Spiritum ablui deberent, propter quas etiam corpus ipsum corpus peccati nominatur.

Athanasius. 340.

Quæst. 124. Quòd ter infantem in aquam mergimus, & ter educimus, mortem ac triduanam Christi resurrectionem significat.

Basilius Magnus. 370.

Exhortatione ad Baptismum, quæ est Homilia 13.

Tempus

Digitized by Google

Tempus aliud alij est accommodatum: somni proprium, aliud vigiliæ, belli item, & pacis. Baptismi verò tempus, vita hominis tota. Tempus aliud alij oportunum negotio: ad baptismi verò salutem quodlibet tempus accommodatum est, siue dies sit, siue nox, siue hora, seu quodcunque temporis momentum etiam immitissimum.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 40. quæ est oratio in sanctum Baptisma: Sint sanè hæc, dixerit aliquis, quantum ad eos attinet, qui baptisma requirunt. Quid autem de ijs dices, qui adhuc tenera ætate sint, nec aut damnum, aut gratiam sentiunt? An eos quoque baptizabimus? Ita prorsus, si quod periculum vrgeat. Præstat enim absque sensu sanctificari, quàm sine sigillo & obsignatione abscedere. Atque huius rei nobis ratio est circumcisio, die octauo peragi solita, quæ baptismi figuram quodammodo gerebat, atque ijs, qui rationis adhuc expertes erant, offerebatur.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 40. in Genesin: Nostra Circumcisio vel baptismatis gratia medicinam habet citra dolorem, & innumera nobis bona adfert, & Spiritus sancti gratia nos implet, & nullum definitum tempus habet sicut illic: sed licet in prima, & media, & vltima ætate hanc non manufactam circuncisionem recipere, in qua non sustinetur labor, sed peccatorum deponuntur onera, & remissio inuenitur omnium peccatorum, quæ per totam vitam gesta sunt.

In Psalm. 14. Qui docet de iustitia & cæteris virtutibus, non debet in finem vitæ suæ suadere hæc acquirere, sed ab initio, ab ipsis incunabulis, & teneris vnguiculis cum ijs versari, &c. Adducit quispiam infantem, adhuc vbera sugentem, vt baptizetur, & statim sacerdos exigit ab infirma ætate pacta conuenta & ascensiones, & minoris ætate fideiussorem accipit susceptorem, & interrogat: *Renuntias Satanæ.*

Homilia ad Neophytos, siue de baptizatis: Hac de causa & infantulos baptizamus, vt non sint coinquinati peccato, vt ijs addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, vt eius membra sint omnes, vt Spiritus habitatio fiat.

Homilia de Adam & Eua: Ideo prædicat Ecclesia Catholica vbique diffusa, debere paruulos baptizari propter originale peccatum.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 3. epist. 195. Quoniam magnificentia tua per literas ex me quæsiuit, quid sit causæ, cur infantes, cùm peccatis careant, baptizētur, necessariò tibi rescribendum esse putaui. Quidam igitur nimis tenuiter & ieiunè aiunt, eos spurcitiam eam, quæ ob Adami transgressionem ad humanam naturam transfusa est, eluere. Ego verò hoc quidē etiam fieri persuasum habeo: at non solum: (neque enim id tam magnum esset:) verùm alia quoque multa, naturam nostram longè superantia, beneficia nobis concessa esse, &c.

Theodoretus 450.

In Epitome diuinorum decretorum de Baptismate: Si enim hic solus esset baptismatis effectus, cur pueros baptizamus, qui peccatum nondum gustarunt?

Olympiodorus Diaconus. 480.

Ad cap. 9. Iob: Quid attinet de homine plura dicere? Quandoquidem neque hominis procreationem sine sorde & peccato esse contingit? Proinde baptizantur infantes, vt maculā, quam ex Adami præuaricatione contraxerunt, eluatur.

Ioannes Maxentius. 500.

In professione fidei: Propterea recentes ab vtero paruulos non tantùm vt adoptionem mereantur, aut propter regnum cælorum: sed in remissionem peccatorum credimus baptizari, ne pereant in æternum.

Iustinianus Imperator. 530.

In Authentic. de Samaritanis §. perpulchrum col. 10. Pueros, qui per ætatem doctrinas intelligere nequeunt, etiam absque hac obseruatione sacro dignari baptismate admittimus.

Apud Photium in Nomocanone tit. 4. cap. 4. & tit. 11. cap. 9. Græci seu pagani, qui paruuli, & puerulis ætatis sunt, citra dilationem baptizentur: qui verò adoleuerint, non ante baptizentur, quàm Scripturas & sacrosanctos Canones edocti fuerint.

Anastasius Synaites. 580.

Lib. 6. Hexam. Lauacrum eorum, qui baptizantur in Christo, habet veram & perfectam ablutionem primi parentis Adam, quæ ad nos peruenit, abnegationis & peccati. Propter quam certè causam infantes quidam illuminati, cùm sint ab omni, cuiusmodicumque ea sit, iniquitate & peccato mundi, & Spiritum acceperint, & Christum sint induti, sæpe in ipsa hora, aut post baptismum decedunt, nulli culpæ, aut vitio affines, & sancti, vt testatur Paulus. Necesse est enim in his alterutrū dicere ex duobus: aut quòd non sint liberati per baptismum & Spiritum à primi parentis Adæ peccato, & abnegatione, quod nulli vnquam venerit in mentem, aut quòd, &c.

Isychius Hierosolymitanus. 580.

Lib. 2. in Leuit. c. 6. Similiter vel si multum paruus quispiam baptizatus fuerit, qui necdum fortè peccauit, mundatur. Et quid opus est ei mundatio? Ad hoc ei opus est, quia nemo est mundus à sorde. Nam licet vnius fidei vita sit super terram, sordem tamen, quam ex Adami successione & generatione traxit, retinet.

Ioannes Moschus. 600.

In Prato spirituali c. 165. Et viri quidem fuga euaserunt, mulieres autem, proiectis nuper baptizatis filijs, tenuerunt, & habuerunt eas, &c.

Maximus Monachus. 640.

Ad cap. 7. Eccles. Hierarch. Pueros nondum.) Significat quid dicat pater de eo, quòd pueri baptizantur. Hæc autem tamquam interroganti Timotheo rescripsit, vt manifestum sit, quòd & priora, & alios sermones ad eos, à quibus interrogabatur, scripserit.

Concilium Trullanum. 710.

Can. 53. Quoniam spiritualis necessitudo, seu affinitas, corporum coniunctione maior est, in nonnullis autem locis cognouimus quosdam, qui ex sancto & salutari baptismate infantes suscipiunt, postea quoque cum matribus illorum viduis matrimonium contrahere, statuimus, vt in posterum nihil fiat eiusmodi.

Can. 85. Canonicos Patrum ritus sequentes, de infantibus quoque decernimus, quoties non inueniuntur firmi testes, qui eos absque vlla ratione baptizatos esse dicant, nec ipsi propter ætatem de sibi tradito mysterio aptè respondere possint, debere absque vlla offensione baptizari: ne fortè eiusmodi dubitatio eos eiusmodi purificationis sanctificatione priuet.

Nicephorus Confessor. 800.

Can. 16. Infantes non baptizatos oportet, si quo loco reperiatur quis, vbi non sit sacerdos, baptizari. Quòd si vel pater, vel quilibet alius, modò sit Christianus, baptizet, non peccat.

Theosterictus. 830.

Orat. de S. Niceta: De Constantino Copronymo illud fertur, quòd cùm infans esset, & baptismate iuaretur, piscinam ipsam fœdauerit, ita vt sanctus

Episco-

Episcopus Germanus dixerit, turpem & graueolẽtem odorem ab illo puero Ecclesię immiscendum.

Leo Imperator Philosophus. 880.

Const.17. Et sanè de infantibus eundem ad modum constituimus, vt si non inquietentur, inimicosq; naturæ casus superent, antequam gratiæ splẽdore illustrentur, quadragesimus dies expectetur. Si tamen & octauo à partu die aliquis baptizari volet, neque id absurdum fuerit, verùm hæc obtineant, si nulla necessitas, quæ mortem minetur, existat. At si periculum aliquod emergat, intra octauum diem sacram lotionem peragi oportebit, ne non illuminatus, neque sacri lauacri, atque adeò summi boni expers decedat.

Simeon Metaphrastes. 950.

In Vita S. Melanæ Romanæ: Atque quod natũ quidem fuerat, erat masculinum: simulatq; autem natum, & sancto baptismate fuit regeneratum, ab hoc mundo decedens, ad eum, qui illic est, trãsmittitur.

Vita S. Stephani Monachi c. 2. Vt igitur in lucem est editus, statim eum, vt magnus Germanus prædixerat, Stephanum appellârunt. Quandoquidem autem & baptismi quoque luce collustrare eum oportebat, qui ante etiam, quàm in lucem prodiret, illustratus erat, ad magnæ Sophiæ baptisterium itum est, clarissimoq; illi Germano in manus datur. Qui statim eum baptizat, atque vngit: eum, inquam, qui spirituale Ecclesiæ vnguentum futurus erat.

Theodorus Balsamon. 1180.

Ad Can. 85. Synodi Trul. Patres in præsenti Canone ea ipsa statuerunt, quæ & qui Carthagine conuenerunt iusserant: vt scilicet baptizarentur, de quibus dubitabatur an baptizati essent, si nec illi ipsi probare possent se fuisse baptizatos: eò quòd nesciant, quid sibi in infantia factum sit, quæ ætas imperfecta dicitur, nec testes adducunt eos fuisse baptizatos. Est enim timendum, ne propter dubitationem infantes sacro baptismate, & regno cælorum, quod per id datur, priuentur, prout est vox Domini dicentis: *Nisi quis per aquam & Spiritum renatus fuerit, non intrabit in regnum cælorum.*

Zaga Zabo Æthiops. 1536.

In Confess. fidei Aethiopicæ: Masculi apud nos baptizãtur ad quadragesimum diem, mulieres verò ad octuagesimum, nisi aliqua interuenerit ægritudo, vt opus sit festinatione. Quòd si ante tempus constitutum baptizentur, infantibus non licet lacte matris lactari, sed nutricis tantùm: id quidem donec matres purificentur, & ea ipsa die, qua pueri baptizantur, venerabile corpus Domini accipiunt, sub exigua panis specie.

Hieremias Constantinop. Patriarcha. 1580.

Resp. 1. c. 9 Nonò dicitur, baptizandos esse infantes, nec adultiorem ætatem expectandam esse. Hoc apud nos quoque fit, vt ne quid accidat re dilata.

INFANTES NOSTRO SECVLO adhuc baptizant Christiani

Constantinopoli in Thracia.

Probat Hieremias Patriarcha præcedenti testimonio.

In Æthiopia.

Ordo Baptismi Aethiopum: Postea detrahunt vestes eorum, qui baptisandi sunt, & omnia ornamenta, & erigunt manus eorum dextras, & aspicere faciunt ad Occidentem, & abnegant Satanam, qui habent ætatem ipsimet: si autem infans sit, qui spondent, loquuntur pro eo, &c. Sacerdos interrogat eos: An non creditis? Ipsi autem ter dicunt: *Credimus, credimus, credimus,* qui quidem ætatem habent. At pro infantibus, qui nesciunt loqui, respondent qui vades sunt.

In Moscouia.

Ioannes Faber de religione Moscouitarum: Baptismum pro Sacramento primo adeoq; præcipuo ducunt: quapropter hoc si quisquam neglexerit, deferitque mortis pœna afficitur. Baptisant itaque pueros in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Sigismundus Liber Baro in Heberstein, &c. de rebus Moscouiticis capite de Baptismo: Nato infante mox accersitus sacerdos ante ianuam habitationis, in qua est puerpera, certas stando recitat orationes, puerоq; nomen imponit. Deinde quadragesimo communiter die, nisi fortè puer ægrotet, defertur in templum, & baptizatur, & ter in aquam totus immergitur. Aqua baptismatis singulis infantibus consecretur, & continuò post baptismum extra templi portam effunditur. Semper in templo baptizantur infantes, nisi longinquitas loci nimia, aut frigus puero obesset: nec vnquam aqua tepida, nisi pueris infirmis vtuntur.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Cyprianus. 250.

Libro 3. epist. 8. *Epist. 59.* Quantum verò ad causam infantium pertinet, quas dixisti intra secundum vel tertium

Gen. 17. diem, quo nati sint, cõstitutos baptizari non oportere, & considerandam esse legem Circuncisionis antiquæ, vt intra octauum diem eum, qui natus est, baptizandum & sanctificandum non putares: longè aliud in Concilio nostro omnibus visum est. In hoc enim quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit, sed vniuersi potius iudicauimus, nulli hominum nato misericordiam Dei & gratiam denegandam. Nam cùm Dominus in Euangelio suo

Lucæ 9. dicat: *Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed saluare:* quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est. Quid enim ei deest, qui semel in vtero Dei manibus formatus est? &c. Esse deniq; apud omnes, siue infantes, siue maiores natu, vnam diuini muneris æqualitatem, declarat nobis diuinæ Scripturæ fides, cùm Helisæus super infantem Sunamitis viduæ filium, qui mortuus iacebat,

4. Reg. 4 ita se Deum deprecans superstrauit, vt capiti caput, & faciei facies applicaretur, & superfusi Helisæi membra singulis paruuli membris, & pedes pedibus iungerẽtur. Quæ res si secundùm natiuitatis nostræ & corporis qualitatẽ cogitetur, adulto & profecto infans nõ posset æquari, nec cohærere, & sufficere possent parua membra maioribus. Sed illic æqualitas diuina & spiritalis exprimitur, quòd pares atque æquales sint omnes homines, quando à Deo semel facti sunt: & possit ætas nostra in incrementis corporum, secundùm seculum, non secundùm Deum habere discrimen: nisi si & gratia ipsa, quæ baptizatis dicitur, pro ætate accipientium vel minor: vel maior tribuitur: cùm Spiritus sanctus

non de mensura, sed de pietate atque indulgentia Galat. 2. paterna æqualis omnibus præbeatur. Nam Deus vt personam non accipit, sic nec ætatem, cùm se omnibus ad cælestis gratiæ consecutionem æqualitate librata præbeat parem, &c. Si etiam grauissimis delictoribus, & in Deum multũ ante peccantibus, cùm postea crediderint, remissa peccatorum datur, & à baptismo atque à gratia nemo prohibetur: quantò magis prohiberi nõ debet infans, qui recens natus nihil peccauit, nisi quòd secundùm Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit? qui ad remissam peccatorum accipiẽdam hoc ipso facilius accedit, quòd illi remittuntur non propria, sed aliena peccata. Et idcirco,

frater charissime, hæc fuit in Concilio nostra sententia à baptismo atque à gratia Dei, qui omnibus misericors, & benignus, & pius est, neminem per nos debere prohiberi. Quod cùm circa vniuersos obseruandum sit, atque retinendum, tum magis circa infantes ipsos, & recens natos obseruandum putamus, &c.

Ambrosius. 370.

Lib.10.epist.84. Hinc erat illa humanæ naturæ fraudulenta laudatio, & illæsæ per omnes homines originalis defensio dignitatis. Hinc Adæ peccatum exemplo posteris afferebatur nocuisse, non transitu: & quàm illi possibile fuerat non violare mandatum, tam liberum esse vnicuique declinare delictum. Hinc euacuatio baptismatis paruulorum, qui sola adoptione donari, nullo autem reatu dicerentur absolui.

De mysterio Paschæ c.5. Hinc vitalis lauacri sacræ Ecclesiæ editi puerperio infantes, paruulorum simplicitate renati, baratro innocentis perstrepunt conscientiæ. Hinc casti patres, pudicæ etiam matres, nouellam per fidem stirpem prosequuntur innumeram. Hinc sub fidei arbore ab vtero fontis innocui cereorum splendet ornatus.

Lib.2.de Abraham cap.11. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Vtique nullum excipit, non infantem, non aliqua præuentum necessitate. Habeant illam opertam pœnarum immunitatem, nescio an habeant regni honorem.

Psal.113. Ad cap.1. Lucæ: *Iordanis conuersus est retrorsum*, significauit salutaris lauacri futura mysteria, per quæ in primordio naturæ suę, qui baptisati fuerint paruuli, à malitia reformantur.

Damasus. 380.

Epist. 4. Chorepiscopo non licet præsente Episcopo infantem tingere, aut signare.

Syricius. 390.

Epist.1.ad Himerium c.2. Sicut sacram ergo Paschalem reuerentiam in nullo dicimus esse minuendam: ita infantibus, qui necdum loqui poterunt, per ætatem, vel his, quibus in qualibet necessitate opus fuerit sacri vnda baptismatis, omni volumus celeritate succurri, ne ad nostram perniciem tendat animarum, si negato desiderantibus fonte salutari, exiens vnusquisque de seculo, & regnum perdat, & vitam.

Hieronymus. 390.

Dialogo 3. contra Pelagianos c.6. *Critobulus:* Dic quæso, & me omni quæstione libera, quare infantuli baptisentur? *Atticus:* Vt eis peccata in baptismate dimittantur. *Critobulus:* Quid enim commeruêre peccati? *Atticus:* Me interrogas? respondebit tibi Euangelica tuba, Doctor gentium, vas aureum, in toto

Rom. 5. orbe resplendens: *Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccarunt, in similitudinem præuaricationis Adam, qui est forma futuri.* Qui paruulus est, parentis in baptismo vinculo soluitur: qui eius ætatis est, quæ potest sapere, & alieno, & suo Christi sanguine liberatur.

Epist.7.ad Letam c.4. Et quomodo, inquies, peccata patrum filijs non redduntur, nec filiorum pa-

Ezec.18. rentibus, sed *anima, quæ peccauerit, ipsa morietur?*

Ioan.9. Hoc de his dicitur, qui possunt sapere, de quibus in Euangelio scriptum est: *Ætatem habet, loquatur pro se: qui autem paruulus est, & sapit vt paruulus*, donec ad annos sapientiæ veniat, vt Pythagoræ litera Y eum perducat ad biuium: tam bona eius, quàm mala parentibus imputantur. Nisi fortè existimas Christianorum filios, si baptisma non receperint, ipsos tantùm reos esse peccati, & non etiam scelus referri ad eos, qui dare noluerint, maximè eo tempore, quo contradicere nō poterant, qui accepturi erant: sicut è regione illus infantiū maiorum lucrum est.

Augustinus. 400.

Cont. Donat.lib.4.c.23 Quod traditum tenet vniuersitas Ecclesiæ, cùm paruuli infantes baptizantur, qui certè nondum possunt corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, quod latro potuit: quin etiam flendo & vagiendo, cùm in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt, & tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari.

Cap.24. Et si quisquam in hac re auctoritatem diuinam quęrat, quamquam quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur: tamen veraciter conijcere possumus, quod valeat in paruulis baptismi Sacramentum, ex circuncisione carnis, quam prior populus accepit, quam prius quàm acciperet iustificatus est Abraham. Sicut Cornelius etiam dono Spiritus sancti, prius quàm baptizaretur, ditatus est. Act. 10.

Dicit tamen Apostolus de ipso Abraham: Signum accepit Circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei, qui iam corde crediderat, & deputatum illi erat ad iustitiā. Cur ergo ei præceptum est, vt omnem deinceps infantem masculum octauo die circunciderer, qui nondum potuerat corde credere, vt ei deputaretur ad iustitiam: nisi quia & ipsum per seipsum Sacramentum multum valebat? Quod in filio Moysi per Angelum manifestum est, qui cùm adhuc incircuncisus à matre ferretur, præsenti & euidenti periculo vt circunciderctur exactum est: & cùm factum esset, depulsa est pernicies. Sicut ergo in Abraham præcessit fidei iustitia, & accessit circuncisio signaculum iustitiæ fidei: ita in Cornelio præcessit sanctificatio spiritalis in dono Spiritus sancti, & accessit Sacramentum regenerationis in lauacro baptismi. Et sicut in Isaac, qui octauo suæ natiuitatis die circuncisus est, præcessit signaculum iustitiæ fidei: & quoniam patris fidem imitatus est, secuta est in crescente ipsa iustitia, cuius signaculum in infante præcesserat: ita & in baptizatis infantibus præcedit regenerationis Sacramentum, & si Christianam tenuerint pietatem, sequitur etiam in corde conuersio, cuius mysterium præcessit in corpore. Rom. 4

De Genesi ad literam lib.10.c.23. Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis nequaquam spernenda est, neque vllo modo superflua deputanda, nec omninò credenda, nisi Apostolica esset traditio. Habet enim & illa parua ætas magnum testimonij pondus, quæ prima pro Christo meruit sanguinem fundere.

Epist.28.ad Hieronym. Beatus Cyprianus non aliquod decretum condens nouum, sed Ecclesię fidem firmissimam seruans, ad corrigendum eos, qui putabant ante octauam diem natiuitatis non esse paruulum baptizandum: non carnem, sed animam dixit esse perdendam, & mox natum ritè baptizari posse cum suis quibusdam Coepiscopis censuit.

Epist.89. Quòd dicunt infantem, morte præuentum, non baptizatum, perire non posse, quoniam sine peccato nascitur: nō hoc dicit Apostolus, & arbitror esse melius, vt Apostolo potius, quā istis credamus. Dicit enim ille Doctor gentiū, in quo Christus loquebatur: *Per vnum hominem peccatū intrauit in mundum, & per peccatū mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt, &c. Nam iudicium quidem ex vno delicto in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Proinde isti quem fortè inuenerint infantem, non ex illius vnius hominis concupiscentia procreatum, ipsum dicant illi damnationi non esse obnoxium, nec per Christi gratiam ab illa damnatione esse liberandū. Rom. 5.

In Enchiridio ad Laurentium cap.43. A paruulo recens nato vsque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibendus est à baptismo, ita nullus est,

qui

qui non peccato moriatur in baptismo: sed paruuli tantùm originali, maiores autem ijs omnibus moriuntur peccatis, quicunque malè viuendo addiderunt ad illud, quod nascendo traxerunt.

Lib.3. de anima & eius origine cap.9. Noli credere, noli dicere, noli docere infantes antequam baptisentur morte præuentos peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.

Concilium Carthaginense Quintum. 403.

Cap.6. Placuit infantibus, quoties non inueniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi Sacramentis respondere, absque vllo scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione priuari.

Aurelius, & cæteri Episcopi Africani. 410.

Est inter Epistolas Augustini 90. *Epistola ad Innocentium P.* Paruulos etiam propter salutem, quæ per Saluatorem Christum datur baptizandos negant, ac sic eos mortifera doctrina in æternum necant, promittentes, etiamsi non baptizentur, habituros vitam æternam, nec pertinere ad eos, de quibus Dominus ait: *Venit Filius hominis quærere & saluare quod perierat.* Quia isti, inquiunt, non perierant, nec est quod in eis (Lucæ 19.) saluetur, vel tanto pretio redimatur: quia nihil est in ijs vitiatum, nihil tenetur sub diaboli potestate captiuum.

Concilium Mileuitanum. 410.

Cap.2. Item placuit, vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur, vnde fit consequens, vt in eis forma baptismatis, in remissionem peccatorum, non verè, sed falsè intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: (Rom. 5.) *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt*, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica, vbique diffusa, semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

Est inter Epistolas Augustini 92. *Epistola ad Innocentium:* Pueros quoque paruulos, si nullis innouentur Christianæ gratiæ Sacramentis, habituros vitam æternam nequam præsumptione contendunt, euacuantes, quod dicit Apostolus: (Rom. 5.) *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum.*

Innocentius Primus. 410.

Epist.32. ad Concilium Mileuitanum: Illud verò, quod vestra fraternitas eos asserit prædicare, paruulos æternæ vitæ præmijs absque baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. *Nisi enim manducauerint carnem filij hominis, & biberint sanguinem eius, non habebunt vitam in semetipsis.* Qui autem hanc in ijs sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cùm prædicant hos habere, quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum. Si ergo nihil volunt officere non renasci, fateâtur necesse est, nec regenerationis sacra fluenta prodesse. Verùm, vt superfluorum hominum praua doctrina celeri possit veritatis ratione discindi, proclamat Dominus in Euangelio, dicens: (Matt. 19.) *Sinite infantes, & nolite eos prohibere venire ad me: talium est enim regnum cælorum.*

Concilium Africanum. 420.

Cap.77. Placuit, vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lauacro regenerationis expietur, vnde fit consequens, vt in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non verè, sed falsè intelligatur, anathema sit, &c. Propter hanc fidei regulam etiam paruuli, qui nihil peccatorum in seipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.

Paulinus Nolanus. 420.

Epistola 12.

Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos.
Infantes niueos corpore, corde, habitu.
Circundansq; rudes festis altaribus agnos,
Cura salutiferis imbuit ora cibis.

Cælestinus Papa. 423.

Epistola ad Galliarum Episcopos cap.12. Illud, quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta Ecclesia vniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu, cùm siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt, quàm exorcismis & exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur.

Leo Primus. 445.

Epistola 39. ad Leonem Rauennatensem Episcopum capite 1. de paruulis, qui in captiuitatem deuenerunt, & baptismum non reminiscuntur se consecutos: Quorundam fratrum suggestione comperimus, aliquos captiuorum ad sedes suas, libertatemq; redeuntes, qui scilicet in captiuitatem illa ætate peruenerint, quæ nullius rei firmam poterat habere notitiam, remedium quidem implorare baptismi: sed vtrum eiusdem mysterij ante Sacramenta perceperint infantiæ inscientia non posse se reminisci, & ideo sub hoc latentis recordationis incerto animas suas in discrimen adduci, dum sub specie cautionis negatur his gratia, quæ ideo non impenditur, quia putatur impensa. Cùm itaque tribuere talibus Dominici Sacramenta mysterij non immeritò quorundam fratrum formido dubitaret, in Synodali cœtu formam huiuscemodi consultationis accepimus, quam diligentius discuti, & pro vniuscuiusque sensu solicita voluimus ratione tractari, quò ad veritatem, adhibita cognitione multorum, certius peruenire possemus, &c. Cùm itaqua baptizatum se nec ille recordetur, qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo possit, quod nesciat consecratum, nihil est in quo peccatum possit obrepere, cùm in hac parte conscientiæ suæ nec ille reus sit, qui consecratur, nec ille, qui consecrat.

Epistola 86. ad Nicetam: A paruulo recens nato vsque ad decrepitum senem, quamlibet corporis ætatem gerant, sicut nullus prohibendus est à baptismo: ita nullus est, qui non peccator moriatur in baptismo. Sed paruuli originali, maiores autem in his omnibus moriuntur peccatis, quæcunque malè viuendo addidêre ad illud, quod nascendo traxêre.

Prosper. 460.

De ingratis cap.6.

Nullus non eget hic sacro baptismate Christi,
Infantesq; etiam purgantur fonte lauacri.

De vocat. Gentium lib.1. capite 22. De paruulis verò, quibus sine vllo bonæ voluntatis merito in originali vulnere cum cæteris mortalibus causa com-

adhuc baptizabat Ioannes. Denique quia alterum tem, ut erat ante præcepta, alterum post præcepta. Qui post præcepta in nomine Saluatoris baptizati sunt, in regnum legibus intrauerunt. Qui ante præcepta, sine lege vim fecerunt, sed exclusi non sunt. Ergo ante præcepta baptisma Ioannis, cùm esset imperfectum, pro perfecto iudicatum est ab eo, cuius nomen indicabat. Et quia quasi limes quidam fixus esset iussionis inter tempora antecedentia & sequentia: Cùm apud Ephesum baptizarentur aliqui baptismate Ioannis post præcepta, hos videns beatissimus Paulus interrogauit: An accepissent Spiritum sanctum: Dixerunt illi, se nescire an esset Spiritus sanctus. Et dixit illis, vt post baptisma Ioannis acciperent Spiritum sanctum. Sic enim baptizati erant, quemadmodum multi à Ioanne fuerant baptizati. Sed qui ante leges baptizati sunt, ad indulgentiam pertinuerunt, quia præsens fuerat qui indulgentiam daret: & non erant ex toto rei, qui legibus non fuerant occupati. Hi verò, qui apud Ephesum post leges Ioannis baptismate baptizati fuisse leguntur, post leges in Sacramento errauerant: quia iam introductum fuerat baptisma Domini, & exclusum fuerat serui. Et ideo quia post mandata diuina legibus debuerant ire in regnum, non per violentiam: (iam enim terminum temporis fixerat Christus, dicendo: *A diebus Ioannis vsque in hodiernum*). Post hodiernum iam non licebat quod heri licuerat. Quare nolite vobis blandiri de dicto Apostoli Pauli, qui non post personam operarij interrogauit, sed post rem: cui res, non persona displicuit. Denique baptisma Saluatoris iussit, vt discerent qui non nouerant: quia non ipsum, sed aliud acceperant. Vos verò quid imitamini? Si res potestis mutare, rectè feceritis: si tamen de lege aliquid faceretis. Paulus dixit: *In quo baptismate baptizati estis?* Et dixerunt: *Ioannis*. persuasit eis, vt baptisma Christi acciperent.

Hieronymus. 390.

Dialogo contra Luciferianos cap. 3. Ioannes Spiritum sanctum non dedit, quem Cornelius Centurio, antequam baptizaretur, accepit? Responde, quæso, cur non dederit? Ignoras? Audi quid Scripturæ doceant: Ioannis Baptisma non tam peccata dimisit, quàm baptisma pœnitentiæ fuit, in peccatorum remissionem, id est, in futuram remissionem, quæ esset postea per sanctificationem Christi subsecutura. Si Ioannes, vt confessus est ipse, non baptizauit in Spiritu, consequenter neque peccata dimisit: quia nulli hominum sine Spiritu sancto peccata dimittuntur. Aut si contentiosè argumentaris, ideo Ioannis baptisma dimisisse peccata, quia de cælis fuit: edoce, quid amplius in Christi baptismate consequamur, quod peccata dimittit, & liberat à gehenna. Quod à gehenna liberat, perfectum est. Perfectum autem baptisma non est, nisi quod in cruce & in resurrectione Christi est. Ita tu peruersè religiosus, dicente ipso Ioanne: *Illum oportet crescere, me autem minui:* dum serui baptismo plus quàm habuit tribuis, Dominicum destruis, cui nihil amplius relinquis. Quorsum ista tendit assertio? videlicet, vt non tibi durum videatur, si ij, qui à Ioanne fuerant baptizati, postea per impositionem manus Apostolorum sint Spiritum sanctum consecuti, cùm constet eos, ne peccatorum quidem sine subsecutura fide remissionem consecutos. Ioannis
Act. 19. baptisma intantum imperfectum fuit, vt constet postea Christi baptismate baptizatos, qui ab eo fuerant baptizati.

Epist. 150. ad Hedibiam quæst. 9. Vnde & in Actibus Apostolorum, qui Ioannis baptismate fuerant baptizati, & credebant in Deum Patrem & Christum, quia Spiritum sanctum nesciebant, iterum baptizantur, imò tunc verum accipiunt baptisma. Absque enim Spiritu sancto imperfectum est mysterium Trinitatis.

Augustinus. 400.

In Enchiridio ad Laurentium cap. 49. Non renascebantur, qui baptismate Ioannis baptizabantur, à quo & ipse Christus baptizatus est, sed quodam præcursorio illius ministerio, qui dicebat: *Parate viam Domino:* huic vni, in quo solo renasci poterant, parabantur. Matth. 3. Huius enim baptismus est non in aqua tantùm, sicut fuit Ioannis, verùm etiam in Spiritu sancto, vt de illo Spiritu regeneretur quisquis in Christum credit, de quo Christus regeneratus, regeneratione non eguit.

Tractatu 5. in Ioannem: Et rursus, ne hoc ipsum, quod accepit à Ioanne Christus, præponeretur baptismati Christi, permissi sunt & alij baptizari à Ioanne. Sed qui baptizati sunt à Ioanne, non ijs suffecit. Baptizati sunt enim baptismo Christi: quia non baptismus Christi erat baptismus Ioannis. Qui accipiunt baptismum Christi, baptismum Ioannis non quærunt: qui acceperunt baptismum Ioannis, baptismum Christi quæsierunt. Ergo Christo suffecit baptismus Ioannis? Quomodo non sufficeret, quando nec ipse erat necessarius? Illi enim nullum baptisma erat necessarium, sed ad hortandos nos ad baptisma suum, suscepit baptismum serui. Et ne præponeretur baptismus serui baptismo Domini, baptizati sunt alij baptismate conserui: sed qui baptismate conserui baptizati sunt, oportebat vt baptizarentur baptismate Domini. Qui autem baptizantur baptismate Domini, non opus habent baptismate conserui.

Innocentius Primus. 406.

Epistola 27. cap. 5. Baptizatos ritè ab Euangelista Philippo Petrus & Ioannes sola manus impositione consummant. Illos verò, quos Apostolus Paulus Ioannis baptismate baptizatos reperit, interrogauitque an Spiritum sanctum accepissent, fatentibusque se ne illud quidem nomen audiuisse, iussit eos baptizari. Videtis ergo ritè baptizatos, illo dono iterari non posse: & aliter sola aqua lotos baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti necessarium peruideri.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia septima in Epiphania Domini: Prædicabat in deserto Ioannes baptismum pœnitentiæ populo peccatori, non quo crimina commissa deleret, sed quo emendaret errantes. Nam remissio peccatorum Christi gratiæ seruabatur, &c. Properante Saluatore ad fluuium, Ioannes circumstantibus turbis talem prorupit in vocem: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Hoc est dicere, cessate iam, cessate à baptismo meo, quo pœnitentia suscipitur: ecce Baptista, per quem crimina dimittuntur. Desinite vlterius à conseruo vestro baptizari velle, præsens est Dominus omnium nostrum, qui baptizat ad vitam.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone centesimo trigesimo septimo: Erat per Ioannem venia, sed non sine pœnitentia: erat remissio, sed luctibus comparata: erat cura vulneris cum dolore: erat baptisma, quod culpam tolleret, conscientiam non deleret. Et quid plura? Per baptisma Ioannis purificabatur homo ad pœnitentiam, non promouebatur ad gratiam. At verò Christi baptisma sic regenerat, sic immutat, sic hominem reddit ex vetere nouum, vt præterita nesciat, non recordetur antiqua, qui de terreno cælestis, iam cælestia possidet & diuina.

Leo Primus. 450.

Epistola 4. cap. 6. Si quis Epiphaniæ festiuitatem, quæ in suo ordine debito honore veneranda est, ob hoc existimat priuilegium habere baptismatis, quia hoc quidam putant, quòd in eadem die Dominus ad baptismum S. Ioannis accesserit, sciat, illius baptismi aliam gratiam, aliam fuisse rationem, nec ad eandem pertinuisse virtutem, qua per Spiritum sanctum renascuntur, de quibus dicitur: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Ioan. 1.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Dominica 4. Aduentus: In aqua, non Spiritu baptizabat Ioannes: quia peccata non soluebat, sed corpora tantùm lauabat, & Christi baptismum baptizando significabat. Illius ergo baptismus vmbra quædam erat, & significatio melioris baptismi.

Homil. 1. de Ioanne Baptista: Ioannes salutem prædicauit, Christus contulit: Ille baptizauit in pœnitentiam, iste generauit in gratiam.

Arator. 540.

Historiæ Apostolicæ lib. 2.

Nomine venturi Præcursor in orbe Ioannes
Exhibuit baptisma suum, Dominoque parauit
Ipse viam, memorans cunctis baptisma futurum
Post aliud, quod iure datur, quod trina potestas
Illustrare solet. sed quod magis eligit huius
Tangere Christus aquas, formam facit omnibus ad se
Currere fonte pio, sacram ne deserat vndam
Vlterius mortale genus, quam corpore mundo
Et Dominus dignatus erat, cum diluit omnem
Per famulum mergente Deo: iam flumine tacto
Discipulis hoc cessit opus, quos dogmata plures
Baptizasse canunt: serui cessare lauacrum
Fas fuerat veniente Dei, prænuntius ex quo
Dixerat ista prius, quo fecit tempore Iesus
Iam plenum baptisma geri, velut ante Ioannes
Insolitum propriumque daret. Quæ regula Paulum
Compulit, vt Christi deberent fonte renasci.

Gregorius Magnus. 590.

Super Euangelia Homilia 7. *Ego baptizo in aqua.*) Ioannes non in Spiritu, sed in aqua baptizat: quia peccata soluere non valens, baptizatorum corpora per aquam lauat; sed tamen mentem per veniam non sanat. Cur ergo baptizat, qui peccata per baptisma non relaxat, nisi vt præcursionis suæ ordinem seruans, qui nasciturum nascendo præuenerat, baptizaturum quoque Dominum baptizando præueniret? Et qui prædicando factus est præcursor Christi, baptizando etiam præcursor eius fieret, imitatione Sacramenti?

Homil. 20. Cunctis legentibus liquet, quia Ioannes non solùm baptismum pœnitentiæ prædicauit, verùm etiam quibusdam dedit: sed tamen baptismum suum in remissionem peccatorum dare non potuit. Remissio enim peccatorum in solo nobis baptismo Christi tribuitur. Notandum itaque quod dicitur: *Prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum:* quoniam baptismum, quod peccata solueret, quia dare non poterat, prædicabat: vt sicut incarnatum Verbum Patris præcurrebat verbo prædicationis, ita baptismum pœnitentiæ, quo peccata soluuntur, præcurreret suo baptismate, quo peccata solui non possunt: vt quia eius sermo præcurrebat præsentiam Redemptoris, ipsum quoque eius baptisma præcedendo, fieret vmbra veritatis.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Officijs Eccles. lib. 2. cap. 24. Baptizauit & Ioannes, sed non ex toto Iudaicè: Non solùm enim in aqua, nec tamen in Spiritu sancto: sed hoc solùm addidit, quòd in pœnitentia baptizauit, sicut ait Paulus in Act. Apostol. *Ioannes baptismo pœnitentiæ baptizauit populum.* Cui tamen ita datum est baptizare in aqua, vt Christus, qui in aqua & Spiritu sancto baptizaturus erat, Ioannis baptismate manifestaretur in Israel. Cœpit ergo perfectum baptisma à Iesu. Ipse enim baptizauit primò in Spiritu sancto, sicut & Ioannes dicit: *Ego quidem baptizo in aqua, medius autem vestrum stat, quem vos nescitis: ipse baptizabit vos in Spiritu sancto, & igni:* hæc est perfectio baptismi. Act. 19. Ioan. 1.

Beda. 700.

Ad cap. 1. Marci: Cunctis legentibus liquet, quòd Ioannes baptismum pœnitentię non solùm prædicauit, verùm etiam quibusdam dedit: sed tamen baptismum in remissionem peccatorum dare non potuit. Remissio enim peccatorum in solo nobis baptismo Christi tribuitur. Notandum itaque quod dicitur: *Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum:* quoniam baptisma, quod peccata solueret, quia dare non potuit, prædicabat, vt sicut incarnatum Verbum Patris præcurrebat verbo prædicationis: ita baptismum pœnitentię, quo peccata soluuntur, præcurreret suo baptismate, quo peccata solui non possunt.

Alcuinus. 760.

Ad cap. 1. Ioannis: Ioannes non Spiritu, sed aqua baptizat: baptizatorum corpora per aquam lauat, sed tamen mentem per veniam non sanat. Cur ergo baptizat, qui peccata per baptisma non relaxat, nisi vt præcursionis suæ ordinem seruans, qui nasciturum nascendo præuenerat, baptizaturum quoque Dominum baptizando præueniret? Et qui prædicando factus est præcursor Christi, baptizando etiam præcursor eius fieret, imitatione Sacramenti?

Ad cap. 3. *Respondet Ioannes: Non potest homo accipere quicquam.*) Si meo testimonio creditis, scitote me non esse Christum, sed illum: & illius baptismum esse, in quo remissio peccatorum & Spiritus sanctus datur, non meum, in quo tantummodò pœnitentia datur, & fides in eum, de quo querimoniam nunc habetis.

Haymo. 820.

Ad cap. 6. epist. ad Romanos: Quatuor sunt genera baptismatum: vnum tantùm in aquis, sicut fuit baptisma Ioannis, quod remissionem peccatorum non dedit: aliud in igne, vel Spiritu, quo baptizati sunt Apostoli in die Pentecostes: tertium in aqua & Spiritu, in quo sancti Apostoli baptizabant, præcipiente Domino: quod genus baptismatis sancta Ecclesia modò retinet: quartum est in sanguinis effusione, &c.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Eccles. cap. 26. Baptizauit Ioannes non in remissionem peccatorum, quod Christi baptismo agi consueuit, sed in pœnitentiam, dicens *in eum, qui venturus erat, vt crederent,* hoc est, in Iesum. De quo etiam testimonium perhibuit, dicens: *Ego quidem baptizo vos aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne.* Matt. 3.

Radulphus Ardens. 1050.

Dominica 1. Aduentus: Ioannes baptismum non solùm prædicauit, sed etiam pluribus dedit: non quòd peccata dimitteret, sed quòd ad pœnitentiam homines monebat.

Dominica 4. Aduentus: Ego, inquit Ioannes, *baptizo in aqua,* id est, sola corpora, non animas laco. Sed dicis: Quare ergo baptizabat? Triplici de causa: prima, vt sicut nascendo, & prædicando, ita Chri-

ita Christum præcurreret baptizando: secunda, vt populum ad baptismum assuefaceret: tertia, vt populum ad pœnitentiam inuitaret.

Anselmus. 1080.

Ad caput 3. Matthæi: Baptismus Ioannis non conferebat remissionem peccatorum: quia nondum effusus erat sanguis Christi, sed tamen homines lauari consuescebant, &c. Oportebat ergo eosdem rebaptizari in baptismate Christi. Vnde quidam inueniuntur in Actibus Apostolorum baptizati in baptismate Ioannis, rebaptizati à Paulo in baptismum Christi. Sicut ergo Ioannes fuit præcursor prædicationis, ita & baptismatis.

Rupertus Tuitiensis. 1110.

De diuinis officijs libro 10. cap. 5. Hodierna lectio vnicam baptismi Christi commendat dignitatem, in eo, quòd Paulum discipulos, qui baptizati fuerant in Ioannis baptismate, rebaptizasse: imò quia baptizati non fuerant, in nomine Domini IESV baptizasse commemorat. Causa autem manifesta est, videlicet quia baptismus Ioannis non ad eandem virtutem pertinuit, quam operatur in nobis baptismus Christi. Primò, quia omnes baptizabat in pœnitentiam: Christus verò baptizabat in remissionem peccatorum. Deinde, quod maximum est, Ioannes non baptizabat in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quæ sola & vnica regula est baptizandi.

Hugo Victorinus. 1130.

Tractatu 5. de Baptismo cap. 1. Baptismum Christi prænuntiauit Ioannes suo baptismate, quod sola aqua, & non Spiritu fiebat. Vnde ipsemet dicit:
Matt. 3. *Ego baptizo in aqua in pœnitentiam.* Sola enim corpora abluebat, peccata verò non tollebat. Ad quid ergo vtile? vt præparet ad baptisma Christi, sicuti Catechismus baptismum præcedit.

De Sacramentis fidei libro 2. parte 6. cap. 6. Inter baptisma Ioannis & baptisma Christi hæc distantia est: quòd in baptismo Ioannis per intinctionem aquæ solum Sacramentum dabatur: in baptismate verò Christi, cum Sacramento etiam res Sacramenti percipitur. Ioannes enim peccatores aqua tinxit, & peccata confitentibus pœnitentiam iniunxit: Christus baptizat, & peccata dimittit. Ille baptizans venturum, & baptizaturum in Spiritu prædicauit: hic baptizans ad remissionem peccatorum Spiritum infundit. Illic homines baptizabantur in nomine venturi: hic homines baptizantur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Petrus Lombardus. 1140.

Libro 4. distinct. 2. Baptismum Christi Ioannes suo baptismate prænunciauit: qui primus baptizasse legitur, sed in aqua, non in Spiritu, sicut ipse ait: *Ego baptizo vos in aqua, in pœnitentiam.* Sola enim corpora abluebat: à peccatis verò non mundabat. Baptismus Ioannis erat in pœnitentiam, non in remissionem: baptismus verò Christi in remissionem. Quia Ioannes baptizans, homines ad pœnitentiam vocabat: & quos baptizabat, pœnitere docebat: secundùm illud: *Veniebant ad Ioannem in Iordanem, confitentes peccata sua:* sed in baptismo Ioannis non dabatur peccatorum remissio, quæ data est in Christi baptismo. Ad quid ergo vtilis erat Ioannis baptismus? Quia homines vsu baptizandi præparabat ad baptismum Christi.

Petrus de Riga. 1170.

In Aurora:

Sed baptisma suum nullius crimina mundat:
Baptismus Christi solus ad astra viget, &c.

Maxima plebs ad eum properabat, eosque Ioannes
Baptizabat aquis, crimina nulla lauans.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In Octaua Epiphaniæ: Forma baptismi Ioannis fuit: *Baptizo te in nomine venturi,* scilicet Messiæ, vel Christi: baptismus eius fuit in aqua tantùm, vt homines assuefaceret ac præpararet ad suscipiendum Christi baptismum. Vnde & baptizati à Ioanne, postea baptizati sunt baptismate Christi ex aqua & Spiritu sancto.

Thomas Aquinas. 1250.

Tertia Summæ quæstione 38. articulo 3. Baptismus Ioannis gratiam non conferebat, sed solùm ad gratiam præparabat tripliciter. Vno quidem modo, per doctrinam Ioannis, inducentem ad fidem Christi: alio modo, assuefaciendo homines ad ritum baptismi Christi: tertio modo, per pœnitentiam præparando homines ad suscipiendum effectum baptismi Christi.

Richardus de Media Villa. 1280.

Libro 4. Sententiarum distinctione 2. artic. 2. quæstione 1. Quòd si extendamus nomen Sacramenti ad omne signum rei sacræ, sic baptismus Ioannis erat sacramentum: quia expressè repræsentabat Christi baptismum, res sacras suscipientem. Si autem restringamus nomen Sacramenti ad id, quod sacræ rei signum & causa, sic non erat Sacramentum: quia non conferebat gratiam ex vi Sacramenti. Vnde respectu baptismi Christi debet dici fuisse Sacramentale: quia fuit quædam dispositio, & præparatio ad illius baptismi susceptionem.

Durandus à S. Portiano. 1300.

Libro 4. distinct. 2. quæstione 4. Baptismus Ioannis non conferebat gratiam, quod probatur auctoritate sacræ Scripturæ, & ex determinatione Ecclesiæ, & probabili ratione. Auctoritas Scripturæ habetur Matthæi 3. vbi dicit Ioannes: *Ego baptizo vos in aqua, ipse baptizabit vos in Spiritu sancto:* & Actor. 1. dicit Christus: *Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini in Spiritu sancto non post multos hos dies.* Ex quo arguitur, quòd gratia, per quam est remissio peccatorum, non datur nisi per Spiritum sanctum. Sed baptismus Ioannis erat in aqua, & non in Spiritu sancto, vt patet ex differentia, quæ ponitur inter ipsum & baptismum Christi. Ergo baptismus Ioannis non conferebat gratiam.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 3. Matthæi: Baptismus Ioannis ad hoc erat ordinatus, quasi quædam præparatio, & quædam præfiguratio baptismatis ipsius Christi de proximo venturi. Et ideo Ioannes non solùm prædicabat, sed etiam baptizabat. Quia sicut sua prædicatione nuntiabat Christum de proximo venturum, sic suo baptismate assuefaciebat homines ad libentiùs suscipiendum Christi baptismum. Vnde baptismus Ioannis erat quædam protestatio credendi in Christum venturum, & faciendi opera pœnitentiæ, vt deuotiùs reciperent ipsum.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 1. cap. 17. Baptismus Ioannis disponebat homines ad suscipiendum Christum: ideo non baptizabantur ab eo, nisi Iudæi, quibus principaliter promissus fuit Christus. Mulieres etiam non baptizabantur: quia ipsæ erant instruendæ à viris. Nec infantes baptizabantur: quia mysterium non intelligebant, & cognitio neces-

saria

ſaria erat. Baptiſmus verò Chriſti datur omni ſexui, omni genti, omni ætati, in remiſsionem peccatorum. Quod ergo hìc dicitur: *In remiſsionem peccatorum*, non eſt referendum ad baptiſma Ioannis: ſed ad pœnitentiam, quæ baptiſmo annectebatur: ſola enim ipſa pœnitentia remittebat. Baptiſmus quidem Ioannis baptiſmus pœnitentiæ erat: quia ad pœnitentiam baptizandos monebat, & non niſi adultos, quos pœnitentes videbat, baptizabat, &c. Baptiſmus ergo Ioannis erat baptiſmus pœnitentiæ: quia pœnitentiam delictorum habebat, ſed ea relaxare non poterat. Baptiſmus autem Chriſti eſt baptiſmus gratiæ: quia in Chriſto datur, & peccata relaxantur.

Thomas Argentinenſis. 1350.

Lib.4.diſt.2. q 2.art.1. Nulli confertur gratia ſine Spiritu ſancto: ſed baptiſmo Ioannis non conferebatur Spiritus ſanctus, penſato opere operato. Ergo non conferebat gratiam ipſis baptizatis. Probatur Minor: quia ex balneatione corporis non confertur Spiritus ſanctus, niſi ex diuina ordinatione hoc eſſe inſtitutum. ſed licet tale ſtatutum aut pactum ſit in baptiſmo Ioannis. Propter quod ait Chriſtus diſcipulis: *Ioannes quidem baptizauit aqua, vos verò baptizabimini Spiritu ſancto.*

Ioannes Gerſon. 1420.

Super Marcum lectione 2. *Confitentes peccata ſua.*) Quemadmodum Ioannis baptiſmus non erat ſacramentalis, ſic nec iſta confeſsio: erat tamen vtrumque, & baptiſmus, & confeſsio, præparatorium quoddam, & introductiuum ad vera Sacramenta Baptiſmi & Confeſsionis poſterius inſtituta.

De vita ſpirituali animæ lect.1. Antiqua iam atque nouiſsima Patrum traditione compertum habemus, quid operabatur baptiſmus Ioannis, & quid baptiſmus Chriſti. Nam cùm baptizari ſit naſci denuò, ſicut Nicodemo dicebat Chriſtus: tamen intereſt inter baptiſmum Ioannis & Chriſti, quantum ipſa diſpoſitio ad vitam differt ab introductione eiuſdem vitæ ſpiritualis in nobis. Erat itaque nobis baptiſmus Ioannis præparatorium ad vitam Spiritus ſancti, complendam in ſuſcipientibus: ſed Chriſtus ſolus verè viuificabat: quia ſolus verè baptizabat Spiritu ſancto.

Dionyſius Carthuſianus. 1460.

Ad cap.3. Matthei art.6. Quæritur, an baptiſmus Ioannis fuerit Sacramentum, vel ſolum quid ſacramentale? Reſpondendum, quòd erat Sacramentum: quoniam fuit ſignum rei ſacræ, puta baptiſmatis Chriſti. Quamuis enim non contulit gratiam, fuit tamen inchoatio quædam Sacramentorum gratiæ, nouæq; Legis: vnde propriè dicitur medium inter Sacramenta veteris Teſtamenti & noui: quemadmodum diſpoſitio ad formam media eſt inter priuationem & formam. Conueniebat enim cum Sacramentis veteris Legis in hoc, quòd erat ſignum duntaxat: cùm Sacramentis verò nouæ Legis & gratiæ in hoc, quòd de propinquo diſponebat ad gratiam, & in forma atque materia conuenientiam habuit cum baptiſmo. Fiebat namque in aqua, & nomine Chriſti. Quæritur ergo ſub qua forma baptizauit Ioannes? Reſpondendum, quòd ſub iſta: Ego te baptizo in nomine venturi. Iuxta illud: *Ioannes baptizauit populum dicens, in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederent*: hoc eſt, in Ieſum. Acto.19. Quamuis enim Chriſtus tunc venit in carnem, nondum tamen venit ad prædicationem. Sed ſi baptiſmus Ioannis non præſtitit gratiam, quæritur cur baptizauit? Reſpondendum, quòd multas ob cauſas, quarum primam ipſemet tangit Ioannes, loquens de Chriſto: *Vt manifeſtaretur* (inquit) *in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans*, id eſt, ad hoc, vt oſtenderem populo Iſrael, quòd Chriſtus eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto. Ex hoc enim, quòd Ioannes baptizauit, quod nulli Prophetarum ante eum conceſſum eſt, concurrebat ad eum populus, ſicq; omnibus manifeſtare potuit Chriſtum, cuius fuit ipſe Præcurſor. Secundò, vt ordinem ſuæ præcurſionis in omnibus obſeruaret, quatenus ſicut Chriſtum præiuit naſcendo & prædicando, ſic eum quoque præcederet baptizando. Tertiò, vt ad Chriſti baptiſmum diſponeret. Quod enim catechumenis nondum baptizatis confert inſtructio fidei, hoc contulit credentibus baptiſmus Ioannis dabatur in nomine venturi, videlicet Chriſti, idcirco erat quædam proteſtatio atque profeſsio credendi in Chriſtum, & opera pœnitentiæ digna agendi. Ordinabatur quippe ad hæc: & quia pœnitentia non competit pueris, ideo non conferebatur, ſicut nec fœminis, vt aliqui dicunt, quoniam inſtruendæ erant per viros. Quamuis autem baptiſmus Ioannis non contulit gratiam ſua virtute, tamen ex fide & deuotione ſuſcipientis, ex ſanctitate quoque & precibus dantis præſtitit gratiam, ſicut & Sacramenta legis, &c.

Gabriel Biel. 1480.

In libr.4.Sent. diſtinctione 2. In baptiſmo Ioannis nihil aliud fuit factum, quàm illud, quòd totum Ioannes operabatur, exterior ſcilicet corporis lotio, ita vt nec pœnitentiam, nec remiſsionem peccatorum contulerit.

Concilium Tridentinum. 1560.

Seſsione 7. de Baptiſmo Canone 1. Si quis dixerit baptiſmum Ioannis habuiſſe eandem vim cum baptiſmo Chriſti, anathema ſit.

ARTI-

ARTICVLVS SEXTVS.

INFANTES ESSE BAPTIZANDOS, PROPRIA FIDE CARERE, ET SINE BAPTISMO NON SALVARI.

Anno post natum Christũ

NEGANT.

400. *PELAGIANI promittebant paruulis non baptizatis vitam beatam, sed extra regnũ Dei, & tamen baptizandos dicebant, non in originalis peccati, sed in propriorum peccatorum remissionem: aut regni etiam Dei, non æternæ vitæ causâ.* Augustinus hæresi 88. De peccatorum meritis lib. 1. cap. 2c. Contra epist. Pelag. lib. 4. cap. 22.

400. *Vincentius Victor docuit, infantes, antequam baptizentur, morte præuentos, peruenire posse ad originalem indulgentiam peccatorum. De infantibus, qui priusquam renascantur in Christo, præueniuntur occiduo scriptum esse* : Raptus est ne malitia mutaret intellectum illius. *Augustinus de anima & eius origine lib. 3. cap. 14.*

Sap. 4.

600. *Armenij aiunt paruulos, qui sine baptismo decedunt, non quidem habere vitam æternam, sed ire in paradisum terrestrem, si modo filij sint fidelium.* Guido de Armenijs.

850. *Hincmarus Laudunensis dixit, infantes non esse baptizandos.* Hincmarus Rhemensis epistola ad eum scripta.

1050. *Berengarius baptisma paruulorum euertens & cassans, in profundum omnium malorum, vtpote postmodum baptizandos, impune ruere suadebat.* Guitmundus Auersanus de Eucharistia lib. 1.

1140. *Petrobrusiani, Henriciani, & Pseudoapostolici paruulis vsu rationis carentibus, eò quòd fidem non haberent, baptisma non esse conferendum dicebant.* Bernardus Epist. 240. & Herm. 66. super Cant. Petrus Cluniacensis in argumento epist. 1.

1160. *Cathari dicunt, Baptismum nihil prodesse paruulis, qui baptizantur. Quia per seipsos baptismum petere non possunt, & quia nullam fidem possunt profiteri.* Eckbertus Sermone 1. de Catharis.

1180. *Albigenses in paruulis baptismum non admittunt.* Petrus Blesensis de Synodo.

1220. *Petrus Ioannis dicit, quod in baptismo paruulo gratia ac virtutes non conferantur.* Guido de illius hæresibus.

1300. *Lollardi volunt, quod fœtus à fidelibus propagatus non sit sacramentaliter baptizandus: imò paruulis dixerunt inutiliter baptisma conferri, secundùm ritum, quem seruat Ecclesia, pro eo quòd quàm citò anima est corpori vnita, infunditur gratia Spiritus sancti, ex quo conficiunt filios fidelium mundos sanctosq́; prodire ex vtero.* Thomas VValdensis tomo 2. tit. 5. cap. 153.

1390. *Ioannes VViclenus*, lib. 4. Trialog. cap. 2. *aut definientes paruulos, sine sacramentali baptismo decedentes, non fore saluandos, stolidos, & præsumptuosos esse.*

1523. Martinus Lutherus libro aduersus Cochlæum: *Dicimus ad baptismum infantes credere per vim verbi, quo exorcizantur, & per fidem Ecclesiæ eos offerentis, & eis fidem orationibus suis impetrantis. Alioquin mera, & intolerabilia esse mendacia, quando baptizans à paruulo quærit, an credat, non baptizaturus, nisi vice eius respondeatur:* Credo. *Vt quid interrogat, an credat, si certum est eos non credere, vt Cochlæus contendit? Asserimus paruulos non esse baptizandos, si verum est eos in baptismo non credere: ne illudatur diuinæ maiestatis Sacramentum. Debemus autem & hunc negare fidei errorem Sophistis.*

De adoratione Sacramenti ad VValdenses: *Displicet in vobis, quòd paruulos in futuram fidem baptizatis, quam discere debent cùm adoleuerint. Hic dixi, præstare non baptizare paruulum, quam Sacramentum & nomen Dei in vanum assumere.*

1524. *Balthasar Pacimontanus lectis huiusmodi Lutheri sententijs, nec credens paruulos propriam habere fidem, puerorum baptismum primus hoc seculo impugnare cœpit: & propterea Viennæ Austriæ anno 1528. tamquam hæreticus igne combustus est.* Cochlæus de actis & scriptis Lutheri.

1525. *Thomas Monetarius baptismum infantium non esse ex Deo asserebat, ideoq́; spiritali ac meliori baptismo rebaptizari oportere.* Bullingerus aduersus Anabaptistas lib. 1. cap. 1.

1530. Sebastianus Francus epistola de abrogandis cæremonijs: *Quicquid de baptismo puerorum à Papistis didicimus, dediscendum est.*

1540. *Michael Seruetus*, in fine libri de regeneratione, *scribit puerorum baptisma esse horrendam abominationem, Spiritus sancti extinctionem, regni Christi conculcationem, Christi abnegationem, quòd verum baptisma nec possit, nec debeat suscipi.* Confessio Mansfeldensis, Caluinus lib. 4. Institut. cap. 16 §. 29. Bullingerus contra Anabaptistas lib. 2 cap 12.

1550. *Maioristæ asserunt, infantes non saluari solo baptismate, sed opera etiam requiri.* Staphylus in Genealogia Lutheri.

1550. *Petrus Martyr*, in Genesin pag. 69. *ait, infantes, ex fidelibus parentibus natos, ante baptismum ad Deum pertinere: & si non patrem aut matrem Deo coniunctos habuerint, fortè habuisse aliquos ex suis maioribus, vel eo esse membra Ecclesiæ, proptereaq́; sanctos esse ex mera Dei misericordia, licèt fidem veram in Christum non habeant.*

1550. Ioannes Caluinus lib. 1. Instit. cap. 16. §. 26. *Explodendum est eorum commentum, qui omnes non baptizatos æternæ morti adiudicant. Solis adultis administrari baptismum ex eorum postulatu fingamus, quid puero fieri dicent, qui pietatis rudimentis ritè probeq́; imbuitur, dum tinctionis dies appetit, si subita morte præter omnium spem mori contingat? Nondum baptizatum Dominus nullum damnasse comperitur.*

Defensione 2. contra VVestphalum *contendit infantes ex fidelibus parentibus genitos sanctos esse, & Ecclesiæ membra censeri debere, etiam antequam baptizentur.* Paulò pòst addit: *Per verbum patefactam adoptionem infantes nondum natos sanctificare. Igitur baptismum esse tantùm obsignationem promissionis, & pignus sacræ communionis cum Christo.*

1560. Beza de Cœna Domini contra VVestphalum cap. 36. *Si cuius prolem contigerit ante mori, quàm afferri baptismo potuerit; minimè tamen dubitamus de eius salute. Quoniam putamus baptismi contemptum, non autem priuationem esse exitialem. Vbi autem non dedit Dominus, vt ordine Ecclesiæ consueto infans baptizaretur, contemptus nullus esse potest.*

In Confessione *asserit infantes natos ex fidelibus parentibus, vel ex altero duntaxat fideli parente, esse sanctificatos, etiam ante vsum baptismi.*

Libro 2. Quæst. fol. 65. *ait infantes fidelium sanctorum parentum Deo gratos & acceptos esse, etiamsi non baptizentur.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Matth. 18. *vers.* 14. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis.

Matth. 19. 14. Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cælorum. Et cùm imposuisset eis manus, abijt inde.

Ioannis 3. 5. Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constitutionum Apostolicarum lib. 6. cap. 15. Baptizate vestros pueros infantes, & educate eos in disciplina, & monitione Dei: *Sinite enim*, ait Dominus, *pueros venire ad me, & ne prohibete eos.*

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiastica Hierarchia cap. 7. Illud verò, quòd pueri, qui necdum possunt intelligere diuina, sacri batismatis altissimorumq́; communionis sacrosanctæ signorum participes fiant, videtur quidem profanis rationabiliter irridendum, si auditores minus idoneos Episcopi diuina edocent, & non intelligentibus sanctas traditiones nequicquam tradunt: &, quod adhuc ridiculosius est, alij pro ipsis abrenuntiant, sanctaq́; ineunt fœdera: verùm oportet tuam sanctam prudentiam errantibus non indignari, sed religiosè simul & instructionis illorum gratia cum charitate rationem reddere, & confutare obiecta.

Iustinus. 160.

Quæst. 56. Infantes digni fiunt baptismi commodis, fide eorum, qui illos ad baptismum offerunt.

Irenæus. 180.

Libro 2. cap. 39. Omnes venit Christus per semetipsum saluare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, & paruulos, & pueros, & iuuenes, & seniores.

Origenes. 230.

Homilia 8. in Leuiticum: Addi his etiam illud potest, vt requiratur quid causæ sit, cùm baptisma Ecclesiæ in remissionem peccatorum detur, secundùm Ecclesiæ obseruantiam, etiam paruulis baptismum dari: cùm vtique, si nihil esset in paruulis quod ad remissionem deberet, & ad indulgentiam pertinere, gratia baptismi superflua videretur.

Homilia 14. in Lucam: Paruuli baptizantur in remissionem peccatorum. Quorum peccatorum? vel quo tempore peccauerunt? aut quomodo potest vlla lauacri in paruulis ratio subsistere, nisi iuxta illum sensum, de quo paulo ante diximus: *Nullus mundus à sorde, nec si vnius diei quidem fuerit vita eius super terram?* Et quia per Baptismi Sacramentum natiuitatis sordes deponuntur, propterea baptizantur & paruuli. *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poterit intrare in regnum cælorum.* Ioan. 3.

Lib. 5. in caput 6. ad Romanos: Pro quo peccato offertur hic pullus vnus? Nunquid nuper editus paruulus peccare potuit? & tunc habet peccatum, pro quo hostia iubetur offerri, à quo mundus negatur quis esse, & si vnius diei fuerit vita eius. De hoc ergo etiam David dixisse credendus est, quia *in peccato concepit me mater mea.* Secundùm historiam enim nullum matris eius declaratur peccatum. Pro hoc & Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit, etiam paruulis baptismum dare. Sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt diuinorum, quia essent in omnibus genuinæ sordes peccati, quæ per aquam & Spiritum ablui deberent, propter quas etiam corpus ipsum corpus peccati nominatur.

Athanasius. 340.

Quæst. 124. Quòd ter infantem in aquam mergimus, & ter educimus, mortem ac triduanam Christi resurrectionem significat.

Basilius Magnus. 370.

Exhortatione ad Baptismum, quæ est Homilia 13.

Tempus aliud alij est accommodatum: somni proprium, aliud vigiliæ, belli item, & pacis. Baptismi verò tempus, vita hominis tota. Tempus aliud alij oportunum negotio: ad baptismi verò salutem quodlibet tempus accommodatum est, siue dies sit, siue nox, siue hora, seu quodcunque temporis momentum etiam immitissimum.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 40. quæ est oratio in sanctum Baptisma: Sint sanè hæc, dixerit aliquis, quantum ad eos attinet, qui baptisma requirunt. Quid autem de ijs dices, qui adhuc tenera ætate sint, nec aut damnum, aut gratiam sentiunt? An eos quoque baptizabimus? Ita prorsus, si quod periculum vrgeat. Præstat enim absque sensu sanctificari, quàm sine sigillo & obsignatione absoedere. Atque huius rei nobis ratio est circumcisio, die octauo peragi solita, quæ baptismi figuram quodammodo gerebat, atque ijs, qui rationis adhuc expertes erant, offerebatur.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 40. in Genesin: Nostra Circumcisio vel baptismatis gratia medicinam habet citra dolorem, & innumera nobis bona affert, & Spiritus sancti gratia nos implet, & nullum definitum tempus habet sicut illic: sed licet in prima, & media, & vltima ætate hanc non manufactam circuncisionem recipere, in qua non sustinetur labor, sed peccatorum deponuntur onera, & remissio inuenitur omnium peccatorum, quæ per totam vitam gesta sunt.

In Psalm. 14. Qui docet de iustitia & cæteris virtutibus, non debet in finem vitæ suæ suadere hæc acquirere, sed ab initio, ab ipsis incunabulis, & teneris vnguiculis cum ijs versari, &c. Adducit quispiam infantem, adhuc vbera sugentem, vt baptizetur, & statim sacerdos exigit ab infirma ætate pacta conuenta & ascensiones, & minoris ætate fideiussorem accipit susceptorem, & interrogat: *Renuntias Satanæ.*

Homilia ad Neophytos, siue de baptizatis: Hac de causa & infantulos baptizamus, vt non sint coinquinati peccato, vt ijs addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi, vt eius membra sint omnes, vt Spiritus habitatio fiat.

Homilia de Adam & Eua: Ideo prædicat Ecclesia Catholica vbique diffusa, debere paruulos baptizari propter originale peccatum.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 3. epist. 195. Quoniam magnificentia tua per literas ex me quæsiuit, quid sit causæ, cur infantes, cùm peccatis careant, baptizentur, necessariò tibi rescribendum esse putaui. Quidam igitur nimis tenuiter & ieiunè aiunt, eos spurcitiam eam, quæ ob Adami transgressionem ad humanam naturam transfusa est, eluere. Ego verò hoc quidẽ etiam fieri persuasum habeo, at non solum: (neque enim id tam magnum esset:) verùm alia quoque multa, naturam nostram longè superantia, beneficia nobis concessa esse, &c.

Theodoretus 450.

In Epitome diuinorum decretorum de Baptismate: Si enim hic solus esset baptismatis effectus, cur pueros baptizamus, qui peccatum nondum gustarunt?

Olympiodorus Diaconus. 480.

Ad cap. 9. Iob: Quid attinet de homine plura dicere? Quandoquidem neque hominis procreationem sine sorde & peccato esse contingit? Proinde baptizantur infantes, vt macula, quam ex Adami præuaricatione contraxerunt, eluatur.

Ioannes Maxentius. 500.

In professione fidei: Propterea recentes ab vtero paruulos non tantùm vt adoptionem mereantur, aut propter regnum cælorum: sed in remissionem peccatorum credimus baptizari, ne pereant in æternum.

Iustinianus Imperator. 530.

In Authentic. de Samaritanis §. *perpulchrum col.* 10. Pueros, qui per ætatem doctrinas intelligere nequeunt, etiam absque hac obseruatione sacro dignari baptismate admittimus.

Apud Photium in Nomocanone tit. 4. cap. 4. & tit. 11. cap. 9. Græci seu pagani, qui paruuli, & puerulis ætatis sunt, citra dilationem baptizentur: qui verò adoleuerint, non ante baptizentur, quàm Scripturas & sacrosanctos Canones edocti fuerint.

Anastasius Synaites. 580.

Lib. 6. Hexam. Lauacrum eorum, qui baptizantur in Christo, habet veram & perfectam ablutionem primi parentis Adam, quæ ad nos peruenit, abnegationis & peccati. Propter quam certè causam infantes quidam illuminati, cùm sint ab omni, cuiusmodicumque ea sit, iniquitate & peccato mundi, & Spiritum acceperint, & Christum sint induti, sæpe in ipsa hora, aut post baptismum decedunt, nulli culpæ, aut vitio affines, & sancti, vt testatur Paulus. Necesse est enim in his alterutrũ dicere ex duobus: aut quòd non sint liberati per baptismum & Spiritum à primi parentis Adæ peccato, & abnegatione, quod nulli vnquam venerit in mentem, aut quòd, &c.

Isychius Hierosolymitanus. 580.

Lib. 2. in Leuit. c. 6. Similiter vel si multum paruus quispiam baptizatus fuerit, qui necdum fortè peccauit, mundatur. Et quid opus est ei mundatio? Ad huc ei opus est, quia nemo est mundus à sorde. Nam licet vnius fidei vita sit super terram, sordem tamen, quam ex Adami successione & generatione traxit, retinet.

Ioannes Moschus. 600.

In Prato spirituali c. 165. Et viri quidem fuga euaserunt, mulieres autem, proiectis nuper baptizatis filijs, tenuerunt, & habuerunt eas, &c.

Maximus Monachus. 640.

Ad cap. 7. Eccles. Hierarch. Pueros nondum.) Significat quid dicat pater de eo, quòd pueri baptizantur. Hæc autem tamquam interroganti Timotheo rescripsit, vt manifestum sit, quòd & priora, & alios sermones ad eos, à quibus interrogabatur, scripserit.

Concilium Trullanum. 710.

Can. 53. Quoniam spiritualis necessitudo, seu affinitas, corporum coniunctione maior est, in nonnullis autem locis cognouimus quosdam, qui ex sancto & salutari baptismate infantes suscipiunt, postea quoque cum matribus illorum viduis matrimonium contrahere, statuimus, vt in posterum nihil fiat eiusmodi.

Can. 85. Canonicos Patrum ritus sequentes, de infantibus quoque decernimus, quoties non inueniuntur firmi testes, qui eos absque vlla ratione baptizatos esse dicant, nec ipsi propter ætatem de sibi tradito mysterio aptè respondere possint, debere absque vlla offensione baptizari: ne fortè eiusmodi dubitatio eos eiusmodi purificationis sanctificatione priuet.

Nicephorus Confessor. 800.

Can. 16. Infantes non baptizatos oportet, si quo loco reperiatur quis, vbi non sit sacerdos, baptizari. Quòd si vel pater, vel quilibet alius, modò sit Christianus, baptizet, non peccat.

Theosterictus. 830.

Orat. de S. Niceta: De Constantino Copronymo illud fertur, quòd cùm infans esset, & baptismate auaretur, piscinam ipsam fœdauerit, ita vt sanctus

Episco-

Episcopus Germanus dixerit, turpem & graueolẽtem odorem ab illo puero Ecclesię immiscendum.

Leo Imperator Philosophus. 880.

Const. 17. Et sanè de infantibus eundem ad modum constituimus, vt si non inquietentur, inimicosq; naturæ casus superent, autequam gratiæ splẽdore illustrentur, quadragesimus dies expectetur. Si tamen & octauo à partu die aliquis baptizari volet, neque id absurdum fuerit, verùm hæc obtineant, si nulla necessitas, quæ mortem minetur, existat. At si periculum aliquod emergat, intra octauum diem sacram lotionem peragi oportebit, ne non illuminatus, neque sacri lauacri, atque adeò summi boni expers decedat.

Simeon Metaphrastes. 950.

In Vita S. Melanæ Romanæ: Atque quod natũ quidem fuerat, erat masculinum: simulatq; autem natum, & sancto baptismate fuit regeneratum, ab hoc mundo decedens, ad eum, qui illic est, trãsmittitur.

Vita S. Stephani Monachi t. 2. Vt igitur in lucem est editus, statim eum, vt magnus Germanus prædixerat, Stephanum appellârunt. Quandoquidem autem & baptismi quoque luce collustrare eum oportebat, qui ante etiam, quàm in lucem prodiret, illustratus erat, ad magnæ Sophiæ baptisterium itum est, clarissimoq; illi Germano in manus datur. Qui statim eum baptizat, atque vngit: eum, inquam, qui spirituale Ecclesiæ vnguentum futurus erat.

Theodorus Balsamon. 1180.

Ad Can. 85. *Synodi Trul.* Patres in præsenti Canone ea ipsa statuerunt, quæ & qui Carthagine conuenerunt iusserant: vt scilicet baptizarentur, de quibus dubitabatur an baptizati essent, si nec illi ipsi probare possent se fuisse baptizatos: eò quòd nesciant, quid sibi in infantia factum sit, quæ ætas imperfecta dicitur, nec testes adducunt eos fuisse baptizatos. Est enim timendum, ne propter dubitationem infantes sacro baptismate, & regno cælorum, quod per id datur, priuentur, prout est vox Domini dicentis: *Nisi quis per aquam & Spiritum renatus fuerit, non intrabit in regnum cælorum.*

Zaga Zabo Æthiops, 1536.

In Confes. fidei Aethiopicæ: Masculi apud nos baptizantur ad quadragesimum diem, mulieres verò ad octuagesimum, nisi aliqua interuenerit ægritudo, vt opus sit festinatione. Quòd si ante tempus constitutum baptizentur, infantibus non licet lacte matris lactari, sed nutricis tantùm: id quidem donec matres purificentur, & ea ipsa die, quà pueri baptizantur, venerabile corpus Domini accipiunt, sub exigua panis specie.

Hieremias Constantinop. Patriarcha. 1580.

Resp. 1. c 9 Nonò dicitur, baptizandos esse infantes, nec adultiorem ætatem expectandam esse. Hoc apud nos quoque fit, vt ne quid accidat re dilata.

INFANTES NOSTRO SECVLO adhuc baptizant Christiani

Constantinopoli in Thracia.

Probat Hieremias Patriarcha præcedenti testimonio.

In Æthiopia.

Ordo Baptismi Aethiopum: Postea detrahunt vestes eorum, qui baptisandi sunt, & omnia ornamenta, & erigunt manus eorum dextras, & aspicere faciunt ad Occidentem, & abnegant Satanam, qui habent ætatem ipsimet: si autem infans sit, qui spondent, loquuntur pro eo, &c. Sacerdos interrogat eos: An non creditis? Ipsi autem ter dicunt: *Credimus, credimus, credimus,* qui quidem ætatem habent. At pro infantibus, qui nesciunt loqui, respondent qui vades sunt.

In Moscouia.

Ioannes Faber de religione Moscouitarum: Baptismum pro Sacramento primo adeoq; præcipuo ducunt: quapropter hoc si quisquam neglexerit, deriseritque mortis pœna afficitur. Baptisant itaque pueros in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Sigismundus Liber Baro in Heberstein, &c. de rebus Moscouiticis capite de Baptismo: Nato infante mox accersitus sacerdos ante ianuam habitationis, in qua est puerpera, certas stando recitat orationes, puero q; nomen imponit. Deinde quadragesimo communiter die, nisi fortè puer ægrotet, defertur in templum, & baptizatur, & ter in aquam totus immergitur. Aqua baptismatis singulis infantibus consecretur, & continuò post baptismum extra templi portam effunditur. Semper in templo baptizantur infantes, nisi longinquitas loci nimia, aut frigus puero obesset: nec vnquam aqua tepida, nisi pueris infirmis vtuntur.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Cyprianus. 250.

Libro 3. Epist. 8. Gen. 17. *Epist.* 59. Quantum verò ad causam infantium pertinet, quas dixisti intra secundum vel tertium diem, quo nati sint, cõstitutos baptizari non oportere, & considerandam esse legem Circuncisionis antiquæ, vt intra octauum diem eum, qui natus est, baptizandum & sanctificandum non putares: longè aliud in Concilio nostro omnibus visum est. In hoc enim quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit, sed vniuersi potius iudicauimus, nulli hominum nato misericordiam Dei & gratiam denegandam. Nam cùm Dominus in Euangelio suo dicat: *Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed saluare:* quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est. (Lucæ 9.) Quid enim ei deest, qui semel in vtero Dei manibus formatus est? &c. Esse deniq; apud omnes, siue infantes, siue maiores natu, vnam diuini muneris æqualitatem, declarat nobis diuinæ Scripturæ fides, cùm Helisæus super infantem Sunamitis viduæ filium, qui mortuus iacebat, ita se Deum deprecans superstrauit, vt capiti caput, & faciei facies applicaretur, & superfusi Helisæi membra singulis paruuli membris, & pedes pedibus iungerẽtur. (4. Reg. 4) Quæ res si secundùm natiuitatis nostræ & corporis qualitatẽ cogitetur, adulto & profecto infans nõ posset æquari, nec cohærere, & sufficere possent parua membra maioribus. Sed illic æqualitas diuina & spiritalis exprimitur, quòd pares atque æquales sint omnes homines, quando à Deo semel facti sunt: & possit ætas nostra in incrementis corporum, secundùm seculum, non secundùm Deum habere discrimen: nisi si & gratia ipsa, quæ baptizatis dicitur, pro ætate accipientium vel minor: vel maior tribuitur: cùm Spiritus sanctus non de mensura, sed de pietate atque indulgentia paterna æqualis omnibus præbeatur. (Galat. 2.) Nam Deus vt personam non accipit, sic nec ætatem, cùm se omnibus ad cælestis gratiæ consecutionem æqualitate librata præbeat parem, &c. Si etiam grauissimis delictoribus, & in Deum multũ ante peccantibus, cùm postea crediderint, remissa peccatorum datur, & à baptismo atque à gratia nemo prohibetur: quantò magis prohiberi nõ debet infans, qui recens natus nihil peccauit, nisi quòd secundùm Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit? qui ad remissam peccatorum accipiẽdam hoc ipso facilius accedit, quòd illi remittuntur non propria, sed aliena peccata. Et idcirco,

qui non peccato moriatur in baptismo : sed paruuli tantùm originali, maiores autem ijs omnibus moriuntur peccatis, quicunque malè viuendo addiderunt ad illud, quod nascendo traxerunt.

Lib.3. de anima & eius origine cap. 9. Noli credere, noli dicere, noli docere infantes antequam baptisentur morte præuentos peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.

Concilium Carthaginense Quintum. 403.

Cap.6. Placuit infantibus, quoties non inueniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi Sacramentis respondere, absque vllo scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione priuari.

Aurelius, & cæteri Episcopi Africani. 410.

Est inter Epistolas Augustini 90. *Epistola ad Innocentium P.* Paruulos etiam propter salutem, quæ per Saluatorem Christum datur baptizandos negant, ac sic eos mortifera doctrina in æternum necant, promittentes, etiamsi non baptizentur, habituros vitam æternam, nec pertinere ad eos, de quibus Dominus ait: *Venit Filius hominis quærere & saluare quod perierat.* (Lucæ 19.) Quia isti, inquiunt, non perierant, nec est quod in eis saluetur, vel tanto pretio redimatur: quia nihil est in ijs vitiatum, nihil tenetur sub diaboli potestate captiuum.

Concilium Mileuitanum. 410.

Cap.2. Item placuit, vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur, vnde fit consequens, vt in eis forma baptismatis, in remissionem peccatorum, non verè, sed falsè intelligatur, anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: (Rom. 5.) *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransijt, in quo omnes peccauerunt,* nisi quemadmodum Ecclesia Catholica, vbique diffusa, semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

Est inter Epistolas Augustini 92. *Epistola ad Innocentium:* Pueros quoque paruulos, si nullis innouentur Christianæ gratiæ Sacramentis, habituros vitam æternam nequam præsumptione contendunt, euacuantes, quod dicit Apostolus: (Rom. 5.) *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum.*

Innocentius Primus. 410.

Epist.32. ad Concilium Mileuitanum: Illud verò, quod vestra fraternitas eos asserit prædicare, paruulos æternæ vitæ præmijs absque baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. *Nisi enim manducauerint carnem filij hominis, & biberint sanguinem eius, non habebunt vitam in semetipsis.* Qui autem hanc ijs sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare, cùm prædicant hos habere, quod in eos creditur non nisi baptismate conferendum. Si ergo nihil volunt officere non renasci, fateantur necesse est, nec regenerationis sacra fluenta prodesse. Verùm, vt superfluorum hominum praua doctrina celeri possit veritatis ratione discindi, proclamat Dominus in Euangelio, dicens: (Matt. 19.) *Sinite infantes, & nolite eos prohibere venire ad me: talium est enim regnum cælorum.*

Concilium Africanum. 420.

Cap.77. Placuit, vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lauacro regenerationis expietur, vnde fit consequens, vt in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non verè, sed falsè intelligatur, anathema sit, &c. Propter hanc fidei regulam etiam paruuli, qui nihil peccatorum in seipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.

Paulinus Nolanus. 420.

Epistola 12.

Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos.
Infantes niueos corpore, corde, habitu.
Circundansq; rudes festis altaribus agnos,
Cura salutiferis imbuit ora cibis.

Cælestinus Papa. 423.

Epistola ad Galliarum Episcopos cap.12. Illud, quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta Ecclesia vniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu, cùm siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt, quàm exorcismis & exufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur.

Leo Primus. 445.

Epistola 39. ad Leonem Rauennatensem Episcopum capite 1. de paruulis, qui in captiuitatem deuenerunt, & baptismum non reminiscuntur se consecutos: Quorundam fratrum suggestione comperimus, aliquos captiuorum ad sedes suas, libertatemq; redeuntes, qui scilicet in captiuitatem illa ætate peruenerint, quæ nullius rei firmam poterat habere notitiam, remedium quidem implorare baptismi: sed vtrum eiusdem mysterij ante Sacramenta perceperint infantiæ inscientia non posse se reminisci, & ideo sub hoc latentis recordationis incerto animas suas in discrimen adduci, dum sub specie cautionis negatur his gratia, quæ ideo non impenditur, quia putatur impensa. Cùm itaque tribuere talibus Dominici Sacramenta mysterij non immeritò quorundam fratrum formido dubitaret, in Synodali cœtu formam huiuscemodi consultationis accepimus, quam diligentius discuti, & pro vniuscuiusque sensu solicita voluimus ratione tractari, quò ad veritatem, adhibita cognitione multorum, certius peruenire possemus, &c. Cùm itaque baptizatum se nec ille recordetur, qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo possit, quod nesciat consecratum, nihil est in quo peccatum possit obrepere, cùm in hac parte conscientiæ suæ nec ille reus sit, qui consecratur, nec ille, qui consecrat.

Epistola 86. ad Nicetam: A paruulo recens nato vsque ad decrepitum senem, quamlibet corporis ætatem gerant, sicut nullus prohibendus est à baptismo: ita nullus est, qui non peccator moriatur in baptismo. Sed paruuli originali, maiores autem in his omnibus moriuntur peccatis, quæcunque malè viuendo addidêre ad illud, quod nascendo traxêre.

Prosper. 460.

De ingratis cap.6.

Nullus non eget hic sacro baptismate Christi,
Infantesq; etiam purgantur fonte lauacri.

De vocat. Gentium lib.1. capite 22. De paruulis verò, quibus sine vllo bonæ voluntatis merito in originali vulnere cum cæteris mortalibus causa com-

munis est, nihil potest expositionis afferri, qua doceatur, cur isti salui fiant renati, illi pereant non renati, sub illius prouidentia & omipotentia, in cuius manu est omnis anima viuentis, & spiritus vniuersæ carnis hominis.

Libro 2. capite 10. Cùm omnes homines velit Deus saluos fieri, quid est quòd alienatur à salute perpetua tanta infantium multitudo, totque in his ætatibus hominum millia extra vitam relinquuntur æternam: quasi ad hoc tantùm conditi sint ab eo, (qui neminem odiens creauit,) vt quia in hunc mundum cum peccati carne venerunt, insolubilis culpæ vincula sine reatu propriæ actionis inciderent? quid hoc profundius, quid mirabilius esse potest? Neque enim credi fas est, eos, qui regenerationis non adepti sunt Sacramentum, ad vllum beatorum pertinere consortium.

Gennadius Massiliensis. 470.

De Ecclesiasticis dogmatibus capite 31. Illud etiam, quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta Ecclesia vniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu: cùm siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quàm exorcismis, & exufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur.

Cap. 34. Quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit eos in remissionem quidem peccatorum baptizari, sed nihil ex Adam habere originalis peccati, quod lauacro regenerationis expietur, vnde sit consequens, vt in ijs forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 7. de Pascha, *Nisi*, inquit, *manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quod testimonium contra Pelagij blasphemias euidentissimum atque validissimum est, qui asserere arrepta impietate præsumit, non propter vitam, sed propter regnum cælorum baptismum paruulis conferendum. Sub his enim Domini verbis, quibus Euangelista pronuntiat, *non habebitis vitam in vobis*, apertè intelligenda est omnis anima munere baptismi vacua, non solùm gloria carere, sed vita.

Victor Vticensis. 480.

Libro 2. de persecutione Vandalica: Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? Qui vos baptizaturi sunt paruulos fontibus aquæ perennis?

Gelasius. 492.

Epistola 5. De paruulis autem quod asserit Pelagius, sine sacro baptismate pro solo originali peccato non posse damnari, satis impia, satis profana propositio est. Quamuis enim recentes ab vtero matrum in remissionem peccatorum baptizari nullus Christianus ignorat, quod vtique non fallaciter, sed veraciter Catholica celebrat Ecclesia, ne in Sacramentis cælestibus (quod absit) mentita videatur: proinde quia propria non habeant vlla peccata, constat eis sola prorsus originalia relaxari. Itaque omnibus etiam solis remissis, vitam per baptismum consequuntur æternam: consequens est, vt solis etiam non remissis, ad æternam vitam peruenire non possint.

Fulgentius. 500.

De Incarnatione & gratia Christi cap. 30. Si ergo vt ad saluandos homines, sicut isti volunt, non excitat, neque mutat, sed expectat hominum voluntates, quomodo infantibus, qui baptizantur, & in eadem infantia moriuntur, donat æternam salutem, quorum bonam nec expectat, nec inuenit voluntatem? Item alios quomodo sine baptismate mortuos æternis cruciatibus damnat, cùm in ijs nullam culpam malæ voluntatis inuenit? Nonne istos inimicos gratiæ Dei, nec defensores humani, sed deceptores arbitrij, ad hoc sua peruersitas cogit, vt Deum putent iniquum in obitu omnium paruulorum, vbi nulla interueniente vel bonitate, vel malitia voluntatis, alios vident potiri regno, alios interminabili deputatos incendio?

De Fide ad Petrum Diaconum capite 27. Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non solùm homines iam ratione vtentes, verùm etiam paruulos, qui siue in vteris matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur, siue cùm de matribus nati sine Sacramento sancti Baptismatis, quod datur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, de hoc seculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos: quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damdationem carnali conceptione & natiuitate traxerunt.

Alcimus Auitus. 500.

Ad sororem de consolatoria virginitatis laude:

Omnibus id verò grauius, si fortè lauacri
Diuini expertem teneram mors inuida natum
Præripiat, dura genitum de sorte gehennæ,
Qui mox vt matris cessarit filius esse,
Perditionis erit.

Concilium Gerundense. 517.

Capite 5. De paruulis, qui nuper è materno vtero editi sunt, placuit constitui, vt si infirmi (vt assolet) fuerint, & lac maternum non appetunt, etiam eadem die, qua nati sunt, si oblati fuerint, baptizentur.

Primasius. 540.

Ad cap. 4. epistolæ ad Romanos: Sed fortè dicat aliquis Caro, quæ ex transgressore venit, iustè trahit originale peccatum: anima verò, quæ innocens nascitur, vnde trahit originale peccatum, vt si non baptizatus infans moriatur, in æternum damnetur? Audiat, & agnoscat, quia magis anima primùm in Adam pro appetitu diuinitatis, quàm caro peccauit.

Fortunatus. 560.

In vita S. Hilarij Deinde post aliquot dies infans sine baptismi regeneratione defunctus est, duplici morte damnatus, præsentem vitam amiserat, & pœna futuri seculi non carebat.

Concilium Bracarense Secundum. 572.

Capite 7. Placuit, vt vnusquisque Episcopus per Ecclesias suas hoc præcipiat, vt hi, qui infantes suos ad baptismum offerunt, si quid voluntariè pro suo offerunt voto, suscipiatur ab ijs. Si verò per necessitatem paupertatis non habent aliquid, quod offerant, nullum ibi pignus violenter tollatur à clericis. Nam multi pauperes hoc timentes, filios è baptismo retrahunt. Qui si fortè, dum differuntur, sine gratia baptismi de hac vita recesserint, necesse est, vt ab illis eorum perditio requiratur, quorum spolia pertimescentes, à baptismi gratia retraxerunt.

Concilium Matisconense Secundum. 588.

Cap. 3. Ideoque præsentibus admonitionibus, à suis erroribus vel ignorantia reuocari, omnes omnino à die quadragesima cum infantibus suis ad Ecclesiam obseruare præcipimus, vt impo-

sitionem manus certis diebus adepti, & sacri olei liquore peruncti, legitimi diei festiuitate fruantur, & sacro baptismate regenerentur.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 1. epist. 41. Nos quòd tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, vt dum tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur.

Libro 3. epistola 9. Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus Chrismate non præsumant.

Isidorus Hispalensis. 620

De Summo bono libro 1. capite 24. Pro solo reatu originali luunt in inferno nuper nati infantuli pœnas, si renouati per lauacrum non fuerint. Proinde Adæ causa nuper natus infans, si non regeneratur, damnatur: quia originis noxietate perimitur. Cur paruuli originali peccato carentes per baptismum, & necdum proprium habentes dilectum, à bestijs pœnisque cæteris laniantur? Hæc causa est. Baptismus enim à pœna æterna, non à præsentis vitæ supplicio liberat.

De Ecclesiasticis officijs libro 2. capite 24. Paruulis baptismum proficere credimus, vt ab originali peccato abluantur, quod ab Adam prima natiuitate contraxerunt. Qui si prius, quàm ex Spiritu sancto & aqua regenerentur, transierint, proculdubio à regno Christi alieni sunt, ipso Saluatore testante: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest regnum Dei intrare.* Quicunque proinde paruuli alio protestante baptizantur, quia adhuc loqui vel credere nesciunt, sicut etiam ægri, muti, surdi, quorum vice alius profitetur, vt pro ijs, dum baptizantur, respondeat.

Ioan. 3.

Iulianus Toletanus. 680.

Libro 1. Prognost. cap. 9. Cum paruulis baptizandis quis non ad Christi gratiam propterea prorsus curreret, ne à corpore solueretur?

Concilium Toletanum Duodecimum. 685.

Cap. 2. Etenim paruulorum infantium vita, originali peccato obnoxia, quæ nulli propter ætatem discernendi vel experendi sensui aptior iudicetur, nisi ex sponsione fidelium baptismi accipiant sacramentum, nullo sensu, nulla etiam discretionis industria, id appetere possunt. Vnde sicut baptisma, quod nescientibus paruulis sine vlla contentione in fide tantùm proximorum accipitur, ita pœnitentiæ donum, quod nescientibus illabitur, absque impugnantia violationis, hi, qui illud acceperint, obseruabunt.

Beda. 700.

Libro 4. in Cantica: Gratia fidei renatos fonte baptismatis etiam paruulos, atque ipsa paruula ætate defunctos, superna ad gaudia perducit.

Ad caput 7. Marci: Propter humilem matris fidelemque sermonem filiam deseruit dæmonium. Vbi datur exemplum catechizandi & baptizandi infantes: quia videlicet per fidem & confessionem parentum in baptismo liberantur à diabolo paruuli, qui necdum per se sapere, vel aliquid agere boni possunt, aut mali.

Ad caput 8. Ioannis: Propter hoc ad baptismum curritur, propter hoc etiam sugens paruulus à matre pijs manibus ad Ecclesiam fertur, ne sine baptismo exeat, & in peccato, quo natus est, moriatur.

Gregorius Tertius. 731.

Epistola ad Bonifacium: Pro paruulis verò, qui à parentibus subtracti sunt, & an baptizati sunt, an non, ignorant, hos vt baptizare debeas secundùm Patrum traditionem, si non fuerit qui testificetur, ratio poscit.

Zacharias Papa. 740.

Epistola ad Bonifacium: De baptizatis ab illo falso episcopo, seu Ecclesijs consecratis, requirit tua fraternitas: Si aut Ecclesias in nomine Trinitatis consecrauit, aut paruulos similiter baptizauit, dum sacerdotio fungebatur, & sic & consecratio Ecclesiarum, & paruulorum baptisma sit confirmatum.

Alcuinus. 750.

De diuinis officijs capite 21. de Sabbato in Albis: Paruuli autem alio profitente fidem illorum idcirco baptizantur, quia adhuc loqui vel credere nequeunt. Quòd si prius, quàm regenerentur, transierint, procul dubio à regno cælesti alieni existunt.

Carolus Magnus. 780.

Libro 6. capite 181. De quibus dubium est, vtrum sint baptisati, an non, omnimodis absque vllo scrupulo baptisentur: his autem verbis præmissis: Non te rebaptiso, sed si nondum baptisatus es, *baptiso te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Cap. 185. Placuit, vt populus ad baptismum infantes non afferat, nisi duobus temporibus, si infirmitas non occupauerit.

Haymo. 800.

Homilia de Ascensione Domini: Hic curiosus lector opponere potest: Quid ergo fiet de paruulis, qui nesciunt loqui? Ad quod vera ratio respondere potest: quia sola fides parentum paruulis proficit in baptismo, ita tamen, vt cùm ad legitimam ætatem peruenerint, instruantur, & doceantur.

Æmoinus. 825.

De gestis Francorum libro 1. capite 15. Concipit interea Regina puerum, natumque perducit ad baptismum, quem vocauit Ingomirum: qui in albis positus, spiritum exhalans, vitæ transmissus est perpetuæ.

Libro 4. capite 20. Dagobertus ex Ragintrude filium suscepit, quem cum Amandus Episcopus iuxta morem fidelium præsignaret, assistente genitore, pariterque Ariberto Aquitaniæ rege, finita oratione, & nullo è tanta exercitus multitudine respondente, *Amen*, aperuit Dominus os pueri, qui non plus, quàm triginta à natiuitate dies expleuerat, audientibus cunctis respondit, *Amen.* Statim ergo sanctus Antistes eum regenerauit, quem Aribertus Rex de fonte sacro leuauit.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis capite 26. Hoc ergo sentientes sacræ fidei sectatores, ne perirent paruuli, si sine remedio regenerationis gratiæ defungerentur, statuerunt eos baptisari in remissionem peccatorum. Non sicut hæretici quidam, gratiæ Dei repugnantes, contendebant, nulla necessitate paruulos baptisari: quia nondum peccassent. Quod si verum esset, vel non baptisandi erant: vel si extra necessitatem baptisarentur, imperfectum, & non verum in ijs erat baptismi Sacramentum, quod in symbolo confitemur dari in remissionem peccatorum. Ergo quia omnes, quos gratia Dei non liberat, pereunt in originali delicto, etiam qui sui sceleris non adiecerunt augmenta, ne-

cessariò paruuli baptizantur,&c. Ex hac occasione inuentum est, vt patrini, vel matrinæ adhibeantur, suscepturi paruulos de lauacro: & pro eis respondeant omnia, quę ipsi per ætatis infirmitatem confiteri non possunt.

Amalarius Treuirensis. 830.

De officijs Ecclesiasticis lib.1.cap.24. Ex responsione parentum, siue offerentium, qui similitudinem credulitatis paruulorum exercent, agitur infantibus fides. Solemus enim nominare infantem, & dicere ei: *Credis in Deum Patrem?* Atque respondit offerens; *Credo.* Satis superius demonstratum est ex Euangelico testimonio, quòd fides offerentis possit eum saluare.

Hincmarus Rhemensis Episcopus. 840.

Epistola ad Hincmarum Laudunensem: Tu prohibes Ecclesiæ ab immaculato diuini fontis vtero Domino filios generare, qui venit animas non perdere, sed saluare? Quomodo te præterijt, quod in Euangelio legis: *Offerebant, inquit, illi paruulos, vt tangeret illos. Discipuli autem comminabantur illos offerre. Quòd cùm videret Iesus, indignè tulit, & ait illis: Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos.* Et tu prohibes offerri Domino paruulos? Si tremendum Dei iudicium te non terruit, timere debueras, ne tu solus hoc ageres, quod nullus Christianorum vnquam facere ausus fuit. Nam de infantibus baptisandis, qui necdum baptizati noscuntur, quoties necessitas exegerit, per beatum Syricium regula Ecclesiastica prolata demonstrat, dicens: In infantibus, qui nondum, *&c. vt supra in Syricio.*

Rabanus Maurus. 850.

De institutione Cleri libro 1. capite 26. In Ecclesia Saluatoris paruulorum, qui per ætatem abrenuntiare diabolo, & credere non possunt, per corda & ora gestantium salus adimpletur. Quandoquidem in Euangelio dicitur, quòd Iesus videns fidem illorum, dixit paralytico: *Remittuntur tibi peccata tua.*

De Vniuerso lib.4.cap.10. Si paruuli sint, vel hebetes, qui doctrinam non capiunt, respondeant pro illis, qui illos offerunt, iuxta morem baptisandi, & sic manus impositione, & Chrismate communiti Eucharistiæ mysterijs admittantur.

Concilium VVormatiense. 868.

Cap.70. Placuit de infantibus, quoties non inueniuntur certissimi testes, qui eos baptisatos esse sine dubitatione testentur, nec ipsi sunt per ætatem de traditis sibi Sacramentis idonei respondere, absque scrupulo eos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione priuari.

Concilium Metense. 894.

Cap 3. Nullus aliter suscipiat è fonte infantem, nisi qui professionem Catholicæ fidei tenuerit. Et infantem nequaquam duo, vel plures, sed vnus è fonte baptismatis suscipiat.

Smaragdus. 970.

In epistolam de Sabbato Pentecostes: Quia paruuli, necdum ratione vtentes, hæc minimè capere possunt, oportet vt, cùm ad intelligibilem ætatem peruenerint, doceantur, & fidei Sacramentis, & confessionis suæ mysterijs veraciter credant. Quamuis illi necdum loqui possunt, pro illis & confitentur, & loquuntur, qui eos de fontis lauacro suscipiunt. Nec immeritò dignum est, vt qui aliorum peccatis obnoxij sunt, aliorum etiam confessione, per ministerium baptismatis remissionem originalium percipiant peccatorum.

Ad caput 2. epistolæ D. Petri: *Sinite paruulos venire ad me: talium enim est regnum cælorum.* Hanc enim sanctam, puram, & innocentem infantiam per baptismi gratiam casta mater gignit Ecclesia.

Petrus Damianus. 1050.

Epist.12.cap.16. Certè non ignoramus, cùm pueri catechizantur, sacerdos interrogat quid petis? Vbi non puer, sed alius eius nomine reddit responsum, dicens: *Fidem*, &c. propriè ad puerum pertinet, alius in eius persona respondet.

Algerus. 1060.

Lib.3.de Sacramentis cap.6 Sola fide sine baptismo saluantur homines, vt latro: solo baptismate sine fide, vt pueri.

Anselmus. 1080.

Ad caput 15. Matthæi: Catechizandi, & baptizandi infantes, per fidem scilicet, & confessionem parentum, in baptismo liberantur à diabolo, qui necdum per se capere, vel aliquid boni, vel mali possunt facere.

Ad caput 6. ad Romanos: Profectò paruuli, cui baptisantur in Christo, peccato moriuntur: quia in morte ipsius baptisantur.

Ad caput 7. prioris ad Corinth. Nec paruuli, de quibuslibet sanctis iustisqúe procreati, originalis peccati reatu absoluuntur, nisi in Christo fuerint baptisati.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de Sacramentis Dedicationis: Postquam Ecclesia dilatata est, & congregata in gentibus, nec inter fideles repertus est aliquis adultæ ætatis non fidelis, ne paruuli eorum, de hac vita ante rationabiles annos exeuntes, alieni remanerent à consortio Christi, prouisa etiam in illis medicina salutis: vt in Sacramento fidei baptisarentur, & per alterius fidem reconciliarentur Deo, sicut per alterius peccatum abalienati erant à Deo. Institutum est itaque ad hoc nouum Sacramentorum genus, ad catechisandos paruulos, exorcizandos initiandos, & demum baptisandos, in quibus pro paruulo audit Ecclesia, & ad interrogata respondet, donec paruulus ad intelligibiles annos perueniat, & Sacramenta fidei, charitatis, & spei, sibi imposita, per se intelligat.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De diuinis Officijs lib.4.cap.18. Postquam Christianitas creuit, & sagena illa verbi Dei piscibus impleta est, quia periculosum erat tantam multitudinem differre, propter occasiones mortis, quæ in multitudine hominum multæ sunt, maximè propter turbam infantium, ex Christianis parentibus succrescentium, quorum tenera vita persæpe leui occasione succiditur: visum est sanctæ Ecclesiæ, passim indulgentia baptisandi concessa, imò oblata, cuncta anteuenire pericula, baptismi tamen solennitatem vel in paucis cum Dominica resurrectione, cui similis est, celebrare.

Bernardus. 1130.

Epistola 77. Infantes, quando baptizantur, non omnino fide carent, sine qua impossibile est placere Deo: sed saluantur & ipsi per fidem, non tamen suam, sed alienam, qui sine sorde non nascuntur a- liena.

Epistola 240. Paruulis Christianorum Christi intercluditur vita, dum baptismi negatur gratia: nec saluti propinquare sinuntur, Saluator licet piè clamante pro ijs: *Sinite paruulos venire ad me.* Ergone, vt homines & iumenta saluauit, quemadmodum multiplicauit misericordiam suam Deus, ad solos tamen innocentes non patitur eandem tam multam misericordiam suam peruenire? Quid quæso, quid inuidet paruulis Saluatorem paruulum, qui natus est ijs? &c. Matt.19.

Sermone

Sermone 66. super Cantica, disputans contra Petrobrusianos, qui negabant paruulos esse baptizandos: Nemo mihi dicat, quia non habet fidem, cui mater impertit suam, inuoluens illi in Sacramento, quousque idoneus fiat proprio non tantum sensu, sed absolutam puramque percipere. Nunquid breue pallium, vt non possit ambos cooperire? Magna est Ecclesiæ fides. Nunquid minor fide Chananææ
Matt. 15. mulieris, quam constat & filiæ potuisse sufficere, & sibi? Ideo audiuit: *O Mulier magna est fides tua: fiat*
Matt. 9. *tibi sicut petijsti:* Nunquid minor fide illorum, qui paralyticum per tegulas demittentes, animæ illi simul & corporis obtinuêre salutem? Denique ha-
Ioan. 5. bes: *Quorum fidem vt vidit, ait paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et paulò post: *Tolle grabatum, & ambula.* Qui hæc credit, facilè huic persuadebitur, meritò Ecclesiam præsumere non solùm paruulis baptizatis in sua fide salutem, sed etiam interfectis pro Christo infantibus coronam martyrij. Quæ cum ita sint, nullum præiudicium sustinebunt regenerati de eo, quod dictum est: *Sine*
Heb. 11. *fide impossibile est placere Deo,* cùm fine fide non sint, qui in testimonium fidei baptismi gratiam perceperunt.

Hugo Victorinus. 1130.

Tractatu 5. de Sacramento Baptismi cap. 6. Quaeritur de paruulis, qui sine baptismate moriuntur, non ex contemptu religionis, sed quia non potest succurri ijs necessitate aliqua, vtrum saluentur? Ad quod dicitur, quòd non saluantur: quia non habent fidem, quæ in adultis, cùm non sit contemptus religionis, vicem baptismi supplet. Et quòd non saluentur in multis locis ostendit Augustinus, &c.

Libro 2. de anima cap. 28. Si aliqui sub peccato geniti obeunt paruuli absque remedio salutari, pertimesce iustitiam Dei, qui nihil debet alicui, sed damnat in singulis malum, quod non fecit in ijs. Si autem paruulos renouat Sacramentis, admirare misericordiam Dei: qui sicut nesciunt culpam, cum qua ex carne nascuntur, sic nesciunt gratiam, qua per Christum renouantur. Non excusat paruulos à culpa, quia eam non norunt: nec excludit gratiam ab ijs, quia eam nesciunt.

Richardus Victorinus. 1140.

Tractatu de iudiciaria potestate: Paruulorum, statim post baptisma morientium, tam est certa saluatio, quàm non credentium certa damnatio.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. dist. 4. Paruulis non sufficit fides Ecclesiæ sine Sacramento: quia si absque baptismo fuerint defuncti, etiam cùm deferuntur ad baptismum, damnabuntur, sicut multis Sanctorum auctoritatibus comprobatur, &c. Sicut paruuli, qui sine baptismo moriuntur, infidelium ascribuntur numero: ita qui baptizantur, fideles dicuntur, qui à fidelium consortio non separantur, cùm orat Ecclesia pro fidelibus defunctis. Fideles ergo sunt, non propter virtutem, sed propter fidei sacramentum.

Petrus Cluniacensis 1150.

Contra Petrobrusianos lib. 1. epist. 2. Quia non potuit vmbra corpore, figura veritate aliquo pacto excellentior apparere, necessariò vos oportet confiteri, Christianorum paruulos saluari baptismate, cùm fateamini Iudæorum paruulos saluari circuncisione.

Petrus Blesensis. 1160.

Sermone de Synodo: Noui Amorrhæi, & noui Philistæi nos oppugnant, qui nec in paruulis baptismum admittunt, nec in altari Sacramentum corporis & sanguinis Domini.

Helmoldus Presbyter. 1170.

In Chronico Sclauorum lib. 4. cap. 15. In Sabbatho S. Paschæ, cùm paruuli, iuxta morem Ecclesiæ, baptizarentur, quidem Iudæus eiusdem ciuitatis, quasi per curiositatem, cum alijs spectatoribus huic se negotio ingessit. Et cùm infra actionem sacrum Chrisma capiti cuiusdam infantuli à Pontifice imponeretur, aperti sunt oculi eius, & vidit Spiritum sanctum, in specie columbæ, super ipsum infantulum descendentem, &c.

Innocentius Tertius. 1200.

Ad Psalm. 4. Pœnitentialem: Ab hac fœditate, vel immunditia purgatur anima paruuli ex aqua, & Spiritu per baptismum.

Decretalium Constitutionum lib. 3. titulo 42. Asserūt quidam paruulis inutiliter baptisma conferri: quod nituntur probare, illud primò & præcipuè inducentes, quòd cùm secundùm verbum Iacobi Apostoli dicentis in epistola sua: *Charitas operit multitudinem peccatorum;* & iuxta illud testimonium Veritatis in Euangelio: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam multum dilexit:* non nisi per charitatem, & in charitate crimina dimittantur paruulis, qui nec sentiunt, nec consentiunt, & charitatem non habent, quæ sentientibus & consentientibus tantùm infunditur: peccatum non dimittitur in baptismo. Ad id taliter respondemus, quòd Baptisma successerit Circuncisioni, & Circuncisio tam adultis, quàm paruulis ex præcepto Domini conferretur, ne baptismus, qui succedit loco illius, & generaliter tamen existit, cùm tam viri quàm fœminæ baptizentur, minoris videatur effectus, tam adultis, quàm paruulis est conferendus. Sicut enim sine distinctione qualibet Mosaica lex clamabat: *Anima, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo:* ita nunc indistinctè intonat vox Euangelica: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei:* ab hac generalitate nec sexum, nec ætatem excludens.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap. 1. Sacramentum baptismi, quod ad inuocationem indiuiduæ Trinitatis consecratur in aqua, tam paruulis, quàm adultis, in forma Ecclesiæ à quocunque ritè collatum, proficit ad salutem.

Iacobus Vitriacus. 1230.

In Octaua Epiphaniæ: Alij accipiunt fidem & rem Sacramenti: sicut hi, qui contriti accedunt, & similiter paruuli, qui in fide Ecclesiæ baptizantur: qui non solùm Sacramentum, sed & rem Sacramenti, videlicet diuinam gratiam suscipiunt, cum fide, & alijs virtutibus, quæ eis in habitu à Domino conferuntur. Sicut enim filia mulieris Chananææ in fide matris suæ sanata est à Domino: sic paruuli in fide matris Ecclesiæ per baptisma saluantur.

Edmundus Cantuariensis. 1230.

In speculo Ecclesiæ cap. 14. Per virtutem verborum & baptismi effugatur diabolus ab infante, deleturque eius originale peccatum, quod traxit à parentibus, & infunditur gratia in baptizatum. Et si infans fuerit in periculo, nec sit copia sacerdotis, laicus, vel etiam mulier debet dicere: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.* Et ponere aquam super puerum, & imponere sibi nomen, & hoc sufficit ad salutem infantis.

Gulielmus Aluernus Parisiensis Episc. 1230.

De vitijs, & peccatis cap. 7. Qui cum solo originali peccato discedunt, & nullum ei, dum viuerent, actuali addiderunt, vt paruuli, medium inter gehennam, & purgatorium locum, vbi tanquam lepra originali immundi seorsim à locis Sanctorrm seclusi, perpetuam mansionem sunt habituri.

Alexander Alesius. 1240.

Parte 4. q. 8. m. 8. art. 3. §. 1. Paruulis confertur gratia sanctificationis, siue purgationis à peccato ori-

ginali in baptiſmo, & hoc merito paſſionis Chriſti, & alienæ fidei, & virtute Sacramenti.

Hugo Cardinalis. 1240.

Ad Pſalm. 27. Eccleſia orat pro paruulis baptizatis, non quia dubium ſit ipſos ſaluari, ſed vt innuatur, quòd hoc non habent ex ſuis meritis, vel natura, ſed ſola gratia.

Thomas Aquinas. 1250.

Tertiæ Summæ q. 69. Pueri credunt non per actum proprium, ſed per fidem Eccleſiæ, quæ eis communicatur, & huius fidei virtute conferuntur eis gratia & virtutes.

Bonauentura. 1260.

De vita Chriſti cap. 23. Hoc quotidie contigit in pueris, qui baptizantur: qui ſi ante annos diſcretionis moriantur, in alterius fide gratiam ſuſcipiunt, qua per meritum Chriſti ſaluantur.

Guibertus Tornacus. 1270.

De officio Epiſcopi cap. 41. Quia paruuli per ſe renuntiare diabolo, & credere non poſſunt, per eorum corda & ora, per quos offeruntur, hoc faciunt. Vnde congruè prouiſa eſt eis medicina ſalutis, vt in Sacramento fidei baptizentur: & per alterius fidem Deo reconciliantur, qui per alterius peccatum à Deo alienati eſſe noſcuntur.

Guilhelmus Durantius. 1280.

Rationalis diuinorum lib. 6. *cap.* 83. Si mater in partu moriatur, incidatur: & infans viuus de ventre extrahetur, & baptizetur, &c. Sicut paruuli alieno errore damnati fuerant, ſic ex aliena profeſſione ſaluari poſſe neceſſe eſt.

Concilium Viennenſe. 1305.

In Clementinis T. de ſumma Trinitate & fide Catholica: Baptiſmum celebratum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti credimus eſſe tam adultis quàm paruulis perfectum remedium ad ſalutem.

Durandus à S. Portiano. 1320.

Libro 4. *Sent. diſt.* 4. *quæſt.* 5. Nulli ætati, cui imminet periculum damnationis, deeſt remedium ſalutis, vt patet per Auguſtinum libro 83. Quæſtionum, vbi comparat ætates hominis ſtatibus mundi. Sed paruulis ineſt cauſa ſuæ damnationis, ſcilicet originale peccatum, & periculum ex morte. Ergo non deeſt eis remedium ſalutis. Non eſt autem niſi baptiſmus. Propter quod, qui dicit baptiſmum non eſſe eis conferendum, contradicit diuinæ miſericordiæ, quæ promtior eſt ad miſerendum, quàm ad condemnandum. Iuxta quod notandum eſt, quòd non ſolum licitum eſt tunc paruulis conferre baptiſmum, ſed etiam periculoſum eſt differre propter tria. Primò, propter imbecillitatem naturæ in pueris, ex qua frequenter, & quaſi ſubitò imminet eis periculum mortis, & per conſequens periculum damnationis. Secundò, propter infeſtationes dæmonum, qui non habent tantam poteſtatem in baptizatis, ſicut in non baptizatis. Tertiò, quia homo firmius inhæret his, quæ à puero recipit.

Ludolphus Saxo Carthuſianus. 1330.

Vita Chriſti parte 2. *cap.* 82. Per alios paruuli credunt in Eccleſia, ſicut ex alijs trahunt peccata, quæ illis baptiſmo remittuntur confeſſione aliena. Pium eſt enim, vt id, quod per alienum peccatum amiſerunt, per alienum auxilium, vt Eccleſiæ & patrinorum, in quibus credere dicuntur, recuperare & recipere poſſint.

Guido Rocherius. 1333.

In Manipulo Curatorum parte 2. *cap.* 5. In paruulo ſufficit fides & intentio eorum, qui eum offerunt ad baptiſmum.

Thomas Argentinenſis. 1350.

Lib. 4. *Sent. diſt.* 4. *q.* 1. *artic.* 2. Omnes paruuli, qui baptizantur, recipiunt Sacramentum & rem Sacramenti. Quia quicunque intrat in vitam æternam, neceſſe eſt quòd habeat gratiam & virtutes, & ſit emundatus à culpa, & abſolutus à pœna, quæ ſunt res Sacramenti: ſed paruuli, qui immediatè moriuntur poſt baptiſmum, ſine omni interuallo purgati intrant in vitam æternam, vt fide tenemus.

Thomas VValdenſis. 1410.

Tomo 3. *tit.* 5. *c.* 154. Tam neceſſarius eſt Baptiſmus aquæ noſtris naſcentibus, quàm neceſſaria erat circuncifio Ioanni, Abrahæ, Iſaac, & cæteris Patribus, &c. Audiat Guilhelmus, audiant VVicleuiſtæ, quod hæc conſuetudo matris Eccleſiæ de baptizandis paruulis nec ſpernenda, aut ſuperflua iudicanda, ſed credenda Apoſtolica extat traditio, nec tantùm propter paruulum, ſed propter paruuli credentis in Chriſto prolatum teſtimonium Auguſtini. Habet enim, inquit, illa parua ætas magnum teſtimonij pondus ſic in baptiſmo, ſicut in martyrio.

Ioannes Gerſon. 1420.

De vita animæ ſpirituali Lection. 2. Si quis objiciat de paruulis, quos obligauit Deus ad baptiſmata ſuſcipienda, & taliter quòd in vtero materno, ſi moriantur abſque huiuſmodi baptiſmo, quem cõſtat eos non ſolùm ignorare, imò nec habere poſſe, damnabuntur. Reſpondemus, quòd nec ibi eſt præceptum quale loquimur, cuius tranſgreſſio ſcilicet imputetur ad culpam notam actualem. Sed eſt ibi quoddam ſtatutum diuinum, quo non obſeruato, non redditur hæreditas in Adam promiſſa.

In Compendio Theolog. de ſeptem Virtutibus: Ad id, quod quæritur, vtrum paruuli baptizati fidem habeant, dicunt quidam, quòd nec fidem habeant, nec cæteras virtutes, eò quòd hæ non conferuntur eis in baptiſmo, ſed tantùm purgatio ab originali peccato. Dicunt tamen, quòd ſi anima paruuli poſt baptiſmum ſeparetur, in illa ſeparatione illi infundi fidem cæteráſq; virtutes ab ipſo Deo. Alij dicunt paruulis plenè fidem & cæteras virtutes in baptiſmo infundi, ſed non vſus earum.

Laurentius Iuſtinianus. 1430.

De perfectionis gradibus cap. 14. Pueris diſcretione carentibus huiſmodi carnis Chriſti manducandi non eſt indicta neceſſitas. Abluti enim lauacro ſancto, ſanctificato per verbum, etiam abſque ſumptione Sacramenti Euchariſtiæ in fide ſaluantur Eccleſiæ.

Dionyſius Carthuſianus. 1460.

In Summa orthodoxa fidei lib. 4. *cap.* 97. Secundùm Apoſtolum ad Roman. 6. *ſicut per vnius delictum omnes moriuntur: ſic per Chriſtum omnes iuſtificantur.* Quemadmodum itaque infantes originale peccatum à primis parentibus contrahunt: ita in Chriſto regenerari & baptizari poſſunt.

Gabriel Bielius. 1480.

In Canonem Miſſæ lectione 26. Baptiſmus tollit peccatũ originale, & confert gratiã infanti baptizato.

Baptiſta Fulgoſius. 1490.

Dictorum factorumq́; memorabilium lib. 1. *cap.* 8. Anno 1315. Comitiſſa Hollandiæ vno partu 363. pueros peperit, qui omnes viui baptizati ſunt.

Concilium Tridentinum. 1560.

Seſſ. 7. *de Baptiſ. Can.* 13. Si quis dixerit, paruulos, eò quòd actum credendi non habent, ſuſcepto baptiſmo inter fideles computandos non eſſe, ac propterea cùm ad annos diſcretionis peruenerint, eſſe rebaptizandos: aut præſtare omitti eorum batiſma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in ſola fide Eccleſiæ, anathema ſit.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

BAPTISMVM IN PERICVLO MORTIS, VBI NEC SACERDOS, NEC ALIQVIS CLERICORVM HABERI POTEST, A LAICIS, NON SOLVM VIRIS, SED ETIAM MVLIERIBVS COLLATVM, VERVM ESSE SACRAMENTVM.

NEGANT.

Anno post natum Christi 1550.

IOANNES Caluinus Epist. 51. *Baptismum obstetricibus permittere, impia profanatio est.*

In appendice ad libellum de veræ Ecclesiæ reformatione: *Ex eodem principio fluit & istud delictum, quod mulieres facit baptismi administras, in casu, vt vocant, necessitatis: me verò, qui hanc alieni muneris illicitam esse vsurpationem dico, toto errare cælo superciliosè pronuntiat.*

1560.

Theodorus Beza in abstersione calumniarum Heshusij: *Tanti mox fieri cœpit baptismi necessitas, vt domestica ac priuata baptizationes ipsis etiam laicis, quos vocarunt, permissæ fuerint, quadam videlicet commiseratione, qui ante obitum requirebant baptismi solatium. Inde ortus superiore longè deterior error: nempe à vita æterna excludi, quotquot quouis modo baptizati non essent.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Exod. 4. Vers. 24. Cumque esset (*Moyses*) in itinere, in diuersorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Tulit ilicò Sephora acutissimam petram, & circuncidit præputium filij sui.

2. Mach. 6. 9. Erat ergo videre miseriam. Duæ enim mulieres delatæ sunt natos suos circuncidisse: quas infantibus ad hubera suspensis, cùm publicè per ciuitatem circumduxissent, per muros præcipitauerunt.

Ananias nec Presbyter, nec Diaconus baptizauit Paulum.

Actor. 9. 17. Et abijt Ananias, & introiuit in domum, & imponens ei (*Paulo*,) manus, dixit: Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas: vt videas, & implearis Spiritu sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis eius tamquam squamæ, & visum recepit: & surgens baptizatus est.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Sozomenus. 440.

Ecclesiasticæ Historiæ lib. 2. cap. 16. Alexander Episcopus, cùm solus esset, oculosque ad mare conuertisset, vidit longè ab se pueros in littore colludentes, & consuetudinem quodammodo Episcoporum, & Ecclesiæ ritus quadam imitatione exprimentes. Tandem cùm arcana mysteria imitando adumbrare inciperent, animo conturbatus est. Pueros ad se adduci iubet, percontatur ab illis de genere ludi, quibus verbis, quibusve actionibus in eo vsi sint. Indicant Athanasium Episcopum & principem ludi fuisse, puerosque quosdam, nondum initiatos mysterijs, ab illo baptizatos esse. A quibus Alexander sciscitatur, quid sacerdos, & Episcopus ludi ipsis dixerit, feceritve, & quid ipsi vel respondissent, vel ab eo didicissent. Vbi Alexander comperit, vniuersum ordinem ac ritum Ecclesiasticum ab illis exquisitè seruatum, consilio sacerdotum, quos circa se habebat, approbauit baptismum, & pueros semel in animorum simplicitate diuina gratia imbutos, rebaptizandos non censuit.

Nicephorus Confessor. 800.

Canone 6. Infantes non baptizatos oportet, si quo loco moriatur quis, vbi non sit sacerdos, baptizari. Quòd si vel seruus, vel quilibet alius, modò sit Christianus, baptizet, non peccat.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 3. cap. 37. M. Aurelio Antonino imperium administrante, Iudæus quidam in solis aridisque locis iter faciens, communiter cum viatoribus Christianis Psalmos canebat. Cùm verò morbo repentino ita affligeretur, vt crederetur moriturus, atque ibi in locis illis permansurus esse, magna contentione viatoribus suis obsecrando institit, ne eum ita præsidio omni destitutum relinquerent, sed vt diuini lauacri participem facerent, ac deinde abirent. Vt autem illi, neque qui præstare hoc posset, (sacerdote enim opus erat,) neque aquæ copiam adesse, quæ in baptismo perficiendo, & consuetudine antiqua, & lege certa & inuiolata requirerentur, causati sunt, & propterea in tantarum rerum penuria petitioni eius non annuerunt: Iudæus porrò in sententia sua permansit, & iureiu-

rando eos, vt sibi satisfacerent, adegit. Illi itaque, detractis homini vestibus, arena, quæ ibi erat, pro aqua vsi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, tertium arena in eum coniecta, baptizarunt. Per hanc tam insolitam & admirandam sacrorum mysteriorum initiationem, imbecillitate omni tamquam vinculo quodam is solutus, longè melius quàm illi validus iam prorsus iter fecit. Postquam autem domum sunt reuersi, rem eam ad Dionysium Alexandriæ Episcopum retulerunt. Ille verò admiratione stupens, Ecclesiam de ea consuluit. Cui visum est, aqua insuper ad eum modum initiatum, iuxta Ecclesiæ traditionem, abluendum esse: vt ita, quod sacro ei deesset, sarciretur. Simile quiddam accidisse sub Athanasio Magno, historiæ tradunt. Verùm æuo etiam nostro idem factum esse nouimus. Christianorum pueris Hebræus puer familiaris erat: & cùm eis ad mare colentibus natandi incessisset cupiditas, consecutus est eos Iudæus. Hunc per ludum pueri nudum ad mare stantem baptizârunt, principio statim non inuitum: posteaquam verò & tertiam diuini numinis appellationem nominârunt, & simul tertiam mersionem peregerunt, extrema lineæ vestis texura discissa, & qui circa hæc frequentatur, imaginario amictu facto, in capite eius arcanam mysticamque galeam adumbrârunt: deinde pro cereo dextram ligno tenui armantes, quæ eius sacri & ritus sunt mysteria omnia absoluerunt: postremò & circum vicinum templum psallentes obambularunt. Vt verò etiam templum ingressi sunt, diuinam receperunt remunerationem (ἀντίδωρον.) Idem porrò ex æquo, qui ita baptismo initiatus erat, fecit. Quam rem per diligentem inquisitionem cognitam, qui ibi sacris præfuit, ad Ecclesiam Constantinopolitanam renuntiauit. Eò puer etiam accitus: cùm quidem Iudæi, ne id fieret, multa molirentur. Atque ibi quoque decretum, vt etiam in illo quod deesset, iuxta mysterij executionem compleretur. atque id ita est factum. Qui puer, vbi ad iustam ætatem peruenit, in sacerdotij ordinem est allectus: & æditus, seu custos maximi templi factus etiamnum ibi viuit.

(*.*)

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De Baptismo cap. 17. Superest ad concludendam materiolam de obseruatione quoque dandi & accipiendi baptismum commonfacere. Dandi quidem habet ius summus sacerdos, qui est Episcopus. Dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem. Quo saluo, salua pax est. Alioquin etiam laicis ius est. Quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest, nisi Episcopi iam, aut Presbyteri, aut Diaconi vocantur, dicêtes, Domini sermo non debet abscondi ab vllo. Proinde & baptismus æquè Dei census ab omnibus exerceri potest: sed quanto magis Laicis disciplina verecundiæ & modestiæ incumbit, cùm ea maioribus competat, ne sibi assumant dicatum Episcopi officium Episcopatus. Aemulatio schismatum
1Cor. 6. mater est. Omnia licere dixit sanctissimus Apostolus, sed non omnia expedire. Sufficiat scilicet in necessitatibus, vt vtaris, sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cùm vrget circunstantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit præstare, quod liberè potuit.

Hieronymus. 390.

Dialogo aduersus Luciferianos cap. 4. Sine Episcopi iussione neque Presbyter, neque Diaconus ius habet baptizandi: quod frequenter, si tamen necessitas cogat, scimus etiam laicis licere.

Ruffinus. 400.

Ecclesiast. hist. lib. 1. *cap.* 14. Alexander Episcopus Alexandrinus videt eminus puerorum supra oram maris ludum, imitantium, vt fieri solet, Episcopum, atque ea, quæ in Ecclesijs geri mos est. Sed cùm intentius pueros inspectaret, vidit ab his geri quædam etiam secretiora & mystica. Perturbatus ilicò, vocari ad se clericos iubet, atque eis quid videret ostendit. Tum abire eos, & comprehensos ad se perducere omnes pueros imperat. Cumque adessent, quis eis ludus, & quid egissent, vel quomodo percunctatur. Illi pauidi, negare primò, deinde rem gestam ordine pandunt, & baptizatos à se esse quosdam catechumenos confitentur per Athanasium, qui ludi istius puerilis fuerat Episcopus simulatus. Tum ille diligenter inquirens ab illis, qui baptizati dicebantur, quid interrogati fuerint, quidve responderint, simul & ab eo qui interrogauerat. Vbi videt secundùm religionis nostræ ritum cuncta constare, collocutus cum Concilio Clericorum, statuisse traditur, illis, quibus integris interrogationibus & responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere, sed adimplere ea, quæ à sacerdotibus mos est.

Augustinus. 400.

Libro 2. *contra Parmenianum cap.* 13. Etsi laicus aliquis pereunti dederit Baptismum necessitate compulsus, quod cum ipse acciperet: dandum esse addidicit, nescio an piè quisquam dixerit esse repetendum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris vsurpatio est: si autem necessitas vrgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed etsi nulla necessitate vsurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamuis rectè possit dici illicitè datum, &c. Et hæc quidem alia quæstio est, verum ab ijs, qui nunquam fuerunt Christiani, possit Baptismus dari, nec aliquid temerè inde affirmandum est, sine auctoritate tanti Concilij, quantum tantæ rei sufficit. De ijs verò, qui ab Ecclesiæ vnitate separati sunt, nulla iam quæstio est, quin & habeant, & dare possint.

Ad Fortunatum: In necessitate, cum Episcopi, aut Presbyteri: aut quilibet ministrorū non inueniuntur, & vrget periculum eius, qui petit, ne sine Sacramento hanc vitam finiat, etiam laicos solere dare Sacramentum, quod acceperunt, solemus audire.

Gelasius. 490.

Epistola ad Episcopos per Lucaniam & Brutios constitutos cap. 9 Diaconi absque Episcopo, vel Presbytero baptizari non audeant, nisi longius constitutis extrema necessitas compellat. Quod & laicis Christianis facere plerumque conceditur.

Isidorus Hispalensis. 620

De officijs Ecclesi. lib. 2. *cap.* 24. Constat baptisma solis sacerdotibus esse traditum, eiusque mysterium nec ipsis Diaconibus explere est licitum, absque Episcopis, vel Presbyteris, nisi illis procul absentibus, vltima languoris cogat necessitas: quod & laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quisquam sine remedio salutari de seculo euocetur.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis lib. 26. In hoc, & similibus, non tribuitur quibuscunque baptizandi indiscreta licentia, cùm Concilio Carthaginensi mulieres

prohi-

prohibeantur baptizare: sed demonstratur per hæc, vbi ineuitabilis necessitas poscit, melius baptizari vbicunque, & à quocunque in nomine Trinitatis, quàm periclitantem sine remedio deperire.

Nicolaus Primus. 860.

Ad consulta Bulgarorum cap. 104. A quodam Iudæo, nescitis vtrum Christiano, an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid inde sit agendum consulitis. Hi profectò, si in nomine Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi, (sicut in Actibus Apostolorum legitur) baptizati sunt: vnum quippe idemque est, vt S. Ambrosius exponit: constat eos non esse rebaptizandos denuò.

Vrbanus Secundus. 1086.

Epistola ad Vitalem Presbyterum: Super quibus consuluit nos dilectio tua, hoc videtur nobis ex sententia respondendum, vt & baptismus sit, si instante necessitate fœmina puerum in nomine Trinitatis baptizauerit, & quòd spiritualium parentum filij, vel filiæ, ante & post compaternitatem geniti, possunt legitimè coniungi, præter illam personam, per quam compatres sunt effecti.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramento Baptismi cap. 8. Constat baptisma solis sacerdotibus esse traditum, eiusque ministerium nec ab ipsis Diaconis expleri est licitum absque Presbytero, vel Episcopo, nisi, his procul absentibus, languoris cogat vltima necessitas, quod laicis fidelibus plerumque permittitur. De his, qui à mulieribus baptizantur, quæritur vtrum rebaptizari debeant? Quidam dicunt, quòd rebaptizandi sint, pro ista auctoritate ex Concilio Carthaginensi quarto: Mulier baptizare non præsumat. Sed non est præsumptio, quod necessitas cogit. Isidorus quoque dicit, qui à mulieribus baptizantur, rebaptizandi non sunt.

Ioannes Gratianus. 1140.

De consecrat. dist. 4. *de Baptismo, ex Carthaginensi* 4. *Concil.* Mulier, quamuis docta & sancta, viros in conuentu docere, vel aliquos docere non præsumat nisi necessitate cogente. Vnde Vrbanus Papa II. Super quibus consuluit, &c.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap. 1. Sacramentum baptismi, quod ad inuocationem indiuiduæ Trinitatis consecratur in aqua, tam paruulis, quàm adultis, in forma Ecclesiæ à quocunque ritè collatum, proficit ad salutem.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In Octaua Epiphaniæ: Non solùm vtriusque sexus fideles: sed & Saraceni, & hæretici in necessitate possunt baptizare sub inuocatione Trinitatis, dummodò quod intendit Ecclesia, ipsi intendant facere, licet ex baptismo nullum crederent fructum prouenire. Regulariter tamen propter Sacramenti reuerentiam à sacerdotibus debet conferri, nisi in articulo necessitatis aliter fieri oporteat. Vnde mimicè & ioculatoriè baptizati in forma Ecclesiæ, cum intentione faciendi hoc quod facit Ecclesia, non sunt rebaptizandi, ne fiat iniuria Sacramento, quod non dependet ex virtute ministrantis. Intentio enim baptizantis necessaria est, &c. Si laicus in necessitate mortis imminentis puerum baptizauerit, sacerdos, si puer superuixerit, reliqua, quæ ad solennitatem pertinent, diligenter suppleat, & laicos diligenter instruat de forma baptizandi, & de virtute huius Sacramenti, quæ ad solum Christum pertinet.

Thomas Aquinas. 1250.

In lib. 4. *Sentent. d.* 5. Baptisma inter alia Sacramenta est maximæ necessitatis: tum, quia pueris non potest aliter subueniri: tum, quia etiam nec adultis, quantum ad remissionem totius pœnæ: & ideo ea, quæ ad necessitatem Sacramenti requiruntur, debuerunt esse communissima, & ex parte materiæ, scilicet aquæ, quæ vbique haberi potest, & ex parte ministri, vt quilibet homo baptizare possit. Et sanctificatio materiæ, & benedictio præcedens baptismum, non est de necessitate Sacramenti, sed de solennitate. Et peccat, si aliquis non ordinatus baptizet, nisi necessitate imminente, tamen Sacramentum confert.

Richardus de Media Villa. 1280.

In lib. 4. *Senten. dist.* 6. *art.* 4. *q.* 1. Quia baptismus est Sacramentum necessitatis ad salutem, potestas conferendi verum baptismum concessa est cuilibet homini in casu necessitatis, sicut in tali casu licitum est baptismum celebrare in aqua non sanctificata. Casu tamen necessitatis excepto, non debet baptizare nisi sacerdos, nec nisi in aqua sanctificata.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 1. *cap.* 23. Christus est qui baptizat. Quapropter siue à clericis, siue à laicis, siue etiam à mulieribus imminente necessitate baptismus detur, non tamen iteratur.

Thomas Argentinensis. 1350.

Lib. 4. *Sent. dist.* 5. *q.* 1. *artic.* 2. Cùm baptismus sit Sacramentum maximæ necessitatis, ideo istud Sacramentum & quantum ad materiam, & quantum ad ministrum, est omnibus alijs Sacramentis minus limitatum. Vnde sicut in necessitatis articulo omnis aqua est vera materia baptismi: tamen non ingruente necessitate, ad reuerentiam Sacramenti homo non debet baptizari, nisi in aqua benedicta, seu per benedictionem sanctificata: sic eodem modo, quantum ad ministrum in necessitatis articulo, quilibet homo potest baptizare: sed non imminente necessitate, tunc ad honorem Sacramenti solus sacerdos debet baptizare: quia tantummodò sacerdoti conuenit baptizare ex officij auctoritate: licet alijs conueniat ex permissione iuris. Posito tamen casu, quòd aliquis baptizetur in aqua non benedicta, & à ministro non sacerdote, cùm tamen congruè possit habere sacerdotem, qui eum baptizaret in aqua sanctificata, ille quidem esset baptizatus, nec esset rebaptisandus: quamuis baptisans grauiter peccaret, ac etiam baptisatus, si fuerit rationis capax, & nouerit statutum Ecclesiæ.

Concilium Florentinum. 1439.

In literis Vnionis: Minister huius Sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. In causa autem necessitatis non solùm sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imò etiam paganus, & hæreticus baptizare potest, dummodò formam seruet Ecclesiæ, & facere intendat quod facit Ecclesia.

(*.*)

ARTICV-

ARTICVLVS OCTAVVS.

AQVAE BAPTISMALIS CONSECRATIONEM, ET AQVÆ BENEDICTÆ VSVM.

IMPROBANT.

Anno post natum Christi

1180. *Valdenses derident & subsannant omnes benedictiones, quas Ecclesia facit super panem aquam, & oleum.* Rainerus in fragmento, quod extat apud Claudium Coisordium contra VValdenses, Aeneas Syluius hist. Bohem. c. 35.

1300. *Flagellantes dicebant, aquam benedictam, qua aspergimur in Ecclesiis, nihil habere efficacia* Bernard. Lutzenb.

1315. *Gualtherus Lollardus consecrationes & benedictiones salis & aquæ nihil esse dicebat.* Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, de anno 1315.

1400. *VViclenistæ dicunt, benedictiones salis, aquæ, vini, & olei nihil habere efficaciæ.* Bernard. Lutzenb.

1430. *Thaboritæ baptisma simplicis vndæ voluit, nullam aquam benedicunt.* Aeneas Syluius epist. 130.

1500. *Pigardi simplici aqua baptizant, nec salem, nec aquam benedicunt.* Ioannes Schlechta epistola ad Erasmum.

1520. *Martinus Lutherus,* libro de visione Danielis contra Catharinum, *damnat omnes creaturarum benedictiones.*

1540. *Ioannes Caluinus,* lib. 4. Institut. c. 10. §. 20. *ait aquæ lustralis institutionem nullo modo à spiritu Apostolico proficisci potuisse, quandoquidem nihil aliud sit, quàm baptismi profanatio, & quasi repetitio.*

Cap. 15. §. 19. *Inuenta est,* inquit, *aquæ benedictio, vel potius incantatio, quæ veram aquæ consecrationem pollueret.*

1560. Magdeburgenses Centur. 2. c. 2. fol. 121. *Ascribunt aquæ consecrationem Alexandro Primo. Verùm hæc omnia Ethnico alicui Pontifici, qui tum Romæ adhuc sua collegia habebat, potius tribui possunt, quàm Episcopo Ecclesiæ.*

1570. *Tilmanus Heshusius inter sexcentos Papistarum errores, loco 27. ponit vsum aquæ lustralis, quam vocat manifestam magiam, præter verbum Dei.*

PROBANT SACRÆ LITERÆ.

Num. 8. *vers.* 6. Tolle Leuitas ex medio filiorum Israel, & purificabis eos iuxta hunc ritum: Aspergantur aqua lustrationis, & radant omnes pilos carnis suæ.

Numer. 19. 20. Si quis hoc ritu non fuerit expiatus peribit anima illius de medio Ecclesiæ: quia sanctuarium Domini polluit, & non est aqua lustrationis aspersus.

Ephes. 2. 2. In quibus aliquando ambulastis, secundùm seculum mundi huius, secundùm principem potestatis aëris huius, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ.

1. *Tim.* 4. 4. Omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quòd cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per Verbum Dei & orationem.

PROBANT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constit. Apostol. lib. 7. cap. 44. Postea venit ad aquã, & benedicit, ac laudat Deum omnipotentem, Patrem Vnigeniti Dei, &c. Et nunc deprecetur sacerdos instante baptismo, & dicat: Aspice è cælo, & sanctifica hanc aquam: tribue autem gratiam, & vim, & qui baptizatur secundùm mandatum Christi tui, cum eo crucifixus, commortuus, consepultus, & consuscitatus sit, in adoptionem, quæ in eo sit, vt mortuus quidem sit peccato, viuat autem iustitiæ.

Lib. 8. cap. 29. Si Episcopus non aderit, benedicat Presbyter præsente Diacono. Dicat autem in hunc modum: Domine Sabaoth, Deus virtutum, qui dedisti aquam ad bibendum, & oleum ad exhilarandum faciem in exultationem lætitiæ: ipse etiam nunc sanctifica per Christum hanc aquam & oleum, ex nomine eius, qui obtulit, & tribue ei vim sanandi, & depellendi morbum, fugandi dæmones, expellendi insidias, per CHRISTVM spem nostram.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiastica Hierarchia cap. 2. At verò Pontifex trino crucis sanctæ signaculo vnctionem inchoans, inungendum iam sacerdotibus toto corpore hominem tradit: ipse ad adoptionis matrem proficiscitur, eiusque aquas sancta prece, ac inuocatione sanctificans, ter in eas ad crucis effigiem sanctissimum fundens vnguentum, illasque hoc ritu perficiens, iubet adferri hominem, &c.

Constantinus Magnus. 320.

In donatione: Benedicto fonte illic me trina mersione vnda salutis purgauit.

Concilium Nicanum Primum. 325.

Canone 68. Arabico: Transacto anno, debet sacerdos benedicere aquam & oleum, non sicut fit in baptismo, neque sicut benedicitur Chrisma, sed sicut oleum infirmorum, & sicut aqua ad mundationem immunditiæ eorum, qui comederunt morticinium. Et sic debet benedicere ijs sacerdos, & aspergere eos aqua ista. Et ipsi etiam, qui asperguntur, debent lugere, & mundabuntur ab immunditia sua, remittetur eis peccatum.

Basilius Magnus. 370.

In Psal. 28. In vniuerso orbe baptismatis administratur mysterium, diuina inuocatione aquarum sanctificante naturam.

Libro de Spiritu sancto, cap. 27. Consecramus aquã baptismatis, & oleum vnctionis, præterea ipsum, qui baptismum accipit, ex quibus scriptis? Nonne à tacita secretaque Traditione?

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechef. 3. Nam & illa, quæ in aris offeruntur, cùm natura sint pura, inuocatione dæmonum impura efficiuntur: sic contra aqua simplex per sancti Spiritus Christi & Patris inuocationem accepta virtute sanctitatem consequitur.

Gregorius Nyssenus. 380.

Orat. de Baptismo: Audi igitur contra à nobis, quòd aqua, quæ benedicitur, purgat & illuminat hominem.

Orat. aduersus eos, qui differunt baptisma: Prudenter reputans, quod omnis locus communis est, Domino, & omnis aqua apta est ad vsum baptismatis, si modò inuenerit fidem eius, qui id accepit, & benedictionem sacerdotis sanctificantis.

Epiphanius. 380.

Heresi 30. Templum autem maximum prius in vrbe fuit, & puto Adrianum hoc vocatum fuisse. Cùm verò hoc Adrianum imperfectum permansisset, ciues ad publicum balneum id instaurare conabantur: quo comperto, Iosephus ex hoc occasionem habebat, & vbi inuenisset id per lapides quatuor cubitorum, ac quatuor pedum ad aliquam altitudinem euectum, hinc incipit facere Ecclesiæ structuram. Erat autem opus calce, & alia materia. Caminos itaque extra vrbem multos facere iussit, fortè septem numero: fornaces autem vernacula lingua vocant. At verò callidi Iudæi à præstigijs apud ipsos fieri solitis non abstinuerunt. Incantationibus enim quibusdam, ac curiosa sedulitate ignem ligare ac disperdere generosi illi aggressi sunt, sed non perfectè potuerunt. Cessabat itaque ignis, & non operabatur: sed extra propriam, vt ita dicam, naturam constitutus erat. Vbi autem hi, qui combustilem materiam igni addere iussi erant, ligna videlicet, siue sarmenta, nihil effecissent, Iosepho rem ipsam significârunt. Commotus igitur vir ipse, & zelo Domini correptus, extra vrbem currit: & vbi aquam in vase afferri iussisset, accepto vase aquæ, coram omnibus magna voce crucis signaculum proprio suo digito vasi imposuit, & inuocato nomine Iesu sic dixit: In nomine Iesu Nazareni, quem crucifixerunt Patris mei, & omnium horum circumstantium, fiat virtus in hac aqua ad reprobationem omnis incantationis & magiæ, quam hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis ad perficiendam domum Domini: & sic accepit aquam in manum, & de aqua singulos fornaces respersit, & dissoluta sunt incantamenta, & ignis coram omnibus emersit. Turbæ verò præsentes clamore edito: Vnus Deus, qui Christianis auxiliatur, secesserunt.

Theophilus Alexandrinus. 390.

Lib. 1. Paschali: Aqua in baptismate aduentu Spiritus sanctificatur.

Ioannes Chrysostomus. 400.

In Psal. 22. Aqua primatum tenet in elementis: sed cùm aquæ elementum acceperit Spiritum S. fit Sacramentum, & iam non erit aqua potationis, sed sanctificationis: non erit aqua communis, sed refectionis. Per istam aquam educit purgatos, facit perfectos, ratione charitatis & gratiæ; illuminans Rom. 5. & replens eos, vt vbi abundauerat peccatum, faceret diuites in gratia.

Sermone in Pentecoste de Spiritu sancto: Spiritu S. sacerdotes ordinantur, Doctores declarantur, vnguentum consecratur, aquæ purgantur, dæmones abiguntur.

Palladius. 420.

Historia sanctorum Patrum cap. 19. & 20. Aegyptius quidam captus amore cuiusdam mulieris ingenuæ, quæ viro nupserat, cùm non posset eam inescare propter pudicitiam & castitatem erga suum meritum Parthenicum, conuenit improbus præstigiatorem, dicens: Aut eam incita, vt me amet: aut arte tua effice, vt eius maritus eam dimittat. Cùm ergo præstigiator satis ab eo accepisset, vsus est suis præstigijs, & incantationibus: & cùm non posset eius animum mouere, vt ei assentiretur, efficit, vt videretur ijs, qui eam intuebantur, equa. Cùm ergo foris venisset eius maritus, aspexit vxorem suam in forma equæ: cumque in suo lecto cubuisset, alienum ei videbatur, quòd in suo cubili equa iaceret. Flet ergo maritus eius, & lamentatur, quòd vxorem nõ inueniat, & quòd existimans se alloqui bestiam, responsum non assequatur, &c. Quæ cùm esset adducta ad Macarium, aquam benedixit, in caput eius nudum effudit, statimque effecit, vt omnibus videntibus fœmina videretur.

In vita Macarij apud Surium: Posthæc adducitur ad Macarium in mei præsentia puer quidam, qui sæuissimi dæmonis spiritu laborabat. Cumque vnam super caput eius manum posuisset, & ad cor ipsius aliam, tamdiu deprecatus est Deum, quamdiu suspendi in aëre eum faceret: qui puer in morem vtris totus inflatus, supra quàm æstimare quis posset, intumuit, & subitò aquam ex omni parte membrorum cum clamore maximo vocis effudit. Itaque omni illo tumore residente, ad pristinam sui corporis redijt sanitatem. Quem sancto perunctum oleo, & benedicta perfusum aqua, proprio reddidit patri, præcepitque, vt per quadraginta dies nec carnes eum edere, nec vinum bibere permitteret, & sic eum perfectæ reddidit sanitati.

Ioannes Cassianus. 430.

Collat. 15. cap. 4. Abbas Abraham cùm metendi gratia ad Aegyptum de eremo diebus Quinquagesimæ perrexisset, & à muliere quadam paruulum suum lactis inopia iam tabidum atque seminecem præferente lachrymosis precibus fuisset obstrictus, calicem ei aquæ potandum impresso crucis signaculo dedit, cuius haustu confestim mirum in modum arida iam penitus vbera copia lactis redundante confluxerunt.

Theodoretus. 450.

Ecclesiast. hist. lib. 5. cap. 21. Venit fortè Apameam Præfectus Orientis, duobus ducibus, cum duobus hominum millibus comitatus: qui quidem plebe,

propter metum sibi à militibus iniectum, quiescente, delubrum Iouis, quod amplissimum, fuit, & multis, ac varijs ornamentis illustratum, deturbare aggreditur. Verùm cùm structuram eius valde solidam, ac firmè compactam cerneret, existimauit lapidum coagmentationem nullo modo posse dissolui. Nam lapides erant grandissimi, arctè inter se iuncti, & ferro præterea ac plumbo colligati. Qua re Præfectum deterritum cùm videret D. Marcellus Episcopus Apameorum, eum ad alias vrbes amandauit, ipseque Deum impensè precatus est, vt viam sibi ad illius delubri euersionem aperiret. Itaque primo mane vir quidam, qui neque architectus, neque lapidarius fuit, neque vllam aliam artem nouit, sed lapides & ligna humeris portare assueuerat, sua sponte eò venit. Qui vt ac essit, pollicitus est se delubrum facillimè demoliturum, solumque mercedem postulauit, qua duos opifices conduceret. Quam simulatque S. Episcopus ei daturum promiserat, eiusmodi quiddam excogitauit homo ille. Delubrum habebat porticum quadratã, erectam in sublime, sibique adiunctam. Hanc sustentabant columnæ, maximè pares proportione ipsi templo: ambitus autem cuiusque sedecim cubitorum fuit. Lapis, ex quo erant fabricatæ, natura durissimus, ne facilè lapidariorum instrumentis cedens. Quarum singulas cùm vndique suffodisset iste, & ædificia illis innixa tignis oleagineis suffulsisset, ad aliud eodem modo transijt. Nam tribus columnis ad hunc modum suffossis, inijcit tignis flammam: verùm dæmon quidam ater apparens tigna, vt eorum fert natura, igne absumi non patitur, sed impetum flammæ cohibet. Vbi verò istud sæpius egerant, videbatque machinam illam frustra admotam, Episcopo sub meridiem fortè dormienti rem indicant. Ille confestim ad sanctum Dei templum properè contendit, aquam in vase adferri iubet, quam sub sacrosancto altari ponit. Ipse autem humi in faciem prostratus Dominum benignum & clementem precatur, ne tyrannidem dæmonis longius serpere permittat: sed tum eius patefaciat imbecillitatem, tum suam ipsius potentiam ostendat, ad eum finem, vt infidelibus nulla maioris cæcitatis inde detur occasio. Hæc & alia his similia locutus, cum aquam signo crucis signasset, Equitium, vnum ex Diaconis, fide & pietatis studio egregiè munitum, aquam iubet accipere, ocyus ad delubrum currere, & cum fide eam spargere, tignisque flammam adhibere. Qua re confecta, dæmon aquæ aspersæ vim non ferens, penitus aufugit. Ignis autem aqua, suæ naturæ maximè aduersaria, velut oleo fotus, tigna occupat, eaque momento temporis prorsus absumit. Itaque columnæ basi sublata corruunt, aliasque duodecim secum deijciunt. Ipsum præterea templi latus columnis cohærens, violento illarum casu pariter deturbatum est. Cuius ingenti fragore tota adeò personabat ciuitas, vt omnes ad ipsum illud delubrum spectandum concurrerent. Atque simul vt intellexêre, dæmonem infestum fugatum esse, hymnorũ concentu vno ore omnes Deum celebrârunt. Eodem modo. S. ille Episcopus alia quoque simulachrorum fana demolitus est.

In Philotheo cap. 8. de Aphraate: Iam verò dicunt, quòd cùm locustæ aliquando regionem repente inuasissent, & instar ignis omnia consumerent, segetes, arbores, prata & nemora: venit ad eum quidam vir pius, rogans vt opem ferret vnum quidem agrum habenti, ex eo autem & se, & vxorem, & filios, & familiam alenti, & à quo etiam Imperatoria exigeretur collatio. Is Dominicam imitans benignitatem, iussit ad se adferri congium aquæ. Postquam autem aquæ congium attulit is, qui orabat, ei quidem manum imposuit. Deum autem est precatus, vt fluentum impleret diuina virtute. Deinde finita oratione iussit, vt in prædij limitibus aqua aspergeretur. Qui eam attulerat, fecit vt iussus fuerat: idque tunc illis agris pro vallo sacrosancto & inexpugnabili. Nam vsque ad illos fines reptantes, & circumuolantes locustæ instar exercitus, rursus retrocesserunt, benedictionem impositam extimescentes & veluti quodam fræno suffocatæ, & vltra progredi prohibitæ.

Cap. 13. de S. Macedonio: Mulier quædam, quæ vocabatur Assyria, erat quidem emotæ mentis, ex domesticis autem agnoscebat neminem, vt cibum & potum sumeret ferre non poterat. Plurimo autem tempore assiduè delirabat, &c. Maritus eius ad diuinum caput accurrens, narrauit morbum coniugis, & orauit vt ea assequeretur curationem. Cessit vir diuinus, & domum venit, & Deo obtulit orationem. Perfecta oratione cum iussisset aquam afferri, & fecisset figuram salutaris signaculi, iussit illam bibere. Cùm autem prohiberent Medici, vtpote quòd potu aquæ frigidæ morbus cresceret, expulsa tota illorum caterua, obtulit mulieri potionem. Illa autem simulac bibit, ad se redijt, & à morbo omnino liberata, diuinum virum agnouit, & vt dexteram acciperet, rogauit, oculisque eam imposuit, & ori admonuit, & deinde semper fuit mentis compos.

Theodorus Lector. 500.

Libro 2. Petrus Cnaphæus, vt mysterium in Ecclesia coram omni populo sanctificaretur, & inuocatio super aquas in Theophranijs vespere fieret, excogitasse dicitur.

Georgius Presbyter. 600.

In vita Theodori Archimandritæ: Cùm in Antyranorum Metropoli magna lues in homines, armentaque desæuiret, eius Metropolis curatores ad Dei seruum accedentes, secum abduxerunt. Cumque filias haberent Monachas in sanctissimo Dei Genitricis monasterio, quod Becia vocatur, rogarunt, eum vt ibi commoraretur, vt pro illis Deum obsecraret. Constituto autem supplicationis die, omnes ciues & agricolæ conuenerunt ad supplicandum: & ipse cum illis Deum obsecrans, ab ea peste ipsos liberauit. Aquam præterea benedixit, qua conspergebantur armenta, & liberabantur &c. Contigit, vt vnus ex filijs Mauritij Imperatoris lepræ morbo laboraret, cui cùm medici nullam possent opem afferre, Imperator virum sanctum accersendum curauit. Qui in palatium, vbi puer iacebat, ingressus, & pro illo preces ad Deum fundens, aquam benedixit, cumque illum aspersisset, reliquum aquæ dedit, vt rursus conspergeretur, & sancti viri precibus puer sanus effectus est, &c. Procul ab hac ciuitate sex passuum millibus erat hortus, quem magna locustarum multitudo occuparat, & totum prope deuastarat. Huius horti dominus cùm B. Theodorum adesse intellexisset, processit illi obuiam, & ad pedes eius prostratus, calamitatem in hortum suum locustis illatam indicauit. Cui vir sanctus: Abi, inquit, fili, & adfer aquam in vase. Cucurrit ille, & è propinquo flumine aquam attulit. Quam Dei seruus cùm benedixisset, dedit ei, dicens: Hac aqua quatuor tui horti angulos consperge, & dabit tibi Dominus id, quod exoptas. Ad hortum reuersus homo, studiosè fecit, quæ vir sanctus præceperat. Cumque ad locum, quem primùm asperserat, reuertisset, ne vnam quidem locustam reperit. Paulo post item inuisens, omnes planè locustas deletas inuenit, &c. Theodorus dux regius ad domum suam duxit virum sanctum, vt eam à magna dæmonum vexatione liberaret. Etenim homines, & animalia rationis expertia ab immundis spiritibus vexabantur. Domũ seruus Dei ingressus, totam noctem psallendo, & Deum obsecrando traduxit, & aqua, cui bene-

dixerat,

dixerat, totam domum aspergens, eam à spiritibus immundis liberauit.

Seuerus Alexandrinus Patriarcha. 700.

De ritibus Baptismi: *Sacerdos dicit:* Domine Deus Creator omnis creaturæ, visibilis pariter & inuisibilis, respice in hanc creaturam, istas videlicet aquas, & inde ijs redemptionis gratiam, benedictionem Iordanis, sanctitatem Spiritus. Fugiant ab ijs omnes, qui lædunt figmentum manuum tuarum, quoniam nomen tuum Domine inuocatum super ijs est. *Hic ter insufflat sacerdos in aquas in figura crucis, & pronus ait:* Collidatur, ô Domine, caput draconis illius homicidæ subter signaculum crucis tuæ, & fugiant tenebriones inuisibiles, atque aërei, neque delitescat illis aquis tenebrosus dæmon, neque cum ijs, qui baptizantur, descendat impurus tenebrarum spiritus, obsecro à te Domine Deus, quoniam fœdissimas cogitationes loquitur cum mentis emotione. (*Tum suspendit vocem sacerdos, & qualibet inuocatione facit quatuor cruces super aquas, digitumque suum demittit primùm ab Oriente, dein ab Occidente, tum à Septentrione, & Meridie aquarum.*) Sed tu Domine infer eas cruces aquis istis. Aquæ quietis, aquæ lætitiæ, aquæ secretò reconditæ in morte vnici Filij tui, aquæ expiationis omnis labis & immunditiei, tum carnis, tum spiritus purgatrices, vinculorum solutio, noxarum remissio, &c. Miserere nostri omnipotens Deus, & super istas, quæ sanctificantur, aquas, ex apparata habitatione tua, & è sinu tuo nequaquam spectabili immitte Paracletum tuum.

Leo Imp. 880.

In Encomio Ioannis Chrysostomi: Cùm Sanctus aquam attulisset, rogat Episcopum, vt facto signaculo ægrotæ mulieri aquam aspergat. Hoc cùm factum esset, statim mulier accepit sanitatem.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita Ioannis Chrysostomi: Ioannes calamitatis infirmi pueri misertus, aquam iubet afferri: quam cùm ter quidem signasset in nomine sanctæ Trinitatis, & ter ea aspersisset illum, qui ægrotabat, sanum, & à morbo liberum reddidit ei, quæ genuerat.

In Martyrio Stephani Romani Pontificis cap. 4. His auditis, statim beatus Pontifex hominem illum adduxit ad locum quendam, qui vocatur Titulus Pastoris, eumque & ipsum, & eius filiam Catechismo instruxisset, iussit eos ieiunare vsque ad vesperam. Cùm autem venisset hora vespertina, benedixit aquæ in eo loco, & Nemesium in aquam demisit, & baptizauit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Euthymius. 1080.

Parte 2. Panopliæ tit. 20 Crux manu signata res omnes sanctificat, quibus adhibetur, vt aquam baptismi, & oleum, & Chrisma.

Mar-Michael Chindisi, filius Eliæ Patriarcha Antiocheni Anno 1167.

Lib. Ceremoniali, sec. de ritu consecrationum: Dicimus, quòd hæc aqua benedicta fuit instituta in Sede Antiochena Syriorum à tempore Apostolorum sanctorum, sed ordine determinato, ac præfixo ritu non vtebantur vsque ad tempora Domini Iacobi, qui fuit ordinatus Episcopus ciuitatis Ve-hoia anno 641. & D. Gheuardi Edaame, qui fuit ordinatus Patriarcha anno 6‥7. Verùm D. Iacobus ritum ordinemque eius annotauit in libro suo Thesaurorum cap. 7. Gheuardus autem scripsit, ac disposuit, & confirmauit eadem in cap. 3. libri, quem fecit aduersus Macedonium, cùm super fundamenta Acoluthiæ (quæ labore & diligentia S. Procli Constantinopolitani constituta fuit) fabricasset eam, quam sanctam Acoluthiam scripsit cap. 17. sui libri, qui appellatur Ecclesiasticus. Et confirmârunt, ac firmiter stabiliuerunt eam hi duo præfati Sancti ex reformato exemplari magni Epiphanij, &c.

In cap. 21. suæ Syntaxeos: Acceperunt enim omnes præfati modum ordinis eiusdem orationis & vsus ex Clemente Pontifice Romano, qui eius ordinem incœpit, dedit, ac posuit in Ecclesia, cùm eleuaret ac sublimaret eam in Acoluthiam Apostolicam, quemadmodum attestati sunt isti SS. Patres, & alij, præter eos, vt Eusebius, Laodiceus, Anatolius, Eusebius, Gregorius, Neocæsariensis, Ephræm, Basilius, & præter hos multi alij. Veruntamen isti, qui commemorati sunt, diligenter laborârunt, ordinârunt, statueruntque, deinde necessarium esse fidelem quemque sanctam Ecclesiam ingredientem signari debere hac aqua in modum crucis, vel aspergatur necessarium fore, & postea accedere ante sancta Sacramenta. Ac etiam subinde statuerunt, quòd aut in die Epiphaniæ, vel in die Cœnæ Domini decentissimum est vt benedicatur, ac aduertentur custodiatur, seruetur que à festo ad festum, vt supra, in phialis integris vitreis. Dixerunt autem, quòd si necesse fuerit ex aliquo accidenti aquam consumi, ac in Ecclesia non reperiri, permittit necessitas denuò posse benedici, eo tempore, quo deficit, & decreuerunt: decentissimum esse eam Episcopum benedicere. At cùm Episcopus non occurreret, concesserunt vt Archipresbyter eam benediceret, & ordinârunt vsum ac ministerium illius benedictioni accommodatum. Hoc autem fecerunt propterea, quia inuentæ sunt nationes ex fidelibus, sub cura & potestate Sedis Antiochenæ existentes, diuersi ritus, & habitibus patriæ distantes, ac idiomate differentes, qui æstimârunt, ac acceperunt hanc aquam, sicut aquam baptismi, & legebant super eam orationes, quæ aquæ baptismali propriæ sunt. Quocirca coacti sunt adducere demonstrationes, testimonia, & rationes, nempe quòd hæc aqua benedicta differebat ab ipsa baptismatis, sicut differt & distat oleum benedictum ab oleo sancto Chrismatis, & Sacramenta viuificantia à pane benedicto, sed non consecrato, & propterea elegerunt, & ordinârunt, vt ad hanc benedictionem deseruirent Psalmi & Lectiones ei accommodatæ ex lege Mosi, ac Prophetis, Actibus quoque Apostolorum, nec non ex Euangelio, vitæ cantus, ac sacræ nuncupatę, & compleuerunt hanc benedictionem per orationem, quę propria est ei.

NOSTRA MEMORIA RITUM benedictionis aquæ adhuc seruant Ecclesiæ.

In Græcia.

Euchologion Græcorum fol. 112. *In Ordine paruæ benedictionis:* Pro huius aquæ sanctificatione, virtute, & operatione, & Spiritus sancti missione, Oremus.

Chorus: Kyrie eleison.

Pro accessione in hanc aquam purgatiuę supersubstantialis Trinitatis operationis, Oremus.

Chorus: Kyrie eleison.

Vt hæc aqua fiat animarum, & corporum medela, & omnis imminentis exercitus auersio, Oremus.

Chorus: Kyrie eleison.

Vt demittas in ipsam gratiam redemptionis, & benedictionem Iordanis, Oremus.

Chorus: Kyrie eleison.

Vt Dominus Deus constituat filios & hæredes regni ipsius per huius aquæ transumptionem & aspersionem, Oremus.

Chorus: Kyrie eleison.

Deinde dicit hanc Orationem: Domine Deus noster,

ster, qui magnus es consilio, & operibus admirabilis, qui ex luto viuentes oculos operatus es, & lauare iussisti, lumen habitare præparasti verbo, qui aduersantium passionum turbines, turbas, & dolorem ferentes, voluptatum turbas recondere facis. Tu humanissime Rex, qui dedisti nobis niueo fulgore lucentem ferre stolam ex aqua & Spiritu, etiam per huius aquæ transumptionem, & aspersionem tuam, nobis demitte benedictionem abstergentem passionum sordes, &c. Inclina Domine aurem tuam, & exaudi nos, qui in Iordane baptizari passus es, & sanctificans aquas, benedic etiam nos, per inclinationem propriæ ceruicis significantes ipsum seruitutis statum, & fac nos dignos impleri sanctificatione tua, per huius aquæ transumptionem, vt sit nobis Domine in salutem animæ & corporis.

Deinde capiens pretiosam crucem benedicit aquas, ter demittens, & attollens ipsam rectam. Mox post sanctificationem sit aspergit totum populum, & mansionem: populus autem canit præsentem versiculum. Pauperes sancti fontem medicinæ possidentes, remedia præbere omnibus indigentibus, tanquam maximis muneribus digni effecti à perenni fonte Saluatore nostro: dicit enim vobis Dominus tanquam imitatoribus Apostolorum: *Ecce dedi vobis potestatem contra Spiritus immundos, vt ipsos eijciatis, & curetis omnem infirmitatem, & languorem.*

In Armenia.

Pontificale Armeniorum: *In Canone benedictionis aquæ:* Adiuro te creatura aquę in nomine ✠ Patris omnipotentis, & in nomine Iesu ✠ Christi Filij eius Domini nostri, & in virtute Spiritus ✠ sancti, vt fias aqua adiurata & benedicta ad propulsandum & effugandam omnem potestatem inimici, & eundemmet inimicum eradicare valeas, vnà cum angelis suis apostatis per virtutem eiusdem Domini nostri Iesu Christi.

Adiuratio aquæ: Adiuro te substantia aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Filij eius Iesu Christi, & in gloria sancti Spiritus, vt fias efficax per adiurationem homini, ad fugandam nequitiam Satanæ, & ipsum Satan valeas radicitus euellere cum omnibus angelis eius.

Oratio aquæ. Domine Deus Saluator hominum, qui confirmasti vniuersa super aquas, inclina ad preces nostras, & hanc (*vnam ex quatuor elementis*) aquam præparatam multiplici vsui benedic ✠ per infusionem gratiæ tuæ, ad effugandas dæmones, ad pellendos morbos, & ad omnia, quę respersérit, in domibus & locis Christianorum mundanda, & ad propulsandum malum, & etiam in quem locum peruenerit, recedat spiritus nequam, & morbus, & immunditia, & aura corrumpens, & omnia insidiæ dæmonum, & tribuat sanitatem propter inuocationem sancti nominis tui, & potentiam Domini nostri Iesu Christi.

Et hic miscetur sale aqua, & signatur ✠ cruce cum gratiarum actione, seruaturq́ue in Ecclesiis.

Benedictio aquæ: Deus, qui ob salutem humani generis tribuisti in manu pręcipuorum Sacramentorum aquæ substantiam, intende nunc Domine voci precationum nostrarum, & elementali aquæ huic, quę est purgatrix corporalium sordium, virtutem benedictionis tuæ infunde, vt creatura hæc tua, quæ inseruit venerabili tuo Sacramento, effectum nunc sumens diuinæ gratiæ, abijciat dæmones, morbosq́ue pellat, vtq́ue domus, vel loca fidelium, in quibus hæc aspersa fuerit, careant omni immunditia, liberentur ab omni nouo flagello, neque in illis vltra resideat spiritus pestilens, nec aura corrumpens, & recedant omnes insidiæ latentis inimici, & si quid fuerit contrarium vel obnoxium incolumitati, seu etiam quieti habitantium in dictis locis, aspersione huius aquæ annihilatum effugiat, vt salus expetita per inuocationem sancti nominis tui defensa sit ab omnibus impugnationibus. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Hic Sacerdos accipiat sal, & in crucis forma mittat in aquam, dicendo: Commistio hæc salis & aquæ fiat in nomine ✠ Patris, & ✠ Filij, & ✠ Spiritus sancti.

Oremus: Deus inuictæ virtutis auctor, & indeclinabilis imperij rex, qui semper magnificus es, & potens triumphator, qui reprimis vires dominationis aduersarij nostri, qui satanicam virtutem, & iracundiam omnipotenti virtute tua expugnas, nunc cum timore & tremore supplices deprecamur te, vt hanc creaturam salis & aquæ dignanter suscipias, & gratia tua illustres, & tua solita pietate sanctifices, vt vbicunque fuerit aspersa hæc, per inuocationem nominis tui sancti omnis impugnatio immundi Spiritus abijciatur, terrificusq́ue conatus venenosi inuisibilis serpentis procul pellatur, & gratia Spiritus tui sancti vbique nobis exposcentibus tribuatur. Amen.

Diebus Dominicis hora competenti secundùm consuetudinem sacerdos genibus flexis coram sancto altari illud primùm aqua benedicta aspergit, tum populum, & interim cantur versiculus: Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, &c.

Ecclesia Syriaca, siue Chaldæa.

Ex libro Cæremoniali, seu de ritu consecrationum Mar-Michaelis Chindesi, filij Eliæ Patriarchæ Antiocheni, quem scripsit anno 1167. Ordo seruandus circa orationes & Lectiones dicendas in aquæ benedictione hic est. Sustollens minister Diaconus vas huius aquæ, quo scilicet vtuntur passim ad eam aspergendam, cum altero vase hoc maiore ad modum peluis, incedens, & cum eo totus cleri apparatus præcedens, dicunt suaui quadam modulatione ex Psalmo: *Vox Domini super aquas multas.* Et illud: *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te, & timuerunt.* Cùm verò ministrata fuerint prędicta vasa vsque ad locum, vbi aqua est benedicenda, qui sustulit vas illud paruum aquæ, collocet illud super mensam, vel sedem aliquam ante presbyterium Capellæ, pręparatam crucem Cantores pariter super dictam mensam ponentes, rectè collocent in suo stipite, & qui benedicit aquam, incipiens sic dicit: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Sicut,* &c. dicentes Chori hinc inde dispositi responsa alternatim Psalmi: *Miserere mei Deus.* Deinde Orationes Chonune appellatę in secundo tono alternatim pariter cantentur cum cantico: *Cantate Domino dulciter:* & deinde. *Magnificat anima mea Dominum,* &c. Deinde Orationes Sedro: deinde qoloquoio sic appellatæ: deinde Psalmus; *Quid est tibi mare quod fugisti,* eodem ordine alternatiuo seruato: deindè leguntur Lectiones Mosi ex Genesi: *Et seruus Abrahæ decem camelos,* vsque, *nuntiauit fratri suo verba hæc.*

Deinde dicuntur Litaniæ, postea Sedro, altera scilicet oratio prænominata, deinde, *Sapientia diuina animaduertit.*

Demum oratio, quæ sequitur in hunc modum: Magnus es nimis Domine, & mirabilia opera tua, & non est sermo sufficiens, qui laudem & gloriam admirandæ tuæ maiestatis intellectu personare queat, &c. Tu Domine, qui hominem diligis, veni etiam nunc mediante descensu Spiritus sancti, & benedic aquas istas: tribue illis gratiam Iordanis ✠, fac eas benedictionis fontes, munera sanctitatis, relaxationem & expiationem peccatorum ✠, sanitatem infirmorum ✠, auxilia debilium, quibus appropinquare nequeunt aduersæ virtutes, plenas Dei virtute, adeò quòd omnes, qui fuerint hac aqua respersi, & qui ex his communicauerint

✠, in animarum medicinam & corporum ✠, in expiationum siue mundationem passionum vel concupiscentiarum, in sanctificationem domorum ✠, custodiam aduersitatum ac malorum omnium. Tu enim es, qui per aquam & Spiritum renouasti naturam nostram, quæ ob peccatum tabefacta fuerat. Tu es, qui tempore Noë aquis peccatum demersisti. Tu es, qui genus Hebræorum per aquas maris à seruitute Pharaonis liberasti. Tu per ignem & aquas per manus Eliæ Prophetæ liberasti Israel ab errore Baal, & benedicens tu aquas istas per gratiam tuam, concede omnibus illis, qui tetigerint eas, aut eis communicauerint, aut quouis modo recta fide vtantur, ✠ benedictiones sanctitatis, ✠ mundam sanitatem, medicinale restauratorum refrigerium, auxilium, liberationem à passionibus animæ & corporis, vt per elementa, & homines, & Angelos, & per visibilia scilicet & inuisibilia laudetur nomen tuum per omnia honorabile & benedictum, Deus noster cum Patre, & Spiritu sancto, ex nunc, & vsque in seculorum secula. *Clerus respondet*, Amen.

Ecclesia Æthiopum in India.

Libro sacerdotali, quem Sincsar appellant: *Sacerdos aquam benedicturus, signat se prius signo Crucis, præmissaque ex animo oratione Dominica, recitat reuerenter Psalmum* Miserere mei Deus, *ac deinde dicit orationem, quæ sequitur:*

Gratias agimus, siue benedicimus ei, qui fecit bona super nos, Deo videlicet misericordiæ, Patri Domini nostri Iesu Christi. Orate: Domine Deus incipe omnia, Pater Domini nostri Iesu Christi, gratias agimus tibi propter omne opus, quatenus liberasti nos, & auxilio fuisti nobis, & custodisti nos, defensorque factus es nobis, corroborasti ac peruenire fecisti nos vsque ad hanc horam, & propter hoc petimus ac requirimus, ob aduentum tuum amore ipsius hominis mundo exhibitum.

Hic dicit Diaconus: Attendite, & expetite.

Deinde dicit Sacerdos: Da nobis perficere hunc diem sanctè in omnibus temporibus vitæ nostræ, in omni pace cum timore tuo: ✠ omnem autem seruitutem, vel inuidiam, ac omne consilium, & Satanæ omnia opera, consiliumque hominum malorum, & inimici secretum, incursum scilicet aduersus nos ac molestiam ✠ fac distare, & recedere à me pariter, & ab omni populo tuo, ac etiam ab isto loco sancto tuo, omnia deinde bona, quæ bonificant, & quæ etiam viuificant, præcipe vt ea loquamur, &c. *Hic legitur Euangelium S. Ioannis, &c. Deinde Marci, &c. Demum submissa voce claudit hanc benedictionem cum* Credo, *&* Aue Maria.

In Ordine Baptismi Æthiopum: *Postea dicit sacerdos sequentem orationem super fontem*: Deus Prophetarum, Domine Apostolorum, qui nuntiasti aduentum Christi tui per os Prophetarum sanctorum, antequam mitteres Ioannem Prophetam, qui præcederet ante te, rogamus te, & quæsumus ô amator humani generis pro famulis tuis, qui venerunt ad te, & virtus tua adsit huic fonti, &c. *Et insufflat in aquam in modum crucis, dicens*: Sanctifica hanc aquam, & hoc oleum, & sint in ablutionem regenerationis, & in vitam æternam, Amen. O sancte tona super hanc aquam, & da ei gratiam, salutem, & benedictionem Iordanis, vt ab ea fugiant omnia, quæ malignantur aduersus creaturas tuas. *Diaconus dicit*: In Orientem aspice sacerdos, & dissipentur coram signo crucis omnes vires eorum, qui sunt in aqua & terra, qui non videntur, nec lateat in hac aqua superbia tenebrosa, nec descendat cum ijs, qui baptizantur, malignus spiritus, qui obtenebret eorum mentem, & perturbet cor. Rogamus te omnes, Domine, vt facias hanc aquam esse aquam quietis, Amen, &c. Aquam salutis, Amen. Vt sit in ablutionem turpitudinis animi & corporis, Amen. Aqua in absolutionem & remissionem omnium peccatorum, Amen: lumen animæ & corporis, Amen: ablutio in regenerationem, Amen. Domine Deus noster, qui sedes super Cherubin, intende oculos; qui habitas in cælo, aspice, & visita creaturam tuam: da huic aquæ donum Iordanis magnum, potens, & cæleste, & descendat Spiritus sanctus super eam, Amen. Dona ei benedictionem Iordanis, da ei virtutem, vt sit aqua vitæ, aqua sanctitatis, aqua mundationis peccatorum, Amen: aqua lotionis & regenerationis, Amen. Dona ei, vt si quis est latens extra eum spiritus malignus, non reuertatur amplius ad eos, qui baptizantur, Amen: nec spiritus diei, Amen: nec spiritus noctis, Amen: nec spiritus aëris, Amen: nec spiritus superbiæ, qui sub terra est, Amen: at arce omnes malignos spiritus virtute & benignitate tua, & frangantur coram signo crucis Filij tui, Amen.

Zaga Zabo Episcopus Æthiops in confessione fidei Æthiopica: Et aqua, qua baptizantur apud nos, Exorcismis consecratur, & benedicitur.

Franciscus Aluaresius lib. de regno Pretiosi Ioannis cap. 37. Monachi & sacerdotes semper habent in promptu vas æneum aqua benedicta refertum. Nam qui illis in plateis fiunt obuiam, huiusmodi ab ijs aquam cum benedictione petunt, qua cibum & potum aspergunt.

Hieronymus, Osorius lib. 3. de gestis Emanuelis regis Lusitaniæ fol. 119. Christiani in India in ingressu templi perinde atque nos facimus, lustralibus aquis asperguntur.

Ecclesia Moscouitica.

Alexander Gaguinus in descriptione Sarmatiæ Europeæ: Moscoitæ aquam baptismatis pro singulis infantibus consecrant. Quos etiam, qui grauius aliquid deliquerint, aqua sacrata abluunt, quam in Epiphania Domini toto fluuio vel stagno secundùm morem consecrato, hauriunt, & pro abstergendis noxalibus delictis, per integrum annum in templo reseruant.

Sigismundus Liber Baro &c. in Comment. rerum Moscouitarum c. de Baptismo: Aqua baptismatis singulis infantibus consecratur, & continuò post baptismum extra templi portam effunditur.

Antonius Posseuinus commentario primo de rebus Moscouiticis: Ægroti vix vllum remedium adhibent, quàm vel cremati vini, vel aquæ, in quam Sanctorum Reliquias posuerint, potum: vel aquę, à sacerdotibus orationibus sanctificatæ, aspersionem. D. Nicolaum magnopere venerantur, quem non depictum tantùm, sed penè totum exsculptum vidimus non procul à Nouogardia magna, cùm Monachi nobis obuiam venissent, in altera patina aquam benedictam & crucem, in altera verò panem & sal, vt solent, offerentes.

PROBANT PATRES LATINI.

Alexander Primus. 110.

Epistola ad omnes Orthodoxos: Aquam sale conspersam populis benedicimus, vt ea cuncti aspersi sanctificentur, & purificentur. Quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitulæ aspersus sanguine populum sanctificat; multo magis aqua sale aspersa, diuinisque precibus sacrata populum sanctificat, atque mundat. Et si sale asperso per Helisæum Prophetam sterilis aqua sanata est: quanto magis diuinis precibus sacrata 4. Reg.

sterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos sanctificat, & mundat, & insidias diaboli auertit, & à phantasmatis versutijs homines de-
Marc.14 fendit? Nam si tactu fimbriæ vestimenti Saluatoris sanatos infirmos esse non dubitamus, quanto magis virtute sacrorum ipsius verborum diuinitus sacrantur elementa, quibus sanitatem corporis & animæ humana percipit fragilitas? *Nota quòd ait: Benedicimus. Non enim hic Alexander, vt quidam hoc loco non satis intellecto asserunt, primus aquam benedici instituit, sed hoc ab Apostolis manasse supra ex Clemente probatum est. Vnde non tantùm Latinorum, sed etiam Græcorum, & aliorum Ecclesiæ hunc benedicendi modum obseruant, & magnifaciunt. Verùm hic Pontifex consuetudinem Romæ benedicendi aquam hic approbat, & ab omnibus sacerdotibus faciendum esse mandat.*

Tertullianus. 200.

De Baptismo cap. 4. Omnes aquæ de pristina originis prærogatiua sacramentum sanctificationis consequuntur, inuocato Deo. Superuenit enim statim Spiritus de cælis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt.

Cap. 9. Hæc est aqua, quæ de comite petra populo defluebat: Si enim Petra Christus, sine dubio aqua in Christo baptismum videmus benedici.

Cyprianus. 250.

Lib. 1. epist. 12. *Epistola* 70. Oportet ergo mundari & sanctificari aquam prius à sacerdote, vt possit baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere. quia per
Ezec. 36. Ezechielem Prophetam Dominus dicit: *Et aspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditijs vestris.* Quo modo autem mundare, & sanctificare aquam potest, qui ipse immundus est?

De stella, & Magis, & Innocentium morte: Hi nuper cruore lacteo loti primitias baptismi martyrio consecrârunt, tradentes posteris formam, vbi necessitatis articulus excluserit moras, non minus ad lauacrum animæ sanguinem efficacem, quàm sanctificatas verbis solennibus aquas; maximè cum nec sanguinis hoc elemento careat, sed aquarum motu per totum corporis alueum fluat.

Concilium Carthaginensem. 250.

Apud Cyprianum. *Cap.* 18. Sedatus à Tuburbo dixit: In quantum aqua sacerdotis prece in Ecclesia sanctificata abluit delicta, in tantum hæretico sermone velut cancer infecta cumulat peccata.

Ambrosius. 370.

Lib. 1. de Sacramentis cap. 5. Quare prior descendit Christus, postea Spiritus, cum forma baptismatis, & vsus hoc habeat, vt ante fons consecretur, & tunc descendat, qui baptizandus est? Nam vbi primùm ingreditur sacerdos, exorcismum facit: secundò super creaturam aquæ inuocationem, postea & precem defert, vt sanctificetur fons, & adsit præsentia Trinitatis æternæ. Christus autem ante descendit, secutus est Spiritus. Qua ratione? vt non quasi ipse egere Dominus Iesus sanctificationis mysterio videretur, sed sanctificaret ipse, sanctificaret & Spiritus.

De iis, qui mysterijs initiantur cap. 3. Aqua sine prædicatione Dominicæ crucis ad nullos vsus futuræ salutis est. Cùm verò salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad vsum spiritualis lauacri & salutaris poculi temperatur. Sicut ergo in illum
Exod. 15 fontem Marach Moyses misit lignum, hoc est, Propheta, ita & in hunc fontem sacerdos prædicationem Dominicæ crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam.

De Spiritu sancto lib. 1. *cap.* 7. Habes in Euangelio,
Ioan. 5 quia Angelus secundùm tempus descendebat in natatoria, & mouebatur aqua, &c. Quid in hoc typo Angelus, nisi descensionem Spiritus sancti nunciabat, quæ nostris futura temporibus aquas sacerdotalibus inuocata precibus consecraret?

Augustinus. 400.

Lib. 50. Homil. 27. Quia baptismus, id est, salutis aqua, non est salutis, nisi nomine Christi consecrata, qui pro nobis sanguinem fudit, cruce ipsius aqua signatur.

De Baptismo contra Donatistas lib. 6. cap. 25. Si non sanctificatur aqua, cùm aliqua erroris verba per imperitiam precator effundit, multi non solùm mali, sed etiam boni fratres, in ipsa Ecclesia non sanctificant aquam. Multorum enim preces emendantur quotidie, si doctioribus fuerint recitatæ, & multa in eis reperiuntur contra Catholicam fidem. Nunquid si manifestarentur aliqui baptizati, cùm illæ preces super aquam dictæ fuissent, iuberentur denuò baptizari? Quid ita? Quia plerunque precis vitium superat precantis affectus: & quia certa illa Euangelica verba, sine quibus non potest baptismus consecrari, tantum valent, vt per illa sic euacuentur, quæcunque in prece vitiosa contra regulam fidei dicuntur, quemadmodum dæmonium Christi nomine excluditur, &c. Si aliquis malus atque peruersus precem integram dicat, & nulla ex parte fidei Catholicæ aduersam, non ideo ipse rectus est, quia illa recta est: & si in aliquibus peruersam afferat precem, Deus adest verbis Euangelicis suis, sine quibus baptismus Christi consecrari non potest. & ipse sanctificat Sacramentum suum.

Sermone 19. *de Sanctis:* Huius mysterio rudes catechizantur, eodem mysterio fons regenerationis consecratur, eiusdem crucis signo per manus impositionem baptizati dona gratiarum accipiunt.

Constantinus Presbyter. 470.

Vita S. Germani cap. 16. Tunc Episcopus inducit me in locum, vbi remissio fit omnium peccatorum, & de more sacerdotali aquis benedictis aquam baptismi mihi tradidit, replens circa me, & in me vniuersa officia gratiæ spiritualis.

Victor Vticensis. 480.

De persecutione Vandalica lib. 2. Inquit Dominus per visionem ad cæcum. Et illâ hora, qua Episcopus benedicet fontem, vt baptizentur accedentes ad fidem, continget oculos tuos, & videbis lumen, &c. Eugenius Pontifex pergit comitante officio Clericorum ad fontem, vbi fixis genibus cum ingenti gemitu, pulsans singultibus cælum, crispantem benedixit alueum fontis.

Cyprianus Arelatensis. 500.

In vita Cæsarij Arelatensis cap. 19. Elpidius Diaconus & medicus, regiæ potestati sedulis officijs cum primis familiaris & intimus, diabolica infestatione non solùm diuersis vexabatur insidijs, sed saxorum quoque imbre crebrò in suis ædibus appetitus est. Orat igitur sanctum Cæsarium, vt suis precibus eas mali dæmonis iniurias à se auertat. Venit ad eius domum vir beatus, eamque sanctificaturus benedicta aqua conspergit: mox adeò omnis illa vexatio profligata est, vt deinceps nihil eiusmodi acciderit.

Concilium Agathense. 506.

Apud Gratianum dist. 50. cap. In cap. Quadragesimæ: Tunc resurgens Episcopus ab oratione, manus super pœnitentes imponat, aquam super eos benedictam spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum operiet.

Vigilius Papa. 538.

Epistola ad Eleutherium cap. 4. De fabrica verò cuiuslibet Ecclesiæ, si diruta fuerit, instauranda, & si in eo loco consecrationis solennitas debeat iterari, in quo sanctuaria non fuerunt, nihil iudicamus officere, si per eam minimè inficetur aqua exorci-

tatæ: Quia consecrationem cuiuslibet Ecclesiæ, in qua Spiritus sancti ara non ponitur, celebritatem tantùm scimus esse Missarum.

Gordianus Siculus. 560.

Vita S. Placidi cap. 53. Rogauit idem sanctus Episcopum, vt totius Monasterij ambitum aqua exorcizata respergeret, & orationem daret, sicqúe in eum sanctus Domini ingressus est cum suis ad habitandum.

Gregorius Turonensis. 580.

De vita Patrum cap. 4. Quintianus Episcopus Hortensiæ veniam benignissimè indulgens, benedictam aquam domui transmisit, illaqúe per parietes aspersa, omnis ægritudo protinus depulsa est, ac magna ibi virtus apparuit. Nam & qui morbum incurrerant sanati sunt, & qui sanati erant, vltra non incurrerunt.

De gloria Martyrum cap. 25. Tunc cum Exorcismo sanctificata aqua, consperso desuper Chrismate, omnis populus pro deuotione haurit, & vas plenum domum pro saluatione reportat, agros, vineasqúe aspersione saluberrima curaturus.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 9. epist. 71. ad Mellitum. Cùm verò Deus omnipotens ad reuerendissimum virum fratrem nostrum Augustinum Episcopum vos perduxerit, dicite ei, quòd diu mecum de causa Anglorum cogitans tractaui, videlicet quia fana idolorum destrui in eadem gente minimè debeant, sed ipsa, quæ in ijs sunt, idola destruantur: aqua benedicta fiat, in ijsdem fanis aspergatur, altaria construantur, Reliquiæ ponantur.

Lib. 1. Dialog. cap. 10. Gothus verba Fortunati Tudertini Episcopi despiciens, cùm ante beati Petri Ecclesiam venisset, equi eius pes lapsus est, qui cum eo corruit, & eius coxa mox fracta est, ita vt in duabus partibus os esset diuisum, leuatusqúe in manibus reductus est ad hospitium. Qui festinus misit, & pueros, quos præmiserat, reduxit, & viro venerabili Fortunato mandauit, dicens: Rogo te Pater, mitte ad me Diaconum tuum. Cuius Diaconus cùm ad iacentem venisset, pueros, quos redditurum se Episcopo omnino negauerat, ad medium deduxit, eosqúe Diacono illius reddidit, dicens: Vade, & dic domino meo Episcopo: quia maledixisti mihi, ecce percussus sum: sed pueros, quos quæsisti, recipe, & pro me, rogo, intercede. Susceptos itaque paruulos Diaconus ad Episcopum reduxit, cui benedictam aquam Fortunatus statim dedit, dicens: Vade citius, & eam superiacentis corpus proijce. Perrexit itaque Diaconus, & benedictam aquam super membra illius aspersit. Res mira, & vehementer stupenda, mox vt aqua benedicta Gothi coxam contigit, ita omnis fractura solidata est, & saluti pristinæ coxa restituta, vt hora eadem de lecto surgeret, & ascenso equo ita cœptum iter ageret, ac si nullam vnquam corporis læsionem pertulisset.

Beda. 700.

Historia Anglicanæ lib. 5. cap. 4. de Ioanne Hagulstadensi Episcopo: Miserat mulieri, quæ infirma iacebat, de aqua benedicta, quam in dedicationem Ecclesiæ consecrauerat, per vnum de his, qui mecum venerant, fratribus, præcipiens vt gustandam illi daret, & vbicunque maximum ei dolorem inesse didicisset, de ipsa eam aqua lauaret. Quod vt factum est, surrexit statim mulier sana, & non solùm se infirmitate longa carere, sed & perditas dudum vires se recuperasse sensit.

Vita S. Cuthberti cap. 25. Veniens ad ægrotum, statim benedixit aquam, dedit ministro Comitis dicens: Vade, præbe languenti: qui dictis parens, attulit aquam ægrotanti, quam dum tertiò ori eius infunderet, continuò contra morem se demisit in soporem.

Cap. 29. Cumqúe lotis de more hospitalitatis manibus resedisset Antistes, cœpit Comes referre illi de languore coniugis desperatæ, obsecrans, vt ad aspergendam eam aquam benediceret. Annuit deprecanti vir Dei, & allatam benedicens aquam, dedit Presbytero, præcipiens vt super languidam aspergeret. Qui ingressus cubiculum, aspersit ęgrotam & lectulum eius: sed & os illius asperiens, gustum salutiferi haustus immisit: mox vt eam aqua benedicta tetigit, plenam mentis & corporis sanitatem recepit.

Carolus Magnus. 800.

Lib. 6. cap. 77. In Sabbato sanctæ Paschæ vel Pentecostes, si qui velint aquam consecratam ad aspersionem in domos suas recipere, ante Chrismatis infusionem accipiant.

Æmoinus. 825.

Lib. 1. cap. 16. Exornatur Baptisterium, descendit rex, velut alter Constantinus, in sanctificatum fontis alueum.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap. 29. Aquam aspersionis cum sale benedici, & in habitaculis fidelium spargi, Alexander Papa constituit. Sicut enim populus prior, legalibus institutis deseruiens, sanguine lustrabatur, ita nouus Christianorum populus Baptismi Sacramento renatus dignè aqua benedicta aspergitur: vt sicut sanguis agni in postibus ad repellendum percussorem ponebatur, ita mysterium aquæ corpora, & loca muniat renatorum. Exod. 12 & 24.

Vita S. Galli lib. 1. cap. 6. B. Columbanus iussit aquam adferri, & benedicens illam aspersit ea templum, & dum circuirent, dedicarunt Ecclesiam.

Grimoldus Abbas. 830.

Lib. Sacramentorum cap. 115. *Benedictio aquæ:* Deus, qui ad salutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum substantia condidisti, adesto propitius, purificationibus præparatis virtutem tuæ benedictionibus infunde, vt creatura ministerijs tuis seruiens, ad abijciendos dæmones, morbosqúe depellendos diuinæ gratiæ sumat effectum, vt quicquid in domibus, vel in locis fidelium hæc vnda resperserit, careat immunditia, liberetur à noxa, non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens: discedant omnes insidię latentis inimici, & si quid incolumitati habitantium inuidet, aut quieti, aspersione huius aquæ effugiat, vt salubritas per inuocationem tui nominis expetita, ab omnibus sit expugnationibus defensa.

Amalarius Treuirensis. 830.

De Ecclesiasticis officijs lib. 1. cap. 25. De Consecratione Baptisterij: In prima oratione mundatur & serenatur habitaculum hospitis, qui Deum debet suscipere, & deprecatur eius aduentus, &c. Eiecto illo hospite, munitur aqua crucis signaculo, vt non habeat locum redeundi diabolus. Per inuocationem sanctæ Trinitatis, exemplo baptismi Christi, Trinitas adest in nostro baptisterio per inuocationem sacerdotis. Prima benedictio Patrem inuocat, quæ dicit: *Benedico te creatura aqua per Deum viuum, &c.* Secundæ benedictioni Filius adest: Benedico te & per Iesum Christum Filium eius vnicum, &c. Spiritus sanctus introducitur in nouissimo, & est omnis deprecatio, vt sicut Dominus iussis suis aquam fecit obtemperare in superioribus miraculis, ita & nunc eo iubente efficiatur non solùm habilis ad abluenda corpora, sed etiam ad purificationé mentis.

Rabanus Maurus. 850.

De institutione cleri lib. 1. cap. 25. Sicut aqua expurgat exterius corpus, ita latenter eius mysterio per Spiritum sanctum purificatur & animus, cuius sanctificatio ita est. Inuocato enim Deo descen-

dit Spiritus sanctus de cælis, & medicatis aquis sanctificat eas de semetipso, & accipiunt vim purgationis, vt in eis caro & anima delictis inquinata mundetur.

Cap. 28. Post hæc consecratur fons, & ad ipsum baptismum Catechumenus accedit.

Lib. 2. *cap.* 55. Benedicitur sal & aqua in diuersos vsus fidelium: ad homines infirmos, contra phantasiam inimici, ad morbos auferendos.

Ioannes Diaconus. 870.

Vita sancti Gregorij lib. 2. *cap.* 37. Præcepit quoque Gregorius, vt in Anglorum gente idolorum fana non destrueret, sed sanctitatis aqua respersa in Basilicas dedicaret.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 900.

Cap. 9. *Extende*, inquit, *manum super mare*: in signum huius manus extentæ, & venti flantis adhuc in Ecclesia in Sabbato Paschali sacerdotes aquas baptismi consecrantes, findunt aquas manu, & sufflant eas flatu, & apponunt cereum accensum, in typum columnæ ignis, quæ præcedebat eos per noctem.

Concilium Nannetense. 900.

Cap. 4. Cùm Sacerdos audierit aliquem infirmari in sua plebe, quàm citius ad eum pergat, & ingressus cubiculum, aquam benedictam super eum, & per omne cubiculum aspergat cum Antiphona: *Asperges me Domine hyssopo*, &c. Et Versu: *Exurgat Deus.*

Cap. 5. (*vt citatur à Rhegione lib.* 1. *de disciplina Ecclesiastica cap.* 110. *& apud Burchardum*: Omnibus Dominicis diebus quisquis Presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solemnia aquam benedictam faciat in vase mundo, & tanto mysterio conueniente, de quo populus intrans Ecclesiam aspergatur, & pro animabus ibidem quiescentibus oret, qui volet in vasculis suis excipiat ex ipsa aquam, & per mansiones, & agros, & vineas, & super pecora quoque sua, atque super pabula eorum, nec non super cibum, & potum conspergat.

Ratherius Veronensis. 940.

In vita sancti Vrsmari: Vir Domini præcepit sibi aquam cum sale deferri, quibus benedicens iussit spargi per cuncta Monasterij loca, & sic omnis pauor cum authore suo Satana discessit.

Fulpertus Carnotensis. 1000.

Vita S. Aechardi cap. 15. Erat planè viro Dei familiaris consuetudo, cùm fratres post labores diurnos somno recrearentur, vt pastor sollicitus supra gregem Dominicum vigilias insomnes duceret, & claustra Monasterij, & singula familiæ Dei habitacula precando muniret, crucem Dominicam secum gestans, & aquam exorcizatam ad effugandas importuni hostis insidias.

Burchardus VVormatiensis. 1010.

Admonit. 32. Omni die Dominica ante Missam aquam benedictam facite, vnde populus aspergatur, & ad hoc solum vas habete.

Petrus Damianus. 1050.

Epist. 15. *de contemptu mundi cap.* 18. Huic Presbytero planè tantam diuina dispensatio contulerat gratiam, vt cùm sanctificatam à se aquam frugibus per agros aspergeret: non vlterius vermiculorum, non erucarum, non denique locustarum fruges læsura pestis aliquando remaneret, sed mox agmine facto omnes abscederent, postquam eos aquæ sanctificatio conspersisset.

Ioannes Micrologus. 1070.

De Ecclesiasticis obseruationibus cap. 46. Alexander Papa, quintus à B. Petro constituit, vt sal & aqua benediceretur ad conspergendum populum, & habitacula eorum: quod & nos in omni Dominica iuxta Canones sequimur.

Iuo Carnotensis. 1090.

Sermone de Sacramento Dedicationis: Primò itaque aquam benedicimus, cui & sal admiscetur: Aqua etenim pœnitentiæ figuram gerit, quæ velut aqua peccatorum maculas abluit: quam tunc benedicimus, cùm virtutem pœnitentiæ populis ad fidem venientibus prædicamus. Cui admiscetur sal, id est, Euangelica doctrina, fluxa auditorum corda suaui mordacitate constringens, & ad conseruandam vitæ nouitatem sapienter componens. Ista aqua ad quandam Baptismi imaginem gyrando tunc Ecclesiam exterius aspergimus, quia vbi more baptizatorum non potest fieri trina mersio, necesse est, vt qua possumus Sacramenti similitudine trina fiat aspersio.

Sigebertus Gemblacensis. 1100.

In Chronicis de anno 858. In Parochia Moguntina malignus spiritus euidens nequitiæ suę dedit indicium. Nam primò lapides iaciendo, & parietes domorum quasi malleis pulsando, inde manifestè loquendo, furta etiam prodendo, discordias inter vicinos seminando, homines inquietabat, &c. Propter hoc presbyteris Litanias agentibus, & benedictam aquam spargentibus, inimicus lapides iaciendo, multis cruentatis, tandem aliquandiu quieuit. Presbyteris recedentibus, inimicus flebiliter viulans, tandem Presbyterum quendam nominatim exprimens, se quando aqua benedicta spargebatur sub cappa ipsius, quasi familiaris sui, latuisse professus est, accusans eum cum filia procuratoris concubuisse.

Lisiardus. 1100.

Vita sancti Arnulphi Suessionensis cap. 38. Episcopus aquam cum Exorcismis consecrauit, qua adolescens dæmoniacus conspersus mox à dæmone liberatus est, & mentis bene compos effectus, pacem & concordiam sanctè coluit.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De diuinis Officijs lib. 7. *cap.* 10. Consecratio fontis in nomine sanctę Trinitatis, & maximè inuocatione perficitur Spiritus sancti.

Cap. 20. Proprium hoc habet hæc dies, quam fecit Dominus, idque ab ea omnis prima Sabbati, quòd aqua benedicta populis aspersis agitur processio solennis: veruntamen hac ipsa prima & principali Dominicarum omnium non benedicitur, neque die sancto Pentecostes: quia in præteriti Sabbati vespera sumpta est de sacro fonte baptismi, antequam immergatur aliquis, & antequam Chrisma immissum sit. Non enim ad hoc aspergimur, vt rebaptizemur, sed diuini nominis gratiam super nos cum huiusmodi memoriali baptismatis nostri frequenter inuocare debemus. Et idcirco singulis aspergimur Dominicis, quia in sacrosancta primæ huius Dominicæ vespera Baptismum vniuersaliter sancta celebrat Ecclesia, pro causa superius memorata. Vnde & inter aspergendum hac die canimus: *Vidi aquam egredientem de templo*, &c.

Hugo Victorinus. 1120.

De Sacramentis lib. 2. *part.* 9. *cap.* 2. Aqua sanctificata fideles asperguntur, & habitacula fidelium lustrantur ab illusione, & infestatione malignorum spirituum, &c. Nos per singulos dies Dominicos sal & aquam simul miscendo benedicimus, vt hac aspersione fideles, & habitacula fidelium contra spirituales nequitias muniamus.

Bernardus. 1130.

In vita Malachiæ cap. 22. Filius regis Scotiæ infirmabatur ad mortem, quem rogatus vt sanaret, aquam benedixit, aspersit iuuenem, & intuens in eum ait: Confide fili, non morieris hac vice. Di-

xit hoc, & sequenti die secundùm dictum secuta est sanitas.

Gerbardus Nazarenus. 1140.

De conuersione seruorum Dei ad Monachum quendam nouitium, à diabolo obsessum: Aqua benedicta, Crux, & corpus Dominicum adferuntur, verùm diabolo recedere retrectante, frater ille scutica cæditur, sicque tandem liberatur.

Petrus Cluniacensis. 1140.

Lib. 1. Miraculorum sui temporis cap. 7. In monasterio Celsiniensi quidam ęgrotus per aliquot dies inter vitæ mortisque continia laborabat. Nocte itaque obitus sui diem præcedente, qui sunt, inquit, rustici isti deformes & rostrati, quos huc confluere, & paulatim totam domum implere video? Ad quod cùm famulus respondisset: Neminem in domo illa haberi, se tantùm cum socio ei excubare, admirans ille adiecit: Non cernis, ait, tetros homines omne huius domus spatium compleuisse: quorum horrenda species, & rostris longissimis facies exacutæ terrorem mihi non paruum important? Tunc demum famulus intellexit (vt sæpe postmodum ipse mihi narrauit) non hominum, sed malignorum spirituum hanc esse frequentiam. Vnde alta voce socium vt surgeret inclamans, vas, quod fortè cum aqua benedicta in proximo dependebat, fide plenus arripit: & sanctificatum elementum huc illucque confidenter aspergens, omnia illius habitaculi loca infundit. Hoc dum faceret, clamare ille fortiter cœpit. Eia, inquit, eia fac quod facis: insta, perurge aduersarios, quoniam ecce velut à facie gladij fugientes, summa cum celeritate contendunt: & quia moras patiuntur, in alterum impingentes, primos hi, qui sequuntur, violenter impellunt. Quo ille audito, instare acriter, & aqua benedictionis filios maledictionis à domo excludere contendebat. Quibus penitus exclusis, & ille à dæmonum infestatione liberatus, & quantum ad similia valeat salutaris aquæ cum fide aspersio demonstratum est.

Guilhelmus Abbas. 1140.

Vita sancti Bernardi libro 2. cap. 3. de quodam dæmoniaco. Orante Abbate, & fratribus in oratione prostratis, quasi ardentibus paleis, quæ in lecto continebantur, diabolus vreretur, tormento æstuantis vt diuina propinquante, passionem clamoribus testabatur. Iubet ergo vir sanctus in os patientis aquam benedictam infundi: quam ille pressis labijs & dentibus non admittens, vix tandem cuneo infixo dissoluente pressuram, vellet, nollet, intra fauces & guttur recepit: confestimque vt penetrans sanctificatio ad interiora descendit, quasi infuso antidoto, vis maligna erupit, & vomitu sordidissimo quasi torrentis, impulsu, festina præcipitatione rotatus, cum ingenti contumelia dæmon exiuit, &c.

Petrus Cellensis. 1160.

De Panibus cap. 25. Ecce populus Christianus suscipit aspersionem aquæ sanctificatæ per inuocationem sacerdotalem, & summi nominis adiurationem, vt sumpta virtute illius aquæ, quæ de templo eius egrediebatur, à latere dextero, demergat tam originale peccatum (tanquam Pharaonem,) quàm omne delictum, velut AEgyptium insequentem.

Clemens Tertius. 1190.

Epistola ad Saguntinum Episcopum: Ecclesias, quæ sanguinis vel seminis sunt effusione pollutæ, ciuitatis Clericis conuocatis, cum processione, & aquę benedictę aspersione, prout in Ordinario habetur ascriptum, poterit emundare.

Theodoricus Benedictinus. 1200.

Vita S. Hildegardis lib. 3. cap. 21. Sabbato sancto, cùm fons Baptismatis consecraretur per flatum sacerdotis, quem in fonte mittit cum verbis, quę Spiritus sanctus rationalitati hominis & doctoribus Ecclesiæ infundit, quoniam in prima creatione Spiritus Domini aquas mouit, sicut scriptum est: *Spiritus Domini ferebatur super aquas,* mulier illa præsens ibi erat.

Innocentius Tertius. 1200.

In Festo Pentecostes Sermone 3. Inuocatio Trinitatis sanctificat aquam, vt tingens corpus, purificet cor.

Epistola ad Clerum Cremonensem: Cùm quædam dæmoniaca mulier ad sepulchrum Honoboni deducta fuisset, ne aliqua fraus lateret, eadem primò non benedicta aspersa fuit, qua se aspergi patienter permittens, secundò respuit aquam benedictam.

Ad Senonensem Episcopum: Cœmiteria, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contigit, reconcilianda erunt aspersione aquæ solenniter benedictæ, sicut in dedicationibus Ecclesiarum fieri consueuit.

Ioannes Belethus. 1200.

De diuinis officijs cap. 110. Consideremus interim quatuor esse genera aquæ benedictæ: aqua videlicet, in qua fit iudicium purgationis, illa, quæ in Ecclesiæ dedicatione sanctificatur, & qua diebus Dominicis aspergimur: atque aqua baptismi, qua aspergi solebamus priusquam Chrismate vngeremur, quod in quibusdam locis etiamnum obseruatur. Sed postea interdictum est, ne stultus quispiam & rerum imperitus huius aquæ aspersione se iterum à peccatis mundari putet, cùm euidenter satis manifestum sit, neminem posse bis baptizari.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Legibus cap. 27. Sal & aqua per Exorcismos, & benedictiones virtutem effugandi dæmones, & benedicendi recipiunt.

Alexander Alesius. 1240.

Parte 4. quæst. 5. memb. 1. art. 2. Aqua benedicta valet ad dimissionem venialium peccatorum, licet non instituta sit à Domino ad hoc, & ex sua vi fiat, sicut est de Baptismo, & ipsis Sacramentis nouæ legis. Illud autem, ad quod principaliter fuit institutà aqua benedicta, hoc fuit ad cohibitionem potestatis dæmonum, vbi aspergeretur.

Guibertus Tornacus. 1270.

Tractatu de officio Episcopi cap. 13. Posthæc aqua benedicitur cum sale & cinere addito vino mixto aquæ. Aqua populus, sal doctrina, cinis memoria passionis Christi, vinum iucunditas diuinitatis, aqua passibilitas humanitatis, quæ duo coniunguntur, quia istę duę in Christo vniebantur. Aspersarium de hyssopo, quo Ecclesia aspersa mundatur, humilitas, per quam anima sanctificatur: funditur aqua benedicta ad basin altaris, quia Deo humiliter committendum est, quod excedit vires humanas in diuinis mysterijs.

Guilhelmus Durantius. 1280.

In Rationali diuinorum libro 4. cap. 4. Sacerdos Dominicis diebus celebraturus, alba & stola paratus, priusquam planetam induat, vt liberius vacare possit, aquam ex institutione Alexandri Primi benedicit, Altare, Ecclesiam, & populum aqua benedicta conspergit, vt omnis spirituum immundorum spurcitia tam de habitaculo, quàm de cordibus fidelium propellatur. Hæc enim virtus aquæ exorcizatæ inest, & etiam, quia omnis Christianorum populus baptismatis Sacramento renatus: ita ministerio aquæ lota renatorum corpo-

corpora diluit, ficut sanguis agni à prisco populo ad repellendum percussorem in postibus ponebatur.

Lib. 6. cap. 82. In benedictione baptismi sunt sex: quoniam sacerdos orat, aquam manu tangit, vocem mutat, cereus immergitur, & alij cerei illuminantur, insufflat sacerdos, & Chrisma miscet. Primò orat Deum Patrem, &c. Deinde ter tangit aquam manu, primò diuidens aquam in modum crucis, per quam Baptismus maximam efficaciam recipit, vt aqua Spiritu S. foecundetur, & spiritus immundus expellatur.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi part.1.cap.12. Consuetudo est, vt aqua benedicta habeatur ante fores Ecclesiæ, vt ingressuri eius aspersione purificentur etiam à venialibus, qui de mortalibus sibi conscij non existunt. In cuius figura labium cum aqua erat ante ostium Tabernaculi, & ibi Aaron, & filij eius, ingressuri Tabernaculum, lauabant manus, & pedes.

Ioannes Taulerus 1350.

Dominica 11. post Trinitatis: Venialia peccata multis modis delentur, puta contritione, Dominicæ orationis prolatione, aquæ lustralis aspersione.

Thomas VValdensis. 1400.

Tom. 3. tit. 5. cap. 51. Consecratio fontis exigitur fieri priusquam abluat baptizatum: quia prius necesse est, vt Spiritus S. feratur super aquas, & terra nuda humanæ carnis appareat satis aptata germinibus, &c. Primæua Ecclesia prius consecrauit fontem, quàm baptizatum immitteret, & vbi oportunitas adfuit, Spiritum sanctum inuocat, cruce signando sanctificat, trina immissione sancti Chrismatis ad modum crucis aquam perficit, & enunciat propheticum melodima: pro nunc autem illum Dauidicum versum: *Vox Domini super aquas:* ita vt verum semper erat, ab initio aquas non sanctificare, nisi sanctas, & Spiritu S. emundatas.

Psal. 28.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica de Baptismo: Aqua benedicta valet contra diabolicas impugnationes exteriores.

Ioannes de Turre Cremata. 1460.

Tract. de aqua benedicta: Est aqua sale conspersa pro fugandis dæmonibus precum diuinarum verbo per ministrum Ecclesiæ exorcizata, siue consecrata.

Hieronymus Sauonarola. 1470.

De Veritate fidei lib.3. cap.16. Aqua benedicta fontem lachrymarum insinuat, ad diluendas fidelium culpas.

Gabriel Bielius. 1480.

Lectione 57. in Canonem Missæ: Dum aquam benedictam ad tumulos spargimus, dæmones, ne orationes fidelium impediant, & ne corporibus illudant, fugamus.

Baptista Mantuanus. 1500.

Libro 9. Fastorum, de Matthæo Apostolo:

Verit & excelsa molis delubra Tonanti
Sacra, sacerdotes, hymnos, ritumque perennem
Instituens, regem ac populum lustralibus vndis
Lauit, & Æthiopas Christum diffudit in omnes.

Concilium Moguntinense. 1549.

Cap. 39. Veterem morem in Ecclesia sequimur, dum salem, aquam, & cæteras quasdam res, in vsum fidelium, per orationes in verbo Dei præparamus. Quem morem nemo reprehendet, qui secum reputauerit, Ecclesiam inter cætera salutis & vtilitatis suæ, tum agendæ, tum conseruandæ præsidia etiam exorcizandi potestatem contra insidias dæmonum, aliasque noxias pestes auertendas accepisse.

ARTICVLVS NONVS.

OLEI ET CHRISMATIS BENEDICTIONEM, QVÆ FIT CERTIS ORATIONIBVS ET SIGNO CRVCIS PER EPISCOPVM: ET EIVS VSVM IN BAPTISMO, CONFIRMATIONE, ORDINATIONE SACERDOTVM, &c.

IMPROBANT.

Anno post natũ Christũ 290. NOVATIANI *ijs, qui ab ipsis tinguntur, sacrum Chrisma non præbent. Quocirca eos, qui ex hac heresi corpori Ecclesiæ coniunguntur, benedicti patres vngi iusserunt.* Theodoretus lib. 3. hæret. fab.

370. *Donatistæ ampullam Chrismatis, vt frangerent, per fenestram iactauerunt.* Optatus lib.2.

1150. *Petrobrusiani & Henriciani irridebant Chrismatis & olei consecrationem.* Petrus Cluniacensis.

1390. Ioannes VVicleuus in articulis à Bertoldo VVildungensi collectis: *Quantum ad oleum, quo Episcopi vngunt pueros, & peplum lineum, quod complexum est capiti, videtur quod sit leuis, infundabilis ex Scriptura, & quod ista confirmatio inducta super Apostolos blasphemat in Deum.*

1500. *Piggardi de loco consecrato nihil tenent.* Ioannes Schechta Bohemus epist. ad Erasmum.

1520. Martinus Lutherus lib. de Missa angulari: *Deus Purgatorium extinxit: an etiam tantum medulla*

n omnibus manibus suis adhuc habeat, vt rancidum Chrisma præter suam vtilitatem per mera figmenta humana introductum possit efflare?

1550. Ioannes Caluinus lib. 4. inst. cap. 19. §. 10. *Constituunt sacram hanc vnctionem maiori in veneratione habendam esse, quàm Baptismum. Quid hic dicas, nisi planè furiosos esse qui suis inuentionibus ita blandiuntur, vt præ ipsis sacrosanctas Dei institutiones securè contemnant? Os sacrilegum, tu ne pinguedinem fœtore duntaxat anhelitus tui inquinatam, & verborum murmure incantatam, audes Christi Sacramento opponere, & conferre cum aqua verbo Dei sacrificata?*

1551. Confessio Saxonica exhibita Concilio Tridentino: *Formæ consecrandi oleum magicæ & execrãdæ sunt: ideo nec vnctiones illæ, in quibus vsus est eius olei, tolerandæ sunt.*

Theodorus Beza epistola 8. *Chrisma & Exorcismus, quantumuis vetusta, optimo iure abdicata sunt.*

1560. Responsione ad Franciscum Balduinum: *Si qua vnquam cæremonia abijcienda fuit, Chrismatis vsus penitus fuit abolendus.*

PROBANT SACRÆ LITERÆ.

Exod. 30. *Vers.* 30. Aaron & filios eius vnges, sanctificabisque eos, vt sacerdotio fungantur mihi. Filijs quoque Israel dices: Hoc oleum vnctionis sanctum erit mihi in generationes vestras. Caro hominis non vngetur ex eo, & iuxta compositionem eius non facietis aliud, quia sanctificatum est, & sanctum erit vobis.

1. *Regum* 10. 1. Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit super caput eius (*Saulis*,) & deosculatus est eum, & ait: Ecce, vnxit te Dominus super hæreditatem suam in principem, & liberabis populum suum de manibus inimicorum eius.

1. *Regum* 16. 12. Erat autem (*Dauid*) rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie, & ait Dominus: Surge, & vnge eum: ipse est enim. Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius: & directus est Spiritus Domini à die illa in Dauid, & deinceps.

PROBANT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Epist. 3. Baptizetur vnusquisque vestrum in aquis perennibus, nomine trinæ beatitudinis inuocato super se, perunctus primùm oleo per orationem sanctificato, vt ita demum per hæc consecratus possit percipere locum cum Sanctis.

Constit. Apost. lib. 3. *c.* 16. Tu ergo Episcope ad exemplum illud vnges oleo sancto caput eorum, qui baptizantur, siue viri sint, siue mulieres, in typum spiritualis baptismi.

Cap. 17. Baptismus datur in mortem Filij: aqua adhibetur pro sepultura, oleum pro Spiritu sancto, sigillum crucis pro cruce, Chrisma confirmatio confessionis est.

Lib. 7. *cap.* 23. Vnges eum prius oleo sancto, deinde baptizabis aqua, postremò signabis vnguento Chrismatis, vt sit oleum vnctionis participatio Spiritus, aqua symbolum mortis, vnguentũ Chrismatis sigillum pactionum. Sin autem non fuerit oleum, neque vnguentum Chrismatis, satis est aqua, tum ad vnctionem, tum ad sigillum.

Cap. 43. Benedicitur hoc oleum ab Episcopo in remissionem peccatorum, & præparationem baptismi: Sic enim inuocat Deum, vt sanctificet oleum in nomine Domini Iesu Christi, & tribuat ei gratiam spiritualem, & vim efficientem, & remissionem peccatorum, & præparationem confessionis baptismi, vt is, qui vngitur, remissa omni impietate, dignus baptismo secundùm Vnigeniti præceptum efficiatur.

Lib. 8. *cap.* 29. Aquam & oleum benedicat Episcopus: si verò non aderit, benedicat Presbyter: dicat autem in hunc modum: Domine Sabaoth, Deus virtutum, qui dedisti oleum ad exhilarandam faciem, in exultationem lætitiæ, etiam nunc sanctifica per Christum hoc oleum ex nomine eius, qui obtulit, & tribue ei vim sanandi, & pellendi morbum.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiastica Hierarchia cap. 2. Cùm illum, qui baptizatur, ministri perfectè exuerint, deferunt sacerdotes sanctum vnctionis oleum. At verò Pontifex trino crucis sanctæ signaculo vnctionem inchoans, inungendum iam sacerdotibus toto corpore hominem tradit. Ipse ad adoptionis matrem proficiscitur, eiusque aquas sancta prece ac inuocatione sanctificans, terque in eas ad crucis effigiem sanctissimum fundens vnguentum, illasque hoc ritu perficiens, terque ad numerum sacræ effusionis carmen pronuntians, semel scilicet per sancti vnguinis iactus, iubet adferri hominem baptizandum.

Iustinus. 160.

Dialogo cum Tryphone: Non minus quoque Chrisma & vnguentum omne, siue olei, siue aloe, siue aliorum ex vnguentorum compositione vnctionem huius fuisse itidem ostendimus, verbo dicente: *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis supra consortes tuos.* Psal. 44 Nam reges omnes & vncti huic acceptum tulerunt, quòd & reges & vncti vocati sunt. Quemadmodum & ipse à Patre accepit, quòd rex Christus, & Sacerdos, & Angelus sit, & quæcunque eiusmodi alia habet, aut habuit.

Quæst. 137. Oleo inungimur, vt Christi vnctiquè fiamus: vnguento autem ad recordationem eius, qui vnguenti vnctionem sepulturam tuam esse putauit.

Theophilus Antiochenus. 170.

Lib. 1. *ad Autolycum:* Quis mortalium, qui progreditur in hanc vitam, quæ certaminum arena est, non oleo inungatur? Quodnam opus ornatum haberi potest, nisi perungatur, & quasi splendore illustretur? Præterea aër, & omnis, quæ sub cælo est, creatura, quodammodo spiritu & lumine iungitur, & tu recusas macerari Dei oleo? Certè nulla ex alia re Christianorum nomen traximus, quàm quòd diuino oleo perfundimur.

Origenes. 230.

Homil.

Homil. 9. in Leuit. Quicunque vnguento sacri Chrismatis delibuti sunt, sacerdotes effecti sunt, sicut & Petrus ad omnem dicit Ecclesiam: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta.* 1.Pet.2.

Homil.7.in Ezechielem: Cùm aliquis accepit hoc oleum, quo vngitur sanctus, hoc est, sanctam Scripturam, instituentem quomodo oporteat baptisari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & pauca commutans vnxerit quempiam, & quodammodo dixerit, iam non es catechumenus, sed consecutus es lauacrum regenerationis: talis homo accepit oleum Dei, & incensum, & ponit illud ante faciem idolorum.

In caput 6. ad Romanos: Omnes baptizati sumus secundùm typum traditum, & in Chrismate visibili.

Eusebius Caesareensis. 320.

De Demonstratione Euangelica lib.3 cap.10. *Parasti in conspectu meo mensam contra eos, qui affligunt me: pinguefecisti in oleo caput meum.* Palam in his significat mysticam vnctionem, & odorum afferentiam, mensæ Christi sacrificia.

Synodus Nicæna Prima. 325.

Can.68. Arabico: Transacto anno debet sacerdos benedicere aquam & oleum, non sicut fit in baptismo, neque sicut benedicimus Chrisma, sed sicut oleum infirmorum.

Synodus Laodicensis. 360.

Can.48. Oportet, qui illuminantur, post baptisma inungi supercælesti Chrismate, & esse regni Christi participes.

Basilius Magnus. 370.

De Spiritu sancto cap.27. Consecramus aquam baptismatis, & oleum vnctionis, & ipsum, qui baptisatur, ex quibus Scripturis? nonne à tacita traditione? Ipsam porrò olei iunctionem quis sermo scripto proditus docuit? nonne ex arcana hic traditione.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 2. Mystag. Postea exuti, vncti estis oleo, exorcismis sanctificato, à summis capillis ad infimos vsque pedes peruncti estis, & participes effecti fructiferæ illius oleæ Iesu Christi. Illud verò exorcizatum oleum symbolum est pinguedinis Christi nobiscum communicatæ, & quod omne vestigium diabolicæ operationis in nobis deletum sit. Nam vt insufflationes sanctorum, & nominis Dei inuocatio, tanquam vehementissima quædam flamma, vrit dæmones, & in fugam conuertit: sic etiam exorcizatum [illegible] oleum per orationem, Deique inuocationem tantam virtutem consequitur, vt non modò ardentia peccatorum vestigia expurget, verùm etiam omnes inuisibiles dæmones repellat.

Catechesi 3. Mystag. Et nobis, postquam ex aquis sacri lauacri ascendimus, datum est Chrisma, quod imaginem gerit illius, quo vnctus est Christus, &c. Corpus quidem isto visibili vnguento perungitur: anima verò sancto, viuificoque Spiritu sanctificatur. Ac primùm quidem fronti illinitur, vt eum abstergat à vobis pudorem, quem primus homo transgressor perpetuò circunferebat: simulque efficiat, vt possitis vultu non velato gloriam Dei intueri. Deinde verò aures inunguntur, vt ad audiendum diuina mysteria aures accipiatis, de quibus dicebat Esaias: *Et addit mihi Dominus aures ad audiendum.* Et Dominus in Euangelio: *Qui habet aures ad audiendum, audiat.* Postea nares, vt diuinum accipientes vnguentum, dicatis: *Christi gratus odor est Deo in his, qui saluantur.* Tunc verò & pectus inungitur, vt induti thoracem iustitiæ, fortiter aduersus insultus diaboli consistatis, &c.

Amphilochius. 370.

In vita D. Basilij: Maximus Episcopus baptisauit Basilium & Eubulum, atque vngens sancto Chrismate, tradidit illis viuificam communionem.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 5. quæ est oratio ad patrem & Basilium post reditum ex fuga: Idcirco me Pontificem vngis, & podêre cingis, capitique cidarim imponis, atque holocausti spiritualis alteri admoues, & initiationis vitulum mactas, manusque Spiritui consecras.

Oratione 40. quæ est Oratio in S. Baptisma: At si per baptismum teipsum præmunieris, & pulcherrimo ac firmissimo auxilio tibi in futurum caueris: animum scilicet & corpus vnctione, & spiritu consignans, quemadmodum olim Israel nocturno illo cruore, qui primigenos tuebatur, quid tibi accidet?

Synodus I. Constantinop. 380.

Can. 7. Arianos, Macedonianos, Nouatianos, &c. recipimus, dantes quidem libellos, & omnem hæresin anathematizantes, quæ non sentit, vt sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia, & signatos siue vnctos primùm sancto Chrismate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures: & eos signantes dicimus signaculum doni Spiritus sancti.

Ioannes Chrysostomus. 400.

In cap.4. Matthæi: Athleta ante certamen vngitur, vt luctetur: sic homo spiritualiter ideo oleo Chrismatis vngitur, vt contra diabolum quasi spiritualis athleta luctetur.

Homil. de Spiritu sancto: Spiritu sancto reges inunguntur, sacerdotes ordinantur, Doctores declarantur, Ecclesiæ sanctificantur, altaria fundantur, vnguentum consecratur, aquæ purgantur, dæmones abiguntur.

Homilia 12. in Primam ad Corinth. Deus vnguento te honorauit, tu autem te probro & dedecore afficis, & cùm oporteat te fronti crucem imprimere, quæ certam & indubitatam præbet tutelam, tu his dimissis, ad Satanicam deturbaris amentiam?

Homilia 6. in 2. ad Colossenses: Inungitur baptisandus more athletarum, vt qui stadium sunt ingressuri.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Ad cap.55. Esaiæ: Illud vnguentum Propheta significat, quo in baptismo vngimur, quod est symbolum Spiritus sancti.

Theodoretus. 450.

In Compendio hæretic. fab. lib.3. Nouatiani pœnitentiam à suo conuentu arcent penitus, ijsque qui ab ipsis baptizantur, sacrum Chrisma non præbent. Quocirca etiam eos, qui ex hac hæresi Corpori Ecclesiæ coniunguntur, benedicti patres vngi iusserunt.

Timotheus Constantinopolitanus. 520.

De differentia eorum, qui accedunt ad nostram fidem: Inuenimus tres ordines eorum, qui accedunt ad sanctam fidem nostram. Primus ordo est eorum, qui sancto baptismate indigent. Secundus autem eorum, qui non baptizantur, sed sancto Chrismate inunguntur. Tertius ordo est eorum, qui nec baptizantur, nec inunguntur: sed solùm anathematizant suam hæresin. Et qui baptizantur, sunt Marcionistæ, Saccophori, &c. Qui autem sancto Chrismate vnguntur, sunt Tesserasdecitæ, Nouatiani, Ariani, Macedoniani, Apollinaristæ. Qui neque baptizantur, neque inunguntur, sed suam hæresin anathematizant, sunt Meletiani, &c.

Procopius Gazæus. 530.

In Exordium fol.304. *Ablues eos aqua, &c.)* Sic & nos abluti, & repurgati sacro baptismate, recipimus gra-

mus gratiam cælestem, lætitiæ indui tunicam, sicut scriptum est: *Induite Dominum Iesum Christum.* Oleo inungit capita, quemadmodum habet illud Scripturæ elogium: *Impinguasti oleo caput meum.* Illa vnctio indicat spei alacrem hilaritatem, quæ adest vitæ Sanctorum: vel significat visitationem cælestem, qua nos visitauit Christus.

Ioannes Moschus. 620.

In Prato spirituali cap. 3. Cononem Presbyterum Alexandrinum genere Patres iusserant vt baptizaret accedentes. Ipse igitur sancto Chrismate vngebat, & baptizabat eos, qui ad hoc veniebant.

Seuerus Alexandrinus. 650.

De Baptismo: Tunc signat oleo oliuæ sacerdos eum, qui baptizatur, tribus crucibus super frontem eius factis, atque in hunc modum dicit: *Signetur talis N. oleo lætitiæ aduersus omnem efficaciam inimicam:* & vngit omnia illorum membra, manus, & pedes, & nares eorum, tum demum induuntur suis vestimentis.

Synodus Trullensis. 710.

Can. 95. Eos, qui rectæ de fide sententiæ accedunt, & parti eorum, qui ex hæreticis seruantur, subiecta consequentia, & consuetudine recipientes, Arianos quidem, Macedonianos, & Nouatianos, & Tetraditas, & Apollinaristas recipimus, dantes libellos, & omnem hæresin anathematizantes, quæ non sentit, vt sentit sancta Dei vniuersalis & Apostolica Ecclesia, sancto primum Chrismate & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures imprimentes, dicimus: Signaculum doni Spiritus sancti.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

In Theoria post initium: Vngi oleo baptizatos, est instar olei, quo sacerdotes & reges inungebantur, vt etiam Christus vnctus est, tanquam rex & sacerdos, vnctione incarnationis. Est quoque ad id, ne possit diabolus nos superare peccati mortis potentia, quę est mors ex transgressione Adam in nos delapsa.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. *cap.* 10. Oleum ideo ad baptisma adhibetur, quia vnctionem nostram designat, Christosque nos efficit, ac Dei misericordiam per Spiritum sanctum nobis pollicetur. Nam & columba ijs, qui salui & incolumes à diluuio euaserunt, olei ramum attulit.

Methodius Constantinopolitanus. 830.

De ijs, qui abnegarunt per diuersos modos: Si puer quidam apprehensus fuerit, & abnegauerit, seu metu, seu ignorantia, & inscitia: is propitiatorias preces septem diebus accipiat, & octauo die lauetur, & à lauacro linteo accinctus Chrismate inungatur, vt solent inungi, qui baptizantur, & ferat vestes nouas secundum ordinem illorum, qui baptizantur.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 10. *Lucæ:* Quotidie, qui baptizantur, liberantur à vulneribus animæ, oleo quidem vnguenti vncti: statim autem communicantes, & diuini sanguinis participes fiunt.

Ad cap. 2. *Nahum:* Præterea sacrum baptisma, & vnctio ingentia sunt, & solida munimenta, ad quæ festinant religionis Christianę nondum imbuti sacris, simulac agnouerint eum, qui seruare potest, Christum.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita Stephani Monachi: Germanus Patriarcha eum statim baptizat, & vngit eum, inquam, qui iam spirituale vnguentum Ecclesiæ futurus erat.

Vita S. Syluestri cap. 14. Hæc cùm audisset Imperator, & lętus vltimam exuisset tunicam, & probrum carnis subiecisset oculis, & vnctus fuisset sancto Chrismate, ingressus est piscinam.

Mar-Michael Chendisi Antioch. 1167.

De ritu consecrationum: Aqua benedicta differt ab aqua baptismatis, sicut differt & distat oleum benedictum ab oleo sancto Chrismatis, & Sacramenta viuificantia à pane benedicto, sed non consecrato.

Isaacius Angelus. 1185.

Constitut. 3. Propositum est, quosdam eorum, qui ad Metropoles, vel ad Archiepiscopatus electi sunt, & ordinati, cùm vxores ante ordinationem haberent, non recusare quidem, quin primarij sacerdotij Chrismate inungerentur, sed &c.

Simeon Thessalonicensis. 1200.

Lib. 2. *de mysterijs:* Dicitur magnum Chrisma, & sanctificatum non à presbyteris, sed per preces & benedictiones Patriarcharum & Episcoporum, qui Petri & Ioannis sanctificandi vim habent, & necesse est, vt quisque fidelis hoc signetur in baptismo, vt qui baptizatus est, baptismum diuinissimum habeat in se consummatum.

Nicolaus Cabasilas. 1260.

De Liturgia cap. 29. Etiam sanctissimum vnguentum, quod eiusdem esse ordinis cum diuina communione dicit beatus, oratione peragitur & sanctificatur. Quòd autem operando Sacramento deseruiat, & sanctificet, nulla est pijs dubitatio, & sacerdotis & Pontificis ordinatio, simili modo per orationem peragitur: Oremus enim, inquit, pro ipso, vt veniat in ipsum gratia sanctissimi Spiritus. Post impositionem manus, is, qui ordinat, ad Clerum clamat, & in ea, quæ fit in Latinorum Ecclesia Pontificis ordinatione, postquam infudit vnguentum in caput eius, qui ordinatur, qui ordinat optat locupletem Spiritus sancti gratiam in eum descendere, &c. Altare, super quod panis ponendus est, vnguento sanctificatur, quod quidem vnguentum precibus conficitur.

Nicephorus Callistus. 1290.

Lib. 7. *cap.* 33. Etiam oleo inunctus Constantinus lauacrum ingreditur, atque more recepto sanctissimæ Trinitatis fit inuocatio.

Curopolata. 1400.

De officialibus Palatij Constantinopolitani fol. 186 Patriarcha vngit ad formam crucis caput regis diuino vnguento, pronuntians interea magna voce: *Sanctus, &c.*

Marcus Ephesius. 1450.

De Eucharistia: Oratio, & benedictio, & Chrisma, quo vngimur, & sacerdotes ipsos, & alia omnia Ecclesiæ mysteria peragit per sancti Spiritus gratiam.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Respon. 1. *c.* 2. Mox quoque is, qui baptizatur, sacro vnguento vngendus est.

Respon. 2. *c.* 4. Chrismate inungimur, vt chrismatis regij fiamus participes.

CHRISMATE INVNGVNTVR

Christiani Æthiopes.

Ordo Baptismi apud Æthiopes: Postea vngit sacerdos frontem eorum, qui baptizandi sunt, scapulas eorum, vlnas, & granum pectoris, interiorem & exteriorem partem manuum, & summitatem digitorum, dum dicit: Vngo te in nomine vnicæ Ecclesiæ, quæ est Concilium, seu congregatio Apostolorum Domini, oleum hoc deleat omne opus inimici, quod aduersatur.

Christiani Moscouitæ.

Alexander Gaguinus in descriptione Sarmatiæ Europeæ, de Moscouitis: Postea puer in templum defertur, hocque modo baptizatur. In aquam immersus,

sus, Chrismate, quod hebdomadæ Pascham præcederitis sexta Feria consecratum est, inungitur.

Sigismundus Liber Baro de rebus Moscouiticis c. de Baptismo: Baptizatus mox inungitur Chrismate, quod consecratum est in hebdomada magna.

PROBANT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De Baptismo cap. 7. Exinde egressi de lauacro, perungimur benedicta vnctione, de pristina disciplina, qua vngui oleo de cornu in sacerdotium
Leuit. 8 solebant. Ex quo Aaron à Moyse vnctus est: vnde Christus dicitur à Chrismate, quod est vnctio, quæ
1. Reg. 15 Domino nomen accommodauit, facta spiritalis: quia Spiritu vnctus est à Deo Patre, sicut in Actis:
Actor. 4 *Collecti enim sunt vere in ista ciuitate aduersus sanctum Filium tuum, quem vnxisti.* Sic & in nobis carnaliter currit vnctio, sed spiritaliter proficit: quomodo & ipsius Baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur: spiritalis effectus, quod delictis liberamur.

De resurrectione carnis cap. 8. Sed & caro abluitur, vt anima emaculetur; caro vngitur, vt anima consecretur.

Libro 1. contra Marcionem cap. 14. Sed ille quidem vsque nunc nec aquam reprobauit Creatoris, qua suos abluit; nec oleum, quo suos vngit.

Fabianus. 237.

Epistola 2. cap. 1. Literis vestris inter cætera insertum inuenimus, quosdam regionis vestræ Episcopos, à vestro, nostroque ordine discrepare, & non per singulos annos in Cœna Domini Chrisma conficere: sed duos, aut tres annos confectionem sancti Chrismatis semel actam conseruare. Dicunt enim, vt in memoratis apicibus reperimus, nec balsamum per singulos annos posse reperire: nec necesse fore per singulos annos Chrisma conficere, sed dum vna confectio Chrismatis abundat, aliam fieri necesse non habere. Erant enim, qui talia excogitant. In illa enim die, postquam Dominus cœnauit cum discipulis suis, & lauit eorum pedes (sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) Chrisma conficere docuit. Ipsa enim lauatio pedum, nostrum significat baptismum, quando sancti Chrismatis vnctione perficitur, atque confirmatur. Nam sicut ipsius diei solennitas per singulos annos est celebranda: ita ipsius sancti Chrismatis confectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renouanda. Quia nouum Sacramentum est per singulos annos, & iam dicto die innouandum, & vetus in sanctis Ecclesijs cremandum. Ista à sanctis Apostolis, & eorum successoribus accepimus, vobisque tenenda mandamus. Hæc sancta Romana Ecclesia & Antiochena à tempore Apostolorum custodit: hæc Hierosolymorum & Ephesinorũ tenet. In quibus Apostoli præsidentes, hæc docuerunt, & verus Chrisma incendi, & non amplius, quàm vno anno vti, permiserunt, atque deinceps nouo frui, & non veteri, iubentes docuerunt.

Cyprianus. 250.

Libro 1. epist. 12. *Epistola 70* Vngi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, vt accepto Chrismate, id est, vnctione, esse vnctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit. Porrò autem Eucharistia, & vnde baptizati vnguntur oleum, in altari sanctificatur. Sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habuit, nec Ecclesiam: vnde nec vnctio spiritalis apud hæreticos potest esse, quando constet oleum sanctificari, & Eucharistiam fieri apud illos omninò non posse.

De vnctione Chrismatis, & alijs Sacramentis. Hodie vnguentum ad sanctificationem paratur, cuius fragrantia adolescentulæ & nouellæ animæ, accedentes ad fidem, illectæ delectantur, & exinanitionis eius suauitate delibutæ, diligunt ac sequuntur aromatum largitorem. Nihil hoc oleum commune habet cum liquoribus, qui ex quorundam fructuum pinguedine exprimuntur, nec vis eius est ex crassitudine penetratiua, quæ secundum quasdam naturales rationes emollit ac temperat spissamenta humorum, quos solet intrinsecus astringere siccitas aliqua, vel corruptio conglobare. Non hæc medendis corporibus est vnctio instituta: quia sanctificatis elementis iam non propria natura præbet effectum, sed virtus diuina potentius operatur: sed adest veritas signo, & Spiritus Sacramento: vt & ipsis rerum efficientijs gratiæ dignitas pateat, & interiori homini quanta ex his detur auctoritas, deiformi conuersatione, & cælestibus moribus innotescat. Hoc oleo antiquitus sacerdotes sacrabantur & reges, & ipsi altarium lapides delibuti, spiritalem intelligi volebant sacris mysterijs inesse pinguedinem. Ex huius vnctionis beneficio & sapientia nobis & intellectus diuinitus datur, consilium & fortitudo cælitus illabitur, scientia & pietas & timor inspirationibus supernis infunditur. Hoc oleo inuicti cum spiritalibus nequitijs colluctamur, nec fœtoribus spurijs imbui possumus.

Concilium Romanum. 320.

Cap. 5. Constituit etiam Syluester Episcopus vrbis Romæ, vt nemo Presbyterorum Chrisma conficeret.

Concilium Secundum Arelatense. 320.

Cap. 17. Bonifacius ex errore venientes, dum interrogati fidem nostram ex toto confessi fuerint, cum Chrismate, & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit.

Ambrosius. 370.

Libro 1. de his, qui mysterijs initiantur cap. 6. Post hæc ascendisti ad sacerdotem, considera quid secutum sit: nonne illud, quod ait Dauid: *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Psal. 132
Hoc est vnguentum, de quo Salamon ait: *Vnguentum exinanitum est nomen tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt te, & attraxerunt te*, &c. omnes in regnum Dei & sacerdotium vngimur gratia spiritali. Cant. 1.

De Sacramentis libro 1 capite 2. Venimus ad fontem, ingressus es, considera quos videris, quid locutus sis considera, repete diligenter. Occurrit tibi Leuita, occurrit Presbyter: vnctus es quasi athleta Christi, quasi luctamen seculi huius luctaturus: professus es luctaminis tui certamina: qui luctabitur, habet quod speres: vbi certamen, ibi corona.

Libro 3. capite 1. Hesterno die de fonte disputauimus, cuius species veluti quædam sepulchri forma est, in quem credentes in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum recipimur, & demergimur, & resurgimus, hoc est resuscitamur. Accipis autem mysterium, hoc est, vnguentum, supra caput. Quare supra caput? Quia *sensus sapientis in capite eius*, Salomon ait. Eccle. 2.

Pacianus. 370.

Epistola 1. ad Simpronianum: Si ergo & lauacri & Chrismatis potestas maiorum charismatum ad-

Episcopos inde descendit, & ligandi quoque ius adfuit, atque soluendi.

Epist. 3. Vestræ plebi vnde Spiritus, quam non consignat vnctus sacerdos?

Optatus Milenitanus. 370.

Contra Donatistas lib. 2. Ampullam Chrismatis per fenestram, vt frangerent, iactauerunt: & cùm casum adiuuaret abiectio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam spiritali subuectione deduceret, proiecta casum sentire non potuit, Deo muniente illæsa inter saxa consedit.

Lib. 7. Oleum enim simplex est, & nomen suum vnum ac proprium habet: confectum iam Chrisma vocatur, in quo est suauitas, quæ cutem conscientiæ mollit, exclusa duritia peccatorum: quæ animum innouat lenem, quæ sedem Spiritui sancto parat, vt inuitatus illic, asperitate fugata, libenter inhabitare dignetur.

Prudentius. 380.

Hymno 6. ante somnum:

Cultor Dei memento, te fontis & lauacri
Rorem subisse sanctum, te Chrismate innouatum.

In Psychomachia Luxuriæ & Sobrietatis:

Vt mitra cæsariem cohibens aurata virilem
Combibat infusum croceo religamine nardum,
Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
Vnguentum regale datum est, & Chrisma perenne.

Contra Symmachum lib. 1. de plebis ad Christum conuersione:

Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes:
Vnde sacrum referat regali Chrismate signum.

Hieronymus. 380.

Contra Luciferianos cap. 4. Sine Chrismate & Episcopi iussione neque Presbyter, neque Diaconus ius habet baptizandi.

Ad cap. 3. *Sophoniæ:* Sacerdotes, (*intelligit per Antonomasiam Episcopos,*) qui dant baptismum, & ad Eucharistiam Domini aduentum imprecantur, faciunt oleum Chrismatis, manus imponunt, Catechumenos erudiunt, Leuitas, & alios Antistites constituunt, &c.

Damasus. 380.

In vita Sylvestri: Hic constituit, vt baptizatum liniat Presbyter Chrismate leuatum de aqua, propter occasionem transitus maris.

Epist. 4. Chorepiscopis non licet sacerdotes ordinare, nec vngere, nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontes signare.

Concilium Carthaginense Secundum. 385.

Cap. 3. Chrismatis confectio, & puellarum consecratio à Presbyteris non fiant.

Concilium Carthaginense Tertium. 398.

Cap. 36. Presbyter Chrisma nunquam conficiat.

Augustinus. 400.

In Ioannem Tract. 33. Christi nomen à Chrismate dictum est: χρῖσμα autem Græcè, Latinè vnctio nuncupatur. Ideo autem nos vnxit Christus, quia luctatores contra diabolum fecit.

Tract. 118. Postremò quid est, quod nôrunt omnes, signum, nisi crux Christi? quod signum nisi adhibeatur siue frontibus credentium; siue ipsi aquæ, ex qua regenerantur; siue oleo, quo Chrismate vnguntur: siue sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.

Tract. 3. *in Canonicam* 1. *Ioannis:* Vnctionis Sacramentum est virtus ipsa inuisibilis: vnctio inuisibilis Spiritus sanctus.

Lib. 15. *de Trinitate cap.* 26. Vnxit eum Deus Spiritu sancto: non vtique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur vnguento, quo baptizatos vngit Ecclesia.

Concilium Primum Toletanum. 400.

Cap. 20. Quamuis penè vbique custodiatur, vt absque Episcopo Chrisma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis vel prouincijs Presbyteri dicuntur Chrisma conficere, placuit ex hoc die nullum nisi Episcopum Chrisma conficere, & per Diœcesin destinare, ita vt de singulis Ecclesijs ad Episcopum ante diem Paschæ Diaconi destinentur, aut Subdiaconi, qui confectum Chrisma ab Episcopo destinatum, ad diem Paschæ possint ad tempus deferre.

Innocentius Primus. 410.

Ad Decentium Eugubinum cap. 3. Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizant, Chrismate baptizatos vngere licet: sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis.

Synodus Arausicana. 441.

Cap. 1. Nullus ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine Chrismate vsquam debet progredi: quia inter nos placuit semel in baptismate chrismari. De eo autem, qui in baptismate chrismatus non fuerit, in Confirmatione sacerdos commonebitur.

Concilium Vasense. 442.

Cap. 3. Per singula territoria Presbyteri, vel ministri ab Episcopis, non (pro vt libitum fuerit) à vicinioribus, sed à suis proprijs, per annos singulos petant Chrisma, appropinquante solennitate Paschali: nec per qualemcunque Ecclesiasticum, sed si qua necessitas, aut ministrorum occupatio est, per Subdiaconum: quia inhonorium est inferioribus summa committi.

Leo Primus. 450.

Sermone 4. *de Natiuitate Christi cap.* 5. Permanete stabiles in fide, quam confessi estis coram multis testibus, & in qua renati per aquam & Spiritum sanctum accepistis Chrisma salutis, & signaculum vitæ æternæ.

Epist. 75. *cap.* 5. Intercepta est (*per Eutychianos*) sacrificij oblatio, defecit Chrismatis sanctificatio, & parricidialibus manibus impiorum omnia se subtraxêre mysteria.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Dominica 4. *post Pentecosten:* Quemcunque liquorem in oleum infundas, oleum semper desuper natat: oleo baptismus sanctificatur, oleo Ecclesia consecratur. Nos quoque ideo toties oleo sumus inuncti, vt semper misericordiæ memores simus, & nunquam pietatis & misericordiæ obliuiscamur.

Prosper. 460.

In Sententijs Augustini Sent. 342. Christi nomen à Chrismate, id est, ab vnctione. Quia ideo omnis Christianus sanctificatur, vt intelligat se non solum sacerdotalis, sed & regiæ dignitatis esse consortem, atque etiam contra diabolum fieri luctatorem.

Faustus Rhegiensis. 480.

De libero arbitrio cap. 15. Cui ad baptismum sponte venienti baptismum non profuisse poteris edocere, cùm etiam hæretico, in Trinitatis nomine regenerato, tantum per se virtus ipsa mysterij conferat, vt si postmodum ad fidem Christi transeat, baptismatis iteratione non egeat: sed ita operante gratia ablutus iudicetur, vt tantùm benedictione Chrismatis induatur?

Amanus. 410.

In Enchiridio veteris & noui Testamenti:

Montis Oliuiferi Christus de vertice sursum
Ad Patrem rediit, signans vestigia pacis.

Frondibus aeternis præpinguis liquitur humor,
Qui probat infusum terris de Chrismate donum.

Vigilius Tridentinus. 480.

Contra Eutychen lib. 3. Iacob & Esau gentium & Iudæorum gerunt figuram. Primus ergo populus gentium, cuius Iacob præformabat imaginem, à rore cæli & pinguedine terræ, hoc est, Christo, qui est Deus & homo, benedictionis sortitus est gratiam, frumenti, & vini, & olei est abundantia cumulatus, hoc est, corporis & sanguinis Christi, & Chrismatis eius mysterio consecratus.

Gelasius. 490.

Epistola 6. Nec minus etiam Presbyteros vltra modum suum tendere prohibemus: nec Episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere: non conficiendi Chrismatis sibimet arripere facultatem.

Laurentius Nouariensis. 500.

Homilia 1. *de Pœnitentia:* Mox vt ascendisti de sacro fonte, vestitus es veste alba, & vnctus es vnguento mystico, facta est super te inuocatio, & venit super te trina virtus, quæ vas nouum noua hac perfudit doctrina, &c. Nam in fonte Baptismi quid aliud est, quàm aqua, & Chrisma, & vestis alba? Huic mulieri pro aqua, fletus fuit; pro Chrismate, vnguentum; pro veste, capilli.

Alcimus Auitus. 500.

Lib. ad Sororem:

Ecce tibi è multis vnum, quo cætera noscas,
Exemplum, Dominus plebem cùm forte doceret,
Peruigili cura supremo attendere fini,
Cælorum regnum, quæ Christi Ecclesia facta est,
Virginibus sacro signatis Chrismate confert.

Remigius Rhemensis. 500.

In Epitaphio Clodouei:

Mox purgatus aquis, & Christi fonte renatus
Flagrantem gessit infuso Chrismate crinem,
Exemplumque dedit, sequitur quod plurima turba
Gentilis populi.

Iustus Orgelitanus. 540.

In Cantica, numero tertio: Quicunque Christiani à Christo nomina traxerunt, ipsique Chrismate perunguntur, atque in eius nomine baptizati sancto Spiritu adimplentur. *Vt vnguentum quod descendit à capite in barbam Aaron,* quod virum perfectum & fortissimum declarat, id est, sacer Spiritus, qui à Deo diffusus est in Christo, &c.

Arator. 540.

Lib. 1. Act. Apost.

——————Cælum petiturus, oliuæ
Progreditur lustrare nemus, quâ germine sacro
Luminis & pacis locus est: vult inde reuerti,
Vnde creaturam signat à fronte micantem
Diuinus commendat odor, cùm desuper vnctos
Abluit interius Christi de nomine Chrisma.

Gregorius Turonensis. 570.

Histor. Francor. lib. 5. *cap.* 11. Auitus Episcopus Iudæos aqua abluens, & Chrismate liniens, in sinu matris Ecclesiæ congregauit.

Concilium Bracarense Primum. 572.

Cap. 37. Item placuit, vt si quis presbyter post hoc interdictum ausus fuerit Chrisma benedicere, deponatur. Nam antiqui hoc Canones vetuerunt.

Fortunatus. 580.

Libro 1. Carminum, quomodo Iudæi crediderunt Christo:

Ecce dies aderat, quo Spiritus almus ab alto
Missus Apostolicis fluxit in ora viris.
Res sacra terricolas, vrbanos excitat omnes,
Certatimque aditus ad pia festa terunt.
Abluitur Iudæus odor Baptismate diuo,
Et noua progenies reddita surgit aquis:
Vincens ambrosios suaui spiramine rores
Vertice perfuso Chrismatis efflat odor.

Concilium Hispalense Secundum. 619.

Cap. 7. Quantumuis Chorepiscopis cum Episcopis plurima mysteriorum communis sit dispensatio, quædam tamen auctoritate veteris Legis, quædam nouellis & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita nouerint: sicut Presbyterorum & Diaconorum consecratio, constitutio altaris, benedictio vel vnctio. Siquidem nec licere ijs Ecclesiam vel altaria consecrare, nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontem signare, auctoritate Canonum præcipitur.

Martinus Bracarensis. 620.

In capitulis Græcarum Synodorum c. 51. Omni tempore liceat Episcopo Chrisma conficere, & per diœceses suas destinare, ita vt ad dirigendum Chrisma Diaconus, aut Subdiaconus ante diem Paschæ de singulis Ecclesijs ad Episcopum destinetur.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Ecclesiasticis officijs lib. 2. *cap.* 25. Chrismatis vnguentum Moses primùm in Exodo iubente Domino composuit, quo primi Aaron, & filij eius in testimonium sacerdotij & sanctitatis peruncti sunt. Deinde quoque & reges eodem Chrismate sacrabantur, vnde & Christi nuncupantur, sicut scriptum est: *Nolite tangere Christos meos:* eratque Psal. 104 eodem tempore in sacerdotibus & regibus tantùm mystica vnctio, qua figurabatur Christus. Vnde & ipsum nomen à Chrismate ductum est. Sed postquam Dominus noster, verus rex, & sacerdos æternus à Deo Patre cælesti mystico vnguento est delibutus, iam non soli Pontifices & reges, sed omnis Ecclesia vnctione Chrismatis consecratur, pro eo quòd membrum est æterni sacerdotis & regis. Ergo quia genus regale & sacerdotale sumus, ideo post lauacrum vngimur, vt Christi nomine censeamur.

Concilium Toletanum Quartum. 643.

Cap. 56. Iudæi, qui iam pridem ad Christianitatem venire coacti sunt, quia iam constat eos diuinis mysterijs & sociatos, & baptismi gratiam suscepisse, & Chrismate vnctos esse, & corporis & sanguinis Domini factos esse participes, fidem, quam susceperunt, tenere cogantur.

Concilium Toletanum Vndecimum. 674.

Cap. 8. Qui pro collatione Chrismatis pretia vel præmia, nisi voluntariè oblata, susceperit, excommunicationi subiaceat.

Aponius. 700.

In Cantica lib. 1. Per sacri Chrismatis oleum in baptismo Spiritus sanctus infunditur.

Beda. 700.

Ad cap. 22. Lucæ: *Et egressus ibat secundùm consuetudinem in montem Oliuarum.* In montem Oliuarum discipulos educit, vt omnes in morte sua baptizatos, altissimo sancti Spiritus Chrismate confirmandos esse designet.

Ad cap. 8. *Act.* Presbyteris siue extra Episcopum, siue præsente Episcopo baptizare, & Chrismate baptizatos vngere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis.

Gregorius Tertius. 730.

Epistola ad Bonifacium: Illos, qui baptizati sunt, oportet per manus impositionem & sacri Chrismatis vnctionem confirmari.

Zacharias Papa. 736.

Epistola ad Bonifacium: Quinta Feria Paschæ sacrum Chrisma consecratur.

Synodus Francica. 740.

Can. 2.

Can. 2. Presbyter in Cœna Domini semper nouum Chrisma ab Episcopo quæret.

Carolus Magnus. 790.

*Lib.*1. *Legum cap.*99. De Presbyteris, qui accipiendi Chrismatis gratia ad ciuitates in Cœna Domini venire soliti erant, sancitum est, vt de his, qui longè positi sunt, de octo vel decem, vnus ab Episcopo eligatur, qui acceptum Chrisma sibi & socijs diligenter perferat. Hi verò, qui non longius à ciuitate, quàm quatuor aut quinque millibus habitant, more solito ad accipiendum per se Chrisma veniant.

*Lib.*3.*cap.*55. Vt Presbyter, qui sanctum Chrisma donauerit ad iudicium subuertendum, postquam de gradu suo fuerit depositus, manum amittat.

Concilium Moguntinum. 813.

*Cap.*27. Presbyteri sub sigillo custodiant Chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ vel maleficij donare inde præsumant. Quod si fecerint, honore priuentur.

Æmoinus 825.

*De gestis Francorum lib.*1. *cap.*16. *de Clodouei Baptismo*: Cùm fortè, qui Chrisma ferebat, interclusus à populo deesset, ecce subitò non alius sine dubio, quàm sanctus apparuit Spiritus in columbæ visibili figuratus specie, qui rutilanti rostro sanctum deferens Chrisma, inter manus deposuit sacerdotis, vndas fontis sanctificantis.

Amularius Treuirensis. 830.

*De rebus Eccles. lib.*1.*c.*27. Sacerdos, qui vngit neophytum, verbis suæ orationis solutionem vinculorum, & allegationem vulnerum commonstrat, dicendo: *Deus omnipotens Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regenerauit ex aqua & Spiritu sancto, quiq; dedit tibi remissionem omnium peccatorum.* In istis verbis & curationem intelligimus plagarum, & solutionem vinculorum. Postea addit memoratus sacerdos: *Ipse linit te Chrismate salutis in vitam æternam.*

Concilium Meldense. 845.

*Cap.*8. Vt nullus Episcoporum, vel quilibet minister Ecclesiasticus propter sacrum Chrisma aliquid muneris accipiat, neque denarios, vel qualibet munuscula.

Hincmarus. 850.

In vita S. Remigij: Cùm non adesset, qui Chrisma deferre debuerat, ecce subitò columba cælitus delapsa ampullam cum rostro detulit, de quo Pontifex regem Clodoneum in baptismo liniuit: hęc ampulla in Rhemensi quoque Ecclesia adhuc seruatur, etiam inde Reges Francorum inunguntur.

Rabanus Maurus. 850.

*Lib.*1. *Instit. cap.*28. Bene quidem baptismo continuatur Chrismatis vnctio, quia Spiritus sanctus, qui per illud Chrisma suæ virtutis admixtione signat credentes, baptizato Iesu, statim super illum in columbæ specie descendit: cuius videlicet typum præferebat columba illa, quæ in diluuio ad arcam reportauit ramum oliuæ virentibus folijs, significans vtique, quòd Spiritus sanctus per Chrismatis vnctionem in baptismate vigorem confert fidelibus cælestis gratiæ.

Concilium VVormatiense. 868.

*Cap.*2. Chrisma conficere nullus præter Episcopum præsumat. Nam illi soli hæc dignitas concessa est.

Smaragdus. 970.

In Epistolam in Sabbato Pentecostes: Pectus enim qui baptisatur refertum semper esse debet, & diuini odoris nectare, & spiritali vnctione delibutum. Vnde etiam his, qui baptisandi sunt, pectus de oleo, & scapulæ tanguntur, vt illius olei, sancti videlicet Spiritus vnctione liniti, contra omnia prospera, siue aduersa sint circunspecti, &c. Baptisatorum capita Chrismate liniuntur, vt in regno & in sacerdotio Ecclesiæ Christiani nominis prærogatiuam accipiant, & eius membra, qui eos redemit, effici queant.

Fulpertus Carnotensis. 1000.

*Epist.*1. Quod nimirum ipsa baptizantis ministri verba patenter insinuant, cùm baptismi sacra munera non à se arroganter dari, sed ab ipso Deo auctore profitetur sub verbis huiusmodi: *Deus, qui te regenerauit ex verbo & Spiritu, ipse te linit Chrismate salutis.*

Petrus Damianus. 1050.

Sermone de Cœna Domini: Hodie sacrum Chrisma conficitur, per quod in nobis omnium cælestium charismatum significatio designatur. Hoc videlicet illud sacrosanctum esse Chrisma cognoscitur, quod non solùm sacerdotes, reges, atque prophetas in veteri Testamento vnxit: sed etiam sanctos Apostolos, Martyres, & Confessores sanctificauit in nouo. Hodie nos etiam oleo diuinæ virtutis inungimur, vt in spiritualis palestræ certamine colluctantes, de subactis atque conuictis hostibus triumphemus, &c. Quilibet ad regenerationis gratiam veniens, prius sacri baptismatis vndis immergitur, vt postmodum diuini Chrismatis mysterio consignetur.

Anselmus. 1080.

*In priorie ad Cor. c.*9. Omnis Christianus, qui in arena huius mundi contra diabolum luctatur, ab omnibus, quæ Christianum ad terram implicant, debet abstinere. Nam & ideo Chrismate sumus vncti, quia luctatores sumus effecti.

Ius Carnotensis. 1100.

Serm. de Sacramentis dedicationis: Deinde oleo sancto vncti fuistis in capite, vt charitas, quæ per Spiritum sanctum datur, semper abundet in corde, secundùm illud verbum Sapientiæ: *Oleum de capite tuo nunquam deficiat.* Eccle.9.

De Sacram. neophytorum: Post abrenuntiationem vngitur Catechumenus oleo sacro in pectore, tanquam muniatur aduersus hostem inuisibilem, ne ei immunda & noxia persuadeat desideria. Vngitur & inter scapulas, vbi est vigor portádi oneris, vt accipiat fortitudinem ad portandum pondus diei & æstus, sicut bonus athleta, &c. Completis baptismi Sacramentis, cùm baptizatus de sacro fonte ascenderit, sacro Chrismate vngitur in vertice, vt cognoscat se ꝓmotū esse in regiū genus, & sacerdotale.

Rupertus Tuitensis. 1120.

De diuinis officijs lib. 5. *c.*16. Erat tempore veteris Legis mystica vnctio tantum in regibus & sacerdotibus, qua Christus rex summus & sacerdos verus pręfigurabatur. Sed postquam per seipsum veniens Christus Dei Filius à Deo Patre cælesti, & vero vnguento est delibutus, iam non soli Pontifices & reges, sed & omnis Ecclesia vnctione Chrismatis per manuum impositionem consecratur, &c. Chrisma Spiritus sancti signum est, cuius & virtutem continet.

Bernardus. 1130.

*Serm.*44. *in Cantica*: In hoc typo quotquot baptizandi sunt, etiam corporaliter Ecclesia oleo materiali vngere consueuit.

Petrus Lombardus. 1140.

*Lib.*4. *dist.*23. Non omne oleum ad vnctionem sanctificatum Chrisma vocatur: sed illud solum, quod miscetur cum balsamo: quo capita regum & Pontificum vnguntur, quo etiam baptisatos vngit sacerdos in vertice, & Pontifex per manus impositionē confirmandos vngit in fronte. Est & alia vnctio, qua Catechumeni, & neophyti vnguntur in pectore, & inter scapulas, in perceptione baptismi.

Petrus Cluniacensis 1150.

*Lib.*6. *epist.*1. Vt quid enim iam baptisatus vngitur,

tur, nisi vt iam collata, non conferenda baptizato per Spiritum Dei remissio demonstretur? Hoc quia semel factum sufficit, quia semel remissa peccata simplex sacri Chrismatis vnctio ostendit, iterandum esse nulla ratio persuadet.

Godfridus Viterbiensis. 1170.

In Chronicis par. 15.

Nunc baptizatur Clodoueus in vrbe Remensi:
Angelus è cælis oleum dedit omnipotentis,
Gratia baptismi quo celebrata fuit.

Helmoldus Presbyter. 1170.

Lib.4. Chronic. cap.15. In Sabbatho S. Paschæ, cum Coloniæ paruuli iuxta morem Ecclesiæ baptizarentur, quidam Iudæus eiusdem ciuitatis, quasi per curiositatem cum alijs spectatoribus huic se negotio ingessit. Et cùm infra actionem sacrum Chrisma capite cuiusdam infantuli à Pontifice imponeretur, aperti sunt oculi eius, & vidit Spiritum sanctum in specie columbæ super ipsum infantulum descendentem.

Ioannes Belethus. 1200.

In diuinis officijs c.95. Chrisma initium traxit à veteri Testamento, quando Dominus præcepit Mosi, vt conficeret Chrisma, quo vngeret tabernaculum in dedicatione, & arcam Testamenti atque Aaron, & sacerdotes similiter illo vngebantur, & Reges: Moses tamen nō legitur vnctus fuisse, nisi vnctione spirituali, quemadmodum & Christus. Voluit nihilominus Christus materiali nos inungi vnctione, vt per illam materialem cōsequamur spiritualem. Inungitur enim quilibet Chrismate bis in vertice à communi sacerdote, & in fronte ab Episcopo.

Innocentius Tertius. 1200.

Extra lib.1.tit.15. de sacra Vnct. c.1. Cùm venisset ad Apostolicam Sedem Bracharensis Episcopus, qui in consecratione sua sanctam non acceperat vnctionem: quia apud vos non consueuerunt Pontifices, cùm consecrantur, inungi, nos quod illi defuerat, mandauimus in eo suppleri, facientes caput eius, & manus per Albanensem Episcopum sacro Chrismate deliniri, &c. Scire te volumus, duas esse species vnctionis: exteriorem, quæ materialis est & visibilis: & interiorem, quæ inuisibilis est & spiritualis. Exteriori videlicet inungitur corpus, interiori inuisibiliter inungitur cor. Vnctio visibilis & exterior, signum est interioris & inuisibilis vnctionis: Vnctio verò inuisibilis & interior, non solùm est signum, sed etiam Sacramentum: quia si dignè sumitur, vel agit, vel auget absque dubio quod designat. Ad exhibendum exteriorem & visibilem vnctionem benedicitur oleum, quod dicitur Catechumenorum vel infirmorum, & conficitur Chrisma, quod ex oleo fit & balsamo mystica ratione. Per o-
Matt.25 leum enim nitor cōscientiæ designatur, iuxta quod legitur: *Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis*
Eccl.24 *suis cum lampadibus:* per balsamū odor famæ exprimitur, propter quod dicitur: *Sicut balsamum aromatizans odorem dedi.* Hoc ergo Chrismate vngi debet Episcopus, non tam in corpore, quàm in corde, vt & interius nitorem conscientiæ quantum ad Deū, & exterius habeat odorem famæ quo ad proximū. Hoc vnguento caput & manus Episcopi consecrantur. Inungitur caput, propter auctoritatem & dignitatem: & manus propter ministerium & officium. In nouo Testamento non solùm reges & sacerdotes vnguntur, sed etiam omnes Christiani, bis ante baptismū, scilicet oleo benedicto primùm in pectore, deinde inter scapulas: & bis post baptismum, primùm in vertice, demum in fronte. In pectore namque baptizandus inungitur, vt per S. Spiritus donum abijciat errorem & ignorantiam, & suscipiat fidem rectam: *quia iustus ex fide viuit.* Inter scapulas, vt per Spiritus S. gratiam excutiat negligentiam & torporem, & bonam operationem exerceat. In vertice baptizatus inungitur, vt sit paratus omni petenti de fide reddere rationem: quia per caput intelligitur mens. In fronte vngitur baptizatus, vt liberè confiteatur quod credit. Ante baptismum igitur vngitur oleo benedicto, & post baptismum Chrismate sancto, quia Chrisma soli competit Christiano, &c. Vngitur præterea, secundùm Ecclesiasticum morem, cùm consecratur altare, cùm dicatur templum, cùm benedicitur calix non solùm ex mandato legis diuinæ, verum etiam exemplo beati Syluestri, qui cùm consecrabat altare, illud Chrismate perungebat.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Fer.5. in Cœna Domini: In hac nocte sanctæ vnctiones consecrantur, Chrisma conficitur.

Thomas Aquinas. 1250.

Parte 3. Summa q.66. art.10. Vsus aquæ adhibetur in baptismo, quasi pertinens ad substantiam Sacramenti: sed vsus olei vel Chrismatis adhibetur, ad quandam solennitatem. Nam primùm baptizandus vngitur oleo sancto, & in pectore, & in scapulis, quasi athleta Dei. Post baptismum verò statim signatur in cerebro à Presbytero cum sacro Chrismate, sequente simul & oratione, vt Christi regni particeps fiat, & à Christo Christianus possit vocari.

Bonauentura. 1260.

In lib.4. Sent. dist.7. q.3. Fit inunctio in pectore, & in scapulis, vt significetur gratia inunctionis ad Deum amandum, & eius onera portanda: post baptismum fit inunctio Chrismatis in vertice, vt significetur apertio mentis imputribilis ad contemplandum æterna. Chrisma enim confectum est ex oleo lucente, & balsamo conseruante.

Guibertus Tornacus. 1270.

De officio Episcopi c.41. Est aliud oleum, quod dicitur ad Catechumenos: illo vnguntur Catechumeni, vt si quæ maculæ inhæserint corpori aut menti, recedant ad tactum olei.

Cap.42. Eodem die consecratur oleum sanctum, quod Chrisma dicitur, &c. In veteri Lege soli Reges & Pontifices, seu Prophetæ illo sacro oleo vngebantur: nunc vniuersaliter omnis Ecclesia vngitur, vt non discordet corpus à capite, neque re, neque nomine.

Durandus à Sancto Portiano. 1310.

In lib.4. Sent. d.6. q.4. Olei iniunctio significat expeditionem hominis ad pugnam contra hostem.

Dist.7. q.2. Chrisma est materia Sacramenti Confirmationis conueniens, & non quodcunque Chrisma, sed consecratum per Episcopum.

Guido Rocherius. 1330.

In manipulo Curatorum par.1. tit.2. c.8. Tertiò sacerdos facit ei, quem baptisat, crucem de oleo exorcizato in pectore, & inter scapulas, & signat quòd baptizandus debet esse fortis ad luctandum contra diabolum, & ad portandum onera pœnitentiæ: & ista fiunt mediante oleo diuinæ gratiæ. Post baptismum autem tria facit sacerdos baptizato: quia primò vngit eum Chrismate, & signat virtutem gratiæ Spiritus S. quam suscepit in baptismo.

Thomas VValdensis. 1414.

Tomo 2. cap.113. Nemo dicat, qui vult esse fidelis, quòd Sacramentum Confirmationis fiebat sine vnctione per solam manus impositionem à Christo, & Apostolis. Non enim minus manus imponit, qui vngendo imponit. Et hoc affirmat Fabianus: Ista à Sanctis Apostolis, & successoribus eorum accepimus, &c. Non ergo poterit esse recens obseruantia, quam omnes istæ Ecclesiæ Apostolicæ ab Apostolis acceperunt, & retinent. Non facilè reperies aliquem de Antiquis in hac re scribentem, nisi huiusmodi statim recolat vnctionis.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica de Baptismo: Baptizandus quatuor locis inungitur: in fronte, vt fidem publicè protestetur: in vertice, vt agenda subtilius ab eo intelligantur: inter scapulas, vt iugum Christi suauius portetur: in pectore, vt dulci corde Deus diligatur. Alio modo dicitur, quòd vnctio Chrismatis in vertice designat descensum Spiritus sancti.

Eugenius Quartus. 1440.

In Concilio Florentino: Secundum Sacramentum est Confirmatio, cuius materia est Chrisma, confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto: forma autem est: *Signo te signo Crucis & confirmo te Chrismate salutis* Et cùm cæteras vnctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre.

Nicolaus de Nysse. 1480.

Secundæ partis Destructorij tractatu 2. Chrisma cōfectum ex oleo oliuæ & balsamo sanctificato: oleum nitorem habet, ideo signat castitatem vel munditiam. Item supereminet liquidis, & est materia inflammabilis, ideo signat caritatem: balsamum autem, quod habet bonum odorem, signat bonam famam.

ARTICVLVS DECIMVS.

IN ADMINISTRATIONE QVORVNDAM SACRAMENTORVM, VT BAPTISMATIS, EVCHARISTIÆ, MATRIMONII, &c. CEREORVM ET LVMINVM VSVM

IMPROBANT.

Anno post natum Christū

400. *VIGILANTIVS Gallus reprehendebat Catholicos, quòd sole adhuc fulgente moles cereorum ad memoriam Martyrum accendebant.* Hieronymus contra Vigilantium cap. 2.

1414. Ioannes Hussus Serm. de Exequijs: *Ad quid nimis multa candelarum consumptio, quæ vanam gloriam comparantibus, & inuidiam pauperibus parit?*

1520. Martinus Lutherus in Confessione: *Lampades, cerei, & quæcunque huius generis, sunt indifferentia, & proinde libera esse iudicamus.*

De formula Missæ: *Sequitur Euangelij lectio, vbi nec candelas, nec thurificationem prohibemus, sed nec exigimus: esto liberum.*

1530. Huldaricus Zuinglius Responsione ad Lutheri Confessionem par. 3. *De Lampadibus, aut cereis dicimus, quatenus hæc eò loci, & superstitionis per abusum deuenerunt, vt boni alicuius operis, aut meriti spem inde concipiant homines, (quod periculum circa lampadum aut cereorum consuetudinem plerunque versari solet,) eatenus illa etiam omitti, & relinqui debent.*

1550. Ioannes Caluinus in Catechismo Ecclesiæ Geneuensis de Baptismo: *Luminaria, aliaq; pompæ eius generis a Deo nunquam instituta sunt, sed ab hominibus introducta: sensimq; eò progressa superstitio est, vt maiori in pretio atque honore haberentur, quàm ipsum Christi institutum.*

In Reformatione Ecclesiæ: *Arrisit oleum, & cerei, & similes nugæ.*

1560. Theodorus Beza epist 8. *Placuit alijs, vt ex tenebris ad lucem translatis, cereos accensos praberi. &c. Quæ omnia si velim persequi, quis tandem erit histrionicarum potius ineptiarum, quam Christianorum rituum finis.*

PROBANT SACRÆ LITERÆ.

Exod. 25. *Vers.* 37. Facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum, vt luceant ex aduerso. Emunctoria quoque, & vbi quæ emuncta sunt, extinguantur, fiant auro purissimo. Omne pondus candelabri cum vniuersis vasis suis habebit talentum auri purissimi.

Exod. 27. 20. Præcipe filijs Israel, vt offerant tibi oleum de arboribus oliuarum purissimum, piloque contusum: vt ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonij, extra velum quod oppansum est testimonio.

Leuitic. 6. 12. Ignis autem in altari semper ardebit.

Leuitic. 24. 1. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Præcipe filijs Israel, vt afferant tibi oleum de oliuis purissimum ac lucidum, ad concinnandas lucernas iugiter, extra velum testimonij in tabernaculo fœderis.

PROBANT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Canone Apostol. 3. Ne liceat aliquid aliud ad altare offerre, quam oleum ad luminare, & incensum tempore sanctæ oblationes.

Canone 71. Si quis clericus, vel laicus à sancta Ecclesia ceram vel oleum auferat, segregetur.

Eusebius Cæsareensis, 320.

Ecclesiast. historiæ lib. 6. cap. 8. In magna & solenni Paschatis Vigilia oleum Diaconis & ministris Ecclesiæ defuisse perhibet. Vnde cùm vniuersam multitudinem grauis quædam ægritudo, & demissio animi occuparet, Narcissum ferunt his, qui luminaria apparabant, præcepisse, vt aquam ex puteo quodam, qui erat in proximo, haurirent, & ad ipsum adferrent. Quo absque mora peracto, eum super aquam orauisse, mandauisseq; vt cum vera & constanti in Dominum fide eam in luminarium vasa infunderent. Quod vbi fecerant, contra omnem rationem, incredibili quadam & diuina virtute, naturam aquæ in olei naturam commutatam: & pro certo illius miraculi indicio fratres complures, qui illic erant eo quidem tempore, permultum ex illo oleo reseruârunt, ex quo etiam aliquantulum ad nostram vsque ætatem custoditum est.

Vita Constantini lib. 4. ca. 66. Milites arreptum cadauer (Constantini) aurea capsula includunt, & vndique purpurea veste contectum Constantinopolim perducunt. Ibi tum in omnium magnificentissimis Imperatorijs ædibus celso atque edito loco deponunt, luminibusquè circum funus aurea super candelabra accensis, admirabile spectaculum intuentibus præbebant, & sanè eiusmodi, quale nunquam in terris vllum à condito mundo sub sole visum est.

Athanasius. 340

Epistola ad omnes Orthodoxos de persecutione Arianorum: Ista Arianis licentia data, multò tetriora, quàm in bello committebant, cùm omnia diriperent, cereos Ecclesiæ idolis adolarent. In summa, magna vbique Ecclesiæ depopulatio.

Oratione de ijs, qui vita excesserunt, apud Damascenum oratione de defunctis: Etiamsi in aere collocatus sit ille, qui cum pietate diem vitæ extremum egit, tamen implorata Christi Dei ope, oleum ac ceram ad ipsius sepulchrum accendere ne recuses, Grata enim & accepta hæc Deo sunt, ingensq; ab eo præmium referunt.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Oratione de Occursu Domini: Læti hodie lampades ornemus, tanquam filij lucis, ceras veræ luci Christo offeramus: quoniam *lumen ad reuelationem gentium* mundo apparuit, ideo lumine ex lumine supra niuem resplendeamus, supra lac dealbati, supra sapphirum illuminati, supra immaculatas columbas in cælos euolantes, ita in nubibus ad Dei occursum occurramus.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 4. quæ est inuectiua secunda in Iulianum: Constantius defunctus publicis præconijs, faustisquè ominibus, ac celebri pompa deducitur, religiosisquè etiam his nostris officijs, hoc est, nocturnis orationibus, ac cereorum ignibus, quibus nos Christiani pium è vita discussum ornandum existimamus.

Oratione 10. quæ est in laudem Cæsarij: Ac nunc nobis magnus ille Cæsarius seruatus est, cinis pretiosus, mortuus laudatus, ex hymnis ad hymnos transmissus, ad Martyrum sacrata cum pompa ductus, sanctis parentum manibus honoratus, materna cereorum gestatione, pietatem mœrori subrogante, &c.

Oration. 40. quæ est in S. Baptisma: Lampades, quas accendis (*in baptismo,*) illius luminum gestationis figuram gerunt, cum qua splendidæ & virgines animæ splendidis fidei lampadibus Christo sponso obuiam prodibimus, nec per ignauiam & socordiam dormientes, ne inscientibus nobis is, cuius aduentus expectatur, inopinatò adsit, nec alimento, & oleo, bonisq; operibus carentes, ne à nuptiali cubiculo excludamur.

Gregorius Nyssenus. 380.

Epistola ad Olympium Monachum de obitu sororis Macrinæ cap. 24. Ego igitur feretrum subiens illum aduocaui, vt alteram partem sustineret: posteriores verò feretri partes subierunt duo alij de clero insignes viri: ex vtraque autem parte procedebat non exiguus Diaconorum ministrorumq; numerus qui omnes ordine progredientes accensos cereos manibus gestabant.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Ad cap. 4. ad Hebræos: Dic mihi quid volunt istæ lampades tam splendidæ? Nonne sicut athletas defunctos producimus?

Homilia 70. ad populum Antiochenum: Quid enim ardentes sibi lampades volunt? nonne tanquam athletas defunctos comitamur?

Socrates. 430.

Ecclesiast. histor. lib. 6. cap. 8. Erant cruces argenteæ excogitatæ, quibus lucernæ cereæ imponebantur, sumptu Eudoxiæ Imperatricis suppeditatæ.

Sozomenus. 430.

Ecclesiast. hist. lib. 8. cap. 8. Ioannes Chrysostomus veritus, ne qui ex sua Ecclesia pellicerentur, populum suum ad consimilem canendi modum excitauit: & hi breui tempore illustriores facti sunt. Siquidem crucis argentea signa facibus accensis eòs præcedebant: & Eunuchus coniugis Imperatoris in hoc præfectus erat, vt & sumptus his rebus necessarios, ac hymnos procuraret.

Marcus Gazæus. 440.

In vita Porphyrij: Baptizato iuniore Theodosio, & ab Ecclesia egresso in Palatium, licebat intueri virtutem eorum, qui præerant multitudini, & vestem eorum refulgentem. Erant enim omnes candidati, vt existimaretur multitudo esse niue repleta. Præcedebant autem Patritij illustres, & omnis dignitas cum ordinibus militaribus, omnes portantes cereos, vt putarentur astra cerni in terra.

Theodoretus. 450.

Ecclesiast. Hist. lib. 5. cap. 36. Postea verò ipsæ etiam Ioannis Chrysostomi Reliquiæ fuêre Constantinopolim vrbem primariam traductæ. Itaque fidelis hominum cœtus, pelagus nauigiorum multitudine velut continentem efficiens, Bosphori ostium ad Propontidem situm luminaribus cooperuêre.

Cyrillus Eremita. 540.

De vita S. Euthymij: Cumquè sanctum illud beati viri corpus cum lampadibus & hymnis proprijs credidisset manibus, transfert ad eam ædem, quam ipse reuerenter fuerat fabricatus.

Iustinianus Imper. 540.

In Authent. 67. [illegible] fabri. orat. dom. & in Præfatione: Plurimi nominis causa ad opus sanctarum. Ecclesiarum accedunt, deinde eas ædificantes, nequaquam curam ponunt vt expensas quoq; eis deponant decentes, & ad luminaria, & ad obseruan-

seruantium alimenta, & ad sacra mysteria, sed deferunt eas in nudis ædificijs constitutas.

Iacobus Diaconus. 570.

Vita sanctæ Pelagiæ cap. 12. Veniunt ex omnibus monasterijs virginum cum cereis, lampadibus, & hymnis, depositæque sunt sanctæ eius Reliquiæ, & à SS. Patribus absportatæ.

Georgius Presbyter. 600.

Oratione de sanctis 318. Patribus Nicænæ Synodi cap. 11. Dicitur autem superbum quendam in eius exercitu tribunum militum impudenter audax facinus aggressum esse, nempe vt magiæ execranda faceret piacula. Nocturna autem visione, & diurnis, qui illi soli apparebant, terroribus esse incussum timorem, ne acerbè periret, adeò vt mutatus sceleratus, templum illud, vel potius templi habitatorem Christum verum Deum nostrum honoraret, & lucernis accensis placaret. Et ex eo tempore omnem Babylonicum exercitum à S. Templo arcuisse, & hospitalem mansuetudinem, & barbaricæ ferociæ minimè respondentem ijs, qui in ipsa vitam agunt, ostendisse.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

Epistola ad Thomam. Nec quemquam offendat, quòd ante Sanctorum imagines lumina & suaueolentia thymiamata accenduntur: Symbolicos enim ista fieri in honorem illorum opinandum est, quorum cum Christo requies, quorum honor ad ipsum recurrit.

Theophanes Presbyter. 850.

Orat. in exequijs (?) Nicephori: Hæc voce flebili supplicans sanctissimus Patriarcha Methodius, nocturnum Psalmorum cantum & mysticum sacrificium cum populo fideli perficiens, præclarum è tumulo corpus retexit, quod vnde viginti annorum spatio integrum omnino purumque manserat: & in arca ab ipso repositum, & sacerdotum manibus sublatum, cum luminibus & frequenti Psalmorum cantu in nauim, ad hoc paratam, illatum est. Sed cùm fretum traiecisset, arcam illam pretiosam ad magnam vsque Ecclesiam gestarunt. Atque inde rursum, assiduis diurnis, nocturnisque Psalmorum cantibus vicissim vtentes, & cum omni luminum genere per mediam vrbem ipsum gestantes, in SS. Apostolorum templo collocârunt.

Simeon Metaphrastes. 950.

De dormitione Deiparæ cap. 52. Cùm in eo sacrum illum thesaurum posuissent, omne statim studium adhibuerunt, vt in templo esset perpetua hymnodia, perpetuus odor aromatum, & assiduus splendor luminum.

De gestis & consummatione S. Cornelij cap. 9. Cùm magistri excessum, vt par est, deplorassent, & deinde cereos accendissent, & Hymnos, qui dici solent in excessu, cecinissent, & quæcunque de more Christiani faciunt, peregissent, &c.

Theodorus Balsamon. 1160.

In Canonem 3. Apostol. Incensum & oleum propter sacrificium non offertur, sed ad templi illuminationem, & veræ luci & Deo gratiarum exhibendam actionem.

Nicolaus Cabasilas. 1260.

De Liturgia cap. 15. Dum tertia Psalmodia canitur, Euangelium introducitur, stipatum lampadibus, omnibus ijs deducentibus, qui sunt ministri altaris.

Cap. 24. Sacerdos procedit comitatus lampadibus & suffitibus, & ita se habens, altare ingreditur.

Nicephorus Callistus. 1290.

Ecclesiast. histor. lib. 2. cap. 22. de Exequijs Dei Genitricis: Deinde cereis ardentibus prælatis, & vnguentis, floribusque sparsis, diuinis patribus & Apostolis mirifica quædam carmina concinentibus, intellectualis illa & spiritalis arca ex Sion in Gethsemane fertur.

Lib. 3. cap. 37. de pueris, qui tanquam sacerdotes puerum per iocum baptizabant: Deinde pro cereo dextram ligno tenui armantes, quæ eius sacri & ritus sunt mysteria omnia absoluerunt.

Lib. 14. cap. 50. Eudocia Imperatrix aliquando die festo Paschæ templum ingressa, in lucernarum rationem decies mille sextarios olei retulit.

Philotheus Constantinopolitanus. 1360.

In Ordine instituendi Diaconum: Quòd si non est versuum repetitio, sacerdos induit se, postquam primus Psalmus dictus est, & dicit magnam Collectam, & præeunte Diacono cum cereo, sacerdos sacris ianuis egressus solito more totum populum incendit.

Georgius Codinus. 1400.

De Officialibus Palatij Constantinopolitani fol. 86. Magnus Domesticus stat ad sinistrum latus Imperatoris, cum spatha: lampadarius verò secundum Magnum Domesticum fert diuini cultus ampullam cum accensa lampade.

Fol. 102. Lampas præfertur Imperatori propter illum sermonem, qui dicit: *Ita luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.*

Fol. 144. Quando Imperatori à Protopapa exhibetur lampas, & principibus reliquis omnibus, tum qui intus, tum qui extra triclinium versantur, vt etiam fit die luminarium: quam lampadem fert Imperator, dum Euangelium legitur, &c.

Fol. 148. Egreditur Protopapa ex Ecclesia cum Archidiacono & Lectoribus quibusdam, traditque Imperatori lampada: principes verò administri dant omnibus principibus cereos, vt etiam in diebus festis, quos ante diximus.

Ecclesia Græca. 1500.

In sacris mysterijs ante Consecrationem: Quibus absolutis, tenens sacerdos lampadem cum thuribulo dextra manu, altè dicit: Sapientia lumen Christi appareat omnibus.

Ecclesia Æthiopica. 1530.

In Canone vniuersali: Ministri accendunt lumina, & præparant alia necessaria, & dicunt: Gloria Christo.

PROBANT PATRES LATINI.

Ambrosius. 370.

De mysterijs Paschæ cap. 5. Hinc casti patres, pudicæ etiam matres nouellam per fidem stirpem prosequuntur innumeram: hinc sub fidei arbore ab vtero fontis innocui cereorum splendet ornatus.

Prudentius. 380.

Hymno de sancto Laurentio: Tyrannus ait ad Laurentium:

Hunc esse vestris orgijs
Moremque & artem proditum est,
Hanc disciplinam fœderis,
Libent in auro Antistites:
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Astare fixos cereos.

Hymno ad incensum Cerei Paschalis:

Inuentor rutili dux bone luminis,
Qui certis vicibus tempora diuidis:
Merso sole chaos ingruit horridum,
Lucem Christe tuis redde fidelibus.

Quamuis innumero sydere regiam,
Lunariquè polum lampade pinxeris,
Incussu silicis lumina nos tamen
Monstras saxigeno semine quærere.
Hoc signas opere, Conditor inclyte,
Lumen veridicum mentibus omnium
In Christo Domino quærere iugiter,
Quem petram loquitur Doctor egregius.
Ne nesciret homo spem sibi luminis
In Christi solido corpore conditam,
Qui dici stabilem se voluit petram,
Nostris igniculis vnde genus venit, &c.

Hieronymus. 390.

Aduersus Vigilantium cap. 3. Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Euangelium, accenduntur luminaria, iam sole rutilante, non vtique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Vnde & virgines illæ Euangelicæ semper habent accensas lampades suas: & ad
Matt.25 Apostolos dicitur: *Sint lumbi vestri præcincti, & lu-*
Luc.12. *cernæ ardentes in manibus vestris.* Et de Ioanne Ba-
Ioan. 5. ptista: *Ille erat lucerna ardens & lucens:* vt sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua
Psal. 118 in Psalterio legimus: *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen semitis meis.*

Epistola 27. ad Eustochium in Epitaphio Paulæ cap. 13. Translata Episcoporum manibus, & ceruicem feretro subijcientibus, cùm alij Pontifices lampadas, cereosquè præferrent, alij choros psallentium ducerent, in media Ecclesia speluncæ Saluatoris est posita.

Concilium Carthaginense Quartum. 398.

Cap. 6. Acolythus cùm ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat: sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, vt sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari.

Augustinus. 400.

Ad Psalm. 65. Noli festinare ad aquam: per ignem transi ad aquam, vt transeas & aquam. Propterea & in Sacramentis, & in catechizando, & in exorcizando adhibetur prius ignis. Nam vnde plerumque immundi spiritus clamant: ardeo, si ille ignis non est? Post ignem autem exorcismi venitur ad baptismum: vt ab igne ad aquam, ab aqua ad refrigerium.

Sermone 215. de Tempore: Qui possunt, aut cereolos, aut oleum, quod in cicindelibus mittatur, exhibeant.

Paulinus Nolanus. 420.

Natali 3. S. Felicis:

Aurea nunc niueis ornantur limina velis,
Clara coronantur densis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris:
Nocte dieque micant: sic nox splendorquè diei
Fulget, & ipsa dies, cælesti illustris honore,
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Natali 6.

Ast alij pictis accendant lumina ceris,
Multiforesquè cauis lychnos laquearibus aptent,
Vt vibrent tremulas funalia pendula flammas.

Drepanius Florus. 480.

De Cereo Paschali:

Nox sacris operanda tuis tantum prece pura,
Simplicibus votis, manibusquè ad celsa supinis
Te colimus, Natumquè tuum, quem cuncta tuentem,
Et tibi consortem verbo genitore creasti,
Ignea quem celsi linquentem mœnia cæli,
Visurumquè suas hominis sub imagine terras
Intacto prægnans vtero dedit innuba mater.
Huius vt per totam possimus dicere noctem,
Inferimus claros sanctis altaribus ignes,
Vestibus innumeris tereti circunflua gyro
Æquoream cohibet formatrix cera papyrum.
——————Iam cætera turba colentum
Nigrantes tenuat vario splendore tenebras,
Vbertat stuppas, feruet discordia concors,
Vt dum sacra pio peraguntur mystica ritu,
Æmula sydereis vigilent funalia flammis.
Hac tibi, nempe tui Patris indiscreta propago,
Multa luce micans, terra nox splendet in omni,
Nox claro mage clara die: gens nulla niuali
Vsque adeò subiecta polo est, quam frigore pigram
Sydus & æternæ premit inclementia brumæ,
Quæ te, Christe, neget rutilum: qua flammeus orbem
Sol agit, occidui qua meta secunda diei est,
Et qua prima patet reditura ianua lucis.

Victor Vticensis. 480.

De persecutione Vandalica lib. 2. Quantæ tunc multitudines de diuersis regionibus & ciuitatibus ad visendos Dei Martyres occurrerint populorum testantur viæ & semita: quæ cùm agmina venientium nequaquam caperent, per vertices montium & vallium concurrens turba fidelium inæstimabilis descendebat, cereos manibus gestantes, suosquè infantulos vestigijs Martyrum proijcientes, ista voce clamabant, &c.

Ennodius Ticinensis. 500.

In benedictione cerei: In huius cerei luminis corpore te Domine postulamus, vt supernæ benedictionis munus accommodes, & si quis hunc senserit aduersus flabra ventorum, aduersus spiritus procellarum tua iussa faciens, sit illi singulare perfugium, sit munus ab hoste fidelibus.

Gordianus. 560.

Vita S. Placidi cap. 21. Anniuersario passionis die B. Placidi & sociorum eius adueniente, turba multa cum cereis, & thymiamatibus ad sanctissi. Placidi Martyris & sociorum eius sepulchra conuenientes, die noctuquè ad eius honorem persistentes in Ecclesia, Domino laudes decantabant.

Concilium Bracarense Primum. 572.

Cap. 25. Placuit, vt de rebus Ecclesiasticis tres æquæ fiant portiones, id est, vna Episcopi, alia clericorum, tertia in reparatione vel in luminarijs Ecclesiæ: de qua parte siue Archipresbyter, siue Archidiaconus illam administrans, Episcopo faciat rationem.

Concilium Bracarense Secundum. 573.

Cap. 2. Episcopus tertiam partem ex quacunque oblatione populi in Ecclesijs parochialibus non requirat, sed illa tertia pars pro luminaribus Ecclesiæ, vel recuperatione seruetur, & singulis annis Episcopo inde ratio fiat. Nam si tertiam illam partem Episcopus tollat, lumen & sarta tecta abstulit Ecclesiæ.

Fortunatus. 580.

Lib. 4. de Iudæis conuersis:

Vndique rapta manu lux cerea prouocat astra,
Credas [illegible] stellas ire trahendo comas.
Lacteus hinc vestis color est, hinc lampade fulgor
Ducitur, & vario lumine picta dies.
Nec festiua minus quam tunc fuit illa coruscans,
Diuersis linguis quæ dedit vna loqui.

Corippus Grammaticus. 580.

De laudibus Iustini Imp.

——————Vasa aurea mille,
Mille columnarum species, argentea mille,
Quæ superimpositis implebant atria ceris:
Centum aliæ species, vnguentaquè mira feruntur,
Tempus in æternum sacrum seruantia corpus, &c.

———— Tota populus processit ab aula,
Mæstaque funereas accendunt agmina ceras:
Omnis in exequias sexus conuenit & ætas.

Gregorius Turonensis. 580.

Historia Francorum lib. 5. cap. 11. de Baptismo quorundam Iudæorum: Flagrabant cerei, lampades refulgebant, albicabat tota ciuitas de grege candidato.

Libro 8. cap. 10. Rex conuocato clero ac populo, ac cereorum innumerabilium ornatu ad basilicam sancti Vincentij Clodouei corpus detulit tumulandum.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 12. epist. 9. Cùm ergo pro Ecclesia beati Pauli Apostoli solicitudo debita nos commoneret, ne minus illic habere luminaria idem præco fidei cerneretur, qui totum mundum lumine suæ prædicationis impleuit: vtile iudicauimus eandem massam, quæ aquas Saluias nuncupatur, cum omnibus fundis suis luminaribus deputare.

Lib. 1. Dialog. cap. 5. Quadam die, dum in eadem Ecclesia oleum deesset, & prædictus Dei famulus vnde lampades accenderet omnino non haberet, omnes lampades Ecclesiæ impleuit aqua, atque ex more in medio papyrum posuit. Quas allato igne succendit, sicque aqua arsit in lampadibus, ac si oleum fuisset.

Isidorus Hispalensis. 620.

Libro 7. Originum cap. 12. Acolythi Græcè, Latinè ceroferarij dicuntur, à deportandis cereis, quando Euangelium legendum est, aut sacrificium offerendum. Tunc enim accenduntur luminaria ab ijs, & deportantur, non ad fugandas tenebras, dum sol eo tempore rutilet, sed ad signum lætitiæ demonstrandum, vt sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Euangelio legitur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ioan. 1.

Eligius. 640.

In die Purificationis sanctæ Mariæ Homilia secunda: Quia verò consuetudo est Ecclesiastica, vt hac die gestantes manibus lumina Missarum solennia celebremus, breuiter dicendum est, quæ sunt huius exordia, &c.

Concilium Toletanum Quartum. 643.

Cap. 8. Lucerna & cereus in peruigilijs apud quasdam Ecclesias non benedicuntur, & cur à nobis benedicantur, inquirunt. Propter gloriosum enim noctis ipsius Sacramentum hæc solenniter benedicimus, vt sacræ resurrectionis Christi mysterium, quod tempore noctis huius votiuè aduenit, benedictione sanctificati luminis suscipiamus.

Beda. 700.

De Temporum ratione cap. 10. Secundum mensem Numa dicauit Februo, id est, Plutoni, qui lustrationum potens credebatur, lustrariquè eo mense ciuitatem necesse erat, quo statuit vt iura Dijs Manibus soluerentur. Sed hanc lustrandi consuetudinem bene mutauit Christiana religio, cùm in eodem mense die Sanctæ Mariæ plebs vniuersa cum sacerdotibus ac ministris, hymnos modulando deuota per Ecclesias congruaque vrbis loca procedit, datosquè à Pontifice cuncti cereos in manibus gestant ardentes: & augescente bona consuetudine, idipsum in cæteris quoque eiusdem B. Matris festiuitatibus agere didicit.

Zacharias PP. 740.

Epistola 12. ad Bonifacium: De igne Paschali quod inquisisti, à sanctis priscis Patribus, ex quo per Dei ac Domini nostri Iesu Christi gratiam & pretioso sanguine eius Ecclesia dedicata est, quinta Feria Paschæ, dum sacrum Chrisma consecratur, tres lampades magnæ capacitatis ex diuersis candelis Ecclesiæ oleo collecto, in secretiori Ecclesiæ loco ad figuram interioris tabernaculi insistente, indeficienter cum multa diligentia inspectæ ardebunt, ita vt oleum ipsum sufficere possit vsque ad tertium diem. De quibus candelis Sabbato sancto pro sacri fontis baptismate sumptus ignis per sacerdotem renouabitur.

Alcuinus. 750.

De Ecclesiasticis Officijs cap. 17. de Cœna Domini: Accenduntur hac nocte lumina viginti quatuor, & extinguuntur per singulas Lectiones, & Responsoria, quæ sunt septuaginta duæ illuminationes, & extinctiones: tot enim horis iacuit Dominus in sepulchro. Lumen & cantus, gaudium & lætitiam significat: extinctio luminum septuaginta discipulorum defectum, siue mœstitiam Apostolorum, quam pertulerunt per septuaginta duas horas, quæ consecratæ sunt Christi sepulturæ. Hoc enim ordine per singulas noctes extinguuntur. In initio primi Psalmi est custos paratus cum canna in loco dextræ partis Ecclesiæ, & mox vt primam Antiphonam audierit, extinguit primam lucernam. In fine verò sequentis Psalmi ex parte sinistra, tutat aliam, in medio tertiam, hoc ordine de alijs prosequitur. His omnibus extinctis, simili modo in matutinis per singulas Antiphonas extinguuntur, &c. Eadem die, hora nona scilicet, quando dies sunt longiores, seu hora quinta, quando sunt breuiores, excutitur ignis de lapide in loco foris basilicam, & illuminatur candela. De quo igne nouo illuminatur à mansionario Ecclesiæ lampas vna, & seruatur vsque in Sabbatum sanctum ad illuminandum cereum, qui eodem die est benedicendus. Supra scriptam candelam illuminatam ponit Mansionarius in summitate cannæ, ita vt respiciat Ecclesiam, quam sunt ingressuri, prosequente eum populo cum summo silentio atque inclinatione. Ipsa verò Ecclesia absque lumine erit. Custodes autem lampades septem ante altare ita præparatas habeant, vt absque vllo impedimento cuiuscunque retardationis manu mansionarij possint accendi: deinceps verò à custodibus omni lumine decoretur Ecclesia.

Cap. 39. de celebratione Missæ: Cerei quoque Euangelium præcedentes, demonstrant gratia Euangelij mundum, qui erat in tenebris peccatorum, illuminatum.

Ambrosius Ansbertus. 770.

Sermone de Purificatione B. Mariæ: In tanta reuerentia hic dies habetur à Romanis, vt in ea cuncta ciuitatis turba in vnum collecta, immensis cereorum luminibus coruscans, Missarum solennia deuotissimè concelebret: nullusquè aditum publicè stationis intret, qui lumen manu non tenuerit: tanquam scilicet Dominum in templo oblaturi, imò etiam suscepturi fidei lumen, quo interius fulgent, exterius oblationis suæ religione demonstrent.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap. 30. Cereum benedici non solum in principalibus Ecclesijs, sed etiam in parochijs, Zozimus Papa constituit. Quod ipsum in Concilio Toletano ostenditur quosdam Hispanorum obseruasse, quosdam neglexisse.

Concilium Aquisgranense. 837.

Lib. 1. cap. 29. Item in eodem Leuitico: *Ignis autem in altari semper ardebit, &c.* Multum ergo hæc verba Leuit. 6. legis ponderanda & pertimescenda sunt his, qui vnde ignis perpetuus, id est, luminaria in Basilicis Deo dicatis, concinnari ex fidelium oblationibus debent, auferre præsumunt. Quoniam si filijs Aaron Nadab, & Abiu, pro eo quòd per suam Leuit. 10.

negl-

negligentiam ignis, qui in altari iubetur esse perpetuus, extinctus est, & propterea ignem alienum coram Domino offerre præsumpserunt, ob id igne egresso à Domino deuorati sunt, meritò, quod non sine magno animi mœrore prosequimur, horribili morte deuorandi sunt hi, qui ignem Domini in Basilicis sibi dicatis & consecratis audacter extinguunt. Et si quæritur, quando illum extinguant, manifestum est, quòd quando illud auferunt, vnde idem ignis Domino nutriri debet, tunc illum extinguunt.

Amalarius Treuirensis. 830.

De Ecclesiasticis obseruationibus lib.3. cap. 18. Excellentior locus, in quo legitur Euangelium, eminentissimam doctrinam Euangelicæ prædicationis, atque manifestissimam auctoritatem iudicandi signat. Status cereorum monstrat inferiorem esse Legem & Prophetas Euangelio Euangelio reposito post lectionem in loco suo, cerei extinguuntur, quia finita prædicatione Euangelij, Lex & prophetia cessabunt.

*Lib.4.cap.*22. Quòd lumen nobis extinguitur his noctibus (*ante Pascha*) videtur nobis aptari ipsi soli iustitiæ, qui extinctus est, & sepultus tribus diebus, & tribus noctibus.

De Ordine Antiphonarij cap. 44. Reseruetur ignis de sexta Feria, vt illuminetur cereus, qui ponitur in vice columnæ ignis ad benedicendum, qui ab initio benedictionis illuminatus est: & cùm benedictus est, ab eo illuminetur secundus cereus. Cætera luminaria extincta permaneant vsque ad nouissimam Litaniam, quæ pertinet ad officium Missæ de resurrectione Domini: tunc accendantur luminaria Ecclesiæ & neophytorum, vt significetur, resurrectione Christi de terra illuminandum orbem terrarum.

Rabanus Maurus. 850.

*De Instit. Cleri lib.2. cap.*33. Ethnicorum lustrandi consuetudinem bene mutauit Christiana religio, cùm in mense eodem die S. Mariæ plebs vniuersa cum sacerdotibus ac ministris, hymnis ac modulationibus deuotis, per Ecclesias, perque congrua vrbis loca procedit, datosque à Pontifice cuncti cereos in manibus gestant ardentes, non vtique in lustrationem terrestris imperij quinquennem, sed in perennem regni cælestis memoriam.

Cap. 37. In Parasceue in Ecclesia luminaria non accenduntur: quia in ipso, Redemptore crucifixo, sydera obscurabantur.

Cap. 38. In Sabbato sanctæ Paschæ, Archidiacono cereum benedicente, aptè quidem fit, vt in consecratione luminis, paschalis celebratio incipiat, quæ æternæ lucis nobis contulit claritatem.

Hincmarus. 850.

De vita S. Remigij: Assumpta igitur palla de beati sepulchro, componunt eam in modum feretri, accensisque super crucem cereis, atque super ceroferarijs, dant voces in canticis.

Ericus. 880.

In Euangelium de Purificatione Mariæ: Hoc die festiuitatis B. Mariæ plebs, clerusque, & sacerdotes cum cereis & hymnis Ecclesiarum loca circumeunt, in perennem memoriam regni cælestis, quando, iuxta Euangelicam parabolam, omnes electi cum lampadibus sponso & sponsæ sunt occursuri, & supernæ claritatis thalamum intraturi.

Remigius Antisiodorensis. 880.

De celebratione Missæ: Cerei Euangelium præcedentes, demonstrant gratiam Euangelij, ad immundum, qui erat in tenebris peccatorum, illuminandum.

Odo Cluniacensis. 910.

De translatione corporis S. Martini: Ab Episcopis & Abbatibus, à Clero & virginibus, à populis & Baronibus, à pueris etiam & senibus, in Ecclesiam suam cum cereis & crucibus, cum hymnis & laudibus gloriosus Antistes gloriosè deducitur.

Notgerus Leodiensis. 950.

Vita S. Remacli lib. 2. *cap.* 4. Vbi paululum extra pagum Solomoniam processimus, multa nos hominum turba prosequente, cerei, qui ante loculum, quo B. Remacli corpus asseruabatur, ferebantur, paulo ante vi ventorum extincti, rursus accensi sunt diuinitus.

Osbertus Anglus. 1020.

*Vita S. Dunstani cap.*1. Pater S. Dunstani, & mater ad Dei seruitium præparabant ambo cereos, quos pro ritu ipsius dies (*Purificationis Mariæ*) Deo offerrent deferentes. Iam Missæ officium celebrari cœperat, & immensus populus, immensa luminum claritate refulgens, in domo Dei laudibus diuinis intendebat.

Radulphus Ardens. 1060.

Homilia in Purificatione Mariæ Virginis: Quia hodie ille sanctus senex sic à Spiritu sancto illuminatus, vt lumen totius mundi agnosceret & baiularet, hinc inoleuit mos in sancta Ecclesia, vt omnes luminaria accensa hodie quasi Christum in manibus basulemus. Ignis enim diuinitatem, cera, quæ apis virginalis est opus, humanitatem ex Virgine sumptam demonstrat.

Ioannes Micrologus. 1070.

De Ecclesiasticis obseruationibus cap. 11. Iuxta Romanum Ordinem nunquam Missas absque diurno lumine celebramus: non vtique ad depellendas tenebras, cùm sit clara dies, sed potius in typum illius luminis, cuius Sacramenta ibi conficimus, sine quo & in meridie palpabimus, vt in nocte.

Anselmus. 1080.

In Euangelica enarratione Luc. 2. Magna est gloria Hebræis credentibus, quòd ex eorum genere carnem assumpserit Deus, qui & gentes per fidem suam illuminauit, dicens: *Ego lux in mundum veni, vt omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.* Ioan.12. Vnde pulcher Ecclesiæ mos inoleuit, vt fideles in hac celebritate cereos siue candelas offerant. Nam quia Christus hodie in templo est oblatus, ipsi mystica oblatione sua hoc ipsum repræsentant, dum singulis recurrentibus annis, ad domum Dei cereos in hac die portant. Cereus enim vel candela Christum significat. Et quia vnusquisque deuotus ad hanc solennitatem veniens, Christum lumen verum affert in pectore, ideo conuenienter cereum præsentat in oblatione. In cereo quippe tria offeruntur, cera, lychnus, & flamma: cera, quam apis virgo confecit, significat Christi carnem, quam Maria virgo genuit. interior autem lychnus animam, flamma verò superiorem diuinitatem.

Iuo Carnotensis. 1100.

De Sacramentis Neophytorum: Ad vltimum datur cereus accensus in manus baptizati, quatenus implere doceatur illud Euangelij: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.* Matt.5. Quod si perseueranter fecerit, non cum fatuis virginibus extincto lampade à ianua sponsi repelletur, sed cum prudentibus glorificandus colligetur.

Sermone de Purificatione B. Mariæ: Sicut S. Simeon in manibus accepit infirmitatem, sed intus agnouit maiestatem, infidelitatis nostræ tenebras interiores illustrantem: sic quisque fidelis hoc sacramentum repræsentans, ceream in manibus portat, quasi carnem fragilem, sed superferri videt lucem, exterioris huius aëris tenebras illuminantem.

Hono-

Honorius Augustodunensis. 1120.

Libro 3. de Sabbato Paschæ: Quidam etiam de fonte eleuatis mox lumen dare solent, quatenus splendidis operum lampadibus sponso venienti occurrant.

In Gemma animæ lib. 1. cap. 18. Lumen Spiritum sanctum significat, ideo cum lumine Missa celebratur: quia hoc Sacramentum per Spiritum sanctum consecratur, & dignè hoc percipientes à Spiritu sancto illuminantur. Lumen enim lætitiam designat.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De diuinis officijs lib. 3. cap. 25. In Purificatione B. Mariæ ideo candelas portamus, vt felici gaudio iusti Simeonis aliquatenus participemus, qui Christum infantem gestans in vlnis agnouit, & confessus est, paratum *ante faciem omnium populorum lumen ad reuelationem gentium.* Hoc enim signo commoniti exterius, ipsum verum lumen, quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* in mēte nostra fidei vlnis arctius astringimus, & absentiam eius corporalem sursum tendentibus desiderijs, gementes quærimus, quærentes gemimus. Eius ergo visibile signum portamus omnes in manibus, quem iam visibiliter portare, sicut Simeon, nec necesse habemus nec possumus.

Lib. 5. cap. 26. Quòd candelę extinguuntur, illud significat, quòd crucifixo Domino tenebræ factæ sunt super terram ab hora sexta vsque ad horam nonam. Imò id ipsum significat extinctio candelarum, quod tenebræ illæ significârunt, scilicet excæcationem Iudaicæ gentis, &c. Numerosa quippe luminaria, quæ surgentes ad vigilias ardentia reperimus, vniuersos significant Sanctos, qui prophetico sermone lucentes, solemniq; iustitię nasciturum, & passurum, tanquam stellæ prænuntiantes, lumen scientiæ populo illi diuersis temporibus infundere missi sunt.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis lib. 3. cap. 21. In principio officij ad noctem Paschæ pertinentis, in qua Christus resurrexisse creditur, benedicitur cereus. Cereus namque ad memoriam reducit nobis columnam populo Israelitico datam à Deo in deserto, quæ erat eis nubes ab æstu protegens in die, & columna ignis lucem præbens in nocte: columna autem illa, & cereus iste figuræ sunt Christi, qui & ab æstu vitiorum protegit, & lucem sapientiæ infundit.

Bernardus. 1130.

Sermone 2. de Purificatione B. Mariæ. Processuri sumus bini & bini, candelas habentes in manibus, ipsos quaque succensas, nec quolibet igne, sed qui prius in Ecclesia sacerdotali fuerit benedictione consecratus.

Petrus Cluniacensis 1150.

Lib. 2. de miraculis sui temporis cap. trigesimo: Mos est Romanorum, festum Assumptionis Matris Domini inter vniuersas anni festiuitates præcipuo honore colere, speciali deuotione venerari. Vnde est, quòd inter plura deuoti animi sui erga præcelsam Virginem signa cereos maximos faciunt, & eos anteparatos Vigilia festiuitatis ad Ecclesiam deferunt, atque vespertina hora, vel circa accendunt.

Guerricus Igniacensis. 1180.

Sermone 1. de Purificatione Mariæ: Quis est hodie, qui cereum ardentem gestans in manibus, non statim illius senis recordetur, qui hodie Iesum accipiens in vlnas suas Verbum in carne, tanquam lumen in cerea, ipsum esse lumen ad illuminationem gentium perhibebat?

Innocentius Tertius. 1200.

De Mysterijs Missæ lib. 2. cap. 8. Ideo præferuntur duo lumina cum incenso, quia Lex & Prophetæ cum Psalmis Christi prænuntiauerunt aduentum, Christo attestante, qui ait: *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.* Luc. 24. In maioribus autem solennitatibus septem candelabra coram Pontifice deferuntur, per quod illud ostenditur, quod Ioannes in Apocalypsi scribit: *Conuersus, inquit, vidi septem candelabra aurea, &c.* Apoc. 1.

Cap. 9. In quibusdam Basilicis circa medium Chori manipulus stuppæ super columnam appēditur, cui Pontifex ignem apponit, vt in conspectu populi subitò comburatur, per hoc secundum aduentum commemorans, in quo Christus iudicabit viuos & mortuos, & seculum per ignem.

Sermone 1. in festo Purificationis: Quid est autem, quòd in hoc festo cereos portamus accensos? Hoc ex libro Sapientiæ potest conijci, vbi leguntur idololatræ obscura sacrificia facientes. Gentiles enim Februarium mensem inferis dedicauerunt, eò quòd, sicut putabant, sed errabant, in principio eius mensis Proserpina rapta fuerat à Plutone: quam quia mater eius Ceres facibus accensis in Aethna tota nocte per Siciliam quæsisse credebatur, & ipsi ad commemorationem ipsius, facibus accensis in principio mensis vrbem de nocte lustrabant: vnde festum illud appellabatur Amburbale. Cùm autem sancti Patres consuetudinem istam non possent penitus extirpare, constituerunt, vt in honore B. Virginis Mariæ cereos portarent accensos. Et sic, quod prius fiebat ad honorem Cereris, modò fit ad honorem Virginis. Ob hoc quoque in Purificatione Virginis cereos accensos portamus, vt purificati per gratiam, cum lampadibus accensis, quasi prudentes virgines, ad nuptias ingredi mereamur.

Ioannes Belethus. 1200.

De diuinis officijs cap. 81. Ideo in festo Purificationis Mariæ candelas portamus, vt per hoc imitemur sanctas virgines, quarum beata Maria Virgo caput est, vt nimirum accensa in nobis lampade castitatis, cum ea templum gloriæ ad verum sponsum ingredi mereamur.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In Octaua Epiphaniæ: Candelam accensam baptizatus in manibus accipit: quia gratiam Dei, & lumen fidei in baptismo suscipit.

Honorius Tertius. 1220.

Cap. Sanè cùm olim, de celebratione Missarum: Sacerdos Eucharistiam in decenti habitu, superposito mundo velamine ferat, & referat manifestè ac honorificè ante pectus cum omni reuerentia ac timore, semper lumine præcedente, vt ex hoc apud omnes fides & deuotio augeatur.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Sacramento Baptismi: Vt ergo ipsa gratia Spiritus sancti sciatur ibi operari, adhibentur & alia, sal, oleum, lucerna.

Vincentius Beluacensis. 1240.

Histor. Specul. lib. 9. cap. 23. Cùm lumen ponitur in manu paruuli, non illuminatur propter hoc anima: sed per hoc significatur, quòd anima illuminatur spiritualiter in baptismo.

Bonauentura. 1260.

In librum 4. Sentent. distin. 7. q. 3 agens de ceremonijs Baptismi: Vltimò ponitur cereus ardens in manibus, vt sit *lucerna pedibus eius verbum Domini, & lumen semitis eius.*

In explicatione Missæ: Si vnum lumen tantùm ad Missam habeatur, ante Euangelium ad sinistram partem altaris ponendum est, quia cereus fidem signat.

Iacobus Genuensis. 1280.

Sermone de officio diuino. Ad Euangelium deportatur lumen, thus, & crux, ad innuendum, quòd ille, qui debet Euangelizare verbum Dei, debet habere lumen bonæ doctrinæ.

Guilhelmus Durandus. 1280.

In Rationali diuinorum lib. 6. cap. 80. de benedictione Cerei in Sabbato sancto: In principio officij totus in Ecclesia debet ignis extingui, & nouus de lapide percusso elici. Ignis vetus veterem significat Legem, cuius figuræ in morte Christi completæ fuêre, & ideo velut extinctæ cessare debuerunt: sed de lapide, id est, de Christo, qui est lapis angularis, qui verbere Crucis percussus, Spiritum sanctum nobis effudit: vel de crystallo inter solem & lunam mediante, id est, de Christo, qui fuit mediator inter Deum & homines, qui, sicut ipse testatur, venit mittere in terram ignem, nouus ignis elicitur, dum per eius passionem vel resurrectionem Spiritus sanctus nobis effunditur, cui præbet alimentum Sacramentum, id est, Christus, qui est vitis vera: crystallus quoque perlucida, est Christi humanitas resurrectione splendidissima. Adhuc nouus ignis ideo benedicitur, vt sicut ille, qui est lumen indeficiens, illuminans omnem hominem, venientem in hunc mundum, igne illuminauit Moysen: ita illuminet sensus & corda nostra, vt ex his tenebris ad lumen & vitam æternam mereamur peruenire. Rursus extinctis Ecclesiæ luminaribus, & igne de petra cum chalybe excusso, ignis aqua aspergitur benedicta, quia extinctis Apostolis, qui lumen mundi à Christo dicti sunt, de Christo petra excussus est ignis charitatis, cum chalybe lanceæ vulnerantis, dum sanguis & aqua de eius corpore sancto emanauerunt, à quibus habent efficaciam Sacramenta, quibus mediantibus in amore Domini inflammamur aqua gratiæ perfusi. Benedicitur autem ideo, quoniam ex simplici sua natura absque benedictione non potest transire ad significationem mysterij columnæ ignis: benedicitur etiam propter gloriam resurrectionis eius, quem & Pater benedicit, & quia per ipsum ipse Christus visibiliter ad memoriam reducitur: benedicitur quidem etiam præsente Episcopo, vel sacerdote à Diacono, qui est minoris Ordinis, quia Christus resurgens à mortuis, primùm Mariæ Magdalenæ se manifestans, voluit per debiliorem sexum gloriam suæ resurrectionis Apostolis nuntiari, &c.

Cap. 82. Datur baptizatis candela illuminata in manu baptizati, vt cùm Dominus ad nuptias venerit, sit semper paratus ei in aula cælesti occurrere cum luminarijs virtutum, & bonorum operum.

Durandus à S. Portiano. 1300.

In librum 4. Senten. distin. 6. quæst. 4. Tria alia pertinentia ad Exorcismum sequuntur baptismum, scilicet chrismatio in vertice, quæ significat gratiam Christi descendisse in baptizati mentem: traditio cerei accensi, in signum charitatis fidei: & candida vestis, &c.

Guido Rotherius. 1330.

In manipulo Curatorum parte 1. tract. 2. cap. 8. Sacerdos tradit ei, quem baptizat, cereum ardentem, & signat lumen, lumen fidei, quod datur in baptismo.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi 1. parte cap. 11. Nos in ista die Missarum solennia celebrantes, cereum accensum (per quem significatur puer Iesus) in manibus baiulamus: & processionem facientes, vsque ad altare deferimus, & offerimus, recolentes illud lumen ineffabile, quod Maria & Simeon hodierna die portauerunt in manibus suis.

Petrus Aliacus. 1400.

Ad Canticum Simeonis: Tres sunt processiones præcipuæ in Ecclesia: prima in purificatione Mariæ, secunda in celebritate Paschæ, tertia in Ascensione. Prima fit cum lucernis, secunda cum floribus & palmis, tertia cum vexillis & crucibus. Quæ omnia credenda sunt nullatenus spirituali vacare mysterio. In prima processione, quæ fit cum lucernis, significatur cordis illuminatio, ac totius vitæ mundicia, &c. Omni tempore, sed in ipsa maximè Purgationis festiuitate lucernas portare monemur, vt ipso lumine non solùm manifesta, sed occulta dedecoris diligenter quærere, & inuestigare, arguere, & accusare, damnando flere, & flendo purificare valeamus.

Thomas VValdensis. 1414.

Tomo 3. titu. 5. cap. 52. Atque statim accipit baptizatus cereum ardentem in manu, dicente ipsi Presbytero: *Accipe lampadem ardentem, custodi baptismum, serua mandata, vt cùm Dominus venerit ad nuptias, possis ei occurrere.*

Ioannes Gerson. 1430.

In Summa Theologica de Sacramento Eucharistiæ lib. 4. Lumen præcedit Euangelium, ad denotandum, quòd lumine Euangelij totus mundus illuminatur. & aliquando accenduntur duo cerei, ad denotandum, quòd Christus misit discipulos suos binos, & binos prædicare Euangelium Testamenti. Quòd autem aliquando vnus cereus accensus præcedit, sicut in diebus ferialibus, significat, quod Christus in primo aduentu à paucis fuit notus vel quod in primo aduentu vnum solum præcursorem habuit, scilicet B. Ioannem Baptistam. Quòd autem duo cerei præcedunt in diebus solennibus, repræsentat, quòd Christus in secundo aduentu ab omnibus cognoscetur, & quòd in secundo aduentu habebit duos præcursores, Enoch & Eliam.

Vincentius Valentinus. 1430.

Sermone de Purificat. B. Mariæ: In signum huius (*quòd fides absque operibus mortua sit*) portamus candelas accensas in manu, quæ significant vnà quæ sunt in Christo: cera mollis significat carnem Christi, quam habuit passibilem, quæ liquefacta fuit in passione: lychnum album significat animam Christi purissimam: lumen verò significat Christi diuinitatem immensam.

Hieronymus Sauonarola. 1470.

De veritate fidei lib. 3. cap. 18. Ipsa assidui luminis lampas, in templo ardens, peruigilem Spiritus sancti irradiationem & gratiam, qua semper Ecclesia vegetatur, significat.

Gabriel Bielius. 1480.

In Canonem Missæ lectione 13. Debet altare igne, siue lumine, celebrationis tempore esse fulgidum. Significat autem ignis, siue lumen, fidem populi, quæ non debet esse absconsa sub modio, sed manifestè posita super candelabrum, vt ingredientes Ecclesiæ vnitatem, *videant opera ex fide relucentia, & glorificent Patrem, qui in cælis est.*

Lection. 57. Dum cerei circa altare, feretrum, aut tumulos incenduntur, ex persona defunctorum, Christum verum lumen & æternum, eiusdemque fidem, qui lumen est intellectus & viatoris, profitemur.

ARTICVLVS VNDECIMVS.

BAPTISTERIA IMPROBANT.

Anno post natũ Christũ 1580. IOANNES Casimirus in Ecclesiastica Reformatione art. 8. *Nulla Baptisteria in Ecclesia ferenda sunt.*

PROBANT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiast. Hierarch. cap. 4. Vnde (vt reor) purganti quoque baptisterio iactibus in crucem formatis infundens Pontifex, palam speculatiuis oculis indicat, ad ipsam vsque mortem per crucem Iesum pro diuina generatione nostra, sacro ipso, & qui teneri à morte non posset, descensu inferna penetrantem.

Athanasius. 340.

Epistola ad omnes Orthodoxos, cùm per Arianos persecutio fieret: Quid similiter in bello aut persecutione factum est vnquam? siquidem & Ecclesijs, & Baptisterijs flammæ iniectæ. Magnus agitur luctus & eiulatus per ciuitates.

In vita Antonij: Proh scelus, horret animus replicare, quæ gesta sunt. Virginum, matronarumqúe ereptus pudor, sanguis ouium Christi, in Christi templo effusus, veneranda respersit altaria. Baptisterium pro voluntate gentilium pollutum est.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 1. Mystagogica: Primùm ingressi estis in porticum domus Baptisterij, & stantes versus Occidentem, mandari vobis audistis, vt protensa manu, tanquam præsenti Satanæ renuntiaretis.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 60. ad populum Antiochenum: Nonne vides eos, qui fiunt hic filij, quo modo non seruis opus demandauit, sed ipsi astant baptisterio?

Socrates. 440.

Lib. 7. cap. 4. Atticus Iudæum fidei articulis instituens, & spem in Christum ei annuntians, iubet ad baptisterium in lectulo deportari. Iudæus paralysi oppressus, simul ac baptismum syncera fide receperat, & ex lauacro baptismatis erat elatus, confestim morbo liberatus est, & ad sanitatem restitutus.

Cap. 17. Cumqúe vestem splendidam pro Iudæo baptizando emisset, & alueum baptisterij aqua impleri iussisset, Iudæum eò deduxit, vt illi baptismum impertiret.

Anastasius Ancyranus &c. Galatiæ Episcopi. 453.

Epistola ad Leonem Imper. Quis enim valeat abstinere, licet animum habeat adamante fortiorem, audiens in sacris locis nullum fuisse pudorem seruatum, sanctumqúe locum communis redemptionis nostræ, hoc est, venerabile baptisterium, multorum virorum, quantum ad eorum attinet voluntatem inuasione fuisse temeratum, dum diuina omnia nequaquam iniuriarum moli succumbant, & hæc perpetrata ab illis forsitan, qui peccatorum redemptionem ibidem susceperunt? *Extat in Concilio Chalcedonensi.*

Episcopi Ægyptiaci. 460.

Epistola ad Leonem Imper. Beatus ille Proterius, quò impetum illorum, qui ad necem illi inferendam accurrebant, effugeret, ad venerandum se recepit baptisterium, quem locum maximè omnium etiam barbari & agrestes homines, qui sacratum eius decus & gratiam inde emanantem penitus ignorant, violare extimescunt. At isti tamen, qui propositum ab initio Timotheo consilium reipsa perficere nitebantur, ne in puris illis & inuiolatis quasi adytis Proterium seruari passi sunt, neque sanctimoniam loci, neque tempus (solennis enim dies festus salutaris Paschatis tunc celebrabatur) reuerentes, neque formidantes sacerdotij dignitatem, quæ inter Deum & homines mediatrix est, innocentem occidunt. *Extat apud Euagrium lib. 2 cap. 8.*

Theodorus Lector. 500.

Lib. 1. Basiliscus ad Ecclesiam se recepit, & ad baptisterium cum coniuge sua Zenonide fugit.

Concilium Quintum Constantinopolitanum. 536.

Actione 1. Stephanus, & alter Stephanus dixerunt: Cùm essemus in baptisterio Neophytorum, sine tunicis & calceamentis existentium, Diaconis ipsos exorcizantibus, venit Episcopus noster Petrus, & eiecit nos foras cum Neophytis.

Euagrius. 590.

Lib. 2. cap. 8. Quidam ex Alexandrinis Timothei suasu Proterium abeuntem, confugientemqúe ad baptisterium, visceribus eius gladio transfixis, conficiunt.

Ioannes Moschus. 620.

In Prato Spirituali cap. 214. Soruba vicus quidam est ad radices montis, in quo sita est Cœanensium ciuitas. In eo baptisterium est, quod in sanctis Epiphanijs sudat: qui sudor per tres horas continuis incrementis augetur, & post baptisma peractum decrescere incipit, & tribus alijs horis sensim deficit.

Cap. 215. Est in Castello Cedebratis baptisterium, quod in Paschali sanctæ resurrectionis festiuitate, cùm sit lapis vnus, ex se ipso continuò impletur, duratqúe aqua illa vsque ad Pentecosten, moxqúe transacta Pentecoste euanescit. Vtraque ista miracula in prouincia Lyciæ fiunt.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita Martiani Presbyteri: Sed quomodo pulcherrimi quoque ab eo constructi illuminatorij, quod

quod quidem solemus vocare baptisterium, pauc s explicare quis posiit pulchritudinem, quod videntibus cum admiratione magnam profundit voluptatem? Comprehensum enim est à quinque porticibus, ficut Probaticam quoque aiunt Piscinam, quæ est in Hierusalem.

Michael Glycas. 1120.

Parte 4. Annalium: Quanquam Ariani quidam constanter asserunt Constantinum Imperatorem ab Eusebio Nicomediæ Episcopo baptizatum esse: non tamen dubium est, quin magni huius Imperatoris baptisterium, quod adhuc Romæ conspicitur, illustri ratione veritatem commonstret.

Nicetas Choniates. 1200.

Lib. 2. Thesauri Orthodoxæ fidei: Deinde sacerdotali stola ornatus sacerdos, in baptisterio, præsentibus alijs quoque fidelibus, quotquot adesse volunt, baptizandum accersit, & ante sacrum lauacrum sistens retectum caput habentem, ait illi, &c.

Nicephorus. 1300.

Ecclesiast. hist. lib. 13. cap. 20 Hæc prolocutus Arcadius, in sacrum baptisterium ingressus est.

Lib. 16. cap. 8. Basiliscus his rebus cognitis, statim sententiam mutauit, & imperiali corona sacræ mensæ imposita, supplex cum Zenonide ad baptisterium confugit.

PROBANT PATRES LATINI.

Ambrosius. 370.

Lib. 4. de Sacramentis cap. 1. Vt intelligatis, quid sit secundum tabernaculum, in quod vos introduxit sacerdos, in quod semel in anno summus sacerdos intrare consueuit, hoc est, ad baptisterium, vbi virga Aaron floruit: antea arida erat, postea refloruit. Et tu aridus eras, & cœpisti in fonte irriguo florescere.

Lib. 5. epist. 53. Die Dominica post Lectiones, atque tractatum, demissis Catechumenis, Symbolum aliquibus competentibus in baptisterijs tradebam Basilicæ.

Damasus. 380.

Epist. 4. Chorepiscopo non licet populum benedicere, nec ante Episcopum in Baptisterio, aut in sacrario introire, nec præsente Episcopo infantem tingere, aut signare.

In Pontificali, in Syluestro Primo: Fontem sanctum (*fecit*,) vbi baptizatus est Augustus Constantinus, ex lapide Porphyretico, & ex omni parte coopertum intrinsecus, & foris, & desuper, & quantum aqua continet, ex argento purissimo libras 3008. in medio fontis columna Porphyretica, quæ portat phialam ex auro purissimo, pensantem libras 50. vbi ardent balsami libræ ducentæ, annexum est stipa amianti: in labro fontis Agnum ex auro purissimo, fundentem aquam, pensantem libras 30.

Augustinus. 400.

De Ciuitate Dei lib. 22. cap. 8 Carthagine Innocentia religiosissima fœmina in mamilla cancrum habebat, admonetur in somnis appropinquante Pascha, vt in parte fœminarum obseruanti ad baptisterium, quæcunque illi baptizata primitus occurrisset, signaret ei locum signo crucis Christi: fecit, & sanitas confestim secuta est.

Paulinus Nolanus. 410.

Epist. 12. ad Seuerum: Tu verò etiam Baptisterium Basilicis duabus interpositum condidisti, vt nos in horum quoque operum, quæ visibiliter extruuntur, ædificatione superares, &c. De baptisterio igitur erunt isti versus:

Hic reparandarum generator fons animarum
Viuum diuino lumine lumen agit.
Sanctus in hunc cælo descendit Spiritus amnem,
Cælestique sacras fonte maritat aquas.

Concilium Arausicanum. 440.

Cap. 19. Catechumeni nunquam admittendi sunt etiam inter domesticas orationes, aliàs ad baptisterium Catechumeni nunquam admittendi.

Leo Magnus. 450.

Epist. 83. Presbyteris non licet coram Episcopo in baptisterium introire, nec præsente Antistite infantem tingere.

Sidonius Apollinaris. 480.

Libro 4. epist. 15. Nam baptisterium, quod olim fabricati estis, scribitis iam posse consecrari. Ad quæ festa vos voti, nos ministerij, officij multos, fidei totos causa solicitat.

Ennodius Ticinensis. 500.

Epistola ad Eutalium: Versus in baptisterio Vgello facti, vbi picti sunt Martyres, quorum ibi Reliquiæ conditæ sunt:

Conditor Armenius, supero qui dignus honore est,
Hic peperit fontem viuificantis aquæ, &c.

Concilium Ilerdense. 524.

Apud Gratianum de consecratione distinct. 4. Omnis Presbyter, qui fontem lapideum habere nequiuerit, vas conueniens ad hoc solummodo baptizandi officium habeat, quod extra Ecclesiam non deportetur.

Fortunatus. 570.

In Baptisterium Moguntinum:

Ardua sacrati baptismatis aula coruscat,
Quo delicta Adæ Christus in amne lauat.
Hic pastore Deo puro grex mergitur vndis,
Ne maculata diu vellera gestet ouis.
Traxit origo necem de semine, sed Pater orbis
Purgauit medicis crimina mortis aquis.
Hanc tamen Antistes Sidonius extulit arcem,
Qui Domini cultum templa nouando fouet.
Struxit Berthoare, voto complente sacerdos,
Quæ decus Ecclesiæ cordis amore placet.

Gregorius Turonensis. 580.

Historia Francorum lib. 10. cap. 28. Rex postquam conualuit, accessit Parisios, exinde ad Rotoialensem villam ipsius vrbis properans, euocato puero iussit baptisterium præparari in vico Nemptodoro.

Cap. 31. paulo ante finem: Basilicas sancti Perpetui adustas incendio reperi, quæ in illo nitore vel pingi, vel exornari, vt prius fuerant, artificum nostrorum opere imperaui. Baptisterium ad ipsam Basilicam ædificari præcepi, in quo sancti Ioannis cum Sergij Martyris Reliquias posui, & in illo priore baptisterio sancti Benigni Martyris pignora collocaui.

De vita Patrum cap. 7. Gregorius Lingonensis, cùm apud Diuonense castrum moraretur assiduè, & domus eius baptisterio adhæreret, in quo multorum Sanctorum Reliquiæ tenebantur, noctu de strato suo consurgens, ad orationem Deo tantùm teste pergebat, ostio diuinitus reserato, attenteque psallebat in baptisterio.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 2. epist. 56. (al. 57.) Pridem præcepimus, vt de Monasterio S. Andreæ Baptisterium propter Monachorum insolentias debuisset auferri, atque in eodem loco, quo fontes sunt, altare fundari.

Libro 11. epistola 24. Fraternitate tua indicante didicimus, in ciuitate Tarentina, in qua præesse dignosceris, in Ecclesia sanctæ Mariæ Baptisterium te nouiter construxisse: & ideo frater charissime

præsenti auctoritate suscepta, tui desiderij complebis effectum: quatenus per sacrum lauacrum peccatorum illic maculæ deleantur.

Isidorus Hispalensis. 620.

Epist. ad Ludefredum (apud Gratianum dist. 25.) Ad Thesaurarium pertinet Ostiarij basilicarum ordinatio, cura baptisterij ordinandi, præparatio luminariorum in sacrario.

Concilium Hispalense. 615.

Cap. 5. Sed neque coram Episcopo licet Chorepiscopis in baptisterium introire, nec præsente Antistite infantem tingere.

Concilium Antisiodorense. 614.

Cap. 14. Non licet in Baptisterio corpora sepeliri.

Aldhelmus. 670.

De laudibus virginitatis cap. 23. Cyprianus in baptisterio regeneratus, supernorum Sacramentorum efficitur impauidus prædicator.

Beda. 700.

Histor. Anglic. lib. 2. cap. 14. Paulinus Episcopus baptizabat in fluuio Sualua. Nondum enim oratoria & baptisteria in ipso exordio nascentis Ecclesiæ poterant ædificari.

Alcuinus. 750.

De diuinis officijs cap. 19. de Sabbato Sancto: His expletis, procedit Pontifex ad fontes benedicendos, cum omni decore prosequente eum clero, seu populo.

Concilium apud Palatium Vernis. 755.

Cap. 7. Vt publicum Baptisterium in nulla Parochia esse debeat, nisi vbi Episcopus constituerit, cuius Parochia est: nisi tantùm, si necessitas euenerit, pro infirmitate, aut pro aliqua necessitate Presbyteri, quos Episcopus in sua Parochia constituerit, in qualicunque loco euenerit, licentiã habeât baptizandi, vt omnino sine baptismo non moriatur.

Paulus Diaconus. 780.

De gestis Longobard. lib. 4. c. 18. Qui cùm Garibaldũ Ducem ipso sacratissimo Paschali die ad orationẽ in B. Ioannis Basilicam venturum sciret, super sacrum baptisterij fontem conscendens, eleuato ense annisu eundem in ceruicem percussit, caputque protinus amputauit.

Concilium Rhemense. 813.

Cap. 7 Baptisterij, & catechumenorum ventilata est ratio, vt sacerdotes plenius intelligerent, qualiter condignis ordinibus efficerẽt Christianũ.

Æmoinus. 825.

Hist. Franc. lib. 1. cap. 16. Exornatur baptisterium, descendit rex, velut Constantinus, in sanctificatum fontis alueum.

Amalarius Treuirensis. 830.

De Ecclesiasticis officijs lib. 1. cap. 25. de Consecratione Baptisterij. Per inuocationem S. Trinitatis, exemplo baptismi Christi, Trinitas adest in nostro baptisterio per inuocationem sacerdotis.

Hincmarus. 850.

In vita S. Remigij. Interea eundi via ad baptisterium è domo regia præparatur, velis & cortinis depictis ex vtraque parte protenditur, & desuper adumbratur, plateæ sternuntur, Ecclesiæ componitur baptisterium, balsamo & cæteris odoramentis conspergitur, talemque gratiam Dominus subministrabat in populo, vt existimarent se paradisi odoribus refoueri.

Clemens Quintus. 1305.

Tit. 15. de Baptismo & eius effectu: Præsenti prohibemus edicto, ne quis de cætero in aulis, vel cameris, aut alijs priuatis domibus: sed duntaxat in Ecclesijs, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos (nisi Regum vel Principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi extiterint, aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi) audeat baptizare.

VVernerus Roleuingius. 1470.

De laudibus VVestphaliæ: Prope Rullam Osnaburgensis diœcesis est Parochialis Ecclesia dicta Belem, olim Bethlehem: in qua VVideckinus baptizari elegit, Carolo eum de fonte leuante. In eadem Ecclesia est baptisterium pretiosum vsque hodie in signum huius solennis reuocationis perseuerans.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

AD BAPTISMVM ADHIBENDOS ESSE PATRINOS, COMPATRES, SVSCEPTORES, FIDEIVSSORES.

NEGANT.

Anno post natum Christũ 1540.

ANABAPTISTÆ multa inutiliter garriunt de sponsione, quæ in baptismo fit, ac rem admodum exaggerant, eaque abominanda faciunt, in quibus nulla est abominatio. Etenim in nostris Ecclesijs nullos sponsores postulamus, qui de fide spondeant, ac si in ipsis positum esset fidem postea dare, sed tantùm testes in baptismo adhibemus, qui testentur parentes petere, vt infans signo fœderis in fœdus recipiatur. Bullingerus de Anabaptistis.

1560. Magdeburgenses Centuriæ 7. libro 2. cap. 6. *De Patrinis, seu fideiussoribus, qui obtulissent infantes aut adultos ad baptismum, & pro ijs fideiussissent, nihil legitur in scriptis Apostolorum. Actor. 2. conuersi ab Apostolis, se ipsos ad Baptisma offerunt. Et ridiculum fuisset, si Apostoli noluissent baptizare priusquam fideiussores afferrent: Vbi enim eos Eunuchus in solitudine sibi comparasset?*

PROBANT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiasticæ hierarc. cap. 2. Porrò qui tam sublimium ac tam cælestium munerum sacro fuerit desiderio & amore captus, accedit ad aliquem ex fidelium numero, oratq; vt se ad Pontificem ducat, secuturum omnia quæcunque sibi tradentur penitus & ex toto animo spondens: precaturque tum, vt se adducat, tum vt reliquæ deinceps regendæ vitæ suæ suscipiat curam. Illum, etsi salutis eius amore sacro succenditur, celsitudinem tamen rei, humanamque infirmitatem metientem, continuò horror & angustia difficultatis inuadit. Postremò tamen facturum, quod ille postulat, benignissimè pollicetur, assumensq; hominem, ad Pontificem ducit, &c. Accusans autem (iuxta quod à susceptore fuerat edoctus) impietatem, & veri boni ignorantiam, orat, vt diuinis mysterijs frui mereatur, &c. Mandat Pontifex sacerdotibus, vt baptizati & susceptoris nomen asscribant.

Cap. 7. Naturales oblati paruuli parentes puerum viri ex fidelibus tradant, præclaro diuinarum rerum magistro, sub quo tam puer sit, quasi sub patre diuino, sanctæque salutis alumno. Hunc itaque Præsul spondentem puerum iuxta sanctam educaturum vitam requirit, vt abrenuntiationem profiteatur.

Iustinus. 150.

Quæst. 56. Digni fiunt pueri baptismi commodis, fide eorum, qui illos ad baptismum offerunt.

Synodus Nicæna. 325.

Canone Arabico 21. Nemo fidelium cum patre aut matre spirituali matrimonium contrahat, id est, cum patrinis aut matrinis, & qui hoc commiserit, habeatur tanquam ethnicus.

Canone 22. Viri non teneant in baptismo puellas aut mulieres, neque mulieres teneant masculos: sed potius mulieres teneant puellas, & viri teneant masculos.

Basilius Magnus. 370.

Epistol. 128. *ad Posthumianum*: Primò baptismate initiatus es ad pietatem: vtinam te è sacro fonte leuassem. Recordor enim adhuc verborum tuorum, quæ, quod mirum est, adhuc insonant auribus meis.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homil. 12. *in* 1. *ad Corinth. cap.* 4. A primis annis spiritualibus armis filios muniatis, & cruce sibi signandam frontem erudiatis, & priusquam per se facere possint, vos ipsi crucem eis imprimite, præsertim quos in baptismo suscepistis.

In Psal. 14. Adducit quispiam infantem adhuc vbera sugentem, vt baptizetur, & statim sacerdos exigit ab infirma ætate pacta conuenta, & assensiones, & minoris ætate fideiussorem susceptorem interrogat.

Iustinianus Imperat. 530.

In l. Si quis alumnam, C. de nuptijs: Ea persona omnimodè ad nuptias venire prohibenda est, quam aliquis, siue alumna sit, siue non, à sacrosancto suscepit baptismate, cùm nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem, & iustam nuptiarum prohibitionem, quàm huiusmodi nexus, per quem Deo mediante animæ eorum copulatæ sunt.

Concilium Sextum Constantinopolitanum. 680.

Canone 6. Constitutum est à sanctis Patribus, vt nullus chrismetur, neque baptizetur, neque à lauacro fontis alium suscipiat, neque coram Episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi Symbolum & Orationem Dominicam memoriter tenuerit.

Synodus Trullensis. 710.

Canone 53. Quoniam spiritualis necessitudo, seu affinitas, corporum coniunctione maior est, in nonnullis autem locis cognouimus quosdam, qui ex sancto & salutari baptismate infantes suscipiunt, postea quoque cum matribus eorum viduis matrimonium contrahere, statuimus, vt in posterum nihil fiat eiusmodi.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Michaele: Occurrit mulierculæ, cuius filium ex sacro susceperat fonte: ἔτυχε δὲ τῆς ταύτης παῖδα ἐκ τοῦ θείου λουτροῦ ἀναδεξάμενος.

Theodorus Balsamon. 1150.

In Canon. 53. *Synodi Trullensis*: Tempore, sanctissimi Patriarchæ domini Nicolai in sacro Chartophylacij decreto constitutio posita est, quæ habet his verbis: Vir longè clarissimus Gregorius Siccus hodierno die descriptionem attulit, quæ sic habet: Maria habens germanum filium Constantinum ex diuino & sancto baptismate fuit Irenes susceptrix, genuit Constantinus Theodorum, & Irene Theodoram: & rursus genuit Theodora Annam: volens ergo Theodorus legitimo matrimonio Annæ coniungi, sciscitatur, vt sciat an hoc fieri liceat. Lectus est ergo in Synodo 53 Canon sanctæ & Vniuersalis Synodi in Trullo, &c.

Seuerus Alexandrinus. 1280.

De ritibus Baptismi: Tunc obuoluit eos sacerdos ad Occidentem, & profert ipse sacerdos pro baptizatis hanc abrenuntiationem tribus vicibus, sponsoribus ter, vt ipse, respondentibus: *Abrenuntio.* Et post: Tunc sacerdos deducit eum de medio aquarum, & dat eum susceptori suo, atque hanc vocem profert: *Duo sunt, &c.*

Pachomius Metropolita. 1560.

Epistola ad Theodosium Protonotarium: Alter casus hic est, quidam suscepitè sacro baptismate puerum nomine Ioannem, idem suscepit & alium puerum, alio patre natum, diuersæ familiæ Demetrium nomine. Habet hic Demetrius sororem nomine Mariam, non susceptam à susceptore fratre eius Demetrij. Alius enim ex diuino lauacro suscepit eam: hanc Mariam in matrimonium Ioannes ille petit.

Christiani in Æthiopia nostro seculo.

In Ordine Baptismi: Postea abnegat satanam qui habet ætatem ipsemet: si autem infans sit, qui spondent loquuntur pro eo, &c. Ipsi ter dicunt: *Credimus, credimus, credimus*, qui quidem ætatem habent: & pro infantibus, qui nesciunt loqui, respondent qui vades sunt.

Christiani in Moscouia nostro seculo.

Alexander Gaguinus in descriptione Sarmatiæ Europææ, de Ruthenis: Fideiussores, vel susceptores infantis, quoties circa baptismum sacerdoti interroganti, an diabolo infans renuntiaret, correspondent, toties in terram expuunt.

Ioannes Faber de religione Moscouitarum: Prius verò quàm apud eos baptismus administretur, orationes fiunt frequentes ac deuotæ à sacerdote, à parentibus, à patrinis, à proximis, ab amicis. In cuius rei testimonium adhibentur patrini, pro more etiam nostro, quibus ex pollicitis incumbit, vt

huius

huius baptismi memores esse velint, vt puerum olim, cùm ætas patitur, aut expostulauerit, in fide erudire non negligant.

Sigismundus Liber Baro, &c. *de rebus Moscouiticis cap. de Baptismo*: Susceptores ex voluntate parentum assumuntur, & quoties, præeunte certis verbis sacerdote, diabolo renuntiant, toties in terram exspuunt.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Hyginus. 138.

De Consecratione distinct. 4. In Catechismo, & in Baptismo, & in Confirmatione vnus patrinus fieri potest, si necessitas cogit. Non est tamen consuetudo Romana, sed per singulos singuli suscipiunt.

Tertullianus. 200.

Lib. de Baptismo cap. 18. Itaque pro cuiusque personæ conditione, ac dispositione, etiam ætate, cunctatio baptismi vtilior est, præcipuè tamen circa paruulos. Quid enim necesse est, si non tam necesse, sponsores etiam periculo ingeri? qui & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & prouentum malæ indoli falli.

De Corona militis cap. 3. Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus.

Augustinus. 400.

Serm. 116. de Temp. Non solùm exemplis, sed etiam verbis eos ad omne opus bonum admonere debetis: præcipuè tamen, qui filios aut filias excipere religioso amore desiderant, & antequam baptizentur, & postquam baptizati fuerint, de castitate, de sobrietate, de humilitate, de pace eos admonere, vel docere non desinant, & agnoscant se fideiussores esse ipsorum.

Serm. 181. de Temp. Discat quisque fidem Apostolicam, quam professus est per ora gestantium in baptismo, cùm ad annos intelligibiles venerit.

De Nomine Christiano: Ideo fratres tam illos, quos de fonte excipitis, quàm illos, qui vobis nati sunt semper castigate & corrigite, vt iustè & sobriè viuant.

Leo Primus. 450.

Distinct. 4. de Consecratione: Non plures ad suscipiendum de baptismo infantem accedant, quàm vnus, siue vir, siue mulier. In Confirmatione quoque idipsum fiat.

Gennadius Massiliensis. 470.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 15. Si paruuli sunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiunt, respondeant pro illis, qui offerunt eos.

Victor Vticensis. 480.

De persecutione Vandalica lib. 3. Elpidoforus in Ecclesia Fausti baptizatus, quem venerabilis Muritta Diaconus de alueo fontis suscepit generatum.

Gregorius Turonensis. 570.

Historia Francorum lib. 5. cap. 22. Samson Chilperici regis filius baptizatus, & ab ipso Episcopo susceptus, lustro vno, nec perfecto, defunctus est.

Lib. 6. cap. 27. Chilpericus rex Parisios ingressus, dies Paschæ cum multa iucunditate tenuit, filiumque suum baptismo tradidit, quem Ragnemodus ipsius vrbis sacerdos de lauacro sancto suscepit, ipsumque Theodoricum vocitari præcepit.

Lib. 8. c. 37. Posthæc Gildeberto regi filius natus est, qui à Magnerico Treuirorum Episcopo de sacro fonte susceptus, Theodebertus est vocitatus.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 4. Dialog. cap. 32. Quidam Curialis in Valeria prouincia sacratissimo Paschali Sabbato iuuenculam cuiusdam filiam in baptismate suscepit.

Lib. Sacramentorum de Baptisma infantum: Deinde eo tenente infantem, à quo suscipiendus est, interrogat eum sacerdos ita: *Quis vocaris?* Respons. N. *Credis in Deum Patrem?* &c.

Deus dedit Papa. 613.

Epistola ad Gordianum Episcopum Hispalensem: Peruenit ad nos Diaconus vester, vestræ Sanctitatis epistolas ferens, quòd quidam viri, etiam & mulieres, præterito Sabbato Paschali die, pro magno populorum incursu, nescientes proprios filios suscepissent ex lauacro sancto. Cupis ergo scire, si pro tali accedenti ratione debeant ad suum proprium redire vsum, an non, &c.

Concilium Antisiodorense. 614.

Cap. 24. Non licet Abbati filios de baptismo habere, nec Monachis commatres habere.

Isydorus Hispalensis. 620.

De diuinis Officiis lib. 2. cap. 24. Paruuli alio profitente baptizantur, quia adhuc loqui vel credere nesciunt, sicut etiam ægri, muti, & surdi, quorum vice alius profitetur, vt pro iis dum baptizantur respondeant.

Beda 700.

Histor. Anglorum lib. 4. cap. 13. Erat rex gentis illius Ediluualch non multò ante baptizatus in prouincia Merciorum, præsente ac suggerente rege Vulfhere. A quo etiam egressus de fonte loco filii susceptus est, in cuius signum adoptionis duas illi prouincias donauit, Vectam scilicet insulam, & Meanuacorum prouinciam in gente Occidentalium Saxonum.

Alcuinus. 750.

De officiis Ecclesiasticis cap. 19. de Sabbato sancto Paschæ: Post horam tertiam Sabbato præparantur ad Ecclesiam, qui baptizandi sunt, simul cum patrinis, & matrinis, & ordinantur ab Acolytho masculi ad dextram, fœminæ verò ad sinistram: & tunc, qui possunt, reddunt orationem Dominicam, & Symbolum, siue patrini pro ipsis, atque matrinæ eorum, qui eos suscepturi sunt.

Cap. 21. de Sabbato in Albis: Patrini paruulorum, qui baptizantur, præuidere debent, vt cùm ad intelligibilem ætatem peruenerint, fide & bonis moribus instruant, orationem Dominicam, & Symbolum eos instanter erudiant. Quòd si neglexerint, norint se rationem pro iis reddituros ante Dominum, quorum sponsores extiterunt.

Paulus Diaconus. 780.

De gestis Longobardorum libro 4. cap. 17. Regina Persarum priuato habitu propter Christianæ fidei amorem Constantinopolim venit, ibique ab Imperatore honorificè suscepta, post aliquot dies, vt desiderabat, baptismum consecuta, & ab Augusto de sacro fonte leuata est.

Luitprandus Rex Longobardorum. 735.

In Legibus Longobardicis lit. 24. §. 6. Præcipimus, vt nullus præsumat commatrem suam vxorem ducere.

§. 7. Sed nec filiam, quam de sacro fonte leuauit.

§. 8. Neque filius eius præsumat filiam ipsius vxorem ducere, qui eum de fonte suscepit: quia spiritales germani esse noscuntur, & qui hoc malum facere præsumpserit, perdat omnem substantiam suam, & filii, qui de tali illicito matrimonio nascuntur, hæredes esse non debent.

Carolus Magnus. 800.

Lib. 2. Legum cap. 46. Parentes filios suos, & pa-

trini eos, quos de fonte lauacri suscipiunt, erudiri summopere studeant. Illi, quia eos genuerunt, & eis à Domino dati sunt: isti verò, quia pro ijs fideiussores existunt.

Lib.5 cap.100. Nullus proprium filium aut filiam de fonte baptismatis suscipiat: nec filiolam, nec commatrem ducat vxorem: nec illam, cuius filium vel filiam ad Confirmationem tenuerit. Vbi autem factum fuerit, separentur.

Concilium Quartum Arelatense. 800.

Cap.19. Parentes filios suos, & patrini eos, quos de fonte lauacri suscipiunt, erudiri summopere studeant: illi, quia eos genuerunt: isti, quia pro ijs fideiussores existunt.

Concilium Moguntinum. 813

Cap.47. Præcipimus, vt vnusquisque Compater spirituales filios Catholicè instruat.

Cap.55. Nullus proprium filium, aut filiam de fonte baptismatis suscipiat: nec filiolam, nec commatrem ducat vxorem: nec illam, cuius filium aut filiam ad Confirmationem duxerit.

Æmoinus. 825.

De gestis Francorum lib.4.c.20. Amandus filium Dagoberti regis regenerauit, quem Albertus rex de sacro fonte leuauit.

Concilium Parisiense. 826.

Lib.1.cap.54. Qui alios de sacro fonte suscipiunt, quique ad percipiendum Sancti Spiritus donum coram Pontificibus pro alijs Patroni existunt, intelligere debent & vim tanti Sacramenti, & quid pro alijs spondeant.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap.26. Et hac igitur occasione inuentum est, vt patrini, vel matrinæ adhibeantur, suscepturi paruulos de lauacro: & pro ijs respondeant omnia, quæ ipsi per ætatis infirmitatem confiteri non possunt: pariterque debet spiritalis pater, vel mater ei, quem de fonte regenerationis suscepit, cùm ad intelligibilem peruenerit ætatem, insinuare confessionem, quam pro eo fecit, vt qui aliena confessione, sicut paralyticus, fide portantium meruit peccatorum solui languore, studeat saluti præstitæ viuere non indignè, & sua impleat executione, quod illorum confessus est ore, si non vult saluatione carere, quam illorum meruit fide. Non autem pater debet, vel mater suam de fonte suscipere prolem, vt sit discretio inter spiritualem generationem atque carnalem. Quòd si casu euenerit, non habebunt deinceps carnalis copulæ ad inuicem consortium, qui in communi filio compaternitatis spirituale vinculum susceperunt.

Rabanus Maurus. 850.

De Institutione Cleri lib.1.cap.26. In Ecclesia Saluatoris paruulorum, qui per ætatem abrenuntiare, & credere non possunt, per corda & ora gestantium salus adimpletur. Quandoquidem fit, quod in Euangelio legitur, quòd Iesus videns fidem illorum dicit paralytico: *Remittuntur tibi peccata tua.*

Nicolaus Primus. 860.

Epistola ad Episcopum Salonitanum: Nosse desideras an mulier, quæ viri ex alia fœmina filium de sacro fonte leuauit, postmodum possit cum eodem viro copulari.

Concilium Metense. 894.

Cap.3. Nullus alteri suscipiat à fonte infantem, nisi qui apprimè signaculum, id est, abrenuntiationem diaboli, & professionem Catholicæ fidei tenuerit, & infantem nequaquam dico, vel plures, sed vnus à fonte baptismatis suscipiat: quia in huiuscemodi secta diabolo datur locus, & tanti ministerij reuerentia vilescit. Nam vnus Deus, vnum baptisma, vnus qui à fonte suscipit debet esse pater vel mater infantis.

Regino Prumiensis. 910.

In Chronicis de anno 572. Post idem tempus coniunx regis Persarum nomine Cæsarea, pro Christi amore priuato habitu venit Constantinopolim & post aliquot dies baptizata, ab Augusto de sacro fonte leuata est: quam vir eius requirens, cum quadraginta militaribus viris pacificè Constantinopolim venit, à quo satis dignè susceptus, cum omnibus, quos secum adduxerat, baptizatus est, & ab Augusto de fonte leuatus, multisque muneribus honoratus cum coniuge ad patriam repedauit.

De anno 781. Carolus iter pergens celebrauit Pascha Romæ, & ibi baptizatus est filius eius Pipinus ab Adriano Papa, qui & ipse eum de sacro fonte suscepit.

Smaragdus. 920.

In Explicatione epistolæ de Sabbato Pentecostes: Paruuli, quamuis nec dum loqui possunt, tamen pro illis, & confitentur, & loquuntur, qui eos de lauacro fontis suscipiunt, nec immeritò dignum est, vt qui aliorum peccatis obnoxij sunt, aliorum etiam confessione per ministerium baptismatis remissionem originalium percipiant peccatorum.

Alexander Tertius. 1059.

Ad Episcopum Salernitanum: Tolerabilius nobis videtur, vt etiam post compaternitatem geniti simul possint copulari, præter illam personam, per quam compaternitas contrahitur, nisi consuetudo Ecclesiæ, quæ scandalum generet, aliter se habeat.

Iuo Carnotensis. 1090.

Sermone de Sacramentis Neophytorum: Fideiussores ante omnia Symbolum & Orationem Dominicam tenete, & illis, quos excepistis, ostendite. Præterea docendus est vnusquisque Christianus, vt eum, qui se de sacro fonte suscepit, ita diligat, sicut patrem, nec filius cum filia, nec filia cum filio patris sui spiritualis coniugium ineat, quod non esset dicendum coniugium, sed potius incestum contubernium.

Sermone de Sacramento dedicationis: Manibus patrinorum ad Ecclesiam fuistis delati.

Sigebertus Gemblacensis. 1100.

In Chronic. de anno 778. Leo Copronymus Tolericum Bulgarorum dominum ex sacra piscina suscepit, & honorauit magnificè pariter, & ornauit, & Patricium fecit.

Honorius Augustodunensis. 1120.

In Speculo Ecclesiæ: Patrini, qui fideiussores sunt coram Deo pro baptisatis infantibus, eos Symbolum & Orationem Dominicam doceant.

In Prolegomenis super Psalmos: Infantes in baptismate fidem suam per patrinos pronuntiant.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis libro 2. part.6. cap.12. Patrini vocantur, qui paruulos ad baptismum offerunt, & pro ipsis spondendo quasi fideiussores ad Deum fiunt. Hi propterea Patrini vocantur, quia regenerandos ad vitam nouam offerunt, & quodammodo adiutores fiunt ipsius regenerationis nouæ. De quibus placuit Patribus, vt per singulos baptisandos patrini singuli admitterentur, id est, vnus tantùm, siue vir, siue mulier. Propterea fortassis, ne spiritualis cognatio, cui reuerentiam exhibere oportebat, passim diffusa, in matrimonij copula obesse posset. Sed quædam Ecclesiæ hanc consuetudinem non obseruant, plures ad susceptionem paruulorum admittentes. Hoc similiter sancitum est, vt alium in Baptismo, vel in Confirmatione filiorum non suscipiat, qui ipse baptizatus non est, vel confirmatus.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib.4.Sentent.distinct.42. Quòd compater & commater sibi iungi nequeant, nec pater spiritualis, nec mater filiæ, vel filio spirituali ex Concilio Moguntinensi docetur, &c. Ex his apparet, quòd aliquis filiolam suam, vel commatrem non potest sibi copulare nuptialiter, & si præsumptum fuerit, separandi sunt.

Distinct. 6. de Responsione Patrinorum: Cuncti ad baptismum venientes, fidem suam profiteri debent, & exponere ad quid petendum veniant ad Ecclesiam: si paruulus est, non valens credere, vel loqui, aliùs pro eo respondet. Vnde Isidorus: Paruuli alio profitente baptizantur.

Ioannes Belethus. 1200.

De diuinis officus cap. 90. Si adultus sit baptizandus, respondeat se abrenuntiare: si non fit adultus, respondeat susceptor pro eo. Verùm nullus in susceptorem admitti debet, nisi orationem sciat Dominicam, & minus Symbolum calleat, quod tenetur suos docere filios.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In Octaua Epiphaniæ: Patrini, qui de sacro fonte baptizatos suscipiunt, quantum in ijs est, fidei illorum fideiussores sunt: vnde pro ipsis *Credo* respondent, & illos pro posse suo custodire debent, ne à fide & iustitia deuient.

Conradus à Lichtenavv. 1230.

In Chronicis de anno 1124. Otto Episcopus Bambergensis, qui Pomeranos conuertit, docuit eos, vt infantes in Sabbato sancto & Pascha cum candelis, & veste candida, & patrinis comitantibus ad baptismum deferant, ac ne ipsi parentes liberorum suorum testes sint, sed patrinos adhibeant, quibus eandem fidem, amicitiamque, quam carnalibus debent parentibus, adhibere studeant.

Thomas Aquinas. 1250.

Parte 3. quæstione 68. articulo 7. Paruuli & nouitij indigent speciali cura præter communem, & ideo requiritur, vt aliquis suscipiat baptizatum de sacro fonte.

Artic. 8. Vnusquisque obligatur ad officium, quod accepit: dictum est autem, quòd ille, qui suscipit aliquem de sacro fonte, assumit sibi officium pædagogi, & ideo obligatur ad habendam curam de ipso, si necessitas immineret, sicut eo tempore & loco, in quo baptizati inter fideles nutriuntur.

Bonauentura. 1260.

In 4. Sentent. distinct. 6. Patrini vocantur, qui paruulos ad baptismum offerunt: quia regenerandos ad nouam vitam offerunt, & in oblatione, & in responsione quodammodo faciunt ad ipsorum regenerationem, & ideo rectè patrini dicuntur.

Guilhelmus Durandus. 1280.

In Rationali diuinorum lib. 6. cap. 82. Circa patrinos, qui in Baptismo & Confirmatione necessarij sunt, dicendum est, quòd vbi infans fari vel credere nescit, patrinus interrogatur, & respondet pro eo, & in eius fide & professione baptizandus saluatur, &c. Sunt autem quatuor genera personarum, quas Ecclesia non suscipit in patrinos. Primum genus est Monachus, Abbas, Abbatissa, Moniales, & huiusmodi: secundum genus sunt infideles: tertium illi, qui nondum sunt confirmati: quartum vir & vxor simul.

Richardus de Media Villa. 1280.

In lib.4.Sentent. distinct.42. artic.1. quæstione 3. Cognationis spiritualis tres sunt species, paternitas, compaternitas, fraternitas. Prima contrahitur inter regenerantem & regeneratum: & sicut in generatione carnali duo sunt, scilicet pater & mater, sic in spirituali administrans Sacramentum est pater, quia personam repræsentat Dei: tenentes autem illum, qui regeneratur, sunt sicut mater: quia repræsentant personam Ecclesiæ, & ideo inter regeneratum, & dantem Sacramentum contrahitur paternitas spiritualis: similiter inter eum, & ipsum tenentem.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 1. cap. 24. *Et adduxit eum ad Iesum.*) Ex hoc accepit Ecclesia, quòd in Sacramento Baptismi & Confirmationis vtitur adducentibus, qui presentent suscipientes Sacramentum, qui Patrini solent vocari.

Thomas VValdensis. 1414.

Tom.3.tit.5. cap.46. Quòd iam non vnus, sed tres sunt patrini, alterutriusque sexus, bene tradidit in quibusdam Ecclesijs Patrum industria, propter mysterium Trinitatis, quod maximè in baptismi officio notandum est, sicut mandabatur à Christo; maximè post ampliationem numerosam fidelium, ex quibus ille numerus nusquam deerit baptizando, alioquin solus erit propter mysterium Deitatis.

Ioannes Gerson. 1420.

In Compendio Theologiæ cap. de Baptismo: De Patrinis tangendum est, qui sint, ad quid teneantur, in cuius persona respondeant, an excusentur à mendacio. Solutio secundùm Hugonem de S. Victore: Patrini vocantur, qui paruulos ad baptismum offerunt, vt regenerentur ad vitam nouam. Et scias, quòd patrini idonei non possunt esse infideles, cùm teneantur instruere paruulum in fide Catholica, quod non potest infidelis: item religiosæ personę, propter suspectam familiaritatem, quæ generatur per talem generalem compaternitatem.

Concilium Moguntinum. 1549.

Cap. 19. Non rarò ex impedimentis cognationum spiritualium difficultates & pericula solent euenire, ad quæ cohibenda decernimus, ne cuiquam siue ex sacro fonte leuando, siue ad sacram Confirmationem tenendo plures, quàm vnum patrinum liceat adhibere.

Concilium Tridentinum. 1560.

Sess.24.can.2. Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia: in quibus non sine magno peccato perseueratur: vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta Synodus huic incommodo prouidere, & à cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, vt vnus tantùm siue vir, siue mulier iuxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum vnus, & vna baptizatum de baptismo suscipiant: inter quos, ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur.

ARTICVLVS DECIMVSTERTIVS.

IN BAPTISMO DIABOLO ET POMPIS EIVS RENVNTIANDVM, AC INSVFFLANDVM ESSE.

NEGANT.

Anno post natū Christū 1540 WOLFFGANGVS Musculus in Locis Communibus de Baptismo: *Non video, quomodo defendi queat, quòd baptizandus infans interrogatur, num Satanæ operibus ac pompis renunciet, & à patrinis respondetur, quòd renunciat. Nam planè absurdum est requirere ab infante, quod Deus ab eo non requirit, nec ille per ætatem exprimere potest.*

1580. Ioannes Casimirus Comes Palat. in Reformatione Ecclesiastica artic. 10. *Quæstio ad baptizandum*: Abrenuntias diabolo, *nihili æstimabitur, & prorsus antiquabitur.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Primus. 80.

Lib. 7. Const. Apost. cap. 41. & 42. Discat Catechizatus, quæ sunt de renuntiando diabolo, & asscribendo se Christo: oportet enim primùm quidem abstinere à contrarijs; deinde verò ad mysteria ingredi: prius, inquam, cor suum repurgare, eiecta omni maleuolentia, macula, & ruga; & postea participem fieri Sacramentorum, &c. Ergo qui baptizatur, cùm renuntiat diabolo, recitet hæc: *Renuntio Satanæ, & operibus eius, & pompis eius, & cultui eius, & angelis eius, & inuentis eius*, &c.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiast. Hierarchiæ cap. 2. Post sacram precem Pontifex illum, qui baptizandus est, discingit quidem, & ministrorum manibus exuit: deinde Occidentem versus illum statuens, intendentem, manusque impingentem, ad eandem regionem conuersus, insufflare illum ter Satanam iubet, ac præterea abrenuntiationem profiteri. Et cùm post trinam abrenuntiationis contestationem, tertiò se ille abrenuntiare professus fuerit, ad Orientem illum traducit, aspicientemque in cælum, atque intendentem manus, Christo, sacrisque omnibus diuinitus traditis, consentire iubet.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 2. Stromaton: Maleficarum enim, vt puto, potestatum est opus, proprij habitus aliquid conari sigillatim operari, vt nos, qui eis abrenuntiauimus, in certamine superent, & suos efficiant.

Lib. 1. Pædagogi cap. 6. Eodem modo nos quoque nostrorum peccatorum moti pœnitentia, ipsorum detrimentis renuntiantes, baptismo percolati, ad æternam quoque lucem recurrimus, filij ad patrem.

Origenes. 230.

Homil. 12. in Numeros: Recordetur vnusquisque fidelium, cùm primùm venit ad aquas baptismi, cùm signacula fidei prima suscepit, & ad fontem salutaris accessit, quibus ibi tunc vsus est verbis, & quid denuntiauerit diabolo, non se vsurum pompis eius, ac voluptatibus pariturum.

Homil. 2. in Psalm. 38. Ecce iste, inquit diabolus, qui mihi & operibus meis renuntiauit in baptismo, meis rursus operibus se inseruit, meisque legibus paruit.

Constantinus Imperator. 310.

In priuilegio Romanæ Ecclesiæ: Deinde per manus impositionem Clericorum vsque ad Præsulem veni, ibique renuntians Satanæ, ac pompis & operibus eius, vel vniuersis idolis manufactis, credere me professus sum in Deum Patrem.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi prima Mystagogica: Primùm ingressi estis in porticum domus Baptisterij, & stantes versus Occidentem, mandari vobis audistis, vt protensa manu, tanquam præsenti Satanæ renuntiaretis, &c. Veruntamen audis, quòd nutu manus tanquam ad præsentem dicitur: *Renuntio tibi Satana*: doceris mox & alteram renuntiationis partem addere: *Et omnibus tuis operibus*. Postea dicis: *Et omni pompæ tuæ*. Dicis præterea: *Et omni tuo cultui*. Cùm itaque Satanæ renuntiaueris, & omne cum illo pactum rescideris, aperitur tibi paradisus Dei.

Basilius Magnus. 370.

Libro de Spiritu sancto cap. 27. Reliqua item, quæ sunt in baptismo, velut renuntiatio Satanæ & angelis eius, ex qua Scriptura habemus? Nonne ex priuata & arcana hac Traditione? Nonne ex doctrina, quam Patres nostri in silentio, quod curiosos & otiosos submouet, seruarunt?

Ephræm. 370.

De Abrenuntiatione in sacro Baptismate facta, & quomodo ea requiretur à nobis in extremo iudicij die: Abrenuntiatio, quam in baptismo facimus, nominata quidem apparet parua: cæterùm intellecta admodum magna: quam qui seruare valuerit, beatissimus erit. Paucis namque verbis cuncta, quæ nominantur mala, quæque odit Deus, valere iubemus, & abrenuntiamus: cuiusmodi sunt non vnum duntaxat, non duo, nec decem: sed quodcunque appellatur malum. Puta: *Abrenuntio Satanæ, & cunctis operibus eius*. Quibus, inquam, operi-

operibus? Audi, fornicationi, adulterio, immunditiæ, mendacio, furto, inuidiæ, veneficio, diuinationi, &c. Abrenuntio, inquam, ebrietati, superbiæ, lasciuiæ.

De Pœnitentia cap.5. Testatur baptizandos suam fidem coram multis testibus professos esse, ac dixisse: *Abrenuntio tibi Satan, & omnibus operibus tuis.*

Ioannes Chrysostomus. 400.

In Psalmum 14. Adducit quispiam infantem adhuc vbera sugentem, vt baptisetur, & statim sacerdos exigit ab infirma ætate pacta conuenta, & assensiones, & minoris ætate fideiussorem accipit susceptorem, & interrogat. Renuntiat Satanæ, & non dicit, In finem: vel, Cum Christo coniungitur in finem: sed statim in principio vitæ petit renuntiationes, & coniunctiones.

Homil.21.ad populum Antiochenum: Vocis illius recordaris, quam dum sacris initiareris emisisti: *Abrenuntio tibi Satanæ, & pompæ tuæ, & cultui tuo.*

In c.2.ad Coloss. Diximus: Renuntiauimus Satanæ, & coniungimur tibi Christe, &c. *Renuntio tibi Satanæ, & pompæ tuæ, & seruituti tuæ, & angelis tuis.*

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib.7.contra Iulianum: Vbi deposuerimus tenebras à mente nostra, & dæmoniorum turbis valedixerimus, omnemque ipsorum pompam & cultum prudentissimè respuerimus, & tunc veritatis lumine mentalem cordis oculum dilatauerimus, agnoscentes eum, qui natura, & verè omnium natiuitatis auctor est, & maximus rex & Deus, confitemur fidem in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & ita ad alterius vitæ exordium venientes, ingressi veræ pietatis semitas, Christo annuente iustificamur.

Procopius Gazæus. 530.

In cap.35.Genes. Docet præsens exemplum veræ religionis asseclas, quomodo eundum sit in domum Domini, maximè eo tempore, quo lauamur Baptismi sacro liquore. Quapropter ibi dicimus: *Indico tibi, ô Satana, tuæque pompæ, & omni tuo cultui bellum.*

Primasius. 540.

Ad cap.6.epist.ad Romanos: In exemplo Christi ad eum imitandum consepelimur in baptismo, vt mortui veteribus criminibus, renuntiemus diabolo, & pompis eius.

Anastasius Synaites. 560.

Lib.11. Hexameron: Testes inimicitiarum huius mulieris sunt pastores, qui eam publicè docent quotidie dicere: *Renuntio Satanæ malo serpenti, & eius cultui, & eius deceptioni, & eius idolis, & eius facultatibus, & eius libaminibus, & eius seruituti.*

Elias Cretensis. 780.

In Orat.4.Nazianzeni: In diuino nostro ortu, quemadmodum sacerrimus Dionysius inquit, ad sacerdotem quidem is adducitur, qui spirituali regeneratione donandus est. ipse autem & pedes eius, adhibita ministrorum eorum, qui ad hoc constituti sunt, opera, calceis nudat, & corpus vniuersum detegit. Postea eum ad Occasum intuentem statuens, manusque in altum extensas habentem, ac veluti aliquid repellentem, ter eum aduersus Satanam exufflare iubet, atque insuper abrenuntiationis verba profiteri.

In Orat.19. Nazianzeni: Qui diuinam natiuitatem, & spiritualem regenerationem consecuturi sunt, recto corpore stantes, ac nunc ad Occidentem, nunc ad Orientem sese conuertentes, atque aduersario quidem, ipsiusque operibus renuntiantes, ad Christum, & Christianam vitam se adiungunt.

Seuerus Alexandrinus. 1280.

Lib. de ritibus Baptismi: Tunc obuoluit eos sacerdos ad Occidentem, & profert ipse sacerdos pro baptisatis hanc ab renuntiationem in tribus vicibus, sponsoribus ter, vt ipse, respondentibus: *Abrenuntio Satanæ ego N. qui Baptizor, & omnibus operibus eius, & omnibus angelis eius, & omnibus eius viribus, & omni eius malitiæ, & omni eius superbiæ, & omni eius errori mundano, & cuilibet ei consentienti, & eum sequenti.*

Christiani in Æthiopia nostro seculo.

In ordine Baptismi: Postea abneget Satanam, qui habet ætatem ipsemet: si autem infans sit, qui spondent loquuntur pro eo, & dicunt hoc modo: *Abrenuntio tibi Satana, & omnibus operibus tuis immundis, omnibus ministris & incantationibus tuis malis, & omni virtuti tuæ, omnibus principibus tuis, omnibus fraudibus tuis, & omnibus adulationibus & illecebris tuis malis, & tenebricosis, & omni iurisdictioni & infidelitati tuæ, &c.*

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Libro de Corona militis cap. 3. Aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo, & pompæ, & angelis eius.

Ad Martyres cap. 8. Christianus etiam extra carcerem seculo renuntiauit.

Lib. de Spectaculis cap.4. Cùm aquam ingressi Christianam fidem in legis suæ verba profitemur, renuntiasse nos diabolo, & pompæ, & angelis eius ore nostro contestamur. Quid erit summum ac præcipuum, in quo diabolus, & pompæ, & angeli eius censeantur, quàm idololatria? Igitur si ex idololatria vniuersam spectaculorum paraturam cõstare constiterit, indubitatè præiudicatum erit, etiam ad spectacula pertinere renuntiationis nostræ testimonium in lauacro, quæ diabolo, & pompæ, & angelis eius sint mancipata. Si quid ex his non ad idolum pertinuerit, id neque ad idololatriam, neque ad nostram eierationem pertinebit.

Cap.24. Hoc erit pompa diaboli, aduersus quam in signaculo fidei eieramus. Quod autem eieramus, neque facto, neque dicto, neque visu, neque prospectu participare debemus. Cæterùm nonne eierамus, & rescindimus signaculum, rescindendo testationem eius?

Lib.de Idololatria cap.6. Quomodo renuntiauimus diabolo & angelis eius, si eos facimus? Quod repudium diximus his, non dico cum quibus, sed de quibus viuimus?

De habitu muliebri cap.2. Hi sunt angeli, quibus in lauacro renuntiamus.

Cyprianus. 250.

De Oratione Dominica: Potest verò & sic intelligi, vt qui seculo renuntiauimus, & diuitias eius, & pompas fide gratiæ spiritalis abiecimus, cibum nobis tantùm petamus, & victum.

Ad Fortunatum de exhortatione Martyrii c.7. Quod nos admonens Dominus in Euangelio suo, & docens ne ad diabolum rursus, & ad seculum, quibus renuntiauimus, & vnde euasimus, reuertamur, dicit: *Nemo retrò attendens, & superponens manum suam super aratrum, aptus est regno Dei.*

Epist.7. Seculo renuntiaueramus, cùm baptizati sumus: sed nunc verè renuntiauimus seculo, quando tentati, & probati à Deo, nostra omnium relinquentes, Dominum secuti sumus, & fide ac timore eius stamus ac viuimus.

Ambrosius. 370.

Lib.

Lib. 1. Hexameron cap. 4. Derelinquit ac deserit, qui abluitur, intelligibilem illum Pharaonem principem istius mundi, dicens: *Abrenuntio tibi diabole, & angelis tuis, & operibus tuis, & imperijs tuis.*

Libro de Sacramentis cap. 2. Quando te Leuita interrogauit: *Abrenuntias diabolo, & angelis eius?* Quid respondisti? *Abrenuntio.* Memor esto sermonis tui, & numquam tibi excidat tuæ series cautionis.

De ijs, qui mysterijs initiantur cap. 2. Ingressus es regenerationis Sacramentum, repete quid interrogatus sis, recognosce quid respõderis. Renuntiasti diabolo & angelis eius, mundo & luxuriæ eius, ac voluptatibus: tenetur vox tua, non in tumulo mortuorum, sed in libro viuentium.

Lib. 9. in Lucam cap. 20. Non potest quis esse Domini, nisi prius renuntiauerit mundo: sed omnes renuntiamus verbo, non omnes renuntiamus affectu. Nam cùm Sacramenta suscipimus, renuntiamus.

Pacianus. 370.

Paræneſi de Baptiſmo: Soluti itaque de vinculis, vbi per Baptismi Sacramentum ad signum Domini conuenimus, diabolo, & omnibus angelis eius renuntiamus, quibus ante seruiuimus, ne iam illis vlterius seruiamus, sanguine Christi & nomine liberati.

Hieronymus. 390.

Ad cap. 6. Amos In mysterijs primùm renuntiamus ei, qui in Occidente est, nobisque moritur cum peccatis, & sic versus Orientem pactum inimus cum sole iustitiæ, & ei nos seruituros esse promittimus.

Ad cap. 5. Matthei: Quidam disserunt, in baptismate singulos pactum inire cum diabolo, & dicere: *Renuntio tibi diabole, & pompæ tuæ, & vitijs tuis, & mundo tuo, qui in maligno positus est.* Si seruauerimus pactum, beneuoli & consentientes erimus aduersario nostro, & nequaquam in carcere recludendi: sin verò quicquam transgresſi fuerimus eorum, quæ diabolo spoponderamus, tradentur iudici, ac ministro, & mittemur in carcerem, & non exibimus ex eo, donec reddamus nouissimum quadrantem.

Ad Psalm. 118. Pactum fuit Israeli cum Deo, quando dixit ad Moysen: *Omnia quæcunque dixerit Dominus faciemus:* sed & nunc nos paciscimur in baptismo, & abrenuntiamus diabolo, & operibus eius: pro transgressoribus ergo huius pacti Propheta tabescebat, sicut & Paulus, qui dicebat: *Quis vritur, & ego non vror?*

Augustinus. 400.

Lib. 2. de Symbolo cap. 1. Ex qua re nobis factus est aduersarius diabolus, nisi ex hac, quia videt liberos, quos tenebat ante captiuos: quia videt sanos, quos suis iaculis prostrauerat vulneratos: quia videt vestiri denuò immortalitate, quos nudauerat propinando iniquitatem: quia muscipulæ eius comminutæ sunt, & nos eruti sumus: *Adiutorium nostrum in nomine Domini?* Si adiutorium nostrum in nomine eius est, renuntiemus diabolo, pompis, & angelis eius. Hoc audistis, hoc & vos professi estis, renuntiare vos diabolo, pompis, & angelis eius. Videte dilectissimi, quia hanc professionem vestram in curiam profertis Angelicam: nomina profitentium in libro excipiuntur vitæ, non à quolibet homine, sed à superiore cælitus potestate. Optimi iam tyrones Dei, fortes milites Christi, dum arma Sacramentorum suscipitis, pugnam aduersus diabolum indicitis: dum eius operibus renuntiatis, vehementius in vos eius furias prouocatis.

Psal. 123.

Lib. 3. cap. 1. Petrus alloquens fideles: *Vos, inquit, tanquam lapides viui ædificamini in domum spiritalem.* Quisquis huic ædificio coniungi desiderat, renunciet diabolo, pompis, & angelis eius. Pompæ diaboli sunt quæque illicita desideria, quæ turpant, non quæ exornant animam: vt sunt desideria carnis, desideria oculorum, ambitiones seculi, &c.

Cap. 2. Postquam homo renuntiando diabolo excludit pessimum inuasorem, introducat optimum possessorem, credat in Deum Patrem omnipotentem.

Lib. 4. cap. 1. Diabolo vos renuntiare professi estis: in qua professione, non hominibus, sed Deo & Angelis eius conscribentibus, dixistis: *Renuntio.* Renuntiate non solùm vocibus, sed etiam moribus: non tantùm sono linguæ, sed etiam actu vitæ, &c. Scitote vos cum callido, antiquo, & veternoso inimico suscepisse certamen: non in vobis post renuntiationem inueniat opera sua, ne iure vos attrahat seruitutem suam. Fidelis in nomine, aliud demonstras in opere, non tenens promissionis tuæ fidem. Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renuntiasti? Noli te fallere: odit enim tales Deus, nec inter suos deputat professiones, quos cernit vitæ suæ desertores.

De peccatorum meritis & remiſſione cap. 9. Si propterea rectè fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, cur non prius etiam pœnitentes habentur, cùm per eorundem verba gestantium diabolo & huic seculo renuntiare demonstrantur? Totum hoc fit in spe, vi Sacramenti, & diuinæ gratiæ, quam Dominus donauit Ecclesiæ.

Leo Magnus. 450.

Sermone 2. de Quadrageſima cap. 2. Nunc autem in toto mundo potestas diabolo antiquæ dominationis aufertur, & innumera illi captiuitatis vasa rapiuntur. Renuntiatur atrocissimo prædoni à populis omnium nationum, omniumq; linguarum, & nullum iam genus hominum reperitur, quod non tyrannicis legibus reluctetur, dum per omnes fines terræ regeneranda in Christo multorum millium millia præparantur, & appropinquante nouæ creaturæ ortu, spiritalis nequitia ab ijs, quos possidebat, excluditur.

Saluianus Maſſilienſis. 480.

De Prouidentia lib. 6. Quæ est in baptismo salutari Christianorum prima confessio? quæ scilicet, nisi vt renuntiare se diabolo, ac pompis eius, atque spectaculis, & operibus protestentur? Nam spectacula, & pompæ, etiam iuxta nostram professionem, opera sunt diaboli. Quomodo igitur, ô Christiane, spectacula post baptismum sequeris, quæ opus esse diaboli confiteris? Renuntiasti semel diabolo, & spectaculis eius, & per hoc necesse est prudens & sciens, dum ad spectacula remeas, ad diabolum redire te cognoscas. Vtrique enim rei simul renuntiasti, & vnum vtrumque esse dixisti. Si ad vnum reuerteris, ad vtrumque remeasti: *Abrenuntio* enim, inquis, *diabolo, pompis, spectaculis, & operibus eius.* Et quid postea? *Credo,* inquis, *in Deum Patrem, & Iesum Christum Filium eius.* Ergo primùm renuntiatur diabolo, vt credatur Deo: quia qui nõ renuntiat diabolo, non credit Deo: & ideo, qui reuertitur ad diabolum, relinquit Deum.

Adelinus Sagienſis. 520.

In vita S. Opportunæ: Obseruate, quod promisistis in baptismate: scilicet, Renuntiate hosti antiquo, & omnibus pompis eius.

Gregorius Magnus. 590.

Libro Sacramentorum ad Catechumenum facien-

dum: Deinde vocato nomine eius, dicat: *Abrenuntias Satanæ?* Respondet: *Abrenuntio. Et omnibus pompis eius?* Respondet: *Abrenuntio. Et omnibus operibus eius?* Respondet: *Abrenuntio.*

Homilia 29. In die baptismatis omnibus nos antiqui hostibus operibus, atque omnibus pompis abrenuntiare promisimus. Itaque vnusquisque vestrum ad considerationem suam mentis oculos intendat: & si seruat post baptismum, quod ante baptismum spospondit, certus iam quia fidelis est, gaudeat. Sed ecce si quod promisit minimè seruauit, si ad exercenda praua opera, ad concupiscendas mundi pompas dilapsus est, videamus si iam scit plangere, quod errauit.

Isidorus Hispalensis 620.

De officijs Ecclesiasticis libro 2. capite 24. Duæ sunt pactiones credentium: prima pactio est, qua renuntiatur diabolo, & pompis eius, & vniuersæ conuersationi eius: secundo pactio est, qua se in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum credere profitetur.

Audoenus. 650.

Vita S. Eligij lib. 2. cap. 16. Considerate, quale cum Deo pactum inijstis, & vosmetipsos explorate, num post hanc promissionem opera maligni dæmonis, cui abrenuntiastis, secuti sitis. Abrenuntiastis diabolo, & omnibus pompis eius, id est, idolis, sortibus, augurijs, furtis, fraudibus, fornicationibus, ebrietatibus, & mendacijs: quæ planè sunt opera illius.

Beda. 700.

Libro 4. in Lucam: De hæretico quolibet, vel Schismatico, vel etiam malo Catholico, tempore baptismatis, spiritus immundus, qui in eo prius habitauerat, ad confessionem Catholicæ fidei, abrenuntiationemque mundanæ conuersationis eijcitur.

Quæstio. super libr. Reg. libro 4. capite 26. Vt cuncta hic baptismi scires Sacramenta præmonstrata, in quo abrenuntiare Satanæ, fidem confiteri præcipimur, negauit se Naaman Dijs alienis litaturum, soli per omnia Domino seruiturus.

Auctor Ordinis Romani. 730.

In Ordine, vel denuntiatione scrutinij ad electos: Tunc in primis inuocato nomine infantis, Presbyter dicat: *Abrenuntias Satanæ?* Resp. *Abrenuntio. Et omnibus operibus eius?* Resp. *Abrenuntio. Et omnibus pompis eius?* Resp. *Abrenuntio.*

Alcuinus. 750.

De diuinis Officijs cap. 19. de Sabbato sancto Paschæ Primò paganus, vt Catechumenus fiat, accedens ad baptismum, renuntiet maligno spiritu, & omnibus damnosis eius pompis. Exsufflatur etiam vt effugato diabolo, Christo Domino paretur introitus, &c. Postea dicitur ei: *Abrenuntias Satanæ?* Respondet: *Abrenuntio. Et omnibus operibus eius.* Respon. *Abrenuntio.*

Carolus Magnus. 780.

Libro 6. Legum cap. 190. Placuit fideles intelligant pactum, quod cum Deo in baptismate fecerunt: à multis ergo ex toto, & à multis ex parte transgreditur. Quid sit abrenuntiare diabolo, & pompis eius, & omnibus operibus eius, instruantur fideles. Si verò iura humanæ pactionis firma conseruantur, quantò magis feruentius iura tanti pacti, quæ cum Deo sunt, irreuocabiliter sunt obseruanda?

Haymo. 820.

Ad cap. 1. ad Romanos: Tempore Baptismatis profitemur nos credere in Deum Patrem, & Dominum Iesum Christum, & in Spiritum sanctum: abrenuntiare quoque diabolo, & omnibus pompis eius, omnibus operibus eius. Si ergo hoc obseruamus, fidei obediamus: sin autem minus, infidelitatis arguimur.

Ad cap. 2. ad Colossenses: Quando interrogante sacerdote, iuxta fontem stantes, abrenuntiamus diabolo, & omnibus pompis eius, tunc quasi morimur: cùm verò in fontem descendimus, tunc quasi in sepulchro sepelimur: & cùm de fonte eximus mundati, tunc quasi resurgimus.

Synodus Turonensis. 820.

Cap. 18. Episcoporum sit magna solicitudo Presbyteris suis tradere baptismi Sacramentum, & quid in eodem renuntiandum, quidúe credendum sit. Renutiatur ergo diabolo, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius. Opera eius intelliguntur, & sunt: homicidia, fornicationes, adulteria, ebrietates, & multa alia his similia, quæ nimirum diabolico instinctu prius cogitatione mentis concipiuntur, quàm opere perpetrantur. Pompæ verò eiusdem sunt, superbia, luxuria, iactantia, elatio, vana gloria, fastus, & alia quàm plurima, quæ ex his oriri videntur.

Concilium Parisiense. 829.

Libro 1. *cap.* 9. Constat vnumquemque fidelem Deo in baptismate duarum pactionum nexibus se obligare. Altera, qua abrenuntiare diabolo, & omnibus operibus eius, & omnis pompis eius: altera verò, qua se in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum credere profitetur. Vnde etiam sub eiusdem sanctę Trinitatis inuocatione baptismatis gratiam consequitur. Cùm ergo post huiusmodi abrenuntiationem, quibuslibet illecebris vitiorum illectus, ad ea, quibus renuntiauit, redit, nec nō & post tantæ fidei perceptionem in apostasiam prolabitur, vtriusque pactionis transgressor efficitur.

Rabanus Maurus. 850.

Lib. 1. de Instit. Cler. cap. 27. Catechizandi ordo hic est: primùm interrogatur paganus, si abrenuntiat diabolo, & omnibus damnosis eius operibus, ac fallacibus pompis: vt primùm respuat errorem, & sic appropinquet ad veritatem.

Remigius Antisiodorensis. 880.

Ad Psalm. 77. In Baptismo mundo & omnibus pompis eius abrenuntiauimus.

Concilium Metense. 890.

Cap. 3. Nullus alteri suscipiat à fonte infantem, nisi qui apprimè signaculum, id est, abrenuntiationem & professionem Catholicæ fidei tenuerit.

Smaragdus. 970.

In Epist. Sabbati Pentecostes: Operibus misericordiæ bene exuberat, si abrenuntiando diabolo, & operibus eius, dominationem illius aspernatur, & iugum, quod se premebat, illius olei vnctione facessat, & impleatur illud propheticum: *Computrescat iugum à facie olei.* Abrenuntiare enim poni solet pro eo, quod est spernere, eijcere, contradicere. Quam abrenuntiationem rectè confessio sanctæ Trinitatis sequitur, vt vbi superabundauit peccatum, superabundet & gratia: Satanæ enim à fidelibus abrenuntiatur, vt Domino Seruatori liberius seruiatur. Abrenuntiatur enim operibus eius, nec minus interea pompis eius abrenuntiatur, quæ vtique opera sunt Satanæ.

Præfatione in Regulam D. Benedicti: Duabus vicibus abrenuntiatio fit Monachorum, siue omnium debet esse fidelium: Satanæ enim, qui & diabolus nuncupatur, primò in baptismo ab omnibus fidelibus renuntiatur, vt liberè Saluatori Domino seruiatur.

Radulphus Ardens. 1050.

In Euangelium de Ascensione Domini Dicet aliquis:

Ego credo, & baptisatus sum: ergo saluus ergo. Verum frater dicis, si tenes pactum, quod in baptismo pepigisti. In baptismo quippe promisisti te abrenuntiaturum diabolo, pompis, & operibus eius. Si autem ad opera diaboli relapsus es, pactum fregisti, & fides, & baptismus tibi inutilis factus est.

Gregorius Septimus. 1070.

Lib. 7. epist. 10. Quisquis dignè vult pœnitere, necesse est vt ad fidei recurrat originem, & quod in baptismo promisit, scilicet diabolo, pompisq; illius abrenuntiare, & in Deum credere, videlicet recta de eo sentiendo, mandatis ipsius obedre, solicitus sit vigilanter custodire.

Bruno Carthusianus. 1080.

Ad cap. 5. prioris ad Timoth. Tales viduæ habent damnationem, quia sic frangendo vota, fecerunt irritam fidem, quam in baptismo pollicitæ fuerant, vbi diabolo se abrenuntiare dixerant, cui, frangendo votum continentiæ, se iterum mancipârunt.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de Sacram. Neophytorum: Paruulus ad baptismum oblatus, interrogatur à sacerdote: *Abrenuntias Satanæ, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius?* respondetur per ora gestantium: *Abrenuntio.*

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone in Cœna Domini: Mundo per abrenuntiationem cum Christo crucifigimur, & in morte eius per baptisma consepelimur, cùm ter vndis immersi, quasi terra operimur. Chrismate signati albis vestiuntur, quia immortalitate redimiti, per mortem in regno Dei reges & sacerdotes coronabuntur. Per cereum, qui illa die consecratur, columna ignis, quæ præcessit filios Israel ab AEgypto per mare rubrum ad terram repromissionis, designatur.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei libro 2. par. 6. capite 11. Oblatus ad baptismum paruulus, & interrogatus à sacerdote, an abrenuntiet Satanæ, & omnibus operibus eius, atque omnibus pompis eius: per ora gestantium respondet: vt qui aliena iniquitate obligatus est, aliena fide & confessione soluatur.

Bernardus Abbas. 1130.

De modo bene viuendi Serm. 62. Sunt quædam vota omnibus communia, quædam verò specialia. Communia vota sunt ea, quæ in baptismo promisimus, scilicet, vt non peccaremus, vt diabolo, & operibus eius abrenuntiaremus. Specialia vota sunt, quando aliquis hoc, vel illud se facturum promittit.

Rupertus Lincolniensis. 1140.

Ad caput 2. Ecclesiasticæ Hierarchiæ Dionysij: Postquam hæc fecit, statuit eum accedentem nudum, non tamen omnimodè, & discalceatum aspicientem Occidentem, & manuum ad hanc regionem erectione obscuræ malitiæ renuntiantem, seu exprobrantem communines, hoc est, prædicto corporali aspectu & manuum erectione significantem se renuere omnes huiusmodi communiones, exufflatione corporali tanquam exufflantem habitum dissimilitudinis.

Innocentius Tertius. 1200.

Ser. de die Parasceues: Nonne in baptismo diabolo, & operibus eius abrenuntiastis?

Ioannes Belethus. 1200.

De diuinis Officijs cap. 90. Exorcista debet prius interrogare baptizandos, num etiam abrenuntient Satanæ, & omnibus eius pompis, ita vt puer si sit adultus, respondeat se abrenuntiare: si non sit adultus, pro se susceptor.

Ioachim Abbas. 1200.

Ad cap. 2. Hieremiæ: In baptismo pompa diaboli, & mundani fauores renuntiantur.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In Octaua Epiphaniæ: Nolite errare, Deus non irridetur: sicut in baptismo exterius promisistis, ita in spiritu & veritate interius obseruetis. Abrenuntiastis enim diabolo, & omnibus pompis eius, id est, peccatis mortalibus, & eorum circumstantijs, & mundanæ vanitati. Qui autem malis operibus baptismi pactum irritum facientes euacuant, licet ore Deum confiteantur, operibus negant, &c. Baptisati abrenuntiant diabolo, & omnibus operibus eius, & pompis eius. Abrenuntiant diabolo, quia in Adam fuit inobedientia: abrenuntiant operibus eius, quia in Adam fuit malus actus: abrenuntiant pompis eius, quia in Adam fuit superbia & elatio.

Guibertus Tornacus. 1270.

De officio Episcopi cap. 41. Quia paruuli per se renuntiare diabolo, & credere non possunt, per eorum corda & ora, per quos offeruntur, hoc faciunt.

Gulhelmus Durandus. 1280.

In Rationali diuinorum lib. 6. cap. 82. Baptisandus, cùm primò ad Ecclesiam venit, priusquam immergatur, interrogatur, vtrum renuntiet diabolo, &c. quod potius per vsum, quàm per aliquam Scripturam introductum est, secundùm Augustinum: & Ecclesia respondet: *Renuntio.*

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæst. 48. art. 1. Quilibet fidelis in baptismo fidelitatem promittit Deo, renuntiando diabolo, & omnibus pompis eius.

Catharina Senensis. 1360.

Tract. 6. cap. 155. Christi vicarius in manu cuiuscunque percepto batismo, vbi sponte promittat diabolo, & ipsi mundo, cum omnibus pompis eius in veritate renuntiare, ponit & exhibet, & obedire promittens accipit huiusmodi clauem obedientiæ.

Thomas VValdensis. 1414.

Tom. 3. tit. 1. cap. 49. Dominus dispensaturus Ecclesiam, primò omnium iubet eam abrenuntiare diabolo. Hoc est enim, quòd primò omnium ad sacrum fontem sacerdos interrogat: *Abrenuntias Satanæ?* Et iterum: *Et omnibus operibus eius?* Et tertiò: *Et omnibus pompis eius*, respondente ipso continuò: *Abrenuntio*, dedit eo ipso chirographum baptismati, professione solenni, quo coram Deo teneatur obnoxius.

ARTICVLVS DECIMVSQVARTVS.

EXORCISMOS ENERGVMENORVM ET CATECHVMENORVM.

IMPROBANT.

Anno post natũ Christum.

230. VLPIANVS *Iurisconsultus Ethnicus*, apud Iustinianum de varijs extraordinarijs cognitionibus, l. Præses prouinciæ, &c. *negat per Exorcismos quicquam effici, & Christianos id asserentes impostores vocat.*

400. *Iulianus Pelagianus nolebat nascentes esse sub diabolo, & sic accusabat Ecclesiam, in qua baptizandi infantuli non ob aliud exufflantur, nisi vt ab ijs princeps mundi mittatur foras* Augustinus de nuptijs & concupiscentia lib.2.cap.28.& 29.

1530. VVolffgangus Musculus in Locis communibus c. de Baptismo: *Nec illud in vsu fuit Apostolis, quòd Exorcismis inter baptizandum vtuntur, quibus diabolum adiurant, vt ex baptizandis infantibus egrediatur: faciunt hoc prorsus sine exemplo Christi vel Apostolorum. Quis enim illorum vnquam Satanam adiurauit, vt egrederetur ex eo, qui peccatis esset obnoxius, & mente, non corpore ab illo obsessus? Scio Exorcizandi vsum fuisse in Ecclesia temporibus Cypriani & Augustini: verùm non quæro quid fecerint Patres, sed quid Christus instituerit, & quid Apostoli fecerint.*

1540. Ioannes Caluinus ad cap. 22. Act. *Papistæ suis Exorcismis affigunt gratiæ causam, suisq́; Exorcismis contaminant Christi nomen.*

Lib. 4. Institut. c. 15. §. 19. *Exufflatio ad baptismum ianuam aperire visa est. Etsi me non latet, quàm vetusta sit aduentitiæ huius farraginis origo: respuere tamen mihi, & pijs omnibus fas est, quicquid ad Christi institutionem addere homines ausi sunt.*

1560. Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. c. 6. *De baptizandis prius Exorcizatis & adiuratis, neque præceptum, neque exemplum extat in sacra Scriptura.*

1566. Beza epist.8. *Placuit alijs, ex diaboli regno ad Christum transeuntes, certis Exorcismis & flatibus eripi ex Satanæ potestate: quæ omnia si vellem prosequi, quis tandem erit histrionicarum potius ineptiarum, quàm Christianorum rituum finis?*

1570. Nicolaus Hemmingius ad cap.2. posterioris ad Thessalonic. *Recitantur ad baptismum magici satis Exorcismi; quibus contaminant non parum baptismum, & Christi institutionem quodammodo fœdant, qui vult omnes contentos esse simplici mandato sine additamento.*

PROBANT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

Eccles. Hierarch. c. 2. Postea verò quam illi discerpsêre, sacram effundit precem, quam cùm omnis secum Ecclesia terminauerit, discingit quidem ipsum (qui baptizandus est) Antistes, & ministrorum manibus exuit: dein Occidentem versus illum statuens, intendentem, manusqúe impingentem ad eandem regionem conuersas, insufflare ter illum Satanam iubet, ac præterea abrenuntiationem profiteri.

Iustinus Martyr. 160.

Dialogo cum Tryphone: Dei nominis potentiam dæmones tremunt & reformidant: & hodie quoque illi per nomen Iesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato, qui Iudeæ procuratorem egit, adiurati nobis parent; vt inde etiam omnibus pateat, Patrem ei tantam dedisse potentiam & virtutem, vt & dæmonia nomini ipsius, & passionis ipsius obitæ functioni subiecta sint.

Eusebius Cæsareensis. 320.

Eccles. historia lib. 6. c. 35. Nouatum omnino præterijt, vnum solum oportere esse in hac Ecclesia Catholica Episcopum, in qua non ignorabat Presbyteros esse sexaginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Exorcistas, & Lectores vnà cum Ostiarijs 52. Non certè est eius generis ille quidem, cui ex Satana (qui ingressus in illum, diu est in intimo pectore commoratus) primùm data fuit credendi occasio Qui quidem, vbi Exorcistarum præsidio spiritu illo malo esset liberatus, & post in tam grauem morbum incidisset, vt iam fermè mori putaretur, in lecto baptismum accepit.

Concilium Antiochenum. 340.

Cap. 10. Chorepiscopis constituere permittitur Lectores, & Subdiaconos, atque Exorcistas, quibus sufficiat istorum tantùm graduum licentiam accepisse.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

In Præfatione Catecheseon. Exorcismos studiosè suscipe, etiamsi inspiratus iam sis, & exorcizatus: salubris enim est tibi res ista. Nam vt rude infectumqúe aurum, vel adulteratum, multiqúe alijs commixtum mineris, vt cum ære, stanno, ferro, plumbo, si cupimus aurum tantùm habere, non poterit illud sine igne ab diuersis à se metallis purgari: sic absque Exorcismis anima progredi non poterit: diuini enim sunt, atque ex diuinis Scripturis collecti. Quemadmodum aurifabri per quæquam subtilia instrumenta sufflantes ventulum igni, & aurum in fornace conflantes, excitant sibique propositam flammam, id quod quærunt reperiunt: sic cùm Exorcistæ per Spiritum sanctum incutiunt timorem, & in corpore, tanquam in fornace, animam accendunt, fugit tunc inimicus dæmon, adest

autem ſalus, & ſpes vitæ æternæ aſsiſtit: denique anima repurgata à peccatis, ſalutem conſequitur, &c. Ne imiteris illos, qui nulli vacant meditationi, ac reuerentiam adhibe, cùm fit Exorciſmus, quouſque alij exorcizati aderunt, viri cum viris, & mulieres cum mulieribus.

Catecheſi 1 Suſcipe cæleſtem theſaurum, & in Exorciſmis ſtudioſè verſeris, aſsiſtas Catecheſibus, & quæ in illis dicuntur memineris.

Catech. 2. Myſtagogica: Deinde verò iam exuti, exorcizato oleo à ſummis capillis ad infimos vſque peruncti eſtis. Vt inſufflationes ſanctorum, & nominis Dei inuocatio, tanquam vehementiſsima quædam flamma vrit dæmones, & in fugam conuertit: ſic & exorcizatum hoc oleum per orationem, Deiqúe inuocationem, tantam virtutem conſequitur, vt non modò ardentia peccatorum veſtigia expurget: verùm etiam omnes inuiſibiles dæmones repellat.

Concilium Laodicenum. 370.

Can. 26. Non oportet exorcizare eos, qui necdum ſunt ab Epiſcopis ordinati, neque in Eccleſijs, neque intra domos.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Orat. 44. quæ eſt Oratio in ſanctum Baptiſma: Ne Exorciſmi medicinam reſpuas, nec ob illius magnitudinem animo concidas. Nam id quoque velut lapis quidam Lydius eſt, ad quem exploratur, quàm ſyncero quiſque pectore ad baptiſmum accedat.

Concilium Conſtantinopolit. Primum. 385.

Can. 7. Et alias omnes hæreſes ſuſcipimus, & prima quidem die eos Chriſtianos facimus, ſecunda Catechumenos, tertia verò die eos exorcizamus, & tum in Eccleſia eos perſeuerare facimus, & audire Scripturam, & tum demum baptizamus.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Homil. de Adam & Eua: Illud etiam, quod circa baptizandos in vniuerſo mundo, ſiue ſint paruuli, ſiue iuuenes, vniformiter agit, non otioſo contemplemur intuitu, quòd cùm ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ ingrediuntur, quàm Exorciſmis & inſufflationibus clericorum ſpiritus ab ijs immundus abigatur, & deinde vaſa eius eripiantur in poſſeſsionem tranſlata illius victoris, qui captiuam duxit captiuitatem, & dona dedit hominibus.

Homil. ad baptizandos: Et vellem hoc quidem primùm meo declarare ſermone, cur maiores noſtri totius anni diebus præteritis, hoc in tempore Eccleſiæ filios conſecrare voluerunt, & cur poſt noſtrum magiſterium imbuti, pedibus nudis, vno tantùm veſtimento conceſſo, ad voces Exorcizantium accedunt. Non enim temere, nec ſine ratione & hunc habitum, & hoc tempus illi conſtituerunt.

Ad cap. 12. Marci: Exorcizamus Catechumenos, qui ſunt baptizandi, &c. Exit ſpiritus immundus ab homine, cùm per fidem baptizatus in nomine Chriſti, deſierit eſſe diaboli, & factus fuerit Dei.

Theodoretus. 440.

Hiſtoria Religioſæ cap. 9. de Petro Eremita: Narrabat vitam Monachorum Antiochię, & quantas vires haberent aduerſus dęmones: & has quidem, vtpote puellas, ludo delectatas, dæmoniacas & inſanas egiſſe, illum autem ipſum famulum, monaſtica veſte ex caprina pelle confecta indutum, illas monaſticè adiuraſſe.

Synodus Conſtantinopolitana Secunda. 540.

Act. 1. Stephanus & alter Stephanus dixerunt: Cùm eſſemus in baptiſterio Neophytiſtarum ſine tunicis & calceamentis exiſtentium, Diaconis ipſas exorcizantibus, venit Epiſcopus noſter Petrus.

Iacobus Diaconus. 570.

In vita S. Pelagię: Mox Epiſcopus Pelagiam exorcizauit, & baptizauit, cumqúe impoſuiſſet ei ſignum Domini, & cruce eam ſignaſſet, Dominicum ei corpus tradidit.

Synodus Tullenſis. 710.

Can. 95. Eunomianos, Montaniſtas, & Sabellianos, cùm ad rectam de fide ſententiam volunt accedere, recipimus, & primo quidem die eos Chriſtianos facimus, ſecundo autem Catechumenos, deinde tertio adiuramus, ſimul etiam ter in faciem & aures inſpirantes, & ſic initiamus, & diu in Eccleſia verſari, & Scripturas audire facimus, & tunc ipſos baptizamus.

Michael Glycas. 1100.

Part. 1. Annal. fol. 95. Hanc ob cauſam Dominus, cùm ex mortuis reſurrexiſſet, rurſus diſcipulos afflauit, & dixit: *Accipite Spiritum ſanctum.* Nec enim ferre poterat, vt non de integro Spiritus ſancti participes eſſe declaremur: quem etiam hodie ſacerdos ei, qui baptiſatur, afflat, quaſi vitæ eius reſtituens animam ex Adami tranſgreſsione mortuam.

Nicetas Serronius.

In Orat. 40. Nazianzeni: Exorciſmus eſt conſcripta verborum ſeries, in qua is, qui baptizat, diabolum, Dei nomine adiuratum, ab eo, qui baptizatur, excedere, ac procul cedere iubet.

Simeon Theſſalonicenſis. 1200.

Lib. de myſterijs Miſſæ, explicans Cæremonias Baptiſmi: Secunda oratio Exorciſmus eſt, diabolum repellens, & omnem operationem eius exagitans, cumque ab hoc fugere iubet: Similiter & tertia oratio, quæ Exorciſmus etiam eſt, dæmones diuino nomine expellit.

Nicetas Choniates. 1200.

Libro 20. Orthod. fidei, de Ordine, qui tunc obſeruatur, cùm quis à Saraceniſmo ad noſtram fidem accedit: Poſtridie verò per Exorciſmum ſeu adiurationem religione obſtringitur: Sacerdos enim illum denuò in templum ducit, & inſufflans ter in faciem eius, & aures eius, tandemqúe etiam Exorciſmorum orationes adijciens, eum rurſus ſigno crucis munitum à ſe dimittit, atque ita denuò Catechumenus, ſeu diſcipulus in Eccleſia moratur, & Scripturas audit. Deinde peractis omnibus baptiſmi cæremonijs dignus habetur, qui diuina regeneratione expietur.

Nicolaus Cabaſilas. 1260.

Expoſitionis Liturgiæ cap. 1. In alijs Sacramentis multa talia inuenies, quemadmodum in baptiſmo eos, qui ſunt baptizandi, & calceos, & veſtes oportet exuere, & ad Occidentem reſpicientes, manus extendere, & inſufflare. Sed hæc quidem illic docent, quantum maligni odium in nobis eſſe oportet, & quomodo neceſſe eſt eum ſe gerere, qui verus Chriſtianus futurus eſt.

Seuerus Alexandrinus. 1280.

De ritibus Baptiſmi: *Et imponit eis manus ſacerdos, atque hanc adiurationem dicit, in omni inuocatione faciens crucem ſuper vultum eorum:* Te inuocamus, Domine Deus noſter, ipſum Creatorem rerum omnium viſibilium, huic figmento manum imponentes: ✠ & ſignamus in nomine tuo, Pater, & Fili, & Spiritus: mutum qúe reddimus in nomine tuo, per omnia ſancta, omne dæmonium, & ſpiritum malum & impurum, & procul ſint ac recedant à figmento & imagine tua, & ab opere manuum tuarum. Exaudi nos, & eos obiurga, nosqúe purga ſeruos ab omni efficacia aduerſa-

rij illius. Cæterùm audi, ô peruerse, & rebellis, & impure, heus tu qui lædis ipsum Dei figmentum. ✠ Adiuro te rectitudinis inimice, ac sanctarum legum transgressor, ad gloriam summi regis discede cum timore, & subditus esto illi virtutis Domino, qui mandato suo terram super aquas collocauit, & firmauit: & arenam terminum mari imposuit, &c. ✠ Adiuro te per eum, qui legionem dæmoniorum in abyssum per porcos immisit, Pharaonem verò grauem corde, vnà cum curribus, & equitibus eius submersum fecit, &c.

Christiani in Moscouia nostro tempore.

Ioannes Faber lib. de Religione Moscouitarum, agens de Baptismo: Prædictis itaque orationibus, atque etiam Exoxcismis, cùm puer fortioribus naturæ viribus apparet, totus immergitur.

PROBANT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De Præscriptione aduersus hæreticos cap. 41. Ipsæ mulieres hæreticæ quàm procaces, quæ audeant docere, contendere, Exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere!

In Apologetico aduersus gentes cap. 23. Atque omnis hæc nostra in dæmones immundos dominatio & potestas de nominatione Christi valet, & de commemoratione eorum, quæ sibi à Deo per arbitrum Christum imminentia expectant. Christum timentes in Deo, & Deum in Christo, subijciuntur seruis Dei, & Christi: ita de contactu, afflatuque nostro, contemplatione, & repræsentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt inuiti & dolentes, & vobis præsentibus erubescentes.

Lib. de spectaculis cap. 26. Itaque in Exorcismo cùm oneraretur immundus spiritus, quòd ausus esset fidelem aggredi: constanter & iustissimè quidem, inquit, feci, in meo eam inueni.

De corona militis cap. 11. Et quos interdiu Exorcismis fugauit, noctibus defensabit, incumbens & requiescens super luncho, quo perfossum est latus Christi.

Minutius Felix. 230.

In Octauio: Dæmones adiurati per Deum verum, & solum, inuiti miseris corporibus inhorrescunt: & vel exiliunt statim, vel euanescunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aspirat.

Cyprianus. 250.

Lib. 2. epist. 2. Inde iam facultas datur, castitate sobria, mente integra, voce pura, virtute syncera, in medelam dolentium vulnerum posse venenorum virus extinguere, animorum desipientium labes, reddita sanitate, purgare, infestis iubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem, immundos & erraticos spiritus, qui se expugnandis hominibus immerserint, ad confessionem minis increpantibus cogere, vt recedant duris verberibus vrgere, conflictantes, eiulantes, gementes, incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cedere, igne torrere. Res illic geritur, nec videtur: occulta plaga, & pœna manifesta.

Ad Demetrianum. O si audire eos velles, & videre quando à nobis adiurantur, & torquentur dæmones spiritualibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus eijciuntur, quando eiulantes, & gementes voce humana, & potestate diuina flagella & verbera sentientes, venturum iudicium confitentur.

Cornelius. 250.

Epistola ad Fabianum Antiochenum: Nesciebat Nouatus in Ecclesia vnum esse Episcopum debere, Presbyteros 46. Diaconos 7. Subdiaconos 7. Acolytos 42. Exorcistas, & Lectores, & Ostiarios 52.

Zeno Veronensis. 260.

Sermone de Resurrectione: Immundi Spiritus, cùm diuina eiuratione in eculeo torquentur nolentes & inuiti compelluntur.

Lactantius. 300.

Libro 4. epist. 27. Nunc satis est signi huius potentiam, quantum valeat, exponere. Quanto terrori dæmonibus sit hoc signum, sciet qui viderit, quatenus adiurati per Christum de corporibus, quæ obsederint, fugiant, &c. Illi nequissimi spiritus vbi adiurantur, ibi se dæmones confitentur: vbi coluntur, ibi se Deos mentiuntur.

Concilium Romanum Primum. 370.

Cap. 7. Pontifici subditi sint Presbyteri, Subdiaconi Diacono, Exorcistæ Lectori, in omni loco repræsentantes obsequium.

Optatus Milenitanus. 370.

Libro 4. contra Donatistas: Neminem fugit, quòd omnis homo, qui nascitur, quamuis de Christianis parentibus nascatur, quòd sine spiritu immundo esse non possit, quem necesse sit ante salutare lauacrum ab homine excludi & separari. Hoc exorcismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur, & in loca deserta fugatur. Fit domus vacua in pectore credentis, intrat Deus, & habitat ibi, Apostolo dicente: *Vos estis templum Dei, & in vobis Deus habitat.* 1. Cor. 3. Et cùm Deo vnusquisque plenus sit, de quo fur diabolus aliquid inuolare contendit, vos rebaptizando exorcizatis hominem fidelem, & dicitis Deo habitanti: Maledicte exi foras, vt compleatur quod à Deo dictum est per Ezechielem Prophetam: *Et maledixerunt mihi.*

Ambrosius. 370.

Libro 1. de Sacramentis cap. 5. Forma baptismatis & vsus hoc habet, vt ante fons consecretur, & tunc descendat, qui baptizandus est. Nam vbi primùm ingreditur, sacerdos Exorcismum facit, secundò super creaturam aquæ inuocationem, postea & precem defert, vt sanctificetur fons, & adsit præsentia Trinitatis æternæ.

Paulinus Presbyter. 380.

In vita D. Ambrosij: Per idem tempus, cùm vir illustris Probus puerum suum Notarium, qui spiritu immundo grauiter vexabatur, direxisset ad Episcopum, egressum vrbe dimisit diabolus, timens ad virum sanctum perduci. Atque ita puer quamdiu Mediolani apud Episcopum fuit, nulla comminatio diaboli apparuit. Sed vbi egressus Mediolano est, & prope vrbem peruenit, idem spiritus, qui illum antea habuerat, vexare cœpit. Qui cùm interrogaretur ab Exorcistis, cur quamdiu Mediolani fuit, non in illo apparuisset, côfessus est diabolus timuisse se Ambrosium, & ideo recessisse ad tempus, atque expectasse in illo loco, vbi ab illo recesserat, donec reuerteretur: quo reuertente, vas, quod deseruerat, repetisset.

Prudentius. 380.

In Apotheosi contra Iudæos:

Audiat insanum bachantis energima monstri,

Quod rabidus clamat capta inter viscera dæmon.
Et credat inferanda suis torquetur Apollo
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
Ferre potest, agitant miserum tot verbera linguæ,
Quot laudata Dei resonant miracula Christi.
Intonat Antistes Domini, fuge callide serpens,
Exue te membris, & spiras solue latentes:
Mancipium Christi fur corruptissime vexas.
Desine, Christus adest humani corporis vltor,
Non licet vt spolium rapias, cui Christus inhæsit.
Pulsus abi ventose liquor, Christus iubet, exi.
Has inter voces medias Cyllenius ardens
Eiulat, & notos suspirat Iupiter ignes.

Syricius. 384.

Ad Himerium Tarraconensem cap. 2. His solis per annum diebus ad fidem confluentibus generalia baptismatis tradi conuenit Sacramenta, qui ante quadraginta vel eò amplius dies nomen dederint, & Exorcismis, quotidianisq; orationibus & ieiunijs fuerint expiati.

Concilium Quartum Carthaginense. 398.

Cap 7. Exorcista cùm ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt Exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipe, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, siue baptizatum, siue catechumenum.

Augustinus. 400.

Libro 1. de Nuptijs & concupiscentia cap. 20. In veritate, non in fallitate potestas diabolica exorcizatur in paruulis, eique renuntiant, quia per sua non possunt, per corda & ora gestantium, vt eruti à potestate tenebrarum, in regnum sui Domini transferantur.

Libro 2. cap. 17. & 18. Ab hac fide Apostolica & Catholica veracissima cum Pelagianis iste discedens, non vult nascentes esse sub diabolo, ne paruuli portentur ad Christum, vt eruantur à potestate tenebrarum, & in regnum ipsius transferantur. Et sic accusat Ecclesiam toto orbe diffusam, in qua vbique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exsufflantur, nisi vt ab ijs princeps mundi mittatur foras, à quo necesse est vasa iræ possideantur, cùm ex Adam nascuntur.

Cap. 29. Hos (*Patres, quos Augustinus pro testimonio citabat*) iste (*Iulianus*) audeat dicere Manichæos, & antiquissimam Ecclesiæ Traditionem isto nefario crimine aspergat, qua exorcizantur, &, vt dixi, exufflantur paruuli, vt in regnum Christi, à potestate tenebrarum, hoc est, diaboli & angelorum eius eruti, transferantur.

Contra Iulianum lib. 1. cap. 4. Si verum est, quod audiuimus, te infantulum baptizatum, etiam tu, quamuis à tuis proprijs peccatis innocens, tamen ex Adam naturaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate traxisti, & in iniquitatibus conceptus es: profectò exorcizatus, & exsufflatus es, vt à potestate erutus tenebrarum, transfereris in regnum Christi.

Lib. 6 cap. 5. Verum est, quod antiquitus veraci fide Catholica & prædicatur & creditur per Ecclesiam totam, quæ filios fidelium nec exorcizaret, nec exufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, & à principe mortis erueret, quod in libro meo, cui velut respondes, à me positum est: sed tu id commemorare timuisti, tanquam ipse ab toto orbe exufflandus esses, si huic exufflationi, qua princeps mundi à paruulis eijcitur foras, contradicere voluisses.

De gratia Christi, & peccato Originis libro 2. cap. 40. Excepto enim, quod in peccatorum remissionem non fallaci, sed fideli mysterio baptizantur: etiam prius exorcizantur, & exsufflatur potestas contraria, cui etiam verbis eorum, à quibus portantur, se renuntiare respondent. Quibus omnibus rerũ occultarum sacratis & euidentibus signis à captiuitate pessima ad optimum Redemptorem transire monstrantur, qui pro nobis infirmitate suscepta, alligauit fortem, vt Vasa eius eriperet: quia infirmum Dei non solùm est hominibus, verùm & angelis fortius.

De Peccatorum meritis & remissione lib. primi cap. 34. Quid in paruulo agit Exorcismus, si in familia diaboli non tenetur? Quomodo dicturus erat (*aduersarius meus Pelagianus*) eum renuntiare diabolo, cuius in eo nihil esset?

Libro 4. de Symbolo cap. 1. Omnia Sacramenta, quæ acta sunt, & aguntur in vobis per mysterium seruorum Dei, Exorcismis, orationibus, canticis spiritalibus, insufflationibus, cilicio, inclinatione ceruicum, humilitate pedum, pauor ipse omni securitate appetendus: hæc omnia, vt dixi, escæ sunt, quæ vos reficiunt in vtero, vt renatos ex baptismo, hilares vos mater exhibeat Christo.

Paulinus Nolanus. 410.

Natali 4. S. Felicis:

——————Primis Doctor seruiuit in annis,
Inde gradum cepit, cui munus voce fideli
Adiurare malos, & sacris pellere verbis.

Epistola 17. Sit nobis clausula, commendatio Cardamatis: quem gratulamur de benedictione manus tuæ ita esse renouatum, vt ei assumpta de Exorcistæ nomine grauitas reuerentiam dederit.

Epistola 23. Cardamas nobis tam bellus apparuit, vt Clericum probabilem hominibus, & Exorcistam dæmonijs terribilem videremus.

Cælestinus. 420.

Epist. ad Galliæ Episcopos cap. 12. Illud etiam, quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta Ecclesia vniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu, cùm siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius ad fontem vitæ adeunt, quàm Exorcismis & Exufflationibus Clericorum spiritus ab ijs immundus abigatur: vt tunc verè appareat, quomodo princeps mundi huius mittatur foras, & quomodo prius alligetur fortis, deinceps vasa eius diripiantur, in possessionem translata victoris.

Petrus Chrysologus. 400.

Sermone 52. Vbi imperio Christi fugatus est diabolus, patescunt clausa, vincula soluuntur, sermo redditur, auditus redit, homo reparatur, & solus diabolus deflet diuturna se possessione detrusum. Hinc est quòd veniens ex gentibus impositione manus, & Exorcismis ante à dæmone purgatur, & apertionem aurium percipit, vt fidei capere possit auditum, vt possit ad salutem prosequente Domino peruenire.

Leo Primus. 450.

Sermone 2. de Quadragesima cap. 2. Renuntiatur atrocissimo prædoni à populis omnium nationum, omniumq; linguarum, & nullum iam genus hominum reperitur, quod non tyrannicis legibus reluctetur, dum per omnes fines terræ regeneranda in Christo multorum millium millia præparantur: & appropinquante nouæ creaturæ ortu, spiritalis nequitia ab ijs, quos possidebat, excluditur. Fremit ergo expoliati hostis impius furor & nouum quærit lucrum, quia ius perdidit antiquum.

Epist. 4. c. 6. His itaque tot tantisq; existentibus documen-

cumentis, quibus omni ambiguitate submota, euidenter agnosceris, in baptizandis electis, qui secundùm Apostolicam regulam, & Exorcismis scrutandi & ieiuniis sanctificandi, & frequentibus prædicationibus sunt imbuendi, duo tantum tempora, id est, Pascha, & Pentecoste esse seruanda.

Gennad. in Massiliensis. 480.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 31. Cum siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt Sacramentum non prius fontem vitæ adeunt, quàm Exorcismis & Exufflationibus clericorum spiritus ab ijs immundus abigatur.

Gelasius. 490.

Epist. 5. Hinc est, quòd exufflantur & catechizantur infantes: & quia in opere Dei, quo in auctore suo bene sunt instituti, opus diabolicæ malignitatis accessit eruti de potestate tenebrarum, ad filij Dei fortem, purgati onemque legitimam transferuntur.

Gregorius Magnus. 590.

Homilia 29. *in Euangelia*: Sacerdotes Christi, cùm per Exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, & habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt, nisi dæmonia eijciunt.

Libro Sacramentorum: *Et exufflat ter in faciem, dicens*: Exi ab eo Satana, redde honorem Deo viuo & vero, redde honorem Iesu Christo Filio eius, & Spiritui paracleto, &c.

Ergo maledicte diabole recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero: da honorem Iesu Christo Filio eius, & Spiritui sancto, & recede ab hoc famulo Dei: quia istum sibi Deus, & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam, & benedictionem, fontemque baptismatis vocare dignatus est, & hoc signum sanctæ crucis, quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare.

Exorcizo te immunde spiritus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt exeas, & recedas ab hoc famulo Dei N, Ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulauit.

Isidorus Hispalensis. 620

De Ecclesiasticis officijs l o. 2. *cap.* 20. Catechumeni primùm exorcizantur, deinde salem accipiunt, & vnguntur. Exorcismus autem sermo increpationis est contra immundum spiritum, in energumenis, siue Catechumenis factus, per quem ab illis diaboli nequissima virtus, & inueterata malitia vel violenta incursio expulsa fugetur. Quod significat lunaticus ille, quem increpauit Dominus Iesus, & exijt ab illo dæmonium. Potestas autem diaboli exorcizatur, & insufflatur in ijs, vt ei renuntient, atque eruti à potestate tenebrarum, in regnum sui Domini per baptismatis Sacramentum transferantur.

Aldhelmus. 670.

Lib. de l[illegible] *virginitatis cap.* 23. Cyprianus astutum Ecclesiastico Exorcismo catechizatus, & parturientis gratiæ vulua in baptisterio regeneratus, supernorum Sacramentorum efficitur i[illegible]pauidus prædicator.

Beda. 700.

Ad cap. 16. *Marci*: Sacerdotes Christi cùm per Exorcismi gratiam manus credentibus imponunt, & habitare malignos Spiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt, nisi dæmonia eijciunt.

Ad Luca cap. 11. De homine tempore baptismatis spiritus immundus, qui in eo prius habitauerat, ad confessionem Catholicæ fidei, abrenuntiationemq; mundanæ conuersationis eijciatur, locaq; inaquosa peragret, &c.

Auctor Ordinis Romani. 740.

Ordo de Sabbato sancto: *Postea imposita manu super capita singulorum, dicit hanc orationem ad Catechizandos infantes.* Nec te lateat Satanas, imminere tibi tormenta. Proinde damnate ac damnande, da honorem Deo viuo, in cuius nomine præcipio tibi vt exeas.

Alcuinus. 750.

De officijs Ecclesiasticis c. 19. *de Sabbato S. Paschæ*. Primò paganus, vt Catechumenus fiat, accedens ad baptismum, renuntiet maligno spiritui, & omnibus damnosis eius pompis. Exufflatur etiam, vt fugato diabolo, Christo Domino paretur introitus. Exorcizatur, id est, coniuratur malignus spiritus, vt exeat, & recedat, dans locum vero Deo.

Cap. 35 Exorcismus Græcè, Latinè dicitur sermo adiurationis, siue increpationis. Inde Exorcista adiurator. Illorum officium est, vt manus ponant super dæmoniacos. & per inuocationem nominis Dei repellant dæmones ab ijs, dicentes: *Adiuro te immunde spiritus per Deum Patrem, & Filium, & Spiritum, vt ab hoc famulo Dei recedas.* Illud ministerium, vt Canones dicunt, nemo debet vsurpare, nisi qui idem officium habet, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, aut Exorcista.

Haymo. 820.

Dominica 3. *in Quadragesima*: Omnis Catholica Ecclesia credit, quòd per vndam baptismatis, & gratiam Spiritus sancti omnibus peccatis dimissis, dæmonis potestas excluditur. *Reuertar in domum, vnde exiui*: Tunc varijs modis mentem hominis tentare incipit, quem per baptismum reliquerat.

Homilia de Ascensione Domini: Quotidie Ecclesia spirituales virtutes operatur, quas per Apostolos prioribus tēporibus operabatur. In nomine enim Christi dæmonia eijciuntur, cùm per ministerium sacerdotale & gratiam Exorcismi ab illorum mētibus, qui in nomine S. Trinitatis baptizantur, illorum potestas excluditur.

VValafridus Strabo. 830.

Lib. 1. *de officijs Ecclesiasticis*: Exorcismus verbum increpationis est aduersus diabolum, vt discedat, & concluditur sic: *Per Dominum nostrum Iesum Christū; &c.* Hæc coniuratio, seu increpatio ad diabolum digna est habere nouissimum iudicium, in quo iudicandi sunt mortui, & viui, & seculum per ignem.

Amalarius Treuirensis. 830.

Lib. 1. *de Ecclesiasticis officiis cap.* 24. Credimus per confessionem porrigentium infantem ad fontes expelli dæmones à catechumenis. Paruuli per fidem & confessionem parentum liberantur à diabolo in baptismo, &c.

Hincmarus. 850.

De SS. Martyribus Marcellino & Petro lib. 3. *cap.* 13. Obsessa puella cùm ante tumbam sacra corpora continentem venisset, & Presbyter super caput eius Exorcismum secundùm consuetudinem perlegisset, & deinde dæmonem qualiter, & quando in eam fuisset ingressus percontari cœpisset, non barbara lingua, quam sola puella nouerat, sed Romana locutione Presbytero respondit, &c.

Rabanus Maurus. 850.

De Institut Cleri lib. 1. *cap.* 27. *de Catechizandi ordine*: At postquam se per confessionem veræ fidei in alterius commendauerit dominium, & per abrenuntiationem à prioris possessoris se alienarit seruitio, exufflatur ab eo sæua tempestas, vt per pium sacerdotis ministerium Spiritui sancto cedat fugiens spiritus malignus: signansque se homo signaculo sanctæ crucis, tam in fronte, quàm in corde, vt ipsa apostata diabolus in vase suo pristino suæ interemptionis cognoscens signum, iam

sibi deinceps illud sciat esse alienum, &c. Dehinc iterum exorcizatur diabolus, vt suam nequitiam agnoscens, & iustum super se iudicium timens, recedat ab homine, nec iam contendat eum arte sua subuertere, ne baptismum consequatur: sed magis honorem Deo Creatori suo exhibens, reddat opus factori suo.

Smaragdus. 970.

In Epist. de Sabbato Pentecostes: In Catechumenorum facie à sacerdote per exufflationem signum crucis fit, vt diabolus fugetur, & Christo via præparetur, vt qui in latebras à persuasione sua generis humani, quod in primordio sui spiraculum vitæ acceperat, habitator erat, eius virtute, & sacratissimo signo per ministerium sacerdotum exire cogatur, qui & in discipulos insufflasse, & spiritus immundos increpasse legitur. Vnde & exorcizatur idem malignus spiritus, vt exeat, & recedat ab illo plasmate, quod iamdudum per peccatum primi hominis possidebat. Exorcismus præterea est sermo increpationis siue coniurationis. Vnde & in Actibus Apostolorum Exorcistæ fuisse leguntur: & sancta Ecclesia inter gradus Ecclesiasticos Exorcistarum etiam ministerium habet. Sciendum namque est, quia cùm exorcizatio fit, ille procul dubio exorcizatur, qui & baptismati, & saluti fidelium, & omnibus virtutibus contrarius est.

Petrus Damianus. 1050.

Epist.15.cap.20. Age ergo, quid est, quòd in faciem Catechumeni sacerdos insufflat, dicens: *Exi ab eo immunde Satan: da honorem Deo viuo & vero, da honorem Spiritui sancto?* Quibus vtique verbis patenter ostenditur, quod per illam hominis insufflationem, arcano nimirum diuinæ virtutis agente mysterio, & spiritus malus expellitur, & Spiritus Sanctus introire dignatur.

Ioannes Micrologus. 1070.

De Ecclesiasticis obseruationib. cap.7. Secundum Romanam auctoritatem nullam orationem, *per eum, qui venturus est,* concludimus, nisi sit Exorcismus, in quo diabolus, per diuinum iudicium, vt à creatura Dei discedat, exorcizatur, siue adiuratur. Nam in alijs orationibus, quas *Per Dominum nostrum concludimus,* Patrem, vt nobis per amorem Filij subueniat, imploramus: in Exorcismis autem diabolum per Dei iudicium vt fugiat, increpamus.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de Sacramento dedicationis, Primò manibus patrinorum ad Ecclesiam fuistis delati, & Sacerdotibus, vel Exorcistis ad catechizandum oblati.

Serm. de Sacram. Neophytorum: Inde est, quòd qui Sabbato sancto sunt baptizandi, quarta hebdomada Quadragesimalis obseruantiæ catechizandi, & exorcizandi deferuntur ad Ecclesiam, &c. Catechizatur ob hoc, qui ad fidem vocatur, vt ad quod vocatur, proprio moueatur voluntatis arbitrio. Exorcizatur, vt ab eo diaboli potestas iniqua depellatur, &c. Non creatura Dei in infantibus exorcizatur, & exufflatur, sed ille, sub quo sunt, qui sub peccato nascuntur.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De officijs Ecclesiasticis lib.7. cap.1. Diabolus, cui per Christianæ fidei professionem in sacro fonte renuntiatur, in quem iudiciales sententiæ proferuntur, habens iram magnam, sæuiebat in cordibus impiorum, & tuba diuini nominis offensus, illorum cœcitate & insania pro suis aduersus Deum armis vtebatur. Et sicut in Apocalypsi legimus: quia canente tuba magnus mons ardens
Apoc. 8. iracundia confugiebat in profundum cordis impiorum, & diuinis Exorcismis, per quos eiectus fuerat, maleficij crimen effingens, leges è contra dictabat.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei lib.2. part.6. cap.10. Exorcistæ sunt, qui super Catechumenos, siue Energumenos inuocant nomen Domini Iesu, diuina virtute obiecta, adiurantes eum, vt egrediatur ab illis. Rectè ergo post catechizationem Exorcismus sequitur, vt ab eo, qui iam fide instructus est, aduersaria virtus pellatur.

Stephanus Eduensis. 1180.

De Sacramento altaris cap.3. Exorcistis, cùm ordinantur, dat Episcopus librum Exorcismorum, dicens: *Accipite, & habete potestatem ponendi manus super energumenos, & catechumenos.*

Ioannes Belethus. 1200.

De diuinis officijs cap.90. Exorcista debet prius baptizandos interrogare, num etiam abrenuntient Satanę, & omnibus eius pompis. Postquam à sacerdote satis in fide instructi sunt, atque Exorcistæ super eos fecerint adiurationes, ab Ostiario in Ecclesiam introducuntur.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In Octaua Epiphaniæ: Exorcismi non solùm ad decorem præmittuntur, sed per eos virtus & malitia diaboli debilitatur, vt in baptismo cedat Spiritui sancto, & tunc planè Exorcismus suum consequitur effectum.

Cæsarius Heisterbachius. 1220.

Lib.5. cap.10. Sentiunt, & timent dœmones pœnā sibi præparatam, hinc est, quòd omnes Exorcismi, qui ad illorum nequitiam eneruandam fiunt, per ignem & extremum iudicium concluduntur.

Alexander Alesius. 1230.

Part.4. q.7. m.2. Etsi per baptismum pellitur potestas diaboli à baptizato: nihilominus tamen, quia potest præstari impedimentum baptizando à diabolo, ne suscipiat baptismum, per Exorcismum potestas pellitur, ne præstet ei homini impedimentum, & ideo quantum ad hoc necessarius est Exorcismus.

Vincentius Beluacensis. 1240.

Lib.8. Speculi historialis c.23. Exorcismus idem est quod adiuratio, qua sacerdos adiurat dæmones, dicens: *Exi ab eo immundè Spiritus.* Et dicunt multi, quòd per Exorcismum expellitur diabolus, non quantum ad peccatum: sed quantum ad hoc, quòd non habeat potestatem nocendi paruulo corporaliter: alij dicunt, quòd quantum ad diminutionem peccati. Vnde dicunt, quòd si paruulus decederet statim post exorcismum, minores tenebras pateretur, quàm si non esset exorcizatus, & magis perciperet de luce spiritualium: Nobis autem videtur, quòd per Exorcismum non expellitur diabolus, sed significatur expellendus.

Hugo Cardinalis. 1240.

Ad cap.6. Marci: Quotidie dæmones ab obsessis expelluntur corporibus, & per Exorcismum virtus eorum ab infantibus exufflatur.

Thomas Aquinas. 1250.

Parte 3. q.71. artic.2. Quicunque sapienter aliquid facere proponit, prius remouet impedimenta sui operis. Vnde dicitur Hieremiæ 4. *Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas:* Diabolus autem hostis est humanæ salutis, quæ homini per baptismum acquiritur, & habet potestatem aliquam in homine, ex hoc ipso, quòd subditur originali peccato, vel etiam actuali. Vnde congruenter ante baptismum expelluntur dæmones per Exorcismos, ne salutem hominis impediant, quam quidem expulsionem significat: Exufflatio: Bene-

dictio autem cum manus impositione præcludit, ne expulsus redire possit.

Artic. 3. Quidam dixerunt ea, quæ in baptismo aguntur, nihil efficere, sed solùm significare: sed hoc patet esse falsum, per hoc, quòd Ecclesia imperatiuis verbis in Exorcismis vtitur, ad expellendam dæmonum potestatem, puta cùm dicit: *Ergo maledicte diabole exi ab eo, &c.* Et ideo dicendum est, quòd aliquem effectum habent, indifferenter tamen ab ipso Baptismo.

Bonauentura. 1260.

In lib. 4. Sentent. distinct. 7. quæst. 3. Exorcismi in baptismo sunt ad solennitatem, & ad cohibendum diabolum, vt non possit occidere paruulum, nec fortiter vexare adultum, vt retrahat à baptismo. Vnde non est contra vexationem, quam fecit in corpore, sed quàm faceret. Quia diabolus ex quo videt hominem præparari ad baptismum, ipsum vexaret. Vnde Gregorius dicit, quòd illos pulsare negligit, quos quieto iure se possidere sentit. Primò exufflatur in hoc, vt virtus diaboli exterior expellatur, & interior expellenda significetur. Secundò signum crucis fit in pectore, & in fronte, vt dæmon cognoscat se expellendum tam in occulto cordis, quàm in aperto confessionis.

Guilhelmus Durandus. 1280.

In Rationali diuinorum lib. 6. cap. 82. Post interrogationem & responsionem sacerdos ter in faciem baptizandi exufflat, ad notandum, quòd sæua potestas, id est, malignus spiritus, ab eo exufflatur, id est, exufflando expellitur, seu in proximo expellenda significatur, vt per pium sacerdotis ministerium Spiritui sancto cedat fugiens spiritus malignus. Hæc autem exufflatio, siue exorcizatio, etsi non prosit aliquid ad vitam, quia adhuc in eis mors manet, prodest tamen, vt ei inimicus minimè nocere possit. Adest enim Spiritus sanctus non solùm verbis, quæ dicuntur in nomine suo: verùm etiam significationibus, quæ fiunt in honorem suo.

Durandus à S. Portiano. 1300.

In librum 4. Sentent. dist. 6. quæst. 4. Exorcismus est idem quod adiuratio, per quam dæmonis potestas arcetur, ne impediat baptizandum à susceptione Sacramenti. Et istud fit rationabiliter ante baptismum. Quia sicut est in generatione naturali, sic videtur quòd debet esse in generatione spirituali. Sed in generatione naturali sic est, quòd generans prius remouet dispositiones, impedientes susceptionem formæ, antequam introducat formam. Ergo similiter in regeneratione spirituali, quæ est per baptismum, prius remouenda sunt ea, quæ possunt impedire susceptionem vitæ spiritalis: vt est potestas dæmonis, quam accepit in hominem ex peccato primorum parentum, quàm introducatur per baptismum vita spiritualis. Illud autem fit per Exorcismum. Ergo Exorcismus debet præcedere baptismum.

Franciscus Maronius. 1320.

In lib. 4. Sentent. dist. 2. quæst. 1. Exorcismus non est Sacramentum, sed habet aliquam vim expellendi dæmones.

Guido Rocherius. 1330.

In manipulo Curatorum part. 2. cap. 8. Exorcismus idem est quod adiuratio, quia adiuratur dæmon, vt recedat de anima baptizandi, & det locum Spiritui sancto aduenienti.

Thomas VValdensis. 1414.

Tom. 3. tit. 5. cap. 48. Exorcismus requiritur contra spiritum immundum, quem toties increpans Christus quandoque solo iussu, vel alijs medijs priori destituebat hospitio: hic ergo Catechumenis oportunus est, prout scribit Isidorus lib. 2. de officio cap. 20.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica lib. 4. de Sacramento Baptismi: Exorcismus dicitur illa adiuratio, quæ fieri debet antequam ministretur baptismus, & ibi fiunt plura. Primò insufflatio, ad expellendam virtutem dæmonis, & potestatem: quia diabolus propter peccatum hominis in hominem potestatem accepit, & etiam in illa, quæ veniunt in vsum hominis, vnde tam adulti, quàm paruuli debent exorcizari, ad expulsionem tam noxiæ potestatis.

ARTICVLVS DECIMVSQVINTVS.

CONFESSIONEM FIDEI REQVIRI IN BAPTISMO.

NEGANT.

Anno post natũ Christum. 1540. VOLFFGANGVS Musculus in Locis Communibus de Baptismo: *Si baptizandus sit infans, nec fides confessio, nec fides ab illo, sicut ab adulto, poscatur: quandoquidem omnino absurdum est, id requirere ab infante, quod nec ipse Deus ab illo requirit, nec ille per ætatem vel habere, vel exprimere potest. Quapropter non video quomodo defendi queat, quòd baptizandus infans interrogatur, num credat in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cæli & terræ, & illius loco à testibus ad trinam de fide interrogationem tertiò respondetur, quòd credat: hæc consuetudo tam absurda, vt defendi nequeat.*

1560. *Beza*, epist. 8. *simili modo inuehitur in Confessionem fidei, quæ exigitur in baptismo.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constitut. Apostol. lib. 7. cap. 42. Post renuntiationem verò, cùm ascribitur Christo, dicat: Ascribor, & credo, & baptizor in vnum ingenitum solum ve-

rum Deum omnipotentem, Patrem Christi, conditorem & opificem omnium, ex quo omnia: & in Dominum Iesum Christum vnigenitum eius Filium, primogenitum omnis creaturæ, & ante secula volente Patre genitum, non factum, per quem omnia facta sunt in cælis, &c. Post hanc professionem venit ordine ad vnctionem olei.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiast. Hierarch. cap. 2. Post trinam abrenuntiationis contestationem, cùm tertiò se ille, qui baptizandus est, abrenuntiare professus fuerit, ad Orientem illum traducit Antistes, aspicientemqúe in cælum, atque intendentem manus, Christo, sacrisqúe omnibus diuinitus traditis consentire iubet. Postquam hoc ille fecerit, rursus ter illum profiteri monet. Trina verò confessione peracta, rursus ille orans benedicit, eiqúe manus imponit.

Origenes. 230.

Homil 5. in Numer. In Ecclesiasticis obseruationibus sunt nonnulla huiusmodi, quæ omnibus quidem facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet: sed & Eucharistiæ siue percipiendæ, siue eo ritu, quo geritur, explicandæ, vel eorum, quæ geruntur in baptismo verborum, gestorumqúe, & interrogationum, ac responsionum quis facilè explicet rationem?

Constantinus Imp. 320.

In priuilegio Romanæ Ecclesiæ: Coram omni populo professus sum, me credere in Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ visibilium & inuisibilium, & in Iesum Christum eius Filium vnicum, &c.

Synodus Laodicensis. 368.

Canone 46. Baptizandos oportet Symbolum fidei discere, & quinta Feria vltimæ septimanæ vel Episcopo, vel Presbytero reddere.

Canone 47. Qui in ægritudine constituti baptismum perceperunt, facti sani fidei Symbolum doceantur, & nouerint qua donatione digni habiti sint.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi Mystagogica: Cùm itaque Satanæ renuntiaueris, & omne cum illo pactum resciderís, aperitur tibi paradisus Dei, quem ipse ad Orientem plantauit. Et huius rei symbolum est, cùm ab Occasu conuerteris ad Ortum, quæ lucis est regio. Tunc admonebaris, vt diceres: Credo in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & in baptisma pœnitentiæ. Et hæc quidem in exteriori domo gesta sunt, in sequentibus verò mysticis instructionibus in sancta sanctorum ingrediemur.

Catechesi 2. Postea deducebamini ad sanctum diuini baptismatis lauacrum. Atque tunc vnusquisque interrogabatur, an crederet in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & confessi estis salutarem confessionem, & immersi ter in aquam, rursus emersistis.

Basilius Magnus. 370.

Libro 3. ad Eunomium: Credere prius oportet, & postea baptismate consignari.

Ephram. 370.

De Pœnitentia cap. 5. Testatur baptizandos suam fidem coram multis testibus professos, ac dixisse: *Abrenuntio tibi Satan, & omnibus operibus tuis.*

Epiphanius. 380.

In Ancorato: Vnumquemque in fide instructum, & ad sacrum lauacrum accedere volentem, non solum sinere debetis, vt indicet se filijs vestris in Domino, quòd credat, sed etiam vt prolatis verbis, velut eadem omnium mater Ecclesia nostra, & vestra recepit, doceat ac dicat: *Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, &c.*

Ioannes Chrysostomus. 400.

In priori ad Corinth. cap. 15. Nam post arcana illa verba & metuenda, post horribiles Canones dogmatum de cælo transmissorum, etiam hoc ad finem, cùm baptizaturi sumus, adiungimus, dicereqúe iubemus: *Credo in mortuorum resurrectionem,* & super hanc fidem baptizamus.

In cap. 1. ad Ephes. orat. 1. Quid iucundius illa confessione, quæ ante & post lauacrum fit?

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Ad cap. 25. Esaiæ: Idcirco etiam sacri baptismatis tempore fidei confessionem exhibentes, etiam carnis resurrectionem futuram expectamus, itaque credimus.

Lib. 12. in Ioannem c. 64. Quòd Dominus Petrum ter interrogauit, hinc Ecclesia regulam tertiò interrogandi eos accepit, qui ad baptismum accedunt, vt terna Christi confessione fidelibus communicentur.

Lib. 7. contra Iulianum: Vbi deposuerimus tenebras à mente nostra, & dæmoniorum turbis valedixerimus, confitemur fidem in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.

Sexta Synodus Constantinopol. 680.

Cap. 7. Constitutum est à SS. Patribus, vt nullus chrismetur, neque baptizetur, neque à lauacro fontis alium suscipiat, nisi Symbolum, & orationem Dominicam memoriter tenuerit.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 6. Epist. ad Hebr. *Et resurrectionis mortuorum:*) Hoc enim & in baptismate efficitur per figuram immersionis in aquam, & in confessione confirmatur. Confitemur enim credere resurrectionem mortuorum.

Nicetas. 1200.

In orat. 40. in Nazianz. Interrogati in baptismo quomodo se habeat anima nostra erga Deum, & quam in eum fidem habeamus? Et Nos ipsius partibus adiungi, atque vt vno verbo dicam, fidei Symbolo profitemur.

Libro 20. Thesauri Orthodoxæ fidei: Primùm, qui ad fidem orthodoxam accedit, duas hebdomadas ieiunat, orationemqúe illam edicit, quæ nobis à Domino nostro Iesu Christo in SS. Euangelijs est tradita, quam sacrum fidei Symbolum subsequitur, &c. Anathematismo imposturarum Mahometicarum Christianę fidei confessio subijcitur: *Credo in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, indiuiduam Trinitatem, &c.*

Seuerus Alexandrinus. 1280.

In Ordine Baptismi: Postquam autem abrenuntiauerunt, conuertit eos sacerdos ad Orientem, & ait tribus vicibus: *Consentio tibi Christe Deus ego talis N. qui baptizor, & omni doctrinæ, quæ reuelata est à te diuinitus per Prophetas, & Apostolos, & SS. Patres. Confiteor quoque, & credo, & baptizor in te, & in Patre tuo, & in Spiritu sancto tuo, &c.* Tunc dicit: *Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ.*

Christiani in Æthiopia nostra seculo.

In Ordine Baptismi: Postea vertunt eorum facies ad Orientem, & erigunt manus eorum dextras altè, & dicunt: *Credo in te Christe Deus meus, credo legi tuæ salutiferæ.* Postea sacerdos dicit Symbolum fidei, & qui baptizandi sunt vnà cum eo dicunt: *Credimus in vnum Deum Dominum Patrem omnipotentem, & in vnicum Filium eius Iesum Christum Dominum nostrum, &c.* Sacerdos deinde interrogat eos: *An non creditis?* Ipsi autem ter dicunt: *Credimus, credimus, credimus.*

(*.*)

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De spectaculis cap.4. Cùm aquam ingressi, Christianam fidem in legis suæ verba profitemur, renunciasse nos diabolo, & angelis eius ore nostro contestamur.

Cyprianus. 250.

Libro 1. cap.18. *Epist.70.* Sed & ipsa interrogatio, quæ fit in baptismo, testis est veritatis. Nam cùm dicimus: *Credis in vitam æternam, & remissionem peccatorum per S. Ecclesiam*, intelligimus remissionem non nisi in Ecclesia dari.

Epist.76. Quod si aliquis illud opponit, vt dicat, eandem Nouatianum legem tenere, quam Catholica Ecclesia teneat eodem Symbolo, quo & nos, baptizare: eundem nosse Deum Patrem, eundem Filium Christum, eundem Spiritum S. ac propter hoc vsurpare eum potestatem baptizandi posse, quòd videatur in interrogatione baptismi à nobis non discrepare: sciat quisquis hoc opponendum putat, primùm non esse vnam nobis & Schismaticis Symboli legem, neque eandem interrogationem.
Libro 1. epist.6. Nam cùm dicunt: *Credis remissionem peccatorum, & vitam æternam per sanctam Ecclesiam*, mentiuntur interrogatione, quando non habeant Ecclesiam. Tunc deinde voce sua ipsi confitentur, remissionem peccatorum non dari, nisi per sanctam Ecclesiam posse: quam non habentes, ostendunt remitti illic peccata non posse.

Hilarius. 350.

In Matth. Can. 75. Venturi ad baptismum prius confitentur se credere in Filium Dei, & in passione, & in resurrectione eius huic professionis Sacramento fides redditur. Atque vt hanc verborum sponsionem quædam ipsarum rerum veritas consequatur, toto in ieiunijs passionis Dominicæ tempore demorantes, quadam Domino passionis societate iunguntur.

Ambrosius. 370.

Lib.2. de Sacramentis cap.7. Interrogatus es: *Credis in Deum Patrem omnipotentem?* Dixisti, *Credo*: & mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es: *Credis in Dominum nostrum Iesum Christum, & in crucem eius?* Dixisti, *Credo* & mersisti: ideo & Christo es consepultus. Qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurgit. Tertiò interrogatus es: *Credis & in Spiritum sanctum?* Dixisti: *Credo*: tertiò mersisti, vt multiplicē lapsum superioris ætatis absolueret trina confessio.

Libro de Spiritu sancto cap.11. In mysterijs interrogatio trina defertur, & non confirmatio trina celebratur. Non potest quis nisi trina cōfessione purgari.

De his, qui mysterijs initiantur cap.5. Descendisti, recordare quid responderis, quòd credas in Patrem, credas in Filium, credas in Spiritum sanctum, non habes illic: credo in maiorem, credo in minorem, credo in vltimum: sed eadem vocis tuæ cautione astringeris, vt similiter credas in Filium, sicut & in Patrem credis.

Hieronymus. 390.

Dialogo aduersus Luciferianos cap.5. Solenne est in lauacro post Trinitatis confessionem interrogare: *Credis sanctam Ecclesiam Catholicam? credis remissionem peccatorum, &c.*

Ad Pammachium aduersus errores Ioannis Hierosolymitani cap.4. Consuetudo apud nos eiusmodi est, vt ijs, qui baptizandi sunt, per quadraginta dies publicè tradamus sanctam & adorandam Trinitatem, &c.

Ruffinus. 400.

In Explicatione Symboli: In Ecclesia vrbis Romanæ mos seruatur antiquus, apud eos, qui gratiam baptismi suscepturi sunt, publicè, id est, fidelium populo audiente, Symbolum reddere: & vtique adiectionem vnius saltem sermonis eorum, qui præcesserunt in fide, non admittit auditus.

Augustinus. 400.

De fide & operibus cap.9. Spado, inquiunt, (*qui solam fidem requirunt*) ille, quem Philippus baptizauit, nihil plus dixit, quàm, credo Filium Dei esse Iesum Christum, & in hac professione continuò baptizatus est. Actor.8. Num ergo placet, vt hoc solùm homines respondeant, & continuò baptizentur: nihil de Spiritu sancto, nihil de S. Ecclesia, nihil de remissione peccatorum, nihil de resurrectione mortuorum: postremò de ipso Iesu Christo nihil, nisi quia Filius Dei est, non de Incarnatione eius ex Virgine, de ascensione, ac sede ad dextram Patris aliquid dicendum est catechizanti, ac profitendum credenti? Si enim Spado cum respondisset: *Credo Filium Dei esse Iesum Christum*, hoc ei sufficere visum est, vt continuò baptizatus abscederet, cur non id sequimur, atque auferimus cætera, quæ necesse habemus, etiam cùm ad baptizandum temporis vrget angustia, exprimere, interrogando vt baptizandus ad cuncta respondeat, etiamsi ea memoriæ mandare non valuit? Si autem Scriptura tacuit, atque intelligenda admisit cætera, quæ cum illo spadone baptizando Philippus egit, atque in eo, quod ait: *Baptizauit eum Philippus*, intelligi voluit omnia completa, quæ licet taceantur in Scripturis gratia breuitatis, tamen serie traditionis scimus implenda: pari modo, etiam in eo, quod scriptum est euangelizasse Philippum spadoni Dominum, nullo modo dubitandum est, & illa in Catechismo dicta esse, quæ ad vitam, moresq; pertinent eius, qui credit in Dominum Iesum.

Cap. 10. Iste curationis ordo est, vt baptisandi credant in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, eo ritu, quo Symbolum traditur: & à mortuis operibus agant pœnitentiam, omniumq; se omninò præteritorum remissionem in baptismo accepturos esse non dubitent.

Gennadius Massiliensis. 470.

De dogmatibus Ecclesiasticis cap.74. Baptisandus confitetur fidem suam coram sacerdote, & interrogatus respondet: hoc & Martyr coram persecutore facit, qui & confitetur fidem suam, & interrogatus respondet. Ille post confessionem vel aspergitur aqua, vel intingitur: & hic vel aspergitur sanguine, vel contingitur igne.

Primasius. 540.

Ad cap.6. prioris ad Timotheum: *Confessus es bonam confessionem*, in baptismo, *coram multis testibus*. Coram sacerdotibus & ministris atque Virtutibus cælestibus ac diuinis.

Gregorius Magnus. 590.

Libro Sacramentorum de Catechizandis infantibus: Sacerdos deinde interrogat Symbolum: *Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ?* Resp. Credo. *Credis & in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum natum & passum?* Resp. Credo. *Credis & in Spiritum sanctum, &c.* Respon. Credo

Isidorus Hispalensis 620.

De officijs Ecclesiasticis lib.2. cap.24. Duæ sunt pactiones credentium: prima pactio est, qua renuntiatur diabolo, & pompis eius: secunda pactio

Google

Ego credo,& baptisatus sum: ergo saluus ergo. Verum frater dico, si tenes pactum, quod in baptismo pepigisti. In baptismo quippe promisisti te abrenuntiaturum diabolo, pompis, & operibus eius. Si autem ad opera diaboli relapsus es, pactum fregisti, & fides, & baptismus tibi inutilis factus est.

Gregorius Septimus. 1070.

Lib.7 epist.10. Quisquis dignè vult pœnitere, necesse est vt ad fidei recurrat originem, & quod in baptismo promisit, scilicet diabolo, pompisq́ illius abrenuntiare, & in Deum credere, videlicet recta de eo sentiendo, mandatis ipsius obedire, solicitus sit vigilanter custodire.

Bruno Carthusianus. 1080.

Ad cap.5. prioris ad Timoth. Tales viduæ habent damnationem, quia sic frangendo vota, fecerunt irritam fidem, quam in baptismo pollicitæ fuerant, vbi diabolo se abrenuntiare dixerant, cui, frangendo votum continentiæ, se iterum mancipârunt.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de Sacram. Neophytorum. Paruulus ad baptismum oblatus, interrogetur à sacerdote: *Abrenuntias Satanæ, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius?* respondetur per ora gestantium: *Abrenuntio.*

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone in Cœna Domini: Mundo per abrenuntiationem cum Christo crucifigimur, & in morte eius per baptisma consepelimur, cùm ter vndis immersi, quasi terra operimur. Chrismate signati albis vestimur, quia immortalitate redimiti, per mortem in regno Dei reges & sacerdotes coronabuntur. Per cereum, qui illa die consecratur, columna ignis, quæ præcessit filios Israel ab AEgypto per mare rubrum ad terram repromissionis, designatur.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei libro 2. par.6. capite 11. Oblatus ad baptismum paruulus, & interrogatus à sacerdote, an abrenuntiet Satanæ, & omnibus operibus eius, atque omnibus pompis eius: per ora gestantium respondet: vt qui aliena iniquitate obligatus est, aliena fide & confessione soluatur.

Bernardus Abbas. 1130.

De modo bene viuendi Serm.62. Sunt quædam vota omnibus communia, quædam verò specialia. Communia vota sunt ea, quæ in baptismo promisimus, scilicet, vt non peccaremus, vt diabolo, & operibus eius abrenuntiaremus. Specialia vota sunt, quando aliquis hoc, vel illud se facturum promittit.

Rupertus Lincolniensis. 1140.

Ad caput 2. Ecclesiasticæ Hierarchiæ Dionysij: Postquam hæc fecit, statuit eum accedentem nudum, non tamen omnimodè, & discalceatum aspicientem Occidentem, & manuum ad hanc regionem erectione obscuræ malitiæ renuntiantem, seu exprobrantem communines, hoc est, prædicto corporali aspectu & manuum erectione significantem se renuere omnes huiusmodi communiones, exufflatione corporali tanquam exufflantem habitum dissimilitudinis.

Innocentius Tertius. 1200.

Ser. de die Parasceues: Nonne in baptismo diabolo, & operibus eius abrenuntiastis?

Ioannes Belethus. 1200.

De diuinis Officijs cap.90. Exorcista debet prius interrogare baptizandos, num etiam abrenuntient Satanæ, & omnibus eius pompis, ita vt puer si sit adultus, respondeat se abrenuntiare: si non sit adultus, pro se susceptor.

Ioachim Abbas. 1200.

Ad cap.2. Hieremiæ: In baptismo pompæ diaboli, & mundani fauores renuntiantur.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In Octaua Epiphaniæ: Nolite errare, Deus non irridetur: sicut in baptismo exterius promisistis, ita in spiritu & veritate interius obseruetis. Abrenuntiastis enim diabolo, & omnibus pompis eius, id est, peccatis mortalibus, & eorum circumstantijs, & mundanæ vanitati. Qui autem malis operibus baptismi pactum irritum facientes euacuant, licet ore Deum confiteantur, operibus negant, &c. Baptisati abrenuntiant diabolo, & omnibus operibus eius, & pompis eius. Abrenuntiant diabolo, quia in Adam fuit inobedientia: abrenuntiant operibus eius, quia in Adam fuit malus actus: abrenuntiant pompis eius, quia in Adam fuit superbia & elatio.

Guibertus Tornacus. 1270.

De officio Episcopi cap. 41. Quia paruuli per se renuntiare diabolo, & credere non possunt, per eorum corda & ora, per quos offeruntur, hoc faciunt.

Guilhelmus Durandus. 1230.

In Rationali diuinorum lib.6. cap.82. Baptisandus, cùm primò ad Ecclesiam venit, priusquam immergatur, interrogatur, verum renuntiet diabolo, &c. quod potius per vsum, quàm per aliquam Scripturam introductum est, secundùm Augustinum: & Ecclesia respondet: *Renuntio.*

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæst.48. art.1. Quilibet fidelis in baptismo fidelitatem promittit Deo, renuntiando diabolo, & omnibus pompis eius.

Catharina Senensis. 1360.

Tract.6. cap.155. Christi vicarius in manu cuiuscunque percepto batismo, vbi sponte promittat diabolo, & ipsi mundo, cum omnibus pompis eius in veritate renuntiare, ponit & exhibet, & obedire promittens accipit huiusmodi clauem obedientiæ.

Thomas VValdensis. 1414.

Tom.3. tit.1. cap. 49. Dominus dispensaturus Ecclesiam, primò omnium iubet eam abrenuntiare diabolo. Hoc est enim, quòd primò omnium ad sacrum fontem sacerdos interrogat: *Abrenuntias Satanæ?* Et iterum: *Et omnibus operibus eius?* Et tertiò: *Et omnibus pompis eius*, respondente ipso continuò: *Abrenuntio*, dedit eo ipso chirographum baptismati, professione solenni, quo coram Deo teneatur obnoxius.

ARTICVLVS DECIMVSQVARTVS.

EXORCISMOS ENERGVMENORVM ET CATECHVMENORVM.

IMPROBANT.

Anno post natū Christum.

230. VLPIANVS *Iurisconsultus Ethnicus*, apud Iustinianum de varijs extraordinarijs cognitionibus, l. Præses prouinciæ, &c. *negat per Exorcismos quicquam effici, & Christianos id asserentes impostores vocat.*

400. *Iulianus Pelagianus nolebat nascentes esse sub diabolo, & sic accusabat Ecclesiam, in qua baptizandi infantuli non ob aliud exufflantur, nisi vt ab ijs princeps mundi mittatur foras* Augustinus de nuptijs & concupiscentia lib.2.cap.28.& 29.

1530. VVolffgangus Musculus in Locis communibus c. de Baptismo: *Nec illud in vsu fuit Apostolis, quòd Exorcismis inter baptizandum vtuntur, quibus diabolum adiurant, vt ex baptizandis infantibus egrediatur: faciunt hoc prorsus sine exemplo Christi vel Apostolorum. Quis enim illorum vnquam Satanam adiurauit, vt egrederetur ex eo, qui peccatis esset obnoxius, & mente, non corpore ab illo obsessus? Scio Exorcizandi vsum fuisse in Ecclesia temporibus Cypriani & Augustini: verùm non quæro quid fecerint Patres, sed quid Christus instituerit, & quid Apostoli fecerint.*

1540. Ioannes Caluinus ad cap. 22. Act. *Papistæ suis Exorcismis affigunt gratiæ causam, suisq; Exorcismis contaminant Christi nomen.*

Lib. 4. Institut. c. 15. §. 19. *Exufflatio ad baptismum ianuam aperire visa est. Etsi me non latet, quàm vetusta sit aduentitiæ huius farraginis origo: respuere tamen mihi, & pijs omnibus fas est, quicquid ad Christi institutionem addere homines ausi sunt.*

1560. Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. c. 6. *De baptizandis prius Exorcizatis & adiuratis, neque præceptum, neque exemplum extat in sacra Scriptura.*

1566. Beza epist.8. *Placuit alijs, ex diaboli regno ad Christum transeuntes, certis Exorcismis & flatibus eripi ex Satanæ potestate: quæ omnia si vellem prosequi, quis tandem erit histrionicarum potius ineptiarum, quàm Christianorum rituum finis?*

1570. Nicolaus Hemmingius ad cap.2. posterioris ad Thessalonic. *Recitantur ad baptismum magici satis Exorcismi; quibus contaminant non parum baptismum, & Christi institutionem quodammodo fœdant, qui vult omnes contentos esse simplici mandato sine additamento.*

PROBANT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

Eccles. Hierarch. c.2. Postea verò quam illi discerpsêre, sacram effundit precem, quam cùm omnis secum Ecclesia terminauerit, discingit quidem ipsum (qui baptizandus est) Antistes, & ministrorum manibus exuit: dein Occidentem versus illum statuens, intendentem, manusque impingentem ad eandem regionem conuersas, insufflare ter illum Satanam iubet, ac præterea abrenuntiationem profiteri.

Iustinus Martyr. 160.

Dialogo cum Tryphone: Dei nominis potentiam dæmones tremunt & reformidant: & hodie quoque illi per nomen Iesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato, qui Iudeæ procuratorem egit, adiurati nobis parent; vt inde etiam omnibus pateat, Patrem ei tantam dedisse potentiam & virtutem, vt & dæmonia nomini ipsius, & passionis ipsius obitæ functioni subiecta sint.

Eusebius Cæsareensis. 320.

Eccles. historiæ lib.6. c.35. Nouatum omnino præterijt, vnum solum oportere esse in hac Ecclesia Catholica Episcopum, in qua non ignorabat Presbyteros esse sexaginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Exorcistas, & Lectores vnà cum Ostiarijs 52. Non certè est eius generis ille quidem, cui ex Satana (qui ingressus in illum, diu est in intimo pectore commoratus) primùm data fuit credendi occasio Qui quidem, vbi Exorcistarum præsidio spiritu illo malo esset liberatus, & post in tam grauem morbum incidisset, vt iam fermè mori putaretur, in lecto baptismum accepit.

Concilium Antiochenum. 340.

Cap. 10. Chorepiscopis constituere permittitur Lectores, & Subdiaconos, atque Exorcistas, quibus sufficiat istorum tantùm graduum licentiam accepisse.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

In Præfatione Catecheseon. Exorcismos studiosè suscipe, etiamsi inspiratus iam sis, & exorcizatus: salubris enim est tibi res ista. Nam vt rude infectumque aurum, vel adulteratum, multisque alijs commixtum mineris, vti cum ære, stanno, ferro, plumbo, si cupimus aurum tantùm habere, non poterit illud sine igne ab diuersis à se metallis purgari: sic absque Exorcismis anima progredi non poterit: diuini enim sunt, atque ex diuinis Scripturis collecti. Quemadmodum aurifabri per quæquam subtilia instrumenta sufflantes ventulum igni, & aurum in fornace conflantes, excitantesque propositam flammam, id quod quærunt reperiunt: sic cùm Exorcistæ per Spiritum sanctum incutiunt timorem, & in corpore, tanquam in fornace, animam accendunt, fugit tunc inimicus dæmon, adest

autem salus, & spes vitæ æternæ assistit: denique anima repurgata à peccatis, salutem consequitur, &c. Ne imiteris illos, qui nulli vacant meditationi, ac reuerentiam adhibe, cùm fit Exorcismus, quousque alij exorcizati aderunt, viri cum viris, & mulieres cum mulieribus.

Catechesi 1 Suscipe cælestem thesaurum, & in Exorcismis studiosè verseris, assistas Catechesibus, & quæ in illis dicuntur memineris.

Catech. 2. Mystagogica: Deinde verò iam exuti, exorcizato oleo à summis capillis ad infimos vsque peruncti estis. Vt insufflationes sanctorum, & nominis Dei inuocatio, tanquam vehementissima quædam flamma vrit dæmones, & in fugam conuertit: sic & exorcizatum hoc oleum per orationem, Deiqúe inuocationem, tantam virtutem consequitur, vt non modò ardentia peccatorum vestigia expurget: verùm etiam omnes inuisibiles dæmones repellat.

Concilium Laodicenum. 370.

Can. 26. Non oportet exorcizare eos, qui necdum sunt ab Episcopis ordinati, neque in Ecclesijs, neque intra domos.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Orat. 44. quæ est Oratio in sanctum Baptisma: Ne Exorcismi medicinam respuas, nec ob illius magnitudinem animo concidas. Nam id quoque velut lapis quidam Lydius est, ad quem exploratur, quàm syncero quisque pectore ad baptismum accedat.

Concilium Constantinopolit. Primum. 385.

Can. 7. Et alias omnes hæreses suscipimus, & prima quidem die eos Christianos facimus, secunda Catechumenos, tertia verò die eos exorcizamus, & tum in Ecclesia eos perseuerare facimus, & audire Scripturam, & tum demum baptizamus.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homil. de Adam & Eua: Illud etiam, quod circa baptizandos in vniuerso mundo, siue sint paruuli, siue iuuenes, vniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu, quòd cùm ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ ingrediuntur, quàm Exorcismis & insufflationibus clericorum spiritus ab ijs immundus abigatur, & deinde vasa eius eripiantur in possessionem translata illius victoris, qui captiuam duxit captiuitatem, & dona dedit hominibus.

Homil. ad baptizandos: Et vellem hoc quidem primùm meo declarare sermone, cur maiores nostri totius anni diebus præteritis, hoc in tempore Ecclesiæ filios confecrare voluerunt, & cur post nostrum magisterium imbuti, pedibus nudis, vno tantùm vestimento concesso, ad voces Exorcizantium accedunt. Non enim temere, nec sine ratione & hunc habitum, & hoc tempus illi constituerunt.

Ad cap. 12. Marci: Exorcizamus Catechumenos, qui sunt baptizandi, &c. Exit spiritus immundus ab homine, cùm per fidem baptizatus in nomine Christi, desierit esse diaboli, & factus fuerit Dei.

Theodoretus. 440.

Historiæ Religiosæ cap. 9. de Petro Eremita: Narrabat vitam Monachorum Antiochię, & quantas vires haberent aduersus dęmones: & has quidem, vtpote puellas, ludo delectatas, dæmoniacas & insanas egisse, illum autem ipsum famulum, monastica veste ex caprina pelle confecta indutum, illas monasticè adiurasse.

Synodus Constantinopolitana Secunda. 540.

Act. 1. Stephanus & alter Stephanus dixerunt: Cùm essemus in baptisterio Neophytistarum sine tunicis & calceamentis existentium, Diaconis ipsas exorcizantibus, venit Episcopus noster Petrus.

Iacobus Diaconus. 570.

In vita S. Pelagiæ: Mox Episcopus Pelagiam exorcizauit, & baptizauit, cumqúe imposuisset ei signum Domini, & cruce eam signasset, Dominicum ei corpus tradidit.

Synodus Trullensis. 710.

Can. 95. Eunomianos, Montanistas, & Sabellianos, cùm ad rectam de fide sententiam volunt accedere, recipimus, & primo quidem die eos Christianos facimus, secundo autem Catechumenos, deinde tertio adiuramus, simul etiam ter in faciem & aures inspirantes, & sic initiamus, & diu in Ecclesia versari, & Scripturas audire facimus, & tunc ipsos baptizamus.

Michael Glycas. 1100.

Part. 1. Annal. fol. 95. Hanc ob causam Dominus, cùm ex mortuis resurrexisset, rursus discipulos afflauit, & dixit: *Accipite Spiritum sanctum.* Nec enim ferre poterat, vt non de integro Spiritus sancti participes esse declararemur: quem etiam hodie sacerdos ei, qui baptisatur, afflat, quasi vitæ eius restituens animam ex Adami transgressione mortuam.

Nicetas Serronius.

In Orat. 40. Nazianzeni: Exorcismus est conscripta verborum series, in qua is, qui baptizat, diabolum, Dei nomine adiuratum, ab eo, qui baptizatur, excedere, ac procul cedere iubet.

Simeon Thessalonicensis. 1200.

Lib. de mysterijs Missæ, explicans Cæremonias Baptismi: Secunda oratio Exorcismus est, diabolum repellens, & omnem operationem eius exagitans, eumque ab hoc fugere iubet: Similiter & tertia oratio, quæ Exorcismus etiam est, dæmones diuino nomine expellit.

Nicetas Choniates. 1200.

Libro 20. Orthod. fidei, de Ordine, qui tunc obseruatur, cùm quis à Saracenismo ad nostram fidem accedit: Postridie verò per Exorcismum seu adiurationem religione obstringitur: Sacerdos enim illum denuò in templum ducit, & insufflans ter in faciem eius, & aures eius, tandemqúe etiam Exorcismorum orationes adijciens, eum rursus signo crucis munitum à se dimittit, atque ita denuò Catechumenus, seu discipulus in Ecclesia moratur, & Scripturas audit. Deinde peractis omnibus baptismi cæremonijs dignus habetur, qui diuina regeneratione expietur.

Nicolaus Cabasilas. 1260.

Expositionis Liturgiæ cap. 1. In alijs Sacramentis multa talia inuenies, quemadmodum in baptismo eos, qui sunt baptizandi, & calceos, & vestes oportet exuere, & ad Occidentem respicientes, manus extendere, & insufflare. Sed hæc quidem illic docent, quantum maligni odium in nobis esse oportet, & quomodo necesse est eum se gerere, qui verus Christianus futurus est.

Seuerus Alexandrinus. 1280.

De ritibus Baptismi: *Et imponit eis manus sacerdos, atque hanc adiurationem dicit, in omni inuocatione faciens crucem super vultum eorum:* Te inuocamus, Domine Deus noster, ipsum Creatorem rerum omnium visibilium, huic figmento manuum imponentes: ✠ & signamus in nomine tuo, Pater, & Fili, & Spiritus: mutuo qúe reddimus in nomine tuo, per omnia sancto, omne dæmonium, & spiritum malum & impurum, & procul fiat ac recedant à figmento & imagine tua, & ab opere manuum tuarum. Exaudi nos, & eos obiurga, eosqúe purga seruos ab omni efficacia aduersa-

rij illius. Cæterùm audi, ô peruerse, & rebellis, & impure, heus tu qui lædis ipsum Dei figmentum. ✠ Adiuro te rectitudinis inimice, ac sanctarum legum transgressor, ad gloriam summi regis discede cum timore, & subditus esto illi virtutis Domino, qui mandato suo terram super aquas collocauit, & firmauit: & arenam terminum mari imposuit, &c. ✠ Adiuro te per eum, qui legionem dæmoniorum in abyssum per porcos immisit, Pharaonem verò grauem corde, vnà cum curribus, & equitibus eius submersum fecit, &c.

Christiani in Moscouia nostro tempore.

Ioannes Faber lib. de Religione Moscouitarum, agens de Baptismo: Prædictis itaque orationibus, atque etiam Exorcismis, cùm puer fortioribus naturæ viribus apparet, totus immergitur.

PROBANT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De Præscriptione aduersus hæreticos cap. 41. Ipsæ mulieres hæreticæ quàm procaces, quæ audeant docere, contendere, Exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere?

In Apologetico aduersus gentes cap. 23. Atque omnis hæc nostra in dæmones immundos dominatio & potestas de nominatione Christi valet, & de commemoratione eorum, quæ sibi à Deo per arbitrum Christum imminentia expectant. Christum timentes in Deo, & Deum in Christo, subijciuntur seruis Dei, & Christi: ita de contactu, afflatuque nostro, contemplatione, & repræsentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus nostro imperio excedunt inuiti & dolentes, & vobis præsentibus erubescentes.

Lib. de spectaculis cap. 26. Itaque in Exorcismo cùm oneraretur immundus spiritus, quòd ausus esset fidelem aggredi: constanter & iustissimè quidem, inquit, feci, in meo eam inueni.

De corona militis cap. 11. Et quos interdiu Exorcismis fugauit, noctibus defensabit, incumbens & requiescens super luncho, quo perfossum est latus Christi.

Minutius Felix. 230.

In Octauio: Dæmones adiurati per Deum verum, & solum, inuiti miseris corporibus inhorrescunt: & vel exiliunt statim, vel euanescunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aspirat.

Cyprianus. 250.

Lib. 2. epist. 2. Inde iam facultas datur, castitate sobria, mente integra, voce pura, virtute syncera, in medelam dolentium vulnerum posse venenorum virus extinguere, animorum desipientium labes, reddita sanitate, purgare, infestis iubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem, immundos & erraticos spiritus, qui se expugnandis hominibus immerserint, ad confessionem minis increpantibus cogere, vt recedant duris verberibus vrgere, conflictantes, eiulantes, gementes, incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cedere, igne torrere. Res illic geritur, nec videtur: occulta plaga, & pœna manifesta.

Ad Demetrianum. O si audire eos velles, & videre quando à nobis adiurantur, & torquentur dæmones spiritualibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus eijciuntur, quando eiulantes, & gementes voce humana, & potestate diuina flagella & verbera sentientes, venturum iudicium confitentur.

Cornelius. 250.

Epistola ad Fabianum Antiochenum: Nesciebat Nouatus in Ecclesia vnum esse Episcopum debere, Presbyteros 46. Diaconos 7. Subdiaconos 7. Acolytos 42. Exorcistas, & Lectores, & Ostiarios 52.

Zeno Veronensis. 260.

Sermone de Resurrectione: Immundi Spiritus, cùm diuina eiuratione in eculeo torquentur nolentes & inuiti compelluntur.

Lactantius. 300.

Libro 4. epist. 27. Nunc satis est signi huius potentiam, quantum valeat, exponere. Quanto terrori dæmonibus sit hoc signum, sciet qui viderit, quatenus adiurati per Christum de corporibus, quæ obsederint, fugiant, &c. Illi nequissimi spiritus vbi adiurantur, ibi se dæmones confitentur: vbi coluntur, ibi se Deos mentiuntur.

Concilium Romanum Primum. 370.

Cap. 7. Pontifici subditi sint Presbyteri, Subdiaconi Diacono, Exorcistæ Lectori, in omni loco repræsentantes obsequium.

Optatus Mileuitanus. 370.

Libro 4. contra Donatistas: Neminem fugit, quòd omnis homo, qui nascitur, quamuis de Christianis parentibus nascatur, quòd sine spiritu immundo esse non possit, quem necesse sit ante salutare lauacrum ab homine excludi & separari. Hoc exorcismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur, & in loca deserta fugatur. Fit domus vacua in pectore credentis, intrat Deus, & habitat ibi, Apostolo dicente: *Vos estis templum Dei, & in vobis Deus habitat.* 1. Cor. 3. Et cùm Deo vnusquisque plenus sit, de quo fur diabolus aliquid inuolare contendit, vos rebaptizando exorcizatis hominem fidelem, & dicitis Deo habitanti: Maledicte exi foras, vt compleatur quod à Deo dictum est per Ezechielem Prophetam: *Et maledixerunt mihi.*

Ambrosius. 370.

Libro 1. de Sacramentis cap. 5. Forma baptismatis & vsus hoc habet, vt ante fons consecretur, & tunc descendat, qui baptizandus est. Nam vbi primùm ingreditur, sacerdos Exorcismum facit, secundò super creaturam aquæ inuocationem, postea & precem defert, vt sanctificetur fons, & adsit præsentia Trinitatis æternæ.

Paulinus Presbyter. 380.

In vita D. Ambrosij: Per idem tempus, cùm vir illustris Probus puerum suum Notarium, qui spiritu immundo grauiter vexabatur, direxisset ad Episcopum, egressum vrbe dimisit diabolus, timens ad virum sanctum perduci. Atque ita puer quamdiu Mediolani apud Episcopum fuit, nulla comminatio diaboli apparuit. Sed vbi egressus Mediolano est, & prope vrbem peruenit, idem spiritus, qui illum antea habuerat, vexare cœpit. Qui cùm interrogaretur ab Exorcistis, cur quamdiu Mediolani fuit, non in illo apparuisset, cōfessus est diabolus timuisse se Ambrosium, & ideo recessisse ad tempus, atque expectasse in illo loco, vbi ab illo recesserat, donec reuerteretur: quo reuertente, vas, quod deseruerat, repetisset.

Prudentius. 380.

In Apotheosi contra Iudæos:

Audiat insanum bachantis energimia monstri,

Quod rabidus clamat capta inter viscera dæmon.
Et credatmiseranda suis torquetur Apollo
Nomine percussus Christi, nec fulmina verbi
Ferre potest, agitant miserum tot verbera linguæ,
Quot laudata Dei resonant miracula Christi.
Intonat Antistes Domini, fuge callide serpens,
Exuete membris, & spiras solue latentes:
Mancipium Christi fur corruptissime vexas.
Desine, Christus adest humani corporis vltor,
Non licet vt spolium rapias, cui Christus inhæsit.
Pulsus abi ventose liquor, Christus iubet, exi.
Has inter voces medias Cyllenius ardens
Eiulat, & notos suspirat Iupiter ignes.

Syricius. 384.

Ad Himerium Tarraconensem cap.2. His solis per annum diebus ad fidem confluentibus generalia baptismatis tradi conuenit Sacramenta, qui ante quadraginta vel eò amplius dies nomen dederint, & Exorcismis, quotidianisq; orationibus & ieiunijs fuerint expiati.

Concilium Quartum Carthaginense. 398.

Cap.7. Exorcista cùm ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt Exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipe, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, siue baptizatum, siue catechumenum.

Augustinus. 400.

Libro 1. de Nuptijs & concupiscentia cap.20. In veritate, non in falsitate potestas diabolica exorcizatur in paruulis, eique renuntiant, quia per sua non possunt, per corda & ora gestantium, vt eruti à potestate tenebrarum, in regnum sui Domini transferantur.

Libro 2. cap.17. & 18. Ab hac fide Apostolica & Catholica veracissima cum Pelagianis iste discedens, non vult nascentes esse sub diabolo, ne paruuli portentur ad Christum, vt eruantur à potestate tenebrarum, & in regnum ipsius transferantur. Et sic accusat Ecclesiam toto orbe diffusam, in qua vbique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exsufflantur, nisi vt ab ijs princeps mundi mittatur foras, à quo necesse est vasa iræ possideantur, cùm ex Adam nascuntur.

Cap.29. Hos (*Patres, quos Augustinus pro testimonio citabat*) iste (*Iulianus*) audeat dicere Manichæos, & antiquissimam Ecclesiæ Traditionem isto nefario crimine aspergat, qua exorcizantur, &, vt dixi, exufflantur paruuli, vt in regnum Christi, à potestate tenebrarum, hoc est, diaboli & angelorum eius eruti, transferantur.

Contra Iulianum lib.1. cap.4. Si verum est, quod audiuimus, te infantulum baptizatum, etiam tu, quamuis à tuis proprijs peccatis innocens, tamen ex Adam naturaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate traxisti, & in iniquitatibus conceptus es: profectò exorcizatus, & exufflatus es, vt à potestate erutus tenebrarum, transfereris in regnum Christi.

Lib.6. cap.5. Verum est, quod antiquitus veraci fide Catholica & prædicatur & creditur per Ecclesiam totam, quæ filios fidelium nec exorcizaret, nec exufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, & à principe mortis erueret, quod in libro meo, cui velut respondes, à me positum est: sed tu id commemorare timuisti, tanquam ipse ab toto orbe exufflandus esses, si huic exufflationi, qua princeps mundi à paruulis eijcitur foras, contradicere voluisses.

De gratia Christi, & peccato Originis libro 2. cap.40. Excepto enim, quòd in peccatorum remissionem non fallaci, sed fideli mysterio baptizantur, etiam prius exorcizantur, & exufflatur potestas contraria, cui etiam verbis eorum, à quibus portantur, se renuntiare respondent. Quibus omnibus rerũ occultarum sacratis & euidentibus signis à captiuitate pessima ad optimum Redemptorem transire monstrantur, qui pro nobis infirmitate suscepta, alligauit fortem, vt vasa eius eriperet: quia infirmum Dei non solùm est hominibus, verùm & angelis fortius.

De Peccatorum meritis & remissione lib. primi cap.34. Quid in paruulo agit Exorcismus, si in familia diaboli non tenetur? Quomodo dicturus erat (*aduersarius meus Pelagianus*) eum renuntiare diabolo, cuius in eo nihil esset?

Libro 4. de Symbolo cap.1. Omnia Sacramenta, quæ acta sunt, & aguntur in vobis per mysterium seruorum Dei, Exorcismis, orationibus, canticis spiritalibus, insufflationibus, cilicio, inclinatione ceruicum, humilitate pedum, pauor ipse omni securitate appetendus: hæc omnia, vt dixi, escæ sunt, quæ vos reficiunt in vtero, vt renatos ex baptismo, hilares vos mater exhibeat Christo.

Paulinus Nolanus. 410.

Natali 4. S. Felicis:

——Primis Doctor seruiuit in annis,
Inde gradum cepit, cui munus voce fideli
Adiurare malos, & sacris pellere verbis.

Epistola 17. Sit nobis clausula, commendatio Cardamatis: quem gratulamur de benedictione manus tuæ ita esse renouatum, vt ei assumpta de Exorcistæ nomine grauitas reuerentiam dederit.

Epistola 23. Cardamas nobis tam bellus apparuit, vt Clericum probabilem hominibus, & Exorcistam dæmonijs terribilem videremus.

Cælestinus. 420.

Epist. ad Galliæ Episcopos cap.12. Illud etiam, quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta Ecclesia vniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu, cùm siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius ad fontem vitæ adeunt, quàm Exorcismis & Exufflationibus Clericorum spiritus ab ijs immundus abigatur: vt tunc verè appareat, quomodo princeps mundi huius mittatur foras, & quomodo prius alligetur fortis, deinceps vasa eius diripiantur, in possessionem translata victoris.

Petrus Chrysologus. 400.

Sermone 52. Vbi imperio Christi fugatus est diabolus, patescunt clausa, vincula soluuntur, sermo redditur, auditus redit, homo reparatur, & solus diabolus deflet diuturna se possessione detrusum. Hinc est quòd veniens ex gentibus impositione manus, & Exorcismis ante à dæmone purgatur, & apertionem aurium percipit, vt fidei capere possit auditum, vt possit ad salutem prosequente Domino peruenire.

Leo Primus. 450.

Sermone 2. de Quadragesima cap.2. Renuntiatur atrocissimo prædoni à populis omnium nationum, omniumq; linguarum, & nullum iam genus hominum reperitur, quod non tyrannicis legibus reluctetur, dum per omnes fines terræ regeneranda in Christo multorum millium millia præparantur: & appropinquante nouæ creaturæ ortu, spiritalis nequitia ab ijs, quos possidebat, excluditur. Fremit ergo expoliati hostis impius furor & nouum quærit lucrum, quia ius perdidit antiquum.

Epist. 4. c. 6. His itaque tot tantisq; existentibus do-

cumenis, quibus omni ambiguitate submota, euidenter agnoscetis, in baptizandis electis, qui secundùm Apostolicam regulam, & Exorcismis scrutandi & ieiuniis sanctificandi, & frequentibus prædicationibus sunt imbuendi, duo tantum tempora, id est, Pascha, & Pentecoste esse seruanda.

Gennadius Massiliensis. 480.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap.31. Cum siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt Sacramentum non prius fontem vitæ adeunt, quàm Exorcismis & Exufflationibus clericorum spiritus ab ijs immundus abigatur.

Gelasius. 400.

Epist.5. Hinc est, quòd exufflantur & catechizantur infantes: & quia in opere Dei, quo in auctore suo bene sunt instituti, opus diabolicæ malignitatis accessit eruti de potestate tenebrarum, ad filij Dei sortem, purgati onemqúe legitimam transferuntur.

Gregorius Magnus. 590.

Homilia 29. in Euangelia: Sacerdotes Christi, cùm per Exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, & habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt, nisi dæmonia eijciunt.

Libro Sacramentorum: *Et exufflatter in faciem, dicens:* Exi ab eo Satana, redde honorem Deo viuo & vero, redde honorem Iesu Christo Filio eius, & Spiritui paracleto, &c.

Ergo maledicte diabole recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero: da honorem Iesu Christo Filio eius, & Spiritui sancto, & recede ab hoc famulo Dei: quia istum sibi Deus, & Dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam, & benedictionem, fontemqúe baptismatis vocare dignatus est. & hoc signum sanctæ crucis, quod nos fronti eius damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare.

Exorcizo te immunde spiritus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt exeas, & recedas ab hoc famulo Dei N, Ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulauit.

Isidorus Hispalensis. 620

De Ecclesiasticis officijs lib. 2. cap. 20. Catechumeni primùm exorcizantur, deinde salem accipiunt, & vnguntur. Exorcismus autem sermo increpationis est contra immundum spiritum, in energumenis, siue Catechumenis factus, per quem ab illis diaboli nequissima virtus, & inueterata malitia vel violenta incursio expulsà fugetur. Quod significat lunaticus ille, quem increpauit Dominus Iesus, & exijt ab illo dæmonium. Potestas autem diaboli exorcizatur, & insufflatur in ijs, vt ei renuntient, atque eruti à potestate tenebrarum, in regnum sui Domini per baptismatis Sacramentum transferantur.

Aldhelmus. 670.

Lib. de Lau[illegible]s virginitatis cap.23. Cyprianus actutum Ecclesiastico Exorcismo catechizatus, & parturientis gratiæ vulua in baptisterio regeneratus, supernorum Sacramentorum efficitur i[illegible]pauidus prædicator.

Beda. 700.

Ad cap.16. Marci: Sacerdotes Christi cùm per Exorcismi gratiam manus credentibus imponunt, & habitare malignos Spiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt, nisi dœmonia eijciunt.

Ad Luca cap.11. De homine tempore baptismatis spiritus immundus, qui in eo prius habitauerat, ad confessionem Catholicæ fidei, abrenunciationemq; mundanæ conuersationis eijciatur, locaq; inaquosa peragret, &c.

Auctor Ordinis Romani. 740.

Ordo de Sabbato sancto: *Postea imposita manu super capita singulorum, dicit hanc orationem ad Catechizandos infantes.* Nec te lateat Satanas, imminere tibi tormenta. Proinde damnate ac damnande, da honorem Deo viuo, in cuius nomine præcipio tibi vt exeas.

Alcuinus. 750.

De officijs Ecclesiasticis c. 19. de Sabbato S. Paschæ. Primò paganus, vt Catechumenus fiat, accedens ad baptismum, renuntiet maligno spiritui, & omnibus damnosis eius pompis. Exufflatur etiam, vt fugato diabolo, Christo Domino paretur introitus. Exorcizatur, id est, coniuratur malignus spiritus, vt exeat, & recedat, dans locum vero Deo.

Cap.35 Exorcismus Græcè, Latinè dicitur sermo adiurationis, siue increpationis. Inde Exorcista adiurator. Illorum officium est, vt manus ponant super dæmoniacos. & per inuocationem nominis Dei repellant dæmones ab ijs, dicentes: *Adiuro te immunde spiritus per Deum Patrem, & Filium, & Spiritum, vt ab hoc famulo Dei recedas.* Illud ministerium, vt Canones dicunt, nemo debet vsurpare, nisi qui idem officium habet, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, aut Exorcista.

Haymo. 820.

Dominica 3. in Quadragesima: Omnis Catholica Ecclesia credit, quòd per vndam baptismatis, & gratiam Spiritus sancti omnibus peccatis dimissis, dœmonis potestas excluditur. *Reuertar in domum, vnde exiui:* Tunc varijs modis mentem hominis tentare incipit, quem per baptismum reliquerat.

Homilia de Ascensione Domini: Quotidie Ecclesia spirituales virtutes operatur, quas per Apostolos prioribus tēporibus operabatur. In nomine enim Christi dæmonia eijciuntur, cùm per ministerium sacerdotale & gratiam Exorcismi ab illorum mētibus, qui in nomine S. Trinitatis baptizantur, illorum potestas excluditur.

VValafridus Strabo. 830.

Lib.1. de officijs Ecclesiasticis: Exorcismus verbum increpationis est aduersus diabolum, vt discedat, & concluditur sic: *Per Dominum nostrum Iesum Christū, &c.* Hæc coniuratio, seu increpatio ad diabolum digna est habere nouissimum iudicium, in quo iudicandi sunt mortui, & viui, & seculum per ignem.

Amularius Treuirensis. 830.

Lib.1. de Ecclesiasticis officiis cap. 24. Credimus per confessionem porrigentium infantem ad fontes expelli dæmones à catechumenis. Paruuli per fidem & confessionem parentum liberantur à diabolo in baptismo, &c.

Hincmarus. 850.

De SS. Martyribus Marcellino & Petro lib. 3. cap. 13. Obsessa puella cùm ante tumbam sacra corpora continentem venisset, & Presbyter super caput eius Exorcismum secundùm consuetudinem perlegisset, & deinde dæmonem qualiter, & quando in eam fuisset ingressus percontari cœpisset, non barbara lingua, quam sola puella nouerat, sed Romana locutione Presbyteru respondit, &c.

Rabanus Maurus. 850.

De Institut Cleri lib.1. cap. 27. de Catechizandi ordine: At postquam se per confessionem veræ fidei in alterius commendauerit dominium, & per abrenuntiationem à prioris possessoris se alienarit seruitio, exufflatur ab eo sæua tempestas, vt per pium sacerdotis ministerium Spiritui sancto cedat fugiens spiritus malignus: signansqúe se homo signaculo sanctæ crucis, tam in fronte, quàm in corde, vt ipsa apostata diabolus in vase suo pristino suæ interemptionis cognoscens signum, iam

sibi deinceps illud sciat esse alienum, &c. Dehinc iterum exorcizatur diabolus, vt suam nequitiam agnoscens, & iustum super se iudicium timens, recedat ab homine, nec iam contendat cum arte sua subuertere, ne baptismum consequatur: sed magis honorem Deo Creatori suo exhibens, reddat opus factori suo.

Smaragdus. 970.

In Epist. de Sabbato Pentecostes: In Catechumenorum facie à sacerdote per exufflationem signum crucis fit, vt diabolus fugetur, & Christo via præparetur, vt qui in latebras à persuasione sua generis humani, quod in primordio sui spiraculum vitæ acceperat, habitator erat, eius virtute, & sacratissimo signo per ministerium sacerdotum exire cogatur, qui & in discipulos insufflasse, & spiritus immundos increpasse legitur. Vnde & exorcizatur idem malignus spiritus, vt exeat, & recedat ab illo plasmate, quod iamdudum per peccatum primi hominis possidebat. Exorcismus præterea est sermo increpationis siue coniurationis. Vnde & in Actibus Apostolorum Exorcistæ fuisse leguntur: & sancta Ecclesia inter gradus Ecclesiasticos Exorcistarum etiam ministerium habet. Sciendum namque est, quia cùm exorcizatio fit, ille procul dubio exorcizatur, qui & baptismati, & saluti fidelium, & omnibus virtutibus contrarius est.

Petrus Damianus. 1050.

Epist.15.cap.20. Age ergo, quid est, quòd in faciem Catechumeni sacerdos insufflat, dicens: *Exi ab eo immunde Satan: da honorem Deo viuo & vero, da honorem Spiritui sancto?* Quibus vtique verbis patenter ostenditur, quod per illam hominis insufflationem, arcano nimirum diuinæ virtutis agente mysterio, & spiritus malus expellitur, & Spiritus Sanctus introire dignatur.

Ioannes Micrologus. 1070.

De Ecclesiasticis obseruationib.cap.7 Secundum Romanam auctoritatem nullam orationem, *per eum, qui venturus est*, concludimus, nisi sit Exorcismus, in quo diabolus, per diuinum iudicium, vt à creatura Dei discedat, exorcizatur, siue adiuratur. Nam in alijs orationibus, quas *Per Dominum nostrum concludimus*, Patrem, vt nobis per amorem Filij subueniat, imploramus: in Exorcismis autem diabolum per Dei iudicium vt fugiat, increpamus.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de Sacramento dedicationis, Primò manibus patrinorum ad Ecclesiam fuistis delati, & Sacerdotibus, vel Exorcistis ad catechizandum oblati.

Serm.de Sacram.Neophytorum: Inde est, quòd qui Sabbato sancto sunt baptizandi, quarta hebdomada Quadragesimalis obseruantiæ catechizandi, & exorcizandi deferuntur ad Ecclesiam, &c. Catechizatur ob hoc, qui ad fidem vocatur, vt ad quod vocatur, proprio moueatur voluntatis arbitrio. Exorcizatur, vt ab eo diaboli potestas iniqua depellatur, &c. Non creatura Dei in infantibus exorcizatur, & exufflatur, sed ille, sub quo sunt, qui sub peccato nascuntur.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De officijs Ecclesiasticis lib.7.cap.1. Diabolus, cui per Christianæ fidei professionem in sacro fonte renuntiatur, in quem iudiciales sententiæ proferuntur, habens iram magnam, sæuiebat in cordibus impiorum, & tuba diuini nominis offensus, illorum cœcitate & insania pro suis aduersus Deum armis vtebatur. Et sicut in Apocalypsi legimus: quia canente tuba magnus mons ardens
Apoc.8. iracundia confugiebat in profundum cordis impiorum, & diuinis Exorcismis, per quos eiectus fuerat, maleficij crimen effingens, leges è contra dictabat.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei lib.2.part.6.cap.10. Exorcistæ sunt, qui super Catechumenos, siue Energumenos inuocant nomen Domini Iesu, diuina virtute obiecta, adiurantes eum, vt egrediatur ab illis. Rectè ergo post catechizationem Exorcismus sequitur, vt ab eo, qui iam fide instructus est, aduersaria virtus pellatur.

Stephanus Eduensis. 1180.

De Sacramento altaris cap.3. Exorcistis, cùm ordinantur, dat Episcopus librum Exorcismorum, dicens: *Accipite, & habete potestatem ponendi manus super energumenos, & catechumenos.*

Ioannes Belethus. 1200.

De diuinis officijs cap.90. Exorcista debet prius baptizandos interrogare, num etiam abrenuntient Satanę, & omnibus eius pompis. Postquam à sacerdote satis in fide instructi sunt, atque Exorcistæ super eos fecerint adiurationes, ab Ostiario in Ecclesiam introducuntur.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In Octaua Epiphaniæ: Exorcismi non solùm ad decorem præmittuntur, sed per eos virtus & malitia diaboli debilitatur, vt in baptismo cedat Spiritui sancto, & tunc planè Exorcismus suum consequitur effectum.

Cæsarius Heisterbachius. 1220.

Lib.5.cap.10. Sentiunt, & timent dœmones pœnā sibi præparatam, hinc est, quòd omnes Exorcismi, qui ad illorum nequitiam eneruandam fiunt, per ignem & extremum iudicium concluduntur.

Alexander Alesius. 1230.

Part.4.q.7.m.2. Etsi per baptismum pellitur potestas diaboli à baptizato: nihilominus tamen, quia potest præstari impedimentum baptizando à diabolo, ne suscipiat baptismum, per Exorcismum potestas pellitur, ne præstet ei homini impedimentum, & ideo quantum ad hoc necessarius est Exorcismus.

Vincentius Beluacensis. 1240.

Lib.8.Speculi historialis c.23. Exorcismus idem est quod adiuratio, qua sacerdos adiurat dæmones, dicens: *Exi ab eo immundè Spiritus.* Et dicunt multi, quòd per Exorcismum expellitur diabolus, non quantum ad peccatum: sed quantum ad hoc, quòd non habeat potestatem nocendi paruulo corporaliter: alij dicunt, quòd quantum ad diminutionem peccati. Vnde dicunt, quòd si paruulus decederet statim post exorcismum, minores tenebras pateretur, quàm si non esset exorcizatus, & magis perciperet de luce spiritualium: Nobis autem videtur, quòd per Exorcismum non expellitur diabolus, sed significatur expellendus.

Hugo Cardinalis. 1240.

Ad cap.6.Marci: Quotidie dæmones ab obsessis expelluntur corporibus, & per Exorcismum virtus eorum ab infantibus exufflatur.

Thomas Aquinas. 1250.

Parte 3.q.71.artic.2. Quicunque sapienter aliquid facere proponit, prius remouet impedimenta sui operis. Vnde dicitur Hieremiæ 4. *Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas:* Diabolus autem hostis est humanæ salutis, quæ homini per baptismum acquiritur, & habet potestatem aliquam in homine, ex hoc ipso, quòd subditur originali peccato, vel etiam actuali. Vnde congruenter ante baptismum expelluntur dæmones per Exorcismos, ne salutem hominis impediant, quam quidem expulsionem significat: Exufflatio: Bene-

dictio

dictio autem cum manus impositione præcludit, ne expulsus redire possit.

Artic. 3. Quidam dixerunt ea, quæ in baptismo aguntur, nihil efficere, sed solùm significare: sed hoc patet esse falsum, per hoc, quòd Ecclesia imperatiuis verbis in Exorcismis vtitur, ad expellendam dæmonum potestatem, puta cùm dicit: *Ergo maledicte diabole exi ab eo, &c.* Et ideo dicendum est, quòd aliquem effectum habent, indifferenter tamen ab ipso Baptismo.

Bonauentura. 1260.

In lib. 4. Sentent. distinct. 7. quæst. 3. Exorcismi in baptismo sunt ad solennitatem, & ad cohibendum diabolum, vt non possit occidere paruulum, nec fortiter vexare adultum, vt retrahat à baptismo. Vnde non est contra vexationem, quam fecit in corpore, sed quàm faceret. Quia diabolus ex quo videt hominem præparari ad baptismum, ipsum vexaret. Vnde Gregorius dicit, quòd illos pulsare negligit, quos quieto iure se possidere sentit. Primò exufflatur in hoc, vt virtus diaboli exterior expellatur, & interior expellenda significetur. Secundò signum crucis fit in pectore, & in fronte, vt dæmon cognoscat se expellendum tam in occulto cordis, quàm in aperto confessionis.

Guilhelmus Durandus. 1280.

In Rationali diuinorum lib. 6. cap. 82. Post interrogationem & responsionem sacerdos ter in faciem baptizandi exufflat, ad notandum, quòd sæua potestas, id est, malignus spiritus, ab eo exufflatur, id est, exufflando expellitur, seu in proximo expellenda significatur, vt per pium sacerdotis ministerium Spiritui sancto cedat fugiens spiritus malignus. Hæc autem exufflatio, siue exorcizatio, etsi non prosit aliquid ad vitam, quia adhuc in eis mors manet, prodest tamen, vt ei inimicus minimè nocere possit. Adest enim Spiritus sanctus non solùm verbis, quæ dicuntur in nomine suo: verùm etiam significationibus, quæ fiunt in honore suo.

Durandus à S. Portiano. 1300.

In librum 4. Sentent. dist. 6. quæst. 4. Exorcismus est idem quod adiuratio, per quam dæmonis potestas arcetur, ne impediat baptizandum à susceptione Sacramenti. Et istud fit rationabiliter ante baptismum. Quia sicut est in generatione naturali, sic videtur quòd debet esse in generatione spirituali. Sed in generatione naturali sic est, quòd generans prius remouet dispositiones, impedientes susceptionem formæ, antequam introducat formam. Ergo similiter in regeneratione spirituali, quæ est per baptismum, prius remouenda sunt ea, quæ possunt impedire susceptionem vitæ spiritalis: vt est potestas dæmonis, quam accepit in hominem ex peccato primorum parentum, quàm introducatur per baptismum vita spiritualis. Illud autem fit per Exorcismum. Ergo Exorcismus debet præcedere baptismum.

Franciscus Maronius. 1320.

In lib. 4. Sentent. dist. 2. quæst. 1. Exorcismus non est Sacramentum, sed habet aliquam vim expellendi dæmones.

Guido Recherius. 1330.

In manipulo Curatorum part. 2. cap. 8. Exorcismus idem est quod adiuratio, quia adiuratur dæmon, vt recedat de anima baptizandi, & det locum Spiritui sancto aduenienti.

Thomas Waldensis. 1414.

Tom. 3. tit. 5. cap. 48. Exorcismus requiritur contra spiritum immundum, quem toties increpans Christus quandoque solo iussu, vel alijs medijs priori destituebat hospitio: hic ergo Catechumenis oportunus est, prout scribit Isidorus lib. 2. de officio cap. 20.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica lib. 4. de Sacramento Baptismi: Exorcismus dicitur illa adiuratio, quæ fieri debet antequam ministretur baptismus, & ibi fiunt plura. Primò insufflatio, ad expellendam virtutem dæmonis, & potestatem: quia diabolus propter peccatum hominis in hominem potestatem accepit, & etiam in illa, quæ veniunt in vsum hominis, vnde tam adulti, quàm paruuli debent exorcizari, ad expulsionem tam noxiæ potestatis.

ARTICVLVS DECIMVSQVINTVS.

CONFESSIONEM FIDEI REQVIRI IN BAPTISMO.

NEGANT.

Anno post natũ Christum. 1540.

WOLFFGANGVS Musculus in Locis Communibus de Baptismo: *Si baptizandus sit infans, nec fides confessio, nec fides ab illo, sicut ab adulto, poscatur: quandoquidem omnino absurdum est, id requirere ab infante, quod nec ipse Deus ab illo requirit, nec ille per ætatem vel habere, vel exprimere potest. Quapropter non video quomodo defendi queat, quòd baptizandus infans interrogatur, num credat in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cæli & terræ, & illius loco à testibus ad trinam de fide interrogationem tertiò respondetur, quod credat: hæc consuetudo tam absurda, vt defendi nequeat.*

1560. *Beza*, epist. 8. *simili modo inuehitur in Confessionem fidei, quæ exigitur in baptismo.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constitut. Apostol. lib. 7. cap. 42. Post renuntiationem verò, cùm ascribitur Christo, dicat: Ascribor, & credo, & baptizor in vnum ingenitum solum ve-

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De spectaculis cap. 4. Cùm aquam ingressi, Christianam fidem in legis suæ verba profitemur, renuntiasse nos diabolo, & angelis eius ore nostro contestamur.

Cyprianus. 250.

Epist. 70. Sed & ipsa interrogatio, quæ fit in baptismo, testis est veritatis. Nam cùm dicimus: *Credis in vitam æternam, & remissionem peccatorum per S. Ecclesiam*, intelligimus remissionem non nisi in Ecclesia dari. Libro 1. cap. 18.

Epist. 76. Quod si aliquis illud opponit, vt dicat, eandem Nouatianum legem tenere, quam Catholica Ecclesia teneat eodem Symbolo, quo & nos, baptizare: eundem nosse Deum Patrem, eundem Filium Christum, eundem Spiritum S. ac propter hoc vsurpare eum potestatem baptizandi posse, quòd videatur in interrogatione baptismi à nobis non discrepare: sciat quisquis hoc opponendum putat, primùm non esse vnam nobis & Schismaticis Symboli legem, neque eandem interrogationem. Nam cùm dicunt: *Credis remissionem peccatorum, & vitam æternam per sanctam Ecclesiam*, mentiuntur interrogatione, quando non habeant Ecclesiam. Tunc deinde voce sua ipsi confitentur, remissionem peccatorum non dari, nisi per sanctam Ecclesiam posse: quam non habentes, ostendunt remitti illic peccata non posse. Libro 1. epist. 6.

Hilarius. 350.

In Matth. Can. 75. Venturi ad baptismum prius confitentur se credere in Filium Dei, & in passione, & in resurrectione eius huic professionis Sacramento fides redditur. Atque vt hanc verborum sponsionem quædam ipsarum rerum veritas consequatur, toto in ieiunijs passionis Dominicæ tempore demorantes, quadam Domino passionis societate iunguntur.

Ambrosius. 370.

Lib. 2. de Sacramentis cap. 7. Interrogatus es: *Credis in Deum Patrem omnipotentem?* Dixisti, *Credo*: & mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es: *Credis in Dominum nostrum Iesum Christum, & in crucem eius?* Dixisti, *Credo* & mersisti: ideo & Christo es consepultus. Qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurgit. Tertiò interrogatus es: *Credis & in Spiritum sanctum?* Dixisti: *Credo*: tertiò mersisti, vt multiplicẽ lapsum superioris ætatis absolueret trina confessio.

1. Libro de Spiritu sancto cap. 11. In mysterijs interrogatio trina defertur, & non confirmatio trina celebratur. Non potest quis nisi trina cõfessione purgari.

De his, qui mysterijs initiantur cap. 5. Descendisti, recordare quid responderis, quòd credas in Patrem, credas in Filium, credas in Spiritum sanctum, non habes illic: credo in maiorem, credo in minorem, credo in vltimum: sed eadem vocis tuæ cautione astringeris, vt similiter credas in Filium, sicut & in Patrem credis.

Hieronymus. 390.

Dialogo aduersus Luciferianos cap. 5. Solenne est in lauacro post Trinitatis confessionem interrogare: *Credis sanctam Ecclesiam Catholicam? credis remissionem peccatorum, &c.*

Ad Pammachium aduersus errores Ioannis Hierosolymitani cap. 4. Consuetudo apud nos eiusmodi est, vt ijs, qui baptizandi sunt, per quadraginta dies publicè tradamus sanctam & adorandam Trinitatem, &c.

Ruffinus. 400.

In Explicatione Symboli: In Ecclesia vrbis Romanæ mos seruatur antiquus, apud eos, qui gratiam baptismi suscepturi sunt, publicè, id est, fidelium populo audiente, Symbolum reddere: & vtique adiectionem vnius saltem sermonis eorum, qui præcesserunt in fide, non admittit auditus.

Augustinus. 400.

De fide & operibus cap. 9. Spado, inquiunt, (*qui solam fidem requirunt*) ille, quem Philippus baptizauit, nihil plus dixit, quàm, credo Filium Dei esse Iesum Christum, & in hac professione continuò baptizatus est. Num ergo placet, vt hoc solùm homines respondeant, & continuò baptizentur: nihil de Spiritu sancto, nihil de S. Ecclesia, nihil de remissione peccatorum, nihil de resurrectione mortuorum: postremò de ipso Iesu Christo nihil, nisi quia Filius Dei est, non de Incarnatione eius ex Virgine, de ascensione, ac sede ad dextram Patris aliquid dicendum est catechizanti, ac profitendum credenti? Si enim Spado cum respondisset: *Credo Filium Dei esse Iesum Christum*, hoc ei sufficere visum est, vt continuò baptizatus abscederet, cur non id sequimur, atque auferimus cætera, quæ necesse habemus, etiam cùm ad baptizandum temporis vrget angustia, exprimere, interrogando vt baptizandus ad cuncta respondeat, etiamsi ea memoriæ mandare non valuit? Si autem Scriptura tacuit, atque intelligenda admisit cætera, quæ cum illo spadone, baptizando Philippus egit, atque in eo, quod ait: *Baptizauit eum Philippus*, intelligi voluit omnia completa, quæ licet taceantur in Scripturis gratia breuitatis, tamen serie traditionis scimus implenda: pari modo, etiam in eo, quod scriptum est euangelizasse Philippum spadoni Dominum, nullo modo dubitandum est, & illa in Catechismo dicta esse, quæ ad vitam, moresq; pertinent eius, qui credit in Dominum Iesum. Actor. 8.

Cap. 20. Iste curationis ordo est, vt baptisandi credant in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, eo ritu, quo Symbolum traditur: & à mortuis operibus agant pœnitentiam, omniumq; se omninò præteritorum remissionem in baptismo accepturos esse non dubitent.

Gennadius Massiliensis. 470.

De dogmatibus Ecclesiasticis cap. 74. Baptisandus confitetur fidem suam coram sacerdote, & interrogatus respondet: hoc & Martyr coram persecutore facit, qui & confitetur fidem suam, & interrogatus respondet. Ille post confessionem vel aspergitur aqua, vel intingitur: & hic vel aspergitur sanguine, vel contingitur igne.

Primasius. 540.

Ad cap. 6. prioris ad Timotheum: *Confessus es bonam confessionem, in baptismo, coram multis testibus.* Coram sacerdotibus & ministris atque Virtutibus cælestibus ac diuinis.

Gregorius Magnus. 590.

Libro Sacramentorum de Catechizandis infantibus: Sacerdos deinde interrogat Symbolum: *Credis in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ?* Resp. *Credo. Credis & in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum natum & passum?* Resp. *Credo. Credis & in Spiritum sanctum, &c.* Respon. Credo

Isidorus Hispalensis 620.

De officijs Ecclesiasticis lib. 2. cap. 24. Duæ sunt pactiones credentium: prima pactio est, qua renuntiatur diabolo, & pompis eius: secunda pactio

est,

ARTICVLVS DECIMVSSEXTVS.

TRES IN BAPTISMO IMMERSIONES

IMPROBANT.

Anno post natum Christũ 370.

EVNOMIANI *eos.quos baptizant semel tantùm mergunt.* Concilium Constantinopolitanum primum cap.7.

PROBANT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Canon. 49 Si quis Episcopus aut Presbyter non trinam mersionem vnius mysterij celebret, sed semel mergat in baptismate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur. Non enim dixit nobis Dominus: in morte mea baptizate: sed: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiast. Hierar. cap. 2. Ille quidem à sacerdotibus se tenentibus in aquam ducitur ad Pontificis manum. Pontifex autem supernè astans, cùm rursus per aquas sub Pontificis manu sacerdotes eius, qui initiatur, inclamauerint nomen, ter illum Pontifex mergit: hac trina illius immersione, & emersione tres beatitudinis diuinæ personas inclamans.

Origenes. 230.

Libro 1. de Principijs: Salutaris Baptismus non aliter, nisi excellentissima omni Trinitatis auctoritate, id est, Patris, & Filij, & Spiritus sancti cognominatione completur.

Constantinus Imp. 320.

In Priuilegio Romanæ Ecclesiæ. Benedictionis fonte, illic me terna immersione vnda salutis purificauit.

Athanasius. 340.

Quæst. 124. Quòd infantem ter in aquam immergimus, & ter educimus, mortem, & triduanam Christi resurrectionem significamus.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Cateches. 2. Postea deducebamini ad sanctum diuini baptismatis lauacrum: & tunc vnusquisque interrogabatur, an crederet in nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & confessi estis salutarem confessionem, & mersi ter in aquam, rursus emersistis, atque ita per hęc symbola triduanam Christi significastis sepulturam. Nam & Saluator noster tribus diebus & tribus noctibus fuit in visceribus terræ.

Basilius Magnus. 370.

De Spiritu sancto cap.15. Tribus igitur demersionibus, ac totidem inuocationibus, magnum baptismatis mysterium peragitur, vt & mortis figura adumbretur, & per traditionem diuinæ cogitationis animus repurgetur eorum, qui baptizantur.

Cap.27. Iam ter immergi hominem, vnde est traditum? reliqua item, quæ fiunt in baptismo, veluti renuntiare Satanæ, & angelis eius, ex qua Scriptura habemus? Nonne ex priuata & arcana hac Traditione? nonne ex doctrina, quam Patres nostri in silentio, quod curiosos & otiosos submouet, seruarunt?

Gregorius Nyssenus. 380.

Orat. Catechetica cap.35. Descensus autem in aquã, & quòd in eam homo ter demissus sit, alterum continet mysterium. Sicut Christus, postquam sub terra positus, tertio die reuersus est ad vitam: ita etiam, qui secundùm naturam corporis est illi coniunctus, ad idem, quod ab ipso rectè gestum est, intuens, ad vitæ, inquam, finem, pro terra aqua ei infusa, in tribus ambitibus imitatus est triduanam gratiam resurrectionis.

Oratione de S. Baptismate: Nos baptisma assumentes ad imitationem Domini & doctoris & præceptoris nostri, in terra quidem non sepelimur, sed ad terræ cognatum elementum aquam venientes, in illa, sicut Saluator in terra, nos abscondimus, idque cùm ter simul facimus, triduò peractam nobis resurrectionis gratiam effingimus, eaquè facimus, non silentio ii vlterium assumentes, sed trium sanctarum hypostaseon, in quas credidimus, in quas etiam speramus, ex quibus nobis contingit, vt & nunc simus, & rursum futuri simus, nominibus super nos pronuntiatis.

Synodus Constantinopolit. Prima. 380.

Can.7. Eunomianos, qui in vnam demersionem baptizantur, ad Ecclesiam venientes admittimus, sed postea baptizamus.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homil. de fide in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: Omnibus mysterijs veluti sigillum imponens Dominus, in tribus mersionibus aquæ vnum baptisma discipulis suis tradidit, dicens: *Euntes docete, &c.*

Homil.24. in Ioannem: In aqua, tanquam in sepulchro, caput immergentibus vetus homo sepelitur, & submergitur, deinde nobis emergentibus, nouus resurgit inde. Vt facilè nobis est immergi, & emersos respirare: ita Deo veterem sepelire hominem, & nouum induere. Præterea ter istud fit, vt hunc Patris, & Filij, & Spiritus sancti virtutem hæc omnia implere intelligas.

Isychius Hierosolymitanus. 590.

Lib.4. in Leuiticum cap.14. In nomine Patris, atque ipsius vnigeniti Filij, & sancti Spiritus etiam baptisma agitur, in quo in morte Christi baptizamur, & totum ipsum mysterium in eo sanctificatur.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

In Theoria: Nam per immersionem in aqua, & emersionem, triplicemque mundationem, triduanam sepulturam, & resurrectionem ipsius Christi, repræ-

repræsentamus, & confitemur.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxa fidei lib. 4. cap. 10. Baptismus mortis Christi figuram præfert: baptismus siquidem per triplicem immersionem tres dies, quibus Dominus tumulo conditus iacuit, significat.

Epistola de Trisagio: Enimuerò si quis ex nobis sciscitetur, quid sit causæ, quamobrem cùm alicui baptismum exhibemus, ter eum mergimus, quidnam aliud respondebimus, quàm quòd ob vnamquamque personam eum immergimus. Nam alioqui nouies immergendus esset. Id quod fieri non potest. Eaque etiam ratione ad vnamquamque immersionem nomen eius è tribus personis pronuntiamus.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 3. Ioannis: Symbola sepulturæ & resurrectionis in aqua illa perficiuntur. Tres mersiones triduanæ sepulturæ symbola sunt: deinde regreditur homo, sicut Dominus, fulgidior, & clarior, incorruptionis ferens indumenta, qui in aqua corruptionem submersit.

Simeon Metaphrastes. 970.

De rebus gestis & consummatione S. Cornelij cap. 2. Vas è cælo ter demissum, significabat ternam in Baptismo demersionem.

Ioannes Zonaras. 1100.

In Can. 50. Apostol. Hic Canon tria baptismata tres immersiones intelligit, in vno mysterio, scilicet in vno baptismate: sic vt ad vnamquamque immersionem baptizans addat vnum sanctæ Trinitatis nomen. Nam semel eum, qui baptizatur, in sacrum lauacrum demergere, & in mortem Domini duntaxat vnam celebrare immersionem, scelestum ac nefarium est: atque sic baptizans ordine mouetur.

Theodorus Balsamon. 1160.

In Canonem Apostolorum 50. Statuit hic Canon per tres immersiones peragi oportere mysterium sacri baptismatis, scilicet in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. semel autem baptizare propter vnitatem Deitatis, & Trinitatem personarum: vel propter mortem Christi in cruce, & eius triduanā resurrectionem. Dicit enim Apostolus: *In morte eius baptizati sumus:* Baptismata autem hîc pro immersione accipienda sunt. Eum quidem certè, qui per vnam immersionem in mortem Domini baptizat, Canon dicit deponendum, vt qui præter Domini doctrinam faciat, & apertè impius sit.

Nicetas Choniates. 1200.

Lib. 4. Orthodoxa fidei cap. 22. Exempli gratia proferam illa, quæ in baptismatis regeneratione fiunt. Ibi enim qui redemptionis aqua lustrantur, verè sepeliuntur, vereque resurgunt. Eò enim quòd ter aqua lustramur, vnà cum Christo sepelimur, denuoque cum Christo iisdem lustrationibus resurgimus, ab illa veteri mortalitate liberati, quam ex Adami lapsu contraxeramus.

Theodulus.

Ad cap. 6. ad Romanos: Nam tres obitus & ortus, hoc est, triplex illa tinctura, mortem & resurrectionem significat.

Nicolaus Cabasilas. 1250.

Expositionis Liturgiæ cap. 5. Et quid hoc est? imitari eius mortem. Et quomodo? Cùm corpus in aqua, tanquam in sepulchro abscondimus, & hoc ter ostenderimus, tanquam iam mortis, & sepulchri nos socios acceperit, noua sua vita dignatur.

Seuerus Alexandrinus. 1280.

De ritibus Baptismi: Et dimittit eum sacerdos in baptisterium, respiciens ad Orientem, dextramque suam capiti eius, qui baptizatur, imponit, & sinistra sua ter attollit ex aquis, à fronte, à tergo, & altero laterum eius, atque in hunc modum ait: *Baptizetur talis N, in nomine Patris, amen: & Filij, amen: & Spiritus Sancti ad vitam seculorum.* Tunc educit eum è medio aquarum, & dat eum susceptori suo.

Hieremias Constantinop. 1570.

Respon. 1. cap. 4. Certè qui non est regeneratus aqua & Spiritu, non potest vitam ingredi. Et morimur mortem illius, vt pari resurrectione resurgamus, & regni hæredes fiamus, tripliciter coronati, quando Trinitas accinitur, tribus immersionibus, non trina infusione vtentes. Baptizabant enim veteres, non manibus suis aquam baptisando aspergentes, sed trina immersione, hoc Euangelij sequentes: *Ascendit ex aqua.* Ergo ante descenderat: Ecce immersio, non aspersio.

Christiani in Æthiopia nostro seculo.

In Ordine Baptismi: Sacerdos autem eos suscipit, & ter mergit, dicens: Ego baptiso in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Christiani in Moscouia.

Ioannes Faber de religione Moscouitarum: Prælectis itaque orationibus atque Exorcismis, cùm puer fortioribus naturæ viribus apparet, ter totus mergitur: alioqui aqua tingitur. Conspersio enim minus sufficiens esse iudicatur.

PROBANT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Libro de Corona militis cap. 3. Denique vt à baptismate ingrediar, adituri contestamur nos renuntiare diabolo, & pompæ eius, & angelis eius, dehinc ter mergitamur.

Aduersus Praxeam c. 26. Et post resurrectionem spondens missurum se discipulis promissionem Patris, & nouissimè mandans, vt tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, non in vnū. Nam nec semel, sed ter ad singula nomina in personas singulas tingimur.

Ambrosius. 370.

Lib. 2. de Sacramentis c. 7. Interrogatus es: *Credis in Deum Patrem omnipotentem?* Dixisti: *Credo,* & mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es: *Credis in Dominum nostrum Iesum Christum, & in crucem eius?* Dixisti: *Credo,* & mersisti: & ideo Christo es consepultus. Qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurget. Tertiò interrogatus es: *Credis in Spiritum sanctum?* Dixisti: *Credo,* & tertiò mersisti, vt multiplicem lapsum superioris ætatis absolueret trina confessio.

Hieronymus. 390.

Dialogo aduersus Luciferianos cap. 4. An nescis, etiam Ecclesiarum esse morem, vt baptizatis postea manus imponantur, & ita inuocetur Spiritus sanctus? Exigis vbi scriptum sit? In Actibus Apostolorum Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis in hac parte consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per Traditionem in Ecclesijs obseruantur, auctoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt, velut in lauacro ter caput mergitare. Acto. 15

In cap. 4. Ephes. Eodem modo & in Patrem, & in Filium, & in Spiritum sanctum baptizamur, & ter mergimur, vt Trinitatis vnum appareat Sacramentum, &c. Potest vnum baptisma & ita dici, quòd licet ter baptizamur, propter mysteri-

um Trinitatis, tamen vnum baptisma reputetur.

Augustinus. 400.

Homilia 91. de Tempore: Quando in salutari lauacro tertiò Christiani merguntur, tunc Aegyptij, id est, originalia peccata, vel actualia crimina quasi rubro mari sepeliuntur.

Sermone 201. de Tempore: Mysterium Trinitatis in Sacramento Baptismatis demonstratur, dum tertia vice vetus homo mergitur, vt nouus surgere mereatur.

Homilia 4. Postquam vos credere promisistis, tertiò capita vestra in sacro fonte demersimus: qui ordo baptismatis duplici mysterij significatione celebratur. Rectè enim tertiò mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine Sanctæ Trinitatis. Rectè tertiò mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine Iesu Christi, qui etiam die tertia resurrexit à mortuis. Illa enim tertiò repetita demersio, typum Dominicæ exprimit sepulturæ, per quam Christo consepulti estis in baptismo, & cum Christo resurrexistis in fide: vt peccatis abluti, in sanctitate virtutum Christum imitando viuatis.

Petrus Chrysostomus. 440.

Sermone 113. *Consepulti sumus cum illo per mortem.)* Audiant fideles, quemadmodum triduana Domini sepultura trina demersione figuratur in baptismo: & resurrexisse cum Christo, etsi necdum corpore, vitæ iam nouitate congaudeant.

Leo Primus. 450.

Epistola 4. cap. 3. Sepulturam triduanam imitatur trina demersio, & ab aquis eleuatio resurgentis ad instar est de sepulchro.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 3. de Pascha: Ecce mala innumera, antiquis & recentibus impressa vulneribus, perpetuis gehennæ ignibus extirpanda, terna submersione purgantur.

Paschasius Diaconus. 500.

De Spiritu sancto lib. 2. cap. 5. Sicut Christus triduana morte sepulchro conditus fuit: ita nos inter aquæ elementum, id est, inter cognatæ creaturæ sub trina submersione depositi, dum descendimus, sepelimur, dum emergimus, suscitamur.

Pelagius. 555.

Apud Gratianum de Consecrat. dist. 4. Multi sunt, qui in nomine solummodò Christi vna etiam immersione se asserunt baptizare, Euangelicum vero præceptum, ipso Domino ac Saluatore nostro Iesu tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, trina etiam mersione, sanctum baptisma vnicuique tribuere, dicente Domino discipulis suis: *Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Gregorius Magnus. 590.

Lib. Sacramentorum de Baptismo infantium: Deinde baptizat eum sacerdos sub trina mersione, tantùm sanctam Trinitatem semel inuocans, ita dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris*, & mergat semel: *& Filij*, & mergat iterum: *& Spiritus sancti*, & mergat tertiò.

Libro 1. epist. 41. De trina verò mersione baptismatis, nihil responderi verius potest, quàm quod ipsi sensistis: quia in vna fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diuersa. Nos autem quòd tertiò mergimus, triduanæ sepulturæ Sacramenta signamus, vt dum tertiò infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quòd si quis fortè etiam pro summæ Trinitatis veneratione existimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizando semel in aquis mergere: quia dum in tribus personis vna substantia est, reprehensibilis esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel semel, vel ter immergere, quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in vna potest diuinitatis singularitas designari. Sed quia nunc hucusque ab hæreticis infans in baptismate tertiò mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo: ne dum mersiones numerant, diuinitatem diuidant, dumque quod faciebant faciunt, se morem nostrum vicisse glorientur.

Isidorus Hispalensis. 620.

Libro de Viris Illustribus capite 26. Ioannes Cappadox antiquorum Patrum sententias de trina immersione collegit.

Concilium Toletanum Quartum. 643.

Cap. 5. De Baptismi Sacramento, propter quod in Hispanijs quidam sacerdotes trinam, quidam simplam mersionem faciunt, à nonnullis schisma esse conspicitur, & vnitas fidei scindi videtur. Nam dum partes diuersæ in baptizandis aliqua contrario modo agunt, alij alios non baptizatos esse contendunt. Proinde quid à nobis in Sacramenti diuersitate faciendum sit, Apostolicæ Sedis informemur præceptis, non nostram, sed paternam institutionem sequentes. Beatæ ergo memoriæ Gregorius, Romanæ Ecclesiæ Pontifex, &c. efflagitante Leandro Episcopo de hac Hispaniæ diuersitate quid potius esset sequendum, inter cætera rescribens ei, sic ait: De trina verò mersione baptismatis, &c. *vt supra.* Quapropter, quia de vtroque Sacramento, quod fit in sancto baptismo, à tanto viro reddita est ratio, quòd vtrumque rectum, vtrumque irreprehensibile in sancta Dei Ecclesia habeatur: propter vitandum autem schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis vsum, simplam teneamus baptismatis mersionem, ne videantur apud nos, qui tertiò mergunt, hæreticorum approbare assertionem, dum sequuntur & morem. Et ne fortè cuiquam sit dubium huius simpli mysterium Sacramenti, videat in eo mortem & resurrectionem Christi significari. Nam in aquis mersio, quasi ad infernum descensio est: & rursus ab aquis emersio, resurrectio est. Item videat in eo vnitatem diuinitatis, & Trinitatem personarum ostendi. Vnitatem, dum semel mergimus: Trinitatem, dum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizamus.

Libro 1. Registri epist. 41.

Alcuinus. 750.

De officijs Ecclesiasticis cap. 19. de Sabbato S. Paschæ: Deinde sanctæ Trinitatis trina submersione baptizatur, & rectè homo, qui ad imaginem sanctæ Trinitatis conditus est, per inuocationem S. Trinitatis, ad eandem renouatur imaginem: & qui tertio gradu peccati, hoc est, consensu cecidit in mortem, tertiò eleuatur de fonte, vt per gratiam surgat ad vitam.

Haymo. 820.

Ad caput 14. epistol. ad Roman. Quia bonis operibus abundabat, postea correptus à Domino abundauit altiori sensu, ter illos mergendo.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap. 26. Alij trinam immersionem volunt, in similitudinem triduanæ sepulturæ, vt in Canonibus Apostolorum statutum habetur, & Romanorum consuetudo obseruat. Alij vnam propter diuinitatis vnitatem contendunt, vt in Concilio Toletano plenissimè habetur: vbi etiam commemoratur quòd Beatus Gregorius interroganti super hæc Leandro inter cætera ita responderit: quia in vna fide nihil officit Ecclesiæ consuetudo diuersa.

Rabanus Maurus. 850.

De Institutione Cleri libro 1. capite vicesimooctauo: Post hæc consecratur fons, & ad ipsum baptismum Catechumenus accedit, & sic in nomine sanctæ Trinitatis trina submersione baptizatur. Et rectè homo, qui ad imaginem sanctæ Trinitatis conditus est, per inuocationem sanctæ Trinitatis ad eandem renouatur imaginem: & qui tertio gradu peccati, id est, consensu concidit in mortem, tertiò eleuatus de fonte per gratiam resurgit ad vitam.

Paschasius Ratbertus. 880.

De Corpore & sanguine Domini cap. 15. Quando in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti ter mergimur in fonte, tunc vtique baptizamur, non in virtute illius & potestate, qui hæc dicit, sed in virtute Christi, qui hoc præcepit.

Smaragdus. 970.

In Epist. Ephes. 4. In Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum baptizamur, & ter mergimur, vt Trinitas vnum appareat Sacramentum.

Fulpertus Carnotensis. 1000.

Epistol. ad Adeodatum: Sicut Dominus noster Iesus Christus tribus diebus, & tribus noctibus corporaliter sub terræ sepulchro conditus fuisse describitur: ita homo sub cognato terræ elemento, trina vice demersus operitur, ac sic vitalis imitatione mysterij, dum demergitur, sepelitur, dum educitur, suscitatur.

Radulphus Ardens. 1050.

In die S. Trinitatis: Sacramentum exterius, id est, exterior ablutio ab exterioribus sordibus, fit ex aqua, quando scilicet homo ter in ea mergitur, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Purificatio verò interior à peccatis, fit à Spiritu sancto.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad cap. 6. ad Romanos: Quemadmodum ipse fuit sepultus corpore: sic peccatum nostrum lateat, & sepeliatur sepulchro aquæ. Sicut ipse tribus diebus in sepulchro iacuit: sic nos tribus vicibus sepulturæ Sacramenta signamus: & dum tertiò ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimitur.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de Sacramentis Neophytorum: Sub responsione trinæ interrogationis trina immersione Catechumenus à sordibus vetustatis abluitur, & nouum hominem indutus, triduanæ Domini sepulturæ consepelitur.

Sermone de Sacrament. Dedicationis: His documentis instructi, accessistis ad aquam, & fonte salutis abluti estis, vbi, secundùm Apostolum, per
Rom. 6. trinam immersionem Christo consepulti estis.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone de Cœna Domini: Triduo Domino consepelimur, cùm ter vndis immersi, quasi terra operimur.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei libro 2. parte 6. cap. 11. Sub hac fidei responsione trina immersione à sordibus vetustatis abluitur, & nouum hominem indutus, triduanæ morti Christi consepelitur.

Petrus Lombardus. 1140.

Libro 4. Sentent. dist. 3 De immersione verò si quæritur quoties fieri debeat, præcisè respondemus vel semel, vel ter pro vario Ecclesiæ more. Vnde Gregorius: De trina immersione, &c. *vt supra.* Secundùm hoc licet non modo ter, sed etiam semel tantùm immergere. Ibi tamen semel tantùm immergere licet, vbi consuetudo Ecclesiæ talis existit: si quis verò id facere incipiat, vbi consuetudo talis non est, vel semel tantùm mergendum asserat, reprehensibilem se constituit.

Iacobus Vitriacus. 1220.

De Octaua Epiphaniæ: Quoniam in fide Trinitatis fit baptismus, triplex fit in aqua submersio, in qua etiam triduana Christi sepultura exprimitur.

Thomas Aquinas. 1250.

In Symbolum Apostolorum cap. 13. Sicut Christus fuit tribus diebus in sepulchro, ita in baptismo fit trina immersio in aquam.

Ioannes Duns Scotus. 1300.

In Reportationibus super 4. Sententiarum distinct. 3. quæst. 4. De necessitate ministri est ter immergere, nisi causa rationbili excusante: quia illud est rationabile, quòd fit, & trina tamen propter hoc, quod per baptismum consepulti sumus Christo, & Christus triduum fuit in sepulchro. Excusari potest minister à trina immersione, vt si minister sit impotens, & sit vnus magnus rusticus, qui debet baptizari, quem nec posset immergere, nec eleuare, nec etiam oportet, quòd perfundatur aqua, vt ibi sit ita modicum de aqua, vt fortè non posset pes eius ablui, vel etiam si tempus sit ita frigidum, & puer ita debilis, quòd si semel immergeretur, fortè moreretur. Et tunc, vel est pars principalior abluenda, vel potest fieri aqua tepida, vel quouis alio modo videbitur rationabiliter expedire. Istis tamen casibus cessantibus, ter immergendus est baptizandus.

Thomas Argentinensis. 1360.

In lib. 4 Sententiarum quæst. 1. art. 4. Vtrum de necessitate baptismi sit trina illa immersio? Dico, quòd non. Vbi tamen consuetudo est, quòd baptizandus ter mergatur, grauiter peccaret, qui illam consuetudinem non obseruaret. In casu tamen potest excusari, puta si baptizandus est adeò debilis, quòd periculosum esset ipsum immergi: tunc enim sufficit vna mersio, vel etiam sola aquæ aspersio super ipsum baptizandum.

Thomas VValdensis. 1414.

Tom. 3. tit. 5. cap. 51. Sic itaque ad Orientem facie versa sacerdos baptizandum mergit, perficiens trina immersione mysterium. Nam sicut sepultura eius fuit triduana velatio eius super superficie terræ: ita & ter sub vndis tegitur baptizandus.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica libro 4. de Sacrament. Baptismi. Quoties puer debet immergi? *Solut.* Secundùm consuetudinem Ecclesiæ vel semel, propter vnitatem diuinæ essentiæ: vel ter, propter Trinitatem personarum.

(*‸*)

ARTICV-

ARTICVLVS DECIMVSSEPTIMVS.

SAL IN ORE BAPTIZATI PONENDVM.

NEGANT.

Anno post natum Christũ 1560. WOLFFGANGVS Musculus in Locis Communibus capite de Baptismo: *Salis vsus in veteri Testamento à Mose illis, qui sub lege erant, praescriptus. Si Christo placuisset, vt ab ipsius ministris ad ritus Mosaicos respiceretur, & ex illis pro ipsorum arbitratu desumeretur, vel significasset hoc ipse, vel fecissent hoc Apostoli. Quare & hunc salis vsum, quem adhibent baptismo, ἐθελοθρησκείαις Episcoporum tribuendum censemus.*

ASSERVNT.

Origenes. 230.

Homilia 6. in Ezechielem: *Neque sale salita.*) Et hoc crimen est Hierusalem, quia non fuerat digna
Matt. 5. sale Dei. Ego si credidero Domino meo Iesu Christo, ipse me sal faciet, dicetq; mihi: *Vos estis sal terrae.* Si credidero Spiritui, qui in Apostolo locutus est, sale condior, & possum praeceptum custodire,
Col. 4. dicens: *Sermo vester sit semper in gratia sale conditus.* Grande opus est insaliri. Qui sale conditur, gratia plenus est. Nam & in communi Prouerbio salsus dicitur gratiosus, & è contrario insulsus, qui non habet gratiam. Si igitur gratia nobis à Deo venit, & complemur dono eius, sale salimur. Oportet ergo eum, qui renascitur, vtique in Christo renascentem rationabile & syncerum lac desiderare: & priusquam rationabile, & sine dolo lac desideret, debet sale saliri, & pannorum inuolucris colligari, ne dicatur ad eum, sale non est salitus, & pannis non est inuolutus.

Ambrosius. 370.

Ad cap. 22. Lucae loquens de Baptismo: Per te foetor tabidae carnis aboletur, & pereuntia situ viscera asperso sale in multam seruantur aetatem.

Concilium Carthaginense Tertium. 397.

Cap. 5. Placuit, vt etiā per solennissimos Paschales dies Sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum sal. Quia si fideles per illos dies Sacramentū non mutant, nec Catechumenis oportet mutari.

Augustinus. 400.

Libro 1. Confessionum cap. 11. Audieram ego adhuc puer de vita aeterna nobis promissa per humilitatem Domini Dei nostri, descendentis ad superbiam nostram, & signabar iam signo crucis, & condiebar eius sale iam inde ab vtero matris meae.

Gregorius Magnus. 590.

Libro Sacramentorum de Ordine ad Catechumenum faciendum: *Inde verò benedici: sal hoc modo:* Exorcizo te creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in charitate Domini nostri Iesu Christi, & in virtute Spiritus sancti. Exorcizo te per Deum viuum, & per Deum verum, qui te ad tutelam humani generis procreauit, & populo venienti ad credulitatem per seruos suos consecrari praecepit, vt in nomine S. Trinitatis efficiare salutare Sacramentum, ad effugandum inimicum, &c. *Postea interrogat nomina eorum, & ponit de ipso sale in os ipsorum, & dicit:* Accipe salem sapientiae in vitā aeternā.

Deus dedit Papa. 615.

Epist. ad Gordianum Hispalensem Episcopum: Septē sunt dona baptismi, à primo pabulo sacrati salis, & ingressus sanctae Ecclesiae, vsque ad Confirmationem Spiritus sancti per Chrisma.

Isidorus Hispalensis. 620.

De diuinis Officijs lib. 2. cap. 20. Sal autem in mysterio Catechumenis dandus, à Patribus ideo est institutus, vt eius gustu condimentum sapientiae percipiant, neque desipiant à sapore Christi, nec sint fatui, & retrò respiciant sicut vxor Loth.

Beda. 700.

In libros Regum: Sal sapientiae caelestis, quo modò initiantur Catechumeni, in cunctis operum nostrorum sacrificijs offerre iubemur.

Ordo Romanus. 730.

In ordine vel denuntiatione scrutinij ad electos: *Postea benedicat salem hoc modo:* Exorcizo te creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis, &c. *Et mittat in ora infantium de ipso sale, per singulos dicendo:* Accipe salem sapientiae in vitam aeternam.

Sequitur oratio: Deus patrum nostrorum, Deus vniuersae conditor veritatis, te supplices exoramus, vt nos famulos tuos respicere digneris propitius, vt hoc primum pabulum salis gustantes, non diutius esurire permittas, quo minus cibo expleantur caelesti, quatenus sint semper nomini tuo seruiētes.

Alcuinus. 750.

De Ecclesiasticis officijs cap. 19. de Sabbato Paschae: Catechumenus salem accipit, vt fluxa & putrida eius peccata sapientiae sale diuino munere mundentur.

Carolus Magnus. 790.

Libro 7. Legum cap. 190. Per solennissimos Paschales dies Sacramentum Catechumenis non detur, nec ijs, qui à liminibus Ecclesiae sunt exclusi, neque ijs ante Canonicam reconciliationem, qui publicā gerunt poenitentiam: sed tantum benedictum sal à sacerdotibus pro communione tribuatur.

Rabanus Maurus. 850.

De Institutione Cleri lib. 1. cap. 27. Datur sal benedictum in os pueri, vt per sal typicum sapientiae sale conditus, foetore careat iniquitatis, & nec à vermibus peccatorum vltro putrefiat, sed magis illaesus seruetur, ad maiorem gratiam percipiendam.

Rodulphus Fuldensis. 860.

Vita S. Liobae cap. 16. Aquam allatam sale, quod à S. Bonifacio benedictū indesinenter secum habebat, aspersit, dicens: Ite, & hanc aquam in flumen refundite, omnisq; populus ab eo loco deorsum hauriat, & contra impetum saeuientis incendij certatim mittat. Quòd cùm fecissent, omnis illa ignium violentia, quasi caelitus immisso imbre ita restincta est, vt nihil aedificiorum postea attingeret.

Smaragdus. 970.

In epist. de Sabbato Pentecostes: Idcirco hi, qui baptizandi sunt, salem in Sacramento accipiunt, vt eius gustu condimentum sapientiæ percipiant, neque à sapore Christi desipiant, & sint insulsi & fatui.

Berno Augiensis. 1020.

Serm. de Assumpt. Mariæ: In die secundæ natiuitatis nostræ per aquam regenerationis nostræ nos lauit, suaq; sapientiæ sale condiuit.

Petrus Damianus. 1050.

Epistola 15. cap. 20. At fortassis è contrario dicitur, quia nonnulla videntur inesse illis initiandę fidei rudimentis, quę nequaquam adhibentur consecrationis peragendæ mysterijs, vt videlicet sal, quod in neophytos mittitur, aqua, cui baptizandus immergitur, Chrisma etiam, quo linitur, &c.

Iuo Carnotensis. 1100.

De Sacramentis Neophytorum: Postea datur sal benedictum in os pueri, vt per typicum sapientiæ salem cõditus, fœtore careat iniquitatis, nec à vermibus vitiorum vltra putrescat, sed incorruptus seruetur ad percipiendam plenam Christi gratiam.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis cap. 18. Postea datur sal benedictũ in os baptizandi, vt sale sapientiæ fit conditus.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In Octaua Epiphaniæ: Sale, quod in ore baptizandorum ponitur, instruimur, vt omni sacrificio nostro sal discretionis & sapientiæ apponamus.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Sacramentis c. 1. In baptismo necesse est & sal adhiberi, ad condiendum & conseruandum, vermesq; vitiorum & putredines corruptionis consumendum.

Vincentius Beluacensis. 1240.

In Speculo hist. lib. 8. ca. 23 Salis linitio signat discretiones, quæ dantur in baptismo.

Albertus Magnus. 1240.

In lib. 4. Sent. dist. 1. Qui baptizatur, accipit sal in ore, vt sapori sapientiæ præparetur, & fœtor fomitis restringatur.

Thomas Aquinas. 1250.

Parte 3. quæst. 71. art. 2. Sal in os missum significat receptionem doctrinæ.

Bonauentura. 1260.

In lib. 4. Sent. dist. 7. q. 3. Sal in ore ponitur, vt significetur, quod per baptismum sapor sapientiæ præparetur, & fœtor restringatur.

Guibertus Tornacus. 1270.

De officio Episcopi cap. 41. Sal etiam datur ijs, qui baptizantur, vt condiantur sapientia, vt non desipiant à fide Christi, nec retro aspiciant, sicut vxor Loth, quæ versa est in statuam salis, hoc est, ne retrocedant, nec malum exemplum præbeant, nec in via cum vxore Loth remaneant, sed se & alios condiant. Gen. 19.

Guilhelmus Durandus. 1280.

In Rationali diuin. lib. 6. c. 82. Primum baptismi donum est salis collatio: datur enim secundùm Rabanum & Bedam sal benedictum in os baptizandi, vt per sal typicum, id est, figuratiuum, sapientiæ sale conditus, iniquitatis fœtore careat, id est, carere significetur, ne à vermibus peccatorum vltra putrescat, sed magis illæsus seruetur, ad maiorem gratiam percipiendam. Sal quoque significat prima fidei documenta, sine quorum condimento insulsus est omnis homo.

Durandus à Sancto Portiano. 1300.

In lib. 4. Sent. dist. 6. q. 4. Quędam fiunt in Exorcismo, quorum virtus est solum in significando: quædam autem, quorum virtus est in efficiendo. Illa, quæ solum significant, si sint in factis absq; verbis: vt sal in ore positum, & linitio narium & aurium cum sputo, & vnctio olei in pectore, & inter scapulas. Primum enim significat discretionem diuinæ sapientiæ, &c.

Guido Rocherius. 1330.

In Manipulo Curatorum tract. 2. cap. 8. Sacerdos ponit ei, quem baptizat, sal in ore, quod significat sapientiam iuxta doctrinam Apostoli: *Omnis sermo vester debet esse diuina sapientiæ sale conditus.*

Thomas VValdensis. 1420.

Tom. 3. cap. 48. tit. 5. Habet & sal exorcizatum sua mysteria, vt diabolum ab hac habitatione signata asperitate repellat, vt fluxum verborum sapientiæ siccitate refrænet, & vt à fatua conuersatione vitam & sensum, quos iam Christo dedicauit, iugi aspersione coerceat.

Ioannes Gerson. 1430.

In Summa Theol. de Sacramento Baptismi: Salis in ore appositio fit propter doctrinæ fidei confessionẽ.

Græci nostro seculo.

Euchologium Græcorum cap. 63. Deus & Saluator noster, qui præsens fuisti in Hiericho cum Elisæo Propheta, & amaras aquas sale curasti, ipse nunc benedic salem hunc, &c.

(*,*)

ARTICVLVS DECIMVSOCTAVVS.

IN BAPTISMO TANGI CVM SPVTO NARES ET AVRES.

IMPROBANT.

Anno post natum Christi 1540.

VOLFFGANGVS Musculus in Locis Communibus de Baptismo: *Sputum, quo non illuminant, sed conspurcant infantem, ex miraculoso Christi facto Ioannis 9. sumpserunt, quo ille oculos cæci nati sputo ac luto oblitos aperuit: viderunt hoc factum Apostoli, & tamen nemo ex illis sputo suo oculos baptizando illiniuit. Ipsius Christi sputum quis fidelium non optet vel sibi vel suis? at sputum ex ore peccatoris, ac plerumque scortatoris, nescio an quisquam sit, qui admodum affectet.*

1550. Ioannes Caluinus in Ecclesiæ Reformatione: *Absurdum, & ridiculum, parumq; congruens est, quòd sputo summa paruulorum labra irrigant. Sputo Christus attigit os muti, cui sermonem restituere volebat. Quam præpostera est æmulatio, cum idem in paruulis tentant? Ludibrium hoc unde emerserit nescitur, nullum certè grauem auctorem habet.*

Theodorus

1560. Theodorus Beza responsione ad Balduinum: *Requiris in Baptismo Exorcismos, cereos, sputa, cruces, & quid non? An tu, transfuga, abis in malam crucem, quam Ecclesias nobis commissas istis sordibus rursum inquinari patiamur.*

PROBANT.

Ambrosius. 370.

Lib. 1. de Sacramentis cap. 1. Ergo quid egimus Sabbato? nempe apertionem. Quæ mysteria celebrata sunt apertionis, quando tibi aures tetigit sacerdos, & nares. Quod significat in Euangelio Dominus noster Iesus Christus, cùm ei oblatus esset surdus & mutus, & tetigit aures eius, & os eius. Aures, quia surdus erat: os, quia mutus erat. Et ait, *Epheta*, quod
Marc. 7. Hebraicum verbum est, & Latinè dicitur adaperire. Ideò ergo tibi sacerdos aures tetigit, vt aperirentur aures tuæ ad sermonem, & ad eloquium sacerdotis, &c. Nares, & bonum odorem accipias pietatis æternæ, & fit in te fidei deuotionisque plena fragrantia.

Libro 3. de Sacramentis c. 2. Quando dedisti nomen tuum, tulit baptista lutum, & liniuit super oculos tuos. Quod significat vt peccatum tuum fatereris, vt conscientiam tuam recognosceres, vt pœnitentiam ageres delictorum, hoc est, sortem humanæ generationes agnosceres.

De his, qui mysterijs initiantur, cap. 1. Aperite aures, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere Sacramentorum carpite, quod vobis significauimus, cùm apertionis celebrantes mysterium, diceremus: *Epheta, quod est adaperire*, vt venturus vnusquisque ad gratiam, quid interrogaretur cognosceret, quid responderet meminisse deberet. Hoc mysterium celebrauit Christus in Euangelio, cùm
Marc. 7. mutum curaret & surdum.

Petrus Chrysologus. 450.

Sermone 52. Hinc est, quòd veniens ex gentibus impositione manus & Exorcismis antè à dæmone purgatur, & apertionem aurium percipit, vt fidei capere posit auditum, vt posint ad salutem prosequente Domino peruenire.

Gregorius Magnus. 590.

Libro Sacramentorum, ad catechizandum infantem: Deinde verò tangat ei nares & aures (cum digito) de sputo, & dicat ad aurem dextram: *Epheta, quòd est adaperire.* ad nares: *In odorem suauitatis.*

Beda 700.

Homilia in Euangelium Dominica 12. post Trinitatis: Quòd ait: *Ephet*, id est, *adaperire* propter aures dicit sanandas, quas surditas diutina clauserat, sed ad audiendum iam tactus aperierit ipsius. Vnde credo mos increbuerit Ecclesiæ, vt sacerdotes illius his, quos percipiendis baptismi Sacramentis præparant prius, inter cætera consecrationis exordia, & saliua oris sui nares tangant, & aures, dicentes: *Epheta*. Saliua quidem oris sui gustum, quo initiandi sunt, supernæ sapientiæ designant: per tactum verò narium, vt abiectis delectationibus noxijs, solùm Christi semper amplectantur odorem, de quo dicit Apostolus: *Christi bonus odor sumus in omni loco:* & vt
2. Cor. 2. meminerint, se iuxta exemplum S. Iob donec superest halitus in ijs, & spiritus Dei in naribus eo-
Iob. 27. rum, non loqui iniquitatem labijs, nec lingua mendacium meditari debere.

Ordo Romanus. 730.

De denuntiatione scrutinij ad electos: Memorata quinta Feria apud cultores Ecclesiæ, *In apertione aurium*, dicitur.

Eadem die agitur scrutinium tertium, quod est maximum inter septem scrutinia. Eadem die tanguntur aures & nares Catechumenorum digitis Presbyterorum.

Alcuinus. 750.

De officijs Ecclesiasticis capite 19. de Sabbato sancto Pascha: Tanguntur & nares, vt quamdiu spiritum naribus trahet in fide accepta perduret, &c. Inde tangit eis nares, & aures de sputo, & dicit ad aurem dextram: *Epheta, quod est, adaperire:* ad nares: *in odorem suauitatis.*

Haymo 820.

Dominica 13. post Pentecosten: Pulcherrimo ordine Dominus prius digitos in auriculas surdi mittit, deinde linguam sputo tetigit, & postremò ait: *Epheta, quod est, adaperire*, vt ordinatissimum officium baptizandi sacerdotibus demonstraret. Quoniam hi, qui baptizantur, prius Spiritus sancti gratia sunt illuminandi: deinde à Doctoribus instruendi, & postremò ad confessionem fidei vocandi. Vnde consuetudo est sacerdotum, vt eorum linguam, & nares, quos catechizant, sputo tangant, ipsius Domini verba dicentes: *Epheta.*

Rabanus Maurus. 850.

De institutione Cleri lib. 1. cap. 27. Tanguntur ei nares & aures cum saliua, & dicitur illud verbum, quod Christus dixit ad surdum & mutum: *Epheta, quod est aperire.* Hoc enim Sacramentum hic agitur, vt per saliuam typicam sacerdotis, & tactum, sapientia & virtus diuina salutem eiusdem Catechumeni operetur, vt aperiantur ei nares, ad accipiendum odorem notitię Dei: vt aperiantur illi & aures, ad audiendum mandata Dei, sensuque intimo cordis reponendum.

Smaragdus. 970.

In explicatione epistolæ de Sabbato S. Pentecostes: Tanguntur de sputo nares & aures, & dicitur: *Epheta:* nares, vt Christum in odore vnguentorum sequantur, & dicant: *Trahe me, post te curremus*, & cum Cant. 1. Apostolo profiteantur, dicentes: *Christi bonus odor sumus.* Tanguntur & aures, vt audientes verba Dei, 2. Cor. 2. & facientes ea, similes sint viro sapienti, qui ædificauit domū suam supra petram, & spirituali auditu semper spiritualia auscultent. Non abs re sputo tanguntur nares & aures, vt qui expuens linguam muti tetigerat, & sputo lutum fecerat, & oculos cæci nati aperuerat, nunc per ministerium sacerdotum, & auditum spiritualem ijs, qui baptizandi sunt, tribuat, & rectè loquendi, id est, veram fidem confitendi, facultatem præbeat, & nares, quibus bonum Christi odorem capiant, aperiat.

Radulphus Ardens. 1050.

Hom. 12. post Trinitatis: *Epheta (quod est aperire)* dicit, quando iussu potentissimo cor ad intelligendum, & linguam ad eloquendum Dei verbum iubet aperiri. Vnde & hęc verba in Catechismo baptisandorum dicuntur, cúm de saliua aures eorum & nares tanguntur.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de Sacramentis Neophytorum: Postea tanguntur ei aures, & nares cum saliua. Saliua quippe à capite descendit in os, supernam significans sapientiam, cuius tactu & aures cordis aperiuntur, ad intelligendum verbum Dei: & nares, ad repellendum fœtorem noxiarum delectationum.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei lib. 1. cap. 18. Deinde tanguntur aures & nares cum saliua, quæ quoniam à capite descendit, supernam signat sapientiam. Cuius tactu & aures cordis aperiuntur, ad intelligendum verbum Dei: & nares cordis, vt sentiant fragrantiam vnguentorum Christi, & dicat cor eam sentiens: *In odorem vnguentorum tuorum currimus.*

Lib. 2 par. 6. cap. 10. Postea tanguntur ei aures, & nares saliua: vt tactu supernæ sapientiæ & aures eius aperiantur, ad audiendum verbum Dei: & nares similiter, ad discernendum odorem vitæ & mortis. Hoc est Sacramentum ape tionis, quod Dominus in Euangelio significauit, quando aures & os tetigit surdi & muti, dicens: *Epheta, quod est adaperire.*

Matt. 7.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Sacramento Bapt smi cap. 1. Adhibentur autem & sufflatio, & sputi linitio, quæ eiusdem gratiæ habent significationem, licet ad aliud & alia comparatione.

Vincentius Burgundus Belnacensis. 1240.

In Speculo historiali lib. 8. c. 23. Similiter & saliua sacramentalis est, & significat sapientiam diuinam.

Thomas Aquinas. 1250.

Parte 3. quæst. 71. art. 2. Sal in os missum, & narium & aurium sputo linitio significat receptionem doctrinæ fidei, quantum ad aures: & approbationem, quantum ad nares: & confessionem, quantum ad os.

Bonauentura. 1260.

In lib. 4. Sentent. dist 7. quæst. 3. Fit linitio aurium & narium cum sputo, vt significetur gratia ad discernendum & obediendum.

Guilhelmus Durandus. 1260.

In Rationali diuinorum lib. 6. cap. 82. Secundum est aurium & narium cum sputo linitio. Quod fit, primò exemplo Christi, qui lutum cum sputo faciens, *mutum & surdum sanauit, & oculos cæci nati liniuit, & expuens linguam eius tetigit, & digitos in eius auribus imponens dixit: Epheta, quod est adaperire.* Secundò, secundùm Rabanum, hoc Sacramentum ideo agitur, vt per saliuam typicam, id est, figuratiuam sapientiæ Domini, & per sacerdotis tactum, sapientia & virtus diuina salutem eiusdem Catechumeni operetur, vt aperiantur ei nares, ad capiendum odorem notitiæ Dei: vt aperiantur ei aures, ad audiendum mandata Dei: vt aperiantur ei sensus in intimo corde, ad respondendum sacerdoti de articulis fidei interroganti. Digiti ergo, qui aures mittuntur, sunt verba siue dona Spiritus sancti. Tertiò, per hoc, quòd aures saliua tanguntur, significatur & petitur, quòd doctrina, quæ de ore Altissimi fluxit, per aures eius intret, eique suaue redoleat: saliua nempe Christi, id est, dulcedo verborum ex ore eius defluentium, & ipsa Christi diuinitas nos sanat. Quartò, nares tanguntur, vt diuinam suscipiant virtutem, per quam bonum à malo discernant odorem, & sanam doctrinam separare valeant à fœtore hæreticæ prauitatis. Quintò, ad notandum, quòd quandiu spiritum naribus trahat, in fidei præcepta manere debet, & vt aures verbis Euangelicis pateant, & vanas & inutiles fabulas à se repellant. Sextò, secundùm Ambrosium, propter gloriam siue dignitatem numeris & operis non tangitur os cum saliua, sed nares, vt bonum odorem accipiant pietatis æternæ.

Guido Rocherius. 1333.

In manipulo Curatorum capite 8. de annexis Baptismo: Tertiò sacerdos ponit ei, quem baptizat, sal in ore, quod signat sapientiam, iuxta doctrinam Apostoli ad Coloss. omnis sermo eius debet esse conditus sale diuinæ sapientiæ.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica: Aurium cum sputo linitio adhibetur propter fidei approbationem, quæ significat doctrinæ fidei receptionem. Narium cum sputo linitio significat doctrinæ fidei approbationem.

ARTICVLVS DECIMVSNONVS.

MVNDAE AC CANDIDAE VESTIS VSVM IN BAPTISMO

IMPROBANT.

Anno post natum Christi 1560.

THeodorus Beza epistola 8. *Placuit alijs, vetere homine deposito, nouum induentes amictu albo donari. Quæ omnia si velim persequi, quis tandem erit histrionicarum potius ineptiarum, quam Christianorum rituum finis?*

PROBANT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiast. Hierarchia cap. 2. Assumentes autem baptizandum sacerdotes, susceptori, suisque accessus duci consignant, & vnà cum ipso illum vestem baptizali munditiæ congruam induunt: sicque indutum rursum ad Pontificem ducunt, &c. Deinceps ita initiatum candentes induunt vestes. Dum enim virili atque ad Dei imaginem formata constantia nullis perturbationibus cedimus, & ad vnum illud gratia sumit, ac lucentis vitæ fulgore euadit prorsus illustre.

Origenes. 230.

Homil. 12. in Exodum: Lota sunt vestimenta tua cùm venisti ad baptismi gratiam. Purificatus es spiritu, purificatus es corpore, mundatus es ab omni inquinamento carnis & spiritus.

Constantinus Imp. 320.

In Priuilegio Romanæ Ecclesiæ: Syluester leuato me de venerabili fonte, indutoque vestibus candidis, septiformis gratiæ sancti Spiritus consignationem adhibuit, beati Chrismatis vnctione.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi 5. Mystagogicæ: Exutis vestibus antiquis, & ijs, quæ sunt secundùm Spiritum albæ, indutis, perpe-

perpetuò iam in albis incedere oportet. Non hoc ideo dicimus, quasi alba te semper vestimenta habere sit necesse: sed quòd his, quæ verè alba, splendida, & spiritualia sunt, vestiri te oporteat.

Amphilochius. 380.

De vita Basilij Magni: Maximus Episcopus vnà cum Basilio descendit in aquas, eumque baptizauit. Basilius baptizatus exiuit ab aquis. Admirans autem Maximus Episcopus Basilij in Deum amorem, orans induit eum resurrectionis Christi vestimentis.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homil.83. in cap.26. Matthæi: Hæc est dignitas vestra, hæc stabilitas, hæc corona præcipua, non vt tunicam induti candidissimam per Ecclesiam ambuletis.

Socrates. 430.

Lib.7. cap.17. Iudæus acriter instat, vt baptismo donetur: Paulus Episcopus quoniam illum tam obnoxiè baptisma petentem mora nolebat offendere, parat res ad baptismum necessarias: cumque vestem splendidam pro illo emisset, & alueum baptisterij aqua impleri iussisset, Iudæum eò deduxit, vt baptisma illi impertiret.

Sozomenus. 440.

Lib.7. cap.8. Postquam igitur omnes cesserunt, baptizatus fuit Nectarius, & sacri baptismatis conuenienti habitu etiamnum indutus, communi Synodi suffragio Constantinopolis est Episcopus declaratus.

Theodoretus. 450.

Eccles. hist. lib.3. cap.3. Constantius contra Magnentium bello suscepto, toto suo exercitu in vnum coacto, omnes cohortatus est, vt diuina percipiant mysteria. Oportere dixit singulos stolam illam pretiosam induere, qui in illa altera vita nobis omnibus cum primis necessaria est. Quòd si quispiam eam vestem accipere recuset, eum inde domum abire iubet. Nam se nolle cum hominibus non initiatis mysterijs bellum gerere.

Olympiodorus. 500.

Ad caput 9. Ecclesiastis: *In omni tempore candida sint vestimenta tua.*) Hoc est, actiones & opera, quæ virtutis normam sequuntur: nec non tradita nobis indumenta per lauacri regenerationem, quæ procul dubio candida afferuantur per omne tempus, quo à peccatorum sordibus abstinemus.

Iacobus Diaconus. 530.

De vita sanctæ Pelagiæ: Mox Episcopus Pelagiam baptizauit: octauo autem die, quando albam vestem deponere debuit, nocte nobis prorsus inscijs illa surrexit, deponensque baptismatis vestem, ciliciceam induit.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap.35. Geneseos: Vestem quoque in baptismo mutamus, scilicet exuentes veterem hominem, & induimus nouũ, qui subinde renouatur ad imaginem eius Dei, qui ipsum condidit.

Ioannes Moschus. 600.

In Prato spirituali cap.207. Sumentes ergo puellam baptizauerunt, & albis induta rursus ab ijs subuecta est: quam cùm deposuissent, euanuerunt. Vicini ergo cùm ita illam albis indutam viderent, dicunt ei: quis te baptizauit?

Ioannes Damascenus. 730.

In Iambis Tetrastichis de Epiphania:

Alba nunc induatur veste mortalium
Natura, lapsu tam exerata olympico:
Puras per vndas mystici baptismatis
Turpes priorum criminum abstergat notas.

Theophylactus. 900.

Ad cap.3. Ioannis: Tres mersiones triduanæ sepulturæ symbola sunt: deinde regreditur homo sicut Dominus fulgidior, & clarior, incorruptionis ferens indumenta, qui in aqua corruptionem submersit.

Simeon Metaphrastes. 950.

Vita S. Stephani Papæ cap.12. Stephanus Tertullium ad Christianam fidem conuersum docuit de regno Dei, sempiternæ vitæ mysterijs initiauit, sanctissimoque baptismate purgauit, atque illum adhuc alba veste indutum, ordinauit Presbyterum.

Vita S. Syluestri cap.14. Hæc cùm audisset Imperator Constantinus, & lætus vltimam exuisset tunicam, & vnctus fuisset sancto Chrismate, ingressus est piscinam, & baptizatus est: cùm autem vestem candidam induisset luminosam, dixit ijs, qui aderant.

Nicolaus Cabasilas. 1250.

Expositionis Liturgiæ cap.1. Qui in baptismo sunt baptizati, & calceos & vestes oportet exuere.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib.7. cap.33. Constantinus oleo iam vnctus, lauacrum ingreditur, vnà cum ipso Crispinus etiam filius eius diuinum participat lauacrum, & ambo candidam vestem induerunt.

Lib.12. cap.12. Nectarius baptismo initiatus, etiamnum mystica veste indutus, communibus Synodi suffragijs Episcopus Constantinopoli declaratus est.

Christiani in Æthiopia nostro seculo.

In Ordine mysteriorum Sacramenti Confirmationis: Tunc induunt, qui baptizati sunt, vestem albam, & coronam super capita sua ex myrtho, & palma, & rubeam vestem vndulatam & frigiatam seu acu pictam.

PROBANT PATRES LATINI.

Zeno Veronensis. 260.

Inuitatione 2. ad fontem: Gaudete, in fontem quidem nudi demergitis: sed ętherea veste vestiti, mox candidati inde surgitis, quam qui non pollueric, regna cælestia possidebit.

Ambrosius. 370.

De his, qui mysterijs initiantur cap.7. Accepisti post hæc vestimenta candida, vt esset indicium, quòd exueris inuolucrum peccatorum, indueris innocentiæ casta velamina, de quibus dixit Propheta: *Asperges me hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super*
Psal.50. *niuem dealbabor.* Qui enim baptizatur, & secundùm Legem, & secundùm Euangelium videtur esse mundatus. Secundùm Legem, quia hyssopi fasciculo Moyses aspergebat sanguinem agni: secundùm Euangelium, quia Christi erant candida vestimenta sicut nix, cùm resurrectionis suæ gloriam in Euangelio demonstraret. Super niuem dealbatur, cui culpa dimittitur. Vnde & per Esaiam Dominus ait:
Si fuerint peccata vestra sicut Phœnicium, vt niuem dealbabo. Esa.1.
Hæc vestimenta habens Ecclesia, per lauacrum regenerationis assumpta, dicit in Canticis: *Nigra sum, & decora filia Hierusalem.* Cant.1.
Nigra, per fragilitatem conditionis humanæ: *decora*, per gratiam. *Nigra*, quia ex peccatoribus: *decora*, fidei sacramento. Hæc vestimenta cernentes filiæ Hierusalem, stupefactæ dicunt: *Quæ est hæc, quæ ascendit dealbata?* hæc erat nigra, vnde nunc subitò dealbata?

Paulinus Nolanus. 420.

Epistola 12.

Vnde parens sacro ducit de fonte sacerdos
Infantes niueos corpore, corde, habitu.
Circumdatq; rudes festis altaribus agnos,
Pura salutiferis imbuit ora cibis.

Arnobius Iunior. 430.

*Ad Psal.*104. Ideo eduxit populum suum in exultatione, in Alleluia, in albis vestibus, & electos suos in lætitia

Victor Vticensis. 480.

De persecutione Vandalica lib. 3. Fuit quidam Elpidiphorus nomine, qui dudum fuerat apud nos in Ecclesia Fausti baptizatus, quem venerabilis Muritta Diaconus de alueo fontis susceperat generatum. Post verò dum apostataret, tantæ extitit feritatis aduersus Ecclesiam Dei, vt superior omnibus executor persecutionis fuisset inuentus, &c. Cùm Elpidiphoro sedente & fremente, honorabilis senior cœpisset extendi, priusquam exueretur, clam furtò nescientibus cunctis, illa, quibus eum suscipiens de fonte dudum texerat, sabana baiulabat. Quibus ventilatis, simulque in ostensione cunctorum extentis, in his verbis totam ad fletum & lachrymas commouisse dicitur ciuitatem: Hæc sunt linteamina Elpidiphore, minister erroris, quæ te accusabunt, dum maiestas venerit iudicantis, custodiente diligentia mea ad testimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in abysso putei sulphurantis. Hæc te immaculatum cinxerant de fonte surgentem: hæc te acrius persequentur, flammantem gehennam cum cœperis possidere, quia induisti te maledictionem sicut vestimentum, scindens atque amittens veri baptismatis, & fidei Sacramentum.

Gelasius. 490.

Epistola ad Episcopos per Lucaniam constitutos: Deuotis virginibus non nisi aut in Epiphaniarum die, aut in albis Paschalibus, aut in Apostolorum natalibus sacrum velamen imponatur.

Iunilius Africanus. 550.

De partibus diuinæ legis libro 2. capite 18. Typis accidunt quædam ante legem, quædam sub lege, &c. Sub gratia quædam, vt baptizatorum indumenta, & sacerdotum vestes, & Dominici corporis participatio, &c.

Fortunatus. 560.

De Resurrectione Christi lib. 3.

Rex sacer, ecce tui radiat pars magna triumphi,
Cùm puras animas sacra lauacra beant:
Candidus egreditur nitidis exercitus vndis,
Atque vetus vitium purgat in amne nouo.
Fulgentes animas vestis quoque candida signat,
Et grege de niueo gaudia pastor habet.

Pelagius Secundus. 580.

Epistola ad Episcopos Germaniæ & Galliæ: Inuenimus has nouem Præfationes in sacro Catalogo tantummodò recipiendas, quas longa retro veritas in Romana Ecclesia hactenus seruauit, vnam in Albis Paschalibus, aliam in Ascensione Domini, &c.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. Sacramentorum, in Ordine baptismi infantum: Et vestitur infans, dicente Presbytero: *Accipe vestem candidam & immaculatam, quam perferas sine macula ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, vt habeas vitam æternam, Amen.*

Aponius. 700.

Lib.6. in Cantica: Loti semel salutifero fonte, nunquam stolam candidissimam, quam suscipiunt in baptismate, inquinare docentur.

Beda. 700.

Vita S. Patritij lib. 2. Tunc baptizauit filias Regis duas S. Patritius, & induit eas veste alba, & candida. Quæ cùm essent baptizatæ, &c.

Historia Anglicana lib. 2. cap. 14 Baptizati sunt tempore sequenti & alij liberi regis Eduini, quorum primi albati adhuc rapti sunt de hac vita, & Eboraci in Ecclesia sepulti.

Alcuinus. 750.

De officijs Ecclesiasticis capite 19. die Sabbato Paschæ, agens de Cæremonijs in Captismo. De fonte per gratiam surgit ad vitam: deinde albis induitur vestimentis propter gratiam regenerationis, & castitatem vitæ, & Angelici splendoris decorem, &c. Pontifex dat singulis stolam candidam, Chrismalem, & decem siliquas, & sic vestiuntur. Et postquam induti fuerint, dat Pontifex super eos orationem, &c.

Cap. 21. *de Sabbato in Albis:* Hodie albati, qui in Sabbato sancto baptizati fuerunt, vestibus albis exuuntur. Albati autem propter vestes albas vulgò appellantur. A Sabbato vsque ad Sabbatum portantur albæ vestes, quæ nobis speciem præstant, quales esse debeamus in nouo Testamento, & qualia corpora recepturi in octaua die, in qua præsentari nos oportet ante Dominum, cum ipso pignore, quod accepimus in Baptismo. Alba autem vestimenta albatorum opera sunt iustorum, munda, & candida omni tempore. Quòd verò in Sabbato exuuntur ipsa vestimenta, hoc significat, quòd anima cuiuscunque fidelis migrans è corpore inueniet Sabbatum, id est, requiem, vestimenta sua dimittet, id est, corpus, vt recipiat illud iterum in nouissimo die.

Æmoinus. 825.

Hist. Franc. lib. 4. cap. 1. Theodeberti filius in albis nouæ regenerationis adhuc constitutus, innocentem exhalauit spiritum.

Amularius Treuerensis. 830.

De Ecclesiast. Officijs lib. 1. cap. 29. Albati propter vestes albas vulgo appellantur. Scio eorundem vestimentorum significationem diligenter explanatam ab Archiepiscopis, qui fuerunt tempore beatissimæ memoriæ Caroli ad eundem, eius tamen admonitione.

Hincmarus. 840.

In vita S. Remigij: Baptizatus est puer regis Clodouei, quem Inguemirum vocauit, quique in albis decessit.

Rabanus Maurus. 850.

Lib. 1. Instit. cap. 29. Post baptismum traditur Christiano vestis candida, designans innocentiam & puritatem Christianam, quam post ablutas veteres maculas, studio sanctæ conuersationis immaculatam seruare debet, ad præsentandum ante tribunal Christi. Cuncti verò renati albis induuntur vestibus, ad mysterium resurgentis Ecclesiæ, &c.

Smaragdus. 970.

In Epist. Sabbati Pentecostes: Quia in baptismi ratione omnia redolent mysterijs, & exuberant Sacramentis, opportunum erat, vt nouus homo noua acciperet vestimenta, & purgatus veteris noxæ colluuione, candidarum vestium indueretur nitore.

Burchardus VVormatiensis. 1020.

Lib. 6. de Sacramentis Ecclesiæ: Baptizatus tunc albis induitur vestimentis, propter gaudium regenerationis ad castitatem vitæ, & Angelici splendoris decorem.

Algerus 1060.

De Sacramento Corporis & sanguinis Dominici in

Prologo: Aliqui panem & vinum, non mutatum, sed solum Sacramentum: sicut aquam baptismatis, vel oleum Chrismatis, corpus Christi non verè, sed figuratè dici volunt: sicut illud: *Accipe vestem candidam, quam praeferas ante tribunal Christi*; nec tamen ipsam, sed ab ipsa significatam.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De diuinis Officijs libro 7. cap. 10. Cùm autem candidam vestem is, qui baptizatur, accipit, quae vtique nouam Christi consolationem significat, dicente

Galat. 3. Apostolo: *Omnes, qui in Christo baptizati estis, Christum induistis*: profectò primam illi stolam induit

Lucae 15. Pater, *vt manducemus*, inquit, *& bibamus, quia filius meus hic mortuus erat, & reuixit.*

Honorius Augustodunensis. 1120.

In Gemma animae libro 1. cap. 243. Baptizati ideo albas vestes portant, quia amissam innocentiam se recepisse insinuant.

Sermone in die Coenae Domini: Chrismate signati albis vestiuntur: quia immortalitate redimiti, per mortem in regno Dei reges ac sacerdotes coronabuntur.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei libro 2. parte 6. capite 11. Exinde traditur Christiano vestis candida: vt qui primae natiuitatis decorem vetustatis pannis obfuscauerat, habitu regenerationis gloriae praeferat indumentum.

Robertus Lincolniensis. 1160.

Ad caput 2. Ecclesiasticae Hierarchiae Dionysij Areopagitae: Ostendit quam Theoriam significet vestis alba, & per albedinem vestis luciformis, qua induitur consequenter baptizatus, significat baptizatum splendificatum, & clarificatum gratia, & donis Spiritus sancti secundùm omnes vires.

Conradus à Lichtenavv. 1220.

In Chronicis de anno 1124. Otto Bambergensis Episcopus Pomeranis à se conuersis iniunxit, vt infantes suos in Sabbato sanctae Paschae & Pentecostes cum candelis & cappa, quae dicitur vestis candida, & Patrinis comitantibus ad baptismum deferant, eosque veste innocentiae indutos, per singulos dies vsque ad octauum diem eiusdem Sabbati celebrationi diuini officij interesse sinant.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In Octaua Epiphaniae: Alba vestis, qua is, qui baptizatur, induitur, stolam innocentiae signat, quae nobis in baptismo redditur.

Gulielmus Aluernus. 1230.

De Sacramentis Baptismi: Licet vestis candida in baptismo eandem gratiam significet, quam & aqua, tamen aqua expressioris est significationis.

Albertus Magnus. 1240.

In lib. 4. Sententiarum distinctione 7. Post baptismum fit vnctio Chrismatis, deinde fit vestitio de vestimento candido, in signum innocentiae, quae accipitur in baptismo: & gloriae, quae accipitur in resurrectione.

Thomas Aquinas. 1250.

Parte 3. quaestione 66. articulo 10. Vestis candida traditur baptisato, non quidem ea ratione, quòd non liceat ei alijs vestibus vti: sed in signum gloriosae resurrectionis, ad quam homines post baptismum regenerantur: & ad significandam puritatem vitae, quam debent post baptismum obseruare.

Parte 3. quaestione 71. articulo 3. Aliquid est in baptismo, quod nihil efficit, sed solum significat, sicut quòd detur ijs vestis candida, ad significandam nouitatem vitae.

Bonauentura. 1260.

In lib. 4. Sentent. distinct. 7. quaestione 3. Qui baptisatur, vestitur vestimento mundo, & albo, vt significetur candor innocentiae, & stola resurrectionis.

Durandus à Sancto Portiano. 1310.

In libr. 4. Sentent. distinctione 7. quaest. 4. Datur in baptismo candida vestis, in signum innocentiae restitutae.

Guido Rocherius. 1330.

In Manipulo Curatorum parte 1. tractatu 2. cap. 8. Sacerdos tradit ei, quem baptisat, vestem albam, & signat innocentiam baptismalem.

Thomas VValdensis. 1414.

Tomo 3. tit. 5. cap. 52. Circa fidem huius mysterij assumpta, vel ascendens noua proles de sancto lauacro, & inuncta Chrismate, indumentum album accipit de candore sine macula, audiens dicentem Apostolum: *Induimini Dominum nostrum Iesum Christum*, timens improperium nuditatis, quam improperauit Ezechiel capite 16. *Non es aqua lota in salutem, nec sale salita, nec inuoluta pannis*: Baptismi immersionem intelligens per aquam, & in Catechismo salis mysterium, & talibus ad finem Sacramenti inuolutione pannorum, pannum candidum, quo baptisatus inuoluatur, intelligens. Rom. 13

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica de Sacramento Baptismi: Alba vestis designat innocentiae puritatem.

ARTICV-

ARTICVLVS VIGESIMVS.

CONFIRMATIONEM ESSE SECVNDVM NOVÆ LEGIS SACRAMENTVM, A SOLIS EPISCOPIS ADMINISTRARI, GRATIAMQVE CONFERRE.

Anno post natum Christũ

NEGANT.

250. *NOVATVS in lecto decumbens baptizatus fuit sine consuetis Ecclesiæ cæremonijs: nec postea, ubi conualuit, ea, quæ omissa fuerãt, adimpleri curauit, nec signaculo Spiritus sancti confirmatus fuit. Hinc eius sectatores eos, quos tingunt, Chrismate non obsignant.* Theodoretus libro 3. Hæreticarum fabularum de Nouato.

350. *Arianos Sacramentum Confirmationis neglexisse, atque contempsisse inde patet, quòd conuersos ad Ecclesiam Episcopi Catholici sacro Chrismate inunxerint,* vt patet ex Concilij Nicæni Canone 31 Arabico, Arelatensi Synodi 2. Can. 17. Synodi Constantinop. primæ Can. 7. Synodi Trullensis Can. 95.

360. *Donatistas contumeliosos fuisse in Sacramentum Chrismatis*, scribit Optatus libro 2. contra Parmenianum.

600. *Armenij negant Sacramentum Confirmationis.* Guido errore 21. Armeniorum.

1315. *Flagellantes dicebant Sacramentum Confirmationis nihil esse.* Bernardus Lutzenburg.

1390. *Ioannes VVicleuus,* libro 4. Trialogi cap. 14. *non omnino videtur hoc Sacramentum respuere, tamen non vult posse probari ex Scripturis, & apertè reprehendit Catholicorum sententiam, imò dicit quibusdam videri à diabolo introductam Episcoporum Confirmationem, cum omnibus suis ritibus: nec reprehendit, sed potius indicat, sibi placere sententiam huiusmodi.*

1430. *VValdenses, seu potius Picardi, Confirmationem, quam Chrismate Pontifices induerunt, inter Ecclesiæ Sacramenta minime contineri aiunt* Æneas Syluius historiæ Bohemicæ cap 35. & epist. 130.

1520. Martinus Lutherus de captiuitate Babylonica: *Mirum quid illis in mentem venerit, quòd Sacramentum Confirmationis fecerunt ex manuum impositione.*

1530. Philippus Melanchthon in Locis Communibus: *Ritus Confirmationis, quam nunc retinent Episcopi, prorsus est otiosa cæremonia.*

1540. Ioannes Caluinus lib. 4. Instit. cap. 19. §. 5. *Posterior ætas re propemodum obliterata, fictitiam nescio quam Confirmationem pro Dei Sacramento posuit: Confirmationis virtutem esse finxerunt Spiritum sanctum, conferre ad gratiæ augmentum, quæ in baptismo collata sit, ad innocentiam: sed ubi Dei verbum, quod Spiritus sancti præsentiam hic promittat?*

1560. Magdeburgenses Cent. 4. cap. 6 fol. 422. *De Confirmatione subsecuta baptismum, in aliarum præterquam in Occidentalium historijs nihil legitur.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Actor. 8. *Vers.* 14. Cùm autem audissent Apostoli, qui erant in Ierosolymis, quòd recepisset Samaria verbum Dei: miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.

Act. 19. 5. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.

2. *Corint.* 1. 21. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos, Deus: qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.

Ephes. 4. 30. Nolite contristare Spiritum sanctum Dei: in quo signati estis in die redemptionis.

1. *Ioannis* 2. 27. Et vos vnctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis. Et non necesse habetis vt aliquis doceat vos: sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus, & verum est, & non est mendacium.

ASSE-

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Primus. 80.

Epist.4. Omnibus festinandum est, sine mora renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo, id est, septiformem Spiritus sancti gratiam percipere: quia incertus est vniuscuiusque vitæ exitus. Cùm autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformi Spiritus gratia ab Episcopo confirmatus, quia aliter esse perfectus Christianus nequaquam poterit, nec sedem habere inter perfectos, si non necessitate, sed incuria, aut voluntate remanserit, (vt à B. Petro accepimus, & cæteri SS. Apostoli, præcipiente Domino, docuerunt) & demum ex operibus bonis ostendat in se similitudinem eius, qui eum genuit, Patris.

Constit. Apost. lib.3. cap.17. Datur baptismus in mortem filij Dei: aqua adhibetur pro sepultura, oleum pro Spiritu sancto. vnguentum est Confirmatio professionis.

Lib.7. cap.23. Vnges prius oleo sancto, deinde baptizabis aqua, postremò signabis vnguento Chrismatis, vt sit oleum vnctionis participatio Spiritus, aqua sit symbolum mortis, vnguentum Chrismatis sigillum pactionum.

Dionysius Areopagita. 100.

Eccles. Hierar. c.2. par.2 Sic indutum baptizatum ad Pontificem ducunt: ille diuino ac deifico prorsus vnguento virum signans, sacratissimę communionis participem facit.

Par.3 Diuinus Pontifex sacræ vnctionis inchoat munus: sacerdotes autem post ipsum vnctionis officium peragunt: ita inunctum ad sacra certamina in figura euocantes, in quibus sub editore munerum Christo constitutus est, &c. Illa perficiens vnctio ita facit perfectum fragrantia suauissimi odoris insignem: quippe diuinæ generationis sacrosancta perfectio diuino Spiritui quæ fuerint perfecta coniungit. Porrò aduentum illum secretissimum Spiritus, qui intelligibiliter odore suaui fragrantes facit ac perficit, cùm sit prorsus ineffabilis, illis spiritualiter intelligendum dimitto, qui diuini Spiritus sanctam & deificam societatem in anima sua percipere meruerunt.

Cap.4. Et quod præterea diuinius est, ad omnis sacræ rei consecrationem vtitur vnguento diuino, apertè indicans sanctificantem eum, qui sanctificatur. Ideirco & sacræ regenerationis perficiens donum, & gratia vnguenti sacratissima consummatione perficitur, &c. Sed & qui sacratissimo regenerationis mysterio consecratur, aduentum sancti Spiritus consummans inunctio largitur vnguenti, significante sacra descriptione signorum ab ipso, qui propter nos in assumpta carne diuino Spiritu sanctificatus est, immutabili substantialis deitatis habitu sanctissimum Spiritum dari.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib.6. Stromaton: Quare non amplius baptismum rationi consentaneorum, nec beatum Signaculum, (*sic hoc sacramentum vocat,*) nec Filius, nec Pater, sed est eis impia naturarum distributio.

Apud Eusebium lib.3. cap.17. Episcopus adolescentem suæ fidei concreditum in domum suam recipiens, educauit pro suo, in officio continuit, fouit humaniter, ad extremum baptismi Sacramento illuminauit. Postea verò, vbi sigillo Domini (*Sacramento Confirmationis*) tamquam perfecta tutaque animi eius custodia obsignasset, nonnihil de cura & obseruatione in eo instituendo suscepta remisit.

Origenes. 230.

Homilia 8. in Leuiticum: Sic ergo conuersis à peccato purificatio quidem per illa omnia datur, quæ superius diximus: donum autem gratiæ Spiritus per olei imaginem designatur, vt non solùm purgationem consequi possit is, qui conuertitur à peccato, sed & Spiritu sancto repleri.

Ad cap.6. epistolæ ad Romanos: Omnes baptizati sumus secundùm typum Ecclesiæ traditum in aquis istis visibilibus, & Chrismate visibili.

Constantinus Imperator. 320.

In Priuilegio Romanæ Ecclesiæ: Syluester leuato me de venerabili fonte, induto vestibus candidis, septiformis gratiæ Spiritus sancti consignationem adhibuit beati Chrismatis inunctione, & vexillum sanctæ crucis in mea fronte liniuit, dicens: *Signet te Deus sigillo fidei suæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, in consignatione fidei:* cunctusquè clerus respondit: *Amen.*

Eusebius Cæsareensis. 320.

Ecclesiastica Historiæ libro 6. cap.35. Nouatus vbi Exorcistarum præsidio spiritu illo malo esset liberatus, & post in tam grauem morbum, vt iam ferè mori putaretur, incidisset, in lecto, in quo decumbebat, aqua circumfusus baptismũ accepit. Verùm morbo tandem elapsus, neque cætera, quibus post baptismum, secundùm Ecclesiæ Canonem, imbui oportuerat, acquisiuit, neque sigillo ab Episcopo obsignatus fuit. Quæ quidem neutiquam potitus, quomodo quæso Spiritum sanctum adeptus?

Synodus Nicana Prima. 325.

Canone 55. Arabico: Chorepiscopus, cùm visitat Ecclesias, & Monasteria, quæ sub potestate sua sunt, debet interrogare, an habeant filios, aut filias, & facere, vt ad se adducantur, & signet eos signo crucis, & oret super eos, & imponat manus, & benedicat.

Synodus Laodicensis. 360.

Can.48. Oportet eos, qui illuminantur, post baptisma inungi supercœlesti Chrismate, & esse regni cœlestis participes.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 3. Mystagogica: Sicut panis Eucharistiæ post illam sancti Spiritus inuocationem non est amplius panis communis, sed Christi corpus: sic sanctum hoc vnguentum non amplius est vnguentum nudum, neque (si quis ita appellare velit) commune, postquam iam consecratum est: sed est Chrisma Christi, quod aduentu Spiritus sancti per ipsius diuinitatem energiam habet. Quo frons, & alij sensus corporis tui symbolicè inunguntur: & corpus quidem isto visibili vnguento perungitur, anima verò sancto viuificoquè Spiritu sanctificatur. Ac primùm quidem fronti illinitur, vt eum abstergat à vobis pudorem, quem primus homo transgressor perpetuò circumferebat, simulquè efficiat, vt possitis vultu non velato gloriam Domini intueri.

Amphilochius. 380.

In vita S. Basilij: Maximinus Episcopus baptizauit Basilium, & Eubulum, vestiuit albis, atque vngens eos sancto Chrismate, tradidit eis viuificam Communionem.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 40. quæ est oratio in sanctum Baptismá: Si per baptismum teipsum præmunieris, & pulcherrimo & firmissimo auxilio tibi in futurum caueris, animum scilicet ac corpus vnctione ac Spiritu consignans, quemadmodum olim Israel nocturno illo cruore, qui primogenitos tueba-

tur, quid tibi accidet? & quod tibi præsidium comparatum erit? Audi Salomonis Prouerbia: *Si sederis, ait, intrepidus eris: si dormieris, suauem somnum capies.*

Epiphanius. 380.

Heresi 21. Simon Magus blanditus est Apostolis, & ipse similiter cum alijs baptizatus est à Philippo. Omnes verò, præter ipsum, susceperunt magnorum Apostolorum præsentiam, & per impositionem manuum ipsorum acceperunt Spiritum sanctum. Nam cùm Philippus Diaconus esset, non habebat potestatem imponendi manus, vt per hoc daret Spiritum sanctum.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Ad cap. 8. *Act. Apostol.* Quare non acceperunt Spiritum sanctum cùm baptizarentur? vel fortassis, quia Philippus in hoc Apostolos breui venturos honorabat, vel quòd hoc donum non habebat. Erat enim ex septem illis, id quod magis videtur dicendum. Vnde mea sententia hic Philippus vnus è septem erat, secundus à Stephano. Ideo & baptizans Spiritum sanctum non dabat. Neque enim facultatem habebat. Hoc enim donum solorum Apostolorum erat. Considera autem, quod illi non egressi erant: dispensatum autem est, vt ijegrederentur, qui & gratia posteriores erant, propter hoc, quòd nondum acceperant Spiritum sanctum. Nam virtutem quidem acceperant faciendi signa, non autem dandi alijs Spiritum sanctum. Igitur hoc erat in Apostolis singulare: vnde & præcipuos, & non alios videmus hoc facere.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Ad caput vltimum Esaiæ: Signati sumus Spiritu redemptionis, & omnium cordibus impressus & formatus est Christus participatione Spiritus sancti.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 1. *epist.* 450. Philippus eos, qui Christiana doctrina in Samaria imbuti fuerant, baptismi aqua tinxerat: Petrus autem & Ioannes Apostoli, ab Hierosolymis ad eos descendentes, Spiritus sancti gratiam ipsis porrexerunt. Quòd si is, à quo baptismum acceperunt, ex Apostolorum classe, & numero fuisset, Spiritus donandi potestatem profectò habuisset. At verò baptizabat duntaxat, vt discipulus: Apostoli autem gratiam explebant & perficiebant, vt qui huiusmodi muneris tribuendi potestatem, atque auctoritatem diuino beneficio accepissent.

Theodoretus. 450.

Ad caput 1. *Canticorum:* Sacri baptismatis mysterium recordare, in quo qui initiantur, post Satanæ abnegationem, & Dei confessionem, veluti signo ac nota quadam regia, spiritalis vnguenti Chrismate inuncti, sub ea visibili vnguenti specie inuisibilem sanctissimi Spiritus gratiam suscipiunt.

Synodus Trullensis. 710.

Canone 96. Arianos, Macedonianos, & Nouatianos recipimus, dantes libellos, & omnem hæresin anathematisantes, quæ non sentit vt sancta Dei vniuersalis, & Apostolica Ecclesia, sancto primùm Chrismate & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures imprimentes, dicimus: *Signaculum doni Spiritus sancti.*

Theophylactus. 900.

Ad caput 2. *Amos:* Sacrum baptisma, & vnctio, ingentia & solida sunt nutrimenta, ad quæ festinant religionis Christianæ nondum imbuti sacris.

Oecumenius. 1050.

Ad caput 8. *Actuum Apostol.* Si, qui baptisauit in Samaria, Philippus vnus ex Apostolis fuisset, eandem auctoritatem dandi Spiritum sanctum habuisset, & non fuisset opus, vt Petrus & Ioannes descenderent ab Hierosolymis, ijsque gratiam Spiritus exhiberent. Hic igitur baptisat tantummodò, vt discipulus: gratiam autem dant Apostoli, &c. Philippus cùm esset vnus è septem Diaconis potestatem non habebat, vt per impositionem manuum dare Spiritum sanctum posset.

Theodorus Balsamon. 1180.

Ad Canonem 48. *Synodi Trullensis:* Canon vocauit sanctum vnguentum Chrisma, & non simpliciter Chrisma, sed supercæleste, vt quod per sanctas preces, & inuocationem sancti Spiritus sanctificetur, & eos, qui inunguntur, sanctificet, & regni cælorum faciat participes, &c. Quia baptismus typus est sepulturæ & resurrectionis Christi Domini nostri, rectè baptismi tempore ij, qui illuminantur, Chrismate inunguntur, vt vnà sepeliantur, & cum Christo resurgant.

Simeon Thessalonicensis. 1200.

Libro 2. *de Sacramentis:* Petrus & Ioannes imponebant manus, & accipiebant Spiritum sanctum, quod est Chrisma. Impositio enim manuum præbet Chrisma: sicut fiebat ab Apostolis, & per eos à multis alijs. Et tunc quidem manuum impositio, nunc verò pro impositione manuum est illud sanctificatum, & dicitur magnum Chrisma. Sanctificatum dico, non à Presbyteris, sed per preces & benedictiones Patriarcharum & Episcoporum, qui Petri & Ioannis vim sanctificandi habent. Et necesse est, vt vnusquisque fidelis hoc signetur in baptismo, vt qui baptizatus est, baptismum diuinissimum habeat in se consummatum.

Nicetas Choniates. 1200.

Libro 4. *Orthodoxæ fidei in refutatione Messalianorum:* Manuum impositio sola diuini Spiritus accessum suggerit: in Apostolis tam efficax fuit, vt palam Spiritus descenderet.

Seuerus Alexandrinus. 1280.

In ordine Baptismi: Tunc signat oleo oliuæ sacerdos eum, qui baptizatur, tribus crucibus super frontem eius factis, atque in hunc modum dicit: *Signetur talis N. oleo lætitiæ aduersus omnem efficaciam inimicam ad insidiationem: quæ est bona oliua in Ecclesia sancta Catholica & Apostolica, signaculo positionis, filiorum adoptionis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.*

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Responsione 1. *cap.* 2. Mox is, qui baptizatus est, sacro vnguento vngendus est: Chrisma enim hoc sigillum & signum Christi est, nosque inde, gratiam adepti in vnguento, Christiani appellamur, & ad Dominum Christum pertinemus. Non enim dedignatur de nomine suo nominari nos: quia & filios Dei adoptiuos vocat, & Deos ex gratia. Vngens autem baptisatum sacerdos: *Signaculum doni,* inquit, *Spiritus sancti, Amen.* Vnde rationi consentaneum est, baptismati etiam Chrisma subiungi, nec in tempus differri: sed baptizatum continuò illius verendæ communionis participem fieri.

Cap. 7. Sacramenta ritusque in ipsa Catholica rectè sentientium Christianorum Ecclesia sunt septem: Baptisma, Chrisma sancti vnguenti, diuina Communio, Manus impositio, Matrimonium, Pœnitentia, & sacrum Oleum. Chrisma animæ indit signaculum primum, & quod secundùm imaginem est, & robur: quæ per primam inobedientiam amiseramus: gratiam præterea,

quam

quam diuina inspiratione homo initio in anima sua acceperat. Ideo etiam Spiritus vis Chrismati inest, & suaueolentia illius hoc præditum est, & significatio signaculumque Christi est.

Responso 2. cap. de Sacramentis: Chrismate primum sigillum imprimitur, quod in anima ex diuina inspiratione accipimus. Propterea & vim seu efficaciam ipsius Spiritus, ac suaueolentiam gerit, & signatio est Christi.

Christiani Æthiopes nostro tempore.

In Ordine Mysteriorum, siue administrationis Sacramenti Confirmationis: Orationes, quas dicit sacerdos, cùm imponit manus super eos, qui confirmandi sunt: *Gratias agimus tibi Domine*, &c. Postea sacerdos accipit balsamum, & orat super ipsum dicens: *Deus, in quo potestas est, qui solus factor es omnium mirabilium, confirma virtute tua omnem gratiam Spiritus sancti super hoc balsamum: fiat sanctum, Amen. fiat signum vitæ, Amen. & confirmatio famulis tuis, Amen.* Postea vngit frontem, dorsum, & oculos eorum in figuram crucis, & dicit: *In vnctionem gratiæ Spiritus sancti, Amen.* Postea imponit manum super eos, & dicit: *Benedicti sitis benedictione Angelorum cælestium: benedicat vobis Dominus Iesus Christus: Accipite Spiritum sanctum per virtutem Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, &c.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Hyginus. 140.

Apud Iuonem libro 1. & Gratianum de consecratione distinct. 4. In Catechismo, & in Baptismo, & in Confirmatione vnus patrinus fieri potest, si necessitas cogit. Non tamen est consuetudo Romana: sed per singulos singuli suscipiunt.

Tertullianus. 200.

Libro de Baptismo cap. 8. Dehinc manus imponitur, per benedictionem aduocans & inuitans Spiritum sanctum, &c.

Ad Martyres cap. 3. Christus Iesus, qui vos Spiritu vnxit.

De Præscriptione aduersus hæreticos cap. 36. Legem & Prophetas cum Euangelicis & Apostolicis literis miscet, & inde potat fidem eam: aqua signat, Spiritu sancto vestit, Eucharistia pascit, martyrio exhortatur, & ita aduersus hanc institutionem neminem recipit.

Cap. 40. Tinguit & ipse quosdam, vtique credentes & fideles suos: signat illic & frontibus milites suos: celebrat & panis oblationem.

De Resurrectione carnis cap. 8. Caro vngitur, vt anima consecretur: caro signatur, vt & anima muniatur: caro manus impositione adumbratur, vt & anima Spiritu illuminetur.

Urbanus Primus. 220.

Epistola ad Vniuersos: Omnes fideles per manus Episcoporum impositionem Spiritum sanctum per baptismum accipere debent, vt pleni Christiani inueniantur. Quia cùm Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur.

Cornelius Papa. 250.

Epistola ad Fabium Antiochenum: Nouatus vbi Exorcistarum præsidio spiritu illo malo esset liberatus, & post in tam grauem morbum, vt iam ferè mori putaretur, incidisset, in lecto, in quo decumbebat, aqua circumfusus, baptismum accepit (si modò talem hominem baptismum accepisse dicendum sit) verùm morbo tandem elapsus, neque cætera, quibus post baptismum secundùm Ecclesiæ Canonem imbui oportuerat, acquisiuit, neque Domini sigillo ab Episcopo obsignatus fuit. Quo quidem neutiquam potitus, quomodo quæso Spiritum sanctum adeptus est? *Extat apud Eusebium lib. 6. cap. 35.*

Fabianus. 237.

Epistola 2. Sicut ipsius diei (*Cœna Domini*) solennitas per singulos annos est celebranda: ita ipsius sancti Chrismatis confectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renouanda, & fidelibus tradenda: quia nouum Sacramentum est per singulos annos, & iam dicto die innouandum.

Cyprianus. 250.

Epistola 72. Eos, qui sunt foris extra Ecclesiam tincti, & apud hæreticos & schismaticos profanæ aquæ labe maculati, quando ad nos, atque ad Ecclesiam, quæ vna est, venerint, baptizari oportet, eò quòd parum sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ baptismum. Tunc enim demum plenè sanctificari, & filij Dei esse possunt, si Sacramento vtroque nascantur. *Nota*, Vtroque Sacramento, *id est, Baptismo & Confirmatio.*

Lib. 2. epist. 1.

Epistola 73. ad Iubaianum: Illi, qui in Samaria crediderant, fide vera crediderant, & intus in Ecclesia, quæ vna est, & cui soli gratiam baptismi dare, & peccata soluere permissum est, à Philippo Diacono, quem ijdem Apostoli miserant, baptizati erant. Et idcirco, quia legitimum & Ecclesiasticum baptismum consecuti fuerant, baptizari eos vltra non oportebat: sed tantummodò quod deerat, id à Petro & Ioanne factum est, vt oratione pro eis habita, & manu imposita, inuocaretur & infunderetur super eos Spiritus sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, & manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.

De vnctione Chrismatis: Sanctificatis elementis iam non propria natura præbet effectum, sed virtus diuina potentius operatur, & adest veritas signo, & Spiritus Sacramento, &c. Ex huius vnctionis beneficio & sapientia nobis & intellectus diuinitus datur: consilium, & fortitudo cælitus illabitur: scientia, & pietas, & timor inspirationibus supernis infunditur. Hoc oleo vncti, cum spiritualibus nequitijs colluctamur.

Pontius Diaconus. 270.

Vite sancti Cypriani cap. 9. Quis denique tot Confessores, frontium notatarum secunda inscriptione signatos, & ad exemplum Martyrij superstites reseruatos, incentiuo tubæ cælestis animaret?

Eusebius Papa. 305.

Epistola 3. Manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus: nec tempore Apostolorum ab alijs, quàm ipsis Apostolis legitur, aut scitur esse peractum; neque ab alijs, quàm ab illis, qui Apostolorum tenent locum, vnquam perfici potest, aut fieri debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum, nec inter Ecclesiastica reputabitur Sacramenta.

Melchiades. 311.

Ad Episcopos Hispaniæ: Quæsistis, vtrum maius esset Sacramentum manus impositio Episcoporum, aut Baptismus: scitote vtrumque magnum esse Sacramentum. Et sicut vnum à maioribus fit,

Digitized by Google

id est, à summis Pontificibus, quod à minoribus perfici non potest: ita & maiori veneratione venerandum, & tenendum est. Sed ita coniuncta sunt hæc duo Sacramenta, vt ab inuicem, nisi morte præueniente, nullatenus possint segregari, & vnum sine altero ritè perfici non potest. Nam vnum (præueniente morte) saluare sine altero potest, aliud autem non potest. Vnde scriptum est: *In diebus illis, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem*. Aduertamus summas diuitias bonitatis Dei. Quòd in confirmandis neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio in credentium populos donauit vniuersis, &c. Ioel. 2.

Concilium Eliberinum. 320.

Can. 38. Peregrè nauigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem (qui lauacrum suum integrum habet, nec sit bigamus) baptizare, in necessitate infirmitatis positum Catechumenum, ita vt, si superuixerit, ad Episcopum eum perducat, vt per manus impositionem perfici possit.

Concilium Arelatense Primum. 310.

Cap. 8. De Arianis, qui propria lege sua vtuntur, vt rebaptizentur, placuit. Si ad Ecclesiam aliqui de hac hæresi venerint, interrogent eos nostræ fidei sacerdotes Symbolum Et si peruiderint, in Patre, & Filio, & Spiritu sancto eos esse baptizatos, manus eis tantùm imponatur, vt accipiant Spiritum sanctum.

Concilium Arelatense Secundum. 325.

Cap. 17. Bonosiacos autem, ex eodem errore venientes, (quos, sicut Arianos, baptizari in Trinitate manifestum est) dum interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum Chrismate & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit.

Pacianus. 360.

Sermone de Baptismo: Hæc autem compleri aliàs nequeunt, nisi lauacri, & Chrismatis, & Antistitis Sacramento. Lauacro enim peccata purgantur, Chrismate Spiritus sanctus superfunditur. Vtraque verò ista manu & ore Antistitis impetramus.

Epistola 1. *ad Sympronianum:* Si ergo & Lauacri & Chrismatis potestas, maiorum & longè charismatum ad Episcopos ex Apostolorum forma & potestate descendit, ligandi quoque ius adfuit atque soluendi.

Epistola 3. Vestræ plebi vnde Spiritus, quam non consignat vnctus sacerdos?

Optatus Mileuitanus. 370.

Lib. 7. *contra Donatistas:* Oleum simplex est, & nomen suum vnum & proprium habet: confectum iam Chrisma vocatur, in quo est suauitas, quæ cutem conscientiæ mollit, exclusa duritia peccatorum, quæ animum innouat leuem, quæ sedem Spiritui sancto parat, vt inuitatus illic, asperitate fugata, libenter inhabitare dignetur.

Ambrosius. 370.

Libro de his, qui mysterijs initiantur, cap. 7. Repete, quia accepisti signaculum spiritale, Spiritum sapientiæ & intellectus, Spiritum cognitionis atque pietatis, Spiritum consilij atque virtutis, Spiritum sancti timoris: & serua quod accepisti. Signauit te Deus Pater, confirmauit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis, sicut Apostolica lectione didicisti.

Lib. 3. *de Sacramentis cap.* 2. Sequitur spiritale signaculum, quod audistis hodie legi, quia post fontem superest, vt perfectio fiat, quando ad inuocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij atque virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus sancti timoris, septem quasi virtutes Spiritus. Et omnes quidem virtutes ad Spiritum pertinent, sed istæ quasi cardinales sunt, quasi principales. Quid enim tam principale, quàm pietas? Quid tam principale, quàm cognitio Dei? Quid tam principale, quàm virtus? Quid tam principale, quàm consilium Dei? Quid tam principale, quàm timor Dei? Istæ sunt septem virtutes, quando consignaris.

Lib. 6. *cap.* 2. Ergo accepisti de Sacramentis, plenissimè cognouisti omnia, quòd baptizatus es in nomine Trinitatis. In omnibus, quæ egimus, seruatum est mysterium Trinitatis. Vbique Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vna operatio, vna sanctificatio, etsi quædam veluti specialia esse videantur. Quomodo? Deus, qui te vnxit, & signauit te Dominus, & posuit Spiritum sanctum in corde tuo. Accepisti ergo Spiritum sanctum in corde tuo. Quomodo? Habes hoc in Canticis Canticorum, Christum dicentem ad Ecclesiam: *Pone me sicut signaculum in corde tuo, sicut signaculum in brachijs tuis.* Ergo vnxit te Deus, signauit te Christus. Cant. 8

Quomodo? Quia crucis ipsius signatus es forma, ad illius passionem: accepisti signaculum, ad illius similitudinem, vt ad ipsius formam resurgas: ipsius viuas figura, qui peccato crucifixus est, & Deo viuit. Et tuus homo vetus, in fontem demersus, peccato crucifixus est, sed Deo resurrexit. Deinde habes alibi speciale, quòd te vocauerit Deus, in baptismate autem quasi specialiter crucifigeris Christo. Deinde quasi specialiter, quando accipis spiritale signaculum, vide distinctionem personarum esse, sed connexum omne mysterium Trinitatis.

Lib. 1. *de Spiritu sancto cap.* 6. Sicut in Christo morimur, vt renascamur: ita etiam Spiritu signamur, vt splendorem atque imaginem eius & gratiam tenere possimus, quod est vtique spiritale signaculum. Nam etsi specie signemur in corpore, veritate tamen in corde signamur, vt Spiritus sanctus exprimat in nobis imaginis cælestis effigiem, &c. Atque vt sciamus cordis nostri magis hoc, quàm corporis esse signaculum, docet Propheta, qui dicit: *Signatum est in nobis lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* Psal. 4.

Damasus. 380.

Epistola 4. *de Chorepiscopis:* Non licet Chorepiscopis sacerdotes consecrare, nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontes signare, &c. Quòd autem solis Apostolis, eorumquè successoribus proprij sit officij tradere Spiritum sanctum liber Actuum Apostolorum docet, præsertim cùm nullus ex septuaginta discipulis, quorum isti in Ecclesia speciem gerunt, legatur donum sancti Spiritus per manus impositionem tradidisse. Act. 4.

Prudentius. 390.

In Psychomachia de luxuria & sobrietate:

Vt mitra cæsariem cohibens aurata virilem
Combibat infusum croceo religamine nardum,
Post inscripta oleo frontis signacula, per qua
Vnguentum regale datum est, & Chrisma perenne.

Libro 1. contra Symmachum:

Omnis, qui celsa scandit Cœnacula vulgus,
Aut Vaticano tumulum sub monte frequentat,
Quo cinis ille latet, genitoris amabilis obses,
Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes,
Vnde sacrum referat regali Chrismate signum.

Hieronymus. 390.

Dialogo aduersus Luciferianos cap. 4. Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi

per

per manus Episcopi, non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero baptismate tribui: disce hanc obseruationem ex ea auctoritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit: & multis in locis idem sanctitatum reperimus, ad honorem potius sacerdotij quàm ad legis necessitatem. Alioqui si ad Episcopi tantùm imprecationem Spiritus sanctus defluit: lugendi sunt, qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per presbyteros & Diaconos baptizati, ante dormierunt, quàm ab Episcopis inuiserentur. Ecclesiæ salus in summi Sacerdotis dignitate pendet: cui si non exors quædam, & ab hominibus eminens detur potestas, tot in Ecclesijs efficientur schismata, quot sacerdotes. Inde venit, vt sine Chrismate, & Episcopi iussione, neque Presbyter, neque Diaconus ius habeant baptizandi: quod frequenter, si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere laicis, &c. Si illud obijciendum putas, quia *cùm audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Ioannem, qui cùm venissent ad eos, orauerunt pro eis, vt acciperent Spiritum sanctum: nondum enim ceciderat super vllum illorum.* Cur ita factum sit, in consequentibus disce. Ipse enim ait: *Sed solùm baptizati erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum sanctum.*

Augustinus. 400.

Tractatu 6. in epistolam Ioannis: Primis temporibus cadebat super credentes Spiritus sanctus: & loquebantur linguis, quas non didicerant, quomodo Spiritus dabat eis pronuntiare; signa erant tempori opportuna. Oportebat enim ita significari in omnibus linguis Spiritum sanctum: quia Euangelium Dei per omnes linguas cursurum erat toto orbe terrarum: significatum est illud, & transijt. Nunquid modò quibus imponitur manus, vt accipiant Spiritum sanctum, hoc expectatur, vt linguis loquantur? aut quando imposuimus manum istis infantibus, attendit vnusquisque vestrum, vtrum linguis loquerentur? Et cum videret eos linguis non loqui, ita peruerso corde aliquis vestrum fuit, vt diceret: Non acceperunt isti Spiritum sanctum? Nam si accepissent, linguis loquerentur, quemadmodum tunc factum est? Si ergo per hæc miracula modò testimonium præsentiæ Spiritus sancti non fit: vnde cognoscit quisque accepisse se Spiritum sanctum? Interroget cor suum: si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo: videat, probet seipsum coram oculis Dei: videat, si est in illo dilectio pacis & vnitatis, dilectio Ecclesiæ toto terrarum orbe diffusæ.

Libro 15. de Trinitate capite 26. Neque enim aliquis discipulorum eius dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe, vt veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis Præpositis etiam nunc seruat Ecclesia. Denique & Simon Magus offerens Apo- Actor. 8.
stolis pecuniam, non ait: Date & mihi hanc potestatem, vt dem Spiritum sanctum: sed *cuicunque*, inquit, *imposuero manus, vt accipiat Spiritum sanctum.* Quia neque Scriptura superius dixerat: Videns autem Simon, quòd Apostoli darent Spiritum sanctum: sed dixerat: *Videns autem Simon, quòd per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus sanctus.* Propter hoc & Dominus ipse Iesus
Ioan. 1. Spiritum sanctum non solùm dedit vt Deus, sed etiam accepit vt homo. Propterea dictus est *plenus gratia.* Et manifestius de illo scriptum est in A-
Acto. 10. ctibus Apostolorum: *Quoniam vnxit illum Deus Spiritu sancto.* Non vtique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur vnguento, quo baptizatos vngit Ecclesia.

Libro 2. contra literas Petiliani cap. 104. In hoc vnguento Sacramentum Chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus.

Innocentius Primus. 410.

Epistola ad Decentium Eugubinum cap. 3. De consignandis infantibus manifestum est, non ab alio, quàm ab Episcopo, fieri licere. Nam Presbyteri, licet sint sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus solis deberi, vt vel consignent, vel paracletum Spiritum tradant, non solùm consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verùm & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit, Actor. 8.
Petrum & Ioannem esse directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum sanctum. Nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizant, Chrismate baptizatos vngere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum Paracletum.

Concilium Arausicanum. 440.

Cap. 1. De eo, qui in baptismate, quacunque necessitate faciente, Chrismatus non fuerit, in Confirmatione sacerdos commonebitur. Nam inter nos Chrismatis ipsius non nisi vna benedictio est. Non vt præiudicans quicquam dico, sed vt necessaria habeatur Chrismatio repetita.

Cap. 2. Hæreticos, in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderent, si desit Episcopus, à Presbyteris cum Chrismate, & benedictione consignari placet.

Leo Primus. 450.

Epistola 88. Chorepiscopis nec erigere altaria, nec Ecclesias vel altaria consecrare licet, nec per impositiones manuum fidelibus baptizandis vel conuersis ex hæresi paracletum Spiritum sanctum tradere, nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizatorum frontes signare. Hæc enim omnia illicita sunt Chorepiscopis, qui ad exemplum, & formam septuaginta discipulorum esse noscuntur. Quoniam quamquam consecrationem habeant, Pontificatus tamen apicem non habent. Quæ omnia solis deberi summis Pontificibus auctoritate Canonum præcipitur, vt per hoc & discretio graduum, & dignitatis fastigium summi Pontificis demonstretur.

Epistola 37. cap. 2. Quòd si ab hæreticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc nullatenus Sacramentum regenerationis iteretur: sed hoc tantum, quod ibi defuit, conferatur, vt per Episcopalem manus impositionem virtutem sancti Spiritus consequatur.

Sermone 4. de Natiuitate Domini cap. 4. Permanete stabiles in fide, quam confessi estis coram multis testibus, & in qua renati per aquam & Spiritum sanctum, accepistis Chrisma salutis, & signaculum vitæ æternæ.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Homilia in die Pentecostes: Aduertamus summæ diuitias bonitatis: quod nunc in confirmandis neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio in credentium populo donauit vniuersis: sed quia diximus, quòd manus impositio & confirmatio ei, qui iam renatus in Christo est, conferre aliquid possit, fortè cogitat sibi aliquis: Quid mihi prodest post mysterium Baptismatis, mysterium Confirmationis? Aut, quantum video, non totum de fonte suscepi-

suscepimus, si post fontem adiectione noui generis indigemus. Non ita est dilectissimi, attendat charitas vestra. Sic enim exigit militaris ordo, vt cum Imperator quemcumque in militum receperit numerum, non solùm signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum: ita in baptizato benedictio illa munitio est. Dedisti militiam, da ei adiumenta militiæ. Numquid prodest, si quisquam parentum magnam paruulo conferat facultatem, nisi prouidere studeat & tutorem? Ita Paracletus regeneratis in Christo & consolator, & tutor est. Ergo Spiritus sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Quia in hoc mundo tota ætate victuris inter inuisibiles hostes ad pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam. In baptismo alimur, post baptismum roboramur. Ac sic continuò transituris sufficiunt regenerationis beneficia, victuris autem necessaria sunt Confirmationis auxilia. Regeneratio per se saluat mox in pace beati seculi recipiendos: Confirmatio armat & instruit ad agones mundi huius & prælia reseruandos.

Prosper. 460.

Sentent. 342. Christi nomen à Chrismate est, id est, ab vnctione. Quia ideo omnis Christianus sanctificatur, vt intelligat se non solùm sacerdotalis & regiæ dignitatis esse consortem, sed etiam contra diabolum fieri luctatorem.

Gelasius. 490.

Ad Episcopos per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam constitutos cap. 7. Baptizandis, consignandisque fidelibus pretia nulla præfigant, nec illationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes. Quoniam quod gratis accipimus, gratis dare mandamur.

Alcimus Auitus. 500.

Libro ad sororem:

——— Dominus plebem cùm fortè doceret
Peruigili cura supremo attendere fini,
Cælorum regnum, quæ Christi Ecclesia sancta est,
Virginibus sacro signatis Chrismate confert.

Synodus Aurelianensis. 500.

Apud Gratianum de consecrat. distinctione 5. Ieiuni ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis, & moneantur, confessionem facere prius, vt mundi donum Spiritus sancti valeant accipere. Quia nunquam erit Christianus, nisi confirmatione Episcopali fuerit Chrismatus.

Primasius. 540.

In caput 13. ad Hebræos. Donum Spiritus sancti datur in baptismo, per impositionem manus Episcoporum, quæ omnia gratis à Deo dantur.

Ioannes Tertius. 560.

Ad Episcopos Germaniæ & Galliæ: Perlatum est ad Sedem Apostolicam, quòd quidam Chorepiscopi, vltra modum suum progredientes, donum Spiritus sancti per impositionem manuum tradant, & alia, quæ solis Pontificibus debemus, contra fas peragant. Præsertim cùm nullus ex septuaginta discipulis, quorum speciem in Ecclesia gerunt, legatur donum Spiritus sancti per manus impositionem tradidisse. Quòd autem solis Apostolis, eorumque successoribus, proprij sit officij tradere Spiritum sanctum, liber Actuum Apostolorum docet. Actor. 8.

Fortunatus. 570.

Vita S. Maurilij capite 15. Sequente die beato Mauritio Episcopo in beati Petri Basilica sanctam solennitatem celebrante, aduenit cum moriente puero matrona, postulans vt filio suo manuum suarum impositione Spiritum sanctum daret, antequam obiret. Sed remorante in sancta corporis & sanguinis Christi consecratione paululum Præsule puer excessit. Expleto autem sanctæ solennitatis mysterio, & obitu pueri, qui absque Chrismatis dono excesserat, percognito, totum id suæ desitudini deputauit, lachrymis multo tempore irremediabilibus suæ culpam lugens inobedientiæ.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 3. epist. 9. Presbyteri baptizatos infantes sacro signare in frontibus Chrismate non præsumant: sed Presbyteri baptizatos vngant in pectore, vt Episcopi postmodum vngere debeant in fronte.

Libro 11. epist. 22. Relatum est nobis, sanctæ memoriæ decessoris mei temporibus, per seruum Dei Diaconum, qui tunc Ecclesiastici patrimonij curam gessit, fuisse dispositum, vt sacerdotes per vniuersas diœceses vestras constituti, quoties ad consignandos infantes egredimini, vltra modum grauari minimè debuissent.

Ad cap. 1. Cantic. In Engaddi balsamum nascitur, quod cum oleo Pontificali benedictione Chrisma efficitur, quo dona Spiritus sancti exprimuntur.

Libro Sacramentorum, de baptismo infantium: Si Episcopus adest, statim confirmari eum oportet Chrismate, & postea communicare.

Homilia 17. in Euang. Per nos quidem fideles ad sanctum baptisma veniunt, nostris precibus benedicuntur, & per impositionem nostrarum manuum à Deo Spiritum sanctum percipiunt, atque ipsi ad regnum cælorum pertingunt, & ecce nos per negligentiam nostram deorsum tendimus.

Isydorus Hispalensis. 629.

De officijs Ecclesiasticis lib. 2. cap. 29. Sed quoniam post baptismum per Episcopos datur Spiritus sanctus cum manuum impositione, hoc in Actibus Apostolorum fecisse meminimus Apostolos: sic enim legitur: *Factum est dum Apollos esset Corinthi, Paulus peragratis superioribus partibus, &c.* Item alio loco: Acto. 19
Cùm audissent, qui erant Hierosolymis, Apostoli, &c. Actor. 8

Lib. 6. Etymol. cap. de Officijs: Sunt Sacramenta Baptismus, & Chrisma, Corpus & sanguis. Quæ ob id Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus diuina secretius virtutem eorundem Sacramentorum operatur. Chrisma Græcè, Latinè vnctio nominatur. Nam sicut in baptismo peccatorum remissio datur: ita per vnctionem sanctificatio Spiritus adhibetur.

Synodus Toletana Quarta. 640.

Cap. 15. Iudæi qui iam pridem ad Christianitatem venire coacti sunt, quia iam constat eos diuinis Sacramentis associatos, & baptismi gratiam suscepisse, & Chrismate vnctos esse, & corporis & sanguinis factos esse participes, fidem, quam susceperunt, tenere cogantur.

Aponius. 700.

Lib. 1. in Cantica: Quem cibum Ecclesia in baptismatis suscipit Sacramento, vbi trina confessione Patris, & Filij, & Spiritus sancti notitiæ odorem cognoscit, cùm ei doctrinæ lac triformem contulerit redemptionis medullam: liquorem scilicet baptismatis candidissimum, suauemque succum corporis Christi, & pinguissimum butyrum, sacri Chrismatis oleum, per quod Spiritus sanctus infunditur, &c. Hoc Ecclesiæ vnguentum tantum in se gerit virtutis flagrantiæ simul & medicinæ, vt omnes credentes sanissimos reddat, reges & sacerdotes constituat, & eius odor notitiæ à solis ortu vsque ad Occasum omnem mundum impleuerit.

Beda 700.

In Psal.26. Quia intendit ad nostram instructionem, per vnctionem vertit se ad nos, dicens: *Dominus illuminatio mea*, id est, Dominus animam meam, quæ prius in tenebris infidelitatis fuit, illuminauit per notitiam fidei, datam mihi & in prima vnctione olei, quando Satanæ & pompis eius abrenuntiaui: & in secunda vnctione Chrismatis, quando nominis eius manifestè professor fui, &c. Potest quoque *illuminatio* ad primam tantùm vnctionem, in qua simpliciter abrenuntiamus Satanæ, referri: *salus* verò ad secundam, in qua magis firmamur, quia & nomen Christi in ea profitemur. Et ab eo nomen accipimus, scilicet vt Christiani dicamur, & congruè fidelis anima hic agit de duabus primis vnctionibus, vt quia se non ingratam de his ostendit, ad tertiam, quam desiderat, perducatur. Sciendum autem, quòd illa vnctio, quæ per manuum impositionem ab Episcopis quasi alia à duabus prædictis, & vulgo Confirmatio dicitur, eadem est cum secunda: propter arrogantiam tamen non concessa, est singulis sacerdotibus, sicut & multa alia.

In caput 22. Lucæ: In montem Oliuarum discipulos educit, vt omnes in morte sua baptizatos altissimo sancti Spiritus Chrismate confirmandos esse designet.

Ad cap.8. Actuum Apost. Philippus, qui Samariæ euangelizabat, vnus è septem fuit. Si enim Apostolus esset, ipse vtique manum imponere potuisset, vt acciperent Spiritum sanctum. Hoc enim solis Pontificibus debetur. Nam Presbyteris siue extra Episcopum, siue præsente Episcopo baptizent, Chrismate baptizatos vngere licet, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum paracletum baptizatis.

Marcellinus Presbyter. 730.

Vitæ S. Suuiberti cap.6. Sancti illi Episcopi rudem populum documentis Euangelicis informârunt, Catechumenos baptizârunt, neophytos confirmârunt, sacros Ordines celebrârunt.

Auctor Ordinis Romani. 730.

Fol.76. *Oratio post Confirmationem*: Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, & per eos, eorumq; successores cæteris fidelibus tradendum esse voluisti, respice propitius ad humilitatis nostræ famulatum, & præsta, vt eorum corda, quorũ frontes sacro Chrismate deliniuimus, & signo crucis designauimus, idem Spiritus sanctus adueniens, templum gloriæ suæ dignanter habitando perficiat.

Gregorius Tertius 731.

Epist.2. ad Bonifacium: Illi, qui baptizati sunt per diuersitatem & declinationem linguarum gentilitatis: tamen quia in nomine Trinitatis baptizati sunt, oportet eos per manus impositionem & sacri Chrismatis vnctionem confirmari.

Epistola 4. ad Bonifacium: De homine, qui à Pontifice confirmatus fuerit, denuò illi talis reiteratio prohibenda est.

Synodus Francica. 742.

Quandocunque iure Canonico Episcopus circumit Parochiam ad populos confirmandos, Presbyter paratus sit ad suscipiendum Episcopum cum collectione & adiutorio populi, qui ibi confirmari debet. Et in Cœna Domini semper nouum Chrisma ab Episcopo quærat.

VVilibaldus Eistetensis. 750.

Vitæ S. Bonifatij cap. 20. In confinio Ostertich & Westertich ad ripam Bornæ erat festum Neophytorum, ob Confirmationis diem, & nuper baptizatorum ab Episcopo manus impositionis prædictum populo. Nam longè latèque vnusquisque dispersus, ad propriam reuersus domum est, vt secundùm definitam sancti Episcopi sententiam vniuersi prædestinato Confirmationis die præsentarentur.

Alcuinus. 750.

De diuinis Officijs cap. 19. de Sabbato sancto Paschæ: Nouissimè per impositionem manus à summo sacerdote septiformis gratiæ Spiritum accipit, vt roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum alijs, qui fuit in baptismo per gratiam donatus vita æterna, &c. Postquam vestiti fuerint (*infantes baptizati*,) deportantur ante Pontificem ad confirmandum, quibus dat singulis stolam candidam Chrismalem, & decem siliquas, & sic vestiuntur.

Carolus Magnus. 800.

Libro 6. legum cap. 83. Omnes maximam curam habeant, ne sine Confirmatione Episcopi vitam finiant, animaq; periclitetur.

Cap. 174. Annuntient Presbyteri populis, vt quã citius potuerint, suos infantulos ad confirmãdum Episcopo præsentare faciant.

Concilium Cabilonense secundum. 813.

Cap.27. Dictum nobis est, quòd quidam de plebe bis & ter ab Episcopis, ignorantibus ijsdem Episcopis, confirmentur. Vnde nobis visum est, eandem Confirmationem, sicut nec Baptismum, iterari minimè debere.

Haymo. 820.

Homilia in Feriam 2. Paschæ. Baptizatos vngit Ecclesia, dum per impositionem manus Episcopi Spiritus septiformis inuocatur.

Ad cap.6. ad Hebræos: *Impositionis manuum.*) Impositionem manuum appellat Confirmationem, per quam plenissimè creditur accipiendus Spiritus sanctus, quod post Baptismum ad confirmationem vnitatis in Ecclesia à Pontificibus fieri solet.

Ad cap. 13. Gratia hic accipitur pro fide perfecta peccatorum, quam percipiunt electi tempore baptismatis: donum etiam Spiritus sancti, quod datur tam in baptismate, quàm per impositionem manus Episcoporum, quæ omnia gratis à Deo dantur.

Concilium Parisiense. 829.

Libro 1. cap. 33. Perlatum est ad nos, quòd in quibusdam prouincijs plerique Episcopi post perceptionem cibi & potus solenniter soleant per impositionem manuum tradere Spiritum sanctũ. Quod tam excellenti ministerio prorsus non conuenire, & ita deinceps fieri non debere, omnibus nobis visum est: Quoniam credibile est, & auctoritas Ecclesiæ ita se habet, vt sicut Apostoli vnanimes existentes, Dominumque collaudantes, & benedicentes, ita nimirum ieiunantes accipere meruerint paracletum Spiritum sanctum, eosque non nisi ieiunos, sicut eorum acta docent, alijs eum tradidisse manifestum est. Sicut enim Baptismus, excepta infirmorum causa, non nisi à ieiunis celebratur sacerdotibus, ita etiam traditio Spiritus sancti, excepta præmissa causa infirmorum, non nisi à ieiunis celebranda est Pontificibus. Dignum quippe est, vt Pontifices Christi primùm ieiunando ac orando in cordibus suis domum præparent Spiritui sancto, & sic per impositionem manuum cæteris fidelibus eum tradant orando.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis: Confirmatio & tunc ad primos Ecclesiæ pastores pertinuit, & nunc pertinere non dubitatur. Vnde in Canonibus sæpe interdicitur Presbyteris: ne Chrisma conficiant, neque baptizatos in fronte consignent: quod solis debetur

Algerus. 1060.

De Eucharistia libro 3. cap. 4. Oleum, quia athletis est congruum, & incendio, & lumini obnoxium, vt contra spirituales nequitias humana fragilitas fortius muniatur, oleo Chrismatis in baptismate, & in Confirmatione perungitur, vt sic datus Spiritus geminæ dilectionis, animam fide illuminet, dilectione inflammet, spe cælesti muniat & roboret.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad cap. 9. prioris ad Corinth. Nam & ideo Chrismate sumus vncti, quia luctatores sumus effecti.

Ad cap. 1. posterioris ad Corinth. *Dedit in cordibus nostris pignus Spiritus,)* quando per impositionem manuum accepimus Spiritum sanctum in pignus futuræ beatitudinis.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de excellentia sacrorum Ordinum: Christianam militiam in baptismate professi estis, & arma spiritualia contra hostes inuisibiles per manus impositionem accepistis, in castris Domini tanquam gregarij milites aliquandiu militastis.

Sermone de conuenientia veteris ac noui Testamenti: Populi baptizati quasi panes oblationis liniuntur, cùm per manus impositionem sacro Chrismate, ad agonem fortiter tolerandum contra spirituales nequitias, confirmantur.

Edmerus. 1100.

Vita sancti Anselmi lib. 2. Quo facto venerunt ad Episcopum honorati quidam de indigenis viri, flexis genibus obsecrantes, quatenus filios eorum per impositionem manus suæ sacri Chrismatis vnctione signaret. Ad quod mox ita respondit: Et hos, pro quibus petitis, libens in hac causa suscipiam, & alios hoc Sacramento egentes, si præsto fuerint, non abijciam. Qua illi facilitate responsi, benignitatem viri admirantes, magnificè lætati sunt, & gratias egerunt, confirmatisque pueris suis, illicò totam vrbem his, quæ ab eius ore acceperant, impleuerunt. Videres ergo viros ac mulieres, magnos ac paruos è domibus ruere, certatimque currendo ad nostrum hospitium prædicti Sacramenti gratia properare. Plures siquidem anni apud eos transierant, in quibus nullus Episcoporum illic fuerat, tali officio passus occupari.

Rupertus Tuitiensis. 1110.

Libro 5. de diuinis officijs cap. 16. Postquam per seipsum veniens Christus Dei Filius à Deo Patre cælesti, & vero vnguento est delibutus, iam non soli Pontifices & reges, sed & omnis Ecclesia vnctione Chrismatis per manuum impositionem consecratur. Quod solis debetur Episcopis, vt consignent, & Spiritum paracletum tradant. Quod non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verùm & illa lectio Actuum Apostolorum, &c. Fortè aliquis dicat: Quid mihi prodest post baptismatis mysterium mysterium Confirmationis? Nam si post fontem adiectione noui generis indigemus, quantum video non totùm de fonte suscepimus. Non ita intelligendum est. Nam quid prodest, si quisquam parentum magnam paruulo conferat hæreditatem, nisi prouideat illi tutorem? Paracletus quippe regeneratis in Christo custos, & consolator, & tutor est, qui possent, suadente diabolo, sicut paruuli facultatem, perdere baptismi vtilitatem, si hunc non haberent tutorem. Igitur Chrisma Spiritus sancti signum est, cuius & virtutem continet. Et pulchrè Spiritui sancto per hanc speciem suam nobis placuit dare gratiam.

Cap. 17. Constat ideo frontibus nostris ex ipso Chrismate imprimi signum crucis Christi, vt exterminator diabolus in domibus animarum, corporumque nostrorum ius nocendi nullum habeat.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei lib. 2. parte 7. cap. 2. Manus impositio, quæ vsitato nomine Confirmatio vocatur, qua Christianus vnctione Chrismatis per impositionem manus in fronte signatur, solis Episcopis, Apostolorum vicarijs, debetur, vt Christianum consignent, & Spiritum paracletum tradant, sicut in primitiua Ecclesia Spiritum sanctum per impositionem manuum dandi soli Apostoli potestatem habuisse leguntur.

De Sacramentis fidei lib. 2. parte 15. cap. 1. Tria sunt genera olei sancti: primum est oleum vnctionis: secundum est oleum principalis Chrismatis: tertium est oleum, quod dicitur oleum infirmorum. Chrisma Græcè, Latinè dicitur vnctio. Et tamen cùm omne oleum ad vnctionem faciendam sanctificetur, non omne oleum principalis Chrismatis vocatur, nisi illud solum, quo principalis vnctio perficitur, quod etiam singulariter Chrisma nominatur. Chrisma enim est oleum cum balsamo mixtum, quo vnguntur capita regum, & Pontificum, quo etiam baptizatos sacerdos vngit in vertice, sicut eodem Pontifex per impositionem manus confirmandos vngit in fronte.

Bernardus. 1130.

In vita Malachiæ: Malachias vsum saluberrimum Confessionis, Sacramentum Cõfirmationis, Contractum coniugiorum, quę omnia aut ignorabant, aut negligebant, de nouo instituit, &c. Puerum mente captum ex his, quos lunaticos vocant, inter confirmandum sacra vnctione sanauit.

Petrus Lombardus 1140.

Lib. 4. distinct. 7. Nunc de Sacramento Confirmationis addendum est: de cuius virtute quæri solet. Forma enim aperta est, scilicet verba, quæ dicit Episcopus, cùm baptizatos in frontibus sacro signat Chrismate. Hoc Sacramentum ab alijs perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus: nec tempore Apostolorum ab alijs, quàm ab ipsis Apostolis legitur peractum, nec ab alijs, quàm ab ipsis, qui locum eorum tenent, perfici potest aut debet. Virtus huius Sacramenti est donatio Spiritus sancti ad robur, qui in baptismate datus est ad remissionem, &c. Hoc Sacramentum tantùm à ieiunis accipi, & ieiunis tradi debet, sicut & Baptismus, nisi aliter cogat necessitas. Nec debet iterari, sicut nec Baptismus, vel Ordo. Nulli enim Sacramento facienda est iniuria: quod fieri putatur, quando non iterandum iteratur.

Odo Parisiensis Episcopus. 1175.

In Statutis Synodalibus cap. 4. Sacerdotes frequenter moneant populum ad Confirmationem puerorum. Post Baptismum debet suscipi Sacramentum Confirmationis. Quòd si confirmandus adultus fuerit, confiteatur prius, & postea confirmetur. Sæpe dicatur Laicis, ne expectent diu, ad confirmandum pueros, aduentum Episcopi: sed adducant eos ad eum, nisi adesse audierint propè.

Innocentius Tertius. 1200.

L. Vicario apud Constantinopolim: Peruenit sanè ad audientiam nostram, quòd quidam simplices sacerdotes apud Constantinopolim ea Sacramenta præsumunt fidelibus exhibere, quæ ab Apostolorum tempore ritè fuerunt solis Pontificibus reseruata, vt est Sacramentum Confirmationis, quod chrismando renatis soli debent Episcopi per manus impositionem conferre, *ad excusandas excusationes in peccatis*, & sui erroris fomentum solam consuetudinem prętendentes. cùm diuturnitas temporis peccata non minuat, sed augmentet, quæ tanto grauiora existunt, quanto infeli-

infelicem animam diutius detinent alligatam. Volentes igitur hæc, & alia, quæ oculos diuinæ Maiestatis offendunt, de agro Dominico extirpari, discretioni tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus omnibus Latinis Presbyteris apud Constantinopolim constitutis districtè prohibeas, ne talia de cætero sua temeritate præsumant: quæ licet non sint à fidelibus contemnenda, tutius tamen est ea sine periculo ex necessitate, quæ legem non habet, omittere, quàm vt ab his, quibus ea conferre non licet, ex temeritate, quæ lege damnatur, non sine graui periculo inaniter conferantur: cùm vmbra quædam ostendatur in opere, veritas autem non subeat in effectu.

Patriarchæ Constantinopolitano: Per frontis Chrismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio: quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur & robur. Vnde cùm cæteras vnctiones simplex sacerdos vel Presbyter valeat exhibere, hanc non nisi summus Sacerdos, id est, Episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum vicarij sunt Episcopi, quòd per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In Vigilia Pentecostes: In Baptismo Spiritus sanctus confertur ad purgationem, & innocentiam, & virtutum infusionem: in Confirmatione datur ad robur, & ad pugnam. Et hoc modo solebat dari in primitiua Ecclesia per solam manus impositionem: nunc autem propter Sacramenti reuerentiam istud solennius efficitur. Hodie enim ad hoc, quod fit Confirmationis Sacramentum, quatuor exiguntur: intentio, officium seu dignitas confirmantis, forma verborum ad hoc instituta, quæ est: *Consigno te signo sanctæ crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Hæc forma, vel æquipollens ad Confirmationem exigitur. Quartum autem est sancti Chrismatis in fronte inunctio. Sicut autem in Baptismo character imprimitur animæ ad distinctionem, vt scilicet baptizatus ab infidelibus discernatur: ita in Confirmatione imprimitur character animæ, ad elegantiam & præeminentiam, qui signum est roboris, & interioris vnctionis. Insignitur enim anima quasi charactere nouæ armaturæ, sicut aries robustus ductor gregis solet signari ad præeminentiam. Est enim Sacramentum Confirmationis character siue signaculum Christianæ religionis, ex intentione & officio confirmantis, & verborum benedictione, ac Chrismatis vnctione proueniens. Hæc enim quatuor de substantia sunt huius Sacramenti.

Edmundus Cantuariensis. 1230.

In Speculo Ecclesiæ cap. 14. de septem Sacramentis: Secundum Sacramentum est Confirmatio, quæ Spiritum sanctum in Baptismo receptum confirmat, & conseruat. Infra quinque annos ad vltimum postquam infans natus fuerit, potest confirmari de manu Episcopi, & debet bene informari, antequam fuerit confirmatus. Parentes itaque debent se custodire, ne ipsimet teneant suum infantem coram Episcopo ad confirmandum.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Libro de Sacramentis capite de Sacramento Confirmationis: Propter vestiendam animam humanam meritò est Sacramentum Baptismi, & propter eandem armandam est Sacramentum Confirmationis, &c. Frustra autem Sacramento isto roborari seu confirmari quærunt, qui debilitates suas amant, & dimittere nolunt. Debilitates autem sunt ægritudines & vulnera peccatorum: similiter vincula & onera eorum. Ista enim sunt quatuor, quæ roborationem, siue confirmationem secum non patiuntur. Præterea solicitè, & solerter exhortandi sunt ad Sacramentum istud accedere volentes, vt omnia ista deferant. Per hæc enim infirmiores sunt hostibus suis & inferiores.

Hugo Cardinalis. 1240.

Ad Psalm. 26. Primò iustus vngitur in Baptismo in signum futuri regni: secundò in Confirmatione, quando ei datur augmentum gratiæ, & tunc iam regnat quasi super vnam tribum, licet multos habeat impugnatores. Quia illud Sacramentum datur ad robur.

Thomas Aquinas. 1250.

In Tractatu de articulis fidei cap. 14. Secundum Sacramentum est Confirmationis, cuius materia est Chrisma confectum ex oleo, quod significat nitorem conscientiæ: & balsamo, quod significat odorem bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Forma autem huius Sacramenti est talis: *Confirmo te signo crucis, &c.* Minister huius Sacramenti est solus Episcopus. Effectus huius Sacramenti est, quòd in eo datur Spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, vt scilicet Christianus audacter confiteatur nomen Christi. Et confirmandus in fronte vngitur, in qua est sedes verecundiæ, vt scilicet nomen Christi confiteri non erubescat, & præcipuè crucem eius, quæ est Iudæis scandalum, gentibus autem stultitia, & propter hoc iterum signo crucis signatur.

Contra Gentiles lib. 4. cap. 60. Conuenienter hoc Sacramentum à solis Pontificibus confertur, qui sunt quodammodo duces exercitus Christiani, vt sic, qui hoc Sacramentum suscipiunt, ad spiritualem militiam quodammodo videantur ascribi. Vnde & ijs manus imponitur, ad designandam deriuationem virtutis à Christo.

Bonauentura. 1260.

Parte 3. Centiloquij cap. 49. Gratia, quæ confertur in Confirmatione, est gratia gratum faciens. Gratia autem gratum faciens dicitur dupliciter: aut gratum faciens de non grato, & talis est gratia Baptismatis, & pœnitentialis; aut est magis gratum faciens de iam grato, & talis gratia datur in Confirmatione, quæ gratiam prius receptam ampliat & confirmat. In isto Sacramento aliud est, quod est tantùm signum, vt est forma audibilis, & materia visibilis: aliud, quod est tantùm res, vt gratia corroborans, & confirmans: aliud est, quod est res & signum, vt est character.

Guibertus Tornacus. 1270.

De officio Episcopi cap. 43. Hoc igitur oleo sancto, quod Chrisma nominatur, confirmandus consecratur, in qua Confirmatione datur Spiritus sanctus ad robur. Hæc autem sunt verba, quæ profert Episcopus: *Confirmo te signo crucis, & Chrismate salutis, in nomine Patris, &c. Signo* enim *crucis* dicitur, vt ex ignominia crucis non confundatur confiteri humanitatem. Distinguuntur enim nomina personarum, vt confiteatur trium personarum diuinitatem. Vt autem innotescat ei status suus, & Sacramenti effectus, dicitur: *Chrismate salutis*, in hoc perpendens se locum tenere pugilis. Deus autem per potentiam suam hunc pugilem roborat, per sapientiam illuminat, & per bonitatem remunerat. Sic enim pugiles inunguntur, vt congrediantur: & sic pugil noster luctans contra vitia & dæmones, suam impedientem Deificationem, certando superans Christi vestigijs conformatur, & per hoc salutem consequitur.

Guilhelmus Durandus. 1280.

In Rationali Diuinorum lib. 2. cap. 9. Sacramentum dignitatis & necessitatis est Confirmatio. Dignitatis, quia à solo Episcopo confertur: necessitatis, quia ex contemptu illud dimittens non saluatur.

Ioannes Duns Scotus. 1308.

In Quæstionibus, quas Reportationes vocant, super 4. lib. Sententiarum dist. 7. q. 1. Confirmatio est vnctio hominis non inuiti Chrismate sanctificato facta in fronte signo crucis à ministro idoneo simul intingente, & verba certa cum intentione debita proferente, ex institutione diuina, significans efficaciter vnctionem interiorem per gratiam roborantem, datam ad confitendum fidem Christi sine verecundia. Materia remota est Chrisma sanctificatum, sicut aqua in baptismo. Materia propinqua vnctio, sicut in baptismo ablutio.

Durandus à sancto Portiano. 1310.

Libro 4. Sent. dist. 7. quæst. 3. Solis Episcopis competit ex officio confirmare, & hoc rationabiliter. Primò, quia concordat Scripturæ. Non enim legitur hoc Sacramentum tempore Apostolorum ab alio fuisse collatum, quàm ab Apostolis, quorũ vicem gerunt Episcopi. Secundò ex determinatione Ecclesiæ, quæ habetur de Consecratione dist. 5. Tertiò ex probabili ratione, quia ad illum, qui est supremus in aliquo statu, pertinet ordinare & disponere de illis, qui sub ipso in aliquo gradu præficiuntur populo communi: sicut & ad principem exercitus pertinet ordinare de centurionibus & decurionibus. Sed Episcopus in ordine Ecclesiasticæ Hierarchiæ est supremus. Ergo ad Episcopum pertinet illa Sacramenta dispensare, per quæ aliquis constituitur in aliquo gradu super populum communem. Hæc autem sunt Confirmatio, per quam aliquis efficitur miles fidei defendendæ, &c.

Nicolaus Lyranus. 1320.

In caput 8. Actuum Apostol. Philippus erat tantùm Diaconus, propter quod, licet posset baptizare, non tamen manus imponere, nec per consequens donũ Spiritus sancti in signo visibili dare. Hoc enim pertinebat ad Apostolos. Vnde & soli Episcopi, qui sunt successores eorum in nouo Testamento, manus imponunt. Propter quod Philippus significauit Apostolis, vt aliqui eorum venirent in Samariam, vt supplerent illud, quod ad eius officium non spectabat.

Antonius Andreas Franciscanus. 1320.

In librum quartum Sententiarum distinct. 7. quæst. 1. Confirmatio potest sic describi: Confirmatio est Sacramentum vnctionis hominis viatoris consentientis, vel libero arbitrio nunquam vsi, facta in fronte, in signum crucis, cum Chrismate sanctificato à ministro idoneo, cum intentione debita simul vngente, & verba debita proferente, significans efficaciter ex institutione diuina vnctionem animæ per gratiam roborantem, ad confitendum cum fiducia fidem Christi.

Quæst. 3. Est necessarium ad salutem habenti tempus debitum, & locum suscipiendi eum. quia tunc, si non susciperet, videretur rectè ex contemptu hoc facere, & ita peccaret mortaliter, & ita esset extra statum salutis.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 2. cap. 10 Christus manus imponendo paruulis, instituit & initiauit Sacramentum Confirmationis, cuius ministerium postea contulit Apostolis. Vnde paruuli in frontibus Chrismate consignantur ab Episcopis, qui in Ecclesia Dei locum obtinent Apostolorum. Per impositionem enim manuum Apostolorum conferebatur Spiritus sanctus ad robur & confirmationem fidelium: cuius impositionis manuum locum obtinet prædictum Sacramentum.

Guido de monte Rocherij. 1334.

In Manipulo curatorum tractatu 3 parte 1. cap. 1. Confirmatio est consignatio facta cum Chrismate in fronte baptizati ab Episcopo cum certa forma verborum, ad audacter confitendum nomen Christi.

Cap. 7. Effectus huius Sacramenti est, quia Spiritus sanctus ad robur & audaciam confitendi nomen Christi in eo datur. Vnde nisi sit obex, id est, impedimentum ex parte suscipientis, in Sacramento isto datur noua gratia, vel antiqua augetur.

Thomas Argentinensis. 1360.

Lib. 4. dist. 7. quæst. 1. art. 1. Gratia gratum faciens confertur in Confirmatione. Quia cuicunque datur Spiritus sanctus, illi datur gratia gratum faciens: sed ordinatè suscipienti Sacramentum Confirmationis datur Spiritus sanctus. Præterea nullus confirmatur in bono nisi per gratiam, quæ est gratus Deo: sed per illud Sacramentum confirmatur homo in bono. Propter hoc enim dicitur Sacramentum Confirmationis.

Thomas VValdensis. 1414.

Tomo secundo de Sacramento Confirmationis cap. 11. In Baptismate charitas infunditur: in Confirmatione & Episcoporum manus impositione diffunditur. Vnde hoc Sacramentum directè intellexit Apostolus, cùm diceret: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Tomo 3. titulo 6. de Confirmatione baptizati cap. 55. Confirmationis venerabile Sacramentum, peracto solenni baptismo, si Episcopus adsit, subsequitur. Quæ Ecclesiastica regula modò seruatur, copulans Sacramenta, sicut Paulus ipsa coniunxit, Hebr. 6. *Non rursum iacentes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum*, vbi statim Baptismo Sacramentum impositionis manuum per Confirmationem annectit.

Ioannes Gerson. 1420.

In Regulis Moralibus: Sacramentum Confirmationis, ad robur institutum, tenetur quilibet Christianus, habens vsum rationis, non contemnere, præsertim in imminente periculo confessionis Christi, coram infidelibus faciendæ.

Raimundus Sebundius. 1430.

In Viola animæ cap. 71. Sicut in Baptismo homo quasi modò genitus infans abluitur à sordibus, & emundatur: ita in Sacramento Confirmationis crescit, augmentatur, & roboratur. In his enim, quæ ad corpus pertinent, primò videmus hominem de vulua nasci, secundò natum crescere & roborari: ita in spiritualibus homo primùm de vulua, hoc est, de fonte Ecclesiæ mysticè generatur, deinde in spirituali vita per Confirmationis Sacramentum augetur, & roboratur. Et quia in ista roboratione fit noua operatio, & nouus animæ effectus, ideo nouum etiam debuit institui Sacramentum, & à primò disiunctum. Verùm quia in quolibet Sacramento oportet, vt visibile proportionetur rei inuisibili, ideo Chrisma, quod est compositum ex oliuo & balsamo, cum verbis gratiam operantibus, istis scilicet: *Signo te signo crucis, confirmo te Chrismate salutis*, huius Sacramenti virtutem optimè repræsentat.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tomo 1. Sermone 25. fol. 173. In Confirmatione præpara-

paratur homo ad pugnam pro fide Christi. Alapa percutitur, vt discat, quòd per patientiam vincitur in militia Christi. In fronte inungitur, vt à recipiente fides Christi sine erubescentia prædicetur.

Concilium Ferrarsense. 1439.

In doctrina de Sacramentis: Secundum Sacramentum est Confirmatio, cuius materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ: & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Forma autem est: *Signo te signo crucis, confirmo te Chrismate salutis.* Ordinarius minister est Episcopus. Et cùm cæteras vnctiones simplex sacerdos valeat exprimere, hanc non nisi Episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, (quorum vicem tenent Episcopi,) quòd per manus impositionem Spiritum sanctum dabant. Loco autem illius manus impositionis, datur in Ecclesia Confirmatio.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Summa orthodoxæ fidei libro quarto capite 96. In spirituali vita post baptismum, qui est spiritualis regenerationis principium, & gratiam præstans, sequitur Confirmatio, per quam homo in gratia confortatur, & perfectam spiritualem ætatem, seu spirituale augmentum sortitur, quemadmodum Melchiades Papa affirmat. Hoc Sacramentum Christus instituit, non exhibendo, sed promittendo, dum dixit: *Nisi ego abiero, Paraclerus non veniet ad vos.* Quoniam enim in hoc Sacramento confertur plenitudo gratiæ Spiritus sancti, ideo non fuit instituendum, nisi post Christi Ascensionem.

Capite 97. Sicut augeri non potest, nisi qui genitus est: sic confirmari non valet, nec confirmationis characterem recipere potest, qui baptizatus non est. Character ergo Confirmationis characterem baptismalem præexigit, &c. Sacramentum Confirmationis gratiam gratum facientem impendit. Sed dandum non est, nisi gratiam habentibus: Confirmatio namque roborat id, quod inuenit.

Hieronymus Sauonarola. 1480.

De veritate fidei libro tertio cap. decimoquinto: Secundum est Sacramentum Confirmationis, per quod iam Christo renati stabilimentum solidumq; robur suscipiunt.

Cap. 16. Quia perfectio spiritualis vigoris in intrepida & constanti confessione Christi consistit, vt nec confusione, nec terrore, nec violentia Christianus inde desistat: ideo Sacramentum proximum, quod Confirmatio nuncupatur, tradit Ecclesia. Quemadmodum verò belligerantes sub vexillis principum militant, eorumq́ue insignia palam gestant: sic qui hoc Sacramentum suscipiunt, signo crucis, in quo Christus pugnando triumphauit, insigniti pectore procedere in aciem debent, ac strenuè dimicare. Idcirco autem fronti hoc signum affigitur, oleo & balsamo delibutæ, vt indicetur eos, qui ita sunt insigniti, nihil prorsus erubescentes, inuictissimi ducis Iesu Christi crucem sanctissimam prædicare debere. Iure etiam hoc Sacramentum à solis Pontificibus irrogatur, tamquam à ducibus Christiani exercitus.

Concilium Senonense. 1528.

De Sacramento Confirmationis: Sacramentum Confirmationis Christus instituit, cùm paruulis manus imponeret. Vnde nunc impositionis manuum, nunc Confirmationis appellatum est Sacramentum. Baptismo siquidem regeneramur ad vitam, post baptismum hoc Sacramento confirmamur ad pugnam: in baptismo abluimur, post baptismum hoc Sacramento roboramur: cuius conferendi potestas Episcopis à Christo concessa: donum Dei est, quod asseruit Petrus pecunia possideri non posse. Acto. 8.

Concilium Tridentinum. 1560.

Session. septima de Confirmatione Canone 1. Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potius verum ac proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quàm Catechesim quandam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant, anathema sit.

Canone 2. Si quis dixerit, iniurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.

Can. 3. Si quis dixerit, sanctę Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem sacerdotem: anathema sit.

FINIS LIBRI QVINTI.

LIBER

LIBER SEXTVS: DE EVCHARISTIA.

ARTICVLVS PRIMVS.

IN EVCHARISTIA SVB SPECIEBVS PANIS ET VINI VERAM IESV CHRISTI CARNEM, AC VERVM EIVS SANGVINEM EXHIBERI.

Anno post natum Christũ

NEGANT.

32. C*APARNAITÆ litigabant ad inuicem, dicentes:* Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? *Ioannis 6.*

80. *Simon Magus, & Menander, quia non credebant Christum habere veram carnem, eiusdem in Eucharistia præsentiam confiteri nolebant.* Ignatius apud Theodoretum Dialogo 3.

150. *Paulus Samosatenus ex eo, quod legebatur apud Lucam:* Et diuidite inter vos: *& illud:* qui pro vobis fundetur, *concludebat sanguinem Christi in mysterio esse passibilem & corruptibilem, vt hominis tantum, quasi hic diuidi sanguinem esset corrumpi.* Dionysius Alexandrinus epistola aduersus Paulum Samosatenum.

430. *Nestoriani voluerunt Eucharistiam extra vsum non esse Sacramentum.* Cyrillus Alexandrinus epistola ad Calosyrium.

450. *Manichæi, quia Christum corpus exangue habuisse sentiebant, sanguinem redemptionis nostræ omninò haurire declinabant.* Leo Papa Serm. 4 in Quadragesima.

600. *Armenij dicebant sacrificium panis Christi, non Christi, sed diuinitatis corpus existere: Eucharistiam non verum Christi corpus & sanguinem, sed eius tantùm signum esse.* Euthymius parte 2. Panopliæ tit. 20. Guido de Armenijs.

730. *Iconomachi dicebant, in Eucharistia panem & vinum repræsentare solummodo corpus & sanguinem Christi.* Concilium Nicænum secundum actione 6. Ioannes Damascenus Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 14. Theophylactus ad caput 26. Matth.

800. *Pauliciani, Manichæorum & Valentinianorum heresin sectantes, dicebant Eucharistiam esse verba illa Domini:* Accipite, comedite, bibite: *neque enim panem aut vinum adhibuisse.* Euthymius in Panop. parte 2 titulo 21.

860. *Ioannes Scotus Benedictinus librum de Eucharistia scripsit, qui postea in Synodo Vercellensi lectus, omnium iudicio damnatus est.* Lanfrancus lib. de Eucharistia.

880. *Bertramus Presbyter edito de Eucharistia libro, qui adhuc typis impressus extat, in quæstionem vocat, an sit verè in Eucharistia illud corpus Domini, quod de Virgine natum est.*

1022. *Stephanus quidam Dominici corporis & sanguinis consecrationem negans, Aureliæ in Fráncia comburitur.* Ioannes Floriacensis epistola ad Oliuam Abbatem.

1050. *Bogomili dicunt, Eucharistiam nihil aliud esse, quàm Pater noster.* Euthymius in Panoplia parte 2. titulo 23.

1060. *Berengarius Diaconus Andegauensis docuit, Panem & vinum in Eucharistia post consecrationem esse tantùm figuram & Sacramentum, non verum corpus & sanguinem Christi.* Lanfrancus, Guitmundus, & cæteri, qui hoc tempore contra Berengarium scripserunt. *Postea voluit esse quidem in Eucharistia corpus Christi, sed cum pane & vino.* Guitmundus lib. 1. Concilium Romanum sub Gregorio.

1070. *Noui Manichæi apud Aganenses Sacramentum altaris purum panem esse dicunt.* Radulphus Ardens Dominica 8. post Trinitat.

1140. *Petrobrusiani, & Henriciani docuerunt, semel tantùm, hoc est, in vltima Cœna Domini, Apostolis Christi corpus verè datum esse sub specie panis & vini: deinceps nec factum, nec fieri posse: sed meram esse deceptionem, quod sacerdotum ministerio fieri dicitur, aut creditur.* Petrus Cluniacensis Tractatu de Sacrificio.

1150. *Petrus Abailardus, & Arnoldus Brixiensis dicebant, post consecrationem panis & calicis, priora*

accidentia quæ remanent, pendere in aere. Bernardus epist. 118.

1190. *Constantinopoli quidam negabant Christi corpus incorruptibile, quale nunc est in cælo, esse in Eucharistia.* Nicetas in Alexio Angelo.

1200. *Albigenses dicebant, corpus Christi non aliter esse in pane altaris, quàm in alio pane, & in qualibet re.* Cæsarius Heisterbachius lib. 5. cap. 22. Bernardus Lutzenburgus de hæresibus, Gaguinus lib. 6. in Almerico

1315. *Lollardi non credebant Sacramentum Dominici corporis, & hostiam consecratam fictitium Deum appellabant.* Ioannes Trithemius in Chronico Hirsaugiensi de hoc anno.

1350. *Flagellantes Sacramentum altaris corpus Christi realiter continere negant.* Bernardus Lutzenb. de hæresibus.

1390. Ioannes VVicleuus Articulo 1. *Substantia panis materialis, & similiter substantia vini, manent in Sacramento altaris post consecrationem.*

Articulo 3 *Christus non est in eodem Sacramento identicè, realiter, & in propria præsentia corporali.*

1430. *Thaboritæ non verum Christi corpus in Sacramento altaris sed repræsentationem quandam esse contendunt* Aeneas Syluius epist. 130.

1440. *Piggardi in Sacramento Eucharistiæ nihil esse diuinitatis credunt, sed solum panem & vinum consecratum, signis quibusdam occultis mortem Christi repræsentantem.*

1520. Martinus Lutherus in Captiuitate Babylonica: *Permitto, qui volet, vtramque opinionem retinere: hoc solum nunc ago, vt scrupulos conscientiarum de medio tollam, ne quis se reum hæreseos metuat, si in altari verum panem, verumque vinum esse crediderit: sed liberum esse sibi sciat, citra periculum salutis, alterutrum imaginari, opinari, & credere, cum sit hic nulla necessitas fidei. Transubstantiatio potestate diuina facta pro figmento humanæ opinionis haberi debet: quia nulla Scriptura, nulla ratione nititur.*

In Sermone de Sacramẽto Cœnæ, & in libro, qui inscribitur *Quòd verba Christi:* Hoc est corpus meum, *adhuc firmiter stent* & in Confessione de Cœna Domini, explicat modum seu rationem, quomodo corpus Domini cum pane coniungitur, ac dicit: *Corpus Domini per vnionẽ ad Verbum id assecutum esse, vt sit vbicunque est Verbum. Quod si vbique est, certè etiam in pane Cœnæ Domini erit.*

Libro contra Regem Angliæ: *Impius est,* inquit, *& blasphemus, si quis dicat panem transubstantiari: Catholicus autem, & vere pius qui contrarium docuerit.*

1525. Andreas Carlstadius Dialogo de Cœna: *Hic versus:* Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, *plena & perfecta sententia est, quam aliàs in Euangelijs, quamquam alijs verbis, Dominus posuit, vbi nullam de Sacramentis fecit mentionem. Matthæi 16. Ioannis 3. & 6. Nam pronomen,* Hoc *habet magnum H. Maiuscula autem litera indicat initium nouæ sententiæ. Est itaque hic versus insertus sermoni de Cœna Domini, vt aliquid solet interponi, quod præsenti sermoni inseruit, & tamen per se sermo est perfectus. Bonum esset, si interpretes Græcum pronomen* τοῦτο *reliquissent, & Latino sermone permiscuissent & sic alegeretur;* τοῦτο est hoc corpus meum: *Germanicè:* Tuto ist der leib mein, welcher fur euch gegeben wirdt. *Tum vtique homines cogitassent, quid vocula* τοῦτο *sibi vellet.* Τοῦτο *est Græcum pronomen, indicans nomen neutrum: iam verò vocabulum* ἄρτος, *Latinè panis, est masculinum: ideoque pronomen* τοῦτο *ei adiungi non potest, nec consistit illorum opinio, qui dicunt panem esse corpus Christi. Nam id non fert Græcus sermo: vt nec in Latina lingua rectè dicitur: Istud panis est corpus meum, siue in Teutonico sermone:* Der brot ist mein leib. *Ego semper sic sensi, Christum demonstrato suo corpore dixisse:* Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. *Nam Christus non demonstrat panem. Non enim dicit: Hic panis est corpus meum. Qui autem dicunt panem esse corpus Christi, ex semetipsis loquuntur mentientes. Hæc oratio:* Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, *est conclusa punctis: habet puncta & fines, quibus indicatur, hunc versum:* Hoc est corpus meum, *non esse connexum cum præcedentibus, sed per se esse distinctum sermonem: ideo necesse habeo fateri, Christum dicendo:* Hoc est corpus meum, *corpus suum, non panem demonstrasse, &c. Corpus Christi non est in pane Cœnæ sacræ, nec sanguis ipsius in calice. Debemus autem panem Domini in commemoratione aut notitia comedere corporis ipsius, quod pro nobis tradebatur.*

1527. Huldaricus Zuinglius epistola ad Eslingenses: *Nos ex verbo Dei asserimus, Christum edere idem esse quod in ipsum credere, neque ipsum manducari à quopiam corporaliter. Etenim de naturali suo corpore dixit:* Me non semper habebitis.

In Subsidio de Eucharistia Tom. 2 fol. 249. *Cùm tredecima lux Aprilis appeteret, visus sum mihi in somno multo cum tædio denuò contendere cum aduersario Scriba, sicque obmutuisse, vt quod verum scirem, negante lingua beneficium suum, proloqui non possem: qui me angor, vt solent nonnunquam somnia fallaci ludere nocte, (nihil enim aliud quam somnium narramus, quod ad nos attinet, tametsi leue non sit, quod per somnium didicimus, gratia Deo, in cuius gloriã ista prodimus) vehementer turbare videbatur. Ibi à* μηχανῆς *videbatur monitor adesse (ater fuerit, an albus nihil memini: somnium enim narro) qui diceret: Quin ignaue respondens ei, quod Exodi 12. scribitur:* Est enim Phase, hoc est, transitus Domini. *Protinus vt hoc phasma visum est, simul expergefio, & è lecto exilio, locum apud Septuaginta vndique primùm circumspicio, & de eo coram tota concione pro virili dissero: qui sermo vbi acceptus est, omnibus sacrarum litterarum candidatis totam nebulam discussit.*

Contra Strutb. Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur, *hoc est, hæc est significatio, typus, figura, vel etiam festum gratiarum actionis, eo quòd Christi corpus pro nobis in mortem traditum sit.*

Confessione ad Carolum: *Quòd Christi corpus per essentiam, aut realiter hoc est, ipsum corpus naturale in Cœna adsit, aut ore accipiatur: veluti Papistæ, & quidam, qui ad ollas Ægyptiacas respectant, perhibent; id verò non tantùm negamus, sed errorem esse, qui verbo Dei aduersetur, constanter asseueramus.*

Ioannes

1530. Ioannes Oecolampadius de verbis Cœnæ: *Nobis hoc sat fuerit eiecisse, Christum corpore in cælo consistere, & non esse in Sacramento. Barbaries plusquam Scythica aut Diomedæa est, in panis inuolucro, ceu in ænigmate, ipsam hospitis carnem quærere. Rusticitas est, & stupor, non obseruare, nec agnoscere, in quo hospes beneuolentiam suam doceat, & pro spirituali carnalem quærere Cœnam. In pane non est contenta caro Christi, &c.* Est, *pro significat:* corpus, *pro figura corporis interpretari, vtrumque mihi arridet.*

1540. VVolffgangus Musculus in Locis Communibus, etsi fateatur singula sacra benedictionis verba propriè accipienda esse, tamen *modum,* inquit, *prædicati non possunt statuere proprium, (nisi confusionem intolerabilem in hanc causam inducere velint,) sed sacramentalem & Sacramento conuenientẽ: vtpote panis, quatenus est Sacramentum corporis Domini, hactenus est corpus Domini pro nobis traditum ratione & modo Sacramento conuenienti: quẽadmodum ratione & modo natura ipsius naturaliter est panis.*

1540. *Heinricus Bullingerus Decad. 5. de Cœna Domini:* Hoc est corpus meum, *id est, hoc est, memoraculũ, memoriale, vel memoria, symbolum, vel sacramentum corporis mei pro vobis traditi. vel: hoc significat corpus meum. Hic calix, vel ipsum vinum potius in calice, significat, aut repræsentat vobis sanguinem meum semel effusum pro vobis.*

In Apologia pro Zvvinglio: Hoc est corpus meum, *interpretatur, hæc est obsignatio corporis mei.*

1550. Ioannes Caluinus in defensione 2. contra VVestphalum: *Quod mihi criminis loco imputatis, si doceam ore nihil præter signum recipi, adeò non recuso, vt hinc de tota controuersia iudicium fieri maximè cupiam, &c. Ego quamuis substantia carnis Christi animas nostras verè pasci statuam, substantialem præsentiã tamen non minus hodie, quàm olim repudio. Efficaciter exhiberi in Cœna Christi corpus dixi, non naturaliter: secundùm virtutem, non secundùm substantiam. Ego Christum in cælesti sede relinquens, arcana spiritus eius influentia contentus sum, vt nos carne sua pascat, &c. Carnis substantiam ore vorari non credimus. Carnalem præsentiam oppugnare nobis ad extremum vsque spiritum decretum est.*

Admonitione vltima: *Neque tamen declinandæ tantùm idololatriæ causa præsentiam corporalem tollimus, sed quò melius pateat, quàm detestabile sit commentum de corporali præsentia.*

1550. Petrus Viretus, *Metonymiam,* inquit, *quam eorum aures in verbo* Est *respuunt, collocemus in nomine corporis, vt corpus accipiatur, pro corporis figura & significatione.*

1550. Ioannes Campanus Iuliacensis ait: *Accipite, comedite,* Hoc est corpus meum, *hoc est, hic panis est corporalis creatura à me creata propterea meum corpus appello.*

1550. Caspar Suuenckfeldius, libro de duplici statu Christi artic. 17. & 18. *docet, Christi corpus in cælum assumptum, planè Deum esse factum, & ita in Cœna quidem adesse corpus Domini, sed quod iam sit diuina essentia.*

1550 *Ioannes à Lasco Polonus,* Tract. de Ecclesiæ Sacramentis, *affirmat verba Christi hoc modo exponi debere:* Hoc est corpus meum, *id est, hic est vsus & ius communicatis vobis delata, hoc est, ius & vsus in corpore & sanguine meo. Vel, hoc est meritum, & gloria passionis, mortis, & resurrectionis mei corporis, vel, hæc est qualitas propria mei corporis: vel in hoc Sacramento mysterium mei corporis designatur: vel, hæc est forma, ceremonia, & actio externa meæ Cœnæ: vel, est panis & poculi impetrata participatio: vel, hæc est cõmunio, ius, & societas mei corporis: vel, hæc est extrema voluntatis meæ contestatio.* Eodem libro *aliquoties asserit pronomine demonstratiuo* Hoc *in verbis Christi:* Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, &c. *non ipsam substantiam panis vel vini, vel panem & vinum in calice demonstrari: sed ad totam externã Cœnæ actionem formam, ac ceremoniam referendum esse pronomen illud.* Ait ibidem: *Non ipsa corporis & sanguinis Christi substantia per manum ministri in Cœna elementis distribuitur, sed societas potius ac communio, seu ius donatum morte Christi in corpore & sanguine ipsius.*

Libro contra VVestphalum: *Quod ad me attinet, libenter agnosco, me spiritualem duntaxat carnis Christi manducationem agnoscere, tam in vsu ipso, quàm extra vsum Cœnæ: vt carnalem nullam omninò agnoscam, qualicunq; tandem modo statuatur: sed sub spirituali Sacramentalem quoque complectimur.*

1550. Petrus Martyr in disputatione Oxoniensi ait: *Verbum* Est *in verbis Cœnæ debere exponi Sacramentaliter, & per significationem, quòd corpus & sanguis Christi per signa significentur: corpus Christi adesse in Cœna spiritualiter seu sacramentaliter, id est, per efficacem significationem animo & fide, hoc est, spiritualiter seu Sacramentaliter verè adesse fidei nostræ.*

Idem in Dialogo *asserit panem & vinum tantùm esse typos & signa corporis & sanguinis Christi.*

1550. Rodolphus Gualterus in epist. ad Romanos Annot. 66. *Lutherani ipsum corpus Christi in terris hisce adesse dicunt: Nos in cælis monstramus: Christi verò virtutem & gratiam vbique diffusam esse, & in Sacramentis, ex ipsius institutione, nobis obsignari, & repræsentari sentimus.*

1553. Ioannes Leonardus in gladio versatili fol. 81. verba Christi: *Hoc est corpus meum,* ita exponit: *Hæc res est corpus, quod relinquo vobis, loco rei inuisibilis corporis mei, quod pro vobis & redẽptione vestra datur ad mortem, in hostiam, vnicum & æternum sacrificium. Hoc est corpus, quod visibiliter offertur, vt inuisibiliter cum meo corpore participetis, donec veniam videntibus omnibus gloriosus ad iudicium. Hoc corpus & Sacramentum panis sic à Patre meo & à me ordinatum est, & erit vobis in memoriam mei, & rei visibilis mei corporis, quod nunc datur, vt spolietur ab hac corruptibilitate, & fiat gloriosum & incorruptibile, & ascendam ad Patrem, ad interpellandum pro vobis. Hoc est corpus, simile corpori mystico electorum meorum, &c.* Hoc est corpus meum, *id est, cum hoc signo & Sacramento panis est verum corpus meum, quod non erit vlterius, prout nunc est visibile. Sed* accipite & manducate *cum fide hoc Sacramentum, & cum eo vobis erit virtute diuina facta participatio veri mei corporis. Hoc erit corpus visibile, quod datur vobis cum corpore meo inuisibili participationis, in pignus mutuæ charitatis. Et similiter hic calix Testamentum & Sacramentum est nouum, quod erit vobis in signum, memoriam, mysterium, veram similitudinem, & pignus visibile veri mei sanguinis, qui pro vobis fundetur in remissionem peccatorum.*

1560. Theodorus Beza contra Brentium de carnis Christi omnipræsentia: *Si locorum interualla spectas, tanto spatio corpora nostra à Christi carne absunt, quanto summi cæli, in quos ascendit, & ad extremum vsque diem permansurus est, absunt à nobis in terra versantibus.*

Beza F angel. … Lucæ d… it esse corruptũ

Ad cap. 22. Lucæ: Qui pro vobis effunditur, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον.) *Cùm hæc verba, si constructionem spectemus, necessariò non ad sanguinem, sed ad poculum pertineant, neque tamen de vino (nedum de poculo) intelligi possint, aut manifestum est Solœcophanes, cùm dicendum fuerit, τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ, vt legit Basilius in Ethicis, ὁρισμῷ: aut potius cùm hæc essent ad marginem annotata ex Matthæo, aut Marco, postea in contextum irrepserunt: quod eò quidem faciliùs est admissum, quod cùm in superiore versiculo adscriptum esset, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, id est, quod pro vobis datur, simile quippiam videtur adijciendum fuisse, vbi agitur de sanguine. Sed neque hoc additur apud Paulum 1. Corinth. 11. (qui tamen videtur ex hoc loco descripsisse Cœnæ institutionem) neque causam video, cur Solœcophanes Lucas vsurparet: omnes tamen nostri vetusti codices ita scriptum habebant.*

1560. Cælius Secundus Curio in Pasquillo exstatico: *Panis est corporis Christi signum & monumentum nec tamen inane signum est, aut quod rem modò peractam significet, sed quo etiam nobis vera Christi communio significatur. Panis est semper panis: sed si ex ijs fueris, qui Christo ex animo verè fidunt, pane quidem illo vescitur corpus, verum anima Christi carne & sanguine vegetatur.*

1560. Bernardinus Ochinus contra VVestphalum folio 60. *Scimus quidem verba Christi esse Christianissima & verissima:* Hoc est hoc corpus meum, *ac pro veris admittimus. Respondemus autem fieri posse, vt cum Christus dixerit,* Hoc est corpus meum, *dicere voluerit: Hic panis significat corpus meum. Siquidem in Scripturis sacris Spiritus sanctus sæpe tropis locutus sit.*

1560. Benedictus Aretius super Lucam pag. 332. *Cœna Domini est Sacramentum à Christo institutum, in quo fideles testantur mysticam corporis & sanguinis Christi communionem symbolis panis & vini, & beneficium mortis Christi gratis animis celebrant.*

1560. *Guilhelmus Kleinvvitzius,* libro contra Heshusium, *veram & realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam, vocat impanationem, suppanationem, phantasias huius seculi maximas: manducationem Capernaiticam, quæ fidem destruat: delitescentiam corporis Christi sub panis frustulo: vinum dicit tantum esse signum sanguinis Christi, & manducare carnem Christi nihil aliud esse, quam fide apprehendere meritum passionis Christi.*

1560. *Ludouicus Lauaterus,* in historia Sacramentaria, *scribit in verbis Cœnæ Dominicæ pronomen.* Hoc, *pro demonstratione spiritali esse accipiendum, per quam videlicet mentes fidelium ab externo cibo ad verũ cælestemq; cibum, nempe Christum, qui in cælis sit perducantur.*

1560. Nicolaus Hemmingius, *in Syntagmate,* verba Christi. *Hoc est corpus meum,* ita exponit: *Panis est corpus Christi hoc est, Panis est obsignaculum corporis Christi traditi pro nobis: vinum obsignaculum est sanguinis Christi effusi pro multis.*

1567. *Abdias Liberinus,* in Syntagmate, *ait verba Cœnæ,* Hoc est corpus meum, *perinde esse intelligenda, ac si sponsus abiens det sponsæ annulum, ac dicat: Hoc est sponsus: & maritus tuus, quoties hunc annulum exosculata fueris facito in memoriam mei.*

1570. Ioannes Sturmius, *contra Hosiandrum* verba Christi: *Hoc est corpus meum,* ita exponit: *Hæc est substantialis & viuifica gratia mei corporis: vel, hic est Dei spiritus: hæc est Euangelica gratia, vis & virtus mei corporis.*

1570. Lambertus Danæus in examine libri de duabus in Christo naturis editi à Chemnicio pag. 435. *Nos docemus, carnem Christi situ ipso tam abesse ab ipsis signis, quam cæli, in quos ascendit, à terris, in quibus versamur, absunt.*

Fol. 445. *Christũ substãtialis corporis sui præsentia adesse in his terris, & in sacra Cœna, dũ illa celebratur, nũquã probari potest. Immota enim manet nostra regula: Verũ corpus pluribus in locis simul esse nõ põt.*

Contra Scineckerum pag. 104. *Ideirco Sacramentum nobis à Deo datum est, vt esset res ab his terris absentis, solumq; spirituali modo quærendæ & adipiscendæ sigillum.*

1570. *Christianus Hesshander,* in Refutatione dogmatis de fictitia carnis Christi omnipræsentia, *asserit Cœnam Domini nihil aliud esse quam mysterium redemptionis, in quo sacrificium traditi in mortem & crucifixi Christi repræsentetur.*

1570. *Simon Simonius,* lib. 2. contra Schegkiũ, *recitationẽ verborũ Cœnæ magicã incãtationẽ nominat: Corpus Christi tantum spiritualiter ore interiore, seu fide manducari, non efficacia virtuteq; verborum Christi.*

1575. *Ioannes Candidus,* libro de Cœna Domini, *ait impios esse ac blasphemos Papistas, qui affirment discipulos verum & naturale Christi corpus in Eucharistia à Christo ore corporeo accepisse: quia Apostoli Christum ad mensam præsentem, & accumbentem coram spectarint: Christum abesse à nobis secundum corpus, spiritu autem suo in nobis habitare.*

1576. *Ioachimus Curæus,* in Spongia contra Pauli Eberi confessionem de Cœna Domini, *præsentiam corporalem Christi in Cœna dicit basin, robur, & thronum Dei Maozim & status Pontificij.*

1578. *Theophylus Alymantius* libro de mysterio Incarnationis Verbi, *veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, nominat vere Capernaiticam Christi manducationem.*

1578. *Benedictus Thalmannus,* in Assertione veræ doctrinæ de vnitate personæ Christi pag. 94. *ait propositionem hanc: Panis est corpus Christi, ita exponi debere, per panem nobis obsignari beneficia Christi, vel panem esse pignus consociationis cum Christo & participationis beneficiorum ipsius & efficacia.*

1578. Nathaniel Aelianus in Mathania in declaratione articuli 12. & 13 sic interpretatur verba Christi: *Ego vobis dico: hic panis est corpus meum, hoc est: Hic ego sum, id est, Hic panis me, & nullum alium significat. Nam ego sum is, qui restituet regnum Israel.*

Ambro-

1571. *Ambrosius VVolffius* libro de Augustana Confessione, *scribit panem esse corpus Christi, & vinum esse sanguinem Christi significatiuè, non aliter ac clauis tradita sit domus, sceptrum sit imperium, & annulus sit hereditas.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Mattò. 26. *vers.* 26. Cœnantibus autem eis accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit: deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit: & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Marci 14. 22. Et manducantibus illis, accepit Iesus panem, & benedicens, fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens, dedit eis, & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur.

Lucæ 22. 17. Accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter vos, dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

Ioannis 6. 51. Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

1. *Corinth.* 10. 16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est: Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi sumus.

1. *Corinth.* 11. 23. Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnauit dicens: Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine. 29. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.

ASSERVNT OMNES OMNIVM gentium Liturgiæ.

Liturgia D. Petri, qua primùm Romani vsi sunt.

Domine Deus noster, qui te obtulisti pro huius mundi vita, respice in nos, & super panem istum, & calicem hunc, & fac eum immaculatum tuum corpus, & pretiosum sanguinem in perceptionem animarum & corporum. Quam oblationem tu Domine in omnibus quæsumus benedictam, ascriptam, acceptabilemque facere digneris, vt nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi Filij tui.

Canon Missæ, qua Ecclesia Latina plus mille annis vsa est.

Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, vt nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi Filij tui, Domini Dei nostri Iesu Christi.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu diuinæ Maiestatis tuę vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filij tui corpus & sanguinē sumpserimus omni benedictione cęlesti & gratia repleamur.

Liturgia Ecclesiæ Hierosolymitanæ, auctore D. Iacobo fratre Domini.

Rogamus, vt Spiritus sanctus adueniens sancta, bona, & gloriosa sua præsentia sanctificet, & efficiat hunc panem corpus sanctum Christi tui: & calicem hunc pretiosum sanguinem Christi tui, vt fit omnibus ex his omnibus in remissionem peccatorum.

Liturgia Ecclesiæ Alexandrinæ, auctore D. Marco Euangelista.

Dedisti nobis, Domine, sanctificationem in participatione sanctissimi corporis & pretiosi sanguinis vnigeniti Filij tui. Precamur & obsecramus te, generis humani amator, bone Domine, largire nobis communionem sancti corporis & pretiosi sanguinis vnigeniti Filij tui in fidem inconfusam, in charitatem non fictam, in abundantiam pietatis, &c. Per sumptionem intemerati corporis tui, & pretiosi sanguinis tui emitte inuisibilem dextram tuam plenam benedictionum, &c.

Liturgia Ecclesiæ Æthiopum, primùm à D. Matthæo illorum Apost. conscripta.

O amator hominum, humiliter imploramus, vt faciem tuam super hunc panem, & calicem in hoc altari portatili ostendas. ✠ Benedic, ✠ sanctifica, ✠ munda, & transfer panem in carnem tuam immaculatam, & vinum hoc in sanguinem tuum pretiosum.

Liturgia Ecclesiæ Cappadociæ, auctore D. Basilio.

Deinde Diaconus, capite parumper inclinato, ostendit orario sanctum panem, & dicit: Benedic Domine sanctū panem. *Et sacerdos surgens sancta dona ter signat, dicens mysticè:* Panem hunc, ipsum pretiosum corpus Domini & Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi. *Diaconus.* Amen. *Et rursus Diaconus:* Benedic Domine Sanctum calicem. *Sacerdos autem benedicēs dicit:* Hunc calicem ipsum pretiosum sanguinem Domini & Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi.

Diaconus: Amen. *Sacerdos*: Qui pro mundi vita effusus est. *Diaconus*: Amen. *Et rursus Diaconus ostendens vtraque sancta cum orario, dicit*: Benedic Domine. *Sacerdos autem vtraque sancta benedicens cum manu, dicit*: Mutans Spiritu tuo sancto. *Diaconus*: Amē, &c. Attende Domine Iesu Christe Deus noster de sancto tabernaculo tuo, & de throno gloriæ tui regni, & veni ad nos sanctificādos, qui supra cum Patre sedes, & hic nobiscum inuisibiliter versaris, & dignare potenti manu tua impartiri nobis impollutum corpus tuum, & pretiosum sanguinem, & per nos toti populo.

Anaphora, seu Liturgia Ecclesiæ Syriæ, auctore Basilio Magno.

Sacerdos: Effice panem istum corpus gloriosum Domini nostri Iesu Christi, in expiationem culparum, & remissionem peccatorum, vitamque æternam ijs, qui sumunt ipsum. *Populus*: Amen. *Sacerdos*: Et calicem hunc sanguinem pretiosum Domini Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi, in expiationem culparum, & remissionem peccatorum, vitamque æternam ijs, qui sumunt ipsum. *Populus*: Amen.

Liturgia Ecclesiæ Constantinopolitanæ, auctore Ioanne Chrysostomo.

Sacerdos orat. Emitte Spiritum tuum super nos, & super proposita dona hæc: & fac panem quidem hunc pretiosum corpus Christi tui: & quod est in calice isto pretiosum sanguinem Christi Filij tui, transmutans Spiritu tuo sancto.

Liturgia Armeniorum.

Sacerdos: Demitte Domine in oblationem ante nos positam Spiritum sanctum, vt sanctificetur iste panis verum corpus Christi Saluatoris. *Super calicem*: Sanguis verus est Domini nostri Iesu Christi, vt foret omnibus nobis accedentibus, non in iudicium, sed in sanationem & remissionem peccatorum. *Chorus*: Amen. *Sacerdos*: Fide manduco sanctum, viuificans, & saluificans corpus tuum Domine Iesu Christe, sit mihi in absolutionem & remissionem peccatorum meorum: fide bibo sanctum impermistum sanguinem tuum peccata delentem, Domine Iesu Christe, in remissionem peccatorum meorum, & parentum meorum, & totius mundi.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constitut. Apostol. lib. 7. c. 27. Gratias agimus tibi Deus, & Pater Iesu Saluatoris nostri, pro sancto corpore tuo, quod in nobis habitare fecisti.

Lib. 8. cap. 14. Qui pretiosum corpus, & pretiosum sanguinem Iesu Christi participauimus, agamus gratias, quia dignatus est nos communione sanctorum suorum mysteriorum.

Epistol. 2. ad Iacobum: Tribus Gradibus commissa sunt Sacramenta diuinorum secretorum, id est, Presbytero, Diacono, & ministro, qui cum timore & tremore reliquias fragmentorum Corporis Dominici custodire debent, ne qua putredo in sacrario inueniatur, ne, cùm negligenter agitur, portioni corporis Domini nostri Iesu Christi grauis inferatur iniuria. Communio enim corporis Domini nostri si negligenter erogetur, & Presbyter si minora non curet admonere officia, graui anathemate & digna humiliationis plaga feriatur.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiastica Hierarchiæ cap. 2. In fine omnium Pontifex ita perfectum ad sacratissimam Eucharistiam vocat, atque consummantium illi Sacramentorum communionem deificam tradit.

Cap. 3. Neque enim fermè fas est sacerdotalis muneris mysterium aliquod peragi, nisi diuinum illud Eucharistiæ, augustissimumque Sacramentum compleat: quæ singula cùm peraguntur, & eius, qui perficitur, collectionem ad vnum illud vnicum sacratius operetur, & diuinitus indulto Sacramentorum cælestium munere, ipsius ad Deum consortium peragat, atque perficiat. At verò Pontifex, cùm diuina munera laude prosecutus fuerit, sacrosancta & augustissima mysteria conficit, & quæ ante laudauerat, veneranda operta atque abdita signis, in conspectum agit, diuinaque munera reuerenter ostendens, ad sacram illorum communionem & ipse conuertitur, & reliquos vt communicent hortatur. Sed ô diuinum penitus sacrumque mysterium, obducta tibi significantium operimenta signorum dignanter aperiens, nobis palam atque apertè lucesce, nostros spiritales oculos singulari & aperto tuæ lucis fulgore imple, &c. Sed & illud quoque sacratius intuere, quod impositis sancto altari venerabilibus signis, per quæ Christus & signatur & sumitur, adest protinus & incunctanter sanctorum adscriptio.

Ignatius. 100.

Epistola ad Romanos: Non gaudeo incorruptibili nutrimento, nec voluptatibus huius vitæ: panem Dei volo, panem cælestem, quæ est caro Christi Filij Dei, qui factus est posterioribus temporibus ex semine Dauid & Abrahæ, & potum volo sanguinem illius, quæ est charitas incorruptibilis, & vita æterna.

Ad Smyrnenses, citante Theodoreto Dialogo 3. Eucharistias & oblationes non admittunt, quòd non cōfiteantur Eucharistiam esse carnem Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitauit.

Iustinus. 150.

Ad Antoninum Pium Apologia 2. Porrò alimentum hoc appellatur apud nos Eucharistia: quod nulli alij participare licitum est, quam veram esse nostrā doctrinam credenti, & lauacro propter remissionē peccatorum & regenerationem abluto, ita vt Christus tradidit viuenti. Non enim vt communem panem, neque communem potum ista sumimus, sed quemadmodum per verbum Dei caro factus est Christus Seruator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit: ad eundem modum etiam eam, in qua per preces verbi eius ab ipso profecti gratiæ actæ sunt, alimoniam, vnde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu carnem & sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in commentarijs à se scriptis quæ Euangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi Iesum. Eum enim pane accepto, cùm gratias egisset, dixisse: *Hoc facite in mei recordationem. Hoc est corpus meum*: & poculo similiter accepto, & gratijs actis dixisse: *Hic est sanguis meus.*

Irenæus. 180.

Libro 4. cap. 34. Quomodo autem constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, id est, Verbum eius, per quod lignum fructificat, & defluunt fontes, & terra dat primùm quidem fœnum, post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica? Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & sanguine alitur? &c. Quemadmodum enim qui est à terra panis percipiens inuocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cælesti: sic & corpora nostra, percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.

Iam non communis panis est.) *Inuisibili Spiritus sancti operatione, virtuteq; consecrationis euenire docet, vt ea desinat communis ipsa natura & substantia panis, quæ antea sub suis accidentibus latebat, transeatq; in immortalem, cælestem, & Deo iunctam Christi carnem, cuius participatione corporibus nostris, ex prioris Adami noxa morti & corruptioni subiectis, tus arrha, virtus, certaq; expectatio vitæ immortalis conferatur: quod ex vulgari pane nunquam accideret. Hanc esse germanam huius loci intelligentiam, idem ipse Irenæus conspicuum facit.*

Lib.5. *Libro 5. cap. 2.* Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia: quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum eius? Quemadmodum

Ephes.5. & beatus Apostolus ait in ea, quæ est ad Ephesios epistola: *Quoniam membra sumus corporis eius, de car-*

Luc.24. *ne eius, & de ossibus eius*: non de spirituali aliquo, & inuisibili homine dicens hæc: (*Spiritus enim neque ossa, neque carnes habet:*) sed de ea dispositione, quæ est secundùm verum hominem, quæ ex carnibus, & neruis, & ossibus consistit, quæ de calice, qui est sanguis eius, nutritur: & de pane, qui est corpus eius augetur.

Hippolytus. 220.

Orat. de Antichristo: Lugebunt etiam Ecclesiæ luctum magnum, quia nec oblatio, nec suffitus fiet, nec cultus Deo gratus: sed Ecclesiarum ædes sacræ tugurij instar erunt, pretiosumq; corpus & sanguis Christi non extabit in diebus illis.

Ammonius Alexandrinus. 230.

In Harmonia quatuor Euangeliorum cap. 15. Mox accepto pane, deinde vini calice, corpus esse suum ac sanguinem testatus, manducare illos iussit, ac bibere, quòd ea sit futuræ calamitatis suæ mortisq; memoria.

Origenes. 230.

Homilia 13. in Exodum: Volo vos admonere religionis vestræ exemplis: nostis, qui diuinis mysterijs interesse consueuistis, quomodo cùm suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione seruatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur: Reos enim vos creditis, & rectè creditis, si quid inde per negligentiam decidat. Quòd si circa corpus eius conseruandum tanta vtimini cautela, & meritò vtimini, quomodo putatis minoris esse piaculi, verbum Dei neglexisse, quàm corpus eius?

In Numeros Homil. 7. Antea in ænigmate fuit baptismus in nube & mari, nunc in specie regeneratio est in aqua & Spiritu sancto: tunc in ænigmate erat manna cibus, nunc autem in specie caro Verbi Dei

Ioan.6. est verus cibus: sicut ipse dicit: quia *caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.*

Homil. 5. in diuersos: Quando sanctum cibum illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians teipsum, imitare hunc Centurionem, & dicito: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti.

Lib. 8. contra Celsum: Quocirca Celsus, vt Dei ignarus, gratias dæmonibus reddat, nos verò conditori omnium Deo gratias agentes, & pro collatis eis in nos beneficijs, actis gratijs, oblatis panibus vescimur, qui vtique per precem efficiuntur corpus sanctum, & sanctificans eos, qui sano proposito, & mente ipsa vtantur.

Dionysius Alexandrinus. 260.

Epistola ad Sixtum Papam: Nam qui gratiarum actiones audiuisset, qui Amen vnà pronuntiasset, qui astitisset mensæ, qui manus ad sanctum illud alimentum capessendum porrexisset, qui illud recepisset, qui tam longo tempore fuisset corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi particeps, eius baptisma non audebam de integro renouare.

Petrus Alexandrinus. 280.

Sermone de Pœnitentia Can. 8. Ijs autem, qui proditi sunt & exciderunt, qui & ipsi ad certamen accesserunt, se esse Christianos confitentes, & in custodiam cum tormentis coniecti sunt, æquum est in exultatione cordis vires simul addere, & eis in omnibus communicare, & in orationibus, & in participatione corporis & sanguinis Christi, & sermonis adhortatione: vt qui constantius decertauerint, ipsi quoque supernæ vocationis brauio dignentur.

Eusebius Cæsareensis. 320.

De Demonstratione Euangelica libro 1. capite 12. Quando huius sacrificij memoriam signis quibusdam in mensa celebrandam, corpusq; item illius, salutaremque sanguinem, & noui Testamenti institutum habet, accepimus, rursus à Propheta Dauid instruimur ad dicendum: *Parasti in conspectu meo mensam contra eos, qui affligunt me. Pingue fecisti in oleo caput meum, & calix tuus inebrians quàm præstantissimus?* Palam in his mysticam significat vnctionem, & horrorem afferentia mensæ Christi sacrificia.

Apud Damascenum in Parallelis libro 3. capite 45. Multi peccatores, cùm Presbyteri sint, sacris operantur, nec Deus eos auersatur: verùm per Spiritum sanctum proposita dona consecrat. Ac panis quidem pretiosum corpus Domini efficitur, poculum autem pretiosus Domini sanguis.

Concilium Nicænum Primum. 325.

Lib. 3. cap. de diuina mensa, & de eo, quod in ipsa est mysterio corporis & sanguinis Christi: Iterum etiam hic in diuina mense ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum: sed attollentes mentem, fide intelligamus situm in sacra illa mensa Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à sacerdotibus immolatum, & pretiosum ipsius corpus, & sanguinem nos verè sumentes, credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola: Propter hoc enim neque multum accipimus, sed parum: vt sciamus, quòd non satietati, sed sanctimoniæ sumimus.

Can. 18. Peruenit ad sanctum magnumque Concilium, quòd in locis quibusdam & ciuitatibus Presbyteris gratiam sacræ communionis Diaconi porrigant. Hoc neque Canon, neque consuetudo tradidit, vt hi, qui offerendi sacrificij non habent potestatem, his, qui offerunt, dent corpus Christi.

Magnes. 350.

Ad Theosthenem lib. 3. Si igitur de corpore prædicatur terra ratione originis antiquæ, erat autem terra ratione creationis propria Christi creatura, & ex hac panis & vinum extiterunt, ex ipso rursus corpus hominis: hoc autem corpus Christus induit, meritò, cùm accepisset panem & vinum, dixit: *Hoc est corpus meum, &c.* Non enim figura est corporis, aut sanguinis, vt quidam stupida mente nugati sunt, sed potius verè corpus & sanguis Christi, &c. Quandoquidem verò corpus à terra terra existit, ex terra autem panis, item & vinum: quomodo non est alius ausus dicere: *Caro mea verè est cibus, sanguis meus verè est potus?* nempe quia nullus est Creator terræ, nisi hic: nullius est creatu-

ra, nisi Filij Dei: idcirco dixit: *Hoc est corpus meum:* mea enim, & non est alterius creatura terræ. Omnes enim post terram geniti sunt, corpus à me accipientes: ego verò ante terram à nullo hanc accipiens, ex hac corpus, id est, ex mea creatura accepi, sumens carnem. Ex meo igitur meum vobis propono charisma, ex terra vobis panis ad alendum extit, terra verò mea creatura est: ex terra similiter extitit corpus, & hæc mea massa. Ex vnione igitur, qua vnitus sum, sanctus cum terreno, do panem & vinum, iubens esse corpus meum & sanguinem. Etenim si Abraham, aut alius quispiam ex iustis ac sanctis dixisset: *Caro mea est cibus, & sanguis meus potus,* valdè mentiri ausus esset: aut si dixisset: *Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus:* non enim hoc ipsius, sed alterius esset substantia: neque manducata vitam manducantibus præberent: siquidem quod non habet verbum viuens vnitum cum corpore, quod fuit terrenum, ad æternam vitam edentes non adduceret. Christus ergo proprium corpus & sanguinem dedit credentibus, immisso ijs vitali pharmaco diuinitatis. Cùm igitur eam, quæ caro est, vocat panem: & eum, qui sanguis est, vocat vinum, docuit nos conuenienter rationi, ex terra esse corpus, similiter & panem: & vnius generis substantiam in corpore & pane. Cæterùm panis communis, ex terræ cultura elaboratus, etsi caro quædam terræ est, tamen vitam æternam præbere non promittit: sed breue solatium vescentibus tribuit, citò ex extincto sine diuino spiritu. Panis verò in beata Christi terra virtute diuinitatis vnitæ confectus, solo gustu immortalitatem homini adfert: mysticus enim panis, cùm benedictionem Patris habeat inseparabilem: illam dico, quæ in corpore & sanguine eius facta est, vnit comedentem corpus Christi, eumque membrum Christi efficit. Vt enim charta vim, quam per literas magistri accepit, discipulo tradit, & per eam cum magistro illum vnit: sic corpus, quod ille panis mysticus est, & sanguis, qui illud vinum, immortalitatem intemeratæ diuinitatis participanti tribuunt ex semetipsis, & per eam ad mansionem incorruptibilem Creatoris reducunt. Caro enim Saluatoris manducata non corrumpitur, nec sanguis hic potatus consumitur: quin potius, qui edit, ad incrementum virium diuinarum venit: quod verò editur, consumi non potest, quoniam naturæ in consumptibili quadam ratione cognatum & inseparabiliter est coniunctum.

Basilius Magnus. 370.

Exhortatione de Baptismo ad finem: Debemus itaque attendere, quod sit iudicium eius, qui indignè edit ac bibit. Non si qui fratrem quoque per cibum contristat à charitate excidit, sine qua magna quoque charismata, & iustificationes quoque operantia nihil prosunt, quid de eo dicendum est, qui otiosè & inutiliter edere audet corpus, & bibere sanguinem Domini nostri Iesu Christi, & hac ratione plus aliquanto contristat, & infestat Spiritum sanctum, dum sine socia charitate vescitur? Iudicemus itaque hoc, ne nobis ipsis viuamus, sed ei, qui pro nobis mortuus est & resurrexit, Christo Iesu Domino nostro, edamus ac bibamus. Oportet igitur accedentem ad corpus & sanguinem Domini, ad rememorationem eius, qui pro nobis est mortuus ac resurrexit, non solùm purum esse à quouis inquinamento carnis ac spiritus, ne ad iudicium edat ac bibat, sed & euidenter ostendere, & exprimere memoriam eius, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit.

Sermone 2. de Baptismo cap. 3. Si tales minæ aduersum eos positæ sunt, qui temerè ad ea sacra accedunt, quæ ab hominibus sanctificantur, quid dicendum est de eo, qui in tantum ac tale mysterium temerarius est? Quanto enim maius aliquid is est templo, secundùm Domini vocem, tanto grauius & terribilius est in animæ impuritate constitutum, corpus Christi temerè contingere, quàm sit accedere ad arietes vel tauros, &c.

Epistola ad Cæsaream Patritiam: Communicare per singulos dies, & participare de sacro corpore & sanguine Christi, & pulchrum est, & valde vtile, ipso manifestè dicente: *Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Quis enim ambigit, quin frequens vitæ participatio nihil aliud sit, quàm plurimis modis viuere? Nos idcirco quater in singulis hebdomadis communicamus die Dominico, in quarto die hebdomadæ, in Parasceue, & in Sabbato, ac alijs diebus, si qua memoria fuerit Sancti alicuius. Ioan. 6.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 3. Mystagogica: Panis Eucharistiæ post Spiritus sancti inuocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi.

Catech. 4. Mystag. Cùm igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane: *Hoc est corpus meum,* quis deinceps audeat dubitare? Ac eodem quoque confirmante & dicente: *Hic est sanguis meus,* quis, inquam dubitet, & dicat non esse illius sanguinem? Aquam aliquando mutauit in vinum, quod est sanguini propinquum, in Cana Galilææ, sola voluntate, & non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutasset? Si enim ad nuptias corporeas inuitatus stupendum miraculum operatus est, & non multò magis corpus, & sanguinem suum filijs sponsæ dedisse illum confitebimur? Quare cum omni certitudine corpus & sanguinem Christi sumamus. Nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis, vt sumpto corpore & sanguine Christi, efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis. χριστοφόροι γινόμεθα, Christophori erimus, hoc est, Christū ferentes, cùm eius corpus & sanguinem in membra nostra receperimus, atque ita, vt beatus Petrus dicit, diuinæ naturæ consortes efficiemur, &c. Hoc sciens, & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi: & vinum, quod à nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur: non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 2. in sanctum Pascha: Quin potius sine pudore ac dubitatione corpus ede, & sanguinem bibe, si modò vitæ desiderio teneris, nec sermonibus de carne fidē abrogans, nec ad eos, qui de passione habentur, impingens.

Oratione 3. quæ est Inuectiua prima aduersus Iulianum: Tune aduersus Christi sacrificium cum tuis piaculis? tune aduersus eum cruorem, quo mundus purgatus est, cum tuis cruoribus? tune bellum aduersus pacem.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione Catechetica cap. 37. Cùm autem solum illud corpus, quod Deum suscepit, hanc gratiam acceperit, ostensum autem aliter fieri non posse, vt nostrum corpus sit in immortalitate, nisi per communionem cum immortali factum sit particeps incorruptionis, oportet considerare, quomodo fieri potuerit, vt vnum illud corpus, quod tamen multis fidelium millibus in vniuerso orbe terrarum semper distribuitur, totum per partem sit in vnoquoque, & ipsum in se totum maneat. Vt ergo fides ad id, quod est consequens, aspiciens, de sensu proposito nullam habeat du-

bitatio-

bitationem, oportet noſtram orationem pauliſper immorari in naturali corporis conſideratione. Quis enim neſcit quòd noſtri corporis natura ipſa per ſe non habet vitam in quadam propria corporis ſubſtantia: ſed per quandam affluentem ei virtutem, & ſeipſam continet, & manet in eſſentia, perpetua motione ad ſe attrahens id quod deeſt, & repellens id quod eſt ſupernacaneum. Et quomodo vter aliquis aliquo humore plenus, ſi in fundo exeat id, quod in eo eſt poſitum, in magnitudine ſuam non ſeruauerit figuram, niſi supernè pro eo quod exijt ingrediatur aliud ad id quod exinanitur: adeò vt qui videt magnitudine diſtentum huius vaſis ambitum, ſciat eum non eſſe proprium eius quod apparet: ſed id quod influit, cùm in eo fuerit, figurare id quod continet magnitudinem. Ita etiam corporis noſtri conſtructio, nihil quidem habet proprium nobis cognitum ad ſui conſtitutionem, per eam autem, quæ intromittitur, virtutem manet in eſſentia. Ea autem virtus alimentum & eſt, & dicitur. Præterea autem non idem omnibus quæ aluntur corporibus: ſed quoddam vnicuique congruens attributum eſt ab eo, qui naturam diſpenſat & adminiſtrat. Nam alia quidem animalia aluntur effoſsis radicibus: alia autem aluntur herbis, aliquorum autem nutrimentum ſunt carnes. Homini autem præcipuè eſt panis, & ad humoris perdurationem & conſeruationem potus nō ipſa ſola aqua, ſed vino ſæpe cōdita, ad opem ferendam interno noſtro calori. Qui ergo ad ea aſpicit, poteſtate aſpicit ad corporis noſtri magnitudinem. Nam cùm illa in me fuerint, fiunt ſanguinis & corpus, nutrimento per vim alterandi congruenter redacto ad formam corporis. His à nobis hoc modo diſtinctis ac declaratis, ad ea, quæ ſunt propoſita, reuocanda eſt cogitatio. Quærebatur enim quemadmodum quod eſt in illo corpus Chriſti, viuificat omnem hominum naturam, in quibus eſt fides, omnibus diſtributum, & ipſum minimè diminutum. Fortaſſe ergo non procul abſumus à probabili ratione. Nam ſi cuiuslibet hominis ſubſtantia, ſeu conſiſtentia eſt ex alimento: id autem eſt cibus & potus, eſt autem in cibo panis: in potu autem aqua vino condita: Dei autem Verbum, ſicut prius eſt definitum, quod eſt Deus & Verbum, humana eſt natura contemperatum, & cùm eſſet in noſtro corpore, non aliquam aliam humanæ naturæ innouauit conſtitutionem: ſed per ea, quæ ſunt conſueta & congruentia, ſuo corpori dedit permanſionem, cibo & potu continens ſubſtantiam. Cibus autem erat panis. Quomodo ergo in nobis, ſicut iam ſæpe dictum eſt, qui panem vidit, humanum corpus videt quodammodò, quòd cùm ille in eo fuerit, hoc fit: ita illic quoque quod Deum ſuſcepit corpus, cùm panis alimentum accepiſſet, quadam ratione idem erat quod ille, alimento, vt dictum eſt, tranſeunte in naturam corporis. Nam quod eſt omnium proprium, id quoque pro certo & conſtanti eſt in illa carne, nempe quòd illud quoque corpus pane continebatur, Corpus autem Dei Verbi inhabitatione ad diuinam tranſmutatum eſt dignitatem. Rectè ergo nunc quoque Dei verbo ſanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo tranſmutari. Etenim panis erat poteſtate illud corpus. Fuit autem ſanctificatus habitatione Verbi, quod tanquam in tabernaculo habitauit in carne. Igitur vnde in illo corpore tranſmutatus panis, tranſit in diuinam virtutem, per idem nunc fit ſimiliter. Nam & illic Verbi gratia ſanctum fecit corpus, cui ex pane erat ſubſtantia, & quodammodo ipſum quoque erat panis: & ſic
1\. Tim. 4. ſimiliter panis, ſicut dicit Apoſtolus, *ſanctificatur per verbum Dei & orationem*, non per cibum & potum procedens ad corpus Verbi, ſed à Verbo, quemadmodum dictum eſt, tranſmutatus: nempe, *Hoc eſt corpus meum.* Cùm autem omnis caro alatur etiam per humorem, neque enim niſi cum eo coniungatur, id quod eſt in nobis terreſtre in vita permanſerit. Quomodo autem per durum & ſolidum alimentum ſoliditatem corporis fulcimus ac ſtabilimus: eodem modo etiam humori adiungimus acceſsionē ex natura eiuſdem generis. Qui quidem cùm fuerit in nobis, per alterandi facultatem fit ſanguis, & maximè ſi per vinum acceperit virtutem tranſmutandi in calidum. Quoniam ergo hanc quoque partem accepit caro illa Dei ſuſceptrix ad Dei conſtructionem: manifeſtatum autem Verbum propterea ſe admiſcuit interitui obnoxiæ hominum naturæ, vt communione diuinitatis ſimul etiam deificetur humanitas: ea de cauſa per ſuæ gratiæ diſpenſationem ſe per carnem inſerit omnibus credentibus, commiſtus contemperatus corporibus credentium, quibus ſubſtantia eſt ex pane & vino, vt vnione cum eo quod eſt immortale, ſit etiam homo particeps incorruptionis. Hæc autem dat, virtute benedictionis, in illud tranſelementa eorum quæ apparent natura.

Libro de vita Moyſis, ſiue de vita perfecta: Is igitur mirabilis ſine agricultura panis varietate qualitatis ad ſuſcipientium habitudinem, virtutem ſuam commutat. Nam cùm ſit panis, ignorat lab otieri, ſic in carnem verti, nouit holus imitari: quicquid denique aſſumenti conueniens & expetitum ſit, vt Apoſtolus vult, qui hanc nobis menſam præparauit, in id commutatur. Sic enim diuinus ille vir perfectioribus ſolidiorum, & in carnis ſpeciem hunc cibum fieri docet, infirmioribus holus, infantibus lac.

Ephrem. 370.

Adhortatione 3. Draco ille quaſdam cogitationum ſordes, atque quiſquilias occultè ſubſeminat, ad conturbandum fratrem, ne pura mente immaculatis Saluatoris noſtri Dei attendat myſterij.

Epiſtola ad Ioannem Monachum: Potiſsimum autem participatione nos ſanctorum & immaculatorum myſteriorum dignos exhibeamus.

De extremo iudicio, & de compunctione: Calix tremendi tui ſanguinis lumine ac vita plenus ecce nobis præſto eſt, &c. Qui enim indignè ad diuina participanda myſteria acceſſerit, ſeipſum condemnat, non purificans ſe.

De natura Dei non ſcrutanda capite 5. Eſto fidelis atque innocens, participa immaculato corpori Domini tui fide pleniſsima, certus quòd Agnum ipſum integrum comedis: ignis immortalis ſunt myſteria Chriſti: noli temerè ea perſcrutari, ne in ipſorum perſcrutatione comburaris. Hoc ſanè excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnemque ſermonem, quod fecit nobis vnigenitus Filius Chriſtus Saluator noſter. Ignem & ſpiritum manducandum ac bibendum præſtitit nobis carne veſtitis, corpus ſcilicet & ſanguinem ſuum.

Macarius Ægyptius. 380.

Homilia 27. In Eccleſia offertur panis & vinum, antitypon carnis & ſanguinis Chriſti. *Ne quis verò malè intelligat, aut interpretetur, ſubiungit:* καὶ οἱ μεταλαμβάνοντες ἐκ τοῦ φαινομένου ἄρτου τὴν σάρκα τοῦ κυρίου ἐσθίουσι, id eſt, Qui ſumunt ex eo, qui apparet panis, carnem Domini comedunt.

Epiphanius. 380.

In Ancorato: Videmus quòd accepit Saluator in manus ſuas, veluti Euangelium habet, quòd ſurrexit in Cœna, & accepit hæc, & vbi gratias egiſſet dixit: *Hoc meum eſt, hoc & hoc.* Et videmus quòd non æquale eſt neque ſimile, non imagini in

carne

carne, non inuisibili deitati, non linea mentis membrorum. Hoc enim est rotundæ formæ,& insensibile,quantum ad potentiam,& voluit per gratiam dicere: *Hoc meum est, hoc & hoc.* Et nemo non fidem habet sermoni. Qui enim non credit esse ipsum verum, sicut dixit, is excidit à gratia & salute. Quod autem audiuimus, id credimus, quod est ipsius: Dominum verò nostrum nouimus totum sensum, totum sensitiuum, totum Deum, totum mouentem, totum operantem, totum lucem, totum incomprehensibilem, sed qui cum gratia hoc nobis largitus est.

Theophilus Alexandrinus. 390.

Epistola 1. Paschali: Dicit nempe Origenes Spiritum sanctum non operari ea, quæ inanima sunt, nec ad irrationabilia peruenire. Quod asserens, nō recogitat aquas in baptismate mysticas aduentu Spiritus sancti consecrari, panemq; Dominicum, quo Saluatoris corpus ostenditur, & quem frangimus in sanctificationem nostri: & sacrum calicem, quæ in mensa Ecclesiæ collocantur,& vtique inanima sunt, per inuocationem & aduentum sancti Spiritus sanctificari.

Epistola 2. Homines duntaxat participant corpus & sanguinem Christi, non dæmones. Christus enim hominibus dixit: *Accipite, & manducate, & bibite. Hoc est corpus meum,* &c. Altera die Pascha celebremus, adiungentes his reliquas hebdomadas, in quibus Pentecostes festiuitas texitur,& prębentes nos dignos communione corporis & sanguinis Christi. Sic enim merebimur accipere regna cælorum.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Eadem habet Homilia 60. ad populum Antiochenum.

Homil. 83. ex capite 26. Matthæi: Credamus itaque vbique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit, superet & sensum, & rationem nostram sermo ipsius, quod in omnibus & præcipuè in mysterijs faciamus, non illa, quæ ante nos iacent solùmmodò aspicientes, sed verba quoque eius tenentes. Nam verbis eius defraudari non possumus, sensus verò noster deceptui facillimus est: illa falsa esse non possunt, hic sæpius atque sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit: *Hoc est corpus meum*, nulla teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. Nihil enim sensibile traditum nobis à Christo, sed rebus quidem sensibilibus: omnia verò quæ tradidit insensibilia sunt. Sic & in baptismo per aquam, quæ res sensibilis est, donum illud conceditur: quod autem in ea conficitur, regeneratio scilicet, ac renouatio, intelligibile quiddam est. Nam si tu incorporeus esses, nudè ipsa dona incorporea tradidisset tibi: quoniam verò corpori coniuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur. O quot modò dicunt, vellem formam & speciem eius, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre. Ipsum igitur vides, ipsum tangis, ipsum comedis, &c. Non sunt humanæ virtutis hæc opera, quæ tunc in illa Cœna confecit: ipse nunc quoque operatur, ipse perficit, ministrorum nos ordinem tenemus: qui verò hæc sanctificat, & transmutat, ipse est, &c. Animam prius tradam meam, quàm Dominicum alicui corpus indignè, sanguinemq; meum effundi potius patiar, quàm sacratissimum illum sanguinem præterquam digno concedam.

Sermone admonitorio de Eucharistia in Encænijs: Papè mensa mysterijs instructa est, & Agnus Dei pro te immolatur, sacerdos pro te angitur, ignis spiritualis ex sacra mensa restuit, Seraphim astant sed alis faciem tegentia, omnes incorporeæ Virtutes pro te cum sacerdote intercedunt, ignis spiritualis è cælo descendit, sanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere haustus est,& non erubescis, reuereris, & confunderis, neque Deum tibi propitium facis?

Oratione de S. Philogonio: Quid enim excusabimus, aut quam veniam obtinebimus, si cùm ipse nostra causa descenderit è cælis, nos ad illum vel ex ædibus ire grauemur? Cùm alienigenæ barbariquè ex Perside accurrant, vt illum videant in præsepi iacentem, tu verò ne breue quidem spatium emetiri sustines, vt hoc felici spectaculo perfrueris? Nam si cum fide accesserimus, procul dubio videbimus illum in præsepi iacentem. Siquidem hæc mensa vicem explet præsepis. Nam & hìc ponitur corpus Dominicum, non quidem fascijs inuolutum, sicuti tunc: sed vndequaque spiritu sancto conuestitum. Qui mysterijs initiati sunt, intelligunt quæ dicuntur.

Homilia 24. in prioris ad Corinthios cap. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguis Christi est?* Quid dicis, ô beate Paule? volens auditori pudorem suffundere, & reuerendorum mentionem faciens mysteriorum, benedictionis calicem vocas illum terribilem & maximè formidandum calicem? Certè, inquit: non est paruum, quod dictum est. Nam quando dico benedictionem, explico omnem thesaurum Dei beneficentiæ, & magna illa dona in memoriam reuoco, &c. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Valde fideliter dixit, & terribiliter. Hoc est autem quod dicit: Id quod est in calice, est, id quod fluxit è latere,& illius sumus participes. Calicem autem benedictionis vocauit, quòd eum habentes in manibus, sic eum hymnis & laudibus prosequimur admirantes, ineffabile donum stupentes, benedicentes, bonisq; verbis prosequentes, quòd eum ipsum effudit, ne maneremus in errore, & non solùm effudit, sed etiam eum ipsum nobis impertijt. Quamobrem si sanguinem, inquit, cupis, non aram idolorum brutorum cæde: sed meum altare, meo cruentum sanguine, &c.

In caput 11. Homil. 27. Nescis quàm multa mala proficiscantur ex delicijs? Risus intempestiuus, verba insolentia & incomposita, vrbanitas & facetiæ exitio plenæ, nugæ inutiles, ea quæ nefas quidem est dicere. Et hæc facis Christi mensa exceptus? illo die, quo dignus es habitus, qui eius carnes lingua tangeres? Quicunque sis ergo, ne hæc fiant, manum tuam expurga, & castiga linguam, & labia, quæ ingressui Christi fuére vestibula.

Ad caput 1. ad Ephesios Homil. 3. De corpore à nobis agitur,& hoc, quod ab illo nihil differt, nec distat. Quicunque corporis sum participes, quicunque gustamus sanguinem, cogitemus quòd illius sanguinem gustemus, qui supra sedet, qui adoratur ab Angelis, qui propè accedit ad illam virtutem, in quam non cadit interitus. Heu mihi, quàm multæ viæ nobis patent ad salutem! Nos corpus suum fecit, suo corpore nos impertijt, & nihil ex his auertit nos à malis?

Ad populum Antiochenum Homilia 2. quæ est contra auaritiam: Helias meloten discipulo reliquit, Filius autem Dei ascendens suam nobis carnem dimisit. Sed Helias quidem exutus: Christus autem & nobis reliquit, & ipsam habens ascendit. Ne igitur animo concidamus, neque lamentemur, neq; temporum difficultatem timeamus Qui enim sanguinem suum pro nobis effundere non dubitauit, & carnem suam & sanguinem suum nobis communicauit, nihil pro salute nostra recusabit.

Libro 3. de Sacerdotio: Dum conspicit Dominum immolatum, sacerdotē sacrificio incumbentem, ac preces fundentē, tum etiam turbam circumfusam

pretioso

pretioso illo sanguine intingi ac rubefieri, etiamne te inter mortales versari, atque in terra consistere censes? An non potius è vestigio in cælos transferris? An non carnis cogitationem omnem abijciens, nudo animo, mente pura circumspicis quæ in cælo sunt? O miraculum! ô Dei benignitatem! qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se ipse tradit volentibus ipsum excipere ac complecti. Fit autem id nullis præstigijs, sed apertis ac circunspicientibus circumsistentium omnium oculis.

Homilia de proditione Iudæ: Iudas Christum triginta denarijs paciscebatur, vt venderet, & Christus ei sanguinem, quem vendidit offerebat, vt haberet remissionem peccatorum, si tamen impius existere noluisset. Nam adfuit Iudas, & illius sacrificij communicationem meruit. Sed iam ad terribilem nos mensam cum debita reuerentia, cum congrua vigilantia opportunum tempus inuitat: nullus ibi Iudas reperiatur, nullus malignus accedat. Et nunc ille præsto est Christus, qui illam ornauit mensam, ipse istam quoque consecrat. Non enim homo est, qui proposita de consecratione mensæ Domini corpus Christi facit & sanguinem: sed ille, qui crucifixus est pro nobis, Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur, & gratia. *Hoc est,* ait, *corpus meum:* hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox, quæ dixit: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram,* semel quidem dicta est, sed omni tẽpore sentit effectũ, ad generationẽ operante natura: ita & vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ vsque ad hodiernam diem, & vsque ad eius aduentum, præstat sacrificio firmitatem.

Nilus. 420.

Citante Turriano libro 4. cap. 19. pro epist. Pontif. Post inuocationem illam tremendam, & aduentum Spiritus sancti viuifici, non iam nudum panem & commune vinum mensæ imposita credimus esse, sed corpus & sanguinem pretiosum Christi, quæ eos purgant, & hæredes vitæ sempiternæ faciunt, qui cum timore & desiderio communicant.

Philo Carpathius. 420.

In Cantica Canticorum cap. 7. *Vmbilicus tuus crater tornatus.*) Sacerdotalis dignitas in tam diuino, & salutari sacrificio, ac tam ineffabili Sacramento nunquam caret vero corpore & sanguine Iesu Christi: cui populus per fidem charitatemque miscetur, id quod per aquam illam, quam sacerdos vino miscet in calice, apertissimè docetur, &c. Ecclesiæ caput Christus est, huic sancta omnium fidelium membra firmissimè adhærent, ijque præcipuè, qui ministri fideles diuinissimum eius corpus administrant, & sanguinem salutis æternæ Christiano populo salutarem cibum & potum, ijs solis notum, qui gustarunt. Vt enim collum capiti proximum est, atque coniunctum: sic veri ministri Dei sacratissimo corpori & sanguini Iesu Christi sanctissimè & proximè adhærent, suntque ipsius collum maximè eburneum, quoties pura conscientia & syncera animi caritate diuina ipsa mysteria immaculatè celebrant, atque contrectant vnà cum Diaconibus.

Palladius Diaconus Helinopolitanus. 420.

In Dialogo de vita Ioannis Chrysostomi: Præclarè tu quidem, atque sapientissimè occurristi, Pater, præsertim illuminans animos, qui per Scripturarum imperitiam in his semper ostendunt. Profectò enim gymnasium per longa tempora Ecclesia fuit, victores suos, viros ac mulieres ostendens non frustra Christi carnem eatenus comedisse.

Marcus Anachoreta. 420.

Explanans locum illum in priore ad Corinthios epistola: Vno spiritu potati sumus, *ait pertinentiam Eucharistiam panis & vini fieri nos participes diuinitatis Christi:* Dominus enim, *inquit,* non per animam, sed per proprium Spiritum facit nos participes Spiritus Dei, id est, diuinitatis. Ait enim Paulus: *Vno spiritu potati sumus.* Vt enim vinum cum bibente miscetur, & qui bibit vinum, est in vino, & vinum in eo: sic sanguis Christi miscetur cum bibente, & per ipsum efficitur particeps Spiritus Dei.

Ioannes Cassianus. 420.

Collat. 22. cap. 7. Tanta autem cor nostrum humilitatis debemus vallare custodia, vt hanc definitionem perpetua sensuum stabilitate teneamus, nequaquam nos posse ad tantum purificationis meritum peruenire, vt si hæc, quæ supra dixi, per Dei gratiam omnia fecerimus, indignos tamen nos communione sacri corporis esse credamus. Primùm, quia cælestis illius Mannæ tanta maiestas est, vt nemo hac lutea carne circumdatus, per suum meritum eius edulium, & non ex gratuita Domini largitate percipiat. Deinde, quia nullus ita circumspectus in huius mundi potest esse conflictu, vt eum saltem rara vel leuia peccatorum tela non feriant: quia impossibile est, vt non aut ignorantia, aut negligentia, aut vanitate, aut obreptione, aut cogitatione, aut necessitate, aut obliuione peccetur.

Proclus Constantinopolitanus. 428.

De traditione diuinæ Liturgiæ: Per has igitur preces Spiritus sancti aduentum expectabant, vt eius diuina præsentia propositum in sacrificium panem & vinum aquæ permixtum ipsum illud corpus & sanguinem Seruatoris nostri Iesu Christi efficiat.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De adoratione in spiritu lib. 13. Ac mensa quidem propositionum panes habens, incruentam hostiam significat, qua benedicimur, dum panem manducamus illum, qui de cælo est, Christum scilicet, qui etiam nostri similis factus est.

Epistola ad Calosyrium: Nec dubites an hoc verum sit, eo manifestè dicente: *Hoc est corpus meum:* sed potius suscipe verba Saluatoris in fide. Cùm enim veritas sit, non mentitur. Insaniunt igitur dicentes, mysticam benedictionem à sanctificatione cessare, si quæ reliquiæ remanserint eius in diem sequentem: Non enim mutabitur sacrosanctum corpus Christi, sed virtus benedictionis, & viuificatiua gratia iugis in eo est. Virtus enim viuificatiua Dei Patris vnigenitũ Verbũ est, quod caro factũ est, nõ desinens esse Verbũ, sed efficiẽs carnẽ viuificatiuã. Si enim in aliquo liquore modicum panis immiseris, reperies hunc imbibitum qualitate illius. Igitur viuificatiuum Dei Verbum vniens seipsum propriæ carni, fecit eam viuificatiuam. Nunquid ergo quoniam in nobis vita Dei est, Dei verbo existente in nobis, viuificatiuum erit nostrum corpus? Sed aliud est secundùm participationis habitudinem nos habere in nobis Dei Filium: aliud ipsum fuisse factum carnem, id est, corpus sumptum ex alma Virgine proprium corpus effecisse. Decebat ergo eum nostris quodammodo vniri corporibus per sacram eius carnem & pretiosum sanguinem, quæ accipimus in benedictione viuificatiua, in pane & vino. Ne enim horreremus carnem & sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens Deus nostris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis, vt corpus vitæ, quasi quoddam semen viuificatiuum inueniatur in nobis. Vnde subdit: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Epistola

Epistola ad Nestorium: Dum vnigeniti Filij Dei, hoc est, Iesu Christi, mortem secundùm carnem, & resurrectionem ex mortuis annunciamus, assumptionemq́ue in cælis confitemur, incruentum in Ecclesijs perficimus cultum, atque ita ad mysticas accedimus benedictiones, ac sanctificamur, participes facti sanctæ carnis præciosiq; sanguinis Servatoris nostri omnium Iesu Christi, nec vt communem carnem accipimus, absit: neque tamquam viri sanctificati, & Verbo secundùm dignitatis vnitatem coniuncti, vtpote velut diuinam inhabitationem adepti, sed vt verè viuificatricem & ipsius Verbi propriam. Cùm enim vita sit secundùm naturam, vt Deus, quoniam vnum cum carne sua viuificatricem eam ostendit.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib.1.epist.123. Vt Iosephus Domini corpus sindone inuolutum sepulturæ mandauit, per quod vniuersum mortalium genus resurrectionem percepit: eodem modo nos propositionis panem in sindone sanctificantes, Christi corpus sine dubitatione reperimus.

Epist.109. Cùm Deus & Saluator noster in mystica mensa communem panem proprium incarnationis ipsius corpus reddat, quid tu, ô vesane, eum quiddam factitium, aut creatum, aut seruilis naturæ esse doces?

Theodoretus. 450.

Dialogo 2. *Eranistes*: Quid existimas donum altaris, quod per sacerdotis inuocationem offertur? *Orthodoxus*: Ego cibum & potum, vt ex sui natura est, iudico. *Eranistes*. Sed quid facta sanctificatione, reputas? *Orthodoxus*: Corpus & sanguinem Christi. *Eranistes*: Credisne, quòd etiam corporis & sanguinis Christi isthinc particeps reddaris? *Orthodoxus*: Credo.

Victor Antiochenus. 460.

Ad cap.14. Marci: Cùm ad Apostolos dicit: *Hoc est corpus meum*: item: *Hic est sanguis meus*. certò apud se statuant vult, posteaquam benedictio & gratiarum actio ad panem vel calicem propositum accesserit, per panis quidem symbolum corporis Christi, per calicem verò eiusdem sanguinis participes se fieri. Nam circa corpus & sanguinem in communem mortalium omnium salutem & peccatorum remissionem passionis Christi Sacramentum præcipuè transactum est.

Titus Bostrensis. 460.

Ad Lucæ cap.15. *Adducite vitulum saginatum.*) Illum, inquam, vitulum adducite, qui pro terrarum orbe immolatus, eisq; qui vera resipiscentia ducuntur, donatus est, hoc est: tremendorum mysteriorum illum participem facite.

Procopius Gazaus. 480.

In Exodum folio 153. *Et baculi sint in manibus vestris.*) Hoc loco iubetur baculus ille capi, quo in profectione sustentemur, ne scilicet audientes sanguinis & passionis Dominicæ mentionem claudicemus. Edamus autem corpus, & bibamus sanguinem, nihil etiam dubitantes quòd sint vita, & viuificent.

Nonnus Panopolitanus. 500.

In Paraphrasi Ioannis cap.8.

Verè hominum vita est nostra libatio carnis.
Exhibet & verum sanguis potabilis haustum.
Hæc duo qui gustat, mecum ipse habitans habitatur,
Estq; iugum mecum veluti constrictus eodem,
Sumq; huic firma domus tollens, tollendus ab illo.

Olympiodorus. 500.

Ad cap. 9. Ecclesiastis: *Vade, & comede panem tuum.*) *Verbum caro factum* homines cohortatur ad mysticam sui corporis participationem: cùm propter nostram salutem carnem assumpserit. Approbat ergo hoc fieri, congaudet mysterijs ritibusq́ue Ecclesiæ.

Ioannes Maxentius. 510.

Dialogo 2. contra Nestorium: Panis ille, quem vniuersa Ecclesia in memoriam passionis participat, corpus eius est.

Cyrillus Eremita. 510.

In vita S. Euthymij: Aiunt quoque, vt mihi postea narrauit Cyriacus, qui hæc audierat ex Terebone & Gabrielio, qui audierant eum aliquando dixisse quibusdam fratribus, qui cum eo seorsim versabantur, quod sæpe videret terribilem Angelorum visionem vnà secum Deo ministrantem, & sacra contrectantem, & quòd in Dominici corporis sumptione aliquos quidem ex ijs, qui accedebant, videret illuminari, aliquos autem velut obscurari, & morte affici, quicunque scilicet erant indigni ea luce & splendore.

Eutychius Patriarcha Constantinop. 580.

Apud Nicetam libro 3. Annalium de gestis Alexij Angeli lib.3. Totum igitur sacrosanctum corpus & pretiosum sanguinem Domini accipit homo, etsi horum partem aliquam acceperit. Distribuitur enim impartibiliter inter omnes propter immistionem, vt vnum sigillum omnes imagines suas omni materiæ imprimit, & vnum manet etiam post communicationem non immunitum, non mutatum in ea, in quibus expressum est, etsi numero plura fuerint: eodemq; modo vna vox ab aliquo prolata, & in aëre diffusa, in eo, qui eam protulit, tota manet, & per aërem tota ad aures perfertur, nemine auditorum plus minusve percipiente: sed tota est indiuisibis, & integra apud omnes, etsi decem millium numerum superent, quamuis ipsa corpus sit. Neque enim aliud est vox, quàm aër ictus. Nemo igitur ambigat, quin incorruptibile post mysticum sacrificium, & sanctam & immortalem resurrectionem, sanctum & viuificum corpus & sanguis Domini per sacrificia in res solidas impositus minus, quàm commemorata exempla, suas vires minuens, exprimatur, & totus in totis inueniatur.

Anastasius Antiochenus. 580.

Aduersus Gainitas: Absit vt dicamus sanctam Communionem antitypon corporis Christi, aut nudum panem, quin potius verè corpus & sanguinem Christi.

Hesychius Hierosolymitanus. 580.

Libro 2. in Leuit. cap.8. Propterea carnes cum panibus comedi præcipit, vt nos intelligeremus illud ab eo mysterium dici, quod simul panis & caro est, sicut corpus Christi panis viui, qui de cælo descendit.

Euagrius. 590.

Lib.4. cap.35. Vetus consuetudo fuit Constantinopoli, vt si quando multæ admodum particulæ puri & immaculati corporis Christi Dei nostri superessent, pueri impuberes, qui scholas frequentabant, accerserentur, easq; manducarent.

Ioannes Climacus. 590.

Gradu 15. Sancta Ecclesia recipiens hæreticos, post integram & puram suæ hæreseos abrenuntiationem facit eos dignos corpore & sanguine Christi.

Ioannes Moschus. 600.

In Prato spiritual cap.48. Quo allato, assumpsit sacrum & pretiosum sanguinem magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi.

Cap.78. Quo corde, homo quibus manibus sumis sanctum & pretiosum corpus Domini nostri Iesu Christi?

Eustathius Presbyter. 610.

In vita Eutychij Patriarchæ: Cùm igitur sacrificium totum explesset bonus pastor, & vniuerso populo fideli sacrosanctum & salutiferum Domini nostri Iesu Christi corpus distribuisset, in sanctum Episcopium reuersus, modicum cibum cum solitis fratribus hilari vultu cepit.

Leontius. 610.

In vita Ioannis Eleemosynarij: Vade prius, inquit Ioannes, reconciliare fratri tuo, & tunc veniens immemor malitiæ suscipe immaculata corporis Christi mysteria.

Georgius Presbyter. 620.

In vita Theodori Archimandritæ: Ingressus Theodorus in oppidum, iussit vt adolescens, qui oris titubantia prope mutus & elinguis erat, se in Ecclesiam sequeretur, & cùm diuina mysteria distribuisset, præcepit vt adolescens accederet, & pro illo precatus Deum ter insufflauit: cùmque illum signo crucis obsignasset, sanctum Christi corpus impertiuit: In nomine, inquiens, Domini nostri Iesu Christi loquere: & Dei gratia statim locutus est: Amen.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

In vita Mariæ AEgyptiacæ: Dominica, quam primam ieiuniorum hebdomadam nominari mos est, agebantur pro consuetudine diuina Sacramenta, & vnusquisque particeps efficiebatur viuifici & intemerati corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi.

Maximus Monachus. 640.

In expositione Liturgiæ: Vbi sacrosanctum & omnipotentem Dei Spiritum receperint, panis quidem in pretiosum & sanctum corpus eius mutatur: vinum verò in ipsum sanguinem eius sanctum & immaculatum.

Citatur à Græcis Resp. ōsione 1. ad Claudiū Cardinalem Guisianum.

Concilium Sextum Constantinopolitanum. 680.

Act. 8. Ita quippe accedimus ad benedictiones arcanas, & sanctificamur, participes effecti tam sanctæ carnis, quàm pretiosi sanguinis Christi omnium nostrorum Saluatoris: & non vt communem carnem suscipimus, absit: neque iterum vt viri sanctificati, & copulati Verbo, per vnitatem dignitatis, siue vt diuinam inhabitationem habentis, sed sicut verè viuificatricem, vt propriam eiusdem Verbi.

Concilium Trullense. 710.

Can. 26. Presbyter per ignorantiam illicitis nuptijs implicatus, nec publicè, nec priuatim benedicat, nec Christi corpus alijs distribuat, nec aliquod aliud ministerium obeat.

Canone 102. Corpus Christi & templum hominem ad imaginem Dei creatum diuinus Apostolus magna voce appellat. Omnem ergo sensibilem creaturam superans is, qui salutari passione cælestem dignitatem est assecutus, Christum bibens vel comedens, æternæ vitæ adaptatur, animam & corpus diuinæ gratiæ participatione sanctificans. Quare si quis immaculati corporis in synaxis tempore esse particeps voluerit, etiam antequam eius fiat communio, manus in crucis formam figurans, sic accedat, & gratiæ communionem accipiat.

Germanus Patriarcha Constantinopol. 725.

In Theoria: Agnoscite omnes sacerdotes, qui sacro altari assidetis, & incruentam Victimam sacrificatis: quòd viuas passiones Christi annuntiatis, &c. Ipse dixit: *Hoc est corpus meum, hic sanguis meus:* Ipse & Apostolis iussit, & per illos vniuersæ Ecclesiæ, hoc facere: *Hoc enim* (ait) *facite in meam commemorationem.* Non sanè id facere iussisset, nisi vim induturus fuisset, vt id facere liceret. Et quæ est deprecatio? Spiritus sanctus, virtus quæ ex alto, Apostolos armauit, vt eis à Domino dictum fuerat: *Sedete in vrbe Hierusalem, donec induti sitis virtute ex alto.* Hoc opus, est eius ingressus: non enim semel egressus, in posterum dereliquit nos, sed est nobiscum & erit in perpetuum, & in æuum hoc, per manum sacerdotum & linguam mysteria conficit: ac non sanctum Spiritum duntaxat misit Dominus noster, vt maneat nobiscum: sed & ipse pollicitus est se mansurum nobiscum *vsque ad consummationem seculi.* At Paracletus inconspicuus adest, quia ipse corpus non gestauit: Dominus verò conspicitur, & tangi se patitur per tremenda & sacra mysteria: vt qui nostram naturam acceperit, eamqúe gestet in secula. Hæc sacerdotij virtus, hic sacerdos: non enim semel cùm se obtulerit, & sacrificârit, sacerdotio defunctus est: sed hoc perpetuò nostrum ministerij munus obit: quo & aduocatus est pro nobis apud Deum per æuum. Propterea nulla fidelibus de sanctificatione Donorum dubitatio superest, neque de alijs Sacramentis, an secundùm propositum & preces sacerdotum compleantur.

Ioannes Damascenus. 930.

Libro 4. Orthodoxæ fidei cap. 14. Quamobrem si sermo Dei viuus est & efficax, ac Dominus omnia quæcunque voluit fecit: si dixit, *Fiat lux, & facta est lux: Fiat firmamentum, & factum est:* si *verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum:* si cælum, atque terra, aqua item, & ignis, & aër, & omne eorum ornamentum, Domini verbo completum & absolutum est, atque hoc etiam nobilissimum animal, quod homo nuncupatur: si ipsemet Deus Verbum, posteaquam ita voluntas ipsius tulit, homo factus est, atque ex puris & immaculatis sanctæ ac semper Virginis sanguinibus carnem sibi ipsi sine semine condidit, quid tandem afferri potest, quin ex pane corpus suum, ex vino & aqua sanguinem suum efficere queat? Dixit antiquitus: *Producat terra herbam virentem:* atque ea etiamnum orto imbre fœtus suos producit diuino præcepto impulsa, ac roborata Dixit Deus: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* &: *Hoc facite in meam commemorationem:* atque omnipotenti ipsius præcepto, donec ipse veniat, hoc efficitur, (his enim verbis vsus est: *Donec veniat,*) ac pluuia huic nouæ segeti existit sancti Spiritus vis inumbrans. Quemadmodum enim quicquid Deus fecit, id sancti Spiritus opera fecit: eodem modo nunc quoque Spiritus operatio ea, quæ naturam superant, efficit, quæqúe nisi sola fide capi & intelligi nequeunt. *Quo tandem modo mihi fiet istud?* aiebat sancta Virgo: *Quoniam virum non cognosco.* Respondet Archangelus Gabriel: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Tu quoque nunc quæris, quomodo panis corpus Christi, & vinum cum aqua coniunctum sanguis Christi fiat? Tibi item respondeo: Spiritus sanctus superuenit, eaqúe efficit, quæ orationis facultatem, & mentis intelligentiam excedunt. Panis porrò, & vinum eam ob causam adhibentur, quia Deo nota & explorata est humana imbecillitas, quippe quæ vt plurimum ea, quæ consuetudine minimè trita sunt, grauiter ferat & auersetur. Quo fit vt ille, pro ea, qua vti solet erga nos, indulgentia, per ea, quæ naturæ vsitata ac familiaria sunt, ea, quæ naturam superant, efficiat. Et quemadmodum ipse, quoniam in hominum more positum est, vt aqua lauentur, & oleo vngantur, idcirco in baptismo gratiam Spiritus cum oleo & aqua copulauit, fecitqúe illud lauacrum regenerationis: eodem modo, quoniam ita fert hominum vsus atque consuetudo, vt panem edant, vinumqúe & aquam bibant, idcirco diui-

Gen. 1. Psal. 34. Gen. 1. Matt. 26. Luc. 1.

nitatem suam cum ipsis coniunxit, eaque corpus & sanguinem suum fecit, vt per vsitata naturæque consentanea ad ea, quæ supra naturam sunt, assurgamus. Sanè corpus diuinitati verè vnitum est illud corpus, quod ex sancta Virgine ortum est: non quòd assumptum illud corpus è cælo descenderit, sed quia panis ipse & vinum in corpus & sanguinem Dei immutantur. Quòd si quò pacto id fiat, requiris, sat tibi sit audire, quod per sanctum Spiritum id fiat, quemadmodum & ex sancta Dei Matre per Spiritum sanctum Dominus sibi ipsi & in seipso carnem condidit. Nec quicquam amplius nobis perspectum & exploratum est, quàm quòd verbum Dei verum est & efficax atque omnipotens: Nam modus eiusmodi est, vt nulla ratione indagari queat. Quin ne hoc quoque alienum fuerit dicere, quòd quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum & aqua per potum in comedentis & bibentis corpus & sanguinem immutantur, corpusque alterum fiunt, atque à priore ipsius corpore diuersum: sic propositionis panis ac vinum & aqua per sancti Spiritus inuocationem & aduentum mirabili modo in Christi corpus & sanguinem vertuntur, nec sunt duo, sed vnum & idem. Nec verò panis & vinum corporis Christi figura sunt (absit enim hoc:) verum ipsummet Domini corpus diuinitate affectum: quippe cum Dominus ipse dixerit: *Hoc est* non corporis signum, sed *corpus*: nec sanguinis signum, sed *sanguis*.

In historia Barlaam cap. 19. Ab omni labe pura Christi mysteria accipe, certissimè credens, Dei nostri corpus & sanguinem esse, quæ hominibus fide dignis præditis ad peccatorum veniam dono dedit. Christus enim ea nocte, qua tradebatur, testamentum nouum discipulis suis & Apostolis, ac per eos omnibus, qui in ipsum credituri erant, in hæc verba sanxit: *Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur in remissionem peccatorum.* Eodemque modo sumptum
1.Cor.1. calicem ipsis porrexit, dicens: *Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum: hoc facite in meam commemorationem.* Ipse igitur Dei sermo viuus & efficax, atque sua virtute nihil non efficiens, per diuinum & sacrosanctum sermonem, ac Spiritus sancti aduentum, ex oblationis pane & vino corpus suum ac sanguinem efficit, atque immutat: & iis, à quibus cupido animo percipitur, sanctitatem & lucem affert.

Cosmas Hierosolymitanus. 740.

Hymno 6. de magna Feria quinta: Dominus ens omnium & conditor Deus, fabricatum impassibilis mendicans tibi ipsi vniuisti, & Pascha quibus debebas mori ipse ens, teipsum præposuisti, manducate clamans corpus meum, & fide firmabimini.

Liberatorium omnis mortalis generis proprium, ô bone, tuos discipulos bibere fecisti, lætitiæ calice impleto: ipse enim teipsum sacrificabas, bibite clamans sanguinem meum, & fide firmabimini, &c.

Legis amicitiæ infamis Iscariota opinione oblitus, quos lauit præparauit in proditionem pedes, & tuum comedens panem (corpus diuinum) eleuauit supplantantium in te Christe, & clamare non intellexit Dominum laudate opera, & superexaltate ipsum per secula.

Capiebat redemptorium peccati corpus stultus, & corpus fusum pro mundo diuinum, sed non venerabatur bibens, quod vendebat pretio.

Elias Cretensis. 780.

In Orationem 1. Nazianzeni: Per externum sacrificium illud, quod per panem ac vinum peragitur, intelligit, quæ quidem in sacra mensa proposita, per ineffabilem quandam omnipotentis Dei vim & facultatem in Christi corpus ac sanguinem verè commutantur. Etenim ne carnem & sanguinem, in sanctis Ecclesiarum mensis proposita, conspicientes, horrorem concipiamus, idcirco Deus ad infirmitatem nostram se demittens, propositis rebus viuificam vim immittit, atque ea ad carnis suæ operationem transfert. Nec verò, quin hoc verum sit, vllo pacto ambige, cùm ipse apertè dicat: *Hoc est corpus meum.* Et: *Hic est sanguis meus.* Quin potius Saluatoris sermonem fide accipe: Nam cum verus sit, minimè mentitur.

In Orationem 4. Incruentam victimam panem & vinum dixit, quæ per arcanam quandam atque omni sermone præstantiorem facultatem in Christi corpus verè commutantur: quibus perceptis, viuificam & sanctificatricem Christi virtutem suscipimus.

Concilium Nicænum Secundum. 790.

Actione 6. Legas quousque voles, nunquam inuenies, neque Dominum, neque Apostolos, neque Patres, incruentum illud sacrificium, quod à sacerdote offertur, imaginem dixisse, verùm ipsum corpus & ipsum sanguinem. Attamen ante sanctificationis consecrationem quibusdam Patribus piè sanè visum est, ἀντίτυπον, hoc est, exemplar similis formæ nominare. Quorum de numero Eustathius, constans is propugnator orthodoxæ fidei, & Arianæ insaniæ expugnator clarus. Item Basilius eiusdem superstitionis auerruncator, qui apertam & plenam rectorum & probatorum dogmatum viam docentes, vno ore & spiritu loquuntur. Hic quidem, exponens dictum illud in Prouerbijs Salomonis: *Edite meum panem, & bibite vinum, quod commiscui vobis:* hic, inquit, Prou. 9.
per panem & vinum antitypa membrorum corporalium Christi prædicat. Ille verò, ex eodem fonte hauriens, vt omnes sacerdotij mystæ cognoscunt, in precatione diuinæ Anaphoræ sic alicubi legit: Confidentes tuo sacro altari appropinquamus, & proponentes antitypa sancti corporis & sanguinis Christi tui, te precamur & inuocamus. Et quæ deinceps sequuntur sententiam Patris amplius confirmant, quòd ante sanctificationem antitypa vocauerit, post consecrationem autem corpus Domini & sanguinem Christi, atque ita esse creduntur.

Ignatius Nicænus. 820.

In vita B. Tarasii: Tarasium moderatus amictus reddebat splendidum, & legali holocausto erant sacratiora, quæ ab illo offerebantur, vt qui Agnum, qui tollit peccata mundi, Christum sacrificaret sacris inuocationibus, & fidelium distribueret manibus, & omnes aspergeret pretioso illo sanguine, quem ostendens dabat ad debitorum animæ solutionem.

Constantinus Tyus. 860.

Oratione in S. Euphemiam: In arca autem diuina fuerat ara collocata, quæ subter sanctissimas habebat Reliquias: super eam autem peragebatur intemerati corporis & sanguinis Domini nostri Christi Dei incruentum mysterium.

Photius Constantinopolitanus. 870.

Ad priorem ad Corinth. cap. 11. Quid est panis? Corpus Christi. Quid autem efficiuntur hi, qui participant? Corpus sanè Christi. Nam participantes corporis Christi, nos quoque illud efficimur. Quoniam vnus panis est Christus.

Theophylactus. 900.

In Matth. cap. 26. Dicens: *Hoc est corpus meum*, ostendit, quòd ipsum corpus Domini est panis, qui sanctificatur in altario, & non respondens figura. Non enim dixit: Hoc est figura, sed: *Hoc est corpus meum.* Ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis: quoniam infirmi sumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem: & ideo panis quidem apparet, sed reuera caro est. Et accepto poculo, gratijs actis, dedit illis, dicens: *Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus, qui est noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

In Marci cap. 14. Cùm benedixisset, hoc est, gratias egisset, fregit panem: id quod nos etiam facimus, preces adiungendo. *Hoc est corpus meum, hoc*, inquam, quod sumitis. Non enim figura & exemplar quoddam Dominici corporis panis est, sed in illud ipsum conuertitur corpus Christi. Dominus enim dicit: *Panis, quem ego dabo, caro mea est.* Non dixit, figura est carnis meæ, sed *caro mea est.* Et quomodo, inquis, caro non videtur? ô homo, propter nostram infirmitatem istud fit. Quia enim panis quidem & vinum ex his sunt, quibus assueuimus, ea non abhorremus: sanguinem verò propositum & carnem videntes, non ferremus, sed abhorreremus. Idcirco misericors Deus nostræ infirmitati condescendens, speciem quidem panis & vini seruat, in virtutem autem carnis & sanguinis transelementat.

*In Ioannis cap.*6. Attende autem, quòd panis, qui à nobis in mysterijs manducatur, non est tantum figuratio quædam carnis Domini, sed ipsa caro Domini. Non enim dixit: *Panis, quem ego dabo*, figura est carnis: sed, *caro mea est.* Transformatur enim arcanis verbis panis ille per mysticam benedictionem, & accessionem sancti Spiritus in carnem Domini. Et ne quem conturbet, quòd credendus sit panis caro. Etenim & in carne ambulante Domino, & ex pane alimoniam admittente, panis ille, qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, & similis fiebat sanctæ eius carni, & in augmentum & sustentationem conferebat, iuxta humanum morem. Igitur & nunc panis in carnem Domini mutatur. Et quomodo (inquit) non apparet nobis caro, sed panis? Vt non abhorreamus ab eius esu. Nam si quidem caro apparuisset, insuauiter affecti essemus erga communionem. Nunc autem condescendente Domino nostræ infirmitati, talis apparet nobis mysticus cibus, qualibus alioquin assueti sumus.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita S. Theoctistis cap. 13. Cùm essem (*inquit venator Euboicus*) nauigaturus ad venationem, accepta in pyxide parte diuinæ carnis Domini, eam tuli ab beatam Theoctisten. Cùm venissem autem in insulam, & declinâssem in ædem Dei Matris, eam non offendi: an autem adesset, & lateret, quoniam mecum ascenderant quidam ex socijs: an verò abesset, nescio. Hoc tantùm scio, me eam non offendisse. Atque alij quidem profecti sunt in syluam venaturi: ego autem clam reuersus sum in templum, & protinus sacrosancta mulier (*Theoctistes*) apparuit, induta tunica, quam à me prius acceperat. Cùm autem in terram me proiecissem, accurrit, & cum lachrymis dixit eminus: Nequaquam hoc facias, ô homo, diuinum donum afferens: ne vras miseram, diuina dedecore afficiens. Me itaque tunica apprehensum erexit: ego autem eduxi è sinu meo pyxidem cum carne Domini. Cùm autem illa in terram cecidisset, diuinum donum accepit, & lamentationibus ac lachrymis terram rigans, dixit: *Nunc dimittis ancillam tuam Domine, quoniam viderunt oculi mei salutare tuum.* Quoniam remissionem peccatorum in manibus accepi. Nunc abibo, quò tua me iubet potentia.

OEcumenius. 1030.

Ad prioris ad Corinth. cap. 11. Pro sanguine irrationalium Dominus proprium dat sanguinem, vt ostendat vetus Testamentum antea hoc deliniasse.

Euthymius. 1080.

*Ad Matthei cap.*26. Vt vetus Testamentum hostias & sanguinem habebat, ita sanè & nouum, corpus videlicet & sanguinem Domini. Non dixit, hæc sunt signa corporis mei, & sanguinis mei: sed: Hæc sunt corpus meum, & sanguis meus. Oportet ergo non ad naturam eorum, quæ proponuntur, aspicere; sed ad virtutem eorum. Quemadmodum enim supernaturaliter assumptam carnem deificauit: (si ita loqui liceat,) ita & hæc ineffabiliter transmutat in ipsum viuificum corpus suum, & in ipsum preciosum sanguinem suum, & in gratiam ipsorum.

Michael Glycas. 1100.

Parte 3. *Annalium*: Et quidem ante discipulos ipsemet proprium corpus, & sanguinem participauit. Quamobrem istud? ne scilicet rursum discipuli perturbarentur, quemadmodum ante acciderat, cùm Christum dicentem audiuissent: *Nisi comederitis carnem Filij hominis, & sanguinem eius biberitis, vitam in vobis nullam habebitis.* Quo quidem tempore ab eo recedentes, non amplius cum ipso ambulabant. Quamobrem ne rursus eiusmodi quiddam ipsis accideret, vt qui carnem comesturi & bibituri sanguinem essent: primus ipse carnem suam degustauit, vt qui citra omnem vacillationem & ipsos hisce rebus saturare vellet. Itaque, vt dictum est, corpus & sanguinem proprium cum ipsis communicat, hæc verba subijciens: *Hoc in mei recordationem facite.*

Nicolaus Methonensis. 1130.

Oratione de Eucharistia: Mysticam hanc & incruentam consecrationem, qua panem & calicem consecratos in corpus & sanguinem Domini transmutari credimus, à quonam principium accepisse dicas? nonne ab ipso Deo & Seruatore nostro Iesu Christo, quemadmodum nos sacra docent Euangelia? Prorsus ab eo, &c. Quid hæsitas? quid omnipotenti impotentiam attribuis? Nonne ipse est, qui ex nihilo omnia vt essent fecit? vnus trium personarum diuinitatis: qui postremis temporibus incarnatus est, & panem in suum corpus transmutari iussit? Quid requiras causam & ordinem naturæ panis transmutationis in Christi corpus & aquæ viníque in sanguinem: cùm supra naturam, rationem, mentem, & cogitationem, ex Virgine sit natus? Non credes itaque nec mortuorum resurrectionem, nec in cælos eius assumptionem, & alia Christi miracula supra naturam, mentem, & cogitationem eminentia. Id tibi accidit, quòd Christum non Deum verum ac Filium Dei confiteris, sed Arrianismum, vel potius Iudaismum recipis. At fortasis dubitas minimeque credis, quòd non videas carnem & sanguinem, sed panem & vinum. Qua de re scias oportet, tu qui ingrato iniquoque animo erga beneficium affectus es, Deum, qui omnia nouit, cùm humanissimus sit, prouidè hoc fecisse, ad hominum imbecillitatem se demittens, ne auersaretur multi arrhabonem æternæ vitæ, & ægrè ferrent, carnem & sanguinem intuentes. Itaque rebus naturę consuetis hoc fieri voluit, ijs suam diuinitatem coniungens, cùm dixit: *Hoc est corpus meum, &c: Hic est sanguis meus. Et: Accipite, comedite, & bibite ex eo omnes in remissionem peccatorum*: & rursum: *Panis, quem ego dabo, caro*

mea est, quam ego dabo pro mundi vita: Et: *Nisi manducetis carnem Filij hominis, & bibatis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis. Hoc facite in meam commemorationem.* Propterea ei credentes, ita offerimus panem perfectum, viuum, siue corpus Christi, quod perfectum etiam post passionem permansit & integrum, (neque enim os eius contritum est,) & à diuina vita inseparabile planè, quale ipse primus noster ac magnus Pontifex & sacrificus victimaque suis ipsius discipulis tradidit: ijque denuò, qui ab initio suis ipsi oculis Verbum intuiti sunt, eique ministrârunt, Catholicæ Ecclesiæ ab extremis ad extremos vsque orbis terrarum limites tradiderunt, &c. Quòd si is, qui per se in aliquod humanorum vitiorum delapsus est, & indiscretè accessit, vt indignè communicans, tanta mulctatur condemnatione: qui in ipsam consecrationem peccat, & immediatè ipsum Dominicum contumelijs afficit corpus, atque negat, traditionemque abrogat, & auctorem, qui tradidit, conculcat, quanam fuerit, & quanto magis deteriori ac maiori dignus tum accusatione, tum supplicio? Horrorene plena sunt ea dicta? Reliquumne est vllum noui facinoris, præuaricationis, impietatis genus, quod ad hanc sceleris audaciam accedere possit? Verùm libera, ô Domine, per tuam misericordiam ab hac impostura & dementia omnes eos, qui non rectè confitentur, quem consecramus panem & vinum, corpus perfectum & sanguinem pretiosum esse Christi tui.

Cyrus Theodorus Prodromus. 1200.

Tetrasticho in S. Basilium, quomodo incredulo Hebræo carnem & sanguinem esse panem & vinum, quæ apud nos sacrificantur, persuaserit:

O cultor vmbrarum, caue rem vmbratilem
Nostrum sacrificium putes: Panem vides,
Purissimus tamen Agnus est: vinum vides,
Illud quidem est calens cruor: Propius vide.

In eundem:

Intuitus panem, & nigrum in cratere Lyæum,
Riserat Hebræus sacra mystica Christicolarum:
Hoc vbi Basilius persenserat, vtraque edenda
Porrigit: illa statim cruor & caro versa resultant.

Nicetas Choniates. 1200.

De gestis Alexij Angeli: Cùm in quæstione esset, vtrum Christi corpus post perceptionem incorruptibile sit, quale post passionem & resurrectionem fuit, an corruptibile, vt ante passionem: alij dicebant, incorruptibile esse, quòd diuinorum mysteriorum perceptio confessio sit, & recordatio quædam Domini propter nos mortui & rediuiui, vt magnus in Theologia Cyrillus tradit: quam partem quisque acceperit, ab eo Christum integrum percipi, quem Thomas palparit, cumque comedi post resurrectionem, vt Ioannes Chrysostomus affirmat, his verbis: O rem miram! qui ad dexteram Patris sedet, in nostrûm peccatorum manibus inuenitur. Item: Quamcunque partem acceperis, eum totum accipis, qui à Thoma palpatus est. Et alio loco: Floruit in Lege, adoleuit in Prophetis, maturuit in cruce, comeditur post resurrectionem. Neque enim aliud id est, quod percipitur, quàm illud corpus, quod morte superata vitam nostram auspicatum est. Vt enim parum fermenti totam massam fermentat, & sibi similem & parem reddit, vt D. Apostolus ait: sic immortale factum Dei corpus, cùm in nostro corpore fuerit, totum id in se commutat & transfert, &c.

Samonas Gazæus. 1220.

Disputatione de Eucharistia: Sacerdos panem super mensam sanctam deponit, pariter & vinum, & comprecando inuocatione sancta Spiritus sanctus descendit, & superuenit in ea, quæ sunt proposita; & igne suæ diuinitatis in corpus & sanguinem Christi panem & vinum commutat, non minus quàm iecur alimentum in corpus cuiusdam hominis.

Nicolaus Cabasilas. 1280.

De Liturgia cap. 1. Sanctæ sacrorum mysteriorum celebrationis opus & effectus quidem est, donorum in diuinum corpus & sanguinem mutatio. Finis autem, vt fideles per ipsa sanctificentur, peccatorum remissione, & regni cælorum hæreditate simul accepta.

Cap. 16. Pretiosa dona in ipsum Dominicum corpus mutantur, quod resurrexit, quod cælos ascendit.

Cap. 27. Deinde procedit sacerdos, & orat, & supplicat, diuinas illas voces ipsius Vnigeniti Seruatoris nostri etiam in donis propositis applicans, vt suscepto eius sanctissimo & omnipotente Spiritu, conuertatur quidem panis in ipsum pretiosum & sanctum eius corpus & sanguinem. Hæc cùm orauit, & dixit, vniuersum sacrificium peractum & perfectum est, & dona sunt sanctificata, & hostia integra & perfecta effecta est, & magna hostia, & victima, quæ pro mundo mactata est, supra sacram mensam sita cernitur: Panis enim non amplius figura Dominici corporis, neque donum ferens imaginem veri doni, neque ferens aliquam descriptionem ipsius Seruatoris passionum, tamquam in tabula: sed ipsum verum donum, ipsum sanctissimum corpus Domini, quod omnia illa verè suscepit, probra, contumelias, vibices, quod crucifixum, quod interfectum, quod sub Pontio Pilato pulchrum testimonium confessum est, &c. similiter & vinum ipse sanguis, qui exilijt occiso corpore: hoc corpus, & sanguis, qui ex Spiritu sancto constitutus est, natus ex Maria Virgine.

Georgius Pachymerius. 1290.

In cap. 3. *de Ecclesiastica Hierarchia Dionysii:* Ipse Pontifex ad illa prototypa ipsum Domini venerabile corpus & sanguinem adducit, credens quòd ea, quæ proposita sunt, in ipsum corpus & sanguinem conuertantur, virtute sancti & omnipotentis Spiritus.

Nicephorus Callistus. 1300.

Ecclesiast. Histor. lib. 1. *cap.* 28. Cùm verò rursum discubuisset Christus, mysticum tradidit sacrificium horrendorum simul & viuificorum nostrorum mysteriorum pane fermentato, & vino ex vite expresso. Eaque cum per gratiarum actionem & sanctificationem benedixisset, discipulis dedit: & cùm verè corpus & sanguinem suum esse, quasi fide sua interposita, confirmasset: accipere & participare eos illa, quippe nulla re à diuina carne sua discrepantia, (κατὰ μηδὲν τῆς αὐτοῦ θείας σαρκὸς διαφέροντα,) iussit: atque id, ad eundem modum, in futurum deinceps fidelibus faciendum, ad synceram euidentemque sui memoriam, per manus tradidit.

Gennadius Scholarius. 1450.

De sacrificio in azymo sectione 4. Audis quid hoc significat, ad aliam mensam formidabilissimam? quia carnea illa illius mensæ erant, hæc spiritualia; illa visibilia, hæc inuisibilia, & intemerata mysteria, quamquam sacerdotum manibus propter summam eius bonitatem tractentur, & quia illa non mysteria, sed figuræ tantùm: quia id erat tantùm, quod oculis cernebatur: hæc verò mysteria, non figura, sed ipsa veritas: & quia aliud est visibilis species, aliud quod per eam intelligitur; nam in visibili pane verum Christi corpus continetur, quod Angeli tantùm vident, & venerantur, idcirco formidabilissima, & alia mensa dicitur:

tur: non qui azyma vel fermentata sint: tunc enim Christus Iesus de fermentato, vel azymo non curabat: sed simpliciter tantùm de pane, vt suum mysterium traderet.

Sect.6. In diebus azymorum, cùm Hierusalem fermentatum non reperiretur, omisso fermentato sacrificium peragebant: nam certò sciebant satis esse, si ex tritico constaret, nec quia parum fermenti haberent, quæ fiebant, idcirco fuissent omnia irrita, potissimum verò Domini verba, quæ panem & vinum cum aqua in corpus & sanguinem eius transmutant, &c. Si hoc verbum igitur ea, quæ proposita sunt, in corpus & sanguinem Christi transmutat, & tremenda mysteria efficit, mirandum vtique erit, si non possunt ea esse perfecta, quia exiguo fermento carent, præsertim cùm hac materia Christus mysterium peregerit, vt ante probatum est.

Marcus Ephesius. 1450.

De Eucharistia: Nos, qui à sanctis Apostolis, & eorum successoribus Doctoribus Ecclesiæ mysticæ Liturgiæ expositionem accepimus, apud eorum nullum reperimus, ab ipsis Dominicis verbis duntaxat sanctificari & perfici Eucharistiæ donum, & in ipsum Dominicum corpus & sanguinem transmutari: verùm quę prius recitantur verba apud omnes vnanimi consensu & nos ad memoriam rei tum gestæ reuocare, vim potentiamque quasi eiaculari in proposita dona ad transmutationem: quæ autem consequitur postea, orationem & benedictionem sacerdotis reipsa trasmutare iam dona in ipsum prototypon illud corpus & sanguinem Dominicum.

Bessarion Nicænus. 1460.

De Sacramento Eucharistiæ: Quòd igitur impossibile alijs sit, quàm Dominicis verbis Eucharistiæ Sacramentum confici, euidentissimè & luce clarius apparet. Enimuerò nemo est, quem lateat, quemadmodum panis & vini in corpus & sanguinem Christi in instanti facta transubstantio humanam omnem facultatem excedit, ingenijq; opus est, & certè diuinum: ita etiam huius Sacramenti efficientia verba, instar ipsius Sacramenti, eximiæ cuiusdam virtutis esse debere. Christi verò diuinis verbis nihil esse potentius, nihil efficacius esse posse manifestum est. Quamobrem fateri necesse est, Dominicis illis verbis, & nullis alijs, diuinum hoc Sacramentum confici posse. Nec enim diuinissima per diuinam potentiam confici posse negauerit quispiam, &c. Atque panis & vini in corpus & sanguinem transmutatio non petentium meritis, sed eius potentiâ, qui ex nihilo cuncta produxit, per sacerdotem, tamquam per instrumentum quoddam, efficitur. Ex quo manifestum est, non orantis sanctitatem, sed ipsum Dominum proprijs suis verbis, à sacerdote prolatis, panem & vinum in proprium corpus transmutare, &c. Quomodo annuntiari expressius mors Domini potest, quàm dum corpus & sanguis eius proprijs eius verbis, quàm quibusuis alijs conficitur? veruntamen concurrere Patrem ac Spiritum sanctum Filio in hoc diuino opere, transubstantiatis pane & vino in corpus & sanguinem Christi, fas est à fidelibus credi.

Horologion Græcorum.

O homo, diuinum sacro in cratere cruorem
Qui Domino præstante vides, horresce videndo.
Est fax, est homines exurens carbo malignos,
Est corpus Domini, quod viscera in ista receptum est.
Me quoque (fingendo detur si audacia verbis)
Diuisicat, maturaq; aliquid mortalibus escis
Dat mihi, & ipsorum me collocat arce Deorum.

Zaga Zabo Æthiops. 1536.

In Confessione fidei Aethiopica: Infantes Christianarum mulierum sunt electi & consecrati ex corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi communicatione. Nam fœminæ grauidæ cùm assumunt venerabile corpus Domini nostri Saluatoris Iesu Christi, infans capiens inde nutrimentum, fit sacratus, &c. Ea ipsâ die, qua pueri baptizantur, venerabile corpus Domini accipiunt sub exigua panis specie.

Sind, siue Sulaka Patriarcha Nestorianorum. 1553.

In Professione fidei: Credimus quoque in sanctum baptisma, & in sacrificium, quod est corpus & sanguis Christi.

Græci Veneti. 1576.

Responsione ad Claudium Cardinalem Guisianum quæstione 1. Credimus, ac confitemur, panem in Christi corpus, ac simili ratione vinum in Christi sanguinem ita mutari, vt neque panis, neque substantiæ ipsius accidentia maneant: sed in diuinam substantiam transelementenfur: de quo magni illius Patris Chrysostomi testamentum, cuius extant verba in Euangelij per Matthæum memoriæ prodito 26. capit. audito. Cùm Christus ait: *Hoc est corpus meum*, panem, qui consecratur in ara, non signum, sed ipsum Domini corpus esse demonstrat. Non enim dixit: hoc est signum: sed, *Hoc est corpus meum*. Quippe vi quadam ineffabili fit mutatio, tametsi nobis esse panis videatur.

Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus. 1580.

Responso 1. cap. 13. de vsu Sacramentorum: Qui operationis sanctorum mysteriorum proprium opus hoc statuunt, vt Dona (intellige panem & vinum) in diuinum Christi corpus transmutentur: finem verò hunc, vt fideles ijs sanctificentur, nos tales beatos prædicamus, &c. Donorum consecratio, ipsa sacrificatio mortē eius annuntiat, & resurrectionem, & assumptionem, quia honorabilia hæc dona ipsum Dominicum transmutantur corpus, quod hæc omnia recipit, scilicet quod crucifixum fuit, quod resurrexit, quod in cælos ascendit, &c. Quamdiu propositus iacet, nihil nisi panis est, repositus tantùm Deo. Postea autem verus panis fit, & reuera transmutatur: cuius rei ratio & modus nullo ingenio, nullo ore humano explicari potest, &c. Ac fit à nobis quidem oblatio: fit verò inuisibiliter sacrificium, specierumq; mutatio in ipsum corpus & sanguinem Domini: dum occulta quadā ratione Deus sua gratia finem actioni, perfectionemq; adiungit, mysticarum & perficientium precum interuentu. Vocatur autem Eucharistia, & rationalis cultus illa cæremonia seu ritus sacer: quòd sola mystica & perfectrice verborum vi oblationem Deo offerat, transmutationemq; sacratissimi corporis, & sanguinis efficiat: & à principaliore effectu nomen Eucharistiæ habet.

Responso 1. cap.4. Panis fit corpus Christi, & vinum & aqua sanguis Christi, superuentu Spiritus sancti ea transmutantis supra hominum rationem, & cogitationem. Propositionis panis, inquam, & vinum, & aqua, inuocato & superueniente Spiritu sancto, supra omnem naturæ rationem & cogitationem transmutantur in corpus & sanguinem Christi, nec duo iam sunt, sed vnum & idem. Non est porrò panis & vinum typus corporis & sanguinis Christi (absit): sed ipsum corpus Domini Deificatum: non typus sanguinis, sed sanguis.

Hypatius Ruthenorum Legatus
1595.

In sua fidei professione: Profiteor in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem, vnà cum anima & diuinitate Domini nostri Iesu Christi: fieriq́; conuersionem totius substantiæ panis in corpus & totius substantiæ vini in sanguinem: quam conuersionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Anacletus Papa. 90.

Epistola 2. cap. 2. Dominus sacri sui corporis tractatores à vilibus, ac reprobis, ac non idoneis personis infamari noluit, nec calumniari permisit, sed ipse proprio flagello peccantes sacerdotes è templo eiecit.

Alexander Papa. 110.

Epistola 1. c. 4. In Sacramentorum quoque oblationibus, quæ inter Missarum solennia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, vt eius, cuius corpus & sanguis conficitur, passio celebretur.

Pius Papa. 150.

Apud Burchardum libro 5. capite 27. apud Iuonem in Dec. libro 1. capite 56. & Grattianum de Consecrat. distinct. 2 Si per negligentiam aliquid de sanguine Domini stillauerit in terram, lingua lambetur, & tabula radetur. Si non fuerit tabula, vt non conculcetur, locus corradatur, & sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si super altare stillauerit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, & ad aliud stilla peruenerit, quatuor diebus pœniteat. Si vsque ad tertium, nouem diebus pœniteat. Si vsque ad quartum, viginti diebus pœniteat, & linteamina, quæ tetigit stilla, tribus vicibus minister abluat, calice supposito: & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondatur.

Tertullianus. 200.

Libro de Oratione cap. 6. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, spiritaliter potius intelligamus. Christus enim panis noster est, quia vita Christus, & vita panis. *Ego sum*, inquit, *panis vitæ*. Et paulo supra: *Panis est Sermo Dei viui, qui descendit de cælis.* (Ioan. 6.) Tum quòd & corpus eius in pane censetur: *Hoc est corpus meum.* Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo, & indiuiduitatem à corpore eius.

Cap. 14. Similiter de stationum diebus, non putant plerique sacrificiorum orationibus interueniendum, quòd statio soluenda sit accepto corpore Domini. Ergo deuotum Deo obsequium Eucharistia resoluit, an magis Deo obligat? Nónne solemnior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini, & reseruato vtrumque saluum est, & participatio sacrificij, & executio officij.

De resurrectione carnis cap. 8. Caro abluitur, vt anima emaculetur: caro vngitur, vt anima consecretur: caro signatur, vt anima muniatur: caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima Deo saginetur.

Libro de pudicitia cap. 9. Annulum quoque accipit tunc primum, quo fidei pactionem interrogatus obsignat, atque ita exinde opimitate Dominici corporis vescitur, Eucharistia scilicet.

Libro 1. contra Marcionem cap. 14. Sed ille quidem vsque nunc nec aquam reprobauit Creatoris, qua suos abluit: nec oleum, quo suos vnguit: nec mellis & lactis societatem, qua suos infantat: nec panem, quo ipsum corpus suum repræsentat, (*id est, præsens facit, stylo Tertullianico*) etiam in Sacramentis propriis egens mendicitatibus Creatoris.

Libro 4. cap. 40. Christus acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, *Hoc est corpus meum* dicendo, id est, figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Cæterum vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset. Aut si propterea panem corpus sibi finxit, quia corporis carebat veritate, ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis, vt panis crucifigeretur. Cur autem panem corpus suum appellat, & non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem fuisse istam figuram corporis Christi, dicentis per Hieremiam: *Aduersus me cogitauerunt cogitatum, dicentes: Venite, coniiciamus lignum in panem eius*, scilicet crucem in corpus eius? (Hier. 11.) Itaq; illuminator antiquitatum quid tunc voluerit significasse panem, satis declarauit, corpus suum vocans panem. Sic & in calicis mentione testamentum constituens, sanguine suo obsignatum, substantiam corporis confirmauit. Nullius enim corporis sanguis potest esse, nisi carnis, &c. Multò manifestius Genesis in benedictione Iudæ, ex cuius tribu carnis census Christi processurus, iam tunc Christum in Iuda deliniabat. *Lauabit*, inquit, *in vino stolam suam, & in sanguine vuæ amictum suum*: (Gen. 49.) stolam & amictum carnem demonstrans, & vinum sanguinem. Ita & nunc sanguinem suum in vino cōsecrauit, qui tunc vinum in sanguine figurauit.

Libro 4. Carminum aduersus Marcionem capite 4.

Atque sacerdotes voluit sui corporis esse,
Ipse Patris summi perfectus iure sacerdos.

Libro 5. cap. 8.

Acceptum panem pariter vtrúq; liquorem
Corpus, ait, sanguisq; meus, qui funditur, hic est
Pro vobis: fieri semper quod postea iussit:
Quaue creatura panem vinumq; putatis
Esse suum corpus cum sanguine: quæq; fatendum
Non se factorem mundi per facta probauit,
Et portare simul de carne & sanguine corpus?

Pontianus Papa. 232.

Epistola 1 Sacerdotes proprio ore corpus Domini conficiunt, & populo tradunt.

Cyprianus. 250.

Epistola 54. At verò nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est: nec morientibus, sed viuentibus communicatio à nobis danda est, vt quos (Libro 1. epist. 2.) excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus: & cùm ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra aduersarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. Nam quo modo docemus, aut prouocamus eos in confessione nominis sanguinem suum fundere, si eis militaturis Christi sanguinem denegamus? aut quo modo ad martyrij poculum idoneos facimus, si non eos prius ad bibendum in Ecclesia poculum Domini iure communicationis admittimus?

Lib. 4. epist. 6. *Epist.* 56. Armemus & dexteram gladio spiritali, vt sacrificia funesta fortiter respuat, & Eucharistiæ memor, quæ Domini corpus accepit, ipsum complectatur, postea à Domino sumptura præmium cælestium coronarum.

Libro de Lapsis: A diabolicis aris reuertentes, ad sanctum Domini sordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc penè ructantes, exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini corpus inuadunt, quando occurrat Scriptura diuina, & clamet, & dicat: *Omnis mundus manducauit* Leu. 22. *carnem, & anima quæcunque manducauerit ex carne sacrificij salutaris, quod est Domini, & immunditia ipsius super ipsum est, peribit anima illa de populo suo, &c.* Spretis his omnibus atque contemptis, vis infertur corpori eius & sanguini: & plus modò in Dominum manibus, atque ore delinquunt, quàm cùm Dominum negauerunt, &c. Tumens animus & superbus nec quia victus est, fractus est. Iacens stantibus, & integris vulneratus minatur: & quòd non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini sanguinem bibat, sacerdotibus sacrilegus irascitur.

De Cœna Domini: Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro: & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita Sacramento visibili ineffabiliter diuina se infudit essentia, vt esset religioni circa Sacramenta deuotio, & ad veritatem, cuius corpus & sanguis Sacramenta sunt, sincerior pateret accessus, vsque ad participationem Spiritus.

Concilium Arelatense Secundum. 320.

Canone 15. In secretario Diacono inter Presbyteros sedere non liceat, vel corpus Christi præsente Presbytero tradere non præsumat. Quod si fecerit, ab officio Diaconatus abscedat.

Iuuencus. 330.

Libro 4.

Hæc vbi dicta dedit, palmis sibi frangere panem,
Diuisumq; dehinc tradit, sanctèq; precatus,
Discipulos docuit proprium se tradere corpus,
Hinc calicem sumit Dominus, vinoq; repletum
Gratis sanctificat verbis, potumque ministrat,
Edocuitq; suum se diuisisse cruorem.
Atque ait: Hic sanguis populi delicta remittet.
Hunc potate meum.

Marius Victorinus Afer. 350.

Aduersus Arium lib. 3. Hoc est ergo δὸς ἡμῖν ἐπιούσιον ἄρτον, id est, vitam ex eadem substantia. Etenim si quod accipimus corpus Christi est, ipse autem Christus vita, quærimus ἐπιούσιον ἄρτον: diuitiæ enim in Christo corporaliter habitant.

Iulius Firmicus Maternus. 350.

De erroribus prophanarum religionum: Christi immortalem sanguinem bibimus, nostro sanguini Christi sanguis adiunctus est.

Hilarius. 350.

Lib. 8. *de Trinit.* Si verè *Verbum caro factum est*, & nos verè Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui & naturam carnis nostræ iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ ad naturam æternitatis, sub Sacramento nobis communicandi carnis admiscuit? Ita enim omnes vnum sumus: quia in Christo Pater est, & Christus in nobis est, &c. De naturali Christi in nobis veritate quæ decimus, nisi ab eo discimus, stultè atque impiè dicimus. Ipse enim ait: *Caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* De veritate carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est. Et hæc accepta & hausta id efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Est ergo in nobis ipse per carnem, & sumus in eo, dum secum hoc, quod sumus, in Deo est. Quòd autem in eo per Sacramentum communicatæ carnis & sanguinis simus, ipse testatur, dicens: *Et hic mundus iam me non videt, vos autem me videbitis: quoniam ego viuo, & vos viuetis: quoniam ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.*

Ambrosius. 370.

De ijs, qui mysterijs initiantur cap. 9. Fortè dicas: Aliud video, quomodo tu mihi asseris, quòd Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest, vt probemus. Quantis igitur vtimur exemplis? Probemus non hoc esse quod natura formauit: sed quod benedictio consecrauit: maioremque vim esse benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moyses, proiecit eam: & facta est serpens, &c. *Postquam multa alia miracula narrauit Moysis, Heliæ, & Helisæi, concludit:* Quòd si tantum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, vbi verba ipsa Domini Saluatoris operantur? Nam Sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quòd si tantùm valuit sermo Heliæ, vt ignem de cælo deponeret, non valebit Christi sermo, vt species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti. Quia Psal. 148. *ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.* Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea, quæ sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est nouas rebus dare, quàm mutare naturas, &c. Ipse clamat Dominus Iesus: *Hoc est corpus meum.* Ante benedictionem verborum cælestium alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis, Amen: hoc est, verum est, quod os loquitur, mens interna fateatur, &c. Liquet, quòd præter naturæ ordinem Virgo generauit, & hoc quod conficimus corpus ex virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cùm præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine?

Libro 4. *de Sacramentis cap.* 4. Tu fortè dicis: Meus panis est vsitatus, sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum: vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur astruamus, quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur: oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris: vbi venitur vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? Nempe is, quo facta sunt omnia. Iussit Dominus, & factum est cælum. Iussit Dominus, & facta est terra. Iussit Dominus, & facta sunt maria. Iussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo quàm operatorius sit sermo Christi? Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse quæ non erant: quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Cælum non erat, mare non erat, terra non erat. Sed audi Psal. 148. dicentem: *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.* Ergo tibi vt respondeam: non erat corpus Christi ante consecrationé. Sed post consecrationem dico tibi, quòd iam corpus est Christi, &c.

Ergo didicisti, quòd ex pane corpus fiat Christi, & quod vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cælestis. Sed fortè dicis. Speciem sanguinis non video. Sed habet similitudinem. Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis, vt nullus horror cruoris sit, & pretium tamen operetur redemptionis. Didicisti ergo quia quod accipis, corpus Christi est.

Capite 5. Antequam consecretur, panis est: vbi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem: *Accipite, & edite ex eo omnes: Hoc est enim corpus meum.* Et ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus: vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte quantis generibus potens sit sermo Christi vniuersa conuertere. Deinde ipse Dominus Iesus testificatur nobis, quòd corpus suum accipiamus & sanguinem. Nunquid debemus de eius fide & testificatione dubitare?

Optatus Mileuitanus. 370.

Libro 6. contra Donatistas: Quid est tam sacrilegũ, quàm altaria Dei (in quibus & vos aliquando obtulistis) frangere, radere, remouere? In quibus vota populi, & membra Christi portata sunt: quò Deus omnipotens inuocatus sit, quò postulatus descendit Spiritus sanctus: vnde à multis pignus salutis æternæ, & tutela fidei, & spes resurrectionis accepta est. Altaria, inquam, in quibus fraternitatis munera non iussit Saluator poni, nisi quæ essent de pace condita. *Depone*, inquit, *munus tuum ante altare, & prius concorda cum fratre tuo, vt possit pro te sacerdos offerre.* Quid enim est altare, nisi sedes & corporis & sanguinis Christi? Quid vobis fecerat Deus, qui illic inuocari consueuerat? Quid vos offenderat Christus, cuius illic per certa momenta corpus & sanguis habitat? &c. Hoc tamen immane facinus geminatum est, dum fregistis etiam calices sanguinis Christi portatores.

Damasus. 380.

Epistola 4. ad Prosperum Episcopum Numidiæ: Chorepiscopi inter sacerdotes locum habeant, & ministerio Presbyterorum contenti sint. Quòd verò eis non liceat Episcopo præsente, nisi illo iubente, Sacramentum corporis & sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito populum docere, aut salutare, nec plebem exhortari: quæ omnia solis Pontificibus deberi, tam ex superioribus, quam ex alijs Patrum constitutis, aut sacris Canonibus edocti estis.

Hieronymus. 390.

Epistol. 1. ad Heliodorum cap. 7. Absit, vt de his quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus.

Epistol. 85. ad Euagrium: Quis patiatur, mensarum & viduarum minister Diaconus vt supra Presbyteros tumidus se efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisq; conficitur?

Epist. 150. ad Hedibiam quæst. 2. Nos audiamus panem, quem fregit Dominus, deditque discipulis, esse corpus Domini Saluatoris, &c. Nec Moyses dedit nobis panem verum, sed Dominus Iesus: ipse conuiua, & conuiuiũ, ipse comedens, & qui comeditur: illius bibimus sanguinem, & sine ipso potare non possumus.

Ad Psalm. 145. Esuriamus Christum, & ipse nobis dat cœlestem panem. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hoc qui dicunt, esuriunt. Qui panem desiderant, esuriunt. Qui dicit: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, vtique esuriens loquitur *Dat escam esurientibus.* Putat aliquis quòd panem cœlestem de mysterijs dicat. Et hoc quidem accipimus: quia verò caro Christi est.

Ad cap. 1. Malachiæ: Polluimus panem, id est, corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus, & dicimus: *Mensa Domini despecta est.*

Ad Matth. cap. 26. Postquam typicum Pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Paschæ transgreditur Sacramentum, vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedech summi Dei sacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis repræsentaret.

Ad cap. 5. ad Galatas: Scimus vinum in Christi, sanguinem consecrari.

Ad cap. 1. ad Titum: Tantum interest inter propositionis panes & corpus Christi, quantum inter vmbram & corpora, inter imaginem & veritatem; inter exemplaria futurorum & ea ipsa, quæ per exemplaria præfigurabantur.

Ruffinus. 390.

In Psalm. 22. Parauit mensam Dominus, quando in Sacramento suo nobis dedit carnem suam ad manducandum, & sanguinem suum ad bibendum.

Gaudentius. 400.

Tractatu 2. de Exodo: Idem per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis ac vini reficit immolatus, viuificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus. Hæc agni caro, hic sanguis est, Panis enim, qui de cælo descendit, ait: *Panis, quem ego dabo caro mea est, pro seculi vita.* Rectè etiam vini specie tum sanguis eius exprimitur, quia cùm ipse in Euangelio dicit: *Ego sum vitis vera*: satis declarat, sanguinem suum esse omne vinum, quod in figura passionis eius offertur. Vnde beatissimus Patriarcha Iacob de Christo prophetauerat, dicens, *Lauabit in vino stolam suam*: quippe nostri corporis indumentum suo proprio erat sanguine abluturus. Ipse igitur naturarum Creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus (quia & potest, & promisit) efficit proprium corpus: & qui de aqua vinum fecit, & de vino sanguinem suum, &c. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. Pascha est*, inquit, *Domini: hoc est, transitus Domini.* Ne terrenum putes, quod cæleste effectum est, per eum, qui transit in illud, & fecit illud suum corpus & sanguinem, &c. Quod annuntiatum est, credas: quia quod accipis, corpus est illius panis cælestis, & sanguis est illius sacræ vitis. Nam cùm panem consecratum, & vinum discipulis suis porrigeret, sic ait: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Credamus cui credidimus, nescit mendacium veritas, &c. Non infringamus os ipsius illud solidissimum. *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Si quid autem superfuerit etiam nunc in vniuscuiusque sensu, quod expositione ista non ceperit, ardore fidei concrementur.

Gen. 49.

Rom. 11.

Augustinus. 400.

Libro 3. de Trinitate cap. 4. Nec linguam quippe eius, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa literarum conscripta pelliculis, corpus Christi & sanguinem dicimus, sed illud tantum, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum, ritè sumimus ad salutem spiritalem in memoriam pro nobis Dominicæ passionis. Quòd cùm per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur, vt fit tam magnum Sacramentum, nisi operante inuisibiliter Spiritu Dei: cùm hæc omnia, quæ per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur.

Cap. 10. Illas etiam nubes & ignes quomodo fecerint vel assumpserint Angeli, ad significandum quod annuntiabant, etiamsi Dominus vel Spiritus sanctus illis corporalibus formis ostendebatur,

batur, quis nouit hominum? sicut infantes non nouerunt quod in altari ponitur, & peracta pietatis celebratione consumitur, vnde vel quomodo conficiatur, vnde in vsum religionis assumatur. Et si nunquam discant experimento, vel suo, vel aliorum, & nunquam illam speciem rerum videant, nisi inter celebrationes Sacramentorum, cùm offertur & datur, dicaturque illis auctoritate grauissima, cuius corpus & sanguis sit, nihil aliud credent, nisi omnino in illa specie Dominum oculis apparuisse mortalium, & de latere tali percusso, liquorem illum omninò fluxisse.

Contra aduersarium Legis & Prophetarum lib. 2. cap. 9. Mediatorem Dei & hominum hominem Iesum Christum carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem fideli corde atque ore suscipimus: quamuis horribilius videatur humanam carnem manducare, quàm perimere; & humanum sanguinem potare, quàm fundere.

Contra literas Petiliani lib. 2. cap. 37. Aliud est Pascha, quod adhuc illi Iudæi de oue celebrant, aliud autem, quod nos in corpore & sanguine Domini accipimus.

Ad Psalm. 33. Concione 1. Ferebatur Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: *Hoc est corpus meum.* Ferebat enim illud in manibus suis. Matt. 26

Sermone ad Neophytos: Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: hoc accipite in calice, quod manauit de latere Christi. *Citant Paschasius epistola ad Frudegardum, Iuo epist. 284.*

Libro Sententiarum Prosperi, citante Gratiano dist. 2. de consecratione: Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus: sacrificium Ecclesiæ duobus modis confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine: & Sacramento, & re Sacramenti, id est, corpore Christi: sicut Christi persona constat & conficitur ex Deo & homine, cùm ipse Christus verus sit Deus, & verus sit homo: quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in se continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem sacrificium Ecclesiæ duobus, Sacramento, & re Sacramenti, id est, corpore Christi. Est igitur Sacramentum & res Sacramenti corpus Christi. Item caro eius est, quam forma panis opertam in Sacramento accipimus; & sanguis eius, quem sub vini specie & sapore potamus: caro videlicet, carnis: & sanguis, est Sacramentum sanguinis: carne & sanguine vtroque inuisibili, spiritali, intelligibili, signatur visibile Domini nostri Iesu Christi corpus & palpabile, plenum gratia omnium virtutum, & diuina maiestate.

Apud eundem Prosperum citante Gratiano dist. eadem: Cùm frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiusque sanguinis de latere effusio designatur? Nos autem in specie panis & vini, quam videmus, res inuisibiles, id est, carnem & sanguinem honoramus: nec similiter comprehendimus has duas species, quemadmodum ante consecrationem comprehendebamus: cùm fideliter fateamur ante consecrationem panem esse & vinum, quod natura formauit: post consecrationem verò carnem Christi & sanguinem, quod benedictio consecrauit.

Maximus Taurinensis. 430.

Exod. 16 *Dominica in Ramis Palmarum.* Legimus in libris Mosi, de Manna vermiculos procreatos: digna planè & iusta comparatio. Siquidem de Manna vermiculus gignitur, & Dominus Christus de Virgine procreatur. Quin potius ipsam Mariam Manna dixerim, quia est subtilis, splendida, suauis, & Virgo quæ velut cælitus veniens, cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle destuxit: quem qui edere ac manducare neglexerit, vitam in semetipso habere non poterit, sicut ipse Dominus ait: *Nisi quis manducauerit meam carnem, & biberit meum sanguinem, non habebit vitam in semetipso.*

Arnobius Iunior. 440.

Ad Psalm. 4. *A fructu frumenti, vini, & olei multiplicati sunt.)* Accipimus frumentum in corpore, vinum in sanguine, oleum in Chrismate.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 33. Tetigit vestimentum mulier, & curata est, & ab antiquo est absoluta languore. Miseri, qui quotidie corpus Domini tractamus, & sumimus, & à nostris vulneribus non curamur. Non Christus infirmantibus, sed fides deest.

Sermone 34. Audiant Christiani, qui quotidie corpus Christi attingunt, quantam de ipso Christi corpore sumere possunt medicinam, quando mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem.

Serm. 95. Christus corpus suum Ecclesiæ transmisit ad mensam, vt esset cælestis caro manducaturis gentibus ad salutem: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quemadmodum autem manducatur caro Christi, quomodo bibitur & sanguis eius, norunt illi, qui sunt Sacramentis cælestibus instituti. Ioan. 6.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Homilia 5. de Pascha: Recedat omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui auctor est muneris, ipse etiam est testis veritatis. Nam inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, verbo suo, secreta potestate conuertit, ita dicens: *Accipite, & edite: Hoc est enim corpus meum:* & sanctificatione repetita: *Accipite, & bibite: hic est sanguis meus.* Ergo sicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa cælorum, profunda fluctuum, vasta terrarum: pari potentia in spiritualibus Sacramentis Verbi præcipit virtus, & seruit effectus. Nec dubitet quisquam primarias creaturas nutu potentiæ, præsentia maiestatis in Dominici corporis transire posse naturam, cùm ipsum hominem videat artificio cælestis misericordiæ corpus Christi effectum. Sicut autem quicunque, qui ad fidem veniens, ante verba baptismi adhuc in vinculo est veteris debiti: his verò commemoratis mox exuitur omni fæce peccati: ita quando benedicendæ verbis cælestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequam innouatione summi numinis consecrentur, substantia illic est panis & vini: post verba autem Christi, corpus & sanguis est Christi. Quid mirum autem est, si ea, quæ verbo creare potuit, possit creata conuertere? Imò iam minoris videtur esse miraculi, si id, quod ex nihilo agnoscitur condidisse, iam conditum in melius valeat commutare.

Leo Magnus. 450.

Serm. 6. cap. 2. de ieiunio septimi mensis. Tunc sacrificij munda est oblatio, & misericordiæ sancta largitio, quando ij, qui ista dependunt, quid operentur intelligunt. Nam dicente Dominò: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* sic sacræ mensæ communicare debetis, vt nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur: & frustra ab illis *Amen* respondetur, à quibus contra id, quod accipitur, disputatur.

Serm. 7. de passione Domini cap. 4. Vt ergo vmbræ cederent corpori, & cessarent imagines sub præsentia veritatis, antiqua obseruatio nouo tollitur Sacramento, hostia in hostiam transit, sanguinem

Digitized by Google

sanguis excludit, & legalis festiuitas, dum mutatur, impletur.

Epistola 23. ad plebem Constantinopolitanam: In quibus isti ignorantiæ tenebris, in quo hactenus desidiæ torpore iacuêre, vt nec auditu discerent, vel lectione cognoscerent, quod in Ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est, vt nec ab infantium linguis veritas corporis & sanguinis Christi inter communis Sacramenta fidei teneatur? Quia in illa mystica distributione spiritalis alimoniæ hoc impartitur, hoc sumitur, vt accipientes virtutem cælestis cibi in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus.

Sermone 4. de Quadragesima: Manichæi ore indigno corpus Christi accipiunt, sanguinem autem redemptionis omninò haurire detrectant.

Sedulius. 460.

Libro 4. Paschali:

Nec Dominum latuêre doli, scelerisque futuri
Prodidit auctorem, panem cui tradidit ipse,
Qui panis tradendus erat. Nam corporis atque
Sanguinis ille sui postquam duo munera sanxit,
Atque cibum potumque dedit, quo perpete nunquam
Esuriant, sitiantque animæ sine labe fideles, &c.
Fonte renascentes membris, & sanguine Christi
Vescimur, atque ideo templum Deitatis habemur.

Claudius Marius Victor. 460.

Libro Commentariorum in Genesim lib. 3.

Melchisedech Rex ille Salem, qui munere tali
Mystica præmisit summi libamina Christi:
Cuius de manibus sumens Ecclesia corpus
Vnificum panem, cælesti pota cruore est.

Hilarius PP. 464.

De Consecrat. dist. 2. Vbi pars est corporis, est & totum. Eadem ratio est in corpore Domini, quæ in Manna, quod in eius figura præcesit, de quo dicitur: *Qui plus collegerat, non habuit amplius: neque qui minus parauerat, inuenit minus.* Non est omninò quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed virtus Sacramenti spiritualis. Exod. 16

Ibidem: Corpus Christi, quod sumitur de altari, figura est, dum panis & vinum extra videtur: veritas autem, dum corpus & sanguis Christi in veritate interius creditur.

Saluianus Massiliensis. 480.

Libro 2. ad Ecclesiam toto orbe diffusam: Sed quærit fortasse aliquis, quid sit istud, quòd nunc plus exigit Deus à Christianis per Euangelium, quàm à Iudæis ante per Legem? Aperta est istius rei ratio. Ideo enim maiora nunc Domino nostro soluimus, quia maiora debemus. Iudæi habebant quondam vmbram rerum, nos veritatem: Iudęi fuerunt serui, nos adoptiui: Iudęi manna manducauerunt, nos Christum: Iudęi carnes auium, nos corpus Dei. Iudæi pruinam cæli, nos Deum cæli.

Victor Vticensis. 480.

Libro 1. de persecutione Vandalica: Ariani tempore, quo Sacramenta Dei populo porrigebantur, introeuntes, maximo furore corpus Christi & sanguinem pauimento sparserunt, & illud pollutis pedibus calcauerunt.

Libro 3. Frater alius, metuens ne fidem negaret, clamabat: Noli frater, non ita iurauimus Christo. Accusabo te cùm ante thronum eius terribilem venerimus, qui super corpus & sanguinem eius iurauimus, vt pro eo inuicem patiamur.

Vigilius Tridentinus. 480.

Libro 3. contra Eutychen: Christianus populus à Christo, qui est Deus & homo, benedictionis fortitus gratiam, frumenti, vini, & olei est abundantia cumulatus: hoc est, corporis & sanguinis Christi, & Chrismatis eius mysterio consecratus.

Gelasius. 490.

De Consecratione distinct. 2. Comperimus, quòd quidam sumpta tantummodò corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineant: qui procul dubio (quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Quia diuisio vnius eiusdemque mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire.

Alcimus Auitus. 500.

Lib. 5. de transitu maris Rubri cap. 10.

Ergo agnosce tuum in nobis, Rex Christe, cruorem,
Atque tuos educ AEgypti è carcere seruos,
Et quocunque loco sanctus mactaberis Agnus,
Inque cibos sanctum porrexerit hostia corpus
Christe tuum, non attingat tua dextera vindex.
Præterea veterem exutos formamque, virumque,
In vita nouitate tuum fac sumere corpus,
Et sacrum æterni calicis potare cruorem.

Cap. 20.

Sic longæua fuit, sed non damnosa vetustas,
Dum sacrum populo victum candentia Manna
Ferrent, & cæli frugem terrena viderent.
Mystica qua longè prædiceret ante figura,
Virgineo ex vtero, purum sine semine, Christi
Edendum, nobisque aliquando corpus edendum.
Quas caperet pascendus homo, de sede superna
Illabente Deo, sanctis altaribus escas.

Remigius Rhemensis. 500.

Carmine, quod sacro Calici insculpsit, vt refert Hincmarus in eius vita:

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro
Iniecto, æternus quem fudit vulnere Christus:
Remigius reddit Domino sua vota sacerdos.

Arator. 540.

Libro 1.

Iura ministerij sacris altaribus apti
In septem secuêre viros, quos vndique lectos
Leuitas vocitare placet: quàm splendida cæpit
Ecclesiæ fulgêre manus, quæ pocula vitæ
Misceat, & latices cum sanguine porrigat Agni, &c.

Libro 2.

Agnus Christus inest, panis quoq; Christus habetur
De cælo, quod & ipse docet: qui corpore Iesum
Sumpserit, hoste caret: nec iam sua iura Pharao,
AEgyptusque tenet.

Cassiodorus. 550.

In Psalm. 109. *Tu es sacerdos in æternum.)* Cui potest veraciter & euidenter aptari, nisi Domino Saluatori, qui corpus & sanguinem suum in panis & vini erogatione salubriter consecrauit, sicut ipse in Euangelio dicit: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis* &c. Sed in ista carne & sanguine nil cruentum, nil corruptibile mens humana concipiat: ne, sicut dicit Apostolus, *qui Domini corpus indignè manducat, iudicium sibi manducet:* sed viuificatricem substantiam, atque salutarem, & ipsius Verbi propriam factam, per quam peccatorum remissio, & æternæ vitæ dona præstantur. Ioan. 6. 1. Cor. 11

Concilium Turonense Secundum. 570.

Cap. 3. Vt Corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.

Gregorius Turonensis. 580.

Lib. 1. de gloria Martyrum cap. 86. Defleamus scelera nostra, & plangimus, cùm nos immundos esse nescimus, & ad ipsum altare Domini accedentes audacter, sanctum corpus eius, & sanguinem, cùm simus actu polluti, potius ad iudicium sumimus, quàm vt veniam consequamur.

Gregorius Magnus. 590.

Homilia 22. in Euangel. Quid sit sanguis Agni, non iam audiendo, sed bibendo didicistis: qui sanguis super vtrumque postem ponitur, quando non solùm ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. In vtroque enim poste sanguis Agni est positus, quando Sacramentum passionis illius, cùm ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur. Nam qui sic Redemptoris sui sanguinem accipit, vt imitari illius passionem necdum velit, in vno poste sanguinem posuit, qui etiam in superliminaribus domorum ponendus est.

Libro 4. Dialogorum cap. 58. Hęc singulariter victima ab æterno interitu animam saluat, quæ illam nobis mortem Vnigeniti per mysterium reparat, qui licet *resurgens à mortuis iam non moritur:* tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter viuens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis, non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem vnigeniti Filij semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, vnum quid ex visibilibus & inuisibilibus fieri?

Isidorus Hispalensis. 620.

Lib. 1. Officiorum cap. 18. Panis, quem frangimus, corpus Christi est, qui dicit: *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.* Vinum autem sanguis eius est. Hæc autem duo sunt visibilia; sanctificata tamen per Spiritum sanctum, in Sacramentum diuini corporis transeunt.

Concilium Hispalense Secundum. 625.

Cap. 7. Chorepiscopis non licet præsente Episcopo Sacramentum corporis & sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito populum docere.

Eligius. 640.

Hom. 8. Sicut verè carnem corporis nostri Christus assumpsit, & verè homo, qui ex Maria Virgine natus est, Iesus Dei Filius est, non quemadmodum alij homines per gratiam, sed natura Filius ex substantia Patris: ita vera est caro, & verus est sanguis eius, quem ad manducandum & potandum in mysterio sumimus, sicut ipse testatur. Et nos, qui verè sub mysterio carnem & sanguinem corporis eius sumimus, per ea naturaliter vnum cum eo efficimur: in quibus manet post consecrationem similitudo panis & vini, ne sit cuidam horror cruoris, sed manet in eis gratia redemptionis. De naturali enim in nobis Christi veritate ipse ait: *Caro* Ioan.6.
mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus, &c. De veritate carnis & sanguinis eius nullus relictus est ambigendi locus.

Theodorus Cantuariensis. 660.

In Pœnitentiali rubrica 41. Licet malus sit sacerdos, tamen conficit corpus & sanguinem Christi vt bonus: quia quæ facta sunt, non possunt pollui. Et licet Sacramenta obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.

Concilium Toletanum XII. 686.

Cap. 5. Ergo modis omnibus tenendum est, vt quotiescunque sacrificans corpus & sanguinem Iesu Christi in altario immolat, toties perceptionis corporis & sanguinis Christi se participem præbeat.

Beda. 700.

In librum Boëtij de Trinitate: Panis fit corpus Christi. Transit enim substantia panis in corpus Christi, non forma, sed potius hæ subsistunt in aëre, vel sine substantia. Si enim hic contingat, quod alibi est impossibile, non est mirum, cùm etiam ipsum corpus Christi ineffabili modo conceptum sit, & tota incarnatio mirabili modo processerit. Dicunt tamen quidam, quòd nihil transit in corpus Christi, & sic exponunt illam auctoritatem. Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate commutat, id est, sub ijsdem accidentibus esse facit. Cùm autem quæritur ab ijs, quò deueniat substantia panis, quæ ante sub illis accidentibus fuerat? dicunt illam relabi in primordiali materia, vel perire ex toto. Non enim habet pro inconuenienti, si creatura pereat transfusione, sicut fit aqua mixtum, per transfusionem scilicet vini & aquæ.

Homilia in Epiphania Domini, ad illa verba Euangelij: *Vidit Ioannes Iesum venientem ad se, &c.* Lauat nos Christus à peccatis nostris quotidie in sanguine suo, cùm eiusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur, cùm panis & vini creatura in Sacramentum carnis & sanguinis eius ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur: sicque corpus & sanguis illius non infidelium manibus ad pernitiem ipsorum funditur & occiditur: sed fidelium ore suam sumitur in salutem. Huius rectè figuram Agnus in Lege Paschalis ostendit, qui semper populum de AEgyptia seruitute liberans, in memoriam eiusdem liberationis per omnes annos immolatione sua populum eundem sanctificare solebat, donec veniret ipse, cui talis hostia testimonium dabat, oblatusque Patri pro nobis in hostiam, odoremque suauitatis, mysterium suæ passionis, oblato Agno, in creaturam panis vinique Psal.10
transferret, sacerdos factus in æternum secundùm Heb.7.
ordinem Melchisedech.

Ad Lucæ cap. 22. Finitis Paschæ veteris solemnijs, quæ in commemoratione antiquæ de AEgypto liberationis agebantur, transijt ad nouum, quod in suę redemptionis memoriam Ecclesia frequentare desiderat: vt videlicet pro agni carne vel sanguine suę carnis sanguinisque Sacramentum in panis vinique figura substituens, ipsum se esse monstraret,
cui iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacer- Psal.10
dos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.

Alcuinus. 750.

Libro de diuinis Officijs cap. 39. de celebratione Missæ: Hoc corpus, hic sanguis, non in speciis, sed in Sacramentis colligitur: & consecratione mysticus fit nobis, non nascitur. Et ille quidem panis, & illud vinum, per se irrationabile est: sed orat sacerdos, vt ille rationabiliter tractatus, & ab omnipotente Deo consecratus, rationabilis fiat, transeundo in corpus Filij eius, &c. Sicut diuinitas Verbi Dei vna est, quæ totum implet mundum: ita licet multis locis & innumerabilibus diebus illud corpus consecretur, non tamen sunt multa corpora Christi, neque multi calices; sed vnum corpus Christi, & vnus sanguis cum eo, quod sumpsit in vtero Virginis, & quod dedit Apostolis. Diuinitas enim Verbi replet illud quod vbique est, & coniungit, & facit, vt sicut ipsa vna est, ita coniungatur corpori Christi, & vnum corpus eius fit in veritate. Vnde animaduertendum est, quia siue plus, siue minus quis inde percipiat, omnes æqualiter corpus Christi integerrimè sumunt, & generaliter omnes, & specialiter vnusquisque.

Vsuardus. 800.

In Martyrologio 15. Augusti: Romæ via Appia, natale S. Tharsitij Acolyti & Martyris: qui cùm quodam die deferret Christi Corporis Sacramenta, nec vellet ea discutientibus prodere paganis, indignum iudicans porcis prodere margaritas, tam diu est fustibus ac lapidibus maceratus ab eis,

quo-

quousque exhalaret spiritum. Et reuoluto eius corpore, sacrilegi discussores nihil inuenire potuerunt Sacramentorum Christi.

Haymo. 820.

In passionem Christi secundùm Marcum: Quia panis confirmat cor hominis,& vinum auget sanguinem in homine, meritò idem panis in carnem Domini mutatur, & idem vinum in sanguinem Domini transfertur, non per figuram, neque per vmbram: sed per veritatem. Credimus enim quia in veritate caro est Christi, similiter & sanguis. Sed quia humana fragilitas non consueuit carnibus crudis vesci, & sanguinem potare, translata est eadem caro in panem, & idem sanguis in vinum.

In prioris ad Corinth. cap. 11. Sicut caro Christi, quam assumpsit in vtero virginali, verum corpus eius est, & pro nostra salute occisum: ita panis, quem Christus tradidit discipulis suis, omnibusq́ue prędestinatis ad vitam æternam,& quem quotidie consecrant sacerdotes in Ecclesia cum virtute diuinitatis, quæ illum replet panem, verum corpus Christi est. Nec sunt duo corpora illa caro, quam assumpsit, & iste panis: sed vnum verum corpus faciunt Christi, in tantum, vt dum ille frangitur & comeditur, Christus immoletur & comedatur: & tamen integer maneat & viuus. Et sicut illud corpus, quod in cruce deposuit, pro nostra salute & redemptione est immolatum: ita quotidie ad nostram salutem & redemptionem iste panis Deo offertur. Qui licet panis videatur, corpus est Christi. Dominus enim & Redemptor noster, consulens nostræ fragilitati, quia cognouit nos fragiles esse ad peccandum, tradidit nobis hoc Sacramentum, vt quia ipse iam non potest mori,& nos quotidie peccamus, habeamus verum sacrificium, quo possemus expiari. Ideoq́ue quia vnum corpus faciunt, & pro nostra redemptione offeruntur, dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

Amalarius Treuirensis. 820.

De Officijs Ecclesiasticis lib. 3. cap. 24. Sacerdos gratias agit in Hymno: *Verè dignum & iustum est:* benedicit in præsenti loco, frangit circa communionem. Hîc credimus naturam simplicem panis & vini mixti verti in naturam rationabilem, scilicet corporis & sanguinis Christi.

Cap. 25. Mira & magna fides sanctæ Ecclesiæ, quæ suis oculis videt, quod mortalibus deesse videt, quid credere debeat, quamuis nondum videat quod in specie est. Credit sacrificium præsens per Angelorum manus deferri ante conspectum Domini, & sentit mandendum esse ab humano ore. Credit namque corpus & sanguinem Domini esse, ac hoc morsu cælesti benedictione impleri animas sumentium.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap. 16. Christus in Cęna sua, quam ante traditionem suam vltimam cum discipulis habuit, post Paschę veteris solennia, corporis & sanguinis sui Sacramenta in panis & vini substantia eisdem discipulis tradidit, & ea in commemorationem sanctissimæ suæ passionis celebrare perdocuit.

Cap. 17. Cùm ipse Filius Dei dicat: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus:* ita intelligendum est, eadem redemptionis nostræ mysteria & verè esse corpus & sanguinem Domini, vt illius vnitatis perfectę, quam cum capite nostro iam spe, postea re tenebimus, pignora credere debeamus.

Strabus. 840.

In cap. 11. prioris ad Corint. Nos incerta relinquentes, quod ex auctoritatibus certum est profitemur, scilicet substantiam panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Dominici conuerti: modum verò conuersionis non ignorare non erubescimus fateri. Quæ autem remanent de priori substantia accidentia, scilicet color, sapor, forma, pondus, nec ipsum corpus Christi afficiunt, nec in eo fundantur.

Christianus, qui & Druthmarus. 840.

Ad Matth. cap. 26. *Cœnantibus illis.*) Sicut si aliquis peregrè proficiscens, dilectoribus suis quoddam vinculum dilectionis relinquens, eo tenore, vt omni die hæc agant, ne illius obliuiscantur: ita & Dominus præcepit nos agere, transferens spiritualiter panem in corpus suum, & vinum in sanguinem, vt per hæc duo memores essemus quæ fecit pro nobis de corpore & sanguine suo, vt non simus ingrati amantissimæ charitati ipsius.

Rabanus Maurus. 840.

De Institut. cleri lib. 1. cap. 31. Hæc duo, panis & vinum, dum sunt visibilia: sanctificata tamen per Spiritum sanctum, in Sacramentum diuini corporis transeunt.

Hincmarus Rhemensis. 850.

In vita S. Remigij: Beatæ Christi passionis ad altare memoria replicatur, cùm panis & vini creatura in Sacramentum carnis,& sanguinis eius ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur.

In encomio S. Remigij: Vera est caro, & verus est sanguis eius, quæ ad manducandum, & potandum in mysterio sumimus, sicut ipse testatur. Et nos, qui verè sub mysterio carnem & sanguinem corporis sui sumimus, per ea naturaliter vnum cum ipso efficimur. In quibus manet post consecrationem similitudo panis, ne quidam fit horror cruoris, sed manet in eis gratia redemptionis.

Florus Magister. 860.

Ad Canonem Missæ: Hoc corpus, & hic sanguis, non in spicis & in Sacramentis colligitur, sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur. Cùm panis & vini natura in Sacramentum carnis & sanguinis eius ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur, manducatur Christus. Per partes enim manducatur in Sacramento, & manet integer totus in cælo, &c. Calix, quem sacerdos Catholicus sacrificat, non est alius, quàm quem ipse Dominus Apostolis tradidit.

Remigius Antissiodorensis. 870.

Ad Psal. 21. Panis & vinum à Christiana veritate dicuntur, non quòd naturam panis & vini post consecrationem in se retineant, nisi quantum ad speciem, & saporem, & odorem. Illi namque, qui carnem in vtero Virginis assumptam Verbo suo personaliter & ineffabiliter vnire potuit, qui etiam mortalia corpora nostra imperij sui potentia faciet immortalia, panis & vini naturam in sui corporis & sanguinis naturam transferre possibile est.

De celebratione Missæ: Si in veritate corpus Christi est, quare appellatur mysterium? Propterea vtique, quia post consecrationem aliud est, & aliud videtur. Videtur siquidem panis & vinum, sed in veritate est corpus Christi & sanguis. Consulens ergo omnipotens Deus infirmitati nostræ, qui vsum non habemus comedere carnem crudam,& bibere sanguinem, facit vt in pristina remaneant forma illa duo munera,& est in veritate corpus Christi & sanguis.

Paschasius Corbeiensis. 880.

De Corpore & Sanguine Domini cap. 1. Licet figura panis & vini hîc sit, omninò nihil aliud, quàm caro Christi, & sanguis post consecrationem credenda sunt. Vnde ipsa veritas ad discipulos: *Hæc*, inquit, *caro mea est, pro mundi vita.* Ioan. 6. Et vt mirabilius loquar, non alia planè, quàm quæ nata est de Maria, & passa in cruce, & resurrexit de sepulchro. Hæc, inquam, ipsa est, & ideo Christi caro est,

quæ

zed by Goo

quæ pro mundi vitâ adhuc hodie offertur.

Cap. 19. Cogita igitur, si quippiam corporeum potest esse sublimius, cùm substantia panis & vini in Christi carnem & sanguinem efficaciter interius commutatur, ita vt deinceps post consecrationem iam vera Christi caro & sanguis veraciter credatur, & non aliud quàm panis de cælo à credentibus æstimetur.

Cap. 20. Licet igitur panis in carnem, & vinum conuertatur in sanguinem, veluti à natura probatur: tamen altius consideranda sunt hæc, vbi non modò caro aut sanguis Christi in nostram conuertuntur carnem, verùm nos à carnalibus eleuant, & spirituales efficiunt.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 900.

Capite 8. Credendum, & indubitanter sciendum est, quòd idem homini & Sacramentum, & res Sacramenti est corpus Christi, verum sanguinis & corporis sui Sacramentum, secundùm speciem videlicet panis & vini visibile Sacramentum est. Aliàs nobis inuisibile, secundùm hoc, quòd de Virgine natus est, & in cruce pependit, & ad cælos ascendit, & sedet ad dextram Patris, res Sacramenti est. Sic ergo credimus, quòd ante consecrationem panis & vinum est, quod consecrationem corpus Christi verum, sanguis Christi verus est: non tantùm verum sacramentaliter, sed etiam verum essentialiter. Cùm autem dicimus corpus Christi, & sanguinem, nec corpus exangue intelligimus, nec sanguinem à corpore diuidimus, sicut est fusus è corpore, vel stillans aut manans à vulnere: sed idipsum totum indiuisum in vtraque specie credimus, totum simul in cælis, & vbicunque conficitur à ministris, vel contrectatur ab hominibus Christianis. Qualiter autem fieri possit, vt transeat substantia panis in substantiam corporis & sanguinis Christi, etsi ratione comprehendere non possumus, purè tamen credere debemus. Ante benedictionem Dominus quidem panem simplicem, sed corpus suum & sanguinem.

Radulphus Flauiacensis. 950.

Libro 14. *in Leuiticum cap.* 4. Si loco illi tanta exhibebatur reuerentia, in quo vitulorum & hircorum sanguis offerebatur, quid illi honoris habendum est, in quo populus sacratum Christi corpus assumit, & beatum sanguinis ipsius haustum, in quo sacrosancti latices veternas diluunt culpas?

Smaragdus Abbas. 970.

In Diademate Monachorum cap. 49. In veteri Testamento eo tempore tantùm, quo sacerdotes præsto erant altari, ab vxorum suarum se continebant concupitu: nunc autem quia quotidie corpus Domini aut conficiendum nobis est ad altare, aut sumendum, à carnali concubitu quotidie nobis est abstinendum.

Fulpertus Carnotensis. 1000.

Epistola ad Adeodatum: Christus quia corpus suum, quod semel pro nobis offerebat in pretium, paulo pòst à nostris visibus sublaturus fuerat in cælum, ne sublati corporis fraudaremur præsenti munimine, corporis nihilominus & sanguinis sui pignus salutare nobis reliquit, non inanis mysterij symbolum, sed compaginante Spiritu sancto corpus Christi verum, quod quotidiana veneratione sub visibili creaturæ forma inuisibiliter virtus secreta in sacris solennijs operatur. De quo sub hora passionis suæ ipse familiaribus suis ait: *Hoc est corpus meum*, & paulo pòst: *Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro vobis fundetur, &c.* Cùm verò in omni re sint erga nos inæstimabiles diuitiæ Dei, adeò vt maiestate abscondita corruptibile pro nobis corpus induerit, contumelijs & passionibus se subdiderit, quo opem ferret assumpto homini, quid indignum Deo iudicari potest, qui vterum Virginis subijt, si virgineis creaturis infunditur, quæ licet simplicis naturæ paulò ante præferant imaginem, postmodum cælestis ibi sanctificatione inspirata maiestas vera diffunditur, & quæ substantia panis & vini apparebat exterius, iam corpus Christi & sanguis fit interius, &c. Dubitari etenim nefas est, vt ad cuius nutum cuncta subitò ex nihilo substiterunt, si pari potentia in spiritalibus Sacramentis terrena materies naturæ & generis sui meritum transcendens in Christi substantiam commutetur, cùm ipse dicat: *Hoc est corpus meum*, & paulò pòst: *Hic est sanguis meus, &c.* Si Deum omnia posse credis, & hoc consequitur vt credas; nec humanis disputationibus discernere curiosius insistes, si creaturas, quas de nihilo potuit creare, hac ipsas multo magis valeat in excellentioris naturæ dignitatem conuertere, & in sui corporis substantiam transfundere.

Berno Abbas Augiensis. 1020.

Sermone de Natiuitate S. Mariæ: Dominus noster Iesus Christus est frumentum nostrum, cuius quotidie, licet indignè, non solùm pane, qui est vera eius caro, in sacro altari pascimur, verum etiam sanguine potamur.

Osbertus Cantuariensis. 1020.

Vita S. Dunstani cap. 44. Reuersus deinde ad altare, panem & vinum in corpus & sanguinem Iesu Christi immaculata benedictione conuertit. Vbi verò ad benedictionem super populum ventum est, iterum populo prædicaturus ab altari digreditur, & ebriatus Spiritu Dei, sic de veritate corporis Christi, sic de futura resurrectione, sic de vita perenni tractauit, vt ipsius perpetis vitæ ciuem loqui putares.

Glaber Rodolphus. 1045.

Lib. 5. *Histor.* Corporis & sanguinis Domini Iesu Christi viuificans confectio existimetur nullatenus in se pati dispendium aut casu aliquo incurrere periculum. Si quando autem videtur conlabi seu deperire per negligentiam sibi tractantium, restat ijsdem, si non alacriter pœnituerint, damnationis iudicium.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone de Maria Virginis Natali: Hic, dilectissimi fratres mei, hic rogo perpendite, Dei Genitrici quãtas illi post Deum de nostra redemptione gratias agere debeamus. Illud siquidem corpus Christi, quod beatissima Virgo genuit, quod in gremio fouit, quod fascijs cinxit, quod materna cura nutriuit, illud, inquam, absque vlla dubietate, non aliud, nunc de sacro altari percipimus, & eius sanguinem in Sacramentum nostræ redemptionis haurimus. Hoc Catholica fides habet, hoc sancta Ecclesia fideliter docet.

Sermone 2. de S. Ioanne Euangelista: *Cælum*, inquit ipse pius Iesus, *& terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Sicut enim dixit Matri: *Hic est Filius tuus*, ita dixit discipulis: *Hoc est corpus meum.* Et tantus fuit in illis verbis effectus, vt illicò panis ille, quem dabat, Dominicum fieret corpus. *Dixit enim, & omnia facta sunt: mandauit, & creata sunt.*

Theoduinus Leodiensis Episcop. 1050.

Epistola ad Henricum Gallorum Regem: Fama supremos Galliæ fines prætergressa, totam Germaniam peruasit, iamque omnium nostrum repleuit aures, qualiter Bruno Andegauensis Episcopus, item Berengarius Turonensis, antiquas hæreses modernis temporibus introducendo affirmant, corpus Domini in Eucharistia non tam corpus esse, quàm vmbram & figuram corporis Domini.

Radulphus Ardens. 1050.

Homilia in epistol. de Cœna Domini: Hæc est forma

verborum, quam dum sacerdos profert, sacerdos inuisibilis visibilem panem vertit in corpus suum.

Lanfrancus. 1050.

Aduersus Berengarium de corpore & sanguine Domini: Ecclesia Christi sic panem in carnem, vinum credit conuerti in sanguinem, vt tamen salubriter credat, & veraciter recognoscat, Sacramentum esse Dominicæ passionis, diuinæ propitiationis, concordiæ, & vnitatis, &c. Confitetur Ecclesia, toto terrarum orbe diffusa, panem & vinum ad sacrandum proponi in altari, sed inter sacrandum incomprehensibiliter & ineffabiliter in substantiam carnis & sanguinis commutari. Non tamen panem negat, imò confirmat: sed panem, *qui de cælo descendit, & dat vitam mundo*: panem, quem Ambrosius & Augustinus eisdem verbis vocant ἐπιούσιον, id est, supersubstantialem. Quia caro Christi omnibus creatis substantiis maior existit, omnes creaturas excellentissima dignitate præcellit, &c. Credimus igitur terrenas substantias, quæ in mensa Dominica per sacerdotale ministerium diuinitus sanctificantur, ineffabiliter, incomprehensibiliter, mirabiliter operante superna potentia, conuerti in essentiam Dominici corporis, reseruatis ipsarum rerum speciebus, & quibusdam alijs qualitatibus, ne percipientes cruda & cruenta horrerent, & vt credentes fidei præmia ampliora perciperent: ipso tamen Dominico corpore existente in cælestibus ad dexteram Patris immortali, inuiolato, integro, illæso, vt verè dici possit & ipsum corpus, quod de Virgine sumptum est, nos sumere & tamen non ipsum. Ipsum quidem quantum ad essentiam veræque naturæ proprietatem atque virtutem: non ipsum autem, si spectes panis vinique speciem, cæteraque superius comprehensa. Hanc fidem tenuit à priscis temporibus, & nunc tenet Ecclesia, quæ per totum diffusa orbem Catholica nominatur.

Adelmannus Brixiensis. 1050.

Epistola ad Berengarium: Qui dixit in principio: *Fiat lux, & facta est lux* de nihilo, non potuit dicendo de pane, *Hoc est corpus meum*, ita fieri efficere? Et qui tacita virtute aquam vertit in vinum, non efficacius poterat, (si quid tamen de Deo efficacius dici debet) sonante vocaliter eadem virtute, vinum ipsum in sanguinem suum transferre? Quòd si quos mouet, cur hoc Sacramentum non, videlicet transmutetur in speciem carnis & sanguinis, attendant
1 Cor. 5. Heb. 11. quod Apostolus ait: per fidem ambulamus, & non per speciem.

Hugo Lingonensis. 1050.

Epistola ad Berengarium: Dicis, nimis extensè loquens, in huiusmodi Sacramento corpus Christi sic esse, vt panis & vini natura & essentia non mutetur, corpusque, quod dixeras crucifixum, intellectuale constituis: in quo euidentissimè patet, quòd incorporeum confiteris. Qua in re vniuersalem Ecclesiam scandalizas, ipsumque tuum offendis auctorem, qui palpabile obtulit, quod incorporeum affirmas. Nam si panis & vini natura & essentia reali principalitate post consecrationem persistunt, translatum nihil potest intelligi, & si quod adiunctum est sola fit intellectus potentia, reuera non capitur, quomodo vel vnum vel idem fit, quod adhuc non ad hunc modum subsistit, &c. Sicut non capis quomodo *Verbum caro factum est*: sic non potes iterum capere quomodo panis iste mutetur in carnem, & vinum in sanguinem transformetur, nisi te docuerit omnipotentiæ fides.

Ioannes Micrologus. 1060.

De Ecclesiasticis obseruationibus cap. 10. Ita iuxta Romanum ordinem in altari componenda sunt, vt oblata in corporali posita, calix ad dextrum latus oblatæ ponatur, quasi sanguinem Domini suscepturus, quem de latere Dominico profluxisse credimus. Nam oblatam, siue panem in verum Christi corpus, sicut & vinum in sanguinem Dominicum conuerti non dubitamus.

Guitmundus Auersanus. 1060.

De veritate Eucharistiæ contra Berengarium libro 1. Tota hostia est corpus Christi, vt nihilominus vnaquæque particula separata sit totum Christi corpus: nec tamen tres particulæ separatæ sunt tria corpora, sed vnum corpus. Nam ipsæ etiam particulæ à se tanquam plures differunt: quia quod corporis totius vna est, hoc & cæteræ sunt. Itaque iam nec plures particulæ dicendæ sunt, sed vna potius hostia integra & indiuisa, licet officio sacerdotis videatur quasi diuidi, propter magnum mysterium, quod ita oportuit celebrari. Similiter etsi dentibus vel alio aliquo modo hæc frangi videntur, intelligimus non hæc frangi, quia nihil aliud in toto, quàm in qualibet veluti particula separata credimus contineri, &c. Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet in singulis. Propterea ipsi, qui summus communionem huius sancti panis & calicis vnum Christi corpus efficimur, &c. Idem quoque dicimus, etiamsi mille Missæ eodem tempore celebrentur. Nam ita in singulis totum credimus esse Christum, vt nec plures Christos, nec diuisum Christum faciat aut sacerdotum diuersitas, aut locorum, &c. Nunc contra illos habenda est ratio, qui Ecclesiæ rationibus expugnati, iam quidem negare nequeunt substantiam corporis Christi cibo inesse Dominico, panem tamen & vinum per verba Saluatoris in carnem eius & sanguinem verti nequaquam credentes, sed Christum pani & vino commiscentes, tanquam subtiliori ratione hæresin alteram condiderunt. Quos quidem alios dico, quasi alio errore detentos: nam alias idem sunt, &c. Cùm istæ causæ nihil valeant, nec alias ipsi afferant, quæ insania est, vt Christum, vt ita dixerim, sua auctoritate impanent, & inuinent? Et quidem Christum incarnari humanæ redemptionis ratio exposcebat, quod futurum Prophetæ prædixerunt, factum Christus ostendit, Apostoli prædicauerunt, mundus credidit. At impanari, vel inuinari Christum nulla expetit ratio, nec Prophetæ prædixerunt, nec Christus ostendit, nec Apostoli prædicauerunt, nec mundus, exceptis his paucissimis hæreticis, credidit. Vnde igitur eos malus error iste persuasit? Beatus sanè Ambrosius, libro de Sacramentis de his copiosè disserens, non in pane & vino corpus & sanguinem Domini latere, sed panem & vinum in corpus & sanguinem Domini commutari docuit. Hos impanatores suos ipse Dominus Iesus verbo oris sui interficit, cùm accipiens panem, gratiasque agens, & benedicens, ait: *Hoc est corpus meum.* Non ait: In hoc latet corpus meum. Nec dixit: In hoc vino est sanguis meus: sed dixit: *Hic est sanguis meus.*

Bruno Carthusianus. 1080.

In caput 11. prioris ad Corinthios: Accepit panem, id est, veram substantiam panis, & agens gratias Deo Patri de hoc, quia, sicut per eum disposuerat humanum genus redimebat, & in obedientia Patris perseuerabat. In his verbis, quibus Christus gratias egit Patri, dicitur substantia panis & vini apposita in altari transire in veram carnem & verum sanguinem Christi.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad caput 7. epistolæ ad Hebræos: Sacerdotes quotidie panem & vinum offerunt Deo pro salute fide-

lium:

lium: atque panis & vinum fiunt corpus & sanguis Christi, ac permanent in æternum, ita vt etiam vitam æternam dignè accipientibus conferant.

Ad cap. 10 Caro Christi, quam ex altari sumimus, idcirco velamen appellatur, quoniam sensibus nostris in Sacramento velatur. Nam sensus nostri aliud renuntiant, & aliud fides. Visus enim persuadet nobis esse solummodò panem secundùm panis speciem, fides autem insinuat esse carnem viuam & viuificatricem: gustus panem in sapore, auditus etiam illud idem in fractione, fides verò integrum Agnum à fidelibus sumi, sine aliqua ipsius læsione. Non enim sumimus carnem exanimem, sed consecratione & operatione diuina viuentem.

Anselmus Laudunensis. 1100.

In caput 11. *prioris ad Corinth.* Sciendum est, quòd in prolatione verborum illorum: *Hoc est corpus meum*, &: *Hic est calix sanguinis mei*, &c. mysterium cõsummatur, & panis in corpus Christi conuertitur. Nos incerta relinquentes, quod ex auctoritatibus certum est profitemur, scilicet substantiam panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Dominici conuerti: modum verò conuersionis nos ignorare non erubescimus fateri. Quæ autem remanent de priore substantia accidentia, scilicet color, sapor, forma, pondus, nec ipsum corpus Christi afficiunt, nec in eo fundantur. Si verò quæritur, vbi fundentur, dicimus nobis potius videri, quòd sint sine subiecto. Credere debemus panem & vinum, quæ Christus in Cœna discipulis dedit manducandum & bibendum, in verum corpus, & in verum sanguinem Christi ibidem conuersum, cùm prius panis verus, & vinum verum essent.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de conuenientia veteris & noui Testamenti: Offertur principaliter à ministris panis & vinum, in Christi corpus sacerdotali benedictione commutanda.

De excellentia sacrorum Ordinum: Dominus noster Iesus Christus post cœnam panem & vinum in corpus & sanguinem suum commutauit.

Epist. 233. In his specialiter intenditur, vt illa dona, quæ iam vocantur sacrificia in Christi corpus & sanguinem commutentur, vel commutata, salutaria nobis efficiantur.

Epistola 284. Quærit fraternitas tua, vtrum Dominus noster Iesus Christus in cœna, quam fecit cum discipulis ante passionem suam, dedit eis corpus suum passibile, cùm nos illud de mensa altaris accipiamus impassibile. Ad quam quæstionem si tibi respondeatur, discipulos Christi corpus tale accepisse, quale tunc erat, nos verò tale accipere, quale nunc est, non video quæ auctoritas contradicat, non video quæ rationis violenta me vrgeat: imò si aliter dicerem, repugnantem mihi viderem rationem & auctoritatem. Nam corpus illud, quod tunc discipulis suis Dominus commendabat, adhuc fuisse passurum, nemo est qui abnuat: sicut tu ex auctoritate Dominica in literis tuis posuisti. Hoc corpus, *quod pro vobis tradetur.* Passibile autem fuisse, quod passurum erat, quis denegit? Impassibile verò nunc esse, quod sumimus, tu ipse bene ex auctoritate Apostoli confirmasti, quòd *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur:* Quomodo enim si figulus daret mihi vas fictile ante fornacem crudum & infirmum, post fornacem verò redderet idem coctum & firmum, & humani vtilitati commodum, quam vtilitatem habere non posset, nisi coctum prius esset: sic Christi corpus ante passionem, quale erat, datum est discipulis passibile, quòd per passionem transiturum erat ad impassibilitatem. Nec cuiquam profuisset ad salutem infirmitas illa passibilis corporis, nisi subsecuta fuisset glorificatio impassibilis & immortalis, &c.

Algerus. 1100.

Libro 1. *de Sacramento cap.* 7. *quòd remanentibus qualitatibus suis, substantia panis & vini in verum corpus Christi mutetur:* Sed iterum, teste B. Ambrosio, vbi ait, sermonem Christi operatorium esse, vt panis & vinum sint quæ erant, & in melius commutentur, videntur astruere, vt sint substantialiter quæ erant, & in aliud mutentur. Quod tamen tolerabiliter dictum est, nisi à prauo interprete intolerabiliter exponatur. Si enim intelligatur, vt panis & vinum sint quæ erant, non secundùm substantiam; sed secundùm formam & cæteras suas qualitates ibidem remanentes, & secundùm substantiam in aliud mutentur: quamuis aliquantulum impropriè, tamen tolerabiliter & verè dictum erit. Quicquid enim mutatur in aliud, in aliquo definit esse quod fuerat, siue substantialiter, siue accidentaliter. Sed in pane & vino, cùm in corpus Christi mutantur, accidentia esse non desinunt: sed omnia remanent: ergo panis & vini substantia esse definit.

Cap. 8. Sacramentum panis & vini ita mutatur, vt substantialiter non sit quod ante fuerat: sed substantia eius corpus Christi fiat, forma vero remanens, ipsum significet & contineat. Hanc autem panis & vini substantiam ideo Christus in suo Sacramento remanere non voluit, ne si duæ substantiæ veritates, panis scilicet communis noster, & ipse viuus & verus panis in eodem Sacramento essent errorem gignerent veritatis, dum ibi esset, & ipse verus panis, quia vita æterna, & panis communis, suo modo verus, quia temporalis vitæ substantia. Facilius enim & certius creditur corpus Christi in illo Sacramento fieri & esse, vbi corporaliter non fuerat, non solùm pro Sacramento, sed & pro miraculo, dum ibi panis definit esse, quod fuerat.

Hildebertus Cenomanensis. 1109.

De Missæ mysterijs:

Non sine mysterio, sine re, vel panis ad aram,
Vel vinum fertur, cui superaddis aquam.
Vtraque danda Deo præsignauêre figura,
Traditio docuit, sanctior vsus habet.
Vtraque sub typico ritu formaq; futuri
Melchisedech Domino sacrificasse ferunt.
Vtraque discipulis cœnantibus ipse Redemptor
Tradidit in corpus vtraque versa suum.
Vsus & ipse placet, quo sic mactetur in imis,
Vt sit in excelsis inuiolata caro, &c.
Fit cibus hic ex pane caro, Deus ex elemento,
Mysterio simplex, vtilitate triplex:
Vtq; fide adsit, terrorq; recedat, & horror,
Fit cibus ipse caro, panis imago manet.

Zacharias Chrysopolitanus. 1100.

De Euangelica concordia lib. 4. Tria distingui oportet, quæ & sancti Doctores asserunt, & Ecclesia firmiter tenet. Vnum est, quòd panis & vinum per consecrationem vertuntur in verum corpus & sanguinem Christi. Sciendum est, quòd visibiles species panis & vini sensibus nostris subiacent, æquè post consecrationem, vt ante: oculis enim sine omni delusione cernimus & formam, & colorem, tam panis, quàm vini, gustu, & odoratu absque fallacia probamus saporem, tactu molle, vel durum: auribus fractionem percipimus. Tertium verò est, quia corpus Christi in humana forma, impassibili, incorruptibili localiter in cælo est. Tenet igitur Ecclesia corpus Domini localiter in cælo esse: tenet verò corpus

Domini, quod pependit in ligno, super altare esse.

Odo Cameracensis. 1110.

In Canonem Missæ: *Gratias agens benedixit*, id est, corpus suum fecit quod prius erat panis, benedictione factus est caro, modo caro, iam non panis. O miraculum! frangebatur inter digitos, sedens incolumis inter discipulos: erat integer, & diuidebatur in partes: in manibus tenebat seipsum, & de manibus porrigebat discipulis se edendum. Sic nos quotidie Christum in altari consumimus, & permanet: manducamus, & viuit: atterimus dentibus, & integer est. Consumimus, manducamus, & atterimus, non tantùm specie, sed & re: non solùm forma, sed & substantia, & miro modo consumitur permanens, atteritur incorruptus, distribuitur indiuisus, sicut post resurrectionem palpandum præbuit spirituale corpus, cùm simili contrarietate non sit palpabile, quod est spirituale, nec sit spirituale, quod est palpabile. In specie enim & sapore panis & vini manducamus & bibimus ipsam substantiam corporis & sanguinis, sub iisdem qualitatibus mutata substantia, vt sub figura & sapore substantiæ prioris facta sit vera substantia Christi corporis & sanguinis.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De sancti Spiritus operibus lib. 3. Panem communem accepit Christus, sed benedicendo longè in aliud, quàm fuerat, transmutauit, vt veraciter diceret sic: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Item vini substantiam accepit, sed itidem gratias agendo, vel benedicendo, sic in aliud vertit, vt diceret Veritas, quæ non mentitur: *Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur.* Sed non videtur oculis carnis, non sentitur gustu oris, quòd panis ille caro Christi factus sit, quod vinum illud in sanguinem versum sit. Nimirum si videretur color, aut sentiretur sapor carnis & sanguinis humani, homini non plus salutis, sed plurimum afferret horroris. Sic ergo est corpus, vel caro & sanguis Christi, quomodo esse vel ad visum nostrum conuenit, & ad salutem nostram sufficit.

Ad caput 6. Ioannis: Credamus fideli Saluatori Deo in eo, quod non videmus, scilicet panem & vinum in veram corporis & sanguinis transiisse substantiam, & comedentes atq; bibentes viuamus in æternum.

Hugo Folietinus. 1120.

De Claustro animæ lib. 2. *cap. vltimo, de irreuerentia iuxta altare*: Licet ablutis manibus, lota facie, albis vestibus indutus accedam altare, tamen peruersus opere, ore pollutus, immundus corde Christi corpus meis non pertimesco manibus tractare. Accedo ad humilem elatus, iratus ad mitem, crudelis ad misericordem: & tamen patitur humilis elatum, mitis iratum, crudelem misericors. Accedo seruus ad Dominum, non amore, sed timore, non deuotione, sed vsu. Accedo ad Dominum, cuius percussi seruum: ad Patrem accedo, cuius occidi Filium. In altari illum eundem conspicio, quem Simeon suscipiens in manibus, gratias agens benedixit in templo. Bonum est Saluatorem puerum portare in manibus, & fructum salutis habere in operibus, &c. Tria sunt sacrificij genera: vnum Dominici corporis, alterum contriti cordis, tertium mortificatæ carnis. Oportet igitur præcedere sacrificium humilitatis in mente, afflictionis in carne, vt habeatur deuotio in Dominici corporis consecratione.

Hugo Victorinus. 1120.

Libro secundo de Sacramentis parte 8. cap. septimo: Videtur species panis & vini, & substantia panis & vini non creditur: creditur autem substantia corporis & sanguinis Christi, & tamen species non cernitur.

Cap. 9. Per verba sanctificationis vera panis & vera vini substantia in verum corpus & verum sanguinem Christi conuertitur, sola specie panis & vini remanente, & substantia in substantiam transeunte. Conuersio autem ipsa non secundùm vnionem, sed secundùm transitionem credenda est: quoniam nequaquam essentia essentiæ in augmentum accedit, vt per id, quod accedit, vnum fiat: nec sic in pane corpus Christi consecrari dicimus, vt de pane corpus Christi esse accipiat: nec quasi nouum corpus subitò factum de mutata essentia, sed in ipsum corpus verum mutatam essentiam. Nec ipsam substantiam panis & vini in nihilum redactam, quia desiit esse, quod fuit: sed mutatam potius, quia cœpit esse aliud, quod non fuit, & ipsum, quod cœpit esse, ex eo esse non accepit, quia panis fuit, sed ipsa eius esse accepit, quando desiit esse, quod fuit.

Bernardus. 1130.

Sermone de Cœna Domini: Hostia, quam vides, non jam est panis, sed caro mea, quæ pependit in cruce, pro mundi vita. Sanè mutatio ista benedictionis opus est, non originis: virtus hæc facit: non vsus: effectus est potentiæ, non vsus naturæ. Similiter liquor iste, quem vides, non iam est vinum, sed sanguis meus, quem pro te fudi in pretium, tibi reseruans in altari poculum, in peregrinatione tua præsidium, in exitu ex Aegypto conductum in cælo viaticum, &c. Odor, species, sapor, pondus remanent ad mysterij ritum, & ad gustus suffragium, vt horror penitus tollatur, & meritum sortiatur. Etenim ne humana infirmitas esum carnis, & potum sanguinis in sumptione horreret, Christus velari, & palliari illa duo voluit speciebus panis & vini, quæ inter humani generis victualia quodammodo tenent principatum.

In vita Malachiæ: Fuit quidam clericus in Lesmor, probabilis, vt fertur, vitæ, sed fidei non ita. Is sciolis in oculis suis præsumpsit dicere, in Eucharistia esse tantummodò Sacramentum, & non corporis veritatem. Super quo à Malachia secretò & sæpe vocatus ad medium est, seorsum tamen à laicis, vt si fieri posset, sanaretur, &c.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4 *dist.* 11 Post consecrationem ergo non est ibi substantia panis vel vini, licet species remaneant. Est enim species panis & vini, sicut & sapor, &c. Sacerdotes dicuntur conficere corpus Christi & sanguinem: quia eorum ministerio substantia panis fit caro, & substantia vini fit sanguis Christi, nec tamen aliquid additur corpori vel sanguini, nec augetur corpus vel sanguis Christi.

Petrus Cluniacensis. 1140.

Epistola contra Petrobrusianos: Vide igitur quisquis in Sacramento Ecclesiæ panem in Christi carnem, vinum in eius mutari sanguinem, aut non credis, aut dubitas: quia vel de voluntate eius, vel de potentia, vel de vtroque diffidis. Nulla enim alia res te vel ad non credendum, vel ad dubitandum impellit. Aut enim voluit, & non potuit, aut potuit, & non voluit, aut neque voluit, neque potuit. Sed quod voluerit, si Euangelio credis, dubitare non potes. Nam in sui memoriam hoc fieri non præciperet, si hoc fieri noluisset. Quòd verò potuerit, si Prophetæ credis, certum tenebis. Nam si *omnia quæcunque voluit fecit*, vtique & hoc, quia voluit, fecit. Voluit ergo, & potuit, vt panis in carnem suam, & vinum conuertatur in sanguinem. Et quia voluit, & potuit, idcircò & fecit. Si enim Deus est omnipotens, & Christus

est De-

est Deus, sequitur quia ad conuertendum panem in corpus suum, & vinum in sanguinem suum omnimodè, sicut & ad vniuersa, potens est.

Hildegardis. 1150.

De corpore & sanguine Christi fol.108. Virtus Altissimi, quæ in vtero Virginis carnem operata est, super altare ad verba sacerdotis oblationem panis & vini in Sacramentum carnis & sanguinis conuertit, virtute sua illud fouens.

Epistola ad Moguntinenses: In eadem virtute altissimi Dei oblatio panis cum vino & aqua in carnem & sanguinem Saluatoris, quam de Maria Virgine assumpsit, ad verba sacerdotis transsubstantialiter, quemadmodum lignum in ardentem carbonem per ardorem ignis, mutatur.

Sugerius. 1150.

De vita Ludoici Grossi. Hanc sacratissimam corporis Eucharistiam illud idem credamus corpus, quod assumptum est de Virgine, quod discipulis suis ad confœderandum, & vniendum, & in se commanendum contradidit: hunc sacratissimum sanguinem illum eundem, qui de latere eius in cruce pendentis defluxit, & firmissimè credimus, & ore & corde confitemur.

Petrus Cellensis. 1160.

Libro de Panibus cap.1. Est autem mensa altaris, vbi veritate corporis & sanguinis Christi existente, sed sub specie visibilis panis & vini latente, memoria Dominicæ passionis, cum effectu nostræ redemptionis, si adsit integritas fidei, quotidie tam vtiliter, quàm fideliter recolitur, &c. Veraciter quod de Virgine sumptum est corpus immaculatum, quod in cruce sub Pontio Pilato à Iudæis clamantibus, *crucifige, crucifige*, & à Gentilium militibus appensum est, & immolatum, manu sacerdotali contrectatur, & vi verborum Christi conficitur, & fidelibus populis traditur, mediantibus quidem pristinis & consuetis speciebus panis & vini, carnem veram, & verum sanguinem Christi percipimus.

Guntherus. 1170.

De gestis Friderici libro 3.

Iamq; dies aderat, qua Christus mystica Cœna
Discipulis statuens conuiuia, corporis esu
Ipse sui, potuq; sacri satiare cruoris,
Post agni carnes, prisca libamina legis,
Nos voluit, veram laticisq; figuram
Prætendens oculis, sed certè pabula vitæ
Sensibus infundens, cùm iam cessante vetusti
More sacri, noua iura nouus statuisse sacerdos
Creditur altaris, quæ tradita primitus vno,
Ac suscepta modo, tenet Ecclesiasticus ordo.

Petrus de Riga. 1170.

In Aurora:

In Cœna panem Iesus accepit, benedixit
Acceptum, fregit, discipulisq; dedit,
Dicens: Accipite, gustate fideliter, Hoc est
Quippe meum corpus, panis imago manet.
Accipiens calicem, grates egit, benedixit,
Dicens: Ex isto quisque liquore bibat.
Ille noui Testamenti sanguis meus extat, &c.
Verborum virtus agit, vt transumptio fiat:
Panis cum vino fit caro, fitq; cruor.
Dum Dominus profert hæc verba duo sacra, panis
Fit corpus, vinum sanguis ad illa duo.
Et verbis illis tunc vini concessit eandem,
Vt sic posteritas verba per illa sacret.

Guerricus Igniacensis. 1180.

Sermone 5. de Purificatione Mariæ: Tales oportet nos esse, cùm corpus Christi consecramus, cùm consecratum manducantes sacrificamus, cùm vobis idem corpus in salutem corporis & animæ porrigimus: tales enim vos esse oportet, cùm sacrum Sacramentum de manibus nostris accipitis, scientes quòd *qui corpus Christi indignè accipit, & sanguinem eius indignè bibit, iudicium sibi manducat & bibit.*

Innocentius Tertius. 1200.

Mysteriorum Missæ lib.4. cap.17. Si ad prolationem istorum verborum: *Hoc est corpus meum*, panis mutatur in corpus, & ad prolationem istorum verborum: *Hic est sanguis meus*, vinum mutatur in sanguinem, prius proferantur ista verba, quàm illa. Prius ergo mutatur panis in corpus, quàm vinum in sanguinem. Nunquid igitur corpus est sine sanguine, vel sanguis sine corpore? Propterea dicitur à quibusdam, quòd cùm totum est dictum, totum est factum, nolentes, vel non valentes ipsius conuersionis determinare momentum. Alij verò dicunt, & bene, quòd licet ad prolationem præcedentium panis à natura mutetur in corpus, & ad prolationem sequentium vinum præterea mutetur in sanguinem, nunquam tamen est corpus sine sanguine, vel sanguis est sine corpore, sicut neutrum est sine anima, sed sub forma panis sanguis existit in corpore per mutationem panis in corpus, & è conuerso. Non quòd panis in sanguinem, vel vinum mutetur in corpus: sed quia neutrum potest existere sine reliquo. Est ergo sanguis sub speciebus panis, non ex vi Sacramenti, sed ex naturali concomitantia.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap. 1. Christi corpus & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continetur, transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate diuina, vel ad percipiendū mysterium vnitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Feria quinta de Cœna Domini, Themate ex epistola sumpto: Sub speciebus panis & vini corpus & sanguis sumitur, vt per hoc significetur, quòd Christo debeant incorporari, & esse de vnitate Ecclesiæ, & charitatem habere, qui ad tantum Sacramentum volunt accedere, alioquin qui aliter accedit, iudicium sibi manducat & bibit. Facta autem transsubstantiatione, licet formæ sensibiles panis & vini remaneant, scilicet color, sapor, forma, seu rotunditas, figura, & quantitas, & alia huiusmodi: substantiæ tamen panis & vini non remanent. Nisi enim remanerent formæ exteriores, non possemus videre vel palpare Christi corpus, quod est glorificatum & subtile. Potuit tamen Dominus corpus suum & sanguinem sub speciebus carnis & sanguinis ministrare & sumenda instituere: sed noluit, multiplici ratione. Primò, vt fides haberet meritum, cui humana ratio non præberet experimentum, dum aliud ibi cernit oculus, & aliud credit animus, &c.

Cæsarius Heisterbachius. 1220.

Lib. 9. cap. 1. Forma huius Sacramenti attenditur in verbis & in rebus. In verbis: quia cùm hæc verba proferuntur: *Hoc est enim corpus meum.* Et post: *Hic est sanguis meus*, conuersio fit panis & vini in corpus & sanguinem Christi, &c. Modus conuersionis est ineffabilis. Panis, vt dictum est, cùm hæc verba proferuntur: *Hoc est corpus suum.* Dei virtute, per ministerium sacerdotis, transit in corpus Christi: simile intelligas de vino, manentibus tamen accidentibus, colore scilicet, pondere, & sapore.

Franciscus Assisias. 1220.

Admonitione ad fratres: Qui vident Sacramentum, quod sanctificatur per verba Domini super altare, per manum sacerdotis in forma panis & vini, & non vident, & credunt secundùm spiritum, & diuinitatem, quòd sit veraciter corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi, damnati sunt, ipso Altissimo attestante, qui ait: *Hoc est corpus meum*, &c. Nos videntes panem & vinum oculis corporeis, videmus & credimus firmiter eius sanctissimum corpus & sanguinem viuum esse & verum.

Gregorius Nonus. 1225.

Lib. 1. Decretalium cap. 1. Vna est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus homo saluatur. In qua idem ipse sacerdos est & sacrificium Iesus Christus: cuius corpus & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continetur, transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem, potestate diuina, vt ad perficiendum mysterium vnitatis, accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro. Et hoc vtique Sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus: secundum claues Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, eorumq; successoribus Iesus Christus.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Sacramento Eucharistiæ cap. 1. Pia ac veridica fides in isto Sacramento tenet & prędicat, videlicet quòd panis materialis atque visibilis aduenienti pani viuifico, velut Creatori honorem deferens, locum suum relinquit, & formam visibilem sacramentali seruitio & mysterio ipsius: & hæc est intentio verbi Transsubstantiationis: transitus scilicet substantiæ panis materialis atque visibilis ad aduentum viuifici panis, saluata forma, id est, varietate accidentium ad ministerium Sacramenti. Non enim potest dici generatio viuifici panis ibi fieri, cùm eius forma substantialis ibi non maneat, immò esse desinat: neque corruptio panis materialis, cùm prius esset illæsus & integer. Et materia ipsius formam panis vitæ non inducat, neque materia ipsius panis vitæ addatur vllatenus, vel accrescat. Si enim alterutrum horum esset, non effugeremus vllatenus, quin generatio eius fieret, quæ est acquisitio formæ substantialis in priori materia, aut incrementum eiusdem, quod non est nisi acquisitio materiæ in priori forma. Cùm autem in verbis Sanctorum legitur, quòd iste panis sit corpus Christi, vel conuertitur in ipsum, ad intellectum, & intentionem, quam diximus Transsubstantiationem, referendum est.

Ioannes Parisiensis. 1230.

Tractatu in VValramum Episcopum: Qui sic adhæret vni modo defendendi veritatem, vt omnem alium modum abijciat, veritati facit præiudicium. At ego dico, sed quisquis alio modo, quàm veritatis in veritatem quærit assurgere, ille facit præiudicium veritati. Qui enim vult assentiri Deum Patrem Filium generare perennem per modum generationis nostræ & decisionis ex carne, articulo diuinæ geniture præiudicat, & non proficit illi, quod credit: ita qui credit carnem Christi substantialiter existere in Sacramento, veritatem credit: sed qui crediderit illam impanatam, & per illum impanationis modum ibi existere, quia falso modo verum credit, nihil credit, & sanctæ communionis articulum afficit detrimento.

Innocentius Quartus. 1240.

In apparatu super Decretales: Licet tantùm panis transsubstantietur in corpus, & vinum in sanguinem: tamen sub vtraque specie Christus integer est. Non enim corpus sine sanguine & anima, nec sanguis sine corpore & anima.

Alexander Alesius. 1240.

Parte quarta, quæst. decima, articul. 3. membr. 5. §. 1. Est autem multiplex ratio, quare congruit quòd panis conuertatur in corpus Christi, & non maneat simul sub signo cum corpore Christi. Vna ratio est, idololatriæ euitatio: si enim sub Sacramento maneret panis, fortasse quoque adoraretur indistinctè cum Domino. Alia est, efficacior deductio ad ipsum Christum comprehendendum: species enim panis, quæ modò deducit immediatè ad Dominum Christum comprehendendum & venerandum, tunc mediatè deduceret: quia primò deduceret ad comprehensionem panis, & post ad comprehensionem Domini. Alia est, spiritualior refectio: modò illa refectio est spiritualis omnino, tunc esset in parte carnalis: quia tunc cibus carnalis assumeretur, & non solùm spiritualis. Alia est, veritatis insinuatio, scilicet, vt credatur quòd sit tantùm cibus animæ, non corporis, & quòd hoc cibo fit vnio spiritualis, non corporalis.

Albertus Magnus. 1240.

Libro de mysterijs Missæ: *Benedixit, & fregit.)* Postquam panem in corpus suum transsubstantiauit. *Hoc est corpus meum.)* Forma est Sacramenti, qua omnis sacerdos deinceps debuit vti, vt continetur Matthæi vigesimosexto, & Marc. decimoquarto. In hanc enim formam Verbum increatum descendit in verbum creatum, & sua inuisibili potentia operatur transsubstantiationem panis in corpus Christi.

Thomas Aquinas. 1250.

In Sequentia Festi Corporis Christi:

Docti sacris institutis, panem & vinum in salutis consecramus hostiam.

Dogma datur Christianis, quòd in carnem transit panis, & vinum in sanguinem.

Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem.

Sub diuersis speciebus, signis tantùm, & non rebus, latent res eximiæ.

Caro cibus, sanguis potus, manet Christus tamen totus sub vtraque specie.

A sumente non concisus, non confractus, non diuisus, integer accipitur.

Sumit vnus, sumunt mille, quantum isti, tantum ille, nec sumptus absumitur.

Fracto demum Sacramento, ne vacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.

Nulla rei fit scissura, signi tantùm fit fractura, qua nec status, nec statura signati minuitur.

Bonauentura. 1260.

Parte 6. Breuiloquij cap. 9. De Sacramento Eucharistiæ hoc tenendum est, quòd in Sacramento verum Christi corpus, & verus sanguis, non tantùm significatur, verùm etiam veraciter continetur sub duplici specie panis scilicet, & vini, tamquam sub vno, & non sub duplici Sacramento. Hoc autem est post consecrationem sacerdotalem, quæ fit in prolatione vocalis formæ, à Domino institutæ super panem, scilicet: *Hoc est corpus meum:* super vinum verò: *Hic est calix sanguinis mei.* Quibus verbis cum intentione conficiendi à sacerdote prolatis, transsubstantiatur vtrumque elementum secundùm substantiam in corpus & sanguinem Iesu Christi, remanentibus speciebus sensibilibus, in quarum vtraque continetur totus, non circumscriptibiliter, nec localiter, sed Sacramentaliter totus Christus.

Matthæus Parisius. 1270.

In Historia Anglicana de anno 1087. Eodem anno Berengarius Turonensis prolabitur in hæreticam prauitatem. Hic panem & vinum in altari posita, post consecrationem sacerdotis, verum & substantiale corpus Domini esse, sicut sancta & vniuersalis Domini Ecclesia prædicat, denegabat. Imprimis autem afficiebatur omnis Gallia eius doctrina. Siquidem per egenos Scholares, quos quotidianis stipendijs sustentabat, eandem passim diuulgabat. Vnde Leo Papa, qui Victori successerat, soliditati Ecclesiæ Catholicæ prouidens, Vercellis Concilium statuit contra ipsum: vbi tenebras nebulosi erroris eius Euangeliorum fulgore detexit. Sed licet primum iuuentutis calorem aliquarum hæreseon defensione infamauerit, æuo maturiore tamē ita resipuit, vt citra controuersiam à quibusdam Sanctus habeatur: vtpote in multis operibus bonis, & maxima humilitate, & eleemosynarum largitionibus approbatus.

Guilhelmus Durandus. 1280.

In Rationali diuinorum lib. 4. *cap.* 4. Christus virtute diuina nobis occulta primò confecit Sacramentum, & postea formam expressit, sub qua posteri benedicunt. Ipse namque virtute propria benedixit: nos verò ex illa virtute, quam indidit verbis. Cùm ergo sacerdos illa Christi verba pronuntiat: *Hoc est corpus meum*, & : *Hic est sanguis meus*, panis & vinum in carnem & sanguinem conuertuntur illa verbi virtute, qua *Verbum caro factum habitauit in nobis*: qua *dixit, & facta sunt: mandauit & creata sunt*: qua fœminam mutauit in statuam, & virgam conuertit in colubrum: qua fontes mutauit in sanguinem, & aquam conuertit in vinum Nam si verbum Heliæ potuit ignem de cælo deponere, nonne verbum Christi poterit panem in carnem mutare? Certè maius est de nihilo creare quod nō est, quàm quod est in aliud transmutare.

Angela de Fulgineo. 1300.

Via, qua possimus sequi vestigia Saluatoris nostri cap. 67. Antiquum est hoc Sacramentum, quantum ad figuram: nouum, quantum ad exhibitionem, & veritatem ipsius Sacramenti. in quo creatura recipit magnam nouitatem: quia bene scimus, & per fidem tenemus, sine aliqua dubitatione, quòd ille panis, & id vinum per diuinam potentiam infinitam, ad illa sanctissima verba ordinata, quæ dixit Christus ordinatur Deus humanatus, & quæ debet dicere, & dicit sacerdos eius minister, substantialiter fit Christus, ita quòd illa substantia panis & vini transubstantiatur, & fit corpus Christi, & Christus Deus & homo est in illo mysterio consecrato, remanente colore, & sapore, & virtute, & forma, & modo, & tota qualitate ipsius panis & vini, non ipso, sed per diuinam potentiam supra eorum propriam naturam in seipsis. Hic enim est color in seipso, & sapor in seipso, & forma in seipsa, & qualitas in seipsa. Vnde grandis est ista nouitas in vnitate, quam facit diuina sapientia sua summa charitate, & infinita potestate, & summa bonitate, quam facit Creator in sua creatura.

Albertus Patauinus. 1300.

Sermone 245. Exprimit huius alimenti dignitatem, & excellentiam, dicens: *Hoc*, quod accipitis: hoc, quod manducatis, *est corpus meum*, & credit, quòd dicendo, *Hoc est corpus meum*, ipse, qui mentiri non potest, quæcunque dixit, & facta sunt, panem conuertit in corpus suum. Vbi aduertendum, quòd si Iesus acceptum panem manibus conuertit in corpus suum, patet quòd corpus proprium ipse tenebat in manibus.

Sermone 246. Catholica sententia est, quòd substantia panis & vini non manet in hoc Sacramento, sed transit in substantiam corporis & sanguinis: manet tamen priora accidentia panis & vini, scilicet quantitas, figura, color, pondus, durities, mollities: etiam odor, sapor, atque cætera accidentia. Vnde Augustinus epistola ad Irenæum: Sub speciebus, inquit, panis & vini Christi corpus & sanguinem sumimus. Transit ergo substantia in substantiam, prioribus manentibus accidentibus.

Durandus à Sancto Portiano. 1320.

Ad lib. 4. *Sentent. dist.* 10. *quæst.* 1. A principio Ecclesiæ fuit articulus fidei ab omnibus confessus, quòd verum corpus Christi esset realiter in hoc Sacramento, & non figuratiuè, nec sicut in signo tantùm, nec per solam communicationem idiomatum.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad caput 26. *Matth.* Istud Sacramentum sub duplici specie institutum est, scilicet panis & vini: quia panis conuertitur in corpus, & vinum in sanguinem. Et istæ conuersiones fiunt separatim: quia Christi sanguis fuit separatus à corpore, vel à carne in passione. Hoc autem Sacramentum institutum est quasi quoddam memoriale illius passionis. Et ideo consecratio carnis & sanguinis fit sub speciebus distinctis. Considerandum etiam, quòd sub vtraque specie est totus Christus. Quia sub specie panis est totum corpus ex vi conuersionis vel Sacramenti: Sanguis autem, & anima, & diuinitas sunt ibi ex concomitantia naturali & inseparabili. Similiter sub specie vini sanguis est tantùm ibi ex vi Sacramenti, cætera ex concomitantia.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi part. 2. *cap.* 56. Multa mirabilia sunt in hoc Sacramento. Primum, quòd ibi est corpus Christi in tanta quantitate, sicut fuit in cruce, & sicut iam est in cælo, nec tamen excedit illius paruæ formæ terminos, vel quantitatem. Vnde mirum est, quomodo tam modica specie tantus homo lateat. Secundum est, quòd ibi sunt accidentia sine subiecto. Tertium est, quòd panis ita conuertitur in corpus Christi, quod tamen non est materia corporis, nec etiam animæ. Quartum est, quòd corpus non augetur ex multarum hostiarum consecratione, & è conuerso non minuitur ex earum sumptione. Quintum est, quòd idem corpus simul in pluribus locis, id est, sub omnibus hostijs consecratis est. Deo enim conuenit esse vbique simpliciter & propriè: creaturæ verò in loco tantùm esse: corpus verò Christi medio modo habet se. Cùm enim sit creatura, non habet coæquari Creatori in hoc, quòd sit vbique: cùm verò sit vnitum diuinitati, debet in hoc alia corpora excellere, vt simul & semel possit in pluribus locis esse, sub isto videlicet Sacramento. Sextum est, quòd cùm diuiditur hostia, non diuiditur Christi corpus: sed sub qualibet parte totus est Christus. Vnde hæc fractura in forma est panis, non in Christi corpore. Quia totus Christus indiuisus sumitur sub qualibet parte: sicut in integro speculo fit vnius & eiusdem formæ numero, & totius integræ formæ ad quamlibet speculi fracturam reflexio.

Aluarus Pelagius. 1330.

De planctu Ecclesiæ lib. 2. *cap.* 52. Videndo corpus Christi, vident per fidem diuinitatem eius, quæ coniuncta est carni Christi. Quamquam ipsum in hoc altissimo Sacramento corporaliter videmus sub illis visibilibus speciebus latentem, si veraciter in ipsum credimus.

Iacobus Lausannensis Dominicanus. 1340.

Sermone 1. *de Cœna Domini*: Nulla res creata potest vnam

test vnam substantiam in aliam permutare, nisi cum tempore & successione. Hic autem panis subitò in corpus Christi transsubstantiatur, propter quod hoc fit virtute diuina, quæ verbis Sacramentalibus talem virtutem indidit.

Nicolaus Gorranus. 1340.

Sermone 1. de Cœna Domini: *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator*, antiquitus dixit Isaias. Verbum propositum, sed his diebus præcipuè videtur impletum. Nam cùm esset præsens sub specie panis & vini, non videbatur: cùm esset omnipotens, occidebatur: cùm esset immensus, sepeliebatur. Ergo verè absconditus quoad præsentiam corporalem in Sacramento.

Ioannes Taulerus. 1350.

Dominica 7 post Trinitatis: Dum anima fidelis fideliter secum cogitat, in hoc dignissimo Sacramento præsentia adesse illius corpus, sanguinem, & animam, diuinitati vnita, qui per diuinam præsentiam suam cælum, & cuncta, quæ in eis sunt, implet, meritò consolatoria sæpe fiducia & omni pace repleri potest.

Thomas Argentinensis. 1360.

Lib. 4. Sent. dist. 10. q. 2. art. 1. Corpus Christi sub speciebus panis continetur realiter continentia præsentiali.

Art. 2. Licet ex vi Sacramentalium verborum principaliter sub specie hostiæ sit substantia corporis Christi, in quam conuertitur substantia ipsius panis: tamen concomitanter est ibi anima, & quantitas, & cætera accidentia, sine quibus non habet esse corpus Christi.

Catharina Senensis. 1370.

Tractatu 2. cap. 78. Ego sum eis lectus, atque mensa. Verbum verè dulce, omni suauitate plenum, est eis cibus: tum quia cibum animarum gestant in isto glorioso Verbo, tum quia vobis à me datus est in cibum, dum videlicet in altari recipitis in venerabili Sacramento carnem, & sanguinem eius, in quo Deus & homo verissimè continetur.

Tractatu 3. cap. 110. Totam diuinam essentiam in hoc venerabili Sacramento recipitis sub albedine panis illius. Et sicut non potest diuidi solita diuidi non valet in hac albedine panis, vel hostiæ totus Deus, atque totus homo: quamuis in mille diuideretur particulas hostia, si possibile foret, sub qualibet particula totus Deus, & totus homo contineretur.

Ioannes Rusbrochius. 1380.

In Speculo æternæ salutis cap. 7. Materia est panis & vinum, Forma autem Domini verba, quibus ait: *Hoc est corpus meum*, & : *Hic est sanguis meus*. Cùm enim diceret: *Hoc est corpus meum*, panis substantiam in sui corporis substantiam conuertit, non quòd panis rediret in nihilum, sed in ipsius Domini corpus transiret; non nouum corpus, sed illud idem, quod assidebat mensæ, quod cum discipulis suis edebat, hoc ipsum, inquam, corpus etiam Sacramento discipulis suis coram exhibuit.

Ioannes Bromiardus. 1386.

In Summa Concionatorum capite de Eucharistia, articulo 1. Infidelibus mirabile videtur, quomodo natura panis & vini potest conuerti in carnem & sanguinem Christi, per verba à sacerdote dicta: sed hoc eis mirabile esse non deberet, si alia non solùm Dei, sed etiam inferioris naturæ opera considerarent. Virtute enim solis, & planetarum, & elementorum, natura humorum, quæ est circa vinearum radices, conuertitur in vinum; & virtute naturæ humanæ panis & potus conuertitur in naturam carnis, & sanguinis humani. Qui ergo ista vident, & concedunt, quare etiam à fortiori ratione non fatentur, quòd virtute potentiæ ipsius Dei infinitæ natura panis & vini conuerti possit in naturam Christi? Ex quo enim virtutem inferiorem & finitam hanc mutationem facere posse concedunt per potentiam naturalem, quam Deus eis dedit: necessariò sequi videtur, quòd concedant, quòd Deus virtute infinita naturas mutare possit, qui non tantum aliis dedit potentiam, quin plus sibi reseruauit. Illa ergo mutatio non fit virtute sacerdotis, sed virtute verborum Dei, qui teste Psalm. 32. *Dixit, & facta sunt.* Qui ergo verbo suo omnia fecit de nihilo, potest etiam verbo suo vnam mutare naturam in aliam, dicendo: *Hoc est corpus meum.*

Thomas VValdensis. 1410.

Tomo 2. de Eucharistiæ Sacramento capite 21. Sacramentum Eucharistiæ est inuisibilis gratia, corpus & sanguis Christi secundùm suam substantiam sub visibili forma panis & vini.

Concilium Constantiense. 1415.

Sessione 1. Firmissimè credendum est, & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis, quàm sub specie vini veraciter contineri.

Ioannes Gerson. 1420.

Sermone de Cœna Domini: Si miraris, quo pacto panis transsubstantietur in verum Christi corpus, considera quomodo panis materialis & vinum conuertitur in stomacho tuo partim in carnem, partim in sanguinem, partim in ossa, partim in neruos, partim in medullam, partim in crines, partim in vngues: quomodo petræ durissimæ conuertuntur etiam in ventre columbarum, & ferrum in struthiocamelo: denique cinis mutatur in vitrum, ouum in pauonem, parua glans in tam magnam quercum. Mille, & mille tales sunt mutationes, de quibus non scitur alia ratio, nisi quòd videntur ad oculum. Quare ergo Dominus noster non potest aliqua, quæ non possumus nos percipere?

Raymundus Sebundius. 1430.

In Viola animæ cap. 72. Si potuit Deus verbo naturam creare, quare non poterit naturam, cùm voluerit, verbo traducere? Numquid erit infirmior sermo Christi transmutando naturam, quàm creando? Vt autem noueris, quòd Christi verba id realiter efficiunt quod dicunt, his rationibus poteris edoceri. Prima ratio, Omnino necesse est, quòd verba Creatoris ascendant vnum gradum supra verba creati hominis: sed hominis verba semper significant aliquid. Ergo Dei hominis verba, vltra id, quod significant, etiam faciunt, quod dicunt. Secunda, si creatura habet virtutem transmutandi in se aliam creaturam, (nam caro humana mutat panem in suam substantiam,) multo magis verba Christi sua virtute panem in altari vertunt in suam carnem, & vinum in sanguinem.

Laurentius Iustinianus. 1440.

De triumphali Christi agone cap. 4. Comedunt Apostoli, atque de Verbi manibus suscipiunt, non vitulorum, non hircorum carnes, seu azymos panes, pro vt accidentia illa protendebant oculis, naribus insinuabant, ac manibus palpanda suadebant, sed reuera corpus Christi verum: quod de Maria Virgine per Spiritum sanctum conceptum fuit, & natum: quod loquebatur, videbatur, tangebatur: quod nimirum in cruce pependit, expirauitque. Non denique similitudinem illius, neque aliud, sed ipsum verissimum, idem in quantitate, in substantia, in identitate, ex anima & carne constitutum, vnitum Verbo, humanisque membris compositum atque perfectum, sub di-

uerfis quidem opertum fpeciebus, fed nullum ex illis patiens diuinitatis feu humanitatis detrimentum, neque diuifum ex multarum numero hoftiarum, aut in maiori maius, fiue in minori minus fed vnum idemq; in fingulis locis & hoftijs, non prorfus Angelico minifterio, fed diuina confecratum virtute.

Concilium Florentinum. 1439.

Seßione 25. Hoc facro vniuerfali approbante Florentino Concilio definiuimus, vt hæc fidei veritas ab omnibus Chriftianis credatur, & fufcipiatur, in azymo fiue fermentato pane triticeo corpus Chrifti veraciter confici, &c. Sacerdos in perfona Chrifti veraciter conficit hoc Sacramentum. Nam ipforum verborum virtute fubftantia panis in corpus Chrifti, & fubftantia vini in fanguinem conuertuntur.

Antonius Archiepifcopus Florentinus. 1450.

Tertiæ partis Summæ tit.14. cap.4. In ifto mirabili Sacramento non eft aliqua materia communis, quę ante confecrationem fit fub forma fubftantiali panis & vini, & poft confecrationem fub fubftantiali forma corporis Chrifti: fed totum tranfit in totum, materia cum forma fubftantiali panis & vini tranfit in materiam & formam fubftantialem corporis Chrifti. Quomodo autem conuertitur? Deus operatur. Ita autem eft hoc mirabile, vt nec oculus intellectus Angelici, abfque lumine gloriæ, hoc pofsit intueri, quomodo Chriftus fit in Sacramento. Remanent autem accidentia panis & vini, id eft; color, figura, fapor, & huiufmodi mirabiliter fuftentata fine fubiecto: dicente facerdote verba confecrationis: *Hoc eft corpus meum*, totus Chriftus in carne & anima & deitate eft in Sacramento.

Stephanus Bruleuerus. 1460.

Tractatu de Miffarum valore: Tanta eft poteftas, & tam honorifica collata à Chrifto facerdotibus, vt nulla maior feu honorabilior pofsit alicui creaturæ puræ communicari. Quid enim potentius, quid honorificentius, quàm tranfubftantiare creaturam in corpus Creatoris? quàm Creatorem manibus carnalibus contrectare? quàm alijs & hoc ipfum propinare, & largiri? In ifto Sacramento continetur Chriftus veraciter, & non fictè, ficut dixerunt quidam hæretici., fed eft ipfe verus Chriftus, qui natus eft de Virgine.

Ioannes de Turre Cremata. 1460.

In Meditationibus: Quid hoc Sacramento mirabilius? In ipfo namque panis in corpus, & vinum in fanguinem Chrifti fubftantialiter conuertuntur.

Nicolaus de Nyfe. 1470.

Sermone de Corpore Chrifti. Firmiter credendum eft, quòd cùm Dominus dixit: *Hoc eft corpus meum: Hic eft fanguis meus,*) panem & vinum conuertit in carnem fuam & fanguinem. Et eandem virtutem tranfubftantiandi illis verbis cõtulit in pofterum: Ipfe ergo Chriftus eft, qui confecrat hoc Sacramentum: facerdos autem tantùm minifter eft, proferens verba in perfona Chrifti. Vnde cùm tibi miniftratur hoc Sacramentum, noli attendere manum facerdotis miniftrantis, fed manum Chrifti confecratis: quia fic accipere debes, quafi de propria manu Chrifti. Notandum autem, quòd cùm Dominus dicit: *Hoc eft corpus meum*, fenfus eft: Hoc, quod continetur fub fpecie panis, eft corpus meum, quod nunc do vobis, & quod pro veftra redemption tradetur: & fit tranfubftantiatio in vltimo inftanti prolatæ orationis:

Rodolphus Agricola. 1470.

Oratione in fanctam Iefu Chrifti fecundùm carnem Natiuitatem: Si quoque, cùm humanitatem fufcepiffet, nafcendo claufum puellaris vteri thalamum egreffus eft, idem à morte refurgendo fignati monumenti peruafit clauftra, idem poft refurrectionem vifendo difcipulos oftia claufa penetrauit, quid ergo in his magnum apud illum eft, fi quemadmodum voluit factis vfus eft rebus, qui quemadmodum voluit eas effecit? Quid dicam fub modica fracti panis fpecie conuiuis difcipulis corpus fuum fuis manibus effe datum? Quid calcatas ficcis illius pedibus aquas fluctibus tumidas commemorem?

Petrus Apollonius Collatius. 1480.

In Faftis, de Fefto Corporis Chrifti:

Cùm veniet facra perfufus vefte facerdos,
Suppliciter pofito flectite colla genu;
Quodq; feret pura natum de Virgine corpus
Credite: fint oculis altera figna licet.
Candida quæ vifa eft, duplex quam lamina fingit
Verfatam modicè, flammaq; parua coquit:
Tanta eft diuini collata potentia verbi:
Efficitur Chriftus, quæ fuit ante Ceres.

Angelus Politianus. 1490.

Lib.4. epift.2. Quare pridie quàm naturæ fatisfaceret, cùm quidem in villa Caregia cubaret æger, ita repente concidit totus, nullam vt iam fuæ falutis fpem reliquam oftenderet. Quod homo, vt femper cautifsimus, intelligens, nihil prius habuit, quàm vt animæ medicum accerferet, cui de contractis tota vita noxijs Chriftiano ritu confiteretur. Nocte dein media quiefcenti, meditantique, facerdos adeffe cum Sacramento nuntiatur. Ibi verò excuffus: Procul, inquit, à me hoc abfit, patiar vt Iefum meum, qui me finxit, qui me redemit, ad vfque cubiculum hoc venire: tollite hinc, obfecro me quamprimum: tollite, vt Domino occurram. Et cum dicto fubleuans ipfe fefe quantum poterat, atque animo corporis imbecillitatem fuftentans, inter familiarium manus obuiam feniori, ad aulam vfque procedit: cuius ad genua prorepens fupplex, ac lachrymans: Tunc, inquit, mitifsime Iefu, tu nequifsimum hunc feruum tuum dignaris inuifere? At quid dixi feruum? Imò verò hoftem potius, & quidem ingratifsimum: qui tantis abs te cumulatis beneficijs, nec dicto tibi vnquam audiens fuerim, & tuam toties maieftatem læferim. Hæc, atque alia cùm diceret lachrymans ipfe, lachrymantibusque, qui aderant, vniuerfis, iubet eum tandem facerdos attolli, atque in lectulum fuum, quo Sacramentum commodius adminiftraretur, referri. Quod ille cùm aliquandiu facturum negaffet, tamen ne feniori fuo foret minus obfequens, exorari fe paffus, iteratis eiufdem fermè fententiæ verbis, corpus & fanguinem Dominicum plenus iam fanctitatis, & diuina maieftate verendus accepit.

Petrus Burrus Ambianenfis Canonicus. 1490.

Libro Carminum Hexametrorum de facerdotij dignitate:

Cui regum, cui, inquam, vertendi admiffa facultas
Azymon in corpus? vinumq; in fanguinis vndam
Saluifici Chrifti cælum terrasq; regentis?
Præcipuum hoc & cunctis admirabile munus,
Officiumq; hominis, non Angelus arroget illud
Poffe fibi, non ipfa Dei fanctifsima Mater.

Marcus Antonius Sabellicus. 1490.

Lib.4. Exemplorum cap.2. Tam ritè hæc fancita, quàm illud abrogatum, ne animales hoftiæ veteri inftituto mactarentur: fanctior ritus, quem diuina inftituit fapientia, vt panis, quem myftice Palæftinus fenex obtulit, & vinum modico ver-

borum

borum complexu (carmen notum est, etsi prophanis parum vulgatum) in corpus & sanguinem transirent, conficeretur Sacramentum, quo neque maius, neque sanctius sit vllum, nec maiore veneratione dignum.

Baptista Mantuanus. 1500.

Lib. 8. Pastorum de Eucharistia:

Post epulas Christus, mortem passurus acerbam,
Instituit sacrum, quod tunc mœrore labantes
Prosternente animos fuit huc transferre necesse.
Non fuit ex auibus, non ex cerealis arista
Fruge, nec ex gregibus sacrum, tentróue iuuenco:
Qualia gentiles, & gens Iudæa solebant
Reddere cœlitibus: sacrum fuit ipse, sacerdos
Ipse fuit sed se velauit imagine mira.
Nam quæ panis erat, quæ vini essentia quondam,
Fecit vt in Christi corpus, sacrumq; cruorem
Transierit subitò, saluis vtrimque figuris.
Huc æternæ suas tulit omnipotentia vires,
Omnia quæ peragit, seu sint ingentia, seu sint
Parua, pari conatu illi sunt omnia quæ vult
Obuia: perfacili quæ vult habet omnia nutu.

Erasmus Roterodamus. 1530.

Libro 19. Epistolarum, Epistola ad Conradum Pellicanum, quæ incipit: Euangelij vigor: Ad id (*videlicet non esse verum Corpus Christi in Eucharistia*) semper negaui me posse animum inducere, præsertim cùm Euangelicæ & Apostolicæ literæ tam euidenter nominant *corpus, quod datur, & sanguinem, qui effunditur:* cùm hoc mirificè congruat ineffabili Dei erga genus humanum charitati, vt quos redemit corpore & sanguine Filij sui, eos voluerit eiusdem carne & sanguine, modo quodam ineffabili pascere, & hac arcana Filij præsentia, ceu pignore, consolari, donec redierit gloriosus & omnibus conspicuus, &c. Hactenus cum omnibus Christianis adoraui Christum pro me passum in Eucharistia. Nec adhuc video quicquam, cur debeam ab hac opinione recedere. Nullis humanis rationibus abduci potero à concordi sententia Christiani orbis.

Aduersus Leopoldi librum, quem inscripserat: *Erasmi & Lutheri opiniones de Cœna Domini:* Nusquam voco panem symbolicum, sed hoc somnium concepit ψευδώνυμος Leopoldus ex carmine, quod additur Catoni. Hic enim de Sacramento Eucharistiæ loquens, cibum mysticum appello, quòd sub speciebus visibilibus recondita sit gratia Spiritus inuisibilibus. Carmen sic habet:

Mysticus ille cibus, Græci dixêre Synaxin,
Qui panis vini'q; palam sub imagine Christum
Ipsum præsentem verè exhibet.

Atque hic locus clarè docet, me non sentire, quod Carlstadius docuit. An non satis euidenter profiteor illic esse Christum substantialiter, cùm dico *Exhibet?* Nec hoc contentus, addo *Ipsum*, excludens figuram. Nec hoc contentus, addo *verè*. Quid abest, nisi *substantialiter?* Atque hanc vocem nec recipit carminis ratio, nec Latini sermonis elegantia.

Concilium Tridentinum. 1560.

Sessione 13. cap. 4. Quoniam autem Christus, Redemptor noster, corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideò persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idq; nunc denuò sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Domini nostri Iesu Christi, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius: quæ conuersio conuenienter & propriè à sancta Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata.

Canone 1. Si quis negauerit in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem, vnà cum anima & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit, tantummodò esse in eo, vt in signo, vel figura, aut virtute: anathema sit.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Rabbi Nehumias.

In epistola Arcanorum: Dico, quòd si quis mortalium posset audire atque percipere cantum illum adeò suauem atque mellifluum, quem Angeli concinunt, anima eius subiungeretur à potentijs corporis, & cum illa cantus dulcedine coniuncta egrederetur. Qualis etiam debeat esse sacerdotis vita, hoc sacrificium pertractantis, Dominus ipse insinuat, cùm de nostri temporis sacrificio, & consecrantis qualitate ita Leuit. 21. cap. inquit: *Et sanctificabis eum, quia carnem Dei tui ipse est, vel erit sacrificans.*

R. Moses Hadarsan.

In Commentarijs super illud Psalmi 36. *Qui dat panem vel cibum omni carni:* Amplius dictum est verbum notum: *Qui dat panem omni carni:* Hoc est, quod dictum est Psalmo 34. *Gustate, & videte, quoniam bonus est Deus.* Quia panis, quem dat omnibus, ipse est caro eius: & dum gustatur panis, conuertitur in carnem. Et hoc est, quod dictum est: *Et videte, quoniam bonus est Deus.* Et erit hoc mirabile magnum.

Rabbi Cahana.

Ad cap. 49. Genes. *Ligans ad vitem ciuitatem suam,* &c.) Hæc verba: *Ligans ad vitem ciuitatem suam,* ostendunt, quòd sacrificium, quod fiet ex vino, non solum transmutabitur in substantiam sanguinis Mesiæ, sed etiam conuertetur in substantiam corporis eius. Verba autem illa: *Et ad palmitem, ô fili mi, asinum suum.* significant, quòd diuinitas & Dei Filius vnietur asino, id est, materiæ suæ. Quoniam hamor, id est, asinus, materialis interpretatur. Vt enim asinus fert onera & vestes viatorum: ita Rex Mesias delicta totius orbis super se portabit, iuxta illud Esaiæ 53. dictum: *Et Deus obuiare fecit in eo peccatum omnium nostrum.* Cùm autem dicitur: *Lauabit in vino vestem suam, & in sanguine vuæ pallium suum,* id est, diuinitatem suam. Quia pallium totum hominem circundat, ita Deus totum replet mundum. *Rubriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores:* hoc est, in sacrificio, quod fiet ex pane, non obstante quòd album sit velut lac, conuertetur substantia in substantiam corporis Mesiæ: eritque in ipso sacrificio substantia sanguinis Mesiæ rubra, vt vinum. Erunt item in sacrificio vini sanguinis & caro Mesiæ, & eadem erunt in pane, quoniam corpus Mesiæ non potest diuidi: idque ratio postulat. Nam si caro & sanguis diuisa essent, distinguerentur ab inuicem. Corpus autem Mesiæ non potest diuidi, sicut scriptum est Exodi 12. *Et substantiam non confringetis in eo.* Præterea caro sine sanguine, & è conuerso, sunt res mortuæ. Corpus verò Mesiæ post resurrectionem, quia glorificatum erit, semper viuet. Et hinc dictum est illud: *Dauid Rex Israel in seculum viuit.* Oculi autem & dentes ideo dixit, vt venustior fiat oratio, & sensus occultetur.

Rabbi Iudas.

Ad cap. 28. Num. *Panis facierum coram me semper*) Quare dicatur *panis facierum*, ratio est: transmu-

tabitur

tabitur ex substantia panis, cum sacrificabitur, in substantiam coporis Mesiæ, qui descendit de cælis: & idem ipse erit sacrificium. Ideoq; dicit. *Respicietis ad offerendum mihi*, id est, offerri me. Eritq; inuisibilis, atque impalpabilis. Cuius rei fidem facit zelus Heliæ. Et Magistri aiunt, eam ob rem dictum esse *panem facierum*, quia in ipso sacrificio erunt duæ substantiæ, diuinitas & humanitas.

Rabbi Barachias.

In Ecclesiasten: Quid est quod fuit? Ipsum est quod erit. Quemadmodum fuit redemptor primus, id est, Moses: ita erit & redemptor vltimus. Sicut enim redemptor primus fecit descendere Manna, sicut scriptum est Exodi 16. *Ecce ego pluam vobis panem de cælo*: ita quoque Redemptor vltimus, id est, Mesias, erit placenta frumenti in terra.

Rabbi Simeon. filius Iohai.

Libro, qui inscribitur: *Reuelatio secretorum*. Tunc Deus misericordia implebitur, & virtute ingenti sanctorum verborum, quæ ab ore sacerdotum manabunt, illud sacrificium, quod in vnoquoque altari celebrabitur, in corpus Mesiæ conuertetur.

Rabbi Salomon.

Ad Psalm. 72. *Erit placenta frumenti in terra in vertice montium.* Magistri nostri exposuerunt, hoc esse genus placentarum in diebus Mesiæ. Vnde in libro Siphræ habetur: In diebus Mesiæ frumenta producent placentulas, sicut est plenitudo volæ seu palmulæ manus, & venies, & accipies inde plenitudinem placentulæ rotundæ instar volæ manus, iuxta refectionem tuam.

ARTICVLVS SECVNDVS.

EVCHARISTIAM RITE SVMENTI GRATIAM CONFERRE.

NEGANT.

Anno post natum Christũ

150. ARCHONTICI *mysteriorum participationem, & bonitatem reprobant, velut quæ sit aliena, & in nomen Sabaoth facta.* Epiphanius hæresi 40.

380. *Messaliani dicunt carnem Domini sumptam in Eucharistia nec prodesse, nec obesse.* Theodoretus, Damascenus, & Nicephorus de Messalianis.

600. *Armenij dicunt, quod Eucharistia dignè suscepta non operetur remissionem peccatorum.* Guido de Armenijs.

1110. *Tandemus corporis & sanguinis Christi perceptionem ad salutem nihil prodesse docebat.* Auctor vitæ S. Nortberti c. 34. Rubertus Montanus in Appendice Sigeberti de anno 1110.

1180. *Noui Manichæi Eucharistiam Romanæ Ecclesiæ asserunt esse vanum & inane Sacramentum: eius loco confingunt quendam panem, quam appellant panem benedictum, seu panem sanctæ orationis, quem in principio mensæ suæ benedicunt, frangunt, & distribuunt.* Nicolaus Emericus parte 2. quæst. 13

1200. *Albigenses Sacramentum corporis & sanguinis Christi blasphemant.* Cæsarius Heisterbachius lib. 5. cap. 21 Bernardus Lutzemb. de hæresi.

1520. Martinus Lutherus in Resolutionibus & Assertionibus: *Visitata, sed heretica sententia est: Sacramenta nouæ legis dare gratiam non ponentibus obicem.*

1521. Philippus Melanchthon in Locis Communibus editionis primæ capite de Signis: *Non iustificant Signa, vt Apostolus ait*: Circumcisio nihil est, *ita baptismus nihil est, participatio mensæ Domini nihil est, sed testes sunt, καὶ σφραγῖδες diuinæ voluntatis ergate.*

1527. *Ioannes Oecolampadius.* Libro de verbis Domini, *gloriatur Zvvinglium probasse, fidem nihil egere corporea manducatione: ipsemet asserit, fideles accedere ad Eucharistiam sacram magis propter proximum, quam propter seipsos: Illos enim semper edere carnem Christi, licet externis symbolis panis & vini in mensa Domini externa & visibili non vtantur.* Ibidem *affirmat, non magnopere necessariam esse manducationem corporis Christi in Cœna: quandoquidem fides nostra non egeat vlla re externa, vbi vera fuerit.*

1530. Vldaricus Zvvinglius epistola ad Principes Germaniæ in Comitijs Augustæ congregatis: *De Sacramentis symbolicè quæ dicta sunt, symbolicè capiamus, demus gloriam Deo, non ministrorum sanctitati, non elementorum, aut Sacramentorum efficaciæ. Cum enim, vt in Baptismo & Eucharistia iri est nega bile est, id, quod Sacramentis significatur, antequam Sacramentis vtamur adsit, quæ, malum, ratio est, Sacramentis ea tribuere, quæ antea habuimus: cum Sacramenta id modo quod habemus confiteantur, testentur, exerceant?*

De Cœna Dominica ad Matthiam Albertum Rutlingium: *Eucharistiæ vsus non tollit peccata, sed symbolum eorum est, qui firmiter Christi morte exhaustum & deletum peccatum esse credunt.*

In Exegesi: *Corpus Dominicum etiamsi corporaliter ederetur, nunquam tamen hoc secum adferet, quòd mentem confirmet ac Euangelion præsens tribuat, peccatorumq; veniam. Nobis contra videtur, carnem*

Christi in Cœna corporaliter edi asserere, veram pestem esse, qua propediem repullulante ac grassante, iri vastatum Euangelium. Nam si fidem confirmet, & peccata remittat, quis non conuertetur ad operum vomitum? Negamus corporis carnalis ad animam adhibitionem quicquam ad iustificationem facere, fidem confirmare, peccata dimittere &c. *Caro Christi nihil prodest ad viuificandum scilicet si comedatur.*

In Præfatione Exegesios: *Si Christi carnem nunquam, quatenus caro est, edas, nihil de beatitudine tua cadet.*

De vera & falsa religione *scribit carnem Christi comestam planè nihil prodesse.*

1530. Andreas Carlstadius Dialogo de Cœna Domini: *Perinde est si quis dicit: Si te angunt peccata, accedas ad mensam Domini, & accipias corpus Christi, ac si dicas: quando esuris, accipe pugnum hordei, & comede, vt habeas remissionem peccatorum*, &c. *Qui in sacra Cœna quærunt remissionem peccatorum pani hoc attribuunt, & adimunt Christo*, &c. *Sacramentum non est panis vitæ. Impossibile est panem sacræ Cœnæ esse panem vitæ.*

1550. Rodolphus Gualterus in epistolam 1. ad Corinth. fol. 170. *Errant, qui corpora nostra ad resurrectionem pasci docent: quasi verò non eorum quoque corpora resurrectura sint, qui à Cœna nunquam communicarunt, & à fide Christiana prorsus alieni sunt. Similis prope illorum error est, qui ex Cœna viaticum quoddam finxerunt, quo iam morituros instrui oporteat, & ij in domos priuatas eam deferentes, ex publica priuatam faciunt.*

1570. *Germanus Banarus*, in Examine contra Selneckerum, *scribit esse abominationem Papisticam, æquè detestandam vt Missæ sacrificium, docere, homines credentes in Cœna, accipientes verum corpus Christi, accipere vnà remissionem peccatorum.* Ibidem *negat corporalem manducationem Christi conferre salutem & vitam; negat etiam, nos ea, quæ ore fit, manducatione corporis Christi vniri cum Christo.*

1580. *Daniel Tossanus*, contra Marbachium pag. 196. *asserit Antichristi esse figmentum & somnium, docere & credere, veram manducationem & bibitionem corporis & sanguinis Christi in Cœna sacra conducere ad vitam & salutem æternam.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Matth. 26. Vers. 28. Hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.

Marci 14. 24. Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur.

Lucæ 22. 19. Et accepto pane, gratias egit, & fregit: & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. 20. Hic est calix, nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

Ioannis 6. 32. Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. 35. Ego sum panis vitæ 48. Ego sum panis vitæ. 51. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. 53. Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meum carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. 58. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

1. *Corinth* 10. 16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?

1. *Corinth.* 11. 23. Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem: & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constit. Apost. lib. 8. cap. 14. Qui pretiosum corpus & pretiosum sanguinem participauimus, agamus gratias: quia dignatus est nos communione sanctorum suorum mysteriorum, & obsecremus, vt non fiat nobis in iudicium, sed in salutem, in vtilitatem animæ & corporis, in custodiam pietatis, in remissionem peccatorum, in vitam futuri seculi.

Ignatius. 90.

Epistola ad Ephesios: Date operam, vt crebrius congregemini ad Eucharistiam, & gloriam Dei. Quando enim sæpius in idem loci conuenitis, labefactantur vires Satanæ, & ignita illius ad peccatum iacula irrita resiliunt, &c. Mente indiuulsa frangentes panem vnum, quod pharmacum immortalitatis est, mortis antidotum, vitamque in Deo concilians per Iesum Christum, medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiastica Hierarchia cap. 1. Vnaquæque sacramentalis institutio id agit, vt nostras vitas, in plura diuisas, in vnicum illum statum (quo Deo iungimus) colligat, diuiduorumque nostrorum diui-

na collectione nobis eius, quòd verè vnum est, societatem vnitatemque indiuiduam largiatur. Dicimus ergo, cætera sacrarum rerum signa, quarum nobis societas indulgetur, huius diuinis profectò consummationibus, muneribus perfici. Neque enim fermè fas est, sacerdotalis muneris mysterium aliquod peragi, nisi diuinum illud Eucharistiæ augustissimumque Sacramentum compleat: quæ singula cùm peraguntur, & eius, qui perficitur, collectionem ad vnum illud vnicum sacratius oporetur, & diuinitus indulto Sacramentorum cælestium munere, ipsius ad Deum consortium peragat, atque perficiat. Finis ac principalis omnium ratio in eo est, vt diuinorum mysteriorum is, qui perficitur, particeps fiat, meritò sacerdotalis sacrosancta prudentia, ex rerum effectu, proprium illi verumque cognomen inuenit.

Irenæus. 180.

Lib. 4. cap. 34. Quemadmodum qui à terra panis est, percipiens inuocationem Dei, non iam communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cælesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 2. Pædagogi cap. 2. Bibere Iesum sanguinem est participem esse incorruptionis Domini, &c. Eucharistiæ qui per fidem sunt participes, sanctificantur & corpore & anima.

Origenes. 240.

Libro 8. contra Celsum: Actis gratijs oblatis panibus vescemur, qui vtique per preces efficiuntur corpus sanctum, & sanctificans eos, qui sano proposito & mente ipsa vtuntur.

Homilia 6. in diuersos: Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum; quando vitæ pane, & poculo frueris; manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur.

Dionysius Alexandrinus. 260.

Epistola ad Fabium Antiochenum: Erat quidam Serapion apud nos fidelis senex, qui licet magnam vitæ partem integrè, & incorruptè transegisset, tempore tamen persecutionis præ imbecillitate animi lapsus est. Hic sæpenumerò in Ecclesiam recipi supplex postulabat: sed nemo, quia idolis sacrificasset, eius postulationi aliquando auscultauit. Qui in grauem morbum delabens, triduo deinceps mutus, & absque sensu vixit: quarto autem die paululum releuatus, nepotem ad se accersit, sicque alloquitur: Quousque, fili, me detinetis? properate obsecro, & me ocyus dimittite. Aliquem ex Presbyteris aduoca ad me. Quæ cùm dixisset, iterum fuit mutus. Puer currit ad Presbyterum, nox iam erat. Ille fortè morbo vexatus accedere ad eum non poterat: sed tamen, quoniam à me quidem mandatum dabatur, vt qui iam essent è vita emigraturi, sanctorum mysteriorum participes fierent? sicque cum pace dimissi, & bona spe confirmati, ex hac luce decederent: puero exiguam quandam Eucharistiæ partem dedit, præcipiens, vt eam madefactam in os senis infunderet: quam puer secum adferens, rediit. Cui iam appropinquanti, priusquam cum eo, quod gestabat, intraret ædes, Serapion denuò recuperata voce dixit: Venisti fili? Tametsi Presbyter non potest venire, tu tamen præsta, quod tibi in mandatis dedit, & dimitte me abire. Particulam igitur puer, quam apportarat, madefactam in os senis infudit: atque ille simulatque eam pedetentim per fauces dimiserat, extremum illicò spiritum edidit.

Eusebius Cæsareensis. 320.

In Catena Græcorum in Psalm. 21. Panis vitæ ab illo exhibitus immortalitatem parit, & vitam æternam. Inquit enim: *Ego sum panis vitæ, qui de cælo descendi, & vitam mundo affero.* Et rursus: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, &c.*

Athanasius. 340.

Tractatu de verbis Euangelij: *Quicunque dixerit verbum aduersus Filium hominis, &c.* Hac de causa meminit ascensus in cælum filij hominis, vt corporalem cogitationem ab eis auelleret, & posthæc discernerent carnem, de qua fuerat locutus, cibum è supernis cælestem, spiritualem alimoniam ab ipso dari. *Quæ enim dixi vobis,* inquit, *spiritus & vita sunt.* Quod idem valet, ac si diceret: Quod quidem ostenditur, ac datur pro mundo, dabitur alimonia; vt spiritualiter hæc in vnoquoque digeratur, fiatque omnibus conseruatiuum ad resurrectionem vitæ æternæ.

Magnes. 350.

Ad Theosthenem: Panis in beata Christi terra virtute diuinitatis vnitæ confectus, solo gustu immortalitatem homini affert: Mysticus enim panis cùm benedictionem Patris habeat inseparabilem, illam dico, quæ in corpore & sanguine eius facta est, vnit comedentem corpus Christi, eumque membrum Christi efficit. Vt enim charta vim, quam per literas magistri accepit, discipulo tradit, & per eam cum magistro illum vnit: sic corpus, quod ille panis mysticus est, & sanguis, qui illud vinum, immortalitatem intemeratæ diuinitatis participanti tribuunt ex semetipsis, & per eam ad mansionem incorruptibilem Creatoris reducunt. Caro enim Saluatoris manducata non corrumpitur, nec sanguis hic potatus consumitur: quin potius, qui edit ad incrementum virium diuinarum venit: quod verò editur consumi non potest, quoniam naturæ inconsumptibili quadam ratione cognatum, & inseparabiliter est coniunctum.

Ephræm. 360.

De extremo iudicio & compunctione: Calix tremendi tui sanguinis, lumine ac vita plenus, nobis ecce præsto est. Hoc nobis calice intelligentiam lumenque largire, vt cum fide, & desiderio, ac sanctificatione ad ipsum accedamus, sitque nobis in remissionem peccatorum, & non ad iudicium. Qui enim anima indignè ad diuina participanda mysteria accesserit, seipsum condemnat, non purificans se, vt te Regem ac Dominum in pectoris sui thalamum suscipiat. Est enim nostra anima sponsa sancta facta immortalis sponsi. Nuptiarum autem copulæ diuina sunt Sacramenta, per quæ sancta anima iungitur sponso, dum cum timore ac tremore dignè sumuntur.

Basilius Magnus. 370.

Sermone 1. de Baptismo cap. 3. Quòd qui per baptismum regeneratus est, participatione deinceps diuinorum mysteriorum nutriri debeat, circa finem Euangeliorum scriptum est: *Acceptum igitur Iesus panem gratijs actis fregit, ac dedit discipulis, & dixit: Accipite, edite, Hoc est corpus illud meum, quod pro vobis frangitur: hoc facite in mei rememorationem. Et acceptum quoque poculum gratijs actis dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: hic est enim ille meus sanguis noui Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite in mei rememorationem.* Attestatur istis & Apostolus, dicens: *Ego enim accepi à Domino, &c.* Quid itaque vtilitatis habent hæc verba? vt edentes ac bibentes perpetuò memores simus eius, qui pro nobis mortuus est, ac resurrexit, &c. Oportet igitur accedentem ad corpus & sanguinem Domini ad rememorationem eius, qui pro nobis est mortuus, ac resurrexit, non so- 1. Cor. 11.

stum purum esse à quouis inquinamento carnis ac spiritus, ne ad iudicium edat ac bibat: sed & euidenter ostendere, & exprimere memoriam eius, qui pro nobis mortuus est, ac resurrexit, in eo, quòd & mortificatus est à peccato, mundo, & sibi ipsi, & Deo viuit in Christo Domino nostro.

Ad Cæsariam Patriciam: Communicare per singulos dies, & participare de sacro corpore & sanguine Christi, pulchrum est, & valde vtile, ipso manifestè dicente: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Quis enim ambigit, quin frequens vitæ participatio nihil aliud sit, quàm pluribus modis viuere? Nos idcirco quater in singulis hebdomadis communicamus: in die Dominico, in quarto die hebdomadæ, in Parasceue, & in Sabbato, ac in alijs diebus, si qua fuerit memoria Sancti alicuius.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione Catechetica cap. 37. Quoniam homo est duplex, vt qui sit compositus ac contemperatus ex anima & corpore: necesse est vt qui seruantur, sequantur eum qui ducit ad vitam. Ergo anima quidem cum ipso contemperata per fidem, hinc salutis habet occasionem. Nam vnio cum vita, vitæ habet societatem. Corpus autem alio modo venit ad participationem & contemperationem eius quod dat salutem. Quomodo enim qui venenum sumpserunt dolo & ex insidijs alio medicamento extinguunt vim, qua affert interitum. Oportet autem sicut exitiale, ita etiam salutare medicamentum admitti intra viscera hominis, vt per illa distribuatur in vniuersum corpus virtus eius quod fert opem. Ita cùm id gustauerimus, quod nostram dissoluit naturam, rursus necesse est, vt opus habeamus eo, quod cogit ac conciliat id, quod erat dissolutum: vt cùm intra nos fuerit hoc salutare medicamentum, veneni damnum, quod corpori fuerat inditum, per contrariam repellat affectionem. Quid hoc ergo est? Nihil aliud, quàm illud corpus, quod & morte ostensum fuit esse potentius, & nostræ vitæ fuit initium. Quomodo enim parum fermenti, vt dicit Apostolus, sibi assimulat totam conspersionem: ita corpus à Deo morte affectum cùm fuerit intra nostrum, totum ad se transmutat & transfert. Quomodo enim cùm quod est exitiale mistum fuerit cum sano, quidquid est contemperatum, simul redditur inutile: ita etiam corpus immortale, cùm fuerit intra eum, qui sumpsit, vniuersum quoque transmutat in suam naturam. Sed fieri non potest, vt sit aliquid aliter intra corpus, nisi per esum & potionem misceatur visceribus. Necesse est ergo, eo modo, quo natura potest, spiritus viuificam suscipere virtutem. Cùm autem solum illud corpus, quod Deum suscepit, hanc gratiam acceperit, ostensum sit autem aliter fieri non posse, vt nostrum corpus sit in immortalitate, nisi per communionem cum immortali factum sit particeps incorruptionis, oportet considerare, quomodo fieri potuerit, vt vnum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in vniuerso orbe terrarum semper distribuitur, totum per partem sit in vnoquoque, & ipsum in se totum maneat.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 51. in Matthæum: Tangamus ergo etiam nos fimbriam vestimenti eius, vel potius, si volumus, ipsum totum habemus: Non enim vestis solùm, sed corpus ipsius nobis propositum est, non vt tangamus solum modò, sed vt comedamus, & saturemur. Adeamus igitur Christum singuli ægrotantes magna cum fide. Nam si qui fimbriam vestimenti eius tunc tetigerunt, restè omnes conualuerunt: quanto magis corroborabimur, si totum in nobis habebimus? Cum fide autem accedere, non est, vt tantummodò propositum corpus recipias, verùm etiam multo magis, vt mundo corde tangas, vt sic adeas, quemadmodum ad ipsum Christum. Quid enim si vocem eius non audis? nonne vides iacentem, imò verò & loquentem per Euangelistam ipsum audis. Credite igitur omnes, quia etiam nunc in illa Cœna celebratur, in qua Christus ipse recumbebat. Nihil quippe interest inter illam & hanc. Non enim hæc ab homine, illa ab ipso conficitur: sed & hanc, & illam ipse efficit.

Homilia 83. Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Veniat in mentem tibi, quo sis honore honoratus, qua mensa fruaris. Ea namque re nos alimur, quam Angeli videntes tremunt, nec absque pauore, propter fulgorem, qui inde resilit, aspicere possunt, & nos in vnam cum illo massam reducimur, Christi corpus vnum, & caro vna facti sumus.

Homilia 24. in epist. 1. ad Corinthios: Hæc autem ideo dico, non vt non accedamus, sed ne temerè & inconsideratè accedamus. Nam sicut temerè & citra discrimen accedere est periculum, ita mysticarum illarum cœnarum non esse participes, est fames & mors. Hæc enim mensa est neruus nostræ salutis mentis vinculum, fiduciæ fundamentum, spes, salus, lux, vita. Si cum hac mensa illuc excesserimus, cùm magna fiducia sacra ascendemus vestibula, veluti quibusdam armis aureis vndique muniti. Et quid dico futura? Hic enim terram tibi cælum facit hoc mysterium.

Homilia 45. in Ioannem: Necessariò discendum quàm admiranda mysteria, & cur data sint, & quænam eorum vtilitas. *Vnum corpus sumus, & membra ex carne & ossibus eius.* Quare initiati eius præceptis parere debent.] Vt autem non solùm per dilectionem, sed reipsa in illam carnem conuertamur: per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Cùm enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniretur. Hoc enim amãtium maxime est. Hoc Iob significabat de seruis, à quibus maximè amabatur, qui suum amorem præ se ferentes dicebant: *Quis daret nobis, vt eius carnibus impleremur?* Quod Christus fecit, vt maiori nos charitate astringeret, & vt suum in nos ostenderet desiderium, non se tantùm videri permittens desiderantibus, sed & tangi, & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri. Ab illa igitur mensa, tamquam leones ignem spirantes, surgamus diabolo formidolosi, & caput nostrum intelligamus, & quam in nos præ se tulit charitatem, &c. Hic sanguis facit, vt imago in nobis regia floreat: hic sanguis pulchritudinem, atque nobilitatem animæ, quam semper irrigat, & nutrit, languescere non finit. Hic mysticus sanguis dæmones procul pellit, Angelos & Angelorum Dominicum ad nos allicit: dæmones enim, cùm in nobis Dominicum sanguinem vident, in fugam vertuntur: Angeli autem concurrunt. Hic [illegible] effusus, vniuersum abluit orbem terrarum: hic nostrarum animarum salus est: hoc lauatur anima, hoc ornatur, hoc incenditur: hic igne clariorem nostram mentem reddit, & auro splendidiorem. Iob 31.

Homilia ad Neophytos: Cùm te egredientem post Dominicum conuiuium viderit inimicus, post cælestes epulas, tamquam ignem leonis ore flammantem fugit, & deserit omni vento veloci

ur, nec appropinquare contendit: & cùm cruentam linguam tuam de longè ille crudelis perspexerit, mihi crede, non stabit: & cùm os tuum senserit rutilare, gressum suum retro cum timore torquebit. Vis huius sanguinis audire virtutem? &c.

Palladius. 410.

Historia sanctorum Patrum cap. 19. de Macario curante mulierem magicis præstigijs in formam equi versam: Eam sic curatam admonuit vir Dei, sic dicens: Nunquam Ecclesiam deseras, nunquam abstineas à communione Christi Sacramentorum. Hæc enim tibi acciderunt, quòd iam quinque hebdomadis non accessisti ad intemerata Seruatoris nostri Sacramenta.

Capite 52. de Abbate Apollo: Oportet, si fieri potest, Monachos quotidie communicare Sacramentis: qui enim ab ijs se procul amouet, Deus quoque procul ab eo recedit. Qui autem hoc facit assiduè, assiduè suscipit Seruatorem. Est enim vox salutaris: *Qui comedit carnem meam, & bibit meum sanguinem, manet in me, & ego in eo.* Hoc confert Monachis salutaris passionis commemorationem continenter facientibus, quotidie etiam se præparare, vt omni ex parte digni sint, qui suscipiant cælestia Sacramenta. Quandoquidem sic quoque consequimur remissionem peccatorum. Ioan. 6.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

In Ioannem libro 4. cap. 14. *Nisi manducaueritis*, inquit, *carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*) Non enim possunt cum sanctificatione beatæ vitæ fidei participes esse, qui per mysticam benedictionem Iesum non susceperunt. Vita enim secundùm naturam ille est, qui ex viuo Patre genitus est: sed non minus corpus quoque suum viuificat. Coniunctum enim ineffabiliter est Filio Dei, à quo vniuersa viuificantur. Idcirco corpus suum dicitur, & vnus cum eo est. Nempe post incarnationem vnus est, & vnus manet absque diuisione vlla, præterquam quòd Dei Patris Verbum & templum à Virgine sumptum, idem natura non sunt. Non enim est eiusdem substantiæ Verbo Dei homo assumptus: vnus tamen cum illo est coniunctione ineffabili. Quoniam igitur Saluatoris caro Verbo Dei, quod naturaliter vita est coniuncta viuifica effecta est, quando eam comedimus, tunc vitam habemus in nobis, illi coniuncti, qui vita effecta est. Hac de causa in exuscitandis mortuis non solummodò verbo atque imperio, vt Deus, vtebatur: verùm etiam carnem suam quasi cooperatricem nonnunquam adhibebat: vt reipsa ostenderet, carnem quoque suam, quoniam sibi coniuncta est, viuificam esse, atque fideles doceret, suum, non alterius corpus esse, &c. Christus non verbo solùm, sed & tactu mortuos excitabat, vt ostenderet corpus quoque suum viuificare posse. Quòd si solo tactu suo corpora redintegrantur, quomodo non viuemus, qui carnem illam & gustamus & manducamus? Reformabit enim omninò ad immortalitatem suam participes sui, &c.

Cap. 16. Mannæ alimentum non æternam vitam, sed breue famis remedium adferebat. Non ergo erat cibus verus, id est, panis de cælo. Sanctum verò Christi corpus, ad immortalitatem & vitam æternam nutriens, cibus est. Ita inquit: *Sed aquam illi ex petra biberunt.* Quid igitur inde lucrati sunt, qui mortui fuerunt? Non igitur erat potus ille verus: sed verus potus est sanguis Christi, quo radicitus mors euertitur, atque destruitur.

Cap. 17. Quoniam res ardua est, & fide magis, quàm alio modo recipitur, ideo multis atque varijs modis mirabilem eius vtilitatem exponit, fundamentum & basin fidem esse confirmans. *Qui manducat*, inquit, *carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Sicuti enim si quis liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat: necesse est, si quis carnem & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungatur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur, &c. Sicut *parum fermenti* (vt ait Paulus) *totam massam fermentat*: sic paruula benedictio totum hominem in seipsum attrahit, & sua gratia replet: & hoc modo in nobis Christus manet, & hoc modo in nobis Christus manet, & nos in Christo, &c. Pias quæso cogitationes suscipias, studiosè sanctéq; viuas, & benedictione participes, quæ (mihi crede) non mortem solùm, verùm etiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cùm in nobis maneat, Christus sæuientem morborum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit.

Tomo 4. Pentabibli, quæ est in cap. 156. Synodi Ephesinæ: Vt enim corpus ipsius Verbi, quod secundùm veram & inexplicabilem vnionem suum fecit, viuificum est: sic etiam nos, si carnem sanctam & sanguinem eius participemus, omninò viuificamur, manente in nobis Verbo, diuinè quidem per Spiritum sanctum, humanè verò per carnem sanctam & pretiosum sanguinem, &c.

Ioannes Cassianus. 430.

Collat. 7. cap. 30. Nec enim secundùm Euangelij sententiam, quam incongruè huic sensui coaptatis: *Nolite sanctum dare canibus*, ad dæmonis escam sacrosancta communio, & non potius ad purgationem, ac tutelam corporis, animæq; peruenire credenda est. Quæ ab homine percepta, eum, qui in membris eius insidet, spiritum, seu in ipsis latitare cognoscitur, velut quoddam exurens fugat incendium. Hoc namque modo curatum & Abbatem Andronicum nuper aspeximus, aliosq; quam plures. Magis namque ac magis inimicus insultabit obsesso, cùm eum à cælesti medicina viderit segregatum: tantoque dirius ac frequentius attentabit, quanto eum à spiritali remedio longius senserit abdicatum.

Theodoretus. 450.

Ad cap. 10. prioris ad Corinthios: Qui sacra mysteria percipimus, nonne ipsi Domino communicamus, cuius & corpus & sanguinem esse dicimus? quandoquidem vnius panis sumus participes.

Olympiodorus Monachus. 500.

Ad caput 5. Ecclesiastis: Qui diuinius & sublimius loquentem potest audire Ecclesiasten, cùm meminerit pertinere ad se illud Euangelij: *Qui habet aures audiendi, audiat*: idem profectò nouit, qui solus sit bonus. Vnus enim bonus est Deus. Idem quoque nouit, quòd qui manducat carnem Filij hominis, & bibet eius sanguinem, futuræ felicitatis partem hic aliquam, fruitionemque accipit. Matt. 19. Marc. 10. Lucæ 18. Ioan. 6.

Nonnus Panopolitanus. 500.

Ad caput 6. Ioannis:

Vere hominum vita est nostra libatio carnis,
Exhibet & verum sanguis potabilis haustum,
Hæc duo qui gustat, mecum ipse habitans habitatur,
Estq; iugo mecum veluti constrictus eodem,
Sumq; huic firma domus tollens, tollendus ab illo.

Procopius Gazæus. 530.

In Exodum fol. 253. Hoc loco iubetur illa capi, qua in profectione sustentemur, ne scil cet audientes sanguinis & passionis Dominicæ mentionem claudicemus. Edamus autem corpus, & bibamus sanguinem, nihil dubitantes, quòd sint vita, & viuificent.

Fol. 95. Vitam acquirimus ex participatione Spiritus, & vitam recuperamus in sancta Christi mensa, fidem in ipsum intra nos recipientes.

Cyrillus Eremita. 540.

In vita S. Euthymij: Aiunt verò eum quoque aliquando dixisse quibusdam fratribus, qui cum eo seorsum versabantur, quod sæpe videret terribilem Angelorum visionem, vnà secum Deo ministrantem & sacra contrectantem, & quod in Dominici corporis sumptione aliquos quidem ex ijs videret illuminari, aliquos autem veluti obscurari, & morte affici, quicunque scilicet erant indigni ea luce.

Timotheus Presbyter Hierosolymitanus. 570.

Oratione de Simeone, qui Christum vlnis excepit: Diuinæ ac mysticæ mensæ operam demus, per quam mundus formatur, per quam terrarum orbis consistit, per quam regnum conseruatur, per quam Ecclesia augetur, per quam Deus sanctificatur in Christo Iesu Domino nostro.

Anastasius Synaites. 580.

Sermone de sancta Communione: Accede cum fide, & efficaci pœnitentia, & pura conscientia ad Dei mysteria, & omnem sanctificationem assequeris. Est enim Dei Angelus seu nuntius qui offert incruentum sacrificium. Tu autem indignè accedis? Angelus te nequaquam purgabit à peccatis.

Gregorius Presbyter. 600.

In vita Theodori Archimandritæ: Ingressus vir beatus in oppidum, iussit vt adolescens, qui oris titubantia propè mutus & elinguis erat, se in Ecclesiam sequeretur: & cùm diuina mysteria distribuisset, præcepit, vt adolescens accederet, & pro illo precatus Deum, os illi aperuit, & ter insufflauit: cùm illum signo crucis obsignasset, sanctum Christi corpus impertiuit: In nomine, inquiens, Domini nostri Iesu Christi loquere: & Dei gratia statim locutus est. Amen.

Ioannes Damascenus. 730.

Ortodoxe fidei lib. 4 cap. 14. Ijs, qui Sacramentum istud per fidem dignè percipiunt, in peccatorum remissionem, & vitam æternam, animiq; & corporis præsidium cedit: ijs contra, qui perfidè indigneque suscipiunt, in pœnam & supplicium: haud secus videlicet ac Domini mors credentibus quidem vita & incorruptio extitit ad sempiternæ beatitudinis oblectationem, incredulis autem, Dominique carnificibus, in pœnam & cruciatum sempiternum.

Historiæ Barlaam & Iosaphat cap. 12. Alij procul inter se constructis ædiculis, Dominicis diebus ad vnam & eandem Ecclesiam pergunt, ac diuina mysteria, hoc est, incruentum puri corporis ac pretiosi sanguinis Christi sacrificium percipiunt: quæ quidem Dominus pijs in peccatorum remissionem, ac tum animi tum corporis illuminationem, & sanctificationem donauit.

Oratione versibus Anacreonticis conscripta:

Omnesq., Christe, noxas
Mihi remitte quæso:
Vt corde labe puro,
Et mente cum tremente,
Fractaq; vi doloris,
Sumam sacram Synaxin,
Qua viuit, & Deus fit
Quicunque corde puro
Edit, bibitq; Sermo
Hic namque fluxit à te:
Quisquis bibet cruorem
Meum, meamq; carnem
Edet, manebit in me:
In hoc quoque rursus ipse
Manebo. Verus hic est
Sermo Dei supremi:
Nam qui sacram Synaxin,
Eumq; suscipit vim,
Non solus ille, non tam
Est ille solus, inquam,
Sed, magne Christe, tecum,
Qui lumen es refulgens.

Elias Cretensis. 780.

In Orationem 4. Nazianzeni: In mystica mensa proponitur caro Dominica, & sanguis Dominicus; quæ cùm sanctè & dignè percipimus, atque animæ vitijs mortem afferimus, aduersus dæmonas, & impuras perturbationes in procinctu stare ijsq; superiores esse possumus. Diabolus enim eos, qui diuina mysteria pio ac reuerenti animo sumunt, pertimescit.

Theophylactus. 900.

Ad caput 6. Ioannis: Non nudi hominis caro est, quæ manducatur; sed Dei, & quæ deificare valet, vtpote contemperata deitati. Ista etiam verè est cibus, eò quòd non ad paruum tempus duret, neq; corrumpatur sicut corruptibilis cibus, sed æternæ vitæ sit subsidium. Similiter & potus sanguinis Domini verè est potus! quia non ad tempus sufficit siti: sed semper absque siti conseruat, nec indigere permittit bibentem: sicut ad Samaritanam dicebat: *Qui bibet ex aqua, quam ego dabo, non sitiet.* Nam quisquis gratiam sancti Spiritus per sumptionem diuinorum mysteriorum susceperit, neque famem spiritualem, neque sitim patietur qualem increduli. Ioan. 6.

Simeon Metaphrastes. 970.

In vita S. Stephani Iunioris: Quidnam tu quoque corporis & sanguinis Christi antitypa ab Ecclesia proscribes? & quæ imaginem, & veram illorum figuram teneant: quæ & adoramus, & osculamur, & eorum perceptione sanctitatem consequimur?

Oecumenius. 1050.

Ad caput 10. prioris ad Corinth. Agglutinat nos Christo sanguis ipsius, propter ipsam participationem, non secus ac membra capiti.

Euthymius. 1080.

Ad caput 6. Ioannis: *Qui edit carnem meam, in me manet, & ego in illo, &c.*) *In me manet*, id est, vnitur mihi per transumptionem & communicationem meæ carnis, meiq; sanguinis, & vnum corpus mecum efficitur, ac particeps vitæ, quę in me est. Quòd si ille in me est, & vtique ego in illo.

Nicetas Choniates. 1200.

Thesauri Orthod. lib. 4 cap. 36. Diuino baptismate, Christique mysteriorum perceptione, animam purgari, hominemque perfectum reddi, ipsius Dei verbis constat. Diuina munera cibum esse nouimus, qui nunquam absumatur & pereat: qui Manna ipso longè sit melior. Hoc enim Hebræi Aegypto exeuntes in solitudine comederunt, & mortui sunt: illa verò immortalitatem conferunt, multoque melius animam ab animalibus maculis inhærentibus expurgant, quàm carbo ille, qui forcipe à Cherub Esaiæ oblatus est. Vt vno verbo absoluam, nihil aliud illa sunt, quàm copula quidem cum Christo, veraq; vitæ causa. Christus enim in Euangelijs dixit: *Qui manducat carnem meam, in me manet, & ego in eo.* Esa. 6. Ioan. 6

Nicolaus Methonensis. 1130.

De corpore & sanguine Christi: Quis verò est scopus & finis huius traditionis? Quid aliud quàm participatio Christi, & vita in Christo participantium æterna? *Si quis enim*, inquit, *comederit ex hoc pane, viuet in æternum*, &c. Causa huius traditionis est magni huius beneficij recordatio. Corpus & sanguis Christi ea sunt, quæ hoc ritu perficiuntur: ritus finis participatio Christi, & vita æterna:

quod

quod idem est, ac si diceres, participantium deificatio.

Samonas Gazensis.

De corpore & sanguine Domini: Hoc igitur corpus, & hunc sanguinem assumimus in remissionem peccatorum, & in vitam æternam, Domino nostro ita dicente: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.*

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 13. cap. 37. Ioannes Chrysostomus, cùm res suas disposuisset, linguam ad docendum mouisset, lætius se ita, vt calceos quoque indueret, vestibus suis ornasset, & per communionem diuinam sanctificationem percepisset: Gloria, inquit, tibi Domine de rebus omnibus.

Bessarion. 1460.

De Sacramento Eucharistiæ: Sacrum diuinumque est Eucharistiæ mysterium, per quod filij Dei, & heredes, & cohæredes, & eiusdem cum Domino corporis efficimur, cùm dignè eo participamus.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Respons. 2. de Sacramentis: Diuina Eucharistia, in qua corpus & sanguis Christi est, vitam & sanitatem hanc conseruat & continet. Vt enim salua maneant quæ creata sunt, & in vita perseuerent, panis ille vitæ facit: & viuus in Christo, dum dignè vescimur, sicut ipse ait: *Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in ipso.* Seruit fide dignè sumentibus ad remissionem peccatorum, ad vitam æternam, ad munimentum ac custodiam animi & corporis: indignè verò sine fide participantibus ad supplicium æternum.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis. 100.

Epistola ad Burdegalenses cap. 3. Sacrificium Deo Creatori offertur in ara, non homini, neque Angelo: nec solùm in ara sanctificata, sed *vbique offertur Deo oblatio munda*, sicut testatus est: cuius corpus & sanguiem in vitam æternam offerimus, dicentes: *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Ipse enim corpus habens immaculatum, & sine peccato, quia *conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine*, in ara crucis ipsum permisit immolari. Quod autem Iudæi per inuidiam immolauerunt, putantes se nomen eius à terra abolere: nos causa salutis nostræ in ara sanctificata proponimus, scientes hoc solo remedio nobis vitam præstandam, & mortem effugandam. Hoc enim ipse Dominus noster iussit agere in sui commemorationem.

Tertullianus. 200.

De Resurrectione carnis cap. 8. Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt anima Deo saginetur.

Cyprianus. 250.

Libro 1. epist. 2. *Epist. 54.* Nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est: nec morientibus, sed viuentibus communicatio à nobis danda est, vt quos excitamus, & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus: sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus: & cùm adhoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra aduersarium volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus.

De Oratione Dominica: Panem nostrum vocamus, quia Christus, noster (qui corpus eius contigimus) panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstenti, & non communicantes, à cælesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur, ipso prædicante, & Ioan. 6. monente: *Ego sum panis vitæ, qui de cælo descendi. Si quis ederit de meo pane, viuet in æternum: Panis autem, quem ego dedero, caro mea est pro seculi vita.* Quando ergo dicit in æternum viuere, si quis ederit de eius pane, vt manifestum est eos viuere, qui corpus eius attingunt, & Eucharistiam iure communicationis accipiunt: ita contra timendum est & orandum, ne dum quis abstentus separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute: comminante ipso, ac dicente: *Nisi ederitis carnem Filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.* Et ideo panem nostrum, id est, Christum, dari nobis quotidie petimus, vt qui in Christo manemus & viuimus, à sanctificatione eius & corpore non recedamus.

De Cœna Domini: Sed ex quo à Domino dictum est: *Hoc facite in meam commemorationem: hæc est caro mea, & hic est sanguis meus:* quotiescunque his verbis, & hac fide actum est, panis iste supersubstantialis & calix benedictione solenni sacratus, ad totius hominis vitam salutemque proficit, simul medicamentum, & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens.

Hilarius. 350.

Libro 8. de Trinitate: De veritate carnis & sanguinis est relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra verè caro, & verè sanguis est. Et hæc accepta & hausta id efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit.

Iulius Firmicus Maternus. 350.

De errore prophanarum religionum capite 19. Alius est cibus, qui salutem largitur, & vitam: alius est cibus, qui hominem summè Deo & commendat, & reddit. Alius est cibus, qui languentes releuat, errantes reuocat, lapsos erigit: qui morientibus æternæ immortalitatis largitur insignia. Christi panē, Christi poculum quære, vt terrena fragilitate contempta, substantia hominis immortali pabulo saginetur, &c. Salutaris cibi gratiam quærite, & immortale poculum bibite. Christus vos epulis suis reuocat ad lucem, & graui veneno putres artus, & torpescentia membra viuificat. Cælesti cibo renouate hominem perditum, vt quicquid in vobis mortuum est, diuinis beneficijs renascatur. Didicistis quid vos facere conueniat, eligite quod vultis. Inde mors nascitur, hinc immortalis vita donatur.

Ambrosius. 370.

Libro 5. de Sacramentis cap. 4. Tu audis, quòd quotiescunque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, eleuatio Domini significetur, & remissio peccatorum: & panem istum vitæ non quotidianum assumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est: quia sub peccato sumus: Medicina est cæleste ac venerabile Sacramentum: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quotidie si accipis, quotidie tibi hodie est. Si tibi hodie est Christus, tibi quotidie resurgit.

De ijs, qui mysterijs initiantur cap. 8. Ista esca, quam accipis: iste panis viuus, qui descendit de cælo, vitæ æternæ substantiam subministrat, & quicunque hunc panem manducauerit homo, non morietur in æternum,

In Psalm.118. Sermone 15. vers. 4. Habes Apostolicum cibum, manduca illum, & non deficies. Illum ante manduca, vt postea venias ad cibum Christi, ad cibum corporis Dominici, ad epulas Sacramenti, ad illud poculum, quo fidelium inebriatur affectus, vt lætitiam inducat de remissione peccati, curas seculi huius, metum mortis, solicitudinesq; deponat. Hac ergo ebrietate corpus non titubat, sed resurgit: animus non confunditur, sed consecratur.

Hieronymus. 390.

Libro 14. in Ezechielem: Sanguis Christi est pretiosus, quo redimitur in passione Domini Saluatoris, cuius carnibus alimur, & cruore potamur.

Ruffinus. 390.

Ad Psalm. 22. *Et calix meus inebrians quàm præclarus est.)* Verè præclarus, quo sanguis offertur immaculatus: hoc poculo fidelium inebriatur affectus, & lætitiam induit de remissione peccatorum, quod significat oleo caput impinguatum. Hoc pane cor iusti confirmatur, hoc oleo lætificatur, hoc calice inebriatum mutatur à peccatis, per misericordiam abluitur, virtutibus deriuatur.

Augustinus. 400.

Ad Psalm. 33. Accesserunt Iudæi ad Christum, vt eum crucifigerent: nos ad Deum accedamus, vt corpus & sanguinem eius accipiamus. Illi de crucifixo tenebrati sunt, nos manducando crucifixum & bibendo illuminamur.

De peccatorum meritis lib. 1. cap. 24. Optimè Punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud quàm salutem, & Sacramentum corporis Christi nihil aliud quàm vitam vocant. Vnde nisi ex antiqua, vt existimo, & Apostolica traditione, qua Ecclesiæ Christi insitum tenent, præter baptismum, & participationem Dominicæ mensæ, non solùm non ad regnum Dei, sed nec ad salutem & vitam æternam posse quemquam hominum peruenire.

De verbis Domini in Euangelio Lucæ Sermone 33. capite 5. Nolite parare fauces, sed cor. Inde commendata est ista Cœna: Ecce credimus in Christum, quem fide accipimus. In accipiendo nouimus quid cogitemus: modicum accipimus, & in corde saginamur. Non ergo quod videtur, sed quod creditur, pascit.

Paulinus Presbyter Mediolanensis. 400.

In vita S. Ambrosij: Honoratus sacerdos Ecclesiæ Vercellensis descendens obtulit S. Ambrosio Domini corpus. Quod vbi accepit, emisit Spiritum, bonum viaticum secum ferens, vt in virtute escæ esset animæ refectio, Angelorum nunc consortio, quorum vitam vixit in terris, & Heliæ societate lætetur.

Gaudentius. 400.

Tractatu 2. A Christo instituti sacrificij cælestis causam rationemque noscamus, inenarrabili dono eius sine fine gratias relaturi. Nam illud verè est hæreditarium munus Testamenti eius noui, quod vobis ea nocte, qua tradebatur crucifigendus, tanquam pignus suæ præsentiæ dereliquit. Hoc illud est viaticum nostri itineris, quo in hac vita alimur ac nutrimur, donec ad ipsum pergamus de hoc seculo recedentes: vnde dicebat idem Dominus:
Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis ipsis.* Voluit enim beneficia sua permanere apud nos, voluit animas pretioso sanguine suo semper sanctificari, per imaginem propriæ passionis.

Paulinus Nolanus. 420.

Epistola 12. ad Seuerum:

In cruce fixa caro est, qua pascor: de cruce sanguis
Ille fluit, vitam quo bibo, corda lauo, &c.
Carne tua viuat, tuus ille pocula sanguis
Præbeat in verbo viuat agatq; tuo.

Arnobius Iunior. 430.

Ad Psalm. 33. *Gustate corpus, & videte quàm suauis est Dominus.* Vitam enim habet in semetipso, qui manducauerit carnem eius, & biberit sanguinem eius.

Leo Primus. 445.

Epistola 23. ad Constatinopolitanos: In illa mystica distributione spiritalis alimoniæ hoc impartitur, hocq; sumitur, vt accipientes virtutem cælestis cibi, in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus.

Sedulius. 450.

Libro 4. Paschali:

——— Nam corporis, atque
Sanguinis ipse sui postquam duo munera sanxit,
Atque cibum potumq; dedit, quo perpete nunquam
Esuriant, sitiantq; animæ sine labe fideles, &c.
Fonte renascentes, membris & sanguine Christi
Vescimur: atque ideo templum dei atu habemur.

Claudius Marius Victor. 460.

Libro 3. in Genesin:

Cuius de manibus sumens Ecclesia corpus
Viuificum panem, cælesti pota cruore est.

Gelasius. 490.

Aduersus Nestorium & Eutychen. Certè Sacramenta, quæ sumimus, corporis & sanguinis Christi, diuina res est, propter quod & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ.

Cassiodorus. 540.

Ad Psalm. 109. In ista carne & sanguine nil cruentum, nil corruptibile mens concipiat, ne, sicuti dicit Apostolus: *qui Domini corpus indignè manducat, iudicium sibi manducet:* sed viuificatricem substantiam, atque salutarem, & ipsius Verbri propriam factam, per quam peccatorum remissio, & æternæ vitæ dona præstantur. 1. Cor. 11

Arator. 540.

Lib. 2. Hist. Apostol.

Agnus Christus inest, panis quoque Christus habetur
De cælo, quod & ipse docet: qui corpore Iesum
Sumpserit, hoste caret: nec iam sua iura Pharao,
Aegyptusq; tenet.

Fortunatus. 580.

Ad Orationem Dominicam. Iste panis non est communis cum reliquo: quia ille corpus protegit, iste nouit animas enutrire & qui illum manducat, esurit: qui autem isto fruitur, nulla fame torquetur. Et ideo tantò magis iste cibus quærendus est, quantò plus reficit epulatus. Quòd verò quotidianum panem petimus, hoc insinuare videtur, vt communionem corporis eius, si possibile est, omni die sumamus. Quia cùm ipse vita nostra sit, à nutrimento peregrinos nos facimus, si ad Eucharistiam tradi accedamus.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 5. epist. 48. Peruenit ad me, quosdam vestrum ignorantia vel necessitate deceptos, his, qui ab Apostolica Sede, culpa, sicut nostis, exigente, communione priuati sunt, communicasse: quosdam verò de salubri discretione, protegente Domino, suspendisse: & quantum de costantibus gaudeo, tantum de deuiantibus ingemisco. Quoniam sacræ communionis mysteria, quæ ad absolutionem vobis diuina pietate concessa sunt, in detrimentum magis suæ animæ perceperunt.

Isidorus Hispalensis. 620.

De summo bono libro 1. cap. 24. Qui sceleratè viuunt in Ecclesia, & communicare non desinunt, putantes se tali communione mundari, discant, nihil ad emundationem sibi proficere, dicente Propheta: *Quid est, quòd dilectus meus facit in domo mea scelera multa? Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas?* Et Apostolus: *Probet seipsum*, inquit, *homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.*

Eucherius Gallus. 640.

In librum 4. Regum. Communionem corporis & sanguinis Domini viuificare manifestum est.

Beda. 700.

Ad Psalm. 21. *Edent Pauperes.*) Ego quidem reddam vota, de quibus votis edent pauperes, id est, mundi contemptores edent quidem realiter, si ad Sacramenta referatur, & saturabuntur æternaliter, quia intelligent in pane & vino, visibiliter sibi proposito, aliud inuisibile, scilicet corpus verum & sanguinem verum Domini, quæ verus cibus & verus potus sunt, quo non venter distenditur, sed mens saginatur.

Alcuinus. 750.

De diuinis Officijs cap. 39. de celebratione Missæ: Quam hostiam offert Ecclesia? Nonne quam à Deo accepit, id est, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem sanctum salutis perpetuæ? In hoc pane vita æterna est, sicut ipse panis viuus de seipso ait: *Ego* Ioan. 6. *sum panis viuus. Qui manducat panem hunc, viuet in æternum.*

Haymo. 820.

Ad Psalm. 22. Non solùm Dominico corpore à vitijs mundamur, virtutibus replemur, sed etiam cōtrà omnem persecutionem sustentamur.

Ad cap. 10. prioris ad Corinth. Diuinitatis plenitudo, quę fuit in illo, replet & istum panem, & ipsa diuinitas Verbi, quæ implet cælum & terram, & omnia, quæ in eis sunt, ipsa replet corpus Christi, quod à multis sacerdotibus per vniuersum orbem sanctificatur, & facit vnum corpus Christi esse: & sicut ille panis, & sanguis in corpus Christi transeunt, ita omnes, qui in Ecclesia dignè comedunt illud, vnum corpus Christi sunt, sicut ipse dixit: *Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem: in me manet, & ego in eo.*

Rabanus Maurus. 850.

De Vniuerso libro 5. cap. 11. Verè caro Christi est cibus, quia verè pascit, & ad vitam æternam hominem nutrit: & sanguis eius verè est potus, quia esurientem animam, & sitientem iustitiam, in æternum veraciter satiat. Temporalem quippe vitam sine isto cibo & potu possunt habere homines, æternam omninò non possunt: quia iste cibus & potus æternam societatem capitis membrorumq; suorum significat. *Qui manducat*, inquit, *carnem meam, & bibit meum sanguinem: ipse in me manet, & ego in eo.* Huius rei Sacramentum, id est, vnitatis corporis, & sanguinis Christi, de mensa Dominica assumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Res verò ipsa omni homini ad vitam, nulli ad exitium. Quicunque enim particeps fuerit, idem Christo capiti membrum associatus in regno Christi. Quia aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Sacramentum enim ore percipitur, virtute Sacramenti homo interior satiatur. Ergo quia panis corpus confirmat, ideo ille corpus Christi congruenter nuncupatur.

Ad caput 4. Esther: In hoc conuiuio non carnales epulæ, sed spirituales sapientiæ, & virtutum dapes, à dignè conuiuantibus sumuntur, vbi sacrosancta mysteria corporis & sanguinis Domini fideles quique ob salutis suæ remedia percipiunt, in quibus pastus vitæ æternæ consistit.

Paschasius Ratbertus. 870.

De corpore & sanguine Christi cap. 9. Quia quotidie labimur, quotidie Christus pro nobis mysticè immolatur, & passio Christi in mysterio traditur: vt qui semel moriendo mortem vicerat, quotidie recidiua delictorum per hæc Sacramenta corporis & sanguinis Christi relaxet.

Erricus. 880.

In Homil. Stabulum, in quod illam duxit, præsens sancta Ecclesia accipitur, in qua sancta Dei animalia (hoc est, fideles) frumenti verbi Dei iugiter aluntur, & sacratissimo Dominici corporis pane confirmantur.

Radulphus Flauiacensis. 950.

Lib. 14. in Leuiticum. Si loco illi tanta exhibebatur reuerentia, vbi vitulorum tantùm, & hircorum sanguis offerebatur, quid illi honoris habendum, in quo populus sacratum Christi corpus assumit, & sanguinis bibit haustum: in quo sacrosancti latices veteres diluunt culpas?

Fulpertus Carnotensis. 990.

Epistola ad Adeodatum: Christus aduersus quotidianas nostræ prolapsionis offensas sacrificij placabilis nobis prouidit, expiamenta, vt quia corpus suum, quod semel pro nobis offerebat in pretium, paulò post à nostris visibus sublaturus fuerat in cælum, ne sublati corporis fraudaremur præsenti munimine, corporis nihilominus & sanguinis sui pignus salutare nobis reliquit.

Guitmundus Auersanus. 1060.

De Eucharistiæ Sacramento lib. 2. De hoc certè vniuersalis Ecclesia est testis, quia quotiescunque id sumimus, nos vtique Christianos esse, id est, spiritualiter natos ostendimus. Consequenter ergo & concrucifixos, & commortuos, & consepultos Domino nostro per baptismum in mortem, sed & consurrexisse nos declaramus. Per hanc quoque vitia expellimus, per hanc nos in nona vita confirmari confidimus, per hanc postmodum perfectos ad regnum æternum nos ascensuros speramus.

Algerus. 1160.

De Eucharistia lib. 1. cap. 11. Quamuis corpus Christi & sanguis spiritualis cibus & potus sit, & spiritualiter sumi iubeatur: non tamen ita per omnia accipiendum est spiritualiter, vt tantum animæ, & non corpori nostro salutem æternam operetur. Ait enim Ambrosius in epist. 1. ad Corint. Calicem mysticum ad tuitionem corporis & animæ percipimus. Caro Saluatoris pro salute corporis, sanguis verò pro anima nostra effusus est, vt totum hominem saluum faceret.

Cap. 12. Non est sine magno gratiæ priuilegio, quòd Deus etiam corporaliter humani corporis & cordis vti dignatur diuersorio, nec tantùm ad hospitandum, vt in templo suo, sed ad incorporandum sibi, vt membrum capiti suo. Quid enim ad salutem nobis deerit, cùm ille, qui salus est omnium, nobis vnitus fuerit? &c. Cùm corpus Christi sumpserimus, & corpus eius facti fuerimus, transibit ipse in nobis ad Patrem, transibimus & nos in illo: vt cum illo in tanti transitus labore vnum facti, vnum semper simus in peruentionis gaudio.

Anselmus. 1080.

Ad cap. 10. prioris ad Corinth. Participatio calicis & panis Dominici facit, vt anima nostra, & corpus tandem conformetur animæ & corpori Christi secundùm receptionem eiusdem beatitudinis. Tunc autem hoc erit, si quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur spiritualiter bibatur, &c. Sicut Iudæi participes fiebant altaris per esum hostiarum, sic nos efficimur

 parti-

Google

participes Christi per esum carnis eius: quoniam vera carnis substantia, quæ in Christo est, in nos transit. Quoniam sacrificium illud idem, quod erat in altari transibat in eis, qui comedebant de illo. Similiter & qui idolothyta sacrificia manducant, fiunt socij dæmonum.

Hildebertus Cenomanensis. 1100.

De officio Missæ:

Si qua fides Patribus, quos vita beata perennat,
Esca fit hæc animæ, quæ modo carnis erat.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De operibus Spiritus sancti lib. 3. de Sapientia lib. 2. cap. 18. Huius Sacramenti virtus, non vtcunque testimonium, sed ipsum est vitæ ac salutis nostræ Testamentum: ait enim: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic calix nouum Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis fundetur.* Hoc testimonium testimonio, quod aduersus nos habebat diabolus, quadam oppositione propria oppositum est. Quia videlicet contra cibi vetiti culpam, cibi & potus gratia est: contra serpentis venenum, sancti Spiritus antidotum est. Et hoc vtique Sacramentum ab eadem Domini nostri Iesu Christi passione habet venæ suæ principium. 1. Cor. 11.

Lib. 2. in Apoc. cap. 2. Hoc lignum vitæ, quod est Christus, dum nos corpore & sanguine suo reficit, iam nunc resuscitat animam à morte peccati, & carnem nostram in nouissimo die resuscitabit.

Bernardus. 1130.

De Cœna Domini: Audistis formam Sacramenti, audite efficaciam & cõmunionem corporis, & sanguinis Domini: Et nos Iesu Christo, & Iesus Christus in nobis, in vnitate fœderatur inenarrabili, sicut ipse dixit: *Qui manducat carnem meam, &c.* Hic pereat physicale nutrimentum, cibus iste non est ventris, sed mentis. Non est enim datus ad ruinas huius vitæ, quæ vapor est, ad modicum parens: sed ad æternam vitam animę conferendam. Ipse est panis Angelorum, qui nescit putrescere, non vadit in secessum, sed tendit in excelsum. Illuc reducit hominem, vnde traxit imaginem. Ioan. 6.

Hugo Victorinus. 1130.

In Speculo Ecclesiæ cap. 7. Per excellentiam dicitur Eucharistia, id est, bona gratia: quia non tantùm in hoc Sacramento gratia sumitur: sed etiam ipse à quo est omnis gratia. Hæc Eucharistia dicitur diuina, quia dignè sumentes diuinos, & diuinitatis participes facit. Hoc Sacramentum firmamentum est contra hostes, de quo Ecclesia in Propheta: *Parasti in conspectu meo mensam, &c.* Hoc Sacramentum viaticum est ascendentium de exilio ad patriam, &c.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. dist. 12. Institutum est hoc Sacramentum duabus de causis: in augmentum virtutis, scilicet charitatis, & in medicinam quotidianæ infirmitatis.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Libro 1. epist. 2. Iste panis viuus in æternum victuras animas reficit Christianorum.

Petrus Blesensis. 1160.

Epistola 114. Magna est & supereminens cælestis dignitas Sacramenti, & quis poterit ad eam? Scio quia hostia hæc singulariter animas ab interitu saluat, dum vnigeniti Dei mortis salubre mysterium repræsentat.

Hildegardis. 1160.

Epistola ad Moguntinenses: Per hoc Sacramentum corporis & sanguinis Iesu Christi, qui panis viuus est, animæ saluandorum reficiuntur.

Stephanus Eduensis. 1180.

De Sacramento altaris cap. 17. Sacramentalis sumptio alijs est ad vitam, alijs ad ruinam. In talibus enim remuneratur solius fidei & dilectionis effectus. De pane & vino fit hoc Sacramentum, ad significandum, quòd sicut panis cor hominis confirmat, vinum lætificat: ita hoc Sacramentum est fortitudo, & salus, & perfecta lætitia corporum & animarum.

Innocentius Tertius. 1200.

Mysteriorum Missæ libro 4. cap. 44. Panis iste si dignè manducetur, impinguat: & calix iste, si dignè bibatur, inebriat, non corpus, sed cor: non ventrem, sed mentem. Vnde: *Poculum tuum inebrians quàm præclarum est?* Per huius ergo Sacramenti virtutem vniuersę virtutes augentur, & omnium gratiarum fructus exuberant. Is enim in hoc Sacramento sumitur totus & integer, qui est fons & origo totius virtutis & gratiæ. Per crucis mysterium eripuit nos à potestate peccati: per Eucharistiæ Sacramentum liberat nos à voluntate peccandi. Nam Eucharistia si dignè sumatur, à malo liberat, & confirmat in bono, venialia delet, & cauet mortalia. Vnde cùm præmittimus in oratione Dominica: *Panem nostrum ἐπιούσιον, id est, supersubstantialem, da nobis hodie,* statim adiungimus: *Et dimitte nobis debita nostra. Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos à malo.* Quia per panem istum cælestem liberamur à malis præteritis, præsentibus, & futuris. Dedit ergo nobis hoc Sacramentum salutis, vt quia nos quotidie peccamus, & ipse iam mori non potest: per hoc Sacramentum, quod in memoria mortis eius accipimus, remissionem peccatorum quotidie consequamur. Psal. 22.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Feria 5. in Cœna Domini: Proposuit nobis Dominus carnem suam in edulium per cibum humanitatis, inuitans nos ad gustum diuinitatis, vt gustemus, & videamus, *quoniam suauis est Dominus:* qui non solùm humanitate sua nos reficit, sed diuinitate sua mentes nostras impinguat, dum illam puro corde recipimus. Vt enim suam erga nos charitatem ostenderet, & nostram erga se charitatem accenderet, non solùm dedit se in pretium, vt nos redimeret, sed insuper in cibum, vt nos alendo reficeret, & contra crebros casus humanæ fragilitatis subueniret.

Gulielmus Aluernus. 1230.

De Sacramento Eucharistiæ cap. 7. Piè creditur, vt hi, qui ea fide, qua decet, reuerentiaque, & deuotione, ac desiderio obtinendi veniam ac liberationem à peccatis, quorum se reos cognoscunt, quæque deserere nituntur, & ad istud Sacramentum accedunt, non fraudari spe sua & desiderio, vt à fonte sanctificationis omnium gratiarum vacui recedant, & à medicina tantæ salutis cum suis morbis & vulneribus reuertantur. Non enim panis vitæ tantùm esca esurientibus: sed etiam salus est ægrotantibus, & sacrificium reconciliationis iram Dei timentibus. Est etiam interpellator pro omnibus ad se fugientibus. Est etiam miserator veniæque largitor humiliter peccata confitentibus, & veniam ex corde poscentibus. Non enim ibi tantùm sacrificium est, aut Sacramentum: sed etiam ibi Deus est, cui offertur, & qui sacrat & sanctificat pia fide, humili spe, & timorata reuerentia accedentes.

Alexander Alesius. 1230.

Parte 4. q. 10. m. 8. a. 2. Hoc Eucharistię Sacramento augentur virtutes: nec ex hoc sequitur, quòd contingat peruenire ad summum gradum virtutis in via, frequenti sumptione huius Sacramenti: quia tantùm hoc Sacramentum datur in robur, medicinam, & remedium: magis fit hæc augmentatio ad robur, ne succumbat tentatione aduersitatis, & in remedium, ne succumbat tentatione voluptatis, & in medicinam, quantum ad curationem venialium, & quantum ad augmentum, secundùm

cunonim essentiam virtutum. Vnde quantum ad tria augentur hoc Sacramento virtutes, scilicet quantum ad roborandum contra tentationem aduersitatis: vnde dicitur panis confirmans cor hominis & quantum ad efficaciam efficiendi animam sobriam contra incentiua voluptatis.

Albertus Magnus. 1240.

Ad cap. 6. Matth. Hic panis origine cælestis est, substantialiter deificus est, causaliter viuificus est, sacramentaliter vnitiuus, effectu viaticus est, specie tenus æternæ fruitionis designatiuus.

Thomas Aquinas. 1250.

In expositione Missæ cap. 3. Sacramentum altaris sumptum tria operatur, primum, peccata purgat: secundò, virtutes roborat: tertiò, vitam æternam resuscitat.

Opusculo 57. Nullum est Sacramentum isto salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium spiritualium charismatum abundantia impinguatur.

Vrbanus Quartus. 1260.

Constitutione de Festo corporis Christi: Dedit Christus nobis se in pabulum, vt quia per cibum homo corruerat, per cibum ipse releuaretur ad vitam. Cecidit homo per cibum ligni mortiferum, releuatus est homo per cibum ligni vitalis. In illo pependit esca mortis, in isto pependit vitæ alimentum. Illius esus meruit læsionem, istius gustus intulit sanitatem: gustus sauciauit, & gustus sanauit. Vide quia vnde vulnus est ortum, prodijt & medela: & vnde mors subijt, exinde vita euenit. De illo
Gen. 2. siquidem gustu dicitur: *Quacunque die comederis, morte morieris.* De isto verò legitur: *Si quis come-*
Ioan. 4. *derit ex hoc pane, viuet in æternum.* Hic est cibus, qui plenè reficit, verè nutrit, summeq; impinguat, non corpus, sed cor, non carnem, sed animam, non ventrem, sed mentem.

Richardus de media villa. 1280.

In lib. 4. Sent. dist. 12. art. 5. qu. 1. Principalis effectus huius Sacramenti est, iam vnitum corpori Christi mystico per charitatem plus vnire & incorporare: & quia augmentum vnionis venialia impediunt aliquo modo, in quantum scilicet minuunt charitatis feruorem, ideo ex consequenti, per susceptionem huius Sacramenti venialia remittuntur: nec oportet, quòd omnia, sed secundùm suscipientis dispositionem, aliquando etiam remittuntur mortalia.

Hugo Pratensis. 1300.

Dominica Resurrectionis de epistola: Corpus Christi dignè sumptum sex effectus optimos operatur in nobis. Primus effectus est, comedentis in Christum transformatio: quia iste cibus non conuertitur in comedentem, sicut alij cibi, sed comedens transformatur & conuertitur in Christum comestum & sumptum. Secundus effectus est, vitæ collatio: habet enim corpus Christi vitam conferre dignè sumenti. Ioan. 6. *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Si enim lignum vitæ plantatum in medio paradisi habebat virtutem vitam in hominibus perpetuare, multo magis corpus Christi dat vitam æternam. Tertius effectus est, mentis illuminatio: habet enim corpus Christi mentem illuminare, quia ipse est lux. Quartus effectus est, cælestis ductio: habet enim corpus Christi dignè sumentem ad cœlos ducere. Quintus effectus est, Angelorum assimulatio: quia cùm corpus Christi sit panis Angelorum, iuxta illud: *Panem Angelorum manducauit homo*, habet homines ipsum dignè sumentes Angelis assimulare, & filios Dei efficere. Sextus effectus est, omnis saporis suauitas & refectio. Habet enim corpus Christi dignè sumenti omnis saporis suauitatem conferre: quia qui dat se, omnia sua dare videtur.

Reinerus Pipernus. 1300.

In Euangelium Ioannis: Vtilitas istius Sacramenti magna est, & vniuersalis. Magna quidem, quia efficit in nobis nunc vitam spiritualem, & tandem æternam. Nam cùm hoc Sacramentum sit Dominicę passionis, continet in se Christum passum. Vnde quicquid est effectus Dominicæ passionis, totum est etiam effectus huius Sacramenti.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 6. Ioannis: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis.*) Sicut enim in vita corporali cibus est necessarius ad vitam conseruandam: ita in vita spirituali hoc Sacramentum est necessarium: quia est vitæ spiritualis conseruatiuum. Quia sicut baptismus est quædam spiritualis generatio: ita Eucharistia est quædam spiritualis nutritio.

Qui manducat.) Hic ostenditur huius Sacramenti vtilitas, quæ est augmentatio in vita spirituali. Sicut cibus corporalis non tantummodò nutrit & conseruat vitam, sed deducit ad perfectam quantitatem: sic hoc Sacramentum perducit hominem ad consummationem gratiæ, quæ est gloria æterna.

Ioannes Taulerus. 1350.

Sermone 1. de Festo venerabilis Sacramenti: Ea huius dignissimi Sacramenti natura est, vt quicquid malum, superfluum, inutile est, consumat, reijciat, expellat: quo facto, Deus & gratia subintrant. Tum verò Deus in hoc Sacramento attractus, seipsũ foras exerit, & operatur in omni hominis vita, in amore siue voluntate, in intentione, in cogitationibus, cuncta hæc magis noua, puriora, diuinioraq; efficiens. Pręterea Sacramentum illud omnem cordis cæcitatem eliminat, homini sui ipsius confert notitiam, eumq; tam à seipso, quàm creaturis omnibus abstrahere, abscindere, auertere se docet, sicut scriptum est: *Cibauit illum pane vitæ & intellectus.* Eccl. 15.

Gerhardus Zutphaniensis. 1390.

Libro de spiritualibus ascensionibus cap. 31. Sunt in hac Cœna multa omni deuotione & reuerentia deuoluenda, omniq; pietate colenda. Sicut hic cibus bene & dignè susceptus confert animæ gratiam, ita malè dispositis maiorem infert culpam & mortem.

Philippus Montis Galerij. 1400.

Concione de corpore Christi: Quia inter Sacramenta Ecclesiæ altissimum Sacramentum Eucharistiæ est, in se nobilius, & plures effectus nobis similes in se habet, ideo præ cæteris appretiari debet, & deuotius venerari. Nam quantæ pretiositatis in se sit, ex hoc potes aduertere, quia in ipso veraciter continetur ille, qui est. Non potest esse maioris dignitatis, cùm sit verus Filius Dei Christus in hoc Sacramento contentus, nos satiat spiritualiter, nos viuificat mentaliter, nos conseruat æternaliter.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De disciplina & perfectione Monasticæ conuersationis cap. 19. Ex ipso Sacramento Eucharistiæ dignè sumentes maximum consequuntur spiritualem profectum. Nam viuificantur interius, corpori Christi incorporantur, spiritualiter reficiuntur, deuotione augmentantur, dulcedine nutriuntur, charitatis scilicet ad Deum, & dilectionis ad proximum, & suauitatis in seipsos. Fit quoque ex ipsa sumptione in illis fomitis mitigatio, gratiæ collatio, virtutum roboratio, peccatorum remissio, contra diabolum armatio, spei eleuatio, amoris excitatio, fidei commendatio, Angelica conuiuatio regni cælestis largitio, intellectus illuminatio, & omnium bonorum participatio.

Raymundus Sebundius. 1430.

In Viola animæ cap. 72. Manducans Christum, non

in te Christus mutatur, sed tu mutaris in Christo: formam, & imaginem & Christi similitudinem verè recipiens, atque ita Christo coniungeris, & eius membrum efficeris. Hinc iam intelligis quomodo hoc Sacramentum scala sit, in qua per res visibiles (vt sunt forma panis & vini) homo ascendit ad Christum, & Christus descendit ad hominem, &c. Sicut panis & vinum sunt ipsius corporis plena refectio: ita corpus Christi, quod sub his speciebus continetur, optimo spirituali cibo animam refocillat. Sicut panis supra omnes cibos corpus nutrit & sustentat, & vinum lætificat & inebriat: ita corpus & sanguis Christi animam reficit, nutrit, lætam, iucundam, & ebriam reddit.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tomo 1. Serm. 54. fol. 396. de quatuor primis fructibus Sacramenti: Primus quidem fructus viuificatio dictus est, eò quòd animæ vitam præstet. Et hoc triplici ratione. Primò ratione contenti: secundò, ratione repræsentati: tertiò, ratione modi sumendi. Primò autem confert animæ vitam ratione contenti: nam in hoc Sacramento continetur veraciter ipse Christus. Vnde quemadmodum ipse carnem nostram assumens contulit mundo ipsam gratiæ vitam: sic in homine sacramentaliter viuens, vitam gratiæ operatur. Propterea quandoque virtute huius Sacramenti fit homo de attrito contritus. Secundò confert animæ vitam ratione repræsentati. Repræsentatur enim in eo Christi passio. Propterea, quòd Christi passio fecit in mundo, hoc efficit sanctum Sacramentum in homine dignè & humiliter præparato. Tertiò confert animæ vitam ratione modi sumendi. Sumitur enim per modum cibi ac potus. Propterea omnem effectum, quem cibus materialis & potus facit, quantum ad vitam corporalem: quia videlicet sustentat, auget, reparat, & delectat: idem efficit hoc Sacramentum sanctissimum, quantum ad vitam spiritualem.

Ioannes de Turre Cremata. 1460.

In Meditationibus. Quid hoc Sacramento salubrius, in quo purgantur vitia, virtutes augentur, & mens omnium charismatum abundantia impinguatur?

Nicolaus de Nyse. 1475.

Secunda partis Destructorij tractatu 2. Sacramentum Eucharistiæ multum valet ad expugnandum inimicum, in quantum est signum passionis Christi, per quam victi sunt dæmones.

ARTICVLVS TERTIVS.

LAICORVM SVB VNA PANIS SPECIE COMMVNIONEM APPROBANDAM ET IN ECCLESIA VSITATAM ESSE.

DVBITANT, AVT NEGANT.

Anno post natum Christũ

1410. PETRVS *Dresdensis, & Iacobellus Misnensis primi docuerunt non posse laicos saluari nisi de calice Domini biberent.* Æneas Syluius histor. Bohemorum cap. 35. Antonius Bonfinius Decad. 3. lib. 3. Ioannes Cochleus Histor. Hussiticæ.

1414. *Ioannes Hussus non admodum contendit de Communione sub altera, vel sub vtraque specie.* Vnde epist. 48. *De Sacramento Calicis*, inquit, *habetis scriptum; quod scripsi Constantiæ: Si potest fieri attentetis, vt saltem permittatur per Bullam illis dari, qui ex deuotione postulauerint, circunstantijs adhibitis.*

1428. Ioannes de Perzibram Bohemus in professione fidei cap. 19. *Omnes*, inquit, *fideles possunt licitè & Catholicè de illo pane edere, & de illo calice bibere, iuxta institutionem Christi.*

1520. Martinus Lutherus in doctrina de Communione sub altera, vel sub vtraque specie varius est, & parum sibi constans, quòd vno modo aiat, altero negat. Testantur eius quæ sequuntur verba.

De Captiuitate Babylon. cap. de Eucharistia: *Prima captiuitas huius Sacramenti est quo ad eius substantiam, quam nobis abstulit Romana tyrannis, non quòd peccent in Christum, qui vna specie vtuntur, cùm Christus non præceperit illa vti, sed arbitrio cuiuslibet reliquerit, dicens:* Quotiescunque feceritis hæc in mei memoriam facietis. *Sed quòd illi peccant, qui hoc arbitrio volentibus vti, vtramque dari prohibent: culpa non est laicis, sed sacerdotibus. Sacramentum non est sacerdotum, sed omnium: nec domini sunt sacerdotes, sed ministri, debentes reddere vtramque speciem petentibus, quotiescunque petierint. Itaque non hoc ago, vt vi rapiatur vtraque species, quasi necessitate præcepti ad hoc cogamur: sed conscientiam instruo, vt patiatur quisque tyrannidem Romanam, sciens sibi raptum per vim ius suum in Sacramentum, &c. Concludo itaque, negare vtramque speciem laicis esse impium & tyrannicum, nec in manu vllius Angeli, nedum Papæ & Concilij cuiuscunque.*

In declaratione in Sermonem de Eucharistia à se habitum: *Non dixi, neque consului, neque est intentio mea, vt vnus, aut aliquot Episcopi propria auctoritate incipiant alicui vtramque speciem porrigere, nisi ita institueretur, aut præciperetur aliquo generali Concilio.*

De Formula Missæ: *Simpliciter, iuxta institutum Christi, vtraque species & petatur & administretur: Concilia nec morari, nec audire volumus in his, quæ manifestè sunt Euangelij. Quin amplius dicimus: Si*

quo vasis Concilium id statueret, aut permitteret, tunc minimè omnium nos velle vtraque specie potiri, imò tunc primùm in despectum tam Concilij, quàm statuti sui, vellemus aut alterutrà tantùm, aut nequaquam vtraque potiri, ac planè eos anathematizare, quicunque authoritate talis Concilij vel statuti vtraque potirentur.

In Assertionibus artic 16. *Consultum mihi videtur nunc, vt non modò per Concilium, sed per quamque diœcesin, quilibet Episcopus etiam inuito Papa, Christum secutus in Euangelio, rursus vtramque speciem laicis daret, &c. Nam hoc ego dico, si quis sciens omittat desiderare saltem alteram etiam partem Sacramenti, licet neutra necessaria sit, cùm fides sola hic sufficiat, impium eum esse, & Christum ab eo negari.*

Epist. ad Bohemos: *Quamuis pulchrum quidem esset, vtraque specie in Eucharistia vti, & Christus hac in re nihil tanquam necessarium praecepit, praestaret pacem & vnitatem, quam Christus vtique praecepit, sectari, quam de speciebus contendere.*

Ad Christianam nobilitatem: *Non sum auctor, vt Bohemi ad alteram Sacramenti speciem cogantur, sed vt eo, quo velint, modo relinquantur. Episcopus tantùm curet, ne discordia ex hoc diuerso communicandi modo oriatur, sed familiariter eos instruat, neutrum esse cum errore coniunctum, quemadmodum omni errore vacat, quòd Sacerdotes alio quam laici habitu vtuntur.*

Tomo 2 Germanico folio 100. in alib edit. Tom. 7. fol. 360. lib. de vtraque specie Sacramenti: *Si veneris ad locum, in quo vna tantùm species ministratur, accipe tantùm vnam, quemadmodum ibi accipiunt: si praebentur duae, duas accipe, nec quicquam singulare infer, nec te multitudini oppone.*

1525. Philippus Melanchthon in secunda editione Locorum Communium impressa Argentorati anno 1525. fol. 78. *Errat, inquit, qui putat impium edere carnem suillam: errat item, qui putat impium abstinere à suilla. Media sunt haec, & in arbitrio nostro posita: sic & de Eucharistia iudico, non peccare, qui scientes huius libertatis, & credentes, alterutra Signi parte vtuntur.*

Idem Philippus, in postrema editione horum Locorum, *scribit omnino necessarium esse vtriusque speciei vsum.*

1550. *Ioannes Caluinus*, Lib. 4. Institut. cap. 17. §. 47. 48. 49. & 50. & in Antidoto Articulorum Parisiensi artic. 6. *pro vtraque specie huius Sacramenti pluribus pugnat.*

1560. *Hermannus Hammelmannus de Commun. sub vtraque specie proprium librum edidit.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Lucæ 24. *Vers.* 30. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum.

Hunc locum de Communione sub vna panis specie interpretantur.

IOANNES CHRYSOSTOMVS Homil. 16. *operis imperfecti in Matthaeum:* Aliud est sanctificatio, aliud sanctificatum. Sanctificatio est, quod alterum sanctificat: sanctificatum autem alterum sanctificare non potest, quamuis ipsum sit sanctum: vtpote signans panem tuum, quem manducas, sicut ait Apostolus: *Sanctificatur per verbum & orationem:* sanctificasti eum, non fecisti sanctificationem. Quod autem sacerdos de manu sua dat, non solùm sanctificatum est, sed etiam sanctificatio est: quoniam hoc non 1. Tim. 4.
solum datur, quod videtur, sed etiam illud, quod intelligitur. De sanctificato igitur pane licet & animalibus iactare, & infidelibus dare: quia non sanctificat accipientem. Si autem tale esset, quod de manu sacerdotis accipitur, quale est quod in mensa manducatur, omnes de mensa manducarent, & nemo de manu sacerdotis acciperet. Vnde & Dominus in via non solùm benedixit panem: sed de manu sua dedit Cleophae, & socio eius. Luc. 24. Et Paulus nauigans, non solùm benedixit panem: sed & de manu sua porrexit Lucae, & caeteris discipulis. Act. 27. Quod autem de manu porrigitur, nec animalibus dandum est, nec infidelibus porrigendum: quia non solùm sanctificatum est, sed etiam sanctificatio est, & sanctificat accipientem.

AVGVSTINVS de Consensu Euangelistarum lib. 3. *cap.* 25. Oculis eorum acciderat aliquid, quod ita manere permissum est vsque ad fractionem panis, certi mysterij causa, vt eis in illo alia ostenderetur effigies, & sic eum non nisi in fractione panis agnoscerent, sicut Luca narrante monstratur. Pro merito quippe mentis eorum, quòd oportebat Christum mori & resurgere, simile aliquid oculi eorum passi sunt, &c. Non autem incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factum fuisse, ne agnosceretur Iesus: sed tamen à Christo est facta permissio, vsque ad Sacramentum Panis: vt vnitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Christus possit agnosci.

ISICHIVS HIEROSOLYMITANVS Lib. 2. *in Leuiticum cap.* 9. Inuenimus autem & Christum similiter post resurrectionem, per mysticae Coenae, & panis fractionem manifestatum, quod apertè quidem tradit Lucas.

BEDA ad cap. 24. *Lucae:* Certi mysterij causa factum est, vt eis in illo alia ostenderetur effigies, & sic eum non nisi in fractione panis agnoscerent, ne quisquam se Christum agnouisse arbitretur, si eius corporis particeps non est, &c. Non incongruenter accipiamus hoc impedimentum in oculis eorum à Satana fuisse, ne agnosceretur Iesus: sed tamen à Christo est haec facta permissio, vsque ad Sacramentum Panis, vt vnitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Christus possit agnosci.

THEOPHYLACTVS ad cap. 24. *Lucae:* Insinuatur autem & aliud quiddam: nempe quòd oculi eorum, qui benedictum panem assumunt, aperiuntur, vt cognoscant illum. Magnam enim & indicibilem vim habet caro Domini.

Actorum 2. *verſ.* 42. Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.

Actorum 20.7. Vna autem Sabbati cùm conueniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſputabat, &c.

Interpretantur hæc loca de Euchariſtia.

IOANNES CHRYSOSTOMVS *Homil.* 17. *operis imperfecti in Matthæum*: Et Paulus nauigans non ſolùm benedixit panem, ſed & de manu ſua porrexit Lucæ & cæteris diſcipulis. Quod autem de manu porrigitur, nec animalibus dandum, nec infidelibus porrigendum: quia non ſolum ſanctificatum eſt, ſed etiam ſanctificatio eſt, & ſanctificat accipientem.

BEDA ad cap. 20. Actuum Apoſtolorum: *In vna autem Sabbati cùm conueniſſemus ad frangendum panem.* Id eſt, die Dominico, qui eſt primus à Sabbato, cùm ad myſteria celebranda congregati eſſemus.

IONAS AVRELIANENSIS *lib.* 3. *de Imaginibus*: In Actibus Apoſtolorum Apoſtoli leguntur omni die in templo, & circa domos docuiſſe, & in panis fractione myſteria corporis Domini celebraſſe.

CHRISTIANI IN SYRIA: Vbi noſter textus habet Actor. 2. *In Communione & fractione panis*, Syriacus textus habet: *in fractione Euchariſtiæ*. Quod probat Syros ante plures annos hunc locum non de communi pane, ſed de Euchariſtia intellexiſſe.

IOANNES CALVINVS, *licet aduerſarius, tamen Act.* 20. *eodem nobiſcum modo locum interpretatur*: Quamuis, *inquit*, interdum Hebræis panis fractio conuiuium domeſticum ſignificet, hoc tamen loco de ſacra Cœna duabus rationibus inductus interpretor. Nam cùm ex ſequentibus colligere promtum ſit, non paucam hominum multitudinem illic fuiſſe collectam, cœnam priuatam in domo poſſe inſtrui conſentaneum non eſt. Deinde narrabit poſtea Lucas Paulum non cœnæ tempore, ſed poſt mediam demum noctem panem ſumpſiſſe. Huc accedit, quòd non veſcendi cauſa cibum dicit cepiſſe, ſed tantùm vt guſtaret.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Ignatius. 100.

Epiſtola ad Epheſios: Obedientes Presbytero & Epiſcopo, impræuaricabili ſenſu frangentes panem, qui eſt medicamentum immortalitatis, antidotum non moriendi.

Irenæus. 180.

Epiſtola ad Victorem: Presbyteri illi, qui te anteierunt ætate, tametſi minimè illud ita obſeruabāt: his tamen Epiſcopis, qui in alijs Eccleſijs idem ſic obſeruabant, Euchariſtiam miſerunt.

Origenes. 230.

Homil. 13. *in Exodum*: Volo vos admonere religionis veſtræ exemplis. Noſtis, qui diuinis myſterijs intereſſe conſueuiſtis, quomodo cùm ſuſcipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione ſeruatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conſecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, & rectè creditis, ſi quid inde per negligentiam decidat. Quòd ſi circa corpus eius conſeruandum tanta vtimini cautela, & meritò vtimini, quomodo putatis minoris eſſe piaculi, verbum Dei neglexiſſe, quàm corpus eius?

Dionyſius Alexandrinus. 260.

Epiſtola ad Fauium Antiochenum. Erat Serapion apud nos fidelis ſenex, qui lapſus ſæpe in Eccleſiam recipi ſupplex poſtulabat: ſed nemo, quia idolis ſacrificaſſet, eius poſtulationi aliquando auſcultauit. Qui in grauem morbum dilapſus, triduo deinceps mutus & abſque ſenſu vixit. Quarto autem die paulatim releuatus, nepotem ad ſe acceſſit, ſicque alloquitur: Quouſque, fili, me detinetis? properate obſecro, & me ocyus dimittite: aliquem ex Presbyteris aduoca ad me. Quæ cùm dixiſſet, iterum fit mutus. Puer currit ad Presbyterum: nox iam erat: ille fortè morbo vexatus, ad eum accedere non poterat: ſed tamen quoniam à me ei fuerat præceptum, vt qui iam eſſent vita emigraturi, ſanctorum myſteriorum (dummodò peterent, & vel maximè, ſi antea, dum integra valetudine erāt, ſupplices petiuiſſent) participes fierent, ſicque cum pace dimiſſi, & bona ſpe confirmati ex hac luce diſcederent, βραχὺ τῷ παιδαρίῳ τῆς εὐχαριστίας ἐπέδωκεν, ἀποβρέξαι κελεύσας, καὶ τῷ πρεσβύτῃ κατὰ τοῦ στόματος ἐπιστάξαι: id eſt, puero breuiculum ſeu pauxillum Euchariſtiæ dedit (*vt de aliquo toto, & ſolido ſectu eſſe deſumptam*) præcipiens, vt eam madefactam in os ſenis infunderet. Quam puer ſecum adferens, redijt: cui iam appropinquanti, priuſquam cum eo, quod geſtabat, intraret ædes, Serapion denuò recuperata voce dixit: Veniſti fili? tametſi Presbyter non poteſt venire, tu tamen præſta quod tibi in mandatis dedit, & dimitte me abire. ἀπέβρεξεν ὁ παῖς καὶ ἅμα τε ἐνέχει τῷ στόματι. Particulam, quam apportarat puer, madefecit, & ſimul in os ſenis infudit, atque ille, ſimulatque eam pedetentim per fauces dimiſerat, ilicò extremum ſpiritum edidit.

Concilium Nicænum. 330.

Canone 63. *Arabico*: Oeconomus Eccleſiæ habeat curam loci, in quo ſancta Euchariſtia ſeruatur. *Intellige ſpeciem panis ad communicandos peregrinantes & infirmos.*

Baſilius Magnus. 370.

Epiſtol. ad Cæſaream Patriciam: Illud autem, in perſecutionis temporibus neceſſitate cogi quempiam, non præſente ſacerdote aut miniſtro, communionem propria manu ſumere, nequaquam eſſe graue ſupernacaneum eſt demonſtrare: propterea quòd longa conſuetudine hoc ipſo rerum vſu confirmatum eſt; omnes enim in eremis ſolitariam vitam agentes, vbi non eſt ſacerdos, communionem domi ſeruantes à ſeipſo communicant. In Alexandria verò & Aegypto vnuſquiſque eorum, qui ſunt de populo, vt plurimum habet communionem in domo ſua. Semel enim ſacerdote ſacrificium conſecrante & diſtribuente, meritò participare & ſuſcipere credere oportet. Etenim & in Eccleſia ſacerdos dat partem, & accipit eam qui ſuſcipit cum omni libertate, & ipſam admouet ori propria manu. Idem igitur eſt virtute ſiue vnam partem accipiat quiſquam à ſacerdote, ſiue plures partes ſimul.

Amphilochius. 380.

In vita Baſilij: Cùm ſacris operaretur, diuidens panem in tres partes, vnam quidem communicauit timore multo: alteram autem reſeruauit conſepelire ſecum: tertiam verò impoſuit columbæ aureæ, quæ pependit ſuper altare.

Euagrius. 600.

Lib. 4. cap. 35. Vetus fuit consuetudo Constantinopoli, vt si quando multæ admodum particulæ puri & immaculati corporis Christi Dei nostri superessent, pueri impuberes, qui scholas frequentabant, accerserentur, easque manducarent. Quod cùm factum fuit, filius cuiusdam hominis, Hebræi quidem opinione, arte autem vitrarij, vnà cum pueris versatus est. Qui quidem parentibus percunctantibus ab eo causam moræ respondit, vt se res habuit, se cum alijs pueris pariter comedisse. Hebræus bile, furore, & iracundia inflammatus, in clibanum ardentem, in quo vitrum formare solebat, puerum conijcit. Postquam verò mater puerum quæritans reperire non potuit, passim per totam vrbem ibat, Deum cum gemitu obtestans, & flebilibus lamentis se dedens. Triduo autem post ad ostium officinę viri sui consistens, luctu miserabiliter diuexata, nomine puerum compellat. Puer matris vocem vt agnouit, è clibano responsum dat: mater effractis foribus, intro irrumpit, videt puerum in medijs carbonibus candentibus consistentem illęsum ab ignis incendio. Qui cùm rogaretur, quo pacto illæsus manserit? mulier, inquit, veste amicta purpurea crebrò ad me venit, porrexit aquam, qua carbonum flammas corpus ambientes extinguerem: cibum denique dedit quoties esuriebam.

Ioannes Moschus. 620.

In prato spirituali cap. 79. Catholicus cuiusdam hæretici seruus in Seleucia, iuxta prouinciæ consuetudinem, die sancto Cœnæ Dominicæ sumptam communionem inuoluit in linteo mundissimo, & in armario reposuit. Contigit autem, vt post S. Pascha vir ille fidelis mitteretur Constantinopolim, negotij cuiusdam gratia, dimissa per obliuionem sancta communione in armario: dedit autem clauem eius domino suo. Quadam die aperiens armarium dominus, inuenit in eo linteolum, inuolutasque in eo sanctas particulas Communionis. Contristatus est autem in hoc, & hæsitabat quidnam de illis faceret. Nam ex ipsis communicare nolebat, eò quòd essent sanctæ Catholicæ Ecclesiæ: ipse verò Seuerianæ hæresis. Et tunc quidem dimisit eas in armario, vt erant, cogitans quòd redíturus esset seruus, & sumpturus eas. Cùm autem venisset Cœna Domini, neque seruus ille fidelis redijsset, voluit eas dominus ipsius comburere: ne rursus & in secundum annum seruarentur. Apertoque armario, videt omnes particulas culmos & spicas germinasse. Vnde ingenti timore comprehensus in nouo admirandoque spectaculo, sumens sanctas particulas, & cum omni domo sua clamans, Kyrie eleison, currit ad S. Ecclesiam, & ad Episcopum Dionysium.

Simeon Metaphrastes. 950.

De Martyrio SS. Inda & Domna: Huius præclarā opes erant, duæ storeæ in nudo solo stratæ, verè generosorum & beatorum Domnę & Indę magnifica supellex, fictile præterea thuribulum, & lucerna & lignea arcula, in qua reposuerant sacram oblationem, cuius fiebant participes.

Ioannes Sacranus. 1500.

In Elucidario errorum ritus Ruthenici cap. 18. Consecrant pro bellantibus panem simulagineum in corpus Christi, & laicis in bella procedentibus tradunt in manna, qui cùm sunt cum hoste confligturi, & iam manus conserturi, replent vas escarium, aut poculariam, quod in promptu fuerit, aliquo liquore, qui tunc occurrerit, & illic pane illo posito, seipsos ordine communicant.

Gilbertus Genebrardus. 1580.

Libro de Græcorum ritibus: Paschatis festo post auricularem confessionem communicant Græci, sed sub vtraque specie: ad ægrotos tamen panis duntaxat species defertur.

Ioannes Latiseius. 1590.

Ad cap. 11. Theologiæ Moscouiticæ fol. 115. Peracto sacro, panes, ex quibus sunt particulæ excisæ, astantibus distribuuntur. Quæ autem supersunt consecrata, ea in vsum & peregrè euntium, & morientium seruantur. Tum enim frustulum vino superinfuso emollitum, quasi quoddam viaticum expetentibus datur.

Hypatius Ruthenorum legatus. 1595.

In sua fidei professione: Fateor etiam sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Libro 2. ad vxorem cap. 5. Non sciet maritus quid secretò ante omnem cibum gustes? Et si sciuerit, panem non illum esse credit, qui dicitur. Et hæc ignorans quisque rationem simpliciter sustinebit, sine suspicione panis an veneni? sustinent quidem, sed vt inculcent, vt inludant huiusmodi fœminis, &c.

Cyprianus. 250.

Lib. de Lapsis: Cùm quædam mulier arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire: igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Et alius, qui & ipse maculatus, sacrificio à sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere, sanctum Domini edere, & contrectare non potuit: cinerem ferre se apertis manibus inuenit. Documento vnius ostensum est, Dominum recedere, cum negatur: nec immerentibus ad salutem prodesse, quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem, sanctitate fugiente mutetur.

De spectaculis. Demissus, & adhuc gerens secum, vt assolet, Eucharistiam.

Ambrosius. 370.

Oratione funebri de Excessu fratris Satyri: Quid igitur obseruantiam eius erga Dei cultum prædicem? qui priusquam perfectioribus esset initiatus mysterijs, in naufragio constitutus, cùm ea, qua veheretur, nauis scopuloso illisa vado, & vrgentibus hinc atque inde fluctibus solueretur, non mortem metuens, sed ne vacuus mysterij exiret è vita, quos initiatos esse cognouerat, ab his diuinum illud fidelium Sacramentum poposcit, non vt curiosos oculos insereret arcanis, sed vt fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium inuoluit in collo, atque ita se deiecit in mare, non requirens de nauis compage resolutam tabulam, qui supernatans iuuaretur: quoniam fidei solius arma quæsierat. Itaque his se tectum atque munitum satis credens, alia auxilia non desiderauit. Nec deseruit spes, nec fefellit opinio. Denique primus seruatus ex vndis, & in portum terrenæ stationis euectus, Præsulem suum, cui se crediderat, recognouit, statimque vbi etiam cæteros seruulos vel ipse liberauit, vel liberatos comperit, negligens facultatum, nec amissa desiderans, Dei Ecclesiam requisiuit, vt ageret gratias liberatus, & mysteria ęterna cognosceret, pronuntians nullum referendæ gratiæ maius esse officium.

Hieronymus. 390.

Apologia ad Pammachium pro libris contra Iouinia-

num, cap. 6. Scio Romæ hanc esse consuetudinem, vt fideles semper corpus Christi accipiant: quod nec reprehendo, nec probo: vnusquisque enim in suo sensu abundet: sed ipsorum conscientiam conuenio, qui eadem die post coitum communicant, &, iuxta Persium, *noctem flumine purgant*. Quare ad Martyres ire non audent? quare non ingrediuntur Ecclesias? an alius in publico, alius in domo Christus est? Quod in Ecclesia non licet, nec domi licet. Nihil Deo clausum est, & tenebræ quoque lucent apud Deum.

Augustinus. 400.

Homil. 26 *quinquaginta Homiliarum:* Quanta solicitudine obseruamus, quando nobis corpus Christi ministratur, vt nihil ex ipso de nostris manibus cadat in terram: tanta solicitudine obseruemus, ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliquid aut cogitamus, aut loquimur, de corde nostro pereat; quia non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille, qui corpus Christi in terram cadere negligentia sua permiserit.

Sermone 252. *de Tempore:* Mulieres quomodo nitidum exhibent linteolum, vbi corpus Christi accipiant: sic corpus castum & cor mundum accipiant, vt cum bona conscientia Christi Sacramenta suscipiant.

Concilium Quartum Carthaginense. 400.

Cap. 38. Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam corporis Christi (si necessitas cogat) iussus eroget.

Paulinus Presbyter Mediolanensis. 410.

In vita sancti Ambrosii: Honoratus sacerdos cùm in superiori domo se ad quietem composuisset, tertiò vocem vocantis se audiuit, dicentisque sibi: Surge, festina: quia modò est recessurus. Qui descendens obtulit sancto Ambrosio Domini corpus, quod vbi accepit, emisit spiritum, bonum viaticum secum ferens, vt in virtute escæ anima refectior Angelorum consortio lætetur.

Prosper Aquitanicus. 460.

De Promissionibus & prædictionibus lib. 4. *cap.* 6. *de puella dæmoniaca:* Per duas sanè hebdomadas nihil cibi vel poculi sumens in Monasterio mansit. Accidit autem, vt quintusdecimus Dominicus illucesceret dies, ascendente nobiscum sacerdote, vt matutinū illic sacrificium solitò offerretur, puellam præpositus ad altare perduxit, eo incessu ac habitu, quo solent rubore perfusæ ex epulis, poculisque mulieres aduenire. Sed vt se illa prostrauit altari, clamore fletus sui cunctis astantibus gemitus, lachrymasque induxit, quibus tantum malum auferendum præsens plebs Dominum exorabat. Peracto itaque sacrificio, cùm eadem inter ceteras breuem particulam Corporis Domini tinctam à sacerdote perciperet, semihora mandens traijcere non valuit, nondum dæmone fugato. Manu igitur faciem eius sustentante sacerdote, ne sanctum proijceret, à quodam Diacono suggestum est, vt calicem salutarem gutturi eius Pontifex applicaret. Quod vt factum est, statim vt locum illum, quem diabolus obsederat, Saluatoris imperio reliquit, Sacramentum, quod ore gestabat, cum laude Saluatoris transglutisse puella clamauit.

Adelinus Sagiensis. 520.

In vita S. Opportunæ: Cùm iam prægrauante corporis infirmitate, duodecimo die sciret adesse horam vocationis suæ, præcepit sacerdotibus pro animæ suæ commendatione Missarum solennia celebrare: quod cùm factum esset, iussit Dominicum corpus adferri, & sibi dari: quo accepto, corpus tuum Domine, inquit, proficiat mihi ad salutationem animæ meæ.

Concilium Turonense Secundum. 570.

Cap. 3. Vt corpus Domini non in armario, sed sub Crucis titulo componatur.

Gregorius Turonensis. 580.

Libro de vita Patrum cap. 3. Sciens S. Gallus, reuelante Domino, se post triduum migraturum, conuocat populum, & omnibus confracto pane communionem sancta ac pia voluntate largitur.

De gloria Patrum lib. 1. *cap.* 86. Recolo, quod in adolescentia mea gestum audiui. Dies passionis erat Polycarpi Martyris magni, & in Ricomagensi vico ciuitatis Auernæ eius solennia celebrabantur. Lecta igitur passione cum reliquis lectionibus, quas Canon sacerdotalis inuexit, tempus ad sacrificium offerendum aduenit, acceptaque turre Diaconus, in qua mysterium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium, ingressusque templum, vt eam altari superponeret, elapsa de manu eius, ferebatur in aëra, & sic ad ipsam aram accedens, nunquam eam manus Diaconi potuit assequi. Quod non alia credimus actum de causa, nisi quia pollutus erat in conscientia: sæpius enim ad eundem adulteria ferebantur admissa. vni tantùm Presbytero, & tribus mulieribus, ex quibus vna mater mea erat, hæc videre licitum fuit: cæteri non viderunt. Aderam, fateor, & ego tum temporis huic festiuitati, sed hæc videre non merui.

Concilium Matisconense Secundum. 588.

Cap. 6 Quæcunque reliquiæ sacrificiorum post sanctam Missam in sacrario superfederint, quarta vel sexta Feria innocentes ab illo, cuius interest, ad Ecclesiam adducantur, & indicto eis ieiunio, easdem reliquias vino conspersas percipiant.

Gregorius Magnus. 600.

Libro 3. *Dialog. cap.* 3. Agapitus Missarum solennia exorsus, sacrificium in conspectu Dei omnipotentis immolauit. Quo peracto, ab altari exiens claudi manum tenuit, atque assistente & aspiciente eum vniuerso populo, mox à terra erexit: cumque ei Dominicum corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lingua soluta est.

Beda. 700.

Anglicanæ historiæ lib. 4. *cap.* 14. *scribens de puero ægroto:* Credens verbis pueri Presbyter, vocatisque fratribus parare prandium. Missas fieri, atque omnes communicare more solito præcepit: simul & infirmati puero de sacrificio Dominicæ oblationis particulam deferri præcepit: quibus ita gestis, non ita multo post puer defunctus est.

Cap. 24. Rogauit ergo Cedmon ministrum suum vespere incumbente nocte, qua de seculo erat exiturus, vt in ea sibi locum quiescendi præpararet. Qui miratus cur hoc rogaret, qui nequaquam adhuc moriturus esse videbatur: fecit tamen quod dixerat. Cumque ibidem positi vicissim aliqua gaudente animo vnà cum eis, qui ibidem antea inerant, loquerentur ac iocarentur, & iam mediæ noctis tempus esset transcensum, interrogauit omnes, si Eucharistiam intus haberent: respondebant, quid opus est Eucharistia? Neque enim mori adhuc habes, qui tam hilariter nobiscum velut sospes loqueris. Rursus ille: Et tamen, ait, afferte mihi Eucharistiam. Qua accepta in manu interrogauit, si omnes placidum erga se animum, & sine querela controuersiæ ac rancoris haberent. Respondebant omnes, placidissimam se mentem ad illum, & ab omni ira remotam habere: eumque vicissim rogabant, an placidam erga ipsos mentem gereret. Qui confestim respondit: Placidam ego mentem, filioli, erga omnes famulos Dei gero sicque cælesti muniens se viatico vitæ alterius ingressui parauit.

Lib. 2. *cap.* 5. Circa annum ab Incarnatione Domini 613. turba contigit in Ecclesia: auxit huius-

modi perturbationis procellam etiam mors Sabereti regis Orientalium Saxonum: qui, vbi regna perennia petens, tres filios suos, qui pagani perdurauerunt, regni temporalis hæredes reliquit. Cœperunt illi mox idololatriæ, quam viuente eo aliquantulum intermisisse videbantur, palam seruire, subiectisque populis liberam idola colendi dare licentiam. Cumque viderent Pontificem celebratis in Ecclesia Missarum solẽnijs Eucharistiam populo dare, dicebant, vt vulgo fertur, ad eum barbara inflati stultitia: Quare non & nobis porrigis panem nitidum, quem & patri nostro Saba (sic namque eum appellare consueuerant) dabas, & populo adhuc in Ecclesia dare non desistis? Quibus ille respondebat: Si vultis ablui fonte illo salutari, quo pater vester ablutus est, potestis etiam panis sancti, cui ille participabat, esse participes: sin autem lauacrum vitæ contemnitis, nullatenus valetis panem vitæ percipere. At illi: nolumus, inquiunt, fontem illum intrare, quia nec illo opus nos habere nouimus, sed tamen pane illo refici volumus. Cumque diligenter ab sæpe ab illo admoniti essent, nequaquam fieri posse, vt absque purgatione sacrosancta quis oblationi sacrosanctæ communicaret, ad vltimum furore commoti, aiebant: Si non vis assentiri nobis in tam facili causa, quam petimus, non poteris iam in nostra prouincia demorari.

Carolus Magnus. 800.

Lib. 1. Legum cap. 160. Vt Presbyter semper Eucharistiam habeat paratam, vt quando quis infirmatur, aut paruulus infirmus fuerit, statim eum communicet, ne sine Communione moriatur.

Vsuardus. 800.

In Martyrologio: Tharsitium cùm Pagani inuenissent Sacramentum Corporis Domini portantem, cœperunt disquirere quid gereret. At ille indignum ratus porcis margaritas prodere: tam diu ab illis fustibus ac lapidibus est mactatus, quousque spiritum exhalaret. Et reuoluto eius corpore sacrilegi discussores nihil Sacramentorum Christi in eius manibus ac vestibus inuenerunt.

Æmoinus. 825.

De gestis Francorum lib. 5. cap. 19. Cibus Ludoici Imperatoris ægrotantis per quadraginta dies erat Dominicum corpus, laudante eo iustitiam Dei, & dicente: Iustus es Domine, vt quia Quadragesimæ tempus non ieiunans exegi, saltem coactus idem tibi ieiunium exoluam.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 880.

Cap. 8. Duplici specie Sacramentum accipimus propter remedium corporis & animæ. Et cùm idem in vtraque sumatur specie, sufficit vnam tantùm speciem exhibere multitudini. Et ne fortè periculum fiat calicis, solam panis speciem dari non est incongruum: ita tamen, vt nec contemptu religionis, nec vitio leuitatis fiat.

Burchardus VVormatiensis. 1000.

Admonitione 15. Super altare nihil ponatur, nisi capsa & Reliquiæ, aut fortè quatuor Euangelia, aut pixides cum Corpore Dominico ad viaticum pro infirmis.

Rudolphus de S. Trudone. 1115.

In carminibus de Sacramento:

Hic, & ibi cautela fuit, ne Presbyter ægrè,
Aut sanis tribuat laicis de sanguine Christi:
Namque potest fundi leuiter, simplexque putaret
Quòd non sub specie Iesus sit totus vtraque.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Libro de incendio oppidi Tuitiensis cap. quinto: Pixidem ligneam, & in ea corpus Dominicum habebat secus altare de more repositum, in fenestra siue absida introrsus in muro tegulis ligneis compacta, cum ostiolo & sera. Erant autem cum iam dicta pixide & alia vascula, ad sacrum ministerium pertinentia, videlicet alia pixis hostias continens non consecratas, ampulla quoque vinaria, & ipsa stannea, & vasculum thuris, & candelæ, & aliquid lini, quorum meminisse nos exigit causa tanti miraculi. Denique in illa fortitudine vehementis incendij, cùm non solùm ipsa Basilica, verùm etiam totum castelli spacium quasi vnus esset caminus, multò maior quàm ille Babylonicus ignis, cuius flamma diffusa est supra fornacem quadraginta nouem cubitis, cùm fragmenta quoque trabium ardentium decidentia, signa quoque metallica miro modo ardendo sponte concrepantia, & concrepando ardentia, de altitudine ardentis camponariæ turris excidissent, non solùm fracta, sed etiam penè liquefacta, & taliter prolapsa omni materia coangustatum intra muros Basilicæ amplius sæuiret incendium, arsit simul & ipsa absida cum omnibus supradictis, quæ intus erant reposita, nimirum leuiter & citò pro magnitudine incendij, sicut stipula vel quasi exiguum fœni: sola autem pixis illa cum corpore Dominico incolumis, & intacta permansit. Mox ergo vbi sacerdos iam dictus accessum habere potuit, dolens, vt fatebatur, quia cùm turbaretur instante incendio, & aliqua exportaret, vel exportari faceret, oblitus fuerat tollere corpus Dominicum, amouit quantocyus congeriem lignorum, fauillarumque ardentium, & introspiciens reperit hoc insigne miraculum. Protinus excipiens, & cunctis videntibus, qui aderant, illud fidei nostræ Sacramentum demonstrans, atque diuulgans, venit ad me gaudens, & suam oblitus negligentiam, propter abundantiam lætitiæ, licet non sine tristitiæ nebula, pro damno quod acciderat.

Dan. 3.

VVilhelmus Abbas S. Theoderici. 1160.

Lib. 1. vita sancti Bernardi cap. 11. Agebatur solennitas quædam præcipua, & frater aliquis, quem pro secreta culpa ab altaris sacra communione suspenderat, notari timens, & ruborem non sustinens, ad manum eius cum cæteris nimium præsumptuosus accessit. Intuitus autem eum, quoniam causa latens erat, repellere hominem nolebat, sed intimo corde orabat Deum, vt de tanta præsumptione melius aliquid ordinaret. Itaque sumens homo Eucharistiam, non poterat ad interiora traijcere: & diu multumque conatus, cùm nullo modo præualeret, anxius & tremebundus clausam ore seruabat. Expleta denique hora orationis Sexta, Patrem sanctum traxit ad partem: cuius pedibus aduolutus, cum multis ei lachrymis quod patiebatur, aperuit, & aperto ore ipsam quoque Eucharistiam ostendebat. Increpans autem eum confitentem absoluit, & extunc sine difficultate recepit Dominica Sacramenta.

Elisabetha Schonaugiensis. 1170.

Libro 1. Viarum Dei: Factum est vna dierum, vt veniret quidam ex fratribus, ferens in pixide diuinum Sacramentum Dominici corporis, vt opus esse videbatur cuidam sorori infirmę. Cumque staremus in circuitu eius, & ego, & quædam sorores loquentes mecum de eo, ecce cor meum liquefactum est, & penè factum in ecstasi, & ecce claritas magna refulsit in pixide, & introspexi, cùm tamen adhuc esset clausa: & apparuit species veræ carnis in ea: dicens quidem ista contremisco, sicut & tunc videns contremui.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap. 20. Statuimus, vt in cunctis Ecclesijs Chri-

ma & Eucharistia sub fideli custodia, clauibus adhibitis, conseruentur, ne possit ad illa temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda: si verò is, ad quem spectat custodia, ea incautè reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur. Et si per eius incuriam aliquid nefandum inde contigerit, grauiori subiaceat vltioni.

Honorius Tertius. 1217.

Libro 3. Decretalium cap. Sanè: Sacerdos doceat populum, vt, cùm in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinet: idem faciens, cùm eam defert ad infirmos quam in decenti habitu, superposito mundo velamine, ferat, & referat manifestè ac honorificè ante pectus cum omni reuerentia, & timore, semper lumine praecedente, cùm sit candor lucis aeternae.

Conradus Vrspergensis Abbas. 1230.

In Chronicis de anno 1124. Iniunxit Pomeranis, vt dum sani sunt veniant ad sacerdotes Ecclesiae, vt confiteantur peccata sua, & corpus Domini accipiant.

Alexander Alesius. 1230.

In librum quartum Sententiarum quaest. 11. memb. 2. artic. 4. §. 3. Integrè sumitur Christus sub vtraque specie: bene licet sumere corpus Christi sub specie panis tantùm, sicut ferè vbique à laicis fit in Ecclesia, &c. Ecclesia istud Sacramentum dispensare consueuit sub specie panis tantùm, tum propter periculum effusionis, quod fortè accideret, si sub specie vini dispensaretur; tum propter vitij infidelitatis amotionem, quod se non immeritò simplicium mentibus ingereret, si semper sub speciebus panis & vini daretur. Quòd si ita fieret, possent simpliciores credere, quòd Christus non contineretur integrè sub altera specie, sicut contigit quandoque. Vnde religiosis quibusdam petentibus & instantibus, vt sub vtraque specie sumerent Sacramentum, sacerdote quodam pio celebrante, cùm faceret fractionem, concauum patenae totum visum est repleri sanguine, ad quod obstupuerunt ipse & circunstantes: sed cùm coniungeret partes hostiae, totum visum est reintrare, & petitioni & tentationi illorum penitus fuit satisfactum.

Vincentius Beluacensis. 1240.

In speculo historiali libro trigesimosecundo cap. 85. de Edmundo Cantuariensi: Cùm verò iam cerneret sibi diem imminere nouissimum, iussit afferri sibi corpus Domini gloriosum, extenditque dexteram ad ipsum corpus Domini, & cum ingenti fiducia dixit ei: Tu es Domine, in quem credidi, quem praedicaui, quem veraciter docui, &c. Post perceptionem itaque viatici tota die illa tam iucundus erat & hilaris, ac si esset ab omni aegritudine liber & immunis.

Thomas Aquinas. 1250.

De Sacramento altaris libro 4. cap. 29. Quaeritur, quare populus non accipit sanguinem sub specie vini, sicut sacerdos? Huius triplex est ratio. Prima est, ad habendum vas congruum huius sanguinis continentium. Sicut enim vinum vas specialius & diligentius praeparatum, in quo seruetur, exigit, quàm panis: sic sub specie vini sanguis Christi sumendus solis sacerdotibus conceditur, tanquam vasis Domini ad hoc specialiter consecratis, & sacra religione constrictis, & virtutum pulchritudine excellentius praeornatis, &c. Secunda ratio est, vitandi periculum effusionis propter multitudinem, quae se circa altare comprimit. Hinc est, quòd Dominus in Coena Apostolis paucis, & vt suis sacerdotibus non solum corpus in specie panis, sed & sanguinem in specie vini dedit, &c. Tertia ratio est, ad praecauendum erroris periculum. Si enim populus rudis acciperet sanguinem sub specie vini, vix crederet illum esse sub specie panis, cùm tamen veraciter sit sub vtraque specie. Nam sicut sub specie vini consecrati Christi est sanguis per Transubstantiationem: ita ibi est corpus per annexionem. Et sicut sub specie panis est corpus Christi per Transubstantiationem: ita ibi est sanguis eius veraciter per annexionem. Haec enim duo, corpus Christi & sanguis; imò haec quatuor, corpus, sanguis, anima, & Deitas Dei iam vltra non possunt separari. Vnde sicut sumit sacerdos sanguinem Christi Sacramentaliter de calice: sic populus sumit eum intellectualiter sub specie panis de ipso corpore Christi, & est eis tam vtilis, & tam dulcis, vt sacerdotibus, qui sumunt eum sub specie vini de calice.

Bonauentura. 1260.

In librum quartum Sententiarum distinct. 11. Fideles accipiunt perfectum Sacramentum sub vna specie: quia ad efficaciam recipiunt: sed quantum ad significantiam, sufficit quòd Ecclesia facit in eorum praesentia, nec oportet quòd ipsi recipiant, propter periculum erroris: quia non crederent simplices, se in altera tantùm specie totum Christum recipere. Exemplum patet de eo, quòd esset sanguis in specie panis.

Richardus de media Villa. 1280.

In librum quartum Sententiarum distinct. 11. quaest. 6. Communiter non debet hoc Sacramentum dari populo sub vtraque specie, propter periculum effusionis sanguinis, & etiam, secundùm aliquos, propter periculum erroris: ne scilicet communis populus crederet Christum non esse totum sub vtraque specie.

Nicolaus Lyranus. 1300.

Ad cap. 9. Prouerb. In vtraque specie communicabant antiquitus fideles: sed propter periculum effusionis sanguinis ordinatum est, quòd datur laicis sub specie panis tantùm.

Ad caput sextum Ioannis: Non est intelligendum, quòd Sacramentum sub vtraque specie sit fidelibus exhibendum, sed tantùm hoc modo à sacerdote sumendum: licet enim in primitiua Ecclesia populus sub vtraque specie communicaret, tamen postea prouidè ordinatum est, vt non communicet sub specie vini, propter periculum effusionis.

Albertus Patauinus. 1320.

Sermone 2 4 6. Christus totus est sub specie panis, & totus sub specie vini continetur. Ideo patet, quòd sub panis specie recipiunt corpus Christi fideles, qui calicem Domini non biberunt. Sed quare ijs non ministratur sanguis? Respondeo, illud videtur omitti propter effusionis periculum. Congruit etiam inter ministros Ecclesiae & populum esse differentiam: populo sufficit esse de corpore Christi, sed ministros Ecclesiae oportet esse quasi animam corporis, dirigendo populum subditum.

Richardus Nortinganus. 1320.

Ad cap. 11. prioris ad Corinthios: Triplex causa potest assignari, quare sanguis non est tradendus fidelibus sub specie vini. Vna, propter periculi vitationem: quoniam enim sanguis fluxibilis naturae est, citò ac facilè posset effundi. Vnde propter vitandum periculum, ne effunderetur, cùm fidelibus traderetur, praeordinatum est, vt non tradatur sanguis sub specie vini, sicut corpus sub specie panis, &c. Ne ab infidelibus credatur, non esse corpus Christi sub vtraque specie, ideo sub vna specie tantùm traditur fidelibus.

Guido Rocherius. 1330.

In Manipulo Curatorum de Eucharistia: Dictis duabus orationibus, sacerdos recipit istud Sacramentum sub specie panis & vini: laicis verò non datur species vini, propter periculum effusionis.

Thomas Argentinensis. 1360.

In librum quartum Sentent. distinct. 11. Licet in passione Christi sanguis eius à corpore fuerit separatus, vsque ad horam, qua surrexit à mortuis, & per consequens, qui consecrasset in tempore medio, ille sub speciebus panis habuisset corpus sine sanguine, & sub speciebus vini habuisset sanguinem sine corpore: tamen post resurrectionem Christi sanguis eius semper mansit vnitus corpori, & in sempiternum sic manebit: ideo qui post resurrectionem consecrauit, vel in futurum consecrabit, propter vnionem realem sanguinis & corporis Christi, sub vtraque specie, panis scilicet & vini, habet corpus & sanguinem Domini Iesu Christi. Ideo communi populo secundùm consuetudinem Romanæ Ecclesiæ veritas corporis & sanguinis datur tantummodò sub specie panis, & hoc propter vitandum periculum effusionis vel distillationis sanguinis, quod posset accidere, si sub specie vini rudi, immorigerato, & impetuoso populo sanguis traderetur.

Concilium Constantiense. 1414.

Sessione 13. Hoc præsens sacrum generale Concilium, in Spiritu sancto legitimè congregatum, declarat, decernit, & definit, quòd licet Christus post cœnam instituerit, & suis discipulis administrauerit sub vtraque specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum: tamen hoc non obstante, sacrorum Canonum auctoritas, ac laudabilis & approbata consuetudo Ecclesiæ seruauit & seruat, quòd huiusmodi Sacramentum non debet confici post cœnam, neque à fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis, à iure vel Ecclesia concesso, vel admisso. Et sicut hæc consuetudo ad euitandum aliqua pericula & scandala est rationabiliter introducta, quòd licet in primitiua Ecclesia huiusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub vtraque specie, postea à conficientibus sub vtraque, & à laicis tantummodò sub specie panis suscipiatur: cùm firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem, tam sub specie panis, quàm sub specie vini veraciter contineri. Vnde cùm huiusmodi consuetudo ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissimè obseruata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare, &c.

Ioannes Gerson. 1420.

In compendio Theologiæ de Sacramento Eucharistiæ, capite de qualitate seu conditione recipientium: Quare non datur populo sub vtraque specie? Dicitur, quòd triplex est ratio. Vna, quia non legitur Christus corpus suum sanguini intinctum præbuisse. Nec est contrarium de Iuda, cui videtur Dominus intinctum panem porrexisse: quia secundùm Augustinum prius verum corpus dedit, & postea panem vsualem intinctum. Alia causa est imminens periculum, quia scilicet facilius gutta sanguinis caderet, quàm mica hostiæ: quia in hostia partes cohærent sibi, non sic in sanguine. Tertia causa est præcedens signum, quia in Lege, qua in sacrificijs offerebant libamina, de libamine nihil habebant offerentes; sed sacerdotes tantùm, licet de alijs haberent. Vt ergo veritas congruat signo, non datur populo Eucharistia cum sanguine.

Concilium Basileense. 1431.

Sessione 30. Decernit ac declarat sancta Synodus, quòd fideles laici siue Clerici communicantes, & non conficientes, non astringuntur ex præcepto Domini ad suscipiendum sub vtraque specie, panis scilicet & vini, sacrum Sacramentum Eucharistiæ. Sed Ecclesia, quæ regitur Spiritu veritatis, secum manente in æternum, & cum qua Christus manet vsque ad consummationem seculi, ordinare habet, quomodo ipsis non conficientibus ministretur, prout pro reuerentia ipsius Sacramenti, & salute fidelium viderit expedire. Siue autem sub vna specie, siue sub duplici quis communicet, secundùm ordinationem, siue obseruantiam Ecclesiæ, proficit dignè communicantibus ad salutem. Nec vllatenus ambigendum est, quòd non sub specie panis caro tantùm, nec sub specie vini sanguis tantùm: sed sub qualibet specie est integrè totus Christus. Laudabilis quoque consuetudo communicandi laicum populum sub vna specie, ab Ecclesia & sanctis Patribus rationabiliter introducta, & hactenus diutissimè obseruata, & à Doctoribus diuinæ Legis iam à longæuo tempore commendata pro lege habenda est, nec alicubi licitum est eam reprobare, aut sine auctoritate Ecclesiæ ipsam immutare.

Æneas Syluius. 1460.

Epistola 130. post medium: Quæ sunt de necessitate Sacramentorum, immutabilia perseuerant: quę secundùm ritum sunt, immutare Ecclesia potest, &c. In Eucharistia, sicut ante probatum est, non est vsus vtriusque speciei populo necessarius: adimi ergo altera species non ineptè potuit: quia non est hoc Sacramentum variare, sed vsum, &c. Non subtracta vini specie subtrahitur Sacramentum: quia totum in altera sumitur. Rectè igitur & sanctissimè Romana Ecclesia in huius obseruantia Sacramenti sese habet.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad caput sextum Ioannis: *Nisi biberitis sanguinem filij hominis:)* Verba inducta intelligenda non sunt, quasi sanguis Christi seorsim sumendus sit à vulgo communicante. In primitiua Ecclesia hoc fiebat: sed nunc ordinatum est aliter, propter effusionis periculum, & etiam aliquo modo realiter: quia in Sacramento corporis continetur & sanguis, sicut è contra. Licet enim Transubstantiatio panis directè comitetur ad carnem Saluatoris, & conuersio vini ad sanguinem eius: ex naturali tamen concomitantia sub vtraque specie sunt quatuor: quia sub specie panis est Corpus eius, vi conuersionis; Anima verò, Sanguis, & Verbum sunt ibi, ex naturali sequela: cùm non sint separata ad inuicem. Pariformiter sub specie vini est sanguis directè, puta ex vi conuersionis: Caro autem, Anima, & Verbum concomitanter.

Gabriel Bielius. 1480.

Lectione 84. in Canonem: Olim quæstio illa poterat esse dubia, vtrum populus fidelis participaturus Eucharistiam teneatur sumere ab vtraque specie: sed nunc post determinationem Concilij Constantiensis, veritatem Catholicam determinantis, dicere Communionem sub vtraque specie esse de necessitate salutis omni fideli, est hæresis, ibidem publicè condemnata. Et ideo superfluum est, nunc velle ad probationem oppositæ veritatis multum niti: cùm omni humana probatione maior est Ecclesiæ auctoritas, in cuius fidei obsequium intellectum nostrum captiuare tenemur.

Concilium Tridentinum. 1560.

Sessione 21. cap. 1. Sancta Synodus declarat, nullo diuino præcepto laicos & Clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub

vtraque specie sumendum, neque vllo pacto salua fide dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat.

ADVERSARIORVM obiectiones.

Hactenus Græcorum ac Latinorum exempla & testimonia recensuimus, quibus meridiana luce clarius demonstrauimus, Communionem sub vna specie, & in Græca, & in Latina Ecclesia inde vsque ab Apostolorum tempore receptam fuisse.

Sed obijciunt Aduersarij, Christum in vltima Cœna discipulis vtramque speciem porrexisse: in Corinthiorum Ecclesia vtriusque speciei fuisse vsum: & ab eo tempore vsque ad hunc diem, apud Græcos, publice in Ecclesia laicis non solum sub panis, sed etiam sub vini specie Eucharistiam administrari.

Concedimus Christum in vltima Cœna discipulis vtramque speciem porrexisse: sed quia illi duodecim discipuli erant, & sacerdotes, quibus in sacrificio Missæ vtraque specie vtendum est, hæc de laicis & sacerdotibus non conficientibus accipi non possunt. Propterea eosdem discipulos, vel potius eorum aliquos post resurrectionem in Emaunte, vt supra quorundam Patrum auctoritate ostendimus, etiam sub vna specie communicauit.

Sed obijciunt Christum dixisse: Bibite ex hoc omnes. *Item,* quod vobis dico, omnibus dico.

Respondeo. Christus loquitur tantum præsentibus Apostolis seu sacerdotibus, & quod illis dixit, dixit omnibus sacerdotibus, & non laicis: alioquin & laicis dixisset: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Quod ad Græcæ Ecclesiæ communicandi populum laicum sub vtraque specie morem attinet, fatemur apud eos fuisse, & adhuc esse hanc consuetudinem, vt in templis, vbi sacrificium corporis & sanguinis Christi publicè peragunt, populum laicum sub vtraque specie communicent. Fuit idem mos quoque aliquando in primitiua Ecclesia apud Latinos aliquos: cùm tamen interim Græci & Latini antiquissimi, vt ex superioribus patet, infirmos, & absentes, seu aliquo profecturos sub vna panis specie communicarent, nec vnquam vel Græci, vel Latini in quæstionem vocârunt, essetne licitum vel illicitum, communicare sub vna, vel sub vtraque specie: sed semper, quamdiu non erat ab Ecclesia definitum, arbitrarium iudicârunt. At verò nunc, quia & ab Ecclesia definitum in generalibus Concilijs, peccant ij, qui contempta eorum auctoritate, vna specie contenti esse nolunt.

Quòd si omnino eodem, quo Christus, modo discipulis corpus & sanguinem suum distribuit, laici sunt communicandi, cur non eodem, quo Christus, modo communicantur tantùm numero duodecim post sumptam cœnam, & post pedum lotionem? Sed quia non per omnia eodem, quo Christus, modo primùm est hoc Sacramentum administratum, Ecclesia in honorem tanti Sacramenti non nisi ieiunos communicat, nec pedum lotionem vt necessariam requirit, nec duodenos solum, sed vel centenos, vel plures, vel pauciores communicat: non solùm masculos, sed & fœminas.

ARTICVLVS QVARTVS.

SACRIFICIVM MISSAE IMPROBANT.

Anno post natum Christum

1050. BOGOMILI mysticum venerandum sacrificium contemnunt, atque despiciunt & sanctissimam corporis & sanguinis Domini communionem dæmonum, qui in templis habitant, sacrificium appellant. Euthymius Panopliæ parte 2. titulo 23. cap. 17. Harmenopulus de sectis.

1150. *Pseudoapostoli negant Missam esse sacrificium, nec celebrari debere asserunt.* Petrus Cluniacensis epist. 1. contra Petrobrusianos.

1200. *VValdenses semel tantùm in anno, id est, in Cœna Domini Missam celebrant, & illam absque forma verborum Christi* (Hoc est corpus meum) *septies dicendo* Pater noster. *Guido de VValdensibus.*

1300. *Arnoldus de Villa noua dixit: quòd in sacrificio Missæ non laudatur Deus opere, sed ore solùm.* Nicolaus Eymericus parte 2. quęst. 11.

1315. *Lollardi Missas vanitatẽ esse dicebant, & nullius, vel reuerentiæ, vel vtilitatis.* Trithemius in Chronico Hirsaugiensi de anno 1315.

1390. Ioannes VVicleffus articulo 5. in Constantiensi Concilio damnato: *Non est fundatum in Euangelio, quòd Christus Missas ordinarit.*

1520. Martinus Lutherus in Colloquijs conuiualibus fol. 352. b *Malo admittere, vt nullus rusticus sacerdotibus, Monachis, atque Ecclesiasticis aliquid det, imò Turcas potius, aut Tartaros tolerabo, quam vt Missa maneat.*

Libro contra Regem Angliæ: *Manifestum est, sacerdotes in Missa id omittere, quod Christus fecit in Cœna: & id facere, quod Iudæi fecerunt in cruce Christo.*

Libro contra Oecolampadium ac Zvvinglium: *Maxima sunt peccata mea, quòd tam sanctus fui*

Monachus

Monachus, ac tot Missis per annos quindecim Dominum meum tam grauiter offendi.

Ad cap.66.Esaiæ: *Monachi quoties Missam celebrant, grauius peccant, quàm si cadem faciant. Est enim blasphemiæ opus.*

1550. Ioannes Caluinus lib.4.Instit.cap.18. *Horrendæ abominationis fuit, cùm signum extulit Satan, quo non modò obscuraretur & peruerteretur, sed penitus abolita & obliterata euanesceret, & ex hominum memoria excideret sacra Christi Cœna: nempe cùm pestilentissimo errore totum penè orbem excæcauit, vt crederet Missam sacrificium & oblationem esse ad impetrandam remissionem peccatorum.* Scribit deinde, *se verbo Dei clarissimè comprobaturum, hanc, quantumuis fucatam & splendidam insigni contumelia Christum afficere, crucem eius sepelire, mortem eius in obliuionem tradere, fructum, qui ex ea proueniebat, tollere.*

1560. Nicolaus Hemmingius ad caput 2. posterioris ad Thessal. *Missa abominabilius idolum est, quam vllum ethnicum idolum vnquam fuit.*

1580. Iacobus Herbrandus in posteriori disputatione de Missa: *Constanter affirmamus, Missam esse cultum impium, & idololatria plenum.*

PROBANT SACRÆ LITERÆ.

*Gen.*14.*Vers.*18. At verò Melchisedec rex Salem, proferens panem & vinum, (erat enim sacerdos Dei altissimi,) benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit cælum & terram.

*Malach.*1.10. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab Ortu enim solis vsque ad Occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.

Lucæ 22.19. & 1.*Corinth.*11.24. Hoc facite in meam commemorationem.

*Act.*2.42. Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.

*Act.*13.2. Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus. *Græcè*: λειτουργούντων δὲ αὐτῶν κυρίῳ: Cùm autem sacrificarent Domino, & ieiunarent.

Hebr. 13.10. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt.

PROBANT VARIARVM gentium Liturgiæ.

Liturgia Ecclesiæ Romanæ à D. Petro Apostolo tradita.

Hostiam tibi Domine destinatam in oblationem sanctifica, & per eam nos clementer suscipe, per Dominum nostrum Iesum Christum. Te igitur, benignissime Pater, supplices rogamus, ac petimus, vt accepta habeas, & benedicas hæc dona ✠, hæc munera ✠, hæc sancta sacrificia ✠ illibata. Imprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, &c. Deprecamur, vt accepta habeas, & benedicas hæc dona, hanc oblationem, hanc hostiam irreprehensam. Imprimis quæ tibi offerimus pro sancta tua Catholica & Apostolica Ecclesia. Memento Domine seruorum tuorum, qui offerunt hanc hostiam laudis pro se ipsis, & suis omnibus, pro redemptione animarum & corporum, pro spe salutis & incolumitatis suæ.

Tua ex tuis offerimus venerandæ Maiestati tuæ de donis tuis & charismatibus hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ. Super quæ propitio & sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicuti dignatus es dona pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quemadmodum tibi primus sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificium & immaculatam hostiam, supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc administrari per manum sancti Angeli tui, in illud sublime altare tuum, coram diuina Maiestate, &c.

Liturgia Ecclesiæ Hierosolymitanæ à D. Iacobo primùm conscripta.

Domine, Domine, qui visitasti nos in misericordia, & commiseratione, & nobis abiectis peccatoribus, ac indignis seruis tuis concessisti, vt confidentes accederemus ad sanctum altare tuum, & offerremus tibi verendum hoc & incruentum sacrificium pro peccatis nostris, & ignorantiis, &c. Placeat tibi Domine, vt nos ministri simus tui noui Testamenti, ac sacrificij immaculatorum tuorum mysteriorum, & admitte nos accedentes ad sanctum tuum altare, vt digni simus, qui offeramus tibi munera, & sacrificium pro nobis, & pro ijs, quæ populus per ignorantiam admisit: daque nobis Domine, vt tibi cum omni metu ac pura conscientia hoc sacrificium spiritale, atque incruentum offeramus: quod vbi admiseris in sanctum, supercæleste, ac intellectuale tuum altare, in odorem suauitatis spiritalis, vicissim mitte nobis gratiam Spiritus tui sanctissimi. O Deus respice in nos, & ad nostrum hoc rationale obsequium intuere, idque accipe, vt Abel dona accepisti, Noe sacrificia, Mosis & Aaronis sacerdotia, Samuelis pacifica, Dauidis pœnitentiam, Zachariæ incensum: vt de manu Apostolorum tuorum verum hunc cultum accepisti: ita quoque è manibus nostris, qui peccatores sumus, recipe munera hæc proposita, per tuam benignitatem: & fac, vt oblatio nostra grata & acceptabilis sit per Spiritum sanctum sanctifi-

cata, in propitiationem peccatorum nostrorum, & eorum, quæ populus per ignorantiam admisit.

Liturgia Ecclesiæ Alexandrinæ, auctore D. Marco.

Purgator nostrum ab omni inquinamento, vt corde puro & pura conscientia tibi hoc Thymiama offeramus, in odorem suauitatis, & in remissionem peccatorum nostrorum, & totius populi tui, &c. Thymiama offerimus coram sancta gloria tua, quod assumas in sanctum & supercæleste, & intellectuale tuum altare, &c. Per quem (*Christum*) offerimus rationabilem & incruentam λατρείαν, seu oblationem hanc, quam offerunt tibi Domine omnes gentes, ab Ortu solis vsque ad Occasum, à Septentrione ad Meridiem: quia magnum nomen tuum in omnibus gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini tuo sancto, & sacrificium, & oblatio.

Liturgia Ecclesiæ Æthiopum, cuius primum auctorem ferunt D. Matthæum Apostolum.

Quando sacerdos offert hostiam super altare, dicit orationem sequentem: Domine Deus noster, qui suscepisti sacrificium Abel in deserto, & Noe in arca, & Abrahæ in summitate montis, & Heliæ in monte Carmeli, & Dauid in area Orna Iebusæi, & oblationem pauperculæ viduæ in templo sancto: sic oblationem meam, & omnium famulorum famularumquę tuarum, offerentium in nomine sancto tuo suscipe, & pro meis & eorum peccatis sit redemptio; & sicut nos offerimus, ita mercedem nobis retribue, in præsenti seculo, & in futuro, & in secula seculorum, Amen.

Oratio oblationis sacræ: O amator hominum, humiliter imploramus, vt faciem tuam super hunc panem, & calicem in hoc altare portatile ostendas: ✠ benedic, ✠ sanctifica, ✠ munda, & transfer panem hunc in carnem tuam immaculatam, & vinum hoc in sanguinem tuum pretiosum: fiat sacrificium ardens & acceptabile, medela & salus animæ & corpori nostro, &c. Præsta Domine sicut eis officium hoc sacerdotale in Ecclesia sancta tua tribuisti: ita bonitatem & clementiam tuam imploramus, ô amator hominum, vt absoluant nos seruos tuos, & omnes capita sua inclinantes, ante conspectum tuum in hoc sacrificio sancto tuo.

Liturgia Ecclesiæ Mediolanensis primùm à Barnaba tradita, postea à B. Ambrosio locupletata.

Orationes secretæ ad munus oblatum: Omnipotens sempiterne Deus, placabilis & acceptabilis sit tibi hæc oblatio, quam ego indignus pro me misero peccatore, & pro delictis meis innumerabilibus tuæ pietati offero, &c. Te igitur supplices rogamus & petimus, vti accepta habeas & benedicas ✠ hæc dona, ✠ hæc munera, ✠ hæc sancta sacrificia illibata: Imprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, &c. Petimus & precamur, vt hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo per manus Angelorum tuorum, sicut suscipere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech.

Liturgia Ecclesiæ Cappadociæ à D. Basilio conscripta.

Tu es, qui offers & offerris, & qui suscipis & impertis Christe Deus noster. *Alta voce Sacerdos:* Tua ex tuis tibi offerentes in omnibus & per omnia, &c. Tu Domine ostendisti nobis magnum istud salutis mysterium, tu dignos nos fecisti miseros, & indignos seruos tuos fieri ministros sancti altaris tui: idoneos nos fac virtute sancti tui Spiritus in ministerio isto, vt indamnabiliter stantes in conspectu sanctæ gloriæ tuæ offeramus tibi sacrificium laudis. Tu enim es operans omnia in omnibus. Da Domine & pro omnibus nostris peccatis, & populi tui ignorantia acceptabile, & susceptibile fieri sacrificium nostrum in conspectu tuo.

Liturgia Ecclesiæ Syriæ, quam se à Basilio Magno accepisse dicunt.

Dignos efficito nos, qui puro corde stemus coram te, tibiquę ministremus, atque offeramus sacrificium hoc reuerendum & incruentum, ad abolenda delicta nostra, & pro piaculo populi tui, eorumquę peccatorum, quæ ille per inscitiam admisit, ac pro tranquilla requie eorum, qui ante hæc occubuerunt; &c. Sancte sanctorum Domine Deus virtutum, offerimus tibi sacrificium hoc reuerendum & incruentum pro Ecclesijs tuis sanctis, quæ à finibus terræ vsque ad fines eius existunt.

Liturgia Ecclesiæ Constantinopolitanæ, auctore Ioanne Chrysostomo.

Suscipe Domine Deus supplicationem nostram: fac nos dignos offerendo tibi preces & hostiam incruentam pro vniuerso populo tuo, &c. Adhuc offerimus tibi rationabile ac incruentum hoc obsequium, & precamur, & deposcimus, vt mittas Spiritum sanctum tuum super nos, & super hæc apposita munera. Propter infinitam clementiam tuam inconuertibiliter & inalterabiliter homo factus es, & Pontifex noster extitisti, & mysterij huius, ac incruentæ hostiæ Sacramentum nobis tradidisti, vt omnium Deus. Fac me dignum sacerdotij gratia indutum assistere sanctæ huic tuæ mensæ, & consecrare sanctum corpus tuum & pretiosum sanguinem: nec reprobes me à pueris tuis, sed concede à me peccatore offerri tibi hæc Sacramenta. Tu enim es offerens & oblatus, suscipiens & distributus, Christus Deus noster.

Liturgia Ecclesiæ Armeniorum.

Sacerdos. Tu Domine, qui tibi offerimus hanc oblationem suscipe in conspectu tuo collocatam, & coęqua illam corpori & sanguini Domini nostri Iesu Christi, &c.

PROBANT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Canone 3. Apostolorum: Si quis Episcopus aut Presbyter præter ordinationem Domini, quam de sacrificio instituit, alia quædam, puta aut mel, aut lac, aut pro vino siceram supra altare obtulerit, deponitor.

Epistola 1. Summoperè omnibus Presbyteris, & Diaconis, ac reliquis clericis attendendum est, vt nihil absque Episcopi licentia agant. Non vtique Missas sine eius iussu quisquam Presbyterorum agat.

Epistola 3. Hic ergo, hoc est, in præsenti vita, positos, oportet nos agnoscere voluntatem Dei, vbi & agendi & sacrificandi est locus: quoniam in alijs locis sacrificare & Missas celebrare non licet, nisi in his, in quibus Episcopus proprius iusserit, aut ab Episcopo regulariter ordinato.

Const. Apost. lib. 8. cap. 5. Da ipsi (*Episcopo*) Domine omnipotens per Christum tuum participationem Spiritus sancti, vt habeat potestatem remittendi peccata, secundùm mandatum tuum: item dandi cleros, id est, sortes, vt tu iussisti, ac soluendi omne

Vincu

vinculum, secundùm potestatem, quam Apostolis dedisti, placendiqúe tibi in mansuetudine, & corde mundo, offerendo tibi fine culpa semper, & sine crimine sacrificium mundum, & incruentum, quod per Christum constituisti mysterium noui Testamenti, in odorem suauitatis per sanctum tuum Filium Iesum, &c. Postquam sic precatus est Episcopus, vnus ex Episcopis offerat: (θυσίαν) hostiam in manus ordinati, & maneat in solio à reliquis Episcopis collocetur.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiast. Hierarchiae cap. 3. Inspiciamus per singula mysterij sanctissimi ritum exactissimamque confectionem, & quid spiritaliter signet indagare pergamus. Itaque Pontifex quidem vbi orationem sacram supra diuinum altare peregit, ex ipso incensum adolere inchoans, omnem phani ambitum circuit: demum ad sanctum altare iterum rediens, Psalmorum incipit melos, concinentibus secum sacra carmina omnibus Ecclesiastici ordinis gradibus: deinde ministrorum officio sanctarum Scripturarum lectio suo ordine recitatur. Posthaec extra delubrum Catechumeni fiunt, & cum ipsis energumeni, & ei quoque, qui in poenitentia sunt. Manent autem intus soli, qui diuina spectare merentur atque percipere. Porrò ministrorum alij quidem pro clausis templi foribus astant, alij proprij aliquid muneris agunt. Qui verò ipsius Ordinis praecipui sunt, vnà cum sacerdotibus, sanctum panem & benedictionis calicem sacrosanctis altaribus imponunt, cùm ante praecesserit ab omni clero vniuersalis laus & confessio. Adhaec venerandus Antistes orationem sanctissimam peragens, pacem sanctam omnibus nuntiat, & cùm se mutuò omnes salutauerint, mystica Sanctorum recitatio fit. Vbi verò manus tum Antistes, tum sacerdotes aqua lauerunt, Pontifex ad medium diuini assistit altaris: circunstant autem soli cum sacerdotibus electi quique ex ministrorum numero. At verò Pontifex cùm diuina munera laude prosecutus fuerit, sacrosancta & augustissima conficit mysteria, & quae ante laudauerat, venerandis operta & abdita signis, in conspectum agit, diuinaqúe munera reuerenter ostendens, ad sacram illorum communionem & ipse conuertitur, & reliquos vt communicent hortatur. Sumpta demum atque omnibus tradita communione diuina, gratias referens, finem mysterijs imponit. Ac multi quidé sola in signa diuina prospiciunt, ipse autem semper diuino spiritu ad excelsa signorum initia felicibus & intelligibilibus intuenda luminibus, pontificia dignitate ac merito, munditiaque singulari, diuini capacioriqúe sensus attollitur, &c.

Epistola ad Demophilum: Cùm aliquando in Cretam venissem S. Carpus me suscepit hospitio, vir ob eximiam animi munditiam ad Dei speculationem vltra fermè omnes aptissimus. Denique nunquam sacra mysteria celebrare coepit, nisi prius inter eas preces (quae antea consummantur) sacra illi ac propria visio apparuisset.

Ignatius. 100.

Epistola ad Smyrnenses: Non licet sine Episcopo baptizare, neque offerre, neque sacrificium immolare, neque dochen celebrare. *Vetus translatio habet:* Missam celebrare.

Iustinus. 150.

Dialogo cum Tryphone: Sanè quidem simile quoque oblatio, ô viri, dicebam, pro ijs, qui à lepra purgabantur, vt offerretur, tradita, figura fuit panis Eucharistiae, quem in recordationem passionis, quam pro ijs sustinuit hominibus, quorum animi ab omni purificantur prauitate, Iesus Christus Dominus noster facere praecepit, vt gratias ageremus Deo, cùm pro eo, quòd mundum cum vniuersis, quas complectitur, rebus, hominis gratia crearit: tum ob id etiam, quòd ab omni, in qua fuimus, malitia nos liberarit, ac principatus potestatesqúe perfecta occiderit occidione, per eum qui de consilio & voluntate eius factus est patibilis. Proinde de sacrificijs à vobis Iudaeis tum oblatis Deus per Malachiam ait: *Non est voluntas mea in vobis, dicit Dominus, & sacrificia vestra non suscipiam de manibus vestris. Ab Ortu enim solis vsque ad Occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco adolentur odoramenta nomini meo, victimaqúe pura: quia magnum est nomen meum in gentibus: vos autem polluistis illud.* De nostris verò Gentium, quae in omni loco offeruntur, sacrificijs, hoc est, pane Eucharistiae, & poculo similiter Eucharistiae, iam tum locutus praedixit, nos quidem glorificare nomen eius, vos autem profanare, &c. A nemine sanè Deus hostias accipit, nisi à sacerdotibus suis. Vniuersos igitur, qui per nomen ipsius sacrificia offerunt, quae Iesus Christus fieri tradidit, hoc est, in Eucharistia panis & calicis, quae in loco omni à Christianis fiunt, praeuertens Deus gratos sibi esse testificatur. Quae autem à vobis & à vestris illis sacerdotibus offeruntur, renuendo abijcit, inquiens: *Et sacrificia vestra non suscipiam ex manibus vestris: quoniam ab Ortu solis vsque ad Occasum magnum est nomen meum in Gentibus: vos autem prophanatis illud.* Mal. 1.

Irenaeus. 180.

Aduersus haereses lib. 4. *cap.* 32. Sed & suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum, qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: *Hoc est corpus meum.* Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundùm nos, suum sanguinem confessus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis praestat, primitias suorum munerum in nouo Testamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias sic praesignificauit: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & sacrificium non accipiam de manibus vestris: quoniam ab Ortu solis vsque ad Occasum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco offertur incensum nomini meo, & sacrificium purum: quoniam magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus omnipotens:* manifestissimè significans per haec, quoniam prior quidem populus cessauit offerre Deo: omni autem in loco sacrificium offertur ei, & hoc purum, nomen autem eius glorificatur in gentibus. Matt. 26 Mal. 1.

Hippolytus. 220.

De consummatione mundi & Antichristo: Lugebunt Ecclesiae luctum magnum: quia nec oblatio, nec suffitus fiet, nec cultus Deo gratus; sed Ecclesiarum aedes tugurij instar erunt, pretiosumqúe corpus & sanguis Christi non extabit in diebus illis: Liturgia extinguetur, Psalmorum decantatio cessabit, &c. Tunc dicet his, qui à dextris erunt: *Venite benedicti,* venite Pontifices, qui purè mihi sacrificium die nocteqúe obtulistis, & pretiosum meum sanguinem immolastis quotidie.

Origenes. 240.

Homilia 13. *in Leuiticum, cùm adduxisset verba Domini, quibus iubemur mysterium Eucharistiae conficere in memoriam:* Ista, *inquit,* commemoratio sola, quae propitium facit Deum hominibus.

Libro 8. *contra Celsum:* Videtur ad eum solum pertinere offerre iuge sacrificium, qui se perpetua deuouerit castitati.

Methodius Patarensis. 280.

De rebus, quæ ab initio mundi contigerunt, & deinceps contingent: Et tolletur honor à sacerdotibus, & supprimetur mysterium Dei, & quiescet omne sacrificium ab Ecclesijs, & erunt sacerdotes sicut populus in eodem tempore, seu in septimo hebdomatico tempore.

Constantinus Imperator. 320.

Epistola ad Episcopos Tyri collectos: Et vos, qui eius diuinitati pro nobis sancta debetis offerre mysteria, nihil, nisi quod ad contentionem inducat, & odia operamini.

Eusebius Cæsarensis. 320.

De Demonstratione Euangelica libro 1. cap. 10. Itàque post omnia, quasi mirabilem quandam victimam, sacrificiumquè eximium Patri suo operatus, pro nostra omnium salute obtulit, eiusquè rei memoriam, vt nos ipsi Deo pro sacrificio offerremus, instituit. Hoc etiam Prophetarum præcipuus Dauid, qui quod futurum erat spiritu diuino prouiderat, vaticinatus est, vbi ait: *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi, & exaudiuit precem meam: & sustulit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis, & statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos, & immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro.* Quod porrò sit hoc nouum canticum, declarat deinceps, vbi ait: *Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi, holocausta & pro peccato non probasti. Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt facerem Deus voluntatem tuam.* Et adiungit: *Annuntiaui iustitiam in Ecclesia magna.* Sic planè docens pro antiquis sacrificijs & holocaustis Christi aduentum, per assumptionem humani corporis, eiusquè corpus perfectum Deo oblatum esse, ipsumquè hoc Ecclesiæ suæ nuntiat cum gaudio tamquam ingens mysterium, quod Prophetica voce in capite libri propositum expressumquè sit. Cùm ergo huius sacrificij memoriam signis quibusdam in mensa celebrandam, corporisquè item illius, salutarisquè sanguinis, vt noui Testamenti institutum habet, acceperimus, rursus à Propheta Dauid instruimur ad dicendum: *Parasti in conspectu meo mensam, contra eos qui affligunt me: Pingue fecisti in oleo caput meum, & calix tuus inebrians quàm præstantissimus?* Palam igitur in his significat mysticam vnctionem, & horrorem afferentia mensæ Christi sacrificia, quibus operantes, incruentas & rationales, eiquè suaues victimas, in tota vita supremo Deo offerre, per eminentissimum omnium ipsius Pontificem edocti sumus. Hoc ipsum magnus quoque Propheta Esaias mirabiliter diuino spiritu indicante prouidit, & antequam fieret prædicauit. Dicit igitur sic: *Domine Deus meus, glorificabo te, laudabo nomen tuum: quoniam fecisti res mirabiles.* Et quænam hæ sint res mirabiles planè deinceps ostendit, dicens: *Faciet Dominus Sabaoth conuiuium omnibus gentibus, bibent lætitiam, bibent vinum, vngentur vnguento, trade hæc omnia gentibus: Consilium enim hoc in omnes gentes.* Huiusmodi sanè erant Esaiæ mirabilia, quæ bonæ cuiusdam fragrantiæ, vnguentiquè vnctionem, non Israel, sed omnibus gentibus promittebant. Ex quo non immeritò propter vnguenti vnctionem Christianorum appellationem consecutæ sunt. Sed vini quoque lætitiam gentibus vaticinatur, in eo noui Testamenti, quod à Christo conditum est, mysterium subobscurè significans. Quod sanè apud omnes gentes in præsenti tempore perspicuè celebratur. *Et paulo ante, cùm de gentibus & Iudæis ad Christum conuersis ageret.* Meritò sanè, *inquit,* quando illius memoriam corporisquè eiusdem & sanguinis recordationem quotidie celebrant, & ad longè præstantius & sacrificium & munus assumpti sunt, quàm illud antiquitus fuerit.

Psal. 39.

Psal. 22.

Esa. 55.

Cap. vltimo: Sacrificamus Deo altissimo sacrificium laudis, sacrificium Deo plenum, secundùm nouum Testamentum hostiam mundam.

Oratione de laudibus Constantini: Quis alius, solo Seruatore nostro excepto, sacrificia rationalia sanguinisquè expertia, precibus & arcana quadam diuinæ laudis celebrandæ ratione suis discipulis obeunda tradidit? Qua de causa tum altaria in toto orbe terrarum constructa sunt, tum augustæ sanctæquè Ecclesię ædificatæ, tum diuina sacrificiorum sola mente & ratione perceptorum ministeria soli Deo destinata.

Concilium Nicænum. 325.

Can. 14. Nec regula, nec consuetudo tradidit, vt Diaconi, qui offerendi sacrificij non habent potestatem, sacerdotibus, qui offerunt, Christi corpus porrigant.

Inter Diotiposes, quæ in fragmentis eius Synodi Græcè inueniuntur: In hac diuina mensa ne ad propositum panem & calicem humiliter intenti simus, sed mente in altum sublata, fide cogitemus: κεῖσθαι ἐπὶ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης τραπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον, καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ αἷμα, id est, quòd positus sit in illa sacra mensa Agnus Dei, qui tollit peccata mundi: qui sine mactatione à sacerdotibus immolatur, & honorabilem ipsius sanguinem.

Athanasius. 340.

Apud Damascenum Sermone de defunctis: Hæc, quę pro defunctis fiunt, accepta sunt Deo, & ab ipso retributionem accipiunt: Oleum enim & cera holocaustum est, incruentum verò sacrificium propitiatio existit.

Concilium Laodicense. 360.

Can. 58. Non oportet in domibus oblationes ab Episcopis siue Presbyteris fieri.

Basilius Magnus. 370.

Homilia 19. quæ est Oratio in Gordium Martyrem: Domus orationis prophanorum manibus vastabantur, aræ sanctissimæ euertebantur, nec erat oblatio vlla, nec thymiama. Diuinę rei nullus iam locus erat amplius relictus.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 5. Deinde verò postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro socijs, pro ægrotis & afflictis, & in summa pro his omnibus, qui egent auxilio, cùm hoc sacrificium offerimus: postea facimus mentionem etiam eorum, qui ante nobis obdormierunt: maximum credentes esse animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, sacrificij.

Macarius Ægyptius. 370.

Homilia 27. Illo tempore Magnates nouerant venturum esse Redemptorem: sed passurum esse non nôrant: nec in animum eorum ascenderat, offerendum esse in Ecclesia panem & vinum, exemplar exhibens carnem ipsius, & sanguinem, sumentesquè de pane non visibili modo, & eo quo editur alta caro: sed spirituali & inuisibili spiritualiter Domini carnem edere.

Amphilochius. 380.

In vita Basilij: Elapso aliquanto tempore, rogauit Basilius diuinitus sibi dari gratiam, sapientiam, & intellectum, vt proprijs sermonibus posset illi incruentum offerre sacrificium, & vt adueniret in ipsum Spiritus sanctus.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 3. quæ est inuectiua 1. in Iulianum Apostatam: Atque hinc quidem facinora sua auspicatur, quemadmodum narrant, qui ipsius arcanis gloriantur, (Proh in quos sermones incurrere cogor!) impuro & nefario sanguine lauacrum extergit, initiationi nostræ execrabilem initiationem opponens, sus videlicet in cœno prouoluta, sicut est in prouerbio, manusque suas profanat, vt nimirum eas ab incruento sacrificio, per quod nos Christo ipsiusque passionibus & diuinitati communicamus, elueret ac repurgaret.

Oratione 4. quæ est 2. inuectiua in Iulianum: Sed quid hæc colligo? Ad præsentia & nostra me conuertam. Non iam in sacras nostras ædes prauos oculos inijcient: non iam aras à purissimo & incruento sacrificio nomen habentes scelesto sanguine contaminabunt: nec loca non adeunda per impia altaria probro ac dedecore afficient.

Oratione 19. quæ est Oratio funebris in laudem patris sui mortui: Cùm nunquam non dolore premeretur, & quidem persæpe singulis diebus, atque interdum etiam horis, ex sola Liturgia robur concipiebat, ac morbus, tamquam ex edicto & imperio fugatus, se subducebat.

Oratione 30. quæ est Oratio in electione Eulalij Doarensium Episcopi: Et postea manus has sursum ad Deum tendes? postea dona offeres? postea orationes pro populo fundes?

Ad Episcopos & sacrum Clerum de confusione Ecclesiastici ordinis:

O qui sacra Deo offertis sine sanguine Mystæ.

Epiphanius. 380.

Hæresi 55. contra Melchisedecianos: *Obtulit ipsi Abraam panes & vinum,* &c. Quandoquidem ex ipso ex Circuncisione futurum erat sacerdotium, vt omnis altitudo, quæ se effert contra cognitionem Dei, per cognitionem Dei instrueretur, ad hoc, vt ne se iactans Circuncisio de sacerdotio, contradicere possit sacerdotio sanctæ Ecclesiæ: Abraham enim obtulit ipsi Melchisedech decimam: qui verò ab Abrahamo descenderunt, ipsi Leui offerunt & Aaron. Post tempus autem, cùm rursus esset sacerdotium ex circuncisione per Aaron & filios ipsius, consequenter Scriptura dicit per Dauidem, post generationes duodecim à generatione Leui, septimam verò à successione Aaron, natura visum est, vt in veteri sacerdotio sacerdotalis dignitas ne constituatur, verùm ad id, quod ante Leui, & ante Aaron fuit secundùm ordinem Melchisedech sacerdotium transferatur: quod sanè nunc in Ecclesia viget à Christo, & huc vsque, dum non amplius semen secundùm successionem eligitur, sed forma iuxta virtutem quæritur.

Epistola ad Ioannem Hierosolymitanum: Cùm enim vidissem, quia multitudo sanctorum fratrum in Monasterio consisteret, & sancti Presbyteri, Hieronymus & Vincentius, propter verecundiam & humilitatem nollent debita nomini suo exercere sacrificia, & laborare in hac parte ministerij, quæ Christianorum præcipua salus est, inuenire autem & comprehendere seruum Dei non posses, qui te, eò quòd graue onus sacerdotij nollet suscipere, sæpe fugiebat.

Ioannes Chrysostomus. 400.

In Psalm. 95. Vide quàm luculenter, quamque dilucidè mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia: Thymiama verò purum sacras appellat preces, quæ post hostiam offeruntur. Est igitur hostia pura prima quidem mystica mensa, cæleste summeque venerandum sacrificium, &c. Est igitur primum sacrificium spirituale illud ac mysticum donum, alterum sacrificium est Martyrium, tertium deprecationis, quartum iubilationis.

Lib. 3. de Sacerdotio: Dum conspicis Dominum immolatum, sacerdotem sacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tum verò turbam circumfusam pretioso illo sanguine intingi ac rubefieri, etiamne te inter mortales versari, atque in terra consistere censes? &c. Adest sacerdos, non ignem gestans, sed Spiritum sanctum: is preces diuturnas fundit, vt gratia in sacrificium influens, per illud ipsum omnium animos inflammet, & puriores reddat argento igni excocto purgatoque. Hoc ergo mysterium, omnium maximè horrendum verendumque, quis tandem, qui sanus in idem minimè fit, quique è potestate non exierit, fastidire ac despicere poterit?

Libro 6. de Sacerdotio: Per id tempus & Angeli sacerdoti assident, & cælestium Potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus, in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Id quod credere abundè licet, vel ex tanto illo sacrificio, quod tum peragitur.

Homilia 27. in Act. Apostol. Ideo in mysterijs inuicem salutamus, vt multi vnum efficiamur, & communes pro non initiatis preces effundimus, & pro infirmis, & terræ, & maris, & vniuersi orbis fructibus sacrificamus.

Homilia in Encænijs: Papè mensa mysterijs instructa est, & Agnus Dei pro te immolatur, sacerdos pro te angitur, ignis spiritualis è sacra mensa refluit.

Homilia 61. ad populum Antiochenum: Ad mensam veniente Domino, seruos, qui Dominum offenderunt, adesse non oportet, sed procul arcentur: ita scilicet & hic, dum profertur sacrificium, & Christus immolatur, & ouis dominica: cùm audieris, *oremus omnes communiter:* cùm vela videris retrahi, tunc supernè cælum aperiri cogita, & Angelos descendere.

Oratione 24. in primam Epistolam ad Corinthios: Et in veteri quidem Testamento, quoniam affecti erant imperfectius, quem idolis offerebant sanguinem, eum ipse sustinuit suscipere, vt ab illis abduceret, quod ipsum quoque erat amoris ineffabilis. Hic autem in eo, quod est longè horribilius & magnificentius, sacram constituit operationem, vt qui & ipsum mutarit sacrificium, & pro cæde brutorum seipsum iussit offerri.

Homilia 2. in secundam epistolam ad Timotheum in Moral. Sacra ipsa oblatio, siue illam Petrus, siue illam Paulus, siue cuiusuis meriti sacerdos offerat, eadem est, quam dedit ipse Christus discipulis, quamque sacerdotes modò quoque conficiunt.

Oratione 17. in epistolam ad Hebræos: Eundem semper offerimus: non nunc quidem alium, sed semper eundem. Quamobrem vnum est sacrificium propter hanc rationem. Quoniam multis in locis offertur, multine sunt Christi? Nequaquam, sed vnus vbique est Christus. Quomodo ergo multis in locis oblatus, vnum est corpus, & non multa corpora: ita etiam vnum est sacrificium. Pontifex noster ille est, qui illam obtulit hostiam, quæ nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quæ tunc fuit oblata, quæ non potest consumi. Hoc fit in recordationem eius, quod tunc factum est. *Hoc enim facite,* inquit, *in meam commemorationem.* Non aliam Luc. 22. hostiam sicut Pontifex, sed eandem semper facimus, vel potius hostiæ seu sacrificij facimus recordationem.

Synesius. 410.

Epistola 57. Per hunc aggreditur me tentator, vt altaris Liturgiam relinquam.

Epistola 58. Multum aberit, vt in communionem

arca-

arcani sacrificij recipiamus eos, qui partem habere voluerint cum Andronico & Thoante.

Philo Carpathius. 420.

In Cantica: Sacerdotalis dignitas in tam diuino & salutifero sacrificio & tam ineffabili Sacramento nunquam caret vero corpore & sanguine Iesu Christi.

Proclus. 430.

Tractatu de traditione diuinæ Liturgiæ: Multi quidem & alij diuini pastores, qui Apostolis successerunt, ac Ecclesiæ Doctores, sacrorum illius diuinæ Liturgiæ mysteriorum rationem explicantes, scriptis mandatam Ecclesiæ tradiderunt. In quibus primi & clarissimi sunt S. Clemens, summi illius Apostolorum discipulus, & successor, qui sacrosancta illa mysteria, à sanctis Apostolis sibi reuelata, in lucem edidit: & D. Iacobus, qui in sortem Ecclesię Hierosolymitanæ administrandę vocatus fuit, quique huius primus Episcopus à primo illo & summo Pontifice Christo Deo nostro constitutus est. Magnus porrò postea Basilius, hominum socordiam & ignauiam conspiciens, eosque nihil aliud quàm terrena & abiecta cogitantes, & ob id longitudinis Liturgiæ pertæsos, non quòd superuacaneum aliquid, aut nimis longum continere eam arbitraretur, sed vt simul orantium atque audientium ignauiam atque pigritiam præcideret, propterea quòd multum in ea temporis poneretur, breuiorem recitandam dedit. Etenim postquam Seruator noster in cælum assumptus est, Apostoli priusquam per omnem terram dispergerentur, conspirantibus animis conuenientes, ad toto die orandum conuertebantur: & cùm multam consolationem in mystico illo Dominici corporis sacrificio positam inuenissent, fusissimè & longa oratione Liturgiam decantabant. Hæc enim diuina sacra vnà cum dicendi ratione coniuncta, cæteris rebus anteponenda censebant, atque maiori & alacriori rerum diuinarum, & sacrificij sacrosancti studio & desiderio flagrabant, & illud obnixè amplectebantur, &c. Haud multò post pater noster Ioannes, cui aurea lingua cognomen dedit, curam ouium, vt pastorem decet, magna alacritate suscipiens, ac hominum naturæ socordiam atque ignauiam prospiciens, fibras omnes ac radices huius prætextus Satanici prorsus euellere voluit. Quare multa præcidit, & vt breuior esset, constituit: ne sensim homines libertatem, & otium maximè amplectentes, fallacibus ac furiosis aduersarij sermonibus decepti, ab hac Apostolica & diuina traditione deficerent; quod multis sæpe accidisse varijs in locis ad hunc vsque diem deprehendimus.

Nilus Monachus. 430.

Epistola ad Anastasium Episcopum: Ioannes, sacerdos admirandus Ecclesiæ Constantinopolitanæ, imò verò totius orbis splendor, vir animi perspicacis, videbat domum Domini refertam Angelorum cœtu, & tunc imprimis, cùm diuinum & incruentum sacrificium offerebatur: quo quidem tempore stupore ac lætitia plenus rem præcipuis amicis spiritualibus priuatim enarrauit. Cùm cœpisset, inquit, sacerdos sanctum sacrificium, seu oblationem facere, plurimæ statim ex beatis illis Virtutibus è cælo descendentes, stolis indutæ splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ altare magno cum silentio & reuerentia, quoad venerandum illud mysterium expletum fuit, circumsteterunt. Deinde hac illuc singulæ per totam domum diffusæ, Episcopis, & Presbyteris, & Diaconis distributionem corporis & pretiosi sanguinis ministrantibus adhæserunt, satagentes & sedulò adiuuantes. Hæc autem scribo, vt diuini sacrificij dignitatem cognoscentes, caueatis, ne illud negligenter diuino timore abiecto administretis.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De adoratione in spiritu lib.13. Nonne Diaconi præcipiunt clamantes in Ecclesijs, nunc quidem tempus esse, vt populi hymnum dicant, & modestè, ac decenter stent: interdum verò, vt quiescant, præterea ad orandum excitant? Et dum illa incruenta hostia consecratur, nonne ipsi sacratiora vasa ferunt, & accuratam omnibus in rebus necessarijs obseruantiam exhibent?

Epistola ad Nestorium: Dum Iesu Christi mortem, & ex mortuis resurrectionem annuntiamus, eiusdemque in cælum assumptionem, profitemur incruentum in Ecclesia Dei cultum nos obire, mysticasque benedictiones adire, eaque ratione sanctificari, vtpote sacræ carnis & pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrum Seruatoris, participes effecti.

In declaratione Anathematismi 11. Sanctum, viuificum, incruentumque in Ecclesia sacrificium offerimus: corpus & pretiosum sanguinem, quę proponuntur, non communis, nobisque similis hominis esse credentes, sed Verbi.

Lib. 4. in Esaiam cap. 25. Explicans eum locum: *Bibent vinum*, &c. Per vinum mysticam benedictionem, & incruentæ hostiæ modum significat, quam in sacris Ecclesijs consueuimus administrare.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 1. epist. 401. ad Beniamin Hebræum: Nouum ac peregrinum oblationis genus, quo Ecclesia vtitur, excogitatum esse ais, quia pani sanctificatio commissa sit, cùm lex sacrificia cruore definiat, ac præscribat. Quin autem illud perspicis, qui in Lege gloriaris, cùm Legem ignores, quòd Lex cruenta, ac nidorulenta sacrificia in atrio, ac prætentis sanctuario velis fieri iubebat: panes autem mensa ea intus excipiebat, quam à veteri populo conspici nefas erat. Quo è numero ipse es, qui veritatem in Lege occultatam ac nunc declaratam minimè cognouisti.

Lib. 3. epist. 75. In nouo Testamento seiunctim quidem ac velut prærogatiuæ nomine incruentæ victimæ sacrificium ij habent, quibus illud offerre concessum est.

Ischyrion Diaconus Alexandrinus. 450.

Libello ad Leonem Papam: Et ex hoc neque terribile & incruentum sacrificium celebratum est, neque peregrini, aut prouinciales hoc solatio fruiti sunt.

Theodoretus. 450.

In Philotheo cap. 20. Cùm longo tempore diuinus Maris desiderasset videre offerri spiritale & mysticum sacrificium, rogauit vt diuini doni illic fieret oblatio. Ego verò lubenter parui, & iussi sacra vasa afferri (pagus enim haud longè aberat) & pro altari vsus Diaconorum manibus, mysticum, diuinum, & salutare obtuli sacrificium. Ille autem omni spiritali implebatur voluptate, & existimabat seipsum cælum videre: dicebatque se nunquam tantam cepisse lætitiam.

Ad cap. 1. Malachiæ. Nam omnium habitatores terrarum, quas sol exoriens & occidens suis radijs illustrat, cùm vbique incensum offerent, tum etiam sacrum purum & mihi gratum conficient.

Ad cap. 8. ad Hebræos: Si sacerdotium, quod est ex Lege, finem accepit, & sacerdos, qui est secundùm ordinem Melchisedech, obtulit sacrificium, & effecit, vt alia sacrificia non essent necessaria: cur noui Testamenti sacerdotes mysticam Liturgiam seu sacrificium peragunt? Sed clarum est ijs, qui sunt rebus diuinis eruditi, nos non aliud sacrificium offerre, sed illius vnius & salutaris

me mo-

memoriam peragere. Hoc enim nobis præcepit ipse Dominus: *Hoc facite in meam commemorationem*, vt per figurarum contemplationem, earum, quæ pro nobis susceptæ sunt, perpessionem recordemur, & in benefactorem beneuolentiam conseruemus, & futurorum bonorum perceptionem expectemus.

Iustinianus Imperator. 530.

C. de Episcopis & Clericis L. 41. Sacerdotes omne studium, omnemq; cogitationem circa diuinam Liturgiam & res Ecclesiasticas consumere debent, &c. Qui constituerunt, vel fundarunt sanctissimas Ecclesias, pro sua salute & communis Reipub. reliquerunt illis substantias, vt per eas debeant sacræ Liturgiæ fieri, & vt in illis à ministrantibus pijs clericis Deus colatur.

Nouel. Const. 7. apud Iulianum Patricium: Nemini liceat in posterum cuiuscunq; Monasterij impiam venditionem, vel donationē, vel permutationem contrahere, vbi altare est collocatum, est & sacra Missa facta, &c. Nam si tale aliquid admissum fuerit, refutari oportet, vt iterum in sanctissimo Monasterio sacra procedat Missa.

Apud eundem: Si quis in domo sua oratorium habuerit, non audeat in ea sacram facere Missam, nisi clericos Catholicæ fidei habuerit deputatos ex iussione religiosissimi Episcopi illius ciuitatis.

Apud eundem Const. 115. Si quis diuinis mysterijs intrando Ecclesiam iniuriam fecerit, iubemus eum tormentis subiectum in exilium mitti: si verò diuina mysteria conturbauerit, vel celebrare prohibuerit, capitali supplicio puniatur.

Synodus Constantinopolitana. 536.

Actione 1. Acclamauit illis sanctissimus Archiepiscopus noster hæc: Quoniam magna hora est, & iustum est nos diuinam celebrare Missam, per quam colitur Deus, in vtilitatem animarum nostrarum sufficiant hæc.

Timotheus Alexandrinus, 540.

Narratione de maximis miraculis sanctis & gloriosi Martyris Mena: Constantinus iussit quoque Ecclesias ædificari in nomine omnium Sanctorum & gloriosorum Martyrum Similiter autem iussit etiam mundum & incruentum Christo Deo nostro quotidie offerri sacrificium, ad conuersionem & pœnitentiam omnium fidelium.

Cyrillus Eremita. 540.

De S. Ioanne Silentiario: Tanta verò ei aderat compunctio, vt ipse vehementer lachrymaretur in tempore incruenti sacrificij, & non posset se continere.

De S. Euthymio: Vnicuique eorum fuit ædificata cella, & quotidie sacra peragebantur mysteria, &c. vna Sabbatorum Euthymius quidem Deo ministrabat, & ei incruentum obtulit sacrificium: Domitianus verò astabat ad dextram cum mystico illo ventilabro, cùm iam esset peragenda ter sancti glorificatio.

Andreas Hierosolymitanus. 560.

Homilia in Dominicam Palmarum: Poterimus & nos eum sumere, qui pro nobis semper sine mactatione immolatur: θύεται γὰρ ἐν ἀντιτύποις συμβόλοις ἱερουργούμενος: immolatur enim pro nobis in symbolis antitypis consecratus.

Anastasius Synaites. 580.

Sermone de Sancta Communione: Neminem iudicare, præcipuè autem Dei sacerdotem: sed accede cum fide, & efficaci pœnitentia, & pura conscientia ad Dei mysteria, & omnem sanctificationem assequeris. Est enim Dei Angelus seu nuntius, qui offert incruentum sacrificium. Tu autem indignè accedis? Angelus te nequaquam à peccatis purgabit.

Eustachius Presbyter. 600.

In vita S. Eutychij Patriarchæ: Cùm igitur sacrificium totum expleßet bonus pastor, & vniuerso populo fideli sacrosanctum & saluiferum Domini nostri Iesu Christi corpus distribuisset, in sanctum Episcopium reuersus, modicum cibi cum solitis familiaribus hilari vultu cepit, &c. Diuina caligo sanctum operuit altare, super quo cùm incruentum sacrificium obtulisset, fideli populo distribuit.

De quatuor Patriarchis Constantinopoli congregatis: In magnam Ecclesiam ingressi sunt, diuinum incruentumq; sacrificium obtulerunt, semel & solum Christum Dominum pastorumq; principem imitati, qui vnica oblatione sanctificauit vniuersos, semel passus in fine seculorum.

Ioannes Moschus. 600.

In Prato spirituali cap. 199. Contigit autem sanctum senem præsentē illo sacrificium offerre. Dixit autem ei Diaconus: Verba, quæ in offerendo dixisti, rectæ fidei non sunt, sed hæreticorum, &c.

Alexander Monachus. 600.

In vita D. Barnabæ: Hæc cùm dixisset Barnabas, vnà cum omnibus Deum orauit, multusque fletus hominum fuit, eò quòd dixerat, tempus propè esse, quo à corpore dissoluendus foret. Ipse verò cùm panem & calicem sumpsisset, & diuinæ Liturgiæ ordinem totum compleuisset, vnà cum fratribus particeps factus est Eucharistiæ Sacramentorum.

Leontius. 620.

In vita Ioannis Eleemosynarij: Cùm ergo ad sanctum Dominicum diem peruenisset, & sancto altari astitisset, vt incruentum, id est, impollutum sacrificium offerret, iam Diacono generalem orationem penè consummante, sanctum velamen exaltaturo in mentem venit, &c.

Georgius Presbyter. 640.

In vita Theodori Archimandritæ: Et gratias agens Deo dixit ad populum: Reuertamur in Ecclesiam filij Dei: Deus enim celeriter misericordiam suam nobis ostendet. Reuersi igitur in S. Eugenij templum, diuinum sacrificium peregerunt, &c. Cùm beatus Theodorus sacrificaret, dum, vt regionis est mos, discum in sublime tolleret, vt sanctum panem ostenderet, sanctus ipse accepti sacrificij panis super disco per se cœpit sublimis extolli, & tamquam exultans & saliens sursum deorsumq; cunct... stantibus ita moueri, vt omnes, qui aderamus, illius ascendentis descendentisq; motum & sonitum videntes audientesq; admiratione & timore propter miraculum repleremur.

Synodus Trullensis. 710.

Canone 28. Quoniam in diuersis Ecclesijs intelleximus, vuas ad altare allata, ex quadam quæ inualuit consuetudine; ministros, postquam hanc incruento oblationis sacrificio coniunxerint, vtraque simul populo distribuere: simul etiam esse decernendum perspeximus; vt nullus sacerdos hoc amplius faciat: sed ad viuificationem & peccatorum remissionem solam oblationem populo impertiat.

Canone 32. Quoniam ad nostram cognitionem peruenit, quòd in Armeniorum regione vinum tantùm in sacra mensa offerunt, aquam illi non miscentes, qui incruentum sacrificium peragunt, &c. Iacobus frater Domini, & Basilius mystico nobis in scriptis sacrificio tradito ita tradendum in

Leo Imperator Philosophus. 880.

De apparatu bellico cap.19. καὶ πρῶτον μὲν πρὸ τοῦ ἀποκινῆσαι ἁγιασθήτωσαν ἅπαντα τὰ φλάμμουλα τῶν δρομώνων διὰ θείας τῶν ἱερέων ἱερουργίας, καὶ εὐχῆς ἐκτενοῦς πρὸς τὸν τῶν ὅλων θεὸν ὑπὲρ εὐοδώσεως τοῦ στρατοῦ κατὰ τῶν πολεμίων. Et priusquam moueas, sanctificentur omnia flammula dromonum per sacrum sacerdotum sacrificium, & orationem assiduam ad Deum, vt iter prosperet exercitui aduersus hostes.

In Encomio Ioannis Chrysostomi: Mihi autem hic quoque considera, cùm adesset hora ordinationis, & incruentum perageretur sacrificium, & inferius assisteret multitudo innumerabilis, & Angeli desuper intuerentur, manum imponente Episcopo, preces dicente consuetas, dicitur factum esse illud maximum nouum spectaculum.

Theophylactus. 900.

In caput 5. ad Hebræos: *Tu es Sacerdos in æternum.*) Dicant igitur Iudæi nobis, quisnam fuerit alius sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, præter Christum? Nonne omnes sub Lege fuerunt? Nonne omnes Sabbatum celebrabant, & victimas offerebant? Manifestissimè igitur de Christo hoc dictum est. Solus enim ille pane ac vino sacrificium consecrauit, perinde ac Melchisedec. Qui verò dixit *in æternum?* Quoniam etiamnum vnà cum corpore, quod pro nobis immolauit, apud Deum & Patrem intercedit, &c. vel quia quæ in dies singulos fit, & futura est in perpetuum oblatio per Dei ministros, ipsum habet Pontificem & sacerdotem Dominum, atque adeò ipsam hostiam, qui seipsum pro nobis sanctificat, & frangitur, & distribuitur. Quoties enim hæc fiunt, mors Domini annuntiatur.

Ad cap.7. *Manet sacerdos in perpetuum.*) Dicimus Christum, cùm æternus sit & immortalis, reuera semper esse sacerdotem. Nam & nunc quidem semper seipsum pro nobis offerre creditur per ministros suos.

Ad cap.10. Suboritur hic quæstio, Num & nos hostias incruentas offeramus? Cui respondemus, omninò: cæterùm memoriam facimus mortis Domini, estque vna ipsa, non multæ: quandoquidem semel oblatus est. Nam eundem semper offerimus: imò potius memoriam illius oblationis facimus, qua se ipse obtulit, ceu iam nunc facta sit. Proinde vnum est sacrificium. Nam quod ad quæstionem attinet, postquam multis in locis offertur, num igitur multi Christi erunt? Nequaquam, sed vnus est vbique, & plenus, & illic plenus & perfectus, vnumque corpus. Quemadmodum enim in multis locis oblatus Christus, vnum corpus est, & non multa corpora: sic & vnum sacrificium. Nam illam hostiam offerimus, quæ tum est oblata: illic autem alius erat, qui heri oblatus erat, agnus fortasse, à victima, quæ hodie offertur, nec veluti commemoratio erat hesternæ oblationis, qui hodie offerebatur agnus, sed ipse per seipsum sacrificium perficiebat.

Simeon Metaphrastes. 930.

De S. Clemente Ancyrano: Cùm autem dies iam adesset præstitutus, (erat verò dies Dominicus) à præsente vita athletam euocans, ille quidem diuinum celebrat sacrificium. Postquam autem perfecta fuerant, quæ consueuerant, & participes fuerunt fideles viuifici corporis & sanguinis, diuinis adhuc donis in sacra mensa propositis, & ad ea Martyre habente collum inclinatum, quidam ex magistratibus Alexander nomine, impetu repente facto cum militibus, iubet vni ex suis amputare sacrum caput Clementis. Deinde etiam intemeratam oblationem (ô Christe tuam patientiam) deiecerunt in terram, & prophanis pedibus prophani conculcârunt. Atque sic quidem magnus ille Clemens sacrificans, acceptum pro aliquo alio sacrificium ipse Deo offertur.

De S. Abranio: Postquam finitum fuit ædificium, incruentum in eo sacrificium Deo offerebat.

In Martyrio S. Gregorij Martyris Armenij capite 28. Crux ignea significat, quòd igne sanctissimi Spiritus incruentum, quod in holocaustum offertur, sacrificium adoletur in memoriam & gloriam eius, qui pro nobis crucifixus est.

Cap.34. Postmodum aram consecrat, & in ea Deo incruenta offert sacrificia.

Oecumenius. 1050.

In caput 5. ad Hebræos: *Tu es sacerdos in æternum.*) Neque enim de ea, quæ semel à Deo facta est, oblatione & hostia dixisset, *in æternum*: sed respiciens ad præsentes sacrificos, per quos medios Christus sacrificat & sacrificatur, qui etiam in mystica Cœna modum illis tradidit huiusmodi sacrificij.

In cap.10. Qui multas, inquit Apostolus, & easdem singulis annis offerunt hostias, perficere nequeunt illos, qui secundùm Legem conuersantur. Quid ergo? anne nos semper offerimus hostias sanguine carentes? sed vnius eiusdemque mortis Christi memoriam facimus, & vnum Christi corpus semper edimus. Non enim nunc quidem vnius Christi, aliâs verò alterius: sed semper eiusdem: Iudæorum verò hostiæ varias habebant victimas, nempe oues, boues, capras: ideo multæ sunt hostiæ: nostræ verò, quamquam actione multæ sint, vnica tamen est potestate.

Ioannes Zonaras. 1100.

In Can. 3. Apost. Dominus tradens discipulis suis illud, quod agitur incruento sacrificio, mysterium hoc ipsum pane vinoque conficiendum tradidit. Ob quod etiam Apostoli prohibuerunt aliud ad sacrificium adduci.

Georgius Cedrenus. 1110.

In Monomacho: Ad id tempus tantùm in insignioribus solennitatibus in magno Dei templo, & in Sabbatis ac Dominicis diebus incruentum sacrificium porrigebatur: reliquis diebus nequaquam. Hunc defectum Monomachus liberaliter suppleuit, vt quotidie Missa celebraretur eo in templo, laudabili sanè instituto, quod hodieque obtinet.

Nicolaus Methonensis. 1150.

Oratione de Eucharistia: Propterea Christo credentes, ita offerimus panem perfectum, viuum, suacorpus Christi, quod perfectum etiam post passionem permansit, & integrum, & à diuina vita inseparabile, planè quale ipse primus Pontifex noster, & sacrificus, victimaque suis discipulis tradidit, iique denuò, qui ab initio suis oculis Verbum intuiti sunt, eique ministrârunt, Catholicæ Ecclesiæ ab extremis vsque ad extremos orbis terrarum limites tradiderunt.

Theodorus Balsamon. 1160.

In Canonem 3. Apost. Sacrificia, quæ Lege antiqua fiebant per sanguinem & animalium cædem, prohibentes diuini Apostoli, incruentum, quod à Domino traditum est, sacrificium fieri iusserunt, & sacerdotem, qui præter hæc facit, deponendum esse statuerunt.

Samonas Gazensis. 1220.

De Eucharistia: Sacerdos Deum Patrem orat, vt Spiritum suum demittat, vt propositum panem & calicem in sacrificium perficiat.

Nicolaus Cabasilas. 1280.

De Liturgia cap. 32. De ipso autem sacrificio ope-

Proprium opus hoc statuunt, vt dona in diuinum Christi corpus transmutentur: finem verò hunc, vt fideles ijs sanctificentur; peccatorumq; se remissionem, regni hæreditatem, & id genus alia, accipere credant, nos tales beatos prædicamus, &c. Cùm ex his, tum ex omnibus, quæ geruntur in sacrificij administratione, sanctificamur, in quibus videmus Christum typicè figuratum: & illa, quæ ad salutem nostram tum fecit, tum passus est. Etenim in Psalmis, & lectionibus, & tota sacerdotis operatione, Domini œconomia & administratio significatur: principia eius, primis sacrificij partibus repræsentantibus: media, secundis: reliqua, postremis: ita vt ij, qui hæc exactè intuentur, posśint illa oculis subiecta habere. Donorum enim consecratio, ipsa sacrificatio, mortem eius annuntiat, & resurrectionem, & assumptionem: quia honorabilia hæc dona in ipsum Dominicum transmutantur corpus. Quæ sacrificium antecedunt, significant ea, quæ mortem præcesserunt: aduentum scilicet Domini, exhibitionem, perfectam manifestationem: quæ verò sequuntur, promissionem Patris annunciant. In tota sacra actione velut vna imago est vnius corporis, & summæ, totam Saluatoris inter homines conuersationem continentis: omnes eius partes, ab initio ad finem vsque, sicut inter se connexæ & aptæ sunt, sub aspectum subijciens & repræsentans.

Hypatius Ruthenorum Legatus. 1595.

In sua fides Professione: Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro viuis & defunctis.

PROBANT PATRES LATINI.

Anacletus. 103.

Epistola 1. cap. 2. Deo sacrificantes perfectè, non debent vexari, sed portari, consolari, atque ab omnibus venerari. Ipsi autem, quando Domino sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, vt Domino perfectè in sacratis Deo sacrificare locis probentur. Ait namque auctoritas legis
Deut. 12. diuinæ: *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris: sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus.* Episcopus Deo sacrificās, testes, vt præfixum est, secum habeat, & plures, quàm alius sacerdos. Sicut enim maioris honoris gradu fruitur, sic maioris testimonij incremento indiget. In solennioribus quippe diebus aut septem, aut quinque, aut tres Diaconos, qui eius oculi dicuntur, & Subdiaconos, atque reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis in fronte, & à tergo, & Presbyteri è regione dextera, læuaq; contrito corde & humiliato spiritu ac prono stent vultu, custodientes eum à maleuolis hominibus, & consensum eius præbentes sacrificio.

Alexander. 109.

Epistola 1. capite 4. In Sacramentorum quoque oblationibus, quæ inter Missarum solennia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, vt eius cuius corpus & sanguis conficitur, passio celebretur, ita vt repulsis opinionibus superstitionum, panis tantùm & vinum aqua per mixtum in sacrificio offerantur. Non debet enim (vt à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet) in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri: sed vtrumque permixtum: quia vtrumque ex latere in passione sua profluxisse legitur. Ipsa verò veritas nos instruit, calicem & panem in Sacramento offerre Quando ait: *Accepit Iesus panem*, &c. Crimina enim atque peccata oblatis his Domino sacrificijs delentur. Idcirco & passio eius in his cōmemoranda est, qua redempti sumus, & sæpius recitanda, atque hæc Domino offerenda. Talibus hostijs delectabitur & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in sacrificijs maius esse potest, quàm corpus & sanguis Christi: nec vlla oblatio hac potior est, sed hæc omnis præcellit. Quæ pura conscientia Domino offerenda est, & pura mente sumenda, atque ab omnibus veneranda. Et sicut potior est cæteris: ita potius excoli, & venerari debet.

Thelesphorus. 127.

Epistola ad omnes vniuersaliter capite 1. Nocte sancta Natiuitatis Domini Saluatoris Missas celebrent & Hymnum Angelicum in in eis solenniter decantent, quoniam & eadem nocte ab Angelo pastoribus nunciatus est, &c. Reliquis temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minimè sunt celebrandæ: quia & eadem hora Dominus crucifixus est, & super Apostolos Spiritus sanctus descendisse legitur. Ab Episcopis autem idem Angelicus Hymnus pro tempore & loco Missarum in solennijs celebrandus est, atque solenniter recitandus.

Pius. 143.

Epistola ad Iustum Episcopum: Antequam Roma exisses, soror nostra Euprepia, sicut bene recordaris, titulum domus suæ pauperibus assignauit: vbi nunc cum pauperibus nostris commorantes, Missas agimus.

In Codice 5. librorum lib. 2. cap. 117. Vt de oblationibus, quæ offeruntur à populo, & consecrationibus, quæ supersunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis Presbyter conuenienter partes incisas habeat in vase nitido & conuenienti, vt post Missarum solennia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico accipiant.

Anicetus. 154.

Apud Burchardum lib. 5. cap. 29. & Iuonem parte 2. cap. 38. Panes, quos Deo in sacrificium offertis, aut à vobismetipsis, aut à vestris pueris coram vobis nitidè ac studiosè fiant, & diligenter obseruetur, vt panis, & vinum, & aqua, sine quibus Missæ nequeunt celebrari, mundißimè, atque studiosè tractentur, & nihil in eis vile, nihil non probatum inueniatur.

Soter. 163.

Apud Gratianum de Consecr. dist. 1. Hoc quoque statutum est, vt nullus Presbyterorum Missarum solennia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibiq; respondentibus, & ipse tertius habeatur: quia cùm pluraliter ab eo dicitur: *Dominus vobiscum*, & illud in secretis, (*Orate pro me,*) aptissimè conuenit, vt ipsius respondeatur salutationi.

Tertullianus. 200.

Libro de cultu fœminarum cap. 11. Vobis mulieribus nulla procedendi causa non tetrica. Aut imbecillis aliquis ex fratribus visitandus, aut Sacrificium offertur, aut Dei verbum administratur.

Libro ad Scapulam cap. 2. Itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, & ipsius.

Libro de Oratione cap. 14. Similiter de stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interueniendum, quòd statio soluenda sit accepto corpore Domini. Ergo deuotum Deo obse-

quium Eucharistia resoluit, an magis Deo obligat? Nonne solennior erit statio tua, si & ad aram Dei steteris? Accepto corpore Domini, & reseruato vtrumque saluum est, & participatio sacrificij, & executio officij.

De velandis virginibus cap. 9. Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui: sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec vllius virilis, nedum sacerdotalis officij sortem sibi vendicare.

Fabianus. 237.

In Codice Decretorum sexdecim librorum libro 5. cap. 9. Sacrificium non est accipiendum de manu sacerdotis, qui orationes, vel actiones, & reliquas obseruationes in Missa secundùm ritum implere non potest.

Cornelius. 250.

Epistola ad Lupicinum Viennensem Episcopum: Scias, frater charissime, arcam Domini vento persecutionis acerrimè commoueri, & edictis Imperatorum Christianos vbique tormentis varijs affici. Nam in vrbe Roma Imperator adhuc constitutus est. Vnde neque publicè, neque in cryptis notioribus Missas agere Christianis licet.

Cyprianus. 250.

Libro 2. epist. 4. *Epist. 16.* Et nos quidem vestri diebus & noctibus memores, & quando in sacrificijs precem cum pluribus facimus, & cùm in secessu priuatis precibus oramus, coronis ac laudibus vestris plenam à Domino fauentiam postulamus.

Libro 3. epist. 8. *Epistola 60.* Vt eos in mentem habeatis in orationibus vestris, & eis vicem boni operis in sacrificijs & precibus repræsentetis, subdidi nomina singulorum, &c.

Libro 1. epist. 4. *Epistola 68.* In ordinationibus sacerdotum non nisi immaculatos, & integros Antistites eligere debemus, qui dignè & sanctè sacrificia Domino offerentes, audiri in precationibus possint, quas faciunt pro plebis Dominicæ incolumitate, &c. Plebs à peccatore Præposito separare se debet, nec se ad sacerdotis sacrificia miscere.

Epistola 73. Quia Nouatianus altare collocare & sacrificia offerre contra fas nititur, ab altari & sacrificijs cessare nos oportet, ne paria & similia cum illo celebrare videamur.

Libro 3. epist. 25. *Epist. 77.* Illic sacerdotibus Dei nunc facultas non datur offerendi & celebrandi sacrificia diuina.

Libro 1. epist. 9. *Epist. 66.* Singuli diuino sacerdotio honorati, & in clerico ministerio constituti, non sine altari & sacrificijs deseruire, & precibus atque orationibus vacare debent.

Libro 2. epist. 3. *Epist. 63.* In calice Dominico sanctificando, & plebi ministrando, quidam non hoc faciunt, quod Iesus Christus Dominus & Deus noster, sacrificij huius auctor & doctor, fecit ac docuit.

De Oratione Dominica. Quando in vnum cum fratribus conuenimus, & sacrificia diuina cum Dei sacerdote celebramus, verecundiæ & disciplinæ memores esse debemus.

Felix Primus. 275.

Epist. 2. In præfata constituimus Synodo, vbiequé & omnibus Ecclesijs tenendum & agendum mandamus, vt super memorias Martyrum Missæ celebrentur: ne memoriæ eorum à talibus possit extingui, aut veneratio possit prohiberi.

Eutychianus. 275.

Apud Gratianum 11. q. 3. c. Si quis: Si quis Episcopus, aut Abbas Presbytero, aut Monacho suo iusserit Missas pro hæreticis cantare, non licet, & non expedit obedire eis.

Marcellinus Papa. 306.

Epistola 1. ad Salomonem Episcopum: Epistolæ tuæ sermo, & commonitorij series, & libelli tui textus eloquitur, quòd quidam errore decepti, dicunt ideo Patrem maiorem Filio esse, quia illi soli sacrificium immolatur. Quibus competens & congruum reddatur responsum: quia sicut Patri, ita etiam Filio, non solùm Christianis temporibus, verùm etiam priscis temporibus à sacerdotibus, varijs multisque modis probamus sacrificium fuisse oblatum, &c. Sacrificium itaque, quod à Christianis sacris altaribus admouetur, non solùm Deo Patri: sed etiam Filio communi deuotione offertur: quoniam nec Patri sine Filio potest offerri, neque Filio sine Patre sacrari.

Concilium Arelatense Primum. 320.

Cap. 15. De Diaconibus, quos cognouimus multis in locis offerre, placuit minimè fieri debere.

Cap. 20. Peregrino Episcopo locus sacrificandi detur.

Eusebius Papa. 309.

Ad Gratianum de consecr. dist. 1. Consulto omnium statuimus, vt sacrificium altaris non in serico panno, aut tincto quisquam celebrare præsumat, sed in puro linteo ab Episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato, atque contexto, sicut corpus Domini in sindone linea munda sepultum fuit.

Sylvester Papa. 320.

In Actis Concilij Romani: Hic etiam in memorata Synodo constituit, omnium cum consensu, vt nullus Presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui particeps de cætero voluerit esse sacerdotij.

Iulius Papa. 336.

Epist. ad Episcopos Ægypti (vt citatur à Burchardo lib. 5. c. 1. Iuone parte 2. cap. 2. Gratiano de Consec. d. 2. c. 7. Micrologo c. 19.) Cùm omne crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificijs deletur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificij oblatione erratur? Audiuimus enim quosdam schismatica ambitione detentos, cōtra diuinos ordines & Apostolicas institutiones, lac pro vino in diuinis sacrificijs dedicare: alios quoque intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere: quosdam etiam expressum vinum in Sacramento Dominici calicis offerre: alios verò pannum lineum musto intinctū per totum annum reseruare, & in tempore sacrificij partē eius aqua lauare, & sic offerre. Quod quàm sit Euangelicę & Apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini Ecclesiasticæ aduersum, non difficile ab ipso fonte veritatis probatur, à quo ordinata ipsa Sacramentorum mysteria processerunt. Cùm enim Magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, non illis lac, sed panem tantùm & calicem sub hoc Sacramento cognouimus dedisse.

Hilarius Pictauiensis. 350.

Lib. 3. ad Constantium Imp. Mediolanensem pijssimam plebem tu furore terroris tui turbasti, tribuni tui adierunt Sancta sanctorum, viam sibi omni per populum crudelitate pandentes, protraxerunt de altario sacerdotes. Leuius te putas, scelleste, Iudæorum impietate peccasse? Effuderunt quidem illi Zachariæ sanguinem, sed quantum in te, concorporatos Christi à Christo discidisti.

In Psal. 67. Ad Ecclesiæ decus detracta ab diabolo gentium spolia diuidantur, atque etiam ex his spolijs domus pulchritudo perficitur, cúm in sacerdotes Dei ad mysterij sanctificationem, ab aris templisque dæmonum abstrahuntur.

Marius Victorinus Afer. 360.

Lib. 1. aduersus Arium: Sic rursus & Paulus in epistola ad Titum, populum περιούσιον, circa substantiam, hoc est, circa vitam consistentem populum: sicuti & in oblatione dicitur: *Munda tibi populum, circumuitalem, æmulatorem bonorum operum, circa tuam substantiam venientem.* Tit. 2.

Lib. 2. Hinc oratio oblationis intellectu codē precatur Deū σῶσον περιούσιον λαὸν, ζηλωτὴν καλῶν ἔργων.

Ambrosius. 370.

Epistola 33. ad Marcellinam sororem suam de tradendis Basilicis. Sequenti die (erat autem Dominica) post lectiones atque tractatum dimissis Catechumenis Symbolum aliquibus competentibus in baptisterijs tradebam Basilicæ. Illic nuntiatum est mihi, comperto quòd ad Portianam Basilicam de Palatio decanos misissent, & vela suspenderent, populi partem eò pergere. Ego tamen mansi in munere, Missam facere cœpi. Dum offero, raptum cognoui à populo Castulum quendam, quem Presbyterum dicerent Ariani. Hunc autem in platea offenderant transeuntes. Amarissimè flere, & orare in ipsa oblatione Deum cœpi, vt subueniret, nec huius sanguis in causa Ecclesiæ fieret, certè vt meus sanguis pro salute non solùm populi, sed etiam pro ipsis impijs effunderetur. Quid multa? Missis Presbyteris & Diaconibus eripui iniuriæ virum.

Libro 1. Officiorum cap. 41. de S. Laurentio: Quò progrederis, inquit ad Sixtum, sine filio pater? quò sacerdos sancte sine Diabolo properas? nunquam sine ministro sacrificium offerre consueueras. Quid ergo in me displicuit pater?

Cap. 48. Vmbra in Lege, imago in Euangelio, veritas in cælestibus. Ante agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Christus offertur: sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, & offert se ipse quasi sacerdos, vt peccata nostra dimittat. Hic in imagine, ibi in veritate, vbi apud Patrem pro nobis quasi aduocatus interuenit. Hic ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus: illic facie ad faciem, vbi plena perfectio: quia perfectio omnis in veritate est.

Ad Psalm. 38. Videmus principem sacerdotum ad nos venientem, vidimus & audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum, sequamur, vt possumus, sacerdotes, vt offeramus pro populo sacrificium: etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio: quia etsi nunc Christus non videtur offerre, tamen ipse offertur in terris, quòd Christi corpus offertur, imò ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat sacrificium, quod offertur.

Ad caput 4. prioris ad Timotheum: Propheta est, qui eligitur, quasi doctor futurus idoneus: manus verò impositiones, verba sunt mystica, quibus confirmatur ad hoc opus electus, accipiens auctoritatem teste conscientia sua, vt audeat vice Domini sacrificium Deo offerre.

Libro 4. de Sacramentis cap. 6. Et dicit sacerdos: Ergo memores gloriosissimæ eius passionis, & ab inferis resurrectionis, & in cælum ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, & calicem vitæ æternæ: & petimus, ac precamur, vt hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo per manus Angelorum tuorum sicut suscipere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos Melchisedech.

Oratione prima præparante ad Missam: Summe Sacerdos, & verè Pontifex Iesu Christi, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram & immaculatam pro nobis miseris peccatoribus, & qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum, & sanguinem ad bibendum, & posuisti mysterium illud in virtute Spiritus sancti, dicens: *Hoc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis:* Rogo per hanc ineffabilem charitatem, doce me seruum tuum indignum, quē inter cætera dona tua ad officium sacerdotale vocatus es, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ, &c. Propter magnam clementiam tuam: concede mihi hodie & semper Missarum solennia puro corde & pura mente celebrare. Mortifica in me carnis stimulos, & omnes libidinis commotiones, & da mihi veram & perpetuam castitatem, cum cæteris bonis tuis, quæ tibi placent in veritate, vt sacrificium laudis casto corpore, & mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim Domine Iesu Christe cordis contritione & lachrymarum fonte, quanta reuerentia ac tremore, quanta corporis castitate & animæ puritate illud diuinum ac cæleste sacrificium est celebrandum, vbi caro tua in veritate sumitur, vbi sanguis tuus in veritate bibitur, vbi summa imis iunguntur, vbi adest præsentia Angelorum, vbi tu es sacerdos & sacrificium mirabiliter & ineffabiliter constitutus. Quis dignè hoc celebrare poterit, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum?

Libro 10. epist. 85. Quia ipse Martyr esse nequeo, hos vobis Martyres acquisiui. Succedant victimæ triumphales in locum, vbi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui pro omnibus passus est: isti sub altari, qui illius redempti sunt passione. Hunc ergo locum prædestinaueram mihi. Dignum est enim, vt ibi requiescat sacerdos, vbi offerre consueuit. Sed cedo sacris victimis dextram portionem, locus iste Martyribus debetur.

Exhortatione ad Virgines. Te nunc Domine precor, vt supra hanc domum tuam, supra hæc altaria, quæ hodie dedicantur, supra hos lapides spirituales, quibus sensibile tibi in singulis templum sacratur, quotidianus Præsul intendas; orationesque seruorum tuorum, quæ in hoc loco funduntur, diuina tua suscipias misericordia. Fiat tibi in odorem sanctificationis omne sacrificium, quod in hoc templo fide integra, pia sedulitate defertur. Et cùm ad illam respicis hostiam salutarem, per quam peccatum mundi huius aboletur, respicias etiam ab has piè hostias castitatis, & diuturno eas tuearis auxilio.

Damasus. 390.

In Pontificali de Alexandro Pontif.: Hic passionem Domini miscuit in precatione sacerdotum, quando Missæ celebrantur.

De Sixto: Constituit, vt Missarum actionem sacerdote incipiente, populus Hymnum decantaret: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.*

De Telesphoro: Hic fecit, vt in Natali Domini nostri Iesu Christi noctu Missæ celebrarentur, cum omni alio tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret Missas celebrare, quia ea hora Dominus ascendit in crucem: & vt ante sacrificium Hymnus diceretur Angelicus, hoc est: *Gloria in excelsis Deo.*

De Felice: Hic constituit super sepulchra aut memorias Martyrum Missas celebrari.

Epistola 4. de Choro episcopis: Non licet illis publicè in Missa quemquam pœnitentem reconciliare.

Hieronymus. 390.

Ad caput primum epist. ad Titum: Si laicis imperatum est, vt propter orationem se abstineant ab vxorum coitu: quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis, populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas? 1. Cor. 7.

Ad caput 26. Matth. Postquam typicum Pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Paschæ transgreditur Sacramentum, vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedech summi Dei sacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis repræsentaret. Gen. 14.

Epistola 150. ad Hedibiam quæst. 2. Dominus dedit nobis panem verum, ipse conuiua & conuiuium: ipse comedens, & qui comeditur. Illius bibimus sanguinem, & sine ipso potare non possumus, & quotidie in sacrificijs eius de genimine vi-

quamuis in memoria sacrificet eorum: quia Dei sacerdos est, non illorum. Ipsum verò sacrificium corpus Christi est, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi.

Paulinus Presbyter Mediolanens. 400.

In vita Ambrosij Per idem tempus trans Tiberim apud quandam clarissimam inuitatur, vt sacrificium in domo offerret, &c.

Concilium Mileuitanum. 406.

Cap. 12. Placuit etiam & illud, vt preces, vel orationes, seu Missæ, quæ probatæ fuerint in Cōcilio, siue Præfationes, siue commendationes, seu manus impositiones, ab omnibus celebrentur.

Idacius. 420.

Aduersus Varemadum Arianum. Sacrificium, quod à Christianis sacris altaribus admouetur, non solum Deo Patri, sed etiam Filio communi deuotione offertur: quoniam nec Patri sine Filio, neque Filio sine Patre sanciri potest.

Seuerus Sulpitius. 420.

Dialogo 2. de vita S. Martini cap. 1. Martinum vsque in eam horam, qua solennia populo agi consuetudo deposceret, in Secretario sua solitudo cohibebat. Ergo hoc secretum beati viri pauper ille captatum, cùm ei Archidiaconus dare tunicam distulisset, irrupit, dissimulatum se à clerico querens, ac algere deplorans. Nec mora, sanctus, paupere non vidente, intra amphibalum sibi tunicam latenter eduxit, pauperemquè contectum discedere iubet. Dein paulò post Archidiaconus ingressus, admonet, pro consuetudine expectare in Ecclesia populum, illum ad agenda solennia debere procedere. Cui ille respondens ait, pauperem prius (de se autem dicebat) oportere vestiri: se ad Ecclesiam non posse procedere, nisi vestem pauper acciperet. Diaconus verò nihil intelligens, quia extrinsecus indutum amphibalo, veste nudum interius non videbat, postremò pauperem non comparere causatur. Mihi, inquit, vestis, quæ præparata est, deferatur, pauper non deerit vestiendus. Arctatus demum clericus, è proximis tabernis bigerrigam vestem breuem atque hispidam, quinque comparatam argenteis, rapit, atque ante Martini pedes iratus exponit: En, inquit, vestem, sed pauper hic non est. Ille nihil motus, iubet eum paulùlum stare pro foribus, secretus vtique procurans, dum sibi vestem nudus imponeret, totis viribus elaborans, vt posset occultum esse quod fecerat. Sed quando in sanctis viris latent ista, quærentibus, velint, nolint, cuncta produntur. Cum hac igitur oblaturus sacrificium Deo veste procedit. Quo quidem die (mira dicturus sum) cùm iam altarium, sicut est solenne, benediceret, globum ignis de capite illius vidimus emicare, ita vt in sublime contendens, longius collum crinemquè flamma produceret.

Possidius. 430.

In vita Augustini: Nobis astantibus, & videntibus, ac cum eo pariter orantibus, obdormiuit in pace, & cum patribus suis enutritus in bona senectute, & nobis coram positis, pro eius corporis depositione commendanda, sacrificium Deo oblatum est, & sepultus est.

Vranius Presbyter. 430.

In vita Paulini Nolani: Et quasi profecturus ad Dominum iubet sibi ante lectulum suum sacra mysteria exhiberi, scilicet vt vnà cum sanctis Episcopis oblato sacrificio animam suam Deo commendaret.

Concilium Vasense Secundum. 442.

Cap. 4. In omnibus Missis, siue matutinis, siue quadragesimalibus, siue in illis, quæ pro defunctorum commemorationibus fiunt, semper *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, eo ordine, quo ad Missas publicas, dici debeat: quia tam dulcis & desiderabilis vox, etiamsi die noctuquè possit dici, fastidium non poterit generare. Et hoc nobis iustum visum est, vt nomen Domini Papæ, quicunque Sedi Apostolicæ præfuerit, in nostris Ecclesijs recitetur.

Concilium Carpentoractense. 444.

Epistola ad Agrecium: Quapropter hoc communi in Christo deliberatione sancimus, vt, quia filium nostrum Protadium statuta Canonibus per vos inferta, & vos simili sententia constringunt, vsque emisso anno Missas facere non præsumas: quia æquum est, vt quod apud Antistites Deo medio statuitur, inuiolabiliter Deo propitio conseruetur.

Leo Primus. 450.

Sermone 8. de Pascha Domini: Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum vna corporis & sanguinis tui implet oblatio. Quoniam tu es verus Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, & ita in te vniuersa perficis mysteria, vt sicut vnum est pro omni victima sacrificium, ita vnum de omni gente fit regnum.

Epist. 75. ad Leonem Imp. Alexandriæ intercepta est sacrificij oblatio, defecit Chrismatis sanctificatio & parricidalibus manibus impiorum omnia se subtraxêre mysteria.

Epistola 81. ad Dioscorum Alexandrinum cap. 2. Vt in omnibus obseruantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri: vt cùm solennior festiuitas conuentum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta fidelium multitudo conuenerit, quam recipere Basilica simul vna non possit, sacrificij oblatio indubitanter iteretur: ne his tantùm admissis ad hanc deuotionem, qui primi aduenerint, videantur hi, qui postmodum confluxerint, non recepti. cùm plenum pietatis & rationis sit, vt quoties Basilicam, in qua agitur, præsentia nouæ plebis impleuerit, toties sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem vt quædam populi pars sua deuotione priuetur, si vnius tantùm Missæ more seruato, sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte conuenerint.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Homilia 5. de Pascha: Quia corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, & syderibus illaturus Christus, necessarium erat, vt nobis in hac die Sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret, vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium: vt quia quotidiana & indefessa currebat pro hominum salute redemptio, perpetua esset etiam redemptionis oblatio, & perennis illa victima viueret in memoria, & semper præsens esset in gratia.

Prosper. 450.

De Promissionibus & prædictionibus parte 4. cap. 6. Accidit, vt quintus decimus Dominicus illucesceret dies, ascendente nobiscum sacerdote, vt matutinum illic sacrificium solito more offerretur, &c. Peracto itaque sacrificio, &c.

Concilium Arelatense. 453.

Cap. 3. Quicunque ab hac die, contra ea, quæ superius sunt comprehensa, clericum ordinare præsumpserit, ab ea die, qua ei potuerit hoc approbari, anno integro Missas facere non præsumat. Quam rem si quis obseruare noluerit, & contra consessum fratrum faciens, Missas celebrare præsumpserit, ab omnium fratrum charitate nouerit se alienum.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 5. Rogo vos fratres, vt quoties aut die Dominico, aut alijs maioribus festiuitatibus

Digitized by Google

Missæ fiunt, nullus de Ecclesia discedat, donec diuina mysteria compleantur, &c. Si diligenter attenditis, cognoscetis, quia non tunc fiunt Missæ, quando diuinæ Lectiones in Ecclesia recitantur, sed quando munera offeruntur, & corpus vel sanguis Domini consecratur. Nam lectiones, siue Propheticas, siue Apostolicas, siue Euangelicas, etiam in domibus vestris, aut ipsi legere, aut alios legentes audire potestis: consecrationem verò corporis & sanguinis Christi non alibi, nisi in domo Dei audire vel videre poteritis. Ideo qui vult Missas ad integrum cum lucro suæ animæ celebrare, vsque quò oratio Dominica dicatur, & benedictio populo detur, humiliato corpore & compuncto corde se debet in Ecclesia continere.

Victor Vticensis. 410.

De persecutione Vandalica lib. 1. Terret præceptis feralibus, vt in medio Vandalorum nostri nullatenus respirarent, neque vsquam orandi, aut immolandi concederetur gementibus locus, vt manifestè tunc Prophetiæ vaticinium impleretur: *Non est in tempore hoc Princeps, aut Propheta, vel Dux, neque locus ad sacrificandum nomini tuo.*

Lib. 2. Qui nos solennibus orationibus sepulturi sunt morientes? à quibus diuini sacrificij ritus exhibendus est consuetus?

Fulgentius. 500.

Libro 1. *ad Monimum cap.* 2. Dicis à nonnullis te interrogatum de sacrificio corporis & sanguinis Christi, quod pleriq; soli Patri existimant immolari. Hanc etiam asseris hæreticorum esse quasi palmarem interrogationem. Sed nouum non est, vt hæretici, priuati lumine veritatis, illis se propositionibus veritatem superaturos arbitrentur, quibus facilimè superantur.

Cap. 5. Vnum de Prophetis testimonium proferemus, quo possit euidenter ostendi, Prophetas sanctos diuinitus inspiratos, certo fidelissimoquè vaticinio prædixisse, noui quoque tempore Testamenti spiritales hostias, non Patri tantùm, sed etiam Filio à fidelibus offerendas. Prophetæ testimonium de sacrificio, quod nunc in Ecclesia geritur. Sophonias quippe dicit: *Sustine me, dicit Dominus, in diem resurrectionis meæ in testimonium: quia iudicium meum in congregationem gentium erit, vt recipiam reges, & effundam super eos iram furoris mei: quoniam in igne æmulationis meæ consumabitur omnis terra. Quia tunc transferam super populos linguam in progenies eius, vt inuocent omnes nomen Domini, & seruiant ei sub iugo vno à trans flumine Aethiopiæ suscipiam obseruantes me: qui dispersi sunt, adferent hostias mihi in die illo.* Quid hac, rogo, vaticinatione lucidius? vel quod hîc tenebrosæ obstinationis latibulum hæretica potest infidelitas reperire, quo possit lumen tantæ manifestationis effugere, &c. Ecce ille, qui se expectandum in die resurrectionis suæ præcipit, ipse sibi hostias ab omnibus gentibus offerendas ostendit, vt agnosceretur sacrificium illud esse acceptabile Deo, quod communiter Patri & Filio supplex offert fidelium puraquè deuotio.

Soph. 3.

De Fide ad Petrum cap. 19. Nullatenus dubites, ipsum vnigenitum Deum, Verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium, & hostiam Deo in odorem suauitatis: cui cum Patre & Spiritu sancto à Patriarchis, Prophetis, & sacerdotibus tempore veteris testamenti animalia sacrificabantur, & cui nunc, id est, tempore noui Testamenti, cum Patre & Spiritu sancto, cum quibus illi est vna diuinitas, sacrificium panis & vini in fide & charitate sancta Ecclesia Catholica per vniuersum orbem terræ offerre non cessat. In illis enim carnalibus victimis figuratio fuit carnis CHRISTI, quam pro peccatis nostris ipse sine peccato fuerat oblaturus: & sanguinis, quem erat effusurus in remissionem peccatorum nostrorum. In isto autem sacrificio gratiarum actio & commemoratio est carnis CHRISTI, quam pro nobis obtulit, & sanguinis, quem pro nobis idem DEVS effudit, &c. In illis ergo sacrificijs quid nobis esset donandum figuratè significabatur: in hoc autem sacrificio quid nobis iam donatum sit euidenter ostenditur. In illis sacrificijs prænuntiabatur Filius Dei pro impijs occidendus: in hoc autem pro impijs annuntiatur occisus.

Synodus Romana sub Symmacho. 500.

In fine: Quisquis verò clericorum post hanc formam à nobis prolatam quocunqua sacrato Deo loco in Ecclesia Romana Missas celebrare præsumpserit, præter conscientiam Papæ Symmachi, dum viuit, statutis Canonicis velut schismaticus percellatur.

Ennodius Diaconus. 500.

Libro de Synodo sub Symmacho: Deinde post quæstionum torrentes venerabilem Laurentium & Petrum Episcopos à communione Papæ se suspendisse replicatis, & quicquid prouidit cautio conuocatorum ducitis ad crimen impetiri. Vllone ergo tempore, dum celebrarentur ab his sacra Missarum, à nominis eius commemoratione cessatum est? Vnquam pro desiderijs vestris, sine ritu Catholico & Canonico more, semiplenas nominati Antistites hostias obtulerunt?

Concilium Agathense. 506.

Cap. 21. Si quis etiam extra Parochias, in quibus legitimus est ordinariusq; conuentus, oratorium in agro habere voluerit, reliquis festiuitatibus, vt ibi Missas teneat, propter fatigationem familiæ, iusta ordinatione permittimus: Pascha verò, Natali Domini, Epiphania Domini, Ascensione Domini, Pentecoste, & Natali S. Ioannis Baptistæ, & si qui maximi dies in festiuitatibus habentur, non nisi in ciuitatibus, aut in parochijs teneant. Clerici verò, si qui in festiuitatibus, quas supra diximus, in oratorijs (nisi iubente aut permittente Episcopo) Missas facere, aut tenere voluerint, à communione pellantur.

Cap. 47. Missas die Dominico secularibus totas tenere speciali ordine præcipimus, ita vt ante benedictionem sacerdotis populus egredi non præsumat. Quod si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur.

Concilium Gerundense. 517.

Cap. 1. Institutio Missarum, sicut in Metropolitana Ecclesia agitur, ita in Dei nomine in omni Terraconensi prouincia, tam ipsius Missæ ordo, quàm psallendo vel ministrando consuetudo seruetur.

Felix Quartus. 524.

Epist. 1. Ecclesiarum consecratio & Missarum celebratio non alicubi quàm in sacratis Domino locis absque magna necessitate fieri non debet, &c. Satius est Missam non cantare, aut non audire, quàm in locis, vbi fieri non oportet, nisi pro summa contingat necessitate: quoniam necessitas, non habet legem. Et sicut non alij, quàm sacrati Domino sacerdotes, debent Missas cantare, nec sacrificia super altare offerre: sic nec in alijs, quàm in præfatis Domino sacratis locis Missas cantare, aut sacrificia offerre licebit.

Concilium Aurelianense III. 537.

Cap. 14. De Missarum celebritate in præcipuis duntaxat solennitatibus id obseruari debebit, vt hora tertia Missarum celebratio in Dei nomine inchoetur, quo facilius intra horas competentes,

ipso officio expedito, sacerdotes possint ad vespertina officia conuenire.

Primasius. 540.

Ad caput 2. posterioris ad Timotheum: Hæc omnia plenissimè demonstrant, Apostolum Paulum sacris initiasse, & in sacerdotem ac Episcopum creasse ad Missarum sacrificia celebranda Timotheum.

Ad cap. 10. Epist. ad Hebraos: Quid ergo dicendum est? Nunquid & sacerdotes nostri quotidie non idem agunt, dum offerunt assiduè sacrificium? Offerunt quidem, sed ad recordationem mortis eius: & quia nos quotidie peccamus, & quotidie indigemus mundari: quia ille non potest iam mori, dedit nobis hoc Sacramentum corporis & sanguinis sui, vt sicut passio illius redemptio & absolutio mundi fuit: ita etiam ista oblatio redemptio & mundatio fit omnibus in vera fide offerentibus, bonamque intentionem habentibus, &c.

Iustus Orgelitanus. 540.

In Cantica: Quando Ecclesias ad solum vsque demoliti sunt, & altaria simul cum Euangeliis cremauerunt: quando sacerdotes concluserunt ad metalla condemnatos: quando nec sacrificandi locus: nec baptizandi libertas, nec communicandi est attributa licentia: cùm hæc persecutores agerent, tum quodam modo sponsæ Christi, hoc est, Ecclesiæ, quasi quoddam pallium abstulerunt.

Aurelius Cassiodorus. 540.

In Psalm. 109. Quem ordinem per mysticam similitudinem Melchisedech iustissimus Rex instituit, quando Domino panis & vini fructus obtulit. Constat enim pecudum victimas perijsse, quæ fuerunt ordinis Aaron, & Melchisedech manere potius institutum, quod toto orbe in Sacramentum erogatione celebratur.

Vigilius PP. 543.

Epistola ad Eleutherium cap. 5. Ordinem precum in celebritate Missarum in nulla festiuitate significamus habere diuersum, sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare.

Concilium Turonense Secundum. 570.

Cap. 4 Laici secus altare, quo sancta mysteria celebrantur, inter clericos tam ad Vigilias, quàm ad Missas stare penitus non præsumant.

Fortunatus. 580.

De S. Martino lib. 4.

Nobile quin etiam ex præfecto Arborius effert
Signum, quod vidit se teste fidelis in vrbe
Immaculata Deo cum dona imponeret ara,
Et pater attonitus caremonia diua sacraret,
Munera vel Christi benediceret ore sacerdos
Imposita altari rata corporis atque cruoris,
Emicuit subito manus alma decore superbo
Nobilium vario lapidum splendore coruscans.

Gregorius Turonensis. 580.

Historia Francorum lib. 5. cap. 14. Nobis autem Missas celebrantibus, in sanctam Basilicam, experta reperiens ostia ingressus est. Post Missas autem petiit, vt ei eulogias dare deberemus.

De gloria Confessorum cap. 95. Factum est autem dum Missæ celebrarentur, resolutis neruorum arentibus ligaturis, gratias Confessori referens, ad sanctum altare accedens, gratiam benedictionis accepit incolumis.

Reccaredus Rex Hispaniæ. 590.

In Concilio Toletano tertio: Propter roborandam gentis nostræ nouellam conuersionem, omnes Hispaniarum & Galliciæ Ecclesiæ hanc seruent regulam, vt omni sacrificij tempore, ante communicationem corporis & sanguinis Christi, iuxta Orientalium partium morem, recenseant sacratissimum fidei Symbolum.

Gregorius Magnus. 590.

Homilia 37. in Euangelia: Mittamus ad hunc legationem nostram flendo, tribuendo, sacras hostias offerendo. Singulariter namque ad absolutionem nostram oblata cum lachrymis & benignitate mentis sacri altaris hostia suffragatur: quia is, qui in se *resurgens à mortuis, iam non moritur*, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus.

Lib. 4. Dialogorum cap. 58. Debemus Deo quotidiana lachrymarum sacrificia, quotidianas carnis eius & sanguinis hostias immolare. Hæc namque singulariter victima ab interitu animam saluat, quæ illam nobis mortem Vnigeniti per mysterium reparat. Qui licet *resurgens à mortuis iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur:* tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter viuens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur, eius sanguis iam non in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem vnigeniti Filij semper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, vnum quid ex visibilibus atque inuisibilibus fieri?

Faustus Cassinas. 600.

In vita D. Mauri: Mane facto Simplicium Presbyterum asciscens, vt sacrificium nostræ redemptionis pro eadem anima Deo offerret, imperauit.

Isidorus Hispalensis. 620.

Lib. 1. Officiorum cap. 15. Ordo Missæ, vel orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primùm à sancto Petro est institutus, cuius celebrationem vno eodemquè modo vniuersus peragit orbis.

Cap. 18. Sacrificium, quod à Christianis Deo offertur, primùm Christus Dominus noster instituit, quando commendauit Apostolis corpus & sanguinem suum priusquam traderetur, &c. Hoc sacrificium Christianis celebrari præceptum est, relictis ac finitis Iudaicis victimis, quæ in seruitute veteris populi celebrari imperatæ sunt.

Eucherius Gallus. 640.

Libro 2. in Genesim cap. 18. Sed oblationem panis & vini, id est, corporis & sanguinis eius Sacramentum in sacrificium offeramus. Ibi quippe primum apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto terrarum orbe.

Eligius. 640.

Homilia 8. Epulæ istæ nunc in Ecclesia per totum orbem dilatata celebrantur. Quotidie enim in sancta Ecclesia vitulus iste sacerrimus Deo Patri per sacerdotes offertur, & in vitam æternam pascit percipientes: quia cùm quotidie immolatur, semper integer permanet, & immaculatus, & viuus.

Concilium Bracarense Tertium. 670.

Cap. 1. Cùm omne crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificijs deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificij oblatione erratur? Audiuimus enim quosdam schismatica ambitione detentos, contra diuinos ordines & Apostolicas

institutio-

institutores, lac pro vino in diuinis sacrificijs dedicare: alios quoque intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere: quosdam etiam expressum vinum in Sacramento Dominici calicis offerre. Quod quàm sit Euangelicę atque Apostolicæ doctrinæ contrarium, & consuetudini Ecclesiasticæ aduersum, non difficile ab ipso fonte veritatis probatur.

Cap. 3. Cùm sacerdos ad solennia Missarum accedit, aut per se Deo sacrificium oblaturus, aut Sacramentum corporis ac sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quam orario vtroque humero circumseptus.

Concilium Toletanum Duodecimum. 680.

Cap. 5. Relatum est nobis, quosdam de sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in vna die videntur offerre. sed in vna die, si plurima per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus à communione suspendant, & in sola tantùm extremi sacrificij oblatione communionis sanctæ gratiam sumunt, quasi non sit toties illi vero ac singulari sacrificio participandum, quoties corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi immolatio facta constiterit. Nam ecce Apostolus dicit: *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Certum est, quòd hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici Sacramenti. Quicunque ergo sacerdotum deinceps diuino altario sacrificium oblaturus accesserit, & se à communione suspenderit, ab ipsa, qua se indecenter priuauit, communionis gratia anno vno repulsum se nouerit. Nam quale erit illud sacrificiũ cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?

1.Cor.10

Beda. 700.

Historia Anglicana lib. 4. *cap.* 22. Multi hæc à præfato viro audientes, accensi sunt in fide & deuotione pietatis ad orandum, vel eleemosynas faciendas, vel ad offerendas Domino victimas sacræ oblationis pro ereptione suorum, qui de seculo migrauerant. Intellexerunt enim quòd sacrificium salutare ad redemptionem valeret & animę & corporis sempiternam.

Lib. 2. *de Tabernaculo cap.* 2. Passionis Dominicę, per quod vtrique in veteri & nouo Testamento sumus redempti, Sacramentum, illi in carne & sanguine victimarum, nos in pane & vino celebramus.

In Psalm. 109. Hinc panem & vinum quotidie offert Ecclesia, imitando vitæ eius humilitatem & passionem.

Lullus. 740.

Epistola ad Denehardum, & cæteros: Illas Missas, quæ pro tempestatibus solent fieri, celebrare vos Presbyteri recordamini. Mitimus vobis nomina Romani Episcopi, pro quo vnusquisque vestrum triginta Missas cantet.

Ionas Abbas. 730.

In vita S. VVolfrani: Dum nauigaremus in Frisiam, positis nobis in medio mari, quod adiacet regioni Morinorum, adfuit hora, qua sacrificium Deo victimæ salutaris immolandum erat. Et celebrante S. Pontifice VVolfrano Missarum solennia, ventum est ad locum, vbi minister patenam Præsuli porrigere debuit: extensaque manu, expectabat horam, qua susciperet eam. Sed dum minister eam abluere vellet, in mari ex eius manibus elapsa est. Finita oratione, imperat Diacono, vt in eum, in quem patena ceciderat, locum mitteret manum. Quo facto, ab imo maris eadem patena diuinitus reuecta, eiusdem ministri manibus inhæsit, sicque commistionem corporis & sanguinis idem sanctus Præsul faciens, nomenque Saluatoris glorificans, sacrosancta Missarum solennia compleuit.

Alcuinus. 750.

De diuinis officijs cap. 39. *de celebratione Missarum:* Celebratio Missæ in commemorationem passionis Christi peragitur. Sic enim ipse præcepit Apostolis, tradens ijs corpus & sanguinem suum: *Hoc facite in meam commemorationem*, hoc est, in memoriam passionis meæ: tanquam diceret: Quòd pro vestra salute passus sum, ad memoriam reuocate, & pro vestra vestrorumque salute eadem proferre curate. Hanc Petrus Apostolus primus omnium Antiochiæ dicitur celebrasse, &c.

In vita S. VVillebrordi cap. 20. Eò veniens, mox in eodem Monasterio Missa pro infirmis celebrata, aquam benedixit, qua illorum domos aspergi iussit.

Carolus Magnus. 780.

Lib. 5. *Legum cap.* 111. Sancitum est, vt nullus Presbyterorum in domibus ab Episcopis non consecratis oblationem offerre quoquo modo præsumat.

Cap. 219. Vt vnusquisque Presbyter Missam ordine Romano cum sandalijs celebret. Et vt hoc populo nuntietur, quòd per omnes dies Dominicos oblationes Deo offerant, & vt ipsa oblatio foris septa altaris recipiatur.

Lib. 6. *cap.* 173 Placuit, vt fideles sacerdoti in omnibus obediant, & instruantur, pro quibus Missa vel sacerdotes constituti sint, & intelligant vim & mysterium Dominici corporis & sanguinis, & Missæ, siue precum, quæ in ea à sacerdote fiunt.

Lib. 7. *cap.* 201. De Missis nullus laicorum ante discedat, quam Dominica dicatur oratio: & si Episcopus præsens fuerit, eius benedictio expectetur, neque ante Missam expletam quis egredi præsumat.

Haymo. 820.

In priori ad Corinth. cap. 11. Sicut illud corpus, quod in cruce deposuit, pro nostra salute & redemptione est immolatum: ita quotidie ad salutem nostram, & redemptionem iste panis Deo offertur, &c. Tradidit nobis hoc Sacramentum, vt quia ipse iam mori non potest, & nos quotidie peccamus, haberemus verum sacrificium, quo possemus expiari. Ideoque quia vnum corpus faciunt, & pro nostra redemptione offeruntur, dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

VVandelbertus Diaconus. 830.

In vita S. Goaris: Erat ei solennis consuetudo, vt omni die Missarum solennia celebrans, sacrificium corporis & sanguinis Christi pro statu Ecclesiæ offerret, psalteriumque ex integro orando intentè compleret.

Amularius Treuirensis. 830.

De officijs Ecclesiasticis lib. 3. *cap.* 25. Precatur sacerdos, vt præsens oblatio ita sit accepta in conspectu diuinæ Maiestatis, quatenus sumpturi eam simul fiant cælestes, & gratia Dei repleti. Mira & magna fides sanctæ Ecclesiæ, quæ in suis oculis videt, quod mortalibus deest: videt quid credere debeat, quamuis nondum videat quod in specie est. Credit sacrificium præsens per Angelorum manus deferri ante conspectum Domini, & sentit mandendum esse ab humano ore, &c.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap. 16. Christus noui Testamenti noua mysteria ad instruendum nouum hominem tradidit: & morte sua vetera perficiens, resurrectione sua noua firmauit. In Cœna siquidem, quam ante traditionem suam vltimam cum discipulis suis habuit, post Paschæ veteris solennia, corporis & sanguinis sui Sacramenta in panis & vini substantia eisdem discipulis tradidit, & ea in commemorationem sanctissimæ suæ passionis celebrare

lebrare

celebrare perdocuit,&c. Ergo nec vinum fine aqua, nec aqua fine vino offertur: quia nec Christus aliter,quam pro populo suo passus est; nec aliter populus,quàm per passionem Christi potest saluari. Quia verò Christus sacerdos esse dicitur secundùm ordinem Melchisedech,quod Apostolus Paulus copiosissimè astruit, salua multiplicium ratione figurarum, quibus idem sacerdos Dei summi Iesus Christus Filius Dei, qui semetipsum Patri pro nobis obtulit, pronuntiasse cognoscitur, congruum genus sacrificij Dominus noster sacerdos verus in corporis & sanguinis sui mysterium prouidere dignatus est: vt videlicet sicut Melchisedech ante Circuncisionem & Legis cæremonias, viuens ex fide, panem & vinum legitur obtulisse: ita ipse Dominus, Pontifex factus secundùm ordinem non Aaron, sed Melchisedech, iustus & iustificans eum, qui ex fide est, post expletionem Legis, easdem species sacrificij fidelibus suis tradidit.

Concilium Arelatense Quartum. 813.

Cap.2. Vt pro excellentissimo & gloriosissimo domino nostro Carolo rege seu liberis eius omnes Episcopi, Presbyteri, seu Abbates & Monachi in vnum collecti, in quantum extremitas nostra præualet, psalmodiam, Missarum solennia, atque Litaniarum officia omnipotenti Deo deuotissimè exoluant, decreuimus.

Angelomus. 830.

Ad 1. Regum 21. Erant in veteri Testamento præcepta Legis carnalia, erat sacrificium secundùm ordinem Aaron: & postea ipse de corpore & sanguine suo instituit sacrificium secundùm ordinem Melchisedech.

Hildoinus. 840.

In vita Dionysij: Beatus Dionysius, vbi post multas & pernecessarias populi (qui eum sequendo carcerem irruperant) exhortationes, & absentes directa institutionum præcepta, Dominicarum Missarum solennia (vt confirmarentur participatione corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi fideles) velut iam in cælis positus celebraret, hora, qua frangebatur panis sanctus, quo ipse & populus communicare debebat, resplenduit huiusmodi lux de cælo super eum, & in omnes, qui aderant ibi, qualem nemo eorum antea viderat.

Rabanus Maurus. 850.

De institut. Cleri lib. 1. cap. 32. Missa est legatio inter Deum & homines, cuius legationis officio fungitur sacerdos, cùm populi vota per preces & supplicationes ad Deum offert. Et bene hoc tempore sacrificij fit, quando illius passionis memoria celebratur, Christi videlicet Mediatoris Dei & hominum, qui semetipsum obtulit Patri pro nobis. Hunc autem morem sacrificij primùm Dominus noster Iesus Christus & magister instituit, quando commendauit Apostolis suis corpus & sanguinem suum.

Eginardus. 850.

In historia Petri & Marcellini Martyrum:

Sed non valens, quod volebat,
Pia plebs perficere,
Loco fixos retentauit,
Donec Christi famulus
Marcellinus obtulisset
Salutarem hostiam.
Nam in specu, quo futura
Sperabatur passio,
Martyr Christi celebrauit
Missarum solennia.
Queis completis, abscesserunt,
Quos abire iusserat.

Florus Magister. 860.

In expositione Canonis: *Imprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica.* Sic omnino dignum fuit, vt inciperet sancta oblatio, videlicet pro Ecclesia Dei sancta Catholica, toto terrarum orbe diffusa, &c. *Qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.* In quibus verbis fideliter considerandum est, quòd tota Ecclesia offerat Deo hoc sacrificium laudis: & quia de omni multitudine circunstantium fidelium dicitur: *Qui tibi offerunt.* Quod enim adimpletur propriè ministerio sacerdotum, hoc generaliter agitur fide & deuotione cunctorum. Offerunt ergo sacerdotes Ecclesiæ, offert per ipsos & in ipsis tota Ecclesia Deo sacrificium laudis, quod à cultoribus suis sibi offerri ipse præcipit dicens: *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Hoc sacrificium offert deuotio fidelium pro se, suisque omnibus, id est, ad se vel genere, vel familiaritate, vel qualibet alia conditione, sub eiusdem fidei professione pertinentibus, tam viuentibus videlicet, quam mortuis. Et hoc qua spe fideles faciant subiungitur, quia non pro aliquo temporali lucro, sed solummodò pro redemptione animarum suarum, pro spe videlicet æternæ salutis. Nec solùm pro æterna salute, sed etiam pro temporali incolumitate, id est, corporali sanitate.

Milo Eluonensis. 870.

Libro de Sobrietate.

Non secus immeritam diuino vt munere stolam,
Iusq; ministerij sacri altaribus apti
Indignus sumpsi, temerator, & ante suetus:
Non sic tractaui ceu tantus postulat ordo,
Cælicolis astans operator ciuibus audax,
Officio huic impar, cui dignus nullus in omni
Orbe lutator erit, qui sacram accedet ad aram,
Cuius corde Pater, Natus manibus, sit in ore
Spiritus, oblati libaminis auctor & actor.

Paschasius Ratbertus. 880.

De corpore & sanguine Domini cap. 9. Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Christus semel passus in carne, per vnam eandemque mortis passionem semel saluauerit mundum, ex qua morte idem resurgens ad vitam, mors ei vltra non dominabitur: quia profectò Sapientia Dei Patris necessarium pro multis causis hoc prouidit. Primò siquidem, quia quotidie peccamus, saltem peccatis, sine quibus mortalis infirmitas viuere non potest: quia licet omnia peccata condonata sint in Baptismo, infirmitas tamen peccati adhuc in carne manet, &c. Et ideo quia quotidie labimur, quotidie pro nobis Christus mysticè immolatur, & passio Christi in mysterio traditur: vt qui semel moriendo mortem vicerat, quotidie recidiua delictorum per hæc Sacramenta corporis & sanguinis peccata relaxet.

Concilium Nannetense. 900.

Cap. 1. Vt Dominicis & festis diebus Presbyteri, antequam Missas celebrent, plebem interrogent, si alterius parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Missam velit audire. Quem si inuenerint, statim ab Ecclesia eijciant, & ad suam Parochiam redire compellant.

Rosuuita Sanctimonialis. 950.

In vita Dionysij Areopagitæ:

Sed nec carcereis Præsul præclarus in antris
Desinit obsequium Domino persoluere dignum:
Sed docuit plebem studiosè conuenientem,
Ac celebrat sacra solito solennia Missæ:
Ast vbi cælestem debebat frangere panem,
Lux noua tristifico subitò fulgebat in antro,
In qua sydereæ regnator splendidus aulæ
Scilicet Angelica pariter comitante caterua
Apparens, charum consolabatur alumnum.

Sanctaq; dans illi, mulcebat famine tali:
Accipe chare meus, &c.

VVittichindus Corbeiensis. 960.

Libro 2. Gestorum Saxonicorum. Deinde diuina laude dicta, sacrificioque solenniter celebrato, descendebat Rex ad Palatium.

Libro 3. Mathildis de nocte templum solenniter ingressa, Missarum solennibus semper intererat.

Stephanus Leodiensis. 970.

In vita S. Lamberti: Non intermittebat Missarum solennia, salutiferæ passionis Christi memoriam celebrans, offerensque Deo pro illis sacrificium, pro quibus se nouerat rationem redditurum.

Fulpertus Carnotensis. 1000.

Epistola ad Adeodatum: Inde est, quòd reparatam humanæ originis dignitatem sciens semper diabolum inuidere, & nequitiæ suæ arte quærere, qualiter hominem à sui Conditoris voluntate auerteret, & antiquæ perditioni (si fas esset) obnoxium redderet: defectum nostræ fragilitatis miseratus, aduersus quotidianas nostræ prolapsionis offensas sacrificij placabilis nobis prouidit expiamenta, vt quia corpus suum, quod semel pro nobis offerebat in pretium, paulo post à nostris visibus sublaturus fuerat in cælum: ne sublati corporis fraudaremur præsenti munimine corporis nihilominus & sanguinis sui pignus salutare nobis reliquit, non inanis mysterij symbolum, sed compaginante Spiritu sancto, corpus Christi verum, quod quotidiana veneratione, sub visibili creaturæ forma, inuisibiliter virtus secreta in sacris solennibus operatur.

Berno Augiensis. 1020.

Vita S. Vdalrici cap. 21. Quò cùm peruenisset, quamdiu vires sufficiebant, inter quotidiana Missarum solennia salutarem hostiam Domino exterius immolabat, ac seipsum interius victimam in ara cordis mactabat.

Episto. ad Hilteradum Abbatem Prumiensem *petit, vt sui peregre profecti inter Missarum solennia mentionem faciat.*

Epistola ad Stephanum Vngarorum regem *scribit se pro eius exorta pace Missarum solennia celebrasse.*

Petrus Damianus. 1040.

Sermone in Natali Domini: Inspexi sacerdotes vigilantibus oculis primos diei ortus salubriter indagare, sacramentalibus indui vestimentis, introire ad altare Dei, ad sacrificandum corpus & sanguinem Saluatoris.

Epistola 11. cap. 4. Cur, ô sacerdos, qui sacrum dare, hoc est, sacrificium Deo debes offerre, teipsum prius maligno spiritui non vereris victimam immolare?

Adelmannus. 1050.

Epistola ad Berengarium: Auertat Dominus à te, sancte frater, semitas tales, & conuertat pedes tuos in testimonia sua, & mendaces ostendat, qui iamiam tuam tam fœda labe maculare nituntur, spargentes vsquequaque, vt non solùm Latinas, verum etiam Theutonicas aures, inter quas diu peregrinor, repleuerint, quasi te ab vnitate sanctæ matris Ecclesiæ diuulseris, & de corpore & sanguine Domini, quod quotidie in vniuersa terra super sanctum altare immolatur, aliter, quàm fides Catholica teneat, sentire videaris.

Algerus. 1060.

De Sacramento altaris lib. 1. cap. 16. Quotidianum nostrum sacrificium idem ipsum est cum eo, quo Christus semel oblatus est in cruce, quantum ad eandem veram hic & ibi corporis Christi substantiam, &c. Licet Christi oblatio in cruce semel suffecerit ad omnium salutem & redemptionem: tamen quotidie est etiam necessaria ad muniendam & mundandam humanam fragilitatem, quæ quotidie tentatur & labitur, vel criminalibus, vel saltem venialibus peccatis, sine quibus hæc vita duci non potest. Non enim hac singulari victima tantummodò peccatorum absolutionem à Deo consequimur, sed & contra tentationes munimur, &c. Sciendum igitur, quia licet oblatio Christi semel in cruce sit vera, quotidiana autem in altari sit figurata: prorsus tamen eadem hic & ibi nostræ salutis est gratia, hic & ibi vera, sufficiens, & semper necessaria, quia & hic, & ibi idem verus Christus potens est ad omnia.

Humbertus. 1060.

Contra Nicetam: Deinde quotidie, siue tertia hora, siue nona, siue quacunque hora fiat à nobis Missa, non fit nisi perfecta, nec reseruatur ex oblatione eius pars aliqua, vt per dies quinque agatur inde Missa imperfecta: quia nec sancti Apostoli leguntur quicquam ex illo primo corporis & sanguinis Christi mysterio, sub ipsa cœna distributo, reseruasse, nec Actus eorum indicant, eos aliquādo tale quid egisse, aut præcepisse. Quinimò sicut Lucas narrat, *erant fideles perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.* Acto. 2. Quæ communicatio qualiter, & quibus diebus fieret, post pauca demonstrat, dicens: *Quotidie perseuerantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem,* sumebant, &c. Ecce verax Euangelista testatur, sub Apostolis fideles quotidie orasse, & panem fregisse: & vos qui estis, qui dicitis, duobus tantùm diebus hebdomadæ Missam perfectam fieri debere, reliquis quinque imperfectam?

Alexander Tertius. 1061.

Apud Gratianum de Consecratione dist. 1. Sufficit sacerdoti vnam Missam in die vna celebrare: quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Non modica res est vnam Missam facere, & valde felix est, qui vnam dignè celebrare potest.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad cap. 2 prioris ad Timoth. *Gratiarum actiones;* Ordo Missæ his verbis ostenditur, vt obsecrationes sint, quas facimus in celebratione Sacramentorum, commemoratione sacrorum, antequam illud, quod est in Domini nostri mensa, incipiat benedici.

Ad cap. 10. epist. ad Hebræos: Voluntariè peccantibus, id est, in voluntate peccandi manentibus, non relinquitur hostia pro peccatis, id est, nullum commodum potest conferre sacrificium Dominici corporis. Nam pro peccatis pœnitentiam offertur quotidie sacrificium, & oblatio, non pro peccatis illorum, qui ipsa peccata relinquere nolunt.

In sempiternum. Tantæ perfectionis & efficaciæ fuit eius hostia, vt non sit opus eum rursus offerri pro peccatis aliquorum. Et licet nos eam quotidie offeramus, non tamen passionis dolorem vltra sentit Christus, sed memoria passionis eius fit à nobis, &c. Propterea nobis per Mediatorem præstita est gratia, vt polluti carne peccati carnis similitudine mundaremur, id est, sacrificio corporis eius, quod in Missarum celebratione offertur. Vnde quia licet ipse amplius non patiatur, tamen eandem hostiam per suos sacerdotes adhuc offerre non destitit, aptè nunc dicitur, quia vnam pro peccatis hostiam offerens, sedet in dextra Dei. Offerens namque præsentis temporis est, quia ipse per suos sacerdotes eam adhuc offert, quam per semetipsum semel obtulit. Nam de passione eius dictum est, quia semel oblata est eius hostia, cùm adhuc in ministerijs offeratur.

Hildeber-

Digitized by Google

Hildebertus Cenomanensis. 1100.

De mysterio Missæ:

Scribere proposui, quid mystica sacra priorum
Missa repræsentet, quidue minister agat.
Pro multis vna, pro quotidie repetitis
Est oblata semel hostia vera Deus.
Inuolucrum Legis Christus patefecit, eumq;
Significatiuam vera remouit ouis.
Presbyter hanc offert, & in has cessare figuras,
Remq; figuratam testificatur agi.
Sic etenim templi, sic & Crucis exprimit aram,
Vt sacra commemoret illius, huius agat.
Ergo quid in Missa vel agatur, vel memoretur,
Quæ quibus assimules sub breuitate canam, &c.
Tempore quo supplex assistit Presbyter aris,
Mactaturq; Patri Filius ipse manens:
Aethra patet, cælestis adest chorus, ima supernis
Iunguntur: fiunt auctor & actus idem.

Epistol.11. Nos quoque, si quid peccatoris, sed sacerdotis possit oratio, ibi pro fratribus nostris agimus, vbi Patri Filius immolatur.

Epist.16. ad Anglorum Reginam. Imitaris quantum licet sanctas mulieres illas, quæ prius ad crucem cum lachrymis, postea ad monumentum cum aromatibus accesserunt. Illæ nimirum pio succensæ desiderio, quibus potuerunt studijs & crucifixo compassæ sunt, & obsecutæ tumulato: Tu quoq; præsens es, cùm Christus immolatur, cùm traditur sepulturæ: neutrumque sine tuo celebratur obsequio: cùm ibi luminaria præparas, vbi luminis adesse auctorem & corde credimus, & ore confitemur.

Ivo Carnotensis. 1100.

Epist.284. Cùm Christus semel in distinctione membrorum suorum in manifestatione corporis sui se obtulerit hostiam viuentem, passibilem, & mortalem, quotidie tamen sub velamento panis & vini à sancta Ecclesia immolatur, & non in partes scissum, neque cruentum corpus eius fidelium ore percipitur.

Edinerus Anglus. 1110.

Libro 2. vitæ S. Anselmi: Spiritu fortis, sed carne nimium fragilis, pedes oratorium adire nequibat. Attamen consecratione Dominici corporis, quod speciali quodam deuotionis affectu venerabatur, interesse desiderans, singulis diebus illuc se sella faciebat deferri.

Honorius Augustodunensis. 1120.

In Gemma animæ lib.1. cap.86. Missam primus Dominus Iesus secundùm ordinem Melchisedech instituit, quando ex pane & vino corpus & sanguinem suum fecit, & memoriam sui à suis celebrari præcepit. Hanc Apostoli auxerunt, dum super panem & vinum verba, quæ Dominus dixit, & Dominicam orationem dixerunt.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De diuinis Officijs lib.2. cap.2. Non solùm panem & vinum, quæ corporaliter videntur, sed & quod non nisi fidei oculis aspicitur, Verbum Dei, Filium Dei offert sancta Ecclesia, nouum & verum immolans sacrificium. Quia iam concepit corde credendo ad iustitiam, iamq; parit ore confitendo ad salutem.

Cap.10. Aufer à cœtu Ecclesiæ quotidianas Saluatoris nostri huiusmodi exequias, (*Missæ sacrificium,*) & vide quàm meritò dicat ipse Saluator:
Psal.29. *Quæ vtilitas in sanguine meo?* Refrigescente enim ea, quæ hoc modo nunc vbique calet eius memoria, refrigescet vniuersa charitas, muta erit fides, claudicabit spes, conticescet magnus ille clamor sanguinis iusti Abel, qui per traditum tanti sacrificij ritum quotidie reparat vocem, quotidie laxat os bibentis & vociferantis terræ, scilicet Ecclesiæ, maledictum coarguens Cain. Calente ergo memoria tam celebri, charitas Christi concalescit, perstat super fundamentum suum ædificium fidei, spes quotidiana peccatorum remissione reuiuiscit.

Odo Cameracensis. 1120.

In Canonem Missæ dist.3. Habet Ecclesia altare visibile in terra, est & altare inuisibile in cælo apud Deum. Hostia, quam in hoc altari Deo offerimus, Deo coniungitur, & fit Deus. In hoc sacrificio coniunguntur terrena cælestibus, creatura Deo.

Bernardus. 1130.

Vita Malachiæ Episcopi cap.43. Cùm Sacramenta offerret, & appropiasset ei Diaconus, facturus aliquid pro officio suo, intuitus eum sacerdos ingemuit, quòd sensisset penes illum latère, quod non conueniret. Peracto sacrificio, secretò percontatus de conscientia sua, *confessus est, & non negauit,* illusum sibi per somnium nocte ipsa. Cui iniungens pœnitentiam: Non debueras, inquit, hodie ministrasse, sed verecundè te subtrahere sacris, & deferre tantis, tamque diuinis mysterijs, vt hac humilitate purgatus, dignius exinde ministrares. Item alia vice sacrificante illo, & orante hora sacrificij, ea quidem sanctitate & puritate cordis, qua solitus erat, astante Diacono, visa est columba intrare per fenestram, in claritate magna. Ea sacerdos perfunditur totus, ea subobscurior Basilica tota refulget: Columba verò aliquandiu circumuolitans, tandem residet super crucem ante faciem sacerdotis. Obstupuit Diaconus, & pauens tum pro luminis, tum pro volucris nouitate, &c.

Sermon.2. de Festo omnium Sanctorum: Sed iam sermo claudendus est: vocant enim nos Missarum adhuc celebranda solennia.

Doctrina Bernard.: Cùm ad Missam ventum fuerit, suscipies inuitâtem ad Missas priuatas, ac si panem Angelorum tibi delapsum de cælo videres.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib.4. dist.12. Quæritur, si quod gerit sacerdos, propriè dicatur sacrificium vel immolatio: & si Christus quotidie immoletur, vel semel tantum immolatus sit? Ad hoc breuiter dici potest: Illud, quòd offertur, & consecratur à sacerdote, vocari sacrificium & oblationem: quia memoria est & repræsentatio veri sacrificij, & sanctæ immolationis factæ in ara crucis. Et semel Christus mortuus est in cruce, ibiq; immolatus est in semetipso: quotidie autem immolatur in Sacramento: quia in Sacramento recordatio fit illius, quod factum est semel.

Richardus Victorinus. 1140.

Super Cant. cap.30. Semel oblatus est in cruce, multoties in altari pro nobis offertur: & qui iam *non moritur, mors illi vltra non dominabitur,* mortis eius mysterium & effectus ad salutē nostram quotidie iteratur. Ibi enim mors Domini annuntiatur.

Petrus Cluniacensis. 1140.

Epistola contra Petrobrusianos: Respondet vobis, ô hostes Dei, Ecclesia Dei, se neque absque sacrificio esse, nec illo suo sacrificio aliquid aliud quàm corpus & sanguinem sui Redemptoris offerre. Cur sacrificia Christiana vobis Christianis (si tamen Christiani estis) non placent, cùm signo sacrificiorum semper Deos suos ab alienis discreuerit?
In omni loco offertur nomini meo oblatio mūda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus. Nō Mala.1. ne videtis sicut Legem, sic sacra sacrificia, sic cultum omnem à Iudæis ablatum, & ad gentes translatum? Etsi non eodem ritu celebrentur apud nos sacra, si non eodem ordine constant sacerdotis,

sunt tamen sacerdotia: si non de ijsdem rebus fiunt sacrificia, sunt tamen sacrificia: quia alio quidem modo, sed non alij Deo sacra celebrantur, sacerdotia ordinantur, sacrificia exhibentur. Cessit pluralitas Iudaicarũ victimarum vnitati victimæ Christianæ. Solus Agnus, qui tollit peccata mundi altari superponitur Christianorum. Quod semel Christus obtulit, hoc semper Ecclesiæ suæ offerendum reliquit.

Hugo Etherianus. 1160.

De regressu animarum ab inferis cap. 27. Venite sacerdotes, qui quidem immaculatè corpus meum, & sanguinem meum assiduè immolatis.

Potho Prumiensis. 1160.

Libro 2. de statu domus Dei: Denique præter vnum verum, summumq; sacrificium, quod secundùm ordinem Melchisedech in consecratione Eucharistiæ offerimus, nullum aliud munus præstantius altari sancto superponimus.

Otto Frisingensis 1160.

Lib. 7. Hist. cap. 32. Armeniorum Episcoporum legati ab vltimo penè Oriente summum Pontificem Viterbij adeuntes, nobisq; præsentibus ei ex parte illius Ecclesiæ subiectionem omnimodam offerentes, inter cætera formam sacrificij iuxta consuetudinem Romanæ Ecclesiæ sibi tradi petierunt. Quos sanctissimus Antistes Eugenius gratanter suscipiens, Missarum solennijs adhibuit, diligenter ea, quæ fiebant ibidem, eos animaduertere monuit. Quod dum facerent, vnus ex ijs, summo Pontifice diuina corporis Christi mysteria agente, splendido fulgore radium solis super caput eius coruscare, & in ipso duas columbas ascendentes, & descendentes se vidisse perhibuit.

Guibertus Gemblacensis. 1170.

Libro 1. miraculorum S. Martini cap. 6. Hortatur leprosum beatus Martinus ad animæ puritatem, Missarum solennijs interesse, & ab ore suo sacratam sumere pacem, ipsum quoque sacris communicare mysterijs. Quibus gestis Missas celebraturus Martinus procedit, leprosus deuotus adest, ab ore Martini pacem accipit, sacrosancta mysteria de sanctis eius manibus sumit. Tum mirum in modum singulare illud sacrificium, quod animæ sanitatem operari consueuit, etiam corporis salutem operatur. Nam qui leprosus & immundus accesserat, viuifico cibo saginatus, sanus & mundus reuertitur.

Stephanus Eduensis. 1170.

De Sacramento altaris cap. 9. Vt culpa originalis euacuaretur, semel mortuus est Christus in cruce: vt culpa actualis deleretur, voluit ministerio sacerdotum sacrificari iterata immolatione. Vnde quidam versificator:

Mortuus ille semel, licet vltra non moriatur:
Idem quotidie sine vulnere sacrificatur.

Ipse sacrifex est, & sacrificium, hostia, & sacerdos: quia Deus est, & homo. Ille in ara crucis hostiam sanctam & Deo placentem se patri obtulit: iste ipsum eundem offert in mensa altaris.

Cap. 13. Subiungitur causa oblationis, cùm dicitur: *Pro se, suisque omnibus.* Offerentes erant pro salute animarum suarum, suisque omnibus, id est, pro amicis, & rebus suis, & amicorum, pro pace illorum, pro reditu peregrinantium, pro sanitate infirmorum, pro conuersione errantium, pro fructibus terræ, pro aëris serenitate, pro alijs commodis adipiscendis, vel conseruandis, pro obtinendis successibus prosperis. Habemus enim in ipso consolationem præsentis vitæ & futuræ. *Pro redemptione animarum nostrarum, pro spe salutis, & incolumitatis nostræ.* Facta est redemptio nostra, Christo in cruce semel passo. Nam passione Christi redempti sumus, & liberati de manu inferi. Culpis nostris exigentibus quotidie labimur: ab hoc lapsu iterata immolatione, quæ fit in altari, resurgimus, & renouamur. Immolatio iteratur, non Christus occiditur: sed ipso præsente passio eius repræsentatur.

Helmoldus. 1170.

Libro 2. Chronicorum cap. 17. Henricus Abbas cum difficultate magna ascendit, quia corpore exhaustus erat, celebrans ibi diuina, quæ etiam ad omnia illa sancta loca deuotissimè celebrauit, ob memoriam Domini nostri Iesu Christi, &c. Primo semper diluculo complexis matutinarum vigilijs, cum pleno officio Missarum solennia celebrans, & hostiam salutarem, tam pro se, quàm pro omni exercitu illo peregrino incessanter offerens.

Innocentius Tertius. 1200.

Libr. de Mysterijs Missæ lib. 5. cap. 12. Totum officium dicitur Missa, quasi transmissio, eò quòd populus fidelis per ministerium sacerdotis (qui fungitur vice mediatoris inter DEVM & homines) preces, & supplicationes, & vota transmittat Altissimo. Ipsum verò sacrificium, id est, hostia, Missa vocatur, quasi transmissa. Primùm nobis à Patre, vt esset nobiscum: postea Patri à nobis, vt intercedat pro nobis ad ipsum. Primùm nobis à Patre, per Incarnationem: postea Patri à nobis, per passionem. Et in Sacramento primùm nobis à Patre, per sanctificationem: postea Patri à nobis, per oblationem. Hæc est sola sufficiens & idonea missio, seu legatio, ad soluendas inter Deum & homines inimicitias, & offensas. Cùm ergo Diaconus ait: *Ite Missa est*, idem est, ac si diceret: Redite ad propria, quia oblata est hostia salutaris.

Extra. de celebratione Missarum cap. 3. Excepto die Natiuitatis Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die vnam solummodò Missam celebrare.

Cap. 9. Dolentes referimus, quod non solùm quidam minores clerici, verùm etiam aliqui Ecclesiarum Prælati circa comessationes superfluas, & fabulationes illicitas ferè medietatem noctis expendunt, & somno residuum relinquentes, vix ad diurnum concentum animo excitantur, transcurrendo vndique continuata syncopa Matutinum. Sunt & alij, qui Missarum solennia vix celebrant quater in anno, & quod deterius est, interesse contemnunt: & si quando, cùm hæc celebrantur, intersint, chori silentium fugientes, intendunt exterius collocutionibus laicorum: dumque auditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad diuina. Hæc igitur & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus, districtè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiosè celebrent pariter & deuotè.

Honorius Tertius. 1217.

Extra. de celebratione Missarum cap. 10. Sacerdos frequenter doceat plebem suam, vt, cùm in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinet, idem faciens cùm eam defert Presbyter ad infirmum.

Cap. 12. Cùm cuilibet sacerdoti, quacunque dignitate præfulgeat, vnam in die celebrare Missam sufficiat: nam & valde est felix, qui celebrat dignè vnam: fraternitati tuæ mandamus, quatenus die Cœnæ Domini in Ecclesia Sypontina duntaxat, in qua teneris Chrisma conficere, Missarum studeas solennia celebrare.

Franciscus Assisias. 1220.

Epistola ad sacerdotes Ordinis sui: Rogo etiam in Domino omnes fratres meos sacerdotes, qui sunt, & erunt, & esse cupiunt altissimi, quòd quandocunque voluerint Missas celebrare, purè faciant

cum reuerentia verum sacrificium sanctissimi corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, sancta intentione, & munda: non pro vlla re, neque timore vel amore alicuius hominis, quasi placentes hominibus.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Libro de Sacramentis, de Eucharistia cap. 2. Missæ celebratio diligenter intuentibus non est nisi populi sanctificatio per inuocationem diuini nominis, & sacrificium, & actio, seu ventilatio causæ eiusdem populi coram Deo per preces, & munera, & medicatio eiusdem populi, siue potionatio spiritualis, tanquam per antidotum, & siropum, & refectio, siue cibatio eiusdem spiritualis, tamquam per panem & vinum: & ista quatuor euidenter in communionis petitionibus continentur.

Hugo Cardinalis. 1240.

Ad cap. 22. Lucæ: Eadem die, qua Dominus instituit Sacramentum Cœnæ Dominicæ, instituit & Missam. Ideoque officium Missæ plenè celebramus, cum ornamentis & ministris, ita quòd nihil horum desit, quæ celebrationi Missæ debeant adhiberi. Quia incongruum esset de solennitate Missæ aliquid ea die prætermitti, qua instituta est.

Theodorus Thuringus. 1250.

Libro 2. vitæ sanctæ Elisabeth cap. 11. Consueuit beata Elisabeth ab adolescentia sua cum humilitate maxima Missarum semper sacris mysterijs interesse: Oculis namque fidei excellentiam intuens Sacramenti, ad propriæ conditionis paruitatem respiciens, ornatum corporis exteriorem, capitis, pectoris, digitorum, cæterorumque membrorum intra officium Missæ soluit, imminuit, inclinauit, vel penitus remouit. Hora verò Euangelicæ lectionis & Canonis, in qua Dominicum corpus & sanguis immolatur à sacerdote, & sumitur, hanc humiliationem præcipuè studuit exhibere.

Bonauentura. 1260.

De sex alis Seraphim: Missarum celebratio non tantùm eius nobis passionis mysterium memorandum ingerit, sed & pœnitentiæ suæ gratiam exhibet, & sub forma Sacramenti nos seipso spiritualiter pascit.

Concilium Oxoniense. 1263.

Paragrapho 14. Ad hæc duximus statuendum, districtius inhibentes, ne sacerdos quispiam Missarum solennia celebret bis in die, excepto die Natiuitatis & Resurrectionis Dominicæ, vel in obsequijs defunctorum, videlicet cùm corpus alicuius in Ecclesia eodem die fuerit tumulandum: & tunc prior Missa de die, posterior verò pro defuncto celebretur.

Guilhelmus Durandus. 1280.

In Rationali Diuinorum lib. 4. cap. 1. Inter cuncta Ecclesiæ Sacramenta illud constat esse præcipuum, quod in Missæ officio supra mensam sacratissimi celebratur altaris, illud Ecclesiæ præsentans conuiuium, in quo filio reuertenti pater occidit vitulum saginatum, panem vitæ, & vinum, quod miscuit Sapientia, proponens. Hoc autem officium ipse Christus instituit, cùm nouum condidit Testamentum, disponens hæredibus, sicut Pater suus sibi disposuit, vt super mensam eius edant, & bibant in regno, quod Ecclesia consecrauit.

Cap. 41. Dicitur hostia immolatio, quia ibi Christus sacramentaliter immolatur, qui semel in veritate pro peccatis immolatus est in cruce.

Ioannes Scotus. 1300

In Resolutionibus quæstionum super tertium Sententiarum distinct. 9. quæst. 1. Tempore legis Euangelicæ hic cultus exhibendus est Deo die Dominico: & hoc in oblatione sacrificij Eucharistiæ, quod quidem sacrificium sacerdos ipse pro se & populo offerre debet, & etiam populus spiritualiter offert, qui tenetur illi adesse oblationi, & tenentur omnes fideles die Dominico integram audire Missam.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 1. cap. 43. Missa est aliquo modo de lege naturæ, diuina, & Euangelica. Lex naturæ vult, quòd quilibet aliquo temporis spatio vacet orationi. Lex Scripturæ præcipit Sabbato vacandum ad orationem: sed Canones ordinauerunt ad istam orationem tempus Missæ, vbi Deus & homo realiter continetur. Ideo (vt dicit Glossa) peccant mortaliter, qui Missam non audiunt: quia præceptum est, nisi cogat necessitas: alijs verò diebus non est præceptum, sed consilium.

Guido Rocherius. 1333.

In Manipulo curatorum 1. partis tractatu 4. cap. 7. Nullus debet dicere Missam, nisi semel in die. Valde enim felix est, qui dignè celebrat vnam. Excipitur dies Natiuitatis Domini, qua die celebrantur tres, ita vt illa die sacerdos possit celebrare tres Missas.

Ioannes Taulerus. 1350.

Libro Institutionum cap. 5 Lapsus omni die sacrum vnum siue Missam deuotissimè ingenti cum gratitudine audire non intermittat. In illo namque sacrificio stupenda charitas illa quotidie renouatur, ex qua seipsum Dominus verè suauissimus nobis pauperculis reliquit.

Ioannes Bromiardus. 1380.

De Missa: Magna est Missæ dignitas. Primò spiritum confortat, & roborat: quia sicut capite sumente cibum vtilem, omnia membra fortificantur & confortantur, quæ capiti coniuncta sunt: sic sacerdote, qui in spiritualibus locum tenet capitis, celebrante, & corpus Christi sumente, omnes audientes Missam, qui locum tenent membrorum, si ei, cuius locum caput ibi tenet, id est, Christo, qui est sacerdos in æternum, charitate coniuncti sint & copulati, spiritualiter confortantur, & corroborantur. Quia sicut ipse sacerdos corpus Christi sumit sacramentaliter: ita ipsi sumunt spiritualiter.

Petrus Aliacus. 1410.

Vitæ sancti Cælestini lib. 2. cap. 1. In aurora Missam tam deuotè celebrabat, vt etiam mentes astantium quodam ardore charitatis accenderet. Qua finita, iterum vt prius ad psalmodiam, & orationum suffragia recurrebat.

Thomas VValdensis. 1420.

Tomo 3. titulo 4. cap. 28. Domine Iesu, omnium solennitatum tuarum in terris hæc est maxima sacra Missæ, ratione sacrificij corporis tui veri, quod in sacris illis mysterijs est Teleta teletarum, communionis nomine inter omnes communiones dignissima.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tomo 4. Sermone 37. de amore incarnante: In festiuis diebus debes offerre animam tuam totam in obsequijs diuinis, istis diebus contemplando, & meditando Deum Creatorem tuum: item in audiendo Missas, & offerre animam cum corpore in Missis, & sic exercendo animam & corpus, & custodiendo festa, Dominus illuminabit tuam animam. Et nota, quòd oportet, quòd homo audiat omni die Dominico, & in omnibus festis præceptis

gnam Missam integram ad minus ieiuno stomacho, alioquin non euitat peccatum mortale, quia dicit præceptum Dei: *Sabbata sanctifices.*

Dionysius Carthusianus. 1460.

Orthodoxæ fidei Summæ lib. 4. cap. 117. Iacobus frater Domini, & Basilius Cæsareensis Episcopus ediderunt Missæ celebrationem. Quia enim in hoc Sacramento totum nostræ salutis mysterium comprehenditur, ideo solennius celebratur. Primò itaque ante celebrationem huius mysterij præmittitur quædam præparatio, vt dignè agatur. Cuius prima pars est laus diuina, quæ fit in Introitu: secunda pars continet commemorationem præsentis memoriæ, dum dicitur *Kyrie eleison:* tertia pars agit memoriam cælestis lætitiæ, dum dicitur: *Gloria in excelsis:* quarta pars continet orationem, quam facit sacerdos pro populo, &c. Deinde populo sic præparato, acceditur ad celebrationem mysterij: quod offertur, in quantum est sacrificium; & consecratur ac sumitur, in quantum est Sacramentum. Primò igitur peragitur oblatio, secundò consecratur, tertiò sumitur.

Gabriel Bielius. 1480.

In Canonem Missæ lect. 26. Missa valet, & efficaciam habet dupliciter: vno modo ex opere operante, alio modo ex opere operato. Ex opere operante, hoc est, ex merito personali personæ celebrantis, propter quod confert Deus petita à sacerdote eis, quibus orationem & Missæ sacrificium applicat. Ex opere operato, id est, ex ipsa consecratione, & sumptione venerabilis Eucharistiæ, non habendo respectum ad personalem sanctitatem, aut meritum sacerdotis. Et hoc potest intelligi dupliciter. Vno modo, quòd hic valor sit ex diuina institutione, quæ efficaciter se determinauit ad conferendum quosdam effectus gratuitos, & salutares, ad consecrationem, oblationem, & sumptionem corporis & sanguinis Christi, factam à sacerdote: sicut dicimus de cæteris Sacramentis nouæ Legis, quòd habent virtutem ex Christi institutione.

Erasmus Roterodamus. 1530.

De amabili Ecclesiæ concordia: Cur Missam vsque adeò execremur, non video: constat psalmodia, qui dicitur Introitus, doxologia, precatione, sacris canticis, recitatione verborum Propheticorum, aut Apostolicorum, quam vocant Epistolam, recitatione Euangelij, professione fidei Catholicæ, gratiarum actione, quam vocant Eucharistiam, ac religiosa commemoratione mortis Dominicæ: rursus precationibus, inter quas est precatio Dominica: deinde sequitur pacis Christianæ symbolum, mox communio, rursus sacrum canticum & precatio. Postremo loco sacerdos totum populum, velut in suam tutelam receptum, Deo benedictione tradit atque commendat, vt perseuerent in affectu pietatis mutuaque charitate. Quid in his non pium, ac venerandum?

Arnoldus Vesaliensis. 1540.

Carmine pro Missa contra Sapidum Missæ mastigem:

Missa bonum, melius quo secula nulla tulerunt:
Missa decus populi, vita, medela, salus.
Fellis homo plenus, nebulo, peculator, & osor,
Et meretrix Missam dilacerare solent.
Crimina Missa fugat, Satanam, tormenta repellit:
Quisquilias, tenebras discutit, atque metus.
Hanc latro insequitur, prædo fugit, atque tyrannus:
Clades, pœna, dolor, mors, furor omnis abest:
Absunt insidiæ, imposturæ, insania, terror:
Candor, mundities, & decor omnis adest.
Relligio, pietas, veri custodia, & æqui
Missa, triumphanti nomine nota satis.
Quam crux, quam ferrum, quam pestis, & ignis, & vnda
Sufficiunt, Christo quæ stabilita viget.

Concilium Tridentinum. 1560.

Sessione 22. cap. 1. Quoniam sub priori Testamento, teste Apostolo Paulo, propter Leuitici sacerdotij imbecillitatem, consummatio non erat; oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundùm ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Iesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare, & ad perfectum adducere. Heb. 7. Is igitur Deus, & Dominus noster, etsi semel seipsum in ara Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, vt æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem sacerdotium eius extinguendum non erat, in Cœna nouissima, qua nocte tradebatur, vt dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur; eiusque memoria in finem vsque seculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc noui Testamenti sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit: & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem:* vti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit. Nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de AEgypto multitudo filiorum Israel immolabat, nouum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque de potestate tenebrarum, & in regnum suum transtulit. Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest: quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit: Mal. 1. & quam non obscurè innuit Apostolus Paulus, Corinthijs scribens, cùm dicit: *Non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sint, mensæ Domini participes fieri:* 1. Cor. 10. per mensam altare vtrobique intelligens. Hæc denique illa est, quæ per varias sacrificiorum, naturæ, & legis tempore, similitudines figurabatur: vtpote quæ bona omnia, per illa significata, velut illorum omnium consummatio & perfectio, complectitur.

Canone 1. Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari: anathema sit.

Canone 2. Si quis dixerit, illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem,* Christum non instituisse Apostolos sacerdotes: aut non ordinasse, vt ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum, anathema sit.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Rabbi Cabana.

Ad cap. 49. Genesis: Hæc verba: *Ligans ad vitem ciuitatem suam*, ostendunt, quòd sacrificium, quod fiet ex vino, non solùm transmutabitur in substantiam sanguinis Messiæ, sed etiam conuertetur in substantiam corporis eius.

Rabbi Simeon filius Iohai.

Libro, qui inscribitur: Reuelatio secretorum: Hoc est sacrificium, quod, postquam venerit Messias, facient sacerdotes coram Deo sancto & benedicto. Tunc enim cessabunt omnia sacra, quæ prius fiebant. Facient autem sacrificium illud ex pane & vino. Quod cùm primùm sacerdotes exercebunt, omnes Angeli cæli, audientes illa sacra sanctaque verba, ex ore sacerdotum prodeuntia, intelligentes inuidebunt mirum in modum illis, & contremiscent. Itaque omnes ad Deum venient, dicentes: O Domine mundi, quàm magna est laus ista, quam dedisti Israel, qui peccatis pleni sunt, & non dedisti nobis, qui coram te à peccatis immunes sumus. Deus respondebit illis, dicetque: Non est vobis locus inuidiæ in Israel: quandoquidem vos oratum pro illis accessistis. Quia autem illi peccatores sunt, & ad peccandum procliues, ideo vt illis remittam, Messiam misi: docuitque eos hanc excellentem laudem. Vos verò, qui peccare non potestis, non indigetis huiusmodi laude. Tunc Angeli abira discedentes, dicent: *Domine Deus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos.* Tunc Deus misericordia implebitur, & virtute ingenti verborum sanctorum, quæ ab ore Sanctorum manabunt, illud & omne sacrificium, quod in vnaquaque ara celebrabitur, in corpus Messiæ conuertetur. Tunc Angeli coram Deo sancto & benedicto laudes maximas edent, dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.*

Rabbi Ionathas.

Libro Collectionum Et erit sacrificium panis in terra, in capite montium Ecclesiæ. Videat qui habet oculos, quòd, sicut dictum est, ille est Messias, de quo loquitur totus Psalmus: Cùm ergo ait: *Et erit placenta frumenti in terra, in capite montium*, vult dicere, quòd placenta panis fiet sacrificium in capitibus sacerdotum, qui sunt in Ecclesia.

R. Moses Hadarsan.

Ad cap. 14. Genes. Hic Melchisedech erat Sem filius Noë. Et quid docet dicendum, cùm ait: *Protulit panem & vinum:* Rabbi Samuel filius Nahaman dixit: Sententias sacerdotij tradidit. Erat enim ipse sacrificans panem & vinum Deo sancto & benedicto. Alius sermo: *Melchisedech rex Salem.* Hoc est, quod scriptum est Psalm. 110. *Iurauit Deus, & non pœnitebit eum. Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Et quis est hic? Hic est iustus & Saluator Rex Messias, sicut dictum est Zachariæ 9. *Ecce Rex tuus venit tibi iustus & Saluator.* Et quid docet dicendum, cùm dicit: *Obtulit panem & vinum?* Hoc est, ac si diceret, quod scriptum est Psal. 71. *Et erit placenta tritici in terra.* Et hoc est, quod dictum est: *Et ipse erat sacerdos Dei altissimi.* Quod autem per hoc sacrificium omnia sacrificia veteris Legis cessare debebant, ipsum autem nunquam deficere, ex eo habetur, quod legitur Numer. 28. *Præcipe filijs Israel, & dic ad eos: oblationem meam panis mei, ad ignes meos odoris suauitatis mei respicietis, vt offeratis in tempore suo*, &c. Et dices ad eos: *Sacrificia, quæ offerre debetis.* Agnus, &c. Ibi enim sic dicitur. R. Phinhas filius Iair dixit: Tempore Messiæ omnia sacrificia cessabunt, & sacrificium panis & vini nunquam cessabit, sicut dictum est Gen. 14. *Et Melchisedech Rex Salem*, &c.

***

ARTICVLVS QVINTVS.

MELCHISEDECHVM PANEM ET VINVM NON ABRAHAMO IN CIBVM ET POTVM, SED DEO ALTISSIMO IN SACRIFICIVM OBTVLISSE: ET ILLVD SACRIFICIVM FVISSE FIGVRAM CHRISTI OBLATIONIS, ET VNICI SACRIFICII Christianorum Missæ.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ 1520. LVTHERVS de abominatione Missæ priuatæ: *In eo mentiuntur, quòd asserunt Melchisedech sacrificasse panem & vinum.*

1550. 1570. *Ioannes Caluinus*, lib. 4. institut. cap. 18. §. 2. *Chemnitius*, in Examine Tridentini Concilij parte 2. *Petrus Martyr* in cap. 5 prioris ad Corinth. *admittunt quidem sacerdotem fuisse Melchisedech, & Christi typum gessisse: sed negant ab eo panem & vinum in sacrificium Deo fuisse oblata, sed in refectionem volunt esse prolata Abrahæ, & sociorum eius, qui defatigati reuertebantur ex prælio.*

1580. Guilhelmus VVitakerus de sacris Scripturis Controuers. 1. quæst. 2. *Panem Melchisedech, vinumq́; protulit, non vt sacrificium efficeret, aut sacerdotis aliquo munere fungeretur: sed vt faceret potius, quod regem deceret hoc est, Abraham, eiusq́; commilitones commeatu reficeret.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 14. *Vers.* 18. At verò Melchisedech rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedicit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso.

Psalm. 109. 4. Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Alexandrinus. 200.

Libro 4. *Stromaton cap.* 8. Salem enim pax exponitur, cuius Seruator noster Rex describitur: quem dicit Moses Melchisedech rex Salem, sacerdos Dei altissimi, qui panem & vinum sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistiæ.

Eusebius Cæsareensis. 320.

De Demonstratione Euangelica lib. 5. *cap.* 3. Et sanè oraculi exitus admirabilis ei, qui contempletur, quemadmodum Saluator noster Iesus, qui est Christus Dei, ipsius Melchisedech ritu, ea, quæ ad sacerdotium in hominibus gerendum spectant, per suos ministros perficiat. Nam quemadmodum ille, qui sacerdos gentium erat, nusquam videtur sacrificijs corporalibus functus: sed vino solo & pane, dum ipsi Abraham benedicit: ita sanè primus ipse Saluator, ac Dominus noster: deinde qui ab eo profecti sunt sacerdotes, in omnibus gentibus spirituale secundùm Ecclesiasticas sanctiones sacerdotij munus obeuntes, vino ac pane, & corporis illius & salutaris sanguinis mysteria repræsentant. Quæ sanè mysteria Melchisedech tanto ante Spiritu diuino cognouerat, & rerum futurarum imaginibus vsus fuerat, sicut etiam Mosis Scriptura testatur, vbi ait: *Et Melchisedech rex Salem protulit panes & vinum: erat enim sacerdos Dei altissimi: & benedixit Abraham.* Gen. 14.

Basilius Magnus. 370.

Ad Psalm. 109. Quid est *secundùm ordinem Melchisedech,* nisi propter mysteria, quòd & ille Abrahæ panem & vinum obtulit?

Epiphanius. 380.

Hæresi 55. Obtulit ipsi Abraham panem & vinum, &c. Quandoquidem ex ipso ex Circuncisione futurum erat sacerdotium, vt omnis altitudo, quæ se effert contra cognitionem Dei, per cognitionem Dei instrueretur, ad hoc, vt ne se iactans circuncisio de sacerdotio, contradicere possit sacerdotio sanctæ Ecclesiæ. Abraham enim obtulit ipsi Melchisedech decimam: qui verò ab Abrahamo descenderunt, ipsi Leui offerunt & Aaron. Post tempus autem, cùm rursus esset sacerdotium ex Circumcisione per Aaron, &c. natura visum est, vt in veteri sacerdotio sacerdotalis dignitas ne constituatur: verum ad id, quod ante Leui & ante Aaron fuit, secundùm ordinem Melchisedech sacerdotium transferatur. Quod sanè nunc in Ecclesia viget à Christo, & huc vsque, dum non amplius semen secundùm successionem eligitur, sed forma iuxta virtutem quæritur. Primum enim sacerdotium in præputio per Abel perficitur: sed & deinceps per Noë; tertium verò per Melchisedech, &c. Quando Abraham fuit annorum 88. aut 90. plus minus, tunc Melchisedech ipsi obuiam venit, & proposuit ipsi panes & vinum, mysteriorum ænigmata præfigurans, & exemplaria: cùm Dominus noster dicat: *Ego sum panis viuens:* & exemplar sanguinis ipsius, qui ex latere ipsius compuncto fluxit, ad purgationem inquinatorum, & respersionem ac salutem animarum nostrarum.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homil. 35. *in Genesin:* Vide propter honorem in Patriarcham collatum, quomodo Sacramentum insinuatur: extulit enim illi panem & vinum. Videns typum, cogita oro & veritatem: & admirare diuinarum Scripturarum accuratam diligentiam, quomodo superioribus seculis, & ab initio futura præsignata sint.

Ad Psalm. 109. Quare dixit: *Secundùm ordinem Melchisedech?* Propter Sacramenta, quòd ille quoque panem & vinum obtulerit.

Philo Carpathius. 420.

In Cantica Canticorum: Hic est panis ille, qui de cælo descendit, à pane illo diu antea præmonstratus, quem Melchisedech rex Salem, & Sacerdos summi Dei cum vino obtulit.

Isidorus Pelusiota. 440.

Libro 1. *epistola* 431. Melchisedech pane & vino (ἱερατεύων) sacrificans, per quæ diuinorum mysteriorum typum adumbrabat.

Libro 3. *epistola* 152. Ante Aaronem diuinius & incruentum sacerdotium erat Melchisedech.

Theodoretus. 450.

Quæst. 63. *in Genes.* Melchisedech typum gerebat sacerdotij Dominici: ideoque Abrahæ panes, & vinum, & massam farinæ vicisim dedit, prout moris erat vnicuique Deo talia offerre. Animaduertebat enim & hoc in typum patefieri.

Ad Psalm. 109. Inuenimus Melchisedech sacerdotem & regem esse: & offerentem Deo non sacrificia ratione carentia, sed panem & vinum. Hæc enim Abrahæ attulit, cùm proprij sacerdotij exemplar in lumbis Patriarchæ secundùm Spiritum præuidisset, &c. Sacerdos nunc est Christus, qui ex Iuda secundùm carnem ortus est, non ipse aliquid offerens, sed vocatur caput eorum qui offerunt: quandoquidem Corpus suum Ecclesiam vocat.

Isychius. 600.

Lib. 6. *in Leuit. cap.* 23. Quia dubium futurum erat forsan, à quibus mysterium sacrificij, quod per Christum est, quod superius diximus, celebratur: habes ecce intelligibilis Melchisedech oblationem, quæ in pane & vino perficitur, &c.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei libro 4. *cap.* 14. Abrahamum ex alienigenarum strage redeuntem ille summi Dei sacerdos Melchisedech pane & vino excepit. Gen. 14. Mensa illa mysticam hanc adumbrabat, quemadmodum & sacerdos ille veri Pontificis Christi figuram & imaginem præ se ferebat. *Tu enim,* inquit, Psal. 109. *es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.*

Theophylactus. 950.

Ad cap. 5. ad Hebr. *Secundùm ordinem Melchisedech.)* Dicant ergo Iudæi nobis, quisnam fuerit alius sacerdos secundùm ordinem Melchisedech præter Christum? Nonne omnes sub lege fuerunt? nonne omnes Sabbatum celebrabant, & victimas offerebant? Manifestissimè hoc ergo de Christo dictum est: solus enim ille pane & vino sacrificium consecrauit, perinde ac Melchisedech. Gen. 14.

Digitized by Google

Oecumenius. 1050.

Ad cap. 5. ad Hebraeos: Melchisedech fuit primus, qui hostiam sine sanguine, panem, inquam, & vinum obtulit, &c. Non ad ipsum tantùm, qui, quae à Deo semel facta est, hostiam & oblationem dixit in aeternum: sed ad nostri temporis sacerdotes inspiciens, per quos Christus & sacrificat, & sacrificatur, quique eis in mystico illo conuiuio ac coena sacerdotij huius tradidit formulam.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Compendio historiarum: Floruit eo tempore Melchisedech, caelebs, sacerdos, & ignotae stirpis, qui incruentam victimam Christi Dei nostri pane & vino iam tum repraesentabat.

Michael Glycas. 1120.

Parte 2. Annalium: Melchisedech incruentum illud sacrificium, quod Christus ipse discipulis tradidit, longè ante repraesentauit. Audi quid in hac parte Chrysostomus tradat: Cùm vellet, inquit, Deus multo ante sacerdotij legalis abolitionem ostendere, per Dauidem inquit: *Tu es sacerdos in aeternum secundùm ordinem Melchisedech*: qui videlicet non legales hostias sacrificauit, sed vota, panem, & vinum obtulit. Idcirco sacris in literis supremi Dei sacerdos appellatur.

Nicetas Choniates. 1200.

Orthodoxae fidei lib. 4. haer. 32. Aaron & eius consortes animalium visceratione rem sacram fecerunt: pane autem & vino solus omnium Melchisedech: qui Christi etiam, atque initiationis mysteriorum eius typus erat: cui Dauides quoque sacerdotium aeternum vaticinatur.

Haeresi 34. Vno eodemque tempore duos insignes pietate viros, Abrahamum scilicet, & Melchisedechum, floruisse Moses scribit: quorum tamen ille in Circuncisione, hic in praeputio testamentum acceperat. Proinde Christus sacerdos secundùm ordinem Melchisedech nominatur, non solùm quia pane & vino, quemadmodum & ille, mysticè fecit: sed etiam, quia Circumcisionem in praeputio benedixit, quemadmodum Melchisedech in praeputio circumcisum Abraham benedixerat.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Cyprianus. 250.

Libro 2. epist. 3. *Epist. 63.* In sacerdote Melchisedech sacrificij Dominici Sacramentum praefiguratum videmus, secundùm quod Scriptura diuina testatur, & dicit: Gen. 14. *Melchisedech rex Salem protulit panem & vinum: Fuit autem sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham.* Quòd autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus sanctus ex persona Psal. 109 Patris ad Filium, dicens: *Ante Luciferum genui te: Tu es sacerdos in aeternum secundùm ordinem Melchisedech.* Qui Ordo vtique hic est de sacrificio illo veniens, & inde descendens: quòd Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus? qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, hoc est, panem & vinum, suum scilicet corpus, & sanguinem, &c. Vt ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset ritè celebrari, praecedit ante imago sacrificij Christi, in pane & vino scilicet constituta, quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui est plenitudo, veritatem praefiguratae imaginis adimpleuit. De Coena Domini significata olim à tempore Melchisedech prodeunt Sacramenta, & filijs Abrahae facientibus opera illius summus sacerdos panem profert & vinum: *Hoc est*, inquit, *corpus meum*.

Ambrosius. 370.

Lib. 4. de Sacramentis cap. 6. Et dicit sacerdos: Ergo memores eius gloriosissimae passionis, & ab inferis resurrectionis, & in caelum ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, & calicem vitae aeternae: & petimus, ac precamur, vt hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo, per manus Angelorum tuorum, sicut suscipere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchae nostri Abrahae, & quod obtulit tibi summus sacerdos Melchisedech.

Lib. 5. cap. 1. Hesternus sermo noster ac tractatus vsque ad sancti altaris Sacramenta deductus est. Et cognouimus Sacramentorum istorum figuram Abrahae temporibus praecessisse, quando obtulit sacrificium sanctus Melchisedech neque initium habens, neque finem dierum, &c. Diximus ergo, quòd in altari constituatur calix, & panis. In calicem mittitur vinum. Et quid aliud? aqua. Sed tu dicis mihi: Quomodo ergo Melchisedech panem & vinum obtulit? Quid sibi vult aquae admixtio?

Ad cap. 5. ad Hebr. *Secundùm ordinem Melchisedech.*) Huius ordinem sacrificij (*corporis & sanguinis Domini*) per mysticam similitudinem Melchisedech iustissimus rex instituit, quando Domino panis & vini fructus obtulit. Constat enim pecudum victimas perijsse, quae fuerunt ordinis Aaron, non Melchisedech: sed hoc manere potius institutum, quod toto orbe in Sacramentorum erogatione celebratur.

Hieronymus. 390.

Epistola 17. ad Marcellam cap. 2. Recurre ad Genesin, & Melchisedech regem Salem Hierosolymitanae vrbis principem inuenies, qui iam tunc in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Saluatoris corpore & sanguine dedicauit.

Epistola 126. ad Euagrium: Sic & Melchisedech, eò quòd Chananaeus fuerit, & non de genere Iudaeorum, in typum praecessisse sacerdotis Filij Dei, de quo dicitur Psal. 109. *Tu es sacerdos in aeternum secundùm ordinem Melchisedech.* Ordinem autem eius multis modis interpretantur: quòd solus & rex fuerit, & sacerdos, & ante Circumcisionem functus sacerdotio: vt non gentes ex Iudaeis, sed Iudaei ex gentibus sacerdotium acceperint: neque vnctus oleo sacerdotali, vt Moysi praecepta constituunt, sed Leuit. 8. oleo exultationis, & fidei puritate: neque carnis & sanguinis victimas immolauerit, & brutorum animalium sanguinem dextra susceperit, sed pane & vino simplici, puroque sacrificio Christi dedicauerit Sacramentum.

In quaest. in Genesin: Melchisedech praeputium habens, Abrahae benedixit circunciso, & in Abraham Leui, & per Leui Aaron, de quo postea sacerdotium. Ex quo colligi vult (*Apostolus*) Sacerdotium Ecclesiae habentis praeputium benedixisse circunciso sacerdotio Synagogae. Quod autem ait: *Tu es sacerdos in aeternum secundùm ordinem Melchisedech*, mysterium nostrum in verbo Ordinis significatur, nequaquam per Aaron irrationalibus victimis immolandis, sed oblato pane & vino, id est, corpore & sanguine Domini Iesu Christi.

Ad Psalm 75. Aaron victimas obtulit, Aaron hostiarum sanguinem fudit: Melchisedech nihil horum fecit, sed tantummodò panē & vinum obtulit,

Hoc

Hoc ergo fecit Melchisedech, & propterea dicitur, *secundùm ordinem Melchisedech.*

*Ad Psalm.*109. Hoc solum interpretemur: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Hoc solum dicamus, quare dixerit: *secundùm ordinem.* Nequaquam sacerdos eris secundùm Iudaicas victimas, sed eris sacerdos *secundùm ordinem Melchisedech.* Quomodo enim Melchisedech rex Salem obtulit panem & vinum: sic & tu offeres corpus, & sanguinem tuum, verum panem, & verum vinum. Iste Melchisedech ista mysteria, quæ habemus, dedit nobis. ipse est, qui dixit: *Qui manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum: secundùm ordinem Melchisedech* tradidit nobis Sacramentum suum.

*Ad cap.*26. *Matthæi*: Postquam typicum Pascha fuerat impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat, assumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verum Paschæ transgreditur Sacramentum, vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedech, summi Dei sacerdos, panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis & sanguinis repræsentaret.

Augustinus. 400.

*Ad Psalm.*33.*conc.*1. Coram regno ergo Patris sui mutauit vultum suum, & dimisit eum, & abijt. Quia erat ibi sacrificiū secundùm ordinem Aaron, & postea ipse de corpore & sanguine suo instituit sacrificium *secundùm ordinem Melchisedech.* Mutauit ergo vultum suum in sacerdotio, & dimisit gentem Iudæorum, & venit ad Gentes.

Contra Aduersarium Legis & Prophetarum libro 1. *cap.*20. Ibi quippe & hoc dictum est: *Iurauit Dominus, & non pænitebit eum. Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Nouerunt, qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham, & iam sunt participes eius, vident tale sacrificium nunc offerri toto orbe terrarum. Dei autem iuratio, incredulorum est increpatio, & quòd Deum non pœnitebit, significatio est, quia hoc sacerdotium non mutabit: mutauit quippe sacerdotium secundùm ordinem Aaron. Psal.109

*De Ciuitate Dei lib.*16. *cap.*22. Cùm Melchisedech Abrahæ benediceret, ibi primùm apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur toto orbe terrarum, impleturque illud, quod longè post hoc factum per Prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat adhuc venturus in carne: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

*Epist.*95.*ad Innocentium Pap.* Melchisedech prolato Sacramento mensæ Dominicæ, nouit æternum eius sacerdotium figurare.

*De Doctrina Christiana lib.*4.*cap.*21. In sacerdote Melchisedech Dominici Sacramenti præfiguratum videmus mysterium, secundùm quod Scriptura diuina testatur, & dicit: *Et Melchisedech rex Salem protulit panem & vinum.* Quòd autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalm. Spiritus sanctus ex persona Patris ad Filium dicens: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

Gen.14. Psal.109

Arnobius Romanus. 440.

In Psalm. 109. Christus per mysterium panis & vini sacerdos factus in æternum secundùm ordinem Melchisedech, qui panem & vinum solus obtulit in sacerdotibus, dum Abraham victor reuerteretur de prælio.

Leo Primus. 450.

Sermone 2. Anniuersario assumptionis suæ ad Pontificatum: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*: hoc est, non secundùm ordinem Aaron, cuius sacerdotium, per propaginem sui seminis currens, temporalis ministerij fuit, & cum veteris Testament Lege cessauit: sed *secundùm ordinem Melchisedech*, in quo æterni Pontificis forma præcessit. Denique cùm huius diuini sacerdotij Sacramentum etiam ad humanas peruenit functiones, non per generationum tramitem currit, nec quod caro & sanguis creauit eligitur: sed cessante priuilegio, & familiarum ordine prætermisso, eos rectores Ecclesia accipit, quos Spiritus sanctus præparauit.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Homilia 5. *de Paschate*: Sacramenti huius formam etiam in Iudæorum paginis inuenimus expressam. Nam de Melchisedech in Genesi legimus: *Et Melchisedech rex Salem protulit panem & vinum, & benedixit Abraha.* Melchisedech autem fuit sacerdos Dei summi, dum à præputio, id est à gentili Circuncisio futura benedicitur, Ecclesiæ gloria prædicatur, & Synagogæ infidelis plebs ex gentibus acquisita præponitur. Hic ergo Melchisedech, oblatione panis & vini, sacrificium hoc Christi præsignauit: de quo Propheta prænuntiauit: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

Claudius Marius Victor. 460.

Lib.3. in Genesim:

Melchisedech vinumq́, & panem ab cede reuersis
Obtulerat, rex ille Salem, qui munere tali
Mystica præmisit summi libamina Christi.

Primasius. 550.

*Ad cap.*5. *epist. ad Hebr.* Quare *secundùm ordinem Melchisedech*, & non secundùm ordinem Aaron dicatur existere sacerdos, diuersæ causæ existunt: & prima quidem est, quia Melchisedech secundùm legalia mandata non fuit sacerdos, sed secundùm cuiusdam singularis sacerdotij dignitatem, panem offerens Deo, non brutorum animalium sanguinem: in cujus ordine sacerdotij Christus factus est Sacerdos, non temporalis, sed æternus: nec offerens victimas legales, sed instar illius panem & vinum, carnem videlicet & sanguinem suum, &c. Vnde patet sacrificium pecudum perijsse, & illud manere potius, quod fuit ordinis Melchisedech: quia Christus corroborauit, & Ecclesiam tenere docuit.

Aurelius Cassiodorus. 550.

*Ad Psalm.*109. Quem ordinem Melchisedech per mysticam similitudinem iustissimus rex instituit, quando Domino panis, & vini fructus obtulit. Cōstat enim pecudum victimas perijsse, quæ fuerunt ordinis Aaron, & Melchisedech potius manere institutum, quod toto terrarum orbe in Sacramentorum erogatione celebratur: quod adhuc Iudæi non intelligunt obstinati.

Isidorus Hispalensis. 620.

*De officijs Ecclesiasticis lib.*1. *cap.* 18. Sacrificium, quod à Christianis Deo offertur, primùm Christus Dominus noster & Magister instituit, quando commendauit Apostolis corpus & sanguinem suum, priusquam traderetur, sicut legitur in Euangelio: *Accepit Iesus panem & calicem, & benedicens dedit eis.* Quod quidem sacramentum Melchisedech rex Salem figuraliter in typum corporis & sanguinis Christi primus obtulit, primusqúe mysterium tanti sacrificij imaginariè idem expressit, præferens similitudinem Domini ac Saluatoris nostri Iesu Christi sacerdotis æterni: ad quem dicitur: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

*De vita & obitu Sanctorum cap.*5. Melchisedech Abraham reuertenti post victoriam benedixit. Idem in typo veri sacrificij de frugibus terræ primus panem & vinum obtulit Deo.

Eucherius Gallus. 640.

*Lib.*2. *in Genesin cap.*18. Melchisedech sacerdos

Dei

Dei summi panem & vinum sacrificium offerens, &c. Sine aliqua sacerdotali geneologia homo extitit ex hominibus, vtpote non ex tribu Leui ortus, sed ex tribu Iuda, ex qua tribu nihil de sacerdotali præcepto accepit: vtique propter mysterium Sacramenti, quod Christianis celebrare præceptum est, vt non secundùm Aaron pecudum victimas, sed oblationem panis & vini, id est, corporis & sanguinis eius Sacramentum in sacrificium offeramus. Ibi quippe primum apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud, quod longè post hoc factum per Prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat adhuc venturus in carne: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Non scilicet secundùm ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferendus, illucescentibus rebus, quæ illis vmbris denotabantur.

Aldhelmus. 670.

Lib. de laude Virginitatis, cap. 28. Melchisedech Patriarchæ reducenti prædas obuians, pro sanctitate conuersationis typica persona panis, merique libamina litaturus, Redemptoris typicè personam præfigurans obtulit, vt meritò de Christi sacerdotio, quo genuinam obtulit victimam, Dauidica cōcinunt oracula: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Psal. 109

Beda. 700.

Ad Psalm. 33 Christus legalia sacrificia secundùm ordinem Aaron prius instituta conuertit in sacrificia panis & vini secundùm ordinem Melchisedech, qui primus ea obtulit instituta.

Ad Psalm. 109. *Tu es sacerdos*, non secundùm ordinem Aaron, quod sacerdotium fuit ad tempus: sed *secundùm ordinem Melchisedech*, quod est in æternum. Melchisedech primus panem & vinum obtulit Domino: hoc sacerdotio functus est Christus, quando semetipsum in ara Crucis obtulit Deo Patri pro nobis, ipse verus sacerdos & hostia factus.

Alcuinus. 710.

Libro de diuinis Officijs, cap. 39. de celebratione Missæ: Sacrificium Melchisedech tam vera erat significatio sacrificij Christi, vt inde prædictum sit: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

Cap. 34. de Ecclesiastico ordine: Melchisedech sacerdos Dei excelsi Deo panem & vinum offerens, noui, hoc est, Euangelici sacrificij modum, qualitatemque significauit.

Haymo. 800.

Ad cap. 1. ad Romanos: Melchisedech, vt fertur ab Hebræis, considerata mundi fabrica, vnum Deum excellentem creaturis esse dixit: & ideo excellentior, id est, panem & vinum Deo obtulit vero.

Ad cap. 5. ad Hebræos: Quare secundùm ordinem Melchisedech, & non secundùm ordinem Aaron Christus dicatur existere sacerdos, diuersæ causæ existunt: & prima quidem est, quia Melchisedech secundùm legalia mandata non fuit sacerdos, sed secundùm cuiusdam singularis sacerdotij dignitatem, panem offerens Deo & vinum & non brutorum animalium sanguinem. In cuius ordine sacerdotij Christus factus est sacerdos, non temporalis, sed æternus: nec offerens victimas legales, sed instar illius panem & vinum, carnem scilicet, & sanguinem suum, de quibus ipse dixit: *Caro*, inquiens, *mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ista quoque duo munera, panem videlicet & vinum, commisit Ecclesiæ suæ in memoriam sui offerenda. Vnde patet sacrificium pecudum perijsse, quod fuit ordinis Aaron, & illud manere potius, quod fuit ordinis Melchisedech: quia & Christus illud corroborauit, & Ecclesiæ suæ tenendum reliquit.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap. 16. Christus quia sacerdos esse dicitur secundùm ordinem Melchisedech, quod Apostolus Paulus copiosissimè asseruit, salua multiplicium ratione figurarum, quibus idem sacerdos Dei summi Iesus Christus Filius Dei, qui semetipsum Patri pro nobis obtulit, pronuntiasse cognoscitur, congruum genus sacrificij Deus noster, sacerdos verus, in corporis & sanguinis sui mysterium prouidere dignatus est, vt videlicet sicut Melchisedech, ante circumcisionem & Legis cæremonias viuens, ex fide panem & vinum legitur obtulisse: ita ipse Dominus Pontifex factus *secundùm ordinem*, non Aaron, *sed Melchisedech*, iustus, & iustificans eum, qui ex fide est, post expletionem Legis easdem species sacrificij fidelibus suis tradidit.

Angelomus. 830.

Ad 1. Reg. cap. 21. Erant in veteri Testamento præcepta Legis carnalia, erat sacrificium secundùm ordinem Aaron: & postea ipse de corpore & sanguine suo instituit sacrificium secundùm ordinem Melchisedech.

Rabanus Maurus. 850.

Lib. 2. in Genesin cap. 16. Quòd ait: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, mysterium nostrum in verbo ordinis significatur: nequaquam per Aaronem irrationabilibus victimis immolandis, sed oblato pane & vino, id est, corpore Domini Iesu & sanguine.

Lib. 2. de Vniuerso cap. 1. Melchisedech interpretatur rex iustus. Rex, quia postea imperauit Salem. Iustus, pro eo, quòd discernens Sacramenta Legis & Euangelij, non pecudum victimas, sed oblationem panis & calicis in sacrificium obtulit. Hic ergo in oblatione sua regnum Christi vel sacerdotium figurauit: cuius corporis & sanguinis Sacramentum, id est, oblatio panis & vini in toto orbe offertur.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 880.

Cap. 7. Melchisedech, qui obtulit sacrificium panis & vini, typus est Christi, qui sine matre in cælis, sine patre in terris corpus & sanguinem nobis in remissionem peccatorum dedit.

Paschasius Radbertus. 880.

Ad illud Matthæi: *Cœnantibus autem ijs, accepit Iesus panem. &c.* Corpus & sanguis in calice ad expletionem factum est veritatis, vt quod in Melchisedec præcesserat, totum compleretur in Christo. Nam quòd calix passionem Christi demonstret, nemo, qui hoc Euangelium legit, ambigit.

Remigius Antisiodorensis. 880.

Ad Psalm. 109 *Tu es sacerdos in æternum*, non secundùm ordinem Aaron, qui præcepit offerri hostias, & victimas veteris Testamenti: illa enim sublata sunt, euerso iam templo, remoto illo sacerdotio, pereunte victima & sacerdotio: sed *secundùm ordinem Melchisedech.* Melchisedech rex fuit & sacerdos primus, offerens in figuram nostri sacrificij panem & vinum, & illius sanctæ Eucharistiæ, quæ in corpore & sanguine Domini quotidie conficitur in Ecclesia. Et ideo etiam sacrificium Melchisedech dignatus est sacrificio Aaron, quia hoc fuit prius, illud posterius.

De celebratione Missæ: Sacrificium quoque Melchisedech tam verum erat, vt significatio esset sacrificij Christi, & sic vt inde prædictum sit: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

Samuel Marrochianus. 1100.

De aduentu Messiæ cap.19. Ipse est, cuius sacerdotium erit secundùm ordinem Melchisedech in æternum, qui obtulit sacrificium panis & vini, & fuit Melchisedech sacerdos Dei altissimi ante Aaron, &c. Melchisedech sacrificium Dei instituit in pane & vino, ex quibus communicauit Abrahamo amico Dei. Deus etiam per ministerium illorum mutauit sacrificium nostrum, sicut mutauit nomen nostrum, & sicut mutauit legem nostram carnalem in legem spiritualem.

Petrus Carnotensis. 1030.

Paraphrasi in Psalm.109. *Iurauit Dominus*, id est, Deus Pater promisit firmiter tibi homini, *& non pœnitebit eum*, id est, non mutabit hoc, quod sequitur: *Tu es sacerdos in æternum*, id est, non temporalis, sicut Aaron: sed secundùm ordinem Melchisedech: quia Christus panem & vinum in corpus suum & sanguinem consecrauit, sicut Melchisedech Abrahæ, redeunti à victoria quinque regum, panem & vinum obtulit, id est, Domino litauit.

Iuo Carnotensis. 1090.

Epist.267. Melchisedech commemoratum inter sacra mysteria non alium intelligo, quàm ipsum Regem Salem, cuius sacerdotium commendat Apostolus: quia antequam institutum fuisset Leuiticum sacerdotium, in oblatione panis & vini præmonstrauit nobis noui sacerdotij formam, sicut in Abel sacrificio præfiguratam videmus obedientiam.

Hildebertus Cenomanensis. 1100.

De mysterijs Missæ:

Non sine mysterio, sine re, vel panis ad aram,
Vel vinum fertur, cui super additur aquam:
Vtraque sub typico ritu, formaq; futuri
Melchisedech Domino sacrificasse ferunt.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone de Aduentu Domini: Abel agnum, Melchisedech panem & vinum, Abraham filium obtulit.

In Gemma animæ lib.1.cap.14. Missam cum primis Dominus Iesus *secundùm ordinem Melchisedech* instituit, quando ex pane & vino corpus & sanguinem suum fecit, & in memoriam sui celebrare præcepit.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

In diuinis officijs lib.2.cap.13. Melchisedech nisi seipsum prius obtulisset, & in sublime altare Dei cor suum deposuisset, non potuisset prouidere causas, quarum intuitu panis & vini sacrificium sine exemplo primus obtulit.

Hugo Victorinus. 1130.

In Speculo Ecclesiæ cap.7. Sacerdos offert dona sacrificando, panem scilicet & vinum: vtrumque typicè obtulit Melchisedech, vtrumque discipulis dedit cœnantibus.

Tractatu 6.de Sacramentis cap.2. Huius figura Sacramenti præcessit in pane & vino à Melchisedech oblatis.

Hildegardis. 1160.

Epistola ad Præpositos Moguntinenses: Sacerdotale officium in primo sacerdote Melchisedech in vmbra miraculorum Dei ostensum est.

Petrus Riga. 1170.

In Aurora:

Offert Melchisedech, cum pane merum benedicens
Illum, cui decimas de spolijs dat Abraham, &c.
Panis cum vino carnem cum sanguine Christi
Signat, quæ patiens obtulit ille Patri.

Godfridus Viterbiensis. 1180.

Par.4.Chronicorum de Melchisedech:

Sem fuit ille senex, qui Melchisedech memoratur,
Vsque dies Isaac qui peruixisse notatur,
Mureq; Christicolæ sic sua sacra refert.
Sic sua progenies per tempora sacrificauit,
Vsque dies Aaron eadem sacra non variauit:
Sed noua lex Mosi post holocausta dedit.

Parte 13. Quòd panis & calicis Sacramentum Deo placitum esset loco & virtute holocausti, Scripturarum testimonijs demonstrabimus. Huius sacrificij præfiguratio primo tempore in sacerdotio Melchisedech fuit incœpta & præsignata. Melchisedech autem sacerdos Dei excelsi cû benediceret Abrahæ, ob mysterium futuri holocausti, panem & vinum obtulit Domino in sacrificium: hoc enim ille primùm in typo Filij Dei Iesu Christi expressit: Dauid etiam ex persona Dei Patris sic dicit: *Ante Luciferum genui te. Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Christus enim tempore suæ passionis cùm cœnaret cum Apostolis, impleuit illud tale sacrificium secundùm Melchisedech. Hoc etiam Apostolis in suam commemorationem fieri iussit. Has ergo victimas Iudaicas, quales Aaron obtulit, hodie offerunt credentes, sicut idem Melchisedech rex Salem immolauit, id est, panem & vinum, quod est corporis & sanguinis Domini verissimum Sacramentum.

Stephanus Heduensis. 1180.

De Sacramento altaris cap.17. Melchisedech in sublime cor suum posuit, & ideo meruit prænoscere, & in sacrificij figura panem & vinum offerre.

Innocentius Tertius. 1200.

Libro 5.de sacro altaris mysterio capite 3. Melchisedech nisi se prius acceptum Deo sacrificium obtulisset, futurorum causas minimè præuidisset: quarum intuitu mysticum panis & vini primus obtulit sacrificium. *Erat enim sacerdos Dei altissimi, &c.* Oblatio Melchisedech tam propriè nouum sacrificium præsignauit, vt inde prædictum sit: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

Iacobus Vitriacus. 1220.

Feria 5.in Cœna Domini: Hoc est sacrificium veri Melchisedech, qui panem & vinum obtulit summo Deo.

Hugo Cardinalis. 1240.

Ad cap.14. Genes. Melchisedech proferens panem & vinum, non in cibum, sed in Sacramentum: non homini, sed Deo.

Melchisedech Domino panem vinumq; litauit:
Christus idem faciens, pactum vetus euacuauit.

Guilhelmus Alnernus 1230.

De Legibus cap.28. Legimus etiam Melchisedech sacerdotem fuisse Dei altissimi: ritus autem sacrificij eius non legitur, nisi quòd panem & vinum offerebat, & hoc Gen.14.

Guibertus Tornacus. 1260.

De officijs Episcopi cap.29. De pane & vino habemus præfiguratum in sacrificio Melchisedech Genes.14.

Reinerus Pisanus. 1300.

In Pantheologia de Eucharistia cap.5. Tertia figura Sacramenti Eucharistiæ fuit oblatio, quam Melchisedech rex Salem fecit Abrahæ Genes.14.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap.14.Genes. Iudæi aduersarij fidei Christianæ Scripturas, quæ loquuntur de Christo, nituntur deprauare: inter quas est Psalm.109. in quo fit mentio sacerdotij Melchisedech, & occasione illius Psalm. qui de Christo loquitur, passum istum peruersè exponere nituntur, dicentes quòd iste Melchisedech protulit panem & vinum, non in sacrificium: sed magis ad reficiendum Abraham, & populum eius, qui veniebat de prælio. Sed hoc

pater

patet falsum per literam præcedentem & sequentem. Dictum est enim supra, quòd illi quatuor reges quos debellauerat Abraham, absportauerant de Sodomis vniuersa, quę ad cibum pertinent, non poterant adhuc omnia consumpsisse, nec fugiendo poterant secum portasse, & ideò Abrahã ibi inuenit satis de victualibus pro se, & pro populo suo: & hoc etiam patet per literam sequentem, vbi Abraham de præda nihil voluit retinere, exceptis his, quæ comederunt iuuenes, id est, bellatores, qui secum fuerant. Item post illa verba: *Proferens panem & vinum*, immediatè subditur: *Erat enim sacerdos Dei altißimi.* Ex quo patet, quòd causa, pro qua protulit panem & vinum, fuit ad offerendum sacrificium, quod pertinet ad sacerdotis officium. Pro refectione enim bellatorum magis pertinet ad hominem laicum proferre victualia, quàm ad sacerdotem.

Albertus Patauinus. 1230.

Sermone 247. Primi panis scilicet accidentalis figura ponitur Genesis 14. vbi dicitur, quòd Melchisedech rex Salem sacerdos Dei obtulit oblationem Domino panem & vinum: figurauit enim, quòd in specie panis & vini corpus Christi & sanguis essent sumenda.

Ludolphus Carthusianus. 1330.

Ad Psalm. 109. Melchisedech obtulit panem & vinum, prænuntians, & præmonstrans Sacramentum corporis & sanguinis sub speciebus panis & vini. Sicut enim Melchisedech obtulit panem & vinum in sacrificium: sic Christus consecrauit panem & vinum in corpus & sanguinem suum, & obtulit corpus & sanguinem suum verum panem, & verum vinum, cuius sacrificij similitudinem præmisit Melchisedech.

Thomas VValdensis. 1414.

Tomo 3. *tit.* 4. *cap.* 39. Abel, Abrahæ, & Melchisedech oblationes figuræ erant expreßiores toto tempore naturæ sacræ Christi Eucharistiæ: dum duo primi, qui viuam carnem, tertio, scilicet Melchisedech, copulantur, qui specie panis sacrificauit, & vini: sicut in hoc altari terrestri viuam Agni carnem & sanguinem in panis & vini latentem speciem immolamus.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De casto connubio Verbi & animæ cap. 24. Ab ipso siquidem mundi exordio, sicut incarnandi Verbi sunt reuelata mysteria: ita frequenter etiam quibusdam corporis & sanguinis instituenda Sacramenta. Hæc namque Melchisedech sacerdoti summo reuelata fuêre. Nam cùm benediceret Abrahæ, à cæde regum reuertenti, pro sacrificio panem vinumque obtulit, in figura spiritualis refectionis.

De Triumphali Christi agone cap. 4. Melchisedech oblatio figura fuit: illa autem Domini Iesu veritas figurata: illius sacrificium terrenum erit, huius verò cæleste: illud corrumpendum, hoc immortale.

Alphonsus Tostatus Abulensis. 1450.

Ad cap. 14. *Genesis*: Hebræi inuidentes veritati Christianæ, conantur destruere illum passum, qui habetur Psalm. 109. in quo Christi sacerdotium statuitur, scilicet: *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Conantur enim prauè exponere istum passum: quia veritas illius dependit à veritate istius, dicentes, quod Melchisedech non protulit panem & vinum, offerens tamquam sacerdos, sed solùm ad reficiendum venientes de bello. Sed hoc falsum est: quia non erat necesse, quòd Melchisedech offerret panem & vinum ad reficiendum: quia Abraham, & qui cum eo venerant, portabant multa victualia, quæ in bello acceperant. Quia illi quatuor reges prædati fuerant de Sodoma, & de alijs ciuitatibus omnia, quæ pertinebant ad cibum: sed ista non poterant consumere in tam breui tempore. Ergo manserunt multa in castris, quæ absportauerunt Abraham & sui socij: & hoc manifestatur, quia non solùm habuerunt ad comedendum victualia, sed etiam multa reducta sunt in ciuitates, vnde fuerant sublata. Dicitur enim quòd Abraham nihil voluit accipere de præda, exceptis his, quæ comederunt iuuenes, qui cum eo erant, & sic in præda erat aliquid, quod comedere possent. Et euidentissimè hoc apparet, quia cùm diceretur, quòd Melchisedech protulerat panem & vinum, subditur causa: *Erat enim sacerdos Dei altißimi*: & sic videtur, quòd illud vt sacerdos offerebat, quasi immolando, non vt quęlibet alia persona ad refectionem præsentando, &c. Factum hoc fuit, quia Deus specialiter mouit ipsum Melchisedech, vt in isto actu suo vmbra demonstraretur veri sacrificij, in quo tota Orthodoxorum fides suffulta est.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad cap. 14. *Genesis*: Sacerdotium Christi dicitur secundùm ordinem Melchisedech, pro eminentia veri sacrificij, quod est Christus, seu Sacramentum altaris, super sacrificia legis Mosaicæ sacrificium enim Melchisedech, quod fuit oblatio panis & vini, in Ecclesia continuatur, & consummatur vsque ad finem mundi. Et quantum ad hoc, quod sacerdotium Melchisedech perfectius pręfigurauerit sacerdotiũ Christi, quàm sacerdotiũ illud legale, obtulit Melchisedech panem & vinum, per quæ vnitas Ecclesiæ designatur, quam Christus per fidem, spem, charitatemque colligit: propterea sub speciebus panis & vini sacrificium Christi & Ecclesiæ frequentatur.

Raphael Volaterranus. 1500.

Libro 17. Antrop. *Melchisedech rex Salem*, id est, Hierosolymæ, sacerdos fuit: qui nouum sacrificij genus Deo panem & vinum obtulit, & Abraham ex victoria redeunti obuiam processit.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Rabbi Samuel.

In Bereschit Rabba ad cap. 14. *Genes.* Actus sacerdotij tradidit: Erat enim ipse sacrificans panem & vinum Deo sancto & benedicto.

Rabbi Phinees.

Ibid. in cap. 28. *Num.* Tempore Mesiæ omnia sacrificia cessabunt, sed sacrificium panis & vini non cessabit, sicut dictum est Genes. 14. *Et Melchisedech rex Salem protulit panem & vinum*: Melchisedech enim Rex Mesias excipiet à cessatione sacrificiorum panis & vini, sicut dicitur Psalm. 110. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

Rabbi Moses Hadarsan.

In Bereschit Rabba ad cap. 14. *Genesis*: Dixit Rabbi filius Enachinam: Iste Melchisedech erat Sem, filius Noe: sed quid vult dicere: *Proferens panem & vinum.* Ostendit, quòd docuit eum sacerdotij actum, qui erat panem & vinum sacrificare. Et hoc est, quod habetur in Psalmis: *Iurauit Dominus, & non pænitebit eum: tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

Theodorus Bibliander.

De SS. Trinitate lib. 2. *pag.* 89. Erat apud veteres Hebræos dogma receptißimum, in aduentu Messiæ be-

iæ benedicti gestatura esse omnia legalia sacrificia, antiumq; celebrandum sacrificium Thoda, gratiarum actionis, laudis, & confessionis; & illud peragendum pane & vino, sicut Melchisedech Rex Salem, & Sacerdos Dei altissimi temporibus Abrahami panem & vinum protulit.

ARTICVLVS SEXTVS.

DE SACRIFICIO MISSAE PRAEDIXISSE MALACHIAM

CAP. 1. *Vers.* 10. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis, vsque ad Occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.

NEGANT.

Philippus Melanchthon, in Apologia Confessionis Augustanæ, *Caluinus*, lib. 4. Inst. cap. 18. §. 4. *Chemnitius* in 2. parte Examinis pag. 760. *contendunt Malachiam hic loqui de sacrificijs spiritualibus, ac impropriè dictis.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Marcus Euangelista. 60.

In Liturgia: Offerimus rationabilem & incruentam λατρείαν, seu oblationem, hanc quam offerunt tibi, Domine, omnes Gentes ab Ortu solis vsque ad Occasum, à Septentrione, ad Meridiem: quia magnum nomen tuum in omnibus Gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini sancto tuo, & sacrificium, & oblatio.

Clemens Romanus. 80.

Libro 7. Constitutionum Apostolicarum cap. 31. Die resurrectionis Domini, quem Dominicum dicimus, conuenite sine vlla conuentus intermissione, ad agendum gratias Deo, & profitendum beneficia, quibus nos Deus per Christum affecit, cùm liberauit nos ignorantia, errore, vinculis: vt sic sacrificium vestrum reprehensione careat: sitque Deo acceptum, qui de Ecclesia sua œcumenica dixit: *In omni loco offertur mihi thymiama & sacrificium mundum: quia ego sum Rex magnus, Dominus omnipotens, & nomen meum admirabile in Gentibus.*

Iustinus. 150.

Dialogo cum Tryphone: Sanè quidem similæ quoque oblatio, ô viri, dicebam, pro ijs, qui à lepra purgabantur, vt offerretur tradita, figura fuit panis Eucharistiæ: quem in recordationem passionis, quam pro his sustinuit hominibus, quorum animi ab omni purificantur prauitate, Iesus Christus Dominus noster facere præcepit, vt gratias ageremus Deo, cùm pro eo, quòd mundum cum vniuersis, quas complectitur, rebus hominis gratia creauit: tum ob id etiam quòd ab omni, in qua fuimus, malitia nos liberarit, ac principatus potestatesq; perfecta occiderit occidione, per eum, qui de consilio & voluntate eius factus est patibilis. Proinde de sacrificijs à vobis tum oblatis Deus per Malachiam ait: *Non est voluntas mea in vobis, dicit Dominus, & sacrificia vestra non suscipiam de manibus vestris: ab Ortu enim solis vsque ad Occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & victima pura: quia magnum est nomen meum in Gentibus. Vos autem polluistis illud.* De nostris verò gentium, quæ in omni loco offeruntur, sacrificijs, hoc est, pane Eucharistiæ, & poculo similiter Eucharistiæ, iam tum locutus prædixit, nos quidem glorificare nomen eius, vos autem profanare, &c. A nemine sanè Deus hostias accipit, nisi à sacerdotibus suis. Vniuersos igitur, qui per nomen ipsius sacrificia offerunt, quæ Christus Iesus fieri tradidit, hoc est, in Eucharistia panis & calicis, quę in loco omni à Christianis fiunt, præuertens Deus, gratos, sibi esse testificatur. Quæ autem à vobis, Iudæi, & à vestris illis sacerdotibus offeruntur, renuendo abijcit, inquiens: *Et sacrificia vestra non suscipiam ex manibus vestris: quoniam ab Ortu solis vsque ad Occasum magnum est nomen meum in Gentibus. Vos autem prophanastis illud.*

Irenæus. 180.

Libro 4. cap. 32. Christus discipulis suis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum, qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: *Hoc est corpus meum:* & calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundùm nos, suũ sanguinem cõfessus est, & noui Testamenti nouã docuit oblationẽ, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorũ munerum in in nouo Testamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificauit: *Nõ est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & sacrificiũ nõ accipiã de manibus vestris: quoniã ab Ortu solis vsque ad Occasum*

Matt. 26

Mal. 1.

casum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum. Quoniam magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus omnipotens: manifestißimè significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessauit offerre Deo: omni autem loco sacrificium offertur Deo, & hoc purum, nomen autem eius glorificatur in Gentibus.

Eusebius Cæsareensis. 320.

Libro 1. Demonstrationum Euangelicarum cap. 10. *Ab Ortu solis vsque ad Occasum nomen meum glorificatum est in Gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & hostia munda.* Sacrificamus igitur Domino altißimo sacrificium laudis: sacrificamus Deo plenum, & odorem afferens, & sacrosanctum sacrificium: sacrificamus nouo more secundùm nouum testamentum hostiam mundam.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Ad Psalm. 95. Ecclesia, quæ vbique Christum in se circumfert, à nullo prohibetur loco: sed in omni loco sunt altaria, in omni loco doctrina. Hæc prædixit Deus per Prophetam: nam & Ecclesiasticam exprimens synceritatem, & alterius populi ingratitudinem traducens, ad illos loquitur: *Non est mea voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, nec accipiam hostias de manibus vestris: quoniam ab exortu solis vsque ad occasum nomen meum glorificatum est inter gentes, & in omni loco offertur sacrificium nomini meo, & sacrificium purum.* Vide quàm luculenter, quamque dilucidè mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia. Thymiama verò purum appellat sacras preces, quæ post hostiam offeruntur. Vides vt vbique locorum concessum est Angelicum illud sacrificium inclarescere? vides nullis finibus circumscriptum, neq; altare, neque canticum? *in omni loco thymiama offertur nomini meo.* Est igitur hostia pura prima quidem mystica mensa cæleste summeq; venerandum sacrificium.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De Adoratione in spiritu & veritate libro 2. Per Malachiam Prophetam odiosissimis hominibus eadem dicit, atque etiam temporum meminit, quibus per omnes terras sibi incruentæ & spiritualis hostiæ odorem incomparabilem essent oblaturi. Sic enim inquit: *Non est voluntas mea in vobis, dicit Dominus, & sacrificium non suscipiam de manibus vestris: quia ab Ortu solis vsque ad Occasum nomen meum glorificatum est in Gentibus.* Mal. 1.

Libro 17. Quamplurimis vrbibus atque oppidis Iudæorum regio plena erat, sed in sola sancta ciuitate & sacra facere, & legem de Pascha seruare præcepit Dominus. In quo illud opinor legis litera nobis adumbrat, non esse fas, neque permissum cuiquam, vt Christi mysterium quomodo libitum fuerit, aut quocunque loco celebret. Locus enim solus est illi congruens, & sanè aptus sancta ciuitas, id est, Ecclesia, in qua & legitimus est sacerdos, & sanctificatis manibus sacra consummantur, & Thymiama omnium præpotenti Deo, & hostia munda, iuxta Prophetæ illius vocem, offertur.

Theodoretus. 450.

Ad Malachiæ cap. 1. *Non est mihi voluntas in vobis, &c.*) Funditus vos reijciam: nam permultum detestor vestra facta: & victimas, quas offertis, execror: quarum loco vniuersum orbem terrarum me summa religione colentem habeo. Nam omnium habitatores terrarum, quas sol oriens & occidens suis radijs illustrat, cùm vbique incensum offerent, tum etiam sacrum purum, & mihi gratum conficient. Cognoscent enim nomen meum, & voluntatem, & debitum honorem præstabunt, & accommodatum cultum adhibebunt.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

Epistola ad Thomam Episcopum Claudiopoleos. Laudationis sacrificium, quod per Christum Deo Patri repræsentari inquit diuinus Apostolus, quid aliud est, quàm labiorum, nomen illius confitentium fructus, & in viuificis mysterijs diuinissima traditio quam præsignificauit Malachias Propheta, velut ex persona loquens Dei: *Ab Oriente Sole vsque in Occasum in Gentibus glorificatum est nomen meum, & omni in loco sacrificium offertur nomini meo?* Sacrificium, inquam, purum. Heb. 13.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. *cap.* 14. Mensa Melchisedech mysticam hanc adumbrabat, quemadmodum & sacerdos ille veri Pontificis Christi figuram & imaginem præ se ferebat: *Tu enim, inquit, es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Panem hûc panes propositionis adumbrant: hoc videlicet illud est purum & incruentum sacrificium, quod Dominus à soli Ortu vsque ad Occasum oblatum iri per Prophetam prædixit. Psal. 109. Mal. 1.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis. 100.

Epistola ad Burdegalenses cap. 3. Sacrificium enim Deo Creatori offertur in ara, non homini, neque Angelo. Nec solùm in ara sanctificata, sed vbique offertur Deo oblatio munda, sicut testatus est, cuius corpus & sanguinem in vitam æternam offerimus.

Tertullianus. 200.

Libro 3. *contra Marcionem cap.* 22. Psalm. 67. *In Ecclesijs benedicite Dominum Deum,* vt pariter concurreret & Malachiæ prophetia: *Non est voluntas mea, dicit Dominus, & sacrificia vestra non accipiam, quoniam ab Ortu solis vsque in Occasum nomen meum glorificatum est in nationibus, & in omni loco sacrificium nomini meo offertur, & sacrificium mundum:* gloriæ scilicet relatio, & benedictio, & laus, & hymni. Quę omnia cùm in te quoque deprehendantur, & signaculum frontium, & Ecclesiarum Sacramenta, & munditiæ sacrificiorum, debes iam erumpere, vti dicas, spiritum Creatoris tuo Christo prophetasse.

Cyprianus. 250.

Libro 1. *contra Iudæos cap.* 16. Quòd sacrificium vetus euacuaretur, & nouum celebraretur, apud Malachiam: *Non est voluntas mihi circa vos, dicit Dominus, & sacrificium non accipiam de manibus vestris, quoniam à solis Ortu vsque ad Occasum clarificatum est nomen meum apud gentes, & in omni loco odores incensi offeruntur nomini meo, & sacrificium mundum: quia magnum est nomen meum apud Gentes, dicit Dominus.*

Augustinus. 400.

Libro 18. *de Ciuitate Dei cap.* 35. Malachias prophetans Ecclesiam, quam per Christum cernimus iam propagatam, Iudæis ex persona Dei apertissimè dicit: *Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab Ortu enim solis vsque ad Occasum magnum est nomen meum in gentibus* Mal. 1.

& in omni loco sacrificabitur & offeretur nomini meo oblatio munda, dicit Dominus. Hoc sacrificium per sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech cùm in omni loco à solis Ortu vsque ad Occasum iam videamus offerri: sacrificium autem Iudæorum, quibus dictum est: *Non est mihi voluntas in vobis, nec accipiam munus de manibus vestris*, cessasse negare non possunt.

Libro 1. contra aduersarium Legis & Prophetarum cap. 20. Nouerunt, qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham, & iam sunt participes eius, vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem iuratio, incredulorum est increpatio, & quòd Deum non pœnitebit, significatio, quia hoc sacerdotium non mutabit. Mutauit quippe sacerdotium secundùm ordinem Aaron. Vnde & alius Propheta dicit ad eum, qui carnaliter est Israel: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & hostiam non accipiam de manibus vestris.* Ecce quod est secundùm ordinem Aaron. Cur autem hoc non accipiat, addit, & dicit: *Quia ab Ortu solis vsque ad Occasum glorificatum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & hostia pura: quia magnum est nomen in Gentibus, dicit Dominus omnipotens.* Ecce quod est secundùm ordinem Melchisedech.

Oratione contra Iudæos cap. 9. Ecce omnimodo impletum est, quod ait Propheta: *Et sacrificium non accipiam de manibus vestris.* Nam si in terrena Hierusalem maneret vobis templum, & altare, possetis dicere, in eis hoc esse completum, quorum iniquorum inter vos constitutorum sacrificia Dominus non acceptat: aliorum verò ex vobis, atque in vobis acceptare sacrificia, qui Dei præcepta custodiunt, hoc non est cur possit dici, vbi nullus omnino vestrum est, qui secundùm legem, quæ de monte Sina processit, manibus suis sacrificium possit offerre. Neq; hoc ita prædictum, atque impletum est, vt vos Propheticæ sententiæ respondere permittat quia manibus non offerrimus carnem, sed corde & ore offerimus laudem, secundùm illud in Psalm.
Psal. 49. *Immola Deo sacrificium laudis.* Etiam hinc contradicit vobis, qui dicit: *Non est mihi voluntas in vobis.* De-
Mala. inde ne existimetis non offerentibus vobis, nec illo accipiente de manibus vestris, Deo sacrificium non offerri, quo quidem ille non eget, qui bonorum nostrorum nullius indiget: tamen quod sine sacrificio non est, quod non illi, sed vobis vtile est, adiungit, & dicit: *Quia ab Oriente sole vsque in Occidentem nomen meum clarum est factum in omnibus Gentibus: & in omni loco sacrificium offertur nomini meo, sacrificium mundum: quoniam magnum nomen meum in Gentibus, dicit Dominus omnipotens.* Quid ad hæc respondetis? aperite oculos tandem aliquando, & videte, ab Oriente sole vsque ad Occidentem, non in vno, sicut vobis fuerat constitutum, sed in omni loco sacrificium Christianorum offerri, non cuilibet Deo, sed ei, quia ista prædixit, Deo Israel.

Aurelius Carthaginensis Episcopus. 400.

Epistola ad Marcellinum: Malachias etiam Propheta præuidens sacrificium primi populi cessaturum, & toto orbe terrarum, id est, à solis Ortu vsque ad Occasum æternum sacrificium, glorificato in gentibus nomine Domini, celebrandum, ita loquitur ad Iudæos: *Non est mihi voluntas circa vos, dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manu vestra, &c.*

Iulianus Toletanus. 680.

Libro 1. contra Iudæos: Ecce dies, qui prænuntiati sunt, iam venerunt, nullusque sacerdos est secundùm ordinem Aaron. Et quicunque ex eius genere est homo, cùm videt sacrificium Christianorum toto orbe pollere, sibi autem honorem illum magnum subtractum fuisse, deficiunt oculi eius tabe mœroris, & prælo amaritudinis. De hac igitur reprobatione veteris sacrificij Malachias quoque clarum indicium ostendens fidei Christianæ, & reprobationis vestræ, sic dicit: *Non est mihi* Mal. 1.
voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab Ortu enim solis vsque ad Occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum nomen meum in Gentibus, dicit Dominus.

Remigius Antisiodorensis. 850.

Ad cap. 1. Malachiæ: *Non est mihi voluntas in vobis, &c.)* Loquitur Prophetia ad sacerdotes, qui illicitas victimas offerebant, & ideo voluntas Dei, quam exacerbabant, non erat in eis: simul etiam docet carnalibus illorum victimis spirituales victimas successuras, nec in vna tantùm prouincia Iudæorum, sed in omni loco offerri Deo mundam oblationem: hoc est sacrificium, quod nunc frequentat Ecclesia.

Guitmundus Auersanus. 1070.

Lib. 3. de Sacramento: Per Malachiam Dominus dixit: *ab Ortu solis vsque ad Occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* Quamobrem si Dominus exercituum oblationem, quæ in omni loco ab Ortu solis vsque ad Occasum sacrificatur & offertur nomini suo, mundam dicit, cùm præter hanc nulla possit esse oblatio munda, viderit Berengarius cum suis quàm sit oblatio eorum immunda, quæ non dico in omni loco, sed vix in aliquo esse obtinuit.

Rabbi Samuel Marochianus. 1100.

Libro de aduentu Messiæ cap. 20. Timeo Domine mi, quòd Deus eiecit nos à se, & sacrificium nostrum, & acceptauit sacrificium gentium, sicut dicit per os Malachiæ: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, ne quæ accipiam sacrificium vestrum: quoniam ab Ortu solis vsque ad Occasum eius magnum est nomen meum in gentibus, quæ offerunt in nomine meo.* Sacrificium gentium est mundius, quàm sacrificium nostrum.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad cap. 1. Malachiæ: *Et offerunt nomini meo oblationem mundam,* oblationem panis & vini, Sacramentum corporis & sanguinis Redêptoris sui. Hæc oblatio sic est munda, vt exterius nullum habeat cruoris horrorem, & interius, siue inuisibiliter mundet cruentam omnis peccati pollutionem. Itaque in gentibus talem oblationem offerentibus magnum est nomen meum.

Petrus Cluniacensis. 1140.

Libro 1. epist. 2. cap. contra id quod dicunt Petro Brusiani Missam nihil esse, nec celebrari debere: Et Malachias: *Ab Ortu solis vsque ad Occasum magnũ est nomen meum in Gentibus, & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* Et quid vobis, ô bruti homines, restat quærendum? Nonne videtis sicut Legem, sic sacra, sic sacrifica, sic cultum omnem diuinum à Iudæis ad Gentes translatum! Et si non eodem ritu celebrantur apud nos sacra, etsi non eodem constant sacerdotia, si non de iisdem rebus fiant sacrificia, sunt tamen sacrificia.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 1. Malach. Rabbi Salomon dupliciter exponit. Vno modo, quia licet gentiles adorent idola vt Deos, tamen dicebant Deum cæli & terræ excellen-

cellentiorem illis Dijs. Sed ab hac expositione discordat, quod subditur: *Et in omni loco*, &c. Quia si gentiles, cum Deo cæli idola colentes, Deo facerent oblationem, illa non esset munda coram Deo: quia ab idololatris esset oblata, & ideo cum hoc ponit aliam expositionem, dicens, quòd iste passus intelligitur de Iudæis inter gentiles per orbem dispersis, Deum adorantibus deuotè, quorum oratio hic dicitur munda oblatio, & per eos nomen Domini prædicatur magnum in terris gentilium. Sed istud non videtur verum. Non enim est verisimile, quòd illi, qui erant dispersi inter gentiles idololatras, tempore Malachiæ essent iustiores & mundiores, quàm illi sacerdotes, qui redierant de captiuitate Babylonica: sed magis sequebantur mores gentilium, inter quos habitabant. Propter quod dicendum, quòd iste passus loquitur ad literam de sacrificio nouæ Legis, quod est Eucharistia, quod est mundissimum, & Deo acceptissimum. In omnibus etiam terræ nationibus sunt aliqui Christiani hoc sacrificium offerentes.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

CHRISTVM IN EVCHARISTIA PRÆSENTEM ADORANDVM ESSE.

NEGANT.

Anno post natū Christū 380. DONATISTÆ *insserunt Eucharistiam canibus fundi*. Optatus lib. 2.

1100. *Suriani Sacramentis nostris nullam exhibent reuerentiam, nec assurgere volunt, quando corpus Domini ad visitandos infirmos nostri deferunt sacerdotes.* Iacobus Vitriacus historiæ Orientalis cap. 75.

1180. *Coterelli sacrum Christi corpus pedibus conculcabant.* Guilhelmus Nangianus in histor.

1200. *Albigenses Eucharistiam contemnunt.* Bernardus Lutzenburgensis.

1300. *Beguardi & Beguinæ dixerunt Christum non esse adorandum in Eucharistiæ Sacramento, quod illud esset imperfecti hominis.* Clemens V. Extra de hæreticis cap 3. Aluarus Pelagius lib. 2. art. 52. Antoninus 4. part. tit. 11. cap 7. §. 4.

1390. Ioannes VVicleuus de Eucharistia cap. 9. *Nimis multi sunt laici, & bestiales, nimis sensibilibus intendentes, & multi, vt ait Apostolus, in adorando hostiam tamquam gentes ad simulachra muta, prout ducebantur captiuitati, euntes ad idololatrandum. Qui adorat humanitatem Christi, vt talem in hostia, adorat in ipsa Christum hyperdulia: & nemo ritè adorat ipsam sub ratione propria: & sic verè concluditur, quòd homo sit multiplicius adorandus, quàm hostia: & adorandus tanquam imago Dei, vas virtutum, & sic Christi verius, quàm hostia consecrata.*

1500. *Piggardi in Bohemia docent in idololatriam cadere omnes, quotquot coram Eucharistia genua flectunt, & incuruant, vel illam adorant, cùm in alium finem Sacramentum illud à Christo institutum non sit, nisi ad memoriam passionis ipsius recolendam, non vt hinc circumferatur, aut eleuatum à sacerdote videndum ostendatur.* Ioannes Schechta Bohemus epist. ad Erasmum.

1550. Ioannes Caluinus de vitandis superstitionibus: *Quo loco adorationem habebimus, quæ illic pani exhibetur? An non execrabilem idololatriam esse fatebimur? atque adeò crassiorem, quam vnquam extiterit inter Gentiles?*

1550. *Lucas Sternbergius Eucharistiæ Sacramentum blasphemè irridere solitus, quodam die communicaturus ad sodales, qui minus frequentes conuenerant, dixit: Venite huc, non enim possum solus illum deuorare.* Staphylus de concordia Lutheranorum.

1560. Theodorus Beza de Cœna Domini contra VVestphalum ad cap. 34. de adoratione Christi in Eucharistia: *Quid igitur requiris? an vt procumbamus ante mysteria? an vt symbola eleuemus? vt alij in genua proboluantur, pectus tundant, & cætera eiusmodi faciant? Id verò absit, vt vel faciamus ipsi, vel alijs faciendum præcipiamus. Quid est aliud adoratio absque Dei verbo, quàm mera superstitio?*

1560. Petrus Boquinus in Defensione: *Nos*, inquit, *Panicenum vestrum Deum toti mundo ludibrio exponemus.*

1570. Heerbrandus disputatione de noua Religione Thesi 43. *Panem à se in Deum magica incantatione consecratum circungestant, eumque miseris & malè persuasis hominibus adorandum proponunt*, &c. *hæc artolatria crassior est, quàm quæ responsione digna sit.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Psalm. 71. vers. 11. Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei.

Psalm. 96. 8. Adorate eum omnes Angeli eius: audiuit, & lætata est Sion.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

De Ecclesiastica Hierarchia c.3. Pontifex cùm diuina munera laude prosecutus fuerit, sacrosancta & augustissima mysteria conficit, & quæ ante laudauerat, venerandis operta & abdita signis, in conspectum agit, diuinaque munera ostendit, &c. Sed ô diuinum penitus, sanctumque mysterium, obducta tibi significantium operimenta signorum dignanter aperiens, nobis palam atque apertè lucesce, nostrosque spirituales oculos singulari & aperto tuæ lucis fulgore imple.

Origenes. 230.

Homilia 5. in diuersos Euangelij locos. Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum; quando vitæ pane, & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. & tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc Centurionem, & dicito: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.*

Homilia 13. in Exodum: Volo vos religionis vestræ exemplis admonere: nostis, qui diuinis mysterijs interesse consueuistis, quomodo, cùm suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione seruatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Mystagogica Catechesi 5. Post communionem corporis Christi accede ad calicem sanguinis illius, non extendens manus, sed pronus adorationis in modum, & venerationis dicens: *Amen.*

Basilius Magnus. 370.

In Liturgia: Fac panem hunc ipsum honorificum corpus Domini & Saluatoris Dei nostri.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 11. quæ est de Gorgonia sorore: Desperatis omnibus alijs auxilijs, ad mortalium omnium medicum confugit, atque intempesta nocte capta, cùm morbus nonnihil remisisset, ad altare cum fide procumbit, eumque, qui super ipso honoratur, cum ingenti clamore inuocat.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 7. in Matthæum. Imitemur nos saltem deuotionem Magorum, verοque amore Philosophiæ barbaram consuetudinem subiugemus. Longo itinere curramus, vt Christum videre mereamur. Nam & illi nisi procul regionem propriam reliquissent, nequaquam vtique Christum videre potuissent. Recedamus igitur à terrenis negotijs, atque curis. Etenim Magi illi cùm adhuc morarentur in Perside, stellam vidêre tantummodò: quia verò à Perside recesserunt, solem ipsum aspexêre iustitiæ: qui certè nec stellam quidem ipsam tamdiu videre meruissent, nisi citò à Perside fuissent profecti. Surgamus ergo etiam nos, & licet omnes turbentur, nos tamen alacres ac prompti ad pueri accurramus domum. Et si rex, & si populus, & si tyrannus huius velint cursum itineris impedire, nequaquam tamen accensi desiderij extinguamus ardorem. Sic enim omnia aduersa calcabimus: quoniam & illi, nisi vidissent puerum, nec periculum, quod intentabatur à rege, vitassent. Prius enim quàm puerum cernerent, vndique illis opponebantur timores, conturbationes, atque discrimina. Postquam verò adorârunt, securitas & tranquillitas subsecuta est. Nec iam stella eos, sed Angelus suscipit: quia scilicet adorando facti fuerant sacerdotes, cum supplicatione etiam muneribus oblatis. Et tu itaque &c. in Bethlehem festinus accurre, ac domum spiritalis panis ingredere, &c. Et si Magus fortè sis, nihil te ad hunc regem introire prohibebit, modò vt adoraturus atque honoraturus Dei Filium, & non quasi conculcaturus accedas: modò vt honorem ipsum cum gaudio ac tremore offeras: possunt enim vtraque hæc pariter conuenire. Sed caue, ne Herodi efficiaris similis, & dicas: *Vt & ego veniens adorem eum:* cumque veneris, interimere coneris. Huius etenim similes sunt, qui indignè abutuntur communione mysterij. *Reus est* enim, inquit, *iste corporis & sanguinis Domini.* Qui enim eiusmodi sunt, habent in se tyrannum, & regno Christi iugiter inuidentem, longè sanè Herode illo nequiorem, Mammonam scilicet. Hic enim in homines tenere imperium gestit, suosque cultores simulat, & mittit ad Christum, vt specie quidem adorare videantur. quantum verò in ipsis est, interimunt eum, quem adorare se simulant. Timeamus igitur, ne quando speciem supplicum atque adorantium geramus, opere verò existamus inimici. Igitur adoraturi Christum, cuncta proijciamus è manibus. 1.Cor.11.

Homilia 61. ad populum Antiochenum, & Homilia 3. ad Ephesios: Cogitemus, quod illum sursum sedentem, qui ab Angelis adoratur, hunc degustamus. Considera quæso, mensa regalis est apposita, Angeli mensæ ministrantes, ipse rex adest, & tu astas oscitans. Sordescunt tibi vestimenta, & nihil est tibi curæ. At pura sunt, igitur adora, & communica, &c. dum profertur sacrificium, & Christus immolatur, & ouis Dominica. Cùm audieris: *oremus omnes communiter:* cùm vela videris retrahi, tunc supernè cælum aperiri cogita, & Angelos descendere.

Homilia 24. in priorem ad Corinthios: Hoc corpus in præsepi reueriti sunt Magi, & viri impij, & barbari longo itinere confecto cum timore, & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur saltem barbaros nos, qui cælorum ciues sumus. Illi enim cùm id præsepe & tugurium tantùm, neque eorum quicquam, quæ tu nunc intueris, viderent, summa accesserunt reuerentia, & horrore: tu verò non in præsepi id, sed in altari: non mulierem, quæ in vlnis teneat, sed sacerdotem præsentem, & Spiritum perabundè super proposito diffusum sacrificio vides. Nec simplex, vt illi, corpus intueris: sed & eius potentiam, & omnem cognoscis administrationem, & nihil eorum, quæ per ipsum facta sunt, ignoras, & diligenter initiatus es in omnibus. Excitemur igitur, horrescamusque, & maiorem quàm barbari illi præ nobis feramus pietatem, vt non simpliciter, neque frigidè accedentes, vehementiori igni caput obijciamus. Hæc autem non dico, vt non accedamus; sed ne temerè accedamus.

Homilia 1. de verbis Esaiæ: *Vidi Dominum:* Miser & infelix oportebat te cum tremore ac reuerentia Angelicam glorificationem resonare, cumque errore confessionem reddere Conditori, ac per hanc delictorum veniam postulare. Tu verò mimorum, ac saltatorum mores huc inducis, dum indecenter manus iactas, pedibus subsultas, totoque circumageris corpore. Et qui fit, vt non metuas, neque horrescas, hæc audiens aduersus talia eloquia? non cogitas ipsum hic inuisibiliter adesse Dominum, qui vniuscuiusque motum metitur, & conscientiæ rationem habet? Non cogitas quòd Angeli huic stupendæ assistunt mensæ, cumque reuerentia hanc circumuallant?

Homi-

Homilia 3. de comprehensibili Dei natura: Tempore illo non solùm homines clamorem illum horribilem reddunt, sed etiam Angeli Domino genua flectunt, & Archangeli rogant: habent sibi tempus id idoneum, habent sacram illam oblationem in fauore. Itaque vt homines ramos olearum gerentes mouere reges consueuerunt, eoque arboris genere misericordiam commemorant & humanitatem: sic Angeli tunc pro ramis oleaginis corpus Domini ipsum protendentes, rogant pro genere humano, &c. Agitatos quoque ob eam rem Diaconus tempore illo adducit, & iubet caput inclinare.

Theodoretus. 450.

Dialogo 2. Mystica signa post sanctificationem intelligantur ea esse, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, vt quæ illa sint, quæ creduntur.

Dialogo 3 Non solius hominis corpus, sed Domini nostri Iesu Christi vnigeniti Filij Dei corpus salutem nobis procurauit: sin autem id tibi paruum & vile putatur, quomodo eius typum & figuram venerabilem & salutarem existimas? Cuius autem typus est adorandus & venerandus, quemadmodum est ipsum exemplar archetypum vile & aspernandum?

Iustinianus Imp. 530.

In Authentica de Priuilegijs dotis hæreticis mulieribus non præstandis: Vnde competens est iudices respicere ad præsentis nostræ legis subtilitatem: & si non inuenerint Orthodoxæ fidei existentes, & percipientes sacrosanctam & adorabilem communionem in sanctissima Catholica & Apostolica Ecclesia à venerandissimis eius sacerdotibus, non permittere frui ex nostris constitutionibus priuilegijs.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 23 Nam si mea sunt turpia illa & scelerata verba, quid est quòd donum cæleste suscipiens adoro? quomodo possum vnà & benedicere, & maledicere?

Ioannes Moschus. 600.

In prato spirituali c. 86. Anachoreta quidam erat in partibus illis solitarius, veniebatque sancto die Dominico, & sumebat veneranda mysteria.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

In Theoria. Quòd sacerdos subleuat diuinum panem, & signum crucis ter facit in aërecum venerabili & viuifico pane, id innuit, &c.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. *cap.* 13 Proinde summo cum metu, ac pura conscientia, fideque haudquaquam dubia accedamus ac profectò sic nobis fiet, quemadmodum firmè ac constanter credimus. Ipsum porrò omni puritate colamus, hoc est, spirituali ac corporea, siquidem duplex ipse est. Ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibusque in crucis formam compositis crucifixi corpus suscipiamus, atque & oculis, & labijs, & frontibus impositis, diuini carbonis participes efficiamur, vt ignis desiderij in nobis insiti assumpta ea, quæ ex carbone oritur inflammatione, peccata nostra exurat, ac pectora nostra collustret: demusque operam, vt per diuini ignis perceptionem inardescamus, dijque efficiamur. Vidit quippe carbonem Esaias. Esa. 6. Carbo porrò non simplex lignum est, sed igni vnitum: sic panis quoque communionis non simplex panis est, sed diuinitati vnitus.

Simeon Metaphrastes. 960.

In vita Stephani Iunioris: Quid an tu quoque corporis & sanguinis Christi antitypa ab Ecclesia proscribes, vt quæ imaginem, ac veram illorum figuram teneant? quæ & adoramus, & osculamur, & eorum perceptione sanctitatem consequimur?

Euthymius. 1080.

Ad cap. 64. *Matt.* Ita quoque in adorandis mysterijs faciamus, non ea solùm, quæ præponuntur, intuentes: sed sermonibus eius credentes: cumque ille dicat: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, & pareamus, & credamus.

Nicolaus Cabasilas. 1260.

In expositione Liturgiæ cap. 39. Sacerdos autem postquam particeps fuerit sanctificatorum, ad populum conuertitur: & ostensis sanctis, vocat eos, qui participare voluerint, & iubet accedere cum timore Dei & fide, neque contemnentes propter id quod apparet, neque dubitantes, quòd sit supra rationem, id quod creditur, sed eorum dignitatem agnoscentes, & quod sunt vitæ æternæ causę ijs, qui illorum sunt participes, credentes accedere: ipsi autem pietatem ostendentes, & fidem, & adorant, & benedicunt, & Iesum, qui in ijs intelligitur, vt Deum celebrant.

Zaga Zabo Æthiops. 1576.

In confessione fidei Æthiopica: Nec sacerdoti, nec laico, vel alij personæ, cuiuscunque conditionis sit, assumpta venerabili Eucharistia licet expuere à tempore matutino vsque ad occasum solis: & si spuerit, grauissima pœna mulctatur.

Ecclesia Æthiopica nostro tempore.

In ordine mysteriorum de Sacramento Confirmationis: Rogamus te Domine, & quæsumus, vt facias famulos tuos semper dignos, qui sumant corpus, & sanguinem venerandum & sanctum Christi tui.

Ecclesia Græcorum nostro tempore.

In Liturgia mysteriorum ante consecratorum: Tunc capit sacrum panem sacerdos cum accommodata veneratione, & cura, & super patenam sanctam in prothesi ponit cum hac oratione, &c. Statim ingreditur sacerdos ad sanctam mensam, & deponit sancta, adorans, & thure adolens omni cum reuerentia, &c. Sacerdos ad diuina dona manum mittens, attingit viuificum panem cum reuerentia, & metu multo, &c.

Græci Venetijs habitantes. 1570.

Ad quæst. 6. *Cardinalis Guisiani*: Num sacerdos aliquando rem sacram peragit populo non præsente, sed tantùm homine vno? & an laici Eucharistiam congeniculando venerantur? *Respons.* Omninò sacerdos quilibet rem sacram populo non præsente peragit, saltem cum puero, qui aliquibus in locis sacræ huius actionis ei respondere possit: cui quidem actioni cùm adsunt laici, ad terram vsque coram Eucharistia religiosa cum reuerentia procidunt.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Respons. 2. *cap.* 4. Quapropter cum omni reuerentia, & conscientia pura, & fide non dubitante accedamus (*ad Eucharistiam*,) tum certissimè erit nobis, ita vt credimus non dubitantes. Honoremus verò illam omni munditia tum animi, tum corporis.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Alexander Primus. 109.

Epist. 1. *cap.* 4. Nihil in sacrificio maius esse potest, quam corpus & sanguis Christi. Nec vlla oblatio hac potior est, sed hæc omnes præcellit: quæ pura conscientia Domino offerenda est, & pura mente sumenda, atque ab omnibus veneranda: & sicut potior est cæteris, ita potius excoli & venerari debet.

Cyprianus. 250.

De Cœna Domini: Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro. Et sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita Sacramento visibili ineffabiliter se diuina infundit essentia, vt esset religioni circa Sacramenta deuotio, & ad veritatem, cuius corpus & sanguis Sacramenta sunt, sincerior pateret accessus, vsque ad participationem Spiritus.

Ambrosius. 370.

Lib. 5. de Sacramentis c. 4. Qui vulnus habet, medicinam requirit: vulnus est, quia sub peccato sumus: medicina est cæleste & venerabile Sacramentum. *Panem quotidianum da nobis hodie.* Quotidie si accipis, quotidie est tibi hodie.

De Spiritu sancto lib. 3. cap. 12. Non mediocris igitur quæstio, & ideo diligentius consideremus, quid sit *scabellum.* Legimus enim alibi: *Cælum mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum* sed nec terra adoranda nobis, quia creatura Dei est. Videamus tamen, ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus Iesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligatur: per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysterijs adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu (vt supra diximus) adorarunt. Neque enim diuisus est Christus, sed vnus. Neque cùm adoraretur tanquam Dei Filius, natus ex Maria Virgine negabatur.

Esa. 66.

Oratione 1. Preparatoria ad Missam: Rogo te Domine per ipsum sacrosanctum mysterium corporis & sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia pascimur, & potamur: abluimur, & sanctificamur, atque vnius tuę, summęque diuinitatis participes efficimur, &c. Panis dulcissime sana palatum cordis mei, vt sentiam suauitatem amoris tui: sana ab omni languore, vt nullam præter te amem pulchritudinem. Panis candidissime, habens in te omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem, qui nos semper reficis, panis pulcher, panis munde, qui descendisti de cælo, & das vitam mundo, veni in cor meum, & munda me ab omni inquinamento carnis & spiritus, &c.

Hieronymus. 390.

Ad Psalm. 98. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.)* Multæ de scabello opiniones sunt, sed hic Propheta corpus Dominicum dicit: in quo maiestas diuinitatis, tamquam super scabellum stat. Sanctum enim eum dici sæpe docuimus. Quòd autem adorari debeat, eo ascendente Apostoli docuerunt, cùm adorantes egressi sunt in Hierusalem: sed & ad crucem Dominicam, & ad animam sanctam hæc referenda sunt.

Augustinus. 400.

Ad Psalm. 98. Rursum timeo non adorare *scabellum pedum* Domini mei, quia Psalmus mihi dicit: *Adorate scabellum pedum eius.* Quæro quod sit *scabellum pedum eius*, & dicit mihi Scriptura: *Terra scabellum pedum meorum*, fluctuans conuerto me ad Christum, quia ipsum quæro hîc, & inuenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hîc ambulauit, & ipsam carnem manducandam nobis ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit: inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Nunquid autem caro viuificat? Ipse Dominus dixit, cùm de ipsa commendatione eiusdem terræ loqueretur: *Spiritus est qui viuificat, caro autem nihil prodest.* Ideo & ad terram quamlibet, cùm te inclinas atque prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum sanctum, cuius pedum scabellum est, quod adoras: propter ipsum enim adoras, ideo & hîc subiecit: *Adorate scabellum pedum eius, quia sanctum est.*

Ioan. 6.

Epistola 118. cap. 3. Neuter eorum exhonorat corpus & sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt, &c. ille honorando non audet quotidie sumere, & ille honorando non audet illo die prætermittere. Contemptum solum non vult cibus ille, sicut manna fastidium. Inde enim & Apostolus indignè dicit acceptum ab ijs, qui hoc non discernebant à cæteris cibis, veneratione singulariter debita.

Epistola 120. cap. 27. Diuites & ipsi quidem adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine eius: sed adorant tantùm, non etiam saturantur: quoniam non imitantur. Manducantes enim pauperem, dedignantur esse pauperes: quia Christus pro nobis passus est, *dedit nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius, &c. Deus donauit Christo nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine eius flectatur omne genu, cælestium, terrestrium, & infernorum:* fama celsitudinis, & gloria nominis eius in Ecclesia vsquequaque diffusa, permoti & ipsi veniunt ad mensam, manducant, & adorant, non tamen saturantur: quia non esuriunt, & sitiunt iustitiam.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Homil. 5. de Pascha: Quia corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, & syderibus illaturus, necessarium erat, vt nobis in hac die Sacramentum corporis & sanguinis cui consecraret, vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium, &c. Cùm ad reuerendum altare, salutari cibo potuque reficiendus accedis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge, cordis manu suscipe, & haustu maximè interiori assume.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 4. Dialogorum cap. 58. Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros esse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, vnum quid ex visibilibus & inuisibilibus fieri?

Fulpertus Carnotensis. 1000.

Epistola 1. ad Adeodatum: Iam nunc ad illud Dominici corporis & sanguinis transeamus venerabile Sacramentum: quod quidem tantum formidabile ad loquendum, quantum non terrenum, sed cæleste est mysterium: non humanæ æstimationi comparabile, sed admirabile: non disputandum, sed metuendum, & corporis & sanguinis sui pignus salutare nobis reliquit, non inanis mysterij symbolum, sed compaginante Spiritu sancto corpus Christi verum, quod quotidiana veneratione sub visibili creaturæ forma inuisibiliter virtus secreta in sacris solennibus operatur.

Algerus. 1060.

De Sacramento altaris lib. 2. cap. 3. Hac fide ipsum Sacramentum quasi diuinum quiddam adoramus, quasi viuum quiddam & rationabile alloquimur, & rogamus: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.* Quia non quod videtur, sed quod verè est, Christum ibi esse credimus.

Bernardus. 1130.

De Cœna Domini ad Petrum Presbyterum: Quid facis homo indigne? quid facis homo ingrate? adora deuotius, & recole frequentius in Sacramento altaris salutem mundi pro te passam, vitam pro te mortuam, fortitudinem infirmatam.

Si mem-

Si membrum Christi es, compatere capiti tuo: si frater es Christi, commorere fratri.

Odo Parisiensis. 1175.

In Synodicis Constitutionibus cap. 5. de Sacramento altaris: Frequenter moneantur laici, vt vbicunque viderint deferri corpus Domini, vt statim genua flectant, tanquam Domino & Creatori suo, & iunctis manibus, quoad vsque transierint, orent.

Honorius Tertius. 1216.

Libro 3. Decretalium Titul. 41. de celebrat. Missæ: Sacerdos frequenter doceat plebem suam, vt, cùm in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinet: idem faciens, cùm eam defert sacerdos ad infirmum. Quam in decenti habitu, superposito mundo velamine ferat, & referat manifestè & honorificè ante pectus cum omni reuerentia & timore, semper lumine præcedente, cùm sit candor lucis æternæ, vt ex hoc apud omnes fides & deuotio augeatur.

Cæsarius Heisterbachius. 1220.

Lib. 9. cap. 51. VVido Cardinalis præcepit, vt ad eleuationem hostiæ omnis populus in Ecclesia ad sonitum nolæ veniam peteret, sicquè vsque ad calicis benedictionem prostratus iaceret. Præcepit etiam idem Cardinalis, vt quoties deferendum esset ad infirmum, scholaris, siue campanarius sacerdotem præcedens per nolam illud proderet, sicquè omnis populus tam in stratis, quàm in domibus Christum adoraret.

Thomas Aquinas. 1250.

Hymno de Venerabili Sacramento:

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Nouo cedat ritui.
Præstet fides supplementum
Sensuum defectui.

Vrbanus Quartus. 1260.

In Clementinis de Reliquijs & veneratione Sanctorum: O excellentissimum Sacramentum, ô adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconijs exaltandum, cunctis honorandum studijs, deuotis prosequendum obsequijs, & synceris mentibus retinendum.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Aduersus Iudæum impugnatorem Euangelij secundùm Matthæum: Non adorantur species visibiles tãquam Deus, sed ipse Christus inuisibiliter existens sub istis speciebus. Similiter habetur quodammodo Exod. 3. vbi dicitur, quòd Dominus apparuit Mosi in flamma ignis de medio rubi. Et non est dubium, quin Moses adoraret eum, quando Dominus dixit ipsi: *Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est: & ait: Ego sum Deus patris tui*, nec adorauit illum ignem seu flammam tanquam Deum. Sciebat enim Moses hoc impossibile esse, sed adorauit Deum inuisibilem sub similitudine inuisibili apparentem. Et idem dicendum est de apparitionibus diuinis SS. Patribus factis, vt 3. Reg. 19. apparuit Heliæ sub sibilo auræ tenuis, &c.

Aluarus Pelagius. 1330.

De planctu Ecclesiæ lib. 2. cap. 52. Videndo corpus Christi, vident per fidem diuinitatem eius, quæ adiuncta est carni Christi, quam ipsum in hoc altissimo Sacramento corporaliter videmus sub illis visibilibus speciebus latentem: sic veraciter in ipsum credimus, & propterea ipse nobis in hoc Sacramento sui memoriam dereliquit, dicens Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Non ergo descendunt à contemplatione adorando carnem illam vnitam inseparabiliter Verbo, sed ascendunt. Nihil enim sic hominem ad Deum trahit, sicut Deum hominem contemplare.

Ioannes Taulerus. 1350.

Sermon. de Festo venerab. Sacramenti: Etsi per totũ annum quotidie generaliter, specialiter autem in sacro Cœnæ Dominicæ die veneramur, & colimus hoc Sacramentum: sancta nihilominus mater nostra Ecclesia instar omnium aliarum solennitatum hanc specialiter diem in illius honorem instituit atque dicauit, quò videlicet ad nouam quandam speciali cum deuotione tanto Sacramento reuerentiam exhibendam prouocemur, & accendamur. Hac de causa multa homines extrinsecus faciunt, templa studiosissimè exornant, campanas alacriter pulsant, ipsum Venerab. Sacramentum de vno templo ad aliud solenniter defertur, aurum & argentum offertur, organa resonant, cantus eleuatior altiorquè concrepat, & id genus alia plura hilariter fideles peragunt, vt scilicet suam erga hoc præstantissimum Sacramentum deuotionem ac reuerentiam indicent, atque declarent, ipsumquè simul modis, quibus possint, venentur & colant.

Thomas VValdensis. 1414.

Tom. 2. cap. 26. Hanc eandem, hanc solam hostiam consecratam, in eadem gloria consistentem, cur fideles, si adorent in altari, dicuntur idololatræ? Nos aliam hostiam consecratam nec scimus, nec veneramur ibidem. Sola Christi viua & diuina caro est nostrum eximium Sacramentum, & omnium Christianorum hostia consecrata, nec accidens sine subiecto, nec panis vilis cibarius, vt falsus VVicleuus concedit.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tom. 1. Serm. 20. fol. 129. Templis Dei reuerentia exhibita est propter præsentiam Dominici Sacramenti, quod quidem in hoc seculo est super omnia venerandum. O charissimi quanta reuerentia ac modestia circunspecta ingredimur, & moramur in aulis dominorum, ac præsentia magnatum, ne quicquam irrisione dignum agamus, seu loquamur: quanto magis in præsentia eius, qui est Rex regum, & Dominus dominantium?

Petrus Apollonius Collatius. 1480.

In Fastis de Festo corporis Christi:

Cùm venerit sacra perfusus veste sacerdos,
Suppliciter posito flectite colla genu:
Quodq; feret pura natum de Virgine corpus
Credite, sint oculis altera signa licet.

Erasmus Roterodamus. 1530.

De amabili Ecclesiæ concordia: Si in Eucharistia totus est Christus, cur non est adorandus? vt cùm nullum est Sacramentum tam humile, cui non assistamus nudis capitibus, cum administratur, velut in Baptismo, in Confirmatione puerorum. Quid sentiunt igitur, qui putant idololatriam esse, si huic Sacramento caput aperiant, etiamsi Christi corpus & sanguis tantum ibi sint in sacro signo?

Lib. 19. Epistul. Epist. ad Pellicanum, cuius initium est, Euangelij vigor: Hactenus cum omnibus Christianis adoraui Christum pro me passum in Eucharistia, nec adhuc video quicquam cur debeam ab hac opinione recedere; nullis humanis rationibus adduci potero à concordi sententia Christiani orbis.

Concilium Tridentinum. 1560.

Session. 13. Can. 6. Si quis dixerit in S. Eucharistiæ Sacramento Christum vnigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum atque ideo nec festiua aliqua peculiari celebritate

veneran-

venerandum: neque in Processionibus secundùm laudabilem, & vniuersalem Ecclesiæ sanctæ ritum, & consuetùdinem solenniter circungestandum, vel non publicè, vt adoretur, populo præponendum, & eius adoratores esse idololatras, anathema sit.

ASSERVNT ADVERSARIOrum quidam.

Martinus Lutherus.

Ad cap. 47. Genesis: Nos non tantùm orantes, sed & baptizantes, absoluentes, & absoluti, & accedentes ad sacram Synaxin, quin etiam ad recitationem promissionis, aut textus Euangelij, genua flectere, vel saltem stare debemus, in signum adorationis, siue reuerentiæ & gratitudinis. Etsi in Cœna Dominica nihil aliud porrigeretur, præter panem & vinum, sicut Sacramentarij blasphemant: tamen est ibi promissio, & vox diuina, & Spiritus sanctus per Verbum in Cœna, ideoque decebat nos cum reuerentia accedere. Quanto verò magis id fieri par est, quando credimus adesse verum corpus, & verum sanguinem cum Verbo.

Sermon. de Præparatione ad mortem: Omni studio ac vigilantia magnifacienda & honoranda sunt Sacramenta, maximè Sacramentum altaris.

Serm. de triplici iustitia: Procul dubio inulta non manebit inhonoratio, quæ corpori & sanguini Domini fit.

Contra articulos Louaniensium: In Eucharistiæ Sacramento venerabili & adorabili & exhibetur, & sumitur verè & reipsa Corpus & sanguis Christi tam à dignis, quàm ab indignis.

Ad VValdenses: Cùm hoc verbum rectè consideratur ac creditur, tum adoratio ipsius Sacramenti meridiana luce clarius elucescet: nam qui credit Christi corpus & sanguinem ibi esse, quemadmodum & clarè demonstratum, & vt credamus omnino necessarium est, hic profectò non poterit corpori & sanguini Christi debitam reuerentiam denegare absque grauissimo peccato. Nam omnino fateri cogor ipsum Christum esse præsentem, quando ipsius corpus & sanguis adsunt: illius verba nequaquam mentiuntur, nec ipse à suo sanguine recessit, adeò vt etiam cùm in sepulchro iaceret, Christus tamen omni honore dignus esset.

Georgius Princeps Anhaldinus.

Scribit se de hoc fidei articulo, Christum in Eucharistia præsentem adorandum esse, anno 1541. cum Luthero contulisse, varijsque argumentis demonstrasse, Christum non minus in Eucharistia adorandum esse, quàm Spiritum sanctum, si videret ipsum in specie columbæ de cælo descendentem. Quòd si viderem, *ait concione 4. de Sacramento altaris fol. 188.* in genua prouolutus, manibusque in cælum leuatis, dicerem: Sancte Spiritus miserere mei. Nonne idem mihi igitur faciendum est coram venerabili Sacramento, vbi Christus præsens adest?

Ioannes Brentius.

In Apologia Confessionis VVittebergensis: Confitemur Christum Filium Dei, verum Deum, & verum hominem, semper & vbique siue in cælo, siue in terra, siue in Eucharistia, siue extra Eucharistiam adorandum esse.

Timotheus Kirchnerus.

In Thesauro fol. 586. ex Genes. Tom. 4. fol. 182. cap. 47. hanc Domini Christi in Cœna ex Luthero adorationem confirmat: Cùm in ea, *inquit*, credamus adesse verum corpus, & sanguinem cum Verbo: sic enim Patres adorauerunt Deum, vt promissiones Dei: earumque signa: sic bonum est, quòd Sacramentum altaris colitur inflexis genibus, quia ibi est verum corpus Domini, &c. Est igitur necessaria adoratio ista, si non corporali inclinatione, at spirituali reuerentia.

ARTICVLVS OCTAVVS.

MIRACVLA AD VERITATEM EVCHARISTIÆ, ET SACRIFICII MISSÆ CONFIRMANDAM DIVINITVS EDITA, A CHRISTI ASCENSIONE, VSQVE AD ANNVM M. D. XCI.

Anno Christi 33.

ET factum est, dum recumberet *Iesus* cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipse euanuit ex oculis eorum. & dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrũ ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? *Luc. 24.*

Anno Christi 80.

Carpus, vir ob eximiam animi munditiem ad Dei speculationem vltra omnes aptissimus, nunquam sacra mysteria celebrauit, nisi prius inter eas preces, quæ antea consummantur, sacra illi ac propria visio apparuisset. *Dionysius Areopagita epistol. 8.*

Anno Christi 100.

Dionysius Areopagita vbi post multas & pernecessarias populi (qui eum sequendo carcerem irruperant) exhortationes, & ad absentes directa institutionum præcepta, Dominica Missarum

solennia

solennia, (vt confirmarentur participatione Corporis & sanguinis Domini fideles,) velut iam in cælis positus celebraret: hora, qua frangebatur panis sanctus, qua ipse & populus communicare debebant, resplenduit huiusmodi lux de cælo super eum, & omnes, qui ibi aderant, qualem nemo eorum antea viderat: in qua veniens apparuit ei Dominus Iesus Christus, etiam cunctis videntibus, quibus est datum videre, cum multitudine Angelorum. *Hilduinus Abbas in Vita Dionysii Areopagitæ ca.29. Rosvvita Sanctimonialis idem miraculum descripsit vide pag.673.*

Anno Christi. 130.

Vna dierum, dum Missarum solennia singularis Pontifex ibidem celebraret, & copia filiorum eius, quos verbi semine iuxta Apostolum Deo genuerat, deuota sanctis mysterijs interesset: audenter Iudæus Ecclesiam ingressus maligno instigante spiritu, corpus Dominicum suscipere, atque in sterquilinium proijcere molitus est. Qui inter turbas fidelium ad manus viri Dei perueniens, ausu nefario, immundo ore corpus suscepit Dominicum, quod vt animo reijciendi os aperuit, digna vltione percussus, sine affatu verborum, cunctis videntibus & audientibus, clamare cœpit. Volebat labia iungere, nec valebat: conabatur verba edere, sed lingua rigida officium loquendi non præbebat, & quasi ignitum iaculum in ore portans immensis torquebatur doloribus. Resonabat omnis illa Ecclesia ineptæ vocis clamoribus, & tam egregij virtute miraculi Christi fidelium lætabatur conuentus, &c. *Paulus Diaconus vita SS. Syri & Iuuentij cap.8.*

Anno Christi 200.

Est hodie soror apud nos releuationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter Dominica solennia per ecstasin in spiritu patitur: conuersatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt, & audit Sacramenta, & quorundam corda dignoscit, & medicinas desiderantibus submittit. *Tertullian. de anima cap.9.*

Anno Christi 250.

Præsente ac teste me ipso, accipite quid euenerit. Parentes fortè fugientes, dum trepidi minus sibi consulunt, sub nutricis alimento paruulam filiam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad magistratus. Illi ei apud idolum, quo populus confluebat, quòd carnem necdum posset edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipsum de immolatione pereuntium superarat, tradiderunt. Recepit filiam postmodum mater. Sed facinus puella commissum tam loqui, & indicare non potuit, quàm nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptum est, vt sacrificantibus nobis eam secum mater inferret. Sed enim puella mixta cum sanctis, precis nostræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu cœpit fluctuabunda iactari, & velut tortore cogente, quibus poterat indicijs conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Vbi verò solennibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus eius aduenit: faciem suam paruula instinctu diuinæ maiestatis auertere, os labijs obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus. In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit: sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit. Tanta est potestas Domini, tanta maiestas, secreta tenebrarum sub eius luce detecta sunt, sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt. Hoc circa infantem, quæ ad eloquendum alienum circa se crimen necdum habuit ætatem. At verò ea, quæ ætate prouecta, & in annis adultioribus constituta sacrificantibus nobis latenter obrepsit, non cibum sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena lethalia inter fauces & pectus sanguinem admittens, angi, & anima exæstuante concludi postmodum cœpit. Et pressuram iam non persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans & tremens concidit. Impunitum diu non fuit, nec occultum dissimulatæ conscientiæ crimen: quæ fefellerat hominem, Deum sensit vltorem. Et cùm quædam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Et alius, qui & ipse maculatus, sacrificio à sacerdote celebrato partem cum cæteris ausus est latenter accipere: sanctum Domini edere, & contrectare non potuit: cinerem ferre se apertis manibus inuenit. Documento vnius ostensum est, Dominum recedere, cùm negatur: nec immerentibus ad salutem prodesse, quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem, sanctitate fugiente, mutetur. *Cyprianus libro de lapsis.*

Anno Christi. 256.

Eodem die idolorum cultores Diaconum quendam inuenerunt, Tharsitium nomine, qui purissimum Christi corpus ferebat. Comprehenderunt igitur illum milites: cumquè curiosius ab illo inquirerent, quidnam secum ferret, & ipse indignum iudicaret ante porcos margaritas proijcere, nulla ratione adduci potuit, vt sanctissimum ac purissimum Christi Sacramentum impuris hominibus reuelaret. Virgis igitur & lapidibus eò vsque Tharsitium contuderunt, quoad spiritum efflauit. Cùm verò eius corpus exanime per terram volutaretur, curiosi & sacrilegi milites neque sub vlmis intra manicas, neque sub vestibus aliquid inuenire potuerunt. *Simon Metaphrastes vita S. Stephani Papæ & Martyris cap.17. Vsuardus in Martyrologio. Guitmundus de corpore & sanguine Domini libro 2.*

Anno Christi 260.

Erat apud nos Serapion fidelis senex, qui tandem lapsus, sæpe in Ecclesiam recipi supplex postulabat: sed nemo, quia idolis sacrificasset, eius postulationi aliquando auscultauit. Quin in grauem morbum delabens, triduò deinceps mutus, & absque sensu vixit: quartò autem die paulatim releuatus, nepotem ad se accersit, sicquè alloquitur: Quousque, fili, me detinetis? properate obsecro, & me ocyus dimittite. Aliquem ex Presbyteris aduoca ad me. Quæ cùm dixisset, iterum fuit mutus. Puer currit ad Presbyterum: nox iam erat. ille fortè morbo vexatus, accedere ad eum non poterat: sed tamen, quoniam à me quidem mandatum dabatur, vt qui iam essent vita emigraturi, sanctorum mysteriorum (dummodò peterent, & vel maximè, si antea, dum integra valetudine erant, supplices petiuissent) participes fierent, sicquè cum pace dimissi, & bona spe confirmati, ex hac luce decederent, puero exiguam quandam Eucharistiæ partem dedit, præcipiens, vt eam madefactam in os senis infunderet. Quam puer secum adferens redijt: cui iam appropinquanti, priusquam cum eo, quod gestabat, intraret ædes, Serapion denuò voce recuperata dixit: Venisti fili? tametsi Presbyter non potest venire, tu tamen præsta, quod tibi in mandatis dedit, & dimitte me abire. Particulam igitur puer, quam apportarat, madefactam in os senis infudit. Atque ille, simulatque eam pedetentim per fauces dimiserat, ilicò extremum spiritum edidit. *Dionysius Alexandrinus Epist. ad Fabium Antiochenum apud Eusebium lib.6. cap.36.*

Anno Christi 380.

Quodam tempore D. Basilio diuina celebrante mysteria, Iudæus quidam se, ceu Christianus, populo immiscuit, officij ministerium explorare volens. videtque in manibus Basilij in partes diuidi infantem: & cùm omnes communicarent, accessit & ipse, dataque est ei hostia, verè caro facta. Inde accepit & calicem sanguine repletum, vti reuera est: illius quoque particeps effectus, vtriusque seruauit reliquias, & abiens domum, ostendit vxori suæ, in dictorum confirmationem, narrauitque quid suis ipse oculis conspexisset. Itaque credens, quemadmodum reuera est, tremendum esse mysterium Christianorum, altera luce venit ad Basilium, postulans sine dilatione se Christi signo consignari. Sanctus autem Episcopus nihil procrastinans, sed consuetam Eucharistiam offerens ei, qui vult omnes homines saluos fieri, baptizauit eum cum omni domo sua credentem Domino. *Amphilochius in vita D. Basilij.*

Cyrus Theodorus Prodromus epigrammate in D. Basilium idem miraculum sic describit:

Intuitus panem, & nigrum in cratere Lyæum.
Riserat Hebræus sacra mystica Christi olatum.
Hæc vbi Basilius persenserat, vtraque edenda
Porrigit, illa statim cruor & caro versa resultant.

Anno Christi 370.

Quod vobis leue videtur, facinus immane commissum est, vt omnia sacrosancta supra memorati vestri Episcopi violarent. Iusserunt Eucharistiam canibus fundi, non sine signo diuini iudicij. Nam ijdem canes accensi rabie, ipsos dominos suos, quasi latrones, sancti corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos & inimicos laniauerunt. *Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Donatistas.*

Quid igitur obseruātiam fratris Satyri erga Dei cultum prædicem? Qui priusquam perfectioribus esset initiatus mysterijs, in naufragio constitutus, cùm ea, qua veheretur, nauis, scopuloso illisa vado, & vrgentibus hinc atque inde fluctibus, solueretur, non mortem metuens, sed ne vacuus mysterij exiret è vita, quos initiatos esse cognouerat, ab his diuinum illud fidelium Sacramentum poposcit, non vt curiosos oculos insereret arcanis, sed vt fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium inuoluit in collo, atque ita se deiecit in mare, non requirens de nauis compage resolutam tabulam, cui supernatans iuuaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat. Itaque his se tectum atque munitum satis credens, alia auxilia non desiderauit. Nec deseruit spes, nec fefellit opinio. Denique primus seruatus ex vndis, & in portum terrenæ stationis euectus, Præsulem suum, cui se crediderat, recognouit, statimque vbi etiam cæteros seruulos suos vel ipse liberauit, vel liberatos comperit, negligens facultatum, nec amissa desiderans, Dei Ecclesiam requisiuit, vt ageret gratias liberatus, & mysteria æterna cognosceret, pronuntians nullum referendæ gratiæ maius esse officium. *Ambrosius orat. funebri de Excessu fratris sui Satyri.*

Anno Christi. 380.

Gorgonia ægrota desperatis omnibus auxilijs, ad mortalium omnium medicum confugit, atque intempesta nocte captata, cùm morbus non nihil remisisset, ad altare cum fide procumbit, eumque, qui super ipso honoratur, cum ingenti clamore inuocat. Cumque caput suum pari cum clamore, lachrymisque altari admouisset, nec se prius illud dimissurum esse denuntiasset, quàm sanitatem obtinuisset, ac deinde hoc suo pharmaco totum corpus perfudisset, & si quid vspiam antityporum pretiosi corporis & sanguinis manus reconsiderat, id lachrymis admiscuisset (ô rem mirandam) statim liberatam se morbo sentit, atque & corpore, & animo, & mente leuis discedit, pro spei mercede, id quod sperauerat consecuta, & per animæ robur, robur corporis accipiens. *Gregorius Nazianzenus oratione 11. quæ est in laudem Gorgoniæ sororis.*

Cum hâc veste Martinus sacrificium oblaturus procedit. Quo quidem die (mira dicturus sum) cùm iam altarium, sicut est solenne, benediceret, globum ignis de capite illius vidimus emicare, ita vt in sublime contendens, longius collum, crinemque flamma produceret. Testatur Arborius Exprætectus, vidisse se Martini manum sacrificium offerentis vestitam quodammodo nobilissimis gemmis, luce micare purpurea, & ad motum dextræ, collisarum inter se fragorem audisse gemmarum. *Seuerus Sulpitius de vita Martini Dialog. 2. & 3.*

Idem miraculum sic describit Paulinus Nolanus vitæ S. Martini libro 5.

Sæpe Deus voluit meritum sublime beati
Illustres proferre viros, quo clarius illic
Testibus, extulerat penitus quos gloria mundi,
Prolata in populo virtutum signa micarent.
Nam gestæ clarus tum culmine Præfecturæ
Arborius, vidit fulgentem luce micantem
Gemmarum, dum sancta Deo solennia defert,
Martini rutilasse manum, lumenque coruscum
Vestire ignitam pretioso murice dextram,
Et collisorum lapidum crepitare fragorem.

De eodem miraculo sic scribit Fortunatus libro 4. vitæ S. Martini:

Nobile quin etiam ex Præfecto Arborius effert
Signum, quod vidit se teste fidelis in vrbe,
Immaculata Deo cùm dona imponeret aræ,
Et pater attonitus ærimonia diua sacraret,
Munera vel Christi benediceret ore sacerdos
Imposita altari rata corporis atque cruoris,
Emicuit subitò manus alma decore superbo
Nobilium vario lapidum splendore coruscans,
Vndique visa rota spargens radiatile lumen,
Brachia purpureo vibrantia fulgura gemmis,
Lumen & ad solis radians lux fulua metallis,
Credula quo potius fierent miracula rerum.
Vir simul ipse potens se tunc Arborius inquit,
Gemmarum grauium crepitantem audisse fragorem.
Sic geminante fide insti pia dextera fulsit,
Inque loco manicæ mutuit translata smaragdus.

Epiphanius tempore oblationis nunquam perficiebat oblationem, donec vidisset visionem, consueueratque beatus præfari verba quædam, & ei statim reuelabatur. Cùm itaque aliquando ter dixisset sermonem, nulla se ei obtulit visio. Cùm is autem lugeret, & oraret, vt sibi causa significaretur, primus obseruat Diaconum, qui à sinistris tenebat ventilabrum ministratorium: Quem cùm obseruaret, considerat Epiphanius in fronte eius apparere lepram. Nulli autem erat manifestum, Diaconum eo morbo laborare. Epiphanius itaque manum extendit, & instrumentum leuauit ministratorium, ei benignè dicens: Vade, fili, in domum tuam, & ne modò sumas diuina mysteria. Ipse autem statim egressus est, & iuit in domum suam, datque Epiphanius ventilabrum alij Diacono: cumque diuina verba incœpisset cum metu, & lachrymis, vbi perfecit, statim vidit visionem. *Ioannes Cyprius vita S. Epiphanij cap. 38.*

Anno Christi 390.

Macarius nobis narrauit (erat enim Presbyter) se obseruasse tempore communionis Christi Sacramentorum, se Marco Exercitatori nunquam dedisse oblationem, sed ei Angelum dedisse ex ara: solum autem se vidisse digitum manus eius, qui dabat. *Palladius historia Sanctorum Patrum cap. 20. Sozomenus lib. 6. cap. 29.*

Vidimus in AEgypto Presbyterum virum sanctum, & valde humilem, & assiduè videntem visiones, nomine Ammonam. Is aliquando offerens Deo cultum, videt Angelum stantem à dextris altaris, & signantem fratres accedentes ad gratiam, & scribentem in libro eorum nomina. Cùm autem non adfuissent aliqui in synaxi, vidit deleri eorum nomina, qui post tres dies sunt mortui. *Palladius historia Sanctorum Patrum cap. 72.*

Anno Christi 400.

Per id tempus, quo sacerdos sacrificium perficit, & Angeli illi assident, & cælestium Potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Id quod credere abundè licet vel ex tanto sacrificio, quod tum peragitur. Ego verò & commemorantem olim quendam audiui, cùm diceret senem quendam virum admirabilem, & cui reuelationum mysteria multa diuinitus fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum à Deo esse, ac per illud quidem tempus Angelorum multitudinem conspexisse (quatenus aspectus humanus ferre poterat) fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circundantium: denique sic capite inclinatorum, vt si quis milites præsente rege stantes videat. Alius quidam mihi narrauit, non ille quidem ab alio doctus, sed dignus habitus, qui id & vidisset ipse, & audisset, quòd qui de hac vita emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum munda ac pura conscientia fuerint participes, spiritum efflaturi, ab Angelis eorum animæ, satellitum more stipantibus propter assumptum illud sacrum, rectà in cælum abducuntur. *Ioannes Chrysostomus lib. 6. de sacerdotio.*

Sectator quidam hæreseos Macedonianæ eiusdem sectæ vxorem habebat: hic cùm Ioannem Chrysostomum de syncera erga Deum religione disserentem fortè audiuisset, doctrinam amplexus, & vxorem quoque vt sibi consentiret, hortatus est: & quoniam illa notarum mulierum solita consuetudine captiua teneretur, vt maritus, quamuis admonuisset sæpe, nihil tamen proficeret, nisi, inquit, mihi in religione consors fueris, ne in vitæ quidem communione posthac eris. Ibi mulier data fide se id facturam, cum ancilla quadam, quam fidam arbitrabatur, de hac re communicat: eamqúe sibi ad fraudem marito faciendam sociam adiungit. Itaque tempore communionis illa quod acceperat continens, velut oratura procumbit: famula interim astans, furtim porrigit id, quod manibus adueniens ferebat: quod quidem simulatque dentibus admotum esset, in lapidem induruit. Tunc mulier timore consternata, ne quid sibi grauius eueniret, ob tantum miraculum in se diuinitus editum, cum festinatione ad Episcopum accurrit, seipsam indicat, ac lapidem ostendit: qui manifesta vestigia morsus, sed materiam ignotam, & insitatum quendam colorem referebat. Cumqúe profusis lachrymis veniam impetrasset, cum marito deinceps concors vixit. Si cui autem hæc verisimilia esse non videntur, testis est ipse lapis, qui etiamnum hodie inter Constantinopolitanæ vrbis cimelia conseruatur. *Sozomenus libro 8. cap. 5.*

Hesperius vir Tribunitius, qui apud nos in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum habet, vbi cùm afflictione animalium & seruorum domum suam spirituum malignorum vim obnoxiam perpeti comperisset, rogauit nostros, me absente, Presbyteros, vt aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis & sanguinis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio. Deoqúe protinus miserante cessauit. *Augustinus de Ciuitate Dei lib. 22. cap. 8.*

Cùm sacra peageretur mystagogia, diuinusqúe panis esset propositus, (ô tuam Christe potentiam & benignitatem!) infans visus est eodem tempore tribus senibus is panis, qui in sacra mensa erat propositus. Deinde cùm sacerdos ad hoc, vt panem in frusta diuideret, iam manum extendisset, visus est eis Angelus, qui supernè deuolauerat, & gladium in manu habebat. Qui cùm propositum infantem sacrificasset, deinde eius sanguinem fundebat in calicem: & quamdiu sacerdos panem in parua frusta frangebat, tamdiu quoque poterant videre Angelum, secantem partes ex carne pueri. Cùm autem accessisset is, qui errabat senex, vt esset particeps sacrificij, carnis mundæ & cruentæ apertè fuit particeps. Hoc visum ab illo sene, & illius non sanum correxit iudicium, & effecit, vt Deo offerret gratiarum actionem cum lachrymis, alijsqúe senibus illius correctio fuit argumentum lætitiæ. *Simeon Metaphrastes vita Arsenij Eremitæ cap. decimoquarto.*

Anno Christi 418.

Hora circiter septima Missam Dominicam solenniter cœpimus celebrare. Nam dum nos aduenientes ad Christi fidem Iudæos vel exhortamur, vel adnotamus, populus autem tanti gaudij epulis saginatus, carnalium non meminisset escarum, pars diei maior excurrerat. Cùm igitur in Ecclesia, in qua sancti Martyris Stephani nuper reconditæ Reliquiæ conquiescunt, nobiscum pariter plebs vniuersa Missam operiebatur, diu quidam Monachi, quos Dominus testes suorum miraculorum prælegit, in campo, qui ante fores Ecclesiæ protenditur, in herbis accubabant. Erat globus quidam candidissimi luminis, proceritate sui staturam quasi hominis adæquans, instar vasculorum, quæ vulgo ocreæ appellantur: tantæ verò claritatis, & fulgoris, vt visum fuit, quòd frater, qui id prior notauit (sicut ipso referente cognouimus) sol decidere videretur: hic, sicuti istis visum est, quasi trans Basilicam, in qua vniuersus nobiscum populus consederat, lento lapsu dimittebatur. Verùm ita propinquum putauêre, vt se idem frater stupore penitus cursu præriperet, existimans id post Basilicam decidisse, sed ab illo retractus frater gressum inhibuit. Illa autem ita quidem sibi visum, tamen longius fuisse, non quasi certus, sed vt æstimans astruebat: verùm hoc, vtrum Angelus, an ipse Stephanus, quod visum est fuerit, incertum est. *Seuerus Minoricensis epistola ad omnem Ecclesiam.*

Anno Christi 420.

Sacra Communio ab homine dæmoniaco percepta eum, qui in membris eius insidet, spiritum, seu in ipsis latitare cognoscitur, velut quoddam exurens fugat incendium. Hoc namque modo curatum & Abbatem Andronicum nuper aspeximus, aliosqúe complures. Magis namque ac magis inimicus insultabit obsesso, cùm eum à cælesti medicina viderit segregatum: tantoqúe dirius ac frequentius attentabit, quanto eum ab spirituali remedio longius senserit abdicatum. *Ioannes Cassianus Collat. 7. cap. 30.*

& in omni loco sacrificabitur & offeretur nomini meo oblatio munda, dicit Dominus. Hoc sacrificium per sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech cùm in omni loco à solis Ortu vsque ad Occasum iam videamus offerri: sacrificium autem Iudæorum, quibus dictum est: *Non est mihi voluntas in vobis, nec accipiam munus de manibus vestris*, cessasse negare non possunt.

Libro 1. contra aduersarium Legis & Prophetarum cap. 20. Nouerunt, qui legunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham, & iam sunt participes eius, vident tale sacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Dei autem iuratio, incredulorum est increpatio, & quòd Deum non pœnitebit, significatio, quia hoc sacerdotium non mutabit. Mutauit quippe sacerdotium secundùm ordinem Aaron. Vnde & alius Propheta dicit ad eum, qui carnaliter est Israel: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, & hostiam non accipiam de manibus vestris.* Ecce quod est secundùm ordinem Aaron. Cur autem hoc non accipiat, addit, & dicit: *Quia ab Ortu solis vsque ad Occasum glorificatum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & hostia pura: quia magnum est nomen in Gentibus, dicit Dominus omnipotens.* Ecce quod est secundùm ordinem Melchisedech.

Oratione contra Iudæos cap. 9. Ecce omnimodo impletum est, quod ait Propheta: *Et sacrificium non accipiam de manibus vestris.* Nam si in terrena Hierusalem maneret vobis templum, & altare, possetis dicere, in eis hoc esse completum, quorum iniquorum inter vos constitutorum sacrificia Dominus non acceptat: aliorum verò ex vobis, atque in vobis acceptare sacrificia, qui Dei præcepta custodiunt, hoc non est cur possit dici, vbi nullus omnino vestrum est, qui secundùm legem, quæ de monte Sina processit, manibus suis sacrificium possit offerre. Neq; hoc ita prædictum, atque impletum est, vt vos Propheticæ sententiæ respondere permittat quia manibus non offerrimus carnem, sed corde & ore offerimus laudem, secundùm illud in Psalm.
Psal. 49. *Immola Deo sacrificium laudis.* Etiam hinc contradicit vobis, qui dicit: *Non est mihi voluntas in vobis.* De-
Mal. 1. inde ne existimetis non offerentibus vobis, nec illo accipiente de manibus vestris, Deo sacrificium non offerri, quo quidem ille non eget, qui bonorum nostrorum nullius indiget: tamen quod sine sacrificio non est, quod non illi, sed vobis vtile est, adiungit, & dicit: *Quia ab Oriente sole vsque in Occidentem nomen meum clarum est factum in omnibus Gentibus: & in omni loco sacrificium offertur nomini meo, sacrificium mundum: quoniam magnum nomen meum in Gentibus, dicit Dominus omnipotens.* Quid ad hæc respondetis? aperite oculos tandem aliquando, & videte, ab Oriente sole vsque ad Occidentem, non in vno, sicut vobis fuerat constitutum, sed in omni loco sacrificium Christianorum offerri, non cuilibet Deo, sed ei, quia ista prædixit, Deo Israel.

Aurelius Carthaginensis Episcopus. 400.

Epistola ad Marcellinum: Malachias etiam Propheta præuidens sacrificium primi populi cessaturum, & toto orbe terrarum, id est, à solis Ortu vsque ad Occasum æternum sacrificium, glorificato in gentibus nomine Domini, celebrandum, ita loquitur ad Iudæos: *Non est mihi voluntas circa vos, dicit Dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de manu vestra, &c.*

Iulianus Toletanus. 680.

Libro 1. contra Iudæos: Ecce dies, qui prænuntiati sunt, iam venerunt, nullusque sacerdos est secundùm ordinem Aaron. Et quicunque ex eius genere est homo, cùm videt sacrificium Christianorum toto orbe pollere, sibi autem honorem illum magnum subtractum fuisse, deficiunt oculi eius tabe mœroris, & prælo amaritudinis. De hac igitur reprobatione veteris sacrificij Malachias quoque clarum indicium ostendens fidei Christianæ, & reprobationis vestræ, sic dicit: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus* Mal. 1.
non suscipiam de manu vestra. Ab Ortu enim solis vsque ad Occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum nomen meum in Gentibus, dicit Dominus.

Remigius Antisiodorensis. 850.

Ad cap. 1. Malachiæ: *Non est mihi voluntas in vobis, &c.*) Loquitur Prophetia ad sacerdotes, qui illicitas victimas offerebant, & ideo voluntas Dei, quam exacerbabant, non erat in eis: simul etiam docet carnalibus illorum victimis spirituales victimas successuras, nec in vna tantùm prouincia Iudæorum, sed in omni loco offerri Deo mundam oblationem: hoc est sacrificium, quod nunc frequentat Ecclesia.

Guitmundus Auersanus. 1070.

Lib. 3. de Sacramento: Per Malachiam Dominus dixit: *Ab Ortu solis vsque ad Occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* Quamobrem si Dominus exercituum oblationem, quæ in omni loco ab Ortu solis vsque ad Occasum sacrificatur & offertur nomini suo, mundam dicit, cùm præter hanc nulla possit esse oblatio munda, viderit Berengarius cum suis quàm sit oblatio eorum immunda, quæ non dico in omni loco, sed vix in aliquo esse obtinuit.

Rabbi Samuel Marochianus. 1100.

Libro de aduentu Messiæ cap. 20. Timeo Domine mi, quòd Deus eiecit nos à se, & sacrificium nostrum, & acceptauit sacrificium gentium, sicut dicit per os Malachiæ: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, ne quæ accipiam sacrificium vestrum: quoniam ab Ortu solis vsque ad Occasum eius magnum est nomen meum in gentibus, quæ offerunt in nomine meo.* Sacrificium gentium est mundius, quàm sacrificium nostrum.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad cap. 1. Malachiæ: *Et offerunt nomini meo oblationem mundam*, oblationem panis & vini, Sacramentum corporis & sanguinis Redéptoris sui. Hæc oblatio sic est munda, vt exterius nullum habeat cruoris horrorem, & interius, siue inuisibiliter mundet cruentam omnis peccati pollutionem. Itaque in gentibus talem oblationem offerentibus magnum est nomen meum.

Petrus Cluniacensis. 1140.

Libro 1. epist. 2. cap. contra id quod dicunt Petro Brusiani Missam nihil esse, nec celebrari debere: Et Malachias: *Ab Ortu solis vsque ad Occasum magnũ est nomen meum in Gentibus, & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* Et quid vobis, ô bruti homines, restat quærendum? Nonne videtis sicut Legem, sic sacra, sic sacrifica, sic cultum omnem diuinum à Iudæis ad Gentes translatum? Et si non eodem ritu celebrantur apud nos sacra, etsi non eodem constant sacerdotia, si non de iisdem rebus fiant sacrificia, sunt tamen sacrificia.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 1. Malach. Rabbi Salomon dupliciter exponit. Vno modo, quia licet gentiles adorent idola vt Deos, tamen dicebant Deum cæli & terræ ex-

cellen-

cellentiorem illis Dijs. Sed ab hac expositione discordat, quod subditur: *Et in omni loco*, &c. Quia si gentiles, cum Deo cæli idola colentes, Deo facerent oblationem, illa non esset munda coram Deo: quia ab idololatris esset oblata, & ideo cum hoc ponit aliam expositionem, dicens, quòd iste passus intelligitur de Iudæis inter gentiles per orbem dispersis, Deum adorantibus deuotè, quorum oratio hîc dicitur munda oblatio, & per eos nomen Domini prædicatur magnum in terris gentilium. Sed istud non videtur verum. Non enim est verisimile, quòd illi, qui erant dispersi inter gentiles idololatras, tempore Malachiæ essent iustiores & mundiores, quàm illi sacerdotes, qui redierant de captiuitate Babylonica: sed magis sequebantur mores gentilium, inter quos habitabant. Propter quod dicendum, quòd iste passus loquitur ad literam de sacrificio nouæ Legis, quod est Eucharistia, quod est mundissimum, & Deo acceptissimum. In omnibus etiam terræ nationibus sunt aliqui Christiani hoc sacrificium offerentes.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

CHRISTVM IN EVCHARISTIA PRÆSENTEM ADORANDVM ESSE.

NEGANT.

Anno post natū Christū 380. DONATISTÆ *iusserunt Eucharistiam canibus fundi.* Optatus lib. 2.

1100. *Suriani Sacramentis nostris nullam exhibent reuerentiam, nec assurgere volunt, quando corpus Domini ad visitandos infirmos nostri deferunt sacerdotes.* Iacobus Vitriacus historiæ Orientalis cap. 75.

1180. *Coterelli sacrum Christi corpus pedibus conculcabant.* Guilhelmus Naugianus in histor.

1200. *Albigenses Eucharistiam contemnunt.* Bernardus Lutzenburgensis.

1300. *Beguardi & Beguinæ dixerunt Christum non esse adorandum in Eucharistiæ Sacramento, quod illud esset imperfecti hominis.* Clemens V. Extra de hæreticis cap 3. Aluarus Pelagius lib. 2. art. 52. Antoninus 4. part. tit. 11. cap 7. §. 4.

1390. Ioannes VVicleuus de Eucharistia cap. 9. *Nimis multi sunt laici, & bestiales, nimis sensibilibus intendentes, & multi, vt ait Apostolus, in adorando hostiam tamquam gentes ad simulachra muta, prout ducebantur captiuitati, euntes ad idololatrandum. Qui adorat humanitatem Christi, vt talem in hostia, adorat in ipsa Christum hyperdulia: & nemo istè adorat ipsam sub ratione propria: & sic verè concluditur, quòd homo sit multiplicius adorandus, quam hostia: & adorandus tanquam imago Dei, vas virtutum, & sic Christi verius, quàm hostia consecrata.*

1500. *Piggardi in Bohemia docent in idololatriam cadere omnes, quotquot coram Eucharistia genua flectunt, & incuruant, vel illam adorant, cùm in alium finem Sacramentum illud à Christo institutum non sit, nisi ad memoriam passionis ipsius recolendam, non vt hinc circumferatur, aut eleuatum à sacerdote videndum ostendatur.* Ioannes Schechta Bohemus epist. ad Erasmum.

1550. Ioannes Caluinus de vitandis superstitionibus: *Quo loco adorationem habebimus, quæ illic pani exhibetur? An non execrabilem idololatriam esse fatebimur? atque adeò crassiorem, quam vnquam exstiterit inter Gentiles?*

1550. *Lucas Sternbergius Eucharistiæ Sacramentum blasphemè irridere solitus, quodam die communicaturus ad sodales, qui minus frequentes conuenerant, dixit: Venite huc, non enim possum solus illum deuorare.* Staphylus de concordia Lutheranorum.

1560. Theodorus Beza de Cęna Domini contra VVestphalum ad cap. 34. de adoratione Christi in Eucharistia: *Quid igitur requiris? an vt procumbamus ante mysteria? an vt symbola eleuemus? vt alij in genua prouoluantur, pectus tundant, & cætera eiusmodi faciant? Id verò absit, vt vel faciamus ipsi, vel alijs faciendum præcipiamus. Quid est aliud adoratio absque Dei verbo, quàm mera superstitio?*

1560. Petrus Boquinus in Defensione: *Nos*, inquit, *Panaceum vestrum Deum toti mundo ludibrio exponemus.*

1570. Heerbrandus disputatione de noua Religione Thesi 43. *Panem à se in Deum magica incantatione consecratum circumgestant, eumque miseris & malè persuasis hominibus adorandum proponunt,* &c. *hac artolatria crassior est, quàm quæ responsione digna sit.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Psalm. 71. vers. 11. Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei.
Psalm. 96. 8. Adorate eum omnes Angeli eius: audiuit, & lætata est Sion.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

De Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. Pontifex cùm diuina munera laude prosecutus fuerit, sacrosancta & augustissima mysteria conficit, & quæ ante laudauerat, venerandis operta & abdita signis, in conspectum agit, diuinaqúe munera ostendit, &c. Sed ô diuinum penitus, sanctumqúe mysterium, obducta tibi significantium operimenta signorum dignanter aperiens, nobis palam atque apertè lucesce, nostrosqúe spirituales oculos singulari & aperto tuæ lucis fulgore imple.

Origenes. 230.

Homilia 5. in diuersos Euangelij locos. Quando sanctum cibum, illudqúe incorruptum accipis epulum; quando vitæ pane, & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. & tu ergo humilians temetipsam, imitare hunc Centurionem, & dicito: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.*

Homilia 13. in Exodum: Volo vos religionis vestrę exemplis admonere: nostis, qui diuinis mysterijs interesse consueuistis, quomodo, cùm suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione seruatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Mystagogica Catechesi 2. Post communionem corporis Christi accedo ad calicem sanguinis illius, non extendens manus, sed pronus adorationis in modum, & venerationis dicens: *Amen.*

Basilius Magnus. 370.

In Liturgia: Fac panem hunc ipsum honorificum corpus Domini & Saluatoris Dei nostri.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 11. quæ est de Gorgonia sorore: Desperatis omnibus alijs auxilijs, ad mortalium omnium medicum confugit, atque intempesta nocte captata, cùm morbus nonnihil remisisset, ad altare cum fide procumbit, eumqúe, qui super ipso honoratur, cum ingenti clamore inuocat.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 7. in Matthæum. Imitemur nos saltem deuotionem Magorum, veroqúe amore Philosophiæ barbaram consuetudinem subiugemus. Longo itinere curramus, vt Christum videre mereamur. Nam & illi nisi procul regionem propriam reliquissent, nequaquam vtique Christum videre potuissent. Recedamus igitur à terrenis negotijs, atque curis. Etenim Magi illi cùm adhuc morarentur in Perside, stellam vidêre tantummodò: quia verò à Perside recesserunt, solem ipsum aspexêre iustitiæ: qui certè nec stellam quidem ipsam tamdiu videre meruissent, nisi citò à Perside fuissent profecti. Surgamus ergo etiam nos, & licet omnes turbentur, nos tamen alacres ac prompti ad pueri accurramus domum. Et si rex, & si populus, & si tyrannus huius velint cursum itineris impedire, nequaquam tamen accensi desiderij extinguamus ardorem. Sic enim omnia aduersa calcabimus: quoniam & illi, nisi vidissent puerum, nec periculum, quod intentabatur à rege, vitassent. Prius enim quàm puerum cernerent, vndique illis opponebantur timores, conturbationes, atque discrimina. Postquam verò adorârunt, securitas & tranquillitas subsecuta est. Nec iam stella eos, sed Angelus suscipit: quia scilicet adorando facti fuerant sacerdotes, cum supplicatione etiam muneribus oblatis. Et tu itaque &c. in Bethlehem festinus accurre, ac domum spiritalis panis ingredere, &c. Et si Magus fortè sis, nihil te ad hunc regem introire prohibebit, modò vt adoraturus atque honoraturus Dei Filium, & non quasi conculcaturus aduenias: modò vt honorem ipsum cum gaudio ac tremore offeras: possunt enim vtraque hæc pariter conuenire. Sed caue, ne Herodi efficiaris similis, & dicas: *Vt & ego veniens adorem eum:* cumqúe veneris, interimere coneris. Huius etenim similes sunt, qui indignè abutuntur communione mysterij. *Reus est* enim, inquit, *iste corporis & sanguinis Domini.* Qui enim eiusmodi sunt, habent in se tyrannum, & regno Christi iugiter inuidentem, longè sanè Herode illo nequiorem, Mammonam scilicet. Hic enim in homines tenere imperium gestit, suosqúe cultores simulat, & mittit ad Christum, vt specie quidem adorare videantur: quantum verò in ipsis est, interimunt eum, quem adorare se simulant. Timeamus igitur, ne quando speciem supplicum atque adorantium geramus, opere verò existamus inimici. Igitur adoraturi Christum, cuncta proijciamus è manibus. 1. Cor. 11.

Homilia 61. ad populum Antiochenum, & Homilia 3. ad Ephesios: Cogitemus, quòd illum sursum sedentem, qui ab Angelis adoratur, hunc degustamus. Considera quæso, mensa regalis est apposita, Angeli mensæ ministrantes, ipse rex adest, & tu astas oscitans. Sordescunt tibi vestimenta, & nihil est tibi curæ. At pura sunt, igitur adora, & communica, &c. dum profertur sacrificium, & Christus immolatur, & ouis Dominica. Cùm audieris: *oremus omnes communiter:* cùm vela videris retrahi, tunc supernè cælum aperiri cogita, & Angelos descendere.

Homilia 24. in priorem ad Corinthios: Hoc corpus in præsepi reueriti sunt Magi, & viri impij, & barbari longo itinere confecto cum timore, & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur saltem barbaros nos, qui cælorum ciues sumus. Illi enim cùm id præsepe & tugurium tantùm, neque eorum quicquam, quæ tu nunc intueris, viderent, summa accesserunt reuerentia, & horrore: tu verò non in præsepi id, sed in altari: non mulierem, quæ in vlnis teneat, sed sacerdotem præsentem, & Spiritum perabundè super proposito diffusum sacrificio vides. Nec simplex, vt illi, corpus intueris: sed & eius potentiam, & omnem cognoscis administrationem, & nihil eorum, quæ per ipsum facta sunt, ignoras, & diligenter initiatus es in omnibus. Excitemur igitur, horrescamusqúe, & maiorem quàm barbari illi præ nobis feramus pietatem, vt non simpliciter, neque frigidè accedentes, vehementiori igni caput obijciamus. Hæc autem non dico, vt non accedamus; sed ne temerè accedamus.

Homilia 1. de verbis Esaiæ: *Vidi Dominum:* Miser & infelix oportebat te cum tremore ac reuerentia Angelicam glorificationem resonare, cumque errore confessionem reddere Conditori, ac per hanc delictorum veniam postulare. Tu verò mimorum, ac saltatorum mores huc inducis, dum indecenter manus iactas, pedibus subsultas, totoqúe circumageris corpore. Et qui fit, vt non metuas, neque horrescas, hæc audens aduersus talia eloquia? non cogitas ipsum hic inuisibiliter adesse Dominum, qui vniuscuiusque motum metitur, & conscientiæ rationem habet? Non cogitas quòd Angeli huic stupendæ assistunt mensæ, cumqúe reuerentia hanc circumuallant?

Homilia 3. de comprehensibili Dei natura: Tempore illo non solùm homines clamorem illum horribilem reddunt, sed etiam Angeli Domino genua flectunt, & Archangeli rogant: habent sibi tempus id idoneum, habent sacram illam oblationem in fauore. Itaque vt homines ramos olearum gerentes mouere reges consueuerunt, eoque arboris genere misericordiam commemorant & humanitatem: sic Angeli tunc pro ramis oleaginis corpus Domini ipsum protendentes, rogant pro genere humano, &c. Agitatos quoque ob eam rem Diaconus tempore illo adducit, & iubet caput inclinare.

Theodoretus. 450.

Dialogo 2. Mystica signa post sanctificationem intelliguntur ea esse, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, vt quæ illa sint, quæ creduntur.

Dialogo 3 Non solius hominis corpus, sed Domini nostri Iesu Christi vnigeniti Filij Dei corpus salutem nobis procurauit: sin autem id tibi paruum & vile putatur, quomodo eius typum & figuram venerabilem & salutarem existimas? Cuius autem typus est adorandus & venerandus, quemadmodum est ipsum exemplar archetypum vile & aspernandum?

Iustinianus Imp. 530.

In Authentica de Priuilegijs dotis hereticis mulieribus non præstandis: Vnde competens est iudices respicere ad præsentis nostræ legis subtilitatem: & si non inuenerint Orthodoxæ fidei existentes, & percipientes sacrosanctam & adorabilem communionem in sanctissima Catholica & Apostolica Ecclesia à venerandissimis eius sacerdotibus, non permittere frui ex nostris constitutionibus priuilegijs.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 23 Nam si mea sunt turpia illa & scelerata verba, quid est quòd donum cæleste suscipiens adoro? quomodo possum vnà & benedicere, & maledicere?

Ioannes Moschus. 600.

In prato spirituali c. 86. Anachoreta quidam erat in partibus illis solitarius, veniebatque sancto die Dominico, & sumebat veneranda mysteria.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

In Theoria. Quòd sacerdos subleuat diuinum panem, & signum crucis ter facit in aërecum venerabili & viuifico pane, id innuit, &c.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxa fidei lib. 4. cap. 13. Proinde summo cum metu, ac pura conscientia, fideque haudquaquam dubia accedamus: ac profectò sic nobis fiet, quemadmodum firmè ac constanter credimus. Ipsum porrò omni puritate colamus, hoc est, spirituali ac corporea, siquidem duplex ipse est. Ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibusque in crucis formam compositis crucifixi corpus suscipiamus, atque & oculis, & labijs, & frontibus impositis, diuini carbonis participes efficiamur, vt ignis desiderij in nobis insiti assumpta ea, quæ ex carbone oritur inflammatione, peccata nostra exurat, ac pectora nostra collustret: demumque operam, vt per diuini ignis perceptionem inardescamus, dijque efficiamur. Vidit quippe carbonem Esaias. Esa. 6. Carbo porrò non simplex lignum est, sed igni vnitum: sic panis quoque communionis non simplex panis est, sed diuinitati vnitus.

Simeon Metaphrastes. 960.

In vita Stephani Iunioris: Quid an tu quoque corporis & sanguinis Christi antitypa ab Ecclesia proscribes, vt quæ imaginem, ac veram illorum figuram teneant? quæ & adoramus, & osculamur, & eorum perceptione sanctitatem consequimur?

Euthymius. 1080.

Ad cap. 64. Matt. Ita quoque in adorandis mysterijs faciamus, non ea solùm, quæ præponuntur, intuentes: sed sermonibus eius credentes: cumque ille dicat: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, & pareamus, & credamus.

Nicolaus Cabasilas. 1260.

In expositione Liturgiæ cap. 39. Sacerdos autem postquam particeps fuerit sanctificatorum, ad populum conuertitur: & ostensis sanctis, vocat eos, qui participare voluerint, & iubet accedere cum timore Dei & fide, neque contemnentes propter id quod apparet, neque dubitantes, quòd sit supra rationem, id quod creditur, sed eorum dignitatem agnoscentes, & quod sunt vitæ æternæ causę ijs, qui illorum sunt participes, credentes accedere: ipsi autem pietatem ostendentes, & fidem, & adorant, & benedicunt, & Iesum, qui in ijs intelligitur, vt Deum celebrant.

Zaga Zabo Æthiops. 1576.

In confessione fidei Æthiopicæ: Nec sacerdoti, nec laico, vel alij personæ, cuiusuis conditionis sit, assumpta venerabili Eucharistia licet expuere à tempore matutino vsque ad occasum solis: & si spuerit, grauissima pœna mulctatur.

Ecclesia Æthiopica nostro tempore.

In ordine mysteriorum de Sacramento Confirmationis: Rogamus te Domine, & quæsumus, vt facias famulos tuos semper dignos, qui sumant corpus, & sanguinem venerandum & sanctum Christi tui.

Ecclesia Græcorum nostro tempore.

In Liturgia mysteriorum ante consecratorum: Tunc capit sacrum panem sacerdos cum accommodata veneratione, & cura, & super patenam sanctam in prothesi ponit cum hac oratione, &c. Statim ingreditur sacerdos ad sanctam mensam, & deponit sancta, adorans, & thure adolens omni cum reuerentia, &c. Sacerdos ad diuina dona manum mittens, attingit viuificum panem cum reuerentia, & metu multo, &c.

Græci Venetijs habitantes. 1570.

Ad quæst. 6. Cardinalis Guisiani: Num sacerdos aliquando rem sacram peragit populo non præsente, sed tantùm homine vno? & an laici Eucharistiam congeniculando venerantur? *Respons.* Omninò sacerdos quilibet rem sacram populo non præsente peragit, saltem cum puero, qui aliquibus in locis sacræ huius actionis ei respondere possit: cui quidem actioni cùm adsunt laici, ad terram vsque coram Eucharistia religiosa cum reuerentia procidunt.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Respons. 2. cap. 4. Quapropter cum omni reuerentia, & conscientia pura, & fide non dubitante accedamus (*ad Eucharistiam,*) tum certissimè erit nobis, ita vt credimus non dubitantes. Honoremus verò illam omni munditia tum animi, tum corporis.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Alexander Primus. 109.

Epist. 1. cap. 4. Nihil in sacrificio maius esse potest, quam corpus & sanguis Christi. Nec vlla oblatio hac potior est, sed hæc omnes præcellit: quæ pura conscientia Domino offerenda est, & pura mente sumenda, atque ab omnibus veneranda: & sicut potior est cæteris, ita potius excoli & venerari debet.

Cyprianus. 250.

De Cœna Domini: Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro. Et sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita Sacramento visibili ineffabiliter se diuina infundit essentia, vt esset religioni circa Sacramenta deuotio, & ad veritatem, cuius corpus & sanguis Sacramenta sunt, sincerior pateret accessus, vsque ad participationem Spiritus.

Ambrosius. 370.

Lib. 5. de Sacramentis c. 4. Qui vulnus habet, medicinam requirit: vulnus est, quia sub peccato sumus: medicina est cæleste & venerabile Sacramentum. *Panem quotidianum da nobis hodie.* Quotidie si accipis, quotidie est tibi hodie.

De Spiritu sancto lib. 3. cap. 12. Non mediocris igitur quæstio, & ideo diligentius consideremus, quid
Esa. 66. sit *scabellum.* Legimus enim alibi: *Cœlum mihi thronus, terra autem scabellum pedum meorum.* Sed nec terra adoranda nobis, quia creatura Dei est. Videamus tamen, ne terram illam dicat adorandam Propheta, quam Dominus Iesus in carnis assumptione suscepit. Itaque per scabellum terra intelligatur: per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysterijs adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu (vt supra diximus) adorarunt. Neque enim diuisus est Christus, sed vnus. Neque cùm adoraretur tanquam Dei Filius, natus ex Maria Virgine negabatur.

Oratione 1. Preparatoria ad Missam: Rogo te Domine per ipsum sacrosanctum mysterium corporis & sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia pascimur, & potamur: abluimur, & sanctificamur, atque vnius tuę, summęque diuinitatis participes efficimur, &c. Panis dulcissime sana palatum cordis mei, vt sentiam suauitatem amoris tui: sana ab omni languore, vt nullam præter te amem pulchritudinem. Panis candidissime, habens in te omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem, qui nos semper reficis, panis pulcher, panis munde, qui descendisti de cælo, & das vitam mundo, veni in cor meum, & munda me ab omni inquinamento carnis & spiritus, &c.

Hieronymus. 390.

Ad Psalm. 98. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.)* Multæ de scabello opiniones sunt, sed hic Propheta corpus Dominicum dicit: in quo maiestas diuinitatis, tamquam super scabellum stat. Sanctum enim eum dici sæpe docuimus. Quòd autem adorari debeat, eo ascendente Apostoli docuerunt, cùm adorantes egressi sunt in Hierusalem: sed & ad crucem Dominicam, & ad animam sanctam hæc referenda sunt.

Augustinus. 400.

Ad Psalm. 98. Rursum timeo non adorare *scabellum pedum* Domini mei, quia Psalmus mihi dicit: *Adorate scabellum pedum eius.* Quæro quod sit *scabellum pedum eius,* & dicit mihi Scriptura: *Terra scabellum pedum meorum,* fluctuans conuerto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & inuenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem manducandam nobis ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit: inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Nunquid autem caro viuificat? Ipse Dominus dixit, cùm de ipsa commendatione eiusdem terræ loqueretur: *Spiritus est qui viuificat, caro*
Ioan. 6. *autem nihil prodest.* Ideo & ad terram quamlibet, cùm te inclinas atque prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum sanctum, cuius pedum scabellum est, quod adoras: propter ipsum enim adoras, ideo & hic subiecit: *Adorate scabellum pedum eius, quia sanctum est.*

Epistola 118. cap. 3. Neuter eorum exhonorat corpus & sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt, &c. ille honorando non audet quotidie sumere, & ille honorando non audet illo die prætermittere. Contemptum solum non vult cibus ille, sicut manna fastidium. Inde enim & Apostolus indignè dicit acceptum ab ijs, qui hoc non discernebant à cæteris cibis, veneratione singulariter debita.

Epistola 120. cap. 27. Diuites & ipsi quidem adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore & sanguine eius: sed adorant tantùm, non etiam saturantur: quoniam non imitantur. Manducantes enim pauperem, dedignantur esse pauperes: quia Christus pro nobis passus est, *dedit nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius,* &c. *Deus donauit Christo nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine eius flectatur omne genu, cælestium, terrestrium, & infernorum:* fama celsitudinis, & gloria nominis eius in Ecclesia vsquequaque diffusa, permoti & ipsi veniunt ad mensam, manducant, & adorant, non tamen saturantur: quia non esuriunt, & sitiunt iustitiam.

Eucherius Lugdunensis. 430.

Homil. 5. de Pascha: Quia corpus assumptum ablaturus erat ex oculis nostris, & syderibus illaturus, necessarium erat, vt nobis in hac die Sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret, vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium, &c. Cùm ad reuerendum altare, salutari cibo potuque reficiendus accedis, sacrum Dei tui corpus & sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge, cordis manu suscipe, & haustu maximè interiori assume.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 4. Dialogorum cap. 58. Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros esse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, vnum quid ex visibilibus & inuisibilibus fieri?

Fulbertus Carnotensis. 1000.

Epistola 1. ad Adeodatum: Iam nunc ad illud Dominici corporis & sanguinis transeamus venerabile Sacramentum: quod quidem tantum formidabile ad loquendum, quantum non terrenum, sed cæleste est mysterium: non humanæ æstimationi comparabile, sed admirabile: non disputandum, sed metuendum, & corporis & sanguinis sui pignus salutare nobis reliquit, non inanis mysterij symbolum, sed compaginante Spiritu sancto corpus Christi verum, quod quotidiana veneratione sub visibili creaturæ forma inuisibiliter virtus secreta in sacris solennibus operatur.

Algerus. 1060.

De Sacramento altaris lib. 2. cap. 3. Hac fide ipsum Sacramentum quasi diuinum quiddam adoramus, quasi viuum quiddam & rationabile alloquimur, & rogamus: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.* Quia non quod videtur, sed quod verè est, Christum ibi esse credimus.

Bernardus. 1130.

De Cœna Domini ad Petrum Presbyterum: Quid facis homo indigne? quid facis homo ingrate? adora deuotius, & recole frequentius in Sacramento altaris salutem mundi pro te passam, vitam pro te mortuam, fortitudinem infirmatam.

Si membrum Christi es, compatere capiti tuo: si frater es Christi, commorere fratri.

Odo Parisiensis. 1175.

In Synodicis Constitutionibus cap. 5. de Sacramento altaris: Frequenter moneantur laici, vt vbicunque viderint deferri corpus Domini, vt statim genua flectant, tanquam Domino & Creatori suo, & iunctis manibus, quoad vsque transierint, orent.

Honorius Tertius. 1216.

Libro 3. Decretalium Titul. 41. de celebrat. Missæ: Sacerdos frequenter doceat plebem suam, vt, cùm in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinet: idem faciens, cùm eam defert sacerdos ad infirmum. Quam in decenti habitu, superposito mundo velamine ferat, & referat manifestè & honorificè ante pectus cum omni reuerentia & timore, semper lumine præcedente, cùm sit candor lucis æternæ, vt ex hoc apud omnes fides & deuotio augeatur.

Cæsarius Heisterbachius. 1220.

Lib. 9. cap. 51. VVido Cardinalis præcepit, vt ad eleuationem hostiæ omnis populus in Ecclesia ad sonitum nolæ veniam peteret, sicquè vsque ad calicis benedictionem prostratus iaceret. Præcepit etiam idem Cardinalis, vt quoties deferendum esset ad infirmum, scholaris, siue campanarius sacerdotem præcedens per nolam illud proderet, sicquè omnis populus tam in stratis, quàm in domibus Christum adoraret.

Thomas Aquinas. 1250.

Hymno de Venerabili Sacramento:

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Nouo cedat ritui.
Præstet fides supplementum
Sensuum defectui.

Vrbanus Quartus. 1260.

In Clementinis de Reliquijs & veneratione Sanctorum. O excellentissimum Sacramentum, ô adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconijs exaltandum, cunctis honorandum studijs, deuotis prosequendum obsequijs, & synceris mentibus retinendum.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Aduersus Iudæum impugnatorem Euangelij secundùm Matthæum: Non adorantur species visibiles tanquam Deus, sed ipse Christus inuisibiliter existens sub istis speciebus. Similiter habetur quodammodo Exod. 3. vbi dicitur, quòd Dominus apparuit Mosi in flamma ignis de medio rubi. Et non est dubium, quin Moses adoraret eum, quando Dominus dixit ipsi: *Solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est: & ait: Ego sum Deus patris tui*, nec adorauit illum ignem seu flammam tanquam Deum. Sciebat enim Moses hoc impossibile esse, sed adorauit Deum inuisibilem sub similitudine inuisibili apparentem. Et idem dicendum est de apparitionibus diuinis SS. Patribus factis, vt 3. Reg. 19. apparuit Heliæ sub sibilo auræ tenuis, &c.

Aluarus Pelagius. 1330.

De planctu Ecclesiæ lib. 2. cap. 52. Videndo corpus Christi, vident per fidem diuinitatem eius, quæ adiuncta est carni Christi, quam ipsum in hoc altissimo Sacramento corporaliter videmus sub illis visibilibus speciebus latentem: sic veraciter in ipsum credimus, & propterea ipse nobis in hoc Sacramento sui memoriam dereliquit, dicens Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Non ergo descendunt à contemplatione adorando carnem illam vnitam inseparabiliter Verbo, sed ascendunt. Nihil enim sic hominem ad Deum trahit, sicut Deum hominem contemplare.

Ioannes Taulerus. 1350.

Sermon. de Festo venerab. Sacramenti: Etsi per totũ annum quotidie generaliter, specialiter autem in sacro Cœnæ Dominicæ die veneramur, & colimus hoc Sacramentum: sancta nihilominus mater nostra Ecclesia instar omnium aliarum solennitatum hanc specialiter diem in illius honorem instituit atque dicauit, quò videlicet ad nouam quandam speciali cum deuotione tanto Sacramento reuerentiam exhibendam prouocemur, & accendamur. Hac de causa multa homines extrinsecus faciunt, templa studiosissimè exornant, campanas alacriter pulsant, ipsum Venerab. Sacramentum de vno templo ad aliud solenniter defertur, aurum & argentum offertur, organa resonant, cantus eleuatior altiorque concrepat, & id genus alia plura hilariter fideles peragunt, vt scilicet suam erga hoc præstantissimum Sacramentum deuotionem ac reuerentiam indicent, atque declarent, ipsumquè simul modis, quibus possint, venerentur & colant.

Thomas VValdensis. 1414.

Tom. 2. cap. 26. Hanc eandem, hanc solam hostiam consecratam, in eadem gloria consistentem, cur fideles, si adorent in altari, dicuntur idololatræ? Nos aliam hostiam consecratam nec scimus, nec veneramur ibidem. Sola Christi viua & diuina caro est nostrum eximium Sacramentum, & omnium Christianorum hostia consecrata, nec accidens sine subiecto, nec panis vilis cibarius, vt falsus VVicleuus concedit.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tom. 1. Serm. 20. fol. 129. Templis Dei reuerentia exhibita est propter præsentiam Dominici Sacramenti, quod quidem in hoc seculo est super omnia venerandum. O charissimi quanta reuerentia ac modestia circunspecta ingredimur, & moramur in aulis dominorum, ac præsentia magnatum, ne quicquam irrisione dignum agamus, seu loquamur: quanto magis in præsentia eius, qui est Rex regum, & Dominus dominantium?

Petrus Apollonius Collatius. 1480.

In Pastis de Festo corporis Christi:

Cùm venerit sacra perfusus veste sacerdos,
Suppliciter posito flectite colla genu:
Quodq; feret pura natum de Virgine corpus
Credite, sint oculis altera signa licet.

Erasmus Roterodamus. 1530.

De amabili Ecclesiæ concordia: Si in Eucharistia totus est Christus, cur non est adorandus? vt cùm nullum est Sacramentum tam humile, cui non assistamus nudis capitibus, cum administratur, velut in Baptismo, in Confirmatione puerorum. Quid sentiunt igitur, qui putant idololatriam esse, si huic Sacramento caput aperiant, etiamsi Christi corpus & sanguis tantum ibi sint in sacro signo?

Lib. 19. Epistol. Epist. ad Pellicanum, cuius initium est, Euangelij vigor: Hactenus cum omnibus Christianis adoraui Christum pro me passum in Eucharistia, nec adhuc video quicquam cur debeam ab hac opinione recedere, nullis humanis rationibus adduci potero à concordi sententia Christiani orbis.

Concilium Tridentinum. 1560.

Session. 13. Can. 6. Si quis dixerit in S. Eucharistiæ Sacramento Christum vnigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum atque ideo nec festiua aliqua peculiari celebritate veneran-

venerandum: neque in Processionibus secundùm laudabilem, & vniuersalem Ecclesiæ sanctæ ritum, & consuetudinem solenniter circungestandum, vel non publicè, vt adoretur, populo præponendum, & eius adoratores esse idololatras, anathema sit.

ASSERVNT ADVERSARIORUM QUIDAM.

Martinus Lutherus.

Ad cap. 47. Genesis: Nos non tantùm orantes, sed & baptizantes, absoluentes, & absoluti, & accedentes ad sacram Synaxin, quin etiam ad recitationem promissionis, aut textus Euangelij, genua flectere, vel saltem stare debemus, in signum adorationis, siue reuerentiæ & gratitudinis. Etsi in Cœna Dominica nihil aliud porrigeretur, præter panem & vinum, sicut Sacramentarij blasphemant: tamen est ibi promissio, & vox diuina, & Spiritus sanctus per Verbum in Cœna, ideoq; decebat nos cum reuerentia accedere. Quanto verò magis id fieri par est, quando credimus adesse verum corpus, & verum sanguinem cum Verbo.

Sermon. de Præparatione ad mortem: Omni studio ac vigilantia magnificanda & honoranda sunt Sacramenta, maximè Sacramentum altaris.

Serm. de triplici iustitia: Procul dubio inulta non manebit inhonoratio, quæ corpori & sanguini Domini fit.

Contra articulos Louaniensium: In Eucharistiæ Sacramento venerabili & adorabili & exhibetur, & sumitur verè & reipsa Corpus & sanguis Christi tam à dignis, quàm ab indignis.

Ad Valdenses: Cùm hoc verbum rectè consideratur ac creditur, tum adoratio ipsius Sacramenti meridiana luce clarius elucescet: nam qui credit Christi corpus & sanguinem ibi esse, quemadmodum & clarè demonstratum, & vt credamus omnino necessarium est, hic profectò non poterit corpori & sanguini Christi debitam reuerentiam denegare absque grauissimo peccato. Nam omnino fateri cogor ipsum Christum esse præsentem, quando ipsius corpus & sanguis adsunt: illius verba nequaquam mentiuntur, nec ipse à suo sanguine recessit, adeò vt etiam cùm in sepulchro iaceret, Christus tamen omni honore dignus esset.

Georgius Princeps Anhaldinus.

Scribit se de hoc fidei articulo, Christum in Eucharistia præsentem adorandum esse, anno 1541. cum Luthero contulisse, varijsq; argumentis demonstrasse, Christum non minus in Eucharistia adorandum esse, quàm Spiritum sanctum, si videret ipsum in specie columbæ de cælo descendentem. Quòd si viderem, *ait concione 4. de Sacramento altaris fol. 188.* in genua prouolutus, manibusq; in cælum leuatis, dicerem: Sancte Spiritus miserere mei. Nonne idem mihi igitur faciendum est coram venerabili Sacramento, vbi Christus præsens adest?

Ioannes Brentius.

In Apologia Confessionis VVittebergensis: Confitemur Christum Filium Dei, verum Deum, & verum hominem, semper & vbique siue in cælo, siue in terra, siue in Eucharistia, siue extra Eucharistiam adorandum esse.

Timotheus Kirchnerus.

In Thesauro fol. 586. ex Genes. Tom. 4. fol. 182. cap. 47. hanc Domini Christi in Cœna ex Luthero adorationem confirmat: Cùm in ea, *inquit*, credamus adesse verum corpus, & sanguinem cum Verbo: sic enim Patres adorauerunt Deum, vt promissiones Dei: earumq; signa: sic bonum est, quòd Sacramentum altaris colitur inflexis genibus, quia ibi est verum corpus Domini, &c. Est igitur necessaria adoratio ista, si non corporali inclinatione, at spirituali reuerentia.

ARTICVLVS OCTAVVS.

MIRACVLA AD VERITATEM EVCHARISTIÆ, ET SACRIFICII MISSÆ CONFIRMANDAM DIVINITVS EDITA, A CHRISTI ASCENSIONE, VSQVE AD ANNVM M. D. XCI.

Anno Christi 33.

ET factum est, dum recumberet *Iesus* cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipse euanuit ex oculis eorum. & dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrũ ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? *Luc. 24.*

Anno Christi 80.

Carpus, vir ob eximiam animi munditiem ad Dei speculationem vltra omnes aptissimus, nunquam sacra mysteria celebrauit, nisi prius inter eas preces, quæ antea consummantur, sacra illi ac propria visio apparuisset. *Dionysius Areopagita epistol. 8.*

Anno Christi 100.

Dionysius Areopagita vbi post multas & pernecessarias populi (qui eum sequendo carcerem irruperant) exhortationes, & ad absentes directa institutionum præcepta, Dominica Missarum

solennia

solennia, (vt confirmarentur participatione Corporis & sanguinis Domini fideles,) velut iam in cælis positus celebraret: hora, qua frangebatur panis sanctus, qua ipse & populus communicare debebant, resplenduit huiusmodi lux de cælo super eum, & omnes, qui ibi aderant, qualem nemo eorum antea viderat: in qua veniens apparuit ei Dominus Iesus Christus, etiam cunctis videntibus, quibus est datum videre, cum multitudine Angelorum. *Hildonius Abbas in Vita Dionysii Areopagitæ ca.29. Rosvvita Sanctimonialis idem miraculum descripsit vide pag.673.*

Anno Christi. 130.

Vna dierum, dum Missarum solennia singularis Pontifex ibidem celebraret, & copia filiorum eius, quos verbi semine iuxta Apostolum Deo genuerat, deuota sanctis mysterijs interesset: audenter Iudæus Ecclesiam ingressus maligno instigante spiritu, corpus Dominicum suscipere, atque in sterquilinium proijcere molitus est. Qui inter turbas fidelium ad manus viri Dei perueniens, ausu nefario, immundo ore corpus suscepit Dominicum, quod vt animo reijciendi os aperuit, digna vltione percussus, sine affatu verborum, cunctis videntibus & audientibus, clamare cœpit. Volebat labia iungere, nec valebat: conabatur verba edere, sed lingua rigida officium loquendi non præbebat, & quasi ignitum iaculum in ore portans immensis torquebatur doloribus. Resonabat omnis illa Ecclesia ineptæ vocis clamoribus, & tam egregij virtute miraculi Christi fidelium lætabatur conuentus, &c. *Paulus Diaconus vita SS. Syri & Iuuentij cap.8.*

Anno Christi 200.

Est hodie soror apud nos releuationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter Dominica solennia per ecstasin in spiritu patitur: conuersatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt, & audit Sacramenta, & quorundam corda dignoscit, & medicinas desiderantibus submittit. *Tertullian. de anima cap.9.*

Anno Christi 250.

Præsente ac teste me ipso, accipite quid euenerit. Parentes fortè fugientes, dum trepidi minus sibi consulunt, sub nutricis alimento paruulam filiam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad magistratus. Illi ei apud idolum, quo populus confluebat, quòd carnem necdum posset edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit filiam postmodum mater. Sed facinus puella commissum tam loqui, & indicare non potuit, quàm nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptum est, vt sacrificantibus nobis eam secum mater inferret. Sed enim puella mixta cum sanctis, precis nostræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æstu cœpit fluctuabunda iactari, & velut tortore cogente, quibus poterat indicijs conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Vbi verò solennibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus eius aduenit: faciem suam paruula instinctu diuinæ maiestatis auertere, os labijs obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus & vomitus. In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit: sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit. Tanta est potestas Domini, tanta maiestas, secreta tenebrarum sub eius luce detecta sunt, sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt. Hoc circa infantem, quæ ad eloquendum alienum circa se crimen necdum habuit ætatem. At verò ea, quæ ætate prouecta, & in annis adultioribus constituta sacrificantibus nobis latenter obrepsit, non cibum sed gladium sibi sumens, & velut quædam venena lethalia inter fauces & pectus sanguinem admittens, angi, & anima exæstuante concludi postmodum cœpit. Et pressuram iam non persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans & tremens concidit. Impunitum diu non fuit, nec occultum dissimulatæ conscientiæ crimen: quæ fefellerat hominem, Deum sensit vltorem. Et cùm quædam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere. Et alius, qui & ipse maculatus, sacrificio à sacerdote celebrato partem cum cæteris ausus est latenter accipere: sanctum Domini edere, & contrectare non potuit: cinerem ferre se apertis manibus inuenit. Documento vnius ostensum est, Dominum recedere, cùm negatur: nec immerentibus ad salutem prodesse, quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem, sanctitate fugiente, mutetur. *Cyprianus libro de lapsis.*

Anno Christi. 256.

Eodem die idolorum cultores Diaconum quendam inuenerunt, Tharsitium nomine, qui purissimum Christi corpus ferebat. Comprehenderunt igitur illum milites: cumquè curiosius ab illo inquirerent, quidnam secum ferret, & ipse indignum iudicaret ante porcos margaritas proijcere, nulla ratione adduci potuit, vt sanctissimum ac purissimum Christi Sacramentum impuris hominibus reuelaret. Virgis igitur & lapidibus eò vsque Tharsitium contuderunt, quoad spiritum efflauit. Cùm verò eius corpus exanime per terram volutaretur, curiosi & sacrilegi milites neque sub vlnis intra manicas, neque sub vestibus aliquid inuenire potuerunt. *Simon Metaphrastes vita S. Stephani Papæ & Martyris cap.17. Vsuardus in Martyrologio. Guitmundus de corpore & sanguine Domini libro 2.*

Anno Christi 260.

Erat apud nos Serapion fidelis senex, qui tandem lapsus, sæpe in Ecclesiam recipi supplex postulabat: sed nemo, quia idolis sacrificasset, eius postulationi aliquando auscultauit. Quin in grauem morbum delabens, triduò deinceps mutus, & absque sensu vixit: quartò autem die paulatim releuatus, nepotem ad se accersit, sicquè alloquitur: Quousque, fili, me detinetis? properate obsecro, & me ocyus dimittite. Aliquem ex Presbyteris aduoca ad me. Quæ cùm dixisset, iterum fuit mutus. Puer currit ad Presbyterum: nox iam erat: ille fortè morbo vexatus, accedere ad eum non poterat: sed tamen, quoniam à me quidem mandatum dabatur, vt qui iam essent vita emigraturi, sanctorum mysteriorum (dummodò peterent, & vel maximè, si antea, dum integra valetudine erant, supplices petiuissent) participes fierent, sicqúe cum pace dimissi, & bona spe confirmati, ex hac luce decederent, puero exiguam quandam Eucharistiæ partem dedit, præcipiens, vt eam madefactam in os senis infunderet. Quam puer secum adferens redijt: cui iam appropinquanti, priusquam cum eo, quod gestabat, intraret ædes, Serapion denuò voce recuperata dixit: Venisti fili? tametsi Presbyter non potest venire, tu tamen præsta, quod tibi in mandatis dedit, & dimitte me abire. Particulam igitur puer, quam apportarat, madefactam in os senis infudit. Atque ille, simulatque eam pedetentim per fauces dimiserat, ilicò extremum spiritum edidit. *Dionysius Alexandrinus Epist. ad Fabium Antiochenum apud Eusebium lib.6. cap.36.*

Anno Christi 390.

Macarius nobis narrauit (erat enim Presbyter) se obseruasse tempore communionis Christi Sacramentorum, se Marco Exercitatori nunquam dedisse oblationem, sed ei Angelum dedisse ex ara: solum autem se vidisse digitum manus eius, qui dabat. *Palladius historia Sanctorum Patrum cap. 20. Sozomenus lib. 6. cap. 29.*

Vidimus in AEgypto Presbyterum virum sanctum, & valde humilem, & assiduè videntem visiones, nomine Ammonam. Is aliquando offerens Deo cultum, videt Angelum stantem à dextris altaris, & signantem fratres accedentes ad gratiam, & scribentem in libro eorum nomina. Cùm autem non adfuissent aliqui in synaxi, vidit deleri eorum nomina, qui post tres dies sunt mortui. *Palladius historia Sanctorum Patrum cap. 72.*

Anno Christi 400.

Per id tempus, quo sacerdos sacrificium perficit, & Angeli illi assident, & cælestium Potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Id quod credere abundè licet vel ex tanto sacrificio, quod tum peragitur. Ego verò & commemorantem olim quendam audiui, cùm diceret senem quendam virum admirabilem, & cui reuelationum mysteria multa diuinitus fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum à Deo esse, ac per illud quidem tempus Angelorum multitudinem conspexisse (quatenus aspectus humanus ferre poterat) fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circundantium: denique sic capite inclinatorum, vt si quis milites præsente rege stantes videat. Alius quidam mihi narrauit, non ille quidem ab alio doctus, sed dignus habitus, qui id & vidisset ipse, & audisset, quòd qui de hac vita emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum munda ac pura conscientia fuerint participes, spiritum efflaturi, ab Angelis eorum animæ, satellitum more stipantibus propter assumptum illud sacrum, rectà in cælum abducuntur. *Ioannes Chrysostomus lib. 6. de sacerdotio.*

Sectator quidam hæreseos Macedonianæ eiusdem sectæ vxorem habebat: hic cùm Ioannem Chrysostomum de syncera erga Deum religione disserentem fortè audiuisset, doctrinam amplexus, & vxorem quoque vt sibi consentiret, hortatus est: & quoniam illa notarum mulierum solita consuetudine captiua teneretur, vt maritus, quamuis admonuisset sæpe, nihil tamen proficeret, nisi, inquit, mihi in religione consors fueris, ne in vitæ quidem communione posthac eris. Ibi mulier data fide se id facturam, cum ancilla quadam, quam fidam arbitrabatur, de hac re communicat: eamqúe sibi ad fraudem marito faciendam sociam adiungit. Itaque tempore communionis illa quod acceperat continens, velut oratura procumbit: famula interim astans, furtim porrigit id, quod manibus adueniens ferebat: quod quidem simulatque dentibus admotum esset, in lapidem induruit. Tunc mulier timore consternata, ne quid sibi grauius eueniret, ob tantum miraculum in se diuinitus editum, cum festinatione ad Episcopum accurrit, seipsam indicat, ac lapidem ostendit: qui manifesta vestigia morsus, sed materiam ignotam, & inusitatum quendam colorem referebat. Cumqúe profusis lachrymis veniam impetrasset, cum marito deinceps concors vixit. Si cui autem hæc verisimilia esse non videntur, testis est ipse lapis, qui etiamnum hodie inter Constantinopolitanæ vrbis cimelia conseruatur. *Sozomenus libro 8. cap. 5.*

Hesperius vir Tribunitius, qui apud nos in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum habet, vbi cùm afflictione animalium & seruorum domum suam spirituum malignorum vim obnoxiam perpeti comperisset, rogauit nostros, me absente, Presbyteros, vt aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis & sanguinis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio, Deoqúe protinus miserante cessauit. *Augustinus de Ciuitate Dei lib. 22. cap. 8.*

Cùm sacra peragaretur mystagogia, diuinusqúe panis esset propositus, (ô tuam Christe potentiam & benignitatem!) infans visus est eodem tempore tribus senibus is panis, qui in sacra mensa erat propositus. Deinde cùm sacerdos ad hoc, vt panem in frusta diuideret, iam manum extendisset, visus est eis Angelus, qui supernè deuolauerat, & gladium in manu habebat. Qui cùm propositum infantem sacrificasset, deinde eius sanguinem fundebat in calicem: & quamdiu sacerdos panem in parua frusta frangebat, tamdiu quoque poterant videre Angelum, secantem partes ex carne pueri. Cùm autem accessisset is, qui errabat senex, vt esset particeps sacrificij, carnis mundæ & cruentæ apertè fuit particeps. Hoc visum ab illo sene, & illius non sanum correxit iudicium, & effecit, vt Deo offerret gratiarum actionem cum lachrymis, aliisqúe senibus illius correctio fuit argumentum lætitiæ. *Simeon Metaphrastes vita Arsenij Eremitæ cap. decimoquarto.*

Anno Christi 418.

Hora circiter septima Missam Dominicam solenniter cœpimus celebrare. Nam dum nos aduenientes ad Christi fidem Iudæos vel exhortamur, vel adnotamus, populus autem tanti gaudij epulis saginatus, carnalium non meminisset escarum, pars diei maior excurrerat. Cùm igitur in Ecclesia, in qua sancti Martyris Stephani nuper reconditæ Reliquiæ conquiescunt, nobiscum pariter plebs vniuersa Missam operiebatur, duo quidam Monachi, quos Dominus testes suorum miraculorum prælegit, in campo, qui ante fores Ecclesiæ protenditur, in herbis accubabant. Erat globus quidam candidissimi luminis, proceritate sui staturam quasi hominis adæquans, instar vasculorum, quæ vulgo ocreæ appellantur: tantæ verò claritatis, & fulgoris, vt visum fuit, quòd frater, qui id prior notauit (sicut ipso referente cognouimus) sol decidere videretur: hic, sicuti istis visum est, quasi trans Basilicam, in qua vniuersus nobiscum populus consederat, lento lapsu dimittebatur. Verùm ita propinquum putauêre, vt se idem frater stupore perculsus cursu præriperet, existimans id post Basilicam decidisse, sed ab illo retractus frater gressum inhibuit. Illa autem ita quidem sibi visum, tamen longius fuisse, non quasi certus, sed vt æstimans astruebat: verùm hoc, vtrum Angelus, an ipse Stephanus, quod visum est fuerit, incertum est. *Seuerus Minoricensis epistola ad omnem Ecclesiam.*

Anno Christi 420.

Sacra Communio ab homine dæmoniaco percepta eum, qui in membris eius insidet, spiritum, seu in ipsis latitare cognoscitur, velut quoddam exurens fugat incendium. Hoc namque modo curatum & Abbatem Andronicum nuper aspeximus, aliosqúe complures. Magis namque ac magis inimicus insultabit obsesso, cùm eum à cælesti medicina viderit segregatum: tantoqúe dirius ac frequentius attentabit, quanto eum ab spirituali remedio longius senserit abdicatum. *Ioannes Cassianus Collat. 7. cap. 30.*

Anno Christi 450.

Nostris quoque temporibus Aspere VI. Cos. Carthagini constituto, ascendente nobiscum sacerdote, vt matutinum illic sacrificium solito offerretur, puellam quandam dæmoniacam Præpositus ad altare perduxit, eo incessu & habitu, quo solent rubore perfusæ ex epulis, poculisque mulieres aduenire. Sed vt illa se prostrauit altari, clamore fletus sui cunctis astantibus gemitus lachrymasque induxit, quibus tantum malum auferendum præsens plebs Dominum exorabat. Peracto itaque sacrificio, cùm eadem inter cæteras breuem particulam corporis Domini tinctam à sacerdote perciperet, semihora mandens traijcere non valuit, nondum illo fugato, de quo dicit Apostolus: *Quæ consonantia Christi ad Belial? Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participare, & mensæ dæmoniorum.* Manu igitur faciem eius sustentante sacerdote, ne sanctum proijceret, à quodam Diacono suggestum est, vt calicem salutarem gutturi eius Pontifex applicaret. Quod vt factum est, statim locum illum, quem diabolus obsederat, Saluatoris imperio reliquit: Sacramentum, quod ore gestabat, cum laude Redemptoris, transglutisse puella clamauit. Hinc lætitia, hinc voces in gloriam Dei, quòd post octoginta & duos dies diabolo expulso, puella de potestate fuerit erata inimici. Oblatio itaque rursum gratiarum actionis pro ea fit, sacrificijque percipiens certam partem, prisco est reddita vsui. *Prosper de Promissionibus & Prædictionibus Dei lib.4. cap.6.*

2.Cor.10

1.Cor.6.

Anno Christi 460.

Ex hominibus quidem excedit Theodosius: à Ruban verò ad Lauram redit magnus Euthymius, & aliquando quidem vno Sabbatorum ille quidem Deo ministrabat, & ei incruentum obtulit sacrificium? Domitianus autem astabat ad dextram cum mystico illo ventilabro, cùm iam esset peragenda ter Sancti glorificatio, Terebonque Saracenus, & Chrysippi frater Gabrielius, alter quidem prope, alter verò stans intra aram, (ô magnam Christe tuam in Euthymium gratiam,) vident ignem, veluti in quodam diffusum linteo, desuper descendentem. quin etiam ipsum Euthymium, & cum eo Domitianum, intus complexum, sic circa ipsos permansisse ab initio ter Sancti vsque ad completum sacrum ministerium. Terebon autem metu correptus, & exterritus ab ara recessit, & non amplius audacter & temere ingressus est adyta: sed in templi constitit vestibulo, cum magna in Synaxin reuerentia, vt postea mihi narrauit Cyriacus Anachoreta, qui hæc audierat à Terebone, & Gabrielio, qui viderant. Aiunt verò eum quoque aliquando dixisse quibusdam fratribus, qui cum eo seorsim versabantur, quòd sæpe videret terribilem Angelorum visionem, vnà secum Deo ministrantem, & sacra contrectantem, & quòd in Dominici corporis sumptione aliquos quidem ex eis, qui accedebant, videret illuminari, aliquos verò veluti obscurari, & morte affici, quicunque scilicet erant indigni ea luce & splendore. *Cyrillus Eremita in vita sancti Euthymij.*

Anno Christi 490.

Castrum quoddam est inter Persas & Indos nomine Tzundadeero. Cùm rex Coades multas in illo pecunias & lapides pretiosos asseruari audisset, volebat eius rei veritatem cognoscere, verùm dæmones locum illum inhabitantes, Coadem ab eo, quod quærebat, impediebant. Cunctam itaque magiam suam Magi illius impenderunt, sed frustra: adhibita est & Iudæorum magia, neque sic tamen voti compos euasit: cogitauit per Christianos amoliri dæmones illos. Episcopus itaque Christianorum in Persia, peracta super ea re synaxi, & acceptus diuinis mysterijs, & in Christianos, qui aderant, dispensatis, signo crucis dæmones profligauit, & castrum Coadi sine vlla molestia tradidit. *Theodorus Lector lib. 2. Collectaneorum.*

Anno Christi 530.

S. Montanus Toletanus Episcopus ad explosionem infamiæ tamdiu prunas ardentes vestimentis tenuit, donec coram Sedis suæ altari sacro totius Missæ celebritatem per semetipsum expleret. Peractis autem solennibus, nec prunæ ignem, nec vestis inuenta est amisisse decorem. Tum Deo relatis gratiarum actionibus, quia per simplicem naturam ignis cognita esset & fallacia detestabilis accusantis, & innocentia beatissimi sacerdotis. *Ildefonsus libro de viris illustribus.*

Anno Christi 532.

Agapetus orationi incubuit, & Missarum solennia exorsus, sacrificium in conspectu omnipotentis Dei immolauit. Quo peracto, ab altari exiens, claudi manum tenuit, atque assistente ac aspiciente populo eum mox à terra in proprijs gressibus erexit: cumque ei Dominicum corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lingua soluta est. *Gregorius Magnus libro tertio Dialogorum cap.3.*

Anno Christi 550.

Menæ temporibus miraculum editum fuit planè memorabile. Vetus consuetudo fuit Constantinopoli, vt si quando multæ admodum particulæ puri & immaculati corporis Christi Dei nostri superessent, pueri impuberes, qui scholam frequentabant, accerserentur, easque manducarent. Quod cùm factum fuit, filius cuiusdam hominis, Hebræi quidem opinione, arte autem vitriarij, vnà cum pueris versatus est: qui quidem parentibus percunctantibus ab eo causam moræ, respondit, vti se res habuit, se cum alijs pueris pariter comedisse. Hebræus bile, furore & iracundia inflammatus, in clibanum ardentem, in quo vitrum formare solebat, puerum coniecit. Postquam verò mater puerum quæritans reperire non potuit, passim per totam vrbem ibat, Deum cum gemitu obtestans, & flebilibus lamentis se dedens. Triduo autem pòst ad ostium officinæ viri sui consistens, luctu miserabiliter diuexata nomine puerum compellat. Puer matris vocem vt agnouit, è clibano responsum dat. Mater effractis foribus intro irrumpit, videt puerum in medijs carbonibus candentibus consistentem, illæsum ab ignis incendio. Qui cùm rogaretur, quo pacto illæsus manserit? Mulier, inquit, veste amicta purpurea crebrò ad me venit, porrexit aquam, qua carbonum flammas corpus ambientes extinguerem, cibum denique dedit, quoties esuriebam. Qua re ad Iustinianum perlata, puerum cum matre lauacro regenerationis tingendos decernit, patrem autem pueri, qui recusauit in numerum Christianorum ascribi, in Sycis cruci affigendum curauit. *Euagrius lib.4. cap 35.*

Recolo, quòd in adolescentia mea gestum audiui, Dies passionis erat Polycarpi Martyris, & in Ricomagensi vico ciuitatis Auerniæ eius solennia celebrabantur. Lecta igitur passione, cum reliquis lectionibus, quas Canon sacerdotalis inuexit, tempus ad sacrificium offerendum aduenit, accepta turre Diaconus, in qua mysterium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium, ingressusque templum, vt eam altari superim-

pone-

poneret, elapsa de manu eius ferebatur in aëra, & sic ad ipsam aram accedens, nunquam eam manus Diaconi potuit assequi. Quod non alia credimus actum de causa, nisi quia pollutus erat in conscientia. Sæpius enim ab eodem adulteria ferebantur admissa. Vni tantùm Presbytero, & tribus mulieribus, ex quibus vna mater mea erat, hęc videre licitum fuit, cæteri non viderunt. Aderam, fateor, & ego túnc temporis huic festiuitati, sed videre non merui. *Gregorius Turonensis de gloria Martyrum cap. 86.*

Anno Christi 560.

Epachius Presbyter dum temerè, quæ indignus erat, agere præsumpsisset, diuino iudicio solo proiectus occubuit. Hic enim dum Dominici natalis Vigilias celebrare Ecclesiam expetisset, per singula horum momenta egrediebatur è templo Dei, ac in domo sua pocula lasciua spumantibus pateris hauriebat, ita vt affirmarent multi, cum post galli cantum in ipsa nocte vidisse bibentem. Sed cùm esset ex genere Senatorio, & nullus in vico illo Ricomagensi iuxta seculi dignitatem illo haberetur nobilior, celebrare solennia Missarum expetitur. Nec dubitat miser vino madefactus appetere, quod ieiunus quisque non sine metu potest terrente conscientia explicare. Verùm vbi explicitis verbis sacris, confracto Dominici corporis Sacramento, & ipse sumpsit, & alijs distribuit ad edendum: mox equini hinnitus ad modum vocem emittens, ad terram ruit, ac spumas, cum ipsa mysterij sacri particula, quam dentibus comminuere non valuit, ab ore proijciens, inter manus suorum ab Ecclesia deportatur. Nec caruit vltra hac epilepsiæ infirmitate, sed per singulos lunares cursus incrementis, decrementisque hæc semper pertulit, quia ab haustu nimio vini minimè infelix abstinuit. *Gregorius Turonensis de gloria Martyrum cap. 87.*

Anno Christi 570.

Multi vestrum Castium Narniensis vrbis Episcopum nouerunt, cui mos erat quotidianas Deo hostias offerre: ita vt penè nullus dies vitæ eius abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. Cui cum sacrificio valde etiam concordabat vita: nam cuncta, quæ habebat, in eleemosynis distribuens, cùm ad horam offerendi sacrificij venisset, velut totus in lachrymis diffluens, semetipsum cum magna cordis contritione mactabat. Cuius & vitam, & exitum, à quodam venerabilis vitæ Diacono, qui fuerat ab eo nutritus, referente, cognoui. Aiebat enim, quòd quadam nocte eius Presbytero per visum Dominus astitit, dicens: Vade, & dic Episcopo: Age, quod agis: operare, quod operaris, non cesset manus tua, Natali Apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Surrexit Presbyter, sed quia è vicino Apostolorum natalitius dies imminebat, tam propinqui exitus diem Episcopo nuntiare pertimuit. Alia nocte Dominus redijt, eiusque inobedientiam vehementer increpauit, atque eadem iussionis suæ verba retexuit. Tunc Presbyter surrexit, vt pergeret: sed rursus infirmitas cordis impedimento facta est indicandæ reuelationis, & ad admonitionem quoque iteratæ iussionis obduruit pergere, & quæ viderat manifestare neglexit. Sed quia magnam mansuetudinem contemptæ gratiæ maior sequi solet ira vindictæ, visione tertia Dominus apparens, iam verbis addidit verbera, & tam districta cæde mactatus est, vt in eo duritiam cordis emollirent vulnera corporis. Surrexit ergo eruditus ex verbere, perrexit ad Episcopum, eumque iam ex more, iuxta B. Iuuenalis Martyris sepulchrum ad offerendum sacrificium consistentem reperit, secretum à circunstantibus petijt, seque eius pedibus strauit, &c. Episcopus his auditis, se in orationem magna cum cordis contritione prostrauit, & qui oblaturus sacrificium ad horam tertiam venerat, hoc pro extensæ orationis magnitudine ad horam nonam vsque protelauit. Atque ex illo iam die magis, magisque aucta sunt ei lucra pietatis, factusque est tam fortis in opere, quàm certus ex munere, &c. *Gregorius Magnus Homilia 37. in Euangelia.*

Anno Christi 580.

Hoc quoque, quod audiuimus, quendam apud hostes in captiuitate positum, & in vinculis religatum fuisse, pro quo sua coniunx diebus certis sacrificium offerre consueuerat, qui longo post tempore ad coniugem reuersus, quibus diebus eius vincula soluerentur, innotuit: eiusque coniunx illos fuisse dies, in quibus pro eo sacrificium offerebat, recognouit. Ex alia etiam re, quæ nobis ante annos septem gesta est, certissimè confirmatur: Agathus enim Panormitanus Episcopus, sicut fideles mihi & religiosi viri multi testati sunt, atque testantur, cùm beatæ memoriæ antecessoris mei tempore iussus esset, vt Romam veniret, vim nimiæ tempestatis pertulit, ita vt se ex tanto vndarum periculo euadere posse diffideret. Nauta verò illius Baraca nomine, qui nunc eiusdem Ecclesiæ clericatus officio fungitur, post nauem carabum regebat, ruptoque fune, cum eodem carabo, quem regebat, inter vndarum cumulos repente disparuit. Nauis autem, cui Episcopus præerat, tandem post multa pericula ad Vsticam insulam fluctibus quassata peruenit. Cumque die tertio Episcopus nautam, qui ab eo abreptus in carbo fuerat, in nulla maris parte videret apparere, vehementer afflictus mortuum credidit, sed per obsequium charitatis viuo vnum, quod mortuo debebat, impendit: & omnipotenti Deo pro absolutione illius animæ sacrificium offerre victimæ salutaris iubet: quo oblato, restaurata naue, perrexit ad Italiam. Cumque ad Romanum portum venisset, illic nautam reperit, quem mortuum putabat. Tunc inopinata exultatione gauisus est, & eum qualiter tot diebus in tanto maris periculo viuere potuisset, inquisiuit. Qui videlicet indicauit, quoties in illius tempestatis fluctibus cum eodem, quem regebat, fuisset carabo versatus, qualiter cum illo vndis pleno natauerat, & quoties eo à superiori parte deorsum verso ipse carinæ eius supersederat adiungens, cùm diebus & noctibus hoc incessanter faceret, iamque eius virtus funditus ex fame simul & labore cecidisset, quo cum ordine diuina misericordia seruauerit, indicauit. Etenim quod etiam nunc vsque testatur, dicens: laborans in fluctibus, atque deficiens, subitò mentis pondere sum grauatus, ita vt neque vigilare me crederem, neque depressus somno essem: & ecce in eodem medio mari me posito, quidam apparuit, qui mihi panem ad refectionem detulit. Quem mox vt comedi, vires recepi, nec longè post nauis transiens adfuit, quæ me ab illo vndarum periculo suscepit, atque ad terram deduxit. Quod scilicet Episcopus audiens, requisiuit diem, atque illum fuisse diem reperit, quo pro eo Presbyter in Vstica insula Deo omnipotenti hostiam sacræ oblationis immolauit. *Gregorius Magnus lib. 4. Dialogorum cap. 57.*

Cùm venissemus Seleuciam, conuenimus Abbatem Theodorum Episcopum eiusdem ciuitatis. Ille autem narrauit nobis, dicens: Sub sanctæ memoriæ Dionysio huius ciuitatis Episcopo prædecessore meo tale quiddam contigit. Vir quidam erat in hac ciuitate negotiator valde religio-

ligioſus & diues, ſed hæreticus. Erat enim de Seueri ſectatoribus. Habebat autem ſeruum fidelem quendam, ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ communicantem. Hic iuxta prouinciæ conſuetudinem die ſancto Cœnæ Dominicæ ſumptam communionem inuoluit in linteo mundiſsimo, & in armario repoſuit. Contigit autem, vt poſt ſanctum Paſcha vir ille fidelis mitteretur Conſtantinopolim, negotij cuiuſdam gratia, dimiſſa per obliuionem ſancta Communione in armario. Dedit autem eius clauem domino ſuo. Quadam verò die aperiens armarium dominus, inuenit linteolum, inuolutaſqúe in eo ſanctas particulas Communionis. Contriſtatus eſt autem in hoc, & hæſitabat, quidnam de illis faceret. Nam ex ipſis communicare nolebat, eò quòd eſſent ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ: ipſe verò Seuerianæ hæreſis. Et tunc quidem dimiſit eas in armario, vt erant, cogitans, quia rediturus eſſet ſeruus, & ſumpturus eas. Cùm autem veniſſet Cœna Domini, neque ſeruus ille fidelis rediſſet, voluit eas dominus ipſius comburere, ne rurſus & in ſecundum annum ſeruarentur. Apertoqúe armario videt omnes ſanctas particulas culmos & ſpicas germinaſſe. Vnde ingenti timore comprehenſus in nouo admirandoqúe ſpectaculo, ſumens ſanctas particulas, & cum omni domo ſua clamans Kyrie eleiſon, cucurrit ad ſanctam Eccleſiam, ad ſanctum venerabilem Dionyſium Epiſcopum. Hoc autem magnum, & terribile, & omnem rationem, omnemqúe mentem excedens miraculum non vnus, aut duo, aut tres, vel pauci aliqui viderunt; ſed omnis Eccleſia, ciueſqúe, & ruſtici, indigenæ, & hoſpices, &c. *Ioannes Moſcus in Prato ſpirituali cap. 79.*

Anno Chriſti 590.

Materfamilias quædam nobilis erat in ciuitate Romana, quæ religionis & deuotionis ſtudio oblationes facere, & die Dominico ad Eccleſiam deferre, ſummoqúe Pontifici Eccleſiaſticæ conſuetudinis, & familiaritatis gratia offerre ſolebat. Hæc vbi quadam die ex more ad communicandum de manu Apoſtolici in ordine ſuo accederet, illiqúe partem Dominici corporis porrexiſſet, dicens: *Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti proſit tibi in remiſsionem peccatorum, & vitam æternam,* illa ſubriſit. Quod vir Domini Gregorius cernens, illi communionem retraxit, & ſeparatim ſuperaltare repoſuit, eamqúe Diacono ſeruandam, vſque dum cuncti communicarent fideles, tradidit. Expletis verò ſacris myſterijs interrogauit eam Beatus Gregorius: Dic rogo, dic quid cordi tuo immerſerit, quòd communicatura riſiſti? at illa: Recognoui, inquit, portiunculam illam ex eadem oblatione fuiſſe, quam ego meis manibus feci, & tibi obtuli: & cùm eam te intellexeram corpus Domini appellaſſe ſubriſi. Tunc ſanctus Domini Pontifex ſermonem habuit ad populum, hortatuſqúe eſt eum, vt ſuppliciter Dominum exoraret, quatenus ad multorum fidem corroborandam carnis oculis oſtenderet, quod infidelitas huius mulieris mentis oculis videre, & fidei lumine conſpicere debuiſſet. Quod cùm fuiſſet oratum, ipſe vnà cum populo, eademqúe muliere ab oratione ſurrexit, & in altari cunctis cernentibus, & ſeſe ad ſpectandum cæleſte miraculum comprimentibus, corporaliter palam reuelat, & vniuerſo populo, atque ipſa muliere contuente, partem digiti auricularis ſanguine cruentatam inuenit, ac mulieri dixit: Diſce veritati, vel modò etiam con-
Ioan. 6. teſtanti credere: *Panis, quem ego dabo vobis, caro mea eſt. Et: Sanguis meus verè eſt potus.* Sed præſcius Conditor noſtræ infirmitatis, ea poteſtate, qua cuncta fecit ex nihilo, & corpus ſibi ex carne ſemper Virginis operante Spiritu ſancto fabricauit, panem & vinum aqua mixtum, manente propria ſpecie, in carnem & ſanguinem ſuum ad Catholicam precem, ob reparationem noſtram, ſpiritus ſui ſanctificatione conuertit. Indeqúe vniuerſos diuinam iuſsit precari potentiam, vt in formam priſtinam ſacroſanctum reformaret myſterium, quatenus mulieri ad ſumendum eſſet poſsibile. Quod & factum eſt. Vnde & mulier poſt in ſancta religione ac fide proficiens, participatione Dominici Sacramenti conſecrata eſt, & omnes, qui viderant, in diuino amore, & orthodoxa credulitate feruentius excreuerunt. *Paulus Diaconus. & Ioannes Diaconus de vita Gregorij Magni: Guitmundus Auerſanus de Sacramento libro 3.*

Anno Chriſti 600.

Quaſi triginta miliaribus ab Ægina ciuitate Ciliciæ Stylitæ duo erant ſeparati ab inuicem ſex millibus paſſuum. Ex his alter ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ communicabat: alter autem, qui etiam plus temporis in columna egerat, Seuerianæ impietatis erat: varijſqúe modis hæreticus Catholicum criminabatur. Ille verò diuinitus inſpiratus, petijt ab eo, vt partem ſibi mitteret communionis ſuæ: qui gaudio elatus, quòd quaſi illum ſeduxiſſet, protinus miſit, nihil hæſitans. Suſcipiens itaque Catholicus miſſam ſibi ab hæretico Seueriani ſectatore particulam, in feruentem ollam iniecit, moxqúe reſoluta eſt. Sumptam quoque Catholicæ Eccleſiæ ſanctam communionem in eam coniecit: ſtatimqúe feruens olla refrigerata eſt, & ſancta communio permanſit integra, neque madefacta eſt. Quam & diligenter ſeruauit, & oſtendit nobis, cùm ad illum veniſſemus. *Ioannes Moſcus in Prato ſpirituali cap. 29.*

Theodorus Archimandrita ingreſſus oppidum, iuſsit vt adoleſcens, qui oris titubantia prope mutus & elinguis erat, ſe in Eccleſiam ſequeretur: & cùm diuina myſteria diſtribuiſſet, præcepit, vt adoleſcens accederet, & pro ille precatus Deum, os illi aperuit, & ter inſlauit: cumqúe illum ſigno crucis obſignaſſet, ſanctum Chriſti Corpus impertiuit: In nomine, inquiens, Domini noſtri Ieſu Chriſti loquere, & Dei gratia ſtatim locutus eſt, *Amen* dicens: *Georgius Presbyter in eius vita, vide plura ibidem.*

Quodam die, cùm in hoc Archangeli oratorio ſacra myſteria celebraret, facta eſt facies eius hilaris & læta, & magna gloria gratiaqúe ſplendens. Et vnus è fratribus, nomine Iulianus Presbyter, vir admodum pius, cùm faciem eius tam hilarem & lætam aſpexiſſet, proſtratus ante eum: Dum ſacrificas, inquit, Pater, aliquando nulla fit in vultu tuo commutatio: ſæpius autem vultum videmus tuum magno ſplendore gratiaqúe fulgentem: quamobrem nos item hilaritate perfundimur, & gaudemus: quemadmodum & hodie contigit. Obſecro te per Dominum, vt mihi huius rei cauſam exponas. Tum Chriſti ſeruus ſe excuſare, & narrationem ſubterfugere: ille contra ſupplex & obteſtans inſtare. Tandem beatus vir: Quando, inquit, me ſacrificantem lætiorem cernis, ſcito me viſionem videre. Video enim tamquam verum & ſplendidiſsimum velum ſuper ſancta munera deſcendens inter ſacrificandum. Et quoties hoc cerno, lætor & exulto. Neque enim ſemper id video, & idcirco haud ſemper vultus eſt hilaris. Cùm autem ad horam non aſpicio, rem protraho, expectans dum videam id, quod & hodie mihi demonſtratum eſt. *Georgius Presbyter in vita Theodori Archimandritæ.*

Anno Christi 650.

Eligius in Ferijs beati Martini quandoque more suo inter Missarum solennia post Euangelij lectionem ad populum concionabatur: sed eius vocem amplius duodecim dæmoniaci in templo debacchantes valde interturbabant. Tum ille porrecta in eos manu præcepit in nomine Iesu Christi, vt dum ipse concionaretur nemo illorum mutire ausus esset. Parent ilicò, nec solùm clamor omnis conquiescit, sed etiam plerique dæmones non ferentes vim verborum eius, relictis, quos obsidebant, pudefacti aufugiunt. *Audoenus lib. 2. vita Eligij cap. 23.*

Anno Christi 670.

In prælio, quo occisus est rex Elbuini, memorabile quoddam factum esse constat, quod nequaquam silentio prætereundum arbitror, sed multorum saluti, si referatur, fore proficuum. Occisus est ibi inter alios de militia eius iuuenis vocabulo Imma, qui cùm die illo & nocte sequente inter cadauera occisorum similis mortuo iaceret, tandem recepto spiritu reuixit, ac residens sua vulnera, prout potuit, ipse alligauit. Deinde modicum requietus leuauit se, & cœpit abire sic, vbi amicos, qui sui curam agerent, posset inuenire. Quod dum faceret, intuentus est & captus à viris hostilis exercitus, & ad dominum ipsorum, Comitem videlicet Edilredi regis, adductus. A quo interrogatus quis esset, timuit se militem fuisse confiteri, rusticum se potius & pauperem, atque vxorio vinculo colligatum fuisse respondit, & propter victum militibus adferendum in expeditionem se cum sui similibus venisse testatus est. At ille suscipiens eum, curam vulneribus egit, & vbi sanari cœpit, noctu eum, ne aufugeret, vinciri præcepit, nec tamen vinciri potuit. Nam mox, vt abiêre qui vincierant, eadem sunt eius vincula soluta. Habebat enim germanum fratrem, cui nomen erat Tunna, Presbyterum & Abbatem Monasterij in ciuitate, quæ hactenus ab eius nomine Tunnacestir cognominatur. Qui cùm eum in pugna peremptum audiret, venit quærere, si fortè corpus eius inueniri posset, inuentumque alium illi per omnia similimum putauit ipsum esse, quem ad Monasterium suum deferens, honorificè sepeliuit, & pro absolutione animæ eius sæpius Missas facere curauit. Quarum celebratione factum est, quod dixi, vt nullus eum posset vincire, quin continuò solueretur. Interea Comes, qui eum tenebat, mirari & interrogare cœpit, quare ligari non posset: an fortè litteras solutorias, de quibus fabulæ ferunt, apud se haberet, propter quas ligari non posset. At ille respondit, nihil se talium artium nosse: sed habeo fratrem, inquit, Presbyterum in mea prouincia: & scio, quia ille me interfectum putans, pro me Missas crebras facit, & si nunc in alia vita essem, ibi anima mea per intercessiones eius solueretur à pœnis. Dumque aliquanto tempore apud Comitem teneretur, animaduerterunt, qui eum diligentius considerabant, ex vultu, & habitu, & sermonibus eius, quia non erat de paupere vulgo (vt dixerat,) sed de nobilibus. Tum secretè aduocans eum Comes interrogauit intentius vnde esset, promittens se nihil ei mali facturum pro eo, si simpliciter sibi quis esset, proderet. Quod dum ille faceret, ministrum se regis fuisse manifestans, respondit: Et ego per singula tua responsa cognoueram, quòd rusticus non eras. Et nunc quidem dignus es morte, quia omnes fratres, & cognati mei in illa sunt pugna interempti: nec te tamen occidam, ne fidem mei promissi præuaricem. Vt ergo conualuit, vendidit eum Lundoniam Fresoni cuidam: sed nec ab illo, nec cùm illuc duceretur, vllatenus potuit alligari. Verùm cùm alia atque alia vinculorum genera ei hostes imponerent, dissoluta sunt. Cumque videret qui emerat, eum vinculis non posse cohiberi, donauit ei facultatem sese redimendi, si posset. A tertia enim hora, quando Missæ fieri solebant, sæpissimè vincula soluebantur. At ille dato iureiurando vt rediret, vel pecuniam illi pro se mitteret, venit Cantiam ad regem Lodhere, &c. perijtque, & accepit ab eo pretium redemptionis, ac suo domino pro se (vt promiserat) misit. Qui post hæc in patriam reuersus, atque ad suum fratrem perueniens, replicauit ex ordine cuncta, quæ sibi aduersa, quæve in aduersis solatia prouenissent. Cognouitque referente eo, illis maximè temporibus sua fuisse vincula soluta, quibus pro se Missarum fuerant celebrata solennia. Sed & alia, quæ periclitanti ei commoda contigissent, & prospera per intercessionem fraternam & oblationem hostiæ salutaris cælitus sibi fuisse donata, intellexit. Multique hæc à præfato viro audientes, accensi sunt in fide, ac deuotione pietatis ad orandum, vel ad eleemosynas faciendas, vel ad offerendas Domino victimas sacræ oblationis, pro ereptione suorum, qui de seculo migrauerant. Intellexerunt enim, quòd sacrificium salutare ad redemptionem valeret & animæ & corporis sempiternam. Hanc mihi historiam etiam quidam eorum, qui ab ipso viro, in quo facta est, audiêre, narrârunt: vnde eam, quam liquidò comperi, indubitanter historiæ nostræ Ecclesiasticæ inserendam credidi. *Beda historia Anglicana lib. 4. cap. 22.*

Anno Christi 700.

Cùm Treuiris in Monasterio puellarum pestis acerrima sorores corripuisset, illæ audientes S. VVilibrordum illuc venire, statim miserunt legationes, postulantes eum non tardare venire: & veniens mox in eodem Monasterio, Missa pro infirmis celebrata, aquam benedixit, qua & domos illarum aspergi iussit, & ægrotantibus putandam transmisit. Quæ citò diuina donante misericordia conualuêre, nec vllæ in eo Monasterio prædicta peste exinde moriebantur. *Alcuinus vita S. VVilibrordi cap. 20.*

Anno Christi 730.

Dum nauigaremus in Frisiam, positis nobis in medio mari, quod adiacet regioni Morinorum, adfuit hora, in qua sacrificium Deo victimæ salutaris immolandum erat. Tunc positis ancoris nauis immobilis persistebat, & celebrante S. Pontifice VVlfranno Missarum solennia, ventum est ad locum, vbi minister patenam Præsuli porrigere debuit: extensaque manu, expectabat horam, qua susciperet eam. Sed dum minister eam abluere vellet, in mare ex eius manibus collapsa est. Finita oratione imperat Diacono, vt in eum, in quem patena ceciderat, locum mitteret manum: quo facto, mox ab imo maris eadem patena diuinitus reuecta, eiusdem ministri manui adhæsit, sicque commixtionem corporis & sanguinis idem sanctus Præsul faciens, nomenque Saluatoris glorificans, sacrosancta Missarum solennia compleuit. *Ionas Monachus Fontanellensis in vita S. VVlfranni Episcopi Senonensis.*

Anno Christi 785.

VVedekindo Saxonum principi incessit cupido lustrare regis Caroli castra: quòd etsi palam iam reconciliato liceret, libuit tamen ignoto habitu liberius omnia scrutari. Vicina erat Paschatis solennitas, & Rex cum vniuerso milite, pro Christiana pietate, se tum sacris imminentibus apparabat, commemoratione Dominicæ passionis, & expiatione criminum in purgatione conscientiæ. VVedekindus mendici habitu per flu-

-uum in nauicula allabitur: & quo minus noscetur, mendicus cum mendicis ad stipem sedebat. Ingens quippe pauperum regionis multitudo quotidie affectabatur. Rex illis largam stipem iussit erogari. VVedekindus, vbi ad eum peruentum est, dexteram & ipse protendit. Attendit, qui distribuit, incuruum in manu digitum, qualem sciebat habere VVedekindum. Vultum eius diligentius intuetur: agnoscit arridens, qui largiebatur: quid ita mendicus inter mendicos sederet princeps ditissimus percontatur. Ille nihil ad hæc, sed ad regem se iubet introduci. Erat tum sanctissimus Paschæ dies. Rex hilariter excepit venientem, percontatus quid sibi vellet indignus principe habitus. Ille sub hæc: Volui, serenissime Rex, hoc habitu incognitus (vt sperabam) lustrare secreta gestorum, quæ cognitus non tam fidenter aspicerem: curiositas induxit, vt latibulum quærerem, qui inter tuos nunc in gratiam susceptus, propalam poteram percontari, quæ vellem. Quid igitur, inquit rex, vidisti, quod te vidisse delectat? Ille, vt adhuc erat rerum Christianarum rudis, subintulit: Vidi, quod mirabar, ante biduum, te vultu dimisso tristem, incertus quid contigisset, quod tantum regem contristaret. Commemoratio fuit Dominicæ passionis, quæ die Parasceues regium vultum obscurasset. Rursum, inquit, vidi hodierna te die primum solicitum, & ad rem attentissimum. Posteaquam verò mensam adieras templo mediam, ita hilari mihi conspectus es vultu, vt repentinæ in te mutationis me caperet miraculum. Stupor autem erat videre, quòd de manu purati sacerdotis singuli pulchellum puerum in os susciperent, quem quibusdam ludibundum arridere, vltrò properare, alijs verò abhorrentem: auertisse vultum, & tamen in ora demissum, nec redeuntem aspexi. Hoc quid sit, necdum accipio. Tum rex: Bene, inquit, profecisti, plus tibi aliquid, quàm cunctis sacerdotibus, & omnibus nobis ostensum est. Inde mutata veste manu secum abstractum docuit grande pietatis mysterium in altaris Sacramento. Qua re cognita, exhilaratum ducem orasse, vt proprium illi sacerdotem permitteret, qui diuinæ rei curam haberet, crebriusque in conspectu perageret altaris sacratum ministerium. Rex etiam Pontificem illi daturum promittit, modò illi habitationem dignam Episcopo prouideret. *Albertus Crantzius in Metropoli lib. 1. cap. 9. VVernerus Roleuingius de laudibus VVestphaliæ cap. 7.*

Anno Christi 830.

Iuliacus vocatur antiquum Municipium à vico Aquensi octo leugarum spatio disparatum. De cuius territorio puella quædam contracta à matre atque alijs propinquis suis ad oratorium adducta, cùm præ multitudine hominum, qui tum fortè propter Missarum audienda solennia illuc conuenerant, introferri non posset, extrinsecus eam ad Orientalem oratorij fenestram collocârunt, expectantes opportunitatem, vt recedente populi frequentia, facilius oratorio inferri posset. Sed vbi ad medium officium ventum est, & expleto Euangelio hostiæ salutaris oblatio peracta est, cernunt eam angustijs affici, & erumpente per totum corpus sudore velut in somnium labi. Quibus signis diuinam adesse virtutem haud inaniter conijcientes, de illo loco leuatam quadro lapidi, qui propter iacebat, soporatæ similem superponunt. Ibi coram omnibus, qui huius miraculi conspiciendi gratia concurrerunt, integerrimam omnium membrorum sanitatem in vnius horæ momento, Domino opitulante, recepit. Erant ibi inter cæteros spectatores & Iudæi, quorum vnus Dauid nomine, post huius signi expletionem ad fenestram cubiculi, in quo ego tunc eram, celeriter accurrens, meque compellans, miraculum quod viderat indicauit. *Egnardus de translatione SS. Marcellini & Petri libro quarto cap. quarto.*

Anno Christi 836.

Parisijs cùm die Dominica Missarum solennia celebrarentur, deducebatur in medium fœmina quædam, de vicinia eiusdem loci oriunda: quæ cum pœna grauissima nata, in eadem præteritum vitæ tempus exegerat. Muta enim à natiuitate & surda, tertio insuper tormento subiacebat, quòd videlicet mente capta, spiritu agitabatur immundo. Hæc in conspectu omnium ad Missas circumastantium vehementer angustiari cœpit, & sudare. postremò in pauimentum ruit. Post celebrationem mysteriorum ad mansionem deportata est, & ad vesperam rursus in Ecclesiam delata. Ibi cum multis alijs pernoctabat, statimque vt albescente polo roseum auroræ iubar illuxit, lux magnæ misericordiæ Dei, effugatis ab ea tenebrosis tortoribus, & auditus illi, & vocis facultatem condonauit. Obstupuêre magnopere cuncti, qui aderant, videntes eam in vno momento ita immutatam, vt & vacua esset à dæmone, quo plena erat, & plenum haberet membrorum officium, quo vacua fuerat, &c. Cùm adhuc tribus distarent millibus ab Ecclesia Padibornensi, iuxta fluuium Hedraha vocatum in medio campo Missarum celebrauêre solennia. Quæ antequam finirentur, in eodem loco quinque pariter homines, à varijs debilitatibus liberati, caussam immensæ admirationis & lætitiæ, tantam Dei virtutem videnti populo præbuêre. *Ido Presbyter Paderbornensis de translatione S. Liborij cap. 18. & 22.*

Anno Christi 850.

Nemo qui Sanctorum vitas & exempla legerit, potest ignorare, quòd sæpe hæc mystica Corporis & Sanguinis Domini Sacramenta, aut propter dubios, aut certè propter ardentius amantes Christum, visibili specie in Agni forma, aut in carnis & sanguinis colore monstrata sint: quatenus de se Christus clementer adhuc non credentibus fidem faceret: ita vt dum oblata frangitur, vel offertur hostia, videretur Agnus in manibus, & cruor in calice, quasi ex immolatione profluere: vt quod latebat in mysterio, patesceret adhuc dubitantibus in miraculo. Fecit enim hoc pietas diuina quibusdam iam credentibus, & tamen adhuc dubitantibus: vt & ipsi fiduciam de veritate perciperent, & alij de miraculo ad fidem solidarentur, & de Christi gratia per eandem fidem vberius participarent. Nam quæ veritas repromisit, sine aspectu credenda sunt, &c. Nam quidam Presbyter fuit religiosus valde, Plegils nomine, frequenter Missarum solennia celebrans ad corpus sancti Nini Episcopi & Confessoris. Qui cùm digno moderamine sanctam Christo propitio duceret vitam: cœpit omnipotentem Deum pijs pulsare precibus, vt sibi monstraret naturam Corporis Christi atque Sanguinis. Itaque non ex infidelitate, vt assolet, sed ex pietate mentis ista petiuit. Fuerat enim à puero diuinis legibus imbutus, & propter amorem superni Regis olim patriæ fines, & dulcia liquerat arua, vt Christi mysteria exul sedulè disceret. Idcirco eius amore magis succensus, quotidie pretiosa munera offerens poscebat sibi præmonstrari, quæ foret species latitans sub forma panis & vini. Non quia de Corpore Christi dubius esset, sed quia vel sic Christum cernere vellet, quem nemo mortalium, iam super astra leuatum, in terris passum, conspicere potest. Venerat ergo dies, & idem celebrans

Digitized by Google

piè solennia Missarum, more solito procubuit genibus: Te deprecor, inquit, omnipotens, pande mihi exiguo in hoc mysterio naturam Corporis Christi: vt mihi liceat eum prospicere præsentem corporeo visu, & formam pueri, quem olim sinus Matris tulit vagientem, nunc manibus contrectare. Qui dum talia precaretur, Angelus de cælo adueniens affatur: Surge, inquit, properè, & si Christum videre placet, adest præsens corporeo vestitus amictu, quem sacra puerpera gessit. Tum venerabilis Presbyter pauidus, ab imo vultum erigens, vidit super aram Patris Filium puerum, quem Simeon infantem portare suis vlnis promeruerat. Cui Angelus inquit: quia Christum videre placuit, quem prius sub specie panis verbis mysticis sacrare solebas, nunc oculis conspice, manibus attrecta. Tum sacerdos cælesti munere fretus, quod dictu mirum est, vlnis trementibus puerum accepit, & pectus proprium Christi pectori iunxit. Deinde profusus in amplexum dat oscula Deo, & suis labijs pressit pia labia Christi. Quibus ita exactis, præclara Dei membra restituit in verticem altaris, & repleuit cælesti pabulo Christi mensam. Tunc rursus homo prostratus, deprecatus est Deum, vt dignaretur ipse iterum verti in pristinam speciem. Qui expleta oratione surgens à terra inuenit Corpus Christi in formam remeasse priorem, vti deprecatus fuerat. Et mira omnipotentis Dei dispensatio, qui ob vnius desiderium ita se præbere dignatus est visibilem, non in figura Agni, vt alijs quibusdam sub hoc mysterio, sed in forma pueri: quatenus & veritas patesceret in ostenso, & sacerdotis desiderium impleretur ex miraculo, nostraque fides firmaretur ex relatu. Veruntamen non prius idem communicasse pueri corpus & sanguinem legitur, quàm rediret in prioris formæ speciem: ne absurdum videretur quod præsumpserat, & fides vberius requiratur interius in eodem, quod exterius visu conspexerat. *Paschasius Radbertus de Corpore & Sanguine Domini cap.14.*

Anno Christi 950.

In ipsa solenni die S. Paschæ, multa fratrum caterua astante, dum sanctus sacerdos Vdalricus diuina celebraret mysteria, dextera quædam apparuit superna, quæ cum ipsius dextera diuina sanctificauit Sacramenta. Expletis verò Missarum solennijs, quidam Henricus Presbyter, qui eo die Cantoris officium agens, tanto interfuit miraculo, sequens Episcopum vsque in cubiculum, ad eius pedes cecidit, atque in præsentia popularium personarum eandem visionem minus cautè explanauit. Cui vir Dei, melius, inquit, esset tibi tacere, quàm talia in aures vulgi proferre, &c. *Berno Augiensis vitæ S. Vdalrici cap.8.*

Anno Christi 980.

Dunstano inter sancta Missarum solennia sacras manus extendente, & Deum Patrem omnipotentem, vt Ecclesiam suam Catholicam pacificare, custodire, adunare, & regere dignaretur toto orbe terrarum, interpellante, niuea columba, multis intuentibus, de cælo descendit, & donec sacrificium consumptum esset, super caput eius expansis alis, & quasi immotis sub silentio mansit. Inter hæc quid animi gereret seruus Dei, quo amore, qua dulcedine, quo desiderio putas in Deo pascebatur, qui ex præsenti gratia Dei tali visitatione fouebatur? Consumpto sacrificio, columba eadem in Australem altaris partem declinauit, & super tumulum B. Odonis se reclinauit. *Osbertus Anglus vitæ S. Dunstani cap.32.*

Anno Christi 990.

VVolffgangus Episcopus Ratisbonensis de monasterio reformando tali est miraculo diuinitus confirmatus. Cùm aliquando more suo eò accessisset, Missamque celebrare vellet, quasdam Sanctorum Reliquias, quæ illic celeberrimæ habentur, in eius altaris, in quo sacrificaturus erat, cornu sinistro deposuit. Deinde in orationem se prosternens, ardentissimis precibus à Domino postulauit, quandoquidem secularem vel mundo deditam vitam sinistra, spiritalem dextra significat, si illi placeret Canonicam illic vitam, quæ negligentes homines sinistrorsum trahit, in monasticam, quæ ad dextram tendit, commutari, vt id ea ratione significet, testatumque efficiat, vt ante peractum sacrificium eas Reliquias à sinistro cornu transferat in dextrum. Ijs precibus absolutis, Missam celebrare incipit, atque sub ipso sacrificio, absque vllo humano contactu, Reliquiæ illæ à sinistro in dextram altaris partem diuinitus transferuntur. Eo viso miraculo, gratias agit Deo, & sine vlla hæsitatione illic quoque vitam monasticam instituit, &c. Alia quoque dæmoniaca ei oblata est: sed ille humanam gloriam fugiens, ait ad eos, qui eam adducebant: Cur ægrotos vestros ad me apportatis? Ducite eam in templum, & orate pro ea: fortassis Dominus exaudiet vos. Ducunt illi eam in Ecclesiam, sed quòd hora opportuna esset offerendi sacrificij, ipse illos secutus, Missam celebrauit. Peracto sacrificio, omnes, dempta illa dæmoniaca, exierunt è templo: attamen vnus è capellanis clam se abscondit, scire volens, quid vir sanctus acturus esset. Ille verò post breuem orationem cœpit egredi è templo. Tum illa dæmoniaca suo more debacchans, ei se opposuit. At ille Domino confidens, tamquam percussurus eam, brachium extendit, clam interim dicens: Exi nequissime. Mox, vt fassus est ille, qui vidit, intolerabilis extitit fœtor, & mulier confestim liberata cecidit, & Deo gratias egit, &c. In Rubilocensis Ecclesiæ territorio quidam diuturno vexatus morbo, integro ferè anno cibum omnem fastidiuit, ita vt alimenta saluti reparandæ accommoda percipere non posset, &c. Beatus VVolffgangus Missæ sacrificium offert, & per fidelem Presbyterum ægroto illi Dominicum corpus transmittit. Quo ille percepto, paulisper obdormit: deinde cibum potumque cùm accepisset, rursus somno corripitur: sicque & mentis & corporis recuperata sanitate, gratias agit Deo, ac deinceps incolumis permanet. *Anonymus auctor, qui eodem cum ipso tempore vixit in eius vita cap.18. 33. & 35.*

Anno Christi 934.

Remis in Ecclesia beatæ Genitricis Mariæ, solennitate Annuntiationis Domini, dum sacrarum Missarum ab Artaldo Præsule inibi celebrarentur solennia, quidam iuuenis contractis poplitum neruis repere solitus, repente resolutis, extendentibusque genuum crurumque compagibus assurgit, firmatoque gressu iamdiu oblita recepit vestigia. *Frodoardus in Chronicis de anno 934.*

Anno Christi 1000.

Volbertus Abbas capitis oculorumque duro ac diutino vexabatur incommodo: vna noctium huic per visum est intimatum, vt ex aqua, qua sanctus Dei Pontifex Heribertus post Missarum celebrationem manus de more lauisset, caput sibimet oculosque perfundendo foueret, indubitanter credens, quòd protinus sanitatem recuperaturus foret. Cùm ad celebranda Missarum solennia Pontifex de more pararetur, accedens propius visum retulit, à ministris Pontificis sibi quod petebat reseruari obtinuit: moxque vt caput & oculos ex aqua illa perfudit, integram sanitatem recepit. *Rupertus Tuitiensis vita sancti Heriberti cap.18.*

Anno Christi 1012.

Ego Othertus peccator, etsi vellem celare, quod in me factum est diuinum iudicium, membrorum meorum tremor proderet. Quod quemadmodum factum sit referam, vt omnibus innotescat, quanta sit pœna inobedientiæ. Eramus ad Vigilias Natalis Domini in villa quadam Saxoniæ, vbi erat Ecclesia Magni Martyris Presbyter nomine Robertus Missam primam inchoauerat, ego in cœmiterio cum sodalibus xviij. viris xv. fœminis tribus, choreas ducens, & cantilenas seculares perstrepens, ita sacerdotem impediebam, vt ipsa verba nostra inter sacrosancta Missarum solennia resonarent. Quocirca mandato nobis, vt taceremus, neglecto, imprecatus est dicens: Placeat Deo & sancto Magno, vt ita cantantes permaneatis vsque ad annum. Verba pondus habuerunt, filius Presbyteri Ioannes sororem suam nobiscum cantantem per brachium arripuit, statimque illud è corpore euulsit, sed gutta sanguinis non exijt. Ipsa quoque toto anno nobiscum permansit, choros ducens, & cantans. Pluuia non cecidit super nos, nec frigus, nec calor, nec fames, nec sitis, nec lassitudo affecit nos. Indumenta, nec calciamenta nostra attriuimus, sed quasi vecordes cantabamus. Primùm ad genua, mox ad fœmora terræ demersi sumus. Fabrica tecti aliquando nutu Dei super nos erigebatur, vt pluuias arceret. Tandem euoluto anno Herebertus ciuitatis Coloniensis Episcopus nodo, à quo manus nostræ ligabantur, nos absoluit, & apud altare sancti Magni reconciliauit. Bilia Presbyteri cum alijs duobus spiritum efflauit, cæteri continuis tribus diebus & noctibus dormiuimus, aliqui postea obierunt, & miraculis coruscant: cæteri pœnam suam membrorum tremore produnt. *Extat hoc scriptum apud Gulielmum Bibliothecarium de gestis Anglorum lib. 2. cap. 17. Referunt, & probant post illum hanc historiam Vincentius in Speculo historiali, Albertus Stadensis, Ioannes de Columna, Matthæus VVestmonasteriensis, Hermannus Schedelius, Ioannes Nauclerus, Ioannes Trithemius, & Albertus Crantzius in Chronicis, vbi huius ætatis historias referunt.*

Anno Christi 1040.

Mulier quædam habens virum ex adulterij fraude suspectum, de consilio alterius mulieris corpus Dominicum quasi communicatura percepit, quod cautè reseruans, viro suo non sine quibusdam maleficijs propinare voluit. Quod videlicet palliolo reseruatum non sine magno stupore dedit miraculum. Hæc enim particula Dominici corporis inuenta est vsque ad medietatem esse conuersa, altera verò medietas panis speciem non mutauit, &c. Idcirco Deus sacrosanctum illud mysterium in carnis speciem vertit, vt perfidiam reprobæ mulieris argueret, dum visibilem Dominici corporis ostenderet veritatem, quatenus, quæ purum panem (vt videbatur ante) credebat, veram carnis speciem cerneret, sicque sacrilegam cœpti sceleris audaciam suo ipsa iudicio condemnaret. Quòd autem medietas sic remansit, ad euidentioris indicij testimonium proficit, vt dum in vna eademque substantia hinc panis, illinc carnis considerans speciem, in vtroque veræ carnis veriquе panis indifferenter intelligas veritatem, quia & ipse est panis, qui de cælo descendit, & ipsa nihilominus caro, quæ de Virginalis vteri materia prodijt. Nam & vester ille finitimus piæ recordationis Amolphytanus Episcopus Stephano Romano Pontifici, me præsente, sub iureiurando testatus est, quia cùm aliquando ad mensam Domini sacrificaturus accederet, sed super Sacramento Dominici corporis incredulus hæsitaret, in ipsa confractione salutaris hostię rubra prorsus ac perfecta caro inter eius manus apparuit, ita vt etiam digitos illius cruentaret, sicque sacerdoti scrupulum dubietatis auferret: vbi notandum, quàm sit immane periculum indignis manibus attrectare tam terribile Sacramentum. *Petrus Damianus epistola 13.*

Anno Christi 1050.

Nec defuêre quibusdam dubitantibus digna miracula, quibus rerum visibilium atque incorruptibilium ablatis tegumentis, sicuti reuera est, appareret corporalibus oculis caro Christi & sanguis: omnipotente Deo misericorditer sanante infirmorum imbecillitatem, & terribiliter damnante, atque euertente hæreticorum detestabilem prauitatem, &c. Et nequis peruersus atque peruersor aliter ea (*testimonia*) intelligeret, vel exponeret, quàm vniuersalis Ecclesiæ spiritualis filij intelligunt, & exponunt: facta sunt, tam antiquis, quàm modernis temporibus in diuersis Ecclesijs huic fidei congrua miracula, quando, & vbi, & quibus tantum secretum demonstrare voluit æterna Dei sapientia, cui nulla sunt non possibilia, *attingens à fine vsque ad finem fortiter, atque suauiter disponens omnia.* Sap. 8. Quæ miracula facta esse ignorat nullus, quisquis in Ecclesiasticis historijs, seu Sanctorum Patrum gestis est aliquantulum studiosus. *Lanfrancus de Corpore & Sanguine Domini.*

Satis mihi placeret, vt quando aliqua negligentia, vel certè miraculum nouum de tantis mysterijs accidit, id inde fieret, quod mihi vir eximius sine dubitatione credendus dominus Lanfrancus se puero in Italiam factum esse narrauit. Nam cùm Presbyter quidam Missam celebrans inuentam super altare veram carnem, & verum sanguinem secundùm propriam carnis & sanguinis speciem sumere trepidaret, rem protinus suo Episcopo consilium quæsiturus aperuit. Episcopus autem cum multis Episcopis ad hoc conuocatis calicem illum cum eadem carne & sanguine Domini diligenter opertum, & sigillatum in medio altaris inclusit, pro summis Reliquijs perpetuò reseruandum. *Guitmundus Auersanus de Corpore & Sanguine Domini lib. 2.*

Anno Christi 1055.

Leoni Papæ cùm Diaconus venenum in calice misisset, calicem de altari leuare non potuit. Pro hoc populo orante, Diaconus à dæmonio vexatur, confessoque crimine liberatur: calix cum Sacramentis in quodam altari pro Reliquijs includitur. *Conradus de Lichtenavv Abbas Vrspergensis de anno 1055.*

Anno Christi 1065.

Archiepiscopus Bremensis inter sacra Missarum solennia, dum debitum tantæ festiuitati (*Natalis Domini*) sermonem faceret, hominem ab infestatione Dæmonis purgauit, fusis pro eo tam suis, quàm totius populi, qui præsens erat, precibus. Ea res grandi miraculo cunctis erat, stupentibus scilicet, quòd vir tam pessimæ in populo existimationis, qui vitam virtutum non haberet, signa virtutum faceret, sed æmuli eius hoc inuidiosè interpretabantur, non meritis eius, sed præsentium populorum supplicationi ascribendum esse tantæ rei effectum. *Lambertus Schaffnaburgensis de anno 1065.*

Anno Christi 1070.

Ciuis Lucensis nobilis ad Ioannem cœnobij Casinensis Decanum misit legatos, oratum, vt pro vxore sua, iam triduo voce & mente destituta, intercedere dignaretur. Tum ille sacris indutus vestibus salutarem pro illa hostiam Domino litaturus, altare accessit: cumque ad eum Canonis

locum perueniſſet, vbi viuorum ſolent recenſeri nomina, ac cùm multa deuotione ſpecialiter, & nominatim, Domino decumbentem mulierem commendaret, illa domi ſuæ vocem ſacerdotis, ſuum nomen exprimentis audiuit, eique lectulo (vt videbatur) aſtanti graui quaſi excita ſomno reſpondit. Obſtupefacti qui aderant, ſollicitè quidnam diceret, vel cui reſponderet inquirere cœperunt. Illa verò ait: Nunquid venerabilem Ioannem hîc non videtis? nec vocem eius me inclamantis percipitis? Et compertum eſt, quòd eadem hora pro eo celebraſſet Miſſam. *Leo Oſtienſis in Caſſinenſi Chronico lib. 2. cap. 94.*

Anno Christi 1080.

Vnus ex Principibus terræ illius diuturna languoris moleſtia vexatus fuerat. Hic agnito Anſelmum in Eccleſia Beati Stephani Miſſam ex more celebraturum, feſtinauit illò, arbitrans ſibi ad recuperandam ſanitatem vtile fore, ſi Miſſa tanti viri ac benedictione meruiſſet potiri. Fateor, vidimus hominem ſuorum manibus innixum Eccleſiam introeuntem, mortuo quàm viuenti ſimiliorem. Sedit, & finita Miſſa egreſſus eſt. Nobis verò, nec quis, vel vnde, aut cur aduenerat ſcientibus atque curantibus, idem vir, euolutis paucis diebus, ad Patrem venit: flexis genibus ei pro adepta ſanitate gratias agens. Ad quod cùm ille obſtupeſceret, indicat ordinem rei geſtæ, confirmans quòd ab ea hora, qua ſe Miſſæ illius præſentauit, omni doloris vexatione depulſa, ſanitati reſtitutus ſit. At ille nihil ad ſe hoc pertinere, ſed ipſius fidei ac meritis Beati Martyris, ad quem diuertit, aſſcribendum aſſerens, quæ ſaluti animæ illius competerent eum inſtruxit, & familiarem ſibi effectum, correctiori vitæ, vt poſt multorum teſtimonio comperimus, reddidit. *Edinerus Anglus in vita Anſelmi libro 2.*

Anno Christi 1090.

Nos credimus poſt benedictionem Eccleſiaſticam illa myſteria eſſe verum corpus & ſanguinem Saluatoris, adducti & veteri Eccleſiæ auctoritate, & multis nouiter oſtenſis miraculis: quale fuit, quod Beatus Gregorius exhibuit Romæ: quale, quod Paſchaſius narrat contigiſſe in Alemania, presbyterum Plegildum viſibiliter ſpeciem pueri in altari contrectaſſe, & poſt libata oſcula in panis ſimilitudine conuerſum Eccleſiaſtico more ſumpſiſſe: quale de puſione Iudaico, qui in Eccleſiam cum æquæuo Chriſtiano fortè, & ludibundè ingreſſus, vidit puerum in ara membratim diſcerpi, & viritim populo diuidi, id cùm innocentia puerili parentibus pro vero aſſereret, in rogum detruſum, vbi occluſo oſtio æſtuabat incendium. Multis poſt horis ſine iactura corporis, exuuiarumque & crinium à Chriſtianis extractus, interrogatuſque, quomodo voraces ignium globos euaſerit, reſpondit: illa pulchra fœmina, quàm vidi ſedere in cathedra, cuius filius populo diuidebatur, ſemper mihi in camino ad dexteram aſtitit, flammeas minas, & fumea volumina peplo ſuo ſubmouens. *Guilhelmus Malmsberienſis lib. 3. cap. 27.*

Anno Christi 1097.

Circa hæc tempora Syracuſa in Sicilia magnum terræmotum ſuſtinuit, adeò vt Dominica die circa horam tertiam, dum Miſſa cantaretur, Eccleſia maior cadens, omnem clerum & populum opprimeret, Sacerdote, Diacono, & Subdiacono, Miſſam celebrantibus cum vno Presbytero miraculosè ſaluis. *Martinus Polonus de anno 1097. Ioannes Nauclerus de anno 1074.*

Anno Christi 1128.

Dum adhuc primas conceſſæ ſibi prædæ partes feſtinus ignis voraret, vlterius linguam prætendens, cunctos luce maligna terreret, quidam de fratribus raptum è ſacrario ferens corporale Dominicum longo haſtili supernè illigatum, flammis obuius ſtetit, ſperans quòd tam ſacræ ſupellectili ceſſurus eſſet ignis, omniſque poteſtas inimici. Cumque tali modo non crederet ignis, ille perſiſtens fide non ficta, & temeritate non improbanda, ipſum haſtile cum Corporali medijs flammis fortiter intruſit, aliquandiu agitans quaſi ſæuientem confoderet ignem, donec vſque ad ipſum prorupit flamma rebellis, eumque penè afflauit. Tunc demum abſiſtens, & haſtile quod tenebat partim ambuſtum, Corporale autem illæſum (mirum dictu) & incontaminatum ignibus abſtrahens, quantocius abſoluit, & conuolutum flammis quo potuit altius iniecit, optans & ſperans quòd ex immiſsione eius Domino volente opprimeretur, & deficeret quaſi ſtrangulatus ignis. At ille videlicet magnus, & à Deo permiſſus ignis miro modo Corporale integrum occulta & incognita vi de medio ſui reiecit, & longius repulit in eam villæ partem, quæ ſibi conceſſa non fuerat, & vbi, ſicut manifeſtum eſt, nihil nociturus erat. Quem non delectet tantum vidiſſe, vel videre miraculum? Denique Corporale iam dictum ſic integrum, & illæſum relatum eſt, vt tamen ſignum habeat non indecorum, videlicet lineam ſubruſam, cùm ſit ipſum, vt prius erat, totum candidum. Hoc nimirum melius placet, quàm ſi nulla penitus incendij nota ineſſet, quia clarius ex hoc memoriale eſt, & inter omnem eiuſmodi ſacram ſupellectilem agnoſci debet. Cùm ſolutis habenis totum, vt iam ſupra dictum eſt, caſtellum intus & exterius poſsideret incendium, me procul ſedente inter intactas ab igne domos, ita tamen vt ſpectare poſſem illud triſte ſpectaculum, ſcilicet vndantia cacumina flammarum, ſtetit in editiore tecto, qui diceret, ardere ipſam ſancti Vrbani Baſilicam, videlicet ſitam ante valuas Monaſterij Parochianam Eccleſiam. Actum putaui, & de liberatione ipſius Monaſterij penè deſperaui, niſi quòd in memetipſo canebat ſpiritus meus: *In ira miſericordia memor eris.* Abac. 3.
Deinde poſt moram non modicam, cœpit illud quoque intra memetipſum canere interior homo: *Benedico te Pater Domini mei Ieſu Chriſti: quia per Filium tuum ignis extinctus eſt à latere meo.* Et ita factum erat: venerunt quippe continuò, qui dicerent deciſſe incendium, ſaluumque & incolume reliquiſſe cum clauſtro Monaſterium: tantùm autem collaterales domos, ſiue officinas omnes, cum areis in fauillam & cineres eſſe redactas. Quis hoc ſperare poterat? Quis, niſi Deus, hoc facere potuiſſet, cuius auxilium multitudo populi, vtriuſque ſexus ex vlteriore Rheni littore proſpectans, ſuppliciter & deuotiſsimè inclamabat? Viderunt enim plerique eorum, & hoc publicè fatentur, quia viderunt virum ſpecioſiſsimum ſuper Monaſterij culmen læuo latere, ſiue cubitu innixum, & ſubleuatum manu dextera impetum ignis abigentem, qui iam turrim campanariam introrſum corripuerat. Audito hoc bono nuntio reuertebar poſt noctem triſtem die reddito, & ecce Parochianus ſacerdos Eccleſiæ ſupra memoratæ nomine Stephanus diuulgabat, mihi maximè denarrare properans dulce & iucundum miraculum, ſignum valde bonum, magnumque & euidens vigilantis circa nos diuinæ propitiationis indicium. Pixidem ligneam, & in ea corpus Dominicum habuerat ſecus altare de more depoſitum in feneſtra, ſiue abſida introrſus in muro tegulis ligneis compacta, cum oſtiolo & ſera. Erant autem cum iam dicta pixide & alia vaſcula, ad ſacrum miniſterium pertinentia, videlicet alia pixis hoſtias continens non conſecratas, ampulla quoque vinaria,

& ipsa stannea, & vasculum thuris, & candelæ, & aliquid lini, quorum meminisse nos exigit causa tanti miraculi. Denique in illa fortitudine vehementis incendij, cùm non solum ipsa Basilica, verùm etiam totum castelli spatium, quasi vnus esset caminus, multo maior quam ille Babylonicus ignis, cuius flamma diffusa est supra fornacem quadraginta nouem cubitis, cùm fragmenta quoque trabium ardentium decidentia, signa quoque metallica miro modo ardendo, sponte concrepantia, & concrepando ardentia, de altitudine ardentis campanariæ turris excidissent, non solùm fracta, verùm etiam penè liquefacta, & taliter prolapsa omni materia coangustatum intra muros Basilicæ amplius sæuiret incendium, arsit simul & ipsa absida cum omnibus supradictis, quæ intus erant reposita, nimirum leuiter & citò præ magnitudine incendij sicut stipula, vel quasi exiguum fœni: sola autem pixis illa cum corpore Dominico incolumis & intacta permansit. Mox ergo vbi sacerdos iam dictus accessum habere potuit, dolens, vt fatebatur, quia cùm turbaretur instante incendio, & aliqua exportaret, vel exportari faceret, oblitus fuerat tollere corpus Dominicum: amouit quantocyus congeriem lignorum fauillarumqúe ardentium, & introspiciens, reperit hoc insigne miraculum. Protinus excipiens, & cunctis videntibus, qui aderant, illud fidei nostræ Sacramentum demonstrans atque diuulgans, venit ad me gaudens, & suam oblitus negligentiam, propter abundantiam lætitiæ, licet non sine tristitiæ nebula, pro damno, quod acciderat. Nox enim quædam adhuc toto illo die erat in cordibus nostris, & quasi graui somno pressi, mentis nostræ oculi nondum valebant prospicere ortum solis, id est, claritatem diuinæ præsentiæ fulgentem circa nos, siue in medio nostrum tribus miraculis, isto prægrandi, & cæteris duobus, quæ supra narraui. Sequens erat dies Dominica, & ego circa horam ferè tertiam perrexi, & multis sequentibus vel præsentibus locum intuitus sum, & opus virtutis consideraui admiratione dignum, cum quo & illud accedebat ad gaudium, quod altare considerabamus inuiolatum, cùm cohærentes altari lapides magni, qui coram strati iacebant, fracti, & in frusta diuisi essent, magnis molibus fragmentorum, id est, trabium incendio fractarum, & ardendo cadentium. *Rupertus Tuitiensis de incendio Tuitiensi cap. 3. 4. 5.*

Anno Christi 1130.

Fuit quidam clericus in Lesmor probabilis vitæ, vt fertur, sed fidei non ita. Is sciolus in oculis suis, præsumpsit dicere: In Eucharistia esse tantummodò Sacramentum, & non rem Sacramenti, id est, solam sanctificationem, & non corporis veritatem. Super quo à Malachia secretò & sæpe conuentus, sed incassum, vocatus ad medium est: seorsim tamen à laicis, vt, si fieri posset, sanaretur, & non confunderetur. Itaque in conuentu Clericorum data facultas homini pro sua sententia respondendi: cumqúe totis ingenij viribus, quo non mediocriter callebat, asserere, & defendere conaretur errorem, Malachia contra disputante, & conuincente, iudicio omnium superatus, de conuentu confusus quidem exijt, sed non correctus. Dicebat autem, se non ratione victum, sed Episcopi pressum auctoritate: Et tu, inquit, (ô Malachia) sine causa me hodie confudisti, profectò aduersus veritatem locutus, & contra tuam ipsius conscientiam. Mœstus Malachias pro homine sic indurato, sed magis fidei dolens iniuriam, timens periculum, Ecclesiam conuocat, errantem publicè arguit, publicè monet, vt resipiscat. Suadentibus hoc ipsum Episcopis, & vniuerso Clero, cùm non acquiesceret, contumaci anathema dicunt, hæreticum protestantes. Nec sic euigilans: Omnes, inquit, fauetis homini potius, quam veritati: ego personam non accipio, vt deseram veritatem. Ad hoc verbum substomachans Sanctus: Dominus, inquit, veritatem te fateri faciat, vel ex necessitate, quo respondente, *Amen*, soluitur conuentus. Tali ille inustus cauterio, fugam meditatur, infamis & inhonorius fore non sustinens. Et continuò sua tollens exibat, cùm ecce subita correptus infirmitate sistit gradum, viribusqúe deficiens, eodem loco iactat se super solum anhelus & fessus. Fortè incidens in id loci vagabundus insanus, offendit hominem, quidnam ibi agat, percontatur: respondet, graui se infirmitate teneri, & neque procedere, neque redire valentem. Et ille: infirmitas ista haud alia, inquit, quàm ipsa mors est. Hoc autem non dixit à semetipso, sed pulchrè Dominus per insanum corripuit eum, qui sanis acquiescere noluit consilijs sensatorum. Et addit: Reuertere domum, ego te iuuabo. Denique ipso duce reuertitur in ciuitatem: redit ad cor, & ad misericordiam Domini. Eadem hora accitur Episcopus, agnoscitur veritas, abijcitur error, confessus reatum absoluitur, petit viaticum, datur reconciliatio, & vno penè momento perfidia ore abdicatur, & morte diluitur. Ita mirantibus cunctis, sub omni celeritate completus est sermo Malachiæ, & Scripturæ pariter dicentis: quia *vexatio dat intellectum* auditui. *Bernardus Abbas in vita Malachiæ cap. 37.* Esa. 28.

Anno Christi 1140.

Hugo Victorinus cùm infirmitate vltima laboraret, & nullum cibum retinere posset, corpus tamen Dominicum sibi dari cum multa instantia postulauit. Tunc fratres eius turbationem sedare volentes, simplicem hostiam instar corporis Domini sibi detulerunt. Quod ille per Spiritum cognoscens ait, misereatur vestri Dominus, mei fratres, cur me deludere voluistis? iste enim non est Dominus meus, quem deportastis. Mox illi stupefacti corruerunt, & corpus Dominicum attulerunt: sed ille videns quòd recipere non valeret, eleuatis in cælum manibus sic orauit: Ascendat Filius ad Patrem, & spiritus ad Deum suum, qui fecit illum. Et inter hæc verba spiritum exhalauit, & corpus Domini ibidem disparuit. *Iacobus à Voragine Genuensis in Historia Lombardica, in Chronica inserta: Ioannes Bromiardus in Summa Præd. cap. de Eucharistia.*

Anno Christi 1145.

Ea tempestate Legati Armeniorum Episcoporum, eorumqúe Metropolitani, quem ipsi Catholicon, id est, Vniuersalem, propter infinitum, id est, amplius quàm mille Episcoporum sub se habentem numerum, vocant, legati ab vltimo penè Oriente summum Pontificem Viterbij adeunt, eique ex parte Ecclesiæ subiectionem omnimodam, eum consalutando, offerentes, causas vitæ, nobis cum alijs multis præsentibus, apud veterem aulam aperiunt. Quos Romanus Antistes gratanter suscipiens, Missarum solennijs ac sacrificijs secretis adhibuit, diligenterqúe ea, quæ fiebant ibidem eos animaduertere monuit. Quod dum facerent, intentiqúe sacro altari astarent, vnus ex ijs, Pontificali dignitate præditus, sicut postmodum in plena curia retulit, in beati Martini octaua, summo Pontifice digna mysteria agente, splendido fulgore radium solis super caput eius coruscare, & in ipso duas columbas ascendentes & descendentes vidit. Cumqúe diligentius hac illacqúe oculos circunferret, nullumqúe aditum, per quem lux illa transfunderetur, inueniret, Deificum hoc esse cognoscens, ac ad obedientiam Romanæ Sedis amplius accensus, cunctis quæ viderat aperuit.

At venerabilis Pater, non suis hoc meritis attribuens, ipsius potius fide cælitus hoc sibi monstratum affirmabat, vt videlicet Ecclesia, à qua missus ipse fuerat, Sacramentorum virtutem, veritatis luce perfusam cognosceret, ac deinceps, quali ea reuerentia & forma tractare deberet, addisceret. *Otto Frisingensis lib. 7. Chronic. cap. 32.*

Anno Christi 1150.

Inter eos, qui vexabantur, mulier grandæua, ciuis Mediolanensis, & honorata quondam matrona, vsque ad Ecclesiam beati Ambrosij post beatum Bernardum à multis tracta est. In cuius pectore pluribus annis diabolus sederat, & iam ita suffocauerat eam, vt visu, & auditu, & verbo priuata, frendens dentibus, & linguam in modum promoscidis elephantinæ protendens, monstrum, non fœmina videretur. Sordida ei facies, vultus terribilis, flatus fœtidus, inhabitatoris Satanæ colluuia testabantur. Hanc cùm aspexisset vir Dei, nouit inhærentem ei, & inuisceratum diabolum, nec facilè egressurum de domo, quam tanto possederat tempore. Conuersus igitur ad populum, cuius innumera aderat multitudo, orare iubet attentius, & clericis ac Monachis secum iuxta altare consistentibus, mulierem ibidem iubet constitui & teneri. Illa verò reluctans, & vi diabolica, non naturali virtute, recalcitrans, non sine aliorum iniuria ipsum Abbatem pede percussit. Quem diaboli ausum mansuetè ille contempsit, ad expulsionem non indignatione iræ, sed pacifica & humili supplicatione, Deum inuocat adiutorem, & ad immolationem hostię salutaris accedit. Quoties tamen eandem hostiam sacram signat, toties ad mulierem quoque conuersus, eodem signo crucis edito spiritum nequam fortis athleta impugnat. Nam & ille malignus, quoties aduersus eum signum crucis intenditur, percussum se indicans, acrius sæuit, & recalcitrans contra stimulum, quidnam doleret prodit inuitus. Expleta autem oratione Dominica, efficacius hostem aggreditur vir beatus. Patenæ siquidem calicis sacrum Domini corpus imponens, & mulieris capiti superimponens, talia loquebatur. Adest, inique spiritus, iudex tuus, adest summa potestas: iam resiste, si potes. Adest ille, qui pro salute nostra passurus: *Nunc, inquit, princeps huius mundi eÿcietur foras.* Hic illud corpus, quod de corpore Virginis sumptum est, quod in stipite crucis extensum est, quod in tumulo iacuit, quod de morte surrexit, quod videntibus discipulis ascendit in cælum. In huius ergo maiestatis terribili potestate tibi, spiritus maligne, præcipio, vt ab hac ancilla eius egrediens, contingere eam deinceps non præsumas. Cumquè eam inuitus deserens, & manere vltra non valens, atrocius affligaret, tam magnam iram, quàm modicum tempus habens: rediens Pater sanctus ad altare, fractionem hostiæ salutaris ritè compleuit, diffundendamque in populo pacem ministro dedit, & confestim pax & salus integra reddita est mulieri, & iniquus ille viuifica mysteria quantæ sint efficaciæ & virtutis non confessione, sed fuga coactus ostendit. Fugato diabolo mulier, quam in tantorum sartagine tormentorum carnifex pestilens tanto tempore frixerat, mentis suæ compos effecta, redditis cum ratione sensibus, resoluta intra fauces lingua Deum confessa, gratias egit, & intuita curatorem suum, pedibus eius aduoluta est. *Guilhelmus Abbas vita sancti Bernardi lib. 2. cap. 3.*

Factum est in vna dierum, vt veniret quidam ex fratribus, ferens in pixide diuinum Sacramentum Dominici corporis, vt opus esse videbatur cuidam sorori infirmæ. Cumquè staremus in circuitu eius & ego, & quædam sorores, loquentes mecum de eo, ecce subitò cor meum liquefactum est in ecstasi: & ecce claritas magna refulsit in pixide, & introspexi, cùm tamen adhuc esset clausa: & apparuit species veræ carnis in ea. Dicens quidem ista contremisco, sicut & tunc videns contremui. Testis autem est mihi Deus, quia nihil in omnibus his fingo, aut gloriam quærendo locuta sunt. *Elizabeth Schonaugiensis lib. 1. viarum Dei.*

Erat in Aruernico territorio rusticus quidam habens aluearia, in quibus examina apum melleam fauorum dulcedinem conficere solent. Quas iam dictus rusticus aut euolare, aut emori, aut aliquo casu sibi deperire pertimescens, vsus prauo sortilegiorum consilio, qui diabolica oratione etiam de beneficijs Dei maleficia facere consueuerunt, & ipsis quoque diuinis Sacramentis per artes magicas abutuntur, accessit ad Ecclesiam, & sumpto à sacerdote corpore Dominico, illudquè ore retinens, nec deglutire volens, vt iam doctus erat, ad vnum ex iam dictis aluearibus accessit, atque foramini, quod in eo erat, ore adaptato sufflare cœpit. Nam dictum sibi fuerat, quòd si corpore Domini ore retento apibus in vase constitutis insufflaret, nulla deinceps moreretur, nulla recederet, nulla deperiret: sed omnibus integrè conseruatis, de augmento fructus multo amplius quàm ante gauderet. Cumquè auidus lucri anhelitum protrahens vehementer sufflaret, ipso linguæ & aëris impulsu iactum Dominicum corpus in vas illud ad terram corruit. Cùm ecce omnis apum multitudo de intimis egressa ad corpus Domini sui reuerenter accurrit, atque in morem rationabilium creaturarum de terra subleuatum, suis habitaculis cum multa veneratione, homine illo conspiciente, induxit. Quod cernens homo, aut negligens, aut parui pendens quod acciderat, ad alia agenda, ad quæ domestica cura eum vocabat, gressum conuertit. Sed dum iter ageret, repentino & (vt ipse postea narrabat) intolerabili timore turbatus, se nequiter egisse, tandem mente sanior cogitare cœpit. Vnde compunctus, imò vi interna compulsus, mox retrò pedem tulit, atque in vindictam sceleris sui apes, quarum vitam opere nefario conseruare voluerat, superiniecta multa aquæ violentia enecauit. Quibus extinctis, dum intima fauorum, quos sibi recondere ac conseruare volebat, rimaretur: ecce (mirabile dictu) conspicit corpus Dominicum, quod ex eius ore lapsum fuerat, in formam speciosissimi pueri, velut cùm recens nascitur, immunitatum inter fauos & mella iacere. Ad quod miraculum stupefactus intremuit. Sed quid inde agere deberet aliquandiu hæsitans, hoc apud se inuenit consilium, vt eum in manibus accipiens, ad Ecclesiam deferret, & quia sibi exanimis videbatur, nullo sciente, solus Deum puerulum tumularet. Quod dum aggressus esset, eumquè in manibus sumens ad Ecclesiam quasi secretò tumulandum portaret, subitò ab indignè ferentis manibus ereptus disparuit. Quæ nuper gesta, ipse quidem ita per ordinem proprio Presbytero, Presbyter autem suo Claromontensi Episcopo, ille verò mihi, ego quoque omnibus istud legentibus scribendo intimare curaui. Nec verò tanti piaculi ex toto in posterum dilata vltio fuit, sed in breui locus ante populosus, vario casu habitatore pereunte, in solitudinem redactus est. *Petrus Cluniacensis de miraculis sui temporis lib. 1. cap. 1.*

Erat iuuenis quidam mundanæ vanitati deditus: cui cùm diu deseruiret, contigit eum super quadam maritata muliere infamiæ nota aduri. Cumquè per aliquantum temporis hac suspicione apud vicinos quosque teneretur, accidit vt incurreret tantam ægritudinem, quæ de vita eius hominis cogeret desperare. Qui cùm lecto de-

cumberet, & iam iamque morti proximus fieret inuitatus ad eum est more Ecclesiastico Presbyter, vt eius confessionem susciperet, & ei morienti viaticum salutis humanæ præberet. Cùm verò venisset, hortari eum cœpit, & commonere instanter, vt peccata sua confiteri non erubesceret, crimenque illud, vnde specialiter infamatus fuerat, salubri confessione manifestaret. Acquieuit ille, & scelera sua confiteri studiosè aggressus est. Quod dum explesset, & rursus super præfato crimine à Presbytero interrogaretur, mentitus est dicens, se nullatenus inde reum esse. Cumque Presbyter diutina hominis infamia suspicione actus, ab inquisitione non desisteret, ait ille: Sic (inquit) hoc Domini corpus, quod attulisti, ad salutem suscipere merear, sicut huius rei, quæ mihi obijcitur, aliquando culpam non incurri. Hac Presbyter responsione credulus redditus, ei Dominicam Communionem tradidit. Qua ore suscepta, glutiendi virtus ægro protinus ablata est. Nam cùm paulo ante quibuslibet etiam grossioribus cibis facilis esset ad ima descensus; hoc paruissimum corporis Christi fragmen, non dicam stomachum, sed nec etiam guttur vel paululum attingere potuit. Hoc sentiens ille, niti, quantum potuit, cœpit, vt illud deglutire valeret. Quod dum multoties conaretur, & frustrari semper suos conatus cerneret, coactus ipsa glutiendi impotentia, iuxta lectum, quo decumbebat, illud expuendo projecit. Cuius rei euentu valde territus, Presbyterum, qui discesserat, reuocari rogauit. Redijt ergo Presbyter, & infirmum reuisens, cur se reuocasset quæsiuit. At ille, Spiritu Dei agente compunctus, confessus est se malè egisse, se Deo mentitum fuisse, verumque, quod ante negauerat, esse. Quem cum multo gemitu pœnitentem & satisfacientem is, qui aduenerat, Presbyter intuens, compassus confitenti, & mœrore confecto, eum, vt moris est, absoluit, ac rursus Dominico corpore refecit. Quo suscepto, cùm tanta illud libertate glutiuit, vt verè tunc appareret, non casu, sed virtute diuina, ne ante hoc susciperе posset, prohibitum fuisse. Post hanc igitur reatus confessionem, & corporis Christi perceptionem paululum superuiuens in pace quieuit. Hoc non à duobus tantùm, aut tribus testibus didici, sed à Priore iam dicti loci honesto & fide digno viro, & fratribus eiusdem Monasterij, ac multis alijs, quorum quidam hoc se vidisse, alij à Presbytero se audiuisse testati sunt. *Petrus Cluniacensis de miraculis sui temporis lib.1. cap.3.*

Anno Christi 1154.

Vir Domini Vlfricus hominem, qui se diabolo deuouerat, de faucibus mortis ereptum, in interiorem cellam suam eduxit, tenens eum ibi, donec per confessionem pœnitens ille virus, quod dæmon infuderat ei, ad pedes Sancti euomuit. Tunc homo viribus resumptis, corpus Domini à Sancto Vlfrico sibi oblatum in specie carnis, & interrogatus, si ex toto crederet: Credo Deum, inquit, quia corpus & sanguinem Domini mei in manibus tuis sub specie carnis video ego miser & peccator. Cui vir sanctus: Deo gratias, inquit: nunc simul oremus, vt in specie consueta illud accipere merearis, sicque communicatum hominem, & in fide confirmatum dimisit. *Matthæus Parisius in historia Anglicana de anno 1154.*

Anno Christi 1160.

Eo tempore, quo Canonici vicem Episcopi gerentes congregationem pro quadam pecuniæ summa grauiter affligendo à diuinis suspendissent: in die Assumptionis gloriosæ Virginis, cùm hæc Dei famula nimio affligeretur dolore, propter carentiam Dominici corporis, visum est illi Dominum abstergere lachrymas ab oculis eius, dicentem ei: Hodie mirabilia videbis. Cùm autem instaret hora sacratissima, qua eleuanda erat hostia: visus est eleuare hostiam, quasi in aurea pixide clausam, & sindone velatam. Per quod significabatur, hoc Sacramentum omni humano, siue Angelico intellectu esse absconditum. *Mechtildis virgo lib.1. Reuelationum cap.4.*

Anno Christi 1167.

Pleraque dum prodigia in Annales relata reperio. Augustæ apud Rhetos hostia in carnem cruentam conuersa est: terræ tremor quarto Nonas Maij orbem terrarum afflixit, vrbes, casas, ædes, templa subuertit apud Longionas. *Auentinus libro 7. Annalium.*

Anno Christi 1180.

Guilhelmus Brito Armoricus de gestis Philippi Francorum Regis lib.1.

In castro, syluis Aquilina quod vndique cingit,
Cui sanctus nomen Leodegarius aptat,
Dum fortè audiret Missæ mysteria, vidit
Presbyteri in manibus quæ sacra leuantur in hora
Miri splendoris puerum, studioque frequentes
Angelicos ciues assistere cominus illi:
Quo viso in faciem lachrymis procumbit obortis,
Et Domino cordis totum se mactat in ara,
Qui sua quando vult, cui vult secreta reuelat.

Anno Christi 1181.

In solennitate Paschali apud castrum, quod dicitur Mons aureus, quædam mulier infamis cùm acciperet corpus Domini Iesu Christi in ore suo, non glutiuit illud: imò tulit, & posuit in arca sua, inuolutum panno lineo. Cùm autem quidam iuuenis amasius eius aperuit arcam eandem, inuenit hostiam Domini corporis transmutatam in effigiem carnis & sanguinis. Hoc etiam accidit in quadam villa Abbatis sancti Petri Carnotensis cuidam sacerdoti, cùm teneret corpus Christi in manibus suis ad Missam. Simile miraculum accidit iterum in Carnotensi Episcopatu tempore Roberti Episcopi Britanni, quòd quidam rusticus posuit corpus Domini in ora capæ suæ, & ibi seruauit illud vsque ad mortem suam, & tunc ibi inuentum est in specie carnis. Idem miraculum accidit cuidam mulieri in Flandria, quòd cùm posuisset in cista sua, postea inuenit in effigie carnis, &c. *Robertus Abbas de Monte de anno 1181. in Appendice ad Chronographiam Sigeberti.*

Apud Aurelianenses die Dominica circa festum B. Laurentij Presbyter celebrans, parauerat duas hostias propter viaticum, & processerat vsque ad orationem Dominicam: videt illam, quam manibus tenebat, rubro colore suffusam, & sanguinem ex ea inter digitos profluentem, eamque super altare in tribus locis transponit, & in singulis, quantum ipsa continet, tantundem sanguine purpuratur. Populus accurrit, miratur, sacerdos illam sumit, quam ipse parauerat reponendam. Rex autem Philippus, qui non longè aberat, accurrit, & vidit hostiam in forma carnis viuidæ, & super corporale sanguinis guttas, siue etiam notas, cùm transponeretur hostia ad modum hostiæ circulatas. Post modicum apud castrum Carolam, itemque apud Baronam oppidum, & rursum in territorio Vindociensi, atque iterum apud Atrebatum simile accidit. Hæc autem acciderunt propter hæresin in Vasconia pullulantem. *Vincentius Beluacensis Speculi historialis lib.29. cap.24.*

Puella quædam in partibus Thuringiæ prope ciuitatem Erpisfordiam ægrotabat: quam dum sacerdos ex more visitaret, dans ei viaticum, ablutionem digitorum fecit in bicario mundo, ipsam aquam adhibendum ei tradens, sicque discessit.

Illa verò bene suæ mentis compos, dixit his, qui circa ipsam erant: Diligentissimè ipsam aquam operite, quia de digitis sacerdotis vidi portiunculã Eucharistiæ in eam decidere. Quo facto cum ipsa aqua fuisset ei ad bibendum postea allata, & tota mutata fuisset in sanguinem, ipsa quoque portiuncula, licet minimi formam accipiat digituli, versa in cruentam carnem. His visis terrentur omnes, fit clamor muliercularum accurrentium, clamantium, mirantium, stupentium, & de re tam inaudita sic & sic loquentium. Mittitur, sacerdos vocatur, qui magis stupebat, qui suam in his negligentiam metuebat. Qui etiam timens officij suspensionem, cælare rem voluit, hortans tanti Sacramenti extinctionem. Sed cælari non potuit, quod Deus miraculosè manifestari voluit. Communicatur res pluribus, fit conuentus sacerdotum: qui in perturbatione non habentes consilium, adierunt Archidiaconum. Qui super his timens aliquid dispensare, quæ gesta erant per epistolam significauit Domino Moguntino. Interea ipsum bicarium cum viuifico corporali, super altare ponitur, & videntibus cunctis, qui aderant, columba venit super labium bicarij, & diu sedit non sine admiratione cunctorum, quod corporis sui pondere ipsum vasculum non euertit. In partibus enim illis bicaria quasi ductilia in inferioribus sunt angusta, in superioribus verò ampliora: vnde qui viderant, non corporalem, sed spiritualem columbam arbitrati sunt, &c. *Helmoldus lib. 4. Chronicorum c. 14.*

Anno Christi 1184.

Cùm Monasterium indies religione & opibus floresceret, erat vir pastorius, qui sacra die Paschæ de manu sacerdotis accepto venerabili Sacramento, cogitauit curiosius de illo aliquid constituere. Nam cùm cerneret ab omnibus summa cum veneratione haberi, indignum ratus in ventrem dimittere, asseruauit in ore, & clam egressus Ecclesiam, baculum pastoralem arripuit, & capite fisso Sacramentum immisit, arbitratus gregem suum prosperari patrocinio rei sacratissimæ. Visæ sunt noctibus ardere candelæ, quacunque parte domus conderetur: sæpe locum mutauit, idem prouenit. Id diu præter vxorem nouit nemo, innotuit inde cæteris, peruenit ad sacerdotem, inde ad Pontificem. Re comperta, vt gesta fuit, summo honore venerabile Christi Sacramentum defertur in Monasterium, ibiq; diu magno populorum concursu inclaruêre Christi mirabilia. *Albertus Crantzius in Vandalia lib. 6. cap. 24.*

Anno Christi 1200.

Religiosis quibusdam petentibus & instantibus, vt sub vtraque specie sumerent Sacramentum, sacerdote quodam pio celebrante, cum faceret fractionem, concauum patenæ totum visum est repleri sanguine: ad quod obstupuerunt ipse & circunstantes, sed cùm coniungeret partes hostiæ, totum visum est reintrare, & petitioni, & tentationi illorum penitus satisfactum fuit. *Alexander Alesius quarta par. Summæ quæst. 11. memb. 2. art. 4. § 3.*

Maria Oegniacensis cùm esset aliquando in pago Nitrensi prope Niuellam, & ipsa præsente puer quidam ad ostium Ecclesiæ catechizaretur, vidit impurum dæmonem à paruulo illo cum magna ignominia recedentem: eundem è sacro fonte leuans, apertis oculis vidit Spiritum sanctum in animam eius descendentem: sæpius autem sacram hostiam sacerdote eleuante, inter manus eius vidit elegantissimi pueri speciem, & cælestium spirituum exercitum cum multo lumine descendentem. Cùm autem post confessionem Sacramenta sacerdos perciperet, videbat in spiritu Dominum inestimabili illius permanere, eamque mirabili splendore illustrare: vel, si indignè sumeret, Dominum cum magna indignatione recedere. Porrò autem etiam tunc, quando in templo non erat, sed in cellula, opertis ex more oculis velamine candido, orabat, Christo ad prolationem sacrorum verborum in altare descendente, illa mirabiliter mutata, sentiebat aduentum eius. *Iacobus Vitriacus libro 2. cap. 4. vita Mariæ Oegniacensis.*

Anno Christi 1218.

Circa hoc biennium iuxta Coloniam in villa, quæ Belle vocatur, gestum est quod dico. Die quadam cùm sacerdos Missam celebraret, & dicto Euangelio hostiam patenæ superpositam super Corporale collocasset, illa mox resilijt. Putans hoc sacerdos casu accidisse, neque hostiam bene locatam, denuò eandem superposuit, quæ remotius eo intuente resilijt, quàm prius: cumque tertiò id tentasset, quasi turbine impulsa, proiecta est de altari. Quo viso territus valde: & se tanto ministerio indignum reputans, præcepit scholari, vt eadem hostia reseruata, aliam superponeret, quam & consecrauit. Dicta Missa tollens secum hostiam prædictam. Coloniam properauit, inueniensque Priores apud sanctos Apostolos, hostiam eis ostendit, quid de ea actum sit recitauit. Cunctis causam mirantibus, vnus Clericorum hostiam contra lucem leuans, maculam in ea contemplatus est: quam cum in aspectu multorum fregisset, cimex, qui vulgo pediculus parieticus dicitur, apparuit in ea decoctus. Et glorificauerunt Dominum omnes, qui aderant. Haud dubium, quin à sanctis Angelis reiecta est, qui non sunt passi, vt panis tam fœtido vermiculo corruptus per ministerium sacerdotis transiret in corpus Domini sui. *Cæsarius Heisterbachius lib. 9. cap. 65.*

Anno Christi 1220.

Muliel sancta Maria de Niuella, cùm apud Ecclesiam de Oegnies, in qua sunt Canonici Regulares, per dies quadraginta in infirmitate sua nihil penitus manducare potuisset, nihilominus singulis ferè diebus Christi sanctum corpus, absque vlla difficultate cum omni delectatione sumebat. Prior autem eiusdem loci probare volens, vtrum cibum corporalem posset sumere, me præsente, & ipsa ignorante, hostiam non consecratam illi attulit: quam cùm summis labijs attigisset exclamans, & panem materialem cum ingenti abominatione ab ore suo propellens, requiem non habuit, donec pluries labia sua, & os cum aqua frigida abluit. Vidi præterea in partibus Pictauiæ sacerdotem quendam, qui cùm diuina celebrasset, iuxta hostiam, quam præparauerat, aliam super Corporale iacentem inuenit. Facta autem consecratione, cùm Eucharistiam debuisset percipere, hæsitare cœpit, vtrum vnam vel duas acciperet, statim autem secunda subitò disparuit, expressa formæ suæ vestigia super Corporalia relinquens: quæ mihi sacerdos cum ingenti timore, & magna admiratione ostendit. *Iacobus Vitriacus historia Occidentalis cap. 38.*

Anno Christi 1225.

Eodem anno in vrbe Legre Castrensi obijt puella quædam inclusa, quæ per septennium ante obitum nullum omnino gustauit cibum, nisi quòd diebus Dominicis corporis & sanguinis Domini communionem accepit. Quod miraculum cùm ad audientiam Hugonis Lincolniensis Episcopi peruenisset, fidem non adhibuit veritati: sed incredulus planè, fecit per dies quindecim à Presbyteris & Clericis inclusam prædictam arcta nimis obseruari custodia, quousque compertum fuit, illam in toto termino memorato nullo vsam fuisse corporis nutrimen-

to. Faciemquoque semper habuit vt lilium candidissimum, roseoq; robore perfusam, ad indicium pudicitiæ, & munditiæ virginalis. *Matthæus Parisius histor. Anglorum de anno 1225.*

Anno Christi 1240.

In finibus Charionum in oppido Stain dum Vorbertus mysta sacrificat, victima sacrosancta in carnem atque sanguinem commutata est. Berchtoldus Patriarcha Aquileiensis, Albertus Goritiæ Regulus spectatum perrexêre. *Auentinus libro 7. Annalium.*

Anno Christi 1260.

Oppidum Duacense amplum & magnum est inter Cameracum & Atrebatum nobilissimas ciuitates. Hic in Ecclesia sancti Amati Episcopi cùm sacerdos in Pascha communicato populo corpus Christi super terram stupidus inuenisset, & flexis genibus eleuare tentasset: mox per se in aëra subleuatum panniculo, quo consecratos digitos sacerdos detergere solet, inhæsit. Clamans ergo Presbyter, Canonicos vocat: accurrunt illi, spectant in panno corpus viuificum, in specie faciei venustissimi pueri. Et mox conuocato populo ad spectaculum præsentatur, & indifferenter nulli tanta cælitus visio denegatur. Hæc cùm audissem fama vulgante, veni in oppidum, quod prædixi, accessi ad Decanum Ecclesiæ, cui optimè notus eram: petij videre miraculum. Annuit ille, præcepit vt fieret, aperta est theca, concurrit populus, moxquè vbi pixis reuoluitur, clamant omnes: Ecce iam video, ecce conspicio Saluatorem. Stabam ego attonitus, nihil videns, nisi tantùm speciem panis albissimi: nihil quidem conscius mihi, quare corpus sanctum cum cæteris non viderem. Nec diu, vt ista mecum voluebam, ecce vidi faciem in mensuram ætatis plenitudinis Christi, spineam habentem coronam in capite, & duas guttas sanguinis de fronte ex vtaque parte nasi descendentes. *Thomas Cantipratensis lib. 2. Miraculorum cap. 40.*

Anno Christi. 1264.

Vulsinijs miranda res visa. Sacerdos quidam ibi, cùm rem diuinam faciens sacram ritè hostiam frangeret, forte de veritate ipsius Christi corporis dubitauit. Itaque subitò ex ipsa hostia sanguis tantus effluxit, vt multis linteum ipsum guttis imbuerit. Qua re audita, Vrbanus Pontifex attonitus, ipsum ad se deferre linteum iussum, magno Cleri & populi occurrentis honore excepit, eoq; in Ecclesia Vrbeuitana, in sede ampliore ac digniore reposito, solennem Christi corporis diem decimo post Pentecosten cum insigni pompa in perpetuum celebrandum instituit. *Carolus Sigonius de regno Italiæ libro 19. de anno 1264. Onufrius Panuinius in Platina Vrbanum Quartum.*

Anno Christi 1278.

In ponte super Mosam in Traiecto superiori ducenti homines chorea ludentes xv. Kalend. Iuni, cùm corpus Christi per sacerdotem portaretur ad infirmum nolebant cessare, donec transisset sacerdos. Igitur mox transito ponte Presbytero, pons cecidit, & omnes in fluuio præter vnum submersi fuêre. *Nauclerus Generatione 43. Hermannus Schedelius in Chronico, Cornelius Cornipolitanus in Chronologia.*

Anno Christi 1280.

Bolsenæ ingens illud accidit miraculum hostiæ consecratæ, firmo, veroquè Catholicæ fidei erga Saluatorem Iesum Christum argumento, quod est huiusmodi. Sacrificus quidam cùm Missa operaretur, ac manibus hostiam consecratam tenens, apud animum dubitaret, verene sacratissimum illi corpus Christi Sacramentaliter inesset, ecce tum viuus ex ea prorumpere sanguis visus, candidumquè Corporale, seu linteum substratum inficere, adeò vt plurimis in locis signa cruoris relinquerentur, mox sanguine stillans passim obuolitare, marmoraquè niuea, quæcunque contigisset, cruoris etiam insignire notis, quæ in hodiernum vsque diem oculis cernere manifestè licet, egoquè sæpissimè vidi, Romanum hac iter agens, &c. *Leander Albertus in descriptione Italiæ in Thuscia fol. 104.*

Anno Christi 1288.

In Alemania & diœcesi Leodiensi, in villa Erckel, quædam puella vixit sine cibo & potu vltra triginta annos, cui Plebanus villæ obtulit oblatam non consecratam pro consecrata, quam non potuit deglutire: sed resumpta illa, dedit consecratam, quam sumpsit. Et hoc liquet, quod corporalem cibum nô expetebat, sed magis spiritualem. *Nauclerus Generatione 43.*

Anno Christi 1290.

Iudæus quidam Parisijs per inopem muliierculam, cui vestem, quam ab eo pignoratam habebat, se gratis restituturum promiserat, Christianam hostiam in Paschate assecutus, cùm accenso igne in sartagine eam vellet assare, vt perspexit eam non mutare formam, nec colorem, gladio eam pupugit, ex qua confestim sanguis manauit. Re autem detecta, superuenientibus Christianis, hostia in loco ei dicato restituta, Iudæi domus in templum conuersa est: quæ etiam Saluatoris Bullientis nomine compellatur, vbi hostia, gladiusq; etiam nunc ostenduntur. *Fulgosus lib. 1. cap. 6. Nauclerus Generatione 44.*

Anno Christi 1298.

Rumore tum dissipatur, à Iudæis Sacramenta nostra furto ablata, ludibrio, atque in mortario pistillo contusa fuisse, cruorem emanasse, &c. fit tumultu, nemine opem ferente, frustra Iudæis quiritantibus, VVirtzburgij, Mergethamij, Norimbergæ, &c. & alijs oppidis antiquæ Franciæ, atque Boiariæ, Hebræi incolis fauentibus concremantur viri atque fœminæ, obstinatissimo animo, cum paruis liberis, cum rebus, & supellectili omni, ne hæc à Christianis occuparentur, illi sacris nostris lustrarentur, in medium se incendium mittunt. *Auentinus lib. 7. Annalium.*

Anno Christi 1299.

Iudæi perfidissimi corpus Christi sacrum in nocte sanctæ Paschatis emptum à custode Ecclesiæ in ciuitate Franconiæ, quæ Rutlingen dicitur, per diuersas ciuitates, & castella alijs Iudæis distribuerunt. Quædam religiosæ mulieres, quæ sacras Vigilias ad tumulum crucifixi obseruabant, (sicut moris est in Theutonia) cùm hora Matutinarum de Ecclesia prodeuntes irent ad excitandum Ecclesiæ Presbyterum, vt crucifixum de monumento ante Matutinas, secundùm consuetudinem, subleuaret, viderenturquè super domum Iudæi, qui Sacramentum emerat, rutilare luminaria, cùm attonitæ starent, & secum quærerent, superueniens Presbyter interrogat, quid conferant: vidensquè cum ipsis luminaria, compertoquè quòd Iudæus cum custode in Ecclesia fuisset, & iuxta altare, cautè vocat iudicem ciuitatis, & quosdam de ciuibus, qui irruentes in domum Iudæi, ipsum & custodem Ecclesiæ ceperunt. Qui statim coacti facinus perpetratum confessi sunt. Iam verò, vt dictum est, idem corpus Christi per diuersas Iudæorum fuerat dispersum mansiones, qui sæpe

dictum Corpus Christi sacratissimum acubus & subulis pungentes, & in mortariolo tundentes, & per illas puncturas & tunsiones sanguinem elici conspicientes, tandem in diuersis locis sub terra suffoderunt. Sed Deus omnipotens Sacramentum salutis, multis miraculis prodentibus, suis fidelibus propalauit. Quapropter Christiani surgentes contra Iudæos, eos per diuersas ciuitates & loca turmatim occiderunt. Contigit vt multi Iudæi ad quoddam castrum confugerent, & se ibidem forti manu defensarent. Cumque Christiani ad expugnandum castrum conuenissent, quædam virgo Iudæa de eodem castro rogabat Christianos, vt ipsam inde eriperent, & baptizarent: Iudæis ipsam deorsum trahentibus & increpantibus, illa de manibus eorum elapsa, de altitudine se præcipitem dedit: sed ecce mirum in modum, quasi manibus Angelicis portaretur, illæsa descendit, & mox ad fidem Christi & Baptisma confugit. *Suffridus Misnensis libro 3. de anno 1299.*

Anno Christi. 1300.

Cùm venirem alia vice ad communicandum, fuit mihi facta locutio diuina, & dicebatur mihi: Amata, omne bonum est in te, & vadis ad omne bonum recipiendum. Ego autem incœpi cogitare: Si omne bonum est in te, quare vadis ad recipiendum? Et statim facta est responsio dicens: vnum non repellit aliud. Et quando appropinquabam ad communicandum, dictum est mihi ita: Modò est super altare Filius Dei, & secundùm humanitatem, & secundùm diuinitatem, & est associatus cum multitudine Angelorum. Et cùm haberem magnum desiderium videndi eum cum Angelis, tunc ostensus est mihi Deus, & videbam eum: non videbam autem eum secundùm aliquam formam, sed videbam vnam plenitudinem, vnam pulchritudinem, vbi videbam omne bonum, & dictum est mihi: O amata, ita stabis coram eo in vita æterna. Quantam autem consolationem recepit tunc anima mea, explicari non potest. A paruo autem tempore quando communico, hostia extenditur in ore, & non habet saporem panis, nec carnis istius quam comedimus, sed alium saporem, quem nescio assimilare alicui rei de mundo: & non est dura hostia sicut prius, nec descendit per frustula sicut consueuit: sed integrè cum tanta suauitate, quòd nisi esset, vt audiui, quia citò debet homo glutire, libentissimè tenerem eam in ore cum magna mora, & sic descendit integrè, cum illo sapore carnis incognito, nec oportet postea modo aliquo bibere, nisi esset consuetum, vt melius assumatur. Quando autem descendit, dat mihi vnum sentimentum magnum placabile, discernitur autem extra in corpore, ita quòd facit me tremere vehementissimè, ita quòd cum magno labore possum recipere calicem. Nunc autem, quando facio mihi signum crucis, & pono manum in capite, quando dico: *In nomine Patris*, nihil noui sentio: quando verò pono manum super cor, dicendo: *& Filij*, statim sentio ibi vnum amorem, vnam consolationem, quòd videtur mihi, quòd ipsum ibi inueniam. Hoc autem non dixissem, nec scribi fecissem, sicut nec alia, nisi fuissem monita. *Angela de Fulgineo cap. 40.*

Alia vice vidi in hostia consecrata Christum sicut puerum. Videbatur autem esse puer magnus, & multum dominans, quasi teneret sceptrum & dominationem. Et ego hoc videns, tunc non genu flexi, quando alij genua flexerunt. Habui autem maximam delectationem in videndo eum. Et habui magnam displicentiam & magnum tædium de eo, quòd sacerdos nimis citò reposuit hostiam super altare. Erat enim tantæ pulchritudinis & tanti honoratus, quod est ineffabile, & fuit tantæ lætitiæ visio eius, quod eam non credo perdere in æternum: & fuit tantæ certitudinis, quòd non dubito aliquo modo, quin fuerit in veritate. *Angela de Fulgineo capite 42.*

Anno Christi 1323.

Cùm Vandaliam Ioannes administraret, Iudæi, qui ab antiquo ibi mansitabant, in Cracone eius ditionis oppidulo effractis Ecclesiæ foribus, furati sunt tremendum Christi Sacramentum in pyxide, multis sacratis ad causam infirmorum hostijs. quasdam punctionibus torserunt, alias scissuris lacerarunt in contumeliam Christi: cæteras vt conculcauerunt, sparserunt publico itinere, vt Christianorum etiam pedibus calcarentur. Sensêre primi sacerdotem furtum, & quid suspicarentur non habebant. Detulêre rem maioribus in oppido: perlata est ad Gustrauiense Capitulum: Clerus indicto ieiunio postulauit à Deo reuelari, quid factum esset de venerabili Sacramento, furemne argentum, an Sacramentum inuitasset. Cùm deferretur res ad D. Ioannem Præsidem, cœpit statim suspicari quod erat, iussitque rapi Iudæos in quæstiones. Statim fatentur crimen, detegunt Concios, corripiuntur omnes noxij in prouincia, sacratæ hostiæ quæruntur in sabulo: crebrescunt miracula, fit populorum concursus, ex votis priorum instruitur capella, Christo laudes personant, Iudæi exquisitis supplicijs fracti, rotis necantur. *Albertus Crantzius Histor. Vandalorum libro 8. capite 8.*

Anno Christi 1337.

Calamitosa gens Hebræorum in oppido Bauariæ, nomine Deckendorff, sito in littore Danubij, maiestatem Iesum Christi in diuinissimo Sacramento mirum in modum contempsit, & religionem nostram illusit. Id post varias punctiones in fornace ignis posuerunt: illæsum tamen ab igne mansit. In incude quoque malleis percusserunt. Qua re diuino nutu cognita, Præfectus oppidi Hartmannus de Degenberg cum ciuibus oppidi Iudæorum domus inuaserunt, non sexui, non ætati parcentes: veritate cognita debitis pœnis afflixerunt, & neci dederunt, Sacramentum obseruatum in Ecclesia sepulchri Domini miraculis varijs in eo oppido honoratur. *Hermannus Schedelius in Chronicis de anno 1337.*

Anno Christi 1345.

Cùm conscelerati quidam homines, sacrilega cupiditate adducti, sanctissimum corpus Christi sub forma panis reconditum cum ferculo suo è templo omnium Sanctorum memoriæ dicato suffurati essent, atque id ferculum non aureum, vt crediderant, sed æreum inauratum esse comperissent, apud Bubalum pagum suburbanum Cracouiæ, in cœnosam paludem id irreuerenter abiecerunt. Mox locus crebris ignibus atque facibus dies & noctes aliquot perpetes collustratus est. Id miraculum cùm ad Episcopum perlatum esset, neque causa tamen eius pateret, post indictum triduanum ieiunium, eò cum solenni pompa sacerdotum & supplicationibus profectus est, repertamque sanctissimam Eucharistiam eò, vnde sublata erat, retulit. In eo verò loco, vbi reperta est, Cazimirus Rex sequente anno augustum templum, titulo Corporis Christi, de coctis lateribus ædificauit, successuque temporis peramplum spacium muro complexus, nouum op-

pidum condidit, & Cazimiriam de suo nomine appellauit. *Martinus Cromerus libro 12. Historiæ Polon.*

Anno Christi 1368.

Iudæi mense Iunio Bruxellæ venerabile corpus Christi pugionibus & gladijs transfixerunt, vnde cruor copiosè effluxit: quod ob scelus eodem in oppido viui fuêre concremati. *Iacobus Meierus Annalium Flandriæ libro 33. Theodoricus Loer à Stratis de miraculis Bruxellis editis circa venerabilem Eucharistiam fusius per testes persequutur integram historiam.*

Anno Christi 1369.

Ionathas Iudæus à Ioanne Parocho ad D. Catharinam aliquot hostias consecratas redemit, & incursu inimicorum in horto occisus, eas vxori asseruandas reliquit, vxor Abrahamo filio. Qui die Veneris sancto hostiam exemptam in cœtu Iudæorum cultello conscidit, verùm copioso profluente sanguine, mater Abrahami conuersa miraculum euulgauit. VVenceslaus Brabantiæ Dux diligenti inquisitione facta, Abrahamum cum conscijs ante ædem D. Catharinæ viuum exuri curauit, & hostiam in templo Cathedrali D. Gudilæ religiosè deposuit. *Ludouicus Guicciardinus in descriptione Germaniæ inferioris.*

Anno Christi 1384.

Quidam Osvvaldus Mulser nobili ortus prosapia in Seueld, & ibidem in castro, vulgo Sclosberg appellato, residens, tempore Paschali, quo Christi fideles ex præcepto Ecclesiæ ad Communionem Eucharistiæ accedere solent, maiori hostia, & non vt cæteri laici communicare nitebatur. Ex timore itaque huic sacerdos perniciosè assentiri volebat, sed dum venerabile Sacramentum supra linguam antedicti Osvvaldi poneretur, ecce miraculosè ante altare terra se aperit, ac si ipsum Osvvaldum prorsus deglutire vellet, & in illam vsque ad genua cecidit, ille verò manibus latus altaris apprehendit, sed altare isthic totum instar ceræ mollescere cœpit, manibusque cessit. Osvvaldus præsentem Dei vindictam præsentiens, mox pœnitentia ducitur, veniam à Deo precatur, cumque hostiam deglutire non posset, Deo id non permittente, sacerdos eam in sacrarium reponit, quæ etiamnum hodie isthic sanguineo colore diuinitus tincta, & ex linguæ saliua nonnihil contracta conspicitur. Vbi iam inde ad nostra vsque tempora plurima fiunt miracula. Ego Roma in Germaniam reuersus altare ipsum, & in eo manus Osvvaldi vestigia vidi, & contrectaui, ac iuxta illud terræ hiatum, quo absorberi cœperat, modo ferreis cancellis obtectum: denique ipsam hostiam, & castrum, quo vixit, conspexi. *Tilmannus Bredenbachius Collation. sacrar. libro 1. capite 55.*

Anno Christi. 1400.

In Dei gloriam recitemus gesta, quæ nostris adhuc temporibus & experientijs contigerunt. In parte namque Aquilonari Angliæ, dicta Norfolchia, reuera opulentissima rerum & spiritualium & temporalium, iam tardè superstes erat deuota quædam in Christo puella, dicta vulgariter Ioanna Methes, id est, sine cibo: quia nunquam cibum gustasse vel potum per tempus annorum quindecim experta est: sed solo Sacramento Dominici corporis diebus Dominicis cum deuotissimæ mentis gaudio vescebatur. At quod alti stuporis res est, ne decipi posset de veritate Sacramenti, inter mille panes simillimos hostiam consecratam à qualibet non sacrata distinxit. Et quod plures credebant maioris esse miraculi, hoc fecit non inspiratione tantùm diuinitus, sed quadam sagacitate sensus: quia omnem cibum corporeum fastidiens, nullum sustinuit apud corporalem odoratum suum, vel gustum, quin fugeret iam remotum. *Thomas VValdensis Tomo 2. de Sacramento Eucharistiæ cap. 62.*

Anno Christi 1401.

Cùm apud Posnaniam diuinum Christi corpus in specie panis ab infelici quadam muliercula ore sublatum, vt Iudæis ad ludibrium venderetur, mutataque sententia in pratis suburbanis eius vrbis abiectum esset, miraculis quibusdam insignibus proditum est, & repertum. Itaque templum in eo loco VVladislaus Rex condidit, & sanctissimi corporis Christi titulo dedicauit. *Martinus Cromerus de rebus Polonorum lib. 16.*

Anno Christi 1420.

Historiam refero, quam ego præsens vidi oculis carnis meæ, in cathedrali Ecclesia S. Pauli Londini, vbi venerandus Cantuariensis Antistes, felicis recordationis Thomas Arundel, filius & frater Comitum, pro loco iudicij (assistentibus sibi Noruicensis Ecclesiæ tunc Præsule Alexandro, & alijs) residens episcopali sede, verba quædam & interrogationes proponebat de fide Eucharistiæ ad quendam sartorem de partibus VVigorniæ deprehensum in hæresi: cumque flecti ad fidem omnino non posset, nec aliud, quàm benedictum panem sacratissimam hostiam volebat appellare, vel credere: tandem iussus facere reuerentiam hostiæ, respondit blasphemus: Verè (inquit) dignior est aranea reuereri. At statim de alto culmine tecti descendens ingens & horrida visu aranea, ad os blasphemi directo filo peruenit. Et dum loqueretur, vt intraret per polluta labia solicitè procurauit, & multorum manibus vix potuit prohiberi. Astitit illustri Princeps Thomas Oxoniensis Dux, tunc Cancellarius regni, & vidit prodigium. At prædictus Archiepiscopus statim surgens cum alijs exponit omni populo ibi collecto, quod vltrix manus Domini fecerat blasphemum. Nec mora, qui pretiosissimæ carni Agni prælegit araneam, peccatricem carnem suam flammis deuorandam amisit, vt esset fauilla peior aranea. Ecce doctrinam fœdam & amaram errantium, qui Sacramentum optimum sic in figuram attenuant, vt idolum faciant peius testudine, & araneæ posthabendum. *Thomas VValdensis Tomo 2. de Sacramento Eucharistiæ cap. 63.*

Anno Christi. 1430.

Qualis veneratio subibat animum, cùm illum ad altare conspiceres? quæ corporis immobilitas, quæ vultus intentio, quæ lachrymæ? Ex quodam fratre audiui, illius in primis familiari, dum celebraret Missam nocte Dominicæ Natiuitatis, post consecrationem Eucharistiæ solutum in mentis excessum. Cumque diutius perseueraret, accedit Diaconus semel atque iterum, ille perstitit immobilis. Tandem casulam tractus à fratre, velut à somno euigilans: ecce prosequor, inquit, frater: sed quid de infantulo isto tam pulchro faciemus? quomodo solum & nudum in tanto frigore relinquemus? *Bernardus Iustinianus de vita Laurentij Iustiniani cap. 3.*

Sacra virgo quædam erat magnæ sanctitatis, hæc per multos annos abstinentia, vigilijs, orationibus, steterat ante Dominum. Accidit autem, vt solennitate corporis Christi neque sorores aliæ, neque ipsa communicare diuinis mysterijs possent: & cùm ægrè ferrent, & illa imprimis san-

ctissima

ctissima mulier, oratum Laurentium mittunt, quia prope esset Monasterium, vt si gratiam communicandi eo die habere non possent, ipse saltem dignaretur, dum celebraret, per ancillis suis orare: promittit Laurentius. Cùm autem celebraret ad populum, post eleuatum Sacramentum factus est extra seipsum, detulitq; eum spiritus ad illam mulierem, in cella clausam, & contemplationi vacantem, quæ fortè tūc miro desiderio communicandi teneretur, & sacra illi mysteria communicauit, siue in corpore, siue extra corpus, Deus scit. Ab oculis quidem totius populi non discessit, donec ad seipsum reuersus ab illo pietatis officio reliquum Missæ peregit. *Bernardus Iustinianus in vita Laurentij Iustiniani cap.8.*

Anno Christi 1470.

Tertio idus Nouemb. ferijs D. Martini Episcopi pulchrum fit Brugis miraculum per sacratissimum sanguinem Domini. Mulier quædam infantem enixa, qui videbatur esse mortuus, non cessat inclinare sacrosanctum cruorem Christi pro consolatione, bonaqúe fide & fiducia sua id omne, quod petijt, obtinuit: post diem tertium quàm erat sepultus, refossus infans reuixit, & baptizatus est. *Iacobus Meierus libro 17. Annalium Flandriæ de anno* 1470.

Anno Christi 1480.

Robertus Saluiatus Bernardi filius, & D. Dominici fratrum consortio iunctus, dum in Monasterio Sancti Marci Florentinæ ciuitatis vitam degeret, geniculi deterioris abscessu grauiter affligebatur. Quare me familiari medico accersito, malum ostendit. Intumuerat enim genu, tantumqúe eleuabatur, vt humani capitis magnitudinem æquaret. Hic Chirurgica manu curatus bis iam sanitatem fuerat consecutus. Reuertebatur tamen id malum priore peius. Quare iudicauimus huiusmodi ægritudinem, vbi iam inueterasset, nullo modo citra vstionem finiri posse. Territus ille iudicio nostro, ac propterea medicæ artis spe deposita, ad diuinum confugit auxilium. Erat eodem tempore in eodem Monasterio vir simplex & bonus, fide & charitate pollens, per quem iam Dominus plurima signa fecerat, Dominicus Pisciæ oppido ortus, eiusdem religionis professor. Hunc igitur Robertus ipse conueniens, miserabilibus primùm lachrymis & precibus orat, vt se suis apud Deum orationibus liberet. Quod cùm ille pro sola humilitate abnueret, instat iterum Robertus, ne prius à lachrymis & importunitate destitit, quàm Dei hominem flectit & exorat. Celebratis itaque ex more & peractis Missarum solennibus, cùm ad Robertum ipsum, qui solus celebranti illi ministrauerat, conuersus fuisset, geniculum detegit, & signo crucis super malum impresso: fiat, inquit, tibi secundùm fidem tuam. Quibus verbis omnis prorsus intra paucos dies delituit ægritudo, Quod & nos non solum vidimus, sed & proprijs (vt aiunt) manibus attrectantes geniculum, ipsum detumefactum ac penitus sanescens inuenimus. Et ne quis non omninò virtute diuina factum putet, hic septimus iam annus est, ex quo ille sanitatem adeptus, eam seruauit, & seruat ope diuina. *Antonius Beneuennius de abditis morborum causis capite 9.*

Anno Christi 1492.

Die 22. mensis Octobris in oppido Sternberg, sub dominio Principum Magnopolensium, auxilio Petri sacerdotis, Eleazar Iudæus, & complices Sacramentum Eucharistiæ diuinissimum per hostias, maiorem & minorem obtinentes, has perforarunt, & cruor ilicò profilijt, quo linteum præcinctum ruborem accepit: quo miraculo territi, ad Petrum id deferunt. Principes autem illustres Baltazar & Magnus fratres, re comperta, cùm vestigia vulnerum, quæ remanserant, cernerent, Iudæus cremari fecerunt xxx. numero. Petrus verò prædictus sacerdos se illis vendidisse confessus est, & quomodo post puncturas Iudæ Sacramentum cruentatum, & panno inuolutum sibi restituerint, & quòd suffoderit in terram, vbi eo indicante inuentum est cruore conspersum: sacerdos degradatus, & incineratus fertur. In eodem autem loco hodie multa miracula fiunt. *Hermannus Schedelius in Chronicis de hoc anno. Nauclerus Generatione 5. Eandem historiam Nicolaus Mareschalcus Thurius certo libro, quem inscripsit, Res à Iudæis in Monte stellarum, ad longum descripsit.*

Anno Christi 1510.

In Februario, intempesta noctis hora circiter vigiliam noctis secundam, homo quidam sacrilegus, nomine Paulus Form, patria Pomeranus, & incola Pernagiensis, sub ditione Ioachimi Marchionis Brandenburgensis Principis Electoris, in villa, quæ vocatur Knobloch, Ecclesiam furtiuè intrauit, atque ciborium frangens, capsellam, in qua venerabile Sacramentum Eucharistiæ reconditum seruabatur, deauratam, cum hostijs & particulis duabus consecratis furatus est. Sequenti autem die furti pretium æstimans, monstratile cum particula vna Iudæo cuidam emendum obtulit. Nam antea particulam alteram indignus furcifer deglutierat. Iudæus verò capsellam siuè monstratile considerans: maius, ait, & multò esset charius, quod his inclusum fuit vasculis, quod si portasses, digno pretio redemissem. At sacrilegus ille excæcatus malitia, de sinu alteram extrahens hostiam, Iudæo appretiandam tradidit. Verùm Iudæus appenso vili pretio, nouem grossis, quorum duo & triginta florenum Rhenensem faciunt, Domini & Saluatoris nostri corpus, sub Sacramentalibus speciebus velatum, ab iniquo venditore emit. Vtcunque actum sit, mordet reum scelus commissum, timetqúe semper sæua, & perturbata conscientia: fugit mercator iniquissimus ad VVendos: vbi fama præuolante factum omnibus innotuit. Reuersus tandem ad propria, captus, atque in tortura positus, crimen confitetur, & rei gestæ ordinem recitat. Iudæus verò, qui Dominicum corpus emerat, ad nudam superpositum mensam pugione sæpius vibrato transforare tentabat, & Deo volente inter tot punctiones hostia permansit integra. Quod videns malitia excæcatus Iudæus, in furiam actus, dixit: Si tu es Christianorum Deus, manifesta te in nomine mille dæmoniorum. Quo dicto citius in tres scissa partes, particula sanguineo per circumferentiam maduit rubore. Exterritus Iudæus, particulas panno inuolutas per mensis spatium apud se tenuit; & deinde duobus alijs Brandeburgi, & Stendelij morantibus singulas particulas transmisit; tertia sibi reseruata: quam rursus mensæ impositam pugione confecit, vnde sanguinis guttulæ dimanarunt. Consternatus ille, & veritus se proditum iri; particulam absumere nititur, sed non valet: dein mittit in aquam, at illa enatat: tertiò in ignem proijcit; sed nihil id hostiæ nocet. At extremum sub Paschalis solennitatem azymos coxit panes, particulamqúe massulæ azymi panis commiscens in furnum iactauit, moxqúe furnus, alioquin obscurus, resplenduit, & massula illa in Iudæi faciem insiliuit. Nouo ille terrore correptus, massulam illam cum particula alteri cuidam Iudæo transmisit:

iam res erat prolata in publicum, & Marchio Iudæos omnes in sua ditione morantes Berlinum acciri, & in vinculis teneri iussit. Habita autem ex illis quæstione, præter alia flagitia non parum multa, fassi sunt se intra paucos admodum annos septem Christianorum infantes acubus & punctionibus peremisse. Igitur in illos lata sententia quadraginta flammis traditi sunt: tres alij Iudæi Baptisma perceperunt quidem, sed postera die duo capite plexi sunt, tertius pluribus pro eo rogantibus vita donatus, D. Francisci institutum Berlini complexus est. Porrò ter execrandus ille Paulus Form candentibus discerptus ferris, in cinerem tandem voracibus flammis redactus est. Denique Iudæi omnes è tota Marchionis ditionis ita proscripti sunt, & extrusi, vt sub pœna capitis omni eis reditu interdictum sit. *Nicolaus Basilius additione ad Chronicon Naucleri, Liturius Appendice ad Fasciculum temporum, Surius in Chronicis, Ranerus Pontanus libro 5. rerum memorabilium.*

Anno Christi 1512.

Rauenna à Gallo milite direpta crudelissimè est, vt ne sacratis quidem delubris parceretur, quæ omnia spoliata expilataqúe, etiam sacrarijs ablatis, in quibus sacrosanctum Saluatoris nostri corpus, eo per summum scelus in terram abiecto, continebatur. Quo tempore miraculum ingens magno nostræ sanctæ fidei argumento contigit huiusmodi. Vasco quidam miles, cùm tanto rapiendi furore percitus, vt in maximum templum irruens, quia totum id iam expilatum cernebat, relicta solùm ædicula, sacratissimam hostiam continente, cui ex alijs nemo propter Sacramenti religionem adhuc manus admoliri fuerat ausus, omni numinis metu deposito, arculam pretiosam arripuisset, extractoqúe per summum nefas venerabili Sacramento, & in terram proiecto, asportaret, hostia mox in columnam quandam spontè subuolauit, in eaqúe constitit. Veruntamenuerò breui mora pœnæ Vascones istos, qui ferè delubrorum, sacrorumqúe fuêre spoliatores, exultare numen siuit. Paucis enim post diebus ab Heluetijs in Italiam accitis maxima nequissimi generis pars vel cæsa, vel in Ticini Padiue gurgites detrusa est, vt mox quaterna senaqúe illorum cadauera simul colligata fluminibus deferri spectarentur. *Leander Albertus in descriptione Italiæ in Romanula 14. regione Italiæ folio 472.*

Anno Christi 1526.

Bruxellæ in hospitio, quod ad aureum cyathum vocatur, hospitis filiolus 24. Augusti in vas aqua plenum primùm præceps prolapsus, deinde submersus, ac per inuocationem cùm vicinorum, tum parentum erga Deum, iuxta venerabile Sacramentum in D. Gudilæ templo miraculis coruscans vitæ restitutus est. *Theodoricus Loer de miraculis circa venerab. Eucharistiam Bruxellæ editis.*

Anno Christi 1528.

In pago quodam, cui nomen vetus vicus, rusticus quidam in diuersorio, dum Eucharistiam irridet, subitò exanimatus est, rem sic actam teste docuêre. Æditus quidam rusticus perferebat scriniolum plenum panibus consecrandis, quas hostias vocant: huic comes erat alter rusticus, qui quondam fuerat æditus. Vbi ventum est ad vicum modò dictum, libuit ibi bibere in diuersorio: petit comes ille hostiam dono, illo contento accepit, & incipit per ludibrium consecrare. Cauponaria videns, increpat: ille nihil, inquit, tua refert, abi, apporta vinum: vbi redit mulier, videt hominem collapsum, rogat quid habeat, respondent ibi potantes in alia mensa, forsitan habet illum syncopis: mulier adfert acetum, admouent, sed frustra, erat planè mortuus. Hæc non est fabula, feruntur & alij rumores, verùm nolui parum comperta scribere. *Erasmus Roterodamus libro 20. Epist. Epistola ad Episcopum Leodiensem.*

Anno Christi 1529.

Elisabeth à Geruen Buscoduci vxor Henrici à Geruen è puerperio tali claudicatione contracta, vt non nisi scipionis aut baculi adminiculo vix aliquo prorepere, Bruxellas profecta est: postquam in publica processione quomodocunque poterat secuta esset venerabile Sacramentum, perreptauit tandem & in templum ad venerabile Sacramentum à supplicatione in medio Ecclesiæ in altari repositum. Coram quo magno desiderio, deuotione, fiduciaqúe in genua procumbens, ex animo Dominum comprecata est. Inter precandum sensit suas precationes à Domino exauditas esse. Eratqúe illi in loculis nummus offertorius, vt appellant: exurgent igitur alacris & lætabunda, scipiones suos exhibuit D. Sebastiano Michaeli, apud D. Gudilam Sacellano, ibidem hærenti ad recipiendas oblatiunculas. Heus tu, inquit, domine mi, hos tibi accipe scipiones, ego Deo gratia plenè conualui. Sacerdos arbitratus mulierculam motæ mentis esse, prorsusqúe insanire: mulier, inquit, dic quæso quid tandem noui tibi accidit? Domine, inquit, abhinc perpetuum sexennium non licuit absque scipionibus ambulare: at iam nunc, vt ipse coram vides, probè incedo ambuloqúe. *Theodoricus Loer de Eucharistiæ miraculis.*

Anno Christi 1531.

XXIIII. Iulij accessit D. Gudilam apud Bruxellas Cornelius ab Astendonck Bergensis, adferens secum puerum cereum, simul cum candela cerea, nomine cuiusdam heroidis ab Ettene, in puerperio etiamnum decumbentis, ob filium masculum recens quidem natum, sed nullum vitæ indicium præ se ferentem, quem plerique omnes mortuum esse natum arbitrabantur. Quo viso mater vnà cum obstetrice, cæterisqúe item mulierculis ibidem obstetricantibus, confugiens ad venerabile Sacramentum Bruxellis in templo D. Gudilæ miraculis celebre, anxiè illi obsecrauit, recipiens sese muneri transmissurum puerum cereum, cereamqúe candelam. Quo voto suscepto, puer ilicò manifestarium vitalis spiraculi specimen, indiciumqúe præ se tulit, & iam nunc, vt cuique in propatulo est videre, rectè sibi constat, rectèqúe valet. *Theodoricus Loer libro eodem.*

Anno Christi 1550.

Ob Pauli Tertij Pontificis Maximi obitum sede vacante, pulcherrimam eam imaginem D. Virginis matris, & carmina, vnà cum aurea pene testudine, ingenti ruina ac domo corruisse vidimus: in quo maximum quidem certè contigit, quòd cùm inferius Eucharistia loculo incluso seruaretur, hinc atque inde ruina & lapidibus maximis decidentibus, & quasi attingere non audentibus, incolumis & intacta permansit, cùm tamen vel ipsa pauimenti marmora in minutissimas partes confracta sint. *Hieronymus Rubeus histor. Rauennatum lib. 3.*

Anno Christi 1556.

Accidit hoc ipso anno in Poloniæ regno res memorabilis. Mulier quædam vilis, Dorothea Lazezka nomine, professione Christiana, in oppidulo quodam Sachazeto, Episcopatus Posnaniæ, dissito ab arce Louitz spatio trium milliarium Polonicorum, cuidam Iudæo nomine Bisheim, vel Benedicto aliquot annis seruierat: hanc Iudæus ille sæpius interpellauit, vt sacrosanctum Christi corpus, more Christianorum cum cæteris acceptum, ipsi perferret, in eius flagitij præmium promittit mulieri tres daleros, & crocotam rubro colore tinctam, ac sericis fimbrijs obductam, & ornatam se daturum. Fœmina scelerata conditionem accipit, ac in ipso peruigilo Paschæ anno currente abit in pagum quendam Cotzo dictum, Episcopo subiectum, vbi cum cæteris communicantibus mensam Dominicam impœnitens & fine Confessione accedit, ac instar Iudæ percipit Eucharistiam, ac paulo post extractam sudariolo inuoluit, ac Feria 3. Paschæ Sachazetum reuersa, Iudæo hero suo illam tradidit: quo facto tres alij Iudæi, huic oppidulo vicini, puta Michalecus, Sachaus, & Iosephus, ad memoratum Iudæum veniunt, ac sacrosanctam Eucharistiam in suam Synagogam deferunt, atque eam pugionibus, & cultris confodiunt: & ecce confestim ex illa hostia multus emanat cruor, quem perfidi Iudæi in vitreum calicem colligunt. Non diu latere potuit tam atrox facinus: ante omnes mulier illa scelesta Sachazeti comprehenditur, inde Iudæus eius herus, qui confitentur omnem rem gestam. Per id tempus Poloniæ rex Sigismundus erat Vilnæ, quæ est Lituaniæ Metropolis, ac eius certior factus, mandat eius oppiduli præfecto secundario, vt rem eam diligenter inuestiget, ac si eam ita, vt denuntiatum erat, comperiret, in omnes eius flagitij conscios extremo supplicio animaduertat. Itaque Dorothea & Iudæus habita quæstione, die Veneris post CHRISTI Ascensionem publicè flammis exusti sunt. Primarius ac generalis illic Præfectus D. Andreas Palatinus Rauensis, iurisdictioni prædictæ vrbis obnoxius, reliquos Iudæos Iosephum, & Sachauum (nam Michalecus fuga iam elapsus erat) insuper & Iacobum Benedicti Iudæi exusti filium (qui ex impia illa Dorothea prolem, sed fine Sacramento Baptismi defunctam, & paterno inhumanatam sepulchro sustulerat) à secundario Præfecto certis rationibus adductos Placentiam Poloniæ dimissos (vbi primarius ille Præfectus moram trahebat) intensa actione criminosa, ad extremum edicto regio, impietatis primùm conuictos, mortis reos decernit, & productos in Plozio Calendis Iunij ignibus consumit. Nec verò quenquam lateat, quòd cùm dicta Dorothea abditam prædicto modo gereret viuificam hostiam, & Gotzlania in villam Latzkam iter domum versus confectura venisset, à canibus Georgij cuiusdam Lazezki patrisfamilias intercepta sit, qui tanto fremitu vestes illius inuolabant ac lacerabant, vt pene ad terram prosterneretur, diuino forte permissu, nec abiuisset illæsa, nisi succurrissent famuli domus. Sanè ipse rex Poloniæ fertur hoc miraculo non mediocriter in Catholicæ Ecclesiæ retinenda communione confirmatus esse. *Rouerus Pontanus rerum memorabilium libro 5. Laurentius Surius Commentario rerum in orbe gestarum.*

Anno Christi 1561.

Neomagi accidit Feria 2. Paschæ circiter horam diei nonam, vt sermone in Ecclesia Parochiali simul & Collegiata absoluto, alter Parochorum nomine Antonius Vorstius vnà cum æditua accerseretur ad ægrotantem mulierculam, quæ in solenni die Dominicæ Resurrectionis ob corporis imbecillitatem in templo non communicauerat. Decumbebat autem mulier in platea Regularium. Porrò in altiori vici parte, prope vallum oppidi, taberna erat meritoria, in qua parum honestè tunc temporis diuersabantur viri duo iuuenes: vni Nouiomagum patria erat, alteri Traiectum superius ad Mosam. Vterque ibidem tunc ouum Paschale, quod vocant, solito more elixum manibus ostentante, certamen initur inter eos, idque periculo hauriendi poculi cereuisiarij, vter suum prius ouum glutire queat. Interim aduenerat Pastor prædictus cum venerabili Sacramento, ouiculam suam infirmam in vicinia commorantem refecturus. Audita per plateam nola, quæ præferebatur Eucharistiæ, alter ille, qui Traiectensis erat, in contemptum tremendi mysterij audacter dixit ad sodalem suum: Ego ouum illud, quod manu teneo, citius deglutiuero, quàm ægrotans muliercula Deastrum illum (Teutonicè Das Göttgen) dixit, & protinus hians, ouum in os immisit, volens traijcere illud per gulam. Sed ecce præsentissimam Dei vindictam, qua præpeditus nullo modo ouum transmittere potuit. Hærente autem illo in faucibus, cùm miser homo se statim suffocatum iri, nec spem vitæ reliquam videret, oculis horribiliter contortis, conspicit candelam sebaceam ex clauo pendentem. Arripit celerrimè sebaceum, & absque mora inijcit ori, cupiens, conansque candela tali protrudere ouum, sed frustra. Nihil enim aliud effecit, quàm quòd sebo candelæ in gutture apud ouum relicto, ellychnium, seu fila nuda retraxerit. Hac spe frustratus, humi procumbit instar bouis mactati, memoria, loquendique facultate omnino priuatus, & supinus iacens, fuliginosum & velut Aethiopicum induit vultum, & gutture diuina vltione confracto tristissimam efflat animam, Parocho memorato cum sacrosancto illo pane astante. Is enim simulatque infirmam communionis participem fecisset, ex illa domo rediens, audit miserabiles voces ex taberna vicina resonantes: horrore perculsus introcurrit cum venerabili Sacramento, rogat quid illic fit negotij, audit ex rore præsentium rei gestæ seriem, hominem diuinitus percussum videt humi palpitantem, & cum morte certantem, & paulo post expirantis guttur fractum, ouo nunc instar tuberis intercutanei in altero colli latere, & non in faucibus residente. Hæc ego ad verbum scribo ex ore eius Parochi D. Antonij Vorstensis, qui apud Neomagenses curam gessit animarum annis 26. & amplius magna cum laude, vsque ad extremos furores Geusiorum, Parochus pariter, & Canonicus ibidem: in præsens autem ob verbi diuini gratiam & bonitatem suam Catholico Resensium gregi gratissimus Pastor. *Tilmanus Bredenbachius Collat. sac. lib. 1. ca. 53.*

Anno Christi 1566.

Nicolaa Petri Obrij lanij filia, vxor Ludouici sartoris, oppido Picardiæ Veuino, ab apparente hominis sepulti, quasi aui sui, specie spiritu, siue pluribus potius dæmonibus correpta fuit, quæ tandem perducta Laudunum ad Episcopum, neque solitis remedijs Ecclesiasticis, neque Exorcismis, neque orationibus, aut signo sanctæ crucis liberari ab vniuersis potuit. Emigrauerant enim ad viginti sex, exorcismis venerandi patris Petri Montani Ord. S. Domini. Interrogatus à Reuerendissimo dæmon, qui sibi nomen Beelzebub indiderat, cur illam Catholicam & pudicam obsideret? Ingressus sum (inquit dæmon mendax) hanc meretriculam Deo mandante, propter populi peccata, vt ostendam me esse diabolum, vt conuertam, siue obstinatiores reddam Hugono-

tas, vt & omnes faciam vnum. Cui Episcopus: Hoc præstare, est Domini Iesu, qui omnes vnum faciat. Cùm nomen dæmonis inter cætera sacra coniurationis Christianæ mysteria exureretur, ipse prioribus aliquot diebus in maledicta, ac fœda conuitia accendebatur, sed postea non mouebatur isthac iniuria, sicuti nec signo S. Crucis, dicens, se non exiturum. Denique illi Episcopus, postquam nec per Euangeliorum lectionem, nec orationes, neque coniurationes, nec per tui nominis exustionem, neque per reuerendum sanctæ Crucis signum, neque vlla re alia, quam aut dicimus, aut facimus, vis emigrare, oportet vt tibi tuum Dominum ostendamus, atque præsentem exhibeamus, cuius potentia confestim te hinc expellam. Cui furiosa quadam respondit rabie diabolus: Quemnam? Tuumne illum album Ioannem? Ton Iean le blanc? Verùm Episcopus blasphemiam reprehendens: mentiris diabole, inquit, est tuus Dominus, cui cogeris obedientiam præstare: quisnam te docuit isto conuitio illum appellare? Cui diabolus: Ego quidem me ipse, inquit, atque meos Hugonotas isto nomine illum docui appellare. Verùm enimuerò tum ille Episcopus, quia eum ita appellas, & tuos ità facis appellare, neque diuinitatem eius cognoscens, neque maiestatem reueritus, quanam igitur de causa tantopere illum exhorrescens trepidas, cùm illum tibi ostendo? Cui diabolus: Tu non vniuersa, inquit, dicis: est illud hoc, est illud hoc. Quam vocem sæpe repetebat, summa cum auditorum admiratione, indicans diuinam illius orationis, *Hoc est corpus meum* consecrationem. Episcopus itaque sacrosanctam hostiam manu eleuatam, ob oculos Nicolaæ Energumenæ ponebat, quamcunque in partem illa subitò deflexisset: maligne spiritus Beelzebub (inquiens) hostis capitalis Dei, aspice hic pretiosum corpus CHRISTI nostri Saluatoris, & Domini Iesu Christi tui magistri, nunc ne verbum quidem loqueris amplius. Ego tibi mando in nomine & virtute pretiosi corporis nostri Saluatoris, & Domini Iesu Christi hic præsentis. En tibi ipsum, vt tu confestim exeas de corpore huius creaturæ Dei, nulli mortalium noxam inferas, atque vt profundum inferni adeas, tuas luiturus pœnas, & vt ne vnquam redeas. Exi maligne spiritus, exi: ecce Dominus tuus, exi. Mox diabolus, vt dixerat, ego exibo, sed redibo, fœminam miserrimè ita distorsit, exagitauit, vexauit, vt ossa fragore quodam edito concuterentur, dirisquè spondilorum, lacertorum, & tibiarum contorsionibus distorqueretur, horridumquè in modum dentibus frenderet, adeò vt humanam omnem figuram exueret, inflata, crassior reddita, & vultu bufonis colorem exprimente faucibus hiantibus ore & aures dehiscente, lingua ad mentum vsque protensa, oculos candelarum more inflammatos exhibens, visuquè horribilis & abominabilis sese ad altitudinem sex pedum, validorum octo, aut decem, aut quindecim hominum manibus eluctabatur, terribiliter mugiens, horridumq; vlulans in aëre pendula hærebat, faciem auertens à Sacrosancta Eucharistia, populum in Ecclesiæ area, & Xistis pensilibus stantem toruè aspectans, vastamquè templi testudinem, adeò vt audiretur valida expiratio, graue suspirium, & quædam veluti horrisoni venti ore illius exorta tempestas. Quem in modum cacodæmone cum sua cohorte emigrante Nicolaa fuit è vestigio liberata, vbi sacrosanctam degustasset Eucharistiam, quæ afflictissimam valetudinem restituit, atque syncopem subinde recurrentem stupendo miraculo iterum atque iterum adhibito persanauit. *VVilhelmus Lindanus responsione ad Ioannis Campani Nestorizantis, & Caluinizantis libellum.*

Anno Christi 1574.

Cùm anno 1574. in autumno in ciuitate Hollandiæ Gouda Catholicus quidam ciuis grauiter decumberet, irriserunt eum quidam Caluinisticæ sectæ, dictitantes per ludibrium, leuius & facilius eum defungi posse, si Missam prius audiuisset. Nec mora, quidam ex illis Hermanus Aldareich profert habitum sacrum, quo Ecclesia Catholica in tremendis mysterijs vti consueuit, eodemquè induitur. Paratur mensa, expediuntur cætera, quæ in sacris mysterijs vsurpari consueuerunt: adest subornatus Diaconus & Subdiaconus: canitur Introitus, & quædam aliæ preces, vsurpantur omnes penè per ludibrium ceremoniæ Ecclesiasticæ. Vbi peruentum est ad canticum *Agnus Dei*, ecce festinus accurrit minister sacrificantis, exponit vxorem eius coarctari doloribus partus. Ille sacrificium sine cauda, & sine sale offerens, non sustinuit in eo persistere donec absolueret: sed protinus excusso habitu, Missaquè missa facta, sese festinus domum proripuit. Inter eundum nuntiatur ei, vxorem duos gemellos enixam. Faustum hoc nuntium, mox vt domum ingressus est, conuertitur in luctum: vterque enim filiolus extinctus est. Vxoris deinde cubiculum ingressus, eam cum morte conflictari, & paulo post vita defungi videt. Ipse quoque postridie peste corripitur cum omnibus, qui vel ministerio, vel cantu, imò etiam sola præsentia sacrificio vel tacitè, vel expressè suffragati erant, omnesquè eadem lue moriuntur: Catholicus verò ex infirmitate decumbens conualuit. *Tilmanus Bredenbachius Collat. sac. lib. 1. ca. 60. ex libello Germanico Colon. 1574. excuso.*

Anno Christi 1583.

Hoc anno 1583. Viennæ Austriæ faber quidam lignarius, hæreticus & impius, nocte se abdiderat in templo, quod dicitur Virginum Scotarum: intempesta autem nocte perfringit cancellos domunculæ sacrosancti Sacramenti, & ex hostijs paruis, quas multas inuenit, alias abijcit in terram, & pedibus conculcat, alias dentibus arrodit, alias verò reseruandas recondit in sacco caligarum suarum. Paulò post sentit madescere indusium iuxta saccum, extrahit, & totum sanguinolentum deprehendit. Manè cùm ostium templi aperitur, licet latere se putaret, sacrilegus capitur, hostias, quæ in sacco erant, inueniunt sanguinolentas, & cum reuerentia in loco sacro, vbi adhuc reseruantur, reponunt. Sacrilegus autem ad fidem Catholicam conuersus, propter manifestum omnibus sacrilegij crimen capite plectitur. *Ioannes Busæus epist. hoc anno Viennæ Austriæ Coloniam ad Patres Societatis Iesu scripta.*

Anno Christi 1590.

Incidi abhinc biennio in honestam personam, quæ vndecim annis laborauerat ex cancro, qui non solùm labia, sed & linguæ partem horrendum in modum inuaserat, eratquè persona contagione Anabaptistarum infecta. Venit tandem non sine gratia Dei ad locum, vbi aliquot viri flectebant genua ante S. Eucharistiam. Tum ipsa: *Domine, adauge in me fidem.* Credo quod viri isti. Quo dicto præparauit se ad Sacramentum Pœnitentiæ. Deinde iunxit se communicantibus Dominicum corpus, & iam iam sumptura Corpus Domini dixit: *Domine, si vis, potes me mundare* morbo incurabili, si medicinam carnalem spectemus. Et simulatq; S. Eucharistiam sumpsit, ita sanata est, vt nullum vestigium morbi appareat. Accidit etiam, quòd adhinc aliquot mensibus in celeberrimo diuersarer hospitio ad tempus, ad faciendum opus, ad quod me elegit Dominus misericors, vbi post mortem Catholicæ mulieris Sacramentis munitæ, quæ ægra decubuerat per sex annos, suauissi-

mus

mus odor etiam ab infidelibus sentiebatur in cubiculo, vbi corpus depositum erat. Vnde stupefacti, qui à fide Catholica defecerant, rogarunt, vnde fragrantissimus odor sentiretur, responsum est, quòd promanaret ex patientia mulieris, quam Deo dederat. Eodem tempore accidit, quòd quidam ex Caluini sectatoribus mortuus sit repentina morte, vnde tantus fœtor sentiebatur, vt pulchrè videretur referre malè olentum Antiochum & fœtentem Herodem. *Martinus Regius epistola ad Franciscum Martini Guertenum Canonicum Regularē.*

Anno Christi. 1591.

Iudæus quidem Leo nomine in omni genere linguarum exercitatus, Pragæ nuper in Boemia ad fidem conuersus, & Christianorum sacris initiatus, familiaritate cuiusdam Franciscani, Petri Rodami, cui cura infirmorum erat concredita, cuiq; morientibus salutare viaticum administrabat, vtebatur. Diligenter obseruarat, vbi hostiæ consecratæ reponerentur, & asseruabantur. Initio itaque mensis Septemb. Iudæus hic Christianus factus (vt & ferè omnes huius farinæ Recutiti) Iudaizans, huiusmodi hostias tres clam surripuit, chartæ inuoluit, & Presburgum in Vngariam profectus, ad Iudæum in hospitium diuertit. Cumq; aliquot dies hic commoraretur, sæpe cum hospite de incarnatione Christi, deq; Sacramento Corporis & Sanguinis eius disputauit. Interrogauitq; tandem hospes Leonem, an aliquando Sacramentum hoc percepisset Respondit Leo, se percepisse. Tandem eò prouecta est oratio, vt Leo tres consecratas hostias Pragæ raptas de sinu deprompserit, & Iudæo spectandas dederit. Iudæus visis hostijs, obnixè Leonem orauit, duas sibi donaret: quòd cùm ille recusare non posset, Iudæus acceptas hostias in arculam reposuit, & accuratè custodiuit, donec Leo Presburgo Nikelsburgum proficisceretur. Eo absente Iudæus hic alios suæ sectæ homines conuocat, eis hostias exhibet, ac quomodo eas adeptus esset, commemorat. Collatis his consilijs, plures Iudæos ad se vocant, vel experiantur, sitne in Christianorum Sacramentis dolus: an potius ea vera sint. Effundunt hostias in mensam, & ponè eas cultrum. Hic vnde eorum arrepto cultro: Si, inquit, verè Christianorum Deus sis, hic virtutem tuam exere: simul ac cultrum in hostiam adegit. Ex templo copiosus sanguis effluxit. Territis hoc miraculo Iudæis, mox vindex Deus adfuit, & fulmine domum concussit, quæ igne correpta, cum hospite, vxore, duabus filiabus, multisque alijs Iudæis funditus exarsit. Tres tantummodò incolumes euaserunt. Mensæ & hostiæ in medio isto incendio saluæ, intectæque remanserunt. Gubernator vrbis, qui extra muros habitabat, tam sæuum videns incendium, misit famulos suos in vrbem, vt causam incendij inquirant, & illud cum oppidanis restinguant. Qui cum in vrbem venissent, didicerunt Iudæos aliquot istis in ædibus congregatos fuisse quid verò egerint nemini constare, multis igne absumptis tres euasisse. Re ad Gubernatorem relata, tres illi Iudæi quæruntur, & inuenti in vincula conijciuntur. Habita quæstione cùm diu scelus occultarent, tandem prodere coacti, rem gestam ordine narrârunt. Gubernator vt tantum scelus debitis pœnis expiaret, Iudæos istos exquisitissimis tormentis excarnificari, tertioque die adactis per corpora semiustua palis, in via regia collocari præcepit. *M. Iansonius Doccomensis Frisius Mercurij Gallobelgici libro 4. de Anno 1591.*

ARTICVLVS NONVS.

ALTARIVM CONSECRATIONEM ET VSVM AD DIVINVM SACRIFICIVM.

IMPROBANT.

Anno post natum Christū 350. *ARRIANI altaria per obscœnos gestus, & impudicas cantiones, fœdasq; membrorum inflectiones probo ac cōtumelia habuerūt.* Athanasius epistola ad omnes Orthodoxos cùm per Arianos persecutio fieret. Nazianzenus in laudem Heronis orat.

366. *Iulianus Apostata cum esset in templo aduersus sacram mensam minxit, atque Enzoio eum prohiberi conanti colaphum infregit.* Theodoretus lib. 3. cap. 11. hist.

370. *Eustachius Basilidis Paphlagonici altaria subuertit, & priuata mensa munus peregit.* Basilius epist. 72.

380. *Donatistæ altaria Dei fregerunt, raserunt, submouerunt.* Optatus lib 6.

390. *Manichæi pro paganis & idololatris habuerunt Catholicos, eò quòd in memorijs Martyrum aras construerent, & erigerent.* Augustinus contra Faustum lib. 20. cap. 4. & 21.

400. *Messaliani Ecclesias & altaria despiciunt, quasi eos, qui pietatem profitentur, non doceat Ecclesiasticos cœtus & sacrificia celebrare, eis precibus contentos, quas ipsi in suis oratorijs Deo fundunt.* Damascenus & Nicetas de illorum hæresi.

1140. *Petrobrusiani dixerunt, nihil differre templum à taberna, haram ab ara sacra: vbi poterant templa & altaria subuertebant.* Petrus Cluniacensis epist contra eos scripta.

1200. *Albigenses altaria Sanctorum statuas idololatriam esse dicebant.* Cæsar Heisterbach. lib. 5. cap. 22.

1220. *Quidam Tholosanæ ciuitatis iuxta altare maioris Ecclesiæ ventrem suum purgauit, & palla altaris*

ipsas

ipsas immunditias detersit. Ceteri Albigenses, furori furorem adijcientes, scortum supra altare sacrum posuerunt. Cæsarius Heisterbach. lib. 5. cap 21.

1430. *Theboritæ in omnibus passim locis conficiunt Sacramentum: Altare vnicum habent, neque consecratum, neque consecrandum, ex quo Sacramentum plebibus exhibent.* Aeneas Syluius epist. 130.

1520. Martinus Lutherus libro de formula Missæ pro Ecclesia VVittembergensi: *Vbi licentia fiebat addendi & mutandi, prout cuiuis libebat, accedente tum ei quæstus & ambitionis sacerdotalis tyrannide, tum cœperunt altaria illa & insignia Baal & omnium Deorum poni in templum Domini per impios Reges nostros, id est, Episcopos & Pastores.*

1530. Ioannes Oecolampadius Responsione ad Confessionem Lutheri parte 3. *Si Missaticum illum vestitum & altaria reseruemus, perinde est ac si Israelitæ olim idolorum altaria retinuissent, quamuis idolis non sacrificarent amplius. Cùm Missas abominemur, in quem vsum quæso sacrilegas istas & impias lapidum congeries & strues retinebimus?*

1540. *Petrus Martyr*, contra Gardinerum parte 3. Responsione ad obiectionem 16. pag. 710. *contendit nullum debere altare esse in Ecclesia.*

1550. Ioannes Caluinus lib. 4. Instit. cap. 18. §. 12. *Mensam nobis dedit Deus, in qua epulemur: non altare, super quod offeratur victima.*

1566. Theodorus Beza epist. 8. *Quis non existimauerit ἀδιάφορον esse siue altaris siue mensæ alicuius vsum? Itaque introducta sunt paulatim pro mensis altaria, quòd nimirum vulgares mensæ tam augustis sacris non conuenire viderentur. Atque primam hanc occasionem arripuit Satan sacrosanctam actionis in sacrificium ἱλαστικὸν transformandæ & Christi mortis, quæ ibi annunciatur, fœdissimè conculcandæ.*

1580. Ioannes Casimirus Comes Palatinus in Reformatione Ecclesiastica artic. 8. *Loco altarium in Ecclesia lignea mensa constituantur.*

PROBANT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 8. *vers.* 20. Aedificauit autem Noë altare Domino: & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare.

Genes. 12. 8. Aedificauit quoque (*Abraham*) ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius.

Genes. 22. 9. Venerunt ad locum, quem ostenderat ei Deus, in quo ædificauit altare.

Genes. 26. 25. Aedificauit (*Abraham*) ibi altare: & inuocato nomine Domini, extendit tabernaculum.

Genes. 35. 1. Interea locutus est Deus ad Iacob: Surge, & ascende Bethel, & habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi.

Exod. 30. 1. Facies quoque altare ad adolendum thymiama, de lignis Setim, habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, id est, quadrangulum, & duos cubitos in altitudine. Cornua ex ipso procedent. Vestiesque illud auro purissimo, tam craticulam eius, quàm parietes per circuitum, & cornua.

Num. 7. 84. Hæc in dedicationem altaris oblata sunt à principibus Israël, in die, quâ consecratum est: acetabula argentea duodecim, phialæ argenteæ duodecim, mortariola aurea duodecim: ita vt centum triginta siclos argenti haberet vnum acetabulum, & septuaginta siclos haberet vna phiala, &c. 88. Hæc oblata sunt in dedicationem altaris, quando vnctum est.

2. *Reg.* 24. 24. Emit ergo Dauid aream, & boues, argenti siclis quinquaginta: & ædificauit ibi Dauid altare Domino, & obtulit holocausta, & pacifica.

3. *Reg.* 18. 32. Et ædificauit *Helias* de lapidibus altare in nomine Domini.

3. *Reg.* 19. 9. Quid hic agis Elia? *inquit Angelus.* At ille respondit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum Domini filij Israël: altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus.

1. *Esdræ* 3. 2. Et surrexit Iosue filius Iosedec, & fratres eius sacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel, & fratres eius: & ædificauerunt altare Dei Israël, vt offerrent in eo holocautomata.

1. *Machab.* 4. 47. Et acceperunt lapides integros secundùm legem, & ædificauerunt altare nouum, secundùm illud quod fuit prius.

Matth. 5. 24. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.

1. *Cor.* 9. 13. Nescitis quoniam &c. qui altari deseruiunt cum altari participant?

1. *Cor.* 10. 21. Non potestis mensæ DOMINI participes esse, & mensæ dæmoniorum.

Heb. 13. 10. Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt.

PROBANT DIVERSARVM NATIonum Liturgiæ.

Liturgia Ecclesiæ Romanæ omnium antiquissima auctore D. Petro Apostolo.

Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum, vt audiam vocem laudis tuæ, &c. vt quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filij tui corpus, & sanguinem sumpserimus, omni benedictione cælesti repleamur.

Liturgia Ecclesiæ Hierosolymitanæ auctore D. Iacobo.

Domine Iesu purga nos omni macula, purosque nos siste altari tuo sancto, vt tibi laudis sacrificium offeramus, &c. Contremiscimus, & trepidamus ad sanctum altare tuum.

Liturgia Ecclesiæ Alexandrinæ auctore D. Marco Euangelista.

Hinc sanctum ingreditur & it ad altare, & sacerdos sic orat: Sancte, summe tremende, qui in Sanctis requiescis, Domine, ipse nos sanctifica, nosque dignare tremendo tuo sacerdotio, nosque siste venerando altari tuo, cum omni conscientia bona, cordaque nostra purgato ab omni inquinamento.

Liturgia Ecclesiæ Æthiopum auctore D. Matthæo.

Ante omnia Sacerdos dicit orationes sequentes pro Ecclesia, & altari, & indumentis eorum: Domine Deus noster, tu es solus sanctus, qui omnibus tua virtute sanctificationem dedisti, sic te Domine supplices exoramus, vt super hanc Ecclesiam, & super hoc altare, & super omnia ad sacra mysteria præparata Spiritum sanctum mittere digneris.

Liturgia Ecclesiæ Mediolanensis, primùm à D. Barnaba conscripta, postea à D. Ambrosio aucta.

Oratio, dum sacerdos accedit ad altare: Me quoque, audacter ad tuum sanctum altare accedentem, non sinas perire, sed dignare lauare, ornare, clementer suscipere, Per Christum Dominum nostrum.

Liturgia Ecclesiæ Cappadociæ auctore D. Basilio.

Propter misericordias & miserationes tuas, quas effudisti ditaliter super nos, confidentes appropinquamus sancto altari tuo.

Anaphora Ecclesiæ Syriæ auctore Basilio Magno.

Cum fiducia iam accedimus, vt contingamus altare tuum sanctum.

Liturgia Ecclesiæ Constantinopolitanæ auctore Ioanne Chrysostomo.

Tunc vadit Diaconus, & cùm inclinauerit sancto altari, atque ipsum deosculatus fuerit, accepto Euangelio egreditur. Finito Euangelio regreditur ad altare Diaconus. Diaconus dato incenso sancto altari, dat etiam sacerdotibus per ordinem.

Liturgia Mozarabum.

Postea faciunt ad altare exomologesin, & ad altare capite demisso hunc in modum dicunt. Per gloriam nominis tui Christe Filij Dei viui, &c. Mox conuertit se ad librum in dextero altaris cornu positum, & dicit Antiphonam in modum Introitus, &c. Post epistolam libro in alterum cornu altaris translato, continuò dicitur Euangelium, &c.

Liturgia Armeniorum.

Sacerdos vestitus ante altare inclinatus, dicit confessionem.

PROBANT PATRES GRÆCI.

Clemens Primus. 80.

Constitut. Apostol. lib. 3. cap. 6. Sciat vidua se esse ad altare Dei, & domi suæ sedeat, neque prætextu vllo in domos fidelium ad accipiendum ingrediatur. Nam neque altare Dei vnquam circumit, quin potius in vno loco collocatum est.

Canone Apostol. 3. Si quis Episcopus, vel Presbyter, præter Domini de sacrificio ordinationem, alia quædam ad altare attulerit, mel, vel pro vino siceram, deponatur.

Canone 31. Si quis Presbyter, contempto proprio Episcopo, seorsim congregationem fecerit, & alterum altare fixerit, Episcopo suo in religione ac iustitia nulla in re à se condemnato, deponatur, vt imperium obtinendi cupidus. Est enim tyrannus.

Presbyteri Achaiæ. 90.

De Martyrio S. Andreæ Apostoli cap. 6. Andreas respondit: Ego omni die sacrifico immaculatum Agnum in altari crucis.

Ignatius. 100.

Epistola ad Ephesios: Nemo erret: nisi quis intra septa altaris sit, priuatur pane Dei.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. Pontifex quidem, vbi orationem sanctam supra diuinum altare peregit, ex ipso incensum adolere inchoans, omnem plani ambitum circuit. Demum ad sanctum altare iterum rediens, Psalmorum incipit melos, &c. Qui verò ipsius ordinis præcipui sunt, vnà cum sacerdotibus sanctum panem & benedictionis calicem sacrosanctis altaribus imponunt.

Cap. 4. Hoc etiam sacratius aduerte, quòd diuini quoque altaris consecrationem sanctissimorum mysteriorum lex sacratissimi vnguenti castissimis infusionibus perficit.

Irenæus. 180.

Libro 4. cap. 20. Sacerdotes sunt omnes Domini Apostoli, qui neque agros, neque domos hæreditant hic, sed semper altari & Deo seruiunt.

Cap. 34. Sic & ideo nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione.

Origenes. 230.

Homilia 11. in Numer. cap. 18. Decet enim & vtile est sacerdotibus Euangelij offerri primitias. Ita enim & Dominus disposuit, vt qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuant: & qui altari deseruiunt, de altari participent. Et sicut hoc dignum existimo, & impium, vt is, qui Deum colit, & ingreditur Ecclesiam Dei, qui scit sacerdotes, & ministros adsistere altari, & aut verbo Dei, aut ministerio Ecclesiæ deseruire, vt de fructibus terræ, quos Deus dat solem suum producendo, & pluuias ministrando, non offerat primitias sacerdotibus. 1. Cor. 9.

Eusebius Cæsariensis. 320.

Ecclesiast. histor. lib. 10. cap. 4. Sanctuario hoc modo absoluto & perfecto, sellisquê quibusdam in altissimo loco ad Præsidum Ecclesiæ honorem collocatis, & subsellijs præterea vndique ordine dispensatis decorè eximieque exornato, altarique denique tamquam sancto sanctorum in medio sanctuarij sito, ista rursus, vt à plebe & multitudine eò non posset accedi, cancellis ex ligno fabricatis circumdedit, &c. Augustum porrò, ingens, & vnum altare, quid aliud significat, quàm purum sanctum sanctorum animi, qui est communis omnium sacerdos: cui ad dextram assistens magnus ipse totius orbis Pontifex Iesus.

Oratione de laudibus Constantini: Qua de causa tunc altaria in toto orbe terrarum constructa sunt tum augustæ sanctæque Ecclesiæ ædificatæ, tum diuina sacrificiorum, sola mente & ratione perceptorum, ministeria soli Deo omnium moderatori ab omnibus gentibus destinata tributaque sunt.

Concilium Nicænum. 325.

Inter diatiposes, quæ in fragmentis Synodi inueniuntur: In hac diuina mensa ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum: sed attollentes mentem, fide intelligamus situm in sacra illa mensa Agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruente à sacerdotibus immolatum.

Athanasius. 340.

Epistola ad omnes Orthodoxos, cùm per Arianos persecutio fieret: In sacrosanctam mensam (proh) quanta impietas & facinora commissa! Vidisses enim Arianos aues & nuces pineas immolare, idola sua laudibus efferre, in Christum conuitia iacere.

In vita D. Antonij: Magnum quoddam, inquit Antonius, & vniuersis seculis inauditum imminet nefas. Magno fides Catholica turbine subuertetur, & homines iumentis similes Christi sancta diripient. Vidi enim altare Domini multorum circundatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant. Hæc est causa gemituum meorum, quos audistis. Et facta est vox Domini dicens: Abominabitur altare meum: nec mora visionem sequitur effectus. Nam post annos duos sæua Arianorum irrupit insania. Tunc Ecclesiarum fuêre rapinæ, tunc diuinorum temeratio vasorum, tunc pollutis ethnicorum manibus sacra polluta sunt ministeria, &c. Proh scelus, horret animus refricare quæ gesta sunt. Virginum matronarumque ereptus pudor: sanguis ouium Christi veneranda respersit altaria.

Petrus Alexandrinus. 360.

Epistola ad omnes Ecclesias: Nam quæ neque facta sunt, vt scriptum est, neque audita in diebus patrum nostrorum, hæc impij in ipso altari designârunt. Nam velut in proscenio, in quo turpis aliqua ageretur fabula, puerum masculum, qui sexum denegauerat virilem, & muliebrem sibi affinxerat, quique rum oculos habebat (sicut scriptis proditum est) stibio oblitos, & vultum simulachrorum more fuco rubentem, habitu muliebri, in ipso sancto altari, vbi pro Spiritus sancti descensu inuocari solet, corpore in orbem acto, & manibus huc illucque cum gestu iactatis, saltare compulerunt.

Concilium Laodicense. 368.

Canone 19. Solis licet sacratis ad altare accedere, & communicare.

Can. 44. Non oportet mulierẽ ad altare ingredi.

Basilius Magnus. 370.

Epistola 72. Sublatum est gaudium & lætitia spiritualis, in luctum mutatæ sunt festiuitates nostræ, domus precationum clausæ sunt, altaria cultu spirituali vacant. Nullus amplius Christianorum cœtus.

Epistol. 72. Basilidis Paphlagonici altaria subuertit Eustathius, & proprijs mensis Missæ munus perfecit.

In Gordium Martyrem: Præter hæc domus orationis prophanorum manibus vastabantur, aræ sanctissimæ euertebantur, nec erat oblatio vlla, nec thymiama.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione quarta, quæ est inuectiua in Iulianum: Non iam gentiles in sacras nostras ædes prauos oculos iniicient: non iam aras à purissimo & incruento sacrificio nomen habentes scelesto sanguine contaminabunt.

Oratione 11. quæ oratio est in laudem Gorgoniæ: Cùm caput suum pari cum clamore, lachrymisque, quibus abundabat, altari admouisset, nec se prius illud dimissuram esse denuntiasset, quàm sanitatem obtinuisset, statim liberatam se morbo sentit.

Oratione 20. quæ est oratio in laudem Basilij: Verùm Ecclesijs bellum inferentes, in altaribus saltitantes, & incruenta sacrificia hominum & victimarum sanguine contaminantes Ariani, &c. Mulieri cuidam amplissimo loco natæ, cuius maritus non ita pridem extremo vitæ die functus erat, iudicis assessor vim afferebat, inuitamque ad nuptias pertrahebat. Illa autem, cùm nulla ratione hanc vim effugere posset, ad sacram mensam confugit, Deumque aduersus hanc iniuriam propugnatorem sibi adoptat. Quid igitur per Trinitatem ipsam faciendum fuit sacerdoti? Quid aliud, nisi vt eam assereret, retineret, omni cura tueretur, Dei clementiæ & legi, quæ altaribus honorem haberi iubet, manum porrigeret, omnia denique prius faceret & pateretur, quàm vt inhumanius vllum aduersus eam consilium iniret, sicque & mensam sacrosanctam, & fidem etiam illam, cum quam supplex erat, contumelia afficeret.

Oratione 23. quæ est oratio in laudem Heronis: Adde cædes cædibus, casus casibus succedentes, sancta profanis pedibus conculcata, altaria per obscœnos gestus & impudicas cantiones, atque, vt audio, (hoccine lingua audax proferret?) saltationes, fœdasque membrorum inflexiones probro & contumeliæ habita.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione de Baptismate. Nam & altare hoc sanctum, cui assistimus, lapis est natura communis, nihil differens ab alijs crustis lapideis, ex quibus parietes nostri extruuntur, & pauimenta exornátur, sed quoniam Dei cultui consecratum atque dedicatum est, ac benedictionem accepit, mensa sancta, altare immaculatum est, quod non amplius ab omnibus, sed à solis sacerdotibus, eisque venerantibus contrectatur, &c. Valens Imperator ingressus in Ecclesiam, ibi ordinem psalmodiæ, ceremonias ritè celebratas, aras omni decore & reuerentia cultas, populum denique diuino cultui assistentem vidit, admiratus est.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Lib. 6. de Sacerdotio: Per id tempus & Angeli sacerdoti assident, & cælestium Potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Id quod credere abundè licet vel ex tanto illo sacrificio, quod tunc peragitur. Ego verò & commemorantem olim quendam audiui, cùm diceret, senem quendam virum admirabilem, ac cui reuelationum mysteria multa fuissent diuinitus detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum esse à Deo, ac per illud quidem tempus derepente Angelorum multitudinem comperisse fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circundantium.

Homi-

Homilia 16. ad cap. 5. Matthæi: Cùm enim dicitur: *Relinque munus tuum*: non ibi restitit: sed intulit, *ante altare*: rursus ab ipso etiam loco horrorem inijciens, *& vade*: nec tantùm dicit, *Vade*; sed adiunxit, *prius, & tunc veniens offer munus tuum*. Per omnia ista significans: quia per aliquas inter se inimicitias dissidentes, nequaquam mensa illa suscipiat. Audiant hi, qui sacris mysterijs initiati, cum inimicitijs ad communionem altaris accedunt.

Homilia 53. ad populum Antiochenum: Si quis ignem sumens, & fossorium, hanc destruxisset domum, & incendisset, & hoc suffodisset altare: nonne quilibet eum lapidibus obrueret, tanquam profanum & impium? Quid igitur si quis veraciorem hoc igne flammam inferat, inuidiam dico, non lapidum ædificia destruentem, nec aureum suffodientem altare; sed quod parietibus & altari multo pretiosius est, doctorum ædificationem subuertentem, & corrumpentem, quali pœna dignus esset?

Homilia 61. ad populum Antiochenum: Hic sanguis effusus & cælum facit accessibile, horrenda scilicet Ecclesiæ mysteria, horrendum altare.

In Iuuentinum & Maximum Martyres: Illi videntes altaria subuersa, clausas Ecclesias, sacerdotes fugatos stupebant.

Homilia quòd Christus sit Deus: Cogita tecum quid sit in tam breui tempore omnem sub sole terram tantis Ecclesijs impleri, tantas gentes ad fidem transferri, populos persuaderi, vt excitent altaria vbique gentium, in regione Romanorum, Persarum, Scytharum, Maurorum, Indorum, & vltra orbem nostrum. Sunt etiam in Britannicis insulis extra hoc mare sitis fundatæ Ecclesiæ, & erecta altaria.

Palladius. 400.

Historiæ sanctorum Patrum cap. 72. Ammon aliquando offerens Deo cultum, vidit Angelum stantem à dextris altaris, & signantem fratres accedentes ad gratiam, & scribentem in libro eorum nomina.

Cap. 89. Chronius cùm sexaginta annis aræ assedisset, fungens sacerdotio, non egressus est è deserto.

Cap. 119. Melania vicesimo ætatis suæ anno mundo renuntiat. Et primùm quidem omnia sua serica superhumeralia tegumenta dedit altaribus, reliqua autem serica indumenta cùm conscidisset, res diuersas fecit Ecclesiasticas.

Synesius. 410.

Epistola 57. Per hunc aggreditur me tentator, vt altaris ministerium relinquam. τοῦ θυσιαστηρίου τὴν λειτουργίαν.

Constitutione altera in maximo barbarorum incursu habita ad Thateleum: Nonne mensas quidem sacras carnificinæ tanquam profanas exposuerunt? vasa verò mystica, quæ publicæ libationi seruierunt, dæmonum destinata ceremonijs ad hostes portantur? Quid horum auris ferre potest pia? &c. Prius in Dei me templum conferam, (κυκλώσομαι τὸ θυσιαστήριον) aram circuibo, lachrymis pretiosissimum rigabo solum.

Theodosius & Valentinianus. A A. 430.

C. de his qui ad Ecclesias confugiunt l. 3. Pateant summi Dei templa timentibus, nec sola diuina altaria, (τὰ θεῖα θυσιαστήρια,) & oratorium templi circumiectum, qui Ecclesias quadripartito parietum septu concludit, ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita: sed vsque ad extremas fores Ecclesiæ, quas oratum gestiens populus primas ingreditur, confugientibus aram salutis esse præcipimus, &c. Hanc spatij latitudinem ideo indulgemus, ne in ipso Dei templo, & sacrosanctis altaribus confugientium quenquam manè vel vespere cubare vel pernoctare liceat, ipsis hoc clericis religionis causa vetantibus, ipsos qui confugiunt, pietatis ratione seruantibus. Arma quoque in quouis telo eos, qui confugiunt, minimè intra Ecclesias habere præcipimus, quæ non modò à summi Dei templis & diuinis altaribus prohibentur, sed etiam cellulis, domibus, hortulis, areis, ac porticibus. Proinde ij, qui sine armis ad sanctissimum Dei templum, aut ad sacrosanctum Dei altare confugiunt, somnum intra templum, siue ipsum altare, vel omnino cibum capere absque aliqua eorum iniuria ab ipsis clericis arceantur.

Theodosius Imperator. 430.

In edicto de his, qui metus causa ad Ecclesiam: Si statuæ complexus propter regiam maiestatem tantum præsidij miseris conciliat, quantum opis debet esse paratum, qui salutis causa ad sacrosancta altaria confugiunt? Pateant proinde trepidis magni Dei templa, famulos fugientes communis suscipiat ara, &c. Nobis igitur imperium moderantibus sacrosancta altaria miseris asylum constituimus, ac definimus.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

In Apologia ad Imp. Theodosium: Erat autem & alia ratione & vtile & necessarium imperio vestro, vt à diuinis arceretur altaribus is, qui illa contaminauit.

Socrates. 440.

Lib. 5. cap. 21. Ecclesiæ Antiochenæ in Syria altare non ad Orientem, sed ad Occidentem spectat.

Sozomenus. 440.

Lib. 2. cap. 28. Pridie ante diem dictum Alexander Episcopus ad basin altaris procidens, totam noctem pronus humi iacebat, Deum enixè precatus.

Lib. 5. cap. 8. Zeno vbi Episcopatum Ecclesiæ Gazensis suscepit, extra vrbem extruxit Ecclesiam, & altare in ea erexit, Martyrumque Reliquias ibi reposuit, propter Reliquias Nestoris Confessoris.

Lib. 9. cap. 1. Pulcheria Imperatrix ex auro gemmisque pretiosis admirabile quoddam donarium, & spectaculum omnium pulcherrimum pro virginitate sua & imperio fratris sui sacram mensam Ecclesiæ Constantinopolitanæ dedicauit: idque ipsum vt cunctis esset conspicuum in fronte eiusdem mensæ literis expressit.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 2. epist. 199. Eusebius per antiphrasin sic appellatus, vilem aliquam rem & protritam sacerdotium esse arbitratus, illud quoque eis, qui eadem quæ ipse flagitia perpetrant, tribuere non veretur, eisque, qui omni honoris genere digni sunt, expulsis, eos, qui ne in laicorum quidem classe, ac numero censeri merentur, ad venerandum altare subuehit.

Epist. 205. Quod si ita est, à venerando altari teipsum arce.

Theodoretus 450.

Ecclesiast. Hist. lib. 3. cap. 11. Iulianus cùm esset in templo, aduersus sacram mensam minxisse dicitur: atque Euzoio, eum prohibere conanti, colaphum infregisse, dixisseque: res Christianorum diuina cura ac prouidentia prorsus destitutas esse.

Cap. 12. Sed tyranni isti pro his impijs & insanis facinoribus non diu post pœnas persoluerunt. Nam Iulianus confestim in grauem morbum delapsus, visceribus putredine exesis, interijt: atque stercus non amplius per partes illas corporis, per quas solebat egredi, emisit: sed sceleratum eius os, instrumentum blasphemiæ, partis illius ad stercus eijciendum natæ locum obtinuit.

Lib. 5. cap. 17. Vbi autem tempus postulauit, vt dona sacræ mensæ offerret, surgit.

In Historia religiosa in Iuliano Sabo: Cùm autem in illa petra Ecclesiam extruxisset, & diuinam aram consecrasset, quæ etiam mansit vsque in hodiernum diem, in suam reuersus est palæstram.

Concilium Chalcedonense. 453.

Actione 1. post orationem Martiani Imp. Post hæc residentibus magnificentissimis & gloriosissimis iudicibus, & amplissimo senatu in medio, ante cancellos sanctissimi altaris: & ex læua quidem parte sedentibus sanctissimis Episcopis, &c.

Cyrillus Eremita. 520.

In vita Euthymij: Terebon Præfectus Saracenorum, & Gabrielius, alter quidem propè, alter verò stans intra aram, vident ignem veluti in quodam diffusum linteo desuper descendentem: Terebon autem metu correptus, & exterritus, ab ara recessit.

Iustinianus. 530.

Nouell. Constit. 7. apud Iul. Patricium §. Nemini liceat: Nemini liceat in posterum cuiuscunque Monasterij impiam venditionem, vel donationem, vel permutationem contrahere, vbi & altare collocatum est, & sacra Missa facta.

Isychius Hierosolymitanus. 580.

Lib. 2. in Leuit. cap. 8. Præcepit Dominus eis, dicens: *Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi comedite eas.* Et sicut addunt Septuaginta: *in loco sancto.* Est autem locus sanctus altare: Ibi enim Sanctus sanctorum requiescit.

Ioannes Moschus. 600.

In Prato spirituali cap. 4. Leontius Abbas inquit: Quodam die Dominico descendi in Ecclesiam, vt acciperem sacra mysteria, ingressusque vidi Angelum stantem ad dextrum altaris cornu, & magno pauore correptus, reuersus sum in cellulam meam. Et venit mihi vox de cælo, dicens: Ex quo sanctificatum est altare istud, ego iugiter illi astare iussus sum.

Cap. 10. Anachoreta ingressus vidit Angelum Dei stantem super altare, quod fecerat senior, atque sacrauerat. Atque ad Angelum Anachoreta: Quid hic agis? Cui Angelus ille: Ex quo sanctificata sunt ista, à Deo ipsa mihi credita sunt.

Eustachius, 620.

In vita S. Eutychij. Diuina caligo sanctum operuit altare, super quo cùm incruentum sacrificium obtulisset, fideli populo distribuit, quę quidem distributio ab hora tertia ad nonam vsque producta est.

Timotheus Presbyter. 640.

Oratione de Propheta Dei susceptore Simeone: Sed hic imponentes finem orationi, vacemus diuinæ & mysticæ mensę, per quam & mundus est stabilitus, & orbis terræ consistit, & regnum custoditur, & Ecclesia multiplicatur, & Deus sanctificatur.

Synodus Trullensis. 710.

Can. 69. Nulli omnium liceat, qui quidem sit in laicorum numero, intra sacrum altare ingredi, ab eo tamen nequaquam prohibita potestate & auctoritate Imp. quando quidem voluerit Creatori dona offerre ex antiquissima traditione.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

In Theoria: Agnoscite omnes sacerdotes, qui sacro altari assidetis, & incruentam victimam sacrificatis, quòd viuas passiones Christi annuntietis, &c. Accedit Sacerdos, conuersatur cum Angelicis Potestatibus, non iam quasi in terreno loco stans, sed in cęlesti altari, coram formidabili altari throno Dei assistens, contemplatur magnum & inenarrabile & inuestigabile Christi mysterium.

Ioannes Damascenus. 730.

Oratione prima de imaginibus, ubi probans eos, qui nulli materiæ honorem tradi volunt, inter cætera dicit: Nonne materia est vitalis illa mensa, (ἡ ζωήφορος τράπεζα,) quæ nobis vitæ panem subministrat? Nonne Domini corpus & sanguis materia sunt? Aut igitur horum omnium venerationem cultumque tolle, aut concede, vt Dei, & eorum, qui Deo chari sunt, imagines colantur.

Ignatius Nicanus. 800.

In vita S. Tharasii: Quin etiam hoc quoque notum facimus coram Deo inprimis honorandæ tuæ purpuræ, quòd intra cancella incruentæ mensæ, in qua sacrificium magnæ hostiæ Christi venerabiliter peragitur, non sinemus amplius nobiscum vestram ingredi potentiam.

Theosterictus. 830.

In vita S. Nicetæ: Illo autem tempore, quo diuinarum rerum mysteria peragebantur, stabat magnus noster Nicetas ante sanctam & sacratam mensam, sancto Dei throno assistens, sacrificium & diuina mysteria obeundo.

Constantinus Tyus. 860.

De vita S. Euphemiæ: In arca diuina fuerat ara collocata, quæ subter sanctissimas habebat Reliquias. Super eam autem peragebatur intemerati corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi incruentum sacrificium.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 13. ad Hebræos: Nos obseruationem habemus, verùm haud eam, quæ sit in huiusmodi cibis, sed super altare, siue incruenta hostia viuifici corporis.

Moses Barcepha. 930.

De Paradiso parte 2. cap. 6. Alij crucem Christi putant arborem vitæ, quia ex ea promanant omnia bona spiritualia, abolito peccato & execratione: alij sacram aram, in qua administrantur diuina Sacramenta.

Simeon Metaphrastes. 970.

In Commentario rerum à Philippo Apost. gestarum: Cùm autem sacerdotes, & altaria vbique in illis locis statuisset, & construxisset, pro sacrificijs illis, quę fiebant in dæmonum altaribus, sacrosanctè fecit in eis peragi sacram mysterij celebrationem.

In Martyrio S. Menæ cap. 24. Cùm breui gentilium fana & aras euertisset, & simulachra deiecisset, vbique crucem fixit, & in Christi nomine construxit altaria.

OEcumenius. 1050.

Ad cap. 13. ad Hebræos Hic ergo est sanguis, qui per Pontificem, qui apud nos est, super nostrum offertur altare: idcirco fas non est Pontificibus Iudæorum ex hoc altari edere.

Michael Glycas. 1100.

Parte quarta Annalium: Sacra tamen ara propterea relicta fuit, quòd venerabiles Patriarcharum & Apostolorum Reliquiæ ibi sint conditæ.

Theodorus Balsamon. 1180.

Ad Canonem 31. Synodi Trullensis: Propterea, vt est verisimile, excogitata sunt super altaria, & fiunt ab Antistitibus, qui sunt in regione, quo tempore faciunt Ecclesiæ inthronizationem, vt ponantur supra sanctas mensas oratoriorum, & sufficiant solùm pro eis, quæ sanctum altare perficiunt, & sanctæ mensæ tabulæ existimantur, scilicet inthronizatione apertionum & dedicationum, sed vt ostendatur ex Episcopi permissione fieri sacrificium.

Ad Canonem 69 Prohibet præsens Canon, ne laici ad altare ingrediantur, vt quod sit præfinitum eis solis, qui sunt sacris initiati.

Michael Choniates. 1200.

Orat. funebri in Nicetam Choniatem: Ego longè infelicissimus amplã aliunde luctus materiam nactus, cùm ex publicis, tum ex priuatis meis incõmodis, eo prę sertim nomine, quod opulentissimum iuxta & celeberrimum templum apud Athenienses mihi cõmissum, cuiusque adeò spirituali altari præessem, vbi

vbi quàm maximè poteram, sacro ministerio exhibendo, assiduus inuigilabam, me præsente, proh dolor, atque his oculis vidente, à nefandis sacrilegis expilatum & vastatum est.

Nicolaus Cabasilas. 1350.

In expositione Liturgiæ cap.15. Sacerdos, quando est ad altare ingressurus, stans paruo interiecto spatio ante fores, donec completa fuerit psalmodia, orat Deum, vt sancti Angeli vnà cum eo ingrediantur intrante ad altare, & sacrificium contrectent, & sint cum ipso glorificationis participes.

Cap.29. Neque enim verbum Domini ab idiota priuataque persona dictum efficiendi Sacramenti vim ipsi habere dixerint, neque sine altari: Altare enim, super quod panis ponendus est, vnguento sanctificatur, quod quidem vnguentum precibus conficitur.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib.8.cap.51. In ea sollicitudine & anxietate trepidans diuinus senex Alexander, rebus omnibus posthabitis, festinabundus ad sanctum confugit altare, τῷ θυσιαςηρίῳ προσφεύγει.

Lib. 14. cap. 2. Pulcheria Imperatrix admirandum quoddam incredibili pulchritudine ornamentum, ex auro & pretiosis lapillis confectum, in sacræ mensæ formam redactum, pro virginitate sua fratrisque imperio, Catholicæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ dedicauit.

Gennadius Scholarius. 1450.

De Primatu Papæ cap. 12. Sed ibi oportet esse, vbi Christi signum refulget, & Ecclesiæ exornantur, nola, imagines, & altaria omnia magno cum cultu conspiciuntur, & adornantur.

Cap.15. Constantinopoli expugnata aræ sunt prophanatæ, templum conculcatum, magna sanguinis effusio secuta.

PROBANT PATRES LATINI.

Euaristus. 100.

Apud Burchardum lib.1. cap. 27. Omnes Basilicæ cum Missa debent consecrari: altaria verò placuit non solùm vnctione Chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari. Si verò altaria non fuerint lapidea, ad celebranda diuina officia non consecrentur.

Pius Primus. 142.

Apud Burchardum lib.5.cap.47. Iuonem parte 2.cap. 56. Gratianum de Consecrat.dist.2. Si super altare stillauerit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus pœniteat.

Apud Burchardum lib.3.cap.72. Iuonem parte 1. cap. 25. Gratianum dist. 33. Definimus, vt nullus de his, qui aut in terram arrepti à dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel sacris audeant altaribus ministrare, vel indiscussè se ingerant Sacramentis diuinis.

Soter. 163.

Epist. 2. Sacratas Deo fœminas vel Monachas sacra vasa, vel sacratas pallas penes vos contingere, & incensum circa altaria deferre, perlatum est ad Apostolicam Sedem: quæ omnia reprehensione plena esse nulli rectè sapientium dubium est.

Tertullianus. 200.

Libro de Oratione cap. 10. Ne prius ascendamus ad Dei altare, quàm si quid discordiæ, vel offensę cum fratribus contraxerimus, resoluamus.

Cap. 14. Nonne solennior erit tua statio, si ad aram Dei steteris?

Exhortatione ad castitatem cap. 10. Si spiritus reus apud se sit, conscientiam erubescit, quomodo audebit orationem dicere ad altare?

Lib. de Pœnitentia cap.9. Presbyteris aduolui, aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes suę deprecationis iniungere.

Cyprianus. 250.

Libro 1. epist. 3. *Epist.55.* Quid superest, quàm vt Ecclesia Capitolio cedat, & recedentibus sacerdotibus, ac Domini altare remouentibus, in cleri nostri sacrum venerandumque consessum simulachra atque idola cum aris suis transeant?

Libro 1. epist.7. *Epist. 64.* Audet sibi adhuc sacerdotium, quod prodidit, vendicare: quasi post aras diaboli accedere ad altare Dei fas sit.

Libro 1. epist.3. *Epist.66.* Singuli diuino Sacerdotio honorati, & in clerico ministerio constituti, non nisi altari & sacrificijs deseruire, & precibus atque orationibus vacare debent, &c. Non meretur apud altare Dei nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros voluit auocare.

Libro 2. epist.1. *Epist.72.* Oportet sacerdotes & ministros, qui altari & sacrificijs deseruiunt, integros & immaculatos esse.

Epist. 73. ad Iubaianum: Quia Nouatianus altare collocare, & sacrificia offerre contra fas nititur, ab altari & sacrificijs cessare nos oportet, ne paria & similia cum illo celebrare videamur.

Lucius. 252.

Apud Gratianum distinct.81. Si post ordinationem suam ministros contigerit propriæ vxoris inuadere cubile, sacrarij non intrent limina, neque sacrarij portitores fiant, neque altaria contingant, neque ab offerentibus holocausti oblationem suscipiant, vinum ad altare non suggerant.

Concilium Eliberinum. 320.

Cap. 29. Energumenum, qui ab erratico spiritu exagitatur, huius nomen neque ad altare cum oblatione esse recitandum, neque permittendum, vt sua manu in Ecclesia ministret.

Hilarius. 350.

Lib.3.ad Constantium Imper. Mediolanensem pijssimam plebem tu furore terroris tui turbasti, tribuni tui adierunt Sancta sanctorum, & viam sibi omni per populum crudelitate pandentes protraxerunt de altario sacerdotes.

Optatus Mileuitanus. 370.

Lib. 1. contra Parmenianum: Conferta erat Ecclesia populis, plena erat Cathedra Episcopalis, erat altare loco suo, in quo pacifici Episcopi retrò temporis obtulerunt, Cyprianus, Lucianus, & cæteri.

Libro 2. Basilicas inuasisti, & cùm altare defenderent Diaconi Catholici, tegulis plurimi cruentati sunt, duo occisi sunt.

Lib.3. Dicebatur illo tempore venturos esse Paulum & Macarium, qui interessent sacrificio, & cùm altaria solenniter aptarentur, proferrent illi imaginem, quam primò in altari ponerent, & sic offerretur sacrificium.

Lib.6. Quid enim est tam sacrilegum, quàm altaria Dei (in quibus & vos aliquando obtulistis) frangere, radere, remouere? In quibus vota populi, & membra Christi portata sunt? quò Deus omnipotens inuocatus sit? quò postulatus descendit Spiritus sanctus? vnde à multis pignus salutis æternæ, & tutela fidei, & spes resurrectionis accepta est? Altaria, inquam, in quibus fraternitatis munera non iussit Saluator poni, nisi quæ essent de pace condita: *Depone, inquit, munus tuum ante altare, & prius concorda cum fratre tuo,* vt possit pro te sacerdos offerre. Quid enim est altare, nisi sedes corporis & sanguinis Christi? Hæc omnia furor vester aut rasit, aut fregit, aut remouit. Quid perditorum conductam referam multitudinem, & vinum in mercedem Matt. 5.

cedem sceleris datum? Quod vt immundo ore sacrilegis haustibus biberetur, calida de fragmentis altarium facta est. Si liuoris iudicio non vobis sordidi videbamur, quid vobis fecerat Deus, qui illuc inuocari consueuerat? Quid vos offenderat Christus, cuius illic per certa momenta corpus & sanguis habitabat? Quid vos offendistis etiam vos ipsi, vt illa altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum spatia sanctè, vt arbitrabamini, obtulistis? dum impiè persequimini manus nostras illic, vbi corpus Christi habitabat, feristis & vestras. Hoc modo Iudæos estis imitati. Illi iniecerunt manus Christo in cruce: à vobis percussus est in altari.

Ambrosius. 370.

De Helia & ieiunio cap. 10. Venit iam dies Resurrectionis, baptizantur electi, veniunt ad altare, accipiunt Sacramenta, sitientes totis hauriunt venis.

Ad cap. 1. Lucæ: Atque vtinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat Angelus, imò præbeat se videndum.

Lib. 1. de Virginibus sub finem: Stabat ad aram Dei pudoris hostia, victima castitatis, nunc capiti dexteram sacerdotis imponens, precem poscens, nunc iustæ impatiens moræ, ac summum altari subiecta verticem. Nam melius, inquit, mater tu me, quàm altare velabit, quod sanctificat ipsa velamina? Plus talis decet flammeus, in quo caput omnium Christus quotidie consecratur.

De his, qui mysterijs initiantur cap. 8. Venit igitur (plebs,) & videns sacrosanctum altare composi-
Psal. 22. tum, exclamans ait: *Parasti in conspectu meo mensam.*

De Sacramentis lib. 1 *cap.* 2. Leuitam vidisti, sed minister Christi est. Vidisti illum ante altaria ministrare. Ergo chirographum tuum tenetur non in terra, sed in cælo. Considera vbi capias Sacramenta cælestia.

Lib. 5. *cap.* 2. Venisti ad altare, vocat te Dominus Iesus, vel animam tuam, vel Ecclesiam, &c. Quid est enim altare, nisi forma corporis Christi?

Damasus. 380.

Epist. 4. Chorepiscopis nec altare liceat vngere aut sacrare, aut Ecclesias dedicare.

Prudentius. 380.

Hymno de S. Laurentio:

Hic primus è septem viris,
Qui stant ad aram proximi,
Leuita sublimis gradu,
Et cæteris præstantior.

Hymno 11. de S. Hippolyto:

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis;
Propter vbi apposita est ara dicata Deo:
Illa Sacramenti donatrix mensa, eademque
Custos fida sui Martyris apposita
Seruat ad æterni spem iudicis ossa sepulchro,
Pascit item sanctis Tibricolas dapibus.
Mira loci pietas, & prompta precantibus ara,
Spes hominum placida prosperitate iuuat.

Hieronymus. 390.

Epist. 1. ad Heliodorum cap. 7. Alia Monachorum est causa, alia clericorum: Clerici pascunt oues, ego pascor. Illi de altari viuunt, mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem, si munus ad altare non defero.

Epistola 2. ad Nepotianum cap. 11. Multi ædificant parietes, & columnas Ecclesiæ substruunt, marmora nitent, auro splendent laquearia, gemmis altaria distinguitur, & ministrorum Christi nulla electio est.

Epist. 3. *ad Heliodorum cap.* 10. Erat sollicitus Nepotianus si niteret altare, si parietes absque fuligine essent.

Epist. 4. *ad Rusticum Monachum cap.* 8. Ita ergo age, & viue in Monasterio, vt clericus esse merearis: vt adolescentiam tuam nulla sorde commacules: vt ad altare Christi, quasi de thalamo virgo procedas.

Epist. 8. *ad Demetriadem cap.* 7. Alij ædificent Ecclesias, gemmis aurata distinguant altaria, non reprehendo, non abnuo: vnusquisque in suo sensu abundet, meliusque est hoc facere, quàm repositis opibus incubare: sed tibi aliud propositum est, Christum vestire in pauperibus.

Epist. 48. *ad Sabinianum Diaconum cap.* 5. Nouerat te omnis Italia, vniuersi te stare ante altare Christi ingemiscebant: nec tu tam callidus eras, vt prudenter tua vitia celares.

Ruffinus. 390.

Ecclesiastica hist. lib. 1. *cap.* 21. Ea tempestate facies Ecclesiæ fœda, & admodum turpis erat: ara nusquam, nec immolatio, nec libamina.

Concilium Carthaginense Tertium. 397.

Cap. 23. Cùm altari assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio.

Concilium Carthaginense Quintum. 400.

Cap. 14. Altaria, quæ passim per agros & vias tanquam memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut Reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt, si fieri potest, euertantur.

Augustinus. 400.

De Ciuitate Dei lib. 22. *cap.* 10. Nos Martyribus nostris non templa, sicut dijs: sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed vni Deo & Martyrum, & nostro sacrificium immolamus.

Contra Faustum Manichæum lib. 20 *cap.* 21 Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis consocietur, atque orationibus adiuuetur: ita tamen, vt nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus: quamuis in memorias Martyrum cõstruamus altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit, offerimus tibi Petre? &c.

Sermone 11. de Sanctis: Rectè sub altario iustorum animæ requiescunt: quia super altare corpus Domini offertur.

Sermone 19. de Sanctis: Crucis charactere Basilicæ dedicantur, & altaria consecrantur.

De cura pro mortuis agenda cap. 1. In precibus sacerdotum, quæ Domino ad altare eius funduntur, locum suum habet commendatio animarum.

Paulinus Nolanus. 410.

Vitæ S. Martini lib. 2.

Ornatum sanctis altaribus addere gaudens,
Certatim populus studio properabat ouantum.

Epistola 11.

Diuinum veneranda tegunt altaria fœdus,
Compositisque sacra cum cruce Martyribus.

Natali 3 S. Felicis:

Te prius alma pio celebrans altaria cultu
Presbyter instituit, placido & moderamine rexit, &c.
Aurea nunc niueis ornantur limina velis,
Clara coronantur densis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris.

Seuerus Sulpitius. 410.

Dialogo 2. de vita D. Martini: Cum hac igitur oblaturus sacrificium Deo veste procedit. Quo quidem (mira dicturus sum) cùm iam altarium, sicut solenne est, benediceret, globum ignis de capite eius vidimus emicare, ita vt in sublime contendens, longius collum, crinemque flammæ produceret.

Leo Primus. 450.

Epistola 88. A multis lachrymabili vultu nobis relatum.

relatum est, quòd quidam Germaniarum ac Galliarum vrbium Episcopi frequenter Chorepiscopos, vel Presbyteros destinarent, qui absente Pontifice altaria erigerent, Basilicasque consecrarent. Ne vltra talis à vobis licentia vsurpetur, communi sententia statuendum oportuit, scientes quia sicut Chorepiscopo vel Presbytero illicita consecratio est altaris, ita & constitutio. Quamuis illis cum Episcopis plurima ministeriorum communis sit dispensatio: quædam tamen auctoritate veteris Legis, quædam nouæ etiam Ecclesiasticis regulis sibi prohibita nouerint, sicut Presbyterorum, & Diaconorum, aut virginum consecratio, sicut constitutio altaris, ac benedictio vel vnctio. Siquidem nec erigere eis altaria, nec Ecclesias vel altaria consecrare licet.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 165. Cornelius memoriæ beatissimæ pater mihi fuit, ipse me per Euangelium genuit, ipse Pontifex sacris obtulit & consecrauit altaribus: & ideo mihi clarum colendum mirabile Cornelij nomen.

Saluianus Massiliensis. 470.

Lib. 3. *de iudicio & prouidentia Dei:* Ecclesias, vel potius templa atque altaria Dei minoris reuerentiæ quidam habent, quàm cuiuslibet minimi ac municipalis iudicij domum. In templa, vel potius in altaria Dei passim omnes sordidi ac flagitiosi, sine vlla penitus reuerentia sacri honoris irrumpunt: non quia non omnes ad exorandum Deum currere debeant; sed quia qui ingreditur ad placandum, non debet egredi ad exacerbandum.

Libro 6. Illustramus donarijs sacra limina, aras muneribus.

Victor Vticensis. 480.

De persecutione Vandalica lib. 1. Accenditur propter hæc aduersus Ecclesiam Dei Geisericus, Proculum quendam mittit, qui rapaci manu cuncta populatur, atque de pallijs altaris (proh nefas) camisias sibi & fœmoralia faciebat. Qui tamen Proculus huius rei executor frustatim sibi comedens linguam, in breui turpissima consumptus est morte.

Drepanius Florus. 480.

De cereo Paschali:

Hunc vt per totam possimus dicere noctem,
Inferimus claros sacris altaribus ignes.

Gelasius. 490.

Epistola 6. *ad Episcopos per Lucaniam, Brutios, & Siciliam constitutos cap.* 26. Nihilominus impatienter audiuimus tantum diuinarum rerum subesse despectum, vt fœminæ sacris altaribus ministrare ferantur, & cuncta, quæ non nisi virorum famulatu deputata sunt, sexum, cui non competit, exhibere.

Symmachus. 500.

Epistola 2. *ad Laurentium* Bene venerandis initiandus altaribus, & in laica conuersatione quod sacrum esset elegisti.

Concilium Agathense. 506.

Cap. 14. Altaria placuit non solùm vnctione Chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.

Eugippius Abbas. 510.

In vita Seuerini Norici cap. 45. Fredericus verò beati Seuerini morte comperta, pauper & impius, barbara cupiditate semper immanior, vestes pauperibus deputatas, & alia nonnulla credidit auferenda. Cui sceleri sacrilegium copulans, calicem argenteum, cæteraque altaris ministeria præcepit auferenda. Quæ cùm imposita essent sacris altaribus, nec auderet directus villicus ad tale facinus manus suas extendere, militem quendam Auriaanum nomine compulit diripere memorata. Qui quamuis inuitus præcepta perficiens, mox tamen incessabiliter vexatus omnium tremore membrorum, dæmonio quoque corripitur.

Hormisda. 514.

Apud Gratianum dist. 1. *de consecratione:* Nullus Presbyter in Ecclesia consecrata aliud altare erigat, nisi quod ab Episcopo sanctificatum est, vel permissum: vt sit discretio inter sacrum & non sacrum, nec dedicationem fingat nisi sit. Quod si fecerit, si clericus est, degradetur: si verò laicus, anathematizetur.

Concilium Epaunense. 517.

Cap. 26. Altaria nisi lapidea infusione Chrismatis non sacrentur.

Felix Quartus. 526.

Epistola 1. De Ecclesiarum consecratione, & de Missarum celebrationibus non alicubi, quàm in sacratis Domino locis, absque magna necessitate fieri debere, liquet omnibus, quibus sunt nota noui ac veteris Testamenti præcepta. Tabernaculum verò Mosen Domino præcipiente fecisse, & sacrasse cum mensa, & altari eius, & cæteris vasis vtensilibus, ad diuinum cultum explendum legimus, & non solùm diuinis præceptis ac precibus ea sacrasse, sed etiam sancti olei vnctione, Domino iubente, perlinisse nouimus. Qualiter autem hæc facta sint, & quomodo ipsa sacra non alij, quàm sacerdotes, sacra vnctione delibuti, Dominoque cum vestibus sanctis sacrati, & Leuitæ tractabant, ferebant, erigebant, & deponebant, in ipsis institutionibus, quæ per Mosen conscriptæ sunt, in Lege Domini reperitur, &c. Iudæi ergo loca, in quibus Domino sacrificabant, diuinis habebant supplicationibus consecrata, nec in alijs, quàm in Deo dicatis locis munera Domino offerebant. Si enim Iudæi, qui vmbræ Legis deseruiebant, hæc faciebant: multo magis quibus veritas patefacta est, & gratia & veritas per Iesum Christum data est, templa Domino ædificare, & (prout melius possumus) ornare, eaque diuinis precibus & sanctis vnctionibus suis; cum altaribus & vasis, vestibus quoque & reliquis ad diuinum cultum explendum vtensilibus, deuotè & solenniter sacrare, & non in alijs locis, quàm in Domino consecratis ab Episcopis, & non à Chorepiscopis, qui sæpe prohibiti sunt, nisi summa exigente necessitate, Missas celebrare, nec sacrificia offerre Domino debemus. Et hoc, nisi summa necessitas agere compulerit, non in domibus, quia in sacris Canonibus sacrificia in domibus offerri prohibita sunt: sed in tabernaculis, diuinis precibus à Pontificibus dicatis, & in mensis Domino sacratis, & sacra vnctione à Pontificibus delibutis, pro summa necessitate, & non pro libito cuiusquam & pigritia agatur. Num. 3.

Concilium Aurelianense Tertium. 539.

Cap. 15. Episcopus in diœceses alienas ad alienos clericos ordinandos, vel consecranda altaria irruere non debet. Quod si fecerit, remotis his; quos ordinauerit, altaris tamen consecratione manente, transgressor Canonum anno à Missarum celebritate vacabit.

Primasius. 540.

Ad cap. decimumtertium epist. ad Hebræos: Altare illud Iudæorum, quod fiebat extra castra, vbi consumebantur carnes, altare Ecclesiæ est, vbi quotidie consecratur corpus Christi. *Habemus* ergo *altare* Ecclesiæ, vbi consecratur corpus Dominicum; *de quo non habent potestatem edere, qui tabernaculo* corporis sui *deseruiunt*, fornicatores videlicet, adulteri, ebriosi, & immundi.

Iustus Orgelitanus. 540.

In Cantica cap. 115. *Tulerunt pallium meum:* Etenim quando Ecclesias ad solum vsque demoliti sunt, & altaria simul cum Euangelijs & cæteris libris Canonicis ignibus cremauerunt, quando nec sacrificandi locus, nec baptizandi libertas, nec communicandi est attributa licentia: cùm hæc omnia persecutores agerent, tunc quodammodo sponsæ Christi, id est, Ecclesiæ, quasi pallium quoddam abstulerunt.

Arator. 540.

Libro 1. Act. Apost.

Iura ministerij, sacris altaribus apti,
In septem secuêre viros, quos vndique lectos
Leuitas vocitare placet.

Cassiodorus. 550.

In Psalm. 22. *Parasti in conspectu meo mensam*, prædestinasti altare sanctum, quod cuncta videt Ecclesia, quod circundat populus Christianus. Mensa enim à mense dicta est, quòd eodem die conuiuia ritu gentilium exercebantur. Ecclesiæ verò mensa est beata communicatio, epulatio felix, saturitas fidei, esca cælestis.

Gildas Badonicus. 560.

De excidio Britanniæ: Constantinus hoc anno post horribile iuramenti Sacramentum (quo se deuinxit nequaquam dolos ciuibus, Deo primùm ireque iurando, Sanctorum demum choris, & Genitrice comitantibus fretis facturum) in duarum venerandis matrum finibus, Ecclesiæque carnalis sub sancti Abbatis amphibalo latera regiorum tenerrima puerorum, vel præcordia crudeliter duum totidemque nutritorum, inter ipsa sacrosancta altaria, nefando ense, hastaque prodentibus lacerauit: (quorum brachia nequaquam armis, quæ nullus penè hominum fortius hoc eis tempore tractabat, sed Deo altarique protenta in die iudicij, ad tuæ ciuitatis portas Christe venerandæ patientiæ ac fidei suæ vexilla suspendent) ita vt sacrificij cælestis cædem purpurea ac si coagulati cruoris pallia attingerent.

Concilium Secundum Turonense. 570.

Cap. 4. Vt laici secus altare, quo sancta mysteria celebrantur, inter clericos tam ad Vigilias, quàm ad Missas stare penitus non præsumant: sed pars illa, quæ à cancellis versus altare diuiditur, choris tantum psallentium pateat clericorum.

Concilium Bracarense Primum. 477.

Cap. 31. Placuit, vt intra sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis vel mulieribus, nisi tantùm clericis, sicut & antiquis Canonibus statutum est.

Cap. 37. Placuit, vt si quis Presbyter post hoc interdictum ausus fuerit Chrisma benedicere, aut Ecclesiam, aut altarium consecrare, ab officio suo deponatur. Nam antiqui Canones hoc vetuerunt.

Fortunatus. 580.

Lib. 1. *vitæ sancti Hilarij:* Hilarius olim mysterijs deputatus, aliquando sacris altaribus sacerdos electus est.

Gregorius Turonensis. 580.

De vitis Patrum cap. 15. Senoch Abbas reperit ibi oratorium, in quo ferebatur celebrem nostrum orasse Martinum: quod diligenti cura compositum, erecto altari, loculoque in eo ad recipiendas Sanctorum Reliquias præparato, ad benedicendum inuitat Episcopum, qui consecrato altari Diaconatus eum honore donauit.

Historiæ Francorum lib. 2. *cap.* 6. Hunni à Pannonijs egressi, in ipsa sanctæ Paschæ Vigilia ad Metensem vrbem, reliqua depopulando, perueniunt, tradentes vrbem incendio, & populum in ore gladij trucidantes, ipsosque sacerdotes Domini ante sacrosancta altaria perimentes.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 2. *Indict.* 11. *in Priuilegio monasterij sancti Medardi:* De altaribus quoque, iuxta institutionem domini Papæ Ioannis, Apostolica auctoritate confirmamus, vt qui fuerit rector præfati Monasterij, fiat præterea altarium Præsul, & omnium Ecclesiarum sibi pertinentium, & inde præfatorum Sanctorum præcipuo altari luminaria exhibeantur.

Lib. 5. *epist.* 150. Veniens lator præsentium Lauparicus Presbyter vester insinuauit nobis, fraternitatem vestram Ecclesiam in honorem B. Petri & Pauli Apostolorum construxisse, atque illic tredecim altaria collocasse, ex quibus quatuor necdum dedicata comperimus remansisse, ob hoc, quod suprascriptorum Sanctorum Reliquias illic collocare Deo annuente disponitis.

Libro 3. *Dialogorum cap.* 3. Agapetus Missarum solemnia exorsus, sacrificium in conspectu Dei omnipotentis immolauit. Quo peracto, ab altari exiens, claudi manum tenuit, atque assistente & aspiciente populo eum mox à terra proprijs gressibus erexit, cumque ei Dominicum corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lingua soluta est.

Concilium Antisiodorense. 614.

Cap. 10. Non licet super vno altario in vno die duas Missas dicere: nec in altario, vbi Episcopus Missas dixerit, Presbyter in illa die Missas dicat.

Concilium Hispalense Secundum. 619.

Cap. 7. Relatum est nobis, venerandissimum quondam Agapium Cordubensem Episcopum frequenter Chorepiscopos vel Presbyteros destinasse, qui absente Pontifice altaria erigerent, Basilicas consecrarent. Quod quidem non est mirum, id præcepisse virum Ecclesiasticæ disciplinæ ignarum. Ergo sciendum, quia sicut Presbytero vel Chorepiscopo illicita consecratio est altaris, ita & constitutio.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Ecclesiasticis officijs lib. 1. *cap.* 28. *de Cœna Domini:* Hinc est, quòd eodem die altaria, templique parietes & pauimenta lauantur, vasaque purificantur, quæ sunt Domino consecrata.

Lib. 15. *Originum cap.* 4. Sacra sunt loca diuinis cultibus instituta, vtpotè ea, in quibus altaria litantibus de more Pontificibus consecrantur. Altare ab altitudine constat esse nominatum, quasi alta ara.

Iulianus Toletanus. 680.

Præfatione in librum Hildephonsi Toletani: At ille bene sibi conscius, ante altare sanctæ Virginis procidens, reperit in cathedra ipsam Dominam sedentem.

Adamnanus. 690.

Libro de locis Sanctis: Resurrectionis Dominicæ Ecclesia rotunda tria altaria continet, in tribus locis parietis medij, hoc est, Australi, Aquilonari, & Occidentali.

Beda. 700.

Historiæ Anglicanæ lib. 2. *cap.* 3 Habet hæc Ecclesia in medio sui altare in honorem B. Gregorij Papæ dedicatum.

Lib. 5. *cap.* 11. Evvaldi hymnis, & Psalmis, & orationibus semper vacabant, & quotidie sacrificium Deo victimæ salutaris offerebant, habentes secum vascula sacra, & tabulam altaris vice dedicatam.

Alcuinus. 760.

De diuinis officijs cap. 17. *de Cœna Domini:* Eodem die al-

die altaria templi & parietes siue pauimenta Ecclesiæ lauantur, & vasa Domino sacrata purificantur, &c. His finitis nudantur altaria iam circa noctem, sicqúe permanent vsque ad Sabbatum sanctum. Altare Christum significat, qui tunc nudatus est à vestimentis, hoc est, à discipulis, quando relicto eo omnes fugerunt.

Paulus Primus. 760.

Epistola ad Pipinum: Mensam illam, quam olim sanctæ recordationis domino & germano nostro beatissimo Stephano Papæ, & per eum beatissimo Petro Apostolo obtulistis, cum hymnis & canticis spiritualibus, Litaniæ laudes solenniter Deo referentes, infra aulam ipsius principis Apostolorum introduximus, eamqúe vestri missi in sacram confessionem, super corpus scilicet eiusdem cælorum regni ianitoris ex vestri persona obtulerunt, quam & Chrismate vnctionis sanctificantes, & sacram oblationem super eam imponentes, sacrificium laudis Deo omnipotenti pro æterna animæ vestræ remuneratione, & regni vestri stabilitate obtulimus, decernentes Apostolica censura sub anathematis interpositione nulli vnquam licere eam ab Ecclesia beati Petri abalienare, & ecce memoriale vestrum in eadem Apostolica aula fulgens manet in æternum.

Paulus Diaconus. 780.

De gestis Longobardorum lib. 2. cap. 9. In Basilica Pauli & Ioannis etiam altarium in honorem beati Martini constructum, propinquam habet fenestram, in qua lucerna ad exhibendum lumen est constituta.

Carolus Magnus. 790.

Lib. 1. Legum cap. 71. Vnusquisque videat per suam parochiam, vt Ecclesia Dei suum habeat honorem: simul & altaria secundùm suam dignitatem venerentur, & non sit domus Dei & altaria sacrata peruia canibus.

Cap. 151. Ecclesiæ vel altaria, quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur.

Lib. 7. cap. 134. Statutum est, vt illicitus fœminarum accessus ad altare non fiat: quia contra omnem auctoritatem diuinam, & Canonicam institutionem est, fœminas sanctis altaribus se vltro ingerere, aut sacrata vasa impudenter contingere. Quòd autem mulieres ingredi ad altare non debeant, in Concilio Chalcedonensi, & in decretis Gelasij Papæ copiosissimè inuenitur.

Ludgerus Monasteriensis Episcopus. 800.

Epistola ad Rixefridum Traiectensem Episcopum cap. 9. Leo Tertius multa Monasteria, & altaria, ac capellas per Alemaniam & Galliam consecrauit, vbique multas indulgentias conferendo.

Haymo. 820.

In cap. 13. ad Hebræos: Altare illud Iudæorum fiebat extra castra, vbi consumebantur carnes: altare Ecclesiæ est, vbi quotidie consecratur corpus Christi, *de quo non habent potestatem edere, qui tabernaculo* corporis sui *deseruiunt,* fornicatores videlicet, adulteri, & immundi.

Concilium Rhemense. 813.

Cap. 50. Obseruandum est, vt mensa Christi, hoc est, altare, vbi corpus Dominicum consecratur, vbi sanguis eius hauritur, vbi Sanctorum Reliquiæ reconduntur, vbi vota & preces populi in conspectu Dei à sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honorentur.

Concilium Parisiense. 829.

Lib. 1. cap. 45. Quidam nostrorum verorum virorum relatu, quidam etiam visu didicimus in quibusdam prouincijs contra legem diuinam, Canonicamqúe institutionem fœminas sanctis altaribus vltro se ingerere, sacrataqúe vasa impudenter contingere, &c. Miranda sanè res est, vnde is illicitus in Christiana religione irrepserit vsus, vt quod viris secularibus illicitum est, fœminæ contra fas sibi licitum facere potuerint. Quòd enim mulieres ingredi ad altare non debeant, & in Concilio Laodicensi cap. 44. & in Decretis Gelasij titulo 26. copiosè inuenitur.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap. 4. Romæ in Ecclesia B. Petri principis Apostolorum altaria non tantùm ad Orientem, sed etiam in alias partes sunt distributa.

Cap. 9. Si Pagani templa & statuas erroris sui testimonia dæmonijs deceptoribus suis per quædam execramenta magis quàm Sacramenta deuouere, & dedicare nosscuntur, cur non potius nos templa & altaria nostra, nostræ religiositatis indicia Deo Saluatori nostro per illibata & vera Sacramenta dedicare curemus?

Concilium Aquense. 837.

Libro 1. cap. 27. Quòd si Abraham pro eo, quòd altaria Deo erexit, cultumqúe eius veneratus est, tot à Deo meritorum prærogatiuis donatur: dubium non est, quin altarium sanctorum euersores, & sacrarum rerum, quibus in eisdem altaribus Deo famulandum est, surreptores, damnentur.

Cap. 24. Hodie quoque Christiana religio, exemplum sumens ex antiqua Patrum traditione, domos in honorem Dei ædificat ac dedicat, & altaria erigit, eisqúe oleum superfundit, ac sancto Chrismate ea perungit.

Theganus. 840.

De gestis Ludoici Imperatoris cap. 6. Perrexit Imperator ad Ecclesiam, quam ipse à fundamentis construxerat, peruenitqúe ante altare in eminentiori loco constructum cæteris altaribus, & consecratum in honorem Domini nostri Iesu Christi.

Rabanus Maurus. 850.

De institutione Cleri lib. 2. cap. 37. Die Parasceues altaria indumentis suis spoliata denudantur, quia in ea Christus suis vestimentis exutus esse legitur.

Cap. 45. Quòd verò altare post aspersionem aquæ Chrismate perungitur, ad imitationem Patriarchæ Iacob factum est: qui post visionem illam terribilem erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper, vocans locum domus Dei. Quòd verò tunc incensum à Pontifice super altare ponitur, significat sacerdotum puram super illud orationem esse debere. Quòd autem subtus tabulam altaris Reliquiæ Sanctorum ponuntur, significat Sanctos sub throno Dei sedes & requiem habere.

Epistola ad Simeonem: Mitto vobis tres vestitus ad tria altaria.

Hincmarus. 880.

Commentario de actione Missæ: Assistit sacerdos altari, & celebraturus mysteria diuina, Ecclesiam salutando orat, & orando salutat, dicens: *Dominus vobiscum.*

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 890.

Cap. 9. Hoc die seruatur in Ecclesia, vt si altitudo altaris excesserit breuem staturam sacerdotis, aliquod suppedaneum tempore officiorum admoueatur, quod expleto officio possit remoueri.

Concilium Nannetense. 900.

Cap. 3. Sed & hoc secundùm Canonum aucto-

ritatem modis omnibus prohibendum, vt nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut infra cancellos sedere, aut stare.

Regino Prumiensis. 910.

De disciplina Ecclesiastica lib.1. cap.31. Templa altariaque, de quorum consecratione dubitatur, sacris initiari debere Concilium Meldense docet.

VVitichindus. 950.

Libro 2. Annalium: Hildebertus Archiepiscopus Moguntinus accedit cum rege Ottone, tunica stricta more Francorum induto, pone altare, super quod insignia regalia posita erant, gladius cum baltheo, baltheus cum sceptro ac diademate Episcopus accedens ad altare, & sumpto inde gladio cum baltheo, conuersus ad Regem: Accipe hunc gladium, inquit, quo eiicias omnes Christi aduersarios, &c. Hugonem alterum armis edomuit, ac sibi subiectum fecit, cuius fibulam auream regi dono concessam, gemmarum varietate mirabilem videmus in altari Protomartyris Stephani rutilantem.

Berno Augiensis. 1020.

Sermone de Purificatione Mariæ: Carnis Christi alimento de mensa altaris reficimur.

Petrus Damianus. 1050.

Vita S. Romualdi cap.2. Tunc beatissimus Martyr sacerdotalibus infulis mirabiliter exornatus, aureum in manu portans thuribulum, cuncta Ecclesiæ incensauit altaria.

Algerus. 1060.

De Eucharistia cap.14. Sacerdos vice Christi corpus Dominicum in terreno altari conficit.

Anselmus. 1080.

Ad cap.3. prioris ad Timoth. Verè corpus Christi fit panis, qui in altari consecratur.

Ivo Carnotensis. 1090.

Quæst.32. Altaria portabilia non aliter consecramus, nisi vel in tabulis ligneis, vel aliquo competenti substractorio compacta, & firmitus sint affixa: vnde licet de loco ad locum portentur, non tamen de loco, in quo consecrata sunt, mouentur: à quo si auulsa fuerint, sicut cætera altaria denuò sunt consecranda.

Hildebertus Cenomanensis. 1100.

De mysterio Missæ:

Interea veniens in sacra veste sacerdos,
Altaris dextram, dona daturus, adit.

Theodorus Abbas S. Trudonis. 1120.

Libro 2. vitæ S. Trudonis cap. 9. Plectrudis Regina regale suum aurum in recompensationem æternæ mercedis appendens, vocatis artificibus, altare sanctissimi Patris auro & gemmis indecorabile reddidit.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De diuinis officijs lib.5. cap.30. Cur altare nudetur scire volentibus facilè liquet, si prius animaduerterint, quid ipsum altare significet. Significat autem Christum: quia sic illud in templo, quomodo Christus toti corpori Ecclesiæ dignitate & honore præeminet. Cùm itaque nudum altare conspicimus, dignum illud memoria, quod magnificè Propheta flebiliterque deplorat, nostris intimis personare auribus: *Ecce vidimus eum, & non est species ei, neque decor, &c.* Esa. 53.

Bernardus. 1130.

Sermone in festiuitate omnium Sanctorum: Post hæc illibatum Dominici corporis Sacramentum in altaris mensa sacrosancta percepturi sumus.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Epistola 1. Nonne & nos Romæ positi frequenter vidimus in cryptis antiquissimis oratoria & altaria, qualia eo tempore (*Petri Apostoli*) fieri poterant, quæ ab eodem Apostolo constructa, & sanctificata, sicut per successionem fama consentiens ac celeberrima protestatur, in monumentum tantæ sanctitatis fidelibus ostenduntur, & ab eisdem fidelibus sanctissimè & deuotissimè deosculantur? Irenæus Lugduni, Crescens Viennæ, Martialis Lemouicis, & vbicunque nomen Christi annuntiauerunt, statim delubra (prout fas fuit) euertentes, aut nouas Ecclesias fundauerunt, aut ipsa templa in Ecclesias conuerterunt: adeò vt & hodie in plerisque locis, sicut ipsi nostris oculis inspeximus, Ecclesiæ, vel Basilicæ ab eis constructæ, altaria manibus eorum fundata, & consecrata, in memoriam antiquitatis, & sanctitatis eorum à fidelibus populis reseruata monstrentur.

Alexander Tertius. 1160.

Lib. 3. Decretal. tit. 40. Adhæc si altare motum fuerit, aut lapis ille solummodò superpositus, qui sigillum continet, confractus, aut etiam diminutus, debet continuò consecrari. Propter hoc verò nequaquam reiterare suam consecrationem Ecclesiæ consueuit, licet id quidam Canones innuere videantur.

Odo Parisiensis. 1170.

In Synodicis constitutionibus cap. 5. Summa reuerentia, & honor maximus sacris altaribus exhibeatur, & maximè vbi sacrosanctum corpus Domini reseruatur, & Missa celebratur.

Guilhelmus Tyrius. 1180.

Libro 4. cap. 23. Turcæ deiecerant altaria, & nefandis operibus inquinauerant Domini sanctuarium.

Stephanus Eduensis. 1180.

De Sacramento altaris cap.12. Talibus indumentis sacerdos decenter ornatus, veniens ad altare, confitetur se indignum celebrare tam excellens mysterium: quia in conspectu illius, cuius immolatio repræsentatur, nullus nisi per gratiam suam est iustificatus. Osculatur Euangelium & altare, significans illum, qui osculo suæ Incarnationis fecit vtraque vnum, conuersione Iudæorum & gentium. Tenet dextram partem altaris, quia Christus in Lege promissus, prius Iudæis, quàm gentibus prædicauit.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 2. in Dedicatione Ecclesiæ: Altare consecratur hoc ordine: supponitur tabula, vngitur mensa, adoletur incensum, vestitur altare: sic demum sacrificium celebratur.

Extra lib.3. tit.40. de Consec. Eccl. C. quod in dubijs: Altare verò, in quo tabula, cui consecrationis benedictio pontificali ministerio adhibetur, mota vel enormiter fracta fuerit, debet non immeritò consecrari. Nec negamus, quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri.

Ibidem in c. cùm sit: Noueris igitur, quòd plura in Ecclesia vna altaria, & plures Episcopos simul poteris consecrare.

Dodechinus. 1200.

In Appendice de anno 1135. Dedicatum est altare, quod situm est ad Aquilonem in nouo Monasterio, à D. Adelberto Moguntino Archiepiscopo in honorem Domini nostri Iesu Christi & sanctæ Crucis.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Feria quinta in Cœna Domini: Hac nudantur altaria, & asperitate aspersorij cum vino & aqua confricantur, & abluuntur. Altare crucem signat, in qua oblata est vera hostia immolationis nostræ.

Alexan-

Alexander Alesius. 1230.

Parte 4. quæst. 10. memb. 5. art. 2. § 3. Magis conuenit, quòd altare consecrationis sit lapideum siue petrinum, quàm de alia materia, scilicet propter lapidis communitatem, fortitudinem siue durabilitatem, & significationem.

Hugo Cardinalis. 1240.

In Psalm. 17. Adhuc cùm altaria sacrosancta in Quadragesima velata fuerint, in die Parasceues nudantur, & apparent omnibus.

Rodericus Toletanus. 1240.

Rerum Hispanicarum lib. 4. cap. 11. Cùm tres essent in palatio mansiones, in prima domo altare maius in honorem S. Mariæ semper Virginis erexerunt: in secunda domo S. Saluatoris & Apostolorum omnium construxerunt: in tertia domo sancti Ioannis Baptistæ, & omnium Martyrum & Confessorum. Quibus omnibus dedicatis, prædicta altaria ornamentis aureis liberaliter decorauit, & ad dotem Ecclesiæ possessiones varias cumulauit.

Humbertus Ordinis Prædicat. 1250.

Tertia partis lib. 1. cap. Quòd reuerentia iuxta altare sit exhibenda: Multum cauenda est irreuerentia iuxta altare. Ad exhibendam reuerentiam ibi primò mouet præparatio, quam sacerdos & ministri accessuri ad altare faciunt, in ablutione manuum & oris, & ornatu sacrarum vestium, & confessione. Inurbanum enim est, non lotis manibus, id est, operibus ad mensam regis gloriæ accedere.

Thomas Aquinas. 1250.

Tertia Summæ quæst. 83. artic. 3. Ecclesia, & altare, & alia huiusmodi inanimata consecrantur, non quia sint gratiæ susceptiua, sed quia ex consecratione adipiscuntur quandam spiritualem virtutem, per quam apta redduntur diuino cultui: vt scilicet homines deuotionem quandam exinde percipiant, vt sint paratiores ad diuina, nisi hoc propter irreuerentiam impediatur. Vnde & 2. Machab. 3. dicitur verè: *Dei virtus quædam est in loco. Nam ipse, qui habet in cælis habitationem, visitator & adiutor est loci illius.*

Parte 4. dist. 13. quæst. 1. artic. 2. Sacerdos consecrat super altare ab Episcopo consecrato, & in vasis consecratis per Episcopum.

Bonauentura. 1260.

In explicatione Missæ: Altare, quando ab Episcopo consecratur, in quatuor ordinibus ad modum crucis oleo perungitur. Item altare pannis albis & mundis cooperitur, & crux Christi humanitate eius in ea pendente decoratur. Item in altari Sanctorum Reliquiæ absconduntur, & in cruce Domini maxima mysteria reperiuntur.

Guilhelmus Durandus. 1280.

Rationalis diuinorum lib. 1. cap. 7. Non solùm Ecclesia, verùm etiam altare consecratur, & hoc propter tria. Primò, ad Sacramentum Deo ibi offerendum: hoc autem Sacramentum est corpus & sanguis Christi, quod in memoriam passionis Dominicæ immolatur. Secundò, ad nomen Dei ibi inuocandum. Tertiò, ad sumendum, &c.

Durandus à S. Portiano. 1320.

Lib. 4. distinct. 13. quæst. 2. Altare, super quod celebratur, siue sit immobile, siue sit portabile, debet esse de lapide, & consecratum. Quia sepulchrum Christi, cuius altare est significatiuum, fuit de lapide.

Guido Rotherius. 1330.

In Manipulo curatorum de Eucharistia cap. 5. De licentia diœcesani Episcopi propter necessitatem potest Missa celebrari in domo alicuius, in aliqua parte apta ad hoc, ita tamen, quòd super altare portatile ponant desuper aliquam tabulam lapideam alicui stipiti annexam, benedictam ab Episcopo, &c. Altare siue sit in Ecclesia, siue extra Ecclesiam, semper debet erigi versus Orientem.

Petrus Aliacus. 1400.

Super Psalm. *Iudica me Deus:* Desiderio & amore superioris & inuisibilis altaris illius cælestis Hierusalem debet sacerdos hoc altare visibile cum modestia introire, æterna, & non caduca petiturus.

Thomas VValdensis. 1414.

Tomo 1. lib. 2. art. 3. cap. 58. Consecrationes Basilicarum vel altarium quid ducis pro nihilo? Omnino necessarias esse, & necessariò iudicauit eas Dionysius sanctificatione Episcopi muniendas. Nec mirum: quòd si templum & altare Iudaicum, non nisi sanctificata & vncta per magnum Legis Pontificem, potuerunt aptè seruire figuris: quanto magis ad immolandam veritatem corporis Christi oportet & vasa, & domos, & vestes per Pontificem consecrari?

Tomo 3. tit. 4. cap. 30. Sunt tamen & alia, quæ in mysterijs à Christi corpore cepimus, vt eidem corpori in Sacramento subseruiant: velut est altare ipsum, quod locum tenet sepulchri, & Corporale linteum, quod vendicamus à syndone.

Ioannes Gerson. 1420.

In Compendio Theologiæ, cap. de Eucharistia: Quæritur, si non debito loco, vtpote in altari non consecrato, vel super terram, vbi non est altare, possit celebrare? Respondetur: huiusmodi, si habet intentionem, conficit, sed mortalissimè, qui non in debito loco celebrat: & si posset inueniri, foret degradandus.

De Sacramento Eucharistiæ lib. 4: Altare lapideum conuenit esse, tum propter lapidum communitatem, quia faciliter possunt haberi: tum propter lapidis durabilitatem: tum propter signati congruitatem. Quia altare significat Christum, de quo dicitur 1. Corinth. 10. *Petra autem erat Christus.* Nec obstat, quòd in Ecclesia Lateranensi sit altare ligneum, super quo dicitur Beatus Petrus celebrasse, vsque ad tempora Beati Syluestri: quia sæuiente rabie persecutionis non erat certa statio Apostolis sed latitabant in cryptis & cauernis, & celebrabant in altaribus ligneis. Postea Syluester Papa statuit, vt omnia altaria essent lapidea, & quòd nullus super altare ligneum, nisi solus Pontifex celebret.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De Corpore Christi seu de Eucharistia: Æquè in altaris sede quemadmodum in cælo colitur Deus, quamuis aliter. Hinc altaris sacri quanta sit dignitas optimè comprobatur, in quod præsentialiter descendit Deus, & in quo Sacramenta cælestia consecrantur. Illius quippe excellentiam olim Patriarcha Iacob præuidit in spiritu, &c. Videsne quàm longè antè sacri altaris Patriarchæ huic sint reuelata mysteria? Equidem, vt iste ait, terribilis est altaris locus, in quo Angelorum, Archangelorumque millia Domino descendente assistant.

Gabriel Biel. 1460.

Lect. 13. in Can. Dicitur altare quasi alta ara, ratione situs, quia elementum est super terram. Item ratione sacrificij altissimi, corporis scilicet & sanguinis Domini.

ARTICVLVS DECIMVS.

SACRA VASA, CALICES, PATINAS, &c.

IMPROBANT.

Anno post natū Christū 330. *NABVCHODONOSOR, & Balthasar vasa aurea & argentea Hierosolymis ad cultum Dei destinata abstulerunt, & ad prophanos vsus transtulerunt.* Daniel 3.

366. *Ariani sacra vasa temerabant, & polluebant.* Athanasius in vita Antonij.

Iulianus Apostata impuris manibus ausus est sacra vasa contingere, auferre, illis inuersis, & super pauimentum collocatis insidere. Chrysostomus in Babylam, Sozomenus lib. 5. cap. 5. *En dixit, quàm sumptuosis vasis Filio Mariæ ministretur.* Sozomenus lib. 3. cap. 6.

370. *Donatistæ sacros calices fregerunt, & vendiderunt.* Optatus lib. 6.

770. *Habdalas Saracenorum Princeps Ecclesiarum vasa abstulit, & Iudæis vendidit.* Anastasius Bibliothecarius lib. 22. Miscel.

1180. *VValdenses calices, patinas, vasaq́; huiusmodi nihil habere momenti asserunt.* Æneas Syluius de Bohemis cap. 38.

1200. *Albigensium peruersitas adeò diuinam contempsit seueritatem, vt sacra vasa & calices in despectum Corporis & sanguinis Domini enormiter dehonestarent.* Matthæus Parisius de anno 1213.

1570. Ioannes Casimirus Comes Palatinus in Reformatione suarum Ecclesiarum Articulo 6. *Omnes calices, quos charissimus frater noster Ludouicus princeps Elector Ecclesijs concessit, remoueantur, & nostro ærario applicentur, eorumq́ue loco argentei scyphi restituantur.*

PROBANT SACRÆ LITERÆ.

Exodi 25. *Vers.* 29. Parabis & acetabula, ac phialas, thuribula, & cyathos, in quibus offeranda sunt libamina, ex auro purissimo. 31. Facies & candelabrum ductile de auro mundissimo, hastile eius, & calamos, scyphos, & sphærulas, ac lilia ex ipso procedentia. 39. Omne pondus candelabri cum vniuersis vasis suis habebit talentum auri purissimi.

Exodi 37. 16. Fecit & vasa ad diuersos vsus mensæ, acetabula, phialas, & cyathos, & thuribula, ex auro puro, in quibus offeranda sunt libamina. Fecit & candelabrum ductile de auro mundissimo. 23. Fecit & lucernas septem cum emunctorijs suis, & vasa, vbi ea, quæ emuncta sunt, extinguantur, de auro mundissimo. Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vasis suis.

Isaiæ 52. 11. Mundamini qui fertis vasa Domini.

Danielis 5. 1. Balsasar Rex fecit grande conuiuium optimatibus suis mille: & vnusquisque secundùm suam bibebat ætatem. Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea & argentea, quæ absportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo quod fuit in Ierusalem: vt biberent in eis rex, & optimates eius, vxoresque eius & concubinæ. Tunc allata sunt vasa aurea & argentea, quæ absportauerat de templo quod fuerat in Ierusalem: & biberunt in eis rex, & optimates eius, vxores & concubinæ illius: Bibebant vinum, & laudabant deos suos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneosque & lapideos. In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis, *&c.* 25. Mane, Thecel, Phares, *Hoc est*, numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud, appensus es in statêra, & inuentus es minus habens diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis. 30. Eadem nocte interfectus est Balsasar rex Chaldæus. Et Darius Medus successit in regnum.

1. *Esdræ* 1. 7. Rex quoque Cyrus protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Ierusalem, & posuerat ea in templo Dei sui, *&c.* & annumerauit ea Sassabasar principi Iudæ. Et hic est numerus eorum: Phialæ aureæ triginta, phialæ argenteæ mille, cultri viginti nouem, scyphi aurei triginta, scyphi argentei secundi

quadrin-

quadringenti decem: vasa alia mille. Omnia vasa aurea & argentea quinque millia quadringenta: vniuersa tulit Sassabasar cum his qui ascendebant de transmigratione Babylonis in Ierusalem.

1. *Esdræ* 8. 26. Et appendi in manibus eorum argenti talenta sexcenta quinquaginta, & vasa argentea centum, auri centum talenta: & crateres aureos viginti, qui habebant solidos millenos, & vasa æris fulgentis optimi duo, pulchra vt aurum. Et dixi eis: Vos sancti Domini, & vasa sancta, & argentum & aurum, quod sponte oblatum est Domino Deo patrum nostrorum: vigilate, & custodite, donec appendatis coram principibus Sacerdotum, & Leuitarum, & ducibus familiarum Israel in Ierusalem, in thesaurum domus Domini.

PROBANT LITVRGIÆ Apostolicæ.

Liturgia D. Petri.

Tenensque panem sacerdos signat calicem, dicens: Per ipsum, & cum ipso tibi & Patri omnipotenti in vnitate Spiritus omnis honor & gloria.

Liturgia D. Iacobi.

Cùm autem attollunt Diaconi discos & calices, ad impartiendum populo Diaconus ait, &c.

Liturgia D. Marci.

Folio 24. Sacerdos signans patinas & calices, elata voce dicit *Credo in Deum, &c.*

PROBANT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Canon. Apost. 72. Vas aureum, vel argenteum, vel velum sanctificatum nemo amplius in suum vsum conuertat. Hoc enim fit præter iura & contra leges. Si quis deprehensus fuerit, mulctetur.

Epistola 2. Ostia forinsecus claudat, minora gerat officia, vrceum siue calicem ad altare non sufferat, &c. Calicem verò ad perferendum sanguinem Domini præparatum cum tota munditia ministerij minister præparet, ne non bene lotus calix Diacono peccatum fiat offerenti.

Irenæus. 180.

Lib 5. *cap.* 2. Quando ergo mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi.

Origenes. 230.

Homilia 11. *in Leuitic.* Inuenimus & vasa ministerij sancta vocitata, & vestimenta sancta dici, & loca nihilominus, quæ in vrbibus, vel suburbibus posita sunt, & sacerdotibus deputata. Ex mutis quidem animalibus primogenita boum, vel pecorum sanctificari per Legem Domino iubentur, & dicitur: *Ne facias in eis opus vllum, quia Domino sanctificata sunt.* Super vasis verò, cùm in tabernaculo testimonij vasa ministerij, thuribula, vel phialæ, vel cætera huiusmodi vasa sancta appellantur.

Methodius Patarensis. 260.

De rebus, quæ ab initio mundi contigerunt, & deinceps contingent: Contaminabunt sacrificium celebrandum, & ex sacris vasis & calicibus comedent, ac bibent.

Synodus Nicæna. 325.

Canone 63. *ex Arabico translato:* Sit in vnaquaque Ecclesia procurator, & cum eo alij, qui curam habeant prouentuum & redituum Ecclesiæ, & deinde villarum, & sementis, & sumptuum, & vasorum auri & argenti, & vestimentorum, & ornamentorum Ecclesiæ.

Athanasius. 340.

In vita Antonij: Nec mora visionem sequitur effectus. Nam post annos duos sæua Arianorum cœpit insania: tunc Ecclesiarum fuerunt rapinæ, tunc diuinorum temeratio vasorum, tunc pollutis ethnicorum manibus sacra polluta sunt ministeria.

Apologia secunda: Poculum autem mysticum quod, aut quonam in loco à Macario fractum est? Id enim sursum ac deorsum obuolitantes iactitant. Atqui Athanasium ne accusatores quidem ausi fuissent eius criminis incessere, nisi ab ipsis submissi instructique fuissent. Nec pudet eos coram Catechumenis, & quod peius est, coram Ethnicis ita de mysterijs tragicari, &c. Atqui locus ille, in quo contractum poculum iactitant, Ecclesia non erat, nec quisquam, Presbyterorum ei loco vicinus, nec dies, quo id factum à Macario volunt, Dominica. Cùm igitur neque Ecclesia ibi esset, neque sacra fierent, neque dies hoc ipsum requireret, quale, aut quando, aut vbi mysticum illud poculum fractum est? Pocula multa passim in ædibus atque adeò in medio foro haberi nemini dubium, quæ collisa collidentem non impiant. Mysticum autem poculum, quod impium eum reddit, qui id vltro frangit, nusquam nisi apud legitimos Ecclesiæ Præsides inuenias: hic enim vnus vsus est calicis, & præter eum alius nullus, eoque solo vos legitimo ritu propinatis populo, cumque vos pro Canone Ecclesiastico accepistis, idemque duntaxat penes eos habetur, qui Ecclesijs præsunt. Solum enim vestrum est propinare sanguinem Christi, & præterea nullius. Cæterùm vt impius est, qui hunc mysticum calicem frangit: ita multo magis impius est, qui sanguini Christi contumeliam facit: contumeliam autem facit, qui præter Ecclesiasticam institutionem calice illo abutitur. Et hæc quidem à nobis eò dicuntur, non quòd vel schismaticum poculum Macarius fregerit, sed quòd ibi omnino nullum fuerit. Qui enim fieri potuit, cùm nec ipse locus Dominicus esset, neque quispiam ibi Ecclesiasticus, atque adeò ne tempus quidem mysteriorum ageretur?

Concilium Laodicense. 370.

Canone 21. Non oportet Subdiaconos locum habere in Diaconis, & sacra vasa tangere.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 25. *quæ est oratio ad Arianos, & de se ipso.* Quorum mysticum sanguinem cum mortifero sanguine permiscui? Quæ vasa ministerio sacro destinata, nec vulgi manibus attrectanda, iniquorum manibus dedidi? Nempe vel Nabuzardæ coquorum principi, vel Balthasaro, qui malè in

sanctis poculis perbacchatus est, atque adeò dignas amentia sua pœnas persoluit.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Oratione in Babylam Martyrem: Cæterùm ex eis, qui cum Iuliano erant, patruus, cùm licentiosius insaniam suam contra nos prodidisset, ausus impuris manibus sacra vasa contingere, hoc etiam scelere non contentus, sed contumelia vlterius progressus, (vasis enim eis inuersis, & super pauimentum collocatis, atque extensis super ea desedit,) è vestigio huius illegitimæ sessionis pœnam luit. Illius enim verenda corrupta vermiculos generarunt, ita vt morbum diuinitus illatum constaret.

Homilia 51. in Matthæum: Ne putemus satis nobis esse ad salutem, si cùm viduas & pupillos spoliaueris, aureum calicem & gemmis ornatum huic mensæ offeras, &c. Non igitur laboremus solùm ad aurea vasa offerenda, verùm multo magis, vt iusto labore acquisita offeramus: hæc enim aurea sunt & pretiosa, quæ auaritia non maculantur. Non enim argentaria, aut auri officina, sed Angelorum celebritas est Ecclesia. Animarum ergo munditia opus est, propter quas Deus etiam hæc vasa recipit. Et certè non erat ex argento mensa illa, nec ex auro calix, quo Christus discipulis sanguinem suum præbuit: pretiosa tamen erant omnia, & veneratione plena, quia spiritu abundabant. Vis corpus Christi honorare? ne despicias nudum, &c. Hæc dico, non quia prohibere velim talium vasorum oblationem: sed quia dignum putem misericordię & benignitati ante omnia incumbere. Nam Deus & vasa suscipit: sed illa multo magis sunt pretiosa. Et vasa quidem danti sola profuerunt, benignitas verò etiam accipienti. Et ibi quidem ostentatio nonnunquam potest accusari: hic verò totum animo misericordi tribuitur. Quænam vtilitas est, si mensa hæc multis calicibus aureis ornatur, ipsemet inedia pereat? Calicem aureum facis, calicem aquæ frigidæ non porrigis?

Homil. 3. in epistolam ad Ephes. Quid verò, an non vides vasa abluta adeò nitida & splendida? His longè mundiores oportet esse animas, his sanctiores ac splendidiores.

Homil. 14. Tu stans apud thronum Regis contumelia fratrem afficis? Non vides hæc sancta vasa? Nunquid ad vnum semper est ijs opus? Num audet quisquam eis vti ad aliquid aliud? Tu es his vasis sanctior, & multò sanctior. Cur ergo te ipsum polluis & inquinas?

Synesius. 420.

Constitutione altera, in maximo barbarorum incursu habita: Nonne mensas quidem sacras carnificinæ tanquam profanas exposuerunt? vasa verò mystica, quæ publicæ libationi seruierunt, dæmonum destinata cæremonis ad hostes portantur? Quid horum auris ferre pia potest?

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De adoratione in spiritu & veritate libro 13. Dum illa incruenta hostia consecratur, nonne Diaconi sacratiora vasa ferunt, & accuratam in omnibus rebus necessarijs obseruantiam exhibent?

Theodoretus. 450.

Eccles. Histor. lib. 3. cap. 11. Tyrannus sacra vasa in ærarium Regium inferri mandat. In sacrosanctum autem templum ad vasa sacra auferenda simul ingrediuntur Iulianus Præfectus, Felix, & Elpidius. Felix sacrorum vasorum magnificentiam conspicatus (Constantinus enim & Constantius splendidè & amplè ea facienda curauerant) ecce, inquit, quàm sumptuosis vasis filio Mariæ ministretur!

Iustinianus. 530.

L. Sancimus C. de sacris Concilijs: Sancimus nemini licere sacratissima vsquam aurea vasa, vel ad venditionem, vel ad hypothecam, vel ad pignus trahere.

In Authent. de non alienandis rebus Ecclesiasticis capite 7. Iisdem pœnis seruandis etiam aduersus eos, qui sacrata vasa contra nostram legem aut pignori dant, aut vendunt, aut conflant propter alienationem. Nam & illos æqua, aut maiori pœna dignos esse sancimus, quanto etiam circa res Deo dicatas præsumpserint impiè agere: nisi tamen aliquid tale fiat, quod diximus circa redemptionem captiuorum, vbi animæ hominum liberantur à mortibus & vinculis inanimatorum venditione vasorum.

Procopius Gazæus. 530.

In Leuiticum fol. 337. In Ecclesijs offeruntur mystica: sanctum præstat eum tale sacrificium, qui contingit ipsum, nec non sanctitatem trahit ex sanguinis aspersione. At vasa & instrumenta, quæ huic negotio deseruiunt, non ad humanos proferuntur vsus.

Procopius Cæsareensis. 550.

De ædificijs Iustiniani oratione 1. Templi huius thesaurum, & commodissima vasa ex argento lapidibusque pretiosis deornata, quæ Rex hîc deposuit, nemo exactè satis enarrare potest.

Euagrius. 600.

Lib. 6. cap. 20. Dedi mandatum, inquit Chosroes Rex, vt ex eo pretio discus vnus, & vnus calix fierent, qui diuinis mysterijs celebrandis inseruirent.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

In Theoria: Calix est loco vasis, quod recipit effusum sanguinem puncti immaculati lateris, & manuum & pedum Christi vnguenti defluxum. Cratera salutare poculum est, quod dedit discipulis suis in Cœna. Poculum rursum est ad exemplum crateræ, quam describit propriè siue Sapientia, siue Filius Dei: Miscuit suum sanguinem loco vini illius, & apposuit in sancta sua mensa.

Ioannes Damascenus. 730.

Lib. 2. Parallelorum cap. 61. De supellectile sacra, & quòd priuato homini vas sacrum tangere non liceat, 2. Reg. 6. *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam: Indignatusque est Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi iuxta arcam Domini.*

Synodus Nicena Secunda. 790.

Actione 5. Habemus alia plurima consecrata vasa: hæc quia in nomine tuo facta sunt, & consecrata, exosculamur.

Synodus Constantinopolitana sub Photio. 870.

Canone 10. Statuit sancta Synodus, eos, qui vnum aliquod in altari sacrorum & sanctorum vasorum, vel vestimentorum ad proprium vsum rapiunt, vel ad profanum vsum conuertunt, absolutæ depositioni subijci. Hoc enim est prophanare: illud surripere. Eos quidem certè, qui extra altare vasa quædam segregata, vel vestes sibi vel alijs præbent, eos Canon quoque segregat, & nos vnà quoque segregamus: eos autem, qui planè surripiunt, sacrilegorum condemnationi subijcimus.

Theophylactus. 900.

Ad Marci cap. 14. Audiui ego aurifabros dicentes, quòd si ego dissectum sacrum vas dem pauperibus, & ego viuam, nec condemner. Audiant ergo, quomodo Christus proferat sui curam pau-

peri-

peribus. Christi autem corpus propriè est, quod in disco aureo, & sanguis qui in poculo. Qui igitur abstulerit discum pretiosum, & cogit vt corpus Christi in viliori ponatur, prætexens scilicet pauperes, sciat cuius partis sit.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita sancti Cyriaci: Quadragesimo ætatis anno prouehitur ad honorem presbyteratus: sacrorum autem vasorum & sacri thesauri custodia & Ecclesiæ cura octodecim annis fidei eius fuit credita.

Alexius Comnenus. 1080.

Oratione, quam auream Bullam inscripsit: Præterea cum viris diuino maximè spiritu afflatis de reipsa consilium iniuimus, & posteaquam certiores facti sumus, satis esse causæ, cur in nos ira diuina excanduisset, quòd profanis sacra venerandaque sanctarum Ecclesiarum vasa contrectassemus: quia nimirum neque res diuinæ profanandæ sunt, nec è Dei manibus repetenda, in aliosve vsus conuertenda ea, quæ semel illi consecrata fuerint.

Georgius Cedrenus. 1100.

In Monomacho: Cùm & vasa ad hoc pertinentia Sacramentum ei templo dedicauit aurea, pretiosisque ornata vnionibus & gemmis, quæ magnitudine pretio ac pulchritudine alijs antecellerent, multisque alijs donarijs istud templum exornauit.

Ioannes Zonaras. 1100.

Ad Canonem Apost. 73. Ea, quæ Deo separata sunt, vsu communi pollui non oportet: sunt enim sanctificata, seu vas aliquod tale sit, seu pannus, seu oleum sit, siue cera. In Dei nempe templo facta huiusmodi rerum oblatio sanctificat eas. Non igitur auferri oportet de Ecclesia nec ceram, nec oleum, nec vas aliquod, sed neque pannum, qui Deo oblatus sit, & dedicatur, & ista sumere in priuatum aliquem vsum.

Nicephorus Callistus. 1300.

Libro 10. cap. 5. Iulianus Apostata quæcunque Ecclesiæ suppetebant vasa sacra & donaria, ea abstulit, & in idolorum delubris deposuit.

Lib. 14. cap. 22. Acacius Amidensis Episcopus videns multos suorum captiuitate abductos fame perire, cùm multa sint, inquit ad suum clerum, Ecclesiæ Dei donaria, aurea quidem plurima, multa etiam argentea, quæ benignitate & liberalitate eorum, qui se ad eam contulerunt, parauit, vendum eis censeo ad Persas captiuos redimendos, & famelicos alendos. Hæc, atque alia his similia locutus, statim diuina illa donaria conflauit, atque ex eis æstimationem militibus, quæ eis vasa fuerat persoluit, & captiuos recepit.

Emmanuelus Malaxus. 1570.

Ecclesiast. hist. lib. 1. cap. 21. Patriarcha Hieremias templum in monte Atho magnitudine & figura admirabili construxit, vasa præterea pretiosa diuersi generis aurea & argentea dedicauit.

PROBANT PATRES LATINI.

Sixtus Primus. 117.

Epistola 2. In hac sancta Sede Apostolica à nobis & reliquis Episcopis, cæterisque Domini sacerdotibus statutum est, vt sacra vasa non ab alijs, quàm à sacratis Dominoque dicatis contrectentur hominibus. Indignum enim valde est, vt sacra Domini vasa, quæcunque sint, humanis vsibus seruiant, aut ab alijs, quàm à Domino famulantibus, eique dicatis tractentur viris, ne pro talibus præsumptionibus iratus Dominus plagam imponat populo suo.

Soter. 163.

Epist. 2. Sacratas Deo fœminas vel Monachas sacra vasa, vel sacratas pallas penes vos contingere, & incensum circa altaria deferre perlatum est ad Apostolicam Sedem: quæ omnia reprehensione & vituperatione plena esse nulli rectè sapientium dubium est.

Tertullianus. 200.

De Pudicitia cap. 7. Procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum.

Cap. 10. Cui ille si fortè patrocinabitur Pastor, (*Hermas*,) quem in calice depingis.

Cyprianus. 250.

Sermone de Lapsis: Vbi verò solennibus adimpletis, calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus eius aduenit, faciem suam paruula instinctu diuinæ maiestatis auertit. Perstitit tamen Diaconus, & reluctanti licet de Sacramento calicis infudit.

Libro 2. epist. 3. *Epistola 63.* Admonitos autem nos sciat, vt in calice offerendo Dominica traditio seruetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecerit: vt calix, qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur.

Concilium Romanum. 320.

Cap. 9. Nullus Lector vel Ostiarius vasa sacrata contingat.

Optatus Mileuitanus. 370.

Libro 6. contra Parmenianum: Hoc tamen immane facinus geminatum est, dum fregistis etiam calices Christi sanguinis portatores: quorum species reuocastis in massas, mercem nefarijs nundinis procurantes, ad quam nec emptores eligere voluistis sacrilegi, dum inconsideratè vendidistis: Passi etiam estis comburi manus vestras, quibus ante nos eosdem calices tractabatis. Eam rem tamen passim vendi iussistis. Emerunt forsitan in vsus suos sordidæ mulieres. Emerunt pagani, facturi vasa, in quibus incenderent idolis suis! ô scelus nefarium! ô facinus inauditum! auferre Deo, quod idolis præstes: subducere Christo, quod proficiat sacrilegio.

Ambrosius. 370.

Libro 2. Officiorum cap. 28. In necessitate pro redimendis captiuis vasa Ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet. Opus est, vt de Ecclesia mystici poculi forma non exeat, ne ad vsus nefarios sacri calicis ministerium transferatur. Ideo intra Ecclesiam primùm quæsita sunt vasa, quæ initiata non essent, deinde comminuta, postremò conflata, per minutas erogationes dispensata egentibus, captiuorum quoque pretijs profecerunt. Quod si desunt noua, & quæ nequaquam initiata videantur: in huiusmodi vsus, quos supra diximus, arbitror omnia posse conuerti.

Damasus. 380.

Libro Pontificali: Sixtus constituit, vt ministeria, siue vasa sacra non tangerentur, nisi à ministris sacratis. Vrbanus fecit ministeria sacrata omnia argentea, & patenas argenteas XXV. apposuit. Syluester donauit Ecclesiæ Romanæ patenam argenteam pensantem libras viginti ex dono Augusti Constantini: dedit & scyphos argenteos duos, qui pensarunt singuli libras denas: calicem aureum, pensantem libras duas: calices ministeriales quinque, pensantes singulos binas libras: amas argen-

teas duas, pensantes singulas libras denas: patenam argenteam Chrismalem, auro clausam, pensantem libras quinque.

Prudentius. 380.

Hymno de S. Laurentio. Tyrannus

Soletis, inquit, conqueri,
Saeuire nos iusio amplius,
Cùm Christiana corpora
Plusquàm cruentè scindimus.
Abest atrocioribus
Censura feruens motibus,
Blandè & quietè efflagito,
Quod sponte obire debeas.
Hunc esse vestris orgijs
Moremquè & artem proditum est,
Hanc disciplinam foederis,
Libent vt auro Antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroquè nocturnis sacris
Astare fixos cereos.

Hieronymus. 390.

Epistola ad Theophilum Alexandrinum praefixa operi Paschali: In opere tuo vtilitatem spectauimus Ecclesiarum, vt discant, qui ignorant, eruditi testimonijs Scripturarum, qua debeant veneratione sancta suscipere, & altaris Christi ministerio deseruire, sacrosquè calices, & sancta velamina, & caetera, quae ad cultum Dominicae pertinent passionis, non quasi inania & sensu carentia sanctimoniam non habere, sed ex consortio corporis & sanguinis Domini eadem, qua corpus eius & sanguis maiestate veneranda.

Epistola 20. ad Marcellam: Calices mortificationem carnis ostendunt, & semper animum ad Martyrium praeparatum.

Augustinus. 400.

In Psalm. 113. Concione 2. Sed & nos pleraque instrumenta, & vasa, ex huiusmodi materia vel metallo habemus in vsum celebrandorum Sacramentorum, quae ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur, in eius honorem, cui pro salute nostra inde seruitur.

Contra Cresconium Grammaticum libro 3. cap. 29. Diocletiano & Maximiano septies Consulibus, Felix flamen perpetuus curator Paulo Episcopo dixit: Proferte Scripturas Legis, & si quid aliud hic habetis, vt & praecepto & iussioni parere possitis. Paulus Episcopus dixit: Scripturas Lectores habent, sed nos quod hic habemus, damus, &c. Sedente itaque Paulo Episcopo, &c. contra scribente Victore Aufidij in breue sic: Calices duo aurei, item calices sex argentei, &c.

Concilium Carthaginense Quartum. 400.

Cap. 5. Subdiaconus cùm ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum: de manu verò Archidiaconi vrceolum cum aqua, & manutergium.

Paulinus Nolanus. 410.

Epistola 12. ad Seuerum: In Secretarijs duobus, quę circa absidem sunt, hi versus indicant officia singulorum. A dextra absidis:

Hic locus est, veneranda penus quo conditur, & quo
Promitur alma sacri pompa ministerij.

Orosius. 420.

Libro 7. cap. 39. Adest Alaricus, trepidam Romam obsidet, turbat, irrumpit: dato tamen praecepto prius, vt si qui in sancta loca, & praecipuè in sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Basilicas confugissent, hos in primis inuiolatos, securosquè esse sinerent. Discurrentibus itaque per vrbem barbaris, fortè vnus Gothorum, idemquè potens & Christianus, sacram Deo virginem, iam aetate prouectam, in quadam Ecclesiastica domo reperit: cumquè ab ea argentum & aurum honestè exposceret, illa fideli constantia apud se esse plurimum, & mox proferendum spospondit, ac protulit. Dumquè expositis opibus attonitum barbarum magnitudine, & pondere, ac pulchritudine, ignota etiam vasorum qualitate intelligeret, virgo Christi ad barbarum ait: Haec Petri Apostoli sacra ministeria sunt. Praesume, si audes, de facto tu videris. Ego, quia defendere nequeo, contendere non audeo. Barbarus verò ad reuerentiam religionis, timore Dei & fide virginis motus, ad Alaricum haec per nuntium retulit, qui continuò reportari ad Apostoli Basilicam vniuersa, vt erant, vasa imperauit: virginem etiam, simulquè omnes, qui se adiungerent, Christianos eodem cum defensione deduci. Ea domus à sanctis sedibus longo (vt ferunt) & medio interiectu vrbis aberat. Itaque magno spectaculo omnium, disposita per singulos singula, & super capita illata palam aurea & argentea vasa portantur, exertis vndique ad defensionem gladijs, pia pompa munitur, Hymnis Deo Romanis Barbarisquè concinentibus, publicè canitur.

Maximus Taurinensis. 430.

Sermone 5. de S. Laurentio: Omnem Ecclesiae censum, cunctaquè sacra vasa ministerij, ne ea sacrilegus macularet aspectus, conuocatis inopum turbis pia erogatione distribuit.

Prosper. 450.

In Chronicis de anno 442. Gensericus Carthaginem dolo pacis inuadit, omnesquè opes eius, excruciatis diuerso tormentorum genere ciuibus, in ius suum vertit, nec ab Ecclesiarum spoliatione abstinens, quas & sacris vasis exinanitas, & sacerdotum administratione priuatas, non iam diuini cultus loca, seu suorum magis iussit esse habitacula: in vniuersum captiui populi ordinem saeuus, sed praecipuè nobilitati & religioni infensus, vt non discerneretur, hominibus magis an Deo bellum intulisset.

Victor Vticensis. 480.

De persecutione Vandalica libro 1. Statim fategit Episcopus Carthagine capta vniuersa vasa ministerij aurea vel argentea distrahere, & libertatem de seruitute Barbarica liberare, vt & coniugalia foedera manerent, & pignora genitoribus redderentur.

Concilium Agathense. 506.

Cap. 66. Non oportet insacratos ministros licentiam habere in secretarium, quod Graeci διακόνικον vocant, ingredi, & contingere vasa Dominica.

Eugippius. 510.

In vita Seuerini Norici cap. 45. Fredericus quidam comperta morte Seuerini, sceleri flagitium copulans, calicem argenteum, caeteraquè altaris ministeria praecepit auferenda. Quae cùm imposita essent sacris altaribus, nec auderet directus villicus ad tale facinus manus suas extendere, militem quendam Auraicum nomine compulit diripere memorata. Qui quamuis inuitus praecepta perficiens, mox tamen incessabiliter vexatus omnium tremore membrorum, daemonio quoque corripitur.

Hormisda. 516.

Epistola 73. Suscepimus calicem aureum gemmatum, patenam argenteam, & alium calicem argenteum, & vela duo ministerio Basilicae B. Petri Apo-

tri Apostoli profutura, à caritate tua directa.

Athalaricus Rex. 520.

Apud Cassiodorum libro 9. epist. 15. ad Ioannem Papam: Nuper ad nos defensor Ecclesiæ Romanæ flebili allegatione peruenit, cùm Apostolicæ Sedi peteretur Antistes, quosdam nefaria machinatione necessitatem temporis aucupatos, ita facultates pauperum extortis promissionibus ingrauasse, vt quod dictu nefas est, etiam sacra vasa emptioni publicæ viderentur exposita. Hoc quantum fuit crudele committi, tanto gloriosum est adhibita pietate resecari.

Felix Quartus. 526.

Epistola 1. Nos Christiani templa Domino ædificare, & (pro vt melius possumus) ornare, eaq; diuinis precibus & sanctis vnctionibus suis, cum altaribus, & vasis, & vestibus, & reliquis ad diuinum cultum explendum vtensilibus, deuotè ac solenniter sacrare debemus.

Cassiodorus. 540.

Variarum lib. 12. epist. 20. Quapropter nostra præceptione commoniti, & regia iussione securi, sanctorum vasa cum obligatione chirographi auctoribus sancti Petri Apostoli sine aliqua dilatione refundite: vt lucrosè reddita, celeriter impetrata videantur, optata referantur manibus Leuitarum ministeria, toto orbe narranda: donetur, quod proprium fuit: quoniam iustè per largitatem recipit, quod sacerdos legibus obligauit. Superatum est exemplum, quod in historia nostra magna attentione retulimus. Nam cùm Rex Alarius vrbis Romæ deprædatione satiatus Apostoli Petri vasa suis deferentibus excepisset, mox vt rei causam habita interrogatione cognouit, sacris liminibus deportari diripientium manibus imperauit, vt cupiditas, quæ deprædationis ambitu admiserat scelus, deuotione largissima deleret excessum. Sed quid mirum si reuerendorum Sanctorum diripere noluit, qui tanta se vrbis vastatione ditauit? Rex autem vester religioso proposito reddidit vasa, quæ iure pignoris propria videbantur effecta.

Concilium Bracarense Primum. 572.

Cap. 28. Item placuit, vt non liceat cuilibet ex Lectoribus sacra altaris vasa portare, nisi his, qui ab Episcopo Subdiaconi fuerint ordinati.

Gregorius Turonensis. 580.

Historia Francorum libro 3. cap. 10. Childebertus Rex inter reliquos thesauros, ministeria Ecclesiarum pretiosissima detulit. Nam sexaginta calices, quindecim patenas, viginti Euangeliorum capsas detulit, omnia ex auro puro, ac gemmis pretiosis ornata, sed non est passus ea confringi. Cuncta enim Ecclesijs & Basilicis Sanctorum dispensauit, ac tradidit.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 6. epist. 13. Sicut reprehensibile, & vltione dignum est, sacrata quæpiam vasa, præterquam in his, quæ lex & sacri Canones præcipiunt, venundare, ita nulla est obiurgatione & vindicta plectendum, si pietatis causa pro captiuorum fuerint redemptione distracta, &c.

Epistola 35. Et sacrorum Canonum, & legalia statuta permittunt, ministeria Ecclesiæ pro captiuorum esse redemptione vendenda. Et ideo quoniam Faustinus lator præsentium, vt filias suas de iugo potuisset captiuitatis exuere trecentorum triginta solidorum probatur debitum contraxisse, ex quibus triginta redditis, ad reliquæ quantitatis restitutionem eum certum est non posse sufficere: fraternitatem tuam his hortamur affatibus, vt de argento Meriensis Ecclesiæ, cuius miles esse dinoscitur, quod apud vos est, quindecim ei libras accepto ab eo de suscepto dare modis omnibus debeatis: vt eo venundato, & restituto debito, necessitate valeat obligationis absolui. Sed & illud fraternitas vestra debet esse sollicita, vt si quidem de prædicta Ecclesia vsuale argentum est, suprascriptam quantitatem accipiat: alioquin de sacratis vos vasis hac in re, eam, quam prædiximus, quantitatem præbere necesse est. Nam sicut omninò graue est frustra Ecclesiastica ministeria venundare: sic iterum culpa est, imminenti huiusmodi necessitate, res maximè desolatæ Ecclesiæ captiuis suis præponere, & in eorum redemptione cessare.

Martinus Bracarensis. 600.

Cap. 41. Non liceat cuilibet ministeria tangere, nisi Subdiacono aut Acolytho in secretario vasa Dominica.

Isidorus Hispalensis. 620.

De officijs Ecclesiasticis lib. 2. cap. 8. Ipsis sacerdotibus propter præsumptionem non licet de mensa Domini tollere calicem, nisi eis tradita sit à Diacono.

Cap. 10. Subdiaconi cùm ordinantur manus impositionem non suscipiunt, sed patenam tantùm & calicem de manu Episcopi, & ab Archidiacono scyphum aquæ, cum aqua mantile, & manutergium accipiunt.

Theodorus Cantuariensis. 650.

Libro Pœnitentiali cap. 6. Vasa sacra manibus proprijs abluito, & abstergito.

Cap. 11. Ne quis ligneo, aut vitreo calice audeat Missam cantare.

Cap. 12. Ne qua fœmina ad altare Domini accedat, nec calicem Domini contingat.

Concilium Bracarense Tertium. 674.

Cap. 2. Etenim quod & auditu horribile, & visui execrabile iudicatur, relatum est nobis, quòd quidam sacerdotum sacrilega temeritate præcipites, vasa Domini in proprios vsus assumant, epulasque sibi in eis comedendas apponant. Quod malum & obstupescentes deflemus, & deflentes obstupescimus, vt illic humana temeritas sibi epulum præparet, vt sanctum Spiritum cognoscitur aduocasse: & ibi esum carnium crapulatus assumat, vbi diuina visus est celebrasse mysteria: & in quibus tantùm sibi offerri Sacramenta pro expiatione delictorum præcepit, in his expleat voluntatem ludibrij sui. Et ideo huius de cætero præsumptionis persona, quæ sciendo diuina vasa vel ministeria, aut in vsus suos transtulerit, aut comedere in his, vel poculum sibi sumendum elegerit, gradus sui, vel officij periculum sustinebit, ita tamen, vt si de secularibus fuerit, perpetua excommunicatione damnetur: si verò religiosus, ab officio deponatur.

Beda. 700.

Anglicana hist. lib. 2. cap. 20. Attulit quoque secum vasa pretiosa Eduini Regis perplura, in quibus & crucem magnam auream, & calicem aureum consecratum ad ministerium altaris, quæ hactenus in Ecclesia Cantij conseruata monstrantur.

Gregorius Tertius. 731.

Epistola ad Bonifacium: In Missarum solennijs obseruandum est, quod Dominus noster Iesus Christus sanctis suis tribuit discipulis. Accepit namque calicem, & dixit eis: *Hic est calix noui Testamenti in meo sanguine: hoc facite, quotiescunque sumitis.* Vnde congruum non est, duos vel tres calices in altario ponere, cùm Missarum solennia celebrantur.

Alcuinus. 750.

De officiis Ecclesiasticis capite de Cœna Domini: Eodem die vasa Domino sacrata purificantur.

Carolus Magnus. 780.

Lib.1. Legum cap. 71 Vasa sacrata Deo cum magna veneratione habeantur.

Cap.94. De sacris vasis Ecclesiæ, quæ in pignus à nonnullis in quibusdam locis dari comperimus, inhibitum est, ne deinceps à quoquam fieri præsumatur, nisi solummodò necessitate redimendorum captiuorum compellente.

Concilium Rhemense. 813.

Apud Burchardum lib.3.cap.97. Expleta Missa calix cum patena, & Sacramentorum liber cum vestibus sacerdotalibus in mundo loco sub sera recondantur.

Æmoinus. 827.

De gestis Francorum lib.2. cap.8. Sanè in thesauris, quos Childebertus auexit ab Hispaniis, reperta sunt Ecclesiastici vtensilia ministerij ex vasis, quæ dicunt fuisse Salomonis, sexaginta pretiosissimi calices, quindecim patinæ, viginti capsæ Euangeliorum. Quæ omnia, cùm solido fabricata essent auro gemmisque ornata opere inclusorio, Rex tamen integer ab eorum cupiditate (vt erat largissimus) cuncta diuersis præbuit Ecclesiis.

Cap.20. In qua Basilica Rex non minimam vasorum partem, quæ eum à Toleto asportasse memorauimus, cum capsis Euangeliorum, cruces quoque mirifici operis, aliaque deuotus excellentissima contulit munera.

Walafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap. 24. Vasa quoque, quibus præcipuè nostra Sacramenta imponuntur, & consecrantur, calices sunt, & patenæ. Calix dicitur à Græco κύλιξ, patena à patendo, quod patula sit. Ampulla quasi parum ampla. Zephyrinus Romanus Pontifex patenis vitreis Missas celebrare constituit. Tum deinde Vrbanus omnia ministeria sacrata fecit argentea, & patenas. In hoc, sicut & in reliquis cultibus, magis ac magis per incrementa temporum decus succreuit Ecclesiæ. Bonifacius Martyr & Episcopus interrogatus, si liceret in vasis ligneis Sacramenta conficere, respondit: Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur: nunc è contra, lignei sacerdotes aureis vtuntur calicibus, &c.

Amalarius Treuirensis. 830.

De Ecclesiasticis officiis lib.3. cap.27 Acolytus inuolutam linteo tenet patenam, Subdiaconus nudam. Vnde liquidò apparet, quòd consecrata vasa à consecratis clericis meritò debeant tantummodò attingi. Hoc denique sacerdos expressit, quando reuersus est de Babilone, & vasa sancta sanctis commendauit, dicens: *Separaui de principibus sacerdotum duodecim.* Et paulò post: *Appendiq. eius argentum, & aurum, & vasa consecrata domus Dei nostri.* Et iterum: *Et dixi, Vos sancti Domini, & vasa sancta, & argentum, & aurum, quod sponte oblatum est Domino Deo patrum nostrorum. Vigilate & custodite.*

Concilium Aquisgranense. 837.

Libro 2. cap.22. Balthasar pro eo, quòd vasa Domini sibi adferri iussit, vt in eis biberet, quæ vtique postea ad imperium Cyri templo Domini sunt restituta, & regno priuari, & morte meruit mulctari: quid putas de illis erit, qui non solùm sancta vasa, verùm & iam alias Deo sanctificatas res suis vsibus applicant? Quapropter obseruandum est illis, ne, quod absit, & præsentis & futuræ vitæ subeant mortem.

Hincmarus. 840.

In vita S. Remigij. Sed & versibus metricis, ab ipso compositis, & iussione illius in quodam vase, ab eo consecrato, sculptis ita legimus.

Hauriat hinc populus vitam de sanguine sacro
Iniecto, æternus quem fudit vulnere Christus:
Remigius reddit Domino sua vota sacerdos.

quod vas vsque ad nostra tempora perdurauit, donec fusum in redemptionem datum est Christianorum, vt à ministris diaboli Normannis redimeret pretium argentei calicis, quos de potestate tenebrarum redemerat effusus sanguis Christi, videlicet passionis.

Paschasius Rathbertus. 880.

Libro de corpore & sanguine Domini cap. 21. Propter quod & mos bene inoleuit, vt sanguis Christi nunquam in catino, nunquam in cratere, neque in alio vase, quàm in calice consecretur. Sed neque alio nomine, vt fieri solet in aliis quibusque vasis, nisi semper iuxta proprietatem linguarum calix vocatur, vt exinde omnibus calix passionis Christi ad memoriam reducatur. Ex quo nimirum calice, id est, ex eadem morte, sanguis, & per sanguinem vita hauritur æterna.

Synodus Triburiensis. 895.

Cap. 18. Vasa quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, calices sunt, & patenæ. De quibus Bonifacius Martyr & Episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere, respondit: Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur: nunc è contra lignei sacerdotes aureis vtuntur calicibus. Zepherynus patenis vitreis Missas celebrari constituit. Vrbanus deinde omnia ministeria sacrata fecit argentea. In hoc enim, sicut & in reliquis cultibus, magis ac magis per incrementa temporum decus succreuit Ecclesiarum. Nostris enim diebus, qui serui patrisfamilias sumus, ne decus matris Ecclesiæ imminuatur, sed magis cumuletur & amplificetur: statuimus, vt deinceps nullus sacerdos sacrum mysterium corporis & sanguinis Christi in ligneis vasculis vllo modo conficere præsumat, ne vnde placari debet, inde irascatur Deus.

Petrus Damianus. 1050.

Tractatu de Ordine Eremitarum, & facultatibus eremi fontis Auellani: Calices quoque duos argenteos pulcherrimè deauratos hac nobis ratione prouidimus, & cùm sacra Dominici corporis & sanguinis mysteria vultis accipere, stannum, vel quodcunque vilius metallum vestris labiis nequaquam adhibere sit necesse. Conspicua nihilominus sancto altari tegmina, & celebrandis Missarum solenniis pretiosa contulimus ornamenta.

Anselmus. 1080.

Libro de diuersitate Sacramentorum: Tutius puto, vt calix, ne musca, aut aliud indecens in illum caderet, quod sæpè accidisse cognoscimus, operiatur, quàm discoopertus contingentibus immunditiis exponatur.

Adamus Canonicus. 1090.

Lib.4.cap.4. Hæc sunt munera, quæ misit Rex ad reædificationem Hamburg. Tres calices aureos, in quibus erant libræ auri 10. vnum vas Chrismale argenteum, thuribula, & candelabra argentea, dorsalia nouem, regalia, & alia multa.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epistola 233. Quæsiuisti, quid mihi significare videatur calicis eleuatio, & eiusdem repositio: quid significent illæ consignationes, quæ fiunt super calicem, & intra, & extra. Cùm panis & calix adhibito Diacono eleuatur, exaltatio Christi corporis in cruce cõmemoratur: cùm verò cum hostia

iam consecrata, intra, vel supra calicem, signum crucis imprimitur, à latere calicis Orientali vsque ad Occidentalem, & à Septentrionali vsque ad Australem, hoc figurari intelligimus, quod ante passionem Dominus discipulis suis prædixit in commendationem suæ passionis: *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Hostia quoque, quæ iuxta calicem consignatur, sic debet esse posita, vt sua & calicis positione dextrum Christi latus repræsentet, de quo manauit sanguis redemptionis, & aqua baptismatis, quæ vtraque in calice contineri prudentia vestra non ignorat.

Hildebertus Cennomanensis. 1100.

De officio Missæ:

Hinc leuat & calicem, signatq́, nec ante reponit,
Quàm super auctoris verba retractet ita.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis libro 2. parte 4. cap. 17. Ara crucem significat, calix sepulchrum, patena lapidem, Corporalis palla sindonem, qua inuolutum est corpus Christi.

Stephanus Eduensis. 1180.

De Sacramento altaris cap. 5. Subdiaconi vasa, in quibus consecratio corporis & sanguinis Dominici fit, portant. Vnde sermo propheticus ad istos dirigitur: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Ad designandum eorum officium dat eis Episcopus patenam, & calicem. Esa. 52.

Innocentius Tertius. 1200.

Libro 5. mysteriorum Missæ capite 10. Per calicem passio designatur, secundùm illud, quòd ipse Dominus ait: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* Matt. 26. Duæ verò cruces, quas signat sacerdos in latere calicis, designant duo Sacramenta, quæ de latere Domini profluxerunt, videlicet aqua regenerationis, & sanguis redemptionis. Corporale autem desuper calicem remouetur, quia velum templi scissum est à summo vsque deorsum.

Alexander Alesius. 1230.

Parte 4. quæstione 10. membr. 5. articulo 2. §. 5. Non licet consecrare in calice lapideo: quia solummodò licet consecrare in vasis factis ex triplici metallo, scilicet ex auro, argento, & stanno.

Concilium Oxoniense. 1260.

Capite de ornamentis Ecclesiæ: Ad exemplum Salomonis, qui omnia vasa domus Domini, ex auro purissimo fabricata, diuino cultui mancipauit, statuimus, vt quælibet Ecclesia calicem habeat argenteum, cum alijs vasis decentibus.

Conradus Episcopus. 1260.

In Chronico Moguntinensi: Erant Moguntiæ calices argentei duodecim, omnes deaurati, eiusdem ponderis cum patenis, scilicet de tribus marcis, dempto calice, qui pertinebat ad maius altare, & is cæteros dimidia marca præcellebat: cuilibet calici erant speciales ampullæ argenteæ, & pixis argentea ad hostias deputata. Præter hos calices erant tres auri: in vno horum poterat celebrari, qui etiam suas habuit ampullas, & pixidem ad hostias ex auro purissimo & margaritis, & peram ad Corporalia filis aureis insertis miri operis & decoris. Habebant etiam calices alij suas peras ad Corporalia ex purpura, & aurifrigijs ornatas. Erant fistulæ quinque ad communicandum argenteæ deauratæ. Erant colæ argenteæ nouem, per quas vinum poterat colari, si necesse fuisset: præter eam, quæ attinebat calici aureo, & hæc aurea erat. Hoc aureo calice solus Pontifex vel Prælatus Ecclesiæ maioris, in summis festiuitatibus, vtebatur. Alij duo calices tantæ erant quantitatis, quòd cum ipsis diuina mysteria nequaquam poterant celebrari. Erat enim vnus maior altero. Minor habebat cum patena marcas auri electissimi 18. in cuius pede per circuitum pretiosi erant lapides valde, & in patinæ circuitu limbus eiusdem operis ambiebat, & ipse quidem gemmis pretiosis non carebat. Calix maior quot marcas auri habuerit nescio: certum autem est, quòd spissitudo eius erat digiti, & per totum, tam in pede, quàm supra, gemmis erat pretiosissimis adornatus. Habebat idem calix duas ansas, quæ poterant manus replere leuantis, sicut solent habere mortarij, in quibus piperata & salsa præparantur. Huius patena talis erat latitudinis & spissitudinis, quod ipsi congruebat, & ipsa gemmis per circuitum decorata: hic calix habebat altitudinem vnius vlnæ, & capere poterat dimidium sextarium vini, nec ab omni homine poterat leuari à terra commodè.

Guilhelmus Durandus. 1280.

In Rationali diuinorum libro 1. cap. 6. Quid si calix consecratus deauretur, nunquid est reconsecrandus? Cùm propter hoc calicis forma non mutetur, idē calix manet. Quare reconsecrādus non est, sicut & Ecclesia reparata, quoniam eadem manet.

Martinus Polonus. 1320.

De anno 1162. Anastasius Quartus dedit Ecclesiæ Lateranensi calicem pulchri operis pondo viginti marcarum.

De anno 1192. Innocentius dedit vniuersis Ecclesijs in Roma vnam libram argenti, pro singulis calicibus earum, non habentium calices argenteos, tali tamen pacto, quòd eos vendere non possent.

Guido Carmelita. 1340.

Heresi 21. Armeniorum: Sancta Romana Ecclesia propter reuerentiam pretiosissimi sanguinis Christi vtitur calicibus materia pretiosis, scilicet de auro, vel argento. Non enim terreis est vtendum, propter fragilitatem, & periculum, ne ex fractione sanguinis species cadant, & dispergantur. nec ligneis, propter porositatem, ne species sanguinis ligneos poros subintrent.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica libro de Sacramento Eucharistiæ: Calix repræsentat sepulchrum seu sepulturam Christi, & debet esse de auro, & argento, vel stanno. De ære verò, vel orichalco esse non debet, propter eorum rubiginem, quo prouocat ad vomitum.

PROBANT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Epistol. 2. Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur. Quoniam non licet ea, quæ in sanctuario fuerunt, malè tractari, sed incendio vniuersa tradantur. Cineres quoque in baptisterio inferantur. Nemo per ignorantiam clericus palla mortuum credat obuoluendum, &c. Palla & vela, quæ in sanctuarij sordidata fuerint ministerio, Diaconi cum humilibus ministris iuxta sacrarium lauent, non eijcientes foras à sacrario velamina Dominicæ mensæ, ne fortè puluis Dominici corporis malè decidat à syndone foris abluto, & erit hæc operanti peccatum.

Polycrates. 190.

Epistola ad Victorem: His accedit Ioannes, qui super pectus Domini recubuit, qui laminam auream gestauit, qui Martyr & Doctor extitit, qui tandem Ephesi morte consopitus occubuit.

Origenes. 230.

Homilia vndecima in cap. 20. *Leuit.* Inuenimus & vasa ministerij sancta vocitata, & vestimenta sancta dici, & loca nihilominus, quæ in vrbibus, vel suburbibus posita sunt, & sacerdotibus deputata, &c. super vestimentis etiam stola Pontificis Aäron, & tunica linea, & cætera huiusmodi vestimenta, sancta dicuntur. Similiter & vestimenta, quæ sancta nominantur, non iubentur intra domum vsui deseruire Pontificis, sed in templo esse, & inde omnino nunquam efferri, sed ad hoc tantùm consecrata esse, vt eis Deo ministrans Pontifex induatur, & sint semper in templo, ad cæteros verò vsus communes vtatur communibus indumentis.

Methodius. 260.

Libro Reuelationum: Quicquid fuerit in Ecclesijs siue aureum, siue argenteum, siue lapides pretiosi, & omnia ornamenta earum, & indumenta etiam sacrata, vel præclara, & quidquid pretiosum erit, illorum erit, scilicet infidelium, in vltimis temporibus.

Synodus Nicæna Prima. 325.

Canone 63. *ex Arabico translato:* Vt sit in vnaquaque Ecclesia procurator, & cum eo alij, qui curam habeant prouentuum, & redituum Ecclesiæ, & deinde villarum, & sementis, & sumptuum, & vasorum auri & argenti, & vestimentorum, & ornamentorum Ecclesiæ.

Athanasius. 340.

Epistola ad Marcum P. Ariani in tantum nostra vastauerunt, vt nec libros, nec vestimenta Ecclesiastica, aliaque ornamenta, nec reliqua vtensilia nobis dimitterent.

Concilium Laodicense. 360.

Canone 22. Ministrum oportet orario vti.

Canone 23. Oportet Lectores & Psalmistas orarijs vti, & sic legere, aut psallere.

Basilius Magnus. 370.

In Liturgia: Primùm Patriarchæ cum sequentis ordinis clero Ecclesiasticis vestimentis induto offeruntur in sacrario ab oblationarijs mundatæ & compositæ oblatæ à populo susceptæ.

Amphilochius. 370.

In comparatione S. Basilij & Ephrem: Conspiciebat ipsum stola amictum candida, sacrumque electum Diaconum circa ipsum albis indutum, ac obseruantem eum.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione prima, quæ inscribitur Apologeticus: Illud insuper scio, ne corporum quidem labes in sacerdotibus aut sacrificijs à censura immunes extitisse, verùm legibus ita comparatum fuisse, vt perfecti perfecta offerrent, ne sacerdotalem stolam, aut vas aliquod sacrum cuiuis attingere licuisse. Num. 4.

Ioannes Chrysostomus. 400.

In Liturgia: His ita peractis, signum dat Diaconus cùm orarij sui stola Lectoribus, mox psallere incipiunt: *Sancte Deus, &c.*

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 1. *epist.* 136. Linteum illud, cum quo Diaconi in sanctis mysterijs munus suum obeunt, humilitatem Domini, qui discipulorum pedes lauit, & extersit, nobis in memoriam redigit. Id autem amiculum, quod Episcopus humeris gestat, atque ex lana, non ex lino contextum est, ouis illius, quam Dominus oberrantem quæsiuit, inuentamque humeris suis sustulit, pellem designat. Episcopus enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque adeò etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.

Sozomenus. 440.

Libro 4. *cap.* 24. Cùm fames agrum Hierosolymitanum occuparet, multitudo rebus ad victum necessarijs destituta, ad Cyrillum, vtpote Episcopum, opis implorandæ causa confugit. Cui cùm pecuniæ ad eam sublevandam non suppeterent, thesaurum Ecclesiæ, & sacra aulæa vendidit. Quare confecta, fama est quendam animaduertisse mulierem scenicam monumento pretioso, quod ipse Ecclesiæ donauerat, amictam esse, curiosè ab ea quæsiuisse, vnde illud haberet? comperisse mercatorem ei vendidisse, mercatori autem Episcopum.

Theodoretus. 450.

Ecclesiast. histor. lib. 2. *cap.* 27. Aiebat Acacius sacram stolam ex aureis filis contextam, quam excellentissimus Imp. Constantinus ad Hierosolymitanam Ecclesiam cohonestandam Macario illius vrbis Episcopo donauerat, vt ea amictus sacrosancti baptismatis ministerium obiret, Cyrillum vendidisse, hancque mercatum esse quendam eorum, qui in pulpito scenæ cantare solent, eam induisse, inter saltandum lapsum esse, & casu obtritum interijsse.

Iustinianus Imp. 530.

L. Sancimus C. de sacris Eccles. Sancimus nemini licere sacratissima atque arcana vasa, vel vestes, cæteraque donaria, quæ ad diuinam religionem necessaria sunt, (cùm etiam veteres ea, quæ diuini iuris sunt, humanis nexibus non illigari sanxerint) vel ad venditionem, vel hypothecam, vel pignus trahere, excepta causa captiuitatis & famis, si in locis his (quod abominamur) contigerit. Nam si necessitas fuerit in redemptionem captiuorum, tunc & venditionem præfatarum rerum diuinarum, & hypothecam, & pignorationes fieri concedimus. Quoniam non absurdum est, animas hominum quibuscunque vasis vel vestimentis præferri.

Cyrillus Eremita. 540.

In vita S. Euthymij. Cùm autem ipsi iam aduenissent, diuiniore quadam contemplatione magnus correptus Euthymius, colloquebatur & disserebat cum Anastasio, tanquam cum Patriarcha Hierosolymorum. Atque, qui aderant, quidem omnes admirabantur: Chrysippus verò ipse quoque obstupefactus, & ad aurem se inclinans Euthymij:

Sed non est apud nos, inquit, Patriarcha, ô venerande Pater. Hic autem est sacrorum vasorum custos Anastasius. Vides quisnam sit eius vestitus? ostendens eius vestes. Ex autem erant splendidæ & sericeæ: quas quidem, inquit, non est fas Hierosolymorum Patriarcham induere. Cùm aliquo autem tempore se repressisset senex, & veluti ad se rediisset: Sed mihi crede, fili, inquit, hunc vidi candida veste indutum, & quali decet indui Patriarcham.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

In Theoria: Stola sacerdotalis est ad exemplum thalaris Aaron, id est, vestimentum, quod sacerdotale est, indumentum ad pedes vsque honorabilissimum, &c. Zonis sacerdotes deambulare in casulis, id significat Christum in crucem abeuntem ita gestasse crucem suam. Tunica, quæ alba est, diuinitatis splendorem indicat, & sacerdotis splendidam conuersationem, &c. Zona, qua præcingitur, declarat maiestatem, qua Christus regnans magnifica dignitate diuinitatis præcinctus est, & vndique ornatus. Casula denotat coccineam purpuram, quam Iesu illudentes gestandam impij dederunt. Est etiam stola baptismi. Humerale est Pontificis, ad exemplum stolæ Aaron, quam gestabant legales Pontifices, sudarijs longis, læuo humero circumponentes, ad significandum iugum mandatorum Christi. Humerale autem, quo Episcopus circundatur, significat ouis pellem, quam errantem cùm Dominus inuenisset, super suis humeris assumpsit, & cum eis, qui non errauerant, recensuit.

Ignatius Nicænus. 820.

In vita S. Tarasij: Tarasius sacra veste se induens proficiscebatur in adytum.

Simeon Metaphrastes. 950.

Vitæ S. Artemij cap. 12. Iulianus emisit Orientis Rectorem, quem vocant Comitem, iubens, vt res quidem Ecclesiarum vexaret & perderet, vbique autem & omni ratione gentilium errorem augeret & extolleret. Ille igitur cùm venisset Antiochiam, Ecclesijs quidem aufert quæcunque habebant pretiosa, tam in argento & auro, quàm in sericis vestimentis.

Nicetas Choniates. 1200.

In Andronico Comneno: Eo consilio ab omnibus approbato, & commodis pacis vtraque manu amplexis, Nicolaus Pontifex Nicænus sacra veste indutus, & diuinis oraculis in manus sumptis sacerdotes & omnem vrbanam multitudinem se sequi iussit, sine vllis armis supplices frondes manibus gestantes, submissa voce misericordiam postulantes.

Nicephorus Callistus. 1300.

In dedicatione operis ad Andronicum Palæologum: Quis porrò eloquatur, quàm præstantibus & varijs sacris vestibus puro auro pretiosisquè & resplendentibus lapillis & margaritis ornatis, nihil planè ad magnificentiam reliqui faciens, hierarchiam seu Episcopatum nostrum illustraueris? Per quæ omnia incredibilis, plurimumque flagrans, tuus in Ecclesiam Christi amor & desiderium magnoperè declaratur.

Georgius Codinus. 1400.

De Officialibus palatij Constantinopolitani fol. 130. Dominica adorationis crucis, astante circumstatione pro consuetudine dierum festorum, sub finem Archidiaconus cum Psaltis adfert crucem ab Ecclesia palatij, gestans tum consuetum suum manipulum, tum insuper etiam penulam, non tamen etiam collarium, sed orarium.

Emanuelus Malaxus. 1570.

Histor. Eccles. lib. 2. cap. 25. de Hieremia: Fecit sacros ad vsus multarum crucium pallia, sticharia, horaria, vasa item argentea decore insignia, quibus vestiti & ornati Sacerdotes, & Diaconi, quando extra sacrarium prodeunt, thronumquè illum sublimem circumeūt, & capita sua precum recitatione inclinant, similitudinem diuinorum Angelorum referunt.

Liturgia Æthiopum.

Post initium: Ante omnia Sacerdos dicit orationes sequentes pro Ecclesia, & altari, & indumentis eorum: *Dominus Deus noster, &c.* Finita oratione vestit altare, & præparantur omnia ad sacrificium.

Liturgia Armeniorum.

Sacerdos vestitus ante altare inclinatus dicit confessionem.

PROBANT PATRES LATINI.

Anacletus. 84.

Epistola prima: In solennioribus diebus, aut septem, aut quinque, aut tres Diaconos, qui Episcopi oculi dicuntur, & Subdiaconos, & reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis, in fronte, & à tergo, & Presbyteri è regione dextera læuaquè contrito corde, & humiliato spiritu, & prono stent vultu, custodientes eum à maleuolis hominibus, & consensum eius præbeant sacrificio.

Pius. 147.

Epistola 2. ad fratrem Iustum: Tu verò apud senatoriam vrbem Viennensem eius loco à fratribus constitutus, & colobio Episcoporum vestitus vide vt ministerium, quod accepisti, in Domino impleas.

Soter. 163.

Epistola secunda: Sacratas Deo fœminas vel Monachas sacra vasa, vel sacratas pallas penes vos contingere, & incensum circa altaria deferre perlatum est ad Apostolicam Sedem: quæ omnia reprehensione plena esse, nulli rectè sapientium dubium est.

Stephanus Primus. 255.

Epistola prima cap. 3. Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, cultusquè diuinus omni cum honorificentia & honestate à sacerdotibus reliquisquè Ecclesiæ ministris celebratur, & sacrata debent esse, & honesta. Quibus alijs in vsibus (cùm Deo eiusquè seruitio consecrata & dedicata sint) nemo debet frui, quàm Ecclesiasticis & Deo dignis officijs. Quæ nec ab alijs debent contingi, aut ferri, nisi à sacratis hominibus, ne vltio, quę Balthasar Regem percussit, super hæc transgredientes, & talia præsumentes, veniat diuina, & corruere eos faciat diuinæ vltionis iustum flagellum ad ima.

Synodus Romana. 320.

Cap. 6. Vt Diaconi non essent plus vel amplius per parochiarum examen, nisi duo, & Diaconi Cardinales vrbis Romæ septem, ita tamen vt dalmaticis vterentur, & pallia linostimia læuam eorum tegerent.

Optatus Mileuitanus. 370.

Libro 1. contra Parmenianum: Erant Ecclesiæ ex auro & argento quam plurima ornamenta, quæ Felix Diaconus nec defodere terra poterat, nec comportare.

Libro 6. Quis fidelium nescit in peragendis mysterijs ipsa ligna linteamine cooperiri? Inter ipsa Sacramenta velamen potuit tangi, non lignum, &c. Velamina & instrumenta Dominica extorsistis, quæ iam dudum fuerant in communione possessa. Extorsistis cum codicibus pallas: iudicio superbiæ vestræ vtraque arbitrati estis polluta. Nisi fallor, hæc purificare properastis: lauistis proculdubio pallas.

Ambrosius. 370.

Oratione funebri de obitu fratris Satyri: Ne vacuus mysterij exiret è vita, quos initiatos esse cognouerat, ab his diuinum illud fidelium Sacramentum poposcit. Etenim ligari fecit in orario, & orarium inuoluit in collo, atque se deiecit in mare, non requirens de nauis compage resolutam tabulam, cui supernatans iuuaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat.

Damasus. 380.

Libro Pontificali: Stephanus constituit Sacerdotes & Leuitas vestibus sacratis in vsu quotidiano non vti, nisi in Ecclesia tantùm. Syluester constituit, vt sacrificium altaris non in serico, neque in panno tincto consecraretur, nisi tantùm in lineo ex terra procreato, sicut corpus Domini nostri in sindone linea munda sepultum fuit.

Hieronymus. 390.

Epistola 3. ad Heliodorum cap. 5. Erat sollicitus (*Nepotianus*) si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pauimenta tersa, si ianitor creber in porta, vela semper in ostijs, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, & in omnes cæremonias pia solicitudo disposita non minus, non maius negligebat officium.

Cap. 6 Apprehensa auunculi manu, hanc, inquit, tunicam, qua vtebar in ministerio Christi, mitte dilectissimo mihi ætate patri.

Libro 1. aduersus Pelagianos cap. 9. Quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem? si Episcopus, Presbyter, & Diaconus, & reliquus ordo Ecclesiasticus in administratione sacrificiorum cum candida veste processerint?

Ad cap. 44. Ezechielis: Per quę discimus, non quotidianis & quibuslibet pro vsu vitæ communis pollutis vestibus nos ingredi debere in sancta sanctorum, sed munda conscientia, & mundis vestibus tenere Domini Sacramenta, &c. Vestibus lineis vtuntur Aegyptij sacerdotes, non solùm intrinsecus, sed & extrinsecus. Porrò religio diuina alterum habitum habet in ministerio, alterum in vsu vitaq; communi.

Augustinus. 400.

Quæstionum veteris & noui Testamenti quæst. 46. Sed hinc, inquiunt, videtur Sacerdos fuisse Samuel, quia vestitus erat Ephod, quasi non hodie Diaconi dalmaticis induantur, sicut Episcopi.

Concilium Carthaginense Quartum. 400.

Cap. 41. Vt Diaconus tempore oblationis tantùm, vel lectionis Alba vtatur.

Paulinus Nolanus. 410.

Natali 3.

Aurea nunc niueis ornantur limina velis,
Clara coronantur densis altaria lychnis.

Victor Uticensis. 480.

De persecutione Vandalica libro primo: Proculus Vandalus rapaci manu cuncta depopulabatur, atq; de pallis altaris (proh nefas) camisias sibi & fœmoralia faciebat. Qui tamen Proculus, huius rei executor, frustatim sibi comedens linguam, in breui turpissima consumptus est morte.

Concilium Ilerdense. 524.

Apud Gratianum de Consecrat. dist. 4. Omnis Presbyter ad Corporale lauandum, & ad pallas altaris propria habeat vasa, in quibus nihil aliud fiat.

Felix Quartus. 526.

Epistola prima: Qualiter autem hæc facta sint, & quomodo ipsa sacra non alij: quàm sacerdotes sacra vnctione delibuti, Dominoqúe cum vestibus sanctis sacrati, & Leuitæ tractabant, ferebant, erigebant, & deponebant, in Lege Domini reperitur, &c. Si Iudæi, qui vmbræ legis deseruiebant, hæc faciebant: multò magis quibus veritas patefacta est, & gratia & veritas per Christum data est, templa Domino ædificare & (prout melius possumus) ornare, eaq; diuinis precibus, & sanctis orationibus cum altaribus, & vasis, & vestibus quoque, & reliquis ad diuinum cultum explendum vtensilibus deuotè ac solenniter sacrare debemus.

Concilium Aruernense. 535.

Cap. 3. Obseruandum ne pallis, vel ministerijs diuinis, defunctorum corpuscula obuoluantur.

Cap. 5. De opertorio Dominici corporis, seu palla altaris, nunquam sacerdotis corpus, dum ad tumulum euehitur, obtegatur: quia sacro velamine vsibus suis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluuntur.

Iunilius Africanus. 540.

De partibus diuinæ Legis lib. 2. cap. 17. Typis accidũt quædam ante Legem, vt Abel à fratre occisus Christi passionem præfigurabat, &c. quædam verò sub Lege, vt ipsius Mosi mors, & Iesu gloria: quædam verò sub gratia, vt baptizatorum indumenta, & sacerdotum vestes, & Dominici corporis participatio, & singula alia.

Concilium Bracarense Primum. 572.

Cap. 27. Item placuit, quia in aliquantis huius prouinciæ Ecclesijs Diaconi absconsis infra tunicam vtuntur orarijs, ita vt nihil differre à Subdiacono videantur, vt de cætero superposito scapulæ (sicut decet) vtantur orario.

Cap. 29. Item placuit, vt Lectores in Ecclesia ordinati, in habitu seculari non psallant.

Concilium Matisconense. 580.

Cap. 6. Archiepiscopus sine pallio Missas dicere non præsumat.

Faustus. 580.

In vita D. Mauri: Ille lachrymis perfusus, atque in oratione prostratus, postquam diutissimè orauit, stolam, cum qua eodem anno ordinatus ad ministerium fuerat Leuiticum, & quam iuxta morem gratia sanctitatis primo indesinenter ferebat anno, de sanctissimo collo suo protulit, &c.

Isidorus Hispalensis. 600.

De diuinis Officijs lib. 2. cap. 8. Leuitæ altari albis induti assistunt, vt cælestem vitam habeant, candidiq; ad hostias & immaculati accedant, mundi scilicet corpore, & incorrupti pudore.

Concilium Antisiodorense. 614.

Cap. 12. Non licet mortuis nec Eucharistiam, nec osculum tradi, nec velo vel pallis corpora eorum inuolui.

Cap. 37. Non licet mulieri manum suam ad pallas Dominicas mittere.

Concilium Toletanum Quartum. 643.

Cap. 39. Si oraria duo nec Episcopo induere quidem licet, nec Presbytero, multo minus Diacono, qui minister eorum est. Vnum ergo orarium oportet Leuitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est, prædicat. Dextram autem partem oportet habere liberam, vt expeditius ad ministerium sacerdotale discurrat. Caueant ergo

amodò Leuitæ gemino vti orario, sed vno tantùm, & puro, nec vllis coloribus aut auro ornato.

Concilium Bracarense Tertium. 674.

Cap. 2. Sub hac quoque damnationis sententia & illi obnoxij tenebuntur, qui Ecclesiastica ornamenta, vela, vel alia quælibet indumenta, atque etiam vtensilia, sciendo in suos vsus transtulerint, vel alijs donanda vel vendenda crediderint.

Cap. 3. Cùm antiqua & Ecclesiastica nouerimus institutione præfixum, vt omnis sacerdos, cùm ordinatur, orario vtroque humero ambiatur, scilicet, vt qui imperturbatus præcipitur consistere inter prospera & aduersa, virtutum semper ornamento vtrobique circumseptus appareat: qua ratione tempore sacrificij non assumit, quòd se in Sacramento accepisse non dubitat? Proinde modis omnibus conuenit, vt quod quisque percepit in consecratione honoris, hoc retineat & in oblatione vel perceptione suæ salutis, scilicet, vt cùm sacerdos ad solennia Missarum accedit, aut per se Deo sacrificium oblaturus, aut Sacramentum corporis & sanguinis Christi sumpturus, non aliter accedat, quàm orario vtroque humero circumseptus, sicut & tempore ordinationis suæ dinoscitur consecratus, ita vt de vno eodemque orario ceruicem pariter & vtrumque humerum premens, signum in suo pectore præparet crucis.

Theodorus Cantuariensis. 650.

Libro Pœnitentiali cap. 13. Corporale mundissimum sit.

Beda. 700.

Hist. Anglicana lib. 1. *cap.* 29. Papa misit Augustino Episcopo vniuersa, quæ ad cultum erant ac ministerium Ecclesiæ necessaria: vasa videlicet sacra, & vestimenta altarium: ornamenta quoque Ecclesiarum, & sacerdotalia, vel clericalia indumenta.

Ad Marci cap. 16. Hinc Ecclesiæ mos obtinuit, vt sacrificium altaris non in serico, neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus Domini in syndone munda sepultum est, iuxta quod in gestis Pontificalibus à Syluestro legimus esse statutum.

In Collectaneis cap. de septem Ordinibus: Bene etiam orationi conuenit orarium, conueniens officio vestimentum.

Synodus Francica. 740.

Decreuimus quoque, vt Presbyteri, vel Diaconi, non sagis laicorum more, sed casulis vtantur ritu seruorum Dei.

Alcuinus. 750.

De diuinis Officijs capite 38. *quid significent vestimenta:* Per zonam designatur discretio omnium virtutum. Orarium, id est, stola, dicitur eò, quòd oratoribus, id est, prædicatoribus concedatur. Admonet illum, qui eo induitur, vt memor sit sub iugo Christi, quod leue & suaue est, esse se constitutum. Dalmatica ob hoc dicitur, eò quòd sit in Dalmatia reperta. Vsus autem Dalmaticarum à B. Syluestro institutus est: nam antea colobijs vtebantur. Colobium verò est vestis sine manicis: significat autem in eo, quòd est sine manicis, vnumquemque fidelem exercitatum esse debere ad bona opera exercenda, &c. Casula, quæ super omnia indumenta ponitur, significat charitatem, quæ alias virtutes excellit.

Carolus Magnus. 790.

Libro primo Legum cap. 152. Vt Presbyteri per parochias suas fœminis prædicent, vt linteamina altaribus præparent.

Libro sexto cap. 169. Vt Sacerdotes stolas portent, propter signum castitatis, sicut decretum est.

Concilium Rhemense. 800.

Apud Burchardum libro 3. *cap.* 20. Nullus Presbyter absque amictu, alba, stola, fanone, & casula vllatenus præsumat Missas celebrare.

Cap. 97. Expleta Missa calix cum patena & Sacramentorum liber cum vestibus sacerdotalibus in mundo loco sub sera recondantur.

Concilium Moguntinum. 813.

Cap. 28. Presbyteri sine intermissione vtantur orarijs, propter differentiam sacerdotij dignitatis.

Æmoinus. 825.

Historia Francorum lib. 4. *cap.* 33. Dagobertus Rex Dionysij templum condidit. Nec minor illi in alijs quoque ornatibus intentio. Nam vestibus auro textis, & pallijs holosericis totum interiorem circundedit templi ambitum.

Hincmarus. 830.

In vita Caroli Magni: Vestimentorum sacerdotalium tantam Aquisgrani in templo copiam procurauit: vt in sacrificijs celebrandis ne ianitoribus quidem, qui vltimi Ecclesiastici ordinis sunt, priuato habitu ministrare necesse fuisset.

Amalarius Fortunatus. 830.

De Ecclesiasticis officijs lib. 2. *cap.* 15. Primò notandum est, ita esse clericorum habitum constitum in Ecclesiasticis officijs, vt in omnibus Christiano populo exemplum possit præbere bonæ conuersationis.

Cap. 17. Amictus est primum vestimentum nostrum, quo collum vndique cingimus: in collo est namque vox, ideoque per collum loquendi vsus exprimitur. Per amictum intelligimus custodiam vocis, de qua Psalmista dicebat: *Dixi, custodiam vias meas, vt non peccem in lingua mea: posui ori meo custodiam.*

Cap. 18. Postea camisiam induimus, quam Albam vocamus, de qua Hieronymus de veste sacerdotali ad Fabiolam: Secunda ex lino tunica, est poderis, id est, talaris. Et in sequentibus: Hæc adhæret corpori, & ita arcta est, & strictis manicis, vt nulla omnino in veste sit ruga, & vsque ad crura descendat.

Cap. 19. Casulam, quæ est generale indumentum sacrorum ducum, ante cæteras vestes, quæ sequuntur, præponimus. In illis, quæ supra prætulimus, castigatio corporis à vitijs designatur, excepto in scandalijs. In sequentibus verò opera iustitiæ demonstrabuntur.

Cap. 20. Stolam accipit Diaconus, quando ordinatur ab Episcopo. Ipsa enim semper vtitur in opere ministerij. Per stolam designatur onus leue ac suaue, de quo Dominus dicit: *Tollite iugum meum super vos.*

Cap. 21. Dalmatica à Syluestro Papa instituta est. Per Dalmaticam intelligimus religionem sanctam & immaculatam, quæ est apud Deum & Patrem, vt visitentur pupilli & viduæ. Ipsa Dalmatica duas coccineas lineas habet retro, similiterque in anteriori parte. Quia vetus & nouum Testamentum rutilant dilectione Dei & proximi.

Lib. 3. *cap.* 19. Interim ponitur sindon in altare. Sindone, quam solemus Corporale appellare, admonetur omnis, scilicet populus, & ministri altaris, nec non & sacerdos, vt sicut linteum illud castigatum est ab omni naturali viriditate & humore: ita sit mens offerentium ab omni carnali cupiditate: & sicut illud nitet suo splendore, ita intentio offerentium niteat simplicitate coram Deo.

Rabanus Maurus. 850.

Libro primo de institut. Cleri cap. 15. *& sequentibus:* Primum indumentum est Ephod bad, quod interpreta-

terpretatur superhumerale lineum, quod significat munditiam bonorum operum. Secundum est, linea tunica, quæ Græcæ ποδήρης, Latinè talaris dicitur, eò quòd ad talos vsque descendat. Cùm constet lino vel bysso continentiam & castitatem significari, strictam habent lineam sacerdotes, cùm propositum continentiæ non eneruiter, sed studiosè conseruant. Tertium vestimentum cingulum est, siue balteum, quo vtuntur, ne tunica ipsa defluat, & gressum impediat, hoc nimirum custodiam mentis significat. Quartum verò, mappula, siue mantile, sacerdotis indumentum est, quod vulgo phanonem vocant, quod ob hoc eorum tunc manibus tenetur, quando Missæ officium agitur, vt paratos ad ministerium mensæ Domini populus conspiciat. Quintum quoque est, quod orarium dicitur, licet hoc quidam stolam vocent. Hoc enim genere vestis solummodò eis personis vti est concessum, quibus prædicandi officium est delegatum, &c. Sextum est Dalmatica, quæ in modum crucis est facta, & passionis Domini indicium est, &c. Septimum sacerdotale indumentum est, quod Casulam vocant, Græci planetam nominant, hæc supremum est omnium indumentorum, & cætera omnia interius per suum munimen tegit & seruat.

Remigius Antisiodorensis. 880.

De celebratione Missæ: Induit Diaconus Dalmaticam in similitudinem crucis, vt qui minister verbi Christi, passionem illius ad memoriam reuocat. Quòd eadem vestis candiditatem habet, ostendit ministrum Christi candorem castitatis mente simul & corpore debere habere, qui auctoritatem prædicandi Euangelium in Ecclesia retinet.

Osbertus Anglus. 1020.

Vitæ Dunstani cap. 32. Ecce dum casulam, qua inter sacra vestiebatur, deponeret Dunstanus, nec vllus adesset, qui eam susciperet, Deo disponente pependit in aëre, ne cadens in terram seruum Dei à sua turbaret intentione.

Concilium Salegunstadiense. 1020.

Cap. 6. Conquestum est etiam in sancto Concilio de quibusdam stultissimis Presbyteris, vt quando incendium videant, Corporale Dominico corpore consecratum, ad extinguendum incendium temeraria præsumptione in ignem proijciant. Ideoque decretum est sub anathematis indictione, ne vlterius fiat.

Petrus Damianus. 1050.

Epist. 12. cap. 17. Quis, cùm sacerdotalia conspicit indumenta, admiratione dignum illis inesse credat, nisi quid in eis figuraliter innuatur intelligat? At si spiritualis intuitus clarescat, animaduertit, cur sandalia clericorum, qui pedes à terra diuidunt, pedum autem superiora ex parte tegunt, sed ex parte non tegunt. Considerat etiam cur poderis vsque ad talos defluat, cur humerale ex lini semper fiat materia. Scrutatur nihilominus cur in modum crucis sit quadrata dalmatica, cur reliquis indumentis sit superimponenda Casula, cur etiam manipulus in sinistra parte gestetur: quia nimirum spiritualium potius, quàm carnalium oculorum, vel narium pituita detergitur. Nec illud etiam sine causa decernit fieri, cur Diaconus, qui Dalmatica non est indutus, Casula circumcinctus legat: cur etiam ipsa Dalmatica in sinistra sui parte fimbriam habeat.

Ioannes Micrologus. 1070.

De Ecclesiasticis obseruationibus cap. 8. Solis Subdiaconis inter inferiores gradus Romana auctoritas concedit, vt sacris vestibus induti Epistolam legant ad Missam.

Cap. 9. Diaconus tempore oblationis & lectionis alba indutus esse debet.

Hildebertus Cenomanensis. 1100.

De mysterijs Missæ:

Interea veniens sacra cum veste sacerdos,
Altaris dextram, dona daturus, adit.
Vestibus ille sacris tegitur, texit caro Verbum
Tota carens macula, tota sacrata Deo.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de significationibus indumentorum sacerdotalium: De indumentis sacerdotalibus vel de Pontificalibus diligenter considerandum est, quid in moribus sacerdotum significet illa varietas vestium, quid fulgor auri, quid nitor gemmarum, quum nihil ibi debeat esse ratione carens, sed forma sanctitatis & omnium imago virtutum. Sicut enim bona domus in ipso vestibulo agnoscitur; sic Christi sacerdos cultu sacrarum vestium ostendit exterius, qualis apud se esse debeat interius. Ipse autem sacrarum vestium ritus per Mosen cœpit exordium: quamuis Christiana religio plus intenta rebus, quàm figuris sacerdotes suos non omnibus illis veteribus induit ornamentis, &c.

Epistola 52. ad Mathildam Angliæ Reginam: Peto etiam, vt ad imprimendam arctius menti meæ tuæ excellentiæ memoriam, poderem, vel aliquam aliam vestem sacerdotalem paruitati meæ transmittas, qualem deceat & Reginam dare, & Episcopum in celebratione diuinorum Sacramentorum induere.

Rupertus Tuitiensis. 1130.

De diuinis officijs lib. 1. cap. 19. Sacerdos in officio altaris capitis sui, scilicet Christi, cuius membrum est, personam gerit. Qui dum amictu caput suum obnubit, donec super os casulæ illum reuoluat, & velut caput aut coronam illi coaptet: illud est, quod in Apocalypsi legimus: Angelum fortem descendisse de cælo amictum nube.

Lib. 2. cap. 23. Dum auro, & lapidibus, & sericis vestibus honoratur Christus in altaris apparatu, poterat & hoc dari pauperibus: sed non ideo iure ornatus mensæ Domini reprehenditur, cuius habitus dum est incultus, non sine culpa eorum despicitur, qui illam ornare posse videntur.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei lib. 2. parte 4. cap. 10. Hæc sunt, quæ veteribus noua institutio adiecit, stola, quæ alio nomine orarium vocatur, quæ collo Sacerdotis superimponitur, vt eum iugum Domini assumpsisse significet, quæ à collo per anteriora descendens, dextrum latus ornat & sinistrum: vt doceat ipsum per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, id est, in prosperis & in aduersis debere esse munitum.

Bernardus. 1130.

Sermone de Resurrectione Domini: Ad altaris officium nemo accedit in veste communi, sed quisquis accessurus est, albis induitur.

Hildegardis. 1150.

Secund. Scivias visione 6. cap. 47. Sacerdos, qui hoc Sacramentum celebrat, diligenter eis indumentis, quibus antiqui Patres, edocti per Spiritum sanctum, ad idem officium indui constituerunt, vestitus sit.

Helmoldus. 1160.

Lib. 1. Chronicorum cap. 17. Henricus Imperator de optimis pallijs ad ornatum diuini sacrificij fecit casulas plurimas Dalmaticas, & ornauit Ecclesiam. Erat idem Princeps deuotissimus in ornatu domus Dei.

Stephanus Eduensis. 1180.

De Sacramento Altaris cap. 10. Sacerdos celebraturus sa-

tus sacrosanctum mysterium, quod excellit omne Sacramentum, capitis seu Christi in se vices suscipit. Caput eius amictu velatur, in quo diuinitas velata humanitate figuratur. Alba designat gloriam Dominicæ resurrectionis, quam nuntiantes Angeli apparuerunt in vestibus albis. Ideoque induitur veste alba, vt candidatione virtutum ostendatur ornandum esse nouum sacerdotium. Cingulum, quo Alba constringendo renibus coaptatur, mittit nos ad illum Euangelicum sermonem, quo Dominus ad præcingendum lumbos nostros nos cohortatur. Mappula, qua solent siccari stillicidia oculorum, excitat nos ad vigilandum. Stola circumdata collo, ad interiora descendens, significat obedientiam Filij Dei, & iugum seruitutis, quod pro salute humana portauit. Casula vndique integra, vnitatem fidei designat.

Guilhelmus Tyrius. 1180.

Libro 8. cap. 11. Die statuto de publico decreto indictæ sunt vniuerso populo Litaniæ, & assumptis crucibus, & Sanctorum patrocinijs, & Episcopi, & clerus vniuersus induti sacerdotalibus & Leuiticis indumentis nudis pedibus vsque ad montem Oliueti processerunt.

Innocentius Tertius. 1200.

Lib. 1. de mysterijs Missæ cap. 65. Quatuor sunt principales colores, quibus secundùm proprietates dierum sacras vestes Ecclesia Romana distinguit, Albus, rubeus, niger, & viridis. Albis induitur vestimentis in festiuitatibus Confessorum & Virginum. Rubeis vtendum in solennitatibus Apostolorum & Martyrum propter sanguinem passionis, &c. Licet in Apostolorum Petri & Pauli martyrio rubeis vtendum sit: in Conuersione tamen & Cathedra vtendum est albis. Sicut licet in Natiuitate sancti Ioannis sit albis vtendum, in Decollatione tamen ipsius rubeis vtendum est. In commemoratione omnium Sanctorum quidam rubeis vtuntur indumentis, alij verò & in curia Romana candidis. Nigris autem vtendum est in die afflictionis & abstinentiæ pro peccatis, & pro defunctis, ab Aduentu videlicet vsque ad Natalis Vigiliam, & à Septuagesima vsque ad Sabbatum Paschæ. In Innocentium autem die quidam nigris, alij verò rubeis vtendum esse contendunt. Hodie vtimur violaceis, sicut in Lætare Hierusalem, propter lætitiam, quam aureo rosa significat. Romanus Pontifex portat mitram, aurifrigio insignitam; sed propter abstinentiam nigris, imò violaceis vtitur indumentis. Restat quòd diebus ferialibus & communibus viridibus sit indumentis vtendum. His indumentis ornatus Episcopus ad altare procedit.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Feria 5. in Cœna Domini: Sine sacerdotalibus vestimentis, quia non sunt de substantia Sacramenti, posse quis conficere: multum tamen delinqueret, si in vestibus secularibus conficeret.

Bonauentura. 1260.

In expositione Missæ: Sacerdos primò capiti amictum superponit, quod Humerale dicitur, quod vsque ad humeros descendit, & inter consecratas vestes computatur. Postea Albam, & cingulo se cingit: postea manipulum in læua manu sumit: stolam longam collo superponit, & eam cancellatam in pectore ad modum crucis iuxta vtrumque latus cingulo tenus ligamentis applicat. Postea Casulam induit, & sic ad altare procedit. Si quis ex his indumentis per obliuionem aliquid omitteret, grauiter peccaret.

Concilium Oxoniense. 1261.

Capite de ornamentis Ecclesiæ: Ad minus duplicia sint ornamenta sacerdotalia, & vt honor debitus diuinis officijs impendatur præcipimus, vt qui altari ministrant, superpellicijs induantur.

Guilhelmus Durandus. 1280.

In Rationali Diuinorum lib. 3. cap. 1. In quotidiano vsu non est vestibus sacris vtendum, ad notandum quod sicut mutationem habitus secundùm literam facimus, ita & secundùm spiritum agamus. Non ergo cum vestibus communis vitæ vsu pollutis in sancta Sanctorum ingrediamur, sed cum conscientia munda, & vestibus mundis, & sacris Domini Sacramenta tractemus.

Ioannes à Sancto Geminiano. 1310.

Lib. 2. cap. 8. Clericorum & ministrorum Ecclesiæ Christi idonietas significatur in vestibus, quibus scilicet induuntur, quando in Ecclesia ministrant.

Guido Rocherius. 1330.

In manipulo Curatorum tractatu 4. primæ partis cap. 8. Omnes vestes, quas induit sacerdos, debent esse sanctificatæ & benedictæ ab Episcopo. Notandum ergo, quòd illa vestis, quæ primò induitur, scilicet illa parua camisia, vel superpellicium, non est de essentia Missæ in simplici sacerdote, sed solùm de bene esse. Quod dico propter Episcopos & Canonicos Regulares, & Capellanos domini Papæ, quorum est talis habitus. Ergo cum illa parua camisia septem sunt vestes, quibus induitur sacerdos in Missa, scilicet illa camisia, amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, & casula.

Guido Carmelita. 1330.

De Armenijs heresi 21. Si Sacerdotes Leuitici in oblatione sacrificiorum legalium non communibus, sed sacris vestibus induebantur, Exod. 28. longè magis sacerdotes Christi in vero sacrificio & sacratissimo debent sacris vestibus indui, vt obseruat vera Christi Ecclesia Romana & Catholica.

Ioannes Gerson. 1420.

In Compendio Theologiæ cap. de Eucharistia: Quæritur an sine sacris vestibus possit quis celebrare? Si habet intentionem conficiendi conficit, sed mortalissimè, scilicet qui non in debito loco, vel sine sacris vestibus celebrat. Et si posset inueniri, foret degradandus.

Thomas VValdensis. 1420.

Doctrinalis fidei libro 2. titul. 3. cap. 58. Quia sectatores huius hæresis plerunque consecrationes vestium sacrarum blasphemant, notari potest sub compendio, quod in Exodo iubente Domino consummatur: *Cumque, inquit, tuleris de sanguine, qui est super altare, & de oleo vnctionis, asperges Aaron, & vestes eius, & filios, & vestimenta eorum, consecratisque ipsis, & vestibus tolles adipem de ariete, &c.* Hic Exo. 29. ecce ritus incœpit consecrandi vestes sacerdotis. Quòd si has oportuit consecrari, in quibus offerri debuerant animalium carnes, quanto magis reuereri debemus sacrum Christi corpus viuum, & ipsum nisi in sacris vestibus nullatenus consecrare? Vnde Felix Papa, *&c. vt supra.* Per hæc prædicta patet necessitas consecrandi vestes, & vasa ad diuinum cultum vtilia, sine quibus suo modo sacris etiam Pontifices gentilium cruentas idolorum aras, ob reuerentiam quamuis nefandi cultus, adire nefas putabant.

Laurentius Iustinianus. 1430.

Libro 2. de spirituali animæ resurrectione: Vsitatus modus est, vt animalis homo, qui nequit percipere ea, quæ Dei sunt, eleuetur & moueatur per delectabilia sensibus. Hinc est quòd docente Spiritu

ritu sancto instituta sunt sacerdotalia indumenta, ornamenta altarium, vasa aurea, ac ceremoniarum multifarius cultus, quatenus per hæc Catholica commendetur fides, magnifica diuina laus appareat, atque carnalium & infirmorum mentes euigilent, & ex visibilibus discant inuisibilia capere.

Gabriel Bielius. 1480.

Lectione 11. in Canonem Missæ: Sacerdos celebrans Christum eiusq́ue mortem repræsentat, secundùm illud Apostoli 1. Cor. 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Congruum est, vt, qui in persona typum Christi gerit pro nobis morientis, appropiatior fiat repræsentator, & similitudinem teneat in vestimentis, & nostræ salutis armis, &c. Vnde amictus, quo caput tegitur sacerdotis, velamen significat, quo perfidi Iudæi in domo Caiphæ Christi faciem velabant, percutientes, illudentes ac dicentes: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Alba vestem ludicram & albam, qua Christus velut stultus ab Herode illusus remissus est ad Pilatum. Matt. 26. Planeta, siue Casula vestem purpuream repræsentat, qua in Pilati Prætorio post flagellationem à militibus irrisus, contumeliosè salutatus ac percussus, inimicis suis est ostensus, dicente Pilato: *Ecce homo.* Ioan. 19 Zona, manipulus, stola tria ligamina, quibus in captione, in flagellatione, in crucis baiulatione Dominus ligatus legitur, &c.

Synodus Tridentina. 1560.

Sess. 22. Can. 7. Si quis dixerit Cæremonias, vestes & externa signa, quibus Ecclesia Catholica in Missarum celebratione vtitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis anathema sit.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

THVRIS VSVM IN DIVINIS OFFICIIS

IMPROBANT.

Anno post natum Christi. 1200. ALMARICVS *thurificationem, qua Ecclesia vtitur, idololatriam vocabat.* Bernardus Lutzenburgus.

1520. Martinus Lutherus in Formula Missæ: *Sextò sequitur Euangelij lectio, vbi nec candelas, nec thurificationem prohibemus, sed nec exigimus. Esto hoc liberum.*

PROBANT SACRÆ LITERÆ.

Exod. 25. *vers.* 1. Locutusq́ue est Dominus ad Moysen dicens: Loquere filijs Israel, vt tollant mihi primitias: ab omni homine, qui offert vltroneus, accipietis eas. Hæc sunt autem, quæ accipere debetis, Aurum, &c. 6. Aromata in vnguentum, & thymiamata boni odoris.

Exod. 30. 1. Facies quoque altare ad adolendum thymiama, de lignis Setim. 7. Et adolebit incensum super eo Aaron, suaue fragrans manè. Quando componet lucernas, incendet illud: & quando collocabit eas ad vesperum, vret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras. Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius, nec oblationem & victimam, nec libabitis libamina.

Exod. 40. 24. Posuit & altare aureum sub tecto testimonij contra velum, & adoleuit super eo incensum aromatum, sicut iusserat Dominus Moysi.

Leuit. 2. 1. Anima cùm obtulerit oblationem sacrificij Domino, simila erit eius oblatio: fundetq́ue super eam oleum, & ponet thus, ac deferet ad filios Aaron sacerdotis: quorum vnus tollet pugillum plenum similæ & olei, ac totum thus, & ponet memoriale super altare in odorem suauissimum Domino 14. Si autem obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino, de spicis adhuc virentibus torrebis igni, & confringes in morem farris, & sic offeres primitias tuas Domino, fundens super ea oleum, & thus imponens: quia oblatio Domini est, de qua adolebit sacerdos in memoriam muneris partem farris fracti & olei, ac totum thus.

Leuit. 16. 11. His ritè celebratis, offeret vitulum, & rogans pro se & pro domo sua, immolabit eum: assumptoq́ue thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu compositum thymiama in incensum, vltra velum intrabit in sancta: vt positis super ignem aromatibus, nebula eorum & vapor operiat oraculum, quod est supra testimonium & non moriatur.

Numer. 16. 5. Locutusque est *Moyses* ad Core & ad omnem multitudinem: Manè, inquit notum faciet Dominus qui ad se pertineant, & sanctos applicabit sibi, & quos elegerit, appropinquabunt ei. Hoc igitur facite. Tollat vnusquisque thuribula sua, in Core & omne concilium tuum: & hausto cras igne ponite desuper thymiama coram Domino: & quemcunque elegerit, ipse erit sanctus. 36. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Præcipe Eleazaro filio Aaron sacerdoti, vt tollat thuribula, quæ iacent in incendio, & ignem huc illucque dispergat: quoniam sanctificata sunt in mortibus peccatorum: producatque ea in laminas, & affigat altari, eò quòd oblatum sit in eis incensum Domino, & sanctificata sint. 46. Cumque iacerent in terra, dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum, & hausto igne de altari mitte incensum desuper, pergens citò ad populum, vt roges pro eis: iam enim egressa est ira à Domino, & plaga desæuit.

1. *Reg.* 2. 27. Venit autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Nunquid non apertè reuelatus sum domui patris tui, cùm essent in Aegypto in domo Pharaonis? Et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, vt ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret Ephod coram me.

3. *Reg.* 7. 48. Fecitque Salomon omnia vasa in domo Domini: altare aureum, & mensam, super quam ponerentur panes propositionis, auream: & candelabra aurea, &c. 50. & thuribula de auro purissimo.

3. *Reg* 9. 25. Offerebat quoque Salomon tribus vicibus per annos singulos holocausta, & pacificas victimas super altare, quod ædificauerat Domino, & adolebat thymiama coram Domino: perfectumque est templum.

2. *Para.* 26. 16. Cùm roboratus esset *Ozias*, eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum: ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis. Statimque ingressus post eum Azarias sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octaginta, viri fortissimi, restiterunt regi, atque dixerunt: Non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino: sed sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt huiuscemodi ministerium. 19. Iratusque Ozias, & tenens in manu thuribulum, vt adoleret incensum, minabatur sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte eius coram Sacerdotibus, in domo Domini super altare thymiamatis.

Psalm. 140. 2. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.

Isaiæ 60. 6. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes.

Matthæi 2. 1. Ecce Magi ab Oriente venerunt, &c. 11. Et apertis thesauris suis obtulerunt ei (*Domino*) munera, aurum, thus, & myrrham.

Lucæ 1. 8. Factum est autem, cùm sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum, secundùm consuetudinem sacerdotij: sorte exijt, vt incensum poneret, ingressus in templum Domini: & omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi.

Apoc. 8. 5. Et accipit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris.

PROBANT LITVRGIÆ DIVERSarum Gentium.

Liturgia D. Petri.

Oratio Thymiamatis, quando thurificatio peragitur. Deus sancte, & in Sanctis requiescens, lumen habitans inaccessum, ipse Domine tua benigna humanitate conniue ad plurima nostra delicta: & sicut Zachariæ suffitum thymiamatis suscepisti, sic de manibus nostris peccatorum hanc suscipe thurificationem in odorem suauitatis, ac nobiscum fac misericordiam tuam. *Postquam thymiama sparsit, obuelat dona, dicẽs:* Obtexit Domine cælos virtus tua & gloria tua plena est terra. *Tum populo aspergit thymiama. Deinde clara voce Diaconus:* Benedic Domine.

Liturgia D. Iacobi.

Oratio, cùm incenditur thus in ingressu, & principio Missæ: Domine Iesu Christe, Dei Sermo, qui te tua sponte Deo ac Patri victimam irreprehensibilem in cruce obtulisti, duplicis ille naturæ carbunculus, qui forcipe labia Prophetę attigisti, & eius peccata abstulisti, tange & nostros, qui peccatores sumus, sensus, ac nos purga omni macula purosque nos siste sancto altari tuo, vt tibi laudis sacrificium offeramus: & præsentẽ hũc ex nobis inutilibus seruis tuis suffitum recipe, in odorem suauitatis, fœtoremque animæ, & corporis nostri fragrãtẽ redde, & vi illa Spiritus tui sanctificante nos sanctifica: solus enim tu sanctus es, qui sanctificas, & sãctificaris.

Sacerdos dicit orationem cùm incenditur thus in ingressu cõgregationis: Deus qui admisisti Abelis dona, Noë & Abrahami sacrificiũ, Aaronis & Zachariæ thymiama, accipe, quæso, de manibus nostris thus hoc, quod tibi adolemus in odorem suauitatis, nostrorũque peccatorũ remissionẽ, ac totius populi tui.

Liturgia D. Marci.

Sacerdos priusquam Euangelium recitatur, incensum offert, dicens: Incensum offerimus coram sancta gloria tua, quod assumas in sanctum, & super cæleste, & intellectuale tuum altare. Vicissim nobis mittito gratiam sancti tui Spiritus, quia benedictus est, tu quoque gloriam tuam mitte.

Sacerdos incensum offert ad ἱερόθιον, *seu mensã honorarium, & sic orat:* Domine Deus noster, qui nullis rebus eges, suscipe incensum hoc, quod tibi ad indigna manu offertur, tuaque benedictione nos omnes dignare.

Liturgia D. Basilij.

Primùm Patriarchæ cum sequentis ordinis clero Ecclesiasticis vestimentis induto offeruntur in sacrario ab oblationarijs mundatæ & compositæ oblatæ, à populis susceptæ, quas ponit in patenis, & adolens super eas incensum, dicit hâc orationem: *Domine Deus noster, &c.*

Liturgia D. Ioannis Chrysostomi.

Vbi hoc fecerit Diaconus, accipiens thuribulum & incensum, dicit Sacerdoti: Benedic Domine incensum istud. *Et dicit Sacerdos:* Incensum tibi offerimus Christe Deus in odorem suauitatis spiritalis, mitte nobis gratiam Spiritus sancti nunc & semper, Amen.

Diacono autem tenēte thuribulum, sacerdos explicat super thuribulum sancta Corporalia, sacro calici superponenda, quæ dum fumi odore imbuūtur, dicit: *Dominus regnauit, & decorem indutus est, &c.* Et benedicti fumo incensi diffuso super sancta munera, proficiscitur ad sanctam mensam Diaconus, cum sacerdote, &c. Cùm ventum est ad sanctas ianuas cancellorum, ingreditur Diaconus, & dato incenso sancto altari, dat etiam sacerdotibus per ordinem.

Liturgia Æthiopum.

Hic Diaconus in viuorum & defunctorum memoriam effundit incensum, & prosequitur hanc orationem, ponendo ter incensum in thuribulo, dicens, &c. Deinde circum circa altare incensando dicat, &c.

PROBANT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Canon. 3. Apost. Ne licet aliquid aliud ad altare offerre, quàm oleum ad luminare, & incensum tempore sanctæ oblationis.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiast. Hierar. cap. 3 Itaque Pontifex quidem, vbi orationem sanctam super altare diuinum peregit, ex ipso incensum adolere inchoans, omnem fani ambitum circuit.

Hyppolitus. 220.

Orat. de Antichristo. Lugebunt etiam Ecclesiæ luctum magnum quia nec oblatio, nec suffitus fiet.

Basilius Magnus. 370.

Oratione in Gordium Martyrem: Nec erat oblatio vlla, nec thymiama: diuinæ rei nullus iam locus amplius erat relictus.

Euagrius. 600.

Eccles. Hist. lib. 4. cap. 7. Zosimas deinde thuribulum postulat, & toto choro, in quo simul constiterunt, thuris incensi nidore perfuso, se prosternit humi, precibus & orationibus Deum placaturus.

Lib. 5 cap. 21. Signa quoque diuinitus ostentata antegressa sunt, quæ Mauritium Imperatorem fore præsignificarunt. Nam ad multam noctem ei intra sanctuarium templi sanctæ & castissimè Virgini Deiparæ Mariæ dedicati thus incensum offerenti, aulæum sacræ mensæ igne conflagrare visum est, adeò vt ingens admiratio & stupor illum incesserit, visionemq; magnopere extimuerit. Cui astans Gregorius illius vrbis Episcopus, dixit: Visionem cælitus demissam esse, & summum ei splendorem atque eximium portendere.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

In Theoria: Thuribulum indicat humanitatem Christi, ignis diuinitatem: & fragrans fumus illū indicat bonum odorem sancti Spiritus præcedentem. Nam thymiater est, si interpretari velis, fragrantissima lætitia: incensum autem repræsentat aromata illa, quæ offerebant sepeliendo Dominos & myrrha, & thus Magorum pura est precatio bonorum operum, ex quibus fragrantia procedit, vt ait Apostolus: *Christi bonus odor sumus.*

Theophylactus. 900.

Ad cap. 2. Matth. Obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Aurum quidem obtulerunt ei, vt Regi: aurum enim subditi regibus pendunt. Thus autem, vt Deo: Deo enim thus adolemus. Myrrham verò, vt degustaturo mortem.

Simeon Metaphrastes. 970.

In martyrio SS. Indæ & Domnæ cap. 6. Eius præclaræ opes erant duæ storeæ, in nudo solo stratæ, fictile præterea thuribulum, & lucerna, & lignea arcula, in qua reposuerat sacram oblationem, cuius fiebant participes.

De S. Theodosio Cœnobiarcha: Cùm ergo in manus sumpsisset thuribulum, & implesset carbonibus, & deinde absque igne imposuisset suffitum, peruasit solitudinem, labris preces decantans.

Euthymius. 1080.

Ad cap. 2. Matth. Splendor quidam diuinus animas Magorum illustrabat, & hunc manifestabat: propterea obtulerunt ei hæc munera. Aurum siquidem regiæ dignitatis erat symbolum: subditi enim auro tributum regibus pendunt. Thus autem diuinitatis, thure namque Deo adoletur. Myrrha verò mortalitatis.

Ioannes Zonaras. 1100.

Ad Canonem 3. Apost. Præterea permissum est & offerri oleum, vt lumen per hoc accendatur verò lumine. Incensum quoque tempore sanctæ oblationis.

Theodorus Balsamon. 1180.

Ad Canonem 3. Apost. Incensum & oleum propter sacrificium non offertur, sed ad templi illuminationem, & veræ luci & Deo exhibendam gratiarum actionem.

Nicolaus Cabasilas. 1260.

De Liturgia cap. 11. Et hæc dicit, & tegit panem & calicem pretiosis peplis, & vndique suffumigat.

Seuerus Alexandrinus. 1280.

De ritibus Baptismi: Offerimus tibi Domine hunc aromatum suffitum pro seruis illis tuis, qui præparati sunt ad sanctum baptisma tuum, vt in te obsignentur ad vitam, & generentur ad cultum spiritualem.

Philotheus Constantinopolitanus. 1300.

De institutione Diaconi: Præeunte Diacono cum cereo, sacerdos totum templum incendit. At postquam totum templum suffumigauerit, egreditur, & in vestiarium se confert: vbi illic incendens, ingreditur per speciosas portas, & cum cantu exclamat: *Domine miserere.* Rursusque sanctis imaginibus thure aspersis, ingreditur per sanctas portas, & accipiens Diaconus thuribulum, petita à sacerdote benedictione, exit cum ipso sacerdote, præeuntibus Lectoribus duobus cum facibus, & Diacono cum ipsis tenente incensum.

Georgius Codinus. 1400.

De officialibus palatij Constantinopolitani fol. 148. Clausis existentibus Ecclesiæ foribus, suffitum facit Protopapa.

Fol. 154. Imperator vespertinos hymnos audiens, suffitum à Patriarcha accipit ipse, omnesque Principes.

Fol. 198. Ingreditur Imperator cum eis in ascensum sanctum, & accipiens thuribulum, suffitum facit mensæ sacræ, in speciem crucis. Primùm quidem Orientem versus, tum ad Septentrionem, deinde ad Occidentem, postea ad Meridiem. Postmodum verò, cùm ad Orientem iterum suffitum facit, facit ipsi quoque Patriarchæ. Hic verò compellans & accipiens thuribulum de Imperatoris manu, vicissim suffitum Imperatori facit.

PROBANT PATRES LATINI.

Soter. 183.

Epist. 2. Sacratas Deo fœminas vel Monachas sacra vasa, vel sacratas pallas penes vos contingere, & incensum circa altaria deferre perlatum est ad Sedem Apostolicam: quæ omnia reprehensione & vituperatione plena esse nulli rectè sapientium dubium est. Quapropter huius sanctæ Sedis auctoritate hæc omnia vobis resecare funditus, quanto citius poteritis, censemus.

Cyprianus. 250.

De stella & Magis: Quia neminem in conspectu Dei apparere vacuum antiqua lex edocet, præuaricatoribus Legis abeuntibus vacuis, primitiæ gentium Sacramentalia munera proferunt de thesauris, & Domino aurum & odoramenta præsentant, profitentes ex ratione munerum de eo, quem adorabant, quid crederent, quid sentirent. In auro regem, in thure sacerdotem, in myrrha incorruptibilem, quamuis passibilem, profitentur.

Iuuencus. 330.

Historiæ Euangelicæ libro 1. de Magis:

At postquam puerum vidêre sub vbere Matris,
Deiecti prono texerunt corpore terram,
Submissiq; simul mox mystica munera promunt:
Aurum, thus, myrrham: regiq;, hominiq;, Deoq;
Dona ferunt.

Ambrosius. 370.

Ad cap. 1. *Lucæ*: Vtinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus, assistat Angelus, imò præbeat se videndum. Non enim dubites assistere Angelum, quando Christus assistit, quando Christus immolatur.

Damasus. 380.

In Sotere: Hic constituit vt nulla Monacha pallam sacratam contingeret, nec incensum poneret in sancta Ecclesia.

In Syluestro de Constantino: Thymiamateria duo fecit ex auro purissimo, pensantia libras triginta. Donum aromaticum ante altaria singulis annis libras quinquaginta.

Prudentius 380.

Hymno 12. Epiphaniæ:

Vidêre quod postquam Magi,
Eoa promunt munera,
Stratiq; votis offerunt
Thus, myrrham, & aurum regium.
Agnosce clara insignia
Virtutis ac regni tui
Puer ô, cui trinam Pater
Prædestinauit indolem.
Regem, Deumq; annuntiant
Thesaurus, & fragrans odor
Thuris Sabæi, ac myrrheus
Puluis sepulchrum prædocet.

Maximus Taurinensis. 420.

Homil. 3. *de Epiphania*: Magi deferunt munera quæ non tam munera, quàm mysteria probarentur. Offerunt ei aurum. In auro, fratres, ostenditur captiuitatis nostræ pretiosa redemptio. In thure autem & dæmoniorum superstitio cessatura, & futurus veræ religionis cultus aperitur. In myrrha verò, qua exanima solent corpora conseruari, præfiguratur, carnis nostræ reparatio, & resurrectio mortuorum. Hæc autem offerri Christo tam sacrata donaria non Magorum arbitrium, sed inspiratio omnipotentis elegit.

Leo Primus. 450.

Serm. 1. *de Epiphania cap.* 2. Vt Magi sacramentum suę fidei intelligentiæque manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur. Thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt Regi: scilicet diuinam humanamque naturam in vnitate venerantes.

Serm. 4. *cap.* 3. Præter illam stellæ speciem, quæ corporeum incitauit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit, vt priusquam labores itineris inchoarent, eum sibi signari intelligerent, cui in auro Regius honor, in thure diuina veneratio, in myrrha mortalitatis confessio deberetur.

Sedulius. 460.

Libro secundo Paschali:

Ergo alacres summo seruantes lumina cælo
Fixa Magi, fiduq; micans regale secuti,
Optatam tenuêre viam, quæ lege futura
Duxit adorantes sacra ad cunabula gentes,
Thesaurisq; simul pro relligione solutis,
Ipsa etiam vt possent species ostendere Christum,
Aurea nascenti fuderunt munera Regi,
Thura dedêre Deo, myrrham tribuêre sepulchro.

Fulgentius. 500.

Serm. de Epiphania Per ista tria munerum genera in vno eodemq; Christo & diuina maiestas, & regia potestas, & humana mortalitas intimatur. Thus enim ad sacrificium, aurum pertinet ad tributum, myrrha ad sepulturam pertinet mortuorum. Omnia hæc sancta fides Christo veraciter offerre non desinit, dum vnum eundemq; verum Deum, verum regem, verumq; hominem credit, vt verè pro nobis mortuum veraciter recognoscat. In oblatione thuris confunditur Arianus, qui soli Patri sacrificium offerri debere contendit. In oblatione myrrhæ confunditur Manichæus, qui Christum verè mortuum pro nostra salute non credit: In auro verò simul vterque confunditur.

Corippus Grammaticus Africanus. 580.

In laudibus Iustini Iunioris Imp.

Ilicet Angelicus pergens in limina templi,
Imposuit pia thura focis, cerasq; micantes
Obtulit, & supplex lachrymis ita cœpit obortis:
Omnipotens princeps, &c.

Gregorius Magnus. 590.

De Epiphania Homil. 10. Aurum regi cõgruit, thus verò Deo in sacrificium ponitur, myrrha autem mortuorum corpora condiuntur. Eum ergo Magi, quem adorant, etiam mysticis muneribus prædicant, auro regem, thure Deũ, myrrha mortalem.

Isidorus Hispalensis. 620.

Epistola ad Ludifredum: Archidiaconus imperat Subdiaconis & Leuitis, ad quem pertinent ista ministeria: ordinatio vestiendi altaris à Leuitis, cura incensi, & sacrificij necessaria sollicitudo, quis Leuitarum ad populum Euangelium legat, quis preces dicat, seu Responsoria in diebus Dominicis & Solennitatibus decantet. Ad thesaurarium pertinet ostiarij Basilicarum ordinatio, incensi præparatio, cura Chrismatis conficiendi, cura baptisterij ordinandi, præparatio luminariorum in sacrario & sacrificijs.

Ordo Romanus. 730.

Folio 1. Tunc ministri cum thymiamaterio & thuribulis non amplius ternis procedunt ante ipsum, mittentes incensum, & septem Acolyti, portantes septem cereostata foras Ecclesiam accensa, procedunt ante Pontificem, vsque ad chorum. Post thuribula portatur Euangelium propius Episcopo.

Alcuinus. 750.

De diuinis Officijs cap. 38. *quid significent vestimenta*: Procedit in thuribulo thymiama, quod significat corpus plenum odore bono.

Cap. 39. *de celebratione Missæ*: Post oblationem ponitur

nitur incensum super altare, dicente Sacerdote: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.*

Amalarius Treuirensis. 830.

De Ecclesiasticis officijs lib. 3 cap. 18. Deinde ponit Episcopus thymiama in thuribulum super prunas, vt suauem odorem excitet. Thuribulum corpus Christi significat, in quo est ignis, scilicet Spiritus sanctus, ex quo bonus odor procedit, quem vnusquisque electorum ad se vult rapere. Idem odor bonam operationem de Christo exire demonstrat, quam qui viuere vult, in suum cor conijcit &c. Ipsum thuribulum in tribunal ascendit ante Euangelium, vt suauem ibi odorem ministret: Christi enim bona opera praecesserunt Euangelicam doctrinam.

Concilium Rothomagense.

Apud Burchardum lib. 3 cap. 227 Vt tempore, quo Euangelium legitur, finitoq; Offertorio super oblationem incensum, in mortem videlicet Redemptoris nostri, ponatur, decernimus.

Eulogius Toletanus. 880.

In memoriali Sanctorum: Confusi sunt Sacerdotes & ministri altaris: non promit Cantor diuinum carmen in publico, non Lector concionatur in pulpito, non Sacerdos thus infert altaribus. Quia percusso pastore, dispersionem intulit aduersarius gregi Catholico, priuata prorsus Ecclesia omni sacro ministerio.

Petrus Damianus. 1050.

Vita S. Romoaldi cap. 2. Tunc beatiss. Martyr sacerdotalibus infulis mirabiliter exornatus, aureum in manu portans thuribulum, cuncta Ecclesiae incensauit altaria, & hoc facto statim, vnde exierat, redijt.

Ioannes Micrologus. 1070.

De Ecclesiasticis obseruationibus cap. 9. Romanus ordo praecipit, vt incensum semper praecedat Euangelium, cùm ad altare, siue ad ambonem portatur: non autē concedit, vt oblatio in altari thurificetur.

Hildebertus Cenomanensis. 1100.

De officio Missae:

Hac nebula fumi tegitur Leuiticus orans,
Vt pateat nulli, dum thymiama cremat.
Hac prece pro nobis, hac sedulitate precatur
Christus, vt Angelicum transeat intuitum:
Incipit & toto contritus corde, cremansq;
Thuribulo mentis lucida thura precum.

Honorius Augustodunensis. 1120.

In Gemma animae lib. 1. cap. 16. Thuribulum significat corpus Dominicum, incensum eius diuinitatē, ignis Spiritum sanctum: si argenteum, demonstrat ipsius humanitatem omnium sanctitate nitentem: si cupreum, declarat ipsius carnem pro nobis fragilem: si ferreum, significat eius carnem mortuam, in resurrectione mortem superantem.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad cap. 2. Matth. Thus tota quidem illi offert Ecclesia, credens & confitens, quia verè Deus est, & omnis in eo plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat: maximè autem sanctorum ordo sacerdotum, qui propter eum coelibem ducens vitam, semper altari praesto sunt, offerre illi incensum dignum, & omne sanctum iugiter exequi sacri altari eius ministerium.

De diuinis Officijs lib. 1. cap. 29. Ingressus ergo sacerdos, vbi sancto altari assistit, thuribulum ei, qui incensum adoleat, datur in manu. Nam praedictus *Angelus*, sicut in alia periocha Apocalypseos legimus, *stetit iuxta arcam, habens thuribulum aureum in manu sua,* dum in conspectu Ecclesiae ostendit se Dei Filius, habens immaculatum corpus, quod & impleuit igne, quia corporaliter in ipso septiformis Spiritus sancti gratia requieuit. Apoc. 8.

Hugo Victorinus. 1130.

Sermone 36. Thus deuotam significat orationem. Sicut enim thus in thuribulo igne crematum, odorifera fumositate sursum ascendit, ita deuota oratio, in corde flamma charitatis accensa, intima suauitate ad aures diuinitatis pertingit. Thuribulum namque est cor, ignis charitas, thus oratio.

Stephanus Eduensis. 1150.

De Sacramento altaris cap. 12. Tunc sacerdos offert dona, siue libamina cum incenso. Per incensum significatur suauitas, fragrans igne charitatis, &c. Thus in igne, oratio est incensa charitate. Hunc ignem Dei Filius accendit in thuribulo assumptae humanitatis, vt currentes in odore vnguentorum suorum, offeramus ei odorem bonorum operum.

Ioannes Belethus. 1200.

In explicatione diuini officij cap. 161. de celebratione mortuorum: Ad Missam thus offerri non debet, quālibet hoc tempore ita vsu receptum sit. Nam in veteri Lege prohibitum fuit, ne pro peccato offerretur oleum laetitiae, nec thus suauitatis. Vbi enim peccatum, ibi tenebrae, atque isthic non debet esse laetitia, nec suauitas, sed luctus & contritio cordis. Quocirca & exequiae, quas nos facimus, ob mortuorum commissa celebrantur. Animaduerte in Lege Moysi prohibitum fuisse à Domino, ne thymiama boni odoris, vel thus sibi sacrificium aliquis adoleret in vsus suos, vt odore eius frueretur: quod si quis faceret, periret è populo suo. Atque ideo moris est in Ecclesia, vt ad altare benedictum & consecratum thus offeratur: cùm verò descendit thuribulum vel ad clericos, vel ad laicos, vt tum aliud thus sine benedictione vsurpetur, atque hominibus offeratur.

Innocentius Tertius. 1200.

Mysteriorum Missae lib. 2. cap. 16. Episcopus ergo thuribulum accipiens à Diacono, sacrum incensat altare. Quia Christus corpus assumens de genere Prophetarum, factus ex semine Dauid secundùm carnem, suis orationibus fouet Ecclesiam. Quòd autem Diaconus thuribulum recipit, vt incenset Episcopo, moraliter instruit, quod si dignè volumus incensum orationis offerre, thuribulum incarnationis debemus tenere: Nam sine fide mediatoris homines Deo placere non possunt, sed iuxta verbum promissionis illius, si quid petierint, credentes in oratione, accipient. Per thuribulum enim Verbum accipitur incarnatum.

Cap. 17. Praeter mysticam rationem ob hoc etiam incensatur altare, quatenus ab eo omnis daemonis nequitia propellatur. Fumus enim incensi valere creditur ad daemones effugandos. Vnde cùm Tobias interrogasset Angelum, quod remedium haberent ea, quae de pisce iusserat reseruari, respondit: *Cordis eius particulam si super carbones ponas, fumus eius omne genus daemoniorum extricat.* Tob. 6.

Iacobus Vitriacus. 1230.

Historia Occidentalis cap. 34. Dum altare incensatur, qualiter fracto alabastro domus Ecclesiae repleta est ex odore vnguenti memoratur.

Bonauentura. 1260.

In expositione Missae: In festis praecipuis calix, & hostia similiter, & altare cum thuribulo incensantur: per quod significatur, quòd fidelis populus, vnà cum sacerdote, orationes singulas, vel speciales ad Sanctos facere debent, quorum solennitatem specialiter agunt.

Guibertus Tornacus. 1270.

De officio Episcopi cap. 17. Episcopus thus imponit thuribulo, significans Christum, qui orationes nostro inspirat animo, &c. Deinde sacrum incensat altare: per hanc thurificationem significat omnis daemoniacae prauitatis expulsionem. Vnde & fumi

pluris quidam valere ad dæmones effugandos æstimant.

Iacobus Genuensis. 1280.

Sermone de diuino Officio: Sacerdos ante consecrationem thurificat, ad ostendendum, quòd illud sacrificium est, Deo valde odoriferum: vt legitur Ephes.5. *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis.*

Thomas VValdensis. 1410.

Tom.3 tit. 4. cap. 40. Incensum oblationis habet typum, & commemoratio ipsa thuribuli, & oratio terna respondet.

Gabriel Bielius. 1480.

In Canonem Missæ lect.57. Dum thura incendimus ex persona defunctorũ, Christũ vnà cũ Patre & Filio & Spiritu sancto vnũ solũ verũ Deũ adoramus.

-6(*⁎*)9-

ARTICVLVS DECIMVSTERTIVS.

IN SACRIFICIO MISSAE VINVM AQVA MISCENDVM ESSE.

NEGANT.

Anno post natum Christũ

160. HYDROPARASTATÆ *aquam pro vino offerunt.* Theodoretus li.1. hæret. fab.
180. *Tatiani in Sacramentis sola aqua vtebantur.* Epiphanius hæresi 46. Nicetas
600. Choniates lib.4. Orthodoxæ fidei cap.48.
1522. *Armenii in sacrificio vinum non miscent aqua.* Synodus Trullensis Can.32. Nicephorus lib.18. cap.53. Theophylactus ad cap.19. Ioannis.

Martinus Lutherus, libro contra Regem Angliæ scripto anno 1522. *fatuos & stolidos vocat eos, qui peccatum esse putant sine aqua celebrare.* & ibidem sic addit: *Meo sensu melius & tutius foret aquam non miscere vino, cùm sit merum figmentum humanum, & sinistram imò pessimam habet significationem.*

In Formula Missæ, seu Communionis pro Ecclesia VVittenbergensi, anno 1523. edita: *Nondum constitui mecum miscendane sit aqua vino: quamquam huc inclino, vt merum vinum paretur absque aqua mixtura.*

1550. VVolffgangus Musculus in Locis Communibus cap. de Cœna Domini: *Improbamus vsum illum, quo aqua vino in calice admiscetur à Papistis, idq́; non libera obseruatione quod ferri posset, sed vsque adeò necessaria, vt eos damnent, qui solo vino absque aqua vtuntur, &c. Non dubito in Orientalibus regionibus, vbi fortissima vina crescunt, catholicum fuisse morem infusa aqua vim vini nonnihil infringere. Ex eo tamen non debebant ponere legem Ecclesiis, & vsum vulgarem mysticis expositionibus palliare, & damnare eos, qui sine aqua mixtione communicant.*

1560. *Petrus Richerius Caluinista* (referente Nicolao Villagagnonio lib.1. contra articulos quosdam Caluinianos cap.73.) *affirmat esse hæreticos, blasphemos, sacrilegos, falsarios, qui vino Cœnæ aquam admiscent, quod ad puritatem Euangelii adiiciant sua commenta: & à Caluino se hæc omnia didicisse fatetur.*

ASSERVNT LITVRGIÆ DIVERSArum Ecclesiarum.

Liturgia Diui Petri.

Quando commiscet sanguinem & aquam dicit: Vnus militum lancea latus eius pupugit, & exiuit sanguis & aqua, mundi salutis scaturigo.

Liturgia D. Iacobi.

Deinde accipit calicẽ, & dicit: Similiter postquam cœnauit, accipiens calicem, & permiscens ex vino & aqua, & aspiciens in cælum, ac ostendens, tibi Deo & Patri gratias agens, sanctificans, benedicens, implens Spiritu sancto, dedit discipulis suis, dicens, &c.

Liturgia D. Marci.

Similiter & calicem postquam cœnauit accipiens, factaq́; vini & aquæ commixtione, suspiciens in cælum, gratias egit.

Liturgia D. Clementis.

Constitut. apost. lib. 8. cap. 12. Similiter & calicem, postquam miscuit ex vino & aqua, & sanctificauit, dedit discipulis, dicens: *Hic est sanguis meus.*

Liturgia D. Basilii.

Iterum secretè: Similiter & calicem de genimine vitis accipiens, miscens, gratias agens, benedicens, sanctificans, dedit discipulis suis, dicens: *Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus.*

Anaphora D. Basilii.

Similiter autem & calicem vini postquam cœnauerunt accepit, miscuitq́; aquis, gratias egit, benedixit, sanctificauit, & gustauit, & diuisit discipulis suis & Apostolis sanctis, dicens, &c.

Liturgia D. Ioannis Chrysostomi.

Interprete Erasmo: *Ad infusionem vini dicit sacerdos:* Et vnus militum lancea latus aperuit, & exiuit sanguis: (*& addens aquam dicit,*) & aqua.

Liturgia Æthiopum.

Oratio, quando ponitur vinum & aqua in calice à Diacono: Christe Deus noster, &c.

ASSE-

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Iustinus Martyr. 160.

Oratione ad Antoninum Pium: A precibus finitis nos inuicé osculis salutamus. Deinde ei, qui fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ & vini: quibus ille acceptis, laudem & gloriam rerum vniuersarum Patri per nomen Filij & Spiritus sancti offert, & gratiarum actionem, pro eò quòd nos hisce donis suis dignatus sit, prolixè exequitur.

Irenæus. 180.

Lib.4.cap.57. Quomodo autem iustè Dominus, si alterius patris existit, huius conditionis, quæ est secundùm nos, accipiens panem, suum corpus esse confitebatur, & temperamentum calicis suum sanguinem confirmauit?

Lib.5 cap.1. Quando ergo mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi.

Philo Carpathius. 400.

In Cantica: *Potabo te in vino aromatico.*) Ob id in Sacramento vinum miscetur aquæ, quæ vnà cum sanguine ex latere eius effluxit, vt Christo populos fide & charitate iungendos daretur intelligi.

Ad illa verba: *Vmbilicus tuus crater tornatilis.*) Cùm dicit: *Nunquam carens temperamento, vel mixto,* manifestum est de sacerdotali dignitate intelligi: quæ quidem in tam diuino, & tam salutari sacrificio, & tam ineffabili Sacramento nunquam caret vero corpore & sanguine Iesu Christi, cui populus per fidem charitatemq; miscetur, id quod per aquam illam, quam sacerdos vino miscet in calice, apertissimè docetur.

Proclus Constantinopolitanus. 440.

De ordinatione diuinæ Liturgiæ: Per has igitur preces Spiritus sancti aduentum exspectabant, vt eius diuina præsentia propositum in sacrificium panem & vinum aqua permixtum, ipsum illud corpus & sanguinem Saluatoris nostri Iesu Christi efficiat.

Theodoretus. 450.

Dialogo 1. In mysteriorum traditione Christus corpus panem appellauit, & sanguinem id, quod in calice infusum & commixtum.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

In Theoria: Vinum declarat sanguinem ex latere Christi fluxum. Est autem & mysticum vinum, quod dedit discipulis in Cœna. Aqua verò demonstrat eam, quæ fluxit ex latere Christi. Vinum simul & aqua, sunt egressi ex latere eius sanguis & aqua, quemadmodum ait Propheta: *Panis ei dabitur ad cibum, & aqua ei ad potum potabilem.*

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib.4. cap.14. Quemadmodum naturaliter panis per cibus, & vinum & aqua per potum, in comedentis ac bibentis corpus ac sanguinem immutantur, corpusq; alterum fiunt, atque à priore ipsius corpore diuersum: sic præpositionis panis & vinum & aqua per sancti Spiritus inuocationem & aduentum mirabili modo in Christi corpus & sanguinem vertuntur, nec sunt duo, sed vnum & idem.

Samonius Gazensis. 730.

De corpore & sanguine Christi: Christus, cùm sit omnipotens, misericors, clemens, & benignus, noluit nos à se separari: sed perinde atque filios suos secum esse per participationem & communicationem huius panis & vini & aquæ: eò quòd res istæ familiarius naturæ nostræ congruant, quæ in corpus ipsius mutantur & sanguinem diuina virtute.

Theophylactus 900.

Ad cap.19. Ioannis: Confundantur Armenij, qui non admiscent in mysterijs aquam vino. Non enim credunt (vt videtur) quòd aqua ex latere egressa sit, (quod admirabilius) sed sanguis tantùm. Et hoc loco destruūt magis miraculum. Itaque sanguis symbolum hominis crucifixi: aqua verò, quòd is fit super hominem, hoc est, Deus.

Nicolaus Methonensis. 1140.

Ad eos, qui hæsitant de corpore & sanguine Domini: Quid requiris causam & ordinem naturæ panis transmutationis in Christi corpus, & aquæ viniquè in sanguinem, cùm supra naturam, rationem, mentem, & cogitationem ex Virgine sit natus?

Theodorus Balsamon. 1160.

In Synodi Carthaginensis Canonem 40. Quia nec solus sanguis ex latere Domini effluxit, sed etiam aqua: propterea vino, quod offertur, aqua etiam commiscetur.

Nicetas Choniates. 1200.

Lib.4. Orthod. fidei cap.18. Neque verò à reliquis impietatibus Tatiani alienum est, quòd in mysticis sacris aqua vteretur, cùm Dominus institutionem suam panis & vini oblatione definierit, vt ex eiusdem latere non aqua solùm, sed sanguis etiam ita defluxerit, vt Deum nullatenus dedecuerit, posteaquam in Dei Patris manum spiritum commendauit.

Nicolaus Cabasilas. 1280.

De Liturgia cap. 8. Infundens quidem in sacrum calicem vinum, & statim aquam, subiungit illud: *Et exijt sanguis & aqua.*

Nicephorus Callistus. 1300.

Libro 18. cap.53. Armenij diuina faciendo vinum aqua non temperatum adhibent, vnam ea in re in Christo naturam designantes, neque sicuti nos calicem miscent, per quam mixtionem duarum naturarum vnionem declaramus.

Marcus Ephesius. 1450.

De corpore & sanguine Christi: Similiter & calicem ex vino & aqua temperatum sanctificauit, deditquè discipulis, dicens: *Bibite ex eo omnes. Hic est sanguis meus.*

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Responso primo cap.7. Christus nouum tradidit sacrificium, dum primò panem fregit, discipulis distribuit, eumq; corpus suum nominauit: deinde poculum suum cum eis communicauit, plenum vino & aqua commistis: quam mixturam ipsum suum proprium sanguinem pronunciauit.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Alexander Papa. 110.

Epistola 1. In Sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solennia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, vt eius, cuius corpus & sanguis conficitur, passio celebretur: ita vt repulsis opinionibus superstitionum, panis tantùm & vinum aqua permixtum in sacrificio offerantur. Non debet enim (vt à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet) in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permixtum: quia vtrumque ex latere eius in passione sua profluisse legitur.

Anicetus. 150.

Apud Burchardum lib. 5. cap. 29. & apud Iuonem parte 2. cap. 32. Panes, quos Deo in sacramentum offertis, aut à vobismetipsis, aut à vestris pueris coram vobis nitidè & studiosè fiant, ac diligenter obseruetur, vt panis & vinum & aqua, sine quibus Missæ nequeunt celebrari, mundissimè atque studiosè tractentur, nihil in eis vile fit, nihil non probatum inueniatur, iuxta illud, quod ait Scriptura: *Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.*

Cyprianus. 250.

Libro 2. epist. 3. *Epistola 63.* Admonitos autem nos scias, vt in calice offerendo Dominica traditio seruetur, neque aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecerit: vt calix, qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur.
Ioan. 15. Nam cùm dicat Christus: *Ego sum vitis vera,* sanguis Christi non aqua est vtique, sed vinum. Nec potest videri sanguis eius, quo redempti & viuificati sumus, esse in calice: quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur, qui Scripturarum omnium sacramento ac testimonio prædicetur, &c. Dominus aduenient baptismi & calicis manifestauit veritatem, qui aquam illam fidelem, aquam vitæ æternæ præcepit credentibus in baptismo dari: calicem vero docuit exemplo magisterij sui vini & aquæ coniunctione misceri, &c. Quando in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium ples ei, in quem credidit, copulatur, & coniungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, vt commixtio illa non possit ab inuicem separari, &c. Sic autem in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine Christo. Quando autem vtrumque miscetur, & adunatione confusa sibi inuicem copulatur, tunc Sacramentum spiritale & cœleste perficitur. Sic verò calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi vtrumque sibi misceatur: quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi vtrumque adunatum fuerit, & copulatum.

Iulius Papa. 336.

De consecratione dist. 2. Calix Dominicus, iuxta Canonum præcepta, vino & aqua permixtus debet offerri: quia videmus populum in aqua intelligi, in vino ostendi sanguinem Christi. Ergo cùm in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur, & iungitur. Quæ copulatio & iunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, vt mixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi esse incipit sine nobis: si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Et ideo nulli deinceps licitum sit, aliud in sacrificijs diuinis offerre, nisi, iuxta antiquorum sententiam, Conciliorum, panem tantùm & calicem vino & aqua permixtum.

Ambrosius. 370.

Lib. 4. de Sacramentis cap. 4. Ergo didicisti, quòd ex pane corpus Christi fiat, & quòd vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cælestis.

Cap. 5. Ante verba Christi calix est vini & aquæ plenus: vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, qui plebem redemit.

Libro 5. cap. 1. In calicem mittitur vinum, & quid aliud? aqua. Sed tu mihi dicis: Quomodo ergo Melchisedech panem & vinum obtulit; Quid sibi vult admixtio aquæ? Rationem accipe. Primò omnium figura, quæ ante præcessit tempore Moysi, quid habet? Quia cùm sitiret populus Iudæorum, & murmuraret, quòd aquam inuenire non posset, iussit Deus Moysi, vt tangeret petram de virga. Tetigit petram, & petra vndam maximam fudit, sicut Apostolus ait: *Bibebant autem de consequenti petra: petra autem erat Christus.* 1. Cor. 10 Non immobilis petra, quæ populum sequebatur. Et tu bibe, vt te Christus sequatur. Vide mysterium. Moyses, hoc est Propheta: virga hoc est, verbum Dei. Sacerdos verbo Dei tangit petram, & fluit aqua, & bibit populus Dei. Tangit ergo sacerdos calicem, redundat aqua in calice, salit in vitam æternam, & bibit populus Dei, qui Dei gratiam consecutus est.

In Liturgia: *Oblatio vini aqua mixti in calice.* Suscipe clementissime Pater hunc calicem aqua mixtum, vt fiat Vnigeniti tui sanguinis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Hieronymus. 390.

In Quæstionibus Hebraicis super Paralip. Et notandum, quòd vinum, quod Deo in sacrificium offerebatur, aqua mixtum erat.

Ad Marci cap. 14. Accepit Iesus panem, & formans sanguinem suum in calicem, vino & aqua mixtum, vt alio purgemur à culpis, alio redimamur à pœnis.

Concilium Carthaginense Tertium. 396.

Cap. 24. In Sacramentis corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aqua mixtum.

Augustinus. 400.

Lib. 4. de doctrina Christiana cap. 21. Beatus Cyprianus submisso dicendi genere vtitur in eo libro, vbi de Sacramento calicis disputat. Soluitur quippe ibi quæstio, in qua quæritur, vtrum calix Dominicus aquam solam, an etiam vino mixtam habere debeat.

Tractatu 120. in Ioannem: *Latus eius aperuit, vnde exiuit sanguis & aqua.* Vigilanti verbo Euangelista vsus est, vt non diceret, latus eius percussit, aut vulnerauit, aut quid aliud, sed *aperuit*: vt illic quodammodo vitæ ostium panderetur, vnde Sacramenta Ecclesiæ manauerunt, sine quibus ad vitam, quæ vere vita est, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum: aqua illa salutare illud temperat poculum. Hæc & lauacrum præstat, & potum.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Homilia quinta de Pascha: Hoc itaque Dominici sanguinis vinum aqua esse miscendum, non solùm traditione Dominus, sed etiam genere passionis ostendit, ex cuius sacro latere sanguis & aqua lanceæ illisione profluxit.

Gennadius Massiliensis. 480.

De dogmatibus Ecclesiasticis cap. 75. In Eucharistia non debet pura aqua offerri, vt quidam sobrietatis falluntur imagine: sed vinum aqua mixtum: quia & vinum fuit in redemptionis nostræ mysterio, cùm dixit: *Non bibam amodò de genimine vitis.* Matt. 26 & aqua mixtum, non quòd post cœnam dabatur, sed quòd de latere eius lancea perculsio aqua cum sanguine egressa, Ioan. 19. vinum de vera eius carnis vite cum aqua expressum ostenditur.

Concilium Aurelianense Quartum. 547.

Cap. 4. Nullus in oblatione sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur aqua mixtum offerre præsumat: quia sacrilegium iudicatur aliud offerri, quàm quod in mandatis sacratissimus Saluator instituit.

Martinus Bracarensis. 570.

De Græcorum Synodo cap. 55. Non oportet aliud in sanctuario offerri præter panem, & vinum, & aquam, quæ in typo Christi benedicuntur: quia dum in cruce penderet, de corpore eius sanguis effluxit, & aqua: hæc tria sunt vnum in Christo Iesu.

Concilium Antisiodorense. 614.

Cap. 8. Non licet altario in sacrificio diuino mellitum, quod mulsum appellant, nec vllum aliud poculum extra vinum cum aqua mixtum offerre.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Ecclesiasticis officijs lib. 1. *cap.* 18. Proinde, vt sanctissimus Cyprianus ait, Calix Dominicus vino aqua mixtus offertur: quia videmus in aqua populum intelligi, in vino ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur, & iungitur.

Concilium Bracarense Tertium. 674.

Cap. 1. Calix Dominicus vino aqua permixtus debet offerri: quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò ostendi sanguinem Christi.

Beda. 700.

Ad caput 14. *Marci*: Quia & nos in Christo, & Christum in nobis manere oportet, vino Dominici calicis aqua miscetur. Attestante enim Ioanne, aquæ populi sunt. Et neque aqua solam, neque solum vinum, sicut nec granum frumenti solum sine aquæ admixtione & confectione in panem licet cuipiam offerre, ne talis videlicet oblatio quasi caput membris secernendum esse significet: & vel Christum sine nostræ redemptionis amore pati potuisse, vel nos sine illius passione saluari, ac Patri offerri posse confingat.

Alcuinus. 750.

De diuinis officijs cap. 39. *de celebratione Missæ*: Sciendum est, quòd eundem calicem Dominici sanguinis nisi mixtum aqua offerre non liceat. Quia vinum fuit in redemptionis nostræ mysterio, cùm ait: *Non bibam amodò de genimine vitis huius*: & de latere eius aqua cum sanguine egressa, vinum de vera eius carnis vite cum aqua expressum ostendit.

Haymo. 820.

In passionem Domini secundùm Marcum: Quia & nos in Christo, & in nobis Christum manere oportet, vinum Dominici sanguinis aqua miscetur. Attestante enim Ioanne, aqua populi sunt, & neque aquam solam, neque solum vinum, sicut nec granum frumenti solum sine aquæ admixtione & confectione in panem cuiquam licet offerre: ne talis oblatio quasi caput à membris secernendum esse significet.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap. 16. Vnde consultè à maioribus statutum est, ne vinum in sacrificio sine aquæ admixtione offeratur, vt videlicet per hoc indicetur, populos, qui secundùm Ioannem aquæ sunt, à Christo, cuius sanguis in calice est, diuidi non debere. Ergo nec vinum sine aqua, nec aqua sine vino offertur: quia nec Christus aliter, quàm pro populo suo passus est, nec aliter populus, quàm per passionem Christi, potest saluari.

Amalarius Treuirensis. 830.

De officijs Ecclesiast. lib. 3. *cap.* 19. Diaconus aquam miscet vino, cur hoc faciat Cyprianus monstrat, dicens: Quando autem in calice, &c. *vt sup. ex Cypriano.* Populus offert vinum, cantores aquam. Sicut vinum, & aqua vnum fiunt in calice, sic populus & cantores in corpore Christi.

Christianus Drutmarus. 830.

Ad cap. 26. *Matth.* Quia autem aqua miscetur in Sacramento sanguinis eius; per aquam populus suus ostenditur, pro quo mori voluit. Et neque vinum sine aqua, neque aqua sine vino. Quia sicut ipse pro nobis mortuus est, ita & nos pro ipso, vel pro fratribus nostris, quod est Ecclesia, mori debemus. Vnde & de corpore suo sanguis & aqua exiuit.

Rabanus Maurus. 850.

De instit. Cleri lib. 1. *cap.* 31. Nec enim in Sacramentis aliud offerri licet, nisi quod Dominus ipse constituit, & suo exemplo facere nos docuit. *Quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, &c.* Ergo panem infermentatum, & vinum aqua mixtum in Sacramentum corporis & sanguinis Christi sanctificari oportet.

Concilium VVormatiense. 868.

Cap. 4. Præter panem & vinum cum aqua mixtum aliud offerri nō debet. Calix enim Dominicus vino & aqua permixtus debet offerri.

Paschasius Ratbertus. 880.

De corpore & sanguine Domini cap. 11. Planè aqua in sanguine quare misceatur, dum in natali calicis factum fuisse à Christo non legitur, illa permaximè causa est, quia de latere Christi, vbi passio compleretur, sanguis pariter & aqua manauit. Quod rectè mysterium Apostoli plenè intelligentes, faciendum in calice censuerunt: vt nihil deesset nobis in hoc Sacramento ad commemorationem passionis, quod tunc extitit in cruce in consummationem nostræ redemptionis. Nam postquam emisit spiritum, veniens vnus militum lancea latus eius aperuit, vnde, quasi de vno fonte, manauit sanguis & aqua. Ioan. 19.

Remigius Antisiodorensis. 880.

Commentario de actione Missæ: Sciendum verò, quòd calicem Dominici sanguinis, iuxta obseruationem Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ, traditum nisi mixtum aqua offerre non licet. Quia vinum fuit in redemptionis nostræ mysterio, cùm ait: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis*: & de latere eius, quod lancea transfixus est, aqua cum sanguine egressa, vinum de vera carnis eius vite cum aqua expressum ostendit. Matt. 26. Ioan. 19.

Concilium Triburiense. 895.

Cap. 19. Alexander successor Euaristi dixit: Non debet in calice Domini aut vinum solùm, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permistum: quia vtrumque ex latere eius profluxit. Cuius rei veritatem in hac sancta Synodo confitemur, credimus, & confirmamus, ne vllus sine commixtione vini & aquæ mysteria sacra conficiat: sed vt duæ partes sint vini: quia maior est maiestas sanguinis Christi, quàm fragilitas populi: tertia aquæ, per quam intelligitur infirmitas humanæ naturæ.

Ioannes Micrologus. 1070.

De Eccles. obseruationibus cap. 10. Alexander Papa constituit, vt panis tantùm, & vinum aqua mixtum in sacrificio Domini offeratur.

Anselmus. 1080.

Ad caput 9. ad Hebræos: *Aqua & sanguine*: Quia ex latere Christi non solùm sanguis, sed aqua etiam exiuit. Vnde & mos est aquam in sancto calice misceri vino, quod in Missa consecrandum est.

Hildebertus Cennomanensis. 1100.

De mysterijs Missæ:

Admixtum vino laticem miraris, at ipsum
Grande Sacramentum est, nec ratione vacat.
Vnda fluens homo prateriens, ea mixta Lyæo
Est Christo Christi sanguine iunctus homo.
Diuidit vnitos vel aquam, vel vina ministrans,
Et caput à membris separat ipse suis.

Praeterea nil fons sine sanguine, nil sine fonte
Sanguis, vtrumque simul saluat, vtrumque sacrat.
Cùm rimaretur pe... viscera Christi
Lancea, manauit sanguis & vnda simul.
Sicut vtrumque simul fluxit, simul offer vtrumque:
Vnum deme, crucis non imitaris opus.

Samuel Marrochianus. 1100.

De Aduentu Messiae cap.20. Quid Domine panis & vinum mixtum, nisi sacrificium de pane & vino & de aqua, quod fit in altari?

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De diuinis officijs lib. 2. cap. 21. Alexander ad consecrationem Eucharistiae instituit, quòd sicut de latere crucifixi Domini effluxit sanguis & aqua: sic aqua vino misceatur in ipsa consecratione, nec vinum sine aqua, nec aquam sine vino debere offerri decernens.

Berngosius Abbas. 1120.

Sermone de laude & inuentione S. Crucis: Et ideo, sicut in ipsa sanctae matris schola didicimus, in sacrificium Domini nec vinum solum, nec aqua sola: sed vtrumque potius miscetur.

Hugo Victorinus. 1130.

Quest.91.in priorem ad Corinthios: Quaeritur, cur aqua cum vino ponatur in calice Domini? *Solutio:* Aqua populum significat, vnde nec vinum, quo significatur Christus, debet offerri sine aqua: quia Christus non est passus nisi pro populo: nec aqua sine vino vllo modo: quia populus non est redemptus nisi per Christum.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib.4. dist.11. Aqua admiscenda est vino: quia aqua populum signat, qui per Christi passionem redemptus est. Calix ergo Dominicus, iuxta Canonum praeceptum, aqua & vino mixtus offerri debet.

Hildegardis. 1160.

Lib.2.Visione 6. Sacramentum in triplici differentia Deo offerendum: in pane, vino, & aqua: idque propter Trinitatis honorem. In vino enim intelligitur Pater, in pane Filius, in aqua Spiritus sanctus.

Stephanus Eduensis. 1180.

De Sacramento altaris cap. 12. Aqua vino miscetur, vt vnda regenerans ita sanguini Christi adiuncta intelligatur: quia per alterum sine altero nemo salutem consequatur. Per hoc etiam vnio Christi & Ecclesiae designatur. Vtrumque de latere Christi emanauit, quod non fuit sine ratione mysterij.

Innocentius Tertius. 1200.

Mysteriorum Missae lib.2.cap.58. Episcopus aquam vino commisceat in calice, quia Christus populum reconciliauit in morte. Scriptum est enim, quod
Apoc.17. *aquae multae sunt populi multi.* Christus autem sanguinem suum effudit pro populo. Et de latere Christi simul exiuit sanguis & aqua quatenus nec Christus sit sine populo, nec populus sine Christo: quia cùm aqua vino miscetur, Christus & populus adunantur. Quapropter ampullam cum aqua Subdiaconus tradit Episcopo, quam Episcopus fundit in calicem, vt sicut aqua non separatur à vino, sic nunquam populus separetur à Christo.

Ioannes Belethus. 1200.

De diuinis Officijs cap.41. Tum verò aqua benedicitur, quando admiscetur vino, sed haudquaquam vinum: quoniam peculiarem suam expectat benedictionem.

Honorius Tertius. 1217.

C. Perniciosus, *de celebratione Missae:* Perniciosus in tuis partibus inoleuit abusus, videlicet, quòd in maiori quantitate de aqua ponitur in sacrificio, quàm de vino: cùm secundùm rationabilem consuetudinem Ecclesiae generalis plus in ipso sit de vino, quam de aqua ponendum. Ideoque fraternitati tuae mandamus, quatenus id non facias, nec in tua prouincia id fieri patiaris.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Feria 5.in Coena Domini: Aqua vino in huius Sacramenti confessione commiscetur, vt populus Christo sociari designetur. Aqua enim labilis, & instabilis, genus humanum fluctuans significat. Aquae enim sunt populi multi. Aqua tamen non transubstanciatur, nec est de substantia Sacramenti, licet propter praedictum mysterium & institutionem Ecclesiae grauiter delinquat, si quis aquam per obliuionem vel negligentiam non apponat.

Albertus Patauinus. 1230.

Sermone 246. Quare aqua apponitur vino? *Respond.* Vt ostendatur nostra redemptio, facta per Christi passionem, & eius passio procurata pro nostra dilectione. Aqua enim significat genus humanum.

Alexander Alesius. 1230.

Parte quarta quaest.10.memb.5.art.2. Aqua admixta vino, est signum vnionis corporis mystici cum capite Christo.

Vincentius Beluacensis. 1240.

In Speculo hist.lib.8.cap.29. Cùm in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei copulatur, in quem credit. Quibusdam etiam auctoritatibus colligitur, quòd Christus vinum aqua mixtum dederit discipulis. Si quis tamen non intendens introducere haeresin, obliuione aquam praetermisit, non videtur esse irritum Sacramentum. Apponenda est verò in tam parua quantitate, quòd possit absorberi à vino: quia Christus non mutatur in Ecclesiam, sed Ecclesia mutatur in Christum.

Thomas Aquinas. 1250.

Tertia Summae quaest.74. art.6. Vinum, quod offertur in hoc Sacramento, debet aqua misceri. Primò quidem, propter institutionem. Probabiliter enim creditur, quòd Dominus hoc Sacramentum instituerit in vino permixto aqua, secundùm morem illius terrae, vnde Prouerb.9.dicitur: *Bibite vinum, quod miscui vobis.* Secundò, quia hoc conuenit repraesentationi Dominicae passionis. Vnde dicit Alexander Papa: Non debet, &c. Tertiò, quia hoc conuenit ad significandum effectum huius Sacramenti, qui est vnio populi Christiani ad Christum. Quartò, quia hoc competit ad vltimum effectum huius Sacramenti, qui est introitus ad vitam aeternam.

Bonauentura. 1260.

In lib.4. Sentent. dist.11. quaest.3. Aqua non est de necessitate, sed annexum est materiae, scilicet vino, quia adiungitur vino, & in ipsum conuertitur, & postmodum in sanguinem: & ideo est de congruitate. Ratio autem huius coniunctionis est expressior significatio: quia aqua significat populum, & per coniunctionem suam cum vino significat vnitatem capitis cum membris: per vinum autem significatur vnio membrorum ad inuicem.

Guilhelmus Durandus. 1280.

Rationali Diuinorum lib.4. cap.30. Sacerdos missurus vinum & aquam in calicem, prius effundit modicum in terram, non solùm vt meatus, siue locus vasis, per quem fluere debet, mundetur, & si quid est in superficie vini, vel aquae emittatur: verùm etiam ad ostendendum, quòd sanguis & aqua de latere Christi vsque in terram fluxerunt, ad quod mysterium se praeparat peragendum.

Durandus à Sancto Portiano.

1300.

In lib. 4. Sent. dist. 11. q. 5. Aqua miscenda est vino. Eius tamen mistio non est de necessitate salutis, sed de congruitate.

Ludolphus Saxo Carthusianus.

1330.

Vita Christi parte 2. cap. 56. Panis Sacramentum est corporis, & vinum sanguinis: aqua verò, quæ apponitur, notat similitudinem vel illius aquæ, quæ fluxit de latere Christi: vel fidei Ecclesiæ, vt neque Christus sine Ecclesia, neque Ecclesia sine Christo sit, scilicet eius carni & animæ vniatur, & conformetur. Et ideo vinum aqua mixtum offertur, vt ostendatur, quia caput & membra, id est, Christus & Ecclesia, vnum corpus sunt.

Thomas Argentinensis. 1360.

Libro 4. Sentent. dist. 11. par. 2. quest. 1. art. 1. Huiusmodi vino debet admisceri aqua. Primò, quia sic creditur Christus consecrasse, vt ait Damascenus lib. 4. Communis enim consuetudo terræ sanctæ est, non bibere vinum, nisi sit limphatum, & hoc propter fortitudinem vini crescentis in illa patria. Et ideo verisimile est, quòd Christus, qui ordinatissimam vitam duxit cum discipulis suis, vinum limphauerit, quod consecrauit. Secundò, quia illud est de statuto Ecclesiæ, &c.

Thomas VValdensis. 1414.

Tomo 3. tit. 4. cap. 32. *Cùm probasset Ambrosij, Augustini, & aliorum testimonijs aquam vino in sacrificio miscendam esse:* His, *inquit,* Patrum dictis succedit ratio: quia omnibus est Sanctis decretum, quòd à lateris vulnere originem habet mixtio calicis, & ad sanctam Cœnam non recurrunt pro eius scienda origine, &c.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica libro 4. de Sacramento Eucharistiæ: Materia debita est, quòd aqua vino misceatur.

Concilium Florentinum. 1439.

Doctrina de Sacramentis: Aqua ideo admiscetur vino, quoniam, iuxta testimonia sanctorum Patrum & Doctorum Ecclesiæ, creditur ipsum Dominum in vino aqua permixto instituisse hoc Sacramentum: deinde, quia hoc conuenit Dominicæ passionis repræsentationi.

Gabriel Bielius. 1480.

Lectione 35. in Canonem: Modica aqua apponi debet, ne vinum distrahatur à sua specie per nimiam aquæ appositionem: sed è conuerso aqua, propter sui modicitatem, à sua specie citò in vinum transeat, & demum totum in sanguinem conuertatur. Et tanto minus de aqua apponendum est, quanto vinum debilius fuerit, & minus substantiosum.

Concilium Tridentinum. 1560.

Sessione 22. cap. 7. Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo misceant: tum quòd Christum Dominum ita fecisse credatur: tum etiam, quia è latere eius aqua simul cum sanguine exierit: quod sacramentum hac mixtione recolitur: & cùm aquæ, in Apocalypsi beati Ioannis, populi dicantur: ipsius populi fidelis cum capite Christo vnio repræsentatur.

ARTICVLVS DECIMVSQVARTVS.

SACERDOTES CELEBRANTES OSCVLARI ALTARE, LIBRVM, PACEM: ET ADSTANTES SE MVTVO OSCVLARI OSCVLO PACIS

IMPROBANT.

Anno post natum Christi. 1540.

IOANNES *Caluinus,* in Ratione reformationis Ecclesiæ, *quòd sacerdos celebrans osculatur altare, librum, &c. inter histrionicos & inanes gestus recenset.*

PROBANT LITVRGIÆ DIVERSARVM Ecclesiarum.

Liturgia D. Iacobi.

Quoniam Deus es pacis, misericordiæ, dilectionis, commiserationis, & humanitatis, tu & vnigenitus Filius tuus, & Spiritus tuus sanctus, nunc & semper. *Populus:* Amen. *Sacerdos:* Pax omnibus. *Diaconus:* Osculemur inter nos osculo sancto.

Liturgia D. Marci.

Diaconus: Salutate vos inuicem. *Sacerdos salutationi apprecatur:* Dominator Domine omnipotens, aspice de cælo Ecclesiam tuam, & ad omnem populum tuum, & totum gregem tuum, seruaque nos omnes indignos seruos tuos, oues gregis tui, nobisque tuam largire charitatem, & tuum auxilium, & emitte nobis donum sanctissimi tui Spiritus, vt in corde puro, puraque conscientia salutemus nos inuicem osculo sancto, non in dolo, non in hypocrisi, non in alieno adhærentes instituto, sed innocentes, & immaculati, in vinculo pacis & charitatis, vnum corpus, & vnus spiritus, in vna fide.

Liturgia D. Basilij.

Sacerdos: Pax omnibus. *Diaconus:* Diligamus inuicem. *Et dant omnes pacem.*

Anaphora D. Basilij.

Sacerdos: Pax & tranquillitas omnibus vobis. *Populus:* Et spiritui tuo. *Diaconus:* Demus pacem alter alteri cum osculo sancto & diuino, ac charitate Domini nostri Iesu Christi.

Liturgia Chrysostomi.

Et sacerdos deosculatur altare sanctum, & reliqui similiter sacerdotes accedentes deosculantur sanctum altare, & sacerdos & Diaconi osculantur se inuicem. Et post datum pacis osculum innuit Archidiaconus extra stanti Diacono, vt introitus cancellorum ianuas claudat.

Liturgia Æthiopum.

Diaconus dicit: Orate pro pace perfecta, amabili, salutifera, & Apostolica: salutate vos inuicem: qui communicare non vult, discedat.

Liturgia Armeniorum.

Diaconus monet: Salutate inuicem osculo sancto.

Petrus Bellonius lib. 3. Obseruationum cap. 12. Cùm Presbyter Armenius dicit Euangelium, assistentes inuicem sese dextra sinistraq; deosculantur.

Liturgia D. Ambrosij.

Pacis nuntiatio: V. Pax & communicatio Domini nostri Iesu Christi sit semper vobiscum. R. Et cum spiritu tuo. V. Offerte vobis pacem. R. Deo gratias. V. Pax in cælo, Pax in terra, Pax Christi & Ecclesiæ maneat semper nobiscum.

Liturgia Mozarabum.

Mox fit oratio ad pacem: qua finita, dicit Sacerdos: Quia tu es pax nostra, &c. *Mox sublatis in cælum manibus dicit:* Gratia Dei Patris omnipotentis, & dilectio Domini nostri Iesu Christi, & communicatio Spiritus sancti, sit semper cum omnibus nobis. *Respondet chorus:* Et cum hominibus bonæ voluntatis. *Rursus Presbyter:* Pacem meam do vobis, &c. *Interea sacerdos pacem accipit de patina, dicens:* Habete pacem dilectionis & pacis, vt sitis apti sacrosanctis mysterijs Dei. *Mox dat pacem Diacono, vel puero, puer populo.*

Ordo Romanus.

De celebratione Missæ: Cùm dixerit: *Pax Domini sit semper vobiscum:* mittit in calicem de sancta oblata. Sed Archidiaconus pacem dat Episcopo priori: deinde cæteris per ordinem, & populus separatim, viri & fœminæ.

PROBANT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. Ad hæc venerandus Antistes orationem sanctissimam peragens, pacem sanctam omnibus nuntiat, & cùm se mutuò omnes salutauerint mysticè, mystica sanctorum recitatio fit.

Ignatius. 100.

Epistola ad Antiochenos: Salutate inuicem osculo sancto.

Iustinus. 160.

In Apologia pro Christianis: Precibus finitis, nos osculis salutamus.

Concilium Laodicenum. 360.

Can. 19. Secunda & tertia per exclamationes solitas expleantur, & ita demum pacem sibi inuicem dabunt. Et posteaquam dederit Episcopus osculum pacit, tum laici sibi tribuent. Et ita sancta celebrabitur oblatio.

Theophilus Alexandrinus. 390.

Epistola 3. Paschali: Salutate inuicem osculo sancto.

Ioannes Chrysostomus. 400.

In epist. ad Ephesios Homil. 14. Cum Angelis versaris, & contumelia afficis? Dominico osculo dignatus es, & contumelia afficis? Deus os tuum ornauit tam multis, hymnis Angelicis, alimento non vtique Angelico, sed superangelico, suo osculo, & suis amplexibus, & contumelia afficis?

Libro 1. de compunctione cordis: Iubet Dominus relinqui donum ante altare, & prius reconciliari fratri, vt ex hoc discamus: quia si nec illo tempore, quo ad ministerium Dei videmur accedere, reconciliationem dissimulari ac differri nõ patitur Deus quanto magis curari hoc in alijs temporibus iubet? Nos verò imaginem quidem colimus præcepti, veritatem verò ipsam, virtutemq; negligimus. Nam osculum pacis porrigere tempore, quo munera offeruntur, in vsu est: sed vereor, ne fortè plures ex nobis labijs hoc tantummodò faciant, cùm Christus pacem non ex ore, sed ex corde desiderat, & affectu velut proximum, non labijs salutari.

Maximus. 640.

In expositione Liturgiæ cap. 13. Quid significant pacis acclamationes? Per pacis acclamationes, quæ intus ex sacrario fiunt iussu Antistitis in vnaquaque lectione, eas, quæ per sanctos Angelos deferuntur, diuinas susceptiones significari dicebat sapiens senex. Per quas Deus definit eorum certamina, qui legitimè pro veritate cõtra aduersas potestates decertant, & sub aspectu non cadunt, & congressiones dissoluens, & pacem dans in exinanitione corporis, & pro susceptis pro virtute laboribus, Sanctos impatibilitatis gratia remunerans.

Germanus Constantinopolitanus. 710.

In Theoria: *Pax omnibus.*) Concordiam, & dilectionem, & eundem sensum, inter nos inuicem coalescens, Domini imitationem ipsi arripiamus, pacem suam relinquentis, & dantis, & exclamantis: quietam mentem omnes habeamus.

PROBANT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De Oratione cap. 14. Alia iam consuetudo inualuit, ieiunantes habita oratione cum fratribus subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis. Quando autem magis conferenda cum fratribus pax est, nisi cùm oratione commendabilior ascendit, vt ipsi de nostra operatione participent, quàm auderent de sua pace fratri transigere? Quæ oratio cum diuortio sancti osculi integra, quem Domino officium facientem impedit pax? Quale sacrificium est, à quo sine pace receditur? Quæcunque ratio sit, non erit potior præcepti obseruatione, quo iubemur ieiunia nostra celare. Iam enim de abstinentia osculi agnoscimur ieiunantes. Sed & si qua ratio est, ne tamen huic præceptor tu sis, potes domi fortè, inter quos latere ieiunium in totum non datur, differre pacem. Vbicunque autem alibi operationem tuam abscondere potes, debes meminisse præcepti, ita & disciplinæ foris & consuetudini domi satisfacies. Sic & die Paschæ, quo communis & quasi publica ieiunij religio est, meritò deponimus

osculum

Digitized by Google

osculum, nihil curantes de osculando quod cum omnibus faciamus.

Hieronymus. 390.

Epist.62.ad Theophilum cap.1. Legimus in Euangelio: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: dimitte ibi munus tuum coram altari, & vade prius reconciliari fratri tuo & tunc veniens offer munus tuum.* Si munera nostra absque pace offerre non possumus: quantò magis & corpus Christi accipere? Qua conscientia ad Eucharistiam Christi accedam, & respondebo *Amen*, cùm de charitate dubitem porrigentis? Quæso te, vt patienter me audias, nec veritatem adulationem putes. Quisquam ne tibi inuitus communicat? Quisquam ne extenta manu vertit faciem, & inter sacras epulas Iudæ osculum porrigit? Tu offers osculum, illi colla submittunt. Matt. 5.

Augustinus. 400.

Sermone in Vigilia Paschæ: Post orationem Dominicam dicitur: *Pax vobiscum:* & osculantur se Christiani in osculo sancto: sed pacis Christi signum, quod ostendunt labia, fiat in conscientia: quomodo labia ad labia fratris tui accedunt, sic cor à corde non recedat.

Innocentius Primus. 410.

Epistola ad Decentium Eugubinum cap.1. Pacem ergo asseris ante confecta mysteria quosdam populis imperare, vel sibi inter sacerdotes tradere, cùm post omnia, quæ aperire non debeo, pax sit necessariò indicenda, per quam constet, populum ad omnia, quæ in mysterijs aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, præbuisse consensum, ac finita esse pacis concludentis signaculo demonstrentur.

Sedulius. 460.

Ad cap.16. epist. ad Romanos: *In osculo sancto.* Ex hoc sermone, alijsque nonnullis similibus, mos Ecclesiæ traditus est, & post orationem osculo se inuicem suscipiant fratres. Hoc autem osculum sanctum appellat Apostolus: quo nomine illud docet, vt casta sint oscula, quæ in Ecclesijs dantur: tum deinde vt simulata non sint, sicut fuerunt Iudæ, qui osculum labijs dabat, & proditionem corde tractabat. Osculum verò fidelis primò, vt diximus, castum sit, tum deinde pacem in se simplicitatemque habeat, in charitate non ficta.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Officijs Ecclesiasticis libro 1. capite 15. de Missa & orationibus: Quarta post hæc infertur pro osculo pacis oratio, vt charitate omnes reconciliati inuicem, dignè Sacramento corporis & sanguinis Christi consocientur: quia non recipit dissensionem cuiusdam Christi indiuisibile corpus.

Alcuinus. 750.

De diuinis Officijs capite 17. De Cœna Domini: A pacis osculo siue salutatione abstinetur in die Cœnæ Domini, non quòd malum sit, vbi ex charitate profertur: sed ad vitandam pestiferam salutationem, qualem Iudas proditor exercuit.

Cap.39. de celebratione Missæ: Imprecata igitur pace, incipiens à sacerdote, dat sibi mutuò omnis Ecclesia osculum pacis, vt omnibus vera pace vnitis fiat in terris locus Deo. Et hoc ex traditione Apostolorum seruat Ecclesia, cui frequenter ab eis dicitur: *Salutate inuicem in osculo sancto,* id est, pacifico, vero, columbino, non ficto, nec sub dolo, quali vtuntur, qui loquuntur pacem cum proximo suo, in cordibus autem illorum mala sunt. Illi ergo osculo sancto salutant inuicem, qui non diligunt verbo & lingua, sed opere & veritate.

Haymo. 800.

Ad cap.16. ad Romanos: *Salutate vos inuicem in osculo sancto.* Ex hoc loco, & alijs, similibus mos traditus est Ecclesiæ, vt conuenientes fideles in Ecclesia ad audiendum verbum diuinum, Missarumque celebrationem, post orationem osculo dilectionis suscipiant se inuicem.

Concilium Moguntinum. 813.

Cap.44. Oblationem quoque & pacem in Ecclesia facere iugiter admoneatur populus Christianus: quia ipsa oblatio sibi & suis magnum remedium est animarum: & in ipsa pace vera vnanimitas & concordia demonstratur.

Amalarius Treuirensis. 830.

De Ecclesiasticis Officijs libro 1. cap.13. Sexta Feria seu Parasceue à pacis osculo abstinemus non quòd pacis osculum malum sit, vbi ex charitate vera profertur, sed vt demonstretur, quam iniuriam passus sit Christus à suo proditore, vt & nos vitemus eandem iniuriam in fratribus.

Lib.3 cap.32. Interrogatus sum ab aliquibus, quare non inuicem porrigant sibi oscula viri & fœminæ in officio Missæ? Quibus quamuis tunc non responderem, respondendum nunc fore arbitror. Carnales amplexus, quibus iunguntur sæpissimè viri ac fœminæ, vitandi sunt in Ecclesiæ conuentu: ac ideo sequestrantur viri & fœminæ in Ecclesia, non solùm ab osculo carnali, sed etiam situ locali. Ab his personis dantur oscula mutua in Ecclesia, quæ nullam titillationem libidinosæ suggestionis cogunt excitare.

VValafridus Strabo. 830.

De Officijs Ecclesiasticis cap.22. Pacem ante Communionem dari Innocentius Papa in decretis suis constituit, scilicet, vt quod in oratione sancta sub sponsione remissionis præmittimus, pacatos nos ipso opere demonstremus.

Rabanus Maurus. 850.

Lib.1. de instit. Cleri cap.33 Postquam enim ad communicandum, & ad corpus percipiendum præuentum fuerit, pacis osculum sibi inuicem tradunt, cantantes: *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis:* vt pacifici sacramentum percipientes, in filiorum Dei numero (remissis omnibus delictis) mereantur copulari.

Remigius Antissiodorensis. 880.

In Canonem Missæ. Imprecata pace, incipiens à sacerdote dat sibi mutuo omnis Ecclesia pacis osculum, vt omnibus vera pace vnitis, fiat in eis locus Domini, sicut in Psalmo: *Et factus est in pace locus eius:* & hoc vtique ex traditione Apostolica seruat Ecclesia, cui frequenter ab ea dicitur: *Salutate inuicem osculo sancto, pacifico, columbino, non ficto, non subdolo.* Psal. 75.

Ioannes Micrologus. 1070.

De Ecclesiasticis obseruationibus cap.18. Beatus Innocentius Papa constituit, pacem dari post confectionem Sacramentorum. Cùm pacem damus, dicere solemus: *Pax tecum. Resp. Et cum spiritu tuo.* Congruè autem Pax datur ante Communionem: quia *iudicium sibi manducat & bibit,* quicunque non prius fratri suo repacificatus communicare præsumpserit.

Anselmus. 1080.

Ad cap.16. Epist. ad Romanos: *Salutate vos inuicem,* non ficto, non subdolo, non libidinoso, sed *sancto,* id est, religioso, & casto. *In osculo sancto,* id est, in pace Christi vos salutate, vt non simulata, vel carnalia, sed religiosa sint oscula vestra. Ex hoc præcepto, & alijs similibus mos in Ecclesia traditus est, vt post orationem osculo se inuicem suscipiant fratres.

Odo Cameracensis. 1100.

In expositione Missæ Canone 4. In consummatione sacrificij osculum sumimus, quo in sacrificio assensum & participationem ostendimus, & quod debemus in pace manere signamus.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De diuinis officijs lib. 2. cap. 18. Tunc religiosa consuetudine legatum nobis à sacerdote damus & accipimus inuicem pacis osculum, gaudentes atque commemorantes, quia reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius, nosque colligari debere signantes osculo pacis, quod est vinculum perfectionis.

Hugo Victorinus. 1130.

Miscellaneorum libro 1 *titulo* 6 Dum offertur hostia salutaris, qua Deo nos reconciliari oportet, prius osculo signum pacis offerimus, vt hac præmissa, quæ inter nos constat, pace illam, quæ ad Deum est, obtinere mereamur. Quando autem pro fidelibus defunctis hoc sacrificium salutare immolatur, osculum pacis ad inuicem viuentes non accipiunt: quoniam hi, pro quibus viuifica immolatio fit, ab hac vita subtracti, humanæ conuersationis pacem vel concordiam tenere amplius, aut exhibere non possunt.

Stephanus Eduensis 1180.

De Sacramento altaris cap. 12. Osculatur sacerdos Euangelium & altare, significans illum, qui osculo suæ incarnationis fecit vtraque vnum, conuersione Iudæorum & gentium.

Cap. 7. Postea *Agnus Dei* cantatur, & osculum pacis inuicem datur: quia Deus Pater Filium suscitauit ad dandam remissionem peccatorum.

Innocentius Tertius. 1200.

Mysteriorum Missæ lib. 6. *cap.* 6. Ad designandum tres vniones in Christo, sacerdos ter osculatur altare videlicet vnionem diuinitatis ad animam, diuinitatis ad carnem, & carnis ad animam: vel vnionem, qua vnita est Christo humana natura, sancta Ecclesia, & fidelis anima.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Historiæ Occidentalis cap. 34 Sacerdos resumit, & osculatur patenam: Charitas enim resumens oues, quæ aufugerant, sicut in medio discipulorum, dicens eis: *Pax vobis*. In silentio autem post Dominicam orationem ante oculos habeatur silentium illud, quod fuit in sepulchro, post quod silentium dicitur: *Pax Domini*, & per Ecclesiam osculum mutuo datur. Christus enim resurgens pacem dedit discipulis, quæ diffusa est per vniuersam Ecclesiam.

Alexander Alesius. 1230

Parte quarta quæst. 10. *in explicatione Missæ*. Ad designandum tres vniones in Christo, sacerdos ter osculatur altare. Ad signandum verò triplicem pacem, temporalem, spiritualem, æternam, Episcopus celebrans solenniter ter osculatur ministrum: primò Subdiaconum, secundò Diaconum, tertiò Sacerdotem.

Bonauentura. 1260.

In expositione Missæ: Post hoc osculum pacis amicis porrigimus antequam communicemus, quod Innocentius Papa instituit: in hoc signatur, quòd omnis amaritudo corporis à nobis separanda est. Quia si ad inuicem discordamus, in Christi corpore non manemus.

Gulielmus Durandus. 1280.

Rationalis diuinorum lib. 4. *cap.* 9 Post immissum in thuribulo incensum sacerdos sacrum osculatur altare, vt notetur pacificatio cum Iudæis, & ad designandum, quòd Christus ad nos veniens, sanctam sibi copulauit Ecclesiam, iuxta illud Epithalamicum: *Osculetur me osculo oris sui*. Cant. 1.

Cap. 53. Populus se in Missa osculatur: primò, quia cum per immolationem hostiæ salutaris, dimissis peccatis, reconciliemur Altissimo, rectè pacis osculum dari decreuit Ecclesia, cùm pro peccatis immolatur hostia salutaris. Homines igitur osculum, id est, pacis signum sibi inuicem dant, vt ostendant se coniunctos esse in Christi corpore, per quem facta est pax in cælo & in terra, &c.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica libro de Eucharistia. Nouies sacerdos osculatur altare. Primò antequam incipiat Introitum, per quod designatur, quòd debeat esse reconciliatus Deo, quoad peccati purgationem. Secundò ante Collectam primam, dum dicit: *Dominus vobiscum*, &c.

ARTICVLVS DECIMVSQVINTVS.

OBLATIONES IN MISSA IMPROBANT.

Anno post natum Christū 1520.

LVTHERVS de Formula Missæ: *Octauò sequitur tota illa abominatio, cui seruire coactum est quidquid tota Missa præcipit. Vnde Offertorium vocatur. Et hinc ferè sonant, & olent omnia oblationem.*

PROBANT LITVRGIÆ.

Liturgia D. Iacobi.

Meminisse digneris Domine eorum, qui has oblationes obtulerunt hodierno die ad sanctum altare tuum, & pro quibus vnusquisque obtulit, vel in mente habet, & eorum, quos tibi nuper recensui.

Liturgia Æthiopum.

Pro offerentibus munera Sacerdos: Rogemus omnipotentem Deum pro eis, qui obtulerunt munera sanctæ, vnicæ, quæ est super omnes, Ecclesiæ, sacrificium, scilicet primarum decimarum, gratiarum actionis signum & monumentum.

PROBANT

PROBANT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Can. Apost. 3. Si quis Episcopus, vel Presbyter, præter Domini de sacrificio ordinationem, alia quædam ad altare obtulerit, mel, vel lac, vel pro vino siceram, vel confecta, vel aues, vel aliqua animalia, vel legumina, præter ordinationem, deponatur. Ne liceat autem aliquid aliud ad altare offerre, quàm oleum ad luminare, & incensum tempore sanctæ oblationis.

Const. Apost. lib. 2. cap. 35. Atque etiam hoc vos scire oportet, quòd tametsi vos Deus à seruitute ascitorum vinculorum liberarit, indeque eduxerit, vt recrearet, qui non permisit amplius brutas pecudes pro peccatis immolare: liberârit, inquam, ab emundationibus, à victimis emissarijs, à lauationibus assiduis, ab aspersionibus, nondum tamen à pensionibus liberauit, quas sacerdotibus debetis, & quas egentibus benignè largiri oportet:

Matt. 5. Ait enim Dominus in Euangelio: *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Sic igitur abundabit iustitia vestra, si maiorem procurationem sacerdotum vestrorum habueritis, vestrorumque pupillorum, & viduarum, & egentium omnium, &c. Sic ergo facies tu, vt Dominus sanxit, dabisque sacerdoti, quæ ei debentur, primitias areæ, & torcularis, & oblata pro peccatis, vt mediatori Dei, & pro emundatione & depulsione mali. Tibi enim conuenit, vt largiaris: illi verò, tanquam œconomo & administratori rerum Ecclesiasticarum, vt dispenset.

Cap. 36. Ne compareas apud sacerdotes vacuus, & voluntarias tuas oblationes assiduè offer Domino, & ab Ecclesia Christi ne absis.

Lib. 7. cap. 30. Dabis sacerdotibus omnes primitias torcularis, & areæ, vindemiæ, & messis, boum, atque ouium: vt apothecæ cellarum tuarum, penuariarum, & fructus agri tui benedictione afficiantur, vt firmeris in frumento, & vino, atque oleo.

Iustinus Martyr. 160.

Oratione ad Antoninum Pium: Precationis, gratiarumque actionis ratione in oblationibus, quas offerimus, omnibus, quantum facultatis nostræ est, laudamus: solumque hunc honorem illo dignum esse persuasum habemus, vt quæ ab illo ad alimentum sunt creata, non igne consumamus, sed nobis ipsis & indigentibus præbentes offeramus.

Irenæus. 180.

Lib. 4. cap. 34. Igitur Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in vniuerso mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, & acceptum est ei: non quòd indigeat à nobis sacrificium, sed quoniam is, qui offert, glorificatur ipse in eo quod offert, si acceptetur munus eius. Per munus enim erga Regem & honos & affectio ostenditur: quod in omni simplicitate & innocentia Dominus volens nos offerre prædicauit, dicens:

Matt. 5. *Cùm igitur offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quoniam frater tuus habet aliquid aduersum te, dimitte munus tuum ante altare, & vade primùm reconciliari fratri tuo, & tunc reuersus offeres munus tuum.* Offerre igitur oportet Deo primitias eius creaturæ, sicut &

Deut. 16. Moyses ait: *Non apparebis vacuus ante conspectum Domini Dei tui:* vt in quibus gratus extitit homo, in his gratus ei deputatus, eum, qui est ab eo, percipiat honorem. Et non genus oblationum reprobatum est: oblationes enim & illic, oblationes autem & hic: sacrificia in populo, sacrificia & in Ecclesia: sed species immutata est tantùm, quippe cum iam non à seruis, sed à liberis offeratur. Vnus enim, & idem Dominus, proprium autem character seruilis oblationis, & proprium liberorum, vti & per oblationes ostendatur indicium libertatis. Nihil enim otiosum, nec sine signo, neque sine argumento apud eum. Et propter hoc illi quidem decimas suorum habebant consecratas: qui autem perceperunt libertatem, omnia, quæ sunt ipsorum, ad Dominicos decernunt vsus, hilariter & liberè dantes ea, non quę sunt minora, vtpote maiorem spem habentes vidua illa & paupere, hîc totum victum mittente in gazophilacium Dei.

Origenes. 230.

Homil. 11. in Num. Decet & vtile est etiam sacerdotibus Euangelij offerri primitias. Ita enim & Dominus disposuit, vt qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuant, & qui altari deseruiunt, de altari percipiant. Et sicut hoc dignum & decens est, sic è contrario & indecens, & indignum existimo & impium, vt is, qui Deum colit, & ingreditur Ecclesiam Dei, qui scit sacerdotes & ministros assistere altari, & aut verbo Dei, aut ministerio Ecclesiæ deseruire, vt de fructibus terræ, quos Deus dat, solem suum producendo, & pluuias suas ministrando, non offerat sacerdotibus primitias.

Concilium Gangrense. 360.

Can. 7. Si quis oblationes fructuum, vel primitias Ecclesiæ debitas, voluerit extra Ecclesiam accipere, aut dare præter conscientiam Episcopi, vel huius, cui huiusmodi officia commissa sunt, & non magis cum consilio eiusdem hæc agenda putauerit, anathema sit.

Can. 8. Si quis dederit, vel acceperit fructuum oblationes, extra Episcopum, vel eum, qui constitutus est ab eo, ad dispensandam misericordiam pauperibus, qui dat, & qui accipit, anathema sit.

Epiphanius. 380.

Hæresi 80. Oblationes accipit à non iniustis, neque iniquè agentibus, sed à iustè viuentibus.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 30. quæ est oratio habita in electionem Eulalij Episcopi. Quid ais fili Dathan & Abiron, & dux militaris contumax, qui aduersus Mosen insurgere ausus es? Qui manus in nos, quemadmodum illi linguas in magnum Dei seruum, immisisti? Et postea manus has sursum ad Deum tendes? postea dona offeres? postea orationes pro populo fundes?

Ioannes Chrysostomus. 400.

Libro de compunctione cordis: Osculum pacis porrigere tempore, quo munera offeruntur, in vsu est: sed vereor ne fortè plures ex nobis labijs tantummodò hoc faciant, cùm Christus pacem non ex ore, sed ex corde desideret.

Theodoretus. 450.

Ecclesiast. hist. lib. 5. cap. 17. Vbi autem tempus postulauit, vt dona sacræ mensæ offerret Theodosius Imperator, surgit, atque non minorem lachrymarum vim, quàm antea effundens, in sanctuarium ingressus est. Cùm verò dona, vt solebat, obtulisset, intus prope cancellos mansit.

Synodus Trullensis. 710.

Canone 28. Quoniam in diuersis Ecclesijs intelleximus vua ad altare allata ex quadam, quæ inualuit, consuetudine, ministros, postquam hanc incruento oblationis sacrificio coniunxerint, vtraque simul populo distribuere: simul etiam esse decernendum perspeximus, vt nullus sacerdos hoc amplius faciat: sed vt viuificationem & peccatorum remissionem solam oblationem, populo impertiat, tanquam primitias autem viuæ allatio-

nem existimantes sacerdotes, eam seorsim benedicentes, petentibus impertiri, ad fructuum datoris gratiarum actionem: per quos corpora nostra diuina dispositione augentur, & aluntur.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Pius Primus. 142.

Apud Burchardum lib. 5. cap. 27. & 28. & apud Iuonem part. 2. cap. 37. De oblationibus, quæ offeruntur à populo, & consecrationi supersunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis Presbyter conuenienter partes incisas habeat in vase nitido & conuenienti, vt post Missarum solennia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die Dominico, & diebus festis inde accipiant, quæ cùm benedictione prius faciat.

Tertullianus. 200.

In Apologetico cap. 39 Etiam si quod arcæ genus est, non de ordinaria summa, quasi redemptæ religionis congregatur: modicam vnusquisque stipem menstrua die, vel cùm velit, & si modò velit, & si modò possit, apponit: nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque, & pueris, ac puellis, re ac parentibus destitutis, iamque domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodijs, duntaxat ex causa Dei sectæ, alumni confessionis suæ fiunt.

Libro de Monogamia cap. 10. loquens de fideli vidua: Pro anima mariti defuncti orat, & offert annuis diebus dormitionis eius.

Vrbanus Primus. 224.

Epistola prima: Ipsæ enim res fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debent in alijs vsibus, quàm in Ecclesiasticis conuerti: quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, atque ad prædictum opus explendum Domino traditæ.

Fabianus 237.

In Codice Decretorum sexdecim librorum lib. 5. cap. 7. Decernimus, vt omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus fiat, tam panis quàm vini, vt per has immolationes à peccatorum suorum fascibus liberentur.

Cyprianus. 250.

De opere & eleemosynis: Locuples & diues es, (*matrona,*) & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis? Intuere in Euangelio viduam præceptorum cælestium memorem, inter ipsas pressuras & angustias egestatis operantem, in gazophylacium duo, quæ sola sibi fuerant, minuta mittentem. Quam cùm animaduerteret & videret Dominus, non de patrimonio, sed de animo opus eius examinans, & considerans, non quantum, sed ex quanto dedisset, respondit, & dixit: *Amen dico vobis, quoniam vidua ista plus omnibus misit in dona Dei. Omnes enim isti de eo, quod abundauit illis, miserunt in dona Dei: hæc autem de inopia sua omnem, quemcunque habuit, victum misit.* Multum beata mulier & gloriosa, quæ etiam ante diem iudicij meruit iudicis voce laudari. Pudeat diuites sterilitatis & infidelitatis suæ: vidua, & inops vidua in opere larga inuenitur.

Ambrosius. 370.

Epist. 30. ad Valentinianum Imp. Certè si aliud statuitur, Episcopi hoc æquo animo pati, & dissimulare non possumus. Licebit tibi ad Ecclesiam conuenire, sed illic non inuenies sacerdotem, aut inuenies resistentem. Quid respondebis sacerdoti dicenti tibi: munera tua non quærit Ecclesia, qui templa gentilium muneribus adornasti? Ara Christi dona tua respuit, quoniam aram simulachris fecisti?

Hieronymus. 390.

Epist. 2. ad Nepotianum cap. 5. Sed quasi Leuita & Sacerdos viuo de decimis, & altari seruiens, altaris oblatione sustentor: habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar.

Lib. 2. ad cap. 11. Hieremiæ: At nunc publicè recitantur offerentium nomina, & redemptio peccatorum mutatur in laudem: nec meminerunt viduę illius in Euangelio, quę in gazophylacium duo æra mittendo omnium diuitum vicit donaria.

Lib. 5 in Ezechielem: Primitiæ ciborum nostrorum sacerdotibus offeruntur, vt nihil gustemus nouarum frugum, nisi sacerdos ante gustauerit.

Lib. 6 in Ezechielem Publicè Diaconus in Ecclesijs recitat offerentium nomina: tantum offeret ille, tantum ille pollicitus est, placentque sibi ad plausum populi torquente eos conscientia.

Paulinus Mediolanensis. 400.

In vita Ambrosij: Munera Imperatoris, qui se pro sacrilegio commiscuerat, ab Ecclesia respuebantur, nec orandi illi cum Ecclesia societas tribuebatur.

Augustinus. 400.

Epistola 122 Ora Deum pro eis (*loquitur de virginibus, quæ captiuæ apud Barbaros detinebantur*) & roga, vt etiam doceat ipsas talia dicere, qualia S. Azarias inter cætera in oratione & confessione sua fudit ad Deum. Sic enim sunt illæ in terra captiuitatis suæ, quomodo erant illi in ea terra, vbi nec sacrificare more suo poterant Domino, sicut nec istę possunt vel ferre oblationem ad altare Dei, vel inuenire sibi sacerdotem, per quem offerant Deo. Doceat ergo eis Dominus, vt ei dicant, quod Azarias dixit in consequentibus precum suarum: *Non est in hoc tempore Princeps, & Propheta, & Dux: non holocausta, neque oblatio, neque supplicationes, nec locus ad sacrificandum in conspectu tuo.* Dan. 3.

Epist. 187. ad Bonifacium Comitem, qui quendam ab Ecclesia rapuerat: Oblatio domus tuæ à clericis ne susciipiatur indixi: Communionemque tibi interdico, donec peracta pro ausibus vel errore à me definita tibi pœnitentia & tempore condonato corde contrito & humiliato dignum offeras sacrificium.

Innocentius Primus. 406.

Ad Decentium Eugubinum cap. 2. De nominibus verò recitandis antequam preces sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quàm superfluum sit, & ipse pro tua prudentia recognoscis: vt cuius hostiam necdum Deo offeras, eius ante nomen insinues, quamuis illi incognitum sit nihil. Prius igitur oblationes sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, vt inter sacra mysteria nominentur, non inter alia, quæ ante præmittimus, vt ipsis mysterijs viam futuris precibus aperiamus.

Bonifacius Primus. 420.

Lib. 4. Canonum antiquorum cap. 21. Discordantium fratrum oblationes iuxta antiqui Canonis definitionem nullo modo recipiendas esse censemus.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 103. Quia nascentis Christi venit tempus, & miraculum cæleste iam radiat paritura virginitas, atque ortum diuini Regis nobis non stella iam nuntiat, sed ipse solis ascensus, adoraturi occurramus omnes, & muneribus sacris Deum Regemq; virgineo processisse fateamur ex templo: offeramus munera, quia nascenti Regi semper publica paratur oblatio: offeramus munera, quia indeuotus est satis vacuus adorator. Hoc probat Magus, qui onustus auro, succensus thure, sacratus myrrha, Christi cunabulis inclinatur. Quale est, si quod fecit Magus, non faciat Christianus? Quale est si ad gaudium nascentis Christi fleat pauper, captiuus gemat, hospes lamentetur, eiulet peregrinus? Festa cælestia Iudæus decimis semper honorauit, Christianus quid de se sentit, si vel centesimis non honorat? Doleo, certè doleo, quando lego Christi cunabula Magos rigasse auro, & video altare corporis Christi Christianos vacuum reliquisse: & in tempore hoc præsertim, quando se pauperum fames vastat: quando se fundit turba lamentabilis captiuorum. Repleamus altare Dei, vt nostra horrea repleat fructuum plenitudo. Certè si non damus, quia non accipimus non queramur.

Prosper. 460.

De vita contemplatiua lib.2.cap.21. Lac & lanas ouium Christi oblationibus quotidianis ac decimis fidelium gaudenter accipimus.

Saluianus Massiliensis. 470.

De iudicio & prouidentia Dei: Illustramus donarijs sacra limina, aras muneribus.

Concilium Aurelianense Primum. 506.

Can.16. Antiquos Canones relegentes, priora statuta credimus renouanda, vt de his, quæ in altario oblatione fidelium conferuntur, medietatem Episcopus sibi vendicet, & medietatem sibi dispensandam secundùm gradus clerus accipiat, tam de prædijs proprijs, quàm de omni commoditate in Episcoporum potestate durantibus.

Concilium Bracarense Primum. 572.

Cap.39. Item placuit, vt si quid ex collatione fidelium, aut per festiuitates Martyrum, aut per commemorationes defunctorum offertur, apud vnum clericorum fideliter colligatur, & constituto tempore, aut semel, aut bis in anno, inter omnes clericos diuidatur. Nam non modicæ ex ipsa inæqualitate discordiæ generantur, si vnusquisque in sua septimana, quod oblatum fuerit, sibi defendat.

Concilium Matisconense Secundum. 588.

Cap.4. Residentibus nobis in sancto Concilio, cognouimus quosdam Christianos, relicto fratrum cœtu, à mandato Dei aliquibus locis deuiâsse, ita vt nullus eorum legitimo obsecundationis parere velit officio deitatis, dum sacris altaribus illam admouent hostiam: propterea decernimus, vt omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur, tam panis quam vini, vt per has immolationes & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel, vel cæteris iustè offerentibus, promereantur esse consortes.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.1. Sacramentorum: Deinde cantatur Offertorium, & offeruntur à populo oblationes & vinum, è quibus in altari ponuntur vt sacrentur, & dicitur oratio super oblata. Qua completa, dicit sacerdos excelsa voce: *Per omnia secula seculorum.*

In Natiuitate Domini: *Oratio super oblata*: Oblata Domine munera noua Vnigeniti tui natiuitate sanctifica, nosq; à peccatorum nostrorum maculis emunda.

Isidorus Hispalensis. 620.

De officijs Ecclesi.lib.1.c.15.de Missa & orat. Quinta infertur illatio in sanctificatione oblationis, in qua etiam ad Dei laudem terrestrium creatura, virtutumq; cælestium vniuersitas prouocatur.

Ordo Romanus. 720.

De ordine Processionis: Si quando Episcopus festiuis diebus Missam celebrare voluerit, tunc illo innuente Offertorium cantetur à choro, & ille à Presbytero & Archidiacono ad locum, vbi oblationes à fidelibus laicis, siue viris siue fœminis offeruntur, easdem accepturus ducatur, præcedentibus coram eo Subdiacono cum calice, & Acolytho cum patena. Quò cùm peruenerit, Diaconus à Subdiacono calicem accipiens, omnibus, qui oblationes obtulerunt, eisdem ab eo acceptis, & in patenam impositis, manum suam cum calice ad osculandum præbeat, & illum iterum Subdiacono det ad portandum.

Alcuinus. 750.

Lib.de diuinis Officijs cap.39.de celebrat.Missæ Sequitur deinde offerenda, quæ inde hoc nomen accepit, quod tunc populus sua munera offerat. Sequuntur versus à vertendo dicti, quod in offerenda reuertantur, dum repetitur offerenda. Suscipit interim sacerdos à populo oblata, vt ipse, qui est interim inter Deum & populum mediator, preces eorum & vota Domino offerat.

Carolus Magnus. 790.

Lib.6. Legum c.167. Placuit, vt fideles oblationes eorum sacerdotibus quotidie, si fieri potest, in Ecclesia offerant: & si quotidie fieri non potest, saltem Dominica die absque vlla excusatione fiat, & vt prædicationem audiant, &, si fieri potest, omni Dominica die communicent.

Synodus Moguntina. 813.

Cap.44. Oblationes quoque & pacem in Ecclesia facere iugiter admoneatur populus Christianus: quia ipsa oblatio sibi & suis magnum fert remedium animarum, & in ipsa pax vera, & vnanimitas, & concordia demonstratur.

Haymo. 820.

Ad cap.4.Oseæ: Ea, quæ nunc in templo Domini offeruntur, in vsum transeant sacerdotum. Vnde & in Canonibus dicitur, vt laici de consecratis non comedant.

Amalarius Treuirensis. 830.

De Eccles.Officijs lib.3.c.19. Dum sacerdos suscipit oblationes, cantores cantant. Quandiu enim turba cantabat, *Osanna in excelsis*. Christus vota eorum suscipiebat. Oblatione suscepta, sacerdos redit ad altare, vt in eo disponat, siue ipse, siue Diaconus, oblationes coram Domino, quas ille immolaturus est in sequentibus Missæ.

Rabanus Maurus. 850.

De institutione Cleri lib.1. cap.vlt. Susceptis oblationibus, reuertitur sacerdos ad altare, & lauat manus suas, & extergit ab actu communionum manuum atque terreno pane.

Ioannes Diaconus. 870.

Vita Gregorij Magni lib.2.cap.41. Matrona quædam B. Gregorio per stationes publicas Missarum solennia celebranti solitas oblationes obtulerat, &c.

Remigius Antisiodorensis. 880.

De celebratione Missæ: Sequitur Offerenda, quæ de hoc nomen accepit, quòd tunc populus munera sua offert, &c. Suscipit interim sacerdos à populo oblata, vt ipse, qui est inter Deum & populum mediator, preces eorum & vota offerat.

Synodus Triburiensis. 895.

Cap.35. Diebus Dominicis, & Sanctorum festis vigilijs & orationibus insistendum, & ad Missas cuilibet populo Christiano cum oblationibus est currendum,

currendum, & tantummodò Deo vacandum.

Gregorius Septimus. 1070.

Apud Gratianum de consecrat. dist.1. Omnis Christianus procuret ad Missarum solennia aliquid Deo offerre, & ducere in memoriam, quod Deus per Mosen dixit: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Etenim in Collectis Sanctorum liquidò apparet, quòd omnes Christiani offerre aliquid ex vsu sanctorum Patrum debent.

Ioannes Micrologus. 1070.

De Ecclesiasticis obseruationibus cap.10. Finito Euangelio statim est offerendum, & Offerenda canitur, quæ nomen de oblatione mutuauit. Nam ordine præpostero deinceps offertur, postquam in altari præposita oblatione hortatur sacerdos populum ad orandum.

Hildebertus Cennomanensis. 1090.

De mysterijs Missæ:

Praterea donis, qua plebs deuotior offert,
Dona domus Iuda commemorare licet.
Cùm Salomon templum, Salomon altare sacraret,
Oblata à populo victima multa fuit.
Exemplo, Iudæa, tuo plebs vsa fidelis,
Altari dat se, dat sua, &c.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de conuenientia veteris ac noui Testamenti: Salutato populo, dum sacerdos hostiam accipit à ministris, & diuersi generis oblationes à populo, Offertorium cantatur à clericis. Quam consuetudinem Ecclesia accepit ex eo, quòd in libro dierum, dedicato templo à Salomone, legitur populus, clangentibus Leuitis & tubis, & tibijs, & cymbalis voce omni genere musicorum, multiplices hostias obtulisse.

Hugo Victorinus. 1130.

In Speculo Ecclesia cap.7. Vnde sacerdos statim offert dona consecranda: & dehinc munera sua populus, significans offerre seipsum Deo. Considera ordinem: Euangelium præcedit, fides sequitur, dehinc offeruntur munera.

Stephanus Eduensis. 1180.

De Sacramento altaris cap.12. Tunc sacerdos offert dona, siue libamina, cum incenso, scilicet panem & vinum sanctificanda: populus sua munera. Dona sacranda, scilicet panem & vinum, hoc ordine oblata ad altare perueniunt. A Subdiacono Diaconus accipit, & offert manibus sacerdotis.

Innocentius Tertius. 1200.

Mysteriorum Missæ lib.2.cap.53. Statim canitur Offertorium, trahens nomen ab offerendo: quia dum Offertorium cantatur, sacerdos accipit oblationes à populis, vel hostias à ministris. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* 2.Cor.1.

Ioannes Belethus. 1200.

De diuinis Officijs cap.41. Tria omninò sunt, quæ offerre debemus: primò nosmetipsos: deinde ea, quæ ad sacrificium sunt necessaria, scilicet panem, & vinum, & aquam: tertiò demum sequuntur manuales laicorum oblationes. Clerici enim non offerunt, nisi in exequijs mortuorum, & in noua celebratione sacerdotis. Nam inhumanum videretur, si ij offerre tenerentur, qui ex oblationibus aliorum viuunt.

Thomas Aquinas. 1250.

Secunda 2. quæst.86. artic.2. Monachi, siue alij Religiosi possunt oblationes recipere tripliciter. Vno modo, sicut pauperes, per dispensationem sacerdotis, vel ordinationem Ecclesiæ. Alio modo, si sint ministri altaris. Et tunc accipere possunt oblationes sponte oblatas. Tertio modò, si sint eorum parochiæ, & nunc in debito possunt accipere oblationes tamquam Ecclesiæ rectores, &c. Oblationes postquam sunt oblatæ, non possunt cedere in vsum laicorum, sicut vasa & vestimenta sacra.

Bonauentura. 1260.

In expositione Missæ: Dicitur Offertorium ab offerendo, eo quòd populus oblationes ad altare adferens, deuotum & fidelem sese Deo ostendat.

Guilhelmus Durandus. 1280.

Rationalis diuinorum lib. 4.cap.30. Circa oblationem populi notandum est, quòd populus offerre debet, iuxta illud Exodi: *Non apparebis in conspectu Dei tui vacuus.*

Iacobus Genuensis, 1280.

Sermone 2. de diuino Officio: In Offertorio populus admonetur, quòd sicut offerunt Deo sua, sic etiam offerant semetipsos. Respexit enim Dominus ad munera Abel: quia ipse Abel offerebat se Deo, & sua. Ad munera autem Cain non respexit Dominus: quia ille offerebat Deo sua, semetipsum offerebat diabolo.

Thomas VValdensis. 1414.

Tomo 3. titulo 4. cap. 32. Symbolo dicto offerant munera sua fideles ad Dominum, quibus & laudare eum in solenni mysterio ac ministerio, & placare eum valeant pro commissis. Medio tempore cantatur psalmus, ne quid desit deuotioni fidelium, quod is non finebatur adesse oblationibus Iudæorum. Vnde Paralip. *Constituit quoque Leuitas in domo Domini cum cymbalis, & psalterijs, & cytharis secundùm dispositionem Dauid.* Sequitur: *Cumq; offerretur holocausta, cœperunt laudes canere Domino, & clangere tubis, atque in diuersis organis, qua Dauid Rex repererat, concrepare.* 1.Par.25

Ioannes Gerson. 1420.

In Trilogio Astrologia Theologizata: Nemo intelligat obseruationes Christianorum reprobatas esse, quæ vel ab Ecclesia constitutæ, vel ab eadem rationabiliter toleratæ sunt: quamuis non appareat ratio, nisi quòd ex voluntate seu ex auctoritate constituentis, vel à deuota quadam imaginatione facientis, quæ non recedit à Deo, sed in exterioribus signis aliquibus se exercet: vt in tali numero orationum, in peregrinationibus, in nouenis & oblationibus nunc candelarum, nunc panis, nunc gallorum, nunc in gestatione Reliquiarum, &c.

Gabriel Bielius. 1480.

In Canonem Missæ lect.16. Deinde sequitur Offertorium, cui præmittit sacerdos verbum ad orationem exhortatorium: *Oremus,* & tamen orationem non statim dicit, ad innuendum, quòd pura oratio exigitur, vt Deo munera & dona placabilia offerantur. Exhortationem statim Offertorium sequitur, dictum ab offerendo: quia tunc cantante clero fiunt oblationes. Non enim solùm sacerdos, sed cum sacerdote populus sua vota offerre Deo debent, & in tam sancta oblatione omnes participare. Canitur autem Offertorium solenniter, dum sacerdos populi munera suscipit, ad significandum, quòd quæ Deo offeruntur, cum mentis iubilo offerri debent: quia *hilarem datorem diligit Deus,* & oblatio nostra spontanea esse debet, nō coacta, &c. Offerre aliquid de exteriori substantia in Missæ officio, est opus meritorium, Deo gratum, & acceptum, vtile, & fructuosum: opus dico supererogationis, & consilij, & non generaliter præcepti, &c.

Lect.57. Quæcunque ad altare offeruntur siue in pecunia, siue in alijs esculentis, poculentis, ac cæteris, vel ad protestationem fidei, vel communis tanti sacrificij, vel ad sustentationem ministrorum altaris, & Ecclesiæ, plurimum valere animabus defunctorum dignoscuntur.

ARTICV-

ARTICVLVS DECIMVSTERTIVS.

ELEVATIONEM SACRAE EVCHARISTIÆ.

IMPROBANT.

Anno post natum Christum

1300. *BEGVARDI dixerunt, quòd in eleuatione corporis Christi fideles non debent assurgere, nec ei reuerentiam exhibere.* Guido in Summa.

1520. Lutherus de abroganda Missa priuata: *Minister nullo verbo meminit sacrificij inter eleuandum quod tamen oportuit quàm maximè. Quanquam quid referret, si nihil eleuaretur? Ex hominibus enim ea est eleuatio, non ex instituto Christi.*

1560. Theodorus Beza de Cœna Domini contra VVestphalum cap. 36. *Eleuationi quis iam locus esse potest, vbi nulla collectarum oblatio?*

PROBANT SACRÆ LITERÆ.

Psalm 71. *vers.* 16. Et erit firmamentum in terra in summis montium.

Hebrea veritas habet: Erit pugillus, vel particula frumenti in terra in summis montium. *Respiciens magis sensum, quàm vocis significationem.*

R. Ionathas, qui vixit ante natum Christum, libro Collectionum: Et erit, *inquit*, sacrificium panis in terra in capite montium Ecclesiæ. Videat, qui habet oculos, quòd, sicut dictum est, ille est Messias, de quo loquitur totus Psalmus. Cùm ergo ait: *Et erit placenta frumenti in terra in capite montium*, vult dicere, quòd placenta panis fiet sacrificium in capitibus sacerdotum, qui sunt in Ecclesia. *Petrus Galatinus de arcanis Catholicæ veritatis cap. 4. Claudius Sanctesius de rebus Eucharistiæ Repet. 9. cap. 7. Genebrardus in hunc Psalmum.*

PROBANT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 3. Pontifex, cùm diuina munera laude prosecutus fuerit, sacrosancta & Augustissima mysteria conficit, & quæ ante laudauerat, venerandis operta, atque abdita signis, in conspectum agit, diuinaque munera reuerenter ostendens, & sacram illorum communionem & ipse cõuertitur, & reliquos vt cõmunicent hortatur.

Basilius Magnus. 370.

Libro de Spiritu sancto cap. 27. Inuocationis verba, dum ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis scripto reliquit?

Cyrillus Eremita. 520.

In vita S. Euthemij: Propterea statim quoque, cùm hoc primùm offert sacerdos sacrificium, multitudinem veluti præmunit, & iubet vt canat: *Sursum habeamus corda*, eis acclamans, & cùm ab illis promissum acceperit, sic audet deinceps offerre oblationem. Qua etiam perfecta, ille etiam rursus manus in cælum tollens, & ostendens esse dispensatum pro nostra salute mysterium, clara voce dicit, &c.

Georgius Presbyter. 620.

In vita Theodori Archimandritæ Cùm beatus Theodorus sacrificaret, dum, vt regionis est mos, discum in sublima tolleret, vt sanctum panem ostenderet, sanctus ipse accepti sacrificij panis super disco per se cœpit in sublime extolli, & tanquam exultans, & saliens sursum deorsumquè, cunctis spectantibus ita moueri, vt omnes admiraremur.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

In Theoria: Elatio in altum venerandi corporis repræsentat crucis elationem, & mortem in ea, & ipsam resurrectionem. Quòd autem subleuat sacerdos diuinum panem, & signum crucis ter facit in aërecum venerabili & viuifico pane, id innuit: vna quidem crux, quæ sursum designatur, sanctificatum supernum ætherem monstrat: media, aërem: infima, quæ fit supra & prope discum, terram, in qua viuificum illud Christi corpus sepultum est.

Ioannes Damascenus. 730.

In Trisagio: In eleuatione panis Eucharistiæ non dicimus τρισάγιος, vel τρισκύριος, ter sanctus, aut ter Dominus, sed vnus sanctus & vnus Dominus Iesus Christus.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita Ioannis Chrysostomi. Cùm diuinum panem consecrans extolleret, tot à Deo afflatus est. Quid autem horum est incredibile in tam sancta anima? Quibusdam signis videbat Dei spiritum ad dona proposita descendere.

Theodorus Balsamon. 1150.

Ad Canonem 32. Synodi Trullensis: Propter hanc causam feruens aqua in sanctum calicem inijcitur post eleuationem, & fideles ei tanquam viuifica communicant.

Nicolaus Cabasilas. 1280.

Expositionis Liturgiæ cap. 36. Et ad mensam sacerdos accessurus, & alios vocaturus, quoniam non

 est licita,

est licita, ipse quoque non omnes vocat: sed viuifico pane accepto, & ostenso eos, qui dignè sunt ipsius participes futuri, vocat: Sancta, inquit, sanctis, propemodum dicens: Ecce panis vitæ, quem videtis. Accurrite ergo participes futuri, non omnes, sed si quis est sanctus.

Cap. 39. Sacerdos postquam particeps fuerit sanctificatorum, ad populum conuertitur: & ostensis sanctis, vocat eos, qui participare voluerint. Ipsi pietatem ostendentes & fidem, & adorant, & benedicunt, & Iesum, qui in ijs intelligitur, vt Deum celebrant.

Georgius Codinus. 1400.

De Officialibus palatij Constantinopolitani fol. 198. Exurgit Imperator solùm in lectione sacri Symboli, & in oratione *Pater noster, qui es in cælis*, & in eleuatione Dominici & sancti corporis. Cùm autem fit eleuatio, si ad communionem paratus non est Imperator, insidet throno suo vsque ad finem sanctæ Liturgiæ.

Liturgia Æthiopum.

Sacerdos eleuans Sacramentum, dicit altà voce: Domine Iesu Christe miserere nostri. Domine Iesu Christe miserere nostri.

PROBANT PATRES LATINI.

Amalarius Treuirensis. 820.

De Officijs Ecclesiasticis lib. 3. cap. 24. Hic concrepant verba Dominicæ mensæ toto officio Missæ. Canitur hic accipiens panem, & reliqua. Quod actitatur à sacerdote, quando suscipit oblatã in secreta Missæ, aut quando hic eam eleuat.

Rabanus Maurus. 850.

De institutione Cleri lib. 1. cap. 34. Eleuatio Sacerdotis & Diaconi corporis & sanguinis Christi, eleuationem eius ad crucem insinuat pro totius mundi salute.

Osbertus Cantuariensis. 1020.

In vita S. Elphegi. Corpus illius tanta attenuatum est macie, vt cùm manus cum Sacramento tensas in altum porrigeret, per medias palmarum iuncturas claritas aëris perspici posset.

Radulphus Ardens. 1050.

Homilia in Cœna Domini: Quando sacerdos eleuat hostiam, & ei imprimit crucis signum, eleuationem Christi in cruce repræsentat. Depositio verò vini vel panis in calicem Christi repræsentat sepulturam.

Ioannes Micrologus. 1070.

De Ecclesiasticis obseruationibus cap. 10. Discooperitur calix dum leuatur, vbi dicitur: *Accipiens & hunc præclarum calicem:* & ibi, *Per ipsum, & cum ipso.* Et hoc fortasse ideo: quia cautius leuatur sine operimento, quàm coopertus.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epistola 233. Cùm panis & calix adhibito Diacono eleuatur, exaltatio corporis Christi in cruce commemoratur.

Hildebertus Cennomanensis. 1100.

De mysterijs Missæ:

Presbyter hinc idem, cùm peruenit ad benedixit,
Imprimit elato mystica signa crucis.
Nec prius in mensam demittit, quàm tua Christe
Verba repræsentans explicet ista super.
Hinc leuat & calicem, signatq;, nec ante reponit,
Quàm super auctoris verba retractet ita.

Hugo Victorinus. 1130.

De officijs Ecclesiasticis lib. 2. cap. 38. Sacerdos post signa crucis vtraque manu eleuat Sacramentum corporis & sanguinis Christi, & paulò post deponit: quod significat eleuationem corporis Iesu in cruce, & eiusdem in sepulchrum depositionem.

Honorius Tertius. 1217.

Libro 3. Decretalium de celebratione Missarum: Sacerdos frequenter doceat plebem suam, vt cùm in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinet.

Gulielmus Aluernus. 1230.

In diuina Rhetorica cap. 33. In ipsa hora eleuationis Dominici corporis procidatur coram eo, cum gratiarum actione deuotissima.

De Sacramento ordinis cap. 11. In Missa est tota gratia deuotionis, cùm populis ipse aspectus Redemptoris est manibus sacerdotis eleuatus, qui salutandus & adorandus ipsis in forma illa Sacramenti ostenditur.

Bonauentura. 1260.

In expositione Missæ: Corpus Domini nostri Iesu Christi multis de causis eleuatur à sacerdote in Missa, quarum prima & præcipua est ad gratiam Dei Patris, quam peccatis nostris perdimus, obtinendam. Solo enim peccato offenditur, & irritatur. Sacerdos igitur eleuat in altari corpus Christi, quasi dicat, O pater cælestis peccauimus, & te ad iracundiam prouocauimus, sed nunc respice faciem Christi Filij tui, quem tibi præsentamus.

Gulielmus Durandus. 1280.

In Rationali diuinorum lib. 4. cap. 41. Dictis verbis illis: *Hoc est corpus meum*, sacerdos eleuat corpus Christi. Primò, vt cuncti astantes illud videant, & petant quod proficit ad salutem, iuxta illud: *Ego si exaltatus fuero à terra, &c.* Secundò ad notandum, Ioan. 12. quòd non est aliud dignum sacrificium, imò est super omnes hostias. Tertiò, exaltatio Eucharistiæ in manu sacerdotis, signat Christum verum panem, per Prophetas in Scripturis exaltatum, quando scilicet eius Incarnationem prophetizabant. Quartò significat resurrectionem. Quintò hostia eleuatur, vt populus non præueniens consecrationem, sed ex hoc cognoscens illam factam esse, & Christum super altare venisse, reuerenter ad terram prosternatur, &c. In eleuatione vtriusque squilla pulsatur. Nam & in veteri Testamento Leuitæ pro tempore sacrificij tubas clangebant argenteas, vt earum sonitu præmonitus foret ad adorandum Dominum præparatus.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Contra quendam Iudæum impugnatorem Euangelij secundùm Matthæum: In processu Psalmi 71. dicitur de Christo: *Erit firmamentum in terra in summis montium.* Vbi litera Hebraica habet: *Erit placenta tritici in terra in capite montium.* Et translatio Hieronymi iuxta Hebraicum habet: *Erit memorabile nomen triticum in terra in capite montium.* Et translatio Chaldaica habet: *Erit oblatio frumenti in terra.* Ex istis tribus videtur, quòd litera nostra fuerit corrupta per scriptores, ponentes *firmamentum* pro *frumentum* ex similitudine dictionum. Patet igitur ex dictis, quòd de rege Messia prædictum fuerit in hoc Psalmo, quòd frumentum futurum erat in terra in summis montium, vel oblatio frumenti in terra in capite montium, quod impletum est in Sacramento Eucharistiæ, in quo Christus sub speciebus panis tritici continetur, & super capita sacerdotum eleuatur, vt à populo adoretur: qui sacerdotes propter altitudinem status montes nominantur.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica lib. 4. de Sacramento Eucharistia: Dictis istis verbis eleuat sacerdos corpus Domini in medio altaris cum magna deuotione & attentione in altum, vt possit videri ab assistentibus. Per quod designatur, quòd Christus in medio mundi eleuatus est in crucem pro redemptione omnium. Sacerdos eleuando nihil debet dicere, nec aliquid inter formam super panem & vinum interponere. Post eleuationem corporis dicit sacerdos: *Simili modo postquam cœnatum est, &c.*

Concilium Treuirense. 1548.

Cap. 18. Sub eleuatione sacræ hostiæ Antiphonæ ad hoc sacrificium tantùm pertinentes cantentur: quanquam melius & veteri Ecclesiæ conuenientius esset, præsentiam Dominici corporis in altissimo silentio prostratos contemplari.

Concilium Treuirense aliud. 1549.

Capite de officio Missæ ritè peragendo: In eleuatione corporis & sanguinis Christi, & post, vsque dum cantatur *Agnus Dei*, sileant organa. Nulla cantetur Antiphona, neque pro pace, neque aduersus pestem, aut mortalitatem, sed silenter pro se quisque aut flexis genibus, aut prostratis humi corporibus, passionis ac mortis Christi commemorationem faciat.

Concilium Mediolanense Secundum. 1569.

Titul. 2. decreto 6. Cùm corporis Domini nostri Iesu Christi sustollendum est, in Missa conuentuali, & in ea item Missa, quæ in vnaquaque parochiali Ecclesia à parocho celebratur, tum signum sono campanæ detur, cuius soni significatione fideles, qui in Ecclesia Missæ sacrificio tunc non intersint, admoniti, ad tanti tamque magni mysterij ac beneficij recordationem animum excitantes, mente supplici religiosas preces Deo adhibeant.

(* * *)

ARTICVLVS DECIMVSSEPTIMVS.

SACERDOTES NON IN OMNI, SED TANTVM IN LOCO SACRO MISSAS CELEBRARE DEBERE.

NEGANT.

Anno post natū Christum 1180.

VALDENSES *dicunt, sacerdotem quocunque loco, quocunque tempore sacrum Christi corpus conficere posse, petentibusque ministrare: sufficere, si verba sacramentalia tantum dicat.* Æneas Syluius historiæ Bohemicæ cap. 35.

1520. Martinus Lutherus contra Regem Angliæ: *Nos Papistis & Henricistis istis sanctis libenter fauemus magnificos illos fidei suæ articulos, quibus credunt: Esse tantùm in loco sacro & portatili (quod vocant) altari celebrandum, & alios grauissimos hìs sanctissimis sanctis dignissimos articulos. Nos autem tales fideles merè fatuos & stolidos affirmamus, & Communionem Sacramenti liberam habemus. Libera sunt tempora, hora, loca, vestes.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 28. *vers.* 16. Cumque euigilasset Iacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam: pauensque: Quàm terribilis est, inquit, locus iste, non est hîc aliud nisi domus Dei, & porta cæli. Surgens ergo Iacob manè, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper. Appellauitque nomen vrbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur. Vouit etiam votum, dicens: Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, &c. 22. Lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

Deuteronomij 12. 4. Non facietis ita Domino Deo vestro: sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis, & offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum, & vota atque donaria, primogenita boum & ouium. 13. Caue ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris: sed in eo, quem elegerit Dominus, in vna tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcunque præcipio tibi.

Deuteronomij 16. 5. Non poteris immolare Phase in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi: sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.

1. *Reg.* 1. 1. Et ascendebat vir ille (*Elcana*) de ciuitate sua statutis diebus, vt adoraret & sacrificaret Domino exercituum in Silo. *Ibi enim erat arca fœderis Domini.*

Psalm. 5.8. Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Psalm. 28.2. Adorate Dominum in atrio sancto eius.

Psalm. 133.1. Ecce nunc benedicite Domino omnes serui Domini: Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri. In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Domino.

Actor. 2.46. Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis: collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem.

1. *Corinth.* 11.20. Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Epistola 3. Hic ergo, hoc est in præsenti vita positos, oportet nos agnoscere voluntatem Dei, vbi & agendi & sacrificandi est locus. Quoniam & in alijs locis sacrificare, & Missas celebrare non licet, nisi in his, quibus proprius Episcopus iusserit.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. Itaque Pontifex quidem, vbi rationem sanctam supra diuinum altare peregit, ex ipso incensum adolere inchoans, omnem phani ambitum circuit. Demum ad sanctum altare iterum rediens, Psalmorum incipit melos, concinentibus secum sacra carmina omnibus Ecclesiastici ordinis gradibus.

Origenes. 230.

Tractatu 35. ad cap. 26. Matth. *Tunc venit Iesus cum illis in prædium, quod dicitur Gethsemani.*) Non conueniebat, cùm proderetur, in illo capi loco, vbi manducauerat Pascha. Conueniebat autem & priusquam proderetur orare, & orandi eligere locum mundum ad orationem. Sciebat enim sicut differt aër ab aëre mundiore, sic terra sancti loci & Exod. 3. sanctioris, sicut scriptum est: *Locus, in quo stas, terra sancta est.*

Concilium Laodicense. 360.

Canone 58. Non oportet in domibus oblationes ab Episcopis siue Presbyteris fieri.

Basilius Magnus. 370.

In Regulis breuioribus, interrogatione 310. *Interr.* Nunquid in communi domo Dominica cœna debet celebrari? *Resp.* Quemadmodum ratio non permittit, vt vas vllum commune in sancta introferatur: eodem modo vetat sancta in domo communi celebrari: cùm ex iussu Dei in veteri Testamento nihil isto modo fieri permittatur. Matt. 12. Cùm autem Dominus dicat: *Plusquam templum est* 1. Cor. 11. *hic*. Et Apostolus item: *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Quid dicam vobis? laudo vos? de hoc non laudo. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, & quæ sequuntur. Sanè admonemur non debere nos neque communem cœnam in Ecclesia manducare, & bibere, neque Dominicam in priuata domo in contumelia habere: extra quam si quis, cùm necessitas poscat, locum ædemve elegantiorem deligat in tempore opportuno, &c.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 27. ad cap. 11. prioris ad Corinthios: *Nunquid domos non habetis?* &c. Vides quomodo à pauperum contumelia ad Ecclesiam crimen transtulit, & asperiorem faciat sermonem? Ecce & quarta accusatio, quando non pauperes tantùm, sed Ecclesia læditur. Quemadmodum enim Dominicam cœnam priuatam facis, ita & locum, tanquam domo Ecclesia vsus. Ecclesia enim facta est, non vt diuisi simus, cùm conuenire oporteat; sed vt diuisi coniungamur. Et hoc conuentus ostendit. Quòd si ad communicandum opus sit Ecclesia, & ad sacrificandum ritus certè.

Procopius Gazæus. 530.

In Leuiticum ad illa verba 6. capitis: *In sanctis locis edentur:*) Nam in Ecclesijs offeruntur mystica. Sanctum præstat eum tale sacrificium, qui contingit ipsum: nec non sanctitatem trahit ex sanguinis aspersione. At vasa & instrumenta, quæ huic negotio deseruiunt, non ad humanos proferuntur vsus.

Iustinianus Imperator. 530.

In Authent. vt in priuatis domibus sacra mysteria non fiant: Et priscis sancitum est legibus, nulli penitus esse licentiam, domi quæ sacratissima sunt agere: sed publicè sinere procedere in credulitatem & Dei culturam secundùm sanctionem de his sacratis actibus traditam. Et nos etiam hanc in præsenti ponimus legem, quam cum omni cautela teneri volumus. Omnibus enim interdicimus magnæ huius ciuitatis habitatoribus, magis autem etiam totius nostræ ditionis, in domibus suis habere quasdam quasi orationum domos, & in his sacra celebrare mysteria: & hinc fieri quædam Catholicæ & Apostolicæ traditioni extranea. Sed si quidem domos ita simpliciter aliqui habere putant oportere in sacris suis, orationis videlicet solius gratia, & nullo celebrando penitùs horum, quæ sacri sunt mysterij, hoc eis permittimus, &c.

In Nouella si quis in sua domo, ad Iulianum Patritium: Si quis in domo sua oratorium habuerit, non audeat in ea sacram facere Missam, nisi clericos Catholicæ fidei habuerit deputatos ex iussione religiosissimi Episcopi illius ciuitatis, &c. Nulla inuidia est vnumquemque Christianum in proprijs ædibus oratoria habere, & in his orare & psallere sine clericis, sed sacram Missam non faciat.

Isychius. 600.

In Leuit. lib. 2. *cap.* 8. Propter quod Eliæ (*secundùm Septuaginta editionem*) carnes manè, panes autem vesperi deferebant corui supernè, præfigurare hoc mysterium Domino volente, quod intus oportet in Ecclesia, in loco sancto, id est, ad altare coqui & comedi: alibi verò nequaquam. Propter quod Paulus Corinthijs præcipiebat: *Conuenientibus autem vobis in vnum, iam nõ est Dominicam Cœnam manducare: vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad mãducandum: & alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum, aut bibendum, aut Ecclesiam Dei despicitis?*

citu? Et hoc ideò, quia ibi absolutè mystica Cœna debeat celebrari.

Concilium Trullense. 710.

Canone 31. Clericos, qui in oratione, quæ sunt intra domos, sacrificant, vel baptizant, hoc illius loci Episcopi sententia fieri debere decernimus. Quare si quis Clericus hoc non sic seruauerit, deponatur.

Canone 59. In æde oratoria, quæ est intra domum, baptismus nequaquam peragatur: sed qui ab omnibus sordibus aliena illuminatione digni habendi sunt, ad Catholicas Ecclesias accedant, & hoc illic munere perfruamur.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 7 hist. cap. 46. Constantinus cùm in imperiali palatio suo templum construxit, tum portatilem Ecclesiam aliam sibi fieri curauit, quæ vbicunque locorum esset, & maximè in bello circumferri posset, vt ne in solitudine quidem agens, vbi opus esset, Deumque colere, & diuina mysteria participare deberet, ædibus sacris careret: ad quam veluti ad tabernaculum semper præsto fuêre Sacerdotes & Diaconi, sine intermissione mysteria diuina, iuxta statas Ecclesiæ cæremonias obeuntes.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Anacletus. 118.

Epistola prima: Deo perfectè sacrificantes, non debent vexari, sed portari, consolari, atque ab omnibus venerari. Ipsi autem quando Domino sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, vt Domino perfectè in sacratis Deo sacrificare locis probentur. Ait namque auctoritas Deut. 12. diuinæ legis: *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris: sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus.*

Sylvester Primus. 320.

In epilogo Concilij Romani: Syluester in hoc Synodo constituit omnium cum consensu, vt nullus Presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de cætero voluerit esse sacerdotij.

Ambrosius. 370.

Ad cap. 11. prioris ad Corinth. Ideo si sic conuenitis, vt vnusquisque suam sumat cœnam, domi hæc agenda, non in Ecclesia, vbi vnitatis & mysterij causa conuenitur, non dissensionis, & ventris.

Augustinus. 400.

Libro tertio quæstionum super Leuit. quæst. 56. Quicunque occiderit vitulum, aut ouem, aut capram in castris: & quicunque occiderit extra castra, & ad ostium tabernaculi testimonij non attulerit, in hoc constituit peccatum, & comminatur facienti: non de eis dicit, quæ occiduntur ad vsum vescendi, vel si quid aliud, sed de sacrificijs. Prohibuit enim priuata sacrificia, ne sibi quisque quodammodo sacerdos esse audeat, sed illuc afferat, vbi per sacerdotes offerantur Deo.

Felix Quartus. 524.

Epistolæ primæ cap. 1. De Missarum celebrationibus non alicubi, quàm in sacratis Domino locis absque necessitate magna fieri debere, liquet omnibus, quibus sunt notæ noui & veteris Testamenti præcepta, &c. Et non in alijs locis, quàm in ædibus sacratis ab Episcopus, & non à Chorepiscopis, qui sæpè prohibiti sunt, nisi (vt prædictum est (summa exigente necessitate Missas celebrare, nec sacrificia offerre Domino debemus. Et hoc, si summa necessitas agere compulerit, non in domibus, quia in sacris Canonibus sacrificia in domibus offerri prohibita sunt: sed in tabernaculis diuinis precibus à Pontificibus dicatis, & in mensis Domino sacratis, & sacra vnctione à Pontificibus delibutis, pro summa necessitate, non pro libito cuiusque & pigritia agatur. Satius ergo est, Missam non cantare, aut non audire, quàm in illis locis, vbi fieri non oportet, nisi pro summa cogente necessitate. Quoniam necessitas non habet legem.

Concilium Aurelianense. 550.

Apud Burchardum libro 3. cap. 86. Vnicuique fidelium oratorium in domo sua licet habere, & ibi orare: Missas autem celebrare ibi non licet.

Carolus Magnus. 790.

Lib. 6. Legum cap. 198. Vt nullus Presbyter sacra mysteria nisi in locis ab Episcopo consecratis agere præsumat.

Cap. 205. Placuit, vt fideles Missarum celebrationes in locis non consecratis & congruentibus fieri omnino non debeant, nisi causa hostilitatis, vel longinqui itineris, & in altaribus ab Episcopo consecratis fieri necessitas compellat: sacerdotes tamen, qui in locis illicitis & non consecratis Missas canere præsumunt, gradum se sciant amissuros. Melius est enim Missam non audire, quàm eam vbi non licet nec oportet celebrare, vel audire.

Concilium Secundum Cabilonense. 813.

Cap. 49. In quibus locis, & quo apparatu Missarum solennia, exceptis Basilicis, celebrari debeant, & vtrum celebrari debeant, quia in Concilio Laodiceni ita scribitur: quòd non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Episcopis vel Presbyteris.

Concilium Rhemense. 813.

Cap. 50. Obseruandum est, vt mensa Christi, hoc est, altare, vbi corpus Dominicum consecratur, vbi sanguis eius hauritur, vbi vota & preces populi in conspectu Dei à sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honorentur.

Hincmarus. 850.

Commentario de actione Missæ: Assistit sacerdos altari, & celebraturus diuina mysteria, Ecclesiam salutando orat, & orando salutat, dicens: *Dominus vobiscum.*

Concilium Moguntinum Secundum. 888.

Cap. 9. Missarum solennia non vbique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda esse censemus. Concedimus etiam, vt sicubi Ecclesiæ fuerint incensæ, in Capellis Missas interim liceat celebrare, donec ipsæ Ecclesiæ restaurari queant. In itinere verò positis, si Ecclesia defuerit, sub diuo, seu in tentorijs, si tabula altaris consecrata, cæteraque ministeria sacra ad id officium pertinentia adsunt, Missarum solennia celebrari permittimus.

Alexander Alesius. 1230.

Parte 4. q. 10. m. 5. art. 2. §. 1. Non licet consecrare, nisi in loco sancto, siue Deo dicato, nisi necessitate compellente, vt dicitur de Consecratione dist. 1. Sicut non alij, quàm sancti, &c.

Concilium Londinense. 1237.

Apud Matthæum Parisium de anno 1237. Prouidè statuerunt sancti Patres, ne in alijs locis, quàm Deo dicatis, nisi necessitatis causa, celebretur officium tam sublime.

Richardus de media villa. 1280.

In lib. 4. Sent. dist. 13. art. 3. q. 1. Communiter non licet Missam celebrare in loco non sacro, vt patet de Consecrat. dist. 1. Nullus Presbyter, &c. Cuius

institutionis ratio fuit: quia in Sacramento altaris, quod in Missa consecratur, continetur ille, qui est summè sanctus, & totius nostræ sanctitatis causa, effectiuè, in quantum est Deus: & meritoriè, in quantum est homo. In casu tamen magnæ necessitatis permittunt iura celebrari in loco non sacro, si tamen tabula sit consecrata, cæteraque sancta mysteria ad illud officium pertinentia ibi adfuerint: sicut Ecclesiæ primæ fuerunt incensæ, vel cùm homines sunt in itinere, cùm Ecclesiæ defuerint, &c.

Petrus Paludanus. 1300.

In lib. 4. Senten. dist. 13. quæst. 2. Non licet consecrare, nisi in Ecclesia consecrata, nisi de licentia Episcopi vel superioris, aut de necessitate: sed in nulla necessitate licet in naui, vel mari, vel super flumina celebrare, vbi probabiliter de effusione sanguinis timetur propter agitationem nauis. Sed non habentibus Ecclesias, licet potius celebrare sub diuo, aut in domibus priuatis, dum tamen necessaria alia habeant.

Durandus à S. Portiano. 1320.

Lib. 4. dist. 13. quæst. 2. Missa non debet celebrari, nisi in Ecclesia consecrata absque licentia Episcopi, vel superioris, vel in necessitate, quando ad ipsum non possit haberi recursus.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica libro quarto de Eucharistia: Quæritur, vbi sacerdos debeat Missam celebrare? *Solutio.* In Ecclesia, & super altare, secundùm omnes Doctores Theologiæ, nisi propter aliquam causam fiat quandoque sub tentorio, vel in alio loco honesto, & hoc faciat de licentia superioris.

ARTICVLVS DECIMVSOCTAVVS.

NON QVOLIBET, SED CERTO ET STATVTO TEMPORE MISSAM ESSE CELEBRANDAM.

Anno post natum Christi

NEGANT.

1180. V*ALDENSES dixerunt sacerdotem quocunque loco, quocunque tempore sacrum Christi corpus conficere posse, petentibusque ministrare: sufficere, si verba sacramentalia tantùm dicat.* Aeneas Syluius Histor. Bohemicæ cap. 35.

1520. Martinus Lutherus contra Regem Angliæ: *Dicat nobis gloriosus assertor Sacramentorum, vnde probetur Missam necessariò manè esse celebrandam, aut quomodo hoc non sit contra Christi institutum, si manè celebretur, quod ille vespere fecit, &c. Nos tales fideles merè fatuos & stolidos affirmamus, & communionem Sacramenti liberam habemus, siue per diem, siue per noctem, siue manè, siue vespere: libera sunt tempora, hora, loca, vestes, ritus.*

1540. VVolfgangus Musculus in Locis Communibus c. de Cœna Domini, quando sit administrāda: *Nemo cordatus negat commodius esse, vt fiat manè, quàm vesperi: quamuis sic conueniebat paratos nos esse, vt perinde simus ad res sacras apti vesperi atque manè. Legali populo expressa temporis determinatione præscriptum fuit: noui verò Testamenti populis libera facta est temporis obseruantia, vt quo tempore commodum est vnicuique Ecclesiæ, liberè faciamus, quòd à Domino accepimus.*

ASSERVNT.

Thelesphorus. 134.

Epistola prima. Nocte sancta Natiuitatis Domini Saluatoris Missas celebrent. Reliquis enim temporibus Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minimè sunt celebrandæ.

Damasus. 380.

In Thelesphoro. Telesphorus fecit, vt in Natali Domini noctu Missæ celebrarentur, cùm omni alio tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret Missas celebrare: quia ea hora Dominus noster ascendit in crucem.

Augustinus. 400.

Libro 15. de ciuit. Dei cap. 7. Rectè offertur sacrificium, cùm offertur Deo vero, cui vni tantummodò sacrificandum est. Non autem rectè diuiditur, dum non rectè discernuntur loca, vel tempora, vel res ipsæ, quæ offeruntur, vel qui offert, vel cui offertur.

Ad Burchardum lib. 2. cap. 54. Admonendus est populus, vt ante publicum peractum sacrificium ad cibum non accedat, sed omnes ad publicam sanctam matrem Ecclesiam Missarum solennia & prędicationem audituri conueniant, vt & sacerdotes Missas hora tertia celebrent, vt populus à publicis solennijs non abstrahatur: sed sacerdotes, qui in circuitu vrbis, & in eadem vrbe sunt, & populus in vnum ad publicam Missarum celebrationem conueniant.

Concilium Aurelianense Tertium. 534.

Cap. 14. De Missarum celebritate, in præcipuis duntaxat solennitatibus, id obseruari debebit, vt hora tertia Missarum celebratio in Dei nomine inchoetur, quò facilius intra horas competentes ipso officio expedito, sacerdotes possint ad vespertina officia in vespertino tempore conuenire: quia Sacerdotem in vespertinis officijs ab Ecclesia, talibus præcipuè diebus, nec decet abesse, nec conuenit.

Gregorius Magnus. 590.

Homilia 37. in Euangelia: Cassius Narniensis Episcopus his auditis, in oratione secum magna cordis contritione prostrauit, & qui oblaturus sacrificium ad horam tertiam venerat, hoc pia extensæ orationis magnitudine ad horam nonam vsque produxit.

Amalarius Treuirensis. 820.

De Ecclesiasticis officijs lib. 4. cap. 40. Retulimus in huius operis initio prohibitum esse ab Apostolicis viris celebrari ante horam tertiam Missam, & tamen indidi, quod vidi, hoc est, Leonem nuper Missam celebrare diluculo. Additum est in gestis Pontificalibus, qua de re Missa celebranda sit circa horam tertiam: scilicet, quia eadem hora Dominus crucifixus est linguis Iudæorum. Addidimus etiam propter nostram consuetudinem inolitam, sexta hora rationabiliter posse Missam celebrari: quia sexta hora diei Dominus crucifixus est manibus persecutorum.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap. 23 Tempus Missæ faciendæ, secundùm rationem solennitatum, diuersum est. Interdum enim ante meridiem, interdum circa nonam, aliquando ad vesperam, interdum noctu celebratur. Nam Telesphorus Papa constituit, vt nullo tempore ante horæ tertiæ cursum vllus præsumeret Missam celebrare: qua hora Dominus noster, secundùm Marci Euangelium, crucifixus asseritur.

Ioannes Micrologus. 1080.

De Ecclesiasticis obseruationibus cap. 58. Tres sunt horæ in die ex Dominica passione ad celebranda mysteria consecratæ, videlicet, tertia, in qua linguis Iudæorum: sexta, in qua manibus gentilium crucifixus est: nona, in qua emisit Spiritum. Inter quas hora tertia in festiuis diebus maximè obseruatur, ea fortasse ratione, qua inter reliquas passionis horas tempori Dominicæ resurrectionis propinquior esse videatur. Sexta verò vel nona ieiuniorum officijs deputantur.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De diuinis officijs lib. 10. *cap.* 18. Opportunè Spiritus sanctus, omnium arbiter Sacramentorum, hora tertia super Apostolos adueniens, viuificis eandem horam dedicauit mysterijs, qua homines adhuc sobrij, & carnalibus cibis adhuc ieiuni, primũ quærere debent regnum Dei, &c. Spiritus sanctus, qui huius & omnium Sacramentorum auctor & virtus est, congruè hora tertia dari dignatus est, vt tempus ostenderet, quo sua quoque Sacramenta dari vel celebrari magis conueniret. Vnde rectè vniuersalis Ecclesiæ cõuentus magis hac hora, nisi forte dies ieiunij sit, congregari consueuit, & dicta hora tertia, quæ cæteris illustrior est, ob honorem Spiritus sancti, solennia Missarum celebrari astantibus choris, cum psallentio communi.

Hildegardis. 1160.

Secundi Sciuias visione 6. cap. 38. Hoc sacerdotale officium à prima hora diei vsque ad nonam horam à fidelibus exerceri potest, secundùm quod necessitas temporis in moribus hominum inuenerit.

Ioannes Belethus. 1200.

In explicatione diuinorum officiorum cap. 50. Tribus horis tantummodò regulariter Missa poterit celebrari, tertia nimirum, sexta, & nona. Et quidem tertia ideò, quòd tum linguis Iudæorum sit crucifixus, dum instanter clamarent: *crucifige, crucifige eum:* pertuleritq́ ludibria, maledicta, conuitia, alapas, flagra, insultantium sputus, & coronam spineam. Sexta verò ob eam causam, quòd tum in crucem actus sit, ac tolerare debuerit clauos rigidissimos, & pocula felle tincta, vt sic tandem pro nobis immolaretur. Nona demum, quia tunc animum exhalauit, & spiritum Patri commendauit. Poterit tamen fieri, vt ante Primam in Dominicæ resurrectionis memoriam Missa celebretur, quod Vicarij faciunt, & post Primam ante Tertiam, in eius rei commendationem, quòd Christus inter Primam & Tertiam traditus fuerit Pontio Pilato, Iudæis vociferantibus: *Crucifige, crucifige eum,* ipso tacente. Cantatur ergo Missa diebus festis hora tertia, profestis sexta, & nona in Quadragesima, ac alijs diebus ieiuniorum.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In historia Occidentali cap. 38. Sed & hora, qua Dominus in Cœna memoratum instituit sacrificium, ab Ecclesia non est obseruanda: non enim post horam nonam, qua in cruce mortuus est Dominus, debet sacerdos celebrare. Licet autem ab hora sexta vsque ad nonam in cruce pendens se ipsum pro nobis veram hostiam obtulerit, sustinet tamen Ecclesia, ad cautelam propter populum, & imminentes necessitates huiusmodi tempus in celebrando sacerdotes præuenire.

Alexander Alesius. 1240.

Parte 4. quæst. 10. memb. 5. art. 2 §. 2. Consecratio Dominici corporis, siue Missis diuersa horis secundùm diuersitatem temporum & dierum est celebranda. Nam in diebus ieiuniorum debet celebrari hora nona. Missæ conuentuales regulariter cantantur tribus horis, scilicet tertia, sexta, & nona. Tertia, quia tunc crucifixus est Christus linguis Iudæorum, clamantium, *Crucifige, crucifige eum:* & à militibus verberatus. Sexta, quia tunc immolatus est in cruce manibus Iudæorum vel gentilium. Nona, quia tunc expirauit. Tertia hora cantatur in diebus festiuis: sexta in profestis: nona in Quadragesima, & in diebus ieiuniorum.

Thomas Aquinas. 1250.

Parte 3. q. 83. artic. 2. In celebratione huius mysterij attenditur repræsentatio Dominicæ passionis, & participatio fructus eius. Et secundùm vtrumque oportuit determinare tempus aptum celebrationi huius Sacramenti. Quia enim fructu Dominicæ passionis quotidie indigemus, propter quotidianos defectus, quotidie in Ecclesia regulariter hoc Sacramentum offertur. Quia verò Dominica passio celebrata est à tertia hora vsque ad nonam: ideo regulariter in illa parte diei solenniter in Ecclesia celebratur hoc Sacramentum. Post cœnam in fine diei hoc Sacramentum Christus consecrauit, & discipulis tradidit: à nobis tamen celebratur hora Dominicæ passionis, scilicet diebus festiuis in tertia, quando crucifixus est linguis Iudæorum, vt dicitur Marci 15. & quando Spiritus sanctus descendit super discipulos: vel diebus profestis in sexta, quando crucifixus est manibus militum, vt habetur Ioan. 19. vel diebus ieiuniorum in nona, quando voce magna clamans emisit Spiritum, vt dicitur Matt. 27. Potest tamen tardari, maximè quando sunt Ordines faciendi, & præcipuè in Sabbato sancto, tum propter prolixitatem officij, tum quia Ordines pertinent ad diem Dominicam. Possunt tamen Missæ celebrari prima parte diei, propter aliquam necessitatem.

Guilhelmus Durandus. 1280.

In Rationali diuinorum libro 4. cap. 1. Celebratur Missa hora tertia, sexta, & nona. Telesphorus Papa instituit, vt Missa ante horam tertiam non dicatur, quod de publicis & popularibus Missis intelligendum est. Quia, sicut ait Augustinus, non deberent in publico fieri, ne populus à publicis, quæ hora tertia dicuntur, retrahatur. Cantatur

pulis in cœnaculo, tradidit, & à cœna, & vnico ante passionem die: nos in templis, & ante cœnam, & post resurrectionem.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 27. in priorem ad Corinthios: Et quando hoc fit, inquit? Semper quidem. Maximè autem in festis, quando maximè non fieri oporteret. Tunc enim post Communionem statim excipit ebrietas, & pauperum despicientia: & cùm sanguinis fueris particeps, quando est tibi tempus ieiunij & sobrietatis, lasciuis, debaccharis, & comessans petulanter insultas. Et si boni quidem quippiam pransus fueris, tibi caues, ne aliquo alio malo cibo priorem corrumpas. Cùm autem in conuiuio spiritu sis pastus, satanicas inducis delicias. Cogita quid fecerint Apostoli, quando sacrarum illarum mensarum fuerunt participes. An non conuersi sunt ad preces & hymnos canendos? non ad sacras vigilias, non ad sacram illam doctrinam, & plenam multa Philosophia? Tunc enim illis res magnas, & admirabiles narrabat, & præcipiebat, cùm abijsset Iudas ad vocandos eos, qui ipsum acturi erant in crucem. Non audiuisti quomodo etiam illa tria millia, quæ perceperant communionem, perpetuò perseuerabant in oratione & doctrina, non in ebrietatibus & comessationibus? Tu autem prius quidem, quàm communices ieiunas, vt quomodocunque dignus appareas. Quando autem communicaueris, cùm te oporteret magis augere temperantiam, omnia perdis. Atqui non sunt paria esse sobrium ante & postea. Nam in vtroque quidem oportet esse sobrium & temperantem, maximè autem postquam sponsum excepisti. Antea quidem, vt sis dignus accipere: postea autem, ne appareas indignus ijs, quæ tu accepisti. Quid igitur, oportet ne ieiunare postquam acceperis? Non hoc dico, neque te cogo. Nam est quidem hoc quoque bonum: sed non ad hoc tibi vim facio, sed suadeo, ne te delicijs ita impleas, vt sis inexplebilis.

Epistola 125. ad Cyriacum exulem: Multa aduersum me struxerunt: aiuntque me post epulas quibusdam Communionem impertijsse. Hoc si feci, de Episcoporum libro nomen meum expungatur, nec in Orthodoxæ fidei volumine scribatur, (neque enim quicquam eiusmodi perpetraui) ac Christus è regno suo me abijciat.

Concilium Trullanum. 710.

Can. 29. Carthaginensis Synodi Canon dicit, vt sancta altaris non nisi à sobrijs hominibus peragantur, excepto vno die in anno, in quo Cœna Domini peragitur: tunc fortasse propter aliquas in eis locis occasiones Ecclesiæ vtiles Patribus hac dispensatione vsis. Cùm ergo nihil nos inducat, vt accuratam diligentiam relinquamus: statuimus, Apostolicas & paternas traditiones sequentes, non oportere in Quadragesimæ postrema septimana quinta Feria ieiunium soluere, & totam Quadragesimam iniuria afficere.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Libro 2. ad Vxorem cap. 5. Latebisne tu cùm lectulum, cùm corpus tuum signas, cùm aliquid immundum flatu expuis, cùm etiam per noctem exurgis oratum, & non Magiæ aliquid videberis operari? Non sciet maritus quid secretò ante omnem cibum gustes? & si sciuerit, panem, non illum credit esse, qui dicitur.

Cyprianus. 250.

Epist. 63. At enim non manè, sed post cœnam mixtum calicem obtulit Dominus. Nunquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus, vt sic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus? Christum offerre oportebat circa vesperam diei, vt hora ipsa ostenderet occasum & vesperam mundi. Nos autem resurrectionem Domini manè celebramus.

Eutychianus. 275.

Apud Burchardum lib. 5. cap. 25. Qui acceperit sacrificium post cibum, aut post aliquam modicam refectionem, nisi pro viatico: pueri tres dies, maiores septem, clerici viginti tres dies pœniteant.

Concilium Carthaginense Tertium. 398.

Cap. 29. Sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo Cœna Domini celebratur. Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum commẽdatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt, iam pransi inueniantur.

Augustinus. 400.

Epistola 118. ad Ianuarium cap. 6. Illud magis mouere potuit homines, vtrum iam refecti die illa vel offerrent, vel sumerent Eucharistiam, quod in Euangelio dicitur: *Cùm autem illi manducarent, accepit Iesus panem & benedixit*: cùm etiam superius
Matt. 26 dixisset: *Cùm serò factum esset, recumbebat cum duodecim, & manducantibus eis dixit: Quoniam vnus ex*
Matt. 26 *vobis me tradet.* Post enim tradidit Sacramentum. Et liquidò apparet, quando primùm acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. Nunquid tamen propterea calumniandum est vniuersæ Ecclesiæ, quòd à ieiunis semper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. Nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur. Neque enim, quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum conuenire debent, aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit & emendat, mensis suis ista miscere. Namque Saluator quò vehementius commendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit arctius infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat. Et ideo non præcepit, quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, vt post alios cibos semper acciperetur, credo quòd eum morem nemo variasset.

Concilium Hipponense. 417.

Cap. 30. Vt à ieiunis altaris Sacramenta celebrentur.

Sedulius. 450.

Ad cap. 11. prioris ad Corinth. Hic tria principalia peccata in eis reprehendit, vt in sequentibus demonstrat: quòd cibum corporalem in Ecclesia sumebant, quòd ante Communionem corporis Christi ipso cibo vescebantur, quòd nihil pauperibus dabant, & quod contentiosi erant.

Et ad locum, *suam cœnam præsumebant*: Quia ante sacrificium edebant, & pauperibus nihil offerebant, neque impertiebant. Apud Corinthios quondam, vt alij asserunt, praua inualuit consuetudo, Ecclesias passim dehonestare conuiuijs, quibus vescebantur ante Dominicam oblationem, quam cœnam noctibus adoriebantur: cumque diuites ebrij ad Eucharistiam venirent, vexabantur inopes fame. Mos iste, vt referunt, de gentili adhuc superstitione veniebat; vnde etiam in qui-

busdam locis per Aegypti & Syriæ loca, die Sabbati nocte post cœnam dicitur ad Cœnam conueniri.

Concilium Bracarense secundum. 572.

Cap. 10. Cognouimus quosdam Presbyteros in huius præsumptionis audacia retineri, vt Missas mortuorum, etiam post acceptum merum vel oblationem, a se sint consecrare: ideoque hoc præfixæ emendentis sententiæ admonitione seruetur, vt si quis Presbyter post hoc edictum nostrum amplius in hac vesania fuerit deprehensus, hoc est, non ieiunus, sed quocunque iam cibo præsumpto, oblationem consecrauerit in altari, continuò ab officio suo priuatus, à proprio deponatur Episcopo.

Concilium Matisconense secundum. 588.

Cap. 6. Item decernimus, vt nullus Presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino, sacrificia contrectare, aut Missas priuatis, festisque diebus concelebrare præsumat. Iniustum est enim, vt spiritali alimento corporale præponatur: sed si quis hoc attentare curauerit, dignitatem amittat honoris. Iam enim de tali causa & in Concilijs Africanis definitum est. Quam definitionem nostro quoque dignam duximus sociare decreto, & ad locum: Vt Sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo Cœna Domini celebratur.

Concilium Antisiodorense. 615.

Cap. 19. Non licet Presbytero, aut Diacono, aut Subdiacono post acceptum cibum vel poculum Missas tractare, aut in Ecclesia dum Missæ dicuntur stare.

Isidorus Hispalensis. 620.

De officijs Ecclesiasticis lib. 1. *cap.* 18. Hoc sacrificium quod Christianis celebrare præceptum est, fit à nobis, quod pro nobis ipse Dominus fecit, quod non manè, sed post cœnam in vesperum obtulit. Sic enim Christum oportebat id implere circa vesperam diei, vt Dominus hora ipsa sacrificij ostenderet vesperam mundi. Proinde autem non communicauerunt ieiuni Apostoli, quia necesse erat, vt Pascha illud typicum antea impleretur, & demum ad verum illud Paschæ Sacramentum transirent. Hoc enim in mysterio tunc factum est, quòd primum discipuli corpus & sanguinem Domini nostri non acceperunt ieiuni. Ab vniuersa autem Ecclesia nunc à ieiunis semper accipitur. Sic enim placuit Spiritui sancto per Apostolos, vt in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi, & ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur.

Concilium Toletanum Septimum. 652.

Cap. 2. Nullus post cibum potumque, quamlibet minimum, sumptum Missas facere præsumat.

Beda 700.

Ad cap. 22. *Lucæ.* Similiter ad calicem, postquam cœnauit. Quòd si quem mouet, cùm cœnatis Saluator Apostolis suum corpus & sanguinem tradiderit, quare nos vniuersalis Ecclesiæ consuetudine ieiuni doceamur eadem Sacramenta percipere, breuiter audiat: ideo tunc cœnatos communicasse Apostolos, quia necesse erat Pascha illud typicū anteà consummari, & sic ad veri Paschatis Sacramenta transiri. Nunc in honorem tanti, tamque terribilis Sacramenti placuisse Magistris Ecclesię, primò nos Dominicæ passionis participatione muniri, primò spiritualibus epulis interius exteriusque sacrari, ac deinde terrenis dapibus corpus & vilibus escis refici.

Glossa Ordinaria. 840.

Ad cap. 26. *Matth.* Post cœnam Christi corpus suum dedit, quia necesse erat Pascha typicum prius consummari, & sic veri Paschatis Sacramenta post substitui. Nos vero pro reuerentia tanti Sacramenti prius reficimur Dominicæ passionis Sacramento, quàm corporalibus escis.

Christianus, qui & Druthmarus. 850.

Ad cap. 26. *Matth.* Quòd Dominus Sacramentum corporis & sanguinis sui post cœnam dare voluit discipulis, & ieiuni illud capere iubemur, hæc est ratio: Dominus ostendit figurale Testamentum à se præceptum, donec veniret verum: imposuit illi terminum, & dedit initium noui Testamenti. Hac de causa vetus ante nouum celebrauit. Fecerunt autem multo tempore Apostoli similiter, post alium cibum Dominicum sumentes. Post verò cùm venirent ebrij ad communicandum, tunc præceptum est in Synodo, vt vnusquisque homo, si etiam de alijs peccatis purificatus fuerit, prius reficiatur de cibo spirituali, & postmodum de temporali.

VValafridus Strabo. 850.

De rebus Ecclesiasticis cap. 19. Illud verò, quòd superiores in anniuersario Cœnæ Dominicæ pransi communicare permissi sunt, ex occasione supra exposita emersisse videtur. Sed à sequentibus honesta & rationabili deliberatione statutum esse cognoscitur, vt omni tempore à ieiunis sacrosancta celebrentur mysteria. Non enim ideò prius prandere, & postea communicare debemus, quia Dominus completor Legis, auctor gratiæ, prius legale Pascha perfecit, deinde Sacramenta Euangelica instituit: sicut nec prius corporaliter cogimur circumcidi, & postmodum baptizari, cùm sciamus Dominum nostrum factum ex muliere, factum sub lege, primò secundùm Legis statuta circuncisum, ac deinceps ad expletionem omnis iustitiæ lauacri salutaris subijsse, nobisque consecrasse primordia. Ergo à ieiunis semper celebrari debere eadem Sacramenta, & generalis totius iam comprobat vsus Ecclesiæ, & dicta Synodi Bracarensis ostendunt. Vbi etiam supra memorata in die Cœnæ Dominicæ communicatio post solutum ieiunium anathematis interpositione abscinditur. Si itaque illo die post prandium communicare non licet, cui & exemplum Domini, & quorundam assensus suffragari videbatur: multo minus alijs temporibus licet, quibus horum neutrum cognoscitur attributum. Hoc autem ita fieri non solùm honestas sobrietatis, per quam receptacula pectorum tantæ sanctitati percipiendæ præparari conuenit, ne si indignè sumatur, in iudicium transeat medicina: sed etiam ratio necessitatis magna poscebat: quia videlicet prandentes ante communicationem, proficiente (vt assolet) in peius mala consuetudine, de paruis refectionibus vsque ad ebrietatis ingluuiem interdum prolapsos credibile est.

Paschasius Ratbertus. 880.

De corpore & sanguine Domini cap. vigesimo: Sacramentum fuit, quòd Dominus post cœnam Apostolis hoc tradidit: sic enim illud oportebat impleri, post finem diei ad vesperam: vt hora ipsa sacrificij ostenderet iam finem seculi aduenisse, &c. Apostoli ideo ieiuni iam non erant, quia necesse fuit, vt Pascha illud typicum prius compleretur, deinde ad verum Paschæ Sacramentum transirent. Hoc enim in mysterio tunc factum est, vt & vmbra finem acciperet veritate ostensa, & ipsi deinde ad veram mox transirent nouitatem. Ex quo factum est, vt ieiuni corpus & sanguinem primitus non reciperent: cæterùm vniuersaliter in Ecclesia omnes cum summa religione ieiuni communicare consueuerunt. Sic enim placuit Spiritui sancto per Apostolos ordinare, vt in honorem tanti mysterij primitus corpus Christi & sanguis sobriè acciperetur,

peretur, quàm cæteri cibi: & ideo per omnes Ecclesias mos iste satis decenter & prouidè inoleuit.

Anselmus. 1080.

Ad cap. 11. prioris ad Corinth. Tangit eorum consuetudinem, quia frequenter in anno certis diebus solebant omnes ad Ecclesiam conuenire, vt corpus & sanguinem Domini perciperent, & in Ecclesia conuiuium agerent ex oblationibus suis, ad exemplum cœnę, quam Dominus cum discipulis suis fecit. Sed hanc consuetudinem plurimi eorum peruerterant: & secundùm quod alius alio prior veniebat, offerens cibos suos manducabat & inebriabatur, non expectans pauperem fratrem: & postea corpus Domini sumebat, vel cibis suæ mensæ miscebat, non iudicans illud ab alijs cibis differre, &c. *Vnusquisque vestrum suam cœnam)* quod secum attulit, *(præsumit)* id est, ante Dominicam Cœnam, & antequam cæteri conueniant, sumit: *(ad manducandum,)* non ad erogandum pauperibus. *Et alius quidem esurit, alius ebrius est.* Et ita iam non estis idonei *Dominicam cœnam manducare,* id est, sacram Eucharistiam percipere, quæ à ieiunis & concordantibus est percipienda. Quamuis Apostoli primò eam non ieiuni perceperint. Placuit enim Spiritui sancto, vt in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur. Neque quia post cibos illud dedit Dominus, propterea pransi vel cœnati fratres ad illud percipiendum conuenire debent, aut sicut faciebant, quos nunc arguit Apostolus & emendat, mensis suis hoc miscere.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

De diuinis Officijs lib. 10. cap. 18. Nec cuiquam hæc diuina mysteria post cibum corporis traduntur, nisi vrgeat ea, quæ retardari non potest, instantis necessitas mortis.

Petrus Lombardus. 1140.

Libro 4. distinct. 8. Ideo etiam post alia dedit discipulis hoc Sacramentum, vt hoc vnum arctius memoriæ eorum insigeretur, & ab Ecclesia deinceps frequentaretur. Sed non exinde disciplinam sanxit in posterum, vt post alios cibos sumatur: sed potius à ieiunis sumi oportet: sicut Apostolus docet, vt singulari reuerentia dijudicetur, id est, discernatur ab alijs cibis, quod Dominus Apostolis discernendum reliquit.

Hildegardis. 1160.

Secundi Sciuias visione 6. cap. 39. Hoc officium à sacerdotibus in sacrificio in ieiunio ventris, & non in repletione eius celebrandum est: ne coagulatio escarum spirituale desiderium euacuet. Quoniam prius etiam sumi debet spiritualis epulatio, & postea carnalis refectio: & quia etiam spiritus honorandus est, & caro resocillanda. Nam hoc Sacramentum spirituali desiderio, non carnali cupiditate accipiendum est. Et ideo in ieiunio, & non super epulis percipi debet, nisi in necessitate illa, si homo in hac opinione positus est, quòd de mundo transiturus sit.

Petrus de Riga. 1170.

In Aurora:

Sed tempus non seruat idem, quando celebrauit
Hoc Sacramentum vespere Christus homo.
At nos conficimus mensam præeuntibus horis,
Cùm plus sobrius est, plus homo mente viget.
Sic opus est nobis, quoniam meditatio veri,
Nullaque tot alis actio debet adi,
Neue res desit reuerentia debita tantæ,
Ieiuno sacrum sumimus ore cibum.

Innocentius Tertius. 1200.

Mysteriorum Missæ lib. 4. cap. 26. Patet cùm primam acceperunt Apostoli Eucharistiam, non eos accepisse ieiunos. Non ideò tamen calumniandum est Ecclesiæ, quòd à ieiunis semper accipitur. Placuit enim Spiritui sancto, vt in honorem tanti Sacramenti prius in os Christiani Dominicum corpus intraret, sicut vbique mos iste seruatur. Non enim quia post cibos Dominus dedit, ideo pransi vel cœnati debent illud accipere, quemadmodum illi faciebant, quos arguit Apostolus, dicens: *Conuenientibus vobis in vnum, &c.* Saluator ergo præscriptis ex causis post cœnam tradidit Eucharistiam: quo autem ordine deinceps sumeretur, disponendum Apostolis reseruauit.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In historia Occidentali cap. 38. Licet Dominus hoc Sacramentum non dederit ieiunis, nihilominus tamen obseruanda est Ecclesiæ consuetudo, quæ ex institutione Apostolorum, qui ordinauerunt Testamentum eius super sacrificia, ieiunis præcipit hæc Sacramenta sumere.

Bonauentura. 1250.

In lib. 4. Sentent. distinct. 8. Ad illud, quod obijcitur: cùm institutum est hoc Sacramentum post cœnam, tunc debemus eo vti, dicendum: quòd hora illa conueniens fuit primæ institutioni, sed vsui nostro non conuenit: quia institutio respicit effectum Sacramenti, sed vsus vlterius idoneitatem suscipientis. Et quia homo satur non est idoneus ad spiritalia peragenda, ideo non seruat hoc Ecclesia, nec debet seruare.

Guilhelmus Durandus. 1280.

Rationalis Diuinorum lib. 4. cap. 1. n. 20. Sed quia Missa in ieiunio dici debet, ideo, ne minus ieiunent, post vesperas inchoatur, & vsque ad noctem ieiunium protelatur.

Num. 27. Sed nunquid pransus conficit? Respondeo, sic: Licet hoc facere non debeat. Non enim ieiunium est de substantia.

Petrus Paludanus. 1300.

In lib. 4. Sentent. distinct. 8. quæst. 2. Eucharistia non debet sumi nisi ieiuno stomacho, nisi in necessitatis articulo, vt quando timetur, quòd infirmus non possit expectare crastinum, quin moriatur, vel quin cadat in phrenesin, vel in alium grauem casum, ipsum priuantem à communionis perceptione.

Antonius Andreas. 1320.

In lib. 4. Sentent. dist. 8. quæst. 3. Non est sumendum hoc Sacramentum à pransis, pro eo quòd Christus dedit hoc Sacramentum Apostolis post cœnam: quia ipse fecit illud non pro eo, quòd vellet sic à nobis recipi, sed vt magis Sacramentum hoc imprimeretur ipsorum memoriæ. Ideo vltimò ante eius passionem dedit eis hunc cibum. Sed tamen ipse instituit per Apostolos & successores suos, quòd non sumeretur ex tunc, nisi à ieiunis.

Robertus Holcotius. 1330.

Super quartum Sententiarum q. 3. litera I. Ex præcepto tenetur, quoties consecrat, ieiunus sumere, *De consecrat. dist. 2.*

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica lib. 4. de Sacramento Eucharistiæ: Quantum ad nonam partem, in qua auctor noster restringit illam particulam octauæ, in qua dicitur, sumens Christi corpus debet esse ieiunus, ibi pransus percipere, &c. dicit, quòd pransus potest accipere istud Sacramentum vrgente necessitate, &c. Tamen potius à ieiunis sumi decet, &c. Propter institutionem Ecclesiæ Catholicæ peccat mortaliter, qui pransus celebrat: conficit tamen, dummodò intentionem habeat seruandi formam & debitam materiam.

Gabriel Bielius. 1480.

In Canonem lect. 10. Licet non sit necessarium eum, qui post dictum matutinum in serò bibit, abstinere (*in celebratione Missæ*) videtur tamen, quòd sit valde congruum, cum matutinale officium ad diem istum pertineat, à cuius principio celebrans tenetur esse ieiunus ieiunio naturæ. Dictum est autem regulariter: quia in casu potest sumi & consecrari à non ieiuno naturæ. Vnus casus est quasi generalis, quantum ad sumentes, scilicet corporis infirmitas grauis. Vnde quando timetur periculum mortis imminentis, periculum esset negare infirmo, licet pranso, poscenti Sacramentum, cùm sit viaticum: & ideo dandum est ei, qui proficiscitur ex hoc mundo, vt per ipsum perueniat ad terminum. Alius est casus specialis, quoad consecrantem, quo etiam non ieiunus potest consecrare, & sumere, & est casus iste. Minister propinat calicem sacerdoti, & per errorem pro vino ponit aquam: Sacerdos supponens ministrum bene fecisse, procedit ad consecrationem & calicis sumptionem, in cuius sumptione aduertit esse aquam: ipsa in ventrem traiecta. In quo casu tenetur sacerdos sanguinem de nouo consecrare, & consecratum sumere: quamuis per aquæ sumptionem soluerit ieiunium naturæ.

Si quis post mediam noctem aliquid sumpserit per modum cibi ac potus, non debet illa die celebrare, nec communionem Sacramenti participare. Nec refert, sicut dicit B. Thomas, & post eum Durandus, vtrum post cibum vel potum dormierit, aut etiam cibus digestus sit, quantum ad rationem præcepti.

(* * *)

ARTICVLVS VIGESIMVS.

GESTVS ET CAEREMONIAE ORANTIVM SVNT PECTORIS TVNSIONES, CORDIS SVSPIRIA, OCVLORVM ELEVATIONES, MANVVM EXTENSIONES, GENVVM FLEXIONES, &c.

ERGO RECTE FACERE SACERDOTES,
qui in sacrificio Missæ eisdem vtuntur.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ 700. AGONICHITÆ *quoties orant, genua flectere prauoluique nolunt, sed semper stantes precantur.* Damascenus hæresi 91.

1560. *Ioannes Caluinus*, de reformanda Ecclesia, *gestus, geniculationes, & ceremonias sacerdotis sacrificantis, ineptos & histrionicos vocat. Idem faciunt cæteri Caluinistæ.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Exodi 9. *vers.* 29. Ait Moyses: Cùm egressus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum, & cessabunt tonitrua. 33. Egressusque Moyses à Pharaone ex vrbe, tetendit manus ad Dominum, & cessauerunt tonitrua.

Exodi 10. 17. Fecit Iosue, vt locutus erat Moyses, & pugnauit contra Amalec. Moyses autem, & Aaron, & Hur ascenderunt super verticem collis. Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. Manus autem Moysi erant graues: sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit: Aaron autem & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte. Et factum est, vt manus illius non lassarentur vsque ad occasum solis. Fugauitque Iosue Amalec, & populum eius in ore gladij.

3. *Reg.* 8. 54. Factum est autem, cùm complesset Salomon orans Dominum omnem orationem & deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini: vtrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cælum.

2. *Paralip.* 6. 13. Stetitque *Salomon* super eam, (*basim æneam*) & deinceps flexis genibus contra vniuersam multitudinem Israel, & palmis in cælum leuatis, ait: Domine Deus, &c.

1. *Esdræ* 9. 5. Et in sacrificio vespertino surrexi de afflictione mea, & scisso pallio & tunica, curuaui genua mea, & expandi manus meas ad Dominum meum.

Psalm. 87. 10. Clamaui ad te Domine tota die: expandi ad te manns meas.

Psalm 140. 2. Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Daniel. 6. 10. Quod cùm Daniel comperisset, &c. fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat.

Matth. 26. 39. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.

Lucæ 18. 13. Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.

Actor. 7. 60. Positis autem genibus (*Stephanus*) clamauit voce magna dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.

Actor. 21. 5. Positis genibus in litore orauimus.
Ephes. 3. 14. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi.

ASSERVNT VARIARVM Gentium Liturgiæ.

Liturgia D. Petri.

Qui tibi offerunt hanc hostiam laudis pro seipsis (*iungit manus, orat aliquantulum pro quibus orare intendit: deinde extensis manibus prosequitur*, & omnium, quorum tibi fides & deuotio cognita est, &c. In omnibus protectionis tuæ muniantur auxilio, (*iungit manus*) Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen. *Tenens manus extensas super oblata, dicit:* Hanc igitur oblationem, &c.

Liturgia D. Iacobi.

Deinde sacerdos inclinans se orat: Clemens, & misericors Domine, &c. *Deinde sacerdos orat ceruice inclinato:* Domine, &c. *Diaconus:* Osculemur nos osculo sancto. Capita nostra inclinemus. *Sacerdos inclinans se hanc orationem dicit:* Tu qui solus es Dominus, &c.

Liturgia D. Marci.

Et post salutationem Diaconus elata voce: Ad offerendum pro more state. *Sacerdos cruce signans patinas, & calices, elata voce dicit:* Credo in Deum, &c. *Diaconus:* Ad orationem state, &c. *Sacerdos autem se inclinans, apprecatur,* &c. *Diaconus:* Qui sederis, surgite. *Sacerdos orare pergit. Diaconus:* Ad Orientem. *Sacerdos se inclinans orare pergit. Diaconus:* Extendite. *Sacerdos elata voce,* &c. *Diaconus:* Denuò extendite. *Sacerdos elata voce pergit,* &c. *Sacerdos tacitus orat,* &c.

Liturgia D. Basilij.

Tunc ante aduentum Pontificis intrant Ecclesiam Presbyter, & Diaconus, & stantibus ante cancellos dicit Presbyter inclinato capite hanc orationem, &c. Tunc eleuans manus Pontifex dicit secretè, &c. Et exclamat alta voce. Post leuationem manuum petit ministros pro se orare. Diaconus: *Catechumeni inclinate capita vestra.* Modò erigit se Pontifex, & signat. Iterum inclinat se, & dicit, &c. Clerus & populus simul cum illo leuatis manibus. *Diaconus:* Capita nostra Domino inclinemus. *Populus:* Tibi Domine. *Pontifex secretò orat:* Domine Pater miserationum inclinantes tibi sua capita custodi, muni, sanctifica.

Liturgia B. Ioannis Chrysostomi.

Dum hæc cantantur à Lectoribus, inclinat se Diaconus, à dextris stans Sacerdotis, & dicit remissa voce: *Dominum rogemus*, &c. Et erigens se, & tertiò consignans sancta munera dicit, &c. Exaltat vocem. Hac oratione dicta, dicit Diaconus: *Attenti simus.* Et Sacerdos se inclinans suscipit portionem, quæ est in sancta patena, & modicum sustollens, dicit: *Sancta sanctis.*

Liturgia Æthiopum.

Dicit sacerdos cantando, & extendendo palmas sursum, ita tamen, quòd caput non excedant: *Vnus Pater sanctus, vnus Filius, vnus Spiritus sanctus. Diaconus:* Flectite genua. *Populus:* Ante te Domine flectimus, & te laudamus.

Liturgia Mozarabum.

Postea inclinatus ante altare submissa voce dicit sacerdos, &c. Mox eleuatis manibus dicit, &c. mox sublatis in cælum manibus dicit, &c. Et tundendo pectus dicit: *Pone Domine finem peccatis.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Const. Apost. lib. 2. c. 57. Deinde cuncti pariter consurgentes, & in Orientem spectantes, egressis catechumenis & pœnitentibus, precentur Deum, qui ascendit super cælum cæli, idque ad Orientem: vnde primus homo neglecto Dei mandato consilio serpentis eiectus est.

Libro 8. capite 6. Et ante omnes respondeant pueri, & inclinantibus eis capita benedicat Episcopus ordinatus huiusmodi oratione, &c.

Cap. 7. Deinde postquam se signauerint in nomine Dei Patris per Christum eius, seque inclinauerint, accipiant ab Episcopo benedictionem.

Iustinus. 150.

Quæst. 115. Si genuum inclinatio in precationibus magis Deo peccatores commendat, quàm si stantes orent, magisque ea res diuinam permouet commiserationem: quapropter diebus Dominicis & à Paschate ad Pentecosten vsque precantes genua non flectunt? Quia vtriusque nos oportuit iugem obtinere memoriam, & ipsius per peccata lapsus nostri, & gratiæ Christi nostri, per quam à lapsu resurreximus: ea propter genuum per sex dies inclinatio, symbolum & nota est lapsus per peccata nostri. Quòd verò die Dominico genua non flectimus, signum est, & designatio resurrectionis, per quam gratia Christi & à peccatis, & à mortificata in eis morte liberati sumus.

Dialogo cum Tryphone: Quis enim vestrum ignorat, precationem eam maximè flectere Deum, quæ ad commiserationem mouendam lachrymis est comparata ab eo, qui supinus prouoluitur, aut in genua procumbat.

Hegesippus. 160.

Lib. 5. Comment. Iacobus Iustus fixis genibus pro populo deprecabatur in tantum, vt camelorum duritiem traxisse eius genua viderentur.

Marcus Aurelius Antoninus Imp. 180.

Epistola ad Senatum Romanum, scribens de Christianis militibus: Quapropter æquum est, quos impios & à Dijs alienos esse suspicati sumus, vt eos norimus Deum in conscientia suapte sponte illapsum, atque ibi inclusum habere. Nam proijcientes se in terram, non pro me tantùm, sed pro exercitu, qui tum ibi aderat, vniuerso precati sunt, ita vt solatio nobis essent in præsenti fame & siti: in quintum enim iam diem aquam, quòd ea defecisset, non ceperamus. Nam in meditullio Germaniæ in medio hostium eramus: simulatque verò illi in terram sunt prouoluti, & Deum precatione inuocarunt, quem ego ignorabam, aqua de cælo est consecuta.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 7. Stromaton: Et caput & manus in cælum extendimus, & pedes excitamus in vltima acclamatione orationis, promptitudine & alacritate spiritus assequentes essentiam, quæ apprehenditur intelligentia, & vnà cum verbo corpus à terra abducere conantes, erectam & eleuatam animam, desiderio meliorum cogimus in sancta progredi, magno animo carnis vinculum despicientes.

Origenes. 230.

Homilia 3 in Numeros: In Ecclesiasticis obseruationibus sunt nonnulla huiusmodi, quæ omnibus quidem facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nam quòd (verbi gratia)

genua flectimus orantes, & quòd ex omnibus cæli plagis ad solam Orientis partem conuersi orationem fundimus, non facilè cuiquam puto ratione compertum.

Concilium Nicænum. 330.

Canone 20. Quoniam sunt quidam in Dominica die oratione genua flectentes, & in diebus Pentecostes, placuit de hoc sanctæ magnæ Synodo, cunctos in omnibus locis consonanter & consentienter stantes Dominum adorare debere.

Basilius Magnus. 370.

Lib. de Spiritu sancto cap. 27. Omnes spectamus ad Orientem cùm precamur. Pauci tamen nouimus, quòd id facientes antiquam requirimus patriam, videlicet paradisum, quem conseruit Deus in Eden ad Orientem. At in prima Sabbati erecti perficimus deprecationes, sed rationem non omnes nouimus. Non solùm enim, quòd veluti simul cum Christo resuscitati, quæ sursum sunt quærere debeamus, in die resurrectionis datæ nobis gratiæ stando precantes nosmetipsos commonefacimus, sed quòd is dies aliquo modo videatur imago futuri seculi. Necessarium igitur in hac die Ecclesia suos alumnos docet, stantes absoluere preces suas, vt assidua commonitione vitæ illius nunquam desituræ, non negligamus ad eam demigrationem parare viaticum.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Epist. 66. ad Philagrium: Ac sermo quidem currebat: tu verò, interim dum loquerer, quasi stimuli cuiusdam ictu excitatus, manusque ad cælum tendens, atque Orientem versus oculos habens (nam eò aspectus patebat) acclamare cœpisti: Gratias ago tibi Pater, tuorumque hominum conditor, quòd nobis beneficijs afficis.

Gregorius Nyssenus. 380.

De oratione Dominica Sermone 5. Donec afflictionis locum, ad quem incolendum condemnati sumus, intuemur, quando ad Orientem nos conuerterimus: (non quòd Deus illic duntaxat videatur: qui enim vbique est, in nulla parte peculiariter ac separatim comprehenditur, nam ex æquo continet res vniuersas, sed quòd in Orientis partibus prima nobis patria sit: dico autem de ea, quam in paradiso habuimus, habitatione, ex qua eiecti sumus:) cùm igitur ad Orientales partes respicimus, & recordamur, quemadmodum ex lucidis & Orientalibus beatitudinis locis eiecti sumus, meritò talem vocem proferimus, qui ex oculis Dei proiecti sumus.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Lib. 1. de modo orandi Deum. Hiberno tempore decet etiam noctis maximam partem precibus impendere, & flexis genibus multo cum tremore instare deprecationi.

Nilus Abbas. 430.

De interemptione patrum Syna, &c. Surgens ab eo loco, in quo iacebam, sedi, manus meas complicans genibus, faciemque super ea inclinans, sinum implebam lachrymis.

Theodoretus. 450.

In historia sanctorum Patrum de Iuliano Saba: Docuit illos intus quidem communem offerre hymnodiam, post auroram autem duos exire simul in solitudinem: & vnum quidem flexis genibus offerre eam, quæ Domino debetur, adorationem: alterum verò stantem Dauidicos Psalmos canere quindecim.

Isaac Presbyter. 460.

De mundi contemptu cap. 10. Quæ sunt ista? fames, lectio, peruigiles totius noctis vigiliæ iuxta posse vniuscuiusque, multitudo genuflexionum, quæ ad faciendum sunt necessariæ in horis, die, ac nocte multoties. Fiant autem ad minus triginta qualibet vice, & adoretur crux, & sic deinde recedatur. Alij in vna oratione faciunt per triginta, habentes mentem peruigilem absque violentia & elatione, prostrati in faciem.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 15. Conuenit illis, qui nondum veram cordis orationem possiderunt, corporea exercitatio orationis, videlicet manuum extensio, tunsio pectorum, gemituum singultuumque perturbatio, syncerus ac iugis in cælum conspectus, perpetua genuum curuatio. Quæ omnia dum nonnunquam propter præsentes facere non possumus: tunc maximè nos oppugnant dæmones. Exili citò, si possibile est, abscondere modicum secretius, eleua animæ aciem, si potes: sin verò, vel exterioribus luminibus in cælum aspice: extende in figuram crucis immobiles manus, vt per ipsam quoque formam & habitum orantis Amalech confundas & superes.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

In Theoria: Orientem versus precari traditum est, vt & reliqua, ab Apostolis sanctis: & ita res habet, propterea quòd spiritalis sol iustitiæ Christus Deus noster in terra apparuit in Orientis solis sensibilis partibus, vt Propheta inquit: *Oriens nomen ei est.* Et rursum: *Adorate Dominum, qui ascendit cælum cæli secundùm Orientem.* Et: *Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.* Propterea etiam, quòd nos denuò paradisum illum in Eden expetimus & speculamur, ab Oriente recuperatum iri expectantes, & etiam recipientes ortum illum lucis apparituræ in Domini secundo aduentu & regeneratione.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 13. Non temere ac sine causa ad Orientem conuersi, adoramus. Nam quia ex visibili simul & inuisibili, hoc est, ex ea natura, quæ intelligentia percipitur, & ea, quæ in sensum cadit, constamus, duplici quoque proinde adorationis genere illum rerum omnium parentem & architectum afficimus. Quoniam igitur Deus spirituale est lumen, & sol iustitiæ, ac Christus in sacris literis Oriens appellatur, idcirco nobis faciendum est, vt eam partem, qua sol oritur, ipsi adorationis ergò assignemus, &c.

Historia Barlaam cap. 21. Barlaam surrexit, atque ad adorandum se præparauit, manibusque in cælum sublatis, his verbis vsus est: Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, &c.

Concilium Trullense. 710.

Can. 101. Si quis immaculati corporis in Synaxis tempore esse particeps voluerit, etiam antequam eius fiat Communio, manus in crucis formam figurans sic accedat, & gratiæ communionem accipiat.

Ignatius Nicænus. 820.

In vita sancti Tarasii: Habebat precationem, quæ mentem sublime ad cælos euehebat, & soli Deo reddebat familiarem, & coniungebat incorporeis oculis, & expellebat omnem tentationem conuenienter Domini eloquio. Nullum enim tempus erat, quo non habebat solum eum genua flectentem, & surgentem, & manus ad cælos extollentem, & supernè à Deo accipientem illuminationem.

Theodorus Studites. 830.

Oratione funebri in sanctum Platonem: Flectendorum genuum crebritas, à Patribus tradita, & callum, quod eius manus contraxerant, ac terra, in qua genua sua ponebat, huc vsque virtutem illius manifestè prædicant.

Theophylactus. 900.

Ad cap.6 Matthai: Orantes non simpliciter, sed cum omni precatione & rogatione, cum fletu & pectoris compunctu, & complausu, cum inflexione genuum, idq; genus similibus, nec statis tantummodò horis, verùm & omni tempore.

Simeon Metaphrastes. 950.

Vita S. Pachomij c.49. Pachomius cùm, vt consueuerat, tota nocte manus in formam crucis extendisset, mansit immotus, donec peregit orationem.

De rebus gestis S. Cornelij Centur. c.5. Cū itaq; ad Orientē genu flexisset, dixit ex animo: Deus, qui conturbas terrā, & montes transfers in cor maris, &c.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

In Apologetico cap.30 Illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubescimus: denique sine monitore, quia de pectore oramus, precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, &c. Sic itaque nos ad Deum expansos vngulæ fodiant, cruces suspendant, ignes lambant, gladij guttura detruncent, bestiæ insiliant, paratus est ad omne supplicium ipse habitus orantis Christiani.

De Oratione cap.13. Atqui cum modestia & humilitate adorantes magis commendamus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed temperatè ac probè elatis. Nec vultu quidem in audaciam erecto. Nam ille publicanus, qui non tantum prece, sed & vultu humiliatus atque deiectus orabat, iustificatior Pharisæo procacissimo discessit. Sonos etiam vocis subiectos esse oportet, aut quantis arterijs opus est, si pro sono audiamur? Deus autem non vocis, sed cordis auditor est, sicut conspector.

Minutius Felix. 230.

In Octauio: Cùm erigitur iugum, signum crucis est, & cùm homo Deum manibus pura mente veneratur: ita signo crucis aut ratio naturalis innititur, aut vestra religio formatur.

Cyprianus. 250.

De oratione Dominica: Adorans nec illud ignoret, quemadmodum in templo cum Pharisæo Publicanus orauerit: non allatis in cælum impudenter oculis, nec manibus insolenter erectis, sed pectus suum pulsans, & peccata intus inclusa contestans, diuinæ misericordiæ implorabat auxilium.

Hilarius. 350.

Ad Psalm. 133. Standum est ergo in domo Domini, quia benedictio stantium placeat, & stantium in domo illa sancta, & cælesti Hierusalem, & Angelorum frequentium, ad quam per hanc Ecclesiæ & conuentus nostri domum scanditur. Eleuandæ manus sunt in sancta, non ad precandum & orandum tantùm, sed & ad operandum.

Ambrosius. 370.

Sermone 61. de Penticoste. Omni hoc tempore neque ad obseruandum indicamus ieiunia, neque ad exorandum Deum genibus succidimus, sed sicut Dominica solemus facere, erecti & feriati resurrectionem Domini celebramus.

Hieronymus. 390.

Aduersus Lucifer. c.6. Indubitata ad Deum fidei ratione reperitur: verbi gratia dictum sit, vt quod volumus perspicuum fiat: ad orationem assisto, non orarem, si non crederem: sed si verè crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, tunderem pectus manibus, genas lachrymis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes, eosque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certè trunco crucis, nec prius amitterem, quàm misericordiam impetrarem. Nunc verò creberrimè in oratione mea, aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo: aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero. Vbi est fides? sicciné putamus orasse Ionam? sic tres pueros? sic Danielem inter leones? sic certè latronem in cruce? Ionæ 4. Dan 3. & 4. Luc.23.

In vita Pauli Eremitæ: Antonius ingressus in speluncam, vidit genibus complicatis, erecta ceruice, extensisq; in altum manibus, corpus Pauli exanime. Ac primùm & ipse eum viuere credens, pariter orabat. Postquam verò nulla, vt solebat, suspiria precantis audiuit, in flebile osculum ruens, intellexit quòd etiam cadauer Sancti Deum, cui omnia viuunt, officioso gestu precabatur.

Ad cap 45. Esaiæ: Moris Ecclesiastici est, Christo genu flectere. Quod Iudæi, mentis superbiam demonstrantes, omnino non faciunt.

Proœmio in Epistolam ad Ephesios: Permansit Paulus Ephesi vsque ad Pentecostem, tempus lætitiæ atque victoriæ, quo non flectimus genua, nec curuamur in terram, sed cum Domino surgentes ad cælorum alta sustollimur.

Ad cap.3 Epistola ad Ephesios: Hæc spiritualiter exponentes, non statim iuxta literam orandi consuetudinem tollimus, qua Deum genu posito suppliciter adoramus, & fixo in terrā poplite, magis quod ab eo poscimus, impetramus. Legimus enim & Paulum in littore sic orasse, & geniculationes in oratione præceptas. Sed sicut illud ædificat simplices, ita ut veram geniculationem esse docemus in animo: quia multi corporale flectentes genu, animę nequaquam poplitem curuauerunt. Et contra alij erecto Deum corpore deprecantes, magis se animo curuauerunt. Act 20.

Ruffinus. 390.

Eccl. hist. lib. 1. c. 12. Alexander nocte sub altari iacens, atque in oratione & lachrymis totam peruigilem, ducens causam Domino commendabat.

Augustinus. 400.

De cura pro mortuis agenda cap.5. Nam & orantes de membris sui corporis faciunt, quod supplicantibus cōgruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciunt: quamuis eorum inuisibilis voluntas, & cordis intentio Deo nota sit: nec ille indigeat his indicijs, vt humanus ei pandatur animus: sed his magis seipsum excitat homo ad adorandum gemendumq; humilius atque feruentius. Et nescio quomodo, cum hi motus corporis fieri, nisi motu animi præcedente, non possint, eisdem rursus exterius visibiliter factis, ille interior inuisibilis, qui eos fecit, augetur: ac per hoc cordis affectus, qui vt fierent ista præcessit: quia facta sunt, crescit. Verumtamen si eo modo quisque teneatur, vel etiam ligetur, vt hæc de suis membris facere nequeat, nō ideo non orat interior homo, & ante oculos Dei in secretissimo cubili, vbi compungitur, sternitur.

Sermone 10 inter quinquaginta Homilias: Si falsum est, vnde quotidie tundimus pectora? Quod nos quoque Antistites ante altare assistentes cum omnibus facimus, &c. Nam si non habemus peccata & tundentes pectora dicimus: *Dimitte nobis debita nostra,* ex ipso certè & grauiter nullo dubitante peccamus, cùm inter ipsa Sacramenta mentimur.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia 3. de Quadragesima: Rectè, frater, frequentabis Ecclesiam, si gressus tuos lethalibus laqueis

auide illa non implicet & inuoluat vsura. Rectè orabis Dominum tuum, si precibus tuis obuia tibi cordis non obstat inuidia. Rectè contunde manibus pectus, si omnem inde furorem malignæ voluntatis excusseris.

Homilia 2. de cruce & sepultura Domini: Ipsius enim incessus hominis, tùm manus leuauerit, crucem pingit: atque ideo eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur. Tunc enim citius nostra exauditur oratio, cùm Christum, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur. Hoc etiam exemplo Moyses sanctus, cùm contra Amalech bellum gereret, non armis, non ferro, sed eleuatis ad Deum manibus eum superauit.

Homilia 3. de Festo Pentecostes: Hoc omni tempore neque ad obseruãdum indicimus ieiunia, neque ad exorãdum Deum genibus succidimus: sed sicut Dominica solemus facere, erecti & feriati resurrectionem Domini celebramus.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homil. 30. de genibus flectendis in oratione: Rogo vos & admoneo fratres charissimi, vt quotiescunque iuxta altarium à clericis oratur, aut oratio Diacono clamante indicitur, non solùm corda, sed & corpora fideliter inclinetis. Nam dum frequenter, sicut oportet, & diligenter attendo, Diacono clamante: *Flectamus genua*, maximam partem populi veluti columnas erectos stare conspicio. Quod Christianis, dum in Ecclesia oratur, omnino nec licet, nec expedit. Non enim propter nos, sed propter vos Diaconus clamat: *Flectamus genua*, &c. Et illud similiter admoneo, fratres charissimi, quoties Diaconus clamauerit, vt vos ad benedictionem inclinare debeatis, & corpora & capita fideliter inclinetis: quia benedictio nobis, licet per hominem, non tamen ab homine datur. Nec attendatis, si fortè negligens est, qui exhibet: sed Dominum respicite, qui transmittit. Benedictio enim, quæ vobis datur, ros & pluuia cælestis esse cognoscitur.

Saluianus Massiliensis. 480.

De iudicio & prouidentia Dei lib. 7. Ad domos videlicet statim Dominicas currimus, corpora humi sternimus, mixtis cum fletu gaudijs supplicamus.

Gordianus. 550.

Vita S. Placidi cap. 35. Sanctus Placidus ad misericordiam flexus, erectis in cælum manibus dixit: Domine Iesu Christe lux vera, &c.

Passionis S. Placidi cap. 6. Hæc cùm dixisset, expansis in cælum manibus, & oculis in altum erectis, orauit ad Dominum, dicens: Vnigenite Fili Dei, &c.

Eucherius Gallus. 540.

Lib. 2. Reg. cap. 5. Non est præscriptum quomodo corpus constituatur ad orandum, dum animus Deo præsens peragat intentionem suam. Nam &
Luc. 18. stantes oramus, sicut scriptum est: *Publicanus autem stans de longè stabat.* Et flexis genibus, sicut in
Act. 20. Actis Apostolorum legimus. Et sedentes, vt Dauid,
& Helias. Nisi autem etiam iacentes oraremus, non
Psal. 6. scriptum esset in Psalmis: *Lauabo per singulas noctes lectum meum.*

Beda. 700.

Ad 23. Luca: Nos exemplo deuotarum Deo fœminarum, quoties Ecclesiam intramus, mysterijs cælestibus appropinquamus, siue propter Angelicæ præsentiam virtutis, seu propter reuerentiam sacræ oblationis, cum omni humilitate & timore debemus ingredi. Ad conspectum quippe Angelorum vultum declinamus in terram, cùm supernorum ciuium quæ sunt gaudia æterna contemplantes, humiliter nos cinerem esse terramque recolimus. Et notandum, quòd sanctæ mulieres astantibus sibi Angelis non in terram cecidisse, sed vultum dicuntur in terram declinasse. Nec quenquam Sanctorum legimus tempore Dominicæ resurrectionis, vel ipso Domino, vel Angelis sibi visis, terræ prostratum adorasse. Vnde mos obtinuit Ecclesiasticus, vt vel in memoriam Dominicæ, vel in nostræ spem resurrectionis, & omnibus Dominicis diebus, & toto Quinquagesimæ tempore, non flexis genibus, sed declinatis in terram vultibus oremus.

Alcuinus. 750.

De Trinitate lib. 2. cap. 5. Cùm ad orationem stamus, ad Orientem conuertimur, vnde cælum surgit, & lumen oritur: non tanquam ibi habitet Deus, quasi cæteras mundi partes deseruerit, qui vbique præsens est.

De diuinis Officijs cap. 29. Sabbatum in duodecim lectionibus. Per singulas orationes debemus mentis humilitatem per genuflexionem ostendere, excepto infra Pentecosten. In sola lectione de camino ignis non flectimus genua, quando Nabuchodonosor compellebat populum adorare statuam, quam fecerat, vt separata sit nostra oratio, quæ est ad vnum Deum ab errore gentilium.

Synodus Tertia Turonensis. 813.

Cap. 37. Sciendum est, quòd exceptis diebus Dominicis, & illis solennitatibus, quibus & vniuersalis Ecclesia, ob recordationem Dominicæ resurrectionis, solet stando orare, fixis in terram genibus suppliciter Dei clementiam nobis profuturam, nostrorumque criminum indulgentiam deposcendum est: cuius rei in Euangelio ipse Dominus nobis dedit exemplum. Sed & Stephanum Martyrem, & A- Act. 7.
postolum Paulum eadem fecisse, liber Actuum Apostolorum testis est. Ex quibus intelligi datur, oportere Christianum humiliter ad terram prosterni, ne fortè illi dicatur: Quid superbis terra & cinis?

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap. 25. In nouo Testamento non tantùm orandi, sed etiam genua flectendi copiosa reperiuntur exempla. Nam Dominus Iesus Christus ante passionem suam procidens in faciem suam adorauit Patrem. Et Stephanus positis genibus pro lapidantibus exorauit. De Bartholomæo etiam legitur Apostolo, quòd centies in die, centies de nocte flexerit genua. Quamuis autem geniculationis morem tota seruet Ecclesia: tamen præcipuè huic operi Scotorum insistit natio: quorum multi pluribus, multi paucioribus, sed tamen certis vicibus, ac dinumeratis, per diem vel noctem genuflectentes, non solùm pro peccatis deplorandis, sed etiam pro quotidianæ deuotionis expletione, studium illud frequentare videntur. Quibus autem horis vel temporibus inter publica officia, sine genuum flexione orandum sit, Canones loquuntur, id est, in Dominicis & festis maioribus & Quinquagesima. Iuxta quos Canones pœnitentes semper genua flectere debent.

Rudolphus Fuldensis. 870.

Vita S. Liobæ cap. 15. Quo audito mater venerabilis, de eius paucitate iam secura, præcepit omnibus iam oratorium ingredi, & extensis in crucis modum brachijs stare, quoadusque psalterium totum psallendo complerét, &c. Lioba stans ante crucem, extendit manus in cælum, & cum gemitu ac lachrymis precabatur.

Remigius Antisiodorensis. 880.

In Psalm. 62. Leuamus manus, vt si opera ab oratione discrepent, fiant orationi consona.

Luitprandus Ticinensis. 900.

Lib 5. cap. 11. Romanus Constantinopoleos Imperator expansis manibus ante crepidinem fusus cum lachrymis Deo preces effudit.

Petrus Damianus. 1050.

De Dominico Loricato cap. 12. Extensis in crucis effigiem brachijs, psalterium, inquit, cœpi. Quo me sic stante decurso, signum protinus horæ personuit, &c. Hac nocte dum solutus sopore surrexi, mox brachijs in modum crucis extensis, psalterium cœpi.

Ioannes Micrologus. 1070.

In Ecclesiasticis obseruationibus cap. 16. Sacerdos per totum Canonem in expansione manuum, non tam mentis deuotionem, quàm Christi extensionem in cruce designat, iuxta illud: *Expandi manus meas tota die.* Esai. 65.

Anselmus. 1080.

Ad caput 5. epist. ad Ephesios: Adhæc, solent in oratione flecti genua, vt humilitas interior denotetur.

Bernardus. 1130.

Epist. 351. ad Hugonem: Disce orare Deum, disce leuare cor tuum, cum manibus disce oculos supplices in cælum erigere, & Patri misericordiarum miserabilem faciem repræsentare in omni necessitate tua.

Hugo Etherianus. 1160.

De regressu animarum ab inferis cap. 14. Quare cùm orat Ecclesia, in Orientem perfigat intuitus paucis edisseram. Omnis igitur Christianus in oratione constitutus, ad Orientem faciem dirigit. quare? vt antiquam patriam, quam perdidit, perorando requirat: & Paradisum (ex quo pulsus est quem &c ad Orientem Deus plantauerat) syncæris petitionibus recipiat.

Stephanus Eduensis. 1160.

De Sacramento altaris cap. 12. Talibus indumentis sacerdos decenter ornatus, veniens ad altare confitetur se indignum celebrare tam excellens mysterium. In confessione percutiendo pectus, gemit pro peccatis.

Innocentius Tertius. 1200.

Proœmio in septem Psalmos Pœnitentiales: Quidam iacendo orant, quidam sedendo, quidam stando.

Lib. 5. Mysteriorum Missæ cap. 10. Sacerdos super mensam altaris manus extendit: quia Christus super aram crucis manus expandit, secundùm illud Propheticum: *Expandi manus meas ad populum non credentem mihi.* Esai. 65.

Cap. 12. Cùm ad id ventum est: *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis*, sacerdos paululum expressa voce percusso pectore silentium interrumpit, repræsentans contritionem & confessionem latronis, in articulo illo Pasionis Dominicæ increpantis alterum, & dicentis: *Nos quidem digna factis recipimus.* Luc. 23.

Guibertus Tornacus. 1270.

De officio Episcopi 10. Orando manus extendit, quia Christus cùm extendisset manus in cruce, pro persecutoribus orauit, & dixit: *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Sicut Moyses contra Amalech in Exodo manus leuauit, & de hostibus triumphauit: sic nos eleuantes manus, hoc est, in Deum dirigentes actus, diabolum superamus, secundùm illud Apostoli: *Leuantes manus puras in oratione.* 1. Tim. 2.

Gulhelmus Durandus. 1280.

In Rationali diuinorum lib. 4. cap. 32. Thurificationis expleto mysterio, sacerdos se inclinando dicit: *Suscipe sancta Trinitas*, &c. Sacerdotis inclinatio Christi humilitatem significat, qui exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.

Gabriel Bielius. 1480.

In Canonem Missæ lect. 55. Sacerdos hanc dicens orationem, humiliter se inclinat, osculatur altare, manus complicat, & tres cruces format. Inclinatio illa secundùm Innocentium & Alexandrum significat Christi humiliationem & inclinationem, qua imminente passione positis genibus procidit in faciem orans: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Vel secundùm alios, significat illam in cruce inclinationem, qua Christus inclinato in cruce capite tradidit spiritum. Vel tertiò sacerdos humiliter se inclinat, vt per signa sensibilia significet internam humilitatem, qua debet supplicans vestiri, vt eius oratio sit acceptior exaudiri, vtque humilitatem corpore demonstret, quam sermone explicat se tenere, dicens: *Supplices te rogamus.* Cancellat etiam sub hoc oratione manus suas ante pectus, secundùm quarundam consuetudinem Ecclesiarum, ad designandum, quòd humilitas orationis, per inclinationem designata, tunc primùm digna est exaudiri, dum ex fide procedit pectoris atque mentis. Vel secundùm aliarum consuetudinem Ecclesiarum orat cancellatis manibus ad altare, quasi facto & opere ipso dicat: Obsecro te per passionem & crucem Filij tui, iube hæc, &c. Cancellatio enim manuum, & suppositio ad altare, crucifixionem Christi significat, in quo se obtulit sacrificium pro expiatione peccatorum.

Lect. 69. Cùm post suffragia defunctis petita sacerdos ad viuos rediens, dicit: *Nobis quoque peccatoribus*, vocem exaltat, & pectus tundit: quo aliud significatur secundùm Allegoriam, aliud secundùm Tropologiam. Secundùm Allegoriam vocem exaltat, silentium interrumpens, quo repræsentat confessionem & contritionem latronis in illo Dominicæ passionis articulo, increpantis alterum, & dicentis: *Nos quidem digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit:* desiderans&c consortium beatorum, pro quo sacerdos petit in ipsa oratione, dicebat ad Iesum: *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Luc. 23. Vel per exaltationem vocis & tunsionem pectoris exprimitur, quòd centurio, & qui cum ipso erant, visis his, quæ fiebant Christo in cruce pendente, timuerunt valde dicentes: *Verè Filius Dei erat iste. Et omnis turba eorum, qui simul aderant, percutientes pectora sua reuertebantur.*

Lect. 89. Deinde sacerdos redit ad dextrum cornu altaris, & eleuatis manibus ad orationem, populum prouocans dicit: *Oremus.*

FINIS LIBRI SEXTI.

LIBER SEPTIMVS: DE POENITENTIA, ET EXTREMA VNCTIONE.

ARTICVLVS PRIMVS.

POENITENTIAM ESSE QVARTVM NOVÆ LEGIS SACRAMENTVM, LAPSIS POST BAPTISMVM AD RECVPERANDAM GRATIAM NECESSARIVM, EFFICAX, ET SALVTARE.

NEGANT.

Anno post natum Christi

200. MONTANISTÆ *contendunt non posse renouari per pœnitentiam eos, qui crucifixerunt sibimet Filium Dei, & ad omne penè delictum Ecclesiæ obserant fores.* Hieronymus epist. 54. ad Marcellam, aduersus Iouinianum lib. 2. cap. 2.

250. *Nouatus ad omnes Ecclesias scripsit, vt eos, qui simulachris immolassent, minime ad mysteria admitterent, sed hortarentur ad pœnitentiam, remissionem permitterent Deo: sacerdotibus nullam potestatem tribuebat, qua possint pœnitentes, contritos, & confessos absoluere.* Cyprianus lib. 4. c. 2. Eusebius lib. 6. cap. 39. Socrates lib. 4. cap. 23. Ambrosius lib. 4. de Pœnitentia cap. 2.

320. *Meletius Thebidos Episcopus lapsos non nisi post longum tempus ad locum pœnitentiæ admittendos esse voluit.* Epiphan. hæresi 68.

340. *Acesius Nouatianus non in sacerdotum, sed in Dei solius situm esse potestate dixit, illud peccati genus soluere, quod peccatum ad mortem vocant Scripturæ.* Sozomenus lib. 1. cap. 21.

370. *Sympronianus Nouatianæ hæreseos sectator dicebat, solum Deum ignoscere pœnitenti, post baptismum non licere pœnitere, quod mortale peccatum Ecclesia dimittere non possit.* Patianus epist. 1. & 3. ad Sympronianum.

1520. Martinus Lutherus in captiuitate Babilonica cap. de Baptismo: *Prebuit his opinionibus occasionem verbum illud periculosum D. Hieronymi, siue malè positum, siue malè intellectum, quo Pœnitentiam appellat secundam post naufragium tabulam, quasi Baptismus non sit Pœnitentia. Hinc enim, vbi in peccatum lapsi fuerunt, de prima tabula seu naui desperantes, velut amissa, secundæ tantùm incipiunt niti, & fidere tabulæ, id est, Pœnitentiæ.*

Libro eodem prope finem: *Pœnitentiæ Sacramentum signo visibili, & diuinitus instituto caret, & aliud esse non dixi, quam viam & reditum ad Baptismum.*

1522. Philippus Melanchthon in Locis communibus editis anno 1522. *Pœnitentiam non esse Signum nihil obscurum est. Est enim Pœnitentia vetustatis nostræ mortificatio, & renouatio spiritus. Sacramentum eius vel signum vel aliud nisi Baptismus est, atque hic omnium rectissimè vocatur Sacramentum Pœnitentiæ.*

1532. *Melchior Hoffmannus asseruit, quòd si quis accepta gratia denuò voluntariè peccaret, hunc nunquam deinceps in gratiam recipi.* Bullingerus contra Anabaptistas libro 2. cap. 13.

1540. VVolfgangus Musculus in Locis communibus cap. de Baptismo: *Baptismus est Sacramentum regenerationis, initiationis, & incorporationis in Christum & Ecclesiam eius: qui autem semel regeneratus est è supernis, ac Sacramento regenerationis in gratiam Christi & Ecclesiæ incorporatus, si ab hac rursus gratia prorsus exciderit, fieri non potest, vt denuò regeneretur, initietur, & incorporetur. Quare cum ipsum Sacramenti mysterium iterari nequeat, rectè sentiunt, qui Sacramentum illud iterari posse negant.*

1540. *Ioannes Islebius, à quo Antinomi, docuit Pœnitentiam ex Decalogo non esse docendam. statuit quæcunque sit hominis vita, & quantumuis impura, iustificari tamen eum, si modo promissionibus Euangelij credat.* Sleidanus lib. 12.

1550. Ioannes Caluinus lib. 4. Instit. cap. 19. §. 17. *Quacunque in parte Sacramentum posuerint, nego iure haberi pro Sacramento, & mendacium & imposturam fuit, quod de Sacramento Pœnitentiæ commenti sunt. Ementitum hoc Sacramentum egregio ornârunt elogio, dicentes secundam esse post naufragium tabulam. Sed*

dictum est Hieronymus, Cuiuscunque sit, quin planè impium sit, excusari nequit.

1560. *Martinus Chemnitius*, in Examine Tridentini Concilij folio 931. *Petrum Lombardum primum esse asserit, qui ex Pœnitentia Sacramentum fecerit, & post eum Scholasticos quæsiuisse quæ sit materia & forma.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

2. Paral. 33. *vers.* 11, Ceperuntque Manassen, & vinctum catenis, atque compedibus duxerunt in Babylonem. Qui postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum. Deprecatusque est eum, & obsecrauit intentè, & exaudiuit orationem eius, reduxitque eum Ierusalem in regnum suum.

Ierem. 3.22. Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras.

Ierem. 18.8. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam: agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei.

Ierem. 31.18. Castigasti me, & eruditus sum, quasi iuuenculus indomitus, conuerte me, & conuertur: quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum.

Ierem. 36. 3. Reuertatur vnusquisque à via sua pessima, & propitius ero iniquitati & peccato eorum.

Ezech. 18.30. Conuertimini, & agite pœnitentiam, ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proijcite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus præuaricati estis, & facite cor nouum, & spiritum nouum: & quare moriemini domus Israel?

Matth. 18.18. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.

Marci 1.14. Pœnitemini, & credite Euangelio.

Lucæ 15.10. Gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.

Ioannis 20.22. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constitut. Apost. lib. 2. cap. 13. Tu ergo Episcope iudica, vt Deus: Domini enim est iudicium. Itaq; primùm potestate fretus, reum condemna: deinde cum misericordia, & commiseratione, & susceptione allice, promissa ei salute, si mores mutet, & peccatorum pœniteat. Pœnitentem verò castigando recipe, memor Domini, cùm dixit, *Gaudium esse in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente.*

Cap. 14. Si verò pœnitentem non recipis, obijcis eum insidiatoribus, oblitus quod Dauid ait: *Ne tradas animas bestijs confitentium tibi.* Recipe ergo pœnitentem, nihil addubitans? nec obstent tibi, qui dicunt inhumanè, non oportere talium cõuictu contaminari, neque commumem cum ijs habere sermonem.

Ignatius. 100.

Epistola ad Philadelphienses. Obsecro itaque vos, quotquot pœnitentia ducti fuerint ad vnitatem Ecclesiæ, recipite illos cum omni mansuetudine, vt per bonitatem & patientiam vestam resipiscentes, ex diaboli laqueis, digni iam Christo facti, salutem consequantur æternam in regno Christi, &c. Omnibus pœnitentibus remittit Deus, si concurrant ad vnitatem Christi, & Episcopi Concilium.

Dionysius Areopagita. 100.

Epistola 8. ad Demophilum: Tu verò, vt tuæ literæ indicant, procidentem sacerdoti impium (vt ais) atque peccatorem, nescio quo pacto contra disciplinæ ordinem astans calce abiecisti, ac repulisti. Cùm ille quidem verecundè (quod oportuit) fateretur, se ad peccatorum quærenda remedia venisse, neque exhorruisti insuper & sacerdotem optimum lacerare conuicijs, miserabilem eum dicens, qui pœnitentem atque impium iustificasset.

Hermas. 120.

Similitudine 8. Quicunque toto corde egerint pœnitentiam, & purificauerint se ab omni nequitia, & non adiecerint adhuc ad delicta sua quicquam, accipient à Domino remedium priorum peccatorum suorum, si nihil dubitauerint de mandatis his, & viuent Deo, &c.

Iustinus Martyr. 160.

Dialogo cum Tryphone: Quem pœnituerit delictorum commissorum, remissionem illorum est consecuturus, &c. Bonitas & humanitas Dei pro sua immensa benignitate etiam peccatores, sicut per Ezechielem promittit, resipiscentes amplectitur tamquam iustos & innoxios.

Theophilus Antiochenus. 170.

Libro 3. ad Autolycum: Semper Deus hoc egit, vt humanam genus ad pœnitentiam conuerteret, quo liberarentur ab omnibus peccatis.

Irenaus. 180.

Lib. 3. cap. 37. Timor Domini initium intelligentiæ: intellectus verò transgressionis facit pœnitentiam: pœnitentibus autem largitur benignitatem suam Deus. Psal. 110.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 1. Pædagogi cap. 9. Pulchrum quidem certè est

non peccare: pulchrum est etiam, vt & qui peccat, ducatur pœnitentia: quemadmodum optimum quidem semper esse sanum: bonum autem etiam à morbo conualescere.

Lib. 2. Stromaton: Iam ijs, qui vocati sunt, proponitur pœnitentia, expurgans locum animæ à peccatis, vt fides fundetur. Cùm autem sit Dominus cognitor cordium, & futura præsciat, facilem hominis mutationem, & ad reuertendum propensionem, & diaboli calliditatem ab alto vidit à principio: qui homini inuidens propter remissionem peccatorum, aliquas peccatorum causas seruis Dei suggerit, astutè hoc moliens, vt ipsi quoque cum eo cadant. Dedit ergo, cùm sit multæ misericordiæ, ijs etiam, qui in fide in aliquod peccatum incidunt, secundam pœnitentiam, quam, si quis tentatus fuerit post vocationem, coactus & callidè circumuentus, vnam adhuc impœnitendam acceperit pœnitentiam.

Libro quem inscripsit: Quis sit ille diues qui saluetur, de adolescente lapso, & à Ioanne Euangelista, conuerso: Cuius conuersione magnum veræ pœnitentiæ exemplum, præclarum secundæ regenerationis specimen, illustre denique trophæum à peccatis resurrectionis per exteriora pœnitentiæ signa, hominibus proposuit ad imitandum.

Origenes. 230.

Homilia 8. in Numeros Nostrum est ad emendationem otius festinare, ad pœnitentiam sine dissimulatione conuerti, lugere præterita, cauere futura, inuocare auxilium Dei. Statim enim vt conuersus ingemueris, saluus eris. Inuenies etiam aduocatum, qui pro te interpellat Patrem, Dominum nostrum Iesum Christum. Ezec. 18.

Homilia 1. in Hieremiam: Deus ad benefaciendum promptus est: ad puniendum autem eos, qui pœna digni sunt, dissimulat. Cùm possit quippe tacens sine contestatione venturi punire eos, quos simul dignos supplicio iudicauit, nunquam hoc facit, sed etiamsi condemnauerit, dicit, quod sibi semper dicere propositum est, vt liberarentur à condemnatione per pœnitentiam, qui condemnati fuerant per dilectum.

Dionysius Alexandrinus. 260.

Epistola ad Fabium Antiochenum: Illi igitur diuini Martyres, dum erant apud nos, nonnullos è fratribus, in quibus crimen sacrificandi idolis hærebat, quique à fide excidissent, cùm conuersionem ac pœnitentiam eorum perspicerent, eamque posse acceptam fore ei, qui omninò non vult mortem peccatoris, satis exploratum haberent, ad se denuò admittunt, recipiunt in Ecclesiam, conuentus cum illis celebrant, ineunt societatem, precum & epularum communione vnà vtuntur.

Eusebius Cæsareensis. 320.

Ecclesiasticæ historiæ libro 6. capite 35. Nouatus Romanæ Ecclesiæ Presbyter, arrogantia quadam & fastidio contra eos elatus, asseruit, non amplius illis (quamuis omnia, quæ viderentur ad veram pœnitentiam, ad conuersionem animorum, ad puram denique confessionem spectare, omninò peragerent) spem vllam salutis omninò reliquam fieri. Vnde propriæ cuiusdam sectæ & erroris eorum, qui præ inflata quadam mentis insolentia seipsos Catharos, id est, puros & vacuos à labe peccati asseuerant, auctor & dux fuit. Ob quam rem Concilium maximum Romæ cogitur: in quo sexaginta Episcopi, & Presbyteri totidem, atque amplius, vnà cum Diaconis, in vnum conueniunt. A pastoribus etiam separatim per singulas cuiusque regionis prouincias, quid de ea re agendum esset deliberantibus, colloquia fiunt. A quibus omnibus tandem decernitur, Nouatum, eiusque fautores tanta superbia inflatos, & quotquot illius inhumanissimæ, & à fraterna charitate alienissimæ opinioni assentirentur, in eorum numero, qui erant ab Ecclesia exclusi, haberi: fratres autem, qui casu infelici prolapsi fuissent, pœnitentiæ medicamentis curari, & ad sanitatem restitui.

Concilium Neocæsareense. 316.

Can. 1. Presbyter, si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, penitus extrudatur & ad pœnitentiam deducatur.

Concilium Nicænum. 325.

Canone 18. Arabico: Si qui ex his, qui se Catharos vocant, ad Ecclesiam accedere voluerint, oportet eos profiteri, quod sequentur dogmata Catholica, & quòd communicârunt cum pœnitentibus, & cum digamis, & cum ijs, qui in persecutione lapsi sunt à fide.

Canone 19. Si qui ex ijs, qui sine violentia & periculo negauerunt, sicut illi, qui à Regibus & Principibus Gentilium persecutionem patiebantur, perfectè & recto corde voluerint ad fidem redire, recipiendi sunt: sed oportet, vt non prius cum fidelibus communicationem habeant, quàm appareat eos pœnituisse peccati sui, & tribus annis pœnitentiam inter audientes agant, & inter pœnitentes annis septem, & postea poterunt intrare Ecclesiam ad orandum cum populo.

Athanasius. 340.

Sermone contra Hæreses: Non audisti, Nouate, humanissimum Deum per Prophetam loquentem: *Nolo mortem peccatoris, sed pœnitentiam?* Non hæc audientes in peccatis permaneamus, absit: sed vt declaretur illius bonitas. Ezec. 18.

De annuntiatione naturali Patris, Filij, & Spiritus sancti fol. 417. Quin & hoc obseruandum est, non dixisse Christum: blasphemanti & pœnitentiam agenti remissionem dandam non esse: sed blasphemanti, & in blasphemia manenti. Quandoquidem nullum peccatum est irremissibile apud Deum in illis, qui verè ex animo, & vt par est, pœnitentiam agunt.

Quæstione 163. Est autem pœnitentia non tantum inclinatio genuum, sed abstinentia à malo: item labores, lachrymæ, & preces ad Deum pro præteritorum peccatorum remissione. Nam ideo pœnitentia resipiscentia dicitur, quòd mentem à malo ad bonum transferat.

Dydimus Alexandrinus. 360.

Apud Damascenum lib. 2. Paral. cap. 86. Præsentem virtutem Deus comprobans, veterum peccatorum obliuiscitur: non resurgere, cùm lapsus sis, verùm in peccato hærere, contemptoris hominis est, ac vehementer stolidi. Eorum, qui ab impietate ad pietatem se conuerterunt, impietas, quæ loci expers est, non inuenitur. Neque enim ab initio erat, neque in sempiternum erit.

Basilius Magnus. 370.

Sermone de Pœnitentia: Nos si ex nouo Testamento ostenderimus, quòd & post baptisma & acceptum Spiritum qui peccauit, à peccato per pœnitentiæ charisma reuocatur, manifestum erit & post baptisma pœnitentiæ locum esse ijs, qui deliquerunt, &c. Rogemus Seruatorem: Quare ad nos venisti? Respondebit: Non veni seruare iustos, sed peccatores vocaturus ad pœnitentiam. Sciscitemur ab ipso, quid portas in humeris? *Ouem*, inquit, *perditã.* Cuius gratia gaudet qui sunt in cælis? *Vnus*, inquit, *pœnitentis gratia Angeli lætantur*, & tu pœnitenti hanc inuides lætitiam? Deus illum cum gaudio complectitur, & tu hoc prohibes? Cupidius ad bonum Deum confugiamus. *Duo*, inquit, *erant, ambo filij:* (non potes dicere, quòd ista pœnitentia fuerit recedentis à gentilismo, sed ambo erant filij, ex

æquo consortes:) iunior quæ habebat assumpsit, & cùm iustus esset, consumptis omnibus excidit. Cœpit pœnitere, properauit ad patrem, & quomodo illi sese applicaret studiosè cogitaret. Quid dixit ad patrem? *Peccaui contra te, & coram cælo.* Hæc apud se consultauit, non ignarus bonitatis paternæ. Venit ad patrem, causam dicturus accessit illum pudore suffusus. Tandummodò voles, & ipse Deus vltro occurret. Cœperat dicere, & mox pater illum complectitur. Considera quæ sint patris viscera, & spem veniæ haudquaquam abscindes: suscepit illum, ac dixit: mactate vitulum, &c. Vehementer volo non peccare eos, qui baptisma susceperunt: si verò citra animi propositum ceciderint aliquando quidam, nolo decernant hic, qui pœnitentiam sustulerunt, nolentes nos vnà cum cruce Christi mortificari.

Ad Monachum, qui exciderat: Tempus adhuc est patientiæ diuinæ, tempus lenitatis, tempus curationis, tempus correctionis. Lapsus es? Exurge. Peccasti? Quiesce. Ne stes in via peccatorum, sed resili. Quamprimum enim conuersus ingemueris, seruaberis. Est enim sanitas ex laboribus, & ex sudoribus salus.

Ad alium Monachum lapsum: Non cecidit fortitudinis turris, ô frater: non vituperata sunt conuersionis medicamenta: non conclusa est fortitudinis ciuitas. Ne in profundo malorum permaneas. Ne vtaris teipso homicida. Nouit erigere collisos Dominus. Ne fuge procul, sed ad nos recurre.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 2. Si Manasses, qui Prophetam dissecuerat, per pœnitentiam saluatur, tu verò, qui nihil huiusmodi perpetrasti, non saluaberis? Caue ne virtuti pœnitentiæ frustra diffidas. Vis cognoscere quantam vim habeat pœnitentia? vis nosse hęc fortia salutis arma, & discere quàm multis præualeat confessio? centum octoginta millia hostium Ezechias per confessionem in fugam verterat. Magnum quidem id reuera: sed exiguum tamen respectu eorum, quæ dicenda sunt. Diuinam sententiam promulgatam hic idem per pœnitentiam reuocauit. Ægrotanti enim illi dixerat Esaias: *Dispone domui tuæ. morieris enim tu, & non viues.* Quæ deinceps expectatio, quæ spes salutis, Propheta dicente, quòd morieris? Sed non abstinuit tamen à pœnitentia Ezechias: recordatusque illius, quod scriptum est: *Cùm conuersus ingemueris, tunc saluaberis, &c.*

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione trigesima nona, quæ est in sancta lumina: Quintum locum lachrymarum baptismus tenet: verùm asperior est & laboriosior: quo quidem ille tingitur, vt qui per singulas noctes lectum suum ac stratum lachrymis lauat, cui ipsæ quoque vitij cicatrices fœtent, qui lugens & contristatus ingreditur, qui Manassis resipiscentiam, ac Niniuitarum humilitatem, cui misericordia impertita est, imitatur, qui Publicani verbis in templo vtitur, ac supra insolentem & superbum Pharisæum iustificatur: qui denique Chananææ in modum deprimitur, & misericordiam implorat, ac micas poscit, hoc est, canis vehementi fame correpti pabulum, &c. Tu verò quid ais? Quam legem statuis, ô noue Pharisæe, ac nomine, non autem animi inductione pure, ac Nouati dogmata cum eadem infirmitate nobis efflans? Pœnitentiam non admittis? Luctibus locum negas? lachrymas lachrymis non prosequeris? Vtinam talem tibi iudicem experiri non contingat. Benignitate Iesu non moueris, qui infirmitates nostras suscepit, & morbos nostros portauit; qui non venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam: qui misericordiam mauult, quàm sacrificium: qui septuagies septies peccata condonat? Quàm beata esset sublimitas tua, si puritas ea esset, ac non fastus, leges supra hominis captum instituens, ac morum correctionem per desperationem tollens, &c. Quid? ne pœnitentem quidem Dauidem admittis, cui Propheticam quoque gratiam pœnitentia conseruauit? nec magnum illum Petrum, qui circa Saluatoris passionem humani aliquid perpessus est? At Iesus eum suscepit, ac per triplicem interrogationem & confessionem triplicem abiurationem sanauit. Quid? ne martyrio quidem perfunctum admittis? (nam id quoque tuæ arrogantiæ est.) Nec eum, qui scelere sese in Corintho deuinxit? At Paulus charitatem etiam erga eum firmauit, simul atque eum ad meliorem vitæ frugem rediisse perspexit, causamque adfert: ne abundantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est, immodica obiurgatione grauatus & est oppressus.

Ephræm Syrus. 380.

De Pœnitentia & conuersione: Bonus es Domine, & misericors. Et licet semel rapiendo cecidimus, per pœnitentiam sanari studebimus. Si verò vt homines abrepti perturbationibus sumus, ne in finem vsque animum nostrum despondeamus: sed agnoscentes illum, qui nos vocauit, Deum, & vocationem, qua vocati sumus, ipsum dicentem audiamus: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* Matt. 3. Neque enim super aliquibus peccatis limitauit pœnitentiam, super quibusdam autem non: sed ad omnem plagam peccati nobis magnus ille animarum nostrarum medicus dedit magnum hoc remedium.

Epiphanius. 380.

Hæresi 69. Si quis pręoccupatus fuerit in quocunque sanè delicto, pœnitentiam agat. Suscipit enim Deus pœnitentiam, etiam post baptisma, si quis lapsus fuerit.

Gregorius Nyssenus. 380.

De vita Moysis, seu de vita perfecta: Moyses rursus per lapidem inundare aquis eremum fecit. Quę res quantum qualeque sit pœnitentiæ Sacramentum, docet. Nam qui postquam semel biberunt è lapide, quamuis ad ventrem & Aegyptias voluptates lapsi, bonorum priuatione, ac doloris perpessione in deserto condemnentur: possunt tamen virtute pœnitentiæ lapidem, quem dereliquerunt, inuenire, ac fontes, quos delinquendo obseruarunt, pœnitendo reserare.

Oratione in eos, qui durius & acerbius alios iudicant: Quid enim est aliud pœnitentia, nisi dissolutio & euersio præteritorum, quæ vel re, vel cogitatione sunt admissa? Qui verò cognita pœnitentiæ vtilitate adhuc in flagitiorum & impietatis cœno volutatur, similis est illi seruo, qui dominum sibi iratum sciens, in eius conspectu sceleratè se gerit, peccatumque duplicat.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Sermone de Pœnitentia: O pœnitentia, quæ peccatum miserante Deo remittis, & paradisum reseras: quæ contritum sanas hominem, & tristem exhilaras: vitam de interitu reuocas, statum restauras, honorem renouas, fiduciam das, & reformas vires, gratiamque abundantiorem refundis. O pœnitentia, quid de te noui referam? Omnia ligata tu soluis, omnia soluta reseras, omnia aduersa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu

animas. O pœnitentia rutilantior auro, splendidior sole, quam non vincit peccatum, nec defectio superat, nec desperatio delet. Pœnitentia respuit auaritiam, horret luxuriam, fugit furorem, firmat amorem, calcat superbiam, linguam continet, componit mores, odit malitiam, excludit inuidiam. O pœnitentia misericordiæ mater, & magistra virtutum, magna opera tua, quibus reos resoluis, ac reficis delinquentes, lapsos releuas, recreas desperatos. Per te nobis Christus regnum cælorum appropriatum designat, dicens: *Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum.*

In Proœmio Commentariorum in Esaiam Prophetam: Pœnitentia est medela delictorum, & consumptio, præuaricatorum legis solutio, loquendi libertas in conspectu Dei, aduersus diabolum armatura simul & gladius, caput ipsius præsecans, salutis spes, euersio ignorantiæ. Ipsa homini cælum adaperit. Eadem ipsum in paradisum introducit euicto diabolo. Quotidie peccas? quotidianam age pœnitentiam.

Homilia 3. in cap. 2. Matthæi: Quid agit pœnitentia? cor emundat, sensus illuminat, animas sanctificat, & ad susceptionem Christi præparat humana præcordia: quemadmodum magno iudici aut regi aliquo in expeditionem venturo præparatores præcedunt, sordida abluunt, dira componunt, ne fortè indecorum aliquid videns Rex delicatus abhorreat.

Homilia 20. in cap. 6. Matthæi: *Dimitte nobis debita nostra.)* Vidisti certè cumulum misericordiæ. Post tantorum quippe ablutionem malorum, & ineffabilem gratiæ largitatem, iterum peccantibus dignatur ignoscere. Quòd enim fidelibus oratio ista conueniat, & Ecclesiæ regula ipsa testatur, & ipsius orationis exordium. Nondum quippe initiatus baptismatis Sacramento, non potest Deum Patrem vocare. Si igitur fidelibus hæc aptatur oratio: orant autem ministerio consecrati, vt eis peccata donentur, manifestum est, quia neque post baptisma remedium pœnitentiæ denegetur: nisi enim hoc docere voluisset, nunquam sic præcepisset orare. Qui verò commonefacit peccatorum, ac iubet postulare veniam, docetque quomodo veniam consequamur, pronamque hanc viam nobis præstat ac facilem, & nosse profectò se, & docere declarat, posse etiam post baptismum peccata deleri.

Homilia 5. de Pœnitentia: Pœnitentia medicamentum est peccatum extinguens, donum cælitus datum, virtus admirabilis, gratia vim legum superans. Quare non fornicatorem renuit, non ebrium auertitur, non abominatur idololatram, non adulterum repellit, non maledicum insectatur, non reprobat blasphemum, non superbum: sed omnes suscipit, communicat omnibus: virtutis enim digestio pœnitentia est.

Homilia 80. ad Populum Antiochenum: Si fueris antiquatus à peccato, per pœnitentiam te renoua. Num pœnitentem licet saluari? Maximè. Totam vitam in peccatis absumpsi, & si pœnitentiam egero, saluabor? Maximè. Vnde constat? Ex Domini clementia. Ne tuæ confidas pœnitentiæ: tua namque pœnitentia tanta nequit peccata delere. Si sola foret pœnitentia, iure timeres: sed postquam cum pœnitentia commiscetur Dei misericordia, confide, quoniam tuam vincit nequitiam. Multum est enim misericors Deus, & tantum clemens, vt neque Filio pepercerit, vt ingratos seruos redimeret. Nec mihi dicas: Nimium peccaui, & quomodo possum saluari? Tu non potes, tuus potest Dominus, & ita delet peccata, vt nec eorum remaneat vestigium, &c. Si vel infinita quis habens vulnera pœnitentiam egerit, & aliquid fecerit boni, sic ea Deus delet, vt neque cicatricem, neque vestigium, neque peccatorum ostendat indicium. Sicut in corpore vulnera sunt, & medicamina: itidem in anima peccata sunt, & pœnitentia. Et quid loquar, animaduerte. Vulnus & medicamentum, peccatum & pœnitentia.

In cap. 4. Genes. Pœnitentia priusquam pœna inferatur tempus habet, & ineffabilem vim.

Palladius. 420.

In historia sanctorum Patrum cap. 140. de virgine, quæ lapsa est, & egit pœnitentiam: Ab illo ergo die non amplius conuenit eum, qui ipsam redegerat in seruitutem: sed se totam insigniter dedens continentiæ, ægrotis, mancisque, & mutilatis seruiens triginta annos, ita Deum placauit, propitiumque reddidit: vt cuidam sancto Presbytero reuelaretur, illam Deo magis placuisse in pœnitentia, quàm in virginitate. Hæc autem scribo, ne eos, qui multa peccant, & ex animo ac syncerè agunt pœnitentiam contemnamus: sicut hæc beata, quæ cor suum contriuit, & in humilitate vitam suam liquefecit, non despecta fuit à Domino eorum, qui ducuntur pœnitentia.

Ioannes Cassianus. 420.

De Incarnatione Domini lib. 6. cap. 18. Redi ad viam rectam, recipe sensum pristinum, resipisce tandem, si aliquando sapuisti. Regredere ad temetipsum, si tamen habuisti in te quondam aliquid, quò nunc regrediaris. Agnosce Sacramenta salutis tuæ, per quæ innouatus, per quæ renatus es. Non minus tibi nunc opus sunt, quàm tunc fuerunt: vt te per pœnitentiam nunc regenerent, quæ per fontem ante generârunt.

Nilus. 420.

In capitibus Paræneticis: Si sordidum quid à nobis commissum est, pœnitentia id lauemus. Debemus enim puram nostram imaginem & regulam imitari.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

In Ioannem libro 12. cap. 56. Qua ratione diuinæ naturæ dignitatem ac potestatem discipulis suis Saluator largitus est? Quia certè absurdum non est, peccata remitti posse ab illis, qui Spiritum sanctum in seipsis habeant. Nam cùm ipsi remittunt, aut detinent, Spiritus, qui habitat in iis, per eos remittit, & detinet. Erit autem id per eos duobus, vt arbitror, modis: primùm baptismo, deinde pœnitentia. Nam aut credentes, & vitæ sanctimonia probatos homines ad baptismum inducunt, & indignos inde diligenter expellunt: aut Ecclesiæ filios peccantes quidem increpant, pœnitentibus autem indulgent. Sicut Paulus olim fornicantem apud Corinthios in perniciem carnis tradebat, vt spiritus eius saluaretur: 1. Cor. 5.
recepitque rursus, ne maiore submergeretur dolore. 2. Cor. 2.

Isidorus Pelusiota. 440.

Libro 1. epist. 408. Præclara quidem & laude digna est pœnitentis animi resipiscentia: sed pauci eam consequi possunt. Deus igitur, qui nos vitam per resipiscentiam obtinere cupit, de pectore tuo aquam ducet, quæ tibi pro altero quodam lauacro sit, ac voluntaria piscina, conscientiam tuam ab inquinamentis repurgans, vt Angelis, quos in mœrorem coniecisti, lætitiæ causam præbeat.

Basilius Seleucius. 450.

Oratione in Ionam: *Vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem, & clamauerunt ad Deum in fortitudine, & conuersus est quilibet à via sua mala.* Hæc veræ pœ-

ræ pœnitentiæ ſunt indicia, lugens anima, lachrymantes oculi, diſceſsio à malitia, impietatis fuga, carnis contritio, animi compreſsio, iniuſtitiæ deuitatio. His peccatum purgatur: his diuinum decretum cedere non erubeſcit. Deus ſoluit ſententiam, & corrigit periculum. Enimuerò humani generis amator vultus appropinquantem veneratur pœnitentiam, ſupplicanti paret, lachrymantem liberat, compatitur flenti, victoriosum emittit. *Vidit enim*, inquit, *Deus opera eorum, quòd conuerſi ſunt à viis ſuis malis.* Pœnitentia pœnitentiam peperit. Homines mutantur, & Deus pœnitentia ducitur. O diuinam bonitatem, ad qualem dignitatem euexit pœnitentiam? Homines lachrymantur, & Deus mutatur: mortales lugent, & ſoluit ſententiam immortalis. *Non enim vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur ad ipſum, & viuat.*

Theodoretus. 430.

In Epitome diuinorum decretorum, capite de pœnitentia: Diuina autem Scriptura non ſolùm iniquitates, & peccata prohibet; ſed iis etiam medetur, qui eorum vulnera acceperunt. Nouati enim feritatem & belluinam crudelitatem abhorret: & accuſat paſtores, qui non ſuarum ouium curam geſſerunt. Et dicit ipſe Deus: *O paſtores, quod infirmum fuit, non confirmaſtis: & quod ægrum, non curaſtis: & quod malè habebat, non refeciſtis: & quod aberrabat, non reduxiſtis: & quod perierat, non requiſiſtis.* Qui autem eos accuſat, qui eam curam non geſſerunt, clarum eſt, quòd vult infirmas oues curari, &c. Sed ij, qui Nouati arrogantiam ſuſceperunt, dicunt non oportere poſt baptiſmum iis, qui peccant, præbere medicinam, &c. Vt autem fuſiſsimè & copioſiſsimè eam ignorantiam conuincamus, Aaron in medium producamus. Is enim cùm vnctus, & primus Pontifex creatus, diuini Spiritus gratiam accepiſſet, impiis iniqui populi ceſsit petitionibus: conſtruxit autem vituli effigiem, & cum aliis Leuitis ſacrificia obtulit: veniam tamen conſecutus eſt, & in Pontificatu ad mortem vſque permanſit. Magnus quoque Dauid, cùm eſſet Propheta, & diuini Spiritus gratiam haberet inhabitantem, fecit duo grauia peccata: ſed vulnera curauit per pœnitentiam, &c. Porrò autem eandem nobis doctrinam Dominus quoque Chriſtus per ſuas parabolas præbuit. Nam ouis, quæ perierat, & drachma, quæ exciderat, docent nos curam gerere eorum, qui peccarunt, &c.

Ezec. 34.

Victor Antiochenus. 460.

Ad cap. 14. Marci: Petrus per pœnitentiam internumquè animi dolorem non modò certam veniæ ſpem, verùm etiam plenam peccatorum omnium remiſsionem obtinuit. Porrò autem per Sanctorum lapſus admonemur, vt ſimile quid fortè paſsi, ſeduli pœnitentiæ illorum imitatores ſimus. Siquidem clemens Deus vnicum ſalutis remedium poſt caſum pœnitentiam nobis reliquit, omnibuſquè peccatoribus clementer propoſuit.

Olympiodorus Diaconus. 470.

Ad cap. 12. Iob: Qui in extremis cruciatibus exercetur, ſi perpeſsionis ſuæ cauſam in peccato intellexerit, atque ad Deum de errato ſuo confeſſus ſe conuerterit, impendentem mortem inhibebit: etiamſi ſexcenta quædam ſint, quæ mortem acceſſant, atque laceſſant. Pœnitentia enim peccatum delet, placatquè Deum, vt ſententiam reuocet, decretumquè reſcindat. Cognoſce pœnitentiæ fructus: Nec enim illa tantùm mortem prohibet, verùm etiam integram valetudinem largitur. Deus pœnitentem ſuſcipit ac tuetur, nec patitur eum in mortem incidere.

Nemeſius. 470.

De natura hominis cap. 1. Solus homo inter omnia, quæ ſunt ratione prædita, habet hoc præcipuum, vt eius erratum pœnitentia condonetur. Nam neque dæmones, neque Angeli per pœnitentiam delictorum veniam impetrare poſſunt.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap. 55. Eſaiæ: Non ſunt venalia, quæ Dei ſunt; neque vino ad libationem opus eſt, aut ad ſacrificium adipe, ex quorum emptione plus laboris & moleſtiæ, quàm vtilitatis percipitis: cùm ad placationem non ſufficiant: ſunt enim iſta ad eluendas peccatorum ſordes inepta; quod pœnitentia & fide in Deum efficitur.

Olympiodorus Monachus. 530.

Ad cap. 1. Eccleſiaſtis: Qui è virtute in vitium ac malitiam decidunt, torrentum ac fluuiorum more ex alto quodam loco in præceps concauumquè ac terreſtre delabuntur. Poſſunt tamen, cùm ad ipſum iam vitium peruenerint, reſipiſcere, ad pœnitentiam redeuntes, & per conuerſionem reuerti iterum in viam, quæ perducit ad paradiſum, vnde homo primus eiectus eſt.

Iuſtinianus Imp. 530.

Conſtitutione 133. Quomodo Monachos oporteat viuere cap. 5. Si quis deliquerit, (nam multa ſunt humana, & nullus poteſt naturam ſic retinere, vt non peccet nihil, hoc enim proprium eſt ſolum Dei,) hunc, ſi quidem mediocre peccatum eſt, & monere, & ſuſpendere, & pœnitentiæ ei dare tempus, vt meliorem ordinem ſumens, mox reuertatur ad ſemetipſum, & non, quos iam poſuit, amittat labores. Si vero maior culpæ ſit modus, ſecundùm commiſſum & medelam correctionis eſſet, & rurſus admonitionem vehementiorem & pœnitentiam fortem exigere: & ſi quidem valuerit iſtis modis amouere lapſum, & corrumpi cœptum (hoc autem & in mulieribus conuerſis, & viris dicimus) grates agere magno Deo, cùm & in cælo fiat magnum gaudium Angelicis Virtutibus, quando aliquis ſaluus ſit peccatorum.

Conſtitutione 141. De his, qui luxuriantur contra naturam: Quamquam minatus eſt Deus, & clarè oſtendit, quibus ſecundùm peccata noſtra digni eſſemus: tamen clementer nobiſcum egit, iramquè ſuam in aliud tempus reiecit, noſtram expectans pœnitentiam, vt qui nolit mortem noſtram peccatorum, ſed conuerſionem & vitam. Quapropter iuſtum non fuerit, vt omnes nos opulentiam bonitatis, ac tolerantiæ, & longanimitatis benigni Dei contemnamus, ne in obduratum & pœnitentiam refugiens cor noſtrum iram nobis in die iræ accumulemus, &c. Qui itaque hoc morbi genere contabuerunt, illi non ſolùm de cætero peccare deſinant: ſed & ritè agant pœnitentiam, & coram Deo procidant.

Iſychius Hieroſolymitanus. 590.

Libro 1. in Leuit. cap. 4. Quia omnis eius intentio hæc eſt, vt omnis homo pœnitens ſe corrigendo ſaluetur: propter quod & primam illam vocem Dominus prodidit in Euangelio doctrinalem: *Pœnitentiam agite.* Qui etiam ad hoc ſe veniſſe dixit: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Matt. 3. Luc. 5.

Libro 4. cap. 13. Leuit. Pœnitentiæ finis, & generalis effectus, peccatorum remiſsio eſt, &c. Omnis impietas per mundam pœnitentiam purgatur.

Antiochus. 600.

Homilia 77. de Pœnitentia: Quantum in ſe habet dulcoris, fratres mei, pœnitentia? quàm ſuauis eſt? Aliud prorſus nihil eſt, quàm ſarciendæ vi-

tæ pharmacum salutare, eò maximè, quia suauis est Dominus Deus noster, malè à nobis commissorum facilè immemor, benignus miserator humani generis, imò animarum nostrarum amantissimus, modis omnibus prospiciens nostrarum omnium saluti. Hic talis nihil tam sitit, quàm vt resipiscamus, nosque pœniteat vitæ turpiter actæ.

Thalassius. 640.

Hecatontade 2. Christus totius mundi Saluator est, & pœnitentiam eis, qui eam acturi sunt, in salutem concessit.

Ioannes Damascenus. 730.

Historia Barlaam cap. 11. Deus Verbum, qui salutis nostræ causa humanitatem induit, ingentem naturæ nostræ imbecillitatem & ærumnam exploratam habens, ne in hac quidem parte nos incurabili morbo laborare permisit: verùm, vt sapientissimus medicus, lubricæ nostræ, ac peccandi cupidæ voluntati pœnitentiæ medicamentum admiscuit, eam videlicet ad peccatorum remissionem prædicans. Posteaquam enim veritatis agnitionem suscepimus, ac per aquam & Spiritum sanctificati, atque ab omni peccato, & spurcitie sine vllo labore purgati sumus, si nobis in aliqua peccata labi contigerit, non quidem iam superest altera per baptismum regeneratio, quæ in piscina aquæ per Spiritum comparatur, ac perfectè nos instaurat: (hoc enim beneficium semel duntaxat conceditur.) verùm per asperam pœnitentiam, & calentes lachrymas, & labores, ac sudores, propter viscera misericordiæ Dei nostri purgationem ac remissionem peccatorum consequimur. Etenim per Domini gratiam lachrymarum fons Baptismus appellatur: tametsi alioqui labore & tempore opus habeat. Ac complures è multis peccatis eripuit: quoniam nullum peccatum est, quod Dei benignitatem vincat, si quidem prius resipuerimus, ac delictorum maculas lachrymis eluamus: ne alioquin mors anteuertens, nos scelerum maculis inquinatos hinc eijciat. Non enim est in inferno pœnitentia, nec confessio. Quamdiu autem vitæ vsura fruimur, dummodò Orthodoxæ fidei fundamentum firmum maneat, etiamsi trabium aliquid, aut tecti labefactetur, quod per peccata corruptum est, pœnitentiæ adiumento sarcire & renouare licet.

Tarasius Constantinopolitanus. 790.

Epistola ad Ioannem Presbyterum. Pœnitentia insignis est armatura, magna salutis via, hospitij regni cælorum dispensatrix, incorruptibilis vitæ dux, martyricorum certaminum æquiparatio, ad Deum viam indicans, & cum ipso nos esse faciens, humani generis baculus, cadentium & lapsorum surrectio. Beati, qui hanc complectuntur, & huic adhærent: qui hanc exercent, cum Angelis vitam æqualem ducunt, ab omni malo declinant, & bonum faciunt. Pœnitentia est columna & familiaris dilectionis, eleemosynæ, ieiunij, temperantiæ, probitatis, honestatis, mansuetudinis, &, vt verum vno verbo dicam, hæc omnia pollet pœnitentia. Si quis hanc curam contaminat, & contemnit, non inter seruatos, sed inter perditos numerandus est, quorum vermis non moritur, & ignis non extinguitur.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 3. epist. ad Galat. Deinde spem eis reditus proponit, inquiens: *Si modò sine causa, sine temerè*, hoc est, si velitis resipiscere, non frustra neque temerè à vobis laboratum est. Pudefiant hinc, qui pœnitentiam tollunt. Ecce enim signa operati sunt, & Confessores, & Martyres fuerunt illi, qui cùm excidissent à gratia, non reiecit eos Paulus, sed suauiter ac blandè inuitat, & recipit.

Ad c. 14. Marci: Erubescant Nouatiani, qui eos, qui post baptismum & Sacramentorum communionem peccârunt, non suscipiunt. Ecce & Petrus suscepto immaculato corpore & sanguine, cùm negasset, propter pœnitentiam receptus est. Sanctorum enim delicta ideo scripta sunt, vt & nos, si quando lapsi fuerimus non animaduertendo, possimus in exempla illorum respicere, & per pœnitentiam corrigi.

Simeon Metaphrastes. 950.

De S. Auxentio. Debemus omni studio à mortuis operibus recurrere ad opera vitæ per pœnitentiam, vt nostram recipiamus naturam summo Dei munere. Si ergo à nobis expurgemus sordes, quæ à vitio inuruntur, & quæ latet in anima illustremus pulchritudinem, tunc fit intra nos regnum Dei, & est intra nos.

In vita S. Abramij Confessoris: Non est vllum peccatum humanum, pro quo desperare oporteat. Nullum est vulnus adeò immedicabile, quod non curetur, vstum pulchro igne pœnitentiæ.

Euthymius. 1080.

Ad cap. 15. Lucæ: Quid dicam, aut quid loquar de ineffabili Dei benignitate? Nam vbi ad immensum eius pelagus respicio, sermo mihi præciditur, neque quid loquar mihi reliquum est: solum autem hoc clara & libera voce clamo, quòd res magnas efficit pœnitentia, facilè eum flectens, qui facilis est vt flectatur, benignum videlicet Deum nostrum.

Michael Glycas. 1120.

Parte 1. Annalium fol. 146. Diuinus vir Anastasius Sinaites, quò vehementer desperatos homines ad conuersionem inuitet, hæc ad verbum profert: Si Manassen Deus per pœnitentiam recepit, ausim dicere, quòd etiam diabolum toto pectore atque animo resipiscentem in gratiam recepturus fuerit, &c. Et quidem pœnitentia lapsis angelis non est concessa, quia corporis expers eorum natura est. Homo enim propter imbecillitatem corporis pœnitentiam est consecutus.

Nicetas Choniates. 1200.

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 27. Quid Nouatum mouebat, vt eos non admitteret, qui post baptismum peccassent, aut persecutionis tempore lapsos auersaretur, prorsus ignoro: nisi quis huiusmodi contentionem hominis persuasionem rationis expertem dicere malit, quæque ad puritatem nullo modo quemquam deducere queat. Ex quibus enim, quæso, dictis Euangelicis, ore Dei prolatis, vel etiam Apostolicis constitutionibus Nouatus hic tantam seueritatem hausit? Nonne Dominus fletum Petri, ab eo abnegatus, admisit? Nonne eundem Apostolorum coryphæum fratri septuagies peccata esse remittenda docuit? Nonne Paulus Corinthium illum, qui nouercam constuprauerat, venia post lachrymas dignum esse censuit? eundemque reliquo Ecclesiæ cœtui restituit?

Nicephorus Callistus. 1300.

Ecclesiast. hist. lib. 12. cap. 28. Nihil peccati admittere, non humanæ, sed diuinæ & immortalis naturæ proprium est: nos autem per transgressionem semel peccandi hæreditatem adiuimus: delictorum Deus veniam eis concedere iussit, qui legitima & conuenienti pœnitentia vsi, deinceps simul peccatum & auersantur, & confitentur.

Manuel Palæologus. 1400.

Oratione 6. Fieri nequit, vt sit pœnitentia, quæ omnino pura non sit. Per hanc enim purificamur. Et quo pacto fieri purificatio per rem non puram posit? Etenim vera pœnitentia est, resipiscere de admissis, & factis pœnitentiam ostendere: ad omni-

currere, qui seruare potest, idque toto corde, tota anima, totis viribus, vt lex prisca loquitur, &c. Si vult omnes saluos fieri, qui pœnitentiam egerint: quæcunque verò vult, potest, nihil ergo deest ijs, qui constituti sunt in peccatis, ad hoc, vt salui fiant, quàm vt resipiscere velint, & pœnitentiam factis ostendere.

Hieremias Constantinopolitanus Patriarcha. 1580.

Respons. 1. cap. 7. Sacramenta ritusque in Catholica Ecclesia sunt septem: Baptisma, Chrisma sancti vnguenti, diuina Communio, Manus Impositio, Matrimonium, Pœnitentia, & sacrum Oleum.

Cap. 12. Duodecimum vestrum caput asserit, illos, qui post baptisma peccarunt, consequi remissionem peccatorum, si conuertentes se pœnitentiam agant corde contrito & fide summa. Respondemus, sic ipsi quoque affirmamus, rem verè sic se habere. Ipse enim Dominus inquit, non septies peccata remitti, sed septuagies septies vsque, finito numero pro infinito vsus. Et iterum: *Venientem ad me, nequaquam ejiciam foras.*

Respons. 2. cap. de Sacramentis: Pœnitentia verò, vt à lapsu rursus erigamur, & vitam emendemus conuersione efficit, & confessione peccatorum, & à malis discessu. Hoc magnum donum præclarumque beneficium his est, qui post baptismum peccârunt. In quo pœnitentiæ Sacramento etiam Monasticæ vitæ ordo continetur.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Libro de Pœnitentia cap. 2. Nam Deus post tot ac tanta delicta humanæ temeritatis à principe generis Adam auspicata, post condemnatum hominem cum seculi dote, post eiectum paradiso, mortique subiectum: cùm rursus ad suam misericordiam maturauisset, iam inde in semetipso pœnitentiam dedicauit, rescissa sententia irarum pristinarum, ignoscere pactus operi & imagini suæ. Itaque & populum sibi congregauit, & multis bonitatis suæ largitionibus fouit, & ingratissimum totiens expertus, ad pœnitentiam semper hortatus est, & prophetando, vniuersorum Prophetarum emisit ora: mox gratiam pollicitus, quam in extremitatibus temporum per Spiritum suum vniuerso orbi illuminaturus esset, præire intinctionem pœnitentiæ iussit, vt quos per gratiam vocaret ad promissionem semini Abraham destinatam, per pœnitentię subsignationem ante componeret. Non tacet Ioannes: *Pœnitentiam inite,* dicens: *iam enim* Matt. 3. *salus nationum appropinquauit,* Dominus scilicet afferens, secundùm Dei promissum. Cui præministrans, pœnitentiam destinabat purgandis mentibus præpositam: vt quicquid error vetus inquinasset, quicquid in corde hominis ignorantia contaminasset, id pœnitentia verrens & radens, & foras abijciens, mundam pectoris domum superuenturo Spiritui sancto paret, quò se ille cum cælestibus bonis libens inferat. Horum bonorum vnus est titulus, salus hominis, criminum pristinorum abolitione præmissa. Hæc pœnitentiæ causa: hæc opera negotium diuinę misericordię curans: quod homini proficit, Deo seruit.

Ezec. 18. *Cap. 4.* *Viuo,* inquit, *Dominus, &c. Pœnitentiam malo, quàm mortem.* Ergo pœnitentia vita est, cùm præponitur morti. Eam tu peccator, mei similis (imò me minor; ego enim præstantiam in delictis meam agnosce) ita inuade, ita amplexare, vt naufragus alicuius tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus mersum perlauabit, & in portum diuinæ clementiæ protelabit.

Cap. 7. Nemo idcirco deterior fit, quia Deus melior est, totiens delinquendo, quotiens ignoscitur. Cæterùm finem vtique euadendi habebit, cùm offendendi non habebit. Euasimus semel, hactenus periculosis nosmetipsos inferamus, etsi iterum euasuri videmur. Plerique naufragio liberati, exinde repudium & naui & mari dicunt; & Dei beneficium, salutem suam scilicet, memoria periculi honorant. Laudo timorem, diligo verecundiam; nolunt iterum diuinæ misericordiæ oneri esse; formidant videri inculcare, quod consecuti sunt: bona certè sollicitudine iterum experiri vitant, quod semel didicerunt timere. Ita modus temeritatis, testatio est timoris. Timor autem hominis, Dei honor est. Sed enim peruicacissimus hostis ille nunquam malitiæ suæ otium facit. Atquin tunc maximè sæuit, cùm hominem plenè sentit liberatum: tunc plurimum accenditur, dum extinguitur. Doleat, & ingemiscat necesse est, venia peccatorum permissa, tot in homine mortis opera diruta, tot titulos damnationis retro suæ erasos. Dolet, quòd ipsum & angelos eius, Christi seruus ille peccator, iudicaturus est. Itaque obseruat, oppugnat, obsidet: si qua possit aut oculos concupiscentia carnali ferire, aut animum illecebris secularibus irretire, aut fidem terrenæ potestatis formidine euertere: aut à via certa peruersis traditionibus detorquere: non scandalis, non tentationibus deficit. Hæc igitur venena eius prouidens Deus: clausa licet ignoscentiæ ianua, & intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocauit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat: sed iam semel, quia iam secundò: sed amplius nunquam, quia proximè frustra. Non enim & hoc semel satis est? Habes quod iam non merebaris: amisisti enim quod acceperas. Si tibi indulgentia Domini accommodat, vnde restituas quod amiseras: iterato beneficio gratus esto, nedum ampliato: maius est enim restituere, quàm dare: quoniam miserius est perdidisse, quàm omninò non accepisse. Verùm non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione, si secundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit: pigeat sanè peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminem pudeat. Iteratæ valetudinis, iteranda medicina est. Gratus in Dominum extiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaueris. Offendisti, sed reconciliari adhuc potes.

Calixtus. 218.

Epist. 2. Si aliquis lapsus quocunque modo fuerit, non perdamus eum, sed fraterno corripiamus affectu, &c. Sanctus Dauid de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore permansit. Beatus quoque Petrus amarissimas lachrymas fudit, quando Dominum negasse pœnituit, sed tamen Apostolus permansit. Et Dominus per Prophetam peccantibus pollicetur, dicens: *Peccator in quacunque die conuersus ingemuerit, omnium iniquitatum illius non recordabor amplius.* Ezec. 18. Errant enim, qui putant Domini sacerdotes post lapsum, si condignam egerint pœnitentiam, Domino ministrare non posse, & suis honoribus frui, si bonam deinceps vitam duxerint, & suum sacerdotium condignè custodierint. Et ipsi, qui hoc putant, non solùm errant, sed etiam contra traditas Ecclesiæ claues disputare, & agere videntur, de quibus dictum est: *Quæcunque solueritis in terra, erunt soluta & in cælo:* Alioquin hæc sententia aut Domini non est, aut

vera est. Nos verò indubitanter, tam Domini sacerdotes, quàm reliquos fideles, post dignam satisfactionem posse redire ad honores credimus, testante Domino per Prophetam: *Numquid qui cadit, non adijciet vt resurgat? & qui auersus est, non reuertetur?* &c. Et Propheta Dauid pœnitentiam agens, dixit: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* Ipse namque post pœnitentiam & alios docuit, & sacrificium Deo obtulit, dans exemplum Doctoribus sanctę Ecclesiæ, si lapsi fuerint, & condignam pœnitentiam Deo gesserint, vtrumque facere posse.

Cyprianus. 250.

Libro 4. epist. 2. *Epistola 52. ad Antonianum:* Cùm Dominus, relictis nonaginta nouem sanis, vnam errantem & lassam quæsierit, & inuentam humeris suis ipse portauerit; nos non tantùm non quæramus lapsos, sed & venientes arceamus: & cùm pseudoprophetæ gregem Christi nunc vastare & lacerare non desinant, occasionem canibus & lupis demus, vt quos persecutio infesta non perdidit, eos nos duritia nostra & inhumanitate perdamus. Et vbi erit, frater charissime, quod Apostolus 1.Cor.10 dicit: *Omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt saluentur,* &c. Et ideo placuit, frater charissime, examinatis causis singulorum libellaticos interim admitti, sacrificatis in exitu subuenire: quia exomologesis apud inferos non est, nec ad pœnitentiam quis à nobis compelli potest, si fructus pœnitentiæ subtrahatur. Si prælium prius venerit, corroboratus à nobis inuenietur armatus ad prælium: si verò ante prælium infirmitas vrserit, cum solatio pacis & communicationis abscedit. Neque enim præiudicamus Domino iudicaturo, quo minus si pœnitentiam plenam & iustam peccatoris inuenerit, tunc ratum faciat, quod à nobis fuerit hîc statutum. Si verò nos aliquis pœnitentiæ simulatione deluserit; Deus, qui non deridetur, & qui cor hominis intuetur, de his, quæ nos minus perspeximus, iudicet, & seruorum sententiam Dominus emendet, &c. Nec putes, frater charissime, hinc aut virtutem fratrum minui, aut martyria deficere, quòd lapsis laxata sit pœnitentia, & quòd pœnitentibus spes pacis oblata. Manet verè fidentium robur immobile, & apud timentes ac diligentes corde toto Deum stabilis & fortis perseuerat integritas. Nam & mœchis à nobis pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur, non tamen idcirco virginitas in Ecclesia deficit, aut continentię propositum gloriosum per aliena peccata languescit. Floret Ecclesia tot virginibus coronata, & castitas ac pudicitia tenorem gloriæ suæ seruat, nec quia adultero pœnitentia & venia laxatur, continentiæ vigor frangitur, &c. Quòd si inuenimus à pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, & deprecantibus atque exorantibus Domini misericordiam, secundùm quod ille misericors & pius est, per sacerdotes eius pacem posse concedi: admittendus est plangentium gemitus, & pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus. Et quia apud inferos confessio non est, nec exomologesis illic fieri potest: qui ex toto corde pœnituerint, & rogauerint, in Ecclesiam debent interim suscipi, & in ipsa Domino reseruari, qui ad Ecclesiam suam venturus, de illis vtique, quos in ea intus inuenerit, iudicabit.

Libro 1. epist. 2. *Epistola 54.* Statueramus quidem iam pridem, frater charissime, participato inuicem nobiscum consilio, vt qui in persecutionis infestatione supplantati ab aduersario, & lapsi fuissent, & sacrificijs se illicitis maculassent, agerent diu pœnitentiam plenam: & si periculum infirmitatis vrgeret, pacem subiectu mortis acciperent. Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas & diuina clementia, Ecclesiam pulsantibus claudi, & dolentibus ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, vt de seculo recedentes sine communicatione, & pace ad Dominum dimitterentur, quando permiserit ipse, qui legem dedit, vt ligata in terris, etiam in cælis ligata essent: solui autem possent illic, quæ hîc prius in Ecclesia soluerentur.

De Lapsis: Si precem toto corde quis faciat, si veris pœnitentiæ lamentationibus, & lachrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum iustis & continuis operibus inflectat, misereri talium potest, qui & misericordiam suam protulit, dicens: *Cum conuersus ingemueris, tunc saluaberis, &* Ezec.18. & 33. *scies vbi fueris.* Et iterum: *Nolo mortem morientis, dicit Dominus, quantum vt reuertatur, & viuat.* Et Ioel Propheta pietatem Domini, Domino ipso monente, declarat: *Reuertimini,* inquit, *ad Dominum* Ioel.2. *Deum vestrum, quoniam misericors & pius est, & patiens, & multæ miserationis,* & qui sententiam flectat aduersus malitias irrogatas. Potest ille indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere. Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre, quidquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint sacerdotes.

Lactantius. 320.

Lib.6.Institut.cap.13. Deus purgari homines à peccatis maximè cupit, ideoque agere pœnitentiam iubet. Agere autem pœnitentiam, nihil aliud est, quàm profiteri & affirmare se vlterius non peccaturum. Ignoscitur itaque ijs, qui ad peccatum imprudenter, incauteque labuntur. Veniam non habet, qui sciens peccat.

Cap. 24. Nec tamen deficiat aliquis, aut de seipso desperet, si aut cupiditate victus, aut libidine impulsus, aut errore deceptus, aut vi coactus, ad iniustitiæ viam lapsus est. Potest enim reduci, ac liberari, si eum pœniteat actorum, & ad meliora conuersus, satisfaciat Deo. Quod fieri posse Cicero non putauit, cuius hæc in Academico 3. verba sunt: Quòd si liceret ijs, qui in itinere deerrauissent, sic viam deuiam secutos corrigere errorem pœnitendo, felicior esset emendatio temeritatis. Licet planè. Nam si liberos nostros, cùm delictorum suorum cernimus pœnitere, correctos esse arbitramur: & abdicatos abiectosque rursus suscipimus, fouemus, amplectimur: cur desperemus clementiam Dei Patris pœnitendo posse placari? Ergo idem Dominus ac parens indulgentissimus remissurum se pœnitentibus peccata promittit, & obliteraturum omnes iniquitates eius, qui iustitiam denuò cœperit operari. Sicut enim nihil prodest malè viuenti anteactæ vitæ probitas: quia superueniens nequitia iustitiæ opera deleuit: ita nihil officiunt peccata vetera correcto: quia superueniens iustitia labem vitæ prioris aboleuit. Is enim, quem facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit. Ideoque Græci melius & significantius μετάνοιαν dicunt, quàm nos Latinè possumus resipiscentiam dicere. Resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiæ, & confirmat animum suum ad rectius viuendum, tum illud ipsum maximè cauet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur, &c. Nemo potest esse tam prudens, vt non aliquando labatur. Idcirco Deus imbecillitatem nostram sciens, pro sua pietate aperuit homini portum salutis, vt huic necessitati, cui fragilitas nostra subiecta est, medicina pœnitentiæ subueniret.

In Epitome diuinarum institut. cap. 6. Vltimum ergo remedium illud est, vt confugiamus ad pœnitentiam, quæ non minimum locum inter virtu-

tes ha-

tes habet, quia sui correctio est, vt cùm fortè aut re, aut verbo lapsi fuerimus, statim resipiscamus, aut nos deliquisse fateamur, oremusque à Deo veniam, quam pro sua misericordia non negabit, nisi perseuerabimus in errore. Magnum est pœnitentiæ auxilium, magnum solatium. Illa est vulnerum, peccatorumque sanatio, illa spes, illa portus salutis, quam qui tollit, viam vitæ sibi amputat: quia nemo esse tam iustus potest, vt nunquam sit ei pœnitentia necessaria.

Iulius Firmicus. 350.

De erroribus profanarum religionum cap. 4. Deus summus per Filium suum Iesum Christum Dominum nostrum volentes liberat, & pœnitentibus libenter ignoscit: nec multa exigit, vt ignoscat, fide tantùm & pœnitentia potestis redimere, quicquid sceleratis diaboli persuasionibus perdidistis.

Hilarius. 350.

Canone 2. in Matth. Pœnitentiam quoque regno cælorum propinquante pronuntiat, per quam est reditus ab errore, & recursus à crimine, & post vitiorum pudorem professio desinendi, vt deserta Iudæa, meminisset eum se suscepturam, in quo cælorum est regnum, non vacuam deinceps futuram, si se à veteribus vitijs pœnitentiæ confessione purgasset.

Canone 18. in Matthæum. Neque fas est nos ex præscripto legis dandæ veniæ numero concludi, cùm per Euangelij gratiam sine modo nobis à Deo fuerit indulta.

Ad Psalm. 137. Extinguit quoque insolentem eorum professionem, qui humanæ naturæ & infirmitatis immemores, & immisericordem Deum prædicantes, peccatis pœnitentium veniam & solatium non relinquunt: cùm ad pœnitentiam, per quam à peccatis desistitur, doctrina Legis, Prophetarum, Euangeliorum, Apostolorum eos, qui peccauerint, adhortetur, vt desperatæ iam spei aliquantulum per eam solatij compararetur, vt amissis licet beatis & maximis & Deo proximis, ne his saltem, quæ talibus sunt secunda, careamus.

Pacianus. 370.

Epist. 1. ad Sympronianum Nouatianum: Nunquam Deus non pœnitenti comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum est: sed & quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud, quod Apostolis dicit:
Matt. 16 *Quæ ligaueritis in terris, ligata erunt & in cælis?* &c. Cur hoc, si ligare hominibus ac soluere non licebat? An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo & baptizare solis licet, & Spiritum sanctum dare solis, & solis gentium peccata purgare: quia totum hoc nō alijs, quàm Apostolis imperatum est. Quòd si vno in loco & resolutio vinculorum, & Sacramenti potestas datur, aut totum ad nos ex Apostolorum forma & potestate deductum est, aut nec illud ex decretis relaxatum est. *Ego,* inquit, *funda-*
1. Cor. 3. *mentum posui, alius autem superædificat.* Hoc ergo superædificamus, quod Apostolorum doctrina fundauit. Denique & Episcopi Apostoli nominantur,
Phil. 2. sicut de Epaphrodito Paulus edisserit: *Fratrem & commilitonem,* inquit, *meum, vestrum autem Apostolum.* Si ergo & Lauacri, & Chrismatis potestas, maiorum & longè charismatum ad Episcopos inde descendit, & ligandi quoque ius adfuit atque soluendi. Quod etsi nos ob nostra peccata temerariè vindicamus, Deus tamen illud vt sanctis & Apostolorum cathedram tenentibus non negabit, qui Episcopis etiam Vnici sui nomen indulsit.

Parænesi ad Pœnitentiam: Apocalypsis septem Ecclesijs, nisi pœnitentiam egerint, comminatur. Nec vtique non pœnitentibus comminaretur, nisi ignosceret pœnitentibus. Etiam ipse Deus dicit: *Memento vnde excideris, & fac pœnitentiam.* Et iterum: *Cùm ingemueris, saluus eris.*

Ambrosius. 370.

Libro 1. de Pœnitentia cap. 7. Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo vtique remissio omnium peccatorum est. Quid interest, vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius sibi datum sacerdotes vindicent? Vnum in vtroque ministerium est. Sed dices, quia in lauacro operatur mysteriorum gratia. Quid in Pœnitentia? Nonne Dei nomen operatur? Quid ergo? Vbi vultis, vindicatis vobis Dei gratiam? vbi vultis, repudiatis? Sed hoc insolentis arrogantiæ, non sancti timoris est, vt fastidio vobis sint, qui volunt agere pœnitentiam. Perpeti videlicet flentium lachrymas non potestis. Non ferunt oculi vestri vilia vestimentorum, illuuiem sordidatorum, superbo oculo, & tumido corde delicati mei, arroganti voce dicentes singuli: Noli me tangere, quia mundus sum, &c.

Cap. 8. Vos (*Nouatiani*) quis ferat, qui putatis vobis non opus esse mundari per pœnitentiam: quia mundatos vos dicitis esse per gratiam, quasi iam peccare vobis impossibile sit?

Lib. 2. de Pœnitentia cap. 7. Lazarum Iudæi interficere volebant. Nonne meritò eorum successores vos fore cognoscitis, quorum duritię hęredes estis? Nam & vos indignamini, & contra Ecclesiam congregatis concilium: quia videtis mortuos in Ecclesia reuiuiscere, & peccatorum indulta venia resuscitari. Itaque, quod in vobis est, per inuidiam rursus vultis interficere resuscitatos. Sed Iesus non reuocat beneficia, imò cumulo suæ liberalitatis amplificat. Reuisit solicitè resuscitatum, & celebratæ resurrectionis gratia lætus ad cœnam venit, quam ei sua præparauit Ecclesia, in qua ille, qui fuerat mortuus, viuus inter discumbentes cum Christo inuenitur.

Exhortatione ad agendam Pœnitentiam: Baptizatus homo, si postea desertor, violatorque Sacramenti fuerit, peccat, & Deum repellit à se. Si autem agat pœnitentiam ex toto corde, vbi Deus videt, saluabitur, sicut vidit cor Dauid, quando increpatus à Propheta grauiter, post comminationes terribiles Dei, exclamauit dicens: *Peccaui:* & mox audiuit: *Abstulit peccatum tuum.* Quantum valent tres syllabæ? Tres enim syllabæ sunt: *peccaui:* sed in istis tribus syllabis flamma sacrificij cordis eius ad cœlum ascendit. Ergo qui egerit veraciter pœnitentiam, & solutus fuerit à ligamento, quo erat constrictus, & à Christi corpore separatus, & bene post pœnitentiam vixerit, cùm defunctus fuerit, ad Dominum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non priuabitur, & à populo diaboli separabitur.

Ad virginem lapsam cap. 8. Pœnitudo necessaria est, sicut vulneratis necessaria sunt medicamenta. Sed quanta putas & qualis nostra pœnitentia, quæ aut æquet crimina, aut certè excedat? Pœnitentia non verbis agenda est, sed & actu. Cùm animo conceperis, non aliud remedium constitutum esse, post baptismum, quàm pœnitentiæ solatium, quantumuis afflictionem, quantumuis laborem, & indecorem subire esto contenta: dummodò ab æternalibus pœnis libereris, &c. Sed tu, quę iam ingressa es agonem pœnitentiæ, insiste misera fortiter, inhære tanquam naufragus tabulæ, sperans per ipsam te de profundo criminum liberari.

Libro 9. epist. 76. Vbi pœna perscribitur, debet esse pęnitentia peccatorum: vbi remissio datur, gratia est. Præcedit pœnitentia, sequitur gratia. Neque ergo pœnitentia sine gratia, neque gratia sine pœnitentia. Debet enim pœnitentia prius damnare peccatum, vt gratia possit abolere. Ideo typum legis accipiens Ioannes, baptizauit in pœnitentia: Christus ad gratiam.

lapsibus subuenit humanis, vt non solùm per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ.

Victor Cartennensis Episcopus 460.

De Pœnitentia cap. 20. Denique Dominum audi in Euangelio, quibus iaculis feriat peccatorem, vt intelligas quanti faciat Pœnitentiæ Sacramentum.

Prosper. 460.

De vita contemplatiua lib. 2. cap. 7. Deum sibi facilius placabunt illi, qui non humano conuicti iudicio, sed vltro crimen cognoscunt: qui aut proprijs illud confessionibus produnt, aut nescientibus alijs, quales occulti sunt, ipsi in se voluntariæ excommunicationis sententiam ferunt, & ab altari, cui ministrabant, non animo, sed officio separati, vitam tanquam mortuam plangunt: certi, quod reconciliato sibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo non solùm amissa recipiant, sed etiam ciues supernæ ciuitatis effecti, ad gaudia sempiterna perueniant.

Claudius Marius Victor. 460.

Libro 2. in Genesim:

At verò nulla est hominis tam dira nefandi
Culpa, Deus quam non animo clemente remittat,
Si modò pœniteat facti.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 6. Erubescimus modò paruo tempore pœnitentiam agere, & non timemus sine vllo termino æterna supplicia sustinere. O infelix homo, de ipso vulnere non erubescis: & de ligatura vulneris erubescis? Peccatum enim vulnus est, Pœnitentia ligatura vulneris. Tu qui pœnitentiam non vis agere, sine dubio dissimulas medicamenta tuis vulneribus adhibere.

Victor Uticensis. 480.

De persecutione Vandalica lib. 2. Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi sunt paruulos fontibus aquæ perennis? Qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi? Quia vobis dictum est: *Quæcunque solueritis in terra, soluta erunt in cælis.*

Gennadius Massiliensis, 490.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 78. Pœnitentia aboleri peccata indubitanter credimus, etiamsi in vltimo vitæ spiritu admissorum pœniteat, & publica lamentatione peccata prodantur: quia propositum Dei, quo decreuit saluare quod perierat, stat immobile. Et ideo, quia voluntas eius non mutatur, siue emendatione vitæ, si tempus conceditur, siue supplici confessione, si continuò vita exceditur, venia peccatorum fideliter præsumatur ab illo, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur à perditione pœnitendo, & saluatus miseratione Domini viuat. Si quis aliter de iustissima Dei pietate sentit, non Christianus, sed Nouatianus est.

Fulgentius. 500.

Epist. 7. cap. 4. Sed forsitan dicitur, illos peccatores posse saluos fieri, qui post peccata merentur baptismatis ablutione mundari: deinceps autem peccata, quæ videtur baptizatus admittere, irremissibilia permanere. Nunquid non baptizatis loquebatur Ioannes Apostolus, quibus dicebat: *Filioli mei, hæc scribo vobis, vt non peccetis: & si quis peccauerit, aduocatum habemus ad Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est exoratio pro peccatis nostris?* (1. Ioan. 2.) Qualecumque sit ergo peccatum, à Deo quidē potest remitti conuerso: sed ille sibi remitti non sinit, qui desperando contra se indulgentiæ ostium clauserit. Cæterùm veritas non mentitur, quæ dixit: *Quærite, & inuenietis: petite, & accipietis: pulsate, & aperietur vobis.* (Matt. 7.)

Alcimus Auitus. 500.

Libro 5.

Pœnitet ambiguè, quem serò pœnitet: Ergo
Præsentis spatium nobis dum creditur æui,
Dum patulam cunctis Christi clementia sese
Præbet, præteritæ plangamus crimina vitæ,
Pœniteatq; olim negligenter temporis acti,
Dum licet, & sano ingenioq; animoq; valemus.

Cassiodorus. 540.

Ad Psal. 130. O Pœnitentia, nimis & absolutè gloriosa, humiliatio, quæ nescit cadere, luctus, qui corda lætificat, lachrymæ, quæ animam rigant.

Iustus Orgelitanus. 540.

In Cantica: Ecclesiæ idcirco tam crebrò, *Reuertere*, dicitur, vt etiam si conuersa deliquerit, desperatione non decidat: sed à peccandi consuetudine spei indulgentia resipiscat. Quæ vox ad Sanctos vbique comprobatur, qui conuersæ pulchritudinem desiderant intueri.

Gildas Badonicus. 560.

In castigatione Ecclesiastici ordinis: Pœnitentiæ tabula post naufragia peccatorum vtendum, vt auertatur furor Domini.

Gregorius Magnus. 590.

Ad librum 1. Regum cap. 1. Qui quotidie delinquimus, quotidie ad lamenta pœnitentiæ curamus: quia ipsa sola virtus est, quæ euacuat, quod in ventre animæ culpa coadunat.

Lib. 7. Moral. cap. 2. Per veram pœnitentiam, quāuis multa & grauissima sint peccata per misericordiam Dei facilè relaxantur, & apud misericordiam suam leue est peccatum, quod relaxatur.

Libro 13. Moral. cap. 6. Quid in sacco & cinere, nisi pœnitentia? Quid in cute & carne, nisi peccatum carnis debet intelligi? Cùm ergo quidam post lapsum carnis ad pœnitentiam redeunt, quasi saccus super cutem consuitur, & cinere caro operitur: quia culpa carnis per pœnitentiam tegitur, ne in districti iudicis examine ad vltionem videatur. Infirma autem membra sua sancta Ecclesia cùm à peccatis retrahit, atque ad pœnitentiæ remedium ducit, hęc proculdubio fletibus adiuuat, vt ad recipiendam auctoris sui gratiam conualescant, & per fortes plangit, quod non fecit, quod in membris suis debilibus quasi ipsa fecit.

Lib. 2. epist. 44. Tribunal iudicis æterni securus aspiciet, quisquis reatus sui conscius, digna eum modò pœnitentia placare contendat.

Isidorus Hispalensis. 620.

De diuinis officijs lib. 2. cap. 16. Pœnitentia est medicamen vulneris, spes salutis, per quam peccatores saluantur, per quam Deus ad misericordiam prouocatur, quæ non tempore pensatur, sed profunditate luctus & lachrymarum. Pœnitentia autem nomen sumpsit à pœna, qua anima cruciatur, & caro mortificatur. Hi verò, qui pœnitentiam agunt, proinde capillos & barbam nutriunt, vt demonstrent abundantiam criminum, quibus caput peccatoris grauatur. Capilli enim pro vitijs accipiuntur, sicut scriptum est: *Crinibus peccatorum suorum vnusquisque constringitur.* (Prou. 5.) *Vir quippe si comam nutriat, ignominia est*, vt ait Apostolus. (1. Cor. 11.) Ipsam ergo ignominiam suscipiunt pœnitentes pro merito peccatorum. Quòd verò in cilicio prosternuntur (per cilicium quippe recordatio est peccatorum) propter hædos ad sinistram futuros. Inde ergo cōfitentes in cilicio prosternimur, tamquam dicētes: *& peccatum meum contra me est semper.* (Psal. 50.) Ille verè pœnitentiam agit, qui nec pænitere præterita negligit, nec adhuc pænitenda committit. Qui verò lachrymas indesinenter effundit, & tamen peccare

non

non definit, hic lamentum habet, sed mundationem non habet. Si qui autem per gratiam Dei ad pœnitentiam conuertuntur, perturbari non debent, si rursus post emendationem relicta vitia corda pulsent, dum non possint bonæ conuersationi nocere, si talis cogitatio non erumpat in consensu vel opere. Ferre enim sine perfectione vitiorum cogitationes, non est ad damnationem, sed ad probationem: nec est occasio subeundi discriminis, sed potius augendæ virtutis. Nam etsi quis circa finem suum per pœnitentiam desinat esse malus, non ideo debet desperare, quod in termino est vltimæ vitæ: quoniam Deus non respicit quales antea fuimus, sed quales circa vitæ finem existimus. Ex fine enim suo vnumquemque aut iustificat, aut condemnat. Proinde non dubitamus circa finem iustificari hominem per pœnitentiæ compunctionem: sed quia rarò id fieri solet, metuendum est, ne, dum ad finem differtur conuersio, incerta occupet mors prius quàm veniat pœnitentia. Pro qua re, etsi bona est ad extremum conuersio, tamen multò melior est, quæ longè ante finem agitur, vt ab hac vita securius transeatur.

Eligius. 640.

Homil. 16. Qui se culpabilem esse cognoscit, ad emendationem vitæ & satisfactionem pœnitentiæ recurrat: certus de Dei misericordia, qua, si ex toto corde pœnituerit, & mala, quæ antea operatus fuerat, vltra non fecerit, veniam à Deo consequetur, &c. Sicut impossibile est hominem sine peccato esse, ita sine pænitentia impossibile est hominem saluum fieri.

Concilium Cabilonense. 658.

Cap. 8. Pœnitentiam peccatorum, quæ est medela animæ, vtilem omnibus hominibus esse censemus.

Beda. 700.

In Psalm. 10. Per pœnitentiam veteris hominis regeneramur in nouum hominem.

In Esdam lib. 3. cap. 23. Per Spiritum sanctum nobis & deuotio pœnitendi infunditur, & pœnitentibus donum veniæ confertur.

Ad caput 7. Lucæ: *Quam cùm vidisset Dominus misericordia motus dixit: Noli flere.*) Desiste, inquit, mortuum flere, quem mox viuum resurgere videbis. Vbi mysticè Nouati dogma confunditur, qui de sua mundicia superbè gloriatus, humilem pœnitentium mundationem euacuare conatur, veramqúe matrem Ecclesiam, renatorum suorum spiritali extinctione plorantem, spe vitæ redonandæ consolari debere negat.

Ad caput 11. Pænitentia delictum abolet, sapientia præcauet.

Alcuinus. 750.

Ad cap. 7. Ecclesiastis: Cùm Dominus loquatur: *Nolo mortem peccatoris, sed tantùm vt conuertatur, & viuat*: semel peccasse sufficiat: debemus nos erigere post ruinam. Si enim iuxta eos, qui de Physicis disputant, nouit hirundo pullos suos de sua oculare chelydonia, dictamnum copræ appetunt vulneratæ, cur nos ignoremus medicinam pænitentiæ propositam esse peccantibus?

Ad Psalm. 1. Pœnitentialem: Peccatricem animam hortatur hic suo exemplo Dauid, vt non statim desperet, etiamsi grauiter peccarit: sed abluto lachrymis pænitentiæ conscientiæ suæ lecto, ad medicum Deum recurrat, qui vlcera peccatorum suorum sanet.

Gregorius Tertius. 730.

De Pœnitentia in Præfatione: Pænitentia dicta est à pænitendo, quòd scilicet aliquis corde pæniteat, & se peccasse coram Deo erubescat. Quia Deo donante nihil potest contra nos diabolus in sua proficere nequitia, si puram volumus agere pænitentiam.

Ambrosius Ansbertus. 760.

In Apocalypsin lib. 9. cap. 19. *Vocatur fidelis*: Quasi dicat: Qui spem veniæ conuersis tribuit, non frustrabitur quemquam in suis promissionibus, quia fidelis est in omnibus: sed qui vana securitate prius conuersionis gratiam à feruore sancti certaminis in tepiditatem veniunt vitæ remissioris, cùm attendunt fidelem veniæ promissionem, debent vtique pertimescere veracem & iustum in suis sententijs iudicem. Vnde & hic dicitur: *Verax vocatur, & iustitiam iudicat*: vbi subaudiendum est: quia si verax est, & iustitiam iudicat, nullum impœnitentem impunitum relinquit, nullum non conuersum misericordia saluat.

Idiota. 790.

Lib. 2. contemplationum: Sicut ipsam animam puram fecit per baptismum, ita rursum hoc tempore puram reddit per pœnitentiæ & reconciliationis gratiam.

Carolus Magnus. 800.

Lib. 6. Legum cap. 160. Per Spiritum sanctum remissio peccatorum in Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, & cæteris Canonicis decretis confertur: & fidelibus in Ecclesia per Christum, eiusdem sancti Spiritus dono, per ministerium sacerdotale, & per pœnitentiam remissio peccatorum indubitanter attribuitur.

Haymo. 820.

Ad cap. 6. Epist. ad Hebræos: *Impossibile est iterum renouari posse eos.* Quid ergo? exclusa est pœnitentia post baptismum, & venia delictorum? Absit. Duo siquidem sunt genera pœnitentiæ. Vnum quidem ante baptismum, quod & præparatio baptismatis potest appellari: quia iniungitur illis, qui instituuntur antequam baptizentur, non posse iterum renouari per pœnitentiam, quatenus pœnitentia peracta iterum baptizentur. Alterum autem genus pœnitentiæ est, quo post baptismum delentur peccata, quam beatus Apostolus minimè excludit. Terret ergo omnes, vt timeant post baptismi gratiam grauioribus se peccatis implicare, quia non potest fieri secunda vice renouatio per lauacrum baptismatis.

Libro 1. in Apocal. cap. 3. Nunquid illi desperandi sunt, qui post baptismum maculis criminum coinquinantur? Non vtique, quia & illi, si pœnitentiam egerint, lachrymarum fletibus prioris vitæ maculas detergunt, quod est secundum baptismi genus.

Halitgarius Episcopus. 830.

In Præfatione de Pœnitentia vtilitate: Aliquis fortè desperatus dicat: Ego iam baptizatus in Christo, à quo omnia peccata præterita mihi dimissa sunt, vilis factus sum nimis, quò abibo à spiritu, & à facie eius quò fugiam? Quò frater, nisi ad eius misericordiam pænitendo, cuius potestatem peccando contempseras? Quicquid enim feceris, quæcunque peccaueris, adhuc in vita es: vnde te auferret, si sanare nollet. Oportet igitur ad pænitentiam accedere, & fide credere, pœnitentia aboleri posse peccata, etiamsi in vltimo vitæ spiritu commissa pæniteat, & publica lamentatione peccata prodantur. Quia propositum Dei, quo decreuit saluare quod perierat, stat immobile, &c. Certissimæ sunt & fidelissimæ claues Ecclesiæ, quibus quodcunque in terra soluitur, etiam in cælo solutum promittitur.

Rabanus Maurus. 850.

De institut. cleri lib. 2. cap. 29. Pænitentiæ remedium Ecclesia Catholica in spe indulgentiæ fideliter alligat exercendum, & post vnum baptismi Sacramentum, quod singulari traditione commendatū, solicitè prohibet iterandum, medicinali remedio pænitentiæ subrogat adiumentum: cuius remedio

egere

egere se cuncti agnoscere debent pro quotidianis humanæ fragilitatis excessibus, sine quibus in hac vita esse non possumus, honorum duntaxat dignitate seruata, ita vt à Sacerdotibus & Leuitis Deo tantùm teste fiat: à cęteris verò, astante coram Deo solenniter sacerdote, vt hic tegat fructuosa confessio, quod temerarius appetitus, aut ignorantiæ notatur contraxisse neglectus: vt sicut in baptismo omnes iniquitates remitti, vel per martyrium nulli peccatum credimus imputari: ita pœnitentiæ compunctione fructuosa vniuersa fateamur deleri peccata. Lachrymæ enim pœnitentium apud Deum pro baptismo reputantur: vnde & quamlibet sint magna delicta, quamuis grauia, non tamen est in illis Dei misericordia desperanda.

Libro 8. in Ecclesiasticum cap. 3. Certum est, quòd ille, qui iniquitatem facit, & peccatum vitare non curat, gratam oblationem Deo offerre non potest, nec veniam promereri delicti: sed qui fugit vitia, & digna pœnitentia & lachrymarum effusione delere sua studet peccata, hic Deo acceptabilia offert munera.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 900.

Cap. 7. Delectabilis tibi Christo conuersio & pœnitentia peccatorum.

Cap. 9. Post peccatum non poterit tibi pœnitentia denegari.

Smaragdus Abbas. 950.

In Diademate Monachorum cap. 14. Tunc de se iudicium quisque sumit, quando per dignam pœnitentiam sua praua opera condemnat: amaritudo pœnitentiæ facit animam & sua facta subtilius discutere, & dona Dei, quę contempsit, flendo commemorare, &c. Quantumcumque quisque peccator sit & impius, si ad pœnitentiam conuertitur, misericordiam consequitur. Festinare debet ad Deum pœnitendo vnusquisque, dum potest, ne si tardè voluerit, omninò non possit.

Radulphus Flauiacensis. 950.

In Leuiticum lib. 3. cap. 1. Non coactam, sed spontaneam agere pœnitentiam oportet: nec humano timore ad hoc compelli, sed amore diuino, & propriæ salutis intuitu prouocari.

Berno Augiensis. 1020.

De diuinatione dæmonum contemnenda: Donec sumus in hac vita, quantacunque nobis acciderunt peccata, possibile est ablui omnia per pœnitentiam, &c. Scimus pœnitentiam his concessam, qui contra Dominum deliquerunt in furto, in adulterio, in homicidio, in sacrilegio, vel in his, quæ varijs modis solent per fragilitatem ab hominibus committi.

Radulphus Ardens. 1050.

Dominica 3. post Trinitatem: Qui lapsi fuerint, ad pristinum statum cum feruore redeant, vt de conuersione sua luctum diabolo & Angelis suis faciant.

Meginardus. 1070.

De fide ad Guntherum: Indubitanter credo pœnitentia aboleri peccata, etiamsi in vltimo vitæ spiritu delictorum pœniteat, & publica lamentatione prodantur: quia propositum Dei, quo decreuit saluare quod perierat, stat immobile.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad cap. 9. Matthæi: *Puella dormit:* quia qui peccant in præsenti, nondum mortui sunt, sed dormiunt: quia adhuc per pœnitentiam suscitari possunt.

Ad cap. 12. posterioris ad Corinth. Cùm de his tam execrandis libidinum perpetrationibus pœnitentiam fieri suadeat Apostolus, patet, quia non est vlla criminum tam horrenda macula, quæ per pœnitentiam deleri non possit.

Ad cap. 3. epist. ad Hebræos: Si quis peccauit, vsquequò est hodie, potest reuerti. Nemo igitur desperet, dum viuit: sed neque securus incautè fiat: quia nescit quando istud sibi hodie determinetur.

Petrus Alphonsus. 1100.

In Dialogo tit. 12. Absque pœnitentia non potest expiatio esse vlla.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epist. 27. Completo Cœnæ mysterio, discipulorum pedes lauit Dominus in Sacramentum pœnitentiæ & remissionis: hoc Sacramento designans terreno puluere etiam religiosa corda sordere, & neminem esse mortalium, qui non egeat pœnitentia & peccatorum indulgentia.

Hildebertus Cenomanensis. 1100.

Epist. 46 Neminem serò pœnitet, quem mors inuenit pœnitentem. In extremo vitæ latro, dum paradisum meruit, exemplum reliquit.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

In Zachariam lib. 2. cap. 6. Apostoli Domini post passionem eius, ipso iubente, prædicauerunt: extunc cunctis peccatoribus, quacunque ex gente vel natione confugientibus, quantumlibet criminosis, vel facinorosis patet pœnitentiæ asylum, patet eorum violentiæ regnum cælorum.

Ad cap. 3. Apocal. Qui post fornicationes & adulteria conuersus pœnitentiam egerit, illius nomen non delebitur de libro vitæ.

Hugo Victorinus. 1120.

Eruditionis Theologicæ in Summa Sentent. tract. 6. cap. 10. Sacramentum pœnitentiæ redeuntibus ad Deum semper est necessarium. Est enim pœnitentia secunda tabula post naufragium. Quia post baptismum si quis vestem innocentiæ peccando amittit, per pœnitentiam recuperare poterit.

Eruditionis Theologicæ ex Miscellaneorum lib. 1. titulo 103. Sacramentum pœnitentiæ est exterior exhibitio operis. Res Sacramenti est vera contritio cordis. Si Sacramentum suscipis, opera pœnitentiæ facias, habe rem Sacramenti in vera contritione, ne frustra speciem sine veritate ostendas.

Bernardus. 1130.

Serm. 9. super Cant. Duo sponsi vbera duo in ipso sunt ingenitæ mansuetudinis argumenta, quòd patienter expectat delinquentem, & clementer recipit pœnitentem. Gemina, inquam, dulcedo suauitatis exuberat in pectore Domini Iesu, longanimitas videlicet in expectando, & in donando facilitas. Et audi, quia non hic sit inuentum meum. Legis profectò de longanimitate: *An diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis eius contemnis?* Item: Rom. 2. *An ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Ad hoc siquidem diu suspendit sententiam vltionis à contemnente, vt quandoque exhibeat gratiam remissionis in pœnitente. *Non enim vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.* Ezec. 18.

Serm. 1. in festo Paschæ: Quicunque post lamenta pœnitentiæ non ad carnales redit consolationes, sed in fiduciam diuinę miserationis excedit, ingreditur nouam quandam deuotionem, & gaudium in Spiritu sancto: nec tam compungitur præteritorum recordatione peccatorum, quàm delectatur memoria, & inflammatur æternorum desiderio pręmiorum: is planè est, qui cum Christo resurgit, qui Pascha celebrat, qui festinat in Galilæam.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. dist. 14. Pœnitentia longè positis à Deo necessaria est, vt appropinquent. Est enim, vt ait Hieronymus, secunda tabula post naufragium. Quia si quis vestem innocentiæ in baptismo perceptam peccando corruperit, pœnitentiæ remedio reparare potest. Prima tabula est baptismus, vbi deponitur vetus homo, & induitur nouus. Secunda pœnitentia, qua post lapsum resurgimus, dum vetustas reuer-

reuerſa repellitur, & nouitas perdita reſumitur. Poſt baptiſmum prolapſi per pœnitentiam renouari valent, ſed non per baptiſmum: licet homini ſæpius pœnitere, ſed non baptizari. Baptiſmus tantùm eſt Sacramentum, ſed pœnitentia dicitur & Sacramentum, & virtus mentis. Eſt enim pœnitentia interior, & eſt exterior. Exterior Sacramentum eſt, interior virtus mentis eſt, & vtraque cauſa ſalutis eſt, & iuſtificationis, &c. His alijſque teſtimonijs pluribus euidenter oſtenditur, per pœnitentiam non ſemel tantùm, ſed ſæpius nos à peccatis ſurgere, & veram pœnitentiam ſæpius agi.
Heb. 10. *Voluntarie enim peccantibus nobis*, vt ait Apoſtolus, *pro peccatis non relinquitur hoſtia*, ſecunda ſcilicet, quia ſemel tantùm Chriſtum oportuit pati, nec relinquitur ſecundus baptiſmus. Relinquitur verò ſecunda pœnitentia, & tertia, & deinceps, vt Ioannes Chryſoſtomus ſuper hunc locum ait.

Petrus Cluniacenſis. 1150.

Lib. 3. epiſt. 28. Conuerſionem morum rurſum polliceri quid oberit, cùm non tantùm bis in profeſſione, ſed etiam millies in confeſſione tam Deo quàm hominibus quotidie morum conuerſionem & vitæ emendationem cum præteritorum malorum pœnitentia promittere debeat?

Petrus Bleſenſis. 1160.

Epiſt. 75. Recipite quæſo hominem humiliatum & compunctum ad pœnitentiam, ne ſi fortè claudatur ei ſinus miſericordiæ, incidat in deſperationis abyſſum. Gratius quidem acceptat Deus pœnitentiam peccatoris humilis & contriti, quàm innocentiam iuſti tepidi & remiſsi.

Hugo Etherianus. 1160.

De regreſſu animarum ab inferis cap. 9. His ad confitendum exemplis accingere, his ad pœnitentiam armare. Differt enim Deus pœnam, vt inueniat pœnitentiam, & moraturis vtens ſpatijs, protelat patientiam, ne inuadat cenſura, quod clementia poſsidebat: non præterita mala reſpectat Deus, nec errata computat, ſed correcta laudat. Habes promiſſum ad pœnitentiam ſuadentis tibi, ſi non pœ-
Iob 24. nitueris, imputabit. *Et dedi*, inquit, *illi tempus, vt pœnitentiam ageret, & noluit pœnitere.* Huic ſimiliter
Hier. 3. accidit illud propheticum: *Et dixi, poſtquam fornicata es omnia, ad me conuertere, & noluit ad me conuerti poſtea*, &c. Magnum eſt Sacramentum pœnitentiæ. Audi Chriſtum quanti faciat pœnitentiam.
Luc. 13. *Aderant*, inquit Lucas, *ipſo in tempore quidam nunciantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificijs. Et reſpondens, dixit illis: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.*

Petrus Cantor. 1170.

Cap. 67. Duas habet manus pœnitentia, laborem ſcilicet pœnitentialem, ad delenda præterita peccata; macerationem carnis, ad vitanda futura. Pro his laboribus dicitur nobis: *Quia Dominus laborum noſtrorum non eget.* Horum enim debitores ſumus, vt ſalutem amiſſam recuperemus.

Cap. 105. Pœnitentia deſtructiua eſt vitiorum, & inchoatiua virtutum, puta, quæ eſt ſecunda tabula poſt naufragium, contra omnia peccata, & venena diaboli remedium, & antidotum.

Innocentius Tertius. 1200.

Serm. 2. in Solennitate omnium Sanctorum: Quocirca, fratres, mundate cor veſtrum, vt Deum videre poſsitis. Cor autem mundandum eſt ſcopis illis, quibus mundata eſt domus illa, de qua ſpiritus immundus exiuit, quam poſtea ſcopis mundatam & ornatam inuenit. Bona ſcopa eſt pœnitentia, bona eleemoſyna, bona ieiunium, bona oratio, bonæ vigiliæ.

Sermone 1. in Feſto conuerſionis Pauli. Nullus præ multitudine & magnitudine peccatorum deſperet: quia Deus non ſolùm recipit pœnitentes, verùm etiam attrahit peccatores. Nam *à diebus Ioannis Baptiſtæ regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.* Nullus omninò deſperet: quia *Deus patiens, & miſericors, & præſtabilis ſuper malitia, ſuauis, & mitis, & copioſus in miſericordia omnibus inuocantibus ſe:* quia non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Matt. 11. Ioel. 2.

In Pſalm. 1. Pœnitentialem: Homo, qui cecidit per offenſam, reſurgit per pœnitentiam: vt per eum decimus Angelorum ordo reſtauretur.

Concilium Lateranenſe. 1215.

Cap. 1. Si poſt ſuſceptionem baptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam ſemper poteſt reparari.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Sermone in capite ieiunij: Vera pœnitentia eſt ſecunda poſt naufragium tabula, per quam non ſolùm commiſſa delentur, ſed amiſſa reſtituuntur: virtutes infunduntur, & ſanitates perficiuntur. Ipſa enim de impio facit pium, de iniuſto iuſtum, de inimico amicum, de ſuperbo humilem, de ſeruo liberum.

Edmundus Cantuarienſis. 1230.

In ſpeculo Eccleſiæ cap. 14. Tertium Sacramentum eſt pœnitentia, quæ delet omne peccatum actuale, veniale, & mortale. Iſtud Sacramentum conſtituit Filius Dei, qui de cælo in terram veniens humiliter, fecit pœnitentiam non pro ſe, ſed pro ſuæ gentis ſaluatione. Et ſanctus Ioannes Baptiſta prædicauit pœnitentiam & remiſsionem peccatorum.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ cap. 1. Pœnitentiam ex effectibus ſuis & vtilitatibus laudantes, nominare conſueuimus in publicis exhortationibus reſuſcitatricem, ſuccurritricem in prælio occiſorum, ſanatricem infirmorum, rectificatricem rimarum, renouatricem inueteratorum, reſtitutricem deperditorum, reconciliatricem offenſorum, reparatricem defunctorum, releuatricem lapſorum, reductricem aberrantium, emendatricem forefactorum, iuſtificatricem maleficiorum, lotricem ſordidatorum, ſolutricem malè concreditorum, liberatricem captiuorum, & felicis conuiuij communicatricem, ſcilicet in bonos, communicatricem dico malorum, ſimiliter reſolidatricem fractorum.

Tractatu nono de Pœnitentia cap. 1. Secunda tabula poſt naufragium (qua poſt reparationem & liberationem rurſus merſi eripimur) pœnitentia eſt, adeò ſalubris, & neceſſaria, vt ſine ea baptiſmus adultos, qui naufragium mortale, præter originale, paſsi ſunt, liberare non ſufficiat.

Alexander Aleſius. 1240.

Parte 4. quæſt. 14. membro 5. art. 2. Pœnitentia iterari poteſt, dum eſt in hac vita: ſed poſt hanc vitam non poteſt. Et ratio, quare pœnitentia poſsit ac debeat iterari, & baptiſmus non, eſt triplex. Vna eſt: quia in baptiſmo imprimitur character, qui eſt indelebilis, in pœnitentia non. Secunda ratio eſt: quia baptiſmus eſt contra morbum non iterabilem, qualis eſt morbus peccati originalis: ſed pœnitentia eſt contra morbum iterabilem, qualis eſt morbus peccati actualis. Tertia ratio eſt: quia baptiſmus habet totam efficaciam à paſsione Chriſti: pœnitentia non, ſed ab actu noſtro: & ita baptiſmus non iteratur, ſicut nec paſsio: pœnitentia verò iteratur, ſecundum quod voluntas noſtra conuertitur & reuertitur. Inde eſt, quòd in baptiſmo omnis pœna remittitur: in pœnitentia non. Et ſi baptiſmus iteraretur, daretur nobis occaſio peccandi: non ſic in pœnitentia, quia bene punit.

Albertus Magnus. 1240.

Ad cap. 4. *Matth.* Pœnitentia est Sacramentum destruens peccatum actuale commissum: & hoc quidem, in quantum contrarium est gratiæ, culpa vocatur: in quantum autem contrarium est virtuti, vocatur vitium. Pœnitentia igitur, quæ est prædicabile primum, est Sacramentum Ecclesiæ, destruens peccatum in se, & omnem peccati effectum.

Thomas Aquinas. 1250.

Ad cap. 2. *Apocal.* Sine pœnitentia non est salus peccatori.

Tertia Summæ quæst. 84. *art.* 1. In Sacramento pœnitentiæ sunt actus humani pro materia, qui proueniunt ex inspiratione interna.

Richardus de Media villa. 1280.

In lib. 4. *Sent. dist.* 14. *art.* 7. *q.* 2. Non est dubium, quin per pœnitentiam, ratione sui actus interioris & exterioris, simul possit remitti tota pœna peccato debita, vel, vt melius dicam, exolui. Tanta etiam potest esse intensio actus interioris, quòd per eius perfectionem & dolorem sensibilem, causatum ex perfectione actus, meretur pœnitens remissionem totius pœnæ peccato debitæ, vel per æquiualentiam soluit totam pœnam peccato debitam: ita quòd, si post completum illius contritionis motum decederet, nullam pœnam in purgatorio sustineret. Hoc autem non conuenit cuilibet contritioni: quia non semper cùm remittitur offensa, remittitur satisfactoria emenda.

Durandus à Sancto Portiano. 1310.

Ad lib. 4. *Senten. dist.* 14. *quæst* 3. Pœnitentia, acceptà pro habitu, vel pro actu, quo detestamur peccatum à nobis commissum, est virtus, vel actus virtutis, nec est Sacramentum. Vnde de pœnitentia sic accepta non procedit quæstio. Alio modo accipitur pœnitentia pro actibus exterioribus, qui sunt inter pœnitentem & absoluentem, qui actus sunt confessio & absolutio. Et de pœnitentia sic accepta dicendum est, quòd sit Sacramentum.

Albertus Patauinus. 1310.

Sermone 5. In Baptismo Originalia, sed in Pœnitentia actualia peccata lauantur: huc veniamus lauare facies: quia omnem maculam conscientiæ diluit pœnitentia.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 6. *Epist. ad Hebræos:* Nouatus dixit, quòd nullus potest resurgere ad pœnitentiam post baptismum. Sed hoc est falsum & erroneum, secundùm quod dicit Athanasius in Epistola ad Serapionem, & probat per Scripturam, per illum Corinthium incestuosum, de quo loquitur Apostolus; (1. Cor. 5.) qui tantæ enormitatis erat, quòd vxorem patris sui habebat: propter quod Apostolus iussit eum tradere Satanæ ad affligendum, vt spiritus saluus fieret in die Domini nostri Iesu Christi: quod non esset verum, nisi pœnitentia in eo haberet locum. Item de illo eodem scribitur, quòd de mandato Apostoli fuerit iterum receptus ad communicationem fidelium: per quod patet, quòd pœnitentia (2. Cor. 2.) habet locum in cadentibus post baptismum. Item Paulus Apostolus scribens Galatis, qui post receptionem fidei & baptismi fuerant decepti à falsis Apostolis, dicit: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus.* Ex quo patet, quod recepit (Galat. 4.) eos ad pœnitentiam post baptismum.

Ad caput 5. epist. Iacobi: *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei*, scilicet virtute huius Sacramenti. Cõsequenter inducit ad reuerenter sumendum pœnitentiæ Sacramentum, quo remittuntur peccata mortalia.

Augustinus Triumphus. 1320.

In Canticum B. Mariæ Virginis fol. 22. *ad quintam quæstionem:* Similiter faciunt diuisionem in Sacramentis recipiendis: non magnificant Deum, imò eum fallunt, & decipiunt: vt si quis confiteatur peccatum vnum, & non aliud, vel quòd pœniteat de vno, & non de alio. Stultum namque est dimidiam à Deo sperare veniam. Vult enim totum dimittere, non partem: vel si quis vnum peccatum confiteatur vni sacerdoti, aliud alteri. Diuidunt enim tales Sacramentum. Quia Sacramentum pœnitentiæ est vnum, & vnum requirit ministrum, sicut habet vnum auctorem. Vult enim sic confitens aliquid latere Deum, & aliquid sibi esse manifestum.

Guido Rocherius. 1330.

In Manipulo curatorum Tractatus 1. *secundæ partis de pœnitentia cap.* 4. Pœnitentià sic perfecta est illa scalà benedicta, cum istis tribus gradibus, quam vidit Iacob erectam à terra vsque ad cælum, & Dominum innixum scalæ. Et hoc propter tria. Primò, vt ascendentem per eam fortiter sustineat: secundò, vt si necessitas fortè fuerit, ascendenti per eam manum porrigat: tertiò, vt ascendens per eam, si fortè fatigatus fuerit, in ipsum respiciat, & iactet totam fiduciam suam in eum. Non est enim ità crudelis, vt ipsum cadere permittat.

Guido Carmelita. 1330.

De hæresibus Iudæorum cap 9. Christus discipulos misit baptizare, & post baptismum prædicauit pœnitentiam, Matth. 4. vt qui peccati sorde post baptismum macularentur, aqua lachrymarum pœnitentiæ lauarentur, & mundarentur, & sacerdotibus in Apostolis potestatem soluendi & ligandi dedit Matth. 17. 18.

Thomas Argentinensis. 1350.

In lib. 4. *Senten. dist.* 14. *artic.* 4. Effectus pœnitentiæ sunt multi, & valde gloriosi, quos simul in vna auctoritate coniungit Chrysostomus in quodam Sermone de Pœnitentia, quæ miserante Deo peccata remittit, &c.

Petrus Aliacus. 1400.

Præfatione in Psalmos Pœnitentiales: Vera pœnitentia velut scala quædam est, qua homo peccator, qui secundùm Euangelicam parabolam descendit de Hierusalem in Hiericho, rursum in Hierusalem, id est, ad pacis visionem ascendit.

Nicolaus Clamengius. 1410.

De Filio prodigo: *Pater peccaui.* O verbum salutiferum, ô verbum efficax & præualidum, modò ex animo dicatur: quod & spirituales nequitias potenter expugnat, & diuinæ seueritatem iustitiæ flectit, temperat, mitigat: quod iudicis iram placat; sententiam mutat, decreta reuocat, imò penetranti virtute ad intima misericordiæ viscera irrumpens, illa mortalibus effundit: quod Niniuitas ab excidio liberat, Dauidem à morte saluat, Ezechiæ annos prorogat: quod postremò publicanum iustificat, latroni paradisum reserat, Magdalenæ ploranti veniam impetrat, & dæmonia septem ab ea fugat.

Ioannes Gerson. 1420.

Tractatu de Oratione, & eius valore: In Sacramento pœnitentiæ datur gratia, & diminuitur, vel tollitur pœna, virtute sacerdotalis absolutionis, si non obfuerit obex, vel fictio.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De perfectionis gradibus cap. 3. Ad quotidiana crimina detergenda pœnitentiæ sunt collata remedia: ad corroborandam debilitatem interioris hominis per pœnitentiam iam sanati corporis & sanguinis sui alimoniam Christus impertiri dignatus est, &c. Tria Sacramenta; videlicet Baptisma, Pœnitentia, & Eucharistia humanæ saluti prorsus necessaria esse probantur. Omnibus quippe saluandis baptisma suscipere expedit. At verò mortalis seu venialis culpa, in quam ob fragili-

tatem & innatam concupiſcentiam facilè quiſque impellitur, atque collabitur, quoties acciderit, toties per pœnitentiæ medicamentum ab anima amoueri poteſt,&c. O beata pœnitentia, ad ſalutem interioris hominis diuinitus impenſa quanta eſt virtus tua, & quàm efficax eſt medela tua? Nullum planè eſt tam graue, tamq; enorme facinus, quod non deleatur effectu. Te enim vnigenitus Dei Filius in exordio ſuæ prædicationis commendauit dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* Te Præcurſor illius, quo *inter natos mulierum* (inſinuante veritate) *nullus ſurrexit maior,* verbis ſimilibus hominibus prædicauit. Tu es refugium humilium, contritorum leuamen, veniæ porta, ſpes indulgentiæ, propriæ agnoſcendæ infirmitatis magiſtra, terror dæmonum, virtutum nutrix, gratiarum cuſtos, orationis incentiuum, lachrymarum origo, conſequendæ miſericordiæ præcurſor, amica Angelorum, & ſpiritualis diſciplinæ norma præcipua, ſi tamen interioris & exterioris operis ſis exercitio decorata.

Matt. 3.

Concilium Florentinum. 1439.

In doctrina de Sacramentis: Quantum Sacramentum eſt Pœnitentia, cuius quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes: quarum prima eſt, cordis contritio. ſecunda, oris confeſſio: tertia, ſatisfactio. Forma huius Sacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ ſacerdos profert, cum dicit: *Ego te abſoluo,* &c. Effectus huius Sacramenti eſt abſolutio à peccatis.

Ioannes de TurreCremata. 1460.

In Regulam Benedicti tractatu 53. Eſt magna virtus pœnitentiæ, quæ eſt virtuoſa medicina, vt contra eam nulla ſpiritualis infirmitas præualeat.

Dionyſius Carthuſianus. 1460.

In Compendio Theologiæ propoſit. 136. Pœnitentia eſt nobis in hac vita maximè neceſſaria, ac velut alter baptiſmus, ac ſecunda poſt ſpirituale naufragium tabula.

Ad cap. 2. *Matth. artic.* 6. Pœnitentia tripliciter ſumitur: Primò, pro Sacramento: ſecundò, pro virtute morali, quæ eſt pars iuſtitiæ: tertiò, pro actu pœnitentiæ.

Hieronymus Sauonarola. 1480.

De veritate fidei lib. 3. *cap.* 15. Quartum eſt pœnitentiæ Sacramentum, quod inſtitutum eſt ad ſpiritualem ſanitatem recuperandam. Sicut enim in acie dimicando plerunque corpus vulneratur, ſtatim opportuna medela adhibetur, ne pereat: ſic & in ſpiritali pugna vulneribus acceptis mox curandum eſt, vt per ſalutiferum pœnitentiæ medicamentum ea ſanentur, ne lethalem exitum quoquo modo inducant.

Concilium Tridentinum. 1560.

Seſſione 6. *cap.* 14. Qui verò ab accepta iuſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus iuſtificari poterunt, cùm, excitante Deo per pœnitentiæ Sacramentum, merito Chriſti amiſſam gratiam recuperare procurauerunt. Hic enim iuſtificationis modus eſt, lapſis reparatio, quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam ſancti Patres aptè nuncupârunt. Etenim pro ijs, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, Chriſtus Ieſus Sacramentum inſtituit pœnitentiæ, cùm dixit: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.*

Canone 29. Si quis dixerit, eum, qui poſt baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiam reſurgere, aut poſſe quidem, ſed ſola fide amiſſam iuſtitiam recuperare ſine Sacramento Pœnitentiæ, prout ſancta Romana & vniuerſalis Eccleſia, à Chriſto Domino & eius Apoſtolis edocta, huc vſque profeſſa eſt, ſeruauit, & docuit, anathema ſit.

Seſſion. 14. *Can.* 2. Si quis Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum Pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideò pœnitentiam non rectè ſecundam poſt naufragium tabulam appellari, anathema ſit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

CORDIS CONTRITIONEM, ET LACHRYMAS REQVIRI AD POENITENTIAM.

NEGANT.

Anno poſt natum Chriſtum 1520.

MARTINVS Lutherus Sermone de Pœnitentia habito anno 1517. *Contritio duplici via paratur, primò per diſcuſſionem, collectionem, ac deteſtationem peccatorum, qua quis (vt dicunt) recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum ſuorum grauitatem, damnum, fœditatem, multitudinem, deinde amiſſionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquiſitionem, & alia, quæ poſſunt dolorem & triſtitiam excitare, ſpe ſatisfaciendi per bona opera. Hæc autem contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem: quia ſolùm timore præcepti & dolore damni id facit, & tales omnes indignè abſoluuntur & communicantur.*

In Aſſertionibus Articulo 6. *Contritio, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, ac deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum grauitatem, fœditatem, multitudinem, amiſſionem æternæ beatitudinis, & acquiſitionem æternæ damnationis: hæc contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem.*

Contra

Contra Bullam Antichristi, postquam recitauit ijsdem verbis hunc articulum à Leone damnatum subiungit. *Meus certè est iste articulus, & Christianissimus, quem mihi ab innumerabilibus Papis & Papistis non patiar extorqueri.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Deut. 4. *Vers.* 29. Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, inuenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.

Iudith 8.14. Quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, & indulgentiam eius fusis lachrymis postulemus.

Psal. 6. 7. Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum rigabo.

Psal. 33.19. Iuxta est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde.

Psal. 37.9. Afflictus sum & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei, Domine, ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus. 18. Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.

Psal. 41.4. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.

Psal. 50.19. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Psal. 101.10. Cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.

Psal. 118. 120. Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui. 136. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.

Ecclesiastici 1. 27. Timor Domini expellit peccatum. Nam qui sine timore est, non poterit iustificari.

Isaiæ 38. 15. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

Isaiæ 66. 2. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?

Ierem. 31.19 Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.

Ioelis 2.12. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.

Matth. 5.5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

Matth. 26.75. Egressus Petrus foras, fleuit amarè.

Luc. 7.37. Mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd accubuisset Iesus in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti: & stans retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, &c.

Lucæ 18.13. Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo. Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

2. *Cor.* 7.10. Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Libro 6. *Recognitionum*: Potest hæc, inquit Petrus, vt multi temporis negligentiam breuis, & assidua reparet diligentia. Incertum est enim vniuscuiusque vitæ tempus: & ideo festinandum est ad salutem ne fortè cunctantem mors repentina præueniat. Et ob hoc acrius intendendum est, vt dum est temporis spatium, collecta malæ consuetudinis vitia resecentur. Quod non aliter facere poteritis, nisi vt irascamini quodammodo aduersum vosmetipsos pro ijs, quæ inutiliter gessistis ac turpiter. Hæc enim est iusta ac necessaria iracundia, qua vnusquisque in ijs, quibus errauit, & perperam gessit, indignatur: & semetipsum incusat: ex qua indignatione accenditur in nobis ignis quidam, qui velut agro sterili immissus, consumptis & excoctis radicibus pessimæ voluntatis, bono semini verbi Dei fœcundiorem cordis præparat glebam.

Iustinus. 160.

Dialogo cum Tryphone: Dauidis peccatum tum demum remissum est, cùm ita plorauit, & lamentatus est, sicut de eo scriptum est. Verùm enimuerò, si viro tanto non ante est noxa remissa, quàm pœnitentiam egit: ac tum demum, cùm tantoperè fleuit, & res tantas fecit magnus ille rex, & vnctus, & Propheta quam tandem impuri isti, & nullius mentis complorati[que] adeò homines, nisi lamentati fuerint, planxerint, & pœnitentiam egerint, spem

habere possent, non imputatum illis iri à Domino peccatum?

Irenæus. 180.

Lib. 1. cap. 9. Nam cùm esset vxor eius speciosa, & sententia & corpore corrupta esset à Mago isto, & secuta eum esset multo tempore: post deinde cùm magno labore fratres eam conuertissent, omne tempus in exomologesi consummauit, plangens & lamentans ob hanc, quam à Mago isto passa esset, corruptelam.

Clemens Alexandrinus. 200.

Libro 2. Stromatum: Eorum, quæ fecit, pœnitens, ea non amplius facit, vel dicit. Propterea autem, qui peccauit, torquens animam, bona facit. Remissio ergo peccatorum differt à pœnitentia. Ambo autem ea ostendit in nostra potestate, &c. Hic autem, qui etiam postea peccauit, deinde pœnitentia ducitur, etiamsi veniam assequatur, debet erubescere, vt qui non amplius lauetur in remissionem peccatorum.

Libro, quis sit ille diues, qui saluetur: de iuuene lapso: Ille vbi hoc audierat, primùm oculis humi defixis constitit, deinde arma abiecit: tum horrore perfusus, grauiter & acerbè lamentatus est, fletu & mœrore, quoad poterat, pro culpa satisfecit & dextera sola occultata, lachrymarum vnda secundò baptizatur.

Origenes. 230.

Homilia 2. in Leuiticum: Est dura & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lauat peccator lachrymis stratum suum, & fiunt ei lachrymæ panes die ac nocte.

Petrus Alexandrinus. 300.

De Pœnitentia Canone 11: Memores itaque multorum laborum & miseriarum, quas pro Christi nomine sustinuerunt, cùm ipsi etiam pœnitentiam egerint, & quod à se factum est, per proditionem, in corporis afflictione, & mortificatione defleuerint, oremus pro eorum reconciliatione.

Eusebius Cæsariensis. 320.

Ecclesiast. histi. lib. 5. cap. 27. Natalius confessor ab Asclepiodoto & Theodoto fraude & dolo deceptus fuit, & ab illis duobus salario & mercede persuasus, vt illius erroris Episcopus crearetur: tandem per integram noctem à sanctis Angelis flagris & verberibus vsque adeò acerbè & grauiter cæsus fuit, vt cùm primò manè surgeret, cilicio & sacco indutus, cineribus aspersus, cum magno mœrore & lachrymis ad pedes Zephyrini Pontificis se supplicem abijceret: & non modò ad cleri, sed ad laicorum etiam genua aduolueretur, ita vt Christi misericordis Ecclesia illum magnoperè commiserata, lamentis vnà se dederet.

Concilium Nicænum. 325.

Canon. 11. Ab omnibus verò illud præcipuè obseruetur, vt animus eorum, & propositum, vel species pœnitentiæ attendatur. Quicunque enim cum omni timore, & lachrymis perseuerantibus, & operibus bonis conuersationem suam demonstrãt, licebit Episcopo humanius aliquid circa eos cogitare.

Athanasius. 340.

Libro de Virginitate, seu de meditatione: Magna virtus in lachrymis, & præclara per eas fiunt: magna peccata, & iniquitates per lachrymas obliterantur. Pro teste est mihi Euangelium: Cùm enim Saluator noster traditus esset Iudæis, Petrusque iureiurando illum abnegarit, antequam gallus cantaret, Dominus autem directo in eum vultu aspexisset, memorque ibi redditus esset verbi Domini, quod ei dixerat: *Antequam gallus sonet, ter me negabis, egressus foras amarè lachrymatus est.* Vides quale remedium in lachrymis? Specta quæso quam iniquitatem deleuerint? Quid enim terrius hoc vitio? Quippe qui ter iureiurando Dominum abnegauerit, tantum tamen scelus per lachrymas deleuit. Vides igitur quantam vim habeant lachrymæ. Quandoquidem illa scripta sunt pro nostra doctrina, vt nos per illam incedentes, vitam æternam possideamus. Non omnes gratiam illam habent lachrymarum, sed illi duntaxat, qui mentem sursum attollunt, qui terrestrium obliuiscuntur, qui carnis curam non gerunt, qui ignorant prorsus an sit mundus, qui mortificauerunt membra ea, quæ sunt in terra: istis, inquam, solis data est mœstities lachrymarum. Cor enim purum habentes, & perspicaces mentis oculos ij, cùm adhuc in terra sint, pœnas tamen inferorum cernunt, & æterna tormenta, & tenebras extremas, ploratum ac stridorem dentiũ: iidem quoque cælestia dona vident, quæ donauit Deus Sanctis suis, & glorias, & coronas, & stolas candidas, & regalia indumenta, & cellulas lucidas, & delicias inenarrabiles, & vitam æternam. Sed quid est quod amplius dicam? Nisi illud, quod est præ omnibus admirabile, eum scilicet, qui puram habet mentem, Deum interioribus oculis contemplari. Quomodo igitur non poterit non plorare & lugere, qui ista videt? Plorat enim & lamentatur, vt vindicetur à diris pœnis, atque iterum plorat ac deprecatur, vt dignus fiat cælestium bonorum muneribus.

Basilius Magnus. 370.

In Ethicis definitione prima. Resipiscentes debent acerbè flere, & quę reliqua propria sunt resipiscentiæ ex animo ostendere.

Sermone de Pœnitentia: Tertiò Dominum Petrus rogauit, flexerunt lachrymæ eum, qui nostri misertus est.

Regularum fusius disputatarum respons. 10. Quando in rerum natura nihil est quod non diligentia corrigatur, neque vitium est vllum adeò graue, quod non Dei timore peruincatur, qui huiusmodi sunt, ij nullo modo à principio statim sunt desperandi, sed ad idoneas duci exercitationes debent. Porrò illud etiam animaduerti debet, nunquid præoccupatus aliquis in delictis, abiecta omni verecundia, palam enunciet occulta dedecoris, ipseque seipsum accuset, simulque eum superioris vitæ peccatorum suorum socios præ pudore defugiat, eosque ab se se procul submoueat, velut ille, qui dicebat: *Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem:* seque hoc modo ad id, quòd sibi reliquum sit vitæ, ante præmuniat, ne in similia de reliquo flagitia delabatur.

Homil. in Psal. 33. Timor verò salutaris, & qui sanctitatis operatorius est: timor item, qui studio acquiritur, non qui per affectionem imprimitur animę, vis enarrem qualis sit? Si quando te senseris ad vnum aliquod cieri ad prosilire peccatum, mihi ad mentem reuoca formidabile illud, nec vlli mortalium tolerabile Christi iudicium, in quo quidem præsidet iudex in alto & sublimi throno.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 2. Beatus Dauid, quamuis audierit Dominum transtulisse peccatum ipsius, non abstinuit tamen à pœnitentia: verùm loco purpuræ sacco vtebatur, & loco aurei throni in terra cinerea Rex sedebat: neque tantum in cinere sedebat, verùm etiam cinere vescebatur, quemadmodum ipse dicit: *Quòd cinerem tamquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miscebam.* Vindicabat lachrymis concupiscentem oculum: *Lauabo*, inquiens, *per singulas noctes lectum meum, & lachrymis stratum meum rigabo.*

Didymus Alexandrinus. 370.

Apud Damascenum libro 2. Parallelorum cap. 86. Conceptus de peccatis dolor pœnitentis mentem efficit puram, &c. Salutis principium est sui ipsius condemnatio.

Ephram. 370.

Sermone 1. de Consumptione: Subitò in memoriam mihi venit terribilis ille Christi aduentus: vnde contremuerunt omnia ossa mea, corporeque simul & anima totus exhorrui: atque sic concussus, & perturbatus magno cum dolore cordis flere cœpi, & ingemiscendo dixi: Quomodo ego peccator in illa hora terribili ac formidanda inueniar? Quomodo ego coram tribunali tum tremendi iudicis astabo? quomodo ego elatus & superbus cum iustis atque perfectis consistam? quomodo ego hœdus cum ouibus à dextris Christi statuar? &c.

Sermone secundo de Compunctione: Compungere, ô anima mea, compungere super vniuersis bonis, quæ à Deo accepisti, & non custodisti. Compungere de omnibus, quæ fecisti, malis: compungere in cunctis, in quibus te diu patienter Deus expectauit: compungere, & pœnitentiam age, ne tenebris tradaris exterioribus. Resipisce misera & & afflicta anima, ne coram horrendo Christi tribunali confundaris. Heu mihi peccatori, qui puritatem cordis mei ob ignauiam meam contaminaui.

Sermone 3. de Compunctione: Nullo æstimari vendiqúe possunt pretio remedia atque medicamenta cælestia, & sancta. Sed lachrymis illa Saluator, fletuq; amaro indulges omnibus. Quis igitur non admireretur? quis non obstupescat? quis tantam clementiæ tuæ bonitatem non prædicet Saluator animarum nostrarum, qui pro tuarum curationum præmio etiam nostras suscipere dignaris lachrymas? O lachrymarum vis, quousque pertingis? quæ multa cum fiducia nullis impedita retinaculis ipsum cælũ penetras? O vis lachrymarum, quæ, si velis, ante sanctum atque excelsum immaculati Domini thronum cum gaudio assistere potes? O vis lachrymarum, in cuius præsentia atque confidentia Angelorum ordines, cælestesq; omnes virtutes semper exultant? O lachrymarum potentia, quomodo in ictu oculi, quasi præpetibus sublata pennis, in cælum reuehis atque ascendis, & postulata à Deo sancto obtines? occurritq; tibi hilariter, indulgentiam ac remissionem peccatorum deferens?

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 39. quæ est oratio Panegyrica in sancta lumina: Quintum locum lachrymarum baptismus tenet: verum asperior est & laboriosior: quo quidem ille tingitur, vt qui per singulas noctes lectum suum, ac stratum lachrymis lauat, cui ipsæ quoque vitij radices fœtent, &c.

Gregorius Nyssenus. 380.

Homilia ad eos, qui durius & acerbius alios iudicant: Verùm, quoniam alius iudicij Dominus, qui in infinita millium millia misericordiam tribuit, Ezec. 18. nec vult mortem peccatoris, sed expectat, vt resipiscat, eò fit, vt ne illi quidem, qui priorem gratiam contumeliosius abiecerunt, merito afficiantur supplicio, sed à posteriore misericordia prior excipiatur, & obliuio cum venia coniungatur, vt lachrymarum effusio lauacri vim habeat, gemitusqúe reducat gratiam, quæ paulisper recesserat. Si orationi nostræ fidem non habes, Petrum in Matt. 16. ædibus principis sacerdotum interroga, & dicet tibi, quomodo abnegationis peccatum amarè lugens expiauerit, nec in Simonem mutatus sit, sed Petrus permanserit, nec Apostolus, &c. Considera mihi Dauidem, &c. Hic post præclarum diuinæ laudis præconium, mulieris pulchritudine captus, quibus se peccatis obstrinxerit, omnes scimus. Attamen 2. Reg. 11. idem à Propheta reprehensus admissum scelus agnouit, & pœnitentiæ modum posteris scriptum reliquit. Quamobrem dolorem eius in libro Psalmorum tamquam in speculo videmus expressum. Vbi nunc luctu, & squalore corpus Psal. 6. excruciat: nunc sibi noctes ad lugendum præscribit: quod quidem tempus communi laborantium quieti datum est: nunc lachrymas è palpebris suis, tamquam è fontibus, profundens, lectulum irrigat, & quinquagesimum Psalmum nobis elaborat, in quo Deum pœnitentia placantium exemplum effingitur. Neque verò luctus ipsius inanis fuit. Sed graues eius gemitus misericordiam inuenerunt, vt & imperij dignitate, & amicitia Dei liberè frueretur, &c. Explora celeriter, & diligenter animaduerte morbum, quo affectus es: suscipe ex eo dolorem, quantum maximum potes: affige te, fratresq; beneuolos atque vnanimes adhibe, qui simul doleant, adiumentoq; sint, vt libereris. Ostende mihi amaras atque vberes lachrymas tuas, vt meas ego quoque commisceam. Afflictionis participem, & socium sume sacerdotem, vt patrem. Quis enim tam falsò nominatur pater, aut tam duro atque adamantino animo præditus est, qui non filijs mœrentibus doleat, & gaudentibus lætetur? Sacerdos ita tristatur ob peccatum illius, quem propter religionem habet loco filij, vt Iacob visa tunica Ioseph sanguine conspersa querebatur, vt Dauid luxit Absalonis interitum, &c.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Libro 1. de Compunctione cordis in fine: Hoc solum est, quod exposcitur à nobis, vt semper recordemur, & ad animum reuocemus mala nostra, & conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, vt pro his supplicemus Deo, vt gehennam ponamus in conspectibus nostris, & Angelos, qui in die iudicij vbique discurrunt, & congregant de omni orbe terrarum eos, qui trudendi sunt in gehennam, ac supplicijs tradendi, &c.

Libro 2. Sola est cordis compunctio, quæ sicut ignis omne animæ vitium perurit & adimit, & quantacunque in ea repererit mala, abstergit vniuersa, & penitus delet.

Sermone 2. de proditore & mysterijs Cœnæ Dominicæ: Pretiosus est, fratres charissimi, pœnitentiæ fructus, quia quod defendi non potest, ablui potest. Lauant lachrymæ congeriem peccatorum. Quàm pretiosę lachrymæ, quę extergunt culpã, & exigunt veniam? Profuit illi (*Petro*) verè ista amaritudo: quoniam quicquid in eo delicti tabidum fuit, ferramento pœnitentiæ resecauit.

In epistolam 2. ad Corinth. Homilia 4. in Moral. Peccauit etiam Dauid. Videamus igitur quo pacto hic quoque pœnitentiam egerit. Tres totos dies in cinere sedit. At ille quidem hoc non ob peccatum fecit, sed filij causa, calamitate nimirum adhuc temulentus: peccatum autem alio modò abstersit, nemo per humilitatem, per cordis contritionem, per animæ compunctionem, dum etiam illud cauet, ne in eadem relabatur, dum peccati nunquam memoriam abijcit, dum irruentes omnes acerbitates grato animo fert, &c. Cor quippe contritum & humiliatum habebat, quod ipsius peccata maximè abstergebat. Nam in hoc demum confessio, in hoc pœnitentia posita est, &c. Quamobrem tu quoque cor tuum demitte, vt Deum allicias. *Prope enim est his, qui tribulato sunt corde, &c.* Psal. 33.
Cum peccaueris, ingemisce: non quòd pœnas daturus sis, (nihil enim hoc est,) sed quòd Dominum tuum offenderis, tam benignum, tam te amantem, tam denique saluti tuæ appensum, vt Filium quoque suum tua causa tradiderit. Ingemisce igitur, neque vnquam id facere intermitte. Etenim hoc demum est confessio. Non nunc lætum, cras autem mœstum, ac rursum lætum te præbe. Verum

2. Reg. 12.

rùm perpetuo in luctu ac tui contritione mane. *Beati enim, inquit, qui lugent*, hoc est, qui aßiduè hoc (Matt.5.) faciunt. Itaque te compara, vt semper hoc facias, tibiq; ipsi animum intendas, ac pectus tuum conteras, non secus ac si quis amisso filio vnicè charo in luctu verseтur. *Scindite etenim*, inquit, *corda vestra, & non vestimenta vestra*. (Ioel.2.) Porrò, quod fractum est, haudquaquam se in altum extulerit: quod contritum est, haudquaquam exurexerit. Ob eamq; causam alter ait, *Scindite*, alter autem, *Cor cōtritum & humiliatum Deus non despicies*, &c. (Psal.50.)

Ad populum Antiochenum Homil.15. Vides quantum ex timore lucri factum est? Nisi bonus esset timor, filijs patres pædagogos non præponerent, nō legislatores ciuitatibus vllos magistratus. Quid gehenna grauius? Sed huius metu nil vtilius. Gehennæ namque timor regni nobis affert coronam. Vbi timor est, liuor non est: vbi timor est, pecuniarum amor non vexat: vbi timor est, extinctus furor est, cupiditas improba correpta, omnis irrationabilis paßio exterminata. Et sicut in domo stante milite semper armato, non latro, non fur, non alius quis talia mala patrantium apparere propius audebit: sic & metu animas nostras detinente illiberalium nulla perturbationum facilè nobis subrepit, sed omnes fugiunt, & pelluntur, timoris imperio vndique exactæ. Nec hoc solùm est quod ex timore lucramur, verùm & aliud hoc multò maius. Non enim improbas tantùm nostras expellit paßiones, sed & omnem cum multa facilitate virtutem inducit. Vbi timor est, ibi & eleemosynæ studium, & orationis intentio, & lachrymæ feruentes, & continuæ, & gemitus multam habentes compunctionem. Nihil enim tantum peccata quidem consumit, virtutem verò crescere facit & germinare, quantum continui timoris natura. Propterea qui non viuit in timore, rectè illum agere non est facilè: sicut vicißim cum timore viuentem, est impoßibile peccare.

Homilia 41. Vis perfectam discere pœnitentiam? audi post negationem Petri pœnitudinem. Narrans enim quæ gesta sunt ab eo, nobis Euangelista (Matt.26.) dicit: *Egressus fleuit amarè*. Propterea dimissum est ei tale peccatum, quoniam quemadmodum oportebat, pœnitentiam egit, &c. Quoniam par erat, eum altum sapere sibi conscium, quòd plus alijs Christum diligeret, propterea fleuit amarè, & cætera, quæ fletum sequuntur, similia facit, &c. Pœnitentiam exhibuit beatus Dauid, ita dicens: (Psal. 6.) *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo*. Et olim patratum peccatum, post tot annos, post tot generationes, quasi nuper accidisset, lugebat. Pœnitentem irasci non oportet, neque sæuire, sed conteri tamquam condemnatum, tamquam non habentem fiduciam, tamquam iudicatum reum, tamquam ex sola saluari misericordia debentem, tamquam ingratum erga benefactorem, redargutum, tamquam iniucundum & reprobum, tamquam innumeris dignum supplicijs. Si hæc cogitet, non irascetur, non indignabitur: sed lugebit, flebit, gemet, & conqueretur noctem & diem. Pœnitentem nunquam oportet obliuioni peccatum tradere, sed Deum quidem rogare, ne eius meminerit, ipsum verò nunquam ipsius obliuisci. Si nos eius non recordemur. Deus ipsius non obliuiscetur.

Homilia 9. de Pœnitentia: Hinc secundam subijcimus viam, super peccatum flere, & dicimus: Quisnam hic labor, non pecuniam opus effundere, non longas ire vias, nec tale quid dicere, sed peccatum flere duntaxat. Hoc de Scriptura inducimus, quod in Achab Deus, quòd fleuerit, quòd mœstus fuerit, peccatum sibi dimisit, atque idem Heliæ dicit: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me, flentem & contristatum? non faciam secundùm iram meam*, &c. Petrus tunc sentiens cœpit flere: & non fleuit modò, sed amarè, secundùm baptisma per lachrymas ex oculis ostendens. Cumq; fleuisset amarè, deleuit peccatum. Non enim paruus fuit reatus, proprium Dominum negasse, sed magnus & fortis, eum tamen lachrymæ deleuêre. Defle igitur & ipse super peccatum, neque solùm defle, aut apparenter, sed defle amarè, quemadmodum & Petrus: ex ipso profundo deduc fontes lachrymarum, quò Dominus misericordia motus, tibi dimittat: clemens etenim est: Ipse enim dicit: *Nolo mortem peccatoris, sed potius vt conuertatur, & viuat*. (Ezec. 18.)

Sermone 6. de Pœnitentia, qui sequitur Homiliam 10. Clamat Hieremias compunctus pro populo: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & flebo vulnera populi mei?* (Hier.9.) Sciebat enim quòd lachrymæ iuuarent populum transmigratum, sciebat quòd eius fletibus subueniret: sciebat quòd Deus contritionem quærit, & fletibus flectitur: sciebat quòd Deus lugentes lætificat, & pœnitentibus præsto est, &c. Magnus profectus est lachrymarum, vt plorando seruus propitiet dominum, filius lachrymis mitiget patrem, & asperam matrem plorans paruulus mulceat. Ita ergo & peccator profusis fletibus remouet iram Dei, reformatus in ipso. Cupit videre Timotheum Paulus propter fletum: *Desidero*: inquit, *videre te, memor lachrymarum tuarum*. (2.Tim.1.) Et Dauid dicit: *Venite adoremus, & ploremus coram Domino, qui fecit nos*. (Psal.94.) Et iterum: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* &: *Potum meum cum fletu miscebam, stratumq; meum per singulas noctes cum lachrymis rigabam*. (Psal.55.) Et iterum: *Deus vitam meam annuntiaui tibi, posuisti lachrymas meas in conspectu tuo:* tamquam si diceret: Suscipe Domine lachrymas meas, quoniam lachrymæ sunt, quæ radunt rudera, & sanant vulnera: lachrymæ sunt, quæ pœnitentiam armant, & indulgentiam prouocant: lachrymæ sunt, quæ cælum pulsantes, crimina delent, & conscientiam degrauant. Sonant in ore pœnitentiæ verba, & mouent in pectore pietatis veniam. Et impletur caput aqua, tumescunt oculi, rigantur genæ, decurrunt riuuli, & Deus indulgentiæ mentem exhilarat. Lachrymæ sunt, quæ reconciliant Deo, à peccatis redimunt animam, & sanant languores eius Sordentem animæ vestem lachrymæ lauant, & dant illi remißionis candorem.

Ioannes Cassianus. 420.

Collat.20.cap.7. Dum agimus pœnitentiam, & vitiosorum affectuum recordatione mordemur, necessarium est, vt ignem conscientiæ obortus ex confeßione lachrymarum imber extingat.

Sozomenus. 430.

Libro 7. cap.16. In Romana Ecclesia manifestus est pœnitentium locus. Stant enim in eo mœsti, ac veluti lugentes, finitoqúe demum Dei sacrificio participes non facti, quorum participes fieri puros Dei cultores fas erat, cum planctu & lamentatione semetipsos in terram pronos abijciunt. Tum ex aduerso lamentabundus Episcopus accurrens, consimiliter humi cum eiulatu collabitur, ac tota denique Ecclesiæ multitudo lachrymis suffunditur.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib.1. epistola 200. Pœnitentiæ lachrymę non modò reprehensione carent, verùm etiam Deo thymiamatis instar gratæ & iucundæ sunt.

Theodoretus. 450.

In Psal.6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum.* Non me latet magna & grauia commisisse me peccata, veruntamen continenter lachrymor, & ea, quæ à me audacter commissa sunt, deploro, atque

meum cubile iniquitate contaminatum semper lachrymis abluo, tentans si per hasce illud queam purgare, & donec remissionem consequar, hoc facere non desinam. Id enim significat: *Lauabo per singulas noctes lectum meum.*

Olympiodorus. 500.

Ad caput 9. Ecclesiastis: Candida habere dicitur vestimenta, qui lauat per singulas noctes lectum suum, & lachrymis suis stratum rigat, ita sordes peccatorum per poenitentiam tergens.

Isychius. 580.

In Leuiticum lib. 2. cap. 6 Carnes poenitentiæ intelligimus ieiunium, vigilias, cilicinum vestimentum cum lachrymis, orationem, eleemosynam. Et his enim consistit poenitentia, quæ qui tangit, rectè sanctificabitur.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 7. Sicut ignis stipulam inflammat, & consumit: ita castæ lachrymæ sordes omnes & visibiles & inuisibiles consumunt, &c. Equidem ipsam compunctionis vim considerans stupeo, quonam modo ea, quæ luctus & mœror dicitur, gaudium intrinsecus, & lætitiam velut mel & fauum commesta possideat. Profectò Dei donum est huiusmodi compunctio. Est enim in animo iucunda voluptas, Deo latenter mœstos & contritos corde consolante.

Antiochus. 600.

Homil. 90. de luctu: Hæc ideo sunt prodita memoriæ, vt nos ad studium inuitent concupiscendi luctum, vt sint nobis *lachrymæ panis die ac nocte*, vt per singulas quisque noctes stratum nostrum rigemus lachrymarum profluuio, vt decolores notæ peccatorum expientur, quibus cum confundimur toti, vt sic digni habeamur, quos nuptiali stola conuestiet, & adornet Dominus.

Georgius Pisides. 630.

De mundi officio:

Et nunc datum vt caliginosis cordibus
Hæc luminum vis præferat claram facem:
Sed enim per oculos cùm notas turpes trahat,
Rursus per ipsos lachrymas fundit pias,
Egressione vt eluat, quæ ingressa sunt.

Ioannes Damascenus. 730.

Historia Barlaam & Iosaphat capite 35. Abennar in solitudine degens, capuique cinere sine vlla intermissione aspergens, graues gemitus edens, ac sese lachrymis abluens, solus cum eo solo, qui vbique præsens est, colloquebatur, noxarum suarum veniam ab eo petens. Quin in tantam compunctionis atque humilitatis abyssum se demisit, vt ipsum quoque Dei nomen labijs vsurpare recusaret.

Elias Cretensis. 780.

In orationem 11. Nazianzeni: Fluminis instar ex oculis lachrymas emittebat, quibus animæ sordes eluuntur. Quæ quidem nisi diuinitus hominibus datæ fuissent, quemadmodum ait sanctus vir ac diuina sapientia præditus Ioannes Climacus, pauci inuenti essent, qui salutem consequerentur. Etenim baptismus quidem pristina vitia expurgat: lachrymæ autem ea, quæ sequuntur. Atque illum quidem cùm nos omnes tenera ætate accipiamus, postea inficimus: per has autem illum repurgamus. Prodibant autem ex ipsius oculis, non simpliciter, sed in corde contrito (vt loquitur Dauid) & spiritu humilitatis: non autem ad inanem gloriam profundebantur, quemadmodum multis contingit. Nam quę ita mittuntur lachrymæ, ne labes quidem abstergunt. Psal. 50.

Theophylactus. 900.

Ad caput 5. Matthæi: *Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolationem accipient.*) Qui propter peccata lugent, non propter temporalia. Lugentes autem dixit semper, & non semel, & non pro nostris tantùm, sed & pro peccatis proximorum. Consolationem verò accipient & hîc: qui enim luget propter peccata, gaudet spiritualiter: & nihil multo magis.

Ad cap. 7. posterioris ad Corinth. Propter peccata si quis volens tristatur, secundùm Deum contristatur. Medicina enim hæc ad hanc ægritudinem sola commodat, hanc poenitendam salutem efficiens, (nemo enim seipsum condemnat peccati nomine contristatum,) atque medela à morte animæ hominem eripit.

Euthymius. 1080.

Ad caput 5. Matthæi: *Beati qui lugent.*) Lugentes dicit, non qui simpliciter lugent, sed qui pro peccatis lugent. *Tristitia mundi*, inquit Paulus, *mortem operatur: ea verò, quæ secundùm Deum est, poenitentiam in salutem stabilem*, &c. Vt cùm vehemens pluuia impetuosè descenderet, serenitas stabilior esse solet: ita quoque deductis lachrymis tranquillitas & gaudium animi succedit. Vult autem hic sermo non modò de proprijs lugere nos delictis, verùm etiam de alienis. Consolationem verò accipient, siue habebunt. Vbi? & in præsenti, & in futuro. in præsenti ea spe, quòd peccata sua luctu redimant: in futuro verò, non sola remissione, verùm etiam beatitudine.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Libro de Poenitentia cap. 9. Itaque exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animũ mœroribus deijcere, illa, quæ peccauit, tristi tractatione mutare: cæterùm, pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa: plerumque verò ieiunijs preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, Presbyteris aduolui, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere, &c.

Cap. 12. Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguet: & poenæ prius magnitudinem imaginare, vt de remedij adoptione non dubites.

Libro 4. contra Marcionem cap. 18. Diximus de remissa peccatorum: illius autem peccatricis foeminæ argumentum eò pertinebit, vt cùm pedes Domini osculis figeret, lachrymis inundaret, crinibus detergeret, vnguento perduceret, solidi corporis veritatem, nõ phantasma inane tractauerit. Et vt peccatricis poenitentia secundùm Creatorem meruerit, veniam præponere solitum sacrificio. Lucæ 7. Osee 6.

Cyprianus. 250.

Epistola 52. Idcirco frater charissime, poenitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde, & manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendos omninò censuimus à spe communicationis & pacis, si in infirmitate & periculo coeperint deprecari: quia rogare illos nõ delicti poenitentia, sed mortis vrgentis admonitio compellit. Libro 4. epist. 2.

De Lapsis: Agite poenitentiam plenam, dolentis

lamentantis animi probate mœstitiam. Nec vos quorundam moueat aut error improuidus, aut stupor vanus, qui cùm teneantur in tam grandi crimine, percussi sunt animi cæcitate, vt nec intelligant delicta, nec plangant. Vos verò, fratres dilectissimi, quorum timor in Deum pronus est, & in ruina licet animus constitutus, mali sui memor est, pœnitentes ac dolentes peccata vestra perspicite, grauissimum conscientiæ crimen agnoscite, ad intelligentiam delicti vestri oculos cordis aperite, nec desperantes misericordiam Domini, nec tamen iam veniam vindicantes. Deus quantum patris pietate indulgens semper & bonus est, tantum iudicis maiestate metuendus est. Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit. Putasne tu Dominum citò posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere maluisti, cuius templum sacrilega contagione violasti? Putas facilè eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensiùs & rogare, diem luctu transigere, vigilijs noctes ac fletibus ducere, tempus omne lachrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio & sordibus voluteri: post indumentum Christi perditum, nullum hic iam velle vestitum, &c. Qui sic Deo satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti, plus & virtutis, & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit: exauditus & adiutus à Domino, quam contristauerat nuper, lætam faciet Ecclesiam: nec iam solam Dei veniam merebitur, sed coronam.

Hilarius. 350.

Ad Psalm. 2. Sed siue conterat, siue confringat, non idcirco existimandus est hæreditatem poscere, vt ad eam perdendum & abolendum confringat & conterat, quippe cui cor contribulatum sacrificium sit optimum. Contritio ergo illa, siue confractio est, quæ in nobis corporeas voluptates & secularium vitiorum incentiua comminuit, dignosque nos dignatione Domini præstabit, secun-
Psal. 50. dùm dictum Prophetæ: *Cor contritum & humiliatum non spernet.*

Ad Psalm. 118. Hæc pœnitentiæ vox est, lachrymis orare, lachrymis ingemiscere, & per hanc con-
Psal. 6. fidentiam dicere: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Hæc venia peccati est, fonte fletuum flere, & largo lachrymarum imbre madefiere.

Lucifer Calaritanus. 370.

De regibus Apostaticis: Reuertere toto corde ad Deum, acquiesce his salubribus remedijs, ad criminis tui intelligentiam conspiciendam aperi cordis oculos, ingemisce toto corde, tam te grauiter deliquisse colligens, tunc tui miserebitur ille, qui dixit: *Cùm conuersus ingemueris, tunc saluus eris.*

Ambrosius. 370.

Lib. 1. de Pœnitentia cap. 4. Indignatio eius non vltionis executio, sed magis absolutionis operatio est: sic enim dixit: *Si conuersus ingemueris, saluus eris.* expectat gemitus nostros, sed temporales, vt remittat perpetuos: expectat lachrymas nostras, vt profundat pietatem suam.

Lib. 2. cap. 6. Sed audiant qui agunt pœnitentiam, quomodo agere debeant, quo studio, quo affectu, qua mentis intentione, qua intimorum concussione viscerum, qua cordis conuersione. *Vide,* inquit, *Domine, quia tribulor. Venter meus turbatus est: à fletu meo conuersum est cor meum in me.* Cognouisti intentionem animi, fidem mentis cognosce & ha-
Thren. 1. bitum corporis. *Sederunt,* inquit, *in terra, tacuerunt seniores filiæ Sion, & imposuerunt terram super caput suum, præcinxerunt se cilicio, deduxerunt in terram principes, virgines Hierusalem defecerunt in lachrymis; oculi mei caligauerunt. Turbatus est venter me-*
us: effusa est in terra gloria mea. Sic fleuit & Niniue po- Ionæ 3.
pulus, & denuntiatum excidium ciuitatis euasit. Tanta est enim pœnitentiæ medicina, vt mutare videatur suam Deus sententiam.

Lib. 2. cap. 10. Videat te Christus mœrentem: amat vt pro vno multi rogent. Ideo Petro statim dimisit, quia amarissimè fleuit. Et tu si amarissimè fleas, Christus ad te respiciet, culpa discedet: vsus enim doloris ablegat luxuriam criminis, erroris delicias. Renuntiandum seculo est, somno ipsi minus indulgendum, quàm natura postulat: interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspirijs, sequestrandus orationibus.

Ad virginem lapsam cap. 8. Pœnitentia non verbis agenda est, sed & actu. Hæc autẽ sic agitur, si tibi ante oculos ponas, de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum sit, & si te iam credas prope ipsas tenebras positum exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium.

Ad Psalmum 37. In orationibus & obsecrationibus cum dolore & lachrymis exigenda pœnitentia est, vt illam gloriam Dei videre mereamur. Neque te moueat, quòd luctus, dolor, commaceratio corporis grauissimæ passiones sunt. Et si grauissimæ videntur, tamen indignæ sunt huiusmodi passiones ad superuenturam gloriam. Non pigeat ergo hic leuiora ferre, vt tibi plena laudis & gloriæ possimus adipisci, pro temporalibus laboribus perpetua præmia reportantes per Dominum Iesum.

Ad cap. 7. Lucæ: Lachrymis confitere delicta: dicat de te quoque iustitia illa cælestis: *Lachrymis suis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit.* Et fortassis ideo non lauit pedes suos Christus, vt eos lachrymis nos lauemus. Et bonæ lachrymæ, quæ non solùm nostrum possunt lauare delictum, sed etiam Verbi cælestis rigare vestigium, vt gressus in nobis eius exuberent. Bonæ lachrymæ, in quibus non solùm redemptio peccatorum, sed etiam refectio est iustorum.

Ad cap. 22. Lucæ: Lachrymæ veniam non postulant, sed merentur. Et tu si veniam vis mereri, dilue culpam lachrymis tuam.

Pacianus. 370.

Parænesi de Pœnitentia: Ecce scabellum Prophe- Ioel. 2.
ticum: *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, in ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra.* Nolite hanc secturam timere dulcissimi. Sustinuit illam Dauid, iacuit in cinere sordenti, sacco insuper horrente deformis. Ille quondam gemmis assuetus & purpuris, texit in ieiunio animam suam, cui maria, cui syluæ, cui flumina seruiebant, promissasque diuitias terra parturiens, & madidus lachrymis consumpsit oculos illos, quibus gloriam Dei viderat.

Chromatius. 380.

Ad caput 5. Matthæi: *Beati, qui lugent.*) Eos beatos esse significat, qui aut propria commissa peccata iugi lachrymarum fletu expiare contendunt, aut qui pio legis affectu iniquitatem seculi, ac peccantium delicta lugere non desinunt.

Hieronymus. 390.

Ad Psalm. 37. Sine confusione & mœstitia non dimittuntur peccata.

Ad cap. 11. Prouerb. Necesse est, vt prius peccatorem mœror pœnitentiæ salubriter humiliet, & ita postmodùm per iudicium sacerdotis sermo datæ reconciliationis lætificet.

Ad caput 1. Lamentationum Hieremiæ: Mysticè anima peccatis obnoxia, dum pro iniquitatibus suis à Domino corripitur, si introrsus rediens salubri dolore compungitur, abstinendo se à peccatis,

omnem luxum pristinum in lachrymas vertit, & tanto fortius cōstringendo seipsam plangit, quanto laxius per varia desideria se diutius errasse recolit.

Ad cap. 21. Ezechielis: *Ingemiscite*, inquit, *eiulate:* non leui voce, nec dolore moderato, sed *in contritione lumborum*, vt gemitus tuus ex imis visceribus, & amaritudine animi proferatur.

Ad cap. 26. Matthæi: Petrus in atrio Caiphę sedens, non poterat agere pœnitentiam, egreditur foras de impiorum concilio, vt pauidæ negationis sordes amaris fletibus lauet.

Epistola 22. ad Eustochium cap. 3. O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum Monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse delicijs. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squallida cutis situm AEthiopicæ carnis obduxerat: quotidie lachrymæ, quotidie gemitus: &, si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. De cibis verò & potu taceo, cùm etiam languentes Monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tantùm socius, & ferarum, &c.

Epist. 27. ad Eustochium: In Paula fontes crederes lachrymarum: ita leuia peccata plangebat, vt illam grauissimorum criminum crederes ream.

Epist. ad Ioannem Hierosolymitanum Episcopum: Ob id ego Antiochiam, & Innocentius Presbyter Constantinopolim vrbes celeberrimas deseruimus, vt in agris & in solitudine pœnitentiæ peccata deflentes, Christi in nos misericordiam deflecteremus.

Augustinus. 400.

In Psalm. 30. Concione 1. Est quædam confusio temporalis vtilis, perturbatio animi respicientis peccata sua, respectione perhorrescentis, horrore erubescentis, erubescentia corrigentis. Vnde dicit Apostolus: *Quam enim gloriam habuistis tunc in his, quibus nunc erubescitis?* Ergo erubescere illos dicit iam fideles, non de præsentibus donis, sed de præteritis peccatis. Hanc confusionem non formidet Christianus: imò si hanc non habuerit, æternam habebit. Rom. 6.

Serm. 3. in Natali Domini, qui est septimus de Tempore: Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei. Quando sic pœnites, vt tibi amarum sapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita: & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente, tam tunc bene ingemiscis ad Deum, & dicis: *Tibi soli peccaui*, quia nullus hominum sine peccato est. Da Domine misericordiam misero, qui tam diu pepercisti criminoso: Inclinet ad remedium humilitas pœnitentis, quem permouere non potuit diuturnitas peccantis peccatoris. Dic illi in fletu cordis: Aspice infelicem pietas immensa: respice crudelem misericordia publica. Desperatus ad omnipotentem venio, vulneratus ad medicum curro. Psal. 50.

Libro de Pœnitentia, qui est Homilia 50. variarum Homiliarum: Quid Dauid obtulit Domino, vnde illum propitiaret sibi? *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem vtique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit.* Non solùm ergo deuotè obtulit, sed etiam ista dicendo, quid offerri oporteret, ostendit. Non enim sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentię dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. Psal. 50.

Cap. 4. Ascendat homo aduersum se tribunal mentis suæ, existimet illud, quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, vt illud recipiat vnusquisque quod per corpus gessit, siue bonum, siue malum: constituat se ante faciem suam, ne hoc ei postea fiat. Nam minatur hoc Deus peccatori, dicens: *Arguam te, & statuam te ante faciem tuam.* Atque ita constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lachrymas profluat. Postremò ab ipsa mente talis sententia proferatur, vt se indignum homo iudicet participatione corporis & sanguinis Domini: vt qui separari à regno cælorum timet per vltimam sententiam summi iudicis, per Ecclesiasticam disciplinam à Sacramento cælestis panis interim separetur. Versetur ante oculos imago futuri iudicij, vt cùm alij accedunt ad altare Dei, quò ipse non accedit, cogitet quàm sit contremiscenda illa pœna, qua percipientibus alijs vitam æternam, alij in mortem præcipitantur æternam.

Enchiridio ad Laurentium cap. 65. In actione pœnitentiæ, vbi tale crimen commissum est, vt is, qui commisit, à Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris. *Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit.* Verùm quia plerunque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quæcunque alia signa procedit, cùm sit coram illo, cui dicitur: *Gemitus meus à te non est absconditus:* rectè constituuntur ab ijs, qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, vt fiat etiam satis Ecclesiæ. Psal. 50. Psal. 37.

Paulinus Nolanus. 410.

In Panegyrico Celsi:

Vertite peruersas conuerso in pectore curas,
Monstrat flere fides vtilibus lachrymis:
Peccato lugere iuuat, contractaque culpis
Vulnera profusis fletibus abluere.
Qualibus ille suum stratum omni nocte rigabat
Multa gemens Dauid, corde potens humili.
Sic cinerem Rex ille Deo dilectus edebat,
Et sua miscebat pocula cum lachrymis.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 93. O quanta vis in lachrymis peccatorum, rigant cælum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam diuina promulgatione sententiam, &c. Præcesserant interuenientes lachrymæ, vt oscula deuota sequerentur, quia lachrymæ satisfactionis sunt documentum: oscula sunt reconciliationis indicia.

Leo Magnus. 450.

Homilia de Festo omnium Sanctorum cap. 3. Luctus hic cui consolatio ęterna promittitur, non est cum mundi huius affectione communis, nec beatum quemquam faciunt ista lamenta, quę totius humani generis deploratione funduntur. Alia ratio est sanctorum gemituum, alia beatarum causa lachrymarum. Religiosa tristitia aut alienum peccatum luget, aut proprium: nec de hoc dolet, quòd diuina iustitia agitur, sed de eo mœret, quod humana iniquitate committitur. Vbi magis plangendus est faciens maligna, quàm patiens.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Dominica in Ramis Palmarum: Cognoscit Petrus reatum suum, cognoscit & voluntatem Domini sui, dolet, & pœnitet, egreditur foras, relinquit concilium malignantium, locum petit secretum, lachrymis & pœnitentiæ amicum, flet amarè, certissimè intelligens, quia sacrificium Deo spiritus est con-

est contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernet. Hic est pœnitentiæ modus. peccasti? quiesce, dole, & lachrymare, & disce cum Apostolo flere amarè.

Homilia 5. *ad Monachos:* Non putemus tam facilè remitti posse peccata, inusta semel crimina, & profundo vulnere in animæ ipsius impressa visceribus. Multo opus est fletu, multo gemitu, multo dolore cordis, ad sanandos ipsius cordis dolores.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 6. Ideo, fratres charissimi, tempus iudicij, & diem reddendæ rationis sapienter & vtiliter cogitemus, & crimina vel peccata maiora, cum gemitibus & suspirijs, quamdiu viuimus lugeamus.

Homilia 7. Dauid cilicio prostratus, & conspersus cinere, cum ingenti mugitu, & gemitu pœnitentiam agens, impleuit illud, quod ipse in Psalmis dixerat: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* Psal. 6.

Claudianus Mamertus. 470.

Contra vanos Poëtas:

———Postquam graue dixit
Exitium, fregitque reos, auertit & iras
Numinis, impenso lauit sua crimina fletu,
Extremumque diem fugit bene versa Niniue.

Saluianus Massiliensis. 480.

De iudicio & prouidentia Dei lib. 4. Et quid posthæc? Agnoscit Dauid reus culpam: humiliatur, compungitur, confitetur, luget, pœnitet, gemmas regias abdicat, crepantia auro textili indumenta deponit, purpura exuitur, ieiunio exigitur, ariditate siccatur, fletu effunditur.

Alcimus Auitus. 500.

Lib. 4. agens de Niniuitis:

Non plus status erat, totus coniurat in omne
Lamentum populus, concurrunt vndique fletus,
Pectora tunduntur, cælum suspiria pulsant,
Mollibus abiectis Cilicum dant tegmina setæ,
Inque cibos cineres, lachrymas in pocula fundunt.

Cassiodorus. 540.

Ad Psalm. 6. Stratum significat cumulum peccatorum: quod ideo lachrymis rigat, vt eodem saluberrimo imbre resoluto, homo in nouam messem adolescat, fiatque ex peccatore iustus, ex lugente lætus, ex ægroto sanissimus, &c. Est quoddam iudiciale genus, in quo reus conspectibus iudicis præsentatus assistit: peccatum suum lachrymis diluens, & confitendo dissoluens, summum genus defensionis adferens, quo se ipse condemnat.

Ad Psalm. 50. Perfecta pœnitentia est, futura peccata cauere, & lugere præterita.

Ad Psalm. 118. *Exitus aquarum* significa lachrymas copiosas, quas tantas dicit fuisse, vt ipsa quoque fontium fluenta transcenderent. Transeunt planè, quando illa sine sensu currunt, ista cordis afflictione fundantur. Nam quod vincere quantitate non poterant, felicissimæ compunctionis quantitate superabant. Has tunc profundimus, quando peccatorū nostrorum recordatione mordemur.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 4. *Moralium cap.* 17. Cùm ad mentem malè gesta pœnitendo reducimus, graui mox mœrore confundimur, perstrepit in animo turba cogitationum, mœror conterit, anxietas deuastat, in ærumnam mens vertitur, & quasi quodam nubilo caliginis obscuratur. Hæc namque caligo confusionis eorum mentem salubriter oppresserat, quibus Apostolus dicebat: *Quem enim fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* &c. Si diem, quam peccati delectationem diximus, tot imperi precibus audiuimus, vt videlicet circundantes fletus expient, quicquid delectatus per negligentiam animus deliquit, quanta animaduersione pœnitentiæ huius diei nox ferienda est, videlicet ipse iam consensus ad culpam? Tanto arctiori manu pœnitentiæ mens à pollutione tergenda est, quanto se per consensum conspicit sordidius inquinatam. Cùm vehemens pœnitentiæ spiritus mentem occupat, omnem in ea explorationem reprehensibilis gaudij perturbat, vt nihil ei iam, nisi flere libeat; nihil, nisi quod se terrere possit, attendat. Ponit namque ante oculos illinc districtionem iustitiæ, hinc meritum culpæ: conspicit quo supplicio digna sit, si parcentis pietas desit, quæ per lamenta præsentia ab æterna eruere pœna consueuit. Rom. 6.

Lib. 9. cap 24. *Loquar in amaritudine animæ meæ.*) Qui culpas suas detestans loquitur, restat vt has in amaritudine animæ loquatur: vt hæc ipsa amaritudo puniat, quicquid lingua per mentis iudicium accusat. Sciendum verò est, quia ex pœna pœnitentiæ, quam sibi mens irrogat, aliquatenus securitatem percipit, atque ad interrogationem superni iudicis fidentior exurgit, vt semetipsum subtilius inueniat, & erga se quæque quomodo disponantur agnoscat.

Homilia 22. *in Ezechielem:* Quid est hoc, quod foris concremantur carnes, intus aromata: nisi hoc, quòd quotidie videmus, quia duo sunt compunctionis genera? Quia alij adhuc per timorem plangunt: alij verò iam se per amorem in lamentis afficiunt. Multi namque peccatorum suorum memores, dum supplicia æterna pertimescunt, quotidianis se lachrymis affligunt. Plangunt mala, quæ fecerunt, & incenduntur vitia igne compunctionis, quorum adhuc suggestiones in corde patiuntur.

Faustus Benedictinus. 600.

In vita D. Mauri: Illo planè loco balneo vtebatur. Ibi enim curabat abluere, si quam ex secularium hominum collocutione, aut verbo, aut cogitatione maculam contraxisset, & puluerem humanæ conuersationis, sine qua hæc humanæ mortalitatis vita non capitur, crebris lachrymarum fontibus expiabat.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Summo bono lib. 2. *cap.* 13. Ille pœnitentiam dignè agit, qui reatum satisfactione legitima plangit: condemnando scilicet, & deflendo quæ gessit. Ille pœnitentiam dignè agit, qui sic præterita mala deplorat, vt futura iterum non committat.

Lib. 6. *Originum cap.* 18. Perfecta est pœnitentia præterita deflere, & futura non admittere.

Eucherius Gallus. 640.

Lib. 3. *in Genesin:* Confessioni amaritudo misceatur, vt vera pœnitentia præsignetur. Hæc pœnitentia fœcundatur Ecclesia in omnibus gentibus constituta.

In libro 1. *Regum:* Si quando contra eos vel in minimis lingua labitur, necesse vt per afflictionem pœnitentię cor prematur, quatenus ad semetipsum redeat, & cùm propositæ potestati deliquerit eius contra se iudicium, à quo sibi prælatus est perhorrescat.

Eligius. 640.

Homilia 11. *ad Pœnitentes:* Hæc instantius fiunt à nobis, cùm ex recordatione peccati compungimur, & compungendo peccata confitemur, sicque ad remedia pœnitentiæ confugimus. Bonum est homini semper ante oculos propria adhibere de-

Psal.50. licta, secundùm Psalmi sententiam: *Et peccatum meum contra me est semper.* Seruo enim Dei tanta debet esse peccati recordatio, vt ea, quæ gessit, semper lachrymis confiteatur. Vnde & Psalmus dicit:
Psal.37. *Conuersus sum in ærumna, dum configitur mihi spina,* &c. Ille pœnitentiam dignè agit, qui reatum suum legitima satisfactione plangit. Omnipotens quippe Deus contritionem quærit, fletibus flectitur, lugentes lætificat, pœnitentibus præsto est. Magnus profectus est lachrymarum: plorando seruus propitiatur Domino, filius lachrymis mitigat patrem, & asperam matrem plorans mitigat paruulus. Ita ergo & peccator fusis fletibus remouet iram Dei. Petrus namque trinam negationem lachrymis deleuit, &c.

Beda. 700.

Ad cap. 21. Deuteronomij: Si animam, quæ à Deo pulchra creata est, in gentili conuersatione inuenimus, & sociari illam voluerimus corpori Christi, deposito idololatriæ cultu, induatur lugubribus pœnitentiæ indumentis.

Ad cap. 8. prioris Esdræ: Multi laboris est, eum, qui accepta fidei Sacramenta peccando contemnit, pristinam recipere dignitatem: quia non huic facilè emendatio per aquam baptismi denuò dari potest: sed infectum scelus longo pœnitentiæ labore, longis lachrymarum fluentis, districtioris continentiæ sudore eluendum est.

Ad cap. 8. Lucæ: Nos singula vitia deflemus, vt ad gratiam splendoremque venire mereamur æternum.

Alcuinus. 750.

Ad Psalm. 18. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei:* Veram semper agit pœnitentiam hic spiritus, & non cessat fluentis lachrymarum antiqua delicta diluere, vt tu intelligas, nisi veram pœnitentiam egeris, tibi facile non dimitti quæ gesseris. Vera est enim pœnitentia, iugiter fletibus commissa diluere, & abluta non iterare.

De quatuor virtutibus, cap. 11. de compunctione cordis: Compunctio cordis ex humilitatis virtute nascitur: de compunctione confessio peccatorum, de confessione pœnitentia, de pœnitentia verò prouenit peccatorum indulgentia. Anima hominis, quæ in oratione compungitur, valde illi proficit ad salutem: cùm per orationem compunctio effunditur, Spiritus sancti præsentiam cordibus adesse nostris haud dubium est.

Ambrosius Ansbertus. 760.

Libro 2. cap. 3. in Apocalypsin: Sed quid de illis dicendum, qui post lauacri vndam maculis criminum vitam inquinant? Currant ad sanguinem Agni, non quo rursum aqua baptismatis in eo tingantur, sed quo lachrymarum fontibus peccatorum maculis abluantur. Non solùm enim hi tantùm in sanguine Agni baptizantur, qui per aquam regenerationis transeunt, verùm etiam hi, qui lachrymarum fletibus prioris vitæ maculas detergunt.

Libro 4. cap. 9. Attendat igitur prauus quisque fidelis, qua cordis amaritudine, quo mentis dolore, post fidei agnitionem perpetrata crimina debeat lugere, si ad fidem venientibus primi Ecclesiæ prædicatores, ad abluendam pristini erroris nequitiam, lamentum pœnitentiæ indixerunt.

Haymo. 820.

Homilia in Dominica 3. Paschæ: *Vertetur in gaudium.* In conualle namque lachrymarum positi, sarcina peccatorum grauati, non solùm pro remittendis peccatis deflent, sed etiam pro expectatione æternæ vitæ quotidie gemunt, dicentes cum Psalmista: *Lauabo per singulas noctes lectum meum,* &c. Psal.6.
Et: *Cibabis nos pane lachrymarum.* Et: *Fuerunt mi-* Psal.119.
hi panes lachrymæ meæ die ac nocte. Recolunt enim Psal.41.
vnde ceciderint, & considerant vbi peruenerint. Dumque reproborum pœnas, & gloriam iustorum ante mentis oculos reducunt: in conspectu piissimi iudicis maculas peccatorum fonte abluunt lachrymarum, dicentes cum Psalmista: *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.*

Homilia in Feria secunda Litaniarum: Pœnitentes temporalibus æterna supplicia mutant, & lachrymis ex vera contritione cordis fluentibus restinguunt æterni ignis incendia.

In Apocalyps. lib. 1. cap. 3. Nunquid illi desperandi sunt, qui post baptismum maculis criminum vitam coinquinant? Non vtique: quia & illi, si pœnitentiam egerint, lachrymarum fletibus prioris vitæ maculas detergunt, quod est secundum baptismi genus.

Christianus Druthmarus. 830.

Ad cap. 3. Matthæi: Fructum dignum pœnitentiæ facere, est præterita mala fletibus punire, & bona è contrario agere, & mala commissa eleemosynis redimere.

Angelomus. 830.

Lib. 1. Reg. cap. 23. Sic agamus pœnitentiam, vt ea, quæ commisimus, perfectè defleamus.

Hincmarus. 850.

De vita sancti Remigij: Gennebaldus peccator singultibus & lachrymis per ordinem omnia retulit, quæ commiserat. Quem sanctus Remigius videns contritum, & penè desperatum, blandè consolatus est, dicens: Nullis vnquam quantiscunque, & qualibuscunque peccatis mortuis gratiam resuscitationis à peccatis denegat Deus. Dignè pœnitentem, & peccata sua deflentem, per ianuam reconciliationis communioni altaris sacrosancti restituit, &c. Quia post baptismum inquinamus vitam, baptizemus lachrymis conscientiam, & quasi quotidiano Iordanis baptismate lachrymis conscientiam nostræ compunctionis ab omni vitiorum subrepentium contagione purgemus.

Rabanus Maurus. 850.

In Ecclesiast. lib. 1. cap. 49. In peccatoris vtique pectore incessanter debet spes & formido coniungi: quia incassum misericordiam sperat, si non etiam iustitiam timeat: incassum iustitiam metuit, si non etiam de misericordia confidat.

Lib. 6. cap. 7. Quid est aliud pœnitere, nisi irasci sibi, vt horreat quod fecit, & cruciatus à se exigat, ne iudex iratus potius affligat?

Epistola ad Reginbaldum: Qui veraciter pœnitet, ac per lachrymarum indicia cordis sui contritionem manifestat, leuiori disciplina tractandus est: quòd *cor contritum & humiliatum Deus non spernit:* & in *quocunque die peccator conuersus pœnitentiam egerit, & fecerit iudicium & iustitiam, vita viuet, & non morietur.* Quia suscepit Dominus triduanam pœnitentiam Niniuitarum, & Petri negationem amarissimis fletibus ablutam Dominus indulsit, cùm eum tertia die resurgens inter cæteros discipulos Angelica vocatione ad suam præsentiam & reconciliationem venire iussit.

Ionas Aurelianensis. 860.

De cultu imaginum lib. 1. Peccata, quæ post baptismum committuntur, pœnitentiæ lachrymis, & eleemosynarum largitionibus diluuntur.

Paschasius Ratbertus. 880.

De Corpore & Sanguine Domini cap. 8. Vnde post-

ea, si Domini resuscitante gratia & misericordia in corpore Christi talis quilibet fortè reinsertus fuerit, & per pœnitentiam viuificatus, debet, non minus de contemptu, quàm de prioris vitæ culpæ reatu, quia salutaria vitæ mysteria sumpsit, medullitus ingemiscere, & ad vberiorem amoris gratiam, eò quòd euaserit, inardescere.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 900.

Cap. 5. Omnis diuinæ legis transgressor, intuitu diuini iudicij, meritò confunditur, cùm pro delicti conscientia, & à facie summi iudicis absconditur.

Cap. 17. Tamquam mortuus effici debet, quem prioris vitæ tædet.

Radulphus Flaviacensis. 950.

In Leuit. lib. 1. *cap.* 4. Multi est apud Deum meriti cordis contritio & compunctio lachrymarum.
Psal. 50. Quia *sacrificium Deo spiritus contribulatus, & cor contritum & humiliatum Deus non spernit.* Lachrymæ
1. Reg. 1. sunt, quæ Samuelis ortum impetrarunt, quæ ape-
Tob. 11. ruerunt Tobiæ oculos, & à nuru eius dæmonium
Tob. 8. excluserunt. Ipsæ sunt, per quas Mariæ Magdalenæ crimina vnius horæ momento deleta sunt.

Lib. 3. *cap.* 1. Ego peccati notitiam non eam hic accipio, qua vnusquisque, qui malè agit, scit peccatum esse quod agit: sed cum solùm peccata sua veraciter cognoscere existimo, qui peccatum quàm perniciosum sit, quantave pœna plectendum, pauido corde perpendit.

Smaragdus. 960.

Ad cap. 49. *Regulæ S. Benedicti:* Compunctio cordis est humilitas mentis cum lachrymis, exoriens de recordatione peccati & timore iudicij. Illa est conuersis perfecta compunctionis affectio, quæ omnes à se carnalium desideriorum affectus repellit, & intentionem suam toto mentis studio in Dei contemplationem defigit.

In Diademate Monachorum cap. 14. Ille pœnitentiam dignè agit, qui sic præterita mala deplorat, vt futura iterum non committat. Nam qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, quasi qui lauet laterem crudum, quem quanto magis lauerit, tanto magis lutum efficit.

Berno Augiensis. 1020.

Sermone de Purificatione Mariæ: Necesse vnamquamque rectè credentis animam prius timore, deinde compungi amore: prius malorum, quæ gessit, reminiscens, ac pro ijs ad æterna pertrahi supplicia pertimescens, lachrymis irrigatum pro peccato faciat sacrificium: *Sacrificium,* inquit, *Deo spiritus contribulatus:* post amorem cælestium gaudiorum fiat ipsa holocaustum. Et quæ prius pro peccato dicebat ingemiscendo: *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo:* postmodum pro cælestis patriæ dilatione holocaustum offerendo, offerat cum gemitu proclamando: *Super flumina Babylonis.*

Petrus Damianus. 1050.

Epistola 10. Dicis, vt quid percutio carnem? Respondeo, vt quid percutio spiritum? Dicit enim
Psal. 76. Psalmista: *Exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Carnem siquidem & spiritum scopo, qui me deliquisse per carnem & spiritum recognosco. Istum correptionum, illam cum cæteris afflictionibus etiam percussione virgarum, vt quia me læta caro traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam. Lorica est homo indutus ad carnem, ferreus membra diuulsa circulus ambit, mittit cum labore metanæas, allidit in pauimentum crebrius palmas: vt quid hæc & similia? Vt dum per hæc corpus affligitur, animæ refrigerium procuretur. Quodcunque enim illud est, per quod caro pœnitentiæ caussa laceratur, atque percellitur, per hoc homo procul dubio ad æternam requiem perducetur.

Anselmus. 1080.

Ad cap. 5. *Matthæi:* Quamuis fidelis res mundi abdicauit, quamuis de iniurijs non diluit, tamen in multa incidit aliquando, & ideo necessariæ sunt lachrymæ, quæ semper abluant, quia semper peccamus, & in miserijs huius mundi nos esse videmus. Dolemus enim de peccatis proximorum. Duo sunt genera compunctionis, quando pro miserijs huius mundi & peccatis nostris gemimus, & pro desiderio cælestium.

De Similitudinibus cap. 101. Vt ergo humiliemur, quid simus, quid nati fuerimus, vel quid fecerimus mente pertractemus, & nos viles peccatores multoqúe supplicio dignissimos fore cognoscemus. Qui se ergo talem iudicat, tam in primo gradu humilitatis stat.

Cap. 102. Secundus gradus est dolor. Nam sunt nonnulli, qui se peccatores esse cognoscunt: sed nullum inde dolorem habere dignoscuntur: quibus necesse est, vt doleant, si veniam mereri desiderent. Quia non valet ad salutem, vt se cognoscat quisquam peccatorem, nisi inde habeat dolorem.

Cap. 144. Sicca pœnitentia est, cùm aliquem quidem sui peccati pœnitet. sed humore pietatis, suiqúe ipsius compunctione caret. Humida verò est, cùm habet vtrumque, suumqúe luget peccatum magna cordis contritione. Vt ad hanc ergo sibi prosit pœnitentiam, non iuuenis tantùm, verùm etiam omnis homo erubescat, cùm quid agit illicitum.

Edinerus Anglus. 1100.

Vita S. Thomæ Cantuariensis cap. 26. Denique Rex ipse, cùm significatum esset per visionem, nulla alia ratione sperandam esse pacem, nisi conciliato Martyre, corde contrito & humiliato ad monumentum beati Martyris veniam petiturus properauit. Cumqúe Cantuariam venisset, ab æde beati Dunstani vsque ad summum templum, in quo S. Thomas conditus est, nudis pedibus, & communi veste lachrymabundus ingrediebatur, non viarum asperitate, non pedum teneritudine retardatus. Vbi ad Ecclesiæ fores venit, procidit, & adorauit. Porrò ingressus locum illum, in quo vir beatus occisus est, lachrymis infudit: deinde dicta confessione coram Episcopis, cum multo tremore ac reuerentia accessit ad loculum Martyris: atque illic toto prostratus corpore, quos gemitus, quæ suspiria ediderit, quos lachrymarum profuderit imbres, dici satis non potest.

Honorius Augustodunensis. 1120.

In Ecclesiasten: Tempus flendi, præsens vita est: tempus autem ridendi, est futura vita. Qui ergo in præsenti vita quotidianis fletibus & lachrymis purgare peccata sua studuerit, in vita futura ridebit.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad cap. 18. *Apocal.* Lamentationes pœnitentium sunt, qui in præsenti peccata sua lamentantur, ne perueniant ad illud væ sempiternum.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei libro 2. *parte* 14. *cap.* 2. Pœnitentia alia est interior, alia exterior. Pœnitentia exterior, est in afflictione carnis: pœnitentia interior, est in contritione cordis. Per pœnitentiam exteriorem castigatur culpa praui operis: per pœnitentiam interiorem emendatur culpa prauæ voluntatis. Pœnitentia est dolor commissi præteriti, quando doles te fecisse quod malum est.

Eruditionis Theologicæ ex Miscellanearum lib. 1. titulo 103. Sacramentum Pœnitentiæ est exterior exhibitio operis: Res Sacramenti vera contritio cordis. Si Sacramentum suscipis, opera pœnitentiæ facias. Habe rem Sacramenti in vera contritione, ne frustra speciem sine veritate ostendas. Tanta est pœnitentia, quanta est contritio tua, quanta est deuotio tua. Contritio pro malo, quod fecisti: deuotio pro bono recuperando, quod amisisti. Opus sine contritione, flos est sine fructu. Contritio sine opere, fructus est sine maturitate.

Bernardus. 1130.

De modo viuendi cap. 27. Propter verecundiam peccati oculos tuos leuare erubesce, ambula demissa facie, mœsta mœrore, incede abiecto vultu: cilicium & cinis inuoluant membra tua, cilicium operiat corpus tuum. Esto semper plangens, semper mœrens, semper suspiria cordis emittens, semper sit compunctio in corde tuo: serui Dei debent semper vigilare, peccata sua cum lachrymis ad memoriam reducere.

Sermone 3. in Vigilia Natiuitatis Domini: Scientia ista in primo gradu operatur pœnitudinem & dolorem, vt risum in luctum, cantum in planctum, gaudium in mœrorem conuertat, & incipiant tibi displicere, quæ vehementer ante placuerant, & illa specialiter horreas, quæ specialiter appetebas.

De conuersione ad clericos cap. 19. Lugeat, sed non sine pietatis affectu & obtentu consolationis: consideret nullam sibi inueniri requiem in seipso, sed omnia plena miseriæ, & desolationis: consideret non esse bonum in carne sua: lugeat plangens dolorem suum: exitus aquarum deducat oculus eius, & palpebra non quiescat. Nimirum purgatur lachrymis oculus ante caligans, & acuitur visus, vt intendere posit in serenissimi luminis claritatem.

Sermone 10. super Cantica: Ecce hoc vnum est vnguentum, quo anima peccatrix suæ conuersionis primordia condire debet, plagisque suis recentibus adhibere. Primum namque *sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Quamdiu ergo non habet, tamquam pauper & inops, vnde sibi melius ac pretiosius componat vnguentum, non negligat parare interim istud, licet de vilibus speciebus: quia *cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* Tanto autem minus vile diuinis apparebit conspectibus, quanto plus sibi illa viluerit in recordatione peccatorum suorum.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. Sent. distinct. 16. In perfectione pœnitentiæ tria obseruanda sunt, scilicet compunctio cordis, confessio oris, satisfactio operis, &c. Triplici morti triplici remedio occurritur: Contritione, Confessione, Satisfactione. Compunctio nobis commendatur ibi: *Scindite corda, & non vestimenta vestra,* &c.

Richardus Victorinus. 1140.

Super Cantica cap. 9. Generalis contritio delet omnia mortalia, occulta atque manifesta peccata, & charitatem restituit, si fuerit amissa.

Petrus Blesensis. 1160.

Epist. 61. Non tam facile sine fletu ac gemitu cordis, acerboque dolore sanantur, quæ conualuerant in præcordiorum medullis. Nec leuiter culpa remittitur, nisi cum qualitate peccati humilitas pœnitentiæ compensetur.

Petrus Cantor. 1160.

Cap. 67. Duas habet manus pœnitentia, laborem scilicet pœnitentialem, ad delenda præterita peccata; & macerationem carnis, ad vitanda futura. Pro his laboribus dicitur nobis: quia Dominus bonorum nostrorum non eget. Horum enim debitores sumus, vt salutem amissam recuperemus.

Cap. 105. Quanta debeat esse contritio cordis pro peccato attende in quatuor, quæ gessit Dominus in suscitatione Lazari: turbauit semetipsum, infremuit spiritu, lachrymatus est, clamauit: *Lazare veni foras.*

Innocentius Tertius. 1200.

Ad Psalm. 1. Pœnitentialem: Pœnitentia debet habere tres partes: Contritionem in corde: Confessionem in ore: & Satisfactionem in opere. In contritione debet habere pœnitens timorem de pœna, dolorem de culpa, & amorem de gratia.

Ad Psalm. 3. Pœnitentialem: Tria sunt in vera pœnitentia necessaria, dolor compunctionis in corde, pronuntiatio confessionis in ore, & flagellum satisfactionis in opere. Dolor compunctionis non debet esse perfunctorius, sed continuus: non leuis, sed grauis: quia pœnitere est pœnitentiam tenere.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Sermone in capite ieiunij: Compunctio dicitur cordis humiliati cum deuotione seu lachrymis punctio, siue ex recordatione delicti, siue ex beneficiorum recordatione, siue ex timore gehennæ. Compunctio cor hominis purgat, mentem illuminat, spiritum confortat, & corroborat, &c. Oportet, quòd pœnitens cum amaritudine doleat. Ieremias ait: *Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum.* Et Ioel: *Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ.* Quoniam igitur Dominus sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, recogitemus annos nostros in amaritudine animæ nostræ, dicentes cum sapiente muliere: *Nolite me vocare Noëmi,* id est, pulchram: *vocate me Mara,* id est, amaram, *quia amaritudine me repleuit omnipotens.* Talis enim amaritudo vermes malæ conscientiæ, & carnalium desideriorum interimit. Sit igitur pœnitens ita pronus ad lamentationem, quantum fuit pronus ad culpam: & qualis fuit ad peccatum intentio, talis sit ad pœnitendum & lugendum deuotio: vt risus dolore misceatur, & extrema gaudij luctus occupet. Iuxta illud Iacobi: *Miseri estote & lugete.* Et Ezechiel ait: *Panem tuum in perturbatione comede, & aquam tuam cum festinatione & mœrore bibe.* Hic est panis lachrymarum, & refectio pœnitentium, panis subcinericius, & vas aquæ, panis humilitatis, & aqua purgationis. Igitur in amaritudine moretur oculus pœnitentis, & in cubili cordis compungatur: vt nubes tristitiæ, & interioris doloris in pluuiam lachrymarum erumpat, & ex fumo compunctionis lachrymas extorqueat.

Hier. 6. Ioel. 1. Ruth 1. Ezec. 12.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Sacramento Pœnitentiæ cap. 5. Contritio est confractio, & comminutio, & quasi in puluerem redactio veteris hominis, &c. Hæc eadem contritio vocatur Ioelis 2. *Scindite corda vestra.* Scindenda ergo sunt corda peccatorum, velut virus diaboli, vt tota fœculentia totumque virtus peccatorum inde effluat, nec vlla in eis stilla remaneat. Nominatur etiam compunctio, siue propter illud, quia tunc primò sentiuntur spinæ & aculei peccatorum, cùm Spiritus sanctus cor peccatoris infusione gratiæ suæ viuificauerit, & sanctificauerit; siue quia tunc in imo cordis infiguntur.

Alexander Alesius. 1230.

Parte 4. quæst. 17. memb. 4. artic. 2. Ad iustificationem adulti necessariò requiritur Contritio. Licet enim ad iustificationem adulti, qui nunquam addidit mortale actuale originali, quantum est de statu suo, non requiratur: tamen quia addidit veniale,

niale, ideo requiritur: quia nullus adultus est, qui non addat venialia, &c. Vnde necessaria est adulto propter venialia, quæ superaddidit, contritio.

Antonius Paduanus. 1230.

Dominica 3. post Epiphaniam: Notatur Contritio, Confessio, & Fides, quæ cuilibet peccatori valde sunt necessaria.

Thomas Aquinas. 1250.

Ad cap. 3. Lucæ: Quatuor ad pœnitentiam pertinent: primum est opus satisfactionis: secundum est voluntarius & affectatus dolor & afflictio pœnitentiæ assumptæ, &c.

Ad cap. 3. Apocalyps. Contritio prius turbat animum per dolorem, & sic euacuat humorem peccati: cuius signum est aliquando resolutio in lachrymas.

Bonauentura. 1260.

Parte 6. Breuiloquij cap. 10. Pœnitentiæ partes integrales sunt, contritio in anima, confessio in verbo, & satisfactio in facto. Ex quibus tunc pœnitentia integratur, cùm peccator omnem mortalem culpam perpetratam & facto deserit, & verbo accusat, & animo detestatur, proponens nunquam iterare peccatum.

In secunda Dieta de Contritione: Contritio est prima pars pœnitentiæ, & debet esse septiformis. Nam debet esse morosa & intenta, non perfunctoria: solitaria, non publica: integra, non diminuta: ordinata, non confusa: propria, non aliena: gemebunda, non deliciosa: iusta, non simulata. Et hęc septem sunt in verbo Esaiæ 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad Psal. 6. *Lauabo per singulas noctes lectum meum.* Quia de nocte in secreto cubiculi magis erumpebat insignis pœnitentiæ profluuium lachrymarum, propter peccatum commissum.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 1. cap. 20. Prima pars pœnitentiæ est cordis contritio. Est autem contritio dolor voluntariè assumptus pro peccatis, cum proposito seu intentione confitendi & satisfaciendi. Quia nullus verè censetur contritus, nisi habeat propositum huiusmodi. In qua contritione homo singulatim omnia peccata sua ante tribunal conscientiæ suæ adducat, vt ibi seipsum accusans, in amaritudine animæ suæ de singulis conteratur, & postea confiteatur. De singulis quippe peccatis mortalibus contritio requiritur singularis: diuersorum enim morborum diuersæ sunt medicinæ: sed contritio est medicina singularis contra vnum tantùm mortale. Ergo non sufficit vna communis de omnibus peccatis: sed de quolibet mortali tenetur homo specialiter conteri, si habet distinctam peccatorum memoriam.

Ioannes Taulerus. 1350.

Lib. 1. Institut. cap. 1. Peccator, quia malam in creaturis voluptatem ac delectationem quæsiuit, quam in solo Creatore quærere debuisset, ideo cum amara cordis contritione peccata sua deflere, & cum vero dolore, veroquę se emendandi proposito coram sacerdote se accusare debet. Cæterùm dolor iste siue contritio, non ex seruili quodam timore, neque ex sensuali dolore cum amaritudine seipsum, vt damnum suum plus quàm Dei iniuriam, & offensam lugente procedet. Sed dolor noster atque contritio diuina prorsus & supernaturalis erit: qua videlicet homo pro peccatis suis dolens, plus omnipotentis Dei tam grauem multiplicemquę inhonorationem, contemptum & offensam, quàm suum ipsius damnum ponderat, atque deplorat. Ista contritio ex amore nascitur, qui nunquam absque dulci quodam gustu & consolatione est.

Thomas Argentinensis. 1360.

Lib. 4. Sent. dist. 17. quæst. 1. art. 2. Generalis contritio, qua simul & indistinctè conteritur homo de omnibus peccatis, quibus auersus est à Deo, & diuinam bonitatem offendit, necessaria est ad hoc, quod peccata sibi remittantur, & gratia Dei & charitas infundatur.

Catharina Senensis. 1380.

Tract. 6. cap. 155. Egredere de peccato mortali per contritionem cordis, oris humilem confessionem, atque satisfactionem operis.

Petrus Aliacus. 1400.

In Psalm. 1. Pœnitentialem: Tu Domine da mihi laborare non solùm in gemitu cordis, sed lauare lectum meum lachrymis corporis: nec lauare solùm exterius seu superficie tenus, sed etiam rigari intrinsecus, vt fletus meus non solùm ad exteriora corporis, sed vsque ad cordis intima perueniat.

Ioannes Gerson. 1420.

In Compendio Theologiæ de Sacramento Pœnitentiæ: Contritio est dolor voluntarius pro peccatis, semper in se puniens, quod dolet admisisse, &c. In contritione enim esse ipsius pœnitentiæ maximè saluatur, eò quòd oportet semper illam actu cum pœnitentia esse.

Laurentius Iustinianus. 1430.

In Fasciculo amoris cap. 14. Quis tam iustus est, tamquę innocens, qui sua quotidiana non debeat flere delicta, cùm Prophetam audiat dicentem: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo?* Multa planè sunt singulorum delicta, quæ diluenda sunt fletibus. Psal. 6.

De Obedientia cap. 15. Nullum est tam graue delictum, quod non contritione atque confessione tergatur. Negauit Petrus Dominum, fleuit amarè, & illicò restitutus est gratiæ. Coram Domino mulier peccatrix ingemuit, pro reatibus suis lachrymas fudit, pedes Iesus plorando lauit, & mox audire promeruit: mulier remittuntur tibi peccata tua.

Ioannes de Turre Cremata. 1460.

Tract. 43. in Regulam Benedicti: Meritò habendus est magnus dolor & gemitus de peccato commisso: tum propter offensæ diuinæ maiestatis celsitudinem, tum ob diuinæ legis transgressionem, tum ob impiam abusionem beneficiorum Dei, tum ob damnosam separationem à Deo, tum ob ignominiosam captiuitatem à dæmonibus.

Hieronymus Sauonarola. 1480.

De veritate fidei lib. 3. cap. 16. In pœnitentiæ Sacramento primam partem contritioni iure damus: quæ cùm gratiæ sit immunis, manifestum est in hoc Sacramento continuò tolli quod homo incommodum obliquæ mentis errantisquę peccando incurrerat.

ARTICV-

ARTICVLVS TERTIVS.

PECCATORVM CORAM SACERDOTE CONFESSIONEM IMPROBANT.

Anno post natũ Christũ 200. MONTANISTÆ *erubescunt confiteri peccata.* Hieronymus epist. 54. ad Marcellam.

250. *Nouatiani oris confessionem, & sacerdotis sacramentalem absolutionem penitus sustulerunt: velut solus Deus potestatem remittendi peccata sibi perpetuò retinuisset, nec illam à ministris Christi ad ædificationem Ecclesiæ vnquam voluisset dispensari.* Colligitur ex Cypriano libro 4. epist. 2. Lactantio, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Paciano, & alijs, vbi agunt de illorum hæresibus.

370. *Audeani peccatorum quidem confessionem facere iubebant, & absolutionem largiebantur, sed nullam iniungebant pœnitentibus mulctam. Ideò pœnitentes, quia per iocum & ludum confessionem à se exigi intelligebant, grauia peccata celabant, & solùm pauca quædam & leuia fatebantur.* Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum.

380. *Messaliani peccata dimittebant, nulla habita ratione pœnitentiæ & Canonum Ecclesiæ* Damascenus de hæresibus.

600. *Iacobitæ dicunt, non esse necessarium confiteri sacerdoti, sed sufficere, soli Deo peccata sua confiteri. Vnde iuxta se ponunt ignem & incensum, quando faciunt confessionem Deo, in signum quod Deus in tali confessione consumit peccata eorum.* Guido de Iacobitis cap. 2. Michael Buchingerus in Ecclesiastica historia. Matthæus Parisius in Henrico Tertio. Iacobus Vitriacus historiæ Orientalis cap. 76.

610. *Armenij dicunt, quædam peccata à nullo sacerdote remitti posse: generalem confessionem absque speciali sufficere ad remissionem omnium peccatorum, nec oportere specialiter confiteri.* Guido de Armenijs.

1180. *Noui Manichæi dicunt, confessionem peccatorum, quæ fit sacerdotibus Romanæ Ecclesiæ, nihil valere penitus ad salutem, nec Papam, nec aliquem alium de Romana Ecclesia habere potestatem absoluendi aliquem à peccatis.* Nicolaus Eymericus partis 1. quæst. 13.

1200. *Albigenses asserunt, peccata non esse confitenda.* Antoninus parte 4. tit. 11. cap. 7. §. 7.

1350. *Flagellantes mortalia crimina sacerdoti confiteri inutile esse contendunt.* Bernardus Lutzenburg.

1390. Ioannes VVicleuus articulo 7. *Si homo debitè fuerit contritus, confessio exterior est superflua & inutilis.*

1400. *VValdenses, seu potius Piccardi, dicunt confessionem auricularem nugacem esse: sufficere sua quemque Deo in cubili confiteri peccata.* Æneas Syluius Historiæ Bohemicæ cap. 39. Ioan. Schechta epist. ad Erasmum.

1450. *Petrus Oxoniensis peccatorum confessionem in specie, affirmabat non esse de iure diuino: sed ex aliquo statuto vniuersalis Ecclesiæ.* Summa Conciliorum in decretis Sixti 4.

1510. *Erasmus Roterodamus*, in epistolam Hieronymi ad Oceanum, item ad cap. 19. Act. Apostol. & in Methodo Theologiæ, *docet confessionem secretam singulorum peccatorum non modo non esse iure diuino institutam, aut imperatam, sed neque in vsu antiquæ Ecclesiæ fuisse.*

1525. Martinus Lutherus in Assertionibus art. 9. *Dum volumus omnia peccata purè confiteri, nihil aliud facimus, quam quòd misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.*

Contra Latomum: *Nego in totum confessionem esse exigendam.*

In Postilla ad Dominicam Reminiscere: *Nolo confiteri, ob id solùm, quia Papa præcepit, & fieri vult. Qui habet fortem & firmam fidem, quòd dimissa sunt sibi peccata sua, is potest confessionem hanc omittere, & sibi soli confiteri.*

1530. Philippus Melanchthon in examine Ordinandorum: *Nulla enumeratio delictorum necessaria est, quia manifestum est, nusquam extare præceptum diuinum de enumeratione singulorum.*

1550. *Vdalricus Zuinglius contra confessionem Lutheri.* Quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis, &c. *Nequaquam eum sensum obtinent hæc verba, quasi Christus hæc dicendo discipulis peccata remittendi potestatem condere voluerit, cùm non aliud verbis istis innuerit, quàm vt Euangelij prædicationem sibi commissam annunttent. &c. Ligandi & soluendi verba nihil aliud significant, quam credere, & nolle credere.*

Digitized by Google

1550. Ioannes Caluinus lib. 3. Institut cap. 4. §. 19. *Nihil mirum si auricularem istam confessionem, rem adeò pestilentem, totque nominibus Ecclesiæ noxiam damnamus, ac sublatam ex Ecclesia cupimus. Quòd si per se res esset indifferens, quando tamen nulli vsui est, nec fructui, tot autem impietatibus, sacrilegijs, erroribus causam dedit, quis non protinus abolendam censeat?*

Defensione 2. contra VVestphalum folio 131. *affirmat, confessionem & absolutionem priuatam è fœtidis Antichristi Romani lacunis originem suam habere, & ab ipso diabolo inuectam esse in Ecclesiam.*

PROBANT SACRÆ LITERÆ.

Leuit. 5. *Vers.* 5. *vbi nostra Translatio habet*: Agat pœnitentiam pro peccato, *in Hebræo est idem vocabulum quod Numer.* 5. *Sic enim legimus*: Et erit, cùm peccauerit in vno, ex his confitebitur apertè peccatum, quod peccauit.

Numer. 5. 6. Vir siue mulier cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum.

Primum obserua, Confitebuntur, *in Hebraico textu esse in coniugatione Hithpaël, quæ auget significationem, ita vt iste textus rectè verti possit.* Expressè, & distinctè confitebuntur. *Deinde illa verba*: Confitebuntur peccatum suum, *in Hebræo habentur cum maiori explicatione. Sic enim legimus*: Confitebuntur peccatum suum, quod fecerunt. *Ex quibus patet, hoc loco præcipi, vt peccatum in specie per manifestam confessionem prodatur. Si enim in genere tantùm confiteri sufficeret, non diceret Scriptura*: Confitebuntur apertè illud peccatum, quod fecerunt: *sed simpliciter*: Confitebuntur peccata sua.

Iosue 7. 19. Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere atque indica mihi, quid feceris, ne abscondas.

Prouerb. 28. 13. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.

Ecclesiastici 4. 31. Non confundaris confiteri peccata tua.

Matth. 3. 6. Baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua.

Matth. 18. 18. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.

Lucæ 5. 14. Vade, ostende te sacerdoti.

Lucæ 17. 14. Ite, ostendite vos sacerdotibus.

Ioannis 20. 22. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.

Actor. 19. 18. Multique credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus suos. *Textus Syriacus habet*: Offensas suas.

Iacobi 5. 16. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.

PROBANT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Epistola 1. Si fortè alicuius cor vel liuor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc huic, qui præest: vt ab ipso per verbum Dei, & consilium salubre curetur, quò possit integra fide & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere.

Dionysius Areopagita. 100.

Epistola 8. *quæ est ad Demophilum Monachum*: Tu verò, vt tuæ indicant literæ, procidentem sacerdoti impium (vt ais) atque peccatorem, nescio quo pacto contra disciplinæ ordinem astans calce abiecisti, ac repulisti. Cùm ille quidem verecundè (quod oportuit) fateretur, se ad peccatorum remedia quærenda venisse: neque exhorruisti insuper & sacerdotem optimum lacerare conuitijs, miserabilem eum dicens, qui pœnitentem atque impium iustificasset. Ac tandem, exi, inquiens, sacerdoti, cum similibus tuis contra fas omne irrupisti in adyta, & Sancta sanctorum prophanare ausus es.

Irenæus. 180.

Libro 1 *cap* 9. Nam cùm esset vxor eius speciosa, & sententia & corpore corrupta esset à Mago isto, & secuta eum esset multo tempore, post deinde cum magno labore fratres eam conuertissent, omne tempus in exomologesi consummauit, plangens & lamentans ob hanc, quam passa esset ab hoc Mago, corruptelam.

Libro 3. *cap.* 4. Cerdon sæpe in Ecclesiam veniens, & exomologesin faciens, sic consummauit, modò quidem latenter docens, modò exomologesin faciens.

Origenes. 230.

Homilia 2. *in Leuiticum*: Est adhuc septima, licet dura & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lauat peccator lachrymis stratum suum, & fiunt ei lachrymæ suæ panes die ac nocte, & cùm non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum, & quærere medicinam, secundùm eum, qui dicit: *Dixi pronuntiabo aduersum me* Psal. 31. *iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem cordis mei.*

Homilia 2. in Psalm. 37. *Quoniam iniquitatem pronuntio*) Pronuntiationem iniquitatis, id est, confessionem peccati, frequentius diximus. Vide ergo quid edocet nos Scriptura diuina, quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortassis enim sicut ij, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho gra-

uiter

uiter & molestè imminentia, si vomuerint, releuantur: ita etiam hi, qui peccauerunt, si quidem occultant & retinent intra se peccatum, intrinsecus vrgentur, & propemodum suffocantur à phlegmate, vel humore peccati. Si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum, & confitetur, euomit delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodò circunspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi nouerit disciplinam: vt ita demum, si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum medicum ostenderit, & misericordem, si quid consilij dederit, facias, & sequaris: si intellexerit, & præuiderit talem esse languorem tuum, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari, multa hoc deliberatione, & satis perito medici illius consilio procurandum est.

Homilia 17. in Lucam: explicans illud: *Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Vnde, inquit, & nos, si peccauerimus, debemus dicere: *Peccatum meum notum tibi feci, & iniquitatem meam non abscondi:*
Psal. 31. *Dixi, annuntiabo iniustitiam meam contra me Domino.* Si enim hoc fecerimus, & reuelauerimus peccata nostra, non solùm Deo, sed & his, qui possunt mederi vulneribus nostris, atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo, qui ait: *Ecce dele-*
Esa. 44. *bo vt nubem iniquitates tuas, & sicut caliginem peccatatua.*

Eusebius Cæsareensis. 320.

Libro 3. de Demonstratione Euangelica: Tales erant Saluatoris nostri discipuli, & eiusmodi aculeos in auditorum animis relinquebant, vt penetraret ipsorum doctrina in intimos thalamos cordis, & cuiusque conscientiam ita sauciaret, vt arcana ex latebris proferre, & prauitatem anteactæ vitæ palam confiteri non dubitarent.

Athanasius. 340.

Sermone in illa verba: *Profecti in pagum, qui ex aduerso est, inuenietis pullum alligatum:* Nos ipsos examinemus, num soluta sint nostra vincula, vt in melius proficiamus. Quòd si nondum soluta sint vincula, tradas teipsum discipulis IESV: adsunt enim, qui te soluant pro potestate ea, quam à Sal-
Ioan. 20 uatore acceperunt: *Quæcunque enim ligaueritis,* inquit, *in terra, erunt ligata & in cælis: & quæ solueritis*
Marc. 16 *in terra, erunt soluta & in cælis.* Et: *Si quibus remiseritis peccata, remittentur eis.*

Basilius Magnus. 370.

In Regulis fusius disputatis responsione 26. Debet vnusquisque eorum, qui inferiores sunt, si quidem memorabilem vllam progressionem facere studet, & ad perfectionem vitæ illius, quæ præceptis Domini nostri IESV Christi est consentanea, peruenire, cùm nullum animi sui motum apud seipsum celatum retinere, tum in sermone nihil non diligenti ante cura non consideratum proferre, sed mentis suæ arcana aperire fratribus ijs, quibus datum illud negotium sit, vt adhibitis facilitate & misericordia, ægrotantes curent. Hoc enim modo fiet, vt & quod laude dignum sit in nobis confirmetur: & quod minus probandum, congruo remedio sanetur: atque ex huiusmodi mutua exercendi inter nos consuetudine per modicas accessiones ad perfectionem perueniamus.

In Quæstionibus breuioribus Interrogatione 110. Nunquid conuenit, dum soror seniori confitetur, etiam Antistitam ipsam adesse? *Respons.* Honestius cautiusque per Antistitam seniori confessio fiet, qui multa experientia edoctus possit & pœnitentiæ & correctionis modum suggerere.

Interrogatione 229. Nunquid flagitiosè facta abiecta omni verecundia enuntiari apud omnes debeant, an apud aliquos tantummodò? Et si hoc, apud quos, & cuiusmodi? *Responsio:* Omninò in peccatorum confessione eadem ratio est, quæ in apertione vitiorum corporis. Vt igitur vitia corporis nequaquam quibusuis temerè homines aperiunt, sed ijs tantummodò, qui rationem, qua ea curanda sunt, teneant: eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea possint curare.

Interrogatione 288. Necessariò ijs peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei. Siquidem rationem hanc in pœnitentia etiam veteres illos cernimus secutos fuisse, quando & in Euangelio scriptum est, quòd Ioanni confitebantur peccata sua: & in Actis Apostolis ipsis, à quibus etiam baptizabantur cuncti.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 1. Tempus præsens est tempus confessionis. Confiteare quæ perpetrasti, siue verbo, siue opere: siue noctu, siue interdiu. Confitearis tempore acceptabili, & in die salutis.

Gregorius Nyssenus. 380.

In Ecclesiasten Homil. 3. Si autem hæc ita se habent, & eam quam par fuit affectionem verbum coniecit, vtpote quòd ad cauenda peccata natura sit ingenita eiusmodi affectio, honestum est existimare esse proprium Ecclesiæ documentum, se per peccatorum confessionem, & enuntiationem rectè gerere. Per hoc enim licet suam animam armare armis pudoris.

Oratione ad eos, qui durius & acerbius alios iudicant: Afflictionis participem & socium sume sacerdotem vt patrem. Audacter ostende illi, quæ sunt recondita, animi arcana tanquam occulta vulnera medico retege. Ipse & honoris & valetudinis tuæ rationem habebit.

Epistola Canonica ad Episcopum Mitylenes cap. 1. Rectè habuerit, si hodierno die non solùm eos, qui ex regeneratione per lauacri gratiam transmutati sunt, adducamus, sed etiam qui per pœnitentiam & confessionem à mortuis operibus ad viuentem viam ascendunt, ad viuentem spem, tanquam manu, deducamus, à qua per peccatum alienati sunt.

Ioannes Chrysostomus. 400.

In Genesin Homil. 20. Qui hæc facit, si voluerit ad confessionem facinorum festinare, & medico ostendere vlcus, qui curet, & non exprobret, atque ab illo remedia accipere, & soli ei loqui, nullo alio conscio, & omnia dicere cum diligentia, facilè sua peccata emendabit. Confessio enim præteritorum est abolitio delictorum.

Homil. 30. in Genesim. Quia in magnam hanc hebdomadam peruenimus, Dei gratia nunc maximè & ieiunij cursus intendendus, & magis continuandæ sunt preces, faciendaque diligens & pura confessio peccatorum.

Homilia 33. in Ioannem: In peccatis, quæ commisimus, confitendis neminem vereamur, Deum duntaxat, vt decet, formidemus, qui & nunc opera nostra videt, & tunc quos in præsentia non pœnitet damnabit, &c. Commisisti aliquot scelus, aut animo agitasti, homines celas, non Deum, & nihil curas, oculos hominum formidas, &c. Vos autem hortor, dilectissimi, vt etsi nemo opera nostra videat, vt singuli suam conscientiam ingrediantur, & iudicem sibi rationem constituant, errata sua in medium adducant, nisi velint in die

illa horrenda vniuerso orbi ea manifestè patere. Sanentur iam vulnera, sumatur pœnitentiæ medicina.

Libro 2. de Sacerdotio: Quamobrem multa quidem arte opus est, vt qui laborant Christiani, vltrò sibi persuadeant, sacerdotum curationi sese submittere oportere. *Et paulò pòst:* Equidem complures recensere possim, quos constat in extrema mala adactos, non ob aliud, nisi quòd digna ab ijs pœna, & quæ peccatis perpetratis par esset exigeretur. Neque enim temerè ad delictorum modum oportet & mulctam ipsam adhibere, sed tamquam coniecturis quibusdam explorandus est delinquentium animus, ne qua fiat, vt dum consuere vis quod interruptum est, scissuram deteriorem facias.

Ioannes Cassianus. 420.

Eccle.10 Collat. 2. cap. 11. *Si momorderit, inquit, serpens non in sibilo, non est abundantia incantatori,* taciti serpentis morsum pernitiosum esse designans, id est, si per confessionem suggestio seu cogitatio diabolica incantatori cuiquam, spiritali scilicet viro, qui carminibus Scripturarum mederi protinus vulneri, & extrahere de corde consueuit noxia venena serpentis, patefacta non fuerint, succurrere periclitanti perituroue non poterit.

Cap. 12. Occasionem nobis pernitiosæ verecundiæ, qua cogitationes malas studeamus obtegere, ac salutari eas patefacere confessione vereamur, illa præcipuè creat causa, qua nouimus quendam in Syriæ partibus, vt credebatur præcipuum seniorum cuidam fratri cogitationes suas simplici confessione prodenti, postmodum quadam indignatione commotum easdem grauiter exprobrasse. Vnde fit, vt dum eas in nobis premimus, ac senioribus erubescimus publicare, curationum remedia consequi nequeamus.

Nilus Abbas. 420.

Ad Chariclem, qui aiebat non esse satis confiteri verbis & ore, sed opus quoque esse confiteri operibus: Robustorum quidem, inquit, & valentium animarum est sic confessionem facere, id est, cum ieiunijs & vigilijs, humicubatione, sacco & cinere & eleemosynis largis & hilariter factis, alijsque fructibus veræ pœnitentiæ: tamen si quis vel quia non aduertit propter incuriam, aut propter aliquam ex improuiso necessitatem, aut propter imbecillitatem, vel ignauiam hęc vltrò non excurrit, confessionem quidem eius, quæ labijs fit, non aspernari Deum, neque sic confitentem auersari & repellere, cùm pro omnibus omnium generum peccatis mortuus sit, sicuti publicanus ille nullis laboribus aut sudoribus, sed solis verbis humilitatis, sola confessione oris saluus factus est, similiter & latro ille.

Sozomenus. 440.

Libro 7. Histor. cap. 16. Cùm prorsus non peccare, naturæ sit humana diuinioris: pœnitentibus autem, quamuis frequenter deliquissent, veniam dare iusserit Deus, & ad impetrandam veniam confiteri peccata necessarium est.

Titus Bostrensis. 460.

In caput 7. Lucæ: Sæpe quidem vsuuenit, vt is, qui grauiter & multum impegit, per confessionem à peccatis absoluatur. Alius è diuerso, qui parum peccarat per superbiam, confessionis pharmacum aspernetur: adeoque in pœnarum reatum incidat. Neque enim ob id condemnationis iudicium euadet peccator, quòd paucis delictis obstrictus teneatur (nam & propter pauca quoque condemnabitur) nisi eam confessionem & pœnitentiam de paucis illis in medium adferat, quam oportet.

Diadochus. 480.

De perfectione spirituali cap. 100. Oportet autem attendere semper sensum confessionis, ne fortè conscientia nostra sibi mentiatur, dum satis quis Deo confessum esse suspicatur. Siquidem longè maius est iudicium Dei conscientia nostra, tametsi exploratum ei sit plenissimè nil sibi conscium esse, vt beatus Apostolus nos docet, cùm ait: *Sed neque meipsum iudico &c.* Etenim nisi vt decet confessi fuerimus, metum quendam latentem tempore obitus nostri in nobis reperiemus. 1.Cor.4.

Olympiodorus Monachus. 500.

Ad cap. 10. Ecclesiastis: Si peccati serpens mordeat in silentio, hoc est, ita vt peccator admissum scelus confiteri nolit, nullam poterit salutem præstare, qui sancta excantatione curandum suscipiat, peccata sua non confitentem.

Iustinianus Imp. 530.

Constitutione 141. de his, qui luxuriantur contra naturam: Qui hoc morbi genere contabuerunt, illi non solùm de cætero peccare desinant, sed etiam ritè agant pœnitentiam, & coram Deo procidant, & morbum beatissimo Patriarchæ renuntient, rationemque curationis percipiant, & (prout scriptum est) fructus producant pœnitentiæ, &c. Prædicimus omnibus deinceps, qui huiusmodi alicuius sibi peccati conscij sunt, nisi peccare desierint, & seipsos renuntiantes beatissimo Patriarchę salutis suæ curam gesserint, pro tam impijs actionibus Deum intra sanctum festum placantes, quòd acerbiora sibi accersent supplicia.

Ioannes Nesteuta. 580.

In Nomocanone: Oportet eum, qui confessiones suscipit, videre & adolescentiam, & vires senectutis, & imbecillitatem, & loci differentiam, & modi, per quem malum factum est, an ex capto consilio & præmeditato, an casu factum est, an ex vino, vel ex satietate, vel non sic, sed vel metu, vel immoderata potestate, vel paupertate, & quæ sunt his similia. Is, qui confessiones audit, debet examinare & horam, & locum, & vitam, & prudentiam. Similiter & contritionem, & pudorem, & tristitiam, & metum, & fidei constantiam, &c. Hæc omnia debet examinare, qui audit confessiones, & sic pœnas iniunget.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 4. Ante omnia verò culpas nostras præclaro iudici nostro soli confiteamur, omnibusque, si ille ita iusserit, confiteri parati simus. Nam in lucem educta vulnera, nunquam in deterius proficient, sed sanabuntur, &c. Quia habeo nonnullos, qui peccata necdum confessi sunt: quocirca illos iam ad confessionem hoc exemplo prouoco, qua sine nullus remissionem potietur.

Gradu 23. Nihil ita dæmones cogitationesque contra nos roborat, vt eas inconfessas in corde nutrire atque occulere.

Ioannes Moschus. 600.

In Prato spirituali cap. 135. Nocte quadam cùm dormirent Sanctimoniales omnes, illis consultantibus, vt vestimenta sua acciperent, ac fugerent, continuò quinque omnes à dæmonio correptæ sunt. Quo facto non amplius exierunt è monasterio, sed confessæ peccata sua, gratias egerunt Deo.

Georgius Presbyter. 600.

In vita Theodori Archimandritæ: Qui occultas animi cogitationes viro sancto patefaciebant, opportuna remedia accipiebant: eos verò, qui animæ vlcera obtegebant & occultabant, admonebat, vt resipiscerent, & pœnitentiam agerent.

Leontius. 620.

In vita Ioannis Eleemosynarij: Mulier quædam de

ca-

ea, quæ sanctum protulit, ciuitate existens, cùm audisset venisse Arbodo, & Angelum ibidem ei apparuisse, & vocationem ad communem Dominum ei denuntiasse: peccamen grauissimum in se recognoscens, quod nec auditus hominum posse intrare affirmabat, fidem inambiguam sumens, ad sanctum cursu peruenit, & pedes eius comprehendens, cum lachrymis multis clamat, & dicit secretò Sancto: O ter beate habeo misera, quod ad aures hominum venire non potest, & scio quod si vis, potes id mihi indulgere. Dixit enim vobis Presbyteris Dominus: *Quoniam quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis*, &c. Hæc verba audiens à muliere Sanctus, & timens, si petitionem eius refutaret, noxium ei in tormentis fieret, dum posset liberari à proprio peccato, per fidem, quam habebat in eum, dicit ad eam humiliter: Si vtique credis, ô mulier Deo, per fidelitatem meam ignoscatur tibi crimen, quod dicis, confitere mihi hoc. Quæ dixit: Non possum Domine dicere hoc peccatum. Neque enim potest auditus hominis portare illud. Dicit ad eam iterum Sanctus: Et si erubescis, vade & scribe illud, si nosti literas, & adfer mihi. Illa iterum respondit: Verè Domine non possum. Expectans ergo modicum Sanctus tacens, dixit ei: Non potes scribere, & sigillare, & afferre mihi? Tunc dixit ei. possum Domine, & hoc facio. Rogo ergo ne soluatur, neque vllo modo inueniatur à quolibet peccatum hoc aliquando. Verbum igitur accipiens à Deo honorabilis, quod nullus homo solueret aut legeret eius pyttatium, abiens propria manu scripsit peccatum, & sigillans portauit beato, &c.

Maximus Monachus. 640.

Capitum Oeconomicorum Centuria quarta cap. 62. Omnis confessio humiliat animam, vna quidem gratia Dei iustificatam: altera, quæ accusationibus erudit illam ignauia proprij animi detineri.

Cap. 36. Duplex est confessionis ratio, prior quidem consistit in gratijs agendis, ob præstita bona: posterior autem fieri dicitur ad arguenda & examinanda, quæ perperam gesta sunt. Nam confessio dicitur & beneficiorum diuinorum, quibus affecti sumus, cum actione gratiarum enumeratio, & malè gestorum ab reis emissa relatio. Vtraque verò humilitatem parit. Etenim tam is, qui bonis acceptis gratias agit, quàm ille, qui ob accepta crimina castigatur, humiliatur. Ille quidem seipsum indicans & vocitans indignum donatis: hic verò dum precatur, vt remissionem accipiat.

Synodus Trullensis. 710.

Can. 103 Oportet eos, qui soluendi ac ligandi potestatem à Deo accepêre, peccati qualitatem considerare, & eius, qui peccauit, ad eam conuersationem promptum studium, & sic morbo conuenientem afferre medicinam: ne si in vtroque immoderatione vtatur, ab eius, qui laborat, salute excidat.

Theodorus Studites. 820.

Oratione funebri in S. Platonem cap. 8. Quodque laudabilius est, occultas mentis cogitationes & acta cuidam eorum, qui præerat, sæpius confitebatur. Quæ res magnum religionis illius erat indicium. Idque cùm perfectè facere solitus esset, ei, qui confessionem ipsius audiebat, admirationem & stuporem afferebat.

Nicephorus Chartophylax. 830.

De ligandi & soluendi potestate ad Theodosium Monachum: Ligandi & soluendi prouincia Pontificibus ipsis à clementissimo Deo nostro demandata est. Siquidem ad Petrum ait: *Quæcunque ligaueritis, ligata: & quæcunque solueritis, soluta erunt.* Vnde olim omnes oportebat ad ipsos Pontifices accedere, suaque illis occulta prodere, & sic vel reconciliationem, vel repudium ferre. Pontifices verò frequenti multitudinis turbulentia, vt arbitror, defatigati, id operæ ad probatos Monachos transmisêre.

Anastasius Nicænus. 860.

Quæst. 6. Sitne bonum confiteri peccata viris spiritualibus? Est bonum, & valde vtile: sed non ijs, qui earum rerum sunt imperiti & rudes, ne per rationis expertem commiserationem ac dispensationem, aut per importunam & à scientia alienam pœnarum, seu pœnitentiæ productionem, te reddat aut contemptorem, vt minimè dolentem, aut socordem & dissolutum. Si ergo inueneris hominem spiritualem, qui possit tibi mederi, citra pudorem & cum fide confitere ei tanquam Domino, & non homini. Cùm de anima tua agatur, non te pudeat. Est enim pudor, qui inducit peccatum, & est pudor gloria & gratia. Non aduersus animam tuam lædas faciem, nec in tuam ruinam erubescas, nec te pudeat confiteri tua peccata.

Basilius Imp. 870.

Oratione ad Episcopos, qui cum Photio schisma fecerant: Nihil turpe ducamus passionem manifestare, & vulnus ostendere, ac locum pœnitentiæ & medicinæ requirere, atque intra atrium saluantium fieri, ne confusionem obedientiam arbitrando, confusionis æternæ sumamus experimentum. Confusio reuera est, & maximus pudor, imò verò in Deum dimicatio, nolle vnumquemque proprium confiteri peccatum, & humiliari propter Christum, ac lucrari se, & multos.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 19. Act. Apost. Oportet quemque fidelem peccata prodere, ac sese coarguendo illis renuntiare, ne postea amplius eadem committat, vt iustus fiat, prout dictum est: *Dic tu peccata tua prior, vt iustificeris.* Et illud: *Iustus in prima causa dictione accusator est sui ipsius.*

Simeon Metaphrastes. 970.

In vita S. Syluestri: Syluester dixit ad Imperatorem: Oportet te prius ieiunare, ô Imperator, & Deum placare lachrymis quæcumque peccasti confitentem.

In vita S. Iacobi Eremitæ: Mulier, cùm ad Ecclesiam venisset, vnamquamque rem ordine Deo ipsi primùm, deinde & sanctissimo viro confessa est. qui & ipse cùm plurimam eam instituisset, eorumque malorum, quæ commiserat, valde pœnitentem videret, immortalitatis lauacrum ei dedit.

Theodorus Balsamon. 1170.

In epistolam 1. Dionysii Alexandrini: Existimo, quòd pro iudicio eius, qui audit confessionem, medicina adhibetur personis & necessitati naturæ.

In Canonem Apostol. 52. Nota ex præsenti Canone, quòd non solis Episcopis, & sacerdotibus concessum est hominum confessiones audire, & peccata remittere, sed etiam Presbyteri cum Episcopali permissione peccatorum confessiones audiunt, &c. Cùm, præsens Canon Apostolicus puniat Episcopos, qui non suscipiunt peccatores, qui conuertuntur: sextus, septimus, & quadragesimus secundus Canon Carthaginensis Synodi non permittat sacerdotibus insciente Episcopo peccatorum enumerationes audire, & peccata remittere: apparet non solùm Monachis sacerdotibus concessam esse peccatorum reconciliationem, sed etiam generaliter omnibus sacerdotibus. Quomodo ergo nec à Patriarchis, nec ab Episcopis permittitur sacerdotibus, qui non sunt Monachi, peccatorum hominum confessiones audire, nescio.

Ego

Ego autem permisi multis in magna Antiochia sacerdotibus, qui erant clerici eiusdem sanctissimæ Sedis, peccatorum confessionem absque vlla prohibitione accipere, & peccata remittere.

Nicolaus Cabasilas. 1280.

Expositionis Liturgiæ cap. 19. Sed & illud etiam scimus, quòd post mortem Christi etiam fide, & pœnitentia, & confessione opus est, & sacerdotum oratione. Nec potest homo solui à peccatis, nisi hæc præcesserint, &c. Peccatorum remissio pœnitentibus datur per orationem sacerdotum.

Nicephorus Gregoras. 1330.

Libro 3. *de Germano Patriarcha*: Cùm is primum sacrificium cum cęteris Pontificibus peregisset, Michael Imperator ante vestibulum sacri suggestus duo peccata sua, periurium, & filij Imperatoris excæcationem apertè profitetur, sibique condonari petit. Primus igitur Patriarcha illi iacenti astans, condonationis syngrapham quandam & post eum Pontifices, suo quisque ordine eandem recitârunt. Ita lætus discedit Imperator tam ob illam condonationem, quàm quod Deum etiam sibi placatum & reconciliatum existimabat.

Zaga Zabo Episcopus Æthiops. 1536.

In confessione Fidei: Est etiam moris apud nos, vt mulieres grauidæ ante partus tempus confiteantur, ac corpus Dominicum confessæ accipiant, &c. In ipsis etiam Synodorum libris constitutum est à sanctis Apostolis, oportere nos confiteri, atque eam pœnitentiam pro magnitudine singulorum peccatorum à confessore accipere debemus. Præterea hoc familiarissimè vtimur, quod statim ad pedes confessoris, cùm peccatum admissum est accurrimus, & hoc faciunt omnes tam masculi, quàm fœminæ, cuiuscunque conditionis sint, & quotiescunque confitemur, accipimus corpus Domini. Quod si singulis diebus confiteamur, singulis quoque diebus accipimus venerabile Sacramentum. Vtimur semper vno confessore, nec alium accipimus, nisi eo absente, quo reuerso ad ipsum redimus. Et confessores omnium peccatorum dant nobis ex Ecclesiæ potestate absolutionem, &c. Deinde confessionem vocalem omnium meorum peccatorum credo faciendam esse apud sacerdotem, cuius precibus per Christum Dominum nostrum salutem animæ meæ spero me consecuturum.

Græci Veneti. 1570.

Ad vndecimam interrogationem Claudij Cardinalis Guisiani de Confessione: Omninò peccatorum enumeratio fieri debet, quemadmodum illi magni rerum diuinarum præcones, atque lumina, Basilius & Nyssenus, alijque hos subsecuti Doctores præcipiunt. Et quamobrem is, qui confitetur, viris spiritualibus peccata sua fateri debet, vna cum loco & modo. Vti nimirum spiritualis pater adhibere medicinam eis, secundùm instituta sanctorum Patrum possit. Absoluunt autem spirituales Patres ac sacerdotes eos, qui deliquerunt huiusmodi quadam oratione: Benignus ille Deus, qui propter nos abiectos vilesque homines, & salutis nostræ causam naturam humanam assumpsit, totiusque mundi peccata tollit, nunc quoque pro benignissima sua misericordia & bonitate tibi hæc omnia condonabit, mi frater, quæ modò coram ipso indignitati meæ recensuisti, remittetque tibi omnia.

Hieremias Patriarch. Constantinop. 1580.

Respons. primo cap. 11. *de Confessione*: Respondemus, talem ministrum debere spiritualem medicum esse, & bene rerum suarum peritum. Deinde confitentem, quoad possit & recordetur, peccata particulatim exponere: idque corde contrito & humiliato. Sic enim is sanatur, si scilicet faciat ea, quæ contraria sunt peccatis à se admissis.

Cap. 21. Quartò de Confessione & peccatorum remissione scribitis. Ad quod respondemus ex M. Basilio, debere vnumquemque Christianum, si velit egregium progressum pietatis monstrare, & habitum secundùm præcepta Domini nostri viuendi comparare, nullam agitationem mentis occultam secum retinere, nullum verbum absque examinatione præcedente emittere; sed proferre nudè arcana cordis: non quidem cuiuis, sed his, qui medicinam facere possunt.

PROBANT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Libro de Pœnitentia cap. 8. Tantum releuat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ.

Cap. 9. Huius igitur pœnitentiæ secundæ & vnius, quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est; vt non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem vt ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deijcere, illa quæ peccauit tristi tractatione mutare: cæterùm, pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa: plerunque verò ieiuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum; presbyteris aduolui, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. Hæc omnia exomologesis, vt pœnitentiam commendet, vt de periculi timore Dominum honoret, vt in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat. Cùm igitur prouoluit hominem, magis releuat: cùm squalidum facit, magis mundatum reddit: cùm accusat, excusat: cùm condemnat, absoluit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.

Cap. 10. Plerosque tamen hoc opus vt publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores quàm salutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt. Intolerandum scilicet pudori, Domino offenso satisfacere, saluti prodactæ reformari. Næ tu verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecandum verò subducens. Ego rubori locum non facio, cùm plus de detrimento eius acquiro, cùm ipse hominem quodammodo exhortatur: Ne me respexeris, dicens, pro te mihi melius est perire. Certè periculum eius tunc si fortè onerosum est, cùm penes insultaturos in risiloquio consistit, vbi de alterius ruina alter attollitur, vbi prostrato superscenditur. Cæterùm inter fratres atque conseruos, vbi communis

ſpecies, metus, gaudium, dolor, paſsio (quia communis ſpiritus de communi Domino & Patre) quid tuos aliud quàm te opinaris? Quid conſortes caſuum tuorum, vt plauſores fugis? Non poteſt corpus de vnius membri vexatione lætum agere: condoleat vniuerſum, & ad remedium conlaboret neceſſe eſt. In vno & altero Eccleſia eſt, Eccleſia verò Chriſtus. Ergo cùm te ad fratrum genua protendis, Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras. Æquè illi cùm ſuper te lacrymas agunt. Chriſtus patitur, Chriſtus Patrem deprecatur. Facilè impetratur ſemper, quod Filius poſtulat. Grande planè emolumentum verecundiæ, occultatio delicti pollicetur. Videlicet ſi quid humanæ notitiæ ſubduxerimus, proinde & Deum cælabimus. Adeone exiſtimatio hominum & Dei conſcientia comparantur? An melius eſt damnatum latere, quàm palàm abſolui? Miſerum eſt ſic ad exomologeſin peruenire. Malo enim ad miſeriam peruenitur: ſed vbi pœnitendum eſt, definit miſerum, quia factum eſt ſalutare. Miſerum eſt ſecari & cauterio exuri, & pulueris alicuius mordacitate cruciari: Tamen quæ per inſuauitatem medentur, & emolumento curationis offenſam ſui excuſant, & præſentem iniuriam ſuperuenturæ vtilitatis gratia commendant.

Cap. 11. Quid ſi præter pudorem, quem potiorem putant, etiam incommoda corporis reformident, quòd in lotos, quòd ſordulentos, quòd extra lætitiam oportet deuerſari, in aſperitudine ſacci, & horrore cineris, & oris de ieiunio vanitate? &c.

Cap. 12. Igitur cùm ſcias aduerſus Gehennam poſt prima illa intinctionis Dominicæ monimenta, eſſe adhuc in exomologeſi ſecunda ſubſidia, cur ſalutem tuam deſeris? Cur ceſſas aggredi, quod ſcias mederi tibi? Mutæ quidem animæ & irrationales, medicinas ſibi diuinitus attributas in tempore agnoſcunt. Ceruus ſagitta transfixus vt ferrum & irreuocabiles moras eius de vulnere expellat, ſcit ſibi dictamno medendum. Hirundo ſi excæcauerit pullos, nouit illos oculare rurſus de ſua Chelidonia. Peccator reſtituendo ſibi inſtitutam à Domino exomologeſin ſciens, præteribit illam, quæ Babylonium regem in regna reſtituit?

Cyprianus. 250.

Libro de Lapſis. Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres, delictum ſuum, dum adhuc, qui deliquit, in ſeculo eſt, dum admitti eius confeſsio poteſt, dum ſatisfactio & remiſsio facta per ſacerdotes apud Dominum grata eſt.

Libro 3. epiſt. 14. *Epiſtola decima*: Hæc qui ſubtrahit fratribus noſtris, decipit miſeros, vt, qui agentes pœnitentiam veram, Deo Patri miſericordi precibus & operibus ſuis ſatisfacere, ſeducantur, vt magis pereant: & qui erigere ſe poſſent, plus cadant. Nam cùm in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam iuſto tempore, & ſecundùm diſciplinæ ordinem ad exomologeſim veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi & cleri ius communicationis accipiant: nunc crudo tempore, perſecutione adhuc perſeuerante, nondum reſtituta Eccleſiæ ipſius pace, ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia acta, nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo & clero impoſita, Euchariſtia illis datur.

Lactantius. 320.

Lib. 4. Inſtitut. cap. 17. explicans cauſam, cur Deus Circumciſionem in Teſtamento veteri imperauit, ac docens eam confeſsionis ac pœnitentiæ figuram fuiſſe: Ob hanc, *inquit*, cauſſam Deus nudari eam iuſsit, vt hoc argumento nos admoneret, ne inuolutum pectus haberemus, id eſt, ne quod pudendum facinus intra conſcientiæ ſecreta velemus. Hæc eſt cordis circunciſio, de qua Prophetæ loquuntur, quam Deus à carne mortali ad animam tranſtulit, quæ ſola manſura eſt. Volens enim vitæ ac ſaluti noſtræ pro æterna ſua pietate conſulere, Pœnitentiam nobis in illa circunciſione propoſuit, vt ſi cor mundauerimus, id eſt, ſi peccata noſtra confeſsi, ſatis Deo fecerimus, veniam conſequamur, quæ contumacibus, & admiſſa ſua cælantibus denegatur ab eo, qui non faciem ſicut homo, ſed intima & arcana pectoris intuetur.

Cap. 30. Nouatianos damnans, ponit pro nota veræ Eccleſiæ Confeſsionem: Sed tamen, *inquit*, quia ſinguli quique cœtus hæreticorum ſe potiſsimum Chriſtianos, & ſuam eſſe Catholicam Eccleſiam putant, ſciendum eſt, illam eſſe veram, in qua eſt Confeſſio, & Pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus ſubiecta eſt imbecillitas carnis, ſalubriter curat.

Hilarius. 350.

Can. 18. in Matth. Ad terrorem autem metus maximi, quo in præſens omnes continerentur, immobile ſeueritatis Apoſtolicæ iudicium præmiſit, vt quos in terris ligauerunt, id eſt, peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos ſoluerint, confeſsione videlicet veniæ receperint in ſalutem, hi Apoſtolicæ conditione ſententiæ in cælis quoque aut ſoluti ſint, aut ligati.

Ambroſius. 370.

In Pſalm. 37. Plurimum ſuffragatur reo verecunda confeſsio, & pœnam, quam euitare non poſſumus, pudore ſubleuamus.

Exhortatione ad Pœnitentiam agendam: Non ſolùm poſt pœnitentiam ab iſtis peccatis intus homo obſeruare ſe debet, ſed & ante pœnitentiam, dum ſanus eſt: quia neſcit homo, ſi poſsit, pœnitentiam accipere, & confiteri Deo & ſacerdoti peccata ſua.

Libro 2. de Pœnitentia cap. 10. An quiſquam ferat, vt erubeſcas Deum rogare, qui non erubeſcis rogare hominem, & pudeat te Deo ſupplicare, quem non lates, cùm te non pudeat peccata tua homini, quem lateas, confiteri?

Pacianus. 370.

Paræneſi ad Pœnitentiam: Rogo vos fratres, etiam pro periculo meo per illum Dominum, quem occulta non fallunt, definite vulneratam tegere conſcientiam. Prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus, etiam ſecaturos, etiam peruſturos. Meminimus quoſdam remota etiam & verecunda membrorum non erubeſcentes in ferro, & cauterio & grauiſsima illa pulueris mordacitate duraſſe. Et quantum eſt illud, quod homines præſtiterunt? Peccator timebit? peccator erubeſcet perpetuam vitam præſenti pudore mercari? & offerenti manus Domino vulnera malè tecta ſubducet? Et habet aliquid, quod in illo erubeſcat, qui Dominum læſit? An ſic illi melius eſt perire, ne tu pudore timidus, ſine pudore moriaris, non faciens pudori locum, plus de detrimento eius acquiras, cur pro te melius eſt perire? Quòd ſi fratrum oculos erubeſcitis, conſortes caſuum veſtrorum timere nolite. Nullum corpus membrorum ſuorum vexatione lætatur, imò pariter dolet, & ad remedium collaborat: in vno & altero Eccleſia eſt, in Eccleſia verò Chriſtus. Atque ideo qui fratribus peccata ſua non tacet, Eccleſiæ lachrymis adiutus, Chriſti precibus abſoluitur. Nunc ad eos ſermo ſit, qui bene ac ſapienter vulnera ſua pœnitentiæ nomine confitentes, nec quid ſit pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina, nouerunt: ſimileſque ſunt illis, qui plagas quidem aperiunt, ac tumores, mediciſque etiam aſsidentibus confitentur, ſed admoniti, quæ imponenda ſunt, negligunt, & quæ bibenda, faſtidiunt.

Hiero-

Hieronymus. 380.

Ad Ecclesiasticap. 10. Si quem serpens Diabolus occultè momorderit, & nulli conscio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri ac magistro voluerit confiteri, magister, qui linguam habet ad curandum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat.

Ad cap. 16. Matth. Sacerdos, pro officio suo, cùm peccatorum audiuit varietates, scit quis sit ligandus, quis soluendus.

Epist. 54. ad Marcellam de Montanis. Rigidi sunt, non quo & ipsi peiora non peccent: sed hoc inter nos & illos interest, quòd illi erubescunt confiteri peccata, quasi iusti: nos dum pœnitentiam agimus, facilius veniam promeremur.

Ruffinus. 390.

In Psalm. 31. Licet Deus dimittat peccata, ex quo homo in voluntate pœnitet, tamen confitendum est ministris Ecclesiæ quia nisi confiterentur, ex sua malitia damnarentur.

Augustinus. 400.

Libro 2. de visitatione infirmorum cap. 4. Sunt quidam, qui sibi ad salutem sufficere autumant, si soli Deo, cui nihil occultum est, sua confiteantur crimina. Nolunt enim, aut erubescunt, siue dedignantur ostendere se sacerdotibus, quos tamen inter lepram & lepram discernere per legislatorem Dominus constituit. Sed nolo, vt ipsa deciparis opinione, quatenus confundaris confiteri coram Domini vicario, tabescens præ rubore, vel ceruicosus præ indignatione: Nam ipsius humiliter subeundum est iudicium, quem Dominus sibi non dedignatur vicarium. Ergo ad te venire roges sacerdotem, & fac ipsum conscientiarum tuarum penitus participem. Non seducat te somniantium illa superstitio, quæ in visitando confirmat, quia saluat sacerdote inconsulto ad Deum peccatorum confessio. Nos autem non abnegamus, quin sit ad Deum frequenter referenda confessio peccatorum, &c. Sed testamur, & testatur illud sana doctrina, ne tibi applaudentium faueas auribus, quoniam prius eges sacerdotis, qui mediator sit ad Deum tuum, salubri iudicio: alioquin & sub lege &
Luc. 17. sub gratia, *Ite & ostendite vos sacerdotibus*, respon-
Iacob. 5. sum diuinum quomodo consummaretur? *Confitemini alterutrum peccata vestra*, quomodo compleretur? Ergo cicatricum tuarum arbiter Dei vice Dominus adhibeatur presbyter, & reuela ei vias tuas, & ipse tibi exhibebit antidotum reconciliationis.

Cap. 5. Astantem coram te sacerdotem Angelum
Malac. 2. Dei existima. *Labia quidem sacerdotis*, ait Malachias, *custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius. Angelus enim Domini exercituum est.* Et cum quâ & Deum & Angelum eius decet reuerentia Dei ministrum affari, aperi ei penetralium tuorum abditissima latibula conscientiarum verecundarum penitiora reuela repagula. Non te pudeat coram vno dicere, quod te non puduit forsitan coram multis, & cum multis facere. Nam humanum est peccare, Christianum est à peccato desistere, diabolicum est perseuerare. Ergo quæ mentem grauius exacerbant facinora, Dei Angelo manifesta: nihil obscurum dicens, culpam nullis ambagibus inuoluens, nullis circumitionibus quod verum est operiens. Designanda etiam sunt in quibus peccasti loca, si recordaris & tempora, cum quibus peccasti personis, non nomina ipsarum, etiam vt à peccato desistant secretò corrigenda familiaritas, in qua peccasti labilis ætas, quo gradu iam Ecclesiæ inseruiebas, vtrum semel, an ex consuetudine: vtrum necessitate, an ex voluntate cecidisti. His enim omnibus sua instant iudicia, &c. Hæc autem omnia si taceantur, vel dicta callidè pallientur, animam iugulant: si denudentur, cum pęnitentia euanescunt, in nihilum redigenda ordine competenti prosequere, sine circumlocutione edissere peccata pro viribus, imò viriliter extirpare contende. Heu cur erubescis confiteri, quod facere nequaquam erubuisti? Melius est coram vno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die iudicij coram tot millibus hominum graui repulsa denotatum tabescere. Confitere igitur, chare mi, nomine tenus, quæ te remordent flagitia, detege specialiter, quæ scis specialia: quotidiana, de quibus non fuisti mundus, saltem cogitatione, in collecta generali appone, sisque ex indulgentia confide.

Lib. 50. Homiliarum Homil. 12. In omnibus Scripturis diuinis, fratres dilectissimi, vtiliter ac salubriter admonemur, vt peccata nostra debeamus iugiter & humiliter, non solum Deo, sed etiam Sanctis, & Deum timentibus confiteri. Sic enim per Iacobum Apostolum nos admonet Spiritus sanctus,
dicens: *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini, &c.* Iacob. 5.
Quomodo enim nobis peccatorum vulnera nunquam deesse possunt, sic & confessionis medicamenta deesse non debent. Non enim ideo vult Deus, vt confiteamur peccata nostra, quòd ea ipse scire non possit: sed quia diabolus hoc desiderat, vt inueniat, quod nobis ante tribunal iudicis æterni obijciat. Ideo vult, vt magis defendere, quàm accusare peccata velimus. Econtrario autem Deus noster, quia pius est, & misericors, vult vt ea confiteamur in hoc seculo, ne pro illis confundamur postmodum in futuro. Si enim nos confitemur, ille parcit: si nos agnoscimus, ille ignoscit.

Homil. 41. Non solùm post pœnitentiam ab ebrietate, furto, & cæteris vitijs se homo seruare debet, sed & ante pœnitentiam, dum sanus est: quia si ad vltimum vitæ steterit, nescit si ipsam pœnitentiam accipere, ac Deo & sacerdoti peccata sua confiteri poterit. Ecce quare dixi, quia & ante pœnitentiam bene viuendum est, & post pœnitentiam melius.

Homil. 49. cap. 3. Qui post vxores vestras vos illicito concubitu maculastis, si præter vxores vestras cum aliqua concubuistis: agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, vt oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat, occultè ago, apud Deum ago: nouit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: *Quæ solueritis in terra, soluta* Matt. 18
erunt in cælo? Ergo sine causa sunt claues datæ Ecclesiæ Dei? Frustramus Euangelium Dei, frustramus verba Christi? promittimus vobis, quod ille negat?

In Psalm. 66. Tristis esto antequam confitearis: confessus exulta, iam sanaberis. Non confitentis conscientia saniem collegerat, & apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat. Adhibet medicus fomenta verborum, & aliquando secat, adhibet medicinale ferrum, in corruptione tribulationis. Tu agnosce medici manum, confitere, exeat in confessione, & defluat omnis sanies.

Innocentius Primus. 406.

Ad Decentium Eugubinum cap. 7. Cęterùm de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est iudicare, vt attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lachrymas corrigentis, ac tum iubere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem.

Paulinus Presbyter. 420.

In vita S. Ambrosii: Quotiescunque illi aliquis, ob percipiendam pœnitentiam, lapsus suos confessus esset, ita flebat, vt & illum flere compelleret. Videbatur etiam sibi cum iacente iacere. Causas autem criminum, quas illi cõfitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur, bonum relinquens exemplum posteris sacerdotibus, vt intercessores apud Deum sint magis, quàm ac-

cusato-

cusatores apud homines.

Maximus Taurinensis. 430.

In Natali Petri & Pauli Homil. 5. Clauis dicenda est, qua ad fidem peccatorum dura corda reserantur, mentium secreta panduntur, & quicquid intrinsecus clausum tenetur, in palam rationabili manifestatione producitur: clauis inquam, quæ & conscientiam ad confessionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem mysterij salutaris includit.

Leo Primus. 450.

Epist. 80. Ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publicè recitetur: cùm reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicare confessione secreta. Quanuis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem erubescere non veretur: tamen quia non omnium eiusmodi sunt peccata, vt ea, quæ pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, remoueatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remedijs arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum ad pœnitentiam plures poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.

Epist. 91. Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt non solùm per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ: vt qui regenerationis donum violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum peruenirent, sic diuinæ bonitatis præsidijs ordinatis, vt indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri. *Mediator enim Dei & hominum homo Iesus Christus* hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.

Sedulius. 460.

Lib. 3. Paschali, agens de peccatrice muliere, quæ Domini pedes lauit:

Vtere pace mea: magna est medicina fateri
Quod nocet abscondi quoniam sua vulnera nutrit,
Qui tegit, & plagam trepidat nudare medenti.

Prosper Aquitanicus. 460.

De vita contemplatiua lib. 2. cap. 7. Illi, quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab alijs publicata, si ea confiteri aut emendare noluerint, Deum, quem habent testem, ipsum habituri sunt & vltorem. Et quid eis prodest humanum vitare iudicium, cùm, si in malo suo permanserint, ituri sint in æternum Deo retribuente supplicium?

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homil. 7. Si verò peccata peccatis cœperit addere, & animarum vulnera tegendo & defendendo putrescere, quæ confitendo & pœnitentiam agendo curare noluit, timendum est, ne in illo impleatur,
Rom. 2. quòd Apostolus dixit: *An ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*

Homil. 10 Qui se cognoscit de littore continentiæ tempestate libidinis in pelago luxuriæ fuisse iactatum, & castitatis incurrisse naufragium, peccatorum confessionem, velut tabulam fractæ nauis velociter apprehendat, vt per ipsam de abysso ac profundo luxuriæ possit euadere, & ad portum pœnitentiæ peruenire, vbi iam tutiore loco spei anchoram figere, & salutem perditam valeat reparare.

Boëtius. 500.

De Philosophica consolatione lib. 1. Si operam medicantis expectas, oportet vt vulnus tuum detegas.

Benedictus Abbas. 530.

Regula sua cap. 7. Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas, cordi suo aduenientes, vel mala ab se absconsè commissa, per humilem confessionem Abbati non celauerit suo. Hortatur nos de hac re Scriptura dicens: *Reuela Domino viam tuam, & spera in eum.* Psal. 31. Et iterum: *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, &c.* Psal. 31.

Cassiodorus. 540.

Ad Psalm. 6. Est quoddam iudiciale genus, in quo reus conspectibus iudicis præsentatus assistit, peccatum suum lachrymis diluens, & confitendo dissoluens, summum genus defensionis afferens, quo se ipse condemnat: hic non est accusator extraneus, sed ipse accusator est suus: meretur veniam qui se non excusat à culpa. Sola igitur necessaria est, quæ dicitur confessio, cùm reus non id quod factum est defendit, sed vt ignoscatur expostulat.

Gregorius Magnus. 590.

Homil. 26. super Euangelia: Omnis peccator, dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur: sed mortuus venit foras, cùm peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur: *Veni foras:* ac si apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? foras iam per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator. Venientem verò foras soluant discipuli, vt pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amouere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit.

Homil. 40. Lazarus Gentilem populum figuraliter exprimit: qui dum conuertitur ad Deum, peccata confiteri sua non erubuit, huic vulnus in cute fuit. In cutis quippe vulnere virus à visceribus trahitur, & foras erumpit. Quid ergo peccatorum confessio, nisi quædam vulnerum ruptio? Quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestiferè latebat in mente. Vulnera enim cutis in superficiem trahunt humorem putredinis. Et confitendo peccata quid aliud agimus, nisi malum, quod in nobis latebat, aperimus?

Isidorus. 620.

In Synonymis: Confessio sanat, confessio iustificat, confessio peccatis veniam donat, omnis spes in confessione consistit. In confessione misericordia est. Nulla tam grauis est culpa, quæ per Confessionem non habeat veniam.

Eligius. 640.

Homil. 11. *in Cœna Domini ad populum, & ad pœnitentes:* Omnis peccator intra conscientiam abscondit se, introrsus latet, in suis penetralibus occultatur: sed mortuus venit foras, dum peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro igitur dicitur: *Veni foras,* ac si apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? foras iam per confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates. Veniat itaque iam foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator. Venientem verò foras soluant discipuli, vt pastores Ecclesiæ pœnam amoueant, quam meruit: quia non erubuit confiteri, quod fecit.

Ionas Scotus. 640.

Vita S. Eustachij cap. 1. Quoties illi aliquis ob recipiendam pœnitentiam lapsus suos esset confessus, ita flebat, vt & illum flere compelleret. Causas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur, bonum relinquens exemplum posteris sacerdotibus, vt intercessores apud Deum magis sint, quàm accusatores apud homines.

Synodus Cabylonensis Prima. 658.

Cap. 8. Pœnitentibus à sacerdotibus facta confessione indicatur pœnitentia.

Theodorus Cantuariensis. 660.

In Pœnitentiali: Quidam Deo solummodò confiteri debere dicunt peccata: quidam verò & sacerdotibus confitenda esse percensent. Quod vtrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam: ita duntaxat, vt & Deo, qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata nostra, & cum Dauid dicamus: *Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitiam meam non abscondi. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Et secundùm Apostoli institutionem: *Confiteamur alterutrum peccata nostra, & oremus pro inuicem, vt saluemur.* Confessio itaque, quæ Deo fit, purgat peccata: ea verò, quæ sacerdoti fit, docet qualiter purgentur ipsa peccata. Deus namque salutis & sanitatis auctor & largitor plerunque hanc præbet suę potentię medicinam inuisibili administratione, plerunque medicorum operatione.

Annot. *Citantur hæc in Capitulis Caroli Magni addit. 3. cap. 31. ad lib. 7. & apud Burchardum, Iuonem, & Gratianum de Pœnitentia dist. 1. cap. Quidam. Sed corruptè ibi legitur:* Quidam solummodo Deo debere confiteri peccata dicunt, vt Græci. *Illud:* vt Græci, *irrepsit in textum ex margine imperitia alicuius scribæ: qui ex facto Nectarij non intellecto, collegit sublatam omninò Confessionem Sacramentalem apud Græcos. Falsum enim hoc esse probant testimonia multorum Græcorum Patrum, qui post Nectarium vixerunt. Neque in Concilio Florentino cum Græcis vlla fuit disputatio de Confessione Sacramentali.*

Audoënus. 670.

Vitæ S. Eligij lib. 1. cap. 7. Non post longum spacium, cùm iam Eligius virilem ageret ætatem, cupiens se vas exhibere Deo sanctificatum, ac metuens, ne aliqua suum delicta pectus fuscarent, omnia ab adolescentia sua coram sacerdote confessus est acta: sicque sibi austeram imponēs pœnitētiam, cœpit fortiter colluctationi carnis spiritus feruore resistere.

Beda. 700.

Ad cap. 16. Lucæ: Peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestiferè latebat in mente.

Ad cap. 5. Iacobi: *Confitemini alterutrum peccata vestra.)* In hac sententia illa debet esse discretio, vt quotidiana, leuiaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur, eorumque quotidiana credamus oratione saluari. Porrò grauioris lepræ immunditiam iuxta legem sacerdoti pandamus, atque ad eius arbitrium, qualiter & quanto tempore iusserit, purificari curemus.

Carolomannus Rex. 740.

In edicto suo apud Auentinum lib. 3. Cuique tribuno vnus duntaxat sacerdos à sacris, pęnitentia, & confessionibus esto.

Synodus Francica. 742.

Paulò post initium: Seruis Dei in exercitum pergere omninò prohibemus, nisi illis tantummodò, qui propter diuinum ministerium, id est, Missarum solennia adimplenda, & Sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt, hoc est, vnum vel duos Episcopos, cum Capellanis presbyteris Princeps secum habeat. Et vnusquisque Præfectus vnum presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus iudicare, & indicere pœnitentiam possit.

Alcuinus. 750.

De diuinis Officiis cap. 13. in cap. Ieiunij: Volens verò dimittere omnia his, qui in se peccauerunt, confiteatur omnia peccata sua, quæ recordari potest, &c. Quo facto fixis genibus in terram, & super ipsa innixus stans, suppliciter tensis manibus, blando ac flexibili vultu respiciens sacerdotem dicat his verbis: Multa quidem & innumerabilia sunt peccata mea, quæ recordari nequeo in factis, in dictis, in cogitationibus, pro quibus omnibus misera mens mea compungitur, &c.

De vita S. Richarij: Igitur ex prædicatione famulorum Dei, & aspiratione gratiæ diuinæ compunctus, ad lachrymas conuersus, confessionem suorum fecit peccatorum, & in conspectu omnipotentis Dei ardenter veniam petens, lachrymis absoluit, quod ignoranter ab adolescentię illecebris peccauit.

Aribo Frisingensis. 770.

Vitæ S. Corbiniani cap. 19. de Grimoaldo, qui duxit vxorem fratris defuncti: Corbinianus quadraginta diebus ab eorum se subtraxit obtutibus, eosque per suos iugiter admonere non destitit, vt tam execrabile coniugium relinquerent. Tandem Dei omnipotentis consolante clementia, perduxit eos ad separationis suæ promissionem, & venientes ad virum Dei prostrauerunt se ambo, & extensis ad pedes eius brachijs, se grauiter peccasse, se nimium reos esse confessi sunt, & ita pura confessione ad pœnitentiæ confugerunt remedia. Quorum capitibus vir Dei manus imponens, signo æternæ salutis munire eos curauit, ex humo eos erigens, tam grauiter lapsis pœnitentiam designauit.

Carolus Magnus. 780.

Lib. 7. cap. 294. Quærendum est sacerdoti, cùm accipit cuiuslibet fidelis confessionem peccatorum, qualiter primò peccatum perpetratum, aut si postea iteratum, aut frequenter actum sit, si sponte, si coactè, si per ebrietatem, aut per quodlibet ingenium factum sit, & cùm viderit vnde radix illius processit, tunc congruam adhibeat medicinam.

Concilium Turonense Tertium. 813.

Cap. 22. Episcopis & Presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus, sua delicta confitentibus, tempus abstinendi ascribant, vt iuxta modum peccati pęnitentibus abstinentia indicetur.

Concilium Rhemense. 813.

Cap. 12. Ventilata est ratio pœnitentiæ, vt sacerdotes certius intelligerent, quomodo confessiones recipere, & pœnitentiam secundùm canonicam institutionem pœnitentibus deberent indicare.

Concilium Cabilonense Secundum. 813.

Cap. 32. Sed & hoc emendatione egere perspeximus, quòd quidam, dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plenè id faciunt. Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantijs, anima videlicet & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur: solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, vt ex vtrisque plena fit confessio: scilicet vt & ea confiteantur, quæ per corpus gesta sunt, & ea, quibus in sola cogitatione delinquitur. Instruendus est itaque peccatorum suorum confessor, vt de octo principalibus vitijs, sine quibus in hac vita difficile viuitur, confessionem faciat, &c.

Cap. 38. Modus pœnitentię peccata sua confitentibus, aut per antiquorum Canonum institutionem, aut per sanctarum Scripturarum auctoritatem, aut per Ecclesiasticam consuetudinem imponi debet.

Haymo. 820.

In Psalm. 31. Licet Deus dimittat peccata, ex quo homo in voluntate pœnitet, tamen confitendum est ministris Ecclesiæ. Quia nisi confiterentur, ex sua inobedientia damnarentur.

Ad Euangelium Dominicæ 15. post Pentecosten. *Ite, ostendite vos sacerdotibus.)* Horum opinionem destruunt, qui erubescentes peccata sua sacerdotibus confiteri, quoddam occasionis argumentum inuenerunt, dicentes: sibi sufficere, vt soli Deo peccata sua confiteantur, si tamen ab ipsis peccatis in reliquo cessent. Quorum opinio si vera esset, nequaquam Dominus leprosos, quos per semet-

ipsum

ipsum mundauerat, ad sacerdotes mitteret.

Ioannes Turpinus. 820.

Lib. de gestis Caroli Magni cap. 23. Accepit ipse Rolandus eodem die Eucharistiam, & delictorum suorum confessionem fecerat, antequam ad bellum properaret. Erat enim mos, vt omnes pugnatores Eucharistia & Confessione per manus sacerdotum, Episcoporum, & Monachorum, qui ibi aderant, munirentur, antequam pugnam aut bellum inirent.

Concilium Moguntinum sub Rabano Episcopo. 840.

Cap. 26. Ab infirmis in mortis periculo positis per presbyteros pura inquirenda est confessio, non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda.

Hincmarus. 840.

In vita S. Remigij: Nos si à fundo cordium nostrorum venenum iniquitatum nostrarum per puram confessionem, cum contritione & cordis rugitu euomuerimus, euacuantes nos felle peccatorum, quo repleti sumus, & lachrymis nos eluerimus, replebimur abundantia gratiæ Dei.

Rabanus Maurus. 850.

Lib. 7. in Ecclesiasticum cap. 7. Qui transgreditur mensuram in concupiscentijs carnis, & aggrauatur eius delictis, necesse est vt per confessionem peccatorum fœditatem euomat, & sic per ieiunium & castigationem corporis ad statum pristinæ sanitatis redeat.

De institutione Cleri lib. 2. cap. 30. Quorum peccata occulta sunt, & spontanea confessione soli tantummodò presbytero, siue Episcopo fuerint ab ijs reuelata, horum occulta debet esse pœnitentia, secundùm iudicium presbyteri siue Episcopi, cui confessi sunt: ne infirmi in Ecclesia scandalizentur, videntes eorum pœnas, quorum penitus ignorant causas.

Concilium VVormatiense. 856.

Cap. 25. Pœnitentibus secundùm differentiam peccatorum sacerdotis arbitrio pœnitentiæ decernuntur. Debet itaque sacerdos in pœnitentia danda singulorum causas singulatim considerare, originem quoque modumque culparum & affectus gemitusque delinquentium diligenter examinare, manifesteque cognoscere: temporum etiam & personarum, locorum quoque & ætatum qualitates inspicere, vt etiam pro consideratione locorum, ætatum vel temporum, seu pro qualitate delictorum atque gemituum vniuscuiusque delinquentis, à sacris regulis oculos non deflectat.

Remigius Antissiodorensis. 880.

Ad cap. 2. Ioelis: Quid est quod dicit: *Scindite corda, non vestimenta vestra?* ac si diceret alijs verbis, scindite, hoc est, aperite corda vestra per confessionem fidei, vt peccata, quæ intus latent, sacerdoti omnipotentis Dei manifestentur, & pace facta, precibus tuis iunctæ preces eius valeant te mundare à contagione delictorum.

Paschasius Rathertus. 880.

De Corpore & Sanguine Domini cap. 8. Secundùm Apostolum, cùm aliquis infirmatur, prius adhibenda est confessio peccati, deinde oratio plurimorum, post sanctificatio vnctionis.

Concilium Nannatense. 900.

Cap. 4. Cùm sacerdos audierit aliquem infirmari in sua plebe, quanto citius ad eum pergat, eum blandè alloquatur, vt omnem spem in Deo ponat, vt peccata sua confiteatur, vt emendationem promittat, si Dominus vitam concesserit, pœnitentiam pro culpis commissis spondeat.

Radulphus Flaviacensis. 950.

Lib. 3. in Leuit. cap. 1. Per Doctorum absolutionem, nimirum quibus claues commissæ sunt, ad diuinam indulgentiam pertingendum. Doctoribus quippe dictum est: *Quæcunque ligaueritis super terram, ligata erunt in cælis,* &c. Accedendum itaque ad illos, vulnera per confessionem pandenda, flendum coram eis, vt sic commissa nostra & meritis leuent, & potestate relaxent.

Cap. 7. Dignum est, vt qui peccatorum suorum confessionem facit, consummet eam; omnia, quæ ad memoriam reuocare potest, Domino pandens, non alia prodens, alia abscondens.

Smaragdus. 970.

In diademate Monachorum cap. 15. Grauioris lepræ immunditiam iuxta legem sacerdoti pandamus, atque ad eius arbitrium, qualiter & quanto tempore iusserit, purificari curemus. Hinc Dauid ait: *Reuela Domino viam tuam, & spera in eum.* Velum quoddam est densitas peccatorũ. Hanc reuelamus, quando delicta nostra deuotissimè confitemur.

Rotgerus Leodiensis. 980.

Vita S. Remacli cap. 11. Veram peccatorum confessionem faciatis Deo & Prælatis vestris: tentationum impressiones in ipso primo aditu detegatis. Stultorum enim præposterus pudor est, dum celant vlcera, illis maiores subministrant vires.

Fulbertus Carnotensis. 1000.

Vita S. AEchardi cap. 16. Summa vigilantia vnicuique nostrum obseruandum est, vt quia quantum nos mors vicina manet penitus ignoramus, omnes in communi conscientias nostras confessionis & pœnitentiæ antidoto expiemus. Hac venerandi Patris exhortatione peracta, videns omnes ad lamenta sese prosternere, in confessione flebili mentium occulta aperire, vigilijs corpora & arduis ieiunijs macerare, &c.

Petrus Damianus. 1050.

Epist. 1. AEgrotus nihilominus in sua petitione persistens, sacerdote iam cum mysterijs accedente, applicans sibi vnum ex fratribus, nescio quod graue peccatum confitens, insusurrauit in aurem. Continuò ille attonitus, vt postmodum mihi retulit, & certum pœnitendi calculum, quem præfigeret tam subitò nesciens, licet addubitans, auriculatoriè subloquens, quindecim sibi annos pœnitentiæ indixit. Mox autem vt sacrosanctum mysterium de manu sacerdotis accepit, cum felle simul & animam exhalauit, quod videlicet fel vsque ad sepulturam ex ore eius effluere non cessauit, adeò vt donec in feretro corpus iaceret exanime, iugiter sanies illa pauimentum Ecclesiæ largius irrigaret. Hoc autem iuxta fidem rei idcirco refero, vt audiant & pertimescant, qui crimen admissum sub conscientiæ suæ vberibus confouentes confiteri ad obitum præstolantur.

Sermone 2. de S. Andrea Apostolo: Confessio peccatorum purè facienda est: quia non est pars peccatorum dicenda, & altera reticenda: neque leuia confitenda, & grauia diffitenda: nec alter accusandus, & ipse excusandus: sed cum iusto dicendum: *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Psal. 140.

Radulphus Ardens. 1060.

Dominica 6. post Trinitatem: Non solùm mala opera, sed etiam malas voluntates euitare, eas deflete, & in iudicio sacerdotum per confessionem supponite. Quanto melius est hic ad horam erubescere coram sacerdote, quàm erubescere in vniuersali iudicio coram Deo & Angelis & Sanctis eius? Quàm melius est hîc ad horam flere & tristari, quàm in æternum plorare & cruciari?

Anselmus. 1080.

In Enarratione Euangel. secundùm Luc. cap. 17. *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Id est, per humilem oris confessionem sacerdotibus veraciter manifestate omnes interioris lepræ vestræ maculas, vt mundari

dari posimus & quod rogabam, factum est eis dum irent ad sacerdotes, quia scilicet mundati sunt: quoniam peccatores, licet graui criminum lepra sint fœdati, euntes tamen ad confitendum, purgantur in ipsa confessione, propter pœnitentiam, quam acturi sunt. Perueniendum est ad sacerdotes, & ab ijs quærenda solutio, vt qui iam coram Domino sunt mundati, sacerdotum iudicio etiam hominibus ostendantur mundi.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epist. 97. Sunt Canonicæ sententiæ, quæ cum excommunicatis orare, vel cibum sumere, vel ijs aue dicere terribiliter contradicunt: sunt & aliæ, quæ confitentium secreta publicare non permittunt, &c. Ex his & similibus intelligere potest dilectio tua, quia peccantem, peccata sua secretò confitentem, non debemus à nostra communione corporaliter separare, nec contactu cordis eius prauitati communicare. Hoc tenore vtramque sententiam seruabimus, & illam, qua præcipimur excommunicatis non communicare: & illam, qua iubemur confitentium crimina non propalare.

Hugo Victorinus. 1120.

De Sacramentis lib. 2. parte 14. cap. 1. Quid est: *Confitemini alterutrum peccata vestra?* Non tantùm vnusquisque vnicuique, sed alterutrum, hoc est, inter vos, homines hominibus, oues pastoribus, subiecti Prælatis: ij, qui potestatem habent, ijs, qui peccata dimittere potestatem habent.

Cap. 8. Post contritionem cordis confessio quoque oris est necessaria: quia si quis etiam post impetratam veniam peccatorum confiteri ea neglexerit, quasi institutionis diuinæ contemptor, pro contemptu reus erit.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone de Natiuitate Domini: Peccata publicè gesta publica pœnitentia expianda: occulta verò presbyteris, antequam ad corpus Domini accedatur, aperienda.

Bernardus. 1130.

In Meditationibus cap. 9. Sed dicis: Sufficit mihi soli Deo confiteri: quia sacerdos sine eo à peccatis me absoluere non potest. Ad quod non ego,
Iacob. 5. sed B. Iacobus respondet, dicens: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Conueniens namque valde est, vt nos, qui peccando Deo contumaces fuimus, pœnitendo supplices sacerdotibus & ministris eius simus: vt homo, qui ad gratiam conseruandam mediatore non eguit, iam eam recuperare non nisi per mediatorem hominem possit. Gemat ergo, & suspiret, & anxius pro peccato timeat, & expauescat: prosternat se humiliter homini, qui humiliter astare noluit Creatori. Nam & hoc saluberrimum est, vt homo corde pœniteat, & ore delictum suum confiteatur, quatenus Deus, qui prius adest per gratiam, cor ad pœnitentiam compungat: deinde adsit, vt confitenti peccatorum veniam tribuat.

De interiori domo cap. 37. Quòd si fortè pudor est tibi (inquit spiritualis pater ad confitentem) mihi soli peccatori peccata tua exponere, quid facturus es in die iudicij, vbi omnibus exposita tua apparebit conscientia? Nulla est tam grauis culpa, quæ non habeat veniam per puram confessionem. Vitia igitur cordis tui, & prauas cogitationes ilicò manifesta. Peccatum enim proditum citò curatur: crimen verò tacendo ampliatur. Vitium si patet, fit ex magno pusillum: si latet, fit ex minimo magnum. Nam velox confessio velociter medicinam facit.

Sermone 3. de S. Andrea: Videat ordinatus ad dispensationem mysterij huius, de his, qui sub signaculo confessionis accepit, aliquam faciat mentionem, vel alicui loquenti consentiat.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. dist. 17. E. Non sufficit confiteri Deo sinè sacerdote, nec est verè humilis & pœnitens, si non desiderat & requirit sacerdotis iudicium. Sed nunquid æquè valet alicui confiteri socio vel proximo suo, saltem cùm deest sacerdos? Sanè ad hoc potest dici, quòd sacerdotis examen requirendum est studiosè: quia sacerdotibus concessit Deus potestatem ligandi atque soluendi. Et ideo quibus ipsi dimittunt & Deus dimittit. Si tamen defuerit sacerdos, proximo vel socio est facienda confessio. Sed curet quisque sacerdotem quærere, qui sciat ligare & soluere. Talem enim esse oportet, qui aliorum crimina dijudicat.

Dist. 21. E. Post hæc considerandum est, quid prosit confessio illa, vbi singula peccata, quæ quisque fecit, non exprimuntur. Sanè dici potest, quòd omnia criminalia semel saltem oportet in confessione exprimi, nisi aliqua à mente exciderint. Sed quia nemo delicta intelligit omnia, generaliter saltem ea confitere, quorum memoriam habes: & sic nihil cælasti de sceleribus tuis. Venialia verò, quia innumerabilia sunt, sufficit generaliter confiteri, nisi aliqua sint frequenter iterata. Perfectius est tamen illa exprimere, si vales. Ideoqúe quotidie generaliter fit confessio in Ecclesia, pro venialibus scilicet peccatis, quæ quotidiè admittimus, & pro illis mortiferis, quorum notitiam non habemus.

Petrus Blesensis 1160.

Epistola 205. *Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Vir, in cuius cute varius apparuerit color, veniat ad sacerdotem, & ostendat se illi.* Per quod intelligi datur, quòd peccati confessio, designata per lepram, facienda est sacerdoti. Verbum enim Augustini est: Nemo sibi dicat occultè: Confiteor, & ago pœnitentiam apud Deum. Si enim sufficiens esset illa confessio, ergo sine causa claues datæ sunt Petro: frustra etiam dictum est: *Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Omnia sanè in confessione lauantur, &c. Veniat Christus misericors, & clamet: *Lazare veni foras.* Foras venit, qui per confessionem interiora cordis aperit. Si verò pudor prohibet confiteri, recolat quomodo libri conscientiarum aperientur coram omnibus in die iudicij, cùm reuelauerit Dominus abscondita tenebrarum. Non ergo pudeat dicere, quod non puduit facere, sed vtili obseruantia confundatur, vt in splendoribus Sanctorum de humilitatis suæ merito glorietur.

Petrus Cellensis. 1160.

Libro de panibus cap. 7. Manipulos spicarum ad sacerdotes deferimus, cùm plena & euidenti confessione grana simul cum aristis & stipula Prælatis nostris humiliter pandimus. In granis autem etiam bona cogitationum vel operum designantur. Sacerdos autem hunc fasciculum coram Domino eleuat, cùm peccatorum nostrorum grauedinem in confessione expositam efficaciter in memoria, & deprecatione sua retinet, Deum super hoc rogans.

Adam Victorinus. 1170.

De institutione animæ: Tam diu in peccato tuo iaces, quamdiu illud Prælato tuo taces. Si ergo ab hoc peccato tuo absolui desideras, oportet vt illud Prælato tuo per humilem confessionem pandas.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 3. de consecratione Pontificis: Grauius peccat sacerdos, qui peccatum reuelat, quàm homo, qui committit.

Sermone 2. de Martyribus: Debet peccator omnino peccati circunstantias confiteri, secundùm quod maius peccauit, in loco, in tempore, in numero, in persona, secundùm ætatem, secundùm scientiam,

secun-

secundùm ordinem, si facilè, si frequenter, si manifestè, si perseueranter. Hæc omnia crimen exaggerant, & ideo debet singula confiteri, ne delictum alleuiet, vel peccatum excuset. Pudor enim confessionis non modica pars est satisfactionis.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap. 21. Omnes vtriusque sexus omnia peccata sua confiteantur fideliter semel tantùm in anno proprio sacerdoti vel alieno, prius tamen à proprio sacerdote impetrata venia.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In capite Ieiunij ex Ioele Propheta: In nouo Testamento expressè præcipitur confessio. Vnde Dominus in Euangelio leprosis ait: *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Et Lazarum de monumento suscitatum obtulit Dominus discipulis soluendum: per hoc ostendens, soluendi potestatem discipulis esse concessam. Quomodo enim sanabitur beneficio Ecclesiæ, qui morbum suum non vult aperire? Quomodo enim ius ligandi atque soluendi ad solos sacerdotes pertinet, si quisque arbitrio suo se soluere & ligare potest, & non vult se suo sacerdoti ostendere? Frustrat enim claues Ecclesiæ, qui sine arbitrio sacerdotis vult pœnitentiam agere, &c. Sit integra confessio, vt omnia peccata, quæ recolit, cum omnibus circumstantijs aggrauantibus peccatum, vni sigillatim, & decenter, cum omni cautela & humilitate confiteatur. Non enim vnum peccatum sine altero dimittitur.

Cæsarius Heisterbachius. 1220.

Lib. 3. *cap.* 1. Confessio Sacramentum esse dicitur, veteris Testamenti figuris manifestis in illo declarata, verbis mandata, & exemplis confirmata. Leprosus ad arbitrium sacerdotis mundus vel immundus iudicatur. Vnde Saluator cuidam à se sanato dixit: *Vade, ostende te sacerdoti.* In quatuor verbis huius clausulæ quatuor videntur mihi esse consideranda, quæ maximè in confessione sunt obseruanda, videlicet, vt sit festina, vt sit nuda, vt sit integra, vt sit debita, id est, vt fiat proprio Pastori. Ac si dicat Dominus: *Vade,* vt confessio tua sit cita, vel festina: *ostende,* vt sit nuda: *te,* vt sit integra: *sacerdoti,* vt sit debita.

Leu. 13.

Matt. 8.

Gulielmus Aluernus Parisiensis. 1230.

Tract. nouo de Pœnitentia cap. 4. Cura medicinalis sacerdotibus iniuncta est, & omnes eis peccatores, velut ægri medicinis curandi traditi & commissi: quare incumbit eis morbos omnes, & vulnera peccatorum, & totam conscientiam hominum ægrotantium cognoscere. Necesse igitur habent ægrotantes huiusmodi morbos suos, & vulnera sua, & totam conscientiam sacerdotibus detegere.

Alexander Alesius. 1240.

Parte 4. *quæst.* 18. *memb.* 4. *art.* 2. § 2. Omne peccatum mortale est confitendum, siue sit occultum, siue manifestum. Apertum est confitendum duplici de causa: vna est ex parte audientis, scilicet vt audiat siue cognoscat peccatum, non vt homo, sed vt Dei vicarius, scilicet per testimonium conscientiæ accusantis, quę est testis diuinus: quousque enim sic nouerit, non est eius soluere aut ligare: & ideo oportet confiteri peccatum, quantumcunque fuerit publicum. Alia est ex parte confitentis, vt iustificetur: Quantumcunque enim aliquis ab alio accusetur, non propter hoc iustus iudicatur, sed magis iniustus. Quando autem homo seipsum, qui est dignus accusatione, accusat, tunc exercet opus iustitiæ. Et ideo Prou. 18. *Iustus in principio accusator est sui.* Similiter & peccatum occultum confitendum est duplici de causa: Vna ex parte audientis, scilicet obligatio ad pœnam, & absolutio à culpa. Quia enim pro peccato mortali meretur quis pœnam æternam, pro qua immutanda iniungenda est satisfactio temporalis arbitrio sacerdotis, necesse est, quòd fiat isti confessio peccati occulti. Ex parte confitentis est causa, vt quod non erubuit in occulto, in conspectu diuinæ maiestatis, erubescat in conspectu sacerdotis. Homo enim carnalis plus erubescit oculos hominis, quàm Dei.

Antonius Paduanus. 1230.

Dominica 14. *post Trinitatis:* Ibi est vera confessio, vbi fit percussio, id est, peccatorum repræhensio, quæ annuntiat omne, quod intus latet. Bene igitur dicit: *Ostendite vos:* per vos, non per alios. Peccasti enim per te, ideo per te debes te ostendere. Sequitur: *Sacerdotibus:* A quibus pœnitentia iniungitur: ideo per ipsos satisfactio figuratur. Per hoc verbum apertè habes, quòd peccatores sacerdotibus se debent ostendere, quibus auctoritas ligandi & soluendi est tradita.

Thomas Aquinas 1250.

Tractatu de articulis Fidei cap. 14. Secunda pœnitentiæ pars est oris confessio, ad quam pertinet vt peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter, non diuidens ea diuersis sacerdotibus.

Bonauentura. 1260.

Tertia parte Centiloquij cap. 51. Oris confessio debito modo facta debet habere sedecim conditiones his versibus comprehensas:

Sit simplex, humilis, confessio pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Matthæus Parisius. 1270.

In Chronico de anno 1237 Nestoriani confessiones peccatorum suorum non sacerdotibus, sed soli Deo latenter faciunt, ponentes thus iuxta se in igne, tamquam cum fumo peccata sua ascendant coram Domino. Errant miseri, non intelligentes Scripturas, & pereunt ex defectu doctrinæ, vulnera sua medicis spiritualibus abscondentes, quorum est intra lepram & lepram discernere, & peccatorum circumstantias pensando pœnitentias iniungere, & secundùm claues sibi traditas ligare & soluere, & pro confitentibus sibi specialiter orare.

Dauid de Augusta Minorita. 1270.

In Formula Nouitiorum cap. 11. Sæpe confitere: ad minus ter in septimana, & simpliciter sicut Angelo, qui secreta cordis tui nouit: non obducas velamina excusationis, vel alleuiationis, nec implicitè, quòd confessor non intelligat quid notes: specifica ei quid feceris.

Ioannes Scotus. 1300.

In lib. 4. *Sentent. dist.* 16. *q.* 2. Fit confessio sacerdoti, vt homo erubescat, & peccata sua recognoscat, & de eorum remissione Deo ingratus non existat.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap 5 Iacobi: *Confitemini alterutrum.* Ex quo patet, quòd confessio debet fieri non solùm Deo, sed etiam hominibus. Vnde & in Lege veteri sacrificia, quæ offerebantur Deo pro peccatis, offerebantur per manum sacerdotis.

Augustinus Triumphus Anconitanus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæst. 65. *art.* 3 Confessio pœnitentialis vel sacramentalis completè facta semel, habet suum effectum primarium & secundarium.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi part. 1. *cap.* 20. Secunda pars Pœnitentiæ est Confessio oris. Est autem confessio, per quam morbus latens spe veniæ aperitur. Et est Confessio duplex. Quædam mentalis, quæ fit coram Deo, & hæc est de iure naturali: quædam vocalis,

calis, quæ fit homini, & hæc non est de iure naturali. Igitur ante incarnationem Christi sufficiebat mentalis Confessio, facta soli Deo: quia Deus nondum erat homo: sed postquam Deus homo factus est, requirit ab homine, quòd confessio sibi tamquam homini fiat. Et quia ipse in forma humana nobiscum vbique præsens esse non potest, vicarios suos constituit homines, quorum primus fuit Petrus, cæteri Apostoli, ac consequenter sacerdotes, quibus ipse dixit: *Quæcumque alligaueritis, &c.* Per hoc enim, quòd ministris Sacramentorum dedit potestatem ligandi atque soluendi, insinuauit confessionem ijs tamquam iudicibus debere fieri. Sic igitur Christus instituit confessionem tacitè, sed Apostoli promulgârunt eam expresè.

Guido Carmelita. 1330.

De hæresibus Iacobitarum cap. 2. Secundus error Iacobitarum est, quia ad purgandum sua peccata dicunt, non esse confitendum sacerdotibus, sed soli Deo. Hic error est contra veritatem Sacramenti pœnitentiæ, quod secundùm determinationem Christi, quam sancta Romana Ecclesia sequitur, & tenet, confessio peccatorum est facienda, non solùm Deo, sed etiam sacerdoti.

Ioannes Taulerus. 1350.

In diebus Rogationum. Confessio ab Ecclesia sancta propter mortalia peccata, & de quibus dubium est, vtrum mortalia sint nec ne, instituta est. Non autem propter venialia, quæ breuiter & simpliciter sunt explicanda.

Thomas Argentinensis. 1360.

Lib. 4. dist. 17. quæst. 2. artic. 1. Vulnus non sanatur, nisi medico manifestetur. Sed sine confessione non ostenditur vulnus spirituale sacerdoti, quem Deus constituit medicum huius vulneris. Et hanc rationem videtur innuere Boëtius, libro de consolatione dicens: Si opem medicantis expectas, necesse est vt vulnus detegas. Præterea ordo secularis iudicij requirit alteram esse personam rei, & alteram iudicis. Ergo hoc idem requirit ordo iudicij spiritualis, & per consequens in foro conscientiæ vnus homo debet alium iudicare, quod ordinatè fieri non potest sine eius, qui est iudicandus, confessione.

Catharina Senensis. 1370.

Tractatu 2. cap. 75. Qui potest habere confessorem, omninò volo & præcipio vt actualiter ipsi ministro confiteatur. Si quis autem habere poterit, & acceptare noluerit, omninò priuatus erit fructu salutiferi sanguinis: tamen etiamsi in extremis tandem confiteri cordialiter & in veritate voluerit, & non potuerit, etiam ad gratiam acceptabitur.

Thomas VValdensis. 1414.

Tomo 2. cap. 138. In verbis Christi: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* potestatem absoluendi peccatores accipimus sacerdotes. Et magnam auctori, & datori istius potestatis reuerentiam facimus, quoties exequendo concessam, absoluimus delinquentes. Sed quomodo in latibulum peccatorum intramus, nisi per clauem scientiæ præstemus auditum, & peccator circunstantia labiorum accommodet aditum? Aut nonne humanæ leges necessitate quadam decernunt, vt cuicunque potestas aliqua iurisdictione committitur, omnia videantur illi commitți, sine quibus expleri non potest? Committit Dominus sacerdotibus suis potestatem vicariam, quorumcunque remittendi peccata: si tamen se humilient: si (vt necesse est) exponant crimen, si se reformare permittant. Ista ergo necesse habet adimplere peccator, si noluerit potestatem irritare Christi, sine quibus commissa potestas impleri non potest.

Laurentius Iustinianus. 1430.

Libro de Obedientia cap. 15. Oris pia confessio est perficienda, sic vt edocta per Spiritum sanctum sancta mandat Ecclesia, quam procul dubio quanto quis exercuerit frequentius, tanto erit Deo propinquior, sui interioris hominis perscrutator clarior &c. Huius Sacramenti minister est homo: sed indulgentiæ largitor est Deus. Corporis auditum præbet sacerdos, Dominus autem scrutator est mentium: iuxta doloris mensuram præstatur & donum. Illum planè soluit sacerdos, quem præuenit gratia, confessio manifestat. Fœtebat in monumento Lazarus quatriduanus, vocatus à Domino surrexit, exi foras, & ab Apostolis solutus liber est abire permissus. His paucis verbis erudimur, quid in hoc Sacramento minister, quid confessio, quidve in spiritu summus operetur sacerdos. Ipsi quippe Domino Iesu in sacerdotis persona peccatorum sunt vulnera aperienda, & palam dicenda, non sub velamine, neque sub ficta palliatione verborum.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tomo 1. Serm. 15. de vera confessione fol. 99. Necessaria est confessori auctoritas, qua possit absoluere pœnitentes. Cùm sacerdos non soluat nisi ligando ad aliquid faciendum, ille solus absoluere potest, qui per imperium potest ad aliquid faciendum ligare. Ideo oportet quòd homo confiteatur proprio sacerdoti, nisi in quibusdam casibus. Alienus autem non potest soluere vel ligare. Proprius verò sacerdos, quo ad hoc, intelligitur omnis ille, qui illius ordinariam curam habet, sicut Papa, Legatus, Episcopus, Parochialis. Sed nec Parochialis ab omnibus absoluere potest, quia excipiuntur Episcopales casus. Talis autem sacerdos proprius absoluere potest subditum suum vbique, siue intra territorium Parochiæ, siue extra, cùm pœnitentia de iurisdictione voluntaria sit.

Concilium Florentinum. 1439.

In doctrina de Sacramentis: Ad oris confessionem pertinet, vt peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Minister huius Sacramenti est sacerdos, habens auctoritatem absoluendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris.

Hieronymus Sauonarola. 1480.

Lib. 3. de veritate fidei cap. 16. Cùm ignorata culpa rectum proferri iudicium non possit, necessaria confessio fuit tanquam pars Sacramenti pœnitentiæ secunda, vt quod latebat vulnus, iam patefactum coram Christi ministro oportunam reciperet curationem. Nemo siquidem in propria causa æquus est arbiter.

Erasmus Roterodamus. 1530.

Epist. ad Ludouicum Berum: Nullum Ecclesiæ Sacramentum non semper veneratus sum. De Confessione Sacramentali nunquam dubitaui, quin eam religiosè velut Christi Spiritu traditam putarim obseruandam: nec vnquam ausus sum aut auderem ad Christi mensam accedere, nisi sacerdoti confessus quæ grauant conscientiam.

Concilium Tridentinum. 1560.

Sessione 14. Can. 6. Si quis negauerit Confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse iure diuino: aut dixerit, modum secretè confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper obseruauit, & obseruat, alienum esse ab institutione & mandato Christi, & inuentum esse humanum, anathema sit.

Can. 7 Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure diuino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria habeatur, anathema sit.

PROBANT IVDÆI VETERES.

In Bereschit catanna, id est, in expositione minori: Genesi 49. *Iuda confitebuntur, vel laudabunt te fratres tui.* Ista confesio est, de qua dictum est à Spiritu sancto per manus Iob cap. 15. *Qui sapientes confitentur vel indicant, & non abscondunt à patribus suis peccata*, scilicet sua. De quibus dictum est hoc? De iustis, qui viuunt ac subiugant fomitem, seu sensualitatem suam, & confitentur actus suos patribus suis. Omnis enim qui confitetur actus suos, dignus est futuro seculo, sicut dictum est Psalm. 50. *Qui sacrificat confessionem, honorabit me; & qui ponit viam, ostendam illi in salutatione Dei.* Et ita tu inuenis in Iuda. In hora enim, in qua peruenit ad eum factum Thamar, confessus est, quemadmodum dictum est Genes. 38. *Recognosce quæso Creatorem tuum, & non erubescas de carne & sanguine*, id est, de homine. Mox igitur vicit sensualitatem, & confessus est. Omnem autem, qui non confitetur opera sua, Deus sanctus & benedictus maledicit. Sic enim inuenimus in Cain, qui negauit, & dixit Genes. 4. *Nunquid custos fratris mei ego sum?* &c. Vnde Salomon in Prouerb. cap. 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confitetur, & relinquit ea, misericordiam consequetur.*

In libro Sanhedrin Hierosolymitano, capite, quod incipit: Nigmar Haddin, id est, *definitum est iudicium:* Omnis confitens habet partem in seculo futuro. Sic enim in Achan reperimus, quod dixit ei Iosue: *Filimi, da obsecro honorem Domino Deo Israel, & da confessionem, & indica quæso quid feceris, nec celes à me. Et respondit Achan ad Iosuam, & ait: Verè ego peccaui Domino Deo Israel*, & ita hoc, sicut hoc feci. Et vnde habetur, quod remissum ei fuerit peccatum? ex quo dictum est ibidem, Iosue scilicet 7. Et ait Iosua: *Sicut turbasti nos, turbat te Dominus in die isto.* In die enim isto, inquit, tu turbatus es: sed non eris turbatus in futuro. Hæc omnia traditio.

In libro Ioma, id est, dierum capite Iom hacchippurim, dies propitiationum: Dixit R. Hurma: Omnis, qui transgressione transgressus est, necesse est vt singulatim exprimat peccatum, sicut dictum est Exodi 32. *Et fecerunt sibi Deos ex auro*, &c.

ARTICVLVS QVARTVS.

CVLPA DIMISSA, TEMPORALEM POENAM RESTARE EXOLVENDAM: PRO EA SATISFIERI ORATIONIBVS, ELEEMOSYNIS, IEIVNIIS, SVIIPSIVS AFFLICTIONIBVS, &c.

NEGANT.

Anno post natū Christum

250. NOVATIANI *exigebant quidem à lapsis satisfactionis opera, non tamen tantum ijs tribuebant, vt ijs præstitis pœnitentes absoluerent, & in Ecclesiam reciperent.* Cyprianus epistola 52. & cæteri, qui de Nouatianis scribunt.

370. *Audeani nullam iniungebant pœnitentibus mulctam.* Theodoretus hæreticarum fabularum lib. 4.

380. *Messaliani eos, qui ad se grauissimis criminibus inquinati confugiunt, nullo extante fructu pœnitentiæ, sine sacerdotis auctoritate, nulla habita ratione graduum, qui Canonibus Ecclesiasticis excipiuntur, primo quoque die se expiatur os profitentur, dummodo in illam eorum sermone omnium celebratam orationem apud eos exercitati sine dolo, ac simpliciter sacris qua probant instituantur.* Damascenus de hæresibus.

1180. *Noui Manichæi dicunt suam sectam suscipientibus, esse absolutos ab omnibus peccatis suis, sine alia quacunque satisfactione, & absque restitutione, si haberent aliquid de alieno, dummodo seruent sectam & ordinem illum.* Nicolaus Eymericus parte 2. q. 13.

1400. *Piggardi pœnitentiam à sacerdotibus iniunctam pro peccatis, fucum & tectorium hypocritarum esse dicunt.* Ioannes Schechta epist. ad Erasmum.

1520. Martinus Lutherus in Assertionibus art. 5. *Satisfactionem negani qualem ipsi docent, quod mihi non erit difficile probare. Ostendant, si possunt, vbi in tota Scriptura vnus apex, aut iota scribatur pro peccato mortali vno debere satisfieri septem annis? Dicant, vbi pro differentibus peccatis differentes pœnas statuant Christus & Apostoli? Nonne hæc postea sunt inuenta ab Episcopis? Imò dent vnum ex antiquis Patribus, in quo legantur quadragenæ, septenæ, & similia. Vehementer odi ac sublatum vellem hoc vocabulum Satisfactio, quod non modò in Scripturis inuenitur, sed & periculosum habet sensum, quasi Deo quisquam possit pro vllo peccato satisfacere, cùm gratis ille ignoscat omnia.*

Sermone de Pœnitentia: *Post peccata etiam grauissima satisfactio nulla facienda est à nobis, ne satisfactioni Christi derogemus.*

1530. Philippus Melanchthon disputatione de Pœnitentiæ partibus: *Satisfactiones repudiamus, qui multis modis obscurant Euangelion.*

In prima editione Locorum Communium cap. de Pœnitentia: *Satisfactio nulla est præter Christi mortem: quæ verò pœnitentibus satisfactiones imponuntur, hominum inuenta sunt.*

1550. In postrema editione Locorum Communium: *Cruciatus vltro accersiti pertinent ad regulam:* Frustra me colunt mandatis hominum.

Ioannes Caluinus lib. 3. Instit. cap. 4. §. 25. *Tertium locum Satisfactionis in Pœnitentia assignant, de qua quicquid blaterant, vno verbo subuerti potest. Dicunt non sufficere pœnitenti à peccatis præteritis abstinere, nisi de eis, quæ facta sunt, satisfiat Deo: esse autem multa adminicula, quibus peccata redimat, lachrymas, ieiunia, charitatis officia, &c. Talibus mendacijs oppono gratuitam peccatorum remissionem, qua nihil in Scripturis clarius prædicatur.*

§. 30. docens pœnas peccatorum nullis operibus redimi posse: *Qui fit*, inquit, (loquitur de Lege veteris Testamenti) *vt nullis prorsus operibus admissa delicta procurare iubeat, sed sola in expiationem sacrificia requirat, nisi quòd ita testari vult, vnicum esse satisfactionis genus, quo iudicium suum placatur? Nam quæ tunc immolabant sacrificia Israelitæ, non hominum opera censebantur, sed à sua veritate, hoc est, vnico Christi sacrificio æstimabantur.*

§. 31. & 32. docet Deum à iustis nullas expetere pœnas in vindictam peccati præteriti.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 3. *Vers.* 16. Mulieri quoque dixit *Deus*: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Adæ verò dixit: Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

Numer. 12. 1. Locutaque est Maria & Aaron contra Moysen propter vxorem eius AEthiopissam, & dixerunt, Num per solum Moysen locutus est Dominus? nonne & nobis similiter est locutus? Quod cùm audisset Dominus, iratus est. 4. Statim locutus est Dominus ad eum (*Moysen*,) & ad Aaron & Mariam: Egredimini vos tantùm tres ad tabernaculum fœderis. Cumque fuissent egressi, descendit Dominus in columna nubis, & stetit in introitu tabernaculi, *&c.* 9. Iratusque contra eos, abijt. Nubes quoque recessit, quæ erat super tabernaculum, & ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix. Cumque respexisset eam Aaron, & vidisset perfusam lepra, ait ad Moysen: Obsecro domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stultè commisimus, ne fiat hæc quasi mortua, & vt abortiuum, quod proijcitur de vulua matris suæ, ecce iam medium carnis eius deuoratum est à lepra. Clamauitque Moses ad Dominum, dicens: Deus, obsecro, sana eam. Cui respondit Dominus: Si pater eius spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? Separetur septem diebus extra castra, & postea reuocabitur. Exclusa est itaque Maria extra castra septem diebus: & populus non est motus de loco illo, donec reuocata est Maria.

Numer. 14. 1. Igitur vociferans omnis turba fleuit nocte illa, & murmurati sunt contra Moysen & Aaron cuncti filij Israel, dicentes: Vtinam mortui essemus in AEgypto, & non in hac vasta solitudine! 10. Cumque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis, cunctis videntibus filijs Israel. Et dixit Dominus ad Moysen: Vsquequò detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam: te autem faciam principem super gentem magnam, & fortiorem quàm hæc est. Et ait Moyses ad Dominum: 19. Dimitte obsecro peccatum populi tui huius secundùm magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de AEgypto, vsque ad locum istum. Dixitque Dominus: Dimisi iuxta verbum tuum: Viuo ego, & implebitur gloria Domini vniuersa terra. Attamen omnes homines, qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in AEgypto, & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam, *&c.* 29. In solitudine hac iacebunt cadauera vestra. Omnes, qui murmurati estis à viginti annis, & supra, & murmurastis contra me, non intrabitis terram, *&c.* 32. Vestra cadauera iacebunt in solitudine. Filij vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadauera patrum in deserto, iuxta numerum

quadra-

quadraginta dierum, quibus consideraſtis terram: annus pro die imputabitur. Et quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras, & ſcietis vltionem meam. 39. Locutuſque eſt Moyſes vniuerſa verba hæc ad omnes filios Iſraël, & luxit populus nimis.

Thargum, hoc eſt, Paraphraſis Vnkelos Chaldaica in ſacra Biblia ex Chaldæo in Latinum verſa à Paulo Fagio Argentorati 1546. Num. 14. Filij quoque veſtri morabuntur in deſerto quadraginta annis, & luent pœnas peccatorum veſtrorum, donec conſumantur cadauera veſtra in deſerto. Iuxta numerum dierum, quibus explorauiſtis terram, quadraginta ſcilicet diebus, die pro anno computato, ſuſtinebitis pœnam peccatorum veſtrorum: quadraginta annis cognoſcetis, quia murmuraſtis contra me.

Numer. 20. 2. Cumque indigeret aqua populus, conuenerunt aduerſum Moyſen & Aaron, & verſi in ſeditionem, dixerunt: Vtinam periiſſemus inter fratres noſtros coram Domino. 6. Ingreſſuſque Moyſes & Aaron dimiſſa multitudine in tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaueruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus audi clamorem huius populi, *&c.* 12. Dixitque Dominus ad Moyſen & Aaron: Quia non crediditis mihi, vt ſanctificaretis me coram filijs Iſrael, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis, *&c.* 22. Cumque caſtra mouiſſent de Cades, venerunt in montem Hor, qui eſt in finibus terræ Edom: vbi locutus eſt Dominus ad Moyſen: Pergat, inquit, Aaron ad populos ſuos: non enim intrabit terram, quam dedi filijs Iſrael, eò quòd incredulus fuerit ori meo ad Aquas contradictionis.

Deut. 32. 48. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen in eadem die, dicens: Aſcende in montem iſtum Abarim, id eſt, tranſituum, in montem Nebo, qui eſt in terra Moab contra Iericho: & vide Terram Chanaan, quam ego tradam filijs Iſrael obtinendam, & morere in monte. Quem conſcendens iungeris populis tuis, ſicut mortuus eſt Aaron frater tuus in monte Hor, & appoſitus populis ſuis: quia præuaricati eſtis contra me in medio filiorum Iſrael ad Aquas contradictionis, *&c.*

2. *Regum* 12. 11. Hæc dicit Dominus: Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis Solis huius. Tu enim feciſti abſcondite: ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſrael, & in conſpectu Solis. 13. Et dixit Dauid ad Nathan: Peccaui Domino. Dixitque Nathan ad Dauid: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum: non morieris. Veruntamen, quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc: filius, qui natus eſt tibi, morte morietur, *&c.*

2. *Regum* 24. 10. Percuſſit autem cor Dauid eum, poſtquam numeratus eſt populus, & dixit Dauid ad Dominum: Peccaui valde in hoc facto, ſed precor Domine, vt transferas iniquitatem ſerui tui, quia ſtultè egi nimis. Surrexit itaque Dauid manè, & ſermo Domini factus eſt ad Gad Prophetam, & videntem Dauid, dicens: Vade, & loquere ad Dauid: Hæc dicit Dominus, Trium tibi datur optio: elige vnum quod volueris ex his, vt faciam tibi. Cumque veniſſet Gad ad Dauid, nuntiauit ei, dicens: Aut ſeptem annis veniet tibi fames in terra tua: aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, & illi te perſequentur: aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, & vide quem reſpondeam ei, qui me miſit, ſermonem. Dixit autem Dauid ad Gad: Coarctor nimis: ſed melius eſt vt incidam in manus Domini (multæ enim miſericordiæ eius ſunt) quàm in manibus hominum. Immiſitque Dominus peſtilentiam in Iſrael, de manè vſque ad tempus conſtitutum, & mortui ſunt ex populo à Dan vſque ad Berſabee ſeptuaginta millia virorum.

3. *Regum* 21. 27. Cùm audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque, & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite. Et factus eſt ſermo Domini ad Eliam Theſbiten, dicens: Nónne vidiſti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eis, ſed in diebus filij ſui inferam malum domui eius.

2. *Paralip.* 7. 13. Dominus ait: Si clauſero cælum, & pluuia non fluxerit, & mandauero & præcepero locuſtæ, vt deuoret terram, & miſero peſtilentiam in populum meum: conuerſus autem populus meus, ſuper quos inuocatum eſt nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquiſierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à vijs ſuis peſſimis: & ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum.

Tobiæ 4. 11. Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat.

Pſalm. 88. 31. Si iuſtitias meas prophanauerint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eo.

Pſalm. 98. 6. Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui in-

uocant nomen eius. Inuocabant Dominum, & ipſe exaudiebat eos. 8. Domine Deus noſter tu exaudiebas eos: Deus tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum.

Prouerb. 16. 6. Miſericordia & veritate redimitur iniquitas.

Ieremiæ 18. 7. Repentè loquar aduerſum gentem, & aduerſus regnum, vt eradicem & deſtruam & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam: agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei.

Ezechiel. 18. 21. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam: vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor: in iuſtitia ſua, quam operatus eſt, viuet.

Daniel 4. 24. Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum: forſitan ignoſcet (*Deus*) delictis tuis

Ionæ 3. 5. Crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis, à maiore vſque ad minorem, *&c.* 10 Et vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt à via ſua mala: & miſertus eſt Deus ſuper malitia, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.

Michæ 7. 9. Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei: donec cauſam meam iudicet, & faciat iudicium meum.

Matth. 3. 8. Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.

Lucæ 7. 37. Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd Ieſus accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum vnguenti, & ſtans retro ſecus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. 47. Propter quod dico tibi (*inquit Chriſtus*) Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.

Lucæ 11. 41. Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.

1. *Corinth.* 9. 27. Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cùm alijs prędicauerim, ipſe reprobus efficiar.

1. *Corinth.* 11. 31. Quòd ſi noſmetipſos dijudicaremus, non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.

2. *Corinth.* 2. 6. *agens Paulus de excommunicato, poſt ſufficientem pœnitentiam recipiendo,* ἱκανὸν τῷ τοιούτῳ ἡ ἐπιτιμία αὕτη. Sufficit illi, qui eiuſmodi eſt, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 2. cap. 16. Cùm verò deliquiſſe videris, iube eijci foras, acerbè ferens, de quo eiecto doleant item Diaconi, qui eum obſeruent, & extra Eccleſiam contineant, ijdemque in Eccleſiam poſtea ingreſſi, pro eo te rogent. Poſtea iubebis ingredi, & facta examinatione, an pœniteat, ſitque dignus, qui in Eccleſiam ex toto admittatur: caſtiga illum ieiunijs duarum, aut trium, aut quinque, aut ſeptem hebdomadarum, vt delicti genus, & ratio popoſcerit.

Cap. 48. Ne de omni peccato idem iudicium pronuntietis, ſed de vnoquoque ſuum, ſingulis delictis, tum paruis, tum magnis multa prudentia iudicatis. Aliter, inquam, facto ſermone, item aliter propoſito, alio modo conuitio, alio ſuſpitione: atque etiam alios quidem ſolis minis, & terroribus ſubijcies, alios mulctationi largiendi pauperibus: rurſus alios ieiunijs comprimes: item alios ex Eccleſia eijcies, pro magnitudine & grauitate criminis. Siquidem lex non omne delictum eodem ſupplicio puniebat. Quinimò alio atque alio commiſſa in Deum, in ſacerdotem, in templum, in hoſtiam: aliter in regem, in ducem, in militem, in ſubditum, in æqualem, aut in famulum, aut in poſſeſſionem: aliter peccata ex conſulto, aliter non voluntaria: atque alios quidem morte puniebat, vel cruci affigendo, vel lapidando, alios verò mulcta pecuniæ, vel verberibus, vel talione. Ergo vos quoque diuerſa delicta diuerſis pęnis plectite, ne qua iniuria accidat, quæ iram Dei prouocet.

Iuſtinus Martyr. 160.

Dialogo cum Tryphone: Hic verò, qui peccatorum pœnitentiam egerit, accipiet à Deo remiſsionem peccatorum, non tamen ita, ſicut vos ſeducitis voſmetipſos, & alij itidem veſtri hac in re perſimiles, qui dicunt, etiamſi peccatores ſint, non imputaturum eſſe Dominum illis peccatum, vt modò Deum agnoſcant. Huius rei teſtimonium vnum habemus Dauidis, qui ei propter gloriationem ſuam accidit, lapſum. Cuius peccatum tum demum remiſſum eſt, cùm ita plorauit, & lamentatus eſt, ſicut de eo ſcriptum eſt. Verùm enimuerò ſi viro tanto non eſt prius noxa dimiſſa, quàm pœnitentiam egit, & tum demum, cùm tantoperè fleuit, & res tantas fecit, magnus iſte rex, & vnctus, & Propheta, quam tandem impuri iſti & nullius mentis complorati que adeò homines, niſi lamentati fuerint, planxerint, & pœnitentiam egerint, ſpem habere poſſunt, non imputatum illis iri Dominum peccatum?

Irenæus. 180.

Lib. 1. *cap.* 9. Nam cùm eſſet vxor eius ſpecioſa, & ſententia & corpore corrupta eſſet à Mago iſto, & ſecuta eum eſſet tempore multo, poſt deinde

cum

cùm magno labore fratres eam conuertissent, omne tempus in exomologesi consummauit, plangens & lamentans ob hanc, quam passa esset ab hoc Mago corruptelam.

Lib. 4. cap. 26. Docebat vt facerent præcepta, quæ ab initio præcepit Deus, & vt veterem cupiditatem per opera bona soluerent, & sequerentur Christum. Quoniam autem ea, quæ possidentur, pauperibus diuisa solutionem faciunt præteritæ cupiditatis, Zachæus facit manifestum: *Ecce dicens dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si cuius quid defraudaui, reddo quadruplum.* Luc. 19.

Clemens Alexandrinus. 200.

Libro 6. Stromaton cap. 6. Cùm ergo per multam disciplinam vitia exuerit, qui nobis est fidelis, transit ad maximum supplicium, quod est melius priori mansione, inferens proprietatem pœnitentiæ eorum peccatorum, quæ admisit post baptismum. Cruciatur ergo adhuc amplius, cùm vel nondum, vel ne omnino quidem ea assequatur, quorum videt alios esse participes. Præterea autem pudore afficitur ob ea, quæ deliquit, quæ quidem sunt fideli maxima supplicia. Quòd si fortè cessauerint cruciatus in implendis, quas luunt, pœnis, & expiandis, quæ admissa sunt ab vnoquoque, delictis, habent tamen maximum permanentem dolorem, quòd cùm sint inuenti digni alio ouili, non vnà sint cum ijs, qui sunt gloria affecti propter iustitiam.

Libro, qui inscribitur, quis sit ille diues, qui saluetur, describens grauem & insignem conuersionem cuiusdam adolescentis: Vt Ioannem aduentantem agnouit, præ pudore capessit fugam. Ioannes illum pro viribus properè insequitur: atque clamans, quid, inquit, fili fugis? Ne formides: adhuc tibi salutis spes reliqua est: ego Christo pro te reddam rationem: Christus misit me ad te. Ille vbi hæc audierat, primùm oculis humi defixis constitit, deinde arma abiecit: tum horrore perfusus, grauiter & acerbè lamentatus est. Senem ad se aduentantem complectitur; fletu & mœrore, quoad poterat, pro culpa satisfacit, & dextera sola occultata, lachrymarum vnda secundò baptizatur. Apostolus rata & constanti asseueratione, ei se à Seruatore veniam & remissionem peccatorum precibus suis impetraturum pollicetur, atque ad genua accidens, ipsam manum dexteram, tamquam aqua pœnitentiæ ablutam purgatamque osculatus, illum ad Ecclesiam reducit. Crebris item precibus Deum pro illo inuocat, continuis ieiunijs vnà cum eo se macerat, varijs diuinæ sapientiæ sententijs eius animum, quasi quibusdam lenocinijs mitigat, tranquillatque. Cuius conuersione magnum veræ pœnitentiæ exemplum, præclarum secundæ regenerationis specimen, illustre denique trophæum à peccatis resurrectionis per exteriora pœnitentiæ signa hominibus proposuit ad imitandum.

Origenes. 240.

In Exodum Homilia 6. Et tamen si quis fortè eiusmodi pecuniam à diabolo deceptus accepit, non vsquequaque desperet. *Misericors enim est, & miserator Dominus,* & creaturæ suæ non vult mortem, sed vt conuertatur & viuat, pœnitendo, flendo, satisfaciendo deleat quod admissum est.

In Leuiticum Homilia 2. Est adhuc septima, licet dura & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lauat peccator lachrymis stratum suum, & fiunt ei lachrymæ suæ panes die ac nocte, & cùm non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum, & quærere medicinam, &c. Si in amaritudine fletus luctu, lachrymis, & lamentatione confectus fueris, si carnem tuam maceraueris, & ieiunijs ac multa abstinentia aridam feceris, & dixeris: sicut frixorium confrixa sunt ossa mea, tunc sacrificium similam à sartagine, vel à craticula obtulisse te noueris.

Homilia 15. Sed quoniam accidere solet, vt etiam qui bene ædificauerit, & domum sibi cælestem, bene agendo, & bene viuendo, ac rectè credendo construxerit, incurrat alicuius peccati debitum, & hanc crudelissimo fœneratori venundare cogatur, ac labores suos transfundere in alium, pietas & clementia legislatoris succurrit, vt intra certum tempus redimi possit: (si tamen inuenerit, inquit, manus tua pretium quod restituat.) Quale pretium? pœnitentiæ sine dubio, lachrymis congregatum, & manibus, id est, labore boni operis inuentum.

In lib. Iudicum Homilia 3. Vide benignum Dominum misericordiam cum securitate miscentem, & ipsius pœnæ modum iusta & clementi libratione pensantem. Non in perpetuum tradit delinquentes, sed quanto tempore errasse te nosti, quanto tempore deliquisti, tanto nihilo minus tempore humilia te ipsum Deo, & satisfacito ei in confessione pœnitentiæ. Non expectes vt humiliet te Chusasarton, & inuito necessitas extorqueat pœnitentiam, sed ipse præueni tortoris istius manus: quia si te ipse emendaueris, si te ipse correxeris, pius est Deus & misericors, qui vindictam temperet ab eo, qui illam pœnitendo præuenit.

Gregorius Neocæsariensis. 260.

De ijs, qui Barbarorum incursione idolothyta comederunt, & alia peccata commiserunt. Canone 11. Fletus, seu luctus est extra portam oratorij: vbi peccatorum stantem oportet fideles ingredientes orare, vt pro se precentur. Auditio est intra portam in ferula, vbi oportet eum qui peccauit stare vsque ad catechumenos: deinde illinc egredi. Audiens enim, inquit, Scripturas & doctrinam eijciatur, & precatione ne dignus censeatur. Subiectio autem seu substratio est, vt intra templi portam stans cum catechumenis ingrediatur: congregatio seu consistentia est, vt cum fidelibus consistat, & cum catechumenis non ingrediatur: postremò est participatio Sacramentorum.

Petrus Alexandrinus. 300.

De Pœnitentia Canone 1. de ijs, qui post multa tormenta sacrificârunt: Qui non sponte ad ea deuenerunt, sed à carnis imbecillitate proditi, stigmata Iesu Christi in corporibus ostentant, & anno iam tertio deflent, ijs ab aduentu per reuocationem in memoriam alij quadraginta dies iniungantur. In quibus & ipsi cùm valde exercitati fuerint, & constantius ieiunauerint, vigilabunt in orationibus.

Canone 5. Quoniam per ignorantiam id eos fecisse non est compertum, eis semestre imponetur in pœnitentia conuersionis. Sic enim ipsi quoque magis iuuabuntur.

Canone 11. Memores itaque multorum laborum & miseriarum, quas pro Christi nomine sustinuerunt, cùm ipsi etiam pœnitentiam egerint, & quod à se factum est per proditionem, in corporis afflictione, & mortificatione defleuerint, & se præterea testentur in vita sua fuisse alienos à ciuitate, simul oremus & postulemus pro eorum reconciliatione.

Concilium Ancyranum. 316.

Canone 4. de ijs, qui vi sacrificârunt, & præterea ad idola pransi sunt. Quicunque abducti quidem, & lætiore habitu accesserunt, & veste sumptuosiore vsi sunt, & parati prandij, non ægrè id ferentes, participes fuerunt, visum est anno audire, tribus autem annis substerni (ὑποπεσεῖν) ac supplices esse, soli autem orationi duobus annis communicare,

nitare, & tunc ad id quod perfectum est accedere.

Concilium Neocæsariense. 316.

Canone 2. Fœmina si duobus fratribus nupserit, extrudatur vsque ad mortem. Sed in morte propter humanitatem, si dixerit, quòd vbi conualuerit, soluet matrimonium, habebit pœnitentiam. Sed si mortua fuerit mulier existens, vel eius maritus in tali coniugio, difficilis est pœnitentia.

Eusebius Cæsareensis. 320.

Ecclesiast. Historiæ lib. 5. *cap.* 27. Natalius confessor à Theodoto & Asclepiodoto fraude ac dolo deceptus fuit: & ab illis salario quodam & mercede persuasus, vt illius erroris Episcopus crearetur: ea lege nimirum, vt centum quinquaginta denarios menstruos isti ei persoluerent. Qui quidem cùm se in illorum societatem dedisset, per visiones quasdam à Domino ad se demissas sæpenumerò admonitus fuit. Cæterùm quoniam erat primæ apud illos sedis Episcopalis appetitione tanquam hamo inescatus, & turpi quæstu (qui multis adfert perniciem) irretitus, & propterea lentius tardiusque Dei visionibus animum attendit: tandem per integram noctem à sanctis Angelis flagris & verberibus vsque adeò acerbè & grauiter cæsus fuit, vt cùm primo mane surgeret, cilicio & sacco indutus, cineribus aspersus, cum magno mœrore & lachrymis ad pedes Zephyrini Pontificis se supplicem abijceret: & non modò ad cleri, sed ad laicorum etiam genua aduolueretur, ita vti Christi misericordis Ecclesia, illum magnopere commiserata, lamentis vnà se dederet. Attamen ille, licet multis precibus vsus fuisset, & plagarum vibices, quas pertulerat, ostendisset, vix tandem in communionem Ecclesiæ receptus fuit.

Synodus Nicena Prima. 325.

Canone 11. De ijs, qui sine necessitate, vel sine facultatum suarum ablatione, vel sine periculo vllo, vel aliquo eiusmodi, transgressi sunt, quod sub Licinij tyrannide factum est, Synodo visum est, etsi humanitate indigni sunt, clementia tamen & benignitate in eos vti. Quicunque ergo germanè & verè pœnitentia ducuntur, tres annos inter auditores exigent vt fideles, & septem annis prosternentur supplices: duobus autem annis absque oblatione erunt, Orationum cum populo participes.

Canone 12. Qui autem à gratia quidem euocati, & primum suum ardorem ostenderunt, & cingula deposuerunt, postea autem vt canes ad suum vomitum reuersi sunt, vt nonnulli etiam pecuniam profunderent, & beneficijs militiam assequerentur, hi decem annis prosternantur supplices, etiam post triennij auditionis tempus. In his omnibus examinare conuenit consilium & speciem pœnitentiæ. Quicunque enim & metu & lachrymis & tolerantia & bonis operibus conuersionem & opere & habitu ostendunt, hi impleto auditionis tempore, quod præfinitum est, meritò orationum communionem habebunt cum eo, quòd liceat etiam Episcopo humanius aliquid de ijs statuere.

Concilium Laodicense. 360.

Canone 2. Oportet eos, qui in diuersis delictis peccant, & in oratione confessioneque & pœnitenti: fortiter perseuerant, & se à malis perfectè conuertunt, tempore pœnitentiæ eis pro delicti proportione dato, propter Dei miserationes & bonitatem offerri communioni.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 2. Beatus Dauid, quamuis audiuerit Dominum transtulisse peccatum ipsius, non abstinuit tamen à pœnitentia: verùm loco purpuræ sacco vtebatur, & loco aurei throni in terra cinereque Rex sedebat: neque tantùm in cinere sedebat, verùm etiam cinere vescebatur, quemadmodum ipse dicit: Quòd *cinerem tanquam panem manducabam.* Vindicabat lachrymis concupiscentem oculum: *Lauabo,* inquiens, *per singulas noctes lectum meum, & lachrymis stratum meum rigabo.* Cùm principes adhortarentur illum, vt manducaret panem: non patiebatur id sibi persuaderi, & in totum vsque septimum diem ieiunium producebat.

Basilius Magnus. 370.

Homilia 3 quæ est in dictum illud Moysi: *Attende tibi ipsi, &c. Attende tibi ipsi* pro delicti proportione, hinc quoque mutueris ex admota tibi medela valetudinis instaurandæ subsidium. Magnum est & graue peccatum? Multa opus habes confessione, lachrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indiuulso & continenti ieiunio. Leuis est, nec intoleranda offensio? Huic quoque exequetur pœnitentia.

Homilia 14. *quæ est in ebrietatem & luxum, quibus die Pasche populum affectum vidit:* Medicina magna delicta sedabit: ieiunium ebrietatem curet, Psalmus turpes cantus, lachryma risum: pro saltatione genu Deo flectatur, pro tripudio pectus pulsetur, pro vestium sumptu & ornatu humilitas. In omnibus verò eleemosyna peccata diluat. Redemptio animæ viri diuitiæ. In communionem societatemque orandi Deum plures admitte eorum, qui tribulati sunt, si quo pacto tibi malitiæ culpa remittatur.

Epistola ad Amphilochium Canone 58. Qui adulterauit, in quindecim annis Sacramentis non communicabit. Quatuor annis erit deflens, quinque audiens, quatuor substratus, in duobus consistens sine Communione.

Canone 59. Fornicator septem annis non communicabit, duobus deflens, & duobus audiens, & in vno solo consistens, octauo autem ad Communionem admittetur.

Ephrem. 370.

De extremo iudicio cap. 5. Compunctio fratres sanitas animæ est, illuminatio mentis est: compunctio fratres remissionem peccatorum nobis requirit: compunctionem dico non vnius diei, sed quæ diebus & noctibus puritate tanquam fons redundat.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 39. *quæ est Oratio in sancta lumina:* Quintum locum lachrymarum baptismus tenet, verùm asperior & laboriosior, quo quidem ille tingitur, vt qui per singulas noctes lectum suum ac stratum lachrymis lauat: cui ipsæ quoque vitij cicatrices fœtent, qui lugens & contristatus ingreditur, qui Manassis resipiscentiam, ac Niniuitarum humilitatem, cui misericordia impertita est, imitatur.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione in eos, qui acerbius alios iudicant: Tu, cuius animus æger est, cur non ad medicum properas? cur non ei confitendo morbum ostendis tuum? Quid pateris, vt depascatur, vt superet, vt inflammetur? Deum offendisti, procreatorem tuum irritasti, eum, qui & præsentis vitæ potestatem habet, & futuræ dominus ac iudex est. Delicijs indulgens in morbum delapsus es? eum inedijs & ieiunijs cura. Animus laborat incontinentia? Adhibeatur temperantiæ medicamentum. Multiplici, ac nimia pecuniæ cupiditate in febrem incidisti? liberalitate & eleemosyna depellatur.

Hæc

Hæc enim eſt nimium expletæ mentis curatio. Læſit te rerum alienarum direptio? quæ rapta ſunt ad proprios dominos reuertantur. Mendacium te proximè duxit ad interitum (*Perdes* enim, inquit, *omnes, qui loquuntur mendacium?*) veritatis ſtudio periculum euitetur, &c. Inducantur omnia arma pœnitentiæ, vt ſecuris acies & ictus propulſetur. Quid enim aliud eſt pœnitentia, niſi diſſolutio & euerſio præteritorum, quæ vel re, vel cogitatione ſunt admiſſa? Explora celeriter, & diligenter animaduerte morbum, quo affectus es, ſuſcipe ex eo dolorem, quantum maximum potes, affige te, fratreſque beneuolos atque vnanimes adhibe, qui ſimul doleant, adiumentoque ſint, vt libereris. Oſtende mihi amaras tuas lachrymas, vt meas ego quoque commiſceam.

Epiſtola Canonica ad S. Letoium Can. 2. His itaque hoc modo diſtinctis, quæcunque quidem peccata ratione præditam animæ partem attingunt, eſſe grauiora à Patribus iudicata ſunt, & maiori ac ſufficientiori, & laborioſiori conuerſione digna, &c.

Canone 4. Qui fornicatione polluti ſunt, in tribus quidem annis ab oratione expellantur omninò: in tribus autem ſint ſolius auditionis participes: in tribus autem alijs, cum ijs, qui in conuerſione ſubſternuntur, precentur, & tunc ſint Sacramentorum participes. In ijs autem, qui diligentiori conuerſione vſi fuerint, & vita ad id quod bonum redditum eſt oſtenderint, licet ei qui diſpenſat, pro Eccleſiaſticæ œconomiæ vtilitate, tempus auditionis contrahere, & celerius ad conuerſionem deducere, & rurſus hoc quoque tempus contrahere & celerius communionem reddere, & ſua probatione eius, cui medela adhibetur, conſtitutionem iudicet.

Theophilus Antiochenus. 390.

Epiſtola 1. *Paſchali:* Quapropter poſiti in certamine & ſudore ac labore præſentium, futuram nobis ſolennitatis cæleſtis gloriam præparantes, priuſquam ſtemus ante tribunal Chriſti præterita peccata pœnitentia corrigamus, præſenti fletu redimamus futura gaudia, aculeoque conſcientiæ in morem apum noxios peccatorum fucos repellamus, plena ceris & melle aluiaria reſeruantes curemus diuerſa vitiorum vulnera & rapinas diuitum, quibus vel maximè hoc hominum genus capitur, crebris commonitionibus reprimamus.

Ioannes Chryſoſtomus. 400.

Sermone de Confeſſione peccati: Confeſſio reddat quod peccatum detraxerat, curet pœnitentia quod delictorum macula ſordiderat, ſerpentium virus ſatisfactionis antidoto recuretur, peccatorum venena precum inſtantia depellantur, vt Dominum, quem nobis delicta fecerant iracundum, reddant obſequia digna placatum: & qui à nobis fuerat peccatis offenſus, confeſſione nobis reddatur miſericors & pius.

Lib. 2. *de Sacerdotio, non longè à principio:* Non temerè ad delictorum modum oportet & mulctam adhibere: ſed tamquam ex coniecturis quibuſdam explorandus eſt delinquentium animus.

Homilia 41. *ad populum Antiochenum:* A nobis vltionem ſumamus, ita placabimus iudicem.

Homilia 2. *de lapſu primi hominis:* Oſtendit Dominus, quibus officijs poſſint delicta purgari: oſtendit confeſſione, & deformitate cultus, veniam poſſe facilimè impetrari.

In Matthæum Homilia 10. Agamus pœnitentiam etiamſi indulgentiæ modum peccata excedere videantur, & non modò venia peccatorum, verùm etiam præmiorum gloria perfruemur. Pœnitentiam verò dico, non ſolùm, vt à malis prioribus deſiſtamus, verùm etiam, vt bonorum operum fructibus impleamur: *Facite*, inquit, *fructus dignos pœnitentiæ.* Quo autem modo fructificare poterimus? Si vtique peccatis aduerſa faciamus, verbi gratia: Aliena rapuiſti? incipe donare iam propria. Longo es tempore fornicatus? A legitimo quoque vſu ſuſpendere coniugij, ac perpetuam continentiam ſæpius paucorum dierum caſtitate meditare. Iniuriam vel opere cuiquam, vel ſermone feciſti? Refer benedictionis verba conuicijs, & percutientes te nunc officijs, nunc beneficijs placare contende. Neque enim vulnerato ſufficit ad ſalutem tantummodò ſpicula è corpore euellere, ſed etiam remedia adhiberi vulneribus oportet. Delicijs antea & temulentia diffluebas? Ieiunio & aquæ potu vtrumque compenſa.

Homilia 42. *in Matthæum:* Audi Paulum dicentem: *Si nos ipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* Et quonam modo, inquies, à me ipſo rationes viuendi & ſupplicium exigam? largos lachrymarum effunde fluuios, laboribus ac vigilijs teipſum affige, peccata per ſingulas ſpecies recole. Non paruus eſt hic cruciatus animæ, &c.

Concione 4. *de Lazaro:* Vt igitur neque puniamur, neque pœnas demus, in ſuam quiſque conſcientiam ingrediatur, vitamque explicet: cunctiſque commiſſis diligenter excuſſis, condemnet animam, quæ hæc patrauit, puniatque cogitationem, affligat, crucietque ſuam ipſius mentem, ſupplicium à ſeipſo exigat pro peccatis, per condemnationem, per diligenter actam pœnitentiam, per lachrymas, per confeſſionem, per ieiunium, per eleemoſynam, per continentiam, ac charitatem, vt poſſimus omnes omni modo hic depoſitis peccatis multa cum fiducia illuc proficiſci.

Syneſius. 410.

Epiſtola 67. Quamquam & lachrymas ex pœnitentia emiſerit, populuſque ſupplex illius pœnam deprecatus ſit, ego tamen in ſententia perſeuerauí. Soluendi autem auctoritatem ad Pontificalem cathedram remiſi. Tantum autem mihi ipſi ſumpſi, ſi appropinquaret Lamponiano obitus, dieſque fatalis adeſſe videretur: omnibus permiſi tunc adfuturis Presbyteris, vt communione illum participent. Nemo enim ligatus mihi moriatur. Recuperata autem valetudine, rurſus eidem pœnæ obnoxius eſto, eque admiranda & humana tua anima veniæ teſſeram expectato.

Philo Carpathius. 420.

In Cantica: *Tota pulchra es amica mea.*) Dum fidelis anima à peccatis quotidianis ſe per pœnitentiam mundat: dum quotidie minora peccata cum lachrymis lauat, & à maioribus ſibi cauet, quamuis frequenter peccet: per aſſiduam tamen pœnitentiam, munditiam ſuam perpetuò ſeruat.

Ioannes Caſſianus. 430.

Collat. 20. *cap.* 7. Dum agimus pœnitentiam, & adhuc vitioſorum actuum recordatione mordemur, neceſſarium eſt, vt ignem conſcientiæ noſtræ obortus ex confeſſione culpæ lachrymarum imber extinguat. Cùm verò cuiquam in hac humilitate cordis & ſpiritus contritione defixo, atque in labore & gemitu perduranti, horum recordatio fuerit conſopita, & conſcientiæ ſpina de medullis animæ gratia Dei miſerentis euulſa, certum eſt eum ad ſatisfactionis finem, atque indulgentię merita perueniſſe, & ab vniuerſorum criminum labe purgatum.

Collat. 23. *cap.* 15. Quiſquis poſt baptiſmum & ſcientiam Dei in illud mortis corpus irruerit, ſciat ſe non quotidiana gratia Dei, id eſt, facili remiſ-

Digitized by Google

fione, quam momentis fingulis exoratus Dominus nofter erroribus noftris donare confueuit, fed aut diuturna afflictione pœnitudinis, ac pœnali dolore purgandum, aut certè pro his in futurum æterni ignis fupplicijs addicendum.

Sozomenus. 440.

Ecclef. Hift. lib. 7. cap. 16. In Romana Ecclefia manifeftus eft pœnitentium locus. Stant autem in eo mœfti, ac veluti lugentes, finitoque demum Dei facrificio participes non facti, quorum participes fieri puros Dei cultores fas erat, cum planctu ac lamentatione femetipfos in terram pronos abijciunt. Tum ex aduerfo lamentabundus Epifcopus accurrens, confimiliter humi cum eiulatu collabitur, ac tota denique Ecclefiæ multitudo lachrymis fuffunditur. Poft hæc Epifcopus primus exurgit, ac iacentes erigit, & quantum fatis eft pro peccatoribus pœnitentiam agentibus precatus, eos dimittit. Priuatim deinde fponte fua quifque vel ieiunijs, vel lotionum ciborumve abftinentia, vel alijs, quibus iuffus eft, femetipfum affligens, tempus expectat, in quantum Epifcopus præftituit. Elapfo demum præfinito die, pœna iam quafi debito quopiam exoluta, à peccatis abfoluitur, & populo in Ecclefia coniungitur.

Lib. 6. cap. 29. Moyfes, cùm feruus effet, ex ædibus domini fui propter improbitatem eiectus eft, atque ad latrocinium conuerfus, manipulo latronum præfuit. Qui poft multa admiffa fcelera, poft multas cædes factas, repentina facta mutatione, vitæ monafticæ fe tradidit, atque ex infperato ad piè viuendi difciplinæ perfectionem venit. Nam cùm præ firma corporis conftitutione, quam ex priore vitæ ratione confecutus fuerat, adhuc efferuefceret, & vifis voluptatum fibi obiectis commoueretur, infinitis ferè exagitationis generibus corpus macerare cœpit: nunc exiguo pane fiue obfonio vtendo, modò operis faciendo plurimum, aliquando quinquagefies orando, interdum ad fexennium fingulas noctes integras ad preces faciendas pedibus confiftendo, totoque illo fpatio neque flectere genua, neque oculos ad fomnum capiendum occludere voluit: non rarò etiam noctu per Monachorum domicilia tranfiens, hydriam cuiufque clam aqua impleuit. Quæ res erat fanè valde laboriofa. Nam locus vnde aquam hauriebant ab alijs decem ftadia, viginti ab alijs, à nonnullis amplius triginta abfuit.

Ifidorus Pelufiota. 440.

Lib. 3. epift. 157. Pœnitentia diuturno tempore vitia curare folet. Nam & laboribus, & ieiunio, & vigilia, & eleemofyna, & precibus, & omnibus id genus rebus opus habet, vt contracta vulnera fanentur.

Lib. 3 epift. 295. Si faciem eius in confefsione præoccupauerimus, hoc eft, fi ante præftitum diem per res ipfas ei fatisfecerimus, in iudicio mifericordiam confequemur.

Theodoretus. 450.

In Epitome diuinorum Decretorum capite de Pœnitentia: Sunt medicabilia, quæ poft baptifmum fiunt vulnera: medicabilia autem, non per folam fidem data remifsione, fed per multas lachrymas, & fletus, & luctus, & ieiunium, & orationem, & laborem facti peccati quantitati commoderatum.

Ecclefiaftica Hiftoriæ libro 5. capite 17. Imperator Theodofius ob cædem Theffalonicæ factam ab Ambrofio excommunicatus, cum gemitu & lachrymis ad palatium reuertitur. Atque longo temporis fpatio dilapfo (octo enim menfes iam præterierant) Seruatoris natalitia fuere celebrata. Imperator autem confidet in palatio, lamentis fe dedens, & magnam vim profundens lachrymarum, &c. Vbi verò ad facros templi parietes aduenit, non ingreditur in templum, ille quidem: fed ad Epifcopum, qui in ædicula falutatoria fedebat, accedens, obfecrat, vt vincula fibi foluat. Cui Ambrofius: Quam tu, inquit, pœnitentiam poft tam graue fcelus admiffum oftendis? Quæ medicamenta ad vulnera tam difficilia curatu fananda adhibuifti? &c. Itaque Imperator in fanctum templum ingreffus, non ftans Dominum precatus eft, neque genibus flexis, fed pronus humi abiectus, verfum illum Dauidis recitauit: *Adhæfit pauimento anima mea, viuifica me fecundùm verbum tuum:* atque capillum manibus lacerans, frontem ferire, lachrymarum guttis folum rigare, veniamque fupplex petere cœpit.

Victor Antiochenus. 460.

Ad cap. 14. Marci: Petrus galli cantu admonitus, & quafi à graui fomno excitatus, & clementi fimul Domini, quem negauerat, oculo refpectus, & in quantam demum calamitatem præceps ruiffet edoctus, foras è veftigio egreffus, cafum fuum amarifsimè deflere cœpit: & quia ex animo ad fe, & ad Deum rediјt, fuumque lapfum vehementer doluit, factum eft, vt à gradu & ordine fuo non deciderit: quandoquidem per pœnitentiam internumque animi dolorem non modò certam veniæ fpem, verùm plenam quoque omnium peccatorum remifsionem obtinuit.

Dorotheus Abbas. 520.

Doctrina 2. Euagrius blafphemia oppugnatus, haud infcius blafphemiam à fuperbia prouenire, & humiliato corpore humiliari pariter & animam, quadraginta dies fub dio pernoctauit, ita vt ex eius corpore vermes fcaturirent, vt in agreftibus animalibus folet accidere, & præ labore pus euomeret.

Iuftinianus Imperator. 530.

Conftitutione 133. Quomodo oporteat Monachos viuere cap. 5. Si quis deliquerit (nam multa funt humana, & nullus poteft naturam fic retinere, vt nihil peccet: hoc enim folius Dei proprium eft) hunc fi quidem mediocre peccatum eft, & monere, & fufpendere, & pœnitentiæ ei dare tempus debes, vt meliorem ordinem fumens, mox reuertatur ad femetipfum, & non quos iam pofuit, amittat labores. Si verò maior culpæ fit modus, fecundùm commiffum & medelam correctionis effe, & rurfus admonitionem vehementiorem, & pœnitentiam fortem exigere, & fi quidem valuerit iftis modis amouere lapfum, & corrumpi cœptum, grates agere magno Deo. Si verò potiores vltra medicinam caufæ fiant, tunc etiam expelli eum à monafterio, quatenus dans femetipfum ex melioribus ad peiora, ipfe fuis malis potiatur folus.

Conftitutione 141. ad Conftantinopolitanos, de his qui luxuriantur contra naturam: Qui hoc morbi contahuerunt, illi non folùm de cætero peccare definant, fed etiam ritè agant pœnitentiam, & coram Deo procidant, & morbum beatifsimo Patriarchæ renuntient, rationemque curationis percipiant, vt (proue fcriptum eft) fructus producant pœnitentię, vt benignus Deus pro opulentia miferationum fuarum dignetur nos quoque benignitate.

Hefychius Hierofolymitanus. 580.

Lib. 2. in Leuiticum cap. 6. *Quicquid tetigerit carnem eius, fanctificabitur.)* Carnes pœnitentiæ intelligimus ieiunium, vigilias, cilicinum veftimentum, cum lachrymis, orationibus, eleemofynis. Ex his enim confiftit pœnitentia: quam qui tangit rectè fanctificabitur.

Lib. 4. cap. 14. Emundatio lepræ pœnitentia eft. Hæc autem opera neceffaria habet, quæ virtutibus

& actio-

& actionis studio delere valeant peccata. Propter quod Ioannes Baptista populo Iudæorum dicebat: *Facite fructum dignum pœnitentiæ.* Considerauit enim sicut subtilis legislator eos, qui non omnia possunt, quę pertinent ad districtam rationem pœnitentiæ, exhibere. Opus enim habet pœnitentia oratione intenta, eleemosynis, vigilijs, sacco, ieiunio. Postremò etiam illis, quæ Dauid dicit: *Factæ sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Lauabo per singulas noctes lectum meum.* Matt. 3. Psal. 41. Psal. 6. Psal. 101.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 5. Cùm peruenissem ad pœnitentium monasterium, vidi ibi reuera res, & verba, quæ Deo vim inferre possent: habitus & studia, quæ ipsius clementiam celerrimè flecterent. Quosdam enim ex reis illis vidi noctibus totis vsque mane sub dio stare peruigiles, pedesque immobiles tenere: dumque somno miserabiliter depressi agitarentur, vim naturæ inferre, nullamque sibi ipsis requiem omnino indulgere, sed seipsos increpare, ignominijsque & contumelijs afficere. Alios miserabiliter in cælum intuentes, & illic adiutorium cum gemitu, suspirijs, & vocibus inuocantes: alios in orationibus existentes, ac reorum in morem vinctis post tergum manibus, humi luridas facies suas inclinantes, indignosque se, qui in cælum aspicerent, vociferantes, nec quicquam ad Deum dicere orando præ cogitationum & conscientiæ hæsitatione præsumentes. Nonnullos in pauimento strato cilicio, & cinere sedentes, ac faciem genibus operientes, frontemque in terram collidentes: alios iugiter pectora tundentes, animamque suam ac vitam suspirio ingenti reuocantes, &c.

Gradu 15. Catholica Ecclesia hæreticos quidem, cùm hæresin priorem toto animo repudiauerint, atque anathematizauerint, suscipit ad sanctorum mysteriorum communionem, & vt idoneos admittit: eum verò, qui in fornicationem lapsus fuerit, confitentem, atque peccatum ipsum omnino deferentem introrsus suscipiens, per annos aliquot eum à venerandis immaculatisque mysterijs ex traditione Apostolica separari permittit.

Georgius Presbyter. 600.

In vita Theodori Archimandritæ: Qui occultas animi cogitationes viro sancto patefaciebant, opportuna remedia accipiebant. Tempus enim pœnitentiæ præfiniebat, quo se vel ieiunijs, vel precationibus, vel eleemosynis expurgarent. Eos verò, qui animæ vlcera obtegebant & occultabant, admonebat, vt resipiscerent, & pœnitentiam agerent. Eos verò, qui se periurijs vel blasphemijs obstringebant, graui obtutu repræhendebat, vt ab impia consuetudine desisterent, multisque lachrymis & obsecrationibus, & bonis operibus diuinam iram placarent.

Eutychianus. 600

Lib. de Pœnitent. Theophili: Non eum despexit Dominus, sed ei dedit pœnitentiam, diuinam conuersionem, & cùm ad se redijsset ex tanta elatione & negatione, & resipuisset, cœpit suam demittere cogitationem, affligique & cruciari ob ea, quæ malè fecerat, & de cætero vacabat ieiunijs, precibus, & lachrymis, & assiduè benignum & clementem Deum rogabat, vt ei condonaretur iniquitas & peccatum, propter ea, quæ malè fecerat, &c. Post eum diem magis syncerè rogans, & faciem suam verberans, super terram permanebat ieiunans, in maximè venerabili Deiparæ Mariæ, & neque requiescens, neque à solo surgens, sed etiam lachrymis locum rigans, non cessabat intueri ad venerandam & sanctam figuram gloriosissimæ Deiparæ Mariæ, &c.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

In vita Mariæ Ægyptiacæ: Decem & septem annos, inquit Maria, publicè populo transegi, in incendio iacens luxuriæ, desiderium habebam insatiabile, ita vt indesinenter me in sterquilinio luxuriæ volutarem. Hierosolymam profecta, templum ingressura diuinitus prohibita, recognoui, quòd squallida actuum meorum scelera mihi introeundi aditum obserabant. Cœpi itaque flens nimium conturbari, & pectus tundere, atque suspiria de profundis cordis proferens, & gemens eiulansque beatissimæ Virginis Mariæ suffragia imploraui. Inde in eremum secessi, & in ea quadraginta septem annis mansi: septendecim annis in hoc deserto feris & indomitis cogitationum bestijs transegi, carnalibus reluctans cogitationibus. Delectabar vini potu insatiabiliter: delectabant me nefanda cantica dæmonum, quæ antea didiceram: sed mox lachrymas fundebam, & manibus pectus vulnerabam: & dum plurimas funderem lachrymas, vndique mihi refulgens videbam lumen: ad consueta orationum recurrebam arma, in terram me proijciens, eamque lachrymis inundans, Mariam vt succurreret orabam, &c.

Maximus Monachus. 640.

De Charitate Centuria 2. *c.* 41. Omne ferme peccatum propter voluptatem conficitur: deponitur verò, ac tollitur, aut per laborem & dolorem, aut voluntariam pœnitentiam, aut per condemnationem propriam, quæ per prouidentiam inducitur. *Si enim nos ipsos iudicaremus, non iudicaremur: cùm iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.* 1. Cor. 11.

Concilium Constantinopolitanum in Trullo habitum Anno 710.

Can. 102. Oportet eos, qui potestatem soluendi & ligandi à Deo accepêre, peccati qualitatem considerare, & eius, qui peccauit, ad eam conuersationem promptum studium, & sic morbo conuenientem afferre medicinam: ne si in vtroque immoderatione vtatur, ab eius, qui laborat, salute excidat. Non enim simplex est morbus peccati, sed varius & multiformis, & multas incommodi propagines germinās: ex quibus malū multum diffunditur, & vlterius progreditur, donec viribus medentis resistat. Quare qui medicinæ sciētiam in spiritu profitetur, oportet eum primum eius qui peccauit affectionem considerare, & siue vergit ad sanitatem, siue contra, proprijs moribus prouocare, vt per se morbum aspiciat, & quomodo eius, quę intercedit, vitæ rationis, conuersionisque curam gerat, & si artifici nō reluctatur, & vlcus animæ auget per impositorum medicamentorū adiectionem, sic quoque misericordiam, pro vt dignus est, impertiri. Omnē enim rationē init Deus, isque, cui pastoralis traditus est principatus, vt errantē ouem reducat, & ei, quod est à serpente vulneratū, medeatur, & neque per desperationis præcipitia impellat, nec ad vitæ dissolutionem & contemptum fræna relaxet: sed vna quidem omninò ratione, siue per acriora & astringentia, siue per molliora, & leniora medicamenta affectioni resistat, & ne vlcus cicatricem obducat, obnitatur, fructus pœnitentiæ examinans, & sapienter dispensans & gubernans hominem, qui ad superiorem illuminationem vocatur.

Ioannes Damascenus. 730.

In Hist. Barlaam & Iosaphat c. 35. Rex Abenner ad hunc modum ab improba & flagitiosa vitę ratione sese remouens, ac de perpetratis sceleribus pœnitentiam agens, regium omne imperium filio tradidit. Ipse autem in solitudine degens, caputque cinere sine vlla intermissione aspergens, & graues gemitus edens, ac sese lachrymis abluens, solus cum solo, qui vbique præsens est, colloquebatur, noxarum suarū veniam ab eo petēs. Quin in tantam cōpunctionis & humilitatis abyssum se demisit, vt ipsum

ante nos sancti & Deo pleni Patres, eos, qui conuertuntur, quiqúe resipiscunt, Canonicè expiari præcipiunt, &c. Neque quemquam absoluimus, nisi primò iustas pœnas, & castigationes illi pro peccatis admissis iniungamus; idque plurimas ob causas. Primùm, vt per sponte & voluntate susceptas afflictiones ab ijs pœnis, quæ illis ipsis inuitis aliquando subeundæ essent, liberentur. Nulla enim res est, quæ Deum magis nobis placatum & propitium reddat, quàm spontè & liberè suscepta disciplina, atque correctio. Vnde & Gregorius dicit: Lachrymarum misericordiam & pietatem mercedem esse. Deinde, vt hæc ipsa voluntate suscepta afflictio fontem & radicem omnis mali, ardentem scilicet voluptatis cupiditatem, ex carne nostra euellat, ac planè extirpet. Contrarijs enim morbis contraria remedia adhibenda esse nouimus.

Cap. 6. Malè peribit, qui in barathrum peccati inciderit, nisi inquinationem eluerit: non quidem aqua, sed multo labore, ac longo tempore, pœnitentia accurata, lachrymis, planctibus, & id genus alijs spiritualibus lustrationibus, quæ vera satisfactio sunt.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Libro de Pœnitentia cap. 5. Ita, qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam satisfaciet, eritqúe tanto magis prorsus Deo, quanto æmulo eius acceptus.

Cap. 6. Quam porrò ineptum, quam pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere? hoc est, pretium non exhibere, ad mercem manum emittere: Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit. Hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem.

Cap. 7. Non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione, si secundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit: pigeat sanè peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminem pudeat: iteratæ valetudinis iteranda medicina est. Gratus in Dominum extiteris, si, quod tibi Dominus offert, non recusaueris: offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias, & quidem volentem.

Cap. 8. Tantum releuat confessio delictorum, quantùm dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ.

Cap. 9. Satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi & humilificandi hominis est disciplina, conuersationem iniungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deijcere, illa, quæ peccauit, tristi tractatione mutare: cæterùm, pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa: plerunque verò ieiunijs preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, presbyteris aduolui, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. Hæc omnia exomologesis, vt pœnitentiam commendet, vt de periculi timore Dominum honoret, vt in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat. Cùm igitur prouoluit hominem, magis releuat: cùm accusat, excusat: cùm condemnat, absoluit. In quantum non peperceris tibi, tantum tibi, crede, Deus parcet.

Cap. 10. Intolerandum est pudori Domino offenso satisfacere, saluti prodactæ reformari.

Callistus. 218.

Epistola 2. Raptores seculi leges interficiunt, sed nos misericordia præeunte, sub infamiæ nota ad pœnitentiam recipimus. Ipsam quoque infamiam, qua sunt aspersi, delere non possumus, sed animas eorum per pœnitentiam publicam & Ecclesiæ satisfactionem sanare cupimus: quia manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda, &c. Nos indubitanter tam Domini sacerdotes, quàm reliquos fideles, post dignam satisfactionem posse redire ad honores credimus, testante Domino per Prophetam: *Nunquid qui cadit, non adijciet, vt resurgat? & qui auersus est, non reuertetur?* Ierem. 8.

Fabianus. 237.

Epistola 1. Similiter & ab omnibus, quos Apostolus commemorat, dicens, cum ijs nec cibum sumere: quia & illi, sicut & isti, sunt repellendi, & ante satisfactionem Ecclesiæ non sunt suscipiendi: quoniam illi, cum quibus cibum sumere non licet, manifestè apparent sequestrati vsque ad satisfactionem à reliquis fratribus. Quamobrem non debent, nec possunt in accusationem fidelium suscipi, sed etiam ab eorum consortio, vsque ad iam dictam satisfactionem repelli, ne similes eis efficiantur, aut eorum excommunicationi subiaceant: quoniam sic Apostoli statuerunt, dicentes: Cum excommunicatis non est communicandum.

Cyprianus. 250.

Epistola 10. Hæc qui subtrahit fratribus nostris, decipit miseros: vt qui possunt, agentes pœnitentiam veram, Deo Patri misericordi precibus & operibus suis satisfacere, seducantur, vt magis pereant: & qui erigere se possent, plus cadant. Nam cùm in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam iusto tempore, & secundùm disciplinæ ordinem ad exomologesin veniant, & per manus impositionem Episcopi & cleri ius communicationis accipiant: nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseuerante, nondum restituta Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur. *Lib. 3. epist. 14.*

Epistola 26. Eluendæ sunt impio sacrificio manus inquinatæ operibus bonis, & nefario cibo ora misera polluta pœnitentiæ sunt veræ sermonibus expianda, & in secretis cordis fidelis nouellandus & conserandus est animus: crebri pœnitentium gemitus audiantur, & iterum fideles ex oculis lachrymæ profundantur, vt illi ipsi oculi, qui malè simulachra conspexerunt, quæ illicita commiserant, satisfacientibus Deo fletibus deleant. *Lib. 2. epist. 12.*

Epistola 27. Omnes quidem viuificari optamus, & vt in statum pristinum restituantur precibus nostris & gemitibus oramus. Si autem quidam lapsi Ecclesiam se volunt esse: & si apud illos, atque in illis est Ecclesia, quid superest, quàm vt ipsi rogentur à nobis, vt nos ad Ecclesiam dignentur admittere? Submissos ergo, & quietos, & verecundos esse oportet eos, qui delicti sui memores, satisfacere Deo debent, nec Ecclesiæ nomine literas facere, cùm se magis sciant Ecclesiæ scribere. Scripserunt autem mihi nuper quidam de lapsis humiles, & mites, & trementes, & metuentes Deum, &c. vt à Domino satisfactio sua admitti possit, orantes scripserunt mihi, se delictum suum cognoscere, & pœnitentiam veram agere, nec ad pacem temerè, aut *Lib. 1. epist. 6.*

aut importunè properare, sed expectare præsentiam nostram.

Lib. 1. epist. 8. *Epist.* 40 Ac ne parum fuisset corrupisse quorundam confessorum mentes, & contra sacerdotium Dei portionem ruptæ fraternitatis armare voluisse, nunc se ad lapsorum perniciem venenata sua deceptione verterunt, vt ægros, & saucios, & ad capienda fortiora consilia per calamitatem ruinę suę minus idoneos, & minus solidos, à medela vulneris sui auocent, & intermissis precibus, & orationibus, quibus Dominus longa & continua satisfactione placandus est, ad exitiosam temeritatem mendacio captiosæ pacis inuitent, &c. Si quis autem pœnitentiam agere, & Deo satisfacere detrectans, ad Felicissimi & satellitum eius partes concesserit, & se hæreticæ factioni coniunxerit, sciat se postea ad Ecclesiam redire non posse.

Lib. 4. epist. 2. *Epist.* 52. Et quoniam cum Trophimo pars maxima plebis absceſſerat, redeunte nunc ad Ecclesiam Trophimo, & satisfaciente, & pœnitentia deprecationis errorem pristinum confitente, & fraternitatem, quam nuper abstraxerat, cum plena humilitate, & satisfactione reuocante, auditæ sunt eius preces, & in Ecclesiam Domini admissus est, &c. Neminem putamus à fructu satisfactionis, & spe pacis arcendum, cum sciamus, iuxta Scripturarum diuinarum fidem, auctore & hortatore ipso Deo, & ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, & veniam atque indulgentiam pœnitentibus non denegari. Atque ô frustrandæ fraternitatis irrisio, ô hęreticæ institutionis inefficax, & vana traditio: hortari ad satisfactionis pœnitentiam, & subtrahere de satisfactione medicinam: dicere fratribus nostris, plange, & lachrymas funde, & diebus & noctibus ingemisce, & pro abluendo & purgando delicto tuo largiter & frequenter operare, sed extra Ecclesiam post omnia ista morieris: quæcunque ad pacem pertinent facies, sed nullam pacem, quam quæris, accipies.

Lib. 1. epist 3. *Epist.* 55 Et intercedunt, ne rogetur Deus, qui indignari seipse testatur. Intercedunt, ne exoretur precibus & satisfactionibus Christus, qui negantem se negare profitetur. Nos in ipso persecutionis tempore de hoc ipso literas misimus, nec auditi sumus. Concilio frequenter acto, non consensione tantum nostra, sed & comminatione decreuimus, vt pœnitentiam fratres agerent, vt pœnitentiam non agentibus nemo temerè pacem daret: & illi contra Deum sacrilegi, contra sacerdotes Dei impio furore temerarij, de Ecclesia recedentes, & contra Ecclesiam parricidalia arma tollentes, elaborant, ne vulneratos diuina clementia in Ecclesia sua curet: miserorum pœnitentiam fraude suorum mendaciorum corrumpunt, ne Deo indignanti satisfiat: ne Christum Dominum suum, qui Christianus esse vel erubuit ante, vel timuit, postmodum quærat: ne ad Ecclesiam, qui de Ecclesia recesserat, redeat. Datur opera, ne satisfactionibus & lamentationibus iustis delicta redimantur, ne vulnera lachrymis abluantur. Dedit illis Deus spiritum transpunctionis, ne reuertantur scilicet, & curentur, & deprecationibus & satisfactionibus iustis post peccata sanentur.

Lib. 3. epist. 8. *Epistola* 59. Legimus literas tuas, frater charissime, quibus significasti de Victore quodam Presbytero, quòd ei, antequam pœnitentiam plenam egisset, & Domino Deo, in quem deliquerat, satisfecisset, temerè Therapius collega noster immaturo tempore & præpropera festinatione pacem dederit. Quæ res nos satis mouit, recessum esse à decreti nostri auctoritate, vt ante legitimum, & plenum tempus satisfactionis, & sine petitu & conscientia plebis, nulla infirmitate vrgente, ac necessitate cogente pax ei concederetur, sed librato apud nos diu consilio, satis fuit obiurgare Therapium, quòd temerè hoc fecerit, & instruxisse, ne quid tale de cætero faciat.

Epistola 64. Grauiter & dolenter motus sum, quòd cognouerim Fortunatianum quondam apud vos Episcopum, post grauem lapsum ruinæ suæ, pro integro nunc agere velle, & Episcopatum sibi vindicare cœpisse. Quæ res contristauit me, cùm debeat satisfacere, & ad Dominum exorandum diebus ac noctibus, lâchrymis & orationibus & precibus incumbere, &c. Lapsi magnitudinem delicti sui cognoscentes, à deprecando Domino non recedant, nec Ecclesiam Catholicam derelinquant; sed satisfactionibus immorantes, & Domini misericordiam deprecantes, ad Ecclesiam pulsent. Lib. 1. epist. 7.

De opere & eleemosynis: Cùm Esaias peccata eis sua exprobrari præcepisset, cumque eorum facinora pleno indignationis impetu protulisset, dixissetque, eos, nec si orationibus precibus & ieiunijs vterentur, satisfacere pro delictis posse, nec si in cilicio & cinere voluerentur, iram Dei posse lenire: in nouissima tamen parte demonstrans, solis eleemosynis Deum posse placari, &c. Remedia propitiando Deo ipsius Dei verbis data sunt: quid deberent facere peccantes magisteria diuina docuerunt, operationibus iustis Deo satisfieri, misericordiæ meritis peccata purgari. Esa. 58.

Libro de Lapsis: Nec cesset in agenda pœnitentia atque in Domini misericordia deprecanda, ne quod minus esse in qualitate delicti videtur, in neglecta satisfactione cumuletur. Confiteantur singuli, quæso vos fratres dilectissimi, delictum suum dum adhuc, qui deliquit, in seculo est, dum admitti eius confessio potest, dum satisfactio & remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est, &c. Hæc mites, hæc simplices, hæc innocentes in promerenda Dei maiestate fecerunt, & nunc satisfacere, & Dominum rogare detrectant, qui Dominum negauerunt. Agite pœnitentiam plenam, dolentis ac lamentantis animi probate mœstitiam, &c. Qui pœnitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt, ita fit, vt dum temeritate quorundam vel promittitur salus falsa, vel creditur, spes verę salutis adimatur, &c. Quàm magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit. Putasne tu Dominum citò posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere maluisti, cuius templum sacrilega contagione violasti? Putasne facilè eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensius, & rogare, diem luctu transigere, vigilijs noctes ac fletibus ducere, tempus omne lachrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari: post indumentum Christi perditum nullum hic iam velle vestitum: post Diaboli cibum malle ieiunium: iustis operibus incumbere, quibus peccata purgantur: eleemosynis frequenter insistere, quibus à morte animæ liberantur, &c. Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre, quicquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint sacerdotes: vel si quis plus eum suis satisfactionibus mouerit, si eius iram, si indignantis offensam iusta deprecatione placauerit, dat ille & arma rursum, quibus victus armetur, reparat & corroborat vires, quibus fides instaurata vegetetur. Qui sic Deo satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti plus & virtutis & fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit: exauditus & adiutus à Domino, quam contristauerat nuper, lætam faciet Ecclesiam, nec iam solam Dei veniam merebitur, sed & coronam.

Firmilianus. 250.

Epist. 75. *apud Cyprianum:* Lapsis fratribus, & lauacrum salutare à Diabolo vulneratis, per pœnitentiam medela quæratur, non quasi à nobis remissionem peccatorum consequantur; sed vt per nos ad intelligentiam delictorum suorum conuertantur, & Domino plenius satisfacere cogantur.

Concilium Eliberinum. 315.

Cap. 5. Si qua fœmina, furore zeli accensa, flagellis verberauerit ancillam suam, ita vt intra tertium diem animam cum cruciatu effundat, eò quod incertum sit voluntate, an casu, occiderit: si voluntate, post septem annos: si casu, per quinque annorum tempora acta legitima pœnitentia, ad communionem placuit admitti. Quòd si infra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem.

Cap. 7. Si quis fortè fidelis post lapsum mœchiæ, post tempora constituta acta pœnitentia, denuò fuerit fornicatus, placuit, eum nec in fine habere Communionem.

Lactantius. 320.

Lib. 4. *Institut. cap.* 17. Volens enim vitæ ac saluti nostræ pro æterna sua pietate consulere, pœnitentiam nobis in illa circuncisione proposuit, vt si cor mundauerimus, id est, peccata nostra confessi satis Deo fecerimus, veniam consequamur.

Libro 6. *cap.* 13. Circumspice conscientiam tuam, & quantum potes medere vulneribus tuis; nec tamen quia peccata largitione tolluntur, dari tibi licentiam peccandi putes. Abolentur enim si Deo largiare, quia peccaueris. Nam si fiducia largiendi pecces, non abolentur: Deus enim purgari homines à peccatis maximè cupit, ideoque agere pœnitentiam iubet.

Cap. 24. Potest homo reduci ac liberari, si eum pœniteat actorum, & ad meliora conuersus, satisfaciat Deo: quod fieri posse Cicero non putauit.

Concilium Arelatense Secundum. 328.

Cap. 10. De his, qui in persecutione præuaricati sunt, si voluntariè fidem negauerint, hoc de eis Nicæna Synodus statuit, vt quinque annos inter Catechumenos exigant, & duos inter discommunicantes, ita vt communionem inter pœnitentes non præsumant. In potestate tamen vel arbitrio sit Episcopi, vt si eos ex animo errorem deflere, & agere pœnitentiam viderit, ad communionem pro Ecclesiastica humanitate suscipiat.

Cap. 11. Si qui verò dolore victi, & pondere persecutionis, negare & sacrificare compulsi sunt, duobus annis inter Catechumenos, triennio inter pœnitentes habeantur, à communione suspensi.

Cap. 12. De his autem, qui in pœnitentia positi vita excesserunt, placuit nullum vacuum communione debere dimitti: sed pro eo, quòd honorauerit pœnitentiam, oblatio illius recipiatur.

Cap. 24. Eos, qui falsa fratribus capitula obiecisse conuicti fuerint, placuit vsque ad exitum non communicare (sicut magna Synodus ante constituit) nisi digna satisfactione pœnituerint.

Hilarius Pictauiensis. 350.

In Psal. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.*) Conscius peccatorum veterum, vt historia ipsa docetur, licet toto corde se direxerit, tamen quia & peccati sui dolorem ante reipsa iam scripserit, tunc, cùm Propheta Nathan arguente crimen suum recognouit, & fleuit, nunc quoque non desinit veræ pœnitentiæ lachrymis veteris facti crimen abluere, dicens: *Exitus aquarum deduxerunt,* &c. *fontes*, scilicet lachrymarum suarum fontes fluminum esse transgressos. Hæc enim pœnitentiæ vox est lachrymis ingemiscere, & per hanc confidentiam dicere: *Lauabo per singulas noctes stratum meum &c.* Hæc venia est peccati, fonte fletuum fiere, & longo lachrymarum imbre madefieri.

Canone 4. *in Matth.* Quia charitas plurium peccatorum tegit, & errorum nostrorum ambitiosa ad Deum patrona est: nouissimum pœnę quadrantem soluemus, nisi pretio ipsius aliquantorum criminum culpa redimamur.

Lucifer Calaritanus. 370.

De regibus Apostaticis: Aperi cordis oculos, ingemisce toto corde, tam te grauiter deliquisse colligens. Idcirco Deus est patiens, & non ilicò sunt repræsentata merita operum tuorum, quia vult te tandem à malis emergere per pœnitentiam, per veram satisfactionem.

Ambrosius. 370.

Libro 2. *de Helia & Ieiunio cap.* 20. Habemus plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus. Pecuniam habes? redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis es. Peccatis tuis venundatus es? redime te operibus tuis, redime te pecunia tua.

Epistola 82. *ad Ecclesiam Vercellensem:* Quæ nobis salus esse potest, nisi ieiunio eluerimus peccata nostra.

Libro 1. *de Pœnitentia cap.* 2. Qui culpam exaggerauit, exaggeret etiam pœnitentiam: Maiora enim crimina maioribus abluuntur fletibus. Ita nec Nouatianus probatur, qui veniam interclusit omnibus: nec vos imitatores eiusdem, & condemnatores, qui ibi minuitis studia pœnitentiæ, vbi augeri oportet: quia grauiora peccata maioribus sustentanda fulcris docuit Christi misericordia.

Cap. 16. Volo veniam reus speret, petat eam lachrymis, petat gemitibus, petat populi totius fletibus, vt ignoscatur obsecret: & cùm secundò, & tertiò fuerit dilata eius communio, credat remissius se supplicasse: fletus augeat miserabilior: postea reuertatur, teneat pedes brachijs, osculetur osculis, lauet fletibus, nec dimittat, vt de ipso dicat Dominus: *Remissa sunt eius peccata multa, quoniam dilexit multum.* Cognoui quosdam in pœnitentia sulcasse vultum lachrymis, exarasse continuis fletibus genas, strauisse corpus suum calcandum omnibus, ieiuno ore semper & pallido mortis speciem spiranti in corpore prætulisse. Luc. 7.

Libr 2. *cap.* 5. Vtrumque beatum dixit, & cuius iniquitas remittitur per lauacrum, & cuius peccatum tegitur operibus bonis. Qui enim agit pœnitentiam, non solùm diluere debet lachrymis peccatum suum: sed etiam emendatioribus factis operire, & tegere delicta superiora, vt ei non imputetur peccatum.

Cap. 10. Renuntiandum seculo est, somno ipsi minus indulgendum, quàm natura postulat: interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspirijs, sequestrandus orationibus, viuendum ita, vt vitali huic moriamur vsui, seipsum sibi totus homo abneget, ac totus immutetur.

Ad Virginem lapsam cap. 8. Pœnitudo necessaria est, sicut vulneratis sunt necessaria medicamina. Sed quanta putas, aut qualis necessaria pœnitentia? quæ aut æquet crimina, aut certè excedat. Vide ergo si simplex hoc peccatum adulterij est, an duplex sit per illam necem, quæ facta dicitur in occulto, & secundùm conscientiæ molem exhibenda est pœnitentiæ magnitudo. Pœnitentia ergo à nobis agenda est non verbis, sed actu. Hæc autem sic agitur: si tibi ante oculos ponas, de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum sit, & si te iam credas prope ipsas positum tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & stridor dentium sine fine. Cùm hæc certa fide, sicut est, animo conceperis, quia necesse

est præuaricatricem animam tartareis pœnis & gehennæ ignibus tradi, nec aliud remedium constitutum esse post baptismum, quàm pœnitentiæ solatium, quantamuis afflictionem, quantumuis laborem, & indecorem subire esto contenta, dummodò ab æternalibus pœnis libereris. Ergo hæc tu tecum cogitans, & mente retractans, proprij facti tu ipsa iudex esto crudelior. Imprimis omnis vitæ huius cura interimenda tibi est, & quasi mortuam te existimans, sicut es, quomodo possis reuiuiscere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt: defluant oculis lachrymæ, qui masculum simpliciter non aspexerunt: pallescat facies, quæ quondam viruit impudicè. Denique totum corpus incuria maceretur, cinere aspersum & opertum cilicio perhorrescat: quia malè sibi de pulchritudine placuit. Cor verò fit liquefactum sicut cera, ieiunijs inquietans semetipsum, & cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subuersum. Sensus etiam crucietur, quia in membra corporis cùm haberet dominationem, malè cessit imperio. Talis vita, talis actio pœnitentiæ si fuerit perseuerans, audebit sperare, etsi non gloriam, certè pœnæ vacuationem. Peccator ergo si sibi ipsi non pepercerit, à Deo illi parcitur: & si futuras pœnas gehennæ perpetuas in hoc paruo vitæ spatio compensauerit, seipsum ab æterno iudicio liberat. Grandi plagæ alta & prolixa opus est medicina. Grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem.

Pacianus. 370.

Paraenesi ad Pœnitentiam: Quare tenacitas humanitate redimetur, conuitium satisfactione pensabitur, tristitia iucunditate, asperitas lenitate, grauitatem leuitas, honestate peruersitas, & quæcunque contrarijs emendata proficiunt, &c. Nunc ad eos sermo fit, qui bene ac sapienter vulnera sua pœnitentiæ nomine confitentes, nec quid sit pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina nouerunt: Similesque sunt illis, qui plagas quidem aperiunt, ac tumores, medicisque etiam assidentibus confitentur, sed admoniti quæ imponenda sunt negligunt, & quæ bibenda fastidiunt. Quod tale est, ac si quis dicat: Ecce ego æger, ecce ego vulneratus sum: sed nolo curari stomachum. Hoc erat, sed videte quid stultius, &c. Per Ecclesiæ fidem rogo vos fratres: per sollicitudinem meam, per communes omnium animas obtestor, & deprecor, ne pudeat in hoc opere, ne pigeat opportuna quamprimùm remedia salutis inuadere, deijcere mœroribus animum, sacco corpus inuoluere, cinere perfundere, macerari ieiunio, mœrore conficere, multorum precibus adiuuari. In quantum pœnæ vestræ non peperceritis, in tantum vobis Deus parcet. Est enim mitis, & patiens, & multæ miserationis, & qui sententiam flectat aduersus malitiam irrogatam. Ecce promitto, polliceor, si ad Patrem vestrum vera satisfactione redeatis, nihil vlterius errando, nihil pristinis adijciendo peccatis, dicendo etiam humile aliquid ac flebile: Peccauimus in conspectu tuo Pater, iam non sumus digni nomine filiorum, continuò de vobis & pecus illud recedet immundum, & siliquarum esca deformis.

Concilium Valentinum. 382.

Cap. 2. De puellis, quæ se Deo vouerunt, si ad terrenas nuptias spontè transierint, id custodiendum esse decreuimus, vt pœnitentia his non statim detur: & cùm data tamen fuerit, nisi plenè satisfecerint Deo, in quantum ratio poposcerit, earundem communio differatur.

Cap. 3. Circa eorum verò personas, qui se post vnum & sanctum lauacrum, vel prophanis sacrificijs dæmonum, vel incesta lauatione polluerunt, eam censuræ formam duximus esse seruandam, vt his, iuxta Synodum Nicænam, satisfactionis quidem aditus non negetur, ne infelicibus lachrymis vel solatij ianua desperatione claudatur: acturi verò pœnitentiam vsque in diem mortis, non fine spe tamen remissionis, quam ab eo plenè sperare debebunt, qui eius largitatem & solus obtinet, & tam diues misericordia est, vt nemo desperet.

Siricius. 384.

Epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum cap. 3. Adiectum est etiam, quosdam Christianos ad apostasiam (quod dici nefas est) transeuntes, & idolorum cultu ac sacrificiorum contaminatione profanatos, quos à Christi corpore & sanguine, quo dudum redempti fuerant renascendo, iubemus abscindi. Et si resipiscentes, fortè aliquando fuerint ad lamenta conuersi, his, quamdiu viuunt, agenda pœnitentia est, & in vltimo fine suo reconciliationis gratia tribuenda.

Cap. 6. Præterea Monachorum quosdam, atque Monacharum, abiecto proposito sanctitatis, in tantam protestaris demersos esse lasciuiam, vt prius clanculo, velut sub Monasteriorum prætextu, illicita ac sacrilega se contagione miscuerint: postea verò in abruptum conscientiæ desperatione perducti, de illicitis complexibus liberè filios procrearint, quod & publicæ leges, & Ecclesiastica iura condemnant. Has ergo impudicas detestabilesque personas à Monasteriorum cœtu, Ecclesiarumque conuentibus eliminandas esse mandamus: quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere, vt eis vel ad mortem saltem, solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam possit indulgentia subuenire.

Hieronymus. 390.

Epistola octaua ad Demetriadem cap. 2. Aiunt sanctę & nobiles fœminæ, quæ eam viderunt, quæ norunt, quas de littore Galliarum ad habitationem sanctorum locorum, hostium per Africam compulit sæua tempestas, noctibus & secretò, conscijs tantùm virginibus Dei, quæ in matris & auiæ comitatu erant, nunquam eam linteaminum, nunquam plumarum vsam mollitie, sed ciliciolum in nuda humo habuisse pro stratu, iugibus faciem rigasse lachrymis, Saluatoris mente genubus aduolutam, vt suum reciperet propositum, vt impleret desiderium, vt auiæ animum matrisque molliret.

Epistola 22. ad Eustochium de custodia virginitatis cap. 3. O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus horridum Monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse delicijs: sedebam solus, quia amaritudine repletus eram: horrebant sacco membra deformia, & squalida cutis situm AEthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lachrymæ, quotidie gemitus, & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. De cibis verò, & potu taceo, cùm etiam languentes Monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse, luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tantùm socius, & ferarum, sæpe choris intereram puellarum: pallebant ora ieiunijs, & mens desiderijs æstuabat in frigido corpore, & ante hominem sua iam carne præmortuum sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad Iesu pedes iacebam, rigabam lachrymis,

Digitized by Google

crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia subiugabam. Non erubesco confiteri infelicitatis meę miseriam: quin potius plango me non esse, quod fuerim. Memini me clamantem diem crebrò iunxisse cum nocte, nec prius à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret, Domino increpante, tranquillitas. Ipsam quoque cellulam meam, quasi cogitationum mearum consciam, pertimescebam: & mihimet iratus, & rigidus, solus deserta penetrabam. Sicubi concaua vallium, aspera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum, &, vt ipse mihi testis est Dominus, post multas lachrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum, & lætus gaudensque
Cant.1. cantabam: *Post te in odorem vnguentorum tuorum currimus.* Si autem hoc sustinent illi, qui exeso corpore solis cogitationibus oppugnantur, quid patitur puella, quæ delicijs fruitur? Nempe illud Aposto-
1.Tim.5 li: *Viuens mortua est.*

Epistola 27. ad Eustochium cap. 7. de obitu Paulæ: Nunquam post viri mortem vsque ad diem dormitionis suę cum vllo comedit viro, quamuis eum sanctum & in Pontificali sciret culmine constitutum. Balneas, nisi periclitans, non adijt. Mollia, etiam in grauissima febre, lectuli strata non habuit: sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat: si tamen illa quies dicenda est, quæ iugibus penè orationibus dies noctesque iungebat:
Psal.6. illud implens de Psalterio: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* In qua fontes crederes lachrymarum: ita leuia peccata plangebat, vt illam grauissimorum criminum crederes ream. Cumque à nobis crebrius moneretur, vt parceret oculis, & eos seruaret Euangelicæ lectioni, aiebat: Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso, & cerussa, & stibio sæpè depinxi. Affligendum corpus, quod multis vacauit delicijs. Longus risus perpeti compensandus est fletu. Mollia linteamina, & serica pretiosissima, asperitate cilicij commutanda. Quę viro & seculo placui, nunc Christo placere desidero.

Epistola 30. ad Oceanum de obitu Fabiolæ cap. 1. Quis hoc crederet, vt Fabiola, post mortem secundi viri in semetipsam reuersa, saccum indueret, vt errorem publicè fateretur, & tota vrbe spectante Romana, ante diem Paschæ, in Basilica quondam Laterani, staret in ordine pœnitentium, Episcopo, presbyteris, & omni populo collachrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submitteret? Quæ peccata fletus iste non purget? quas inueteratas maculas hæc lamenta non abluant?

Cap. 2. Petrus trinam negationem trina confessione deleuit. Aaron sacrilegium, ob conflatum ex auro vituli caput, fraternæ correxêre preces. Dauid, sancti & mansuetissimi viri, homicidium pariter & adulterium septem dierum emendauit fames: iacebat in terra, volutabatur in cinere, & oblitus regiæ potestatis, lumen quærebat in tenebris, illumque tantùm respiciens, quem
Psal.50. offenderat, lachrymabili voce dicebat: *Tibi soli peccaui, &c.* Non est confusa Fabiola Dominum in terris, & ille eam non confundet in cælo. Aperuit cunctis vulnus suum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit. Dissuta habuit latera, nudum caput, clausum os. Non est ingressa Ecclesiam Domini, sed extra castra cum Maria sorore Moysi separata consedit: vt quam sacerdos eiecerat, ipse reuocaret. Descendit de solio deliciarum suarum, accepit molam, fecit farinam, & discalceatis pedibus transijt fluenta lachrymarum, sedit super carbones ignis: hi ei fuêre in adiutorium. Faciem, per quam secundo viro placuerat, verberabat: oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat: sic dolebat, quasi adulterium commisisset, & multis impendijs medicaminum vnum vulnus sanare cupiebat.

Ad cap. 1. Ioelis: *Accingite vos, & plangite.* Qui peccator est, & quem remordet propria conscientia, cilicio accingatur, & plangat vel propria delicta, vel populi, & ingrediatur Ecclesiam, de qua propter peccata fuerat egressus, & cubet vel dormiat in sacco, & præteritas delicias, per quas offenderat Deum, vitæ austeritate compenset.

Augustinus. 400.

Homilia vltima inter 50. Homil. cap. 4. Iudicet seipsum homo, dum potest, & mores conuertat in melius: ne cùm iam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino iudicetur. Et cùm ipse in se protulerit seuerissimæ medicinæ, sed tamen medicinæ sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claues ministrantur: & tanquam bonus iam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum: vt in offerendo sacrificio cordis contribulati deuotus & supplex, id tamen agat, quod non solùm illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum.

Cap. 5 Non enim sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. *Beati enim misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus.* Matt.5.
Non enim dictum est, vt tantùm abstineatis à peccatis: sed *& de præteritis,* inquit, *deprecare Dominum, vt tibi dimittantur.* Eccle.21

Ad Psalm. 44. Differt manum à peccatis tuis, tu noli differre. Conuerte te ad punienda peccata tua, quia impunita esse non possunt. Puniendum ergo erit aut à te, aut ab ipso. Tu agnosce, vt ille ignoscat.

Ad Psalm. 50. Implora misericordiam, sed attende iustitiam. Misericordia est, vt ignoscat peccanti: iustitia est, vt puniat peccatum. Quid ergo? quæris misericordiam, peccatum impunitum remanebit? Respondeat Dauid, respondeant lapsi, respondeant cum Dauid, vt misericordiam mereantur sicut Dauid, & dicant: Non Domine, non erit impunitum peccatum meum. Noui iustitiam eius, cuius quæro misericordiam Non impunitum erit, sed ideo nolo, vt tu me punias, quia ego peccatum meum punio. Ideo peto, vt ignoscas, quia ego agnosco.

Enchiridio ad Laurentium cap. 65. Sed neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in sancta Ecclesia Dei desperanda est misericordia agentibus pœnitentiam secundùm modum sui cuiusque peccati. In actione autem pœnitentiæ, vbi tale crimen commissum est, vt is, qui commisit, à Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris. *Cor* Psal.50.
enim contritum & humiliatum Deus non spernit. Verùm quia plerunque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba, vel quæcunque alia signa procedit, cùm sit coram illo, cui dicitur: *Gemitus meus à te non est ab-* Psal.37.
sconditus: rectè constituuntur ab ijs, qui præsunt Ecclesiæ, tempora pœnitentiæ, vt fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata. Extra eam quippe non remittuntur.

Cap. 70 Sanè cauendum est, ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt, quotidiè perpetranda, & eleemosynis quotidiè redimenda. In

melius

melius quippe est vita mutanda, & per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodò, vt ea semper liceat impunè committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamuis miserando deleat iam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.

Cap. 71. De quotidianis autem breuibus leuibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum enim est dicere: *Pater noster, qui es in cælis:* qui iam Patri tali regenerati sunt ex aqua & Spiritu sancto. Delet omninò hæc oratio minima & quotidiana peccata.

Concilium Toletanum Primum. 400.

Cap. 5. Quilibet Ecclesiæ deputatus clericus, si intra ciuitatem fuerit, vel in loco, in quo Ecclesia est, si ad Ecclesiam, aut ad sacrificium quotidianum non venerit, clericus non habeatur, si castigatus per satisfactionem veniam ab Episcopo noluit promereri.

Cap. 16. Deuotam peccantem non recipiendam in Ecclesiam, nisi peccare desierit: & si desinens egerit aptam pœnitentiam decem annis, recipiat communionem. Priusquam autem in Ecclesiam admittatur ad orationem, ad nullius conuiuium Christianæ mulieris accedat. Quòd si admissa fuerit, etiam hæc, quæ eam receperit, habeatur abstenta: corruptorem etiam par pœna constringat.

Innocentius Primus. 406.

Epist. 1. *cap.* 7. Cæterùm de pondere æstimando delictorum, sacerdotis est iudicare, vt attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus, atque ad lachrymas corrigentis, ac tum iubere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem.

Epist. 22. *ad Episcopos Macedoniæ cap.* 4. Ergo si ita est, applicentur ad ordinationem sacrilegi, adulteri, atque omnium criminum rei, quia benedictione ordinationis crimina vel vitia putantur auferri: nullus sit pœnitentiæ locus, quia id potest præstare ordinatio, quod longa satisfactio præstare consueuit.

Seuerus Sulpitius. 410.

De virtutibus B. Martini Dialogo 2. Coniugium pertinet ad veniam, virginitas spectat ad gloriam, fornicatio deputatur ad pœnam, nisi satisfactione purgetur.

Sixtus Tertius. 430.

De malis Doctoribus & operibus Fidei: Si quis post sanctum lauacrum fidem dereliquerit, iam non per solam fidem, vt ante baptismum, veniam sperat, sed fletu, planctu, abstinentia, ieiunio, cilicio, etiam & cinere, omnique genere lamentationis implorat. Sed vnde hic humanis mentibus error obrepserit ante omnia nosse debemus, qui Christi fidem non tam ad destruenda, quàm ad protegenda censeat peccata venisse. Proteguntur enim plurimum, cùm securitatis solatio nutriuntur. Maxima enim securitas est, vt per fidei suffragium aut paruo supplicio, aut nullo expianda credantur, quæ ante gratiæ tempus seuerius vindicabantur. Quod si ita est, nescio quomodo Christus Dominus non venerit soluere legem, sed adimplere, si per eius credulitatem disciplina non aucta est, sed minuta. Timoris autem causa sublata est, si pœna dimota est: dimota verò est, si absque vlla pœnitendi satisfactione sub aliquo impunitatis fine conclusa est.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia in die Cinerum: Non reprehenditur ille, qui dudum corde deuio & lubricis gestibus à tramite elapsus salutis, redintegrare se Deo mœsta pœnitentiæ satisfactione conatur, vt Psalm. 50. legitur: *Cor contritum & humiliatum Deus non spernit.*

Bacchiarius. 440.

De recipiendis lapsis ad Ianuarium: Nonne ille egregius & fortis Dauid, qui in adolescentia sua gigantem miræ magnitudinis superauit, postea mulieris ineptæ nuditate superatus, mox vt Prophetæ vocibus quòd peccasset agnouit, statim ad pœnitentiæ malagma confugiens, cicatrices criminum confessionis satisfactione sanauit? Nonne emendationis paruum esse putas tormentum, si peccator asciscitur in consortium beatorum, quia illorum præmia sua sentit esse tormenta? Si quis laudatur, erubescit: si quis vituperatur, agnoscit. Inter hæc flagella verborum constitutus, satisfactioni emendationique semper approximat.

Concilium Arausicanum Primum. 440.

Cap. 3. Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eos communicare, quod morientis sufficit consolationi secundùm definitiones Patrum, qui huiusmodi communionem congruenter viaticum nominauerunt. Quòd si superuixerint, stent in ordine pœnitentium, vt ostensis necessarijs pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiant.

Petrus Chrysologus. 440.

Serm. 167. Si quo fortè nostra mens iaculo fuerit confixa peccati, si caro tumescat ex crimine, si vitiorum sanie fragilitas humana corrumpatur: tunc ægris illa, quæ non sanis pœnitentiæ medicina succurrat, fertum compunctionis accedat, apponatur adustio tunc doloris, adhibeantur suspiriorum tunc fomenta, tumentis conscientiæ feruor tunc euaporet: tunc reatus vlcera lachrymis abluantur, immunditiem corporis cilicia tunc detergant. Ferat amaram pœnitentiæ curam, qui seruare debitam noluit sanitatem. Cui vita sua chara est, dura nulla est cura: medicus non fit ingratus, qui per dolorem reuocat ad salutem. Qui innocentiæ creditum seruat, pœnitentiæ non soluit vsuram, &c. *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum.*) Posuit de caprarum, sed cilicio opus non erat: sed accepit tortuosissimi pilos animantis, nihil habentis recti, nihil gratiæ, nihil decoris: quem natura dedit labori duro, addixit magno ponderi, extremæ tradidit seruituti, tali pœnitentiæ magister indui debuit vestimento: vt qui à recti detorserant disciplina, & deformes se totos formis reddiderant peccatorum, magnis pœnitentiæ sarcinis subderentur, addicerentur duris satisfactionis angoribus, suspiria compunctionis laboriosa portarent: vt directi ac attenuati in modum acus, per angustum pœnitentiæ foramen ampla remissionis intrarent.

Leo Primus. 450.

Epistola 79. *ad Nicetam cap.* 5. De ijs Christianis, qui inter eos, à quibus fuerant captiuati, cibis immolatitijs asseruntur esse polluti, consultationi charitatis tuæ hoc etiam respondendum esse credidimus: vt pœnitentiæ satisfactione purgentur, quæ non tam temporis longitudine, quàm cordis compunctione pensanda est.

Epistola 91. *ad Theodorum Forobiuiensem Episcopum cap.* 2. Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum, per ianuam reconciliationis admitterent.

Epistola 92. *ad Rusticum cap.* 2. Vnde huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei priuata est petenda secessio: vbi illis satisfactio, si digna fuerit, sit etiam fructuosa.

Victor Cartenna Mauritaniæ Episc. 450.

De Pœ-

De Pœnitentia cap. 24. Confitere, & faciem Dei præueni satisfactionis officio, humilia ante eum cor tuum, & in conspectu eius curua ceruicem, flecte genua, & eliso vultu terræ prosternere.

Eucherius Lugdunensis. 430.

Homilia 5. *ad Monachos.* Non putemus tam facilè remitti posse iniusta semel crimina, & profundo vulnere in animæ ipsius impressa visceribus. Multo opus est fletu, multo gemitu, multo dolore cordis, ad sanandos ipsius cordis dolores. Tota incumbendum est spiritus contritione, vt vetusta mala, tamquam sagittæ quædam, de conscientia debellentur. Non sufficit dicere summis labijs: peccaui: parce, remitte. Et Saul dixit: *Peccaui*; sed non obtinuit illam veniam, quam Dauid vna pœnitentiæ voce promeruit. Et hoc quare? Quia confessionem illam nuda magis verba, quàm veri gemitus exprimebant. Quia non compensabat magnitudinem criminis lenta humiliatio supplicantis. Non leui agendum est contritione, vt debita illa redimantur, quibus mors æterna debetur. Nec transitoria opus est satisfactione pro malis illis, propter quæ paratus est ignis æternus.

Concilium Venetum. 460.

Cap. 1. Itaque censemus homicidas & falsos testes à communione Ecclesiastica submouendos, nisi pœnitentiæ satisfactione crimina admissa diluerint.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 1. *ad populum in Quadragesima:* Perduræ crucis exercitio deceptæ dudum carnis gaudia puniuntur, & sic mortificatione præsenti futura mortis sententia præuenitur: & dum culpæ auctor humiliatur, culpa consumitur: dumque exterior afflictio voluntariæ districtionis infertur, tremendi iudicij offensa sedatur, & ingentia debita labor soluit exiguus, quæ vix consumpturus erat ardor æternus, &c. Hæc & huiusmodi commissa expiari penitus communi & mediocri, licet secreta, satisfactione non possunt: sed graues causæ grauiores, & acriores, & publicas curas requirunt: vt qui cum plurimorum afflictione se perdidit, simili modo cum plurimorum ædificatione se redimat.

Homilia de verbis Apostoli 1. Corinth. 3. *Si cuius opus arserit,* &c. Istis operibus, & similibus minuta peccata quotidie redimuntur. Pro capitalibus verò criminibus non hoc solùm sufficit, sed addendæ sunt lachrymæ, & rugitus, & gemitus, continuata & prostrata longo tempore ieiunia, largiores eleemosynæ, etiam plus quàm nos ipsi valere possumus, erogandæ, vltro nos ipsos à communione Ecclesiæ remouentes, in luctu & tristitia multo tempore permanentes, & pœnitentiam etiam publicè agentes.

Gennadius Massiliensis. 480.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 53. Quamuis quis peccato mordeatur, peccandi tamen non habeat de cætero voluntatem, & communicaturus satisfaciat lachrymis & orationibus &c. Sed hoc de illo dico, quem capitalia, & mortalia peccata non grauant. Nam quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, & ita sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari, si vult non ad iudicium, & ad condemnationem sui Eucharistiam percipere. Sed & secreta satisfactione solui mortalia crimina non negamus, sed mutato prius seculari habitu, & confesso religionis studio per vitæ correctionem, & iugi, imò perpetuo luctu, miserante Deo, ita duntaxat vt contraria pro ijs, quæ pœnitet agat, & Eucharistiam omnibus Dominicis diebus supplex & submissus vsque ad mortem percipiat.

Cap. 54. Pœnitentia vera est pœnitenda non admittere, & admissa deflere. Satisfactio pœnitentiæ est, causas peccatorum excidere, nec earum suggestionibus aditum indulgere.

Saluianus Massiliensis. 480.

Libro 1. *ad Ecclesiam:* Quando lugebit, qui dies lugendi perdidit? quando satisfaciet, qui tempus satisfactionis amisit? Ad ieiunia forsitan longa confugiet. Est quidem hoc aliquid: sed eleemosynis misceatur, secundùm illud: *Bonum est ieiunium cum eleemosyna.* Sed quomodo ei exomologesis diuturna opitulabitur iam in extremis sito? Sed cilicio carnes conteret, ac fauilla & cinere sordidabit, vt mollitiem videlicet præteritæ voluptatis præsentium asperitatum duritia compenset, & reatum longarum deliciarum officio patrocinantis soluat iniuriæ. Sed quando hæc tam grandia faciet, & vicino iam exitu à mediocrium actione disclusus?

De Prouidentia Dei lib. 2. Dauid agnoscit, scilicet reus, culpam, humiliatur, compungitur, confitetur, luget, pœnitet: gemmas regias abdicat, crepantia auro textili indumenta deponit, purpura exuitur, diademate exoneratur, cultu & corde mutatur: torum regem cum ornatibus suis abijcit, pœnitentem cum patrocinio ambitiosi squalloris assumit, ieiunio exigitur, ariditate siccatur, fletu effunditur, solitudine carceratur.

Concilium Romanum sub Felice III. 487.

Cap. 1. Imprimis itaque venientis ad vos, & remedium postulantis solicitè discutienda est professio, & persona decepti, vt medela possit congruens exhiberi. Et qui satisfacturus Deo per pœnitentiam, se rebaptizatum legitimè doluerit, vtrum ad hoc facinus concurrerit, an impulsus accesserit requiratur, &c. Cùm peccatoris à nobis satisfactio protrahitur, non præter laudem nostram atque lætitiam mens eius ad veniam purgatior inuenitur. Et ideò memineritis, hanc super his nos habere sententiam, vt seruata discretione peccantium, non eadem cuncti, qui lapsi sunt, lance pensentur: quoniam maioris castigationis vsura exigendus est: cui domus Domini commissa fuerit disciplina.

Gelasius Primus. 490.

Epistola ad Episcopos per Lucaniam constitutos cap. 23. Viduæ, quæ propria voluntate professam pristini coniugij castitatem mutabili mente calcauerunt, periculi earum interesit, quali Deum satisfactione placare debeant: quia (iuxta Apostolum) *primam fidem irritam fecerunt.* 1. Tim. 5.

Alcimus Auitus. 500.

Homilia 1. *de festi Rogationum institutione:* Currit quidem tramite vitali, non per Gallias modò, sed penè per orbem totum rogationis obseruantię flumen irriguum, & infectam vitijs terram vberi fluxu annuæ satisfactionis expurgat.

Concilium Epaunense. 517.

Cap. 29. Lapsis, qui in Catholica fide baptizati, præuaricatione damnabili post in hæresin transierunt, grandem redeundi difficultatem sanxit antiquitas. Quibus nos annorum multitudine breuiata, pœnitentiam biennij conditione infrascriptæ obseruationis imponimus, vt præscripto biennio, tertia die sine relaxatione ieiunent, & Ecclesiam studeant frequentare, in pœnitentium loco standi & orandi humilitatem nouerint obseruandam, ac etiam si ipsi quomodo catechumeni procedere commonentur, abscedant. Hoc si obseruare voluerint, constituto tempore admittentur ad altarium, & obseruatio relaxetur.

Benedictus Abbas. 530.

In Regula cap. 44. Qui pro grauiori culpa ab orato-

oratorio, & à mensa excommunicatur, hora, qua opus Dei in oratorio celebratur, ante fores oratorij prostratus iaceat, nihil dicens, nisi tantùm posito in terra capite, stratus pronus omnium de oratorio exeuntium pedibus, & hoc tam diu faciat, vsque dum Abbas iudicauerit satisfactum esse.

Vigilius Papa. 535.

Epistola ad Cæsarium Arelatens. de Pœnitentia Theodoberto Regi Francorum iniungenda, ob incestuosas nuptias contractas: Si pro obseruatione cælestium mandatorum Catholicæ filios Ecclesiæ opportunè sacerdotes singulos decet instruere, quanto magis his, qui deuotione laudabili de rebus sibi dubijs ad studium veniunt consulendi, competenti necesse est ordine responderi? Hinc est, quòd gloriosi filij nostri Theodoberti interrogationem, qua nos per Modericum virum illustrem legatum suum credidit requirendos, duximus amplectendam: in qua gloriam suam desiderat informari, cuiusmodi pœnitentia possit illius purgare delictum, qui cum vxore fratris sui præsumpsit inire coniugium. Cui nos equidem missis affatibus, quorum tenorem tua fraternitas in subiectis inueniet, hoc indicare curauimus, quoniam tale commissum non parua cordis afflictione valeat expiari. Sed quia modus pœnitentiæ præsentium potius sacerdotum inspectioni committitur, vt iuxta compunctionis meritum veniæ quoque possit indulgeri remedium: tuæ hoc potius æstimationi credimus relinquendum. Quapropter charitas tua totius facti qualitate ac pœnitentis ipsius compunctione perspecta, prædictum gloriosum Regem filium nostrum & de temporis obseruatione non omittat instruere, & ne vlterius tale aliquid præsumatur instanter exposcat. Illud quàm maximè præcauendum, vt ne ipse, qui hoc noscitur admisisse, ad eosdem vomitus reuertatur, sed diuisis etiam habitationibus commanentes, ab omni suspicione commissi facinoris reddantur immunes.

Cassiodorus. 540.

Ad Psalm. 6. Dona Domine in satisfactione nostra tota nos charitate compungi, qui nobis salutarem supplicandi regulam præstitisti.

Ad Psalm. 37. *Et cogitabo pro peccato meo,* id est, talia redonante faciam, quæ meum possint abolere peccatum, scilicet fletus adhibebo, eleemosynas faciam, & ab hoc, quod deliqui, mandatorum tuorum obseruatione me purgabis.

Concilium Toletanum Tertium. 589.

Cap. 11. Quoniam comperimus, per quasdam Hispaniæ Ecclesias, non secundùm Canones, sed fœdissimè pro suis peccatis homines agere pœnitentiam, vt quoties peccare libuerit, toties à presbyteris se reconciliari expostulent: & ideo pro coercenda tam execrabili præsumptione, id à sancto Concilio iubetur, vt secundùm formam Canonum antiquorum detur pœnitentia, hoc est, vt prius eum, quem sui pœnitet facti, à communione suspensum, faciat inter reliquos pœnitentes ad manus impositionem crebrò recurrere. Expleto autem satisfactionis tempore, sicuti sacerdotalis contemplatio probauerit, eum communioni restituat. Hi verò, qui ad propria vitia, vel intra pœnitentiæ tempus, vel post reconciliationem relabuntur, secundùm priorum Canonum seueritatem damnentur.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 9. Moralium cap. 17. Delinquenti Dominus nequaquam parcit, quia delictum fine vltione non deserit. Aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia nullatenus fine vindicta laxatur. Sic Dauid audire post confessionem meruit, *Dominus transtulit peccatum tuum.* Et tamen multis post cruciatibus afflictus, ac fugiens, reatum culpæ, quam perpetrauerat, exoluit. Sic nos salutis vnda à culpa primi parentis absoluimur, sed tamen reatum eiusdem culpæ diluentes, absoluti quoque adhuc carnaliter obimus. Bene ergo dicitur: *Sciens quòd non parceres delinquenti,* quia delicta nostra siue per nos, siue per semetipsum resecat, etiam cùm relaxat. Ab electis enim suis iniquitatum maculas studet temporali afflictione tergere, quas in eis in perpetuum non vult vindicare. 2.Reg.12

Ad cap. 15. lib. 1. Regum: Quid prodest confiteri flagitia, si confessionis vocem non sequitur afflictio pœnitentiæ? Tria quippe in vnoquoque consideranda sunt veraciter pœnitente, videlicet, conuersio mentis, confessio oris, & vindicta peccati. Nam qui corde non conuertitur, quid prodest ei, si peccata confiteatur? Peccatum quod diligitur, confitendo minimè deletur. Nonnulli quidem sunt, qui peccata confitendo aperiunt, sed non conuertendo nequaquam detestantur. Hi profectò confitendo nihil agunt: quia quod loquendo eijciunt, amando introducunt. Tertia species, id est, vindicta, quasi medicina necessaria est, vt apostema reatus, quod conuersione compungitur, confitendo purgetur, afflictionisque medicina sanetur. Signum ergo veræ confessionis, non est in oris confessione, sed in afflictione pœnitentiæ. Tunc namque bene conuersum peccatorem cernimus, cùm digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur.

Homilia 34. super Euangelia: Cogitandum summopere est, vt qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere: quatenus per hoc conditori suo satisfaciat, vt qui commisit prohibita, sibimetipsi abscindere debeat etiam concessa, & se reprehendat in minimis, qui se meminit in maximis deliquisse.

Isidorus Hispalensis. 620.

De summo bono libro 2. cap. 13. Quamuis per pœnitentiam propitiatio peccatorum fit, fine metu tamen homo esse non debet: quia pœnitentis satisfactio diuino tantùm pensatur iudicio, non humano. Proinde quia miseratio Dei occulta est, sine intermissione flere necesse est. Neque enim vnquam oportet pœnitentem habere securitatem de peccatis.

Libro 6. Etymol. cap. 19. Pœnitentia appellata est quasi punientia, eò quòd ipse homo in se puniat pœnitendo, quod malè admisit. Nam nihil aliud agunt, quos verè pœnitet, nisi vt id, quod malè fecerunt, impunitum esse non finant. Eo quippe modo sibi non parcentibus ille parcit, cuius altum iustumque iudicium nullus contemptor euadet.

Eucherius Gallus. 640.

In lib. 4. Regum cap. 5. Per panem subcinericium, quem sibi verus Helias Dominus noster nationum Ecclesiam præcipit exhibere, quid aliud accipiendum est, nisi pœnitentium satisfactio? Idipsum Psalmographo sub persona pœnitentis canente, cùm dicit: *Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu temperabam.* His Psal. 101 enim satisfactionibus Dominus se pasci hortatur, &c. Postquam fidelis quis pristinis initijs per pœnitentiæ satisfactionem sua mortificauerit membra, sublatus à terrenis cupiditatibus, & carnalibus desiderijs, per meditationem legis & Prophetarum, Euangelicaque prædicatione viuificari meruerit, templumque fuerit diuinum effectus: illuc intentionem animi contendit dirigere, vbi Christus est.

Eugen.

Eligius. 640.

Homilia 4. in Cœna Domini: Qui peccando ei factus est inimicus, nisi satisfaciendo non potest ei reconciliari, vt fiat amicus.

Homilia 11. Pœnitentia satisfactionem ostentat, satisfactio sibi veniam diuina pietate conciliat. Nec enim poterit indulgentia tribui, nisi ira Dei possit confessione placari.

Theodorus Cantuariensis. 650.

26.q.7 *In Pænitentiali:* Ab infirmis in periculo mortis positis per presbyteros pura inquirenda est confessio peccatorum, non tamen est imponenda illis quantitas pænitentiæ, sed innotescenda, & cum amicorum orationibus & eleemosynarum largitionibus pondus Pœnitentiæ subleuandum, si fortè migrauerint. Si verò conualuerint, pœnitentiæ modum, sibi à sacerdote impositum, diligenter obseruent. Alijs verò pro qualitate peccati pœnitentia decernenda est præsidentium arbitrio.

Concilium Cabilonense Primum. 658.

Cap. 8. De Pænitentia verò peccatorum, quæ est medela animæ, vtilem omnibus hominibus esse censemus: & vt pœnitentibus à sacerdotibus (facta confessione) indicatur pœnitentia, vniuersitas sacerdotum noscitur consentire.

Hildephonsus Toletanus. 660.

Sermone in Purificatione S. Mariæ: Immunda nostra pretio quinque siclorum redimimus, cùm quæcunque praua per quinque corporis sensus commisimus, digna satisfactione punimus.

Beda. 700.

In Psalm. 4. *Sacrificate Sacrificium.*) q.d. ita dico, vt irascamini præteritis peccatis, vt sacrificetis sacrificium, id est, mortificetis propria vitia vestra, faciendo dignos fructus pænitentiæ: tantum scilicet pro singulis vos affligentes, quantum digna expetit pænitentia, quod erit sacrificium iustitiæ, id est, iustum sacrificium. Nam nihil iustius est, quàm qui punit aliena peccata, vt puniat propria: & vt quisque tantum se affligat, quantum fœdata eius meruit conscientia, & sic seipsum faciat Deo suaue sacrificium.

Allegoricæ expositionis in Esdram lib. 2. cap. 8. Facile est conuersum quemque ad fidem agnitionemque veritatis abrenuntiare diabolo, & confiteri Deum viuum & verum, Sacramenta Christi percipere, hisque initiatum in remissionem omnium peccatorum templum eius effici, atque acceptam vitæ innocentiam comitante eius gratia seruare: sed multi laboris est, eum, qui accepta fidei Sacramenta peccando contemnit, pristinam recipere dignitatem: quia non huic facilè emundatio per aquam baptismi denuò dari potest, sed infectum scelus longo pænitentiæ labore, largis lachrymarum fluentis, districtiori continentiæ sudore eluendum est: cuius emundationi ipsa quoque consuetudo vitiorum, quasi inimica Samaritanorum turba repugnat: tanto ad superandum difficilior, quanto diutius terram cordis virtute vacuam possidebat.

Gregorius Secundus. 720.

Epistola 8. ad Bonifacium: De his verò dicimus: qui patrem, matrem, fratrem, aut sororem occiderit, vt toto vitæ suæ tempore corpus non suscipiat Dominicum, nisi tempore exitus pro viatico: Abstineat à potu vini, & carnis comestione donec vixerit, ieiunet secundam, quartam, & sextam Ferias, vt sic posset deflens diluere commissum scelus.

Concilium Franticanum. 740.

Statuimus similiter, vt quisquis seruorum Dei, vel ancillarum Christi in crimen fornicationis lapsus fuerit, vt in carcere pœnitentiam faciat, in pane & aqua: & si presbyter ordinatus sit, duos annos in carcere pœnitentiam faciat, & in carcere permaneat. Si autem clericus vel monachus in hoc peccatum ceciderit, post tertiam verberationem in carcerem missus, vertentem annum ibi pœnitentiam agat.

Alcuinus. 750.

De diuinis officijs cap. 13. in capite Ieiunij: Qui veram pœnitentiam faciunt, agant in ieiunio & fletu, in eleemosynis & orationibus, & perpetrata iterum non faciant.

In Psal. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.)* Veram semper egit pænitentiam hic spiritus, & non cessauit in fluentis lachrymarum antiqua delicta diluere, vt tu intelligas, nisi veram pænitentiam egeris, tibi facilè non dimitti quæ gesseris. Vera est enim pænitentia iugiter fletibus commissa diluere, & abluta non iterare.

Paulinus Aquileiensis. 780.

Aduersus Felicem Vrgel. Eliphandum & Felicem, nouos hostes Ecclesiæ, sed veternosa ferè perfidia pollutos, nisi ab hac stultitia resipiscant, & per rectæ fidei satisfactionem lamentis se abluant pænitentiæ, indignos & ingratos eos à consortio Catholicorum perpetua animaduersione eliminare decerno, & à gremio sanctæ matris Ecclesiæ censeo alienos.

Carolus Magnus. 790.

Lib. 7. Legum cap. 12. Satisfactio pœnitentiæ non est tam temporis longitudine, quàm cordis compunctione pensanda.

Concilium Turonense Tertium. 813.

Cap. 22. Episcopis & Presbyteris diligenti cautela pertractandum est, qualiter hominibus, sua delicta confitentibus tempus abstinendi ascribant; vt iuxta modum peccati, pœnitentibus abstinentia indicetur. Quoniam verò ab aliquibus sacerdotibus indiscretè hæc iudicia proferuntur: ideo necessarium videbatur nobis, vt cùm omnes Episcopi ad sacrum palatium congregati fuerint, ab ijs edoceri, cuius antiquorum liber pænitentialis potissimum sit sequendus

Concilium secundum Cabilonense. 813.

Cap. 25. Pœnitentiam agere iuxta antiquam Canonum constitutionem in plerisque locis ab vsu recessit, & ne excommunicandi, neque reconciliandi antiqui moris ordo seruatur: vt à Domino Imperatore impetretur adiutorium, qualiter si quis publicè peccat, publica mulctetur pænitentia: & secundùm ordinem Canonum pro merito suo excommunicetur, & reconcilietur.

Concilium Rhemense. 813.

Cap. 12. Omnibus his actis, ventilata est ratio pœnitentiæ, vt sacerdotes certius intelligerent, quomodo confessiones recipere, & pœnitentiam secundùm Canonicam institutionem pœnitentibus deberent indicare.

Haymo. 820.

In Octaua Pascha: Non solùm quippè iudicio & quantitas & qualitas peccati est consideranda, sed etiam persona peccantis, & satisfactio pœnitentis.

Feria 2. post Vocem iucunditatis in Litanijs maioribus: Quòd si sibi ipsis iudices fiant, & velut suæ iniquitatis vltores, hi in se voluntariam pœnam seuerissimæ animaduersionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lachrymis, ex vera cordis contritione fluentibus, restinguent æterni ignis incendia.

Aimoinus. 825.

Historia Francorum lib. 3. cap. 39. Fuit illo tempore reclusus quidam Dei seruus Hospitius nomine, apud Nicensem vrbem, qui catenis super nudum corpus constrictus ferreis, desuper cilicio tegebatur: cæteris quidem diebus purum panem & paucos da-

Digitized by Google

cos dactilos edebat: in Quadragesima verò radicibus earum, quas nemus ferebat, herbarum alebatur. Per quem in terris solo adhuc corpore conuersantem virtutes multas ad laudem & ad gloriam nominis sui Dominus ostendere dignatus est.

Christianus Druthmarus. 830.

Ad cap. 3. Matth. Fructum dignum pœnitentiæ facere, est præterita mala fletibus punire, & bona è contrario agere, & mala commissa eleemosynis redimere.

Ionas Aurelianensis. 840.

Libro 1. de cultu imaginum: Peccata, quæ post baptismum committuntur, pœnitentiæ lachrymis & eleemosynarum largitionibus diluuntur.

Rabanus Maurus. 850.

De institutione Cleri libro 2. cap. 30. Satisfactio est causas peccatorum & suggestionum excludere, & vltra peccatum non iterare. Reconciliatio verò est, quæ post complementum pœnitentiæ adhibetur. Nam sicut conciliamur Deo, quando primùm à gentilitate conuertimur: ita reconciliamur, quando post peccatum pœnitendo regredimur. Quorum autem peccata in publico sunt, in publico debet esse pœnitentia per tempora: quæ pœnitentibus Episcopi arbitrio secundùm differentiam peccatorum decernuntur.

Libro 13. in Hieremiam: Conueniens ordo, vt in dictione pænitentiæ prædicetur ieiunium parsimoniæ, vt qui per luxum non cauendo vitia in peccatum inciderant, per abstinentiam & afflictionem corporis eadem peccata abluere contendant.

Hincmarus. 850.

In vita S. Remigij: Vt erat dilectissimus, exempla pœnitentium in vnum colligens Genebaldo proposuit, & pænitentiam indixit, factaq; mansiuncula cum lecto in modum sepulchri, & paruis fenestellis ac oratorio, Genebaldum in ea reclusit, in qua reclusione pœnitentiæ quantæ contritionis & continentiæ fuerit diuina misericordia demonstrauit.

Nicolaus Primus. 860.

Apud Gratianum 12. q. 2. de viro Frontario: De viro nefando, Burgando nomine, qui rabie insana commotus, diabolicis se irretire laqueis non dubitauit, atque gentilium more per abrupta itinera, & compita insidians vobis in vestræ Ecclesiæ villa vnà cum clericis vestris manentibus, & populum salubribus instruere dogmatum monitis decertantibus, panéq; spiritualis verbi vacua hominum corda reficientibus, atque laudabile propriæ salutis desiderium habentibus, sancta Apostolorum Petri & Pauli limina visitare, collectis malitiæ suæ sequacibus, & iniquitatis complicibus, nefarias inuasiones & deprædationes violentas inferre dæmoniaco ausu præsumpsit: & vt epistolæ vestræ textus eloquitur, sacrum altare, sacraque Dominici corporis & sanguinis vasa, insuper & sanctum Chrisma pollutis arripere manibus, quasi vilia, & ad vsum communem apta, præsumpsit, dilectio nos vestra consulit, si ipsi, vel qui cum eo in tam impio, & iniquo scelere fuerunt, ad pœnitentiam quandoque gratia tracti diuinæ venire voluerint, quo eos pœnitentiæ vinculo constringatis, nostræ institutionis censuram exposcere curastis. De quibus (si tamen ita est) iubemus, cùm ad pænitentiam quandoque reuerti accelerauerint, vno anno extra Ecclesiam Dei consistere, cuius sacratissima vasa extra ritum fidei Christianæ diripiendo auferre non dubitauerint: secundo verò anno ante fores Ecclesiæ sine communione maneant: tertio verò anno Ecclesiam Dei ingrediantur, & inter audientes astent sine oblatione, non manducantes carnem, neque bibentes vinum, præter Natalis & Resurrectionis Dominicę dies: quarto præterea anno (si his prioribus tribus annis eorum fructuosus fuerit pœnitentiæ labor) communioni fidelium restituantur, totaq; mentis intentione spondentes, talia se vlterius nunquam facturos, corpus & sanguinem Domini suscipere mereantur, & vsque ad septimum annum tribus in hebdomada diebus sine esu carnium, & vini potatione maneant pœnitentes.

Paschasius Ratbertus 880.

In vita S. Adelardi: Ipse gloriosus Imperator Loduicus publicam ex nonnullis suis reatibus pœnitentiam suscipiens, factus est omnium humilimus: qui quasi regali elatione sibi pessimus persuasor fuerat, vt quorum oculi offenderant in delicto, satisfactione regia sanarentur.

Concilium Moguntinum. 888.

Cap. 16. Qui sacerdotem morti voluntariè tradiderit, carnem non comedat, nec vinum bibere præsumat omnibus diebus vitæ suæ. Ieiunet autem vsque ad vesperam, exceptis diebus Festis & Dominicis: arma non sumat, & vbicunque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, sed proprijs pedibus proficiscatur. Ecclesiam per quinquennij tempus non ingrediatur, sed cùm sacrarum orationum officia, aut Missarum solennia celebrantur, ante fores basilicæ perseueret, orans ac deprecans Dominum, vt tanto crimine abluatur. Post expletum verò quinquennij tempus ingrediatur Ecclesiam, non tamen communicet, sed inter audientes tantummodò stet, vel dum facultas conceditur, sedeat. Dum autem duodecimi anni cursus fuerit finitus, communicandi ei tribuatur medela. Maneat tamen in reliquis obseruationibus tres dies per hebdomadam, vt ad perfectionis purificatus mereatur venire culmen.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 900.

Cap. 7. Dignus Pœnitentiæ fructus est, dolor mali præteriti, satisfactio delicti. Denique ista tria consideranda, Pœnitentiam, fructum, & dignum, Quæ sunt ista tria? Dolor præteriti, custodia futuri, satisfactio delicti. Tanta est pœnitentia tua, quanta contritio tua, quanta deuotio tua: Contritio scilicet pro malo, quod fecisti, deuotio pro bono recuperando, quod amisisti. Noli laborem pœnitentiæ verbis exponere, quia tantum profecisti, quantum laborasti. Opus sine contritione, flos sine fructu: contritio sine opere, fructus est sine maturitate.

Cap. 10. Licet Pater misericordiarum pœnam istam Israelitis indulserit, tamen Moses in Spiritu Dei huius indulgentiæ terminum fieri per mortem peccantium agnouit: vt ipsa mora occumbentium vel sic veniam mereretur, quæ ex mentis duritia à malo, quod fecerat, nulla pænitentia mundaretur. Itaque licet nobis de peccatis diuinitus venia concedatur, quærit tamen Deus, vt quod malè egimus per flammam dignæ pænitentiæ exuratur. Proinde peccatori disciplina & misericordia semper adhibenda est, vt quod malè gessit, vitio feriat, & quòd factus à Deo est, misericordia componat.

Concilium Nannetense. 900.

Cap. 5. Infirmus, qui necessitate mortis vrgente confitetur peccata sua, sub ea conditione à sacerdote reconcilietur, vt si ei Dominus vitam donauerit, sanitatemq; reddiderit, secundùm qualitatem delicti omnino pæniteat.

Regino Prumiensis. 920.

In Chronicis de anno 868. Ad hæc Papa rescripsit, Sedem Sancti Petri semper paratam esse dignam satisfactionem suscipere, nec quod diuinæ humanæq; leges iustè decernunt, vnquam repulisse. Itaq; si immunem ab obiectis se sciret, cum omni fidu-

by Google

cia sedem Apostolicam adiret, & expetitam benedictionem perciperet: si culpam autem recognosceret nihilominus tamen absque hæsitatione venire festinaret, condigna pœnitentiæ remedia suscepturus.

Radulphus Flauiacensis. 950.

Lib 3 in Leuiticum cap. 3. Non sufficit peccata deseruisse, nisi congrua satisfactione, quod iniquè perpetratum est, aboleatur. Vnde monet Scriptura: *De propitiato peccato noli esse sine metu.*

Eccl. 5.

Lib. 18. cap. 4. Venditores huius possessionis hi sunt, qui claues regni cælorum à Domino susceperunt, quibus commissa est potestas vt ligent & excludant peccantes, soluant & introducant pœnitentes. Istis ergo, iuxta Domini præceptum, prouidendum est, vt in hoc mercimonio non grauent ciues suos, maiorem satisfactionem exigentes, quã peccati qualitas requirit. Emptor quoque caueat necesse est, ne Dei dispensatorem contristet, si tepida scilicet mente, seu delicti veniam petens iustam satisfactionis suæ mensuram non explet.

Rosvvida Monialis. 960.

De gestis Ottonis, agens de Pœnitentia Henrici Imperat.

Adueniens in regalem se contulit vrbem,
In qua natalem regis celebrare perennis,
Depositisq; suis ornamentis pretiosis,
Simplicis & tenuis fruitur velamine vestis,
Inter sacratos noctis venerabilis hymnos
Intrans nudatis templi sacra limina plantis:
Nec horret hyemis sæuum frigus furientis,
Sed prono sacram vultu prostratus ad aram,
Corpus frigoris sociauit nobile terræ:
Sic mærens toto conamine cordis,
Optans præstari veniæ munus sibi dulcis.

Smaragdus. 970.

In Diademate Monachorum cap. 14. Ille pœnitentiam dignè agit, qui reatum suum satisfactione legitima plangit, condemnando scilicet quæ gessit & tanto inde plorando profundius, quanto in peccando extitit procliuior.

Cap. 16. Prouidendum est his, qui peccata suorũ operum deplorant, vt consummata mala per perfecta diluant lamenta, ne plus perstringãtur in debito perpetrati operis, & minus soluant in fletibus satisfactionis.

Cap. 29. Nequaquam Deus delinquenti parcit, quoniam peccatorem aut flagello temporali ad purgationem ferit, aut iudicio æterno puniendum relinquit, aut ipse in se hoc pænitendo punit, quod malè admisit.

Abbo Floriacensis. 1020.

In vita S. Eadmundi: Theodardus conuersus grauiter indoluit, & sibi pœnitentiam indicens, diutius se grauibus lamentis dedit, qua tandem peracta, populis suæ diœcesios mandat, vt triduano ieiunio à se diuinæ indignationis iracundiam remoueant.

Concilium Salegunstadiense. 1020.

Cap. 18. Quia multi tanta mentis suæ falluntur stultitia, vt in aliquo capitali crimine culpari, pœnitentiam à suis sacerdotibus accipere nolint, in hoc maximè confisi, vt Romam euntibus Apostolicus sibi omnia dimittat peccata: sancto visum est Concilio, vt talis indulgentia illis non prosit, sed prius iuxta modum delicti pœnitentiam sibi datam à suis sacerdotibus adimpleant, & tunc Romam ire si velint, ab Episcopo proprio licentiam, & literas ad Apostolicum de ijsdem rebus deferendas accipiant.

Petrus Damianus. 1030.

Sermone de S. Andrea: Ne tibi blandiaris, si grauiter peccanti leuior pœnitentia à mansueto, vel à dissimulante dictatur, cùm in purgatorijs ignibus perficiendum sit, quicquid hîc minus feceris: quia dignos patientiæ fructus quærit Altissimus.

Radulphus Ardens. 1060.

Homil. in Feria quarta in cap. Ieiunij: *Scindite corda, & non vestimenta vestra.* Per hoc satisfactio de commissis peccatis nobis demonstratur, quæ consistit in tribus, in satisfactione operis, in compunctione mentis, in confessione oris. Porrò ad satisfactionem operis non hortatur, cùm dicit: *in ieiunio.* Et quia non sufficit sine cordis pænitudine, & compunctione, subsequenter ad compunctionem mentis nos hortatur, cùm dicit: *in planctu & fletu.* Per fletum quippe & planctum interior compunctio sacerdoti propalatur.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad cap. 3. Matth. Pænitere est anteacta deflere, & deflenda non committere. Agere Pænitentiam est post pænitentiam satisfacere, ieiunando, eleemosynas dando, &c.

Ad cap. 11. prioris ad Corinth. Peccata siue parua, siue magna, impunita esse non possunt: quia aut homine puniente, aut Deo iudicante plectuntur. Cessat autem vindicta diuina, si conuersio præcurrat humana.

Bruno Carthusianus. 1080.

Ad cap. 12. Epist. ad Heb. Licet peccata dimittat Dominus, nulli tamen pæna remittitur, quin vel in hac vita, vel in futura soluatur, vel ab ipso homine spontanea voluntate, quod opus acceptius est, vel ab alio sibi inferente, sicut pro originale probare possumus, quod quidem in baptismo remittitur, pœna tamen eius peccati, mortalitas scilicet, & passibilitas relinquitur.

Hildebertus Cenomanensis. 1100.

Epistol. 50. Oblatio domus tuæ à clericis ne suscipiatur interdixi, communionemqúe tibi interdico, donec peracto pro ausibus à me definito tibimet pænitentiæ tempore, contrito corde, & humiliato, dignum offeras Deo sacrificium.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epistola 160. Præsentium portitor diabolico instinctu quendam Presbyterum castrari fecit. Quod quia inauditum apud nos fuerit, coacto rigore Ecclesiastico arma ei abstulimus, & quatuordecim annorum pænitentiam ei indiximus, vt diebus sibi præscriptis à cibis lautioribus abstineret, & tam immane facinus eleemosynis & ieiunijs expiaret.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone de Quadragesima: Dum viuimus, & sani sumus, ad pænitentiam & satisfactionem curramus, ne tenebris mortis præuenti velimus, & nequeamus, &c. Ideo isti dies ad hoc sunt constituti, vt nos orationibus purgemus, & Creatori nostro pro peccatis satisfacere ieiunijs curemus.

Hugo Victorinus. 1130.

Tractatu sexto cap. decimo de Pænitentia: In Pœnitentia consideranda sunt hæc tria: Compunctio, Confessio, Satisfactio. Compunctio est in contritione cordis, quæ nascitur ex recordatione præteritorum malorum, & ex timore iudicij futuri. Satisfactio post confessionem fit per ieiunia, orationes, & cætera opera bona.

Bernardus. 1130.

Serm. 55. in Cant. Vnum tamen est, si nosmetipsos dijudicauerimus, non vtiq; iudicabimur. Bonum iudicium, quod me illi districto diuinoq; iudicio

subducit, & abscondit. Prorsus horreo incidere in manus Dei viuentis. Volo vultui iræ iudicatus præsentari, non iudicandus Spiritualis homo omnia dijudicat,& ipse à nemine iudicatur. Iudicabo proinde mala mea, iudicabo & bona: mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lachrymis, punire ieiunijs, cæterisq; sanctæ laboribus disciplinæ. In bonis de me humiliter sentiam, & iuxta præceptum Domini seruum me inutilem reputabo, qui quod facere debui, tantùm feci.

1.Cor.2.

Serm.66. in Cant. de Pseudoapostolis à lacticinijs abstinentibus: Hinc quoque hæreticos se probant, non sanè quia abstinent, sed quia hæreticè abstinent. Nam & ego interdum abstineo, sed abstinentia mea satisfactio est pro peccatis, non superstitio pro impietate. Num redarguimus Paulum quòd castigat corpus suum,& in seruitutem redigat?

Tractatu de interiori domo cap.1. His modis interior conscientia ædificatur, quam vtique bonam faciunt præteritorum malorum condigna satisfactio, & instantium malorum cauta prouidaque declinatio. Condigna satisfactio est malefacta corrigere,& correcta non iterare.

De gradibus humilitatis: Qui veraciter pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret: sed quicquid sibi pro culpa, quam odit, iniungitur, tacita conscientia patienter amplectitur.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib.4. Sententiarum dist.15. Non est dicenda illa peccati satisfactio, quam quis agit pro vno peccato dum perdurat in altero. Quia nihil prodest ieiunare, orare, & alia bona opera facere, nisi mens reuocetur à peccato. Et si aliquando conuersus tacitum peccatum Sacerdoti fuerit confessus, de vtroque imponenda est ei satisfactio: quia de primo condignè non satisfecit.

Richardus Victorinus. 1140.

De Incarnatione Verbi cap.14. Quibuslibet infidelibus ad Baptisma confluentibus sufficit pęnitentia sola sine satisfactione aliqua: Fidelibus verò peccantibus & pęnitentibus non sufficit pęnitentia sola sine satisfactione condigna.

Petrus Cantor. 1160.

Cap.107. Age Pęnitentiam condignam & fructuosam, quæ erit, si totius illecebrosæ voluptatis blandimenta contempseris, si te vehementius per pęnitentiam excruciaueris, si vberius fleueris, si largius pauperes sustentaueris, si charitate ardentius flagraueris, si piè, iustè, & sobriè vixeris, tunc quidem præsumes de venia.

Adam Victorinus. 1170.

Dialogo de Institutione animæ: Omnis, qui à peccato suo vult absolui, prius necesse est ei, vt peccatum suum perfectè agnoscat, secundò veraciter pęniteat, tertiò humiliter & integrè confiteatur, quartò bonis operibus satisfaciat.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermon. 1. in solemnitate Mariæ Magdalenæ: Quia magnum fuit eius peccatum, magno satisfecit dolore: quia multum, multo satisfecit labore: quia notorium, notabili satisfecit pudore. Hæc tria sunt, quæ dignam satisfactionem perficiunt, dolor in corde, pudor in ore, labor in opere, vt, iuxta Salomonis Sapientiam, per quæ quis peccauit, per hæc torqueatur. Veniens ergo peccatrix ad fontem misericordiæ absoluenda, magno dolore turbata, lachrymis pedes eius rigauit, notabili confusa pudore stetit retro secus pedes ipsius, & osculabatur eos.

Sap.11.

Sermone primo in consecratione Pontificis: Manus quinque digitos habet, & satisfactio quinque parte quæ sunt, asperitas vestis, abstinentia cibi, virtus orationis, interruptio somni, & largitas eleemosynæ. De his Propheta dicit in Psalmo: *Induebam me cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam: & oratio mea in sinum meum conuertetur.* Et: *Media nocte surgebam, ad confitendum tibi.* In his omnibus debet ponere manum super caput vituli, vt rationale sit eius obsequium, ne fortè iumentum, si nimis fuerit oneratum, succumbat: si parum fuerit oneratum, lasciuiat. Secundùm modum culpæ sit modus pęnæ, pensata qualitate pęnitentiæ. Non sit tam leuis, vt præsumatur: nec tam grauis, vt desperetur.

Psal.34.

Psal.118.

Adilredus. 1200.

In Speculo amoris cap.46. Est ordo necessarius, vt qui commisit illicita, ab vsu licitorum se restringat: in qua restrinctione duo consideranda sunt, modus satisfactionis, & necessitas purgationis. Modus satisfactionis, vt secundùm modum culpæ rigor continentiæ extendatur, quatenus secundùm Baptistæ vocem dignos pęnitentiæ fructus faciamus. Verùm non satisfactionis modus tantùm considerandus est, sed etiam purgationis necessitas perquirenda: nec pro sola satisfactione à licitis continendum, sed etiam pro expellendis vel minuendis passionibus, quæ vitiosa consuetudine inolescunt, laboriosis operibus insistendum. Sunt enim exterioris hominis exercitia interioris hominis instrumenta, quibus & passiones vitiosæ, quæ ipsam hominis inficiunt animam, facilius absconduntur, & interioris faciei sordes, quasi confectione quadam asperiori plenius diluuntur.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap.21. Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis venerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam proprijs viribus studeat adimplere, &c. Sacerdos sit discretus,& cautus, & more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens peccati circunstantias, ex quibus intelligat, quale illi consilium debeat exhibere, & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vtendo ad sanandum ægrotum.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In cap.Ieiunij ex lib.Ioëlis: Cum Deo pacem habere possumus, si tres legatos pacis, tanquam mediatores, præmiserimus, scilicet veram cordis contritionem, plenam oris confessionem, sufficientem operis satisfactionem, vt dignos pœnitentiæ fructus faciamus. Hac enim via, quasi itinere trium dierum, ad Deum reuerti debemus, vt sicut corde peccauimus per malam voluntatem, & ore per indebitam locutionem, & opere per illicitam actionem: ita corde satisfaciamus per contritionem, ore per Confessionem, opere explendo pro virili nostra iniunctam pœnitentiam &c. Quia peccauit homo contra Deum, contra proximum, contra semetipsum: Deo satisfaciat per orationem, proximo per eleemosynam, sibi ipsi per ieiunium, & vitæ austeritatem. Et quoniam quicquid in mundo est, vel est superbia vitæ, vel concupiscentia oculorum, id est, auaritia, vel concupiscentia carnis: contra superbiam spiritaliter oratione, contra auaritiam eleemosyna, contra luxuriam satisfaciendum est ieiunio.

Guilhelmus Aluernus Parisiensis. 1230.

Libro de Sacramento Pœnitentiæ cap.19. Satisfactio est, qua Deo satisfit, hoc est, Deo satis est, vel Deo sufficit de vita, vel de conuersatione pœnitentis pro iniurijs & contumelijs, quæ ei peccando irrogauit, &c. Confessor iniungendo satisfactionem, solerter penset Dei contumeliam

in peccato pœnitentis, vt honore contrario expietur. Verbi gratia: si peccauit pœnitens in loco Dei honori, & gloriæ deputato, puta in Ecclesia, iniungendum est illi, vt in ipsa Ecclesia specialem honorem pro expiatione illius contumeliæ, vel ad tempus, vel perpetuò Deo rependat, &c.

Alexander Alesius. 1240.

Parte 4. quæst. 24. memb. 2. artic. 1. Satisfactio Sacramentalis est illa, quæ iniungitur à Sacerdote, & hæc non fit, nisi per opus exterius: & hæc propriè dicitur satisfactio, & est vna pars pœnitentiæ. Alio modo nomine extenso dicitur satisfactio, opus quodcunque siue exterius, siue interius, quo pœnitens meretur remissionem reatus sui peccati, cuiusmodi sunt opera, quæ superimpendunt pœnitentes operibus iniunctis ab Ecclesia, & huiusmodi sunt de consummatione & securitate satisfactionis.

Thomas Aquinas. 1250.

In Additionibus quæst. 15. & 4. dist. 15. Satisfactio debet esse talis, per quam nobis aliquid subtrahimus in honorem Dei. Habemus autem tria bona corporis, animæ, fortunæ. Ex bonis fortunæ aliquid subtrahimus nobis per eleemosynam, ex bonis corporalibus per ieiunium, per orationem bona animæ submittimus Deo.

Quodlib. 3. art. 28. Satisfactio ad duo valet: Valet enim ad expiationem culpæ præteritæ, valet etiam ad cautelam culpæ futuræ.

Bonauentura. 1260.

In lib. 4. Sentent. distinct. 18. In peccato duo sunt, Dei offensa, & libido inordinata. Offensa Dei est infinita, at peruersa libido est finita. Pro offensa non satisfit, sed Dei misericordia per suam gratiam remittit: verùm quia iustus est, peruersam libidinem non totam remittit, sed pro illa exigit pœnam condignam.

Ioannes Scotus. 1300.

In lib. 4. Sent. dist. 15. quæst. 1. a. Satisfactio est operatio exterior, laboriosa vel pœnalis, voluntariè assumpta, ad puniendum peccatum commissum, &c. Satisfactio consistit in actionibus vel passionibus, habentibus rationem pœnæ.

Durandus à S. Portiano. 1316.

Lib. 4. Sentent. distinct. 15. quæst. 5. Satisfactio, quam homo potest Deo facere, debet fieri per opera pœnalia. cuius ratio est, quia satisfactio non potest esse, nisi per opera pœnalia: ergo &c. Tres assignantur partes Satisfactionis, scilicet Ieiunium, Eleemosyna, & Oratio, quarum sufficientia potest haberi hoc modo: Satisfactio debet esse talis, qua nobis subtrahitur aliquid, quod fit ad honorem Dei. Habemus autem tria bona in nobis: scilicet bona fortunæ, bona corporis, & bona animæ. Ex bonis fortunæ subtrahimus nobis per Eleemosynam: ex bonis corporis, per ieiunium: Ex bonis animæ, per orationem, submittendo Deo totaliter propriam voluntatem.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 16. Lucæ: Postquam descripta est pœnitentium receptio benigna, hic consequenter describitur eorum satisfactio condigna, quæ potissimum fit per Eleemosynarum largitionem, secundùm illud Danielis: *Peccata tua eleemosynis redime.* Dan. 4.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi part. 1. cap. 20. Tertia pars pœnitentiæ est operis Satisfactio. Est autem satisfactio, qua pro qualitate culpæ pœna digna exoluitur. Hinc illud Baptistæ: *Facite dignos fructus pœnitentiæ*, &c. Satisfactio debet fieri per opera pœnalia. Per satisfactionem enim debet vulnus sanari perfectè: sed peccaminum medicinæ sunt pœnæ: eæ igitur ad satisfaciendum sunt necessariæ. Nam licet Deo nihil possit subtrahi, tamen peccator peccando, quantum in eo est, subtrahit quod est ad honorem Dei: & ideo cùm satisfactio sit quasi quædam recompensatio, oportet quòd per eam sibi ipsi pœnitens aliquid subtrahat, quod ad honorem Dei cedat. Hoc autem non potest esse, nisi sit opus bonum, quantum ad Dei honorem, & pœnale opus, quantum ad peccatorem pœnitentem, cui est subtrahendum: sic & Deo satisfacit, & etiam à vitijs & futuris malis, in quantum pœnale, præseruat. Satisfactio ergo debet esse talis, per quam aliquid nobis ad honorem Dei subtrahimus, &c.

Guido Carmelita. 1330.

De Armeniis errore 9. Quamuis peccata Deus remittit quoad culpam per cordis contritionem, & oris confessionem; manet tamen reatus pœnæ, donec satisfecerit pœnitens. Quia si moriatur ante satisfactionem, punietur igne purgatorij in alia vita vsque ad satisfactionem.

Ioannes Taulerus. 1350.

Dominica 1. Quadragesimæ: Modus technas diabolicas & fraudes euadendi in quatuor partes distinctus est. Prima est, quòd quisque Dei amore peccata libens omnia euitabit, atque in suorum emendationem & satisfactionem peccaminum Christi passionem in suo sensu assiduè meditabitur. Alia est, quòd importunæ naturæ suæ desideria & affectus ex hora in horam magis ac magis edomare & vincere curabit, quantum natura ferre poterit, & pro qualicunque satisfactione, & emendatione malorum desideriorum suorum libenter solus erit, semper bonis actibus intendet, atque in virtuosis se exercebit actibus. Tertia est, quòd amorem hominum quorumcunque, & omnium creaturarum è corde suo profligabit, desiderabitque, vt Deus hic peccata sua puniat, & aduersis se affligat. Sed & ipse pœnis se afficiet, & pro peccatis suis fundet lachrymas.

Dominica septima post Trinitatem Serm. secundo: Ad honorem Christi vitam rigidam & pœnitentialem assumas. Hęc autem Pœnitentia primò quidem in afflicto, pœnis affecto, & patiente corpore, in cibi potusque subtractione, in asperioris vestimenti, stratique durioris vsu, in ieiunijs & vigilijs consistit.

Catharina Senensis. 1370.

Tractatu 1. cap. 58. Neque tamen omittitur, quin iustè culpa puniatur, quia reseruatur in futura vita punienda, cùm anima separata fuerit à corpore, nisi quis in præsenti satisfaciat cum sancta Confessione, Contritione cordis, atque debita satisfactione.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica de Sacramento Pœnitentiæ: Quia Pœnitentia non solùm est satisfactoria pro peccatis, imò etiam medicina contra futura peccata, ideo conueniens videtur, vt talis pœnitentia iniungatur, quæ sit in remedium contra occasiones futurorum peccatorum. Ideo contra verbosos & iracundos orationis pœnitentia iniungatur: quia oratio eleuat mentem ad Deum. Contra gulosos & carnales ieiunium: contra auaros detur Eleemosyna in pœnitentia. Ad Orationem enim spectant omnia opera spiritualia: ad Eleemosynam verò opera erogationis, & misericordiæ: ad ieiunium opera carnem affligentia: sicut vigiliæ, peregrinationes, disciplinæ, &c.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De perfectionis gradibus cap. 3. Exterior pœnitentia illa, quæ propriè Sacramentum est, oris confessione agitur coram Sacerdote, & ad ipsius arbitrium imponitur, adhibita (videlicet) contritione cordis, & satisfactione operis: Nam parum homini confitenti delicta sua esset vtile se peccatorem acclamare, si absque animi mœrore id faceret, si vlterius non peccandi propositum non haberet, si iniunctam sibi satisfactionem negligeret adimplere.

Dionysius Carthusianus 1480.

In Compendio Theologiæ Tom. 1. operum minorum. Multa in Sacramentali confessione valent & conferunt ad culpæ, imò & aliquo modo ad pœnæ remissionem, puta humiliatio confitentis, qua se propter Deum subijcit confessori, & eius paret iudicio, pœnam quoque seu satisfactionem ab illo iniunctam humiliter suscipit, & adimplet.

Hieronymus Sauonarola. 1480.

De veritate fidei lib. 3. cap. 16. Clauium beneficio absoluentibus Christi ministris aliquid de temporanea, quæ remanserat, pœna dimittitur pœnitenti: is tamen iniuncta sibi satisfactione ad residuum obligatur, quæ tertia pars est Sacramenti Pœnitentiæ.

Nicolaus de Nyse. 1480.

Tertia partis Reparatorij Tract. 4. de Satisfactione. Satisfactio strictè accepta dicitur operatio, vel passio, seu pœna exterior laboriosa, vel pœnalis, voluntariè assumpta, vel supportata ad puniendum proprium peccatum, & ad placandam diuinam offensam, &c. Quia restitutio rei alienæ necessariò procedere debet aut in facto, aut in voto siue proposito, satisfactionem propriè dictam, imo & totam veram pœnitentiam: quia nullus potest verè confiteri de peccatis, nec salubriter confiteri, nec quouis modo satisfacere de peccato, nisi alienum, si habuerit, restituat prius, &c.

ARTICVLVS QVINTVS.

VERE CONTRITOS ET CONFESSOS, SI ANTE PRÆSTITIAM SATISFACTIONEM DECESSERINT, POENIS PVRGATORIIS AD DEFINITVM TEMPVS TORQVERI: ET EIVSMODI POENAS ECCLESIAE ET AMICORVM SACRIFICIIS, orationibus, eleemosynis & ieiunijs mitigari.

NEGANT.

Anno post natû Christû 350. AERIVS *Presbyter Arianus docuit viuentium sacrificia, orationes, & ieiunia defunctis nihil prodesse.* Epiphanius, Augustinus, Isidorus, & Damascenus vbi agunt de Aërianis.

600. *Armenij negant purgatorium.* Guido de Armenijs.

1000. *Græci ac Moscouitæ, etsi funebre sacrum pro defunctis faciunt: tamen Purgatorium negant.* Guido & cæteri, qui de Græcorum ac Rhutenorum erroribus scribunt.

1140. *Petrobrusiani & Henriciani non credunt ignem purgatorij restare post mortem, sed asserunt animam à corpore solutam statim vel ad requiem transire, vel ad damnationem.* Bernardus Sermone 66. super Cantica, & Epist.240 Petrus Cluniacensis epistola ad omnes Episcopos.

1180. *VValdenses dicunt, quòd animæ decedentes, statim vt decedunt euolant ad paradisum, vel ad cælum, nec aliqua intret ad Purgatorium: Purgatorium nihil esse, Missas, eleemosynas, orationes, suffragia, & alia quæ fiunt in Romana Ecclesia pro defunctis, nihil eis prodesse: auaritiæ sacerdotum inuenta esse.* Nicolaus Eymericus Tractat 12. quæst.14. & Æneas Syluius Historiæ Bohemicæ cap.38.

1200. *Albigenses Purgatorium nihil esse dicunt, & quicquid beneficij mortuis à viuis impenditur, irrident.* Cæsarius Heisterbachius lib.5.cap.21. Antoninus 4.part.tit.11.cap.7. §.5. & Bernardus Lutzenburg. de illorum hæresi.

1350. *Flagellantes dicunt, quòd exequiæ & vigiliæ defunctorum ad nihil aliud valent, nisi quòd sunt aliquale solatium viuorum, & replent marsupia clericorum.* Bernardus Lutzenburg. de illorum hæresibus.

1390. *Ioannes VVicleuus.* libro de Orat. cap. 3. *propria merita extollit, aliorum merita & orationes, quæ fiunt pro viuis & defunctis inutiles esse docet: verbis tamen obscurioribus vtitur, nec tam expressè affirmare audet.*

1400. VVicleuistæ in libello per viam charitatis porrecto ad Parlamentum Regis Richardi secundi conclusione 7. *Speciales orationes pro animabus mortuorum factæ in Ecclesia nostra, preferentes vnum per nomen, plusquam alium, est falsum fundamentum eleemosynæ, super quod omnes domus eleemosynarum Angliæ nequiter sunt fundata.*

1500. *Piggardi orationes pro mortuis rem vanam & ridiculam arbitrantur.* Ioannes Schechta epistola ad ... mum.

Marti-

1520. Martinus Lutherus epistola ad VValdenses: *Quòd negatis Purgatorium, & damnatis Missas, per omnia probo.*

De Missa priuata: *Tutius est Purgatorium negare, quàm Gregorio credere.*

1530. Huldaricus Zvvinglius Epicheresi de Canone Missæ: *Orandi & sacrificandi pro defunctis morem Chrysostomus & Augustinus tradiderunt ab Apostolis vsque ad se manasse. Quod ego vehementer admiror: & si verum est, non puto Apostolos alia de causa, quàm indulgentia infirmitatis hoc quibusdam permisisse.*

1540. Petrus Martyr ad cap. 3. prioris ad Corinthios: *Primò dicit, siue sit, siue non sit purgatorium, certè non est articulus fidei: postea ait, non esse probabile esse Purgatorium.*

1550. Ioannes Caluinus lib. 3. Institut. cap. 5. §. 6. *Ex multis blasphemijs purgatorium constructum est, & nouis quotidie fulcitur: sine verbo Dei curiosa audaciquè temeritate excogitatum est. De ipso creditum est, nescio quibus reuelationibus, Satanæ arte confictis. Purgatorium exitiale Satanæ est commentum, quod Christi crucem euacuat, quod contumeliam Dei misericordiæ non ferendam irrogat, quod fidem nostram labefacit & euertit.*

1560. Henricus Bullingerus Decadis 4. Sermone 10. *Verum est quod Papistæ aiunt, veteres orasse & sacrificasse pro defunctis. Scio quid Doctor Ecclesiæ insignis Augustinus, quid eloquentissimus Chrysostomus, aliiq; viri vetusti ac clari hac de re scriptum reliquerunt, sed quæro num hi rectè fecerunt: scio damnatum fuisse Aërium, quòd huiusmodi orationes & oblationes improbaret. Afferunt secundùm Machabæorum librum: sed is nihil probat, cùm non sit Canonicus: Adijciunt & Traditionem Apostolicam, sed mihi id non videtur, nec illi vnquam in scriptis ita præcipiunt.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

1. *Reg.* 2. *Vers.* 6. Dominus mortificat, & viuificat; deducit ad inferos, & reducit.

Tobiæ 4. 18. Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue.

Ecclesiastici 7. 37. Mortuo non prohibeas gratiam.

Zach. 9. 11. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.

2. *Machab.* 12. 39. Sequenti die venit cum suis Iudas, vt corpora prostratorum tolleret, & cum parentibus poneret in sepulchris paternis. Inuenerunt autem sub tunicis interfectorum de donarijs idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt, à quibus lex prohibet Iudæos: omnibus ergo manifestum factum est ob hanc causam eos corruisse. Omnes itaque benedixerunt iustum iudicium Domini, qui occulta fecerat manifesta. Atque ita ad preces conuersi, rogauerunt, vt id quod factum erat delictum, obliuioni traderetur. At verò fortissimus Iudas hortabatur populum conseruare se sine peccato, sub oculis videntes quæ facta sunt pro peccatis eorum, qui prostrati sunt. Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccato sacrificium, bene & religiosè de resurrectione cogitans. (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia considerabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.

Matth. 5. 26. Esto consentiens aduersario tuo citò dum es in via cum eo: ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem.

Matt. 12. 31. Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.

1. *Corinth.* 3. 12. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit: mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit: sic tamen quasi per ignem.

Philippens. 2. 10. In nomine IESV omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum.

§ (*) §

ASSERVNT VARIARVM GENTIVM Liturgiæ.

Liturgia Ecclesiæ Hierosolymitanæ auctore Iacobo Apostolo.

Fac Domine, vt oblatio nostra grata & accepta sit, per Spiritum sanctificata in propitiationem peccatorum nostrorum, & eorum, quæ populus per ignorantiam admisit, & in requiem animarum eorum, quæ ante nos obdormierunt.

Memento Domine Deus noster spirituum & vniuersæ carnis, quorum memoriam egimus, & quorum non egimus, orthodoxorum & rectè de fide sentientium ab Abel iusto vsque ad hodiernum diem: fac eos requiescere in regione viuentium, in regno tuo, in delicijs paradysi, in sinu Abrahæ & Isaac sanctorum Patrum nostrorum: vnde exulat dolor, tristitia & gemitus: vbi præsidet lumen vultus tui, & perpetuò refulget.

Liturgia Ecclesiæ Romanæ primum à D. Petro scripta.

Memento Domine famulorum famularumqúe tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Ipsis Domine & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij & pacis indulgeas, deprecamur.

Liturgia Ecclesiæ Alexandrinæ primùm à B. Marco scripta.

Animabus patrum & fratrum nostrorum, qui antea in Christi fide obdormierunt, dona requiem Domine Deus noster, memor maiorum nostrorum, qui à seculo sunt Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, &c. Deinde lectis defunctorum dyptichis, subiungit sacerdos sese Domino Deo inclinans: Horum omnium animabus Domine Deus noster dona requiem in sanctis tabernaculis tuis, in regno tuo, easqúe cælorum regno dignare.

Liturgia Ecclesiæ Æthiopicæ, primùm à D. Matthæo scripta.

Memento Domine dormientium Principum, Pontificum, Regum nostrorum, & omnium in recta fide quiescentium.

Memento Domine famulorum famularumqúe tuarum, fratrum & sororum, omnium fidelium dormientium, & in signo rectę fidei quiescentium.

Liturgia Ecclesiæ Mediolanensis primùm à S. Barnaba, postea ab Ambrosio, &c. scripta & aucta.

Pro defuncto Episcopo: AEterne Deus suppliciter deprecamur, vt famulus tuus, cui dedisti Ecclesiæ tuæ gubernacula, nunc carnis ergastulo liberatus, & Præsulibus Apostolicæ dignitatis consociatus, vitæ æternæ præmium consequi mereatur.

Liturgia Ecclesiæ Cappadociæ, auctore Basilio Magno.

Memento Domine omnium dormientium in spe resurrectionis vitæ æternę, & refrigera eos, vbi visitat lux vultus tui.

Liturgia Ecclesiæ Syriæ, auctore Basilio Magno.

Sublata voce Sacerdos orat Deum, vt meminerit Deus omnium, qui transierunt ex mundo, recreet eos in tabernaculo suo, traducat per mansiones horridas, & in tabernaculis luculentis collocet, eruat ex densissimis tenebris, tribulatione & dolore, ne intret cum ijs in iudicium. Si quid vt homines carne vestiti peccauerint, ijs remittat.

Liturgia Ecclesiæ Constantinopolitanæ, auctoribus Andrea Apostolo, & Ioanne Chrysostomo.

Memento Domine, vt bonus, seruorum tuorum, & quæcunque in via deliquerunt ignosce. Nemo enim sine peccato, nisi tu Domine, qui potes migrantibus dare quietem.

Adhuc offerimus tibi rationabile hoc obsequium pro fidelibus dormientibus, pro fratribus & sororibus nostris, interuenientibus Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, & omnibus Sanctis.

Liturgia Mozarabum D. Leandro Hispalensi Episcopo peculiariter visitata, qua & D. Isidorus, & plures alij post eum in Hispanijs vsi sunt.

Mox fit secundum Memento pro defunctis. Quo peracto, recipit corpus & sanguinem Domini.

Liturgia Ecclesiæ Gotticæ.

Diuersis oblationibus sacris altaribus, vna tamen fidei deuotione collatis, mutuæ inuicem sollicitudinis vota promamus, à Domini pietate poscentes, vt corda omnium offerentium ad hostiam rationabilis, & complacitæ sibi sanctificationis emundet, & quiescentium animas in sinum Abrahæ collocare dignetur, & in partem primæ resurrectionis admittat, per Dominum nostrum, &c.

Liturgia Ecclesiæ Armenorum.

Per hanc oblationem da æternam pacem omnibus, qui nos præcesserunt in fide Christi, sanctis Patribus, Patriarchis, Apostolis, Prophetis, Martyribus, &c. Rogate Dominum pro animabus, quæ requiescunt in pace, imprimis Episcoporum hîc quiescentium.

Memento Domine, miserere, & fac gratiam animabus requiescentibus, pacifica, illumina eas, & associa eas ad Sanctos tuos in regno cælorum, & fac eas dignas amore tuo.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Epistola 1. Quotidiana Petri prædicatio inter cætera diuina mandata hæc erat: Bonorum, inquit, operum inter cætera semina & negotia sunt, quantum vnusquisque sapit & potest, totis intimi cordis visceribus Deum orare, pauperes recreare, infirmos visitare, mortuos sepelire, diligenter eorum exequias peragere, proqúe ijs orare, & eleemosynas dare.

Lib. 8. Apostol. Constit. cap. 41. Oremus pro fratribus nostris, qui in Christo requieuerunt, vt Deus summæ erga homines charitatis, qui animam defuncti suscepit, remittat ei omne peccatum voluntarium, & non voluntarium: & propitius ac beneuolus ei factus, collocet eum in regione piorum, qui laxati sunt, in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob, cum omnibus, qui à seculo condito Deo placuerunt, voluntatiqúe eius paruerunt, vnde fugit do-

git dolor, mœror & gemitus, &c. Episcopus dicat: Respice hunc seruum tuum, quem in aliam sortem elegisti, & assumpsisti & condona ei, si quid tum volens, tum nolens peccauit: & exhibe ei Angelos beneuolos: ac colloca eum in sinu Patriarcharum, & Prophetarum, & Apostolorum, & omnium, qui tibi à seculo placuerunt: vbi non est tristitia, neque gemitus, neque dolor, sed potius chorus piorum laxatus, & terra rectorum simul laxata, & eorum, qui ibi gloriam Christi tui vident.

Capite 42. Exequiæ mortuorum fiant tertio die, adhibitis Psalmis, precibus, & lectionibus, propter eum, qui tertio die à mortuis suscitatus est: die nono, ad recordationem eorum, qui sunt superstites, & eorum, qui defuncti sunt: quadragesimo fiant secundùm veterem typum: Moysen enim sic populus fleuit: item anno exacto, ad habendam memoriam ipsius defuncti, & suppeditetur ex bonis eius pauperibus ad recordationem eiusdem.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiastica Hierarchiæ cap. 7. parte 2. Postea accedens venerabilis Præsul, precem super defuncto sacratissimam peragit: & post orationem ipse quoque Pontifex defunctum salutat, & post illum qui adstant omnes. Vbi verò cuncti consalutauerunt, super defuncto fundit oleum Pontifex. Et oratione pro omnibus facta, honesto in loco ponit corpus cum æqualibus alijs corporibus sanctis.

Parte 3. Accedens deinde venerandus Antistes, precem sacram super mortuum peragit, postquè precem & ipse eum Præsul salutat, & suo deinceps ordine, qui adstant omnes. Precatur oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumq; in luce statuat & regione viuorum, in finibus Abrahę, Isaac, & Iacob: in loco vnde aufugit dolor, tristitia, & gemitus, &c. Quòd autem & iustorum preces etiam in vita ista, & nedum post mortem, ijs solis prosint, qui digni sunt, Scriptura nos edocet sacrosancta traditio.

Hermas. 120.

Visione 3. de triumphantis Ecclesiæ structura, & varijs hominum reproborum ordinibus: An ijs omnibus lapidibus, qui proiecti sunt, nec conueniebant in structuram turris, est pœnitentia, & habebunt locum in turre hac? Habent, inquit, pœnitentiam, sed in hac turre non possunt conuenire. Alio autem loco ponentur multò inferiore, & hoc cùm cruciati fuerint, & impleuerint dies peccatorum suorum: & propter hoc transferentur, quoniam perceperunt verbum istum. Et tunc illis continget transferri de pœnis, si ascenderint in corda ipsorum opera, quæ operati sunt scelesta: quod si non ascenderint in corda ipsorum, non erunt salui.

Origenes. 230.

Homilia 14. in Leuit. Possumus adhuc addere etiam illud, quòd natura peccati similis est materiæ, quæ igni consumitur, quam ædificari Paulus Apostolus à peccatoribus dicit, *qui supra fundamentum Christi ædificant ligna, fœnum, stipulam.* In quo manifestè ostenditur, esse quædam peccata ita leuia, vt stipulæ comparentur, cui vtique ignis illatus diu non potest immorari. Alia verò fœno esse similia, quæ ipsa non difficulter ignis absumat, verùm aliquanto tardius quàm in stipulis immoretur. Alia verò esse, quæ lignis conferantur, in quibus pro qualitate criminum diutinum & grande pabulum ignis inueniat. Ita ergo vnumquodque peccatum pro qualitate, vel quantitate sui, pœnarum iusta persoluit. 1. Cor. 3.

Homilia 25. in Num. Spectat nos Angelorum chorus, virtutum cælestium pia erga nos pendet expectatio, quando vel quomodo de hoc prælio reuertamur, quid vnusquisque nostrum manubiarum reportet: & intuentur curiosius, ac sollicitius perscrutantur, quis nostrum auri hinc amplius ferat, quis etiam argenti illud pondus exhibeat, quisue lapides deferat pretiosos. Requirunt etiam si quis æs deferat, aut ferrum, aut plumbum, sed & vas ligneum, si fortè aliquis, aut fictile, aut aliud huiusmodi magnæ domus vsibus necessarium, &c. Requiritur ergo diligenter cùm abierimus illuc, quid vnusquisque nostrum deferat, & secundùm ea quæ detulerit, secundùm quod labor eius pro contemplatione exuuiarum probatur, etiam mansionis ei meritum deputabitur. Probantur tamen omnia hæc: quæ per ignem, per ignem: quæ per aquam, per aquam. *Vniuscuiusque enim opus quale sit ignis probabit.* Propterea ergo ait: *Hæc est iustificatio legis, quam constituit Dominus Moysi: præter aurum, & argentum, & æramentum, & ferrum, & plumbum, & stannum, & omnis res, qua transit per ignem, traducite per ignem, & mundabitur. Sed & in aqua purificationis purificabuntur. Omnia quæcunq; non transeunt per ignem, transibunt per aquam, & lauabitis vestimenta vestra die septima, & mundi eritis, & post hæc introibitis in castra.* Vides quomodo purificatione indiget omnis, qui exierit de prælio vitæ huius? Quod si aliquid est, vt aliquid audeam dicere secundùm Scripturæ diuinæ auctoritatem, omnis qui exierit de hac vita, non potest esse mundus. Considera enim diligenter, quid indicet historiæ textus. Exierunt isti pugnare pro filijs Israel, interfecerunt Madianitas: interficientes autem eos, quantum ad historiæ ordinem spectat, & literam legis, placuerunt Deo: voluntatem namque Dei impleuerunt: tamen hoc ipso quòd interfecerunt aduersarios, immundi dicuntur effecti, & propterea dicitur ad eos: *Et lauabitis vestimenta vestra die septima, & mundi eritis, & post hæc intrabitis in castra.* Ergo hi, qui pugnant, pro eo ipso, quòd contigerunt hostes immundos, & quòd ingressi sunt contra eos, & habuerint cum eis certamen, polluti sunt. Et ego ergo, etiamsi vincere potuero diabolum, etiamsi cogitationes immundas & malas, quas cordi meo suggerit, vel repellere venientes, vel ingressas necare intra me, ne ad effectum perueniant, quiuero, & si calcare potuero caput draconis, hoc ipso tamen pollui me, & inquinari necesse est, quo cum, qui pollutus, & inquinatus est, contigi: & ero quidem beatus, quòd eum superare potui, immundus tamen sum, & pollutus, qui pollutum contigi, & ob hoc purificatione egeo. Idcirco nimirum & Scriptura dicit: *Quia nemo mundus à sorde.* Omnes ergo purificatione indigemus, imò purificationibus. Multæ enim & diuersæ nos manent purificationes. Sed mystica hæc sunt & ineffabilia. 1. Cor. 3.

In Psalm. 38. Homil. 2. Quòd autem crassescat, &, vt ita dicam, carnea efficiatur anima peccatoris, indicatur ex eo, quòd scriptum est: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt.* Carnem sine dubio nominat animas crassiores & peccatrices. Si ergo incrassescat anima, vt efficiatur caro, quid remedij Deus præparet, docet: *In increpationibus, inquit, pro iniquitate erudisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam animam eius.* Est ergo opus Dei, vt tabescere faciat, & consumat omne quicquid est crassioris materiæ, quo circundatur anima, vt extenuet, & elimet prudentiam carnis, & ita demum animam ad subtilem rerum cælestium, & inuisibilium reuocet intellectum. Talia quædam inuenimus sub sacramento non minimo apud Ezechielem Prophetam designari, cùm in lebetem, vel cacabum carnes immitti dicuntur, Genes. 6. Ezec. 18.

lebetem,

& decoqui, & dicitur quia coctæ sunt, & detabuerunt, vel decoctæ sunt carnes, & excoctum est ius. Scripta sunt hæc ijsdem ipsis sermonibus, pro eo, quòd lebetes vel cacabi nos suscipiet flammis succensi, in quos inijciemur nos, qui animas nostras incarnauimus, vel incrassauimus, si nō prius, dum in hoc mundo sumus, peruenerimus per pœnitentiam, vt tabescant carnes nostræ, & crassitudo animæ nostræ ad subtilitatem deducatur araneæ. Si hinc adhuc carnes fuerimus egressi, mittemur in illos cacabos, qui succenduntur lignis, vel fœno, vel stipula, id est, operibus nostris, quæ superposuerimus fundamento Christi, &c.

Homilia 2. in Hieremiam: Si autem post lauacrum & veniam delictorum rursus ad pristinas sordes fuerimus reuersi, & adhuc imperfecto sensu ab Apostolorum vestigijs recedentes, aut iniusta gesserimus aliqua, aut certè in ipsa iustitia sint aliqua nata peccata, quid nobis fiat consideramus: vtrumne egredientes de præsenti seculo, si habuerimus vitia, vel virtutes recipiemus pro virtutibus præmia, & dimittentur nobis ea, quæ scientes peccauimus: an plectemur pro delictis, neque recipiemus præmia pro virtutibus. Sed neutrum horum verum est: quia & pro peccatis torquebimur, & pro iustitia recipiemus præmia, quæ meremur. Si enim post fundamentum Iesu Christi non solum in tuo corde aurum, & argentum, & lapidem pretiosum (si tamen habes aliquid auri, vel argenti) superædificaueris, verùm & ligna, fœnum & stipulam, quid tibi vis fieri, cùm anima seiuncta fuerit à corpore? vtrumnam ingredi vis in sancta cum lignis tuis, cum fœno & stipula, & polluas regnum Dei? an propter lignum, fœnum, & stipulam foris residere, & pro auro, argento, & lapide pretioso nihil mercedis accipere? Sed neque hoc æquum est. Quid igitur sequitur, nisi vt primùm propter ligna ignis tibi detur, qui consumat fœnum, lignum, vel stipulam? Deus quippe noster apud eos, qui possunt intelligere diuina, ignis dicitur esse consumens. Et cùm dicat Propheta: *Deus noster ignis consumens est*, non apposuit quid consumat, tibi derelinquens de manifestioribus intellectum. Neque enim id, quod ad imaginem & similitudinem suam permanet, ignis iste consumit, non proprias creaturas, sed superædificata ligna, fœnum, stipulam, &c. Omnes igitur, quicunque materiam illius ignis habemus in nobis, primùm recipiemus nostra delicta. Sed dicit mihi aliquis de audientibus: Expone & id, quod sequitur: *Duplices iniustitias eorum*. Esto quippe recipio mea peccata, vt compleatur id, quod ab Apostolo dictum est: *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.*

1.Cor.3.

Lib. 8. in epist. ad Romanos cap. 11. Hæc est ipsa purgatio, quæ per pœnam ignis adhibitur, quantis temporibus, quantisve seculis de peccatoribus exigat cruciatus, solus scire potest, cui pater omne iudicium tradidit.

Eusebius Alexandrinus. 260.

Homilia de Dominica: Memento in oblatione parentum & fratrum, qui iam è vita excesserunt. Hoc enim faciendo magnam requiem defunctis concilias. Comple tuas preces.

Concilium Nicænum. 325.

Canone 65. Arabico: Nutrietur de morte Episcopi omnibus Ecclesijs & Monasterijs illius diocesis, vt fiat oratio pro eo.

Eusebius Cæsareensis. 320.

Vita Constantini lib. 4. cap. 60. His igitur in opportunum venturæ mortis diem hic locum sibi prouida dispensatione designauit, incredibili fidei propensione prouidens, cùm iam corpus suum cōmunem cum Apostolis appellationem post mortem participaret, fore vt defunctus quoque precationum, quæ ibidem essent ad Apostolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur.

Cap. 71. Populus valde multus vna cum sacerdotibus non sine lachrymis, & sanè magno cum gemitu preces pro anima Imperatoris (*defuncti*) Deo fundebant. In quo & illi gratum atque optatum pro principi officium præstabant, & Deus ipse singularem beneuolentiam erga famulum suum ostendit.

Athanasius. 340.

Quæst. 34. Quid ergo? num sentiunt aliqua beneficia etiam peccatorum animæ, cùm super illis fiunt conuentus, & peractiones bonorum operum & oblationum? Si non aliqua beneficia participarent ex illo, non vtique in cura, & exequijs fieret commemoratio. At sicut vitis florescit extra in agro, & odorem eius sentit in vase vinum reclusum, sicque conflorescit etiam ipsum: ita intelligimus peccatorum animas participare aliqua beneficia ab exangui immolatione, & gratificatione pro ipsis facta, sicut solus ordinat & præcipit, qui viuorum & mortuorum potestatem gerit Deus noster.

Oratione de his, qui dormierunt: Quòd si etiam in aera is, qui mortem in religione obierit, translatus sit, ne dubites Christi Dei implorata fide, oleum ceramque in sepulchro Dei accendere. Hæc enim accepta gratiaque sunt Deo, magnamque ab eo remunerationem accipiunt. Est enim oleum & cera holocaustum, hostia autem incruenta propitiatio est: beneficentia verò in egenos omnis boni remunerrtionis accessio.

Basilius Magnus. 370.

Ad cap. 4. Esaiæ: *Quia abluet Dominus sordem filiorum & filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem expurgabit de medio eius, in spiritu iudicij, & spiritu ardoris.*) Perspicuè attestantur hæc prædicta esse Ioanni dicenti de Domino: Quia *ipse est, qui vos baptizabit in Spiritu sancto & igne.* de seipso autem: *Ego quidem vos baptizo in aqua ad pœnitentiam.* Et illud: *De spiritu in regenerationem.* Quin etiam tacitè innuit duas esse species baptismatis, ne quando ad ternionem vsque progrediatur baptisma. Illud quidem expurgatio fuit sordiū: hoc autem ipsa est regeneratio per Spiritum sanctum, idq; examen fit per ignem iudicij. Itaque ablutio quidem illa pro tali depositione peccati accipitur: hoc autem in spiritu iudicij & spiritu ardoris, ad eam refertur probationem, siue examen, quod per ignem fiet in seculo futuro. Equidem peccata per ignorantiam admissa, vbique cùm sint veluti sordes quædam, quæ animæ splendorem exterminant, & natiuo eius decori officiunt, egent purgatione per lotionem. Quæ verò ad mortem ducunt peccata, eorum nempe qui post acceptam cognitionem certa animi destinatione flagitia committunt, sanguis vocantur. Et hæc quidem plecti necesse est ardore, seu exæstuatione iudicij. Itaque quisquis confitetur, seque ablui orat, & emundari, suam quidem iniquitatem fatetur egere ablutione, & peccatum emundatione, dum dicit: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Illi quidem rudes prorsus & inscij diuinorum dogmatum, qui priusquam eruditi essent Dei verbum, peccārunt, tamquam eluuie quadam inquinati, opus habent aspergine aquæ, vt eluantur. Qui verò post acceptam vitæ notitiam, consulto ac studio seipsos reddunt obnoxios sanguini, vtique tales opus est purgari per ignem.

Ad cap. 6. *Et in manu habebat carbonem*, &c. Reuera, quo-

ta, quoniam ritus ille, quo apud Iudæos Deus colebatur, subseruiebat exemplari & vmbræ cælestium, cæleste quoddam intinuare intelligendum est altare illud, nempe locum lustrandis animabus accommodatum, è quo ignis ille purificatiuus per eas virtutes eximia sanctitate proditus elicitur.

Ad cap. 9. *Et erit populus ab igne adustus.* Non omnimodum internecionem & exterminium comminatur, sed innuit expurgationem, iuxta Apostoli sententiam. Quia *si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus fiet, sic tamen vt per ignem.*

Ephrem. 370.

Oratione ad euersionem Superbiæ: Immundus verè apud Dominum omnis, qui elato est corde. An non consideras illum, per quem transibimus ignem? Quando igitur pertranseuntes eum mundi deprehensi fuerimus & irreprehensibiles, tunc cognoscemus nos ipsos quales sumus: *Dies enim Domini vniuscuiusque opus declarabit*, sicut scriptum est, quia in igne reuelabitur.

1. Cor. 3.

Paraenesi 49 de vita Monastica: Contingit superbia: recordatur quòd per ignem transiturus sit. Ista gratiarum sunt dona, rectè Domino seruientibus concessa, & quæcunque decent Sanctos.

In Testamento suo Ego Ephræm morior. Notum igitur vobis sit omnibus, ô viri Edesseni: Testamentum enim vobis relinquo monumenti, symbolum doctrinæ veritatis, ex ea, quæ mihi gratia, & dono impetrita fuit, vt in orationibus mei memoriam faciatis, scientes & cognoscentes me, &c. Et nunc volens, fratres mei, admonere vos, & firmiter stabilire, vt post transitum meum assiduè in vestris orationibus mei memoriam faciatis, accedentes nunc claudite mihi oculos, super eos manus vestras imponentes. Reminiscamini autem mei abiecti in vestris pijs & sanctis orationibus. Etenim in vanitate & iniquitate peregi vitam meam. Accedite igitur ad me fratres, & componentes collocate me. Spiritus enim meus deficit fortiter, & comitamini me Psalmis & orationibus vestris: & assiduè pro mea paruitate offerre dignemini, vt cùm trigesimum diem compleuero, mei memoriam faciatis. Mortui enim beneficio afficiuntur in oblationibus sanctorum viuentium.

Apud Seuerum Alexandrinum: Fide obtulit Abel sacrificium pacificum: Abraham etiam fide obtulit Isaac, qui ambo mortui sunt. Ex hac oblatione patefit, & sentit anima, quando pro ea offertur sacrificium. Non omnis, qui defunctus est, recordari meretur inter propitiatorium. Sunt defuncti, qui ipsum Dei Filium nequaquam agnoscunt. Mortui illi, qui comederunt corpus eius, biberunt eius sanguinem, hi sunt, quorum æquum est mentionem fieri inter propitiatorium.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 5. Mystagogica Deinde verò postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, & postea facimus mentionem eorum, qui ante nos obdormierunt, primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus orationibus eorum suscipiat preces nostras. Deinde pro defunctis sanctis Patribus & Episcopis, denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, sacrificij. Quod exemplo vobis demonstrare volo. Scio enim multos dicere, quid iuuat animam in peccatis ex hoc mundo decedentem, etiamsi in hoc sacrificio mentio illius fiat? An enim si rex aliquis eos, à quibus offensus est, in exilium pepulerit, postea verò illorum propinqui coronam aliquam conficientes, pro his qui sunt in supplicio exulibus, eidem offerent, nonne condonationem aliquam suppliciorum ipsis dederit? ad eundem modum & nos pro defunctis precationes adhibentes, quamuis sint peccatores, non quidem coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, vt & nobis, & illis eum, qui est benignissimus, propitium reddamus.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 10. quæ est in laudem defuncti fratris Cæsarij: Ac talia quidem sunt, quæ à nobis offeruntur: si autem parua ac meritis quidem inferiora, Deo quoque gratum est quod fit pro viribus. Atque alia quidem persoluimus, alia verò dabimus, anniuersarios honores & commemorationes offerentes, ij quidem certè, qui superstites erunt, &c. O nostrarum animarum custos & benefactor, ô qui omnia facis & tempestiuè, atque, vt ipse pro sapientiæ tuæ atque administrationis altitudine nosti, artifice sermone transmutas, nunc quidem Cæsarium discessus nostri primitias quæso suscipe.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione, quòd non sit dolendum ob eorum obitum, qui in fide discesserunt: Quamobrem vt simul & humanæ naturæ relinqueretur dignitas liberæ voluntatis, & ipsum auferretur malum, hanc diuina sapientia rationem excogitauit, vt in ijs hominem esse sineret, quæ sibi ipse elegisset, quo, gustatis malis, quæ concupiuerat, experiendoq; discens, quæ quibus commutasset, ea cupiditate rursum incenderetur, vt vitiorum perturbationumq; quæ rationi inimicæ sunt, onere deposito, & vel in præsenti vita precibus sapientiæque studio purgatus, (ἢ μετὰ τὴν ἐνθένδε διὰ τῆς τοῦ καθαρσίου πυρὸς χωνείας) vel post obitum per purgatorij ignis fornacem expiatus, ad pristinam vellet redire felicitatem, &c. Sin quò perturbationum impetus ducet inclinabit, bestiarumque pellem ad vitia ministram & adiutricem adhibebit, aliud ei deinde ineundum erit consilium, vt ad bonum perueniat, cùm è corpore egressus, cognita, quæ inter virtutem & vitium est, differentia, non poterit diuinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorius ignis abstulerit, &c. Alijs autem post hanc vitam purgatorio igne materiæ labes & propensionem ad malum abstergentibus, & ad gratiam initio naturæ concessam voluntaria bonorum cupiditate redeuntibus.

Libro de anima & resurrectione: Planè necesse est, vt dum vitiositas purgatorio igni absumitur, anima quoque, quæ cum vitiositate vnita est, in igni sit, donec id, quod inspersum est, adulterinum, materiale, & fucatum, atque corruptum totum aboleatur igni consumptum, &c. Pro quantitate vitiositatis, qui in vnoquoque fuerit, cruciatus ac doloris modus adhibetur. Non enim par est vtrumque tum eum, qui in malis vetitis tamdiu versatus sit, tum eum, qui in mediocria delicta quædam inciderit, per purgationem vitiosi habitus ex æquo discruciari, atque dolere: sed pro modo ac quantitate materiæ, vel longiore, vel breuiori temporis spatio illa flamma dolorifica, quamdiu fuerit id, quod eam alat, accendetur. Cui igitur magnum inhæserit onus materiale, in eo necesse est magnam & diutius durantem esse flammam, quæ materiam eam consumat: in eo verò, cui minori spatio temporis ignis ille consumens admouetur, tantum de vehementiore atque acriori operatione pœnæ remittit, quantum,

quod

cos dactilos edebat: in Quadragesima verò radicibus earum, quas nemus ferebat, herbarum alebatur. Per quem in terris solo adhuc corpore conuersantem virtutes multas ad laudem & ad gloriam nominis sui Dominus ostendere dignatus est.

Christianus Druthmarus. 830.

Ad cap.3. Matth. Fructum dignum pœnitentiæ facere, est præterita mala fletibus punire, & bona è contrario agere, & mala commissa eleemosynis redimere.

Ionas Aurelianensis. 840.

Libro 1. de cultu imaginum: Peccata, quæ post baptismum committuntur, pœnitentiæ lachrymis & eleemosynarum largitionibus diluuntur.

Rabanus Maurus. 850.

De institutione Cleri libro 2. cap. 30. Satisfactio est causas peccatorum & suggestionum excludere, & vltra peccatum non iterare. Reconciliatio verò est, quæ post complementum pœnitentiæ adhibetur. Nam sicut conciliamur Deo, quando primùm à gentilitate conuertimur: ita reconciliamur, quando post peccatum pœnitendo regredimur. Quorum autem peccata in publico sunt, in publico debet esse pœnitentia per tempora: quæ pœnitentibus Episcopi arbitrio secundùm differentiam peccatorum decernuntur.

Libro 13. in Hieremiam: Conueniens ordo, vt indictione pænitentiæ prædicetur ieiunium parsimoniæ, vt qui per luxum non cauendo vitia in peccatum inciderant, per abstinentiam & afflictionem corporis eadem peccata abluere contendant.

Hincmarus. 850.

In vita S. Remigij: Vt era: dilectissimus, exempla pœnitentium in vnum colligens Genebaldo proposuit, & pænitentiam indixit, factaque mansiuncula cum lecto in modum sepulchri, & paruis fenestellis ac oratorio, Genebaldum in ea reclusit, in qua reclusione pœnitentiæ quantæ contritionis & continentiæ fuerit diuina misericordia demonstrauit.

Nicolaus Primus. 860.

Apud Gratianum 11. q. 2. de viro Frontario: De viro nefando, Burgando nomine, qui rabie insana commotus, diabolicis se irretire laqueis non dubitauit, atque gentilium more per abrupta itinera, & compita insidians vobis in vestræ Ecclesiæ villa vnà cum clericis vestris manentibus, & populum salubribus instruere dogmatum monitis decertantibus, panisque spiritualis verbi vacua hominum corda reficientibus, atque laudabile propriæ salutis desiderium habentibus, sancta Apostolorum Petri & Pauli limina visitare, collectis malitiæ suæ sequacibus, & iniquitatis complicibus, nefarias inuasiones & deprædationes violentas inferre dæmoniaco ausu præsumpsit: & vt epistolæ vestræ textus eloquitur, sacrum altare, sacraque Dominici corporis & sanguinis vasa, insuper & sanctum Chrisma pollutis arripere manibus, quasi vilia, & ad vsum communem apta, præsumpsit, dilectio nos vestra consulit, si ipsi, vel qui cum eo in tam impio, & iniquo scelere fuerunt, ad pœnitentiam quandoque gratia tracti diuinæ venire voluerint, quo eos pœnitentiæ vinculo constringatis, nostræ institutionis censuram exposcere curastis. De quibus (si tamen ita est) iubemus, cùm ad pænitentiam qnandoque reuerti accelerauerint, vno anno extra Ecclesiam Dei consistere, cuius sacratissima vasa extra ritum fidei Christianæ diripiendo auferre non dubitauerint: secundo verò anno ante fores Ecclesiæ sine communione maneant: tertio verò anno Ecclesiam Dei ingrediantur, & inter audientes astent sine oblatione, non manducantes carnem, neque bibentes vinum, præter Natalis & Resurrectionis Dominicæ dies: quarto præterea anno (si his prioribus tribus annis eorum fructuosus fuerit pœnitentiæ labor) communioni fidelium restituantur, totaque mentis intentione spondentes, talia se vlterius nunquam facturos, corpus & sanguinem Domini suscipere mereantur, & vsque ad septimum annum tribus in hebdomada diebus sine esu carnium, & vini potatione maneant pœnitentes.

Paschasius Ratbertus 880.

In vita S. Adelardi: Ipse gloriosus Imperator Loduicus publicam ex nonnullis suis reatibus pœnitentiam suscipiens, factus est omnium humilimus: qui quasi regali elatione sibi pessimus persuasor fuerat, vt quorum oculi offenderant in delicto, satisfactione regia sanarentur.

Concilium Moguntinum. 888.

Cap. 16. Qui sacerdotem morti voluntariè tradiderit, carnem non comedat, nec vinum bibere præsumat omnibus diebus vitæ suæ. Ieiunet autem vsque ad vesperam, exceptis diebus Festis & Dominicis: arma non sumat, & vbicunque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, sed proprijs pedibus proficiscatur. Ecclesiam per quinquennij tempus non ingrediatur, sed cùm sacrarum orationum officia, aut Missarum solennia celebrantur, ante fores basilicæ perseueret, orans ac deprecans Dominum, vt tanto crimine abluatur. Post expletum verò quinquennij tempus ingrediatur Ecclesiam, non tamen communicet, sed inter audientes tantummodò stet, vel dum facultas conceditur, sedeat. Dum autem duodecimi anni cursus fuerit finitus, communicandi ei tribuatur medela. Maneat tamen in reliquis obseruationibus tres dies per hebdomadam, vt ad perfectionis purificatus mereatur venire culmen.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 900.

Cap. 7. Dignus Pœnitentiæ fructus est, dolor mali præteriti, satisfactio delicti. Denique ista tria consideranda, Pœnitentiam, fructum, & dignum. Quæ sunt ista tria? Dolor præteriti, custodia futuri, satisfactio delicti. Tanta est pœnitentia tua, quanta contritio tua, quanta deuotio tua: Contritio scilicet pro malo, quod fecisti, deuotio pro bono recuperando, quod amisisti. Noli laborem pœnitentiæ verbis exponere, quia tantum profecisti, quantum laborasti. Opus sine contritione, flos sine fructu: contritio sine opere, fructus est sine maturitate.

Cap. 10. Licet Pater misericordiarum pœnam istam Israelitis indulserit, tamen Moses in Spiritu Dei huius indulgentiæ terminum fieri per mortem peccantium agnouit: vt ipsa mors occumbentium vel sic veniam mereretur, quæ ex mentis duritia à malo, quod fecerat, nulla pænitentia mundaretur. Itaque licet nobis de peccatis diuinitus venia concedatur, quærit tamen Deus, vt quod malè egimus per flammam dignæ pænitentiæ exuratur. Proinde peccatori disciplina & misericordia semper adhibenda est, vt quod malè gessit, vltio feriat, & quòd factus à Deo est, misericordia componat.

Concilium Nannetense. 900.

Cap. 5. Infirmus, qui necessitate mortis vrgente confitetur peccata sua, sub ea conditione à sacerdote reconcilietur, vt si ei Dominus vitam donauerit, sanitatemque reddiderit, secundùm qualitatem delicti omnino pæniteat.

Regino Prumiensis. 920.

In Chronicis de anno 868. Ad hæc Papa rescripsit, Sedem Sancti Petri semper paratam esse dignam satisfactionem suscipere, nec quod diuinæ humanæque leges iustè decernunt, vnquam repulisse. Itaque si immunem ab obiectis se sciret, cum omni fidu-

cta sedem Apostolicam adiret, & expetitam benedictionem perciperet: si culpam autem recognosceret nihilominus tamen absque hæsitatione venire festinaret, condigna pœnitentiæ remedia suscepturus.

Radulphus Flauiacensis. 950.

Lib. 3 in Leuiticum cap. 3. Non sufficit peccata deseruisse, nisi congrua satisfactione, quod iniquè perpetratum est, aboleatur. Vnde monet Scriptura:
Eccl. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.*

Lib. 18. cap. 4. Venditores huius possessionis hi sunt, qui claues regni cælorum à Domino susceperunt, quibus commissa est potestas vt ligent & excludant peccantes, soluant & introducant pœnitentes. Istis ergo, iuxta Domini præceptum, prouidendum est, vt in hoc mercimonio non grauent ciues suos, maiorem satisfactionem exigentes, quā peccati qualitas requirit. Emptor quoque caueat necesse est, ne Dei dispensatorem contristet, si tepida scilicet mente, seu delicti veniam petens iustam satisfactionis suæ mensuram non explet.

Rosvvida Monialis. 960.

De gestis Ottonis, agens de Pœnitentia Henrici Imperat.

Aduenięns in regalem se contulit vrbem,
In qua natalem regis celebrare perennis,
Depositisq; suis ornamentis pretiosis,
Simplicis & tenuis fruitur velamine vestis,
Inter sacratos noctu venerabilis hymnos
Intrans nudatis templi sacra limina plantis:
Nec horret hyemis sæuum frigus furientis,
Sed prono sacram vultu prostratus ad aram,
Corpus frigoreæ sociauit nobile terræ:
Sic mœrens toto conamine cordis,
Optans præstari veniæ munus sibi dulcis.

Smaragdus. 970.

In Diademate Monachorum cap. 14. Ille pœnitentiam dignè agit, qui reatum suum satisfactione legitima plangit, condemnando scilicet quæ gessit & tanto inde plorando profundius, quanto in peccando extitit procliuior.

Cap. 16. Prouidendum est his, qui peccata suorū operum deplorant, vt consummata mala per perfecta diluant lamenta, ne plus perstringātur in debito perpetrati operis, & minus soluant in fletibus satisfactionis.

Cap. 29. Nequaquam Deus delinquenti parcit, quoniam peccatorem aut flagello temporali ad purgationem ferit, aut iudicio æterno puniendum relinquit, aut ipse in se hoc pænitendo punit, quod malè admisit.

Abbo Floriacensis. 1020.

In vita S. Edmundi: Theodardus conuersus grauiter indoluit, & sibi pœnitentiam indicens, diutius se grauibus lamentis dedit, qua tandem peracta, populis suæ diœcesios mandat, vt triduano ieiunio à se diuinæ indignationis iracundiam remoueant.

Concilium Salegunstadiense. 1020.

Cap. 18. Quia multi tanta mentis suæ falluntur stultitia, vt in aliquo capitali crimine culpari, pœnitentiam à suis sacerdotibus accipere nolint, in hoc maximè confusi, vt Romam euntibus Apostolicus sibi omnia dimittat peccata: sancto visum est Concilio, vt talis indulgentia illis non prosit, sed prius iuxta modum delicti pœnitentiam sibi datam à suis sacerdotibus adimpleant, & tunc Romam ire si velint, ab Episcopo proprio licentiam, & literas ad Apostolicum de ijsdem rebus deferendas accipiant.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone de S. Andrea: Ne tibi blandiaris, si grauiter peccanti leuior pœnitentia à mansueto, vel à dissimulante dictatur, cùm in purgatorijs ignibus perficiendum sit, quicquid hîc minus feceris: quia dignos patientiæ fructus quærit Altissimus.

Radulphus Ardens. 1060.

Homil. in Feria quarta in cap. Ieiunij: *Scindite corda, & non vestimenta vestra.* Per hoc satisfactio de commissis peccatis nobis demonstratur, quæ consistit in tribus, in satisfactione operis, in compunctione mentis, in confessione oris. Porrò ad satisfactionem operis nos hortatur, cùm dicit: *in ieiunio.* Et quia non sufficit sine cordis pænitudine, & compunctione, subsequenter ad compunctionem mentis nos hortatur, cùm dicit: *in planctu & fletu.* Per fletum quippe & planctum interior compunctio sacerdoti propalatur.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad cap. 3. Matth. Pænitere est anteacta deflere, & deflenda non committere. Agere Pænitentiam est post pænitentiam satisfacere, ieiunando, eleemosynas dando, &c.

Ad cap. 11. prioris ad Corinth. Peccata siue parua, siue magna, impunita esse non possunt: quia aut homine puniente, aut Deo iudicante plectuntur. Cessat autem vindicta diuina, si conuersio præcurrat humana.

Bruno Carthusianus. 1080.

Ad cap. 12. Epist. ad Heb. Licet peccata dimittat Dominus, nulli tamen pæna remittitur, quin vel in hac vita, vel in futura soluatur, vel ab ipso homine spontanea voluntate, quod opus acceptius est, vel ab alio sibi inferente, sicut pro originale probare possumus, quod quidem in baptismo remittitur, pœna tamen eius peccati, mortalitas scilicet, & passibilitas relinquitur.

Hildebertus Cennomanensis. 1100.

Epistol. 50. Oblatio domus tuæ à clericis ne suscipiatur interdixi, communionemque tibi interdico, donec peracto pro ausibus à me definito tibimet pænitentiæ tempore, contrito corde, & humiliato, dignum offeras Deo sacrificium.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epistola 160. Præsentium portitor diabolico instinctu quendam Presbyterum castrari fecit. Quod quia inauditum apud nos fuerit, coacto rigore Ecclesiastico arma ei abstulimus, & quatuordecim annorum pænitentiam ei indiximus, vt diebus sibi præscriptis à cibis lautioribus abstineret, & tam immane facinus eleemosynis & ieiunijs expiaret.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone de Quadragesima: Dum viuimus, & sani sumus, ad pœnitentiam & satisfactionem curramus, ne tenebris mortis præuenti velimus, & nequeamus, &c. Ideo isti dies ad hoc sunt constituti, vt nos orationibus purgemus, & Creatori nostro pro peccatis satisfacere ieiunijs curemus.

Hugo Victorinus. 1130.

Tractatu sexto cap. decimo de Pœnitentia: In Pœnitentia consideranda sunt hæc tria: Compunctio, Confessio, Satisfactio. Compunctio est in contritione cordis, quæ nascitur ex recorditione præteritorum malorum, & ex timore iudicij futuri. Satisfactio post confessionem fit per ieiunia, orationes, & cætera opera bona.

Bernardus. 1130.

Serm. 55 in Cant. Vnum tamen est, si nosmetipsos dijudicauerimus, non vtique iudicabimur. Bonum iudicium, quod me illi districto diuinoque iudicio sub-

subducit, & abscondit. Prorsus horreo incidere in manus Dei viuentis. Volo vultui iræ iudicatus præsentari, non iudicandus Spiritualis homo omnia dijudicat,& ipse à nemine iudicatur. Iudicabo proinde mala mea, iudicabo & bona: mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lachrymis, punire ieiunijs, cæterisque sanctæ laboribus disciplinæ. In bonis de me humiliter sentiam, & iuxta præceptum Domini seruum me inutilem reputabo, qui quod facere debui, tantùm feci. 1.Cor.2.

Serm.66. in Cant. de Pseudoapostolis à lacticinijs abstinentibus: Hinc quoque hæreticos se probant, non sanè quia abstinent, sed quia hæreticè abstinent. Nam & ego interdum abstineo, sed abstinentia mea satisfactio est pro peccatis, non superstitio pro impietate. Num redarguimus Paulum quòd castigat corpus suum, & in seruitutem redigat?

Tractatu de interiori domo cap.1. His modis interior conscientia ædificatur, quam vtique bonam faciunt præteritorum malorum condigna satisfactio, & instantium malorum cauta prouidaque declinatio. Condigna satisfactio est malefacta corrigere, & correcta non iterare.

De gradibus humilitatis: Qui veraciter pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret: sed quicquid sibi pro culpa, quam odit, iniungitur, tacita conscientia patienter amplectitur.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib.4. Sententiarum dist.15. Non est dicenda illa peccati satisfactio, quam quis agit pro vno peccato dum perdurat in altero. Quia nihil prodest ieiunare, orare, & alia bona opera facere, nisi mens reuocetur à peccato. Et si aliquando conuersus tacitum peccatum Sacerdoti fuerit confessus, de vtroque imponenda est ei satisfactio: quia de primo condignè non satisfecit.

Richardus Victorinus. 1140.

De Incarnatione Verbi cap.14. Quibuslibet infidelibus ad Baptisma confluentibus sufficit pęnitentia sola sine satisfactione aliqua: Fidelibus verò peccantibus & pęnitentibus non sufficit pęnitentia sola sine satisfactione condigna.

Petrus Cantor. 1160.

Cap.107. Age Pęnitentiam condignam & fructuosam, quæ erit, si totius illecebrosæ voluptatis blandimenta contempseris, si te vehementius per pęnitentiam excruciaueris, si vberius fleueris, si largius pauperes sustentaueris, si charitate ardentius flagraueris, si piè, iustè, & sobriè vixeris, tunc quidem præsumes de venia.

Adam Victorinus. 1170.

Dialogo de Institutione animæ: Omnis, qui à peccato suo vult absolui, prius necesse est ei, vt peccatum suum perfectè agnoscat, secundò veraciter pęniteat, tertiò humiliter & integrè confiteatur, quartò bonis operibus satisfaciat.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermon. 1. in solennitate Mariæ Magdalenæ: Quia magnum fuit eius peccatum, magno satisfecit dolore: quia multum, multo satisfecit labore: quia notorium, notabili satisfecit pudore. Hæc tria sunt, quæ dignam satisfactionem perficiunt, dolor in corde, pudor in ore, labor in opere, vt, iuxta Salomonis Sapientiam, per quæ quis peccauit, per hæc torqueatur. Veniens ergo peccatrix ad fontem misericordiæ absoluenda, magno dolore turbata, lachrymis pedes eius rigauit, notabili confusa pudore stetit retro secus pedes ipsius, & osculabatur eos. Sap.11.

Sermone primo in consecratione Pontificis: Manus quinque digitos habet, & satisfactio quinque partes quæ sunt, asperitas vestis, abstinentia cibi, virtus orationis, interruptio somni, & largitas eleemosynæ. De his Propheta dicit in Psalmo: *Induebam me cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam: & oratio mea in sinum meum conuertetur.* Et: *Media nocte surgebam, ad confitendum tibi.* In his omnibus debet ponere manum super caput vituli, vt rationale sit eius obsequium, ne fortè iumentum, si animis fuerit oneratum, succumbat: si parum fuerit oneratum, lasciuiat. Secundùm modum culpæ sit modus pęnæ, pensata qualitate pęnitentiæ. Non sit tam leuis, vt præsumatur: nec tam grauis, vt desperetur. Psal.34. Psal.118.

Adilredus. 1200.

In Speculo amoris cap.46. Est ordo necessarius, vt qui commisit illicita, ab vsu licitorum se restringat: in qua restrinctione duo consideranda sunt, modus satisfactionis, & necessitas purgationis. Modus satisfactionis, vt secundùm modum culpæ rigor continentiæ extendatur, quatenus secundùm Baptistæ vocem dignos pęnitentiæ fructus faciamus. Verùm non satisfactionis modus tantùm considerandus est, sed etiam purgationis necessitas perquirenda: nec pro sola satisfactione à licitis continendum, sed etiam pro expellendis vel minuendis passionibus, quæ vitiosa consuetudine inolescunt, laboriosis operibus insistendum. Sunt enim exterioris hominis exercitia interioris hominis instrumenta, quibus & passiones vitiosæ, quæ ipsam hominis inficiunt animam, facilius absconduntur, & interioris faciei sordes, quasi confrictione quadam asperiori penitus diluuntur.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap.21. Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis venerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam proprijs viribus studeat adimplere, &c. Sacerdos sit discretus, & cautus, & more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens peccati circunstantias, ex quibus intelligat, quale illi consilium debeat exhibere, & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vtendo ad sanandum ægrotum.

Iacobus Vitriacus. 1220.

In cap. Ieiunij ex lib. Ioelis: Cum Deo pacem habere possumus, si tres legatos pacis, tanquam mediatores, præmiserimus, scilicet veram cordis contritionem, plenam oris confessionem, sufficientem operis satisfactionem, vt dignos pœnitentiæ fructus faciamus. Hac enim via, quasi itinere trium dierum, ad Deum reuerti debemus, vt sicut corde peccauimus per malam voluntatem, & ore per indebitam locutionem, & opere per illicitam actionem: ita corde satisfaciamus per contritionem, ore per Confessionem, opere explendo pro virili nostra iniunctam pœnitentiam &c. Quia peccauit homo contra Deum, contra proximum, contra semetipsum: Deo satisfaciat per orationem, proximo per eleemosynam, sibi ipsi per ieiunium, & vitæ austeritatem. Et quoniam quicquid in mundo est, vel est superbia vitæ, vel concupiscentia, oculorum, id est, auaritia, vel concupiscentia carnis: contra superbiam spiritaliter oratione, contra auaritiam eleemosyna, contra luxuriam satisfaciendum est ieiunio.

Guilhelmus Aluernus Parisiensis. 1230.

Libro de Sacramento Pœnitentiæ cap.19. Satisfactio est, qua Deo satisfit, hoc est, Deo satis est, vel Deo sufficit de vita, vel de conuersatione pœnitentis pro iniurijs & contumelijs, quæ ei peccando irrogauit, &c. Confessor iniungendo satisfactionem, solerter penset Dei contumeliam

in peccato pœnitentis, vt honore contrario expietur. Verbi gratia: si peccauit pœnitens in loco Dei honori, & gloriæ deputato, puta in Ecclesia, iniungendum est illi, vt in ipsa Ecclesia specialem honorem pro expiatione illius contumeliæ, vel ad tempus, vel perpetuò Deo rependat, &c.

Alexander Alesius. 1240.

Parte 4. quæst. 24. memb. 2. artic. 1. Satisfactio Sacramentalis est illa, quæ iniungitur à Sacerdote, & hæc non fit, nisi per opus exterius: & hæc propriè dicitur satisfactio, & est vna pars pœnitentiæ. Alio modo nomine extenso dicitur satisfactio, opus quodcunque siue exterius, siue interius, quo pœnitens meretur remissionem reatus sui peccati, cuiusmodi sunt opera, quæ superimpendunt pœnitentes operibus iniunctis ab Ecclesia, & huiusmodi sunt de consummatione & securitate satisfactionis.

Thomas Aquinas. 1250.

In Additionibus quæst. 15. & 4. dist. 15. Satisfactio debet esse talis, per quam nobis aliquid subtrahimus in honorem Dei. Habemus autem tria bona corporis, animæ, fortunæ. Ex bonis fortunæ aliquid subtrahimus nobis per eleemosynam, ex bonis corporalibus per ieiunium, per orationem bona animæ submittimus Deo.

Quodlib. 3. art. 28. Satisfactio ad duo valet: Valet enim ad expiationem culpæ præteritæ, valet etiam ad cautelam culpæ futuræ.

Bonauentura. 1260.

In lib. 4. Sent. distinct. 18. In peccato duo sunt, Dei offensa, & libido inordinata. Offensa Dei est infinita, at peruersa libido est finita. Pro offensa non satisfit, sed Dei misericordia per suam gratiam remittit: verùm quia iustus est, peruersam libidinem non totam remittit, sed pro illa exigit pœnam condignam.

Ioannes Scotus. 1300.

In lib. 4. Sent. dist. 15. quæst. 1. 4. Satisfactio est operatio exterior, laboriosa vel pœnalis, voluntariè assumpta, ad puniendum peccatum commissum, &c. Satisfactio consistit in actionibus vel pasionibus, habentibus rationem pœnæ.

Durandus à S. Portiano. 1310.

Lib. 4. Sentent. distinct. 15. quæst. 5. Satisfactio, quam homo potest Deo facere, debet fieri per opera pœnalia. cuius ratio est, quia satisfactio non potest esse, nisi per opera pœnalia: ergo &c. Tres asignantur partes Satisfactionis, scilicet Ieiunium, Eleemosyna, & Oratio, quarum sufficientia potest haberi hoc modo: Satisfactio debet esse talis, qua nobis subtrahitur aliquid, quod sit ad honorem Dei. Habemus autem tria bona in nobis: scilicet bona fortunæ, bona corporis, & bona animæ. Ex bonis fortunæ subtrahimus nobis per Eleemosynam: ex bonis corporis, per ieiunium: Ex bonis animæ, per orationem, submittendo Deo totaliter propriam voluntatem.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 16. Lucæ: Postquam descripta est pœnitentium receptio benigna, hic consequenter describitur eorum satisfactio condigna, quæ potissimum fit per Eleemosynarum largitionem, secundùm illud Danielis: *Peccata tua eleemosynis redime.* Dan. 4.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi part. 1. cap. 20. Tertia pars pœnitentiæ est operis Satisfactio. Est autem satisfactio, qua pro qualitate culpæ pœna digna exoluitur. Hinc illud Baptistæ: *Facite dignos fructus pœnitentiæ, &c.* Satisfactio debet fieri per opera pœnalia. Per satisfactionem enim debet vulnus sanari perfectè: sed peccaminum medicinæ sunt pœnæ: eæ igitur ad satisfaciendum sunt necessariæ. Nam licet Deo nihil posit subtrahi, tamen peccator peccando, quantum in eo est, subtrahit quod est ad honorem Dei: & ideo cùm satisfactio sit quasi quædam recompensatio, oportet quòd per eam sibi ipsi pœnitens aliquid subtrahat, quod ad honorem Dei cedat. Hoc autem non potest esse, nisi sit opus bonum, quantum ad Dei honorem, & pœnale opus, quantum ad peccatorem pœnitentem, cui est subtrahendum: sic & Deo satisfacit, & etiam à vitijs & futuris malis, in quantum pœnale, præseruat. Satisfactio ergo debet esse talis, per quam aliquid nobis ad honorem Dei subtrahimus, &c.

Guido Carmelita. 1330.

De Armenijs errore 9. Quamuis peccata Deus remittit quoad culpam per cordis contritionem, & oris confesionem; manet tamen reatus pœnæ, donec satisfecerit pœnitens. Quia si moriatur ante satisfactionem, punietur igne purgatorij in alia vitâ vsque ad satisfactionem.

Ioannes Taulerus. 1350.

Dominica 1. Quadragesimæ: Modus technas diabolicas & fraudes euadendi in quatuor partes distinctus est. Prima est, quòd quisque Dei amore peccata libens omnia euitabit, atque in suorum emendationem & satisfactionem peccaminum Christi pasionem in suo sensu asiduè meditabitur. Alia est, quòd importunæ naturæ suæ desideria & affectus ex hora in horam magis ac magis edomare & vincere curabit, quantum natura ferre poterit, & pro qualicunque satisfactione, & emendatione malorum desideriorum suorum libenter solus erit, semper bonis actibus intendet, atque in virtuosis se exercebit actibus. Tertia est, quòd amorem hominum quorumcunque, & omnium creaturarum è corde suo profligabit, desiderabitque, vt Deus hic peccata sua puniat, & aduersis se affligat. Sed & ipse pœnis se afficiet, & pro peccatis suis fundet lachrymas.

Dominica septima post Trinitatem Serm. secundo: Ad honorem Christi vitam rigidam & pœnitentialem assumas. Hęc autem Pœnitentia primò quidem in afflicto, pœnis affecto, & patiente corpore, in cibi potusque subtractione, in asperioris vestimenti, stratique durioris vsu, in ieiunijs & vigilijs consistit.

Catharina Senensis. 1370.

Tractatu 1. cap. 58. Neque tamen omittitur, quin iustè culpa puniatur, quia reseruatur in futura vita punienda, cùm anima separata fuerit à corpore, nisi quis in præsenti satisfaciat cum sancta Confesione, Contritione cordis, atque debita satisfactione.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica de Sacramento Pœnitentiæ: Quia Pœnitentia non solùm est satisfactoria pro peccatis, imò etiam medicina contra futura peccata, ideo conueniens videtur, vt talis pœnitentia iniungatur, quæ fit in remedium contra occasiones futurorum peccatorum. Ideo contra verbosos & iracundos orationis pœnitentia iniungatur: quia oratio eleuat mentem ad Deum. Contra gulosos & carnales ieiunium: contra auaros detur Eleemosyna in pœnitentia. Ad Orationem enim spectant omnia opera spiritualia: ad Eleemosynam verò opera erogationis, & misericordiæ: ad ieiunium opera carnem affligentia: sicut vigiliæ, peregrinationes, disciplinæ, &c.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De perfectionis gradibus cap. 3. Exterior pœnitentia illa, quæ propriè Sacramentum est, oris confessione agitur coram Sacerdote, & ad ipsius arbitrium imponitur, adhibita (videlicet) contritione cordis, & satisfactione operis: Nam parum homini confitenti delicta sua esset vtile se peccatorem acclamare, si absque animi mœrore id faceret, si vlterius non peccandi propositum non haberet, si iniunctam sibi satisfactionem negligeret adimplere.

Dionysius Carthusianus 1460.

In Compendio Theologiæ Tom. 1. *operum minorum* Multa in Sacramentali confessione valent & conferunt ad culpæ, imò & aliquo modo ad pœnæ remissionem, puta humiliatio confitentis, qua se propter Deum subijcit confessori, & eius paret iudicio, pœnam quoque seu satisfactionem ab illo iniunctam humiliter suscipit, & adimplet.

Hieronymus Sauonarola. 1480.

De veritate fidei lib. 3. *cap.* 16. Clauium beneficio absoluentibus Christi ministris aliquid de temporanea, quæ remanserat, pœna dimittitur pœnitenti: is tamen iniuncta sibi satisfactione ad residuum obligatur, quæ tertia pars est Sacramenti Pœnitentiæ.

Nicolaus de Nyse. 1480.

Tertiæ partis Reparatorij Tract. 4. *de Satisfactione.* Satisfactio strictè accepta dicitur operatio, vel passio, seu pœna exterior laboriosa, vel pœnalis, voluntariè assumpta, vel supportata ad puniendum proprium peccatum, & ad placandam diuinam offensam, &c. Quia restitutio rei alienæ necessariò procedere debet aut in facto, aut in voto siue proposito, satisfactionem propriè dictam, imo & totam veram pœnitentiam: quia nullus potest verè confiteri de peccatis, nec salubriter confiteri, nec quouis modo satisfacere de peccato, nisi alienum, si habuerit, restituat prius, &c.

ARTICVLVS QVINTVS.

VERE CONTRITOS ET CONFESSOS, SI ANTE PRÆSTITIAM SATISFACTIONEM DECESSERINT, POENIS PVRGATORIIS AD DEFINITVM TEMPVS TORQVERI: ET EIVSMODI POENAS ECCLESIAE ET AMICORVM SACRIFICIIS, orationibus, eleemosynis & ieiunijs mitigari.

NEGANT.

Anno post natū Christū 350. AERIVS Presbyter Arianus *docuit viuentium sacrificia, orationes, & ieiunia defunctis nihil prodesse.* Epiphanius, Augustinus, Isidorus, & Damascenus vbi agunt de Aërianis.

600. *Armenij negant purgatorium.* Guido de Armenijs.

1000. *Græci ac Moscouitæ, etsi funebre sacrum pro defunctis faciunt: tamen Purgatorium negant.* Guido & cæteri, qui de Græcorum ac Rhutenorum erroribus scribunt.

1140. *Petrobrusiani & Henriciani non credunt ignem purgatorij restare post mortem, sed asserunt animam à corpore solutam statim vel ad requiem transire, vel ad damnationem.* Bernardus Sermone 66. super Cantica, & Epist. 240 Petrus Cluniacensis epistola ad omnes Episcopos.

1180. *VValdenses dicunt, quòd animæ decedentes, statim vt decedunt euolant ad paradisum, vel ad cœlum, nec aliqua intret ad Purgatorium: Purgatorium nihil esse, Missas, eleemosynas, orationes, suffragia, & alia quæ fiunt in Romana Ecclesia pro defunctis, nihil eis prodesse: auaritiæ sacerdotum inuenta esse.* Nicolaus Eymericus Tractat 12. quæst. 14. & Æneas Syluius Historiæ Bohemicæ cap. 38.

1200. *Albigenses Purgatorium nihil esse dicunt, & quicquid beneficij mortuis à viuis impenditur, irrident.* Cæsarius Heisterbachius lib. 5. cap. 21. Antoninus 4. part. tit. 11. cap. 7. §. 5. & Bernardus Lutzenburg. de illorum hæresi.

1350. *Flagellantes dicunt, quòd exequiæ & vigiliæ defunctorum ad nihil aliud valent, nisi quòd sunt aliquale solatium viuorum, & replent marsupia clericorum.* Bernardus Lutzenburg. de illorum hæresibus.

1390. *Ioannes VVicleuus.* libro de Orat. cap. 3. *propria merita extollit, aliorum merita & orationes, quæ fiunt pro viuis & defunctis inutiles esse docet: verbis tamen obscurioribus vtitur, nec tam expresse affirmare audet.*

1400. VViclefistæ in libello per viam charitatis porrecto ad Parlamentum Regis Richardi secundi conclusione 7. *Speciales orationes pro animabus mortuorum factæ in Ecclesia nostra, præferentes vnum per nomen, plusquam alium, est falsum fundamentum eleemosynæ, super quod omnes domus eleemosinarum Angliæ nequiter sunt fundatæ.*

1500. *Piggardi orationes pro mortuis rem vanam & ridiculam arbitrantur.* Ioannes Schechta epistola ad ... mum.

1520. Martinus Lutherus epistola ad VValdenses: *Quòd negatis Purgatorium, & damnatis Missas, per omnia probo.*

De Missa priuata: *Tutius est Purgatorium negare, quàm Gregorio credere.*

1530. Huldaricus Zvvinglius Epicheresi de Canone Missæ: *Orandi & sacrificandi pro defunctis morem Chrysostomus & Augustinus tradiderunt ab Apostolis vsque ad se manasse. Quod ego vehementer admiror: & si verum est, non puto Apostolos alia de causa, quàm indulgentia infirmitatis hoc quibusdam permisisse.*

1540. Petrus Martyr ad cap. 3. prioris ad Corinthios: *Primò dicit, siue sit, siue non sit purgatorium, certè non est articulus fidei: postea ait, non esse probabile esse Purgatorium.*

1550. Ioannes Caluinus lib. 3. Institut. cap. 5. §. 6. *Ex multis blasphemijs purgatorium constructum est, & nouis quotidie fulcitur: sine verbo Dei curiosa audaciquè temeritate excogitatum est. De ipso creditum est, nescio quibus reuelationibus, Satanæ arte confictis. Purgatorium exitiale Satanæ est commentum, quod Christi crucem euacuat, quod contumeliam Dei misericordiæ non ferendam irrogat, quod fidem nostram labefacit & euertit.*

1560. Henricus Bullingerus Decadis 4. Sermone 10. *Verum est quod Papistæ aiunt, veteres orasse & sacrificasse pro defunctis. Scio quid Doctor Ecclesiæ insignis Augustinus, quid eloquentissimus Chrysostomus, aliiq; viri vetusti ac clari hac de re scriptum reliquerunt, sed quæro num hi rectè fecerunt: scio damnatum fuisse Aërium, quòd huiusmodi orationes & oblationes improbaret. Afferunt secundùm Machabæorum librum: sed is nihil probat, cùm non sit Canonicus: Adijciunt & Traditionem Apostolicam, sed mihi id non videtur, nec illi vnquam in scriptis ita præcipiunt.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

1. *Reg.* 2. *Vers.* 6. Dominus mortificat, & viuificat; deducit ad inferos, & reducit.

Tobiæ 4. 18. Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue.

Ecclesiastici 7. 37. Mortuo non prohibeas gratiam.

Zach. 9. 11. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.

2. *Machab.* 12. 39. Sequenti die venit cum suis Iudas, vt corpora prostratorum tolleret, & cum parentibus poneret in sepulchris paternis. Inuenerunt autem sub tunicis interfectorum de donarijs idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt, à quibus lex prohibet Iudæos: omnibus ergo manifestum factum est ob hanc causam eos corruisse. Omnes itaque benedixerunt iustum iudicium Domini, qui occulta fecerat manifesta. Atque ita ad preces conuersi, rogauerunt, vt id quod factum erat delictum, obliuioni traderetur. At verò fortissimus Iudas hortabatur populum conseruare se sine peccato, sub oculis videntes quæ facta sunt pro peccatis eorum, qui prostrati sunt. Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccato sacrificium, bene & religiosè de resurrectione cogitans. (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis) & quia considerabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.

Matth. 5. 26. Esto consentiens aduersario tuo citò dum es in via cum eo: ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas nouissimum quadrantem.

Matt. 12. 31. Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.

1. *Corinth.* 3. 12. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superædificauit: mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit: sic tamen quasi per ignem.

Philippens. 2. 10. In nomine IESV omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum.

§ (*) §

ASSERVNT VARIARVM GENTIVM Liturgiæ.

Liturgia Ecclesiæ Hierosolymitanæ auctore Iacobo Apostolo.

Fac Domine, vt oblatio nostra grata & accepta sit, per Spiritum sanctificata in propitiationem peccatorum nostrorum, & eorum, quæ populus per ignorantiam admisit, & in requiem animarum eorum, quæ ante nos obdormierunt.

Memento Domine Deus noster spirituum & vniuersæ carnis, quorum memoriam egimus, & quorum non egimus, orthodoxorum & rectè de fide sentientium ab Abel iusto vsque ad hodiernum diem: fac eos requiescere in regione viuentium, in regno tuo, in delicijs paradysi, in sinu Abrahæ & Isaac sanctorum Patrum nostrorum: vnde exulat dolor, tristitia & gemitus: vbi præsidet lumen vultus tui, & perpetuò refulget.

Liturgia Ecclesiæ Romanæ primum à D. Petro scripta.

Memento Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis. Ipsis Domine & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij & pacis indulgeas, deprecamur.

Liturgia Ecclesiæ Alexandrinæ primùm à B. Marco scripta.

Animabus patrum & fratrum nostrorum, qui antea in Christi fide obdormierunt, dona requiem Domine Deus noster, memor maiorum nostrorum, qui à seculo sunt Patrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, &c. Deinde lectis defunctorum dypthchis, subiungit sacerdos sese Domino Deo inclinans: Horum omnium animabus Domine Deus noster dona requiem in sanctis tabernaculis tuis, in regno tuo, easque cælorum regno dignare.

Liturgia Ecclesiæ Æthiopicæ, primùm à D. Matthæo scripta.

Memento Domine dormientium Principum, Pontificum, Regum nostrorum, & omnium in recta fide quiescentium.

Memento Domine famulorum famularumque tuarum, fratrum & sororum, omnium fidelium dormientium, & in signo rectę fidei quiescentium.

Liturgia Ecclesiæ Mediolanensis primùm à S. Barnaba, postea ab Ambrosio, &c. scripta & aucta.

Pro defuncto Episcopo: AEterne Deus suppliciter deprecamur, vt famulus tuus, cui dedisti Ecclesiæ tuæ gubernacula, nunc carnis ergastulo liberatus, & Præsulibus Apostolicæ dignitatis consociatus, vitæ æternæ præmium consequi mereatur.

Liturgia Ecclesiæ Cappadociæ, auctore Basilio Magno.

Memento Domine omnium dormientium in spe resurrectionis vitæ æternę, & refrigera eos, vbi visitat lux vultus tui.

Liturgia Ecclesiæ Syriæ, auctore Basilio Magno.

Sublata voce Sacerdos orat Deum, vt meminerit Deus omnium, qui transierunt ex mundo, recreet eos in tabernaculo suo, traducat per mansiones horridas, & in tabernaculis luculentis collocet, eruat ex densissimis tenebris, tribulatione & dolore, ne intret cum ijs in iudicium. Si quid vt homines carne vestiti peccauerint, ijs remittat.

Liturgia Ecclesiæ Constantinopolitanæ, auctoribus Andrea Apostolo, & Ioanne Chrysostomo.

Memento Domine, vt bonus, seruorum tuorum, & quæcunque in via deliquerunt ignosce. Nemo enim sine peccato, nisi tu Domine, qui potes migrantibus dare quietem.

Adhuc offerimus tibi rationabile hoc obsequium pro fidelibus dormientibus, pro fratribus & sororibus nostris, interuenientibus Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, & omnibus Sanctis.

Liturgia Mozarabum D. Leandro Hispalensi Episcopo peculiariter vsitata, qua & D. Isidorus, & plures alij post eum in Hispanijs vsi sunt.

Mox fit secundum Memento pro defunctis. Quo peracto, recipit corpus & sanguinem Domini.

Liturgia Ecclesiæ Gotticæ.

Diuersis oblationibus sacris altaribus, vna tamen fidei deuotione collatis, mutuæ inuicem solicitudinis vota promamus, à Domini pietate poscentes, vt corda omnium offerentium ad hostiam rationabilis, & complacitæ sibi sanctificationis emundet, & quiescentium animas in sinum Abrahæ collocare dignetur, & in partem primæ resurrectionis admittat, per Dominum nostrum, &c.

Liturgia Ecclesiæ Armeniorum.

Per hanc oblationem da æternam pacem omnibus, qui nos præcesserunt in fide Christi, sanctis Patribus, Patriarchis, Apostolis, Prophetis, Martyribus, &c. Rogate Dominum pro animabus, quæ requiescunt in pace, imprimis Episcoporum hic quiescentium.

Memento Domine, miserere, & fac gratiam animabus requiescentibus, pacifica, illumina eas, & associa eas ad Sanctos tuos in regno cælorum, & fac eas dignas amore tuo.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Epistola 1. Quotidiana Petri prædicatio inter cætera diuina mandata hæc erat: Bonorum, inquit, operum inter cætera semina & negotia sunt, quantum vnusquisque sapit & potest, totis intimi cordis visceribus Deum orare, pauperes recreare, infirmos visitare, mortuos sepelire, diligenter eorum exequias peragere, proque ijs orare, & eleemosynas dare.

Lib. 8. Apostol. Constit. cap. 41. Oremus pro fratribus nostris, qui in Christo requieuerunt, vt Deus summæ erga homines charitatis, qui animam defuncti suscepit, remittat ei omne peccatum voluntarium, & non voluntarium: & propitius ac beneuolus ei factus, collocet eum in regione piorum, qui laxati sunt, in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob, cum omnibus, qui à seculo condito Deo placuerunt, voluntatique eius paruerunt, vnde fugit do-

git dolor, mœror & gemitus, &c. Episcopus dicat: Respice hunc seruum tuum, quem in aliam sortem elegisti, & assumpsisti & condona ei, si quid tum volens, tum nolens peccauit: & exhibe ei Angelos beneuolos: ac colloca eum in sinu Patriarcharum, & Prophetarum, & Apostolorum, & omnium, qui tibi à seculo placuerunt: vbi non est tristitia, neque gemitus, neque dolor, sed potius chorus piorum laxatus, & terra rectorum simul laxata, & eorum, qui ibi gloriam Christi tui vident.

Capite 42. Exequiæ mortuorum fiant tertio die, adhibitis Psalmis, precibus, & lectionibus, propter eum, qui tertio die à mortuis suscitatus est: die nono, ad recordationem eorum, qui sunt superstites, & eorum, qui defuncti sunt: quadragesimo fiant secundùm veterem typum: Moysen enim sic populus fleuit: item anno exacto, ad habendam memoriam ipsius defuncti, & suppeditetur ex bonis eius pauperibus ad recordationem eiusdem.

Dionysius Areopagita. 110.

Ecclesiastica Hierarchia cap. 7. parte 2. Postea accedens venerabilis Præsul, precem super defuncto sacratissimam peragit: & post orationem ipse quoque Pontifex defunctum salutat, & post illum qui adstant omnes. Vbi verò cuncti consalutauerunt, super defuncto fundit oleum Pontifex. Et oratione pro omnibus facta, honesto in loco ponit corpus cum æqualibus alijs corporibus sanctis.

Parte 3. Accedens deinde venerandus Antistes, precem sacram super mortuum peragit, postquę precem & ipse eum Præsul salutat, & suo deinceps ordine, qui adstant omnes. Precatur oratio illa diuinam clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eumq; in luce statuat & regione viuorum, in finibus Abrahę, Isaac, & Iacob: in loco vnde aufugit dolor, tristitia, & gemitus, &c. Quòd autem & iustorum preces etiam in vita ista, & nedum post mortem, ijs solis prosint, qui digni sunt, Scripturæ nos edocet sacrosancta traditio.

Hermas. 120.

Visione 3. de triumphantis Ecclesiæ structura, & varijs hominum reproborum ordinibus: An ijs omnibus lapidibus, qui proiecti sunt, nec conueniebant in structuram turris, est pœnitentia, & habebunt locum in turre hac? Habent, inquit, pœnitentiam, sed in hac turre non possunt conuenire. Alio autem loco ponentur multò inferiore, & hoc cùm cruciati fuerint, & impleuerint dies peccatorum suorum: & propter hoc transferentur, quoniam perceperunt verbum istum. Et tunc illis continget transferri de pœnis, si ascenderint in corda ipsorum opera, quæ operati sunt scelesta: quod si non ascenderint in corda ipsorum, non erunt salui.

Origenes. 230.

Homilia 14. in Leuit. Possumus adhuc addere etiam illud, quòd natura peccati similis est materiæ, quæ igni consumitur, quam ædificari Paulus Apostolus à peccatoribus dicit, *qui supra fundamentum* 1. Cor. 3. *Christi ædificant ligna, fœnum, stipulam.* In quo manifestè ostenditur, esse quædam peccata ita leuia, vt stipulæ comparentur, cui vtique ignis illatus diu non potest immorari. Alia verò fœno esse similia, quæ ipsa non difficulter ignis absumat, verùm aliquanto tardius quàm in stipulis immoretur. Alia verò esse, quæ lignis conferantur, in quibus pro qualitate criminum diutinum & grande pabulum ignis inueniat. Ita ergo vnumquodque peccatum pro qualitate, vel quantitate sui, pœnarum iusta persoluit.

Homilia 25. in Num. Spectat nos Angelorum chorus, virtutum cælestium pia erga nos pendet expectatio, quando vel quomodo de hoc prælio reuertamur, quid vnusquisque nostrum manubiarum reportet: & intuentur curiosius, ac sollicitius perscrutantur, quis nostrum auri hinc amplius ferat, quis etiam argenti illud pondus exhibeat, quisue lapides deferat pretiosos. Requirunt etiam si quis æs deferat, aut ferrum, aut plumbum, sed & vas ligneum, si fortè aliquis, aut fictile, aut aliud huiusmodi magnæ domus vsibus necessarium, &c. Requiritur ergo diligenter cùm abierimus illuc, quid vnusquisque nostrum deferat, & secundùm ea quæ detulerit, secundùm quod labor eius pro contemplatione exuuiarum probatur, etiam mansionis ei meritum deputabitur. Probantur tamen omnia hæc: quæ per ignem, per ignem: quæ per aquam, per aquam. *Vnuscuiusque enim opus quale sit ignis probabit.* Propterea ergo ait: *Hæc est iustificatio legis, quam constituit Dominus Moysi: præter au-* 1. Cor. 3. *rum, & argentum, & aramentum, & ferrum, & plumbum, & stannum, & omnis res, quæ transit per ignem, traducetur per ignem, & mundabitur. Sed & in aqua purificationis purificabuntur. Omnia quæcunq; non transeunt per ignem, transibunt per aquam, & lauabitis vestimenta vestra die septima, & mundi eritis, & post hæc introibitis in castra.* Vides quomodo purificatione indiget omnis, qui exierit de prælio vitæ huius? Quod si aliquid est, vt aliquid audeam dicere secundùm Scripturæ diuinæ auctoritatem, omnis qui exierit de hac vita, non potest esse mundus. Considera enim diligenter, quid indicet historiæ textus. Exierunt isti pugnare pro filijs Israel, interfecerunt Madianitas: interficientes autem eos, quantum ad historiæ ordinem spectat, & literam legis, placuerunt Deo: voluntatem namque Dei impleuerunt: tamen hoc ipso quòd interfecerunt aduersarios, immundi dicuntur effecti, & propterea dicitur ad eos: *Et lauabitis vestimenta vestra die septima, & mundi eritis, & post hæc introibitis in castra.* Ergo hi, qui pugnant, pro eo ipso, quòd contigerunt hostes immundos, & quòd ingressi sunt contra eos, & habuerint cum eis certamen, polluti sunt. Et ego ergo, etiamsi vincere potuero diabolum, etiamsi cogitationes immundas & malas, quas cordi meo suggerit, vel repellere venientes, vel ingressas necare intra me, ne ad effectum perueniant, quiuero, & si calcare potuero caput draconis, hoc ipso tamen pollui me, & inquinari necesse est, quo cum, qui pollutus, & inquinatus est, contigi: & ero quidem beatus, quòd eum superare potui, immundus tamen sum, & pollutus, qui pollutum contigi, & ob hoc purificatione egeo. Idcirco nimirum & Scriptura dicit: *Quia nemo mundus à sorde.* Omnes ergo purificatione indigemus, imò purificationibus. Multæ enim & diuersæ nos manent purificationes. Sed mystica hæc sunt & ineffabilia.

In Psalm. 38. Homil. 2. Quòd autem crassescat, &, vt ita dicam, carnea efficiatur anima peccatoris, indicatur ex eo, quòd scriptum est: *Non permanebit* Genes. 6 *spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt.* Carnem sine dubio nominat animas crassiores & peccatrices. Si ergo incrassescat anima, vt efficiatur caro, quid remedij Deus præparet, docet: *In increpationibus, inquit, pro iniquitate erudisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam animam eius.* Est ergo opus Dei, vt tabescere faciat, & consumat omne quicquid est crassioris materiæ, quo circundatur anima, vt extenuet, & elimet prudentiam carnis, & ita demum animam ad subtilem rerum cælestium, & inuisibilium reuocet intellectum. Talia quædam inuenimus sub sacramento non minimo apud Ezechielem Prophetam designari, cùm Ezec. 18. in lebetem, vel cacabum carnes immitti dicuntur,

lebetem,

ta, quoniam ritus ille, quo apud Iudæos Deus colebatur, subseruiebat exemplari & vmbræ cælestium, cæleste quoddam insinuare intelligendum est altare illud, nempe locum lustrandis animabus accommodatum, è quo ignis ille purificatiuus per eas virtutes eximia sanctitate proditus elicitur.

Ad cap. 9. *Et erit populus ab igne adustus.* Non omnimodum internecionem & exterminium comminatur, sed innuit expurgationem, iuxta Apostoli sententiam. Quia *si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus fiet, sic tamen vt per ignem.*

Ephram. 370.

Oratione ad euersionem superbiæ: Immundus verè apud Dominum omnis, qui elato est corde. An non consideras illum, per quem transibimus ignem? Quando igitur pertranseuntes eum mundi deprehensi fuerimus & irreprehensibiles, tunc cognoscemus nos ipsos quales sumus: *Dies enim Domini vniuscuiusque opus declarabit,* sicut scriptum est, quia in igne reuelabitur. 1. Cor. 3.

Paraenesi 49 de vita Monastica: Contingit superbia: recordatur quòd per ignem transiturus sit. Ista gratiarum sunt dona, rectè Domino seruientibus concessa, & quæcunque decent Sanctos.

In Testamento suo. Ego Ephræm morior. Notum igitur vobis sit omnibus, ô viri Edesseni: Testamentum enim vobis relinquo monumenti, symbolum doctrinæ veritatis, ex ea, quæ mihi gratia, & dono impetrita fuit, vt in orationibus mei memoriam faciatis, scientes & cognoscentes me, &c. Et nunc volens, fratres mei, admonere vos, & firmiter stabilire, vt post transitum meum assiduè in vestris orationibus mei memoriam faciatis, accedentes nunc claudite mihi oculos, super eos manus vestras imponentes. Reminiscimini autem mei abiecti in vestris pijs & sanctis orationibus. Etenim in vanitate & iniquitate peregi vitam meam. Accedite igitur ad me fratres, & componentes collocate me. Spiritus enim meus deficit fortiter, & comitamini me Psalmis & orationibus vestris: & assiduè pro mea paruitate offerre dignemini, vt cùm trigesimum diem compleuero, mei memoriam faciatis. Mortui enim beneficio afficiuntur in oblationibus sanctorum viuentium.

Apud Seuerum Alexandrinum: Fide obtulit Abel sacrificium pacificum: Abraham etiam fide obtulit Isaac, qui ambo mortui sunt. Ex hac oblatione patefit, & sentit anima, quando pro ea offertur sacrificium. Non omnis, qui defunctus est, recordari meretur inter propitiatorium. Sunt defuncti, qui ipsum Dei Filium nequaquam agnoscunt. Mortui illi, qui comederunt corpus eius, biberunt eius sanguinem, hi sunt, quorum æquum est mentionem fieri inter propitiatorium.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 5. Mystagogica. Deinde verò postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, & postea facimus mentionem eorum, qui ante nos obdormierunt, primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus orationibus eorum suscipiat preces nostras. Deinde pro defunctis sanctis Patribus & Episcopis, denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi, quod in altari positum est, sacrificij. Quod exemplo vobis demonstrare volo. Scio enim multos dicere, quid iuuat animam in peccatis ex hoc mundo decedentem, etiamsi in hoc sacrificio mentio illius fiat? An enim si rex aliquis eos, à quibus offensus est, in exilium pepulerit, postea verò illorum propinqui coronam aliquam conficientes, pro his qui sunt in supplicio exulibus, eidem offerent, nonne condonationem aliquam suppliciorum ipsis dederit? ad eundem modum & nos pro defunctis precationes adhibentes, quamuis sint peccatores, non quidem coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, vt & nobis, & illis eum, qui est benignissimus, propitium reddamus.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 10. quæ est in laudem defuncti fratris Cæsarij: Ac talia quidem sunt, quæ à nobis offeruntur: si autem parua ac meritis quidem inferiora, Deo quoque gratum est quod fit pro viribus. Atque alia quidem persoluimus, alia verò dabimus, anniuersarios honores & commemorationes offerentes, ij quidem certè, qui superstites erunt, &c. O nostrarum animarum custos & benefactor, ô qui omnia facis & tempestiuè, atque, vt ipse pro sapientiæ tuæ atque administrationis altitudine nosti, artifice sermone transmutas, nunc quidem Cæsarium discessus nostri primitias quæso suscipe.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione, quòd non sit dolendum ob eorum obitum, qui in fide discesserunt: Quamobrem vt simul & humanæ naturæ relinqueretur dignitas liberæ voluntatis, & ipsum auferretur malum, hanc diuina sapientia rationem excogitauit, vt in ijs hominem esse sineret, quæ sibi ipse elegisset, quo, gustatis malis, quæ concupiuerat, experiendoque discens, quæ quibus commutasset, ea cupiditate rursum incenderetur, vt vitiorum perturbationumque, quæ rationi inimicæ sunt, onere deposito, & vel in præsenti vita precibus sapientiæque studio purgatus, (ἢ μετὰ τὴν ἐνθένδε διὰ τῆς τοῦ καθαρσίου πυρὸς χωνείας) vel post obitum per purgatorij ignis fornacem expiatus, ad pristinam vellet redire felicitatem, &c. Sin quò perturbationum impetus ducet inclinabit, bestiarumque pellem ad vitia ministram & adiutricem adhibebit, aliud ei deinde ineundum erit consilium, vt ad bonum perueniat, cùm è corpore egressus, cognita, quæ inter virtutem & vitium est, differentia, non poterit diuinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas purgatorius ignis abstulerit, &c. Alijs autem post hanc vitam purgatorio igne materiæ labes & propensionem ad malum abstergentibus, & ad gratiam initio naturæ concessam voluntaria bonorum cupiditate redeuntibus.

Libro de anima & resurrectione: Planè necesse est, vt dum vitiositas purgatorio igni absumitur, anima quoque, quæ cum vitiositate vnita est, in igni sit, donec id, quod inspersum est, adulterinum, materiale, & fucatum, atque corruptum totum aboleatur igni consumptum, &c. Pro quantitate vitiositatis, qui in vnoquoque fuerit, cruciatus ac doloris modus adhibetur. Non enim par est vtrumque tum eum, qui in malis vetitis tamdiu versatus sit, tum eum, qui in mediocria delicta quædam inciderit, per purgationem vitiosi habitus ex æquo discruciari, atque dolere: sed pro modo ac quantitate materiæ, vel longiore, vel breuiori temporis spatio illa flamma dolorifica, quamdiu fuerit id, quod eam alat, accendetur. Cui igitur magnum inhæserit onus materiale, in eo necesse est magnam & diutius durantem esse flammam, quæ materiam eam consumat: in eo verò, cui minori spatio temporis ignis ille consumens admouetur, tantum de vehementiore atque acriori operatione pœna remittit, quantum,

quod

quod ad modum vitiositatis attinet, subiectum fuerit diminutum.

Apud Damascenum Sermone de defunctis: Nihil inconsultè atque in cassum à Christi præconibus atque discipulis proditum est, & in omnibus Ecclesijs Dei obtinuit: verùm id vtile ac Deo gratum est, nempe vt in diuino ac splendidissimo sacro eorum, qui è vita in recta fide discesserunt, memoriam agamus.

Timotheus Alexandrinus. 380.

In Responsis Canonicis Interrogatione 14. Si quis, cum sui compos non esset, sibi manum attulerit, vel etiam se præcipitauerit, fietne oblatio, an non? *Respons.* Hoc debet clericus discernere, an reuera hoc fecerit, cùm esset emotæ mentis. Sæpe enim ij, qui ad eum, cui hoc accidit, attinent, volentes assequi oblationem, & orationem pro ipso, mentiuntur & dicunt, eum non fuisse apud se: nonnunquam autem propter insultationem hominum, vel aliquo alio modo per negligentiam hoc fecit. Tunc autem non est super eum facienda oblatio. Est enim sui homicida. Oportet ergo clericum accuratè sciscitari, ne in iudicium incidat.

Epiphanius. 380.

Hæresi 75. Aerius quidam rursus exortus, magnum mundo malum, furiosus mente, elatus opinione: Omnem enim hæresin, temeritate eorum quæ facta sunt ab initio vsque in finem, aut vanæ gloriæ, aut elationis fastuosæ gratia effecit, &c. Erat autem ipsi sermo furiosus magis, quàm humanæ conditionis, & dicebat: Qua ratione post mortem nominatis nomina mortuorum? Orat, inquit, viuens, aut dispensationem facit, quid profuerit mortuo? Si verò omnino preces eorum, qui hic sunt, prosunt iis, qui isthic sunt: igitur nemo sit pius, neque boni quicquam faciat, sed acquirat amicos quosdam, per quem vult modum, aut per pecunias persuadens, aut amicis id in obitu demandans, & orent pro ipso, vt ne quid illic patiatur, neque immedicabilia peccata ab ipso perpetrata requirantur, &c. Quis autem magis de his nouit, hic ne seductus homo, qui etiam nunc superest, & huc vsque in mundo versatur, aut qui ante nos testes fuerunt, habentes ante nos traditionem in Ecclesia, quique etiam à patribus suis traditum acceperunt, quemadmodum etiam hi à suis patribus didicerunt, qui ante ipsos fuerunt, quomodo Ecclesia acceptam à patribus, suis veram fidem vsque huc continet, itemque traditiones, &c. Quòd proferantur nomina vita defunctorum, quid hoc magis fuerit vtile, quid hoc commodius, aut magis admiratione dignum, quòd credunt præsentes, quòd hi, qui decesserunt viuunt, & non sunt nulli, sed sunt & viuunt apud Dominum: & vt pientissimam prædicationem recenseam, quòd spes est orantibus pro fratribus, velut qui in peregrinatione sint. Prosunt autem & preces, quæ pro ipsis fiunt, etiamsi totam culpam non abscindant. Verùm enimuerò eò, quòd nos sæpe, dum in mundo sumus, fallimur & erramus, tum inuiti, tum voluntariè, quo id quod perfectius est significetur, & pro iustis, & pro peccatoribus facimus memoriam: pro peccatoribus quidem misericordiam Dei implorantes. Ecclesia necessariò hoc perficit traditione à patribus accepta. Quis autem poterit statutum matris dissoluere, aut legem patris? velut Salomon dicit: *Audi fili sermones patris tui, & ne repudies statuta matris tuæ,* ostendens per hoc, quod & in Scripturis, & sine scripto docuit Pater, quod est, Deus, & vnigenitus, & Spiritus sanctus.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 6. de Sacerdotio cap. 4. Eum verò, qui pro tota ciuitate, quid dico ciuitate? pro toto terrarum orbe intercedit, & precatur Deum, vt omnium peccatis sit propitius, non viuentium solùm sed etiam defunctorum, qualem esse oportet?

Homilia 32. in Matthæum: Cur post mortem tuorum pauperes conuocas? Cur Presbyteros, vt pro eo velint orare obsecras? Non ignoro te responsurum, vt defunctus requiem adipiscatur, vt propitium iudicem inueniat.

Homilia 61. in Ioannem: Quòd si peccator, qui sæpenumerò Deum offenderit, moritur, is deflendus est, vel potius minimè, cùm nihil illi adferat vtilitatis, sed ea facienda, quæ ei aliquid conferre possunt, eleemosynas, oblationes. Honor mortui non fletus, non eiulatus, sed hymni & psalmi, & vita optima. Vis mortuum honorare? Alia via aggrediendum: fac eleemosynas. Quæ tibi ex multis fletibus vtilitas?

Homilia 21. in Acta Apostolorum: Est, si voluerimus mortuo leue facere supplicium. Itaque si preces pro illo faciamus continuas, si eleemosynam damus: & si ille indignus sit, nobis Deus placatior erit. Si propter Paulum alios seruauit, & propter alios alijs parcit, quomodo non & propter nos hoc ipsum faciet? Non habet eas, quæ factæ sunt à se, tametsi factas pro se. Itaque cum fiducia illum deprecabitur tum vxor, pretium redemptionis pro illo deponens: quo pluribus peccatis fuit obnoxius, hoc magis opus est illi eleemosyna. Adscisce viduas, dic nomen. Omnes iube pro illo facere supplicationes, & preces. Placabit hoc Deum, etiamsi non ab ipso factum sit, sed propter illum alius auctor sit eleemosynæ. Et hoc dogma est diuinæ misericordiæ. Multas nobis Deus dedit salutis vias, &c. Non frustra oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosynæ. Hæc omnia Spiritus disposuit, volens vt nos mutuum iuuemus. Ne dubita, quia erit aliquis fructus suauis. Non temerè Diaconus clamat pro his, qui defuncti sunt in Christo, & pro his, qui illorum memoriam faciunt, &c. Hæc scientes consideremus, quantas consolationes possemus mortuis pro lachrymis, pro lamentis, pro monumentis præstare: nempe eleemosynas, preces, orationes.

Oratione 41. in 1. ad Corinth. Si autem etiam peccator excessit, propterea etiam lætari oportet, quòd interscissa sunt peccata, & vitio non adiecit, & quoad eius fieri potest, ei succurrere, non lachrymis, sed precibus, & supplicationibus, & eleemosynis, & oblationibus. Non sunt enim hæc temerè excogitata, neque frustra eorum, qui excesserunt, in diuinis mysterijs meminimus, & pro ipsis accedimus, rogantes Agnum propositum, qui mundi peccatum tulit. sed vt eis inde sit aliqua consolatio: neque abs re is, qui astat altari, dum veneranda peraguntur mysteria, clamat: Pro omnibus, qui in Christo dormierunt, & ijs, qui pro ipsis celebrant memorias. Nam si pro ipsis non fierent commemorationes, ne hæc quidem dicta essent. Non sunt enim res nostræ ludi scenici, absit. Hæc enim fiunt ordinatione Spiritus. Eis ergo opem feramus, & commemorationem eorum peragamus. Si enim Iobi filios expiabat patris sacrificium: quid dubitas, an nobis pro ijs, Iob 1.
qui excesserunt, offerentibus, eis existat aliqua consolatio? solet enim Deus etiam alijs pro alijs gratificari. Et hoc ostendebat Paulus, dicens: *Vt* 2.Cor. 1.
ex multis personis eius, quæ in nobis est, donationis per multos gratiæ agantur pro nobis. Ne nos pigeat opem ferre ijs, qui excesserunt, & pro ijs offerre preces: Est enim propositum orbis terræ commune piaculum. Propterea fidenter pro orbe terræ tunc rogamus, & cum Martyribus eos vocamus, cum Confessoribus, cum Sacerdotibus. Etenim *vnum*

corpus

corpus omnes sumus, etiamsi sint membra membris splendidiora: & fieri potest, vt veniam eis omni ex parte conciliemus à precibus, à donis, quæ pro eis offeruntur ab ijs, qui cum ipsis vocantur. Cur ergo doles? cur luges, & lamentaris, quando defuncto potest tanta conciliari venia.

In epistolam ad Philippenses Sermone 3. in Morali digressione:)Hos igitur (*defunctos*) lugeamus, opem pro viribus feramus, aliquod ipsis auxilium comparemus, exiguum illud quidem, sed quod tamen auxiliari queat. Quomodo, quaue ratione? cùm ipsi preces fundentes, tum alios, vt pro ipsis fundant, obsecrantes, ac pro ipsis dantes perpetuò eleemosynas pauperibus. Affert hæc res aliquid solatij. Audi enim Deum ita dicentem:
4.Reg.19 *Protegam vrbem hanc propter me, & propter Dauid seruum meum.* Si sola iusti memoria tantum valuit, vbi opera præterea pro mortuo fiant, quid non poterunt? Non frustra hæc ab Apostolis sunt legibus constituta, vt in venerandis, inquam, atque horrificis mysterijs memoria eorum fiat, qui decesserunt. Nouerant hinc multum ad eos lucri accedere, multum vtilitatis. Eo enim tempore, quo vniuersus populus stat manibus passis, ac coetus sacerdotalis, & illud horrorem venerationis plenum incutiens sacrificium, quomodo Deum non placabimus pro istis orantes? Atque id quidem de ijs, qui in fide decesserunt. Catechumeni verò neque hac dignantur consolatione, sed omni auxilio sunt destituti, vno quodam accepto. Quale verò hoc? licet pauperibus pro ipsis dare, atque hinc aliquid percipiunt refrigerationis. Vult enim Deus, nos nobis mutuum auxilium afferamus.

Homilia 69. ad populum Antiochenum: Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam. Cùm enim totus consisterit populus, sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes? Sed hoc quidem de his, qui cum fide migrarunt, &c. Sicut itaque pro viuentibus precamur, qui nihil à mortuis differunt: ita & pro illis quoque licet orare.

Palladius. 400.

Sacra historia capite 40. Monialis quædam dolore confecta, vt quæ talem subijsset calumniam, quæ ne in eius quidem mentem venerat, nec rem potuisset tolerare, se clam iniecit in fluuium, & sic obijt. Cùm autem id sensisset ea, quæ ipsam fuerat calumniata, & fraternitati tantum attulisset dolorem, ipsa quoque se clam suffocauit, cùm factum ægrè ferret. Cùm autem venisset Presbyter, reliquæ virgines ei rem renuntiauerunt. Iussit itaq; pro nulla harum fieri oblationem. Eas autem, quæ non pacem agebant, quæ consciæ erant illius quæ fuerat calumniata, & quæ dicta sunt crediderant, septennium segregauit, eas excommunicans.

Synesius. 420.

Epistola 44. Quod sunt in rebus publicis carnifices, nempe legum manus, eundem vsum naturæ mundi pœnæ præbent. Dæmones sunt purgatorij, artem exercentes in animabus eam, quam fullones in sordidis vestimentis. Verùm si quis inesset vestimentis sensus, quid ea pati putas, cùm pedibus calcantur, nitro perluuntur, omniquè modo tunduntur ac deraduntur? Per quantos dolores putas elui veteres notas maculasquè fixè inhærentes? Omitto dicere, quòd sordes multis ita penitus atque profundè innatæ sunt, vt auferri nequeant, atque corrumpantur prius quàm ad naturam redeant: quòd vitium illis transierit in naturam, vel propter temporis multitudinem, aut propter magnitudinem. Sic autem affectæ animæ bonum esset, esse mortalem. Nunc autem peccata quidem proportionem habent ad ineluibiles notas ac maculas: anima verò non iam ad vestimentum illud sordidum, atque non perdurabile, sed cùm immortalis sit, immortales dat pœnas, quando peccauerit peccata penitus imbuta & ineluibilia. Verùm qui dat pœnas in vita, in qua peccauit, is non omninò fixè adhærens, agnatumquè habet vitium, sed cùm anima, vt ita dicam, nuper tincta sit, celerrimè lauatur. Quapropter dandæ sunt celeriter, quantum fieri potest, pœnæ hominibus vltoribus, & non dæmonibus.

Atticus Patriarcha Constantinop. 425.

Epistola ad Cyrillum Alexandrinum: Itaque ego ea re persuasus, ne religionis nostræ res ex multitudinis arbitrio, exemplo vno permisso penderent, neve vrbem populari administratione assuefaceremus, nomen id in album referre iussi. Quare, vt equidem puto, neque in sacros Canones commisi, neque iudicio Patrum fraudem feci. Mentio namque eius fit cùm cæteris defunctis, non solùm Episcopis, sed & Presbyteris, Diaconis, & laicis ipsis, mulieribusq;, cum quibus omnibus nobis sacerdotij communio, aut earum rerum, quę in sacra mensa mysticè percipiuntur, participatio non est. Magna est enim inter defunctos & superstites differentia.

Ioannes Cassianus. 430.

Collat. 2. cap. 5. de morte Heronis senis: Quamobrem pro meritis laborum tantorum, & annorum numerositate, qua in eremo perdurauit, hac miseratione & humilitate summa, ab his, qui eius compatiebantur exitio, vix à presbytero Abbate Paphnutio potuit obtineri, vt non inter Biothanatos reputatus, etiam memoria & oblatione pausantium iudicaretur indignus.

Socrates. 440.

Libro 7. cap. 25. Atticus Episcopus cùm videret Ecclesiam propterea diuisam esse, quòd Ioannitæ extra illam conuentus agebant, præcepit, vt de Ioanne, sicut & de alijs Episcopis mortuis solet, in precibus mentio fieret. Nam ea ratione complures eorum ad Ecclesiam redituros sperabat.

Theodoretus. 450.

Ecclesiastica Historia lib. 5. cap. 36. Imperator Theodosius vultu & oculis in sancti illius viri loculo defixis, pro parentibus preces fudit, orauitq;, vt iniuriarum, per ignorantiam factarum, veniam illis tribueret. Iam pridem autem eius parentes mortem obierant, illo iam tum valde adolescente orbo relicto.

In Historia sanctorum Patrum de Iacobo Nisibita: Deo preces obtulit pro mortuo, rogans vt ei remitteret, quę in vita peccauerat, & eum in chorum iustorum dignaretur admittere.

Ad caput 3. prioris ad Corinth. Dicit Apostolus: *Qui saluabitur, sic tamquam per conflatorium ignem, ignem purgantem:* quicquid interuenit per incautelam præteritæ vitæ, saltem pedum terreni sensus, in quo tamdiu manet, quamdiu quicquid corpulentæ & terreni affectus inhæsit, purgetur, pro quo mater Ecclesia hostias & dona pacifica deuotè offert. *Citantur hæc verba à D. Thoma Aquinate, libro aduersus Græcorum & Armeniorum errores: sed nunc in Græcis & Latinis Codicibus Theodoreti non inueniuntur: non dubium, quin postea à Græculis quibusdam purgatorio infensis abrasa sint.*

Basilius Seleucius. 460.

Concione de exuscitatione Lazari: Si is, qui mortem obijt, peccator erat, Deumq́ue in multis offenderat, non modo plorare oportet, verùm eleemosynas dare, sacrificium altaris offerre, aliaq; id genus præstare, quę mortuo aliquam consolationem afferre queant, &c. Si eum vis honorare, qui hinc emigrauit, alio modo honora: multarum conquestionum & vlulatuum loco impende eleemosynas, & aliquid ei vtilitatis adferes.

Diadochus. 480.

De perfectione spirituali cap. 100. Qui tempore mortis vel paulisper formidarint, in multitudine omnium aliorum hominum relinquentur, tamquam iudicium subeuntes, vt igne iudicij examinati, sortes sibi debitas pro ratione factorum à Deo optimo maximo & rege Christo recipiant.

Iustinus Imperator. 520.

Epistola ad Hormisdam: Ergo prior vestræ sedis constituta sequitur, qui non omnes memorias mortuorum iudicet contemnendas, vt indignum habeatur & incongruum, si non placidior omnibus, non solùm defunctis, sed etiam superstitibus vestra diuulgetur in omnes fines terrarum bonitas.

Procopius Gazaus. 530.

Lucæ 12. *Ad caput 6. Esaiæ:* In Spiritu sancto & igne baptizat Saluator, cùm non nisi solo igne diuino purgari quemquam posse certum sit. *Quale enim cuiusque*
1. Cor. 3. *sit opus ignis probabit: & saluabitur,* ait, *tamquam per ignem.* Capit vnus de Seraphim, qui locus est purgationis animarum cælestis: vnde sacrificantibus & lustrantibus potestatibus ignis purgatorius emittitur.

Iustinianus Imperator. 540.

Nouella de Monachis & Ascet. § sancimus, Coll. 10. Sed neque aliam ingressuum occasionem excogitanto, vel viri in muliebria monasteria, vel mulieres in ea, quæ viris deputata sunt, per causam eorum, quæ peraguntur circa exequias, quas scilicet memorias appellitant, in tertium nonnunquam diem conuenientes: item cùm quadraginta excesserint, aut etiam annus.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 4. de somnijs: Tertia igitur die celebrantibus nobis pro dormitione Patris officium consuetum, subitò locus ille, vbi sancti viri corpus iacebat, miri odoris fragrantia repletus est.

Gregorius Presbyter. 600.

In Theodoro Archimandrita: Cùm quis illi diceret, matrem suam defunctam esse: falleris, inquit, nam defuncta non est, sed viuit. Preces pro illa fudit ad Dominum, vnius hebdomadæ spacio ieiunans, vt Dominus illi veniam concederet.

Leontius. 610.

In vita Ioannis Eleemosynarij: Mortalitate aliquando ciuitatem comprehendente, ibat & ipse Sanctus, vt videret funerum obsequia. Valde enim dicebat hoc esse proficuum, & sepulchrorum considerationem. Multoties verò assidebat & his, qui morituri vexationem in exitu animæ patiebantur, & ipse eorum oculos proprijs manibus claudebat, memoriam habere ex hoc sempiternam volens, & curam proprij exitus. Præcipiebat autem & collectiones pro defunctis iniungere, & sine dubio perficere. Etenim dicebat, quia ante paucum tempus captiuus ductus est ad Persas quidam, & descendens in Persiam, retrusus est in carcerem. Quidam ergo fugientes illinc, venientesq́ue in Cyprum, & interrogati à parentibus illius, si fortè vidissent eum, respondentes dixerunt ijs, quia nos proprijs manibus sepeliuimus eum. Non autem erat iste, de quo interrogabant eos, sed alius, indisimiliter eum simulans. Dixerunt verò ijs & mensem, & diem obitus sui. Illi verò tamquam pro mortuo faciebant ei tres collectas per singulos annos. Post quatuor igitur annos venit in Cyprum, fuga lapsus à Persis. Dixerunt ergo ei sui: Verè frater nos audiuimus, quòd mortuus esses, & memoriam tui faciebamus ter in anno. Cùm verò audisset, quòd in anno ter facerent pro eo memoriam, interrogat eos, in quo mense hæc celebrarent, & illis dicentibus, sanctis Theophanijs, & Dominica sancta, & sancta Pentecoste, dixit ille: quia tribus istis temporibus anni veniebat quidam candidatus vt sol, & dissoluebat me à vinculis ferreis, & à custodia, & monebat deambulando tota die, & nemo recognoscebat me, & in crastinum inueniebar vincula ferrea portans. Dicebat igitur sanctus Episcopus: quia ex hoc discimus, habere dormientes quietem, quando pro ijs collectas facimus.

Ioannes Moschus. 620.

In Prato spirituali cap. 24. Si quando senex ille mortuum in via reperisset, expletis super Psalmis & orationibus sepeliebat eum.

Cap. 44. Frater quidam semper seni inobediens erat, nec ea, quæ ab ipso dicebantur, admittebat. Contigit autem post aliquantum temporis, vt iste moreretur. Contristatus verò senior super illo valde, cœpit orare, & dicere: Domine Iesu Christe verax Deus noster, reuela mihi, quid sit circa fratris animam. Aspexit autem in excessu mentis effectus, fluuium ignis, ingentemq́ue in ipso igne multitudinem, ac medium fratrem illum ad collum vsque demersum. Tunc ait illi senior: Nonne te propter hanc pœnam orabam, vt curam animæ tuæ ageres, fili? respondit frater, & ait seni: Gatias ago Deo, pater, quòd vel caput meum requiem habet. Per orationes enim tuas super caput Episcopi sto.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

In Maria AEgyptiaca: Hæc Zozima cogitante, designata scriptura erat in terra, vbi hæc legebantur: Sepeli Abba Zozima miseræ Mariæ corpusculum, redde terræ quod suum est, & pulueri adde puluerem. Ora tamen Dominum pro me (*defuncta*) transeunte mensis Pharmuthi nocte salutiferæ passionis, post diuinæ & sacræ Cœnæ communionem.

Maximus. 640.

In Responsionibus de obscurioribus locis S. Scripturæ ad Thalasium: Quandoquidem Diadochus iudicandos esse quosdam per ignem, & purgandos in seculo futuro dixit, rogo vt explanes mihi propositum eius. *Respons.* Qui adepti fuerint charitatis perfectionem erga Deum, & alas animæ per virtutem in sublime extulerunt, rapientur, vt est apud Apostolum, in nubibus obuiam venienti. Qui verò non fuerint adepti perfectam charitatem, sed potius peccata habuerunt, vtpote nondum purgati, hi ad tribunal iudicij veniunt, vbi per examinationem bonorum, & malorum operum vsti, à supplicio liberati purgantur.

Ad caput 7 Ecclesiasticæ Hierarchiæ Dionysij Areopagitæ: Ijs solùm, qui misericordia digni sunt, prosunt preces iustorum, siue viuis, siue defunctis: non tamen peccatoribus, qui digni sunt condemnatione, & hic, & post obitum, &c. Ab hoc lo-

co incipit exponere, quod mortuo preces prosint, declaratq; hanc etiam ante illa tempora agitatam esse quæstionem.

Germanus Constantinopolitanus.

720.

In Theoria: Fit autem & memoria apud Deum pro defunctis, & spiritibus, & omni carne, vt qui mortuorum & viuentium potestatem habeat, & dominetur super cælestibus, & terrenis,& subterraneis,& vt rege Christo præsente,& vt sancto Spiritu omnes adhortante, viuentes atque vita functos,ad illic moram trahendam,& requiescendum in Domini ac Dei Iesu Christi occursum, vt congregentur, & præoccupent faciem eius, & audiant vocem laudis eius: vt omnium,qui erant in inferis, animarum solutis vinculis, per mortem & resurrectionem Christi, conuocentur omnes eorum animæ cum Prophetis, & Apostolis, & Martyribus, vt vnà ingrediantur, & recumbant cum Abraham, & Isaac, & Iacob, in mystica mensa regni Christi.

Ioannes Damascenus. 730.

Oratione quod ij, qui cum fide ex hac vita excesserunt, viuorum Missis & sacrificijs iuuentur: Et quisnam tot de his rebus testimonia in Sanctorum vitis & diuinis reuelationibus sita ordine recensere possit,quibus id perspicuè ostenditur, defunctis,etiam post mortem, preces eas ac Missas, & eleemosynas, quæ pro illis fiunt,magnoperè prodesse? &c. Hoc misericors ille vult,gratumq; habet, vt nos omnes tum in vita,tum post confectum vitæ curriculum, mutuò(alij ab alijs iuuemur. Neq; enim alioqui ansam hanc nobis porrexisset, vt eorum, qui è vita migrassent, in incruento sacrificio meminissemus: neque vt tertio, & nono, & quadragesimo die, ac denique anno vertente in eorum memoriam sacra obiremus, (quod quidem citra vllam controuersiam Catholica & Apostolica Ecclesia sine vlla ambiguitate retinet,) nisi hoc in ipsius oculis esset rectum.

Nicephorus Confessor. 800.

Canone 6. Intestatò morientium piæ legationes pro ipsis factæ suscipiendæ sunt, si quidem viuentes eo animo fuerint, vt ita præstarentur.

Anastasius Nicenus. 840.

Quæstione 20. Quænam peccata condonantur post mortem per Liturgias, Missæ sacrificia, preces,& eleemosynas, quæ fiunt pro ijs, qui dormierunt? De his dicit magnus Dionysius: Quòd si sint leuia delicta eius, qui decessit, is accipit aliquam vtilitatem ex eis, quæ pro ipso peraguntur: sin autem sint grauia, Deus illum excludit. Cæterùm oportet nos curam gerere nostrarum animarum, & non sperare concessam esse post mortem oblationem. Prosunt quoque preces pro pijs defunctis. Nam etsi magna crimina non amputant, prosunt tamen: propterea quòd cùm simus homines, sæpe labamur voluntariè & inuoluntariè.

Leo Imperator. 860.

Constitutione 4. Quin verisimile etiam nonnunquam defunctorum memoria instante, ob defectum sacerdotis, præsentem memoriæ diem nullo facto sacrificio elabi, vt inde, qui hic viuunt, & quos altera vita tenet, vtrisque non exiguum damnum obuiat.

Theophylactus. 900.

Ad caput 12. Lucæ: Non semper qui moriuntur peccatores, mittuntur in Gehennam, sed sunt in potestate Dei, vt etiam dimitti possint. Hoc autem dico propter oblationes & distributiones, quæ fiunt pro defunctis, quæ non parum conducunt etiam his, qui in grauibus peccatis mortui sunt. Non omninò igitur, postquam occidit, mittit in gehennam, sed potestatem habet mittendi: non semper autem potestate hac vtentem, sed valentem remittere quædam, &c.

Simeon Metaphrastes. 950.

Vita S. Pachomij cap. 62. Occurrit Pachomius funeri cuiusdam fratris mortui, qui efferebatur, (vixerat verò in otio & lasciuia) & fratribus illius Monasterij, qui funus prosequebantur cura multa & numerosa psalmodia, cùm illic essent etiam parentes & cognati omnes, & amici defuncti. Qui cùm vidissent Sanctum, deposuerunt lectum, vt pro ipsis & fratre mortuo faceret orationem. Cùm ergo obtulisset plus, quàm rogatus fuerat, eam, quæ Deo debetur, supplicationem, & adorationem, conuersus ad eos, iussit quidem eos cessare psallere. Cùm autem iussisset adferri vestimenta mortui, iussit ea comburi coram omnibus. Deinde sic rursus tolli,& absque ea, quæ de more fit, psalmodia sepeliri reliquias. Fratribus autem, & parentibus, & omnibus cognatis eius, qui decesserat hoc nouo spectaculo obstupefactis, & rogantibus, vt ei consueta fieret psalmodia, ipse non sustinuit, &c. A me, inquit, ratio habetur animæ, ei singularem defensionem & relaxationem comparo per ignominiam: ea de causa non curam gero mortui corporis, sed animæ immortalis, &c. Alioquin si hoc fieri permisero, iudicabor, tanquam qui studeam placere hominibus, & qui pro eo, qui fit ad tempus, apparatu contempserim vtilitatem animæ, quæ est examinanda in iudicio. Deus enim, qui est fons bonitatis, quærit occasiones, per quas possit efficere, vt nobis remittat peccata: vt non solùm in hoc seculo, verùm etiam in futuro veniam consequamur.

In vita Theodosij Cœnobiarchæ: Iubet pater omnia fieri, quæ lex vult fieri mortuis: tertianas, inquam, & nouenas, & consequenter etiam quadragenas, &c.

In vita S. Eusebij Hospitæ: Nunc mihi, inquit [illegible] sorores Eusebia, vobis opus est, vt nec cùm recessero me mandetis obliuioni: sed multo magis amorem augeatis,& mei memoriam in vestris sanctis animis descriptam & impressam conseruetis: & quando ad Deum accedetis, & sanctas manus ad ipsum tolletis, meæ quoque humilis & abiectæ,(& quid aliud nisi vestræ ancillæ?) sitis memores. Sic ego ero viua & immortalis, & post finem, si vllus est sensus, valdè lætabor. Nunc enim, quantum possum videre, mihi finis imminet, & quædam premit molestia, & inexplicabilis, metus cor meum agitat, ne sint mihi impedimento multa mea peccata,& arceant ab ea, quæ ad Deum tendit, via: sed inueniam sacras vestras preces bonas duces, & hanc mihi viam reddentes facilem & expeditam.

Oecumenius. 1050.

Ad cap. 3. prioris ad Corinth. Saluabitur ipse quoque, non tamen citra dolorem, vt par est eum, qui transit per ignem, & à concretis leuioribus maculis expiatur. Solus enim Deus est, in quem nullum peccatum cadit.

Constantinus Manasses. 1130.

In Annalibus de Michaele Tertio: Cùm Theodora diuinos homines ardenter obsecrasset, vt preces ad Deum pro marito defuncto funderent, idque persuasisset eis, & planè iam certior esset facta Theophilum alterius vitæ supplicijs liberatum

esse: fortè cum sanctis illis hominibus instructo valde opimo conuiuio prandebat.

Theodorus Balsamon. 1180.

In Canonem 4. Apostol. Quomodo autem quæ in memorijs Sanctorum & mortuorum offeruntur, & κολλύβια appellantur, omni genere fructuum ornata ad altare offeruntur, disces ex Athanasij oratione de ijs, qui dormierunt.

Nicetas Choniates. 1200.

Libro 4. orthodoxæ fidei ad hæresin 31. At verò alium ignem intelligit D. Petrus, qui scilicet Gehennæ quasi quædam portio fragmentumque sit, ad quem nos quoque tunc ad mouendi sumus, vt in eo purgati vel dextræ parti, vel sinistræ accenseamur.

Nicolaus Cabasilas. 1260.

De Liturgia capite 42. Duobus modis sanctificare cernitur diuinum hoc & sacrum mysterium. Vno quidem modo, intercessione: oblata enim dona, eo ipso quòd offeruntur, eos, qui offerunt, sanctificant, & eos pro quibus offerunt, & Deum ijs propitium efficiunt. Alio autem modo participatione: quia fit nobis verus cibus & potus, vt dicit Dominus. Horum modorum primus quidem est communis viuis & mortuis: etenim pro vtrisque offertur sacrificium. Secundus autem modus solis viuentibus permittuntur. Mortui enim non possunt amplius comedere, nec bibere. Quid igitur? Propterea nec sanctificantur hac sanctificatione, quæ prouenit ex participatione? &c. Deteriori ergo sunt hac in parte conditione mortui, quàm viuentes? Minimè: nam & Christus ipsis seipsum communicat eo modo, quo ipse nouit. Et vt id fiat apertum, consideremus causas sanctificationis, an non etiam animæ mortuorum se habent, sicut & viuentium. Quænam sunt causæ sanctificationis? Nunquid corpus habere, pedibus ad mensam currere, manibus sancta accipere, ore sumere, comedere, bibere? Nequaquam: ad multos enim, qui hæc fecerunt, & ita ad mysteria accesserunt, nulla redijt vtilitas, & pluribus malis obnoxij recesserunt. Sed quænam sunt causæ sanctificationis ijs, qui sanctificantur, & quæ sunt quæ Christus à nobis exigit? Animæ purgatio, in Deum dilectio, fides, desiderium mysterij, alacritas ad participationem, feruens appetitio, sitientes currere. Hæc sunt, quæ hanc sanctificationem attrahunt, & cum quibus necesse est eos, qui accedunt, esse Christi participes, & sine quibus fieri non potest. Sed hæc omnia non sunt corporalia, sed dependent à sola anima. Nihil ergo prohibet etiam animas hoc posse mortuorum, sicut & viuorum.

Cap. 43. Vnde clarum est, quòd qui animas Sacramento perficit, vt sanctificat & viuos, & mortuos solus ipse Saluator est. Ex dictis vtique omnibus fit illud manifestum, quòd quæcunque ad sacri mysterij celebrationem pertinent, sunt communia & viuis & mortuis.

Cap. 44. Si ergo credendum est animis requiem procedere ex oratione sacerdotum, & oblatione sacrorum donorum, antea credendum est, hoc quoque eo modo fieri, quo solo fieri potest, vt homo quiescat.

Cap. 45. Nudæ corporibus animæ plus habent commodi ad sanctificationem, quàm eæ, quæ viuunt in corporibus. Purgantur enim, & peccatorum remissionem accipiunt per orationes sacerdotis, & donorum intercessionem, nihilo minus, quàm eorum, qui viuunt. Sed non peccant amplius, nec noua veteribus crimina adijciunt, &c. Ita etiam pro defunctis, sicut & pro viuis, est diuinum Eucharistiæ sacrificium, & cùm dupliciter, vt dictum est, sanctificetur, ipsi quoque duobus modis sanctificantur: & neutro modo sunt ij, qui migrarunt, deteriori conditione ijs, qui viuunt, sed aliquo etiam modo meliori.

Athanasius Constantinopolitanus. 1300.

Epistola 5. Decet soluere Ecclesijs decimas, & primitias, celebrare memorias Sanctorum, meminisse defunctorum in precibus, abstinere à fornicatione.

Nicephorus Gregoras. 1320.

Libro 3. Nono post obitum Theodori Lascaris die omnes matronæ nobiles in Sosandrio Monasterio, vbi cadauer sepultum erat, conueniunt, vt de more lugerent, & memoriam eius celebrarent.

Græci, qui venerunt ad Concilium Basilense. 1431.

De Purgatorio igne: *Etsi ei illo ignem Purgatorium verbis negant, reipsa tamen agnoscunt, dum sic scribunt:* Porrò Ecclesiæ pro defunctis preces, cum ijs, qui ipsorum obitum antecesserunt, precibus coniunctas aliquid præstare posse, hoc etiam prorsus statuimus, credentes ijs, quæ de hac re à Patribus sunt decreta, &c. Quòd verò rursus Deum post migrationem è corpore peccata remittat ijs, qui venialia commiserunt, quod & primum eorum erat, quæ in quæstionem venerunt, hoc etiam à Doctoribus dicentibus audiuimus, ita vt illi docent, &c. Manifestum cuiuis est, remissionem quorundam peccatorum nonnullis vita functis concedi. *Quorum reliqua, mala fide omisit interpres.*

Gennadius Scholarius. 1460.

De Purgatorio sect. 1 In tres classes defunctos omnes abire decernimus: Vnam & primam sanctorum esse cœtum virorum, &c. Secundam verò mediorum, siue illorum, qui pœnitentes decesserunt, ac in confessione, & cordis contritione spiritum emiserunt: sed sublata ijs facultate satisfaciendi pro peccatis, vel omissis ipsorum ob repentinam, vt fit, & momentaneam demigrationem, hanc in purgatorio esse dicimus: quodque ij non potuerunt in vita perficere, pro his superstites ad redemptionem opem ferunt, secundùm illius dictum, si fortè quid prosit tibi: idque sanctarum precum beneficio, eleemosynis, sacrificijs, alijsque pijs operibus. Tertiam & vltimam constituimus eorum, qui in mortalibus peccatis ex hac vita migrauerunt.

Sectione 5. Hoc qui nolunt, neque amplectuntur, Ecclesiasticum ordinem tollunt, & mortuorum sacrificia abdicant, & impediunt, quæ non incassum à Doctoribus excogitata sunt. Sed hoc admonendum vtile existimantes, ne cessemus vnquam fratres pro mortuis commemorationem facere: Nam ij magnum leuamen & subsidium sentiunt ex orationibus, precibus, eleemosynis, alijsque pijs operibus, quæ nobis opem ferentibus præstantur. De hoc igitur sacri & diuini Apostoli in suis Constitutionibus præcipiunt, vbi scriptum est: Celebrentur terræ mortuorum in Psalmis, lectionibus, atque orationibus, propter eum, qui tertia die resurrexit: & nonæ, in commemorationem superstitum & defunctorum: & quadragesimæ, secundùm veterem formam. *Constit. Apost. li. 8. cap. 41.* Audis de sacris Apostolis, qua ratione pro mortuis fidelibus sacrificia, & preces sanciunt adhiberi? Hoc est, quod sæpe diximus, quòd pro

puro

puro & contrito corde in hac vita pœnitentibus, sed non secundùm præscriptas leges id perficere valentibus mortuis deprecamur. Pro his Deum placare conamur, & inuocamus, precamurque aliquid, vnde ipsis alleuatio & vtilitas accedat.

Zaga Zabo Æthiops. 1530.

In confessione fidei Æthiopica: Diebus Sabbati & Dominicis credimus animas piorum defunctorum in purgatorio minimè cruciari. Quam quietem Deus in his sanctissimis diebus animis concedit, donec inde, finito termino suarum pœnarum, pro facinoribus in hoc seculo meritarum, penitus emergant. Ad quas pœnas minuendas, ac earum cruciatus tempus attenuandum eleemosynas pro defunctis factas credimus ipsis animis in purgatorio degentibus maximè prodesse. Ad quarum animarum remissionem Patriarcha nullas dat indulgentias, id ad solum Deum, ac pœnarum temporis constitutionem credimus spectare.

Græci Veneti. 1560.

Ad Cardinalem Guisianum Quæstione 10. Existimantur post hanc vitam animas supplicijs quibusdam propterea purgari, quòd in hac vita meritas pœnas non dederint? *Responsio:* Eorum hominum animę, quorum quasi media quædam conditio est, qui scilicet mortiferis in peccatis diem extremum non clauserunt, nec tamen omnino expertes culpæ fuerunt, pœnitentiæve fructus declararunt: horum, inquam, animæ creduntur à nostris eiusmodi delictorum ratione purgari, non per purgatorium aliquem ignem, vel determinata certo quodam loco supplicia, sed nonnullæ in ipso diremptu à corpore per solum metum, nonnullæ post diremptum à corpore, fortasis etiam apud Orcum detentæ, non quòd in igne supplicioue sint, sed velut in custodia & vinculis coerceantur. His omnibus opitulari preces eorum nomine factas dicimus, concurrente cum his diuina bonitate & clementia, quæ ad huiusmodi peccata pleraque conniuet, eaque mox condonat, nimirum si quæ ex imbecillitate humana commissa sunt, vt magnus ille Dionysius ait. Nam alios, vti diximus, expurgat metus: alios tortura conscientiæ, quæ animum acrius rodit, quàm quiuis ignis: alios sola diuinæ gloriæ amissio, & incertitudo eius quod futurum est, num his sint potituri. Quæ omnia quauis alia re magis hominem torquere, ac pœnis subijcere, docet ipsamet experientia. Ab huiusmodi malis vt ij liberentur, qui obdormierunt, à Deo petimus, & liberari credimus.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Responsione 1. cap. 11. Nec viuis tantùm beneficentia, omniaque Deo grata beneficia præstita prosunt; sed illis etiam, qui pia confessione vita excesserunt. Etsi enim valde timendus est Deus, superat tamen bonitas eius: etsi metuendæ sint minæ Dei, tamen inæstimabilis eiusdem in genus nostrum est amor: etsi horrendas condemnationes infligit, inexplicabile tamen est miserationum eius pelagus. Hinc magnus ille Dionysius: Precatio, inquit, diuinæ maiestatis bonitatem orat, velit omnia remittere errata, quæ qui obdormiuit humana infirmitate admisit, ac collocare ipsum in regione viuentium, in sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob, conniuendo bonitate sua ad næuos eius: quandoquidem nemo, vt diuina oracula aiunt, à sordibus mundus est. *Et post citata Gregorij Nazianzeni, & Chrysostomi in eandem sententiam testimonia:* Celebris, *inquit*, Gregorius, cognomento Dialogus (cui Missam celebranti cælestis ac diuinus Angelus concelebrabat) precibus Traianum saluauit: primaria Martyr Thecla Falconellam, multaque alia huius generis in Ecclesiasticis historijs sunt. Sed & diuini Damasceni Sermonem, si quis vult, legat eum, qui de ijs est, qui in fide obdormierunt. Inde intelliget Missas, quæ pro ijs fiunt, & erogationes ipsis prodesse.

Cap. 13. Misericordiam Dei in Missa imploramus, pro viuis mortuisque supplicantes.

Gabriel Patriarcha Alexandrinus. 1595.

Epistola ad Clementem Octauum: Credò quòd si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissorum & amissorum pœnis satisfecerint, coram diuina iustitia eorum animas pœnis purgatorij post mortem purgari, atque vt à pœnis eiusmodi releuentur, prodesse ijs fidelium viuorum suffragia.

Hypatius Ruthenorum Legatus. 1595.

In fidei professione: Constanter teneo purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De testimonio animæ aduersus Gentes capite 4. Cui gratiam debes, ossibus & cineribus eius refrigerium comprecaris, & vt bene requiescat apud inferos cupis.

De corona militis capite 3. Oblationes pro defunctis facimus. Harum & eiusmodi aliarum disciplinarum si legem expostules, Scripturarum nullam inuenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.

De Anima cap. 35. Hæc erit amicitia obseruatio sponsionis, ne quid eius postea resumas, ex his, quæ ei ierasti, quæ illi reddidisti, ne te vt fraudatorem, vt pacti transgressorem iudici Deo obijciat, & iudex te tradat angelo executionis, & ille te in carcerem mandet infernum, vnde non dimittaris, nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expenso.

De Monogamia cap. 10. Pro anima eius orat, & refrigerium adpostulat ei, & in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis eius.

Exhortatione ad castitatem cap. 11. Et iam repete apud Deum, pro cuius spiritu postules, pro qua oblationes annuas reddas. Stabis ergo ad Deum cum tot vxoribus, quot illa oratione commemoras, & offeres pro duabus, & commemorabis illas duas per sacerdotem de monogamia, ob præstinum de virginitate sancitum, circumdatum virginibus & vniuiris, & ascendet sacrificium tuum libera fronte.

Cyprianus. 250.

Epistola 52. ad Antonianum: Floret Ecclesia tot virginibus coronata, & castitas ac pudicitia tenorem gloriæ suæ seruat: nec quia adultero pœnitentia & venia laxatur, continentiæ vigor frangitur. Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam peruenire. Aliud missum in carcerem non exire inde donec soluat nouissimum quadrantem, aliud statim fidei virtutisque accipere mercedem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum, emundari & purga- Lib 4. epist. 2.

ri diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse: aliud denique pendere in die iudicij ad sententiam Domini, aliud statim à Domino coronari.

Lib. 1. epist. 9. *Epist. 66. ad plebem & clerum Furnitanorum:* Quod Episcopi Antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter prouidentes, censuerunt ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret, & si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim apud altare Dei in sacerdotum prece meretur nominari, qui ab altari sacerdotes & ministros voluit auocare. Et ideo Victor, cùm contra formam, nuper in Concilio à sacerdotibus datam, Geminium Faustinum presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est quòd pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in Ecclesia frequentetur, vt sacerdotum decretum religiosè & necessariò factum seruetur à nobis.

Zeno Veronensis. 260.

Sermone de Resurrectione: Hinc vxor amissi mariti desolationem se ferre non posse testatur, frigidumquè latus malè dilatato queritur lecto, inuidiosis vocibus Deo concinnat inuidiam: solennia ipsa diuina, quibus à sacerdotibus Deo quiescentes commendari consueuerunt, profanis vlulatibus rumpit.

Arnobius Rhetor. 300.

Libro 4. contra Gentes paulo ante finem: Cur inaniter nostra conuenticula meruerunt dirui? In quibus summus Deus oratur, pax cunctis & venia postulatur magistratibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, & resolutis corporum vinctione.

Lactantius. 320.

Lib. 7. Institut. cap. 21. Sed & iustos cùm iudicauerit Dominus, etiam igne examinabit: tum quorum peccata vel pondere, vel numero praualuerint, igne perstringentur, atque amburentur. Quos autem plena iustitia, & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non sentient. Habent enim in se aliquid Dei, quod vim flammæ repellat ac respuat. Tanta enim vis est innocentię, vt ab ea ignis ille refugiat innoxius.

Hilarius Pictauiensis. 350.

Ad Psalm. 59. Est olla secundùm Hieremiam vrens peccata atque tollens, sicuti & Dominus ipse mittere ignem venit super terram, & multi secundùm Apostolum tamquam per ignem erunt salui, cùm defœcatis & perustis vitijs, vt argentum ignitum probabiles iudicentur. Hinc ergo Moab spei suæ olla est, cui etiam ex Moab cruda vtique atque vitiosa iam cælestis illa ad cibum vitæ sanctificatio carnis est in spe, &c.

Ambrosius. 370.

Oratione de exitu, vita, ac virtutibus Theodosij Imp. Eius ergo principis & proximè conclamauimus obitum, & nunc quadragesimum celebramus, assistente sacris altaribus Honorio Principe. Quia sicut sanctus Ioseph patri suo Iacob quadraginta diebus humationis officia detulit: ita & hic Theodosio patri iusta persoluit, &c. Tu Domine da requiem perfectam seruo tuo Theodosio, requiem, quam præparasti seruis tuis. Illò conuertatur eius anima, vnde descendit, vbi mortis aculeum sentire non possit.

Epistola 8. ad Faustinum: Hanc (*defunctam*) non tam deplorandam, quàm prosequendam orationibus reor, nec mœstificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam eius Domino commendandam arbitror.

Oratione 1. ad Missam: Rogamus te sancte Pater pro spiritibus fidelium defunctorum, vt sit illis salus æterna, ac perpetua sanitas, gaudium, & refrigerium sempiternum; hoc magnum pietatis sacramentum, &c. placidè ac benignè suscipias hoc sacrificium de manibus, ad salutem omnium tam viuorum quàm mortuorum.

Auctor Commentariorum in epistolas Pauli nomine Ambrosij extantium. 380.

Ad cap. 3. prioris ad Corinthios: Cùm dicit Apostolus: *Sic tamen quasi per ignem:* ostendit saluum illum quidem futurum, sed pœnas ignis passurum, vt per ignem purgatus fiat saluus, & non sicut perfide æterno igne torqueatur in perpetuum, vt aliqua ex parte operæpretium sit credidisse in Christum.

Prudentius. 380.

In Hamartigenia:

Esto cauernoso, quia sic pro labe necesse est
Corporea, tristis me sorbeat ignis auerno:
Saltem mitificos incendia lenta vapores
Exhalent, æstuque calor languente tepescat.
Lux immensa alios, & tempora vincta coronis
Glorificent, me pœna leuis clementer adurat.

Hieronymus. 390.

Ad cap. 66. Esaiæ: Sicut diaboli & omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo: *Non est Deus*, credimus æterna tormenta: sic peccatorum atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur, & mixtam clementiæ sententiam iudicis.

Ad cap. 1. Nahum: Quærat hic aliquis, si fidelis deprehensus in adulterio decolletur, quid de eo postea fiat? Aut enim punietur, & falsum est hoc quod dicitur: *Non vindicabit Dominus bis in idipsum in tribulatione:* aut non punietur, & optandum est adulteris, vt in præsentiarum breui & cita pœna cruciatus frustrentur æternos. Ad quod respondebimus: Deum & omnium rerum, ita & suppliciorum quoque scire mensuras, & non præueniri sententiam iudicis: nec illi in peccatorem exercendæ dehinc pœnæ auferri potestatem, & magnum peccatum magnis diuturnisquè elui cruciatibus. Si quis autem punitus sit: vt ille in lege, qui Israeliticis maledixerat, & qui in Sabbato ligna collegerat, tales postea non puniri: quia culpa leuis præsenti supplicio compensata sit.

Ad cap. 7. Michea: Post cruciatus atque tormenta, educta de tenebris exterioribus anima, & reddito nouissimo quadrante, dicet: *Videbo iustitiam eius, & loquar: iustificata sunt iudicia tua Deus.*

Ruffinus. 390.

Ad Psalm. 37. Per ignem intelligi potest examinatio ignis purgatorij, in quo corripientur, qui modò super fundamentum Christum infructuosa ædificant: *Detrimentum quidem patientur, sed salui erunt, sic tamen quasi per ignem.* Grauior autem erit ignis ille, quàm quicquid potest homo in hac vita tolerare.

Concilium Carthaginense Tertium. 395.

Cap. 29. Si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, siue Episcoporum, seu clericorum, siue cæterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt, iam pransi inueniantur.

Concilium Carthaginense Quartum. 398.

Cap. 79. Pœnitentes, qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, vbi eis subueniri non possit, memoria eorum & orationibus, & oblationibus commendetur.

Cap. 95. Qui oblationes defunctorum aut negant Ecclesijs, aut cum difficultate reddunt, tamquam egentium necatores excommunicentur.

Augustinus. 400.

Lib. 2. de Genes. contra Manichæos cap. 20. *Maledicta terra erit tibi in omnibus operibus tuis, &c.* Qui enim coluerit agrum suum interius, & ad panem suum quamuis cum labore peruenerit, potest vsque finem vitę huius hunc laborem pati. Post hanc autem vitam non est necesse vt patiatur. Si quis forte agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit vel ignem purgatorij, vel pœnam æternam. Ita nemo euadet istam sententiam. Sed agendum est, vt in hac vita tantùm sentiatur.

Ad Psalm. 37. In hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne non sit opus, propter illos, qui salui erunt, *sic tamen quasi per ignem.* Quare? Nisi quia ædificant super fundamentum ligna, fœnum, stipulam: Si ædificarent autem *aurum, & argentum, & lapides pretiosos,* & de vtroque igne securi essent, non solùm de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios; sed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem salui erunt. Dicitur enim: *Ipse saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Et quia dicitur *saluus erit,* contemnitur ille ignis: ita planè quamuis salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quicquid potest homo pati in hac vita.

De Ciuitate Dei lib. 21. cap. 13. Temporarias pœnas alij in hac vita tantùm, alij post mortem: alij & nunc & tunc, veruntamen ante iudicium illud seuerissimum nouissimumque patiuntur. Non autem omnes veniunt in sempiternas pœnas, quæ post illud iudicium his futuræ sunt, qui post mortem sustinent temporales. Nam quibusdam, quod in isto non remittitur remitti in futuro seculo, id est, ne futuri seculi æterno supplicio puniantur, iam supra diximus.

Cap. 16. Purgatorias pœnas nullas futuras opinandum est, nisi ante illud vltimum tremendumque iudicium.

De verbis Apostoli, Serm. 32. Orationibus sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro defunctorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur, quàm eorum peccata meruerunt. Hæc enim à Patribus vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro ijs, qui corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium suo loco commemorentur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur.

Bacchiarius. 400.

De recipiendis lapsis: Melior fuit concubina Saulis filia Ressa, quæ corpora defunctorum conso[...] accincta sacco, hoc est, cilicio custodiuit, donec ijs roraret aqua de cælo, hoc est, donec pro venia eorum misericordiæ cælestis stilla defflueret. Melior est ille Iudas Macchabæus, qui etiam pro fratribus mortuis orationem credidit esse faciendam, quos furata de Lamyrni ciuitate idolorum dona prostrauerunt.

Paulinus Nolanus. 420.

In Paraphrasi Psalmi 1.

In lege lapsus, lege iudicabitur:
Opus per omne currit ignis arbiter.
Quod non cremarit flamma, sed probauerit,
Illud perenni præmio pensabitur.
Qui concremanda gesserit, damnum feret:
Sed ipse saluus euolabit ignibus.

Epist. 18. Sed potius, vt orationibus tuis condonetur tibi, vt & illius (defuncti) animam vel de minimo sanctitatis tuæ digito destillans refrigerij gutta respergat, & nobis, dum tempus est recurrentibus ad te & clamantibus: *Pater peccauimus in cælum & in te, iam non sumus digni vocari filij tui,* pro confessione peccati, diuina miseratio te interueniente succurrat.

Epist. 19. Ob hoc impensè rogamus, vt quasi frater vnanimes fratres iuuans, & hanc meritis fidei tuæ mercedem accumules, vt pro eo (defuncto) infirmitati nostræ compatiaris, & orandi ab ore conspires, vt misericors & miserator Deus refrigeret animam illius stillicidijs misericordię suę per orationes vestras. Quia sicut ignis accensus ab eo ardebit vsque ad inferos deorsum: ita etiam procul dubio ros indulgentiæ eius inferna penetrabit, vt roscido pietatis eius lumine in tenebris ardentibus æstuantes refrigeremus.

Sixtus Tertius. 430.

De malis Doctoribus & operibus fidei: Ego duo tantùm loca in Scripturis inueni, Regni & Gehennæ, id est, vitæ, & mortis. Purgatorium tamen locum semper excipio: in quo ad tempus piorum animæ corporibus solutæ expiantur. Si tu tantùm aliquem reperisti, vbi collocentur illi, qui neque in regno, neque in Gehenna fuerint, monstrare te conuenit.

Philippus Presbyter. 430.

Ad caput 12. Iob: In spiritu carnis homines peccatores: sed alij sunt factis, alij dictis, alij cogitationibus peccatores. Inter hos verò conflictus subtilissimis insidijs in homine dimicantes: quæ insidiæ ita aliquoties, quasi sub speciem boni obductæ sunt, vt fortassè discerni vix possint, & ipsa ignorantia peccatum habetur, potest fieri, vt aliquis Sanctorum hinc subitò exeat, & minus purgatus à talibus, id est, à minimis delictis, velut imparatus abscedat, quæ illi ibidem à misericordissimo Domino concedantur. Quod autem in illo iudicio quædam peccata donentur, ipsius Domini indicare videtur auctoritas in Euangelio, vbi ait: *Qui autem blasphemauerit Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro:* hoc intelligendum est, quòd aliqua exigua præualentibus magnis operibus vel sanctorum intercessionibus remittantur, &c. Secundùm hoc ergo dictum sunt delicta, quæ illic donanda sunt, vbi & indelebile peccatum blasphemiæ Spiritus memoratur. Non enim diceret Dominus: *Hoc peccatum non remittetur,* si alia peccata non remitterentur illis. Quæ sint autem illa peccata, vel cuiusmodi sint, solus Deus nouit, qui ea se remissurum esse promittit.

Concilium Vasense Primum. 442.

Cap. 2. Horum, qui pœnitentia accepta in bono vitæ cursu satisfactoria compunctione viuentes, sine communione inopinato nonnunquam transitu in agris aut in itineribus præueniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam, Ecclesiastico affectu prosequendam: quia nefas est, eorum commemorationes excludi à salutaribus sacris, qui ad eadem sacra fideli affectu contendentes, dum se diutius reos statuunt, & indignos salutiferis mysterijs iudicant, ac dum purgatiores restitui desiderant, absque Sacramentorum viatico intercipiantur, quibus fortassè nec absolutissimam reconciliationem sacerdos denegandam putasset.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Homilia 3. de Epiphania: Felices, qui nunc bene agunt, vtentes facultate, vel corpore suo contenti, & de suo largi: in se casti, in alios innocentes, ab huius profundi flammea nocte se redimunt. Hæc pœna illis manebit, qui amisso & non ferè o baptismo, in æternum peribunt: ad quos dicetur, vt eant *in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Hi verò, qui temporalibus pœnis digna gesserunt, ad quos sermo Dei dirigitur, quòd non

exeunt inde *donec reddant nouissimum quadrantem*, per fluuium igneum, de quo propheticus sermo commemorat: *Et fluuius rapidus, qui currebat ante eum*, per vada feruentibus globis horrenda transibunt. Quanta fuerit peccati materia, tanta erit pertranseunti mora: quantum accreuerit culpa, tantum sibi ex homine vindicabit flammæ rationabilis disciplina: & quantum stulta iniquitas gessit, tantum sapiens pœna desæuiet. Et quia sermo diuinus quodammodo æneæ ollæ animam comparat: *pone ollam super prunas vacuam, donec incalescat æs eius:* illic periuria, iræ, malitiæ, cupiditates, quæ puritatem nobilis naturæ infecerant, exudabunt: illic stannum, plumbum diuersarum passionum, quæ aurum diuinæ imaginis adulterauerant, consumentur. Quæ omnia hic ab anima separari per eleemosynas & lachrymas compendij transactione poterunt. Illic iusti velut per amœnos gurgites incendijs naturam suam mutantibus transmeabunt, intacta ignibus corpora ipsis honorificanda pœnis, quia non sunt onerata peccatis.

Sedulius. 460.

Ad cap. 3. prioris ad Corinth. Examinationem iudicij igni voluit comparare: quia in igne purgatorio iudicij probabitur.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia de his verbis Apostoli: *Si cuius opus manserit, mercedem accipiet.*) In illo transitorio igne, de quo dixit Apostolus: *Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem*, non capitalia, sed minuta peccata purgantur, &c. Et ideo, qui ab ista pœna, & ab illa purgatoria desiderant liberari, capitalia crimina non admittant, aut si iam commiserunt, fructuosam pœnitentiam agant.

Victor Vticensis. 480.

De persecutione Vandalica lib. 2. Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? qui hos baptizaturi sunt paruulos fontibus aquę perennis? qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt? qui nos solennibus orationibus sepulturi sunt morientes? à quibus sacrificij diuini ritus exhibendus est consuetus?

Boëtius. 500.

De consolatione Philosophica lib. 4. Prosa 4. *Discipulus*: Nullane animarum post defunctum morte corpus supplicia relinquis? *Magister*: Magna quidem, quorum alia pœnali acerbitate, alia purgatoria clementia exerceri puto.

Concilium Valentinum Hispaniæ. 525.

Cap. 4 Recedentem à seculo Episcopum, post oblatum in eius commendatione sacrificium Deo, mox sepulturæ tradat diligentissimè.

Concilium Arelatense Secundum. 533.

Cap. 15. Oblationes defunctorum, qui in aliquo crimine fuerunt interempti, recipi debere censemus, si tamen non ipsi sibi mortem proprijs manibus probentur intulisse.

Primasius. 540.

Lib. 5. in Apoc. cap. 19. Regnabunt cum Christo Iesu mille annis animæ scilicet Martyrum, nondum corporibus suis sibi redditis. Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ nunc etiam est regnum Christi alioquin nec ad altare fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi.

Martinus Bracarensis. 580.

De Græcorum Synodis cap. 69. Non oportet clericos præsumptores super monumenta in campum imprecatoria portare, aut distribuere Sacramenta; sed aut in Ecclesia, aut in Basilica, vbi Martyrum Reliquiæ sunt positæ, ibi pro defunctis oblationem offerre.

Gregorius Magnus. 590.

Ad Psalm. 3. Pœnitentialem: Scio futurum esse, vt post huius vitæ exitum alij flammis expientur purgatorijs, alij sententiam æternæ subeant damnationis: sed quia illum transitorium ignem omni tribulatione præsenti æstimo intolerabiliorem, non solùm in furore æternæ damnationis opto me non argui, sed etiam in ira transeuntis timeo correptionis purgari.

Libro 4. Dialog. cap. 39. Qualis hinc quisque egreditur, talis in iudicio præsentatur. Sed tamen de quibusdam leuibus culpis esse ante iudicium purgatorius ignis credendus est, pro eo quòd veritas dicit: Quia *si quis in Sancto Spiritu blasphemiam dixerit, neque in hoc seculo remittetur ei, neque in futuro.* In Matt. 12.
qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc seculo, quasdam verò in futuro posse laxari. Quod enim de vno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur.

Cap. 55. Si culpæ post mortem insolubiles non sunt, multorum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ salutaris adiuuare: ita vt hanc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur.

Faustus Benedictinus. 600.

In vita D. Mauri: Mane autem primo Siricium presbyterum asciscens, vt sacrificium nostræ redemptionis pro eadem anima Deo offerret impetrauit.

Isidorus Hispalensis. 620.

De officijs Ecclesiasticis lib. 1. *cap.* 18 Sacrificium pro fidelium defunctorum requie offerri, vel pro ijs orare, quia per totum hoc orbem custoditur, credimus quòd ab ipsis Apostolis traditum sit. Hoc enim vbique Catholica tenet Ecclesia, quæ nisi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus vel eleemosynam faceret, vel Deo sacrificium offerret. Nam cùm Dominus dicat: *Qui peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro:* demonstrat quibusdam illic dimittenda peccata, & quodam purgatiuo igne purganda.

Eligius. 640.

Homilia de Cœna Domini ad clerum, & plebem: Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, vt nec ab æterno, quod absit, & nec ab illo transitorio igne exuramur. De quo igne iudicij Dei Apostolus ait: *Vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit*, quod de igne purgatorio eum dixisse non est dubitandum.

Theodorus Cantuariensis. 650.

In Pœnitentiali: Ab infirmis in periculo mortis 26. q. 7.
positis per presbyteros pura inquirenda est confessio peccatorum: non tamen est illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda: & cum amicorum orationibus, & eleemosynarum largitionibus pondus pœnitentiæ subleuandum, si fortè migrauerint, ne obligati à communione & consortio veniæ fiant alieni.

Concilium Toletanum Vndecimum. 660.

Cap. 12. De his, qui accepta pœnitentia antequam reconcilientur ab hac vita recesserint, placuit nobis, vt & memoria talium in Ecclesijs commendetur, & oblatio pro eorum delicto à presbyteris recipiatur.

Iulianus Pomerius. 670.

Apud Iulianum Toletanum lib. 2. cap. 10. Spiritus illi, qui nec tam perfectæ sanctitatis hinc exeunt, vt in Paradisum statim post depositionem suorum

rum corporum possint recipi, nec tam criminosè ac damnabiliter viuunt, aut ita in suis criminibus perseuerant, vt cum diabolo & angelis eius damnari mereantur, Ecclesia hic efficaciter pro ijs supplicante, pœnis medicinalibus expiati, corpora sua cum beata immortalitate recipient, ac regni cælestis facti participes, in eo fine vllo defectu suæ beatitudinis permanebunt.

Iulianus Toletanus. 680.

Lib. 2. Prognost. cap. 19. Purgatorium ignem post mortem esse, multorum tractatorum cognouimus sententijs euidenter definitum, inter quos Augustinus Doctor egregius, licet eum in hac vita fidelibus accidere posse testetur, tamen & post mortem definit eum quibusdam esse futurum, contestans, quòd ignis ille purgatorius, qui nunc à quibusdam contemnitur, & paruus putatur, multo grauior existat, quàm quicquid homo potest pati in hac vita.

Cap. 22 Puto quòd sicut non omnes reprobi, qui in æternum ignem damnandi sunt, vna eademque supplicij qualitate ardebunt: sic omnes, qui per graues purgatorij pœnas salui esse creduntur, non vno eodemque spatio temporis cruciatus spirituum sustinebunt: vt quod in reprobis discretione pœnarum, hoc in istis, qui per ignem saluandi sunt, mensura temporis agitetur. Sed tanto illis minus vel maius ignis purgatorij extendetur supplicium, quanto hîc minus vel amplius bona temporalia dilexerunt.

Adamnanus. 680.

De Locis Sanctis: Infra ipsum locum Dominicæ Crucis excisa in petra cripta est, in qua supra altare pro defunctis offerri sacrificium solet.

Beda. 700.

In Prouerb. Salomonis lib. 2. cap. 11. Etsi impijs post mortem spes veniæ non est, sunt tamen, qui de leuioribus peccatis, quibus obligati defuncti sunt, possunt absolui, vel pœnis videlicet castigati, vel suorum precibus, eleemosynis, Missarum celebrationibus absoluti. Sed hæc quibuscunque fiunt, & ante iudicium, & de leuioribus erratis fiunt.

Ad Psal. 37. Corripiuntur in ira Dei, qui Christum fundamentum habent, sed non tantùm aurum, argentum, lapides pretiosos superædificant: sed etiam intermiscent ligna, fœnum, stipulas, id est, committunt quædam venialia peccata, grauiora & leuiora. Et ideo necesse est, vt hi tales in ira corripiantur, id est, in purgatorio igne nunc interim ante diem iudicij ponantur, vt quæ in eis immunda sunt, per illum exurantur, & sic tandem idonei esse cum his, qui in dextera coronandi sunt, inueniantur. Nec immeritò tantum, timet iste hanc correctionem, quia attendit eam esse grauiorem, quàm quicquid vnquam passi sunt latrones, vel sancti Martyres.

Ad caput 2. Lucæ: *Ipse baptizabit vos Spiritu sancto & igne.* Sunt qui ita exponunt, quòd in præsenti in spiritu, & in futuro baptizemur in igne, vt videlicet, sicut nunc in remissionem omnium peccatorum ex aqua, & Spiritu renascimur: ita & tunc de leuibus quibusdam peccatis, quæ hinc nobis euntibus adhæserint, purgatorij ignis, ante vltimum iudicium baptismate permundemur, dicente Apostolo: *Si quis superedificauerit, &c.* 1. Cor. 13.

Gregorius Secundus. 730.

Epistol. 8. ad Bonifacium: Pro abeuntibus consuluisse dignosceris, si liceat pro ijs offerre? Sancta sic tenet Ecclesia, vt quisque pro suis mortuis verè Christianis offerat oblationes, atque presbyter illorum memoriam faciat. Et quamuis peccatis omnes subiaceamus, conuenit tamen vt sacerdos pro mortuis Catholicis memoriam faciat, & intercedat non tamen pro impijs, licet Christiani fuerint, hoc facere licebit.

Alcuinus. 750.

De Trinitate lib. 3. cap. 21. De igne iudicij Apostolus ait: *Vniuscuiusque opus quale sit ignis declarabit*: 1. Cor. 3. De igne Purgatorio eum dixisse non est dubitandum: quem ignem aliter impij sentient, aliter sancti, aliter iusti sunt sensuri.

In Psalm. 1. Pœnitentialem: *Domine ne in furore tuo arguas me.*) Ita æternam impiorum significat pœnam: furor ignem Purgatorium: & de vtraque vir pœnitens liberari se à Deo postulat.

De diuinis Officijs capite 39. de celebratione Missæ: Orat pia mater Ecclesia etiam pro defunctis suis, & eos sacræ oblationis intercessione Deo commendat, certissimè credens, quia sanguis ille pretiosus, *qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum*, non solùm ad salutem viuentium, sed etiam ad salutem valeat defunctorum.

Ambrosius Ansbertus. 760.

In Apocalypsin lib. 9. cap. 20. Alius ignis, vel aliud supplicium esse creditur, per quod nunc purgandi transeunt illi, qui hic rectè vixerunt, & tamen minima peccata vel non vitauerunt, vel commissa non diluerunt, vel certè tempus pœnitentiæ in lamentis non expleuerunt, cùm constet apud inferos nullum posse purgari. Ille sanè veraciter esse creditur, qui supra fundamentum Christi ædificantes, alios eorum examinans vt aurum approbat, alios verò exurens, vt stipulam concremat. Qui etsi in 1. Cor. 3. ista adustione detrimentum patiuntur: tamen per ignem saluantur.

Aribo Frisingensis. 770.

Vita S. Corbiniani cap. 16. Vidua ducentos solidos viro Dei obtulit, vt pro viri defuncti anima deprecari diuinam clementiam dignaretur.

Carolus Magnus. 780.

Libro 6. Legum cap. 194. Admoneantur fideles, vt ad suos mortuos non agant ea, quę de paganorum ritu remanserunt, sed vnusquisque deuota mente, & cum compunctione cordis pro eius anima Dei misericordiam imploret.

Cap. 195. Fideles pro defunctis amicorum, & parentibus eorum ieiunia & oblationes triginta dies adimplere faciant.

Haymo. 800.

Libro 2. in Esaia cap. 28. In hoc loco consolationem dat peccatoribus. Misericors enim Dominus creaturæ suæ in die iudicij miserebitur, si in isto seculo pœnitentiam ante præoccupationem mortis egerit. Multi namque sunt in igne purgatorio, qui pœnitentiam hic inchoarunt, sed surripiente mortis articulo non ad effectum perduxerunt, qui in die iudicij saluabuntur.

Ad caput 3. prioris ad Corinth. Qui leuia peccata attrahunt, purgantur ab illis, qui à tribulationibus incenduntur in hoc seculo, vel post mortem in igne purgatorio, vel alia afflictione, orationibusue hominum expiantur.

VValafridus Strabo. 830.

De exordijs & incrementis rerum Ecclesiasticarum cap. 21. Totius Ecclesiæ vsus habet, sæpius Missas agere pro viuis, pro defunctis, pro eleemosynis, & alijs diuersis causis, quod etiam officia his attributa testantur.

Christianus Druthmarus. 830.

In Matthæum cap. 34. Quod dicitur non remittendum *neque in hoc seculo, neque in futuro*, datur intelligi de quibusdam peccatis in alia vita remissionem. Quia quòd de vno negatur, conse-

quens est, vt de aliquibus posse intelligi, sicut de otioso sermone, & concupiscentijs, de leuibus peccatis.

Amalarius Treuirensis. 830.

De officijs Ecclesiasticis lib. 3. cap. 44. Quando studemus, vt opera amicorum nostrorum sint plena coram Deo, triginta diebus pro ijs sacrificamus. Non opinor, quod aliquis velit dicere, quòd non liceat nobis orare quotidie, & sacrificare pro mortuis: sed quod agitur in tertia, & septima, & tricesima die, publicè agitur, & generaliter ab omnibus amicis, ac conuenitur simul ad hoc in precibus Missarum, atque eleemosynis, & cæteris bonis studijs, &c. Anniuersaria dies ideo repetitur pro defunctis, quoniam nescimus, qualiter eorum causa habeatur in alia vita, &c.

Concilium Cabilonense. 831.

Cap. 19. Visum præterea nobis est, vt in omnibus Missarum solennitatibus pro defunctorum spiritibus loco competenti Dominus deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, quo non pro cuiuslibet necessitatibus Dominus deprecetur: ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces in Missarum solennibus Domino fundantur. Antiquitus hunc morem igitur sancta Ecclesia tenet, vt in Missarum solennitatibus, & alijs precibus, Domino spiritus quiescentium commendet.

Rabanus Maurus. 850.

De instit. cleri lib. 2. cap. 44. Sacrificium pro fidelium defunctorum requie offerre, vel pro ijs orare, quia per totum orbem hoc custoditur, credimus, quòd ab ipsis Apostolis traditum sit.

Lib. 8. in Ecclesiast. cap. 14. Panis & vini sacrificiũ, in memoriam Dominicæ passionis oblatum, præcipuè animarum vulnera curat, cùm per sacerdotis ministerium in altari simul cum sacris orationibus Deo offertur.

Ad caput 15. lib. 2. Machabæorum Quòd post exitũ vitæ præsentis pro fidelium peccatis exorandum sit, & eleemosynarum opus agendum, quatenus hi, pro quorum remedio res agitur à peccatis soluantur, & præsens locus ostendit, & in Euangelio Dominus, vbi de Spiritus sancti blasphemia, irremissibile illud peccatum ostendens, ait: *Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Cùm enim dixe-

Matt. 12. rit vnum illud irremissibile peccatum, ostendit alia tam in præsenti, quàm in futura vita posse remitti.

Nicolaus Primus. 860.

Ad consulta Bulgarorum cap. 88. Pro parentibus vestris, de quibus consulitis, qui infideles mortui, propter peccatum orare non licet, secundùm illud Apostoli: *Est peccatum ad mortem, non dico vt oretur pro eo.*

Cap. 100. Qui in prælio defunctus fuerit, vtrum reportandus ad propria sit, si parentes eius, aut socij eius voluerint, ex præcedente capitulo potestis intelligere. Siquidem idcirco, si voluerint propinqui, ad propria portandus est mortuus, vt eius tumulum intuentes proximi, recordentur ipsius, & pro eo Domino preces fundant.

Ioannes Octauus. 870.

Epistola 204. Nam eodem die, quo de seculo migrauit, pro animæ illius requie sempiterna sacrificium erimus Domino oblaturi, etiam pro anima Supponis, fraterna moti compassione, omnipotentem Dominum deprecamur, vt suorum absolutionem valeat percipere delictorum.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 880.

Cap. 11 Lepra recaluationis, qui negat resurrectionem, lepra carnis & cutis sunt Nouatiani qui nuptias damnant, sicut Heraclitæ, qui negant pueris regna cælorum, sicut Aeriani, qui prohibent sacrificia offerre pro defunctis.

Concilium Triburiense. 895.

Capite 15. Restat, propter instantem necessitatem, vbicumque facultas rerum & opportunitas temporum suppetat, sepulturam morientium apud Ecclesiam, vbi sedes est Episcopi, celebrari. Si autem hoc propter itineris longinquitatem impossibile videatur, expectet eum terra sepulturæ suæ, quo Canonicorum, aut Monachorum, siue Sanctimonialium congregatio sancta communiter degit, vt eorum orationibus iudici suo commendatus occurrat, & remissionem delictorum, quam meritis non obtinet, illorum intercessionibus percipiat.

Regino Prumiensis. 910.

In Annalibus de anno 888. Carolus Tertius hanc probationem patientissimè tulit, sicuti in prosperis gratiarum vota persoluit, & ideo coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se, aut iam accepit, aut absque dubio accepturus est.

De disciplina Ecclesiastica cap. 190 Sacerdotum officium est pro concione plebem monere, vt preces pro defunctis faciant.

Luitprandus Ticinensis. 950.

Libro 4. cap. 7. de morte Regis Henrici: Mechtildis vxor regis pro delictorum defuncti viri expiatione celebre exequiarum officium, viuamque hostiam Deo offerre non desiuit.

Osbertus Anglus. 1000.

In vita S. Dunstani: Cùm in ecstasi videret, & audiret, defuncti regis animam Gehennæ tradendam, prostratus, & vbertim flens, non prius ab orando Deum cessauit, quàm regis spiritum liberatum, & in sortem pœnitentium cedere cognouit.

Berno Augiensis. 1020.

De officio Missæ cap. 16. Post mortem Christi in cruce commemoratio mortuorum aptè sequitur: quia nec aliorum mortuorum commemoratio aptè agenda est, nisi qui in Christi morte redempti sunt, & in Christo hanc vitam finierunt.

Epistola ad Burchardum Abbatem: Preces pro requie Henrici ad Dominum fundantur assiduæ.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone de S. Andrea: Nec tibi blandiaris, si grauiter peccanti leuior pœnitentia, vel à mansueto, vel à dissimulante dictatur, cum in purgatorijs ignibus perficiendum sit, quicquid hic minus feceris: quia dignos pœnitentiæ fructus quærit Altissimus.

Serm. de S. Nicolao Episcopo: Trinæ sunt distinctiones locorum, quas pro diuersitate meritorum animæ sortiuntur. Ad cælum namque statim euolant eorum, qui domicilio corporis vsi sunt tanquam carcere, qui defæcatam puramque substantiam vtriusque hominis seruauerunt. E contrario qui fecerunt vsque ad mortem quæ digna sunt morte, locis gehennalibus sine misericordia deputantur. Qui verò neutrum, sed sunt inter vtrumque, qui mortalia quidem commiserunt, sed circa mortem pœnituerunt, pœnitentiam non explentes, indigni vt statim gaudeant, nec digni vt semper ardeant, loca purgatoria sortiuntur, in quibus flagellantur: sed non ad insipientiam sibi, vt excorti transferantur ad regnum. Pro his, qui in cælo sunt, non est orandum: quia eos, non pro ijs orare debemus. Pro his qui in inferno sunt, suspendendæ sunt preces, quibus clausa est misericordiæ ianua, & totius spes interclusa salutis. Pro illis tantum vigilandum est in orationibus, & subueniendum sacrificio singulari, qui locis purgabilibus emundantur, vt benignus Pater pœnitentiã

eorum,

eorum, in satisfactionem, satisfactionem in glorificationem citò conuertat.

Radulphus Ardens. 1060.

In Dominica Septuagesima: Qui propter curas & carnales affectus à via Dei aliquantulum retardantur, quando ad metam stadij, id est, ad mortem veniunt, plerumque non statim brauium accipiunt, sed à maculis, quas ex curis & affectibus carnalibus contraxerunt, in igne purgatorio purgantur, & sic tandem brauium consequuntur.

In Commemoratione defunctorum: Defunctorum genera alij sunt valde boni, qui post mortem statim ad requiem transeunt, & hi nostris orationibus & beneficijs non indigent, imò verò nos suis iuuant. Alij sunt mediocriter boni, qui in vera confessione & poenitentia decedentes, quia nondum sunt perfectè purgati, purgantur in purgatorijs locis, & illis proculdubio orationes, eleemosynæ, ac sacrificia prosunt.

Gregorius Septimus. 1076.

Libro 1. epist. 6. Itaque quid & qualiter de vtroque factum sit, per hunc mera veritate præcognita, vt orationes ad Deum fieri solicitè procuretis, charitatem vestram valde rogamus: quatenus & illius animam ad gaudia æternæ beatitudinis transferat, & nobis ad ferendum onus impositum auxilium suæ miserationis impendat.

Libro 5. epist. 10. ad regem Daniæ: Quoniam credimus patrem tuum defunctum lamenta poenitentiæ ante vitæ suæ finem contrito corde arripuisse, veniam posse consequi non dubitamus: imò sui memores in orationibus nostris, sibi concedi charitatis affectu rogamus, & te, vt optimum decet filium, ei succurrere largis eleemosynarum subsidijs & Ecclesiarum orationibus hortamur. Decet enim, vt qui de sui corporalis, & secularis regni spiritualibus auxilijs (prout esse poterit) ne videatur fraudari, quatenus res, quæ tibi decus paterni ministrant regni, manibus pauperum delatæ, cælo patri conferant auxilium requiei.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

In Elucidatorio: *Discip.* Quid est purgatorius ignis? *Magist.* Post mortem purgatio erit, aut nimius calor ignis, aut magnus rigor frigoris, aut aliud quodlibet genus poenarum: de quibus minimum maius est, quam maximum quod in hac vita excogitari potest, &c. *Discip.* Confert iustis aliquid, quòd in sacris locis tumulantur? *Magist.* Per quosdam iustos loca sacrantur, in quibus tumulantur: cùm autem in poenis sunt, eo prodest quòd corpora in sacris locis sepeliantur, quia eorum precibus adiuuantur, quibus per sepulturam sociantur.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epist. 198. Mathildæ Anglorum Reginæ: Nos pro anima fratris vestri religiosi regis, quòd peccatis nostris exigentibus parum est, deuotas Deo preces effundimus, quamuis animam eius in sinu Abrahæ collocatam, si vita eius ita se habuit, vt dicitur, indubitanter confidamus. Sed quia incertus est status animarum post animal, non videtur otiosum, si pro his intercedimus, qui iam requie perfruuntur, vt eorum requies augeatur, & pro his, qui locis purgatorijs deputati sunt, vt fidelium orationibus indulgentiam consequantur.

Sigebertus Gemblacensis. 1100.

In Chronicis de anno 998. Hoc tempore quidam religiosus ab Hierosolymis veniens, in Sicilia Reclusi cuiusdam humanitate aliquamdiu recreatus, didicit ab eo inter cætera, quòd in illa vicinia essent loca eructantia flammarum incendia, quæ loca vocantur ab incolis ollæ Vulcani, in quibus animæ defunctorum luant diuersa pro meritorum qualitate supplicia, ad ea exequenda deputatis ibi dæmonibus, quorum se crebrò voces, iras, & terrores, sæpe etiam eiulatus audisse dicebat plangentium, quòd animæ de manibus eorum eriperentur per eleemosynas, & preces fidelium, & hoc tempore magis per orationes Cluniacensium, orantium indefessè pro requie defunctorum. Hoc per illum Odilo Abbas comperto, constituit per omnia Monasteria sibi subiecta, vt sicut primo die Nouembris solennitas omnium Sanctorum agitur, ita sequenti die memoria omnium in Christo quiescentium celebretur. Qui ritus ad multas Ecclesias transiens, fidelium defunctorum memoriam solennizari fecit.

Hildebertus Cennomanensis. 1100.

Libro de mysterijs Missæ:

Neue sepultorum pia mentio prætereatur,
Et bene defunctis, & sibi proficit idem.
Proficit idem sibi, dum sanctis rogat associari,
Quos & nominibus nominat ipse suis.
Cùm viuis veniam, refrigeriumq; sepultis
Impetrat, & partem quam petit ipse sibi, &c.
Nam tres Ecclesiæ sunt partes, vna laborat
In terris, partem iam fouet alta quies
Partem, quæ restat, clementior excoquit ignis,
Excoctæq; patet transitus ad requiem, &c.
Tollimur è medio fatis vrgentibus omnes,
Et trahimur quò nos vita peracta vocat.
Hi nunquam, hi semper, alij plectuntur ad horam,
Purgatisq; datur transitus ad requiem.
Hanc illis altare sacrum, vel criminis expers
Vita, vel obsequijs emptus amicus emit.
Perfectos, valdeque malos nil vota suorum,
Nil impensa precum, nil holocausta iuuant.
Nam nec iustus eget, nec pessimus ista meretur:
In medio est, veniam cui sacra Mensa parat, &c.
Vnde fit, vt sacris quoties assistitur aris,
Particulis cedat hostia fracta tribus:
Pars intincta mero pro viuis orat, opusq;
Sanguinis & carnis expiat ipsa caro.
Pro bene defunctis, quorum purgatior vnus
Hoc interuentu non eget, alter eget, &c.

Odo Cameracensis. 1110.

In expositione Canonis dist. 4. Sumit hinc exordium quarta periodus, quæ confecto corpore & sanguine Christi redit ad rogandum pro mortuis fidentior exaudiri patrocinio sacrificij.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Lib. 4. Commentariorum in Genesim cap. 32. Hæc ante paradisum posita ad custodiendum ligni vitæ aditum cùm legimus miramur, cùm tamen publica fide teneamus & confiteamur, quòd per ignem transituri, & non nisi per Angelorum ministerium examinati, paradisum intraturi simus. Terribile valde est, quod ex hoc loco, cum cæteris Scripturarum locis collato concipitur, verbi gratia, cum eo, quod Apostolus dicit: *Si quis superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, &c.* Quid enim ex huiusmodi dictis colligimus, nisi ad hoc flammeum gladium atque versatilem ante Paradisum esse collocatum, vt quicunque deinceps admittendi sunt, illuc transeant per examinatorium ignem? &c. Consequimur & nos omnes fundamentum, quod Christus est, habentes alij aurum, vel argentum, alij lapides pretiosos, alij ligna, foenum, stipulam, id est, diuersorum quinque ponderum vel modiorum peccata portantes. Et sicut horum alia alijs facilius vel difficilius igni consumuntur: ita quisque nostrum pro diuersitate peccatorum alij citius, alij tardius purgati, paradisi felicitatem ingredientur. 1. Cor. 3.

Berengosius Abbas. 1112.

Libro 6. de laude sanctæ Crucis cap. 11. conferens Constantinum Helenæ matri. Mirum non est, *inquit*, quòd sicut catalogus Sanctorum solet vbique testari, festiuitas B. Helenæ à nobis annua semper debet reuolutione celebrari. Sed quoniam in eodem catalogo de filio Constantino nulla est mentio, sed magis memoria illius omnibus modis inibi obliteratur silentio, ideo vt in regione viuorum & ipse complaceat Deo, necesse est vt oratio fiat ab Ecclesia ad Deum pro eo. Cum enim in præsentis Ecclesiæ domicilio festiuæ solennitatis officium matri potius debeatur quàm filio (*Constantino:*) ideo in agendis memorijs mortuorum prouidendum est cunctis, vt memoriam Constantini studeant habere cum defunctis.

Honorius Augustodunensis. 1120.

In Psal. 6. Ira Domini est purgatorius ignis. In ira Dominus hunc corripit, quem per purgatorium ignem in refrigerium ducit. Qui ignis grauior est, quàm si omnes pœnæ, quæ Sanctis à tortoribus illatæ sunt, fierent vna pœna. Hunc tam boni, quàm mali transituri sunt, sic vt nullam læsionem in eo patiantur boni, mali autem sic vt mala, quæ in eis inueniantur, ibi comburantur, vt
1.Cor.3. scribitur: *Quale cuiusque opus sit, ignis probabit. Cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse tamen saluus erit per ignem.*

Sermone in diebus Rogationum: Pro omnibus viuis & defunctis orate.

Bernardus. 1130.

Sermone de obitu S. Humberti. Volat irreuocabile tempus, & dum creditis vos cauere istam pœnam minimam incurritis ampliorem. Illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgabilibus locis centupliciter quæ fuerint hîc neglecta redduntur vsque ad nouissimum quadrantem.

Sermone 66. in Cantica de hæreticis Petrobrusianis: Porrò mortuos viuentium nihilo minus sanctorum, qui decesserunt, suffragijs spoliantes non credunt ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam à corpore, vel ad requiem transire, vel ad damnationem. Quærant ergo ab eo, qui dixit, quoddam peccatum esse, quod neque
Matt.12. in hoc seculo, neque in futuro remitteretur, cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio purgatione peccati?

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei lib. 2. part. 16. cap. 4. Est alia pœna post mortem, quæ purgatoria dicitur. In qua qui ab hac vita cum quibusdam culpis, iusti tamen ad vitam prædestinati exierunt, ad tempus cruciantur, vt purgentur cuius locus omninò determinatus non est, nisi quia multis exemplis, & reuelationibus animarum, in eiusmodi pœna positarum, sæpenumero monstratum est in hoc mũdo illam exerceri: & fortassis probabilius erit, vt in ijs potissimum locis singulæ pœnam sustinere credantur, in quibus culpam commiserunt. Alia verò, si qua sunt harum pœnarum loca, non facilè assignantur.

Richardus Victorinus. 1140.

Tractatu de iudiciaria potestate: Illud non audebit aliquis negare, omnes in exitu animas, vel bonam, vel malam sententiam accipere, vnamquamque vel ad supplicium, vel ad refrigerium ire: sed puniendi quidam atque saluandi, eo ipso, quo puniuntur purgantur. Vnde & ignis ille purgatorius dicitur, per quem in eis peccati rubigo consumitur.

Ad locum 1. Cor. 3. (*Si enim opus arserit:*) Illud pro certò habemus, quòd quilibet malus operarius per ignem purgatorium purgari non possit, nisi de perpetratis malis veraciter pœnituerit. Sola quidem pœnitentia facit, vt malorum perpetratio purgatorio igne consumi atque deleri possit.

Petrus Lombardus. 1140.

Libro 4. dist. 21. A. Christus in Euangelio inquit: *Qui peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.* Ex quo datur intelligi, sicut sancti Doctores tradunt, quòd quædam peccata in futuro dimittentur, si bonis actibus meruerunt in hac vita dimittantur ijs. De illis etiam, qui ædificant ligna, fœnum, stipulam, dicit Augustinus, quod ignem tribulationis transitoriæ inuenient, cremabilia ædificia, quæ secum portauerunt homines, cremantem.

Hugo Eterianus. 1160.

De regressu animarum ab inferis cap. 1. Ponite quæso in cordibus vestris, quid prædicta Deo amabilis societas, Gregorij, Chrysostomi, Ambrosij, Nysseni, Hieronymi, Basilij, Augustini, Ioannis Damasceni, Hyppoliti Martyris, Nili Martyris, Anastasij, Cyrilli, & aliorum, quos sua nomina indicabunt, de humana sentiat anima, quid de pœnitentia, & confessione, quid de morte, quid de resurrectione atque iudicio pronuntiet. Similiter autem quàm constanter asserat, quòd ea, quæ piè defunctis fiunt fidelibus (magis autem salutaris hostiæ immolatio) efficacissimam eisdem medelam præstent, peruigili mente animaduertit.

Cap. 13. Scio plerosque vanis opinionibus deformari, putantes non esse orandum pro mortuis, eo quòd neque Christus, neque Apostoli eius successores hæc scriptis intimauerint. Nesciunt quidem illi plura esse, ac persummè necessaria, quæ sancta Ecclesia frequentat, quorum traditio ex Scripturis non habetur. Nihilo tamen minus ad cultum Dei pertinent, & vigorem maximum obtinent: quæ si contemnantur, eam fidem, quæ per Euangelium claruit, vulnerabant.

Cap. 14. Earum traditionum, quas sine scripto fecit Apostolus, vna est pro defunctis exorare: huiusmodi traditionem non solùm Paulus, sed omnis chorus Apostolorum à primordio Ecclesię cõstituit. Hæc quidem traditio, vsu temporis semper emanans ex longa consuetudine, Ecclesiæ Dei radicitus inhæret. Quamobrem sicut multa Sacramenta sine scriptionis intimatione ipsa obseruat: sic pro fidelibus defunctis, non habens emolumentum Scripturæ nouæ legis, preces iugiter ad Dominum sanctè ac pie ab initio fundit, &c.

Cap. 15. Propterea precor amici ante illam horã leuiora facite onera mea: quia delictum meum non contexero caligne negationis. Effundite preces coram clemente ac misericorde Domino. Exauditurus est certè clamorem vestrum pro me, atque alijs, qui ad pœnas dum migrauimus sempiternas. Quando apud vos in mundo eramus, vt vestris iuuaremur obsequijs vtcunque promeruimus. Non exurimur in ea flamma, in qua diues cruciatur. Nondum chaos magnum nobis obijcitur, nondum regressus obstruitur: præstate auxilia, & offerte pro nobis hostiam redemptionis. Nam talibus suffragijs pœnæ nostræ mitigantur, & tabescunt, locus quietis aperitur, & verum lumen faciei diuinæ, quod erat nobis absconditum, paulisper illucescit.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Epistola ad Arelatensem Episcopum, contra Petrobrusianos. Non solùm viuorum saluti, sed & mortuorum spei inuident, & vniuersorum communes & publici hostes effecti, non tantùm viuos occidere, sed & ipsos mortuos, si possibile esset, rursus extinguere moliuntur. Instant mortalibus, vt citò moriantur: mortuis ne ad vitam respirare audeant, aditum intercludunt, &c. Hoc faciunt

quando

quando altaris sacrificia, oblationes, orationes, eleemosynas, vel reliqua bonorum bona viuorum, bonis mortuis prodesse non posse contendunt, & Ecclesiæ Christi tam celebrem, tam antiquum ab ipso Christo, imò ante Christum ab eius cultoribus obseruatum morem, vniuerso orbe reclamante, contemnunt, &c. Orat Ecclesia pro requie vel gloria membrorum suorum, ad statum vitæ alterius translatorum, & quos fide & charitate ad membra Domini sui pertinere cognoscit, à fructu suorum bonorum operum non excludit. Non excludit eos, imò, vt dignum est, plenissimè admittit: vt sicut abiectos à facie Dei, concordans iustitiæ Dei, à memoria sua abijcit: sicut perfectos coram facie Dei, certa de misericordia Dei, auxilio suo non indigere cognoscit: sic laborantes sub iudicio Dei, confisa diuitijs bonitatis Dei, quibus potest modis iuuare contendit. Habet inde auctoritatem ex verbis Domini Dei sui, à quo per Euangelium audit remitti peccata non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro. Quando enim de blasphemia Spiritus loquens ait:
Matt.12. *Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro*, ostendit veniam quidem peccatorum in hoc seculo semper dignis concedi; remissionem tamen pœnarum, quas peccata exigunt, in futuro seculo aliquando differri. Quæ secundùm nobis occultas dispensationes iustitiæ & misericordiæ Dei pijs operibus bonorum viuorum, aut tempore breuiantur, aut qualitate mitigantur, ad remedium bonorum, seu imperfectorum bonorum. Quos bonos vocaui, quia non excidunt à salute: imperfectos, quia indigent purgatione. Quæ purgatio ab æterna damnatione secernens, aut per occultum Dei iudicium reis illis pro qualitate reatuum exhibetur, aut per inexhaustam eius bonitatem Ecclesiæ sacrificijs, orationibus, eleemosynis, & his similibus recompensatur. Quia manet verax veritatis sententia, remitti peccata, hoc est, pœnam peccatorum, aliquandò in hoc seculo, aliquando in futuro.

Godfridus Monumetensis. 1152.

Libro 12. rerum Britannicarum cap. 13. Ecclesiam in honorem sancti Martini ædificârunt, in qua pro ipso (*defuncto rege*) & fidelibus defunctis diuina celebrantur officia.

Elisabeth Schonaugiensis. 1160.

Libro 2. Visionum cap. 3. Post hæc in die, quo secundùm morem Ecclesiæ fidelium defunctorum communis memoria agebatur, in tempore diuini sacrificij vidi quasi versus Austrum montem excelsum valdè, & iuxta illum vallem profundam horribilem nimis. Erat enim plena atris ignibus, quasi obtectis, & non valentibus emittere flammam in altum. Illic tortores spiritus innumerabiles vidi, & animas potestati illorum traditas, quæ horrendo & flebili modo ab illis concutiebantur, detrahebantur, & supra modum infinitis modis vexabantur: formas quidem nec in his, nec in illis discreui: hoc tantum intellexi, quomodo hi quidem torquebant, illi verò torquebantur, &c.

Stephanus Eduensis. 1170.

De Sacramento altaris cap. 18. Frangitur hostia in tres partes, & diuiditur sanctæ Trinitati dedicata, quarum vna in calicem demissa sanguini immergitur, pro illa parte Ecclesiæ, quæ naufragio huius seculi agitata, multis perturbationibus passionum concutitur. Aliæ duæ extra calicem sunt, pro illis, quarum vna igne examinatur, quæ est fidelium, altera est Sanctorum, quæ cum Christo regnant in æternum. Tunc deuota memoria Christo præsenti, & ad dextram Patris sedenti, & interpellanti pro nobis, pro glorificatis grates referuntur: pro viuis, vt illis ascribi mereantur: pro fidelibus, vt à pœnis citius soluantur.

Guerricus Igniacensis. 1180.

Sermone sexto de Purificatione Mariæ: Et quidem dies, qui ad purgandum nobis dati sunt, velimus nolimus implemus: sed væ nobis, si dies implentur, & purgatio minimè impletur, & postea necesse sit illo nos igne repurgari, quo nihil pœnalius, nihil acrius aut vehementius in hac vita potest excogitari. Sed quis ille tam perfectus, tam sanctus, qui cùm hinc exierit, nihil illi debeat igni, qui sic ad purum omnem in se scoriam excoxerit peccati, vt gloriari possit castum se habere cor?

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 1. in solennitate omnium Sanctorum: Medius exercitus hodie reddit laudes pro exercitu, qui triumphat in cælo; cras fundet preces pro exercitu, qui iacet in purgatorio: pro illo reddit laudes, qui regnat in gloria: pro isto fundit preces, vt euadat à pœna. O quàm rationabilis & salubris est huius obseruantię institutio. Quis enim non libenter reddat laudes indiuiduæ Trinitati pro Sanctis, quorum precibus & meritis nos credimus adiuuari, vt vbi sunt, illic simus & nos? Quis non libenter fundat preces indiuiduæ Trinitati pro mortuis, cùm & ipse sit moriturus: vt alij faciat in hac vita, quod sibi vult fieri post hanc vitam?

In Psalm. 3. Pœnitentialem: Quidam transibunt per ignem, & saluabuntur: alij transibunt ad ignem, & condemnabuntur. Nam *vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit*. Damnabuntur, qui transibunt ad ignem inferni. Ab vtroque igne petit pœnitens liberari, cùm ait: *Domine ne in ira tua arguas me*, &c. Non solùm arguas me in ira tua; sed *neque in tuo furore corripias me*, id est, non punias me in purgatorio igne, in quo tanta erit incendij vehementia, quod quasi furere videberis etiam in electos, cùm minor pœna, quæ erit in purgatorio, censeatur maior quantalibet pœna, quæ est in hoc mundo.

Honorius Tertius. 1217.

Apud Gratianum de Missarum celebratione; capite Cùm creatura: Mandamus, quatenus nullum torporem negligentiæ obrepere vos permittatis, quò minus pro anniuersarijs defunctorum secundùm temporum congruentiam Missarum solennia conuentualiter celebretis.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Libro 2. vita Mariæ Ognacensis cap. 3. Non diu post, cùm in Ferijs Apostolorum Petri & Pauli pro eadem anima deuotè supplicaret, & de eius statu solicita esset, beatissimus Petrus Apostolus ostendit ei animam illam diris purgatorij pœnis affectam, simulque & pœnas ipsas & causas pœnarum indicauit.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Prima partis de Vniuerso parte 1. cap. 60. Quoniam manifestum est in quibusdam animabus multa restare purganda, post mortem corporum suorum, antequam purgationem hîc compleuerint, quæ pœnitentia est secundùm doctrinam Christianam, quòd vel subitò vel improuisa morte rapiuntur, siue per gladium, siue per suffocationem, siue per passionis alicuius vehementiam, quæ citissimè interficit, necesse est restare, vt compleant id, quod restat, & deest de purgatione sua. Quare & locus, vt hæc fiant, necessarius est, & hic est, quem purgatorium dicunt, &c. Peccata quædam leuia sunt, pro quibus infernalia supplicia non debentur. Cum huiusmodi autem peccatis impossibile

ſt euolare in cælum, quare neceſſe eſt iſtam purgationem fieri, & ita in aliquo loco. Hic autem locus eſt, quem quærimus.

Alexander Aleſius. 1230.

Parte 4. queſt. 8. memb. 3. art. 5. Vt anima purgetur igne purgatorio requiritur quòd ignis ille habeat virtutem ſupra naturam, quòd ſit aliquid purgabile in anima, & gratia fidei, qua vitium vel labes animæ purgabilis ſit. Quia niſi eſſet gratia, ignis ille non haberet poteſtatem purgandi. Sed cùm patet de igne inferni, qui licet ſit ex omnibus conflatus, ſolùm poteſt ad pœnam, non ad purgationem: quia gratia cum vitio facit, quod vitium eſt delebile per corporale agens.

Parte 4. queſt. 15. memb. 4. art. 4. Etſi ignis purgatorius non opponatur reatui, tamen in quantum data eſt ſibi ipſi virtus purgandi animas à reliquijs peccati aliquibus, ignis purgatorius & anima ipſa habent quodam modo illud genus oppoſitionis, quæ eſt inter actiuum & paſsiuum. Vnde ignis purgatorius non dicitur purgare pœnam ſiue reatum, ad quem tenetur ex commiſsione peccati, ſed ipſam animam aliquo modo maculatam ex peccato commiſſo. In illo igne citius purgatur vnus quàm alius. Qui enim diutius in peccato permanſit, dignum eſt, vt diutius ſuſtineat pœnam: rurſus qui grauius offendit, dignum eſt, vt puniatur pœna acerbiori, & dilatione patriæ longiori: diuina hoc iuſtitia faciente, quæ omnibus decentiſsimè reddit ſtipendia meritorum.

Albertus Magnus. 1240.

In cap. 1. Lucæ. Infernorum tam hi, qui in Limbo Patrum Chriſtum expectabant, quàm illi, qui in purgatorio continuè purgabantur, per ipſum ſunt à captiuitate reducti.

Hugo Cardinalis. 1240.

Ad cap. 3 prioris ad Corinth. Duo ſunt ignes: vnus purgatorius, qui definit eſſe finita purgatione: in quo pœnæ diuturnitas acerbitate compenſabitur, vt magis puniatur in illo igne, qui maioris pœnæ debitor erit: ſicut è duobus ægrotis in eodem radio ſolis magis læditur vnus quàm alter.

Thomas Aquinas. 1250.

Contra Gentiles lib. 4 cap. 91. Eſt vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo, quæ pro defunctis orat: quæ quidem oratio inutilis eſſet, ſi purgatorium poſt mortem non ponatur. Non enim orat Eccleſia pro his, qui iam ſunt in termino boni vel mali: ſed pro his, qui nondum ad terminum peruenerunt.

In diſputatis quæſtionibus de peccato veniali articulo 11. Remiſsio venialis peccati in purgatorio, quantum ad pœnam, eſt ex parte purgatorij, quia hoc patiendo exoluit quod debet, & ita ceſſat reatus. Sed quantum ad culpam non remittitur per pœnam, ſed ſecundùm quod actus ſuſtinetur, quia non eſt meritoria. Neque ſecundùm quod recogitatur: Non enim eſſet motus charitatis, quòd aliquis deteſtaretur peccatum veniale propter pœnam, ſed magis eſſet motus timoris ſeruilis vel naturalis. Remittitur ergo in purgatorio veniale quantum ad culpam virtute gratiæ.

Ad caput nonum in Apocalypſin: Vna pars, quæ incepit pœnitentiam, & compleuit, huic ſtatim reddetur paradiſus: alia, quæ incœpit, ſed non compleuit, huic debetur purgatorius: alia quæ nec incœpit finaliter, nec compleuit, cui debetur infernus.

Bonauentura. 1260.

Parte 7. Breuiloquij cap. 2. Ignis purgatorius eſt ignis corporalis, quo tantùm ſpiritus iuſtorum, qui in hac vita non impleuerunt pœnitentiam & ſatisfactionem condignam, affliguntur ſecundùm plus & minus, ſecundùm quod plus vel minus de cremabili ſecum ex hac vita traxerunt. Affliguntur autem minus grauiter quàm in inferno, & grauius quàm in hoc mundo: non tamen ita grauiter, quando ſemper ſperent & ſciant, ſe non eſſe in inferno, licet fortè pro pœnarum magnitudine hoc aliquoties non aduertant. Hac autem afflictione ab igne corporali inflicta purgantur ſpiritus à reatibus & ſcorijs, & etiam reliquijs peccatorum, quibus ſufficienter expurgatis, immediatè euolant in gloriam paradiſi.

Ægidius Romanus. 1280.

Tractatu de inferno cap. 11. Præter paradiſum & infernum eſt dare tertium locum, id eſt, purgatorium. Cùm enim multi decedunt cum charitate & gratia: tamen quia non ſufficientem pœnitentiam egerunt in hoc mundo de peccatis ſuis, & quia nullum malum impunitum, ſicut nec bonum irremuneratum, oportet ſic ſe habentes poſt hanc vitam alias pœnas tolerare, & in paradiſum introire, vt ſalui fiant, ſic quaſi per ignem. Non ergo omnes pœnæ purgatoriæ ſunt, vt videtur Plato ſenſiſſe, prout Auguſtinus ei imponit, &c. Dicamus ergo & concludamus, quòd quæcunque mala quis fecerit, dum tamen finaliter in charitate moriatur, in alia vita pœnas purgatorias ſuſtinere poterit: quia fortè non ſufficienter in hac vita egerit de peccatis ſuis.

Guilhelmus Durandus. 1280.

In Rationali diuinorum lib. 4. cap. 45. Hi vocantur quieſcentes in Chriſto, qui in charitate mortui ſunt, habentes tamen aliqua purgabilia, eò quòd non plenè ſatisfecerunt pro peccatis confeſsis, propter quod ad locum purgatorij deſcenderunt. Vbi exiſtentes ſuffragio indigent Eccleſiæ militantis, tamquam non habentes in re pacem & refrigerium gloriæ, licet habeant in certa & infallibili ſpe locum refrigerij, in quo non eſt ardor pœnarum.

Richardus de media Villa. 1290.

In librum 4. Sententiarum diſt. 45. art. 2. Fiunt ſuffragia pro triplici genere animarum ſuis iam receptaculis poſitarum. Primò pro valde bonis, ſecundò pro valde malis: tertiò pro mediocriter bonis, & pro mediocriter malis: quia hęc non faciunt niſi vnum. Si pro valde bonis, tunc eis non proficiunt: quia non indigent. Secundò damnatis non proficiunt, quia non ſunt ligati nobis conglutino charitatis. Tertiò tertijs proſunt, non ad augmentum gratiæ, ſed ad pœnæ mitigationem & abbreuiationem.

Hugo Pratenſis. 1300.

Sermone 95. Præcipuè illos iuuare debemus, qui ſunt in purgatorio, qui inciderunt in manus Domini, & complent ibi pœnitentiam. Iob 19. *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me.* Hos propter quinque iuuare debemus: primum eſt grauitas pœnarum. Ideo valde ſunt culpandi, qui habent teſtamenta diſpenſare, & alia ſuffragia facere, & differunt, cùm propter illa citius ab illis pœnis liberentur. Secundum eſt arctiſsima paupertas, quia paupertati ſuæ ipſi nullo modo conſulere poſſunt, nec laborando, nec mendicando, nec mutuo acquirendo, &c.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad caput 7. Eccleſiaſt. Mortuo ne prohibeas gratiam, ſed magis ſepeli corpus, & ora pro anima eius.

Ad cap. 22. *Super mortuum plora.*) Maximè compatiendum eſt mortuis: quoniam non poſſunt amplius ſe iuuare. Ideo dicit: *Super mortuum plora,* ei miſericorditer exequias impendendo, & pro ipſo orando.

Ad cap.

Ad cap. 3. prioris ad Corinth. Purgatorius ignis idem est cum inferni igne. Sicut enim in eodem igne aurum rutilat, & palea fumat: sic idem ignis purgat electos, & damnat reprobos.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 1. cap. 20. Plus valet hic in pœnitentia dies vnus, quàm in purgatorio annus. Vnde in Ezechiele: *Diem pro anno dedi.* Pœna tamen purgatorij excedit omnem temporalem pœnam huius vitæ. Ezec. 4.

Parte 2. cap. 87. In purgatorio duplex est pœna: vna damni, de carentia diuinæ visionis: alia sensus, de afflictione caloris, aut frigoris, vel pœnæ alterius generis: & quantum ad vtrumque, minor pœna purgatorij maior est quàm maxima pœna huius mundi.

Ioannes Taulerus. 1350.

Dominica 4. post Trinit. Serm. 2. Licet aliqui ex his ad purgatorium deducuntur, eo quòd de diuina vocatione non satis dignè, nec quàm debuissent purè vixerint, (tales enim in purgatorij locis pro ratione culparum coqui, & torreri, & supra quàm dici vel cogitari potest, immensos atque grauissimos cruciatus tolerare oportet) deinde tamen pœnis omnibus perpessis, priores vel mille, vel bis mille gradibus superant in cælis.

In Festo omnium Sanctorum: In purgatorio maiorem pro aliqua terrena delectatione, & vno peccato veniali pœnam luemus, quàm sint omnium illorum Martyrum, quorum hodie festa colimus pœnæ, etiam in vnum conflatæ.

Rupertus Holcotius. 1350.

In lib. Sapientiæ lect. 42. Inter defunctos talis inuenitur differentia. Aliqui rem pro spe lucrantur: aliqui spe & re priuantur: aliqui sub spe rem præstolantur. Primi sunt illi, qui ab omni peccato immunes sunt, & ad nullam pœnam temporalem obnoxij moriuntur. De talibus dicitur Prouerb. 14. *Iustus sperat in morte sua.* Aliqui sunt, qui spe & re priuantur, sicut illi, qui in peccato mortali decedunt. De quibus Prouerb. 11. *Mortuo homine impio nulla erit vltra spes.* Tertij sunt, qui sub spe rem præstolantur, & hi sunt, qui cum peccato veniali, vel cum pœnitentia incompleta decedunt, & ideo ad locum purgationis mittuntur. Istos iuuare suffragijs, & eleemosynis, & operibus pietatis mirabiliter pium est.

Catharina Senensis. 1370.

Tract. primo cap. 43. Animæ damnatorum egrediuntur cum odio atque desperatione: perfectorum verò cum amore, & lumine fidei, & cum vera spe sanguinis & Agni: imperfectorum autem cum misericordia, & cum eadem fide perueniunt ad purgatorium.

Simon de Cassia. 1370.

In Euangel. lib. 8. cap. 23. ad hunc locum: *Qui autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro:* Quis loquendi modus, aut quæ loquendi conditio: *Neque in futuro?* Nam sonare videtur, quòd peccatum aliquod suscipere possit veniam in futuro. Quod si est, quod est illud? Originale, aut veniale, siue mortale? Si autem quod hic non suscipit veniam, neque in futuro suscipiet, superflua est ista negatio: *neque in futuro.* Si peccatum aliquod in futuro remissionem suscipiet, quam hic primò non susceperit, erunt ergo in futuro seculo Sacramenta: ergo iterum militabit, quæ triumphare dicitur Ecclesia. Ergo non vnum erit iudicium, præsens scilicet & futurum, & quod hic non suscipit, alibi suscipiet, &c. Verum est quòd ista in futuro seculo non sunt, licet peccata purgentur, sed purgatio futuri seculi non est remissio. Quia nihil ibi purgatur, nisi quod hic remittitur. Et multa hic remissa sunt dolore præeunte sacramentali mysterio, quæ per interioris doloris abundantiam, corporis actionem, & pœnam purgata non sunt.

Henricus Suso. 1380.

Sermone in Solemnitate Paschali: Quòd si hinc decedens quibusdam maneat culpis obnoxius, ad purgatorij quidem deducetur locum, & ibi omnes illæ ad purum excoquentur.

Thomas VValdensis. 1410.

Parte 3. tit. 11. cap. 107. Pleni sunt libri sacri, & quanto priores in Ecclesia tanto pleniores de hac orationum fide, à sanctis faciendarum in speciali pro viuis & mortuis. Pro quibus impetrandis apud sanctos qui negligit aut contemnit, arbitrans se sibi aut amicis suis sufficere ad orandum, vicinior hic Deo sibi videtur Iuda Macchabæo, qui sacerdotes templi rogabat pro mortuis suis Deum habere propitium.

Ioannes Gerson. 1420.

Epistola de pia memoria defunctorum: Nos debemus libenter pro charis, & omnibus fidelibus defunctis orare: quia hoc est opus summæ charitatis, & misericordiæ. Sicut enim nobis subueniri post mortem desideramus, ita & ijs, quantum melius possumus, Domino opitulante subuenire laboremus.

Alphonsus Tostatus Abulensis. 1430.

Ad cap. 25. Matth. quæst. 681. Non est dubium, quin post mortem maneat purgatio quædam, & ad hoc assignetur locus purgatorius. Et patet primò, quia 2. Machab. 12. dicitur: *Sancta & salubris cogitatio est, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Sed pro defunctis, qui in paradiso sunt, non est orandum: quia non indigent. Etiam pro illis, qui in inferno sunt, non est sanctum orare: quia licet indigeant, non possunt iuuari nostris precibus, cùm à peccatis absolui nequeant, &c. Relinquitur ergo, quod alij sunt, qui in charitate decedant, & in aliquibus peccatis, quibus competat purgatio, & de his intelligitur, quòd à peccatis soluantur mortui orationibus nostris. Item contra iustitiam Dei loquitur, qui purgatorium negat. Nam aliàs manerent aliqua mala impunita, cùm contingeret aliquos in charitate decedentes, aliqua mala adhuc habere, quæ punitione digna sint, & illa manerent impunita, si non esset purgatio post vitam. Ergo poni debet, &c.

Synodus Ferrariensis. 1439.

In literis sanctæ Vnionis: Definimus si verè pœnitentes in Dei gratia decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis & omissis satisfecerint, eorum animas pœnis purgatorij post mortem purgari, & vt ab huiusmodi releuentur prodesse illis fidelium viuorum suffragia, Missarum sacrificia, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri consueuerunt, secundùm Ecclesiæ instituta.

Bernardinus Senensis. 1440.

Tomo 2. Serm. 64. Sabbato in Albis art. 1. cap. 3. Tria sunt genera mortuorum: quidam sunt valde mali, quibus Ecclesiæ suffragia minimè prosunt: quidam valde boni, & talibus suffragia minimè necessaria sunt: quidam non valde mali sunt, qui venialia habent, vel iniunctam pœnitentiam non compleuerunt, & his debetur purgatoria pœna. Ex quo patet, necessariò esse locum, vbi hæc purgatio fiat.

Ioannes de Turrecremata. 1460.

Super Decreto parte 2. de Pœnitentia dist. 7. C. Nullus: Esse purgatorium patet auctoritate vniuersæ Ecclesiæ, quæ orat pro defunctis. Sed pro defunctis, qui sunt in Paradiso, non est orandum: quia

hi nullo modo indigent: nec iterum pro illis, qui sunt in inferno: quia illi à peccatis solui non possunt. Ergo post hanc vitam sunt aliqui, qui à peccatis nondum absoluti, qui solui possunt, & tales charitatem habent, sine qua non fit remissio peccatorum.

Gabriel Bielius. 1480.

Lectione 58. in Canonem: Memento Domine. Duo facit, primò orat pro quibusdam mortuis, secundò pro omnibus in Christo quiescentibus generaliter, &c. Omnes fideles viui & defuncti per charitatem vniti vnius corporis Ecclesiæ membra sunt, licet diuersorum statuum. Membrorum autem eiusdem corporis vnum per aliud constat iuuari posse: Hinc 2. Machab. 12. quòd Iudas Machabæus 12000. drachmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, &c.

Baptista Mantuanus. 1500.

Libro 11. Fastorum in die mortuorum:

Prima dies superos ciues colit, altera manes
Expiat, æternos non qui damnantur ad ignes,
Quos spes nulla fouet, quos nulla piacula soluunt:
Sed quibus est veniale nefas, vel origine ab ipsa,
Vel capitale prius, factum veniale dolendo.
Sunt quos errorum bene pœnitet, atque doloris
Igne coquunt animi maculas, elephantiasimque
Atque cicatrices, isti post fata feruntur
Ad superos: sunt qui scelerum moriantur opacis
Implicitis tenebris, hi sunt qui tartara, & altum
Præcipites Acheronta petunt: exiliter, ægrè,
Frigidè, & insipidè, nec toto pectore quosdam
Pœnitet, hos quamquam Patris clementia in vmbras
Non agat æternas, tamen vt terrena relinquant
Somnia, & antiquos habitus, & inusta malarum
Semina curarum per regna Catartica mittit,
Et quosdam permittit agi tenebrosa per antra
A Stygijs laribus, quosdam transire per ignes
Et per stagna facit, latrinalesque lacunas,
Illudique malis lethæi à manibus Orci,
Acrius ac leuius, meritorum examine facto,
Sicut in Alfonso dictum reminiscimur olim.
His præsens deuota dies, suffragia dantur
His hodie, his crebris lucent altaria flammis,
Et paribus studijs vrbes ac rura parentant,
Februaque exercent, sicut Romana secundo
Mense superstitio Ioue tunc regnante solebat.
Quintuplici verò manes ratione iuuantur.
Prima salus oblata Deo sunt azyma liba,
Et calices, prosunt animis ieiunia, prosunt
Quæ miseris donantur opes, Litanea, precesque.

Synodus Moguntina. 1549.

Cap. 46. Est consentiens Ecclesiæ doctrina, multarum Scripturarum collatione, & euidenti ratione firmata, talem esse quendam medium decedentium statum, qui non mox vt carnem hanc exuerint, aut æternis cruciatibus tradantur, aut ad beata illa Sanctorum consortia admittantur: In quos moderata & mixta clementiæ seueritate vindicat ad tempus is, qui & misericordiæ suæ & tormentorum modum & mensuram nouit. Alioqui, cùm ex ijs, qui peccauerunt, & per pœnitentiam sanantur, alij in hac vita multas aduersitates, alij aut paruas aut nullas experiantur: & cùm multi ex hac vita migrent, à lethalibus quidem criminibus immunes, leuioribus tamen alius alio magis implicatus: quorum tamen nemo, siue ob plura, siue pauciora hæc delicta quotidiana, damnationem æternam sustinebit: Non facilè modus inueniri posset, quomodo Deus (qui est in omnibus & erga omnes iustissimus) non iniustus videretur, si non post hanc vitam per temporales, & non æternas pœnas omnium compensatio expectaretur.

Synodus Tridentina. 1560.

Sess. 6. Can. 30. Si quis post acceptam iustificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, vt nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exuendæ, vel in hoc seculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regnum cælorum aditus patere possit, anathema sit.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Rabbi Simeon: vixit ante natum Christum.

In libro Zohar ad cap. 18. Genesis: *Apparuit ei Dominus, & pluit super Sodomam.*) Hoc lacus aquarum, illud verò ignis. Vtrumque autem est supplicium Gehennæ. Nam qui Gehennæ rei sunt, duobus his supplicijs plectuntur, in quibus duodecim menses perdurant. At Deus sanctus & benedictus, *vbi à peccatorum sordibus purgati sunt, ascendere eos ex eo loco facit*, manentque in ipsa Gehennæ porta & aditu, vbi ostendit eis dignos æterno esse supplicio. Itaque ibi adhuc etiam puniuntur, sed cùm diuinam misericordiam interpellent, postea Deus sanctus & benedictus misericordia flectitur, educitque eos, & ascendere facit in locum illis debitum & congruentem. Ab eo itaque tempore corpus quidem quiescit in terra, animus verò possidet locum sibi aptum & accommodatum.

Ad cap. 47. Genes. *Et vixit Iacob.*) Veni, vide, primis septem diebus anima it de domo ad sepulchrum, rursusque de sepulchro ad domum, propter quam flet & luget, terque in die simul iudicantur: neque vllus est hominum, qui hoc intelligat, neque verò ad id animum aduertere velit: postea corpus separatur, anima verò abit, lauatur, & purgatur in Gehenna, & post duodecim menses vtrique quies contingit. Corpus in puluere relinquitur, anima verò cum spiritu ligatur in exuuijs seu vase, quo induta est. Portio illa animi superior deliciatur in horto voluptatis, animus ascendit ad fasciculum immensæ & infinitæ dulcedinis, at simul omnia alterum cum altero inuicem colligantur, ad tempora Deo nota & constituta.

Ad Exod. cap. 25. vbi de oblationibus: Omnes peccatores, dum adhuc eorum corpora suis omnibus partibus & dimensionibus integra sunt, corpus simul & spiritus iudicio cuique apto, & conuenienti intra sepulchrum iudicantur: absumpto verò corpore, iudicium spiritus cessat. Ac cui exire datum est, exit: cui manere & quiescere, est illi etiam quies: tum quos necesse est sub iustorum pedibus, vt puluerem calcari, & atteri, eorum singulis id fit quod æquum est ac decet.

Apud Rakanati Comment. Leuit. 21. *Dic ad seniores.* Est in Gehenna ima quædam & profunda mansio cæteris omnibus inferior, quæ aliam & ea rursus aliam habet supra se, vocaturque Hiaphtha. Ecquid est Hiaphtha? Duplex seu duplicatum, iuxta illud Exodi: *Quadrangulum erit duplex:* Vbi Chaldæus: *Quadrangulum erit Hif.* Ecce ergo ab Hif ductum hiaphtha, duplicatam rem significat: vocaturque ea mansio infernarum scilicet partium infernus, Scheol Tachthijoth. Tachit vocatur terra subterranea (estque mansio ima) idcirco Seol (qui vnus est locus inferis tellure sub ima) vocatur *Abadon*, de quo scriptum est: Seol & Abadon, &c. Nec verò omnes illæ mansiones duplicatæ sunt, sed hæc vna. Illud etenim traditum est, qui descenderit in Abadon, qui ima tellus, seu infer-

Eccl. 24. Inferiores partes terræ.

nus

nus inferior dicitur, nunquam ascendere. Eiusmodi autem sunt, qui in sempiterno exitio plus cæteris existunt, id est, extremè omnino funditusque perierint. Tum illud accepimus, eò descendere homines, qui in diuinis præceptis negligentes sunt, neque respondent Amen, propter quod pereunt multi: minus considerantes, quanta illos maneant supplicia. Itaque ad eum locum descendunt, qui nullum habet exitum, & portam, nec in æternum ascendunt, ibi pereuntes: de quo scriptum est: *Sicut nubes absumitur, & transit: sic qui descendit in infernum, non ascendet.* Sed quomodo dicitur: *De ventre inferi clamaui, & exaudisti vocem meam?* Rursus: *Deducit ad inferos, & reducit?* Respondeo, Hic quidem infernus, illic verò infernus inferior intelligendus est. Itaque conciliamus vtrumque locum. Hoc quidem conuenit huic, illud non conuenit. Ait porrò Nachman: Scito, & intellige eam, de qua sæpe in Scripturis mentio, animæ excisionem siue exitium magnam spem facere de animorum immortalitate, & mercede ac præmio futuri seculi. Nam quòd sæpe Dominus: *Exscindetur anima ipsa de medio populi sui.* Rursus: *Exscindetur anima ipsa à facie mea:* ostendit & docet eandem ipsam, quæ peccauerit, ob peccatum excindi: reliquas, quæ non peccauerint, apud se in sublimi luce & splendore victuras, ideoque quasi idipsum exponens: *Anima,* inquit, *ipsa, peccatum eius in ea est.* Hoc enim peccatum, quod in ea est, interitum illi & exitium adfert, abscinditque eam (vt ita dicam) ab arbore, à qua ortum suum & propaginem ducit: atque hoc est, quod aiunt Doctores: *De medio populi sui.* Nam populus suus est in pace, & excisio animæ peccatricis cæterarum animarum, quæ non peccârunt, statum, & consistentiam edocet. Hoc tu intellige.

Ad locum Ezechielis 1. *Et ego in medio transmigrationis super fluuio Cobar.* Hic fluuius igneus deriuatur & prorumpit à conspectu Dei, & decies centena millia Angelorum ipsum circumstant. Iudicium sedit, & libri illic aperti sunt Nimirum libri aperiuntur. Et tunc abluuntur animæ in eo flumine igneo à sordibus suis, quibus coinquinatæ fuerant in mundo inferiore.

Menachem Sioni.

In Comment. ad Leuit. cap. 16. *Postquam mortuus est,* &c. Doctores nostri illud Zachariæ explicant in Hagada: *Impij erunt puluis sub plantis pedum iustorum,* &c. Hoc dicere volunt, non omnes eò dignitatis peruenire, vt iustorum plantas contingant, sed qui ex ijs pij & iusti reperiuntur, qui quidem communi sapientium appellatione vocantur Posshe Israel, (*Israelita transgressores*) quibus est pars in futuro seculo. Quod autem ait: *Sub plantis pedum iustorum,* significatur, venturos illos ad mansionem aliquanto inferiorem ea, in qua iusti sunt, vbi non sit eiusmodi dolor, angustia, & cruciatus, qui in ipso aditu atque principio: neque ea voluptas atque deliciæ, in quibus sunt iusti, vbi expectant, & eiulantur, & *postquam pœnas debitas luerint, expurgatique sint, ascendunt ad amœniorem locum, & delicijs abundantem.* Sunt quidam omninò impij, qui in multas generationes, pro vt Deo visum & libitum est, puniuntur. Eos quippe Deus in angustijs, & pœna sine fine constituit. Atque hoc etiam de animæ consistentia & duratione nos edocet, postquam debitam pœnam, id est, duodecim mensium cruciatus pertulerit.

Abdias Sephorni Medicorum princeps.

Pag. 91. Atque ita quidem intelligendum est, quòd quemadmodum impiorum animæ ad sui cruciatum corpore moriente corporeis quibusdam affectionibus & qualitatibus ad tempus induuntur: vt mœrore, siti, fame, anxietate, cæterisque pro earum iniquitate: sic derepente etiam animæ iustorum pereunte corpore salutis quibusdam quasi indumentis vestiuntur, corporeque quodam aërio mundissimo, & limpidissimo circundantur, in quo ad tempus deliciatæ, quò æterni illi luci, & beatitati assuescant, ascendunt sæpius ac descendunt. Non enim ab vno extremo ad alterum subitò ac derepente fit transitus, quemadmodum scribunt Doctores nostri. Disce, omnibus duodecim mensibus earum corpora consistunt, animæ verò ascendunt, & descendunt, idque, quemadmodum scripsit Nachman ad illud: *Et apparuit Dominus Abrahæ in quercu Mambre,* apud arcanorum intelligentes vocatur animæ indumentum. Tractatu de Sabbato capite Soel.

R. Alphesi.

Tractatu Rosch Haschana, id est, de anni principio cap. 1. pag. 116. Tria hominum genera sistentur in iudicio. Perfectè iusti, omninò impij, & mediam sortem tenentes. Primi ad vitam futuri seculi subitò scribuntur, & obsignantur. Secundi perinde etiam ad Gehennam, iuxta Danielis verba: *Multi ex dormientibus,* &c. Medij, quorum paria sunt merita, & demerita, descendunt in Gehennam, ibique expectantes clamant & ascendunt, quemadmodum scriptum est: *Et adduxi tertiam partem ad ignem, ibique expurgaui eos, vt purgatur argentum, & probaui eos, vt probatur aurum.* De ijsdem Anna: *Dominus mortificat, & viuificat; deducit ad inferos, & reducit.*

Ibidem ex sententia domus Hillel: Peccatum eorum, qui præuaricatores Israel dicuntur, quòd descendunt in Gehennam, ibique menses duodecim pœnas luunt, & postea expectantes gemunt, & murmurant, eiulantur, & ascendunt, quemadmodum scriptum est: *Et adduxi tertiam partem ad ignem,* &c. At quorum peccata plura sunt, quàm merita, vt libidinosi, reuelatores pudendorum, etiam eò descendunt, & duodecim menses puniuntur: postea absumptis corporibus, animæ igne torquentur, spiritus spargitur sub pedibus piorum, iuxta illud: *Impij erunt puluis sub plantis pedum vestrorum.* At heretici, & Epicuræi, quique legem Mosis, & resurrectionem mortuorum negant, & cùm peccarent ipsi, multos etiam suo exemplo ad peccandum induxerunt (vt Ieroboam filius Nabath) descendunt in Gehennam, & per infinitas generationes ibi puniuntur, iuxta id quod scriptum est: *Videbunt cadauera hominum, &c.*

Schola Schamai prodidit ac dixit: Tres erunt hominum cœtus in die iudicij. Vnus perfectè iustorum: alter perfectè impiorum: tertius eorum, qui medium locum tenent. Primi ad vitam futuri seculi subitò scripti obsignatique sunt. Omninò impij pari etiam ratione subitò in Gehenna scribuntur & obsignantur, iuxta id, quod in Daniele scriptum est: *Et multi ex dormientibus in terræ puluere resurgent,* &c. Medij verò, quorum peccata & merita paria sunt, & æqua quasi lance penduntur, descendunt in Gehennam, ingemiscunt, eiulantur, tandem ascendunt, iuxta illud: *Et adduxi tertiam partem ad ignem, & purgaui eos, vt purgatur argentum: & probaui eos, vt probatur aurum. Ipse inuocabit in nomine meo, & ego respondebo ei,* &c. De ijsdem etiam Anna: *Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit.*

R. Nisim Alphesi Scholiastes.

Ad caput Rosch Haschana: Tres ordines sistentur in iudicio. Iustissimi, qui virtutum meritis abundant: impijssimi, qui in peccatis excellunt: alij, qui medio modo se habent, pars ad partem. Hi descendunt in Gehennam, eiulantur, gemunt, flent ob suppliciorum magnitudinem, certo tamen tempore postea ascendunt.

Auctor Catenæ Hebræorum in libros Regum.

Ad 1. Regum 2. *Dominus mortificat, & viuificat: deducit ad inferos, & reducit. Mortificat*, nimirum impios: *viuificat*, iustos: *deducit ad inferos* ad certum aliquod ac definitum tempus, postea verò reducit, & ascendere ex eo loco facit. Pedes piorum suorum custodiet à supplicio & tormentis. Impij in tenebris silebunt, vel excinduntur, sub Angelo nimirum, cui nomen est Dumah, ac nullus est, qui manus Domini possit effugere. Hoc enim est, quod sequitur: *Quia non in fortitudine prævalebit vir.*

Ad caput tertium Malachiæ, ad illa verba: *Et adduxi tertiam partem ad ignem, vt purgetur, &c.* Tria sunt hominum genera. Vnum extremè impiorum, alterum omninò iustorum, tertium qui medium locum tenent. Perfectè iusti cùm moriuntur subitò atque momento scribuntur in libro vitæ, & sigillo veluti obsignantur, adducunturque ad hortum voluptatis, id est, vitam futuri seculi, de qua scriptum est: *Quàm multa est bonitas tua, quam abscondisti diligentibus te, oculus non vidit Deus absque te.* Hæc enim est merces, præmiumque iustorum. Impij subitò etiam in Gehennam detruduntur, ibique torquentur. Qui medium tenent locum item ad inferos in morte descendunt, ibi tamen anhelantes eiulantur, expectantque exire ad locum quietis & refrigerij. Summum enim duodecim menses sunt in tormentis, cùm impij in multas generationes torqueantur. Est tamen suum cuique distinctum supplicium & pœna: cuncta verò summa iustitia & æquitate administrantur, iuxta illud: *Deus perfectum opus eius: quoniam omnes viæ eius iustæ. Deus veritatis, & non iniquitatis, iustus & rectus est:* quasi dicat: Quæcunque ille erga creaturas exercet, pœnas nimirum, & supplicia, quod attinet, quòd huic graviora, illi leuiora inferat, omnia cum iustissimè disponere. Ideoque septem sunt mansiones in Gehenna, quemadmodum lib. Sahar hagamul, & in vniuerso Scripturæ corpore est animaduertere.

R. Meir Ben Gabai.

Libro de sacro cultu parte 2. cap. 31. Non est æqualis in Gehenna cruciatus & pœna impiorum, quin vniuscuiusque supplicium ab alterius supplicio diuersum existit, atque vnius quidem est grauius quàm alterius: ideoque in Gehenna, qui est tormentorum locus, septem sunt mansiones, quarum frequens est apud Doctores mentio, quibus septem nomina tribuuntur. Septem sunt (inquit Rabbi Iosue F. Leui) Gehennæ nomina, Fouea, Perditio, Puteus corruptionis, Puteus mugitus, Strepitus siue tumultus, Lutum cœni, Vmbra mortis, Terra inferior. Singulæ solitariæ, & à se inuicem separatæ sunt: quamquam omnes in vniuersum vno Gehennæ nomine censentur, & septem alijs nominibus, quibus fomes seu peccatum originis appellatur, quodammodo respondent: his scilicet, Malum, Immundum, Inimicus, Petra, Scandalum, Præputium, Absconditum.

Auctor libri Iesod Sirim.

Septem sunt mansiones hominum tormentis post mortem destinatæ: corpora quidem absumuntur in sepulchro, animæ verò igne torquentur. Mansio prima vocatur *Puteus*, estque excelso & sublimi loco, infinitis angelis hominum perditoribus vexatoribusque referta, similis prorsus puteo, in quo nullæ sunt aquæ, ac de ea dictum est: *Vox tumultus de ciuitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis.* Hic puniuntur, qui sapientum discipulos contemnunt, qui Dei creaturis maledicunt, & leuibus eiusmodi peccatis inquinantur. Secunda vocatur *Corruptio*, estque ignis subuiridi colore nigricans. Neque enim ibi vlla lux, sed caligo & tenebræ. Hic elati homines, atque superbi, quique in proximorum probris, & contumelijs exultant: qui templum quotidie non frequentant, qui alijs hominibus violentas manus afferunt, qui quempiam probro afficiunt, quique his & similibus alijs alligant se, in has mansione pœnas luunt. Tertia vocatur *Silentium*, vbi plectuntur, qui famam aliorum lædunt, qui sapientiæ nomine tument, voluntque digito monstrarier & dicier, hic est: qui aliorum dicta & facta peiorem in partem accipiunt, qui mutuò dant ad vsuram, qui alios peccare vident, neque corripiunt. Itaque hi, & si qui sunt similes, hic puniuntur. Quarta *Lutum cœni* appellatur: hic sunt inhumani homines & inclementes, qui miseris hominibus, & opem suam implorantibus asperius respondent: qui eos affligunt, & si videant in extremis angustijs constitutos, neque iuuant, neque mutuò dant. Tum hi, qui mercenarij pretium detinent, qui mollitia diffluunt, suumque corpus flagitiosè, ac turpiter polluunt, qui iudiciorum corruptelas moliuntur, qui munera à litigantibus accipiunt. hi & similes etiam hoc loco pœnas dant. Quinta mansio est *Scheol, siue fouea & sepulchrum*, vbi sunt hæretici, Epicuræi, legem diuinam ac mortuorum resurrectionem negantes, de quibus dictum est: *Sicut consumitur nubes & pertransit, sic qui descendit ad inferos non ascendit.* Mansio sexta vocatur *Vmbra mortis*: hic plectuntur adulteri, qui alienum thorum maculant, & eiusmodi sordium amatores. Septima *Inferior terra*: quò qui descenderit, nunquam ascendit. Hic sunt, qui quæ sequuntur scelera admittunt. Homicidæ, qui nullam fecerint pœnitentiam, Idololatræ, negantes resurrectionem, de quibus est apud Malachiam: *Et calcabitis impios, cùm fuerint sub plantis pedum vestrorum.* Item: *Conuertimini, & videbitis inter iustum, & impium: & inter seruientem Deo, & non seruientem ei: Quoniam ecce dies succensa quasi caminus, & erunt omnes alienigenæ, & omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum.* Atque in his omnibus mansionibus ignis noctu, dieque succensus deuorat, & absumit animas impiorum, eorumque omnium, qui vocantur Reschaim. Ac sunt qui duodecim menses, sunt qui septem, sunt qui perpetuò etiam puniantur. Atque hoc est, quod dicitur: *Et videbunt cadauera impiorum, qui preuaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguitur.*

Midras Ecclesiastis.

Ad illud Ecclesiastis: *Et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum:* Simile est hoc cuipiam regi, qui pretiosas vestes inter familiares distribuit. Qui prudentes sunt, eas colligunt, & in vestiarijs seruant: stolidi abeunt, eas induunt, & sordida quæque obeunt ministeria: Rege fortè vestes requirente, prudentes illi nitidas & splendentes producunt: stolidi sordidas & inquinatas. De illis lætatur Rex, his verò succenset. Illis ait: Ponant vestes in thesauris, eantque domum in pace. His verò: Dent vestes meas fullonibus tergendas atque purgandas. Ita Deus sanctus & benedictus de corporibus iustorum ait: *Veniat pax, quiescant in cubilibus suis:* de animabus verò: *Sit anima domini mei ligata in fasciculo viuentium.* De impiorum corporibus: *Non pax, dicit Dominus, impijs*, idem etiam de illorum animis. 1. Reg. 25 Isa. 48.

Auctor libri Abcath Rechel, puluis odoriferus siue pigmentarius.

Pagina 19. Constat profectò eum, qui quamdiu vixit ad carnem corpusque inclinauit, & ter-

renis affectionibus in hoc fictili vase se totum dedit, cùm compage soluta corpore excesserit, non posse derepente medium sublimis illius lucis & splendoris penetrare, neque tantæ claritatis vim radiosque sustinere. Itaque in certa aliqua mansione tempore ei decreto & constituto moratur vsque ad tempus, quo ad domum Dei ascendat, quo finito sursum conscendet, vel delicijs, & suauitate illa perfruatur, totumque illud palatium lustret, & gloriam & decorem maiorem assequatur, quod ille, antequam in hunc mundum descenderet, minimè obtinuerat, vbi eius anima ligata erit in fasciculo viuentium.

Particula 2. lib. 2. Scito gehennam nihil aliud esse, quàm ignem quendam leuem atque subtilem, qui ob miram subtilitatem animas potest exurere. Verùm enimuerò ipsæ animæ (ait Scriptura) omnes ex igne exibunt, atque eas, quæ peccarunt, ignis absumet, atque deuorabit. Hæ namque ad gehennam inferiorem mittuntur, & iuxta iniquitatem suam ibi puniuntur. Est & iusti anima, in qua ex peccato aliquid est sordium relictum, huius spiritus hoc igne lauatur, dealbatur, mundatur, purgatur, innocensque, purus, mundus, & lotus ad locum gehennæ superiorem ascendit, non aliter vt qui seipsum aqua purgat & abluit, quo mundus fit. Est & alius, qui perinde vt expeditus aliquis viator iter suum conficit, ita ille ignem pertransit, ad hortumque voluptatis, qui in terra est, peruenit: cumque id assecutus fit, vt ad fasciculum viuentium colligi (vt ita dicam) & alligari debeat: perinde etiam velut cursu quodam citus veloxque hunc ignem transit, in quo lauatur & purgatur, vt sic ligetur in fasciculo viuentium. Certè enim animæ lotio atque purgatio nulla alia quàm per ignem existit.

Rabuenaki.

Ad illud Psalm. *Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem?* Non est iustus in terra, qui non peccet, & cogatur descendere ad inferos, vt abstergat & purget sordes transgressionum, quas admisit, donec purgetur, & mundetur, ascendatque ad locum quietis suæ.

Glossa recondita.

Ad illud Genes. 18. *Et apparuit Dominus:* Gehenna inferior illis Israelitis destinata est, qui non receperunt pactum circumcisionis, nec Deo sancto crediderunt. Sunt autem eiusmodi Idolorum cultores, & qui Sabbatum non custodierunt. Hi enim igne puniuntur, iuxta illud: *De igne exibunt, & ignis absumet eos.* Gehenna superior ijsdem Israelitis, qui legis præcepta violarunt, neque per pœnitentiam conuersi sunt, qui foras pelluntur, donec debitas pœnas receperint, euntque, & totum orbem circumeunt, iuxta illud: *In circuitu impij ambulant.* Ibi ergo pœnas luunt duodecim mensibus: postea verò cum his commorantur, qui pœnas etiam receperunt quisque loco sibi congruenti. Impij verò idololatræ igne & aquis iugiter torquentur, neque inde ascendunt. Iuxta illud: *Et ignis eorum non extinguetur.*

R. Ioseph Albo.

Libro Habikarim, Oratione 4. cap. 34. pag. 151. Pœna hæc, quam diximus siue corpus ipsum, siue animam simul cum corpore, siue solam eam attingere, pro singulorum hominum statu, & conditione diuersa variaque existit. Nam in quo partim bona, partim mala existunt, fieri nequit, vt in maximis istis, quos diximus, cruciatibus æternum torqueantur. Erit enim tempus, quo supplicium istud & tormenta finiantur. Nempe cùm praua illa peccandi assuetudo detersa, & perpetua quasi obliuione fuerit obtrita, ac iuxta Doctorum nostrorum sententiam (quorum memoria sit in benedictione) tempus illud duodecim mensium erit, ac post duodecim menses continuos, quibus durauit pœna, &c.

R. Isaac Abuhab.

In Lucerna lucis conclusione 1. part. 2. cap. 2. Qui libidinis impulsu, quasique coacti à praua concupiscentia peccauerunt, non est eis omnimoda perditio, exitiumque decretum, sed pœna quædam temporaria, qua eorum peccata purgentur, quoad animus mundetur, & dealbetur, redeatque ad locum suum. Ac de ijs quidem dicunt Doctores: Descendunt in Gehennam, ibique cruciantur duodecim menses, quo finito tempore, corpus quidem absumitur, animus verò adhuc etiam igne torquetur, spiritus spargitur sub plantis pedum iustorum: quasi hoc dicerent Magistri: Detineri eorum animas in Gehenna, quòd sint praua desideria sectati, vt ibi pœnas luant, debitisque supplicijs expurgentur, & post expurgationem redeant ad gradum quendam mansionemque aliquanto inferiorem ea, in qua sunt animæ subliniores. Quocirca optimum est carnem corpusque in hoc mundo affligere, macerare, atque in hac vita, quæ velut vmbra transit, ita expurgare, vt delicijs æternis, verisque illis voluptatibus perfruatur.

R. Moses Almosini.

Lib. Thefila Lemose: *Dicite iusto, quoniam bene:* recipiet enim mercedem iuxta opera sua. Atque hoc est, quod ait: *Fructum operum suorum comedent.* Atqui impijs contra accidet. Nam propria cuiusque iniquitas eatenus de eo pœnas sumet, quatenus in hoc mundo impiè vixit. Retributio manuum suarum fiet ei, id est, id, quo seipsum condemnauit, opusque illud, quod sibi veluti circumdedit, tribuetur ei in altero seculo: par pari. Nam si multum deliquit, multum etiam punietur. Postea tamen veniet ad requiem suam.

Doctrinale Hierosolymitanum.

Tractatu Chaguiga: Quod ex summorum virorum sententia dixi, discipulos sapientium ire in Gehennam: hoc illis commodo est, nempe vt animas suas, quasi vestes, quas in feruentis aquæ caldare conijcimus, crebrisque ac continuis ictibus tundimus, & emundamus, vt mundæ, candidæ, & nitentes, ita eas ab omnibus sordibus expurgent: sic anima sapientis discipuli, qui peccauit, postquam ex eo igne egressa sit, ab omni sorde & scoria munda, & pura relinquitur, nitentibus certè ac radiantibus oculis splendens, ob diuinæ legis documenta, quæ in hac vita didicit, quod aliter accidit plebeio & idiotæ, qui ad Gehennam non descendit, nisi vt de admissis peccatis crucietur: quamquam & hic etiam, postquam ex Gehenna egressus sit, ob illius fœderis pactum & meritum, quod pepigit Abraham pater noster, in loco quodam solitario & separato relinquitur, gradu tamen & conditione ab ea, in qua sunt sapientis discipuli, multò inferiore.

Baba Meziha.

Cap. Hazahab: Dixit Rabbi Chanina: Omnes descendunt in Gehennam, tribus tantùm exceptis. An omnes putas? certè: sed ita id intelligi volo: omnes, qui descendunt, rursus ascendunt, præter tres, qui descendunt, & non ascendunt: nempe hi, qui alienas vxores corrumpunt, qui expallescere faciunt, & probro afficiunt proximos suos, qui de ijsdem malam famam spargunt.

In Glossemate eiusdem capitis. Præter tres, qui descendunt, & non ascendunt.) Non ita accipiendum est, vt in perpetuum negentur ascendere, eò quòd mox sequatur: Qui alienas vxores corrumpunt, non habent partem in seculo venturo, quin

potius in hanc sententiam: Omnis qui descendit, subitò ascendit, vt quibus ignis ille gehennæ minimè dominetur, præter tres, qui scilicet non ascendunt illicò. Sunt enim quidam, qui perpetuò cruciantur, vt qui præsentibus multis alium expallescere facit. Sunt qui post duodecim menses ascendunt, quod spatium ijs maximè, qui de gente Israëlitica sunt, decretum est. Sunt qui duodecim istis mensibus exactis nec puniuntur, nec in vita felici sunt: sed sic manent, nec in bonis, nec in malis. Hæretici autem, Epicuræi, & idololatræ in perpetuis cruciatibus existunt, in generationes & generationes. De quibus illud capite Rosch Haschana, id est, de anni principio scriptis proditum legimus: Absumetur citius Gehenna, quàm isti absumantur.

Nedarim.

Orat. quòd septem res ante mundum extiterint, quarum duæ paradisus voluptatis & gehenna: In gehenna pro mensura factorum, seu multo, seu exiguo tempore puniuntur.

Chleck.

Ad illud Esaiæ: *Ideo dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum.* Ait Res Lakis: *Dilatauit infernus animam suam*, libeli chok, id est ei, qui vel vnum etiam præceptum prætermiserit. Ait Rabbi Iochanan: Non placet id ipsi Domino, vt ita de eo sentias, & tam seuerum iudices. Imò ita accipiendum putamus: *Dilatat infernus os* libeli chok, id est ei, qui ne vnum quidem præceptum impleuerit. Interpretes verò cæteri: Qui vel vnum præceptum soluerit, hic scilicet cruciatur in gehenna, donec de vno expietur.

R. Bachaye.

Ad cap. 4. Deuteronomij. Ita Magistri in Deuterosi docuerunt: Tres hominum cœtus iudicio sistentur. Vnus perfectè iustorum, alter omninò impiorum, tertius eorum qui medij sunt. Perfectè iusti protinus scribuntur, & obsignantur ad vitam futuri seculi. Secundi ad Gehennam, quemadmodum Daniel ait: *Multi ex dormientibus in terra puluere euigilabunt, hi ad vitam æternam, hi ad opprobrium sempiternum.* En disce, victuros esse impios: at viuificatio illa illis cedet in malum. Damnabuntur enim corpore & animo in gehenna, qui locus est in terra cum septem mansionibus. *Ibique addit:* Qui medium inter impios & iustos locum tenent, clamant & ascendunt: At quorum scelera plura, quàm merita existunt, omninoque hi, qui scelerati Israëlitæ dicuntur, eò descendunt, & duodecim menses puniuntur, postea eorum corpore absumpto, animus igne torquetur, spiritus spargitur sub plantis iustorum. Vbi quòd ait corpus absumi, ostendit eos corpore & animo in Gehennam descendere.

Rabuenaki.

In Psalm. 49. *Vt oues ad occisionem positi sunt, mors depascet eos, & dominabuntur eis recti in matutino, & figura eorum ad absumendum infernum ex domicilio eius. Sed Dominus redimet animam meam de manu inferi: quoniam assumet me Sela.*) Mors, id est, Angelus mortis. *Figura eorum ad absumendum infernum*, id est, impiorum effigies ipsum infernum absumet, quasi dicat: Gehenna citius peribit, quàm ipsi perire possint. Ait autem Psaltes: *Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi*, quasi dicat, Redimet & seruabit me, ne eò descendam, atque adeò, si ob admissum peccatum eò venero, ipse pro sua misericordia post aliquod tempus liberabit me, quoniam me ad se suscipiet.

In Psalm. 94. *Vt silere facias eum à diebus mali.* Nam huiusmodi, pœnæ & animaduersiones causæ sunt, quo multum temporis de cruciatu gehennę remittatur. *Quoniam ad iustitiam redibit iudicium:* quoniam afflictiones, & ærumnæ, in quibus sunt, eum fructum illis afferunt, vt in vijs & actionibus suis iustificentur. Exactis verò & finitis tormentis, quæ pro admissis sceleribus perpessi sunt, omnes recti corde simul congregabuntur, vt ferant præmium suum.

Autor libri Schem Tob, id est, nomen bonum.

Tractatu 5. de Pœnitentia: *Quoniam omne opus adducet Deus in iudicium.*) Sunt qui pro suis quisque iniquitatibus iudicantur & puniuntur per multas generationes: cuiusmodi sunt hæretici, & Epicuræi, quique suo exemplo multos ad peccandum inducunt, & omni pudore deposito palam peccare non verentur: vt qui impudenter contra veritatem & conscientiam legi contradicit. Hi omnes descendunt in puteum corruptionis, & pro mensura scelerum ibi puniuntur. Sunt etiam, qui postquam pro meritis pœnas luerint, vt iumenta exscinduntur ac pereunt, de quibus illud dicitur: *Animæ eorum igne vruntur, spiritus verò spargitur sub plantis pedum iustorum.* Sunt qui ad finem vsque integri anni puniuntur, postea aliquantò superius ascendunt, & habitant inter iustos. Ac de his quidem ait Anna: *Deducit ad inferos, & reducit.* Væ autem illi, qui plus corpori, quàm animæ indulget. Est ergo ei, qui potis est facere pœnitentiam, ponderandum, locum esse pœnæ & supplicijs destinatum, & ita redeat ad Dominum toto corde.

Isaac Harama.

Ad illud Genes. *Et vixit Sara:* Tractatu de Sabbato ad calcem scriptum legimus his verbis: Totis duodecim mensibus corpus persistit ac permanet: anima verò ascendit & descendit. Post duodecim menses corpus quidem absumitur, & perit, anima verò ascendit, nec amplius descendit: sed in eiusmodi statibus licet magis ac minus reperire. Est aliquis, cuius anima magis adhærescit, & alligata est corpori, quàm alterius: hæc ægrè à corpore soluitur. Nam ea puritate, qua ornatam esse oportuit, destituta, moram trahat necesse est, ac minus facilè, & expeditè ad suum domicilium & habitaculum redeat. Ideo ascendere & descendere cogitur per certa temporum interualla, continua & velocissima quadam agitatione exercita, quo ad quidem vltimò tandem pura ascendit, nec amplius addit vt descendat. Quod certè mysterium innui & obsignari videtur ijs, quæ de corui & columbæ ex arca emissione legimus. Nam ij dies, quibus inclusi tenebantur, antequam emissi sunt, proportione quadam illis respondent, quibus anima hominis est in medio huius corporeæ arcis. Nam & coruus immundum animal impios homines significat. Hic enim est, qui egrediebatur & reuertebatur. At columba auis est munda, ideoque iustorum hominum symbolum existit. Atque hoc est, quod dicimus in nostris precationibus: Deus animam mundam, quam dedisti mihi, fac talem tibi restituam.

Ad 21. cap. Leuit. Tres sunt ordines eorum, qui ad iudicium veniunt: Omninò iusti, omninò impij, & medij. Primi de die illo lætantur. Iuxta illud: *Gaudium iusto facere iudicium;* additque Psaltes: *Et iusti latabuntur, & exultabunt coram Deo.* Omnino autem nomen Elohim Iudicem vbique significat. Impij contrario modo se habent. Iuxta illud: *Angustia operantibus iniquitatem.* Rursus: *Vt liquefit cera à facie ignis, ita peribunt impij à facie iudicis.* De medijs dicitur: *Et exultate cum tremore.*

R. Dauid Kimhi.

In Psalm. 32. Quamquam intelligeret Dauid, ob maximum peccatum pœnam sibi infligi, eamque recepisset in hac vita: adhuc tamen de eo anxius

& so-

& solicitus erat, essetne peccatum omninò abstersum atque deletum in hac vita, anne etiam in futuro seculo poenam aliquam purgatoriam deberet sustinere?

Auctor Scholiorum Beth Ioseph.

Ad Iore deha, vbi de vltimo Legis precepto: Annis singulis anniuersario die mortis patris ieiunandum est, precesque illæ *Sanctus Sanctus, &c.* recitandæ. Quòd si annus bissextilis est, primo quidem anno primo mense Adar ieiunabitur, & preces recitabuntur: sequentibus verò annis, secundo Adar (in quem cadit Bissextus): cuius ratio inde sumi videtur, quòd finis primi anni pertingit finem duodecim mensium, iuxta illud vulgatum: Duodecim menses durat supplicium impiorum Israelitarum in Gehenna. Postea enim ascendunt: Menses semper, non annum dicunt. Idcirco duodecim menses numeramus.

Auctor libri Dinim, quem Mahasir vocant.

Requiescat anima eius in cubili suo in pace, iaceat in pace, dormiat in pace, donec veniat consolator, qui pacem audire faciat. Patres æterni, qui dormitis in Hebron, portas horti Eden aperite illi, portas paradisi patefacite illi, atque pacem aduentui illius denuntiate: Custodes Thesaurorum horti Eden patefacite ei portas horti Eden, & ingrediatur N. paradisum, fruaturque fructibus paradisi: expetenda sint ab eius dextra, dulcia à sinistra. Hoc audias ô Domine, eique dicas: in pace esto aduentus tuus.

Precatio alia, quam vocant Hasthabo.

Requies firma in superna habitatione, sub alis numinis in gradu Sanctorum & puerorum, tamquam splendor firmamenti, &c. Pars denique bona in vitam venturi seculi, ibi sit portio, tectum, & habitatio celebris animæ sapientis huius. Spiritus Domini quiescere faciat eum in horto Eden, & fociertur ei pax, & quiescat in cubilibus suis, ambulans ante ipsam, ac omnes defuncti Israelis, ipsius misericordia ac propitiatione.

Precatio alia.

Memor sit Deus animarum eorum, & colligat eas in paradiso cum Abraham, Isaac, & Iacob, & alijs Sanctis.

Ioannes Isaac.

In Institutionibus linguæ Hebraicæ impressis Colonia 1553. Iudæi se felices arbitrantur, cùm filium, cuius opera possint ab inferno liberari, procreauerint. Die Sabbati Iudæi in Synagogis pro omnibus, qui constantes in fide sua Iudaica occisi, vel combusti, vel submersi sunt hoc modo orant: Meminerit Deus animæ illorum, qui occisi sunt in ciuitate N. propter consacrificationem Dei, cum anima Abrahæ, Isaac, & Iacob, propterea quòd tradiderunt animam suam morti vel supplicio propter consecrationem Dei. Deinde reducunt in memoriam annos illorum, qui dederunt aurum vel argentum pro pauperibus, vel qui dederunt oleum ad lampades, vel qui aliquando boni aliquid Iudæis præstiterunt, hoc modo: Meminerit Deus animæ N. cum anima Abraham, Isaac, & Iacob, qui dedit viginti aureos in vsum pauperum: pro hac mercede sit anima illius ligata in fasciculo viuentium cum cæteris pijs in Paradiso.

(*.*)

ASSERVNT ETIAM ADVERSARIORUM QUIDAM.

Mahometus.

In Alcorano Azoara 5. Ignem Gehennæ non nisi numero dierum præterminato sentient, & ad diem veritatis quilibet accedens, operum suorum mercedem accipiet, Deo iudice nociuo nemini.

Azoara 17. Inter hos quidem & illos in quodam quasi limite sublimi stabunt quidam, discretè scientes horum, & illorum facies, qui nequaquam paradisum ingredientes, sed illud sperando exspectantes, paradiso visis inquient: Saluet vos Deus oculos suos deuergendo. Illis verò apud inferos dicent: Nonne valuit vobis numerus vester ad resistendum? Tu Deus nunquam nos malis illis associa. Dicent illi: Ecce quibus Deus non mandauit misericordiam suam: sed vos confidenter paradisum intrate, nihil timentes.

Azoara 29. Sciendum quidem neminem esse, qui non ad ignem, quoniam hoc Deus mandauit, proficiscatur, vbi corporaliter etiam increduli perseuerabunt: timentes autem Deum saluabuntur.

Azoara 46. Tunc viri paradisi, mulieresque suæ, similiter de nullis soliciti, puluinaribus sericis accubituri, de fructibus omnibus in vmbra comedent, omne sibi placitum insuper accepturi, verbum salutis & diuinæ pietatis alternatim audient. Increduli vero repellentur illinc. O filij Adæ nonne vobis mandaui, ne Diabolum vestrum hostem sequeremini, sed in me rectam sequendo viam crederetis? Quoniam per ipsum aberrastis, & indiscreti perseuerastis, en hic est infernus, quem vobis nuntiamus. Hodie scietis vos incredulos extitisse, hodie vobis ora vestra sigillabo, manusque nostræ vobiscum sequentur, & pedes erunt testes operum vestrorum. Si vellemus, oculos vestros clauderemus, ne purgatorium ignem transeundum videretis.

Turcæ moderni.

Ioannes Antonius Menauinus de legibus & religione Turcarum partis 2. *cap.* 2. *de Xenodochijs Turcarum:* Quod illi ea de causa fieri curârunt, vt in hospitali ex peregrinis conueniant, eoque gaudeant beneficio, & pro ipsorum defunctorum animis sumptis epulis orent.

Cap. 19. *de sepultura Turcarum:* A sepultura sacerdotes in defuncti ædes reuertuntur, vbi conuiuio lautè apparato, dictis prius pro defuncti anima precibus, se exhilarant, & singuli quinos à defuncti amicis asprос accipiunt.

Martinus Lutherus.

Disputatione habita Lipsiæ cum Eckio, capite de Purgatorio: Ego credo fortiter, imò ausim dicere, scio esse purgatorium, facilè persuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem: quemadmodum illud Matthæi 12. inducit Gregorius in Dialogo: *Non remittetur hoc peccatum neque in hoc seculo, nec in futuro.* Admitto & illud 2. Machab. 12. *Sancta & salubris est cogitatio orare pro defunctis:* sed hoc volo, quòd in vniuersa Scriptura non habeatur memoria purgatorij, quæ possit stare & conuincere, &c. Ego nihil de purgatorio noui, nisi animas ibi pati, curandas orationibus & operibus nostris: paratus humiliter doceri, si quæ plura de ipso possunt tradi, &c. Hæc omnia sic volo dixisse, vt ostendam me ignarum esse eorum, quæ in purgatorio

agat Deus: nimis eos audere, qui huius ignorantiæ impatientes, potius fingere volunt sua, quàm confiteri se ignorare. Meà probare non possum, sed nec illi sua. Quare rectè mea conclusio id tantùm voluit, esse nec Scripturis, nec rationibus probatum, animas certas esse saltem omnes de salute sua, & gratiam in eis non augeri. Sufficit, quòd scimus eas pati, & nos debere ijs succurrere, cætera Deo relinquenda soli.

Ego beatissimos Patres de numero Theologistarum non facio, qui Purgatorium cum ipsis confiteor.

In Resolutionibus de Indulgentijs conclusione 15. Nihil de igne & loco purgatorij loquor: non quòd ea negem, sed quòd alia est illa disputatio, nec à me nunc instituta. Deinde quòd nesciam, vbi sit locus purgatorij: licet beatus Thomas illum sub terra esse putet. Ego verò interea cum beato Augustino remaneo, scilicet, quòd receptacula animarum abdita sint & remota à nostra cognitione. Quæ ideò dico, ne Pigardus hæreticus in me sibi videatur obtinuisse, purgatorium non esse, quia locum eius ignotum esse confiteor: Aut ideo Romanam Ecclesiam errare, quia opinionem beatæ Thomæ non explodit. Mihi certissimum est, purgatorium esse. Nec multum me mouet quid blaterent hæretici, quando iam mille & plus centum anni sunt, quòd beatus Augustinus in suarum Confessionum libro 9. pro matre, & patre suo orat, & orandum petit. Et eadem sancta mater eius moriens (vt ibi scribit) memoriam sui optauerit ad altare Domini. Sed & à beato Ambrosio id factum narrat. Quòd si etiam tempore Apostolorum non fuisset purgatorium (vt superbit fastidiosus Pigardus) nunquid ideo credendum est hæretico, vix quinquaginta annos nuper nato, & fidem tot seculorum falsam fuisse contendendum? Maximè cùm ipse nihil aliud faciat, quàm quòd dicit, non credo: & sic probauit omnia sua, & improbauit omnia nostra, quasi non & lignum & lapis non credant.

Conclusione 16. Cùm in cælo credamus regnare pacem, gaudium, & securitatem in luce Dei: In inferno verò contra seruire desperationem, dolorem, & horribilem fugam in tenebris exterioribus: Purgatorium verò sit medium inter vtrunque, sic tamen, vt propius sit inferno, quàm cælo, (quia non habent gaudium & pacem, imò nihil de cælo participant: cùm ponatur esse eadem pœna cum inferno, sola duratione differente,) satis patet, quòd & in ipso sit desperatio, fuga, horror, & dolor, &c.

Conclusione 17. Nos sentimus animas in Purgatorio non propter solam pœnam, imò propter defectum charitatis laborare in pœna, quia hic noluerant laborare ad perfectionem.

Conclusione 19. Nos quia credimus nullam in Purgatorium venire, nisi sit de numero saluandorum, certi sumus de beatitudine illarum, sicut certi sumus de electorum salute, &c. Etiamsi animæ, quæ sunt in purgatorio, non optarent orationes, tamen nostrum est earum labori condolere, & succurrere oratione, sicuti quibuslibet alijs, quantumlibet fortiter patientibus, &c.

Philippus Melanchthon.

In Apologia Augustanæ Confessionis artic. 22. Orationes pro defunctis nullo modo prohibemus, & multò minus ab hæretico Aërio stamus.

Georgius Princeps Anhaldinus, Præpositus Magdeburg.

Concione 3. *super Psal.* 16. *de sepultura Christi*: Non est à Christiana alienum pietate, quòd ijs, qui obdormierunt, æternam requiem & beatitudinem optamus & precamur, quemadmodum Ecclesia toto animi affectu illam eis optat, & loquitur: *O Domine dona eis æternam requiem, & lux perpetua luceat eis, & animæ omnium fidelium defunctorum requiescant in pace.*

Vrbanus Regius.

Libro de formulis cautè loquendi capite de Sanctorum cultu: Ego data opera coniungo Sanctos, de quorum salute testatur Scriptura, & reliquos, quos etiam speramus in fide Christi obdormijsse. Nam & ipsi, si in Domino obdormierunt, Sancti sunt. Horum certè memoria semper in Ecclesia religiosè celebrata fuit. Quare vir Dei Doctor Martinus Lutherus, in æternum obseruandus, præceptor noster, non putat à Christiana pietate alienum esse, si pro nostris defunctis semel atque iterum ex libera deuotione orauerimus. Charitas enim Christiana mirè efficax virtus est, nec se continet, quin & pro viuis & pro defunctis sit solicita, ita vt membra nostra, ex hoc seculo emigrantia, pia prece commendet Christo Domino. Erat hæc olim, & nunc est in Ecclesia Catholica memoria defunctorum, quæ euidens testimonium est charitatis & fidei de gloriosa carnis resurrectione: & cùm sit fidei fructus, quæ per charitatem operatur, nemo eam reijciet, nisi Epicuræus & Sadducæus. Eiusmodi memoriam defunctorum celebrauit vetus Ecclesia, vt est apud Orthodoxos, à quorum sententia recedere non est tutum, &c.

ARTI-

ARTICVLVS SEXTVS.

EXTREMAM VNCTIONEM ESSE QVINTVM NOVÆ LEGIS SACRAMENTVM, ET GRATIAM CONFERRE.

Anno post natū Christū

NEGANT.

600. A*RMENII negant Sacramentum extremæ Vnctionis.* Guido hæresi Armeniorum 21.

1160. *VValdenses dicunt, quòd extrema Vnctio sit Sacramentum maledictionis, non benedictionis.* Guido de VValdensibus.

1200. *Albigenses dicunt, extremæ Vnctionis Sacramentum nihil esse.* Antoninus 4. parte Summæ titulo 11. cap. 7. §. 5.

1315. *Lollardi Sacramentum extremæ Vnctionis irridebant, interrogati super eo quid sentirent, responderunt, nos credimus, quòd olera, quanto fuerint plus oleo condita, tanto sint meliora.* Trithemius in Chronico Hirsaugiensis de anno 1315.

1350. *Flagellantes nullum Sacramentum extremæ Vnctionis agnoscunt.* Bernardus Lutzemburg. de hæresibus.

1390. *Ioannes VVicleuus,* lib. 4. Trialogi cap. 25. *contendit hoc Sacramentum neque à Christo, neque ab Apostolis institutum, & propterea non esse verè Sacramentum.*

1430. *Thaborita de extrema Vnctione nihil sentiunt.* Æneas Syluius epistola 130.

1520. Martinus Lutherus in captiuitate Babylonica capite de extrema Vnctione: *Si vspiam deliratum est, hoc loco præcipuè deliratum est. Omitto enim quod hanc epistolam non esse Iacobi, nec Apostolico spiritu dignam multi probabiliter asserant, licet consuetudine auctoritatem cuiuscunque obtinuerit. Tametsi etiam esset Apostoli Iacobi, dicerem non licere Apostolum sua auctoritate Sacramentum instituere, id est, diuinam promissionem cum adiuncto signo dare.*

1540. Philippus Melanchthon in Locis communibus, capite de extrema Vnctione: *Ritus vnctionis qui nunc est, tantùm est superstitiosa cæremonia, & accessit mortuorum inuocatio, quæ est impia. Ideo vnctio illa cum suis appendicibus reijcienda est.*

1550. Ioannes Caluinus lib. 4. Institut. cap. 19. §. 18. *Tertium fictitium Sacramentum est extrema Vnctio. Eiusdem rationis est ista vnctio, cuius est manuum impositio, nempe histrionica hypocrisis &c. Vt maximè demus vnctionem Sacramentum fuisse earum virtutum, quæ tum per manus Apostolorum administrabantur: nihil nunc ad nos pertinet, quibus virtutum administratio commissa non est.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Marci 6. *Vers.* 12. Et exeuntes (*Apostoli*) prædicabant vt pœnitentiam agerent: & dæmonia multa eijciebant, & vngebant oleo multos ægros, & sanabant.

Iacobi 5. 14. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Origenes. 230.

Homilia 2. in Leuiticum: Est adhuc septima, licet dura & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lauat peccator lachrymis stratum suum, & non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum, & quærere medicinam, secundùm
Psal. 32. eum, qui ait: *Dixi, pronuntiabo aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti impietatem cordis mei.* In
Iacob. 5. quo impletur & illud: *Si quis infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiæ, & imponant ei manus, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & si in peccatis fuerit, remittentur ei.*

Concilium Nicænum Primum. 325.

Canone 69. Arabico: Transacto anno debet sacerdos benedicere aquam & oleum, non sicut fit in baptismo, neque sicut benedicitur Chrisma, sed sicut oleum infirmorum.

Digitized by Google

Ephram. 380.

De vita spirituali ad Monachum nouitium cap. 75. Si charitatis officio perfungens, oleo ægrotantem inungis, fac oculos, manus, linguamque custodias, ne in vllo temperantiæ ac modestiæ fines transgrediaris. Hoc enim deposcit pietas.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Lib. 3. *de Sacerdotio:* Sacerdotes non solùm cùm nos regenerant, sed postea habent potestatem indulgendi peccata. *Infirmatur quis*, inquit Apostolus, *ex vobis? Accersat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum.*

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De adoratione in spiritu libro 6. Tu verò, si quā tibi pars corporis dolet, & verè credis hæc verba, *Dominus Sabaoth*, & alias huiusmodi appellationes, quas Deo, qui secundùm naturam est, diuina Scriptura tribuit, vim habere putas pellendi malum illud, pro te ipso preces fundens, hæc verba pronuntia: sic enim rectius, quàm illi facies, neque impuris spiritibus, sed Deo gloriam tribues. Commemorabo etenim diuinitus inspiratam Scripturam, quæ ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.*

Victor Antiochenus. 460.

Ad cap. 6. Marci: *Vngebant oleo multos ægros.*) His similia exponit Lucas quoque. Verùm quod de mystica vnctione, & olei vsu hic subiungitur, hoc inter Euangelistas solus Marcus commemorat. Interim quæ Apostolus Iacobus in sua Canonica narrat, ab his non dissentiunt. Scribit enim: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo*, &c. Oleum autem inter alia & laborum molestias mitigat, & lumen fouet, & hilaritatem conciliat. Oleum igitur, quod in sacra vnctione adhibetur, & Dei misericordiam, & morbi sanationem, & cordis illuminationem denotat. Dici tamen potest, orationem hæc omnia efficere, oleum autem eorum omnium, quæ fiunt, externum tantùm symbolum esse.

Eustathius Presbyter. 600.

Oratione de S. Eutychio: Qui cùm pro illis ægrotis precatus esset, ambos vnxit oleo sancto, &c. Hæc verba cunctis ægrotantibus, qui ad se accedebant, solitus erat adhibere, quemadmodum & D. Iacobus præcepit: *Infirmatur quis in vobis? vocet Ecclesiæ presbyteros, & orent super eum, vngentes eum oleo, & oratio fidei saluabit infirmum.*

Theostericlus. 830.

Oratione in S. Nicetam: Erat quidam frater, quem diabolus ad amentiam vsque impulit. Id beatus Nicetas molestè ferens, nos hortatus est, vt ad vesperam vsque ieiunaremus: deinde post perfectum diuinum ministerium, accepit vir sanctus fratrem illum, & super eum precatus est, cumque oleo sancto, & vnguentis eum vnxisset, rursus in priorem statum eum restituit, cùm prudentem & mentis compotem eum reddidisset.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 6. *Marci:* Quòd vnxerint oleo Apostoli solus Marcus narrat, quod & frater Domini Iacobus in Catholica epistola dicit: *Infirmatur quis inter vos? Aduocet presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo*, &c. Est igitur oleum & ad labores vtile, & lucis fomentum, & hilaritatis effectiuum, significatque misericordiam Dei, & gratiam Spiritus, per quam à labore liberamur, & lucem, & gaudium, hilaritatemque spiritualem accipimus.

Simeon Metaphrastes. 970.

In Commentario rerum gestarum à S. Iacobo Apostolo: Eos, qui sunt sereno & tranquillo animo, docet, vt se muniant oratione: eos, qui ægrotant, vt oleo vtantur, cum oratione sacerdotis ad vnctionem, & id habeant pro morbi medicina: vtpote quòd oratio, cui opera ferunt auxilium, maxima possit efficere.

In vita S. Parthenij: Alium autem quendam, nomine Lesbum, ex insula Oa duxerunt ad hominem Dei. Qui quidem à pedibus ad caput vsque erat totus vlceratus, à leproso nihil differens: eum oleo vngens, & precans tribus diebus, sanum remisit ad suos, &c. Quodam die ingressus Martyrium, quod Achilas dicitur, inuenit illic hominem quendam iacentem omninò aridum: cuius misertus, cùm oleum petijsset, flexis genibus cum lachrymis orauit pro ipso benignum & clementem Deum, & cùm deinde surrexisset à precatione, sensim & paulatim eum sancto oleo molliens, protinus & ipsa hora fecit eum sanum surgere, & iussit eum suis pedibus ad suos redire Deum glorificantem.

Euthymius. 1080.

Ad caput 6. Marci: *Vngebant oleo multos infirmos, & curabant.*) De vnctione olei solus Marcus loquitur. Admonet autem & hoc Iacobus Apostolus in epistola sua Catholica, dicens: *AEgrotat quis inter vos? Asciscat seniores Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit laborantem, & eriget eum Dominus.* Verisimile autem est, etiam Dominum docuisse Apostolos. Erat autem oleum signum hilaritatis, & alacritatis animæ.

Nicolaus Cabasilas. 1370.

De Liturgia cap. 29. Peccatorum quoque remissio pœnitentibus datur per orationem sacerdotum, & vltimum olei Sacramentum: similiter perficit sacerdotum oratio, quòd etiam corporalis morbi medelam, & peccatorum remissionem dat ijs, quibus peragitur, vt habet Apostolica traditio: *Infirmatur quis in vobis?* inquit, *accersat presbyteros Ecclesiæ, & orent pro ipso, vngentes eum oleo, & oratio fidei seruabit laborantem.*

Georgius Pachymerius. 1300.

Ecclesiastica Historia lib. 11. Michael Andronici filius ex desperato morbo sancto oleo recreatur.

Græcorum Euchologion. 1536.

Cap. 98. Canon consolationis in peccatoris confessione, quod etiam fit in administranda extrema Vnctione.

Græci Venetijs agentes. 1576.

Responsione 12. Quot, & quænam sunt Sacramenta? *Respons.* Sunt omnino septem: nimirum Baptismus, Vnctio, Communio, Manuum impositio, Coniugium, Pœnitentia, & Oleum sacrum.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Responsione 1. *cap.* 7. *enumerans extremam Vnctionem inter septem Sacramenta:* Sacrum verò oleum, *inquit*, & hoc nobis traditum, & ipsum est diuinum Sacramentum, diuinæ nobis misericordiæ typum repræsentans, quod in redemptionem & sanctificationem illis, qui à peccatis conuertuntur, conferri solet, & ex multis infirmitatibus nos subleuat, eosque, qui illo dignè vtuntur, sanctificat.

(*⁎*)

ASSERVNT PATRES LATINI.

Ambrosius. 370.

In Missali: *Benedictio olei ad vngendum tam infirmos, quàm Catechumenos:* Deus, qui studio salutis humanæ creaturis tuis vim benedictionis indidisti, vt ad animarum nostrarum sanctificationis vtilitatem creaturarum etiam corporalium ministerio nostris salus temporibus tribueretur, infunde sanctificationem tuam huic oleo, vt ab his, quæ vnxerit membra, fugatis insidijs aduersariæ potestatis, susceptione præsentis olei sancti Spiritus gratia salutaris debilitationem expellat, & plenam conferat sospitatem, in nomine Domini nostri Iesu Christi.

Hieronymus. 390.

Ad cap. 14. Osea Sanctum virum & conuersum ad Dominum oliuæ fructiferæ comparat, quæ dicit alio loco: *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei:* Psal. 51. cuius fructum sibi quinque sapientes virgines parauerunt, ex quo vulnerum mitigatur tumor, languentia membra quiescunt, in tenebris lumen accenditur, vnguntur in agone certantes.

In vita Hilarionis: Constantiæ sanctæ fœminæ generum & filiam Hilarion vnctione olei morte liberauerat, &c. Vniuersi agricolæ & pastores à venenatis animalibus & serpentibus percussi, ad Hilarionem confugerunt, quo benedicto oleo vulnera tangente certam salutem resumebant.

Augustinus. 400.

Sermone 215. de Tempore: Quoties aliqua infirmitas superuenerit, corpus & sanguinem Christi ille, qui ægrotat, accipiat, & inde corpusculum suum vngat, & illud quod scriptum est impleatur in eo:
Iacob. 5. *Infirmatur aliquis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo. & oratio fidei saluabit infirmum.* Videte, fratres, quia qui in infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit, & corporis sanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere.

In Tractatu de rectitudine Catholicæ conuersationis: Quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quærantur præcantatores, non diuini, non sortilegi, non caraij: neque per fontes, aut arbores, aut biuta phylacteria exerceantur: sed qui ægrotat, in sola Dei misericordia confidat, & Eucharistiam cum fide & deuotione accipiat, oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, vnde corpus suum
Iacob. 5. vngatur, &, secundùm Apostolum, *oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit eum Dominus:* non solùm corporis, sed & animæ sanitatem accipiet.

Libro 2. de visitatione infirmorum cap. 4. Nec prætermittendum est illud Apostoli Iacobi præceptum: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, vt orent super eum, vngentes eum oleo sancto, in nomine Iesu, & oratio fidei saluabit infirmum.* Ergo sic roges de te, & pro te fieri, sicut dixit Apostolus Iacobus, immò per Apostolum suum Dominus: ipsa videlicet olei sacrati delibutio intelligitur Spiritus sancti typicalis vnctio. Illud etiam viuificum Dominici corporis supplementum suscipere, fili mi, non renuas: quin potius illud auidissimè quæras, fideliter comedas, cibus ille incomparabilis viaticum tibi erit saluberrimum.

In Speculo, in Præfat. Quis ignorat in Scripturis sanctis, id est, legitimis, Propheticis Euangelicis, & Apostolicis, auctoritate Canonica præditis, quædam sic esse posita, vt tantum scirentur, & crederentur: quædam verò sic esse iussa, vt obseruarentur & fierent, vel prohibita ne fierent? Horum autem quæ iubendo & vetando scripta sunt, alia sunt sacramentorum velata mysterijs, quæ multa veteris Testamenti populo illi facienda mandata sunt: neque à populo Christiano nunc fiunt, sed tantummodò intelligenda requiruntur, & tractantur. Alia verò etiam nunc facienda sunt, si facienda præcepta sunt: nec facienda, si prohibita. De his igitur, quæ ita sunt posita in sacris literis vel iubendo, vel vetando, vel sinendo, vt etiam nunc, id est, tempore noui Testamenti ad vitam piam exercendam moresque pertineant, hoc opus, quod in manus sumpsi, componere aggressus sum, vt quantum me Deus adiuuat, omnia talia de Canonicis libris colligam, atque vt facilè inspici possint, in vnum tamquam speculum congeram. *Cùm itaque Augustinus paulo ante finem Speculi sui adferat ex beato Iacobi epistola, inter cæteras ponit & istam:* Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, &c.

Innocentius Primus. 406.

Epistola 1. ad Decentium Eugubinum cap. 8. Sanè quoniam de hoc, sicut de cæteris, consulere voluit dilectio tua, adiecit etiam filius meus Cælestinus Diaconus in epistola sua, esse à tua dilectione positum illud, quod in B. Iacobi Apostoli epistola conscriptum est: *Si infirmus aliquis in vobis est, vocet presbyteros, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit laborantem, & suscitabit illum Dominus: & si peccata fecit, remittet ei.* Quod nō est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solùm sacerdotibus, sed omnibus vti Christianis licet, in sua aut suorum necessitate ad vngendum. Cæterùm illud superfluum videmus adiectum, vt de Episcopo ambigatur, quòd presbyteris licere dubium non est. Nam idcirco de presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus alijs impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterùm, si Episcopus aut potest, aut dignum ducit, aliquem à se visitandum, & benedicere & tangere Chrismate, sine cunctatione potest, cuius est ipsum Chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi? Iacob.

Fortunatus Pictauiensis. 550.

Vita S. Germani Parisiensis cap. 16. Mulier quædam nomine Fauonia in vrbe Parisiaca per nouem dies percipiens nihil præter pulticulam, ore aperto hians, sancto viro oblata est. Hæc velut ferro opposito nulla lege poterat iungere dentes aut labia. Quā in oratorio sacro perungens oleo, palpato vndique capite, sine tarditate sanitati restituit.

Cap. 25. In pago Parisiaco vico nouo res gesta est. Quidam enim in eodem loco impetu lupi rabidi laceratus, & extra sensum effectus, beato sacerdoti est miserabiliter oblatus. Hic ad illa suæ artis recurrens suffragia, mox brachio olei benedicti liquore circumlito, & sacris digitis medicabiliter attrectato, pestis illa, quæ viscera dolore grassante peruaserat, loca fugit obsessa, iamque putredine resoluta. Sicque vigori pristino restituto, sine cunctatione, velut experrecto de sopore, dolor omnis recessit, mens redijt.

Gregorius Turonensis. 580.

Libro 6. Historiæ Francorum cap. 7. Hospitius apprehensa manu cæsarie, attraxit caput illius (*surdi & muti*) in fenestram: assumptoque oleo benedictione sanctificato, tenens manu sinistra linguam eius, ori verticique capitis infudit, dicens: In no-

mine Domini mei Iesu Christi aperiantur aures tuæ, reseretque os tuum virtus illa, quæ quondam ab homine surdo & muto noxium eiecit dæmonium. Et hæc dicens, interrogat nomen. Ille verò clara voce ait, sic dicor. Cùm hæc vidisset Diaconus, Gratias tibi, inquit, immensas refero Christe, qui talia per seruum tuum dignaris ostendere.

Gregorius Magnus. 590.

Libro Sacramentorum de Feria 5. in Cœna Domini: *Benedictio olei:* Emitte Domine Spiritum sanctum paracletum de cælis in hanc pinguedinem oliuæ, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem corporis, vt tua sancta benedictione sit omni vnguentum tangenti tutamentum mentis & corporis, ad eleuandos omnes dolores, omnesque infirmitates, omnem ægritudinem corporis, vnde vnxisti reges, Prophetas, Martyres, Chrisma tuum perfectū Domini, à te benedictum, permanens in visceribus nostris, in nomine Domini nostri Iesu Christi.

Theodorus Cantuariensis. 650.

In Pœnitentiali: Pœnitentiæ modum sibi à suo confessore impositum diligenter obseruent: & ideo secundum Canonicam auctoritatem, ne illis ianua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus Ecclesiasticis sacra cum vnctione olei animati, secundum statuta sanctorum Patrum Communione viatici reficiantur. *Vide apud Iuonem & Gratianum.*

Beda 700.

Ad cap. 6. Marci super ea verba: *Dæmonia multa eijciebant, & vngebant oleo multos ægrotos, & sanabantur.* Dicit Apostolus Iacobus: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super ipsum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & si in peccatis fuerit, dimittentur ei.* Vnde patet, ab ipsis Apostolis hunc sanctum Ecclesiæ morem esse traditum, vt energumeni, vel alij quilibet ægroti vngantur oleo Pontificali benedictione consecrato.

Ad cap. 8. Lucæ: Quidam vicinus mihi presbyter retulit, se quandam sanctimonialem fœminam à dæmonio curare cœpisse, sed quandiu res latebat, nihil apud eam proficere potuisse, confesso autem quo molestabatur phantasmate, mox & ipsum orationibus, cæterisque, quæ oportebat, purificationum generibus effugasse, & eiusdem fœminæ corpus ab vlceribus, quæ dæmonis tactu contraxerat, medicinali studio, adiuncto sale benedicto curasse. Sed dum vnum de vlceribus, quod alterius lateri infixum repererat, nullatenus posset, quin continuò panderetur, obducere, ab eadem ipsa, quam sanare volebat, consilium quo sanaretur accepisse. Si, inquit, oleum pro infirmis consecratum eidem medicamento asperseris, sicque me perunxeris, statim sanitati restituar. Nam vidi quendam per spiritum, in quadam longius posita ciuitate, quam nunquam corporalibus oculis vidi, puellam quandam pari calamitate laborantem, taliter à sacerdote curatam. Fecit vt illa suggesserat, statimque vlcus remedium, quod ante respuerat, accipere consensit.

In cap. 5. Iacobi: *Vngentes eum oleo, &c.* Hoc & Apostolos fecisse in Euangelio legimus, & nunc Ecclesiæ consuetudo tenet, vt infirmi oleo consecrato vngantur à presbyteris, & oratione comitante sanentur. Nec solùm presbyteris, sed, vt Innocentius Papa scribit, etiam omnibus Christianis, vti licet eodem oleo in sua, aut suorum necessitate vngendo: quod tamen oleum non nisi ab Episcopo licet confici. Nam quod ait: *Oleo in nomine Domini*, significat oleum consecratum in nomine Domini: vel certè, quia etiam cum vngunt infirmum, nomen Domini super eum inuocare debent. *Et si in peccatis sit, dimittentur ei.*) Multi propter peccata in anima facta infirmitate aut etiam morte plectuntur corporis. Vnde Apostolus Corinthijs, qui corpus Domini percipere indignè soliti erant, ait: *Ideò inter vos multi imbecilles & infirmi sunt, & dormiunt multi.* Si ergo infirmi in peccatis sint, & hæc presbyteris Ecclesiæ confessi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare sategerint, dimittentur ei. Neque enim sine confessione emendationis peccata queunt dimitti.

Alcuinus. 750.

De diuinis officijs cap. 40. de infirmis: Iacobus Apostolus dixit: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, &c.* Quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo perungi possunt, quod ab Episcopo confectum est, non solum sacerdotibus, sed omnibus vti Christianis in sua aut suorum necessitate ad vngendum, &c. Hac auctoritate promulgata, quotiescunque fidelis infirmatur, ingrediuntur fratres ad ægrotum cum aqua benedicta, & cum cereis sine incenso, ante oleum sanctum, & peragunt omnia, sicut in Sacramentorum libro continentur.

Carolus Magnus. 780.

Lib. 1. Legum cap. 161. Vt presbyter in Cœna Domini duas ampullas secum deferat, vnam ad Chrisma, alteram ad oleum ad Catechumenos inungendum, vel infirmos, iuxta sententiam Apostolicam: *Vt quando quis infirmatur, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini.*

Libro 6. cap. 75. Si infirmitate depressus quis fuerit vitam sine communione non finiat, nec vnctione sacrati olei careat, & si finem perspiciat, sacrosancto corpore Deo anima eius à sacerdote precibus commendetur.

Cap. 176. Omnes presbyteri oleum infirmorum ab Episcopo expetant, secumque habeant, & moneant fideles infirmos illud exquirere, vt eodem oleo peruncti à presbyteris gratia Dei sanentur, quia oratio fidei saluabit infirmos.

Haymo. 800.

Homilia de Feria 5. Pentecostes: *Vngebant oleo multos ægros, & sanabantur.* Dicit D. Iacobus: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, &c.* Vnde patet ab ipsis Apostolis hunc sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum, vt pontificali benedictione consecrato oleo perungatur ægrotus.

Concilium Cabilonense Secundum. 813.

Cap. 48. Secundùm B. Iacobi Apostoli documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopo benedicitur, à presbyteris vngi debent. Sic enim ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo, &c.* Non itaque paruipendenda est eiusmodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus.

Amalarius Treuirensis. 830.

De officijs Ecclesiasticis lib. 1. cap. 12. Consecratur oleum infirmorum in ipso officio consecrationis corporis & sanguinis Domini. Non habet proprium officium, id est, nec in capite verba salutationis, nec *Oremus*, nec in fine concluditur, vt cæteræ orationes: *Per Dominum nostrum Iesum Christum*, sed tantum: *In nomine Domini nostri Iesu Christi.* In eo loco, vbi solemus vuas benedicere, ibi consecratur oleum pro infirmo, concluditurque conclusione: *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas.*

Synodus

Synodus Moguntina sub Rabano. 834.

Cap.26. Infirmi secundùm Canonicam auctoritatem orationibus & consolationibus Ecclesiasticis sacra cum vnctione Dei armati, secundùm statuta sanctorum Patrum communione viatici reficiantur.

Concilium Meldense. 845.

Apud Burchardum lib.4. cap.75. Presbyter in Cœna Domini ampullas tres secum deferat, vnam ad Chrisma, alteram ad oleum ad catechumenos inūgendos, tertiam ad infirmos: iuxta sententiam Apostolicam: *Vt quando quis infirmatur, inducat presbyteros Ecclesiæ,* &c.

Paschasius Rathbertus. 880.

De corpore & sanguine Domini cap.8. Secundùm Apostolum, cùm aliquis infirmatur, prius adhibenda est confesio peccati, deinde oratio plurimorum, post sanctificatio vnctionis: quia impossibile est per medicinam sanari vllius artis, quem diuina vltio premit.

In vita Adelhardi Abbatis: Interea cùm cœpisset idem sanctus Episcopus à nobis percontari, vtrum benedictionis oleo, sicut à B. Apostolo sancitum est, deberet perungi, interrogauimus eum: vtrúmne vellet, quem procul dubio scieramus peccatorum oneribus non detineri. Quod ille audiens, erectis in cælum oculis, cominus obsecrabat vt fieret. Quid putas tunc sanctus agebat animus? Dicebat: *Nunc dimittis seruum tuum Domine*, quia percepi omnia mysterij tui Sacramenta.

Regino Prumiensis. 910.

Libro 1. de disciplina Ecclesiastica cap.115. Vnguntur infirmi, postquam ab onere peccatorum per confessionem liberati sunt, circa pectus & scapulas.

Burchardus VVormatiensis. 1020.

Admonitione 21. Infirmos visitate, & eos reciliate, & iuxta Apostolum oleo sancto vngite.

Osbertus Anglus. 1020.

Vita S. Dunstani cap.11. Ne tu (*Inquit religiosa matrona ad Dunstanum Episcopum*) de discessu meo doleas: quia non pœna infernalis, sed gloria me suscipiet regni cælestis: tantùm precor, vt cras mane ad me venias, & mihi cum Sacramento sacræ inunctionis viaticum Dominici tradas corporis.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone 1. in Dedicatione Ecclesiæ: Tertium Sacramentum est Vnctio infirmorum. Infirmantibus nobis, & vsque ad mortem mortali peccatorum febre languentibus, spiritus pietatis assistit, & recordatus est, quoniam puluis sumus. Ait enim D. Iacobus: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum,* &c. Solennis vnctio, liquor excellens, quo sanitas redditur, peccatum dimittitur, immittitur timor Domini. Videsne qualiter sacerdotalis manus infirmantis corpus alleuiet, & illecebrosam sensuum motionem sacratissima mitiget vnctione? Vnde & sancti Patres hanc vnctionem Sacramentum esse sanxerunt.

Anselmus. 1080.

In Elucidario: Quid valet vnctio olei infirmis? Peccata confessa & non iterata, vel quotidiana per hanc vnctionem relaxantur, vt dicitur: *Qui in peccatis est, dimittentur ei.* Si de peccato pœnitentiam non egit, ista vnctio non solùm ei nihil prodest, sed etiam multum obest.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epist. 257. Iam à longo tempore audiuimus languorem tuum, &c. Vnctionem, quam semel accepisti, non æstimo repetendam: quia secundùm institutum Apostolicæ Sedis, genus est Sacramenti. Qui autem Sacramenta Christi & Ecclesiæ repetit, iniuriam ipsis Sacramentis ingerit. Vnctio enim infirmorum publicè pœnitentiæ est Sacramentum, quàm non esse repetendam, sicut nec Baptismum, testatur Augustinus, testatur Ambrosius, &c.

Rupertus Tuitiensis. 1110.

De diuinis officijs lib.5. cap.18. In eo loco, vbi solemus vuas benedicere, consecratur oleum pro infirmis, concluditurq; conclusione: *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas,* &c.

Vita S. Hereberti cap.29. Cùm igitur vrgente atque ingrauescente molestia vexaretur, properè Coloniam mittens, Abbatem Heliam accersiuit. Quo veniente, ipse, secundùm præceptum Apostoli, sacro est vnctus oleo in nomine Domini, pariterq; corporis & sanguinis Domini Sacramentis munitus.

Gulielmus Malmesberiensis. 1110.

De gestis Anglorum lib.1. cap.47. Beda sentiens adesse finem vitæ suæ, accitis fratribus, communicat, & inungitur, & osculatur cunctos, & sui memoriam commendat singulis.

Hugo Victorinus. 1120.

De Sacramentis libro 2. parte 15. capite 1. Tria sunt genera olei sancti: primum est oleum vnctionis: secundum est oleum principalis Chrismatis: tertium est, quod dicitur oleum infirmorum.

Cap.2. Sacramentum vnctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur. Iacobus enim Apostolus ait: *Infirmatur quis,* &c. In quo ostenditur duplici ex causa Sacramentum hoc institutum esse, & ad peccatorum remissionem, & ad corporalis infirmitatis alleuationem.

Bernardus. 1130.

In vita S. Malachiæ Episcopi cap.31. Habitabat vir nobilis in vicinia Benchorensis Monasterij: Cuius vxor cùm infirmaretur ad mortem, rogatus Malachias vt descenderet priusquam moreretur, infirmam vncturus oleo: descendit, & intrauit ad eam. Quo viso exultat illa, spe animata salutis. Et cùm pararet vngere eam, visum est omnibus differendum potius vsque mane. Erat enim vespera. Acquieuit enim Malachias, & data benedictione super ægram, exiuit cum his, qui secum erant. At verò post modicū subitò clamor factus est, planctus & strepitus multus per totam domum: siquidem insonuit, quòd mortua esset. Accurrit Malachias tumultu audito, & secuti sunt eum discipuli eius: & accedens ad lectum, vt certò comperit expirasse, consternatus est animo, sibi imputans, quòd fraudata gratia Sacramenti obierit. Et eleuatis in cælum manibus: Obsecro Domine, inquit, insipienter egi. Ego, ego peccaui, qui distuli: non ista, quæ voluit. Hæc dicens, contestatus est in audientia omnium, nullam se recepturum consolationem, nullam daturum requiem spiritui suo, nisi quam tulerat liceret restituere gratiam. Et stans super eam tota nocte laborabat in gemitu suo, & pro oleo sancto, largo imbre lachrymarum perfundens mortuam, vicem illi vnctionis, quam poterat, exhibebat. Ipse quidem sic. Ad suos autem: *Vigilate,* inquit, *& orate.* Itaque in psalmis illi, ille in lachrymis, noctem duxerunt peruigilem. Et mane facto, exaudiuit Dominus Sanctum suum: quia spiritus Domini erat postulans pro eo, qui postulat pro sanctis gemitibus inenarrabilibus. Quid plura? Aperuit oculos, quæ fuerat mortua, & vt solent, qui de graui somno euigilant, fricans sibi manibus frontem & tempora super lectum se erigit, & agnito Malachia, inclinans deuotè salutat eum, & verso luctu in gaudium, stupor ap-

prehendit omnes, & qui viderunt, & qui audierunt. Sed & Malachias gratias agens, benedixit Dominum. Et vnxit eam nihilominus, sciens in hoc Sacramento remitti peccata, & quòd oratio fidei saluet infirmum.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib.4.dist.23. Præter præmissa est etiam aliud Sacramentum, scilicet Vnctio infirmorum, quæ fit in extremis oleo per Episcopum consecrato, &c. Hoc Sacramentum Vnctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur. Ait enim Iacobus: *Infirmatur quis in vobis?* &c. Ostenditur duplici de causa Sacramentum hoc institutum, scilicet ad peccatorum remissionem, & ad corporalis infirmitatis alleuiationem. Vnde constat eum, qui hanc vnctionem fideliter deuoteque percipit, & in corpore, & in anima alleuiari: si tamen expedit, vt in vtroque alleuietur. Quòd si fortè corporis valetudinem illi habere non expedit, illam, quæ est animæ, sanitatem in hoc Sacramento acquirit. Et sicut in alijs Sacramentis, ita & in isto, aliud est Sacramentum, aliud res Sacramenti. Sacramentum est ipsa vnctio exterior: res Sacramenti vnctio interior, quæ peccatorum remissione, & virtutum ampliatione perficitur. Etsi ex contemptu, vel negligentia Sacramentum hoc prætermittitur, periculosum est & damnabile.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Libro 6. epistola 1. Iterari, prout mihi videtur, necesse est infirmorum vnctionem: quia iterari necessarium est peccatorum, propter quam fit illa vnctio, remissionem. Istud indicant & ipsa verba
Iacob.5. hoc præcipientis Apostoli: *Infirmatur quis in vobis?* &c. Cùm igitur certum sit, causam vnctionis hanc esse, vt oratio fidei saluet infirmum, vt alleuet eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittantur ei, cur non iterabitur vnctio præcedente vnctionis causa? Nam si æger post semel redditam sanitatem nunquam deinceps in morbum incideret, si nunquam post primam vnctionem in peccata corrueret, fateor quòd nunquam deinceps vnctionem iam dictam iterari fas esset. Quòd si rursum infirmatus fuerit, si rursum peccauerit, quæ ratio, vt rursum alleuiatur, vt rursum ei peccata dimittantur, denuò eum inungi prohibebit?

Radenicus Frisingensis. 1160.

De gestis Friderici Imper. libro 4. capite 11. Otto Frisingensis Episcopus lecto cubans, de obitu suo nequaquam dubius, cùm sacro liquore olei, sicut moris est, perunctus fuisset, de pecunia sua laudabile testamentum ordinauit.

Alexander Tertius. 1170.

Ad Carnotensem Episcopum libro 5. titulo 4. capite 14. Sacerdos vno præsente clerico, aut etiam solus potest infirmum vngere.

Ad Anatenensem Episcopum: In torneamentis occisus, si corpus Dominicum susceperit, & sacri fuerit olei inunctione perunctus, Ecclesiastica sepultura non est priuandus.

Odo Parisiensis Episcopus. 1175.

In statutis Synodalibus cap. 11. Cum reuerentia deferatur oleum sanctum ad infirmos, & eos vngant sacerdotes cum magno honore, & orationum celebritate, quæ ad hoc sunt ordinatæ, & nihil inde penitus exigatur, siue à paupere siue à diuite. Sed si quid gratis datum fuerit, gratis accipiant. Ad Sacramentum extremæ Vnctionis moneant populum Sacerdotes, non tantùm diuites & senes, sed pauperes & iuuenes omnes, à tempore discretionis, maximè à quatuordecim annis & supra, & ad omnes communiter, vt se paratos exhibeant, cùm necesse fuerit. Doceant frequenter populum, huiusmodi Sacramentum licitè iterari, & sæpe recipi: scilicet in qualibet magna infirmate, vnde metus est mortis.

Stephanus Eduensis. 1180.

Præfatione in librum de Sacramento altaris: Olei vnctione figuratur operatio diuinæ misericordiæ. Oleum enim sanat, reficit, & supernatat: Dei misericordia contritos sanat, contritiones alligat, esurientes pane indeficiente reficit & satiat, & iudicio superexaltat. Hoc modo in Ecclesiasticis Sacramentis, Spiritu sancto cooperante, inuisibiliter operatur gratia septiformis.

Helmoldus Presbyter. 1180.

Libro 1. Chronicorum cap. 44. Ludolphus venerabilis sacerdos ætate decrepitus, vigore spiritus integer, vbi ægritudine mortali decubuit, misit ad accersendos sacerdotes & religiosos quosque, impetrato sacræ vnctionis officio, conquestus est, &c.

Cap. 95. Cùm fratres Geroldi consummationis finem imminere viderent, impenderunt ei sacræ Vnctionis officium, sicque Sacramentis salutaribus communitus, illucescente die cum tenebris noctis corruptibilem carnis sarcinam deposuit.

Innocentius Tertius. 1200.

Extra. lib.1. tit.5. de Sacra Vnctione cap. Cùm venisset: Duæ sunt species vnctionis. Exterior, quæ materialis est, & visibilis: & interior, quæ spiritualis est, & inuisibilis. Exteriore visibiliter insignitur corpus: interiori inuisibiliter insignitur cor. De prima Iacobus Apostolus ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum.* De secunda Ioannes Apostolus ait: *Vos vnctionem accepistis ab eo, quæ maneat in vobis. Et non necesse habetis, vt aliquis vos doceat, sed vnctio vos docet de omnibus, ita facietis.* Vnctio visibilis, & exterior signum est interioris & inuisibilis vnctionis. Vnctio verò inuisibilis & interior non solùm est signum, sed etiam Sacramentum: quia si dignè sumitur, vel agit, vel auget absque dubio quod significat. Ad exhibendum autem exteriorem & visibilem vnctionem benedicitur oleum, quod dicitur Catechumenorum, vel infirmorum, & conficitur Chrisma, quod ex oleo fit, & balsamo mystica ratione. Iacob.5.

Cæsarius Heisterbachius. 1220.

Lib.8. cap.77. Magister Ioannes Decanus Aquensis, cùm Scholaris esset, tam grauiter tempore quodam infirmatus est, vt confessus & inunctus, nihil ei nisi mors superesse videretur.

Guillermus Brito. 1220.

Duodecimo Phillippidos:

Cumq; oleo sancto quasi iam moriturus inunctus,
Iuxta quem Iacobi commendat epistola ritum,
Stramine supposito morientum more iaceret,
Visio cælestis confortat taliter illum, &c.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Vitæ Mariæ Oegniacensis lib.2. cap.5. Quando Vnctionis extremæ Sacramentum ipsa præsente ægroti percipiebant, illa Christum cum Sanctorum millibus adesse sentiebat, ægrotumque illum misericorditer corroborantem, dæmones expellentem, animam purgantem, seque, dum membra eius vngerentur, quasi in lumine per totum corpus diffundentem.

Edmundus Cantuariensis. 1230.

In Speculo Ecclesiæ cap.14. Septimum Sacramentum est extrema Vnctio, quod alleuat infirmos in periculo mortis à pœna corporali & spirituali. Et ideo postquam accepit aliquis sacram vnctionem,

nem, magis debet esse assiduus in diuina contemplatione.

Vincentius Burgundus. 1240.

In Speculo historiali libro 30. cap. 133. Antonius Monachus facta confessione, & absolutione accepta, cum Vnctione extrema sub Psalmorum cantu expirauit.

Thomas Aquinas. 1250.

In Summa contra Gentiles libro 4. cap. 73. Quia hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento, quòd multi intersint sacerdotes, & quòd oratio totius Ecclesiæ ad effectum huius Sacramenti coadiuuet. Vnde Iacobus dicit: *Inducat presbyteros Ecclesiæ, & oratio fidei sanabit infirmum.* Si tamen vnus solus presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ, cuius minister existit, & cuius personam gerit.

Rodericus Toletanus. 1260.

De rebus Hispaniæ libro 6. cap. 14. Fernandus Rex, exutus regalibus ornamentis, pro venia exorabat, & accepta ab Episcopis pœnitentia, & gratia vltimæ Vnctionis, indutus cilicio, & conspersus cinere, duobus diebus in pœnitentia atque lachrymis superuixit.

Bonauentura. 1260.

Parte 6. Breuiloquij cap. 11. Extrema Vnctio est Sacramentum exeuntium ex hac vita, præparans & disponens ad sanitatem perfectam. Valet etiam ad delenda venialia, & ad recuperandam sanitatem præsentem, si infirmo expediat. Ad huius Sacramenti integritatem requiritur oleum simplex, sed consecratum, vocalis expresio verborum & orationum, inunctio infirmi in septem partibus determinatis, scilicet in oculis, auribus, naribus, labijs, manibus, pedibus, & lumbis. Nec debet illud Sacramentum dari nisi adultis, & postulantibus, imminente periculo mortis, & hoc per manus & ministerium sacerdotis. Ex quo colligitur, quòd inter hoc Sacramentum, & Confirmationem est differentia septiformis, scilicet in efficacia, in forma, in materia, in suscipiente, in dante, in loco, in tempore.

Guibertus Tornacus. 1270.

De officio Episcopi tractatu 40. Oleum istud medelam præstat infirmis: Dolor enim sequitur ægritudinem, & consolatio dolorem.

Guilhelmus Durandus. 1280.

In Rationali diuinorum libro 6. cap. 74. Notandum est, quòd triplex Sacramentum ex eadem substantia fit olei, ad ostendendum, quòd licet vnus sit Spiritus sanctus, multiformis tamen est secundùm dona sua, &c. Ad oleum infirmorum pertinet gratia sanitatum, id est, sanitas corporis & mentis. Valet enim contra vtriusque ægritudinem, sicut ex verbis vtriusque benedictionis liquet.

Ioannes Scotus. 1300.

In 4. Sent. dist. 22. quæst. 1. Extrema Vnctio est vnctio hominis infirmi pœnitentis, facta in determinatis partibus corporis cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata à sacerdote, simul verba certa, cum intentione debita proferente ex institutione diuina, efficaciter significans curationem venialium, &c.

Clemens Quintus. 1305.

In Concilio Viennensi de priuilegijs, & excessibus priuilegiatorum cap. 1. Religiosi, qui clericis aut laicis Sacramentum Vnctionis extremæ ministrant, non habita super hoc parœcialis presbyteri licentia speciali, excommunicationis incurrant sententiam.

Durandus à Sancto Portiano. 1310.

Lib. 4. Sent. dist. 23. quæst. 1. Quòd extrema Vnctio est Sacramentum, patet: quia omne remedium ordinatum in subsidium vitæ spiritualis, sub rebus sensibilibus appositum, est Sacramentum: Sed extrema Vnctio est huiusmodi: Ergo, &c.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad 6. Marci: *Vngebant oleo multos ægrotos.*) Ex hoc loco patet, quòd Vnctio extrema, quæ est infirmorum, à Christo est instituta.

Ad cap. 5. Iacobi: *Inducat presbyteros Ecclesiæ.*) Licet istud Sacramentum fuerit à Christo institutum, tamen per B. Iacobum fuit expressius publicatum. *Et si in peccatis sit,* venialibus, *remittentur ei,* virtute huius Sacramenti.

Franciscus Maronius. 1320.

Lib. 4. Sentent. distinct. 23. Ideo dicitur extrema Vnctio, quia in fine datur, & est extrema respectu aliarum vnctionum. Sed nunquid hoc Sacramentum est de necessitate salutis? Dicitur, quòd omnes obligantur ad non contemnendum. Vnde qui contemnendo negligit, peccat mortaliter. Efficiens huius Sacramenti est sacerdos ritè ordinatus, aliâs conferre non posset. Causa materialis est oleum purum, sine mixtione balsami. Causa formalis sunt ista verba: *Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam clementiam, indulgeat tibi Dominus quicquid peccasti per visum,* &c. Causa finalis est remissio peccatorum venialium, & alleuiatio ægritudinis corporalis.

Guido Carmelita. 1330.

Hæresi 21. Armeniorum: Errant Armenij, negantes Sacramentum extremæ Vnctionis, contra doctrinam Apostoli Iacobi 5. *Infirmatur quis,* &c.

Errore 16. Græcorum: Post Pœnitentiam Sacramentum extremæ Vnctionis purgat reliquias peccatorum.

Guido Rocherius. 1330.

In Manipulo curatorum tractatu 6. primæ partis cap. 3. de effectu extremæ Vnctionis: Effectus huius Sacramenti est iste. Sicut enim est in infirmitate corporali, ita suo modo debet esse in infirmitate spirituali. In infirmitate corporali curatur aliquis ab infirmitate, quia retinet quandam corporis debilitatem, indiget duplici medicina. Vna, quæ sit ægritudinis sanatiua: alia, quæ sit debilitatis, quæ remanet, reparatiua: sic est spiritualiter. Infirmitas enim spiritualis est peccatum. Vnde Psalmista in persona peccatoris: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Medicina autem sanatiua istius infirmitatis est pœnitentia. Sed postquam sanatus est homo ab ista infirmitate, adhuc remanet in eo quædam debilitas spiritualis. Contra istam infirmitatem ordinatur illud Sacramentum. Vnde effectus illius Sacramenti est sanatio istius infirmitatis spiritualis. Est etiam alius effectus: quia per ipsum peccata venialia, & etiam mortalia oblita remittuntur, & gratia habita augetur, vel noua confertur, si dignè sumatur.

Ioannes Taulerus. 1350.

Dominica 4. Quadragesimæ Serm. 1. Deus sanctissima nobis contulit Sacramenta, sacrum Baptisma, Confirmationem, Pœnitentiam, Eucharistiam, & extremam Vnctionem.

Preparatione 2. ad felicem mortem: Denique cùm sacro inungitur oleo, corde Deum rogabit, vt sanguis & aqua, quæ ex mortuo atque confosso illius corde promanabant, & in sacri olei vnctione designan-

signantur, nobisque impertiuntur, pauperem ac nudam animam suam ab omni vitiorum sorde abluere dignetur.

Thomas Argentinensis. 1360.

Libro 4. distinctione 23. quæstione 1. artic. 1. Extrema Vnctio verè est Sacramentum: quia illud, quod per se & immediatè ordinatur ad curationem morbi spiritualis, hoc est Sacramentum verè, & non sacramentale: Extrema Vnctio est huiusmodi. Ergo, &c.

Articulo 3. Primò hoc Sacramentum valet ad spiritualem sanitatem eius, qui suscipit ipsum. Secundò valet Sacramentum istud ad recuperandam sanitatem corporalem, maximè quando ex tali corporali sanitate non impeditur sanitas spiritualis.

Petrus Aliacus. 1400.

Vitæ sancti Petri Cælestini lib. 2. cap. 18. Ab illa die cœpit grauissimè infirmari, & certus de morte fecit sibi ministrari extremæ Vnctionis Sacramentum.

Thomas VValdensis. 1410.

Tom. 2. cap. 163. de Sacramento extremæ Vnctionis: Augustinus, & cæteri Patres ad huius Sacramenti exercitium semper assumunt oleum consecratum, &c. Multa bona ex vnctione Ecclesiæ statim contingunt ægrotis. Ideò magis sunt miseri, si his omissis per diuinationes, aut sortilegia, infinita sibi mala procurant. Ne à dæmonibus petant auxilium, ipse offert Deus per Sacramentum Vnctionis.

Ioannes Gerson. 1420.

In Compendio Theologiæ, de Sacramento extremæ Vnctionis: Extrema Vnctio est linitio sanctificati, facta ad reuelationem vtriusque infirmitatis, mentis scilicet & corporis, &c.

Raimundus Sebundius. 1430.

In Viola animæ Dialogo 6. cap. 79. Post Sacramentum pœnitentiæ sequitur extremæ Vnctionis Sacramentum, per quod homo recipit bene esse: quia disponitur, & præparatur ad sanitatem, & vigorem spiritalem. Curat enim hæc vnctio omnem languorem & morbum animæ, & reliquias omnes eliminat, & nonnunquam etiam corporis ægritudines sanat.

Concilium Florentinum. 1439.

In literis vnionis: Quintum Sacramentum extrema Vnctio est, cuius materia est oleum oliuæ per Episcopum benedictum. Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet, &c.

Ioannes Capistranus. 1440.

De Papæ & Conciliorum auctoritate fol. 53. Instituit Christus Sacramentum extremæ Vnctionis, quando discipulis tradidit infirmos vngere, vt à languoribus sanarentur Marci 6. *Et vngebant oleo multos infirmos, & sanabantur.*

Bernardus Iustinianus. 1460.

Vitæ Laurentij Iustiniani cap. 11. Suscepta paulo ante diem sacri olei vnctione, sermonem habuit de mortis vtilitate ac cælesti vita.

Nicolaus de Nyse. 1480.

Secundæ partis Destructorij Tractatu 2. Sacramentum extremæ Vnctionis valet ad inimicum expugnandum, quod confertur ad victoriam obtinendam contra dæmonem in mortis articulo.

Concilium Tridentinum. 1560.

Sessionis 14. Canone 2. Si quis dixerit sacram infirmorum Vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleuiare infirmos, sed iam cessasse, quasi olim tantùm fuerit gratia curationum, anathema sit.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

LIBER

LIBER OCTAVVS: DE ORDINE.

ARTICVLVS PRIMVS.

ORDINEM ESSE SEXTVM NOVÆ LEGIS SACRAMENTVM, QVO CERTA GRATIA ET POTESTAS SPIRITVALIS QVIBVSDAM VIRIS TRADITVR, VT CERTVM MVNVS IN ECCLESIA GERANT.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ 380. M*ESSALIANI dicunt in clericorum ordinatione Spiritum sanctum non suscipi.* Damascenus de hæresibus.

1140. *Tandemus sacri Ordinis ministros nihil esse dicebat.* Robertus Montensis in appendice ad Sigebertum, Auctor vitæ S Norberti cap 34.

1520. Martinus Lutherus in captiuitate Babylonica capite de Ordine: *Sacramentum Ordinis Ecclesia Christi ignorat, inuentumq́; est ab Ecclesia Papæ, &c. Sacramentum Ordinis pulcherrima machina fuit, & est ad stabilienda vniuersa portenta, quæ hactenus facta sunt, & adhuc fiunt in Ecclesia.*

Aduersus Articulos Louaniensium: *Ordo non est Sacramentum, sed officium, aut vocatio ministrorum, qui ad Ecclesiæ gubernationem vocantur.*

Libro de Missa angulari: *Ego non dicam quod Papistæ dicunt, nullum Angelorum, imò ne Mariam quidem consecrare posse: sed è contrario dico, si diabolus ipse veniret, & ego postea rescirem diabolum sic irrepsisse in officium Pastoris Ecclesiæ in specie hominis vocatum ad prædicandum, & publicè in Ecclesia docuisse, & baptizasse, celebrasse Missam, & absoluisse à peccatis, & tali munere functum, iuxta institutionem Christi, tunc cogeremur fateri, Sacramenta ideo non esse inefficacia: sed verum baptismum, verum Euangelium, verum Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi nos accepisse.*

1525. Philippus Melanchthon in locis Communibus impressis Argentorati Anno 1525. fol. 85. *Duo sunt Signa à Christo instituta in Euangelio: Baptismus, & participatio Mensæ Domini. Quare miramur quid in mentem venerit Sophistis, inter Sacramenta referre ea, quorum ne meminit quidem Scriptura. Nam vnde confictus est Ordo?*

Fol. 91. *Quid in mentem venit, qui Ordinem inter Signa numerant, cùm non sit aliud Ordo, quàm deligi ex Ecclesia eos, qui doceant, qui baptizent, qui mensæ benedicant, & eleemosynas partiantur egenis. Episcopi seu Presbyteri vocabantur qui docebant, laudabant, & benedicebant mensæ: Diaconi, qui eleemosynas partiebantur inter inopes. Nec sic discretæ hæ functiones erant, ut Diacono peculiare esset docere, baptizare, aut benedicere mensæ, imò hæc omnibus Christianis licent. Non omnium sunt claues, sed demandabatur eorum prouincia quibusdam, vt essent qui sibi rem Ecclesiasticam necessariò administrandam esse scirent, & ad quos ritè referri posset, si quid incidisset.*

1550. *Ioannes Caluinus,* lib. 4. Institut. cap 19. §. 22. *inter quinque falsò nominata Sacramenta Ordini quartum locum tribuit, quod ex se septem alia sacramentalia pariat.*

Ad cap. 6. Act. *Manuum impositio,* inquit, *cum Apostolis in vsu fuerit, ritus est ordini & decoro congruens: nec tamen quicquam habet per se efficaciæ, sed vis & effectus à solo Deo spiritu pendet.*

1560. Dauid Chytræus ad cap. 29. Exodi: *Sciendum est vocatos ab Ecclesia & electos voce Ecclesiæ Dei, fungentes ministerio, etiam sine hoc ritu posse docere & Sacramenta administrare. Non enim imprimitur hoc ritu administrationis manuum vllus character ordinato, sed valet ministerium ad salutem omni credenti propter diuinam ordinationem.*

1568. Lutherani in colloquio Altenburgensi fol. 591. *Ordinatio ministrorum nusquam appellatur Sacramentum, & ideo Sacramentum esse nequit.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Ioannis 20. *vers.* 21. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixisset, insufflauit, & dicit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.

Actor. 6. 5. Elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, &c. 6. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.

Actor. 13. 2. Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.

Actor. 14. 22. Et cùm constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros, & orassent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt.

1. *Corinth.* 12. 28. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primò Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur?

Ephes. 4. 11. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.

1. *Timoth.* 4. 14. Noli negligere gratiam, quæ in te est: quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij.

1. *Timoth.* 5. 22. Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis.

2. *Timoth.* 1. 6. Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.

Hebr. 5. 4. Nec quisquam sumit sibi honorem: sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret: sed qui locutus est ad
Psal. 2. eum: Filius meus es tu, ego hodiè genui te.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 10.

Constitut. Apostol lib. 2. cap. 27. Quicunque laicus sine sacerdote aliquid operatur, inaniter operatur: & vt Ozias, quia fecit, cùm non esset ipse sacerdos, quæ ad sacerdotes pertinebant, propter crimen violatæ legis lepra affectus est: sic nullus laicus impunè feret, qui Deum contempserit, in sacerdotes eius insanierit, & honorem sibi vsurpârit, minimè Christum imitatus, qui *non se glorificauit, vt fieret Pontifex:* sed expectauit, vt Patrem audiret: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Si igitur Christus non vindicat sibi priuatim gloriam sine Patre, quomodo potest homo seipsum in sacerdotium proijcere, non accepta dignitate à præstantiore? aut illa facere, quæ solis sacerdotibus licent? Nonne Coritæ, cùm alioqui Leuiticæ tribus essent, arserunt tamen, quia sese in Moysen & Aaron extulerunt, & de ijs, quæ ad se non pertinebant, cum eis certarunt?

Lib. 3. *cap.* 10. Imò neque laico permittimus facere opus aliquod sacerdotale, vt sacrificium, aut baptismum, aut impositionem manus, aut benedictionem, siue paruam, siue magnam. *Nemo enim*
Hebr. 5. *sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Domino.* Huiusmodi namque gratia per impositionem manuum Episcopi datur. Qui verò non est ad eam electus,
2 Par. 26 sed potius sibi eam rapuit, hic supplicio Oziæ afficietur.

Cap. 11. Imò neque reliquis clericis potestatem, baptizandi facimus, vt Lectoribus, Cantoribus, Ianitoribus, aut ministris, nisi tantùm Episcopis, & Presbyteris ministrantibus Diaconis. Qui verò hoc ausi fuerint, pœnas Coritarum pendet. Neque Num. 16
Presbyteris potestatem damus ordinandi Diaconos, aut Diaconissas, aut Lectores, aut ministros, aut cantores, aut ianitores; sed Episcopis tantùm. Hic enim est Ecclesiasticus ordo, & concentus.

Lib. 8. *cap.* 46. Quia hoc plerique negligenter curandum esse putauerunt, & ordines confundere, & ordinationem cuiusque mouere audent, non collatas dignitates sibi rapiendo, ac per vim potestatem sibi sumendo, ea dandi alijs, quæ dare non possunt: ex quo fit, vt Deum irritent, sicut Coritæ, & Ozias, qui præter dignitatem, ac sine Num. 16
auctoritate Dei Pontificatum inuaserunt: ex quibus illi igne arserunt, hic lepra in fronte affectus 2 Par. 26
est, &c. Scitis enim planè eos, qui à nobis per ordinationem & manuum impositionem Episcopi, Presbyteri, & Diaconi nominati sunt, differentia nominum differentiam rerum declarare: neque enim quicunque volebat, apud nos manus implebat, vt in illo falso & adulterino sacerdotio vitularum, rege Hieroboam, sed qui vocabatur à Deo. Etenim si non esset aliqua lex posita, & aliquod discrimen ordinum, satis erat vno nomine affectos, omnia ista ministeria perficere: verùm cùm à Deo consequentiam rerum didicerimus, Episcopis quidem assignauimus, & attribuimus, quæ ad principatum sacerdotij pertinent: Presbyteris verò, quæ ad sacerdotium: deinde Diaconis, quæ ad ministrandum vtrisque, vt purè & castè fiant, quæ ad religionem pertinent. Neque enim fas est Diacono sacrificium offerre, aut baptizare, aut benedi-

ctionem siue paruam, siue magnam facere, neque Presbytero ordinationes clericorum facere. Siquidem non licet ordinem inuertere, cùm non sit Deus dissensionis, vt inferiores quæ sunt superioris per vim sibi vendicent, nouam legem in malum suum refingentes, ignorantes durum esse sibi contra stimulum calcitrare.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiasticæ Hierarch. cap. 5. Tempus iam admonet, post diuina ipsiusmodi munia, ipsos exponere sacros Ordines, ac distributiones virtutesq; ipsorum, & actiones atq; consummationes, subiectamque illis trinitatem excellentium ordinum: vt ostendatur sacerdotij nostri perfunctio inordinata omnia & incomposita atq; cõfusa ab se arcere semper atq; cohibere: ornatum verò atque ordinem, & grauitatem in proportionibus sanctorum ordinũ suorum exhibere. Et quidem Hierarchiam omnẽ cur in trinitatis distribuerimus numerum, in libro de cælesti Hierarchia congruè satis (reor) exposuimus, dicentes (vt habet nostra traditio) omnem sacrorum ordinum functionem in sanctissimas teletas diuidi, & in eos, qui diuina probè callent, aliosque sacratius imbuunt, inque eos, qui ab his sanctissimè promouentur, &c. Ostensum est igitur, Antistitum ordinem perficientem esse, & perfectionis auctorem: sacerdotum verò illuminantem, atque ad lucem promouentem: porrò ministrorum, purgantem atque discernentem. Videlicet Pontificalis ordo non perficere solùm, verùm & illuminare, & purgare nouit: Sacerdotum verò virtus in se cum illuminante habet purgantem quoq; scientiã. Verùm quæ inferiores sunt, ad præstantiora transire nequeunt, propterea quod fas illis non est ad istiusmodi prosilire superbiam. Porrò sacratiores virtutes vnà cum suis, inferiores quoque sua perfectione scientias sacras nequaquam ignorant: Quia tamen diuinarum actionum imagines sunt sacerdotales distinctiones, ornatissimi atque inconfusi diuinarum operationum ordinis insitos sibi fulgores indicantes, in primas ac medias & vltimas sanctas actiones atque ordines pontificali discretione distributę sunt, insinuantes (vt dixi) in seipsis diuinas actiones ordinatas esse atq; impermixtas. Quia enim summa illa diuinitas eos, quibus se insinuat, spiritus purgat primò, consequenter illuminat, & illuminatos ad diuinam effigiem perficit: meritò sacerdotalis, diuinas imagines præ se ferẽs, æmulatio discretos seipsam in ordines, virtutesq; distribuit, apertè indicans diuinas actiones in castissimis purissimisq; ordinibus constanter atq; inconfusè persistere, &c. Præsul igitur vbi sacrandus offertur, vtroque genu posito ante altare, supra caput habet à Deo tradita Euangelia, manumq; Pontificis: atque hoc modo à consecrante Pontifice castissimis imprecationibus consummatur. Sacerdos verò coram sancto altari ponens vtrumq; genu, in capite habet Pontificis dextram, & in hunc modũ à sacrante Præsule sanctissimis inuocationibus cõsecratur. At verò minister altero tantùm coram sanctis altaribus posito genu, sacrantis se Pontificis dextram in capite præfert, atque ab eo perficitur precationibus ad eam rem accommodatis. Cuilibet autem ipsorum à benedicente Pontifice crucis imprimitur signum, & per singulos sacra prædicatio nominis consumansq; consalutatio fit, &c.

Ignatius. 100.

Epistola ad Smyrnenses: Omnes Episcopum sequimini, vt Christus Patrem, & Presbyterorum collegium vt Apostolos: Diaconos reuereamini, vt ex Dei præcepto ministrantes, &c. Omnia vestra decenti ordine perficiantur in Christo. Laici Diaconis subijciantur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, vt ipse Patri.

Origenes. 230.

Homil. 7. in Hieremiam: Nos qui putamur aliquid esse, id est, qui in clericatus vobis ordine præsidemus, in tantum, vt quidam de minori gradu ad hunc locum cupiant peruenire, nosse debitis, non statim in eo esse saluandos, quia clerici sumus. Multi enim & presbyteri pereunt, & laici beatissimi reperiuntur: sed si ordinem clericatus & mereamur pariter & habeamus. Quia igitur sunt quidam clerici non ita viuentes, vt & ipsi ex ordine capiant fructum & ornamento suæ sint dignitati, idcirco aiunt, qui exposuerunt Propheram nunc dicẽtem: *Clericorum non proderunt illis.*) Vtilitas quippe clericatus non in eo est, si aliquis in agmine sedeat presbyterorum, sed si iuxta locum suum, & iuxta præcepta Domini dignius incedat. Plus à me exigitur quàm à Diacono, plus à Diacono quàm à laico. Qui verò totius Ecclesiæ arcem obtinet, pro omni Ecclesia reddet rationem.

Concilium Ancyranum. 348.

Cap. 13. Chorepiscopis non licet Presbyteros aut Diaconos ordinare, sed nec Presbyteris ciuitatis sine præcepto Episcopi, vel literis in vnaquaque parochia aliquid imperare.

Basilius Magnus. 370.

In Anaphora Syriaca: Hæc functio perficit religiosos, exornat sacerdotes, sacris initiat ordinibus, diuina dispensat dona, atque in tribus diuinæ maiestatis Ecclesijs ternis sanctificationibus sancta pronuntiatur, & in hac etiam nostra terrena Ecclesia ab Archipresbyteris, Presbyteris, & Diaconis suis exaltatur.

Lib. 2. de Baptismo cap. 8. Etiamsi audiamus Prophetam dicentem, vos autem omnes sacerdotes Dei vocabimini: neque tamen omnes mox huiusce sacerdotij ac ministerij potestatem vsurpamus, neque alius alij datam gratiam licitè potest ad se rapere, sed quisquis fidelium proprijs doni Dei terminis contentus manet, docente nos Apostolo, dum ad omnes quidem dicit: *Obsecro autem vos fratres, per miserationes Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, &c.* Et per mutuam illam membrorum corporis rectam dispositionem, quam inter se ad decentem venustatem pariter & securitatem necessariam habent, normam nobis præscribit, quàm commodè ac decenter inter nos ad beneplacitum Dei, in dilectione Christi Iesu, & charismatum differentia dispositi esse debeamus. Rom.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione in laudem Athanasij, quæ est oratio 21. Sic porrò educatus & institutus, vt nunc quoque eos oportere, qui plebis Antistites futuri, magnumq; Christi corpus tractaturi sunt, secundùm magnum Dei consilium ac præscientiam, in magnum hunc sacerdotum ordinem cooptatur, atque in eorum, qui appropinquanti Deo appropinquant, numerum ascribitur, ac sacrosanctæ stationis & ordinis honore afficitur, cunctisque Ecclesiasticorum graduum muneribus deinceps perfunctus, (vt quæ media sunt resecem) Alexandrino populo præficitur.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione de S. Baptismate: Eadem etiam verbi vis sacerdotem augustum & venerandum facit, nouitate benedictionis à communitate vulgi segregatum. Cùm enim heri ac tempore superiori vnus è multitudine ac plebe esset, repentè redditur præceptor, præses, doctor pietatis, mysteriorum latentium Præsul, eaq; contingunt ei, cùm nihil vel corpore vel forma mutatus: sed quod ad speciem externam attinet, ille fit, qui erat, inuisibili quadam vi & gratia inuisibilem animam in melius transformatam gerens.

De Vir-

De Virginitate cap. vltimo: Quomodo offeres Deo, tametsi ad hoc vnctus sis, qui non audis legem, quæ prohibet consecrare non castum?

Theophilus Alexandrinus. 390.

Canon. 6. De eis, qui ordinandi sunt, hæc erit forma, vt quidquid est sacerdotalis ordinis consentiat, & eligat, & tunc Episcopus examinet, vel etiam ei assentiente sacerdotali ordine in media Ecclesia ordine præsente populo, & Episcopo alloquente, an etiam possit ei populus ferre testimonium. Ordinatio autem non fiat clanculum. Ecclesia enim pacem habente, decet præsentibus sanctis in Ecclesia ordinationes fieri.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Libro 3 de Sacerdotio: Sacerdotium in terra peragitur, sed in rerum cælestium classem ordinemque referendum est. Atque id perquàm meritò. Quippè non mortalis quispiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quæuis creata potentia, sed ipse Paracletus eiusmodi ordinem disposuit, &c. Tum probè intelliget quanto sacerdotes honore, quanta dignitate, quanta Spiritus sancti gratia dignata fuerit.

Philo Carpathius. 410.

In Cantica: *Et guttur meum.*) Studebat quisquam Christianorum se bene dirigere in Dominum, eidemque recto animo, & voluntate seruire perfecta: iique præcipuè hoc faciunt. quibus ex sacris Ordinibus datum est, & sibi rectè sumere, & cæteris ministrare sanctissimè.

Sozomenus. 440.

Libro 7. cap. 10. Nectarius Episcopus Martyrium, quem vt medicum familiarem, ita commissorum in iuuentute delictorum conscium habuerat, Diaconum ordinare cogitabat. Cæterùm Martyrius id aduersatus est, indignum se esse ministerio diuino asseuerans, atque sibi antea vitæ testem Nectarium ipsum citans. Cui Nectarius: nunquid ego, inquit, idem qui nunc sacerdos sum, vitam meam hactenus multo magis dissolutè traduxi, quàm tu tuam: cùm vel tu ipse id testari possis? Tum ille vicissim: Atque tu, ô beate, recens baptizatus, ac purificatus, & mox insuper sacerdotio auctus es. Vtraque autem hæc peccatorum Deus expiatoria esse constituit. Ac proinde, vt mihi quidem videris, tu ab infantibus iam recens natis nihil differs.

Theodoretus. 450.

Ad cap. 5. prioris ad Timotheum: *Manus citò nemini imposueris.* Oportet prius examinare vitam eius qui ordinatur: deinde in ipsum inuocare gratiam Spiritus.

Concilium Chalcedonense. 453.

Canone 2. Si quis Episcopus propter pecunias ordinationem fecerit, & non venalem gratiam in venditionem deduxerit, & propter pecunias ordinauerit Episcopum, vel Chorepiscopum, vel Presbyterum, vel Diaconum &c. qui hæc tentasse conuictus fuerit, de proprio gradu in periculum veniat.

Leo Imperator. 460.

L. quisquis, C. de Episcopis & Clericis: Quisquis ad consortium se contulerit clericorum, & inter ministros veræ & orthodoxæ fidei malueri & elegerit numerari, nullius prorsus sententiæ acerbitate reuocetur. Nec à Dei templis, quibus se consecrauit, importunis intentionibus abstrahatur: sed in eisdem beatissimis ministerijs securus permaneat.

Victor Antiochenus. 460.

Ad cap. 3. Marci: Inter alia quoque Ecclesiæ duces & pastores admonere per hoc voluit, vti prius in oratione pernoctent, quàm illis manus imponant, quos ad sacrorum ministerium consecrare deliberatum habent, ne fortè eiusmodi promotio frustra cadat.

Iustinianus Imp. 530.

Nouella 137. cap. 1. Illud quoque nihilominus quibusdam peccandi occasio fuit, quòd absque examinatione & rectæ fidei, & honestatis vitæ testimonio ordinantur Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & cæteri clerici. Nam si ad orandum pro populo destinati, indigni diuino ministerio inueniantur, quomodo pro transgressoribus & delictis populi Deum propitiare poterunt? Planè ordinationes sacerdotum cum omni diligentia & rigore fieri oportere docet nos & qui inter sanctos censetur Theologus Gregorius, &c.

Antiochus. 610.

Hom. 123. *Omnia* (iuxta Apostolum) *honestè & secundùm ordinem fiant.* Quid enim indecori faciebat Ozias, Deo dum adoleret incensum? Quid item 2. Par. 26
Saul, victimas dum offerret? Quid porrò tyranni- 1. Reg. 16
ci illi dæmones, Dominum verè esse Deum dum profitentur? sed horum Theologia explosa est. Vnusquisque autem in ordine perstet suæ functionis. Num. 4.
Ait enim lex: *Solus Pontifex in sancta sanctorum intrabit semel in anno:* idque ex omni hierarchica purificatione, *& sacerdotes cooperiant sancta.* Et: *Leuitæ ne tegant sancta ipsa, vt non moriantur.*

Maximus. 640.

Ad cap. tertium de cælesti Hierarchia Dionysij: Non decet aliquem in sacro gradu constitutum maius aliquid suo ordine facere. Presbyteri debent docere, & munus offerre, non autem ordinare: diaconi debent docere, non tamen baptizare. Non enim dant Spiritum sanctum.

Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus. 780.

Epistola ad Adrianum Papam de non faciendis pecunia Ordinationibus: Quemadmodum diuinus Spiritus est Christo Deo nostro consubstantialis, eos eiusdem futuros partis cuilibet manifestum est, vt fuit demonstratum. Sin autem venditur, absque vlla dubitatione clarum est, non esse eis sancti Spiritus gratiam, sacerdotij scilicet sacrosanctam dignitatem, &c. Nemo emit gratiam, *Gratis*, inquit, *accepistis gratis date.* Vides quomodo Petrus aduersus Simonem indignatus sit, qui argentum ob Spiritus gratiam obtulerat. *Argentum*, inquit, *tecum sit in perditionem: quia Dei donum per pecunias te acquirere putasti.* Non possunt ergo dona dari, quæ eius gratiæ æstimationi respondeant.

Nicephorus Philosophus. 820.

Oratione funebri in S. Antonium Patriarcham: Præceptor eius ducit eum ad illum, qui tunc tenebat clauem Pontificalem ciuitatis regiæ, vt initiaretur Chrismate presbyterij. Qui non solùm per gradus intermedios eum deduxit ad indumentum sacerdotij, sed illius testimonio eum etiam ordinauit, vt præesset Monasterio.

Leo Philosophus. 890.

Constit. 7. Statuimus, vt quicunque clericorum habitum mutare profanorum habitu improbè instituerit, is quotiescunque actus fuerit in eiusmodi vecordiam, secundùm Ecclesiasticum decretum, quantumuis inuitus, in clericorum habitum restituatur: tametsi qui Ecclesiastici ordinis statum recipiat, dignus non sit, vt qui per se ipse illo indignum transfugio constituerit.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 19. Lucæ: *Dominus dedit seruis suis decem minas:* Serui autem illi sunt hi, quibus in Ecclesia ministerium concreditum est: decemuirique dicuntur esse, propter perfectionem Ecclesiasticæ præsidentiæ. Ordo enim in Ecclesia perfectam

præsi-

præsidentium dispositionem habet, & neque plures oportebat esse, neque pauciores, & exempli gratia: tria hæc videmus esse in Ecclesia, purgationem, illuminationem, & perfectionem. Operationes enim illas tres sortiti sunt ordines: Diaconi purgant per instructionem, & doctrinam: Presbyteri illuminant per baptismum: Episcopi sacerdotales ordines constituunt, & perficiunt, hoc est, ordinant. Vides ordines cum operationibus, & neque plures, neque pauciores præsidentium ordines. Illis ergo seruis distribuit decem minas, hoc est, dona, quæ vnicuique data sunt in vtilitatem. Omnis enim cuicunque est concredita præsidentia, etiamsi indignus fuerit, donum habet ex vnctione sua, id quod magnum diuinæ misericordiæ Sacramentum est.

Ad illud 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te, vt resuscites.*) Quia, inquit Apostolus, noui te non simulatam habere fidem, excito te, vt gratiam Spiritus, quam accepisti, ad præfecturam Ecclesiæ, ad signorum operationem, & simpliciter ad omnem, quæ Episcopum deceat virtutem, vt hanc semper exuscites, ac virentem & floridam facias. Vt enim ignis lignis indiget: hunc ad modum gratia Spiritus opus habet promptitudine, & attentione, & sobria mente, vt semper ferueat. Nam nisi hæc præsto sint, extinguitur, vt & alio loco dicit: *Spiritum nolite extinguere.* 1. Thes. 5 *Quæ in te est per impositionem manuum mearum.* In te quidem habitat ipsa gratia, quam accepisti cùm imponerem ego tibi manus, quando Episcopum te seligebam, & consecrabam. Atqui ignem istum vehementiorem & maiorem effice: quod accepisti verbum, fiducia libertateq; imple, ac fortitudine, statq; ingenuè.

Simeon Metaphrastes. 950.

Vitæ S. Menæ cap. 24. Ea de causa propter multam in Sanctum reuerentiam, cùm accepissent Episcopi Hermogenem, nihil contradicentem, eum referunt in cleri numerum. Deinde cùm per ordinem Ecclesiasticos omnes gradus transiuisset, eum constituunt ciuitatis Episcopum.

Oecumenius. 1080.

In 2. Timoth. 1. *Per impositionem manuum mearũ.*) Simul enim vt Paulus illi manus imposuit, ordinans ipsum Episcopum, donum quoque in eum superuenit, ad signorum operationem, ad doctrinam, & ad præsidendum Ecclesiæ.

Theodorus Balsamon. 1180.

In Canonem 36. Apostol. Chirotonia hoc loco accipitur pro manuum impositione. Meminit enim Presbyterorum & Diaconorum, qui ex more, qui olim seruabatur, mittebantur in alias regiones, vt docerent populum. Diaconos autem ordinari quidem, id est, characterem accepisse didicimus: eligi autem non audiuimus, sicut eliguntur Episcopi, & olim etiam sacerdotes, vt docet Canon 13. Synodi Laodicenæ. Decernit itaque præsens Canon, vt si quis Episcopus, Presbyter, vel Diaconus ad docendum pertinentem manuum impositionem acceperit, & suum munus non impleat, segregetur.

Georgius Pachymerius. 1280.

In Paraphrasi epist. S. Dionysij. Non fas quoque esse censemus Presbyterum, etiamsi illum contingat à rectitudine deflectere, ab ipso suo Diacono, qui te alioqui superior est, in disquisitionem vocari, siue etiam ab alio quouis monasticen professo. Ordo enim, qui vniuersa cohærescere facit & continet: quando magis sanè addecet ordinem asseruari in nostris nimirum sacris? Quòd si in his permiscetur ordo, reliquum fit, vt in seipsum Deus diuisus credatur. Porrò omne regnum, quodcunque id tandem fuerit, si diuidatur, non iam stabit.

Gennadius Scholarius. 1450.

De Sacrificio in azymo sect. 7. Qui sacerdos non est hoc est, qui sacerdotalem gradum non habet, sacrificium nunquam conficiet.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Responso primo cap. 7. Sacramenta in Ecclesia Catholica sunt septem: Baptisma, Chrisma sancti vnguenti, diuina Communio, Manus impositio, &c. Manus impositio potestatem & facultatem præbet conditoris. Et quoniam nihil eorum quæ sunt sine ipso constat: ipse verò venit ad ducendum nos, vbi bene nobis fit: hanc suam facultatem receptus à nobis contulit nobis per suum sacerdotium. Indeq; omnes ritus à nobis administrantur: & sine sacerdote nihil sanctum est. Insuper cùm initio rerum nos ad spectabilium dominos constituisset: nunc iterum præstantiores nos Dominus, sacerdotio tradito, constituit. Claues enim cæsorum Apostolis & horum successoribus consecratis tradidit.

Responso 2. cap. 4. Ordinatio potestatem & efficacitatem præbet conditionis, quam accipimus per sacerdotium. Per illam omnia sacra à nobis administrantur, nec absque sacerdote quicquam sanctum est.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Exhortatione ad castitatem cap. 7. Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis consessum sanctificatus à Deo. Vbi Ecclesiastici ordinis est consessus, & offert, & tingit Sacerdos, qui est ibi solus.

Zephyrinus. 200.

Epistola 2. Ordinationes presbyterorum ac Leuitarum, tempore congruo & multis coram astantibus, solenniter agite, & probabiles & doctos viros ad hoc opus prouehite, vt de eorum societate & adiumento plurimum gaudeatis.

Cyprianus. 250.

De cardinalibus Christi operibus, capite de ablutione pedum, Ordinationem Sacramentum vocat, & cum Baptismo confert: Docemur, *inquit*, quæ sit Baptismi, & aliorum Sacramentorum stabilitas. Nam baptismum repeti Ecclesiasticæ prohibent Regulæ: & semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere: nemo sacros ordines semel datos iterum renouat: nemo sacro oleo lita, iterum linit aut consecrat: nemo impositioni manuum vel ministerio derogat sacerdotum.

Ambrosius. 370.

De dignitate sacerdotali cap. 4. Quis dat frater Episcopalem gratiam? Deus, an homo? Respondes sine dubio Deus. Sed tamen per hominem dat Deus: homo imponit manus, Deus largitur gratiam Sacerdos imponit supplicem dextram, & Deus benedicit potenti dextra. Episcopus initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatem.

In 1. Corinth. cap. 12. *Diuisiones gratiarum sunt.*) Non hoc humanis meritis vult ascribi, sed gratiæ Dei ad honorificentiam nominis eius: sicut enim qui dicit Dominum Iesum, in Spiritu sancto dicit, qualisuis sit: non vtique propriam, sed ordinis per efficaciam Spiritus sancti. Vnde & inter initia dicit: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

Ad Timoth. cap. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in*

iecti.) Intentum hunc vult esse & deditum exercitio lectionis, vt omni cura diligentiaq; hoc enitatur, vt exhortetur, & doceat. Exhortatio est, cùm miti verbo aliquos prouocamus ad opus bonum: docere verò, quando ea, quæ latent, intimamus mentibus audientium. Si enim rector populi ab his dissimulat, negligit gratiam datam sibi. Ad hoc enim creatur dux populo, vt huius salutis solicitudinem gerat, admonendo, docendo, vt fructum habeat ordinatio: quem ad hoc vtique Deus constituit, vt proficiat saluti plebis suæ. Qui ergo in hac auctoritate positus, indiligens fuerit, Dei contemptor habebitur, minimus in regno cælorum vocatus. Neque enim poterit facere, qui nec docere dignatur. Gratiam tamen dari ordinatoris significat per prophetiam, & manuum impositionem. Prophetia est, qua eligitur, quasi doctor futurus idoneus: manus verò impositiones verba sunt mystica, quibus confirmatur ad hoc opus electus, accipiens auctoritatem, teste conscientia sua, vt audeat vice Domini sacrificium Deo offerre.

Hieronymus. 390.

Dialogo contra Luciferianos confert Ordinationem cum Baptismo, ac probat ordinationem ab hæreticis datam esse ratam, quia baptismus ab eis datus ratus baptismus est.

Ad cap. 58. Esaiæ: Pleriq; nostrorum χειροτονίας, id est, ordinationem clericorum, quæ non solum ad imprecationem vocis, sed ad impositionem impletur manus, ne scilicet, vt in quibusdam risimus, vocis imprecatio clandestina, clericos ordinet nescientes, sic intelligunt, vt assumant testimonium Pauli, scribentis ad Timotheum: *Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis.* Non est enim peccatum leue, mittere margaritas ante porcos, & dare sanctum canibus, & ordinationem clericatus nequaquam sanctis, & in lege Dei doctissimis, sed affeclis suis tribuere, & vilium officiorum ministris, quodq; his dedecorosius est, mulierculárum precibus. In quo consideranda loquentis in se Christi Apostoli sapientia: qui vt ordinationis periculum demonstraret, iunxit tormenta peccantium: *Neque communicaueris peccatis alienis.* Sicut ergo in ordinationibus malorum particeps est peccatorum, qui tales constituit. sic in ordinatione sanctorum particeps eorum est iustitiæ, qui bonos elegit.

Augustinus 400.

Lib. quæst. veteris ac noui Testamenti quæst. 93. Quòd insufflasse in discipulos Dominus legitur post dies paucos resurrectionis suæ, & dixisse: *Accipite Spiritum sanctum*, Ecclesiastica potestas collata intelligitur esse. Quia enim omnia in traditione Dominica per Spiritum sanctum aguntur, idcirco cùm regula eis & forma traditur huius disciplinæ, dicitur eis: *Accipite Spiritum sanctum.* Et quia verè ad ius Ecclesiasticum pertinet, statim subiecit, dicens: *Cuius tenueritis peccata, tenebuntur: & cuius remiseritis, remittuntur ei.* Inspiratio ergo hęc gratia quædam est, quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam commendatiores habeantur. Vnde Apostolus dicit ad Timotheum: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterij.* Semel ergo fieri oportuit, vt de cętero traditio ista non sine dono Spiritus sancti esse crederetur.

Libro 2. contra epist. Parmeniani cap. 13. Nam illud quod quidam eorum veritate conuicti dicere cœperant: Baptismum quidem non amittit, qui recedit ab Ecclesia, sed ius tamen dandi amittit: multis modis apparet frustra & inaniter dici. Primò, quia nulla ostenditur causa, cur ille, qui ipsum baptismum amittere non potest, ius dandi amittere possit. Vtrumque enim Sacramentum est, & quadã consecratione vtrumque homini datur. Illud cùm baptizatur, istud cum ordinatur: ideoq; in Catholica vtrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam Præpositi pro bono pacis correctio schismatis errore suscepti sunt: & si visum est opus esse, vt eadem officia gererent quæ gerebant, non sunt rursus ordinandi, sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra, quia in præcisione fuerat vitium, quod vnitatis pace correctu est, non in Sacramentis, quæ vbicunque sunt, ipsa vera sunt. Et cùm expedire hoc iudicatur Ecclesiæ, vt præpositi eorum venientes ad Catholicam societatem honores suos ibi non administrent: non eis tamen ipsa ordinationis Sacramenta detrahuntur, sed manent super eos. Ideoq; non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi Sacramento fiat iniuria. Et si quando ignoranter fit, nec animosè defenditur factum, sed corrigitur cognitum, venia facilis impetratur. Deus enim noster non dissensionis Deus est, sed pacis: nec Ecclesiæ eius Sacramenta in eis, qui ab Ecclesia recesserunt, sed ipsi qui recesserunt inimici eius sunt. Sicut autem habent in baptismo, quod per eos dari possit: sic in ordinatione ius dandi, vtrumque quidem ad perniciem suam, quamdiu charitatem non habent vnitatis. Sed tamen aliud est prorsus non habere, aliud perniciosè habere, aliud salubriter habere, &c. Sed si nos malè facimus, ipsi explicent, quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, & Sacramentum ordinati possit amitti: quoniam dicunt, recedens ab Ecclesia baptismum non amittit, ius dandi tamen amittit. Si enim vtrunque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramenti iniuria facienda est.

De bono coniugali cap. 24. Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio nõ subsequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum ordinationis, & si aliena culpa quisquam ab officio remoueatur, Sacramento Domini semel imposito non carebit, quamuis ad iudicium permanente.

Libro 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. Sacramentum baptismi est, quod habet qui baptizatur: & Sacramentum dandi baptismi est quod habet, qui ordinatur. Sicut autem baptizatus, si ab vnitate recesserit, Sacramentum baptismi non amittit: sic etiam ordinatus, si ab vnitate recesserit, Sacramentum dandi baptismi non amittit. Nulli enim Sacramento iniuria facienda est. Si discedit à malis, vtrumque discedit: si permanet in malis, vtrumque permanet. Sicut ergo acceptatur baptismus, quem non potuit amittere, qui ab vnitate discesserat: sic acceptandus est baptismus, quem dedit ille, qui Sacramentum dandi, cùm discederet, non amiserat. Nam sicut redeuntes, qui priusquam recederent baptizati sunt, non rebaptizantur: ita redeuntes, qui priusquam recederent ordinati sunt, non vtique rursus ordinantur: sed aut administrant, quod administrabant, si hoc Ecclesiæ vtilitas postulat, aut si non administrant, Sacramentum ordinationis suæ tamen gerunt, & ideo eis manus inter laicos non imponitur. Nam neque Sacramentum baptismi, neque Sacramentum dandi baptismi, quando ab eis cum Maximiano discessit, Felicianus amisit. Nunc enim eum secum habent cum eis ipsis, quos, cùm foris esset, in Maximiani schismate baptizauit.

Innocentius Primus. 406.

Epist. 11. cap. 3. Arianos, cæterasque huiusmodi pestes, quia eorum laicos conuersos ad Dominum sub imagine pœnitentiæ ac sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur clericos eorum cum sacerdotij aut ministerij cuiuspiam suscipi debere dignitate: quoniam

niam quibus solum baptisma, ratum esse permittimus, quod vtique in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti perficitur, nec Spiritum sanctum eos habere ex illo baptismate, illisq; mysterijs arbitramur. Quoniam cùm à Catholica fide eorum auctores desciscerent, perfectionem Spiritus, quam acceperant, amiserunt. Nec dare eius plenitudinem possunt, quæ maximè in ordinationibus operatur, quam per impietatis suæ perfidiam potius, quàm per fidem, dixerim, perdiderunt. Quomodo fieri potest, vt eorum profanos sacerdotes, dignos Christi honoribus arbitremur, quorum laicos imperfectos (vt dixi) ad sancti Spiritus percipiendam gratiam cum pœnitentiæ imagine recipiamus?

Leo Magnus. 450.

Epistola 81. ad Dioscorum Alexand. cap. 1. Quod ergo à patribus nostris propensiore cura nouimus esse seruatum, à vobis quoque volumus custodiri, vt non passim diebus omnibus Sacerdotalis, vel Leuitica ordinatio celebretur, sed post diem Sabbati eius noctis, quæ in prima Sabbati lucescit, exordia deligantur, hoc est, sub lege diuini officij substituantur, in quibus his, qui consecrandi sunt, ieiunis, & à ieiunantibus sacra benedictio conferatur. Quod eiusdem obseruantiæ erit, si mane ipso Dominico die continuato Sabbati ieiunio celebretur, à quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem resurrectionis, sicut etiam in Pascha Domini declaratur, pertinere non dubium est. Nam præter auctoritatem consuetudinis, quam ex Apostolica nouimus venire doctrina, etiam sacra Scriptura manifestat, quòd cùm Apostoli Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus sancti ad Euangelium gentibus mitterent prædicandum, ieiunantes & orantes imposuerunt eis manus, vt intelligamus, quanta & dantium & accipientium deuotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum. Et ideò piè ac laudabiliter Apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum sacerdotum formam per Ecclesias, quibus Dominus præesse te voluit, etiam ipse seruaueris, vt his, qui consecrandi sunt, nunquam benedictiones, nisi in die Resurrectionis Dominicæ tribuantur, cui à vespera Sabbati initium constat ascribi, & quæ tantis diuinarum dispensationum mysterijs est consecrata, vt quidquid est à Domino insignius cõstitutum, in huius diei dignitate sit gestum. In hac mundus sumpsit exordium: in hac per resurrectionem Christi & mors interitum, & vita accepit initium: in hac Apostoli à Domino prædicandi omnibus gentibus Euangelij tubam sumunt, & inferendum vniuerso mundo Sacramentum regenerationis accipiunt. In hac (sicut beatus Ioannes Euangelista testatur) congregatis in vnum discipulis, ianuis clausis, cùm ad eos Dominus introisset, *insufflauit, & dixit: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum detinueritis, detenta erunt.* In hac denique promissus à Domino Apostolis Spiritus sanctus aduenit: vt cælesti quadam regula insinuatum & traditum nouerimus, in illa die celebranda nobis esse mysteria sacerdotalium benedictionum, in qua collata sunt omnia dona gratiarum.

Epistola 87. cap. 1. Vnicuiq; nostrum dicitur: *Manus citò nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis.* Quid est citò manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis ille est, qui non meruit ordinari? &c. Quis ergo dissimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratur iniuriam?

Gelasius. 492.

Epistol. 16. cap. 13. Ordinationes Presbyterorum & Diaconorum nisi certis temporibus & diebus exerceri non debent, id est, quarti mensis initio, septimi, & decimi, sed etiam Quadragesimalis initij, ac mediana Quadragesimæ die, Sabbati ieiunio circa vesperam nouerint celebrandas.

Anastasius Secundus. 498.

Epistola ad Anastasium Imper. cap. 7. Nullum de his, vel quos baptizauit Acatius, vel quos sacerdotes siue Leuitas secundùm Canones ordinauit, vlla eos ex nomine Acatij portio læsionis attingit, quo forsitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videatur.

Cap. 8. Ideo & ipse Acatius malè bona ministrando sibi tantùm nocuit. Nam inuiolabile Sacramentum, quod per illum datum est, alijs perfectionem suæ virtutis obtinuit, ei autem obfuit. Quod cùm ita sit, aliquorum in tantum se extendit curiosa suspicio, vt imaginentur, prolato à Papa Felice iudicio, postea inefficaciter in Sacramentis, quæ Acatius vsurpauit, egisse: ac perinde eos metuere, qui vel in consecrationibus, vel in baptismate mysteria tradita susceperunt, ne irrita beneficia diuina videantur.

Primasius. 540.

Ad cap. 5. prioris ad Timoth. *Manus citò nemini imposueris.*) Non est leue peccatum, mittere margaritas ante porcos, & dare sanctum canibus, & ordinationem clericatus nequaquam sanctis, & in lege Dei doctissimis, sed asseclis suis tribuere, & vilium officiorum ministris.

Concilium Bracarense Secundum. 573.

Cap. 3. Placuit, vt de ordinatione clericorum Episcopi munera nulla accipiant, sed sicut scriptum est, quod gratis donante Deo accipiunt, gratis dent. Matt. 10.
Non aliquo pretio gratia Dei & impositio manuum venundetur: quia antiqua definitio Patrum ita de Ecclesiasticis ordinationibus statuit, dicens: anathema sit danti & accipienti.

Gregorius Magnus. 590.

Ad cap. 10. lib. 1. Reg. *Tulit Samuel lenticulam olei:* Hoc profectò hac vnctione exprimitur, quod in sancta Ecclesia nunc etiam materialiter exhibetur: quia qui in culmine ponitur, Sacramenta suscipit vnctionis. Quia verò ipsa vnctio Sacramentum est, is, qui promouetur, bene foris vngitur, si intus virtute Sacramenti roboretur, &c. Samuel Saul in principem vnxit, Deus autem ei cor aliud immutauit: Quia sacrorum ordinum Sacramenta ab Ecclesiæ Doctoribus foris accipimus, sed Sacramentorum virtute ab omnipotente Deo interius roboramur. Virtus verò Sacramenti gratia est Spiritus septiformis.

Ad cap. 16. lib. 1. Regum: Dauid in medio fratrum vngitur: quia electus Doctor de eo, quod singulari sublimitate sustollitur, singulari amore nequaquam gloriatur. Et quia per ministerium hominum spiritualia in electis rectoribus dona cumulantur, adiunctum est: *Et directus est Spiritus Domini in Dauid à die illa, & in reliquum.* Spiritus quippe Domini post vnctionem dirigitur: quia foris Sacramenta percipimus, vt intus sancti Spiritus gratia repleamur. Foris namque homo, intus Deus operatur, & non homo. Foris namque homo surgit, intus se Spiritus dirigit. Quia ordinem religionis homo homini præbet, sed in eum, cui ordo datur, Spiritus dirigitur, vt foris sublimitatem suscipiat ordinis, & intus robur sancti Spiritus. Foris ordo committitur, vt quæ Dei sunt, agere debeat: intus dirigitur Spiritus, vt quod iniungitur, potenter agat. Magnum quippe est onus ordinis, magna fragilitas carnis. Onus ergo tantum quia debili cõmittitur, dirigitur Spiritus, vt debi-

lis roboretur, & magnum onus tanto gratius ferat, quanto ipsum omnipotens Spiritus fortius ad ferendum iuuat.

Concilium Hispalense Secundum. 619.

Cap. 5. Relatum est nobis de quibusdam illius Ecclesiæ clericis, quorum dum vnus ad Presbyterium, duo ad Leuitarum ministerium sacrarentur, Episcopus eorum, oculorum dolore detentus, fertur manum super eos tantùm posuisse, & Presbyter quidam illis, contra Ecclesiasticum ordinem, benedictionem dedisse: sed quia ille examini diuino relictus, humano iudicio accusari non potest, hi, qui supersunt, & ab eo non consecrationis titulum, sed ignominiæ potiùs elogium perceperunt, ne sibi licentiam talis vsurpatio faciat, decreuimus, vt à gradu sacerdotalis vel Leuitici ordinis, quem peruersi adepti sunt, depositi, æquo iudicio abijciantur.

Isidorus Hispalensis. 620.

De diuinis officijs lib. 2. cap. 1. Omnes, qui in Ecclesiastici ministerij gradibus ordinati sunt, generaliter clerici nominantur: Cleros autem, vel clericos hinc appellatos Doctores nostri dicunt, quia Matthias sorte electus est, quem primùm per Apostolos legimus ordinatum, & sic omnes, quos illis temporibus Ecclesiarum principes ordinabant, sorte eligebant. Nam cleros Latinè sors interpretatur. Vnde & hæreditas Græcè cleronomia appellatur, eò quòd in sortem hæreditatis Domini dentur, vel pro eo, quòd ipse Dominus sors illorum est.

Beda. 700.

Quæstionum super librum Iesu Naue cap. 15 Clericorum possessio ob hoc se dici voluit Deus, quia ministri altaris ipsius effecti sunt, & sors. Propter quod & cleros sors interpretatur.

Auctor ordinis Romani. 730.

In Ordine, qualiter in Romana Ecclesia sacri Ordines fiant: *Præfatio Presbyterorum*: Oremus dilectissimi Deum Patrem omnipotentem, vt super hos famulos suos N.N. quos ad presbyterij munus elegit, cælestia dona multiplicet, & quod eius dignatione suscipiunt, ipsius consequantur auxilio. *Oratio:* Exaudi nos, quæsumus Domine, & super hos famulos tuos N.N. benedictionem sancti Spiritus & gratiæ sacerdotalis effunde virtutem, vt quos tuæ pietatis aspectibus offerimus consecrandos, perpetuam muneris tui largitatem consequantur. Da, quæsumus omnipotens Pater, in hos famulos tuos N.N. presbyterij dignitatem, innoua in visceribus eorum Spiritum sanctitatis, vt acceptum à te Deus secundi meriti munus obtineant, censuramq́; morum exemplo suæ conuersationis insinuent.

Alcuinus. 750.

De diuinis Officijs cap 35. κλῆρος Græcè, Latinè sors dicitur, vel hæreditas Domini. Qui ergo ad clericatus ordinem peruenit, Dei hæreditas esse debet: quia hoc debet semper præuidere, vt Dominum possideat, & ipse à Domino possideatur, vt possit dicere cum Psalmista: *Dominus pars hæreditatis meæ.* Inde ergò dicti sunt clerici, eò quòd de sorte Dei & hæreditate sint, si regulariter viuunt.

Haymo. 800.

Ad prioris ad Timotheum cap. 4. ad illa verba: *Noli negligere gratiam:*) Gratiam appellat hic fidem, & sapientiam, atque remissionem peccatorum, & sapientiam, atque remissionem peccatorum, & gratiam Episcopatus, quæ per prophetiam data est illi. Quia prophetiæ Spiritu reuelante cognouit beatus Paulus, Timotheum dignum esse Episcopali honore.

Ad cap. 12. ad Romanos: Presbyter es, non vsurpes Episcopi ministerium. Diaconus es, noli tibi vendicare aliquid ex officio Presbyteri: sic de cæteris ministris & gradibus intelligendum est.

Amalarius Treuirensis. 850.

De diuinis officijs lib. 2. cap. 6. Primò notandum est, eos Ordines, qui potissimum necessarij sunt in Ecclesia, Apostolum Paulum denominasse, & eorum mores depinxisse, sine quibus non potest ritè immolatio altaris celebrari, scilicet sine Sacerdote & Diacono, &c. Cæteri ordines his adiecti sunt. Crescente Ecclesia, creuit officium Ecclesiasticum: vt multitudini Ecclesiæ subueniri posset, adijciuntur inferiores in adiutorio Præpositorum.

Rabanus Maurus. 850.

De institutione Clericorum lib. 1. cap. 2. Clericorum ordo iure præponitur in Ecclesia, quia in sanctis deseruit, & Sacramenta populis dispensat. Sicut enim in veteri Testamento tribus Leui præ cæteris tribubus peculiariter Domino electa est, ad seruiendum illi per diuersa officia in tabernaculo, quod est Ecclesia præsens, vt seruiant ei die ac nocte in templo sancto eius, vt sint pro populo in his, qui ad Deum pertinent, doceantque populum Dei omnia præcepta eius, & offerant Deo dona ac sacrificia pro sua & populi ignorantia.

Regino Prumiensis. 920.

Lib. 2. Chronicorum de anno 870. Carolomannus, cùm adhuc esset puerulus, iussu patris attonsus, Clericus effectus est: deinde procedēte tempore, ad Diaconatus officium, quamuis inuitus & coactus in præsentia genitoris ordinatus est, legitque publicè Euangelium, & Pontifici Missam celebranti iuxta morem ministrauit. Post hæc per Apostasiam recedens ab Ecclesiastica religione, abijciens, & spernens negligenter gratiam, quæ ei data est per impositionem manus, alter Iulianus efficitur: collecta quippe prædonum non modica turba, Ecclesias Dei cœpit deuastare.

Luitprandus Ticinensis. 950.

Libro 1. cap. 8. Benedictio, quæ ministris Christi impenditur, non per eum, qui videtur, sed qui non videtur, sacerdotem infunditur. *Neque enim qui rigat, neque qui plantat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.*

Osbertus Anglus. 1020.

Vita S. Dunstani cap. 7. Dunstanus Monachus sine dilatione factus, & deinde legitimo tempore per Canonicas sacrorum Ordinum successiones, etiam ad sacerdotij gradum prouectus est.

Petrus Damianus. 1050.

Epist. 11. cap. 4. inuehens in sacerdotem luxuriantem: Enimuerò cùm Dominus dicat: *Nolite sanctum dare canibus*: quod de te iudicium erit, qui corpus tuum, quod vtique sanctum est per consecrationis accessum, non canibus, sed lupanaribus tradis, & cùm Matt. 7.
omnes Ecclesiasticos ordines in te vno habeas metuenda mole congestos, omnes procul dubio fœdas, dum te prostibuli permixtione commaculas. Polluis itaque in te Ostiarium, Lectorem, Exorcistam, omnesque deinceps sacros Ordines, pro quibus omnibus in districto Dei iudicio redditurus es rationem. Ad impositionem manus tuæ descendit Spiritus sanctus, & tu eam adhibes genitalibus meretricum?

Epist. 15. cap. 9. Tria profectò præcipua Sacramēta in sancta frequentata Ecclesia: Baptismus videlicet, corporis quoque & sanguinis Dominici salutare mysterium, & Ordinatio Clericorum, &c. Super ordinationibus Clericorum frequens idcirco disputatio non processit, quia duobus illis Sacramētis euidenter expositis, hæsitandi de tertio locum dubietas non inuenit.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epist. 180. Vt Sacramentum Ordinationis, quamuis ab ordinatoribus ordinationem illicitè vsurpantibus semel acceptum, manet in ordinatis: sic Sacramentum Coniugij, quamuis ab inobedientibus Presbyteris impositum, manet in coniugatis. Quia virtutem Sacramentorum cassare non possunt praua merita vsurpatorum.

Sermone de significationibus indumentorum sacerdotalium: Vnguntur manus Presbyteris & Episcopis, vt cognoscant se in virtute S. Spiritus hoc Sacramento gratiam consecrandi accipere, & opera misericordiæ erga omnes pro viribus exercere debere. Accipiunt hac vnctione claues regni cælorum, vt quæcunque ligauerint super terram, sint ligata & in cælis. His ita de ornatu sacerdotali & Pontificali breuiter prælibatis, admonendi estis, vt sicut Sacramenta profunda audistis, sic ea studeatis & corde intelligere, & opere implere.

Hildebertus Cenomanensis. 1100.

Epist. 11. Si vera sunt quæ dicuntur, promotionem tuam Canonica reijciunt, & deijciunt instituta. Quippe non elegit te clerus, sed minæ populares intrusere renitenti: Ordines tibi desunt, quos in promouendis cognouimus inquirendos. Est ætas, quam rigor Canonicus quia in consecratis metuit, à consecrandis excludit, &c. In summis sacerdotibus ætas integra postulatur: vnde nec periculum religio metuat, nec reuerentiam dignitas amittat. Præterea quisquis in sacris non fuit ordinibus inuentus, ad summum sacerdotium accedere Canonicis prohibetur Ecclesiæ institutis.

Hugo Victorinus. 1130.

Eruditionis Theologicæ de Sacramentis lib. 1. *cap.* 32. Post cætera Ecclesiæ Sacramenta de Ordinibus restat agendum. Septem sunt igitur Ordines ministrantium in Ecclesia, videlicet, Ostiarij, Lectores, Exorcistæ, Acolyti, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. *distinct.* 2. Iam ad Sacramenta nouæ Legis accedamus, quæ sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Vnctio extrema, Ordo, Coniugium.

Distinct. 24. Illi in quorum mentibus diffusa est septiformis gratia Spiritus sancti, cùm ad Ecclesiasticos Ordines accedunt, in ipsa spiritualis gradus promotione ampliorem gratiam percipere creduntur. Si autem quæritur, quid sit, quod vocatur Ordo? Sanè dici potest signaculum esse, id est, sacrum quoddam, quo spiritualis potestas traditur ordinato & officium. Character ergo spiritualis, vbi fit promotio potestatis, ordo vel gradus vocatur. Et dicuntur hi Ordines Sacramenta, quia in eorum perceptione res sacra, id est, gratia confertur, quam figurant ea, quæ ibi geruntur.

Stephanus Eduensis. 1180.

Præfatione in librum de Sacramento altaris: Filius Dei expleta dispensatione à Patre sibi credita, volens nobis relinquere omnia saluti necessaria, visibili materia ordinauit, & fieri præcepit inuisibilia Sacramenta: quorum virtus inuisibilem operatur effectum, hoc modo in Ecclesiasticis Sacramentis Spiritu sancto cooperante ordinatis, inuisibiliter operatur gratia septiformis. Licet enim vnus & idem sit Spiritus, qui in singulis prout vult operatur, tamen pro varietate distributionum assignatur diuisio gratiarum. Nam diuisiones sunt donorum pro qualitate suscipientium. Nulla igitur in Spiritu varietas, sed sine omni alteratione identitas. Hæc est pluuia voluntaria, qua aspergit hominem septiformis gratia. Prima custodit ostium cordis, & vitia introire non permittit: secunda quæ sint facienda scrutinio mentis legit, & deliberat, vt se & alios erudiat: tertia, &c. Sic fungitur in se homo vice Ostiarij, Lectoris Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, atque Sacerdotis: his virtutibus homo interior adornatur.

Cap. 9. *de Ordine Presbyterorum*: Propterea oleo sancto manus inunguntur, per quod gratia Spiritus sancti eis oblata significatur, & quòd abundent operibus misericordiæ designatur. In vnctione visibili, quæ est Sacramentum spiritalis vnctionis, datur potestas ligandi atque soluendi.

Innocentius Tertius. 1200.

Decretalium Gregorij Noni lib. 1. *tit.* 14. Cùm contingat interdum, quod laici ad Monasteria conuolantes, à suis Abbatibus tonsurentur, requisisti, an clericatûs ordo in tonsura huiusmodi conferatur, super quod tibi respondetur: quòd cùm in septima Synodo sit statutum, vt Lectores per manus impositionem licentia sit vnicuiq; Abbati in proprio Monasterio solummodò faciendi, dummodò ipsis ab Episcopo (secundùm morem præficiendorum Abbatum) manus impositio facta noscatur, & constet eum existere Sacerdotem per primam tonsuram iuxta formam Ecclesiæ datam, à talibus clericalis ordo confertur.

Constit. 83. Licet in ordinationibus Clericorum illam tui prædecessores diligentiam adhibuerint, vt minus idonei non ordinarentur à vobis, ac ideo post promotionem eorum exceptionem non poteris prætendere contra illos, nisi fortè, postea quam promoti fuerint, reddiderint se indignos, ex superabundanti tamen facimus in literis nostris apponi, vt si ordinatus, pro quo scribimus, idoneus habeatur, & Ecclesiastico beneficio non indignus, & ab ordinatore, vel successore eius competens beneficium tribuatur.

Edmundus Cantuariensis. 1230.

In speculo Ecclesiæ cap. 14. Quintum Sacramentum est Ordo, qui confert potestatem ordinatis ad faciendum suum officium, vt ad sacra celebrandum. Dominus namque Iesus optimus Deus dedit potestatem sacerdotibus, & Prælatis Ecclesię, vt alios adiuuarent, & in fide informarent, & ligarent, & soluerent à peccatis, & vt Sacramenta illius ministrarent, & præcipuè Sacramentum Eucharistiæ, quod censetur per virtutem verborum ab ore sacerdotis prolatorum.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Sacramento Ordinis cap. 1. Post hæc de Sacramento Ordinis, quod sexto loco superius nominauimus, per viam probationum & declarationum tractare tentabimus.

Cap. 2. Ordo est sanctitas prima, siue sanctificatiua, qua diuino cultui exercendo quis sanctificatur, ascribitur, & quodammodò intitulatur, vt in numero ministrorum eiusdem deinceps habeatur. Ordinari nihil aliud est, quàm ad diuini cultus ministerium Pontificali benedictione, & manuum impositione sanctificari.

Thomas Aquinas. 1250.

In Summa contra Gentiles lib. 4. *c.* 74. Manifestum est, quòd in collatione spiritualis potestatis quoddam Sacramentum. Ad diuinam autem liberalitatem pertinet, vt cui confertur potestas, ad aliquid operandum conferantur etiam ea, sine quibus huiusmodi operatio conuenienter exerceri non potest. Administratio autem Sacramentorum, ad quę ordinatur spiritalis potestas, conuenienter non fit, nisi aliquis ad hoc à diuina gratia adiuuetur. Et ideo in hoc Sacramento confertur gratia, sicut & in alijs Sacramentis. Quia verò potestas Ordinis ad dispensationem Sacramentorum ordinatur: inter

Sacramenta autem nobilissimum & consummatissimum aliorum est Eucharistiæ Sacramentum, oportet quòd potestas Ordinis consideretur præcipuè ad hoc Sacramentum.

In Supplemento q.34. art.3. Sacramentum nihil aliud est, quàm quædam sanctificatio homini exhibita cum aliquo signo visibili. Vnde cùm in susceptione Ordinis quædam consecratio homini exhibeatur per visibilia signa, constat Ordinem esse Sacramentum.

Guilhelmus Durandus.1280.

In Rationali Diuinorum lib.1. cap.9. Sacramentum dignitatis & voluntatis est ordo. Dignitatis, quia à solis Episcopis confertur, & quia non nisi dignus & dignè ad illud est. Voluntatis, quia sine illo quis saluari potest.

Durandus à S. Portiano.1310.

Lib.4. dist.2.q.1. Illud, per quod homo efficitur dispensator Sacramentorum est Sacramentum: quia causa non est deterior effectu: sed per Ordinem efficitur homo dispensator Sacramentorum. Ergo Ordo est Sacramentum.

Augustinus Triumphus Anconitanus.1320.

De potestate Ecclesiastica quæst.58. art.6. Sacramentum Ordinis est nisi vnum Sacramentum, non tamen est vnum nisi vnitate ordinis, quod ipsum nomen importat. Vnde paucitas vel plurificatio ordinum non facit in dicto Sacramento diuersitatem, sed finis, ad quem ordinatur, vtilitatem.

Franciscus Maronius 1320.

In lib.4. Senten. dist.24 Ad Ordinis Sacramentum quatuor requiruntur. Causa efficiens est Episcopus ordinatus, aliàs autem nihil faceret: causa materialis persona rationabilis, vtens ratione: causa formalis, signum sensibile, & verba certa ad hoc ordinata; causa finalis, ad conficiendũ Corpus Domini.

Guido Rocherius. 1333.

In manipulo Curatorum tract.1. part. primæ cap.3. Cùm character sit quædam potestas spiritualis, per quam recipiens Sacramentum imprimens characterem potest facere vel recipere aliquid spirituale, quod non potest ille, qui caret eo ordine: sicut Presbyter potest consecrare, quod non potest facere ille, qui non est Presbyter, & sic in alijs: ideo in quolibet Ordine imprimitur character.

Cap.4. Cùm in Sacramento ordinis character sit res & Sacramentum, oportet quòd ad impressionem characteris concurrant duo, quæ requiruntur in omni Sacramento, scilicet aliquod visibile, vel sensibile signum, quod est materia huius Sacramenti, & aliqua verba determinata, quæ sunt verba Sacramenti. In actu ergo, in quo imprimitur character in Sacramento Ordinis, oportet quòd sint ista duo, scilicet traditio alicuius instrumenti, deputati ad executionem illius Ordinis, & prolatio aliquorum verborum. In Ordine ergo sacerdotij imprimitur character secundùm Thomam in traditione calicis cum pane & vino, & prolatione verborum, quæ tunc dicit Episcopus, scilicet: *Accipite potestatem consecrandi.* In Diacono imprimitur character in traditione libri Euangeliorum cum his verbis, ad hoc deputatis, &c.

Thomas Argentinensis. 1350.

Lib.4. dist.24.q.1. art.2 Licet septem sint Ordines, tamen Sacramentum Ordinis tantùm est vnum, &c. Quando vnum Sacramentum non habet diuersos gradus, tunc ex talis Sacramenti collatione, secundùm diuersos suos gradus, poterunt diuersi conferri characteres. Et ideo per Sacramentum Ordinis, non obstante quòd sit vnum, possunt conferri septem characteres, si conferatur secundùm omnes suos gradus, secundùm quod in suo esse completo claudit in se septem Ordines, ex quibus resultat, tanquam vnum totum potestatiuum ex suis partibus.

Thomas VValdensis.1410.

Tomo 2. de Sacramento Ordinis cap.116. Ordo est Sacramenta ministrãtium habitudo legitima, cuique ministerij sui ratione conueniens. Et hoc modo non intelligitur nomen Ordinis, quod vsu sanctorum etiam suppositis in religione degentibus, sicut & altaris ministris ab antiquo fuit, & est vsque nunc generaliter applicatum, sicut scribit Homil.2. super numeros Origenes. Putasne qui sacerdotio funguntur, & in sacerdotali ordine gloriantur, secundùm ordinem suum incedant, & agant omnia, quæ in illo ordine dignum est? Similiter & Diaconi putas secundùm ordinem ministerij sui incedunt? &c.

Ioannes Gerson. 1420.

Sermone habito in Concilio Rhemensi Dominica 2. post Pascha: *Quomodo prædicabunt*, inquit Apostolus, *nisi mittantur?* Confunderetur enim penitus Ecclesiastica Hierarchia, si cuilibet indifferenter auctoritatiuum prædicationis officium laxaretur.

Concilium Florentinum 1439.

In Doctrina de Sacramentis: Sextum Sacramentum est Ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur Ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & pateną cum pane porrectione: Diaconatus verò per libri Euangeliorum dationem: Subdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: & similiter de alijs, per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotij: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro viuis & defunctis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et sic de aliorum Ordinum formis. Ordinarius minister huius Sacramenti est Episcopus.

Dionysius Carthusianus. 1460.

In Compendio Theologia Ordo, vt est Sacramẽtum Ecclesiæ, est sacrum signaculum, & spiritalis potestas data ministris Ecclesiæ ad consecrandum, tractandum, administrandumque alijs Ecclesiastica Sacramenta, ac documenta ad prolificandum in Ecclesia spiritualiter. Ad Sacramentum etiam Ordinis sex concurrunt. Primùm est Potestas ordinantis, quem oportet Præsulem esse. Secundum est vnctio, & contactus eorum, qui ordinantur, & tangendorum in ipsa Ordinatione. Tertiũ ordo & tenor verborum ab ordinante proferendorum. Quartum intentio ordinantis & ordinati. Quintũ sexus virilis, quia mulier non est capax Ordinis sacri. Sextum, quòd ordinandus sit baptizatus.

Hieronymus Sauonarola. 1480.

De veritate fidei lib.3. c.16. Sicut sacerdotij officiũ ad duo se extendit, videlicet ad Corporis Christi consecrationem, & ad fidelium purgationem, vt hi à peccatis absoluti, ad perceptionem Eucharistiæ reddantur idonei: ita inferiores oportet ordines in vtroque, vel in altero tantùm obsequium illi præstare, &c. Inferiores ordines populo tantùm præparando incumbunt. Ostiarij quidem infidelibus à cœtu fidelium coercendis: Lectores instruendis in fide Catechumenis: Exorcistæ verò dæmonibus ab iurandis, & ab ijs, qui instructi iam sunt, procul expellendis. Superiores autem ordines ad præparationem populi, consummationemque Sacramenti sacerdotio subministrant. Acolythi enim vasa non consecrata procurant, & in his Sacramenti materiam præparant: Subdiaconi materiam nondum consecratam in vasis iam sacris disponunt: Diaconi verò ministeriũ habẽt super materiã iã consecratã, quatenus Christi sanguinẽ fidelibus dispensent. Propterea hi tres Ordines: Sacerdotalis videlicet, Diaconatus, & Subdiaconatus sacri dicũtur, quia sup aliquo sacro officiũ acceperũt.

ARTICV-

ARTICVLVS SECVNDVS.

PRESBYTEROS EPISCOPIS ESSE INFERIORES, DIACONIS SVPERIORES, OMNI HONORE DIGNOS, SOLOS CORPVS ET SANGVINEM DOMINI CONFICERE, PECCATA LIGARE, ET SOLVERE, SI MODO RITE ſint ordinati.

NEGANT.

Anno poſt natū Chriſtum

360. A*ERIVS Epiſcopos & Presbyteros eoſdem eſſe dicebat*. Epiphanius & Auguſtinus.

370. *Donatiſta in contemptum miniſterÿ raſerunt capita Sacerdotum*. Optatus Mileuitanus lib. 2.

800. *Pauliciani Sacerdotes Eccleſia non recipiunt*. Euthymius in Panoplia.

1110. *Tandemus Sacerdotalem gradum nihil eſſe dicebat*. Robertus Montanus appendice ad Sigebertum.

1180. *VValdenſes dicunt quòd auctoritatem abſoluendi, & confeſſiones audiendi habent à nullo niſi à ſolo Deo: quam habent non ſacerdotes, ſed puri laici de ſecta eorum, qui poſſunt volentes eis confiteri audire & abſoluere de omni peccato: & ſic laici, & non ſacerdotes confeſſiones audiunt, & confeſſos de peccatis abſoluunt*. Guido de VValdenſibus hæreſi 5. Æneas Syluius hiſt. Bohemicæ cap. 35.

1320. *Marſilius Patauinus dicebat, nec Presbyterum ab Epiſcopo, nec Epiſcopum à Presbytero differre*. Bernard. Lutzenb.

1350. *Richardus Armachanus*, cap. 5. in 11. librum de quæſtionibus Armeniorum, *docere conatur, in primitiua Eccleſia inter Epiſcopos & ſimplices ſacerdotes nullam fuiſſe diſtinctionem*. Contra hunc VVidefortus ſcripſit.

1420. *Hieronymus Pragenſis docuit homines vtriuſque ſexus poſſe conficere, confeſſiones audire, & quæcunque alia Sacramenta (prolatis modò aptis verbis) efficere atque conferre: eaq; maioris eſſe virtutis & efficacia, quàm illa, quæ à Presbyteris Romana Eccleſia conſecrantur*. Articulo 13. apud Cochlæum hiſt. Huſsiticæ libro 3.

1520. Martinus Lutherus in Captiuitate Babylonica cap. de Ordine: *Eſto certus, & ſeſe agnoſcat, quicunque ſe Chriſtianum eſſe cognouerit, omnes nos æqualiter eſſe ſacerdotes: hoc eſt eandem in verbo, & Sacramento quocumque habere poteſtatem: verùm non licere quenquam hac ipſa vti niſi conſenſu communitatis, vel vocatione maioris. Quod enim omnium eſt communiter, nullus ſingulariter poteſt ſibi arrogare niſi vocetur.*

Ad ſenatum Pragenſem. *Sacerdos in nouo Teſtamento non fit, ſed naſcitur: non ordinatur, ſed creatur: naſcitur autem in baptiſmo, ſuntq; prorſus omnes Chriſtiani ſacerdotes.*

Libro de Clauibus: *Ceſſent hominum mendacia, claues ſunt totius Eccleſia, & cuiuslibet membri eius tam iure, quàm vſu & omnibus modis.*

De abroganda Miſſa priuata: *Inuictis Scripturis firmabimus legitimum illud & vnicum verbi miniſterium eſſe & conuenire omnibus Chriſtianis, ſicut & ſacerdotium & ſacrificium.*

1550. Ioannes Caluinus epiſt. 190. *Totum ſacerdotium Papiſticum non ſolum impia eſt veri myſterÿ profanatio, ſed execrabilis in Chriſtum contumelia, vt quiſquis eſt ſacerdos Papalis, donec titulum illum abiecerit, Chriſti ſeruus eſſe non poſſit.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Ioan. 20. *Verſ.* 21. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cùm dixiſſet, inſufflauit, & dicit eis: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.

Actor. 14. 22. Et cùm conſtituiſſent (*Apoſtoli*) illis per ſingulas Eccleſias presbyteros, & oraſſent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt.

1. *Timoth.* 5. 17. Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina.

Ad Titum 1. 5. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut ego diſpoſui tibi.

1. *Petri* 5. 1. Seniores ergo qui in vobis ſunt, obſecro, conſenior & teſtis Chriſti, paſſio-

nium, &c. 2. Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè, secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè: neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Canone Apostol.2. Presbyter ab vno Episcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui Clerici.

Constit. Apostol.lib.2.cap.28. Presbyteris, si assiduè in studio docendi verbum Dei laborauerint, seponatur dupla etiam portio in gratiam Apostolorum Christi, quorum locum tenent, tamquam consiliarij Episcopi & Ecclesiæ corona. Sunt enim consilium & senatus Ecclesiæ.

Cap. 33. Si de parentibus secundùm carnem ait diuina Scriptura: *Honora patrem & matrem, vt bene sit tibi.* Et: *Qui maledicit patri aut matri, morte moriatur*: quanto magis de patribus spiritualibus verbis Dei moneamur, honore & charitate eos prosequi, vt beneficos & ad Deum legatos? qui nos per aquam Deo regenerauerunt, Spiritu sancto impleuerunt, lacte verbi Dei aluerunt, & doctrinæ alimento nutriuerunt, monitis stabilierunt. Exo.20.

Cap. 34. Quanto anima corpore præstantior est, tanto est sacerdotium regno excellentius. Ligat enim, aut soluit supplicio, vel remissione dignos.

Lib. 8. cap. 16. Cùm Presbyterum ordinas Episcope, impone ipse manum capiti Presbyteri, astantibus tibi Presbyteris & Diaconis, & faciendo precationem dic: Domine omnipotens Deus noster, respice hunc famulum tuum, suffragio & iudicio totius cleri ordini presbyterorum ascriptum, impleque illum spiritu gratiæ & consilijs, ad opitulandum populo tuo, ad eumque mundo corde gubernandum, sicut respexisti populum tuum electum, & sicut Moysi seniores eligere iussisti, &c.

Cap. 28 Presbyter benedicit, non benedicitur; benedictionem accipit ab Episcopo, aut compresbytero: item dat compresbytero: manum imponit, sed non ordinat, neque deponit: Excommunicat autem eos, quos habet infra se, si huiusmodi pœna teneantur.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiastica Hierarch. cap. 1. Sacerdotij quidem nostri functionem, sanctissime fili Timothee, augustioris esse ac diuinæ, & diuinitus indultæ scientiæ actionisque & perfectionis, his, qui sacratioris doctrinæ institutionem ex sacerdotalibus mysterijs traditionibus acceperunt, de sanctarum Scripturarum maiestate necessario demonstrare institui, &c. Habitu præterea & actione dignissima donat, diuini scilicet virtute sacerdotij, ex qua dum ad sacerdotale sacrosanctum munus accedimus, superioribus virtutibus propinquamus, imitando pro viribus illam constantiam ac perpetuam firmitatem.

Cap. 5. Sacerdotum illuminans ordo ad contuenda sacra mysteria eos, qui initiantur, adducit, sub sanctorum tamen Pontificum ordine, cum quibus propria officia peragit.

Epist. 8. ad Demophilum Nefas est sacerdotem à ministris (qui eis superiores sunt) atque tui ordinis viris iudicari: etiam si impius in diuina esse videatur, etiamsi aliquid ex ijs, quæ interdicta sunt, egisse deprehendatur.

Ignatius. 100.

Epistola ad Smyrnenses Sacerdotium est omnium bonorum, quæ in hominibus sunt, apex: qui aduersus illud furit, non hominem ignominia afficit, sed Deum & Christum Iesum primogenitum, qui natura solus est summus sacerdos Patris.

Epistola ad Ephesios: Memorabile sacerdotum vestrorum collegium, dignum Deo coaptatum est, consentitque Episcopo vt chordæ ipsi cytharæ: ita colligati consensu & concordi charitate.

Polycarpus. 140.

Epist. ad Philip. Subiecti estote Presbyteris, & Diaconis, sicut Deo & Christo.

Iustinus. 160.

Dialogo cum Tryphone: Neque verò à quoquam Deus hostias accipit, nisi à suis sacerdotibus.

Irenæus. 180.

Libro 4. cap. 20. Sacerdotes sunt omnes Domini Apostoli, qui neque agros, neque domos hæreditant hîc, sed semper altari & Deo seruiunt.

Cap. 43. Quapropter eis, qui in Ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his, qui successionem habent ab Apostolis, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundùm placitum Patris acceperunt. Reliquos verò, qui absistunt à principali successione, & quocunque loco colliguntur, suspectos habere, vel quasi hæreticos & malæ sententiæ, vel quasi scindentes, & elatos.

Origenes. 230.

Homilia 6. super Leuiticum. Requiritur in ordinando sacerdote & præsentia populi, vt sciant omnes & certi sint, quia qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium, & hoc astante populo, ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. Hoc est autem, quod & Apostolus præcepit in ordinatione sacerdotis dicens: *Oportet autem illum testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt.* 1.Tim.3.

Homilia 3. in Cantica: Puto quòd conuenienter hi, qui Episcopatum bene administrant, in Ecclesia trabes dici possunt, quibus sustentatur & tegitur omne ædificium, vel ab imbrium labe, vel ab ardoribus solis. Secundo autem horum loco tigna Presbyteros opinor appellari. Et trabes quidem dici cypressos, quibus & fortitudo robustior, & odor suauitatis inest, per quod & in operibus solidum, & in doctrinæ gratia fragrantem designat Episcopum. Similiter autem & tigna cedros appellauit, vt per hoc incorruptionis virtutis & odoris scientiæ Christi plenos designaret debere esse Presbyteros.

Pamphylus Martyr. 290.

Apologia pro Origene Ita constanter, ita fortiter dimicauit, vt omnia hæreticorum diabolicæ machinationis fundamenta subuerterit: non studiorum laborem, non continentiæ, non institutionis, non humilitatis, quæ supra cæteras virtutes eius omnes maximam gratiam continet, non illud certè considerantes, quod presbyterij dignitate in Ecclesia honoratus est.

Eusebius Cæsareensis. 320.

Ecclesiast. Histor. lib. 6. cap. 13. Non longo temporis interuallo interiecto, vbi intestinum & ciuile bellum non exiguum quidem Alexandriæ exardescebat, egressus est Origenes Alexandria, & cùm non

satis

satis tutò se in AEgypto commorari posse putaret, iter capit in Palæstinam, & Cæsareæ ludum aperit. Vbi licet nondum presbyterij gradu potitus, ab Episcopis, qui ibi erant, non ad disputandum solùm, sed ad Scripturas etiam aperiendas magnopere in communi Ecclesiæ consessu rogatus est.

Cap. 17. Origenes necessitate negotij cuiusdam Ecclesiastici obeundi flagitante, in Græciam per Palæstinam iter fecit, & Cæsareæ per manuum Episcoporum impositionem munus suscepit presbyterij.

Concilium Neocæsareense. 320.

Can. 9. Si presbyter, qui corpore prius peccauerat, promotus fuerit, & si ante ordinationem peccasse confessus fuerit, ne offerat, manens in aliis, propter aliud eius bonæ vitæ studium. Reliqua enim peccata dicunt multi manuum impositione tolli. Quòd si ipse non confiteatur, apertè autem conuinci non potuerit, illius quoque ei fiat potestas.

Can. 11. Presbyter ante triginta annos non ordinetur, etiamsi fuerit homo valdè dignus, sed reseruetur. Dominus enim Iesus Christus in trigesimo anno baptizatus est, & cœpit docere.

Synodus Nicena prima. 325.

Can. 60. *ex Arabico translato*: Si qui sunt ex diœcesi ad sacerdotium, id est, ad sacros ordines eligendi, primùm quidem adducendi sunt ad Episcopum, postea examinent eos Archidiaconus, & Chorepiscopus, & videant an idoneè, & intelligenter legant Scripturas, & an sciant leges sacerdotales, & statuta Ecclesiæ. Qui si fuerint verè approbati, quòd ipsi sciunt ista, sintqúe verè digni sacerdotio, & à Deo, qui nouit secreta, electi, orabunt pro ijs orationem solitam, vt fiant digni remissione, & accipiant indulgentiam. Postea adducendi sunt ad Episcopum, vt imponat eis manus, & benedicat, eosqúe ordinet: qui cùm erunt ordinati, debet Archidiaconus adducere eos ad Chorepiscopum, vt moneat eos, ne ministrent in ministerio sacerdotali, id est, sacrificij, sed tantùm orationis, donec didicerint omnes leges sacerdotij, & postea veniant ad Chorepiscopum, vt videat, an in hoc profecerint, & iterùm eos de hoc admoneat. Non enim licet, vt vllus ex sacerdotio ministret in sacello, siue capella Diœcesis, sine licentia Chorepiscopi. Quandoquidem ipse est caput illorum. Et si ordinatus non fuerit prope; qui fuerint ordinati, accipiant literas à Chorepiscopo ad Archidiaconum, qui debet tunc suscipere curam eorum, in ijs, quæ ad statuta Ecclesiæ pertinent. Neque debet Chorepiscopus dare illis vllius ministerij curam, secundùm ordinem Ecclesiæ. Nec Episcopus nec Chorepiscopus debent eos à clero remouere sine Archidiacono. Si quidem ipse est, vt ante diximus, nutritus in ciuitate, & habet totius populi notitiam, præestqúe officio orationis, & omnibus Diaconis Et quando Episcopus proficiscitur ad villam seu castellum diœcesis, nulli debet Chorepiscopus permittere, vt sine licentia Archidiaconi ordinetur. Nec Episcopus, nec vllus alius sacerdotem ordinare debet, neque religiosum facere, nisi præsente Chorepiscopo. Siquidem ipse quoque præest officio orationis, & cæteris omnibus, quæ in villis suis fiant. Et quicunque non paruerit, Synodus eum excommunicat.

Athanasius. 350.

In vita D. Antonij: Beatus Antonius ipsos presbyteros ac sacerdotes in summa veneratione dicitur habuisse, solitusqúe ijsdem caput submittere, benedictionem captare, & pro magno beneficio ducere, si accepisset.

Epistola ad omnes vbique Orthodoxos, cùm per Arianos persecutio fieret. Obsecro vos igitur, ne tanta facinora leuia aut negligenda putetis. Certè illa indignitas rerum in causa est, quòd populi sacerdotesqúe seorsim sine synaxibus viuant, taciti quidem ob vim præsidis, animo tamen impietatem Arianorum execrantes.

Ephrem. 370.

De Sacerdotio: Sacerdotium audacter è terra sursum in cælum volitans, ascendit ad Deum, donec ipsum contueatur inuisibilem, procedensqúe ante excelsum thronum, instanter pro seruis orat Dominum, lachrymas & gemitus conseruorum deportans, proprioqúe similiter Domino feruentem deprecationem simul, & pœnitentiam offerens, misericordiam & indulgentiam à Rege misericorde postulans, vt Spiritus sanctus pariter descendat, sanctificetqúe dona in terris proposita: cumqúe oblata fuerint tremenda mysteria, immortalitate plena, præuio sacerdote orationem pro cunctis faciente, tunc animæ accedentes, per illa tremenda mysteria macularum purificationem accipiunt, &c. O potestas ineffabilis, quæ in nobis dignata est habitare, per impositionem manuum sacrorum sacerdotum. O quàm magnam in se continet profunditatem formidabile & admirabile sacerdotium, &c.

Basilius Magnus. 370.

De Baptismo cap. 8. Nobis quoque periculum est malè obiti mandati, si loci rationem neglexerimus: maximè si sacerdotij mysteria in locis prophanis celebrauerimus: propterea quòd ea res iudicium haberet contemptus in celebrante, offendiculum quoque generaret pro varietate affectionum, &c. Secundùm prophetiam hostiæ eum, qui diligenter ac studiosè ad sacerdotium gloriosi mysterij obeundum propensus est, Deo dicare oportet. Nam etiamsi audiamus Prophetam dicentem: *Vos autem omnes sacerdotes Dei vocabimini:* neque tamen omnes mox huiusce sacerdotij ac ministerij potestatem vsurpamus, neque alius alij datam gratiam licitè potest ad se rapere, sed quisque fidelium proprijs doni Dei terminis contentus manet, &c.

Ad Esaiæ cap. 3. *Et seniorem.)* Inter ea, quæ comminatur Dominus, est & ablatio presbyteri siue senioris, quòd ex senioris præsentia non mediocre emolumentum in alios resiliat. Quisquis igitur præsidentia cathedræ dignus censetur, iamqúe ascriptus est ordini presbyteratus, qui talis est presbyter, aut circumfert characterem presbyterij, par est eum vel maximè esse irrepræhensibilis vitæ, & expertem vxoris.

Gregorius Nazianzenus. 380.

In Apologetico seu oratione 1. Et quis est, qui contra hæc omnia celeritatem potius, quàm securitatem, & vtilitatem exposcat? Quis est, qui veritatis propugnatorem vnius diecula spatio, velut è luto statuam fingit, illum inquam, qui cum Angelis stabit, cum Archangelis glorificabit, ad supernum altare sacrificia transmittet, cum Christo sacerdotio fungetur, figmentum instaurabit, imaginem exhibebit superno mundo, opificem aget, &, vt quod maius est dicam, Deus erit, aliosqúe Deos efficiet.

Oratione 19. *quæ est in laudem patris*: Pristinis vestigijs hæsit, adeò vt inter se vtraque pulchrè conuenirent, nempe & ea, quæ sacerdotium præcesserant, cum his, qui in sacerdotio rectè & præclarè gessit, & ea, quæ post susceptum sacerdotium secuta sunt, cum ijs quæ præcesserant. Sacerdotium autem suscepit non ea facilitate, ac confusione, quæ nunc viget, sed nonnullo interiecto temporis spatio.

Oratione 20. *quæ est in laudem Basilij:* Cùm Basilius prius sacros libros populo lectitasset, qui eos

postea enarrauit, nec hunc sacerdotij gradum indignum se duxisset, ita demum in Presbyterorum, ac deinde in Episcoporum cathedra Dominum laudat: nec hanc potestatem furatus, nec ea per vim potius, nec humano fauore, sed diuinitus ac Dei gratia sacerdotium consecutus.

Oratione 21. quæ est in laudem Athanasij: Sic porrò educatus & institutus, vt nunc quoque eos oportet, qui plebis Antistes futuri, magnumquè Christi corpus tractaturi sunt, secundùm magnum Dei consilium & præscientiam, quę magnarum rerum materiam longè ante præstruit, in magnum hunc sacerdotum ordinem cooptatur, atque in eorum, qui appropinquanti Deo appropinquant, numerum ascribitur, ac sacrosanctę stationis & ordinis honore afficitur, cunctisquè Ecclesiasticorum graduum muneribus deinceps perfunctus, Alexandrino populo præficitur.

Carmine ad Episcopos:

O qui sacra Deo offertis non tincta cruore,
Clari custodes animarum, quiquè Tonantis
Figmentum manibus regitis mirabile vestris,
Quiquè Deum humano generi sociatis in vnum,
Lux vitæ, fidei culmen, fundamina mundi,
Doctores vitæ, nullo quæ clauditur æuo,
Christiferi, solijs praclaris quiquè sedetis
Sublimes, &c.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione de S. Baptismate: Eadem verbi vis etiam sacerdotem augustum & honorandum facit, nouitate benedictionis à communitate vulgi segregatum. Cùm enim heri ac tempore superiori vnus è multitudine ac plebe esset, repente redditur præceptor, præses, doctor pietatis, mysteriorum latentium præsul, eaquè contingunt ei, cùm nihil vel corpore vel forma mutatus, sed quod ad speciem externam attinet, ille fit, qui erat, inuisibili quadam vi ac gratia, inuisibilem animam in melius transformatam gerens.

Oratione in eos, qui alios acerbius iudicant: Sacerdos est aliquis, populiquè regendi munus sortitus est? priuatorum casus commiseréatur, memineritquè, se quamuis dignitate præstet ijs, quos gubernat & regit, naturam tamen eandem habere, ideoquè posse aliquando in eosdem errores incidere, &c. Alius non est sacerdos, sed vnus è populo? caueat ne grauius iudicando iugum subeat. Nam si is, qui ad expiandum populum delectus est, indiget ipse expiatione, quid fiet illi, qui eiusmodi munus non sustinet? &c. Tam alienus à cædendi acerbitate sacerdos esse debet, tamquè promptus & paratus ad excolendam humanitatem, vt etiamsi Dominus aliquem, vti plantam inutilem, excindere iubeat, ipse tamquam institor debeat supplicare, vt ignoscat parumper, & sententiam differat.

In vita Gregorij Thaumaturgi cap. 14. Hæc cùm dixisset, Deo virum offert per sacerdotium, cùm eum pro more initiatum gratia consecrasset. Omnibus itaque nouum Sacerdotem intuentibus, is rogatus vt verba faceret ad Ecclesiam, statim ab exordio ostendit Alexander, non falsum de eo Gregorij fuisse iudicium.

Epiphanius. 380.

Contra Aërianos hæresi 75. Presbyterorum ordo, cùm possit generare patres, per lauacri regenerationem generat filios Ecclesiæ.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 5. de verbis Esaiæ. *Vidi Dominum*, &c. Sacerdotium principatus est ipso etiam regno venerabilius ac maius Ne mihi narres purpuram, neque diadema, neque vestes aureas, vmbræ sunt isthæc omnia, vernisquè flosculis leuiora. Omnis enim, inquit, gloria flos graminis, etiamsi ipsam gloriam regalem dixeris. Ne, inquam, mihi narres ista, sed si vis videre discrimen, quantum absit rex à sacerdote, expende modum potestatis vtrique traditæ, videbis sacerdotem multò sublimius rege sedentem. Quamquam enim nobis admirandus videtur thronus regius, ob gemmas affixas, & aurum, quo obcinctus est: tamen rerum terrenarum admonitionem sortitus est, nec vltra potestatem hanc præterea quicquam habet auctoritatis: verùm sacerdoti thronus in cælis collocatus est, & de cælestibus negotijs pronuntiandi habet auctoritatem. Quis hæc dicit? Ipse cælorum Rex: *Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Matt. 18
Quid cum hoc honore conferri possit? A terra iudicandi principalem auctoritatem sumit cælum. Nam iudex sedet in terra, Dominus sequitur seruum, & quicquid hic in inferioribus iudicarit, hoc ille in supernis comprobat. Itaque medius stat sacerdos inter Deum & naturam humanam, illinc venientia beneficia ad nos deferens, & nostras petitiones illuc perferens: Dominum iratum reconcilians vtrique naturæ, nos, qui offendimus, eripiens ex illius manibus. Eoquè Deus ipsum regale caput sacerdotis manibus subiecit, nos erudiens, quòd hic princeps est illo maior. Siquidem id quod minus est benedictionem accipit ab eo, quod est præstantius.

Lib. 3. de Sacerdotio: Si quis consideret quantum id sit mysterium, vt is scilicet, qui homo ipse sit, carne ac sanguine etiamnum constans, ijsquè inuolutus, beatæ ac immortali naturæ illi fieri propior queat, tum probè intelliget, quanto sacerdotes honore, quanta dignitate, Spiritus sancti gratia dignata fuerit: Operantibus enim illis, tum sacra hæc, quæ dico, initiantur perficiunturquè: tum etiam alia his nihilo inferiora, quæ ipsa ad dignitatis salutisquè nostrę rationem spectant. Etenim qui terram incolunt, atque in ea versantur, his commissum est, vt ea, quæ in cælis sunt, dispensent: ijs datum est, vt potestatem habeant, quam Deus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit. Neque enim ad illos dictum est: *Quæcunque alligaueritis in terra, erunt alligata & in cælo: & quæcunque solueritis in terra, erunt soluta & in cælo.* Matt. 16 & 18.
Habent quidem & terrestres principes vinculi potestatem, verùm corporum solum. Id autem quod dico sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cælos vsque peruadit: vsque adeò vt quæcunque infernè sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac seruorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cælestium potestatem à Deo Filio illis traditam? Nam quasi iam in cælum translati, ac supra humanam naturam positi, atque nostris ab affectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt.

Synesius. 400.

Epist. 66. Alexander Cyrenensis, senatorij ordinis, cùm adhuc adolescens esset, ad vitam solitariam se contulit. Cum ætate autem simul instantia solitariæ vitæ procedente, dignatus quidem est Ecclesiastico ministerio, dignatus est autem presbyteri gradu.

Palladius. 400.

Historia sanctorum Patrum cap. 7. Sunt octo presbyteri, qui præsunt huic Ecclesiæ, in qua quamdiu viuit primus presbyter, nullus alius offert, nec iudicat, nec habet sermonem: sed tacitè solum cum eo sedent.

Cap. 89. Chronius dignus fuit habitus presbyteratu, & cùm sexaginta annis aræ assedisset, fungens sacerdotio, non egressus est è deserto.

Nilus Abbas. 420.

In quodam fragmento parænetico: Non oportet sacerdotes iustè vel iniustè iudicare, vel eos examinare: sed etsi quis in eis labitur, à Deo iudicabitur, & arguetur in hoc, & in futuro seculo, vel à maiori sacerdote. Sacerdos non est, qui pro sacerdotis dignitate non viuit. Audiendi sunt Doctores & sacerdotes dum docent ex diuinis Scripturis, vt Deo placet, & non secundùm proprias cupiditates, vt scriptum est, & non decet iudicare ipsos, etiamsi malam vitam habeant. Et si in fide quidem labantur, tunc non oportet credere, sed eos etiam fugere ac iudicare. Deus quidem non omnes ordinat, sed per omnes operatur, vt seruetur populus. Assuescédo sacerdotes contemnere, Deum quoque contemnimus. Et quemadmodum in periculo versatur is, qui secundùm mundum nec exercitus, nec dignitas regia commissa est, si ea agat, quæ ad regiam dignitatem pertinent: ita & qui quæ sunt sacerdotis munera aggreditur, etiam si videatur ijs longè sapientior.

Apud Damascenum lib. 2. Paral. cap. 25. Tanto sublimius est regno sacerdotium, quanto spiritus carne præstantior.

Ioannes Cassianus. 430.

Collat. 4. cap. 1. Beatus Paphnutius in tantum huius Danielis virtutibus adgaudebat, vt quem vitæ meritis & gratia sibi parem nouerat, coæquare sibi etiam sacerdotij ordine festinaret. Siquidem nequaquam ferens in inferiore eum ministerio diutius immorari, optansqúe sibimet successorem dignissimum prouidere, superstes eum presbyterij honore prouexit. Qui tamen prioris humilitatis consuetudinem non omittens, nihil vnquam sibi illo præsente de sublimioris ordinis adiectione donauit: sed semper Abbate Paphnutio spiritales hostias offerente, hic velut Diaconus, in prioris ministerij permansit officio.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De recta in Deum fide ad Reginas Cōmentario 1. Sanè quibus sacri ministerij prouincia concredita est, ij soli Deo ministrant: neque enim hominibus sacerdotes assistunt, sed Deo.

Comment. 2. Qui in sacerdotum ordinem asciti, eam sortiti sunt prouinciam, vt Christi omnium Seruatoris mysteria edisserant, populoq́ proponant.

Epistola ad Atticum: Professione nostra indignum est, vt sacerdotij nomen nihil esse, & rem ipsam communem omnibus esse, quæ tamen ijs solis, qui ad eam vocati sunt, asseruata est, dicamus.

Socrates. 440.

Lib. 1. cap. 20. In ista regione Ischyras facinus, quod multis mortis generibus mulctandum fuerat, ex occulto aggressus est. Nam cùm nunquam sacris fuisset initiatus, presbyteri nomen ipse sibi imposuit, sacerdotisq́ munera obirè ausus est. In quo quidem facinore deprehensus, clam aufugit, & rectà Nicomediam profectus, ad Eusebium tamquam ad profugium incendebatur, eum vt presbyterum recipit, ei Episcopatus dignitatem, modò Athanasio crimen inferret, pollicetur.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 1. epist. 151. Dei sacerdos, quoniam ad Deum appropinquat, animalium illorum multis oculis præditorum in morem, omni ex parte oculus esse debet, eorum instar nihil nesciens. Quoniam igitur inscitia laboras, leniter disce, nec clarissimum sacerdotium infama: quod contumelia afficis, vt qui inertia & nundinatione omnes prodideris.

Epist. 349. Si munus verè Deo offerre cupis, muneris sequestrum ne aspernare: cuius administris manibus vti Deus pro sua benignitate minimè dedignatus est. Sacerdos enim, etiamsi inertis atque ignauæ vitæ, vt asseritis, maculis contaminatus est, ipse quidem pœnas luet: interim tamen Angelus Domini omnipotentis est: tum quia diuini sacrificij munere perfungitur, tum quia multorum saluti operam nauat.

Lib. 2. epist. 52. Diuina quidem res est sacerdotium, ac rerum omnium præstantissima. In illud autem ij maximè omnium contumeliosi sunt, qui malè illud ac sceleratè administrant. Quos etiam sacerdotio fungi omninò non oportebat, ne stulti atque amentes homines eorum, qui improbè ac flagitiosè id muneris gerunt, crimina in sacerdotium conuertere auderent.

Epist. 200. Qui sacerdotij corona redimitus est, si quidem propriè loqui volumus terrenarum rerum procurator verius est, quàm is, qui purpuram gestat. Etenim ille animis, hic corporibus dominatur. Quòd si suæ dignitatis, vel, vt rectius loquar, officij ac ministerij ignoratione laborans, animarum quidem nullam curam gerat, parietes autem & columnas duntaxat curet, luxuriæ ac delicijs se addicat, seipsum profectò, non sacerdotium ignominia afficit. At stultorum muli pro eo, atque illud quidem diuinis honoribus efferre, hunc autem accusare debebant, totam accusationem in illud conuertunt.

Theodoretus. 450.

Historia religiosa cap. 13. de Macedonio: Postquam magnus fuisset ordinatus Flauianus, vt magnum Dei gregem pasceret, viri autem virtutem didicit, eum abducit in vertice montis. Cùm autem mysticum esset propositum sacrificium, adducit ad altare, & cooptat in numerum sacerdotum.

Cap. 15. de Acepsima: Cùm autem Ecclesiæ venisset Antistes, eum quidem vrgebat, vt iugum acciperet presbyterij: Noui, dicens, ô pater, & tuæ philosophiæ altitudinem, & quanta sit mea paupertas: sed cùm mihi sit credita pontificatus administratio, ex hac, non ex illa ordino manus imponens. Accipe ergo, inquit, donum sacerdotis, mea quidem dextra ministrante, sanctissimi autem Spiritus gratia suppeditante. Ad hæc fertur dixisse, paucis post diebus hinc migraturus: De his, inquit, minimè decertabo. Si enim essem diutius victurus, omninò fugissem hoc graue & terribile onus sacerdotij, pertimescens reddendum depositi rationem. Quoniam autem non ita diu abhinc recedam, ijs, quæ hîc sunt, relictis, iussis non inuitus pareo. Statim ergo nullo ducente hic quidem flectens genua, expectabat gratiam: ille verò manum imponens, erat administer Spiritus. Cùm autem accepto sacerdotio vixisset paucos dies, vita vitam mutauit, senijq́ & curæ expertem pro hac, quæ multis curis est obnoxia, accepit.

Procopius Gazæus. 530.

In Exodum folio 308. Sacerdotum excedit omne humanum fastigium, quod Christi supra naturam particeps est. Proinde à terræ contagio abscindens sacerdotes, ascribit eos cælo dicens: *Ne vocaueritis vobis patrem super terram. Vnus enim vobis Pater est in cælis.*

In Numer. fol. 45. Præclara & suspicienda res est sacerdotium, in quo omnia illustrat Deus, & principium, & finem, & successum.

Iustinianus Imperator. 530.

Nouella 123. cap. 15. Presbyterum minorem viginti quinque annorum fieri non permittimus.

Isychius. 580.

In Leuiticum lib.1.cap.4. Non idonei fumus peccata nobismetipsis dimittere: Christus autem nobis propitiationem perfecit. Vnde & eius voce sacerdotes in Ecclesiam, vtpote eius officium subeuntes, Matt.16 quibus in persona Apostolorum dicebat: *Quorum remiseritis peccata, dimissa sunt: & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Lib.6.cap.22. Non qualiscunque dignitas sacerdotij est: huic enim sorte datum est, vt mediator sit inter Deum & homines: & per hanc genus nostrum Creatori reconciliatur. In lingua sacerdotum nexus & absolutio peccatorum nostrorum consistit. Ostendit autem Malachias, quantæ dignitatis sit sacerdos, & quæ ab eo oporteat expecta- Mal.2. ri. *Quia labia,* inquit, *sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.*

Anastasius Sinaites. 580.

Sermone de sancta Communione: Imprimis ne Dei sacerdotes de occultis & incertis, quæ de illis audiuisti, peccatis iudica. Ne dixeris, is qui offert, est peccator, condemnatus, indignus occultorum peccatorum est iudex & examinator: hoc in te agnosce, quemlibet esse te altiorem, & iusto iudici iudicium permitte. Sit autem sacerdos in decretis de Deo firmus & constans: reliquorum tu non es iudex & inquisitor, sed modum proprium auctoritatemque cognosce. Quid verò, inquit, non examinationibus, Ecclesiasticisque Canonibus est obnoxius sacerdos? Maximè. Sed is per te non iudicabitur, vel examinabitur: sed à Deo, vel sæpe etiam à maiori sacerdote vel Antistite. Tu autem cur Pastorem iudicas, cùm sis ouis? Cur Dei iudicium ac sacerdotalem dignitatem, quæ tibi non est tradita, nec à Deo credita, Pharisaicè accipis? Et ideo rogo vos, neminem iudicate: præcipuè autem Dei sacerdotem: sed accede cum fide & efficaci pœnitentia, & pura conscientia ad Dei mysteria, & omnē sanctificationem assequeris. Est enim Dei Angelus seu nuntius, qui offert incruentum sacrificium.

Eustachius Presbyter. 610.

De S. Eutychio. Cùm triginta esset annorum presbyter creatus est, ætate corporis congruente ad perfectionem accedens. Hanc ætatem Christus super omnia Deus videtur honorasse, qui cùm triginta esset annorum, baptizatus est, me, & quæ mea sunt omnia sumens, vt ego, quæ illius sunt, per personæ coniunctionem acciperem. Cùm igitur in presbyterorum sede consideret, eumque, vt Psal.106 inquit Dauid, exaltarent in Ecclesia populorum, & in cathedra presbyterorum laudarent, gradum illum quoque exemplo suo decorauit, cùm non simul satus esset atque editus, vt fabulæ Gigantes fingunt: neque vt repentini quidam die vno, tamquam è luto formati, populorum Præsides. Non enim repentè ad eum gradum venit. Nam is non erat, qui gradum persequeretur, sed gradus ipse il- Psal.22. lum secutus est, vt ait Scriptura: *Misericordia tua, Domine, subsequetur me.*

Antiochus. 620.

Homilia 123. Rationi prorsus consentaneum est, suum vt sacerdotes imitentur per omnia Pontificem, quemadmodum Christi imitator Pontifex est, bonus vt sit, pia gestet viscera, alat concordiam, nihil non ex æquo & bono faciat ac interpretetur, de se quàm modestissimè sentiat, fraternę dilectionis obseruans sit, sit hospitalis, omnium malis indolescat & compatiatur, sit misericors. Sacerdotes quos agnouerint à rectitudine deflexisse conuertant, ac reuocent in viam, nullum non visitent infirmum, prouidam curam agant viduarum, pupillorum & pauperum.

Concilium Trullense. 710.

Canone 14. Sanctorum diuinorumque Patrum nostrorum Canon in his quoque valeat, vt presbyter ante trigesimum ætatis annum non ordinetur, etiamsi sit homo valde dignus, sed reseruetur. Dominus enim Iesus Christus trigesimo anno baptizatus est, & cœpit docere.

Germanus Constantinopolitanus. 720.

In Theoria: Agnoscite omnes sacerdotes, qui sacro altari assidetis, & incruentam victimam sacrificatis, quòd viuas passiones Christi annuntietis, &c. Ipse dixit: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Ipse & Apostolis iussit, & per illos vniuersæ Ecclesiæ hoc facere: *Hoc* enim, ait, *facite in meam commemorationem.* Non sanè id facere iussisset, nisi vim inditurus fuisset, vt id facere liceret. Et quæ est deprecatio: *Spiritus sanctus, virtus ex alto,* quæ Apostolos armauit, vt eis à Domino dictum fuerat: *Sedete in vrbe Hierusalem, donec induti sitis virtute ex alto.* Hoc opus est eius ingressus. Non enim semel ingressus, in posterum dereliquit nos, sed est nobiscum, & erit in perpetuum, in æuum hoc. Per manum sacerdotum & linguam mysteria conficit. Hæc ergo sacerdotij est virtus, &c.

Elias Cretensis. 780.

In orationem 1. Nazianzeni: Eo nomine etiam Angelus Dei omnipotentis sacerdos appellatur (etiamsi aliqui natura homo) quoniam Dei decreta planè ac dilucidè exponit, nec nisi de legis explanandæ causa linguam mouet. Ac causa quidem, quòd sacerdos talis esse debet, hæc est, quòd Dei Angelus sit. Quod quidem valde honorificum ac formidale est. Honorificum, inquam, propter sublimitatis ac dignitatis magnitudinem: formidabile autem, propter ruinas, quæ hinc oriuntur: quantumcunque præclarum, tantum etiam formidabile.

Synodus Nicena Secunda. 790.

Can.14. Quòd ordo in sacerdotio versatur, est omnibus manifestum: & sacerdotij manuum impositiones seruare Deo gratum est.

Ioannes Hierosolymitanus. 800.

Vita Ioannis Damasceni cap.23. Ioannem autem idem Ecclesiæ Hierosolymitanæ gubernator diuinitus accersitum, vt in cathedra seniorum Deum laudaret, presbyterum ordinauit. At ille ad diuini viri Sabæ Lauram rursus reuersus, ac domunculam tamquam nidulum quendam sublime volans aquila ingressus, illud Salomonis præceptum, quod duplici honore presbyteros affici iubet, haudquaquam in mentem suam iniecit, sed velut hoc di- 1.Tim.5 ctum commutans, illud secum versabat: presbyteris duplici humilitati studendum esse: religiosæ vitæ exercitationem duplo quàm prius maiorem sibi vendicare: presbyteros duplicia certamina perferre, non modò aduersus corporis vitia, sed etiam aduersus turbulentos & occultos animi motus: qui quidem Monachos, nisi vigilantem animum præbeant, persæpe fugiunt.

Theosterictus. 820.

Oratione funebri in S. Nicetam. Cùm igitur pastor ipse illum ita studiosum ac promptum vidisset, qui nondum quinquennium in professione monastica perfecerat, ad presbyterij ordinationem eum promoueri curauit: quam per manus magni Tarasij consecutus est, qui Constantinopolitanæ sedis erat Patriarcha. Cùm igitur presbyter ordinatus fuisset, &c.

Nicephorus Philosophus. 840.

Oratione funebri in Antonium Patriarcham: Cùm autem procedente tempore ad virilem peruenisset ætatem, & virilius actiuam exerceret philoso-

phiam, lætus eius præceptor propter incorpoream vitam in viri corpore, & tamquam propriam glorians, eum ducit ad illum, qui tunc tenebat clauum pontificalem ciuitatis regiæ, vt initiaretur Chrismate presbyterij. Qui non solùm per gradus intermedios eum deduxit ad indumentum sacerdotij, sed illius testimonio eum etiam ordinauit, vt præesset monasterio.

Basilius Imperator Constantinop. 860.

Exhortationum ad Leonem filium cap. 3. Honora Ecclesiam Dei, vt tu vicissim coram Deo in honore habeare: & sacerdotes eius reuerere tamquam spirituales Patres, & deprecatores pro nobis apud Deum. Honor enim, qui sacerdotibus debetur, ad Deum refertur. Et sicut propter te ministros tuos in honore habere iustum est: ita propter Deum sacerdotes eius magnifacere, & in pretio habere, sanctum. Quemadmodum autem honor, qui eis habetur, ad Deum pertinet: ita eorum contumelia & contemptus longè etiam grauius eius iram prouocat.

Theophylactus. 900.

Ad caput 11. *Ioannis*: Considera Pontificalis dignitatis virtutem, quomodo plena sit gratia Spiritus, tametsi indigni sint, qui illam gerant. Et honora sacerdotes dignè propter gratiam in eis, non propter eorum voluntatem.

Ad caput 20. *Ioannis*: Vide insuper sacerdotum dignitatem, quòd diuina sit. Dei enim est remittere peccata. Sic igitur illi honorãdi sunt vt Deus. Nam quamuis indigni sint: quid hoc Diuinorum donorum ministri sunt, & gratia operatur per eos sicut & per asinam Balaam locutus est. Non enim indignitas nostra grati ã prohibet: atque ita, quia per sacerdotes gratia suppeditatur, honorandi sunt.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita Abramij: Talibus consilijs, monitis, & sermonibus persuasus Abramius, Episcopum ad vrbem est secutus: cumq; ille in ipso, quę par erat, peregisset, & sic eum perfectum creasset sacerdotem, & deinde cum toto clero & populo eum deduxisset, propositam vitam inijt.

Suidas. 970.

In voce ἀφῶδας: Si me quis ad sacerdotium vocaret, faterer equidem rem eam esse Deo gratissimam atque sanctissimam, & tamen timorem imbecillitatis meæ non dissimularem. Itaque me submitterem, & verecundans propter ingentem sacerdotij maiestatem cederem, non secundùm Pindarum de deteriore, sed secundùm meipsum de præstantiore.

Oecumenius. 1050.

In cap. 3. *prioris ad Timotheum*: Quam ob causam presbyteros prætermisit? Quia Episcopis ipsos permiscuit: nam quæ dixit de Episcopis, hæc etiam optat presbyteris. Siquidem & ipsi similiter sunt sacerdotes, & docendi munus sibi cõcreditum habent.

In caput 5. *ad Hebraeos*: Significat sermo, quòd licet Christus non obtulerit carentem sanguine hostiam, (siquidem suum ipsius obtulit corpus) tamen qui ab ipso funguntur sacerdotio, quorum Deus pontifex esse dignatus est, sine sanguine offerent. Neque enim de ea, quæ semel Deo facta est oblatio & hostia, dixisset, in æternum, sed respiciens ad præsentes sacrificos, per quos medios Christus sacrificat, & sacrificatur. Qui etiam in mystica Cœna modum illis tradidit sacrificij.

Michael Glycas. 1100.

Parte 2. *Annalium*. Si cognoscere voles, quanta sit nostri sacerdotij præstantia, Ioannis Chrysostomi verbis animum aduertito, qui in oratione aduersus Iudæos quinta inquit, etiam in ipsis figuris ostendi, quantum à nostro sacerdotium illud vetus superetur, &c.

Parte 3. De Canonum Apostolicorum præscripto nemini laico fas est, vt quicquam earum rerum peragat, quæ ad sacerdotum munus pertinent, etiamsi maximè casus aliquis, & necessitas vrgeat.

Nicephorus Callistus. 1300.

Ecclesiast. historiæ lib. 15. *cap.* 17. Sed neque sacerdotalem exhorruerunt functionem, quæ media intercedit inter Deum & hominem.

Gennadius Scholarius. 1450.

De sacrificio in azymo sect. 7. Ad hoc mysterium tertiò requiritur sacerdos. Nam qui sacerdos non est, hoc est gradum sacerdotalem non habet, sacrificium nunquam conficiet.

Bessarion. 1460.

De Sacramento Eucharistiæ: Atque panis & vini in corpus & sanguinem transmutatio, non petentium meritis, sed eius potentia, qui ex nihilo cuncta produxit, per sacerdotem tanquam per instrumentum quoddam efficitur. Ex quo manifestum est, non orantis sanctitatem, sed ipsum Dominum proprijs suis verbis, à sacerdote prolatis, panem & vinum in proprium corpus permutare, &c. Est ad hoc necessarium & idoneus & sufficiens minister. Sufficiẽs autem est, qui potestatem per consecrationem habet, & sacerdos factus est.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Respons. 1. *cap.* 14. Catholica Ecclesia solos vocatos, & obsignatos Canonicè, & secundùm Ecclesiasticam traditionem impositione manuum creatos, nec aliqua mala secta infectos, concionari finit, & Liturgiæ munus obire. Errare enim traditio hos affirmat, qui nihil referre putant, siue laici fortè creati sancta mysteria administrent, siue clerici, seu canonicè creati, seu minus.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis Lemouicensis Episcopus. 80.

Epist. ad Burdegalenses cap 3. Honorabatis sacerdotes, qui vos suis sacrificijs decipiebant. Ergo multò magis sacerdotes Dei omnipotentis, qui vitam nobis tribuunt in calice & viuo pane, honorare debetis.

Anacletus. 90.

Epistola 2. Reliqui sacerdotes à proprio ordinentur Episcopo, ita vt ciues, & alij sacerdotes assensum præbeant, & ieiunantes ordinationem celebrent, &c. Audiuimus quòd quidam detrahant & accusant sacerdotes, non intelligentes, quòd iniuria sacerdotum pertinet ad Christum, cuius vice funguntur.

Telesphorus. 127.

Epistola ad omnes vniuersaliter: Dei accusat ordinationem, qui eos, qui ab eo constituuntur, sacerdotes accusat, vel damnari cupit. A quibus se omnes fideles cauere debent: quia non solùm qui faciunt, sed etiam qui cõsentiunt facientibus rei sunt. Christus enim Dei Filius de nobis ait: *Qui vos recipit, me recipit: qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10.

Pius Primus. 150.

Epistola 2. Ipsos autem, qui hoc agunt, clericos & Domini sacerdotes persequi, eosq; infamare audiuimus, vt malum super malum addant, & deteriores fiant, non intelligentes, quòd Ecclesia Domini in sacerdotibus consistit, & crescit in templum

Dei. Et sicut qui Ecclesiam Dei vastat, eius prædia & donaria expoliat, & inuadit, fit sacrilegus: sic & ille, qui eius sacerdotes insequitur, sacrilegij reus existit, & sacrilegus iudicatur.

Tertullianus. 200.

De Præscriptionibus aduersus hæreticos cap.41. Apud hæreticos hodie presbyter, qui cras laicus. Nam & laicis sacerdotalia munia iniungunt.

De exhortatione castitatis cap.7. fauere videtur Luthero, qui omnes laicos facit sacerdotes, cùm inquit: Vani erimus, si putauerimus quod sacerdotibus non liceat laicis licere. Nonne & laici sacerdotes sumus? Scriptum est: Apoc.1. *Regnum quoque nos & sacerdotes Deo & Patri suo fecit. Sed intelligi ita debet, quòd reges & sacerdotes spiritales fideles omnes censeantur, vtpote qui sacrificia spiritalia offerunt: alioquin eodem argumento posset quis cõcludere omnes reges esse. Quam suam sententiam satis indicat verbis sequentibus idem auctor:* Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per Ordinis consessum sanctificatus à Deo. Vbi Ecclesiastici ordinis est consessus, & offert, & tinguit sacerdos, qui est ibi solus, &c.

De Monogamia cap.12. Cùm extollimur & inflamur aduersus clerum, tunc vnum omnes sumus, Apoc.5. tunc omnes sacerdotes: quia sacerdotes nos Deo & Patri fecit. Cùm ad peræquationem disciplinæ sacerdotalis prouocamur, deponimus infulas, & pares sumus.

Pontianus. 232.

Ad Felicem Subscribonum: De sacerdotibus Domini, quos vos audiuimus contra prauorum hominum insidias adiuuare, eorumque causas portare, scitote vos in eo valde Deo placere, qui sibi eos ad seruiendum asciuit, & familiares in tantum sibi esse voluit, vt etiam aliorum hostias per eos acceptaret, atque eorum peccata donaret, sibique reconciliaret. Ipsi quoque proprio ore corpus Domini conficiunt, & populis tradunt. De illis di- Zach.2. ctum est: *Qui vos contristabit, me contristabit: & qui vobis faciet iniuriam, recipiet id quod inique gessit.* Et a- Lucæ 10 libi: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.* Hi enim non sunt infestandi, sed honorandi. In ijs quoque Dominus honoratur, *cuius legatione funguntur.* Hi ergo, si fortè ceciderint, à fidelibus sunt subleuandi, & portandi. Accusandi autem non sunt ab infamibus & sceleratis, vel inimicis, vel alterius sectæ, vel relgionis hominibis. Si peccauerint, à reliquis arguantur sacerdotibus: sed & à summis Pontificibus constringantur, & non à secularibus, aut malæ vitæ hominibus arguantur vel arceantur.

Fabianus. 237.

Epistola 2. Deus ergo fratres adhoc præordinauit vos, & omnes, qui summo sacerdotio funguntur, vt in iniustitias remoueatis, & præsumptiones abscindatis, & in sacerdotio laborantibus succurratis, & opprobrijs & calamitatibus eorum locum non præbeatis: sed ei, qui calumniam, & opprobrium patiatur, adiurium: illum verò, qui calumniam fert, vel opprobrium facit, abscindatis, & Domino in suis sacerdotibus opem feratis. Sacerdotes quoque Dominus sibi elegit, vt sacrificent ei, & offerant oblationes Domino.

Cyprianus. 250.

Lib.1. epist.3. *Epistola 55.* Cùm hæc tanta, & talia, & tumula alia exempla præcedant, quibus sacerdotalis auctoritas, & potestas de diuina dignatione firmatur, quales putas esse eos, qui sacerdotum hostes, & contra Ecclesiam Catholicam rebelles, nec futuri iudicij vltione terrentur? Neque enim aliundè hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quòd sacerdoti Dei non obtemperatur.

Epist.72. Oportet sacerdotes & ministros, qui altari & sacrificijs deseruiunt, integros & immaculatos esse, cùm Dominus Deus in Leuitico loquatur, & dicat: *Homo, in quo fuerit macula & vitium, non accedet offerre dona Deo.* Libro 2. epist.1. Leuit. 21.

Epist.66. Singuli diuinò sacerdotio honorati, & in clerico ministerio constituti, non nisi altari, & sacrificijs deseruire, & precibus atque orationibus vacare debent. Libro 1. epist.5.

De vnctione Chrismatis: Non sunt hæreditariæ successiones Pontificum, vel vni Leuiticæ tribui ministeria assignata: sed de omni tribu & gente & lingua, quos dignos & idoneos diuina probat electio, secundùm vitæ, non generis meritum statuit sacerdotes, quibus calicem sanguinis sui inexhaustæ plenitudinis abundantia semper refertur conseruandum tradidit, & erogandum.

Eusebius Papa. 310.

Epist.3. Caput Ecclesiæ Christus est, Christi autem varij sacerdotes sunt, qui vice Christi legatione funguntur in Ecclesia. Idcirco quidquid ad eorum fit iniuriam, ad Christum pertinet, qui dixit: *Qui vos audit, me audit, &c.* Lucæ 10

Concilium Arelatense Primum. 320.

Cap.19. Presbyteri sine conscientia Episcoporum nihil faciant.

Hilarius Pictauiensis. 350.

Aduersus Constantium Cæsarem: Et tu Paulinum beatæ passionis virum blandimento solicitatum relegasti, & Ecclesiam sanctam Treuirorum tali sacerdote spoliasti: edictis fidem terruisti, ipsum vsque ad mortem demulctasti auxilij, & fatigasti: ex Christianum quoque nomen relegasti: ne panem aut de horreo tuo sumeret, aut de Montanæ, Maximillæque antro prophanatum expectaret: Mediolanensem pijssimam plebem tu furore terroris tui turbasti, tribuni tui adierunt sancta sanctorum, & viam sibi omni per populum crudelitate pandentes, protraxerunt de altario sacerdotes.

Ambrosius. 370.

Epist.82. Neque mediocris est virtus sacerdotalis, cui cauendum non solùm, ne grauioribus flagitijs fit affinis, sed ne minimis quidem, vt sit promptus ad misericordiam, promissum non remordeat, lapsum reuocet, compatiatur dolori, mansuetudinem teneat, pietatem diligat.

Ad caput 3. prioris ad Timoth. Post Episcopum Diaconi ordinem subijcit. Quare? Nisi quia Episcopi & Presbyteri vna ordinatio est. Vterque enim sacerdos est. Sed Episcopus primus est, vt omnis Episcopus presbyter sit, non tamen omnis presbyter Episcopus.

Pacianus. 370.

Epist.1. Nunquam Deus non pœnitenti comminaretur, nisi ignosceret pœnitenti. Solus hoc (inquies) Deus poterit. Sed & quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud, quod Apostolis dicit: *Quæ ligaueritis in terris, ligata erunt in cælis: & quæ solueritis in terris, soluta erunt & in cælis?* Matt.16. Cur hoc, si ligare hominibus ac soluere non licebat? An tantùm hoc solis Apostolis licet? Ergo & baptizare solis licet, & Spiritum sanctum dare solis, & solis gentium peccata purgare: quia totum hoc, non alijs quàm Apostolis imperatum est.

Damasus. 380.

Epist.4. Hoc solummodò Chorepiscopis concedatur, vt inter sacerdotes locum habeant, & ministerio presbyterorum contenti sint, atque mensę Domini tantummodò participes existant, &c. De presbyteris hæc habeantur, vt sine iussu proprij

Episcopi nihil agant: quia quodrarum est, hoc & pulchrius esse videtur.

Concilium Carthaginense Tertium. 390.

Cap. 31. Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo, & necessitate cogente.

Cap. 36. Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret, Chrisma verò nunquam conficiat.

Hieronymus. 390.

Epistola 1. *ad Heliodorum cap.* 7. Absit vt de clericis quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus: qui claues regni cælorum habentes, quodammodò ante iudicij diem iudicant.

Epistola 3. *ad Heliodorum, quæ est epitaphium Nepotiani cap.* 7. Nepotianus fit clericus, & per solitos gradus presbyter ordinatur. Querebatur se ferre non posse, & iuuenilem ætatem incongruam sacerdotio causabatur: sed quanto magis repugnabat, tanto magis in se studia omnium concitabat: & merebatur negando, quod esse nolebat eoque dignior erat: quo se clamabat indignum. Vidimus Timotheum nostri temporis, & canos in sapientia, electumq; à Moyse presbyterum, quem ipse sciret esse presbyterum. Ita in singulis virtutibus eminebat, quasi cæteras non haberet: inter presbyteros & coæquales primus in opere, extremus in ordine.

Epist. 27. *ad Eustoch. c.* 13. Aderant Hierosolymarum & aliarum vrbium Episcopi, & Sacerdotum inferiorum gradus, & Leuitarum innumerabilis multitudo: omne monasterium virginum & monachorum chori repleuerant.

Epist. 67. *ad Pammachium cap.* 16. A te est coargutus ætatis, qua Paulinianus erat: presbyterum ordinas, & legatum mittis ac socium, tantamque habes fiduciam, vt vbi Paulinianum mentitus es puerum, illuc puerum mittas presbyterum; itemque Theosebam, Tyriæ Ecclesiæ Diaconum, facis Presbyterum, & contra nos armas, illiusque in nos abuteris eloquentia.

Concilium Carthaginense Quartum. 398.

Cap. 3. Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput eius tenente, omnes etiam presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas iuxta manum Episcopi super caput illius teneant.

Augustinus. 400.

Epist. 19. *ad Hieronymum c.* 4. Quamquam secundum honorum vocabula, quæ iam Ecclesiæ vsus obtinuit, Episcopatus presbyterio maior sit: tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est, licet etiam à minore quolibet non sit refugienda, vel dedignanda correctio.

Innocentius Primus. 406.

Epist. 1. *ad Decentium Eugubinum c.* 3. Presbyteri licet sint sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Licet illis seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo, cùm baptizant, Chrismate baptizatos vngere, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum sanctum.

Seuerus Sulpitius. 420.

Vita sancti Martini cap. 23. Ad medium ferè conuiuium (vt moris est) pateram regi minister obtulit. Ille sancto admodum Episcopo potius dari iubet, expectans atque ambiens, vt ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus vbi ebibit pateram presbytero suo tradidit: nullum scilicet existimans digniorem, qui post se prior biberet: nec integrum sibi fore, si aut regem ipsum, aut eos, qui à rege erant proximi, presbytero prætulisset.

Paulinus Nolanus. 420.

Epist. 6. *ad Sulpitium*: Nos modò in Barcinonensi ciuitate consistimus: post illas literas, quibus rescripsisti die Domini, quo nasci carne dignatus est, repentina (vt ipse testis est) vi multitudinis, sed credo ipsius ordinatione correptus, & presbyteratu initiatus sum (fateor) inuitus, non fastidio loci: nam testor ipsum, quia & ab æditui nomine, & officio optaui sacram incipere seruitutem: sed vt aliò destinatus, alibi (vt scis) mente compositus, & fixus, nouum insperatumque placitum diuinæ voluntatis expaui. Data igitur ceruice in iugum Christi, video maiora me meritis & sensibus opera tractare, iamque arcanis & penetralibus Dei summi receptum, & insertum communicare cælestia, & Deo propius admotum, in Spiritu ipso Christi, & corpore, & splendore versari. Vix adhuc intellectum sacræ molis capio mẽtis angustijs, & onus muneris mei (conscius infirmitatis) horresco, &c. Ea conditione in Barchinonensi Ecclesia consecrari adductus sum, vt ipsi Ecclesiæ non alligarer, in sacerdotium tantùm Domini, non etiam in locum Ecclesiæ dedicatus. Veni igitur, si placet, ante Pascha, vt sacras ferias me sacerdote concelebres.

Arnobius Iunior. 440.

Ad Psalm. 139. Quid tam magnificum, quàm incrementa diuina conficere? Et quid tam perniciosum, quàm si quis ea conficiat, qui nullum sacerdotij gradum accepit?

Leo Primus. 450.

Epist. 62. *ad Maximum Antiochenum Episcopum cap.* 6. Illud quoque dilectionem tuam conuenit præcauere, vt præter eos, qui sunt Domini sacerdotes, nullus sibi ius docendi, aut prædicandi audeat vendicare, siue sit ille Monachus, siue laicus, qui alicuius scientiæ nomine glorietur. Quia etsi optandum est, vt omnes Ecclesiæ filij quæ recta & sana sunt sapiant, non tamen permittendum est, vt quisque extra sacerdotalem ordinem constitutus, gradum sibi prædicatoris assumat: cùm in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conueniat, vt in vno Christi corpore & excellentiora membra suum officium impleant, & inferiora superioribus non resultent.

Epist. 81. *ad Dioscorum Alexandrinum cap.* 1. Quod ergo à Patribus nostris propensiore cura nouimus esse seruatum, à vobis quoque volumus custodiri, vt non passim diebus omnibus sacerdotalis, vel Leuitica ordinatio celebretur, sed post diem Sabbati eius noctis, quæ in prima Sabbati lucescit, exordia deligantur, hoc est, sub lege diuini officij substituantur, in quibus his, qui consecrandi sunt, ieiunis, & à ieiunantibus sacra benedictio conferatur.

Epist. 87. *ad Episcopos Africanos cap.* 1. Quid est citò manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis ille est, qui non meruit ordinari?

Victor Vticensis. 480.

De persecutione Vandalica lib. 2. Quantæ tunc multitudines de diuersis regionibus & ciuitatibus ad visendos Dei Martyres occurrerint populorum, testantur viæ & semitæ: quæ cùm agmina venientium nequaquam caperent, per vertices montium & vallium concurrens turba fidelium inæstimabilis descendebat, cereos manibus gestantes, suosque infantulos vestigijs Martyrum proijcientes, ista voce clamabant: Quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas? Qui hos baptizaturi sunt paruulos fontibus aquæ perennis? Qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis

indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi? Quia vobis dictum est: *Quæcunque solueritis super terram, erunt & soluta in cælo.* Qui nos solennibus orationibus sepulturi sunt morientes? A quibus diuini sacrificij ritus exhibendus est consuetus? Vobiscum & nos libebat pergere, si liceret, vt tali modo filios à patribus nulla necessitas separaret.

Gelasius. 490.

Epist. 6. cap. 8. Presbyteros vltra modum suum tendere prohibemus, nec Episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere: non conficiendi Chrismatis, non consignationis pontificalis adhibendæ sibimet arripere facultatem, non præsente quolibet Antistite, nisi fortasse iubeantur, vel orationis, vel actionis sacræ supplendæ sibi præsumant esse licentiam. Non sibi meminerint vlla ratione concedi, sine summo Pontifice Subdiaconum, aut Acolythum ius habere faciendi: nec prorsus addubitent, si quicquam ad Episcopale ministerium specialiter pertinens suo motu putauerint exequendum, continuò se presbyterij dignitate, & sacra communione priuari.

Concilium Agathense. 506.

Cap. 17. Presbyterum vel Episcopum ante triginta annos, id est, antequam ad viri perfecti ætatem perueniat, nullus Metropolitanorum ordinare præsumat.

Hormisda. 514.

Ad Episcopos per Hispaniam constitutos cap. 1. In sacerdotibus ordinandis quæ sunt à Patribus præscripta & definita cogitetis: quia sicut est caput Ecclesiæ Christus, Christi autem vicarij sacerdotes: sic & in eligendis his curam oportet esse præcipuam. Irreprehensibiles enim esse conuenit, quos præesse necesse est corrigendis, nec quicquam illi deesse personæ, penes quam est religionis summa & substantia disciplinæ. Æstimet quis pretium Dominici gregis, vt sciat, quod meritum constituendi deceat esse pastoris. Hoc ita fiet, si non sacerdotij gradus saltu quodam passim laicis transferantur.

Fortunatus. 570.

Vita sancti Medardi cap. 9. Decursis inferiorum graduum ordinibus sacerdotale coactus est ad officium. Simul verò vt tam sublimi promotus est dignitate, quanta corpus suum parsimonia macerauerit, quis posset exprimere?

Concilium Bracarense Primum. 572.

Cap. 37. Placuit, vt si quis presbyter post hoc interdictum ausus fuerit Chrisma benedicere, aut Ecclesiam vel altarium consecrare, à suo officio deponatur. Nam antiqui hoc Canones vetuerunt.

Gregorius Turonensis. 580.

Historia Francorum lib. 5. cap. 36. Omnes hæc obstupescant, & admirentur, & metuant, ne inferant iniurias sacerdotibus: quia vltor est Dominus seruorum suorum sperantium in se.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 4. epist. 31. ad Mauritium Augustum: Sacerdotibus non ex terrena potestate dominus noster (*Mauritius*) citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cuius serui sunt, ita eis dominetur, vt etiam debitam reuerentiam impendat. Nam in diuinis eloquijs sacerdotes aliquando Dij, aliquando Angeli vocantur. Nam & per Moysem de eo, qui ad iuramentum deducendus est, dicitur: *Applica illum ad Deos*, id est, ad sacerdotes. Et rursus scriptum est: *Dijs non maledices.* Et Propheta ait: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Quid ergo mirum, si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut Angelos, aut Deos etiam ipse appellat Deus? Ecclesiastica quoque historia testatur, quia cùm piæ memoriæ Constantino principi scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, & eosdem, qui accusati fuerant, Episcopos conuocans, in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens: Vos Dij estis, à vero Deo constituti: ite, & inter vos causas vestras discutite: quia dignum non est, vt nos iudicemus Deos. In qua tamen sententia, pie domine, sibi magis ex humilitate, quàm illis aliquid præstitit ex reuerentia impensa. Ante eum quippe pagani in Repub. fuerunt, qui verum Deum nescientes, Deos ligneos & lapideos colebant, & tamen eorum sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid ergo mirum, si Christianus Imperator veri Dei sacerdotes dignetur honorare, dum pagani principes honorem impendere sacerdotibus nouerunt, qui Dijs ligneis & lapideis seruiebant?

Concilium Antisiodorense. 614.

Cap. 10. In altario, vbi Episcopus Missas dixerit, Presbyter illa die Missas non dicat.

Isidorus Hispalensis. 620.

De officijs Eccles. lib. 2. cap. 7. Presbyterorum ordo exordium sumpsit à filijs Aaron: qui enim sacerdotes vocabantur in veteri Testamento, hi sunt, qui nunc appellantur presbyteri, & qui nuncupabantur principes sacerdotum, nunc Episcopi nominantur. Presbyteri autem interpretantur seniores: quia seniores ætate Græci presbyteri vocant. His enim sicut Episcopis dispensatio mysteriorum Dei commissa est. Præsunt enim Ecclesijs Christi, & in confectione diuina corporis & sanguinis consortes cum Episcopis sunt, similiter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi.

Concilium Toletanum Quartum. 630.

Cap. 20. Quicunque in sacerdotio Dei positi sunt, irreprehensibiles esse debent, Paulo attestante: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.* In offensos 1. Tim. 3 ergo & immaculatos oportet existere Dei sacerdotes, nec vllo eos fornicationis contagio pollui, sed castè viuentes, mundos seipsos celebrandis exhibeant Sacramentis. Abstineamus ergo nos ab omni opere malo, & ab omni inquinamento carnis liberi maneamus, vt mundi corpore, purgati mente, possimus ad sacrificium Christi digni accedere, & Deum pro delictis omnium deprecari.

Eligius. 640.

Homil. 8. in die Cœnæ Domini: Vos etiam sacerdotes, qui per singulas parochias vestræ ordinationis gregi Dominico præestis, admoneo, vt mecum forma & exemplum bene viuendi sitis omnibus vobis subiectis.

Concilium Bracarense Tertium. 670.

Cap. 3. Cùm antiqua & Ecclesiastica nouerimus institutione præfixum, vt omnis sacerdos, cum ordinatur, orario vtroque humero ambiatur, scilicet, vt qui imperturbatus præcipitur consistere inter prospera & aduersa, virtutum semper ornamento vtrobique circumseptus appareat: qua ratione tempore sacrificij non assumit, quod se in Sacramento accepisse non dubitat? Proinde modis omnibus conuenit, vt quod quisque percepit in consecratione honoris, hoc & retineat vel in oblatione, vel perceptione suæ salutis, scilicet vt, cùm sacerdos ad celebrationem Missarum accedit, aut per se sacrificium Deo oblaturus, aut Sacramentum corporis & sanguinis Domini nostri IESV Christi sumpturus, non aliter accedat, quàm orario vtroque humero circumseptus, sicut & tempore ordinationis suæ dignoscitur consecratus, ita vt de vno eodemque orario ceruicem pariter & vtrumque humerum premens, signum in suo pectore præparet crucis.

Beda. 700.

Histo-

Historia Anglorum lib.5.c.20. Quo in tempore ad iussionem regis presbyter ordinatus est VVilfridus, in eodem monasterio ab Angilberto Episcopo Geuissorum, desiderante Rege, vt virtantæ eruditionis ac religionis sibi specialiter indiuiduo comitatu sacerdos esset ac doctor.

Gregorius Tertius. 731.

Epist.2.ad Thuringos: Hortamur vos in Domino vt dignè suscipiatis ab eo (*Bonifacio*) verbum exhortationis,& Episcopos vel presbyteros, quos ipse ordinauerit, per Apostolicam sibi datam auctoritatem in Ecclesiæ ministerio recipiatis.

Epist.2.ad Bonifacium: Presbyteros verò, quos ibidem reperisti, si incogniti fuerint viri illi, à quibus ordinati fuerint, & dubium est eos Episcopos fuisse, an non, qui eos ordinauerint, si bonæ actionis, & Catholici viri sint ipsi presbyteri, & ministerio Christi, omniquè lege sancta edocti aptiq́, ab Episcopo suo benedictionem presbyteratus suscipiant, & consecrentur, & sic ministerio sacro fungantur.

Synodus Francica. 742.

Vnum vel duos Episcopos cum Capellanis Presbyteris Princeps secum habeat. Et vnusquisque præfectus vnum presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus iudicare, & indicere pœnitentiam possit.

Concilium Suessionense. 744.

Vnusquisque Presbyter, qui in Parochia est Episcopo obediens & subiectus sit, & semper in Cœna Domini rationem & ordinem ministerij sui Episcopo reddat,& Chrisma & oleum petat.

Alcuinus. 750.

De diuinis officijs cap.35.de tonsura clericorum: Presbyter Græcè,Latinè senior dicitur,non propter senectutem,sed propter dignitatem, honorem & sapientiam. Quia quicunque presbyter est, sapiens esse debet, vt intelligat ea, quæ legit, intelligat orationes,quas dicit in diurnis temporibus & nocturnis,intelligat ea,quæ cantat in Missa,&c. Presbyteri potestatem habent catechizandi, baptizandi, infirmos benedicti olei vnguine perungendi: his quoque concessum est officium prædicandi in Ecclesia. Super hos sunt Episcopi,&c.

Concilium apud Palatium Vernis. 755.

Cap.9. Si quis Presbyter ab Episcopo suo degradatus fuerit,& ipse per contemptum postea aliquid de suo officio sine commeatu facere præsumpserit, & postea ab Episcopo suo correptus, & excommunicatus fuerit, si quis cum ipso communicauerit scienter, sciat se esse excommunicatum.

Carolus Magnus. 790.

Lib.5. capitulorum cap.37. Vt presbyteri non ordinentur, priusquam examinentur, & ante ordinationem pleniter & studiosissimè instruantur, qualiter se à vitijs cauere debeant, & qualiter subditos doceant, ne torpentes vel hebetes in doctrina sancta, vel vitio malæ famæ eorum neglectu, vel aliqua mala similitudine, quod absit, aspergantur: quoniam detractio sacerdotum ad Christum pertinet, cuius & ministri vel nuntij esse noscuntur Quia nimis grauiter peccant, qui sacerdotes & ministros Christi detrahunt.

Concilium Turonense Tertium. 813.

Cap.12. Presbyter ordinari non debet ante legitimum tempus, hoc est, trigesimum ætatis anni. Sed priusquam ad consecrationem presbyteratus accedat, maneat in Episcopio, discendi gratia officium suum, tam diu, donec possint & mores & actus eius animaduerti: & tunc, si dignus fuerit, ad sacerdotium promoueatur.

Concilium Cabilonense Secundum. 813.

Cap.60. Non debent presbyteri amplius in Monasterio puellari immorari, nisi donec Missarum solennia celebrent, aut aliquid ibi de Dei seruitio & suo ministerio expleant.

Concilium Moguntinum. 813.

Cap.28. Presbyteri sine intermissione vtantur orarijs, propter differentiam sacerdotij dignitatis.

Cap.43. Nullus presbyter solus Missam cantare valet rectè. Quomodo enim dicit: *Dominus vobiscū*, vel: *Sursum corda* admonebit habere, & alia multa his simila, cùm alius nemo cum eo sit?

Haymo. 820.

Ad cap.3.prioris ad Timotheum: Omnis Episcopus presbyter est, & tamen non omnis presbyter Episcopus est.

Concilium Aquisgranense. 830.

Lib.2.c.5. Presbyterorum, qui præsunt Ecclesijs Christi, & in confectione diuini corporis & sanguinis consortes cum Episcopis sunt ministerium esse videtur, vt in doctrina præsint populis, & in officio prædicandi, nec in aliquo desides inuenti appareant.

Rabanus Maurus. 850.

De Vniuerso lib.4.c.5. Presbyter Græcè, Latinè senior interpretatur, non pro ætate vel decrepita senectute, sed propter honorem & dignitatem, quam acceperunt, presbyteri nominantur. Ideò presbyteri sacerdotes vocantur, quòd sacrum dant, sicut & Episcopi. Qui licet sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent. Quia nec Chrismate frontem signant, nec paracletum Spiritum dant, quod solis Episcopis debetur.

Nicolaus Primus. 860.

Epist.8.ad Michaelem Imp. Sicut nos propter Deum etiam à non vera dicentibus iniurias nobis illatas æquanimiter ferimus: ita quoque oportet pietatem vestram sacerdotibus, qualescunque sint, propter eum, cui deseruiunt, reuerentiam potius, quàm iniurias exhibere. Sed de his iam cum sancto Papa loquamur vobis Gregorio: In diuinis eloquiis sacerdotes aliquando Dij vocantur, aliquando Angeli,&c. *vt supra.*

Hugbaldus. 870.

Vita S.Lebuini cap.5. Igitur vir Domini Lebuinus in talibus virtutum profectibus ætate simul & probitate morum adultus, verè per omnia irreprehensibilis clericus, singulis sensim secundùm instituta Canonica dignitatis Ecclesiasticæ conscensis gradibus, eligitur ad officium presbyteratus, vt qui scientia & operatione perfectus erat, cæteros doctrina instrueret, exemplo ad bene agendum prouocaret.

Paschasius Rathbertus. 880.

Et corpore & sanguine Domini cap.12. Ex officio sacerdotis ista, non ex merito præstantur: idcirco licet reus sit, officium ministerij sacrum est, & gradus sacerdotij à summo Pontifice Christo compensatur, vt nihil minus carnis & sanguinis habeat hoc mysterium à quouis indigno, quàm ab Apostolica propagine consecrata exhibeatur: quia nō ex eo, sed ex eius officio, à summo Pontifice gratia, quam ipsa veritas repromisit, impletur, vt in nullo sacerdotium eius, & Pontificatus officium alicuius merito minoretur. Virtus enim consecrandi est in eo, quod habet is qui ordinatur.

Concilium Triburiense. 896.

Cap.4. Sacerdotes non sunt lacerandi, sed potius coronandi. Quia de his Ecclesiasticus loquitur liber dicens: *In tota anima time Dominum, & sacerdotes eius sanctifica, & ministros illius ne derelinquas, & honorifica sacerdotem.*

Concilium Nannetense. 900.

Cap.8. Sicut Episcopus non plus potest habere, quàm

quàm vnam ciuitatem, & vir vnam vxorem: ita presbyter vnam tantùm Ecclesiam. Itaque nullus presbyter plures præsumat habere Ecclesias, nisi fortè alios presbyteros sub se habeat, qui nocturnum & diurnum officium solenniter adimpleant, & Missarum celebrationes quotidianis expleant ceremonijs.

Radulphus Flauiacensis. 950.

Lib.2.in Leuiticum c.4. Libet nostri altaris Sacramentum inspicere, & qualiter legalibus vmbris cōformetur considerare. Sacerdotes enim nostri & ipsi eundem, de quo agimus, vitulum mysticè immolantes, eandem Sacramentis formam verbis, quam lex aspersione sanguinis, repræsentant. Nam altari astans sacerdos noster, inter cætera sic dicit: *Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hoc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu diuinæ maiestatis tuæ.* Notum est omnibus, quia sacerdos dum sacra mysteria celebrat mortem Domini iuxta Apostolum annuntians, quasi vituli sanguinem manu portat, &c.

Berno Augiensis. 1020.

De quibusdam ad Missam pertinentibus cap. 2. Id quod excellentissimum est in omnibus Sacramentis Episcopis cum presbyteris est commune, sanctum videlicet corpus & sanguinem Christi: quotidie sicut Episcopi, ita & consecrant presbyteri, nec sanctius est illorum, quàm istorum. Vnde sanctus Hieronymus dicit de presbyteris: Hi namque in benedictione cum Episcopis consortes sunt mysteriorum, ac nulla in conficiendo corpore Christi ac sanguine inter eos & Episcopos credenda est distantia: quia & Eucharistiam pridem per presbyteros benedictam, si necessitas exegerit, accipere debent.

Petrus Damianus. 1050.

Epist.15.cap.15. Cùm sacerdos ideo dicatur, quia sacrum det, hoc est, quia Deo sacrificium offerat, quid in Ecclesia sublimius, quid eminentius sacerdotio poterit inueniri: per quod videlicet mysterium Dominici corporis & sanguinis probatur inueniri? Licet igitur Episcopi quibusdam priuilegijs pro magno suo quisque ministerio specialiter potiantur: quia tamen id, quod omnibus maius est, commune cum reliquis sacerdotibus habent, cum ijs etiam & ipsi non immeritò sacerdotij nomen tenent.

Gregorius Septimus. 1070.

Lib.11.epist.2. Quanta sit sacerdotij dignitas, quantaq́ue sublimitas Episcopalis, beatus Ambrosius, Doctor scilicet eximius vestram doceat magnitudinem, &c.

Anselmus. 1080.

Ad caput 18. Matthæi: Post hæc omnia sequitur excommunicatio, quæ tantùm fieri debet per os Ecclesiæ, id est, per sacerdotem. Sacerdote enim excōmunicante, totum corpus Ecclesiæ operatur.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de excellentia sacrorum Ordinum: Presbyterorum ordo à filijs Aaron sumpsit exordium, qui cum Episcopis in pluribus commune habent officium: & qui nunc presbyteri vocantur, tunc sacerdotes vocabantur. Distat hoc tantum inter Pontifices & huius temporis sacerdotes: quia scilicet solis Pontificibus addicta est clericorum ordinatio, Basilicarum dedicatio, Chrismatis consecratio, & manus impositio, & communis super populum benedictio: cùm in alijs Sacramentis catechizandi, Missam celebrandi, in Ecclesia Dei verbum faciendi ad populum, communis vtriusque sit dispensatio, &c. Presbyteri cùm ordinantur, Episcopo eos benedicente, & manum super capita eorum tenere, omnes presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas, iuxta manum Episcopi, super capita eorum leuant, & Spiritum sanctum super eos, qui ordinantur, inuocant, &c. In quo apparet quanta sit excellentia sacerdotalis officij, per quod quotidie in altari Christi passio celebratur, & reus quisque à peccatis conuersus Deo reconciliatur. Quibus omnibus de sacerdotali ordine breuiter pertractatis, admonendi sunt Christi sacerdotes, quatenus sicut excellunt ordinis dignitate, sic excellant vitæ sanctitate.

Epist.124. Quidam affirmant dicentes, quascunque personas, & sacrarum ordinem non habentes, verba Dominica proferentes, Sacramenta altaris & cætera Ecclesiastica Sacramenta posse conficere, & salubriter accipientibus ministrare. Quorum fatuitas multipliciter improbari potest, partim ratione, partim diuinorum operum attestatione, postremò sanctorum Patrum irrefragabili auctoritate. Primò namque si à quibuscunque personis diuina Sacramenta confici & tractari possent, ex abundanti constitutus esset in Ecclesia ordo sacerdotalis & Leuiticus: quod impium est aliquem arbitrari, cùm hunc vtrumque ordinem & vetus lex primò Domino iubente sub figura constituerit, & Euangelica vel Apostolica doctrina postmodum in veritate consecrauerit, &c. Quid Aaron nisi summos sacerdotes, quid filij eius nisi minores significant sacerdotes? Qui accipientes à summis sacerdotibus manus impositionem, tanquam per paternam successionem, promouentur ad sacerdotalem benedictionem. Qui ea, quæ intra velum sunt, administrant, dum corpus & sanguinem Domini, quæ intus aliud sunt, aliud foris apparent, mystica benedictione consecrant, & fidelibus populis salubriter administrant. Quid est externus, nisi in presbyterali officio non consecratus? &c.

Hugo Victorinus. 1130.

In Speculo Ecclesiæ cap.5. Ordo Presbyterorum à filijs Aaron sumpsit exordium. Dum isti à triginta annis & supra ordinantur (Episcopo eos benedicente, & manus super capita eorum tenente) omnes presbyteri, qui cum eo sunt præsentes, manus cum Episcopo leuantes super eos Spiritum sanctum inuocant. Post inuocationem accipiunt stolam super vtrumque humerum, vt intelligant se debere esse munitos per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, vt nec eos aduersa frangant, nec prospera extollant. Accipiunt & calicem cum vino de manu Episcopi, & patenam cum hostia, vt intelligant se habere potestatem offerendi Deo hostias placabiles, corpus scilicet & sanguinem Christi. Magna dignitas, mira potestas, excelsum & expauendum officium, hoc ordine non est alius excelsior in Ecclesia.

Bernardus. 1130.

Serm.2.de Cœna Domini: Audite modò sacerdotes & obstupescentes admiramini, nulli Angelorum nullis spiritibus supernis: sed hominibus, nec tamen omnibus, sed ordini vestro tantùm mandatum esse huius Sacramenti celebrationem in altari, &c.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib.4.dist.24. Septimus est ordo presbyterorum, ad quos pertinet Sacramentum corporis & sanguinis Domini in altari Dei conficere, orationes dicere, & dona Dei benedicere: qui cùm ordinantur, inunguntur ijs manus, vt intelligant se accepisse gratiam consecrandi, & charitatis opera debere extendere ad omnes. Accipiunt & stolam, quę vtrumque tenet latus: quia debent esse muniti armis iustitiæ contra aduersa & prospera. Accipiunt & calicem cum vino, & patenam cum hostijs, vt per hoc sciant se accepisse potestatem placabiles hostias Deo offerendi.

Ioannes Saresberiensis. 1160.

Lib. 8. cap. 18. In sacerdotem, etsi tyrannum induat, propter reuerentiam Sacramenti gladium materialem exercere non licet, nisi fortè cùm exauctoratus fuerit, in Ecclesiam Dei cruentam manum extendat, eo quidem perpetuo obtinente, vt ob eandem causam non consurgat in eum duplex tribulatio.

Stephanus Eduensis. 1180.

De Sacramento altaris cap. 9. Ordinantur presbyteri, vt sint Episcoporum coadiutores, ad regendum & instruendum Dominicum gregem. Sic Moses septuaginta viros prudentes elegit, quorum consilio innumeram populi multitudinem rexit. Inde est, quòd septuaginta discipulorum vices obtinet in ministerium sibi commissum. Sicut enim illi missi sunt à Domino in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus, vt ei prædicando & miracula faciendo viam præpararent, & infidelium corda ad fidem conuerterent: ita presbyteri nostri coadiutores baptizando, rudes populos instruendo, communicando, & cætera Sacramenta dispensando, nostras vices supplere debent. Excipiuntur illa, quibus quadam prærogatiua fulget, & præeminet Episcopalis dignitas, &c.

Innocentius Tertius. 1200.

Lib. 1. Mysteriorum Missæ cap. 9. Vnguntur manus presbyteris ab Episcopo, vt cognoscant hoc Sacramento se per Spiritum sanctum accipere gratiam consecrandi. Vnde cùm eas vngit Episcopus, dicit: *Consecrare & sanctificare digneris Domine manus istas, per istam vnctionem, & nostram benedictionem, vt quacunque consecrauerint, consecrentur: & quacunque benedixerint, benedicantur in nomine Domini.*

Cap. 10. Sex sunt, in quibus communis Episcoporum & presbyterorum potestas consistit, videlicet catechizare, baptizare, prædicare, conficere, soluere, & ligare.

Concilium Lateranense, 1215.

Cap. 1. Sacramentum corporis & sanguinis Domini nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui fuerit ritè ordinatus, secundùm claues Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, & eorum successoribus Christus Iesus.

Gregorius Nonus. 1228.

Lib. 3. Decret. Eucharistiæ Sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Sacramento Ordinis cap. 4. Sacerdos non preces suas, sed supplicationes Ecclesiæ, vt eius ad Deum internuntius, & mediator: & sicut aduocatus non iura sua, vel statuta allegat; sed aliena verba, eius scilicet, cui patrocinium præstat, in ore gestat; sic sacerdos ex officio publicæ interpellationis verba Ecclesiæ & orationes in ore gestat, & eas quodam modo ore suo Patri misericordiarum offert, vel porrigit audiendas ex parte Ecclesiæ suæ.

Alexander Alesius. 1230.

Parte 4. quæst. 10. memb. 5. artic. 1. §. 2. Potestas consecrandi solummodò est sacerdotum. Hæc enim potestas annexa est ordini sacerdotali. Vnde soli sacerdotes possunt consecrare. Hoc autem tenet Ecclesia Romana, informata & edocta ab Apostolis, qui informati erant & edocti à Domino. Vnde qui contrarium asserunt, à fidei veritate deuiant, & infideles iudicandi sunt.

Vincentius Beluacensis. 1240.

In Speculo historiali lib. 8. cap. 60. Septimus est ordo presbyterorum, quorum est corpus Domini consecrare: quod fecit Dominus in Cœna. Licet sacerdotium dignissimum sit, quantum ad dignitatem rei consecratæ: tamen Episcopatus dignior est, quantum ad qualitatem: quia dat potestatem consecrandi.

Thomas Aquinas. 1250.

Parte 3. quæst. 8. artic. 1. Sicut baptizato conceditur à Christo potestas sumendi hoc Sacramentum: ita sacerdoti, cùm ordinatur, confertur potestas hoc Sacramentum consecrandi in persona Christi. Per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum est à Domino: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et ideo dicendum est, quòd proprium est sacerdotum conficere hoc Sacramentum.

Bonauentura. 1260.

Lib. 4. Sentent. dist. 13. quæst. 2. Soli sacerdotes conficere possunt hoc Sacramentum: & si alij conficiunt, nihil omninò faciunt. Et hoc quidem docet fides nostra, quam ab Apostolis percepimus, & ipsi à Domino. Vnde ordinauerunt Ecclesiam secundùm Dei institutionem. Et quia Apostoli, & eorum postmodum successores potestatem conficiendi personis spiritualibus contulerint, quas & sacerdotes appellarunt: imò solis illis tenet fides licitum esse. Huic consonat ratio, quòd Sacramentum illud, quod in magna reuerentia habendum fuit, spiritualibus personis commissum est, & committi debuit.

Iacobus Genuensis. 1280.

In historia Longobardica: Accepit Christus personam Episcopi, quando panem & vinum in corpus & sanguinem suum transmutauit, & Apostolis potestatem conficiendi dedit. Et illa maior potestas, quàm vnquam homini data est. Est enim potestas Dei magna facere aliquid de aliquo, sicuti quando fecit hominem de terra, & Euam de costa Adæ. Et alia potestas Dei maior, sicut de nihilo aliquid facere, sicut fecit cælum & terram. Et est tertia maxima, sicut de creatura creatorem. Istam potestatem non dedit Angelis, sed solis sacerdotibus: quia diuina virtute in corpus & sanguinem substantiam panis & vini conuertunt.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæstione 10. articulo 3. Sacerdotes in regiminis cura præferuntur regibus, quantum ad præsens, in quatuor. Primò, in temporis diuturnitate: secundò, in operis qualitate: tertiò, in honoris dignitate: quartò in iurisdictionis potestate. Fuit enim regimen sacerdotale prius regimine regali: in cuius figura tribus Leui, qui fuit genitus ante Iudam, de quo reges electi sunt, fuit electa ad ministerium sacerdotij: signanter tamen tertius filius Iacob, qui fuit Leui, ad sacerdotium est electus magis, quàm primus, vel secundus. In operis verò qualitate præferuntur ijs: quia cura regiminis Regum extendit se solùm ad temporalia; regiminis autem cura sacerdotum respicit spirituale bonum, & illa quæ sunt perfectionis opera. Dicuntur enim sacerdotes quasi sacra dantes, vel sacra recipientes, vel sacra administrantes. Quòd verò in honoris dignitate eis præferantur, patet auctoritate Ambrosij 96. dist. c. Domino, &c. In iurisdictionis potestate planum est, quòd eis præferuntur, cùm iurisdictio Regum solùm sit super temporalia, sacerdotum verò potestas ad temporalia & spiritualia se extendit. Quibus enim pretiosæ animæ traduntur, eorum potestate indigentibus bona temporalia dispensantur.

Guido Carmelita. 1330.

Contra Aërianos: Errant, dicentes presbyterum ab Episcopo non differre, quod est hæreticum. Quia quamuis sub nomine presbyteri vtrique aliquando ac-

do accipiantur: tamen quoad officium & dignitatem sunt distincti.

Contra Iudeos errore 9. Sacerdotum ordinem ad conficiendum Sacramentum corporis Domini ipse instituit Matth. 26. quando ipse Sacramentum Eucharistię instituit, & accipiens panem dixit: *Hoc est corpus meum.* Et similiter calicem, dicens: *Hic est sanguis meus: hoc facite in meam commemorationem.* In quo dedit sacerdotibus potestatem conficiendi corpus & sanguinem Domini.

Rupertus Holcotius. 1340.

In librum Sapientiæ lectione 182. Conficiunt Eucharistiæ Sacramentum solummodò sacerdotes: sicut patet dist. 95. Ecce ego. Sacerdotes verò in Scriptura Angeli nominantur. Mulier debet habere velamen propter Angelos, id est, propter reuerentiam sacerdotum, qui Dei nuntij sunt. [1. Cor. 11] Malach. 2. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.* Ratio autem huius denominationis metaphorica est: quia sacerdotem decet Angelum in vndecim conditionibus imitari, quæ in istis versibus continentur:

Pascit, & hortatur, ducit, vehit, excitat, arcet,
Orat, congaudet, punit, laudat sine sumptu.

Ioannes Taulerus. 1350.

In Natiuitate Ioannis Baptistæ: Attendite quæso quod officium sit sacerdotale, vnde sacerdos est, & appelletur. Hoc nimirum est, vt vnigenitum Filium offerat Patri cælesti pro populo. Atqui vereor multum, quod ipsa quoque luce clarius est, non omnes sacerdotes esse perfectos, imò tales plerosque, vt si in propria persona coram altari assisterent, Dei Filium immolaturi, quomodo ex persona id agunt Ecclesiæ, multò magis Ecclesiæ impedimento, quàm auxilio forent, & iram potius Dei omnipotentis succenderent, quàm sopirent. Sed sacrum hoc officium Ecclesiæ loco, & nomine sacramentaliter exequuntur, qua ratione nulli, nisi masculini sexus sit, idemque consecratus, officium illud peragere licet, quibus solis, non vllis alijs, sacratissimum Christi corpus conficiendi data potestas est.

Thomas Argentinensis. 1350.

In lib. 4. Sentent. dist. 25. artic. 1. Simplex presbyter non potest consecrare Episcopum: quia nemo potest dare, quod dignoscitur non habere, vt ait Augustinus. Sed simplex presbyter non habet Episcopalem dignitatem. Ergo per consecrationem non potest eam dare.

Thomas VValdensis. 1410.

Tomo 2. de Sacramento Eucharistiæ cap. 28. Dicit Ecclesia Christi, quòd de lege statuta nec Reges, aut periti de seculo, imò nec Angelus quisquam in cælo habet hanc potentiam consecrandi.

Thomas Malleolus. 1420.

De imitatione Christi lib. 4. cap. 11. O quàm magnum, & honorabile est officium sacerdotum, quibus datum est Dominum maiestatis verbis consecrare, labijs benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, & cæteris ministrare? O quàm mundæ debent esse manus illæ, quàm purum os, quàm sanctum corpus, quàm immaculatum erit cor sacerdotis, quem toties ingreditur auctor puritatis?

Ioannes Gerson. 1420.

In Compendio Theologiæ de Sacramento Eucharistiæ: Habens ordinem sacerdotalem, & solus talis, potest consecrare Eucharistiam, & corpus Christi conficere.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tom. 1. Serm. 20. fol. 134. Honorandus est gradus sacerdotalis ratione potestatis: quia soli habent potestatem corpus Dominicum consecrare. Quæ quidem potestas tanta est, quòd primò superat potestatem dæmonum, secundò superat potestatem Angelorum, tertiò superat potestatem Archangelorum, quartò superat potestatem Virginis gloriosæ, & omnium creatorum.

Laurentius Iustinianus. 1440.

Sermone de Christi corpore, seu de Eucharistia: Magna est profectò & admiranda sacerdotum dignitas. Maxima illis est collata potestas. Sua namque prolatione eloquiorum cælestium, & ad eorum pene libitum corpus Christi de panis transubstantiatur materia: descendit de cælo in carne Verbum, & altaris verissimè reperitur in mensa. Hoc illis prærogatur ex gratia, quod nusquam datum est Angelis. Assistunt Deo, illum contrectant manibus, tribuunt populis, in seque suscipiunt.

Dionysius Carthusianus. 1460.

In lib. 2. Paralip. cap. 26. Cùm dignitas sacerdotij Euangelicæ legis incomparabiliter maior sit legalis sacerdotij dignitate, & ipse Ozias Rex lepra percussus sit, eo quòd actum illius legalis sacerdotij exequi sit conatus, quid damnationis imminet quibusdam sacerdotibus, atque Episcopis Euangelicæ legis, qui cùm in Episcopos & sacerdotes sint consecrati, tamen ex quadam superbia omittunt exequi debitum sui officij, impiè erubescentes celebrare Missarum solennia, Sacramenta conferre, & populo Euangelizare, sicut professi sunt, & tenentur, quasi sint nimis boni ad talia exequenda.

Gabriel Bielius. 1480.

In Canonem Missæ lectione 4. Hæc operatio consecrandi omnium nobilissima est Ecclesiæ militanti concessarum, propter quam meritò sacerdotium venit extollendum, cuius dignitas eximia nullis valet verborum pompis explicari: quoniam & linguas vincit oratorum disertissimas, & culmen eminentiæ cuiuslibet creaturæ. Et licet cunctos natura homines æquales, & nulla graduum alteritate dispares produxerit, disponendarum tamen rerum susceptum ministerium hos & illos cæteris prætulit & præfecit. Quò fit, vt tanto clericalis eminentia terrenos superet principatus, quanto animabus corpora, perpetuis transitoria, terrena cælestibus superantur.

ARTI-

ARTICVLVS TERTIVS.

DIACONOS OLIM NON TANTVM FVISSE DISPENSATORES ELEEMOSYNARVM; SED ETIAM MINISTROS ECCLESIÆ AB EPISCOPO ORDINATOS, VT IN SACRIFICIO PRESBYTERIS SERVIRENT, EVANGELIVM LEGERENT: non tamen pares Presbyteris essent.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ 400. FALCIDIVS *Leuitas sacerdotibus, & Diaconos Presbyteris adæquare contendit;* Augustinus Quæstionum vtriusque Testamenti, quæst. 101.

1520. Martinus Lutherus in captiuitatē Babylonica capite de Ordine: *Diaconium est ministerium non legendi Euangelij, aut Epistolæ, vt hodie vsui habet, sed opes Ecclesiæ distribuendi pauperibus, vt sacerdotes leuentur onere rerum temporalium, & orationi ac verbo liberius instent.*

1525. Philippus Melanchthon in secunda editione locorum Communium fol. 91. *Diaconi erant, qui eleemosynas partiebantur inter inopes.*

1550. Ioannes Caluinus lib. 4. Instit. cap. 19. §. 32. *Posthac ne Diaconos esse patiantur, quos non nisi ad histrionicos ludos instituunt.*

1560. Nicolaus Henningius ad cap. 1. epistolæ ad Philippens. *Diaconus accipitur pro administratore eleemosynarum Ecclesiæ, qui accipiendis & distribuendis eleemosynis præficitur. Verum Diaconatui, quem postea finxerunt Pontifices, nullum habet in verbo Dei firmamentum.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Actor. 6. *vers.* 5. Elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.

Philipp. 1. 1. Paulus & Timotheus, serui Iesu Christi omnibus Sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconis.

1. *Timoth.* 3. 8. Diaconos similiter oportet esse pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, &c.

ASSERVNT LITVRGIÆ Apostolicæ.

Liturgia D. Petri.

Deinde clara voce Diaconus: Benedic Domine. *Sacerdos dicit*: Benedictum regnum Patris, & Filij, &c. *Diaconus*: In pace rogemus Dominum pro superna pace, &c.

Liturgia D. Marci.

Sacerdos: Pax omnibus. *Populus*: & spiritui tuo. *Diaconus*: Orate. *Sacerdos sic orat, &c. Diaconus*: Ad orationem state. *Sacerdos orat*: In nos insuffla circumstantes seruos tuos in introitu sacri ministerii, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Lectores, cantores, & laicos, &c.

Diaconus Euangelium recitaturus dicit: Domine benedicito, &c. *Diaconus*: State recti. Audiamus sanctum Euangelium, &c.

Liturgia D. Iacobi.

Diaconus: Domine benedic. *Sacerdos ipsi apprecatur, &c. Orans Diaconus respondet*: Dominus benedicat, dignosque nos faciat, &c. *Deinde canere incipit Diaconus in ingressu*: Vnigenite Fili Dei &c. *Deinde Diaconus Collectam dicit*: In pace Dominum oremus, &c.

(****)

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constit. Apost. lib. 3. cap. 20. Iubemus, vt Presbyter, Diaconus, & reliqui clerici ab vno Episcopo ordinentur, & vt neque Presbyter, neque Diaconus reliquos clericos ex laicis ordinent: sed tantummodò Presbyter quidem doceat, offerat, baptizet: Diaconus verò ministret Episcopo & Presbyteris, id est, agat Diaconum, & reliqua ne faciat.

Lib. 8. *cap.* 17. Diaconum cùm ordinas Episcope imponendo ei manus, præsentibus omnibus Presbyteris & Diaconis, & precando ei dices: Domine Deus omnipotens, auribus percipe preces nostras, & ostende faciem tuam super hunc seruum tuum tibi electum ad ministerium, & imple eum Spiritu sancto, & virtute, sicut impleuisti Stephanum Protomartyrem, & imitatorem Christi tui, & concede, vt in ministerio sibi commisso ad voluntatem tuam constanter, extra querelam, & crimen administrato, maiore deinceps gradu dignus habeatur per mediatorem Christum tuum eundemque vnigenitum Filium tuum.

Cap. 28. Diaconus non benedicit, neque dat benedictionem: accipit verò ab Episcopo & Presbytero: non baptizat, non offert: oblatione verò ab Episcopo aut Presbytero facta, ipse Diaconus dat populo, non tamquam sacerdos, sed tamquam qui ministrat Presbyteris.

Epistola 1. ad Iacobum fratrem Domini: Diaconi Ecclesiæ tanquam oculi sint Episcopi, oberrantes & circumlustrantes cum verecundia actus totius Ecclesiæ, perscrutantes diligentius, si quem videant vicinum fieri præcipitio, & proximum esse peccato, vt referant hæc ad Episcopum, &c.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiastica Hierarch. cap. 3. Porrò ministrorum alij quidem pro clausis templi foribus astant, alij proprij aliquid muneris agunt. Qui verò ipsius ordinis præcipui sunt, vnà cum sacerdotibus sanctum panem & benedictionis calicem sacrosanctis altaribus imponunt, cùm ante præcesserit ab omni clero vniuersalis laus atque confessio.

Ignatius, 100.

Ad Heronem Diaconum: Nihil sine Episcopis facito: sacerdotes enim sunt: tu verò sacerdotum minister: baptizant, sacrificant, eligunt, imponunt manus: tu verò illis ministras, vt sanctus ille Stephanus Iacobo, & Presbyteris, qui erant Hierosolymis.

Ad Trallianos: Oportet & Diaconos mysteriorum Christi ministros per omnia placere: nec enim ciborum ac potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei administratores, &c. Quid sacerdotium aliud est, quàm sacer cœtus, consiliarij, & assessores Episcopi? Quid verò Diaconi, quàm imitatores Angelicarum Virtutum? qui purum & inculpatum ministerium illis exhibent, vt S. Stephanus B. Iacobo.

Ad Philadelphienses: Principes subditi estote Cæsari, milites principibus, Diaconi Presbyteris, vt sacrorum administratoribus.

Polycarpus. 140.

Ad Philippenses: Diaconi inculpabiles sint in conspectu iustitię Dei, sicut Dei & Christi ministri, & non hominum, non criminatores, neque detractores, neque auari: sed omnia tolerantes &c. Subiecti estote Presbyteris & Diaconis sicut Deo & Christo.

Clemens Alexandrinus. 200.

Libro 6. *Stromaton cap.* 6. Nam hîc quoque in Ecclesia progressiones Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum sunt, vt arbitror imitationes gloriæ Angelicæ, & illius œconomiæ & dispositionis, quam dicunt Scripturæ illos expectare, qui insistentes vestigijs Apostolorum vixerunt in perfectione iustitiæ conuenienter Euangelio.

Origenes. 204.

Homil. 2. *in Numer.* Homo secundùm ordinem suum incedat. Putasne qui sacerdotio funguntur. & in sacerdotali ordine gloriantur, secundùm ordinem suum incedunt, & agunt omnia, quæ in illo ordine digna sunt? Similiter autem & Diaconi, putasne secundùm ordinem ministerij sui incedunt? Et vnde est, quòd sæpe audimus blasphemare homines, & dicere: Ecce qualis Episcopus, qualis Presbyter, vel qualis Diaconus? Nonne hæc dicuntur, vbi vel sacerdos, vel minister Dei visus fuerit in aliquo contra ordinem suum venire, & aliquid contra sacerdotalem vel Leuiticum ordinem gerere?

Homilia 2. in Cantica: *Vidit & sedem puerorum eius.* Ecclesiasticum puto ordinem dicit, qui in Episcopatus vel Presbyterij sedibus habetur. Vidit & ordinationes siue stationes ministrorum eius. Diaconorum, vt mihi videtur, ordinem memorat diuino astantium ministerio.

Eusebius Cæsareensis. 320.

Ecclesiast. Histor. lib. 6. cap. 35. Istum igitur lepidum Euangelij patronum Nouatum omninò præterijt, scilicet vnum Episcopum esse oportere in hac Ecclesia Catholica: in qua tamen non ignorabat Presbyteros esse quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, &c.

Libro 8. *cap.* 6. Tunc Episcopi, Presbyteris, Diaconis, Lectoribus, & Exorcistis carceres referti erant.

Concilium Nicænum Primum. 325.

Cap. 14. Peruenit ad sanctum Concilium, quòd in locis quibusdam & ciuitatibus Presbyteris Sacramenta Diaconi porrigant. Hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, vt hi, qui offerendi sacrificij non habent potestatem, his qui offerunt corpus Christi porrigant. Sed & illud innotuit, quòd quidam Diaconi etiam ante Episcopos Sacramenta sumunt. Hæc ergo omnia amputentur, & maneant Diaconi intra propriam mensuram, scientes quia Episcoporum quidem ministri sunt: Presbyteris autem inferiores sunt. Accipiant ergo Eucharistiam secundùm ordinem post Presbyteros ab Episcopo, aut à Presbytero. Quòd si non fuerit in præsenti vel Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi proferant & edant Sed nec sedere quidem in medio Presbyterorum liceat Diaconis. Extra regulam enim, & extra ordinem est vt hoc fiat.

Athanasius. 340.

In vita Antonij: Omnes clericos vsque ad vltimum gradum ante se orare compellens, Episcopis quoque & Presbyteris quasi humilitatis discipulus ad benedicendum se caput submittebat. Diaconos verò, qui ad eum vtilitatis causa veniebant, cùm pro adiutorio eorum ijs præsentibus disputaret, ad orandum sibi Dominum præponebat, non erubescens & ipse discere.

Concilium Antiochenum. 340.

Cap. 5. Si quis Presbyter vel Diaconus, contempto suo Episcopo, seipsum ab Ecclesia segregauerit, & priuatim apud se, collectis populis, altare erigere ausus fuerit, deponatur.

Concilium Sardicense. 350.

Cap. 10. Osius Episcopus dixit: Hoc quoque necessarium existimo, vt cum omni cura & diligentia examinetur, vt si quis diues, vel ex foro Scholasticus, Episcopus fieri dignus habeatur, non prius constituatur, quàm Lectoris, & Diaconi, & Presbyteri ministerium peregerit, vt in vnoquoque gradu, si dignus existimatus fuerit, ad Episcopatus fastigium per progressionem possit ascendere. Habebit autem vniuscuiusque ordinis gradus non minimi scilicet temporis longitudinem, per quod & fides, & morum probitas, & constantia, & moderatio possit cognosci. Neque enim conuenit, vt temere & leuiter ad id accedatur, vt

Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus promptè ac facilè constituatur.

Concilium Laodicense. 360.

Canone 20. Non oportet Diaconum ante Presbyterum sedere, sed sedere cum iussu Presbyteri. Similiter autem haberi honorem Diaconis à ministris, & omnibus clericis oportet.

Canone 21. Non oportet ministros locum habere in Diaconis, & sacra vasa tangere.

Basilius Magnus. 370.

Epist.1.ad Amphilochium Can. 3. Diaconus post diaconatum fornicatus, à Diaconatu quidem eijcietur: in laicorum autem locum extrusus, à communione non arcebitur.

Epistola 70. Quæ verò ista concomitentur neminem latet, etiamsi nos sileamus, exilia Presbyterorum, exilia Diaconorum, totiusque cleri depopulationes.

In Liturgia: Tunc ante aduentum Pontificis intrant Ecclesiam Presbyter & Diaconus, & stantibus ante cancellos dicit Presbyter hanc orationem &c. Post Cantores stans Diaconus in secundo gradu ambonis, dicit alta voce: In pace Dominum postulemus, &c.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Epist.159.ad Amphilochium: Horum è numero est condiaconus noster Euthalius, quem nescio quo pacto, postquam ad sublimiorem gradum migrauit, expungere & dignitate abdicare conantur ij, qui rei militari præfecti sunt. Hoc quæso ne tibi ferendum videatur, verùm & Diacono, & vniuerso Clero, & præsertim nobis, quorum tibi cura est, manum porrige.

Epist.205. Hic igitur grauis ac venerandus noster Glycerius Vuentis quidem Ecclesiæ Diaconus à nobis creatus est, vt & Presbytero ministraret, & Ecclesiæ opus curaret.

Epiphanius 380.

Heresi 79. Neque Diaconis in Ecclesia concreditum est, vt aliquod ministerium perficiant, sed solùm vt administrent, & exequantur commissa.

Epistola ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum: Ordinauimus in Ecclesia fratrum peregrinorum Diaconum, & postquam ministrauit rursum Presbyterum.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homil.3.de incomprehensibili Dei natura: Energumenos Diaconus tempore mysteriorum adducit, & iubet caput inclinare, cùm eos vnà cum fratribus orare non liceat.

Homil.3.in posteriorem ad Thessal. Et stans Diaconus silentio indicto os omnibus obstruit, non Lectori honorem debens hoc facit, sed ei, qui per illum omnibus loquitur.

In Liturgia: Dum hæc cantantur à Lectoribus, inclinat se Diaconus à dextris stans Sacerdotis, & dicit remissa voce. Dominum rogemus, & dicit Sacerdos orationem introitus.

Synesius. 410.

Epistola 58. Porrò talis siue Leuita est, siue Presbyter, siue Episcopus, apud nos in Andronici sortem constituetur.

Epistola 66. Alexander Cyrenensis, cùm adhuc esset adolescens, ad vitam solitariam se contulit. Cum ætate autem simul instantia solitariæ vitæ procedente, dignatus quidem est Ecclesiastica Diaconia, dignatus est & presbyter esse.

Ioannes Cassianus. 430.

Collat.4.cap. 1. Daniel cùm multis iunior esset ætate, ad Diaconij est prælatus officium. In tantum enim beatus Paphnutius virtutibus ipsius adgaudebat, vt quem vitæ meritis sibi & gratia parem nouerat, coæquare sibi etiam sacerdotij ordine festinaret. Siquidem nequaquam ferens in inferiori eum ministerio diutius immorari, optansque sibimet successorem dignissimum prouidere, superstes eum presbyterij honore prouexit. Qui tamen prioris humilitatis consuetudinem non omittens, nihil vnquam sibi illo præsente de sublimioris ordinis adiectione donauit, sed semper Abbate Paphnutio spiritales hostias offerente, hic velut Diaconus, in prioris ministerij permansit officio.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

De adoratione in spiritu lib. 13. Presbyteris concreditum est altare, & quæ intra velum continentur: quibus etiam dici conuenit: *Et custodient sacerdotium suum*: Diaconis verò illud: *Custodient custodias tabernaculi, & omnia vasa eius, & custodias populi.* Quid? Nonne ipsi præcipiunt clamantes in Ecclesijs, nunc quidem tempus esse, vt populi hymnum dicant, & modestè ac decenter stent: interdum verò vt quiescant, præterea ad orandum excitant? Et dum illa incruenta hostia consecratur, nonne ipsi sacratiora vasa ferunt, & accuratam omnibus in rebus obseruantiam exhibent? Igitur præstantiores quidem sacerdotale munus explent, sed Leuitæ adiuuant, ita vt ordinem Ecclesiastici sacerdotij legis litera prædicare videatur.

Sozomenus. 440.

Lib.7.cap. 19. Diaconi apud Romanos hactenus non plures sunt quàm septem, ad similitudinem eorum, qui ab Apostolis fuerunt ordinati, inter quos primus erat Stephanus, apud alios verò numerus horum promiscuus est.

Socrates. 440.

Lib.4.cap.18 Euagrius Monachus primùm Constantinopoli à Gregorio Nazianzeno est ordinem Diaconi consecutus.

Lib.6.cap.3. Ioannem, qui cum Basilio primùm Diacono à Meletio designato multum diuq; versabatur, Zeno Episcopus Lectorem Ecclesiæ Antiochenæ constituit. Paulò post Diaconatus dignitatem assecutus à Meletio libros de sacerdotio conscripsit. Post ab Euagrio presbyter designatus est.

Lib.7.cap. 40. Proclus ab ineunte ætate Lector fuit, quem in literis & virtute proficientem, Atticus ad gradum Diaconatus euexit.

Isidorus Pelusiota. 440.

Libro 1.epist.29 Si venerandi altaris Diaconi Episcopi sint oculi, profectò cùm tu Dei permissu ipsis præsis, totus oculus esse debes.

Epist.157.ad Pansophium Archidiaconum: Si altari Christi ministras, da operam, vt cum ipsis legibus munus tuum administres, mansuetum videlicet atque humilem te præbeas. Neque enim forensem quandam præfecturam atque imperium tractas, verùm pacatum & tranquillum ministerium.

Theodoretus. 450.

Libro 5. Eccles.Hist.cap. 21. Hæc & his similia Episcopus locutus, cùm aquam signo crucis signasset, Equitium vnum ex Diaconis, fide & pietatis studio egregiè munitum, aquam iubet accipere ocyus ad delubrum currere, & cum fide eam spargere.

Cap.30. de Ioanne Chrysostomo: Complures, qui eadem lingua loquebantur, Presbyteros, Diaconos & Lectores ordinauit, illisq; vnam tribuit Ecclesiam, quorum opera multos errore lapsos Ecclesiæ reconciliauit.

Concilium Chalcedonense. 453.

Can. 6. Nullum absolutè ordinari placuit, nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omninò aliquem eorum, qui sunt in ordine Ecclesiastico nisi specialiter in Ecclesia ciuitatis, vel pagi, vel

monasterio is,qui ordinatur,designetur.

Procopius Gazæus. 530.

In Numer. fol.383. Diaconi ministerijs publicis inuigilant,populum de precibus & de reliquis rebus erudiunt,sacra vasa administrant.

In 2. Paralip. Cùm Presbyter præstò non est, ac vsus postulat, Diaconus baptismum administrare cogitur.

Iustinianus Imp. 530.

Nouella vt determinatus sit numerus clericorum cap.1. Sancimus non vltra sexaginta quidem Presbyteros in sanctissima maiore Ecclesia esse: Diaconos autem masculos centum,& quadraginta fœminas.

Nouella 123. cap 5. Presbyteros,Diaconos,& Subdiaconos iure aut lege cognationis tutelam aut curam suscipere hæreditatis permittimus.

Antiochus. 600.

Homil.123. Hoc tenore vitæ Diaconi etiamnum conuersentur in conspectu iustitiæ Domini, ingrediantur sine querela, tamquam Deo & Christo ministrantes,non item hominibus.Sedulò & accuratè administrent, illam vt defugiant propheticam increpationem,ne illi per oscitantiam se reddant obnoxios, neue priores honoris partes præcipiant, & occupent prætextu tuendi cultus diuini,sed omnia (iuxta Apostolum) honestè fiant, & secundùm ordinem.

Homil.124. Diaconos oportet, vt mysteria Iesu Christi dum administrant, dent interim modis omnibus operam, grati vt sint omnibus atque amabiles.Non enim esculentorum sunt,atque poculentorum ministri, sed Ecclesiæ Dei subseruiunt. Necesse est igitur hi vt vitent crimina perinde ac ignem. Non secus igitur Diaconos obseruent omnes atque Christum Iesum, & Episcopum quasi patrem.

Eustathius. 620.

In vita S. Eutychij: Paulò post & alter Stephanus apparuit, cùm Diaconi iugum subijsset, factis & verbis potens, vita & moribus multos componens ac docens, quomodo diuinum ministerium perficere oporteat. Sed cum paruo tempore in gradu Diaconatus ex diuinorum Canonum præscripto mansisset, vt de pluribus bene mereretur,ad Presbyterorum Cathedram prouectus est.

Maximus Monachus.640.

Centuria 2.de charitate cap.21. Diaconi rationem sustinet, qui ad sacra certamina mentem perungens, cogitationes quoque affectibus plenas ab illa abigit.

Ad cap.3.de cælesti Hierarch. Dionysij: Diaconi debent docere,non tamen baptizare. Non enim dant Spiritum sanctum, vt neq; Philippus in actis sanctorum Apostolorum Diaconus: sed neque offerre debent.

Ad caput 3.de Eccles. Hierarch. Dionysij: Romæ septem tantùm Diaconi altari ministrant, quos præcipuos vt opinor vocat.

Concilium Trullanum. 710.

Can.7. Quoniam in nonnullis Ecclesijs Diaconos officia Ecclesiastica habere didicimus,& ex hoc nõnullos eorum arrogantia & licentia fretos, ante Presbyteros sedere, statuimus vt Diaconus,etiamsi in dignitate,id est,quouis officio sit Ecclesiastico, ante Presbyteros ne sedeat.

Canone 14. Sanctorum Patrum Canon in his quoque valeat, vt Presbyter non ordinetur ante trigesimum ætatis annum: similiter nec Diaconus ante viginti quinque annos ordinetur.

Germanus Constantinopolitanus. 725.

In Theoria: In supremis illis splendoribus intelligentium cælestium ministrorum,Prophetarum & hierarcharum sunt Presbyteri 24. Diaconi septem. Presbyteri ad imitationem sunt Seraphicarum potestatum, stolis vice alarum contecti, duabus autem alijs labiorum, hymnum illum voce cantantes, & tenentes diuinum & spiritalem carbonem Christum prehensione manus manifestò gestantes: Diaconi verò ad typum Angelicarum potestatum, tenuibus tenuium horariorum alis, vt administratorij spiritus, in ministerium missi, præcurrunt,&c. Diaconi sunt pastores, sacerdotes, Angeli. *Diaconus:* Benedic Domine. *Sacerdos:* Benedictum regnum Patris,& Filij,& Spiritus sancti.

Theosterictus. 830.

Oratione funebri in S. Nicetam: Athanasius assistebat cogitatione & mente tota intentus, ministerij flabellum tenens:(erat enim Diaconus, qui & postea Presbyter fuit.)stabat,inquam metuens ac tremens, suasq; genas ac pectus lachrymis madefaciens,sic totum sanctum illud & diuinum mysterium complebant.

Theophylactus. 900.

Ad cap.19. Lucæ: Tria videmus in Ecclesia,purgationem,illuminationem, & perfectionem. Operationes enim illas tres sortiti sunt ordines. Diaconi purgant per instructionem & doctrinam: Presbyteri illuminant per baptismum: Episcopi sacerdotales ordines perficiunt,& constituunt, hoc est,ordinant.

Ad cap 8.ad Romanos: Cum magna compunctione stabat spiritualis ille homo, & multis gemitibus: cuius hodieq; symbolum est Diaconus stans, & ex imo pectore ad Deum preces pro populo effundens.

Simeon Metaphrastes. 970.

In Martyrio S. Marci: Marcus ordinauit Episcopum Anicinum,& tres Presbyteros, & septem Diaconos.

De S. Abramio: Alios quidem Presbyteros, alios Diaconos constituit.

Theodorus Balsamon. 1180.

Ad Canonem 36. Apostol. Diaconos ordinari quidem, id est, characterem accipere didicimus: eligi autem non audiuimus, sicut eliguntur Episcopi. Decernit igitur præsens Canon, vt si quis Episcopus, Presbyter, vel Diaconus ad docendum pertinentem manuum impositionem acceperit,& suum munus non impleat,segregetur.

Nicetas Choniates. 1200.

De rebus gestis Alexij Angeli lib. 2. Constantinus Mesopotamianus ex Lectore Diaconum se ordinari voluit,non ferendum ratus,nisi sacras etiam dignitates contrectaret. Continuò quod libitum est imperat, ab Imperatore in inclitum Blachernium templum mittitur, à Patriarcha statim ex Lectore Diaconus creatur, stationem & gradũ principem consequitur. Hoc confecto negotio se relicturum palatium,& Imperatori non amplius natauturum operam simulat. Neque enim permittere Canones eundem Deo sacra facere, & ciuilibus rebus vllo modo implicari. Distare illa inter se, neque coniungi posse, quemadmodum seruire Deo, & seruire mammonæ ex diametro pugnent.

Georgius Pachimerius. 1290.

Ad cap.3.de cælesti Hierarc. Dionysij: Alius est ordo Presbyterorum, alius Pontificis,alius Diaconi.

Philotheus Patriarcha Constantinop. 1360.

In ordine instituendi Diaconum: Stat sacerdos è regione sanctarum valuarum: stat etiam Diaconus à dextris sacerdotis,&c. Quo completo Diaconus egreditur,& collocatus in solito loco dicit: Dicamus & reliqua. *Et post exclamationem dicit sacerdos:* Pax omnibus. *Diaconus:* Capita nostra Domino inclinemus, *& dicit orationem:* Domine Deus noster,&c.

(***)

ASSE-

ASSERVNT PATRES LATINI.

Anacletus PP. 94.

Epist. 1. In solennioribus diebus, aut septem, aut quinque, aut tres Diaconos secum habeat Episcopus, qui eius oculi dicuntur.

Euaristus PP. 96.

Epistola 1. Diaconi (qui quasi oculi videntur esse Episcopi) in vnaquaque ciuitate, iuxta Apostolorum constituta, septem debent esse, qui custodiant Episcopum prædicantem, ne aut ipse ab insidiatoribus quoquo modo infestetur, aut lædatur à suis, aut verba diuina detrahendo aut insidiando polluantur.

Tertullianus. 200.

De Præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 41. Nusquam facilius proficitur, quàm in castris rebellium. Vbi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector.

De Baptismo cap. 17. Dandi quidem baptismi ius habet, qui est summus sacerdos, qui est Episcopus. Dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem.

Fabianus PP. 237.

Epistola 1. Septem Diaconos in vrbe Roma, per septem regiones ciuitatis, sicut à Patribus accepimus, habemus, qui per singulas hebdomadas & Dominicos dies atque festiuitatum solennia iniuncta sibi obseruant ministeria, & parati omni hora sunt ad diuinum officium, & quicquid eis iniungitur, peragendum.

Cornelius PP. 250.

Epistola ad Fabium Antiochenum: Nouatus non ignorabat in Ecclesia Catholica oportere esse presbyteros quadraginta sex, Diaconos septem, &c.

Cyprianus. 250.

Lib. 3. epist. 9. *Epist. 65.* Meminisse Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, Episcopos & præpositos Dominus elegit: Diaconos autem post ascensum Domini in cælos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros.

Libro de Lapsis. Vbi verò solennibus adimpletis calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus eius aduenit: faciem suam paruula instinctu diuinæ maiestatis auertere, os labijs obturantibus premere, calicem recusare. Persistit tamen Diaconus, & reluctanti licet de Sacramento calicis infudit.

Lucius PP. 252.

Epist. ad Episcopos Galliæ: Quoniam in hac sancta Sede constitutum habemus, vt duo Presbyteri, vel tres Diaconi in omni loco Episcopum non deserant, propter testimonium Ecclesiasticum, &c.

Apud Gratianum dist. 81. Ministri altaris, Presbyteri siue Diaconi ad Dominica tales eligantur officia, qui continentiam seruent.

Caius PP. 282.

Epistola ad Felicem Episcopum cap. 6. De Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorumque, & sequentium clericorum ordinationibus sanctos Apostolos & successores eorum, & præcipuè Anacletum, & præterea alios sufficienter statuisse cognoscimus, &c.

Concilium Eliberinum. 318.

Cap. 33. Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis positis in ministerio, abstinere se à coniugibus suis, & non generare filios. Quod quicunque fecerit, ab honore clericatus exterminetur.

Concilium Arelatense Primum. 320.

Cap. 15. De Diaconis, quos cognouimus multis in locis offerre, placuit minimè fieri debere.

Cap. 18. De Diaconis vrbicis, vt non aliquid per se præsumant, sed honor Presbyteris reseruetur.

Cap. 22. De Presbyteris aut Diaconis, qui solent dimittere loca sua, in quibus ordinati sunt, placuit vt in his locis ministrent, quibus præfixi sunt.

Concilium Arelatense Secundum. 322.

Cap. 13. Nullus cuiusque ordinis clericus, non Diaconus, non Presbyter, quacunque occasione faciente, propriam relinquat Ecclesiam.

Cap. 15. In secretario Diacono inter Presbyteros sedere non licet, vel corpus Christi præsente Presbytero tradere non præsumat. Quod si fecerit, ab officio Diaconatus abscedat.

Ambrosius. 370.

Libro 1. offic. cap. 41. Laurentius cùm videret Sixtum Episcopum suum ad martyrium duci flere cœpit, non passionem illius, sed suam remansionem. Itaque his verbis appellare cœpit: Quò progrederis sine filio pater? Quò sacerdos sancte sine Diacono properas? Nunquam sacrificium sine ministro offerre consueueras. Quid ergo in me displicuit pater? Num degenerem reprobasti? Experire certè vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem, cui consummandorum consortium Sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas?

De dignitate sacerdotali cap. 3. Aliud est, quod ab Episcopo requirit Deus; aliud, quod à Diacono; & aliud, quod à clerico; & aliud, quod à laico, &c.

Ad cap. 4. epistolæ ad Ephes. Euangelistæ Diaconi sunt, sicut fuit Philippus. Quamuis non sunt sacerdotes, euangelizare tamen possunt sine cathedra, quemadmodum & Stephanus, & Philippus memoratus.

Libro 1. de Sacramentis cap. 2. Leuitam vidisti, sed minister est Christi: vidisti illum ante altaria ministrare. Ergo chirographum tuum tenetur non in terra, sed in cælo.

Optatus Milenitanus. 370.

Libro 1. contra Donatistas: Quid commemorem laicos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerant dignitate suffulti? Quid ministros plurimos? quid Diaconos in tertio, quid Presbyteros in secundo sacerdotio constitutos?

Lib. 2. Extendistis enim manum, & super omne caput mortifera velamina prætendistis, vt cùm sint quatuor genera capitum in Ecclesia, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & fidelium, nec vni parcere voluistis, &c. Inuenistis Diaconos, fecistis laicos: agnoscite vos animas euertisse.

Prudentius. 380.

Hymno de sancto Vincentio:

Exclamat hic Vincentius,
Leuita de tribu sacra,
Minister altaris Dei,
Septem è columnis lacteis.

De sancto Laurentio:

Hic primus è septem viris,
Qui stant ad aram proximi,
Leuita sublimis gradu,
Et cæteris præstantior.
Claustris sacrorum præerat,
Cælestis arcanum domus
Fidus gubernans clauibus,
Votasque dispensans opes.

Eusebius Vercellensis. 370.

Epistola ad Episcopos Italiæ: Gaudeo non solum ego, vel qui mecum sunt Presbyteri & Diaconi, & cæteri fratres, sed & omnes, qui desiderantes sumus.

Hieronymus. 390.

Epist. 85. ad Euagrium: Diaconos paucitas honorabiles, presbyteros turba contemptibiles facit. Caterùm etiam in Ecclesia Romæ Presbyteri sedent, & stant Diaconi. licet paulatim increbrescentibus vitijs, inter Presbyteros abscente Episcopo sedere Diaconum viderim, & in domesticis conuiuijs benedictiones Presbyteris dare. Discant, qui hoc faciunt, non rectè se facere, &c. Qui prouehitur, de minori ad maius prouehitur. Aut igitur ex Presbytero ordinetur Diaconus, vt Presbyter minor Diacono comprobetur, in quem crescit ex paruo: aut, si ex Diacono ordinatur Presbyter, nouerit se lucris minorem, sacerdotio esse maiorem.

Ad cap. 2. epist. ad Titum: Nemo eorum, qui in Ecclesijs sunt, te segniter agente sic viuant, vt sese putet esse meliorem. Qualis enim ædificatio erit discipuli, si se intelligat magistro esse maiorem. Vnde Episcopi, Presbyteri & Diaconi debent magnopere prouidere, vt cunctum populum, cui præsident, conuersatione & scientia præcedant.

Syricius. 390.

Epist. 1. cap 13 Monachos quoque clericorum officijs aggregari & optamus & volumus, ita vt qui intra tricesimum ætatis annum sunt digni, in minoribus per gradus singulos crescente tempore promoueantur ordinibus: & sic ad diaconatus vel Presbyterij insignia maturæ ætatis consecratione perueniant.

Concilium Carthaginense Tertium. 390.

Cap. 4. Placuit vt ante viginti quinque annos ætatis nec Diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur. Et vt Lectores populum non salutent.

Concilium Carthaginense Quartum. 395.

Cap. 4. Diaconus cùm ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat: quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.

Cap. 37. Diaconus ita se Presbyteri, vt Episcopi ministrum nouerit.

Cap. 38. Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, iussus eroget.

Cap. 41. Diaconus tempore oblationis tantùm, vel lectionis alba vtatur.

Augustinus. 400.

De moribus Ecclesiæ Catholicæ li. 1. cap. 32. Quàm multos Episcopos optimos viros sanctissimosque cognoui? Quàm multos Presbyteros, quàm multos Diaconos, & huiusmodi ministros diuinorum Sacramentorum? Quorum virtus eò mihi mirabilior, & administratione dignior videtur, quò difficilius est eam multiplici hominum genere, & in ista vita turbulentiore seruare.

Quæstionum vtriusque Testamenti quæst. 101. Quidam, qui nomen habet Falcidij, duce stultitia, & ciuitatis Romanæ iactantia, Leuitas sacerdotibus, & Diaconos Presbyteris coæquare contendit, non dicam præferre: quia stultius est, & fortè incredibile videtur, & nos non emendatores, sed calumniatores habeamur. Qua igitur lege, qua ue consuetudine, quonam exemplo hoc aggredi audeat, nullum scire arbitror, vt istos quibus consessus in Ecclesia datus est, minimè his coæquet, qui propter quod Antistites Dei sunt, in domo Dei, & in honore Christi cum dignitate consistunt. Quæ audacia est Presbyteris ministros ipsorum pares facere? Quæ temeritatis præsumptio, sacerdotibus baiulos tabernaculi, & omnium vasorum eius & lignorum concisores, & portitores aquæ conferre? &c. Multum distare inter Diaconum & sacerdotem liber approbat, quem dicimus Actus Apostolorum. Cùm enim ex Samaria credidissent Philippo prædicanti, Diacono ab Apostolis ordinato, *miserunt,* Act. 8. *inquit, ad Petrum & Ioannem, vt venirent, & hi, qui crederent, darent Spiritum sanctum per manus impositionem, &c.* Nunc enim videmus Diaconos temerè quod sacerdotum est agere, & per conuiuia & in oratione id velle, vt respondeatur illis, cùm istud solis liceat Sacerdotibus. Diaconi ergo ordo est, accipere à Sacerdote, & sic dare plebi, &c. Diaconi creandis Presbyteris in obsequium mittuntur, vt dignos eos fieri sacerdotes omnes intelligant. Exceptis enim sacerdotibus, quibus obsequium debent, omnibus præponuntur Diaconi.

Seuerus Sulpitius. 410.

Vita D. Martini cap. 4. Martinus apud Hilarium Pictauiæ Episcopum aliquandiu commoratus est. Tentauit autem idem Hilarius, imposito Diaconij officij, sibi eum arctius implicare, & ministerio vincire diuino, &c.

Zosimus. 417.

Epist. ad Hesychium cap. 3 Inter Subdiaconos quatuor annos hæreat, & sic ad benedictionem Diaconatus, si meretur, accedat: in quo ordine quinque annis, si inculpatè se gesserit, hærere debebit.

Maximus Taurinensis. 430.

In Natali S. Laurentij Hom. 1. Beatus Laurentius, cùm in sede gloriosissimi Patriarchæ Diaconatus officio fungeretur, puritate innocentis vitę fortissimæque mortis triumpho Apostolico se consortio copulauit.

Arnobius Iunior. 440.

Ad Psalm. 135. Aliter lucet in Episcopo, aliter in Presbytero, aliter in Diacono, aliter in cæteris clericis, in quibus prædicatur Dominus.

Concilium Vasense Secundum. 444.

Cap. 2. Non solùm in ciuitatibus, sed etiam in omnibus Parochijs verbum faciendi damus Presbyteris potestatem. Si Presbyter aliqua infirmitate prohibente per seipsum non potuerit prędicare, sanctorum Patrum Homilię à Diaconibus recitentur. Si enim digni sunt Diaconi, quæ Christus in Euangelio locutus est legere, quare indigni iudicentur sanctorum Patrum expositiones publicè recitare.

Leo Primus. 450.

Epist 86. cap. 6. Illam quoque partem Ecclesiasticę disciplinę, qua olim à sanctis Patribus & à nobis sæpe decretum est, vt nec in Presbyteratus gradu, nec in Diaconatus ordine, nec in sequenti officio clericorum ab Ecclesia ad Ecclesiam cuique transire sit liberum, vt in integrum reuoces admonemus.

Concilium Arelatense Tertium. 450.

Cap. 1. Nullus Episcoporum Diaconum, antequam viginti annos impleat, ordinare præsumat.

Vigilius Tridentinus. 410.

De Sisinnio, Martyrio, & Alexandro: Alexander frater Martyrij Lector haud vnquam impigrè Deo ad ministerium antelucanum seruiebat, cui in sacrificio Diaconus famulabatur.

Gelasius. 490.

Epist. 6. Diaconos propriam constituimus seruare mensuram, nec vltra tenorem paternis Canonibus deputatum quippiam tentare permittimus, nihil eorum penitus suo ministerio applicare, quæ primus ordinibus propriè decreuit antiquitas. Absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis fortasse officijs longius constitutis, necessitas extrema compellat.

Cæsarius Arelatensis. 490.

Hom. 30. Rogo vos, & admoneo fratres, vt quotiescunque iuxta altarium à clericis oratur, aut oratio Diacono clamante indicitur, non solùm corda, sed etiam corpora fideliter inclinetis. Nam dum frequenter, sicut oportet, & diligenter attendo,

Diaco-

Diacono clamante: *Flectamus genua*, maximam partem populi, velut columnas erectas stare conspicio: quod Christianis, dum in Ecclesia oratur, omnino non licet. Non enim propter nos, sed propter vos Diaconus clamat.

Concilium Agathense. 506.

Cap. 16. Episcopus benedictionem Diaconatus minoribus quàm 25. annorum penitus non committat.

Cap. 65. Non oportet Diaconum sedere præsente Presbytero, sed ex iussione Presbyteri sedeat. Similiter & Diaconus honorificetur à ministris inferioribus, & omnibus clericis.

Concilium Aurelianense Primum. 506.

Cap. 11. Si Diaconus, aut Presbyter capitale crimen commiserit, simul ab officio & communione pellatur.

Ennodius Ticinensis. 510.

In vita Epiphanij Ticinensis: Festinabat ad Leuiticam dignitatem conscientia, quam nunquam vota præsumpserant: exigebat conuersatio, quod desideria penitus ignorabant.

Concilium Aruernense. 535.

Cap. 12. Cùm Presbyteri atque Diaconi sublimi dignitatis apice prærogentur, actibusqúe omninò seculi renuntient, & ad sacrum ministerium electi, repudient, & quisquis est Presbyter atque Diaconus, diuino munere benedictione percepta, vxoris suæ prius frater ilicò efficiatur ex coniuge.

Arator. 540.

Libro 1. Historiæ Apostolicæ:

Iura ministerij, sacris altaribus apti,
In septem secuêre viros, quos vndique lectos
Leuitas vocitare placet: quàm splendida cœpit
Ecclesiæ fulgere manus, quæ pocula vitæ
Misceat, & laticem cum sanguine porrigat Agni.
Hunc numero delatus honor, sublimia secum
Sacramenta gerit, per quem nunc longius ire
Non patitur mensura viæ; ne plura locutus,
Inueniar dixisse minus: si cura ministris
Officium librare suum, quo laudis amictu
Hunc decet lucere chorum, quem mysticus ordo
Consecrat in numero, cui dant cælestia formam?

Concilium Turonense Secundum. 570.

Cap. 11. Nullus clericorum, non Episcopus, non Presbyter, non Diaconus, non Subdiaconus, quasi Sanctimonialem, aut viduam, aut ancillam propriam, pro confirmatione rerum in domo sua stabilire præsumat.

Concilium Primum Matisconense. 576.

Cap. 10. Presbyteri, Diaconi, vel quolibet ordine clerici, ita Episcopo suo obedientiæ deuotione subiaceant, vt non alibi dies feriatos, nisi in obsequio illius liceat tenere aut celebrare.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 4. *epistola* 44. In sancta Romana Ecclesia dudum est consuetudo valde reprehensibilis exorta, vt quidam ad sacri altaris ministerium cantores eligantur, & in Diaconatus ordine constituti modulationi vocis inseruiant, quos ad prædicationis officium, eleemosynarumqúe studium vacare congruebat. Qua in re præsenti decreto constituo, vt in hac sede sacri altaris ministri cantare non debeant, solumqúe lectionis Euangelicæ officium inter Missarum solennia exoluant: Psalmos verò ac reliquas Lectiones censeo per Subdiaconos, vel, si necessitas fuerit, per minores ordines exhiberi.

Concilium Antisiodorense. 614.

Cap. 19. Non licet Presbytero aut Diacono aut Subdiacono post acceptum cibum vel poculum Missas tractare, aut in Ecclesia dum Missæ dicuntur stare.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Officijs Ecclesiasticis lib. 2. *cap.* 8. Diaconorum ordo à Leui tribu exordium accepit. Præcepit enim Dominus Mosi, vt post ordinationem Aaron sacerdotis & filiorum eius, rursum Leui tribus in diuini cultus ministerijs ordinarentur, & consecrarentur Domino pro omnibus primogenitis, & seruirent pro Israel coram Aaron & filijs eius in tabernaculo Domini, excubantes in templo die ac nocte, ipsiqúe gestarent arcam, & tabernaculum, & omnia vasa eius, &c. Quam regulam constituerunt sancti Patres in nouo Testamento. In Euangelio autem primordia eorum in Actibus Apostolorum ita leguntur: *Conuocantes autem duodecim Apostoli multitudinem discipulorum, &c.* Ex hinc iam decreuerunt Apostoli, vel successores Apostolorum, vt per omnes Ecclesias septem Diaconi, qui sublimiori gradu essent cæteris, circa aram Christi, quasi columnæ altaris assisterent, & non sine aliquo septenarij numeri mysterio. Hi enim sunt, quos in Apocalypsi legimus septem Angelos tubis canentes: hi sunt septem candelabra aurea: hi voces tonitruorum. Ipsi enim clara voce, in modum præconis, admonent cunctos, siue in orando, siue in flectendo genua, siue in psallendo, siue in lectionibus audiendis. Ipsi etiam vt aures habeamus ad Dominum clamant: Ipsi quoque euangelizant: sine ipsis sacerdos nomen habet, officium non habet. Nam sicut in sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio Sacramenti est. Illi orare, huic psallere mandatur. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat. Leuitæ inferunt oblationes in altaria: Leuitæ componunt mensam Domini: Leuitæ operiunt arcam Testamenti.

Act. 6.

Apocalyps. 1. 8.

Concilium Toletanum Quartum. 630.

Cap. 38. Nonnulli Diaconi in tantam erumpunt superbiam, vt sese Presbyteris anteponant, atque in primo choro ipsi priores stare præsumant, presbyteris in secundo choro constitutis. Ergo vt sublimiores sibi Presbyteros agnoscant, tam hi, quàm illi in vtroque choro consistant.

Beda. 700.

Vita S. Cuthberti cap. 16. Vnde ab illo omnes istius loci Antistites vsque hodie sic Episcopale exercent officium, vt regente monasterium Abbate, quem ipsi cum consilio fratrum elegerint, omnes Presbyteri, Diaconi, Cantores, Lectores, cæteriqúe gradus Ecclesiastici, monachicam per omnia cum ipso Episcopo regulam seruent.

Alcuinus. 750.

Lib. de diuinis Officijs cap. 35. *de tonsura clericorum:* Diaconus assumitur, hoc est, eligitur ad seruitutem altaris, ministrat Presbytero, ponit linteum in altare, ponit panem & calicem, quæ nec mittendi, nec auferendi potestatem habet Presbyter, si Diaconus adfuerit. Sicut Presbytero consecrandi officium competit, sic Diacono ministrandi.

Adrianus Primus. 780.

In capitulis ex diuersis Synodis & Canonibus collectis paulo ante fuerit: Presbyteri non aduersus Episcopum, non Diaconus aduersus Presbyterum, non Subdiaconus aduersus Diaconum &c. det accusationem aliquam.

Concilium apud Theodonis villam. 812.

Cap. 1. Si quis Diaconum calumniatus fuerit, vulnerauerit, vel debilitauerit, & conualuerit, sex Quadragesimas pœniteat.

Concilium Turonense Tertium. 813.

Cap. 9. Presbyteri & Diaconi in omnibus Episcopi sui vestigia sectentur.

Concilium Cabilonense Secundum. 813.

Cap. 23. Decreuimus secundùm institutionem maiorum, Presbyterorum, Diaconorum, & cæte-

rorum graduum inferiorum ordinationes statutis temporibus fieri debere.

Haymo. 820.

Ad cap. 32. Esaie: Ecclesia in pulchritudine sedet, habens Episcopos, Presbyteros, Leuitas, cæterosque gradus, quibus ornatur.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap. 31. Diaconi & Subdiaconi Presbyterorum adiutores sunt, in verbo, baptismo, & quotidiano officio.

Rabanus Maurus. 850.

Libro 1. Institut. cap. 13. Ad benedictionem Diaconatus non minoris ætatis quàm 25. annorum accedat. In quo ordine quinque annis expletis, si inculpabiliter ministrauerit, ad Presbyteratus honorem promoueri poterit.

Regino Prumiensis. 910.

Libro 2. Annalium de anno 870 Carolomannus, cùm adhuc esset puerulus, iussu patris attonsus, clericus effectus est, deinde procedente tempore ad Diaconatus officium, quamuis inuitus atque coactus, in præsentia genitoris est ordinatus: legit publicè Euangelium, & Pontifici Missam celebranti iuxta morem ministrauit. Post hæc per apostasiam recedens ab Ecclesiastica religione, abijciens ac spernens negligenter gratiam, quæ ei data erat per impositionem manus, alter Iulianus efficitur.

Ioannes Micrologus. 1060.

De Ecclesiasticis obseruationibus cap. 9. Diaconi quoque officium in Missa nihilominus & ipse conuenientius explebit, quàm alius, qui sacris vestibus non fuerit indutus. Nam & Diaconus tempore oblationis & lectionis alba indutus esse debet.

Anselmus. 1080.

Ad cap. 4. Epist. ad Ephes. *Alios verò dedit Euangelistas.* Sicut Lucam, & cæteros, qui Euangelium ad posteros scriptum transmiserunt: vel etiam qui
Act. 6. Euangelium prædicabant, & officium ministrandi pauperibus habebant, vt septem Diaconi sub Apostolis: vtrumque enim victum præbebant, & spiritualem, & corporalem. Similiter adhuc deberent agere omnes Diaconi. Inde est etiam, quòd hodie in Missa legunt Euangelium.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de excellentia sacrorum Ordinum: Diaconorum ordo est in sexto loco, non sine aliquo senarij mysterio, quo propter sui perfectionem significatur operum perfectio, &c.

Bernardus. 1130.

In vita Malachiæ: Infra vicesimum quintum annum Leuiticum ministerium, intra tricesimum adeptus est sacerdotij dignitatem.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. dist. 24. Ad Diaconum pertinet assistere Sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Christi, scilicet, in Baptismo, in Chrismate, in patena & calice: oblationes quoque inferre & disponere in altari. Componere etiam mensam Domini, & vestire, crucem ferre, & prędicare Euangelium & Epistolam ad populum. Nam sicut Lectoribus vetus Testamentum, ita Diaconibus nouum prædicare preceptum est. Ad ipsum etiam pertinet officium precum, & recitatio Catechumenorum nominum. Ipse præmonet aures habere ad Dominum: ipse donat pacem, & ipse annuntiat.

Innocentius Tertius. 1200.

Mysteriorum Missæ lib. 1. cap. 5. Ordo Diaconorum à tribu Leui sumpsit exordium. Vnde Dominus ad
Num 3. Mosen locutus est, dicens: *Applica tribum Leui, &c.* A viginti quinque annis & supra iussi sunt in tabernaculo seruire, tamquam ætate ad onera portanda robusti, qui possint arcam fœderis, mensam propositionis, & vasa tabernaculi portare. Quod etiam in nouo Testamento recolitur, cùm Diaconis supra sinistrum humerum stola imponitur, & in diebus ieiunij super eundem humerum casula complicatur.

Guilhelmus Aluernus Parisiens. 1230.

De Sacramento Ordinis cap. 3. Tria sunt Diaconalis officij ordinis ministeria. Primum est Euangelicæ lectionis recitatio: secundum est panis & vini ad conficiendum Eucharistiæ mysterium oblatio seu ministratio. Illa enim recipit in sacro calice & patena sacerdos de manu Diaconi. Tertium custodia & repositio ipsius Eucharistiæ & vasorum sacrorum, videlicet calicis & patenæ, corporalium, ac pallarum. Manifestum autem est, quòd ipsa eminentissima sanctitas sacratissimæ Eucharistiæ, cuius custodia Diacono creditur, causam dedit ordini Diaconali.

Vincentius Beluacensis. 1245.

In Speculo historiali lib. 8. cap. 60 Sextus Ordo Diaconorum, id est, Leuitarum est: quorum est prædicare & sacerdoti ministrare, quo vsus est Dominus prædicando, & carnem suam ac sanguinem Apostolis ministrando.

Guilhelmus Durandus. 1280.

In Rationali Diuinorum lib. 2. cap. 9. Diaconus duplex gerit officium, scilicet prædicandi populo, vnde lecturus Euangelium, dicit populo: *Dominus vobiscum:* & ministrandi sacerdoti. Nempe propter prędicandi officium casulam super humerum portat, quia prædicator in præsenti vita opera populi portare debet. Pro eo verò quòd sacerdoti ministrat, & quia propter instantes necessitates ire atque redire habet, dexteram habere debet liberam.

Ioannes Scotus. 1300.

In lib. 4. Sentent. dist. 24. q. 1. art. 2. In Ecclesia tantùm sunt septem Ordines, quorum primus est gradus disponens ad consecrationem Eucharistiæ, & est sacerdotium: secundus gradus est disponens ad dispensationem Eucharistiæ saltem sanguinis, & est Diaconatus, &c.

Thomas Argentinens. 1350.

In lib. 4. Sentent. dist. 24. Diaconus materiam prępparat parando calicem cum vino & aqua, & patenam cum hostia consecranda. Hæc autem sic parata offert Diaconus sacerdoti.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica de Sacramento ordinis: Sextus Ordo est Diaconatus, & est actus istius ordinis ordinare hostias in altari, & vinum, prædicare epistolam & Euangelium, & ministrare sacerdoti immediatius cæteris officialibus. Legere enim Euangelium est actus consequens. Hic ordo à veteri Testamento nomen traxit, scilicet à tribu Leui. Hic ordo ab Apostolis est celebratus, quando, vt legitur in Actibus Apostolorum, septem viros plenos Spiritus sancti ad hoc officium elegerunt, & oratione præmissa manus eis imposuerunt. His, cùm ordinantur, Episcopus manus imponit, quia ad ministerium applicantur. Ponit ijs orarium, id est, stolam super læuum humerum, vt per hoc intelligant, se accepisse iugum Domini suaue: accipiunt & textum Euangelij, vt intelligant se esse præcones Euangelij Christi.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Tomo 1. operum minorum, in compendio Theologiæ propositione 38. Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus Ordines sacri vocantur, in quibus & character imprimitur, & habentes eosdem ad continentiam sunt astricti.

ARTICVLVS QVARTVS.

SVBDIACONORVM LECTORVM, EXORCISTARVM, ACOLYTHORVM, ET OSTIARIORVM ORDINES.

Anno post natū Christum

NEGANT.

1000. G*RÆCI negant Ordines Ostiariorum, Exorcistarum, Acolythorum.* Guido Hæres. 19. Græcorum.

1180. *VValdenses dicunt in Ecclesia tres tantùm esse Ordines: Diaconatum, Presbyteratum, & Episcopatum.* Guido de VValdensibus.

1300. *Sagarelli dicunt, Ordines Sacerdotum, Diaconorum, & Subdiaconorum esse in fides detrimentum.* Guido de Hæresibus.

1390. Ioannes VVicleuus Trialogi cap. 13. *Tempore Pauli sufficiebant duo ordines clericorum, sacerdos videlicet & Diaconus, quia certum videtur, quod superbia Cæsarea alios gradus inuenit.*

1550. *Ioannes Caluinus* lib. 4. Instit. cap. 19. *omnes Ecclesiasticos Ordines deridet, & reijcit.*

ASSERVNT LITVRGIÆ APOstolicæ.

Liturgia D. Marci.

Fol. 10. Insuffla circumstantes seruos tuos introitu sacri ministerij, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Lectores, Cantores, & laicos, cum omni plenitudine S. Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ.

Fol. 18. Cum omnibus Orthodoxis Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, Cantoribus.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Canone 43. Hypodiaconus, aut Cantor, aut Lector aleæ vacans, vel desinat, vel segregetur.

Constit. Apostolic. lib. 3. *cap.* 11. Neque reliquis Clericis potestatem baptizandi facimus, vt Lectoribus, Cantoribus, Ianitoribus, aut ministris, nisi tantùm Episcopis & Presbyteris ministrantibus Diaconis. Neq; Presbyteris potestatem damus ordinandi Diaconos, aut Diaconissas, aut Lectores, aut ministros, aut Cantores, aut Ianitores, sed Episcopis tantùm.

Lib. 8. *cap.* 21. Hypodiaconum cùm ordinas Episcope, imponas ei manus, & dicas: Domine Deus effector cœli & terræ, qui in tabernaculo testimonij æditituos fecisti sanctorum vasorum tuorum custodes, & ipse nunc respice hunc famulum tuum, qui ad ministerium Hypodiaconi electus est, & tribue ei Spiritum sanctum, vt vasa ad ministrandum tibi facta dignè attrectet, pareatque voluntati tuæ semper, per Christum &c.

Cap. 22. Lectorem eliges, cui manu imposita, & preces Deo adhibens dicas: Deus æterne respice hūc famulum tuum, cui Scripturæ tuę sanctæ ad legendum eas populo committuntur, da ei Spiritum sanctum, Spiritum propheticum, qui Esdram famulum sapientem fecisti ad recitandum leges tuas populo tuo, & nunc obsecratus à nobis, trade seruo tuo sapientiam, & da ei, vt opus sibi iniunctum rectè perficiendo, dignus appareat maiore gradu, per Christum Iesum Dominum nostrum.

Cap. 28. Nulli ex reliquis clericis licet opus facere Diaconi. Diaconus excōmunicat Hypodiaconum, Lectorem, Cantorem, & Diaconissam, si hoc facere opus sit, absente Presbytero. Hypodiacono non licet excommunicare Lectorem, aut Cantorem, aut Diaconissam, aut clericum, aut laicum: ministri enim sunt Diaconorum.

Epistola 2. *ad Iacobum fratrem Domini:* Tribus gradibus commissa sunt Sacramenta diuinorum secretorum, id est, Presbytero, Diacono, & Ministro &c. De velis ianuarum cura sit Ostiarijs ex traditione Maiorum, ne quis negligens aut ignarus [illegible] velum ianuæ domus Domini manus incondita tergat, sed statim coercitus, discat omnis homo quia velum atrij domus Domini sanctum est.

Ignatius. 100.

Epistola ad Antiochenos: Saluto sanctum Presbyterorum collegium, saluto sacros Diaconos, saluto Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Ianitores, Laborantes, Exorcistas, Confessores.

Ad Philadelphienses: Presbyteri, & diaconi, & omnis clerus simul cum omni populo obediunt Episcopo.

Ad Philippenses: Transmisi vobis [illegible]

phanium lectorem, virum à Deo honoratum.

Eusebius Cæsareensis. 320.

Ecclesiast. hist. lib. 6. cap. 35. Istum ergo lepidum Euangelij patronum Nouatum omninò prætcrijt, scilicet vnum esse Episcopum oportere in hac Ecclesia Catholica: in qua tamen non ignorabat Presbyteros esse quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolythos quadraginta duos. Exorcistas ac Lectores, vnà cum Ostiarijs quadraginta duos.

Libro 8. cap. 6. Multitudo infinita vbique gentium in custodiam conclusa fuit: & carceres passim, qui iam olim homicidis, & mortuorum sepulchris conditorum expilatoribus parati fuerant, tunc Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Lectoribus & Exorcistis penitus referti: adeo vt his, qui malefici-js tenebantur obstricti, nihil illic loci esset reliquum.

Vita Constantini lib. 3. cap. 9. In præsenti choro fuit multitudo Episcoporum ad numerum ducentorum quinquaginta & amplius: Presbyterorum autem, Diaconorum, Acolythorum, & aliorum, qui istos comitabantur, turba ne numerari quidem potest.

Concilium Nicenum Primum 325.

Canone 3. Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omninò, qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem.

Athanasius. 340.

Epistol. ad solitariam vitam agentes: Ariani rapuerunt Eutychium Subdiaconum, virum probè Ecclesiæ inseruientem, quem scuticis ad mortem vsque curauerunt verberari.

In vita Antonij: Omnes clericos vsque ad vltimum gradum ante se orare compellebat.

Concilium Antiochenum. 340.

Cap. 10. Chorepiscopis instituere permittitur Lectores, & Subdiaconos, atque Exorcistas, quibus sufficiat istorum tantùm graduum licentiam accepisse.

Concilium Sardicense. 350.

Can. 10. Episcopus non prius constituatur, quàm Lectoris, & Diaconi, & Presbyteri ministerium peregerit, & in vnoquoque gradu si dignus exististimatus fuerit, ad Episcopatus fastigium per progressionem potest ascendere.

Concilium Laodicense. 360.

Canone 21. Non oportet ministros locum habere in Diaconis, & sacra vasa tangere.

Canone 23. Non oportet Cantores, vel Lectores ferre orarium, & sic legere, vel canere.

Canone 24. Non oportet sacratum à Presbytero vsque ad Diaconum, & deinceps quemlibet Ecclesiastici ordinis vsque ad ministros, vel Lectores, vel Exorcistas, vel Ostiarios, vel exercitatorum ordinis, in cauponam ingredi.

Canone 25. Non oportet ministrum vel panem dare, vel calicem benedicere.

Basilius Magnus. 370.

Epistola 70. Quæ verò ista concomitentur, neminem latet, etiamsi nos sileamus, exilia Presbyterorum, exilia Diaconorum, totiúsque cleri depopulationes.

In Liturgia: Et cantant Cantores tres vel quatuor versus Psalmi: *Bonum est confiteri Domino.*

Gregorius Nazianzenus. 380.

Epist. 159. ad Amphilochium: Et Diacono, & vniuerso clero, ac præsertim nobis, quorum tibi cura est, manum porrige.

Ephrem. 370.

De vera Pœnitentia cap. 8. Quis adeò lapideo corde sit, qui hic diem illam vltimi iudicij non amarissimè fleat? Tunc separantur Episcopi à Corepiscopis, Diaconi à Subdiaconis, Subdiaconiqúe & Lectores à socijs suis.

Valentinianus, Valens & Gratianus AAA. 380.

Apud Iustinianum C. lib. 1. Titul. 3. l. 6. Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, atque Exorcistas, & Lectores, & Ostiarios, & Acolythos etiam personalium munerum expertes esse præcipimus.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homil. 3. in posteriorem ad Thessal. Quando Lector, cùm surrexerit, dicit: *Hæc Dominus, &c.* Stans Diaconus silentio indicto os omnibus obstruit, non Lectori honorem habens hoc facit, sed ei, qui per illum omnibus loquitur.

In Liturgia: Dum hæc cantantur à Lectoribus, inclinat se Diaconus à dextris stans sacerdotis, &c.

Philo Carpathius. 410.

In Cantica ad finem: Sunt comites sponsi vel amici, ad sacrum hoc velut epithalamium aduocati, nouem ipsi Angelorum chori: sponsæ totidem fidelium ordines, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Doctores, Pontifices, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi: hig inter se mysteria ipsa nostræ redemptionis & præmia futuræ felicitatis æternæ diuinissimi commentantur.

Sozomenus. 440.

Lib. 4. cap. 3. Erat Martyrius Hypodiaconus, Marcianus verò Psaltes & Lector diuinarum Scripturarum.

Socrates. 440.

Libro 6. cap. 3. Zeno Episcopus Hierosolymis reuersus, Ioannem Lectorem Ecclesiæ Antiochenæ constituit: qui dum Lectoris occupabat gradum, librum illum, qui contra Iudæos inscribitur, composuit.

Lib. 7. cap. 40. Proclus ab ineunte adolescentia Lector fuit, quem in literis & virtute proficientem Atticus ad gradum Diaconatus euexit.

Theodoretus. 450.

Ecclesiast. Hist. lib. 5. cap. 39. de Ioanne Chrysostomo: Complures Presbyteros, Diaconos, & Lectores ordinauit, illisqúe vnam Ecclesiam tribuit, quorũ opera multos errore lapsos Ecclesiæ reconciliauit.

Iustinianus Imperator. 530.

Nouella vt determinatus numerus sit clericorum cap. 1. Sancimus non vltra sexaginta quidem Presbyteros in sanctißima maiore Ecclesia esse: Diaconos autem masculos 100. & 40. fœminas: Subdiaconos verò 90. Lectores autem 110. Cantores 25. Ita vt sit omnis numerus reuerendißimorum clericorum sanctißimæ maioris Ecclesiæ 425. & insuper 100. ex ijs qui vocantur Ostiarij.

Nouell. 123. de Ecclesiasticis diuersis capitulis cap. 10. Interdicimus sanctißimis Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, & omnibus alijs cuiuslibet venerandi collegij aut schematis constitutis ad tabulas ludere.

Cap. 13. Presbyterum minorem 35. annorum fieri non permittimus: sed neque Diaconum, aut Subdiaconum minorem 25. neque minorem Lectorem decem & octo annorum.

Georgius Presbyter. 600.

In vita Theodori Archimandritæ: Cùm hæc Theodosius Episcopus accepisset, statim ad eum in oratorium accessit, & Lectorem declarauit, postridie Subdiaconum, & Presbyterum instituit. Ecce, inquiens, omnes clerici ordines consecutus es, vt diuina possis mysteria peragere ad eorum, qui accedunt, ædificationem.

Concilium Trullanum. 710.

Canone 4. Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Lector, vel Cantor, vel Ostiarius cum muliere Deo dicata coierit, deponatur, vt qui Christi sponsæ vitium attulerit.

Can. 14. Subdiaconus ne minor viginti annis ordinetur.

Elias Cretensis. 780.

In orationem 10. *Nazianzeni:* Cùm primus gradus Presbyterorum sit, secundus Diaconorum, tertius Subdiaconorum, postremus Lectorum: in singulis tamen horum rursum primum, & secundum, & tertium reperire est.

Concilium Nicenum Secundum. 790.

Can. 14. Quoniam videmus nonnullos à pueris cleri tonsuram accipientes, nondum accepta Episcopi manuum impositione, & in congregatione in suggestu legentes, & id non canonicè facientes, hoc à præsenti Canone non fieri permittimus. Hoc autem ipsum etiam in Monacho seruari. Lectoris autem manuum impositionem licet in proprio monasterio etiam soli vnicuique monasterij præfecto facere, si ipsi præfecto scilicet manus ab Episcopo est imposita, qui fuit & ipse presbyter. Similiter & ex antiqua consuetudine Chorepiscopos Episcopi permissu oportet per manuum impositionem Lectores creare.

Leo Imp. cognomento Philosophus. 880.

Constitutione 16. Ciuilis lex statuit ne minor 25. annis in diuinis officijs creetur Hypodiaconus: decretum sacrum contra statuit, vt qui ad istiusmodi ministerium accedit, hunc vigesimus annus ad ordinationem perducat. Dignum itaque sacram legem de rebus suis præcipientem audire Imperatoria nostra maiestas rata, & in eandem cum illa sententiam descendit, & statuit, vt qui ad vigesimum annum peruenit, modò anteactæ vitæ ratio obstaculo non sit, quantum ad ætatem Hypodiaconi officium suscipere non impediatur.

Constit. 75. Sexta Synodus vicenarium Hypodiaconum ordinari posse sanxit: huic verò ciuilis lex contradicens, annis viginti quinque admetiri iubet. Nos itaque vt sacram legem sacer ordo sequatur conuenire rati, vt ad Hypodiaconatum, qui quidem eo digni sunt, anno ætatis vigesimo admittantur, sancimus.

Simeon Metaphrastes. 950.

In Martyrio S. Marci: Marcus ordinauit Episcopum Anicium, & tres Presbyteros, septem Diaconos, & vndecim, qui Ecclesiasticum ministerium obirent.

De S. Abramio: Tunc sui cleri accepta parte aliqua, cùm venisset ad vicum, cùm eos elegisset, qui erant virtute insigniores, alios quidem Presbyteros, alios Diaconos constituit, alios cooptauit in alios sacros gradus.

Theodorus Balsamon. 1180.

In tertiam epistolam Canonicam D. Basilij: Definit sanctus per præsentem Canonem, omnes similiter clericos per solam depositionem, seu per motionem à conuenienti sacro ministerio puniri, siue sint ordinati, vt Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi; siue per solum characterem operationem sacerdotalem habeant, vt Cantores, Lectores, Ianitores, & similes.

Nicetas Choniates. 1200.

Lib. 2. *de rebus gestis Alexij Angeli:* Constantinus Mesopotamianus ex Lectore Diaconum se ordinari voluit, non ferendum ratus, ni sacras etiam dignitates contrectaret.

Georgius Pachymerius. 1280.

Ad cap. 3. *Ecclesiast. Hierarch. Dionysii.* Ex ministris Hypodiaconis alij quidem portas custodiunt, alij aliud quid agunt.

Philotheus Patriarcha Constantinop. 1360.

In ordine instituendi Diaconum: Diaconus exit cum sacerdote, prætereuntibus Lectoribus duobus cum facibus, & Diacono cum ipsis tenente incensum. Egreditur etiam retro sacerdos demissam portans casulam, & sic abeunt ad assuetum locũ, vbi Lectores manualia deponũt, in medio templi hinc inde.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Anacletus PP. 95.

Epist. 1. Episcopus in solennioribus diebus aut septem, aut quinque, aut tres Diaconos, qui eius oculi dicuntur, & Subdiaconos, atque reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis in fronte & à tergo stent.

Tertullianus. 200.

De Præscription. aduersus hæretic. cap. 4. Nusquam facilius proficitur, quàm in castris rebellium, vbi ipsum esse illic promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector.

Fabianus PP. 237.

Epist. 1. Septem Diaconos in vrbe Roma per septem regiones ciuitatis, sicut à patribus accepimus, habemus: qui per singulas hebdomadas & dominicos dies, atque festiuitatum solennia, cum Subdiaconibus & Acolythis, ac sequacium ordinum ministris iniuncta sibi obseruant ministeria, & parati omni hora sunt ad diuinum officium, & quicquid ijs iniungitur peragendum, &c. Denique septem Subdiaconos ordinauimus, qui septem notarijs imminerent, & gesta Martyrũ veraciter in integro colligerent, nobisq; rimanda manifestarent.

Cyprianus. 250.

Libro 3. epist. 5. *Epist.* 15. Cùm vestra scripta legissem, quæ de hoc ad clerum nostrum per Clementinum Hypodiaconum nuper feceratis, vt ijs, qui post lapsum infirmitate apprehensi essent, subueniretur, &c.

Epist. 24. Fecisse me sciatis Lectorem Saturum, & Hypodiaconum Optatum confessorem, quos iam pridem communi consilio clero proximos feceramus. Libro 3. epist. 22.

Epist. 55. Legi literas tuas, frater charissime, quas per Saturum fratrem nostrum Acolythum misisti. Libro 1. epist. 3.

Epist. 77. Quod hodie etiam geritur, vt per Exorcistas voce humana & potestate diuina flagelletur, & vratur, & torqueatur diabolus. Libro 4. epist. 7.

Epist. 78. Quod per Hermianum Hypodiaconum, & Lucanum, & Maximum Acolythos distribuendum misisti. Libro 5. epist. 10.

Caius. 283.

Epist. ad Felicem cap. 6. Illud nos statuentes, vobis & omnibus seruare mandamus, vt ad ordines Ecclesiasticos sic ascendant in Ecclesia, qui ordinari merentur, id est, si quis Episcopus esse meretur, sit primò Ostiarius, deinde Lector, postea Exorcista, inde sacretur Acolythus, demum verò Subdiaconus, deinde Diaconus, & postea Presbyter, & exinde, si meretur, Episcopus ordinetur.

Concilium Eliberinum. 318.

Cap. 30. Subdiaconum eum ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuerit mœchatus, eo quòd postmodum per subreptionem ad altiorem gradum non sit promouendus.

Synodus Romana sub Syluestro. 320.

Cap. 7. Pontifici Presbyter, Presbytero Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono Acoly-

thus, Acolytho Exorcista, Exorcistæ Lector, Lectori Ostiarius in omni loco repræsentent obsequium, siue in publico, siue in gremio Ecclesiæ.

Cap. 11. Vt nullus ex laica persona ad honorem Acolythi vsque ad Episcopatum subleuaretur, nisi prius fuisset Lector annis triginta, deinde vna die Exorcista, & postea caperet onus Acolythi, & faceret in eodem ordine Acolythus annis decem, vt acciperet onus Subdiaconi, & in Subdiaconatu esset annis quinque, & deinde ad Diaconatus honorem pertingeret.

Ambrosius. 370.

Ad cap. 4. epist. ad Ephesios: Pastores possunt esse Lectores, qui lectione sagiuent populum audientem: Magistri verò Exorcistæ sunt, quia in Ecclesia ipsi compescunt & verberant inquietos.

Damasus. 380.

Epist. 4. Chorepiscopis non licet sacerdotes consecrare, nec Diaconos, nec Subdiaconos.

Syricius. 390.

Epist. 1. cap. 9. Quicumque se Ecclesiæ vouit obsequijs à sua infantia, ante pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet ministerio sociari. Qui ab accessu adolescentiæ, vsque ad trigesimum ætatis annum probabiliter vixerit, vna tantum, & ea, quam virginem communi per sacerdotem benedictione perceperit vxore contentus, Acolythus, & Subdiaconus esse debebit: post quæ ad Diaconij gradum, si se ipse primitus continentia præeunte, dignum probarit, accedat.

Cap. 10 Qui verò ętate grandęuus, melioris propositi conuersatione prouocatus, ex laico ad sacram militiam peruenire festinat, desiderij sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo quo baptizatur tempore statim Lectorum, aut Exorcistarum numero societur, si tamen eum vnam habuisse vel habere, & hanc virginem accepisse, constet vxorem. Qui dum initiatus fuerit, expleto biennio, per quinquennium aliud Acolythus & Subdiaconus fiat, & sic ad Diaconatum prouehatur.

Eusebius Vercellensis. 370.

Epistola ad Episcopos Italiæ: Hoc præstare dignatus est Dominus, vt id, de quo eram sollicitus, non solùm literis synceritatis vestræ, sed & præsentia clarorum nostrorum Syri Diaconi, & Victorini Exorcistæ cognoscere potuerim.

Hieronymus. 390.

Epist. 2. cap. 6. Si propter officium clericatus aut vidua visitatur, aut virgo, nunquam domum solus introeas: Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris, si Lector, si Acolythus, si psaltes te sequitur, non ornetur veste, sed moribus, non calamistro crispent comas, sed pudicitiam habitu polliceantur.

Epist. 91. In ipso persecutionis articulo sancti filij nostri Asterij Hypodiaconi, necessarij mei, beatitudinis tuæ literæ ad me peruenerunt: quibus satisfacis, te contra paruitatem meam librum Romam non misisse. Hoc nec ego factum audieram, quasi ad me scripta per fratrem nostrum Sysinnium Diaconum huc exemplaria peruenerunt.

Ad cap. 2. ad Titum: Non solùm Episcopi, Presbyteri, & Diaconi debent magnoperè prouidere, vt cunctum populum, cui præsident, conuersatione, sermone & scientia præcedant: verùm & inferior gradus, Exorcistę, Lectores, æditui, & omnes omninò, qui domui Dei seruiunt.

Concilium Carthaginense Quartum. 395.

Cap. 5. Subdiaconus cùm ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam: de manu verò Archidiaconi vrceolum cum aqua, & mantile, & manutergium.

Cap. 6. Acolythus cùm ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat: sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, vt sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari: accipiat & vrceolum vacuum, ad suggerendum vinum in Eucharistiam sanguinis Christi.

Cap. 7. Exorcista cùm ordinatur accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt Exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipe & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenos siue baptizatum, siue catechumenum.

Cap. 8. Lector cùm ordinatur, faciat de illo verbum Episcopus ad plebem, indicans eius fidem, & vitam & ingenium: posthæc spectante plebe tradat ei codicem, de quo lecturus est, dicens ad eum: Accipe, & esto Lector verbi Dei, habiturus, si fideliter & vtiliter impleueris officium, partem cum ijs, qui verbum Dei ministrauerunt.

Cap. 9. Ostiarius cùm ordinatur, postquam ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conuersari, ad suggestionem Archidiaconi tradat ei Episcopus claues Ecclesiæ de altario dicens: Sic age quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clauibus recluduntur.

Cap. 10. Psalmista, id est, Cantor potest absque scientia Episcopi, sola iussione Presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero: vide vt quod ore cantas, corde credas; & quod corde credis, operibus comprobes.

Augustinus. 400.

Epistola 62. Scriptis tuis rescriptorum debitorem me factum esse cognoui, reddendi tempus operiebar: & ecce profecturi à nobis charissimi fratris nostri Albini Acolythi grauissima occurrit occasio.

Concilium Toletanum Primum. 400.

Cap. 4. Subdiaconus defuncta vxore, si aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, remoueatur, & habeatur inter Ostiarios vel Lectores, ita vt Euangelium vel Epistolam non legat.

Cap. 5. Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus clericus, si intra ciuitatem fuerit, vel in loco, in quo Ecclesia est, si ad sacrificium quotidianum non venerit, clericus non habeatur.

Innocentius Primus. 406.

Epist. 4. cap 5 Non citò quilibet Lector, citò Acolythus, citò Diaconus, citò sacerdos fiat. Quia in minoribus officijs si diu perdurent, & vita eorum pariter & obsequia comprobantur, vt ad sacerdotium posthac, emensis stipendiorum meritis veniant.

Epist. 24. cap. 5. Quales eligendi sint ordine clericorum euidens forma declarat, id est, qui ab ineunte ætate baptizati fuerint, & Lectorum officio sociati, vel si maiores sunt, cùm fuerint Dei gratiam consecuti, statim se Ecclesiasticis ordinibus mancipauerint.

Seuerus Sulpitius. 410.

Vita D. Martini cap. 4. Hilarius Exorcistam Martinum esse præcepit; quam ille ordinationem ne despexisse tamquam humiliorem videretur, non repudiauit.

Paulinus Nolanus. 410.

Epistola 5. Prorsus per omnia Cardamas nobis tam bellus apparuit, vt clericum probabilem hominibus, & Exorcistam dæmonibus terribilem videremus.

Epist. 13. Hæc igitur iam in virtute & misericordia Domini reualescente, per charissimum in Domino fratrem Amachium domini & patris nostri Delphini Subdiaconum, quia ipsius occasio præstò erat, scripsimus.

Zosimus. 417.

Epistola ad Hesychium cap. 1. Assuescat in Domini castris, in Lectorum primitus gradu diuini rudimenta seruitij, nec illi sit vile Exorcistam, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum per ordinem fieri: nec hoc saltu, sed statutis maiorum ordinatione temporibus.

Cap. 3. Hæc singulis gradibus obseruanda sunt tempora: si ab infantia Ecclesiasticis ministerijs nomen dederit, inter Lectores vsque ad vigesimum ætatis annum continuata obseruatione perduret. Si maior iam atque grandæuus accesserit, ita tamen, vt post baptismum statim se diuinæ militiæ desideret mancipari, siue inter Lectores, siue inter Exorcistas, quinquennio teneatur: exinde Acolythus, vel Subdiaconus quatuor annis, & sic ad benedictionem Diaconatus, si meretur, accedat.

Leo Primus. 450.

Epist. 84. *cap.* 4. Subdiaconis carnale connubium non conceditur. Quod si in hoc ordine, qui quartus à capite est, dignum est custodiri, quanto magis in primo aut secundo tertioque seruandum est?

Vigilius Tridentinus. 480.

De SS. Sisinnio, Martyrio, & Alexandro: Martyrius intelligens, se veræ lucis auctore Deo gratiam consecutum, inter Lectoris officium sociatus, diuinæ laudis canticum auribus primus surdæ regioni intonuit. Alexander frater Martyrij Lector haud vnquam impigrè Deo ad ministerium antelucanum seruiebat.

Gelasius. 490.

Epist. 6. *cap.* 3. Si quis etiam de religioso proposito & disciplinis Monasterialibus eruditus ad clericale munus accedat, imprimis eius vita, præteritis acta temporibus inquiratur. si omnibus, vt decet, fulcitur, continuò Lector, vel notarius, vel certè defensor effectus, post tres menses existat Acolythus, maximè si huic ætas etiam suffragatur, sexto mense Subdiaconi nomen accipiat: ac si modestæ conuersationis, honestæque voluntatis existit, nono mense Diaconus, completoque anno fit Presbyter.

Concilium Agathense. 506.

Cap. 39. Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendæ vxoris licentia non est, etiam aliorum nuptiarum euitent conuiuia.

Ennodius Ticinensis. 510.

Epist. ad Constantium: Vigilius Subdiaconus vester experiri voluit, quanta mihi à vobis charitas redderetur, & ad occasionem profectus summam coniunctionem nostram conatus adducere, statum inter nos amicitiæ dum augetur honoribus vult metiri: hunc, si mereor, ad Diaconi Sacramenta perducatis, vt dignitas præfati ad spem mihi proficiat maiora poscendi.

In vita Epiphanij Ticinensis: Igitur vir insignis Epiphanius, cælestis militiæ tyrocinium sortitus, Lectoris Ecclesiastici suscepit officium, &c. Talis ad decimum octauum ætatis suæ peruenit annum, in quo secundo à Leuitis numero dedicatus, senum cœtibus adiunctus est. In quo tamen ille Subdiaconi ordine nihil amplius quàm biennio commoratus, meritorum suorum saltibus exiliuit.

Concilium Gerundense. 517.

Cap. 6. Placuit à Pontifice vsque ad Subdiaconatum, post suscepti honoris officium, si quis ex coniugatis fuerit ordinatus, vt semper alterius fratris vtatur auxilio, cuius testimonio vita eius debeat clarior apparere.

Concilium Aurelianense Tertium.

Cap. 2. Vt nullus clericorum à Subdiacono, & supra, & quos vxores in proposito suo accipere inhibetur, propriæ (si fortè eam habeat) misceatur vxori.

Cap. 15. Presbytero, Diacono, & Subdiacono sine Episcopi sui literis ambulanti iuxta statuta priora communionem nullus impendat.

Marcellinus Comes. 540.

In Chronicis: Ioannes Antiochiæ natus, ibique à Meletio eiusdem ciuitatis Episcopo Lector Ecclesiæ ordinatus, per singulos officij gradus ascendit.

Concilium Turonense Secundum. 570.

Cap. 11. Si quis Episcopus, Presbyter, Diaconus, aut Subdiaconus de hac re statuta Patrum vel nostra temerare præsumpserit, excommunicetur.

Concilium Bracarense Primum. 572.

Cap. 27. Placuit, vt quia in aliquantis huius prouinciæ Ecclesijs Diaconi, absconsis infra tunicam vtuntur orarijs, ita vt nihil distare à Subdiacono videantur, vt de cætero superposito scapulæ (sicut decet) vtantur orario.

Cap. 28. Placuit, vt non liceat cuilibet ex Lectoribus sacra altaris vasa portare, nisi his, qui ab Episcopo Subdiaconi fuerint ordinati.

Cap. 29. Placuit vt Lectores in Ecclesia ordinati in habitu seculari non psallant.

Cap. 38. Placuit, vt ex laico ad gradum sacerdotij nemo veniat, nisi prius anno integro in officio, Lectorum vel Diaconorum disciplinam Ecclesiasticam discat, & sic per singulos gradus eruditus ad sacerdotium veniat.

Gregorius Turonensis. 580.

Libro 4. *Historiæ Francorum cap.* 6. Cato Presbyter inquit: Ipsos clericatus gradus canonica sum semper institutione sortitus. Lector decem annis fui, Subdiaconatus officium quinque annis ministraui, Diaconatui verò quindecim annis mancipatus fui.

Concilium Matisconense Secundum. 588.

Cap. 16. Illud quoque rectum visum est à nobis disponere, vt quæ vxor Subdiaconi, vel Exorcistæ, vel Acolythi fuerat, mortuo illo non secundo se audeat sociare matrimonio.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 4. *epist.* 44. Psalmos, & reliquas lectiones censeo per Subdiaconos, vel si necessitas fuerit, per minores ordines, exhiberi.

Lib. 11. *epist.* 54. Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Cantores, Lectores clericos appellamus.

Concilium Antisiodorense. 614.

Cap. 20. Quòd si Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, post acceptam benedictionem filios procreauerit, aut adulterium commiserit, & Archipresbyter hoc Episcopo, aut Archidiacono non intimauerit, integro anno non communicet.

Isidorus Hispalensis. 620.

De officijs Ecclesiasticis lib. 2. *cap.* 10. Subdiaconi oblationes in templo suscipiunt à populis: Isti obediunt officijs Leuitarum. Isti quoque vasa Corporis & Sanguinis Christi Diaconis ad altare offerunt. De quibus placuit Patribus, vt quia sacra mysteria contrectant, casti sint & continentes ab vxoribus, & ab omni carnali immunditia liberi, iuxta quod illis Propheta dicente iubetur. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Hi igitur cùm ordi- Esa. 52.

nantur, sicut Sacerdotes & Leuitæ, manus impositionem non suscipiunt, sed patenam tantùm & calicem de manu Episcopi, & ab Archidiacono scyphum aquæ & manutergium accipiunt.

Cap. 11. Lectorum ordo formam & initium à Prophetis accepit. Sunt Lectores, qui verbum Dei prædicant, quibus dicitur: *Clama, ne cesses.* Isti quippe dum ordinantur, primùm de eorum conuersatione Episcopus verbum facit ad populum. Denique coram plebe tradit eis codicem apicum diuinorum, ad Dei verbum annuntiandum. Qui autem ad eiusmodi promouetur gradum, iste erit doctrina & libris imbutus, sensuumque ac verborum scientia ornatus. Esa.58.

Cap. 13. In primo ordine & ministerio Ecclesiæ esse Exorcistas secundùm officia, quę in templo Salomonis erant disposita, quæque posterius sunt ab Esdra dispartita, inuenimus: eosque, quos Esdras actores memorat templi, nunc esse Exorcistas in Ecclesia Dei, &c. Hi cum ordinantur, sicut ait Canon, accipiunt de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, accipientes potestatem imponendi manus super energumenos, siue baptizatos, siue catechumenos. *Concil. 4. Carthag. c. 7.*

Cap. 14. Ostiarij sunt, qui in veteri Testamento ianitores templi vocabantur, qui præerant portis templi Hierusalem, quique ordinati per vices suas interiora templi, vel exteriora custodiebant. Hi denique inter sanctum & iniquum discernentes, eos tantùm in Ecclesia, qui sunt fideles recipiunt. Intrare enim templum, nisi per eos non possumus: habent enim in potestate tam bonos recipiendi, quàm reijciendi indignos.

Lib. 6. *Etymol. cap.* 12. Acolythi Græcè, Latinè ceroferarij dicuntur, à deportandis cereis, quando legendum est Euangelium, aut sacrificium offerendum. Tunc enim accenduntur luminaria ab ijs, & deportantur, non ad effugandas tenebras, dum sol eo tempore rutilet, sed ad signum lætitiæ demonstrandum: vt sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Euangelio legitur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ioan.1.

Aldhelmus. 680.

De laudibus Virginitatis cap. 23. Cyprianus, qui fuerat peruicax fidei refragator, per septenos fidei gradus paulatim proficiens, ad summum Pontificatus apicem feliciter peruenit.

Beda. 700.

In vita S. Felicis: Mox à puero diuino famulatui se subiecit, & crescente gratia virtutum, primò Lectoris in Ecclesia officium suscepit, ac post ad Exorcistæ gradum prouectus, immundos ex obsessis corporibus spiritus eijcere cœpit.

Vita S. Chutberti cap. 16. Omnes Presbyteri, Diaconi, Cantores, Lectores, cæterique gradus Ecclesiastici, monachum per omnia cum ipso Episcopo regulam seruant.

Alcuinus. 750.

Libro de diuinis officijs cap. 35. *de tonsura clericorum*: Ostiarius ab ostio Ecclesiæ dicitur, quòd ita debet prouidere, ne vllo modo paganus ingrediatur Ecclesiam, quia suo introitu polluat eam. Debet etiam custodire ea, quæ intra Ecclesiam sunt, vt salua sint.

Lecto dicitur à legendo, eò quòd ministerium legendi habeat in Ecclesia. Acolythi officium est, vt deportet cereos ante Diaconum, quando legitur Euangelium in Ecclesia.

Exorcistarum officium est, vt ponant manus super dæmoniacos, & per inuocationem nominis Dei repellant dæmones ab ijs dicentes: Adiuro te immunde spiritus, per Deum Patrem, & Filium & Spiritum sanctum, vt recedas à famulo Dei. Illud ministerium, vt Canones dicunt, nemo debet vsurpare, nisi qui officium habet, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus, aut Exorcista.

Subdiaconus subminister est, eo quòd sub Diacono fit, id est, sub ministro. Illius ministerium est, vt ministret Diacono, id est, deferat ei linteum, super quod consecrandum est corpus & sanguis Domini: deferat ei panem cum oblatis, & calicem in quo vinum & aqua habeatur, quia de latere Domini, processit sanguis & aqua.

Adrianus Primus. 780.

In capitulis ex diuersis Synodis & Canonibus collectis, paulo ante finem: Non Subdiaconus aduersus Diaconum, non Acolythus aduersus Subdiaconum, Exorcista aduersus Acolythum, non Lector aduersus Exorcistam, non Ostiarius aduersus Lectorem det accusationem aliquam.

Carolus Magnus. 800.

Epistola ad clerum Rauennatensem: Habent proprium officium in Ecclesiastico ministerio Ostiarij, habent Lectores, habent Exorcistæ, habent suum Acolythi officium, habent Subdiaconi: sic & Diaconi, necnon & Presbyteri: & habent distinctionem in vestibus Ecclesiasticis.

Concilium apud Theodonis Villam. 812.

Cap. 1. Si quis Subdiaconum calumniatus fuerit, vulnerauerit, vel debilitauerit, quinque quadragesimis pœniteat.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap. 31. Diaconi, & Subdiaconi, Presbyterorum adiutores sunt in verbo, baptismo, & quotidiano officio. Sunt etiam in Ecclesia Exorcistæ dæmonum exclusores. Habent aulæ potentum ianitores, habet & domus Dei Ostiarios: habet mundus veredarios, commentarienses, ludorum exhibitores, carminum pompaticos relatores: habet Ecclesia Acolythos, atque Lectores, Cantores, atque Psalmistas.

Rabanus Maurus. 850.

Lib. 1. de inst. Cleri cap. 8. *eadem habet quæ Isidorus.*

Nicolaus Primus. 860.

Apud Gratianum dist. 32. Clericus, qui per ordines Ecclesiasticos vsque ad Subdiaconatum castè vixerit, vxorem ducere non potest.

Notgerus Leodiensis. 980.

In vita S. Landoaldi: Ab oratione surrexit, capitis comam sibi abscindi fecit, clericatus adeptus honorem, omnem in clero gratiam peregrinando tamen transcendit per ordinem.

Osbertus Anglus. 1020.

Vita S. Dunstani cap. 3. Inter hæc rogatur à suis, quatenus in sortem Domini transeat, & in quibus seruiat Christo, sacros ordines suscipiat. Annuit ipse petentibus, atque vt liberius oratorium frequentare, luminaria accendere, manibus sacerdotum ac Leuitarum aquam fundere, vinum & aquam in Eucharistiam corporis Christi subministrare, legere, atque cantare in officio diei ac noctis posset, minores gradus suscepit.

Petrus Damianus. 1050.

Epistola 11. *cap.* 4. *contra sacerdotem luxuriantem*: Cùm Dominus dicat: *Nolite sanctum dare canibus*, quod de te iudicium erit, qui corpus tuum, quod vtique sanctum est per consecrationis accessum, non canibus, sed lupanaribus tradis: & cum omnes Ecclesiasticos ordines in te vno habeas metuenda mole congestos, omnes proculdubio fœdas, dum te prostibuli permixtione commaculas. Polluis itaque in te Ostiarium, Lectorem, Exorcistam, omnes denique sacros ordines, pro quibus in districto Dei iudicio redditurus es rationem. Matt. 7.

Ioannes Micrologus. 1070.

De Ecclesiasticis obseruationibus cap. 8. Solis Subdiaconis inter inferiores gradus Romana concedit auctoritas, vt sacris vestibus induti Epistolam legant ad Missam.

Iuo Carnotensis. 1100.

Sermone de excellentia sacrorum Ordinum: Clericorum officia septem gradibus sunt distincta: quia sancta Ecclesia septiformis gratiæ est munere decorata. In his septem officijs primus gradus est Ostiariorum, qui possunt discernere inter bonos & malos, dignos & indignos, & admittere in Ecclesiam quos sciunt esse dignos.

Inde promouetur ad officium Lectorum, vt iam ex traditione Ecclesiæ legat in Ecclesia Propheticas & Apostolicas lectiones, &c.

Tertio loco sequitur ordo Exorcistarum, qui super catechumenos faciunt Sacramenta apertionis, & habent spirituale imperium super spiritus immundos, ad eijciendos eos de corporibus obsessis.

Quarto loco sunt Acolythi, &c.

Quinto loco ordinantur Subdiaconi, qui iam ministerio altaris approximant, qui vasa corporis & sanguinis Domini portant.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei libro 2. par. 3. cap. 5. In septem graduum promotionibus per spiritualem potestatem altius semper ad sacra tractanda conscenditur. Primus gradus est Ostiariorum, secundus Lectorum, tertius Exorcistarum, quartus Acolythorum, quintus Subdiaconorum, sextus Diaconorum, septimus Sacerdotum, &c.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. dist. 24. In Sacramento septiformis Spiritus septem sunt gradus Ecclesiastici, scilicet Ostiarij, Lectores, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes. Omnes tamen clerici vocantur, id est, sortiti.

Concilium Lateranense sub Alexandro 1160.

Cap. 12. Clerici in Subdiaconatu, & supra, in minoribus quoque ordinibus, si stipendijs Ecclesiasticis sustentantur, coram iudice seculari aduocati in negotijs fieri non præsumant, nisi propriam vel Ecclesiæ suæ causam fuerint prosecuti.

Alexander Tertius. 1160.

Epistola ad Herfordensem Episcopum: De eo autem, quod quæsiuisti, an liceat extra ieiunia quatuor temporum aliquos in Ostiarios, Lectores, Exorcistas, vel Acolythos, aut etiam Subdiaconos promouere, tibi respondemus, quòd licitum est Episcopis Dominicis diebus vnum aut duos ad minores ordines promouere: sed ad Subdiaconatum nisi in quatuor temporibus, aut Sabbato sancto, vel Sabbato ante Dominicam de Passione, nulli Episcoporum, præterquam Romano Pontifici, licet aliquos ordinare.

Stephanus Eduensis. 1180.

De Sacramento altaris in Prologo: Sic fungitur homo in se vice Ostiarij, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, atque Sacerdotis, his virtutibus interior adornatur, &c. *Vide capite 1. 2. 3. 4. & quinto.*

Innocentius Tertius. 1200.

Mysteriorum Missæ lib. 1. cap. 3. Acolythi cereos ferunt accensos, dum legitur Euangelium, non vt tenebras aeris illuminent, sed vt proximis opera lucis ostendant.

Cap. 4. Subdiaconi Nathinæorum vices in Ecclesia repræsentant: de quibus rectè Patribus placuit, vt qui sacra mysteria contrectant, legem continentiæ debeant obseruare.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Libro de Sacramento Ordinis cap. 3. Nullos ad custodiam sacri loci & vasorum sacrorum, nisi piè sanctificatos ad hoc specialiterque consecratos Ecclesiæ primitiuæ rectores, & institutores, Apostoli scilicet & sancti Martyres duxerunt admittendos. Et hi sunt, quos vocamus Ostiarios seu ianitores, quorum est primus ordo, primaq; dignitas, hoc est minima seu infima circa sacras res, quibus diuini cultus honorificencia exterior exercetur in templis. Quia verò verba vitæ inter sancta meritò reputata sunt, quæ etiam sanctissima in ipsa Scriptura vocantur Eccles. 44. ad recitationem eorum similiter sanctificari specialiter ministros proprios voluerunt, & hi sunt, quos vocauerunt Lectores. Nullatenus autem permittebatur alijs recitare, seu pronuntiare in Ecclesia verba vitæ, siue eloquia sacra. Duo autem dederunt causam huic ordini, videlicet sanctitas ipsa verborum, & ædificatio populi, seu eruditio. Cùm enim non sit populo ædificatio seu eruditio salutaris, nisi per verba vitæ: hæc autem recitare, siue annuntiare propter eorum venerandam sanctitatem non decet nisi Sanctos, sicut legitur in Psalm. *Peccatori autem dixit Deus, quare, &c.* coegit ipsa religiositas Ecclesiæ, vt sanctificaretur ad hoc minister. Deinde verò vt gratia ipsius Ecclesiæ, & potestas, quam à Deo acceperat, videlicet ambulandi super aspidem, & basiliscum, & conculcandi leones infernales, vt virtus fidei & imperiositas super potestates contarias ad Dei gloriam & ipsius ædificationem & infidelitatis confutationem clarius atque sublimius eluceret, voluit misericors Deus aliquos in Ecclesia sua ea gratia præditos esse, vt instar Patriarcharum sanctorum atque cælestium dæmones coercerent, & de corporibus obsessis proijcerent, istamq; gratiam voluit huiusmodi ministris pontificali benedictione & oratione præstari. Claruit autem iste ordo, & ordinis gratia, videlicet coercendi & abijciendi dæmones, sicut & aliorum miraculorum coruscantia in Ecclesia primitia. Quod & imitari voluerunt ausu temerario septem filij Sceuæ principis Iudæorum, sed temeritas eorum ab ipso dæmone, quem eijcere tentabant, duriter repressa, & atrociter vindicata est, sicut legitur Act. 19. Sic ne aliquis simili temeritate sacris exorcismatibus dæmones eijcere attentaret, statuit Ecclesia primitiua, vt nisi ad hoc instituti & ordinati talia nullatenus præsumerent. Quia verò sacratissimum venerandæ Eucharistiæ Sacramentum non decebat absque ornatu & solennitate luminarium celebrari, quæ etiam non parum decoris addunt cultui, & ministerio templi, decuit, & oportuit, vt deputarentur sancti ministri ad ea accendenda & præparanda. Non enim fas erat appropinquare sacris altaribus, maximè tempore, quo tantum Sacramentum celebratur, nisi præsanctificatis. Inter omnia enim, quæ de substantia sunt templi visibilis, altare sanctissimum est, & longè solemniori sanctificatione, quàm cætera consecratur. Ministerium ergo accendendi & thurificandi, seu præferendi luminaria in sacro altari, vt circa vel ante sacratissimam Eucharistiam, tantùm decuit ordini ministrorum, qui Græcè Acolythi, Latinè ceroferarij vocantur. Quibus etiam commissum est, vt ampullas vini & aquæ Diaconis siue ministris porrigant, ad suggerendum vinum & aquam in sacrum calicem. Ad horum ergo ministerium pertinet, pelues & mappulas præparare, atque tenere ad abluendas manus sacerdotis, qui præsto est altari. Meritò ergo ista ministeria, quibus tanto Sacramento inseruitur, sanctitatem requirunt ministrorum.

Thomas Aquinas. 1250.

Super 4. Sent. quest. 4. in corpore quæstionum dist. 24. Ordinum multitudo introducta est in Ecclesia propter tria. Primò propter sapientiam Dei commendandam, quæ in distinctione ordinata rerum maximè reducet, tam in naturalibus, quàm in spiritualibus: quod significatur in hoc, quòd regina Saba, videns ordinem ministrantium Salomoni, non habebat vltra spiritum, deficiens in animi ratione sapientiæ ipsius. Secundò ad subueniendum humanæ infirmitati, quia per vnum non poterant omnia, quæ ad diuina mysteria pertinebant, expleri sine magno grauamine, & ideo distinguuntur ordines diuersi ad aduersa officia, & hoc patet per hoc, quòd Dominus Num. 11. dedit Moysi 70. senes populi in adiutorium. Tertiò, vt via proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diuersis officijs distribuuntur, vt omnes sint Dei cooperatores, quo nihil est diuinius, vt Dionysius dicit.

In Resolution. argument. eiusdem quæstionis: Quidam sumunt sufficientiam ordinum per quandam aptationem ad gratias gratis datas, de quibus habetur 1. Corinth. 12. Dicunt enim, quòd sermo sapientiæ competit Episcopo, quia ipse aliorum ordinator est: quod ad sapientiam pertinet: sermo scientiæ Sacerdoti, quia debet habere clauem scientiæ: Fides Diacono, qui prædicat Euangelium: opera virtutum Subdiacono, qui se ad opera perfectionis extendit per votum continentiæ: interpretatio sermonum Acolytho, quod significatur in lumine, quod defert: gratia sanitatum Exorcistæ: genera linguarum Psalmistæ: prophetia Lectori: discretio spirituum Ostiario, qui quosdam repellit, & quosdam admittit, &c. Alij assignant secundum quandam assimulationem ad cælestem Hierarchiam, in qua ordines distinguuntur secundùm purgationem, illuminationem, & perfectionem. Dicunt enim quòd Ostiarius purgat exterius, segregando bonos à malis etiam corporaliter. Interius verò Acolythus, quia lumen, quod portat, signat se interiores tenebras pellere. Sed vtroque modo Exorcista, quia diabolus, quem expellit, vtroque pede perturbat. Sed illuminatio, quæ fit per doctrinam, quantum ad doctrinam propheticam, fit per Lectores: quantum ad Euangelicam, fit per Diaconos: quantum ad Apostolicam, fit per Subdiaconos. Sed perfectio communis fit per sacerdotium, excellens verò per Episcopum, vt consecratio sacerdotum & virginum, sed excellentissima per summum Pontificem, in quo est plenitudo auctoritatis.

Bonauentura. 1260.

Super 4. Sentent. distinct. 24. quæst. 2. in corpore quæst. Sacramentum Ordinis gradus habet plurimos: & primò quidem distinctio est per gradus inferiores & superiores, siue per gradus sacros & non sacros. Ratio autem quare hoc Sacramentum gradus habet, est, quia ordinat ad dispensandum Sacramentum dignissimum, & ad ministrandum in templo Dei. Ad ministerium autem illud concurrunt quædam officia digniora, & quædam minus digna, quæ etsi omnes requirant ministros sanctos, illa tamen, quæ attenduntur circa altare, & circa portationem vasorum sacrorum, & circa oblationem sacrificij consummandam, potissimè requirunt ministros sanctos, secundùm Esaiæ 52. *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Sanctitas autem vel sanctificatio potissimè consistit in continentia: ideo sunt quidam ordines, qui requirunt continentiam in ministris, quidam verò minimè. Ideo rectè quidam ordines sacri dicuntur, quidam non sacri: non ratione sui, sed ratione ministerij: & sic patet ratio huius distinctionis ordinum per sacros, & non sacros, &c.

Richardus de media villa. 1280.

Super 4. Sentent. distinct. 24. articulo 3. quæstione 3. In Sacramenti confectione deseruiunt tres Ordines, scilicet, Diaconatus, Subdiaconatus, & Presbyteratus. Subdiaconus materiam Sacramenti accipit à populo, & offert Diacono, &c. In digna Sacramenti susceptione deseruiunt quatuor ordines minores. Disponimur enim ad dignam Sacramenti susceptionem & per remotionem prohibentis, & collationem dispositionis conferentis. Prohibens autem quantum in se est, est homo malus, ad cuius exclusionem, ordinatur Ostiarius: & etiam malus angelus, ad cuius expulsionem ordinatur Exorcista. Dispositio autem conferens aut disponit ad illuminandum intellectum, ad quod ordinatur Acolythus, cereos ad excitationem deuotionis deportans, &c. Hi tamen ordines quamuis sint Sacramentum vnum vnitate prædicta: non tamen habent inter se ita necessariam connexionem, quin de facto possit suscipi posterior priore non suscepto.

Ioannes Duns Scotus. 1300.

In 4. Sentent. distinctione 24. quæstione 1. articulo 2. In Ecclesia tantum sunt septem Ordines, quorum primus est gradus disponens ad consecrationem Eucharistiæ, & est sacerdotium. Secundus gradus est disponens ad dispensationem Eucharistiæ saltem sanguinis, & est Diaconatus. Tertius est disponens ad oblationem materiæ Eucharistiæ consecrandæ, & est Subdiaconatus. Et patet ratio, quare tres illi gradus Sacramenti dicuntur ordines, quia immediatè disponunt ad actum aliquem vel ministerium circa Eucharistiam, vel eius materiam exhibendam. Vlterius aliqui alij gradus disponunt ad actus aliquos remotè se habentes ad Eucharistiam. vel ergo ad conuenientem dispositionem in populo ad orandum, & suscipiendum, vel remouendum impedimentum, seu dispositionem inconuenientem. Primo modo dispositio conueniens pertinens ad effectum est deuotio, & ad hanc deuotionem attendit Acolythus, illuminando cereos. Alia dispositio est pertinens ad intellectum, scilicet cognitio, & ad hanc agit Lector. Remouere prohibens est arcere indignos, ne approximent: vel ergo indignos homines, & hoc pertinet ad officium Ostiarij: vel dæmones, & hoc pertinet ad officium Exorcistæ. Ex dictis apparet, quòd non est proprius actus Diaconi legere Euangelium, & Subdiaconi Epistolam: sed isti sunt remoti, & minus perfecti eorum actus. Perfectissimi autem & proprij illorum sunt, quos habet vnus immediatè circa Eucharistiam dispensandam, alius circa materiam eius offerendam.

Augustinus Triumphus. 1326.

De potestate Ecclesiastica quæstione 93. articulo 1. Subdiaconos, & alios minores ordines procedente tempore Ecclesia sibi constituit: quamuis aliqui dicant, quòd Subdiaconatus ordo ab Apostolis institutus sit, sed inter sacros non computatus: sicut postea numeratus est. Hoc idem patet ex discipulorum Apostolorum traditione. Nam Dionysius, qui fuit discipulus Pauli, capite 5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ tres ordines describit, Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorũ. Et Episcoporum ordinem dicit esse perfectiuum, Presbyterorum verò illuminatiuum, & Diaconorum purgatiuum.

Guido Carmelita. 1340.

Heresi 19. Græcorum: Ostiariorum officium exercuit Iesus, cùm eiecit ementes & vendentes de templo. Lectorum officium exercuit Lucæ 4.

quando cœpit intra Synagogam legere, & traditum sibi librum reuoluens, legit illud Esaiæ, &c. Exorcistarum exercuit officium, dum ab obsessis dæmonia eijciebat, & lunaticos curauit Matth. 4. Matth. 8. &c. Et sicut ad legendum Euangelium institutus est ordo Diaconorum, sic ad legendam doctrinam Apostolicam contentam in epistolis Apostolorum, quæ supponitur in Euangelio, conuenienter institutus est in Ecclesia ordo Subdiaconorum, quorum sit potestas legendi Epistolas in Missa, tam pro viuis, quàm pro defunctis.

Thomas Argentinensis. 1350.

In lib. 4. Sentent. distinct. 24. quæstione 1. articulo 2. Omnes gradus Ecclesiastici ordinis ordinantur ad Sacramentum altaris, quod dicitur Sacramentum vnionis, quia fideles illo Sacramento vniuntur Domino Iesu Christo. Ad quam vnionem duo requiruntur. Primò Christi ad nos approximatio, quæ fit per Sacramenti Eucharistiæ consecrationem, & ad istum actum deseruiunt tres sacri ordines, scilicet Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus: quia Subdiaconus materiam præparat, parando calicem cum vino & aqua, & patenam cum hostia consecranda. Hæc autem sic parata offert Diaconus sacerdoti. Sacerdos autem sic accipiens à Diacono, offert ipsi Deo, & consecrat diuinorum verborum ministerio. Secundò ad vnionem prædictam requiritur, vt nos Christo incorporemur, & hoc maximè fieri potest per istius Sacramenti deuotam & debitam commestionem: quia iste cibus conuertit manducantem in seipsum. Ad hoc autem, vt ista manducatio ordinatè fiat, deseruiunt quatuor alij ordines, qui dicuntur ordines minores. Iuuamur enim ad huiusmodi Sacramenti dignam perceptionem vno modo per remotionem prohibentis, alio modo per collationem disponentis. Primum fit dupliciter: Vno modo repellendo hostes visibiles, & ad hoc deseruit Ostiarius, qui custodiens portam Ecclesiæ, solerter antiquitus obseruabat, ne aliquis infidelis intraret Ecclesiam, quando Missa celebrabatur, ne per eorum tumultum & irrisionem impedirentur fideles, qui recipere debebant sacram communionem. Alio modo expellendo hostes inuisibiles, scilicet dæmones, & ad hoc deseruit Exorcista, cuius officium est facere coniurationes, vt dæmones ab hominibus exeant, quos quandoque vexare consueuerunt. Si iuuamur per collationem disponentis, hoc fit dupliciter: quia vel huiusmodi dispositio valet ad intellectus informationem, & ad hoc deseruit Lector, cuius est legere prophetias: vel ad affectus inflammationem, & ad hoc deseruit Acolythus, cuius officium est accendere candelas tempore quo legitur Euangelium, & eleuatur Sacramentum.

Ioannes Gerson. 1420.

In compendio Theologiæ cap. de Sacramento Ordinis. Ordinum vnus est supremus & principalis, scilicet sacerdotium: alij secundarij, & huic deseruientes. Supremus ordo duos habet actus, scilicet principalem, qui est conficere corpus Christi: & secundarium, qui est populum præparare, vt idoneè communicet. Secundarij autem ordines, & huic supremo ordini deseruientes, aut deseruiunt ei, quo ad actum suum principalem, aut quo ad actum suum secundarium. Si quoad actum suum principalem, qui est conficere corpus Christi, tunc est potestas super hostias, ex quibus conficitur corpus Christi. Et hoc potest esse dupliciter: quia aut in comparatione quoad populum, qui eas offerunt in templo, & sic est ordo Subdiaconatus. Subdiaconi enim interest accipere hostias à populo, & reponere in presbyterio, vt ipsas ministrare possit Diacono, vt dicit Isidorus. Aut est potestas super hostias in comparatione quoad sacerdotem, & sic est ordo Diaconatus, cuius est hostias oblatas ponere super altare, & ordinare vt eas ibi consecret sacerdos. Si autem est ordo deseruiens sacerdotio quoad actum suum secundarium, ad præparandum populum, tunc aut deseruiet ei in amouendo malum, aut in ordine ad bonum. Si primo modo, tunc iterum contingit hoc dupliciter, scilicet aut amouendo malum, quod est ab extra: & sic est ordo Ostiariorum: quorum officium est indignos & viles excludere, ne violent locum communionis fidelium: aut amouendo malum, quod est ab intra: & tunc est ordo Exorcistarum, quorum est arcere vim dæmonis per adiurationes, ne impediant perceptionem Sacramentorum. Si autem ordo deseruit sacerdotio in ordine ad bonum, tunc potest esse dupliciter: aut ex parte intellectus, & tunc est ordo Lectorum, quorum officium est legere apertè & distinctè: aut ex parte affectus, & tunc est ordo ceroferariorum, qui in signum ignis spiritualis accendendi in cordibus nostris cereos flammiferos deferunt, & hi sunt Acolythi, &c.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Tomo 1. operum minorum in compendio Theologiæ propositione 38. Septem sunt partes ipsius (*Ordinis.*) quæ per analogiam ordines nuncupantur, puta Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus, qui & ordines sacri vocantur, in quibus & character imprimitur, & habentes eosdem ad continentiam sunt astricti. Alij sunt quatuor ordines minus principales satis noti, in quorum quolibet character imprimi perhibetur.

(* * *)

ARTI-

ARTICVLVS QVINTVS.

CLERICOS, ET MONACHOS REBVS DIVINIS VACARE, HONESTE ET INCVLPATE VIVERE, NON NEGOTIIS SECVLARIBVS, TVRPIBVS LVCRIS, AVCVPIIS, VENATIONIBVS, ALEIS &c. VACARE debere.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

EXODI 19. *Verſ.* 22. Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos.

Leuitici 21. 1. Ne contaminetur ſacerdos in mortibus ciuium ſuorum. 6. Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen eius: incenſum enim Domini, & panes Dei ſui offerunt, & ideo ſancti erunt. Scortum, & vile proſtibulum non ducet vxorem, nec eam quæ repudiata eſt à marito: quia conſecratus eſt Deo ſuo, & panes propoſitionis offert. Sit ergo ſanctus: quia & ego ſanctus ſum Dominus, qui ſanctifico vos. 10. Pontifex, id eſt, ſacerdos maximus inter fratres ſuos, ſuper cuius caput fuſum eſt vnctionis oleum, & cuius manus in ſacerdotio conſecratæ ſunt, veſtituſque eſt ſanctis veſtibus, caput ſuum non diſcooperiet, veſtimenta non ſcindet.

Eccleſiaſtici 18. 22. Non impediaris orare ſemper, & ne vereris vſque ad mortem iuſtificari: quoniam merces Dei manet in æternum. Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum.

Iſaiæ 52. 11. Mundamini qui fertis vaſa Domini.

Ieremiæ 23. 10. Quia adulteris repleta eſt terra, quia à facie maledictionis luxit terra, *&c.* 11. Propheta namque & ſacerdos polluti ſunt: & in domo mea inueni malum eorum, ait Dominus. Idcirco via eorum erit quaſi lubricum in tenebris: impellentur enim, & corruent in ea: afferam enim ſuper eos mala, annum viſitationis eorum, ait Dominus.

Ezechielis 44. 9. Hæc dicit Dominus Deus, *&c.* 10. Leuitæ, qui longè receſſerunt à me in errore filiorum Iſrael, *&c.* 12. Pro eo quòd miniſtrauerunt illis in conſpectu idolorum ſuorum, & facti ſunt domui Iſrael in offendiculum iniquitatis: idcirco leuaui manum meam ſuper eos, ait Dominus Deus, & portauerunt iniquitatem ſuam: & non appropinquabunt ad me, vt ſacerdotio fungantur mihi, neque accedent ad omne ſanctuarium meum iuxta ſancta ſanctorum: ſed portabunt confuſionem ſuam, & ſcelera ſua quæ fecerunt. Et dabo eos ianitores domus, in omni miniſterio eius, & in vniuerſis quæ fient in ea.

Matthæi 5. 15. Vos eſtis lux mundi. 17. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.

Matthæi 6. 24. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.

1. *Corinth.* 4. 1. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur.

1. *Timoth.* 3. 1. Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Oportet enim Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, *&c.* 8. Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes: habentes myſterium fidei in conſcientia pura.

2. *Timoth.* 2. 3. Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus: vt ei placeat, cui ſe probauit.

Tit. 1. 7. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, nō turpis lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, prudentem, sobrium, iustum, sanctum, continentem.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Epistola 1. Te quidem oportet irreprehensibiliter viuere, & summo studio niti, vt omnes vitæ huius occupationes abijcias, ne fideiussor existas, ne aduocatus litium fias, neve in vlla aliqua occupatione prorsus inueniaris, mundialis negotij occasione perplexus. Neque enim iudicem, aut cognitorem secularium negotiorum hodie te ordinare vult Christus, ne præfocatus præsentibus hominum curis, non possis verbo Dei vacare.

Epistola 2. Tales ad ministerium eliganter clerici, qui dignè possint Dominica Sacramenta tractare. Melius est enim Domini sacerdoti paucos habere ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus graue ordinari adducant, &c. Ideoqúe tam iuuenes, quàm senes, de his, & de omni conuersatione sua, & conuersione, & pœnitentia, valdè esse solicitos oportet, satisqúe agere, vt hæc condignè agant, & de reliquo ornent tam clerici, quàm seculares animas suas ornamentis dignissimis, dogmatibus scilicet veritatis, decore pietatis, alijsq; omnibus, quibus compositam decet esse rationalem mentem.

Canone 34. *Apost.* Episcopus, Presbyter, aut Diaconus aleæ deditus, aut ebrietati, aut desinat, aut deponatur.

Can. 35. Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui vsuras exigit ab ijs, quibus mutuo dat, aut cesset, aut deponatur.

Can. 71. Dicimus non oportere, vt Episcopus, aut Presbyter se in populares administrationes deijciat, sed potius Ecclesiæ rebus necessarij opportunum tempus impendat. Aut igitur obediat, & hoc faciat, & si non hoc faciat, deponatur. *Nemo* enim
Matt. 6. *potest duobus dominis seruire*, secundùm Domini præceptum.

Can. 73. Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, qui militiæ operum dat, & vtrumque retinere vult magistratum, Romanum, & administrationem suam, deponatur. Quæ enim sunt Cæsaris, Cæsari debentur: & quæ Dei, Deo.

Const. Apost. lib. 2. *cap.* 6. Ne sit Episcopus turpiter quæstuosus, ne se negotijs vitæ implicet, ne pro alijs spondeat, ne causas nummarias defendat, ne sit cupidus præsidendi.

Ignatius. 100.

Epistola ad Heronem Diaconum: Teipsum castum custodi, vt Christi habitaculum: templum Christi es, Spiritus es instrumentum. Nosti quomodo te enutriuerim, etsi minimus sum, æmulator mei esto, imitare conuersationem meam. Saluto diuinis ornatum dotibus Presbyterum: saluto sanctos Condiaconos tuos, quibus ego fruar & corpore & spiritu.

Epistola ad Antiochenos: Diaconi agnoscant, cuius sint dignitates, & enitantur, vt inculpati sint, vt sint Christi imitatores.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. *par.* 3. His eo, quo diximus, iure peractis, astans coram signis sanctissimus Pontifex manus lauat cum sacerdotum honestissimo ordine: quòd quidem iuxta Saluatoris
Ioan. 13. eloquium is qui lotus est, nulla alia, nisi tantùm summitatum extremitatumve suarum lotione indigeat: per quàm profectò supremam munditiam illud consequitur, vt castissimo in habitu diuinæ specie constitutus, ad sequentia quoque, ad diuinæ bonitatis imaginem prodeat, vinculis omnibus mortalium affectionum liber atque expeditus, vt qui in vnius omnino transierit speciem: & dum ad vnum rursus singulari illo paucisq; cognito modo conuertitur, immaculatam eam conuersionem faciet, atque illibatam: quippe qui diuinam plenitudinem integritatemque custodiat. Eos enim, qui ad Sacramenta cælestia conficienda procedunt, ea oportet esse munditia, vt ipsas quoque animæ extremas imagines purgatas habeant, sicqúe reuerenda mysteria, quantùm fas est) similitudine puritatis accedere.

Irenæus. 180.

Lib. 4. *cap.* 44. Qui crediti sunt quidem à multis esse Presbyteri, seruiunt autem suis voluptatibus, & non proponunt timorem Dei in cordibus suis, sed contumelijs agunt reliquos, & principalis confessionis tumore elati sunt, & in absconsis agunt mala, & dicunt, nemo nos videt, redarguuntur à Verbo, qui non secundum gloriam iudicat, neque faciem attendit, sed in cor, &c. Ab omnibus igitur talibus absistere oportet, adhærere verò his, qui & Apostolorum doctrinam custodiunt, & cum presbyterij ordine sermonem sanum, & conuersationem sine offensa præstant, ad informationem, & correctionem reliquorum.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 3. *Pedagogi cap.* 11. Iam verò prohibendus quoque est tesserarum ludus, & præterea ex talorum vsu lucri studium, quod nonnulli acriter persequuntur.

Libro 4. *Stromaton cap.* 6. ad illa verba Pauli: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Diem allegoricè dicit filium & lucem, & rursus præcepta, arma lucis Metaphoricè. Hac ratione dicunt oportere nos ablutos ad sacrificia & preces, (*ἐπὶ τὰς ἱεροποιΐας, καὶ τὰς εὐχάς*) ire mundos & splendidos, & hoc quidem fiere symbolo, signive gratia, esse scilicet extrinsecus ornatum & emundatum: Emundatio autem est, ea quæ sunt sancta animo agitare & sentire, &c.

Origenes. 230.

Lib. 8. *contra Celsum* : Non Christiani eiusmodi occupationes deuitant, quòd communis vitæ ministeria fugiant: sed quòd seruiens se diuiniori, & magis necessario ministerio Ecclesiæ Dei ad salutem hominum, id quod necessarium simul & iustum existimant.

Homil. 5. *in Leuit.* Debent ipsi Ecclesiæ sacerdotes ita perfecti esse, & in officijs semper sacerdotalibus eruditi, vt peccata populi in loco sancto in atrijs tabernaculi testimonij ipsi non peccando consumant.

In Hieremiam Homil. 7. Nos, qui putamur aliquid esse, id est, qui in clericatus vobis ordine præsidemus, in tantum, vt quidam de minori gradu ad hunc locum cupiant peruenire, nosse debent non statim in eo esse saluandos, quia clerici sumus:

mus: multi enim & Presbyteri pereunt, & laici beatissimi reperiuntur: sed si ordinem clericatus & mereamur pariter, & habeamus. Quia igitur sunt quidam clerici non ita viuentes, vt & ipse ex ordine capiant fructum, & ornamento suæ sint dignitati, idcirco aiunt, qui exposuerunt Prophetam non dicentem: *Cleri eorum non proderunt eis.* Vtilitas quippe clericatus non in eo est, si aliquis in agmine sedeat Presbyterorum, sed si iuxta locum suum, & iuxta præcepta Domini dignus incedat. Verùm, charissimi, nolite putare hoc tantùm de nobis esse dictum: & nos, & vos commonet diuina maiestas, vt iuxta Scripturarum præcepta viuamus, & si sic expedit dicere: *Potentes potenter tormenta patientur.* Plus à me exigitur, quàm à Diacono: plus à Diacono, quàm à laico. Qui verò totius Ecclesiæ arcem obtinet, pro omni Ecclesia reddet rationem. Sap.6.

Concilium Nicænum 325.

Canone Arabico. 15. Si quis eorum, qui sunt in clero, aut subiectus regulæ, auaritiæ & turpi lucro studeat, aut data pecunia fœnori centesimas exigat, aut sescuplas, deijciatur ex gradu, & sit alienus à regula.

Canone 26. Nullus clericus pro aliquo spondeat, neque testimonium contra illum in causa criminandi dicat: nec eam ad regem deferat, nec ad ea se ingerat, quæ ad alios pertinent, neque seminet dissidia inter fideles: & qui hoc commiserit, eijciatur ex gradu, & prohibeatur communione fidelium.

Canone 52. Nullus sacerdos det fœnori, neque quæstum iniquum faciat, neque societatem cum Iudæis habeat, neque fraternitatem: neque cum ijs cibum aut potum sumat. Siquidem sancti Apostoli hoc statuerunt, & hoc fideles facere oportet, & quicunque non paruerit, Synodus eum excommunicat.

Athanasius. 340.

Quæst. 150. Quid est quod dicit: *Nemo, qui militat, implicatur vitæ negotijs, vt ei, qui se in militiam delegit, placeat?* RESPON. Si ille, qui terreno regi militat, non potest placere, nisi alias vitæ curas reliquerit: quanto magis id in militia, quam sub cælesti rege militamus, fieri conuenit?

Concilium Laodicenum. 360.

Can. 4. Non oportet hominem sacratum fœnerari, & vsuras, & quæ dicuntur sesquialteras accipere.

Cap. 54. Non oportet sacratos & clericos in nuptijs vel conuiuijs aliqua spectacula contemplari, sed priusquam ingrediantur thymelici, surgere, & secedere.

Basilius Magnus. 370.

Præfatione in Ascetica: Ad cœlum tuus tibi, ô Christi miles, dirigendus est cursus: obliuiscere quicquid hic in terris refectionis haberi potest. Miles non domos ædificat, non comparandis agrorum possessionibus vacat, non varijs & quæstuosarum mercaturarum generibus immiscet. *Nemo militans implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat, cui se probauit.* Alimenta miles habet à rege: nihil est, quòd in his sibi ipse exquirendis se occupet: vbique ipsi omnium, qui in ditione regis sunt, ex regis edicto domus patent: nihil est quamobrem in extruendis ædificijs labores ipse vllos suscipiat: in plateis tabernaculum sibi ponit, cibum sola necessitate metitur, potio aqua, somni quantum natura requirit. 2. Tim.2.

Ephræm. 370.

De Sacerdotio: Si quis ad hanc dignitatem velut dignus repertus sit, in eaque sanctè & irreprehensibiliter ambularit, vitam & coronam immarcescibilem sibi ipse conciliat: sed si indignè quis hac ipsam sibi vsurpare sit ausus, tenebras is sibi exteriores, iudiciumque sibi absque misericordia consciscit.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 1. in Iulianum: Verùm quid antiqua colligo? Quotusquisque est, qui si ad Canones eos & regulas seipsum exigat, quas Paulus de Episcopis, & Presbyteris constituit, nempe vt sobrij & pudici sint, non vinolenti, non percussores, ad docendum idonei, reprehensibiles in omnibus rebus, atque huiusmodi, vt ab improbis attingi nequeant, non se à Canonum rectitudine permultum abesse comperiet? Quid ea referam, quæ Iesus discipulis suis, ad prædicationem eos mittens, præscribit: quorum ne singula explicem, hæc summa est, vt virtute tales sint, atque ita expediti & modesti, &, vt vno verbo dicam, cælestes, vt non minus ob eorum vitam & mores, quàm ob sermonem & doctrinam Euangelium currat? 1. Tim.3.

Gregorius Nyssenus. 380.

Libro de vita Moysis: Hoc fructu, quem Aaronis virga ediderat, qualis debeat esse sacerdotis vita monemur: aspera enim, & continens, duraque debet exterius esse: intus autem, & in occulto suaue quoddam edulium continere: quod tunc manifestatur, cùm maturum fuerit, & corruptus fuerit stypticus ac circumfusus cortex, & lignea nuclei testa defracta. Quare si sacerdotis examinaueris vitam, inueneris que redolentē vnguētis ac rosis, bisso & purpura florentē, ac mensis pinguibus inhærentem, in qua non adhibentur nisi obsœcata, & clarissima vina, & vnguenta pretiosissima, & quæcunque alia suauia ijs gustatu videntur, quibus hoc seculo frui proposuerunt, rectè in hunc Euangelicis veteris verbis: Fructum video, sacerdotalem arborem non cognosco. Alius est enim sacerdotij fructus ab isto. Ille continentiam habet, iste delitias: ille terrena humiditate non pinguescit, huic nulli è terra voluptatum affluunt riui. Matt.12.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 83. in Matthæum: Qua igitur re mundiorem esse non oportet eum, qui hoc sacrificio participaturus est? quos radios solares non deberet excedere manus illa, quæ hanc carnem perrumpit: os, quod igne impletur spiritali: lingua, quæ cruentatur hoc admirabili sanguine? Veniat tibi in mentem, quo honore honoratus, qua mensa fruaris.

Homilia 40. in Matthæum operis imperfecti: Verè magna confusio est sacerdotum, & omnium clericorum, quando laici inueniuntur fideliores eis, aut iustiores. Quomodo autem non sit confusio esse illos inferiores laicis, quos etiam æquales esse confusio est? &c. Melior est laicus, qui prima facie secularem vitam profitetur, reuera autem complectitur spiritualem: quàm sacerdos, qui in prima quidem facie profitetur vitam spiritualem, reuera autem amplectitur vitam carnalem. Et melior est laicus ante Deum pœnitentiam agens, quā clericus permanens in peccatis. Laicus enim in die iudicij stolam sacerdotalem accipiet, & à Deo Chrismate vngetur in sacerdotium: sacerdos autem peccator spoliabitur sacerdotij dignitate, quam habuit, & erit inter infideles & hypocritas, dicente Domino de malo dispensatore: *Si autem cœperit sedere seruus manducare & bibere cum ebriosis, veniet Dominus eius die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis & infidelibus.* Lucæ 12.

Lib. 6. de Sacerdotio: Ante Prophetarum tempora ostendere volens Deus hominum peccata longè maiori supplicio expiari, dum à sacerdotibus, quàm dum à priuatis fiunt, mandat vt tantundem

pro

pro sacerdotibus, quantum pro vniuerso populo sacrificium offeratur. Quod quidem quid aliud signat, quàm sacerdotis vulnera maiori medicamento atque auxilio indigere, atque adeò tanto, quanto coniuncta simul vniuersi populi vulnera indigent? Porrò maiori nequaquam indigerent, nisi ea grauiora forent. Atqui grauiora certè fiunt, non natura ipsa, sed sacerdotis, qui ea commiserit, conditione ac dignitate. Cæterùm quid hic nos de viris verba facimus, qui ministerium pertractantes sacris operarentur, cùm & sacerdotum filiæ, quibus ipsis nihil cum sacerdotio commune est, propter dignitatem paternam eorundem peccatorum pœnam multò acerbiorem sustineant.
1.Reg.4

Synesius. 410.

Epistola 57. Politicam virtutem sacerdotio agglutinare, idem est, quod conuoluere, quæ conuolui non possunt. Antiquum tempus tulit eosdem & sacerdotes & iudices. Etenim AEgyptij Hebræorumque gens multum temporis à sacerdotibus gubernata est. Deinde postquam (vt mihi videtur) diuinum opus humano more fiebat, distraxit Deus vitas: & hæc quidem sacerdotalis, illa principalis facta est. Nam hos quidem in negotiorum syluam conuertit, illos autem coniunxit sibi ipsi. Porrò constituti sunt, vt illi quidem in negotijs, nos autem in precibus versemur. Honestatem postulat ab ambobus Deus. Cur igitur in idem redigis? cur populare tentas, quæ à Deo separata sunt? Qui non vis vt gubernemus, sed vt perperam gubernemus. Quo quid fieri posset miserius? Patrono habes opus? vade ad procuratorem legum Reipublic. Deo aliquid habes opus? Ite ad sacerdotem ciuitatis, non quasi hoc possibile sit, vt omnino consequare quod vis, sed quòd ego sim omne studium adhibiturus, vt consequaris: & si quis me quiescere permiserit, forsitan aliquando etiam potero impetrare. Contemplatio finis est sacerdotij non falso nomine dicti: contemplatio autem & actio nolunt simul versari. Impetus enim est impetus actionum, quarum nulla est absque perturbatione. Atque oportet vacuam esse absque perturbationibus animam, quæ Dei receptaculum fieri velit. Immundo enim mundum attingere fas (aiunt) non est. *Vacate, & cognoscite, quòd ego sim Deus.* Vacatione opus est ei, qui cum philosophia sacerdotio fungi velit. Non condemno Episcopos, qui versantur in negotijs, sed memetipsum sciens vix ad alterutrum pertingere, admiror eos, qui vtraque possunt. Mihi vires non sunt, vt possim duobus dominis seruire. Si qui verò sunt, qui à rerum diuersarum aggressione non læduntur, illi forsan possent simul & sacerdotio fungi, & ciuitatibus præesse. Solis radius etsi commercium habeat cum luto, purus tamen manet & impollutus: at ego id ipsum faciens, fontibus ac mari habebo opus. Et si Angelo possibile fuisset, plus quàm triginta annos cum hominibus versato, nihil trahere mali ex negotiorum sylua, quod ad affectionem attinet, quid opus fuit descendere Filium Dei? At virium abundantia est conuersantem deterioribus manere in ingenio, nulloque modo commoueri. Hæc Dei quidem laus est, homo autem valde recuset, qui sui metuat ingenij infirmitatem.

Ioannes Cassianus. 430.

Collatione 9. cap. 5. Notandum tamen quibus ex causis grauari mentem Dominus designauerit. Non enim adulteria, non fornicationes, non homicidia, non blasphemias, non rapinas, quæ mortalia esse & damnabilia nullus ignorat, sed crapulam posuit & ebrietatem, & curas siue sollicitudines seculares. Quæ in tantum nemo hominum mundi huius cauet, aut damnabilia iudicat, vt etiam nonnulli, quod pudet dicere, semetipsos Monachos nuncupantes, ijsdem ipsis distentionibus velut innoxijs & vtilibus implicentur. Quæ tria licet secundùm literam perpetrata aggrauent animam, atque à Deo separent, ac deprimant ad terrenà, est tamen eorum facilis declinatio, & maximè nobis, qui tam longa remotione ab omni seculi huius conuersatione disiungimur, & istis visibilibus curis atque ebrietatibus & crapulis penitus nulla ratione miscemur. Verùm est alia quoque crapula & ebrietas spiritalis difficilius euitanda, cura quoque ac sollicitudo secularis, quæ nos etiam post omnium facultatum nostrarum perfectam renuntiationem & vini epularumque continentiam cunctarum, & quidem in solitudine constitutos frequenter inuoluunt.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Libro 12. de adoratione in spiritu: Leges igitur has sanctificatis hominibus in ipsa functione sacerdotij sunt seruandæ. Electis autem viris, & qui optimi iudicati sunt, fugiendam esse profanam consuetudinem & curam secularem, quæ animum quoque bene firmum ebrium reddere potest, & ad absurdas voluptates propemodum deturbare, perspicuum facit in Leuitico, dicens: *Vinum & siceram non bibetis tu, & filij tui tecum,* Leu.10. *quando ingrediemini in tabernaculum testimonij, aut cùm accedetis ad altare, & non moriemini: legitimum sempiternum in progenies vestras, vt distinguatis inter sancta & prophana, & inter munda & immunda, & instruatis filios Israel omnia legitima, quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi.* Vide igitur vigilandum illis esse: nam tenebris offusa mente, & corde curis oppresso, atque ex ebrietate seculari laborante (sunt enim, qui sine vino sunt ebrij) ministerium sacrum attingere mortis causam adfert: mens enim cùm minus rectè suo munere fungitur, ad deformitatem ac vitium tendit, ex quo sacra munera intercidunt, neque adhuc ritè & ordine res geruntur, sed à recto itinere deflectunt. Id autem quibus accidit, eos Deum offendere necesse est, & acerbas luere socordiæ pœnas. Vigilare itaque necesse est, ebrietatemque discutere ex seculari solicitudine profectam. Hoc ipsum facere ipse quoque Saluator hortatur, dicens: *Attendite, ne grauentur corda vestra cura & solicitudinibus secularibus.* Luc.21. Qualis autem à nobis præstandus sit sobrietatis motus, vel quomodo sacri ac puri, & immunes à culpa manere possimus, illicò significauit (*vt distinguas,* inquit, *inter sanctum & profanum, & mundum & immundum, & instruas filios Israel omnia legitima, quæ locutus est Dominus Deus in manu Moysi.* Hoc autem est apertè dicere, conuenire sacerdotibus, vt ebrietate reiecta, ab hominibus non sanctis, sed profanis atque impuris recedant.

Apologia ad Imperatorem Theodosium: Conuenit ijs, qui ad hoc sunt ordinati, vt in sacerdotio sanctissimè Deo seruiant, vt sobrij sint, & vigilantes, dispiciantque quid illi probetur, & hoc sedulò faciant: paratum illis alioqui vetito exitium, si in ista functione omninò fuerint in socordiam prolapsi.

Isidorus Pelusiota. 440.

Libro 1. epistola 25. Quid tibi vtilitatis adfert Ioannis in locum desertum secessio, quam olim studiosè imitatus es, cùm nunc eum minimè imiteris, verùm ad priuatas curas te referas, atque Marc.1 in solitudine tumultueris, & ab hominum cætu remotus perturberis? Etenim externo habitu ac specie quiescere, mentis autem mutationibus ac per-

perturbationibus inquinari, tum sensum caligine perfundit, tum susceptos iam labores extinguit, atque perturbationibus pronam ac facilem victoriam reddit, efficitque, vt miles abiecto scuto fugiat. Porrò *nemo militans implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat, à quo in militiam ascitus est*: verùm arma omni ex parte gestat, ad id certamen, quod tribuno militari placuerit, se comparans.

2. Tim. 2

Theodoretus. 450.

In Leuitic. quaestion. 30. Quamobrem sacerdotibus alias leges de nuptijs praescribit? Quoniam temperantiae typum sacerdotem esse oportet, & vt illud hominum genus syncerum permaneat, nulla contumelia praebens occasionem conuitiari volentibus. Propterea diuinus Apostolus iubet Dei ministrum testimonium habere bonum, etiam ab extraneis: *vt non in opprobrium*, inquit, *incidat in laqueum diaboli*. Hac de causa scortum Israeliticum interfici iubet: filiam autem sacerdotis consimilis sceleris ream flammis exuri: Imò propter querulosam Iudaeorum naturam, ne filiae quidem sacerdotis, quae maculam aliquam habeat in corpore, permittit ministrare.

1. Tim. 3

Synodus Chalcedonensis. 453.

Actione 6. *capite* 2. Quoniam aliqui clericorum & Monachorum pecuniae amore languentes, curis mundanarum rerum semetipsos subijciunt, aut possessionum conductores, aut procuratores constituti, aut in domibus secularium obuersantes, tamquam dispensatores effecti: placuit huic sancto & magno Concilio nullum clericum conducere possessiones, aut procurationem suscipere, nisi fortè ei à proprio Episcopo iubeatur Ecclesiasticarum possessionum habere solicitudinem. Si quis autem post hunc terminum aut ipse conducere presumpserit, aut per alium quemlibet hanc curam susceperit, hunc Ecclesiastico subdi supplicio: quòd si in contentione perstiterit, dignitate priuetur.

Can. 3. Peruenit ad sanctam Synodum, quòd eorum, qui in clerum cooptati sunt, quidam propter turpe lucrum alienas possessiones conducunt, & secularia negotia exercent, diuinum ministerium negligentes, secularium verò domos subeuntes, & eorum facultatum tractationem ac curationem, propter auaritiam suscipientes. Definijt ergo sancta Synodus, neminem deinceps nec Episcopum, nec clericum, nec Monachum vel possessiones conducere, vel secularibus possessionum administrationibus seipsum ingerere: nisi vtique ex lege, ad inexcusabilem impuberum tutelam vocetur, vel ciuitatis Episcopus eum rerum Ecclesiasticarum curam gerere permittat, vel orphanorum, vel viduarum, quibus prouideri non potest, & personarum, quae Ecclesiastico auxilio maximè indigent, propter timorem Domini. Si quis autem quae statuta sunt deinceps transgredi aggressus fuerit, is poenis Ecclesiasticis subijciatur.

Can. 7. Eos, qui in clero semel ordinati sunt, & itidem Monachos, statuimus nec ad militarem expeditionem, nec ad secularem dignitatem posse venire. Qui autem hoc audent, & non poenitentia ducti ad id reuertuntur, quod propter Deum prius elegerant, anathematizari.

Dorotheus Abbas. 520.

Doctrina 1. Quemadmodum miles nequaquam militia sua dimissa mercator fit, aut agricola, sed militare pergit, vt ait Apostolus: *Nemo militans Deo implicet se negotijs secularibus, vt Imperatori suo placere queat*. Ita nos, si veri certatores esse cupimus, negligamus quaecunque sunt mundi, solique Deo

2. Tim. 2

nos dedamus, soli assistamus, soli obsequamur, soli seruiamus.

Procopius Gazaeus. 530.

In Leuiticum ad illa verba: *Vinum & siceram non bibetis*. Non obiter hic locus accipiendus est: imò aliquid amplius, quàm primo aspectu prae se ferat, nostro intellectui ingerit, nempe vt sacerdos non nauseet, nauseam mouente vespertina, quae praecessit, ebrietate: & sic ad sacra accedat ministeria. Quae enim ratio concedit, vt is, qui pro illis, quos mala cupiditas vincit, supplici voce rogat Deum, vt is, inquam, cupiditati quoque se turpiter submittat? Per haec symbola prohibet & arcet omnem occasionem, quae veram rationem suo gradu deijcere, & deturbare queat, & nos inebriare terrenarum rerum dulcedine. Quapropter Saluator haec verba expromit: *Attendite, ne corda vestra curis & solicitudinibus seculi aggrauentur*. Sicera namque, si nomen interpretari velis, significat omnem ebrietatem, etiamsi non procuretur ex fructu vinearum. Nazaraei abstinebant ab omni eo, quod ebrietatem ciere posset. Proinde nihil differebant à sacerdotibus, sacra munera exequentibus. Optandum est, vt sacerdotes per totum suae vitae curriculum sint sobrij, & rectè spargant sacrosanctae doctrinae semina. Sed quia id difficulter obtineri optando potest, saltem sobrietatis sint memores, vt lamentari possint vitam peccatorum eo tempore, quo sacris se immiscent operationibus. Certè vel imprimis requiritur, vt eo tempore vtantur vili & tristiore diaeta, sicuti praesens symbolum egregiè docere videtur.

Iustinianus Imperator. 530.

C. *de Episcopis & clericis l.* 51. Generaliter sancimus, omnes viros, reuerendissimos Episcopos, nec non Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, & praecipuè Monachos, licet non sint clerici, immunitatem ipso iure omnis habere tutelae, siue testamentariae, siue legitimae, siue datiuae. Eos tamen clericos & Monachos huiusmodi habere beneficium sancimus, qui apud sacrosanctas Ecclesias vel monasteria permanent, non diuagantes, neque circa diuina ministeria desides, cùm propter hoc ipsum beneficium in eis indulgeamus, vt alijs omnibus derelictis, Dei omnipotentis ministerijs inhaereant.

In Nomocanone Photij T. 9. *cap.* 27. *&* 39. Episcopus, aut clericus, qui ludit aleis, vel cum ludentibus conuersatur, eisque assidet, qui theatra, arenam, circum frequentat, ab omni segregetur ministerio clericali, annonisque suis priuetur, & tempus illi ad poenitentiam definiatur: inter quod si dignè poenitere videatur, sacerdotali misericordia & indulgentia dignus habebitur. Si verò in vitijs perstiterit, & ipse cum suis facultatibus curiae ciuitatis, in qua clericus erat, mancipabitur.

Authent. collat. 9. *de sanctissimis Episcopis, &c. cap.* 6. Alium autem fieri susceptorem, aut exactorem fiscalium actionum, aut conductorem publicarum, aut alienarum possessionum, aut curatorem domus, aut procuratorem litis, aut fideiussorem pro talibus causis Episcopum, aut oeconomum, aut alium clericum, cuiuslibet gradus, aut Monachum proprio nomine, aut Ecclesiae, aut monasterij subire non sinimus, vt non per hanc occasionem & sanctis domibus damnum fiat, & sacra ministeria impediantur.

Isychius Hierosolymitanus. 580.

Libro 6. *ad caput* 21. *Leuitici*, ad illa verba: *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias suas, qui habuerit macu-*

lum, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius, si cæcus, si claudus fuerit, &c. Quicunque vnam prædictarum maculam habet, dona Deo offerre, aut sacrificia non potest: quia immaculatum esse & animo sacerdotem oportet, quem sicut Moyses duodecim maculis mundum esse præcepit: tot enim eas inuenies secundùm Septuaginta dinumeratas: sic & Paulus duodecim conseruare eum, qui
1. Tim. 3 sacerdotium sortitus est, præcepit dicens: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sicut Dei dispensatorem*, &c. Qui autem dispensat quæ Dei sunt, opus habet eos, quorum dispensator est, virtutibus præcedere. Nam quomodo illos dispensare, quomodo disponere poterit? Quia autem legislator comedere de sanctis præcepit vnam quamlibet prædictarum macularum habentem: intra velum tamen & altare, corpus videlicet Christi, accedere non præcipit, id est, ministrare: sic & hoc forsitan in Ecclesijs inuenies custodiri. Si quis enim approbatus fuerit sacerdotum maculam aliquando habuisse animæ, & ab ea cessauit, sanctis quidem communicare non prohibetur, ministrare autem hunc, qui talis est, non licet, nec ad velum accedere, nec ad altare, id est, ad corpus Domini, vt eius ministerium peragat.

Ad cap. 22. Dicens: *De stirpe vestra*, ostendit quòd semper custodiri hoc oporteat præceptum: vt qui immunditiam in semetipso habet animæ (sic enim Septuaginta edunt) non solùm ministerio & mistico officio se abstineat, sed nec tangat ea, quæ oblata sunt, neque de eis sumat. Mundus enim ad munda debet accedere. Si quis autem non sic accedit, peribit coram Domino, semperq́ue hunc Deus auersatur, & ab omni repellit participatione & communione spiritus.

Antiochus. 610.

Homilia 11. Necesse sit, vt pro suis primùm peccatis Deum flectat. & repropitiet sacerdos, atque vtinam sic: deinde pro populi, iuxta Domini man-
Matt. 23 datum dicentis: *Munda prius quod intus est calicis, & tunc quod deforis.* Qui enim possit vnus aliquis, irato aduersum se Deo, ac malè propitio, pro populi exorare peccatis? Offer holocaustoma tuum, & populo conciliabis placabile numen. Liquet, quòd si is primùm suas eluat sordes, vtique & domesticos expurgabit, &c. Vt igitur dictum mihi superius est, necesse sit eum, qui ad id muneris Deo vocante asciscitur, offerre dona & sacrificia pro populo: prius tamen debet is suam ipsius animam, corpus item expiare ab omni fæce inueterati hominis, vt iam pro alijs quoque ausit, nihil dispari legatione perfunctus, deprecationes offerre Deo, ac imitetur eximium illum Pontificem Zachariam Præcursoris patrem. De hoc enim contestatur Scri-
Luc. 1. ptura: quia *erat iustus, incedens in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.*

Synodus Trullensis. 710.

Can. 9. Nulli licet clerico cauponariam habere tabernam. Si enim in cauponam ingredi non est permissum, multò magis & alijs in ea ministrare, & in ijs, quæ ne aggredi quidem licet. Si quid autem tale fecerit, vel cesset, vel deponatur.

Can. 10. Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, qui vsuras, vel quæ dicuntur centesimas accipit, vel cesset, vel deponatur.

Can. 50. Nullum omnino siue clericum, siue laicum ab hoc deinceps tempore alea ludere decernimus. Si quis autem hoc deinceps facere ab hoc tempore aggressus fuerit, si sit quidem clericus, deponatur: si laicus, segregetur.

Synodus Nicæna Secunda. 790.

Can. 10. Quicunque clerici cum prædictorum sacerdotum consensu hoc faciunt, non licet eis curas seculares, & ad victum pertinentes suscipere, vt qui sint à Canonibus prohibiti hoc facere. Si quis autem eorum, qui dicuntur maiores, curationem obtinere deprehensus fuerit, vel cesset, vel deponatur: potius autem ad docendos filios & seruos accedat, legens eis diuinas Scripturas. Ad hoc enim etiam sacerdotium sortitus est.

Synodus Constantinopolitana sub Photio.
870.

Can. 11. Presbyteros, vel Diaconos, seculares magistratus, vel curas suscipientes, vel eas, quæ in magistratuum ædibus dicuntur, curationes, diuini & sacri Canones depositioni subijciunt. Hoc ergo nos quoque confirmantes, de reliquis quoque, qui sunt in hæreticorum catalogo, decernimus, quòd si quis eorum secularia officia assumat, vel eas, quæ in magistratuum ædibus dicuntur, curationes suscipiat, is ex clero expellatur. Nemo enim potest, vt est Christi veri Dei nostri vox ab ipso prolata, eaq́ue longè verissima, duobus dominis seruire.

Leo Imperator cognomento Philosophus.
880.

Constitut. 68. Veteribus quidem legislatoribus edicere visum est, ne Monachi, aut quoscunque sacer ordo deuinctos habet, tutorum officio fungantur. Et certè quidem id rectè edixêre. Intellexerunt enim, qui diuino ministerio consecrati sunt, hos ab externarum rerum occupationibus, & molestijs liberos esse oportere. Quantum autem alendorum, aliorumq́ue regendorum puerorum cura hominum animos distrahat, vtq́ue Deum debitè colere non possint impediat, nemo ignorat. Cùm itaque non exigua difficultas isti rei insit, ac præcipuè propter temporis diuturnitatem, (tota enim plerunque vita tutores laboriosis istis curis irretiti tenentur,) rectè illi decretum illud promulgârunt.

Constitut. 86. Qui à diuina bonitate ad diuinum sanctumq́ue altare delecti sunt, hos non modò à peccati turpitudine mundos esse, verùm etiam à communis vitæ negotijs & molestijs vacare decet. Sicut enim alia incontaminati sacriq́ue cultus monumenta vulgari contrectatione profanari non licet: ad eundem modum neque animata immaculati sacrarij ornamenta communi vsu dedecorari: sed quem in ordinem consecrata sunt, in eodem consecrationem puram conseruare Can. 6.
conuenit. Admodum igitur decenter Apostolo- 19. 80.
rum præconum Dei decretum Episcopos, sacerdotes, & clericos, qui se aduocationibus, sponsionibus, redempturis, idve genus alijs rebus dedunt, sacro ordine denudat. Qui enim attributam sibi à sancto Spiritu dignitatem adeò dehonestant, & quantum in ipsis est, sublimitatem gratiæ deprimunt, meritò cuius beneficij magnitudinem non sentiunt, eo, vt indigni, priuandi iudicantur.

Constitut. 87. Iam verò qui sacri ordinis homines aleæ vacant, neque hi rem modica aliqua pœna dignam audent. Quid ita? Nam cùm tranquilla mente, animoque à contemplandis rebus diuinis immoto, quantum humanæ naturæ possibile est, summo isti bono inhærescere deberent, è contrario ad iuueniles lusus deproperant. Quos Can. 41.
etiam à sacerdotio succidi, secundùm diuinum sa- 42.
crosanctorum Apostolorum decretum, par est. Verùm quoniam idipsum etiam præscriptum mitigat, vt qui non desistunt, pœnam subituros addat: statuimus nos quoque, vt qui aleæ lusu sacram sortem contaminant, in Monasteria relegentur (quam tamen relegationem triennale tempus finiat) & quando delictum satis expia-

tum videbitur, in pristinum statum restituantur. Et si rursum in fritillo vanè tempus terere instituant, tamquam piaculares ex sacrosancto Ecclesiastico statu omninò exturbentur, ab eoque profligantur.

Theophylactus. 900.

Ad caput 2. posterioris ad Timotheum: *Nemo, qui militat Deo, implicatur vitæ negotijs.* Hæc ad omnes tam Episcopos, quàm Doctores dicta sunt: significantem autem vim habet: *Implicatur.* Reuera namque nexus & serpentes sunt talia. *Negotijs* porro dicens, tumultus ac turbas notauit, per ipsa etiam vocabula dehortans. Quid teipsum innectis? Quid in turbas & negotia teipsum inijcis & implicas? Solam militiam cura: sic placebis Imperatori tuo Christo, qui te in militiam delegit.

Euthymius. 1080.

Ad caput 8. Matthæi: *Dimitte mortuos, vt sepeliant mortuos suos.*) Prohibuit eum, non vetans honorare parentes, sed docens, oportere eum, qui cælestia appetit, non conuerti ad terrena, neque viduis relictis, ad mortifera recurrere, aut supra Deum honorare parentes.

Theodorus Balsamon. 1080.

Ad Canonem 3. Synodi Chalcedonensis: Diuersi Canones prohibuerunt Monachos & clericos curas secularium negotiorum suscipere, alienasque causas & ministeria tractare. Et tamquam fortasse non obseruatis Canonibus, statuerunt sancti Patres eos, qui tale quid faciunt, Ecclesiasticis pœnis teneri.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Thelesphorus. 127.

Epistola ad omnes vniuersaliter cap. 1. Sicut discreta esse debet vita clericorum à laicorum conuersatione: ita & in ieiunio debet fieri discretio. Et sicut laici & seculares homines nolunt eos recipere in accusationibus & infamationibus suis: ita nec Clerici debent eos recipere in impulsationibus suis: quoniam in omnibus discreta debet semper esse & segregata vita & conuersatio Clericorum, ac secularum laicorum. Et sicut hi amplius sunt applicati diuinis cultibus, & familiares Domini dicuntur Saluatoris: ita moribus, & conuersatione, atque sanctitate debent esse distincti.

Cyprianus. 250.

Lib. 1. epist. 8. *Epistola 66.* Grauiter commoti sumus ego & collegæ mei, qui præsentes aderant, & compresbyteri nostri, qui nobis assidebant, fratres charissimi, cùm cognouissemus quòd Geminius Victor frater noster, de seculo excedens, Geminium Faustinum Presbyterum tutorem testamento suo nominauerit, cùm iam pridem in Concilio Episcoporum statutum sit, ne quis de clericis, & Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat: quando singuli diuino sacerdotio honorati & in clerico ministerio constituti, non nisi altari, & sacrificijs deseruire, & precibus atque orationibus vacare debeant. Scriptum est enim: *Nemo militans Deo obligat se molestijs secularibus, vt possit placere ei, cui se probauit.* (2. Tim. 2.) Quod cùm de omnibus dictum sit: quanto magis molestijs & laqueis secularibus obligari non debent, qui diuinis rebus & spiritalibus occupati, ab Ecclesia recedere, & ad terrenos & seculares actus vacare non possunt. Cuius ordinationis & religionis formam Leuitę prius in Lege tenuerunt, vt cùm terram diuiderent, & possessiones partirentur vndecim tribus, Leuitica tribus, quæ templo & altari, & ministerijs diuinis vacabat, nihil de illa diuisionis portione perciperet: sed alijs terram colentibus, illa tantum Deum coleret, & ad victum atque alimentum suum ab vndecim tribubus de fructibus, qui nascebantur, decimas reciperet. (Iof. 13.) Quod totum fiebat de auctoritate & dispositione diuina, vt qui operationibus diuinis insistebant, in nulla re auocarentur, nec cogitare, aut agere secularia cogerentur. Quæ nunc ratio & forma in clero tenetur: vt qui in Ecclesia Domini ordinatione clerica promouentur, in nullo ab administratione diuina auocentur, nec molestijs & negotijs secularibus alligentur, sed in honore sportulantiū fratrum, tamquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sacrificijs non recedant, sed die, ac nocte cælestibus rebus, & spiritalibus seruiant. Quod Episcopi antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter prouidentes, censuerunt ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros voluit auocare. Et ideo Victor, cùm contra formam nuper in Concilio à sacerdotibus datam, Geminium Faustinum Presbyterum ausus fit tutorem constituere, non est quòd pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in Ecclesia frequentetur, vt sacerdotum decretum religiosè & necessarie factum seruetur à nobis: simul & cæteris fratribus detur exemplum, ne quis sacerdotes & ministros Dei, altari eius, & Ecclesiæ vacantes ad seculares molestias deuocet. Obseruari enim de cætero poterit, ne vltra hoc fiat circa personam Clericorum, si quod nunc factum est, fuerit vindicatum.

Epistola 72. Addimus planè & adiungimus, frater charissime, consensu & auctoritate communi, vt etiam si qui Presbyteri aut Diaconi, qui vel in Ecclesia Catholica prius ordinati fuerint, & postmodum perfidi ac rebelles contra Ecclesiam steterint, vel apud hæreticos à pseudoepiscopis & antichristis contra Christi dispositionem profana ordinatione promoti sint, & contra altare vnum atque diuinum sacrificia foris falsa ac sacrilega offerre conati sint, eos quoque hac conditione suscepi cùm reuertuntur, vt communicent laici: & satis habeant quòd admittuntur ad pacem, qui hostes pacis extiterint, nec debere eos reuertentes ea apud nos ordinationis & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellauerint. Oportet enim sacerdotes & ministros, qui altari atque sacrificijs deseruiunt, integros & immaculatos esse, cùm Dominus Deus in Leuitico loquatur & dicat: *Homo, in quo fuerit macula & vitium, non accedet offerre dona Deo.* Item in Exodo hæc eadem præcipiat, & dicat: *Et sacerdotes, qui accedunt ad Dominum Deum, sanctificentur, ne forte derelinquat illos Dominus.* Et iterum: *Et cùm accedunt ministrare ad altare Sancti, non adducent in se delictum, ne moriantur.* Quod autem maius potest esse delictum, aut quæ macula deformior, quàm aduersus Christum stetisse? quàm Ecclesiam eius, quam ille sanguine suo parauit, & condidit, dissipasse? quàm Euangelicæ pacis ac dilectionis oblitum, contra vnanimem & concordem Dei populum hostilis discordiæ furore pugnasse?

Concilium Eliberinum. 315.

Cap. 19. Episcopi, Presbyteri, & Diaconi de locis suis negotiandi causa non discedant, nec circumeuntes prouincias, quęstuosas nundinas sectētur. Sanè ad victum sibi conquirendum, aut filium, aut libertum, aut mercenarium, aut amicum, aut quemlibet mittant: & si voluerint negotiari, intra prouinciam negotientur.

Cap. 20. Si quis clericorum detectus fuerit vsuras accipere, placuit degradari & abstinere.

Synodus Arelatensis Secunda. 326.

Cap. 14. Si quis clericus pecuniam dederit ad vsuram, aut conductor alienæ rei voluerit esse, aut turpis lucri gratia aliquod genus negotiationis exercuerit, depositus à clero, à communione alienus habeatur.

Hilarius. 350.

In Psal. 1. Illa erit pestilens cathedra, cuius contagium Pilatus manus abluendo deuitat. Multos enim etiam in metu Dei constitutos, secularium tamen honorum ambitio corrumpit, & volunt Ecclesiæ legibus subditi fori legibus iudicare. Sed quamquam ab hæc ipsa officia, quæ agunt, ferunt secum religiosam voluntatem, beneuolos sese continentesquę præstando: tamen necesse est eorum, in quibus diuersabuntur, negotiorum quodam pestilenti contagio polluantur. Publicarum enim causarum ordo eos manere volentes etiam in Ecclesiasticæ legis sanctitate non finit, &c.

Concilium Carthaginense Primum. 366.

Cap. 6. Necasius Episcopus Culusitanus dixit: Credo placere suggestionem meam sanctitati vestræ, & displicere vobis, vt qui seruiunt Deo, & annexi sunt clero, non accedant ad actus seu administrationem vel procurationem domorum. Gratus Episcopus dixit: Et Apostolorum statuta sunt, quæ dicunt: *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.* Proinde aut clerici sint sine actionibus domorum, aut actores sine officio clericorum. Vniuersi dixerunt. Hoc obseruemus. 2. Tim. 2.

Ambrosius. 370.

Sermone 78. de eo, quod ait Propheta ad filios Israel: *Caupones vestri miscent aquam vino.* Hoc increpat in eis, cùm functionum diuinarum essent præsules, sectatores facti sunt rerum humanarum, sicut ipse Propheta ait: *Sectamini vnusquisque domum suam.* Quisquis enim sacerdos relicto Pontificatus officio, mundi oblectationibus delectatur, hic aquam vino permiscet, hoc est, rebus sanctis & feruidis inserit res viles & frigidas. Esa. 1.

Libro 9. epist. 70. Poposcisti à me institutionis tuę insignia, quoniam nouus accitus es ad sacerdotium. Et quoniam templum ædificasti, vt oportuit, qui dignus habitus es tanto munere, quomodo & alios ædifices significandum videtur. Primum omnium cognosce Ecclesiam tibi Domini commissam, ideoquę vitandum semper, ne quid obrepat offensionis, & fiat velut commune corpus eius gentilium admixtione, &c.

In cap. 2. posterioris ad Timotheum. Manifestum est, quod dicit: quia *nemo potest duobus dominis seruire.* Negotia enim secularia auaritiæ seruiant necesse est, & nisi mentiti fuerint, transigi non possunt. Est ergo, sed leue peccatum. Ecclesiasticus autem idcirco Deo se probat, vt hunc deuotus officium impleat, quod spospondit, in Dei rebus solicitus, à seculari negotio alienus. Non enim conuenit vnum duplicem professionem habere. Matt. 6. Iacob. 1.

Hieronymus. 390.

Epist. 2. ad Nepotianum cap. 5. Clericus, qui Christi seruit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim κλῆρος Græcè, sors Latinè apellatur: propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars, clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit: *Pars mea Dominus:* nihil extra Dominum habere potest. Quòd si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus. Verbi gratia: si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus Dominus pars eius fieri non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis eius, nec accipio partem inter cæteras tribus, sed, quasi Leuita, & Sacerdos, viuo de decimis: & altari seruiens, altaris oblatione sustentor: habens victum, & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. Obsecro itaque te, & repetens, iterumquę, iterumquę monebo, ne officium clericatus genus antiquæ militiæ putes, id est lucra seculi in Christi quæras militia: ne plus habeas, quàm quando clericus esse cœpisti, & dicatur tibi. *Cleri eorum non proderunt eis.* Nonnulli enim sunt ditiores Monachi, quàm fuerant seculares, & clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace diabolo non habuerant, vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos mundus tenuit ante mendicos. Mensulam tuam pauperes, & peregrini, & cum illis Christus conuiua nouerit. Negotiatorem clericum, & ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. Psal. 15. Hier. 12.

Cap. 19. Procuratores, & dispensatores domorum alienarum, atque villarum, quomodo possunt esse clerici, qui proprias iubentur contemnere facultates?

Ad cap. 33. Ezechielis: Speculator Ecclesiæ vel Episcopus, vel Presbyter, qui à populo electus est, & Scripturarum lectione cognoscens, & prauidens quæ futura sint, annuntiet populo, & corrigat delinquentem. Vnde magnoperè formidandum est, ne ad hoc officium accedamus indigni, & assumpti à populo negligentiæ nos demus atque desidiæ, & quod his peius est, delicijs ventriquę & otio seruientes, honorem nos accepisse putemus, non ministerium.

Ad cap. 2. ad Titum: Non solùm Episcopi, Presbyteri, & Diaconi debent magnopere prouidere, vt cunctum populum, cui præsident, conuersatione, sermone, ac scientia præcedant: verùm & inferior gradus, Exorcistæ, Lectores, æditui, & omnes omninò, qui domui Dei seruiunt. Quia vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores laicos esse, quàm clericos.

Concilium Carthaginense Tertium. 397.

Cap. 15. Placuit vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel Clerici non sint conductores, neque procuratores, neque vlli turpi vel inhonesto negotio victum quærant: quia respicere debent scriptum esse: *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.*

Concilium Carthaginense Quartum. 398.

Cap. 48. Clericus, qui non pro emendo aliquid in nundinis, vel in foro deambulat, ab officio suo degradetur.

Cap. 18. Episcopus tuitionem testamentorum non suscipiat.

Cap. 20. Episcopus nullam rei familiaris curam ad se reuocet, sed lectioni & orationi & verbi Dei prædicationi tantummodò vacet.

Augustinus. 400.

Libro quæstionum veteris ac noui Testamenti cap. 127. Fornicari omnibus semper non licet: negotiari verò aliquando licet, aliquando non licet. Ante

quam enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari: facto iam, non licet.

Sermone 231. de Tempore: Quicunque me audire contempserit, & ad bibendum pronus fuerit, vel in conuiuio suo alios adiurare, vel cogere voluerit, & pro se, & pro illis in die iudicij reus erit. Et quia, quod peius est, aliqui etiam clerici, qui hoc deberent prohibere, ipsi cogunt bibere aliquos plusquàm expedit, amodò incipiant & seipsos corrigere, & alios castigare, vt cùm ante tribunal Christi venerint, nec de sua, nec de aliorum ebrietate incurrant supplicium.

Maximus Taurinensis. 430.

Sermone de eo, quod scriptum est in Euangelio Matthæi: *Reddite quæ sunt Dei Deo, &c.* Hæc diuina sententia, quæ ad milites loquitur, potest etiam ad clericos retorqueri. Quia etiamsi non militare videamur seculo, tamen Deo & Domino militamus,
2.Tim.2 sicut ait Apostolus: *Nemo militans Deo obligat se negotijs secularibus.* Videmur, inquam, non militare remissis ac fluentibus tunicis: sed habemus militiæ nostræ cingulum, quo castimoniæ interiora constringimus: de quo cingulo Dominus ait ad Apostolos suos: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.*
Luc.12. Milites igitur Christi sumus, & stipendium ab ipso donatiuum percepimus, sicut dicit B. Apostolus: *Qui dedit nobis pignus Spiritus*, hoc est, qui Spiritus S. nos remuneratione ditauit. Si quis ergo Christianorum hoc donatiuo contentus fortè non fuerit, & quærit amplius, incipit hoc ipso carere quod metuit, &c. Catholicus clericus, si non contentus stipendijs fuerit, quæ de altario Domino iubente consequitur, sed exercet mercimonia, intercessiones vendit, viduarum munera libenter amplectitur, hic negotiator magis potest videri, quàm clericus.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 26. de fideli dispensatore: Ebrietas in alio crimen est, in sacerdote sacrilegium: quia alter animam suam necat vino, sacerdos spiritum sanctitatis extinguit, dicente Apostolo: *Spiritum nolite*
1.Thes.5 *extinguere.*

Leo Primus 450.

Epist.1.cap. 4. Sicut non suo, ita nec alieno nomine aliquis clericorum exercere fœnus attentet. Indecens enim est, crimen suum commodis alienis impendere. Fœnus autem hoc solum aspicere & exercere debemus, vt, quod hic misericorditer tribuimus, ab eo Domino, qui multipliciter & in perpetuum mansura retribuet, recipere valeamus.

Concilium Andegauense. 453.

Apud Baronium de anno 453. Clerici quoque, qui relicto clero, se ad secularium militiam, & ad laicos contulerint, non iniustè ab Ecclesia amouean tur.

Concilium Veneticum. 460.

Cap. 11. Presbyteri, Diaconi, atque Subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi vxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum euitent conuiuia, ne his cœtibus misceantur, vbi amatoria cantantur & turpia, aut obscœni motus corporis choreis & saltibus efferuntur, ne auditus & obtutus sacris mysterijs deputati turpium spectaculorum, atque verborum contagio polluantur.

Cap. 13. Ante omnia à Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est. Nec quis potest liberum corporis sui ac mentis habere iudicium, cùm captus vino à sensu probetur alienus, & procliuis ad vitium mente labefacta ducatur, ac plerumque possit peccatum, aut crimen, dum nescit, incurrere. Sed ignorantia talis non potest non subiacere pœnæ, quam ex voluntaria amentia manasse constiterit. Itaque eum, quem ebrium esse constiterit, (vt ordo patitur) aut triginta dierum spatio à communione statuimus submouendum, aut corporali subdendum esse supplicio.

Concilium Turonense Primum. 460.

Cap. 5. Si quis Clericus, relicto officij sui ordine, laicam voluerit agere vitam, vel se militiæ tradiderit, excommunicationis pœna feriatur.

Gelasius. 490.

Epistola ad Episcopos per Lucaniam & Brutios constitutos cap. 17. Plurimi clericorum negotiationibus inhonestis, & lucris turpibus imminent, nullo pudore cernentes Euangelicam lectionem, qua ipse Matt. 21
Dominus negotiatores è templo verberatos flagellis asseritur expulisse, nec Apostoli verba recolentes, quibus ait: *Nemo militans Deo, implicat se negotijs* 2.Tim.2
secularibus: Psalmistam quoque Dauid surda dissimulantes aure cantantem: *Quoniam non cognoui ne-* Psal.70.
gotiationes, introibo in potētia Domini. Proinde huiusmodi aut ab indignis posthac quæstibus nouerint abstinendum, & ab omni cuiuslibet negotiationis ingenio, vel cupiditate cessandum: aut in quocumque gradu sint positi, mox à clericalib. officijs abstinere cogantur: quoniam domus Dei orationis & esse debet, & dici, ne officina negotiationis, & spelunca Luc. 19.
potius sit latronum.

Ferrandus Diaconus. 500.

In Parænetico ad Reginum Comitem: Socialis vitæ laboribus exercendus, ignorantia pueritiæ mox vt rationalis homo caruerit, aut Deo incipit, aut seculo militare. Propter hoc Apostolus Paulus:
Nemo (ait) militans Deo implicat se negotijs secularibus: 2.Tim.2
ostendens esse milites Dei, sicut sunt etiam milites seculi. Duplex ergo militia, duo genera militum signat. Alios militia corporalis laborare cum mundo, secundùm voluntatem terreni Regis astringit: alios militia spiritualis ad cælestia castra per gratuitam gratiam cælestis imperatoris adducit. Milites seculi passionibus & desiderijs varijs tenentur obnoxij: milites Dei carnem suam crucifigunt cum vitijs & concupiscentijs.

Concilium Agathense. 506.

Cap. 41. Ante omnia Clericis vetetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est. Itaque eum, quem ebrium fuisse constiterit (vt ordo patitur) aut triginta dierum spatio communione statuimus submouendum, aut corporali subdendum supplicio.

Cap. 55. Episcopis, Presbyteris, Diaconis canes ad venandum, aut accipitres habere non liceat. Quòd si quis talium personarum in hac voluntate detectus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus se suspendat à communione, Presbyter duobus mensibus se abstineat, Diaconus verò ab omni officio vel communione cessabit.

Concilium Tarraconense. 516.

Capite 2. Canonum statutis firmatum est, vt quicunque in clero esse voluerit, emendi vilius, vel vendendi carius studio non vtatur. Certè si hæc voluerit exercere, prohibeatur à Clero.

Concilium Epaunense. 517.

Cap. 6. Presbytero, vel Diacono sine Antistitis sui epistolis ambulanti, communionem nullus impendat.

Athalaricus Rex. 520.

Epist. ad Clerum Romanæ Ecclesiæ: Sed interim vos, quos iudicia nostra venerantur, Ecclesiasticis viuite institutis: magnum scelus est crimen admittere, quos nec conuersationem decet habere secularem. Professio vestra cælestis est, nolite ad mortalium vota humilia, & errores descendere: mundani coerceantur humano iure, vos sanctis moribus obedite.

Concilium Aurelianense Tertium. 537.

Cap. 26. Vt clericus à Diaconatu, & supra, pecuniam

pecuniam non commodet ad vsuras, nec de præstitis beneficijs quicquam amplius, quàm datur speret. Neue in exercendis negotijs turpis lucri cupiditate versetur, sicut publici negotiatores, qui ad populares pensam obseruant, aut sub alieno nomine interdicta negotia audeat exercere. Quod si quis aduersum statuta venire præsumpserit, communione concessa ordine regradetur.

Martinus Bracarensis. 580.

In capitulis Græcarum Synodorum cap. 59. Non liceat sacerdotibus, vel clericis, aliqua spectacula in nuptijs vel conuiuijs spectare: sed oportet, antequam ingrediantur ipsa spectacula, surgere, & recedere inde.

Psal. 14. *Cap.* 62. Si quis oblitus timorem Domini, & sanctam Scripturam, quæ dicit: *Pecuniam suam non dedit ad vsuram,* post hanc cognitionem magni Concilij fœnerauerit, & centesimas exegerit, aut ex quolibet negotio turpe lucrum quæsierit, aut per diuersas species vini, vel frugis, vel cuiuslibet rei emendo, vel vendendo, aliqua incrementa susceperit, depositus de gradu suo, alienus habeatur à clero.

Concilium Matisconense Secundum. 588

Cap. 13. Tractatis omnibus, quæ diuini vel humani iuris fuerunt, & ad finem vsque perductis, putauimus congruum esse, de canibus etiam, vel accipitribus aliqua statuere. Volumus igitur, quòd Episcopalis domus, quæ ad hoc (Deo fauente) instituta est, vt sine personarum acceptione omnes in hospitalitate recipiat, canes non habeat: ne fortè hi, qui in ea miseriarum suarum leuamen habere confidunt, dum infestorum canum morsibus lanientur, detrimentum versa vice suorum sustineant corporum. Custodienda igitur est Episcopalis habitatio hymnis, non latratibus: operibus bonis, non morsibus venenosis. Vbi igitur Dei est assiduitas cantilenæ, monstrum est, & dedecoris nota, canes ibi vel accipitres habitare.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 8. *epistola* 11. Perlatum est ad nos, reuerendissimum fratrem nostrum Basilium Episcopum, velut vnum de laicis, in causis secularibus occupari, & prætorijs inutiliter deseruire. Quæ res quoniam & ipsum vilem reddit, & reuerentiam sacerdotalem annihilat, statim vt experientia tua hoc præceptum susceperit, eum ita ad reuertendum districta executione compellat: quatenus ei illic te insistente quinque diebus sub qualibet excusatione immorari non liceat, ne si quolibet modo eum ibidem amplius moram habere permiseris, cum ipso apud nos grauiter incipias esse culpabilis.

Isidorus Hispalensis. 620.

De officijs Ecclesiasticis lib. 2. *cap.* 1. & 2. Cleros sors interpretatur: vnde & hæreditas Græcè cleronomia interpretatur. Proinde Clericos vocari aiunt, eò quòd in sortem hæreditatis Domini dentur. Vnde oportet, vt qui Deum hæreditatem possident, absque vllo impedimento seculi Deo seruire studeant, & pauperes spiritu esse contendant, vt
Psal. 15. congruè istud Psalmistæ dicere possint: *Dominus pars hæreditatis mea.* His igitur lege Patrum cauetur, vt à vulgari vita seclusi, à mundi voluptatibus se abstineant: non spectaculis, non pompis intersint, conuiuia publica fugiant, priuata non tantùm pudica; sed sobria colant: vsuris nequaquam incumbant, neque turpium occupationes lucrorum, fraudisque cuiusdam studium appetant, amorem pecuniæ, quasi materiam cunctorum criminum fugiant, secularia officia negotiaque abijciant, honorum gradus per ambitiones non subeant.

Concilium Toletanum Quartum. 643.

Cap. 30. Sæpe principes contra quoslibet maiestatis obnoxios sacerdotibus negotia sua committunt. Et quia sacerdotes à Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant regibus fieri iudices, vbi iureiurando supplicij indulgentia promittitur, non vbi discriminis sententia præparatur. Si quis ergo sacerdotum, contra hoc commune consultum, discussor in alienis periculis extiterit, sit reus effusi sanguinis apud Christum, & apud Ecclesiam perdat proprium gradum.

Theodorus Cantuariensis. 660.

In Pœnitentiali rubrica 41. Licet malus sit sacerdos, tamen conficit corpus & sanguinem Christi vt bonus: quia quæ sancta sunt, non possunt pollui. Et licet Sacramenta obsint indignè tractantibus; prosunt tamen per eos dignè sumentibus.

Beda. 700.

De ratione temporum cap. 6. Ferias habere clerum primus Papa Syluester edocuit, cui soli Deo vacanti, nunquam militiam, vel negotiationem liceat exercere mundanam, dicente Psalmographo: *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus.* Itemque Apostolus: *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.*

Carolus Magnus. 780.

Lib. 6. *Legum cap.* 122. Clericus vel Monachus neque exactor publicarum, neque conductor aut vectigalium magister, vel curator domus, vel procurator litis, vel fideiussor in talibus causis fiat. Si quis contra hæc statuta fecerit, si Episcopus est, omnes istorum res, ex quacunque causa, vel persona, siue ante Episcopatum, siue postea ad eum peruenerint, Ecclesiæ suæ eas vindicare sancimus: si verò alij clerici hoc fecerint, pœnam pecuniarum, quam Episcopus existimauerit, exigere Ecclesiæ vindicandam.

Cap. 200. Quòd Episcopus, & Presbyter, & Diaconus aleator & ebriosus esse non debeat. Similiter & clerici & laici, si permanserint in alea, communione priuentur.

Concilium Foroiuliense. 790.

Cap. 5. Vt secularia negotia vltra modum mensuræ nulli liceat exercere. Ait enim Apostolus: *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus, vt ei* 2. Tim. 2.
placeat, cui se probauit. Intueri quapropter subtilius libet, cuius nos esse regis milites gratulamur. Et quia in castris Dominicis militamus, solicitè pensare constringimur, quibus armis muniti, cum tanto aduersario certaminis bella aggreßi pugnare valeamus, vt expediti ab omni præsentis seculi impedimento, intrepidi in prima acie persistentes, post palmam victoriæ, triumphatricis gloriæ coronam ab eo rege, qui nos de antiquo hoste triumphauit, suscipere mereamur.

Cap. 6. Item placuit, vt eas prorsus mundanas dignitates, quas seculares viri, vel principes terræ exercere solent, in venationibus scilicet, vel in canticis secularibus, aut in resoluta & immoderata lætitia, in lyris & tibijs, & his similibus lusibus, nullus sub Ecclesiastico Canone constitutus, ob inanis lætitiæ fluxum, audeat, fastu superbiæ tumidus, quandoque præsumendo abuti: nisi fortè, si in hymnis & spiritalibus canticis delectatur, de sacris videlicet Scripturarum voluminibus dignè honesteque compositis vtatur. Ab his igitur non solùm non inhibemus abstinere, verùm etiam conniuentes licentię concedimus votum.

Haymo. 800.

In caput 2. posterioris ad Timoth. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.*) Quia nemo Luc. 16.
potest duobus dominis seruire, Deo, & seculo. Secularia negotia sunt, per vsuras & adulationes

lucra temporalia acquirere, ficut faciunt illi, qui regibus & comitibus ideo feruiunt, vt ab eis temporalia accipiant beneficia. A talibus debent fe cuftodire Epifcopi: qui (vt Canones dicunt) prædicationi debent femper infiftere, & orationibus: & non folùm Epifcopi, fed & omnis ordo Ecclefiafticus debet fe, in quantum valet, ab his immunem reddere. Ideoqùe debet qui Deo militat ab his fe remouere.

Concilium Moguntinum. 813.

Cap. 10. Difcretionem effe volumus atque decreuimus inter eos, qui dicuntur feculum reliquiffe, & adhuc feculum fectantur. Placuit igitur fancto Concilio, vt ita difcernantur, ficut in regula Clericorum dictum eft. His igitur lege Patrum cauetur, vt à vulgari vita feclufi, à mundi voluptatibus fefe abftineant, non fpectaculis, non pompis interfint, conuiuia inhonefta & turpia fugiant.

Cap. 12. Hoc omninò volumus, vt Monachi ad fecularia placita nullatenus veniant: neque ipfe Abbas fine confilio Epifcopi fui: & cùm necefsitas exigit, tunc per iufsionem & confilium Epifcopi illuc vadat.

Concilium Parifienfe. 829.

Libro 1. *cap.* 28. Qui facris officijs ob meritorum prærogatiuam funt applicati, dedecus & valde periculofum eft, terrenis actionibus, turpibufque lucris eos implicari. Comperimus igitur nonnullos Presbyteros & Monachos defertores ordinis fui, quod non fine magno animi mœrore profequimur, adeò villicationes, & negotiationes, diuerfaque turpia lucra fpectare, vt illud videatur completum, quod dicitur: *Et erit ficut populus, fic facerdos.* Quod & leges diuinæ, & iura Canonica condemnant, quantumqùe etiam id religioni Chriftianæ contrarium fit, manifeftum eft. Quòd verò ab huiufcemodi illicito actu vterque ordo, & facerdotalis & monafticus fe cohibere debeat, fubter breuiter collecta teftimonia declarant. Ait namque Dominus in Euangelio: *Nemo mittens manum ad aratrum, & refpiciens retro, aptus eft regno Dei.* Et Paulus: *Nemo militans Deo implicat fe negotijs fecularibus, vt ei placeat, cui fe probauit.* Quanquàm ergo hæc Euangelica & Apoftolica fententia generaliter de omnibus Chriftianis fit dicta, & ab omnibus obferuanda: fpecialius tamen atque religiofius ab his obferuari conuenit, qui fe diuinæ militiæ deuotius ftrictiufqùe mancipârunt.

Efa. 24. Ofeæ 4. Luc. 9. 2. Tim. 2

Concilium Moguntinum. 835.

Cap. 13. Prouidendum neceffariò eft vnicuique Epifcopo, qualiter Canonici viuere debeant, nec non & Monachi, vt fecundùm ordinem regularem viuere ftudeant, vt ait Apoftolus: *Vnufquifque in qua vocatione vocatus eft, in ea permaneat:* & vt à negotijs fecularibus omninò abftineant. Multa funt enim negotia fecularia, de his tamen pauca perftrinximus: ad quæ pertinet omnis libido, non folùm immunditia carnis, fed etiam in omni carnali concupifcentia, quicquid plus iufto appetit homo, turpe lucrum, munera iniufta accipere, vel etiam dare pro aliquo feculari, cum quæftu pretio aliquem conducere: contentiones, & lites, vel rixas amare, in placitis fecularibus difputare, excepta defenfione orphanorum aut viduarum, conductores aut procuratores effe fecularium rerum, turpis verbi, vel facti ioculatorem effe, vel iocum fecularem diligere, aleas amare: ornamentum inconueniens propofito fuo quærere: in delicijs viuere velle, gulam & ebrietatem fequi: pondera iniufta vel menfuras habere, negotium iniuftum exercere, &c. canes & aues fequi ad venandum, in comeffationibus & vinolentijs nimis incumbere, fuperfluitatem in quibuslibet rebus nolle fugere. Quæ omnia

1. Cor. 7.

miniftris altaris interdicimus, hortantes eos feruare illud Apoftolicum: *Nemo militans Deo implicat fe negotijs fecularibus.*

Concilium Meldenfe. 845.

Cap. 49. Vt nemo laicorum Presbyteros Ecclefiarum fuarum turpi villicationi, & fecundùm Apoftolum feculari, & inhoneftæ negotiationi implicare, nec fecum aliorfum contra auctoritatem præfumat ducere, quò minifterium fibi commiffum cogantur negligere. Quod fi contra interdicta præfumpferit, excommunicetur. 2. Tim. 2

Nicolaus Primus. 858.

Epiftola 27. *ad Ludouicum & Carolum Imp.* Reprehenfibile valde effe conftat, quod fubintulifti, dicendo maiorem partem omnium Epifcoporum die noctuqùe cum alijs fidelibus tuis contra piratas maritimos inuigilare, ob idqùe Epifcopi impediantur venire: cùm militum Chrifti fit Chrifto feruire: militum verò feculi, feculo; ficut fcriptum eft: *Nemo militans Deo, implicat fe negotijs fecularibus.* Quòd fi feculi milites feculari militiæ ftudent, quid ad Epifcopos & milites Chrifti, nifi vt vacent orationi? 2. Tim. 2

Concilium Romanum fub Leone IV. 850.

Cap. 6. Sacerdotes, qui ad debita & opportuna officia in Ecclefijs indifferentes adeffe debent, fœnere aliquo, venatione, aucupio, vel alio rufticorum minifterio omnino non occupentur: nec fine ornatu facerdotali extra domos fuas appareant. *Extat apud Luitprandũ.*

Lupus Ferrarienfis. 860.

Epiftola 29. Nemo noftrum aliquid fibi vendicat, nec in feculares curas difsipare animum permittitur: & orationum, & abftinentiæ legitimam conftitutionem perfoluere regulari rigore, cui nos fponte fubmifimus, coarctamur.

Smaragdus. 970.

Ad cap. 4. *Regulæ S. Benedicti:* Vigefimum pietatis inftrumentum eft à feculi actibus fe facere alienum. *Nemo,* ait Apoftolus, *militans Deo, implicat fe negotijs fecularibus, vt ei placeat, cui fe probauit.* Hinc ait Dominus: *Qui non dimiferit omnia, quæ poffidet, non poteft meus effe difcipulus.* Quifquis ergo à feculi actibus vult effici alienus, neceffe eft vt facris obtemperando præceptis, ipfi Domino efficiatur propinquus. Præceptum eft enim Domini: *Diuerte à malo, & fac bonum.* Proinde à feculi actibus alienus effectus, ad conditorem fuum illuminandus accedat Monachus: ipfum iugiter concupifcat, toto corde diligat, & pro illius amore omnes nociuas feculi actiones relinquat, & totam fpem fuam ex illius dilectione fufpendat: quotidie in diuinarum literarum fe exerceat campo, & ibi fe quafi in fpeculo diligenter confpiciat totum, & omnia, quæ in fe de fecularibus actibus refpuenda inuenerit, refpuat: & quæ tenenda inuenerit, libenter & fortiter teneat: quod deforme inuenerit, componat: quod pulchrum, excolat: quod fanum, feruet: quod infirmum, corroboret: à ftrepitu negotiorum fecularium remotifsimus viuat, &c. 2. Tim. 2. Luc. 14. Pfal. 33.

Radulphus Ardens. 1050.

In fefto S. Lucæ: Prædicator prohibetur ferre peram, id eft, onus fecularium negotiorum, ne fi collum mentis eius opprimat, ad cæleftia alijs prædicanda non affurgat. Hinc Paulus: *Nemo,* inquit, *militans Deo, implicat fe negotijs fecularibus.*

Anfelmus. 1080.

Ad caput 2. pofterioris ad Timotheum: *Nemo militans Deo, implicat fe negotijs fecularibus:*) quia nemo poteft duobus dominis feruire, id eft, Deo & feculo. Clericus hac fententia tenetur. Si enim

non contentus stipendijs, quæ de altari Domino iubente consequitur, exercet mercimonia, intercessiones vendit, viduarum munera libenter accipit, hic negotiator magis potest videri, quàm clericus. Multò minus autem licet Monacho, vt fit negotiator secularium mercimoniorum, vel implicatus curis secularibus.

Bruno Carthusianus. 1080.

Ad cap. 2. posterioris ad Timoth. Si bonus miles fueris, secularibus negotijs non implicabis te: *Nemo enim militans Deo implicat se secularibus negotijs*, id est, non intendit discussionibus secularium causarum, sed spiritualium. Habet enim mundus seculares iudices, qui iudicant de temporalibus: Episcopi autem vacare debent doctrinis de spiritualibus.

Hugo Victorinus. 1120.

Libro 2. de claustro animæ cap. 16. Quoniam de curiali monacho pauca dicturi sumus, notandum fateor, vt de Canonico seu conuerso curiali eadem sentiamus, licet enim diuersus sit habitus, idem tamen debet esse religionis affectus, vt non affectent vestibus placere, sed moribus. Cùm ergo dicitur curialis Monachus, ex adiuncto designatur aliquid leuitatis. Qui enim secularium hominum consortium diligunt, qui se consilijs principum libenter ingerunt, qui secretorum conscij sunt, & internuntij curiales possunt appellari. Ordo claustri & ordo curiæ diuersus est valde. Ibi sedes in insidijs, cum diuitibus in occultis, vt interficias innocentem: hic audis, *non sedi in consilio vanitatis, & cum impijs non sedebo.* Ibi insidiaris, vt rapias pauperem: hic dicis, odiui ecclesiam malignantium. &c. Si vis Monachus esse curialis, laudas quod non debes, quod non expedit defendis, quod non licet operaris, loqueris quod non decet.

Psal. 9.
Psal. 25.

Bernardus. 1130.

Libro 3. de Consideratione cap. 11. Forma pretiosarum vestium deformitatis mentium & morum indicium est. Quid sibi vult quòd clerici aliud esse, aliud videri volunt? Id quidem minus castum minusque syncerum. Nempe habitu milites, quæstu clericos, actu neutrum exhibent. Nam neque vt milites pugnant, neque vt clerici euangelizant, cuius ordinis sunt? Cùm vtriusque esse cupiunt, vtrumque deserunt, vtrumque confundunt. Vnusquisque, inquit, in suo ordine resurget. Isti in quo? An qui sine ordine peccauerunt, sine ordine peribunt? Aut si summè sapiens Deus veraciter creditur à summo vsque deorsum nihil inordinatum relinquere, vereor non alibi ordinandos, quàm vbi *nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitet.*

1. Cor. 15

Richardus Victorinus. 1140.

Ad cap. 1. Apocal. Qui se negotijs secularibus implicant, ab internis & æternis seipsos alienant, nec valent de inuisibilibus magna considerare, qui à visibilibus nesciunt animum reuocare. Si ergo Deo propinquare volumus, ab exterioribus ad interiora mentem reducamus, vt sic in secreto quietis positi, possimus cælestia contemplari. Hinc nos admonet sermo diuinus, dicens: *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus*, quasi dicat, ne à mundi perturbationibus vacetis, me contemplari non valebitis. Ab exterioribus igitur vosmetipsos colligite, & interius per quietem quis ego sim videte. Tanto namque mens humana spiritualibus viciniorem facit, quanto longius post se temporalia derelinquit, vel corporalia, & tanto clarius atque perspicacius summis intendit, quanto ab infimis proprij luminis radios auertit.

Psal. 45.

Arnulphus Lexoniensis. 1160.

Epistola ad Richardum Pictauiensem Archidiaconum: Librum de Ecclesiasticis officijs eò libentius vobis censui transmittendum, quia vellem vos exemptum secularibus, diuinis officijs toto studio mancipari. Quòd si vos ad illa quandoque necessitas, aut prouentus, aut superior gratia pertrahit, ordinis vestri semper habete memoriam, nec eis vos immisceatis, quorum executio professioni vestræ non congruit, sed eis dimittatis, per quos ea specialius conuenit expediri. Porrò quædam sunt, quibus vestram vos oportet omninò negare præsentiam, vbi scilicet corporalis pœna, vel iudicium sanguinis fuerit irrogandum: quia forensium legum seueritas in plerisque mansuetudini miserationis Ecclesiasticæ non concordat.

Alexander III. 1180.

Part. 17. cap. 3. Secundum instituta prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi vel Clerici causa lucri negotientur, & ne Monachi à clericis vel à laicis firmas habeant, vel laici ad firmam Ecclesias teneant.

Cap. 4. Iubemus etiam sub interminatione anathematis, ne quis sacerdos officium habeat vicecomitis, aut præpositi secularis.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap. 16. Clerici officia vel commercia secularia non exerceant, maximè inhonesta: mimis, histrionibus, & ioculatoribus non intendant, & tabernas prorsus euitent. Ad aleas & taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint.

Honorius Tertius. 1220.

Extr. de vita & honestate clericorum cap. 16. Ex literis Pontini comitis intelleximus, quòd quidam clerici suæ terræ potius secularibus negotiationibus, quàm officijs diuinis intendunt, & gaudere volentes priuilegio clericali, nolunt statutis patriæ (quibus, quoties expedit, sicut laici se tuentur) in negotiationum quæstibus subiacere. *Et infra:* Mandamus, quatenus si tales, tertiò à te commoniti, ab huiusmodi non resipuerint, sed prætermissis diuinis officijs, negotiationibus institerint supradictis, cùm facto priuilegium abijciant clericale, tu quo minus, dum his se implicant, de suis facultatibus statutis & consuetudinibus patriæ subiaceant, non defendas eosdem.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Libro de Virtutibus cap. 11. Propter hanc causam clerici attonsi sunt in circulum instar pugilum, vt se esse propugnatores animarum agnoscant. Heu quàm turpe est, quamque erubescendum se pugilem, se propugnatorem animarum tonsura & habitu gerere, & nihil propugnatoriæ strenuitatis, vel pugillaris fortitudinis vel agere, vel habere, in omnibus hostem animarum se exhibere, & muliebrem fragilitatem, atque imbecillitatem vitæ mollitie & infirmitate artuum profiteri?

Thomas Aquinas. 1250.

Secund. 2. quæst. 77. in Resolutione quarti argumenti: Clerici non solùm debent abstinere ab his, quæ sunt secundùm se mala, sed etiam ab his, quæ habent speciem mali: quod quidem in negotiatione contingit, tum propter hoc, quod est ordinata ad lucrum terrenum, cuius clerici debent esse contemptores, tum etiam propter frequentia negotiatorum vitia: quia difficulter exuitur negotiator à peccatis labiorum, vt dicitur Ecclesiast. 26. Est & alia causa, quia negotiatio nimis implicat animum secularibus curis, & per consequens à spiritualibus retrahit. Vnde Apostolus dicit 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.*

Guilhelmus Peraldus. 1260.

Sermone 2. Dominica 2. Aduentus: Potestas Ecclesiastica

siastica diei, id est, spiritualibus debet intendere: potestas secularis nocti, id est, temporalibus. Et sicut contra naturam esset, si sol luceret de nocte, sic contra naturam esse videtur, si potestas Ecclesiastica transferat se ad ministrationem temporalium, neglectis spiritualibus. Sicut legitur 2. Machab. 4. *Sacerdotes iam non circa altaris sacrificia dediti erant, sed contempto templo, & sacrificijs neglectis, festinabant participes fieri palestra.*

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 2. cap. 29. Omnes Simoniaci à templo Dei vel ante humanos, vel ante Dei oculos eijciuntur, & Dei dono priuantur. Similiter clerici & religiosi, qui in templo Dei sunt deputati, si secularibus & terrenis negotijs se implicent, meritò eiectionem à Deo, & eius indignationem timere debent.

Ioannes Gerson. 1420.

Sermone in die Ascensionis: Quid de illis loquar, qui more patriæ pro mitris vtuntur galeis, pro veste linea vestiuntur ferrea, arma ferunt, bella gerunt, fundunt sanguinem, Præsules negant, duros exhibent, spiritum nesciunt, carnem vouent, quasi arma militiæ nostræ essent carnalia, & non potentia Dei, ad destruendum omnem altitudinem, extollentem se aduersus scientiam Dei.

Thomas Malleolus. 1430.

De imitatione Christi libro 4. cap. 11. Ex ore sacerdotis nil nisi sanctum, vtile, honestum nasci debet, qui toties Christi fruitur corpore: oculi eius simplices, ab omni fraude alieni sint oportet, qui Christi corpus frequenter aspectant: manus puræ sint, semper in cælum subleuatæ, quæ cæli terræquè architectum subinde contrectant. Quippe cùm omnibus promiscuè, tum præcipuè sacerdotibus dictum est: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.*

Bernardinus Senensis. 1440.

Tomo 2. Serm. 33. artic. 2. cap. 2. Minime licet clericis & Ecclesiasticis viris mercationi vacare. Ideo dicitur 2. Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.* Pœna autem clericorum, qui se negotijs secularibus immiscent, est, quòd si se non correxerint, deponi debent. Nam decet clericos sanctè viuere, & non cupiditatibus, seu mercationibus, vel lucris, sed Deo adhærere, qui summum bonum est.

Dionysius Carthusianus. 1450.

De vita Canonicorum artic. 5. Ministris Ecclesiæ Clericis seu Canonicis conuenit atque iniungitur diuino cultui insudare, orationi, contemplationi, ac laudibus Creatoris vacare, & omnipotentem tam sibi ipsis, quàm proximis, quorum sustentantur stipendijs exhibere propitium & placatum. Cùm ergo ab actibus istis maximè impediant exercitia bellica, in quibus est inquietudo & solicitudo cordis præcipua, hinc bellare interdicitur ijs, sicut & negotiatio: hinc quoque non debent arma portare, ne occasionem aut incitamentum habeant præliandi, & ne ostendant se ad pugnam paratos, & ne alios scandalizent.

Articulo octauo: Cùm ergo ad hoc institutus sit, prouisus ac dotatus status Canonicorum, vt quieta, pura, ac libera mente vacent ac seruiant Creatori, & eum meritis suis ac precibus concilient, propitiumq; exhibeant tam sibi, quàm eis, quorum eleemosynis atque stipendijs sustentantur: hinc prohibentur occupationes & actus, qui directè ac vehementer impediunt à prætacta mentis vacatione quieta, ac pura inhæsione cum Deo, ab interna libertate circa diuina, qua exonerantur à curis mūdanis, secularibusq; negotijs. Hæc autem negotiatio, quæ ordinatur ad lucrum terrenum, mundana commercia, secularia quoque officia, per quæ omnia cor valde dispergitur ad externa, implicatur terrenis, & à spiritualibus ac diuinis retrahitur. Quocirca ait Apostolus: *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.*

Ioannes de Turrecremata. 1460.

Tractatu vigesimotertio in Regulam S. Benedicti: Discipulus perfectionis amator à negotijs secularibus, cuiusmodi sunt curæ terrenæ, negotiationes seculares, solicitudines mundanæ, mercationes, aduocationes, & huiusmodi, sit alienus. Nam vt docet Apostolus 2. Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat, cui se probauit,* id est, deuouit. Magnum profectò impedimentum quietis & perfectionis spiritus, est occupatio secularis. Hinc Seneca: Omnia impedimenta dimitte, vaca bonæ menti: nemo ad illam peruenit occupatus.

Dominicus Mancinus. 1480.

De quatuor Virtutibus:

Aspice quàm differs alijs in veste sacerdos,
Tantùm differre & moribus ipse velis.
Et quo maior apex cingit tua tempora, tanto
Et morum cura maior habenda tibi.
Non facias vt quisque facit, cùm non tibi quisquam
Collatus fuerit, perfice maius opus.

ARTICVLVS SEXTVS.

CLERICOS, IN MAIORIBVS ORDINIBVS CONSTITVTOS, CONTINENTER DEBERE VIVERE, NEC POSSE VXORES DVCERE.

NEGANT.

Anno post natū Christū 70. *NICOLAVS Antiochenus, vnus è septem Diaconis, cùm ab initio continuisset se ab vxore sua, ad imitationem eorum, quos Deo addictos videbat, à proposito relapsus, & cum propria vxore coiens, prætemperantia dicebat, nisi quis Venerem singulis diebus exerceret, non posse eum vitæ æternæ participem fieri. Unde etiam vxorem suam alijs communicabat. Et hinc turpissima secta est. quæ placet vsus indifferens fœminarum.* Irenæus lib. 1. cap 27. Clemens Alexandrinus lib. 3. Strom. Epiphan. hæres. 25. Augustinus hæresi 5.

400. *Vigilantiani Episcopi Diaconum nisi prius ducta vxore non ordinabant.* Hieronymus contra Vigilantium.

700. *Vitiza rex facinerosus, timens ne suis criminibus obuiarent, & populum ab eius obedientia reuocarent, dedit licentiam, imò præceptum omnibus clericis, vt vxores & concubinas vnam & plures haberent publicè iuxta libitum voluntatis, neve Romanis constitutionibus, quæ talia prohibent, in aliquo obedirent, & sic per eos populus retineretur.* Rodericus Toletanus rerum Hispanicarum lib. 3. cap. 15.

950. *In Anglia quidam cupiebant sacerdotum connubia introducere, quibus Dunstanus Episcopus, opitulante Odgaro principe, restitit.* Polydorus Virgilius lib. 6. Historiæ Anglic.

1070. *Henricus Imp. introducere conatus est sacerdotum connubia, & maritos Episcopos designauit.* Lambertus Schaffnaburgensis in hoc Henrico.

1150. *Petrus Brusius docuit Sacerdotes & Monachos potius debere vxores ducere, quàm scortari.* Petrus Blesensis.

1200. *In Dania quidam persuadere conantur populo, vt sacerdotibus suis matrimonia decernant.* Saxo Grammaticus lib. 15. Daniæ.

1390. *Ioannes VVicleuus*, in Sermone Vigiliæ Natalis Ioannis Baptistæ, & de officio Pastorali cap. 29. *reprehendit Catholicos sacerdotes, quod sint innupti, & coniugium minus amplectuntur.*

1428. *Ioannes Bedericus Orebitarum Dux & Presbyter Stamensis, calcato iure Pontificio, vxorem publicè duxit, & illa mortua alteram ex Polonia superduxit. ex qua filios suæ nequitiæ sectatores suscepit.* AEneas Syluius in Histor. Bohemica, & Cochlæus Histor. Hussiticæ lib. 6.

1524. *Andreas Carlstadius Archidiaconus VVirtembergensis primus sacerdotum in Germania vxorem duxit, & publicas nuptias celebrauit. In cuius laudem VVirtembergenses propriam Missam finxerunt, cuius talis est Collecta: Deus, qui post longam, & tam impiam sacerdotum cæcitatem beatum Andream Carlstadium ea gratia donare dignatus es, vt primus, nulla habita Papistici iuris ratione, vxorem ducere ausus fuerit, da quæsumus, vt omnes sacerdotes recepta sana mente eius vestigia sequentes, eiectis concubinis, aut iisdem ductis, ad legitimi consortium tori conuertantur.*

1525. *Martinus Lutherus*, Tomo 2. Germanico fol. 214. *scribit, si Ecclesia per concilium aliquod facto decreto Ecclesiasticis contrahendi matrimonij, vxoresque ducendi libertatem concederet, tum se potius dissimulaturum, & crediturū, quòd is homo potius in gratia Dei esset. qui toto vitæ suæ tempore, vnum, duo, vel tria scorta haberet, quàm alius quispiam, qui secundùm Concilij definitionem vxorem duceret. Imò non daturum se ait, sub pœna salutis amittendæ, ne quisquam huiusmodi Concilij permissione vxorem duceret, sed tum primùm vel continenter viueret, vel si id esset impossibile, in sua scortatione, si meretricem haberet, non desperaret.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

1\. *Reg.* 21. 1. Venit autem Dauid in Nobe ad Achimelech sacerdotem: & obstupuit Achimelech, eò quòd venisset Dauid. Et dixit ei: Quare tu solus, & nullus est tecum? Et ait Dauid ad Achimelech Sacerdotem, Rex præcepit mihi sermonem, & dixit: Nemo sciat rem, propter quàm missus es à me, & cuiusmodi præcepta tibi dederim: nam &

pueris condixi in illum, & illum locum. Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quicquid inueneris. Et respondens Sacerdos ad Dauid, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum: si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus? Et respondit Dauid sacerdoti, & dixit ei: Et quidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudiustertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa puerorum sancta. Porrò via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis. Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem: neque enim erat ibi panis, nisi tantùm panes propositionis, qui sublati fuerant à facie Domini, vt ponerentur panes calidi.

Isaiæ 52. 11. Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: exite de medio eius, mundamini qui fertis vasa Domini.

1. *Corinth.* 7. 5. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Canone Apostol. 25. Ex his, qui cœlibes ad clerum peruenerunt, iubemus vt Lectores tantùm, & Cantores (si velint) nuptias contrahant.

Epistola 2. Ad Dominica ministeria tales eligantur, qui ante ordinationem suam coniuges suas non nouerint. Quòd si post ordinationem ministro altaris contigerit proprium vxoris cubile inuadere, sacrarij non intret limina, nec sacrificium portet, nec altare contingat, nec ad Dominici corporis portationem accedat, nec aquam sacerdotibus ad manus porrigat, nec vrceum, siue calicem ad altare ferat: sed ostia forinsecus claudat, & minora sectetur officia.

Constit. Apostol. lib. 6. *cap.* 17 Episcopum, Presbyterum, & Diaconum ordinari præcipimus, qui sint monogami, id est, vnius vxoris viri, siue vxores eorum superstites fuerint, siue non: post ordinationem tamen, si vxores non habent, præcipimus, vt non liceat amplius ducere: aut si antea duxerant, non aliàs in matrimonium accipere: sed potius, quod cùm haberent, ad ordinationem venerunt, contentos esse.

Origenes. 230.

In Leuiticum Homil. 4. Sacerdos campestri lineo cingitur, vel fœmoralibus vtitur, qui luxuriam fluxæ libidinis cingulo strinxerit castitatis. Ante omnia enim sacerdos, qui diuinis assistit altaribus, castitate debet accingi.

In Numer. Homil. 23. Si oratio iusti sicut incensum offertur in conspectu Domini, & eleuatio manuum eius sacrificium est vespertinum: dicit autem Apostolus ijs, qui in coniugio sunt: *Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi*, certum est quia impeditur sacrificium indesinens ijs, qui coniugalibus necessitatibus seruiunt. Vnde videtur mihi, quòd illius est solius offerre sacrificium indesinens, qui indesinenti & perpetuæ se deuouerit castitati. (1. Cor. 7.)

Libro 8. *contra Celsum:* Cæterùm homines idiotæ ab eis pro nihilo habiti, vt stulti & illiberales, si modò committant se in fide in Deum, & doctrinam Iesu recipiant, tantum absunt ab omni lasciuia, spurcitia, turpitudine libidinum, vt in morem perfectorum sacerdotum, ab omni coitu abhorrentium, multi eorum in totum castè pureque viuant, alieni à congressu mulierum etiam legitimo. Et apud Athenienses quidem vnicus Pontifex, ne ipse quidem satis sibi fidens, quòd imperare posset masculis cupiditatibus, cicuta oblitis viribus, putatur satis idoneus ad castè obeundas eius ciuitatis solennes cæremonias. At apud Christianos non desunt viri, quibus cicuta ad hoc nihil opus est, vt Deo castè seruiant, sed pro cicuta eis verbum Dei sufficit, ad expellendas è cogitatione omnes concupiscentias, & vacandum precationibus.

Concilium Ancyranum. 310.

Canone 10. Quicunque Diaconi constituti in ipsa constitutione testificati sunt, & dixerunt, oportere se vxores ducere, cùm non possent sic manere, ij si vxores postea duxerint, sint in ministerio, eò quòd sit illis ab Episcopo concessum: si qui autem hoc silentio præterito, & in ordinatione, vt ita manerent suscepti sunt, postea autem ad matrimonium venerunt, ij à Diaconatu cessent.

Concilium Neocæsareense. 316.

Canone 1. Presbyter, si vxorem duxerit, ordine suo moueatur. Si autem fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, penitus extrudatur, & ad pœnitentiam deducatur.

Concilium Nicænum Primum. 320.

Canone 3. *ex Græco translato:* Omnibus modis interdixit sancta Synodus, neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque vlli clericorum omninò licere habere secum mulierem extraneam, nisi fortè mater, aut soror, aut auia, aut amita, vel matertera sit. In his namque personis, & harum similibus, omnis, quę ex mulieribus est, suspicio declinatur. Qui aliter præter hæc agit, periclitabitur de clero suo.

Canone 78. *ex Arabico translato:* Si quis sacerdos lapsus fuerit in peccatum carnis, qui non duxit vxorem, & hoc peccatum nunquam antea commiserit, sed potius bene semper audierit: debet agere pœnitentiam in ieiunio & oratione vno anno, & facere eleemosynas secundùm vires, & cessare à ministerio gradus sui, quàm diu durat vnius anni pœnitentia. Quo peracto debet redire ad ministerium, & ad sacrificium, sicut prius, & attendere deinceps diligenter, ac cauere sibi per vniuersum vitæ suæ tempus. Si verò ad idem peccatum reuersus fuerit, deponendus est tantùm, & non prohibendus communione fidelium, & sacra communione. Quòd si vxorem duxit, & adhuc vxor viuit, & cum eo habitat, debet imponi duplex pœnitentia. Idem seruandum est de Diacono, qui si tertiò ad idem scandalum redierit, deponendus est tunc. Quod tamen intelligendum est, si fuerit viduus. Nam si vxorem habeat, & cum ea habitet, debet remanere in pœnitentia, & excommunicatus tribus annis. Qua pœnitentia peracta redeat ad ordinem. Quòd si ad peccatum redierit, deponatur solùm: & in vniuersum intelligendum est hoc in omnibus ordinibus. Episcopus verò cùm primùm in hoc peccatum lapsus fuerit, debet ex gradu suo cadere, cui non est pœnitentia impo-

nenda, neque communione fidelium, neque communione sacra prohibendus. Sacerdos viduus recipiendus est ad pœnitentiam: qui vxorem habet, non est recipiendus. Diaconus viduus bis est ad pœnitentiam recipiendus; Diaconus coniugatus semel: & non erunt prohibiti communione fidelium, neque communione sacra, sed ministerio altaris.

Eusebius Cæsareensis. 330.

De Demonstratione Euangelica lib. 1. cap. 9. Meritò aliquis quæsierit, &c. quænam causa sit, vt illi quidem in nuptijs, & procreatione liberorum plurimum studij posuerint: nos verò hanc partem negligamus &c. Aduersus hæc talem licet ex ipsis Hebræorum oraculis rationem colligere. Quicunque ante Moysem in laude pietatis nomen adepti sunt, hi tunc initium habente, tuncqúe primùm existente vita, fuisse memorantur: quæ verò ad nos pertinent, tendere ad finem. Quare illos magna cum cura sobolis incrementum quæsiuisse, cùm per illud tempus & numerus hominum augesceret, & multiplicaretur, atque indies robur acciperet genus humanum: nobis verò non admodum curæ esset hoc, vtpote cùm res iam interire ac desinere, atque ad extremum finem tendere credantur, quando planè dicitur, ante vitæ consummationem, Euangelicam in foribus esse doctrinam, & renouatio ac generatio alterius sæculi, quod breui instet, futurum denuntiatur. Vna igitur defensio hæc, altera autem erit huiusmodi. Priscis illis, qui remissiorem ac liberiorem vitam agebant, nihil erat impedimento ne domui, liberisqúe præessent, ac pariter diuinæ quoque rei vacarent, quando vnà cum vxoribus, & liberis, & domo, religioni assiduam dare operam poterant, & nusquam ab vllis res externas, à meliore proposito auellebantur. Res verò nostræ innumerabilia habent, quæ extrinsecus premant, & quæ in alienas curas vndique trahant, & ab earum rerum studio, quæ Deo placent, abducant. Hanc igitur causam esse, cur nubendi ratio contrahatur, Euangelicæ doctrinæ verbum demonstrat, vbi ait: *Hoc autem dico fratres, tempus breue est. Reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint, &c.* Causa igitur, ob quam viri sancti priscis temporibus magno cum studio liberos susciperent, reddita est: quæ non amplius in nobis locum habere dicenda est, quippe cùm, Deo fauente, per Euangelicam Saluatoris nostri doctrinam innumerabiles gentes, & populos, in vrbibus, & regionibus, & agris liceat nobis oculis intueri, eodem animo festinantes, & ad sancta Euangelicæ doctrinæ præcepta concurrentes. Quibus quidem satis superqúe fit, si doctores ac prædicatores diuini verbi omnibus & vitæ vinculis, & solicitudinibus liberati, possint sufficere. His autem ipsis, maximè in præsentia vt melioribus studijs vacent liberius, seiunctus à re vxoria victus adamatur, veluti ijs, qui diuina & incorporea sobole propaganda occupati teneantur, & non vnius, neque duorum liberorum, sed aceruatim innumerabilis multitudinis educationem, sanctamqúe disciplinam, ac reliquę instituendę vitę curam susceperint, &c. Oportere enim, dicit sermo diuinus, Episcopum vnius vxoris virum esse. Veruntamen eos, qui sacrati sint, atque in Dei ministerio cultuqúe occupati, continere deinceps seipsos à commercio vxoris decet: qui autem non ad tantum assumpti sint sacerdotij munus, ijs idem sermo diuinus indulget.

1. Cor. 7

Basilius Magnus. 370.

Epistola 1. ad Amphilochium Can. 3. Diaconus post Diaconatum fornicatus, à Diaconatu quidem eijcietur, in laicorum autem locum extrusus, à communione non arcebitur: quoniam antiquus est Canon, vt qui à gradu exciderunt, hoc solo punitionis modo puniantur, primis, vt existimo, legem illam secutis: *Non vindicabis bis in idipsum.*

Can. 6. Canonicorum fornicatio pro matrimonio non reputetur, sed eorum coniunctio omninò diuellatur. Hoc enim & Ecclesiæ ad securitatem est vtile, & non dabit hæreticis aduersus nos ansam, quòd propter peccandi libertatem ad nos attrahamus.

In caput 3. Esaiæ: Quisquis igitur præsidentia cathedræ dignus censetur, iamqúe asscriptus est ordini presbyteratus, qui talis est presbyter, aut circunfert characterem presbyterij, par est eum vel maximè esse irreprehensibilis vitæ, & expertem vxoris.

Epistola 17. ad Paregorium Presbyterum: Nec primi, nec soli, Paregori, sanciuimus, non debere mulierculas cohabitare viris. Lege Canonem à sanctis Patribus nostris in Nicena Synodo constitutum, Can. 9. qui manifestè interdixit, Ne quis mulierculam subintroductam habeat. Cœlibatus autem honestatem suam in eo habet, si quis à nexu mulieris secesserit. Itaque si quis cœlibatum nomine tenus professus, reipsa faciat ea, quæ à coniugatis fiunt, manifestum est, quòd Virginitatis honestatem nuncupatione quidem illius præstet, verùm interea ab inconuenienti voluptate non desistat. Tantò facilius admonitioni nostræ acquiescere poteras, quantò magis liberum esse te à corporalibus affectionibus affirmas. Neque enim credo virum septuaginta annos natum cum huiusmodi affectionibus cohabitare mulierculæ: neque propterea ista determinaui, quòd aliquid absurdi designaueris: sed quòd ab Apostolo edocti sumus, non esse fratri ponendum offendiculum vel scandalum. Scimus autem vsuuenire, vt quod à nonnullis rectè geritur, alijs in occasionem peccati cedat. Ob hanc causam, constitutionem sanctorum Patrum secuti, præcepimus, vt à muliercula separeris, &c Eijce igitur illam ex ædibus tuis, & trade in monasterium. Sit illa cum virginibus, & tu inter viros ministra.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 4. Tu in libros Euangelicos inscriptus cùm sis propter institutum continentiæ: caue igitur ne delearis propter scortationem.

Catechesi 12. Decebat sanè purissimum puritatis doctorem ex puris prodire thalamis. Si enim, qui apud Iesum bene fungitur sacerdotio, abstinet à muliere: ipse Iesus quomodo ex viro & muliere proditurus esset?

Epiphanius. 380.

Heresi 59. Reuera non suscipit sancta Dei prædicatio post Christi aduentum eos, qui à nuptijs, mortua ipsorum vxore, secundis nuptijs coniuncti sunt, propter excellentem sacerdotij honorem ac dignitatem. Et hæc certò sancta Dei Ecclesia cum synceritate obseruat. Sed & adhuc viuentem & liberos gignentem vnius vxoris virum non suscipit, sed eum, qui se ab vna continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, & Presbyterum, & Episcopum, & Hypodiaconum: maximè vbi synceri sunt Canones Ecclesiastici. At, dices mihi, omnino in quibusdam locis adhuc liberos gignere & Presbyteros, & Diaconos, & Hypodiaconos. At hoc non est iuxta Canonem, sed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit, & propter multitudinem, cùm non inueniretur ministerium. Nam quod decentius est, id semper Ecclesia per Spiritum sanctum bene disposita videns, statuit apparare, vt cultus diuini indistracti Deo perficerentur, & spirituales necessitates cum omni beneuola conscientia peragerentur. Dico autem quòd decorum est, propter repentina

ministeria ac necessitates, vt Presbyter, & Diaconus, & Episcopus Deo deditus sit. Si enim etiam populo præcipit sanctus Apostolus, dicens, vt
1. Cor. 7 ad tempus vacent orationi: quanto magis sacerdoti idem præcipit? vt indistractus sit, inquam, ad vacandum secundùm Deum sacerdotio, quod in spiritualibus necessitatibus ac vsibus perficitur.

Haresi 79. Nunquid inhonestæ sunt nuptiæ nunquid impurum cubile? at à Prophetis & Pontificibus prohibentur propter maius ministerium. Nam postquam prophetauit Moses, non amplius coniunctus est vxori, non amplius liberos genuit: habet enim vitam Domino vacantem, vacare autem Domino non potest, qui mariti officio fungitur.

In compendiaria fidei doctrina: Horum vertex est sanctum sacerdotium, ex virginibus quidem vt plurimum procedens: si verò ex non virginibus, at ex solitariam vitam degentibus; si verò non suffecerint ad ministerium solitariam vitam degentes, de h[illegible], qui continent à proprijs vxoribus, aut ab vnis nuptijs viduitatem seruantibus. Nam eum, qui secundas nuptias contraxit, non licet ad sacerdotium suscipere.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 33. in Genesim. Nunc autem necessarium, vt debiti memor sim, & vobis satisfaciam, tametsi vos debiti genus ignoretis, vtpote curis multis implicìti, & soliciti pro vxoribus, & liberis, & quotidiana alimonia, multisque alijs negotijs. Verùm nos (*sacerdotes*) qui nullis id genus curis turbamur, & vobis debiti memoriam suggerimus, & ad restituendum nos paramus.

Homilia 2. in Iob. Paulus Apostolus, vbi in orbe, adulterijs, fornicationibusque repleto, voluit orbis pastores constituere, & quoniam virtutes rarò inueniebantur, Episcopos ordinans, Tito dixit. *Constitue Episcopos, sicut ego disposui: vnius vxoris virum:* non ea ratione, quod id nunc in Ecclesia obseruetur. Oportet enim omni prorsus castitate sacerdotem ornatum esse. Sed quod id quandoque ad eos, qui in fornicatione erant, magnum fuit: ideo dicit: *Constitue Episcopos, sicut ego disposui tibi: Si quis est sine crimine, vnius vxoris vir:* non quod id legis loco posuerit, sed quod errori ignoscebat.

Tit. 1.

Epistola 125. ad Cyriacum: Quin me quoque cum muliere concubuisse criminatur. Exuite corpus meum, & membrorum meorum mortificationem reperietis. Verùm ad hæc omnia facienda liuore adducti sunt.

Synesius. 410.

Epistola 105. ad fratrem, qua causam reddit recusati sacerdotij: Deus mihi, atque lex, & sacra Theophili manus vxorem dedit. Prædico ego cunctis, & protestor, me hanc nunquam relicturum, neque cum ea clam vt mœchus habitabo: alterum enim minimè pium est, alterum minimè legitimum, sed volam atque precabor, vt & multi mihi atque probi gignantur liberi Hoc vnum oportet eum, penes quem ordinandi potestas est, non ignorare, &c. Si hæc sacerdotij leges huius ætatis mihi concedunt, possem sanè sacerdotium accipere.

Ioannes Cyprius. 420.

Vitæ sancti Epiphanij cap. 38. Non amplius ordinabat Epiphanius eos, qui haberent vxores: sed viros sanctos, qui exercebant vitam monasticam, & viduos probatos: licebat enim videre Ecclesiam tamquam pulchram sponsam ornatam sacerdotio.

Honorius & Theodosius. A A. 420.

In lege eum qui, C. de Episcopis & Clericis: Eum, qui probabilem seculo disciplinam agit, decolorari consortio sororiæ appellationis non decet. Quicunque igitur cuiuscunque gradus sacerdotio fulciuntur, vel clericatus honore censentur, extranearum sibi mulierum interdicta consortia cognoscant: hac tamen ijs facultate concessa, vt matres, filias, atque germanas, intra domorum suarum septa contineant. In his enim nihil sæui criminis existimari fœdus naturale permittit.

Socrates. 430.

Libro 1. cap. 8. Visum erat Episcopis legem nouam in Ecclesiam introducere, vt qui essent sacris initiati (sicut Episcopi, Presbyteri, Diaconi,) cum vxoribus, quas, cùm erant laici, in matrimonium duxissent, minimè dormirent. Et quoniam illis erat propositum de hac re consilium inire, in medio eorum consessu surrexit Paphnutius, ac vehementer vociferatus est, non graue iugum ceruicibus illorum imponendum esse, qui erant sacris initiati: *honor ibile esse coniugium inter omnes, & thorum immaculatum.* &c. Illud satis esse, vt qui in Clerum ante ascripti erant, quàm duxissent vxores, hi secundùm veterem Ecclesiæ traditionem, deinceps à nuptijs se abstinerent: non tamen quenquam ab illa, quam iam pridem, cùm laicus erat, vxorem duxisset, seiungi debere.

Lib. 5. cap. 21. Ipse porrò in Thessalia aliam consuetudinem inualuisse noui, vt ibi qui clericus fit, si cum vxore, quam cùm esset laicus ducebat, postquam clericus factus sit, dormierit, clericatu abdicatus sit: id adeò cùm omnes illustres Presbyteri in Oriente, & Episcopi etiam, modò ipsi voluerint, nulla lege coacti ab vxoribus abstineant.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 2. epist. 284. Palladio Episcopo: Mulierum congressus, vir optime, quantum fieri potest fuge Nam eos, qui sacerdotum munere funguntur, sanctiores & puriores illis esse oportet, qui ad montes se contulerunt. Siquidem illi & sui, & plebis: hi autem sui duntaxat curam gerunt. Quod si etiam vt cum ipsis congrediaris necessitas aliqua te obstringat, oculos humi deiectos habe, atque ipsas quoque, quonam pacto spectandum sit, doce. Cumque pauca, quæ ipsarum animos astringere atque illustrare queant, locutus fueris, statim auola: ne fortè diuturna consuetudo vires tuas emolliat & infringat.

Iustinianus Imp. 530.

C. lib. 1. tit. 3. de Episcopis & clericis. n. 42. l. Omnem: Conuenit igitur huiusmodi eligi & ordinari sacerdotes, quibus nec liberi sint, nec nepotes: etenim fieri vix potest, vt vacans huius quotidianæ vitæ curis, quas liberi creant parentibus maximas, omne studium, omnemque cogitationem circa diuinam Liturgiam, & res Ecclesiasticas consumant. Nam cùm quidam, summa in Deum spe, & vt animæ eorum saluæ fiant, ad sanctissimas accurrant Ecclesias, & eis omnes suas facultates adferant, & derelinquant, vt in pauperes, & egentes, & alios pios vsus consumantur: indecens est, Episcopos in suum illas auferre lucrum, aut in propriam sobolem, & cognatos impendere. Oportet enim Episcopum minimè impeditum affectionibus carnalium liberorum, omnium fidelium spiritualem esse patrem.

C. lib. 1. titul. 3. de Episcopis & clericis. num. 45. Sacris Canonibus neque Deo amantissimis Presbyteris, neque reuerendissimis Diaconis, aut Subdiaconis nuptias contrahere post huiusmodi ordinationem permittentibus: sed solis reuerendissimis Psaltis & Lectoribus id concedentibus, animaduertimus quosdam, despicientes quidem sacros Canones, pueros autem generantes, ex qui-

busdam

busdam mulieribus, quibus coniungi secundùm sacerdotalem censuram non possunt. Quoniam igitur pœna facinoris huius in sola sacerdotij erat amissione: sacros autem Canones non minus, quàm leges valere, etiam nostræ volunt leges: sancimus obtinere in illis, & quæ sacris visa sunt Canonibus, perinde ac si ciuilibus inscriptum esset legibus, & omnes istiusmodi homines tam sacerdotio, quàm diuino ministerio, atque etiam dignitate ipsa, quam habent, nudari. Quemadmodum enim sacris Canonibus prohibita sunt talia, sic & secundùm nostras leges rem ipsam prohiberi: & præter supradictam excidendi à ministerio pœnam, ne legitimos quidem & proprios esse eos, qui ex huiusmodi inordinata constupratione nascuntur, aut nati sunt, sed eam, quæ ex talibus seminibus oritur, participari turpitudinem. Tales enim eos esse disponimus, quales quos leges ex incestis aut nefarijs natos nuptijs definiunt, ita vt neque naturales, aut nothi, seu spurij intelligantur: sed prorsus, & vndique prohibiti, & successionis genitorum indigni, ac nec donationem ab illis capere possint.

In Nomocan. tit. 9. cap. 29. Si Presbyter, aut Diaconus, aut Hypodiaconus nuptias contraxerit, Canonibus tenetor, (qui Canones non minus quam leges valent.) & præterea sacerdotio excidito. Liberi autem, tanquam ex illicitis nuptijs nati, neque naturales, neque nothi sint neque ex donatione, successione, ficto debito, aut aliorum obligatione quicquam percipiant à patribus suis: sed neque matres vxorum: sed omnia capiat Ecclesia, in qua ille deseruierit.

Authen. 1. Col. 1. Quomodo oportet Episcopos &c. tit. 6. cap. 1. Ordinandus Episcopus sit neque vxori alij copulatus: sed aut in virginitate degens à principio, aut vxorem quidem habens, ex virginitate autem ad eum venientem, & non viduam, neque seiunctam à viro, neque cōcubinam: neque filios, aut nepotes habens, neque cognitos legi, neque illi odibiles: alioqui qui præter hoc aliquid agit, & ipse cadet sacerdotio: & qui eum ordinat foris Episcopatum sectabitur, hanc legem offendens, &c. Prius autem ad monasticam vitam porrectus, aut in clero constitutus non minus mensibus sex, vxori tamen non cohærens, aut filios, aut nepotes habens. Hoc enim omnimodo super Deo amabilibus Episcopis quærimus, sicut etiam prius duabus nostris constitutionibus hoc sancitum est: per quas dudum cohærentes vxoribus non perscrutamur, omne præteritum relinquentes, de cætero autem nulli permittentes, à positione legis vxorem habenti talem imponi ordinationem, quam legem etiam nunc renouamus, ne fortè, si præter hoc aliquid fiat, & ipse cadat sacerdotio, & ordinantem similiter excludi procuret.

Cap. 5. Neque autem secundas habentem, aut eum, qui habuerit nuptias ordinari in Diaconum, aut Presbyterum, neque si mulieri iungatur seiunctæ, & proprium virum derelinquenti: sed neque si concubinam habeat, sed & ipsam vxorem, si cum castitate, & ex virginitate sit. Nihil enim sic in sacris ordinationibus diligimus, quàm cum castitate viuentes, aut cum vxoribus non cohabitantes, aut vnius vxoris virum, qui vel fuerit, vel sit, & ipsam castitatem eligentem, primum principium & fundamentum manifestum secundùm diuinas regulas, & residuæ virtutis constitutam. Si autem aliquis Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus postea ducat vxorem, aut concubinā, aut palàm, aut occultè, sacro statim cadat ordine, & deinceps idiota sit. Quòd si & Lector secundam ducat vxorem propter quædam, & hoc forsan irrecusabili necessitate, nullatenus ad altiorem accedat gradum, neque perfruatur gradu maiori in sacerdotio: maneat autem in eodem gradu perpetuò.

Nouella 123. de Episcopis & clericis cap. 14. Si verò futurus ordinari Diaconus non habuerit vxorem (sicut prædictum est) coniunctam sibi, non aliter ordinetur, nisi prius ab ordinante eum interrogatus promiserit, posse post ordinationem, & sine legitima vxore honestè viuere. Non valente eo qui ordinat in tempore ordinationis permittere Diaconum, aut Subdiaconum post ordinationem vxorem accipere. Is autem qui permittit Episcopus expellatur ab Episcopatu. Si verò post ordinationem Presbyter, aut Diaconus, aut Subdiaconus vxorem duxerit, expellatur à Clero, & Curiæ ciuitatis illius, in qua Clericus erat, cum proprijs rebus tradatur. Si verò Lector secundam ducat vxorem, aut primam quidem viduam, aut separatam à viro, aut legibus, vel sacris Canonibus interdictam, nequaquam ad alium Ecclesiasticum ordinem proueharur, sed etsi quolibet modo ad maiorem ordinem perducatur, expellatur eo, & priori restituatur.

Cap. 29. Presbyteris, & Diaconis, & Subdiaconis, & omnibus in Clero conscriptis, non habentibus vxores, secundùm sacros Canones, interdicimus etiam nos, secundùm sanctarum regularum virtutem, mulierem aliquam in propria domo superinductam habere: tamen citra matrem, aut sororem, aut filiam, & alias personas, quæ omnem suspicionem effugiunt.

Maximus Monachus. 640.

In quæstionibus & responsionibus ad Thalassium: Cur non prohibebantur sacerdotes Legis habere vxores, Sacerdotes verò Christi prohibentur quoad concubitum? Quia scilicet est sacerdotium secundùm ordinem Melchisedech, de quo non est literis mandatum duxisse vxorem, quare necessariò qui secundùm ordinem eius sacerdotio funguntur, non admittunt vxorem.

Synodus Trullana. 711.

Canone 6. Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum, qui non ducta vxore in Clerum promouentur, solos Lectores & Cantores vxorem posse ducere: & nos hoc seruantes, decernimus, vt deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem contrahere liceat: si autem hoc fuerit ausus facere, deponatur. Si quis autem eorum, qui in clerum recedunt, velit lege matrimonij mulieri coniugi, antequam Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat.

Can. 12. Hoc quoque ad nostram cognitionem peruenit, quòd in Africa, & Lybia, & alijs locis quidam ex ijs, qui illic sunt religiosissimi Præsules, cum proprijs vxoribus, etiam postquam ad eos processit ordinatio, vnà habitare non recusant, ex eo populis offendiculum & scandalum afferentes. Cùm itaque studium nostrum in eo magnopere laboret, vt omnia ad gregis nobis commissi vtilitatē fiāt, nobis visum est, vt nihil eiusmodi deinceps vllo modo fiat, &c. Si quis tale agere deprehensus fuerit deponatur.

Can. 48. Vxor eius, qui ad Episcopalem dignitatem promotus est, communi sui viri consensu prius separata, postquam in Episcopum ordinatus est ac consecratus, monasterium ingrediatur, procul ab Episcopi habitatione extructum, & Episcopi prouidentia fruatur.

Leo Philosophus Imp. 890.

Constit. 3. Cùm decenter inde ab initio de ijs, qui faciendis Deo sacris digni essent, Ecclesiasticus ordo constituerit, non rectè (meo quidem iudicio) qui præsentis temporis consuetudinem sequuntur, interdum Ecclesiasticam traditionem contem-

contemnunt. Nam vbi illa mandat, vt qui creandi sacerdotes sunt, aut per omnem vitam, si promissum non falsum fore fidant, cœlibatum voueant, aut si illum seruare impossibile ijs videatur, legitimè matrimonium ineant, ac deinde diuinum ministerium suscipiant: consuetudo, quæ in præsenti obtinet, ijs, quibus matrimonio coniungi in animo est, concedit, vt antequam vxorem duxerint, sacerdotes fieri possint, ac deinde biennium ad perficiendam voluntatem iungi matrimonio volenti præstituit. Id igitur quia indecorum esse videmus, iubemus, vt ad vetus Ecclesiæ, & antiquitus traditum præscriptum dehinc creationes procedant. Neque enim dignum est, vt qui spirituali ascensu supra corporis abiectionem & sordes euecti sunt, hi rursum ad carnis sordes delabantur: sed è diuerso, vt diuinum ministerium ex corporis sordibus tanquam in altum aliquem gradum conscendat, conuenientius fuerit.

Constit. 79. Quæ semel Deo dedicata sunt, ea deinceps auferri non oportere sancitum est: idque non solùm in donarijs, verùm multò etiam magis in hominibus, qui per sacrum ordinem diuinæ maiestati consecrati sunt, obseruandum est: tametsi (vt multi sunt hominum lapsus) in statu, in quem tanquam honestè victuri allecti erant, peccatum dominio in ipsos suscepto, exturbet. Non approbantes igitur veteris legislatoris propositum, qui Sacerdotem, Diaconum, aut Hypodiaconum, si post assumptum ordinem mulieri in matrimonium iungatur, omnino à Clericali habitu discedere, atque ad profanam vitam reuerti vult: illud decretum irritum facimus, ac verò statuimus, vt ab ordine, quem ante nuptias obtinuerint, solum recadentes, satis tamen pœnarum luere videantur, & nequaquam clericali habitu, adeoque Ecclesiæ ministerio, cuius quidem vsus illicitus non est, iudicio priuentur.

Theophylactus. 900.

Ad caput 3. prioris ad Timoth. *Vnius vxoris virum:*) Nonnulli hic dicunt, quòd obscurè & clanculum cœlibem hic indicarit vel petiuerit. Quòd si fieri non possit, habeat coniugem vnam, verùm tamen sit tamquam non habeat. Porrò non vt legem sanciat, hæc dicit, quòd omnino oporteat Episcopum vxoratum esse. Qui enim isthuc statuerit, cùm aliàs dicat: *Volo vos omnes esse sicut metipsum?* Verùm quia tempus ita tum postulabat. At
1. Cor. 7. si contingat, inquit, sit vnius vxoris vir. Id verò Iudæorum causa dicebat. Illis enim permittebatur polygamia, hoc est, cum multis connubia iungere.

Ioannes Zonaras. 1100.

In Can. Apost. 26 Presbyteri quidem, & Diaconi, & Hypodiaconi ante Chirotoniam interrogantur, an continenter, & castè viuere velint, & si quidem pollicentur hoc, ordinantur: sin minus ante ordinationem chirotoniam venire permittuntur ad nuptias: post nuptias autem ad ministerium deliguntur. Post chirotoniam verò si prædicti mulieres accipiant, à ministerio remouentur. Solis Lectoribus etiam, postquam in Clerum delecti sunt, matrimonium contrahere licet, in suoque statu proprio manere.

Theodorus Balsamon. 1160.

In Can. 5. Apostol. Ante sextam Synodum, quæ fuit in Trullo Palatij, licebat Episcopis vxores habere etiam post Episcopalem dignitatem, quemadmodum qui post matrimonium ordinantur Sacerdotes & Diaconi. Quoniam itaque ante 117. Iustiniani Nouellam, quæ sita est in lib. Imp. 28. tit. 7. licet quauis ex causa mittere suæ vxori libellum repudij, dicit præsens Canon, non licere Episcopo, vel Presbytero, vel Diacono prætextu pietatis vxorem suam eijcere. Hic autem Canon exoleuit, quod ad Presbyteros & Diaconos attinet. Episcopi enim, vt dictum est, post Episcopatum vxores habere non possunt, quòd non possit aliter solui matrimonium, quàm pro causis, quæ in Nouella continentur.

In Can. 10. Synodi Ancyranæ: Quicunque Diaconi constituti, &c. Hunc Canonem ne sequaris, qui definit Diaconos posse cum mulieribus matrimonio coniungi postquam ordinati fuerint, quando dum ordinarentur testificati sunt & dixerunt suis Episcopis, necesse esse vt ad matrimonium veniant, & veluti promissionem acceperunt: siue enim hoc prædixerint, siue silentio præterierint, qui ordinantur, non permittitur eis, vt post ordinationem cum mulieribus coniungantur. Sextus enim canon Synodi in Trullo deponendos decernit Diaconos, & Presbyteros, & Subdiaconos, qui post ordinationem matrimonium contraxerint. Quod si autem contra canones, nec ex permissione Episcopali, nec ex eo tantùm, quòd non tacuerint conceditur. Lege etiam sextam Nouellam Imperatoris Leonis sapientis dicentis, quòd etiamsi ex consuetudine potestatem habeât ij, qui sunt sacrati, intra biennium post ordinationem præfinitum ducendi vxores legitimas, hoc tamen vt à Canonibus prohibitum obseruari non debet.

Constantinus Harmenopolus. 1180.

In Iustinianeis Constitutionib. lib. 4. titul. de Clericis: Hypodiaconi, & Presbyteri vxores habere prohibentur omnino. Vnde si præter huius constitutionis præscriptum connubio mulieri iungantur, de sacerdotio deijciantur, ac sua spolientur dignitate.

Isaacius Angelus Imp. 1185.

Constit. 3. Propositum est quosdam eorum, qui ad metropoles vel Archiepiscopatus electi & ordinati sunt, cùm vxores ante ordinationem haberent, non recusari quidem quin primarij sacerdotij chrismate inungerentur, sed eorum vxores eundem rursum mundanum habitum induere, inuerecundè agentes in ijs ædibus, quas antea habitabant: nec fœmineis introductas esse monasterijs, sed nec Deo seipsas dedicasse, & vitam delegisse monasticam. Et hæc, quòd sacri, diuiniquè Canones expressim moneant electos Pontifices à legitimis suis vxoribus, quas ante ordinationem habebant, omnimodo abstinere, vt non ex præcepto, sed propria voluntate eorum quisque continentiam, vel cœlibatum proprium sibi deligat, propter dignitatem sacerdotij, aut propter matrimonij honestatem, coniunctionem castam præferat, &c. Triste etiam quiddam, nec gratum in pijssimum chartophylacem mea intuens maiestas, definijt, cohortantibus ad id sanctiss. Patriarchis, vxores creatis pontificibus ante ordinationem coniunctas, in muliebria monasteria procul sita ab habitatione Pontificum sine dilatione induci, tonderiquè eas, & canonicè apud monachas degere, in quo monasterio comam deposuerint: & si ipsæ tonsuram recusent, qui ijs ante creationem iuncti erant matrimonio, pontificali solio, & dignitate priuentur, & in eorum locum alij sufficiantur. In posterum autem, qui ante creationem legitimam vxorem habebit, non aliter ordinari, quàm si commum coniugum scripto, consensu & placito à se inuicem separentur, & mulier monasticam vitam amplexa sit. Sic enim creatio sine offendiculo & damno iuxta sacros & diuinos Canones procedet, semota ab omni sacerdotalis ordinis reprehensione.

Nicephorus Gregoras. 1330.

Romanæ historiæ lib. 7. Vno anno interiecto, in Patriarchicum solium collocatur Ioannes Glycas, tum Logotheta Dromi, qui vxorem, & filios, & filias habebat: vxor statim monasticum habitum induit: quem & ipse reuerentia sedis induisset, nisi illius conatui Imperator obstitisset. Nam cùm corruptus humor non ita multo ante certis anni interuallis articulos eius inuasisset, grauissimè cruciabatur, & de sententia medicorum ei carnibus vescendum erat: qua de causa monasticus habitus ei non est concessus.

Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus. 1580.

Respon. 1. *cap.* 21. Nos illis sacerdotibus, qui in virginitate persistere non possunt, priusquam tamen consecrentur, & sacerdotes fiant, accipiendi vxores potestatem damus. Illi autem, qui semel virginitatem professus est, virgo permaneat, nec iam illi vllam amplius licentiam post votum susceptum nubendi damus. *Nemo enim mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, idoneus est consequendo cælesti regno.* Si verò huic humanitus quid contigerit, hunc Ecclesiastica disciplina coercemus, ac ad moderationem vitæ per pœnitentiam, atque confessionem, carnis item mortificationem, ac omnem vitæ continentiam reuocamus, ac veluti lustratione quadam expiamus: nihil dubitantes benignissimi Dei misericordiam humanæ eius infirmitati non defuturam.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Calixtus. 218.

Apud Gratianum dist. 27. Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis, concubinas habere, seu matrimonium contrahere penitus interdicimus: contracta quoque matrimonia ab huiusmodi personis disiungi, & personas ad pœnitentiam redigi debere, iuxta sacrorum Canonum definitionem, iudicamus.

Concilium Eliberinum. 313.

Cap. 33. Placuit totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, positis in ministerio abstinere se à coniugibus suis, & non generare filios. Quod quicumque fecerit ab honore clericatus exterminetur.

Concilium Romanum. 320.

Cap. 8. Nullum Subdiaconorum ad nuptias transire præcipimus, ne aliqua præuaricatione præsumpserit.

Concilium Arelatense Secundum. 325.

Cap. 2. Assumi aliquis ad sacerdotium non potest in vinculo coniugij constitutus, nisi fuerit promissa conuersio.

Cap. 3. Si quis Clericus à gradu Diaconatus in solatio suo mulierem, præter auiam, matrem, sororem, filiam, neptem, vel conuersam secum vxorem habere præsumpserit, à Communione alienus habeatur.

Ambrosius, 370.

Epist. 82. *ad Vercellensem Ecclesiam:* Vnius vxoris virum præcepit esse, non quo coniugij exortem excludat. Nam hoc supra legem præcepti est: sed vt coniugali castimonia seruet ablutionis suæ gratiam. Neque iterum, vt filios in sacerdotio creare Apostolica inuitetur auctoritate. Habentem enim dixit filios, non facientem, neque coniugium iterare.

Ad cap. 3. *prioris ad Timoth.* Veteribus idcirco concessum est Leuitis & sacerdotibus vxores ad vsum habere, quia multum tempus otio vocabant à ministerio aut sacerdotio. Multitudo enim erat sacerdotum, & magna copia Leuitarum, & vnusquisque certo tempore seruiebat diuinis ceremonijs, secundùm institutum Dauid. Hic enim viginti & quatuor classes constituit sacerdotum, vt vicibus deseruirent. Vnde Abia octauam classem habuit, cuius vice Zacharias fungebatur sacerdotio, ita vt tempore, quo non illos contingebat deseruire altari, domorum suarum agerent curam. At vbi autem tempus imminebat ministerij, purificati aliquantis diebus accedebant ad templum offerre Deo. Nunc autem septem Diaconos esse oportit, & aliquantos Presbyteros, vt bini sint per Ecclesias: & vnus in ciuitate Episcopus, ac per hoc omnes à conuentu fœminæ abstinere debere, quia necesse est eos quotidie præsto esse in Ecclesia, nec habere dilationem, vt post conuentum legitimè purificentur, sicut veteres. Omni enim hebdomoda offerendum est, etiamsi non quotidie peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomada, etsi non desint qui prope quotidie baptizentur ægri. Nam veteribus ideo concessum est, quia multo tempore in templo non videbantur, sed erant priuati. Si enim plebeis hominibus orationis causa ad tempus abstinere se præcipit, vt vacent orationi: quantò magis Leuitis & Sacerdotibus, quos die noctuque pro plebe sibi commissa oportet orare? Mundiores ergo debent esse cæteris, quia Dei actores sunt.

(margin: Leuit. 21. / 1. Par. 23.)

Orat. 2. *ad Missam:* Peto Domine Deus, vt qui ab ipso pubertatis tempore à carnalis copulæ complexu alienum me esse voluisti, delectationis sensu nō tangar.

Lib. 1. *Officiorum cap.* 56. Inoffensum exhibendum & immaculatum ministerium, nec vllo coniugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio coniugali, sacri ministerij gratiam recepistis. Quod eò non præterij, quia in plerisque abditioribus locis cùm ministerium gererent, vel etiam sacerdotium, filios susceperunt, & id tanquam vsu veteri defendunt, quando per interualla dierum sacrificium deferebatur, & tamen castificabatur etiam populus per biduum aut per triduum, vt ad sacrificium purus accederet, vt in veteri Testamento legimus: *Et lauabat vestimenta sua.* Exo. 19. Si in figura tanta obseruantia, quanta in veritate? Disce Sacerdos atque Leuita, quid sit lauare vestimenta sua, vt mundum corpus celebrandis exhibeas Sacramentis. Si populus sine ablutione vestimentorum suorum prohibebatur accedere ad hostiam suam, tu illotus mente pariter & corpore, audes pro alijs supplicare, audes pro alijs ministrare?

Syricius. 384.

Epistola ad Himerium Tarraconensem Episcopum c. 7. Plurimos Sacerdotes atque Leuitas, post longa consecrationis suæ tempora, tam de coniugibus proprijs, quàm etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, & crimen suum hac præscriptione defendere, quia in veteri Testamento sacerdotibus & Leuitis generandi facultas legitur attributa. Dicat mihi nunc, quisquis ille est sectator libidinum, præceptorque vitiorum, si æstimat, quòd in Lege Moysis passim sacris ordinibus à Domino laxata sunt fræna luxuriæ, cur eos, quibus committebantur sancta sanctorum, præmonet dicens: *Sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester?* Leuit. 20 Cur etiam procul à suis domibus, anno vicis suæ, in templo habitare iussi sunt Lucæ 1.

sacerdotes? hac scilicet ratione, ne vel cum vxoribus carnale possent exercere commercium, vt conscientiæ integritate fulgentes, acceptabile Deo munus offerrent. Quibus etiam expleto deseruitionis suæ tempore, vxorius vsus solius successionis causa fuerat relaxatus, quia non ex alia, nisi ex tribu Leui quisque ad Dei ministerium fuerat præceptus admitti. Vnde Dominus Iesus, cùm nos suo illustrasset aduentu, in Euangelio protestatur, quia legem venerat implere, non soluere: & ideo Ecclesiam, cuius sponsus est, castitatis voluit splendore radiare, vt in die iudicij, cùm rursus aduenerit, sine macula & ruga eam possit, sicut per Apostolum suum instituit, reperire. Quarum sanctionum sacerdotes omnes, atque Leuitæ insolubili lege constringimur: vt à die ordinationis nostræ sobrietati ac pudicitiæ & corda nostra mancipemus, & corpora, dummodò per omnia Deo nostro in his, quæ quotidie offerimus, sacrificijs placeamus. *Quia autem in carne sunt*, dicente electionis Vase, *Deo placere non possunt. Vos autem iam non estis in carne, sed in spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.* Et vbi poterit, nisi in corporibus sanctis Dei Spiritus habitare? Et quia aliquanti, de quibus loquimur, vt tua sanctitas retulit, ignoratione lapsos se esse deflent, his hac conditione misericordiam dicimus esse non negandam, vt sine vllo honoris augmento, in hoc, quo detecti sunt, quamdiu vixerint, officio perseuerent, si tamen post hæc continentes statuerint se exhibere. Hi verò, qui illiciti priuilegij excusatione nituntur, vt sibi asserant veteri hoc lege concessum, nouerint se ab omni Ecclesiastico honore, quo indignè vsi sunt, Apostolicæ Sedis auctoritate deiectos, nec vnquam posse veneranda attrectare mysteria, quibus seipsi, dum obscœnis cupiditatibus inhiant, priuauerunt. Et quia exempla præsentia cauere nos præmonent in futurum, si quilibet Episcopus, Presbyter, aut Diaconus (quod non optamus) fuerit talis inuentus, iam nunc per nos sibi omnem indulgentiæ aditum intelligat obseratum: quia ferro necesse est vt excindantur vulnera, quæ fomentorum non sentiunt medicinam.

Matt. 5.

Rom. 8. 1.Cor. 3. 2.Cor. 6.

Cap. 1.

Epistola 4. ad Episcopos Africæ cap. 9. Præterea, quod dignum, & pudicum, & honestum est suademus, vt sacerdotes, & Leuitæ cum vxoribus suis non coeant: quia in ministerio diuino quotidianis necessitatibus occupantur. Ad Corinthios namque sic Paulus scribit, dicens: *Abstinete vos, vt vacetis orationi.* Si ergo laicis abstinentia imperatur, vt possint deprecantes audiri, quanto magis sacerdos vtique omni momento paratus esse debet, munditiæ puritate securus, ne aut sacrificium offerat, aut baptizare cogatur? Qui si contaminatus est carnali concupiscentia, quid faciet? excusabit? quo pudore? qua mente excusabit? qua conscientia? quo merito hic se exaudiri credit, cùm dictum sit: *Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum?* Qua de re hortor, moneo, rogo, tollatur hoc opprobrium, quod potest iure etiam gentilitas accusare. Fortè creditur, quia scriptum est: *Vnius vxoris virum.* Non permanenti in concupiscentia generandi dixit: sed propter continentiam futuram. Neque enim integros non admisit, qui ait: *Vellem omnes homines sic esse, sicut & ego.* Et apertius declarat, dicens: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt: vos autem iam non estis in carne, sed in spiritu.*

1.Cor. 7.

Tit. 1.

1.Tim. 3.

1.Cor. 7. Rom. 8.

Hieronymus. 390.

Aduersus Vigilantium cap. 1. Pro nefas, Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes: si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi prius vxores duxerint: nulli cœlibi credentes pudicitiam, imò ostendentes, quàm sanctè viuant, qui malè de omnibus suspicantur, & nisi prægnantes vxores viderint clericorum, infantesq́ue de vlnis matrum vagientes, Christi Sacramenta non tribuunt. Quid facient Orientis Ecclesiæ? quid AEgypti, & Sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes: aut, si vxores habuerint, mariti esse desistunt?

Libro 1. contra Iouinianum cap. 14. Petrus & cæteri Apostoli, vt ei ex superfluo interim concedam, habuerunt quidem vxores, sed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium nesciebant: qui assumpti postea in Apostolatum, relinquunt officium coniugale. Nam cùm Petrus ex persona Apostolorum dicit ad Dominum: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te:* respondit ei Dominus: *Amen dico vobis, quoniam nemo est, qui dimiserit domũ, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, qui non recipiat multò plura in seculo isto, & in seculo futuro vitam æternam.* Si autem nobis illud opposuerit, ad probandum quòd omnes Apostoli vxores habuerint: *Nunquid non habemus potestatem mulieres vel vxores circumducendi,* (quia γυνὴ apud Græcos vtrumque significat) *sicut cæteri Apostoli, & Cephas, fratres Domini?* Iungat & illud, quod in Græcis codicibus est: *Nunquid non habemus potestatem* sorores mulieres, vel vxores circumducendi? Ex quo apparet, eum de alijs sanctis dixisse mulieribus, quæ iuxta morem Iudaicum, magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum. Nam & ordo verborum hoc significat: *Nunquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi, aut sorores mulieres circumducendi?* Vbi de comedendo, & bibendo, ac de administratione sumptuum præmittitur, & de mulieribus sororibus infertur: perspicuum est, non vxores debere intelligi, sed eas, vt diximus, quæ de sua substantia ministrabant, &c. Aut certè, si γυναῖκας vxores accipimus, non mulieres: id quod additur, sorores, tollit vxores: & ostendit eas germanas in spiritu fuisse, non coniuges. Quanquam, excepto Apostolo Petro, non sit manifestè relatum de alijs Apostolis, quòd vxores habuerint: & cùm de vno scriptum sit, ac de cæteris tacitum, intelligere debemus, sine vxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significat.

Matt. 19.

1.Cor. 9.

Mat. 27.

Cap. 19. Non dicit Paulus: Eligatur Episcopus, qui vnam ducat vxorem, & filios faciat: sed qui vnam habuerit vxorem, & filios in omni subditos disciplina. Certè confiteris non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat: alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. Aut permitte sacerdotibus exercere opera nuptiarum, vt idem sint virgines, quod mariti: aut, si sacerdotibus non licet vxores tangere, in eo sancti sunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed & hoc inferendum: Si laicus, & quicumque fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali: sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio. Nam & in veteri Lege, qui pro populo hostias offerebant, non solùm in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab vxoribus separati, & vinum & siceram non bibebant, quæ solent libidinem prouocare. Eliguntur mariti in sacerdotium, non nego quia non sunt tanti virgines, quanti necessarij sunt sacerdotes.

Apologia ad Pammachium cap. 3. Ecce perspicuè nuptias diximus concedi in Euangelio: sed tamen easdem in suo officio permanentes, præmia castitatis capere non posse. Quod si indignè accipiunt

mariti,

mariti, non mihi irascantur, sed Scripturis sanctis, imò Episcopis, & Presbyteris, & Diaconis, & vniuerso choro sacerdotali, & Leuitico: qui se nouerunt hostias offerre non posse, si operi seruiant coniugali. Sed eo loco, vbi de Apocalypsi testimonium posuimus, nonne manifestum est, quid de virginibus, & viduis, & coniugibus senserimus? *Hi sunt, qui cantant canticum nouum: quod nemo potest cantare, nisi qui virgo est. Hi sunt primitiæ Dei, & Agni, & sine macula.* Si virgines primitiæ Dei sunt: ergo viduæ, & in matrimonio continentes, erunt post primitias, hoc est, in secundo & tertio gradu. Apoc. 14.

Cap. 8. Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes: Episcopi, Presbyteri, Diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post sacerdotium in æternum pudici.

Ad cap. 1. *ad Titum*: Si laicis imperatur, vt propter orationem abstineant se ab vxorum coitu: 1.Cor.7. quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas? Relegamus Regum libros, & inueniemus sacerdotem Abimelech de panibus propositionis noluisse prius dare Dauid & pueris eius, nisi interrogaret vtrum mundi essent pueri à muliere, non vtique aliena, sed coniuge. 1.Reg.21 Et nisi eos audisset ab heri & nudiustertius vacasse ab opere coniugali, nequaquam panes, quos prius negauerat, concessisset. Tantum interest inter propositionis panes & corpus Christi, quantum inter vmbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum & ea ipsa quæ per exemplaria præfigurabantur. Quomodo itaque mansuetudo, patientia, sobrietas, &c. præcipuè esse debent in Episcopo & inter cunctos laicos eminentia: sic & castitas propria, & (vt ita dixerim) pudicitia sacerdotalis, vt non solùm ab opere se immundo abstineat, sed etiam à iactu oculi, & cogitationis errore mens Christi corpus confectura sit libera.

Concilium Carthaginense Secundum. 396.

Cap. 2. Aurelius Episcopus dixit: Cùm in præterito Concilio de continentiæ & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres, conscriptione quadam castitatis, per consecrationes annexi sunt. Episcopos, inquam, Presbyteros, & Diaconos ita placuit, vt condecet sacrosanctos Antistites, & Dei sacerdotes, nec non & Leuitas, vel qui Sacramentis diuinis inseruiunt, continentes esse in omnibus, quô possint simpliciter, quod à Deo postulant, impetrare, vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus, &c. Ab omnibus dictum est: Placet, vt in omnibus, & ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altario deseruiunt.

Concilium Carthaginense Tertium. 397.

Cap. 17. Vt cum omnibus omnino clericis extraneæ fœminæ non cohabitent, sed solæ matres, auiæ, materteræ, amitæ, sorores, & filiæ fratrum aut sororum, & quæcunque ex familia, domestica necessitate, etiam antequam ordinarentur, iam cum eis habitabant, &c.

Cap. 19. Placuit, vt Lectores, cùm ad annos pubertatis venerint, cogantur aut vxores ducere, aut continentiam profiteri.

Concilium Carthaginense Quintum. 400.

Cap. 3. Cùm de quorundam clericorum, quamuis erga vxores proprias, incontinentia referretur, placuit Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, secundùm priora statuta, etiam ab vxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico remoueantur officio. Cæteros autem clericos ad hoc non cogi, sed secundùm vniuscuiusque Ecclesiæ consuetudinem obseruari debere.

Augustinus. 420.

De Adulterinis coniugijs libro 2. *capite* 20. Vnde istos, qui virilem excellentiam non putant nisi peccandi licentiam, quando terremus ne adulterinis coniugijs hærendo pereant in æternum, solemus eis proponere etiam continentiam clericorum: qui plerunque ad eandem sarcinam subeundam rapiuntur inuiti, eamque susceptam vsque ad debitum finem, Domino adiuuante, perducunt. Dicimus ergo eis: Quid si vos ad hoc subeundum populorum violentia caperemini, nonne susceptum castè custodiretis officium, repente conuersi ad impetrandas vires à Domino, de quibus nunquam antea cogitastis? sed illos, inquiunt, honor plurimum consolatur. Respondemus: Et vos timor amplior moderetur. Si enim hoc multi Dei ministri repente atque inopinanter impositum susceperunt, sperantes se illustrius in Christi hæreditate fulgere: quanto magis vos adulteria cauendo viuere continenter debetis, metuentes non in regno Dei minus lucere, sed in gehennæ ignibus ardere?

Concilium Toletanum Primum. 400.

Cap. 1. Placuit vt Diaconi, si vel integri, vel casti sint, & continentis vitæ, etiamsi vxores habeant, in ministerio constituantur, ita tamen, vt si qui etiam ante interdictum, quod per priores ante nos Episcopos constitutum est, incontinenter cum vxoribus vixerint, presbyterij honore non cumulentur. Si quis verò ex presbyteris ante interdictum filios susceperit de Presbyterio: ad Episcopatum non admittatur.

Cap. 4. Subdiaconus autem, defuncta vxore, si vxorem aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, remoueatur, & habeatur inter Ostiarios, vel Lectores, ita vt Euangelium, vel Epistolam non legat.

Innocentius Primus. 406.

Epistola 1. *cap.* 9. Præterea quod dignum, & pudicum, & honestum est, tenere Ecclesia omnino debet, vt sacerdotes, & Leuitæ cum vxoribus suis non coeant: quia ministerij quotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim: *Sancti estote, quoniam & ego sum sanctus Dominus Deus vester.* Leu.11. 20. Nam si priscis temporibus de templo Dei sacerdotes anno vicis suæ non descendebant, sicut de Zacharia legimus, Luc.1. nec domum suam omnino tangebant, quibus vtique propter sobolis successionem vxorius vsus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu, & præterquam ex semine Aaron, ad sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere: quanto magis hi sacerdotes vel Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies, qua vel à sacrificijs diuinis, vel à baptismatis officio vacent?

Epist. 4. Si conuicti fuerint Presbyteri in presbyterio filios procreasse, à sacerdotali remoueantur officio: quia qui Sancti non sunt, sancta tractare non possunt: atque alieni efficiantur à ministerio, quod viuendo illicitè polluerunt.

Sixtus Tertius 430.

De Castitate: Vsque adeò pristinam immunditiam retinet, vt etiam orationi præiudicet, & ad sacerdotale officium non admittat: aut si ipsa mundata per Christum est, quid est quòd orationem impedit, vel cur etiam sacerdotes necesse est esse continentes?

Concilium Arausicanum Primum. 441.

Cap. 22. Sedit præterea, vt deinceps non ordinentur Diaconi coniugati, nisi qui prius, conuersionis proposito, professi fuerint castitatem.

Cap. 23. Si quis autem post acceptam benedictionem

Digitized by Google

nem Leuiticam cum vxore sua incontinens inueniatur, ab officio abijciatur.

Leo Primus. 450.

Epistola 84. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem cap. 4. Nam cùm extra Clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum: ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur: vt & qui habent, sint tanquam non habentes; & qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus à capite est, dignum est, custodiri: quantò magis in primo, aut secundo, vel tertio seruandum est, ne aut Leuitico ministerio, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se à voluptate vxoria necdum frænasse detegitur?

Epistola 92. ad Rusticum Narbonensem Episcopum cap. 3. Lex continentiæ eadem est ministris altaris, quæ Episcopis atque Presbyteris. Qui cùm essent laici, siue Lectores, licitè & vxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cùm ad prædictos peruenerint gradus, cœpit eis non licere, quod licuit. Vnde, vt de carnali fiat spirituale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores, & quasi non habeant, sic habere, quò & salua sit charitas coniugiorum, & cessent opera nuptiarum.

Concilium Andegauense. 453.

Apud Baronium de anno 453. Diaconi Presbyteris nouerint omni humilitate deferendum esse. Familiaritatem extranearum fœminarum nouerint esse vitandam: sed si qui sint debiles, non nisi à sororibus, aut amitis suis, aut matribus consolentur. Quia sicut bonum non est homini solum esse, ita familiares esse clericos fœminis non oportet extraneis.

Concilium Primum Turonense. 461.

Cap. 1. Si vniuersis fidelibus, secundùm Apostolicam doctrinam, castitas custodienda indicitur, vt qui habent vxores, ita sint, quasi non habentes: quanto magis sacerdotes Dei ac Leuitæ, diuino mancipati altario, custodire debent, vt non solùm cordis, verùm etiam corporis puritatem seruantes, pro plebe supplicaturi, preces illorum ad diuinum mereantur introire auditum? quia secundùm auctoritatem Apostoli, *qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu*, &c. Cùm ergo laico abstinentia imperetur, vt possit, orationi vacans, & Deum deprecans, exaudiri: quanto magis sacerdotibus, vel Leuitis, qui omni momento parati esse debent in omni munditia & puritate, securi, ne aut sacrificium offerre, aut baptizare, si id temporis necessitas poposcerit, cogantur imparati aut immundi? Qui si contaminati fuerint carnali concupiscentia, qua fronte excusabunt, &c. quo merito exaudiri se credent?

Cap. 2. Et licet à Patribus nostris è commissa auctoritate id fuerit constitutum, vt quicunque sacerdos vel Leuita filiorum procreationi operam dare fuisset conuictus, à Communione Dominica abstineret, nos tamen huic districtioni moderationem adhibentes, & iusta constitutione mollientes, id decreuimus, vt sacerdos vel Leuita coniugali concupiscentiæ inhærens, vel à filiorum procreatione non desinens, ad altiorem gradum non conscendat, neque sacrificia Deo offerre, vel plebi ministrare præsumat.

Cap. 6. Qui verò se sacratis virginibus per coniunctionem nefandam miscuerit, vel propositum professæ religionis dereliquerit, vtrique à Communione habeantur alieni, (quia *si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus*) donec resipiscentes à laqueo diaboli, à quo capti tenentur, ab ipsius voluntate, ad auxilium pœnitentiæ reuertantur?

Concilium Agathense. 506.

Cap. 9. Placuit etiam, vt si Presbyteri, vel Diaconi coniugati, ad torum vxorum suarum redire voluerint, Papæ Innocentij ordinatio, vel Siricij Episcopi auctoritas, quæ est his Canonibus inserta, seruetur. Quòd si ad aliquos formula illa Ecclesiasticæ vitæ, pariter & disciplinæ, quæ à Siricio Episcopo ad prouincias commeauit, non probabitur peruenisse, eis ignorationis venia remittitur, ita vt de cætero penitus incipiant abstinere, &c. Si qui autem scisse formam viuendi missam à sancto Siricio Episcopo deteguntur, neque statim cupiditates libidinis abiecisse, illi sunt modis omnibus submouendi, eò quòd post admonitionem cognitam, præponendam arbitrati sunt voluptatem.

Cap. 16. Si coniugati iuuenes consenserint ordinari, etiam vxorum voluntas ita requirenda est, vt sequestrato mansionis cubiculo, religione promissa, posteaquam pariter conuersi fuerint, ordinentur.

Concilium Gerundense. 517.

Cap. 6. De conuersatione vitæ id statuere placuit, à Pontifice vsque ad Subdiaconum, post suscepti honoris officium, si quis ex coniugatis fuerit ordinatus, vt semper alterius fratris vtatur auxilio, cuius testimonio vita eius debeat clarior apparere.

Concilium Toletanum Secundum. 351.

Cap. 3. Illud verò præterea speciali ordinatione decreuimus, quod nec antiqua Concilia in vniuersis Canonibus siluerunt, vt nullus clericorum à gradu Subdiaconatus & supra, in consortio familiaritatis habeat mulierem, vel ingenuam, vel libertam, vel ancillam: sed si sunt ei huiusmodi seruitia, matri, vel sorori, vel alij propinquæ contradat.

Concilium Aurelianense Secundum. 533.

Cap. 8. Si quis Diaconus, in captiuitate redactus, vxori fuerit copulatus, reuersus ab officij omnino ministerio remouendus est. Cui sufficere debet, pro actus sui leuitate impleta pœnitentia, pro satisfactione communio.

Concilium Aruernense. 535.

Cap. 12. Cùm Presbyteri, atque Diaconi sublimi dignitatis apice prærogentur, actibusque omninò seculi renuntient, & ad sacrum ministerium electi repudient, & quisquis est Presbyter atque Diaconus, diuino munere benedictione percepta, vxoris suæ prius, frater ilicò efficiatur ex coniuge: attamen quosdam reperimus ardore libidinis inflammatos, abiecto militiæ cingulo, vomitum pristinum, & inhabita rursus coniugia repetisse, atque incesti quodammodo crimine clarum decus sacerdotij violasse, quod nati etiam filij prodiderunt. Quod quisquis fecisse cognoscitur, omni in perpetuum (quam, admisso iam crimine, perdidit) dignitate priuabitur.

Concilium Aurelianense Tertium. 537.

Cap. 2. Nullus Clericorum à Subdiacono, & supra, & quos vxores in proposito suo accipere inhibetur, propriæ (si forte iam habeat) misceatur vxori. Quod si fecerit, laica communione contentus, iuxta priorum Canonum statuta ab officio deponatur. Quem si sciens Episcopus suus in hac vilitate permixtionis viuentem ad officium postea admiserit, & ipse Episcopus ad agendam pœnitentiam tribus mensibus sit à suo officio sequestratus.

Cap. 7. Clerici verò, qui cùm vxores non habe-

rent,

runt, benedictione ſuſcepta, coniugia crediderint eligenda, qui volentes abſque vlla reclamatione in ætate fuerint legitima ordinati, cum ipſis mulieribus, quas acceperint, excommunicatione percellantur.

Primaſius. 540.

Ad cap. 3. prioris ad Timoth. *Vnius vxoris virum.* Si illi nec hoc licet, quod vel laico licet, quid de cæteris ſentiendum eſt. *Diaconi ſint vnius vxoris viri.* Non vt, ſi non habuerint, ducant: ſed ne duas habuerint. Si enim digniorem vxor facit, quare non & digami ordinentur?

Arator. 540.

Libro 2.

Altera res etiam ſupereſt in carmine dura:
Sed quibus ex veteri patuerunt omnia fonte,
Ore duas tenui facile eſt aduertere guttas.
Exodus ille liber memorat velamina ſacri
Pontificis, qua nempe queat ſplendeſcere veſte,
Officijque habitum nitido componere cultu,
Qui ſegmentatus medijs altaribus aſtat.
Quas inter ſpecies paribus numerantur amictus
In femore exuuiæ, quibus indumenta pudoris
Progrediens ad templa locet, ſtudeatque ſacerdos
Renibus obſtrictis myſteria caſtus adire.
Quod ſtatuit lex priſca magis, denudatque iuſſa
Tunc hæc memorata tegi, quæ poſſidet atra libido,
Cùm properat libare Deo, laxata relinquens
Coniugia poſt ſacra tamen, ne parcior vſus
Ad ſoboles non ſtaret opus, ſteriliſque marito
Connubijs frigeret amor, cùm certa propago
Hoc ſolenne gerens, nullos admitteret vnquam
Externa de ſtirpe viros, vbi nomine priſco
Ex adytis perdurat honor, proleſque per æuum
Sanctificanda redit, vicibus ſupplenda creandi.
Eccleſiæ nunc alma fides ſine fide pudicos
Pontifices iubet eſſe ſuos, & quærit in omni
Cauta tribu quos ritè probet, nec ſanguinis iſte,
Sed meriti ſucceſſus erit.

Concilium Aurelianenſe Quartum. 547.

Cap 17. Vt Sacerdotes, ſiue Diaconi cum coniugibus ſuis non habeant communem lectum & cellulam, ne propter ſuſpicionem carnalis conſortij religio maculetur. Quod qui fecerint, iuxta priſcos Canones ab officio regradentur.

Concilium Aurelianenſe Quintum. 549.

Cap. 4. Si quis Clericus poſt acceptam benedictionem cuiuslibet loci vel ordinis, ad coniugalem torum iam ſibi illicitum, denuò redire præſumpſerit, vſque in diem vitæ ab honore accepti ordinis, & (ſicut habent antiquorum Patrum Canones) ab officio deponatur, ei tantummodò communione conceſſa.

Concilium Turonenſe Secundum. 570.

Cap. 10. Nullus clericorum pro occaſione neceſſitatis faciendæ veſtis, aut cauſa ordinandæ domus, extraneam mulierem in domo ſua habere præſumat. Et cùm iubeamur victum aut veſtitum artificiolo quærere, & manibus proprijs laborare: quid opus eſt in domo ſerpentem includere pro veſte?

Cap. 11. Nullus ergo Clericorum, non Epiſcopus, non Presbyter, non Diaconus, non Subdiaconus, quaſi ſanctimonialem, aut viduam, vel ancillam propriam, pro confirmatione rerum in domo ſua ſtabilire præſumat: quæ & ipſa extranea eſt, dum non eſt mater, aut ſoror, aut filia. quæ etiam pronior propinquabit ad culpam, dum dignoſcitur ſubiecta dominatui.

Cap. 13. Epiſcopus coniugem vt ſororem habeat, & ita ſancta gubernatione gubernet domum omnem, tam Eccleſiaſticam, quàm propriam, vt nulla de eo ſuſpicio quaqua ratione conſurgat. Et licet (Deo propitio) Clericorum ſuorum teſtimonio caſtus viuat, quia cum illo tam in cella, quàm vbicunque fuerit, ſecum habitent, eumque Presbyteri, & Diaconi, vel deinceps clericorum turba iuniorum (Deo adiutore) conſeruent: ſic tamen propter zelotem Deum noſtrum, tam longè abſint, manſionis propinquitate diuiſi, vt nec hi, qui ad ſpem recuperandam clericorum ſeruitute nutriuntur, famularum propinqua contagione polluantur.

Cap. 20. Archipresbyteri vicani, & Diaconi, & Subdiaconi, non quidem omnes, ſed plures in hac ſuſpicione tenentur à populo, quòd cum coniugibus ſuis maneant. Pro qua re hoc placuit obſeruare, vt quotieſcunque Archipresbyter ſeu in vico manſerit, ſeu ad villam ſuam ambulauerit, vnus Lector Canonicorum ſuorum, aut certus aliquis de numero Clericorum cum illo ambulet, & in cella, vbi ille iacet, lectum habeat pro teſtimonio, &c. Reliqui Presbyteri, & Diaconi, ac Subdiaconi vicani hoc ſtudio ſe cuſtodiant, vt mancipiola ſua ibi maneant, vbi vxores ſuæ: illi tamen ſegregatim ſolitarij in cella iaceant, & orent, & dormiant, &c. Nam ſi inuentus fuerit Presbyter cum ſua presbytera, aut Diaconus cum ſua diaconiſſa, aut Subdiaconus cum ſua ſubdiaconiſſa, annum integrum excommunicatus habeatur, & depoſitus ab omni officio clericali, inter laicos ſe obſeruare cognoſcat: eo tamen permiſſo, vt inter Lectores in pſallentium choro colligatur.

Concilium Matiſconenſe 576.

Cap. 11. Epiſcopi, Presbyteri, vel vniuerſi honoratiores clerici, cùm ſublimi dignitatis apice ſublimentur, actibus omnino renuncient ſeculi, & ſacro electi miniſterio, repudient carnale conſortium, ac permixtionis priſtinę contubernium permutent germanitatis affectu: & quiſquis ille eſt, diuino munere benedictione percepta, vxori prius ſuæ frater ilicò efficiatur ex coniuge.

Fortunatus. 580.

Lib. 1. in laudem Leontij Epiſcopi Burdegalenſis, & Placidinæ eius olim coniugis, ſacerdotij verò tempore ſororis:

Cogor amore etiam Placidina pauca referre,
Quæ tibi tunc coniunx, eſt modò chara ſoror:
Chara, ſerena, decens, ſolers, pia, mitis, optima
Quæ bona cuncta gerit, quicquid honore placet.

Concilium Lugdunenſe Secundum. 586.

Cap. 1. Sancimus, vt nullum Clericum, ab ordine ſancto Antiſtitis vſque ad Subdiaconi gradum, mulierem, præter matrem, amitam, & ſororem in hoſpitio ſuo habere liceat. Placuit etiam, vt ſi quicunque vxoribus iuncti, ad Diaconatus, aut Presbyteratus ordinem quoquo modo peruenerint, non ſolùm lecto, ſed etiam frequentatione quotidiana debeant de vxoribus ſuis ſequeſtrari. Quòd ſi (quod Deus auertat) de eorum familiari contubernio poſt acceptam benedictionem infans natus paruerit, ab officij gradu priuetur.

Concilium Toletanum Tertium. 589.

Cap. 5. Compertum eſt à ſancto Concilio, Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos venientes ex hæreſi carnali adhuc deſiderio vxoribus copulari. Ne ergo de cætero hoc fiat, præcipitur, quod & Canonibus prioribus determinatur, vt non liceat eis viuere libidinoſa ſocietate, ſed manente inter eos fide coniugali, communem vtilitatem habeant, & non ſub vno conclaui maneant. Vel certè, ſi ſuffragatur virtus, in alia domo ſuam vxorem faciat habitare, vt caſtitas apud Deum, & apud ho-

mines

ministes habeat testimonium bonum. Si quis verò post hanc conuentionem obscœnè cum vxore elegerit viuere, vt Lector habeatur.

Concilium Hispalense Primum. 590.

Cap. 3. Inter cætera verò cognoscite, à nobis hoc definitum, pro abolendis maculis clericorum: quia quidam Episcoporum, non obseruantes nuper editum Concilij Toletani decretum, minus solliciti in subiectis existunt: placuit proinde, vt si Presbyteri, Diaconi, vel Clerici consortia extranearum fœminarum, vel ancillarum familiaritatem per sacerdotis sui admonitionem à se minus remouerint, seculi iudices easdem mulieres, cum voluntate & permissu Episcopi comprehensas, in suis lucris vsurpent, vt vitium hoc, dum sacerdos inhibere non præualet, potestas iudicialis coerceat.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 1. *epist.* 42. Ante triennium Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant, vt more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis vxoribus miscerentur. Quod mihi durum atque incompetens videtur, vt qui vsum eiusdem continentiæ non inuenit, neque castitatem ante promisit, compellatur à sua vxore separari: atque per hoc, quod absit, deterius cadat. Vnde videtur mihi, vt à præsenti die Episcopis omnibus dicatur, vt nullum Subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit: quatenus & præterita mala, quę per propositum mentis appetita non sunt, violenter non exigantur, & futura cautè caueantur. Qui verò post eandem prohibitionem, quæ ante triennium facta est, continenter cum suis vxoribus vixerunt, laudandi atque remunerandi sunt: & vt in bono sic permaneant, exhortandi. Eos autem, qui post prohibitionem factam se à suis vxoribus continere noluerint, nolumus promoueri ad sacrum ordinem: quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.

Libro 3. *epistola* 34. Multorum relatione comperimus, hanc apud vos olim consuetudinem tenuisse, vt Subdiaconi suis licitè miscerentur coniugibus. Quod ne denuò quisquam præsumeret, à Seruo Dei, Sedis nostræ Diacono, ex auctoritate nostri decessoris est isto modo prohibitum: vt eodem tempore hi, qui iam vxoribus fuerant copulati, vnum ex duobus eligerent, id est, aut à suis vxoribus se abstinerent, aut certè nulla ratione ministrare præsumerent. Et quantum dicit, Speciosus tunc Subdiaconus pro hac re ab administrationis se suspendit officio, & vsque in obitus sui tempus notarij quidem gessit officium, & à ministerio, quod Subdiaconum oportuerat exhibere, cessauit, &c. De cætero verò fraternitas tua sit omnino solicita, vt quos ad hoc iam officium contigerit promoueri, hoc quàm maximè diligenter inspiciat; ne si vxores habent, miscendi se cum eis licentia potiantur, sed ad similitudinem Sedis Apostolicæ eos cuncta obseruare, sua nihilo minus districtione constituat.

Libro 8. *epist.* 40. Prius enim quàm scripta ad nos vestra recurrerent, Ioannem Diaconum, qui ab altera parte electus est, paruulam habere filiam ex quorundam relatione cognouimus. Vnde si rationem voluissent attendere, nec alij eum eligere, nec ipse debuerat consentire. Nam qua præsumptione ad Episcopatum audet accedere, qui adhuc longam corporis sui continentiam, filiola teste, conuincitur non habere?

Ad Augustinum Anglorum Episcopum cap. 2. Si qui verò sunt Clerici extra sacros ordines constituti, qui se continere non possunt, sortiri vxores debent, & stipendia sua exterius accipere: quia & de ijsdem à Patribus nouimus scriptum, quod diuidebatur singulis, prout cuique opus erat.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Ecclesiasticis officijs lib. 2. *cap.* 5. *de sacerdotibus*: Habebit etiam inter hæc omnia & castitatis eminentiam, ita vt mens Christo dedita, ab omni inquinamento carnis sit munda & libera.

Lib. 2. *cap.* 10. Placuit Sanctis Patribus, vt qui sacra mysteria contrectant, casti sint & continentes ab vxoribus, & ab omni carnali immunditia sint liberi.

Concilium Toletanum Quartum. 643.

Cap. 20. Inoffensos ergo & immaculatos decet Dei existere sacerdotes, nec vllo eos fornicationis contagio pollui: sed castè viuentes, mundos semetipsos celebrandis exhibeant Sacramentis. Abstineamus ergo nos ab omni opere malo, & ab omni inquinamento carnis liberi maneamus, vt mundi corpore, purgati mente, possimus ad sacrificium Christi digni accedere, & Deum pro delictis omnium deprecari.

Cap. 26. Quando Presbyteri, aut Diaconi per parochias constituuntur, oportet eos primùm professionem Episcopo suo facere, vt castè & purè viuant sub Dei timore, vt dum eos tali professione obligauerit, sub sancta disciplina retineantur.

Concilium Toletanum Octauum. 656.

Cap. 4. Omnes Episcopi, inter cætera virtutum ornamenta, nitore carnis debent propensius enitêre, vt ex hoc audientes munditiam appetant, ex quo doctores immunditia non deturpat: adeò, vt si deinceps Episcopi detecti fuerint, execrabilibus flagitijs cum quibuslibet fœminis pollui, ac familiari peculiaritate versari, nouerint, se irreuocabili sententia patrum vlcisci, id est, & loci & ordinis dignitate priuari.

Cap. 5. Peruenit ad totius Concilij sacrum auditum, quosdam sacerdotes & ministros, obliuiscentes maiorum ac veterum constitutorum, aut vxorum, aut quarumcunque fœminarum immunda societate, & execrabili contagione turpari, & pessima cordis obstinatione, tam sacris literis, quàm Patrum regulis obuiantes, nec leui quidem respiramine contemplantes, quod scriptum est: *Sancti estote, quoniam & ego sanctus*, &c. Et cùm hoc verissimè reperire potuerint, omnes placita cautione taliter distringant, vt nunquam vlterius tam abominanda committant. Mulieres verò, seu liberæ sint, seu ancillæ, hac illis turpitudine sociatæ, ita omnimodè separentur, aut certè vendantur, vt vlterius ad consocios sui criminis reuertendi omnem habeant aditum denegatum. Illi verò, si omnino coerceri nequiuerint, vsque ad exitum vitæ suæ monasterijs deputati, disciplinis monasticis maneant omnino subiecti. Leu. 19.

Cap. 6. Relatum est nobis, quosdam Subdiaconos, postquam ad sacrum huius ordinis peruenerint gradum, non solùm carnis immunditia sordidari, cùm scriptum sit *Mundamini qui fertis vasa Domini*: sed etiam (quod dictu quoque nefas est) nouis vxoribus copulari, asserentes hoc ideo sibi licere, quia benedictionem à Pontifice se nesciunt percepisse. Proinde omni excusationum discisso velamine, id præcipimus obseruari, vt, cùm ijdem Subdiaconi ordinantur, cum vasis ministerij benedictio eis ab Episcopo detur, sicut in quibusdam Ecclesijs vetustas tradidit antiqua, & sacra dinoscitur consuetudo subsistare prolata, omni penitus ab illis sorde mulierum ac familiaritate remota. Quòd si hoc vulnere deinceps fuerint sauciati, mox erunt sub pœnitentiæ oneribus vsque ad extremum vitæ monasterijs religandi. Esa. 52.

Concilium Toletanum Nonum. 657.

Cap.10. Quilibet ab Episcopo vsque ad Subdiaconum deinceps, qui vel ex ancillæ, vel ex ingenuæ detestando connubio in honore constituti filios procrearint: illi quidem, ex quibus geniti probabuntur, canonica censura damnentur: proles autem tali pollutione nata, non solùm hæreditatem parentum nunquam accipiet, sed etiam in seruitutem eius Ecclesiæ, de cuius sacerdotis vel ministri ignominia nati sunt, iure perenni manebunt.

Concilium Cabilonense Primum. 658.

Cap. 3. Licet iam prioribus Canonibus fuerit statutum, placuit tamen reuocare, vt si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel quicunque ex sacerdotali catalogo, præter personas, quæ in ipsis Canonibus continentur, cum qualicunque extranea muliere familiaritatem habere præsumpserit, quæ dedecoris vel adulterij possit adferre suspicionem, iuxta statuta Canonum, ab ordine regradetur.

Beda. 700.

Lib.3.de Tabernaculo, & vasis eius, ac vestibus Sacerdotum cap.9. Sine illa castimoniæ portione, quæ ab appetitu copulæ coniugalis cohibet, nemo vel sacerdotium suscipere, vel ad altaris poterit ministerium consecrari, id est, si non aut virgo permanserit, aut contra vxoriæ coniunctionis fœdera soluerit. Quod videlicet genus virtutis nulli per legem necessariò imperatum, sed voluntaria est deuotione Domino offerendum, dicente ipso de hoc: *Non omnes capiunt verbum istud.* Ad quam tamen benigna mox exhortatione eos, qui possunt, (Matt.19.) inuitat, dicens: *Qui potest capere capiat.* Et paulo post iisdem, qui vel vxorem, vel alios cognatos, & implicamenta mundi huius propter ipsum reliquerint, centuplum promittit in hac vita præmium, & in seculo futuro vitam æternam. Vnde certè gratia distinctionis non Moyses hoc vestimento vestiri Aaronem & filios eius iubetur, sicut de prioribus dicitur: *Vestiesq; his omnibus Aaron fratrem tuum, & filios eius cum eo: sed facies,* inquit, *fœminalia linea, vt operiant carnem: ipsi,* inquit, *operiant carnem turpitudinis suæ: tu fœminalia Pontifici & filijs eius facies:* tu castitatis regulam docebis, tu abstinendum ab vxorio complexu ijs, qui sacerdotio functuri sunt, intimabis. Nulli tamen violentum huiusmodi continentiæ iugum impones: sed quicunque sacerdotes fieri, ac ministerio seruire altaris volunt, ipsi sua sponte vxorum serui esse desistent. Quod vbi perfecerint, & suscepto semel continentiæ proposito ministros se sanctuarij ac altaris fore consentiunt, aderit lex diuina, quæ velut cæterum illius habitum sacerdotibus congruum imponens, quomodo viuere & docere debeant abundanter instituat, congaudensq; spotaneæ ipsorum deuotioni, dignum sacerdotij decus, sapientiæ, patientiæ, mansuetudinis, misericordiæ, &c. superaddat. Mortem namque certissimam incurrit animæ, si quis luxuriosè viuens, sacerdotalem sibi vsurpare gradum præsumit.

Ad cap.1. Lucæ: Hoc est quod dixi, quod vicis suæ tempore Pontifices, templi tantùm officijs mancipati, non solùm à complexu vxorum, sed ab ipso quoque domorum suarum abstinerēt ingressu: vbi nostri temporis sacerdotibus, quibus semper altari seruire iubetur, perpetuò seruandæ castitatis exemplum datur. Quia enim tunc sacerdotum ex stirpe Aaron successio quærebatur, necessariò tempus substituendæ soboli procurabatur. At quia nunc non carnalis successio, sed perfectio spiritalis inquiritur, consequenter sacerdotibus, vt semper altari queant assistere, semper ab vxoribus abstinendum, semper castitas obseruanda præcipitur.

Zacharias Papa. 740.

Epist.1.ad Bonifacium Episcopum: Quales se esse sacerdotes existimant, aut quid inde sentiunt, dicente Deo: *Sacerdotes mei semel nubant?* Et Apostolus: *Vnius vxoris virum, &c.* Et hoc ante susceptum sacerdotium vti licitum est. Nam à die suscepti sacerdotij etiam ab ipso proprio coniugio prohibendi sunt. Quomodo sacerdotio fungi considerant, qui (1. Tim. 3.) talibus sceleribus inuoluti esse monstrantur, vt neque seculares fideles his facinoribus obnolutos optemus? Quomodo non pertimescunt diuina mysteria contingere? aut quomodo ad orandum pro peccatis populi accedere præsumunt, dum sacri Canones neque purum Clericum, cui sacerdotium non est, secundis copulari nuptijs præcipiunt? Isti enim è contrario non solùm post susceptum sacerdotium se abstinere ab vna vxore nolunt, imò luxuria obuoluti, peiora secularium scelera committunt, vt plures vxores habere præsumant, quibus neque vnam concessum est post susceptum ministerium attrectare.

Synodus Francica. 742.

Falsos Presbyteros, & adulteros, vel fornicatores Diaconos, & Clericos de peculijs Ecclesiarum abstulimus, & degradauimus, & ad pœnitentiam coegimus.

Alcuinus. 750.

De Virtutibus & vitijs cap.18.de Castitate: Omnibus castitas semper necessaria est, sed maximè ministris Christi altaris, quorum vita aliorum debet esse eruditio, & assidua salutis prædicatio. Tales enim debet habere ministros, qui à nullo contagio carnis corrumpantur, sed potius continentia castitatis splendeant, & totius honestatis in populo fulgeant exemplo.

Stephanus Tertius. 760.

Apud Iuonem lib.de contin.ordinandorum, & apud Gratianum dist.31. Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter huius S.Romanæ Ecclesiæ. Nam eorum Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi in matrimonio *copulantur: istius autem Ecclesiæ vel Occidentalium nullus sacerdotum à Subdiacono vsque ad Episcopum licentiam habet coniugium sortiendi.

* Copulantur, *id est, carnaliter se agnoscunt, vt apud Hieronymum epist.147.ad Amandum: illa secundo viro, qui non appellatur vir, sed adulter, à tempore pœnitentiæ non copuletur.*

Carolus Magnus. 780.

Lib.1.cap.98. Statutum est ab Episcopis de Presbyteris, qui fœminam indiscretè secum habitare permittunt, & propter hoc malæ suspicionis opinione denotantur, vt si deinceps admoniti, se non correxerint, velut contemptores sacrorum Canonum Canonica inuectione feriantur.

Haymo. 800.

Ad cap.3. prioris ad Timoth. *Vnius vxoris virum.* Hoc est, antequam ordinetur, vnam vxorem debet habere: vt non sit bigamus, aut trigamus, postea verò penitus abstinere debet.

Hom.de Confessoribus: In Apocalypsi dicitur: *Illi sunt, qui cum mulieribus non sunt inquinati: Virgines enim sunt.* Quòd cùm omnibus fidelibus generaliter obseruandum sit, specialiter tamen ministris Ecclesiastici ordinis custodiendum iniungitur.

Concilium Moguntinum. 813.

Cap.10. Clerici viduarum ac virginum visitationes frequentissimas fugiant, contubernia fœminarum nullatenus appetant, castimoniam quoque inuiolati corporis perpetuò conseruare studeant.

Cap.49. Omnibus igitur Clericis fœminas secum in domibus suis habere vltra licentiam Canonum firmiter sit interdictum.

Concilium Rhemense. 813.

Cap.22. Vt à sacerdotibus omnis suspicio mulierum funditus eradicetur, cum quibus etiam nulla habitatio eis concedatur, præter illam, quæ in Nicæna Synodo permittitur, id est, matrem, aut sororem, vel eas tantùm personas, à quibus omnes suspiciones effugiant.

Concilium Aquisgranense. 816.

Cap 6. De Subdiaconis placuit Patribus, vt qui sacra mysteria contrectant, casti & continentes sint ab vxoribus, & ab omni carnali immunditia liberi, iuxta quod illis Propheta dicente iubetur: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Esa.52.

Cap 9. Sacerdotem quærit Ecclesia, aut de monogamia ordinatum, aut de virginitate sanctum.

Eugenius Secundus. 824.

Cap.2. Præcipimus obseruari, vt qui in ordine Subdiaconatus, aut supra vxorem duxerint, aut concubinas habuerint, officio Ecclesiastico & beneficio careant.

Halitgarius Episcopus. 830.

Lib.5. cap.1. Presbyter si vxorem acceperit, ab ordine deponatur: si verò fornicatus fuerit, aut adulterium perpetrauerit, amplius pelli debet, & ad pœnitentiam redigi.

Cap. 2. Similiter & Diaconus si eodem peccato succubuerit ab ordine ministerij subtrahatur.

Hincmarus Rhemensis. 840.

In vita S. Remigij Genebaldus, vir carne nobilis, tam in Scripturis sanctis, quàm in secularibus literis eruditus, relicta coniuge, &c. vitam religiosam experierat, Episcopus ordinatus, plus, quàm necesse fuerat, de anteacta vita, & gradus sublimitate confidens, cùm debuerit cogitare, quia nec Dauid sanctior, nec Salomone sapientior esset, qui mulierum delinimentis periclitati sunt: incautè suam vxorem, quam relinquens mutauerat in sororem quasi pro instructione salutari, frequentius se visitare permisit, oblitus Scripturæ dicentis: *Lapides excauant aquæ, & alluuione terra consumitur, & rupis transfertur de loco suo.* Vnde contigit, vt crebræ visitationes, & blanda ac frequentia mulieris colloquia, durum contra luxuriæ mollitiem cor Episcopi emollirent, & quasi rupem saxeam de loco suæ sanctitatis ad luxuriæ inquinamenta transtulerint. Et item contra Scripturam dicentem: *Quis alligabit ignem in sinu suo, & vestimenta eius non comburentur?* Admota igni palea, id est, muliebris carnis materia, libidinis ignem suasione diabolica, quasi vento vehementi, exagitante, ardor luxuriæ inflammas erupit, & concumbente eo cum eadem, quondam vxore sua, mulier concepit: & post partum mandauit Episcopo, filium se peperisse. Genebaldus verò confusus & dolens, nuntio dixit: Quia latrocinio, vt lateret homines, quod Deum latere non potuit, in cubiculi absconso genereratus est, rectè vocabitur Latro, &c. Tandem Domino, qui beatum Petrum respexit, & negationem amarissimè fleuit, illum respiciente, Genebaldus in se reuersus, &c. crimen confessus est, & in parua mansiuncula à D. Remigio inclusus, summa contritione & continentia pœnitentiam egit per annos septem. Iob 14. Prou. 6. Matt.26.

Rabanus Maurus. 850.

Lib.4. in Exodum cap.8. Fœminalia, quæ ad operiendum carnem turpitudinis fieri mandantur, illam castimoniæ portionem, quæ ab appetitu copulæ coniugalis cohibet, propriè designat, sine qua nemo vel sacerdotium suscipere, vel ad altaris potest ministerium consecrari, id est, si non aut virgo permanserit, aut contra vxoriæ coniunctionis fœdera soluerit.

Nicolaus Primus. 860.

Adoni Viennensi Episcopo. dist.32. De illo Clerico Aluerico nomine, quem per ordines Ecclesiasticos vsque ad Subdiaconatum castè vixisse dicitis, cur vestra auctoritate vxorem duxerit miramur, eò quòd nulli vnquam (exceptis illis, quibus Ecclesiastica regula permittit) vxorem habendi licentiam damus.

Ad Consulta Bulgarorum c. 70. Consulendum decernitis, vtrum Presbyterum vxorem habentem debeatis sustentare & honorare, an à vobis proijcere. In quo respondemus, quoniam licet ipsi valde irreprehensibiles sint, vos tamen Dominum imitari conuenit, *qui solem suum,* vt Euangelium testatur, *oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Deijcere verò eum à vobis ideo non debetis, quoniã nec Iudam Dominus, cùm esset mendax discipulus, de numero Apostolorum deiecit. Matt.5.

Concilium VVormatiense. 868.

Cap.9. Placuit vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi abstineant se à coniugibus, & non generent filios. Quòd si hoc decretum violauerint, ab honore clericatus pellantur.

Cap.11. Sacerdotes igitur, si in fornicationis laqueum ceciderint, & criminis manifestus siue ostensus fuerit actus, sacerdotij non possunt habere honorem, secundùm Canonicæ institutionis auctoritatem.

Smaragdus. 970.

In Diademate Monachorum c.48. In veteri Testamento eo tantùm tempore, quo sacerdotes præsto erant altari, ab vxorum suarum se continebant concubitu: nunc autem quia quotidie corpus Domini aut conficiendum nobis est, aut sumendum, ab omni concubitu semper est abstinendum.

Petrus Damianus. 1040.

Epist. ad Petrum Lateranensem Archipresbyterum: Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis tam districtè, tam rigidè regula castitatis indicitur, vt omni Catholicorum Patrum concurrente iudicio, à contrahendis nuptijs funditus abscindantur. Et certè satis est ratione plenissimum, vt per Episcopos, in his tribus gradibus niueus pudicitiæ candor efflorеat, qui nimirum sacris mysterijs familiarius appropinquant. Nam quia Dominicum corpus in virginalis vteri templo coaluit, nunc etiam à ministris suis continentis pudicitiæ mundiciem requirit. Planè sicut concipienti Deificæ virgini non virile semen influxit: sed virtus sancti Spiritus obumbrauit: ita nunc in altari positum Sacramentum eadem S Spiritus virtus est, quæ viuificat, & necesse est, vt hoc pudica manus & impolluta contingat. Citatur à Magdeburgens. Cent.11. fol.235.

Leo Nonus 1050.

Contra epistolam Nicetæ Abbatis (apud Iuonem lib. 3. de Cont. cleric. & Gratianum dist.31.) Omnino confitemur non licere Episcopo, Presbytero, Diacono propriam vxorem religionis causa abijcere à cura sua, scilicet vt ei victum & vestitum largiatur: sed non vt cum illa carnaliter ex more iaceat, sicut & Sanctos Apostolos legimus egisse, B. Paulo Apostolo dicente: *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & frater Domini & Cephas?* Vide insipiens, quia non dixit: Nunquid nõ habemus potestatem sororem mulierem amplectendi, sed circumducendi: scilicet vt mercede prædicationis sustentaretur ab illis, nec tamen deinceps vlterius foret carnale inter eos coniugium. 1. Cor.9.

Dist.32. Si quis ex præfatis ordinibus desiderat ad Diaconatum ascendere, non potest sine consensu vxoris suæ, vt fiat de carnali deinceps spirituale coniugium, nemine cogente eos. Neque permittitur postea vxor iungi eidem marito suo carnaliter, nec cuiquam nubere in vita, aut post mortem eius.

Nicolaus Secundus. 1060.

Ad omnes Episcopos Catholicos: Nullus Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem. Vnde etiam ipsa sancta Synodus hoc capitulum sub excommunicatione statuit, dicens: Quicunque Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, post constitutum beatæ memorię prædecessoris nostri sanctissimi Papæ Leonis de castitate Clericorum, concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei, auctoritatę Beatorum Apostolorum Petri & Pauli præcipimus, & omnino contradicimus, vt Missam non cantet, vel Epistolam aut Euangelium legat, neque in presbyterio ad diuina officia cum ijs, qui præfatæ constitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab Ecclesia suscipiat.

Alexander Secundus. 1061.

Dist. 81. Si quis amodò Episcopus, Presbyter, aut Diaconus fœminam acceperit, vel acceptam retinuerit, à proprio gradu decidat, vsque dum ad satisfactionem veniat, nec in choro psallentium maneat, nec aliquam portionem de rebus Ecclesiasticis habeat.

Adamus Canonicus. 1080.

Lib. 3. *cap.* 31. Anno 1049. in Concilio Moguntino multa sancita sunt ad vtilitatem Ecclesiæ, præ quibus simoniaca hęresis, & nefanda sacerdotum coniugia olographa Synodi manu perpetuò damnata sunt. Quod veniens domum noster Archiepiscopus non tacuisse probatur. De mulieribus statuit eandem sententiam, quam decessor eius memorabilis Alebrandus, & antea Libentius inchoauerant; vt scilicet fierent extra synagogam & ciuitatem, ne malesuada pellicum vicinia violaret obtutus.

Gregorius Septimus. 1080.

Lib. 2. *epist.* 25. *ad Annonem Coloniensem Episcopum:* Solicitudinem tuam ex parte B. Petri communis Patris & Domini instanter admonemus, vt non solùm in Ecclesię tuę diœcesi, sed etiam in omnibus suffraganeorum tuorum parochijs Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, admonitionibus tuis castè viuere facias. Quoniam, vt fraternitas tua nouit, cæteræ virtutes apud Deum sine castitate nihil valent, sicut nec sine cæteris virtutibus castitas.

Epist. 62. *ad Episcop. Aquilegiensem:* Decreuimus enim, quòd si quis eorum ordinum, qui sacris altaribus administrant, Presbyter scilicet, Diaconus, & Subdiaconus vxorem, vel concubinam habet, nisi illis omninò dimissis, dignam pœnitentiam agant, sacris altaribus penitus ministrare desistant, nec aliquo Ecclesię beneficio vlterius potiantur, siue potitis fruantur.

Epist. 67. *ad Annonem Episcopum Coloniensem:* Nouit fraternitas tua, quia præcepta hæc non de nostro sensu exsculpimus, sed antiquorum Patrum sanctiones, Spiritu sancto prædicante prolatas, officij nostri necessitate in medium propalamus. Sed vt ea, quę dilectioni tuę iniungimus, efficacius prosequaris, cum fratribus & Coepiscopis tuis Concilium te cogere suademus, in quo, quàm maximo poteris clericorum cœtu congregato, leges Canonicas, & Sedis Apostolicæ auctoritatem, tuamqúe & confratrum omnium patenter promulgabis, quanta castitatis sit virtus, quamqúe Ecclesiasticis gradibus sit necessaria latius expones. Subinde firmiter pronuntiabis, non vlterius sibi licere, quod in pernitiem sui hactenus vsurpârunt, cùm tolerabilius omnino sit, cessare ab officio, quàm incestam, vel etiam molestam suo Saluatori ingerere seruitutem, & inde sibi iram coaceruare atque supplicium, vnde præmium debuit emereri.

Lib. 4. *epist.* 10. Nullo modo ministri sancti altaris, in fornicatione existentes, Missæ debent celebrare officium: quin etiam extra chorum sunt pellendi, quousque pœnitentiæ dignos fructus exhibeant.

Vrbanus Secundus. 1088.

Dist. 28. Eos, qui post Diaconatum vxoribus vacare voluerint, ab omni sacro ordine remouemus, officioqúe atque beneficio Ecclesiæ carere decernimus. Quòd si ab Episcopo commoniti non se correxerint, Principibus indulgemus licentiam, vt eorum fœminas mancipent seruituti. Si verò Episcopi consenserint eorum prauitatibus, ipsius officij interdictione mulctentur.

Anselmus Cantuariensis. 1090.

Ad cap. 7. *ad Hebreos.* Melchisedech sine genealogia est: quia noui Testamenti sacerdotes & ministri vxores habere non possunt: quas si habere voluerint, profitentur se esse sacerdotes Iudaicę institutionis, non Christianæ.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epist. 64. Quod apposuistis castitatem eius non fuisse probatam, nec à me in literis meis fuisse commendatam, superfluum mihi visum fuit, post dominum Papam de castitate eius disceptare, cuius præcepto videram eum Romę in presbyterum ordinari (cuius eadem lex est continentię, quæ & Episcopi) cuius etiam sacerdotium post literas Papæ commendatitias legi literis vestris commendatum, & Episcopum suum, qui eius sacerdotium aspernabatur, à vobis vehementer reprehensum.

Epist. 220. De Canonico Ecclesiæ vestræ, qui contra prohibitionem vestram matrimoniales tabulas sibi composuit, nullam sententiam ad manum habeo, quam dilectio vestra ignoret, si scripta apud se reposita diligenter exploret. Verumtamen consilium, quod mihi ipsi darem, si aliquem de commissis mihi fratribus vxoria compede astrictum deprehenderem, tutum esse intelligo: videlicet vt Sacramentum coniugij maneat, Clericus verò, qui postposita clericali continentia de superiori ordine ad interiorem descendit, stipendia militiæ clericalis amittat. Nouit enim vestra dilectio, quando de laica conuersione in Clericum quis assumitur, non maritali exercitio, sed diuinæ tantùm militiæ dedicari. Vnde ab ordinatoribus clericorum, in eorum ordinatione dicitur de eis: *Hæc est generatio quærentium Dominum.* Non quærentium coniugium, sed quærentium tantùm Dominum. Quia testatur doctrina Apostolica: *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat, cui se probauerit.* Postquam ergo de inferiori laicorum gradu quis sortitus fuerit superiorem, id est, militiam clericalem, & inde se præcipitauerit ad voluptatem coniugalem, nulla ratio sinit, vt in illo casu positus, illius ordinis dignitate, & vtilitate potiatur, quam misera voluptate commutasse videtur. Ad hoc enim instituta est clericalis militia, vt psalmodiæ & hymnodiæ quotidianum Deo offerat sacrificium: quod offerre iure non poterit, cui, vt plus placeat vxori quàm Deo, lenocinante vxore, & fallente carnis voluptate, operam dare necessarium erit. Cùm enim secundum Apostolum non concedatur laicis orare, nisi eo tempore quo continent: quanto magis semper debent continere, qui tam pro ipsius, quàm pro aliorum delictis iubentur orare? Ad hoc quippe fidelium orationes in stipendia clericorum deputatæ sunt, vt & continenter viuant, & benefactorum suorum peccata sanctitatis intercessione detergere sufficiant, quatenus hi, de quorum eleemosynis viuunt, hoc eorum meritis assequantur, quod suis meritis assequi non merentur.

Bernardus. 1130.

Serm. 65. *super Cantica:* Mulieres relictis viris, & item viri dimissis vxoribus ad istos se conferunt. Clerici & sacerdotes, populis, Ecclesijsqúe relictis,

hæreti- ci intonsi & barbati apud * eos inter textores & textrices plerumque inuenti sunt. An non grauis demolitio ista? An non opera vulpium hæc? Verùm non apud omnes fortè ista tam manifesta reprehenduntur: & si sint, non est vnde probentur. Quonam modo capimus illos? Reuertamur ad consortium & contubernium fœminarum. Hoc enim inter eos nemo qui careat. Interrogo vnumquempiam horum, Heus tu bone vir, quænam hæc mulier, & vnde hæc tibi? Vxorne tua? Non, inquit, nam voto meo istud non conuenit. Filia ergo? Non. Quid? Num soror, num neptis, num aliquo saltem propinquitatis vel affinitatis gradu attinens tibi? Nullo prorsus. Et quomodo tuta tibi cum ista continentia tua? Sanè nec licet tibi istud, cohabitationem (si nescis) virorum & fœminarum in ijs, qui vouere continentiam, Ecclesia vetat. Si non vis scandalizare Ecclesiam, eijce fœminam. Alioquin ex hoc vno cætera, quæ non adeò manifesta sunt, procul dubio credibilia fiunt. Sed quo mihi, inquit, Euangelij loco monstras prohibitum istud? Euangelium appellasti? ad Euangelium ibis. Si obedias Euangelio, non facies scandalum. Prohibet enim planè Euangelium scandalum fieri. Facis autem tu, istam non amouendo iuxta constitutum Ecclesię. Suspectus eras, at nunc manifestè censebere & contemptor Euangelij, & Ecclesiæ aduersator.

Epist. 203 Nec clerici est pugnare armis militaribus, nec Subdiaconi vxorem ducere.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei lib. 2. part. 4. cap. 4 Voluit sermo Dei in sacro officio ministros Dei ad tegenda intima corporis proprium ac singulare operimentum habere; vt per hoc ostenderet pudicitiam & castimoniam illorum, præcipuè cùm sancta tractarent, vnicam ac singularem esse debere. Vnde ministri noui sacerdotij hoc operimentum in sacro officio singulare non assumunt, quibus est iniuncta seruandæ castitatis quotidiana necessitas, sicut quotidie est concessa offerendi potestas.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. dist. 37. Sunt igitur quidam Ordines, in quibus nullatenus potest contrahi coniugium: & si intercesserit copula, fit diuortium, vt Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus. In alijs verò permittitur sortiri coniugium, nisi religionis habitum sumpserint, vel continentiæ votum fecerint.

Alexander Tertius. 1160.

Salernitano Episcopo part. 18. cap. 1. Clericos, in sacris ordinibus constitutos, qui in domibus suis proprijs publicè tenent concubinas, ad eas abiurandas volumus à tua fraternitate compelli, ne in eandem fornicationem instinctu diabolicæ fraudis redeant, & periurij reatum incurrant. Vnde ipsos per suspensionis & interdicti sententiam debes arctius cogere, vt mulieres ipsas à se remoueant, quòd de ipsis sinistra suspicio non possit haberi. Et si qui eorum ad ipsas redire, vel alias accipere fortè præsumpserint, in aliquos eorum debes perpetuam excommunicationis sententiam proferre, vt alij eorum exemplo perterriti, à similibus arceantur.

Arnoldus Bonauallensis. 1160.

Tract. vlt. de verbis Domini: Fœminalia, quæ ad operienda pudenda primo loco posita sunt, tantam edocent oportere esse continentiæ verecundiam, vt ne suspicioni quidem locum relinquat: Exo. 28. & ita abscondi quicquid id est inhonestatis notabile, vt nullo casu ad ea intuenda zelotes admittatur aspectus: sed talem se exhibeat conuersatio sacerdotum, quasi sine sexu sit, & omnino abominetur eiusmodi labem: quin etiam confundatur, & erubescat ad membra communia, ipsamque operiat naturam consciam sui, detesteturque quod potest, non quod agit, & quasi emortuas & fœtidas illas partes sepeliat, & abscondat.

Hildegardis. 1170.

Secundi Sciuias visione 6. Nolo vt duæ copulæ, scilicet spiritualis & carnalis studij in sacerdotibus sint: quoniam sacerdos iustitiam Dei sibi copulabit, ita vt vxor eius sit, cum qua cæteros populos enutriet, & docebit, vt pater filios suos educare & docere solet. Et quomodo aptum esset, vt sacerdos duas copulas in recta mensura exerceret, quæ sibi in diuersitate contrariæ sunt? Quomodo? vna carnalis, & vna spiritualis.

Stephanus Eduensis. 1180.

De Sacramento altaris cap. 5. Subdiaconi vasa, in quibus fit consecratio Dominici corporis & sanguinis, portant. Vnde sermo propheticus ad istos dirigitur: *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Propterea lex continentiæ, quæ munditiam parat & conseruat, eis indicitur; cuius obseruantia non est naturæ, sed gratiæ. *Quod enim de carne est, caro est: quod de spiritu, spiritus est.*

Innocentius Tertius. 1200.

Serm. 1. de Consecr. st. Pontif. Viuamus, fratres charissimi, non solùm castè, sed etiam cautè. Castè, ne contaminemus vnctionem, quam accepimus. Propter quod dicitur: *Si sacerdos, qui vnctus est, peccauerit*, quasi dicat: Non peccet, non contaminet vnctionem. Cautè, ne corrumpamus alios per exemplum.

De Clericis coniugatis lib. 3 tit. 3. Accepimus autem, quòd quidam Clerici tuę diœcesεos, qui matrimonium contraxerunt, Ecclesiastica beneficia detinere contendunt, in quorum conuersatione cithara cum psalterio malè concordat. Cùm ergo vir cogitet quomodo placere possit vxori, & ideo minus quæ Dei sunt valeat cogitare, cùm quasi diuisus in duo, plenam sui non habeat potestatem: vt ei, à quo stipendium accepit, plenius famuletur, mandamus quatenus huiusmodi Clericos beneficijs Ecclesiasticis, quæ in tua diœcesi sunt adepti, priues, appellatione remota, præsertim cùm rerum Ecclesiasticarum substantia per tales soleat deperire.

Rodericus Toletanus. 1240.

Rerum Hispanicarum lib. 4 cap. 6. Cùm à tempore Vitizæ insolens abominatio esset, vt clerus carnalibus coniugijs potiretur, Friola rex intelligens iram Dei pro tanta immunditia æstuasse, iuxta sacrorum Canonum instituta præcepit, vt ministri Ecclesiæ castitate seruata nullatenus matrimonijs vel connubijs fœdarentur. Et licet aliàs austerus & crudelis fuerit, propter hoc, quæ circa Clerum instituit, direxit Dominus manum eius.

Thomas Aquinas. 1250.

In Quæstionibus disputatis de Peccato veniali art. 7. In sacerdote vxorem ducere, est contra præceptum de voto continentiæ implendo, non autem in laico, qui non vouit: & sic illud, quod est veniale, vel nullum peccatum in laico, est peccatum mortale in sacerdote.

Parte 4. Summæ q. 53. art. 3. Quęritur verum Ordo dirimat vel impediat matrimonium? Decretalis dicit, quòd qui in Subdiaconatu, & alijs superioribus ordinibus vxores accepisse noscuntur, eos vxores dimittere compellat: quod non esset, si esset verum matrimonium. Præterea nullus vouens continentiam potest matrimonium contrahere: sed quidam Ordines sunt, qui habent votum continentię annexum: ergo talis ordo matrimonium impedit.

Primum dicendum, quòd ordo sacer de sui ratione habet ex quadam congruentia quòd matrimonium impedire debeat: quia in sacris ordi-

nibus constituti sacra vasa & Sacramenta tractant, & ideo decens est, vt munditiam corporalem per continentiam seruent. Sed quòd impediat matrimonium ex constitutione Ecclesiæ: habet tamen aliter apud Latinos, quam apud Græcos: quia apud Grecos impedit matrimonium contrahendum solum ex vi ordinis: sed apud Latinos impedit ex vi ordinis, & vlterius ex voto continentiæ, quod est sacris ordinibus annexum: quod etiamsi quis verbo tenus non emittat, ex hoc ipso, quòd ordinem susceperit, secundùm ritum Occidentalis Ecclesiæ intelligitur emisisse. Et ideo apud Græcos & alios Orientales sacer ordo impedit matrimonium contrahendum, non tamen matrimonij prius contracti vsum. Possunt enim matrimonio prius contracto vti, quamuis non possint matrimonium denuò contrahere. Sed apud Occidentalem Ecclesiam impedit matrimonium, & matrimonij vsum, nisi fortè ignorante, aut contradicente vxore, vir Ordinem susceperit, quia ex hoc non potest aliquod ei præiudicium generari.

Concilium Oxoniense. 1261.

Capite: Quòd Clerici non teneant publicè concubinas: Ne Clerici beneficiati, vel in sacris ordinibus constituti, in hospitijs suis tenere publicè concubinas præsumant, nec alibi cum scandalo accessum habeant ad easdem.

Cap. Qualis pœna est infligenda concubinis Clericorum: Et si fortè concubinę eorum, monitione postea proposita, ab eis non recesserint, ab Ecclesijs Dei, quas infamare præsumunt, expellantur, nec admittantur ad Ecclesiastica Sacramenta: & si nec sic duxerint abstinendum, excommunicationis mucrone percellantur, & tum demum contra eas inuocetur brachium seculare. Ipsos autem Clericos per subtractionem officij & beneficij, Canonica admonitione præmissa, volumus coerceri. Item licet legitima testamenta clericorum beneficiatorum decedentium volumus firmiter obseruari, nolumus tamen quòd concubinis suis aliquid relinquant in testamento suo. Quod si fecerint, illud arbitrio Episcopi conuertatur in vsum Ecclesiæ, in qua vixit defunctus.

Durandus à S. Portiano. 1310.

In lib. 4. Sentent. dist. 37. quæst. 1. Ordo sacer impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, non ratione ordinis absolutè, sed ratione voti adiuncti.

Augustinus Triumphus Anconitanus. 1320.

De potestate Ecclesiastica quæst. 92. artic. 3. De voto continentiæ Clericorum triplex distinctio est necessaria. Prima est, quia Clerici Orientales & Occidentales in minoribus ordinibus constituti, licitè possunt contrahere matrimonium, & vti contracto. Secunda verò est, quia constituti in sacris ordinibus, puta Episcopatu, Sacerdotio, Diaconatu, Subdiaconatu, nec apud Græcos, nec apud nos, possunt matrimonium contrahere, nec vnquam potuerunt à tempore Apostolorum, sicut patet 84. distinct. c. cùm in præterito. Tertia est, quòd constituti in sacris apud Græcos, & in Orientali Ecclesia licitè vtuntur matrimonio contracto. Vnde si sunt coniugati, ad sacros ordines possunt promoueri continentia non promissa: sed apud nos & in tota Occidentali Ecclesia ad sacros ordines promoueri nequaquam possunt, nisi promissa continentia. Et si sunt coniugati, exigitur, vt ipsi, & eorum vxores, profiteantur continentiam, aliter repelluntur ne ad sacros ordines promoueantur. Votum ergo continentiæ vitæ Apostolicæ in prælatis primitiuæ Ecclesiæ planè fuit seruatum, non quidem per ipsius Christi vel Apostolorum præcepti coactionem, cùm sit consilij, & supererogationis opus, sed per ipsorum Apostolorum imitationem.

Ioannes Taulerus. 1330.

Sermone ad populum habito, quo vitia acriter reprehendit. Certè miror vehementer, quòd vlla fœmina tantæ præsumptionis est, vt vnquam à sacerdote aliquo tangi ausit. Quòd si iam seculares sacerdotes, prædictis vitijs subiacentes, Iuda traditore peiores sint, nos qui religiosi dicimur, & in sacris ordinibus monasticis viuimus, si similia perpetramus, longè profectò adhuc sceleratiores sumus. Quòd si Prælatus talia admittat, grauiora sunt crimina: si Episcopus, ille adhuc enormius peccat: denique si Papa, huius omnium pessima & grauissima sunt peccata. Quò enim status est altior, tantò casus est grauior, & culpa maior. Si verò aliquid eiusmodi virgo Deo dicata, seu monialis agat, & ipsa valde enormiter peccat: talis enim se Virgini Matri corpore & animo conformare deberet. *Extat in vita Tauleri.*

Catharina Senensis. 1370.

Parte 3. cap. 123. de defectibus ministrorum: Et quod deterius est, ipsi faciunt veluti sponsus, qui sponsam propriam ornat: ita faciunt isti dæmones incarnati, qui de substantia temporali suarum Ecclesiarum ornant abominabiles, atque dæmoniacas suas concubinas, cum quibus iniqui sceleratissimè viuunt, & absque verecundia quacunque faciunt eas ad Ecclesias cum alijs ambulare, atque diuinis officijs interesse, dum ipsi miserabiles in altari consistunt ad consecrandum vnigeniti Filij Dei corpus & sanguinem. O dæmones incarnati, & dæmonibus deteriores.

Thomas VValdensis. 1410.

Parte 2. cap. 129. Nullus contemnat hoc Ecclesiæ de Clericali castitate decretum, tamquam humanum penitus: sed sciat Euangelicum esse, & à legis necessitate descendens Apostolicum institutum, &c. Sic est causa sacerdotum Christi, quòd hostias offerre non possunt, si operi seruiant coniugali. Ideo aut eliguntur virgines, aut vidui, aut post consecrationem in æternum pudici.

Ioannes Gerson. 1420.

Libro de vita spirituali animæ lect. 6. Quòd si quis ex sacerdotibus dixerit, quo pacto poterit absque consensu proprio fieri super se statutum, ne matrimonio iungeretur: respondemus, quòd neque hoc factum est: sed si conqueritur, imputet sibi, qui talem sponte delegerit. Quis cogebat eum? sed & quis cogere poterat? Nullus, si non fortè necessitas publica, aut reuelatio diuina, aut culpa propria, qua sic arceri merebatur, accepisset. Ante votum libertas, post votum factum est necessitas. Quòd si dixerit iterum, quòd consensus mutuus viri ad fœminam facit matrimonium de iure naturali. Constitutio igitur positiua quo pacto valuit inuadere ius illud? Sed neque, inquit, expressè quicquam voui. Respondemus ad vltimum, quòd non solùm vouit, sed votum solennizauit per ordinis susceptionem: si nesciuit, sciat, &c.

Dialogo de Perfectione cordis: Clerici vniuersi in sacris ordinibus constituti votum habent castitatis, non qualecunque, sed solenne, quale dirimeret matrimonium iam contractum.

Dialogo de cœlibatu Ecclesiast. act. 4. *Natura:* Cur non adijcis tollendum esse votum sacerdotis, cùm non sit ei diuina & essentiali vel inseparabili societate connexum, quicquid sit de monachis, &c. *Sophia:* O quasi stetit in non vouendo tota reformatio, quasi non peccent vxorati, sed nec refert magnopere si votum nequaquam sit annexum essentialiter sacerdotio, postquam ita coniunctum est sibi, vt omnis illud suscipiens, nedum voueat,

sed votum etiam solennizet, matrimonium dirimens iam contractum, non minus quàm in monachis.

Æneas Syluius. 1450.

Epistola 130. contra Thaboritas: Secundùm tempora leges variantur humanæ. Neque enim quod semel vtile fuit decretum, semper vtile perseuerat. Non errauit Ecclesia primitiua, quæ sacerdotibus permisit vxores: nec errat moderna, quæ subtrahit, &c. Nec nos ad omnia tenemur, quæ Patres in primitiua Ecclesia egerunt: illis vxores fuerunt, nobis desunt, & magis meremur. Quid vos Bohemos, sub norma Latina nutritos, in communione calicis Græcari compellit? cur non coniugio copulamini, quasi id cum Græca possetis, quod cum Ecclesia Latina facere non decet.

Dionysius Carthusianus. 1460.

De vita Canonicorum articul. 13. Porrò ministri Ecclesiæ ad castitatem tenentur multiplici ratione: Primò, quia in sua consecratione, seu promotione ad ordines sacros, se ad continentiam astrinxerunt voto, saltem implicitè vel æquiualenter. Quemadmodum enim in decreto copiosè ostenditur, non solùm ad sacerdotium promouendi, sed inferiores quoque sacros ordines suscepturi, castimonium debent vouere. Et dato, quòd modò non voueant explicitè, implicitè tamen promittunt, dum vouent secundùm Canones sacros victuros, & obseruaturos eosdem: votum autem maximè obligat, imò magis quàm mandatum.

Petrus Rauennas. 1490.

Sermone, quem habuit in Synodo Caminensi: Clerici debent continenter viuere. D. 32 per totum. Et ibi per glossam in Summa. Et Episcopus debet cogere eos ad dimittendum mulieres, de quibus est sinistra suspicio, vt in c. Clericos, in c. sunt, de cohab. cler. & mulier. Sed quæro in ista conclusione, an licitum sit audire diuina à notorio fornicatore? Et ista quæstio examinatur per Doct. in cap. Vestra. de cohab. Cler. & mul. Et ibi Abbas dicit, quòd iste passus est periculosus, & de illo sæpe fuit interrogatus à viris timoratæ conscientiæ. Et ibi tandem istam ponit decisionem, quam puto verissimam: quòd si fornicatio est ita notoria, quòd nullam habet dubitationem, sicut videmus in plurimis Clericis, qui tenent ita publicè concubinas, sicut vxores, & publicè nutriunt filios, ita quòd ipsi etiam non audent diffiteri, tunc omninò est abstinendum ab illis, &c. O quot miseri Clerici in Italia, in Francia, in Hispania, & cæteris regionibus, velocius sagitta currunt ad Tartareas oras propter incontinentiam, nec ad hoc aduertunt: & quid proderit in sortem Domini fuisse electos? Gratias ingentes ago Deo meo, quia non permisit me clericalem vitam ducere. Nam defuncta vxore mea prima, suadebant amici & propinqui, vt curiam peterem, dicentes quòd euaderem in magnum virum. Non enim, dicebant, deerunt tibi Episcopatus, non Abbatiæ, non Prælaturæ: quod constanter recusaui, & vt penitus essem incapax secundam duxi vxorem. Noscebam enim meipsum, quòd fecissem vt aliqui faciunt, & fortè peius. Malui potius in matrimonio viuere cum paucis redditibus, quàm amplissimos beneficiorum reditus possidere, & incontinenter viuere. Nec vnquam me peccati pœnituit, & si errâui, libenter erraui. Sciebam enim esse scriptum, quòd grande patrimonium grandis est tentatio: & quanto quisque in superiori est loco constitutus, tanto in maiori versatur periculo.

Concilium Lateranense. 1513.

Sess. 9. Vt Clerici præsertim castè, continenterque, iuxta Canonum præcepta, viuant, statuimus, vt contra facientes acriter secundùm Canones puniantur. Concubinarij siue laici, siue clerici fuerint, eorundem Canonum pœnis mulctentur, neque superiorum tolerantia, seu praua consuetudo, quæ potius corruptela dicenda est, à multitudine peccantium, aliave quælibet excusatio eis aliquo modo suffragetur, sed iuxta iuris censuram seuerè puniantur.

Concilium Coloniense. 1549.

Cap. 3. De sacerdotibus & clericis beneficiatis, quibus concubinæ vel fœminæ de continentia suspectæ, seu cum quibus ipsi antehac de fornicatione diffamati fuerunt, manifestè cohabitant, totius Concilij consensu & approbatione decernimus, & pronuntiamus, eos qui tales fœminas apud se detinent, sententiam suspentionis ab officio & beneficio incurrisse. Mandamusque & præcipimus, vt eas tam procul è vicinia submoueant, vt commercijs non detur facilis occasio, & suspiciones omnes vitentur. Ipsas verò fœminas si posthac in domibus, vel vicinia permanserint, censemus excommunicationis censura plectendas.

Concilium Tridentinum. 1560.

Sess. 24. *Can.* 9. Si quis dixerit Clericos, in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solenniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, & oppositum nihil aliud esse, quàm damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam vouerint, habere donum, anathema sit: cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari, &c.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

DIGAMOS NON ESSE AD SACROS ORDINES ADMITTENDOS.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ 1520. MARTINVS Lutherus in Colloquijs conuiualibus German. cap. de Matrimonio: *Valde miror, quòd Iurisconsulti adeo offenduntur digamia sacerdotum, quando scilicet post primam, secundam, vel tertiam vxorem defunctam nouam ducunt, putant tales nisi amplius habere potestatem administrandi Sacramenta: cùm tamen constet vnum Salomonem non modo centum, sed plures quam mille vxores vno tempore habuisse, & tamen librum conscripsisse qualem nec ad vnum omnes Iurisconsulti coniuncti laboribus edere possent. Hoc quæro, an digamus sit in statu salutis, & an sit Christianus? si propterea non ex statu fidelium eijcitur, si non amittit Spiritus sancti vnctionem, cur non admittitur ad Ecclesiasticum officium?*

1560. Theodorus Beza libro de diuortijs: *Digamos, id est, eos, qui plures successiuè vxores, vel etiam vnam, & eam viduam duxerant, adeò iam olim plerique censuerunt indignos esse sacro ministerio, vt eos non modo à sacris ordinibus, puta Episcopatu, Presbyteratu, Diaconatu, ac Subdiaconatu, sed etiam ab ipso clero semel exclusterint. Sit hoc quamlibet vetustum, nihilominus tamen iniquissimum esse, nec in Ecclesia tolerabile affirmo.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

1. *Timoth.* 3. *vers.* 2. Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum.

1. *Timoth.* 3. 9. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor.

Tit. 1. 5. Constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, &c.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constit. Apostol. lib. 2. *cap.* 2. Talem esse oportet Episcopum, qui vnam vxorem duxerit, qui vni tantùm nupserit.

Lib. 6. *cap.* 17. Episcopum, Presbyterum, ac Diaconum ordinari præcipimus, qui sint monogami, id est, vnius vxoris viri, siue vxores eorum superstites sint, siue non, &c. Item ministros, cantores, Lectores, & ianitores monogamos, id est, vnumquemque eorum vnius vxoris virum esse præcipimus.

Canone Apost. 17. Secundis implicitus post baptismum nuptijs, vel pellicem habens, non potest esse Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut omninò ex ordine clericorum.

Origenes. 230.

Homil. 7. *in Lucam:* Ab Ecclesiasticis dignitatibus non solùm fornicatio, sed & nuptiæ repellunt. Neque enim Episcopus, nec Presbyter, nec Diaconus, nec vidua possunt esse digami.

Basilius Magnus. 370.

Epist. ad Amphilochium Can. 12. Digamos Canon omninò à ministerio exclusit.

Ad cap. 3. *Esaiæ:* Oportet vt sit presbyter omnis concubitus expers, aut secundùm legem vnius vxoris vir.

Epiphanius. 380.

Heresi 59. *aduersus Catharos:* Quæ ad sacerdotium tradita sunt, propter eminentiam celebrationis sacrorum, ea ad omnes æqualiter ferri putauerunt, cùm audierint, quòd oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, continentem: similiter & Diaconum, & Presbyterum. Reuera enim non suscipit sancta Dei prædicatio post Christi aduentum eos, qui à nuptijs, mortua eorum vxore, secundis nuptijs coniuncti sunt, propter excellentem sacerdotij honorem & dignitatem, & hæc certè sancta Dei Ecclesia cum synceritate obseruat.

In compendiaria doctrina: Vertex horum omnium, aut, vt ita dicam, genitrix est sanctum sacerdotium, ex virginibus quidem vt plurimum procedens: si verò non ex virginibus, at ex solitariam vitam degentibus. Si verò non suffecerint, ad ministerium solitariam vitam degentes, de his qui continent à proprijs vxoribus, aut ab vnis nuptijs viduitatem seruantibus. Nam eum, qui secundas nuptias contraxit, non licet in ipsa Ecclesia ad sa-

as vxores duxerant, non deponuntur, sed potius per Archiepiscopalia pittacia ad maiores gradus promouentur. Nuper autem leges & Canones diligentius considerantes, animaduertimus hunc 17. & 18. Canonem tractare de Episcopis, Sacerdotibus, Diaconis, & Subdiaconis: non autem etiam de Lectoribus. Illi enim, siue ante ordinationem, siue post digami fuerint, deponuntur. Post characterem autem eis permittitur & ignoscitur, sed ad alium maiorem Ecclesiasticum gradum promoueri prohibentur, &c. Quomodo autem Lectores, qui secundas vxores duxerunt per Archiepiscopalia pittacia ad Domesticata & alia Ecclesiastica officia promouentur, nobis dicere necesse est. Dicimus ergo, quòd Ecclesiastica officia abusiuè gradus vocantur. Est enim propriè gradus Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, & Lectorum. Officia autem sunt honores, & victus subministrationes. Vnde qui fuit Lector ab ineunte ætate, & secundam vxorem duxit, sit citra vllum impedimentum clericus Ecclesiasticus, & populi conuocator per pittacia: sed non Hypodiaconus, vel Diaconus. Qui enim hoc ausus fuerit, deponetur.

Zaga Zabo Æthiops. 1538.

In confessione fidei Æthiopicæ: Mortua primâ vxore Episcopi aut clerici aliam ducere non possunt, nisi Patriarcha ad id dispensauerit (quod aliquando indulgetur magnatibus, propter publicum bonum) nec habere concubinam, nisi se voluerint à sacris abdicare: quod si fecerint, res diuinas amplius tractare non possunt. Et hoc tàm strictè seruatur, vt ij presbyteri, qui secundò vxorem duxerint, ne candelam quidem vnam Ecclesiæ consecratam in manum auderent accipere.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De Monogamia cap. 12. Audi & subtilissimam è contrario argumentationem. Adeò, inquiunt, (*intelligit orthodoxos*) permisit Apostolus iterare connubium, vt solos, qui sunt in clero, monogamiæ iugo astrinxerit.

Exhortatione ad castitatem cap. 7. Apud nos plenius atque strictius præscribitur vnius matrimonij esse oportere, quos adlegi liceat in ordinem sacerdotalem: vsqueadeò quosdam memini digamos loco deiectos.

Libro 1. ad vxorem cap. 7. Quantum fidei detrahant, quantum obstrepant sanctitati nuptiæ secundæ, disciplina Ecclesiæ, & præscriptio Apostoli declarat, cùm digamos non sinit præsidere, cùm viduam adlegi in ordinationem nisi vniuiram non concedit. 1. Tim. 3 / 1. Tim. 5

Ambrosius. 370.

Libro 1. offic. cap. 50. De castimonia autem quid loquar, quando vna tantùm, nec repetita permittitur copula? Et in ipso ergo coniugio lex est, non iterare coniugium, nec secundæ coniugis sortiri coniunctionem. Quod plerisque mirum videtur, cur etiam ante baptismum iterato coniugio ad electionem muneris & ordinationis prærogatiuam, impedimenta generentur: cùm etiam delicta obesse non soleant, si lauacri remissa fuerint Sacramento. Sed intelligere debemus, quia in baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest. In coniugio non culpa, sed lex est. Quod culpæ est igitur in baptismate relaxatur. Quod legis est in coniugio non soluitur. Quomodo autem potest hortator esse viduitatis, qui ipse coniugia frequentauerit?

Libro de dignitate sacerdotali cap. 4. *Vnius*, inquit, *vxoris virum*. (1. Timoth. 3.) si ad superficiem tantùm literæ respiciamus, prohibet digamum Episcopum ordinari: si verò altiorem sensum conscendimus, inhibet Episcopum duas vsurpare Ecclesias.

Lib. 10. epist. 82. Virtutum magister Apostolus est, qui cum patientia redarguendos doceat contradicentes, qui vnius vxoris virum præcipiat esse, non quo exortem excludat coniugij: nam hoc supra legem præcepti est, sed vt coniugali castimonia seruet ablutionis suæ gratiam, &c. Quod ideo non prætermisi, quia plerique ita argumentantur, *vnius vxoris virum* dici post baptismum habitæ, eò quòd baptismo vitium sit ablutum, quo afferebatur impedimentum. Et vitia quidem atque peccata diluuntur omnia, vt si quis contaminauerit suum corpus cum plurimis, quas nulla coniugij lege sociauerit, remittantur ei omnia: sed coniugia non resoluuntur, si quis iterauerit. Culpa enim lauacro, non lex soluitur. Nulla enim culpa coniugij, sed lex est. Quod legis est igitur, non remittitur quasi culpa, sed tenetur quasi lex. Ideo Apostolus legem posuit dicens: *Si quis sine crimine est vnius vxoris vir*. Ergo quia *sine crimine est, vnius vxoris vir*, tenetur ad legem sacerdotij suscipiendi. Qui autem iterauerit coniugium, culpam quidem non habet coinquinati, sed prærogatiua exuitur sacerdotis. Diximus quid legis est, dicamus etiam quid rationis. Sed prius cognoscamus, non solùm hoc Apostolum de Episcopo & Presbytero statuisse, sed etiam Patres in Concilio Nicæni tractatus addidisse, neque clericum quenquam debere esse, qui secunda coniugia sortitus sit. Quomodo enim potest viduam honorare, consolari viduam, cohortari ad custodiendam virginitatem, & seruandam marito fidem, quam ipse priori coniugio non seruauerit? Aut quid interesset inter populum, & sacerdotem, si iisdem astringerentur legibus?

Hieronymus. 390.

Epistola 83. ad Oceanum cap. 2. In vtraque epistola (*ad Timotheum & ad Titum*) siue Episcopi, siue Presbyteri iubentur monogami in clerum eligi.

Libro 1. aduersus Iouinianum cap. 8. Quàm sancta sit digamia hinc ostenditur, quòd digamus in clerum eligi non potest. Et ideo Apostolus ad Timotheum. *Vidua*, inquit, *eligatur, non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor*. Hoc omne præceptum est de viduis, quæ Ecclesiæ pascuntur eleemosynis. 1. Tim. 5.

Concilium Valentinum Galliæ. 390.

Cap. 1. Sedit ergo, neminem post hanc Synodum, qua eiusmodi illicitis vel serò succurritur, de digamis, aut internuptarum maritis, ordinari clericos posse: nec requirendum, vtrumne initiati Sacramentis diuinis, anne Gentiles hac se infelicis sortis necessitate maculârint, cùm diuini præcepti casta sit forma. Sed quia fratrum nostrorum vel imperitiam, vel simplicitatem, vel etiam præsumptionem damnare non possumus: nec per omnes Ecclesias, quæ sunt iam pridem malè gesta corrigere: placuit etiam, de eorum statu, qui prius ordinati sunt, nihil reuolui, si nulla extrinsecus causa procedit, qua indigni ministerio comprobentur.

Syricius. 390.

Epistola 1. cap. 8 Didicimus etiam, licenter ac liberè inexploratæ vitæ homines, quibus etiam fuerint numerosa coniugia, ad præfatas dignitates, pro-

ut cui-

ut cuique libuerit, aspirare. Quod non tantum illis, qui ad hæc immoderata ambitione perueniunt, quantum Metropolitanis specialiter Pontificibus imputamus, qui dum inhibitis ausibus conniuent, Dei nostri, quantum in se est, præcepta contemnunt. Et vt taceamus, quod altius suspicamur, vbi illud est, quod Deus noster, data per Mosen lege constituit, dicens: *Sacerdotes mei semel nubant?* Et alio loco: *Sacerdos vxorem virginem accipiat, non viduam, non repudiatam, non meretricem?* Quod secutus Apostolus ex persecutore prædicator: *vnius vxoris virum*, tam sacerdotem, quàm Diaconum, fieri debere mandauit.

Cap. 11. Quisquis sanè clericus aut viduam, aut certè secundam coniugem duxerit, omni Ecclesiasticæ dignitatis priuilegio mox nudetur, laica sibi tantùm Communione concessa.

Concilium Carthaginense Quartum. 398.

Cap. 69. Ordinandi potestate priuetur Episcopus, si sciens ordinauerit clericum eum, qui viduam, aut repudiatam vxorem habuit, aut secundam.

Concilium Toletanum Primum. 400.

Cap. 4. Subdiaconus autem defuncta vxore, si vxorem aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, remoueatur, & habeatur inter Ostiarios vel Lectores, ita vt Euangelium & Epistolam non legat, &c. Qui verò tertiam, quod nec dicendum est, acceperit, abstentus biennio, postea inter laicos, reconciliatus per pœnitentiam, communicet.

Augustinus. 400.

De bono coniugali cap. 18. Propterea Sacramentum nuptiarum temporis nostri sic ad vnum virum & vnam vxorem redactum est, vt dispensatorem Ecclesiæ non liceat ordinare, nisi *vnius vxoris virum*. Quod acutius intellexerunt, qui nec eum, qui Catechumenus, vel paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt: de Sacramento enim agitur, non de peccato, &c. Non absurdè visum est eum, qui excessit vxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse, sed normam quandam Sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam.

Innocentius Primus. 406.

Epist. 1. *cap.* 6. Ne is, qui secundam duxit vxorem, clericus fiat: quia scriptum est, *vnius vxoris virum*. Et iterum: *Sacerdotes mei semel nubant*. Et alibi: *Sacerdotes mei non nubant amplius*. Et si ab aliquibus existimetur, ante baptismum si fortè quis accepit vxorem, & ea de seculo recedente, alteram duxerit, in baptismo esse dimissum, satis errant à regula: quia in baptismo peccata remittuntur, non acceptarum vxorum numerus aboletur: cùm vtique vxor ex legis præcepto ducatur, in tantum, vt & in paradiso, cùm parentes humani generis coniungerentur, ab ipso Domino sint benedicti, & Salomon dicit: *A Deo preparabitur viro vxor*. Quam formam etiam sacerdotes omnes seruare vsus ipse demonstrat Ecclesiæ. Satis enim absurdum est, aliquem credere, vxorem ante baptismum acceptam, post baptismum non computari, cùm benedictio, quæ per sacerdotem super nubentes imponitur, non materiam delinquendi dedisse, sed formam tenuisse legis, à Deo antiquitus institutæ, doceatur. Quòd si non putatur vxor esse computanda, quæ ante baptismum ducta est: ergo nec filij, qui ante baptismum geniti sunt, pro filijs habentur.

Epist. 3. *cap.* 2. De bigamis autem nec consuli debuit, quòd manifesta lectio sit Apostoli, *vnius vxoris virum*, ad sacerdotium siue ad clericatum admitti debere, & hanc ipsam tamen si virginem accepit. Nam ea, quæ habuerit ante virum, licet defunctus sit, tamen si clerico postea fuerit copulata, clericus, qui eam acceperit, esse non poterit: quia in lege cautum est: *Non viduam, non abiectam habere posse coniugem sacerdotem.* Leu. 21.

Zosimus PP. 417.

Epistola 1. *cap.* 3. Exinde suffragantibus stipendijs, per tot gradus datis propriæ fidei documentis, Clericus presbyterij sacerdotium poterit promereri, &c. Hac tamen lege seruata, vt neque bigamus, neque pœnitens, neque viduæ maritus ad hos gradus possit admitti.

Concilium Arausicanum. 440.

Cap. 25. De idoneis autem, probatisque viris, quos clericatui alligari ipsa vitæ gratia suggerit, si fortè inciderint in duplicata matrimonia, vt non vltra Subdiaconatum Ecclesiasticas capiant dignitates.

Leo Primus. 450.

Epistola 1. *cap.* 2. Constat ad sacerdotium peruenisse viduarum maritos, quosdam etiam, quibus fuerint numerosa coniugia, & ad omnem licentiam vita liberior, ad sacrum ordinem passim patefactis aditibus fuisse permissos, contra illam beati Apostoli vocem, qua talibus reclamat, dicens: *Vnius vxoris virum*. Et contra illud antiquæ legis præceptum, quod dicitur & cauetur: *Sacerdos virginem vxorem accipiat, non viduam, non repudiatam.* 1. Tim. 3. Leu. 21. Hos ergo, quicunque tales admissi sunt, ab Ecclesiasticis officijs, & à sacerdotali nomine, Apostolicæ Sedis auctoritate iubemus arceri: nec hoc enim sibi poterunt pro arbitrio vendicare, cuius capaces per hoc, quod illis obstiterat, non fuerint.

Epistola 84. *ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum cap.* 3. In ciuitatibus, quarum rectores obierint, de substituendis Episcopis hæc forma seruetur: vt is, qui ordinandus est, (etiam si bonæ vitæ testimonio fulciatur) non laicus, non neophytus, nec secundæ coniugis sit maritus, aut qui vel vnam quidem habeat, vel habuerit, sed nec qui sibi viduam copularit. Sacerdotum enim tam excellens est electio, vt hæc, quę in alijs Ecclesię membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita.

Epistola 87. *ad Episcopos Africanos cap.* 1. Dicente enim Apostolo, vt inter alias electionis regulas, is Episcopus ordinetur, quem vnius vxoris virum fuisse, aut esse constiterit, tam sacra semper habita est ista præceptio, vt etiam de muliere sacerdotis eligendi, eadem intelligatur seruanda conditio, ne fortè illa priusquam in matrimonium eius veniret, qui aliam non habuisset vxorem, alterius viri esset experta coniugium. 1. Tim. 3.

Concilium Arelatense Tertium. 453.

Cap. 3. Nullus pœnitentem, nullus digamum, nullus viduarum maritos, in prædictis honoribus audeat ordinare, &c. Quicunque ab hac die contra ea, quæ superius sunt comprehensa, clericum ordinare præsumpserit, ab ea die, qua ei potuerit hoc approbari, anno integro Missas facere non præsumat.

Concilium Andegauense. 453.

Apud Baronium de anno 453. Non nisi vnius vxoris viri, ijdemque virginibus copulati Diaconi vel Presbyteri ordinentur.

Sedulius. 460.

Ad 1. Timoth. 3. *Diaconi sint vnius vxoris viri.*) Non vt haberent dicit, sed ne duas habuerint.

Hilarius PP. 465.

Epistola ad Ascanium, & vniuersos Episcopos Tarraconenses: Ordinatos Episcopos hac ratione firmamus,

mariti, si nec viduarum maritus fuerit quisquam, & in vnius virginis nuptias & vota conuenerit, &c.

Romanum Concilium sub Hilario Papa. 466.

Cap. 2. Cauendum ergo imprimis est, ne ad sacratos gradus quisquam qui vxorem non virginem duxit aspiret: repellendus est etiam quisque, qui in secundæ vxoris nuptias contra Apostolica præcepta peruenit.

Gennadius Massiliensis. 470.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 72. Maritum duarum post baptismum matronarum clericum non ordinandum (*dicimus*.) neque eum, qui vnam quidem, & concubinam, non matronam habuit: nec illum, qui viduam, aut repudiatam, aut meretricem in matrimonio sumpsit.

Sidonius Apollinaris 480.

Lib. 7. *epist.* 8. *ad Perpetuum*: Eucherius & Panuichius ex Canone non requiruntur (*ad Episcopatum*,) qui ambo ad secundas nuptias transierunt.

Gelasius. 490.

Epistola 1. *cap.* 5. Nec fas esse confidat quisque Pontificum bigamos, aut coniugia sortientes ab alijs derelicta, siue quoslibet pœnitentiam agentes, diuinis seruituros applicare mysterijs.

Cap. 24. Secundas nuptias sicut secularibus inire conceditur, ita post eas nullus ad clericale sinitur venire collegium. Alia est enim humanæ fragilitati generaliter concessa licentia, alia debet esse vita diuinarum rerum seruitio dedicata.

Concilium Agathense. 506.

Cap. 1. Placuit de digamis, aut internuptarum maritis, quamquam aliud Patrum statuta decreuerunt, vt qui hucusque ordinati sunt, habita miseratione, Presbyteri vel Diaconi nomen tantùm obtineant, officium verò consecrandi Presbyteri, & ministrandi huiusmodi Diaconi non præsumant.

Concilium Epaunense. 517.

1.Tim.3 *Cap.* 2. Ne secundæ vxoris, aut renuptæ maritus Presbyter, aut Diaconus ordinetur, abundè sufficeret ab Apostolo constitutum: sed quia præceptum huiusmodi excedi quorundam fratrum simplicitate cognouimus, speciali obseruantia renouamus, sciente eo, qui contra interdictum ordinauerit, reum fratribus se futurum: illo autem, qui contra fas honorem prohibitæ benedictionis ambierit, nihil se clericalis ministerij præsumpturum.

Concilium Gerundense. 517.

Cap. 8. Si quis de laicis post vxorem, aliam cuiuscunque conditionis cognouerit mulierem, in clero nullatenus admittatur.

Concilium Aurelianense Tertium. 537.

Cap. 6. De ipsis quoque, qui ordinandi sunt, clericis regulari custodiatur studio, ne aut duarum vxorum vir, aut renuptæ maritus, aut pœnitentiam professus, &c. ad suprascriptos ordines promoueatur.

Primasius. 540.

Ad caput 3. prioris ad Timoth. *Vnius vxoris virum*:) Si illi nec hoc licet, quod vel laico licet, quid de cæteris sentiendum est? *Diaconi sint vnius vxoris viri.* Non vt si non habuerint, ducant, sed ne duas habuerint: si enim digniorem vxor facit, quare non & digami ordinentur?

Concilium Aurelianense IIII. 547.

Cap. 10. Si quis Episcoporum sciens aut bigamum, aut internuptæ maritum ad officium Leuiticæ dignitatis siue presbyterij, contra ius Canonum, promouere præsumpserit, nouerit se vnius anni spatio ab omni officio sacerdotij esse suspensum, &c. Illi verò, qui illicitè promoti sunt, regradentur.

Martinus Bracarensis. 570.

Græcarum Synodorum capitulo 43. Lector, si viduam alterius vxorem acceperit, in Lectoratu permaneat: aut si fortè necessitas sit, Subdiaconus fiat, nihil autem supra. Similiter & si bigamus fuerit.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 2. *Indictione* 10. *Epist.* 25. Præcipimus, ne vnquam illicitas ordinationes facias. Nec bigamum, aut qui virginem non est sortitus vxorem &c. ad sacros ordines permittas accedere.

Libro 3. *Indictione* 12. *epist.* 26. Sed ne vnquam ij, qui ordinati sunt, pereant, prouideri debet quales ordinentur, vt prius aspiciatur, si vita eorum continens in annis plurimis fuit, si studium orationis, si eleemosynæ amorem habuerunt. Quærendum quoque est, ne fortè fuerit bigamus.

Lib. 11. *Indict.* 6. *epist.* 8. De quodam digamo requisiti, an ad sacrum ordinem potuisset accedere, iuxta Canonicam regulam omnino vetuimus. Absit enim ne vestris temporibus, in quibus tam multa pia ac religiosa agitis, aliquid contra Ecclesiasticum institutum fieri permittatis.

Isidorus Hispalensis. 620.

De officijs Ecclesiasticis lib. 2. *cap.* 5. *de sacerdotibus*: Leuit.21 Quòd verò vnius matrimonij virginalis sint, qui eliguntur in ordinem pontificatus, & in veteri lege mandatum est, & plenius scripsit Apostolus, dicens: *Vnius vxoris virum*. Sacerdotem quærit Eccle- 1.Tim.3. sia aut de monogamia ordinatum, aut de virginitate sanctum. Digamus autem haud fertur agere sacerdotium.

Concilium Toletanum IIII. 640.

Cap. 18. Non promoueantur ad sacerdotium, qui secundæ vxoris coniunctionem sortiti sunt, aut numerosa coniugia frequentauerunt: qui viduam, vel à marito relictam duxerunt, aut corruptarum mariti fuerunt, qui concubinas aut fornicarias habuerunt.

Gregorius Secundus. 716.

Epistola 3. *ad Thuringos*: Bonifacio dedimus in mandatis, ne vnquam ordinationes præsumat illicitas, ne bigamum, aut qui virginem non est sortitus vxorem, ad sacros ordines permittat accedere.

Zacharias Papa. 740.

Epist. ad Bonifacium: Sacri Canones neque purum clericum, cui sacerdotium non est, secundis copulari nuptijs præcipiunt.

Carolus Magnus. 780.

Libro 6. *Legum Francicarum cap.* 93. Si sacerdotes plures vxores habuerint sacerdotio priuentur.

Haymo. 820.

Ad caput 3. prioris ad Timoth. *Vnius vxoris virum*, id est, qui ante quàm ordinetur, vnam vxorem debet habere, vt non sit bigamus, aut trigamus: postea verò penitus abstinere debet.

Rabanus Maurus. 840.

De Vniuerso lib. 4. *cap.* 10. Maritus duarum post baptismum matronarum clericus non est ordinandus: neque is, qui vnam quidem, sed concubinam, non matronam habuit: nec ille, qui viduam, & repudiatam, vel meretricem.

Hincmarus Rhemensis Episc. 860.

Epistola ad clerum Tornacensem: Cui his literis, &c, secundùm traditionem Ecclesiasticam, dedimus in mandatis, ne vnquam ordinationes præsumat illicitas, ne bigamum, aut qui virginem, si de coniugatis agendum est, non est sortitus vxorem, neque illiteratum, vel qualibet parte corporis vitiatum, aut ex publica pœnitentia, vel cu-

ria,

ria, aut cuilibet conditioni obnoxium, notatumq; ad sacros ordines permittat accedere. Sed etsi quos huiusmodi fortè repererit, respectu diuino non audeat promouere.

Epistola ad Clerum Beluacensem: Cùm Canones dicant: nullus ex laicis ordinetur, demonstrant, quòd non de omnibus sit laicis constitutum. Neque enim clerici nasci, & non possunt fieri: sed designata sunt genera, de quibus ad clericatum peruenire non possunt, id est: si quis fidelis militauerit, si quis fidelis causas egerit, hoc est, postulauerit: si quis fidelis administrauerit, &c. si quis publicam poenitentiam pro culpis criminalibus egit: si quis bigamus, vel qui maritus viduæ fuit, vel si concubinam, vel pellicem nouit.

Leo Nonus 1049.

Contra Nicetam monachum in cap. Seriatim: Seriatim & apertè prosequamur, quod sancta Romana Ecclesia de gradibus clericorum ait: Clericos, Ostiarios, Lectores, Exorcistas, Acolythos, si extra votum & habitum monachi inueniantur, & continentiam profiteri noluerint, vxorem ducere virginem cum benedictione sacerdotali permittuntur: non autem viduam, aut repudiatam: quia propter hoc deinceps nec ad Subdiaconatum proueh poterunt: quia nec laicus, nisi virginem sortitus vxorem, aut digamus, ad clericatum potest ascendere.

Petrus Damianus. 1050.

Epist. 12. cap. 12. Quædam sunt in Ecclesia, quæ superflua quidem videntur, quantum ad humani generis rationem: diuina autem sunt, si ad virtutis intimæ sacramentum respicias. Quis enim non miretur in Canonicis esse sententijs, bigamum quempiam nullatenus posse ad sacerdotium promoueri: in fornicationem verò lapsum etiam sacerdotem peracta poenitentia ad pristini iuris officium reuocari? &c. Sicut Christus vir est vnius sponsæ, totius scilicet Ecclesiæ sanctæ, quæ procul dubio virgo est: quia fidei integritatem inuiolabiliter seruat: ita quilibet sacerdos vnius vxoris vir esse præcipitur, vt illius summi sponsi preferre imaginem videatur. In bigamis itaque non mensura peccati, sed forma potius inquiritur sacramenti. Atque in eorum damnatione non reatus aliquis vltione abscinditur, sed mystica veri sacerdotij regula custoditur. Alioquin quomodo inter crimina nominetur, quod licenter fieri Apostolica doctrina permittitur? Sed sacri Canones eos, qui secundas nuptias improbant, inter Nouatianorum hæresin notant.

Anselmus. 1080.

Ad cap. 3. prioris ad Timoth. Oportet pastorem esse vnius vxoris virum, id est, qui vnam vxorem habuerit, non habeat secundam, &c. *Diaconi sint vnius vxoris viri*, id est, non ordinetur Diaconus, qui duas aut plures habuerit vxores, sed qui tantùm vnam habuit, & ei non misceatur postquam ordinatus fuerit. Ita sint Diaconi viri singularium vxorum.

Alexander Tertius. 1160.

Extra. libro 2. de clericis coniugatis cap. Sanè. Prouideas attentius, ne deinceps clericus coniugatus ad Ecclesiastica beneficia, vel sacros ordines, aut administrationes Ecclesiasticas admittatur: nisi fortè castitatem voueret perpetuam, & qui vnicam & virginem habuisset vxorem.

Lucius Tertius. 1180.

Extra. de digamis cap. 2. Super eo, quod tua fraternitas de digamis quæsiuit, respondemus, quòd ordinatores eorum potestate & officio ordinandi, & ordinati, si ad sacros ordines fuerint promoti, eis [illegible] priuandi, quia in digamis contra Apostolum dispensare non licet, vt debeant ad sacros ordines promoueri, vel in eis, si promoti fuerint, remanere. In ordinatore autem potest dispensatio adhiberi, vt ordinandi potestate & officio non priuetur.

Gregorius Decimus. 1180.

Sexto Decretalium titulo de digamis cap. 1. Altercationis antiquæ dubium præsentis declarationis oraculo decidentes, digamos omnis priuilegio clericali declaramus esse nudatos, & coercitioni fori secularis addictos, consuetudine contraria non obstante. Ipsis quoque sub anathemate prohibemus deferre tonsuram, vel habitum clericalem.

Celestinus III. 1190.

Extra. de digamis cap. 3. De digamis presbyteris, & viduarum maritis idem sancimus omninò, vt nec viuentibus vxoribus, nec defunctis ad diuinorum debeant celebrationem admitti, maximè cùm à doctrina sit Apostoli, & institutionibus Ecclesiæ alienum.

Innocentius Tertius. 1200.

Extra. de digamis cap. 4. Cum huiusmodi clericis, qui quantum in ipsis fuit secundas mulieres sibi matrimonialiter coniunxerunt, tamquam cum digamis non liceat dispensare, licet in veritate digami non existant, non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto.

Thomas Aquinas. 1250.

Tertia parte Summæ quæstion. 66. in corpore quæst. Aliquis per Sacramentum ordinis minister Sacramentorum constituitur, & ille, qui alijs Sacramenta ministrare debet, nullum defectum in Sacramentis pati debet: defectus autem in Sacramento est, quando Sacramenti signatio integra non inuenitur. Sacramentum autem matrimonij significat coniunctionem Christi ad Ecclesiam, qui est vnius ad vnam. Et ideo requiritur ad perfectam significationem Sacramenti, quòd vir sit tantùm vnius vir, & vxor sit tantùm vnius vxor: & ideo bigamia, quæ hoc tollit, irregularitatem inducit. Et sunt quatuor modi bigamiæ. Primus est, cùm quis plures habet vxores de iure, successiuè. Secundus, cùm simul habet plures, vnam de iure, alteram de facto. Tertius, cùm habet plures successiuè, vnam de iure, aliam de facto. Quartus, quando viduam ducit vxorem: & in omnibus his est irregularitas adiuncta. Alia autem causa consequens assignatur, quia in illis, qui accipiunt Sacramentum ordinis, maxima spiritualitas debet apparere: tum quia spiritualia ministrant, scilicet Sacramenta: tum quia spiritualia docent, & in spiritualibus occupari debent. Vnde cùm concupiscentia maximè spiritualitati repugnet, per quam totus homo caro efficitur, non debet aliquod signum concupiscentiæ permanentis in eis apparere, quod quidem apparet in bigamis, qui vna vxori contenti esse noluerunt: tamen prima ratio est melior.

Bonauentura. 1260.

Super 4. Sentent. dist. 25. quæst. 3. in corp. quæst. Sacramentum Ordinis abundat in alijs in ratione signandi, quòd non solùm illud, quod exhibetur exterius signat, imò ipse suscipiens signum est, & signat ipse Episcopus consecratus, vel Presbyter ordinatus ipsum Christum: & in hac proprietate differt ab alijs Sacramentis, præter quàm à matrimonio, in quo ipse vir, qui est subiectum ipsius Sacramenti, signum est ipsius Christi, sicut mulier est signum Ecclesiæ, & ita concurrunt ad idem significandum. Quoniam ergo de significatione ordinis primaria est, quòd ordinatus

signi-

significet Christum, vt sponsum Ecclesiæ; & hoc non potest significare bigamus, qui habuit viduam vxorem: quoniam Ecclesia vnicum habet sponsum, & Episcopus vnicam habet sponsam: hinc est, quòd tales inepti sunt ad ordines, maximè principales & sacros, in quibus homo iam incipit expresśè figurare Christum. Vnde bigamia reddit ineptum ad Diaconatum, & Subdiaconatum, & Sacerdotium, & potisśimè ad Episcopatum: & ideo in his ordinibus nunquam legitur dispensatum, nec dispensari debet: non quia Sacramentum essentialiter deficiat, imò bigamus recipit characterem: sed quia perfectio Sacramenti in ipso deficit, quę nulla ratione potest suppleri per hominem, nec repensari: tamen in ordinibus inferioribus ex causa necesśitatis dispensationem recipit.

Richardus de Media villa. 1280.

Lib. 4. distinct. 28. artic. 4. quæst. 4. Cùm bigamum non ordinari Apostolicum sit præceptum, cum bigamo dominus Papa dispensare potest: tamen quia non decet hoc faciliter fieri, propter reuerentiam Apostolorum, ideò cum bigamis dominus Papa non dispensat, nisi exigente necesśitate.

Ioannes Scotus. 1300.

Lib. 4. Sentent. distinct. 33. quæst. 2. Causa, quare congruit bigamum arceri ab ordinibus sacris, vna communiter ponitur ab omnibus, defectus Sacramenti. Et arguitur sic: Sacerdos, tamquam Christi vicarius, in Ecclesia repræsentans personam Christi, non debet habere aliquid repugnans Christo, in comparatione Christi ad Ecclesiam, & è conuerso. Nunc autem Christus est vnicus sponsus vnius Ecclesiæ, & Ecclesia est vnica sponsa vnici sponsi Christi. Ergo habens oppositum huius non rectè signat vel repręsentat Christum in Ecclesia. Sed bigamus, qui habuit duas, vel vnam, quæ fuit duorum, habet aliquid repugnans isti coniunctioni Christi & Ecclesiæ, Ergo.

Thomas VValdensis. 1410.

Tomo 3. titul. 7. cap. 67. Non propter peccatum, sed propter legem ab ordine sacro bigami arcentur. Et quamuis lex pondus auctoritatis habet, quia diuina, additur tamen auctoritati honestas, vt in aliquo præcedat populum castitas sacerdotis. Additur item ratio, vt ratio legis conditæ sit ratio Sacramenti. Sacramentum autem est, vt in eo significetur totius Ecclesiæ vnitas Christo subdita vni viro. Quòd item signaculum gerit sacerdos vice Christi ad plebem. Vnde sicut nec Christus potest esse vel carne, vel spiritu bimaritus.

Ioannes Gerson. 1420.

Distinctione magistrali de modo excommunicationis: Est excommunicatio seu irregularitas duplici differentia; quædam est omninò sine peccato, quædam ex peccato existente vel præsumpto. Exemplum primi, sicut bigamia, sicut iudicium latum in causa sanguinis ex officio, &c. quæ distrahunt & impediunt ab exercitio diuinarum ministrationum, nec non & ab ordinum susceptione repellunt.

ARTICVLVS OCTAVVS.

CLERICORVM IMMVNITATEM.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ 360. *IVLIANVS Apostata clericis omnem immunitatem, honorem, & frumenti congiaria, ipsis à Constantino donata, legesque eorum causa conditas abrogauit, & eos denique curijs addixit.* Sozomenus lib. 5. cap 5.

700. *Vitiza Hispaniarum rex flagitiosus Ecclesiarum priuilegia & prærogatiuas violat, Iudæos reuocat, & eos maioribus immunitatibus quàm quibus Ecclesia solet gaudere donat.* Rodericus Toletanus lib. 3. cap. 16. & Ioannes Vasæus in Chronicis Hispaniæ.

1329. *Petrus de Cugnerijs impugnauit Ecclesiasticam immunitatem.* Petrus Bertrandus libro aduersus eum scripto.

1350. *Marsilius Paduanus, & Ioannes de Ianduno docuerunt ipsum etiam Christum non fuisse liberum à soluendis tributis, & quòd Matth. 17. tributum soluit, id fecisse non voluntate, sed necessitate.* Ioannes de Turre Cremata lib. 4. Summæ de Eccles. part. 2. cap. 37.

1516. Erasmus Roterodamus ad cap. 17. Matthæi: *Videtur Hieronymus hoc loco id arrogantiæ tribuere, quòd Ecclesiastici grauantur tributum pendere principibus, cùm hodie summa pietas habeatur pro immunitate clericorum modis omnibus digladiari.*

1525. Martinus Lutherus responsione ad librum Ambrosij Catharini: *Barrabam latronem dimittunt (Papistæ,) non contenti Iesum ligasse, & perdidisse, hoc est, vulgus hoc clericale priuilegijs exuunt ab omnibus oneribus & laboribus hominum, vt in otio, securitate, opulentiaque securissimam Sodomam viuant.*

Martinus Bucerus ad cap.17.Matthæi: *Hic verò liquet, quàm nulla ratio fuerit* [illegible] *vocant Ecclesiasticam. Quis sanctior Christo? quis spiritalior? quis diuinis rebus addictior?* [illegible] *gnitate præstantior? attamen homo factus, serui formam & personam adeò non fastidiuit,* [illegible] *abiectionis & seruitutis detractarit.*

Augustinus Marloratus ad cap.17.Matth. *Quòd si in tributo soluendo enituit Petri primatus,* [illegible] *ista, quam sibi arrogant, immunitas?*

Ioannes Caluinus ad cap.27.Ieremiæ vers.12. *Clerus Papalis magnificè iactat suam immunitatem,* [illegible] *quæ nihil aliud est, quàm scelerum licentia.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 47. vers. 20. Emit igitur Ioseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis, subiecitque eam Pharaoni, & cunctos populos eius, à nouissimis terminis Ægypti, vsque ad extremos fines eius: præter terram sacerdotum, quæ à rege tradita fuerat eis, quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas. 26. Ex eo tempore vsque in præsentem diem in vniuersa terra Ægypti regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.

1. *Esdræ 7. 24. in epistol. Artaxerxis regis:* Vobis quoque notum facimus de vniuersis Sacerdotibus, & Leuitis, & cantoribus, & ianitoribus, Nathinæis, & ministris domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.

3. *Esdræ 8. 24.* Vobis autem dicitur, (*scribit Artaxerxes*) vt omnibus Sacerdotibus, & Leuitis, & sacris cantoribus, & seruis templi, & scribis templi huius nullum tributum, neque vlla alia indictio irrogetur, nec habeat quisquam potestatem obijcere eis quicquam.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Constantinus Primus Imperator. 320.

Epistola ad Auilinum Proconsulem Africæ: Quoniam multis argumentis constat, religionem, in qua summus & perfectus cultus sacrosanctæ & cælesti Dei potentiæ debitus omnino consistit, neglectam & contemptam, magna pericula Reipub. attulisse: eandemquè sanctè augusteque obseruatam, tum maximam Romano nomini ac splendori prosperitatem, tum eximiam omnibus hominum rebus felicitatem (diuina beneficentia illud largiente) apportasse: visum est, vt illi homines, qui debita cum sanctimonia, & assidua legis diuinæ obseruatione, sua ministeria huic diuinæ religioni excolendæ impertiant, Auiline honoratissime, pro laboribus suis digna præmia reportent. Quare eos, quia in prouincia tuæ fidei concredita, in Ecclesia Catholica, cui Cecilianus præest, huic sanctæ religioni sedulò inseruiunt (quos Clericos nominare solent) ab omnibus omnino communibus & ciuilibus Rerump. ministerijs immunes & solutos volo: vt nullo modo per errorem, vel per sacrilegam ac profanam prolapsionem, quæ in huiusmodi negotijs accidere solent, à cultu diuinæ maiestati debito abstrahantur, sed absque vlla molestia propriæ legi obsequium præstent. Qui quidem cùm sacrum numen summo honore & veneratione prosequantur, incredibile est, quantum Reipub. adiumenti videantur allaturi.

Constantinus Secundus Imp. 350.

Apud Iustinianum C. de Episcopis & Clericis l. 2. Omnis à Clericis indebitæ conuentionis iniuria, & iniquæ exactionis repellatur improbitas: nullaquè conuentio fit contra eos munerum sordidorum: &, cùm negotiatores ad aliquam præstationem competentem vocantur, ab his vniuersis eiusmodi strepitus conquiescat. Si quid enim vel parsimonia, vel prouisione, vel mercatura (honestati tamen conscia) congesserint: id in vsum pauperum atque egentium ministrari oportet: ad id, quod ex eorundem ergasterijs vel tabernis conquiri potuerit, & colligi, collectum id religionis existiment lucrum. Verùm etiam hominibus eorundem, qui operam in mercimonijs habent, Diui Principis genitoris mei statuta multimoda obseruatione cauerunt, vt ijdem clerici priuilegijs pluribus redundarent. Itaque extraordinariorum munerum à prædictis necessitas atque omnis molestia conquiescat. Ad parangariam quoque præstationem non vocentur, nec eorundem facultates atque substantiæ. Omnibus clericis huiusmodi prærogatiua succurrat, vt & coniugia clericorum, ac liberi eorum quoque, & ministeria, id est, mares pariter ac fœminæ, eorumquè etiam filij & filiæ immunes semper ab huiusmodi muneribus perseuerent.

Constantius Imp. 350.

Epistola ad Episcopos Catholicæ Ecclesiæ: Non est derelictus à Dei gratia reuerendissimus Athanasius, tametsi ad breue tempus humanæ probationi subiectus fuerit. Iustum enim, debitumquè iam ab omnia ferente & sustinente prouidentia calculum retulit, eò quòd & voluntate Optimi, & iudicio nostro patriam & Ecclesiam, quam antea diuino nutu possedit, recipiat: ad quem congruentia etiam à nostra humanitate perferri oportet, adeò vt omnia, quæ antea contra eos, qui cum eo communionem celebrârunt, decreta fuêre, obliuioni tradi velim, omnisquè deinceps suspicio contra aboleatur, & immunitas, quam olim habuêre ipsius Clerici, firma illis & rata (prout decet) conseruetur.

Extat apud Athanasii Apolog. 2. contra Arianos.

Valentinianus, Valens, & Gratianus. A A A. 377.

Apud Iustinianum C. de Episcopis & Clericis l. 6. Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, atque Exorcistas, & Lectores, Ostiarios, & Acolythos etiam, personalium munerum expertes esse præcipimus.

Theodosius & Valentinianus. 390.

Apud Iustinianum C. de sacrosanctis Ecclesijs l. 9. Qui sub prætextu Decanorum, seu collegiatorum, cùm id munus non impleant, alijs se muneribus conantur subtrahere, eorum fraudibus credimus esse obuiandum: ne quis sub specie muneris, quod minus exequitur, alterius muneris, oneribus releuetur: ne argentariorum vel numulariorum munera declinentur ab his, qui dici tantummodò collegiati vel decani festinant.

Honorius & Theodosius A A. 400.

Apud Iustinianum C. de sacrosanctis Ecclesijs l. 5. Placet, rationabilis consilij tenore perpenso, distracta moderatione præscribere, à quibus specialiter necessitatibus singularum vrbium Ecclesiæ habeantur immunes. Prima quippe illius vsurpationis contumelia depellenda est, ne prædia vsibus cælestium secretorum dedicata, sordidorum munerum fæce vexentur. nil extraordinarium abhinc superinductumue flagitetur, nulla translationum solicitudo signetur. Postremò nihil præter Canonicam illationem, quam aduentitiæ necessitatis sarcina repentina poposcerit, eius functionibus ascribatur. Si quis contra venerit, post debitæ vltionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos iure promenda est, exilio deportationis perpetuò subdatur.

C. de Episcopis & clericis l. 17. Placet nostræ clementiæ, vt nihil commune Clerici cum publicis actionibus, vel ad curiam pertinentibus, cuius corpori non sunt annexi, habeant.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 65. in Genesin: *Hoc mandatum posuit eis Ioseph, vt ita tributum penderent Pharaoni, excepta sola sacerdotum terra.* Audiant, qui nunc viuunt, quantam olim sacerdotum idolorum curam habuerint, & discant, vt vel saltem parem habeant honorem his, quibus omnium Dei ministerium creditum, & qui sacerdotio insigniti sunt. Si enim errantes illi, & tantam idolorum curam habentes, quia ex hoc putabant idola magis coli, si ita eorum ministros colerent: quanta non condemnatione digni, qui nunc imminuunt, quod ad illorum spectat cultum? An nescitis quòd honor ad Deum ipsum pertinet? Ne igitur respicias eum, cui honos confertur. Non enim propter illum debes quod tuum est facere, sed propter illum, cuius sacerdos est, vt & ab illo retributiones vbertim accipias.

Sozomenus. 440.

Lib. 1. cap. 9. Illud porrò est planè maximum reuerentiæ Imperatoris erga religionem argumentum, quòd clericos vbique per legem ob eam rem conditam immunitate donari voluit: quodque illis, qui erant in iudicium vocati, dedit potestatem, si modo animum inducerent, magistratus ciuiles reijcere, ad Episcoporum iudicium prouocandi.

Libro 3. cap 16. de Constante & Constantio A A. Istas res quoque auxère Imperatores, qui non minus studij in Ecclesijs amplificandis, quàm pater posuerunt, clericis, liberis eorum, & familiæ eximios honores, & immunitatem quoque tribuerunt.

Cap. 20. Dedit præterea *Constantius* mandatum, vt literæ contra Athanasium, & eius communionis particepes scriptæ, è tabulis publicis eximerentur, atque vt clerici quoque illius pristina immunitate, quæ ipsorum ministerijs tributa fuerat, fruerentur.

Libro 6. cap. 3. Iouinianus Imperator Ecclesijs, & clericis, viduis, & virginibus immunitatem reddidit: & si quid aliud vel ad commodum, vel ad honorem religionis nostræ à Constantino ac liberis suis aut donatum, aut lege sancitum fuisset, postea autem à Iuliano illis ablatum.

Valentinianus & Marcianus. 550.

C. De sacrosanctis Ecclesijs l. 12. Priuilegia, quæ generalibus constitutionibus vniuersis sacrosanctis Ecclesijs orthodoxæ religionis retro Principes præstiterunt, firma & illibata in perpetuum decernimus custodiri.

Leo & Anthemius A A. 470.

C. de Episcopis & clericis l. 35. Omnia priuilegia, quæ à retro Principibus, aut à nostra serenitate, vel iudiciarijs dispositionibus aut liberalitatibus, pro singulis quibuscunque temporibus ex consuetudine, vel constitutione, siue circa ius metatorum siue in alijs quibuslibet rebus præstita sunt orphanotrophijs, siue asceterijs, vel Ecclesijs, aut prochotrophijs, seu Zenodochijs, vel monasterijs, atque cæteris omnibus, ac etiam rebus iuris eorum ad curam œconomi viri religiosissimi Presbyteri & orphanotrophi, vel ad eos, qui post eum loco eius successerint, pertinentibus, ad similitudinem Zotici beatissimæ memoriæ, qui primus huiusmodi pietatis officium inuenisse dicitur, per hanc pragmaticam sanctionem firma, illibataque in perpetuum custodiri decernimus. Valde etenim hoc videtur esse necessarium, cùm exinde sustentatio vel educatio orphanis atque egenis, & vsibus Ecclesiasticis, ac prochotrophijs, & asceterijs comparetur. Domus etiam, aliasque superius nominatas ad curam memorati viri pertinentes, vel postmodum quolibet modo ad eius solicitudinem vel eorum, qui post eum ad eiusdem orphanotrophij curam vocati fuerint, peruenturas, ad instar maioris venerabilis Ecclesiæ huius inclytæ vrbis omnibus priuilegijs, quæ eadem sancta Ecclesia, vel nunc adipiscitur, vel postea merebitur, perpetuò potiri pietatis intuitu decernimus.

Iustinianus Imp. 530.

C. de Episcopis & clericis l. 52. Generaliter sancimus, omnes viros Reuerendissimos Episcopos, nec non Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, & præcipuè Monachos, licet non sint Clerici, immunitatem ipso iure omnes habere tutelæ siue testamentariæ, siue legitimæ, siue datiuæ: & non solùm tutelæ eos esse expertes, sed etiam curæ non solùm pupillorum & adultorum, sed & furiosi, & muti, &c. Eos tamen clericos, & Monachos huiusmodi habere beneficium sancimus, qui apud sacrosanctas Ecclesias, vel monasteria permanent, non diuagantes, neque circa diuina ministeria desides: cum propter hoc ipsum beneficium eis indulgeamus, vt alijs omnibus derelictis, Dei omnipotentis ministerijs inhæreant. Et hoc non solum in veteri Roma, vel in hac regia ciuitate, sed & in omni terra, vbicunque Christianorum nomen colitur, obtinere sancimus.

Leo Philosophus Imp. 870.

Constitutione 68. Veteribus quidem legislatoribus (cùm, vt simile veri est, vniformis & simplex tunc temporis tutela esset, ijque soli, qui pupillorum tuitionem susciperent, tutorum nomine censerentur) edicere visum est, ne Monachi, aut quoscunque sacer ordo deuinctos habet, tutorem officio fungantur. Et certè quidem id rectè edixère. Intellexerunt enim, qui diuino ministerio consecrati sunt, hos ab externarum re-

rum occupationibus & molestijs liberos esse oportere. Quantum autem alendorum alioquíque regendorum puerorum cura hominum animos distrahat, vtque Deum debitè colere non possint, impediat, nemo ignorat. Cùm itaque non exigua difficultas isti rei insit, ac præcipuè propter temporis diuturnitatem (tota enim plerumque vita tutores laboriosis istis curis irretiti tenentur rectè (quomodo dixi) istud illi decretum promulgârunt.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Anacletus. 90.

Epist.1. Priuilegia Ecclesiarum & sacerdotum sancti Apostoli iussu Saluatoris intemerata, & inuiolata omnibus decreuerunt manere temporibus. Leges Ecclesiæ Apostolica firmamus auctoritate, & peregrina iudicia submouemus.

Hieronymus. 390.

Ad cap.17. Matthæi, agens de tributo à Christo soluto: Quòd si quis obijcere voluerit, & quomodo Iudas in loculis portabat pecuniam? Respondebimus, rem pauperum in vsus suos conuertere nefas putauit: nobisquè idem tribuit exemplum.

Gregorius Turonensis. 580.

Historiæ Francorum lib.10.cap.7. In supradicta verò vrbe Childebertus rex omne tributum tam Ecclesijs, quàm Monasterijs, vel reliquis clericis, qui ad Ecclesiam pertinere videbantur, aut quicunque Ecclesiæ officium excolebant, larga pietate concessit. Multum enim iam exactores huius tributi expoliati erant, eò quòd per longum tempus, & succedentium generationes, ac diuisis in multas partes ipsis possessionibus, colligi vix poterat hoc tributum.

Concilium Toletanum III. 589.

Cap.21. Quoniam cognouimus in multis ciuitatibus Ecclesiarum seruos, & Episcoporum, vel omnium clericorum à iudicibus vel actoribus publicis in diuersis angarijs fatigari. Omne Concilium à pietate gloriosissimi domini nostri poposcit, vt tales deinceps ausus inhibeat, sed serui suprascriptorum officiorum in eorum vsibus, vel Ecclesiæ laborent. Si quis verò iudicium, aut actorum, clericum, aut seruum clerici, vel Ecclesiæ in publicis ac priuatis negotijs occupare voluerit, à communione Ecclesiastica (cui impedimentum facit) efficiatur extraneus.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 7. Indict. 2. epist. 116. Theodorico & Theodberto regibus Francorum: Cùm regni vestri nomen inter cæteras gentes gratia olim Christianæ religionis effulserit, valde studendum est, vt vnde gloriosiores cæteris gentibus eminetis, inde omnipotenti Deo, qui dat salutem regibus, perfectius placeatis, & fidem, quam colitis adiutricem in omnibus habeatis, &c. Audiuimus autem, quia Ecclesiarum prædia tributa nunc præbeant, & magna super hoc admiratione suspendimur, si ab eis illicita quærantur accipi, quibus etiam licita relaxantur.

Concilium Toletanum IIII. 640.

Cap.46. Præcipiente domino nostro atque excellentissimo Sisenando rege, id constituit sanctum Concilium, vt omnes ingenui clerici, pro officio religionis, ab omni publica indictione atque labore habeantur immunes, vt liberi Deo seruiant, nullaque prædicta necessitate ab Ecclesiasticis officijs retrahantur.

Beda. 700.

Ad cap.47. Genes. Terra sacerdotum, quæ libera fuit, significat Ecclesiam liberam esse à censu mundi.

Ad cap.7. Esdræ: Hoc priuilegio, quo sacerdotes, & Leuitæ, & cæteri domus Dei ministri à vectigalibus immunes redduntur, manifestè ostenditur, quòd cætera plebs filiorum Israel ad patriam perueniens tributa regi pendebat. Quod discreta omnimodo prouisione rex fecisse cognoscitur, vt hi, qui in seruitio diuino semper occupati erant, à suo famulatu essent liberi: quiquè nil in terra proprium possidebant, sed ex decimis populi viuebant, ab his nemo tributa soluenda exigeret.

Ethelbaldus rex Anglorum. 740.

Apud Guilhelmum lib.7. cap.67. Donatione me viuente concedo, vt omnia Monasteria, & Ecclesiæ regni mei à publicis vectigalibus in operibus & oneribus absoluantur, nisi in structionibus arcium & pontium, quæ nulli relaxari possunt. Præterea habeant famuli propriam libertatem in fructibus syluarum, & agrorum, & captura piscium, nec munuscula præbeant vel regi, vel principibus, nisi voluntaria, sed liberè Deo seruiant.

Carolus Magnus. 780.

In Priuilegio dato VVihoni Episcopo Osnaburgensi: Insuper verò eidem Episcopo, eiusquè successoribus perpetuam concedimus libertatem, & ab omni regali imperio absolutionem, nisi fortè contingat, vt Imperator Romanorum, & Rex Græcorum coniugalia fœdera inter filios eorum contrahere disponant. Tunc Ecclesiæ illius Episcopus, cum sumptu à rege vel Imperatore adhibito, laborem simul & honorem illius legationis assumet. *Apud Crantzium lib.1.cap.2. Metropolis.*

Libro 6. Legum cap.107. Possessiones ad religiosa loca pertinentes nullam descriptionem agnoscant, nisi ad constitutionem viarum vel pontium, si tamen intra eadem loca habuerint possessiones, in alijs verò omnibus habeant integram immunitatem.

Cap.109. Quæcunque à singulis regibus circa sacrosanctas Ecclesias sunt constituta, vel singuli quique Antistites pro causis Ecclesiasticis impetrârunt, sub pœna sacrilegij, iugi solidata æternitate seruentur.

Cap.110. Priuilegia, quæ Ecclesijs & Clericis à singulis regibus vel Episcopis, cæterisque rectoribus sunt concessa, semper maneant incorrupta.

Capite 186. Cuncta, quæ circa sanctarum loca Ecclesiarum, eiusquè ministros, vel olim ordinauit antiquitas, vel antecessorum nostrorum auctoritas religiosa constituit, vel nostra roborauit Serenitas, illibata custodiri nunc & in futurum præcipimus.

Cap.187. Placuit, ne prædia cælestium secretorum dicata, Deoquè tradita à quibusdam aliqua occasione vexentur, aut inundantur: sed sub immunitatis tuitione perpetua firmitate perdurent. Similiter & homines earum, & omnia, quæ eis subiecta esse noscuntur. Si quis contrauenerit, componat, sicut de immunitate constituimus, & pœnitentia publica à sacerdotibus vsque ad satisfactionem mulctetur.

Pipinus Rex Italiæ. 800.

De legibus Francicis lib.5. tit.24. Et hoc constituimus, vt immunitates, quæ sunt à dicto patrono (*Carolo rege*) confirmatæ, in omnibus conseruatæ

seruatæ debeant permanere, sicut iussio ipsius Caroli regis est.

Concilium Moguntinum. 833.

Cap.6.de immunitate rerum Ecclesiasticarum: Quisquis fastu superbiæ elatus, domum Dei ducit contemptibilem, & possessiones Deo consecratas, atque ad honorem Dei, sub regię immunitatis defensione constitutas, inhoneste tractauerit, vel infringere præsumpserit, quasi inuasor & violator domus Dei excommunicetur. Decet etiam vt indignationem ipsius domini regis sentiat, cuius beneuolentiæ contemptor, & constitutionis præuaricator extitit. Nihilominus tamen rex suæ concessionis immunitatem, ab omnibus ditioni suæ subiectis illæsam conseruari præcipiat: assensum verò non præbeat improuidè affirmantibus, non debere esse res Dominicas, id est, Domino dominantium deditas, ita sub defensione regis, sicut propriæ sunt hæreditates: magisque aduertat, quia quanto Deus excellentior est homine, tanto præstantior est diuina causa mortalium possessione.

Glossa Ordinaria. 840.

Ad cap. 47. Genesis: *Præter terram.* Hoc significat Ecclesiæ terram, in qua veri sunt sacerdotes, liberam esse à censu mundano, quæ verbo diuino indefinenter pascitur, nec damnum famis spiritualis sustinebit.

Rabanus Maurus. 840.

Lib. 4. in Genes. cap. 11. Quod dicitur sacerdotes non compulsos esse vendere possessiones, quia illis statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, significat terram Ecclesiæ, in qua veri sunt sacerdotes, liberam esse à censu mundiali, quæ verbo diuino indefinenter pascitur, nec damnum famis spiritualis vllum sustinebit.

Concilium VVormatiense. 866.

Cap.50. Sancitum est, vt vnicuique Ecclesiæ vnus mansus integer absque alio seruitio attribuatur. Et presbyteri in eis constituti, non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atrijs, vel hortis iuxta Ecclesiam positis, neque de præscripto manso aliquod seruitium faciant, præter Ecclesiasticum. Et si amplius aliquid habuerint, inde senioribus suis debitum seruitium impendant.

Concilium Lateranense sub Alexandro Tertio. 1180.

Parte 1. cap. 19. Non minus pro peccato eorum, qui faciunt, quàm pro illorum detrimento, qui sustinent, graue nimis esse dignoscitur quòd in diuersis partibus mundi rectores & consules ciuitatum, nec non & alij, qui potestatem habere videntur, tot Ecclesijs frequenter onera imponunt, & ita grauibus eas crebrisque exactionibus
Gen. 47 premunt, vt deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium videatur, quàm sub Pharaone fuerit, qui diuinæ legis notitiam non habebat. Ille quidem omnibus alijs seruituti subiectis, sacerdotes suos, & eorum possessiones, in pristina libertate dimisit, & de publico eis alimoniam ministrauit. Isti verò vniuersa ferè onera sua imponunt Ecclesijs, & tot angarijs eas affligunt, vt illud eis, quod Ieremias deplorat, competere videatur:
Thren.1 *Princeps prouinciarum facta est sub tributo.* Siue quidem fossata, siue expeditiones, siue quælibet alia sibi arbitrentur agenda, de bonis Ecclesiarum, Clericorum, & pauperum Christi vsibus deputatis, cuncta volunt ferè compilari. Iurisdictionem etiam & auctoritatem Episcoporum, & aliorum Prælatorum ita euacuant, vt nihil potestatis eis in suis videatur hominibus remansisse. Super quo dolendum est pro Ecclesijs, dolendum etiam nihilominus & pro ipsis, qui timorem Dei, & Ecclesiastici ordinis reuerentiam videntur penitus abiecisse. Quocirca sub anathematis districtione seuerius prohibemus, ne de cætero talia præsumant attentare, nisi Episcopus & Clerus tantam necessitatem vel vtilitatem aspexerit, vt absque coactione ad releuandas communes necessitates, vbi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda. Si autem Consules, aut alij de cætero id præsumpserint, & commoniti desistere fortè noluerint, tam ipsi, quàm eorum fautores excommunicationi se nouerint subiacere, nec communicationi fidelium reddantur, nisi satisfactionem fecerint competentem.

Concilium Lateranense sub Innocentio Tertio. 1215.

Cap. 46. Aduersus consules ac rectores ciuitatum, & alios, qui Ecclesias, & viros Ecclesiasticos tallijs, seu collectis, & exactionibus alijs aggrauare nituntur, volens immunitati Ecclesiasticæ Lateranense Concilium prouidere, præsumptionem huiusmodi sub anathematis districtione prohibuit, transgressores & fautores eorum excommunicationi præcipiens subiacere, donec satisfactionem impendant competentem.

Rigordus. 1220.

De gestis Philippi Regis Franciæ capite de libertate Ecclesiarum à Regibus concessa: Igitur Reges Francorum prædictas Ecclesias in sua libertate custodire cupientes, quibuscunque principibus terras custodiendas tradidissent, tamen Ecclesias sub potestate sua & protectione retinere decreuerunt, ne principes, quibus terra custodienda à regibus delegabatur, Ecclesias, vel clericos ibidem Domino seruientes, aliquibus angarijs, tallijs, vel alijs exactionibus grauare præsumerent. Veruntamen, quia Dux Burgundiæ Ecclesias terræ sibi commissæ huiusmodi exactionibus frequentibus contra Regias immunitates grauiter oppresserat, ideo Philippus Rex, audita religiosorum virorum conquestione, ipsum Ducem bis vel ter coram omnibus amicis suis benignissimè commonuit, quòd intuitu Dei, & per fidem, quam regno Francorum debebat, ablata prædictis Ecclesijs restitueret, & de cætero talia non præsumeret. Et si pecuniam illam Ecclesiæ restituere nollet, grauiter in ipsum vindicaret.

Fredericus Secundus Imp. 1230.

Constitutione de statutis & consuetudinibus contra libertatem Ecclesiæ cap. 1. Nos Fridericus Rom. Imperator semper Augustus, hac edictali lege irritamus, & irrita nuntiamus omnia statuta, & consuetudines, quæ ciuitates, vel loca, potestates, Consules, vel quæcunque aliæ personæ contra libertatem Ecclesiæ, vel Ecclesiasticas personas edere vel seruare aduersus Canonicas vel imperiales sanctiones præsumpserint, & ea de capitularibus suis mandamus, intra duos menses post huius publicationem edicti penitus aboleri; & si de cætero similia attentauerint, ipso iure decernimus esse nulla, & eos sua iurisdictione priuatos superiori protinus applicanda: nec non locum, vbi deinceps talia præsumpta fuerint, banno mille marcarum præcipimus subiacere: potestates verò, consules, rectores, statutarij, & scriptores dictorum statutorum, necnon & consiliarij locorum ipsorum, qui secundùm statuta vel consuetudines memoratas iudicauerint, sint ex tunc ipso iure infames: quorum sententias & actus alios illegitimos præcipimus aliquatenus non tenere. Quòd si per annum huius nostræ constitutionis inuenti fuerint contemptores: bona eorum per

...otum nostrum imperium mandamus impunè ab ...mnibus occupari: saluis nihilominus alijs pœ...s contra tales in generali Concilio promul...ari.

Cap. 2. Nulla potestas, vel persona publica, vel ...riuata collectas, siue exactiones, angarias, vel pa...angarias Ecclesijs, vel alijs pijs locis, aut Eccle...siasticis personis imponere, aut inuadere bona Ec...clesiasticâ præsumant: quod si fecerint, & requi...ti ab Ecclesia vel ab imperio emendare contem...serint, triplum refundant: & nihilominus ban...o imperiali subiaceant, quod absque satisfactio...e debita nullatenus remittatur.

Alexander Quartus. 1254.

Sexto Decretalium libro 5. titul. 23. de immunita...e Ecclesiarum: Quia nonnulli habentes tempora...e dominium, vel potestatis gerentes officium se...ularis, libertatem, & immunitatem Ecclesiasti...am lædere ac minuere tanquam honoris & pri...ilegij Ecclesiarum inuidi moliuntur: expedit, ...uòd per diligentiam & auctoritatem Sedis Apo...tolicæ (quæ curam habet Ecclesiarum omnium ...c tutelam) contra talium ausus & conamina op...ortunum remedium apponatur, vt Ecclesiæ ipsæ ...n plenitudine iuris sui, & libertatis integritate ...ætentur, ac detestabilis malignorum audacia, & ...nsolentium nefaria temeritas propulsetur. Sanè ...ntelleximus, quod in regno Franciæ communiæ, ...cabini, seu consules, & alij domini temporales, ...& ij, qui iurisdictionem in ipsis communijs, ci...uitatibus, castris, & villis temporalem exercent, ...vel quibus in illis commissa est executio iustitiæ ...ecularis, molesti sunt nimium Ecclesijs super plu...ribus & infesti: & inter cætera nituntur & stu...dent, vt illis collectas, & tallias, & alia huius...modi eædem Ecclesiæ prætextu bonorum, quæ ...cquisiuerunt, tribuant & persoluant, vel extra ...manum suam ponant huiusmodi acquisita. Vo...lentes itaque super his omnibus (prout expedit) ...olicitè prouidere, totque temerarijs ausibus con...ruis præsidijs obuiare, auctoritate Apostolica, ...ra habita cum fratribus nostris diligenti delibe...ratione, decernimus, non licere præfatis com...munijs, scabinis, & ijs, qui in eis iurisdictionem ...emporalem obtinent, &c. tallias, vel collectas, ...eu exactiones quascunque Ecclesijs vel personis ...Ecclesiasticis imponere, vel exigere ab ijsdem pro ...omibus, prædijs, vel quibuscunque possessioni...us ab eisdem Ecclesijs vel personis Ecclesiasticis ...egitimè hactenus acquisitis vel in posterum ac...quirendis.

Henricus Segusius Cardinalis Hostiensis. 1255.

Libro 3. Summæ aureæ de immunitate Ecclesiæ: Cle...rici non sunt à matutinarum vigilijs auocandi. 88. ...distinctione c. finali. 21. q. 3. Cyprianus. C. de Epi...scopis & clericis: Quisquis, & l. omnes, qui vbi...que. respon. 1. nisi fortè tanta immineat necessi...as, quòd de præcepto Episcopi aliud fiat, infra de ...egul. iuris. quod non est licitum. quæ legem non ...abet. de consecratione distinct. 1. sicut. & supra ...e obseruat. ieiun. consilium. per laicum autem ...ullatenus distinguatur. supra de constit. Eccles. ...erùm ad extraordinaria, quæcunque sint illa, ...iam superindicta, quæ semper & omnino pro...ibita sunt, nisi auctoritate Principis eant. C. su...erindicta l. vnica. lib. 10. quia non est munus pu...licum, nisi à lege, vel senat. consul. vel constitu...tione Principis inducatur. C. de vaca. mun. pub. ...vnica. lib. 10. omnes Ecclesiæ sunt immunes. 16. ...uæst. 1. §. Placet. C. de Sacrosanctis Ecclesijs. Pla...et. C. de Episcopis & clericis. l. 1. 2. & 3. & 3. Es...dræ S. vobis autem dicitur, vt omnibus Sacerdo...tibus, & Leuitis, & sacris Cantoribus, & seruis, ...scribis templi huius nullum tributum, nec vlla alia indictio irrogetur: nec quisquis potestatem habet obijcere eis: excipiunt leges ea, quæ pertinent ad pietatem: puta refectionem pontium, vel viarum. C. de sacrosanctis Ecclesijs, ad instructiones, vel vtilitatem publicam, in duobus casibus tantùm, scilicet cùm felix embola, vel Imperator transit. C. de sacrosanct. Eccles. Placet. l. iubemus. Ego puto, quòd hodie omnes sunt immunes à talibus, & maximè Ecclesiæ, respectu laicorum: nam omnes tales exactiones extraordinariæ indebitæ sunt condemnandæ, non obstante abusu contrario. & in authent. de Eccles. tit. §. ad hoc sancimus, & vt nulli iudicium. §. nulli verò licet. collat. 9. hoc est quod expresius dixit lex, scilicet quæ incipit, hac edictali. §. illicitas. cuius verba sunt hæc. Illicitas etiam exactiones, maximè ab Ecclesijs, quarum abusus iam per longa tempora inoleuit, per ciuitates, & castella, omnimodò condemnamus, & prohibemus: & si factæ fuerint, in duplum reddantur. Item alius, scilicet in quadam lege, quæ incipit: Ad decus & decorem. §. item nulla communitas, vel persona publica, vel priuata, collectas, siue exactiones, angarias, vel perangarias Ecclesiæ, alijsque pijs locis imponant, aut inuadere Ecclesiastica bona præsumant: quod si fecerint, & requisiti ab Ecclesia, vel imperio emendare contempserint, triplum refundant: & nihilominus banno imperiali subiaceant: quod absque satisdatione debita nullatenus remittatur. & nota, quòd omnes sunt illicitæ, nisi princeps præcipiat, vt dictum est, qui tamen ex causa hoc præcipere potest. infra de iniuria. in nostra. aliàs nihil est exigendum: quamuis etiam dicatur, quòd causa pietatis fit. in authent. de mand. prin. §. 1. & §. deinde competens. vbi est hoc expressum, etiam de his, quæ pietatem respiciunt. & §. non permittas, qui loquitur de consiliarijs quæstuosis. & §. eos autem. & præceden. & de defens. ciuit. §. sed neque. colum. iij. Episcopus etiam pro rebus Ecclesiæ suæ nullam molestiam patiatur, nec sportulas soluat, qui contra venerit, duplum restituat, & cingulo nudetur. in authent. de sanct. Episc. §. Sportularum. col. 9. per quæ omnia iura antiqua, quæ videntur suadere contrarium, corriguntur: cùm enim libertas fauorabilis sit, de facili præscribitur contra seruitutem. infra de priui. cùm olim. §. pen. & c. ex ore. §. fin. non sic econtra. C. de præscrip. quæ pro libertate, & non aduersus libertatem. l. fin. & Prætores fauent libertatibus. ff. de alien. iudi. mu. causa fac. l. 3. §. 1. vnde & fauores ampliantur, & odia restringuntur. ff. de li. & posthu. cùm quidam. & de iure naturali & primæuo, omnis res libera præsumitur. Instit. de libert. §. 1. Stabilis igitur debet esse libertas. Instit. de iure nat. §. sed naturali. & de facili redit res ad id, quod vis, & natura sibi ab initio concesit. ff. de pact. l. si vnus. §. pactus. versi. quòd si non toleret. & supra de censi. cùm venerabilis. ergo nisi res probetur serua, hodie præsumitur libera. C. de proba. siue possidetis.

Bonifacius Octauus. 1300.

Sexto Decretal. de immunitate Ecclesiarum: Clericis laicos infestos oppidò tradit antiquitas, quod & præsentium temporum experimenta manifestè declarant, dum suis finibus non contenti, nituntur in vetitum, ad illicita fræna relaxant, nec prudenter attendunt, quàm sit eis in clericos Ecclesiasticasve personas & bona interdicta potestas: Ecclesiarum Prælatis, Ecclesijs, Ecclesiasticisque personis regularibus & secularibus imponunt onera grauia, ipsosque talliant, & eis collectas imponunt, ab ipsis suorum prouentuum vel bonorum dimidiam decimam, seu vicesimam, vel quamuis aliam portionem, aut quo-

tam

tam exigunt, & extorquent: eosque moliuntur multifariè subijcere seruituti, suæque submittere ditioni: & (quod dolenter referimus) nonnulli Ecclesiarum Prælati Ecclesiasticæque personæ, trepidantes vbi trepidandum non est, transitoriam pacem quærentes, plus timentes maiestatem temporalem offendere, quàm æternam, talium abusibus non tam temerariè, quàm improuidè acquiescunt, Sedis Apostolicæ auctoritate seu licentia non obtenta. Nos igitur talibus iniquis actibus obuiare volentes, de fratrum nostrorum consilio, Apostolica auctoritate statuimus, quòd quicunque Prælati Ecclesiasticæque personæ, religiosæ vel seculares, quorumcunque Ordinum, conditionis seu status, collectas vel tallias, decimam, vicesimam, seu centesimam suorum & Ecclesiarum prouentuum vel bonorum laicis soluerint, vel promiserint, aut quamuis aliam quantitatem, portionem, aut quotam ipsorum prouentuum, vel bonorum æstimationis, vel valoris ipsorum sub adiutorij, mutui, subuentionis, subsidij, vel doni nomine, seu quouis alio titulo, modo, vel quæsito colore, absque auctoritate Sedis eiusdem: necnon Imperatores, Reges, seu Principes, Duces, Comites, Barones, Potestates, Capitanei, vel officiales, vel rectores quorumcunque locorum, qui talia imposuerint, exegerint, vel receperint, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant. Vniuersitates quoque, quæ in his culpabiles fuerint, Ecclesiastico supponimus interdicto. Prælatis & personis Ecclesiasticis supradictis in virtute obedientiæ & sub depositionis pœna districtè mandantes, vt talibus absque expressa licentia dictæ Sedis nullatenus acquiescant: quodque prætextu cuiuscunque obligationis, promissionis, & confessionis factarum hactenus, seu faciendarum in antea, priusquam huiusmodi constitutio, prohibitio, seu præceptum ad notitiam ipsorum peruenerit, nihil soluant, nec supradicti seculares quoquo modo recipiant: & si soluerint, vel prædicti receperint, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 47. Genes. *Et statuta cibaria ex horreis publicis.*) Ex hoc loco habetur, quòd illis, qui deputati sunt diuino cultui, debet de victu ab his, qui habent curam regendæ communitatis, prouideri.

Ad cap. 7. Esdræ, ad illa verba: *Vectigal, tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.* Personæ seruientes cultui diuino, & vacantes studio, debent à talibus esse immunes.

Petrus Bertrandus. 1330.

Aduersus Petrum de Cugnerijs pro Ecclesiastica libertate: Dicebat Petrus de Cugnerijs, quòd Christus ad dandum exemplum soluerat tributum, hoc enim est falsum. Vnde sicut apparet Genes. 41. Terra sacerdotum fuit libera & immunis ab omni tributo & seruitute præstanda. Et si Petrus bene inspexisset testimonium Matth. 17. Christus non soluit tributum, ad præstandum exemplum, imò prius probauit, quòd non tenebatur soluere, concludendo: *ergo liberi sunt filij*, &c. sed soluit propter scandalum vitandum: *vade ad mare*, &c. Sed fortè dicetur: Quia nos Ecclesiastici Christi exemplo ad euitandum scandalum debemus soluere: sed hoc non valet, quia duplex est scandalum, pusillorum scilicet, & Pharisæorum. Propter scandalum pusillorum, quod est ex ignorantia, & non ex malitia, sunt aliqua euitanda ad tempus, donec fuerint instructi, sicut dicit Apostolus Rom. 14. Sed propter scandalum Pharisæorum, qui peccant ex certa malitia, non est aliquid omittendum, sicut ipse Christus dicentibus Apostolis: *Scis quòd Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt*, respondit: *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Quia tempore Christi fuisset scandalum pusillorum, & nunc esset scandalum Pharisæorum: ideo tunc fuit soluendum propter scandalum vitandum, sed modò non.

Benedictus Vndecimus. 1334.

Extra. de immunitate Eccles. Quod olim per felicis recordationis Bonifacium Papam Octauum prædecessorem nostrum contra laicos exigentes, siue recipientes à Clericis & Ecclesiasticis personis tallias, decimam, vel aliam quotam, seu quantitatem aliquam de prouentibus bonorum suorum, aut Ecclesiarum, nec non aduersus soluentes, aut promittentes, vel consentientes se soluturos pœnis adiectis statutum est, quantum ad pœnas ipsas, ex causa de consilio fratrum nostrorum restringimus ad exigentes tantummodò, & ad exigendum dantes auxilium, consilium, vel fauorem, non autem quo ad easdem pœnas in soluentibus, aut recipientibus à sponte dantibus deinceps vendicet sibi locum. Cæterùm attendant solicitè Ecclesiarum Prælati & Clerici Lateranense Concilium, quod in huiusmodi subuentionibus non solùm casum necessitatis aut communis vtilitatis, vbi laicorum ad id non suppetant facultates, deliberatione prouida noscitur excepisse, & deinde generale statuisse Concilium.

Carolus Quartus. 1377.

In Legibus Franciciis: Etsi Imperialis benignitatis clementia quorumlibet deuotorum fidelium, quos sacrum Rom. ambit Imperium, ex officij debito teneatur necessitatibus & iniustis oppressionibus consulere, & de opportunis remedijs prouidere: ad illos tamen maximè mentis nostræ affectio, quos indebitè pati cognoscimus, quorumque oppressionibus Ecclesiastica libertas, quam semper nostris temporibus augeri volumus, in nihilum redigitur, & nimis indebitè pergrauatur, propendat. Sanè ad Imperialis maiestatis audientiam ex parte honorabilium, Præpositi, Decani, & aliorum Prælatorum & capituli Magdeburgensis Ecclesiæ deuotorum nostrorum dilectorum insinuatione, quæ querulosè suppliciter est deducta, peruenit, quòd seculares quidam in potestatibus, & officijs constituti, videlicet Comites, Duces, Barones, & alij domini temporales, necnon & Consules ciuitatum, villarum, oppidorum dictę Magdeburgensis, Moguntinensis, & Coloniensis prouinciarum, Dei timore postposito, statuta singularia, & iniquas ordinationes motu proprio, & de facto contra personas Ecclesiasticas, & Ecclesiarum libertates, & legitimas, ciuiles, & Canonicas sanctiones, puta quòd nulla bona temporalia in Ecclesiasticam libertatem transferantur, &c. Prædicti domini temporales tallias indebitè de bonis Ecclesiæ, & reditibus exigunt & extorquent, &c. quæ omnia & singula, ac inde secuta, cum per sacras & ciuiles & Canonicas sanctiones expressè reprobata sint, & in fraudem Ecclesiasticæ libertatis de facto præsumpta, de Principum, Comitum, Baronum, fideliumque nostrorum consilio, ex certa sententia Imperiali auctoritate cassamus, irritamus, & annullamus, &c.

Vrbanus Sextus. 1380.

Constitutione 2. Quia nonnulli diuersarum partium Principes, Marchiones, Duces, Comites, Barones, & alij nobiles, nec non potestates, Capitanei, baiuli, scabini, aduocati, rectores, alijque laici dominium, seu iurisdictionem in temporalibus obtinentes, non attendentes quòd laicis in clericos, & personas Ecclesiasticas, & illorum bona nulla sit attributa potestas, nihilominus mi-

ſtros Eccleſiæ, etiam interdum in dogmatibus nſtitutos, propria temeritate bannire, ſeu relegare, & proſcribere non verentur, &c. Nos aduerſus temeritatem huiuſmodi remedium apponere ...pientes, omnes & ſingulos talia præſumentes, & ...n huiuſmodi ſacrilegij participatores, & paraores exiſtunt, excommunicationis ſententiam incurrere, nec non quamlibet eorundem communitatum, ciuitates, terras, oppida, & alia loca, Eccleſiaſtico interdicto ſubiacere volumus ipſo facto, ...ulloſque ab eiſdem ſententijs per alium quàm ...omanum Pontificem, præterquam in mortis arculo poſsit abſoluere, nec interdictum huiuſmo... per aliam viam laxari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ voluntatis, & ...nceſsionis infringere, vel ei auſu temerario contraire.

Concilium Conſtantienſe. 1414.

In confirmatione Conſtitutionum Frederici II. Sacroſancta Synodus, &c. Intendens & cupiens circa reformationem immunitatis Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum perſonarum, ac recuperationem ...onorum & iurium ſuorum diligenter intendere, quamuis dudum contra ſeculares poteſtates, ...ec non conſules ciuitatum, ac alios, qui Eccleſias, & viros Eccleſiaſticos tallijs, collectis, & exactionibus alijs aggrauare nitebantur, in Lateranenſi Concilio immunitati Eccleſiæ prouiſum ...it, per quod huiuſmodi præſumptio ſub anathematis diſtrictione prohibita fuit, & illius fautores & tranſgreſſores Excommunicationi ſubiicere præcepit huiuſmodi Concilium, donec ſatisfactionem eorundem impenderent competenter, ac etiam conſtitutiones, & ſententiæ, quæ talibus vel de ipſorum mandato forent promulgatæ, inanes & irritæ haberentur, &c. Et ...cet etiam in ſacris legibus pro libertate & immunitate Eccleſiaſtica, ſiue Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum perſonarum, multa ſalubria & fauorabilia ſtatuta fuerint, dudum felicis recordationis Honorius Papa Tertius attentè conſiderans, quòd quondam Fredericus Secundus olim ...omanorum Imperator, tunc ſub obedientia & deuotione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ perſiſtens, ad laudem eiuſdem Eccleſiæ, & ſacri decus Romani Imperij, cupiens, vt expurgatis quorundam erroribus, & iniquis ſtatutis penitus deſtitutis, de ...tero Eccleſiæ & Eccleſiaſticæ perſonæ plena vi... erent quiete, & ſecura libertate gauderent: ac piè ...iuſtè attendens, quòd quorundam peruerſorum iniquitas adeò abundauerat, vt non dubitarent contra Eccleſiaſticam diſciplinam & ſacros Canones ſtatuta ſua confingere aduerſus Eccleſiaſticas perſonas & Eccleſiaſticam libertatem, dicta lege huiuſmodi ſtatuta iniqua irritauerat, ...præceperat irrita annunciari, &c. Dictuſque Honorius conſtitutionem ipſam de conſilio etiam ...ratrum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ...ui tunc erant, auctoritate Apoſtolica approbans ...confirmans, ipſam mandauit inuiolabiliter obſeruari; nec non ſtatutarios & ſcriptores prædictos, excommunicatos eadem auctoritate nunciari, &c.

Synodus Baſileenſis. 1434.

In Appendice, in epiſtola ad Epiſcopum Adrienſem, &c. Ad compeſcendos conatus nefarios peruerſorum, qui perſonas, & loca Eccleſiaſtica ſuper ...onis & iuribus offendere, ac multiplicibus perturbare moleſtijs non verentur, tanto magis per...os decet generale Concilium de opportuno remedio prouidere, quantò per amplius turbationes huiuſmodi & moleſtiæ in diuinæ maieſtatis offenſam redundare dignoſcuntur. Dudum ſiquidem, cùm in diuerſis mundi partibus Conſules ciuitatum, & rectores, nec non & alij, qui poteſtatem habere videbantur, tot onera frequenter imponerent Eccleſijs, vt deterioris conditionis factum ſub eis ſacerdotium videretur, quàm ſub Pharaone fuiſſet, qui legis diuinæ notitiam non habebat, quique alijs omnibus ſeruituti ſubactis, ſacerdotes ac poſſeſsiones eorum in priſtina libertate dimiſit, & de publico eis alimoniam miniſtrauit: in Concilio Lateranenſi Eccleſiæ immunitati prouidendo, ſub anathematis diſtrictione prohibitum extitit, ne Conſules, rectores, aut alij prædicti Eccleſias, aut viros Eccleſiaſticos, tallijs, ſeu collectis, & exactionibus alijs aggrauare præſumerent, tranſgreſſores, aut fautores eorum præcipiendo anathematis ſententiæ ſubiacere, donec ſatisfactionem impenderent competentem, &c. Gen. 47

Dionyſius Carthuſianus. 1460.

Ad cap. 47. Geneſ. Si gentiles Reges & Principes ſic deferebant & prouidebant ſacerdotibus ſuis: quanto magis Chriſtiani Principes hoc facere, atque Eccleſiaſticam libertatem defendere debent?

Concilium Colonienſe. 1536.

Parte 9. cap. 20. Immunitas Eccleſiaſtica vetuſtiſsima res eſt, iure pariter diuino & humano introducta, quæ in duobus potiſsimum ſita eſt. Primum, vt Clerici, illorumque poſſeſsiones & bona, à vectigalibus, & à tributis, alijſque muneribus laicis libera ſint. Nam (vt de libertate Leuitarum ſileamus) non temerè refert Scriptura, Pharaonem totam terram AEgypti ſibi tributariam feciſſe, præter terram ſacerdotum, & poſſeſsiones, quæ à rege traditæ fuerant eis, quas vendere non ſunt compulſi: quin potius ipſis etiam ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur. Gen. 47

Concilium Moguntinum. 1549.

Cap. 76. Cùm omnibus palam ſit, ſuper Eccleſiarum atque eorum, qui in ſortem Domini electi, pro Magiſtratuum, imò totius Reipublic. ſalute apud Deum quotidie interpellant, libertate, & immunitate, non tam Pontificio, quàm etiam ciuili iure cautum atque prouiſum: comperimus tamen infelici hac rerum perturbatione, Eccleſiarum quarundam bona, imò ipſas Deo dicatas Eccleſias, in profanos vſus ceſsiſſe: clericos ad munia ciuilia, etiam ſordida interdum coactos: quæſtiones contra ipſos, eorumque & Eccleſiarum bona: ſimiliter ſuper cauſis matrimonialibus, & alijs etiam merè Eccleſiaſticis, coram ſecularibus ſtatibus intentari ac definiri. Proinde adhortamur omnes, & ſingulos in Domino, vt ſi non diuini iudicij reſpectu, vel eorum ſaltem, quæ legibus ſancita ſunt, memores ab iniuſta hac Eccleſiaſticæ libertatis imminutione atque oppreſsione abſiſtant: Eccleſias, ſacerdotes, atque res ipſorum ſuæ reſtituant, atque permittant immunitati & libertati.

Concilium Treuirenſe. 1549.

Cap. de immunitate Eccleſiarum: Statuimus, quòd nullus à perſonis Eccleſiaſticis, ſeu eorum bonis, contra libertatem Eccleſiaſticam pædagia, telonia, angarias, perangarias, collectas aut exactiones extorquere, aut imponere præſumat: quin imò ad abſtinendum ab ijs & ſimilibus, & ad reſtituendum, ſi quis aliquid extorſerit, Canonica monitione præmiſſa, per ordinarios locorum, iuxta Eccleſiaſticam cenſuram, cogatur.

ARTI-

ARTICVLVS NONVS.

CERTA ORANDI TEMPORA, HORAS CLERICORVM CANONICAS, NOCTVRNOS ET DIVRNOS ECCLESIAE AD COMMVNES PRECES CONVENTVS, HYMNODIAS ET PSALMODIAS.

IMPROBANT.

Anno post natum Christū

280. P*AVLVS Samosatenus Psalmos & cantus, qui ad Domini nostri Iesu Christi honorem decantari solent, tanquam recentiores, & à viris recentioris memoriæ editos explosit, & in media Ecclesia, solenni Paschatis die, mulieres, quæ inanes cantilenas in ipsius laudem funderent, parauit.* Eusebius lib.7.cap.24.

Hilarius quidam Arrianus irridebat cantus Ecclesiasticos. Ambrosius oratione
360. contra Auxentium lib.5. epist. Augustinus lib.2. Retract. cap.11.

380. *Donatistæ reprehendebant Catholicos, quòd diuina cantica Prophetarum in Ecclesia psallerent.* Augustinus epist.119.cap.18.

400. *Vigilantius Gallus nocturnas Vigilias execrabatur.* Hieronymus epistola 53. ad Riparium & aduersus Vigilantium cap.4.

500. *Nyctazontes, id est, somniculosi superfluas existimant sacras Vigilias, & spirituali operi infructuosas, dicentes iura temerari diuina, qui noctem fecit ad requiem, ad laborem autem diem.* Isidorus Hispalensis de officijs Ecclesiasticis lib.1.cap 22.

700. *Habdalas Saracenorum princeps Vigilias nocturnas celebrare, & literas discere prohibebat.* Paulus Diaconus lib. 22. Miscellanorum.

1140. *Petrobrusiani dicebant, canticis illis, quæ Monachi & Sacerdotes in templis personant, Deum irrideri.* Petrus Cluniacensis epist.1.

1390. Ioannes VVicleuus Tractatu 2. de Sermone Domini in monte cap. 65. *Leuis obedientia est in medio noctis surgere, & dicere Matutinas modo, quo Religiosi nostri priuati faciunt. Ex isto sermone nudo Psalmistæ psallimus, ac si nostri religiosi fatui sic arguerent: Psalmista sic fecit semel ad minimum, sicut de Ægypto exiuit populus Israeliticus semel in medio noctis, semelq; veniet Christus ad iudicium. Ergo illi debent regulariter surgere, & dicere illa hora Matutinas.*

De quatuor Sectis nouellis cap.6. *Illud etiam conscientiæ onerosum, qui libenter Missas audiunt, & Missas celebrant, dicunt Matutinas, & alias Horas Ecclesiæ, in qua degunt, & tamen videtur quòd melius, & Ecclesiæ vtilius, & Deo placentius possent tempus suum expendere, & ad vtilitatem Ecclesiæ militare.*

1430. *Thaboritæ dicebant in Horis Canonicis cantandis, dicendisq; frustra tempus teri.* Æneas Syluius historiæ Bohemicæ cap 35.

1520. Martinus Lutherus in confutatione rationis Latomianæ: *Magis credo peccare eos, qui legunt frigidas Horas, quam qui amittunt. Hypocritæ enim sunt, fingunt se orare & loqui cum Deo, cum nihil faciant minus, videnturq; tentare & illudere Deum.*

Aduersus Ambrosium Catharinum: *Hic murmurantur & boantur Horæ Canonicæ ingenti labore, sic tamen vt nunquam orentur.*

Philippus Melanchthon in Locis communibus Manlij capite de Satisfactione: *Doctor Mar-*
1540. *tinus Lutherus in principio suarum disputationum, cùm esset oneratus multiplicibus lectionibus, vt non posset orare quotidie suas Horas Canonicas, die Sabbati, quando ei erat otium à lectionibus, septies adhuc recitabat istas Horas Canonicas. Surgebat enim mane hora secunda, & vt poterat celeriter pronunciabat, continuabat recitationem vsque ad horam quartam vespertinam. Ambsdorffius ad eum dicebat: quid est D. Doctor, quòd ita istas Horas recitas? Si peccasti omissione, tamen non potest peccatum corrigi per recitationem. Et dixit ipse ad eum: Me quidem non irasci labori, sed pertinaciæ, quòd immoraretur stultè isti labori. Tunc respondit iocans, pulchrè profectò me laudas, cùm tribuis mihi pertinaciam. Sic tamen admonitus destitit à tam inutili labore, cùm alijs necessarijs negotijs occuparetur.*

Henricus Bullingerus de Scripturæ sanctæ auctoritate lib.2. *Ritus ille, quo indocti & conducititij*
1550. *homines lingua peregrina aliquot versuum millia, verbis etiam collisis, confusis, decisisq; demurmurant, priscis tam fuit incognitus, quàm quod incognitissimum. De Cantico Ecclesiastico pauca dicam. Pauca enim de*

hec præcepta lego in Euangelio, & literis Apostolicis. Præclara Ecclesiæ lumina cantum in templis non habuerunt.

Magdeburgenses Centuriæ 6. cap.10. *Pelagius Papanetis Antichristi insignis fuit. Nam instituit, vt clerici quotidie Canonicas Horas septies cantarent, vt habetur 91. dist. cap. Eleutherius frater.*

Confessio Ministrorum Ecclesiæ in Heluetia cap.23. *Horas Canonicas, id est, preces ad certas diei horas compositas, & à Papistis cantatas aut recitatas nescimus vetustas, sed & absurda non pauca habent: proinde omittuntur ab Ecclesijs.*

Trinitarij in Transyluania lib. 2. cap.1. *se cantum cum omnibus tubis & organis proscripsisse.* Et in Antithesibus veri & falsi Christi: *Christum falsum velle in suis templum cantum & organa: Christum verum nihil huiusmodi approbare, scribunt.*

PROBANT SACRÆ LITERÆ.

Exodi 15. *Vers.*1. Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem deiecit in mare.

Deut. 31. 19. Nunc itaque scribite vobis canticum istud, & docete filios Israël: vt memoriter teneant, & ore decãtent. 22. Scripsit ergo Moyses canticum, & docuit filios Israël.

2. *Esdræ* 9.3. Legerunt in volumine Legis Domini Dei sui, quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum.

Psalm. 5.4. Quoniam ad te orabo: Domine mane exaudies vocem meam. Mane astabo tibi, & videbo.

Psalm. 54. 18. Vesperè, & manè, & meridiè narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.

Psalm. 62.7. In matutinis meditabor in te.

Psalm. 91. 3. Ad annuntiandum manè misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.

Psalm. 118.55. Memor fui nocte nominis tui Domine, & custodi legem tuam. 62. Media nocte surgebam ad confitendum tibi. 164. Septies in die laudem dixi tibi, super iudicia iustitiæ tuæ.

Psalm. 140.2. Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

Daniel. 6. 10. Quod cùm Daniel comperisset, id est, constitutam legem, ingressus est domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo, contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut & ante facere consueuerat.

Matth. 26.30. Et hymno dicto, exierunt in montem Oliueti.

Lucæ 2. 37. Quæ (*Anna Prophetissa*) non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die.

Actor. 3. 1. Petrus autem & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam.

Actor. 10. 9. Ascendit Petrus in superiora, vt oraret circa horam sextam.

Actor. 16. 25. Media autem nocte Paulus & Silas orantes, laudabant Deum. Et audiebant eos qui in custodia erant.

1. *Cor.* 14.15. Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente.

Ephes. 5. 18. Implemini Spiritu, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino: gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo, & Patri.

Colos. 3. 16. Docentes & cõmonentes vosmetipsos, in Psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.

PROBANT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. *80.*

*Constit. Apost. lib.2. cap.*54. Idcirco Episcopi, cùm eundem vobis erit ad orationem, post lectionem & cantum Psalmorum, ac post doctrinam de Scripturis, dicat Diaconus ex loco vobis vicino voce magna: nemo contra aliquem, nemo cum simulatione. Vt si in nonnullis controuersia reperiatur, conscientia perculsi precentur Dominum, vt fratri reconcilientur.

Lib.7. cap.25. Ad hunc modum precamini ter singulis diebus, ita ad precationem præparati, vt præstetis vos dignos adoptione paterna.

Lib.8. cap.34. Precationes facite manè, tertia hora, ac sexta, & nona, & vespere, atque ad gallicantum: Manè gratias agentes, quòd illuminarit nos nocte sublata, & reddito die: Tertia, quòd ea hora Pilatus iudicium aduersus Dominum pronuntiauit: Sexta, quòd ea hora in crucem actus

est: Nona, quòd tum omnia mota, & tremefacta sunt Domino crucifixo: quia horrerent audaciam impiorum Iudæorum, & contumeliam Domini ferre non possent. Vespere, quòd noctem dederit ad requiescendum à diurnis laboribus: Ad Galli cantum, quòd ea hora nuntiet aduentum diei ad facienda opera lucis.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiast. Hierarch. cap. 3. Rediens Pontifex ad sanctum altare, Psalmorum incipit melos, concinentibus secum sacra carmina omnibus Ecclesiastici ordinis gradibus, &c. Porrò Psalmorum facta sancta modulatio, quę omnibus fermè sacerdotalibus mysterijs iungitur, & substantiæ ratione cohæret, summo omnium principaliquę mysterio deesse non debuit.

Cap. 4. Iuxta eundem Synaxis modum eorum, qui nec dum initiati sunt, absoluuntur ordines: vbi scilicet præcessit Pontificis circum omnem phani ambitum redolens thure profectio, Psalmorumque modulatio, & lectio Scripturarum diuinarum.

Epist. 8. ad Demophilum: Circa mediam noctem, quo tempore consueuerat Carpus semper apud se ad diuinos euigilare hymnos, expergiscitur quidem & surgit, cùm somnos parum quietos, & crebrò interruptos, nec absque perturbatione cepisset. Stans tamen ad diuinam precem, & collocutionem non satis intentè, irreligiosè tristabatur, &c.

Iustinus. 150.

De vita Christiana: Hymni quoque, Psalmi, carmina, & laudes dicendæ, non vt per psalmodiam quis proximo ægrè faciat, & hoc agat, vt ab eo dissentire non videatur, tamquam arte quadam quodammodo illum (quæ canantur) nosse arbitretur, ac proinde contentionis huiusmodi studium inculpabile reddat.

Quæst. 107. In Ecclesijs non vsus carminum per eius generis instrumenta, & alia insipientibus congruentia, receptus est: sed simplex cantio in eis manet. Excitat hæc eum cum voluptate quadam animum ad flagrans eius, quod carmine celebratur, desiderium. Affectiones & concupiscentias carnis sedat, cogitationes malas inimicorum, quos cernere non est, suggestione oborientes amolitur. Mentem ad fructificationem diuinorum bonorum rigat. Pietatis decertatores generosos & fortes per constantiam in rebus aduersis efficit. Omnium rerum, quæ in vita tristes & luctuosæ accidunt, pijs affert medicinam, &c. Verbum namque Dei est, & id, quod animi cogitatione, quod carminis præludio, quod carmine ipso celebratur, ac dæmones fugat atque depellit. Et in rebus denique omnibus, quæ pijs eueniunt, animus veræ pietatis virtutibus per carmina Ecclesiastica perficitur.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib.7. Stromatum: Quòd si nonnulli certas ac definitas horas constituunt orationi, vt exempli causa Tertiam, Sextam, ac Nonam: at is, qui est cognitione præditus, per totam orat vitam, per preces quidem cum Deo studens versari. Reliquit autem, vt semel dicam omnia, quæ non sunt vtilia: cùm eò iam peruenerit, vt iam hinc acceperit consummationem eius, qui agit ex charitate. Imò verò triplicem horarum diuisionem, quæ totidem sunt honoratę precibus, sciunt, qui norunt beatam sanctarum mansionum trinitatem.

Hippolytus. 220.

Oratione de consummatione mundi: Tempore Antichristi Ecclesiarum ædes tugurij instar erunt, pretiosumque corpus & sanguis Christi non extabit in diebus illis, Liturgia extinguetur, Psalmorum decantatio cessabit, Scripturarum recitatio non audietur.

Origenes. 230.

Lib. 3. *in Iob:* Exigetur ergo in die resurrectionis & iudicij ab omni anima Christiana omnium dierum vitæ eius omnis seruitus, quam Deo erat exhibitura, & omne opus sanctitatis, quod per singulos dies erat perfectura, siue in gratiarum actionibus & confessionibus, siue in orationibus ac deprecationibus matutinis & vespertinis, siue in omnibus bonis operibus, quæ in nomine Domini nostri Iesu Christi perficiuntur.

Auctor libri contra Artemonis hæresin. 230.

Apud Eusebium lib. 5. *cap.* 27. Quot item Psalmi, quot hymni à fratribus fidelibus antiquitus perscripti, qui Christum, Verbum Dei, verum Deum esse concentu quodam concelebrant?

Eusebius Cæsareensis. 320.

Eccles. hist. lib.6. cap.27 Fama est, istum *Philippum*, (Christianus namque erat) cùm precationum in die postremæ vigiliæ Paschatis vnà cum multitudine in Ecclesia particeps fieri vellet, non prius ab Episcopo, qui tum Ecclesiæ præerat, permissum esse intrare, quàm se confessus fuisset, & inter eos, qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur astricti, locumque pœnitentiam agentibus præstitutum occupabant, se sua sponte collocauisset.

Libro 10. *cap.* 3. Vna erat sacri Spiritus virtus & potentia, quæ per vniuersa Ecclesiæ membra permeauit: vna omnium mens & sententia, vna & eadem fidei & propensio ac studium, vna ex omnium ore & consentiens diuinitatis laus: perfectus etiam in summis Ecclesiæ præfectis cultus & obseruantia: accurata sacrorum mysteriorum administratio: decori Ecclesiæ ritus interdum Psalmorum cantu, & cæteris hymnorum diuinitus nobis traditorum recitationibus, nonnunquam diurnis & mysticis ministerijs exequendis celebrati.

*Cap.*9. Tunc frequentes conuentus acti, tum festi dies celebrati, &c. tum choris, tum hymnis, tam per singulas ciuitates, quàm per agros primum Deum summum omnium regem esse, huncque reuera esse prædicarunt.

Synodus Nicena Prima. 325.

Canone Arab. 64. Vt in omnibus horis diurnis & nocturnis, in principio & in fine orationis fiat memoria Episcopi, & oretur pro salute eius, & vt in oratione eius adiuuetur populus.

Athanasius. 340.

De interpretatione Psalmorum: Talis est character libri Psalmorum ad vtilitatem hominum, in quo alij sunt Psalmi ad castigandas motiones cuiuslibet animi: alij de aduentu Christi in carne frequentiora vaticinia habent, &c. Cur autem modulis & numeris huiusmodi verba continentur, operæpretium est referre. Quidam enim ex nostris simpliciores, tametsi crederent in verba spiritu Dei afflata, tamen persuadent sibi, ob amœnitatem soni, & voluptatem aurium psalmos modulari, quod nequaquam ita est. Non enim dulcedinem aut eloquentiam affectauit sacra Scriptura, sed vtilitatem animæ hac verborum formula quæsiuit: idque vt vbique, ita potissimum ob has duas rationes, quarum prior est: quia docuit, Scripturam sanctam, non obiter modò, sed & latiori voce Deum celebrare, vno tenore sermonis decurrunt Leges Prophetarumque verba, & quicquid in Biblijs historicum est vnà cum nouo Testamento: fusius contra efferuntur Psalmorum, Odarum, & canticorum scripta, atque ita seruatur, vt homines pro viribus, omnique ope Domi-

num

num adament. Posterior verò, quod vt harmonia tibias committens, vnum concentum efficit, ita quoque in anima varijs motionibus cogitandi, cupiendi, noscendi agitata, vnde membris initium operandi desumitur, ratio postulat hominem sibi consonum esse, neque ipsum à sese dissidere, non vt optima quidem cogitet, pessima tamen faciat, &c. aut vt concupiscat mala, sed perpetrandi facultate destituatur, &c. Ne igitur talis turbatio in nobis sit, cupit ratio animam, in qua est Christi sensus, vt Apostolus dixit, sensu illo pro duce vti, & per eum affectus suos exuperare, & in membra corporis imperium habere, vt rationi obediant. Quo, vt in harmonia plectrum, ita ipse psalterium factus, & spiritui prorsus intentus & adhærens, omnibus membris & motionibus obedientiam præstet, & inseruiat voluntati Dei. Huiusmodi autem in verbis concinnitatis, & nusquam fluctuantis constitutionis imago & forma, est Psalmorum harmonia. Vt enim animi cogitatus verbis prodimus & significamus, ita spiritualis in anima concentus, signum esse volens Dominus melodiam verborum, Psalmos vt modulis canerentur instituit, & cum huiusmodi harmonia recitari voluit. Et inde concinnitas animi, si rectè dispositus & affectus sit, agnoscatur, sicut scriptum est: *Si quis in mœrore est, psallat.* Siquidem ita, id quod in anima turbidum est, asperum & incompositum complanatur, & tristitia mitigatur, nobis psallentibus, &c. Qui secundùm prædictam rationem concinunt, vt melodia verborum ex numeris vocum cum spiritus harmonia congruat, isti psallunt & lingua & mente: nec seipsos solùm, verùm etiam alios, qui audire volunt, magnificè adiuuant. Certè beatus
1.Reg.16. David Sauli accinens, non solùm ipse placuit Deo, sed & turbidum insaniæ vitium à Saule propulsabat, & serenitatem eius animo induxit: ita quoque modulantes Sancti ad tranquillitatem animas populorum, & ad concordiam cælestium tripudiorum cohortabantur.

Lib. de virginitate seu de meditatione: Meditare in sacris Scripturis: habe psalterium, & Psalmos disce. Oriens sol videat librum in manibus tuis. Post Tertiam Synaxes conficies: quoniam ea hora defixum est lignum crucis. Sexta hora absolues deprecationes cum Psalmis, ploratu, & supplicationibus: quoniam hac hora pependit Filius Dei in cruce. Nona hora rursum in hymnis, & glorificationibus eris, cum lachrymis & confessione peccatorum tuorum Deo supplicabis: quoniam hac hora Dominus in cruce pendens reddidit Spiritum suum. Et post synaxin Nonæ horæ, comede panem tuum, Domino gratias agens in mensa tua, &c. Media nocte excitaberis, & hymnis celebrabis Dominum Deum tuum. Ea enim hora surrexit Dominus à mortuis, & Patrem suum hymnis celebrauit, atque ideo nobis iniunxit, vt eadem hora Deo hymnos diceremus.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 13. Sciunt hoc studiosi Ecclesiæ Psalmistæ, qui Angelicos imitantes exercitus, semper Deum laudibus celebrant: qui digni sunt psallere in hoc sancto Golgatha, & dicere: *Diuiserunt sibi vestimenta mea.*

Concilium Laodicenum. 370.

Can. 18. Semper supplicationes orationum & in Nonas & in Vesperas oportet celebrari.

Basilius Magnus. 370.

Proœmio in Psalmos: Quando Spiritus sanctus nos vidit ægrè persuaderi ad complexum virtutis, ac proinde ad ineundam vitæ rectitudinem per hoc lentescere, quòd toti ad consectandam voluptatem propenderemus, quid fecit? Nimirum Scripturæ suæ dogmatis mistim inspersit concinnam istam numerorum modulationem, vt auribus permulctis, ac delinitis melico vocum concentu, clam ac velut aliud agentes fineremus in animos nostros irrepere eloquiorum vtilitatem, idqúe pro more sapientis medici. Is enim pharmacum oblaturus austeriusculum quidem auersanti cibos, nec probè concoquenti, subinde oras calicis prælinit melle. In hoc sanè excogitati sunt concinni isti concentus Psalmorum, vt qui per ætatem pueri etiamdum sunt, aut certè morum maturitate nondum incanuerunt, dum in speciem concinnunt ac modulantur, re ipsa animas erudiant suas, &c. Psalmus animarum est tranquillitas, arbiter iucundæ pacis, cuius annutu exundantes ac tumultuariæ cogitationes se contrahunt & conquiescunt. Animæ siquidem vim ad iram propendentem edulcat, ac præmollit Psalmus: cùm contra fræno temperantiæ coerceat eam, quæ ad effrænem lasciuiam deuergit. Psalmus amicitiæ est conciliator, vnio dissidentium, pacis inter hostes constabiliendæ sequester est Psalmus, &c. Psalmus est profligandis dæmonibus ac depellendis quoddam amuletum, Angelicæ tutelæ conciliator, scutum securitatis inter timores nocturnos, diurnorum requies laborum, infantium tutelaris protectio, &c. Vox est Ecclesiæ Psalmus. Hic dies festos illustriores reddit ac perfundit gaudio, quum tristitiam alioqui operetur, sed quæ secundùm Deum est: è corde enim lapideo ciet lachrymas. Psalmus opus est Angelorum, cælestis illius Reip. in commune proposita functio, spirituale thymiama. O inuentum sanè quàm admirabile ac sapiens Doctoris, qui excogitauit, quo pacto vna eademqúe opera ipsi melicos cantus emodularemur, & doctrinam animæ salutarem condisceremus.

Regularum fusius disputatarum interrogatione 37. Orationi & Psalmorum modulationi nullum non est tempus idoneum, ita videlicet, vt vel in eo ipso, dum manibus opus tractamus, & lingua nonnunquam munere hoc fungi possimus: Sin id minus, corde certè in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus Deum collaudemus, &c. Neque verò tamen, quanquam hanc assiduè, atque adeò omnibus momentis adhiberi oportere gratiarum actionem, & lex ipsa præcepit, & nos eam vitę nostræ necessariam esse cùm natura, tum ratione docuimus, propterea illæ statis temporibus præscriptæ orationes negligendæ veniunt, quas obseruari in conuentibus solenne est, & quotidianum. Siquidem ea re à nobis necessariò huiusmodi tempora delecta sunt, quòd in eorum singulis peculiaris quædam Dei in nos beneficiorum est commemoratio. Ac matutinum quidem, vt primi animi ac mentis nostræ motus consecrentur Deo, neque vllius rei curæ ante aditum ad nos demus, quàm nos in cogitatione de Deo oblectauerimus, sicut scriptum est: *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Neque corpus prius ad functionem muneris alicuius moueamus, quàm illud fecerimus, quod dictum est: *Orabo ad te Domine: mane exaudies vocem meam. Mane astabo tibi.* Tertia verò hora, vt in ea ad orationem surgatur, fratresqúe omnes in vnum congregentur, licet diuersis in locis, alij in alijs operibus sint occupati: idqúe ea re, vt admoniti doni Spiritus, quod circiter hanc ipsam horam Apostolis datum fuit, vno eodemqúe animo cuncti illum venerentur, ab eoqúe petant, vt & ipsi digni sint, qui sanctificationem suscipiant, &c. Porrò sexta hora, sanctorum exemplo, necessariam esse orationem iudicauimus, apud quos est: *Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo; & exaudiet vocem meam.* In qua quidem, vt liberemur ab incursu & dæmonio meridiano, nonagesimus etiam Psalmus recitetur. De nona verò, quòd ea ad orationem nobis

Col.3. Psal.76. Psal.5. Psal.54.

Act.3. necessaria sit, id Apostoli ipsi declarauerunt in Actis, in quibus est, quòd Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Completo verò iam die, pro ijs omnibus, quæ in eo data nobis fuerint, feliciterve nobis euenerint, gratiarum actio succedat: eorumque, quæ vel per consensum, aut secus contra animi sententiam prætermissa sint, confessio: ac sicubi latens delictum aliquod admissum fuerit verbis, operibusve, aut etiam corde, pro his omnibus oratione adhibita veniam nobis à Deo comprecabimur, &c. Tum autem primis se iam noctis intendentibus tenebris, sequetur petitio, vt quies, quam sumus capturi, inoffensa & ab omni perturbatione ac vitio libera sit: qua hora etiam necessariò nonagesimus recitari Psalmus debet. De tempore autem dimidiæ noctis, quòd id ad orationem necessarium sit, traditum nobis est Paulo & Sila in
Act.16. Actis Scriptum est enim sic: *Circiter autem mediam noctem Paulus & Silas laudabant Deum.* Atque hoc quidem etiam concentor Psalmorum confirmat,
Psal.118. sic dicens: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiæ tuæ.* Post anteuertendum diluculum est, & ad orationem surgendum, cauendumque, ne dies nos in lectulo dormientes opprimat: & ille imitandus, qui dixit: *Praeuenerunt oculi mei diluculum, vt meditarer eloquia tua.* Porrò ex his omnibus, quæ diximus, statis temporibus, nullum ab ijs prætermitti debet, quorum vitæ propositum est, vt quæ acturi sunt, omnia ad laudem Dei, & Christi eius referant.

De institutione Monachorum Sermone 1. qui alijs est Sermo 4. exercitamentorum pietatis: Cùm autem ad orationem nulla non vitæ pars opportuna habenda sit: quia tamen datis quibusdam interuallis ab illa Psalmodiæ genuque flexionis acri contentione nonnunquam est interquiescendum, is est maximè horarum modus tenendus, qui à veteribus olim sanctis viris ad orationem descriptus est. Ete-
Psal.118. nim eximius ille Dauid ait: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicia iustitiæ tuæ*: quem sanè Paulus quoque & Silas secuti reperiuntur, cùm
Act.16. in carcere positi, circiter mediam noctem Deum ambo collaudarent. Addit deinde idem Prophe-
Psal.54. ta: *Vespere, mane, & meridie.* Quin & Spiritus sanctus circiter horam diei tertiam missus fuit, sicut
Act.2. ex Actis accepimus, quo tempore cùm propter variam illam linguarum efficacem vim Pharisæi discipulos irriderent, negauit Petrus eos ebrios esse, qui ea loquerentur: siquidem horam illam tertiam fuisse. Porrò nona Dominicæ passionis memoriam refert, illius quæ vitæ nostræ causa suscepta est. Verùm quoniam item hoc est apud eundem Dauid: *Septies in die laudem dixi tibi, super*
Psal.118. *iudicia iustitiæ tuæ*: tempora autem illa, quæ diximus, neutiquam septenarium orationis numerum conficiunt: bipartitò diuidenda meridiana oratio est, ita videlicet, vt pars vna cibum præcedat, altera subsequatur, quo perpetua hæc nobis formula sit Deum septies per singulas dierum conuersiones laudibus celebrandi.

Epist.63. Ad id verò, quòd propter psalmodias accusamur, quare potissimum simpliciores perterrefaciunt, qui nos traducunt: hoc habeo quod dicam, quòd videlicet, qui iam obtinuerunt ritus omnibus Ecclesijs Dei concordes sunt & consoni. De nocte siquidem populus consurgens, antelucano tempore domum precationis petit, inque labore, & tribulatione, ac lachrymis indesinentibus facta ad Deum confessione, tandem ab oratione surgentes, ad psalmodiam instituuntur. Et nunc quidem in duas partes diuisi alternis succinentes psallunt: atque ex eo simul eloquiorum Dei exercitationem ac meditationem corroborant, & cordibus suis attentionem, & reiectis vanis cogitationibus mentis soliditatem suppeditant: deinde vni ex ipsis hoc muneris dato, quod cauendum est prior ordiatur, reliqui succinunt: atque ita psalmodiæ varietate precibusque subinde interfertis noctem superant. Illucescente iam die pariter omnes velut ore vno, & corde vno confessionis psalmum Domino offerunt, ac suis quisque verbis resipiscentiam protentur.

Ephrem. 370.

De festis diebus, & dignitate diuinorum mysteriorum. In Ecclesia estote assidui, nocturno, matutino, & meridiano tempore viri pariter ac mulieres, diuites ac pauperes, serui ac liberi, senes ac iuuenes ad diuina frequentanda mysteria studiosè concurrant.

In consilio de vita spiritali cap.35. Si in domo Domini ad diuinum spiritalemque cultum consisteris, in psalmodijs te alacrem promptumque præbeto. Si autem tacueris, tacebo & ego, tacebit & proximus: vnde necessariò cantum cessare necesse fit. Sed hoc quæso absit: Quin enim Principem aliquem, vel Regem, ex theatro faustis lætisque acclamationibus excipiunt, videantque inter eos aliquem sibi astantem cum silentio, neque simul cum ipsis contenta voce acclamantem, hunc quasi loco eiusmodi iudicantes indignum, ex eo deturbant. Quamobrem haud remissè negligenterve oportebit nos supplicationibus hymnisve vacare.

Gregorius Nyssenus. 380.

De sorore Macrina virgine cap.17. Hæc cùm illa persequeretur, diem equidem produci longius optabam, ne dulci sermone aures nostras desisteret oblectare, sed cantantium vox me ad gratias agendas vespertinas vocabat. Quamobrem cùm me ad Ecclesiam dimisisset, rursus magna illa precibus ad Deum accessit. Ac nox quidem ita transacta est.

Oratione de S. Gregorio Thaumaturgo cap.8. Cùm subijsset templum (in quo scilicet dæmones responsa dabant) dæmones confestim exterruit Christi nominis inuocatione: figura autem crucis aere expiato, illic mansit pro more totam noctem in orationibus & hymnis decantandis vigilans, adeò vt esset transformatum in domum orationis templum.

Epiphanius. 380.

In Compendiaria doctrina: Hymni matutini in ipsa sancta Ecclesia perpetui fiunt, & orationes matutinæ, simulque psalmi ad lucernam decantati & precationes.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 4. quæ est inuectiua in Iulianum: Hymnos pro tympanis assumamus, psalmodiam pro foedis modulationibus, & cantibus, plausum grati animi indicem, & canoram manuum actionem pro theatricis plausibus.

Iambico 18. quod est de Virtute:

Hos Nazaræos dico, qui nouo agmine
Omnes abundant conditis intus bonis:
Quæ sancta honorant virgines vsque ad necem,
Quid Theclam, & omnes cæteras narrem tibi,
Quæ dum Tonanti conditam formam student
Seruare, vita maxima in discrimina
Venêre? sed, quod omnibus notissimum,
Nollunc certus, vt canat laudes Deo
Natura verò, sexus oblitus sui?
Quot, quamque sanctis i certus Angelicum chorum
Qui nunc simul, nunc vicibus alternis canit,
Partim deorsum populus, & partim supra,
Sine fine summi continuent laudes Patris

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 59. ad populum Antiochenum: Dies lucescit, imò verò ante diem gallus cantauit, & non sicut domi, stertunt serui, ianuæ clausæ, omnes mortuis similes sunt dormientes, mulio tintinnabula concutit. Illic huiusmodi nihil, sed omnes statim cum reuerentia somnum deponentes exurgunt, excitante eos prælato, & consistunt sanctum constituentes chorum, & statim manus extendentes sacros hymnos decantant, &c. Neque cithara, neque fistulæ, nec vllum aliud musicum instrumentum talem emittit vocem, qualem audire licet in profunda quiete & solitudine, sanctis cantantibus illis, &c. Facto autem die quisque nostrûm alterum vocat, egressorum rationem agit, in forum educit, assistit magistratui, tremiscit, & pœnas metuit. Alius in tabernaculo, ad suum alius opus. Illi verò cùm rursum matutinas orationes celebrauerint, & hymnos, ad Scripturarum lectionem conuertuntur, &c. Tertiam, Sextam, Nonam, & Vespertinas orationes celebrant. Et in quatuor partes diem dispartiti, dum singulæ partes implentur, psalmodijs & hymnis Deum venerantur.

Palladius. 400.

Historia sanctorum Patrum cap. 7. Circa horam nonam licet stare & audire in vnoquoque monasterio hymnos & Psalmos Christo canentes, & preces ad hymnos emittentes, adeò vt existimet quispiam, se sublime elatum transmigrasse in paradisum delitiarum.

Cap. 28. de vita Pauli Simplicis: Post orationes primi somni parum dormiunt: & rursus expergiscuntur ad psallendum à media nocte ad diem vsque.

Cap. 38. de vita Pachomij: Constituit, vt per totum diem facerent duodecim orationes, & in nocturnis vigilijs duodecim, & in matutino duodecim, & hora nona tres. Quando autem videretur comedendum esse multitudini, constituit vt vnusquisque ordo in vnaquaque oratione psalmum prius caneret.

Synesius. 410.

Hymno 1. Te cano sancte Mundi conditor, Tibi me fert nox Rex cantorem: Tibi Lucanos, Matutinos, Vespertinos Hymnos offero.

Ioannes Cassianus. 430.

Lib. 2. Instit. cap. 2. Quidam vicenos seu tricenos psalmos, & hos ipsos antiphonarum protelatos melodijs, & adiunctione quarundam modulationum debere dici singulis noctibus censuerunt: Alij hunc modum etiam excedere tentauerunt: Nonnulli decem & octo. Atque in hunc modum diuersis in locis diuersum canonem agnouimus institutum, totidémque propemodum typos ac regulas vidimus vsurpatas, quot etiam monasteria cellasque conspeximus. Sunt quibus in ipsis quoque diurnis orationum officijs, id est, Tertia, Sexta, Nonaque id visum est, vt secundùm horarum modum, in quibus hæc Domino redduntur obsequia, psalmorum etiam & orationum putarent numerum coæquandum: nonnullis placuit senarium numerum singulis diei conuentibus deputari.

Cap. 4. Per vniuersam AEgyptum & Thebaiden duodenarius psalmorum numerus tam in vespertinis, quàm in nocturnis solennitatibus custoditur, ita duntaxat, vt post hunc duæ lectiones veteris scilicet ac noui Testamenti singulæ subsequantur. Qui modus antiquitus constitutus, idcirco per tot secula penes cuncta illarum prouinciarum monasteria intemeratus nunc vsque perdurat, quia non humana adinuentione statutus à senioribus affirmatur, sed cælitus Angeli magisterio patribus fuisse delatus.

Lib. 3. cap. 3. In Palestinæ vel Mesopotamiæ monasterijs, ac totius Orientis supradictarum horarum solennitates trinis psalmis quotidie finiuntur, vt & orationum assiduitas statutis temporibus Deo offeratur, & necessaria operationis officia consummatis iusto moderamine spiritualibus obsequijs, nullatenus valeant impediri. His enim tribus temporibus etiam Danielem Prophetam quotidie fenestris apertis in cœnaculo preces Domino fudisse cognoscimus. Dan. 6. Nec immeritò hæc specialius tempora religiosis sunt officijs deputata. In his siquidem promissionum perfectio, & summa nostræ salutis est adimpleta. Hora namque tertia repromissus olim per Prophetas Spiritus sanctus super Apostolos, in orationum officio constitutos, descendisse primitus comprobatur. Nam cùm propter elocutionem linguarum, quæ ab eis infusione Spiritus sancti profluebat, gens incredula Iudæorum obstupescens pariter & irridens, diceret eos musto repletos: *Stans Petrus in medio eorum ait: Viri Israelitæ, & qui habitatis Ierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea: Non enim, sicut vos existimatis, hi ebrij sunt, cùm sit hora diei tertia, sed hoc est, quod dictum est,* Actor. 2. &c. Quæ omnia hora tertia videmus impleta, sanctique Spiritus vaticinatum per Prophetas aduentum eodem tempore super Apostolos commeasse. Hora autem sexta immaculata hostia, Dominus noster atque Saluator oblatus est Patri, crucémque pro totius mundi salute conscendens, humani generis peccata diluit, &c. Hora verò nona inferna penetrans, inextricabiles tartari tenebras coruscatione sui splendoris extinxit, portasque eius æreas effringens, ac seras ferreas conterens, captiuitatem sanctorum, quæ clausa tenebris immitis tenebatur inferni, salubriter captam transuexit secum ad cælos, &c. De vespertinis autem sacrificijs quid dicendum est, quæ iugiter offerri etiam in veteri Testamento lege Mosaica sanciuntur? Holocausta enim matutina & sacrificia vespertina cunctis diebus in templo, licet figuralibus hostijs, Num. 28. etiam ex eo probare possumus indesinenter oblata, quod à Dauid canitur: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum, sacrificium vespertinum.* Psal. 140. Quo in loco de illo quoque vero sacrificio vespertino sacratius intelligi potest, quod vel vespere à Domino Saluatore cœnantibus Apostolis traditur, cùm initiaret Ecclesiæ sacrosancta mysteria: vel quòd ipse die postero sacrificium vespertinum in fine scilicet seculorum eleuatione manuum suarum pro salute totius mundi oblatus est Patri.

Ægyptiaci Episcopi Alexandriæ congregati. 430.

Epistola ad Theodosium Imp. in Actis Concilij Ephesini Tomo 3. cap. 4. Latè turbabant omnia, adeò vt ne sacrum quidem Pentecostes diem celebrare, matutináque & serotina officia de more obire integrum nobis fuerit.

Sozomenus. 440.

Lib. 7. cap. 27. Zenon etiamnum iuuenis mundo ac matrimonio contempto, diligentissimus extitit circa ministerium Dei. Aiunt eum, imò & nos quoque vidimus, cùm Maiumanam Ecclesiam gubernaret, iam senem, & natum plus minus annos centum, nunquam vel matutinos, vel vespertinos hymnos neglexisse, nisi fortè morbus ipsum impediret.

Lib. 8. cap. 7. Ecclesia laudabiliter proficiebat, vtpote cùm Deus ipse iniquitatis in illam intentatæ vindex in tempore fuerit. Itaque & cultu diuino augebatur, multóque promptius ob hanc causam populus Constantinopolitanus matutinis ac vespertinis hymnis vtebatur.

Theodoretus. 450.

In Philotheo cap. 3. de Marciano: Postquam verò inter se mutuum colloquendi complessent desiderium, & alter alterius virtutem didicissent, Nonæ simul peregerunt officium.

Cap. 5. de Publio: Diuinum quoddam templum construxit, in quod iussit & hos, & illos conuenire, incipiente die ac desinente: vt vespertinos & matutinos hymnos Deo simul offerrent, in duas quidem diuisi partes, & singuli sua voce vtentes, ex successione autem canticum emittentes.

Cap. 21. de Iacobo: Cùm pauci dies præterijssent, meridie consuetum peragens officium: Video, inquit, duos de monte descendentes.

Dorotheus Archimandrita. 520.

Doctrina 11. Tales & vos esse decet erga excitantes vos ad vigilias, ad horas Canonicas, & ad omne opus bonum: habendaqúe est à vobis temporis ratio, exquirendumqúe vt diem noctemqúe transigerimus. Si cum reuerentia & attentione ad psalmodiam & orationem steterimus, nec passi simus nos trahi à cogitationibus, & passionibus nostris, si attentas aures præstitimus diuinis lectionibus, si interrupimus psalmodiam inaniter, extra Ecclesiam & chorum educti.

Procopius Gazæus. 530.

In Esaiæ cap. 1. Choros, & hymnorum modulationem, psalmosqúe, & cultum Dei præstantiorem Dauid instituit, officiaqúe Idithum, & Aman, & filijs Core, reliquisqúe, quibus in choro partes essent aliquæ, descripsit.

Iustinianus Imperator. 530.

C. de Episcopis & clericis l. Omnem 10. Præterea sancimus, vt omnes clerici per singulas Ecclesias constituti, per seipsos psallant nocturna, & matutina, & vespertina, ne ex sola Ecclesiasticarum rerum consumptione clerici appareant, nomen quidem habentes clericorum, rem autem non implentes clerici circa Liturgiam Domini Dei: turpe enim est, pro ipsis scriptos necessitate ipsis inducta psallere. Si enim multi laicorum, & suæ animæ consulant, ad sanctissimas Ecclesias confluentes studiosi circa psalmodiam ostenduntur, quomodo indecens non fuerit clericos ad id ordinatos non implere suum munus? quapropter omnimodo clericos psallere iubemus.

Cyrillus Eremita. 540.

In vita sancti Euthymij: Diuinum quidem Ecclesiasticæ regulæ officium attenta mente, & cum cordis contritione, præfinitis peragebat temporibus: non risui & susurris, sicut multi, animum adhibens, sed vt qui astaret ante oculos communis Domini, & regis omnium, & coram cum eo loqueretur.

Iacobus Diaconus. 580.

In vita S. Pelagiæ: Et illa: Oret, inquit, Episcopus Nonnus: quia reuera sanctus vir est, moxqúe occlusit fenestellam, & cœpit psallere preces horæ Tertiæ.

Antiochus. 600.

Homilia 105. de Psalmodia: Et hæc quiuis, dum afflictione angitur, vociferabitur ad Dominum, qui Canonem alioqui non omittendum negligit reddere Deo, & per hoc, quòd ab opere Dei digreditur ac secedit, tribulatione multiplici attritus eruditur, &c. Verùm, vt diximus, quia sicut ex debito repetimus psalmodiam, tamquam Canonem debitum, ita illam debuimus irreprehensibilem, inculpatamqúe offerre.

Georgius Presbyter. 610.

In vita Theodori Archimandritæ: Cùm esset vespera, in Ecclesiam ingressus est, & populo benedicens, vespertinas preces pronunciauit, &c. Media nocte ad nocturnas soluendas surrexit, &c. Ipse Iulij Augustiqúe diebus, postea quam horæ Tertiæ preces absoluerat, ad eum locum celeriter contendebat.

Ioannes Moschus. 620.

In Prato spirituali cap. 136. Narrauit autem nobis Abbas Ioannes eiusdem monasterij Presbyter, dicens: Audiui ab Abbate Sisinio Anachoreta referente, ac dicente: Die quadam eram in speluncâ mea propè sanctum Iordanem, & cùm psallerem Tertiam, ecce Sarracena quædam ingressa in speluncam meam, posuit se coram me nudans semetipsam. Ego verò turbatus non sum, sed impletâ psalmodia mea, cum omni quiete & timore Dei, dixi ad illam, &c.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

In vita Mariæ Ægyptiacæ: Viginti dierum exigens iter, cùm Sextæ horæ tempus aduenit, stetit modicum ab itinere, & conuersus ad Orientem, agebat solitam orationem. Consueuerat enim in constituto diei tempore figere itineris cursum, & stans psallere, & genu flexo orare.

Constantinopolitana Synodus Sexta 680.

Cap. 7. Dicendum est illis, vt singulis diebus, qui amplius non potest, saltem duabus vicibus oret, manè scilicet & vesperè, dicens Symbolum siue Orationem Dominicam, siue: *Qui plasmasti me, miserere mei:* vel etiam: *Deus propitius esto mihi peccatori,* & Deo gratias agat pro quotidianæ vitæ commeatibus, & quia se ad imaginem suam creare dignatus sit, & à peccatoribus segregare. His actis, & solo Deo creatore suo adorato, inuocet Sanctos, vt pro se intercedere apud maiestatem diuinam dignentur. Hæc faciant, quibus Basilicæ locus est, in Basilica: qui verò in itinere, aut pro qualibet occasione in syluis aut agris est, vbicunque eum ipsa hora matutina vel vespertina inuenerit, sic faciat, sciens Deum vbique præsentem esse.

Synodus Trullensis. 710.

Can. 90. Post vespertinum sacerdotum ad altare Sabbato ingressum ex consuetudine, quæ seruatur, nemo genu flectit, vsque ad sequentem vesperam, in die Dominico, in quo post ingressum in vespertino seu completorio, genua rursus flectentes, Domino preces sic offerimus. Seruatoris enim nostri resurrectionis veluti præcursorem noctem, quæ fuit ante Sabbatum, accipientes, hymnos ab ea spiritualiter incipimus, festum ex tenebris in lucem finientes, vt in perfecto & integro die ac nocte hos resurrectionem celebremus.

Thomais Sanctimonialis.

Vita sanctæ Febroniæ cap. 31. Hæc cùm dixisset Hieria, aderat Nonæ horæ tempus: postea verò quàm orationem compleuerunt, iterum planxerunt omnes.

Ignatius Nicenus. 820.

Oratione in S. Tarasium: Tunc enim tranquillissimo habitu laudes celebrante Ecclesia, & clamante: Inclina Domine, & exaudi me, ipse pellicium tunc exuit amictum, & relictis vinculis carneis venit ad luminosa cælestium.

Theophanes. 840.

De S. Nicephoro Patriarcha: Hæc voce flebili supplicans sacratissimus Patriarcha Methodius, nocturnum psalmorum cantum, & mysticum sacrificium cum populo peregit.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 6. Matth. Non statis tantùmmodò horis orandum, sed & omni tempore.

Simeon Metaphrastes. 950.

De S. Theodora Alexandrina cap. 4. Neque hoc tamen prætextu contemptui habebis labores exer-

citationis: sed oportet nihilo secius vacare ieiunio & orationi, & de more psallere, vespertinam & matutinam glorificationem quotidie peragere: præterea autem nec Horarum, quæ vocantur, vllam prætermittere, &c.

Cap. 17. Consuetas preces nunquam neglexeris, neque horas, quæ sunt constitutæ fratribus ad conueniendum, Matutini, inquam, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, & Vesperarum.

De S. Abercio: Ex ijs autem, qui aderant, ijs assumptis, qui erant familiares, domum rediit, & cùm horæ Nonæ absoluisset hymnos, parum panis assumit.

De S. Theodosio Cœnobiarcha: Ita ab ijs peragebatur hymnodiæ regula, quæ septies in die offerebatur Deo vniuersorum.

De S. Anastasio: Tunc ergo Anastasius, cùm eum præceptor eius multis & pijs monitis esset consolatus, matutinas psalmodias Deo reddidit cum fratribus.

Euthymius. 1080.

In Psalm. 54. *Vespere, mane, & meridie narrabo.*) Tempora significat magnarum trium synaxeon, quas nos congregationes, seu collectas vocare possumus. Vespertinum nimirum, matutinum, & ministerium.

In Psal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi.* Si septies referri dicamus ad numerum, diem hic intelliges perfectum, hoc est, diem & noctem, & connumera hoc pacto: mediam noctem, diluculum, manè, tertiam horam, sextam, nonam, & vesperas.

Michael Glycas. 1100.

Parte 4. *Annalium:* Sub eiusdem Constantij imperio Flauianus Antiochenus duas in partes diuisis qui psallerent, eos Dauidis hymnos alternatim concinere iussit.

Nicephorus Callistus. 1300.

Lib. 12. *cap.* 47 Zeno à puero coniunctionem fœminę auersatus, totus in ministerio Dei erat: administrauit quoque Maiumæ Ecclesiam. Atque vbi ad eam peruenit senectutem, vt etiam centesimum attingeret annum, haud vnquam neglexit aut prætermisit receptos statosque vel matutinos vel vespertinos hymnos Dei, & reliquum sacrum ministerium suum, principio psalmodiarum adesse, eisque præire solitus, nisi grauis interueniens morbus eum impediuisset.

Philotheus Constantinopolitanus. 1360.

In ordine instituendi Diaconum: Sciendum, quòd nusquam aliàs induitur in vespertino & diluculo, nisi in vespertinis Sabbatorum, & diluculis dierum Dominicalium, &c. Post Completorium dicit Sacerdos vel Diaconus loco assueto magnam collectam.

Georgius Codinus. 1400.

De Officialibus palatij Constantinopolitani folio 90. Psalmis igitur insumuntur horæ (vt mos est) Prima, Tertia, Sexta, & Nona, cum troparijs. Ad finem verò horæ Nonæ dicit protopsaltes versum: *Gloria.*

Folio 162. Ad memoriam magni Chrisostomi discedit Patriarcha ad sanctæ Sophiæ, & ibi audit hymnos vespertinos.

Auctor libri ἄνθος. 1480.

De Horis Canonicis: Matutinus cantus obitur: quia 1. omnis Christianus debet manè celebrare Christum, 2. mulieres manè venerunt portantes aromata ad vngendum Christum, 3. ipse Dominus manè surrexit è sepulchro, &c. Inter matutinum & vespertinum interueniunt aliæ Canonicæ Horę, quibus canitur Prima hora: quia principium diei est, & monstrat nobis illam lucem, quam Deus nobis donauit, educens nos è tenebris, & in lucem æternæ vitæ ponens. Tertia: quia tunc descendit in Apostolos Spiritus sanctus, illuminans eos, & ipsi mutarunt linguas suas, vt proficiscerentur ad prædicandum Euangelium toti orbi terrarum. Sexta: quia tunc Christus in crucem sublatus fuit, in qua pependit vsque ad nonam: Tunc Deo Patri spiritum suum tradidit. Nona: quia tunc expirauit Dominus. Ideo laudamus eum, quòd mortem sustinuit, vt nos miseros peccatores à morte, in qua diabolus nos detinebat, educeret. Et quamquam anima separata fuit à corpore: tamen deitas inseparata erat: corpus passum est, sed deitas impatibilis mansit. Apodipna (quasi dicas postcœnia) canuntur, quia cubitum ituri sumus. Ideo Deo gratias agimus, petentes, vt nobis sanctum suum Spiritum mittat, qui nos à laqueis diaboli custodiat, ne nos ille ad libidinem suam supplantet. Mediæ noctis canticum, quia dixit Christus: *Vigilate, & orate, quia nescitis qua hora Dominus venial.* Rursus dicitur: *Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit.*

Moscouita.

Sigismundus in Commentario rerum Moscouitarum capite de Communione: Nullus Monachorum, nec sacerdotum, horas Canonicas (vt vocant) orat, nisi habeat imaginem præsentem.

PROBANT PATRES LATINI.

Thelesphorus. 127.

Epist. 1. Has septem hebdomadas omnes Clerici à carne, & delicijs ieiunent, & hymnis, & vigilijs, atque orationibus Domino inhærere die noctuque studeant.

Tertullianus. 200.

In Apologetico cap. 2. Plinius Secundus, cùm prouinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cætero ageret, consuluit tunc Traianum Imperatorem, allegans præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de sacris eorum comperisse, quàm cœtus antelucanos ad canendum Christo & Deo, & ad confœderandam disciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cætera scelera prohibentes. Tunc Traianus rescripsit, hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos verò puniri oportere.

Cap. 39 Coimus in cœtum & congregationem, vt ad Deum quasi manufacta precationibus, ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum, &c. Post aquam manualem & lumina, vt quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere.

De corona militis cap. 3. Eucharistiæ Sacramentum in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm præsidentium sumimus.

Lib. 2. *ad vxorem cap.* 4. Quis nocturnis conuocationibus, si ita oportuerit, à latere suo eximi libenter fieret? Quis denique Solennibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit? Quis ad conuiuium Dominicum illud, quod infamant, sine sua suspicione dimittet?

De ieiunijs cap. 10. Porrò cùm in eodem commentario Lucæ, & tertia hora orationis demonstretur, sub qua Spiritu sancto initiati pro ebrijs Act. 2.

habe-

Act.10. habebantur: & sexta, qua Petrus ascendit in superiora: & nona, qua templum sunt introgressi,
Act.3. cur non intelligamus salua planè indifferentia semper & vbique & omni tempore orandum: tamen tres istas horas, vt insigniores vt rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt,
Dan.6. quæ publicè resonant, ita & solenniores fuisse in orationibus diuinis: quod etiam suadet Danielis quoque argumentum ter die orantis, vtique per aliquarum horarum exceptionem, non aliarum autem, quam insigniorum exinde Apostolica-
Act.3. rum, tertiæ, sextæ, nonæ. Hinc itaque & Petrum dicam ex vetere potius vsu nonam obseruasse, tertiò orantem supremæ orationis munere.

Cyprianus. 250.

De Oratione Dominica: In orationibus verò celebrandis inuenimus obseruasse cum Daniele tres pueros in fide fortes, & in captiuitate victores, horam tertiam, sextam, nonam, sacramento scilicet Trinitatis, quæ in nouissimis temporibus manifestari habebat. Nam & prima hora in tertiam veniens, consummatum numerum trinitatis ostendit. Itemque ad sextam quarta procedens, declarat alteram trinitatem. Et quando à septima nona completur, per ternas horas trinitas perfecta numeratur: quæ horarum spatia iam pridem spiritaliter determinantes adoratores Dei, statutis & legitimis ad precem temporibus seruiebant: & manifestata postmodum res est, sacramenta olim fuisse, quòd ante sic iusti precabantur. Nam super discipulos
Act.2. hora tertia descendit Spiritus sanctus, qui gratiam Dominicæ repromissionis impleuit. Item Petrus
Act.10. hora sexta in tectum superius ascendens, signo pariter & voce Dei monentis instructus est, vt omnes ad gratiam salutis admitteret, cùm de emundandis gentilibus ante dubitaret. Et Dominus hora
Lucæ 23. sexta crucifixus, ad nonam peccata nostra sanguine suo abluit, & vt redimere & viuificare nos posset, tunc victoriam suam passione perfecit. Sed nobis, fratres dilectissimi, præter horas antiquitus obseruatas, orandi nunc & spatia & sacramenta creuerunt. Nam & mane orandum est, vt resurrectio Domini matutina oratione celebretur: quod olim Spiritus sanctus designabat in Psalmis, dicens:
Psal.5. *Rex meus & Deus meus: quoniam ad te orabo Domine: manè exaudies vocem meam: manè assistam tibi, & contemplabor te.* Et iterum per Prophetam loquitur Dominus: *Diluculo vigilabunt ad me dicentes: Ea-*
Oseæ 6. *mus, & reuertamur ad Dominum Deum nostrum.* Recedente item sole, ac die cessante necessariò rursus orandum est. Nam quia Christus sol verus, & dies est verus, sole ac die seculi recedente, quando oramus & petimus, vt super nos lux denuò veniat, Christi precamur aduentum, lucis æternæ gratiam præbiturum.

Arnobius Rhetor. 300.

Aduersus Gentes lib.4. Nostra scripta cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter conuenticula dirui? In quibus summus oratur Deus, pax cunctis & venia postulatur magistratibus, exercitibus, regibus, &c.

Hilarius. 350.

In Psalm. 65. Audiat orantis populi consistens quis extra Ecclesiam vocem, spectet celebres hymnorum sonitus, & inter diuinorum quoque Sacramentorum officia responsionem deuotæ confessionis accipiat. Necesse est terreri omnem aduersantem, & bellari aduersus diabolum, vincique resurrectionis fide mortem, tali exultantis vocis nostræ (vt dictum est) iubilo. Sciat hoc Deo placitum esse, hoc spei nostræ testimonium, publicas victricesque exultationis nostræ voces personare: Quarum Propheta non negligens
Psal.26. est, loco alio memorans: *Circumiui, & immolaui in tabernaculo eius hostiam iubilationis.* Et ne inanem iubilationis huius doctrinam atque obseruantiam crederemus, alibi protestatur: *Beatus populus, qui scit* Psal.81 *iubilationem.*

In Psalm.64. Dies in orationibus Dei inchoatur, dies hymnis Dei clauditur.

In Psalm.118. litera Heth: Non vacat totis noctibus somno, nec otiosus lecto continetur: ad confitendum Deo non solùm nocte, sed etiam media nocte consurgit. Meminit hoc esse tempus, quo primitiæ AEgyptiorum meritissima impiæ obstinationis clade percussæ sunt. His ergo horis non laxatur in somnum, ne gladio Aegypti admisceatur. Hoc noctis tempore introeunte sponso, sapientes virgines in nuptias cum lampadibus introibunt. Vigilat ergo, ne cum stultis mereatur excludi. Hoc tempore psallentibus Paulo & Silæ Apostolis, catenæ & vincula resoluuntur. Non dormit itaque, ne vinctus sit, nec hebet eum nocturni temporis somnus, nec ei obliuio officij sui requie mediæ noctis obrepit: surgit enim ad confitendum Deo. Confessio verò non semper ad peccata referenda est, verùm etiam in Dei laudibus intelligenda est.

Ambrosius. 370.

Lib.1. de Virginitate: Considerate cuius Maria soror Moysis speciem tunc gerebat: nonne Ecclesiæ, quæ religiosos populi cœtus, quia carmina diuina concinerent, immaculato virgo spiritu copulauit?

Lib.4. Hexameron cap.8. Nihil incantatores valent aduersus Ecclesiam, vbi quotidie Christi canticum decantatur.

In caput 15. Lucæ: Hæc est symphonia, quando concinit Ecclesia diuersarum ætatum atque virtutum velut variarum chordarum indiscreta concordia, Psalmus respondetur, Amen dicitur. Hæc est symphonia, quam & sciuit Paulus. Et ideo ait: *Psallam spiritu, psallam & mente.*

Prudentius. 380.

Hymno 1. ad Galli cantum:

Ales diei nuntius
Lucem propinquam præcinit,
Nos excitator mentium
Iam Christus ad vitam vocat.
Auferte, clamat, lectulos
Aegros, sopore desides,
Castiq;, recti, ac sobrij
Vigilate, iam sum proximus, &c.

Hymno 2. Matutino:

Nox, & tenebræ, & nubila,
Confusa mundi, & turbida
Lux intrat, albescit polus,
Christus venit, discedite, &c.

Hymno 3. ante cibum:

O crucifer bone lucisator,
Omniparens, pie, verbigena,
Edite corpore virgineo:
Sed prius in Genitore potens,
Astra, solum, mare quàm fierent, &c.

Hieronymus. 390.

Epist.17. ad Marcellam c.6. Concurrunt ad hæc loca, & diuersarum nobis virtutum specimen ostendunt. Vox quidem dissona, sed vna religio: tot penè psallentium chori, quot gentium diuersitates.

Epistola 22. ad Eustochium de custodia virginitatis cap.16. Quamquam Apostolus orare non semper 1.Thes.5 iubeat, & sanctis etiam ipse sit somnus oratio: tamen diuisas orandi horas debemus habere, vt si fortè aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. Horam tertiam, sextam, & nonam, diluculum quoque, & vespe-

ram, nemo est qui nesciat. Nec cibi sumantur, nisi oratione præmissa: nec recedatur à mensa, nisi referatur Creatori gratia. Noctibus bis terque surgendum, &c.

Epistola 27. ad Eustochium in Epitaphio Paulæ cap. 10. Post virorum monasterium, quod viris tradiderat gubernandum, plures virgines, quas è diuersis prouincijs congregârat, tam nobiles, quàm medij & infimi generis, in tres turmas monasteriaq; diuisit, ita duntaxat, vt in opere, & in cibo separatæ, psalmodijs & orationibus iungerentur. Post alleluia cantatum, quo signo vocabantur ad collectam, nulli residere licitum erat: sed prima, seu inter primas veniens, cæterarum operiebatur aduentum, pudore & exemplo ad laborem eas prouocans, non terrore. Mane hora tertia, sexta, nona, vespere, noctis medio, per ordinem psalterium cantabant. Nec licebat cuiquam sororum ignorare psalmos, & nō de Scripturis sanctis quotidie aliquid discere.

In Psal. 64. Matutinis vespertinisq; hymnis Ecclesiæ delectatur Deus per animā fidelem, quæ relicto inaniū superstitionum ritu eum deuotè laudauerit.

Hier. 45 *In Psal. 107.* O Monache, qui stas corpore, quare iacet anima tua, & non psallis Domino? *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Si psalterium es, si cythara es, quare surdus es, & non glorificas Deum?

In Psal. 115. Sicut Martyres laudant Dominum purè in regione viuorum: ita & monachi, qui die & nocte psallunt Domino, debent eandem habere puritatem Martyrum: siquidem ipsi Martyres sunt. Quod enim faciunt Angeli in cælis, hoc monachi faciunt in terris.

Ad c. 6. Dan. Tria sunt tempora, quibus Deo flectenda sunt genua: Tertiam horam, sextam, & nonam Ecclesiastica traditio intelligit. Denique tertia hora descendit Spiritus sanctus super Apostolos. Sexta volens Petrus comedere ad orationem ascendit in cœnaculum. Nona Petrus & Ioannes pergebant ad templum.

Ruffinus. 390.

Eccles. hist. lib. 2. c. 5. Edessæ cum Imperator Valens populos vidisset Ecclesijs ejectos in campo habere conuenticulum, tanta dicitur iracundia accensus, vt præfectum suum pugno percuteret, cur non fuissent inde quoque, sicut iusserat, deturbati. At ille, licet esset paganus, & iniurijs ab Imperatore fuisset affectus: tamen consideratione humanitatis altera die ad vastandum populum processurus, facit hoc ipsum ciuibus per occulta indicia clarescere, quo scilicet cauere sibi possent, ne inuenirentur in loco. Manè processurus, terrorem solito maiorem per Officium mouet, agitq; omnia quo quam minimi, vel, si fieri posset, nulli periclitarentur. Videt tamen solito frequentiorem populum tendere ad locum, currere præcipites, & festinare, tanquam vererentur, ne qui deessent ad mortem. Interea videt quandam mulierculam ita festinam & properam domo sua prorumpere, vt nec clauderet ostium, nec operire se, vt mulierum habitum decet, diligentius potuisset, infantem quoque paruulum secum trahentem, cursuq; rapido, irrupto etiam Officij agmine, festinantem. Tum ille vltra non ferens: Apprehendite, inquit mulierem, & huc deducite. Cumq; fuisset adducta: Quò, inquit, mulier infelix properas tam festina? Ad campum, ait, quo Catholicorum populus conuenit. Et non, inquit, audisti, quia Perfectus illuc pergit, vt omnes interficiat, quos inuenerit? Audiui, inquit, & ideo festino, vt ibi inueniar. Et quò, inquit, paruulum istum trahis? Vt & ipse, ait, martyrium consequi mereatur. Quare cùm audisset vir moderatissimus, redire Officium, & conuerti vehiculum ad palatium iubet. Et ingressus, ait, Imperator, subire mortem si iubeas paratus sum. Opus verò quod præcipis, implere non possum. Cumq; edocuisset cuncta de muliere, repressit Imperatoris insaniam.

Libro 2. cap. 9. Basilius Ponti vrbes & rura circumiens, desides gentis illius animos, & parum de spe futura sollicitos stimulare verbis, & prædicatione succendere, callumq; ab his longè negligentæ cœpit abolere, subegitq; abiectis inanium rerum & secularium curis, summet notitiam recipere, & in vnum coire, monasteria construere, psalmis, & hymnis, & orationibus docuit vacare.

Augustinus. 400.

Libro 9. Confes. cap. 6. Quantum fleui in hymnis & canticis tuis, suaue sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis.

Cap. 7. Non longè cœperat Mediolanensis Ecclesia genus hoc consolationis & exhortationis celebrare, magno studio fratrum concinentium vocibus & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multo amplius, cùm Iustina Valentiniani regis pueri mater, hominem tuum Ambrosium persequeretur hæresis suæ causa, qua fuerat seducta ab Arrianis. Excubabat pia plebs in Ecclesia, mori parata cum Episcopo suo, seruo tuo, &c. Tunc hymni & psalmi vt canerentur secundùm morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est: & ex illo in hodiernum retentum, multis iam ac penè omnibus gregibus tuis, & per cætera orbis imitantibus. Psal. 33.

Epistola 119. cap. 18. Si eo modo impediat, vt maiora studiorum lucra speranda sint, quàm calumniatorum detrimenta metuenda, sine dubitatione faciendum est. maximè illud, quod etiam de Scripturis defendi potest, sicut de hymnis & psalmis canendis, cùm & ipsius Domini & Apostolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta. De hac re tam vtili ad mouendum piè animum, & accendendum diuinæ dilectionis affectum, varia consuetudo est, & pleraque in Africa Ecclesiæ membra pigriora sunt: ita vt Donatistæ nos reprehendant, quòd sobriè psallimus in Ecclesia diuina cantica Prophetarum, cùm ipsi ebrietates suas ad canticum Psalmorum humano ingenio compositorum, quasi tubas exhortationis inflamment. Quando autem non est tempus, cum in Ecclesia fratres congregantur sancta cantandi, nisi cùm legitur, aut disputatur, aut Antistites clara voce deprecentur, aut communis oratio voce Diaconi indicitur?

Sermone 55. de Tempore: Ad vigilias maturius surgite, ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam ante omnia conuenite: nullus se à sancto opere subtrahat, nisi quem infirmitas, aut publica vtilitas, aut fortè certa aut grandis necessitas tenuerit occupatum. Cap. 6.

Paulinus Presbyter Mediolanensis. 400.

In vita D. Ambrosij: Hoc tempore primùm Antiphonæ, hymni, ac vigilæ in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt. Cuius celebritatis deuotio vsque in hodiernum diem non solùm in eadem Ecclesia, verùm per omnes penè Occidentis prouincias manet.

Paulinus Nolanus. 410.

Natali 7.

Noctis enim morem, vt ieiunare solemus
Ante diem, & serò libatis vespere sacris
Quisque suas repeare domos: tunc ergo solutis
Cætibus à templo Domini, postquam data fessis
Corporibus requies, sumpta dape cœpimus hymnos
Exultare Deo, & psalmis producere noctem.

Concilium Vasense. 440.

Cap.3. Quia tam in Sede Apostolica, quàm etiam per totas Orientales atque Italiæ prouincias dulcis & nimium salubris consuetudo intromissa est, vt κύριε ἐλέησον frequentius cum grandi affectu ac compunctione dicatur: placuit etiam nobis, vt in omnibus Ecclesijs nostris ista consuetudo sancta, & ad Matutinum, & ad Missas, & ad Vesperam Deo propitiante intromittatur.

Prosper Aquitanicus. 450.

De promissionibus & benedictionibus Dei dimidium temporis cap.6 Accidit, vt quintusdecimus Dominicus dies illucesceret, ascendente nobiscum sacerdote, vt matutinum illic sacrificium solitò offerretur, puellam præpositus ad altare perduxit, &c.

Sedulius. 460.

Ad cap. 1. epist. ad Roman. Aut ergo dicendum est, eum semper orare, & non deficere, qui Canonicis orationibus quotidie iuxta ritum Ecclesiasticæ traditionis psalmodijs precibusq; consuetis Dominum laudare & rogare non desistit. Et hoc est, quod
Psal. 33. Psalmista dicebat: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.*

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 30 Venientes ad Ecclesiam hoc solùm, quod in Ecclesia expedit fieri, agite, id est, aut orate, aut psallite, vt orando peccatorum veniam accipere, & psallendo ad spiritualem possitis lætitiam peruenire.

Victor Vticensis. 480.

De persecutione Vandalica lib. 2. Audiens Episcopus iussit hominem introire. Iam enim ob celebritatem festiuitatis hymni nocturni per totam Ecclesiam canente populo concrepabant.

Sidonius Apollinaris. 480.

Libro 1. epist. 2. Antelucanos sacerdotum suorum cœtus minimo comitatu expetit grandi sedulitate, veneratur, quamquam (sit sermo secretus) possis animaduertere, quòd seruet istam pro consuetudine potius, quàm pro ratione reuerentiam.

Alcimus Auitus. 500.

De consolatoria castitatis laude cap.1.

Nam quoties sanctum compleuerit ordine cursum,
Alternos recinens dulci modulamine Psalmos,
Quos viuens in corde chelys virtute canora
Interiore sono, & castis concentibus aptat.

Cyprianus Arelatensis. 500.

Cap.6. *Vita S. Cæsarij Arelatensis Episcopi.* De cunctorum profectibus sollicitus & prouidus pastor, mox instituit, vt quotidie Tertiæ, Sextæ, & Nonæ officium in S. Stephani Basilica clerici cum hymnis persoluerent, vt si quis fortè secularium vel pœnitentium sanctum opus exercere cuperet, absque excusatione aliqua quotidiano posset officio interesse.

Eugippius Abbas. 500.

Vita S. Seuerini cap. 9. A discipulorum suorum cellula spiritualis doctor longius habitabat, in orationibus & abstinentia iugiter perseuerans, cum quibus tamen matutinas orationes & propriam noctis principio Psalmodiam solenniter adimplebat: reliqua verò orationum tempora in paruo complebat oratorio, quo manebat.

Concilium Agathense. 506.

Cap.30. Quia conuenit ordinem Ecclesiæ ab omnibus æqualiter custodiri, studendum est, sicut vbique fit, vt post antiphonas, collectiones per ordinem ab Episcopis vel Presbyteris dicantur, & hymni matutini vel vespertini decantentur diebus omnibus, & in conclusione matutinarum, vel vespertinarum, & Missarum, post hymnos capitella de psalmis dicantur, & plebs collecta oratione ad vesperam ab Episcopo cum benedictione mi[ttatur.]

Concilium Gerundense. 517.

Cap.10. Item nobis semper placuit obseruari, [vt] omnibus diebus post matutinas & vesperas orat[io] Dominica à sacerdote proferatur.

Benedictus Abbas. 530.

Cap.16. Regulæ. Vt ait Propheta: *Septies in die laudem dixi tibi.* Qui septenarius sacratus numerus nobis sic implebitur, si Matutinæ, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completorijque tempo[re] nostræ seruitutis officia persoluamus. Quia de su[is] horis diurnis dixit Propheta: *Septies in die laude[m] dixi tibi.* Nam de nocturnis vigilijs idem ipse Propheta ait: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Ergo his temporibus referamus laudes Creato[ri] nostro, *super iudicia iustitiæ suæ*, id est, Matutini[s], Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespere, Completori[o], & nocte surgamus ad confitendum ei.

Concilium Aurelianense III. 536.

Cap.14. Hora tertia Missarum celebratio inchoetur, quo facilius intra horas competentes ipso officio expedito sacerdotes possint ad officia vespertina in vespertino tempore conuenire. Quia sacerdotem vespertinis officijs ab Ecclesia, talibus præcipuè diebus, nec decet deesse, nec conuenit.

Datius Mediolanensis. 540.

Chronicorum lib.1. cap.10. A beato Ambrosio, cunctis fidelibus vrbis astantibus & videntibus, in nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Augustinus baptizatus & confirmatus est. In quibus fontibus prout Spiritus sanctus dabat eloqui, *Te Deum laudamus*, cantantes, cunctis, qui aderant, audientibus & videntibus, simulque morantibus ediderunt quod ab vniuersa Ecclesia Catholica vsque hodie tenetur, & religiosè decantatur.

Cassiodorus. 540.

Prologo in Psalterium. Psalmi sunt, qui nobis gratas faciunt esse vigilias, quando silente nocte psallentibus choris humana vox prorumpit in musicam, verbisque arte modulatis ad illum redire facit, à quo pro salute humani generis diuinum venit eloquium. Cantus, qui aures oblectat, & animas instruit, fit vox vna psallentium, & cum Angelis Dei, quos audire non possumus, laudum verba miscemus.

Faustus. 570.

In vita D. Mauri: Ea nocte celebrantibus nobis nocturnale officium, aduenerunt illuc duo ex fratribus nostris, &c. Completis hymnis matutinalibus, in vnum conuenimus.

Fortunatus. 570.

Vita S. Germani cap. 64. Cùm Bituricas accessisset pro ordinatione Felicis Episcopi, prædicante illo, Segericus quidam Iudæus fidei Sacramento percepto, conuersus est. Habebat enim in Iudaismo coniugem Mammonam nomine, quæ cùm beatum virum nec etiam visu vellet intendere, decantato cursu Tertiæ manum suam Pontifex ad mulieris frontem dignanter admouit.

Libro 2. in laudem Parisiaci cleri:

Miles ad arma celer signum mox tinnit in aures,
Erigit excusso membra sopore thoro.
Aduolat ante alios mysteria sacra requirens,
Vndique quisque suo templa petenda loco.
Flagrantis studio populum domus irrigat omnis,
Certatimq; monent quis prior ire valet.
Peruigiles noctes ad summa crepuscula iungens,
Construit angelicos turba verenda choros.
Gressibus exertis in opus venerabile constans,
Vim factura polo cantibus arma mouet.

Stamina Psalterij lyrico modulamine texens
Versibus orditum carmen amore trahit.
Pontificis monitu clerus, plebs psallit, & infans,
Vnde labore breui fruge replendus erit.

Concilium Turonense II. 570.

Cap. 24. Licet hymnos Ambrosianos habeamus in Canone, tamen quoniam reliquorum sunt aliqui, qui digni sunt forma cantari, volumus libenter amplecti eos, &c.

Martinus Bracarensis. 580.

In capitulis Græcarum Synodorum cap. 63. Si quis Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet clericus Ecclesiæ deputatus, si intra ciuitatem fuerit, aut in quolibet loco, in quo Ecclesia est, & ad quotidianum psallendi sacrificium matutinis & vespertinis horis ad Ecclesiam non conuenerit, deponatur à clero, si tamen castigatus veniam ab Episcopo per satisfactionem noluerit promereri.

Gregorius Turonensis. 580.

De Vita patrum cap 3 Adueniente die tertia, quæ erat Dominica dies, albescente iam cælo, interrogat S. Gallus quid in Ecclesia psallerent, dixerunt benedictionem sese psallere. At ille Psalmo quinquagesimo & benedictione decantata, & alleluiatico cum capitello expleto, consummauit totum officium temporis matutini. Quo iam extremo profunctus officio, ait: Valedicimus vobis fratres. Et hæc dicens, extensis membris spiritum cælo intentum præmisit ad Dominum.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 3. Dialogorum cap. 14. Nocte eadem, dum S. Isaac ex more cum fratribus ad exhibendas laudes Domino surrexisset, præcepit dicens, &c.

Isidorus Hispalensis. 620.

De summo bono lib. 3. cap. 7. Bonum est corde semper orare: bonum etiam & sono vocis Deum spiritualibus hymnis glorificare. Nihil est sola voce canere sine cordis intentione, sed sicut Apostolus ait: *Cantantes in cordibus vestris*: hoc est, non solùm voce, sed & corde psallentes. Vnde & alibi: *Psallam & spiritu, psallam & mente.* Sicut orationibus regimur, ita psalmorum studijs delectamur. Psallendi enim vtilitas tristia corda consolatur, gratiores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes exuscitat, peccatores ad lamenta inuitat. Nam quamuis dura sint carnalium corda, statim vt psalmi dulcedo insonuerit, ad effectum pietatis animum eorum inflectit. Dum Christianum non vocis modulatio, sed tantùm verba diuina, quæ ibi dicuntur, debeant mouere: nescio tamen quo pacto modulatione canentis maior nascitur compunctio cordis.

Libro 1. de Offic. Eccl. cap. 19. Horam tertiam, & sextam, & nonam Daniel & tres pueri supplicationibus deuouerunt, scilicet, vt ab ortu diei in tempus precationis tres horæ porrectæ, Trinitatis nobis reuerentiam declararent, pariterq; à tertia ad sextam, atque inde ad nonam per paria lucis internalla, ratis dimensionibus terminata, Trinitas ter in die rogata coleretur. Illud autem occurrit ad probationem venerabilis Trinitatis, quòd Spiritus sanctus hora tertia, hoc est, suo loco & numero & tempore descendit ad terras, impleturus gratiam, quàm Christus promisit. Nam & sexta hora Christus passus, in nonam patibuli cruciamenta porrexit. Tali enim sacramento legitimis ad precem temporibus per ternas horas Trinitatis perfectio aut laudatur celebritatibus, aut precibus impetratur, licet & computetur diurna celebritas per quaternarium vsque in vespertinum officium: hoc est, quater ternis significatur: quia mundus quadrifariè diuisus in Trinitate saluatur. Siquidem & in nocte stationes & vigiliæ militares in quatuor partes diuisæ ternis horarum spatijs secernuntur, vt & in ipsis nocturnis mundialibusq; officijs Trinitatis mysterium veneretur.

Dan. 26. Acto. 2.

Cap. 20. Vespertinum diurni finis officium diurnæ & alternæ lucis occasus est, cuius ex veteri Testamento solennis celebratio est. Denique hoc tempore veterum sacrificia offerri, adolerique altario aromata & thura mos erat. Testis est hymnidicus ille, regio ac sacerdotali officio perfunctus, dicens: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* In nouoque Testamento eo tempore Dominus & Saluator noster cœnantibus Apostolis mysterium sui corporis & sanguinis initio tradidit, vt tempus ipsum sacrificij vesperum ostenderet seculi. Proinde in honorem ac memoriam tantorum sacramentorum his temporibus adesse nos decet Dei conspectibus, & personare in eius cultibus orationum nostrarum, illi sacrificium offerentes, atque in eius laudibus pariter exultantes. Psa. 140.

Cap. 21. De completis autem celebrandis, id etiam in patrum inuenitur exemplis, Dauid Propheta dicente: *Si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, aut requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, & tabernaculum Deo Iacob.* Quis non stupeat tantam in Dei amore animi deuotionem, vt somnum sibi, sine quo vtique corpora humana deficiũt, penitus interdixerit, donec locum ac templum Domino fabricandum in pectore suo Rex & Propheta reperiret? Psal. 13[?].

Cap. 22. Antiqua est vigiliarum deuotio, familiare bonum omnibus Sanctis: Esaias denique Propheta clamat ad Dominum, dicens: *De nocte vigilat spiritus meus ad te: quia lux præcepta sunt tua super terram.* Item Dauid & Regio & Prophetico sanctificatus vnguento ita canit: *Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo super iudicia iustitiæ tuæ.* Hoc namque tempore vastator Angelus transiens, primogenita Aegyptiorum percussit. Vnde & nos vigilare oportet, ne periculo Aegyptiorum admisceamur. Iisdem etiam horis, venturum se esse in Euangelio Saluator asseruit. Vnde & ad vigilandum auditores suos exuscitans, dicit: *Beati serui illi, quos cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Et si vespertina*, inquit, *hora venerit, & si media nocte, & si in galli cantu, & inuenerit eos vigilantes, beati sunt serui illi. Itaque & vos parati estote, quia nescitis qua hora filius hominis venturus est.* Siquidem nec verbis solùm docuit vigilias, sed & exemplo. Namque testatur Euangelium: *quia Iesus erat pernoctans in oratione* Paulus quoque & Silas in custodia publica circa medium noctis orantes hymnum, audientibus cunctis, vincti dixisse memorantur: vbi repentè terræmotu facto, & concussis carceris fundamentis, & ianuæ sponte apertæ, & omnium vincula sunt soluta. Vnde oportet his horis psallendi, ot andiquè frequentiam nos in sanctis habere officijs, finemque nostrum, vel si aduenerit, sub tali actu expectare securus. Est autem quoddam genus hæreticorum, superfluas existimantium sacras vigilias, & spirituali operi infructuosas, dicentes iura temerari diuina, qui noctem fecit ad requiem, & diem ad laborem.

Esa. 26. Psal. 118. Exo. 12. Luc. 12. Luce 6. Acto. 16.

Cap. 23. De matutinorum antiquitate & auctoritate testis est idem Propheta Dauid, dicens: *In matutinis meditabor in te: quia fuisti adiutor meus.* Et: *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua.* Diluculo autem proinde oratur, vt resurrectio Christi celebretur. Matutina autem luce radiante Dominus & Saluator noster ab inferis resurrexit, quando cœpit oriri fidelibus lux, quæ moriente Christo occiderat peccatoribus.

Psal. 62. Psal. 118.

Siquidem

Siquidem & eodem tempore cunctis spes futuræ resurrectionis creditur, cùm iusti & omnes ab hac temporaria morte quasi à sopore somni resurgentes euigilabunt.

Concilium Toletanum Quartum. 643.

Cap. 2. Vnus ordo orandi atque psallendi à nobis per omnem Hispaniam atque Galliciam conseruetur: vnus modus in Missarum solennitatibus, vnus in vespertinis officijs: nec diuersa sit vltra in nobis Ecclesiastica consuetudo, quia vna fide continemur, & regno. Hoc enim & antiqui Canones decreuerunt, vt vnaquæque prouincia & psallendi, & ministrandi parem consuetudinem teneat.

Cap. 12. De hymnis etiam canendis, & Saluatoris & Apostolorum habemus exemplum. Nam & ipse Dominus hymnum dixisse perhibetur, Matthæo Euangelista attestante: *Et hymno dicto exierunt in montem Oliueti, &c.* Matt. 26 Et quia nonnulli hymni humano studio in laudem Dei, atque Apostolorum & Martyrum triumphos compositi esse noscuntur, sicut hi, quos beatissimi Doctores Hilarius atque Ambrosius ediderunt, quos tamen quidam specialiter reprobant, pro eo quòd de Scripturis sanctorum Canonum, vel Apostolica traditione non existunt. Respuant ergo & illum hymnum, ab hominibus compositum, quem quotidie publico priuatoque officio, in fine omnium Psalmorum dicimus: *Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui sancto in secula seculorum. Amen.*

Cap. 13. Hymnum quoque trium puerorum, in quo vniuersa cæli terræque creatura Deum collaudat, & quem Ecclesia Catholica, per totum orbem diffusa, celebrat, quidam sacerdotes in Missa Dominicorum dierum & in solennitatibus Martyrum canere negligunt. Proinde sanctum Concilium instituit, vt per omnes Hispaniæ vel Galliciæ Ecclesias &c. decantetur.

Eligius. 650.

Homil. 11. Ait Dominus: *Oportet semper orare, & non deficere.* Luc. 18. Et Paulus: *Semper gaudete, sine intermissione orate.* 1. Thes. 5 Quis autem semper orare, ac sine defectu & sine intermissione precibus potest insistere, vt nec alimentum sumendi, nec dormiendi tempus habeat? Cui ergo dicendum est: *oportet semper orare, & non deficere*, nisi ei, qui canonicis horis quotidie iuxta ritum Ecclesiasticę traditionis psalmodijs precibusque consuetis Dominum laudare & rogare non desistit? Et hoc est, quod Psalmista dicebat: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Psal. 33

Præfatione in Hildephonsum Toletanum: Digna facundia dominæ suæ libellum hunc exornabat, dum ante horas matutinas solito more ad obsequia Deo peragenda consurgeret, vt vigilias suas Domino consecraret.

Audoenus. 680.

Vita S. Eligij lib. 1. *cap.* 10. Sed & alij quàm plures, qui diu noctuque in eius camera cum omni studio solenniter Canonicum adimplere studebant cursum.

Libro 2. *vitæ S. Eligij cap.* 21. Cùm aliquando visitaret diœcesin suam, vt solent Episcopi, quadam ex causa interdixit, ne cursus, id est, preces Canonicæ, & sacrificium celebrarentur in Basilica quadam, donec ipse iuberet, &c.

Beda. 700.

Ad cap. 18. *Lucæ:* Quis potest ita semper orare, & sine intermissione precibus insistere, vt nec alimentum sumendi, aut dormiendi tempus habeat? Aut ergo dicendum est, eum semper orare, & non deficere, qui Canonicis horis quotidie iuxta ritum Ecclesiasticæ traditionis psalmodijs, precibusque consuetis Dominum laudare & rogare non desistit. Aut certè omnia, quæ iustus secundùm Deum gerit & dicit, & orationem esse reputanda.

Historiæ Anglicanæ lib. 4. *cap.* 7. Cùm nocte quadam, expletis matutinæ laudis psalmodijs, egressæ de oratorio famulæ Christi, ad sepulchra fratrum, qui ex hac luce præcesserant, solitas Domino laudes decantarent, ecce lux subitò emissa cælitus, velut linteum magnum venit super omnes.

Alcuinus. 750.

De vita S. Vedasti: Verbum Dei quotidie per loca singula populis prædicabatur, hymnidicas laudes Deo horis Canonicis chorus cantabat in Ecclesijs, *beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Psal. 143

In Psalm. 118. *Septies in die laudem dixi tibi.*) Si ad literam velimus hunc numerum aduertere, septem illas significat voces, quibus se monachorum pia deuotio consolatur, id est, Matutinum, Tertia, Sexta, Nona, Lucernaria, Completorium, Nocturnum.

Aribo Frisingensis. 770.

Vita sancti Corbiniani cap. 23. Cùm quadam die in Episcopio Frisingæ sederet, molestia corporis correptus, solito more in vicinum montem ad oratorium B. Stephani Martyris venire nequiuit, ad matutinas Deo persoluendas laudes: clerum itaque excitans, illuc ire præcepit.

Carolus Magnus. 790.

Lib. 6. *Legum cap* 168. Vt sacerdotes signa tangant horis Canonicis, & illorum officium agant, siue diurnale, siue nocturnale quia scriptum est. *Sine intermissione orate*, & idcirco non dimittant horas Canonicas.

Haymo. 800.

In Homilijs æstiualibus Feria 6. *quatuor temporum:* Aut ergo dicendum est, eum semper orare, & non deficere, qui Canonicis horis quotidie iuxta ritum Ecclesiasticæ traditionis psalmodijs precibusque consuetis Dominum rogare & laudare non desistit, &c.

Concilium Cabilonense Secundum. 813.

Cap. 59 Sanctimoniales in monasterio constitutæ, habeant studium in legendo, & in cantando, in psalmorum celebratione siue oratione. Et horas Canonicas, Matutinam videlicet, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vespertinam, Completoriam pariter celebrent.

Concilium Aquisgranense. 816.

Cap. 131. Studeant summoperè Canonici prædictas horas *Canonicas* vigilantissima cura custodire, & in his diuinum officium humiliter ac deuotè persoluere. Mox enim, vt datum fuerit signum, festinatò omnes ad Ecclesiam conueniant.

Cap. 136. Expletis religiosissimo obsequio horis competentibus diurnis officijs ab omnibus Canonicis, dato signo deuotissimè ad Completorium celebrandum veniendum est.

Æmoinus. 825.

De gestis Francorum lib. 3 *cap.* 44. Gregorius Episcopus vna noctium post matutinos hymnos strato recumbens, vidit Angelum Dei, &c.

Cap. 81. Guntianus Rex Synodum 40. Episcoporum aggregari præcipiens, vt ordo psallendi, qui in loco sanctorum Agaunensium, temporibus Sigismundi Regis, ab Auito & cæteris Pontificibus illius temporis institutus fuerat, in cœnobio, quod ipse fabricarat, teneretur, effecit, &c. In diebus æstiuis sex antiphonæ binis Psalmis explicabantur. Porrò toto Augusto, propter crebras festiuitates, manicationes fiebant, (manicare autem mane surgere dicitur.) In Septembri verò septem

rò septem antiphonæ canebantur, distributis vnicuique binis psalmis. In Octobri octo cùm ternis Psalmis. Verùm in Ianuario ac Februario, vt possibilitas sinebat. Hoc tamen obseruantes, nè minus à duodecim psalmorum quantitate ad vigilias dicerent nocturnas. Ad Sextam tamen sex psalmi cum Alleluia, ad duodecimam duodecim, idqúe cum Alleluia, psallebantur.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap. 25. Præmissis his, quæ de ordine Missæ videbantur dicenda, de Canonicarum statutis horarum, quæ Dominus dederit, adiungamus. Sciendum est, multa post reuelationem Euangelij tempora transisse, antequam ita ordinarentur quarundam per diem & noctem horarum solennia, sicuti nunc habentur. In veteri
Exo. 29. autem Testamento legimus, quasdam certas orationis horas, *vt tempus matutini & vespertini sacrificij.*
Dan. 6. Et quòd Daniel legitur ter in die genu in oratione flexisse, non absque ratione fecisse credendum est, &c. Horæ igitur Canonicæ, quamuis omnes rationali auctoritate celebrentur, & nihil in eis obseruetur, quod non exempla vel dicta sanctorum Patrum confirment, tamen quædam manifestioribus sunt dedicatæ documentis, vt
Luc. 6. ipsum Dominum nostrum in oratione legimus
Act. 16. pernoctasse: Paulum quoque & Silam noctis medio orasse in carcere terræ motus ostendit, Cir-
Act. 10. & 13. ca tertiam in Apostolos orantes Spiritus sanctus descendit. Hora sexta Petrus ascendit in cœnaculum, vt oraret: itemqúe cum Ioanne in templum ad horam orationis nonam, in qua etiam oranti Cornelio Angelus apparuit. Testis enim etiam Philo, primitiuam apud Alexandrinos Ecclesiam inter alia bona, hymnos ante galli cantus lucanos celebrasse. Ex his itaque & similibus intelligimus, apud multos Horas, quæ & nunc celeberrimæ sunt, obseruatas: sed non ea distributione Psalmorum vel orationum, quâ nunc vtimur. Quam & circa tempora Theodosij senioris inchoatam, ac deinceps expletam multis animaduertimus causis. Ambrosius enim Mediolanensis (vt in libris Confessionum suarum beatus Augustinus testatur, (Hymnos diuinæ laudationis populo componens, persecutionem Iustinæ Augustæ rerum nouitate leniuit. Quo in tempore (sicut etiam in vita ipsius Ambrosij scribitur) Antiphonæ, Hymni & Vigilię in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt, &c.

Hincmarus. 840.

De vita Caroli Magni: Ecclesiam manè & vesperi, nocturnis item horis, & sacrificij tempore, quando eum valetudo permiserat, impigrè frequentauit.

Amalarius Treuirensis. 840.

Libro 4. de Ecclesiasticis Officijs cap. 3. Tres horæ diei nobis initiatæ sunt ad adorandum Deum à Daniele Propheta, de quibus ita scriptum est, in libro eius: quòd cùm Daniel comperisset, id est, constitutam legem, ingressus est in domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Hierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua. Vnde Hieronymus in explicatione eiusdem libri: Tria autem tempora, quibus Deo flectenda sunt genera, tertiam horam, & sextam, & nonam Ecclesiastica traditio intelligit. Denique tertia hora descendit super Apostolos Spiritus sanctus. Sexta volens Petrus comedere, ad orationem ascendit in cœnaculum. Nona Petrus & Ioannes pergebant ad templum. His ita perlectis, inuenimus in libro Esdræ, qui post Danielem fuit, quater in die populum Dei adorasse Dominum, & confessum esse peccata sua. Ita enim scriptum est in memorato libro: *Conuenerunt filij Israel in ieiunio & saccis, & humus super eos, & separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena, & steterunt, & confitebantur peccata sua, & iniquitates Patrum suorum, & consurrexerunt ad standum, & legerunt in volumine legis Domini Dei sui, quater in die, & quater in nocte confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum.* Vnde Beda sic in tractatu memorati libri. Quis enim non miretur, tantum populum tam eximiam habuisse curam pietatis, vt quater in die, hoc est primo mane, tertia hora, sexta, & nona, quibus orationi siue psalmodiæ vacandum erat, auditui se legis diuinæ contraderet, quò innouata in Deum mente, purior ac deuotior ad deprecandam eius misericordiam rediret? Sed & nocte quater excusso torpore somni, ad confitendum peccata sua, & postulandum veniam exurgeret? Quorum exemplo reor in Ecclesia morem inoleuisse pulcherrimum, vt per singulas diuinæ psalmodiæ horas, lectio vna de veteri siue nouo Testamento, cunctis audientibus ex corde dicatur, & sic Apostolicis siue Propheticis confirmati verbis, ad instantiam orationis genu flectant: sed & nocturnis horis cùm à laboribus cessatur operum, liberæ auditui lectionum diuinarum aures accommodentur.

Rabanus Maurus. 850.

De institut. cleric. lib. 2. cap. 1. Tempore autem, quoniam Canonicas horas ad orandum à patribus constitutas incessanter seruat Ecclesia, quas quasi pro debito exorandi officio statutas nullo modo negligere fas est, vt sunt Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, & cæteræ, quæ similiter obseruantur. Nec enim illud hanc constitutionem confundit, quod Psalmista dicit: *Benedicam Dominum* Psal. 33.
in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Benedicere enim Dominum in omni tempore, est semper illum digna conuersatione laudare: & sine intermissione orare, est omnia in gloriam Dei agere. Supradictæ enim horæ ideo specialiter ad orandum discretæ sunt, vt si aliquo opere fuerimus detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat.

Eulogius Toletanus. 880.

In memoriali sanctorum Martyrum epist. 2. ad Aluarum: Ipso die, quo gloriosarum nobis relatus est sub confessione nominis Christi interitus, omnes ad orationum arma currentes, horam nonam in Dei laude persoluimus. Ac deinceps auctis tripudijs vespertinum, matutinum, & Missale sacrificium consequenter ad honorem & gloriam nostrarum virginum celebrauimus, cunctiqúe commisimus.

Regino Prumiensis. 910.

De disciplina Ecclesiastica lib. 1. cap. 185. testatur Monachos suo tempore, Primæ, Tertiæ, & Nonæ, & officia seruitutis iuxta Benedicti regulam persoluisse.

Lib. 6. cap. 7. In Synodo Romana Ioanni Pontifici vitio datur, quòd matutinas & Canonicas Horas neglexerit.

VVitichindus. 950.

Lib. 3. Annalium: Mathilda vxor Imperatoris omni nocte, omnibus modis & omni genere cellulam suam diuinorum carminum melodia implebat: Erat enim ei cellula Ecclesiæ proxima, in qua modicè requiescebat, de qua omnibus noctibus consurgens, intrat Ecclesiam, nihilominus cantatoribus & cantatricibus intra cellulam, & pro foribus & in via triformiter constitutis, qui diuinam clementiam laudarent atque benedicerent. Ipsa intra Ecclesiam in vigilijs & orationibus perseuerans, Missarum solennia expectabat. Octo proxima nocte iuxta morem diluculo de lecto

confur-

consurgens, nocturnis & matutinis laudibus intererat. Post hæc paulùlum requieuit. Missarum deinde officijs celebratis, pauperibus iuxta morem manus porrexit, paululum gustauit, iterumq; in lecto requieuit. Cùm autem hora esset, processit lætus, & hilaris resedit. Peracto ministerio vespertinis laudibus interfuit.

Radulphus Flaniacensis. 950.

Lib.17. in Leuit. cap.5. Quomodo placituram Deo putatis psalmodiam, in qua vox quidem orantis prætendit speciem, mens autem sine fructu est? Nonne qui psallendi formam nobis tradiderunt, hoc commonuerunt nos, vt seruiamus Domino cum timore, vt psallamus sapienter, & sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ? Sub hæreticorum persecutione à patre nostro beatissimo Ambrosio Mediolani psalmodia legitur instituta, ad releuandum tribulationis illius pondus, ne scilicet populus Christianus mœroris tædio contabesceret. Hanc enim psallendi vtilitatem etiam Iacobus Apostolus nobis ostendit, dicens: *Tristatur aliquis vestrum? oret: æquo animo est? psallat.* Vestra autem psalmodia non solùm mœstos non releuat, sed etiam alacribus nimietate sua fastidium importat. O quantis bonis animas vestras fraudatis, quanta priuatis dulcedine, dum sapienter psallere contemnitis: nec experire potestis quod canitis: Quia *dulcia*, inquit, *faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Inde quippe faucibus eius dulcia erant eloquia diuina, quia voci mens concordabat, & quod sonabat in faucibus, hoc cum magna voluptate interius ruminabat.

Iacob.5.

Psal. 118.

Luitprandus Ticinensis. 950.

Lib.6. cap.7. referens vitia Ioanni Papæ obiecta: Matutinas & Canonicas Horas eum non celebrasse, nec signo crucis se muniuisse professi sunt.

Smaragdus. 970.

In diademate Monachorum cap.2. Sicut orationibus regimur, ita psalmorum studijs delectamur. Psallendi vtilitas tristia corda consolatur, gratiores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes excitat, peccatores ad lamenta inuitat. Nam quamuis dura sint carnalium corda, statim vt psalmi dulcedo insonuit, ad effectum pietatis animum inflectit. Dum Christianum non vocis modulatio, sed tantùm verba diuina, quæ ibi cantantur, debeant commouere: nescio tamen quo pacto modulatione canentis, maior nascitur compunctio cordis. Multi enim reperiuntur, qui cantus suauitate commoti, crimina plangunt, atque ex ea parte magis flectuntur ad lachrymas, qua psallentis insonuerit dulcedo suauissima. Oratio in præsenti pro remedio peccatorum effunditur, psalmorum autem decantatio perpetuam Dei laudem demonstrat in gloriam sempiternam.

Berno Augiensis. 1020.

Vita S. Vdalrici cap.23. Quorum vnus dixit: Quare non surgis? Debes enim hodie ad S. Ioannem Missam celebrare. Cui alter respondit: quomodo potest hoc fieri, quia pro impossibilitate virium adhuc Primam non expleuit?

Petrus Damianus. 1050.

Epist. 13. Frater quidam nostri cœnobij, piæ mentis & rectæ conuersationis vir, hinc aliquando transibat, & ecce crinitus quidam, quasi ex Hierosolymitana peregrinatione veniens, palmam ferebat in manu. Cumq; peregrinus & monachus inuicem obuij sese altrinsecus pertransissent, ait ille: Completorium in lecto nec salus est, nec profectus. Quod frater audiens admiratus expauit, ac repentè post terga respiciens eum videre non potuit. Mox enim, vt verbum protulit, omnino disparuit. Ille verò ad conscientiam mox reuersus, inuenit quia pridiano vespere lassus de via redierat, & fessa membra in lectulum proijciens, iacendo horas Canonicas compleuerat. Vtrum ille Angelus fuerit, an reuera (sicut videbatur) homo, Dei ducimus relinquendum esse iudicio.

Radulphus Ardens. 1050.

Dominica prima post Ascensionem: Surgamus cum Psalmista media nocte ad confitendum Domino: septies ei quoque laudem dicamus, in Matutinis laudibus, Prima, in Tertia, in Sexta, in Nona, in Vespere, in Completorio.

Ioannes Micrologus. 1060.

De Ecclesiasticis obseruationibus cap.58. Sunt tres horæ in die ex Dominica passione ad celebranda mysteria consecratæ, videlicet tertia, in qua linguis Iudæorum: sexta, in qua manibus Gentilium crucifixus est: nona, in qua emisit Spiritum. Inter quas horas Tertia in festiuis diebus maximè obseruatur: Sexta, Nona, ieiuniorum officijs deputantur.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epistola 220. Ad hoc instituta est clericalis militia vt psalmodiæ & hymnodiæ quotidianum Deo offerat officium.

Rupertus Tuitiensis. 1110.

Libro 1. de diuinis Officijs cap.1. Septem Canonicas horas diei non licet à quoquam, qui in conspectu Dei vacuus & ingratus apparere nolit, negligenter præterire. Hæ siquidem Creatori nostro debitæ laudes, & pro certis & magnis eius beneficijs quasi vectigales sunt gratiarum actiones. Sol namque verus & dies æternus Christus est, duodecim habens horas spirituales & sempiternè secum stantes: has septem horas temporaliter currentes clarissimis misericordiæ suæ radijs illustrauit, atque dedicauit, &c.

Bernardus. 1130.

In vita Malachiæ Episcopi cap.4. Decreta sanctorũ Patrum, præcipueque consuetudines sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in cunctis Ecclesijs *Hyberniæ* statuebat. Hinc est, quòd hodie in illis ad horas Canonicas cantatur & psallitur, iuxta morem vniuersæ terræ. Nam minimè id ante fiebat, ne in ciuitate quidem. Ipse verò in adolescentia cantum didicerat: & in suo cœnobio mox cantari fecit: cùm necdum in ciuitate, seu in Episcopatu vniuerso cantare scirent, vel vellent.

Sermone 3. Quomodo malum duplex cooperetur in bonum: Eundum nobis est. Iam enim campanam audiuimus, iam vespertinæ tempus orationis aduenit.

Hugo Victorinus. 1130.

In speculo Ecclesiæ cap.3. Octo horas sancti Patres præ cæteris ad laudandum Deum elegerunt, Mediam scilicet noctem, diluculum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, Completorium.

Eruditionis Theologicæ de officijs Ecclesiasticis lib.2. cap.1. Horæ Canonicæ dicuntur Officia constitutis horis regulariter in Ecclesia celebranda. Hæ siquidem Creatori nostro debitæ laudes, & pro certis & magnis eius beneficijs quasi vectigales sunt gratiarum actiones, &c.

Guntherus. 1160.

Libro 9.

Nam cùm more suo primo Rex lucis ab ortu
Ad matutinos diuinæ laudis honores
Omnibus in castris pingues efflantibus aras, &c.

Innocentius Tertius. 1200.

Proœmio in septem Psalmos Pœnitentiales: Secundùm exempla veterum ter aut septies in die est orandum. Nam Daniel ingressus domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Hierusa-

usalem tribus temporibus in die flectebat genua ua, & orabat, &c. Et Psalmista: *Vespere, & manè, & meridie narrabo & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.* Idem quoque dixit de se: *Septies in die laudem dixi tibi, &c.* Quem numerum etiam nunc Ecclesia n horis Canonicis obseruat. Ter in die, propter idem indiuiduæ Trinitatis, & septies inter diem & noctem, propter dona Spiritus septiformis.

Cæsarius Hesterbachius. 1220.

Libro 8. cap. 17. Duo quidam conuersi stabant simul vice quadam, & hora Completorij Deo suæ eruitutis pensum persoluebant: dicto Completorio respiciens vnus ad cælum, vidit in sublimi crucem splendidam, & in ea Dominum crucifixum, &c.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica 18. post Octauam Pentecostes: Exemplo Apostoli orare debent Sacerdotes pro populo. Non solùm autem horas Canonicas persoluere tenentur, quæ pro vniuersali Ecclesia dicuntur, sed insuper ad spirituales orationes pro benefactoribus suis astringuntur cum cordis puritate & deuotione.

Hugo Cardinalis. 1240.

In Psalm. 118 Laudes matutinales summo diluculo, quia tunc resurrexit Christus: postea Primam, quia tunc traditus est Pilato: deinde Tertiam, quia tunc crucifixus: postea Nonam, quia tunc expirauit: postea Vesperas, quia tunc depositus fuit de cruce: postea Completorium, quia tunc sepultus. Matutinas verò nocturnales cantat Ecclesia ad designandum vigiliam Domini, & diligentiam Iudæorum in eius custodia.

Thomas Aquinas. 1250.

De officio Sacerdotis cap. 1. Diuina officia in septem horas Canonicas distinguuntur, scilicet Matutinam, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperas, & Completorium.

Secunda Secundæ q. 91. art. 2. Laus vocalis ad hoc necessaria est, vt affectus hominis prouocetur in Deum. Et ideo quæcunque ad hoc vtilia esse possunt, & in diuinas laudes congruenter assumuntur. Manifestum est autem, quòd secundùm diuersas melodias sonorum animi hominum diuersimodè disponuntur: vt patet per Philosophum in 8. Pot. & per Boëtium in Prologo Musicæ. Et ideo salubriter fuit institutum, vt in diuinas laudes cantus assumerentur, & animi infirmorum magis prouocarentur ad deuotionem. Vnde Augustinus dicit in 10. Confess. Adducor cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia, vt per oblectamenta aurium animus in affectum pietatis assurgat. Et ideò de seipso dicit in 9. Confessionum: Fleui in hymnis & canticis tuis, suaue sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter.

Bonauentura. 1260.

Vita S. Francisci cap. 16. Solitus erat vir sanctus horas Canonicas non minus timoratè persoluere, quàm deuotè, &c.

Guilhelmus Durandus. 1280.

In Rationali diuinorum lib. 5. de diuinis officijs cap. 1. Nocturnum officium media nocte canitur, reliquæ verò septem Canonicæ horæ de die dicuntur, videlicet, Laudes matutinæ, quæ olim in aurora dicebantur, licet hodie cum nocturnis coniungantur, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium. Quæ septem horæ vocantur Canonicæ, quasi regulares: quia regulariter à sanctis Patribus obseruatæ sunt.

Clemens Quintus. 1305.

Extra. de celebratione Missarum, & alijs diuinis officijs cap. 1. Graui nimirum turbatione mouentur ex nonnullorum rectorum negligentia, quæ dum spem impunitatis permittit, multam nutrire pestilentiam consueuit in subditis. Plerique Ecclesiarum ministri, modestia Clericalis ordinis abiecta, dum offerre Deo sacrificium laudis, fructum labiorum suorum, in puritate conscientiæ & animi deuotione deberent, horas Canonicas dicere seu psallere, transcurrendo, syncopando, extranea quidem & plerumque vana prophana & inhonesta intermiscendo colloquia, tardè ad chorum conueniendo, seu Ecclesiam ipsam absque rationabili causa ante finem officij exeundo frequenter, aues interdum portando seu faciendo portari, canesque secum ducendo venaticos, ac quasi nihil prætendentes de clericali militia, sine corona, vestibus, & tonsura diuina etiam celebrare, aut eis interesse nimis indeuotè præsumunt. Ne igitur transgressiones inualescant huiusmodi, sacri Concilij approbatione hoc fieri prohibentes sancimus, vt in Cathedralibus, regularibus, & Collegiatis Ecclesijs, horis debitis deuotè psallatur: in alijs verò conuenienter & debitè celebretur diuinum diurnum, & nocturnum officium.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Prœmio in Psalterium: Licet hæretici vocales Ecclesiæ cantus reprehendunt, Ecclesia tamen non sine multa ratione eos instituit. Habet enim huiusmodi cantus seu iubilus multos effectus vtiles: vnus est, quòd cor liquefacit in affectum sanctum. Vnde de Augustino scriptum est, quòd flebat vberrimè in hymnis, in canticis, suaue sonantis Ecclesiæ vocibus vehementer affectus. Item iubilus laudis mentem eleuat, oculos cordis attollit: vnde mundi rapiuntur in extasin in huiusmodi iubilatione. Item tristitiam malam depellit. Vnde Glossa super illud Iacobi: *Tristatur aliquis in vobis, oret, ac psallat, &c.* Crebra psalmodiæ dulcedo nociuæ tristitiæ pestem repellit: item præparat viam cordis Domino ad infusionem multiformium gratiarum.

Guido Rocherius. 1333.

In manipulo curatorum de Eucharistia cap. 6. Horæ Canonicæ dicuntur & cantantur in memoriam passionis Christi. Matutinum namque officium dicitur in memoriam, quòd Christus hora matutinali fuit captus, vinctus, & multipliciter delusus in domo Annæ principis sacerdotum, ad quem tunc fuit ductus. Et debet dici media nocte, iuxta illud: *Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo.* Psal. 118. Prima dicitur in memoriam, quòd illa hora Christus in domo Caiphæ fuit ligatus ad columnam, & durissimè flagellatus. Tertia dicitur in memoriam, quod illa hora Christus fuit ductus ad Pilatum, & crucifixus linguis Iudæorum. Sexta dicitur in memoriam, quod illa hora Christus fuit spoliatus illusus, &c. Nona dicitur in memoriam, quòd illa hora Christus felle & aceto potatus expirauit. Vesperæ dicuntur in memoriam, quòd illa hora Christus fuit datus à Pilato Decurioni, & per Ioseph de cruce depositus. Completorium dicitur in memoriam, quòd in illa hora Christus à matre sua tristissima, & ab alijs sanctis mulieribus fuit lamentatus, aromatibus conditus, & fuit positus in sepulchro.

Ioannes Taulerus. 1350.

Dominica vndecima post Trinitatem: Preces horarias cum ingenti deuotione atque animi quanta potestis attentione decantabitis, atque legetis. Pro conscientiæ tamen securitate noueritis sufficere, quod ad præceptum attinet, si verba integrè dicantur, nec opus est aliquid repetere. Quando quidem verborum prolatione præcepto satisfit, modò spontè non cogitentur ea, quæ verbis lectis contraria sunt.

Catharina Senensis. 1370.

Tractatu primo cap. 66. Ad diuinum officium omnes clerici atque religiosi ex debito sunt obligati vsque ad mortem, quia si non persoluerent illud, indubitanter offenderent. Et si tempore, quo persoluere debent illud, eleuari vel attrahi mentem ex desiderio sentirent, sibi prouidere debent, horam præueniendo, vel saltem postea subsequendo, ita quod officium debitum nullatenus omittatur.

Radulphus Tungrensis. 1390.

Libro de Canonum obseruantia cap. 8. In Lectionibus tam maioribus, quæ in vigilijs nocturnis leguntur, quàm paruulis, quæ dicuntur ad alias Horas, & capitula appellantur, laudem Dei agimus & pronuntiamus.

Thomas VValdensis. 1410.

Tomo 3. tit. 3. cap. 23. Notandum est, quòd horis Canonicis, iuxta ritum Ecclesiasticæ traditionis, psalmodijs & precibus consuetis, laudandum sine intermissione Deum exponit Beda. Has horas Canonicas à primæuis suis distinxit Ecclesia. Quibus bus autem occasionibus sic distinxerit Ecclesia, puta Tertiam, Sextam, Nonam, sancti Patres non omiserunt dicere. Vnde libro de Oratione Dominica Cyprianus, &c. *vt supra ex Cypriano.*

Ioannes Gerson 1420.

In Regulis Moralibus: Horas Canonicas adaptare horis diei, vt primam primæ, tertiam tertiæ, quamuis singularibus personis sit congruum, non tamen necessarium. Horas enim quasdam præuenire vel subsequi pia intentione seu vtilitate fas est, vt de serò dicere matutinas, pro mane sequenti, &c.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De disciplina & perfectione Monasticæ conuersationis cap. 17. Psalmodia est quædam Dei ad hominem, atque hominis ad Deum dulcis, læta, ac familiaris allocutio, quæ immensas in se continet delectationes. Ideo indignum est, vt quamdiu anima cum Deo sermocinatur, aliò se diuertat.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tomo 2. de obseruantia Sabbati Sermone 10. fol. 98. Sunt quidam, qui licet non orent continuè, tam hoc student facere sæpè, scilicet in septem hor Canonicis. Vnde Psalm. *Septies in die laudem di tibi, &c.* Ad has horas Canonici seu clerici obl gantur dupliciter. Primò, ex debito iustitiæ, & hoc tenentur religiosi, qui hoc habent ex regula mandato. Clericis quoque propter hoc à laicis red tus & eleemosynæ datæ sunt, vt ipsi in officio su pleant laicorum vices. Secundò, ex statuto Eccl siæ. Nam ordinem sacrum nullus conferre d bet, nisi beneficiato, vel ei, qui ad suum patrimon um loco Ecclesiasticorum redituum voluerit o dinari. Ideo quilibet habens ordinem sacru tenentur ad Canonicas Horas: quia Ecclesia ord nando eum, intendit illum ad hoc ministerium ol ligare.

Ioannes de TurreCremata 1460.

Super Decreto parte 1. dist. 91. num. 8. Presbyter clericus beneficiatus, siue in sacris ordinibus co stitutus, ex debito obligatur ad dicendum hor Canonicas, ita quòd omittens eas dicere, nisi causa necessaria, peccat contra præceptum Ecclesi mortaliter: quia ad hoc persoluendum obligatu maximè beneficiatus, non modò Ecclesiæ præcep to, sed etiam quodammodo iure naturali.

Plinius Ethnicus.

Libro 10. epistola 2. ad Traianum Imp. de Christian Affirmabant hanc fuisse summam vel culpæ su vel erroris, quòd essent soliti stato die ante lu cem conuenire, carmenque Christo quasi Deo d cere secum inuicem, seque sacramento non in sc lus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latr cinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellari denegarent, quibus peractis morem fuisse rursum coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium.

LIBRI OCTAVI FINIS.

LIBER NONVS: DE MATRIMONIO.

ARTICVLVS PRIMVS.

MATRIMONIVM, SEV LEGITIMAM VNIVS MARIS ET FOEMINÆ COPVLATIONEM, RECTE INTER SACRAMENTA NOVÆ LEGIS REFERRI: EIS, QVI NVLLVM CONTINENTIAE VOTVM PRAESTITERVNT LICITVM ET honestum esse.

NEGANT.

SIMON *Magus docuit, indifferenter uti fœminis.* Irenæus, Epiphanius, Augustinus, & Theodoretus de illius heresibus.

Nicolaitæ uxorum communionem introduxerunt. Epiphanius hæresi 25. Augustinus ad Quoduultdeum hæresi 5.

Simonis Magi sectatores nuptias tollunt, arbitrantes eas non esse opus Dei. Clemens Roman. Constit. Apostolicarum lib. 6. cap. 8.

Saturninus docet nubere & generare a Satana esse. Irenæus lib. 1. cap. 22.

Gnostici à Carpocrate orti, uxores communes habent, & liberorum generationem auersantur. Clemens Alex. lib. 3. Stromat. Epiphanius & Theodoretus de illorum hæresi.

Valentiniani uxores communes habent, alij rursus, à Basilide & Carpocrate occasiones accipientes, indifferentes coitus & multas nuptias induxerunt. Irenæus lib. 1. cap. 32.

Seuerus fœminam à Satana factam, eosq; qui cum fœminis concumberent, Satanæ opus adimplere fabulabatur, atque ea de causa nuptias dissuadebat. Nicetas lib. 4. orthod. fidei hæresi 17.

Hydroparastatæ matrimonium fornicationem appellant, & legitimam coniunctionem diabolicam nominant. Theodoretus lib. 1. hæreticarum fabul.

Tatianus, à quo Encratitæ, nuptias reijcit, eas à Satana esse dicens: Irenæus, Epiphanius, & Theodoretus de Tatiano.

Adamitæ Adami imitantur nuditatem, quæ fuit ante peccatum: nuptias auersantur, quia nec priusquam peccasset Adam, nec priusquam esset dimissus de paradiso, cognouit uxorem. Credunt quòd nuptiæ futuræ non fuissent, si nemo peccasset. Augustinus ad Quoduultdeum hæresi 31.

Marcion matrimonium, ut malum & impudicitiæ negotium, reprobat. Tertullianus lib. 1. contra Marcionem, Clemens Alexand. lib. 3. Stromaton. Hieronymus contra Iouinianum.

Montanistæ secundas nuptias pro fornicationibus habent. August. hæresi 26.

Origeniani reijciunt nuptias, & non cessat apud ipsos libido. Epiphanius hæresi 63.

Manichæi damnant nuptias. Epiphanius, Augustinus, & Theodoretus de illorũ hæresibus.

Hierax: *Concessum erat*, ait, *in veteri Testamento nuptias contrahere: uerum à Christi aduentu non amplius nuptias admitti, neque posse ipsas possidere regnum cælorum.* Epiphanius hæresi 67.

Apostolici se isto nomine arrogantissime vocauerunt, eò quòd in suam communionem non reciperent utentes coniugibus, & res proprias possidentes quales habet Catholica Ecclesia. Augustinus hæresi 40.

Eustathius ita nuptias damnauit, ut diceret nullum eorum, qui sunt in coniugio, in Deo spem habere. Concilium Gangrense, & Socrates lib. 2. cap. 33.

Priscillianistæ nuptias & procreationem nascentium perhorrescunt. Leo Primus epist. 17. cap. 7.

Armenij negant in nuptijs aliquod esse Sacramentum, dicentes per illam maris & fœminæ indissolubilem coniunctionem non conferri aliquam gratiam. Alphonsus Zamerensis cap. de Matrimonio.

Bogomili nuptias dissoluunt. Euthemius Panopliæ parte 2.

Durandus de VValdachia dixit matrimonium occultatum meretricium. Nicolaus Eymericus parte 2. q. 11. Bernardus Lutzenb. de hæresib.

Apostolici continentiæ se voto constringentes omnes nuptias damnabant. Postea quidam ex illis non nisi virgines licito matrimonio iungi volebant. Bernardus serm. 66. in Cantic.

1180. *Noui Manichæi damnantes Sacramentum Matrimonij, eius loco confingunt esse spirituale matrimonium inter animam & Deum, quando videlicet ipsi hæretici præfecti recipiunt aliquem ad sectam & ordinem suum.* Nicolaus Eymericus part 2.q.13.

1200. *Albigenses dicunt, quòd matrimonium malum est.* Antoninus parte 4. tit. 11. cap. 7. §. 5.

1520. *Erasmus Roterodamus* ad cap. 7. prioris Epist. ad Corinth. *num matrimonium sit Sacramentum in dubium vocat.*

1520. Martinus Lutherus in captiuitate Babylon. cap. de Matrimonio: *Matrimonium non solùm sine vlla Scriptura pro Sacramento censetur: verùm eisdem traditionibus, quibus Sacramentum esse iactatur merum ludibrium factum est. Matrimonium Sacramentum est non diuinitus institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inuentum ignorantia tam rei, quam verbi adductis.*

1524. *Thomas Muncerus docebat coniugium & thorum coniugalem infidelium & carnalium non esse impollutum, verùm meretricium thorum esse, & diaboli prostibulum.* Bullingerus lib. 1. cap. 1. de Anabaptistis.

1540. *David Georgius Matrimonium suo spiritu renatis discipulis prohibuit. Non enim liberum esse vnam vni astringi, sed alias plures posse habere ad augendam prolem.* Cochlæus de dictis & scriptis Lutheri, Lindanus Dialogo 2. Dubitantij, Basileenses in eius vita.

1540. *Libertini aiunt matrimonium solenni ritu initum coram hominibus carnale esse, sed id solùm inter Christianos firmum esse debere, in quo vtrique simul cum altero bene est. Simulatque adultera scortatoris sui tædium ceperit, eum subinde commutare potest. Similiter scortator hac & illac procandi causa se insinuans, vt nouas vxores spirituales acquirat, & quas reperit assumat. Et adeò impudentes sunt, vt talem turpitudinem tegant vocationis prætextu. Quoniam interpretantur id esse vocationem, animi appetitum sequi.* Ioannes Caluinus instructione aduersus Libertinos cap. 20. Bullingerus de Anabaptistis lib. 2. cap. 1.

1550. Ioannes Caluinus lib. 4. Instit. cap. 19. §. 24. *Postremum est matrimonium, quod vt à Deo institutum fatemur omnes, ita pro Sacramento datum nemo vsque ad Gregorij tempora viderat. Ordinatio Dei bona est, & sancta: & agricultura, architectura, sutrina, tonstrina, ordinationes sunt Dei legitimæ, nec tamē Sacramenta sunt. Id enim non tantùm in Sacramento quæritur, vt sit opus Dei, sed vt sit cæremonia exterior, à Deo posita in confirmandam promissionem. Nihil tale esse in matrimonio pueri quoque iudicabunt.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 2. *Vers.* 24. Relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.

Matth. 19. 4. Qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo: sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.

Marci 10. 11. Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur.

Ioannis 2. 1. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius ad nuptias.

1. *Cor.* 7. 2. Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat. Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: & iterum reuertimini in idipsum: ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium. 10. Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat.

Ephes. 5. 21. Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. Ipse saluator corporis eius. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata. Ita & viri debent diligere vxores suas vt corpora sua. Qui suam vxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis eius, de carne eius & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam: & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Veruntamen & vos singuli vnusquisque vxorem suam sicut seipsum diligat, vxor autem timeat virum suum.

1. *Tim.* 4. 1. Spiritus autem manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere.

1. *Tim.* 5 14. Volo ergo iuniores (*viduas*) nubere, filios procreare, matresfamilias esse.

Hebr. 13. 4. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Canone Apost. 51. Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex sacerdotali numero, à nuptijs, carnibus, & vino, non propter exercitationem, sed propter abominationem abstinet, oblitus quòd omnia valde bona, & quòd masculum & fœminam Deus creauerit hominem: sed blasphemans calumniatur opificium, vel corrigatur, vel deponatur, & ex Ecclesia eijciatur, similiter & laicus.

Constitut. Apostolicarum lib. 6. cap. 8. de Simonis sectatoribus agens: Ex quibus, *inquit*, alij plures Deos ponunt, &c. alij nuptias improbant, quòd opinentur non esse eas opus Dei: alij quædam genera ciborum tanquam execrabilia eijciunt: alij omni verecundia, & pudore sublato scortantur, vt ij, qui nunc falso nomine Nicolaitæ vocantur.

Cap. 28. Quæ maritos habetis, estote eis subiectæ, eosq; honorate, ac cum timore & charitate eis seruite, vt Sara fœmina sancta honorem habebat Abrahæ, quem ne nomine quidem suo appellare audebat, sed dominum vocabat.

Ignatius. 100.

Epistola ad Philippens. Non quòd vituperem reliquos diuos, quòd rei vxoriæ se dederint: horum tantummodo memini (opto enim vt dignus sim in regno cælorum ad horum pedes locum mihi dari) vt Abrahæ Isaac, & Ioseph, Esaiæ, & aliorum Prophetarum: vt Petri, & † Pauli, & aliorum Apostolorum, qui nuptijs operam dederunt, sed studio virginitatis de qua loquor, illi in mentem mihi venerunt.

† *Pauli nomen in antiquissimis Aegiptianis & alijs codicibus non extat. Vnde doctissimi plerique oscitantiam scriolorum aut scribarum censent assumentum.*

Iustinus. 160.

Oratione ad Antoninum Pium: Aut vtimur coniugio propter sobolem, aut abstinentes, in perpetua abstinentia degimus.

Theophilus Antiochenus. 170.

Ad Autolycum lib. 3 Etenim quòd ad impium adulterij & scortationis vitium attinet, pulchrè illi circa philosophiam errârunt, & inter se consenserunt, & primus Plato statim in primo libro qui de Republica inscribitur, quodammodò lege sanciri vult, vt omnium vxores sint cõmunes, secutus exemplum Iouis, & Cretensium legislatorem, vt sub hoc prætextu frequentior & abundantior prouenirct soboles, & vt tristitia affecti, ob communem vxorum concubitum consolationem aliquam inde caperent. Epicurus, vt satis euidenter impietatem doceret, suadet incestos concubitus, videlicet vt quis cum matre & sorore coeat, quamuis eo tempore extiterint leges, quæ hanc impietatem prohibebant. Nam etiam Salomon legem tulit, quæ iubet ex matrimonio, vt liberi legitimi nascantur, legitimo, præuenire volens, ne liberi ex scortatione, aut ex adulterio exoriantur.

Irenæus. 180.

Lib. 1. cap. 1. Quapropter & omni modo oportere eos zyzygiæ (id est coniugij) meditari mysterium.

Lib. 1. cap. 30. Vt exempli gratia dicamur à Saturnino & Marcione, qui vocantur continentes, abstinentiam à nuptijs annuntiauerunt, frustrantes antiquam plasmationem Dei, & obliquè accusantes eum, qui & masculum & fœminam ad generationem hominum fecit.

Clemens Alexandrinus. 200.

Libro 3. *Stromaton*: Habet enim sicut castitas, ita etiam matrimonium propria munera & ministeria, quæ ad Dominum pertinent, filiorum, inquam, curam gerere & vxoris. Quod enim honestè causatur is, qui est in matrimonio perfectus, est coniugij necessitudo, vt qui omnium curam in domo communi ostenderet, &c. Si peccatum est matrimonium, quod est ex lege, nescio quomodo quis dicet, se Deum nosse, dicens Dei iussum esse peccatum. Quòd si lex sancta est sanctum est matrimonium. Sacramentum ergo hoc ad Christum & Ecclesiam ducit Apostolus. Quemadmodum, quod ex carne generatur caro est: ita quod ex Spiritu spiritus, non solùm in pariendo, sed etiam in discendo. Iam sancti sunt filij, Deo gratæ oblationes verborum Dominicorum, quæ desponderunt animam. Sunt ergo separata fornicatio & matrimonium, quoniam à Deo longè abest diabolus.

Lib. 4. Stromaton: Sanctificatur itaque, quod per Verbum perficitur matrimonium, si coniugium se Deo submittat, & cum vero corde administretur in fidei certitudine: sanctificatorum corda à mala conscientia, & ablutorum corpus aqua munda, & habentium confessionem fidei. Fidelis enim est qui promisit. Oportet autem felix matrimonium, neque vnquam diuitijs, nec pulchritudine censeri, sed virtute.

Origenes. 230.

Homil. 11. in Exodum: Bonum est homini mulierem non tangere, saluo tamen remedio his, qui pro infirmitate sua remedio indigent nuptiali.

Lib. 8. in epist. ad Romanos: Quoniam videmus nonnullos sanctorum, aliquos etiam sanctorum Apostolorum habuisse coniugia, non vsquequaque possumus de sola virginitate sancire: puto quòd neque illi, qui in coniugijs positi sunt, & ex consensu vacant orationi, si in cæteris sanctis agant & iustè, negandi sint corpora sua exhibere posse hostiam viuentem, sanctam, placentem. Nec rursum corpora virginum vel continentium, si vel superbiæ macula, vel mendacij immunditia polluantur, hostiam sanctam & Deo placentem putanda sunt ex sola virginitate corporis detulisse.

Concilium Gangrense. 324.

Canone 1. Si quis matrimonium vituperet, vt eam, quæ cum marito suo dormit, quæ est fidelis ac religiosa, abhorreat, & insimulet tanquam quæ nõ possit regnum Dei ingredi, sit anathema.

Can. 9.

Can. 9. Si quis vulgò fit vel continens, à matrimonio tanquam abominando recedens, & non propter ipsam virginitatis pulchritudinem & sanctitatem, sit anathema.

Can. 10. Si quis eorum, qui sunt virgines propter Dominum, insultet in eos, qui vxores duxerunt, sit anathema.

Can. 14. Si qua mulier relinquit maritum, & vult recedere, matrimonium abhorrens, sit anathema.

Athanasius. 340.

Sermone contra omnes hæreticos: Verba faciamus ad infelicem Miluium, arbitrantem se extollere virginem, & coniugium infamare posse, cùm Deus in paradisum Euam ad Adam deducat, ibiqúe loquatur Adam: *Ea de causa relinquet homo patrem & matrem, & conglutinabitur ei, & erunt in carnem vna.* Cęterùm iste vetus Testamentum non recipit. Quid ergo? Nunquid auscultas in Euangelio Dominum in Cana ad nuptias vocatum, easqúe benedixisse, & ex aqua vinum fecisse? & rursus alibi Iudæis dicentibus, sibi Mosen concessisse libellum repudij, Christum respondere: *Quos Deus coniugauit, homo ne separet?* Quomodo potest ramus consistere, si non subsit radix? Quomodo virgo esse potuerit, si non habeat patrem & matrem?

Epist. ad Annum Monachum: Qualem ergo vsum precor nominas legitimum, ne illum, quem permisit Deus, cùm crescere, & multiplicari, & terram repleri iussit? Quem & ipse Apostolus probauit, cùm honorabiles nuptias, lectumqúe impollutum appellauit? an vagum illum & effusum furtim & libidinosè perceptum?

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 4. Neque rursus, cùm magnopere studes temperantiæ, sis inflatus aduersus illos, qui occupati sunt nuptijs. Nam & hi mundi sunt: *Honorabile enim coniugium, & torus immaculatus*, dicit Apostolus, & tu, qui id ignoras, nunquid non ex nuptijs natus es? Non ergo ideo, quòd aurum possides, argentum reprobes: sed in bona consistant & hi, qui nuptijs legitimè vtuntur: non autem illis procaciter abutuntur per intemperantiam. Qui norunt tempus continendi, vt vacent orationi: qui vnà cum vestimentis, munda ad conuentus Ecclesiæ adferunt corpora: qui studio liberorum, non studio voluptatis ad nuptias accedunt. Et monogami quoque eos, qui ad secundas nuptias aspirant, non reprobent. Bona est continentia & admiranda, veruntamen per dispensationem fieri potest, vt quis secundam vxorem ducat, ne in errorem incidant impotentes. *Bonum quidem esset illis si permanserint, sicut & ego*, dicit Apostolus: *si autem non continent, nubant. Melius est enim nubere, quàm vri.*

Basilius Magnus. 370.

Libro de vera virginitate: Tunc legitimum constat esse connubium, & secundùm diuina iura institutum, cùm non voluptatis affectus legis scita præcesserit, sed adiumenti necessarij, prolisqúe causa fuerit huiusmodi facta coniunctio. Ita fiunt honorabiles nuptiæ, quando rationem coniugij non præit obscœna voluptas: sed iacto secundùm leges diuinas sancto fundamento, matrimonium necessariò sequi voluptas ipsa concubitus, vnamque carnem duos facere deprehenditur. Quia enim præcedens animæ ratio, animas apertè necessitatis ratione coniunxit, meritò ita vnitas carnis quoque, cui alligatæ sunt, vnitas sequitur. Porrò si animæ initio aliud proponant, & caro postmodum ad voluptatem prona, naturali feratur impetu, atque animas sibi alligatas, vt affectioni suæ obsequantur, inducat, carnis tunc vitium secutæ animæ huiusmodi congressum execrabilem reddunt. Quod enim opus neque ratio, quæ animæ inest, neque lex iusta præcessit, id profectò vt iniquum à conscientia damnatur. Iccirco *mulier*, inquit, *alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit: sin verò mortuus fuerit, libera est, cui vult nubat, tantùm in Domino.* Vide quòd non simpliciter dixerit, *nubat*, sed adiecit, *in Domino tantùm.* Nam & quæ per mortem viri liberam consequitur nubendi facultatem, non tamen ea libertate potita, vtcunque nubere debet: sed *tantùm in Domino.* Quid est autem in Domino nubere? Non autem vt vile mancipium voluptatibus carnis ad concubitum pertrahi: sed iudicio, & commodioris vitæ ratione nuptias eligere. Ideò enim & matrimonij necessitatem Creator in natura constituit.

Amphilochius. 380.

Homilia in Purificationem Dei Genitricis: Nuptiæ honoratæ sunt, & quouis terrestri dono superiores, fœcundæ arboris similitudinem præ se ferentes. Est enim coniugium ipsum tanquam planta quędam pulcherrima, ex qua virginitas ipsa nascitur, & rationalia animataqúe germina producuntur. Est, inquam, coniugium benedictio illa, qua mundus creuit, & generis instauratio facta est. Per ipsum enim natura humana reparata fuit, quam cùm Dominus suscepisset, diuinam renouauit. Tale denique coniugium est, vt vniuersum genus humanum contineat, & cum illo versetur, ita vt liberè possit dicere: *Ecce ego & pueri mei, quos dedisti mihi Deus.*

Epiphanius. 380.

Hæresi 67. Sed & eos, qui venerandas nuptias contraxerunt, Deus elegit. Vnumquemque enim in proprio ordine saluare solet. Quomodo enim non erunt venerabiles nuptiæ, & in Deo habentes regnum cælorum, cùm vocatus sit ipse Saluator ad nuptias, vt nuptias benediceret? Si quidem enim recusasset ad nuptias ingredi, profectò nuptiarum exolutor fuisset, & qui non suscipit vnumquemque iuxta debilitatis ipsius veniam. Venerandæ igitur sunt nuptiæ, quoniam ipse illas decreuit. Quare accedit ad nuptias, vt obturet ora eorum, qui loquuntur contra veritatem. Isthic enim primum signum edidit Iesus in Cana Galilæa, aqua in vinum commutata. Sicut enim exortus est à virgine, vt ostenderet lumen à virgine orbi terrarum exortum: ita etiam primum signum in nuptijs fecit in Cana Galilææ, quò virginitatem quidem honoraret per partum, & luminis iactum per ipsam exortum: nuptias verò honoraret, per diuina signa, quæ in nuptijs primùm fecit, aqua in merum transmutata. Similiter autem si alienæ essent nuptiæ, quomodo gentium Doctor præcipit, dum dicit: *Iuniores viduas reijce. postquam enim lasciuierunt contra Christum, nubere volunt, habentes condemnationem, quòd primam fidem reiecerunt.* Quid igitur dicit, quàm nubant, liberos gignent, domum gubernent? Si igitur hæc admittit, quomodo apud te, ô Hierax, nuptiæ reijciuntur post aduentum Christi?

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 11. *quæ est in laudem sororis Gorgoniæ:* Pudicitiæ quidem laude adeò excelluit, adeoqúe omnes ætatis suæ mulieres, ne dicam priscas, quarum ingens ob pudicitiam fama est, superauit, vt cùm in hæc duo cunctis vita diuisa sit, nempe in matrimonium & cœlibatum, atque hic quidem sublimior sit, verùm laboriosior & periculosior: illud autem humilius, sed tamen tutius, vitatis vtriusque molestijs, quicquid in vtroque pulcherrimum erat, elegerit, atque in vnum copularit: alterius nimirum sublimitatem, alterius securitatem, fue-

ritqúe citra supercilium pudica, cœlibatus bonum matrimonio admiscens, illudqúe ostendens, neutrum horum aut Deo omnino nos astringere, aut ab eo dirimere: ita vt alterum natura sua prorsus fugiendum sit, alterum omni ex parte laudandum & amplectendum. Verùm mentem esse, quæ & coniugium & virginitatem pulchrè regat, atque moderetur, atque hoc instar materiæ cuiusdam ab artifice ratione dirigi, & ad virtutem elaborari. Non enim quia carni copulata erat, idcirco à spiritu disiuncta est: nec quia caput virum habebat, ideo primum caput ignorauit: sed cùm mundo & naturæ paululum ministrasset, quantum carnis lex volebat, vel is potius, qui hanc carni legem indixit, totam se Deo consecrauit.

Oratione 31. quæ est in illud Euangelij: *Cùm consummasset Iesus hos sermones, &c.* Expedit nubere, id ipse quoque probo. *Honorabile enim connubium, & torus immaculatus:* sed moderatis expedit, non petulantibus, & libidine perditis. Cùm matrimonium nihil aliud est quàm matrimonium, & coniunctio, & prolis ac successionis cupiditas, tum bonum est matrimonium: plures enim introducit, qui Deo placeant. At cùm carnis molem inflammat, & spinis circundat, vitijsqúe quasi via inuenitur, tum ipse etiam dico non expedit nubere. Bonum est matrimonium, sed quòd virginitate præstantius sit non dico.

Gregorius Nyssenus. 380.

Libro de Virginitate cap. 8. Nemo ex ijs, quæ diximus, in opinionem veniat, nos matrimonij improbare institutionem: non enim ignari sumus, neque illud à benedictione Dei fuisse alienum: sed quoniam hoc ipsum satis accuratè defendit communis hominum natura, quæ sua sponte ad huiusmodi res vim inserit ijs, qui matrimonij via quæsita ad liberorum procreationem accedunt: naturæ enim quodammodo resistit virginitas, superuacaneum vtique esset admonitiones, atque hortationes de matrimonio diligenter conscribere: cùm voluptas ipsa ostendat se acerrimum illius patrocinium suscipere: nisi fortasse tamen his sermonibus opus esset propter eos, qui Ecclesiæ præcepta, atque instituta corrumpunt: quos cauteriatam suam conscientiam habentes vocat Apostolus, propterea, quòd spiritum ducem relinquendo, dæmoniorum doctrinis cicatrices quasdam, atque mustiones cordibus suis imprimunt, præcepta Dei detestantes, quasi impura illa sint, ad malumqúe trahant, atque in causa sint malorum, &c. Nos verò de matrimonio ita sentimus, oportere nos rerum diuinarum studium, curamqúe huic matrimonij officio anteferre, neque tamen eum despicere, qui temperatè illo, ac moderatè vti potest: qualis Patriarcha Isaac fuit, qui non florescente ætate, vt affectioni coniugium seruiret, sed exhausta iam adolescentia, ob Dei in semine benedictionem, Rebeccam in matrimonium duxit: cui cùm vsque ad partum operam dedisset, rursus in rebus, quæ oculis non cernuntur, totus fuit, clausis corporis sensibus. Id enim significare mihi videtur historia, quæ grauem illius Patriarchæ oculorum obtutum commemorat.

Tim.4

Ioannes Chrysostomus. 400.

In Psalm. 43. Qui Dei opus tanta affecit ignominia, quid tandem patietur? & maximè quando hæc facit, qui habet vxorem. Ne mihi dixeris, naturæ cupiditatem. Propterea enim permissum fuit matrimonium, ne vltra proprios terminos progredereris. Vide enim quanto dignus eris supplicio. Nam Deus tuæ quieti & honori prospexit, vt & naturæ rabiem per vxorem compesceres, & hæc absque vllo periculo faceres, & ab omni turpitudine & dedecore libereris.

In cap. 5. *ad Ephesios Homil.* 20. Reuera enim est mysterium, & magnum mysterium, eo, qui procreauit, qui genuit, qui educauit: ea, quæ concepit, quæ cum dolore peperit & afflictione, qui tot ac tantis affecerunt beneficijs, cum quibus diuturnus fuit vsus & consuetudo, relictis, ei adhærere, quæ ne visa quidem fuit, & cum eo nihil habet commune, & eam omnibus præferre, reuera est mysterium. Et parentes, cùm hæc fiunt, non ægrè ferunt, sed potius ægrè ferunt si non fiant, & cùm impenduntur pecuniæ, & fiunt sumptus, lætantur. Reuera magnum est mysterium, arcanam quandam habens sapientiam. Hoc multis retroactis seculis prophetans dicit: *In Christo & Ecclesia.* Sed non propter ipsum solum hoc dictum est. Sed quid? Vt ipsam tamquam propriam carnem foueat, sicut & Christus Ecclesiam. *Vxor autem timeat virum.*

Hom. 2. *in epist. ad Titum:* Obstruere intendit hæreticorum ora, quæ nuptias damnant, ostendens eam rem culpa carere, imò ita esse pretiosam, vt cum ipsa etiam possit quispiam ad sanctum Episcopatus solium subuehi.

Hom. 20. *in Matth.* Nuptiæ res honesta est, & quæ genus nostrum continet, & multorum bonorum causa est.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Libro 2. *in Ioannem cap.* 22. Christus profectus ad nuptias non conuiuij gratia, sed potius miraculi: deinde vt natiuitatis nostræ principium, quantum ad carnem attinet, sanctificaret, &c. Quomodo igitur aliter depellenda hæc maledictio erat, ne condemnata nuptiarum sanctimonia videretur, quàm Saluatoris præsentia? Qui cùm sit verum gaudium, priscum nuptiarum mœrorem præsentia sua depulit.

Isidorus Pelusiota. 440.

Libro 2. *epist.* 132. Bonum est matrimonium, ac melior virginitas: pulchra est luna, at sol præclarior.

Lib. 4. *epist.* 151. Soli eos, qui virginitatem amplexi sunt: lunæ autem eos, qui continentiam: ac denique stellis eos, qui honorabile connubium amplexi sunt, atque conseruârunt, comparare licet, maximè cùm diuinus Paulus calculum suum addat, ac dicat: *Alia gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum.*

Theodoretus. 450.

In Epitome decretorum diuinorum capite de Matrimonio: Operæpretium autem existimo matrimonij quoque leges persequi, & eorum, qui illud accusant, audaciam refellere. Sufficit autem vel sexus differentia ad ostendendam causam opificij. Eius enim gratia formauit mulierem vniuersorum effector. Quamobrem eam etiam adiutricem vocauit. *Faciamus enim,* inquit, *Adæ adiutorium secundùm ipsum.* Non solùm autem formauit, sed etiam viro coniunxit, vt vult lex, quæ nunc in vsu ciuili versatur, & ad virum deduxit, & ipse fuit & paranymphus, & pronubus: ipse veluti quoddam donum matrimonio hanc benedictionem obtulit, dicens: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & dominemini ipsi, &c.* Si autem malum esset matrimonium, non id Dominus Deus à principio constituisset: non liberorum susceptionem, benedictionem vocasset, &c. Ipse autem Dominus non solùm non prohibuit matrimonium, sed etiam in nuptijs conuiuatus est, & vinum, absque vlla agricultura productum, donum nuptijs obtulit. Adeò autem legem matrimonij confirmauit, vt etiam eum, qui vellet soluere matrimonium, præterquam, propter fornicationem, alia lege vetuerit, &c. Gen.2.

Basilius Episcopus Seleuciæ. 450.

Oratione 3. de resuscitatione Lazari: AEquum est, vt vnusquisque vxore sua contentus viuat: ad alteram autem animam nequaquam adijciat. Qui enim sua contentus non est, ille salute potiri nullo modo potest, sed omnino pereat necessarium est, &c.

Olympiodorus Monachus. 500.

Ad cap. 3. Ecclesiastis: Opportuno quis tempore suæ commiscetur vxori, cùm appetit filios procreare: præter tempus verò, cùm voluptatis & concupiscentiæ causa hoc facit, &c. Tempus amplexandi propriam vxorem, quando tempus orationis non impediat, aliave honesta necessitas: tempus est, inquam, licet nobis hoc facere vel propter filios procreandos, vel vt consulamus fragilitati atque innocentiæ nostræ, ne videlicet libidine succensos callidus hostis in adulterium nos prouocet. Tempus verò abstinendi à complexibus, vel propter orationes Deo fundendas, vel vt grauidę vxori parcamus.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap. 29. Genes. Qui sumus in Christo, eiusqúe dogmata sectamur, festinemus ad spirituales fructus edendos: nec tamen interim aspernemus nuptias: verùm eligamus id, quod potius est, scilicet vt adhæreamus Deo, nulloqúe modo ab eo auellamur.

Iustinianus Imperator. 530.

Authent. 22. de nuptijs: Si matrimonium sic honestum est, vt humano generi videatur immortalitatem artificiosè introducere, & ex filiorum procreatione renouata genera manent, iugiter Dei clementia, quantum est possibile, nostræ immortalitatem donat naturæ, rectè nobis studium est de nuptijs.

Nouella 140. Nihil in rebus mortalium perinde venerandum est, atque matrimonium: quippe ex quo liberi, omnisqúe deinceps sobolis series existat, quod regiones & ciuitates frequentes reddat: vnde denique optimæ Reipub. coagmentatio fiat.

Isychius Hierosolymitanus. 580.

Lib. 1. in Leuit. cap. 3. Si non valet virginitatem quispiam consequi, in casto autem coniugio conuersetur, veniam percipit à Domino, qui dixit: *Non omnes capiunt verbum istud*, quando de virginitate Apostolis exponebat: sed tamen inter eos, qui saluantur, necessariò ordinantur, &c. Vult & nuptiarum desiderium offerri Deo, vt prolis causa, non fornicationis proueniat, & honorabile sit coniugium, & thorus immaculatus.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 25. Nec verò hæc nobis eò dicuntur, vt matrimonium sugillemus, absit: neque enim nos fugit Dominum præsentia sua nuptias benedixisse, atque alium quendam his verbis vsum: *Honorabile enim connubium, & thorus immaculatus*: verùm quia nuptijs præstantiorem esse virginitatem exploratum habemus, &c. Bonum est matrimonium eis, quibus continentia deest. At melior virginitas, quæ animæ fœcunditatem auget, ac Deo precationem tanquam fructum tempestiuum offert: *Honorabiles nuptiæ, & thorus immaculatus: fornicatores autem & adulteros iudicabit Deus.*

Leo Imperator cognomento Philosophus. 880.

Constitut. 26. Magnum sanè excellensqúe donum à Deo Creatore ad mortales promanauit matrimonium. Non modò enim naturæ mortis ingluuiei obnoxiæ opem fert, humanoqúe generi perpetuitatem elargitur id, dum ab illa depascitur, non omnino deperire sinens: verùm etiam per liberorum procreationem permagna alioqui hominum vitæ præstat.

Constitut. 89. Quemadmodum adoptionem promiscuè habitam neglexit vetustas, quam tametsi sine precibus sacrisqúe cæremonijs peragi lege permitteret: non tamen illam parui se pendere putabat: ita & absolutam matrimonij constitutionem, dum id citra iam receptam benedictionem iniri sineret, neglexisse videtur, &c. Itaque vt adhibitis sacris precationibus adoptionem perfici præcipimus: sic sanè etiam sacræ benedictionis testimonio matrimonia confirmari iubemus.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 5. epist. ad Ephes. Non simpliciter ac temerè multum seduloqúe laborat Paulus pro coniugij firmitate, sed quia Deus etiam à principio huius eximiam curam gessit. Adamo enim sororem suam, imò potiùs filiam, & quid dico? carnem ipsius copulauit. Deinde multiplicato genere, latius matrimonium extendit, vt ne dilectionem ad solos cognatos contraheret. Porrò vita nostra per coniugia continetur. Ait ergo: *Vxores subditæ estote maritis vestris.* Si enim in concordia matrimonium floruerit, pueri pulchrè educantur, & famuli ordinatè se habent, adeoqúe cuncta, tam vicinorum, quàm amicorum sunt in felici statu.

Ad cap. 4. prioris ad Timotheum: Quid igitur? nunquid & nos matrimonium prohibemus? haudquaquam, cæterùm eas, quæ nubere nolunt, ad virginitatem adhortamur. Honoratior enim est ipsa. Atque nuptiæ propterea non sunt ingloriæ, nec honore carent, quemadmodum neque quia aurum pretiosius est, argentum contemnitur, & pretio caret. Quod verò pretiosius est, pretioso pretiosius est; & quod melius est, bono melius est, non malo. Qui ergo potest, virginitatis aurum retineat: si verò non possit isthuc, matrimonij argentum recipiat.

Ad cap. 12. ad Hebreos: Si matrimonio quispiam iunctus est, huic per sanctificationem temperantia hic denuntiatur: non quòd nuptiæ sint sanctificatio, sed quia inconcussam seruant sanctificationem siue sanctimoniam à baptismate partam, per legitimam mixtionem. *Honorabile* quippe *connubium*, non autem sanctum, sed sanctificationis custos.

OEcumenius. 1050.

Ad cap. 4. prioris ad Timotheum: *Prohibentium contrahere matrimonium.)* Quid ergo? An non & Christiani prohibent contrahere matrimonium? Nequaquam. *Honorabile* enim *est matrimonium, & cubile impollutum*; sed eos, qui contrahere nolunt, hortatur ad virginitatem. Qui autem contrahere prohibent, tanquam à re impura arcent.

Euthymius. 1080.

In Panoplia parte 2. tit. 22. Massaliani nuptias dissoluunt, quamuis Dominus dicat: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Et in Cana Galilęæ præsentia sua nuptias honorauit. Et B. Apostolus dicat: *Venerabiles nuptiæ, & thorus immaculatus.* Et hi apertè tum Christo, tum Apostolis aduersantur, qui nuptias maledictis afficiunt, & detestantur.

Nicetas Choniates. 1200.

Lib. 4. heresi 47. Seuerianus, quia vinum & nuptias execratur, indignum se prodit, qui vnquam in lucem productus sit, & qui calicem Domini sumat. Vtraque enim Christus benedixit, nuptias quidem in præsentia, vinum autem ex aqua nouo & inaudito miraculo factum.

Nicephorus Calistus. 1300.

Eccles. hist. lib. 2. cap. 16. Cùm duo sint hominum

vitæ instituti genera, vnius nimirum, eiusque inferioris coniugalis consuetudinis: alterius autem supermundanæ & Angelicæ, Deo videlicet dilectæ virginitatis, ac solitariæ, puriorisque conuersationis: si quis legitimum & impollutum sequatur matrimonium, longè ille quidem à reprehensione abest, sed pauciora ei contingunt charismata & dona: sobriè enim pudiceque & is viuere dicitur, & trigecuplum virtutis fert fructum, difficulter quidem sexagecuplū. Cui verò syncerè Angelicam vitam viuere sit datum, etiamsi ea aspera sit & ardua, facilè tamen ei fit sexagecuplum, atque etiam centuplum ferre fructum.

Lib.8. cap.19. Paphnutium veneratione dignum esse matrimonium dixit, neque castitate, & pudicitia sua id carere.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Respons.1. cap. 7. Sacramenta ritusque in hac ipsa Catholica rectè sentientium Christianorum Ecclesia sunt septem, Baptisma, Chrisma sancti vnguenti, diuina Communio, Manus impositio, Matrimonium, Pœnitentia, & sacrum Oleum, &c. Matrimonium donum quoddam est, à Deo nobis in hoc seculo, ob liberos procreandos, indultum, quamdiu vniuersitas hæc caducarum rerum constat. Non enim volebat Deus illam irrationalem, stultam, & sordidam in nobis concretionem esse: sed quia vltrò mortui fueramus, permisit successionem generis nostri sic administrari, quemadmodum in animantibus ratione carentibus: vt cognoscamus, quò redacti simus. Id enim tantisper, dum rursus excitet, & immortalitate donet naturam nostram, ille immortalis, qui propter salutem nostram mortuus est, & resurrexit. Ideoque coniugio benedicit ipse, ne benedictionis expers sit principium, velut primitiæ vitæ nostræ, &c. Coniugium initio ab vniuersitatis opifice Deo sancitum est: qui Euæ copulauit Adamum. Sed & Dominus in Euangelijs partim illud miraculo honorat: partim Mosaicam legem in speciem reprehendit, quæ libello repudij dato, diuortium concedebat. Ait, non sic ab initio fuisse: sed propter duritiam cordis accipientium legem hoc permissum fuisse. Addit: *Quos Deus iunxit, homo ne separet.* Sed & Apostolus: *Honorabile coniugium, & cubile immaculatum* pronuntiat. Idque mysterium vocat his verbis: *Mysterium hoc magnum est, nempe ad Christum & Ecclesiam.* Sic ergo mysterium hoc, tum ab antiquo institutum est, tum in nouo Testamento confirmatum est, vt diximus.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis. 100.

Epistola ad Tholosanos cap. 9. Nec ideo tamen prohibemus nubere legitimo connubio, cùm & hoc coniugium honestum sit, & constitutum à Deo ab initio mundi, in multiplicationem humani generis. In tantum enim Dominus & magister meus Iesus Christus legitimum & immaculatum thorum connubij approbauit, eis, qui ex sanctificatione & honore castitatis nubere volunt, vt ad quasdam nuptias inuitatus, eas præsentia suæ maiestatis sanctificauerit, & miraculo magnificè stupendo lætificauerit. Ioan. 2.

Tertullianus. 200.

Libro ad vxorem cap. 9. Vnde sufficiam ad enarrandam felicitatem eius matrimonij, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant, Pater rato habet? Nam nec in terris filij sine consensu patrum ritè & iure nubent. Quale iugum fidelium duorum vnius spei, vnius voti, vnius disciplinæ, eiusdem seruitutis? His Deus pacem suam mittit. vbi duo, ibi & ipse: vbi & ipse, ibi malus non est.

De Monogamia cap.5. Christum vnam habens Ecclesiam sponsam, secundùm Adæ & Euæ figuram, quam Apostolus in illud magnum Sacramentum interpretatur in Christum & Ecclesiam competisse.

Cap. 11. Vt igitur in Domino nubas, secundùm legem & Apostolum, qualis es id matrimonium postulans, quod eis, à quibus postulas, non licet habere, ab Episcopo monogamo, à Presbyteris & Diaconis eiusdem sacramenti.

Aduersus Valentinianos cap. 30. Nam & honorandorum coniugiorum supernorum gratia dicitur apud illos meditandum atque celebrandum semper sacramentum, comiti, hoc est, fœminæ adhærendo.

De Præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 40. Diabolus ipsas quoque res diuinorum Sacramentorum in idolorum mysterijs æmulatur. Tinguit & ipse quosdam, vtique credentes ac fideles suos, expiationem delictorum de lauacro repromittit, & sic adhuc initiat Mithræ: signat illic in frontibus milites suos, celebrat panis oblationem. Quid? quòd & summum Pontificem in vnis nuptijs statuit?

De anima cap. 21. Si quia prophetauit magnum illud Sacramentum in Christum & Ecclesiam: *Hoc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea vocabitur mulier: propterea relinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur vxori suæ, & erunt duo in carnem vnam.*

Cap. 27. Concubitum libido, non conditio fœdauit: excessus, non status est impudicus. Siquidem benedictus status apud Deum: *Crescite, & multiplicamini.* Excessus verò maledictus, adulteria, & stupra, & lupanaria.

Lib.1. aduersus Marcionem cap. 29. Non tinguitur apud illum caro nisi virgo, nisi vidua, nisi cælebs, nisi diuortio baptisma mercata, quasi non etiam spadonibus ex nuptijs nata. Sine dubio ex damnatione coniugij, institutio ista constabit. Videamus an iusta: non quasi destructuri felicitatem sanctitatis, vt aliqui Nicolaitæ assertores libidinis atque luxuriæ, sed qui sanctitatem sine nuptiarum damnatione nouerimus, & sectemur, & præferamus, non vt malo bonum, sed vt bono melius. Non enim proijcimus, sed deponimus nuptias: nec præscribimus, sed suademus, sanctitatem seruantes, & bonum, & melius pro viribus cuiusque sectando. Tunc denique coniugium exertè defendentes, cùm inimicè accusatur, spurcitiæ nomine in destructionem creatoris: qui proinde coniugium pro rei honestate benedixit, incrementum generis humani, quemadmodum & vniuersum conditionis in integros & bonos vsus. Non ideo autem & cibi damnabuntur, quia operosius exquisiti, in gulam committunt: vt nec vestitus ideò accusabuntur, quia pretiosius comparati, in ambitionem tumescunt: sic nec matrimonijs res ideo despuentur, quia intemperantius diffusæ in luxuriam inardescunt. Multum differt inter causam & culpam, inter statum & excessum. Ita huiusmodi non institutio, sed exorbitatio reprobanda est, secundùm censuram institutoris ipsius, qui ait: *Crescite, & multiplicamini.* Gen. 1.

Minutius Felix. 230.

In Octauio: Nos vnius matrimonij vinculo libenter inhæremus cupiditate procreandi, aut vnam scimus, aut nullam vxorem.

Cyprianus. 250.

De disciplina & bono pudicitiæ: Nam ideo vir suus fœmi-

fœminæ est, vt præter eundem alterum nesciat, & ideo viro reddita est mulier, vt subiecto quod fuerat ei proprium, nihil requirat alienum. Sic & duo erunt in carne vna, vt in vnum redeat, quod vnum fuerat, ne separatio sine reditu occasionem præstet alterius. Inde Apostolus: Caput mulieris pronuntiauit virum, vt coniunctione duorum pudicitiam probaret.

De Natiuitate Christi: Etsi bona sunt, & à Deo instituta coniugia, melior est tamen continentia, & virginitas excellentior, quam non cogit necessitas aut mandatum, sed perfectionis suadet consilium.

Lactantius. 320.

Lib. 6. cap. 23. de vero cultu: Nec tantùm alienis thoris, quæ attingere non licet, verùm etiam publicis vulgatisquè corporibus abstinendum Deus præcepit: docetquè nos, cùm duo inter se corpora fuerint copulata, vnum corpus efficere, &c. Nondum omnia castitatis officia executus sum, quam non modò Deus intra priuatos parietes, sed etiam præscriptio lectuli terminat: vt cùm quis habeat vxorem, neque seruam, neque liberam habere insuper velit, sed matrimonio fidem seruet.

In Epitome diuinarum institutionum capite 8. Qui habet coniugem, nihil quærat extrinsecus: sed contentus ea sola, carnem castiget, inuiolati cubilis sacramenta custodiat. Adulter enim est Deo perinde atque incestus, qui abiecto iugo, vel in liberam, vel in seruam peregrina voluptate luxuriat. Sed sicut fœmina castitatis vinculis obligata est, ne aliud concupiscat: ita vir eadem lege teneatur: quia Deus in viro vxorem vnius corporis compage solidauit. Ideò præcepit non dimitti vxorem, nisi crimine adulterij deuictam, & nunquam coniugalis fœderis vinculum, nisi quod perfidia ruperit, resoluatur.

Ambrosius. 370.

De Abraham Patriarcha lib. 1. cap. 7. Nulli licet scire mulierem præter vxorem. Ideoquè coniugij tibi datum est ius, ne in laqueum incidas, & cum aliena muliere delinquas. *Vinctus es vxori, noli quærere solutionem*: quia non licet tibi vxore viuente vxorem ducere: nam & aliam quærere, cùm habeas tuam, crimen est adulterij: hoc grauius, quòd putas peccato tuo auctoritatem lege quærendam. Nec hoc solùm est adulterium, cùm aliena peccare coniuge, sed omne quod non habet potestatem coniugij: tamen locus iste docet grauius crimen esse, vbi celebrati coniugij iura temerantur, & vxorius pudor soluitur. Ideoquè cùm prætenderet Abimelech, quòd vxorem alienam esse ignorauerit, quam sororem esse vir ipse suam dixerit, respondit ei Dominus: *Et ego cognoui quoniam puro corde fecisti hoc, & peperci tibi, vt non peccares in me. Propter hoc non sum passus te tangere illam.* Cognoscimus velut præsulem custodemquè coniugij esse Deum, qui non patiatur alienum thorum pollui. Et si quis fecerit, peccare eum in Deum, cuius legem violet, gratiam soluat. Et quia in Deum peccat, sacramenti cælestis amittit consortium.

Lib. 1. de Viduis: Docentur triplicem esse castitatis virtutem, vnam coniugalem, aliam viduitatis, tertiam virginitatis. Non aliam sic prædicamus, vt excludamus alias. Suis quibusque professionibus ista conducunt. In hoc Ecclesiæ opulens disciplina, quòd quos præferat habet, quos reijciat non habet, atque vtinam habere nunquam possit. Ita virginitatem prædicamus, vt viduas non reijciamus: ita viduas honoramus, vt suus honor coniugio seruetur. Non hoc nostra præcepta, sed diuina testimonia docent. Reminiscamur itaque quemadmodum Maria, quemadmodum Anna, quemadmodum Susanna laudentur.

Lib. 6. in Lucam cap. 8. Nec putet aliquis offendiculum esse pietatis, vbi mandatum legis impletur. Si enim *relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*, rectè sacramentum hoc in Christo seruatur, & in Ecclesia.

Ad cap. 5. ad Ephes. *Mysterium hoc magnum est*, Mysterij sacramentum grande, in vnitate viri & fœminæ esse significat. Nec hoc prodit, sed aliã causam, quæ non discordet à memorato mysterio, flagitat, quam scit ad profectum humani generis pertinere, hoc est, Ecclesiæ & Saluatoris, vt sicut relictis parentibus homo vxori suæ adhæret, ita & relicto omni errore, Ecclesiæ adhæreat, & subijciatur capiti suo, quod est Christus.

Epist. 70. Cùm coniugium velamine sacerdotali & benedictione sanctificari oporteat, quomodo par est coniugium dici, vbi non est fidei concordia.

Philastrius. 380.

In heresibus cap. de nuptiarum legitimarum contemptoribus: Quidam sunt hæretici, qui cùm audiunt dixisse Dauid: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*: æstimant ita dixisse Prophetam, quòd ius nuptiarum legitimum iniquitatem esse dixerit, atque peccatum: cùm ante dicatur in Genesis libro: *Nascimini, & multiplicamini, & replete terram.* Et: *Honorandæ nuptiæ*, &c.

Syricius. 384.

Epist. 1. cap. 4. De coniugali autem violatione requisisti, si desponsatam alij puellam alter in matrimonium possit accipere. Hoc ne fiat omnibus modis inhibemus. Quia illa benedictio, quam nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegij instar est, si vlla transgressione violetur.

Hieronymus. 390.

Ad cap. 19. Matthæi: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.*) Deus coniunxit, vnam faciendo carnem viri & fœminæ: hanc homo non potest separare, nisi forsitan solus Deus. Homo separat, quando propter desiderium secundæ vxoris primam dimittit: Deus separat, qui & coniunxerat, quando ex consensu propter seruitutem Dei (eo quod tempus in arcto sit) sic habemus vxores, quasi non habentes.

Aduersus Iouinianum cap. 1. Quæ res mihi aliquam suspicionem intelligentiæ dedit, velle eum ita nuptias prædicare, vt virginitati detrahat. Quando enim minora maioribus coæquantur, interioris comparatio superioris iniuria est. Neque verò nos Marcionis & Manichæi dogma sectantes, nuptijs detrahimus: nec Tatiani principis Encratitarum errore decepti, omnem coitum spurcum putamus: qui non solùm nuptias, sed cibos quoque, quos Deus creauit ad vtendum, damnat, & reprobat. Scimus in domo magna non solùm vasa esse aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & super fundamentum Christi, quod Paulus architectus posuit, alios ædificare aurum, argentum, lapides pretiosos: alios è contrario fœnum, ligna, stipulam. Non ignoramus honorabiles nuptias & torum immaculatum. Legimus primam Dei sententiam: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*: sed ita nuptias recipimus, vt virginitatem, quæ de nuptijs nascitur, præferamus. Nunquid argentum non erit argentum, si aurum argento pretiosius est? aut arboris & segetis contumelia est, si radici, & folijs, culmo, & aristis poma præferantur, & fructus? vt poma ex arbore, frumentum è stipula, ita virginitas è nuptijs. Centesimus, & sexagesimus, & tricesimus fructus, quanquam de vna terra, & de vna semente nascatur, tamen mul-

tum

tum differt in numero. Triginta referuntur ad nuptias. Nam & ipsa digitorum coniunctio, quasi molli se complexans osculo, & fœderans, maritum pingit & coniugem. Sexaginta verò ad viduas, eò quòd in angustia & tribulatione sunt positæ, &c.

Cap.8. Ego libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia digamiam, imò nec trigamiam, & ita licere quinto & sexto & vltra, quomodo & secundo marito nubere sed quomodo nõ damnantur & istę nuptiæ, ita nec prædicantur. Non damno digamos: imò nec trigamos, & si dici potest, octogamos: habeat cui libet octauum maritum, & esse desinat prostituta.

In cap.4. ad Timoth. Omnis, qui nuptias damnat, non amator, sed inimicus est castitatis: dum & continentibus laudem tollit, & incontinentibus sublato nuptiarum remedio fornicationis facit inire discrimen.

Chromatius. 400.

Ad cap.5. Matth. Christus iubet matrimonij castum coniugium indissolubili lege seruari, ostendens coniugij legem à se penitus institutam. Ipse enim ait: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Quo dicto & prauam Iudæorum licentiam, & stultam ac miserabilem Manichæorum præsumptionem, qui negant à Deo esse coniugia, huius sententię pronuntiatione damnauit, dicens: *Excepta causa fornicationis vxorem non licere dimitti:* apertè demonstrãs, eum contra Dei agere voluntatem, qui matrimonium à Deo iunctum illicita diuortij sepatione temerare præsumpserit.

Gaudentius. 400.

De lectione Euangelij tractatu 1. qui est in ordine 8. Ideo nuptiarum celebritatem nõ aspernatur Christus, vt eundem se esse testetur Deum, qui de limo terræ figurauerit ab initio virum & fœminam, ijsdemq; licentiam tribuerit coniugalem, dicens: *Crescite, & multiplicamini, & implete terram.* Quod Manichæis perditis adeò displicet constitutum: quibus ego ob immunditiam suam puto non vtique rem nuptialem displicere, sed legem, quæ non multas fœminas vni viro, neque vnam fœminam multis viris, sed etiam vnam fœminam vni viro coniungit. Nolunt enim viuere ipsi execrabiles Manichæi iuxta Apostoli Pauli doctrinam: *vt vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum maritum.* Benedixit ergo, quod constituerat à primordio, legitimum Christus coniugium, dum pergere ad nuptias non renuit inuitatus.

Augustinus. 400.

De nuptijs & concupiscentia libro 1. cap.10. Quoniam sanè non tantùm fœcunditas, cuius fructus in prole est: nec tantùm pudicitia, cuius vinculum est fides: verùm etiam quoddam sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus coniugatis: vnde dicit Apostolus: *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam:* huius procul dubio Sacramenti res est, vt mas & fœmina connubio copulati, quamdiu viuunt, inseparabiliter perseuerent, nec liceat, excepta causa fornicationis, à coniuge coniugem dirimi. Hoc enim custoditur in Christo & Ecclesia, vt viuens cum viuente in æternum nullo diuortio separetur. Cuius sacramenti tanta obseruatio est *in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius,* hoc est, in Ecclesia Christi, quisque fidelibus coniugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, vt cùm filiorum procreandorum causa vel nubant fœminæ, vel ducantur vxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere, vt alia fœcunda ducatur. Quod si quisquam fecerit, non lege huius seculi, vbi interueniente repudio, sine crimine conceditur cum alijs alia copulare connubia: quod etiam sanctum Moysen Dominus propter duritiam cordis illorum, Israelitis permisisse testatur: sed lege Euangelij reus est adulterij: sicut etiam illa si alteri nupserit. Et Vsque adeò manent inter viuentes semel initia iura nuptiarum, vt potius sint inter se coniuges, qui ab alterutro separati sunt, quàm cum his, quibus alijs adhæserunt. Cum alijs quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum coniuges permanerent. Denique mortuo viro, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium non potest, cum quo prius adulterium fuit. Ita inter viuentes manet quoddam vinculum coniugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis: Sicut apostata anima velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita sacramentum fidei non amittit, quod lauacro regenerationis accepit: Redderetur enim procul dubio redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc, qui recesserit, ad cumulum supplicij, non ad meritum præmij.

Cap.21. Respondebit etiam connubij Sacramentum: De me ante peccatum dictum est in Paradiso: *Relinquet homo patrem & matrem, & adherebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Quod magnum Sacramentum dicit Apostolus in Christo & in Ecclesia. Quod ergo est in Christo & in Ecclesia magnum, hoc in singulis quibusque viris atque vxoribus minimum, sed tamen coniunctionis inseparabilis Sacramentum. Gen.2. Eph.5.

De fide & operibus lib.1. cap.7. In Ecclesia nuptiarum non modò vinculum, verùm etiam Sacramẽtum ita commendatur, vt non liceat viro vxorem alteri tradere: quod in Republica tunc Romana nõ solùm minimè culpabiliter verùm etiam laudabiliter Caro fecisse perhibetur.

De bono coniugali cap. 7. Vsque adeò illud fœdus initium nuptiale cuiusdam sacramenti res est, vt nec ipsa separatione irritum fiat: quandoquidem viuente viro, à quo relicta est, mœchatur, si alteri nupserit: & ille huius mali causa est, qui reliquit.

Cap. 15. Semel initum connubium in ciuitate Dei nostri, vbi etiam ex prima duorum hominum copula quoddam sacramentum nuptiæ gerunt, nullo modo potest, nisi alicuius eorum morte dissolui. Manet enim vinculum nuptiarum, etiamsi proles, cuius causa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur: ita vt iam scientibus coniugibus non se filios habituros, separare se tamen vel ipsa causa filiorum, atque alijs copulare non liceat.

Cap.24. Bonum nuptiarum per omnes gentes atque homines in causa generandi est, & in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir eius viuit, nec saltem ipsa causa pariendi. Quæ cùm sola sit, qua nuptiæ fiunt, nec ea re non subsequente, propter quam fiunt, soluitur vinculum nuptiale, nisi coniugis morte. Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum ordinationis: & si aliqua culpa quisquam ab officio remoueatur, sacramento Domini semel imposito nõ carebit, quãuis ad iudicium permanente. Generationis itaque causa fieri nuptias Apostolus ita testis est: *Volo,* inquit, *iuniores nubere.* Et quasi ei diceretur, Vt quid? continuò subiecit: *Filios procreare, matres familiãs esse.* Ad fidem autem castitatis illud pertinet: *Vxor non habet potestatem corporis sui, sed vir. Similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier.* Ad Sacramenti sanctitatem illud: *Vxorem à viro non discedere, quòd si discederit, manere innuptam, aut viro suo re-* 1. Tim.5.

conci-

conciliari: & vir vxorem non dimittat. Hæc omnia bona sunt, propter quæ nuptiæ bonæ sunt, proles, fides, sacramentum.

De Genesi ad literam lib.9.cap.7. Denique vtriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honestate nuptiarum, vt quod sanis posset esse officium, sit ægrotis remedium. Neque enim quia incontinentia malum est, ideo connubium, vel quo incontinentes copulantur, non est bonum: imò verò non propter illud malum culpabile est hoc bonum: sed propter hoc bonum veniale est illud malum: quoniam id, quod bonum habent nuptiæ, & quod bonæ sunt nuptiæ peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est, fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne propter vinculum coniugale cum altera vel altero concumbatur. In prole, vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In Sacramento autem, vt coniugium non separetur, & dimissus aut dimissa nec causa prolis alteri coniungatur. Hoc est tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur prauitas.

Innocentius Primus. 410.

Epistola 9. Bene constituto matrimonio inter Fortunium & Vrsam captiuitatis incursus fecerat næuum, nisi sancta religionis statuta prouiderent. Cùm enim in captiuitate prædicta Vrsa mulier teneretur, aliud coniugium cum Restituta Fortunius memoratus iniisse cognoscitur. Sed fauore Domini Vrsa reuersa nos adiit, & nullo diffitente vxorem se memorati esse perdocuit. Qua de re, domine fili, meritò illustris, statuimus, fide Catholica suffragante, illud esse coniugium, quod primitus erat gratia diuina fundatum: conuentumque secundæ mulieris priore superstite, nec diuortio eiecta nullo pacto esse legitimum.

Epist.22. Vxorem dùcere crimen est, annon crimen? Si crimen est: ergo (præfata venia dixerim) erit auctor in culpa, qui vt crimina committerent in paradiso, cùm ipse eos iungeret, benedixit. Si verò non est crimen, quia quod Deus iunxit nefas est crimen appellare, & Salomon addidit: Matt.19 *Etenim à Deo præparatur vir & vxor:* Prou.19 quomodo creditur inter crimina esse dimissum, quod auctore Deo legitur consummatum? Nuptiarum ergo copula, quia Dei mandato perficitur, non potest dici peccatum.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia 1. de Epiphania Domini: Vadit ad nuptias Dei Filius, vt quas dudum potestate constituit, nunc præsentia suæ benedictionis sanctificet.

Leo Primus. 450.

Epist.93.ad Turibium cap.7. Priscillianistæ coniugalem copulam detestantur, quia non est illic libertas turpitudinis, vbi & pudor matrimonij seruatur, & spes sobolis.

Epist.92.ad inquisitiones Rustici cap.4. Non omnis mulier iuncta viro vxor est viri: quia nec omnis filius hæres est patris. Nuptiarrum autem fœdera inter ingenuas sunt legitima, & inter æquales, multo prius hoc ipsum Domino constituente, quàm initium Romani iuris existeret. Itaque aliud est vxor, aliud est concubina: sicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apostolus ad manifestandam harum personarum discretionem, testimonium ponit ex Genesi, vbi dicitur Abrahæ: Gen.21. *Eijce ancillam & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Gal.4. Vnde cùm societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, vt præter sexuum coniunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ Sacramentum, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse ministerium.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Dominica secunda post Epiphaniam Domini. Hoc tertio die Dominus ad nuptias venire dignatus est, vt errores eorum destrueret, qui nuptijs contradicunt. Non enim abijcit Deus coniugatos, etsi virgines & continentes mulieres sint. Bonæ nuptiæ, quibus mater Iesu interesse dignatur: bonæ nuptiæ, ad quas Iesus inuitatur & discipuli eius.

Gennadius Massiliensis. 470.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap.63. Bonæ sunt nuptiæ, sed causa filiorum, & fugiendæ fornicationis obtentu.

Faustus Regiensis. 480.

Lib.1.de libero arbitrio. Non damno nuptias: ordinatio nuptialis ex benedictione cœpit. Interim nuptiarum munus adhuc in paradiso à Creatore concessum, & earum vsus extra paradisum sumpsit exordium.

Fulgentius. 500.

De fide ad Petrum cap.3. Coniugium quoque in primis hominibus Deus instituit, & benedixit: Propter quod Apostolus ait: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Heb.13. Ideoque serui Dei in eo, quòd à carnibus & à vino abstinent, non tanquam res immundas refugiunt: sed mundioris vitæ instituta sectantur. Et in eo, quòd coniugia non habent, non nuptiarum bonum, crimen esse existimant: sed continentiam iugem bonis nuptijs meliorem esse non dubitant, isto quàm maximè tempore, quando dicitur de continentia: *Qui potest capere, capiat.* Matt.19 De nuptijs verò dicitur: *Qui se non continet, nubat.* 1.Cor.7 In vna enim ratione virtus exoritur, in altera infirmitas remedio sublevatur. Vnde quia ægritudini semper est consulendum, propterea si cui primo contigerit priuari coniugio: si voluerit secundas vel tertias inire nuptias, nullum de illis peccatum habebit, si eas castè seruauerit: id est, si vnus & vna legitimè duntàxtat coniuncti, fidem seruent, vt nec ille mulieri præter vxorem, nec illa viro præter maritum vllatenus misceatur. In talibus etsi fuerit aliquis coniugali excessus, qui tamē legitimum non violet thorum, habebit nonnullū, sed veniale peccatum.

Epistola 1. de coniugali debito, & voto continentiæ à coniugibus emisso cap.3. Iustitia vtendi coniugij hæc est, vt non explendæ libidinis, sed substituendæ prolis obtentu, sibi coniuges congruo tempore misceantur. In illis namque bonis, quæ fecit Deus, inuenitur casta copulatio vxoris & viri; in quibus Dei operibus libido non potest inueniri: nec aliquando iustitiæ: congruit, quæ non hominibus ex dono conditionis, sed peccatoribus ex vitio primæ præuaricationis accessit. Sed quia sine illa in corpore mortis huius proles humana non seritur, non eam affectant coniugia casta, sed tolerant, eique imponit nuptialis honestas modum, sine qua non potest in carne peccati naturalis explere fœcunditatis officium. Sic ergo quæri debet ex nuptijs fructus, vt cohibendus sit lubricæ voluptatis excessus. Quocirca si coniugalis vsus eatenus temperetur, vt non æstuanti libidini animus feruat, sed prouentum nasciturae prolis attendat: & cùm nata fuerit, diluendam celerius spiritali generatione non negligat: non deputatur fidelibus coniugibus ad peccatum carnis indulta commixtio: quia & coniugalis seruat confœderatio castitatem, & verecundia custodit modesta temperiem, & Deo dicandam coniugalis exhibet fœcunditas prolem, vt & Redemptoris ope homo iam natus reformetur baptismatis Sacramento, cuius opere prius formatur in vtero. & illum habeat humana natura beneficio secundæ natiuitatis patrem, quem in prima natiuitate suæ conditionis agnoscit auctorem. Coniugatus ergo si

fornica-

fornicetur, damnabiliter peccat: si verò thori fidem non deserat, sed in vxore sua naturali dumtaxat vsu aliquantulum intemperatus excedat, non solùm scilicet generationem quærens, sed aliquando libidini carnis obediens, hoc equidem sine culpa non facit. Talis autem culpa citius benè operanti atque oranti remittitur, quia ipsi coniugi seruat maritalis charitas fidem, in qua non potest maritalis infirmitas custodire temperiem. Et si nuptialis in vxore modestia non tenetur, à nuptiali tamen fide nulla immoderatione discedirur.

Epist. 2. ad Gallam cap. 5. Sancta quidem sunt Christianorum coniugia: quia & coniugalis ibi castitas custoditur in corpore, & puritas fidei seruatur in corde. Nam & Apostolica dicit auctoritas: *Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus.* Non est ergo connubium ex colluuione peccati, sed ex institutione Dei: & in eo, quòd sibi coniuges inuicem carnis debitum reddunt, in quantum id modestè faciunt, Christi præcepta custodiunt: quia nullatenus à coniugali charitate, & castitate discedunt. Execratur autem adulterinos concubitus castitas coniugalis, & honestatis verecundiæ tenax, ab vna vnus, & ab vno vna expetit, quod vterque se vni tantùm legitimè debere cognoscit.

Epist. 3. ad Probam cap. 9. Scimus ergo nuptias non esse peccatum, sed Dei opus, & Dei donum: quas ipse Dominus connexuit fidei vinculo, gratificauit benedictionis dono, multiplicauit propagationis augmento. Nouimus *honorabile connubium in omnibus, & thorum immaculatum:* Nouimus à Deo non coniugia, sed fornicationes & adulteria iudicanda. *Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus.* Fatemur enim à Deo esse nuptiarum fidem, coniugum charitatem, naturæ fœcunditatem.

Alcimus Auitus. 500.

Libro 1. de origine mundi:

Tum lex coniugij toto venerabilis æuo
Intemerata suo seruabitur ordine cunctis.
Fœmina persistat de semine sumpta virili
Coniugio seruare fidem, nec separet alter,
Quod iungit, sociatq; Deus, cum patre relinquat
Et matrem, iusto constrictus amore maritus:
Nec iam vllos propter rumpant hæc vincula parentes:
Vita sed amborum carnem teneatur ad vnam.
Festiuum dicebat hymen, castoq; pudori
Taliter æterno coniungens fœdere vota,
Concinit Angelicum iuncto modulamine carmen.

Theodoricus Rex. 520.

Apud Cassiodorum epistol. lib. 2. epistola 10. Non dissimulari potest salua communione, qua viuitur, vt solicitatores publicas habeat genialis thori reuerenda societas, & illum humani generis procreabile Sacramentum scelerata temeritate profanetur.

Epist. 11. Inter cætera humani generis pondera, coniugalis affectus curam sibi præcipuam vendicauit: non immeritò, quia in honore non esse meretur, vnde reparatio posteritatis acquiritur. Ideo iura vel diuina vel publica nexum coniugij tanta cautela præcipiunt custodiri, vt crimen sit magnum conscientiæ alienos affectus in reuerentiam non habere.

Iunilius Africanus. 540.

In Genesin: Porrò de homine facto hoc necessariò iterare curauit, dicens: *Benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram:* si quis honorabili coniugio peccatum inesse, thorumque fœditati & fornicationi putaret esse comparandum, &c. Si benedictione Dei crescit & multiplicatur genus humanum, quanta sunt maledictione digni, qui prohibent nubere, & dispositionem cælestis decreti quasi à diabolo compertam damnant? Non ergo damnadæ sunt nuptiæ, quæ ad propagationem generis humani, terramque replendam supernæ gratia benedictionis instituit.

Concilium Bracarense Primum. 570.

Can. 11. Si quis coniugia humana damnat, & procreationem nascentium perhorrescit, sicut Manichæus & Priscillianus dixerunt, anathema sit.

Gregorius Magnus. 590.

Homilia 36. in Euangelia: *Alius dixit, vxorem duxi, ideo non possum venire.*) Quid per vxorem, nisi voluptas carnis intelligitur? Nam quamuis bonum sit coniugium, atque ad propagandam sobolem prouidentia diuina constitutum: nonnulli tamen non per hoc fœcunditatem prolis, sed desideria expetunt voluptatis, & idcirco per rem iustam significari potest non incongruè res iniusta.

In quartum Psalm. Pœnitentialem: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.*) Non ideò homines in peccatis concipiuntur, quia peccatum sit coniugibus commisceri. Hoc enim opus castum non habet culpam in coniuge: quia nuptiale fœdus non exorbitat à fide, Deus enim copulam maritalem instituit, quando masculum & fœminam in principio creauit.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Ecclesiasticis Officijs lib. 2. cap. 19. Illæ sunt certæ nuptiæ, quæ in coniugio non libidinem, sed prolem requirunt: neque enim sic institutæ sunt, vt carnis voluptatibus seruiant, sed tantùm vt fructum propaginis quærant. Nam & ipse dotales tabulæ causam indicant procreandorum liberorum. Quando ergo quisquam luxuriosè amplius viuit, quàm necessitas procreandorum liberorum cogit, iam peccatum est. Vnde necessum est, vt quotidianis eleemosynis, ac precibus intercedant, qui thori coniugalis pudicitiam frequentius per incontinentiam commaculant. Nuptialia autem bona tria sunt: proles, fides, Sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum coniugale cum altero, vel altera concumbatur: in prole, vt amenter suscipiatur, pudicè nutriatur: in Sacramento, vt coniugium non separetur, neque causa prolis alteri coniungatur. Sacramentum autem ideo inter coniugatos dictum est, quia vt non potest Ecclesia diuidi à Christo, ita nec vxor à viro. Quod ergo in Christo & in Ecclesia, hoc in singulis quibusque viris & vxoribus coniunctionis inseparabile Sacramentum est. Vnde & Apostolus: *Præcipio,* inquit, *non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, &c.*

Eucherius Gallus. 640.

Lib. 1. cap. 18. Illa benedictio nuptiarum primorum hominum, vt crescerent & multiplicarentur, quamuis & in delinquentibus manserit, tamen antequam delinquerent data est, vt cognosceretur procreatio filiorum ad gloriam connubij, non ad pœnam pertinere peccati.

Eligius. 640.

Homilia 16. Quicunq; estis coniugati, viuentibus vxoribus vestris, cum alijs fœminis nolite commisceri, & fieri adulteri & fornicarij, &c.

Synodus Anglicana. 673.

Apud Bedam Histor. Anglicana libro 4. capite 5. Nulli liceat nisi legitimum habere coniugium, nullus incestum faciat, nullus coniugem propriam, nisi, vt Euangelium docet, fornicationis causa relinquat. Quòd si quis propriam expulerit coniugem, legitimo matrimonio coniunctam, si Christianus rectè esse voluerit, nulli alteri copuletur:

Digitized by Google

puletur; sed ita permaneat, aut propriæ reconcilietur coniugi.

Concilium Toletanum Duodecimum. 680.

Cap. 8. Præceptum Domini est, vt excepta causa fornicationis vxor à viro dimitti non debeat: & ideo quicunque citra culpam criminis supradicti vxorem suam quacunque occasione dimiserit, tamdiu ab Ecclesiastica communione priuatus, & à cœtu omnium Christianorum maneat alienatus, quamdiu societatem relictæ coniugis synceriter amplectatur & foueat.

Beda. 700.

Lib. 5. in Lucam cap. 117. *Vxores ducebant, & dabantur ad nuptias.)* Non hîc iuxta vesanum Marcionis, Manichæi, & Tatiani principis Encratitarum dogma coniugia & alimenta damnantur, cùm in his successionis, in illis naturæ sint posita subsidia: sed iuxta quod Apostolus ait: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*: immoderatus potius licitorum vsus arguitur. Neque enim quia hoc agebant, sed quia his se totos dedendo, Dei iudicia contemnebant, igne perierunt.

Carolus Magnus. 780.

Lib. 6. Legum cap. 299. Notum sit omnibus, quòd coniugium à Deo sit constitutum, & non appetendum causa luxuriæ, sed procreationis filiorum, & quòd bonorum coniugatorum vita per Iob sit designata.

Cap. 300. Sciendum est omnibus, & firmiter tenendum, quòd hi, qui vxores ducere voluerint, sicut eas castas & incorruptas cupiunt inuenire, sic ad eas casti & incorrupti debent accedere, easque cum benedictione sacerdotis, sicut in Sacramentario continetur, accipere; sed prius eas dotali titulo debent colligare.

Haymo. 820.

Ad Euangelium Dominicæ 3. post Pentecosten: Coniugium est res licita, quia à Deo concessum est, sicut scriptum est: *Erunt duo in carne vna.* Et Apostolus:
Matt. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non separet.*

Rabanus Maurus. 850.

De Vniuerso lib. 4. cap. 10. Bonæ nuptiæ sunt, sed causa filiorum, non fornicationis concupiscentiæ obtentu.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 890.

Cap. 5. Ex omnibus Sacramentis, quæ ad remedium hominis instituta sunt, solum coniugij Sacramentum ante peccatum hominis legitur institutum: non tamen propter peccatum, sed ad Sacramentum solum, & ad officium. Ad Sacramentum, propter eruditionem: ad officium, propter exercitationem. Coniugium constabat in consensu socialis fœderis: officium verò coniugij constabat in copula carnis, &c. Alterius societatis sacramentum in coniugio, alterius societatis sacramentum est in coniugij officio. Propterea natura humana duplici qualitate distincta est, vt in viro quidem robustior, in fœmina infirmior esset. Vir regeret, illa regeretur: animus quasi vir rationalis sibi carnem subijceret, animo cum suis concupiscentijs caro subesset.

Radulphus Flaviacensis. 950.

Lib. 14. in Leuit. cap. 9. *Ne prostituas filiam tuam.)* Manifestum est, quia mulier prostituta multis causa perditionis efficitur. Populo itaque Domini, qui se sanctitati illius debet conformare, iustum est, vt tantam iniquitatem longè à se repellat, vt *honorabile connubium sit in omnibus, & thorus immaculatus*: fornicatio autem non inueniatur in illis.

Petrus Damianus. 1040.

Sermone 1. de dedicatione, agens de nuptiarum Sacramento: *Hoc magnum est*, ait Apostolus: & Dominus in Euangelio: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Quid enim magis vnum, quàm illi, quibus est vna caro, vna mensa, vnus thorus, hæreditas vna? *Honorabile coniugium* (dicit vas electionis) *thorus immaculatus.* Hoc destruuntur incestuosa coniugia, & legitimorum hæredum digna progenies propagatur.

Radulphus Ardens. 1050.

Dominica secunda post Epiphaniam: Non damnabiles sunt nuptiæ, vt quidam hæretici prædicauerunt: sed, vt ait Apostolus: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Quanta enim honestatis sit coniugium, ostendit eius institutor, tempus, locus, definitio, & bona eius, meritum personarum, & ipsius Domini præsentia. Quis enim constituit coniugium? Domine Deus, qui nihil nisi bonum instituit. Et quando? Ante peccatum. Bonum igitur est, & fuit, quod ante peccatum fuit. Vbi? in Paradiso, vbi Dominus de latere viri dormientis sumptam costam operatus est in mulierem, quam viro coniunxit. Quid est coniugium? Legitima coniunctio maris & fœminæ, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Si igitur coniugium legitimum est, vtique bonum est. Quæ sunt bona coniugij? Tria, scilicet, fides, Sacramentum, & proles. Coniuges enim debent esse fideles, non solùm Deo & proximo, sed etiam sibi inuicem, vt sicut ad inuicem promittunt, vnio sit animorum, & corporum, & rerum. Sacramentum est, quoniam est sacræ rei signum. Sicut enim mulier de latere viri est formata, & ei coniuncta: ita Christus per sanguinem & aquam, de latere suo fluentem, formatam Ecclesiam sibi sponsam coniunxit, quæ sibi filios spirituales per baptismum gignit. Proles est etiam fructus coniugij, propter quam coniuges debent coniungi. Meritum etiam personarum commendat coniugium: quoniam nisi bonum esset, Abraham, Isaac, & Iacob, & cæteri Sancti, coniuges non duxissent. Vnde legitur, quòd non minoris meriti fuit coniugium Abrahæ tempore suo, quàm cœlibatus Ioannis tempore suo. Præsentia etiam Christi nuptias commendat, qui, vt præsens Euangelium testatur, sua præsentia nuptias honorauit, & miraculo decorauit, &c. Accessuri sponsus & sponsa ad Sacramentum nuptiarum, debent de præteritis pœnitere excessibus, & peccata sua confiteri. Percepta benedictione nuptiali, non statim debent sese cognoscere: sed dare honorem Sacramento, & prima nocte cum luminaribus in Ecclesia vigilare, & orationi vacare.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epistola 83. Quæsiuit à me, quod melius me nouit vestra prudentia, verum mulier, quæ post completa Sacramenta, & officia nuptiarum infra duos aut tres menses peperisse cognoscitur, debeat propter fœdera nuptiarum in coniugio manere, an propter patratum ante nuptias flagitium matrimonij dignitatem amittere, cùm lex Moysis huiusmodi iubeat lapidari. Super qua re non memini me Canonicam inuenisse sententiam, dico tamen sine præiudicio melioris sententiæ, quia si ante celebrationem Sacramenti coniugalis cognita fuisset mulieris turpitudo, secundùm legum seueritatem non esset honestanda matrimonio, sed asperis obiurgationibus tanquam lapidum iactibus seuera ei esset adhibenda correptio. Verùm postquam simpliciter procedente consensu contracta sunt fœdera nuptiarum, postquam matrimoniales tabulæ datæ sunt, & cætera coniugij sacramenta completa sunt, vir & mulier vnum corpus per commixtionem carnis facti sunt, non intelligo posse dissolui coniugium.

Google

mento corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, vel de Baptismate, seu de peccatorum Confessione, Matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire, aut docere non metuunt, quàm sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, & obseruat: & generaliter quoscunque eadem Romana Ecclesia, vel singuli Episcopi, per diœceses suas, cum consilio clericorum, vel clerici ipsi, sede vacante cum consilio (si oportuerit) vicinorum Episcoporum hæreticos iudicauerint, &c.

Innocentius Tertius. 1200.

Extra. libro 4. tit. 1. de sponsalibus & matrimonijs: Præterea hi, qui de matrimonio contrahendo purè, & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, vt præstitam fidem obseruent.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Sacramentis in generali cap. 5. Apparet ex his necessitas Sacramenti matrimonij, quo ab ista inordinatione, seu fœditate sanctificantur coniuges, & à tam incitanti & turpi excessu circumduntur.

Alexander Alesius. 1240.

Parte 3. quæstio. 27. memb. 4. articulo 3. §. 1. Coniunctio maris & fœminæ naturalis est: sed quòd illa coniunctio significat inseparabilitatem vel coniunctionem Christi & Ecclesiæ, & animæ sanctæ ad Deum, hoc habet à diuina institutione: vel dicendum, quòd in omni Sacramento sunt tria, scilicet, similitudo, significatio, & sanctificatio. Similitudinem ergo habet matrimonium ex prima conditione, significationem ex informatione, sanctificationem verò ex redemptione. Ex quo enim creatus est homo & fœmina, fuit naturale, quòd coniungerentur, sed quòd per hoc significaretur coniunctio animæ ad Deum, vel Christi ad Ecclesiam, vel humanitatis & diuinitatis in Christo, illud fuit ab institutione diuina. Quid autem sit sanctificatio, hoc est, gratia in matrimonio, seu in coniunctis per matrimonium, hoc est per passionem Christi, quæ sanctificat omnia Sacramenta, & per ipsum habent omnia Sacramenta virtutem ad sanctificandum matrimonium.

Thomas Aquinas. 1250.

In Summa contra Gentiles libro 4. cap. 78. Matrimonium, secundùm quod consistit in coniunctione maris & fœminę, intendentium prolem ad cultum Dei generare, & educare, est Ecclesię sacramentum: vnde & quædam benedictio nubentibus per ministros Ecclesiæ adhibetur. Et sicut in alijs Sacramentis per ea, quæ exterius aguntur, spiritale aliquid figuratur: sic in hoc Sacramento, per coniunctionem maris & fœminæ, coniunctio Christi & Ecclesiæ figuratur, secundùm illud Apostoli Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Et quia Sacramenta efficiunt quod figurant, credendum est quòd nubentibus per hoc Sacramentum gratia conferatur, per quam ad vnionem Christi & Ecclesiæ pertineant. Quod eis maximè necessarium est, vt sic carnalibus & terrenis intendant, quòd à Christo & Ecclesia non disiungantur.

Bonauentura. 1260.

In Tractatu 6. partis Breuiloquij capite 13. De Sacramento matrimonij hæc in summa tenenda sunt, quòd matrimonium est legitima coniunctio maris & fœminæ, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Hæc autem coniunctio non solùm fuit post peccatum, verùm etiam ante peccatum. Sed prius institutum fuit Sacramentum coniugij in officium deinde autem non solùm in officium, verùm etiam in remedium contra libidinis morbum. Prius significabat coniunctionem Dei & animæ: nunc autem præter hoc significat coniunctionem Christi & Ecclesiæ, & duarum naturarum in vnitate personæ.

Ioannes Scotus. 1300.

In lib. 4. Sent. dist. 26. quæst. 1. Tenet Ecclesia Sacramentum Matrimonij esse septimum inter Ecclesiastica Sacramenta: & de Sacramentis Ecclesiæ non est aliter sentiendum, quàm sentit Ecclesia Romana.

Hugo Pratensis. 1310.

Sermone 18. Matrimonium Sacramentum est necessitatis. Sicut enim Baptismus est Sacramentum necessarium ad salutem: sic Matrimonium necessarium vniuerso, licet non alicui homini sit necessarium, quia sine ipso mundus deficeret. Et ideo in veteri Testamento erat in præcepto, Genesis 1. *Crescite, & multiplicamini.* Ex quo manifestè patet, quòd bonum est: quia impossibile est esse malum illud, sine quo mundus esse non potest, & quod Deus præcepit fieri.

Durandus à Sancto Portiano.

1310.

In lib. 4. Sentent. distinctione 26. quæst. 3. Duo ponenda sunt in matrimonio, nec opposita eorum possunt teneri vel asseri sine periculo hæreseos. Primum est, quòd matrimonium est licitum. Ideo Tatiani, Marciani, & cæteri, qui nuptijs detrahunt, censentur hæretici. Secundum est, quòd matrimonium est Sacramentum, eo modo, quo sacræ rei signum dicitur Sacramentum, & dicere oppositum similiter est hæreticum. Matrimonium enim initiatum inter coniuges per consensum animorum signat coniunctionem Christi & Ecclesiæ per fidem & charitatem: matrimonium verò consummatum significat coniunctionem Christi & Ecclesiæ per conformitatem naturæ assumptæ, & sic est Sacramentum.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1360.

Vitæ Christi parte 1. cap. 25. Dominus sua corporali præsentia nuptias, quas instituit, tanquam licitas & honestas honorare & commendare voluit, ne eas hæretici despicere & damnare præsumerent.

Thomas Argentinensis. 1360.

Lib. 4. dist. 26. quæst. 1. art. 1. Matrimonium est verum Sacramentum: quia Sacramentum est sacræ rei signum. Sed matrimonium non solùm est signum gratiæ, sicut etiam cætera Sacramenta: verùm etiam est signum coniunctionis Christi & Ecclesiæ, quæ sunt res sacratissimæ. Præterea: Illud, quod est medium sanctitatis, contra peccatum homini exhibitum per signa sensibilia, hoc est Sacramentum: sed matrimonium est huiusmodi. Præterea: Apostolus loquens de matrimonio ait: *Sacramentum hoc magnum est.*

Ioannes Bromiardus. 1380.

In Summa Predic. Tomo 2. cap. 5. de Matrimonio: Dignitas istius Sacramenti ex hoc ostėditur, quòd inter omnia Sacramenta fuit prius, & in solenniori loco, id est, in paradiso à Deo institutum. Ex quo patet, quod vltra alia Sacramenta loci & prioritatis habet præeminentiam: quæ duo procul dubio ipsum Deum multum charum reddunt, quando recta intentione contrahitur, & mundè custoditur.

Thomas VValdensis. 1410.

Tomo 2. cap. 130. de Sacramento matrimonij: Non sunt criminabiles nuptiæ, si quantumcunque vitiosum aut sordidum contrahentes, non impossibilem nuptijs gerant affectum.

Ioannes Gerson 1420.

In compendio Theologiæ de Matrimonio: Quærendum, an hoc Sacramentum conferat gratiam, & efficiat quod figurat. Vbi triplex cadit opinio. Prima dicit, quod non aliquam conferat gratiam: sed cum alia Sacramenta significent gratiam & conferant, istud tantùm signet gratiam, sed non conferat. Secunda opinio dicit, quòd conferat gratiam, sed ad recessum à peccato: non tamen in ordine ad bonum. Et dicunt, quòd gratia illa est, quòd virtute huius Sacramenti mitigatur concupiscentia, ne ferueat vltra nuptiarum honestatem. Et hæc opinio probabilior videtur. Tertia satis peritorum opinio est, quòd conferat gratiam etiam ordine ad bonum, non quidem generaliter, sed ad bonum hoc tantum, quod debet facere coniugatus. Et istud bonum est, vt fideliter coniugi assistat, opera sua illi communicet, prolem susceptam religiosè nutriat.

Raimundus Sebundius. 1430.

In Viola animæ capite 82. Cùm Dominus Deus primum hominem conditum in paradiso posuisset, continuò fœminam de sua carne formatam illi in matrimonium copulauit, vt per hanc coniunctionem visibilem alia copula inuisibilis, quæ est hominis cum Deo, & in qua salus hominis consistit, monstraretur, &c. Sacramentum matrimonij, sicut à principio fuit institutum, ad significandam primam coniunctionem spiritualem, quæ fuit inter naturam humanam & Creatorem: ita iam de nouo debuit institui, ad significandam nouam copulam, quæ est inter redemptam Ecclesiam & Saluatorem. Est igitur matrimonium & antiquum, & nouum: sed diuersis respectibus, & ideo meritò potest cum cæteris Sacramentis æstimari.

Concilium Florentinum. 1439.

In literis vnionis, de Sacramentis: Septimum est Sacramentum matrimonij, quod est signum coniunctionis Christi & Ecclesiæ, secundùm Apostolum dicentem: *Sacramentum hoc magnum est,* &c. Causa efficiens matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus. Assignatur autem triplex bonum matrimonij. Primum, proles suscipienda, & educanda ad cultum Dei: secundum est fides, quam vnus coniugum alteri seruare debet: tertium indiuisibilitas matrimonij, propter hoc, quòd significat indiuisibilem coniunctionem Christi & Ecclesiæ.

Ioannes Capistranus. 1440.

De Papæ & Conciliorum auctoritate folio 53. Christus instituit matrimonij Sacramentum, non solùm quando præsentialiter interfuit nuptijs in Cana Galilææ: sed expressius, cùm dicit: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.*

Dionysius Carthusianus. 1460.

In Summa Orthodoxæ fidei libro 4. *capite* 162. Sacramentum aliud nõ est, nisi quoddam sanctitatis remedium, contra peccatum homini datum sub sensibilibus signis. Hoc autem matrimonio competit. Verba verò, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma huius Sacramenti: non autem benedictio sacerdotis, quę est quoddam Sacramentale. Et sicut Pœnitentia non habet aliam materiam, nisi actus pœnitentis sensibiles, ita nec matrimonium. Sed perficitur vtrumque Sacramentum per actus eius, qui Sacramento illo vtitur. In Sacramento quoque matrimonij res illæ, quæ foris apparent, sunt Sacramentum tantùm: interior verò obligatio inde nascens, vnius ad aliam, est res & Sacramentum: sed res tantùm est effectus Sacramenti.

Hieronymus Sauonarola. 1470.

De veritate fidei libro 3. *capite* 16. Maris & fœminæ copula, in quantum Ecclesiæ bonum concernit, verum est coniugium, ac ipsius Ecclesiæ Sacramentum: ideóq; per sacerdotes nubentibus benedicitur, & sicut in alijs Sacramentis per exteriora spirituale aliquid figuratur: ita in hoc Sacramento per maris fœminæq; connubium Christi Ecclesiæq; coniunctio interuentu gratiæ significatur.

ARTICV-

ARTICVLVS SECVNDVS.

VNVM VNO EODEMQVE TEMPORE VIRVM DVAS VEL PLVRES VXORES HABERE POSSE.

ASSERVNT.

Anno post natum Christū 50. IOSEPHVS Antiquitat. Iudaic. lib.17. cap. 1. *Mos nobis est patrius plures simul uxores habere.*

100. *Basilidis & Carpocratis sectatores indifferentes coitus, & multas nuptias induxerunt*. Irenæus lib.1. cap.32.

150. *Iudaeorum Rabini quatuor vel quinque uxores quemque habere permittunt.* Iustinus Dialogo cum Tryphone.

180. *Hermogenem Tertullianus arguit, quòd assiduè nuberet.*

370. *Valentinianus Imperator alteram duxit uxorem priore superstite, nec repudiata, & quò lenius posset videri facinus à se perpetratum, legem tulit, per quam cuiuis duas simul uxores habere liceret.* Socrates lib. 4. cap. 26.

Hugo Rex Italiæ præter coniugem suam multas alebat concubinas. Luitprandus lib.4. cap. 6.

630. *Mahometus*, in Alcorano Azoara 8. *duas tres, aut quatuor quemlibet uxores ducere permittit, & aliam pro alia commutare.*

702. *Vitiza Rex Hispaniæ uxores multas, & plures concubinas domi habuit, ac proceres regni exemplum suum vt sequerentur, hortatus est, nec non & plebi idem impunè licere voluit.* Ioannes Vasæus in Chronico Hispaniæ de Anno 702.

1460. *Turcæ tot uxores ducunt, pellicesq́ ex mancipiorum grege numero tot deligunt, quotquot quilibet alere potest: uxores virgines accipiunt, nemine prohibente, donec quinque sibi copulauerint.* Laonicus Chalcocondylas de rebus Turcicis lib. 3.

1510. Thomas Caietanus in Commentarijs in nouum Testamentum fol. 196. *Neque iure diuino prohibita fuit uxorum pluralitas: multi in primitiua Ecclesia habebant duas uxores, imitantes Patres veteris Testamenti: etiam iure naturæ uxorum pluralitas nihil habet indecentiæ.*

1525. *Martinus Lutherus*, in explicatione Geneseos, quam edidit Anno 1525. ad cap. 16. *quærit, Vtrum Christiano liceat exemplo Abrahæ plures simul uxores habere, ac tandem respondet, id neque esse præceptum, neque prohibitum: sed liberum. Se quidem nolle hanc nouam consuetudinem introducere, sed nec improbare posse, cùm exempla Patrum adhuc sint libera.*

De vita Coniugali: *Si tu nolis*, inquit, *velit alia: recusat uxor, veniat ancilla: dimissa Vasthi, Estheram accipiat.*

In Propositionibus de bigamia editis Anno 1528. Propositione 62. & sequentibus dicit, *apud Ethnicos fortasse scandalum fore, si Christianus plures uxores habeat: tamen inter Iudæos non esse scandalum, & ideo non posse ostendi id esse illicitum.*

Propositione 65. *Nota sunt*, inquit, *iura Mosaica de fratris defuncti uxore, & de filia corrupta inuito patre, quæ cogunt plurium esse uxorum virum. Quæ non magis sunt abrogata, quam reliqua omnia, id est, libera: nec prohibita, nec præcepta.*

Extant Lutheri & Melanchthonis epistolæ & consilia per literas data, quibus apertè permittunt, fasq́ esse pronuntiant, maritum vnum duas legitimas uxores habere. Staphylus in Apol gia.

1530. *Ioannes Oldendorpius, permittente Luthero, priore coniuge adhuc superstite alteram duxit uxorem.* Lindanus in Dubitantio.

1530. *Martinum Bucerum Polygamiam suis commendasse Vintoniensis testatur.*

1540. *Dauid Georgius matrimonium suos discipulos contrahere vetuit. Non enim liberum esse vnum vni uxori astringi, sed alias plures posse habere ad augendam prolem.* Bullingerus lib. 2. cap. 4.

1540. *Ioannes Bocholdius Leidensis Polygamiam ex professo probauit, & ipse duodecim simul uxores habuit.* Caspar Vlenbergius Causa nona.

1550. *Hetzerus Anabaptista vno tempore tredecim simul uxores duxit.* Feu-ardentius in lib. 1. Irenæi cap.32. Canisius lib 2. cap 12. Marialis.

1550. *Libertini matrimonia dissoluunt, quæ appellant carnalia, vbi uxor mariti sui tædium cœperit, promiscuos laudant concubitus, modò alter alteri sit contentus, id spirituale vocant matrimonium.* Caluinus de Libertinis cap. 20.

Bernardinus Ochinus lib. 2. Dialog. 21. pag. 200. *Paulus Episcopis & Diaconis plures vxores interdicit, cæteris tacitè concedit.*

Pag. 204. *Pauli mens est hæc, quòd Christianis plures vxores habere liceat, at Episcopis non nisi singulas, ne multitudo vxorum à populi salute prouocandâ auocaret. Dum enim de Episcopis nominatim dicit, se velle vt vnam habeant, non plures, ne si plures habeant, nimium distrahantur mundanis negotijs, facile plures concedit cæteris. Fuit quidem in nouo fœdere Episcopis interdictum, ne plures vxores haberent, non quia plures habere nefas esset, sed ne ab vxoribus distracti corrumperentur. Quamquam illud credo quemadmodum antiquitus interdictum est, ne reges haberent multos equos, hoc est, multitudinem nimiam, videlicet ne equis confisi, Dei confidentia exciderent: (nam alioqui plures equos habere concedebatur:) ita quoque interdictum illud alterum, non de pluribus vxoribus, sed immodica vxorum multitudine est intelligendum.*

NEGANT SACRÆ LITERÆ.

Genesis 2. Vers. 24. Relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna.

Matth. 19. 4. Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo: sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandauit dare libellum repudij, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem non fuit sic.

Matth. 5. & 19. Marci 10. & Lucæ 16. Christus declarat eum, qui dimissa vxore aliam duxerit, mœchari. Ex quibus testimonijs colligitur polygamiam iure Euangelico esse omnino illicitam. Nam ideo mœchari dicitur, qui dimissa priore aliam ducit, quia prior non poterat dimitti: & licet videtur dimissa coram hominibus: tamen adhuc verè est vxor illius, qui eam primò duxerat. Nam si per dimissionem desijsset esse vxor, non mœcharetur illius vir aliam ducens, quemadmodum non mœchatur, qui priore vxore mortua aliam ducit. Quòd si mœchatur, qui aliam ducit viuente priore: non licet igitur plures coniuges habere, nisi adulteria licita esse volumus: & si non licet aliam ducere, dimissa priore, multo minus retenta priore. Nam si non licet, priore dimissa aliam ducere, quia prior adhuc est vxor: at multo magis est vxor, quæ non est dimissa. Quare viuente priore vxore, siue dimissa, siue retenta, illicitum est ducere aliam.

Paulus, cùm de matrimonio loquitur, semper loquitur de vxore in numero singulari.

1. *Corinth. 7. 2.* Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum. 27. Alligatus es vxori? noli quærere solutionem.

Idem Apostolus repetitissimè scribit vxorem non posse viuente marito alicui alteri nubere.

Rom. 7. 3. Viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.

1. *Corinth. 7. 10.* Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. 39. Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit: quòd si dormierit vir eius, libera est à lege, cui vult nubat. *Quæ loca prohibent polygamiam ex parte fœminarum expressè, id est, prohibent ne fœminæ sæpius nubant, viuentibus viris prioribus. Sed prohibent etiam consequenter polygamiam virorum, id est, ne viri plures simul vxores ducant. Nam licet minus repugnet rationi ac naturæ, vt vir plures vxores, quàm vxor plures maritos habeat, vtrumque tamen rationi repugnat.*

NEGANT PATRES GRÆCI.

Iustinus. 150.

Oratione ad Antoninum: Legibus humanis duplex contrahentes matrimonium peccatores sunt.

Dialogo cum Tryphone: Rabbini vestri sanè ad hunc vsque diem, & quatuor, & quinque vestrûm quemque vxores habere permittunt: & si quis venustam inspiciens, eam expetiuerit, cùm Iacob Israelis, & aliorum Patriarcharum facta commemorant, tum nihil iniqui agere similia facientes asseuerant: quo quidem etiam miseri & stulti sunt homines. Nam (sicuti prius dixi) magnorum Sacramentorum œconomiæ & dispositiones in quolibet eius generis facto sunt celebratæ.

Irenæus. 180.

Lib. 1. cap. 32. Alij rursus à Basilide & Carpocrate occasiones accipientes, indifferentes coitus, & multas nuptias induxerunt.

Basilius Magnus. 370.

Epistola 79. ad Amphilochium: Patres polygamiam silentio prætermisêre, vt belluinam, & ab hominum genere alienam. Nobis autem probatur eam maius esse fornicatione peccatum, & ideo consentaneum est, vt ei Canonibus subijciantur, vt scilicet postquam anno fleuerint, & tribus substrati fuerint, sic suscipiantur.

Epiphanius. 370.

Heresi 80. Et primum quidem, mulieres cum viris simul esse, neque à veteri consuetudine eorum, qui natura coniugia habuerunt, iusta ratio

decernit: sed virum & vxorem simul, vnum ad vnam, velut Adam & Eua, & Sara & Abraham se habuit, & Rebecca Isaac coniuncta fuit. Tametsi enim quidam patres duas aut tres vxores fuerunt. Porcorum enim esset hæc forma, & pecorum talis coniunctio.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 56. in Genesin: Sed audiens, quòd *Iacob* accepit & maiorem natu, & postea minorem, ne turberis: neque iuxta statum, qui nunc est, opera, quæ tunc facta, iudices. Tunc enim quia principia erant, permissum fuit cum duabus, vel tribus, vel pluribus vxoribus misceri, vt humanum genus propagaretur. Nunc verò quia per Dei gratiam humanum genus valde multiplicatum est, & pietas incrementum accepit, adueniens vtique Christus, & virtutem in hominibus plantans, Angelosque (vt ita dicam) ex hominibus faciens, omnem illam veterem consuetudinem aboleuit. Vides quomodo non oportet consuetudinem prætexere, sed quod iustum est inquirere? Ecce enim quoniam mala erat hæc consuetudo, explosa est, & non licet vlli eam prætexere.

Homil. 63. ex cap. 19. Matthæi: Considerandum est, quòd non solùm ab opificio, verùm etiam ab ipso præcepto sententiam suam corroborat. Non enim dixit, quia virum & mulierem vnam solummodò fecit, verùm etiam quia iussit vt vnus vni coniungatur. Nam si voluisset alteram etiam conduci vxorem, vni viro creato multas conformasset mulieres: nunc verò & creationis & sanctionis modo, vnam vni perpetuò coniungi, & nunquam rescindi oportere perdocuit.

Libro de Virginitate cap. 44. Nobis summa hæc virtutis norma olim præscripta non erat, sed & vlcisci iniurias, & conuitia in conuitiatorem iactare, & facere pecuniam, & verè iurare, & oculum pro oculo eruere, & inimicos licebat odisse: neque etiam luxuriosè viuere, aut irasci, aut, vxore eiecta, alteram ducere, erat impeditum: ac neque id solùm, sed duas etiam eodem tempore habere in matrimonio lege permittebatur: magna præterea cùm harum, tum aliarum rerum omnibus indulgentia tribuebatur. Quæ sanè indulgentiæ via post Christi aduentum longè fuit angustior, neque eo solùm, quòd tanta hæc eorum, quæ diximus, licentia, quanta verbis exprimi non potest, circuncisa nobis est, sed quòd eam vxorem, cuius suasu, coactuque multa etiam sæpe peccamus, inuiti domi perpetuò habere cogimur.

Auctor operis imperfecti in Matthæum apud Chrysostomum. 400.

Homil. 1. Vis scire quomodo licitum est matrimonium? Quomodo aliquando licuit & sorores habere vxores? quomodo habuerunt Cain & Abel, & non peccauerunt? quia peccatum illud raritas hominum & necessitas excusabat. Postea crescente numero hominum, ipsum malum reuersum est in naturam suam, & cœpit esse peccatum. Remansit autem in vsu, vt vni viro liceat habere plures vxores. Amplificato postea mundo, etiam hoc malum recepit naturam suam, & cœpit esse peccatum. Remansit autem in vsu, vt vnus vnam haberet vxorem, &c.

Homilia 32. *Masculum & fœminam fecit eos:* Non masculum & multas fœminas, vt vni masculo liceat plures fœminas possidere: neque masculos & fœminam, vt vni fœminæ liceat plures viros accipere: sed masculum & fœminam, vt vna fœmina nullum masculum putet factum esse in seculo, præter vnum: vt vnus masculus nullam putet fœmininam esse factam in seculo, nisi vnam. Non enim duas aut tres costas detulit de latere viri, & duas aut tres fecit mulieres.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Libro 11. in Genesim: *Iacob dilexit Rachel magis quàm Liam:*) Nihil obscuri est in verbis, nisi quisquam fortassis, qui huiuscemodi res curiosè inuestigare soleat, dubitauerit, cur duas vxores, præsertim, cùm sorores inter se essent, duxerit? Absurdum namque profectò & scelus quoddam esse videtur. Quod paucis persoluendum censeo. Nam maiores nostri operam maximam dabant, vt complures filios procrearent. Magnam etenim felicitatem id esse arbitrabantur. Quamobrem non solùm non duas vxores ducere probro sibi quisque existimabat, sed etiam complures coire fœminas, vt genus humanum propagare possent, rem honestissimam esse censebant. Nam & Deus loco benedictionis procreationem filiorum attribuebat. Atque ita fit, vt non modò illis viris sanctissimis, qui ante Mosen fuerant, hoc munus Deus se largiturum promiserit, verùm etiam his, qui legis disciplinam acceperunt. Dixit enim: *Non enim erit sine fœtu, neque sterilis inter filios Israel.* Exo. 23.
Itaque hanc vocem non pro lege accipiemus, sed promissionem potius esse dicemus. Nam ea, quæ penes nos sunt, institutis legibusque humanis reguntur; quæ verò nostras vires excellunt, ipsamque naturam sequuntur, nullis humanis legibus, nullis institutis parere dignantur. Quocirca perspicuum cunctis esse debet, quòd non opifex creatorque noster, neque sterilem fore sine fœtu inter filias Israelis asseruit. Sed si legem obseruauerint, & ipsam quoque sterilem fœcundam euadere posse, sicuti Deus promisit. Ergo maximæ curæ nostris maioribus fuit, felicitatemque summam existimabant, si complures filios procreare possent. Nos verò, qui in Christum traducti sumus, vt fructum spiritualem adferamus, etsi matrimonium honore prosequimur, munus tamen illud, quod excellentius sit, magnisque laudibus apud Scripturam sacram commendatur, omni studio eligimus atque sectamur, vt soli scilicet Deo adhæreamus, nullæque res mundanæ nobis impedimento sint. *Qui enim,* inquit, *cum vxore est, sollicitus est, quæ mundi sunt, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* 1. Cor. 7

Theodoretus. 450.

Quæst. 66. in Genesim: Permulti intemperantes inde suæ lasciuiæ sumunt occasionem, quod Patriarcha Abraham concubina sit vsus, &c. Si enim attendamus Patriarcham concupiscentiæ inseruientem, rem reprehensione dignam vocabimus. Si verò vxor naturæ suæ infirmitatem declarans, & à Creatore sterilem sibi factum esse vterum dicens, exponensque quanto liberorum desiderio teneatur, rogauit ea de causa Abraham, vt cum Agar congrederetur, quò ipsa liberos inde susciperet, quid peccauit Abraham? Maximè, cùm neque natura, neque lex vlla tum scripta plures ducere vxores prohiberet: ipsa verò coniunx sterilis obsecraret virum, ancillæ permisceri: non vt voluptati inseruiret, sed amborum naturæ consuleret, ipsique reipsa vocarentur genitores?

Quæst. 84. Multi sibi prætexunt occasionem lasciuiæ, quòd quatuor vxores Iacob habuit. Vniuscuiusque facti scopus inquirendus est. Sic enim iudicantes reperiemus quidem Patriarcham Iacob sibi Rachel solam desponsasse, & præter animi voluntatem Liam attigisse. Mox igitur, vt dolum sensit, ægrè tulit, & cum socero questus est. Balæ verò permixtus est, non voluptatis gratia, sed vt coniugem placaret. Nam cùm Rachel angeretur, quòd liberis careret, ilolideque diceret: *Da mihi liberos, alioqui moriar.* piè quidem obiurgauit illam Patriarcha, & docuit, quisnam esset naturæ creator: & quòd nuptiæ non darent liberos,

Sed qui nuptijs legem dedit Deus,&c. Ad hæc etiam illud animaduertendum est, tunc temporis nondum datam esse vllam legem, quę multiplices nuptias prohiberet, & quòd felicissimi tunc existimabantur, qui multorum liberorum patres erant.

Basilius Seleuciæ Episcopus. 460.

Oratione 3. de Lazari resuscitatione: Nulla venia dignus est, qui post acceptam vxorem, tantamque perceptam consolationem, cum summa illius contumelia alteri sese coniungit. Hoc enim nihil aliud est, quàm deplorata quædam mollities: si enim plurimi, quando tempus ieiunium exigit, aut orationem deposcit, à proprijs vxoribus se continent, qui sua non contentus, aliam inducit, quantam putas capiti suo pernitiem accersit? &c.

Victor Antiochenus. 460.

Ad cap. 10. Marci: Ad ipsam restitutionem quod attinet, si Deus vna per diuortium dimissa aliam superinduci voluisset, vtique post virum vnum conditum, non vnam, sed multas mulieres efformasset. Nunc verò ex ipsa legis forma, primaque generis nostri institutione vnum virum vni tantùm mulieri perpetuò citra vllum prorsus dissidium cohabitare debere ostendit. Ex vna namque radice facti sunt ambo: & in vnum rursum conueniunt ambo.

Olympiodorus. 500.

In Ecclesiasten Salomonis: *Vitam cognosce cum vxore:* Quòd si hæc verba ad vxorem mariti cuiusque referas, tunc literali sensu nos admonebit, vt iuxta monogamiæ legem vxore vna contenti simus: Coniugalis namque castitas, & obseruantia ipsa quoque nobis est æternæ vitæ conciliatrix. *Vitam* ergo *cognosce*, & viue cum vna, quam dilexisti.

Ad cap. 7. Ecclesiastis: Licebat antiquis Patribus vxores multas accipere, multas diuitias possidere, quæ tamen nobis Euangelica lex coercuit.

Procopius Gazæus. 530.

In cap. 29. Genes. Forsitan alicui absurdum videatur, quòd duas ducit vxores Iacobus, & easdem sorores. Sed is sciat, priscis maximum fuisse studium plurimæ procreandæ prolis, quique plurimis abundabat liberis, is inter beatos numerabatur. Quapropter nulli prisco seculo dabatur vitio, etiam si quis complures sibi iungebat vxores. Sobolis fœcunditatem ante datam legem loco benedictionis suscipiebant prisci mortales. Etiam illi, qui lege regebantur, multos liberos iudicabant esse benedictionem Domini. His dicitur: *Si legem custodieritis, non erit inter filios Israel sterilis.* Nec tamen lex, sed promissio elargiebatur fœcunditatem. Siquidem non in nobis situm est, vt vel fœcundi, vel steriles simus. At qui sumus in Christo, eiusque dogmata sectamur, festinemus ad spirituales fructus edendos, nec tamen interim aspernemur nuptias: sed eligamus id quod potius est.

Iustinianus Imperator. 530.

Libro 1. Instit. titulo de nuptijs: Duas vxores habere eodem tempore non licet.

In Authentica de Triente & semisse §. Consideremus: Legitimæ vxori coniunctus, alias insuper inducere non poterit, matrimonio consistente.

Theophylactus. 900.

Ad Matth. cap. 19. Quid igitur Christus? ostendit opus, & legislationem eius, qui nos à principio formauit, esse monogamiam. Ab initio enim vnum coniunxit Deus vni: atque ita non oportet vnum virum coniungi multis mulieribus, neque mulierem vnam viris multis: sed eos, sicut ab initio coniuncti fuerunt, manere, neque absque causa cohabitationem diuellere.

Ad Marci cap. 10. Vide autem quid dicat, quòd Deus noluit polygamiam, vt hæc relinqueretur, & altera duceretur vxor; & iterum relinqueretur illa, & assumeretur alia? Nam si hoc esset, fecisset Deus vnum quidem virum, multas autem mulieres. Nunc autem hoc non fecit, sed masculum & fœminam fecit, vnum vni copulari iubens.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 4. Adam cùm Euam vidisset, dixit: *Hoc est os de ossibus meis, & caro de carne mea,* &c. Considera igitur quomodo post peccatum demum & stoliditatem hominum polygamia increuerit. Adam enim non dicit: *Et erunt* multæ mulieres cum viro *in carne vna,* sed *duo,* hoc est, vir & mulier. Vna verò & plures inter se pugnant. Quamuis autem Moses legislator singulis Iudæorum vxores plures concesserit, in temporis successionem illud permisit, vt & in animalium sacrificijs factum est, vt ab impura filiorum cæde & oblatione abduceret. Sicut verò Christus adueniens animalium sacrificia prohibuit, legis scopum implendo: ita etiam vxorum pluralitatem sustulit.

NEGANT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Exhortatione ad castitatem cap. 5. Vno matrimonio censemur vtrobique, & carnaliter in Adam, & spiritualiter in Christo: Duarum natiuitatum vnum est monogamiæ præscriptum. Vtraque degenerat, quæ de monogamia exorbitat. Numerus matrimonij à maledicto viro cœpit. Primus
Gen. 4. Lamech duabus maritatus, tres in vnam carnem effecit. Sed & benedicti, inquis, Patriarchæ non modò pluribus vxoribus, verùm etiam concubinis coniugia miscuerunt. Ergo propterea nobis quoque licebit in numerum nubere? Sanè licebit, si qui adhuc typi alicuius futuri Sacramenti supersunt, quos nuptiæ tuæ figurent: aut si etiam
Gen. 1. nunc locus est vocis illius: *Crescite & multiplicamini,*
1. Cor. 7 id est, si nondum alia vox superuenit: *Tempus tam in collecto esse, restare vt & qui vxores habent, tanquam non habentes agant.* Vtique enim continentiam indicens, & compescens concubitum seminarium generis, absolescit *Crescite* illud & *multiplicamini.* Vt opinor autem vnius & eiusdem Dei vtraque pronuntiatio & dispositio est, qui tunc quidem in primordio sementem generis emisit, indultis coniugiorum habenis, donec mundus repleretur, donec nouæ disciplinæ materia proficeret: nunc verò cum extremitatibus temporum compressit quod emiserat, & reuocauit quod indulserat, non sine ratione propagationis in primordio, & repastinationis in vltimo, semper initia laxantur, fines contrahuntur.

Minutius Felix. 230.

In Octauio: Nos vnius matrimonij vinculo libenter inhæremus: cupiditate procreandi aut vnam scimus, aut nullam.

Lactantius. 320.

Lib. 6. cap. 23. Nec tantùm alienis toris, quæ attingere non licet, verùm etiam publicis, vulgatisque corporibus abstinendum Deus præcepit: docetque nos, cùm duo inter se corpora fuerint copulata, vnum corpus efficere, &c. Nondum omnia casti-

castitatis officia executus sum, quam non modò Deos inter priuatos parietes, sed etiam præscriptio lectuli terminat: vt cùm quis habeat vxorem, neque seruam, neque liberam habere insuper velit, sed matrimonio fidem seruet.

In Epitome diuinarum Instit. cap. 8. Qui habet coniugem, nihil quærat extrinsecus: sed contentus ea sola, carnem castiget, inuiolati cubilis sacramenta custodiat. Adulter enim Deo est perinde atque incestus, qui abiecto iugo, vel in liberam, vel in seruam peregrina voluptate luxuriat. Sed sicut fœmina castitatis vinculis obligata est, ne aliud concupiscat: ita vir eadem lege teneatur, qua Deus & viro vxorem vnius corporis compage solidauit.

Ambrosius. 370.

Libro 1. de Abraham Patriarcha cap. 7. Nulli licet scire mulierem præter vxorem. Ideoq; coniugij tibi datum est ius, ne in laqueum incidas, & cum aliena
1. Cor. 7. muliere delinquas. *Vinctus es vxori, noli quærere*
Matt. 19. *solutionem*: quia non licet tibi vxore viuente vxorem ducere: nam & aliam quærere, cùm habeas tuam, crimen est adulterij: hoc grauius, quod putas peccato tuo auctoritatem lege quærendam.

Hieronymus. 390.

Libro 1. contra Iouinianum cap. 8. Melius est enim, licet alterum & tertium, vnum virum nosse, quàm plurimos: id est, tolerabilius est vni homini prostitutam esse, quàm multis: siquidem & illa in Euangelio Ioannis Samaritana sextum se maritum
Ioan. 4. habere dicens, arguitur à Domino, quòd non sit vir eius: vbi enim numerus maritorum est, ibi vir, qui propriè vnus est, esse desijt. Vna costa à princi-
Gen. 2. pio in vnam vxorem versa est. *Et erunt*, inquit, *duo in carne vna*, non tres, neque quatuor: alioquin iam non duo, sed plures. Primus Lamech sanguinarius, & homicida, vnam carnem in duas diuisit vxores: fratricidium, & digamiam eadem cataclismi deleuit pœna, de altero septies, de altero septuagies septies vindicatum est. Quantum distant in numero, tantum & in crimine.

Libro 2. contra Iouinianum cap. 6. Scotorum natio vxores proprias non habet, & quasi Platonis politiam legerit, & Catonis sectetur exemplum, nulla apud eos coniunx propria est: sed vt cuique libitum fuerit, pecudum more lasciuiunt.

Augustinus. 400.

De doctrina Christiana lib. 3. cap. 12. Regno terreno veteres iusti cæleste regnum imaginabantur, & prænuntiabant. Sufficiendæ prolis causa erat vxorum plurium simul vni viro habendarum inculpabilis consuetudo, & ideo vnam fœminam maritos habere plurimos honestum non erat: non enim mulier eo est fœcundior, sed meretricia potiùs turpitudo est, vel quæstum, vel liberos vulgo quærere. In huiuscemodi moribus quicquid illorum temporum sancti non libidinosè faciebant, quamuis ea facerent, quæ hoc tempore nisi per libidinem fieri non possunt, non culpat Scriptura. Et quicquid ibi tale narratur, non solùm historicè ac propriè, sed etiam figuratè ac propheticè acceptum interpretandum est vsque in finem illum charitatis, siue Dei, siue proximi, siue vtriusque.

De bono coniugali cap. 7. Quomodo viro possit esse licentia ducendæ alterius, si adulteram reliquerit, cùm mulieri non sit nubendi alteri, si adulterum reliquerit, non video. Quæ si ita sunt, tantum valet illud sociale vinculum coniugum, vt cùm causa procreandi colligetur, nec ipsa causa procreandi soluatur. Posset enim homo dimittere sterilem vxorem, & ducere de qua filios habeat: & tamen non licet & nostris quidem iam temporibus, ac more Romano nec superducere, vt amplius habeat quàm vnam viuam: & vtique relicta adultera, vel relicto adultero possent plures nasci homines, si vel illa alteri nuberet, vel ille alteram duceret. Quod tamen si non licet, sicut diuina regula præscribere videtur, quem non faciat intentum, quid sibi velit tanta firmitas vinculi coniugalis? Quod nequaquam puto tantum valere potuisse, nisi alicuius rei maioris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam Sacramentum adhiberetur, quod deserentibus hominibus, atque id dissoluere cupientibus, inconcussum illis maneret ad pœnam. Siquidem interueniente diuortio non aboletur illa confœderatio nuptialis: ita vt sibi coniuges sint etiam separati, cum illis autem adulterium committant, quibus etiam fuerint post suum repudium copulati, vel illa viro, vel ille mulieri: nec tamen nisi *in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius*, talis est causa cum vxore.

De nuptijs & concupiscentia lib. 1. cap. 9. Verùmtamen magis pertinere ad nuptiarum bonum, non vnum & multas, sed vnum & vnam satis indicat ipsa prima diuinitus facta coniugij copula, vt inde connubia sumerent initium, vbi honestius attenderetur exemplum. Progrediente autem genere humano, iunctæ sunt quibusdam bonis viris bonæ fœminæ, singulis plures. Vnde apparet & illud dignitatis magis appetisse modestiam, & hoc fœcunditatis permisisse naturam.

Contra Faustum lib. 22. cap. 47. Iam verò filio eius Iacob quòd pro ingenti crimine quatuor objiciuntur vxores, generali prælocutione purgatur. Quando enim mos erat, crimen non erat: & nunc propterea crimen est, quia mos non est. Alia enim sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cum ita sint, quid tandem criminis est, quod de pluribus simul habitis vxoribus objicitur sancto viro Iacob? Si naturam consulas, non lasciuiendi, sed gignendi causa illis mulieribus vtebatur. Si morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur. Si præceptum, nulla lege prohibebatur. Nunc vero cur crimen est, si quis hoc faciat, nisi quia & moribus & legibus non licet? Quę duo quisquis contempserit, etiamsi tantummodò causa generandi vti possit fœminis pluribus, peccat tamen, & ipsam violat humanam societatem, cui necessaria est propagatio filiorum.

Eucherius Lugdunensis. 450.

De quæstionibus difficilioribus veteris & noui Testamenti. In Genesi: *Interrogatio:* Quid his respondendum est, qui ob vxores multas incontinentiam Patribus vel Patriarchis nostris objiciendam putant? *Respond.* Primum, quod tunc nondum lege prohibitum: quia consuetudo erat, crimen esse non poterat. Deinde, quòd illa tunc, vel pro loco, vel pro tempore, non improbabilia apud Deum fuerint. Pro loco, sicut & in vna domo in altero angulo aliquid fieri à quolibet domino præcipitur: quod in alio nequaquam fieri permittitur. Pro tempore verò, quòd rudi adhuc seculo præceptum fuerat: *Crescite, & multiplicamini.* Nunc vero iubetur, vt, *qui habent vxores, tanquam non habentes sint*: non quòd iustitia varia sit, sed tempora mutabilia, quæ pariter ire non possunt, & diuersis quibusque temporibus, vel diuersis locis diuersa congruant. Necesse est postremò, quòd in his ex voluntate Domini sub specie gestorum præsentium fieret quædam prænuntiatio futurorum.

Prosper Aquitanicus. 460.

Ad cap. 13. ad Hebræos: Honorabile connubium est amore filiorum legitimè vxorem ducere, temporibus certis ab ea abstinere, nec plures vxores habere: quia ab initio creauit Deus masculum & fœminam, dixitq; eis: *Crescite, & multiplicamini, &c.* Si legitimum non fuerit connubium, neq; amore

filiorum, sed causa libidinis explendæ, fuerintque plures vxores, non est honorabile coniugium, neque torus immaculatus.

De promißioribus & prædictionibus Dei parte 1. cap. 25. Duodecim filios, quos duodecim Patriarchas Scriptura testatur, ex suis fœminis suscepit Iacob: Non quòd liceret sanctos viros plurimas habere mulieres, concupiscentiæ scilicet causa: sed quòd gratia multiplicandæ prolis daret Deus licentiam, qui & vnam permisit, & postea aliquando prohibuit. Nam cùm in Lege dixerit: *Maledictus homo, qui non suscitauerit semen in Israel:* per Salomonem autem Prophetam huic licentiæ terminum dedit. *Tempus*, ait, *mittendi lapides, & tempus colligendi lapides: tempus amplectendi, & tempus continendi ab amplexu.*

Fulgentius. 500.

De fide ad Petrum cap. 3. Si cui primo contigerit priuari coniugio, si voluerit, secundas vel tertias inire nuptias, nullum de illis peccatum habebit, si eas castè seruauerit, id est, si vnus & vna legitimè duntaxat coniuncti, fidem seruent, vt nec ille mulieri præter vxorem, nec illa verò propter maritum vllatenus misceatur. In talibus etsi fuerit aliquis coniugalis excessus, qui tamen legitimum non violet thorum, habebit nonnullum, sed veniale peccatum.

Athalaricus Rex. 520.

Apud Cassiodorum lib. 9. epist. 18. Vno tempore duabus nemo copuletur vxoribus: quia se nouerit suarum rerum amisione plectendum. Nam aut libido est, & rectè perfrui non sinetur, aut cupiditas, & iure nuditate damnatur. Si quis autem superflua turpique cupidine, coniugali honestate despecta, ad concubinæ elegerit venire complexus, si ingenua fuerit, cum filijs suis iugo seruitutis modis omnibus addicatur vxori, vt illi se per honesta iudicia sentiat subdi, cui per illicitam libidinem credidit posse præponi.

Isidorus Hispalensis. 620.

De officijs Eccles. lib. 2. cap. 19. Quòd autem non vnus & multæ, sed vnus & vna copulantur, ipsa prima diuinitus facta coniunctio in exemplum est. Nam cùm Dominus hominem figurasset, eique parem necessariam prospexisset, vnam de costis eius mutuatus, vnam illi fœminam finxit, sicque Adam & mulier Eua vna inter se nuptijs iuncti, formam hominibus de originis auctoritate & prima Dei voluntate sanxerunt. Item secundùm spirituales nuptias, sicut vnus Christus & vna Ecclesia: ita & vnus vir & vna vxor, tam secundùm generis documentum, quàm secundùm Christi Sacramentum. Numerus autem matrimonij à maledicto viro cœpit. Primus Lamech duabus maritatus, tres in vnam carnem effecit. Sed dicet aliquis, quòd & Patriarchæ simul pluribus vxoribus vsi sunt. Ergo propterea licebit nobis plures ducere. Sanè licebit, sed si qui adhuc typi alicuius futuri Sacramenti supersunt, quibus plures nuptiæ figurentur. Secundas autem nuptias propter incontinentiam iubet Apostolus: Melius est enim denuò vni viro nubere, quàm explendæ libidinis causa cum pluribus fornicari. Sæpius autem nubendi licentia iam non est religionis, sed criminis.

Beda. 700.

In caput 19. Matth. Ab initio *masculum & fœminam fecit eos.*) Singulari numero protulit, vt vnius coniugis consortio necterentur. Præmium nuptiarum ex duobus vnam carnem fieri. Castitas iuncta spiritui vnus efficitur spiritus.

Angelomus. 830.

In lib. 2. Regum cap. 11. Sed fortasse dicat quis: Si Dauid imaginem Christi gerebat, quomodo multas vxores & concubinas habuisse scribitur, cùm has res Christus exhorrescat & damnet? Hoc enim per figuram fiebat. Multæ enim vxores Dauid multarum gentium & nationum imaginem indicabant, quæ per fidem Christi consortio iungerentur. Concubinæ verò eius significant hæreticorum Ecclesias, quæ sub Christi nominis titulo manere se gloriantur: sed quia propter carnalia lucra sectantur Christum, non coniuges, sed concubinæ vocantur. Nunc si reges plures habeant vxores vel concubinas, crimen est. Quia enim transierunt figuræ, pro quibus vxorum vel concubinarum venia concedebatur. At nunc quia figuræ transierunt, venia nulla datur.

Nicolaus Primus. 860.

Ad consulta Bulgarorum cap. 51. Si liceat vno tempore duas habere vxores exquiritis: quòd si non licet, scire cupitis, apud quem inuentum fuerit, quid exinde facere debeatis: Duas tempore vno habere vxores, nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Christianorum illa permittit. Nam Deus, qui fecit hominem ab initio, masculum vnum fecit & vnam fœminam tantùm, cui potuit vtique si vellet duas vxores tribuere, sed noluit. Scriptum quippe est: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ:* non dixit vxoribus. Et iterum: *Erunt duo in carne vna*, masculus scilicet & fœmina in carne vna, & non tres, aut plures. Itaque apud quem vno tempore duæ vxores inueniuntur, interim priori retenta posteriorem cogatur amittere, insuper & pœnitentiam, quam loci sacerdotes præuiderit, compellatur suscipere.

Causa 24. q. 3. An non districta vltione feriendus est, qui in duabus vxoribus adulterium Lamech & flagitium imitatus est, dignoscens, quòd Dominus non nisi post 77. generationes suo salutifero aduentu deleuit, cùm Cain fratricidium septima generatione aquis abolitum sit cataclysmi, id est, diluuij?

Ioannes Octauus. 870.

Epistola 198. Hoc etiam illis pariter iubemus, vt nullus propriam relinquat vxorem, & illa viuente alteram sibi sociare præsumat: nec liceat ei vno tempore duas habere vxores, vxoremue & concubinam.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad cap. 19. Matthæi: *Masculum & fœminam fecit eos:*) Non dicit fœminas, sed fœminam, multiplicationem coniugij excludens, & ad idem adhuc confirmandum dicit: *Propter hoc quidem*, id est, propter hanc vnam coniunctionem, *dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ*, non vxoribus: *& erunt duo in carne vna*, non tres, id est, in carnali copula. Itaque quia vnum facit carnalis coniunctio, iam non sunt duo, sed vna caro, quod facit coniunctio carnalis.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. dist. 33. D. Multiplicatio vxorum generaliter prohibita est. Permissum est autem regi plures habere, sed non multiplicare. Veniente autem plenitudinis tempore, quo Christi gratia vbique est dilatata, reducta est lex nuptiarum ad priorem honestioremque institutionem, vt vnus vni in figura Christi & Ecclesiæ coniungantur.

Innocentius Tertius. 1200.

Extra. de diuortijs cap. Gaudemus: Quia verò pagani circa plures in simul fœminas affectum diuidunt coniugalem, vtrum post conuersionem omnes, vel quam ex omnibus retinere valeant, non immeritò dubitatur. Verùm absonum hoc videtur, & inimicum fidei Christianæ, cùm ab

initio vna costa in vnam fœminam sit conuersa: & Scriptura diuina testetur, quòd *propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna.* Non dixit, tres, vel plures, sed, *duo:* nec dixit, *adhærebit* vxoribus, sed *vxori.* Nec vlli vnquam licuit insimul plures vxores habere, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum: qui mos quandoque, interdum etiam fas censetur, per quam sicut Iacob à mendacio, Israelitæ à furto, & Samson ab homicidio: sic & Patriarchę, & alij viri iusti, qui plures leguntur habuisse vxores, ab adulterio excusantur. Sanè veridica hæc sententia probatur, etiam de testimonio veritatis, testantis in Euangelio: *Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Si ergo vxore dimissa, duci alia de iure non potest, fortius & ipsa retenta: per quod euidenter apparet, pluritatem in vtroque sexu (cùm non ad imparia iudicentur circa matrimonium) reprobandam.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica post Epiphaniam: Per hoc, quod dicitur in Genesi: *Erunt duo in carne vna,* non tres scilicet, vel plures, & quod dicit Apostolus: *Vnusquisque habeat suam, propter fornicationem,* non dicit suas: remouetur vitium bigamiæ, quod primò Lamech contra Deum legitur introduxisse, & reputatum est ei ad culpam, quia plures habuit propter explendam libidinem. Postea verò, cùm ferè totus mundus coleret idola, paucis in cultu vnius Dei remanentibus, concessum fuit eis ad tempus plures vxores habere, vt multiplicarentur, ne cultus Dei obliuioni traderetur.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Libro de Sacramento Matrimonij cap. 9. rationem reddens, quare veteribus contra ius naturale sit indulta vxorum pluralitas, sic tandem concludit: Verùm perfectionis Euangelicæ sidere latius & copiosius radiante, omnia hæc abrogata sunt, & auctoritate diuina interdicta, sicut legitur Matth. 19. & Lucæ 16. vbi ipsa Veritas ore suo sacratissimo vxorum multitudinem, imò etiam dualitatem prohibuit, & separationem, excepta sola causa fornicationis, interdixit.

Vincentius Beluacensis. 1240.

In Speculo historiali lib. 9. cap. 69. Sciendum, quòd vnicam esse vnius vxorem de iure naturali est; sed pro temporis exigentia Dominus dispensauit cum Patribus: quia pauci erant Dei cultores, &c.

Bonauentura. 1260.

In lib. 4. Sentent. dist. 33 quærens an sit contra legem naturæ, quòd vnus habeat plures vxores, respondet per hæc verba: Si ius naturale dicatur, quod in lege & in Euangelio scribitur, sic ius naturale est, quod sit vna vnius. *Et erunt,* inquit, *duo in carne vna,* tam in veteri, quàm in nouo Testamento.

Durandus à S. Portiano, 1310.

In lib. 4. Sentent. distinct. 33. quæst. 1. An modò liceat sub lege Euangelij habere plures vxores ex dispensatione Ecclesiæ? Tenetur communiter, quòd non: quia nullus potest dispensare in statuto Christi. Sed Christus inhibuit pluralitatem vxorum. Apparet per illud, quod dicitur Matth. 19. *Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Si ergo dimissa vxore non licuerit aliam ducere, fortiori ratione non licebit aliam ducere obtenta prima. Virtus autem rationis hæc est, vxor dimissa non propter fornicationem, sed ex alijs causis per Christum reprobatis, verè erat vxor, vt prius. Si ergo licuisset ex tunc habere plures vxores, non appareret, qualiter repudians sic vxorem non posset aliam ducere, non obstante, quòd repudiata remaneret vera vxor. Ergo pluralitas vxorum fuit per hoc sic reprobata.

Guido Rocherius. 1333.

In Manipulo curatorum parte 2 tract. 7. cap. 1. Matrimonium est viri & mulieris legitima coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Non autem dicitur viri & mulierum, nec virorum & mulieris: quia nec vnus vir plures mulieres, nec vna mulier plures viros habere potest.

Thomas Argentinensis. 1360.

In lib. 4. Sentent. distinct. 33. artic. 3. Nunquam licuit vni viro simul habere plures vxores absque diuina dispensatione: quia quod est contra ius naturæ, hoc nulli licet sine diuina dispensatione: sed vnum virum habere plures vxores, est contra ius naturæ, ergo.

Ioannes Gerson. 1420.

In Dialogo de cœlibatu Ecclesiasticorum: Nolo putauerit aliquis multitudine vxorum (dum etiam legaliter actu multis fas esset vti) libidinis ignem, furorem, fomitem, tyrannidem excutere, sed crebrius in malum augere. Docet hoc spurcissima Sacramentariorum secta, &c. palam sit venereum furorem plus cedendo fugiendoque vitari, quàm vtendo.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad cap. 7. prioris ad Corinth. Propter fornicationem autem vitandam vnusquisque vir vxoratus vxorem suam, id est, vnam ac propriam, non plures, non concubinam habeat.

Pius Secundus. 1460.

Epistola ad Morbiscum Turcarum Principem: Ad illud transimus, quod in vestra lege dulcissimum ac saluberrimum esse putatis, vxores multas ducere. Quod si Deo placuisset, creato homini ab initio non vnam tantùm sociam præbuisset, seu plurimas: nec dixit Deus: *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit* vxoribus suis, sed, *vxori suæ* dixit: Nec amicitia inter virum & vxorem vera esse potest, vbi non est æqualitas, cùm vir pluribus miscetur, mulier verò vni tantùm adhæreat, cuius est in alias plures distractus amor. Nec propterea numerus hominum augetur, quia plures vni nubant fœminæ: Nam totidem viri priuati coniugio sine prole discedunt, & præsertim cùm mulieres numero pauciores existant. Iniqua insuper res videtur, & naturali aduersa libertati, vnius vrbis ciuium alios multiplici matrimonio vti, alios in solitudine degere. Nec propterea laudanda consuetudo, quòd in veteri Lege plerosque sanctos viros pluribus vxoribus fuisse coniunctos legimus quia non id ex lege, aut ex voluptate fecerunt, sed diuina quadam dispensatione, & ad sobolem procreandam, quæ cresceret in cultu Dei.

Concilium Tridentinum. 1560.

Sess. 24. canone 1. Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum, anathema sit.

(* ⋆ *)

ARTICV-

ARTICVLVS TERTIVS.

FACTO INTER CONIVGES DIVORTIO, NVLLI LICERE VIVENTE VNO ALTERI COPVLARI.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ 80. *EBIONITÆ alteris nuptijs disiunctis, alteris copulant, vsque ad secundas & tertias nuptias.* Epiphanius.

180. *Montanus coniugia dissoluere docuit.* Apollonius apud Eusebium lib. 5. cap. 16.

230. Origenes Homilia 7. in Matthæum testatur, *sibi notos fuisse quosdam Episcopos, qui permiserunt quibusdam vxoribus, quæ cum viris diuortium fecerant, alijs viris nubere.*

380. *Messaliani legitima coniugia passim & sine delectu dirimunt.* Socrates lib. 4. cap. 31.

400. *Pollentius quidam, contra quem Augustinus duobus libris scripsit, docuit licere vxoribus, quæ cum viris diuortium fecerunt, alijs nubere.*

630. *Mahometus* Azoara 8. *aliam vxorem alia permutare concedit.*

1439. In Concilio Florentino Sessione vltima Eugenius Papa Græcis dixit: *Eos grauiter à Latinis accusari, quòd matrimonia dissoluerent, neque illi negare ausi sunt, sed rationes suas se habere responderunt.*

1500. *Græci diuortium ita permittunt, vt superstite altero coniugum, alter vxorem ducere possit.* Antonius Posseuinus in capitibus, quibus Græci & Rutheni à Latinis dissentiunt.

1520. *Erasmus Roterodamus,* ad caput 7. prioris ad Corinthios, *fusissimè probare conatur, propter fornicationem facto diuortio, licere innocenti coniugi ad alias nuptias transire.*

1520. Thomas Caietanus ad cap. 19. Matthæi: *Intellige igitur,* inquit, *ex hac Domini Iesu Christi lege, licitum esse Christiano dimittere vxorem ob fornicationem carnalem ipsius vxoris, & posse aliam ducere vxorem, salua semper Ecclesiæ definitione, quæ hactenus non apparet. Nam Decretales Pontificiæ de hac materia non sunt definitiuæ fidei, sed iudicialis facti. Profitentur enim ipsimet Pontifices, vt patet in quinto capite de diuortijs, & in capite licet de sponsa duorum, Romanos Pontifices aliquando in his iudicijs matrimoniorum errasse. Nec ex his intelligas vxorem quoque posse dimittere virum fornicantem: Quia Iesus, qui est verus Deus, non hoc concessit, nec ratio par est, vt patet, nec etiam in veteri Lege poterat vxor repudiare virum.*

1520. *Ambrosius Catharinus,* libro Annotationum in Commentaria Caietani in fine, *disputat quæstionem istam, ac tandem concludit, ex Euangelio & Apostolo non posse colligi, non licere, in causa fornicationis aliud matrimonium inire: id tamen varijs Canonibus esse prohibitum, & ideo non debere fieri, nisi ex Ecclesiæ auctoritate.*

1520. Martinus Lutherus de captiuitate Babylon. cap. de Matrimonio: *Hoc miror,* inquit, *cur cælibem cogant esse hominem, qui diuortio separatus est à coniuge sua, nec aliam ducere permittunt. Si enim Christus diuortium cõcedit in causa fornicationis, & neminem cogit esse cælibem, & Paulus magis velit nos nubere, quàm vri, videtur omnino admittere, vt in locum repudiatæ aliam ducat. Quæ res vtinam planè discussa & certa esset, posset consuli infinitis periculis eorum, qui sine culpa sua hodie cælibes esse coguntur.*

Sermone de Matrimonio: *Hic vides, quòd adulterij causa Christus diuortium admittat, vt vtra persona insons fuerit, se permutare queat, &c. Vbi altera, quæris, persona manebit, si fors & ipsa cælebs esse nõ poterit? Respondeo: Debuit quidem à Magistratu interfici. Quòd si Magistratus hic gladium negligens, adulterum non interimeret, in aliam profugere terram mœchus potest, ibique, si continere nequeat, vxorem ducere rursum, &c. Sin quis obijciat, sic latus campus dabitur quibusuis maritis & vxoribus discedendi, & exteras petendi terras, vt illic rursum coniugij pacta feriant. Respondeo: Quid ego aduersum hoc possum? Magistratus in culpa est. Quare adulteri nõ tolluntur e medio, tum consilio meo nõ fuerit opus. Nam omnino inter duo mala, alterum potius est, vtpote adulterum propter scortationẽ vitandam in exteris terris matrimonio copulari permittere. Arbitror enim eum vel coram Deo tutum esse, cùm vita ei relinquatur* (à Magistratu,) *nec se continere queat. Reperiuntur interdũ adeo pertinaces vxores, quæ etiamsi decies in libidinem prolaberetur maritus, pro sua duritia nõ curarent. Hic opportunũ est, vt maritus dicat: Si tu nolueris, alia volet. Si domina nolit, adueniat ancilla: ita tamen, vt antea iterum & tertiò vxorem admoneat maritus, & coram alijs eius etiam pertinaciam detegat, vt publicè ante conspectũ Ecclesiæ duritia eius & agnoscatur, & reprehendatur. Si tum renuat, repudia eam, & in vicem Vasti Ester surroga, Assueri regis exemplo. Porrò hic tu D. Pauli 1. Corinth. 7. innitaris verbis:* Maritus proprij corporis potestatem non habet, sed vxor. *Et:* Vxor sui corporis ius non habet, sed maritus. Ne fraudetis vos mutuò,

nisi vterque consenserit. Ecce mutuam hic fraudem vetat Apostolus. Nam in desponsione alter alteri corpus suum trahit, ad Matrimonij obsequium. Vbi ergo alter debitum obsequium negat, tum alteri corpus suum deditum spoliat, & vi aufert, quòd propriè coniugij repugnat iuri, imò & coniugium dissipat.

Ad caput 7. prioris ad Corinth. *Si alter cum altera in gratiam redire nolit, sed simpliciter separatus esse velit, & alter continere non valens, comparem habere coniugem cogatur, quid illi faciendum? poterunt cum alio contrahere? Respondeo: Procul dubio poterit. Nam cùm illi praeceptum non sit, vt castè viuat, neque castitatis donum habeat, neque desponsus sibi secum in gratiam redire dignatur, ac sibi corpus suo surripit, cuius expers esse non potest, non compellit eum Deus ad id, quod vires suas superat, ob alterius temeritatem faciendum. Hinc perinde est, ac si desponsus sibi obijsset, &c. Quod hic D. Paulus de Ethnico compare dicit, idem & de pseudochristiano intelligendum est, vt si alter coniugum alterum ad impietatem adigeret, neque illi permitteret Christum vita imitari, cum liber sit, & solutus, vt qui cum libuerit se despondeat. Quod si hoc Christiano iure non liceret, cogeretur fidelis suam infidelem comparem sequi, vel inuitus, repugnante natura & viribus suis, permanere caelebs. Quod si secundum coniugium non opportunè caderet, sed rursus maritus vxorem vel impiè viuere cogeret, vel alter ab altero fugeret, an liceret viro toties vxorem ducere, vnde forsan decem vel plures (vxores) adhuc viuentes haberet? Rursus licebitne vxori decem vel plures, qui iam omnes profugerunt, habere maritos? Respondeo D. Paulo non possumus os obstruere, neque cum illis luctari, qui eius doctrina, quoties necesse fuerit, vti volunt. Verba eius aperta sunt fratrem vel sororem liberos esse lege coniugij, si alter discesserit, vel cum hoc habitare non consenserit. Neque semel tantùm vt hoc fiat, dicit, sed liberum relinquit, vt quoties res postulat, vel pergat, vel consistat. Neminem enim in incontinentiae crimen coniectum vult, vt eo captus teneatur alienae temeritatis vel malitiae causa.*

Philippus Melanchton in Locis communibus tractatu de coniugio: *Cùm persona, quae deli-*
1540. *quit, suo scelere dissoluerit coniugium, iudex auctoritate Euangelij personam innocentem pronuntiat esse liberam* & expresse inquit, *concedi ei, vt pro sua conscientia piè aliud contrahat coniugium.*

1540. Martinns Bucerus ad cap. 19. Matthaei: *Iudaeis permissum erat ob duritiam cordis dimittere vxores, & alias ducere. Ergo idem licere debet Christianis, quando eadem inuenitur in illis cordis duritia, vt simul commodè habitare nequeant.*

1550. Ioannes Caluinus lib. 4. Instit. cap, 19. §. 37. *De matrimonio leges sanxerunt, quibus tyrannidem suam firmarent, sed partim in Deum manifestè impias, partim in homines iniquissimas: quales sunt, ne viro, qui adulteram repudiauerit, alteram ducere liceat.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Mattò. 5. Vers. 33. Omnis, qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari: & qui dimissam duxerit, adulterat.

Marci 10. 11. Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur.

Rom. 7. 1. An ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore viuit? Nam quae sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro.

1. *Cor.* 7. 10. Ijs autem, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Canon. Apost. 48. Si quis laicus, vxorem propriam pellens, alteram, vel ab alio dimissam duxerit, communione priuetur.

Hermas. 120.

Libro 2. mandato 4. Et dixi illi: Domine, si quis habuerit vxorem fidelem in Domino, & hanc inuenerit in adulterio, nunquid peccat vir si conuiuit cum illa? Et dixit mihi: Quamdiu nescit peccatum eius, sine crimine est vir viuens cum illa: si autem scierit vir vxorem suam deliquisse, & non egerit pœnitentiam mulier, & permanet in fornicatione sua, & conuiuit cum illa vir eius, reus erit peccati eius, & particeps mœchationis eius. Et dixi illi: Quid ergo, si permanserit in vitio suo mulier? Et dixit: Dimittat illam vir, & vir per se maneat. Quòd si dimiserit mulierem suam, & aliam duxerit, & ipse mœchatur.

Athenagoras. 180.

Apologia pro Christianis: Vel vt natus est vnusquisque nostrum manet vel nuptijs copulatur vnicis: secundae enim decorum quoddam adulterium sunt. Qui enim vxorem suam dimiserit, & duxerit alteram, adulteratur, inquit Dominus noster, neque illam dimittere concedens, cuius debilitata est pudicitia, neque alteram ducere.

Clemens Alexandrinus. 200.

Libro 2. Strom. cap. 23. Quòd consulat Scriptura vxorem ducere, & nec à coniugio vnquam permittat discedere, legem apertè constituit: *Non dimittes vxorem, praeterquam propter fornicationem.* Adulterium enim existimat coniungi matrimonio, viuo altero ex separatis.

Origenes. 230.

Tractatu 7. in Matthaeum: Scio quosdem, qui praesunt Ecclesijs, extra Scripturam permisisse aliquam nubere viro priore viuente: & contra Scripturam Rom. 7.
quidem fecerunt dicentem: *Mulier ligata est quanto*

tempore viuit vir eius. Item: *Viuente viro adultera vocabitur, si facta fuerit alteri viro, &c.* Qua enim ratione adultera est mulier, quamuis legitimè nubere videatur, viro viuente: eadem ratione & vir, quamuis legitimè accipere videatur dimissam ab aliquo viro, non accipit legitimè secundùm sententiam Christi, sed magis mœchatur, quasi alienam accipiens.

Basilius Magnus. 370.

Epistola 1. ad Amphilochium Canone 9. Vir vxore dimissa (scilicet propter fornicationem) si ad alteram se contulerit, & ipse adulter est: quoniam in causa est, vt vxor adulteretur, & quæ cum eo habitat adultera est, eò quòd alium virum ad se traduxerit.

Epiphanius. 380.

Heresi 59. contra Catharos: Licitum est populo, vt propter imbecillitatem feratur, & vt qui non possunt in prima vxore contenti esse, secundæ post primæ mortem coniungantur. Et qui quidem vnam habuit, in maiore laude ac honore apud omnem concionem habetur. Qui verò non potuit vna mortua contentus esse, ob aliquam scortationem, aut adulterium, aut separatione ob aliquam malam causam facta, eum diuina Scriptura non accusat, si aut vir secundæ coniungatur vxori, aut vxor secundo viro, neque ab Ecclesia & vita abdicat, sed suffert, propter debilitatem: non vt duas vxores simul habeat, altera adhuc superstite: sed vt ab vna separatus, secundæ, si ita contingat, lege copuletur, diuina Scriptura & sancta Dei Ecclesia eius miseretur.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 17. in Matthaeum: Ille enim etsi alteram non duxerit, hoc ipso se constituit criminis reum, quòd adulteram fecit ex coniuge: hic verò accipiendo alienam, adulter effectus est. Nequaquam enim mihi referas, quia illam alter eiecit. Nam expulsa quoque vxor esse eius, qui eam expulit, perseuerat.

Victor Antiochenus. 460.

In cap. 16. *Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxit, adulterium committit.* Etsi vxor per diuortium à viro diuellatur, attamen ob copulam initio initam iure ab illo seiungi nequit. Quamobrem prima adhuc superstite, alteri se coniungere adulterium vocat. Idem quoque de vxore alteri nubente pronuntiat.

Synodus Trullensis. 710.

Canone 87. Quæ maritum reliquit, est adultera, si venerit ad alium, vt vult sacer & diuinus Basilius, qui ex Hieremia Propheta hoc optimè collegit. *Quòd si alij viro vxor fuerit, ad maritum suum non conuertetur, sed polluta polluetur.* Et rursus: *Qui autem detinet adulteram, est & insipiens & impius.* Si ita præter rationem à maritò recessisse visa sit, ille quidem venia dignus est, hæc verò pœna. Illi autem venia dabitur, vt Ecclesiæ communicet. Sed is, qui legitimè sibi datam vxorem relinquit, & aliam ducit, & Domini sententia est adulterij iudicij obnoxius. Hier. 3. Prou. 18.

Canone 98. Qui alteri desponsam mulierem, eo adhuc viuo, cui desponsa est, in nuptiarum ducit societatem, adulterij crimini subijciatur.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 7. prioris ad Corinth. Quoniam seruandæ pudicitiæ gratia, vel intolerantia quadam, vel alia quauis de causa fiunt diuortia, satius est, vt nulla prorsus fiat seiunctio. Quæ tamen si fieri contigerit, maneat mulier virum habens, etsi non ad commixtionem, sed saltem vt nullum alium superinducat, vel viro concilietur.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Euaristus P.P. 96.

Epistola 2. Sicut vxori non licet dimittere virum suum, vt alteri se (viuente eo) matrimonio societ, aut eum adulteret, licet fornicatus sit vir eius, sed iuxta Apostolum, nec viro suo reconciliari debet, aut manere innupta: ita Ecclesiæ non licet dimittere Episcopum suum, aut ab eo se segregare, vt alterum (viuente eo) accipiat: sed aut ipsum habeat, aut innupta maneat, id est, alterum Episcopum (suo viuente) non accipiat, ne fornicationis aut adulterij crimen incurrat. Nam si adulterata fuerit, id est, si se alteri Episcopo iunxerit, aut super se alterum Episcopum adduxerit, aut esse fecerit, vel desiderauerit, per acerrimam pœnitentiam aut suo reconcilietur Episcopo, aut innupta permaneat.

Tertullianus. 200.

Libro 4. contra Marcionem cap. 34. obijcienti Marcioni Christum contrarium esse Mosi, quia prohibuit diuortium, quod ille concesserat, respondet his verbis: Dico enim illum conditionaliter nunc fecisse diuortij prohibitionem, si ideo quis dimittat vxorem, vt aliam ducat. *Qui dimiserit*, inquit, *vxorem, & aliam duxerit, adulterium commisit: & qui à marito dimissam duxerit, æquè adulter est*, ex eadem vtique causa, qua non licet dimitti, vt alia ducatur: illicitè enim dimissam pro indimissa ducens, adulter est. Manet enim matrimonium, quod non ritè diremptum est. Manente matrimonio nubere, adulterium est. Ita si conditionaliter prohibuit dimittere vxorem, non in totum prohibuit: & quod non prohibuit in totum, permisit.

De Monogamia cap. 9. Qui dimiserit vxorem suam, præterquam ex causa adulterij, facit eam adulterari, & qui dimissam à viro duxerit, adulterat vtique. * Non & nubere legitimè potest repudiata, & si quid tale commiserit, sine matrimonij nomine, non capit * elogium adulterij, quà adulterium in matrimonio crimen est? Deus aliter censuit citra quàm homines, vt in totum, siue per nuptias, siue vulgo alterius viri admissio, adulterium pronuntietur à Deo. *Nō pro nonne. *nomen, siue titulum, & infamiā.

Cap. 11. Per mortem vtique, non per repudium facta solutione: quia repudiatis non permitteret nubere *Apostolus* aduersus pristinum præceptum.

Concilium Eliberinum. 320.

Cap. 9. Item fidelis fœmina, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum duxerit, prohibeatur, ne ducat. Si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quàm is, quem reliquit, de seculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.

Concilium Arelatense Primum. 325.

Cap. 10 De his, qui coniuges suas in adulterio deprehendunt, & ijdem sunt adolescentes fideles, & prohibentur nubere: placuit, vt in quantum potest, consilium eis detur, ne, viuentibus vxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant.

Ambrosius. 370.

Libro 8. in cap. 16. Lucæ: *Omnis qui dimittit vxorem suam, & ducit alteram, mœchatur, & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.*) Noli vxorem dimittere, ne Deum tuæ copulæ diffitearis auctorem. Etenim si alienos, multo magis vxorios debes tolerare & emendare mores. Audi quid dixerit Dominus: *Qui dimittit vxorem, facit eam mœchari.* Etenim cui non licet viuente viro mutare coniugium, potest obrepere libido peccandi. Itaq; qui auctor erroris, Matt. 5.

etiam

etiam reus culpæ eſt. Quò cum paruulis fœta dimittitur? Quò titubante veſtigio grandæua detruditur? Durum ſi excludas parentem, pignora teneas; vt ad contumeliam charitatis addas etiam pietatis iniuriam. Durius ſi propter matrem etiam filios ſimul pellas, cùm magis redimere à patre liberi debeant culpam parentis. Quàm periculoſum, ſi fragilem adoleſcentulæ ætatem errori offeras? Quàm impium, ſi eius deſtituas ſenectutem, cuius defloraueris iuuentutem? &c. Dimittis vxorem quaſi iure ſine crimine, & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet, ſed diuina prohibet. Qui hominibus obſequeris, Deum verere. Audi legem Domini, cui obſequuntur etiam qui leges ferunt:
Matt. 19 *Quæ Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Sed non ſolùm hîc cæleſte præceptum, ſed quoddam etiam opus Dei ſoluitur. Paterisne oro liberos tuos viuente te eſſe ſub vitrico? aut incolumi matre degere ſub nouerca? Pone, ſi repudiata non nubat. Et hæc viro tibi potuit diſplicere, qui adultero fidem ſeruat? Pone, ſi nubat: neceſsitas illius tuum crimen eſt; & coniugium quod putas, adulterium eſt. Quid enim refert, vtrum aperta criminis confeſsione, an mariti ſpecie adulterium admittas? niſi quòd grauius eſt, legem crimine feciſſe, quàm furtum.

Hieronymus. 390.

Matt. 5. 1. Cor. 7 *Epiſtola* 30. *in Epitaphio Fabiolæ cap.* 1. Præcepit Dominus vxorem non debere dimitti, excepta cauſa fornicationis, & ſi dimiſſa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris iubetur, hoc conſequenter redundat in fœminas. Neque enim adultera vxor dimittenda eſt, & vir mœchus retinendus. Si
1. Cor. 6. quis meretrici iungitur, vnum corpus facit: ergo, & quæ ſcortatori impuroque ſociatur, vnum cum eo corpus efficitur. Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti: aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit. Apud illos viris impudicitiæ fræna laxantur; & ſolo ſtupro atque adulterio condemnato, paſsim per lupanaria & ancillulas libido permittitur: quaſi culpam dignitas faciat, non voluntas: apud nos, quod non licet fœminis, æquè non licet viris: & eadem ſeruitus pari conditione cenſetur, &c. Igitur & Fabiola, quia perſuaſerat ſibi, & putabat à ſe virum iure dimiſſum, nec Euangelij vigorem nouerat, in quo nubendi vniuerſa cauſatio, viuentibus viris, fœminis amputatur: dum multa diaboli vitat vulnera, vnum incauta vulnus accepit. Sed quid ego in abolitis & antiquis moror, quærens excuſare culpam, cuius pœnitentiam ipſa confeſſa eſt? quis hoc crederet, vt poſt mortem ſecundi viri in ſemetipſam reuerſa, quo tempore ſolent viduæ negligentes, iugo ſeruitutis excuſſo, agere ſe liberius, adire balneas, volitare per plateas, vultus circunferre meretricis, ſaccum indueret, vt errorem publicè fateretur, & tota vrbe ſpectante Romana, ante diem Paſchæ in baſilica quondam Laterani, qui Cæſariano truncatus eſt gladio, ſtaret in ordine pœnitentium, Epiſcopo, Presbyteris, & omni populo collachrymantibus: ſparſum crinem, ora lurida, ſqualidas manus, ſordida colla ſubmitteret?

Epiſtola 147. *ad Amandum:* Reperi iunctam epiſtolæ & commentariolo tuo breuem chartulam, in qua hæc indita ferebantur. Quærendum ab eo, id eſt à me, vtrum mulier, relicto viro adultero, & Sodomita, & alio per vim accepto, poſsit abſque pœnitentia communicare Eccleſiæ, viuente adhuc eo, quem prius reliquerat. Quod legens, il-
Pſal. 140 lius verſiculi recordatus ſum: *Ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Omnes enim homines vitijs noſtris fauemus, & quod propria facimus voluntate, ad naturæ referimus neceſsitatem. Quomodo ſi dicat adoleſcens: vim patior corporis: me ad libidinem ardor impellit: ipſa organa membrorum genitalium, & compoſitio corporis fœmineos quærit amplexus. Et rurſum homicida, in egeſtate, inquit, eram, indigebam cibo, tegmen corporis non habebam: ideo alienum ſanguinem fudi, ne ipſe fame & frigore morerer. Reſponde itaque ſorori, quæ à nobis ſuper ſuo ſtatu quærit, non noſtram, ſed Apoſtoli ſententiam: *An ignoratis fratres, (ſcientibus enim legem loquor,) quoniam lex dominatur homini, quanto tempore viuit? Mulier enim, quæ ſub viro eſt, viuente viro aſtricta eſt legi. Quòd ſi mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à lege viri. Ergo, viuente viro, adultera erit, ſi duxerit alterum virum.* Et Ror in alio loco: *Mulier alligata eſt, quanto tempore viuit vir eius: ſi autem dormierit vir eius, liberata eſt: cui vult nubat, tantùm in Domino.* Omnes igitur cauſationes 1. Co Apoſtolus amputans, apertiſsimè definiuit, viuente viro adulteram eſſe mulierem, ſi alteri nupſerit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris perſuaſionem, patris auctoritatem, propinquorum cateruam, ſeruorum inſidias atque contemptum, damna rei familiaris. Quamdiu viuit vir, licet adulter ſit, licet Sodomita, licet flagitijs omnibus coopertus, & ab vxore propter hæc ſcelera derelictus, maritus eius reputabitur, cui alterum virum accipere non licet. Nec Apoſtolus hæc propria auctoritate decernit, ſed Chriſto in ſe loquente, Chriſti verba ſecutus eſt, qui ait in Euangelio: *Qui dimittit vxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari, & qui dimiſſam acceperit, adulter eſt.* Mat Animaduertit quid dicat: *Qui dimiſſam acceperit, adulter eſt,* ſiue ipſa dimiſerit virum, ſiue à viro dimiſſa ſit, adulter eſt, qui eam acceperit. Vnde & Apoſtoli grauem coniugij ſarcinam intelligentes: *Si ita eſt,* inquiunt, *non expedit homini vxorem accipere,* &c. Mat Ergo & iſta ſoror, quæ, vt dicit, vim paſſa eſt, vt alteri iungeretur, ſi vult corpus Chriſti accipere, & non adultera reputari, agat pœnitentiam, ita duntaxat, vt ſecundo viro, qui non appellatur vir, ſed adulter, à tempore pœnitentiæ non copuletur. Quod ſi ei durum videtur, & ſemel dilectum non poteſt derelinquere, nec præferre Dominum voluptati: audiat Apoſtolum conclamantem: *Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.* 1. Co

In cap. 19. *Matth.* Quia poterat accidere, vt aliquis calumniam faceret innocenti, & ob ſecundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret: ſic priorem dimittere iubetur vxorem, vt ſecundam prima viuente non habeat. Quod enim dicit, tale eſt: Si non propter libidinem, ſed propter iniuriam dimittis vxorem: quare expertus infelices priores nuptias, nouarum te immittis periculo? Nec non quia poterat euenire, vt iuxta eandem legem vxor quoque marito daret repudium: eadem cautela præcipitur, ne ſecundum accipiat virum. Et quia meretrix, & quæ ſemel fuerat adultera, opprobrium non timebat, ſecundo præcipitur viro, quòd ſi talem duxerit, ſub adulterij ſit crimine.

Auguſtinus. 400.

De bono coniug. cap. 7. Vſqueadeò fœdus illud initum nuptiale cuiuſdam Sacramenti res eſt, vt nec ipſa ſeparatione irritum fiat: quandoquidem viuente viro, à quo relicta eſt, mœchatur, ſi alteri nupſerit: & ille huius mali cauſa eſt, qui reliquit. Miror autem ſi quemadmodum licet dimittere adulteram vxorem, ita liceat ea dimiſſa alteram ducere. Facit enim de hac re ſancta Scriptura difficilem nodum, dicente Apoſtolo, ex præcepto Domini: *mulierem à viro non debere diſcedere, quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo re-* 1. Co

moechari: cùm recedere vtique & manere innupta, nisi ab adultero viro non debeat, ne recedendo ab eo, qui adulter non est, faciat eum moechari: reconciliari autem viro vel tolerando, si se ipse continere non potest, vel correcto fortitan iustè potest. Quomodo autem viro posit esse licentia ducendæ alterius, si adulteram reliquerit, cùm mulieri non sit nubendi alteri, si adulterum reliquerit, non video. Quæ si ita sunt, tantum valet illud sociale vinculum coniugum, vt cùm causa procreandi colligetur, nec ipsa causa procreandi soluatur. Posset enim homo dimittere sterilem vxorem, & ducere de qua filios habet: & tamen non licet & nostris quidem iam temporibus, ac more Romano nec superducere, vt amplius habeat, quàm vnam viuam: & vtique relicta adultera, vel relicto adultero possent plures nasci homines, si vel illa alteri nuberet, vel ille alteram duceret. Quod tamen si non licet, sicut diuina regula præscribere videtur, quem non faciat intentum, quid sibi velit tanta firmitas vinculi coniugalis? Quod nequaquam puto tantum valere potuisse, nisi alicuius rei maioris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam Sacramentum adhiberetur, quod deserentibus hominibus, atque id dissoluere cupientibus, inconcussum illis maneret ad pœnam. Siquidem interueniente diuortio non aboletur illa confœderatio nuptialis: ita vt sibi coniuges sint etiam separati, cum illis autem adulterium committant, quibus etiam fuerint post suum repudium copulati, vel

Psal. 47 illa viro, vel ille mulieri: nec tamen nisi *in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius*, talis est causa cum vxore.

Cap. 15. Semel autem initum connubium in ciuitate Dei nostri, vbi etiam ex prima duorum hominum copula quoddam Sacramentum nuptię gerunt, nullo modo potest, nisi alicuius eorum morte dissolui. Manet enim vinculum nuptiarum, etiamsi proles, cuius causa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur: ita vt iam scientibus coniugibus non se filios habituros, separare se tamen vel ipsa causa filiorum, atque alijs copulare non liceat.

Cap. 18. Sicut duobus pluribusve seruire, sic à viro viuo in alterius transire connubium, nec tunc licuit, nec nunc licet, nec vnquam licebit. Apostatare quippe ab vno Deo, & ire in alterius adulterinam superstitionem, semper est malum. Nec causa ergo numerosioris prolis fecerunt sancti nostri, quod Cato dicitur fecisse Romanus, vt traderet viuus vxorem etiam alterius domum filijs impleturam. In nostrarum quippe nuptijs plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas vteri.

De adulterinis coniugijs libro 1. *cap.* 9. Cur ergo, inquis, interposuit Dominus causam fornicationis, & non potius generaliter ait: *Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, mœchatur*, si & ille mœchus est, qui dimissa fornicante muliere alteram ducit? Credo, quia illud quod maius est, hoc Dominus commemorare voluit. Maius enim adulterium esse quis negat, vxore non fornicante dimissa alteram ducere, quàm si fornicantem quis dimiserit, & tunc alteram duxerit: non quia & hoc adulterium non est, sed quia minus est vbi fornicante dimissa, altera ducitur. Nam simili locutione visus etiam Apostolus Iaco-

Iacob. 4 bus ait: *Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* Nunquid ideo non peccatum est illi, qui nescit bonum facere, & ideo non facit? Vtique peccatum est, sed hoc grauius, si etiam sciat, & non faciat. Nec illud ideo nullum, quia minus.

Cap. 11. Restat vt Matthæum intelligamus, à parte totum significare voluisse eandem tamen tenuisse sententiam, non quidem vt dimittens vxorem & alteram ducens, quidam mœchetur, id est, qui præter fornicationem dimiserit: quidam verò non mœchetur, id est, qui propter fornicationem dimiserit: sed omnis, qui dimittit vxorem suam, & ducit alteram, mœchari minimè dubitetur.

Libro 2. *cap.* 5. Sicut enim manente in se Sacramento regenerationis, excommunicatur cuiusquam reus criminis, nec illo Sacramento caret, etiam si nunquam reconcilietur Deo: ita manente in se vinculo fœderis coniugalis, vxor dimittitur ob causam fornicationis, nec carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro: carebit autem si mortuus fuerit vir eius. Reus verò excommunicatus ideo nunquam carebit regenerationis Sacramento, etiam non reconciliatus, quoniam nunquam moritur Deus. Remanet itaque, vt si sapere secundùm Apostolum volumus, non dicamus virum adulterum pro mortuo deputandum, & ideò licere vxori eius alteri nubere. Quamuis enim sit mors adulterium, non corporis, sed quod peius est, animæ: non tamen de ista morte loquebatur Apostolus, cùm dicebat: *Quod si mortuus fuerit vir eius,* 1. Cor. 7
cui vult, nubat: sed de illa sola, qua de corpore exitur. Quoniam si per coniugis adulterium coniugale soluitur vinculum, sequitur illa peruersitas, quam cauendam esse monstraui, vt & mulier per impudicitiam soluatur hoc vinculo: quæ si soluitur, libera erit à lege viri. Et ideo quod insipientissimè dicitur, non erit adultera, si fuerit cum altero viro, quia per adulterium liberata est à priori viro. Quod si ita est à veritate deuium, vt nullus id, non dico Christianus, sed humanus sensus admittat, profectò mulier alligata est quamdiu vir eius viuit. Quod vt apertius dicam, quamdiu vir eius in corpore est. Pari ergo forma & vir alligatus est, quamdiu mulier eius in corpore est. Vnde si vult dimittere adulteram, non ducat alteram, ne quod in illa culpat, committat. Similiter & mulier si dimittit adulterum, non sibi copulet alterum: alligata est enim quamdiu vir eius viuit, nec à lege viri nisi mortui liberatur, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro.

Cap. 9. Et quid ad nos, si nec saltem diuina miseratione mundata, marito reconcilietur à Deo adultera, dum tamen non reconciliatis adulteris, non alia fiant quasi connubia, quæ conuincuntur esse adulteria? *Mulier enim alligata est viro quam-* 1. Cor. 7.
diu vir eius viuit. Ergo consequenter & vir alligatus est, quamdiu mulier eius viuit. Hæc alligatio facit, vt alijs coniungi sine adulterina copulatione non possint. Vnde necesse est ex duobus coniugibus quatuor adulteros fieri, si & illa adultero nupserit, & ille adulteram duxerit. Quamuis enim sceleratius mœchatur, qui non causa fornicationis vxore dimissa alteram duxerit: quod genus adulterij commemorauit Matthæus: tamen non solùm ipse mœchatur, sed, sicuti est apud Marcum: *Qui-* Mar. 10.
cunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur: & sicut est apud Lucam: *Omnis, qui dimittit vxorem suam, & du-* Luc. 16.
cit alienam, mœchatur: & qui dimissam à viro duxerit, mœchatur.

Libro quinquaginta Homiliarum, Homil. 49. *cap.* 2. Non vobis licet habere vxores, quarum priores mariti viuunt. Nec vobis fœminæ habere viros licet, quorum priores vxores viuunt. Adulterina sunt ista coniugia, non iure fori, sed iure cæli. Nec eam fœminam, quæ per repudium discessit à marito, licet vobis ducere viuo marito. Solus forni-

fornicationis causa licet vxorem adulteram dimittere, sed illa viuente non licet alteram ducere. Et vobis fœminæ nec illos viros, à quibus per repudium discesserunt vxores eorum, maritos habere conceditur. Non licet, adulteria sunt, non coniugia. Contemnitur Augustinus, timeatur vel Christus.

Innocentius Primus. 406.

Epistola 3. ad Exuperium cap. 6. De his etiam requisiuit dilectio tua, qui interueniente repudio, alij se matrimonio copularunt, quos in vtraque parte adulteros esse manifestum est. Qui verò vel vxore viuente, quamuis dissociatum videatur esse coniugium, ad aliam copulam festinârunt, neque possunt adulteri non videri, in tantùm, vt etiam hæ personæ, quibus tales coniuncti sunt, etiam ipsæ adulterium commisisse videantur, secundùm illud, quod legimus in Euangelio: *Qui dimiserit vxorem suam, & duxerit aliam, mœchatur.* Et ideo tales omnes à communione fidelium abstinendos. Matt. 19.

Concilium Mileuitanum. 410.

Canone 17. Placuit, vt secundùm Euangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito, alteri coniungantur: sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. In qua causa legem imperialem petendam promulgari.

Primasius. 540.

Ad cap. 7. prioris ad Corinthios: Hic propriè loquitur ad coniugatos, ne dimitterent vxores, & alias ducerent, aut pulchras, aut diuites, sicut faciebant Iudæi. *Vxorem à viro discedere:* Si quis dimiserit vxorem, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari. *Quòd si discesserit, manere innuptam.* Non ita discedere, vt alij nubat: si ob aliquam causam discesserit, alij non nubat.

Isidorus Hispalensis. 620.

De Ecclesiasticis officijs libro secundo cap. 17. *Præcipio,* inquit Apostolus, *non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere.* Prohibet enim dimitti quacunque ex causa, ne alijs coniungantur secundùm consuetudinem Iudæorum, quam Dominus interdixit, dicens: *Quicunque dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, & aliam duxerit, mœchatur, &c.* Quid ergo, si sterilis est, si deformis, si ætate vetula, si temulenta, si malis moribus, si luxuriosa, si gulosa, si fatua, si vaga, si iuratrix & maledica? tenenda est, velis nolis, & qualiscunque accepta est, habenda. Cùm enim esses liber, sponte te seruituti subiecisti, cumque habet quis vxorem, vt ait Lanctantius, neque seruam, neque liberam habere poterit, vt matrimonij fidem seruet: neque enim, vt iuris publici ratio est, sola mulier adultera est, quæ virum habens ab altero polluitur, & maritus, si alteram habeat, à crimine adulterij alienus habetur, dum diuina lex duos in vnum matrimonij corpus coniunxerit, vt adulter sit, quisquis compagem corporis in diuersa distraxerit.

Concilium Anglicanum. 670.

Cap. 10. Nulli liceat, nisi legitimum habere connubium: nullus incestum faciat: nullus coniugem propriam, nisi, vt sanctum Euangelium docet, fornicationis causa relinquat. Quòd si quisquam propriam expulerit coniugem, legitimo sibi matrimonio coniunctam, si Christianus esse rectè voluerit, nulli alteri copuletur; sed ita permaneat, aut propriæ reconcilietur coniugi.

Beda. 700.

In caput decimum Marci: *Quicunque dimiserit vxorem.)* In Matthæo plenius scriptum est: *Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Vna ergo solummodò causa carnalis, fornicatio: vna spiritualis, timor Dei, vt vxor dimittatur, sicut multi religionis causa fecisse leguntur. Nulla autem causa est Dei lege præscripta, vt viuente ea, quæ relicta est, alia ducatur.

Carolus Magnus. 780.

Lib. 6. Legum cap. 87. Nullus coniugem, nisi, vt sanctum Euangelium docet, fornicationis causa relinquat: quòd si quis propriam expulerit coniugem, legitimo sibi matrimonio iunctam, si Christianus esse rectè voluerit, nulli alteri copuletur: sed aut ita permaneat, aut propriæ reconcilietur coniugi.

Concilium Foroiuliense. 790.

Cap. 10. Item placuit, vt resoluto fornicationis causa iugali vinculo, non liceat viro, quamdiu adultera viuit, aliam vxorem ducere, licet sit illa adultera: sed nec adulteræ, quæ pœnas grauissimas, vel pœnitentiæ tormentum luere debet, alium accipere virum, nec viuente, nec mortuo, quem non erubuit defraudare, marito. Nam etsi legatur in sacris Euangelicis paginis, sola fornicationis causa dixisse Dominum, dimittere virum vxorem suam: non tamen legitur concessisse aliam viuente illa in coniugio sibi sociare, prohibuisse quidem modis omnibus non ambigitur. Ait enim: *Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit mœchatur.* Qua de re ita definire prospeximus, vt iuxta eiusdem Domini mellifluam vocem, nemo hæc interdicta violator inculcare præsumat. Sed quoniam in medio ambiguus interponitur sermo, id est, *nisi ob fornicationem:* quæri nimirum potest, vtrum ad solam licentiam dimittendi vxorem, qui dimiserit vxorem, nisi ob fornicationem, an etiam ad vtrumque dictum refertur, hoc est, ad aliam viuente illa accipiendam, quasi dixerit: *Qui dimiserit vxorem suam, & aliam, nisi ob fornicationem, duxerit, mœchatur.* Et idcirco peritissimi viri B. Hieronymi libellum commentariorum recenseri nobis studiosè mandauimus, anxiè vtique cognoscere festinantes, qualiter idem famosissimus Doctor hæc sacrata Dominica verba, iuxta capacioris ingenij sui subtilitatem, sensisse monstraretur. Cuius nimirum sensum sagaciter explorantes, in promptu nihilominus patuit ad solam dimittendi vxorem licentiam pertinere. Nam cùm more suo vir sanctus huius capituli summatim seriem exponendam transcurreret, inter cætera & post pauca sic ait: Et quia poterat (inquit) accidere, vt aliquis calumniam faceret innocenti, & ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret, sic priorem dimittere iubetur vxorem, vt secundam prima viuente non habeat. Non enim debet imitari malum adulteræ vxoris, & si illa duo, imò vnam carnem per scissuras fornicationum diuisit in tres, diuidat in quatuor. Vnde patenter datur intelligi, quamdiu viuit adultera, non licet viro, nec potest impunè secundas contrahere nuptias. Matt. 5. & 19.

Haymo. 820.

Ad cap. 7. prioris ad Corinthios: *His, qui in matrimonio sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, excepta causa fornicationis. Quòd si discesserit causa fornicationis, innupta maneat, aut viro suo reconcilietur.*

Rabanus Maurus. 850.

Apud Nicolaum Gorranum Matth. 19. Vna solummodò carnalis est causa, id est, fornicatio: vna spiritualis, id est, timor Dei, vt vxor dimittatur. Nulla autem causa est, vt viuente ea, quæ relicta est, alia

ducatur. Prouerb.18. *Qui tenet adulteram, stultus est, & insipiens.*

Nicolaus Primus. 860.

Epistola 59. Exquiritis, si dimissa vxore, quam legitimè sponsatam quis duxerit, (quia nomen malum postmodum ei imposuit) absque decreto generalis Synodi, liceat ei aut aliam accipere contra auctoritatem Euangelicam; aut illa superstite, pro vxore concubinam habere: quibus nos, Apostolica auctoritate fulti, secundùm Euangelicam sanctionem omninò resistimus, & nec aliæ vxoris copulam eis, qui talia agunt, dimissa superstite, habere concedimus, neque concubinam habendi licentiam tribuimus.

Ioannes Octauus. 870.

Epistola 85. His autem, quos asseris vxores proprias contra præceptum Domini relinquere, præcipimus, neque virum ab vxore, neque vxorem à viro, nisi causa fornicationis discedere: quòd si ob hoc discesserit, manere innuptum, vel innuptam, aut sibi mutuò reconciliari: quoniam dicente Domino: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* & ideo
Matt.19. cùm priorem legitimo sibi matrimonio iunctam quisquam deserere nequeat, nulla ratione illi prorsus conceditur aliam, viuente priore, conducere: quod si fecerit, & non emendare sub satisfactione studuerit, ab Ecclesiæ consortio maneat separatus.

Epistola 198. Hoc etiam cum illis pariter iubemus, vt nullus propriam relinquat vxorem, & illa viuente alteram sibi sociare præsumat.

Concilium Triburiense. 895.

Cap. 46. Maritus, quamdiu ipsa (*vxor adultera*) viuat, nullo modo alteram ducat.

Concilium Nannetense. 900.

Cap. 12. Si cuius vxor adulterium perpetrauit, & hoc à viro deprehensum fuerit & publicatum, dimittat vxorem, si voluerit, propter fornicationem: illa verò septem annis publicè pœniteat. Vir verò eius, illa viuente, nullatenus aliam accipiat. Quòd si voluerit adulteram sibi reconciliari, licentiam habeat, ita tamen, vt pariter cum illa pœnitentiam agat, & exacta pœnitentia, post septem annos ad communionem vterque accedat. Similis forma & in muliere seruabitur, si eam vir eius adulterauit.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

Ad cap. 5. *Matth.* Præcepit Christus non dimittere vxorem, nisi tantùm excepta causa fornicationis. Si enim ipsa ruperit legem coniugij, potest eam homo à se separare, vt commixtionem illam auferat sibi, quam violauit, sed tamen Sacramentum remanet coniugij, vt non aliam ducat: licitum est eam retinere, si voluerit, iuxta Apostolum, qui iubet aut abstinere, aut reconciliari. Vtrumque enim licitum est.

Ad cap. 7. prioris ad Corinth. *Et vir vxorem non dimittat.*) Subintelligendum est idem de viro, quod de vxore præmissum est, vt si vir vxorem dimiserit ob fornicationem eius, maneat inconiunctus: aut si se non potest continere, reconcilietur vxori suæ, vel correptæ, vel tolerandæ.

Mulier alligata est legi.) Hæc obligatio non soluitur, etiamsi per repudium adultera coniunx à casto coniuge separetur: nec habet licentiam vt alteri nubat, quamdiu siue castus, siue mœchus, vir eius viuit.

Iuo Carnotensis. 1100.

Epistola 152. De Hierosolymitanis, quorum vxores fornicatæ sunt, bene mihi videtur sentire sanctitas vestra: quia secundùm Euangelicam & Apostolicam doctrinam oportet eos aut ad proprias vxores redire, aut eis viuentibus sine vlla carnis commixtione manere, &c. His, *Augustini & Hieronymi*, & alijs eiusmodi auctoritatibus freti, & aliquando apud nos causa fornicationis tale diuortium contigerit, censura Ecclesiastica cogimus separatos vel sibi reconciliari, vel sine spe manere coniugij.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Lib. 2. *in Genesim cap.* 35. Sola fornicationis causa rectè coniugatorum excusantur diuortia, ita tamen vt aut permaneant sic, aut reconcilientur, qui ab inuicem discessère pro huiusmodi causa.

Hugo Victorinus. 1130.

Tractatu 7. *de Sacramentis cap.* 9. Si vir fidelis habet coniugem, neuter eorum, altero viuente, potest alij se legitimè copulare.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. *dist.* 31. Separatio gemina est, corporalis scilicet, & sacramentalis. Corporaliter possunt separari causa fornicationis, vel ex communi consensu causa religionis, siue ad tempus, siue vsque in finem. Sacramentaliter verò separari non possunt dum viuunt, si legitimæ personæ sint. Manet enim vinculum coniugale inter eos, etiamsi alijs à se discedentes adhæserint.

Dist. 35. Si quis autem fornicationis expers fornicariam dimiserit, alij copulari non potest, sed continere oportet, vel ad dimissam redire: sic & de fœmina. Vnde & Apostolus his, qui matrimonio iuncti sunt: *Præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, maneat innupta, aut viro reconciliari, &c.* Ex his ostenditur, quod si causa fornicationis fit separatio, non potest vir vel mulier in aliam transire copulam. Possunt autem reconciliari, & cohabitare.

Alexander Tertius. 1160.

De sponsalibus & matrimonijs c. ex parte: Ex parte mulieris nobis intimatum est, quod Andreas iuramentum præstitit, quod eam ab eo tempore pro coniuge teneret, & ei, sicut vxori suæ, fidem seruaret. Ipsa quoque eidem Andreæ iurauit, se illum pro marito habituram, & fidem ei tamquam viro proprio seruaturam. Quo facto prænominatus Andreas reliquit eandem. Quia igitur nemini licet vxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere, & tunc eam sibi reconciliari debet, aut ipsa viuente continere: Mandamus quatenus eundem, vt superinducta dimissa, ad vxorem suam redeat, & eam maritali affectione pertractet, monitione præmissa per Ecclesiæ censuram cogatis.

De diuortijs cap. Quæsiuit: Mulier pro furto vel alio crimine viri sui (nisi fidei suæ religionem corrumpere velit) separari non debet, verùm si coniugem suam ad infidelitatis maleficium traxerit, à viro poterit separari, ita quòd ei nubere alij non licebit: quia licet separentur, semper tamen coniuges erunt. In viris quoque præsentis sententiæ forma seruetur.

Innocentius Tertius. 1200.

De contemptu mundi lib. 1. *cap.* 18. Si fœda, si fœtida, si ægra, si fatua, si superba, si iracunda, si quolibet modo vitiosa, nisi propter solam fornicationem, non potest vxor à viro dimitti. Sed nec dimittens potest aliam ducere, nec dimissa alij potest copulari. Nam quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationis causam, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, mœchatur.

Decret. Constit. lib. 4. *tit. de diuortijs, cap. Gaudemus:* Si vxore dimissa, duci alia de iure non potest, fortius & ipsa retenta: per quod euidenter apparet, pluralitatem in vtroque sexu (cùm non ad imparia iudicentur) circa matrimonium reprobandam. Qui autem secundùm ritum suum legitimam repudiauerit vxorem, cùm tale repudium Veritas in Euangelio reprobauerit, nunquam ea viuente licitè po-

tè poterit aliam etiam ad fidem Christi conuersus habere, nisi post conuersionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso: aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum.

Gulielmus Aluernus. 1230.

Lib. de Sacramento Matrimonij cap. 10. Si fornicata fuerit vxor alicuius, vel innupta maneat, vel viro suo reconciliari procuret. Sciendum tamen, quòd ex hac causa non consueuit diuortium celebrari propter fragilitatem temporum nostrorum, videlicet, ne viri cum mulieribus se polluant, & mulieres amplius fornicentur, &c. Salubrius ergo procurat reconciliationem Ecclesia, & sustinet, quòd adultera ad tempus suspendatur à thoro maritali, vt ista vltione & ipsa erubescens humilietur, atque pœniteat; & ira mariti quiescat.

Vincentius Beluacensis. 1240.

Lib. 9. Speculi histor. cap. 73. Non potest alter alteram dimittere, nisi causa fornicationis: sed si tunc dimittat, maneat sine coniuge, vel reconcilietur.

Albertus Magnus. 1240.

Ad cap. 5. Matthæi: *Et omnis qui dimiserit.* A thoro, non à societate matrimonij: quia illa inuiolabilis, quandiu viuunt legitimi coniuges.

Bonauentura. 1260.

In librum 4. Sentent. dist. 35. quæst. 4. Diuortium potest fieri dupliciter, aut quia personæ erant illegitimæ ad contrahendum ad inuicem, non tamen simpliciter, & tunc vterque potest alteri nubere. Potest etiam fieri propter crimen fornicationis, & tunc non potest contrahere, nec vir, nec mulier. Quia cùm essent personæ legitimæ, fuit inter eos Sacramentum, quod est vinculum insolubile. Vnde diuortium non est separatio, quantum ad vinculum sacramentale, sed quantum ad debitum & cohabitationem.

Richardus de Mediavilla. 1280.

In lib. 4. Sentent. dist. 35. art. 3. quæst. 1. Post diuortium alter coniunx innocens, altero coniuge viuente, nubere non potest alteri: quia nullum impedimentum superueniens matrimonio consummato potest soluere matrimoniale vinculum inter coniuges, quamdiu viuunt. Vnde Apostolus 1. Corinth. 7. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit.* Coniunx autem nocens propter eandem causam alij nubere non potest: etiam quia non congruunt. Si enim alij posset nubere, multis esset occasio adulterandi, vt se transferre possent ad magis desiderata connubia.

Durandus à Sancto Portiano. 1300.

In lib. 4. Sentent. distinct. 36. quæst. 2. Vir dimittens vxorem suam propter fornicationem, non potest alteri nubere: nec vxor dimittens virum propter eandem causam. Cuius ratio duplex est. Prima, quia in noua lege non licet vni viro plures vxores habere: sed istud sequeretur, si viro dimittenti vxorem liceret alteram ducere. Probatio minoris: Vinculum matrimonij non tollitur per sententiam diuortij. Dicit enim Augustinus: Inter viuentes manet coniugale vinculum, quod nec separatio, nec cum alia iunctio potest auferre. Separatio enim matrimonij, quantum ad vinculum, non potest esse, nisi per præcedens impedimentum, quod reddit sequens matrimonium nullum, licet separatio, quoad cohabitationem & thorum, possit esse per fornicationem, manente vinculo matrimonij, & hoc fit per diuortium.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 5. Matthæi: Non erat licitum dimittere vxorem, nisi propter fornicationem: tunc enim licitum est dimittere quantum ad cohabitationem, & debiti redditionem: manet tamen vinculum per totam vitam. Et ideo dicit, quòd si dimissa nubat alteri, committit adulterium, & similiter qui eam duxerit.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 1. cap. 34. Fornicationis causa licitum est vxorem dimittere, quantum ad cohabitationem, & debiti redditionem: manet tamen vinculum matrimonij per totam eorum vitam, & ideo si dimissa nubat alteri, committit adulterium, & similiter qui ducit eam.

Guido Carmelita. 1330.

De erroribus Græcorum cap. 10. Vir non potest vxorem dimittere pro libito voluntatis, sicut Græci delirant: sed tantùm ob causam fornicationis: nec tunc dimittit, nisi quoad thorum, ne commiscendo cum adultera, consentire vxoris adulterio videatur: sed non obstante thori separatione, manet inter eos verum matrimonium & coniugium, sic, quòd, vt dicit Saluator, si vir vxore fornicaria viuente aliam duxerit, mœchabitur. Vxor etiam, licet quoad thorum dimissa, non potest viro suo viuente alteri nubere, imò qui eam duxerit, mœchabitur: quia non suæ vxori commiscetur, sed adulteræ.

Thomas Argentinensis. 1360.

Lib. 4. dist. 25. & 26. quæst. 1. artic. 1. Facto diuortio inter coniuges, neuter eorum viuente altero potest cum alia persona de nouo contrahere matrimonium. Quia quamuis sententia diuortij se extendat ad separationem thori & habitationis, tamen non extendit se ad dissolutionem vinculi matrimonialis, cuius vinculi ligamen prohibet nouum matrimonium contrahendum, & dirimit de nouo contractum.

Nicolaus Gorranus. 1380.

Ad cap. 19. Matthæi: Separatio coniugij intelligitur dupliciter: vel quoad vinculum, & sic non separantur fideles legitimè coniuncti: vel quoad thorum, & sic possunt separari, vel ex communi consensu, propter diuinum seruitium: vel propter superueniens alterius peccatum, & tunc homo non separat, sed Deus. Rabanus: Vna solummodò carnalis est causa, id est, fornicatio: vna spiritualis, id est, timor Dei, vt vxor dimittatur. Nulla autem causa est, vt viuente ea, quæ relicta est, alia ducatur. Prouerb. 18. *Qui tenet adulteram, stultus est & insipiens.*

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa Theologica libro 4. de Sacramento Matrimonij: Vir potest vxorem suam dimittere ex causa adulterij, hoc quantum ad thorum: non tamen potest alteri nubere. Quia vinculum matrimonij perpetuum manet inter virum & vxorem, quamdiu vixerint.

Concilium Ferrariense. 1439.

Tractatu de Sacramentis: Tertium bonum matrimonij est indiuisibilitas, propter hoc, quòd significat indiuisibilem coniunctionem Christi & Ecclesiæ. Quamuis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est: cùm matrimonij vinculum legitimè contractum perpetuum sit.

Dionysius Carthusianus. 1460.

Ad cap. 19. Matthæi: Quocunque modo separentur coniuges, vinculum matrimonij manet altero viuente.

Ad cap. 7. prioris ad Corinth. Sicut vir potest in adulterio deprehensam apud se spe correctionis tenere: sic potest repulsam ad thorum amicitiamque recipere. Quamuis autem matrimonium soluatur per fornicationem quantum ad thorum, non tamen quantum ad vinculum.

ARTICVLVS QVARTVS.

COGNATIONEM SPIRITVALEM CONTRAHI IN BAPTISMO, ET MATRIMONIVM IMPEDIRE.

NEGANT.

Anno post natū Christū 1520. MARTINVS Lutherus de captiuitate Babylonica capite de Matrimonio: *Debent ista nugæ compaternitatum, commaternitatum, confraternitatum, & confilietatum, prorsus extingui contracto matrimonio. Quis enim istam cognationem spiritualem inuenit, nisi superstitio humana? Si non licet baptizanti aut leuanti baptizatam aut leuatam ducere, cur licet Christiano Christianam ducere? An est maior cognatio ista ex cæremonijs seu signo Sacramenti contracta, quàm quæ ex reipsa Sacramenti? Vide itaque quàm sit libertas Christiana per cæcitatem humanæ superstitionis oppressa.*

1530. Vldaricus Zvvinglius epistola ad Heluetios: *Luce clarius constat, matrimoniorum religionem compaternitatis vincula impedire non posse.*

1540. Philippus Melanchthon in Locis communibus cap. de Coniugio: *Prohibitiones de cognatione spirituali prorsus reijciendæ sunt. qualis est, ne quis ducat eam, cuius baptismo adfuit.*

1560. Theodorus Beza de diuortijs: *Morem istum sponsoris cuiuspiam in baptismo adhibendi, qui & de natalibus baptizandi testetur, & sanctam eiusdem educationem promittat, non modò non improbo, verùm etiam vt laudabilem studiosè retinendum arbitror: sed quòd inde quæpiam contrahatur affinitatis species, & ea quidem matrimonium veluti incestuosum, & in posterum impediens, & iam consummatum dirimens, non modò absurdum, verùm etiam superstitiosum est commentum, quod vix possit melius, quàm ex ea ratione intelligi, qua potissimum nituntur.*

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Concilium Nicænum. 325.

Canone 21. Arabico: Nemo fidelium cum patre aut cum matre spirituali matrimonium contrahat, id est, cum patrinis, aut matrinis: & qui hoc commiserit, habeatur tanquam ethnicus, quousque separentur, & spatio viginti annorum pœnitentiam sui peccati agant.

Canone 23. Neque vir det filio suo in matrimonium eam, quam vxor sua tenuit in baptismo, neque mulier det filiam suam in matrimonium ei, quem maritus tenuit in baptismo: quia isti habentur vt fratres & sorores spirituales: & eorum pater & mater similiter vt pater & mater spirituales.

Concilium Chalcedonense. 453.

Apud Gratianum 30. q. 4. Si pater & filius, aut duo fratres cum vna muliere, aut cum duabus sororibus, aut cum duabus commatribus aliquis concubuerit, secundùm antiquam & humaniorem definitionem octo annis pœniteat.

Iustinianus Imperator. 530.

In l. Si quis, C. de Nuptijs: Ea persona omnimodò ad nuptias venire prohibenda, quam aliquis, siue alumna sit, siue non, à sacrosancto suscepit baptismate: cùm nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem, & iustam nuptiarum prohibitionem, quàm huiusmodi nexus, per quem Deo mediante animæ eorum copulatæ sunt.

Apud Theodorum Balsamum in Nomocanonem Photij tit. 13. cap. 5. Qui cum ea, quam è baptismo leuauit, vel sub matrimonij nomine rem habet, vel aliàs clam congreditur cum ipsa, cum qua coijt, nares amputentur ipsis, scilicet prius à se inuicem separatis.

Sexto decreto lib. Imperialis cap. 10. Qui ex sacro baptismate aliquam suscepit, non potest eam postea vxorem ducere, vt quæ eius filia facta sit, sed nec eius matrem, vel filiam. Nihil enim æquè potest paternam affectionem, & iustam matrimonij prohibitionem introducere, vt eiusmodi vinculum, per quod Deo intercedente eorum animæ coniunguntur.

Synodus Trullensis. 710.

Canone 53. Quoniam spiritualis necessitudo, seu affinitas, corporum coniunctione maior est, in nonnullis autem locis nouimus quosdam, qui ex sancto & salutari baptismate infantes suscipiunt, postea quoque cum matribus eorum viduis matrimonium contrahere, statuimus, vt in posterum nihil fiat eiusmodi.

Ioannes Zonaras. 1120.

Tomo 3. Annalium in Nicephoro Phoca: Cùm autem Patriarcha in noua Regiæ Ecclesia nuptialia sacra perageret, & Imperator in sacrarij adytum iam cancellis appropinquaret: non passus eum Patriarcha de more secum ingredi, dixit: Non debere tam confidentem esse, vt sacrarium intraret, nisi prius pœnas subiret repetiti matrimonij. Eam rem ægrè ferens Imperator, Patriarchæ iratus fuit. Sed

deinde rumore vulgato, eum etiam Theophanonis liberos è sacro baptismate suscepisse: ab eodem omni consecrato solo est prohibitus, postulante, vt aut diuortium faceret, aut procul à sacris facesseret. Verùm ille Theophanone non abstinuit, flagrante adhuc amore, sed quæstionem ad summos sacerdotes, & Senatus principes retulit: qui responderunt: Eum Canonem, qui à Copronymo homine impio constitutus esset, valere non oportere, scriptoque ratum eius matrimonium habuerunt. Sed Patriarcha suum propositum vrgebat, donec Imperatoris pater Bardas Cæsar iureiurando negauit, Theophanonis liberos ab illo ex baptismate susceptos esse: & Regiæ Protopapa Stylianus, qui cum rumorem princeps vulgasse ferebatur, se ea de re neque scire quicquam, nec dixisse ad quenquam in Concilio iurauit. His demum factis, Patriarcha Nicephorum recepit.

Theodorus Balsamon. 1180.

Ad Canonem 53. Synodi Trullensis: Tempore sanctissimi Patriarchæ domini Nicolai in sacro chartophylacio decreto constitutio posita est, quæ habet his verbis: Vir longè clarissimus Gregorius Siccus hodierno die descriptionem attulit, quæ sic habet: Maria habens germanum filium Constantinum, ex diuino & sancto baptismate fuit Irenes susceptrix: genuit Constantinus Theodorum, & Irene Theodoram, & rursus genuit Theodora Annam. Volens ergo Theodorus legitimo matrimonio Annæ coniungi, sciscitatur an hoc fieri liceat. Lectus est ergo in Synodo quinquagesimus tertius sanctæ & vniuersalis Synodi in Trullo Canon, &c.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Innocentius Primus. 406.

Apud Gratianum 30. q. 4. Si quis ex vno coniugio filium aut filiam alterius de sacro fonte susceperit, aut ad Chrisma tenuerit, vel Christianitatis ministerium dederit, ambo & vir, & vxor compatres existunt parentibus infantis: quia vir & mulier caro vna effecti sunt.

Symmachus. 500.

Apud Petrum Lombardum lib. 4. Sentent. distinctione 42. Omnes, quos in pœnitentia suscipimus, ita nostri spirituales sunt filij, vt & ipsi, quos vel nobis suscipientibus, vel sub trinæ mersionis vocabulo mergentibus, vnda baptismi regenerauit.

Gregorius Magnus. 590.

Decreto 4. cum 58. Episcopus facto: Si quis commatrem spiritualem duxerit in coniugium, anathema sit.

Deusdedit. 615.

Epist. ad Gordianum Episcopum Hispalensem: Nullus Christianus suam commatrem in coniugium recipere debet, & qui præsumpserit, anathematis vinculo religetur in perpetuum, nisi pœnitentiam egerit.

Luitprandus Longobardorum Rex. 735.

In legibus Longobardicis titulo 24. §. 6. Præcipimus, vt nullus præsumat vxorem ducere commatrem suam.

§. 7. Sed nec filiam, quam de sacro fonte leuauit.

§. 8. Neque filius eius præsumat filiam ipsius vxorem ducere, qui eum de fonte suscepit, quia spirituales germani esse noscuntur. Et qui hoc malum facere præsumpserit, perdat omnem substantiam suam, & filij, qui de tali illicito matrimonio nascuntur, hæredes esse non debent.

Zacharias Papa. 740.

Apud Gratianum dist. 30. quæst. 3. Pictacium, quod nobis tua veneranda fraternitas obtulit, suscepimus: per quod sciscitari curasti, si liceat filio, cuius pater alterius filiam ex sacro baptismate susceperit, susceptam, id est, spiritualem eius patris filiam (quod dici crudele est) in matrimonium suscipere: quod apud te enormiter dicis contigisse. Sed bene tua sancta fraternitas compertum habet, quod Dominus præcepit per Mosen, dicens: *Turpitudinem patris tui, vel matris tuæ, vel sororis non reuelabis: turpitudo enim tua est.* Cùm ergo à propria consanguinitate iubemur abstinere, magis à spirituali nostri patris filia (omni excusatione aut argumento sepolito) sub nimia districtione nos cauere conuenit, ne in iram diuinæ examinationis incidat, si quis tali facinore mixtus, minimè restrinxerit frœna luxuriæ. Vnde etiam omnes omninò cauendi sunt à tali sceleris commixtione, ne in perpetuum pereant: sed hunc, qui huius perniciosæ temeritatis auctor, animæ suæ salutem despiciens, impio se miscuit matrimonio, per omnia tua fraternitas studeat separare, & pœnitentiæ dignè submittere: quatenus ab æterna erutam damnatione animam eius lucreris.

Carolus Magnus. 780.

Lib. 6. Legum cap. 316. Sciendum est omnibus, quòd coniunctio spiritualis commatris maximum peccatum sit, & diuortio separandum, atque capitali sententia mulctandum, vel peregrinatione perpetua delendum.

Concilium Moguntinum. 813.

Cap. 55. Nullus proprium filium de sacro fonte baptismatis suscipiat, nec filiam, nec commatrem ducat in vxorem, nec illum, cuius filium aut filiam ad Confirmationem duxerit.

Æmoinus. 825.

Historiæ Francorum lib. 3. cap. 6. Et properanti ad aulam occurrit regina, ferens in vlnis paruulam, quam bis (vt ita dicam) generauerat filiam: ad quam Rex, nefandam, inquit, ô regina rem perpetrasti, & regiæ inconuenientem maiestati. Nec potero te habere coniugem, cùm commatris adepta sis nomen. Postea Episcopo, qui puellam baptizauerat, in exilium acto, Reginam cum filia sacro adopertas velamine monasterio retrusit, prædia ac facultates ei tribuens, Fridegundem sibi copulauit.

VValafridus Strabo. 830.

De rebus Ecclesiasticis cap. 18. Pater, vel mater non debet suam suscipere prolem, vt sit discretio inter spiritualem generationem & carnalem. Quòd si casu euenerit, non habebunt deinceps carnalis copulæ ad inuicem consortium, qui in communi filio compaternitatis spirituale vinculum susceperunt.

Nicolaus Primus. 860.

Ad responsa Bulgarorum cap. 2. Ita diligere debet homo eum, qui se suscepit ex sacro fonte, sicut patrem: quinimò quanto præstantior est spiritus carne, quòd illud spiritale est patrocinium, & secundùm Deum adoptio: tanto magis spiritalis pater in omnibus est à spiritali filio diligendus. Marcus enim Euangelista Petri discipulus, & ex sacro fuit eius baptismate filius: quem nisi dilexisset vt patrem, ei non in omnibus obedisset vt filius. Nulla verò inter eos & filios eorum consanguinitas est, quoniam spiritus ea, quæ sanguinis sunt, nescit: *caro enim, secundùm Apostolum, concupiscit aduersus spiritum: & spiritus aduersus carnem:*

nem. Hæc enim inuicem aduersantur. Est tamen alia inter eos gratuita, & sancta communio, quæ non est dicenda consanguinitas, sed potius habenda spiritualis proximitas. Vnde inter eos non arbitramur esse quodlibet posse coniugale connubium: quandoquidem nec inter eos qui natura, & eos qui adoptione filij sunt, venerandæ Romanæ leges matrimonium contrahi permittunt. Siquidem primus institutionum liber, cùm de nuptijs loqueretur, inter cætera: Inter eas, inquit, personas, quæ parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, velut inter patrem & filiam, vel auum & neptem, vel matrem & filium, vel auiam & nepotem, & vsque ad infinitum: & si tales personæ inter se coierint, nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicantur. Et hæc adeò sunt, vt quamuis per adoptionem parentum, liberorumve loco sibi esse cœperint: non possint inter se matrimonio iungi. Itaque eam, quæ mihi per adoptionem filia, aut neptis esse cœperit, non potero vxorem ducere. Et infra: Si quæ per adoptionem soror esse cœperit, quamdiu quidem constat adoptio, sanè inter me & eam nuptiæ consistere non possunt. Si ergo inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio iungit: quanto potius à carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per cæleste Sacramentum regeneratio sancti Spiritus vincit? Longè igitur congruentius filius patris mei, vel frater meus appellatur is, quem gratia diuina, quàm quem humana voluntas, vt filius eius, vel pater meus esset, elegit: prudentiusque ab alterna corporis commixtione secernimur: quoniam Spiritus sanctus sua nos charitate coadunauit, quàm si vel carnalis necessitudo, vel inuicem nos mutabile cuiusdam corruptibilis hominis arbitrium copulasset.

Apud Gratianum d.33. q.2. Si quis cum matre fornicatus fuerit spirituali, anathematis, vt scitis, percutitur ictibus: similiter autem & illum percutere promulgamus, qui cum illa, quam de sacro fonte baptismatis susceperit: aut cum illa, quam ante Episcopum tenuerit, cùm sacro Chrismate fuerit vncta, fornicationis scelus perpetrauerit: legitimam tamen si habuit, non dimittat vxorem.

Concilium Moguntinense sub Arnulpho Imperatore. 887.

Cap. 18. Perlatum est ad nos, quòd quidam Altmannus nomine, sibi commatrem spiritualem ex parochia Arnonis Episcopi scelesto coniugio associasset: sed postea per Sacramenta ab ea separatus, modò iterum eam sibi impia copulatione habet sociatam. Quem quia tale scelus perpetratum habere audiuimus, secundùm constitutionem sancti Gregorij Papæ gladio spirituali percutimus, eumque anathematis vinculo innodamus.

Concilium Triburiense. 895.

Cap. 47. Qui spiritalem habet compatrem, cuius filium de lauacro sacri fontis accepit, & eius vxor commater non est, liceat ei defuncto compatre suo eius viduam ducere in vxorem, si nullam habent consanguinitatis propinquitatem. Quid enim? Nunquid non possunt coniungi, quos nulla proximitas carnalis, vel in id generatio secernit spiritalis?

Cap. 48. Si quis suæ spiritalis commatris filiam fortuitò, & ita contingente rerum casu, in coniugium duxerit, consilio maturiori seruato habeat, atque honestè legitimo coniugio operam det.

Alexander Tertius. 1059.

De cognatione spirituali titulo 11. lib. 4. cap. 1. Vtrum autem filij aut filiæ ante vel post compaternitatem geniti possint ad inuicem copulari, Canones secundùm diuersorum locorum consuetudines contrarij inueniuntur. Et licet primus Canon exinde editus natos post compaternitatem ad inuicem copulari prohibeat: alter tamen Canon posterius editus, primum videtur corrigere, per quem statuitur, vt siue ante, siue post compaternitatem geniti sunt, simul possint coniungi, excepta illa persona duntaxat, per quam ad compaternitatem venitur. Vnde nobis videtur, vt secundùm posteriorem Canonem debeat obseruari: nisi consuetudo Ecclesiæ, quæ scandalum generet, aliter se habere noscatur.

Anselmus. 1080.

In Elucidario: Commatres & filiolæ ideo nobis in copula interdicuntur, quia nobis spiritualiter in Sacramento coniunctæ noscuntur: & indignum iudicatur, vt de spirituali ad carnale descendatur.

Urbanus Secundus. 1090.

Apud Gratianum dist.30.q.4. Quòd vxor cum marito in baptismate simul non debeat suscipere puerum, nulla auctoritate reperitur prohibitum: sed vt puritas spiritualis paternitatis ab omni labe, & infamia conseruetur immunis, dignum esse decernimus, vt vterque in simul ad hoc aspirare minimè præsumant. Quia verò peculiare flagitium commisit, qui duabus commatribus, velut duabus sororibus, nupsit, magna iuxta modum culpæ pœnitentia sibi debet iniungi.

Paschalis Secundus. 1100.

Apud Gratianum dist. 30. q.4. Post vxoris obitum cum commatre vxoris viri superstitis coniugio copulari nulla videtur auctoritas vel ratio prohibere. Neque enim cognationi carnis cognatio spiritus comparatur: neque per vnionem carnis ad vnionem spiritus transitur.

Ivo Carnotensis. 1100.

Sermone de Sacramentis Neophytorum: Docendus est vnusquisque Christianus, vt eum, qui se de sacro fonte suscepit, ita diligat sicut patrem, nec filius cum filia, nec filia cum filio patris sui spiritualis coniugium ineat, quod non esset dicendum coniugium, sed potius incestum contubernium.

Hugo Victorinus. 1130.

Tractatu 7. de Sacramentis cap. 12. Sicut autem non licet fieri coniugium in carnali cognatione, ita nec in spirituali. Est autem spiritualis cognatio inter compatrem & commatrem, & inter eos, quorum vnus alterum de sacro fonte leuauit, vel in catechizatione, aut in Confirmatione tenuit. Est etiam spiritualis cognatio inter filios eiusdem hominis carnales & spirituales: spirituales autem filij sunt, qui de sacro fonte leuantur, vel in catechizatione, vel in Confirmatione tenentur. Quod autem compater vel commater inter se iungi nequeant, nec pater spiritualis suæ filiolæ, nec mater spiritualis suo filio: monstratur ex Concilio Moguntinensi his verbis, *&c. vt supra.*

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. dist. 42. Spiritualis proximitas est inter compatrem & commatrem, & inter eos, quorum vnus alterum de sacro fonte leuauit, vel in catechizatione aut Confirmatione tenuit, &c. Ex his apparet, quòd aliquis filiolam suam vel commatrem non potest sibi copulare nuptialiter, & si præsumptum fuerit, separandi sunt.

Hildegardis. 1160.

Visione 4. secundæ partis cap. 10. Qui in hac vnctione Spiritus sancti sic vncto adhæserunt, in seculari procreatione illi non coniungantur: quia in Spiritu sancto ei copulati sunt. Quid hoc? Fides portat hominem ad hanc vnctionem: & ideo qui

illum

illum tunc in manibus tenet, fidem designat, quæ carnalia non quærit, sed semper ad spiritualia tendit.

Clemens Tertius. 1190.

De cognatione spirituali libro 4. titulo 11. cap. 4. Martinus Bertam duxit vxorem, Thebergam sibi copulauit Lotharius, qui Bertæ & Martini filium de sacro fonte suscepit. L. verò & B. sublatis de medio, M. cum T. præfata contraxit. Nos autem consultatis TT. duximus respondendum, quòd cùm secundùm verbum Domini vir & mulier efficiantur per connubium vna caro, liquidum est Thebergam nec posse matrimonialiter copulari Martino, qui compater eius fuerat, cum quo vna caro Theberga noscitur extitisse.

Innocentius Tertius. 1206.

De cognatione spirituali libro 4. titul. 11. cap. 3. Veniens ad Apostolicam sedem C. Anglicus. Et infra: Mandamus quatenus si constiterit H. mulierem prædicti viri filium de sacro fonte leuasse, antequam eam desponsasset vxorem, vos inter eos diuortium appellatione proposita celebretis.

Idem: Tua nos duxit discretio consulendos, an natus ante compaternitatem filium compatris sui, vel commatris sibi possit matrimonialiter copulare? & si contraxit, an debeant separari, & an conscij talis matrimonij teneantur illud in publico accusare. Super quo respondemus, quod huiusmodi personæ non possunt matrimonium contrahere, & si contraxerint, possunt ab inuicem separari: & qui contractum sciuerint, debent Ecclesiæ illud nuntiare.

Gregorius Nonus. 1222.

Ibidem cap. 8. Ex literis vestris accepimus, quòd cùm Martha mulier coram officiali Cantuariensi Alarem peteret in virum, & se affidatam ab eo, & carnaliter cognitam per testes idoneos probauisset: dictorum tandem testium dispositionibus publicatis, idem A. excipiendo proposuit, quòd eam habere non poterat in vxorem, pro eo quòd ipsum pater mulieris eiusdem, qui sacerdos extitit, & baptizauit. Sed cùm idem officialis exceptione huiusmodi non admissa, definitiuam tulerit sententiam contra ipsum, & idem ad Sedem Apostolicam appellarit: mandamus quatenus si ita est, eundem A. super hoc ab impetitione mulieris absoluatis, ipsius eidem mulieri perpetuum silentium imponentes.

Vincentius Beluacensis. 1240.

Speculi historialis libro 8. cap. 79. Duo sunt species compaternitatis: vna directa, scilicet cùm ego suscipio de sacro fonte filium Berthæ, vel ipsa meum: & istam nunquam potero in vxorem habere. Alia indirecta, quando scilicet vnus coniugum, postquam sunt vna caro effecti, filium aliorum suscipit. In hoc enim casu ambo parentes infantis compatres efficiuntur, etiam alteri coniugum, qui non suscipit: quoniam communicant sibi côiuges actiones. Tam directa, quàm indirecta compaternitas matrimonium impedit contrahendum, & dirimit iam contractum. Solet autem quæri, an aliquis duos commatres possit habere in vxores, vnam post aliam? sed refert, vtrum commaternitas præcedat matrimonium, vel sequatur. Si præcedit matrimonium, vel saltem carnalem copulam, licitè potest: quia per vnionem carnis sequentem non transitur ad vnionem spiritus præcedentem. Si verò sequitur, distinguitur. Et ipsa distinctio his quatuor versiculis comprehenditur.

Quæ mihi, vel cuius mea natum fonte leuauit:
Hæc mea commater, fieri mea non valet vxor.
Si qua mea natum non ex me fonte leuauit,
Hanc post fata mea non inde vetabor habere.

Nunc videndum est de paternitate, quæ attenditur inter suscipientem, & susceptum. Nunquam enim potest esse matrimonium inter tales. Similiter nec laicus, nec clericus in minoribus ordinibus constitutus potest matrimonium contrahere cum illa, quam suis manibus baptizauit. De fraternitate spirituali sciendum est, quòd omnes filij duorum côpatrum, siue ante compaternitatem geniti sint, siue postea, possunt legitimè matrimonialiter copulari, excepta illa persona, qua mediante compaternitas est contracta. Nam ista persona nunquam potest copulari alicui filiorum patris sui spiritualis. Quæritur autem si sacerdotis filius, vel alterius viri, qui baptizauit puellam, possit côtrahere cum ea, quam baptizauit pater eius. Respondeo: Nequaquam. Imò etiam si côtractum fuerit matrimonium, separandum est. De tribus etiam speciebus cognationis spiritualis dantur tres regulæ. Prima est, quòd vir & mulier spirituali proximitate sibi coniuncti non possunt inter se contrahere. Secunda est, quòd compater & commater cum filijs compatris vel commatris possunt contrahere, excepta illa persona, propter quam contracta est spiritualis proximitas. Tertia est hæc, filij, vel filiæ compatrum vel commatrum possunt inter se contrahere, exceptis personis illis, propter quas contracta est spiritualis proximitas. Per tria verò Sacramenta tantùm spiritualis cognatio contrahitur, scilicet per Catechismum, Baptismum, & Confirmationem. Illa tamen, quæ contrahitur per Catechismum, adeò exilis est & inualida, quòd vix impediat matrimonium contrahendum: nunquam autem dirimat contractum.

Thomas Aquinas. 1250.

Parte 3. q. 56. art. 1. Sicut per carnalem propagationem homo accipit esse naturæ: ita per Sacramenta accipit esse spirituale gratiæ. Vnde sicut vinculum, quod ex carnis propagatione contrahitur est homini naturali, in quantum est res quædam naturæ: ita vinculum, quod contrahitur ex Sacramentorum susceptione, est aliquo modo naturale alicui, in quantum est membrum Ecclesiæ. Et ideo sicut carnalis cognatio impedit matrimoniũ, ita spiritualis ex Ecclesiæ statuto. Tamen distinguendum est de spirituali cognatione, quæ aut præcessit matrimonium, aut sequitur: si præcessit, impedit contrahendum, & dirimit contractum: si sequitur, tamen non dirimit vinculum matrimonij. Sed quantum ad actum matrimonij est distinguendum: quia aut spiritualis cognatio inducitur causa necessitatis, sicut pater baptizat filium in articulo mortis, & tunc non impedit actum matrimonij ex neutra parte. aut inducitur extra casum necessitatis ex ignorantia, tamen tunc, si ille, ex cuius actu inducitur, diligentiam adhibuit, est eadem ratio sicut & de primo: aut de industria, extra casum necessitatis, & tunc ille, ex cuius actu inducitur, amittit ius petendi debitum, sed tamen debet reddere, si petat: quia ex culpa eius non debet aliquod incommodum alius reportare, &c. Quantò aliquod vinculum sanctius, tantò magis est custodiendum: sed vinculum spirituale est sanctius, quàm corporale. Cùm ergo vinculum propinquitatis corporalis matrimonium impediat, videtur etiam quòd cognatio spiritualis idem faciat, &c.

Bonauentura. 1260.

In 4. Sent. dist. 42. q. 1. Spiritualis cognatio est, & esse debet, & hoc propter conformitatem spiritualium ad carnalia. Sicut enim est carnalis generatio, in qua est vinculum, & quidam amor naturalis: sic & spiritualis regeneratio per Sacramenta aliqua, & per illam similiter aliquod vinculum acquiritur, & amor spiritualis, & ideo in illis Sacramentis præcipuè contrahitur, in quibus est re-

generatio.

Digitized by Google

generatio. Quoniam igitur dispositio ad regenerationem est in catechismo, regeneratio in Baptismo, regenerationis consummatio in Confirmatione, hinc est, quòd in his tribus, secundùm communem opinionem, contrahitur cognatio. Sed tamen quia in Catechismo non est vera regeneratio, ideo non contrahitur ibi vera cognatio, nec alligatio fortis, sed adeò exilis, vt non dirimat matrimonium iam contractum, & vix impediat contrahendum.

Quest. 2. Cognatio spiritualis potest sequi, aut præcedere matrimonium. Si sequatur, generaliter verum est, quòd non potest infringere matrimonij vinculum: sed tamen quantum ad ius soluendi debitum: quia hoc aut factum est necessitate, vt puta, quando paruulus est in periculo mortis, & non est qui baptizat eum: aut ex ignorantia, aut ex industria. In primo casu simpliciter non admittit ius petendi, nec soluendi. In secundo casu similiter, si fit diligentia, non admittit. In tertio casu admittit ius petendi, qui facit hoc, tamen, quia non debet peccatum suum alteri imputari, tenetur reddere, &c.

Richardus de Media villa. 1280.

In lib.4. Sentent. distinct. 42. artic. 1. questione 1. Sicut homo per carnalem generationem accipit esse naturæ: ita per generationem spiritualem accipit esse gratiæ. Et sicut per generationem carnalem contrahit generatus cum parentibus quoddam vinculum, quod vinculum est cognatio carnalis: ita per regenerationem spiritualem contrahit quoddam vinculum cum dante Sacramentum regenerationis, qui est spiritualis pater, personam Dei repræsentans, & cum tenentibus ipsum, dum suscipit Sacramentum, qui repræsentant matrem spiritualem, scilicet Ecclesiam, & illud vinculum est cognatio spiritualis. Vnde spiritualis cognatio est proximitas quædam personarum, proueniens ex datione Sacramenti, vel tentione ad illud, & hæc proximitas si præcedit contractum matrimonij, impedit contrahendum: vel dirimit, si postea contrahatur, de facto.

Bonifacius Octauus. 1300.

*Sexto Decretalium lib.4. tit.3. de cognatione spirituali cap.*1. Nedum inter baptizatum & illum, qui eum suscepit de baptismo, ac inter eundem baptizatum & suscipientis filios & vxorem, ante susceptionem carnaliter cognitam ab eodem: imò etiam inter suscipientem, patremq; baptizati, & matrem, cognationem spiritualem in baptismo contrahi, iure constat. Quæ cognatio & contrahendum matrimonium impedit, & dirimit post contractum. Ex Confirmatione quoque, seu frontis Chrismatione, spiritualis cognatio eisdem modis contrahitur, matrimonia similiter impediens contrahenda, & dirimens post contracta.

Ioannes Scotus. 1300.

*In lib.4. Sentent. dist. 42. quest.*1. Cognatio spiritualis est quoddam vinculum contractum ex dispensatione Sacramentorum, specialiter Baptismi & Confirmationis.

Hugo Pratensis. 1310.

Sermone 18. Cognatio spiritualis contrahitur in Baptismo & Confirmatione, vt quando tenes filiam alicuius ad Baptismum, vel Confirmationem, tunc tu illam non potes accipere, nec aliquis filiorum tuorum.

Guido Rochèrius. 1330.

In Manipulo Curatorum de Sacramento Matrimonij: Cognatio spiritualis est propinquitas proueniens ex Sacramenti datione vel susceptione, verbi gratia, sacerdos baptizat puerum, tu suscipies eum, vterque vestrum pater est spiritualis pueri, & estis compatres.

Thomas Argentinensis. 1350.

In lib.4. Sentent. distinct.41. & 42. questione 1. *art.*3. Spiritualis cognatio tres habet species: quarum vna dicitur paternitas spiritualis: & hæc attenditur inter patrem spiritualem, & filium spiritualem. Est autem pater spiritualis, quantum ad præsens, ille, qui baptizat, & ille, qui suscipit baptizatum de baptismo: ac Episcopus, qui confirmat, & ille, qui tenet eum, qui confirmatur coram Episcopo. Filius autem spiritualis dicitur ille, qui baptizatur, vel confirmatur. Secunda species est compaternitas, & hæc attenditur inter parentes carnales ipsius baptizati vel confirmati, & iam dictos patres spirituales eiusdem. Tertia species dicitur fraternitas spiritualis, & hæc attenditur inter filium spiritualem, & filios carnales sui patris spiritualis. Vnde omnes filij baptizantis, & omnes filij suscipientis aliquem de baptismo, sunt fratres spirituales illius, qui baptizatur & suscipitur de baptismo. Quantum ad primum, sciendum, quòd pater spiritualis non potest contrahere matrimonium cum filia spirituali, nec mater spiritualis cum filio spirituali: dato quòd contrahant, est penitus dirimendum. Hic tamen nota, quòd si pater spiritualis contrahat cum sorore suæ filiæ vel filij spiritualis, tale matrimonium non est dirimendum.

Ioannes Gerson 1420.

In Summa Theologica tit.4. de Sacramento Matrimonij. Quæritur vtrum baptizans possit contrahere matrimonium cum illa, quam baptizauit. Dicendum est, quòd non: quia est filia sua spiritualis, sicut illa, quam suscepit de sacro fonte. 30. quæstiones omnes, & per Mag. 41. distinct. 4. Quæritur an filius sacerdotis poterit contrahere cum illa, quam pater suus baptizauit? Dicendum est, quòd non, & matrimonium contractum dissolueretur, sicut inter filiolam & filium. Extra. de cognat. spirit. capitulo ex literis. Alia cognatio, seu species cognationis dicitur compaternitas, quæ contrahitur inter generantem carnalem, scilicet patrem & matrem, & regenerantem spiritualem, scilicet baptizantem & suscipientem. Tertia species dicitur fraternitas spiritualis, quæ contrahitur inter generatum carnaliter, & regeneratum spiritualiter. Prima species, quæ dicitur paternitas spiritualis, impedit matrimonium, & dirimit: quia pater spiritalis non potest habere filiolam suam, quæ est eius filia spiritualis, nec filius spiritualis matrem spiritualem. Secunda species, quæ dicitur compaternitas repellit vtrosque parentes, tam carnales, quàm spirituales: quia pater carnalis non potest habere vxorem matrem spiritualem filij sui, quæ est eius commater, nec pater spiritualis eius commatrem, quæ est mater carnalis filioli mei.

ARTICV-

itized by Google

ARTICVLVS QVINTVS.

CERTOS PROPINQVITATIS ET AFFINITATIS GRADVS APVD CHRISTIANOS CONTRAHENDA MATRIMONIA IMPEDIRE, ET IAM CONTRACTA SEPARARE.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ 1390. IOANNES VVicleuus lib. 4. Trialogi cap. 20. *Non delector in multitudine causarum diuortij, cùm multa sint infundabiliter humanitus ordinata: vt patet specialiter de cognatione. Nam tempore primi hominis fratres & sorores fuerunt ex ordinatione diuina totaliter coniugati: & tempore Patriarcharum, vt Abraham, Isaac, & aliorum satis propinquè cognati. Nec superest ratio, quare non sic liceret hodie, nisi humana ordinatio, quæ dicit non solùm ex cognatione, sed ex affinitate amorem inter homines dilatari: sed causa hæc hominum nimis debilis est.*

1520. Martinus Lutherus de captiuitate Babylonica capite de Matrimonio: *In gradibus affinitatis & consanguinitatis nulla alia attendi debent & possunt, quam quæ in Leuitico cap. 18. scripta sunt, quæ & seruari debent.*

Sermone de Matrimonio: *Consobrini inter se Matrimonij lege sociari possunt, diuina & Christiana potestate.*

Ad cap. 11. Geneseos: *Loth fuit filius fratris Abrahæ, vtriusque soror fuit Sara & Melcha. Iam duo fratres Abraham & Nachor duas sorores germani fratris filias duxerunt. Ex his concludi potest, quòd nec abrogatum est, nec quisquam inhibere queat, quo minus fratris filiam ducere liceat. Quid Abraham & Nachor fecerunt, qui in Scripturis laudantur, & sanctiores quàm nos fuerunt.*

Ad cap. 36. Geneseos: *Probat & confirmat Matrimonium, quod quidam cum propria filia, quam ex propria matre incesto connubio, licet inscius, susceperat, contraxit.*

Idem probat Philippus in Locis communibus Manlij capite de Matrimonio.

1530. Martinus Bucerus ad cap. 19. Matthæi: *Consobrinis & fratruelibus connubium inter se contrahere licet, quicquid leges contra Pontificia statuerint.*

1530. *Henricus Octauus Rex Angliæ legitima adhuc vxore superstite primùm ex vxore Thomæ Boleni Annam Bolenam stupro sustulit, postea Mariam sororem Annæ Bolenæ constuprauit: denique Annam Bolenam propriam filiam, legitima vxore repudiata, sibi matrimonio copulauit, ac fecit, vt eadem & filia esset, & coniunx.* Guilhelmus Rastallus in vita Thomæ Mori. Nicolaus Sanderus de Schismate Anglicano lib. 1.

1550. *Ioannes Caluinus*, lib. 4. Instit. cap. 19. §. vltimo, *reprehendit Ecclesiam, quòd gradus cognationis constituerit, præter aliarum gentium, & ipsius Mosis politiam.*

1560. *Theodorus Beza*, libro de repudijs & diuortijs, *reprehendit modum supputandi gradus, quo vtuntur Canonici Doctores, tanquam absurdum, & vult solùm sequendum esse modum supputandi, quo vtuntur Iuris consulti ciuiles: leges ciuiles hic seruandas esse, sic vt matrimonia in illis gradibus cognationis, quos illi supputant, non contrahantur: sed si contracta fuerint, negat esse dirimenda.*

ASSERVNT.

Calixtus. 218.

Epistola 2. cap. 4. Coniunctiones autem consanguineorum fieri prohibentur, quando has & diuinæ & seculi prohibent leges. Leges ergo diuinæ, hoc agentes, & eos, qui ex eis prodeunt, non solùm eijciunt, sed & maledictos appellant. Leges ergo seculi infames tales vocant, & ab hæreditate repellunt. Nos verò sequentes Patres nostros, & eorum vestigijs inhærentes, infamia eos notamus, & infames esse censemus: quia infamiæ maculis sunt aspersi. Nec eos viros, nec accusationes eorum, quos leges seculi reijciunt, suscipere debemus, &c. Eos autem consanguineos dicimus, quos diuinæ & Imperatorum ac Romanorum atque Græcorum leges consanguineos appellant, & in hereditatem suscipiunt, nec repellere possunt. Talium enim coniunctiones nec legitimæ sunt, nec manere possunt, sed sunt repellendæ, & si quæ ausu temerario tentatæ sint, auctoritate Apostolica rescindendæ veniunt.

Fabianus. 237.

Apud Gratianum 35. *quæstione* 2. & 3. De propinquis, qui ad affinitatem per virum & vxorem veniunt, defuncta vxore, vel viro, in quinta generatione coniungantur, in quarta si inuenti fuerint, non separentur. In tertia tamen propinquitate non licet vxorem alterius accipere post obitum eius. Æqualiter vir coniungatur in matrimonio eis, quæ sibi consanguineæ sunt, & vxoris suæ consanguineis post mortem suæ vxoris. Qui propinquam sanguinis vxorem ducunt, non licebit eis, quandiu vtrique viuunt, alias vxores sibi in coniugio sociare, nisi ignorantia excusentur.

Iulius. 336.

Apud Gratianum 27. *quæstione* 2. Si quis desponsauerit vxorem, vel subarrauerit, & siue præueniente die mortis, siue irruentibus quibusdam alijs causis, minimè eam cognouerit, neque eius superstes frater, neque vllus de consanguinitate eius, eandem sibi tollat in vxorem vllo vnquam tempore.

35. *quæstione* 2. & 3. Nullum in vtroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis vsque in septimum sui generis gradum vxorem ducere, vel incesti macula copulari. Præterea illud quoque adiecimus, quoniam sicut non licet cuiquam Christiano de sua consanguinitate, sic etiam non licet de consanguinitate vxoris suæ coniugem ducere propter carnis vnitatem.

Ambrosius. 370.

Libro 8. *Epist.* 66. *ad Paternum*: Paterni quidem vnanimis mei salutationem legi, sed consultationem haudquaquam paternam, vt velis filio neptem copulare ex filia, sed nec auo te, nec patre dignam. Itaque quid consulueris, considera. Omne enim quod agere volumus, prius nomen facti eius interrogemus, & tunc vtrum laude an vituperatione dignum sit, existimabimus, &c. Tu copulare paras filium tuum & neptem ex filia, hoc est, vt accipiat sororis suæ filiam, diuersa licet matre, quàm socrus editus? Interroga nominum religionem, nempe auunculus iste illius, illa huius neptis vocatur. Nec ipse te reuocat sonus nominum, cùm hic auum resonet, illa hoc nomen ad auunculum quod ad auum referat. Quanta deinde etiam reliquorum confusio vocabulorum? Idem auus & socer vocabere, ea quoque tibi neptis & nurus diuerso nomine nuncupabitur, &c. Quid enim est quod dubitari queat, cùm lex diuina etiam patrueles fratres prohibeat conuenire in coniugalem copulam, qui sibi quarto sociantur gradu? Hic autem gradus tertius est, qui etiam ciuili iure à consortio coniugij exceptus videtur. Sed prius sacræ legis scita interrogemus. Prætendis enim in tuis literis, quòd permissum hoc diuino iure connubium huiusmodi pignoribus existimetur, eò quòd non sit prohibitum. Ego autem & prohibitum assero: quia cùm leuiora interdicta sint, de patruelibus fratribus, multo magis hoc, quod arctioris est plenum necessitudinis, interdictum arbitror. Qui enim leuiora astringit, grauiora non soluit, sed alligat, &c. Sed si diuina te prætereunt, saltem Imperatorum præcepta, à quibus amplissimum accepisti honorem, haudquaquam præterire te debuerunt. Nam Theodosius Imperator etiam patrueles fratres & consobrinos vetuit inter se coniugij conuenire nomine, & seuerissimam pœnam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora, & tamen illi inuicem sibi æquales sunt: tantummodò quia propinquitatis necessitudine, & fraternæ societatis ligantur vinculo, pietati eos voluit debere, quod nati sunt. Sed dicis alicui relaxatum: verùm hoc legi non præiudicat. Quod enim in commune statuitur, ei tantùm proficit, cui relaxatum videtur. Longè diuersa iniuria. Illud tamen licet in veteri Testamento legimus, vt aliquis vxorem suam sororem diceret, istud inauditum, vt quisquam neptem suam in vxorem accipiat, & coniugem dicat.

Augustinus. 400.

De Ciuitate Dei libro 15. *cap.* 16. Cùm genus humanum post primam copulam viri facti ex puluere, & coniugis eius ex viri latere marium fœminarumque coniunctione opus haberet, vt gignendo multiplicaretur, nec essent vlli homines, nisi qui ex illis duobus nati fuissent, viri sorores suas coniuges acceperunt: quod profectò quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius religione prohibente, &c. Ecclesia post Euangelica constituta quædam consilia perfectionis addidit, vtpote de continentia ministrorum, de confectione mysteriorum, de celebratione officiorum, quæ nullatenus respuenda sunt, sed diligenti veneratione recipienda. Consanguineorum ergo coniunctiones quatenus Euangelicis & Apostolicis præceptis non inueniantur prohibitæ, sunt tamen fugiendæ: quia Ecclesiasticis institutionibus inueniuntur terminatæ.

Concilium Agathense. 506.

Cap. 61. De incestis coniunctionibus nihil prorsus veniæ reseruamus, nisi cùm adulterium separatione sanauerint. Incestos verò nullo coniugij nomine deputandos, quos etiam designare funestum est. Hos enim censemus esse: si quis relictam fratris, quæ penè prius soror extiterat, carnali coniunctione polluerit: si quis frater germanam vxorem acceperit: si quis nouercam duxerit: si quis consobrinæ suæ se sociauerit: si quis relictæ vel filiæ auunculi misceatur, aut patrui filiæ, vel priuignæ suæ: aut qui ex propria consanguinitate aliquam, aut quam consanguineus habuit concubitu polluat, aut duxerit vxorem. Quos omnes & olim, atque sub hac constitutione incestos esse non dubitamus, & inter Catechumenos, vsque ad legitimam satisfactionem manere, & orare præcipimus. Quod ita præsenti tempore prohibemus, vt ea, quæ sunt hactenus instituta, non dissoluamus. Sanè, quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugij libertatem.

Concilium Ilerdense. 524.

Cap. 4. De his, qui se incestus pollutione commaculant, placuit, vt quousque in ipso detestando & illicito carnis contubernio perseuerant, vsque ad Missam tantùm Catechumenorum in Ecclesia admittantur, cum quibus etiam nec cibum sumere vllum Christianorum (sicut Apostolus iussit) oportet.

Concilium Toletanum Secundum. 531.

Cap. 5. Nam & hæc præcauenda salubriter sancimus, ne quis fidelium propinquam sanguinis sui, vsquequo affinitatis lineamenta generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari: quoniam scriptum est: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius.* Nec sine denuntiatione fit sententia. Leui. 18.
Nam paulò post infert, & dicit: *Anima, quæ fecerit de abominationibus istis quippiam, peribit de medio populi sui.* Si quis ergo huius decreti temerator extiterit, ac vetitum violare præsumpserit, tanto grauiori sententia mulctandum se recognoscat, quanto eam propinquiorem, cui copulari se maluit, serie originis esse non ambigit: tantoque annosiori excommunicationis tempore à Christi corpore & fraternitatis consortio sequestretur,

quan-

quanto fuerit propinquioris sanguinis contagione pollutus.

Concilium Lugdunense Secundum.

516.

Canone 4. De incestis verò coniunctionibus hoc placuit custodiri, quod prisca Canonum statuta sanxerunt.

35. *quæstione* 2. & 3. Nulli ex propinquitate sui sanguinis vsque ad septimum gradum vxores ducant, neque sine benedictione sacerdotum: Qui autem nupturi erunt, à sacerdote benedicti nubere audeant, nec aliter præsumant.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 12. *indict.* 7. *epist.* 32. Progeniem verò suam vnumquemque de his, qui fideliter edocti sunt, & iam firma radice plantati stant inconuulsi, vsque ad septimam obseruare decernimus generationem. Et quamdiu se affinitate agnoscunt propinquos, ad huius copulæ non accedere societatem præsumant: nec eam, quam aliquis ex propria consanguinitate coniugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculauit, in coniugium ducere vlli profectò licet Christianorum, vel licebit: quia incestuosus est talis coitus, & abominabilis Deo, & cunctis bonis hominibus. Incestuosos verò nullo coniugij nomine deputandos à sanctis Patribus dudum statutum esse legimus. Ideo nolumus nos in hac re à vobis, siue à cæteris fidelibus reprehendi: quia quod in his Anglorum genti indulsimus, non formam dando, sed consideratione, ne Christianitatis bonum, quod cœperant, imperfectum dimitterent, egimus.

Isidorus Hispalensis 620.

Libro. 9. *Etymolog. cap.* 6. Hæc consanguinitas, dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens, vsque ad vltimum gradum subtraxerit, & propinquitas esse desierit: eam rursus Lex matrimonij vinculo repetit, & quodammodo reuocat fugientem. Ideo autem vsque ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est, vt sicut sex ætatibus mundi generatio & hominis status finitur: ita propinquitas generis tot gradibus terminaretur.

Gregorius Tertius. 730.

Epistola ad Bonifacium: Igitur in primis legebatur, vt quota progenies propinquorum matrimonio copuletur. Dicimus, quòd oportuerat quidem, quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad huius copulæ non accedere societatem. Sed quia temperantia magis, & præsertim in tam barbaram gentem, plus placet, quàm districtio censuræ, concedendum est, vt post quartam generationem iungantur.

Carolus Magnus. 790.

Lib. 5. *Legum cap.* 99. Contradicimus quoque, vt in quarta, vel quinta, sextaque generatione nullus amplius coniugio copuletur. Vbi autem prius interdictum factum fuerit inuentum, separetur.

Cap. 158. Nuptias prohibemus incestas, id est, vsque ad affinitatis lineam, vel quamdiu inter se hæreditate potuerint, non coniungantur: Quia hæc potius incestiua, quàm coniugia dicenda sunt.

Libro 6. *cap.* 206. In quarta propinquitate carnis, quinta, sextaq; non licet nubere, sicut in lege scriptum est: *Omnis homo ad propinquam sanguinis sui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius*, id est, vsque ad septimum gradum.

Lib. 7. *cap.* 330. Nullus fidelium vsque ad affinitatis lineam, id est, vsque ad septimam progeniem consanguineam suam ducat vxorem: vel eam quoquo modo incesti macula polluat. Si quis verò hoc scienter temerare præsumpserit, si liber est, bannum nostrum, id est, sexaginta solidos fisco nostro persoluat, & insuper Canonicè vt incestus luat, ac publicè iuxta Canonicos gradus pœniteat. Si autem seruus, vel Ecclesiasticus fuerit, publicè flagelletur, aut decaluetur, & iuxta proprij Episcopi iussionem pœnitentiam publicè & Canonicè agat.

Concilium Moguntinum. 813.

Canone 54. Contradicimus quoque, vt in quarta generatione nullus amplius coniugio copuletur: Vbi autem post interdictum factum inuentum fuerit, separetur.

Rabanus Maurus. 850.

Epistola ad Heribertum: Quod proximis temporibus Romanorum Pontificum scripta continent vsque ad sextam vel septimam generationem coniugij vsum deferendum, magis ex consuetudine humana, quàm ex lege diuina, eos præcepisse credendum est, &c. Reor magis sequendum, vt post quintam generationem iam licitum coniugium fiat, quia nec lex diuina contradicit, nec etiam sanctorum Patrum dicta hoc prohibent: si autem & in quinta ab inscijs copula fuerit peracta, melius mihi videtur, vt cum pœnitentiæ humiliatione, si se vxoratus coniunx non vult, Deo satisfaciat, & tamen ei prædicetur, quàm bonum sit, vt ab huiusmodi copula se abstineat: si fortè det illi Deus pœnitentiam, & resipiscat à diaboli laqueis.

Nicolaus Primus. 860.

Ad responsa Bulgarorum cap. 39. De consanguinitate generationum exquiritis, vt quibus vtique fœminis iungi debeatis, liquidò cognoscatis: verùm quod leges hinc sanciunt, iam meminimus, & denuò memorare summatim operæpretium ducimus, aiunt enim, ergo omnes nobis vxores ducere licet. Nam quarundam nuptijs abstinere debemus. Inter eas enim personas, quæ parentum, liberorumve locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi non possunt, veluti inter patrem & filiam, vel auum & neptem, matrem & filium, auiam & nepotem, & vsque ad infinitum. Inter eas quoque personas, quæ ex transuerso gradu cognationis iunguntur, est quædam similis obseruatio, sed non tanta. Sacri verò Canones, & præcipuè Zachariæ summi Præsulis decreta quid hinc promulgent, Episcopo vestro vobis explorandum relinquimus.

35. *quæstione* 2. De consanguinitate sua vxorem nullus ducat, vsque post generationem septimam, vel quousque parentela cognosci poterit.

Concilium VVormatiense. 868.

Cap. 32. In copulatione fidelium generationis numerum non definimus sed id statuimus, vt nulli Christiano liceat de propria consanguinitate siue cognatione vxorem accipere, vsque dum generatio recordatur, cognoscitur, aut memoria retinetur.

Ioannes Octauus. 870.

Epistola 198. Præterea vnum valde illicitum & execrabile malum contra venerabilia sanctorum Patrum decreta eosdem vestros Parochianos committere audimus: hoc est, vt nulla generis consanguinitate custodita, nulla propinquitatis parentela obseruata, vnusquisque suam propinquam, in quocunque fuerint gradu, accipiat in vxorem, atque incesto ac nefario se coniugio copulent, quod licitum facere Christianis non est, dum vsque se generatio cognouerit. Vnde san-

ctissimi prædecessores nostri, Stephanus videlicet, Eugenius, atque Leo Synodali decreto tale nefandum coniugium fieri prohibuerunt, dicentes, vt consobrinam, neptem, nouercam, fratris vxorem, vel etiam quamlibet de propria cognatione nullus præsumat sibi in coniugio copulare. quia scriptum est in Lege Domini: *Turpitudinem vxoris patris, siue vxoris fratris, atque sororis tuæ non reuelabis: turpitudo enim tua est.* Et si Deus Hebraico populo ante incarnationem vnigeniti Filij sui hæc seruanda mandauit, quanto amplius nos, qui Christianæ religionis documenta tenemus, ab illicitis connubijs obseruare debemus, ne demersi in voraginem, ignis æterni concrememur incendio? Si quis verò in hoc nefariò coniugio inuentus, in eo permanere voluerit, aut nunc ab vxore solutus, hoc agere tentauerit, sciat se auctoritate Apostolica anathematis vinculo esse innodatum, & nullus sacerdos illi tribuat communionem.

Alexander Secundus. 1060.

35. *quæstione* 5. Ad Sedem Apostolicam perlata est quæstio, nouiter exorta de gradibus consanguinitatis: quam quidem legum & Canonum imperiti excitantes, eosdem propinquitatis gradus contra sacros Canones, & Ecclesiasticum morem numerare nituntur, nouo & inaudito errore affirmantes, quòd germani fratres vel sorores inter se sint in secunda generatione, filij eorum vel filiæ in quarta, nepotes eorum vel neptes in sexta, talique modo progeniem computantes, & in eiusmodi sexto gradu eam terminantes, dicunt, deinceps viros ac mulieres inter se posse nuptialia iura contrahere, & ad huiusmodi profanum errorem confirmandum in argumentum assumunt seculares leges, quas Iustinianus Imperator promulgauit de successionibus consanguineorum. Quibus confisi, ostendere moliuntur, fratres in secundo gradu esse numeratos, filios eorum in quarto, nepotes & neptes in sexto, sic seriem genealogiæ terminantes, numerationem sanctorum Patrum & antiquam Ecclesiæ computationem ad nos vsque perductam peruersa quadam calliditate disturbare nituntur. Nos verò Deo annuente, hanc quæstionem discutere curauimus in Synodo habita in Lateranensi consistorio, conuocatis ad hoc opus Episcopis, & clericis, & iudicibus diuersarum prouinciarum. Denique diu ventilatis legibus & sacris Canonibus, distinctè inuenimus, ob aliam causam alteram legum fieri, alteram Canonum computationem. In legibus siquidem ob nihil aliud ipsorum graduum mentio facta est, nisi vt hæreditas, vel successio ab vna ad alteram personam inter consanguineos deferatur: in Canonibus verò ob hoc progenies computatur, vt apertè monstretur vsque ad quotam generationem à consanguineorum nuptijs sit abstinendum. Ibi præscribitur, vt hæreditas propinquis modo legitimo conferatur: hic verò, vt ritè, & Canonicè inter fideles nuptiæ celebrentur. In legibus distinctè non numerantur gradus, nisi vsque ad sextam: in Canonibus autem vsque ad septimam distinguuntur generationem, &c.

Ivo Carnotensis. 1100.

Epistola 114. *ad Mellentinos, &c.* Perlatum est ad aures nostras, quòd Mellentinus Comes ducere velit in vxorem filiam Hugonis Crispeiensis Comitis, quod fieri non sinit concors decretorum & Canonum sanctio, dicens: Coniunctiones consanguineorum fieri prohibemus. Horum autem consanguinitas nec ignorata est, nec remota, sicut testantur & probare parati sunt præclari viri de eadem lati prosapia. Dicunt enim, quòd Gualterius Albus genuit matrem Gualeranni Comitis, qui genuit matrem Roberti Comitis. Item supradictus Gualterius genuit Radulphum patrem alterius Radulphi, qui genuit Vermandensem Comitissam, ex qua nata est vxor Comitis Hugonis, cuius filiam nunc ducere vult Mellentinus Comes. Si autem prædicta genealogia ita sibi coheret, legitimum non poterit esse coniugium, sed incestum contubernium, nec filios poterit habere legitimos, sed spurios. Vnde vobis ex Apostolica & Canonica auctoritate præcipimus, vt tam calumniosum coniugium in Ecclesijs nostri Episcopatus nec ipsi consecretis, nec ab aliquo, quantum in vobis est, consecrari permittatis, nisi primum in præsentia nostri consanguinitas hæc septimum gradum excessisse legitimè fuerit comprobata.

Epistola 156. Audiui te velle ducere in vxorem Vicecomitissam Blesensem, cuius defuncto marito fuisti consanguineus, sicut mihi scripserunt & probare parati sunt nobiles viri, tam tui, quàm defuncti vicecomitis Roberti consanguinei. Vnde tibi mando, & per legem Christianam interdico ferales & incestas nuptias, quas nec lege poteris defendere, nec legitimos de eis hæredes suscipere, &c.

Epistola 263. *ad Regem Angliæ:* Audiui vos quondam filiam vestram cuidam vestro parochiano, Hugoni videlicet filio Geruasij desponsasse. Quos quidam parentes eorum gradu consanguinitatis esse testantur genitos, vt inter se nuptias contrahere non possint, nisi incestuosas, & ideo illicitas, &c. Vnde, &c. cupimus, vt honestè, dum fieri potest, tales nuptias non permittatis, ne tale coniugium, si contra leges præsumatur, per leges dissolui mereatur, &c. Misi vobis Genealogiam à trunco suo inchoatam, & vsque ad prætaxatas personas computando descriptam: quatenus ea perspecta, rei veritatem discutiatis, & prudenti consilio ab illicita copulatione prædictas personas desistere faciatis. Non enim poterimus à legum tramite deuiare, si viderimus parochianum nostrum maximè in pacto coniugali aliquod nefarium perpetrare, dicente Apostolica sententia: Incestis coniunctionibus nihil veniæ reseruamus, nisi cùm incestum separatione sanauerint, &c. Genealogia, vt dicitur, sic se habet. Gonnora, & Seufria sorores fuerunt. Ex Gonnora exiuit Richardus. Ex Richardo Robertus. Ex Roberto Guilielmus Rex. Ex Guilelmo Henricus Rex. Ex hoc rege ista, quæ datur filio Geruasij. Item ex Seufria exiuit Ioscelina. Ex Ioscelina Rogerius de monte Gummeri. Ex Rogerio Mabilia vxor Geruasij. Ex ista Mabilia Hugo filius Geruasij cui ista datur.

Hugo Victorinus. 1130.

Tractatu 7. *de Sacramentis cap.* 11. Cognati in septimo gradu, vel infra non possunt copulari. Cognati sibi scienter copulati, non faciunt coniugium, sed debent separari, & pro incestu pœnitentiæ supponi. Qui autem ignoranter copulantur, de crimine per ignorantiam excusantur, nec tamen asserendum est inter eos esse coniugium, nisi ex permissione Ecclesiæ, propter vtilitatem aliquam, dispensatiuè sit confirmatum. Sicut autem non licet eis, qui inter se cognati sunt, vsque ad septimum gradum coniungi: ita etiam de duobus legitimè copulatis, cùm vnus moritur, non licet alteri coniugem accipere de cognatione prioris coniugis, vsque in septimam generationem.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. *dist.* 41. Ecclesia infra prædictos gradus consanguinitatis coniunctos separat. Si autem igno-

ignoranter coniuncti fuerint, in conspectu Ecclesiæ, & postmodum probata consanguinitate eiusdem iudicio separati, quæritur vtrum copula illa coniugium fuerit? Quibusdam videtur non fuisse coniugium, quia non erant legitimæ personæ: sed tamen de crimine excusantur per ignorantiam, & quasi coniugium reputatur, quia bona fide, & per manum Ecclesiæ conuenerunt. Vnde & filij eorum legitimi habentur. Alia verò dicunt fuisse coniugium, licet non essent legitimæ personæ.

Hildegardis. 1160.

1. Sciuias Vis. 2. cap. 17. Vt notitia consanguinitatis in propria coniuge nescienda est, ita etiam notitia consanguinitatis prioris coniugis in aliena copula abhorrenda est, nec se homo ad huiusmodi copulam coniungat: sicut & Ecclesia per Doctores suos prohibet, qui ipsam in multa sollicitudine & honore stabilierunt. Quòd autem in veteri Testamento homines in consanguinitate sanguinis sui præcepto legis coniuncti sunt, hoc propter duritiam illorum factum est, vt inuicem pacem haberent, & tam firma charitas in eis esset, ne tribus diuisæ coniunctioni gentilium se miscentes, fœdus Dei infringerent.

Guilhelmus Tyrius. 1180.

Lib. 19 cap. 4. Amalricus Rex vxorem duxit Agnetem, quam inuito D. Patriarcha Fulchero ei contradicente sibi matrimonio copulauit, eò quòd quarto consanguinitatis gradu se dicebantur contingere, sicut postea in facie Ecclesiæ per communes consanguineos solenniter est comprobatum: Præsentibus enim D. Amalrico bonæ memoriæ Patriarcha, tum Apostolicæ Sedis legato, iuxta iuris Ecclesiastici solennitatem, consanguineis vtriusque corporaliter iuramenta præstantibus, & asseuerantibus sic esse, vt dicebatur, interueniente diuortio, solutum est matrimonium.

Innocentius Tertius. 1200.

Decret. Constit. lib. 5. constit. 23. De infidelibus ad fidem conuersis, vtrum si ante conuersionem suam, secundùm Legis veteris instituta circa gradus consanguinitatis, à Canone denotatos, coniuncti fuerint, separari debeant post baptismum: consultationi tuæ duximus respondendum, quòd matrimonium sic contractum, non est post baptismi lauacrum separandum: cùm à Iudæis Dominus requisitus, si liceret vxorem ex quacunque causa dimittere, ipsis respondit: *Quos Deus coniunxit, homo non separet*, per hoc innuens esse matrimonium inter eos.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap. 50. Cùm ergo iam vsque ad quartum gradum prohibitio coniugalis copulæ sit restricta, eam ita esse volumus perpetuam, non obstantibus constitutionibus super hoc dudum editis, vel ab alijs, vel à nobis, vt si qui contra prohibitionem huiusmodi præsumpserint copulari, nulla longinquitate defendantur annorum, cùm diuturnitas temporum non minuat peccatum, sed augeat.

Vincentius Beluacensis. 1240.

Speculi historialis libro 8. cap 78. Filius & filia sunt in primo gradu, filij duorum fratrum in secundo, nepotes eorum in tertio, pronepotes in quarto, vltra quem gradum nulla hodie consanguinitas est, sicut nec vltra septimum olim gradum progrediebatur.

Bonauentura. 1260.

In libr. 4. Sententiar. distinctione 40. quæstione 3. Secundùm tempora nostra matrimonium impeditur à gradibus consanguinitatis vsque ad quartum inclusiuè, sicut patet Extra. de consanguinitate, non debet. In Decretali, edita in Concilio generali. Si autem quæritur ratio huiusmodi, dicendum, quòd huius ratio est statutum Ecclesiæ. Si quæritur vltra, quare Ecclesia statuerit, dicendum quòd quia potuit, & quia congruum fuit, & quia erat vtile, & quia erat necesse. Primùm quidem potuit. Et quòd potuit probatur per Scripturam: quia in principio in constitutione matrimonij in lege naturæ duæ excipiebantur personæ, scilicet pater & mater Genes. 2. *Relinquet homo patrem & matrem, &c.* Post processum temporis in lege fuerunt plures excepti, sicut patet Leuit. 18. Si ergo lex Euangelica abundare debet à Mosaica, igitur in lege Euangelica plures debuerunt excipi. Sed Christus in propria persona non excipit: igitur si nihil diminutum debet esse in Ecclesia: ergo posse determinandi Ecclesiæ reliquit, maximè Petro & eius successori: quod attendentes sancti Patres, exceperunt multos gradus consanguinitatis, ex quo apparet, quòd & ipsi posse habuerunt. Si autem tu quæras, quare huiusmodi posse Ecclesiæ reliquit? Dicendum, quòd ratio huius est, quòd hoc Sacramentum in contractu consistit, qui est personæ ad personam. Et quoniam Deus plenam iurisdictionem dedit super spiritualia, & ampliorem, quàm Reges terræ & Imperator habeant super temporalia: Si igitur Regis & principis potentia potest contractus limitare, vt malæ fidei possessor iudicetur, qui contra eorum interdicta veniat, quid mirum si dederit Ecclesiæ posse, imò debet dari, vt possit personarum legitimitatem & idoneitatem ad contrahendum determinare. Si tu quæras, quare ipse per se non determinauit, dici potest, quòd secundùm diuersa tempora oportebat diuersas personas & diuersos gradus excipi. Quia igitur statuta diuina non decet sic mutare sicut humana: hinc est, quòd non ipse Christus debuit limitare, sed limitandos Petro & eius successoribus committere. Et sic patet, quòd potuit. Secundùm verò congruum fuit, quòd vsque ad talem gradum consanguinitas protenderetur. Quia consanguinitas ortum habet ex propagatione: propagatio autem est ex semine: semen autem in se naturam habet quatuor elementorum, & quatuor humorum. Et hinc est, quòd consanguinitas tantùm ad quartam generationem debuit terminari, & iterum intra illum gradum non debuit commisceri, nec matrimonium copulari, nec potestas corporis aliquando. Sicut igitur corpus quatuor constat elementis: ita oportet quatuor gradibus distare, qui debent carnaliter commisceri.

Ioannes Scotus. 1300.

In librum 4. Sent. distinct. 40. quæstione 1. Sed vnde est, quòd propinquitas talis vel talis simpliciter impedit? *Respondeo*: In lege Euangelica non inuenitur à Christo vlla alia prohibitio vltra prohibitionem legis naturæ: nec etiam explicitè confirmauit prohibitionem super hoc factam in lege Mosaica, sed Ecclesia illegitimauit personas aliquando in gradu remotiori, vt patet de Gregorio & Nicolao: postea in quarto gradu. Et ratio illegitimationis fit propter pacem & amicitiam seruandam in Ecclesia. Vsque enim ad quartum gradum manet amicitia ratione consanguinitatis: & ex tunc incipiunt esse quasi extranei & amore contepescere. Et ideo congruum est, tunc per vinculum coniugale tepescentem amicitiam reuocare.

Guido de monte Rocherij. 1330.

In Manipulo curatorum tractatu 7. de Matrimonio cap. 4. Gradus in descensu sic copulantur: filius & filia sunt in primo gradu, nepos neptis in secundo, pronepos proneptis in tertio, abnepos abneptis in quarto. In transuersali linea sic computantur: duo fratres sunt in primo gradu, filij duorum fratrum in secundo, nepotes eorundem in tertio, pronepo-

tes in quarto, vltra quem gradum nulla hodie computatur consanguinitas vel protenditur quâtum ad matrimonium impediendum, licet antiquitus protenditur vsque ad septimum gradum.

Thomas Argentinensis. 1360.

Libro 4. distinct. 39. & 40 quæstione 1. articulo 3. Fideles prohibentur contrahere matrimonium vsque ad quartum gradum consanguinitatis inclusiuè, & hoc pro tanto: quia vsque ad illum gradum durat ex propinquitate naturali inter homines amicitia. Igitur non est necesse infra illum gradum homines contrahere fœdus amicitiæ, mediante matrimonia. Illa conclusio determinata est per generale Cōcilium Extra de consanguinitate & affinitate, cap. Non debet.

Thomas VValdensis. 1414.

Tomo 2. cap. 134. Quòd arguis VVicleff, qui à tempore primi hominis fratres & sorores nuptias inierunt: & tempore Patriarcharum satis propinquè cognati, nec vides rationem, quare non sic hodie: dicetur tibi, quia post conditionem primi hominis paucitas contrahentium in vtroque sexu cognatis deferre non potuit, & necessitas multiplicandi genus humanum ipsam temerare coegit. Tempore quoque Patriarcharum hoc idem causa fidei seruandæ vnius Dei fecit, & in pauco populo fideli, quod prima fecerat paucitas speciei: ideo licuit potius nubere cognatis, quàm idololatris, &c. Ad vitandum malum perfidiæ potius licuit legem laxari, & iungi cognatis, quàm perfidis. Et postea multiplicata fideli plebe, lex iterum cognationis fines immunes decreuit à nuptijs. Quod igitur arguis de nuptijs antiquorum: propter arctitudinem temporis priuilegium tantum fuit, quod legi communi nunquam derogat.

Concilium Tridentinum. 1560.

Sessione 24. Canone 3. Si quis dixerit, eos tantùm consanguinitatis & affinitatis gradus, qui Leuitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, vt plures impediant aut dirimant, anathema sit.

FINIS LIBRI NONI.

LIBER

LIBER DECIMVS:
DE QVATVOR HOMINIS NOVISSIMIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

OMNIA OMNIVM HOMINVM CORPORA ESSE MORTALIA: EIVSMODI MORTEM IMPIIS FORMIDABILEM, PIIS OPTANDAM ESSE.

NEGANT.

Anno ante natũ Christum 330.

THEOPHRASTVS moriens accusasse naturam dicitur, quòd ceruis & cornibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset: hominibus, quorum maximè interfuisset, tam exiguam vitam dedisset: quorum si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisset, vt omnibus perfectis artibus omnis hominum vita doctrina erudiretur. Querebatur igitur se tum, cùm illa videre cœpisset, extingui. Cicero libro 3. Tuscul. quęstionum.

310.

Epicurus negat mortem ad nos pertinere: *Quod enim dissoluitur,* inquit, *sensu caret: & quod sensu caret, nihil ad nos.* Tertullianus lib. de anima cap. 42.

Anno post natum Christũ 80.

Menander Samaritanus dixit, mortem ad suos non modo non pertinere verùm nec peruenire. In hoc scilicet se à superna & arcana potestate legatum, vt immortales & incorruptibiles, & statim resurrectionis compotes fiant, qui baptisma eius induerint. Tertullianus lib. de anima cap. 50. Irenęus lib. 1. cap. 21. Iustinus Apol. 2.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 2. *vers.* 17. De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.

2. *Regum* 14. 14. Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.

Iob 14. 5. Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.

Psal. 89. 9. Omnes dies nostri defecerunt: & in ira tua defecimus. Anni nostri sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni: amplius eorum, labor & dolor.

Ecclesiastis 2. 16. Moritur doctus similiter & indoctus

Ecclesiastis 9. 4. Nemo est qui semper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam: melior est canis viuus leone mortuo. Viuentes enim sciunt se esse morituros, &c.
12. Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò superuenerit.

Ecclesiastici 14. 12. Memor esto quoniam mors non tardat, & testamentum inferorum quia demonstratum est tibi: Testamentum enim huius mundi morte morietur.
18. Omnis caro sicut fœnum veterascet, & sicut folium fructificans in arbore viridi Alia generantur, & alia deijciuntur: sic generatio carnis & sanguinis, alia finitur, & alia nascitur. Omne opus corruptibile in fine deficiet: & qui illud operatur, ibit cum illo.

Ecclesiastici 41. 1. O mors quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis: viro quieto & cuius viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum: O mors bonum est iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate, & cui de omnibus cura est, & incredibili qui perdit sapientiam. Noli metuere iudicium mortis Memento quæ ante te fuerunt, & quæ superuentura sunt tibi: hoc iudicium à Domino omni carni: & quid superueniet tibi in beneplacito Altissimi? siue decem, siue centum, siue mille anni. Non est enim in inferno accusatio vitæ.

Matth. 25. 13. Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.

Lucæ 2. 29. Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace.

Iacobi 4. 14. (Qui ignoratis quid erit in crastino. Quæ est enim vita vestra? Vapor est, ad modicum apparens, & deinceps exterminabitur.)

1. *Petri* 1. 24. Omnis caro vt fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Ignatius. 100.

Epistol. ad Roman. Ego omnibus Ecclesijs scribo, quòd voluntarius morior, si modò vos non prohibueritis: obsecro vos, ne intempestiua beneuolentia me complectamini. Sinite me ferarum escam fieri, per quas licebit Deum adipisci: frumentum sum Dei, dentibus ferarum molar, vt mundus panis Dei inueniar. Imò blanditijs demulcete potius feras, vt mihi sepulchrum fiant, vt nihil de corpore meo relinquant, ne mortuus molestus cuiquam inueniar. Tunc ero verus Iesu Christi discipulus, cùm mundus nec corpus meum viderit, &c. Ignes, crux, ferarum concursus, sectiones, laniena, ossium discerptiones, membrorum concisiones, totius corporis solutio, diaboli tormenta in me veniant, tantummodò vt Iesum nanciscar, &c. Mihi melius est emori propter Christum Iesum quàm imperare finibus terræ.

Iustinus. 150.

In Apologia: Equidem expecto, vt ab aliquo istorum, qui nomine solùm Philosophi sunt, vitæ meæ parentur insidiæ, & fuste conquassatus obterar, vel à Crescente saltem non Philosopho, id est, sapientiæ studioso, sed philocompo, id est, auido inanis gloriæ.

Irenæus. 180.

Lib. 5. cap. 7. Quæ sunt mortalia corpora? nunquidnam animæ? sed incorruptibiles animæ, quantum ad comparationem mortalium corporum, &c Quid igitur superest dicere mortale corpus, nisi plasma, id est, caro, de qua & sermo est ei: *Quoniam viuificabit eam Deus?* Hæc enim est, quæ moritur, & soluitur, sed non anima, neque spiritus. Mori enim est vitalem amittere habilitatem, & sine spiramine in posterum, & inanimalem, & immobilem fieri, & deperire in illa, ex quibus & initium substantiæ habuit. Hoc autem neque animæ euenit, neque spiritui, flatus est enim vitæ, &c. Superest igitur, vt circa carnem mors ostendatur, quæ posteaquam exierit anima, sine spiratione, & inanimale efficitur, & paulatim resoluitur in terram, ex
Rom. 8. qua sumpta est. Hæc igitur mortalis. Hæc autem est, de qua etiam dicit: *Viuificabit & mortalia corpora vestra.*

Clemens Alexandrinus. 200.

Libro 4. Stromatum cap. 4. Miseris hominibus quod præbetur per sanguinem de Domino testimonium, videtur esse mors violentissima, nescientibus hanc mortis ianuam esse veræ vitæ principium.

Origenes. 230.

Homil. 27. in Numer. Scripsit hæc per verbum Domini, vt legentes nos, & videntes, quantæ nobis immineant, profectiones ad iter, quod ducit ad regnum, præparemus nos ad vitam hanc, & considerantes iter, quod nobis immineat, non segniter nec remissè vitæ nostræ tempus permittamus absumi, ne fortè, dum in his mundi vanitatibus immorantur, & singulis quibusque, quę ad visum, vel auditum, vel etiam quæ ad tactum atque odoratum, gustumque veniunt, delectamur, labantur dies, tempus prætereat, & non occurramus omne spatium imminentis itineris explicare, & deficiamus in medio, &c. Iter ergo agimus, & idcirco deuenimus in hunc mundum, vt transeamus de virtute ad virtutem, non vt permaneamus pro terrenis in terra, sicut & ille dicebat: *Destruam horrea mea, & alia maiora ædificabo, &c.* ne fortè dicat Lucæ 12
& nobis Dominus, sicut illi: *Stulte hac nocte auferetur à te anima tua*

Eusebius Cæsareensis. 320.

Ecclesiast. histor. lib. 4. cap. 14. Inter quos Germanicum quendam, qui diuina gratia roboratus, imbecillitatem animi naturaliter insitam, quę efficit vt corporis mortem vehementer extimescamus, erexit, recreauitque, propter eximiam & singularem eius constantiam, facilè primas tulisse memorant. Nam cùm Proconsul illi persuadere conaretur, proponeret ætatem, & magnopere flagitaret, vt cùm iam adolescens esset, & in ipso ætatis flore constitutus, sui ipsius misericordiam caperet: eum illa minimè curasse, sed abiecta cunctatione, feram parato animo attraxisse ad se, & prope vim corporis sui laniatum impulisse, quò celerius ab hac iniusta & impia vita liberaretur. Verùm quamquam vniuersa multitudo, tum diuini & cælestis huius Martyris fortitudinem & constantiam, propter egregiam & generosam mortem, magnopere admirabatur, &c.

Athanasius. 340.

De humanitate Verbi, eiusq; corporali aduentu: Deus hominem condidit ad immortalitatem & ad imaginem æternitatis suæ: verùm inuidia diaboli factum est, vt mors orbem terrarum inuaserit, ac iam inde homines mori occœperunt, tantoq; magis corruptio contra eos inualuit, quantò leuius est illis visum, in præuaricando numinis comminationes sustinere, &c. Olim ante aduentum Saluatoris nostri Iesu Christi, omnes, quotquot erant, vita defuncti, veluti perditos abolitosque lamentabantur: nunc autem postquam Sal-

uator

uator noster Iesus Christus corpus suum resuscitauit à mortuis, mors vlterius terribilis non est: & quicunque in Christum fidem habent, eam, vt rem nihili, pedibus terunt, ac potius mortem delegerint, quàm Christi fidem inficientur. Certò enim sciunt, mortuos sese non perire, sed viuere, & incorruptibiles resurrectione fieri. Ille autem sceleratus (qui mortis impetu insultus in nos facere solet diabolus) solutis mortis doloribus solus omninò mortuus relinquitur, eiusque rei argumento est, quod homines, antequam Christo incipiant credere, mortem vt terribilem intuentur & expauescunt: vbi autem ad illius fidem doctrinamquè transiere, tantopere mortem aspernantur, vt ad eam vltrò contendant, testesquè fiant CHRISTI aduersus mortem resurrectionis Siquidem etiamnum pueri ætate ad mortem festinant: exercitijs porrò & meditationibus ad id, non viri duntaxat, sed etiam fœminæ sese instruunt. Nec mirum, cùm iam tam imbecillis sit, vt etiam fœminæ, prius ab ea deceptæ, nunc illam vt mortuam, dissipatamquè ludibrio habeant, non aliter quàm vbi debellato per legitimum principem tyranno, manibusquè pedibusque eius intra vincula constrictis, omnes quotquot ad id spectaculi superueniunt, ludibrijs ei insultant, probris, verberibusquè proscindunt, &c Ergone illud exiguum est documentum de imbecillitate mortis? aut parua est demonstratio victoriæ Iesu CHRISTI de morte illius reportare? cùm pueri in CHRISTO, & tenere puellæ istam vitam contemptui habeant? & moriendi rationes meditentur? Homo certè naturaliter mortem & corporis sui dissolutionem expauescit: is tamen, (quod summopere admirandum est,) vbi indutus est fidem crucis, res naturales vilipendit, & mortem per CHRISTVM non exhorrescit, non aliter, quàm si quis de igne dicat, cui naturalis vis est concremandi, esse aliquid quod illius flammas respuat, &c.

Oratione 2. contra Arianos: Omnibus quidem hominibus communis vitæ exitus est mors, neque vlli defuncto, tametsi inimico, insultandum, cùm incertum sit, num ante vesperam ipse quoque à morte sit apprehendendus.

Rom. 8. *In vita Antonij:* Ad inertiam calcandam Apostoli præcepta replicemus, quibus se mori quotidie testabatur: similiter & nos humanæ conditionis vitam ancipitem retractantes, non peccabimus. Cùm enim excitati à somno, ad vesperam nos peruenire dubitemus, & quieti corpora concedentes, de lucis non confidamus aduentu, & vbique naturæ ac vitæ incertæ memores, Dei nos intelligamus prouidentia gubernari: hoc modo non delinquemus, aut aliqua fragili cupiditate raptabimur: sed nec irascemur quidem aduersus aliquem, nec terrenos congregare thesauros ambiemus: quin potius metu quotidiani recessus, & seiungendi corporis iugi meditatione, omnia caduca calcabimus. Cessabit mulierum amor, libidinis extinguetur incendium: inuicem nobis debita nostra donabimus, ante oculos semper habentes vltimæ retributionis aduentum: quia maior formido iudicij, & pœnarum timor horridus, simul & lubricæ carnis incentiua dissoluit, & ruentem animam, quasi ex aliqua rupe, sustentat.

Basilius Magnus. 370.

Homilia in Psalmum 115. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.*) Nihil est, ait, quòd cunctemini, ô homines, illustre hoc & honestum adire certamen, neu mortem perhorrete. Neque enim ea est corruptio, sed vitæ occasio: non omnimoda deletio, sed ad honorem pretij ingentis transcensio. Sanè lapilli quidam floridis intersperſi, & sublucentes coloribus nominari solent pretiosi ab istis diuitiarum helluonibus: re autem vera *pretiosa est mors sanctorum eius*, quum videlicet anima, per vitæ istius curriculum expurgata, ab omni eluuie & inquinamento carnis emancipata, ac libertati reddita, nullam in se retinens maculam aut rugam, duris pro pietate agonibus iam exantlatis probata, insignita corona iustitiæ, &c. quonam pacto non censeri debeat pretiosa hominis istius mors in conspectu Domini? Exitus itaque sanctorum virorum è vitæ istius stadio ne lugeamus, imò fletu magis prosequenda venit ipsa natiuitas, & ex vtero in hanc vitam progressio.

Homil. 4. quæ est de gratiarum actione: De his, qui in Christo obdormierunt, edoctus es, quia corpus quidem hoc seminatur in corruptione, surget incorruptibile: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Qua igitur fles gratia? An quia immutandus est mortuo, & innouandus habitus? Atqui mihi vide, vt ne teipsum lugeas, quasi per illius mortem, auxiliari quodam subsidio tuæ ipsius vitæ sis destitutus, &c. Neu illius sortem lamentere querulus, quasi indigna quædam passus sit. Aliquantò enim post, è cælo clangens tuba eundem expergefactura à somno est, ipsumquè videbis tribunali Christi astantem.

Homil. 5. quæ est in Martyrem Iulittam: Quidni prius assuefecisti mentem, vt de mortali, quæ mortali vitæ propria sunt, cogitaret? Atqui inopinam filij nec præuisam accepisti mortem. Quid? quo primùm die nuntiatum tibi est, natum esse filium, si quis te rogasset: id quod tibi natum est, cuiusmodi esse censes, aut quale? quid tu tandem respondisses? Aliud ne aliquid, quàm quia homo est, quod natum est? Quòd si homo, vtique mortalis. Quid igitur insolens aut admirabile, si qui mortalis erat, mortuus est? Solem hunc, vt oritur & idem occidit, non perspicis? Lunam non vides augescere primùm, dein deliquio deficere? Quin terram ipsam contueris nunc progerminantem, mox veluti marcore flaccescentem? Quid eorum, quæ circa nos sunt, solidè consistit? quid vspiam est, quod immotam sortiatur & immutabilem naturam? Suspice cælum, ac despice terram: neutrum perenniter duraturum est. Ait enim Dominus: *Cælum & terra transibunt*. Et cælo sydera sident & collabentur, Sol obtenebrescet, Luna non dabit lumen suum. Quid ergo? admirabile videri debet, si nos, qui portio qualiscunque sumus mundi, in eorum partem venimus, quæ propria sunt, & congenita mundo? Hæc tu despiciens, vbi te quoque adorietur aliquid eorum, quæ cæteris communia sunt, ferto id velut oculis conniuentibus, non quidem citra vllam affectionem aut sensum doloris: (nam quæ tandem debetur merces stupidæ isti & insensili indolentiæ?) sed vel cum labore planè intenso, nec vlli explicando angore animi sufferto tamen, &c.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oration. 19. quæ est oratio funebris in laudem patris: Sic enim ij, qui hinc prius excesserint, minus nobis mœroris attulerint, imò etiam lætitia nos affecerint, si nos oratio hinc abductos sursum collocet, atque id, quod in præsens molestum est, in futuro occultet, nobisquè illud persuadeat, quòd ipsi quoque ad bonum Dominum properemus, atque habitatio peregrinatione melior & præstantior sit: quodquè nauigantibus tranquillus portus est, hoc ijs, qui huius vitæ procellis agitantur, migratio ad alteram vitam existat: aut etiam quemadmodum qui longum iter priores confecerunt, minus difficultatis ac molestiæ habent, quàm qui adhuc iter faciunt, atque in labore versantur: ita tolerabilior & melior eorum conditio

fit

sit, qui ad illud hospitium iam peruenerunt, quàm qui sinuosum adhuc & præceps huius vitæ iter emetiuntur, &c. Non est, ô mater, eadem Dei & hominum natura, aut, vt in genere loquar, superorum & terrestrium. Apud illos enim constans & immortale est, tum ipsum esse, tum quæcunque ad illud pertinent. Firmorum enim res firmæ sunt. Res autem nostræ quo pacto se habent? Fluunt, & corrumpuntur, atque aliàs aliam mutationem capiunt. Vita quippe & mors, tametsi plurimùm inter se dissidere videantur, inter se tamen quodammodò immeant, atque altera in alterius locum subit. Illa enim à corruptione, matre nostra, incipiens, ac per corruptionem, hoc est, perpetuum eius, quod præsens est, excessum gradiens, in corruptionem tandem, hoc est, in huius vitæ finem desinit: hæc autem, quæ præsentibus malis liberat, atque etiam sæpe ad supernam vitam traducit, haud scio an propriè mors appellari queat, vtpote nomine magis quàm reformidabilis. Atque absurdè quodammodo & præposterè affecti esse videmur, qui ea, quæ minimè horrenda sunt, extimemus, quæ autem metuenda sunt, vt optabiliora, complectimur.

Gregorius Nyssenus. 380.

Homil. 6. in Ecclesiasten: *Tempus est*, inquit, *pariendi, & tempus moriendi.* Pulchrè in principio verbis hanc necessariam coniunxit coniugationem, cum generatione copulans mortem. Partum enim mors sequitur necessariò, & omnis generatio dissoluitur in interitum, vt propterea quod coniunctim ostensa sint mors & generatio, mentione mortis, veluti quodam stimulo, eos expergefaciat, qui in carnalis vitæ profundum sunt immersi, & ad curam futurorum excitet. Hæc tacitè philosophatur in primis librorum suorum inscriptionibus Dei quoque amicus Moses, qui statim cum Genesi, quod est generatio, simul quoque scripsit Exodum, id est, excessum: vt qui ea legerent, quæ scripta sunt, etiam per ipsum ordinem librorum ea discerent, quæ ad se ipsos pertinent. Neque enim fieri potest, vt qui Genesin, generationem, inquam, audierit, non Exodum, id est, excessum protinus cogitet, &c.

Oration. Catechetica cap. 8. Sed ægrè fert & indignatur, qui aspicit ad dissolutionem corporis, & graue esse ducit, quòd morte vita nostra dissoluitur. Ex hoc ergo, quòd dolorem affert & molestiam, consideret insigne Dei beneficium. Per hoc enim magis adducetur, vt admiretur gratiam curæ, quam Deus gerit hominis. Viuere est eligendum ijs, qui vitæ sunt participes, propterea quòd fruantur ijs, quæ sunt grata & iucunda. Nam si quispiam in doloribus & angoribus vitam transigeret, ei longè præstabilius iudicatur non esse, quàm esse in dolore. Examinemus ergo an is, qui vitam suppeditat, ad aliquid aliud aspiciat, quàm vt vitam in ijs, quæ sunt optima & pulcherrima. Quia enim liberi arbitrij motu attraximus mali societatem, per cuiusdam voluptatis veluti quoddam venenum melle conditum, malum naturæ immiscentes: & ideò à beatitudine, quæ ex impatibilitate intelligitur, excidentes, transformati sumus ad vitium: ea de causa veluti quoddam vas fictile, homo rursus in terram resoluitur: vt secretis, quæ in eo nunc sunt, sordibus, in pristinam figuram reformetur per resurrectionem.

Oratione de mortuis: Posteaquam mortis tanquam partus dolores, quasi obstetrices acciuerint, vt in alteram vitam homines educantur, ipsi quidem, cùm ad illam lucem processerint, & purum illum spiritum hauserint, experimento cognoscunt, quantum illa vita ab ista differat.

Esaias Abbas. 390.

Orat. 1. Mors vobis quotidie ante oculos versetur: ea vos cura sollicitet, quomodo corpore exeatis, quomodo potestates tenebrarum euitetis, quæ in aëre vobis occurrent.

Ioannes Chrysostomus. 400.

In Genesim Homil. 66. Alij quidem capite truncati, alij lapidati, mortui sunt: & alij innumeris & varijs pœnis seipsos exposuerunt propter pietatem, omnes propter Christum Martyres facti sunt: & nullus de illis dicere ausus fuerit, quòd ignominiosa sit eorum mors: sed sequetur diuinam Scripturam dicentem: *Pretiosa in conspectu* DOMINI *mors sanctorum eius.* Psal. 115. Et sicut mortem sanctorum pretiosam vocauit, audi quomodo & mortem peccatorum malam vocet: *Mors enim*, inquit, *peccatorum mala.* Psal. 33. Itaque etiamsi domi suæ moriantur, & muliere, & filijs præsentibus, & familiaribus, & notis astantibus, virtute autem careant, mala horum mors est. Sic etsi in aliena terra, etsi super pauimentum quis iacens: & quid dico, si in aliena? etiamsi in latrones incidat, etiamsi à bestijs deuoretur, virtute autem præditus sit, pretiosa eius mors erit, &c. Hæc autem omnia cogitantes, neque eos, qui in aliena terra moriuntur, miseros dicamus: neque domi suæ morientes beatos dicemus: sed diuinæ Scripturæ canonem sequentes, & claros virtutibus hinc migrantes beatos dicamus: & eos, qui in peccatis moriuntur, miseros prædicemus.

In Psalm. 110. Etsi mors ex peccato ingressa est, tanta tamen & tam insignis fuit Dei clementia, cura, & prouidentia, vt eam in nostri generis vtilitatem conuerterit. Quid enim graue, dic quæso, habet mors? an non liberat à laboribus? an non à curis eripit? An non audis Iob eam laudantem, & dicentem: *Mors homini requies, cuius vita est abscon-sa?* Iob 3. an non ea vitium rescindit? Nam etsi malus fuerit, eo mortuo vitium resectum est. *Qui enim mortuus est*, inquit, *iustificatus est à peccato*, hoc est, Rom. 6. peccatum non amplius adijcit: & si cùm bonus sit, excesserit, in tuto erit ei collata omnis virtus, & in certissimo thesauro, qui eripi non potest, recondita. Quid verò, dic quæso viuos an non modestiores reddit, & temperantiores? Non vides quòd sæpe diuites, qui efferuntur, superbia intumescunt, & supercilia contrahunt, quando viderint corpus iacere surdum & immobile, & filios in orbitate, vxorem in viduitate, & amicos in mœrore, famulosq; atris vestibus indutos, & esse denique tristem alugubrem totius domus speciem: quomodo se reprimunt & colligunt, quàm humiles & abiecti fiunt, & sunt contrito & afflicto animo? Etenim qui millies doctrinam sibi traditam audierant, nec ex ea quicquam lucrifecerant, ex illo spectaculo repente philosophantur, quàm sit vilis & caduca humana natura intelligentes, & quàm instabilis & imbecilla sit eorum potentia, & in alienis calamitatibus præuidentes suas mutationes. Si enim quamuis sit mors, est tamen tantum rapinæ, tantum auaritiæ, tanta aliena habendi & plura possidendi cupiditas, & non secus ac pisces, qui sunt potentiores, imbecilliores deuorant: si non esset mors, quò non processisset auaritia, aut quando conquiesceret? &c. Quid verò? Martyrij coronæ nonne per mortem contexuntur? Quid verò Paulus? nonne innumerabilia erexit trophæa, dicens: *Quotidie morior per vestram gloriationem?* 1. Tim 6. Non enim mors mala est, sed mala est mors mala: & ideo dicit: *Pretiosa est coram Domino mors sanctorum eius.* Psal. 115 Alibi autem: *Mors peccatorum mala.* Psal. 33 Hoc dico malum, cum mala recedere conscientia, & multis peccatorum curis onustum, & grauatum. Qui enim puram habet conscientiam, is currit ad præmia, recedit ad coronam.

Homilia 25. in Matth. operis imperfecti: Sicut autem omnia mala operatur timor mortis, sic omnia bona operatur contemptio mortis. Qui timet mori, id est, qui non sperat viuere post mortem, neque eleemosynas dat, neque orationibus instat, neque ieiunium celebrat, neque paupertatem sustinet, neque opprobrium suffert, neque damnum substantiæ suæ contentus est pati, neque corporalem: iniuriam sustinet propter Deum: sed hoc suæ lucrum vitæ existimat, si bonis istius mundi feliciter fruitus fuerit: & hoc damnum vitæ suæ putat, si fuerit alienatus ab istis bonis. Quare? quia laborum suorum præmium in resurrectione non sperat. Qui autem non timet mori, id est, qui vitam sperat post mortem: omnia, quæ diximus, libenter sustinet propter Deum, quia laborum suorum mercedem multiplicem indubitanter expectat. Ille est ergo perfectus discipulus Christi, qui hæc omnia patitur, aut pati paratus est.

Homilia 41. in epist. 1. ad Corinth. At perdidisti filium? Non perdidisti, ne dicas. Res hæc est somnus, non mors: est migratio, non perditio: est peregrinatio à deterioribus ad meliora. Ne Deum irrites, sed places & reddas propitium. Nam si forti animo tuleris, erit huic & defuncto, & tibi quædam consolatio: sin contra, iram Dei magis accendis.

In 2. ad Corinth. Homilia 1. in Morali: Si præterea illud consideres, eum, qui vitam cum morte commutauit, ad meliorem regionem migrasse, atque ad præstantiorem sedem transiliisse, teque non filium amisisse, sed in tuto iam loco collocasse. Quamobrem ne dixeris, Iam pater non vocor. Ecquid enim est, quamobrem non iam voceris, cùm filius tuus superstes sit? Num enim puerum amisisti? Num filium perdidisti? Imò potius adeptus es, tutiusque possides. Ob idque non iam hic solùm pater vocaris, sed etiam in cælo, &c. Neque enim iam mortalis, sed immortalis filij pater vocaberis, strenuique militis, atque intus perpetuò stantis. Neque enim est, quòd eum idcirco tibi periisse putes, quia non adest. Etenim si peregrè profectus fuisset, non propterea vnà cum corpore propinquitatis quoque nomen abscessisset. Quocirca ne iacentis vultum attende, (sic enim ægritudinem exuscitas) verùm da operam, vt mentem ab eo, qui iacet, ad cęlum subducas. Non enim cadauer hoc, quod humi iacet, filius tuus est: sed ille, qui euolauit, atque in immensam altitudinem ascendit. Cùm itaque depressos oculos, atque contractum os, & corpus motu carens videris, caue hoc tibi in mentem veniat, quòd os istud non iam loquitur, oculi isti non iam cernunt, pedes isti non iam ambulant; sed omnia in corruptionem abierunt. Caue, inquam, ista commemores, verùm his contraria, nempe, Os istud melius loquetur, oculi isti meliora cernent, & pedes in nubibus sublimes tollentur, ac denique corpus istud, quod nunc corrumpitur, immortalitatem induet, illustrioremque filium meum recipiam.

Homilia 3. in epistolam ad Philippenses: Nam & ipsa mors in numero rerum indifferentium est: Non mors malum est: sed post mortem pœnas dare hoc malum est: neque verò bonum est mors; sed postquam decesseris, cum Christo esse, id bonum est: ita planè; vt quæ post mortem, ea demum sint vel bona, vel mala. Igitur non generatim eos, qui moriuntur, lugeamus, neque de viuentibus generatim gaudeamus: sed quid? Lugeamus peccatores non solùm morientes, sed etiam viuentes. De iustis gaudeamus, non solùm dum viuunt, verùm etiam postquam mortui fuerint. Nam illi quidem etiam dum viuunt, mortui sunt: hi verò etiam cùm mortui fuerint, viuunt.

Nilus. 420.

De interemptione Patrum Syriæ: Non enim quòd sit mortuus, neque quomodo vitam finierit reputo: sed considero, quòd omnis peccati effugit periculum. Non quòd corpus sit sauciatum, & mortem acerbam sustinuit: sed quòd puram animam, & nulli reprehensioni affinem, illinc tulit, & spiritum immaculatum Dei commendauit manibus.

Ioannes Cassianus. 420.

Collat. 16. cap. 6. Postremum illud est, quod generale vitiorum omnium peremptorium esse non dubium est, vt se de hoc mundo credat quotidie migraturum. Quæ persuasio non solùm nullam in corde tristitiam residere permittit, verùm etiam vniuersos concupiscentiarum, ac peccatorum omnium comprimet motus.

Collat. 21. cap. 8. Theonas dicit, conuersionem melioris vitæ nequaquam esse protelandam, quia necessitati subitæ mortis vana spes immaturæ non præiudicaret ætatis, quippe quæ infantes, pueros, adolescentes, pari, vt senes, sorte præriperet.

Isidorus Pelusiota. 430.

Lib. 3. epist. 248. Mors, quę nobilem plantam arefacere videtur, nihil aliud est, quàm animæ & corporis disiunctio. Id si non credis, audi quid dicat Plato: Morte hominem inuadente, mortalis vt videtur, ipsius pars mori videtur: quod autem immortale est, saluum & incolume abit, postea quam morti velut fasces submisit.

Theodoretus. 450.

De Prouidentia Sermone 6. Nec verò ingressum modò in vitam hanc vnum & eundem omnes habemus, sed & exitus omnibus vnus est. Vna & eadem mors omnes excipit. Nec enim diuitias mors metuit, nec lancearios satellites timet, nec purpuram horret, quin & muros, turres, regumque aulas contemnit, ac in ipsos thalamos penetrat, lachrymantis non miseretur, orantis precibus non mouetur, donis non corrumpitur, medicam artem non moratur, pharmacorum vires vanas & inefficaces esse ostendit: sæpius etiam nec vltima mandata dare, nec opum hæredem scribere permittit, sed rapit, ruit, animamque à corpore separat. Finem ergo vitæ communem habent & hi, qui diuitijs superbiunt: & hi, qui cum paupertate conflictantur. Tum vbi vitam egressi sunt, eandem etiam è mundo hoc peregrinationem sustinent. Simili enim modo putredo sequitur, & sanies defluit, & vermes enascuntur, & terribilis ille visus extinguitur simul & liquescit: tum insatiabile illud os & lingua rabida vermibus arrodenda, & comedenda proponitur.

Nemesius. 480.

De animæ facultate cap. 45. Nulla mors mala est, nisi quæ ob peccatum offertur, vt è morte sanctorum hominum cognoscitur: improbus verò, etiamsi in lectulo, etiamsi repente sine molestia vlla vitam finierit, malè mortuus est, vt qui malam sibi sepulturam asciuerit peccatum.

Andreas Cæsareensis. 500.

In Apocalypsi Sermone 3. Vt communis præsentis seculi consummatio omnibus est incognita, ita vniuscuiusque mors quoque incerta. Cæterùm qui corporis mortem adducit, ijs quidem, qui parati sunt, quietis à laboribus auctor est: ijs verò, qui secus comparati sunt, fur est.

Dorotheus Archimandrita. 520.

Doctrina 12. Magna Dei clementia est, fratres, dum in hac vita sumus, sed ignorantes quàm grauiora sint, quæ post obitum expectamus, ad hæc

tantùm pœnitentia oculos flectimus, quæ profectò grauia non sunt. An ignoratis sententiam senis illius, cum interroganti fratri & dicenti, quòd mori oportet, respondit: vt tribulationem fugias illud optas?

Procopius Gazæus. 530.

In Deuteronomion fol.461. Inobedientia & lignum mortis sibi inuicem respondent. Dilectionem idcirco Domini vitam vocat, vt dierum non sensilium longitudinem, quas inducere cùm desideraret sapiens, inquit: *Heu mihi, quòd habitatio mea est protracta:* verùm earum, quibus Sancti bonis fruuntur, & dona eximia accipiunt, & è vita in vitam, è fide in fidem, è virtute in virtutem transeunt. Longæui itaque non vsquequaque dies extendunt, verùm hi, qui præclaræ actionis magnitudine eas augent. Quapropter Iacob confessionem edens: *Veluti*, inquit, *pauci sunt dies mei.*

Æneas Gazæus. 530.

In Theophrasto: Si mors omnium rerum finis vltimus esset, rectè in quæstionem vocarent homines, quinam fieret, vt homo scelestus in imperio, atque in lauta fortuna vitam suam finiret?

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 6. Omne verbum præcedit cogitatio, mortis autem & scelerum memoria fletum præcedit & luctum, &c. Memoria mortis est quotidiana mors, memoria verò exitus, iugis per horas singulas gemitus. Formido mortis, naturæ est proprietas, quam intulit inobedientiæ peccatum. Timor autem mortis, peccatorum, quæ nulla pœnitentia deleuerit, certum argumentum est. Formidat Christus, non tremit mortem, vt duarum naturarum proprietates apertissimè ostendat. Sicut cibis omnibus panis vtilior est, & magis necessarius: ita præstat omnibus operibus mortis cogitatio. Memoria mortis his, qui fratrum in medio versantur, labores & exercitationes parit, imò verò ignominiæ dulcem appetitum: eis verò, qui in solitudine ab omni tumultu remoti degunt, deponere curas omnes persuadet, & orationi perpetuæ insistere, mentemque diligentissimè seruare: quæ sanè virtutes omnes huius & matres sunt, & filiæ, &c. Probatus ille quidem est, qui mortem diebus singulis expectat: sed ille sanè sanctus, qui hanc horis singulis desiderat. Non omne mortis desiderium probabile, aut bonum est. Sunt enim qui iugiter consuetudinis violentia adacti, peccant, mortemque cum humilitate optant. Sunt item qui pœnitere nolunt, & eam ex desperatione aduocant. Et sunt, qui per operationem sancti Spiritus suum è corpore excessum quærunt. Hæsitant nonnulli religiosi, cuius rei gratia, cùm tantum nobis beneficij & emolumenti conferat mortis memoria, ipsius præcognitionem à nobis absconderit Deus, non aduertentes, quòd mirabiliter Deus salutem nostram moliatur. Nemo enim si præscisset mortem suam, ad baptisma, siue ad monasticam vitam protinus accederet, sed omnes dies suos in iniquitatibus conterens, ad ipsum iam exitum suum ad baptismum & ad pœnitentiam se conferre festinaret, sed cùm per longam temporis moram vitijs iam esset assuetus, migrasset vtique sine vllo emendationis fructu, &c. Monachus quidam AEgyptius mihi aliquando narrauit, quòd cùm in intimo corde memor mortis penitus fixisset, velletque aliquando necessitate vrgente, carnis huius luto solatij quiddam indulgere, ab huiusmodi memoria veluti à quodam iudice prohibitus sit, &c. Nemo, qui reuera mortis memoriam agnouerit, peccare vnquam poterit, &c. Sicut abyssum quidam infinitam esse definiunt, locum enim sine fundo eam vocant, ita & mortis intenta cogitatio ineffabilem & incorruptam castitatem, atque operationem parit.

Georgius Pisides. 630.

De vanitate vitæ:

Sim terra, lutum, puluis, & cinis licet,
Qui rursus in tetrum cinerem transferar:
Nam terra rursus terra fiet, atque mox
Iacebit in cunis feriata terreis.

Maximus Monachus. 640.

Cent.5.cap.76. Non puto iustum esse, finem huius vitæ mortem appellare: sed recessum à morte, separationem à corruptione, liberationem à seruitute, à turbatione quietem, bellorum ablationem, tenebrarum subductionem, remissionem laborum, feruoris tranquillitatem, velamentum pudoris, affectionum fugam, &, vt in summa dicam, omnium consumptionem malorum. In quibus quidem, dum per spontaneam mortificationem præclarè se gererent sancti, seipsos in hac vita peregrinos, & aduenas præstiterunt, strenuè dimicantes cum mundo, cum corpore, & cum prodeuntibus ab ipsis insultationibus, & vtrimque prouenientem è commercio sensuum cum sensilibus deceptionem suffocantes, immunem à seruitute ipsi sibi conseruârunt animæ dignitatem.

Ioannes Damascenus. 730.

Historia Barlaam cap. 4. Qui mortem metuunt, id curant, quonam pacto eam effugiant. Qui autem hi sunt, nisi qui fluxis rebus intabescunt, easque ad stuporem vsque mirantur? Qui quidem cùm in altera vita quicquam boni sese consecuturos esse desperent, à præsentibus diuelli nequeunt, ob eamque causam mortem timent. At nos, qui iam pridem mundum, & ea, quæ in mundo sunt, odio prosequimur, arctamque & angustam viam Christi causa ingredimur, nec mortis metu, nec præsentium rerum cupiditate afficimur: verùm futurarum duntaxat rerum desiderio tenemur. Quoniam igitur mors ea, quam nobis infertis, ad sempiternam, & præstantiorem vitam transitus efficitur, idcirco cupiditati potius nobis, quàm terrori est.

Cap.5. Debitum naturale mors est, hominibus ab initio impositum, neque vlla ratione ipsius aduentus vitari potest.

Basilius Imp. 860.

In exhortationibus cap. 66. Homo cùm sis, & finem tibi præscriptum esse agnoscas, intelligasque hominem nullum esse, cui non sit aliquando moriendum, nullum qui non peccet, nullum qui Dei iudicium euitare queat de his omnibus, quæ in tota vita gesserit, nullum, cui de mortis suæ termino compertum sit.

Theophylactus. 900.

Ad cap.5. ad Rom. Cùm Adam cecidisset, etiam ij, qui non comederunt de ligno isto, facti sunt ex illo mortales, perinde ac si ipsi etiam impegissent, quandoquidem ille impegerit.

Ad cap.5. priorìs ad Thessalon. Si nouisset vltimum suum diem homo, nihil non scelerum conaretur patrare alijs diebus, deinde sine vitæ appropinquante baptizaretur. Denique plerique si nouissent in crastinum, verbi gratia, sese morituros, innumeris malis hostes affligere meditarentur, tanquam iam de seipsis desperantes, hostiumque sanguine se explere cupientes: quod nunc non fit, mortis errore eos remorante, vitæque cupiditate. Præterea vitæ suæ amentiores, præ nimia desperatione ac tristitia perirent, si mortis suæ tempus ac momentum compertum haberent. Ad hæc iusti non tantum mercedis haberet periculis obiecti. Existimassent enim, quia compertum haberent se nunc haud morituros, sed post tot, verbi gratia, annos,

propterea sibi non parcere, sed se periculis intrepidè obijcere. Nunc verò, cùm incertum sit, euadantne pericula, an secus, nec vel sic tamen mortem euadere laborant, perspicua eorũ virtus est.

Ad cap.2.ad Hebraeos: Mortem metuens, expers est libertatis, omniumq; seruus est: consolationi hoc est fidelibus, qui affliguntur. Siquidem acti illi, & carceribus mancipati, & vincti liberius viuunt, ac suauiorem vitã ducũt ijs, qui olim summis in delicijs vitam ducere videbantur, quando vigebat mors, & vires suas obtinebat.

Simeon Metaphrastes. 950.

In vita Ioannis Eleemosynarij: Vt autem memoriam mortis suae cogitationi profundè imprimeret, & eam perpetuò haberet praesentem, & ante oculos, quid facit? Iubet sibi extrui monumentum: ei autem finem non imponi, sed semiperfectum sic relinqui. Deinde eos, qui praefecti erant operi, cùm esset festum aliquod insigne, accedentes, in conspectu omnium, qui considebãt, apertè dicere: Monumentum tuum in hodiernum vsque diem est imperfectum domine. Iube ergo vt id finem accipiat, incertum est enim, qua hora fur ingrediatur, nempe mors.

In martyrio S. Aretha c.19. Cùm res nostrae (*inquit Arethas ad socios*) ad eam adductae sunt necessitatem, vt vel tyranno parentes, & nos impiè gerentes, vitam agamus miseram: vel non parentes, & pietatem exercentes, beatum finem adipiscamur, studeamus immortalem gloriam consequi per martyrium. Nec me existimet aliquis, tãquam iam senem & plenum dierum finem cupere, & ideo alios ad mortem incitare: sed consideret vnusquisque vestrum, mortem esse commune debitum & iuueni, & seni, & esse ineuitabilem corporis dissolutionem. Itaque non expectetur finis communis, & qui sua sponte venit: sed studeat quilibet, vt sit, quàm fieri poterit, gloriosus & beatus: Quidnam autem dixerit quispiam martyrio gloriosius, aut quaestuosius, aut pijs hominibus beatius? Ego enim, si fieri posset, propter Christum mori sępe & ipse eligerem, & alijs consulerem: sic q; esset & maior gloria, & lucrum longè copiosius. Sed hoc cùm haberi non possit à natura, quod vel inuitis nobis illa ex se facit, praeripiamus cum gloria, & id tanquã propriũ constituentes, astutè fallamus necessitatẽ. Nullus nostrum, ô fratres, sit adeò vitae cupidus, & adeò pusilli & abiecti animi, vt pro breui & misera vita perdat aeternitatem, & quae nunquam soluitur, beatitudinem.

Theodulus.

In cap.5.ad Romanos: Mors principium ex Adam ducens, nostri omnium peccatorum cooperationem habuit, vt contra omnes esset potens, quod tamen minimè potens futurum erat, si à cunctis cordibus mansissent puri mortales.

Euthymius. 1080.

Ad Psal.67. *Et Domini exitus mortis*:) Ad potestatem, inquit, Dei pertinet, vt à morte quis ad vitã educatur: per mortem verò & illã intelligere potes, quae corporis operationes extinguit, ipsam nimirum naturalem mortẽ, & illam, quae virtutis operationes in anima mortificat, quam appellamus peccatum: ab vtraq; enim morte potest nos Deus liberare.

Ad Psal.33. *Mors peccatorum pessima*: Hoc est, laboriosa atq; molesta, quod ex Graecae dictionis etymologia melius percipitur: tũc temporis etenim certius dignoscunt poenas sibi foro impositas. Iustorum autẽ mors suauis est, quia gaudia sibi sentiunt praeparata.

Ad Psal.115. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius*. Laetor, inquit, moriens: honorata est enim apud Deum mors illorum, qui ei dicati, & sanctificati fuerint. Nam si illorum vita honorata est, multo magis etiam mors, quae ad ipsum Dominum eos prouehit, sanctorum Angelorum comitatu & societate honoratos.

Demetrius Cydonius. 1300.

Oratione de contemnenda morte: Quod in nobis moritur & paruum est, & nõ idem quod nos, sed nostrum quiddam est, nec sua mutatione contra nos mortis quoq; suffragium ferre potest, quemadmodum nemo corpori malas vestes imputabit, neque si illae rumpantur, aut deterantur, id corpori accidere censebit, &c. Quod si hominẽ morte penitus deleri contingeret, ne sic quidem mortis memoria affligi oporteret: sed cogitãdum potius esset, quãtis corporis molestijs vita referta sit, & quanto sit leuius, omnis sensus expertem esse, quàm tantã tempestatem, quae à corpore nobis indies excitatur, tolerare: quam animus neq; frangere neq; ferre potest, cùm compages nostra corporis affectiones ad eum transmittat.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 2. Haec, quam nos mortem esse putamus, mors non est, sed somnus: olim enim mors talis erat, quae resurrectione carebat, sed detinebantur in inferno animae: nunc verò resurrectione nobis à Deo donata, tanquam ex somno resurrecturi sumus, omnes homines tam pij, quàm impij.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Lib. de anima cap.27. Recogita de nouissimis prima: si mors nõ aliud determinatur, quàm disiunctio corporis animaeq;, contrariũ morti vita non aliud definietur, q̃ coniũctio corporis animaeq;. Si disiũctio simul vtrique substantiae accidit per mortem, hoc debet coniũctionis forma mãdasse pariter obuenientis per vitã vtriq; substantiae.

Cap.42. De morte iam superest, vt illic materia ponat, vbi ipsa anima consummat. Quanquam Epicurus vulgari satis opinione negarit mortem ad nos pertinere. Quod enim dissoluitur, (inquit) sensu caret: & quod sensu caret, nihil ad nos. Dissoluitur autẽ & caret sensu, non ipsa mors, sed homo, qui eam patitur. At ille ei dedit passionẽ, cuius est actio. Quòd si hominis est pati mortem dissolutricẽ corporis, & peremptricem sensus, q̃ ineptũ, vt tãta vis ad hominẽ nõ pertinere dicatur. Multo coactius Seneca: Post mortem (ait) omnia finiuntur, etiã ipsa. Hoc si ita est, iam & mors ad semetipsam pertinebit, si & ipsa finitur. Eo magis ad hominem, in quo inter omnia finiẽdo, & ipsa finitur. Mors nihil ad nos, ergo & vita nihil ad nos. Si enim quo dissoluimur praeter nos, etiam quo cõpingimur extra nos. Si adeptio sensus nihil ad nos, nec adeptio sensus quicquã ad nos: sed mortẽ quoq; interimat, quia & animam in nobis vt depositũ habitat: & vt de alia prouincia animae, ita de morte tractabitur, ad quã vel ipsi pertinemus, si ad nos illa non pertinet.

Cap.50. Publica totius generis humani sententia mortem naturae debitũ pronunciamus. Hoc stipulata est Dei vox, hoc spopondit omne quod nascitur, vt iam hinc non Epicuri stupor suffundatur, negantis debitũ istud ad nos pertinere: sed haeretici Magi Menandri Samaritani furor conspuatur, dicẽtis mortẽ ad suos non modò nõ pertinere, verùm nec peruenire. In hoc scilicet à su-

bris, spiritus tanquam in sede sua violatus, erumpat aut effluat: incidat in Dominum vitæ mortis metus, si quòd emisso spiritu mortuus est, non libertatis suæ ad moriendum vsus est potestate.

In Psalm. 51 Interceptio quidem corporum adfert temporarium mortis occasum: sed lex constituta moriendi, legem non adimit resurgendi. Quia decernenti legem lex non affert necessitatem: neque sibi Deus ius viuificandi ademit, legem nobis decernendo moriendi. Mors autem in eos tantùm, in quos decreta legitimè est. Viuunt autem Deo omnes, ex cuius lege sunt mortui.

In Psal. 62. Sed quia plena omnium anxietatum, ac dolorum ætas nostra est, plus in misericordia Dei spei est, quàm in vita: quia hanc mors ex peccati lege consequitur: hæc verò æternitatem ex morte restituit. Sicuti tritici satio ac dissolutio ipsa tritici conseruatione præstantior est: hoc enim Deus prout vult vestit in spico: ita magnum misericordiæ Dei munus est, si commortui Christo, viuamus in Christo. Nam & ipsa Adæ mors, ne æternitatis pœna maneret, sub misericordiæ significatione est constituta, & Apostolus dissolui se melius sibi esse decernit. Et Propheta gaudium mansuræ sibi mortis ostendit, dicens: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius:* quia per eam cum peccati lege resolutis demutationis gloriosæ profectu æternitas animæ corporisque iam sine peccati corpore rependetur.

Psal. 115.

In Psalm. 63. Qui prædicabit animæ cum corpore occasum, audiet animam non esse terrenam, sed ex afflatu Dei ortam elementis corporis admisceri: mortem autem non interitum esse, sed discessionem eius à corpore.

Ambrosius. 370.

Libro de bono mortis cap. 2. Mortis tria sunt genera. Vna mors peccati est, de qua scriptum est: *Anima quæ peccat, ipsa morietur.* Alia mors mystica, quando quis peccato moritur, & Deo viuit, de qua ait Apostolus: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem.* Tertia mors est, qua cursum vitæ huius & munus explemus, id est, animæ corporisque secessio. Aduertimus igitur quòd vna mors sit mala, si propter peccatum moriamur: alia mors bona sit, qua is, qui fuerit mortuus, iustificatus est à peccato: tertia mors media sit. Nam & bona iustis videtur, & plerisque metuenda. Quæ cùm absoluat omnes, paucos delectat. Sed non hoc mortis est vitium, sed nostræ infirmitatis, qui voluptate corporis, & delectatione vitæ istius capimur, & cursum hunc consummare trepidamus, in quo plus amaritudinis quàm voluptatis est, &c. Quid igitur tantopere vitam istam desideramus, in qua quanto diutius quis fuerit, tanto maiore oneratur sarcina peccatorum? Ipse Dominus ait: *Sufficit diei malitia sua.*

Ezec. 18
Rom. 6.
Matt. 6.

Cap. 3. Mors igitur solutio est animæ & corporis. Denique & in Apostolo docuimus lectum. *Dissolui, & cum Christo esse,* multò melius. Solutio autem ista quid aliud agit, nisi vt corpus resoluatur & quiescat, anima autem conuertatur in requiem suam, & sit libera? quæ si pia est, cum Christo futura sit? Quid igitur in hac vita aliud iusti agunt, nisi vt exuant se huius corporis contagionibus, quæ velut vincula nos ligant, & se ab his molestijs separare contendant, renuntient voluptatibus atque luxuriæ, fugiant flammas libidinum?

Phil. 1.

Cap. 4. Omnifariam igitur mors est bonum: & quia compugnantia diuidit, ne se inuicem impugnent & quia portus quidam est eorum, qui magno vitæ istius iactati salo, fidæ quietis stationem requirunt: & quia deteriorem statum non efficit, sed qualem in singulis inuenerit, talem iudicio futuro reseruat, & quiete ipsa fouet, & præsentium inuidiæ subducit, & futurorum expectatione componit. Accedit eò, quòd frustra homines mortem timent, quasi finem naturæ. Nam si recolamus, quod Deus mortem non fecerit, sed postquam homo lapsus in flagitium est præuaricationis & fraudis, sententia eum comprehenderit, vt in terram suam terra remearet, inueniemus mortem finem esse peccati: ne quò esset vita diuturnior, eò fieret culpa numerosior.

Cap. 7. Non quia amara sit mors, sed quia impio amara: & tamen amarior vita, quàm mors. Grauius est enim ad peccatum viuere, quàm in peccato mori, quia impius, quamdiu viuit, peccatum auget: moriatur, peccare desinit. Plerique criminum suorum absolutione lætantur. Si emendaturi sunt, rectè: si perseueraturi in eis, stultè: quia longè illis plus damnatio profuisset, ne incrementa facerent peccatorum.

Cap. 8. Quòd si terribilis apud viuentes æstimatur, non mors ipsa terribilis est: sed opinio de morte, quam vnusquisque pro suo interpretatur affectu, aut pro sua conscientia perhorrescit. Suæ igitur vnusquisque conscientiæ vulnus accuset, non mortis acerbitatem. Denique iustis mors quietis est portus, nocentibus naufragium putatur. Certè ijs, quibus grauis est timor mortis, non est graue mori, sed graue est viuere sub metu mortis. Non ergo mors grauis, sed metus mortis, &c. Non enim habemus quod in morte metuamus, si nihil quod timendum sit vita nostra commisit, &c. Insipientes autem mortem quasi summum malorum reformidant, sapientes quasi requiem post labores & finem malorum expetunt.

Cap. 12. His igitur freti, intrepidè pergamus ad Redemptorem nostrum Iesum, intrepidè ad Patriarcharum concilium, intrepidè ad patrem nostrum Abraham, cùm dies aduenerit proficiscamur: intrepidè pergamus ad illum sanctorum cœtum, iustorumque conuentum. Ibimus enim ad patres nostros, ibimus ad illos nostræ fidei præceptores, vt etiamsi opera desint, fides opituletur, defendat hæreditas.

Prudentius. 380.

Hymno decimo ad exequias defunctorum:

Hanc tu Deus optime mortem
Famulis abolere paratus,
Iter inuiolabile monstras,
Quo perdita membra resurgant.
Vt dum generosa caducis,
Ceu carcere clausa ligantur,
Pars illa potentior extet,
Quæ germen ab æthere traxit, &c.
Nam quod requiescere corpus
Vacuum sine mente videmus,
Spatium breue restat, vt alti
Repetat collegia sensus.
Venient citò secula, cùm iam
Socius calor ossa reuisat,
Animataque sanguine viuo
Habitacula pristina gestet.
Quæ pigra cadauera pridem
Tumulis putrefacta iacebant,
Volucres rapientur in auras,
Animas comitata priores, &c.
Mors ipsa beatior inde est,
Quòd per cruciamina lethi
Via panditur ardua iustis,
Et ad astra doloribus itur.
Sic corpora mortificata
Redeunt melioribus annis,
Nec post obitum recalescens
Compago fatiscere nouit, &c.
Iam mœsta quiesce querela,
Lachrymas suspendite matres,

quod est Ecclesia? Non solùm ergo illis dixit, quibus tunc audientibus loquebatur, sed etiam illis, qui fuerunt post illos ante nos, & ad nos ipsos, & qui erunt post nos, vsque ad eius nouissimum aduentum. Nunquid autem omnes inuenturus est dies ille in hac vita, aut quisquã dicturus est, quod ad defunctos etiam pertineat, quod ait: *Vigilate, ne cùm repentè venerit, inueniat vos dormientes?* Cur itaque omnibus dicit, quod ad eos solos pertineat, qui tunc erunt, nisi quia eo modo ad omnes pertinet, quomodo dixi? Tunc enim vnicuique veniet dies ille, cùm venerit ei dies, vt talis hinc exeat, qualis iudicandus est illo die. Ac per hoc vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum inueniat eum Domini aduentus. Imparatum autem inueniet ille dies, quem imparatum inuenerit suæ vitæ huius vltimus dies. Certè enim hoc saltem manifestum erat Apostolis, non eorum temporibus, cùm hîc in carne viuerent, Dominum esse venturum: & tamen quis dubitet eos præcipuè vigilasse, & seruasse quòd omnibus dixit, ne imparatos repente veniens inueniret?

Lib. Octoginta trium quæst. quæst. 59. *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Non modò illius vltimi temporis, quo venturus est sponsus: sed suæ quisque diem dormitionis & horam nescit. Quisquis autem paratus est vsque ad somnum, id est, vsque ad mortem, quæ omnibus debetur, paratus etiam inuenietur, cùm illa vox media nocte sonuerit, qua omnes euigilaturi sunt.

Sermone 3. de sanctis Innocentibus, qui est decimus de Sanctis: Percutitur etiam hac animaduersione peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret, oblitus est Dei.

Ezech. 18. *Tractatu 33. in Ioannem:* In quo Propheta mihi legis, quia promisit Deus mihi correcto indulgentiam: non mihi legis, quia tibi promisit Deus longam vitam. Propter illos, qui desperatione periclitantur, proposuit indulgentiæ portum: propter illos, qui spe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum.

Tractatu de disciplina Christiana, vel de domo disciplinæ cap. 11. Quomodo stimulat, quomodo metus iste interpellat? Quomodo nomen ipsum à me commemoratum omnium corda percussit? Quomodo timorem vestrum teste gemitu declarastis? Audiui, audiui, gemuistis, mortem timetis. Si timetis, quare non cauetis? Mortem timetis. Quid timetis? ventura est. Timeam, an non timeam, venire habet: serò, an citò, ventura est. Si timeas, non efficies vt non sit quod times.

Cap. 12. Illud potius time, quod si nolis, non erit. Quid? Peccare. Peccare time: quia si amaueris peccata, in aliam mortem irrues: quò posses non venire, si non amares peccata. Modò autem peruersus, plus amas morem quam vitam. Absit, inquis. Quis est hominum, qui plus amet mortem, quam vitam? Fortè conuinco te, quia plus amas mortem quàm vitam. Ecce vnde te conuinco. Amas tunicam tuam, bonam eam vis. Amas villam tuam, bonam eam vis. Amas filium tuum, bonum eum vis. Amas amicum tuum, bonum eum vis. Amas domum tuam, bonam eam vis. Quid est quod etiam bonam vis habere mortem? Quotidie enim rogas, vt quoniam mors ventura est, bonam mortem tibi det Deus: & dicis: Deus auertat à me malam mortem. Plus ergo amas mortem tuam, quàm vitam tuam. Mori malè times, & malè viuere non times. Corrige malè viuere, time malè mori. Sed noli timere: non potest malè mori, qui bene vixerit. Prorsus confirmo, audeo dicere: *Credidi*
Psal. 115. *propter quod locutus sum*, non potest malè mori, qui bene vixerit. Iam tu dicis tibi: Num multi iusti naufragio perierunt? Certè non potest malè mori, qui bene vixerit. Num multos iustos gladius peremit hostilis? Certè non potest malè mori qui bene vixerit. Num multos iustos latrones occiderunt? Num multos iustos bestiæ laniauerunt? Certè non potest malè mori, qui bene vixerit. Et ego respondeo. Hæc enim tibi videtur mala mors, naufragio perire? gladio percuti? à bestijs laniari: mors mala tibi videtur? Nonne has mortes Martyres subierunt, quorum Natalitia celebramus? Quod genus mortis non subierunt? Et tamen si Christiani sumus, si in domo disciplinæ nos esse meminimus, vel cùm hîc sumus, vel cùm hîc audimus, si exeuntes hinc non obliuiscimur, si meminimus quod hîc audimus, nonne Martyres beatificamus? Quære mortes Martyrum. Oculos carnis interroga: Malè mortui sunt. Oculos fidei interroga: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Quicquid ergo est, quod exhorres in morte, omnino non exhorreas, si eos imitaris. Id age, vt bonam vitam habeas, & quæcunque occasio fuerit, vt exeas de hoc corpore, exis ad requiem, exis ad beatitudinem, quæ non habet timorem, nec finem. Nam quasi bona mors diuitis, in purpura & bysso: sed mala mors sitientis, & inter tormenta guttam aquæ desiderantis. Quasi mala mors iacentis pauperis ante ianuam diuitis, inter linguas canum, in fame & siti micas de mensa desiderantis. Mala mors, auersanda mors. Finem respice: Christianus es, fidei oculum intende. Contigit mori inopem illum, & deferri ab Angelis in sinum Abrahæ. Quid proderat diuiti sepulchrum marmoreum, sitienti apud inferos? Quid oberant pauperi panni cum sanie vlcerum eius requiescenti in sinu Abrahæ? Longè vidit eum requiescentem, quem contempserat iacentem. Modò elige mortem. Dic mihi, quis bene mortuus est, quis malè? Puto quia melius ille pauper, quàm ille diues. An vis aromatibus sepeliri, & apud inferos sitire? Respondes, absit à me. Puto quòd hoc dices. Disces ergo bene mori, si didiceris bene viuere. Merces enim bonæ vitæ æterna est.

Seuerus Sulpitius. 410.

Epistola ad Bassulam de transitu S. Martini: Grauis quidem (*inquit Martinus moriturus*) est Domine corporeæ pugna militiæ, & iam satis est, quòd huc vsque certaui: sed si adhuc in eodem labore pro castris tuorum stare me præcipis, non recuso, nec fatiscentem causabor ætatem. Munia tua deuotus implebo, sub signis tuis, quoad ipse tu iusseris, militabo: & quamuis optata sit seni missio post laborem, est tamen animus victor annorum, & cedere nescius senectuti. At si iam parcis ætati, bonum est mihi Domine voluntas tua: hos verò, quibus timeo, ipse custodias. O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum! qui in nullam se partem pronior inclinauerat: nec mori timuit, nec viuere recusauit.

Concilium Milenitanum. 420.

Canone 1. Quicunque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita vt siue peccaret, siue non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.

Possidius. 430.

Vita S. Augustini cap. 27. Indicauerat quoque nobis, se prædicti beati viri Ambrosij, in vltimo vitæ constituti, audisse sapientissimum & pijssimum responsum, & multum laudabat, ac prædicabat. Nam cùm ille, inquit, venerabilis vltima iaceret ægritudine, & à fidelibus honoratis, lecto eius astantibus, & videntibus eum de seculo

migraturum ad Deum, & ob hoc mœrentibus, tāti scilicet ac talis Antistitis morte Ecclesiam posse priuari verbi & Sacramenti Dei dispensatione, cum lachrymis rogaretur, vt sibi à Domino vitæ posceret commeatum, eum illis dixisse: Non sic vixi, vt me pudeat inter vos viuere: sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. Et hæc noster Augustinus senex climata ac librata admirabatur, & laudabat verba. Ideo enim eum dixisse intelligendum est: Nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus, ne crederetur præfidens de suis purgatissimis moribus præsumpsisse. Non sic vixi, vt me pudeat inter vos viuere: Hoc dixerat ad illud, quod homines de homine nôsse poterant. Nam sciens examen æquitatis diuinæ, de bono Domino se dicebat magis, quàm de meritis suis, confidere, &c. Cuiusdam quoque coëpiscopi, & familiarissimi sui amici, in extremis vitæ talibus frequentissimum referebat dictum: ad quem cùm visitandum iam morti appropinquantem venit tâsset, & ille manuum gestu se de seculo exiturum significaret, atque à se illi esset responsum, adhuc enim Ecclesiæ necessarium viuere posse, illum, ne putaretur huius vitæ teneri cupiditate, respondisse ei: Si nunquam, bene: si aliquando, quare non modò? Et talem sententiam mirabatur, & laudabat hominem protulisse, Deum quidem timentem, veruntamen in villa natum & nutritum, sed non multa lectionis eruditum scientia.

Cap. 31. Dicere nobis inter familiaria colloquia consueuerat, post perceptum baptismum etiam laudatos Christianos & sacerdotes, absque digna & competenti pœnitentia, exire de corpore non debere. Quod etiam ipse fecit vltima, qua defunctus est, ægritudine. Nam sibi iusserat Psalmos Dauidicos, qui sunt paucissimi, de pœnitentia scribi, ipsosque quaterniones iacens in lecto contra parietem positos diebus suæ infirmitatis intuebatur, & legebat, & iugiter ac vbertim flebat. Et ne intentio eius à quoquam impediretur, *cauebat.*

Prosper Aquitanicus. 450.

Epigrammate 50.

Cuncta bonis prosunt, quos & mors ipsa beatos
Efficit, vt sumant præmia principium.
Ille igitur finis malus est, quem pœna sequetur,
Et qui perpetui porta doloris erit.
Non quo absumuntur lachrymæ, cunctiq; labores,
Et veteris pereant omnia signa mali.

Sedulius. 460.

Libro 4. Paschali:

Dic vbi nunc tristis victoria? dic vbi nunc sis
Mors stimulis horrenda tuis? quæ semper opimis
Instaurata malis, cuncta inuadere gentes
Fœnali ditione soles: en pessima non tu
Peruenis ad Christum, sed Christus peruenit ad te:
Cui licuit sine morte mori, quiq; omnia gignens,
Omnia constituens, te non formauit vt esses:
Semine vipereo, culpa genitrice crearis,
Et venia regnante peris.

In caput 6. ad Romanos: Quinque sunt species mortis. Nam prima mors est separatio animæ à corpore. Secunda separatio animæ à Deo, quæ per peccatum euenit. Tertia est secundum illud, quòd auctor mortis ipsius diabolus mors appellatur. Quarta mors, inferni lacus, qua præuaricatrices animæ detinentur. Dicitur verò & illa mors laudabilis, qua peccato quisque moritur, & Christo consepelitur.

Alcimus Auitus. 500.

Libro 5. de transitu maris rubri:

Non quemquam mors æqua timet, non excipit vllos,
In viuis tantum qui discernuntur, honores.
Pauperis ad fletum nulla pietate mouetur:
Diuitibus vt parcat, nullo corrumpitur auro
Angelus, æqualiq; examinat omnia lance.
Aegrotum sanus, longæuum iunior ante
Migrat, cunctaq; omnes eadem mors percutit, vnum id,
Et solum superest vitæ discrimen in illa,
Viuant vt meritis superata morte, suiq;
Præmia suscipiant dudum promissa laboris,
Qui superum in terra monitis studuêre tenendis.
Contra qui tantum carni indulsêre, neglecto
Spiritu, in æternos rapiantur protinus ignes.

Boetius. 500.

Metro 7. libro 2.

Mors spernit altam gloriam,
Inuoluit humile pariter, ac celsum caput:
Aequatq; summis infima, &c.

Fulgentius. 500.

Libro primo ad Monimum cap. 6. Huic vni morti, quam peccator sibi per contemptum diuinæ iussionis iniustè concupiscendo arcessiuit, duplam Deus mortem iustè iustificando retribuit. Hoc est, Primam, in separatione animæ & corporis: Secundam, in æterna cruciatione animæ & corporis. Ac per hoc primam, qua discedente anima, caro sola moritur: secundam verò, quando rediens in carnem anima, in eadem & cum eadem, in qua peccauit, carne torquetur.

Dracontius. 540.

Libro primo Hexameron:

Et vitæ mors meta datur, cum fine malorum.
Magna Dei pietas, semper qui temperat iras:
Vita grauis hominum subducitur impete mortis,
Quæ recidiua magis viuaci corde resurgit.
Mors mundanorum requies est certa laborum,
Et malè viuenti præstatur fine salutis,
Continuans quodcunq; nocet prauumq; bonumq;

Fortunatus. 590.

Poematum lib. 11. ad Chilpericum regem, & Fridegundem Reginam:

Aspera conditio, & sors irreuocabilis horæ,
Quam generi humano tristis origo dedit:
Cùm suadens coluber proiecit ab ore venenum,
Morsu serpentis mors fuit Eua nocens.
Sumpsit ab ipso ex tunc Adam patre terra dolorem,
Et de matre gemens mundus amara capit.
Præuaricando duo probro damnantur acerbo,
Ille labore dolet, hæc generando gemit.
Mors venit inde vorax transmissa nepotibus ipsis,
Hæredesq; suos tollit origo nocens.
Ecce hoc triste nefas nobis genuêre parentes:
Cœperat vnde prius, hinc ruit omne genus.
Primus Abel cecidit miserando vulnere cæsus,
Ac fraterna illi sarcula membra fodunt.
Post quoque Seth obijt sub Abel vice redditus isdem,
Et quamuis rediit, non sine fine fuit.
Quid Noe memorem laudatum voce Tonantis?
Quem leuis arca tulit, nunc grauis vrna premit.
Sicq; dehinc Iaphet, iusti iustissima proles,
Sancta & progenies tale cucurrit iter.
Quid Patriarcham Abraham, Isaac, Iacob quoq; dicam,
Cùm de lege necis nemo solutus adest.
Melchisedech etiam Domini sacer ore sacerdos,
Iob quoque seu geniti sic abiêre sui.
Legifer ipse iacet Moyses, Aaronq; sacerdos,
Alloquijsq; Dei dignus amicus obit.

Succes-

Successorq; suus populi dux inclytus Iesus.
Quos legitur libris occubuere Patres.
Quid Gedeon, Samson, vel quisquis in ordine iudex?
Mortem sub Domino iudice nemo fugit.
Israelita potens Dauid Rex, atque Poeta,
Et situs in tumulo cum Salomone suo, &c.

Gregorius Magnus. 590.

Homilia 13. *in Euangelia:* Horam vltimam Dominus noster idcirco voluit nobis esse incognitam, vt semper possit esse suspecta: vt dum illam præuidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. Proinde, fratres mei, in conditione mortalitatis vestræ mentis oculos figite venienti vos iudici per fletus quotidie & per lamenta præparare. Et cùm certa mors maneat omnes, nolite de temporalis vitæ prouidentia incertum cogitare, &c. Audite quid Sapiens Salomon dicat: Eccles. 9. *Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec scientia, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Quia ergo & venturæ mortis tempus ignoramus, & post mortem operari non possumus: superest, vt ante mortem tempora indulta rapiamus. Sic enim, sic mors ipsa cùm venerit vincetur, si priusquam veniat semper timeatur.

Lib. 4. *Dialogorum cap.* 38. At contra Chrysorius, sicut Probus propinquus illius, cuius iam superius memoriam feci, narrare consueuit, vir in hoc mundo valde idoneus fuit, sed tantum plenus vitijs, quantum rebus, superbia tumidus, carnis suæ voluptatibus subditus, in requirendis rebus auaritiæ facibus accensus. Sed cùm tot malis Dominus finem ponere decreuisset, corporali hunc molestia percussit. Qui ad extremum veniens, eadem hora, qua iam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit teterrimos viros, & nigerrimos spiritus coram se assistere, & vehementer imminere, vt ad inferni claustra eum raperent. Cœpit tremere, pallescere, sudare, & magnis vocibus inducias petere, filiumque suum nomine Maximum, quem ipse iam monachus monachum vidi, nimijs & turbatis vocibus vocare, dicens: Maxime curre. Nunquam tibi mali aliquid feci, in fide tua me suscipe. Turbatus mox Maximus adfuit, lugens ac perstrepens familia conuenit. Eos autem, quos ille insistentes sibi grauiter tolerabat, ipsi malignos spiritus videre non poterant, sed eorum præsentiam, in confusione, & pallore, & tremore illius, qui trahebatur, videbant. Pauore autem tetræ eorum imaginis huc illucq; vertebatur in lectulo iacebat in sinistro latere, aspectum eorum ferre non poterat: vertebatur ad parietem, ibiq; aderant. Cumque constrictus nimis relaxari se iam posse desperaret, cœpitq; magnis vocibus clamare: Inducias vel vsque manè, inducias vel vsque manè. Sed cùm hæc clamaret, in ipsis vocibus de habitaculo suæ carnis euulsus est. De quo nimirum constat: quia pro nobis ista, non pro se viderit, vt eius visio nobis proficiat, quos adhuc diuina patientia longanimiter exspectat. Nam illi tetros spiritus ante mortem vidisse, & inducias petijsse quid profuit, qui easdem inducias, quas petijt, non accepit?

In Iob lib. 13. *cap.* 10. *aliàs* 15. Qui considerat qualis erit in morte, semper fit timidus in operatione, atque vnde in oculis suis iam quasi non viuit, inde veraciter in oculis sui Conditoris viuit. Nil quod transeat appetit, cunctis præsentis vitæ desiderijs contradicit, & penè mortuum se considerat: quia moriturum minimè ignorat. Perfecta enim vita est mortis imitatio, quam dum iusti sollicitè peragunt, culparum laqueos euadunt. Vnde scriptum est: *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*

Isidorus Hispalensis. 620.

* *Lib.* 3. *de Summo bono cap.* 66. Solicitè debet vnusquisque viuere, & semper terminum vitæ suæ custodire: vt de contemplatione illius animus se semper ad alta sustollat, & huius seculi blanditias cum timore caueat, quia scriptum est: *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.*

Audoenus. 670.

Vita S. Eligij lib. 2. *cap.* 16. Diem mortis semper ob oculos statuite, ad vitæ emendationem, quantum potestis, festinate. Nolite negligere, quòd vos pius Dominus peccantes sustinet: quanto enim diutius expectat, vt vos corrigatis: tanto grauius vindicabit, si neglexeritis. Si fortè persuasum habetis, finem mundi procul abesse: certè cogitare debetis, suum cuique impendere finem. Ecce quàm multi, dum viuunt iucundissimè, multaque in longum tempus moliuntur, repentè tolluntur è medio, & ex improuiso rapiuntur è corpore? Itaque beatus ille est, qui horam illam semper habuit ob oculos, studuitque in ea paratus inueniri, vt possit tanti criminis expers esse. Scire enim debetis, fratres, cum ingenti metu magnisq; doloribus animam separari à corpore. Veniunt enim Angeli, vt sistant eam ad tribunal tremendi iudicis. Tum verò illa commemorans opera sua mala, quæ die noctuq; gessit, misere contremiscit, cupit ea fugere, petitq; vel vnius horæ dilationem sibi dari. Adsunt eius opera, dicuntq; illi: Tua sumus, tu nos perpetrâsti. Non te deserimus, sed tecum ibimus ad iudicis tribunal. Interim illa infelicissima cum horrendo timore separatur à corpore, plena peccatis, & summa ignominia. Secùs est de anima iusti, quæ cùm exit è corpore, non timet, nec expauescit: sed potius cum gaudio egreditur, & cum exultatione pergit ad Deum, sanctis Angelis eam deducentibus. Illam ergo horam modò timeatis, fratres, ne tunc timere cogamini. Meminеritis iugiter vos ambulare in medijs laqueis diaboli: & idcirco semper parati sitis, vt cùm Dominus iusserit vos exire, liberi ab omni labe peccati, ad requiem transeatis. Nec arbitremini vos diu in hoc mundo mansuros: Vbi enim Dominus iusserit, non licebit nec vnius horæ spatio in hac vita consistere. Cauete igitur, ne exitu vestro mœrorem afferatis Angelis, & gaudium inimicis.

Beda. 700.

Lib. 5. *Historiæ Anglorum c.* 14. Fuit quidam in prouincia Merciorum, cuius visiones, ac verba, & conuersatio plurimis, sed non sibimetipsi profuit. Fuit autem quidam temporibus Coenredi, qui post Edilredum regnauit, vir in laico habitu atque officio militari positus, sed quantum pro industria exteriori regi placens, tantum pro æterna suimet negligentia displicens. Admonebat ergo illum sedulò, vt confiteretur, & emendaret, ac relinqueret scelera sua, priusquam subito mortis superuentu tempus omne pœnitendi & emendandi perderet. Verùm ille, licet frequenter admonitus, spernebat verba salutis, seseq; tempore sequenti pœnitentiam acturum esse promittebat. Inter hæc tactus infirmitate decidit in lectum; atque acri cœpit dolore torqueri. Ad quem ingressus Rex, diligebat enim eum, multum hortabatur, vt vel tunc antequam moreretur pœnitentiam ageret commissorum. At ille respondebat: Non se tunc velle confiteri peccata sua, sed cùm ab infirmitate resurgeret, ne fortè exprobrarent sibi sodales, quòd timore mortis faceret ea, quæ sospes facere noluerat. Fortiter quidem, vt sibi videbatur, locutus, sed miserabiliter, vt postea patuit

dæmoniaca fraude seductus est, cumquè morbo ingrauescente, denuò ad eum visitandum ac docendum Rex intraret, clamauit statim miserabili voce: Quid vis modo? Quid huc venisti? Non enim mihi aliquid vtilitatis aut salutis potes vltra conferre. At ille: Noli, inquit, ita loqui, vide vt sanum sapias. Non, inquit, insanio, sed pessimam mihi conscientiam certus præ oculis habeo. Et quid, inquit, hoc est? Paulò ante, inquit, intrauerunt domum hanc duo pulcherrimi iuuenes, & resederunt circa me, vnus ad caput, & vnus ad pedes, protulitq; vnus libellum perpulchrum, sed vehementer modicum, ac mihi ad legendum dedit, in quo omnia, quæ vnquam bona feceram, intuens scripta reperi, & hæc erant nimium pauca & modica. Receperunt codicem, neque aliquid mihi dicebant. Tunc subitò superuenit exercitus malignorum, & horrendorum vultu spirituum, domumq; hanc & exterius obsedit, & intus maxima ex parte residens impleuit. Tunc ille, qui & obscuritate tenebrosæ faciei, & primatu sedis maior esse videbatur eorum, proferens codicem horrendæ visionis, & magnitudinis enormis, & ponderis penè importabilis, iussit vni ex satellitibus suis mihi ad legendum deferri: quem cùm legissem, inueni omnia scelera, non solùm quæ opere vel verbo, sed etiam quæ tenuissima cogitatione peccaui, manifestissimè in eo tetris esse descripta literis, dicebatq; ad illos, qui mihi assederant, viros albatos & præclaros: Quid hic sedetis, scientes certissimè quia noster est iste? Responderunt: Verum dicitis, accipite, & in cumulum damnationis vestræ ducite. Quo dicto, statim disparuerunt. Surgentesq; duo nequissimi spiritus, habentes in manibus furcas, percusserunt me, vnus in capite, & vnus in pede: qui videlicet modò cum magno tormento irrepunt mea viscera in interiora corporis mei, moxq;, vt ad inuicem perueniunt, moriar, & paratis ad rapiendum me dæmonibus in inferni claustra pertrahar. Sic loquebatur miser desperans, & non multò post defunctus pœnitentiam, quam ad breue tempus cum fructu veniæ facere supersedit, in æternum sine fructu pœnis subditus facit. De quo constat, quia, sicut B. *Libro 4. Dialogo cap. 38.* Papa Gregorius de quibusdam scribit, non pro se ista, cui non profuêre, sed pro alijs viderit, qui eius interitum cognoscentes, differre tempus pœnitentiæ, dum vacat, timerent, ne improuiso mortis articulo præuenti, impœnitentes perirent. Quòd autem codices diuersos per bonos, siue malos spiritus sibi vidit offerri, ob id superna dispensatione factum est, vt meminerimus facta & cogitationes nostras non in ventum diffluere, sed ad examen summi iudicis cuncta seruari, siue per amicos Angelos in fine nobis ostendenda, siue per hostes. Quòd verò prius candidum codicem protulerunt Angeli, deinde atrum dæmones, illi perparuum, isti enormem, animaduertendum est, quòd in prima ætate bona aliqua fecit, quæ tamen vniuersa prauè agendo iuuenis obnubilauit. Qui si è contrariò errores pueritiæ corrigere in adolescentia, & benefaciendo à Dei oculis abscondere curâsset, posset eorum numero sociari, de quibus Psal. 31. ait Psalmus: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Hanc historiam, sicut à venerabili Antistite Pechthelmo didici, simpliciter ob salutem legentium, siue audientium, narrandam esse putaui.

Cap. 15. Noui autem ipse fratrem, quem vtinam non nossem, cuius etiam nomen, si hoc aliquid prodesset, dicere possem, positum in monasterio nobili, sed ipsum ignobiliter viuentem. Corripiebatur quidem sedulo à fratribus ac maioribus loci, atque ad castigatiorem vitam conuerti admonebatur. Et quamuis eos audire noluisset, tolerabatur tamen ab eis longanimiter ob necessitatem operum ipsius exteriorum: erat enim fabrili arte singularis. Seruiebat autem multum ebrietati, & cæteris vitæ remissioris illecebris, magisq; in officina sua die noctuq; residere, quàm ad psallendum atque orandum in Ecclesia, audiendumq; cum fratribus verbum vitæ concurrere consueuerat. Vnde accidit illi, (quod solent dicere quidam,) quia qui non vult Ecclesiæ ianuam sponte humiliatus ingredi, necesse habet in ianuam inferni non spônte damnatus introduci. Percussus enim languore, atque ad extrema perductus, vocauit fratres, & multum mœrens, ac damnato similis, cœpit narrare, quia videret inferos apertos, & Satanam immersum in profundum tartari: Caiphan quoque cum cæteris, qui occiderunt Dominum, iuxta eum flammis vltricibus contraditum: in quorum vicinia, inquit, heu misero mihi locum aspicio æternæ perditionis esse præparatum. Audientes hæc fratres, cœperunt diligenter exhortari, vt vel tunc positus adhuc in corpore pœnitentiam ageret. Respondebat ille desperans: Non est mihi modò tempus vitam mutandi, cùm ipse viderim iudicium meum iam esse completum. Talia dicens, sine viatico salutis obijt, & corpus eius in vltimis est monasterij locis humatum, neque aliquis pro eo vel Missas facere, vel psalmos cantare, vel saltem orare præsumebat. O quàm grandi distantia diuisit Dominus lucem & tenebras. Beatus Protomartyr Stephanus passurus mortem pro veritate vidit cælos apertos, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei, & vbi erat futurus ipse post mortem, ibi oculos mentis ante mortem, quo lætior occumberet, misit. At contra faber ille tenebrosæ mentis & actionis imminente morte vidit aperta tartara, vidit damnationem diaboli, & sequacium eius: vidit etiam suum infelix inter tales carcerem, quo miserabilius ipse desperata salute periret, sed viuentibus, qui hæc cognouissent, causam salutis sua perditione relinqueret. Factum est hoc nuper in prouincia Berniciorum, ac longè lateq; diffamatum, multosq; ad agendam & non differendam scelerum suorum pœnitudinem prouocauit. Quod vtinam exhinc etiam nostrarum fiat lectione literarum.

In Psal. 7. Quamdiu in carne sumus, locus mortis est semper in nobis.

In Psal. 9. Potestate mortis omnes, qui communiter nascuntur, tenentur.

Alcuinus 750.

In Quæstionibus, in Genesin: Mors hominis est duplex, animæ videlicet, & corporis. Animæ mors est, dum propter peccatum quodlibet animam deserit Deus. Corporis mors est, dum propter necessitatem quamlibet corpus deseritur ab anima. Et hanc duplam mortem Christus sua simpla morte destruxit. Nam sola carne mortuus est ad tempus, anima verò nunquam, qui nunquam peccauit.

Ad cap. 8. Ioannis: Mors corporis, migratio quædam est Sanctis ad meliorem vitam: impijs verò ad pœnas perpetuas.

Idiota 800.

De contemplatione mortis libro 5. cap. 1. Mors, dulcissime Domine Iesu Christe, nihil aliud est, quam finis, & defectus vitæ, quando scilicet anima desinit corpus viuificare. Mors namque, Domine, non est aliquid positiuum, sed priuatiuum: tu enim Domine mortem non fecisti, *nec lætaris in perditione viuorum.* Verùm sicut cætera omnia, quæ sunt hic, naturaliter corruptioni obnoxia sunt, vt patet in animalibus, arboribus, & fructibus.

(Hoc autem facit contrarietas quatuor elementorum, quorum vnum continuè agit in alterum, & proinde necesse est quòd corruptio sequatur, & quòd res deficiant, quia scriptum est: *Opus corruptibile in fine deficiet:* ita nos quoque, quia ex elementis contrarijs constamus, ideo varietati & mutabilitati subiecti sumus: Vanitati namque subiecta est omnis creatura. Hinc est, quòd necesse est omnes homines per mortem corrumpi & deficere, & multiplici subiacere miseriæ.

Eccl.14.

Cap. 2. Peccatum præcessit Domine Deus meus, & secuta est mors: quod sanè si cauisset homo, in æternum mortem non gustasset: peccando itaque vitam amisit, & mortem inuenit, quoniam tu Domine ita prædixeras.

Cap. 3. Statutum est, pijssime Domine Iesu Christe, hominibus semel mori. Statutum quidem in pœnam grauissimam, propter peccatum primorum parentum. Ista namque Domine est lex ligans hominem, quæ nunquam habuit, nec habitura est, saltem quantum ad cursum communem, in aliquo exceptionem. Istam enim mortalitatem, id est, moriendi necessitatem, transfuderunt primi parentes in posteros, quia peccauerunt: sicuti è diuerso immortalitatem transfudissent, si non peccassent. Mortis autem modus est subitus & imperceptibilis, nihilque certius est morte, hora autem mortis ac loco & modo nihil incertius. Nescit enim, Domine Deus meus, homo finem suum, nec quantum ad tempus, nec quantum ad locum, nec quantum ad modum, &c.

Cap. 4. Assidua memoria mortis, benignissime Domine Iesu Christe, prodest ad hominis humiliationem. Vnde antiqui volentes se humiliare, ponebant cineres super capita sua, in memoriam mortis, & quòd in cinerem redigerentur, sicut scribitur: *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris.* Et alibi: *Quid superbis terra & cinis?* Prodest etiam, Domine Iesu Christe, memoria mortis ad fugienda peccata: nihil enim tam reuocat à peccato, quàm frequens mortis cogitatio, sicut scribitur: *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Qui enim recolit mortem, cogitare debet, quòd peccatum causa est mortis, quia sententia data fuit Adæ, quòd quocunque die de fructu vetito comederet, moreretur, &c. Prodest insuper Domine Iesu Christe, ad deprimenda carnalia desideria, & ad abigendas tentationes varias & diuersas, quæ separant animam à te: nihil enim tantum valet ad domanda desideria, quantum cogitare, qualis sit ipsa futura mors.

Gen. 3. Iob 34. Sap. 2. Gen. 2.

Cap. 10. Quocunque se vertat homo, mitissime Domine Iesu Christe, semper habet mortem præsentem: mors vbique nos expectat, vbique nos inuadit. Nostrûm viuere, est mori: nam prima die natiuitatis nostræ vita nostra longior est, quam vnquam postea futura sit: quotidie enim, singulis horis demitur aliquid de illa longitudine cursus nostri. Et hinc est, Domine Iesu Christe, quòd quantò plus viuimus, tantò magis vita nostra minuitur. Quotidie namque morimur, & vnum diem de vita nostra mors subtrahit nobis, & furatur, & ideo Domine, dum crescimus, vita nostra decrescit. Infantiam amittimus, deinde pueritiam, postea adolescentiam: sed & hunc ipsum, quem agimus, diem cum morte diuidimus.

Cap. 13. Insuperabilis est potentia mortis, pijssime Domine Iesu Christe, quia non vnum solum, sed omnes superat: scilicet fortes & debiles, lætos & tristes, egenos & diuites, incolas & aduenas, iuuenes & senes, bonos & malos, viros & mulieres. Et, vt omnia flumina intrant mare: sic quotquot in hanc fluctuosam vitam veniunt, mare, id est amaritudinem mortis necessariò subintrant: mors enim est omnium pœna, omnium tributum, omnium carcer, omnium domina, omnium receptaculum. Et sicut mare est hospitium omnium fluuiorum: sic mors est finalis repositio omnium mortalium, &c. Hanc autem mortem, benignissime Domine Iesu Christe, nec potentia fortiores, nec scientia doctiores, nec pecunia ditiores, nec eminentia digniores superare valent: quia moritur robustus & sanus, doctus pariter & indoctus, diues & egenus: sic quod nulla ætas, nullus sexus, nulla conditio mortem euadere queat, quæ incessanter quotidie homines deuorat, & suis legibus subiugat.

Haymo. 820.

Ad cap. 2. *Ionæ:* Nostra mors dupla est: quia in anima morimur per peccatum, & in corpore per pœnam Christi autem mors simpla tantùm fuit: quia in corpore tantùm mori potuit; in anima verò nunquam mortem admisit, quia nunquam peccauit.

In Psalm. 1. Interitus totius generis humani fit propter inobedientiam primi hominis.

Rabanus Maurus. 850.

Lib. 5. *in Eccles. cap.* 5. Duæ sunt mortes: vna corporis, quæ omnibus hominibus est communis: alia animæ, quæ peccatoribus solummodò est specialis. Vna in præsenti seculo terminatur, altera autem in æternum non finietur.

Lib. 6. *in Eccles. cap.* 5. Tolerabilius est mortem subire temporalem, quàm æternam in gehenna pro peccatis sustinere combustionem.

Lib. 7. *de sermonum proprietate cap.* 6. Tria sunt genera mortis, acerba, immatura, & naturalis. Acerba infantum, immatura iuuenum, naturalis senum.

Lib. 9. *in Eccles. cap.* 2. Bonum est cultoribus Christi iudicium mortis præsentis: quoniam per ipsum transeunt ad vitam æternam.

Ioannes Diaconus. 870.

Vita S. Gregorij lib. 4. *cap.* 86. Si quando quemlibet migrantem videritis, compatimini sorti communi, & nolite de eo iudicare, qui ad tam districti iudicis cum criminatore suo iudicium vadit.

Concilium Nannetense. 900.

Cap. 4. Cùm sacerdos audierit aliquem infirmari in sua plebe, quàm citius ad eum pergat, & ingressus cubiculum, aquam benedictam super eum, & per omne cubiculum aspergat, cum Antiphona: *Asperges me Domine:* & Versu: *Exurgat Deus.* Deinde dicat orationem: *Deus, qui sacerdotibus tuis totam præ cæteris gratiam contulisti,* &c. Deinde cantet septem psalmos cum precibus pro infirmis. Post hæc omnes iubeat extra cubiculum secedere, & appropinquans lecto, quo infirmus decumbit, cum blandè leniterque alloquatur, vt omnem spem suam in Deo ponat, vt flagellum Dei patienter toleret, vt hoc ad purgationem & castigationem suam prouenire credat, vt peccata sua confiteatur, vt emendationem promittat, si Dominus vitam concesserit: pœnitentiam pro culpis commissis spondeat: vt substantiam suam, dum adhuc sensus & ratio in eo vigent, disponat: vt peccata sua eleemosynis redimat: vt his, qui in se peccauerunt, indulgeat: vt rectam fidem & credulitatem teneat: vt de Dei misericordia nunquam desperet. Cùm his & huiuscemodi allocutionibus fuerit mens releuata, data benedictione recedat sacerdos, non post multum reuersurus, detque locum, vt ægrotus de peccatis suis possit cogitare.

Notgerus. 950.

Vita sancti Remacli capite 22. Ecce (*inquit Remaclus moriturus*) ego viam vniuersæ carnis ingredior,

Digitized by Google

dior, nec ad vos deinceps rediturus sum. Vestra itaque, quos desero, solitudo me habet solicitum, non mea abitio, qui Deo me consolante confirmor. Non me terret conditio communis mortalium omnium, quando etiam tota sapientis vita quædam debet esse mortis commentatio. Non potest fœda mors accidere viro forti, non immatura sapienti, non misera eam prouidenti.

Fulpertus Carnotensis. 980.

Vita S. Aichadri cap. 13. Expletis sacræ sepulturæ diebus, suggestum est beato Aichadro de quibusdam fratribus, qui se inconsolabili dolore afficiebant, quòd defunctis superuixissent. Quorum alij morbo, alij senio affecti, ingratam vitam suspirantes, dicebant se longè esse à memoria Dei: alij à primæua ætate Christi militiam assumpsisse, & nec inter extremos consortes mercedem recepisse: alij longa carnis tentamina tolerâsse, carnem in vigilijs & ieiunijs prolixis macerâsse, & tanto se tempore à regno differri condolebant. Quæ cùm pater venerabilis audisset, iubet fratres coram se adduci, & moderata eos increpatione coercuit in hunc modum: Stulta, inquit, hæc est, fratres, quam de vobis audio, querimonia, & vereor, ne, dum vobis consulere quæritis, Deo contraire inueniamini: & vnde ad præmia festinatis, inde à præmijs longè efficiamini: quasi & nos quoque, si esset ratio, non idem optaremus. Quis enim animam suam nolit ex isto corpore mortis, si liceat, absolui? Sed non licet absoluere nisi ei, qui ligauit. Naturæ vinculo anima coniuncta est corpori. Sed quis auctor naturæ, nisi omnipotens Deus? Et quis hoc animæ & corporis nostri Deo complacitum contubernium interrumpere, aut dissociare audeat? Non quia vos ipsi propria manu vobis mortem inferre velitis, sed quia vnum quodammodò esse videtur, & vitæ finem optare, & mortem sibi accelerare. Sed quis à domino suo depositum sibi ob custodiam thesaurum, antequam reposcatur, eijciat? Nonne is graui pulsâsse iniuria dominum suum condemnabitur? Dei possessio sumus, Deo seruitium debemus: quasi serui expectemus imperium: quasi fideles depositum custodiamus. Non recusemus vitæ istius munus, quod dedit nobis: non refugiamus donum cæleste. Ab ipso accepimus, quod sumus: ipsius quoque debet esse, vt quàm diu velit, simus. Vtrunque enim ingrati est, & citius discedere, quàm velit: & diutius viuere velle, quàm velit ipse, qui vitam donauit.

Berno Augensis. 1020.

Epistola ad Albericum Episcopum: Licet ob primi parentis culpam assiduè carorum mortem cogamur deflere: conuenit tamen in illo consolari, qui est primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ.

Ad Burchardum Abbatem: Non sit consolatio ab oculis nostris abscondita: quia ipse, qui mortis venas siccauit, & infernum inter fratres diuidentes confregit, Henricum, vt speramus, de medio mortalium ideo eripuit, vt morte vitam meliorem commutaret: ideoqúe tristitiæ succedat lætitia, maximè cùm Salomone teste melior sit dies mortis die natiuitatis: quia nimirum cùm peccator moritur, peccare iam desistit. *Iustus* verò *in memoria æterna erit, & ab auditione mala non timebit.* Nunc igitur, mi præcordialis amor, omnigena te prece deprecor, vt quia nostri amoris mediastinum non tam perdidimus, quàm nos ad Creatorem præmisimus, amodò in germano charitatis vinculo arctius ligemur, vt non iam duo, sed vnum semper viuamus in Christo.

Petrus Damianus. 1050.

Sermone 3. de Apollinari: Mirabilis & stupenda victoria est, vbi viuit, qui occiditur: surgit, qui deijcitur: vincit, qui superatur: & postquam mortuus fuerit, omnem aduersæ partis aciem per Imperatoris signa conuertit. Vbi mors euaditur, cùm subitur: vita incipit, cùm finitur.

Epistola ad Nicolaum Pontificem: Mortem Deus non fecit, cùm ipse potius sit mors mortis, sicut per Oseam dicitur: *Ero mors tua, ô mors.*

Anselmus. 1080.

In cap. 12. Matthei: Mors nostra non solùm in carne, sed etiam in anima est. In anima, propter peccatum: in carne, propter pœnam peccati.

In caput 5. ad Romanos: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors:* quia si homo non peccasset, nunquam moreretur.

In caput 5. secundæ ad Corinthios: Quamuis à malis ad bona transeamus, tamen ipse transitus aliquantulum amarus est, propter consortium quoddam animæ & corporis, & quandam ex his duobus familiaritatem conglutinationis atque compaginis. Et ideo mortis diem differre conantur etiam illi, qui post mortem beatius se credunt esse victuros. Tantam enim vim habet carnis & animæ dulce consortium. *Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit,* & propterea non vult anima vel ad tempus ab eius infirmitate discedere, quamuis eam se sine infirmitate in æternum recepturum esse confidat.

In caput 4. prioris ad Timotheum: Vehementer ab infirmis mentibus nomen mortis pertimescitur, somni autem vocabulum non timetur. Est autem de mortuis, qui diliguntur, quædam tristitia quodam modo naturalis. Mortem quippe horret non opinio, sed natura: nec mors homini accidit, nisi ex pœna, quam præcesserat culpa.

Petrus Alphonsus. 1100.

In Dialogo titulo 10. Quia verò etiam Adæ peccatum duplex fuit, spirituale scilicet, & corporale: spirituale quidem, quia diabolo potius, quàm Deo credere, quod ad spiritum pertinet, & obedire elegit: corporale autem, quia se in vetiti fructus dulcedine, quod scilicet est corporis, delectauit: ideo mortem carnis, & mortem animæ, pœnam scilicet duplicem ipse sustinuit.

Titulo 11. Adam nisi propter peccatum obijt.

Hugo Victorinus. 1130.

Lib. 1. de anima cap. 2. Dum enim libenter ac iucundè moratur homo in mundo, diuqúe se victurum arbitratur,

Ac multa in longum disponit tempus agenda,

subitò rapitur in mortem, & ex improuiso anima aufertur à corpore, tuncqúe cum magno metu, magnisqúe doloribus anima separatur à corpore. Veniunt enim Angeli assumere illam, vt perducant eam ante tribunal iudicis metuendi: & tunc illa memorans opera sua mala & pessima, quæ die noctuqúe gessit, contremiscit, & quærit illa fugere, induciasqúe petere, dicens: Date mihi vel vnius horæ spatium. Tunc quasi loquentia simul opera dicent: Tu nos egisti, opera tua sumus, non te deseremus, sed tecum semper erimus: tecum pergemus ad iudicium. Vitia quoque multis & multiplicibus criminibus eam accusabunt, multaqúe falsa testimonia aduersus illam inuenient, quamquam vera ad damnationem eius possent sufficere. Dæmones verò terribili vultu & horribili aspectu eam terrebunt, ingenti furore eam persequentur, & comprehendent tam terribiliter, quàm horribiliter, volentes eam retinere & possidere, nisi sit qui eripiat. Tunc anima inueniens oculos clausos, & os aliosqúe corporis sensus, per quos solebat egredi, & delectari in his exterioribus, reuertetur ad se, & videns se solam & nudam,

nudam, ingenti horrore concussa, desperatione deficiet in se, & cadet sub se. Quia enim pro amore mundi, & carnis voluptate Dei amorem dereliquerat, derelinquetur à Deo misera in hora tãtæ necessitatis: atque dæmonibus tradetur in inferno crucianda. Sic anima peccatoris in die, qua ignorat, & hora, qua nescit, rapitur à morte, & segregatur à corpore, pergitque miserijs plena tremens & dolens, & cùm nullam excusationem habeat, quam pro peccatis suis possit obtendere, contabescit, & pertimescit ante Deum apparere. Ingenti horrore concutitur, & multiplicibus cogitationum æstibus agitatur, cùm vrgente solutione carnis, & subductis è medio omnibus, se & illum terminum considerat, cui appropinquat: & post paululum hoc inuenit, quod in perpetuum mutari non poterit. Considerat planè quàm districtus veniat æternus iudex, & ante seueritatem tantæ iustitiæ, quas rationes vitæ suæ ponat. Si enim cuncta opera, quæ intelligere potuit, deuitauit: ventura tamen coram districto iudice, illa magis, quæ in semetipsa non intelligit, pertimescit. Crescit pauor cùm cogitat, quòd viam vitæ huius nequaquam sine culpa transire potuit.

Lib. 3. cap. 13. Considera quomodo morieris, quando aliqua graui infirmitate vexatus, & ad extrema deductus, & ibi ad terram proiectus inter longa suspiria, & difficiles singultus, inter diuersos dolores, & timores animam expirabis. Tunc veniet corpus in pallorem & horrorem, in saniem & fœtorem, erit vermis & cibus vermiũ: animam verò mox capient, & rapient laruatæ illæ facies, quę eam in exitu præstolantur. Et ex omni parte terrebunt eam dęmones terribiles, & horribiles Cogita quis eam defendet ab illis rugientibus, præparatis ad escam: quis consolabitur eam, cùm teterrima illa monstra dæmoniorũ occursantia sibi cateruatim ruere videbit, aut quis deducet per ignotam regionem?

Libro 4. cap. 13. Introducere debet prudentia aliquos nuntios, qui aliqua narrent, quæ ad exercitationem valeant. Itaque nuntius mortis ingressum postulans admittitur. Qui rogatus, vt dicat quis sit, vnde veniat, quid viderit: se respõdet non aliter quicquam dicturum, nisi summũ fiat silentium. Quo impetrato sic incipit: Ego sum timor mortis, & mortem vobis venire nuntio. Prudentia loquitur pro omnibus, & interrogat, sic dicens: Vbi est mors? *Memoria mortis:* Scio quia non tardat venire, & propè est, sed diem & horam aduentus eius ego nescio. *Prudentia:* Et qui veniunt cum illa? *Memoria:* Mille dæmones, ferentes secum libros grandes, & vncos ferreos, & igneas catenas. *Prudentia:* Quid prætendunt his omnibus? *Memoria:* In libris scripta sunt omnia peccata hominum, & quorum ibidem peccata scripta sunt, illos sui esse dicunt iuris. Vncos ferunt, vt quos sui esse iuris conuicerint, eorum animas violenter extrahãt, & ligatas catenis in infernum pertrahant.

Bernardus. 1130.

Cap. 14. de conuersione ad Clericos: Quid verò in rebus humanis certius morte? quid hora mortis incertius inuenitur? Non miseratur inopiam, non diuitias reueretur, nõ generi cuiuslibet, non moribus, non ipsi denique parcit ætati, nisi quòd senibus quidem in ianuis, adolescentibus in insidijs est. Infelix proinde, qui in huius vitæ tenebris & lubrico fidens, peritoram insumit operam, nec aduertit quoniam vapor est ad modicum parens, & vanitas vanitatum. Obtinuisti tandẽ ambitiose quam ex longo concupieras dignitatem? serua quod habes. Implesti pecuniose loculos tuos? solicitus esto ne perdas. Vberes fructus a[...] tulit ager tuus? Dirue horrea tua, vt maiora æd[i]fices, muta quadrata rotundis, dic animæ tuæ: H[a]*bes multa bona reposita in annos plurimos.* Erit enim qu[i] dicat: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te: qu[æ] autem parasti, cuius erunt?*

Epistola 105. Volo te mortem etsi non effuger[e] certè vel non timere. Iustus quippe mortem et[si] non cauet, tamen non pauet. Denique *si morte pr[æ]occupatus fuerit, in refrigerio erit.* Moritur quidem iustus, sed securè: quippe cuius mors vt præsent[is] est exitus vitæ, ita introitus melioris. Bona mor[s] si peccato moriaris, vt iustitiæ viuas. Hæc ne[...] necesse est vt præcurrat, vt sequatur illa secura. [...] hac vita, quamdiu durat, comparato tibi illam quę semper durat. Dum viuis in carne, mori[re] mundo, vt post mortem carnis, Deo viuere inc[i]pias. Quid enim si conciderit mors saccum cor[]poris tui, dum te subinde circumdet lætitia? [O] quàm *beati mortui, qui in Domino moriuntur,* audie[n]tes à spiritu, vt requiescant iam à laboribus sui[s]. Non solùm autem, sed & succedit iucunditas [de] nouitate, ac de æternitate securitas. Bona proin[] de mors iusti propter requiem, melior propte[r] nouitatem, optima propter securitatem. Econt[ra] mors peccatorum pessima Et audi, vnde pessim[a]. Mala siquidem est in mundi amissione, peior i[n] carnis separatione, pessima in vermis ignisqu[e] duplici contritione. Eia ergo festina, exi, recede[,] moriatur anima tua morte iustorum, quo fiat & nouissima tua horum similia. O quàm *pretio[sa] in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Fuge, quęso[,] in via peccatorum ne steteris. Quomodo viuer[e] potes, vbi mori non audes? Cum panibus occu[r]rere fugienti paratos nos esse confidito.

Ser. 10. de Psal. Vnde enim, nisi ex separatione a[n]imæ & corporis mors procedit? Inde est, quò[d] mortuum corpus exanime nominatur. Vnde au[]tem separatio hæc, nisi ex flagellis præsentibus, [] qualibet doloris vehementia, ex ipsius corpor[is] corruptione, ex pœna peccati? Meritò timet pr[o]inde & odit flagellum caro nostra: quo nimirum ab ipsius animę tam delectabili honorabiliqu[e] consortio amarum nimis diuortium patitur[.] Cæterùm interim quidem donec renouetur, vel[it] nolit, sustineat illud necesse est.

Petrus Cluniacensis. 1150.

Libro 4. epist. 12. Nam si res bene perpenditu[r] non est quòd nobis dolorẽ importet: sed est pla[]nè, quòd ingentem lætitiam subministret. Qu[i] enim dolor illis debetur, qui dolorem euaseru[nt] quę lachrymæ, qui lachrymarum omnem mat[e]riam exuerunt? qui ad vitam illam peruenerũ[t] de qua in Apocalypsi Ioanni vox de cælo ait: *Ab[s]terget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mo[rs] non erit vltra, neque luctus, neque dolor.*

Petrus Blesensis. 1160.

Epistola 16. Mors enim, per quam mirificaui[t] Deus sanctum suum, non est mors, sed dormitio[,] porta vitæ, introitus ad delicias patriæ cæles[tis,] in potentias Domini, in abyssum charitatis æ[]ternę.

Innocentius Tertius. 1200.

De contemptu mundi, siue de miseria humanæ condi[]tionis libro 1. cap. 24. vel iuxta alios 22. Semper vlti[]mus dies primus, & nunquam primus dies vlti[]mus reputatur. Cùm tamen ita semper viuer[e] deceat, tamquam mori semper oporteat. Scrip[]tum est enim: *Memor esto, quia mors non tardat.* Tem[]pus præterit, & mors appropinquat. *Mille anni an[]te oculos morientis, tamquam dies hesterna, quæ præte[]rijt.* Semper enim futura nascuntur, semper præ[]sentia moriuntur, & quicquid est præteritum, e[st] mortuum totum. Morimur enim, dum viuimu[s]

semper

semper, & tunc tantùm definimus mori, cùm definimus viuere. Melius est ergo mori vitæ, quàm viuere morti. Quia nihil est vita mortalis, nisi mors viuens. Vnde Salomon: *Laudaui magis mortuos, quàm viuentes: & vtroque feliciorem iudicaui, qui necdum natus est.* (Ecclef. 4.) Vita velociter fugit, & retineri non potest: mors autem instanter occurrit, & impediri non valet. Hoc est illud mirabile, quod quanto plus crescit, tanto magis decrescit: quia quanto plus vita procedit, tanto magis ad finem accedit.

Lib. 2. cap. 41. Mali siquidem quatuor dolores patiuntur in morte. Primus dolor est, angustia corporea tanta & tam grauis, quanta vel qualis nec fuit, nec est in præsenti vita, ante dissolutionem illam. Quod in quibusdam, etsi non in omnibus, apparet præ nimio dolore seipsos discerpentibus. Fortis enim & incomparabilis est violentia, quando nexus illi, & vitales nodi inter corpus & animam disrumpuntur. Vnde Propheta lamentando ait: *Circumdederunt me dolores mortis.* (Psal. 114.) Non enim est membrum, non articulus in corpore, quod penitus non inuoluatur illo inexplicabili dolore. Secundus dolor est, quando iam penè defatigato corpore, & suis exhausto viribus, anima multo liberius videt tunc in momento occurrere omnia opera bona, vel mala, quę fecit, quæ omnia reducuntur ante oculos interiores. Dolor iste est tantus, & retractatio ista tam grauis est, quòd anima plurimum turbata, cogitur quasi seipsam odisse. Vnde dicitur in Psalmo: *Torrentes iniquitatis conturbauerunt me.* (Psal. 17.) Nam torrentes cum multo impetu veniunt, & videntur diruere omnia: ita in morte videbit malus omnia subitò, quę fecit opera bona vel mala. Tertius dolor est, quãdo anima iam incipit tam iustè dijudicare, & sibi pro suis iniquitatibus singulis omnia, & debita gehennæ tormenta videt imminere. Vnde dicitur in Psalmo: *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me.* (Psal. 114.) Quartus dolor est, quando anima adhuc in corpore posita, videt spiritus malignos, ad rapiendum se paratos, vbi tantus dolor est & timor, quò d misera anima, licet è corpore egressura, quamdiu potest, refugiat, vt tempus suæ captiuitatis redimat, antequam de corpore exeat.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Moribus cap. 4. Quid est vulnus in corpore, nisi rima, vel fissura in tabernaculo? Corpus enim non est, nisi tabernaculum militantis in eo spiritus, sicut docet Petrus in 2. 1. *Scio quòd velox est tabernaculi mei depositio, &c.* Quid est mors corporaliter, nisi ruina tabernaculi istius? Quanta igitur dementia est, tantoperè curare ruinam, vel fissuram in tabernaculo huiusmodi, & inhabitatorem atque militantem in eo non attendere! Casum equi & huiusmodi ruinam tabernaculi mirabiliter expauescis, & ruinam equitis atque inhabitantis penitus negligis?

Albertus Magnus. 1240.

Ad cap. 3. Lucæ: Mors est priuatio vitæ, corruptio principiorum naturæ, expiratio spiritus vehentis virtutes naturales in corpore, destructio organicorum instrumẽtorum animæ. Et ideo secundùm naturam impossibilis est regressus à morte ad vitam.

Ad cap. 12. Certum est nos morituros, sed incerta est hora mortis, locus, & modus, & ideo sapiens hæc omnia præordinat, & semper eum mors paratum inueniet.

Thomas Aquinas. 1250.

Ad cap. 38. Iob: Mors est corruptio corporis viuentis, & sic propriè ad hominem pertinet, cui præsens sermo dirigitur. Porrò mortis sunt causæ corruptiones, quantum ad virtutes cælestium corporum, per quas primò proceditur ad talem effectum. Est autem difficillimum cognoscere propriam causam corruptionis cuiuscunque rei. Morti autem competunt tenebræ: tum, quia per mortem priuatur homo corporali vsu, cuius cognitio est per lumen; tum etiam, quia post mortem homo in obliuionem quasi in tenebras quasdam vadit.

Bonauentura. 1260.

In septima Dieta c. 1. Memoria mortis facit in homine præcipuè sex bona. Primò facit peccata vel vitia fugere: secundò facit mundum contemnere: tertiò facit seipsum despicere, & propter resolutionem ad terram, in sui ipsius cognitionem venire: qui modus cognoscendi, secundùm Philosophum, est certissimus inter omnes: quartò facit vitam præsentem rectè agere: quintò facit rectè temperare præsentem lætitiam: sextò facit rectè diuidere præsentem & futuram vitam. Qui enim ponit se in articulo mortis, & eum diligenter considerat, quasi in medio præsentis & futuræ vitæ se collocat: & ideo rectè videt quid spernere, quid eligere debeat.

Hugo Pratensis. 1300.

Dominica in Passione Domini de Euangelio: Triplex est mors, scilicet, naturæ, culpæ, & pœnæ æternę. Prima mors non est propriè mors, sed quędam separatio animæ à corpore. In qua separatione anima incipit perfectè viuere & beatè. Secunda mors, scilicet culpę, qua Deus, qui est vita animarum, separatur ab anima: & Tertia, scilicet pœnæ, qua anima separatur à gloria, & deputatur tormentis, sunt veræ & totaliter mortes. Qui igitur seruat sermonem Dei, non morietur morte culpæ, vel pœnæ: morte verò naturę, quæ est quędam depositio sarcinæ, morietur, sed resurget gloriosus, & ideo non morietur in æternum, qui seruat sermonem Dei.

Franciscus Petrarcha. 1350.

De rebus familiar. epist. 19. Nimis faciles sumus ad accusandam mortem; nemo deflet quòd nascitur: nemo quòd viuit: at quòd egestatem sentit, quòd labores patitur, quòd senescit, quòd ægrotat, quòd moritur quisque conqueritur, quasi secundùm naturam minus ista, quàm illa sint: & nasci, & viuere, & comedere, & esurire, & dormire, & mori naturalia sunt, vt nemo his mortalium vacet, nisi cui fortè senescendi necessitatem, laborumque molestias, & ægritudinum, necessitas mortis præcipitata remiserit. Quid igitur inutiles querelas effundimus? an quia nobis solis ista contingunt, solis nobis lugere permissimus? an quia omnibus, cunctorum simul in nos lamẽta transfundimus, & veluti humani generis procuratores, naturam accusamus immeritam? odiosum sanè negocium, & importunum: illa enim mitissima, nos beneficia eius per impatientiam exacerbauimus, in parentem optimam ingrati, in nosmet impij.

Henricus Suso. 1360.

Epistola ad Moribundum: Si mortis hora dolet, & acerba est, tamen quandoque ferenda est. Nemo vnquam à mortis lege exceptus est: Itaque *qui non est hodie, cras fortè minus aptus erit.* Plerunque etiam cum ætate peccata augentur, multique deteriores, quàm priores fiunt. Si præsens mors amara est, tamen omni amaritudini semel finem imponit.

Catharina Senensis. 1370.

Tract. 3. cap 132. Sicut excellentia iustorum est valde magna, sic è conuerso miseria peccatorum & infelicium valde maior in morte est. Nam in hora mortis procacissimè dęmones eos accusant,

atque

atque molestant, in figura sua se demonstrantes, cum inæstimabili terrore & obscuritate. Tu nosti, quòd est in tantum horribilis, quòd homines experti eligerent potius habere omnes pœnas vitæ præsentis, quàm eos in sua fuga videre. Insuper & misero peccatori renouatur conscientiæ stimulus, qui valdè rodit & cruciat eum inordinatis delicijs, quibus abusus est propria sensualitas, cuius dominationi se subiecerat, de virtuosa ratione faciendo seruam, valde miserabiliter eum accusans.

Ioannes Bromiardus. 1380.

In Summa Prad. cap. de Morte: Deus nos creauit in tali conditione, quòd vitam sine moriendi necessitate habuissemus, si ei obedientes fuissemus: ex quo ei rebellare peccando cœpimus, mortis exercitum ad nos humiliandum, conquærendum, & subiugandum, contra nos ordinauit, qui multis modis, & insidijs diuersis contra nos *gladium vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Psalm.7. Quasi gladio suo senes, & quasi sagittis iuuenes occidit: quia sicut qui occiditur gladio, de propinquo occiditur: quia oportet, quòd sit quasi iuxta occisorem: sagittis verò occiditur quis, qui multum distat ab occisore. Sic senes de propinquo occiduntur, quia (etiam secundùm hominum communem opinionem) multum ad mortem appropinquant, antequam ipsa percutiantur. Iuuenes verò quasi de longinquo percutiuntur: quia (secundùm communem hominum opinionem) videntur multum à morte distare.

Thomas Malleolus. 1430.

De imitatione Christi lib. 1. cap. 23. Cùm tam citò finienda sit vita tua, vide quid agas. Hodie viget homo, cras nusquam extat, & ex hominum oculis sublatus, mox etiam ex eorundem memoria elabitur. O hebetudinem & duritiam cordis humani, quod solum præsentia cogitans, futuri rationem non habet. Sic te in omni opere & cogitatione gerere debes, quasi statim moriturus. Si tibi bene conscius esses, non multum mortem timeres: præstat peccata timere, quàm mortem fugere. Si hodie paratus non es, quomodo cras eris? Incerta est crastina dies, qui scis an in crastinum victurus sis? Quid prodest diu viuere, quando tam parum corrigimur? Enimuerò longa vita non semper corrigit hominem, quin sæpe culpam auget.

Laurentius Iustinianus. 1430.

In Ligno vita de Humilitate cap. 4. Facile relinquere mundum facit mortis memoria. Nihil enim tam proficit ad contemptum omnium rerum, quàm frequens cogitatio mortis. Quotidie namque morimur, quotidie diminuitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque decrescimus, cùm vita crescit. Infantiam amittimus, deinde pueritiam, postea adolescentiam vsque ad extremum. Quicquid transit temporis perit, & ipsum, quem agimus, diem cum morte diuidimus. Non ergo laboriosum est relinquere, quod teneri non potest: imò quod singulis amittimus horis. Solicitum quoque exhibet hominem ipsa mortis cogitatio. Congruè vnusquisque diem nouissimum formidare debet, & suum vltimum diem assiduè meditari.

Dionysius Carthusianus. 1460.

De quatuor hominis nouissimis articulo 6. Aliqui ita indurati sunt corde, quòd nec inspectione morientium, nec ex memoria mortis, nec ex intuitu sepulchrorum, & ossium mortuorum compunguntur: imò ossa illa conspiciunt velut saxa, sepulchra vt fossas siue monticulos, nec plus emolliuntur ex inspectu morientium hominum, quàm brutorum, & tamquam ipsi non essent mortales, sic aspiciunt morientes. Veruntamen si frequenter & attentè cogitent mortem, & quæ eam sequuntur, dispositionemque morientis, tentamenta, pressuras atque pericula, citò emollientur ad pœnitendum, ad metuendum, ad emendandum vitam suam in omnibus.

Michael Verinus. 1480.

In Distichis:

Dulcis amor vitæ dirum (mihi crede) venenum est,
Causaque peccandi spes diuturna fuit.
Quàm miserum est nescire mori, vitæque cupido
Peccandi multis pabula quanta dedit?

Baptista Mantuanus. 1500.

De contemnenda morte:

Quid mœres? fatumque times oblita tui mens?
Stulta quid hoc tantum debile corpus amas?
Dum trepidas, tuus iste metus mea viscera torquet,
Ex animo in corpus labitur iste timor.
Ægra tuum pallet facies confessa dolorem,
Et confecta premit pectora frigus iners.
Desine tristari, non possidet omnia fatum:
Maxima pars rerum nil timet arma necis.
Nam Deus imperium vitæ præstantius esse,
Atque breues mortem iussit habere manus.
Vnda, solum subeunt mortem, subit ignis, & aër,
Quæque suo coitu quatuor ista ferunt.
At quia longè alio sunt edita semine, semper
Frons eadem cælo, syderibusque manet.
Ipse tamen rerum Pater omnia vertere posset
In chaos antiquum, materiamque rudem, &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

ANTE CORPORVM RESVRRECTIONEM, MVNDVM HVNC, IN QVO AGIMVS, PER IGNEM IVDICATVM, FINEM HABITVRVM: INTERITVRVM, QVOAD FIGVRAM, NON QVOAD SVBSTANTIAM: CAELVM NOVVM, AC TERRAM NOVAM FORE: de die autem illa & hora, nemini mortalium certi quid constare.

NEGANT.

Anno ante natũ Christũ 470. XENOPHANES *non factum mundum, sed sempiternum & incorruptibilem pronuntiat.* Plutarchus de placitis Philosophorum lib. 2. cap. 4.

400. *Plato dixit, mundum in perpetuum esse fabricatum.* Lactantius lib. 7. cap. 1.

360. *Aristoteles*, lib. 8 Physicorum, *mundum aeternum esse dicit:* libro Meteororum: *Ridiculum est*, inquit, *ob paucas leuesq́ue mutationes mundi, totius permutationem asserere, indeq́, vniuersi cladem colligere.*

100. *Stoici quia audierant mundum conflagraturum, ad naturales causas eam conflagrationem reuocantes, dicebant, hoc fore, cùm humore consumpto, neque terra ali posset, neque remearet aer.* Cicero lib. 2 de natura Deorum.

50. Cicero lib 2. de natura Deorum ait: *Totum mundum nec ortum esse, nec finem habiturum; sed partes eius aliquas, propter exustiones eluuionesq́, terrarum interituras.*

Anno post natũ Christũ 50. Columella in Proœmio lib. de re rustica: *Quas ego causas P. Syluani procul à veritate abesse certum habeo, quòd neque fas est existimare rerum naturam, quam primus ille mundi genitor perpetua fœcunditate donauit, quasi quodam morbo, sterilitate affectam, neque prudentis credere tellurem, quæ diuinam & æternam iuuentam sortita, communis omnium parens dicta sit: quia & cuncta peperit, semperq́, & deinceps paritura sit, velut hominem senuisse.*

60. Philo Iudæus libro quòd mundus sit incorruptibilis, ait: *Dicere mundum diuinitus occidere, flagitiosissimum est. Neque enim Deus auctor est inordinationis, confusionis, interitus, sed ordinis, venustatis & vitæ, omnisq́, eum causam boni in confesso est, apud eos, qui veritatem profitentur.*

230. Origenes apud Hieronymum epist. 59. ad Auitum: Quid cauendum in libris Origenis περὶ ἀρχῶν, cap. 3. *Rursum ait Origenes de mundo: Nobis autem placet, & ante hunc mundum alium fuisse mundum, & post istum alium futurum. Vis discere, quòd post corruptionem huius mundi alius sit futurus?*

Esa. 65. *Audi Esaiam loquentem:* Erit cælum nouum, & terra noua, quæ ego facio permanere in conspectu meo. *Vis nosse, quòd ante fabricam istius mundi alij mundi in præterito fuerint? Ausculta Ecclesiasten:* Quid est quod fuit? Ipsum quod erit. Et quid est, quod factum est? Ipsum quod futurum est. Et non est omne nouum sub sole, quod loquatur & dicat: Ecce hoc nouum est: iam enim fuit in seculis pristinis, quæ fuerunt ante nos. *Quod testimonium non solum fuisse, sed futuros mundos esse testatur: non quòd simul, & pariter omnes fiant, sed alius post alium.*

250. *Porphyrius Christianos ob hoc maxime arguit stultitia, etiam ex oraculis Deorum suorum, quòd istum mundum dicunt esse periturum.* Augustinus de Ciuitate Dei lib. 20. cap 24.

350. *Innominati quidam heretici hunc mundum post resurrectionem in eodem statu, in quo nunc est, dicunt esse mansurum.* Augustinus hæresi 67.

500. *Proclus* in Epicherematibus, *mundum ingenitum, & incorruptibilem esse contendit.*

600. *Ioannes Philoponus consummationem sine interitum visibilis huius mundi, ac rursum noui mundi creationem alteram asserit.* Nicephorus lib. 18. cap. 47.

1200. *Albanenses dicunt, quòd mundus iste semper fuit, nunquam habebit finem: quòd iudicium futurum iam factum est, & amplius non fiet.* Guido de Albanensibus, Antoninus part. 4. tit. 11. cap. 7. § 5.

1300. *Arnoldus de Villa noua dixit, quòd anno 1335. esset mundi finis totaliter ex toto.* Nicolaus Eymericus parte 2. quæst 11.

1520. Martinus Lutherus Tomo primo Colloquiorum Latinorum fol. 48. *In Apocalypsi vsque ad equum album mundus peruenit: non diu stabit mundus, non vltra 100. annos.*

Fol. 77. *Si nunc dies extremus non venit, nunquam certè veniet.*

1530. *Michael Stiffelius ex supputatione quadratorum numerorum, tamquam diuina Spiritus sancti patefactione, serio confirmauit extremũ mundi diem anno 1533. ad tertiam Octobris circiter horam decimam*

futu-

futuram esse. Hanardus Gamerius Ecloga 9.

1526. *Thomas Scykerus Enthusiasta in vrbe S. Galli, consule illic Ioachimo Vadiano, per vrbem currens, ac horrendis gestibus vtens, clamabat: Diem Domini adesse: diem Domini venire.* Bullingerus contra Anabaptistas lib.2. cap.1.

1530. *Hutitis tam certum erat extremum diem præsentem esse, vt aliqui ipsorum omnes suas opes & facultates prodegerint, ea opinione, vt putarent se vix eas absumere posse: tam breui enim temporis spatio se satis opum habere.* Bullingerus lib.2.contra Anabaptistas cap.6.

1533. *Enthusiastarum quidam ita temerarij fuerunt, vt etiam tempus & diem ipsum, quo Dominus venturus esset, designarent. Hi deinde tamquam furiosi circumcurrebant, & per plateas clamabant: Dies Domini, dies Domini: annuntiamus vobis diem Dominicam.* Bullingerus contra Anabaptistas lib. 2. cap. 1.

1544. *Andreas Osiander libellum quendam edidit, in quo annum & tempus extremæ diei supputauit: verùm ita longinquum constituit, vt etiamsi calculus erret, nemo tamen nostrum hoc ei obijcere possit.* Bullingerus ibidem. Liber impressus est Norimbergæ anno 1544.

1550. *Ambrosius Catharinus ad caput 3. posterioris epistolæ D. Petri:* Nouos autem cælos, & terram nouam.) *Sed in quem vsum noua terra, si nullus habitaturus sit in ea? Idcirco congruentissimè creditur à multis, eos, qui peccato proprio non merebuntur infernum, nec tamen in Christo recepti fuerint per gratiam, (quales pueri, absque baptismo decedentes) hanc nouam multo pulchriorem terram puram ab omni inquinamento, & corruptione possessuros, vbi perpetuò laudabunt Dominum Deum.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Psalm. 101. *Vers.* 26. Initio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Isaiæ 34. 4. Et tabescet omnis militia cælorum, & complicabuntur sicut liber cæli: & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea, & de ficu.

Matthæi 24. 29. Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur: & tunc parebit signum filij hominis in cælo, *&c.*

Marci 13. 31. Cælum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt. De die autem illo & hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.

Actorum 1. 6. Igitur qui conuenerant, interrogabant eum dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel. Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.

1. *Corinth.* 7. 31. Præterit enim figura huius mundi.

2. *Thessal.* 2. 2. Neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam, tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat vllo modo: quoniam nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus.

2. *Petri* 3. 7. Cæli autem qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reseruati in diem iudicij & perditionis impiorum hominum. 10. Adueniet autem dies Domini vt fur: in quo cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem, & quę in ipsa sunt opera exurentur. Cùm igitur hęc omnia dissoluenda sint: quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent? Nouos verò cælos, & nouam terram, secundùm promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.

Apocal. 6. 14. Et cælum recessit sicut liber inuolutus: & omnis mons, & insulæ de locis suis motæ sunt.

Apocal. 21. 1. Vidi cælum nouum, & terram nouam. Primum enim cælum, & prima terra abijt, & mare iam non est.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 10.

Libro 3. Recognitionum: Necesse est testam ouorum, quamuis pulchrè & diligenter formata videatur, frangi, vt inde pullus procedat: ita & huius mundi necesse est transire statum, vt status ille sublimior regni cælestis effulgeat.

Linus. 90.

De Passione Pauli: Cùm venerit iudicare viuos & mortuos, dissoluet mundi huius figuram per ignem, & ante mundi huius constitutionem parata, & à seculis abscondita, militibus suis donatiua, quæ nunquam deficient, & quæ omnem excludent indigentiam, largietur.

Iustinus. 150.

Oratione ad Antoninum Pium: Enimuerò, vt & à nostris Doctoribus accepisse Platonem intelligatis, quod dixit: Deum materia informi versa mundum creasse: verba ipsa primi (vt diximus) Prophetæ, & omnibus Græcis scriptoribus vetustioris Mosæ audite: per quem propheticus spiritus, quomodo, & vnde Deus mundum condiderit, Gen.1. ostendens ita infit: *In principio fecit Deus cælum & terram: terra autem erat non aspectabilis, & incondita, & tenebræ erant super abyssum, & Spiritus Dei ferebatur super aquas. Et dixit Deus: Fiat lux, & factum est ita.* Proinde verbo Dei ex subiectis, & ijs, quæ Moses ostendit, rebus factum esse mundum vniuersum & Plato, & qui eadem dicunt, & nos adeò ipsi didicimus, & idem vos credere persuaderiqúe potestis, &c. Et exustionem quomodo per Mosen spiritus propheticus fore præmonstrarit accipite, sic autem inquit: *Descendet ignis perpetuum viuens, & deuorabit ad imam vsque abyssum.*

In Euersione quorundam dogmatum Aristotelicorum: Vnus Deus est, incorruptibilem obtinens naturam, & essentiam, operandiqúe, cui nihil prorsus intercedat impedimenti, efficaciam, mundi totius architectus. Qui mundus quòd esse cœpit, & aliquid est, & mirè durat, voluntas eius in causa est. Aut enim sine corruptione permanent partes mundi, sicuti cælum & cælestia (ad tempus tamen suum) & quæ sub visum non cadunt virtutes: aut per generationem & corruptionem perdurant vt animantes & plantæ.

Oratione ad Gentiles: Deus confusionem & interitum totius mundi, per quem mali angeli, & dæmones, & homines, non amplius extent, fieri nondum permittit propter semen Christianorum, quod naturæ rerum causam esse nouit, &c. Ita nos exustionem futuram esse dicimus, non sicut Stoici tradunt, iuxta naturę rerum inter se omnium mutationis rationem, quod turpissimum esse apparet: sed neque iuxta fatum mortales ea, quæ fiunt, perhibemus vel facere, vel pati: verùm consultò, animi destinatione, quemque aut officiosè, aut perperam agere.

Theophilus Antiochenus. 170.

Ad Autolycum lib. 2. Quod pertinet ad conflagrationem mundi, nolentes volentes consentiunt cum Prophetis Philosophi, quamuis temporis respectu his multo sunt iuniores. Attamen ea ex Lege & Prophetis suffurati sunt. De mundi conflagratione vaticinatus est Malachias Propheta: *Ecce dies Domini venit vt clibanus ardens, & incendet omnes impios.*

Irenæus. 180.

Libro 4. cap. 8. Et quid de Hierusalem dicimus, quandoquidem & figuram mundi vniuersi oporteat præterire, adueniente tempore præteritionis ipsius, vt fructus quidem in horreum colligatur, Mal.4. paleæ autem derelictæ comburantur? *Dies enim Domini quasi clibanus ardens, & erunt stipulæ omnes peccatores, qui faciunt iniusta, & comburet eos dies veniens.*

Lib. 5. cap. 36. Non substantia, neque materia conditionis exterminatur; (verus enim & firmus, 1.Cor.7. qui constituit illam) sed *figura transit mundi huius*, hoc est, in quibus transgressio facta est: quoniam veteratus est homo in ipsis, & propter hoc figura hæc temporalis facta est, præsciente omnia Deo. Prætereunte autem figura hac, & renouato homine, & vigente ad incorruptelam, vt non possit iam veterascere: erit cælum nouum, & terra noua, &c.

Athenagoras. 180.

Legatione pro Christianis: Hac ratione etiam Stoïci conflagratura omnia, & denuò futura dicunt, & renouatum iri mundum. Quòd si mundus, quamquam prouidentia Dei regitur, (nam duplex secundùm eos causa statuitur: principalis vna & efficiens, vt prouidentia: altera verò vt materia, quæ passiones ac mutationes sustinet) in eodem durare statu non potest, quoniam factus est: quomodo Deorum permanebit constitutio, qui & ipsi non suapte natura, sed nati sunt?

Hippolytus. 220.

Oratione de consummatione mundi: Deinceps post hæc omnia cælum non dabit rorem suum, nubes non præbebunt aquam, terra denegabit fructus suos, mare graui replebitur odore, flumina desiccabuntur, morientur pisces maris, homines fame sitiqúe peribunt, &c. Fluuius igneus egrediens cum furore, instar maris sæui, exuret montes, & colles, & mare delebit, ac æthera velut ceram inflammatione dissoluet, stellæ cadent de cælo, sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, cælum more libri volutabitur. Exuretur vniuersa terra, propter opera, quæ in ea corruperunt homines, in scortationibus, adulterijs, mendacijs. Nam fiet cælum nouum, & terra noua.

Origenes. 240.

Homilia 5. in Genesin: Apparet filias Loth didicisse quædam de consummatione mundi, quæ immineret per ignem, sed tanquam puellæ non integrè perfecteqúe didicerant, nescierunt quòd Sodomitis regionibus deuastatis igne, multum adhuc spatij integrum resideret in mundo. Audierunt in fine seculi terram & omnia elementa ignis ardore decoquenda, &c.

Libro 3. Periarchon cap. 5. De consummatione mundi primò Iacob indicat, cùm ad filios testatur, dicens: *Conuenite ad me filij Iacob, vt annuntiem vobis, quid erit in nouissimis diebus, vel post nouissimos dies.* Si ergo sunt nouissimi dies, cessare dies necesse est, qui cœperunt. Dauid quoque ita ait: *Cæli peribunt, tu autem permanebis*, &c.

In Proœmio libri 1. de Principijs: Est præterea illud Ecclesiastica prædicatione definitum, quòd mundus iste factus sit, & à certo tempore cœperit, & pro ipsa sui corruptione soluendus.

Proclus. 260.

Apud Epiphanium heresi 64. Non placet autem vt illud dicatur, quòd omnia funditus pereant, & terra, & aer, & cælum non futura sint. Exardescet equidem ad purgationem ac renouationem descensione facta totus mundus igne dilutus: non tamen ad perfectum interitum ac corruptionem deueniet. Si enim melius est non esse quàm esse mundum, cur Deus, qui mundum fecit, quod peius est elegit? frustra laborauit? Igitur ad hoc, vt sit, & maneat, creaturam Deus construxit. Manet creatura in melius ac decentius renouata, exultans & gaudens resurrectione ob filios Dei, &c. At si non pereunt vniuersa, dixerint Aduersarij, quomodo igitur Dominus cælum & terram præteritura esse dixit? Et Propheta dixit: *Peribit cælum velut fumus, & terra velut vestimentum inueterascet?* Quandoquidem hic mos est Scripturis, respondebimus, vt hanc mundi transmutationem

in meliorem ac magis gloriosam restitutionem, interitum ac perditionem dicant, tanquam videlicet prior figura pereat, per vniuersorum ad illustriorem statum immutationem. Nam nulla contrarietas aut absurditas est in diuinis Scripturis. *Preterit enim figura mundi huius*, & non mundus, vt dictum est.

Eusebius. 320.

De preparatione Euangelica libro 11. cap. 17. De consummatione & immutatione mundi apertè & Esa. 34. & 65. magna voce Scriptura prædicante, quia *complicabitur cælum sicut liber*. Et rursus: *Erit cælum nouum, & terra noua*. Et rursum: *Preterit enim figura seculi huius*. Audi quomodo Plato etiam hoc dogma comprobauit in Timæo dicens: Constituit cælum visibile, atque tangibile, & propter hæc, & ex istis, & talibus, & ex quatuor numero mundi corpus factum est, proportione conueniens, à cæteris omnibus indissolubile, præterquam ab eo, qui colligauit. Et post pauca: Tempus igitur cum cælo factum est, vt simul facta simul etiam dissoluantur, si quando solutio quædam ipsorum fiet. Et post pauca subijcit: Quod ligatum est, solubile est; quamuis si bene aptatum, beneque ligatum soluere vult, bonus non sit.

Didymus Alexandrinus. 360.

Apud Eugubinum de perenni Philosophia libro 10. Omnia tempori subiecta senescunt. Nam quæ temporis principium nascendo habuerunt, longo tempore antiquantur. Quod ergo canit Psalmus: *Veterascent, & mutabuntur:* designat eum vsum abijsse, ac defecisse, quo rerum ordines sustinebant alebantque. Vt enim indumentum, vbi officio functum fuerit, obuoluitur: sic cælum & terra functa muneribus suis abibunt, rerumque erit restitutio, iuxta dictum Saluatoris: *Cælum & terra transibunt*.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 15. Veniet Dominus noster IESVS Christus de cælis: veniet autem in consummatione mundi huius: & creatus hic mundus rursus renouabitur: quoniam corruptio, & furtum, & adulterium, & omne genus peccatorum effusum est in terram, & sanguis cum sanguinibus commixtus in mundo: vt non maneat admiranda hæc domus plena iniquitate. Pertransibit hic mundus, vt pulchrior restituatur. Et vis accipere ex dictis sacris huius rei demonstrationem? Audi Esaiam Prophetam dicentem: *Et complicabitur sicut liber cælum, & omnia astra cadent, sicut folia de vinea, & sicut cadunt folia de ficu*. Et Euangelium inquit: *Sol obscurabitur, & Luna non dabit splendorem suum, & astra cadent de cælo*. Non tristemur tanquam soli morientes: cùm & astra moriantur, fortasseque rursus excitabuntur. Complicabit autem cælos Dominus, non vt perdat eos, sed vt rursus meliores illos excitet. Audi Prophetam Dauid dicentem: *Ab initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli: Ipsi peribunt, tu autem permanes*. Sed dicet quis: Ecce apertè dicit, *peribunt*. Audi quomodo peribunt, statim enim declarat dicens: *Et omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium complicabis eos, & mutabuntur*. sicut enim perditio hominis dicitur: ita dictum est: *Vide sicut iustus perijt, & nemo id accipit in cor:* & hoc ita, vt resurrectio nostra expectetur: sic & cælorum resurrectionem expectamus, &c. Transibunt igitur visibilia, & venient expectata his meliora, sed tempus nemo curiosè inquirat: *Non enim est nostrum scire tempora, & momenta, quæ Deus posuit in sua potestate*. Neque audeas determinare, quando hæc fient, neque rursus supinus iaceas.

Basilius Magnus. 370.

Homilia 1. in Hexameron diuini opificij: Ne ma persuasus credas, mundum hunc, vt nullam al quando sortitum originem, ita nec vllo fine ob contrahendum. *Preterit enim figura huius mundi. cælum & terra transibunt*. Vtrumque hoc dogn certo præcinens futuram consummationem, mu dique in melius permutandi innouationem, ip eadem complectitur, quæ & hic verborum con pendio Moses tradit, dicens: *In principio fecit Deu* Nam quæ ex tempore cœperunt, necesse prorsi eadem vt aliquando desitura sint, & consumma da, &c.

Gregorius Nazianzenus. 380.

In definitionibus rerum simplicium:

Postquam resurgent corpora, atque animis suis
Iungentur, ac tum expletio soluens omnia,
Meliore cuncta quæ tamen vertet statu.

Gregorius Nyssenus. 380.

De hominis opificio cap. 23. Si quis intuens in mu di motum ordine quodam progredientem, qu temporum interualla notantur, fieri nequaqua posse dicat, vt aliquando res secundùm oracula d uina moueri desinant: is ne cælum quidem ac te ram initio condidisse Deum credit. Nam qui in tium quoddam in motu statuit, finem eius al quem fore non dubitat: perinde atque initiu nullum admittit, qui finem non statuit. Nos au tem, quemadmodum secula Dei verbo condita e se intelligimus, atque de rebus nusquam appare tibus, vt Apostolus ait, ea, quæ cernuntur, fact esse credimus: eadem persuasione, hoc etiam D verbum amplectemur, quo res vniuersas à mot cessaturas necessariò prædixit. Curiositatem qu dem nostram, inquirentem qui hoc fieri poss tolli oportet.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 10. ad populum Antiochenum: Quid luc dius sole? & hic deficit. Nec ex hoc tantum ipsi imbecillitatem videre datur, sed etiam in nu bium concursibus, &c. Apostolus manifestè d cit, quòd omnis creatura corruptioni nunc ser uit, & quare seruit, & quando mutabitur, in qualem transibit finem. Postquam enim dix *Non sunt condignæ passiones præsentis temporis ad fu ram gloriam, quæ reuelabitur in vobis:* intulit, quo *expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expe tur. Vanitati enim creatura subiecta est, non sponte, propter eum, qui subiecit eam in spe*. Quod autem d cit, huiusmodi est: Corruptibilis creatura fact est: hoc enim est, *vanitati subiecta est*. Corruptib lis autem facta est, Deo sic iubente. Iussit auten sic Deus propter genus nostrum: quoniam ei ho minem nutrire debebat corruptibilem, & ipsa t lis esse debebat: non enim corruptibilia corp ra decebat incorruptibili vesci creatura. Sed in quit: Non tamen talis remanet, sed & ipsa cre tura liberabitur à seruitute corruptionis: den de demonstrans quando hoc erit, & per quo intulit: *In libertatem gloriæ filiorum Dei*. Cùm enim resurrexerimus, inquit, & incorrupta sumpser mus corpora, tunc & cæli corpus, & terræ, mundi totius incorruptum erit, & immarces bile.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Ad illud Esaiæ: *Quia cæli sicut fumus liquesc* Innouationem, reparationemque ad meliore statum appositè dixit mortem elementorun Itaque fore prædicit, quemadmodum corpor humanorum renouationem rerum creatarur quasi à mortuis resurrectionem. Resolutis aute

clementis, *salutare meum*, inquit, *erit in æternum.*

Libro primo Thesauri capite 7. Absque manibus & materia ex nihilo ad esse cuncta Deus suo verbo produxit, omnem naturam creaturarum superans.

Proclus Constantinopolitanus. 430.

Epistola ad Armenios de fide: Quid autem de Scripturis accepimus, nisi quòd Deus verbo suo mundum condidit, & creaturam, quæ non erat, produxit ex nihilo.

Isidorus Pelusiota. 440.

Apoc. 6. 2. Pet. 3. Heb. 4. *Libro 1. epist. 188.* Si cælum instar libri conuoluitur, & astra cadunt, & Orion, & terra, & omnia, quæ ipsius complexu coercentur, igne conflagrant, cunctaque nuda & aperta magno illi dominicæ præsentiæ diei præparantur: ecquid ipsa incuria laboras, ac non, vt rationes redditurus, te præparas: verùm vt criminum expers, atque incognitus futurus pœnitentiam differs?

Theodoretus. 450.

In Epitome diuinorum decretorum lib. 5. cap. de creatione: Creationis est opifex, non qui, vt vult Valentini fabula, ex passione Achamoth formatus est, & post triginta quinque AEonum productiones, ex conuersione & passione factus est, vt vult Basilides & Cerinthus, nec, vt execrandus Marcion, aliquem alium præter bonum opificem dicimus: sed vniuersorum Deum cum Verbo vnigenito, & sanctissimo Spiritu omnia esse fabricatum & didicimus, & docemus.

Contra infideles libro 4. de materia & mundo: Vehementer Platonem laudo, qui in ijs, quæ ad mundi finem, consummationemque pertinent, proxima nobis sic loquitur: Cælum quidem pulcherrimum rerum omnium, quæ factæ sunt: opifex verò Deus optima causarum omnium, &c. Tempus cum cælo factum est, vt quæ semel facta sunt, simul etiam dissoluantur, si quando vlla ipsorum dissolutio futura sit.

Andreas Cæsareensis. 500.

Ad cap. 6. Apocalypsis: *Et cælum recessit sicut liber inuolutum.* Per hoc significatur, nempe cælum non subiturum aliquem interitum, aut abolitionem: sed tantùm quandam inuolutionem, & ad meliorem statum mutationem. Qua de re Irenæus lib. 5. reprehensionum falsi nominis scientiæ ad verbum ferè ita scribit: Neque enim cæli substantia, aut creaturæ essentia abolebitur. Siquidem qui hanc coagmentauit verus ac stabilis est, sed mundi figura, in quo præuaricatio accidit, in statum primo venustiorem, vt veteres asserunt, transitura est. Hæc magnus Irenæus.

Olympiodorus. 500.

Ad cap. 12. Ecclesiastis: Sicut per verbum Dei creatura mundi creata est, ita & diuino iussu quandoque resoluetur.

Procopius Gazæus. 530.

Præfatione in Genesin: Si mundus Deo est coæuus, sequetur non voluntate Creatoris, sed necessitate mundum esse constructum. Quam igitur gratiam Domino persoluent creaturæ, si præter voluntatem Creatoris, eoque inuito in entium numerum relatæ sunt? sed multò absurdius est, quod proponunt: si fuit opifex, necessarium consequitur est, vt faciat & opus: cùm nullo modo potuisset inhibere creandi impetum vel ardorem. Quod si verum est, quare à creando quieuit, & non subinde mundos statuit?

Ad cap. 3. Genesis: Quidam quoque Ethnici intellexêre mundum esse corruptibilem, non tamen interiturum.

Æneas Gazæus. 530.

In Theophrasto: Putasne fore aliquando, vt mundus hic dissoluatur? Sic sanè. Id enim, cùm mundus ipse sit corporeus, & sua sponte, atque ex seipso minimè existat, facile est demonstratu. Quid enim dicas? Si corporum generatio, quæ ipsa motus quidam est videlicet, manere vno in loco nolit, ac potius ad vnum illud & perfectum, ex quo prouenit, principium tendat, properet, atque etiam propellatur: neque enim sine causa aliqua fit motus, neque vspiam sistitur, antequam id, quod desideratum est, inuentum sit: inuenietur, quando supremus ille rerum opifex voluerit: volet autem ille, cùm ei visum fuerit opportunum. Etenim facta iam animarum probatione, & perspicua atque omnibus nota malitiæ reprehensione, hoc omne, quod sensibus expositum est, in id, quod immortale est & æternum, conuertetur: quando conueniens est hominum immortalitati, vt locus aptus atque accommodus fiat incolarum felicitati. Oportuit in eo, qui periturus est mundus, mortale quoque seu periturum animans esse: ac rursus in illo æterno, æternum atque immortale. Omnium enim rerum vna quædam est concordia: nec est inordinatum, aut ab hac concordia deflectens quicquam, sed singula singulis sunt amica, apta & idonea.

Anastasius Synaites. 580.

In Commentarijs in Hexameron lib. 7. Rerum exitum & finem seculi solus scit Creator temporum & vniuersorum.

Hesychius. 600.

In Leuiticum lib. 7. cap. 25. Duplex quædam infertur à Deo omnium visibilium consummatio: vna quidem vniuscuiusque nostrum: alia autem communis humani generis, ipsorumque horum, quæ hanc, quæ nunc est, conuersationem constituunt.

Elias Cretensis. 780.

In Orationem decimam Gregorij Nazianzeni: Quin etiam cæli ipsi, etsi ingens quædam & eximia creatura sint, tamen ipsi quoque corruptioni subijciuntur: corruptio autem ipsa in renouationem ipsis erat, atque eos ita facilè contrahet, vt quispiam indumentum complicat. Complicabuntur enim, cùm in præstantiorem formam immutabuntur, ac probam conuersionem subibunt, nimirum à vetustate ad renouationem. Hæc autem ex his, quæ iam diximus, perspicua sunt. Quid enim aliud Dauid, quàm Dei æternitatem ac rerum conditarum immutationem significat, cùm ad Deum ait: *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli: ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut amiculum plicabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient?* Cùm igitur hæc contingent, ac cæli mutabuntur, resque conditæ renouabuntur, tum verè ipse quoque Cæsarium videbo.

Basilius Imp. Constant. 860.

Ad Leonem filium cap. 4. Immota fide persuasum habe, corruptioni obnoxium esse mundum, quippe quem ortum habuisse constat; sed post corruptionem rursus ad incorruptam integritatem esse reuersurum: nihil enim eorum, quæ à Deo creata sunt, in nihilum vnquam abibit, etiamsi peccati lapsus & nos, & omnem simul creatam naturam mortali dissolutioni adiudicauit. Ea autem ratione incorruptibilem esse mundum admittens, confitere etiam rediuiuam mortuorum suscitationem, & iustam expecta iudicationem omnium, quæ quisque in vita sua gesserit: nihil enim mali impunitum Dei iustitiam effugiet, nihil boni non suo præmio coronatum latebit.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 13. Marci: Volens Dominus discipulos à diei & horæ illius interrogatione cohibere, dicit, quòd neque Angeli, neque Filius sciant. Si enim dixisset: Scio quidem, sed nolo vobis reuelare, mœrore illos affecisset: nunc autem prudenter rem agit, & eos omnino prohibet, ne discere affectent, ac molesti sint, dicens: Neque Angeli sciunt, neque ego. Ab exemplo autem intelligas, quod dicitur. Sæpe pueruli vident patres suos tenere quiddam in manibus, & hoc petunt, patribusqúe dare nolentibus, plorant quod non accipiunt: denique patres occultant illud quod tenent, & ostendentes manus vacuas pueris, fletum illorum sistunt: sic & Dominus, quasi pueros Apostolos alloquens, occultauit diem. Nam si dixisset: scio, non dico autem, indoluissent, quòd ab illo non discerent. Quòd autem Dominus sciuerit & diem, & horam, manifestum, quia seculi conditor est, & quo pacto quod fecit nesciret? Verùm vtiliter abscondit Deus consummationem vitę, siue omnium in communi, siue vniuscuiusque in singulari, vt dum incertus est finis, semper solliciti simus ac anxij, expectantes illum, & timentes, ne imparatis superueniat.

Euthymius. 1080.

Ad Psalmum 101. *Et sicut opertorium volues eos, & mutabuntur)* Inuolues dixit, pro coercebis, & contrahes, quod tanta, inquit, facilitate efficies, quanta quis opertorium aut pallium aliquod inuoluit. His autem verbis, summam Christi potentiam, ac robur constituit: quod autem superius dixit, *peribunt*, nunc ait, *mutabuntur*, exponens nimirum, & declarans illa priora verba, & significans, quòd ipsi etiam cæli immutabuntur, ac renouabuntur in corruptionem. Atque ideò in huiusmodi sententiam Paulus dicebat, quòd *præterit figura huius mundi:* & Esaias, quòd *cælum reuoluitur vt liber.* Sunt qui dicant, ita exponendum esse hunc versiculum, quòd *sicut opertorium*, seu amictus, completo vsu destinato, inuoluitur: sic etiam & cælum, meliori vsu adueniente, in melius & ipsum mutabitur.

Michael Glycas. 1100.

Parte 1. Annalium fol. 10. Norat Deus, quemadmodum Basilius ait, quantum mundo temporis ad durationem eius destinasset, & quantum fomenti reponendum igni foret. Propterea præclarè dictum est à Dauide: *Qui terram in aquis fundauit:* Nam quum aquæ terram humectare non desinant, & eam, vt immunis sit ab ignis exustione, conseruent: rectè dici aquæ fundamentum illius firmissimum possunt. Quæ quidem ita se habere, ac fundamenti cuiusdam instar aquas terram sustinere, Ioannes Chrysostomus in libro de statuis illustrius etiam ostendit, his verbis vtens: Terram à fontibus suis desertam, & ab humore, qui à mari ac fluminibus ei velut inspergitur, necesse prorsus est exarescere. Et erit aliquando tempus, quum ab igne cuncta exurentur, quemadmodum vates noster Esaias inquit, cum vniuersitatis huiusce Deo quasi colloquens: *Qui ad abyssum ait: Deserta esto, cunctiqúe fluuij tui exarescant.* Itaque Deus ex aquis firmamentum condidit, & ipsi quoque cæli nomen dedit: sed propriè cælum vocatur illud, quod prius est conditum, & quidem ex nihilo.

Theodorus Ducas. 1200.

De Communicatione naturali Serm. 6. Sapientiâ Deus totum hoc vniuersum constituit, & ordinauit: sapientia mouet omnia: idem soluet & commutabit hoc vniuersum in melius eadem sapientia, cùm volet.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

In Apologetico aduersus Gentes cap. 17. Quod colimus nos, Deus vnus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo, quo iussit; ratione, qua disposuit; virtute, qua potuit, de nihilo expressit, in ornamentum maiestatis suæ: vnde & Græci nomen mundo *κόσμον* accommodauerunt. Inuisibilis est, etsi videatur: incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsentetur: inæstimabilis, etsi humanis sensibus æstimetur, adeò verus & tantus est.

Aduersus Marcionem lib. 1. cap. 13. Cùm de mundo, considerando scilicet & magnitudinem, & vim, & potestatem, & honorem, & decorem, opem, fidem, legem singulorum elementorum, quæ omnibus gignendis, alendis, conficiendis, reficiendisqúe conspirant, vt plerique Physicorum formidauerint: initium ac finem mundo constare, ne substantiæ eius tantæ scilicet minus Dei haberentur: quas colunt & Persarum Magi, & AEgyptiorum Hierophante, &c.

De Resurrectione carnis cap. 11. Planè apud Philosophos habes, qui mundum hunc innatum infectumqúe defendant: sed multò melius, quòd omnes ferè hæreses, natum & factum mundum annuentes, conditionem Deo nostro ascribunt. Igitur confide illum totum hoc ex nihilo protulisse, & Deum nosti fidendo, quod tantum Deus valeat.

Minutius Felix. 230.

In Octauio: Cæterùm de incendio mundi, aut improuisum ignem cadere, aut difficilem non credere, vulgaris erroris est. Quis enim sapientium dubitat, quis ignorat, omnia, quæ orta sunt, occidere: quæ facta sunt, interire? Cælùm quoque, cum omnibus quæ cælo continentur, ita vt cœpisset, desinere? Fontium dulci aqua, marisve nutritum, in vim ignis abiturum? Stoicis constans opinio est, quòd consumpto humore mundus hic omnis ignescat & Epicureis de elementorum conflagratione, & mundi ruina eadem ipsa sententia est. Loquitur Plato partes orbis nunc inundare: dicit nunc alternis vicibus ardescere: & cum ipsum mundum perpetuum & insolubilem diceret esse fabricatum: addit tamen, ipsi artifici Deo soli & solubilem & esse mortalem. Ita nihil mirum est, si ista moles ab eo, quo extructa est, destruatur. Animaduertis Philosophos eadem disputare, quæ dicimus, non quòd nos simus eorum vestigia subsecuti: sed quòd illi de diuinis prædictionibus Prophetarum vmbram interpolatæ veritatis imitati sint.

Nouatianus Presbyter. 240.

Libro de Trinitate: Dei opera peruigili obtutu contemplanda sunt, in quorum sinu carbonum medius est ignis, siue quoniam ad igneum iudicij 2. Pet. 3.
diem mundus iste festinat. siue quoniam opera Dei nec sunt tenebrosa, sed vigent.

Cyprianus. 250.

Ad Demetrianum: Qua in parte illud in primo loco scire debes, senuisse iam mundum, non illis viribus stare, quibus prius steterat, nec vigore & robore eo valere, quo antea præualebat, &c. Quodcunque nunc nascitur, mundi ipsius senectute degenerat; vt nemo mirari debeat, singula in mundo cœpisse deficere, quando totus ipse iam mundus in defectione sit, & in fine.

Lactantius. 320.

In Epitome diuinarum Institut. cap. 11. Cùm cœperit mundi finis vltimus propinquare, malitia inualescet, omnia vitiorum & fraudum genera crebrescent, iustitia interibit, fides, pax, misericordia, veritas non erit, &c. Stellæ omnes decident, nec temporibus sua ratio constabit, hyeme & æstate confusis. Tunc & annus, & mensis, & dies breuiabitur. Et hanc esse mundi senectam & defectionem Trismegistus elocutus est. Quæ cùm venerit, adesse tempus sciendum est, quo Deus ad commutandum seculum reuertatur.

Iuuencus Presbyter. 330.

Præfatione in Euangelicam historiam:

Immortale nihil mundi compage tenetur:
Non orbis, non regna hominum, non aurea Roma:
Non mare, non tellus, non ignea sydera cæli.
Nam statuit Genitor rerum irreuocabile tempus,
Quo cunctum torrens rapiet flamma vltima mundū.

Hilarius. 350.

In Psalm. 118. in Lamed: Latini interpretes quod est apud Græcos, *εἰς τὸν αἰῶνα κύριε*, *In æternum Domine*, ambiguè, & minus propriè transtulerunt. Accipi autem æternum ita potest, vt intelligatur nullo, id quod æternum est, fine desinere. Seculum verò, quod *αἰὼν* Græcè est, intra spatium definiti temporis continetur. Non enim ait, in seculum seculi, neque in secula seculorum: sed, *in seculum verbum tuum permanet*: scit post hoc seculum cæ-
Matt.24 lum & terram præterire, Domino dicente: *Amen dico vobis, cælum & terra præterient, verba autem mea non transient.* Meminit etiam hoc seculum præteriturum esse, vt fit *cælum nouum & terra noua.* Idcirco ait: *In seculum Domine permanet verbum tuum in cælo:* quia postquam hoc seculum transierit, in cælo verbum hoc obedientiæ constitutæ in creaturis, quæ reuelationem filiorum Dei expectant, necesse sit permanere.

Ambrosius. 370.

Ad cap. 9. Lucæ: Si mihi crucifixus, scio quia mortuus est, non diligo eum: scio quia præterit, non concupisco eum: scio quia corruptela consumet hunc mundum, quasi fœtidum vito, quasi luem caueo, quasi moriturum relinquo.

Prudentius. 380.

Libro 1. contra Symmachum:

Vtque superstitio veterum procul absit auorum,
Nec putet esse Deum, nisi qui super omnia summus
Emineat, magnique immensa creauerit orbis.

In Apotheosi:

Sed Deus omnipotens orbem sine semine finxit:
Nil erat omne quod est, nil id procedere, & esse,
Atque nouum fieri, mox & grandescere iussum est.

Hieronymus. 390.

Ad caput 65. Esaiæ: Cælum nouum & terram nouam, qui putant omnia interire quæ cernimus,
Matt.24 Euangelij interpretantur testimonio, *Cælum &*
2.Cor.4 *terra transibunt.* Et Pauli Apostoli: *Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna.* Porrò qui nouitatem, commutationem in melius, & non elementorum arbitrantur interitum, illo vtuntur exemplo: *A principio terram tu fundasti Domine, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peri-*
Psal.101 *bunt, Tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & quasi amictum inuolues eos, & mutabuntur.* In quo perspicuè demonstratur, perditionem & interitum, non abolitionem in nihilum, sed commutationem sonare in melius. Neque enim
Esa.30. illud, quod in alio loco scriptum est: *Luna fulgebit vt sol, & sol septuplum lumen accipiet:* interitum significat pristinorum, sed commutationem in melius. Quod vt possit intelligi, nostræ conditionis ponamus exempla. Infans cùm in puerum creuerit, & puer in iuuenem, & iuuenis in virum, & vir in senem, nequaquàm per singulas ætates perit. Idem enim est qui prius fuit: sed paulatim immutatur, & ætati pristinæ perijsse dicitur. Quod intelligens & Paulus Apostolus loquebatur: *Præ-* 1.Cor.7.
terit enim figura huius mundi. Consideremus quid dixerit: *figura præterit*, non substantia. Hoc idem significat & Petrus: *Latet eos hoc volentes, quoniam* 2.Pet.3.
cæli erant ab initio, & terra de aqua, & per aquam Dei sermone subsistit, per quā prior mundus inundatus diluuio perijt. Cæli autem qui nunc sunt, & terra, eadem ratione seruantur igni: quod quo sensu accipiendum sit, postmodum docet. *Nouos autem cælos, & nouam terram videbimus, & repromissionem eius.* Non dixit alios cælos, & aliam terram videbimus, sed veteres & antiquos in melius commutatos.

Quintus Iulius Hilarion. 390.

De mundi duratione: Cùm hic mundus Creatore Deo constitueretur, videretqúe omnia suo iussu ex nihilo apparuisse: cælum cum ornamentis suis, (id est, solem & lunam, & stellas, propter vices & signa temporum luce radiantes) terram &c. Descendet ignis de cælo, & consummabuntur omnes homines, & tunc erit secunda resurrectio omni carni, & iudicabuntur omnes iudicio Dei iusto, pro eo quòd non crediderunt: Et post hoc auferetur cælum hoc, & terra ista: & ciuitas illa, quæ in Apocalypsi descripta est, *parata de cælo descendet, cum diuitijs Dei, in qua iusti habitabunt, & erit cælum nouum, & terra noua*, & vtraque in perpetuitate manebunt: impij in ambustione æterna: iusti autem cum Deo in vita æterna.

Augustinus. 400.

De Ciuitate Dei libro 20. cap. 16. Tunc figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione præteribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluuium. Illa itaque, vt dixi, conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt: atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conueniant: vt scilicet mundus in melius innouatus, aptè accommodetur hominibus, etiam carne in melius innouatis.

Cap. 18. Quærat forsitan aliquis, si post factum iudicium mundus iste ardebit, antequam pro illo cælum nouum, & terra noua reponantur, eo ipso tempore conflagrationis eius, vbi erunt Sancti, cùm eos habentes corpora in aliquo corporali loco esse necesse sit? Possumus respondere futuros eos esse in superioribus partibus, quò ita non ascendat flamma illius incendij, quemadmodum nec vnda diluuij. Talia quippe illis inerunt corpora, vt illic sint, vbi esse voluerint: sed nec ignem conflagrationis illius pertimescent, immortales atque incorruptibiles facti: sicut virorum trium corruptibilia corpora, atque mortalia, in camino ardenti viuere illæsa potuerunt.

Cap. 24. Quod de fine huius seculi apertissimè dictum est, nequaquam silentio prætcribo: *Princi-* Psal.101
pio terram tu fundasti Domine, & opera manuum tuarum sunt cæli: Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Quid est quòd Porphyrius, cùm pietatem laudet Hebræorum, qua magnus, & verus, & ipsis numinibus terribilis ab eis colitur Deus, Christianos ob hoc maximæ arguit stultitiæ, etiam ex oraculis Deorum suorum, quòd istum mundum dicunt esse periturum? Ecce in literis pietatis Hebræorum dicitur Deo, quem, confitente tanto Philosopho, etiam ipsa numina

perhor-

perhorrefcunt: *Opera*, inquit, *manuum tuarum funt cæli: ipfi peribunt*. Nunquid quando cæli peribunt, mundus, cuius ijdem cæli fuperior pars, & tutior, non peribit? &c. Et in literis quidem facris, quæ propriè noftræ funt, non Hebræis, nobifquê communes, id eft, Euangelicis & Apoftolicis libris le-
1.Cor.7. gitur: *Preterit figura huius mundi*. Legitur: *mundus*
1.Ioan.2 *tranfit*. Legitur: *Cælum & terra tranfibunt*. Sed pu-
Matt.24 to, quòd *preterit, tranfit, tranfibunt* aliquando mitius dicta funt, quàm peribunt. In epiftola quo-
2.Pet.3. que Petri & Apoftoli, vbi aqua inundatus, qui tunc erat, perîffe dictus eft mundus, fatis clarum eft, & quæ pars mundi à toto fignificata eft, & quatenus perijffe dicta fit, & qui cæli repofiti, igni referuandi in diem iudicij, & perditionis hominum impiorum. Et in eo quod paulò poft ait: *Veniet dies Domini vt fur, in quo cæli magno impetu tranfcurrent: elementa autem ardentia refoluentur, & terra, & quæ in ipfa funt opera exurentur*. Ac deinde fubiecit: *His omnibus pereuntibus quales oportet vos effe?* Poffunt illi cæli intelligi perituri, quos dixit repofitos igni referuandos, & ea elementa accipi arfura, quæ in hac ima mundi parte fubfiftunt, procellofa & turbulenta, in qua eofdem cælos dixit effe repofitos, faluis illis fuperioribus, & in fua integritate manentibus, in quorum firmamento funt fydera conftituta.

Proba Falconia. 430.

In Virgilio Centonibus, de iudicio venturo:

Attonitus hæfere animis, nec plura moratus,
Hic aliud maius miferis mortalibus ægris
Iudicium canit, & triftes denuntiat iras,
Venturum excidium, vafta conuulfa ruina
Omnia tunc pariter rutilo mifceriet igni,
Pallentefquê polo ftellas, cæliquê ruinam.
Tunc verò tremefacta nouus per pectora cunctis
Infinuat pauor, & taciti ventura videbant.

Sixtus Tertius. 430.

Libro de diuitijs: Nihil aurum, nihil argentum, nihil pretioforum lapidum corufcantes gemmæ proficient, cùm illa rutilare cœperit dies, olim à Domino deftinatus, cùm ipfa etiam ignibus cœperint elementa crepitare, de quo B. Apoftolus Pe-
2.Pet.3. trus: *Adueniet autem dies Domini vt fur, in quo cæli magno impetu tranfibunt, elementa verò calore foluentur. Cùm igitur hæc omnia diffoluenda fint, quales oportet nos effe in fanctis conuerfationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentes foluentur, & elementa ignis calore tabefcent.*

Libro de Caftitate: Sic dicis: Quomodo ftabit mundus, quafi æternitatem eius legeris: aut ita à Deo conftitutum fcias, vt perfeueret perpetuò: aut fi certus es eum quandoque finiri poffe, quid de eius ftabilitate follicitus es? fed ne dubites illum finien-
Pfal.91. dum effe, audi Scripturam dicentem: *Quoniam tu Domine terram fundafti, & opera manuum tuarum funt cæli: ipfi peribunt, tu autem permanes, & omnes ficut veftimentum veterafcent.*

Arnobius Iunior. 440.

De Deo trino & vno: Mundum quoque ipfum credere debemus à Deo factum ex nihilo, ficut le-
2.Mac.7 gitur in Machabæis: *Afpicite ô filij cælum & terram: & afpectis omnibus, quæ in eis funt, intelligite, quomodo ex nihilo fecit ea Deus*. Ergo ficut ex nihilo factus eft mundus, ita ad nihilum redigendus erit in fi-
Pfal.101 nem. Quia fcriptum eft: *Terram tu Domine fundafti, & opera manuum tuarum funt cæli: Ipfi peribunt, tu autem in æternum manes*. Cælum nouum, & terram nouam, fideliter Dei eloquia repromittunt, in quibus perpetuum cum Sanctis fuis inhabitet.

Leo Magnus. 450.

Sermone 2. in Natiuitatem Domini: Illa virtus, illa fapientia, illa colenda eft maieftas, quæ vniuerfitatem mundi creauit ex nihilo, & in quas voluit formas atque menfuras terrenam cæleftemquê fubftantiam omnipotenti ratione produxit.

Profper Aquitanicus. 460.

Epigrammat. 95.

Per verbum omnipotens Deus omnia condidit vnum
A quo natura eft nulla creata mali.
Et quod non fecit diues fapientia Verbi,
Non habet in rerum conditione locum.

De promiffionibus & prædictionibus Dei parte 4. cap. 20. Petrus Apoftolus ait: *Qui autem nunc funt cæli, eodem verbo repofiti funt, igni referuandi in diem iudicij*. Et paulò poft: *Properantes*, ait, *ad præfentiam Domini, per quam cæli ardentes foluentur, & elementa ignis ardore decoquentur.*

Fatetur & Sibylla dicens:

Omnia ceffabunt, tellus confracta peribit:
Sic pariter fontes, torrentes, fluminaquê igni.

De prædictionibus Dei cap. 7. Finis diluuij 601. anno Noë terminatus finem mundi fignificat, poft fex ætates feculi, & breue Antichrifti fpatium.

Claudius Marius Victor. 460.

In Genefin libro 1.

Factum igitur conftat mundum, quod quifque fubactus
Annuit, & vero conuictus dogmate credit,
Concedens feciffe Deum, qui numine verbi,
Et virtute potens, quicquid natura putatur,
Difpofuit, iuffit, monuit, &c.

Salonius. 480.

In Ecclefiaften Salomonis: Quare Salomon dicit: *Terra in æternum ftat*: cùm Dominus in Euangelio dicat: *Cælum & terra tranfibunt?* Verè, iuxta Domini fententiam, *cælum & terra tranfibunt* per meliorationem, fed non per ablationem: quia igne iudicij purgata meliorabuntur, quoniam renouabuntur, fed non penitus deftruentur. Tantum quippe ardebit furfum, & terra deorfum, quantum malitia hominum fimul & dæmonum coinquinari potuit. Ergo iuxta Salomonis fententiam, terra in æternum ftabit, quoniam nunquam deftruetur, veruntamen renouabitur, & meliorabitur.

Gennadius Maffilienfis. 480.

De Ecclefiafticis dogmatibus cap. 69. Elementa, id eft, cælum & terram, non credamus abolenda per ignem, fed in melius commutanda: figuram quoque mundi, id eft, imaginem fubftantiæ tranfituram.

Alcimus Auitus. 500.

Libro 3.

Nec porrò æternum, mundum, fuperifquê coæuum,
Credere fas ftabilem femper tenuiffe vigorem:
Nam quod corporibus conftat, cœpiffe fatendum eft:
Corpus enim quod plaga terit, quod tempora foluunt
Atque abolent, ipfo qui tendit in vltima fine
Principium oftendit, quodque fortita probatum,
Aut facta hæc credi par eft, aut nata putari.
Factum igitur conftat mundum, quod quifque fubactus
Annuit, & vero conuictus dogmate credit,
Concedens feciffe Deum, &c.

Primafius. 540.

Ad caput 20. Apocal. *Et vidi cælum nouum.*) Tunc figura mundi huius mundanorum ignium conflagratione præteribit, ficut factum eft mundanarum aquarum inundatione diluuium, vt cælo & terra in melius commutatis, incorruptione & immortalitate fanctorum corporum congrua, vtriufque commutationis qualitate conueniat, mundufquê in melius innouatus aptè accommodetur hominibus in melius innouatis. Quod autem ait: *Et mare iam non eft*; vtrum maximo ardore ficcetur, an & ipfum vertatur in melius, non facilè dixerim. Cælum quippe nouum, & terram no-

uam futuram legimus: de mari autem nouo, me vspiam aliquid legisse non recolo.

Iunilius Africanus. 540.

Ad caput 1. *Geneseos:* Creationem mundi insinuans Scriptura diuina, aptè primo statim verbo æternitatem atque omnipotentiam Dei creatoris ostendit. Quem enim in principio temporum mundum creasse perhibet, ipsum profectò ante tempora æternaliter extitisse designat. Et quem ipsum conditionis initio cælum & terram creasse narrat, tanta celeritate operationis omnipotentem esse declarat, cui voluisse, creasse est.

Paulo ante finem: Sextæ diei vesperam iam nunc appropinquare cernimus, & cùm abundante per omnia iniquitate refrigescet charitas multorum: adueniet autem multo tenebrosior cæteris, cùm apparente homine peccati filio iniquitatis, *qui extollitur atque eleuatur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur,* tanta fuerit tribulatio, *vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi,* & subsequente statim hora vniuersalis iudicij. Septima ætas est perpetuæ quietis in alia vita, in qua requiescit Deus cum sanctis suis in æternum. Matt. 24

Cassiodorus. 540.

In Psalm. 101. ad illa verba: *Initio tu Domine terram fundasti,* &c. Hic opiniones Philosophorum mirabili breuitate destruxit. Quarum prima est, mundum à nullo esse creatum: secunda, sine fine mansurum. Sed cùm dicitur: *Initio terram tu fundasti Domine, & opera manuum tuarum sunt cæli,* prima illa persuasio nefanda conuincitur. Cùm verò pronuntiatur: *Ipsi peribunt,* finem eos habere declarauit: vt nullus in stellis gentili errore confideret, cùm eas immutandas esse sentiret.

Gregorius Magnus. 590.

In Ezechielem lib. 1. *Homil.* 8. Mundus quidem iudicij igne cremabitur, sed aqua iam diluuij non deletur.

Lib. 9. *epist.* 60. In sacra Scriptura ex verbis Domini omnipotentis agnoscimus, quòd præsentis mundi iam terminus iuxta est, & sanctorum regnum venturum est, quod nullo vnquam poterit fine terminari. Appropinquante autem mundi termino, multa imminent, quæ antea non fuerunt, videlicet mutationes aëris, terroresque de cælo, & contra ordinem temporum tempestates, bella, fames, pestilentiæ.

Isidorus Hispalensis. 620.

De doctrina & fide cap. 36. Elementa, id est, cælum & terram, non credamus abolenda per ignem: sed in melius commutanda: figuram autem mundi, id est, imaginem, non substantiam transituram.

Iulianus Toletanus. 680.

Lib. 3. *Prognosticon cap.* 46. Euidenti maiorum sententia definitur, quòd peracto iudicio, tunc definet esse hoc cælum & terra, quando incipiet esse cælum nouum, ac terra noua. Mutatione namque rerum, non omnimodo interitu transibit hic mundus. Tunc ergo figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione peribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluuium. Illa ergo conflagratione mundi elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt. Atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili immutatione conueniant: vt scilicet mundus in melius innouatus aptè accommodetur hominibus, etiam carne in melius innouatis.

Beda. 700.

Ad cap. 3. posterioris Petri: *Elementa calore soluentur.*) Quatuor sunt elementa, quibus mundus iste consistit: Ignis, aër, aqua, & terra, quæ cuncta ignis ille maximus absumet. Nec tamen cuncta in tantum consumet, vt funditus non sint, sed duo in tantum consumet, duo verò in meliorem restituet faciem. Vnde in sequentibus dicitur: *Nouos verò cælos, & nouam terram.* Non dixit alios cælos, & aliam terram, sed veteres & antiquos in melius commutandos, iuxta hoc, quod Dauid ait: *Initio terram tu fundasti Domine, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnia sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis ea, & mutabuntur.* Quæ ergo peribunt, veterascent, & mutabuntur: constat pro certo, quia consumpta per ignem, mox abeunte igne, gratiorem resument speciem. *Præterit enim figura huius mundi,* non substantia: sicut & carnis nostræ non substantia perit, sed figura immutabitur, quando quod seminatur corpus animale, resurget spirituale corpus. Pet.3 Psal. 101

Ad cap. 20. *Apocal.* Peracto iudicio esse definunt cælum & terra, cùm esse incipit cælum nouum, & terra noua, mutatione scilicet rerum, non omnino interitu earum. *Præterit enim figura huius mundi.* Non dixit, & substantia. Eadem namque in melius commutanda esse creditur.

Alcuinus. 750.

Ad caput 1. *Ecclesiastis:* Signanter dixit: *Terra in seculum stat,* non in seculum seculorum; *quia cælum & terra transibunt, & ecce facta erunt omnia noua.*

In quæstionibus in Genesim, Interrogatione 135. Cur signum illud diuersi coloris datur hominibus? ℞ Propter securitatem & timorem: vnde & in arcu idem color aquæ & ignis ostenditur: quia ex parte est cæruleus, & ex parte rubicundus. Est ergo vtriusque iudicij testis: vnius videlicet facti, & alterius faciendi: id est, quia mundus iudicij igne cremabitur, aqua diluuij non delebitur. Pet

Ad Psalm. 101. *Sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.*) Fortassis cælum intelligitur coopertorium terræ esse, quod in melius mutandum esse alia terra designat, vbi dicitur: *Et erit cælum nouum, & terra noua.*

Ambrosius Ansbertus. 760.

Libro 9. *in Apocal.* Patet procul dubio, quia & resurrectio mortuorum, & concrematio elementorum simul adueniet, atque omnia Deo iudicante per ignem, cùm aduersarios idem ignis inuoluens in infernum abstulerit, & purgatos quosdam electos ad regnum miserit, tunc cælum nouum & terra noua parebunt. Quod autem de transeuntibus elementis dicitur, & locus non est inuentus ab ijs, ita subaudiendum est, tamquam diceretur: Nullum recordationis vestigium ex priore habebunt visione, cùm per ignem mundanda transierint. Vnde & Apostolus dicit: *Præterit enim figura huius mundi.* Ac si diceret: Figura præterit, natura permanet. Potest autem per immutationem elementorum depositio corruptionis intelligi, quæ à conspectu sedentis in throno tunc fugabitur.

Haymo. 820.

Ad cap. 7. *prioris ad Corinth.* Transibit species & figura huius mundi per ignem, remanebit substantia renouata per ignem, & meliorata ad hoc, vt in æternum terra maneat, iuxta quod Salomon dicit: *Terra in æternum stabit.*

Rabanus Maurus. 850.

Libro 4. *de Vniuerso cap.* 10. Elementa, id est, cælum & terram, non credamus abolenda per ignem: sed in melius commutanda: figuram mundi, id est, imaginem, non substantiam transituram.

Petrus Damianus. 1050.

Epistola 13. quæ est de institutione Monialis cap. 5. de die iudicij: Ille dies est, ad quem omnis præcedentium seculorum intentio ac summa colligitur: cui cuncta Scripturarum volumina famulantur. De quo hæc Petrus, vt audientium corda digno terrore concuteret: *Adueniet, inquit, dies Domini sicut fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur.* Vnde mox subditur: *Cùm hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentes soluentur, elementa verò ignis ardore tabescent?*

2.Pet.3.

Anselmus. 1080.

Ad cap. 7. prioris ad Corinth. Præterit figura mundi, non natura, vt in aliam speciem mundus vertatur, & de hoc veteri cælo & terra fiat cælum nouum, & terra noua. Tunc enim figura mundi quotidie senescentis perfectè præteribit, quando conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt, atque ipsa mundi substantia qualitates habere incipiet, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conueniant, vt scilicet mundus in melius innouatus, aptè accommodetur hominibus, etiam carne in melius innouatis.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad cap. 20. Apocalyps. De istis cælis non dubium est, quin perituri sint, videlicet nimio calore soluti, quando super thronum suum magnus iste sedens apparebit. Nam de illis quoque Petrus Apostolus in epistola sua dicit: *Cæli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, reseruati in diem iudicij & perditionis impiorum hominum.* Mirabilis atque pauenda erit illa fuga cæli, siue cælorum. Neque enim silentio fiet, sed terribiliter audienda est disruptio fugientium, siue fuga disruptorum, seque disrumpentium, sicut vetus disrumpitur vestimentum. Ignis quippe non leuiter tunc suas iussus exercebit vires, vt non parumper cæli crepitent, sicut nunc interdum inualescente æstiuo calore crepitare solent (quem crepitum Physici dicunt esse tonitru:) sed erit tempestas va ida, validusque ignis, qui in circuitu ardebit venientis, vtpote ad vindictam exire iussus impiorum, ad examinanda merita bonorum & malorum.

2.Pet.3.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. dist. 47. d. Domino veniente ad iudicium, præcedet ante eum ignis, quo comburetur facies mundi huius, & peribit cælum & terra, non secundùm substantiam, sed secundùm speciem, quæ immutabitur: Cælum quidem aërium in æthereum. Tantum enim ascendet ignis in iudicio, quantum ascenderunt aquæ in diluuio.

Otto Frisingensis. 1150.

Libro 8. Chronicorum cap. 9. Cælum & terra dum transire dicuntur, nequaquam de esse ad non esse vergere, velut abolenda, quæ essent transire ad aliud: sed de hoc statu ad aliter esse, id est, ad alium pulchriorem longeque excellentiorem commutanda atque transfiguranda asseruntur.

Hugo Ætherianus. 1160.

De regressu animarum ab inferis cap. 26. Veniente Domino ad iudicium, præcedet ante eum fluuius igneus cum multo impetu, quasi mare plenum ventis & æstuans: quo facies mundi ardebit, & cælum, & terra, non secundùm substantiam, sed secundùm formam peribit, tum & mare. Æther dissoluetur, stellæ cadent, sol conuertetur in tenebras & luna: cælum sicut liber inuoluetur. Veruntamen, vt quidam Sanctorum asserunt, tantum ascendet ignis in iudicio, quantum ascenderunt in diluuio aquæ. At verò ille ignis malorum, qui reperti fuerint, erit consumptio, bonis nullam inferens læsionem.

Hildegardis. 1170.

Lib. 3. visione 11. cap. 2. In ipso nouissimo mundi die totus orbis terrarum terroribus concutietur, & tempestatibus quassabitur, ita vt quicquid in eo caducum & mortale est, his calamitatibus finiatur: quia tunc cursu mundi completo, ipse amplius durare non poterit: sed secundùm diuinam dispositionem consummabitur. Repentino & inopinato motu in hoc fine elementa relaxantur, omnes creaturæ commouentur: ignis erumpit, aër soluitur, aqua effluit, terra concutitur, fulgura feruent, tonitrua crepant, montes scinduntur, syluæ ruunt, & quicquid in aëre, vel in aqua, vel in terra mortale est, vitam reddit. Ignis enim totum aërem mouet, & aqua totam terram replet, & hoc modo omnia purgantur, vt quicquid in mundo fœditatis est, ita euanescat, quasi non fuerit, velut sal diffluit, cùm in aquam immittitur.

Vincentius Burgundus. 1240.

In Speculo Natural. lib. 31. cap. 102. Quantum temporis vsque ad finem seculi & aduentum iudicis supersit, certum est neminem mortalem esse, qui nouerit, nisi forsitan Dominus alicui speciali gratia reuelauerit. Omnium namque de hac re calculantium digitos quiescere iubet. *Non est vestrum nosse tempora, &c.*

Cap. 104. Venturum iudicem ignis præcedet, qui faciem huius mundi comburet, peribuntque cælum & terra, non secundùm substantiam, sed secundùm speciem, quæ mutabitur in meliorem. Cælum dico aëreum, non æthereum. Tantum enim ascendet ignis præambulans iudicij, quantum ascenderunt aquæ diluuij, scilicet 15. cubitis super cacumina montium, vt hanc mundi partem expurget à peccatis hominum. Terram igitur & mare ex aëris crassitudine conflagrabit, & electos quoque secundùm Apostolum purgabit, in quibus aliquid purgandum extiterit.

Thomas Aquinas. 1250.

In quæstionibus disputatis quæst. 5. artic. 6. Finis mundi non erit, nisi completo numero electorum: cuius completio est quasi quædam executio totius diuinæ prædestinationis. Vnde non competit reuelationem fieri de mundi fine, nisi ei, cui fuerit reuelatio de prædestinatione diuina, scilicet homini Christo, per quem tota diuina prædestinatio humani generis quodammodo implebitur.

Ægidius Romanus. 1280.

Libro 2. Hexameron: Non possumus scire neque diem, neque horam, neque æuum, neque tempus, quando finietur mundus, dicente Christo Matthæi 13. *De die autem illa & hora nemo scit, &c.*

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 1. epist. ad Hebræos: Cæli superiores sunt mutabiles de esse ad non esse, si dimittantur à diuina conseruatione, quantum ad situm. Cæli autem inferiores, scilicet ignis, & aer, cum istis modis mutationum, sunt mutabiles, quantum ad alterationem & generationem, & per consequens alia elementa, & mixta ex iis. In omni autem motu & mutatione est aliqua corruptio secundùm Philosophum, & secundùm Augustinum. Status autem mundi immutabitur in fine: quia cælum cessabit à motu, completo numero electorum, ad quem numerum

merum finaliter ordinatur, & per consequens alteratio & generatio in elementis: quæ etiam elementa per ignem conflagrationis purgabuntur, & ideo tam in cælesti corpore, quam in elementis erit mutatio, & per consequens peribunt quodammodo à statu, in quo modò sunt. Et quia non corrumpentur quantum ad substantiam, ideo subditur: *Et velut vestimentum.*) Sicut enim cessante frigore mutatur vestis, quæ erat contra frigus necessaria, non quidem tunc mutatur sic vestis, quòd corrumpatur, sed quia frigus cessat: sicut cæli & elementa dicuntur mutari, quia motus cæli, & alteratio elementorum, quę sunt propter generationem, vt scilicet impleatur numerus electorum, quo impleto cessabunt, manente tamen substantia & elementorum & cælorum.

Ad cap. 3. posterioris Petri: Non solùm terra, sed etiam omnia, quæ in ipsa sunt facta, & de ipsa producta exurentur. *Nouos verò cælos.*) Non dicit alios, sed nouos, id est, eosdem in substantia, in melius tamen immutatos, & sic innouatos.

Ad cap. 21. Apocal. *Et vidi cælum nouum, & terram nouam.* Per ista duo intelliguntur elementa media, ignis, aqua, & aër. Hæc enim omnia innouabuntur, & in melius mutabuntur. Ideo subditur: *Primum enim cælum, &c.* Non est per hoc intelligendum, quòd mutetur eorum substantia, sed ea manente, meliorabuntur in qualitatibus & proprietatibus: vt in claritate, diaphonietate, & in similibus, & totum cedet ad gloriam electorum, qui ex creaturis laudant Deum.

Franciscus Maronius. 1320.

In lib. 4. Sentent. distinct. 49. quæst. 4. Quartò quæritur, vtrum mundus sit per ignem periturus? Veritas determinata, quòd mundus debet iudicari per ignem, sicut semel fuit per aquam: tunc autem non fuerunt omnia consumpta: quia non pisces: sed illo igne omnia consumentur. Non attinget autem nisi ad tria elementa. Comburet enim totum aërem caliginosum, in quo fuerunt facta peccata, vsquequo aquæ diluuij ascenderunt, & totam superficiem terræ, similiter mare, quantum ad aliquas partes. Sed videtur consonum verbo Scripturæ, quòd totus mundus debeat comburi. Dicitur enim in Euangelio: *Cælum & terra transibunt,* &c. Et in Apocalypsi: *Vidi cælum nouum, & terram nouam. Primum enim cælum iam non est:* nisi sanctialiter exponerent auctoritates: ita videtur Augustinus dicere cap. 20. de Ciuitate Dei, quòd quantum ad qualitatem, quam nunc habent, transibunt: non autem quantum ad substantiam, imò per essentiam sine fine subsistent.

Matt 24
Apoc. 21

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 2. cap. 87. Circa conflagrationem mundi sciendum est, quòd ignis permaximus aduentum Iudicis præueniet, & faciem eius præcedet: quia virtute diuina non solùm ignis, qui est in sphæra sua, sed etiam omnes ignes, & qui in terra, & qui super terram sunt, ad mundi conflagrationem concurrent. Per istum ignem quasi simul fiet purgatio iustorum, & punitio malorum, incineratio corporum, & consumptio terræ nascentium. Habebit enim iste ignis officium quatuor ignium, videlicet ignis infernalis, ad reproborum punitionem: ignis purgatorij, ad bonorum à venialibus purgationem: ignis terrestris, ad vegetabilium & sensibilium consummationem, & corporum incinerationem: & ignis elementalis, ad elementorum subtiliationem & innouationis eorum dispositionem. Per hunc ergo ignem ita facies eorum exuretur, quòd figura huius mundi peribit, sicut & olim per diluuium factum fuit.

Guido Carmelita. 1340.

De Albanensibus: Licet mundus non transeat quantum ad substantiam cæli & elementorum: transit tamen quantum ad vitam animalium & hominum, qui tunc non viuent in hoc mundo.

Thomas Argentinensis. 1350.

In lib. 4. Sent. distinct. 47. quæst. 1. artic. 4. Illa verba B. Petri, & consimilia, vbicunque reperiuntur in Scripturis, quibus cælorum exprimitur dissolutio, sunt intelligenda de cælis aërijs: sicut etiam intelligendum est illud: *Volucres cæli comederunt illud,* & non de cælis superioribus: quia illi sunt intransmutabiles, quantum ad substantiam, quamuis aliquo modo mutentur in claritate: quia lumen lunæ erit sicut lumen solis, & lumen solis septempliciter, vt dicit Esaias. Nec tamen ista accidentalis mutatio cælorum erit per ignem, sed immediatè per diuinam actionem.

2. Pet. 3.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa de gaudijs Paradisi fol. 433. Post prædicta fiet innouatio, quæ non complebitur quamdiu peccator erit in mundo, nisi quousque detrudatur in infernum: sicut enim ille ignis maximus elementa purgabit, cùm habeat virtutem expulsiuam formæ extrinsecæ, sic mundum innouabit, cùm habeat virtutem subtilitatiuam. Tamen inter purgationem & mundi innouationem multiplex est differentia. Vna, quia purgatio erit pœnalium qualitatum detractio: innouatio autem erit pulchrioris formæ induitio. Alia differentia erit, quia purgatio erit elementorum ab impuritate, quam habent ex commixtione, ad puritatem mutatio: innouatio verò erit cælorum à statu veteri in statum nouum commutatio, & hoc per cessationem à motu. In cęlis enim propter impermixtionem nulla impuritas est, sed tantùm imperfectio motus. Vnde non erit in ijs purgatio per ignem, sed cessatio à motu, &c. Sic igitur purgabuntur elementa, quòd proscindetur ab igne eius combustibilitas, ab aëre obscuritas, ab aqua glacialis frigiditas, à terra grauitas & opacitas. Mundum enim innouari seu pulchriorem formam induere debere ostenditur multiplici ratione. Primò, quia sicut dignum fuit, quòd elementa purgarentur, eo quòd infecta fuerant propter peccatum hominis: ita dignum erit, vt mundus innouetur, propter glorificationem hominis. Secunda ratione, vt creaturę remunerentur pro labore, quo homini seruierunt. Tertia ratione, vt totus mundus, prout possibile est, conformetur homini glorificato.

Anno post natiChristum 1320.
1330.
1350.
1360.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tomo 2. Serm. 11. de iudicio generali: Primò contemplemur immutationem elementorum. Primò enim terra erit sicut crystallus, & planabitur. Secundò aër erit clarior, nec habebit impressiones, quas patitur modò: quia non erunt nubes, neque venti, neque pluuiæ, neque ros, neque grando, neque tonitrua, neque fulgura. Tertiò verò ignis & aqua erunt puriores, & manebunt etiam non solùm secundùm substantiam, sed etiam secundùm qualitates suas, quas nunc habent, quantum ad habitum, sed non quantum ad vsum: quia cùm his duobus elementis magis vigeant qualitates actiuæ, id est, frigiditas in aqua, & caliditas in igne: magis sunt generationis, & corruptionis principium, & tales effectus eorum non erunt amplius: & propter hoc interire dicuntur. Vel ideo interire dicuntur, secundùm aliquos: quia Dominus intercidet in illis, secundùm Basilium super illud Psalm. *Vox Domini intercidentis flammam ignis,* ita quòd illud, quod est calidum, vstiuum, & frigidum glaciale inferius tendet. Nam de omnibus elementis ignobile tendit deorsum, sicut

grof-

grossum, terrenum, opacum, tenebrosum, & huiusmodi, ad cruciandum damnatos, vt verificetur illud Sap 5. *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.* Perspicuum autem in aqua, & lux in igne manebunt, & ascendent sursum ad lætificandum beatos. Vnde Tobiæ 13. *Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Hierusalem.* Ex his patet, quòd terminabuntur transmutationes elementorum, & generationes animalium, & plantarum, quia esse istorum cessabunt. Et propter hoc dicuntur interire elementa, non quoad substantiam, sed quantum ad actionem & passionem.

ARTICVLVS TERTIVS.

ANTICHRISTVM CERTVM QVENDAM HOMINEM FVTVRVM, NONDVM VENISSE, IN FINE MVNDI VENTVRVM, IVDAEVM EX TRIBV DAN NASCITVRVM, HIEROSOLYMIS IN TEMPLO SALOMONIS SESSVRVM, MIRACVLA MENDACIA FACTVRVM, MOnarcham totius mundi euasurum, Christianos toto orbe persecuturum, Enoch & Heliam ei se oppositaros, tandemq; interficiendum spiritu oris Domini.

NEGANT.

Anno post natum Christum 220. HIPPOLYTVS Martyr *Antichristum ipsum diabolum phantastico & laruato corpore humano contectum futurum asserit.* Hieronymus in 7. cap Daniel. Damascenus lib. 4. Cap. 28. Theophylactus & Oecumenius in 2. ad Thessal. cap. 2.

1530. Martinus Lutherus ad cap. 49. Genesis: *Vulgata opinio est apud omnes auctores Ecclesiasticos, quòd ex tribu Dan venturus sit Antichristus, quem per Colubrum intelligunt. Sed alienissima est ab hoc loco, & falsissima est opinio: ac puto diabolum huius fabulæ fictorem fuisse, & finxisse hanc glossam.*

1550. *Rodolphus Gualterus*, in Homiliis de Antichristo, *irridet eos, qui ponunt certum quendam hominem fore Antichristum.*

1560. Theodorus Beza ad cap. 2. posterioris ad Thessalonicenses: *Loquitur Paulus de Antichristo, tanquam de vno quopiam homine, cùm tamen totum Ecclesiasticæ tyrannidis corpus intelligat, quam quisquis occupat, is est ille sceleratus, de quo hic agitur: sed ita tamen, vt peculiarem aliquam tyrannidem declaret, cui paulatim subseruierunt heretici, atque etiam per imprudentiam nonnulli ex sanctis ipsis, & orthodoxis Patribus, vt nunc res ipsa patefecit. Itaque manifestè sunt hallucinati, quicunque de vno quopiam homine putârunt hoc intelligi, nisi dent mihi quempiam, qui à Pauli seculo ad diem vsque iudicij superstes maneat.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Genes. 49. *vers.* 17. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi; vt cadat ascensor eius retrò. Salutare tuum expectabo Domine.

Daniel 7. 24. Porrò cornua decem ipsius regni, decem reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit Et sermones contra Excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret: & putabit quod possit mutare tempora & leges, & tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.

Daniel. 9. 26. Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio Confirmauit autem pactum multis hebdomada vna: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis: & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.

Matthæi 24. 15. Cùm ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, (qui legit intelligat) tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.

2. *Thessal.* 2. 2. Non citò moueamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat vllo modo: quoniam nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur &

extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat ostendens se tanquam sit Deus. Num retineris quòd cùm adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis: vt reueletur in suo tempore. (Nam mysterium iam operatur iniquitatis: tantum vt qui tenet nunc, teneat donec de medio fiat.) Et tunc reuelabitur ille iniquus: quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui: destruet illustratione aduentus sui eum, cuius est aduentus secundùm operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, &c.

Apocal. 13.16. Et faciet omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere charactêrem in dextera manu sua, aut in frontibus suis. Et ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet charactêrem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius. Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est, & numerus eis sexcenti sexaginta sex.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Irenæus. 180.

Lib. 5. cap. 25. Et non tantùm per ea, quæ dicta sunt, sed & per ea, quæ erunt sub Antichristo ostenditur, quoniam existens apostata & latro, quasi Deus vult adorari: & cùm sit seruus, regem se vult præconari. Ille enim omnem suscipiens diaboli virtutem, veniet non quasi rex iustus, nec quasi in subiectione Dei legitimus: sed impius, & iniustus, & sine lege, quasi apostata, & iniquus, & homicida, quasi latro, diabolicam apostasiam in se recapitulans, & idola quidem seponens, ad suadēdum quòd ipse sit Deus, se autem extollens vnum idolum, habens in semetipso reliquorum idolorum varium errorem: vt hi, qui per multas abominationes adorant diabolum, hi per hoc vnum idolum seruiant ipsi, de quo Apostolus in epist. quæ est ad Thessalonic. 2. ait sic: *Quoniam nisi venerit abscessio primùm,*
2.Thes.2 *& reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollit se super omne quod dicitur Deus, aut colitur: ita vt in templo Dei sedeat, ostendens semetipsum tanquam sit Deus.* Manifestè igitur Apostolus ostendit aduentum eius, & quoniam extollitur super omne quod dicitur Deus, vel quod colitur, hoc est, super omne idolum. Hi enim sunt, qui dicuntur quidem ab hominibus, non sunt autem Dij. Et quoniam ipse se tyrannico more conabitur ostendere Deum: super hæc autem manifestauit & illud, quod à nobis per multa ostensum est, quoniam Hierosolymis templum per dispositionem veri Dei factum est. Ipse enim Apostolus ex sua persona diffinitiuè templum illud dixit Dei. Ostendimus autem & in tertio libro nullum ab Apostolis ex sua persona Deum appellari, nisi eum, qui verè sit Deus, Patrem Domini nostri, cuius iussu hoc, quod est in Hierosolymis, factum est templum, ob eas causas, quæ à nobis dictæ sunt: in quo aduersarius sedebit, tentans semetipsum Christum
Mar.13. ostendere, sicut & Dominus ait: *Cùm autem videritis*
Dan.7. *abominationem desolationis, quæ dicta est per Danielem Prophetam, &c. Bestia quarta regnum quartum erit in terra, quod eminebit super reliqua regna, & manducabit omnem terram, & conculcabit eam, & concidet: de decem cornibus eius decem reges exurgent: & post eos surget alius, qui superabit alios omnes, qui ante eum fuerunt, & reges tres deminorabit, & verba aduersus altissimum Deum loquetur, & Sanctos altissimi Dei conteret. & cogitabit demutare tempora & legem: & dabitur in manu eius vsque ad tempus temporum & dimidium tempus,* hoc est, triennium & sex menses, in quibus veniens regnabit super terram. De quo iterum Apostolus Paulus in 2. ad Thessalonicenses, simul & causam aduentus eius annuntians sic ait.
2.Thes.2 *Et tunc reuelabitur iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet præsentia aduentus sui, cuius est aduentus secundùm operationem satanæ, in omni virtute, & signis, & portentis mendaciorum, & omni seductione malitiæ pereuntibus, pro eo quòd dilectionem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Et ideo mittit eis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Et Dominus autem hoc idem non credentibus sibi dicebat: *Ego veni in nomine* Ioan.5.
Patris mei, & non recepistis me: cùm autem alius venerit in nomine suo, illum recipietis, alium dicens Antichristum, quoniam alienus est à Domino. Et ipse est iniquus iudex, qui à Domino dictus est, quoniā
Deum non timebat, neque hominem reuerebatur, Luc.18.
ad quem fugit vidua oblita Dei, id est, terrena Hierusalem, ad vlciscendum de inimico. Quod & faciet in tempore regni sui: transferet regnum in eam, & in templo Dei sedebit, seducens eos, qui adorant eum, quasi ipse sit Christus. Quapropter ait Daniel
iterum: *Et sanctum desolabitur: & datum est in sacri-* Dan.8.
ficium peccatum, & proiecta est in terra iustitia, & fecit, & prosperè cessit, &c. Deinde & tempus tyrannidis eius significat (*Daniel,*) in quo tempore fugabuntur Sancti, qui purum sacrificium offerunt Deo.
Et in dimidio hebdomadis, ait, tolletur sacrificium & li- Dan.9.
batio, & in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem temporis consummatio dabitur super desolationem. Dimidium autem hebdomadis, tres sunt anni, & menses sex: ex quibus omnibus non tantùm quæ sunt apostasiæ manifestantur: & quæ sunt eius, qui in se recapitulatur omnem diabolicum errorem: sed & quoniam vnus & idem Pater Deus, qui à Prophetis annuntiatus est, à Christo autem manifestatus.

Cap. 30. Scientes firmum numerum, *scilicet nominis Antichristi*, qui à Scriptura annuntiatus est, id est,
666. sustineant primùm quidem diuisionem regni Apoc.13.
in decem: post deinde illis regnantibus, & incipientibus corrigere sua negotia, & augere suum regnum, qui de improuiso aduenerit, regnum sibi vindicans, & terrebit prædictos, habens nomen continens prædictum numerum, hunc verè cognoscere esse abominationem desolationis. Hoc & Apostolus ait: *Cùm dixerint, Pax & munitio, tunc*
subitaneus illis superueniet interitus. Hieremias autem Matt.24.
non solùm subitaneum eius aduentum, sed & tri- 1.Thes.5.
bum, ex qua veniet, manifestauit, dicens: *Ex Dan*
audiemus vocem velocitatis equorum eius, à voce hinni- Iere.8.
tus decursionis equorum eius commouebitur tota terra: & veniet, & manducabit terram, & plenitudinem eius, & ciuitatem, & qui inhabitant in ea, & propter hoc, non annumeratur tribus hæc in Apocalypsi cum his, quæ saluantur, &c. Cùm autem vastauerit An-
tichristus hic omnia in hoc mundo, regnans annis Apoc.7.
tribus & mensibus sex, & sederit in templo Hierosolymis: tunc veniet Dominus de cælis in nubibus,

Hippolytus. 220.

Oratione de consummatione mundi & Antichristo, explicans visionem Danielis 7. *Considerabam*, inquit Daniel, *bestiam*, quartam videlicet, *& ecce decem cornua post eam, in quibus ascendit alterum cornu tanquam pullulans, ac tria se priora eradicabit.* Quod cornu demonstrat pullulum alium non esse, nisi Antichristum, qui suscitabit regnum Iudæorum. Tria cornua, quæ ab eo radicitus euellentur, tres reges indicant, Aegypti, Libyæ, Aethiopum, quos deleturus est acie bellica: quibus omnibus potitus iam tyrannus formidabilis Sanctos affliget, ac persequetur, insurgens in eos. Vides, vt Daniel Nabuchodonosoro regnorum dominationem exposuerit? cernis, vt statuæ formam, omnibus suis lineamentis declarârit? percepisti, qua ratione præmonstrârit nobis quatuor bestiarum ascensum è mari? superest, vt Antichristi peculiaria facinora vobis aperiamus, & quatenus licebit, è Prophetis atque Scripturis promulgemus eius vagationem per vniuersam terram, & aduentum nefarium, &c. Iacob Patriarcha sicuti prophetiam emisit in Iudam, ita & in filium suum Dan, &c. *Occurrat*, inquit, *ipsi Dan coluber in via, insidens in semita, mordens vngulam equi.* Quis erat serpens nisi seductor ille, ab initio dictus in Genesi seduxisse Euam, & Adamum supplantasse? &c. Ille

Gen. 3. certò nasciturus est de tribu Dan, & veluti rex tyrannus aciem ex aduerso instructurus est, iudex seuerus ac diabolus, vt ait Propheta: *Dan iudicabit populum suum, vt quæuis alia tribus in Israel.* Sed dicet quispiam, hoc de Samsone dictum esse, qui natus est è tribu Dan, iudicauit populum annos viginti. At in parte duntaxat illud à Samsone factum est, hoc verò vniuersè implebitur temporibus Antichristi. Inquit enim Hieremias in hunc modum: *E*

Iere. 8. *Dan audiemus vocem acutissimam equorum eius, à voce hinnitus equitatus equorum eius concussa est vniuersa*

Gen. 49. *terra.* Et rursus Moses inquit: *Catulus leonis Dan, & exilies è Basan.* Et ne quis dicat, dictum hoc ad Saluatorem pertinere, attendat animum: *Dan*, inquit, *catulus leonis*, perspicuum reddit propositum, nominata tribu Dan, de qua nascetur diabolus. Quemadmodum enim è tribu Iuda natus est Christus, ita nascetur è tribu Dan Antichristus. Cumque Dominus ac Saluator noster Iesus Christus Filius Dei propter regiam & illustrem naturam, Leo fit ante prædicatus: eodem modo Scriptura, diabolum ob tyrannicam ac violentam indolem, leonem similiter fore prædicauit: nam per omnia seductor ille vult imitari Filium Dei. Leo Christus, leo quoque Antichristus. Christus rex cælestium atque terrestrium: rex etiam nascetur super terram Antichristus. Demonstratus est Saluator vt agnus, ipse quoque nascetur in Circumcisione. Christus misit Apostolos ad omnes gentes: hic itidem mittet Pseudapostolos. Christus oues dispersas congregauit: hic populum Hebræorum dispersum, ad eundem modum congregabit, &c. Ex Hebræis ortus est Christus: hic quoque nascetur è Iudæis. Christus ostendit carnem suam tanquam templum, ac suscitauit tertia die. sic iste Hierosolymis suscitabit templum lapideum, &c. In primordijs suis clemens erit, factus ad dilectionem, quietus, religiosus, pacificus, qui odio prosequatur iniustitiam, detestetur munera, idololatriam non admittat, amet Scripturas, reuereatur sacerdotes, canitiem honori habeat, scortationem repudiet, &c. Postea edet prodigia, leprosos mundando, paralyticos excitando, expellendo dæmones, longinqua non aliter quàm præsentia denuntiabit, excitabit mortuos, viduis opem feret, pupillos tuebitur, cunctos diliget, conciliabit homines contendentes ad amicitiam

Ephes. 4 his verbis: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Non possidebit aurum, nec diliget argentum, di-

uitias non amplectetur. Atque hæc omnia fa
consil io simulato ac fraudulento, quo circum
niat omnes, vt se regem creent. Nam vbi pop
ac multitudines tantas eius virtutes atque facul
tes perspexerint, vno consensu conuenient om
vnum in locum, ad creandum illum regem Ac p
tissimum Hebræorum gens præ omnibus ipsi
ranno chara erit, dicentque alius alij: Nunq
in generatione nostra talis, ac tam bonus & iu
homo inueniri potest? Iudæi præcipuè, vt i
dixi, sperantes se spectaturos illum regem tali
imperio, cum adeuntes his verbis alloquent
Omnes tibi obtemperamus, agnoscimus te iust
super omnem terram, omnes ad te salutem n
consecuturos speramus, & ex ore tuo iustum & i
corruptum iudicium accipiemus. Atque ini
quidem mendax & iniquus ille subdolè gloria
hanc repudiabit: at perseuerantes homines, & o
secrantes, illum declarabunt regem. Postea exto
let animum, & qui prius erat mansuetus, euadet
rox: qui dilectionem amplectebatur, fiet immise
cors: qui animum gerebat submissum, superb
atque inhumanus euadet: qui oderat iniustitiar
iustos persequetur. Deinde sublatus in regnum
um, bellum instruet, itaque percitus tres magn
reges percutiet, Aegyptiorum, Afrorum, atque A
thiopum. Inde templum construet Hierosolym
quod confestim excitatum tradet Iudæis. Tum
feretur animo in omnes homines: quin etiam
Deum ipsum contumeliosa verba proloquetu
sperans dolosus ille in posterum se perpetuo r
gnaturum super terram: ignorans miser regnu
suum breui irritum fore: & quamprimum se r
cepturum ignem paratum ipsi cum omnibus q
crediderint & seruierint illi. Nam cum Dan
dixerit: *Testamentum confirmabit multis hebdomac*
vna, septem annos declarauit. Dimidium hebd
madæ prædicabunt Prophetæ: *dimidium hebdom*
dæ, hoc est, tres annos cum dimidio regnabit An
christus super terram, post auferetur regnum il
us & gloria. Aduertite qui Deum diligitis, qua
afflictio futura sit illis temporibus. At illis dunt
xat temporibus. Tunc iniquus ille elato anim
dæmones suos congregabit humana specie,
eos, qui illum ad regnum inuitârunt, fastidie
animasque multas inquinabit: quippe princip
eis constituet ex dæmonibus. Nec iam velut r
ligiosus, sed planè austerus, seuerus, iracundu
plenus excandescentiæ, truculentus, inconstan
terribilis, grauis, odiosus, contemptor, immit
exitiosus, nequam, in eo studium & operam co
locans, vt vniuersum genus hominum in fo
sam interritus conijciat, signa falsa multiplicabi
Cunctis enim populis fausta omnia acclamant
bus propter obiectas species, vehementi & gran
voce clamabit (ita vt moueatur locus, in q
turbæ astiterint ei): Perspicite populi, tribus,
gentes magnam meam potestatem ac potentiam
viresque imperij mei. Quis princeps tam poten
atque ego? Quis Deus magnus, præter me? Pote
tiæ meæ quis resistet? Transferet montes an
oculos spectantium, siccis pedibus ambulab
super mare, deducet ignem è cælo, conuertet d
em in tenebras, & noctem in diem: Solem ci
cumaget quò libuerit. Et vt semel dicam, eleme
ta omnia terræ marisque vi oblatæ apparitioni
se coram spectantibus obtemperare sibi demo
strabit, &c. Tunc lugebunt Ecclesiæ luctum m
gnum: quia nec Oblatio, nec suffitus fiat, nec cu
tus Deo gratus. Sed Ecclesiarum ædes sacræ, t
gurij instar erunt, pretiosumque corpus, & sang
Christi non extabit in diebus illis. Liturgia e
tinguetur, Psalmorum decantatio cessabit, Scr
pturarum recitatio non audietur, &c. Deinde
ictu oculi præteribit species mundi huius, hom

nimisq́ue potentia euacuabitur, & cuncta, quæ cadunt sub oculos, delebuntur.

Origenes, 230.

Homil. 3. in Psalm. 36 Quomodo Christus est sagitta Dei, sic & Antichristus sagitta diaboli.

Eusebius Cæsareensis. 320.

Ecclesiasticæ hist. lib. 6. cap. 6. Eodem tempore Iudas, alius scriptor, in septuaginta septimanas, à Daniele descriptas, Commentarios edidit, inqúe illis temporum ordinem ad decimum annum imperij Seueri tradidit: qui etiam scriptor, propterea quòd persecutionis tumultus, contra nos excitatus, multorum mentes tam grauiter perturbaret, Antichristi aduentum, omnium ore atque sermone iactatum, iã tum appropinquare arbitratus est.

Athanasius. 340.

Quæstione 29. Quale signum tenere debet homo, ne seducatur & recipiat Antichristum, putans videlicet ipsum esse Deum? *Responsio.* Hoc ipsum, quod Dominus tradidit nobis, dicens: Quòd quẽadmodum fulgur exit ab Orientali plaga mundi, & in Occidentem vsque lucet, sic etiam Filij hominis secundus erit aduentus. Docemur inde, quòd omnis Christi sese nomine venditans, si non veniat ex improuiso, nec in toto mundo conspicuus, sed reperiatur in vna tantùm regione vel ciuitate, quòd talis sine dubio sit Antichristus. In secundo namque aduentu Christi omne genus humanum congregabitur, & manebit inter ipsos Christus, & conspicietur ab omnibus.

Quæst. 30 Afferunt quidam, possibile non fore, vt Antichristus exuscitet à mortuis hominum, etiamsi reliqua faciat omnia. *Responsio:* Quod Apostolus de Antichristo dicit, eum sese exhibiturum in omnibus signis & virtutibus mendacij, liquet, quòd etiam mortuum à se excitatum ostentabit, id autem non verè, sed tantùm in phantasia.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi 15. Antichristus in templo Dei sedet. Quale autem templum dicit? In templo, quod reliquum est Iudæorum. Absit enim, vt in hoc id fiat, in quo sumus. Propterea dicimus, vt non videamur gratificari illis. Si enim tanquam Christus ad Iudæos veniet, à Iudæis sanè adorari volet, vt illos maximè decipiat, studiosissimum se esse ostendet illius templi, vt ipse de progenie Dauid esse videatur, qui templum, à Salomone olim extructum, ipse sit reædificaturus. Veniet autem Antichristus in templum Iudæorum, quando lapis super lapidem non manebit, secundùm Saluatoris prædictionem. Cùm enim vel ruina vetustatis, vel prætextu ædificationis, vel quacunque alia de causa, eiusmodi reliquiarum templi sequetur dissolutio, ita vt omnes lapides tollantur, non dico de exterioris ambitus lapidibus, sed de templi interioris, in quo erant Cherubim, tunc veniet ille.

Methodius Patarensis Episcopus. 350.

De rebus, quæ ab initio mundi contigerunt, quæq; deinceps cõtingere debent, paulò ante finẽ. Post hebdomadam verò temporis, cùm comprehenderint ciuitatem Ioppen, mittet Dominus Deum vnum ex principibus militiæ suæ, & percutiet eos in vno momento temporis. Et post hæc descendet rex Romanorum, & demorabitur in Hierusalem septimana temporum & dimidia, quod est decem anni, & dimidiũ. Et cùm complebuntur decem anni & dimidius apparebit filius perditionis. Hic nascetur Chorosain, & nutrietur in Bethsaide, & regnabit Capernaum. Et cùm apparuerit hic filius perditionis, ascendet tunc rex Romanorum sursum in Golgotha, in quo confixum est lignũ sanctæ Crucis, & tollet rex coronam de capite suo, &c. Est autem hic filius perditionis de tribu Dan secundùm prophetiam Patriarchæ Iacob, qui dicit: *Dan cerastes in via, & coluber accubans in semita, mordens calcaneũ equi & cadet ascensor eius retrorsum, salutare tuum sustinens.* Equus igitur est veritas, & pietas iustorum, calcaneum verò nouissima dies, & sancti hi, qui illo tempore super equum, id est, super veram fidem ascendent, & pijssimè equitabunt, persequentur à serpente, siue à filio perditionis, in calcaneo, id est, nouissimo die. In omnibus enim phantasijs, & mẽdacibus sermonibus, & operibus suis, quæ fient ab eo. Faciet enim tunc signa & prodigia multa super terram inertia, vel imbecilla, sophistica, & falsa: cæci enim respicient, claudi ambulabunt, surdi audient, & dæmoniaci curabuntur: conuertet solẽ in tenebras, & lunam in sanguinem apparenter. In omnibus suis signis fallacissimus, & falsissimus deceptionum prodigijs seducet, si potest fieri, etiam electos, &c. Cumq́ue multiplicata fuerit tribulatio dierum illorum à filio perditionis, non finet diuinitas aspicere perditionem generis humani, quod redemit proprio sanguine, continuò mittet suos famulos syncerissimos & charissimos Enoch & Eliam, & ad reduarguendum eum, & palam omnibus gentibus corripient eius seductionem, & ostendent eum mendacem esse coram omni homine. Gen. 49.

Ephræm. 370.

De consummatione seculi, & de Antichristo: Verba in doloribus facturus sum, & cum suspirijs dicturus de instanti huius mundi consummatione, impudentissimoq́ue ac sæuissimo dracone Antichristo, qui turbaturus adueniet omnem sub cælo regionẽ, timorẽ, ac pusillanimitatẽ, grauemq́ue perfidiam cunctorũ simul hominũ pectoribus inijciens, prodigia quoq́ue ac signa terroresq́ue portẽdens, vt, si fieri posset, in errorem etiã ipsos induceret Dei electos, omnesq́ue decepturus in falsis ac mendacibus signis, prodigiorumq́ue imaginationibus, quæ ab illo fient. Siquidem sancti, magnisq́ue Dei permissu potestatẽ decipiendi mundũ accipiet, quod impleta iã sit impietas seculi, hominemque iniquitas multiplicata nimis. Eam ob rem immaculatissimus Dominus spiritu erroris tentari patietur mundum, propter eorum impietatem: quandoquidem sic Deo relicto placuit hominibus adhærescere maligno. Magnum fratres charissimi, tum cũctis hominibus, maximè verò fidelibus & sanctis erit certamen, magnaqúe tribulatio in diebus illis, quando signa & prodigia in magna potestate à sceleratissimo dracone perficientur: quando rursus seipsum vt Deum ostentabit, formidabilibus portentis per aëra volitans, cunctisq́ue dæmones in forma Angelorum cum timore coram tyranno in aëre sublimes volitare conspicientur. Clamabit enim cum fortitudine, etiam formas immutans, ad immensum terrorem cunctis incutiendum hominibus. Quis, quæso, fratres, scuto fidei sic tunc reperietur munitus, vt immobilis persistens, euidens tunc argumentum secum in animo habeat, iam sanctum vnigeniti Filij Dei aduentum adesse quando inenarrabilem illam viderit tribulationem vbiq́ue super omnem animã fieri, omni prorsus solatio ac requie destitutã, vndiq́ue in terra & mari. Quando vniuersum mundum conspexeris turbatum, (fugiet enim quisq́ue ad mõtem, vt abscondatur in illorũ cacuminibus.) & alios quidem fame perire, alios verò grauissima siti, instar ceræ, liquescere, & qui eorundem tunc misereatur nullũ adesse, quis obsecro tantam doloris afflictionem feret? aut quis intolerabilẽ illã pressurã sustinebit? quãdo videris confusionem totius mundi, populumq́ue vndiq́ue ab vltimis finibus terræ venientẽ, ad adorandũ Antichristũ, clamantemq́ue magno cum timore & tremore: Tu es Saluator mundi ac Filius Dei. Tunc mare indignabitur atq́ue turbabitur, terra exarescet, cæli non pluent, &c.

Apostat.

Apostata erit, nascetur perfectè illius organum ex spurcissima & fallacissima muliere, atque in isto habitu amictus veniet scelestissimus ille vt fur, & vt cunctos decipere possit falsus & irreligiosus impostor, se humilem simulabit, atque quietum, iniustitiæ osorem, auersorem idolorum, magnum pietatis æstimatorem: supra modum Iudæorum gentem honorabit, quòd scilicet hi maximè expectent illius aduentum, tanquam ipsius veri Christi, &c.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Orat.14. Equidem vereor, ne præsens rerum status ignis illius in expectatione positi sumus quidam sit, ne hic Antichristus superueniat, ac nostros lapsus ac morbos in principatus sui occasionem arripiat. Nec enim opinor sanos adorietur, nec charitate septos, ac munitos, verùm regnum in se ipsum prius diuidi oportet, atque ita fortem eam rationem, quæ in nobis est, tentari ac ligari, ac tum vasa diripi, nobisque eadem accidere, quæ nunc hosti nostro à Christo accidere perspicimus.

Orat. 47. Quod ad hunc locum attinet, *Abominatio desolationis stans in hoc loco sancto,* aiunt fore, vt Hierosolymitanum templum rursus extruatur, atque Antichristus à Iudæis Christus credatur, in eoque sedeat, totiusque orbis terrarum rex esse videatur. Porrò ad mundi desolationem & vastitatem veniet: Abominatio siquidem desolationis est.

Iambico 15.

Quid est Antichristus?	*Bellua venenum vomens,*
Vir opibus amplus.	*Quid item defectio?*
Apostata ille pessimus,	*Nuper vigens dominatur.*

Ioannes Chrysostomus. 400.

In Matt.cap.24.Hom.78. Cùm Antichristus venerit, licentius omni turpi voluptate iniqui, & qui salutem suam desperabunt, vtentur. Tunc ad explendum furorem mentis multi studebunt. Crapula tunc, & temulentia summoperè vigebit, quapropter & congruo vsus exemplo est. Nam quemadmodum & cùm arca fieret, apertè futurum prænuntiauit diluuium: illi autem non credentes, tanquam nullo malo venturo lasciuiebant: sic Antichristus apparebit, post quem consummatio, & intolerabiles pœnæ sequentur.

Homil.49.ex cap.24.Matt.operis imperfecti. Si quis autem auditiones quidem præliorum, fames, & tumultus, & pestilentias intelligat esse omnia hæc mala spiritualia, quę facta sunt tempore Constantini simul & Theodosij vsque nunc: Abominationem autem desolationis intelligat esse ipsum Antichristum, qui postmodum venire speratur, & obtinere loca Ecclesiarum sancta sub specie Christi, &c. In dimidio hebdomadis, hoc est, tribus annis & sex mensibus hoc sacrificium Christianorum tollendum est ab Antichristo, confugientibus Christianis ante eum per loca deserta, non erit qui aut in Ecclesiam intret, aut oblationem offerat Deo. Quoniam autem tribus annis & sex mensibus protendendum est Antichristi regnum, multæ Scripturæ significant, maximè tamen in reuelatione sua Ioannes. Et solitudinem illam consummatio occupauit. Nam vsque in finem tenebit Antichristus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. De hoc enim & Apostolus ait, dicens: *Nemo vos conturbet: quia nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius interitus, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei quasi Deus sedeat,* & addidit: *Iam enim mysterium iniquitatis operatur.* Legi quendam sic exponentem: Quoniam omnia, inquit, quæcunque exposuit supra, signa fuerunt præcedentia diruptionem ciuitatis illius & templi: hoc autem quod dicit: *Cùm videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto,* & omnia quæ dicuntur deinceps, signa sunt consummationis futuræ, & venturi Filij Dei, qui & in abominationem desolationis ipsum tradidit Antichristum. Quòd autem staturus sit in loco sancto, dicit hoc modo: *Reædificaturus est* (inquit) *sanctuarium quod fuit in Hierosolymis quondam, & ibi staturus:* vt videntes Iudæi credant in eum, non solùm propter signa eius, sed etiam propter reparationem templi ipsius, æstimantes Prophetas in tempore illo esse impletos, qui de reparatione Hierusalem prophetauerunt: non intelligentes quomodo Propheta de reparatione templi spiritualis locutus est, quam Christus impleuit, non de corporali, quam Antichristus est impleturus, &c. Cùm autem Antichristus venerit, talis veniet ira, vt & infideles omnino pereant, & fideles plenius coronentur. Cùm enim multi Christianorum credentes Antichristo, signum nominis eius in manu dextera, & in fronte susceperint: tum exibunt Angeli cum igneis curribus volantes per aëra, & inuisibili manu signabunt omnes fideles, in quibus tamen inuentum non fuerit signum Antichristi.

2. Thessal. 2. — Dan. 9.

Homil. 15. in illud Ioannis 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis:* Quemnam non in nomine Patris venturum dixit? Antichristum.

Orat.4. in 2. Thessal.2. Quando Romanum imperium de medio fuerit sublatum, tunc ille *Antichristus* veniet. Et meritò. Quamdiu enim fuerit metus huius imperij, nemo citò subiungetur. Quando autem hoc fuerit euersum, vacans inuadet imperium, hominumque & Dei imperium aggredietur rapere. Quomodo enim euersa sunt quæ ante id fuerunt regna, vtpote Medorum à Babylonijs, Babyloniorum à Persis, Persarum à Macedonibus, Macedonum à Romanis: ita hoc quoque ab Antichristo, & ille à Christo, & non amplius retinebit. Et hoc cum magna euidentia nobis tradidit Daniel: *Et tunc,* inquit, *reuelabitur iniquus.* Et quid postea? Prope est consolatio. *Quem Dominus,* inquit, *Iesus interficiet spiritu oris sui, &c.* Quando ille *Antichristus* venerit, & nihil bonum & rectum, sed omnia iniqua & legibus contraria imperanti, ex solis falsis signis credetur, ora eorum obturabit. Nam si Christo non credis, multò magis non oportebat credere Antichristo. Nam ille quidem dicebat se missum esse à Patre: iste autem contrarium. Propterea dicebat Christus: *Ego veni in nomine Patris mei, & me non suscepistis. Si alius venerit in nomine suo, illum suscipietis, &c.* Atqui de hoc (*Antichristo*) quidem multa fuerunt prædicta, nempe quòd iniquus, quòd filius interitus, quòd esset eius aduentus secundùm operationem Satanæ. — Dan. 11. — Ioan. 5.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib. 11. in Genesim: Nam, vt ipse existimo, neminem alium doloris filium dixerim, quàm populum illum, qui vltimis temporibus seculi oriundus est. Eo etenim tempore filius quoque iniquitatis erit, qui aduersatur, superbitque aduersus omnem, qui dicitur Deus, aut veneratur. Atque ita fit, vt in templo Dei sedeat, & seipsum Deum esse ostendat. Hic certè sanctis repugnabit, & inter eum ferasque immanes nihil intererit. Vt enim Saluator noster inquit: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque erit.* — 2. Thessal. 2. — Matt. 24.

Lib. 3. in Ioan. cap. 6. Ego enim, ait, *in nomine Patris mei veni:* (cuncta enim ad gloriam Dei Patris facere vos hortor:) vos autem me repellitis: accipietis autem (scio enim vt Deus futura) eum, qui non Deo Patri gloriam referet, sed ad se transferre conabitur, & nomini suo cuncta tribuet. Hinc arbitror, beatum quoque Paulum illud de Iudæis, & de iniquitatis filio dixisse: *Quoniam dilectionem veritatis ad salutem suam non receperunt, idcirco mittet eis Deus* — 2. Thessal. 2.

æternus, duratura est: siquidem aliæ ex illis super quingentos annos imperârunt: aliæ vltra mille.

Olympiodorus. 500.

In cap. 4. Ecclesiast. Cùm verò mysticum sensum alij aliò referre contendant (nam adolescentem secundum alij Christum Dominum volunt intelligi, alij autem filium perditionis Antichristum) nos vtramque prosequemur expositionem. *Vidi*, inquit, *cunctos iuuenes, qui ambulant sub hoc visibili Sole:* hoc est, ipsos peccatores, *cum adolescente secundo*, hoc est, Antichristo, *qui exurget pro ipso*, Domino videlicet nostro Iesu Christo, &c. Sed & postremi, qui temporibus Antichristi, scilicet in eum credent, non lætabuntur in eo: neque enim seruare potest impietas adhærentes sibi. Qui in fine seculi credent in Antichristum, &c. meritò postremi ac nouissimi & habendi sunt, & vocandi, &c. Vocatur & Antichristus adolescens secundus, qui iuuenili temeritate feruidus est in malo, robustusque nequitiæ innouator.

Anastasius Sinaites. 560.

Lib. 10. Hexameron: Restat ergo, vt nos ex Iacobi quoque prædictionibus congruenter ostendamus, ex tribu Dan procedere Antichristum, & serpentem mordentem calcaneum equi, qui ita appellatur, vt qui nunc in paradiso nobis proponitur. Patriarcha enim de Christo disserens, sic dicit
Gen. 49. de Dan: *Dan iudicabit populum suum, sicut vna tribus in Israel. Et fiet Dan serpens in via, sedens in semita, mordens calcaneum equi: & eques cadit retrò, expectans salutem Domini.* Ecce habes apertè serpentem, & calcaneum sumi de Antichristo, & ostendere tibi casum eorum, qui mordentur ab ipso, per quem primos parentes Dan deduxit ad impietatem.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 27. Nosse autem operæpretium est, venturum omnino Antichristum esse. Et quidem omnis, qui Filium Dei, ac Deum in carne venisse, ac Deum perfectum esse, atque hominem perfectum vnà cum eo quoque, quod Deus erat, factum esse, minimè confitetur, Antichristus est. Cæterùm peculiari, ac præcipuo modo Antichristus ille dicitur, qui sub mundi catastrophen venturus est. Primùm itaque, quemadmodum Dominus dixit, Euangelium apud omnes gentes prædicari necesse esse: ac tum ille, ad prodendam Iudæorum impietatem, veniet. His enim verbis Do-
Ioan. 5. minus ad eos vsus est: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me: veniet alius in nomine suo & illum*
2. Thessal. 2. *accipietis.* Et Apostolus: *Pro eo, quòd amorem veritatis non susceperunt, vt salui fierent, propterea mittet ipsis Deus operationem erroris ad credendum mendacio, vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed acquieuerunt in iniustitia.* Ergo Iudæi Dominum Iesum Christum ac Deum, Deique Filium haudquaquam receperunt: impostorem contra, diuinitatem sibi arrogantem, recipient. Nam quòd Dei nomen vsurpaturus sit, Angelus ille Danielem docens, his
Dan. 11. verbis ostendit: *Ad Deos patrum suorum non intelli-*
2. Thessal. 2. *get.* Et Apostolus: *Nemo vos seducat vllo modo: quoniam nisi discessio primùm venerit, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt ipse tanquam Deus in templo Dei sedeat, ostendens seipsum quòd sit Deus.* Porrò per Dei templum, non templum nostrum intelligit: sed vetus Iudaicum. Non enim nobis, sed Iudæis veniet: non pro Christo, sed aduersus Christum. Qua etiam de causa Antichristus dicitur. Primùm ergo Euangelium apud omnes gentes prædicetur necesse est, ac *tum reuelabitur iniquus ille, cuius erit aduentus secundùm operationem Satanæ in omni potentia, & signis & prodigijs falsis, & in omni fallacia iniustitiæ ijs, qui pereunt: quem Dominus oris sui verbo interficiet, atque aduentus sui præsentia delebit.* Nec verò, quemadmodum Dominus humanitatem assumpsit: ita etiam diabolus homo efficietur, (absit enim hoc) verùm homo ex fornicatione parietur, atque omnem Satanæ afflatum suscipiet. Deus enim incredibilem quandam futuræ ipsius voluntatis peruersitatem præsnoscens, diabolum in eo domicilium sibi constituere sinet. Ex fornicatione itaque, vt diximus, nascetur, & clam educabitur, ac repentè insurget, caputque attollet, atque imperio potietur. Atque in regni quidem sui, vel tyrannidis potius præludij bonitatis speciem præ se feret. Cùm autem rerum potitus fuerit, tum verò Ecclesiam Dei persequetur, peruersitatemque suam omnem depromet. Veniet autem in signis & prodigijs mendacijs fictis, ac non veris, eosque, quorum imbecilla, parumque firmo fundamento nixa mens est, in fraudem inducet, atque à Deo viuo abstrahet, *ita vt scandalizentur etiam, si fieri potest, electi:* At verò mittentur Enoch & Elias Thesbites, & patrum corda in filios, hoc est, Synagogam ad Dominum Iesum Christum, & Apostolorum prædicationem conuertent: ab eoque trucidabuntur. At cùm Dominus, quemadmodum sancti Apostoli in cælum euntem viderunt, hoc est, Deus perfectus, & homo perfectus, cum gloria & potentia veniet, peccati hominem, perditionisque filium oris sui spiritu interficiet.

Theophylactus. 900.

In 2. ad Thessal. cap. 2. Non aderit aduentus Domini, nisi venerit discessio siue defectio, id est, Antichristus: defectionem enim ipsum vocauit, cùm reuera sit, quippe qui multos faciet deficere, etiam electos, si fieri possit. Hominem autem peccati illum ipsum vocat, vt qui omne peccatorum genus peracturus sit, & alios ad peccatum supplantaturus. Filius etiam perditionis est, quandoquidem & ipse sit perditus. Quis autem ille est? nunquid Satanas? haudquaquam, sed homo quispiam, omnem Satanæ operationem recipiens, &c. Romanum imperium quando sublatum fuerit è medio, tum ille *Antichristus* veniet. Quamdiu enim huius imperij timor fuerit, non facilè quisquam subijcietur. Eo verò dissoluto, vacuo insidiabitur imperio, eique instabit, conabiturque cùm hominum, tum Dei imperium rapere. Nam perinde ac alia, ante Romanum hoc, imperia dissoluta sunt, veluti Medorum à Babylonijs, Babyloniorum verò à Persis, Persarum à Macedonibus, Macedonum à Romanis: hunc ad modum Romanum ab Antichristo, is verò rursus à Christo. Atque hæc multa cum perspicuitate Daniel nobis proponit.

Cuius aduentum est secundùm operationem Satanæ: Quisnam ille sit, nos docet, nimirum homo satanam in sese habens per se operantem.

OEcumenius. 1050.

In 2. ad Thessal. cap. 2. Hominem peccati dicit ipsum Antichristum: neque enim Satanas erit ipse Antichristus, sed homo obsessus, & directus à Satana. Hominem autem peccati ipsum vocat, quòd & ipse plurimum delinquet, & alios ad hoc compellet. Filium verò perditionis eum appellat, quòd & ipse perdet multos, & ipse perdetur. Hominem autem Hebræum quempiam dicit ipsum, in cuius vis Magicæ ac veneficij scientia prouectum.

Et nunc quid detineat scitis:) Thronus videlicet & regnum Romanorum, quod nunc impedimento est, donec cesset, finemque accipiat, *tunc reuelabitur iniquus ille*, hoc est, Antichristus: Vbi enim Imperium Romanum fuerit dissolutum, tunc Antichristus rebellione irruet, ac obtinere conabitur,

Ambrosius. 370.

De Benedictionibus Patriarcharum capite 7. *Dan iudicabit populum suum tanquam & vna tribus in Israel. Et factus est Dan ipsi serpens in via, sedens, &c.* Simplex quidem intellectus hæc habet, quòd etiam Dan tribus iudicem dederit in Israel. Etenim post Iesu Naue iudices fuerunt plebis de diuersis tribubus. Fuit autem & Samson de tribu Dan, & iudicauit Israel viginti annis. Sed non hunc prophetia significat, sed Antichristum, qui futurus est ex tribu Dan, sæuus iudex, & tyrannus immanis, *iudicabit populum suum. Tanquam serpens in via, sedens in semita*, deijcere tentabit eos, qui viam ambulant veritatis, supplantare cupiens veritatem.

In Psalm.40. Vide si piè potes illud aptare, quod in Genesi dixit sanctus Patriarcha Iacob, cùm de filijs prophetaret: *Dan iudicabit populum suum tanquam vna tribus in Israel.* Et: *Fiat Dan sicut serpens in via, &c.* Legimus quidem quòd Samson de tribu Dan iudex fuerit in Israel. Sed alius hic significatur futurus, qui ex ea tribu progressus, populum supplicijs sacrilegæ impietatis affliget, Antichristus ille, qui sedebit in templo tamquam sit Deus, verè iudicium, quod habet interpretatio. Dan enim iudicium significatur. Et pulchrè dixit, quia populum suum iudicabit, qui perpetuæ pœnæ fiet obnoxius.

In 1. ad Corinth. cap. 4. *Puto enim quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, quasi morti destinatos, &c.* Hoc ideo personæ suæ deputat, quia semper in necessitate fuit, persecutiones, & pressuras vltra cæteros passus, sicut passuri sunt Enoch & Elias, qui vltimo tempore futuri sunt Apostoli. Mitti enim habent ante Christum ad præparandum populum Dei, & muniendas omnes Ecclesias ad resistendum Antichristo, quos & persecutiones pati, & occidi lectio Apocalypsis testatur. Horum ergo tempus suo tempori comparauit Apostolus, dicẽs: *Quasi morti destinatos.* Ad hoc enim venturi sunt, vt occidantur.

In 2. ad Tessal. cap. 2. Vt locum aut occasionem fallendi, quam se putat habere, non habeat impudentissimus satanas, tempus & signa aduentus Domini designauit: quia non prius veniet Dominus, quàm regni Romani defectio fiat, & appareat Antichristus, qui interficiet sanctos, reddita Romanis libertate, sub suo tamen nomine. Sciens enim venturum Dominum ad se comprimendum, nomen eius sibi vsurpabit: & vt regnum eius verum videatur, attrahet secum qui simul cum eo pereant, vt in domo Domini in sede sedeat Christi, & ipsum Deum se asserat, non Filium Dei. Vnde in Euangelio ad Iudæos Dominus ait: *Ego veni in nomine Patris mei, & non me recepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Quamobrem ex circumcisione, aut circumcisum illum venire sperandum est, vt sit Iudæis credendi illi fiducia. Ioan.5.

Hieronymus. 390.

Ad Algasiam quæstione 11. Apostolus exponit, quæ ante aduentum Christi debeant præstolari: vt cùm illa facta viderint, tunc sciant Antichristum, id est, hominem peccati, & filium perditionis, *qui aduersatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat*, esse venturum. *Nisi*, inquit, *venerit discessio primùm, &c.* vt omnes gentes, quæ Romano imperio subiacent, recedant ab eis, *& reuelatus fuerit*, id est, ostensus: quẽ omnia Prophetarum verba pernunciant, *homo peccati*, in quo fons omnium peccatorum est: *& filius perditionis*, id est, diaboli: ipse est enim vniuersorum perditio, qui aduersatur Christo, & ideo vocatur Antichristus: *& extollitur supra omne quod dicitur Deus*, vt cunctarum gentium Deos, siue probatam omnem & veram religionem suo calcet pede: *& in templo Dei*, vel Hierosolymis, vt quidam putant, vel in Ecclesia, vt verius arbitramur, sederit, *ostendens se, tanquam ipse sit Christus, & Filius Dei*: Nisi, inquit, fuerit Romanum imperium ante desolatum, & Antichristus præcesserit, Christus non veniet: qui ideo ita venturus est, vt Antechristum destruat. Meministis, ait, quòd hæc ipsa, quæ nunc scribo per epistolam, cùm apud vos essem, præsente sermone narrabam, & dicebam vobis Christum non esse venturum, nisi præcessisset Antichristus. *Et nunc quid detineat, scitis. Vt reueletur in suo tempore*, hoc est, quæ causa sit, vt Antichristus in præsentiarum non veniat, optimè nostis. Nec vult apertè dicere, Romanum imperium destruendum: quod ipsi, qui imperant, æternum putant. Vnde secundùm Apocalypsin Ioannis, in fronte purpuratæ meretricis scriptum est nomen blasphemiæ, id est, Romæ æternæ. Si enim apertè audacterque dixisset: Non veniet Antichristus, nisi prius Romanum deleatur imperium: iusta causa persecutionis in orientem tunc Ecclesiam consurgere videbatur. Quodque sequitur *Iam enim mysterium operatur iniquitatis, tantùm, vt qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat: & tunc reuelabitur ille iniquus*, hunc habet sensum: Multis malis atque peccatis, quibus Nero impurissimus Cæsarum mundum premit, Antichristi parturitur aduentus: & quod ille operaturus est postea, in isto ex parte completur, tantùm vt Romanum imperium, quod nunc vniuersas gentes tenet, recedat, & de medio fiat: & tunc Antichristus veniet fons iniquitatis: *quem Dominus Iesus interficiet Spiritu oris sui*, diuina videlicet potestate, & suæ maiestatis imperio, cuius iussisse fecisse est: non in exercitus multitudine, non in robore militum, non in Angelorum auxilio, sed statim vt ille aduenerit, interficietur Antichristus: & quomodo tenebræ solis fugantur aduentu, sic illustratione aduentus sui eum Dominus destruet, atque delebit. Cuius opera, satanæ sunt opera. *Et sicut in Christo plenitudo diuinitatis fuit corporaliter*: ita & in Antichristo omnes erunt fortitudines, & signa, & prodigia, sed vniuersa mendacia. Quo modo enim signis Dei, quæ operabatur per Moysen, Magi suis restitêre mendacijs, & virga Moysis deuorauit virgas eorum: ita mendacium Antichristi, Christi veritas deuorabit. Seducentur autem eius mendacio, qui perditioni sunt præparati. Et quia tacita quæstio poterat commoueri: cur enim concessit Deus omnem eum habere virtutem, signa atque prodigia, *per quæ seducantur, si fieri potest, etiam electi Dei?* Solutione præuenit quæstionem, & quod opponi poterat, antequam opponatur, absoluit. Faciet, inquit, hæc omnia non sua virtute, sed concessione Dei, propter Iudæos: *vt qui noluerunt charitatem recipere veritatis*, hoc est, spiritum Dei per Christum: *Quia charitas Dei diffusa est in corda credentium*: Et ipse dicit: *Ego sum veritas*: De quo in Psalmis scriptum est: *Veritas de terra orta est.* Qui ergo charitatem & veritatem non receperunt, vt Saluatore suscepto salui fierent, *mittet illis Deus*, non operatorem: sed ipsam *operationem*, id est, fontem *erroris, vt credant mendacio.* Quia mendax est ipse, & pater eius. Et siquidem Antichristus de virgine natus esset, & primus venisset in mundum, poterant Iudæi habere excusationem, dicere, quòd putauerint veritatem, & idcirco mendacium pro veritate susceperint. Nunc autem ideo iudicandi sunt, imò procul dubio condemnandi, quia, Christi veritate contempta, postea mendacium, id est, Antichristum suscepturi sunt.

1. Thes. 2. Col.2. Exod.7. Psal.84.

In Daniel. cap. 7. Ergo dicamus, quod omnes scripto-

iudicio: quamuis faciat ille iniquo, malignoq; consilio, &c.

Tractatu 3. in Ioannem: Ipsa nouissima hora diuturna est, tamen nouissima hora est. Horam enim pro tempore posuit nouissimo, quia in nouissimis temporibus venit Dominus noster Iesus Christus. Sed dicturi sunt aliqui: Quomodo nouissimum tempus? Quomodo nouissima hora? Certè prius veniet Antichristus, & tunc veniet dies iudicij. Vidit Ioannes cogitationes istas. Ne quasi securi fierent, & ideo non esse horam nouissimam putarent, quòd venturus esset Antichristus, ait illis: *Et sicut audistis quòd Antichristus sit venturus*, &c.

Quæst. super Iosue cap. 22. Cùm Iacob filios suos benediceret, talia dixit de isto Dan, vt de ipsa tribu existimetur exsurrecturus Antichristus.

Paulus Orosius. 410.

Præfatione in librum primum: Exceptis videlicet semotisque illis diebus nouissimis, sub fine seculi, & sub apparitione Antichristi, vel etiam sub conclusione iudicij: quibus futuras angustias, quales ante non fuerint, Dominus Christus prædixit.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia 1. Hyemali: Priusquam Dominus Christus adueniet, Antichristum regnaturum certum est, qui ita tenebras humano generi suæ prauitatis infundet, vt lucem veritatis nemo penè respiciat, & caligine propria operiens mentes hominum, cæcitatem quandam spiritualibus oculis exhibebit. Ad huius igitur terram caliginem depellandam, velut fulgur quoddam, Christus adueniet. Et sicut lucescente die nox subuertitur, ita coruscante Saluatore Antichristus effugatur, nec vlterius poterit disseminare iniquitatis suæ tenebras, cùm lumen veritatis effulserit.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Dominica 2. Aduentus: Illud vnum cornu, in cuius ortu tria cornua euulsa sunt, quod habebat oculos, & os loquens ingentia, Antichristus erit, alijs regibus fortior & potentior. Qui postquam tres illos reges superabit, & illorum regna subiugabit, in tantam superbiam eleuabitur, vt contra Altissimum loqui, & ore nefario Deum traducere non timeat. Plenus etiam spiritu satanæ, virtutes multas, & miracula arte diabolica operabitur. Et alios quidem signis, alios verò gladijs ad suam voluntatem conuertet. Præliabitur autem contra Sanctos, quia veniet Enoch & Elias tunc, quos quia tunc ratione superare non poterit, gladijs interimi faciet.

Prosper Aquitanicus. 460.

De Promissionibus & Prædictionibus Dei, Dimidium temporis lib. 4. c. 9. Daniel Propheta dicit Angelum dixisse sibi, &c. *Et faciet iuxta voluntatem suam Rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum, & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica*, &c. (Dan. 11.) Hic ostenditur quòd ex Iudæis de tribu Dan, quæ hodieq; in Perfide est, veniat Antichristus, iuxta propheticam benedictionem Iacob Patriarchæ, dicentis: *Dan iudicabit populum sicut alia tribus. Fiat coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro.* (Gen. 49.) Statimq; verum Christum Dominum venturum ostendit, dicens: *Salutare tuum expectabo Domine.*

Primasius. 540.

Lib. 3. in Apocalypsin: De tribu Dan Antichristus traditur nasciturus Non frustra ipsius quoque pluuiæ factam æstimo mentionem, nisi vt de præcedentibus expectemus futuris reddendam operibus veritatem, alijs videlicet residuis & tribus annis, & mensibus sex persecutionem Antichristi, occiso Helia, grassantem, tanquam in medio hebdomadis hostiam dicit, sacrificiumq; deficere, quod in Ecclesia solenniter immolatur, Antichristi scilicet malitia præualente.

Iunilus. 540.

In Genesin: Sextæ diei vesperam iam nunc appropinquare cernimus, cùm abundante per omnia iniquitate refrigescit charitas multorum: adueniet autem multo tenebricosior cæteris, cùm apparente homine peccati, filio iniquitatis, *qui extollitur atque eleuatur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*, tanta fuerit tribulatio, *vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi*, & subsequente statim hora vniuersalis iudicij, de qua scriptum est, *Veruntamen Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* Perseuerabit enim sabbatismus animarum sanctarum vsque ad finem seculi, & cùm vltima ætas seculi post vesperam suam, de qua præfati sumus, finem, interfecto per Dominum nostrum Christum Antichristo perceperit, &c.

Isidorus Hispalensis. 620.

Libro 8. Originum cap. 11. Antichristus appellatur, quòd contra Christum venturus est non quomodo quidam simplices intelligunt, Antichristum ideo dictum, quòd ante Christum venturus sit, & post eum veniat Christus: Non sic, sed Antichristus Græcè dicitur, quod est Latinè contrarius Christo: ἀντὶ enim Græcè, in Latinum contra significat. Christum enim se mentietur dum venerit, & contra eum dimicabit, & aduersabitur Sacramentis Christi, vt veritatis eius Euangelium soluat. Nam & templum Hierosolymis reparare, & omnes veteris legis ceremonias restaurare tentabit.

Beda. 700.

In cap. Genes. 48. *Dan iudicabit populum suum*: Dicunt quidam, Antichristum per illa verba prædici de ista tribu futurum: alij de Iuda, à quo traditus est Dominus, &c. Alij hanc prophetiam ad Antichristum transferunt, pro eo, quòd hoc loco Dan & coluber asseritur, & mordens. Et quod primus Dan inter tribus Israel ad Aquilonem castra metatus est, illum significat, qui se in lateribus Aquilonis sedere dicit, de quo singulariter Propheta dicit: *A Dan auditus est*, &c. Serpens ille cornutus esse perhibetur, per quem dignè Antichristus asseritur, qui contra vitam fidelium cum morsu pestiferæ prædicationis armabitur etiam cornibus potestatis, &c. Cùm venerit Antichristus, occurret post illius vestigia Christus celeri aduentu, vt illum interficiat spiritu oris sui, &c.

In Samuelem cap. 11. Relegens historiam Ecclesiasticam, infinita Martyrum gesta reperies, quibus cunctis immanior temporibus Antichristi concissio plaustri huius, hoc est, Ecclesiæ perturbatio, non dubitatur esse ventura. Neque aliud vetat duas has vaccas, quæ arcam Domini referentes Israelitis, holocaustum sunt Domino, super Enoch & Elia interpretari, qui tunc Iudæis fidei gratiam aperturi, nec mora ab Antichristo mortem creduntur esse suscepturi.

In Marcum lib. 4. cap. 13. Tribulatio Antichristi quanto cæteris, quæ præcessêre, pressuræ pondere grauior, tanto est temporis breuitate moderatior futura. Nam tribus annis & dimidio, quantum de prophetia Danielis & Apocalypsis S. Ioannis conijci potest, Ecclesiam per orbem impugnatura esse creditur.

Libro 6. in Lucam cap. 23. Filius diaboli Antichristus, non ab ipso nascendo, sed vt cæteri peccatores, illum imitando vocatur.

In cap. 13. Apocal. ad illa verba: *Et numerus nominis eius 666.* Numerus hominis est, ne eum putemus,

Digitized by Google

cornutus esse perhibetur, per quem dignè Antichristus asseritur, qui contra vitam fidelium cum morsu pestiferæ prædicationis armabitur etiam cornibus potestatis.

Remigius Antisiodorensis. 880.

In Psalm. 9. Sicut leo latet in spelunca, vt foris eum non timeant bestiæ, & sic illuc appropient, dum nusquam eius terror apparet, donec exeat, & apertè deuoret: ita Antichristi crudelitas, quadam adulatoria prædicatione, & quibusdam miraculis multos seducet, & quos hoc modo seducere non poterit, varijs supplicijs velut leo violenter inuadet. Hæc omnia ita diligenter de Antichristo describit, & eius membris, vt suos cautos reddat: minus etiam lædunt quæ præuidentur. Duæ persecutiones fuerunt in Ecclesia: aperta, & fraudulenta. Primo tempore violenta, fraudulenta in medio, quemadmodum per hæreticos & falsos fratres: validissima, & ex his duabus iuncta in fine temporre Antichristi, qui quos non poterit attrahere miraculis, coget minis, quoniam vt leo in spelunca insidiatur.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 890.

*Cap.*7. Quòd in vespera horror Abraham inuasit, hoc est, quòd in fine mundi Antichristi persecutio horrendam Ecclesiam fatigabit.

*Cap.*13. Nota quòd castra Dan ad Aquilonem posita sint, ex quo Antichristus futurus erat.

*Cap.*14. Perfidi Iudæi in fine seculi Antichristum eligent, & vitem Christum non recipiunt, iuxta il-
Ioan.5. lud: *Ego veni in nomine Patris mei, & me non recipitis: alius veniet in nomine suo, hunc recipietis.*

*Cap.*15. Dauid Christus est, qui leonem & vrsum ad oues Christi grassantes interfecit, vrsum diabolum, leonem Antichristum, alterum nunc latenter insidiantem, alterum in fine mundi perfidè sæuientem.

Radulphus Flauiacensis. 390.

Lib.18. in Leuiticum cap. 1. *Ecce egressus filius mulieris Israelitis, quem pepererat de viro AEgyptio inter filios Israel iurgatus est in castris cum viro Israelite:)* Quisquis ille fuerit, cuius iuxta literam iurgium hîc introducitur, ea, quæ dicuntur de eo, ad Antichristi personam congruentissimè referuntur. Nam quòd mulieris Israelitis filius dicitur, præsignare videtur, quòd iniquus ille de Ecclesiasticis parentibus nasciturus sit, & inter filios matris Ecclesiæ fidei Sacramenta primò suscepturus. Vnde & iste inter filios Israel natus perhibetur: alioqui fieri non posset, quod testatur Apostolus, vt ad Ecclesiasticos honores perueniret, & in templo Dei, videlicet in fidelium societate cathedram dignitatis acciperet, nisi eos, à quibus ordinandus est, affectata primitus fidelium forma deciperet. Quo tamen honoris culmine sibi collato, postmodum in superbiam abusurus est, dum *aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ostendens se tanquam sit Deus*, &c. Septimum huius bestiæ (de qua Apocalyps. 3.) caput regnum erit Antichristi, quod inter decem cornua quartæ bestiæ paruulum orietur. inter minutias quippe Romani Imperij, quod iam per multa diuisum est, Antichristus consurget, & primò tribus regibus sibi consociatis, & à Christi fide, quam prius tenebant, euulsis: incertum est autem qui illi futuri sint: deinde totum mundum occupabit, & potentior cæteris regibus apparebit. Meritò ergo Ioanni, qui sub Rom. scripsit imperio, de septem regnis istis ab Angelo dictum est:
Apoc.17 *Quinque ceciderunt, vnus est, & alius nondum venit:* quinque enim ex his regnis, quæ supra memorauimus, iam transierunt: Romani tunc regnabant: Antichristus nondum venerat: qui cùm venerit, sicut ibidem subditur, oportet illum breui tempus manere. Iste est, de quo dicitur: *Et vidi*, inquit, *vnum de capitibus bestiæ, &c. Vocabatur autem* Apoc.13
mater eius Salamith, filia Dabri, de tribu Dan.) Salamith retributio interpretatur, Dabri loquelam sonat. Antichristus igitur, qui per Apostolum perditionis filius vocatur, rectè matrem Salamith habere perhibetur, & ipsam filiam Dabri, id est, loquelæ: quia damnatio, cui ipse destinatus est, blasphemijs illius retribuetur, & ex inde orietur, sicut in Daniele expressum est: *Iudicium*, inquit, *sedit, & libri aperti sunt. Aspiciebam propter* Dan.7.
vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur: & vidi quoniam interfecta esset bestia, & perijsset corpus eius, & traditum esset ad comburendum igni. Quòd autem ex tribu Dan esse dicitur homo iste, hîc manifestius Antichristus designatus intelligitur, qui Scripturis hinc atque inde conclamantibus, ex tribu Dan oriturus agnoscitur. Recole prophetiam Patriarchæ Iacob: *Fiat*, inquit, *Dan* Gen.49.
coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò. Hoc quomodo super Antichristo intelligendum sit, Papa Gregorius latius exponit. Concinit huic prophetiæ etiam quod de tribu Dan sacra in Numeris narrat historia. In Num.2.
dispositione quippe castrorum ad Aquilonis partem positi sunt filij Dan, de quibus etiam statutum est, vt nouissimi proficiscerentur. Cùm autem filij Israel ex AEgypto exeuntes, ad terram transirent Chanaam, si quis regionum situm consideret, aduertere poterit, eos contra Aquilonem, seu certè contra Orientem, cùm deserta circumirent, iter habuisse. Cùm igitur ad Aquilonem tenderent, prima castrorum profectio ad Aquilonem positis danda videretur, aut certè media, si Orientem versus iret exercitus. Apparet itaque mysterij causa factum esse, vt qui primam castrorum frontem tenebant in metatione, postremi essent in profectione. Tribus enim Dan, quæ ad Aquilonem castrametatur, illum præsignare videtur, qui de eadem tribu nasciturus, in his, qui à feruore charitatis remoti, & quasi sub glaciali plaga positi sunt, accipiet principatum, & à lateribus Aquilonis, sicut de Ezechiele protulimus, ducet exercitum. Quòd verò nouissima proficiscebatur hæc tribus, sub Antichristi futura temporibus Ecclesiæ postremitas monstrabatur. Nec quemquam moueat, quòd tribus Dan in castris Israel computabatur, cùm Antichristus hostis Ecclesiæ sit futurus: hostis siquidem fidelibus erit; sed tamen ex fidei professoribus maximam multitudinis suæ partem congregabit, &c. Tribus igitur Dan licet filiorum Israel castris annumeretur, non incongruè tamen in Antichristi refertur figuram, qui, vt supra ostendimus, cum magna exercitus sui portione primò castris fidelium consociabitur. Notandum enim, quòd tribum eandem in numerum cæterarum Moses quidem inclusit, sed in Apocalypsi sua, in fine scilicet Canonis; Ioannes exclusit: *Vidi*, inquit, *quatuor Angelos*, &c. Deinde enumerans quot millia de singulis tribubus signata sint, omnes filios Iacob ponit: tribum Dan solam prætermittit, Manassen in loco eius substituens.

Bruno. 1060.

Ad Psalm. 9. *Exacerbabit Dominum peccator*, hoc est, ad iracundiam concitabit sua superbia: quòd propriè de Antichristo datur intelligi, qui irritat verum Dominum, quando se sua fallacia non solum terrenum regem, sed etiam rerum omnium Deum prædicabit. Sed hoc erit ei ad ruinam, ideo vt falsus Deus flammis dignis punietur. Non requirit Antichristus, vt sua peccata crudelia dimittantur: quia in conspectu suo non habet

Deum, &c. Actus Antichristi comparauit Dauid consuetudini latronum, qui se occultant, vt interficiant innocentes. Diuites seculi ditabit, vt eorum gloria alios decipiat: inclinabit se tyrannis, cùm animum suum remiserit in aliquod otium, cessando à tanta persecutione, nimia acquisitione perditorum satiatus. Post pœnas, afflictionesque iustorum cadet nequissimus cum suis sequacibus de sua præsumptione, quando illi superuenerit repentinus interitus.

Ad cap. 2. posterioris ad Thessalon. *Quem Dominus interficiet.*) Dicit B. Ambrosius, Iesum se ostensurum Antichristo, & clamante Iesu interficietur hic impius; sed quid clamaturus nescimus. Alij dicunt, quòd Michael solo terrore suo interfecturus sit hunc Antichristum. IESVS quidem interficiet eum, & postea destruet eum, damnatum & in corpore, & in anima. Destruet dico illustratione aduentus sui, id est, eo adueniente ad iudicium in magna claritatis illustratione.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

In enarratione Euangelij. Quis vel perfectorum non timebit, quando sub Antichristo immanis illa persecutio vbique feruebit? Timens autem incipiet aliquantulum mergi, quia propter horrorem atrocitatis suppliciorum, quæ Sanctis inferentur, & propter admirationem fallacium signorum, quæ per sequaces Antichristi fient, aliquantulùm in corde suo fluctuans, ab inferiori parte animæ sentiet aliquid, quod nisi Christi dextera leuauerit, facile totus demergi poterit.

In cap. 5. prioris ad Thessalonicenses. Post mortem Antichristi quadraginta quinque dies concedentur ad emendationem his, qui ad vitam prædestinati sunt, & in Antichristi persecutione offenderunt. Sed qui ad vitam præordinati non sunt, nec morte principis sui corrigentur: sed toto corde mundanis inhærentes gaudebunt, vxores ducent, conuiuia facient, & domos ædificabunt, dicentes. Pax est nobis, & securitas, licet princeps noster sit mortuus, & dum ita paratos ac securos se putauerint, subitò iudex apparebit, omnesque tales condemnabit.

In cap. 2. posterioris ad Thessalonicenses: Sicut Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi: ita diabolus erit in Antichristo mundum seducens. Et sicut Christus ait: *Pater in me manens ipse facit opera:* sic diabolus in Antichristo manens, faciet omnia, quæ ille videbitur facere, &c. Occidetur Antichristus, sicut è volumine Danielis intelligimus, in monte Oliueti, in papilione, in solio suo, illo videlicet loco, quo Dominus in cælum ascendit.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad cap. 13. Apocalypsis: Ille draco, ille diabolus, nunc alio quidem, sed vicino nomine bestia dicitur non abs re: sed pro nouæ rei magnitudine: quia videlicet qui prius erat diabolus, & draco dicebatur, in homine erit, & homine armabitur, qui & homo peccati, & homo erit filius perditionis. Idcirco pulchrè appellatio quoque mutata est, vt bestia dicatur. Erit enim homo ille secundùm operationem Satanæ, Deo & omni creaturæ infestus, secundùm proprietatem siue etymologiam appellationis. Tradunt nonnulli quòd ille locus maris, vnde nasci debeat, Babylonia sit. Nam, inquiunt, sicut Dominus & Redemptor noster Bethlehem sibi præuidit, vbi pro nobis humanitatem assumere dignaretur: sic diabolus illi homini perdito, qui Antichristus dicitur locum nouit aptum, in quo radix omnium malorum oriri debeat, scilicet ciuitatem Babyloniæ. In ipso conceptionis initio diabolus simul introibit in vterum matris eius, & ex virtute diaboli confouebitur, & contutabitur in ventre matris eius, & virtus diaboli semper cum illo erit. Et sicut in matre Domini nostri Spiritus sanctus venit, & eam sua virtute obumbrauit, & diuinitate repleuit, vt de Spiritu sancto conciperet, & quod nasceretur diuinum esset: ita quoque diabolus in matrem Antichristi descendet, & totam eam replebit, totam circumdabit, totam tenebit, totam interius & exterius possidebit, vt diabolo cooperante per hominem concipiat: & quod natum fuerit totum sit iniquum, totum malum.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Sermone ad Aduentum Domini: Illo tempore regnabit Antichristus, qui totum orbem diuersis modis conturbabit. Nam cunctos principes per pecuniam sibi attrahet: cum diuitibus in occultis, vt leo in insidijs, ad decipiendum se tradet: clerum per mundanam sapientiam decipiet, cùm verba contra Altissimum proferet: religiosos signis & prodigijs seducet, quando etiam ignem descendere de cælo faciet: vulgus terrore concutiet, cum magna persecutione in Christianos sæuiet: Enoch & Eliam interficiet, & omnes sibi resistentes crudeli exanimatione perdet, quem Dominus Iesus spiritu oris sui, seu ministerio Michaelis Archangeli interficiet, ipseque tunc ad iudicium veniet.

Berngosius Abbas. 1124.

De mysterio ligni Dominici, & de luce visibili & inuisibili. Hæc est illa lux, per quam Iacob futurorum illustratus scientia: *Fiat,* inquit, *Dan coluber in via, cerastes in semita:* Antichristum scilicet significans, Gen. 49. qui contra electos Dei dupliciter quandoque debet sæuire dementia, dum & coluber ex astutia, & cerastes vocatur ex potentia.

Richardus Victorinus. 1140.

Libro 5. in Apocalypsin: Tam acerbam merebuntur reprobi vltionem diuinam in diebus Antichristi, vt prorumpant in blasphemiam nominis diuini, &, quod est grauius, non tantùm prorumpent in blasphemiam, sed nec agent pœnitentiam.

Otto Frisingensis. 1150.

Libro 8. Chronicorum cap. 1. Vltimam Ecclesia tam violentam, quàm fraudulentam persecutionem sub Antichristo passura erit, qui ex hoc, quòd Christum se mentiens, Christo per omnia vita & doctrina oppositus erit, Antichristus, tanquam contrarius Christo, vocatur. Græci enim ἀντὶ contra dicunt. Porrò de tribu Dan, seruili scilicet conditione, ex illa, quæ dicitur, auctoritate: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita,* nasciturus creditur. Gen. 49.

Cap. 6. Tempus quoque tentationis, tribus annis & dimidio, totidem scilicet, quot & Dominus prædicauit, ex hoc, quod ibidem dicitur, *vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis,* protendi latenter innuitur. Euidentius autem ex illa Apoc. 12. auctoritate Apocalypsis: *Ciuitatem sanctam calcabunt mensibus 42.* declaratur. Quam breuitatem Apoc. 11. temporis ex immanitate persecutionis propter electos à misericordissimo iudice promissam esse Dominus insinuat, cùm ait: *Nisi abbreuiati essent dies illi, non fieret salua omnis caro; sed propter electos abbreuiabuntur dies illi.*

Gerhohus Prauniensis. 1160.

Libro 3. de statu domus Dei. Quocirca nobis apertè declaratur, quia illi *negotio, quod perambulat in tenebris,* cui nimirum seruitur à multis, tam iamque succedit vltima & periculosissima tentatio,

quan-

quando Ecclesia Christi *ab incursu & dæmonio meridiano*, quasi tempestate sæuissima quassabitur, quando ille *homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*, tanquam meridiana lux, apparens in omnibus signis & prodigijs mendacibus, seducet inhabitantes super terram.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica secunda post Octauas Epiphaniæ: Antichristo & discipulis eius opponet Dominus Eliam & Enoch, & Dominus Iesus in propria persona semetipsum opponet Antichristo, vt stultus appareat, postquam fuerit contra Deum supra modum eleuatus.

Vincentius Burgundus Beluacensis. 1240.

In Speculo Naturali libro 31. capite 103. Legitur Antichristus in Babylone de tribu Dan nasciturus, iuxta id quod ait Iacob pater eius: *Fiat Dan coluber in via*, &c. Vnde hæc sola tribus in Apocalypsi subticetur, vbi ex alijs tribubus signati numerantur. Huius *aduentus*, vt ait Apostolus, *erit secundùm operationem satanæ*, quia totum faciet diabolo (qui illum posidebit) instigante, atque cooperante. Nec tamen ita posidebit eum ex toto, vt vniatur ei, sicut humanitati diuinitas in Christo, nec ita vexabit eum, vt careat rationis iudicio, alioquin non imputaretur ei quicquid agerat, sicut nec furibundo.

Albertus Stadensis. 1250.

In Chronicis de anno 1150. Interim & multæ hæreses, & plurimæ turpitudines cum alijs malis pullulabunt, qui Antichristum in proximo adesse ostendunt. Immunda quoque mulier immundum filium concipiet. Cùm enim tempus aduenerit, quo iste nequissimus deceptor horribiliter apparebit, dicit virgo Hildegardis, mater illa, quæ istum fallacem in mundum eijciet, à pueritia sua in puellari ætate diabolicis artibus vitijsque plena, in deserto abiectionis inter nefandissimos enutrita est, ibi parentibus suis eam nescientibus, nec illis, cum quibus moratur, eam scientibus. Quoniam diabolus illuc eam ire persuadet, & ibi eam secundùm voluntatem suam decipiendo componit, quasi Angelus sanctus. Et ideò ab omnibus se separat, vt tanto facilius cælari posit. Vnde etiam aliquibus, sed tamen paucis viris nequissimo latrocinio fornicationis occultè commiscetur, & in tanto studio turpitudinis cum illis se polluit, velut Angelus sanctus feruorem prauitatis illius eam perficere iubeat. Et sic feruentissimo ardore fornicationis istius filium perditionis concipiet, nesciens de quo semine virorum illorum eum conceperit. Sed Lucifer, serpens videlicet antiquus, turpitudine ista delectatus, coagulationem hanc iusto meo iudicio artibus suis inflat, & eam omnibus viribus totam in ventre matris posidet. Sic illo proditore de ventre matris suæ, pleno diabolico spiritu, egrediente, deinde consuetam fornicationem deuitat, & apertè stulto & insipienti populo dicit, quia virum non habet, nec patrem infantis sui sciat, fornicationem, quam perpetrauit, sanctam dicit. Vnde populus illam sanctam putat & nominat. Sic filius perditionis diabolicis artibus vsque ad fortiorem ætatem nutritur, semper noto sibi populo sese subtrahens, nec se manifestabit, vsque dum se plenum & superabundantem in cunctis iniquitatibus cognouerit, &c. A diabolo quippe Antichristus infusus, omnia, quæ Deus in antiqua lege & noua constituerat, destruet, & incestum, & alia similia peccata non esse peccata affirmabit, affirmans, quòd omnia castitatis præcepta per ignorantiam facta sunt. Multitudinem populorum seducendo sibi attrahet, & se vt Deum adorari faciet, vt Filius Dei paruum numerum in comparatione numeri sui habeat. Pro redemptione populi sui per occisionem se mori, & per resurrectionem se iungere simulabit, & quandam scripturam in fronte sequentium se scribi faciet, per quam omne malum eis immittet, atque per eandem scripturam contra Baptismum, & contra Christianum nomen arte magica ita eos infundet, vt ab illo discedere non cupiant, & vt secundùm ipsum, quemadmodum Christiani secundùm Christum, omnes vocentur, &c. Tunc Eliam & Enoch eadem vis, per quam prius ablati de medio hominum fuerant, reducet, & quàm diu cum hominibus morabuntur, semper per quadraginta dies reficientur. Maiora signa filio perditionis facient, homines ex omnibus populis ad ipsos current, ad martyrium, quod eis filius perditionis inferet, cum ardenti fide veluti ad conuiuium properantes, multitudo sanguinis eorum sicut riuus effundetur. Hos cùm filius perditionis nec blandirijs, nec minis superarre poterit, iubebit eos crudeli martyrio consummari. Sequaces filij perditionis gaudebunt, sed cùm spiritus vitæ eos suscitauerit, ac rursus in nubes sustulerit, gaudium illorum in timorem vertetur. Deinde perditionis filius populum conuocabit, & in cælos ire tentabit. Sed cùm diabolica arte se sursum extulerit, diuina virtute eijcietur, atque fœtor sulphuris & picis eum suscipiet, ita etiam, vt astantes populi ad præsidia montium fugiant. Tantus quippe terror hæc videntes & audientes occupabit, vt diabolo & filio eius abrenuntiantes, ad veram fidem baptismi conuertantur. Post causam Antichristi gloria & laus Christi Filij Dei amplificabitur.

Thomas Aquinas. 1250.

De humanitate Dei cap. 29. Nascetur Antichristus in Babylone de tribu Dan, iuxta quod ait Iacob: *Fiat Dan coluber*, &c. Et cùm venerit Hierosolymam, circumcidet se, dicens Iudæis: Ego sum Christus vobis promissus. Tunc confluent ad eum omnes Iudæi, & reædificabunt templum à Romanis destructum, & ibi *sedebit, ostendens se tanquam sit Deus*.

Ad cap. 13. Apocalypsis: Cùm Antichristus per aliquod tempus, scilicet per tres annos & dimidium, in magna potestate regnauerit, vili morte interficietur in monte Oliueti, in papilione, in loco, contra quem ascendit Christus ad cælos.

Engelbertus Abbas Admontensis. 1295.

Libro de ortu & fine Romani Imperij capite 18. Appropinquante tempore aduentus Antichristi, veniet discessio primùm regnorum omnium ab imperio, deinde Ecclesiarum ab obedientia Sedis Apostolicæ, & vltimò fidelium à fide. Tunc enim Ecclesiæ membris influentiam suorum capitum in temporalibus & spiritualibus non capientibus, & per consequens motu ac sensu gratiæ priuatis, locum & facultatem habebit deceptio, & dominatio Antichristi. Vnde illi, qui studium & ingenium suum adhibent ad deiectionem & detruncationem imperij, videntur directò festinare ad hoc, vt locus & facultas præparetur tyrannidi Antichristi.

Nicolaus Lyranus. 1300.

Ad cap. 2. posterioris ad Thessalonicenses: *Et reuelatus fuerit*, &c. Hic ponitur secundum notabile, quod præcedet diem iudicij, scilicet aduentus Antichristi: cuius primò ponitur superbiæ excessus, secundò tempus veniendi, tertiò dæmonis effectus.

fectus. Excessus verò superbiæ erit, quia faciet se sicut Deum adorari. Habebit Antichristus dæmonem priuatum, qui à Deo permissus, faciet multa miracula ad eius nutum pro subuersione fidelium.

Augustinus Triumphus. 1320.

De potestate Ecclesiast. quæstione 21. articulo 4. Ante Antichristi aduentum erit triplex in mundo discessio: quia primò erit omnium hominum separatio à Romano imperio: secundò erit multorum Christianorum discessio à fide Catholica: tertiò erit separatio multarum Ecclesiarum à Romano Pontifice. De prima discessione dixit glossa super illo verbo Dan. 7. *Bestia quarta regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis, & deuorabit vniuersam terram, &c. Porrò cornua decem in capite bestiæ, decem reges erunt.* Quod regnum maius est omnibus, regnum Romanorum est. Per decem verò cornua intelliguntur decem regna, in quæ diuidetur Romanum imperium, tempore Antichristi: quia tempore diuisionis prædicti regni, & de ipsis regnis, in quæ diuidetur, orietur Antichristus.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 2. cap. 87. Antichristus quatuor modis subuertendi homines armabitur, scilicet callida persuasione, miraculorum operatione, bonorum largitione, tormentorum exhibitione. Prædictis quatuor modis multos ad se trahet. Trahet autem malos per munera, bonos per tormenta, simplices per prædicationem & miracula. Hic ex parentibus senibus concipietur, & nascetur in Babylone de tribu Dan. Et sicut in Christo *omnis plenitudo diuinitatis inhabitauit*: ita in Antichristo omnis plenitudo iniquitatis inhabitabit: quia in ipso erit malignus, caput omnium malorum, propter quod & filius perditionis vocabitur. Inter occultum aduentum Antichristi, qui est per natiuitatem: & manifestum, qui erit per prædicationem, & apertam persecutionem, venient Elias & Enoch, vt ipsi repugnent, & errantes ad viam veritatis reducant: prædicabunt diebus 1260. id est, tribus annis cum dimidio. Tandem Antichristus occidet eos in plateis Hierusalem, & iacebunt corpora eorum in plateis tribus diebus & noctibus, & dimidio, quia nullus audebit corpora eorum sepelire propter metum Antichristi, vt quicunque viderint timeant eis conformari. Post tres autem dies & dimidium resurgent, & in cælum in nube ascendent. Antichristus verò quindecim diebus regnabit post mortem illorum. Regnabit autem tribus annis & dimidio, & post Dominus potestate sua occidet eum, siue per se, siue per Michaelem Archangelum.

Guido Carmelita. 1340.

De erroribus Abbatis Ioachimi & Petri Ioannis: Quamuis multi dicantur Antichristi, 1. Ioannis 2. tamen vnus est propriè & verè, qui seducet multos, & quem Dominus interficiet spiritu oris sui.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa libro 6. de gaudijs Paradysi: Antichristus ex parentum semine concipietur, & post conceptum descendet spiritus malignus in matris vterum cum virtute, & operatione. Deinde puer nascetur, aletur, adolescet, propter quod & filius perditionis dicetur. Nascetur enim in Babylone ex tribu Dan, sicut dicit Glossa super Apocalypsin. Posthæc veniet in Hierusalem, & circuncidet se, dicens se esse Christum seu Messiam illis promissum: vnde plebs Iudaica specialiter adhærebit ei, &c.

Bernardinus Senensis. 1430.

Tomo 2. de iudicio generali Sermone 11. folio 101: Primò consideremus circa iudicium generale occasionem antecedentem, id est, quæ erit occasio iudicij generalis, & finis præsentis seculi: ad cuius euidentiam notandum est, quòd mortuo Antichristo, quem secundùm Apostolum 2. Thessal. 2. *Dominus noster Christus interficiet spiritu oris sui.* Quia secundùm Nicolaum de Lyra de mandato eius fulminabitur per ministerium Archangeli Michaelis, qui etiam interficiet exercitum eius, secundùm Methodium. Ab illo tempore, vsque ad finem mundi, secundùm quosdam, paruum non debet esse tempus secundùm communem cursum. Nam videntes Iudæi se deceptos ab Antichristo, per Enoch & Eliam feruidè conuertentur. Ex hoc manifestè patet, quod ab illo tempore vsque ad finem mundi tantum spatium temporis debet interuenire, quòd totus populus Israel, atque totus mundus conuertatur ad Christum.

ARTICVLVS QVARTVS.

IN FINE MVNDI OMNIA OMNIVM HOMINVM CORPORA IN EADEM CARNE ESSE RESVRRECTVRA.

NEGANT.

Anno ante natũ Christum

470. AESCHYLVS in Eumenid. *Semel mortui nulla est resurrectio.*

300. *Græci Philosophi mortuorum resurrectionem prorsus negabant.* Epiphanius in Ancorato.

270. Theocritus Idyllio 4. *Sperandum est viuis, non est spes vlla sepultis.*

100. *Sadducæi & Samaritani negabant carnis resurrectionem.* Matthæi 22. Actor. 23. Epiphanius hæresi 9 & 13.

50. Catullus ad Lesbiam. *Soles occidere, & redire possunt:*

Nobis cùm semel occidit breuis lux,

Nox est perpetua vna dormienda.

Anno post natum Christũ

Hymenæus & Philetus, à veritate excidentes, dixerunt resurrectionem iam esse factam. 2. Timoth. 2.

50. *Simon Magus, negans carnis resurrectionem, interitum carnis asseruit.* Epiphanius hæresi 21.

60. *Carpocrates dicebat, resurrectionem animarum esse, non corporum.* Irenæus lib. 1. c. 24.

80. Plinius libro 7. cap. 55. Nat. hist. *Similis de asseruandis corporibus ac reuiuiscendis promissa à De-*
100. *mocrito vanitas, qui & ipse non reuixit. Quæ (malum) est ista dementia, iterari vitam, mortemq́?*

Valentinus asseruit, animam solam, non corpus saluari. Irenæus libro 1. capite 1. Epiphanius hæ-
150. resi 31.

160. *Appelles carnis resurrectionem negabat.* Tertullianus de Præscriptionibus aduersus hæreses.

170. *Marcion salutem solùm animarum esse futuram dixit: corpus autem, quoniam de terra sumptum sit, non posse participare salutem.* Irenæus lib. 1. cap. 29. Epiphanius hær. 42.

200. *Cæcilius irridet Christianos quòd sese renasci post mortem, & fauillas & cineres asserant, & cœlo & astris interitum denuntient.* Minutius in Octauio.

240. *Origenes in Psal. 1. & 65.* (vt referunt Methodius in Aglaophonte, & Epiphanius hæresi 64.) *scribit corpus non idem numero, sed specie resurrecturum.* Lib. 3. in epist. ad Romanos scriptum reliquerat, *in futuris seculis fœminas redigendas in viros, & humana corpora in animas.*

270. *Manichæi corporum resurrectionem tanquam fabulam reijciunt: nullam enim materiam dignam salute existimant, solas animas resurrecturas dicunt.* Epiphanius, Augustinus, Theodoretus, & Nicetas de Manichæis.

350. *Hierax voluit carnem non resurgere penitus, sed animam solam: spiritualem autem resurrectionem asserit.* Epiphanius hæresi 67. Ioannes Cyprius vitæ Epiphanij cap. 27. Nicetas Orthod. fidei lib. 4 capite 34.

380. *Ioannes Hierosolymitanus corporis quidem resurrectionem futuram, sed quotidie in generatione filiorum fieri.* Augustinus hæresi 59.

560. *Eutychius Constantinopolitanus Patriarcha scripsit ac docuit, corpora hominum in resurrectione hominum impalpabilia, ventisq́; & aere subtiliora, hoc est, spirituale quiddam futurum esse, dempta ista mole terrena & graui, idq́; ratione glorificationis, quam ibi consequetur.* Gregorius Magnus lib. 14. in Iob cap. 29. Beda lib. 6. in Lucam c. 24. Regino & Sigebertus in Chronicis de anno 580.

600. *Armenij dicunt, quòd omnes in resurrectione generali resurgent in sexu virili, non muliebri: aliqui tamen ex ijs dicunt, quòd non erit resurrectio.* Guido de Armenijs.

860. *Michael Balbus Amoræus resurrectionem mortuorum non credebat.* Zonaras in hoc Michaele.

1180. *Noui Manichæi negant resurrectionem corporum humanorum, loco eius fingentes quædam spiritualia corpora, & quendam interiorem hominem, in quibus dicunt esse futuram resurrectionem.* Nicolaus Eymericus par. 2. q. 13.

1200. *Albigenses corporum resurrectionem negant.* Cæsarius Heisterbachius lib. 5. c. 21. Antoninus parte 4. Summæ tit. 11. c. 7 §. 5.

1250. *Almaricus non credidit corporum resurrectionem.* Cochlæus de dictis & factis Lutheri, Lindanus in Dubitantio.

1545. *David Georgius Sadducæorum renouauit errorem, negans resurrectionem carnis.* Ioannes Cochlæus de actis & scriptis Lutheri de anno 1545.

1550. *Libertini rident omnem spem, quam de resurrectione habemus, idq́; iam nobis euenisse dicunt, quod adhuc expectamus. Si quæratur, quomodo id intelligant, nempe, inquiunt, vt homo sciat animam suam spiritũ immortalem esse, perpetuò viuentem in cælis, at Christũ morte sua opinantur mortem aboleuisse, eaq́; ratione nobis restituisse vitam, quæ in eo est, vt nos minimè mors cognoscamus.* Ioannes Caluinus instru ct. aduersus Libertinos cap.22. Bullingerus contra Anabap. lib.2. cap.14.

1570. *Anabaptistæ carnis resurrectionem expressis & dilucidis verbis nec fateri, nec negare audent.* Protocollum Franckentalense art.28.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Iob. 19. *Vers.* 25. Scio enim quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: Et rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius reposita est hæc spes mea in sinu meo.

Isaiæ 26. 19. Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent: expergiscimini, & laudate qui habitatis in puluere, quia ros lucis ros tuus.

Ezech. 37. 1. Facta est super me manus Domini, & eduxit me in spiritu Domini: & dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus. Et circunduxit me per ea in gyro: erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer. Et dixit ad me: Fili hominis, putasne viuent ossa ista? Et dixi, Domine Deus, tu nosti. Et dixit ad me: Vaticinare de ossibus istis, & dices eis: Ossa arida audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce, ego intromittam in vos spiritum, & viuetis. Et dabo super vos neruos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem: & dabo vobis spiritum, & viuetis: & scietis quia ego Dominus. Et prophetaui, sicut præceperat mihi: factus est autem sonitus prophetante me, & ecce commotio: & accesserunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturam suam. Et vidi, & ecce super ea nerui, & carnes ascenderunt: & extenta est in eis cutis desuper, & spiritum non habebant. Et dixit ad me: Vaticinare ad spiritum, vaticinare fili hominis, & dices ad spiritũ: Hæc dicit Dominus Deus: A quatuor ventis veni spiritus: & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant. Et prophetaui, sicut præceperat mihi: & ingressus est in ea spiritus, & vixerunt: steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde.

Daniel. 12. 2. Et multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant semper.

2. *Machab.* 7. 9 Tu quidem scelestissime in præsenti vita nos perdis: sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus, in æternæ vitæ resurrectione suscitabit. Post hunc tertius illuditur, & linguam postulatus cito protulit, & manus constanter extendit, & cùm fiducia ait E cælo ista possideo sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio quoniam ab ipso me ea recepturum spero.

Matth. 22. 31. De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viuentium.

Ioannis 5. 28. Qui in monumentis sunt audient vocem Filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij.

Ioannis 11. 24. Dicit ei Martha: Scio quia resurget (*frater*) in resurrectione, in nouissimo die.

1. *Corinth.* 15. 51. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba (canet enim tuba) & mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem.

Philip. 3 20. Nostra autem conuersatio in cælis est: vnde etiam Saluatorem expectamus, Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundùm operationem, qua etiam possit subijcere sibi omnia.

1. *Thessal.* 4. 16. Ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constitut. Apostol. lib. 5. cap. 6. Ipse enim nos excitabit à mortuis Deus omnipotens, per Dominum nostrum Iesum Christum filium suum, secundùm promissionem suam certissimam: excitabit, inquam, nos cum cæteris omnibus, quicunque à primordio seculi mortui sunt, tales, quales modò sumus, & in hac ipsa forma, qua nunc consistimus, ita vt nihil mutilum, aut mancum habeamus, aut corruptum: siquidem incorrupti, & integri resurgemus. Siue enim in mari interierimus, siue per terram dispersi ac disiecti, siue à bestijs, vel auibus discerpti fuerimus, excitabit nos sua potentia, quia vniuersum manu Dei continetur, &c. Narrant enim auem quandam esse vnigenam, quæ resurrectionem affatim demonstret: hanc dicunt non maritari, & vnicè, atque solitariè gigni: Phœnicen vocant: qui etiam narrant, quingentesimo quoquo anno in Aegyptum ad aram Solis, quam vocant, cum multo cinnamomo, & cassia, ac xylobalsamo volare, & stantem ad orientem solem, vt aiunt, precari, & sponte incendi, atque in cinerem redigi: ex cinere autem vermem renasci, atque ex eo tepefacto formari nouam Phœnicem, & cùm facta est volucris ferri in Arabiam, quæ est vltra tractum Aegypti. Si ergo, vt ipsi aiunt, in aue rationis experte resurrectio apparet, quid nostra inaniter calumniantur? cùm confitemur, qui potuit, quod non erat, efficere vt esset, posse eundem post dissolutionem suscitare. Quia enim compertum & exploratum hoc habemus, idcirco & verbera, & mortes, & persecutiones sustinemus: siquidem frustra ista sufferremus, nisi hæc nobis constarent, quorum præcones esse profitemur.

Libro 6. cap. 11. Iustos & iniustos à mortuis excitandos, & mercedem ijs soluendam confitemur.

Dionysius Areopagita. 100.

Ecclesiast. Hierarch. cap. 7. Casta sanctarum animarum corpora pro sacris sudoribus suis in animarum immutabili secundùm diuinam vitam firmitate ac sede resurrectionem quoque vnà recipient propriam. Inserta enim animabus sanctis, quibus in hac vita iuncta fuerant, vt Christi effecta membra, diuinam atque immortalem beatamque recipient requiem. In his est ergo sanctorum quieta obdormitio, in lætitia, & spe immobili, cùm ad sanctorum certaminum peruenerint finem.

Ignatius. 100.

Epistola ad Trallianos: Pater itaque, qui Christum suscitauit, & nos per ipsum suscitabit, sine quo nemo consequetur vitam æternam.

Polycarpus. 140.

Epistol. ad Philippens. Qui detorserit eloquia Domini ad propria desideria, & dixerit, neque resurrectionem, neque iudicium esse, hic primogenitus satanæ est.

Iustinus. 160.

Oratione ad Gentiles: Hic (*Plato*) mihi videtur non tantùm de iudicio à Prophetis: verùm etiam de resurrectione, quam Græci non credunt, accepisse doctrinam. Cùm enim animam simul cum corpore iudicari dicit, nihil ille aliud significat, quàm fidem se adhibere ei, quæ de resurrectione est, institutioni. Quomodo namque Arideus & reliqui, si corpus, & caput, & manus, & pedes, & pellem habentes in terris reliquissent, tantum apud inferos sustinerent supplicium? haudquaquam certè animas caput, manus, pedes, & pellem habere dicent. Sed enim Plato in Aegypto, postquam in Prophetarum incidit testimonia, doctrina quoque de resurrectione corporis suscepta, cum corpore simul animam iudicari docet.

Oratione ad Antonium Pium: Imò magis etiam Deo credentes, qui nos emortua atque in terram coniecta nostra ipsorum corpora postliminio recepturos esse speramus, (in expectatione ea) nihil planè Deo impossibile esse affirmantes. Et rem ipsam secum consideranti, quid incredibilius videatur, quam si in corpore nondum essemus, atque aliquis diceret, ex parua quapiam humani seminis gutta fieri posse, vt ossa, nerui, & carnes ad eam quam videmus conformata effigiem existant? &c. Si quis, inquam, vobis, cùm nondum tales extaretis, neque ex talibus orti essetis, assueraret semen humanum, & imaginem (humanam) pictam indicans, ex eo ipso semine naturam huiusmodi fieri posse, num priusquam id factum esset, crederetis? non equidem opinor quempiam contra hoc dicere ausurum esse. Persimili ergo modo, propterea quòd nondum mortuum resurrexisse videritis, vos incredulitas resurrectionis tenet. Sed enim quomodo ab initio non credidissetis possibile esse, vt è tenui gutta tales existerent, & extitisse tamen videtis: eodem modo existimate impossibile non esse, vt dissoluta, atque seminum instar in terram disiecta corpora humana, tempore suo iussu Dei resurgant, & naturam incorruptibilem induant.

Theophilus Antiochenus. 170.

Libro 1. ad Autolycum: Deus suscitabit carnem tuam, eamque vnà cum anima immortalitate donabit. Tunc igitur, si nunc fidem habueris, immortalitate amictus, Deum conspicabere: tunc scies & senties, quia impio ore contra ipsum es in hac vita locutus. Si nunc parum credis mortuorum resurrectionem, tunc nolens volens credere cogeris.

Athenagoras. 180.

De mortuorum resurrectione: Atque vires Dei sufficere ad corporum restitutionem indicat vel ipsorum procreatio. Si enim corpora, cùm non essent, condidit, eorumque principia, vnde originem trahunt, procreauit, etiam quomodocunque dissoluta, cum eadem facilitate instaurabit: id enim illi æquè possibile est. Neque inde hæc ratio labascet, siue ex materia originem rerum deducant, siue ex elementis, vt principijs omnium, corpora constituant, siue ex semine. Cuius enim est potestatis à sua conditione informem materiam transformare, nullaque figura indutam, multis & diuersis vultibus exornare, & partes elementorum in vnum cogere, & semen, quod vnum est, & simplex, in multa diuidere, & quod inarticulatum est, articulis distinguere, & vitam dare rei inanimatæ: eiusdem quoque potestatis est, & quod dissipatum est, counire, & quod iacet, surrigere, & quod mortuum, denuò viuificare, & corruptibile mutare in incorruptibilitatem: eiusdem auctoris fuerit, & eiusdem potestatis & sapientiæ, id quod discerptum est à multitudine omnigenarum bestiarum, quotquot istiusmodi corpora inuadere solent, aut inde satietatem colligere, ab ipsis separare, rursusque adiungere suis membris & partibus: siue illa antea in vnam bestiam, siue in plures abscessêre, siue inde in alias atque alias abiêre, siue cum illis ipsis extabefacta, ad initiales origines rediêre, prout naturali putrefactione resolui solent.

Irenæus. 180.

Libro 2. cap. 51. Quia enim in corporibus perficiuntur

ciuntur ea, quæ sunt iustitiæ, manifestum est. Aut vniuersæ itaq; animæ necessariè succedent in medietatis locum, & iudicium nusquam: aut & corpora, quæ participauerunt iustitiæ, cum animabus, quæ similiter participauerunt, obtinebunt refrigerij locum. Siquidem potens est iustitia illuc transducere ea, quæ participauerunt ei, & verus, & firmus emerget de resurrectione corporum sermo, quem quidem credimus nos: quoniam & mortalia corpora nostra custodientia iustitiam resuscitans Deus, incorrupta & immortalia faciet. Deus enim melior est quàm natura, habens apud semetipsum velle, quoniam bonus est: & posse, quoniam potens est: & perficere, quoniam diues & perfectus est.

Cap. 62. Adimpleto numero, quem ipse (*Deus*) apud se ante definijt, omnes quicunque sunt descripti in vitam, resurgent, sua corpora & suas habentes animas, & suos spiritus, in quibus placuerunt Deo. Qui autem pœna sunt digni, abibunt in eam, & ipsi suas habentes animas, & sua corpora, in quibus abstiterunt à Dei bonitate: cessabunt vtrique iam generare, & generari, & ducere vxorem, & nubere.

Lib. 5. cap. 2. Quemadmodum lignum vitis depositum in terra, suo fructificat tempore: & granum tritici decidens in terram, & dissolutum, multiplex surgit per Spiritum Dei, qui continet omnia, quæ deinde per sapientiam in vsum hominibus veniunt, & percipientia verbum Dei, Eucharistia fiant, quod est corpus & sanguis Christi: sic & nostra corpora ex ea nutrita & reposita in terram, & resoluta in ea, resurgent in suo tempore, Verbo Dei resurrectionem eis donante, in gloriam Dei Patris. Qui huic mortali immortalitatem circundat, & corruptibili incorruptelam gratuitò donat.

Polycrates. 180.

Epistola ad Victorem: Hi omnes in die aduentus Domini, quo cum gloria & maiestate è cælis venturus est, & omnes sanctos excitaturus, denuo resurgent.

Fratres Lugdunenses & Viennenses. 200.

Epistola ad Fratres in Asia & Phrygia de Martyribus illius temporis, (extat apud Eusebium libro 5 capit. 1.) Martyrum corpora sex dies continuos sub dio iacentia, & maxima ignominia affecta, post autem ab impijs illis & facinorosis carnificibus exusta, inque cineres redacta, in Rhodanum fluuium, qui illic in proximo defluit, spargebantur, quò nullæ quidem illorum reliquiæ amplius super terram restarent. Ista eo consilio patrabant, quòd Deum se posse vincere, & illis regenerationem corporum prorsus eripere arbitrati sunt: quò ne vlla quidem (sic enim dicebant:) spes resurrectionis illis reliqua fieret: qua freti, inquiunt, non solùm peregrinam quandam, & nouam nobis induxerunt religionem, verùm etiam neglexerunt penitus tormenta, & prompto atque alacri animo ad mortem properârunt. Iam videamus, verum sint resurrecturi, & vtrum illorum Deus ipsos iuuare, & è manibus nostris eripere possit.

Hippolytus. 220.

Oratione de consummatione mundi: De resurrectione vniuersa, & de regno Sanctorum loquitur Da-
Dan. 12. niel: *Et multi dormientium excitabuntur è puluere terræ: hi in vitam æternam, illi in contumeliam & ignominiam æternam.* Esaias autem dicit: *Resurgent mortui,*
Esa. 26. *& excitabuntur qui sunt in monumentis ac lætabuntur habitantes in terra.* Dominus quoque noster ait:
Ioan. 5. *Multi in illa die audient vocem Filij Dei, & qui audierint viuent.* Tunc enim sonabit tuba, & excitabit dormientes è profundissimis terræ, tam iustos, quàm peccatores: omnisquè natura, lingua, gens, & tribus resurgent in ictu oculi, & astabunt super faciem terræ, expectantes iusti, atque terribilis iudicis aduentum, in timore & tremore inenarrabili.

Origenes. 230.

Lib. 2. de principijs cap. 10. Si confitentur etiam ipsi, quia resurrectio sit mortuorum, respondeant nobis quid est quod mortuum est? Nonne corpus? &c. Arbitror Apostolo Paulo dicente: *Quia seminatur corpus mortale, resurget spirituale,* istos negare non posse, quod corpus resurgat, vel quia in resurrectione corporibus vtamur. Quia ergo, si certum est, quod corporibus nobis vtendum sit, & corpora, quæ ceciderunt, resurgere prædicantur: Non enim propriè resurgere dicitur, nisi id quod ante ceciderit, nulli dubium est idcirco ea resurgere, vt his iterum ex resurrectione induamur. Alterum ergo hæret ex altero: Nam etiamsi resurgant corpora, sine dubio ad indumentum nostri resurgunt: & si necesse est nos esse in corporibus, non in alijs, quàm in nostris corporibus esse debemus. Quod si verum est, quòd resurgunt, dubium non est, quin abiecta corruptione, & deposita mortalitate, resurgere dicantur à mortuis: alioquin vanum videtur & superfluum resurgere quemquam à mortuis, vt iterum moriatur.

Lib. 3. cap. 6. Nos qui resurrectionem carnis credimus, immutationem eius tãtummodò per mortem factam intelligimus: substantiam verò eius certum est permanere, & voluntate Creatoris sui, certoquè tempore rursus reparari ad vitam, atque iterum permutationem eius fieri, vt quæ primò fuit caro ex terra terrena, tum deinde dissoluta per mortem, & iterum facta cinis & terra, rursum resuscitetur è terra, & post hoc iam velut meritum inhabitantis animæ poposcerit, in gloria corporis proficiet spiritalis.

Proclus. 250.

Sermone de Resurrectione: *Creauit*, inquit Sapientia, *Deus hominem ob incorruptibilitatem, & imaginem propriæ sempiternitatis fecit ipsam.* Non ergo perit corpus. Homo enim ex anima est, & corpore. Quapropter scias quòd Dominus eadem hæc docere vult, non credentibus Sadducæis in resurrectionem carnis. Hoc enim est dogma Sadducæorum. Vnde concinnata parabola de muliere & septem fratribus, vt sermonem de resurrectione carnis in dubium vocarent: *Accesserunt ad ipsum,* inquit, *Sadducæi dicentes resurrectionem non esse.* Christus igitur, si non esset resurrectio carnis, sed anima solum seruaretur, suffragatus esset ipsis, velut bene & rectè sentientibus. Nunc verò respondit dicens: *In resurrectione neque matrimonia contrahuntur, neque nuptui elocantur: sed sunt sicuti Angeli in cælo:* nõ quòd carnem non habent, sed quòd non matrimonium contrahunt: sed sunt de cetero in incorruptibilitate, & per hoc Angelis assimulatos dicit, vt quemadmodum Angeli in cælo, sic & nos in Paradiso, neque nuptijs aut conuiuio amplius vacantes, sed vt videamus Deum, & colamus, vitam gubernante nobis Christo, &c. Corporis est resurrectio, non animæ: neque enim stantem quis erigit, sed iacentem: quemadmodum neque sano medentur, sed ægroto. Si quis resurrectionem de anima, & non de carne futuram esse dicere nititur, multa est huius stultitia & temeritas. Dico enim corruptionem primùm, & solutionem animæ talem ostendere, quo ostendat etiam resurrectionem non sanè nugantem, sed palam dicentem aliquid apparere. Attamen dandum est hoc ab ipso, vt mortalem animam decernat. Alterum enim ex duobus concedendum est, aut vera Dominum pronuntiasse, cùm animam immortalem docuit: & falsum esse, dicere ipsam corrumpi: aut corrũpi, & falsum esse, docere Christũ ipsam immortalem,

& interitus exortem, tum in sermone de diuite & paupere, cum in Mosis & Heliæ visione. At nihil aliàs Dominus locutus est, aut ementitus. Non enim spectrum, aut visum ostendit discipulis in monte Heliam & Mosen, quo ipsos deciperet, sed id quod erant circa falsitatem, quare indocilis etiam, vt ita dicam, discere potest immortalem & interitus exortem animam ipsam affirmasse. Igitur carnis resurrectio fit, non animæ.

Athanasius. 340.

In Symbolo: Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: & reddituri sunt de factis proprijs rationem.

In vita Antonij Confido in Domino: quia necessariò resurrectionis tempore hoc corpusculum resurget incorruptum.

Quæst. 15. Quomodo corpus suum agnoscet anima in resurrectione, vt non ingrediatur in corpus aliquod alienum? *Resp.* Et hoc est naturæ consentaneum. Quemadmodum enim agni à matribus vespere separati, & manè rursus admissi, rectà singuli ad matrem suam sua natura trahuntur, sic etiam cum animabus in resurrectione futurum esse sentiendum est.

Basilius Magnus. 370.

Homilia in Psal. 114. In resurrectione nec mas, nec fœmina erit: sed vna quædam omnibus ac vniformis vita ratio his, qui sua complacent Domino, & habitant in regione viuorum.

Epist. 65. Quemadmodum mors in carne per Adam ad nos transmissa, à diuinitate absorpta est: sic & peccatum insumptum iustitia Christi. Quare nos in resurrectione carnem sumemus neque morti subditam, neque peccato obnoxiam.

Macarius Ægyptius. 370.

Homilia 5. Quemadmodum arbores transacta hyeme, ex vi interiore illas fouente, virtute etiam solis & ventorum, producunt & emittunt folia, flores & fructus tanquam indumenta. Similiter & herbarum flores illo tempore è penetralibus & sinu terræ, & progrediuntur, & ita tegitur & circumornatur terra, & gramen, veluti lilia, de quibus Dominus inquit: *Quoniam nec Salomon in* Matt. 6. *omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis, &c.* Ad eundem ferè modum, omnes Dei amantes animæ (hoc est, veri Christiani) habent pro primo mense ξανθικόν, qui dicitur Aprilis: qui quidem est dies resurrectionis, in quo (per virtutem Solis iustitię) emergit gloria Spiritus sancti, quæ intus latebat & fouebat corpora Sanctorum: quam quidem gloriam intus occultam in anima habebant, quoniam illud, quod modò habent, cum emerget extra corpus. Exod. 12 Ille, inquam, *mensis primus inter menses anni.* ille gaudium parit vniuersæ creaturæ: ille terram aperiens, nudas arbores circumtegit: ille omnibus animalibus lætitiæ præbet occasionem: ille suauitate cuncta perfundit: ille denique Christianorum est primus mensis dictus Aprilis, Grecè ξανθικὸς, quod tempus est resurrectionis, in quo gloria illustrabuntur corpora illorum, beneficio luminis arcani iam nunc in ipsis latentis: hoc est virtutis Spiritus sancti: qui quidem erit illis tunc pro indumento, cibo, potu, exultatione, lætitia, pace, ornamento, & vita æterna.

Homilia 11. Quemadmodum enim ignis, qui Hierosolymis subseruiebat altari, tempore captiuitatis defossus erat in foueam: & idem, inita pace, reuersisquè captiuis, quasi renouabatur, & pro more seruiebat: ita corpus hoc, modò nobis familiare (quod vbi dissolutum est, vertitur in lutum) restituitur & renouatur ab igne cælesti, qui suscitat corpora corrupta. Siquidem ignis, qui nunc intus latet in corde, tum patefit, & suscitat corpora.

Homil. 15. An in resurrectione omnia membra resurgent? *Respon.* Omnia Deo sunt per facilia: sic itaque futurum promisit ille, licet infirmitati & cogitationi humanæ videatur hoc tanquam impossibile. Vt enim Deus è puluere ac terra sumens, aliam quandam naturam condidit: nempe naturam corporis, terræ dissimilem, & multa genera creauit, veluti pilos, pellem, ossa, & neruos. Et sicut acus in ignem proiecta, mutato colore vertitur in ignem: non tamen planè deleta est natura ferri, sed subsistit: ita in resurrectione resurgunt omnia membra, *nec* (vt scriptum est) *perit capillus*, lucida redduntur omnia membra, & lumine ac igne tinguntur: mutantur quidem, at non (vt quidam aiunt) resoluuntur, aut in ignem euadunt, vt vltra non subsistat natura. Petrus enim, Petrus est: & Paulus, Paulus: ac Philippus, Philippus permanet: quisque in sua propria natura & subsistentia spiritu repletus. Quòd si asseras, resolutam esse naturam: iam non Petrus aut Paulus: sed prorsus & vbique Deus: nec qui abeunt in Gehennam, supplicium sentiunt, nec qui migrant in regnum cælorũ, beneficentiam experiuntur. Verbi gratia: quemadmodum si hortum varijs arboribus fructiferis consitum, vbi erat pyrus, pomus, & vitis habens fructum & folia, mutari contingat, similiter & vniuersas arbores ac folia, & in aliam naturam conuerti, prioraqúe illa euadere lucida, sic etiam homines in resurrectione mutantur, & fiunt membra eorum sancta & perlucida.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 18. Magna est Ecclesiæ Catholicæ admonitio, fides de Resurrectione, & doctrina valde necessaria: cui quidem multi contradicunt: à veritate verò factum est, vt illi fides habeatur. Contradicunt Græci, non credunt Samaritæ, detrahunt hæretici: multiplex est enim contradictio, sed simplex veritas. Et dicunt ad nos tam Græci, quàm Samaritæ: Occidit homo, & mortuus computruit, & totus in vermes resolutus est, atque ij vermes quoque interierunt: putrefactio tanta & corruptio corpus excepit, quomodo igitur resurgit? Nauigatores à piscibus deuorati sunt, & ipsi quoque comesti sunt: eos, qui cum bestijs pugnârunt, vt si & leones vnà cum ossibus comminuêrunt, &c. Non pro tua imbecillitate Deum arguas impotentiæ, sed potius illius potentiæ assentiare, &c. Qui ex nihilo nos fecit Deus, nunquid iam existentes, & cadentes, rursus excitare non poterit? Si non credis his, quæ de resurrectione scripta sunt, gentilis existens: ex rerum natura id perspice, & ex his, quæ ad hodiernum vsque diem apparent, intellige. Seminatur frumentum, vel fortè aliud genus seminis, cadens moritur, & quasi putrescit, fitqúe omninò ineptum ad cibum: sed mox illud putridum, fit herbidum, & exile cadens, surgit pulchrum. Frumentum autem fit propter nos, & propter vsum nostrum factum est: neque enim frumenta & semina sunt propter seipsa. Si ergo ista, quæ propter nos nascuntur, mortua reuiuiscunt, nos verò, quorum causa & illa nata sunt, an mortui non excitabimur? Brumale nunc tempus, vt vides: arbores nunc tanquam mortuæ: vbi enim folia ficus? vbi botri vitis? Sed hæc quidem hyeme mortua. Vere autem virentia apparent: & cùm tempus aduenerit, tunc veluti à mortificatione redditur viuificatio. Videns enim Deus tuam incredulitatem in his, quæ videntur, singulis annis resurrectionem efficit: vt ea videns in rebus inanimatis, etiam de animatis rationalibus credas. Si muscæ quidem & apes, aqua suffocatæ, sæpe post tempus anni resurgunt, & serpentum genera hyeme immobilia sunt, æstate verò deinceps consurgunt, (facilè sanè quilibet intelli-

gens his similia dederit exempla) qui irrationabilibus & vilibus vitam præbet super naturam, nonne idem nobis (propter quos & illa fecit) viuificationem donabit? Sed cùm inquirunt Græci resurrectionem mortuorum, manifestius id esse volunt, atque dicunt: quamuis ista quidem excitentur, sed non omninò putresiunt: voluntque apertè videre animal putrefactum, & resurgens. Vidit Deus hanc hominum incredulitatem, auem quandam in hoc fabricatus est, quæ Phœnix appellatur. Hæc (vt scribit Clemens, & alij complures idem referunt) cùm sit vna tantùm auis, & sola, in terram Aegypti in spatio quingentorum annorum venire solet, atque demonstrare resurrectionem: non in locis desertis, ne mysterium id ignoretur: sed in aperta ciuitate consistit, vt contrectetur quod non creditur. Septum enim sibi facit è thure, & myrrha, cæterisquè aromatibus, & completis annis eò deuenit: moritur apertè, & putrescit: deinde ex putrefacta carne mortuæ vermis quidam generatur, & hic deinceps in auem efformatur. Non diffidias huic: nam & apum genera sic etiam ex vermibus formari vides, & ex ouis humidissimis pennas, & ossa, & venas auium vidisti. Phœnix sanè præfatus excrescens in auem, talis euolat in aërem, qualis & mortuus erat, apertissimè mortuorum resurrectionem demonstrans.

Epiphanius. 380.

In Ancorato: Vbi non dixit diuina Scriptura de resurrectione? Primùm sanguis Abel prædicat: post mortem enim adhuc loquitur. Dicit Scriptura, Enoch transpositus est, & non inueniebatur, & non vidit mortem. Complacuit Noë Deo, arcam construxit ex præcepto Dei, regenerationem sibi ipsi operans ac efficiens per propriam domum. Abraham senex acquirit filium, mortificato iam corpore: & ex mortuis Deus spem largitus est, maximè cum vterus Saræ emortuus esset, & quod inueteratum erat, & fermè ad deletionem peruenerat, iuxta consuetum mulierum morem, ipse videlicet resiccatus fons, rursus vim accipit ad seminis deiectionem, & annicula iuuencula fert partum, & Isaac à morte viuens patri traditus est. Deus enim, qui ex resurrectione mortuorum patri filium tradidit viuentem, spem prædicabat. Ioseph indicat hanc rem, non in secundo loco ponens ossium spem, curam enim habebat talium, non velut pereuntium, sed quæ rursus reuictura essent, & præcipiebat ea afferri ex Aegyptiorum regione. Non frustra Ioseph hoc significabat: *Comportate mihi ossa*, dicens: *visitatione enim visitabit vos Dominus.* Si non spes fuisset resurrectionis, qualis esset ossium cura, vt de corruptibilibus ossibus præciperent iusti? Prima vox ad Mosen est testimonium Dei: *Ego Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob*, qui in mundo quidem mortui sunt, apud me autem viuunt.

Ephræm. 380.

Libro de Pœnitentia cap. 4. Quomodo sustinebimus, cum audierimus tubæ vocem de cælo nimio cum metu resonantem, omnesque à seculo defunctos iustos & iniustos, bonos & malos, pios atque impios excitantem? Tunc omnia ex tumulis humanæ conditionis ossa, vbi vox tubæ resonuerit, exilient, atque discurrent, artus suos iuncturasquè cum festinatione requirentia: cùm viderimus omne hominum genus resurgere, quemlibet ex loco suo, congregari q; ad iudicium. Cælestis nempe regis iussu terra suos mortuos reddet, mare ibidem suos, & quidquid humanorum corporum vel bestia rapuit, vel vorauit piscis, ausue discerpsit, in priorem statum remanebit, omnesq; de ictu oculi resurgent, & ante tribunal stabunt, ita vt ne vnus quidem capillus capiti desit.

Sermone de Resurrectione. Restituet terra corpus hominis quale suscepit, siue id à fera discerptum, siue ab aue comestum, aut à quouis animante deuoratum fuerit, ne vnus quidem capillus hominis in conspectu iudicis deerit. Namque diuinæ voluntatis imperio incorruptionem imitantur omnes corpusque incorruptum recipient singuli. Cæterum iustorum corpora septuplum supra solis fulgebunt radios: peccatorum verò tenebrosa inuenientur, & fœtore plena.

Gregorius Nyssenus. 380.

De hominis opificio cap. 25. Lazarus vna voce vitam recuperans, fidem doctrinæ de resurrectione conciliat: vt iam sit expectandum vniuersè, quod certis in partibus experientia verum esse docuit. Nam & Apostolus memoriæ prodidit, eo tempore, quo instaurabitur vniuersitas rerum, Dominum ipsum quadam quasi cum militari conclamatione, per vocem diuinorum nuntiorum principis, ac tubæ clangorem mortuos ad conditionem interitus expertem suscitaturum: sic nunc etiam Lazarus tumulo conditus, ad vocem imperiumq; Domini mortem instar somni excutiens, & putrefactione, quæ mortuum continuò occupauerat, abiecta, integer & incolumis de sepulchro prodijt. 1. Thes. 4

Homilia 1. in Cantica: Ostendit sanctorum vitam, quæ speratur in resurrectione, per impatibilitatem effectus par Angelis. Quomodo enim post resurrectionem, corpus quidem in id transmutatum, in quod non cadit, interitus, coniungitur animæ hominis: quæ autem nunc per carnem nobis molestiam exhibent animi perturbationes, non consistent in illis corporibus: sed pacificus quidam status vitam nostram excipiet, prudentia carnis non amplius seditionem exercente aduersus animam: neque bello intestino per motus affectionum repugnante legi mentis, & tanquam captiuam peccato victam adducente animam, sed ab omnibus eiusmodi tunc pura erit natura: & amborum vna erit prudentia, carnis, inquam, & spiritus, omni corporali affectione deleta ex natura.

Oratione 3. de Resurrectione: Sublata resurrectione vnus apud omnes obtinens sermo reperietur: *Edamus, & bibamus, cras enim moriemur.* Ad hunc (*resurrectionis*) diem respiciens Apostolus, temporariã vitam contemnit, & futuram desiderat & affectat: extenuans autem ea, quæ videntur. *Si in hac*, inquit, *vita spem posuimus, maximè omnium hominum miserabiliores sumus.* Propter hanc diem homines hæredes Dei & cohæredes Christi existunt: propter hunc diem pars corporis, quam ante mille annos carniuoræ aues comederint, integra reperietur, & quam vel canes, vel cetea cæteraque animalia marina deuorauerint, vnà cum homine suscitato resurget: quinetiam quod ignis concremauerit, quod vermis in sepulchris absumpserit: &, vt rem in summam conferam, omnia denique corpora, quotquot post generationem corruptio aboleuerit, & è medio sustulerit, integra nullaque sui parte carentia reddentur è terra: &, vt Paulus docet, in momento oculi perficietur resurrectio. Ictus autem seu momentum oculi clausio palpebrarum est. Atq; hac velocitate nulla res alia celerior esse possit: neque humano more pro captu tuo reputans descripseris in animo tuo quot sint temporum interualla, primùm vt ossa putrefacta, & in terram redacta, in pristinam duritiem & leuitatem compingantur: vnita verò ex ipsa fractione rursus in aptam & conuenientem compagem, & naturalem coëant iuncturam & commissuram: neque verò deinde animaduerteris carnium obductionem & 1. Cor. 15.

nervo-

neruorum productas coniunctiones, venarum arteriarumque tenues & exiles ductus, & quasi alueos sub cute explicatos animarum inenarrabilium & innumerabilium multitudinem ex arcanis quibusdam habitationibus euolantem, earumque vnamquamque suum corpus tanquam vestem peculiarem agnoscentem, & in hoc rursus celeriter inhabitantem, certoque discrimine vtentem in tanta multitudine spirituum generis eiusdem. Cogita enim ab Adam animas, & ab illo vsque corpora, tot numero domibus solutis ac desertis, patribusque familias ex longa quasi peregrinatione reuertentibus, eaque omnia perfici admirabiliter, & extra communem captum.

Ioannes Chrysostomus. 400.

In Psalm. 48. Hæc enim mors non perdit corpus, sed consumit interitum. Substantia enim manet, & resurgit cum maiori & ampliori gloria, sed non omnium. Resurrectio enim est omnium communis: resurrectio autem cum gloria, est communis eorum qui recte vixerunt.

In Psalm. 111. *Misericors, & miserator, & iustus est Dominus Deus, &c.* Si est autem misericors, & eos, qui peccant, dignos venia esse censet: multo magis eos, qui se rectè gerunt, non relinquet incoronatos, postquam hinc excesserint. Sed & si hic non reddat, omnino illic reddet. Deinde subiungit etiam *iustus*, significans quod iustus sit, vt est, reddet vnicuique secundùm merita, etiamsi hic non reddat: quod est vel maximum argumentum futuræ resurrectionis. Quando enim multi ex his, qui sunt virtute præditi, cernuntur mala multa perpessi, & improbi impunè & securè viuere: vbinam recipiet vnusquisque pro meritis, si non sit futura resurrectio, & alia vita, iudicium, & remuneratio?

Homil. 2. de Resurrectione: Quo pacto autem potest resurgere corpus, fieriqúe corruptionis immune? At cùm Dei potentia operatur, quo pacto non fiemet? Sed quid de eo inquam? Teipsum fecit Deus, vt resurrectionis esses opifex, id quod patet in seminibus, artibus, materijsque metallorum. Etenim semina, nisi prius moriantur, & putrescant, & corrumpantur, non pariunt aristam. Sicut igitur qui videt ibi granum quod corrumpitur & dissoluitur, non dubitat de resurrectione, sed certissimam demonstrationem facit. Nam si ita maneret, & non corrumperetur, vel dissolueretur, certum quòd nunquam resurgeret. Sic cogita & de corpore tuo, cum vides corruptionem, tunc potissimum de resurrectione philosophare. Nam mors nihil aliud est, quam plena corruptionis consumptio. Neque enim mors simpliciter corpus, sed corruptionem corporis absumit, &c. Homo enim non est anima sola, sed corpus & anima. Si ergo anima sola resurget, dimidium animal resurget, & ita non integrum. Sed & de anima non propriè dicitur resurrectio. Resurrectio enim eius est quod cecidit, & quod dissolutum est. Anima autem dissoluitur, sed corpus. Quid ergo id est, quod ait? *Siquidem & induti, non nudi inueniamur?* Sacramentum magnum & ineffabile nobis ibi adumbratur. Quale autem hoc? nempe id quod & in epist. ad Corinthios dicit. *Omnes quidem resurgemus, vnusquisque autem in suo ordine.* Quid autem est, quod hic dicitur? hoc videlicet, quòd Græcus, & Iudæus, & hæreticus, & omnis homo, qui venit in hunc mundum, in hac nostra resurrectione erit: & hoc est quod manifestat, dicens: *Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur, in atomo, in momento oculi, in illa vltima tuba.* Quia ergo communis est omnibus resurrectio, & pijs, & impijs, & bonis hominibus, vt ne putes iniustum quoddam fieri iudicium, neque dicas ad teipsum, Quidnam hoc est? ego, qui multo studio & labore, & in miseria vixi, resurgo, & Græcus, & impius, & idololatra, & qui ignorat Christum, etiam ipse resurgit, & simili honore mecum fruitur. Vt ne talia dicens conturberis, audi quid dicit: *Siquidem induti, non nudi inueniamur.* Et quomodo dicit, qui indutus est incorruptionem & immortalitatem, vt inueniatur nudus? Videlicet si gloria priuamur, & fiducia ad Deum destituimur. Etenim peccatorum quoque corpora incorruptibilia resurgunt, & immortalia: sed hic honor fomentum & viaticum ipsis erunt supplициorum & vltionis: incorruptibilia enim resurgunt, vt semper vrantur. Nam cùm ille ignis sit inextinguibilis, opus est illis corporibus, quæ & ipsa nunquam consumantur. Ea propter dicit: *Siquidem & induti, non nudi inueniamur, &c.*

1. Cor. 15

In 1. ad Corinth. cap. 15. Homil. 41. Non alia seminatur essentia, alia autem resurgit, sed eadem melior, &c. Quid sibi vult quoque figura Ionæ? Non enim alius quidem fuit deuoratus, alius autem in terram eiectus Ionas, &c. Quid ergo dicit: *Non corpus quod futurum est seminas?* Hoc est, non spicam: est enim eadem, & non eadem. Eadem quidem, quoniam eadem est essentia: non eadem autem, quoniam hæc est melior, eadem quidem manente essentia, maiori autem facta specie ac decore: quoniam nisi hoc esset, ne esset quidem resurrectio, nisi esset melius resurrectura.

Homil. 8. in 1. Thessal. 4. cap. Primi resurgunt qui excesserunt, & sic simul fiet occursus. Abel, qui ante omnes decessit, tunc simul ibit obuiam cum omnibus. Quamobrem in hoc alijs nihilo erunt superiores. Sed qui interijt, qui tot annos fuit in terra, cum illo ibit obuiam, & omnes alij, &c. In momento enim fit resurrectio, in ictu oculi. Quod autem dicitur, quòd congregantur, vbique quidem resurgunt, congregantur autem ab Angelis. Atque illud quidem est Dei potentiæ iubentis terræ vt dimittat depositum, nec est vllus, qui inseruiat, sicut tunc vocauit Lazarum, *Lazare veni foras.* Adducere autem, & congregare est ministrorum.

Homil. 5. ad 2. Timoth. cap. 2. Si iam resurrectio facta est, (*vt dicunt Hymenæus & Alexander,*) non modò hoc afficimur detrimento, quòd magna illa priuamur gloria, verùm & iudicij metus excluditur. Quippe si resurrectio facta est, meritorum quoque retributio tollitur. Gratis itaque iusti pressuras doloresque tolerârunt. At id ita falsum est, vt contrà penitus, hac etiam in vita & boni spe sua nutriantur, & æternæ felicitatis percipiant gustum, sereno semper tranquilloque animo perseuerantes: & mali conscientiæ suæ flagellis exagitati, quod semper passuri sunt, hic iam incipiant pati.

Ioannes Cassianus. 429.

Lib. 5. de Incarnatione cap. 7 Resurrectionem quasi generationem Scriptura nominat: quia sicut generatio vitam creat, ita resurrectio generat ad vitam. Vnde etiam resurrectio ipsa regeneratio nuncupatur, secundùm illud Domini testimonium: *Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.*

Eudoxia Imperatrix. 430.

In Homerocentonibus de Resurrectione:

Sed agite vt ego dixero pareamus omnes.
Sic enim edicam, hoc autem & perfectum erit.
Quique mortui sunt, & in inferni domibus,
Rursus resurgent sub tenebris ad ossis,
Omnes collecti, & iuuenes, & senes.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib. 3. cap. 26. in Esaiam: Prorsus a omninò reuiuiscent mortui, & mortis imperium in totum abolebitur. Verùm cùm tempus, quo resurrectio futura est, nondum adest, natura hominis interim subcidit, eo quòd moriendum est, & mortem olim in Christo debilitatam, & in nobis quoque

quę ipsis futuram debilem, tempore suo perferre.

Libro 1. in Ioannem cap. 9. Non modò enim illicò fideles (*animæ*) à corporibus non euolant, verùm etiam resurrectionis professione, ac fide immortaliter se victuras cum corporibus credunt.

Lib. 2. in Ioannem cap. 145. *Quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei.* Nam qui à nihilo cuncta produxit, quomodo non poterit quę semel producta sunt, ab interitu ad vitam rursus reuocare? Eiusdem certè verumque, ac immensæ potestatis est. Processuros autem vtilissimè de monumentis subiecit, peccatores quidem in supplicia sempiterna, istos verò contra in vitam æternam.

Lib. 4. in Ioan. cap. 12. Nonne qui Christi etiam fidem non susceperunt, ac ipsius corporis participes facti non sunt, resurrectionis tempore reuiuiscent? Nonne vniuersum humanum genus, quod in mortem cecidit, ad vitam recurret? Omnino ita futurum respondebimus: resurgent enim mortui, &c. Sed *qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ,* (vt scribitur) *qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.*

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 1. epist. 284. Cùm Deus ex nihilo ea, quæ vult, in ortum producere queat: multò magis ea, quæ iam corpora orta sunt, atque in terram redierunt, innouare poterit. Quòd autē futura sit, & quonam pacto futura sit resurrectio, & eorū, quæ seminantur, arcanū te docebit, & stirpium omnium motus hyeme morientium, & vere ad vitam redeuntium.

Lib. 3. epist. 77. Spiritualia futura esse in resurrectione corpora duabus his de causis à D. Paulo dictum est: altera, quia leuia, & ætherea, atque ab omni perpessione & grauitate libera futura sunt: altera, quia diuino duntaxat spiritui cessura sunt. Nunc enim, quamuis ipse adsit, eorum tamen, quæ geruntur, arbitrium anima obtinet: tunc autem spiritus potius vasa & conceptacula erunt. Neque enim ipsa solùm, sed etiam anima spiritualis erit, vtpote cuncta ex illius legibus & pręscriptis agens. Quòd si quis de peccatorum corporibus quærat, illud dicemus, quòd iuxta priorem expositionem leuia & ætherea erunt: vel quia ab igne quidem excruciabuntur, sed non absumentur: vel quia, etiamsi peccare velint, minimè poterunt.

Theodoretus. 450.

Ad cap. 4. prioris ad Thessal. Adeò citò & celeriter, & in momento temporis, omnes, qui mortui sunt, resurgent, vt eos, qui illo tempore adhuc erunt superstites, præueniant, & eant obuiam Seruatori vniuersorum.

In cap. 2. epist. ad Hebræos: Deus Sermo homo factus mortis potentiam dissoluit & perfregit: ea autem fracta & dissoluta, resurrectionem nobis pollicitus est: resurrectioni autem adiuncta est à corruptione ac interitu remotio & immortalitas: incorruptionem autem assequentur etiam ea, quę videntur.

Dialogo 3. Non sine anima corpus resurrectionem assequitur: sed diuina voluntate renouatum, & coniugi coniunctum, vitam recipit.

Titus Bostrorum Episcopus. 460.

Ad cap. 2. Lucæ: Christus totum suum corpus ita conseruauit, vt resurrectionis tempore nihil eorum omnium, quæ ad perfecti corporis constitutionem deposcuntur, omnino desideratum fuerit: adeoqúe, vt integer, omnisqúe prorsus vitij, etiam quod ad hanc partem attinet, expers è mortuis in vitam redierit. Nam & nos quoque communis resurrectionis momento, corpus nostrum integrum, omniqúe ex parte perfectum recipiemus.

Victor Antiochenus. 460.

Ad Marc. cap. 12. Quia homines post carnis resurrectionem in multitudinem amplius non diffundentur: sed Angelorum more integri perpetuò incorruptiqúe persistent, propterea nuptialis societas & communicatio nulla post hanc vitam & reliqua erit, &c. Quemadmodum enim Angelorum multitudo, tametsi ingens, per generationem nō est multiplicata, neque vnquam multiplicabitur: sed tantùm per creationem: ita quoque exuscitatorum hominum multitudo felici illi seculo per generationem amplius non propagabitur.

Basilius Seleucius. 460.

Orat. 2. de Lazari resuscitatione, agens contra nimium super suos defunctos luctum: O quanta hæc cum insania sunt coniuncta? An non Pagani, qui hæc cernunt & audiunt, cachinno nos excipient? An non religionem nostram fabulam esse credent? An nō nullam omnino posthac carnis resurrectionem superesse dicent? an non quæcunque Christiani homines ea de re tradunt, meras esse nugas, merasqúe imposturas, & hominum commenta asserent?

Nemesius. 480.

Lib. de natura hominis cap. 1. Est hoc in homine proprium & eximium, quòd in omni genere animantium eius vnius corpus à morte excitatur in vitam, & ad immortalitatem contendit.

Andreas Cæsareensis. 500.

In Apocal. cap. 61. Duæ sunt resurrectiones. Prima resurrectio est viuificatio ex operibus mortuis: secunda est ex corporum corruptione in incorruptionem transmutatio.

Olympiodorus. 500.

In cap. 12. Ecclesiastis: Sicut hydrea iuxta fontem attrita, aqua non perit, nec euanescit, sed in fontem suum reuertitur, rursumqúe cùm quis voluerit, aquam haurire poterit de fonte: ita & corpus, quod in elementa resoluitur, in fontem suum, terram videlicet ipsam, redit, paratum iterum in membra componi, quando auctor ille voluerit, qui illud ab initio plasmauit.

Procopius. 530.

Ad cap. 9. Genes. Hic est sensus: Si ab feris fueritis deuorati, &c. ex ipsa vos conquiram terra, & instaurabo deperditam hominis naturam. Infra quoque meminit vniuersalis resurrectionis in colloquio Abrahami cum Deo. Idem extat in Numerorum libro, vbi inquit: *Dimissus est Aaron, & appositus, vel additus ad suos Patres.* Nam additio est, cum res subsistens ad subsistentem additur. Et iterum ibidem: *In extremis diebus,* &c. quibus verbis quasi ex professo dierum huius seculi consummationem demonstrat. Nam Mosi, qui omnibus admirationi est, pio & iusto quid profuisset illa intima cum Deo familiaritas, si, cùm tot iactatus sit tribulationum procellis, nulla potiretur felicitate, imò ne esset quidem amplius? Huc applicetur ille locus Exodi: *Si non ueniam das populo, qui adorauit vitulum aureum, me expunge libro vitæ.* Sed quis erat ille liber à Deo scriptus, & in quem relatus erat Moses? Non dices fuisse tabulas Mosis, quas tandem ipse præ indignatione furiata mente confregit. Liber Dei, qui continet electos, manet integer & incolumis. Euincunt resurrectionem & sequentia scilicet, sanguis Abeli clamitans ad Deum: Enochi translatio, quæ sanè apertissimè resurrectionis negotium confirmat. Huc accedit, quòd vestimenta populi Israelitici non attrita sunt in solitudine 40. annis, nec eorum pedes consumpti sunt. Hæc omnia sunt quasi symbola resurrectionis, & nos erudiunt, vt credamus mortuorum fore aliquando resurrectionem, & pios in tuto collocandos.

Ad Esaiæ cap. 26. Dormitio Sanctorum mors appellatur: at erit eius resurrectionis causa ros ille tuus, id est, à te effusum Verbum illud vnigenitum, quod viuificas guttas in proprios mortuos instillans, eadem opera & eorum, quæ humanitus admiso-

miterunt, medelam adferet, & eorum, qui in terram dispersi sunt, resurrectionem corporum largitur: non aliter, quàm solet ros ille oculis subiectus, quem paulatim cælo demissum commissa terræ semina nutrire & augere videmus. Qualia de impijs dici certè non possunt. Cadet enim etiam ipsorum terra, ideoqúe tanquam Deo exciderint cum animabus ipsis & corporibus pœnas esse luituros significauit.

Æneas Gazæus. 530.

In Theophrast. Axith? Rectè quidem hæc dicis illam (*animam*) sine corpore sentire dolores vllos posse. Sed corpus suum ipsius repetet, quo iam antea publicè atque in conspectu hominum est vsa: idq; tunc fiet, cùm definitum iudicij tempus postularit, &c. *Theophrastus*: An ergo terrenum hoc corpus resuscitatum iri putas? at id miraculi simile fuerit: quandoquidem diffluxit, & dispersum est: & aliud quidem à piscibus laniatum, aliud autem ab auibus discerptum est: eaqúe animalia deinceps ab alijs capta, sic absumpta sunt, vt ne vestigium quidem humani corporis vllum amplius existat, &c. *Axith.* Dic mihi, est ne corpus humanum simplex, an compositum? *Theoph.* Omninò compositum. *Axith.* Quibus igitur ex partibus compositum putas? ex quatuor dices. *Theoph.* Elementis, inquam. *Axith.* Iam verò si id quod compositum est, dissoluitur: an non in res eas redit, ex quibus compositum fuit? *Theophrastus.* Omninò. *Axith.* An igitur non humanum corpus, & piscis, & auis, & fera in elementa recurrunt: & vnumquodque in id, ex quo collectum fuerat, redit? *Theoph.* Omnino. *Axith.* Iam si elementa conseruantur, & vnà corporis nostri causa conseruatur: consequens est fore, vt omnia, cùm supremus Opifex vocârit, vndecunque colligantur. Etenim si principio parua quædam, eaqúe informis atque humida materia, totum hominem concepit: non mirabor ipse amplius, si totius hominis corpus in elementa disseminatum, non amplius aut malus, sed priori par reddiderit. Vidi ego grandem, pulchram, amplam, vmbrosam vitem: quæ meas ipsius ædes ornabat, non ab vllo vinitore plantata, neque ab vllo surculo nutrita: sed eam mihi quidam acinus in fundum lapsus totam porrexit. Vbi igitur truncus seu ramus ille latitauit? Vbi tot folia? itemq; fructus vbi delituit? &c. Phœnix auis fertur in quingentos annos vitam producere: tum deinde mortua, totaqúe consumpta reuiuiscere. Succurrit etiam ingens animalium copia, quæ ex aliorum animantium interitu generatur. Sed horum nihil Theophrastus admiratur, solumq; hominis corpus reuiuiscere & admirandum & credendum opinatur: qui tamen Atheniensibus indigenas sese esse dicentibus fidem habet. Sed naturam hanc ad credendum adeò difficilem, Conditor eo ipso iam antea sustulit, quòd tanta miracula huic ipsi affinia dedit, vt illud deinceps incredibile videri nequaquam possit: Etenim telluri mandat, vt multas producat & plantas & bestias, ipso interea ad vberiorem partum innumera semina præparans, vt ne nouum ei videatur hoc deinceps imperium. Nam si viua atque animata corpora dederit, non erit deinceps nouum quicquam, si hæc eadem hominum corpora solum reddat.

Isychius Hierosolymitanus. 580.

Lib. 2. in Leuiticum cap. 7. Quicquid tertius inuenerit dies, ignis absumat, per diem tertium, futurum indicans seculum, in ipso quippe generalis est mortuorum resurrectio, quam designat tertij diei facta resurrectio Domini, quæ manè peruenit.

Libro 6. cap. 23. Prædicat Saluatoris resurrectionem, quæ memoriale est communis mortuorum resurrectionis, quæ in voce tubarum magnarum & terribilem efficitur; in iussu Dominico, in voce Archangeli, in tuba Dei, sicut Paulus docuit.

Sophronius Hierosolymitanus. 620.

Epist. ad Sergium Constantinop. Nam & carnis resurrectionem exquirimur confiteri, ad salutarem baptismum accedentes.

Georgius Pisides. 640.

De mundi opificio:

Et factor ille corporis, quære manus
Coniiciet ipsum patre & aggestione sola,
Seu pristinam pelle induat substantiam,
Seu marcido vel flaccido corpusculo
Immortalitatis donet exilem togam?

Ioannes Damascenus. 730.

Libro 4. Orthodoxæ fidei cap. 28. Porrò mortuorũ etiam resurrectionem credimus. Erit enim profectò, erit, inquam, mortuorum resurrectio. Resurrectionem autem dicentes, corporum resurrectionem intelligimus. Resurrectio enim nihil aliud est, quàm secunda eius, quod occidit, erectio. Animæ enim, cùm immortalitate præditæ sint; quo tandem pacto resurgent? Nam cum mortem ita definiant, vt sit animæ à corpore disiunctio, non dubium est, quin resurrectio sit iterata animæ & corporis coniunctio, ac secunda dissoluti, ac collapsi animantis excitatio. Ex quo efficitur; vt illud ipsum met corpus, quod interit ac dissoluitur, tandem interitus expers ad vitam rediturum sit. Neque enim ea imbecillitate est is; qui è terræ puluere primùm illud condidit; vt dissolutum postea, atque in terram, ex qua sumptum fuerat, iuxta opificis sententiam reuersum, rursus ad vitam reuocare nequeat. Nam si non est resurrectio, comedamus, & bibamus, ac iucundam, omnibusq; delicijs confertam vitam consectemur. Si non est resurrectio, non est Deus, nec prouidentia: verùm omnia casu temerè aguntur, & feruntur. Ecce enim plurimos iustos homines cernimus; qui egeant, & iniuria afficiantur, neque vlla in hac vita ope subleuentur: peccatores contra & flagitiosos opibus, atque omni deliciarum genere circumfluentes. Ecquis autem mente præditus hoc æqui iudicij, aut sapientiæ ac prudentiæ esse existimet? Erit igitur resurrectio. Nam cùm Deus iustitiæ laude præstet, ijs quoque, qui eum patienti animo expectant, mercedem persoluet. Ac si quidem anima sola in virtutis palæstra decertauit, sola quoque coronam obtinebit, & si sola in voluptatum cœno sese volutauit, sola quoque meritò pœnas luet. At cùm nec substantiam inter se discretam habuerint, nec anima vel virtutem, vel vitium sine corpore coluerit; meritò proinde ambo simul aut præmijs, aut pœnis afficientur. Quin diuina quoque Scriptura corporum resurrectionem testatur, &c. At dicet aliquis: Qui fieri potest, vt mortui reuiuiscant? O insignem infidelitatem! ô miram amentiam! qui puluerem in corpus sola voluntate commutauit, qui exiguam materiæ, hoc est, seminis guttam in vtero amplificari, variumqúe hoc, & multiplex corporis organum efficere iussit, an non multo magis id quod factum est, et defluxit, cùm voluerit, excitabit? stolide homo, si ea est obduratio tua, vt te Dei verbis fidem adhibere minimè sinat, operibus saltem crede.

Elias Cretensis. 786.

Ad Orat. 16. Nazianzeni: Ad quos illud primùm dicendum est, quòd quæ apud homines impossibilia sunt, possibilia sunt apud Deum. Nam alioqui, si humanis rationibus innitamur, ne resurrectionem quidem contitebimur. Quo enim pacto corpus, quod defluxit, ac fortasse à fera, aut alioqui pisce deuoratum est, idqúe varijs modis, in extremo die in idem colligi poterit? Et tamen ineffabili Dei potentia & colligetur, & resurget, & quælibet anima suum corpus agnoscet.

Nicephorus Constantinopolitanus. 800.

Epist. ad Leonem III. Surrexit Christus & Deus, mortem pessundans, vniuersæq; carni ad resurrectionem viam patefaciens, & nos, qui peccati casu in mortem concideramus, vnà secum quodammodo suscitans, &c. Credo, posteaquam mundus hic fuerit innouatus, & quodammodo transelementatus, & carnis quoque resurrectionem futuram, quò nimirum nostrum mortale hæc induat immortalitatem, & corruptibile incorruptionem.

Basilius Imp. 860.

In exhortationibus cap. 4. Ea ratione incorruptibilem esse mundum admittens, confitere etiam rediuiuam mortuorum suscitationem, & iustam expecta iudicationem, omniumque, quæ quisque in vita sua gesserit.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 12. Marci: Erit resurrectio, & non corporalis, sed diuinor quidam vitæ status, Angelicus videlicet. Incorruptibiles enim erimus, & ijdem qui sumus manentes, propter eaq; tollentur etiam nuptiæ. Nunc enim nuptiæ propter corruptionem fiunt, vt successione generis durantes homines non intereant: tunc autem sicut Angeli absque nuptiali successione illi ipsi erunt, & nunquam deficient: sic & qui resurgunt sine nuptijs permanent, nunquam imminuendi, &c. Resurrectio est eius quod ceciderat surrectio. Immortalis autem anima non cecidit, sed corpus hoc: itaque & resurget iterum, coniugali animæ complicitum.

Ad cap. 24. Lucæ: Corpus, quod nunc habemus, animale est, hoc est, ab anima regitur, & à naturalibus, & animalibus qualitatibus ac viribus viuificatur. Quod autem post resurrectionem habebimus, spiritale nominauit Paulus, hoc est, quod à diuino spiritu viuificetur & gubernetur, modoq; indicibili & spirituali ad incorruptionem alteratum fit, & in ea conseruatum. Tale igitur oportet intelligere Domini corpus post resurrectionem spirituale, & subtile, & alienum ab omni crassitudine, neq; cibi, neq; alterius cuiusquam indigens: quamuis ad confirmationem illorum comederit. Quod enim comedit (*Christus*) non secundùm naturam comedit, sed secundùm dispensationem, ad docendum, quòd illud ipsum corpus, quod passum est, surrexerit.

Ad cap. 6. Ioannis: Duplex est resurrectio: Vna quidem communis & generalis, qua omnes etiam peccatores resurgunt: altera, qua soli iusti assumuntur in occursum Domini in aëra, & prius cum magna fiducia Domino occurrunt. Hanc autem resurrectionem Paulus ἐξανάστασιν, hoc est, resurrectionē nominat, propter eleuationem à terra. Peccatores enim resurgent quidem ex sepulchris in terram, de terra autem non exurgent in aërem. Infra enim manebunt sicut condemnati. At ita iusti resurgunt & exurgunt, qui rapiuntur in nubibus, in occursum Domini in aëra. Peccatores autem resurgunt tantùm.

Ad 1. Cor. cap. 15. Primitiæ, adeoq; via resurrectionis Christus est: post ipsum igitur, qui ad eum pertinent, hoc est, fideles, & probati in ipso, primi resurgent, illo ex cælis veniente, &c. Est enim par, vt iusti priuilegio quopiam gaudeant, in resurgendo. Cùm enim rapiendi sint in aëra in occursum Domini, præ alijs excitantur. Nam peccatores infra expectant iudicem, ceu condemnati. Deinde omnium rerum consummatio erit, ipsiusq; adeò resurrectionis, ceu omnibus in commune vniuersim excitatis, &c. Vt ne audiens aliquis, quòd caro & sanguis regni Dei hæreditatem non adeant: & rursus quòd mortui resurgent incorruptibiles, existimet ipsa corpora non resurgere, quod nunc ex carne & sanguine constent, infert (*Paulus*) Resurgent, inquiens, quidem corpora, sed non quæ caro & sanguis sint, sed quæ in incorporabilitatem sint transformata. Obserua autem verba hæc aduersus eos, qui dicunt, quòd non eadem corpora resurgant, sed alia. Corruptibile enim hoc, inquit, & mortale hoc, non aliud, sed hoc, cum demonstratione. Itaque corpus quidem idem manet: ipsum enim est quod induitur: mortalitas autem & corruptibilitas aboletur, & euanescit, immortalitate, & incorruptibilitate ipsum continente, & amplectente.

In 1. Thess. cap. 4. Iussio Dei faciet reddere terram corpora ad immortalitatem transformata: vt verò omnes in vnum colligantur per diuersa loca dispersi, vox Archangeli efficiet, Angelis administrantibus.

Simeon Metaphrastes. 950.

In commentario septem Adolescentum, qui Ephesi obdormierunt cap. 11. Erant, qui dicerent, mortuis hominibus consolationem nullam futuram. Alij affirmabant corpus vetustate consumptum, ipsum quidem consolationem nullam habiturum, sed solam animam immortalis vitæ participem futuram. Eiusmodi homines, vanis opinionibus sic decepti, errabant, neque animaduertebant infantem puerum nunquam in ventre matris fuisse sine carne, neque carnem è vulua exisse, sine anima vitali. Item mentis oculos claudentes, sacras literas non considerabant, in quibus scriptum est: *Audient qui sunt in monumentis vocem filij hominis, & viuent.* Et a- Ioan. 5.
lio loco: *Et multi de eis, qui dormiunt in terræ puluere,* Dan. 12.
euigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium Cùm illud etiam in eis scriptum inueniatur: *Ecce ego aperiam sepulchra vestra, & educam vos de sepul-* Ezec. 37.
chris vestris popule meus. Hæc sunt diuinarum literarum testimonia. Sed hæretici homines à recta vitæ semita deuiantes aberrabant, & fidei synceritatem obliquis suarum animarum cogitationibus peruertebant.

Oecumenius. 1050.

In 1. ad Corinth. cap. 15. Id quod tu seminas, & sepulchro quodammodo occultas & mortificas, Deus resuscitat, & dat suum corpus, cùm iam putrefactum esset ac dissolutum, datq; sicut voluit, nempe decentius ac pulchrius: nonne ergo illud, quod ipsemet propria sententia in terram ac sepulchrum iussit reponi, ac mori, facilius ipsi erit rursum viuificare & resuscitare cùm voluerit ac decreuerit?

In 1. ad Thessal. cap. 4. *Omnes quidem resurgent, sed non omnes adducentur.* Nam adduci significat raptū & inductionem vndique in nubibus cum honore ad iudicem. Etenim credentes, & qui hoc nomen in nullo fucatum habent, in nubibus obuiā Christo rapientur: increduli verò deorsum expectabunt ipsum venientem, indigni qui occurrant.

Euthymius. 1080.

In Psal. 1. *Ideo non resurgent impij in iudicio.* Vide exquisitum Spiritus loquendi modum non simpliciter dixit: *non resurgent*, sed apponit, *in iudicio:* resurgent quidem & impij, non vt iudicentur, vtpote qui iam iudicati sunt: *Qui non credit in me*, inquit, *iam iudicatus est*: sed vt supplicijs plectantur. Obseruandum est autem, quòd cùm Moyses de resurrectione nihil nobis manifestè tradiderit, primus eam Dauid apertius nos docere cœpit.

In cap. 5. Ioannis: *Quia veniet tempus, in quo omnes, &c.* Tempus dicit consummationis sæculi, & vniuersalis iudicij: eos autem, qui sunt in monumētis, dicit mortuos, quos simul omnes repente ac virtute arcana coaptabit voce sua, siue iussu, quo tunc per Archangelum clamabit.

Nicetas Choniates. 1200.

Lib. 4. Orthodoxæ fidei thesaur. 34. Quemadmodum Dominus, soluta mortis tyrannide, monumento

exilijt, discipulisq; astans, & ab ijsdem palpatus, carnem habere deprehensus est: ita & nos resurgemus, eiusq; tribunali cum eodem corpore atque anima eadem æstabimus, cum quibus & huius vitæ curriculum peregerimus. Origenes enim longum valeat cũ omnibus, qui ab illo stantes, animã corpore nudam iudicium subituram esse tradiderunt, tale hominis idolum ei adaptantes, quales ideæ sunt à Stoicis confictæ, quibus ea etiam, quæ in mundo videntur, creata fuisse docuerunt.

Nicephorus Callistus. 1300.

Libro 14. Histor. cap. 55. Synesius Platonicis sententijs seductus, resurrectionis doctrinam primùm minimè recepit, nefandam eam & detestandam esse iudicans. Et quamuis ea esset opinione, Ecclesia tamen, vt sacerdotij obiret munus, homini permisit, quæ hoc tum fecit, illa certa coniectura adducta, quòd propter reliquas eius virtutes, eum etiam aliquando tandem flexum, resurrectionis professionem comprobaturum, diuinamqúe gratiam rem illi tantam deesse, qui multis, magnisqúe primarijs donis eniteret, passuram non esse putarent. Neque illa opinione & spe sua falsa est: Paulò namque post resurrectionem & credidit, & professus est, certam hanc esse, maximeq; conuenire Ecclesiæ ipsi sententiam.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 2. Nunc resurrectione nobis à Deo donata, tanquam ex somno resurrecturi sumus, omnes homines, tam pij, quàm impij.

Gennadius Scholarius. 1450

De Sanctorum fruitione cap. 4. sect. 8. Ea verba beatus Paulus profert ob vniuersalem & generalem corporum resurrectionem, quam veluti Christiani omnes futuram esse credimus; quando autem id futurum sit, nobis non est cognitum: veruntamen secundùm sacrarum Scripturarum traditionem, in fine seculorum credimus hanc futuram esse, quando omnis humana natura resurget, & vnusquisque condigna suis operibus reportauerit, siue ea bona, siue mala fuerint.

Hieremias Constantinopolitanus. 1580.

Respon. 1. cap. 1. Resuscitabit vniuersam nostram naturam, ita vt animæ pristinis, cum quibus vixerant, coadunentur corporibus, vna ætate & statura, vt præmia persoluantur vitæ actæ, & incorruptibilia erunt corpora.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 250.

De Resurrectione carnis cap. 1. Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum: illam credentes sumus, hoc credere veritas cogit. Veritatem Deus aperit. Sed vulgus irridet, existimans nihil superesse post mortem.

Cap. 13. Si parum vniuersitas resurrectionem figurat, si nihil tale conditio signat, quia singula eius non tam mori, quàm desinere dicantur, nec redanimari, sed reformari existimentur, accipe plenissimum atque firmissimum huius spei specimen. Siquidem animalis est res, & vitæ obnoxia, & morti, illum dico alitem Orientis peculiarem, de singularitate famosum, de posteritate monstrosum: qui semetipsum libenter funerans, renouat, natali fine decedens atque succedens iterum Phœnix. Vbi iam nemo, iterum ipse: qui non iam, alius idem. Quid expressius atque signatius in hanc causam, aut cui alij rei tale documentum? Deus etiam
Psal. 91. Scripturis suis. *Et florebit enim, inquit, velut Phœnix,* id est, de morte, de funere: vti credas: de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse. Multis passeribus antistare nos Dominus pronuntiauit: si non & Phœnicibus, nihil magnum: sed homines semel interibunt, auibus Arabiæ de resurrectione securis.

Libro de iudicio Domini contra Marcionẽ cap. 5.

An Deus omnipotens, cuius sub lege reguntur
Omnia, non valeat post mortem reddere vitam?
Aut aliquid Dominus rerum non posse videtur?
Si potuit tenebris pulsis extendere lucem,
Atque omnem verbo subitò componere molem,
Omnia de nihilo quoque voce potente parare:
Cur non ex aliquo possit componere notam,
Quæ fuerat quondam, quam finxerat ante, figuram?
Assimilemq; sibi iubeat resurgere formam?
Cùm sint cuncta Dei, reddit magis omnia tellus:
Iussa retexet enim quidquid contexerat olim.
Si quem fortè rogus aboleuit flamma sepultum,
Aut aliquem cæcus disiecerit æquor in vndis,
Si cuiusq; fame saciarunt viscera pisces.
Aut fixere feræ crudelia funera membris,
Altibus iacuit raptato corpore sanguis,
Vltima non Domino rapient sua munera magno.
Apparere Deo viuos de morte necesse est,
Resumptiq; suis homines astare figuris, &c.

Minutius Felix. 230.

In Octauio: Quis tam stultus aut brutus est, vt audeat repugnare, hominem à Deo vt primùm potuisse fingi, ita posse denuò reformari? Nihil esse post obitum, & ante ortum nihil fuisse: sicut de nihilo nasci licuit, ita de nihilo licere reparari? Porrò difficilius est id, quod non sit, incipere, quàm id, quod fuerit, iterare. Tu perire & Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahitur? Corpus omne siue arescit in puluerem, siue in humorem soluitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis: sed Deo elementorum custodia reseruatur. Nec (vt creditis) vllum damnum sepulturæ timemus, sed veterem & meliorem consuetudinem humandi frequentamus. Vide adeò quàm in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur: sol demergit, & nascitur: astra labuntur, & redeunt: flores occidunt, & reuiuiscunt: post senium arbusta frondescunt: semina non nisi corrupta reuirescunt: ita corpus in seculo, vt arbores in hyberno, occultant virorem ariditate mentita. Quid festinas, vt cruda adhuc hyeme reuiuiscat & redeat, expectandum nobis etiam corporis ver est. Nec ignoro plerosque conscientia meritorum nihil se esse post mortem magis optare, quam credere: malunt enim extingui penitus, quàm ad supplicia reparari.

Cyprianus. 250.

De Cardinalibus Christi operibus, Sermone de Christi Resurrectione: Inerit resuscitatis corporibus nulli vanitati subiecta libertas, & quæ cogi non possit ad aliquid, in nullo laborans, iam à spe educta, reipsa perfruens, nulla expectatione suspensa, & in pace quietissima confirmata; omnisqúe expers formidinis, in spiritalibus delitijs iugis illa permansio reflorebit, &c. Resurrectio quidem communis est, & ante tribunal Christi necesse est in corpore iustos stare & impios, Dei hoc dictante iustitia, vt pietas & impietas in operatoribus debitis stipendijs donarentur, & qui finem habere contempserunt in malis, infinita clauderentur vltione in pœnis, & qui gloriati sunt in cruce, cum crucifixo regnantes, beatæ fierent perennitatis participes.

Zeno Veronensis. 260.

Sermon. de Resurrectione. Quisquis resurrectionẽ negat, vitam suammet ipse condemnat: cur enim mereatur felicitatem futuri temporis cernere, quẽ videas sacrilega incredulitate Dei potentiæ derogare? &c. Phœnix auis illa pretiosa resurrectionis euidenter nos edocet iura: quæ nobilitatem generis sui non à parentibus accipit: non liberis tradit: ipsa est sibi vterque sexus: ipsa omnis affectus: ipsa genus: ipsa finis, ipsa principium: non ex coitu nascitur, nec officio alieno nutritur, non inuita, non imprudens moritur, sed cùm maturum lethi tempus aduenerit, à semetipsa inuitatis sacris ignibus libentissimè concrematur: sepulchrum nidus est, illi fauillæ nutrices: cinis propagandi corporis semen: mors natalitius dies. Denique post momentum festo exultat in tumulo, non vmbra, sed veritas: non imago, sed Phœnix: non alia, sed quamuis melior alia, tamen prior ipsa, &c. Præterea granum vniuscuiusque frumenti conditum terræ interit: & tamen in eo id, quod intus est, reuiuiscit: nec mortem medullitus capit, sed suum sibi genitale in germen expirans, vetusti corporis superficie deleta, imò in melioris naturæ iura transmissa, felix caput comis virentibus redimitum, quasi ab inferis emersum in superna sustollit, perennitatis gloriam, fructu populoso tenturum. Hoc hactenus Paulo firmante: *Stulte tu, quod seminas non viuificatur, nisi mortuum fuerit.* Et subiecit dicens: *Sic & resurrectio mortuorum: seminatur in interitu, resurgit in perpetuitatem: seminatur in ignominiam, resurgit in gloriam: seminatur in infirmitatem, resurgit in virtutem: seminatur corpus animale, resurgit spirituale.*

Arnobius. 300.

Libro 2. contra Gentes: Audetis videre nos, quòd mortuorum dicamus resurrectionem futuram? quam quidem nos dicere confitemur, sed à vobis aliter, quàm audire sentiamus audiri. Quod in Politico idem Plato? Nonne cùm mundus occeperit ab occiduis partibus exoriri, & in cardinem vergere, qui orientis est solis, rursus erupturos homines telluris è gremio scribit, senes, canos, decrepitos, & cùm anni cœperint accedere longiores, per eosdem gradus, quibus hodie nascitur, ad incunabula infantiæ desituros?

Lactantius. 310.

Libro 7. diuinarum instit. cap. 22. Deus veniet, vt orbe hoc ab omni labe purgato, rediuiuas iustorũ animas corporibus innouatis, ad sempiternam beatitudinem suscitet.

Cap. 23. Non renascentur, quod fieri non potest, sed resurgent, & à Deo corporibus induentur, & prioris vitæ, factorumq; omnium memores erunt & in bonis cælestibus collocatæ, ac fruentes iucunditate innumerabilium copiarum præsenti Deo gratias agent: quòd malum omne deleuerit, quòd eos ad regnum vitamqúe perpetuam suscitarit, &c. Quòd si non modò Prophetæ, sed etiam vates, & Poëtæ, & Philosophi anastasin mortuorum futuram esse consentiunt, nemo quærat à nobis quemadmodum fieri possit: nec enim diuinorum operum reddi potest ratio, sed si à principio Deus hominem nescio quo inenarrabili modo instituit, credamus ab eodem restitui veterem posse, qui nouum fecit.

Hilarius. 350.

In Psalm. 2. Prout enim ei (*Deo*) placet, & conspectu eius dignum est, confracta reparabit, non ex alia aliqua, sed ex veteri atque ipsa originis suæ materie speciem illis complaciti sibi decoris impartiens: vt corruptibilium corporum in incorruptionis gloriam resurrectio, non interitu naturam perimat, sed qualitatem conditione demutet. Non enim aliud corpus, quamuis in aliud resurget, Apostolo dicente: *Seminatur incorruptelam, resurget in incorruptionem: seminatur in ignominiam, resurget in gloriam: seminatur in infirmitatem, resurget in virtutem: seminatur corpus animale, resurget spirituale.* Fit ergo demutatio, sed non affertur abolitio. Et cùm id, quod fuit, in id, quod non fuit, surgit: non amisit originem, sed profecit ad honorem. 1.Cor.15

In Psal. 55. Neque enim resurrecturis omnibus ab exteriore materia corpus acquiritur, neque peregrinæ originis, externarumque causarum natura recipitur: sed idipsum in profectum æternæ claritatis emergit, fitq; in eo demutatione potius, quàm creatione quod nouum fit.

Ambrosius. 370.

Oratione de fide Resurrectionis: Tribus euidentibus colligitur resurrectionis fides, &c. ratione vniuersitatis, exemplo, testimonio rei gestæ, quia plurimi surrexerunt. Ratio euidens est, quia cum omnis vitæ nostræ vsus in corporis animæqúe cõsortio sit, resurrectio autem aut boni actus præmium habeat, aut pœnam improbi, necesse sit corpus resurgere, cuius actus expenditur. Quomodo enim in iudicium vocabitur anima sine corpore, cùm de suo & corporis contubernio ratio præstanda sit? Resurrectio omnibus erit, sed ideo difficile creditur, quia non nostrum meritum, sed Dei munus est. Prima igitur resurrectionis fides vsus est mundi, rerumqúe status omnium, generationum series, successionum vices, obitus ortusqúe signorum, diei & noctis occasus, eorumqúe quotidie tanquam rediuiua successio, &c. *Et hoc mortale oportet induere immortalitatem, & hoc corruptibile induere incorruptionem.* Flos resurrectionis immortalitas est: flos resurrectionis incorruptio est. Quid enim vberius quiete perpetua? quid locupletius securitate diuturna? Hic est multiplex fructus, cuius prouentus pullulat fœcundior hominum naturam post mortem. Sed miraris quemadmodũ putrefacta solidentur, dispersa coëant, absumpta reparentur: non miraris quemadmodum semina vapore & compressu terræ soluta viridescant? &c. Sequitur illud, quod gentiles plerumque perturbat, quomodo fieri possit, vt quos mare absorbuerit, feræ dilacerauerint, bestiæ deuorauerint, terra restituat? Quò ita demum veniatur necesse est, vt non fide resurrectionis, sed de parte dubitetur. Esto enim vt laceratorum corpora non resurgant, resurgunt cæteri: nec resurrectio destruitur, si conditio excipitur. Miror tamen, cur vel de his dubitandum putent, quasi non omnia, quæ ex terris sunt, in terram redeant, & in terram resoluantur. Mare quoque ipsum quæcunque corpora humana demerserit, vicinis expuit vnda plerunq; littoribus. Quod ni ita esset, difficilè credo Deo foret dispersa connectere, dissipata sociare, cui mundus obtemperat, muta obsequuntur elementa, seruit natura: quasi non maioris miraculi sit limum animare, quàm iungere? Auis in regione Arabiæ, cui nomẽ est Phœnix, rediuiuo suæ carnis humore reparabilis, cùm mortua fuerit reuiuiscit. Solos nõ credimus homines resuscitari? Atqui hoc relatione crebra, & Scripturarum auctoritate cognouimus, memoratam auem quingentorum annorum spatia vitali vsui habere præscripta, eamq; cùm sibi finem vitæ adesse præsaga quadam naturæ suæ æstimatione cognouerit, thecam sibi de thure, & myrrha, & cæteris odoribus adornare, completoqúe opere pariter ac tempore intrare illam, atque emori, ex cuius humore oriri vermem, paulatimqúe eum in auis eiusdem figuram concrescere, vsumqúe formari, subnixam quoque remigio pennarum renouatæ vitæ officia munere pietatis ordiri, &c. Si terra renouatur & cælum, cur

dubi-

dubitemus hominem posse renouari, propter quem terra facta & cælum est? Si præuaricator seruatur ad pœnam, cur iustus non perpetuatur ad gloriam? Si vermis non moritur peccatorum, quemadmodum interibit caro iustorum? Hæc est enim resurrectio, sicut verbi ipsius sono exprimitur, vt quod cecidit, hoc resurgat: quod mortuum fuerit, reuiuiscat. Et hæc est series & causa iustitiæ, vt quoniam corporis animique communis est actus, quæ animus cogitauit, corpus effecit: vtrumque in iudicium veniat, vtrumque aut pœnæ dedatur, aut gloriæ reseruetur.

In 1. ad Corinth. cap. 15. Quamuis ergo generalem tribuerit resurrectionem, vt *sicut in Adam omnes*, siue iusti, siue iniusti, *moriuntur; ita & in Christo omnes*, tam credentes, quàm diffidentes, *resurgant*, licet ad pœnam: increduli tamen viuificari videntur, quia corpora sua recipient, iam non morituri, sed passuri pœnam in eis sine fine, quod credere noluerunt.

Prudentius. 380.

Hymno 3. ante cibum:

Viscera mortua quin etiam
Post obitum reparare datur,
Eque suis iterum tumulis
Prisca renascitur effigies,
Puluereo coeunte situ.
Credo equidem, neque vana fides,
Corpora viuere more animæ:
Nam modò corporeum memini
De Phlegethonte gradu facili
Ad superos remeasse Deum.

Hymno 10. ad exequias defunctorum:

Nam quòd requiescere corpus
Vacuum sine mente videmus,
Spatium breue restat, vt alti
Repetat collegia sensus.
Venient citò secula, cùm iam
Socius calor ossa reuisat,
Animataque sanguine viuo
Habitacula pristina gestet.
Quæ pigra cadauera pridem
Tumulis putrefacta iacebant,
Volucres rapientur in auras,
Animas comitata priores.
Hinc maxima cura sepulchris
Impenditur, hinc resolutos
Honor vltimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.

Contra Marcionem, qui tantùm animam, non corpus simul suscitatum iri nugabatur:

Nosco meum in Christo corpus consurgere: quid me
Desperare iubes? veniam quibus ille reuenit
Calcata de morte viis, quod credimus, hoc est,
Et totus veniam, nec enim minor, aut alius, quàm
Nunc sum, restituar: vultus, vigor, & color idem,
Qui modò viuit, erit: nec me vel dente, vel vngue
Fraudatum remouet patefacti fossa sepulchri.
Qui iubet, vt redeam, non reddet debile quicquam.
Nam si debilitas redit, instauratio non est.
Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit,
Quod truncauit edax senium populante veterno,
Omne reuertenti reparata in membra redibit.
Debet enim mors victa fidem, ne fraude sepulchri
Reddat curtum aliquid: quamuis iam curta vorarit
Corpora, debilitas tamen & violentia morbi
Virtus mortis erat, reddet quod particulatim
Sorbuerat, quocunque modo, ne mortuus omnis
Non redeat, si quid pleno de corpore desit.
Pellite corde metum mea membra, & credite vosmet
Cum Christo reditura Deo, nam vos gerit ille,
Et secum reuocat, morbos ridete minaces,
Inflictos casus contemnite, tetra sepulchra
Despuite, exurgens quò Christus prouocat, ite.

Libro 2. contra Symmachum:

Quin & corporibus paribus consortia pœnæ
Decernam, possum quoniam renouare fauillas
Antiquam in faciem, nec desperanda potestas,
Qui potui formare nouum, reparabo peremptum.
Non desunt exempla meæ virtutis, in ipsis
Seminibus natura docet reuirescere cuncta
Post obitum: siccantur enim pereunte vigore
Quo vixère prius, tunc sicca & mortua sulcis
Aut foueis mandata latent, & more sepulchri
Obruta de tumulis rediuiuo germine surgunt.
Nunquid nosse potes, vel conjectare, quis istud
Tam solers opifex struat? aut qua vi agat intus?
Ne vos, ô miseri, Physicorum dogmata fallant.
En ego gignendi Dominus, ac restituendi
Quod periit, siue itque, potens, siccissima quæque
In veteres formas, aut flore, aut fronde reduco.
Idque ipsum quandoque homini facturus, inani
Surgat vt ex cinere, structuraque pristina constet,
Quæ mihi pro meritis vel per tormenta rependat
Crimina, vel summæ virtutis in arce coruscet,
Non peritura dehinc quacunque in sorte manebit.

Hieronymus. 390.

Epist. 61. ad Pammachium aduersus errores Ioannis Hierosolymitani, qui Origenem secutus, corporis quidem resurrectionem futuram confitebatur, sed non item carnis, & eorundem membrorum cap. 7. Audit resurrecturos non in peregrinis alienisque corporibus, quæ assumuntur in phantasmate: sed sicut surrexit Dominus corpore, quod apud nos in sancto sepulchro conditum iacuit: ita & nos in ipsis corporibus, quibus nunc circundamur, & sepelimur, in die iudicij resurrecturos.

Cap. 9. In Symbolo fidei & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum non scribitur in charta & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus, post confessionem Trinitatis, & vnitatem Ecclesiæ, omne Christiani dogmatis sacramentum carnis resurrectione concluditur. Et tu in tantum in corporis, & iterum corporis, & tertiò corporis, & vsque nouies corporis, vel sermone, vel numero immoraris: nec semel nominas carnem, quod illi semper nominant carnem, corpus verò tacent.

Cap. 10. Rursum ait: *Circundabor pelle mea:* Vbi hic corpus æthereum? vbi aëreum, & spiritui & auræ simile? certè vbi pellis & caro, vbi ossa, & nerui, & sanguis, & venæ, ibi carnis structura, ibi sexus proprietas. *Et in carne*, inquit, *mea videbo Deum.* Quando omnis caro videbit salutare Dei, id est, Iesum Deum, tunc & ego videbo Redemptorem, & Saluatorem, & Deum meum: videbo autem in ista carne, quæ me nunc cruciat, quæ nunc præ dolore distillat, &c. *Quem visurus sum ego ipse &c.* Is si non in sexu suo resurrecturus est, si non eisdem membris, quæ iacuêre in stercore; si nôn eosdem oculos aperiat ad videndum Deum, quibus tunc videbat vermiculos: vbi erit ergo Iob?

Cap. 11. Ego liberè dicam, &c. fidem Ecclesiæ apertissimè confitebor. Resurrectionis veritas Catholicæ, sine carne & ossibus, sine sanguine & membris intelligi non potest. Vbi caro, & ossa, & sanguis, & membra sunt, ibi necesse est vt sexus diuersitas sit: vbi sexus diuersitas est, ibi Ioannes Ioannes, Maria Maria, &c. Mea rusticitas sic credit, & sic intelligit sexum confiteri sine sexuum operibus, homines resurgere, & sic eos Angelis adæquari. Nec statim superflua videbitur membrorum resurrectio, quæ caritura sint officio suo, cùm adhuc in hac vita positi, nitamur opera non im-

plere membrorum, &c. Quid potentiam Dei calumniaris? qui potest de medulla illa, & de seminario vestro interiori, non carnes tantùm de carnibus, sed corpus educere, & aliud ex alio facere, & de aqua, id est, de vilitate carnium, pretiosa & aërei corporis vina mutare, potest vtique eadem potentia, qua de nihilo cuncta fabricatus est, reddere quæ fuerunt: quia multò minus est, restituere quod fuerit, quàm facere quod non fuit. Miraris, si de infantibus & senibus in perfecti viri ætatem resurrectio fiat: cùm de limo terræ, absque vllis ætatum incrementis, consummatus homo factus sit?

Cap. 12. Resurrectionem carnis, omniumque membrorum si velim probare, & ad singula testimonia explanationes adiungere, multis libris opus erit, &c.

Augustinus. 400.

In Enchiridio ad Laurentium cap. 84. Resurrecturam carnem omnium quicunque nati sunt hominum atque nascentur, & mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet Christianus.

Cap. 86. Ex quo incipit homo viuere, ex illo vtique iam mori potest. Mortuus verò, vbicunque illi mors potuit euenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat mortuorum, reperire non possum.

Cap. 87. Neque enim & monstra quæ nascuntur & viuunt, quamlibet citò moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita resurrectura credenda sunt, ac non potius correcta emendataque natura.

Cap. 88. Non perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro: sed in quemlibet puluerem cineremve soluatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quamcunque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcunque animalium etiam hominum cibum cedat, carnemque mutetur, illi animæ humanæ in puncto temporis reddit, quæ illam primitus vt homo fieret, cresceret, viueret, animauit.

Cap. 90. Indecorum aliquid ibi non erit, sed quicquid futurum est, hoc decebit, quia nec futurum est, si non decebit.

Cap. 91. Resurgent Sanctorum corpora sine vllo vitio, sine vlla deformitate, sicut sine vlla corruptione, onere, difficultate, &c. Quantum attinet ad corruptionem, quæ nunc aggrauat animam, & ad vitia, quibus caro aduersus spiritum concupiscit, tunc non erit caro, sed corpus, &c. Quantum autem attinet ad substantiam, etiam tunc caro erit. Propter quod & post resurrectionem corpus Christi caro appellatum est. Sed ideo ait Apostolus: *Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale*: quoniam tanta erit tunc concordia carnis & spiritus, viuificante spiritu sine sustentaculi alicuius indigentia subditam carnem, vt nihil nobis repugnet ex nobis, sed sicut foris neminem, ita nec intus nos ipsos patiamur inimicos.

Libro 22. *de Ciuitate Dei cap.* 14. Infantes non in ea resurrecturi sunt corporis exiguitate, qua mortui. Sed quod eis tardius accessurum erat tempore, hoc sunt illo Dei opere miro atque celerrimo recepturi.

Cap. 15. Restat ergo, vt suam recipiat quisque mensuram, quam vel habuit in iuuentute, etiamsi senex est mortuus: vel fuerat habiturus, si ante est defunctus. Atque illud, quod commemorauit Apostolus de mensura ætatis plenitudinis Christi, &c. si de resurrectione corporum dictum est, sic accipiamus dictum, vt nec vltra, nec infra iuuenilem formam resurgant corpora mortuorum: sed in ea ætate & robore, vsque ad quem Christum hîc peruenisse cognouimus. Circa triginta quippe annos definierunt esse etiam seculi huius doctissimi homines, iuuentutem.

Cap. 17. Mihi melius sapere videntur, qui vtrumque sexum resurrecturum esse non dubitant. Non enim libido ibi erit, quæ confusionis est causa, &c. Qui ergo vtrumque sexum instituit, vtrumque restituet.

Cap. 19. Nulla erit deformitas, quam facit incongruentia partium, vbi & quæ praua sunt corrigentur: & quod minus est, quàm decet, vnde Creator nouit, inde supplebitur: & quod plus est quam decet, materiæ seruata integritate, detrahetur. Coloris porrò suauitas quanta erit, vbi *Iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris sui*? Quæ claritas in Christi corpore, cùm resurrexit, ab oculis discipulorum potius abscondita fuisse, quàm defuisse credenda est. Non enim eam ferret humanus atque infirmus aspectus, quando ille à suis ita deberet attendi, vt posset agnosci.

Cap. 20. Nescio quo autem modo sic afficimur amore Martyrum beatorum, vt velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Christi nomine pertulerunt: & fortasse videbimus. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit. & quædam, quamuis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit: nec ideo tamen si aliqua Martyribus amputata, & ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum, quibus dictum est: *Capillus capitis vestri non peribit*. Sed si hoc decebit in illo nouo seculo, vt indicia gloriosorum vulnerum in illa immortali carne cernantur, vbi membra vt præciderentur, percussa, vel secta sunt, ibi cicatrices, sed tamen eisdem membris redditis, non perditis, apparebunt. Quamuis itaque omnia quæ acciderunt corpori vitia tunc non erunt: non sunt tamen deputanda vel appellanda vitia virtutis indicia. Absit autem, vt ad resuscitanda corpora, vitæque reddenda, non possit omnipotentia Creatoris omnia reuocare, quæ vel bestia, vel ignis absumpsit; vel in puluerem cineremve collapsum, vel in humorem solutum, vel in auras est exhalatum. Absit vt sinus vllus, secretumque naturæ ita recipiat aliquid subtractum sensibus nostris, vt omnium Creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat potestatem, &c. Etsi omnibus perijsset modis *caro humana*, nec vlla eius materies in vllis naturæ latebris remansisset, vnde vellet, eam repararet omnipotens. Luc. 21.

Ruffinus. 400.

In Apologia pro fide sua ad Anastasium: Carnis nostræ resurrectionem fatemur integrè & perfectè futuram: huius ipsius carnis nostræ, in qua nunc viuimus, non, vt quidam calumniantur, alterius pro hac resurrectionem dicimus: sed hanc ipsam nullo omnino eius membro amputato, vel aliqua corporis parte defecta, sed cui nihil omninò ex omni natura desit, nisi sola corruptio.

In expositione Symboli: Resurrectionis virtus Angelicum hominibus confert statum, vt qui de terra resurrexerunt, non iterum in terra cum pecudibus, sed in cælo cum Angelis viuant, &c. Sed infideles clamant, & dicunt: Quomodo potest caro, quæ putrefacta dissoluitur, aut in puluerem vertitur, maris etiam interdum profundo sorbetur, fluctibusque dispergitur, recolligi rursum, & reintegrari in vnum, & corpus ex ea hominis reparari? Ad quos primam iterum responsionem sermonibus Pauli faciamus, dicentis eis: *Insipiens tu, quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur: Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, vt puta tritici, aut alicuius cæterorum seminum: Deus autem dat illi corpus prout vult.* Quod autem in seminibus, quæ tu in terram iacis, per annos singulos 1. Cor. 15.

gulos fieri vides, hoc in tua carne, quæ lege Dei seminatur in terra, futurum esse non credis? Cur, quæso, tam angustus & inualidus diuinæ potentiæ æstimator es, vt dispersum vniuscuiusque carnis puluerem in suam rationem colligi & reparari posse non credas? &c. Vniuscuiusque carnis substantia, quamuis variè diuersèque dispersa sit, ratio tamen ipsa, quæ inest vnicuique carni, est immortalis: quia immortalis animæ caro est ex eo tempore, quo seminatis in terram corporibus primùm veri Dei voluntati arrisit, collectum terræ, attractumque substantiæ suæ sensum reddit, ac reparat in illam speciem, quam mors aliquando dissoluerat. Et ita fit, vt vnicuique animæ non confusum, aut extraneum corpus, sed suum, quod habuerat, reparetur: vt consequenter possit pro agonibus præsentis vitæ cum anima sua caro vel pudica coronari, vel impudica puniri.

Paulinus Nolanus. 410.

In Panegyrico de obitu Celsi:

Sed quærunt, quali reparetur mortuus omnis
Corpore, quoue modo fiat homo ex cinere.
Si non sufficiunt sacris signata Prophetis:
Muta fidem clamant, credite conspicuis.
Cernite nulla suum emergere semina campis,
Ni prius interea sint labe soluta putri.
Nuda seris, vestita legis: tacitis arida grana,
Atque eadem fructu multiplicata metis.
O peruersa fides, & diffidentia nobis:
Credere nos terris, & dubitare Deo! &c.
Quòd si terra potest corruptum reddere semen,
(Quod tamen æterni lege facit Domini,)
Diffisne omnipotentis opus fore creditur? vt nos
Ex nihilo factos, ex aliquo reparet?
Nullus eram, & faciente Deo sum natus vt essem,
Iam nunc de proprio semine rursus ero.
Nam licet in tenuem redigantur & ossa fauillam:
Corporis integri semina puluis habet.
Cumque etiam cineres vacuum terra sepulchris,
Cognato immixtos cespite sorbuerit:
Tunc quoque corporeis hominum vanescere visos
Luminibus, solidos continet omnipotens:
Inque die magno, quæ nunc absumpta putamus
Corpora, cernemus surgere tota Deo,
Nulla cui natura perit: quia quicquid vbique est,
Omne Creatoris clauditur in gremio.
Quos aqua fluminibus, pelagoque & piscibus hausit,
Quos volucres, & quos diripuêre feræ:
Cunctos terra Deo debet, quia quos aqua mersit
Littore, vel fundo, strata recepit humus:
Quæ licet vna, tamen non vno sumpta sepulchro
Sparsa locis laceri funeris ossa tegit.
Et quia consumptus simul & consumptor in vno
Telluris gremio morte ferente cadunt:
Siue per egeriem, qua sese animalia purgant,
Reddunt digestis membra vorata cibis:
Humanum corpus transfunditur ex alieno
Corpore, nec perdit vim proprij generis.
Sed licet è membris in humum transmissa ferinis
Membra hominum, viuo semine salua manent:
Et morienti feræ, cui fortè cadaueris esca
Humani fuerit, diuiditur ratio.
Namque animal rationis homo est, ideoque & in ipso
Rex alijs præstat corpore corporibus.
Inde licet possit mutis animalibus idem
Præda dari, tamen his sorte coire negat.
Sola resurgendi caro perceptura vigorem,
Quæ rationalis vas animæ fuerit:
Vt reducem terris animam, compage refecta,
Iam non lapsuro tegmine suscipiat.
Et velut hic omni mens & caro iungitur actu,
Sic & in æternam sint sociata diem:
Vt carpant socio gestorum præmia fructu,
Consortes meritis luce vel igne loci.
Propterea quamuis nos & spirantia cuncta
Vnam sortitis corpore materiam:
Non tamen in vacuum reuocamur morte soluti,
Exortes animæ carnis ab occiduo.
Sed clangente tuba, reddentibus vndique terris,
Nostra ex arcanis corpora seminibus:
Corpore, mente, anima, rursum in sua fœdera nexis,
Integri Dominum sistimur ante Deum.
Si dubitas cineres in corpora posse recogi,
Et fieri reduces in sua vasa animas:
Ezechiel tibi testis erit, cui prodita dudum
Tota resurgendi per Dominum facies, &c.
Cumque tuba signum Domini aduentantis ab alta
Sede Patris princeps Angelus ediderit:
Primi qui in Christo mortes obiêre resurgent,
Dignati occursum nubibus ire Deo.
Cumque omnes, in qua vixerunt carne, reuinent,
Non omnes verso corpore lumen erunt.
Namque resurgemus, sed non mutabimur omnes:
Hoc discrimen erit gentibus ante Deum,
Incorrupta prophanorum quoque corpora surgent,
Ac tumulis longo pabula supplicio,
Vita erit his sine fine mori, & mors viuere pœnis,
Et durante suas pascere carne cruces, &c.

Maximus Taurinensis. 430.

Sermone in explicatione Symboli: *Carnis resurrectionem.* Hic religionis nostræ finis, hæc summa credendi est. Et reuera quis credens Deo possit de resurrectione dubitare, cùm manifestum sit hanc solam Christo causam fuisse nascendi? Quæ enim alia ratio, quæue vtilitas erat, vt perpetuus carnem dignaretur assumere, nisi vt carnem perpetuitate donaret? Quæ gloria esset Dei Filium crucem non refugere, mortem expetere, perpeti sepulturam, nisi vitam mortalibus præstita resurrectione conferret? Posse autem hoc fieri, facit diuinitas fidem, cui totum, quod vult, posse subsistit. Denique vt indubitata resurgendi exempla capiamus, ipse hic mundus, amissa receptaque decoris sui specie, & occidit, & resurgit. Documentum nimirum futuræ resurrectionis accipimus, cùm commendata sulcis frumenta in stipulam suam redeunt, & renouatis frondibus spoliata gelu nemora reuirescunt: cuncta enim, quæ terra producit, aut semine, aut radice multiplicata redduntur.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 62. *Carnis resurrectionem.*) Hoc est totum fidei documentum: si carnem, quæ corrupta est, quæ putrefacta est, quæ perijt, per Deum resurgere, repaginari, redire posse credas, quem posse omnia, quando omnipotentem confessus es, tunc iurasti.

Sermone 118. Non solùm, fratres, sine causa credidit, sed & sine causa vixit, qui se ad hoc solum natum credidit, vt periret. Homo quid tibi oritur, quod non occidat? quid tibi quod occiderit non resurgit? Dies manè oritur, & iterum resurgit in manè: serò sepelitur in nocte, & iterum resurgit in manè. Sol quotidie nascitur, quotidie moritur: resurgit ipse quotidie: tempora dum transeunt, pereunt: dum redeunt, reuiuiscunt. Vnde homo si Deo non credis, si non acquiescis legi, si non consentis auditui, vel oculis tuis crede, vel elementis resurrectionem tuam tibi iugiter prædicantibus acquiesce. Certè si ista longè sunt inferiora, quæ in tuis manibus sunt, & de morte tuo opere suscitantur, te posse Dei opere doceant suscitari. Vade ad semen, Apostolo te docente: tolle triticum aridum sine sensu, sine motu: duc sulcum, fodi terram, fac sepulchrum, sepeli triticum, inspice quemadmodum morte deperit, humore turgescit, putredine corrumpitur: & cùm perue-

nerit ad totum, quicquid desperatio, quicquid incredulitas, quicquid corruptela tibi superius ingerebat: tunc subitò reuiuiscit in germine, in herba pubescit, iuuenescit in caule, maturescit in fruge, & ad illam totam ipsam, quam tu perijsse deflebas, speciem resurgit & formam.

Prosper Aquitanicus. 430.

De promissionibus & prædictionibus Dei dimidium temporis cap. 18. Hic illa absoluenda sese ingerit quæstio, quæ insipientium gentiliumque ore profertur, quomodo resurgant ij, quorum cadauera beluæ bestiæque comederint, ipsæque ab alijs bestijs, auibus, canibusque consumptæ sint: ignorantes omnia, quæ ex terra creata sunt, in eandem materiam resoluta recidere, ac facile esse potentiæ Creatoris, ex ea rursum reparare quæ fuerant, qui potuit inter cætera primum ex illa hominem formare, qui non erat. Si quem verò mouet, quòd impij in iudicio non resurgunt, intelligat non eos ad iudicium, sed ad pœnam resurgere, iuxta illam Domini sententiam: *Qui non credit, ait, iam iudicatus est.* Fatetur & Sibylla:

Sic anima cum carne aderunt, quas iudicat ipse.

Eucherius Lugdunensis. 450.

In Natali plurimorum Martyrum Homilia 2. In hoc, quòd eorum capillos numeratos esse dicit, totam hominis substantiam resurgere, & nihil de ea perire significat. Si omnes enim capilli numerati sunt, omnesque resurgent, quare & non toti resurgerent? Quis enim credat, vt capillus ex parte resurgat, & ex parte pereat? Sed fortasse inconueniens tibi esse videtur, vt tam longi capilli in homine resurgant. Necesse quidem est, vt totus homo resurgat, sed non est necesse, vt tota hominis substantia sua in ea parte resurgat, vbi prius in corpore fuerat. Sicut enim in vasis aureis & argenteis, cùm iterum conflantur, materia quidem tota seruatur, partium tamen positio non eadem seruatur: vt quod videlicet in fundo, vel in summitate prioris vasis fuerat, hoc in eisdem subsequentibus partibus fiat: ita & in homine substantia tota resurget, tota tamen in eisdem partibus necessariò non resurget. Ac per hoc nihil superfluum, nihil minus, nihil indecens, & inconueniens resurget in homine. Quod enim in alijs partibus superabundat, alijs partibus supplementum dabit.

Claudius Marius Victor. 460.

Lib. 1. in Genesim:

Haud aliter bustis mandata resurgere apertis
Corpora, cùm Christi cælo delapsa patenti
Maiestas grauida reserabit viscera terræ,
Exilient, Dominumque colent terraque poloque.
Nam quod non habuit, cùm sic è puluere vili
Humanam in formam cõpactum est corpus honoram,
Perfacilè est rursum integrum vt de puluere reddat,
Quod iam habuit multos calatum terra per annos.
Sic ex antiquis prodibunt iussa sepulchris
Corpora, quæque suas rursum assumentia partes.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 8. quæ est de verbis Apostoli 1. Cor. 4. *Cuius opus manserit, mercedem accipiet*, &c. Et ideo mutua vice incipiamus plus dominum amare, quam seruum, id est, plus factorem corporis, quàm corpus: plus dominam, quàm ancillam, id est, plus animam ad imaginem Dei factam, quàm carnem de limo terræ formatam: vt cùm die vltimo caro nostra putrescere cœperit in sepulchro, anima nostra in Abrahæ gremio Angelorum manibus eleuetur: & in die iudicij, recepto corpore per
Matt. 25 resurrectionem, audire mereamur: *Euge serue bone, intra in gaudium Domini tui.*

Gennadius Massiliensis. 480.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 6 Omnium hominum erit resurrectio. Si omnium erit, ergo omnes moriuntur, vt mors ab Adam ducta, omnibus filijs eius dominetur, & maneat illud priuilegium in Domino, quod de eo specialiter dicitur: *Non da-* Psal. 15.
bis sanctum tuum videre corruptionem. Eius enim caro non vidit corruptionem. Hanc rationem maxima Patrum turba tradente suscepimus. Verùm quia sunt & alij æquè Catholici & eruditi viri, qui credunt, anima in corpore manente, immutandos ad incorruptionem & immortalitatem eos, qui in aduentu Domini viui inueniendi sunt, & hoc eis reputari pro resurrectione ex mortuis, quòd mortalitatem immutatione deponant, non morte: quolibet quis acquiescat modo, non est hæreticus, nisi ex contentione hæreticus fiat. Sufficit enim in Ecclesiæ lege carnis resurrectionem credere futuram de morte.

Dracontius. 530.

Lib. 1. de opere 6. dierum:

Sed ne sit fixum, reditum non esse sepultis
Cordibus illorum, qui legis sancta profanant,
Annua conspiciant agro frumenta renasci
Mortua, per sulcos terram findentis aratri:
Maior & ex trunci surgit radicibus arbor,
Et folijs vestita viret, redeuntibus annis, &c.
Phœnici exactam renouat Deus igne iuuentam,
Combustusque senex tumulo, procedit adultus:
Consumens dat membra rogus, fine sorte sepulchri:
Ignibus extinctis iam mortua flamma resurgit,
Redditur ignis edax rediuiuo lumine candens,
Et scintilla vorax incendia vasta reducit,
Et quod fumus erat, stridet iubar ignis anheli, &c.
Tot simul exemplis moniti, defuncta renasci
Credamus virtute Dei, qua cuncta creauit,
Et generata vigent sub nutritore Tonante.

Cassiodorus. 540.

In Psalm. 1. Omnes resurgere fides Catholica confitetur, sicut dicit Apostolus: *Omnes re-* 1. Cor. 15
surgemus, sed non omnes immutabimur. Resurget enim iustus vt iudicetur, impius vt sine iudicio puniatur.

Primasius. 540.

Ad cap. 10. epist. ad Hebreos: In plenitudine fidei credamus resurrectionem generalem futuram, quasi diceret, quòd non debemus hæsitare omnes homines resurrecturos, sed quosdam ad gloriam, quosdam verò ad pœnam.

Fortunatus. 560.

In Symbolum Apostolorum: Summa perfectionis concluditur, & caro ipsa, quæ cadit, resurrectura erit, immortalis vt maneat. licet resurrectio à paganis, & à quibusdam non credatur. tamen Esaias dicit: *Surgent mortui, & suscitabuntur.* Nec hoc credentibus impossibile iudicetur: quia potuit hominem de terra componere, poterit hunc in Angelum transformare, & post hanc vitam temporalem vitam æternam tribuere.

Gregorius Turonensis. 580.

Lib. 10. Historiarum numero 13. Resurrectio sacris literis prædicatur, & Apostolicæ traditionis auctoritate firmatur. Tunc, vt in Apocalypsi est scriptum, *reddet mare mortuos suos.* Impij autem non resurgent vt iudicent, sed vt iudicentur. Denique Apostolus ait: *Omnes quidem resurgemus: Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.*

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 14. Moralium in Iob cap. 30. aliàs 28. Quid enim quotidie nisi resurrectionem nostram in elementis suis mundus imitatur? Per quotidiana quippe

momenta lux ipsa temporalis quasi moritur, dum superuenientibus noctis tenebris, ea, quæ aspiciebatur, subtrahitur: & quasi quotidie resurgit, dum lux ablata oculis, suppressa iterum nocte reparatur. Per momenta quoque temporum cernimus arbusta viriditatem foliorum amittere, à fructuum prolatione cessare, & ecce subitò, quasi ex arescenti ligno, velut quadam resurrectione veniente, videmus folia erumpere, fructus grandescere, & totam arborem rediuiuo decore vestiri. Indesinenter cernimus parua arborum semina terræ humoribus commendari, ex quibus non longè post aspicimus magna arbusta surgere, folia, pomaque proferre. Quid ergo mirum, si tenuissimum puluerem, vel à nostris oculis in elementis redactum, cùm vult, in hominem reformet, qui ex tenuissimis seminibus immensa arbusta redintegrat? Quia ergo rationales sumus conditi, spem resurrectionis nostræ ex ipsa debemus rerum specie & contemplatione colligere. Sed quia in nobis sensus torpuit rationis, accessit in exemplum gratia Redemptoris. Venit namque Conditor noster, suscepit mortem, & ostendit resurrectionem: vt qui resurrectionis spem ex ratione tenere noluimus, hâc ex eius adiutorio & exemplo teneremus, &c. Et quisquis resurrectionis virtutem in se fieri posse desperat, verba in gentilitate positi viri fidelis erubescat, & penset quanto pœnæ sit pondere feriendus, si adhuc non credit suam, qui iam resurrectionem Domini cognouit factam: si & ille suam credidit, qui adhuc Domini Iesu sperabat esse faciendam.

Cap. 31. al. 29. In illa resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem per effectum spiritalis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ, &c. In illa cælestis regni gloria caro secundùm naturam erit, sed secundùm passionum desideria non erit: quia deuicto mortis aculeo, in æterna incorruptione regnabit.

Cap. 33. aliàs 29. Si post resurrectionem corpus palpabile non erit, profectò alius surgit, quàm moritur: quod dictu nefas est credere, quia ego morior, & alius resurgat?

In Ezechielem lib. 2. Hom. 20. Triste nimis & valde lugubre est, quòd quosdam in Ecclesia stare, & de carnis resurrectione dubitare cognoscimus. Hanc autem antiqui Patres venturam esse certissimè crediderunt, etiam cùm nullum adhuc eiusdem resurrectionis exemplum tenuerunt. Qua igitur damnatione digni sunt, qui & exemplum iam Dominicæ resurrectionis acceperunt, & tamen adhuc de sua resurrectione diffidunt. Pignus tenent, & fidem non habent: Ecclesias replent, sed quia de resurrectione sua dubitant, mente vacua stant.

Isidorus Hispalensis. 620.

De officijs Eccles. lib. 2. cap. 23. Eam quoque spem resurrectionis habemus, vt eodem ordine, eademque forma, qua ipse Dominus resurrexit à mortuis, nos quoque resurrecturos credamus: in eodem corpore, in quo sumus, vt viuimus, non naturam vel sexum mutantes, sed tantùm fragilitatem vel vitia deponentes.

Eucherius Gallus. 640.

Lib. 1. in Genes. cap. 12. Illud corpus, quod in resurrectione credimus futurum, immortale semel effectum, mori vltra non poterit.

In lib. 1. Regum: In hac vita suam terram quisque circumfert, quam moriente homine recipit terra, consurgenti vtique reddituram.

Concilium Toletanum Sextum. 633.

Cap. 1. Christum venturum in fine expectamus seculorum, cum resurrectione omnium æquissimo suo iudicio redditurum iustis præmia, & impijs pœnas.

Concilium Toletanum Vndecimum 660.

In confessione fidei: Confitemur vera fide resurrectionem carnis omnium mortuorum: nec in aerea, vel alia qualibet carne (vt quidam delirant) resurrecturos non credimus, sed in ista, qua viuimus, consistimus, & mouemur.

Iulianus Toletanus. 680.

Libro 3. Prognosticon cap 16. *Ecce*, dicit Apostolus, *canet tuba, & mortui resurgent, & nos immutabimur.* Sed non sicut bonorum & malorum generalis est omnium resurrectio: ita & communis credenda est immutatio. Nam iuxta quod beatus Augustinus, Hieronymus, Iulianus Pomerius, cæteríque testantur, resurrectio communis erit omnibus bonis & malis: immutatio verò solis danda est iustis: quæ vtique glorificationem insinuat æternæ beatitudinis.

Beda. 700.

Ad Psalm. 1. Duæ sunt resurrectiones, altera prima, altera secunda. Prima est in præsenti, quando aliquis à morte vitiorum per pœnitentiam in anima resurgit: secunda erit in die iudicij, quando boni per immutabilitatem & impassibilitatem carnis ita in carne resurgunt, vt nec in ipsa carne aliquid amplius pati possint. Hanc autem secundam resurrectionem nullus habebit, nisi qui primam habuerit. Necesse enim est, vt qui expers fuerit primæ expers sit & secundæ, &c.

Lib. 2. in Iob cap. 3. Si conceptus moriuntur in vtero, necesse est quia viuunt: aut quicquid moritur, haud dubium quia resurget: & ita quod in membris fœtu de natura minus dederit, hoc in resurrectione in integrum reparabitur.

Ad cap. 12. Lucæ: *Capilli capitis vestri numerati sunt.* Deridet intelligentiam Ecclesiasticam hoc in loco, qui carnis resurrectionem negant, quasi nos ipsam terrenam materiam, quæ discedente anima fit cadauer, ita resurrectione reparandam dicamus, vt ea, quæ dilabuntur, & in alias atque alias aliarum rerum species formasque vertuntur, quamuis ad corpus redeant, vnde dilapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes, vbi fuerunt, redire necesse sit. Alioquin si capillis capitis redit, quod tam crebra tonsura detraxit: si vnguibus, quod toties dempsit exectio: immoderata & indecens cogitantibus, & ideo resurrectionem carnis non credentibus occurrit informositas. Sed quemadmodum si statua cuiuslibet solubilis metalli aut igne liquesceret, aut contereretur in puluerem, aut confunderetur in massam, & eam vellet artifex rursus ex illius materiæ quantitate reparare: nihil interesset ad eius integritatem, quæ particula materiæ cui membro statuæ redderetur, dum tamen totum, ex quo constituta fuerit, resumeret: ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex de toto, quo caro nostra constiterat, eam mirabili & ineffabili celeritate restituet: nec aliquid attinebit ad eius redintegrationem vtrum capilli ad capillos redeant, & vngues ad vngues, an quicquid eorum perierat, mutetur in carnem, & in partes alias corporis reuocetur, curante artificis prouidentia, ne quid indecens fiat.

Ad cap. 24. Quia non, sicut Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus scripsit, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit impalpabile, ventis aereque subtilius. In illa enim resurrectionis gloria erit corpus nostrum subtile quidem, per effectum spiritualis potentiæ: sed palpabile, per veritatem naturæ.

Alcuinus. 750.

In Psalm. 6. Pœnitentialem Vsque ad terminum huius seculi nobis in hac spe viuendum est, vt modò resurgamus in anima. Qui verò à morte

anima

animæ modò reſurgit per verbum Filij Dei, tunc feliciter reſurget in carne per Verbum Dei Filium hominis.

Libro 3. de Trinitate cap. 20. Reſurgent equidem ſanctorum corpora ad gloriam, ſine vitio, ſine vlla deformitate: in quibus tanta facilitas erit, quanta felicitas. Reſurgent & impij, & vnuſquiſque cum ſua carne, vt cum diabolo & angelis eius puniantur. Vtrum ſanè ipſi cum vitijs & deformitatibus eorum corporum reſurgant, quæcunque in eis vitioſa & deformia membra geſtauerunt, inquirendo laborare quid opus eſt? Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo. Hoc certiſsimè ſciendum eſt, quia nemo niſi per debitam miſericordiam liberabitur, & nemo niſi per debitum iudicium damnabitur.

Ambroſius Anſbertus. 760.

Lib. 1. in cap. 1. Apocal. *Omnis oculus eum videbit*, ſubaudi omnis homo, quicunque tunc reſurrexerit, ſiue ad vitam, ſiue ad mortem. Non autem animalium, quibus non eſt datum poſt mortem reſurgere: quia nec eis poſt mortis ruinam vitalis ſpiritus remanet, quibus ſolus ſanguis ad vitam proficit. *Videbit* verò *eum omnis oculus* in forma ſerui, in qua ab impijs iudicatus eſt. Nam in forma diuinitatis ab ipſis videri non poteſt.

Lib. 3. in Apocal. cap. 4. Prima reſurrectio, qua à morte peccati ad vitam iuſtitiæ animæ reſurgunt, toto nunc tempore agitur. Secunda verò, qua de terræ puluere ad vitam corpora redeant, in futurum expectatur.

Lib. 9. in cap. 20. Apocal. Apoſtolus cùm omnes dicat reſurgere incorruptos, quæ ſit tamen electorum
1.Cor.15 mentis incorruptio deſignat, dicens: *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* Ergo quia non ſolùm incorruptionem corporis, verùm etiam incommutabilitatem mentis recipiunt, ab ea ſpecie, quam nunc habent, tamquam terra & cælum transeuntes, in pulchriorem ſtatum commutantur: & quaſi ipſi iam non ſunt, ſed alij, dum à vetuſtate primæ corruptionis, in nouitatem tranſiunt ſecundæ regenerationis: non quò (vt quidam hæretici putârunt) veritatem carnis habere deſinant: ſed quò (vt dictum eſt) vetuſtatem corruptionis ac mutabilitatis amittant.

Carolus Magnus. 800.

In Conſtitutionibus Aquiſgrani factis: Diligenter prædicandum eſt de reſurrectione mortuorum, vt ſciant & credant in iiſdem corporibus præmia meritorum accepturos.

Haymo. 820.

De Feria tertia Paſcha: Credendum eſt, carnem noſtram in reſurrectione abſque corruptione vel fragilitate mortis in veritate ſubſtantiæ eſſe reſurrecturam, iuxta illud, quod Iob teſtatur, dicens: *Scio quòd redemptor meus viuet*, &c.

Super 4. cap. 1. ad Theſſal. Tam velox erit & celerrima reſurrectio electorum, vt illi, qui in corpore viui inuenti fuerint ſuper terram, non potuerint præuenire eos, obuiam eundo per aëra Domino, qui in puluere terræ iacebant.

Super Euangelium in Octaua Paſchæ: Sit certiſsima ſpes omnibus nobis, quia vera reſurrectio carnis, quæ præceſsit in Chriſto, ſequetur in nobis. Caro iſta omnium hominum mortuorum, ſiue fidelium, ſiue infidelium, reſurget in fine: ſed caro infidelium reſurget ad pœnam.

Rabanus Maurus. 850.

De Vniuerſo lib. 4. cap. 10. Erit reſurrectio mortuorum hominum, ſed vna & ſemel: non prima iuſtorum, & ſecunda peccatorum, vt fabula ſomniatur, ſed vna omnium. Et ſi id reſurgere dicitur, quod cadit: caro ergo noſtra in veritate reſurget, ſicut in veritate cadit: & non ſecundùm Originem, immutatio corporum erit, id eſt, aliud nouum corpus pro carne: ſed eadem caro corruptibilis, tam iuſtorum quàm iniuſtorum, incorruptibilis reſurget, vt vel pœnam ſufferre poſsit pro peccatis, vel in gloria æterna manere pro meritis. Omnium enim hominum erit reſurrectio. Si omnium erit, ergo omnes moriuntur, vt mors ab Adam ducta, omnibus filijs eius dominetur, & maneat illud priuilegium in Domino, quod de eo ſpecialiter dicitur: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Hanc rationem, maxima Patrum turba tradente, ſuſcepimus: verùm quia ſunt alij, æquè Catholici & eruditi, qui credunt anima in corpore manente, immutandos ad incorruptionem, & immortalitatem eos, qui in aduentu Domini viui inueniendi ſunt, & hoc eis reputari pro reſurrectione ex mortuis, quòd mortalitatem immutatione deponant, non morte: quolibet quis acquieſcat modo, non eſt hæreticus, niſi contentione hæreticus fiat. Sufficit enim in Eccleſiæ lege carnis reſurrectionem credere futuram de morte, &c. In reſurrectione ex mortuis ſexus forma non mutabitur, ſed vir mortuus reſurget in forma viri, & fœmina in forma fœminæ, non carens ſexu, ſed tamen huius vitæ tantum conditione ſpecie naturali, ne non ſit vera reſurrectio, ſi non id reſurgit quod cadit.

Remigius Antiſiodorenſis. 880.

In Pſalm. 1. Reſurgentium alij ſurgunt ad iudicium, alij non reſurgunt ad iudicium: qui reſurgunt ad iudicium, aut iudicabuntur ad ſalutem iam purgati in purgatorijs: aut ad damnationem, vt illi, quorum perditio non eſt in hac vita manifeſta. Reſurgentium non in iudicium, alij non iudicabuntur, quia iudicabunt alios, vt ſancti Apoſtoli, & alij perfecti in Eccleſia: alij non iudicabuntur, quia iam euidenter damnati ſunt, non ſolùm apud Deum, ſed apud Eccleſiam, vt gentiles, Iudæi, & hæretici, & illi, qui in criminalibus peccatis præſentem vitam ſine confeſsione & digna pœnitentia finiunt, licet ignoretur ab Eccleſia.

Altercatio Synagogæ & Eccleſiæ. 900.

Cap. 3. Prima reſurrectio animarum eſt, quæ eſt remiſsio peccatorum per Spiritum ſanctum. Secunda corporum, vbi poſt ſeptem curſus ætatum ad octauum venitur, id eſt, ad Sabbatiſmum, æternali gaudio celebrandum.

Cap. 11. Licet futura ſit octaua dies, tamen operis Dei ſeptem ſunt dies, quia homo, cuius vniuerſalis reſurrectio eſt, non in alia, ſed in ipſa, qua conditus eſt, ſpecie reſurrecturus eſt.

Radulphus Flauiacenſis. 930.

Lib. 6. cap. 5. in Leuit. Conſummatio Chriſti longo interuallo à noſtra diſtinguitur, ipſe quippe paſſus tertia die reſurrexit: nos verò, cùm defuncti fuerimus, noſtram reſurrectionem in fine temporum expectamus.

Lib. 17. in cap. 13. Dies octauus vniuerſalem ſignificat reſurrectionem: quia Dominus octauo die, poſt ſeptimam ſcilicet ſepulturæ ſuæ, reſurrexit à mortuis. Hæc omnia manifeſta ſunt. Cuius diei celebritatem quis dignè poſsit effari? quia *iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum*: quia gaudium lætitiam obtinebunt, fugiet dolor omnis & gemitus. In illa die offeret Dei populus holocauſta Domino, quando abſorbebitur quod mortale eſt à vita, & tam mente quàm corpore clarificatus diuinis in perpetuum laudibus inhærebit.

Radulphus Ardens. 1030.

Dominica 1. poſt Paſcha: In reſurrectione corpus ſeptem donis decorabitur. Primum erit ſubtilitas. Adeò enim tunc ſubtile erit corpus, quod ob-

ſtantia corpora poſsit penetrare, nec vinculis, nec clauſtris prohiberi queat. Vnde & corpus Chriſti glorificatum potuit clauſo ſepulchro exire, clauſisquę ianuis intrare. Secundum erit velocitas. Nam tantæ velocitatis erit corpus glorificatum, quòd in momento de cælo ad terras, de terris ad cælum, &c. ire poſsit. Hinc eſt, quòd Dominus apparens duobus in Emaus, mox apparuit Petro in Hieruſalem, cùm loca ſexaginta ſtadijs diſtent, &c.

Anſelmus Cantuarienſis. 1080.

In prioris ad Corinth. cap.15. Vnuſquiſque reſurget in ſuo ordine, id eſt, in ſuorum meritorum dignitate: vt etiam pleriſque Martyribus præferatur egregius Vincentius, & pleriſque ſacerdotibus magnificus Martinus, &c. Quemadmodum ex vna impenſa diuerſorum animantium vna caro eſt: ita & vnius carnis homines diuerſi erunt ex dignitate, cū reſurrexerint: vt talis vnuſquiſque appareat, qualis meriti fuerit, &c. Reſurgent ſanctorum corpora ſine vllo vitio, ſine vlla deformitate, ſine vlla corruptione, onere, difficultate: in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit. Propter quod ſpiritualia dicta ſunt, cùm procul dubio corpora ſint futura, non ſpiritus: ſed ſicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen non animal eſt: ita tunc corpus ſpiritale erit: corpus tamen, non ſpiritus erit, &c. Vt radius oculorum tuorum non citius peruenit ad longinquiora, ſed vtraque interualla parili celeritate coniungit: ita, cùm in ictu oculi fit reſurrectio mortuorum, omnipotentiæ Dei & ineffabili nutui tam facile eſt quæque recentia, quàm diuturno tempore dilapſa cadauera ſuſcitare.

Petrus Alphonſus. 1100.

Titulo 3. Dialogi: Omnipotentem mortuos ſuſcitare poſſe non nego: quin omnes homines in die iudicij ab eo reſuſcitandos & confiteor, & credo.

Rupertus Tuitienſis. 1120.

Prologo de S. Trinitate: Homo cuius vniuerſalis reſurrectio dies octauus eſt, non alia, ſed in ipſa, qua conditus fuit, ſpecie reſurrecturus eſt.

Lib. [illegible] cap.1. in Apocalypſ. Reſurrectio nobis regeneratio erit, quia videlicet naſcendo generati ad corruptionem, tunc reſurgendo regenerabimur ad incorruptionem.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei libro 2. parte 7. capite 13. Sunt nonnulli, qui conſiderantes, quòd ſpiritus à carne ſoluitur, quòd caro in putredinem vertitur, quòd putredo in puluerem redigetur, quòd puluis in elementa ſoluitur, vt nequaquam ab humanis oculis videatur, reſurrectionem fieri poſſe deſperant. Et dum arida oſſa inſpiciunt, hæc veſtiri carnibus, rurſumquę ad vitam virideſcere poſſe diffidunt: qui reſurrectionis fidem ex obedientia non tenent, certè hanc tenere ex ratione debuerunt. Quid enim quotidie niſi reſurrectionem noſtram in elementis mundus imitatur? Per quotidiana quippe momenta lux ipſa temporalis quaſi moritur, dum ſuperuenientibus noctis tenebris ea, quæ aſpiciebatur, ſubtrahitur: & quaſi quotidie reſurgit, dum lux ablata oculis ſuppreſſa iterum nocte reparatur. Per momenta quippe temporum cernimus arbuſta viriditatem foliorum amittere, à fructuum prolatione ceſſare. Et ecce, quaſi ex areſcente ſubitò ligno, veluti quadam reſurrectione veniente, videmus folia erumpere, fructus grandeſcere, & totam arborem rediuiuo decore veſtiri.

Bernardus. 1130.

Tractatu de diligendo Deum: Manebit quidem ſubſtantia, ſed in alia forma, alia gloria, aliaquę potentia.

Declamatione de bonis deſerendis: Ipſius meritis te quoque noueris aliquando regenerandum, & conformandum corpori eius in gloria, & claritate, &c. Sedebit ergo corpus immortalitatis & impaſsibilitatis gemina quadam felicitate dotatum, liberum ab omni neceſsitate, & omni corruptione ſecurum, alienum & immune ab omni concupiſcentia, plenum gloria, configuratum denique claritati corporis Chriſti: ſedebit & anima ſic nil metuens, ſic nec cupiens vltra: nimirum plena beatitudine, & ſecura plenitudine fruetis, &c.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib.2. diſt.30. Puer, qui ſtatim poſt ortum moritur, in illa ſtatura reſurget, quam habiturus erat, ſi viueret vſque ad ætatem triginta annorum, nullo vitio corporis impeditus. Vnde ergo illa ſubſtantia, quæ adeò parua fuit mortua, in reſurrectione tam magna erit, niſi ſui in ſe multiplicatione?

Libro 4. diſt. 43. Reſurrecturam carnem omnium, quicunque nati ſunt, atque naſcentur: & mortui ſunt, & morientur, nullatenus ambigere debet Chriſtianus. Ait enim Eſaias: *Reſurgent mortui, & reſurgent, qui erunt in ſepulchris.* Cauſa reſurrectionis mortuorum erit vox tubæ, quæ in aduentu iudicis ab omnibus audietur, & cuius virtute excitabuntur mortui, & de monumentis reſurgent. Eſa.26. Vnde Propheta: *Dabit voci ſuæ vocem virtutis*, id eſt, effectum reſuſcitandi mortuos, &c. Cumquę ex prædictis ſanè credi valeat omnes reſurrecturos, credendum eſt etiam, quòd omnes reſurgent incorrupti, non vtique impaſsibiles: quia reprobi mortem patientur æternam: ſed ſine diminutione membrorum, omnia humani corporis habituri membra, nec tamen gloria ac ſpe impaſsibilitatis induentur. Pſal.67.

Diſt.44. Omnes in eadem ætate reſurgent, in qua Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, cuiuſcunque ætatis mortui fuerint.

Otto Friſingenſis. 1150.

Lib.8. Chronic. cap.11. Quòd reſurgant mortui, non ſolùm Euangelia, & Apoſtoli, nouæq; legis Doctores affirmant: ſed & antiqui Patres prophetico ſpiritu prædixerunt, &c

Cap. 12. Omnia humana corpora, ſiue aquis abſorpta, ſiue flammis conſumpta, ſiue in viſceribus in terræ in cinerem redacta, ſiue à beſtijs deuorata & incorporata, ſiue per diuerſa terrarum ſpatia diſtracta, & ſeparata fuerint, iuxta Apoſtolum, iuſſu Domini, in voce Archangeli, & tuba Dei ad priſtinam vitæ ſubſtantiam indubitanter redibunt.

Cap. 13. De monſtruoſis verò & abortiuis id ſentiendum reor, quòd omne, cui hæc definitio, animal rationale & mortale, congruit, vel ad vitam, vel ad mortem reſurrecturum eſſe credamus. Si ergo ſunt aliquæ gentes monſtruoſæ, quæ rationales ſint, & mortales: vel abortiui, qui iam animam habere cœperunt, huic legi ſubiacent. Cætera verò ratione carentia, quantumcunque ſimilitudini humanæ accedant, vt ſimiæ, vel quocunque modo humano generi antiquus hoſtis per hoc illudat, vt Fauni, & ſi qua ſunt huiuſmodi, ab hac reſurrectione aliena noſcuntur.

Petrus Bleſenſis. 1160.

Epiſt. 16. Cuius anima, diues meritis recedens à corpore, in reſurrectione generali & plena ad antiquum hoſpitium reuertetur, cùm multas virtutes, quaſi merces varias, in vnum faſciculum quaſi comportauerit, ad cæleſtes nundinas profectura.

Petrus Cluniacensis. 1160.

Libro 2. contra Iudæos: *Caro requiescet in spe.*) Quod fit certè aut in alia, aut resurrectionis. Sed in qua alia spe caro mortua sperare potest, nisi resurrectionis? Quid enim aliud caro mortua sperare potest, quàm viuificationem? Quid exanimis nisi animationem? Quid ea, quæ iam cecidit, nisi resurrectionem? Requiescit igitur humana caro in spe resurrectionis.

Guilhelmus Tyrius. 1180.

Libro 19. cap. 3. Sufficit Domini ac Redemptoris nostri doctrina, qua manifestè multis locis in Euangelio carnis resurrectionem futuram docet.

Hildegardis. 1180.

Lib. 3. visione 11. cap. 3. Sed diuino præcepto ad resurgendum accepto, mortuorum ossa, vbicunque fuerint, suo loco velut ictu oculi coniunguntur, & sua carne teguntur, nec vllo modo retardantur: sed siue ab igne, siue ab aqua, siue ab aue, siue à bestia consumpta fuerint, citissimè restituuntur: ita quòd ea hoc modo terra reddit, velut sal ex aqua sudat. Quia oculus Dei omnia nouit, nec quicquam eum latere poterit. Ita omnes homines in anima & corpore, sine vlla contractione & abscisione membrorum suorum, sed in integritate & corporis, & sexus sui, velut in ictu oculi resurgent: electi fulgorem bonorum operum suorum habentes, & reprobi nigredinem infelicium actuum suorum portantes, ita quòd ipsorum ibi opera non absconduntur, sed palam in ipsis fulgebunt.

Innocentius Tertius. 1200.

Sermone 2. de Aduentu Domini: A somno mortis corporalis resurgent omnes, à somno mortis spiritualis resurgent quidam, à somno mortis æternalis resurgent nulli. Quoniam omnes quidem resurgemus.

Concilium Lateranense. 1215.

Cap. 1. Omnes cum suis proprijs corporibus resurgent, quæ nunc gestant, vt recipiant secundùm opera sua, siue bona fuerint, siue mala. Illi cum diabolo pœnam perpetuam, isti cum Christo gloriam sempiternam.

Iacobus Vitriacus. 1220.

De Dominica in Albis: Qui de costa mulierem formauit, & virgam aridam modico tempore virescere & frondescere, florere & fructificare fecit, qui aquam in vinum conuertit, qui de cineribus phœnicem reparat, & ministerio hominum cineres in vitrum commutat, qui omnia de nihilo creauit, eadem potestate de cinere corpora suscitabit.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Prima partis de Vniuerso parte 2. cap. 25. Insipientibus non solùm admirationi est, sed etiam incredibile videtur, quod de puluere, seu cinere, in quem resoluta fuerunt humana corpora, reformentur in regeneratione, seu resurrectione vniuersali. Hoc autem est eis ex ignorantia, qua ignorant omnipotentiam Creatoris, & mirabilia, atque admirationem excedentia opera eius. Latet enim eos indubitanter, quòd cælos creauerit de nihilo omnipotenti verbo suo, &c.

Alexander Alesius. 1230.

Parte 3. quæst. 10. memb. 2. art. 4. Secundùm cursum naturæ non debet esse resurrectio ante innouationem mundi. Per passionem igitur Christi fuit meritum nostræ & iustificationis, & resurrectionis, & gloriæ, quoad corpus, & quoad animam. Vnde per sufficientiam restituetur homo per illam in pristinam dignitatem. Sed adhuc non erat effectus productus: quia duplex adhuc erat tentio, scilicet animarum in limbo, & corporum in cineratione. Ad soluendam tentionem animarum, apparuit Verbum in anima apud inferos: similiter ad soluendam tentionem corporum oportet, quòd Verbum cum anima & corpore appareat vniuersaliter, quod fiet post innouationem. Primus effectus, scilicet liberationis animarum factus est statim post passionem: reliquus fiet post innouationem mundi. Proportionalia enim sunt locus & locatum: ideò ad gloriam corporum exigitur innouatio locorum. Secundùm ergo limites rerum non debet esse resurrectio corporum, nisi cùm apparebit in iudicio, innouato mundo. Innouatio autem non debet esse, nisi completa mortali generatione.

Vincentius Beluacensis. 1240.

In Speculo Naturali lib. 32. cap. 105. Sic ergo purgato mundo, & veniente ad iudicium Domino, emittetur vox vlla magna, & manifesta, quæ in Euangelio dicitur tuba: hoc erit aliquod præclarum & euidens signum, quod ab omnibus audietur, eiusque virtute mortui resuscitabuntur: boni quidem in gloriam immutati, & in multis bene dispositi: mali verò quantum ad diminutionem membrorum incorrupti, sed prauis & passibilibus corporum qualitatibus deprauati.

Albertus Magnus. 1240.

Super 4. Sentent. dist. 42. Certius, secundùm Catholicam fidem, nobis est, resurrectionem eiusdem carnis humero, in qua nunc viuimus, esse futuram, & vnumquemque in eadem recipere bona vel mala, secundùm quod meruit: quàm quòd sol orietur cras. Quòd enim sol orietur quandoque fallet, scilicet in die vltima: quandoque stabit. Istud autem à diuina veritate est acceptum, quæ non fallit, nec fefellit, nec fallere, nec falli potest.

Thomas à Aquinas. 1250.

In expositione Symboli Apostolici cap. 14. Omnes boni & mali resurgent cum omni integritate, quæ ad perfectionem hominis pertinet. Non enim erit ibi cæcus, vel claudus, vel aliquis defectus. Omnes resurgent in ætate perfecta, id est, triginta trium vel duorum annorum. Cuius ratio est: quia qui nondum peruenerunt ad hoc, non habent ætatem perfectam, & senes iam hanc amiserunt: & ideo iuuenibus & pueris additur, quod deest: senibus verò restituitur. Ephes. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum.*

In compendio Theologiæ cap. 153. Non resumet anima in resurrectione corpus cæleste, vel aerium, vel corpus alicuius alterius animalis, vt quidam fabulantur: sed corpus humanum, ex carnibus & ossibus compositum, corpus organicum, iisdem organis, quibus nunc consistit.

Guilhelmus Peraldus. 1255.

In Summa Tomo 1. de fide cap. 22. de errore negantium resurrectionem corporum: Rationibus sic potest resurrectio corporum suaderi. Omnem iustitiam iudicis iusti, cuius in terra multa fiunt digna præmio & supplicio, quem nec fallit ignorantia, nec prohibet impotentia, necesse est quandoque conuerti in iudicium: sed talis iudex Deus est. Ergo eius iustitia quandoque conuertetur in iudicium. Sed hoc non fit in præsenti vniuersaliter, cùm mali floreant, & boni opprimantur: fiet ergo in futuro, & reddet Deus vnicuique prout meruit. Ergo hominibus, qui sibi seruierunt, mercedem reddet, quod fieri non potest, nisi ipsi resurgant.

Bonauentura. 1260.

In Breuiloquio tract. 7. cap. 5. Omnium hominum corpora in generali resurrectione resurgent, nulla in eis existente distantia, quantum ad ordinati-

onem

onem temporis: sed magis quantum ad ordinationem dignitatis. Nam mali surgent cum suis deformitatibus & pœnalitatibus, miserijs & defectibus, quos habuerunt in statu vitæ. In bonis autem natura seruabitur, & vitia detrahentur: & omnes resurgent integro corpore, & plena ætate, & debita mensura membrorum, vt sic omnes sancti occurrãt in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Hugo Pratensis. 1300.

Dominica resurrectionis de Epistola: Omnino oportet credere, quòd resurrectio sit futura, & hoc propter quinque rationes. Primo, ratione iustitiæ Dei. Iustum est enim apud Deum & homines, quòd ille puniatur vel præmietur, qui peccauit vel meruit. Sed omnia opera nostra sunt animæ & corporis simul: quia, vt dicit Philosophus, Actus suppositorum sunt, &c. Coniunctum enim ex anima & corpore operatur, & non anima, vel corpus. Sed vt manifestè videmus, in vita ista nec boni præmiantur, ne mali puniuntur. Quia, vt dicitur Iob 2. *Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Dominum.* Multa etiam aduersa patiuntur iusti, imò *per multas tribulationes oportet nos intrare regnum cælorum.* Actor. 14. In separatione autem animæ à corpore, anima vadit ad gloriam, vel in pœnam, corpore hîc in terra remanente. Vt igitur iusta sit retributio, oportet dicere, quòd anima iterum coniungatur corpori, vt simul cum ipso præmietur, vel puniatur, iuxta stipendia meritorum: quod per resurrectionem fiet, &c.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 19. Iob. *In carne mea videbo Dominum.* Hoc dicit contra errorem illorum, qui dicunt resurrectionem futuram in carne corporali cibo indigente: quia talis caro aggrauat animam, & non potest videre sic diuinam essentiam. In resurrectione autem ex gloria animæ ad corpus redundante fiet caro incorruptibilis, in nullo aggrauans animam, nec impediens à diuina visione.

Ad cap. 15. prioris ad Corinth. *Surgent incorrupti.* id est, sine diminutione membrorum. Quicquid enim pertinet ad integritatem naturæ, omnibus dabitur, vt communius dicitur: sed quod pertinet ad gloriam, dabitur tantùm electis.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 2. cap. 35. Vniuersaliter omnium corpora & animæ bona vel mala simul recipient, quæ simul meruerunt. Quia enim homo meruit, vel demeruit simul anima & corpore, ideo in futuro punietur, vel remunerabitur simul in vtroque. Hoc autem non potest fieri, nisi fiat resurrectio corporum. Et ideo constat futuram esse corporum resurrectionem.

Cap. 87. Resurrectio tria corriget in natura: scilicet defectum, sicut in pueris, & mutilatis, siue in diminuta natura membrorum: superfluum, scilicet vnguium, crinium, & huiusmodi: errorem, sicut est in monstrositate membrorum. Resurgent quoque corpora eorum numero eadem quæ prius, ex eodem puluere, in quem redacta fuerant, ita quòd in quascunque auras vel sinus puluis ille fuerit dispersus, ad eandem animam redeat, quæ ipsum primitus, vt viueret, & cresceret, animauit. Nec solùm resurgent corpora, quantum ad membra principalia: sed etiam saluis capillis, & cæteris membris ad decorem facientibus. Resurgent enim homines quantum ad esse, & quantum ad integrum esse, & quantum ad decorum esse. Et hoc in momento, hoc est, breuissimo & angustissimo spatio temporis, &c.

Thomas Argentinensis. 1350.

Lib. 4. dist. 43. quæst. 1. articulo 1. Resurrectio mortuorum est possibilis potentia actiua, se tenente ex parte Dei. Quia non minus est possibile easdem partes eiusdem totius sibi mutuò reunire, quàm ipsum totum secundùm omnes suas partes de nihilo producere. Sed Deus potest totum hominem, secundùm omnes suas partes de nihilo producere. Ergo, &c. Præterà si homo esset totaliter annihilatus, posset eum recreare. Ergo hominem morte corruptum potest Deus à morte suscitare. Consequentia potet, quia minus videtur habere de esse possibili, quod est penitus annihilatum, quàm illud, quod est suarum partium dissolutione corruptum.

Ioannes Bromiardus. 1380.

In Summa Prædicantium c. de Resurrectione: Si natura potens est de terra aurum, & alia metalla cum artis supplemento gignere, quis hanc potentiam à Deo auferet, quòd corpora, sicut aurum clara, de terra non possit suscitare? De quo dicit Ioannis 5. *Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat: sic & Filius quos vult viuificat:* qui dicit Ioannis 11. *Ego sum resurrectio, & vita.*

Ioannes Gerson. 1420.

In Compendio Theologiæ capite de articulis fidei: In resurrectione credendum est idem corpus, quod per mortem cecidit, ad eundem spiritum, id est, ad eandem animam rediturum. Argumentum infallibile, quòd resurrectio erit, quotidie habemus: sol occidit, & resurgit: dies sepelitur, & redit: menses, anni, fructus, tempus, semina, cùm transeunt, ipsa moriuntur: cùm redeunt, ipsa sua morte virescunt.

Bernardinus Senensis. 1430.

Sermone 58. Dominica Resurrectionis infra diem c. 2. Quia nec anima sola sine corpore, nec corpus sine anima peccauerunt, vel meruerunt, ideò necesse est de bono, vel de malo simul remunerari: sicut de milite patet: quia non ipse tantùm, sed & dextrarius, in quo pugnauit, à rege stipendia habet: quia bene nutritur, & custoditur: & è contrario de offendentibus Regẽ. Hinc etiam Apostolus 2. Corinth. 5. ait: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.*

Raymundus Sebundius. 1430.

Dialogo sexto cap. 84. Qui membra sunt Christi, resurgent Christo simillimi, in corpore lucido, agili, impassibili, & immortali. Qui autem Christi sunt aduersarij, dissimiles valde Christo resurgent, in corpore tenebroso, ponderoso, grasso, passibili, sed immortali, vt viuant, & vrantur, & sentiant semper.

Laurentius Iustinianus. 1430.

Libro de ligno vitæ, parte de charitate capite 8. Resurgent Sanctorum corpora sine vllo vitio, sine vlla deformitate, sine vlla corruptione, depositoq; omni onere, in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit.

De contemptu mundi capite 12. Diuinis imbuti voluminibus duplicem scimus esse resurrectionem, vnam corporalem, alteram spiritualem. Corporalis quidem vniuersalis erit, & in fine celebrabitur seculorum, quando traditurus est Christus regnum Deo & Patri. Spiritualis autem quotidie agitur per Dominum Iesum, qui vtriusque auctor est. Sanè vtramque resurrectionem præcedit mors: quoniam nemo resurgere dicitur, nisi qui prius fuerat mortuus. De morte corporali nemo dubitat, quamuis de corporum resurrectione innumeri.

Dionysius Carthusianus. 1460.

In cap. 19. Iob: *De terra surrecturus sum.)* id est, Corpus meum ex cineribus suis reparabitur, &

anima mea illi reunietur: sicquè qui per mortem cecidi, per resurrectionem de terra tunc surgam. Ex hoc elucescit, quòd iuxta sententiam sancti Iob mundus finietur quantum ad generationem, & corruptionem, ac temporis cursum, & quòd generalis resurrectio fiet in termino mundi, non ante, neque postea, neque multoties.

ARTICVLVS QVINTVS.

POST RESVRRECTIONEM VNIVERSALE SECVTVRVM IVDICIVM IN MOMENTO, QVO CHRISTVS IVDEX CVIQVE SECVNDVM OPERA SVA TRIBVET.

Anno post natum Christū

NEGANT.

200. *PRODIANITÆ & Hermionitæ Christum in carne venisse negant, resurrectionem & iudicium non credunt.* Philastrius de Prodianitis.

270. *Manichæi resurrectionem negant, iudicium non sperant.* Philastrius de Manichæis.

360. *Borboriani vitijs implicati seculi, & malis concupiscentijs seruientes, non sperant iudicium futurum, sed potius carnalem concupiscentiam laudant.* Philastrius de Borborianis.

1200. *Albanenses dicunt vniuersale iudicium iam factum esse.* Guido in Summa de Albanensibus.

1530. *Lutherani, quia cuilibet ad solam fidem regnum cælorum promittunt, negant fidelibus hoc iudicium esse metuendum. Hinc illi Augustæ Vindelicorum iudicij extremi effigiem imprimentes, disertis verbis apposuerunt quemlibet in illa die secundum fidem remunerandum fore.* Lindanus Dialogo primo Dubitantij ait se huiusmodi effigiem in Sueuia vidisse.

1545. *Georgius David non Christum, sed se dixit esse illum, qui extremo iudicio: otiam sit mundum iudicaturus.* Basileenses in vita huius Georgij, Cochlæus de actis & scriptis Lutheri de anno 1545.

1550. *Ioannes Caluinus* lib. 2. instit. cap. 16. §. 18. *asserit Christum in extremo iudicio neminem nostrum condemnaturum. Hinc egregia* inquit, *exoritur consolatio, quòd penes eum iudicium audimus esse, qui nos sibi in iudicando honoris consortes iam destinauit, tantum abest, vt in condemnationem nostram tribunal sit conscensurus, &c. Non modica certe est securitas, quod non ad aliud tribunal sistemur, quàm Redemptoris nostri, à quo salus sit exspectanda. Ergo in hunc finem Pater Filium honorauit, omne iudicium illi deferendo, vt ita conscientijs suorum, terrore iudicij trepidis, consuluerit.*

1578. *Nathanael Ælianus*, libro quem inscribit Mantan Ia, *negat statim post secundum Christi aduentum secuturum iudicium, sed prius fore Christi in terris regnum ait, Apostolicum Symbolum non posse eas Scripturas, quibus suam opinionem se confirmare putat, euertere: denique iudicandi verbum illic non propriè sumi, sed metaphoricè pro regnare, vti apud Hebræos in libris Iudicum Iudices reges significabant.*

1592. Franciscus Puccius de Christi Seruatoris efficacitate paulò ante finem: *Dies, siue tempus diuini iudicij, multa complectetur. Nam aliquot anni terentur in excoquendo & purgando mundo, & in conflictu inter Christum & Antichristum, eorumq; nationes: mille anni quinquies promittuntur pacato Sanctorum regno: aliquod tempus quoq; dabitur vltimo conatui Satanæ: cui demum succedet resurrectio, & iudicium mortalium omnium, & status ille consistens, & quietus creaturarum, in quem nulla pugna aut mutatio cadet.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ

Iob. 31. *Vers.* 14. Quid enim faciam cùm surrexerit ad iudicandum Deus? & cùm quæsierit, quid respondebo illi? 23. Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.

Ecclesiastis 12. 14. Cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato, siue bonum, siue malum sit.

Sapien. 5. 1. Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabun-

rabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est 18. Et accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum: sumet scutum inexpugnabile æquitatem: acuet autem diram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

Isaiæ 3.13. Stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicandos populos. Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui, & principibus eius.

Isaiæ 13 9. Ecce dies Domini veniet, crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furorisque ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea Quoniam stellæ cæli, & splendor earum non expandent lumen suum: obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo. Et visitabo super orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, &c.

Isaiæ 66.15. Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius: reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis: quia in igne Dominus dijudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti à Domino.

Ierem. 23 19. Ecce, turbo Dominicæ indignationis egredietur, & tempestas erumpens super caput impiorum veniet. Non reuertetur furor Domini, vsque dum faciat, & vsque dum compleat cogitationem cordis sui: in nouissimis diebus intelligetis consilium eius.

Daniel. 7.9. Aspiciebam, donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda: thronus eius flammæ ignis: rotæ eius ignis accensus. Fluuius igneus rapidusque egrediebatur à facie eius: millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei: iudicium sedit, & libri aperti sunt, &c.

Ioelis 2.1. Venit dies Domini, quia propè est dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis: quasi manè expansum super montes populus multus & fortis: similis ei non fuit à principio, & post eum non erit vsque in annos generationis & generationis. Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma: quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti: neque est qui effugiat eum. 10. A facie eius contremuit terra, moti sunt cæli: sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui: quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia & facientia verbum eius. Magnus enim dies Domini, & terribilis valde: & quis sustinebit eum? 30 Et dabo prodigia in cælo, & in terra sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem: antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.

Ioel. 3.2. Congregabo omnes Gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat: & disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hæreditate mea Israel, quos disperserunt in nationibus, & terram meam diuiserunt. 12. Consurgant, & ascendant Gentes in vallem Iosaphat: quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu. Mittite falces, quoniam maturauit messis: venite, & descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia: quia multiplicata est malitia eorum. Populi populi in valle concisionis: quia iuxta est dies Domini in valle concisionis. Sol & luna obtenebrati sunt: & stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam: & mouebuntur cæli & terra, & Dominus spes populi sui & fortitudo filiorum Israel.

Sophoniæ 1.14. Iuxta est dies Domini magnus: iuxta est & velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis: dies tubæ & clangoris super ciuitates munitas, & super angulos excelsos, *&c.*

Zach. 14.5. Et veniet Dominus Deus meus omnesque Sancti cum eo. Et erit in die illa: non erit lux, sed frigus & gelu. Et erit dies vna, quæ nota est Domino, non dies, neque nox: & in tempore vesperi erit lux.

Malachiæ 3.2. Ecce venit, dicit Dominus exercituum: & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans, & emundans argentum. 3. Et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. Et placebit Domino sacrificium Iuda & Ierusalem, sicut dies seculi, & sicut anni antiqui.

Malachiæ 4.1. Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus: & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum,

et citum, quæ no derelinquet eis radicem & germen. 5. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne fortè veniam & percutiam terram anathemate.

2. *Mach*. 7. 35. Nondum enim omnipotentis Dei & omnia inspicientis iudicium effugisti. Nam fratres mei modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt: tu verò iudicio Dei iustas superbiæ tuæ pœnas exolues.

Matth. 12. 36. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

Matth. 24. 29. Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur: & tunc parebit signum Filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa & maiestate. Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summo cælorum vsque ad terminos eorum. 36. De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater. Sicut autem in diebus Noë ita erit aduentus Filij hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus Filij hominis, *&c.*

Matth. 25. 31. Cùm autem venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ad inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, *&c.*

Ioan. 5. 22. Neque enim Pater iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium. 26. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio habere vitam in semetpso: & potestatem dedit ei etiam iudicium facere, quia Filius hominis est. Nolite mirari hoc: quia venit hora, in qua omnes, qui in monumētis sunt, audient vocem Filij Dei.

Actor. 10. 42. Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.

Actor. 17. 31. Statuit (*Deus*) diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate.

Rom. 2. 15. Gentes ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium, in die, cùm iudicabit Deus occulta hominum.

Esa. 45. *Rom*. 14. 10. Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim: Viuo ego, dicit Dominus: quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Itaque vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.

1. *Cor*. 4. 5. Nolite ante tempus iudicare: quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo.

1. *Cor*. 15. 51. Omnes quidem resurgemus: sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba, (canet enim tuba) & mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur.

2. *Cor*. 5. 10. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.

1. *Thes*. 4. 15. Nos, qui viuimus, qui residui sumus in aduentu Domini, non præueniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo: & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus. Itaque consolamini inuicem in verbis istis.

1. *Thes*. 5. 2. Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cùm enim dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effugient. Vos autem, fratres, non estis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat.

2. *Thes*. 2. 2. Non citò moueamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritū, neque per sermonem, neque per epistolam, tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat vllo modo: quoniam nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus. 8. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui,

& destruet

& destruet illustratione aduentus sui eum, cuius est aduentus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, & signis & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis ijs, qui pereunt, eò quòd charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio: vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

2. Pet. 2. 9 Nouit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos.

2. Pet. 3. 3. Hoc primum scientes, quòd venient in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes dicentes: Vbi est promissio aut aduentus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ. Latet enim eos hoc volentes, quòd cæli erant prius, & terra, de aqua, & per aquam, consistens DEI verbo: per quæ ille tunc mundus aqua inundatus perijt. Cæli autem qui nunc sunt & terra eodem verbo repositi sunt, igni reseruati in die iudicij & perditionis impiorum hominum. Vnum verò hoc non lateat vos charissimi, quia vnus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut dies vnus. Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. Adueniet autem dies Domini vt fur: in quo cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur. Cùm igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescunt? Nouos verò cælos, & nouam terram secundùm promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.

Iudæ Vers 14. Prophetauit autem de his septimus ab Adam, Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios, de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris: quæ locuti sunt contra Deum peccatores impij.

Apoc. 20. 11. Et vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra & cælum, & locus non est inuentus eis. Et vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vitæ: & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum: & dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors, & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant, & iudicatum est de singulis secundùm opera ipsorum.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Libro 3. Recognitionum: Sicut data à Deo pluuia ex æquo & fruges nutrit, & lolium: messis autem tempore frumenta congregantur quidem in horreum, paleæ verò vel lolium igne consumuntur: ita in die iudicij, cùm iusti introducentur in regnum Dei, iniusti autem abijcientur foras, tunc etiam iustitia Dei ostendetur.

Lib. 9. Sicut Sol omnes stellas splendore sui fulgoris obtundit & contegit: ita & mens per scientiæ lucem omnes concupiscentias animæ inefficaces reddit, & otiosas, futuri iudicij memoriam tamquam radios suos emittens, ita vt ne apparere quidem vltra in anima queant.

Iustinus. 150.

Oratione ad Gentiles: Cùm constitutum nobis sit de vera religione dicere, qua nihil prius atque præstabilius, vt equidem puto, esse arbitrantur, qui vitam sibi extra periculum omne agendam statuerunt, propter futurum post huius vitæ finem iudicium: (quod certè quidem non modò maiores nostri, diuini homines, Prophetæ & legislatores: verùm etiam qui apud vos habiti sunt sapientes, Poëtæ simul & Philosophi, veram atque diuinam se scientiam assecutos esse professi, deprædicant) rectè me facturum esse putaui, &c.

Libro de Monarchia Dei: Enimuerò solùm eum, & de perpetratis in vita factis, & de diuini numinis ignoratione iudicium facere posse, domesticos producere testes hal eo: ac primum Sophoclem, de hac etiam re dicentem:

Venient enim illa seculorum tempora,
Cùm soluet imbres ignis æther aureus,
Cremauit ergo flamma vi grassans sua,
Et hic & illic summa & infima omnia.
Sic vniuersitate cuncta perdita,
Vndis carebit omnis alueus suis.
Sedes requiret terra, nec posthac aues
Gestabit aër igne vastatus leues.
Binas auarus semitas Orcus habet,
Vnam bonis, sed alteram partem malis.
Est omnibus quoque terminus rebus suus:
Sed cuncta quæ periere, restituet Deus.

Sed & Philemonem rursum:

An mortuos existimas Nicostrate,
Qui luxu in omni omnes peregerunt dies,
Terra sepultos iam inde & omni tempore,
Tamquam latentes posse Numen fallere?
Habet oculum Vindicta, cernentem omnia.
Nam si loco pius sit vno, & impius,
I, falle, misce, fœnera, frauda, rape.
Errare noli: ius habent manes suum,
Quod vniuersi conditor peraget Deus,
Cuius tremendum nemo nomen dixerit.

Theophilus Antiochenus. 170.

Libro 2. ad Autolycum: Quòd Deus mundum sit

iudicaturus, & mala subitò sint deinde impios & sceleratos apprehensura, testatur AEschylus his verbis: Malum quidem celerè venit mortalibus, inueniunt & delicta eum, qui negligit Themin. Vides iustitiam tantam & occultam dormienti, incedenti, & sedenti. Inde proponit decretum, aliud deinceps non inuoluet nox delictum, &c. Præterea quòd Deus iudicium sit redditurus in extremo die de periurio & alijs peccatis, Poëtæ quoque ferè prædixerunt. Quod pertinet ad conflagrationem mundi, nolentes volentes consentiunt cum Prophetis, quamuis temporis respectu his multo sint iuniores. Attamen ea ex Lege & Prophetis, vt supra monuimus, suffurati sunt, &c. De mundi conflagratione vaticinatus est Malachias Propheta: *Ecce dies Domini venit vt clibanus ardens, & incendet omnes impios.* Similiter & Esaias: *Veniet enim ira Dei veluti inundans grando, & turbo subuertens, veluti impetus aquarum validarum & inundantium, qui omnia fortiter deijcit ad terram.* Hæc quidem Sibylla, & reliqui Prophetæ vaticinati sunt. Verùm & Poëtæ Philosophiquè scripserunt de iustitia, de iudicio, de æterna condemnatione.

Athenagoras. 180.

Legatione pro Christianis: Dici hoc non potest. Quandoquidem namque persuasum habemus, nos rationem reddituros esse de omni vita hic peracta Deo, qui & nos & mundum ipsum fecit: mediocre, humanum, & contemptui obnoxium deligimus vitæ genus: nihil hîc nos tanti passuros esse mali existimantes, etiamsi vitam nobis nonnulli adimant, quod conferri possit cum eo, quod istic à magno iudice vitæ per lenitatem, & humanitatem, & æquitatem exactæ reportabimus præmio. Plato quidem Minoem & Rhadamanthum iudicaturum, & puniturum malos dixit. Nos autem, siue Minos sit, siue Rhadamanthus aliquis, siue etiam horum pater, ne eum quidem ipsum effugiturum esse iudicium Dei aimus.

Hippolytus. 220.

Oratione de consummatione mundi: Orietur ab Oriente ad Occidentem vsque signum crucis superantis splendorem Solis, denuntians aduentum & apparitionem Iudicis, vt reddat cuique secundùm opera sua, &c. Omnes qui neglexerint, nec misericordiam exercuerint, hîc bene merendo, nihil eis debetur, nisi ignis, qui non extinguitur. Humanus enim sum; at iustus quoque iudex. Nam omnes pro dignitate remunerabor: omnibus pro cuiusque labore mercedem præstabo: omnibus pro suo certamine præmia rependam. Misereri volo: sed oleum in vasis vestris non video, &c. Confessi estis me Dominum, sed verbis meis non paruistis. Signo crucis meæ notati estis: sed hoc animi duritia deleuistis, &c. Et discedent hi in supplicium æternum: iusti verò in vitam æternam. Audistis, dilecti, responsionem Domini: cognouistis sententiam Iudicis: didicistis quàm in horrendum iudicium & dies & hora nos maneat: de eo solliciti cogitemus quotidie: hoc diù noctuquè meditemur: in domibus, in plateis, in Ecclesijs: ne in horrendo illo iudicio, in quo nulla est personarum acceptio, abiecti, ac tristes adstemus condemnati: sed cum actione, vita, conuersatione, confessione pura: vt nobis quoque dicat ille misericors, hominumquè amans Deus: *Fides tua te saluum fecit: vade in pace.* Item illud: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*, &c.

Origenes. 230.

In Leuiticum Homilia 7. Multi enim ita & ex Philosophis sapiunt, & futurum esse iudicium credunt. Immortalem namque animam sentiunt, & remunerationem bonis quibusque positam confitentur.

In Numeros Homilia 11. Igitur vnusquisque Angelorum in consummatione seculi aderit in iudicio, educens eos secum quibus præfuit, quos adiuuit, quos instruxit, pro quibus semper vidit *faciem Patris, qui in cælis est*. Et putò etiam ibi inquisitionem futuram, non quidem an culturæ hominum Angelus defuerit, sed an culturæ Angelicæ nequaquam dignè segnitia humana responderit. Quod si ita est, erit ergo etiam inter Angelos & homines iudicium Dei: & fortassis iudicabuntur aliqui cum Paulo, & conferentur laboribus eius, & fructibus, qui ex multitudine credentium veniunt: & fortè inuenietur in laboribus superior etiam aliquibus Angelis, & ideo nimirum dicebat: *Aut nescitis quia Angelos iudicabimus?*

Libro 2. de Principijs cap. 9. Dubium non est in die iudicij futurum, quòd separentur boni à malis, & iusti ab iniustis, & singuli quique pro merito per ea loca, quibus digni sunt, distribuantur iudicio Dei, &c.

Capite 10. Sed quoniam nos sermo commonuit de iudicio futuro, & de retributione ac supplicijs peccatorum, secundùm quod comminantur sanctæ Scripturæ, & Ecclesiastica prædicatio continet, eò quòd iudicij tempore ignis æternus, & tenebræ exteriores, & carcer, & caminus, & alia his similia peccatoribus præparata sint: videamus quid etiam de his sentire oporteat, &c.

Tractatu septimo in Matthæum: Omnis vitæ nostræ ratio est ponenda à rege, quando omnes nos præsentari oportuerit ante tribunal Christi, vt reportet vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum: & adducetur ad rationem etiam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, vel si quis aliquando potauerit aliquem calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli. Hæc autem non sic dici putamus, quasi opus habentia multo tempore, vt ponatur nobis ratio de omnibus actibus vitæ nostræ, &c. Volens Deus ventilare omnium mentes: vt vnusquisque sentiat proprios actus bonos, vel malos, citò omnia ab omnibus omni tempore gesta singulis quibusque faciet in mente ineffabiliter quadam virtute. Nec enim sicut nos volentes in mente facere alicui ea, quæ fecit, opus habemus tempore sufficienti ad consummationem eorum quæ dicuntur à nobis, & in memoriam rediguntur: sic & Deus opus habet tempus, volens nobis in mente facere omnia quæ gessimus in vita, vt cognoscentes vniuersa quæ fecimus, intelligamus propter quæ aut punimur, aut honoramur. Si quis autem celeritati diuinæ virtutis circa hæc omnia consummanda non credit, hic nondum intellexit Deum, qui omnia fecit, & non indiguit spatio temporis alicuius, ad faciendam cæli, & terræ, & omnium quæ in eis sunt creaturam. Nam etsi videtur in sex diebus fecisse omnia Deus, &c. audendum est tamen, & dicendum: quoniam tempus futuri iudicij non opus habebit spatio temporis, sed sicut resurrectio dicitur futura in momento, in ictu oculi, sic puto & iudicium fore.

Homilia 9. in diuersos: Existimo ergo quoniam erit tempus aduentus Christi, quinimò tanta manifestatio futura est Christi & diuinitatis eius, vt non solùm nullus iustorum, sed nec aliquis peccatorum ignoret Christum secundùm quod est, quan-

quando & peccatores cognoscent in conspectu suo sua delicta, & iusti manifestè videbunt semina iustitiæ suæ ad qualem eos perduxerunt finem: & hoc est, quod dictum est: *Congregabuntur ante eum omnes gentes*. Cognoscent Christum secundùm quod est, nec ipsi quod videntur cognoscere palam eum cognoscunt, &c.

In epist. ad Rom. cap. 2. lib. 2. Requiritur sanè à quibusdam cur dies hic, de quo superius bibliothecas Propheticas mouimus, in fine mundi statutus sit, vt omnes, qui ab initio seculi vsque ad finem ipsius defuncti sunt, ad hunc vltimum diem iudicandi reseruentur, &c.

Libro 9. cap. 14. in epist. ad Rom. In duodecim Prophetarum libro dicitur, quia in valle Iosaphat Dominus populum suum iudicet. Ipsam autem vallem Iosaphat paulò post vallem iudicij nominat.

Methodius Patarensis Episcopus. 260.

De rebus, quæ ab initio mundi contigerunt, & quæ deinceps contingere debent, cap. vltimo: Tunc apparebit signum aduentus Filij hominis, & veniet in nubibus cæli cum gloria cælesti, & interficiet Antichristum spiritu oris sui, secundùm expositionem Apostolicam. Tunc fulgebunt iusti tanquam stellæ in mundo, verbum vitæ in se continentes: impij autem proijcientur in infernum.

Eusebius Cæsareensis. 320.

De præparatione Euangelica lib. 11. cap. 20. Cùm etiam Scriptura iudicium, postquam hinc abierimus, animarum futurum dictitet, & per alia multa, & per hoc non minus: *Iudicium*, inquit, *sedit, & libri aperti sunt, & antiquus dierum sedit, & fluuius igneus coram eo fluebat, mille millia ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Audi etiam Platonem de iudicio dicentem, & fluuij nomine vtentem, multasquè piorum mansiones, & diuersa impiorum supplicia, non aliter ferè quàm Hebræorum Scripturam narrantem. Scribit enim in libro de Anima sic: Tertius amnis in medio istorum exit, & iuxta ostium in latissimum incidit locum igni ardentem, &c.

Dan. 7.

Athanasius. 340.

De Humanitate Verbi: Te latere nolim, alterum eius (*Christi*) aduentum illustrem & diuinum, non humilitate contemptibilem, sed gloria magnificum, in expectatione esse, atque imminere, cùm non, vt patiatur, rediturus sit, sed vt fructus suæ crucis omnibus retribuat, immortalitatem videlicet & incorruptibilitatem: nec vt iudicetur, sed vt iudicet, secundùm ea, quæ quisque in corpore suo gesserit, siue bona, siue mala sint: vbi bonis quidem regnum cælorum repositum destinatumquè est: malorum verò designatoribus ignis æternus & caligo extrema.

Cyrillus Hierosolymitanus. 360.

Catechesi 4. cap. de futuro iudicio: Hic Iesus Christus, qui ascenderat, veniet rursus de cælis, non de terra, eò quòd multi Antichristi nunc de terra venturi sunt. Iam enim, vt videtur, cœperunt multi dicere: *Ego sum Christus.*

Catechesi 15. Tremendum est iudicium, ita vt per ea etiam, quæ de illo nuntiamus, timor incutiatur: nam regnum cælorum proponetur, & ignis æternus præparabitur. Quomodo igitur (dixerit aliquis ignem) effugiemus? & quomodo regnum cælorum ingrediemur? *Esuriui*, inquit, *& dedistis mihi manducare, &c.*

Basilius Magnus. 370.

Homilia in Psal. 33. Si quando te senseris ad vnum aliquod cieri ac prosilire peccatum, mihi in mentem reuoca formidabile illud nec vlli mortalium tolerabile Christi iudicium, in quo quidem præsidet iudex in alto & sublimi throno. Astabit porrò creatura omnis prætrepida & intremiscens ad ipsius gloriosum & illustrem aduentum. Eò singuli quique sistentur, de his examinandi, quæ quisque gessit in viuis. Deinde eos, qui multa perperam in vita admiserunt, horrendi quidam ac tristes circunstabunt angeli, ignem paratum contuentes, ignem exspirantes, propter propositi amarulentiam, vultum præferentes nocti assimilem præ mœrore atque hominum odio. Subin conspicient barathrum in imum patens, tenebras impermeabiles quidem illas, ignemque obscurum, causticas quidem vires habentem, luce verò destitutum.

Ad cap. 13. Esaiæ: Ex quo die dictus est dies Domini appropinquare, multum intercessit temporis, eius propinquitatem contestantibus Prophetis omnibus, vt nemo à spe excideret, quasi ob diuturnam extractionem temporis possit deprehendi imparatus. Siquidem hæc contestatur Sophonias: *Trepidate à facie timoris Domini, quia propè est dies Domini, quia præparauit Dominus victimam suam.*

Ephrem. 370.

Sermone Parænetico de secundo aduentu Domini: Qui vniuerso renuntiasti mundo, ne aliam admittas solicitudinem, neque aliud certamen aut cogitationem, præterquam diei illius horribilis, semperquè cor, & lingua tua de extremo iudicio meditentur. Siue igitur operi, siue orationi intentus sis: siue ambules, siue sedeas: siue comedas, siue ieiunes: siue in cubili tuo vigil iaceas, siue quid aliud agas: non desistat mens tua cogitare, & os tuum loqui de iudicio.

De extremo iudicio & compunctione: Venite vniuersi fratres, consilium à me peccatore, & imperito Ephræm accipite. Iam enim dies illa horrenda, atque terribilis nos occupat, dum nos interim soluti cura, vagamur animo, nolentes breuitatem temporis vitæ nostræ intelligere, & sedulò curare, vt Deum nobis propitium reddamus. Ecce enim dies nostri, & anni, ac menses instar somnij, & vmbræ pomeridianæ prætereunt, vt subitò tremendus ac magnus Domini aduentus acceleret. Verè enim formidabilis erit dies illa cunctis peccatoribus, qui voluntatem Domini pro salute sua exercere noluerunt. Nihil nobis in illa hora proderit, præter bona, quæ hinc detulerimus opera. Futurum enim est, vt vnusquisque nostrum propria facta, ac dicta ante incorrupti atque tremendi iudicis tribunal deferat. Mihi sanè cor tremit, ac renes immutantur, dum cogito de actuum omnium manifestatione, cogitationumquè ac sermonum exacta discussione, quæ ibi fiet. Magnus tunc erit timor, ô fratres charissimi, & magnus tremor, ô amici mei. Quis ergo non perhorrescat, aut quis non lugeat ac ploret: quoniam omnia ibi manifestanda erunt, quæ vnusquisque in occulto & obscuro hic gesserit. Horrendum ibi erit iudicium, in quo etiam absque testibus cuncta erunt manifesta, opera atque sermones, cogitationes atque animorum sensa. Vbi etiam adsistent millia millium & decies dena millia Archangelorum, & Angelorum, Cherubin, & Seraphin, Iustorum & Sanctorum, Prophetarum atque Apostolorum chori.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Iambico 19.

Nam dormientem me labor pungit quoque.
Ac si soporis quidpiam capiam, gemo.
Nam spectra noctis aspera metum afferunt,
Censura, iudex, flatio, cui comes tremor,

Hinc fons perennis bulliens flammas impias
Sine fine mentes vermis hinc morsu petens:
Hæc inter animus conscius, scelera arguens,
Vllo absque scripto.

Gregorius Nyssenus. 380.

De Beatitudinibus Orat. 5. Dicat nunc mihi quia nanimam pecuniarum materiam futuræ beatitudini præfert: quis auri splendor eiusmodi? qui pretiosorum lapidum fulgores? quis indumentorum ornatus talis, quale bonum illud esse spes suggerit atque proponit? cùm rex creaturæ in sublimi solio gloriæ magnificè præsidens, humanæ naturæ sese reuelauerit, & conspiciendum præbuerit? cùm circum ipsum innumerabiles Angelorum visæ fuerint legiones, atque adeò, cùm in oculis omnium fuerit arcanum & ineffabile illud regnum cælorum? ac rursus ex contrario demonstrata fuerint terribilia illa supplicia? in medio verò horum omnis hominum natura, qui à prima creatione vsque ad rerum vniuersarum consummationem nati fuerint, tum metu, tum spe futurorum stet suspensa atque sollicita in vtramque partem euentus expectatione sæpe tremens: atque etiam ijs, qui cum bona conscientia vixerint, futurum rei euentum suspectum habentibus? cùm alios viderint à praua conscientia in horridas illas ac tetras tenebras, tamquam ab aliquo carnifice trahi? si hic faustis pariter ac gratis ab ijs, qui beneficia acceperint, editis vocibus atque acclamationibus fiducia operum magnificus ac splendidus iudici se sistat: nunquid similem ac parem materialibus diuitijs felicitatem ac beatitudinem illam esse existimabit?

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia 47. ad populum Antiochenum: Assistemus tribunali Christi, & omnium erit acris examinatio. Si quis verò futurum non credit iudicium, quæ sunt hic videat, in vinculis positos, in metallis, in stercoribus, dæmonibus obsessos, errantes, incurabilibus laborantes morbis, cum continua certantes paupertate, in fame viuentes, irreparabilibus consternatos luctibus, in captiuitate positos. Non enim hi nunc passi essent, nisi & omnes alios, qui talia peccârunt, vitio maneret atque supplicium.

Homilia 8. ad populum Antiochenum, & Homilia 5. in epist. ad Rom. Vnusquisque vestrûm, charissimi, suam ingressus conscientiam, & peccata reputans, diligenter à semetipso pœnas exigat, ne quandoque cum orbe terrarum condemnemur. Tremendum enim illud subsellium, horrendum tribunal, tremore plena iudicia, ignis funditur fluuius, frater non redimit, redimet homo? Recordare siquidem, quæ dicuntur in Euangelio, circumcurrentium Angelorum, sponsalis thalami clausi, extinctarum lampadum, potestatum in fornaces detrahentium. Et illud pensa, quòd si cuius ex nobis factum occultum in medium hodie coram sola produceretur Ecclesia, quomodo non perire, & sibi terram hiscere precaretur potius, quàm tot malitiæ testes habere? Quid tunc ergo patiemur, cùm in medium coram mundo cuncta promentur, in theatro tam claro & illustri, & nobis notis & incognitis omnia spectantibus? &c. Si mille dixeris gehennas, nihil illius par dices doloris, quem sustinet anima, dum totus terrarum orbis conuoluitur, canentibus tubis, Angelis præcurrentibus primis, tum secundis, mox tertijs, demum innumeris ordinibus in terram se fundentibus, insuper autem & Cherubin (multa verò sunt hæc & infinita) & Seraphin, in illa ineffabili gloria ipso veniente, occurrentibus his qui vnerint, & in medium electos agant: Paulo cum socijs omnibus, & quicunque probabiles apud eum fuerunt, coronas, præconia, & honores à rege suscipientibus coram toto cælesti exercitu. Nam si neque gehenna consequatur, hos quidem honorari, illos verò contemni, quantum est? Intolerabilis gehenna, confiteor, & multum intolerabilis: tamen intolerabilior hæc regni amissio, hoc cogitate, &c. Cogitemus quanta priuamur gloria, cùm liceat non priuari. Hoc enim graue est, quòd cùm domini simus, ne hoc patiamur, patimur: cùm hos quidem suscipiat, & ad Patrem in cælos perducat: hos autem relinquat, & captos angeli quidam inuitos trahant, & lachrymis perfusos, & deorsum ruentes in gehennæ flammam, prius coram toto terrarum orbe ad dedecus productos: quantum dolorem esse putas?

Homilia 5. de Pœnitentia: Responde iudici priusquam in prætorium veniat. An ignoras eos, qui iudicem mitigare volunt, non ipso in examine causæ, sed priusquam iudicij ingrediatur locum, beneuolum sibi faciunt, vel amico mediatore, vel præsule, aut modo alio sibi iudicem conciliant? Igitur & Deo non sessionis tempore suadendum erit iudici, ante verò iudicij tempus mitigabilis est iudex. Quare dicit Dauid: *Præoccupemus faciem eius.* Illic magnum iudicem ars rhetoris nulla decipiet, & nullius potentia mitigatur, dignitati non condescendit, non veneratur personam: sed tremendum & implacabile iusti iudicium. Hic verò iudicem exorabimus, & placabimus, non pecunia: magis autem (si verum dicere oportet) clemens ipse priusque pecunia suadetur: non ipse manu, sed per inopes accipiens. Da inopi pecuniam, & iudicem mitigaueris.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Oratione de exitu animæ, & secundo Christi aduentu: Metuo ineuitabiles probationes. Nihil enim accusatoribus eget iudex ille, neque testibus, neque demonstrationibus, neque probationibus. Sed quæcunque fecimus, diximus, decreuimus, ea in medium adfert ob oculos nocentum. Tum nullus est qui adsit, & pœnis eripiat: non pater, non mater, non filius, non filia, non alius quisquam cognatorum, non vicinus, non amicus, non defensor, non pecuniarum largitio, non diuitiarum abundantia, non potentiæ fastus: quin hæc omnia cineris ritu in puluerem abeunt, solusque reus ex suis factis absoluentem, aut condemnantem sustinet sententiam, &c. Pudefiat omnis impiorum hæreticorum secta: operiatur genus infidelium: pereat Iudæorum collegium: obturentur impura ora Deum negantium Hebræorum, cum cùm ille animorum probator, renum vestigator, quouis ancipiti ense acutior, penetrans vsque ad diuisionem carnis & spiritus, commissurarumque, & medullarum, & mentis cogitationes dijudicans, iudex sedebit. Tunc, tunc inquam, non paucos nescio quos de multis, sed omnes detectos inspiciet, neque pellis ouina lupum tegere poterit, neque operum tectorium interiorem occultare cogitationem. Non enim vlla rerum natura abdita iudicanti, sed nuda omnia, & eius oculis exposita.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 1. epist. 94. Hæc verba nuda & aperta, translatione ducta à victimis, quæ ad sacrificium adhibentur, à Paulo ingenti sapientiæ viro scripta sunt. Heb. 4. Quemadmodum enim illæ, cùm pelles detrahuntur, omni conspicuo indumento spoliantur, abditarumque internè partium statum & affectionem indicant, atque ad ossium omnium & membrorum indagationem, vt omnia ob rei, cui adhibentur, puritatem expurgentur: eodem etiam modo in magno illo Domini die actionum nobis incognitarum & obscurarum patefactio cun-

cta de-

sta denudabit, dissectioniq; similis apparebit. Neque enim quisquam latere poterit, verùm omnes in apertum adducentur.

Epistola 222. Per id, quòd viuos & mortuos iudicandos esse ait Scriptura, illud significatur fore, vt anima & corpus simul in iudicium veniant, nec alterum ab altero seiungatur, verùm quemadmodum in hac vita communem coniunctionem habuerunt: sic etiam futurum iudicium subeant.

Theodoretus. 450.

De Graecarum affectionum curatione lib. 11. de iudicio: Nos iudicē nobis eum expectamus, qui & nos fecit, optimè conscium naturę illius, quam ipse effinxit, neque eius facta solùm dictaq; callentem, sed ipsos quoque internæ cogitationis motus iudicabit autem nos, huius nostrę humanitatis vestem indutus: suæ namque diuinitatis natura oculis cerni non potest. Hinc & seipsum hominis Filium sæpe appellat, quia videlicet ij, qui iudicabuntur, nostram hanc naturam in eo videbunt. Eam ob rem Paulus Apostolus, cùm apud Athenienses concionaretur, sic inquit: *Tempora igitur ignorantiæ Deus non curans, nunc annuntiat omnibus vbique hominibus, vt pœnitentiam agant, eò quòd statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis.* Acto 7.

Esaias Abbas. 470.

Oratione 1. Ea vos cura solicitet, quomodo coram Deo consistatis in horrendo illo iudicij die, cùm pro cuiusque opere, & sermone, & cogitatione merita præmia tribuentur: Omnia enim sunt nuda & aperta oculis eius, cui vobis reddenda est ratio.

Basilius Seleuciæ Episcopus. 480.

Oratione de Transfiguratione Christi: Si repentinam non ferimus fulguris coruscationem, sed ea eum, qui cernit, in humum sæpe deijcit: quid, dixerit quispiam, exorientem eum videns, qui fulgurat? quando sonitus tubarum vocabunt mortuos è sepulchris: quando rumpentur capsæ monumentorum, vinctos emittentes: quando iudicabuntur proposita, facta, & cogitata: quando vinctus adducetur diabolus, de quo tyrannicarum sumentur pœnæ cogitationum: quando separabuntur greges hominum, vt sciatur quis cuinam sit parti attribuendus, quisnam sit futurus Christi iudicis, aut condemnati latronis: quando simul viuentes & mortui confluent. Erit enim vna omnium adoratio, quandoquidem celeritas resurrectionis faciet eorum, qui immutabuntur, corpora in cursu æqualia, conuenienter voci beati Pauli: *Nos qui viuimus, qui relicti sumus, non præueniemus eos, qui dormierunt.* Nec erit mortuus ijs, qui viuunt, propter sepulchrum tardior. Et omnes eius sententiam expectabunt cum timore, &c. 1. The. 4

Olympiodorus. 500.

In Ecclesiastis cap. 8. Sapiens omnia suo tempore discretè facit, in iudicioque disponit: nouit ad futurum vniuersalis iudicij tempus, in quo Deus iudex iustus iustitias iudicabit, vnicuique pro dignitate.

In cap. 12. Deus adducet omne opus humanum in iudicium, rationem à nobis exigens eorum, quæ gesserimus in vita, siue illa bona sunt, siue mala, &c. Omnes prædictæ peccatorum animæ, sed fortasis, & iustorum animæ admirabuntur & obstupescent, quando adducentur in viam iudicij, & videbunt ex alto venientem in nubibus Filium hominis, in gloria Patris sui, quando mortui resurgent in iussu & voce tubæ Archangeli.

Dorotheus Abbas. 520.

Doctrina 3. Præstet nobis Deus hæc omnia non tam audire, quàm obseruare, ne in iudicio extremo patrum nostrorum exhortationes optimæ in iudicium & condemnationem nobis fiant.

Ioannes Climacus. 580.

Gradu 20. Sicut impossibile est, vt qui esurit non recordetur panis, ita fieri non potest, vt qui saluari cupit, exitus sui extremique iudicij obliuiscatur.

Isychius Hierosolymitanus. 590.

Lib. 2. in Leuiticum cap. 6. Ab omni corruptione mundum est futuri seculi iudicium.

Antiochus. 600.

Homil. 107. Compunctio fletum parit, & lachrymas. Non mediocri negotio obuenit homini, nisi forsan exercitatio prolixior anteuerterit, aut cōmemoratio formidabilis illius Iudicij, & vicariæ retributionis eorum, quæ iniquè gessimus sermone, opere, cogitatione. Aut certè per pudorem, ac dedecus, quod damnandos manet ante illud formidabile tribunal, in conspectu Angelorum & hominum, vniuersarumque cælestium virtutum, cùm nuda & aperta erunt omnia, quando vnusquisque nostrûm præsentabitur pro se responsurus, cùm nemo alteri poterit esse auxilio. Quando cunctis arcana patescent, nulli eatenus comperta & explorata, nisi quæ cuiusque conscientia nouit: quin potius plurima, quæ ne cor quidem nostrum scit, præter Deum, qui corda scrutatur & renes. Cum *ignis in conspectu eius* procedet, & *inflammabit in circuitu inimicos eius*: quando condemnabuntur, hi quidem in tenebras exteriores ablegandi, quæ paratæ sunt diabolo, & angelis eius: illi verò præcipitandi in ignem æternum. Et quidem alij propellentur addicendi nunquam dormituro vermi, alij voragini tradentur tartareæ. Psal. 49

Sophronius Hierosolymitanus. 620.

Epistola ad Sergium Constantinopolitam: Christus iterum veniet, iudicium mortuorum & viuorum facturus, & singulis redditurus secundùm opera, quæ vnusquisque operatus est.

Maximus Monachus. 640.

Centur. 8. cap. 55. Statera voluntatis cuiusque in iudicio est naturæ sermo, qui motum ipsius ad miseriam aut beatitudinem vergere arguit, secundùm quem vitæ diuinæ participes aut expertes esse solemus. Siquidem quatenus sint, aut semper sint Deus præsens complectetur omnes. Quantum verò ad perpetuam beatitudinem, singulari quodam modo solos Angelos sanctos & homines, relinquens eis, qui non sunt eiusmodi, pro confuso animi, fructu miseriam sempiternam.

Constantinus Quartus Imp. 670.

Epistol. ad Synodum Constantinop. Excusantes nos in iudicio Dei, imminente nobis, iuxta quod constituti sumus seruare fidem sanctam, & immaculatam, quam percepimus vnoquoque proprio sensu abūndare, rationem reddituri ante sanctum & terribile tribunal Dei nostri.

Ioannes Damascenus. 730

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 28. Resurgemus animis & corporibus nostris, immortalibus iam & corruptioni exutis, rursus coniunctis, atque horrendo Christi tribunali sistemur.

Oratione de defunctis: At verò in amplissimo illo ac generali theatro quemadmodum actiones omnium detectæ, ita omnium quoque facies omnibus notæ atque conspicuæ erunt, quoadusque omnes extremum à se inuicem seiungantur, atque quem sibi quisque locum parauit, in eum mittatur. Ac iusti quidem cum Deo & secum vnà erunt: peccatores autem in exteris & miseris locis, etsi alij cum alijs, sic tamen, vt mutuò se minimè agnoscant. Nam huiusmodi quoque

solatio carebunt. Quoniam enim alioqui pudore suffundentur ij, qui tum in pudore atque infamia versabuntur, si non omnibus conspicui sint? Etenim tum denique ingens & grauis pudor oboritur, cùm quispiam simul & agnoscit, & agnoscitur. Quisquis enim erubescit, eos demum, quibus notus est, erubescit. Quandoquidem is, qui inter ignotos ignotus versatur, in nulla propemodum infamia versatur, cùm erubescit. Quòd itaque omnes nos mutuò agnituri simus, extra dubitationem omnem & controuersiam est. Ac tum omnes, qui turpiter & fœdè vixerunt, ante omnium oculos coarguentur. Ac proinde ô miseros mei similes, &, vt beati Ephræm verbis vtar, væ ijs, qui in sinistro ordine censebuntur: contra beati, ac summè beati, quos Dominus à dextris collocabit, quiq; benedictam illam vocem audient.

Nicephorus Constantinopolitanus. 800.

Epistola ad Leonem Tertium. Credo denique Christum assumptum esse in cælos, & ad dextram Dei Patris consedisse, & cum assumpto corpore, non absque gloria diuinaq; maiestate, olim denuò venturum esse, iudicemq; sessurum, & vnicuique iuxta vitæ suæ rationes redditurum. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi.*

Theophylactus. 900.

In Matthæi cap. 16. Iudex enim tunc (*in extremo iudicio*) nos excipiet, dona respuens: nam iuxta opera sua iudicabit vnumquemq;. Est autem & metuendus. Veniet enim in gloria sua, & cum Angelis, & non contemptibilis.

In Marci cap. 8. Quem igitur puduerit crucifixum confiteri Deum suum, illius & ipsum pudebit. Indignum se illum seruum iudicabit, cùm venerit, non tunc humilis, neque (sicut hic apparebat) contemptus ita, vt quem eius tunc pudere debeat: sed in gloria, & cum comitatu Angelorum.

In Lucæ cap. 17. Sicut proposito cadauere omnes carniuoræ volucres aduolant: ita & vbi Filius hominis &c. de cælo apparuerit, omnes Sancti congregabuntur, & ipsi Angeli. Cum illis enim veniet in gloria Patris, & in splendore indicibili: licet tempus illud noctem vocarit, eò quòd repentinũ & inopinatum, vel quia tenebris inoluentur peccatores. Iustis enim lux orietur, imò & ipsi fulgebunt sicut sol.

Oecumenius. 1050.

In cap. 3 *posterioris Petri:* Quoniam varijs modis facta est ad salutem vocatio, ac multiplex ab incredulitate perditio, propterea necessarius est ignis cataclysmus: interitus quidem, licet non omninò perfectus, non sanè animarum, sed neque corporum. Omnes enim nos manifestari oportet coram tribunali Christi, non animis corporibus nudatis, sed vnà cum corporibus, ipsisq; incorruptibilibus. Quomodo enim nuda anima referret ea, quæ per corpus peccata sunt? Siquidem non est iusti iudicis, cùm duo in eodem peccauerint, vnum dimittere, totumque crimen in alterum transferre, &c.

Euthymius. 1080.

In caput 25. Matth. *Esuriui enim. & dedistis mihi edere.)* Hinc manifestum est, quòd ad solos Christianos verba facit, ad quos Euangelij sui verba facta sunt. Nam ad infideles nullus tunc erit ei sermo. Omnes enim simul per se condemnati erunt. Ideo enim dicit: *Non resurgunt impij in iudicio* vt iudicentur, sed vt puniantur.

Nicetas Choniates. 1200.

Libro 4. *heresi* 31. Cæteris iudicijs antiquatis, omnique tormenti & inquisitionis genere longum valere iusso, operum nostrorum iudicium coram solo Deo nobis superfuturum constat. Nullus enim illic erit, qui rerum administrationem alijs ambitione extorqueat, aut iudicia circumueniat, aut iudicis voluntatem sibi concilient, aut legem diuinam & insolubilem immutet.

Athanasius Constantinopolitanus. 1300.

Epistola 5. Præterea dicimus de rapiendis obuiam Christo, quando *cæli magno impetu transibunt: terra autẽ, & quæ in ipsa sunt opera exurentur: quæ quidẽ cùm expectentur, quales quæso, & quàm sanctos esse nos oportet?* Debemus etiam commemorare iudicium extremum, subsellia apposita, præsidentem iudicio antiquum dierum, libros apertos, fluuium ignis, deinde eos, qui ad dextram erunt, commendatos bonis operibus, processuros in resurrectionem vitæ, eos verò, qui ad sinistram, processuros in resurrectionem iudicij.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 2. Rursus futurum est, vt Christus denuò redeat, non velut ante, in vili figura, & statu humili, homoque, quod ad externam speciem attinet, sub qua Deus sit intelligendus: sed instar Dei manifesti, & ceu Vnigenitus Dei Patris Filius, in gloria sua cum omnibus Angelis, cunctisq; ordinibus cælestium, quemadmodum Dauid dicit: quòd veniet ad iudicandam terram, & ad iudicandum orbem.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

De Præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 13. Regula est autem fidei, vt iam hinc quid credamus profiteamur, &c. (*Christum*) venturum cum claritate, ad sumendos Sanctos in vitæ æternæ & promissorum cælestium fructum, & ad prophanos iudicandos igni perpetuo, facta vtriusque partis resuscitatione cum carnis resurrectione.

De Testimonio animæ cap. 4. Iam nunc quod ad necessariorem sententiam tuam spectet, quantum & ad ipsum statum tuum tendit, affirmamus manere post vitæ dispunctionem, & expectare diem iudicij, proque meritis aut cruciatui destinari, aut refrigerio, vtroque sempiterno.

De Spectaculis cap. 30. At enim supersunt alia spectacula, ille vltimus & perpetuus iudicij dies, ille nationibus insperatus, ille derisus, cùm tanta seculi vetustas, & tot eius natiuitates vno igni haurientur.

Cyprianus. 250.

Ad Demetrianum numero 8. Retrò est iudicij dies, quem Scriptura sancta denuntiat, dicens: *Vlulate, proximus est enim dies Domini, & detritio à Deo aderit. Ecce enim dies Domini venit insanabilis indignationis & iræ, ponere orbem terræ desertum, & peccatores perdere ex eo.* Et iterum: *Ecce dies Domini venit ardens velut clibanus, eruntq; omnes alienigenæ, & omnes iniqui stipula: & succendet illos aduenieus dies, dicit Dominus.* Succendi & cremari alienigenas præcinit Dominus, id est, alienos à diuino genere, & profanos, spiritualiter non renatos, nec Dei filios factos. Euadere enim eos solos posse, qui renati & signo Christi signati fuerint, alio in loco Deus loquitur: quando ad vastationem mundi & interitum generis humani Angelos suos mittens, grauius in vltimo comminatur, dicens: *Vadite, & cadite, & nolite parcere oculis vestris. Nolite misereri*

Esa. 13. Mal. 4. Ezec. 9.

seniori,

senioris, aut iuuenis, & virginis: & paruulos, & mulieres interficite, vt perdeleantur. Omnem autem, super quẽ signum scriptum est, ne tetigeritis. &c. Quæ tunc erit fidei gloria, quæ pœna perfidię, cum iudicij dies venerit? quæ lætitia credentium, quæ mœstitia perfidorum?

Lactantius. 320.

Lib. 7. diuinarum institut. cap. 1. Superest, vt de iudicio Dei disseramus, quod tum constituetur, cùm Dominus noster redierit in terram, vt vnicuique pro merito aut præmium persoluat, aut pœnam.

Cap. 19. Hic est liberator, & iudex, & vltor, & Rex, & Deus, quem nos Christum vocamus, qui prius quàm descendat, hoc signum dabit: Cadet repentè gladius è cælo, vt sciant iusti ducem sanctæ militiæ descensurum: & descendet comitantibus Angelis in medium terræ, & præcedet eum flamma inextinguibilis.

Cap. 20. Post hæc aperientur inferi, & resurgent mortui, de quibus iudicium magnum idem ipse rex, ac Deus faciet, cui summus Pater iudicandi & regnandi dabit maximam potestatem.

Iuuencus. 330.

Historiæ Euangelicæ libro 4.

En hominis natus veniet, Patrisq; ministris
Stipatus celsa iudex in sede sedebit.
Tunc gentes cuncta diuersis partibus orbis
Conuenient, iustosq; omnes de labe malorum
Secernet, dextraq; libens in parte locabit.
Ac prauos laua despectos parte relinquet.
Vt pastor pecoris discernit pascua mixti,
Lanigeris dextra permittens mollia parti,
At lauos hirtis dumos tondere capellis, &c.

Hilarius. 350.

Canone 28. in Matthæum. De iudicij tempore, aduentuquę commemorat, quo fideles ab infidelibus separabit, atque ab infructuosis fructuosa discernet: hœdos videlicet ab agnis: & in dextra ac sinistra collocans vnumquemque, digna aut bonitatis aut malitiæ suæ sede constituet: iudicans se in minimis suis, id est, ijs, qui sibi cum humilitatis suæ expectatione famulentur, & esurientibus ali, & sitientibus potari, & peregrinantibus contoueri, &c.

Ambrosius. 370.

De fide resurrectionis: Hæc est series & causa iustitiæ, vt quoniam corporis animiquè communis est actus, quæ animus cogitauit, corpus effecit, vtrumque in iudicium veniat, vtrumque aut pœnæ dedatur, aut glorię reseruetur.

Hieronymus. 390.

Ad cap. 30. Ezechielis. Leo rugiet, & quis non timebit? Dominus locutus est, & quis non prophetabit? *Vlulate*, inquit, *Væ, væ diei, quia iuxta est dies, & appropinquat, dicit Dominus* dies nubis, tempus siue finis gentium erit. Duplex consummatio est: aut generaliter omnium, quando finis mundi aduenerit: aut specialiter singulorum, quando tempus mortis institerit.

Epistola 1. ad Heliodorum cap. 9. Delicatus es frater, si & hic vis gaudere cum seculo, & postea regnare cum Christo. Veniet, veniet illa dies, qua corruptiuum hoc & mortale, incorruptionem induat, & immortalitatem. *Beatus seruus, quem Dominus inuenerit vigilantem.* tunc ad vocem tubæ pauebit terra cum populis, & tu gaudebis. Iudicaturo Domino, lugubre mundus immugiet: tribus ad tribum pectora ferient: potentissimi quondam reges, nudo latere palpitabunt exhibebitur cum prole sua verè tunc igniteus Iupiter: adducetur & cum suis stultus Plato discipulis: Aristotelis argumenta non proderunt. Tunc tu rusticanus & pauper exultabis, & ridebis, & dices: Ecce crucifixus Deus meus: ecce iudex, qui obuolutus pannis in præsepio vagijt. Hic est ille operarij & quæstuariæ filius: hic, qui matris gestatus sinu, hominem Deus fugit in Aegyptum, &c.

In Regula Monacharum cap. [illegible]. Sic & vos charissimæ sopitæ somno quietis & pacis, expectetis spõsum & iudicem vestrum, expectetis magnum & terribilem diem iudicij, diem videlicet iræ, diem calamitatis: vbi cælum simul cum terra pauebit, cælorum omnes mouebuntur virtutes, trementes erunt Angeli simul cum Sanctis omnibus: tunc singulorum vitæ discutientur, discrimina & merita apparebunt. Semper tuba illa terribilis vestris obstrepet auribus: Surgite mortui, venite ad iudicium. Ecce rex in manu potenti venit, à cunctis vult exigere rationem, certè de cogitationibus minimis, certè de leuibus & otiosis verbis. Si reddere de singulis rationem paratæ non eritis, proijciemini in carcerem exteriorem, audietis à iudice: *Ite maledictæ in ignem æternum, paratum diabolo & angelis eius.*

Ruffinus. 390.

In Apologia ad Anastasium: Dicimus quoque iudicium futurum, in quo iudicio vnusquisque recipiat propria corporis, prout gessit, siue bona, siue mala.

Augustinus. 400.

De Ciuitate Dei lib. 20. cap. 30. Nullus igitur vel negat, vel dubitat, per Iesum Christum tale, quale istis sacris literis pronuntiatur, futurum esse nouissimum iudicium, nisi qui eisdem literis, nescio qua incredula animositate, seu cæcitate, non credit, quæ iam veritatem suam orbi demonstrauere terrarum. In illo itaque iudicio, vel circa illud iudicium has res didicimus esse venturas: Heliam Thesbiten, fidem Iudæorum, Antichristum persecuturum, Christum iudicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumquè diremptionem, mundi conflagrationem, eiusdemquè renouationem. Quæ omnia quidem ventura esse credendum est: sed quibus modis, & quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet consequi ad perfectum hominum intelligentia.

Tractatu 24. in Ioannem: Hominibus in iudicio non apparebit nisi Filius: Pater occultus erit, Filius manifestus. *Non ergo Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio, &c.* Ecce forma hominis Christi videbitur in iudicio, à pijs & impijs, à iustis & ab iniustis, à fidelibus & ab infidelibus, à gaudentibus & plangentibus, à confisis & confusis.

Sermone 67. de Tempore: Quid faciemus, charissimi, in illo metuendo iudicij die, cùm tremente mundo Dominus, præcinentibus Angelorum buccinis, in illo maiestatis suæ throno, circundatus cælestis militiæ luce consederit: ibiquè de terræ gremio & antiquo puluere suscitato humano genere astante testimonio conscientiæ singulorum, positis in conspectu peccatorum pœnis, iustorumq; præmijs, rationem vitæ cœperit postulare, & plus iam iustus, quam misericors, seueritate iudicis cõtemptæ misericordiæ reos cœperit accusare, & dicere: Ego te, ô homo, de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infudi spiritum, &c. irridentium palmas & sputa suscepi, acetum cum felle bibi, flagellis cęsus, vepribus coronatus, cruci affixus, vulnere perfossus, vt tu eripereris morti, &c. Cur quod pro te pertuli perdidisti? Cur ingrate redemptionis tuæ munera renuisti? &c. Et quia post omnia mala tua ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluisti, ab auditu malo non mereberis liberari. Qui tunc erit stridor dentium, cùm Sanctorum

multitu-

multitudine ad dexteram regis & ad gloriam segregata, peccati populus in profunda tartari, fine vlla miserationis ac veniæ spe demersus, excludi è tenebris suis à beata Sanctorum luce viderit, & in profundi sinum sine fine descendens, vrgente os suum puteo, æternæ supplicia, & perpetuam mortem, non moriturus aspexerit?

Paulinus Nolanus. 410.

Epistola 42.

Deinde cuncti, tota Sanctorum cohors
Ad corpus illud vertitur,
Quò sicut aquilæ congregabuntur pij,
Et vos volantes ibitis,
Quod non valebunt, quos humo tolli vetant
Patrimoniorum pondera.
Cùm prima signum suscitandis mortuis
Cælo tuba intonauerit,
Hi nunc obesi spiritu superbiæ,
Et opibus inflati cauis,
Nummi manebunt compediti, nec suis
Sese explicabunt vitijs,
Quibus infideles nunc ligantur, vt volunt,
Tunc attinendi ne volent:
Quia sarcinatos & grauatos rebus suis
Mundi caduci diuites
Portare tenera non valebunt nubila
Ad regis occursum Dei:
Sed hæsitantes in luto fæcis suæ,
Opumq; pressos molibus,
A meridiano incendio mundi repens
Ruina mortis opprimet.

Maximus Taurinensis. 430.

Homilia in expositione Symboli: Necesse est, vt hominum genus ille discutiat, qui creauit, & ipse iudicet, qui redemit: iustumque est, vt omnipotens Dominus mortales suos, quos diuinitatis virtute natione discernat. Nam quid esse potest æquius apud Deum, quàm vt, quorum in seculo fuit vita diuersa, eorum post hoc seculum merita distinguantur? vbi autem iudicandi referuntur, ac mortui: vt omnium hominum esse apud Deum cura credatur.

Sixtus Tertius. 433.

De malis Doctoribus, & operibus fidei: Quid faciemus, dum ille aduenerit dies, cùm astantibus Angelis, Archangelis, Potestatibus, & cæteris cælestis militiæ turmis, consistentibus ante Filij Dei tribunal, omnium occulta pandenda sunt, & vniuersorum etiam cordium secreta reuelanda? cùm vnuscuiusque actus conscientia magis, quàm sermo testabitur: quo celare iam iniustitiam non licebit, quo simulari sanctitas vltra non poterit, quo quis non tam sua prodet gesta, quàm ab his prodetur ipse, quæ gesserit.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 59. Si credimus venturum iudicem, innocentia iudici nos præparemus: iudicium negat esse, aduenire non credit: iudicandum se satis iste diffidit, qui malè viuit. Iudicat viuos, iudicat & mortuos: quos vtique iudicaturus exsuscitat.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Homilia 5. ad Monachos: Si volumus intelligere, quàm graues apud se faciat iudex noster hominum culpas, respiciamus ad pœnas. Quantum enim nunc patiens est Deus noster in sustinendis delictis nostris, tam seuerus erit in discutiendis: & sicut inæstimabilem parauit iustis gloriam: ita inæstimabilem parauit improbis pœnam. Ergo suppliciorum acerbitatem è contrario de præmiorum ipsorum magnitudine colligamus. Quia qui nouit remunerare merita, nouit punire delicta. Saluberrima ergo est, & multum necessaria, futuri iudicij recordatio, præteritorum commemoratio, vel deploratio delictorum.

Leo Primus 450.

Sermone 4. de Collectis: Veniet in maiestatis suæ gloria Dominus, sicut ipse prædixit, aderitq; cum eo radians in splendoribus suis, innumerabilis Angelicarum multitudo legionum, congregabuntur ante thronum potentiæ eius omnium gentium populi, & quicquid hominum vniuersis seculis toto terrarum orbe progenitum est, in conspectu iudicantis astabit. Separabuntur ab iniustis iusti, à nocentibus innocentes, & cùm præparatum sibi regnum retensitis misericordiæ operibus filij pietatis acceperint, exprobrabitur duritia sterilitatis iniustis: & nihil habentes sinistri commune cum dextris, in ignem, ad diaboli & angelorum eius tormenta dispositum, omnipotentis iudicis damnatione mittentur: cum illo habituri pœnæ communionem, cuius elegerunt facere voluntatem. Quis igitur istam sortem æternorum cruciatuum non pauescat? Quis mala nunquam finienda non timeat?

Prosper Aquitanicus. 460.

Libro 3. de vita contemplatiua cap. 12. Age iam cùm ad illud vltimum iudicium venerimus, ab eo iudice iudicandi, qui nec falli occultatione criminum potest, nec ad impunitatem promerendam muneris alicuius oblatione corrumpi: cùm cœperint omnium secreta reuelari, & non solùm actus ac verba, sed etiam ipsæ cogitationes ostendi, quid faciemus sub tanti iudicis maiestate? quid excusationis obtendere poterimus? &c. An fortè aliquos ibi fragilitas corporis excusabit? Sed excusationi eorum reclamabunt omnium Sanctorum exempla.

Sedulius. 460.

Elegia de mirabilibus diuinis:

Adueniet Dominus dare digna pijs, mala prauis:
Credite iam miseri, adueniet Dominus.
Visio Christe tui tormentum & pœna malorum est.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 27. Cogitemus illius iudicis incessanter aduentum, qui vtinam sic nos paratos inueniat, quomodo nemo potest dubitare quòd veniat. Quòd si requiras quomodo veniet? In illo vtique corpore, quod pro nostra salute susceptum, pro nostra absolutione natum, & pro nostrorum vulnerum medicina lancea clauisque confixum est. Prima enim erit in reos intoleranda sententia, reuerendarum præsentia cicatricum. Quid igitur illo tempore facturi sumus, quando contra illius crucifixi Domini liuores, notæ peccatorum nostrorum & maculæ libidinum proferentur? Aut quo putas vultu respiciet redemptio nostra perditionem nostram? Tantum grauiora erunt humana delicta, quantum maiora se ostenderint diuina beneficia. Verendum est autem, ne illam vocem resurrectionis, pretiosæ crucis vestigia protestantem, etiam in iudicio suo ad vasa iniquitatis prolaturus sit, *Infer digitum tuum huc, & vide* Ioan. 20.
manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & agnosce quòd pro te impio pietas diuina perpessa sit. Illa vtique clauorum signa, bonis salutaria, malis terribilia, quæ vsque ad diem iudicij non delentur. Et post hæc quid sequitur, nisi illud interpositum inter viuos ac mortuos expauescendum chaos, vastumque discrimen exclusæ à natura viuentium tenebræ exteriores, &c.

Gennadius Massiliensis. 470.

De Ecclesiasticis dogmatibus cap. 7. Quòd dicimus in Symbolo, in aduentu Domini viuos & mortuos iudicandos, non solùm iustos & peccatores significari, sicut Diodorus putat, sed viuos eos, qui in carne inueniendi sunt, credimus: qui adhuc morituri creduntur, vel immutandi sunt, vt alij volunt, vt suscitati continuò, vel reformati, cum ante mortuis iudicentur.

Salonius. 410.

In Ecclesiasten: Sapiens ad hoc laborat, vt in die iudicij ad dextram Domini, id est, in sorte iustorum stare mereatur, & cum ipsis in æterna beatitudine gloriari. Stulti in die iudicij à sinistris, id est, in sorte reproborum ponentur, & cum ijs in æternum punientur.

Saluianus. 480.

Libro 1. de prouidentia: Nec arbitrandum est in die iudicij illos tantùm à Dei Filio denegandos, qui martyrio Christum negauerunt: sed per omnia opera, sermones, & cogitationes Christus vel negatus negat, vel confessus confitetur.

Alcimus Auitus. 500.

Libro 3. de Sententia Dei:

Exordia finem
Signant, & similem prædicunt affore luctum,
Qui manet in finem, malè ducta tempora vitæ,
Vltima cùm mundi senium consumpserit ætas,
Cumq; repentinus percusserit omnia fulgor,
Cælorum clangente tuba, qua nuntius ante
Iudicis aduentum concussum terreat orbem.
Tunc cùm synceros pastor discreuerit agnos,
Hœdis disparibus diuersa in parte locatis, &c.
At quos terribili iudex decreuerit hora
Viuere post mortem, pœnaq; ardere perenni,
Subtrahet optato grauior sententia letho.
Cumq; foret melius dispersis corpora membris
Carpere perpetuum dura sub morte soporem:
Inuitos tamen vrna trahet, quæis sola voluntas
Rursus posse mori, sensuq; carere dolendi.
Sed sic accipiet feruentis flamma camini,
Ambustura suas vt nunquam finiat escas.

Symmachus PP. 500.

In Apologetico aduersus Anastasium Imperatorem: Sic recessit ab humanis mentibus Deus, vt obstinantes contra eius voluntatem, non aspiciant, & in isto seculo diuinum non deesse posse iudicium, & post huius vitæ cursum illi sit tremendo non defuturus examini, sub quo perniciosorum studia modis omnibus actionum discussa patefiant, & patefacta puniantur, nisi qui hæc omninò non credunt, quique illa se perpetrasse impunè confidunt. Nos autem humani generis conscientiam contestati, qua possumus voce nullatenus cessamus omnipotentem Deum suis causis minimè defuturum, & quantacunque sit humana præsumptio, quantacunque potentia, sub diuino nutu huius atrocitatis censuram sine dubitatione vindicandam. Nam talem ausum neque hic confidimus euasurum, & in illo magno Dei iudicio recepturum, quod ijs temeritatibus diuina retributione debetur.

Laurentius Nouariensis. 500.

Homilia de eleemosyna: Dies malus vel malorum quis est, nisi dies iudicij, dies terribilis futuri examinis? Prouide tibi homo, compone vineas tuas, colloca te hic in ore pauperum. Conclude eleemosynam tuam in esurientium victum, vt dies ille tremendus non tibi in metu veniat, sed in voto. Ille namque dies properat, qui strictis hominibus amarus emergit, misericordibus verò optabilis est & affabilis.

Fortunatus. 580.

In expositione Symboli: Nos intelligimus viuos & mortuos, animas & corpora pariter iudicanda esse. Nam de aduentu Domini & Malachias ait: *Ecce venit Dominus omnipotens.* Et Daniel: *Ecce in nubibus cæli quasi Filius hominis.* Et illud: *Sicut fulgur ab Oriente, ita erit aduentus Filij hominis.* Mal. 3 Dan 7 Matt. 24

Libro 4.

Felices, quos nulla grauant de morte secunda,
Nec faciunt pœnis subdita membra feris:
Dulcibus illecebris qui non sibi condit amarum,
Nec per carnem animam vult sepelire suam:
Infelix quisquis maculosis actibus vsus,
Arte Redemptorem se laqueasse studet.
Nubibus inuectus cùm venerit arbiter orbis,
Et tuba terribilis commouet arma poli:
Hic venit Helias illic in curribus Enoch:
Anteeuando suos hinc Petrus, hinc Stephanus:
Flore puellarum rosea stipante corona
Inter virgineos prima Maria choros.
Tunc ibi quis terror, cæli assistente senatu?
Quid dictura anima iudicis in facie?
Mox aut pœna manet miseros, aut palma beatos,
Quisque sua vitæ semina iacta metet.
Sunt dicturi alij, cade mons, & comprime corpus:
Sed iussi colles ferre sepulchra negant.
Coguntur minimi quadrantem soluere nummi,
Nemo pedem remouet, quò sua culpa trahit.
Spe vacui, similes paleæ, mittentur in ignes,
Pascendis flammis sit caro nostra cibus.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 14. Moralium in Iob. cap. 34. aliàs 30. Vitari terror iudicis non nisi ante iudicium potest. Modò non cernitur, sed precibus placatur. Cùm verò in illo tremendo examine sederit, & videri potest, & placari iam non potest: quia facta prauorum, quæ diu sustinuit tacitus, simul omnia reddet iratus, &c.

Libro 26. cap. 24. aliàs 20. Vel certè iudicium pauperibus tribuit: quia hi, qui nunc nequiter opprimuntur, ipsi tunc super oppressores suos iudices veniunt. Duæ quippe sunt partes, electorum scilicet atque reproborum. Sed bini ordines eisdem singulis partibus continentur. Alij namque iudicantur, & pereunt, alij non iudicantur, & pereunt. Alij iudicantur & regnant, alij non iudicantur, & regnant. Iudicantur & pereunt, quibus Dominica voce in damnatione dicitur: *Esuriui, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me, &c.* Quibus præmittitur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Alij verò in extremo iudicio non iudicantur, & pereunt, de quibus Propheta ait: *Non resurgent impij in iudicio:* & de quibus Dominus dicit: *Qui autem non credit, iam iudicatus est.* Et de quibus Paulus ait: *Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.* Resurgunt ergo etiam omnes infideles, sed ad tormentum, non ad iudicium. Non enim eorum tunc causa discutitur: quia ad conspectum districti Iudicis iam cum damnatione suæ infidelitatis accedunt. Professionem verò fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur vt pereant. Qui verò nec fidei Sacramenta tenuerunt, increpationem iudicis in extrema examinatione non audiunt: quia præiudicati infidelitatis suæ tenebris, eius, quem despexerant, inuectione redargui non merentur. Illi saltem iudicis verba audiunt: quia eius fidei saltem verba tenuerunt. Isti in damnatione sua

Matt. 25
Psal. 1.
Ioan. 3.
Rom. 2.

æterni iudicis nec verba percipiunt: quia eius reuerentiam nec verbotenus seruare voluerunt. Illi legaliter pereunt: quia sub lege positi peccauerunt. Istis in perditione sua de lege nihil dicitur: quia nihil legis habere conati sunt.

Cap. 25. aliàs 20. Princeps namque terrenam Remp. regens, aliter punit ciuem interius delinquentem, atque aliter exterius hostem rebellantem. In illo iura sua consulit, eumq; sub verbis dignæ inuectionis addicit: contra hostem verò bella mouet, instrumenta perditionis exercet, dignaq; eius malitiæ tormenta retribuit: de malo verò eius quid lex habeat, non requirit. Neque enim lege necesse est perimi, qui lege nunquam potuit teneri. Ita ergo in extremo iudicio, & legalis illum inuectio percutit, qui ab eo, quod professione tenuit actione declinauit: & iste sine iudicij inuectione perimitur, qui lege fidei non tenetur. Ex electorum verò parte alij iudicantur & regnat, qui vitæ maculas lachrymis tergunt, qui mala præcedentia factis sequentibus redimentes, quidquid illicitum aliquando fecerunt, ab oculis iudicis eleemosynarum superductione cooperiunt. Quibus iudex veniens in dexter[illegible] assistentibus dicit: *Esuriui, & dedistis mihi ma[illegible] sitiui, & dedistis mihi bibere, &c.* Alij autem [illegible] [illegible]cantur & regnant, qui etiam præcepta legis p[illegible] one virtutum transcendunt, qui nequaquam hoc solum, quod cunctis diuina lex præcipit, implere contenti sunt, sed præstantiori desiderio plus exhibere appetunt, quàm præceptis generalibus audire potuerunt. Quibus Dominica voce dicitur: *Vos, qui reliquistis omnia, &c.*

Matt. 25.

Homilia 1. in Euangelia: Districtionem venturi iudicis Paulus considerans, ait: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Hanc Psalmista exprimit, dicens: *Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida.* Districtionem quippe tanti iudicis tempestas ignisque comitabuntur: quia tempestas examinat, quos ignis exurit. Illum ergo diem, fratres charissimi, ante oculos ponite, & quidquid modò graue creditur, in eius comparatione leuigatur. De illo etenim die per Prophetam dicitur: *Iuxta est dies Domini magnus, iuxta & velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris.* De hac die Dominus iterum per Prophetam dicit: *Adhuc semel, & ego mouebo non solùm terram, sed etiam cælum.* Ecce, vt prædiximus, aërem mouit, & terra non subsistit. Quis ergo ferat, cùm cælum mouerit? Quid autem terrores, quos cernimus, nisi sequentis iræ præcones dixerimus? Vnde & considerare necesse est, quia ab illa tribulatione vltima tanto sunt istæ tribulationes dissimiles, quantum à potentia iudicis persona præconis distat. Illum ergo diem, fratres charissimi, tota intentione cogitate, vitam corrigite, mores mutate, mala tentantia resistendo vincite, perpetrata autem fletibus punite. Aduentum namque æterni iudicis tanto securiores quandoque videbitis, quanto nunc districtionem illius timendo præuenitis.

Heb. 10.
Psal. 46.
Soph. 1.
Agg. 2.

Homilia duodecima in Euangelia: Pensate, fratres charissimi, ante conspectum tanti iudicis, qui in illo die terror erit, quando iam in pœna remedium non erit. Quæ illa confusio, cui reatu suo exigente continget in conuentu omnium Angelorum hominumque erubescere. Qui pauor, eum, quem & tranquillum mens humana capere non valet, etiam iratum videre. Quem diem bene Propheta intuens, ait: *Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, &c.* Pensate ergo, fratres charissimi, extremi diem iudicij super corda reproborum quæ asperitate Propheta vidit amarescere, quem tot appellationibus non valet explicare. Quanta verò tunc erit electorum lætitia, qui de eius merentur visione gaudere, de cuius conspectu vident & elementa omnia contremiscere, cum eo simul ad nuptias intrare? Qui & in sponsi nuptijs gaudent, & tamen ipsi sunt sponsa, quia in illo æterni regis thalamo visioni nostræ Deus coniungitur. Quæ scilicet visio nunquam iam in perpetuum ab amoris sui amplexibus euelletur. Tunc regni ianua lugentibus claudetur, quæ modò quotidie pœnitentibus aperitur. Erit namque & tunc pœnitentia, sed fructuosa iam non erit.

Soph. 1.

Isidorus Hispalensis. 620.

De summo bono libro 1. cap. 30. Iudicij diem nouit Christus, sed in Euangelio dicere, & scire discipulos noluit. Nam dum dicit idem Dominus per Prophetam: *Dies vltionis in corde meo,* indicat se non nescire, sed nolle indicare. In iudicio reprobi humanitatem Christi, in qua iudicatus est, videbunt, vt doleant: diuinitatem verò eius non videbunt, ne gaudeant. Quibus enim diuinitas eius ostenditur, vtique ad gaudium demonstratur. Pro diuersitate conscientiarum & mitis apparebit in iudicio Christus electis, & terribilis reprobis. Nam qualem quisque conscientiam tulerit, talem & iudicem habebit: vt manente in sua tranquillitate Christo, illis solis terribilis appareat, quos conscientia in malis accusat. Duæ sunt differentiæ vel ordines hominum in iudicio, hoc est, electorum & reproborum, qui tamen diuiduntur in quatuor. Perfectorum ordo vnus est, qui cum Domino iudicat, & alius, qui iudicatur: vtrique tamen cum Christo regnabunt. Similiter ordo reproborum partitur in duobus, dum hi, qui intra Ecclesiam sunt mali, iudicandi sunt, & damnandi: qui verò extra Ecclesiam inueniendi sunt, non sunt iudicandi, sed tantùm damnandi.

Esa. 63.

Concilium Toletanum Sextum 625.

Cap. 1. Dominum nostrum Iesum Christum in fine expectamus seculorum cum resurrectione omnium æquissimo suo iudicio redditurum iustis præmia, & impijs pœnas.

Eucherius Gallus. 640.

In Genesim lib. 2. cap. 20. *Cùm ergo occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas:* Significat iam in fine seculi per ignem iudicandos esse carnales. Sicut enim afflictio ciuitatis Dei, qualis antea nunquam fuit, quæ sub Antichristo futura speratur, significatur tenebroso timore Abrahæ, circa solis occasum, id est, ad ipsum iam finem, significatur isto igne dies iudicij, dirimens carnales per ignem saluandos, & in igne damnandos.

In libros Regum libro 3. Præsens mundus, qui per metas temporum voluitur, in sua extremitate à Domino est iudicandus.

Audoenus. 670.

Vita S. Eligij lib. 2. cap. 16. Considerate fratres, quia oportet me sine cessatione vestros animos ad timendum Dei iudicium, & ad desideranda cælestia præmia excitare: vt vobiscum pariter merear in Angelorum consortio perpetua pace gaudere. Ideoq; rogo, vt diem iudicij semper pertimescatis, diem mortis suspectum quotidie ante oculos habeatis. Cogitate quales eritis præsentandi conspectibus Angelorum, vel qualem

pro me-

pro meritis vicem recepturi: an possitis in illo die illibatum referre, quod in baptismo promisistis, &c. Illum diem timeamus, quem præuidere non possumus: illum formidemus iugiter, vt vel sic actus nostros corrigamus. Pensitemus, quis timor tunc erit, cùm de cælo Dominus ad iudicandum veniet, ad cuius conspectum cuncta elementa concutientur, cælum cum terra contremiscet, & virtutes cælorum commouebuntur.

Beda. 700.

In Psalm. 6. Diem iudicij quidam erronei octauum vocauerunt, quantum ad septem millia annorum, quæ ab Adam inceperunt: quibus quasi diebus septem finitis, procul dubio diem iudicij sequi dixerunt, & sic se & alios certos de illa die fecerunt. Sed inconueniens tamen oritur. Scriptura enim falsificatur, quæ dicit: *Non est vestrûm nosse tempora.* & rursus: *De hora autem illa &c.* Sed cùm Filium nulla occulta Patris lateant, sciendum est, quòd diem illam quantum ad se non ignorat: sed tamen dicitur nescire, quia discipulos suos, quibus multa alia reuelauit, illam nescire fecit: sicut dicitur: *Tentat vos Dominus vt sciat,* id est, vt vos scire faciat. Remota autem illa temeraria computatione, dies iudicij potest optimè octaua vocari hac ratione: quia transactis hisce temporalibus rebus, quæ per septenarium numerum dierum voluuntur, & ideo pro septem diebus accipiuntur, sequitur illa dies octaua, id est, dies iudicij, in qua anima adepta æternitate, nihil iam debebit tempori vel mutationi, &c.

Libro 4. in Marcum cap. 13. Nullus in die iudicij remanebit electus, qui non venienti ad iudicium Domino in aëra occurrat, siue viuens adhuc in corpore repertus, seu de morte iam resuscitatus ad vitam. Veniunt ad iudicium reprobi & ipsi, alij in corpore viuentes inuenti, alij ad vitam à morte suscitati. Sed ea nimirum distantia, quòd iusti congregantur ad gaudium Domini sui: inimici autem eius peracto iudicio dissipentur, & pereant à facie Dei.

Libro 5. in Lucam cap. 17. Extitêre nonnulli, qui curricula computantes ætatum, certum se consummationis seculi annum, diem, & horam edicerent inuenisse, contra auctoritatem Domini dicentis: *Non est vestrûm nosse tempora & momenta.* Secundus Saluatoris aduentus non in humilitate, vt prius, sed in gloria cit & maiestate futurus. In aëris medio discrimen geretur, teste Apostolo, qui ait: *Simul rapiemur cum illo in nubibus obuiam Domino in aëra.* Si autem Dominus in iudicio sicut fulgur apparebit, nullus tunc in sua mente latêre permittitur: quia ipso iudicis fulgore penetratur. Non ergo eius venturi tempus aut locus potest à mortalibus obseruari, qui fulguris instar, omnibus coruscus videlicet & repentinus adueniet.

Libro 5. in Lucam cap. 19. Nemo sanè arbitretur eos solummodò, quibus gratia prædicandi data est: non autem & eos, quibus prædicatum est, ad iudicium tunc esse vocandos: quin etiam sciat, eos quoque, quibus nunquam est prædicatum, ibidem adesse damnandos.

In cap. 5. Ioannis: *Pater non iudicat quenquam:* quia Patris persona hominem non suscepit: nec in iudicio videbitur, sed sola Filij persona, in ea forma, qua iudicaturus est viuos & mortuos. Nec enim Filius videbitur in iudicio in ea natura, qua consubstantialis est Deo Patri: sed in ea, qua consubstantialis est matri, & homo factus est.

Alcuinus. 750.

Lib. 2. de Trinitat. cap. 12. *De die & hora nemo scit neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.* Hoc enim genere locutionis nescire dicitur Filius, quia nescientes fecit, quod vtile illis fuit nescire, id est, quod non ita sciebat, vt eos scire fecisset, quia vtilius illis fuit diem iudicij nescire, quàm scire, vt semper parati essent, & vigilantes, dum qua hora dies Domini, quasi fur, veniret, paratos inueniret eos.

Libro 3. de S. Trinitate cap. 18. Filius hominis accepit potestatem iudicium facere: quod iudicium in fine erit seculi, &c. Neque enim ad iudicium viuorum & mortuorum Pater ipse venturus est: nec tamen recedet à Filio Pater. Quomodo ergo non ipse venturus est? Quia non ipse indutus est formâ serui, nec videbitur in iudicio. Videbunt namque impij in quem compunxerunt: forma illa erit iudex, qua stetit sub iudice: illa iudicabit, quæ iudicata est: iudicata est enim iniquè, iudicabit iustè. Talis apparebit iudex, qualis videri possit ab eis, quos coronaturus est, & ab eis, quos damnaturus est: forma ergo serui videbitur: occulta erit forma Dei, quæ iustis videri solummodò permittitur ad æternum beatitudinis præmium.

Ambrosius Ansbertus. 760.

In cap. 1. Apocalyps. Cum istis nubibus venturum esse ad iudicium humani generis Redemptorem veraciter fatemur. Veniet enim cum nubibus prædicatorum, sicut de illo per Prophetam dicitur: *Ecce veniet Dominus ad iudicium cum senioribus populi sui.* Veniet autem cum nube mansuetudinis, simulque vindictæ vltionis: quia & iustos ab ira furoris sui misericorditer tegens, blandè ad regnum vocabit: & reprobos iudicio damnationis seueriter ad laci profunda minabit, &c. Esa. 3.

Haymo. 800.

Lib. 2. in Esaiam: Multi autumantes dicunt, quòd Dominus super montem Oliueti sedebit, ex quo ascendit ad cælos. Dominus non descendet in terram ad iudicium, sed in aëre sedebit in nube, contra montem Oliueti. Non descendet ergo in terram, sed in spatio istius aëris sedebit in nube contra montem Oliueti, constipatus agminibus & Virtutibus cælorum.

In 2. ad Thessalon. cap. 2. Non statim veniet Dominus, vbi fuerit Antichristus interfectus, sed, sicut ex libro Danielis intelligimus, post mortem illius concedentur electis ad pœnitentiam dies quadraginta quinque. Quantumcumque verò spatium temporis sit vsquequò Dominus venit, prorsus ignoratur.

In cap. 3. ad Philipp. Licet omnes in momento resurgant, iusti & impij in die iudicij: soli tamen iusti occurrerent Domino in aëra, deportandi ab Angelis: impij verò manebunt in terra, quousque percipient terribilem illam sententiam iudicis: *Ite maledicti, &c.*

Angelomus. 830.

In cap. 1. lib. 3. Regum: Quòd Dauid Salomoni filio suo præcepit de iusta retributione eorum, qui sibi solatio fuerunt, vel iniustè nocuerunt, licet ipse patientissimè eos regnans toleraret, quid melius significare potest, quàm futuram retributionem iudicij venturi, in qua impij pro mercede perpetuam pœnam, iusti autem æternam beatitudinem percipient?

Hincmarus Rhemensis. 830.

Epistola ad Hincmarum Lundunensem cap. 54. Habe semper ante mentis oculos quàm terribilis iudex noster sit in consilijs super filios hominum, quàm districtus ad iudicandum veniet, cęlis & terris ardentibus, & vniuersis cælorum Virtutibus, atque omnibus creaturis in obsequium sui terroris commotis, quando *ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius,* aduocans cęlum desursum, & terram discernere populum suum

quando veniet nos iudicaturus de cogitationibus, verbis, & actibus nostris. Qui præueniendus nobis est in confessione, & plorandum ante eum, qui fecit nos. Attendendum est etiam, quæ nobis verecundia tunc erit in conspectu totius humani generis, omniumquéque Virtutum cælestium confundi, & post confusionem quæ nos pœna sequetur, cùm animam immortaliter morientem reatus inuoluet, & indeficienter non deficientem carnem gehenna consumet, si radices cordis huic seculo perseueranter infixas habuerimus: quia nemo potest hîc gaudere cum seculo, & illic regnare cum Domino.

Rabanus Maurus. 850.

Epistola ad Origarium: Scio in quibus angustijs versamur, & sub quibus periculis in hoc mundo constituti sumus, ita vt quotidie periclitemur, & imparati ad tribunal iustissimi iudicis hinc rapiamur, vt ibi recipiat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.

Libro 5. de Vniuerso cap. 8. Christus eadem hora, qua resurrexit, ad iudicandum venturus est.

Remigius Antisiodorensis. 880.

In Psalm. 85. *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Ipse enim videbitur terribilis, qui visus est contemptibilis. Demonstrabit in iudicio potentiam. Apparebit in iudicio homo, sed in claritate. Quia *sicut vidistis eum ire*, dixerunt Angeli, *sic veniet*. Forma hominis veniet ad iudicium: ideo videbunt illum & impij: sed non in forma Dei eum videbunt, quem soli mundi corde videbunt. Apparens ergo in hominis forma dicet: *Ite maledicti in ignem æternum*, vt impleatur quod dixit Esaias: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei*: quia in forma, qua æqualis est Patri, eum non videbunt.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 900.

Cap. 6. Triforme vnius Trinitatis iudicium esse non dubites. Primum, quo diabolus de cælo deiectus est: & vltimum, quo idem in fine mundi cum omni corpore suo in ignem æternum præcipitandus est: medium ipsum diluuium. Primo & vltimo soli reprobi feriuntur, & soli electi reseruantur. Isto autem, id est, medio, nec soli electi reseruantur, nec soli reprobi suffocantur. Credendum enim est, nonnullos ipso diluuio iudicij purgatos, alios per hoc prædamnatos.

Cap. 18. In tribus tremendæ maiestatis iudicijs timeamus. Primo, quòd diabolus proiectus est è cælo, & homo de Paradiso. Secundo, quòd mundus deletus est diluuio. Tertio, mundi conflagratio.

Radulphus Flauiacensis. 950.

Libro 4. in Leuit. cap. 1. Christus non in forma seruili, in qua prius visus & despectus est, sed in maiestatis suæ gloria, vt seruos suos glorificet, apparebit. Vnde Apostolus: *Christus*, inquit, *semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata, secundò sine peccato apparebit expectantibus se in salutem.*

Lib. 12. cap. 1. Cùm ad iudicium suum Christus venerit, vniuersæ credentium multitudinis triplex fiet partitio. Quidam cum eo iudicabunt: quia, teste Esaia: *Veniet ad iudicium cum senioribus populi sui.* Alij iudicabuntur, qui iterum in duas partes diuidentur: alij ad dextram statuentur, alij ad sinistram. Ad dexteram positis enumerabuntur eleemosynæ, quas fecerunt: ad sinistram constitutis enumerabitur crudelitas & sterilitas misericordiæ. Audient illi: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi*: Audient isti: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Hoc Euangelij lux manifestè declarat, hoc legis vmbra sub ænigmatum suorum figuris occultat.

Petrus Damianus. 1040.

Epistola 2. cap. 5. His addendus est etiam terror iudicij, vt illius amaritudine valeat mundi falsa dulcedo contemni. Ad euadendas namque diabolicæ pugnæ molestias valenter assurgimus, si necessitatis vltimæ periculum prouidè pertractamus. Nam si repentinus atque terribilis aduentus Christi dignè perpenditur, quid erit in mundo, vbi mens humana vel desipiens delectetur? Ille nempe dies est, ad quem omnis præcedentium seculorum intentio ac summa colligitur: cui cuncta Scripturarum sacrarum volumina famulantur. De quo hæc Petrus, vt audientium corda digno terrore concuteret: *Adueniet*, inquit, *dies* 2. Pet. 3.
Domini sicut fur: in quo cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur. Vnde & mox subditur: *Cùm hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentes soluentur, elementa verò ignis ardore tabescent? &c.*

Anselmus. 1080.

Libro de miseria hominis: In toto me angustiæ: hinc erunt accusantia peccata, inde terrens iustitia, subtus patens horridum chaos inferni, desuper iratus iudex, intus vrens conscientia, foris ardens mundus. *Iustus vix saluabitur*: peccator sic deprehensus, in quam partem se premet? constrictus vbi latebo? quomodo apparebo? Latere erit impossibile, apparere intolerabile.

In cap. 14. ad Roman. Iudicantis est sedere, iudicandorum verò ante iudicem stare. Omnes stabimus ante tribunal Christi. Qui ergo fratrem iudicat, tantum crimen elationis incurrit, vt Christi tribunal sibi videatur assumere, & eius iudicium præuenire. Cuius iudicij species vt notior fieret hominibus, iudicandi forma ex his, quæ inter homines geruntur, assumpta est, quatenus cognosceremus: quia sicut iudex terrenus celsior est, & quendam locum, qui tribunal appellatur, ascendit, vt ex eo altior & eminentior sit cæteris, qui iudicandi sunt, ne conspectum eius lateant, vel supplicia reorum, vel allegationes innocentium: ita & iudex omnium Christus natura & maiestate cunctis eminentior, introspicit corda & conscientias singulorum, ac manifestabit occulta, vt bonis laudem tribuat, & mali pœnam, quam merentur, accipiant.

In cap. 5. ad Corinth. epistolæ 2. Eodem modo, & eadem quantitate, qua gessit vnusquisque quodlibet opus, recitabit illud iudicandum ante tribunal iudicis æterni. *Vnusquisque referet propria corporis*, id est, quæ gessit, vel cogitauit, dum in corpore fuit. Neque enim si quis maligna mente atque impia cogitatione blasphemet, & id nullis membris corporis operetur, ideo non erit reus: quia id non motu corporis gessit: cùm hoc per illud tempus gesserit, quo gessit & corpus. *Prout gessit* mente, lingua, vel manu, dum esset in corpore, referet vnusquisque, etiam paruuli, qui non per seipsos, sed per alios gesserunt. Nam si in illa parua ætate moriuntur, vtique iudicantur secundùm propria gesta corporis, id est, secundùm ea, quæ gesserunt, dum essent in corpore, quando per corda & ora gestantium crediderunt, vel non crediderunt: quando baptizati, vel non baptizati sunt.

In cap. 1. ad Thessalon. epistolæ 2. In iudicio videbunt boni & mali formam serui: ac deinde cùm mali in gehennam præcipitati fuerint, boni subleuabuntur ad videndum claritatem diuinitatis eius: tunc pro ignorantia & inobedientia sua dabunt maligni pœnas æternas, proiecti à facie Domini.

Rabbi Samuel. 1100.

In Paraſt. cap. 9. Chriſtus non iudicabit aliter, quàm cum igne ad mortem: quia nos interfecimus omnes Prophetas, qui annuntiauerunt nobis de ipſo, prout Deus teſtificatur contra nos, per os Heliæ Prophetæ lib. 4. Regum. Et ſic interfecimus illum iuſtum, propter quem ſumus in ira Dei ſine fine.

*Cap.*10. Manifeſtum eſt, quòd in ſecundo aduentu ſedebit Chriſtus ante antiquum dierum, ſicut ſedit in primo aduentu ante patres noſtros Iudęos, vt iudicaretur. Et iſtos duos aduentus Meſsiæ innuit Propheta, cùm dicit: *Quia venit iudicare terram.*

Petrus Alphonſus. 1100.

Titulo 11. Chriſtus viuos & mortuos iudicare venturus eſt in die iudicij, &c. Sicut credimus Chriſtum Deum & hominem eſſe, ſic etiam eum iudicem mundi eſſe concedamus.

Franco Affligemenſis. 1110.

De gratia Dei Tomo 9. Timeat homo tremendi iudicij futuram diſcuſsionem, in qua cùm memorata fuerint prærogata nobis dona pietatis, diſtricta animaduerſione exigendum eſt à nobis & debitum condignæ ſeruitutis. Commemorabuntur ante tribunal iudicis dignitas conditionis, charitas redemptionis, effuſio pretioſi ſanguinis, adoptio filiorum, promiſſa beatitudo regni cęlorum. Commemorabuntur & adimplenda pręcepta, collata ſubſidia, hoſtis imbecillitas, noſtra deſidia. O quanta tum erit confuſio trepidante conſcientia, Heu quàm amara, heu quàm ſera, heu quàm infructuoſa tunc erit de pręterito tempore pœnitentia! O ſi modò liceret vultum illum confuſionis noſtræ inſpicere! ô ſi modò liberet diſtrictionem illam emendatiore vita mitigare! Tunc accuſante conſcientia nullus erit excuſator: nunc correcta vita, nullus tunc inuenietur accuſator.

Rupertus Tuitienſis. 1120.

Ad cap. 2. *Naum*: Qualiſcunque fuerit, quantumcunque terribilis extiterit ille exercitus Babylonis, qui Niniuen in illo tempore ſubuertit, nullam poteſt habere comparationem ad magnitudinem fortitudinis, iræ, & indignationis, anguſtiæ, & tribulationis, quæ ſuperueniet vniuerſo orbi in die iudicij vniuerſalis.

Lib. 5. *in Apocalypſ. cap.* 8. Deus vltimum iudicium per ignem futurum non ita repentè, aut ex improuiſo voluit euenire, ſicut illud anterius iudicium per aquam factum: ſed multa præmiſit ad diem iudicium pertinentia, per quæ non dubitaretur eſſe futurum, ſocia vbique miſericordia pro illis, quos pœnitentiam agere, vel acturos eſſe præuidit ante ipſum iudicium.

Honorius Auguſtodunenſis. 1120.

In Pſalm. 6. In die tremendi iudicij quiſque vel iuſto examine damnabitur, vel gratia ſaluabitur.

Bernardus. 1130.

Sermone 8. in Pſalm. *Qui habitat in adiutorio Altiſsimi*: Quid tam pauendum, quid tam plenum anxietas, & vehementiſsimæ ſolicitudinis excogitari poteſt, quàm iudicandum aſtare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc expectare ſub tam diſtricto iudice ſententiam? *Horrendum eſt* (ait Apoſtolus) *incidere in manus Dei viuentis.* Iudicemur interim fratres, & terribilem illam expectationem pręſenti ſtudeamus declinare iudicio. Non iudicabit Deus bis in idipſum. Sanè vt quorundam peccata, ſic & quorundam ſtudia bona manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium: vt illi quidem non expectantes ſententiam, proprio ſtatim pondere criminum in tartara deijciantur: iſti verò è regione paratas ſibi ſedes tota libertate ſpiritus ſine vlla cunctatione cõſcendant. Felix paupertas voluntaria omnia relinquentium, & ſequentium te Domine Ieſu. Felix planè, quæ tam ſecuros, imò tam glorioſos faciat in illo ſingulari fragore elementorum, & in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto diſcrimine iudiciorum.

Heb. 10.

Sermone 55. *in Cantica*: Verùm tu qui aduentum deſideras Saluatoris, time ſcrutinium iudicis, time oculos capreæ, time illum, qui per Prophetam dicit: *Et erit in die illa, & ego ſcrutabor Hieruſalem in lucernis.* Acuto viſu eſt, nihil inſcrutatum relinquet oculus eius. Scrutabitur renes & corda, ipſaqúe cogitatio hominis confitebitur illi. Quid tutum in Babylone, ſi Hieruſalem manet ſcrutinium? Puto enim hoc loco Prophetam Hieruſalem nomine deſignaſſe illos, qui in hoc ſeculo vitam ducunt religioſam, mores ſupernæ illius Hieruſalem conuerſatione honeſta & ordinata pro viribus imitantes, & non veluti hi, qui de Babylone ſunt, vitam in perturbatione vitiorum ſcelerumqúe confuſione vaſtantes. Denique illorum peccata manifeſta ſunt præcedentia ad iudicium, & non egent ſcrutinio, ſed ſupplicio. Mea autem (qui videor monachus & Hieroſolymita) peccata certè occulta ſunt, nomine & habitu Monachi adumbrata: & idcirco neceſſe erit ſubtili ea inueſtigari diſcuſsione, & quaſi admotis lucernis de tenebris in lucem prodi. Soph.

Epiſtola 1. *ad Robertum*: Veniet, veniet qui malè iudicata reiudicabit: illicitè iurata confutabit: *qui faciet iudicium iniuriam patientibus*: qui iudicabit in iuſtitia pauperes: & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. Veniet pro certo, qui per Prophetam minatur in Pſalmo, dicens: *Cùm accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo.* Quid faciet de iniuſtis iudicijs, qui ipſas quoque iuſtitias iudicabit? Veniet, inquam, veniet dies iudicij: vbi plus valebunt pura corda, quàm aſtuta verba: & conſcientia bona, quàm marſupia plena: quandoquidem iudex ille neç falletur verbis, nec flectetur donis. Pſal. 74

Libro de interiori domo cap. 38. Ipſe iudex erit diſtrictus accuſator tuus. Omnes etiam ſpiritus boni & mali coram Deo te accuſabunt cum eo. Boni, quia Deo debent æquitatem: mali, quia tuam ſeruant iniquitatem. Tot iudicibus & populis aſtabis, quot præceſſerunt te in opere bono. Tot arguentibus confundêris, quot tibi præbuerunt bene viuendi exemplum. Tot conuincêris teſtibus, quot te monuerunt bonis ſermonibus, & iuſtis actionibus. Omnibus populis nudabuntur iniquitates tuæ: & cunctis agminibus patebunt vniuerſa ſcelera tua, non ſolùm actuum, verùm etiam cogitationum & locutionum. Multa verò peccata tunc prorueunt ex improuiſo, quaſi ex inſidijs, quæ modò non vides: & forſitan plura & terribiliora his, quæ nunc vides. Vndique erunt tibi anguſtiæ: hinc erunt accuſantia peccata: inde terrens iuſtitia: ſubtus patens horridum & chaos inferni: deſuper iratus iudex: intus vrens conſcientia: foris ardens mundus. Si iuſtus vix ſaluabitur, peccator ſic deprehenſus in quam partem ſe premet? Latêre erit impoſsibile, apparere intolerabile. In tanto diſcrimine torquebit te tua conſcientia malè ſibi conſcia: cruciabunt cordis arcana. Cogente etiam conſcientia tu ipſe eris accuſator, & iudex tuus. Conuictus teſte propria conſcientia, & teſtibus oculis ipſius iudicis fugere non poteris: ſed tremens & anxius ſtabis ſuſpenſus ad grauiſsimam ſententiam in anguſto periculo, & in periculoſa anguſtia: tanquam illicò recepturus quod in perpetuum amittere non poteris. Iudex tunc erit vehementer iratus, & terribiliter diſtrictus: ſententia eius ſemel lata erit immutabilis, tortores horribiles, qui nunquam miſerentur, erunt parati, vt data ſententia te damnatum ad tormenta rapiant. Tor-

menta erunt sine interuallo, & sine temperamento: timor conturbabit te, cùm terra aperietur coram te, & tu rues & cades in stagnum sulphuris ardentis & fœtentis. Ignis exterius carnem tuam comburet: vermis interius conscientiam corrodet: ibi eris sine fine, sine spe veniæ & misericordiæ. Omnia verò gehennæ supplicia superabit, Deum non videre, & bonis carere, quæ in potestate habuisti obtinere.

Hugo Victorinus. 1130.

Libro 1. de anima cap. 2. Iam iam præsentabor ante districtum iudicem, de operibus meis rationem redditurus. Væ mihi misero, cùm venerit dies illa iudicij, & aperti fuerint libri, in quibus omnia acta mea, & omnes cogitationes meæ Domino præsente recitabuntur. Tunc demisso capite præ confusione malæ conscientiæ, in iudicio coram Domino stabo trepidus, & anxius: vtpote commemorans scelerum commissa meorum. Et cùm dicetur de me, ecce homo, & opera eius: reducam ante oculos omnia delicta & peccata mea. Quadam namque diuina vi fiet, vt cuique sua opera bona, vel mala in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, vt accuset vel excuset scientia conscientiam: atque ita simul & singuli, & omnes iudicentur.

Iudicium faciet gestorum quisque suorum,
Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.

Quod enim nunc confiteri erubescimus, tunc omnibus manifestabitur, & quicquid dissimulando tegitur, totum illic vindex flamma comburet.

Ignis vbique ferox ruptis regnabit habenis.

Quantoque diutius Deus nos expectat, vt emendemus, tanto districtius iudicabit, si neglexerimus.

Libro 3. cap. 23. Attende etiam quàm subitò venit dies vltima: subitò venit, & forsitan hodie erit. Iam adest, iam præsentaberis ante tremendum iudicem: accusaberis de multis & magnis offensis: non vno, non paucis, sed innumeris criminibus: non paruis, sed immensis: non dubijs, sed certis: non breui accusatione, sed tam longa, quàm longa est vita tua: non vno accusatore, sed tot, quot sunt delicta tua. Ipse iudex erit districtus accusator tui. Omnes etiam spiritus boni & mali coram Deo te accusabunt, cum eo. Boni, quia Deo debent æquitatem: mali, quia tuam seruant iniquitatem. Tot iudicibus & populis astabis, quot præcesserunt te in opere bono. Tot argumentis confunderis, quot tibi præbuerunt bene viuendi exemplum. Tot conuinceris testibus, quot te monuerunt bonis sermonibus & iustis actionibus. Omnibus populis nudabuntur iniquitates tuæ, & cunctis agminibus patebunt vniuersa scelera tua, non solùm actuum, verùm etiam cogitationum & locutionum.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. dist. 48. Solet etiam quæri, in qua forma Christus iudicabit? In forma vtique serui iudicabit, quæ omnibus in iudicio apparebit, vt videant
1.26. mali in quem pupugerunt. Vnde Esaias: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.*

Otto Frisingensis. 1150.

Libro 8. Chronicorum cap. 16. His consummatis ad iudicium, & vtriusque ciuitatis vltimam discussionem Dominum venire non dubium est. Veniet autem in ea forma iudicaturus, in qua prius venerat iudicandus, vt æqua lance mundus eum seuerum discretorem inueniat, quem in carne humiliter venientem elata prius mente contempserat. Vnde illud Propheticum: *Videbunt in quem transfixerunt.* Pater enim in persona sua non iudicans, omne iudicium Filio dedit, vt quem diuersis opprobrijs cruciq́ue innocentem exposuerat,
ch. 12

hunc cęlestium terrestrium & infernorum Dominum constituens, iudicem viuorum & mortuorum faciat.

Petrus Blesensis. 1160.

Epistola 130. Scio quòd in die tremendi iudicij reddituri rationem sumus etiam de sermonibus otiosis. Nullus ibi excessus, præceptio regia, vel hominum temporalis vtilitas poterit excusare.

Hildegardis. 1160.

Libro 3. visione 12. Tunc in claritate lucis æternæ, sed tamen in nube, quia reprobis cælestis gloria abscondita est, Filius Dei in forma humanitatis & passionis suæ, quam in voluntate Patris pro salute humani generis passus est, ad iudicandum ipsum humanum genus, cælesti exercitu circundatus, adueniet: quoniam Pater ei hoc dedit, vt quia ipse in mundo visibiliter conuersatus fuerat, quæ visibilia mundi sunt dijudicet.

Hugo Etherianus. 1160.

De regressu animarum ab inferis cap. 27. Purgatione mundi consummata per ignem, magna illa vox audietur, qua mortui vitæ restituentur, simulq́ue ministerio Angelorum area ventilabitur, & separabuntur grana à paleis. Nam boni à quatuor partibus orbis Angelico ministerio congregabuntur, & ilicò eodem rapientur obuiam Christo in aëra, malis in terra, quam dilexerunt, hærentibus.

Innocentius Tertius. 1200.

De contemptu mundi lib. 2. cap. 15. O quantus tunc erit timor & tremor, quantus erit fletus & gemitus? Nam si columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius, & Angeli pacis amarè flebunt: Iob 26.
peccatores autem quid facient? *Si iustus vix saluabitur, impius & peccatores vbi parebunt?* Propterea Esa. 33. 1 Pet. 4.
clamat Propheta: *Ne intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Si enim iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?* Quis enim non timeat iudicem potentissimum, sapientissimum, & iustissimum? Potentissimum, quem nemo potest effugere: sapientissimum, quem nemo potest latere: iustissimum, quem nemo potest corrumpere. Si fortitudo quæritur, robustissimus est, sapiens corde, & fortis robore. Si æquitas iudicij, nemo audebit pro me testimonium reddere. Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me. Si innocentem ostendero; prauum me comprobabit, etiam si simplex fuero. *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Qui vocat stellas, & dicunt: Adsumus. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Cuius voluntati nihil omninò resistit, &c. Deus scientiarum Dominus, pręscius omnium, & conscius singulorum, occultus occultorum omnium indagator. Hunc ergo nemo potest latere, sicut dicit Apostolus: *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius.* Ipse est iudex iustus, fortis, & longanimis, qui nec prece, nec precio, nec amore, nec odio declinat à semita rectitudinis, sed via regia semper incedens, nullum malum præterit impunitum, nullum bonum irremuneratum relinquit. Hunc ergo nemo potest corrumpere, iuxta quod dicit Psalmus: *Tu reddes singulis secundùm opera sua.*

Psal. 142. Psal. 129. Iob 9. Psal. 32. 148. Heb. 4. Psal. 7. Psal. 61.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Primæ partis de Vniuerso parte 2. cap. 47. Sapientes & Doctores gentis Christianorum dicunt, Regem gloriæ, iudicemq́ue omnium descensurum in aërem istum inferiorem, & ibi disceptaturum cum bonis, & malis, & laturum sententias duas, saluationis electorum, & damnationis aliorum. Sunt autem hic quæstiones multæ. Et prima est,

cùm

Digitized by Google

cùm credatur appariturus omnibus iudicandis, & manifestum sit multitudinem illam longè plus quàm centum millia per circuitum esse occupaturam, qualiter à tam longè distantibus videri poterit, & præsertim in forma humana, in qua creditur iudicaturus. Secunda est, cùm disceptaturus sit cum iudicandis, sicut expresse continet sermo propheticus, & lex Christianorum hoc euidenter continet: disceptatio autem nulla sit, nisi disceptans audiatur, similiter & nisi sententiæ audiantur ab his, contra quos, vel pro quibus ferendæ sunt, in vanum, & insipientissimè proferentur. Dico igitur, quia non per Metaphoram, imò iuxta planum literæ, disceptatio iudicantis, & sententiatio conuenienter intelligitur: in terra enim fieri dicitur, quod fit super terram, & non longè à terra. Saluum igitur est planum literæ per hanc expositionem, licet in aëre inferiori super vallem Iosaphat, & non longè à terra facturus est ea, quæ dixi, etiamsi non tota multitudo hominum in valle illa futura sit. Ibi enim disceptaturus est, & iudicaturus iustus ille iudex, vbi & futurus est tunc. Qualiter autem illic videndus est à tam longe distantibus, hoc & omnipotentissimæ virtuti eius attribuendum est, & gloriæ tam visus, quàm auditus electorum, &c. Et qui credit ipsum dedisse visum omnibus videntibus, & etiam multoties cæcis, non potest dubitare, quin facillimum sit ei, eousque clariorem & ampliorem dare; quatenus hoc requirit iustitia, & iudicium: hoc autem ita dixi, licet manifestum sit omni intelligenti, nullum esse locum difficultati apud ipsum. De damnatis autem non est dubitandum, quin & visibilem, & audibilem eis se tunc exhibeat: hæc enim pars non modica futura est pœnæ ipsorum, videlicet aspectus tremendi iudicis, quo tantopere contremiscent, tanta erubescentia confundentur, vt requiret tunc & magnitudo scelerum, & fœditas vitiorum, & maiestas terrifica iudicantis. Manifestum igitur est tibi per hoc, quia hoc requirit illud iudicium, vt iudex vel sua virtute se malis atque damnandis exhiberet visibilem, & audibilem, vel vt hoc operaretur in visu, & auditu eorum, vnde ipsum tunc & videre valeant, & audire.

Alexander Alensis. 1230.

Parte 3. quæst. 25. memb. 4. Ipse iudex Christus dicitur terribilis duobus modis. Terribilis enim potest dici in accessu ad iudicium, vel terribilis in remunerando. Vtroque ergo modo erit terribilis ipsis reprobis in iudicio: quoniam & in accessu eius ad iudicium, & in remuneratione incutiet eis timorem damnationis æternæ. Primo autem modo, scilicet in accessu ad iudicium, erit terribilis reprobis, sed blandus erit bonis facto iudicio, siue in remuneratione. Et propter hoc ipse non dicitur terribilis iustis, sed dies eius, qua accedet ad iudicium: ipse tamen erit blandus & benignus in remunerando: quia supra condignum remunerabit ipsis. Dicitur autem terribilis ipsis bonis in accessu eius ad iudicium, propter hoc, quòd incutiet eis timorem quendam reuerentiæ, non terrorem damnationis, vt malis. Vnde Iob penultimo dicitur: *Quia timebunt Angeli, & terræ purgabuntur.*

Thomas Aquinas. 1250.

In Compendio Theologiæ tractatu secundo cap. 57 Quia potestas iudiciaria ad Christi exaltationem pertinet, sicut & resurrectionis gloria, Christus in iudicio apparebit non in humilitate, quæ pertinebat ad meritum; sed in forma gloriosa, ad præmium pertinente. Vnde dicitur in Euangelio, quòd *videbunt Filium hominis venientem in nube, &c.* Visio autem claritatis ipsis electis quidem, qui eum dilexerunt, erit gaudium, quibus Esaiæ 33. promittitur: *Regem in decore videbunt.* Impijs autem erit ad confusionem & luctum: quia iudicantis gloria & potestas damnationem timentibus tristitiam & metum inducit. Vnde dicitur Esaiæ 26. *Videant, & confundantur vlulantes populi, &c.* Et quamuis in forma gloriosa se ostendat, tamen in eo indicia passionis, non cum defectu, sed cum decore & gloria, vt ex his visis & electi recipiant gaudium, qui per passionem Christi se liberatos recognoscent, & peccatores tristitiam, qui tantum beneficium contempserunt. Vnde dicitur Apocal. 1. *Videbit eum omnis oculus.*

Bonauentura. 1260.

In tractatu septime partis Breuiloquij cap. 1. Sine dubio iudicium vniuersorum futurum est, in quo Deus Pater per Dominum nostrum Iesum Christum iudicabit viuos & mortuos, bonos & malos, tradendo vnicuique secundùm exigentiam meritorum. In hoc autem iudicio fiet apertio librorum, scilicet conscientiarum, quibus merita & demerita vniuersorum sibi ipsis & cæteris innotescent, faciente hoc virtute illius libri vitæ, Verbi scilicet incarnati, qui in forma deitatis non videbitur nisi à bonis: in forma verò humanitatis, (in qua & sententiam promulgabit) videbitur tam à bonis, quàm à malis, licet terribilis in eadem forma appareat reprobis, & blandus iustis.

Durandus. 1310.

Libro 4. distinct. 47. quæst. 1. Tenendum est, quòd generale est iudicium futurum: & hoc magis propter auctoritatem sacræ Scripturæ, quàm propter aliam rationem, &c. Tempus iudicij non potest esse alicui notum per certitudinem, cùm dependeat ex mera Dei voluntate, de cuius expressione Scriptura nihil loquitur. Nec est probabile, quòd Deus alicui reuelauerit, cùm reuelationem eius Filius negauerit Apostolis, vt habetur Act. 1.

Guido de monte Rocherij. 1330.

In Manipulo curatorum parte 3. capite 1. Septimus articulus est de aduentu ad iudicium, scilicet credere, quòd Christus in fine mundi in forma humana apparebit, cum virtute magna & potestate, in valle Iosaphat, & ibi iudicabit bonos & malos.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vitæ Christi parte 2. cap. 87. Interfecto Antichristo non statim veniet Dominus ad iudicium: sed concedentur quadraginta quinque dies ad refrigerium Sanctorum, & ad pœnitentiam subuersorum. Quantum autem sit spatium inter illos quadraginta quinque dies, & finem mundi nemo scit. Circa conflagrationem mundi sciendum est, quòd ignis maximus aduentum iudicis præueniet, & faciem eius præcedet: quia virtute diuina non solùm ignis, qui est in sphera sua; sed etiam omnes ignes, & qui in terra, & qui super terram sunt ad mundi conflagrationem concurrent. Per istum ignem quasi simul fiet purgatio iustorum, & punitio malorum, & incineratio corporum, & consumptio terræ nascentium, &c. Post resurrectionem statim erit iudicium: erit autem in valle Iosaphat, quæ sita est ad Orientem inter Hierusalem & montem Oliueti. Ad iudicium ergo Domini congregabuntur omnes impij, vt damnentur: iusti verò non descendent in vallem iudicij, vt damnentur, sed in nubibus obuiam Christo elevabuntur. Christus enim non descendet in terram ad iudicium, sed in aëre sedebit, contra locum montis Oliueti, ex quo ascendit, stipatus agminibus, & virtutibus cælorum. Supra erit iudex iratus, subtus patens infernus, intus conscientia remordens, extra mundus ardens, à dextris pec-

cata accusantia, à sinistris infinita dæmonia terrentia, circa boni Angeli in infernum pellentes, & mali ad ipsum trahentes. Ibi erunt etiam omnes Sancti sententiam iudicis approbantes, & omnes mali cum bonis peccata damnatorum cognoscentes. Et tunc Christus blandus iustis, & terribilis apparebit iniustis.

Thomas Argentinensis. 1350.

Lib. 4. dist. 48. quæst. 1. artic. 3. Probabiliter teneri potest nullam aliam creaturam, excepta anima Christi, determinatè cognoscere horam extremi iudicij, absque speciali Dei reuelatione. Nam eo ipso, quòd hoc *Pater posuit in sua potestate*, vt patet Actor. 1. ideo nulla pura creatura hoc scire poterit, nisi à Deo hoc fuerit sibi specialiter reuelatum. Præterea si illam horam de certo nosceret aliqua creatura, excepta anima Christi, vel nosceret eam cognitione naturali, vel cognitione beatifica, qua res videntur in Verbo seu in diuina essentia. Primum dici non potest: quia nec anima Christi naturali cognitione noscit illam horam, vt sancti Doctores dicunt. Et patet etiam ratione: quia quod aliqua anima cognoscit cognitione naturali, ad illius notitiam cæteræ animæ eiusdem speciei possunt attingere ingenio naturali. Sed nullius hominis anima indagatione naturalis ingenij ad notitiam istius horæ vnquam potuit peruenire. Ergo nulla creatura cognitione naturali cognoscit horam extremi iudicij, &c.

Petrus Harentalius. 1370.

Ad Psalm. 95. Pensemus charissimi tanti iudicis aduentum, & quantus in illo die terror erit, cùm vnusquisque cogetur de proprijs actibus reddere rationem, accepturus in merito, prout vixit in seculo, siue bonum, siue malum. Heu quantus in illo die terror erit, cùm quis, reatu suo exigente, iratum videbit iudicis aspectum, nec remedium esse à tormentis? Quantus pudor erubescere in conspectu omnium Angelorum & hominum, vbi cuncta conscientiæ nostræ nunc abscondita, tunc vniuersis erunt manifestata? Heu dies iræ tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ: dies vtique amaritudinis, cuius horrorem nullus profectò valet ad plenum explicare. Illum tota intentione cogitemus, vitam corrigamus, despiciamus mundum & concupiscentiam eius, toleremus patienter aduersa.

Petrus Aliacus. 1400.

Sermone de quadruplici aduentu Domini: Veniet Christus ad finale iudicium, per corporalem præsidentiam: & hic est terribilis ille aduentus, de quo dicebat Christus in Euangelio hodierno: *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate*, Lucæ 21. Tunc enim veniet cum potestate, qui prius venerat cum infirmitate: tunc veniet iudicaturus, qui prius venerat iudicandus. Tunc ad iudicandum veniet per viam veritatis & iustitiæ, qui prius ad redimendum venerat per viam pietatis & misericordiæ.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De institutione & regimine Prælatorum cap. 5. Duplex esse futurum iudicium, generale videlicet & particulare, nullus eorum, qui Catholicè viuit, & rectè credit, ambigit, &c. Quòd igitur hoc iudicium futurum sit, certissimum est: quando verò, omninò ignoratur, &c. Ab hoc quippe priuato & particulari iudicio nemo excluditur, siue infidelis, siue fidelis sit. Infidelis namque sine suorum operum discussione damnatur, naturæ legis æquitate conuictus: fidelis verò opera producuntur ad medium, & scriptæ legis testimonio, aut approbantur secundùm Deum facta, aut reprobantur. De hoc vtique iudicio discretionis inquit Propheta: *Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta.* Hoc quippe iudicium futuri est temporis, Psal. 42.
non præsentis, quando videlicet quisque consummato huius peregrinationis decursu, condigna operum suorum assecuturus est præmia.

De contemptu mundi cap. 16. Nullus ergo dubitet, quemadmodum Apostolus inquit, *Omnes nos exhiberi oportere ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque prout gessit in corpore, siue bonum, siue malum.* 2. Cor. 5
Quamobrem reuoluat peccator quilibet interdum intra se, quid in illo est acturus iudicio, quantusque erit pauor, cùm desuper aderit iratus iudex, subtus inferni patens chaos, coram positi testes Angeli, dæmonia accusantia, manifesta scelera in libris conscientiarum compendiosissimè scripta, elementaque turbata, &c. Equidem tunc euacuabuntur principatus seculi, potestates principum, dignitates regiæ, Pontificales infulæ, opiniones hominum, fauores populorum, & omne quod altum atque decorum est: quoniam de solis operibus singulorum disceptatio fiet, &c. Quid ergo in illo tremendo examine acturi sunt Reges, Duces, potentes, & nobiles, qui violenter oppresserunt subiectos & pauperes, sibique omne licere voluerunt, quod libuit? Tot quippe aduersus eos insurgent testes, quot perpetrauerunt scelera, quotque damnauerunt ac spoliauerunt iniustè. Quid, inquam, responsuri sunt diuites, qui erga egenorum inopiam pietatis viscera claudentes, nihil ad se pertinere putant, quis egeat pane, quis potandus, quis induendus, quis hospitio recipiendus, quis visitandus, quisve sepeliendus sit?

Dionysius Carthusianus. 1460.

Libro de quatuor nouissimis articulo 16. Hoc iudicium multo terribilius est ipsa morte corporali ac temporali, imò & pœnis inferni ad tempus, prout sanctus Iob dixit: *Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* Tanta est, vt dixit S. Macharius, terribilitas diuini iudicij, quòd si quis dignè illud perpendat, ossa eius carni suæ præ timore vix adhærebunt.

Articulo 18. Multa sunt, ex quibus docemur, quantum formidare debemus iudicium Dei tam particulare, quàm generale: imò, qui in die generalis iudicij cupit esse securus, studeat Deo indesinenter placere, & ad mortem salubrem pertingere. Sic enim in particulari iudicio suo saluabitur, & idcirco in die nouissimo erit securus. Quidam verò futurum in fine mundi iudicium minus verentur, quia adhuc longè id abesse opinantur: qui pensent, quòd particulare eorum iudicium non nisi paululum distet, in quo si imparati fuerint inuenti, tam nunc, quàm in die nouissimo in generali iudicio damnabuntur. Denique vtrumque istud iudicium est ineffabiliter metuendum. Primò, ex parte iudicis summi: secundò, ex parte iudicandi: tertiò, ex parte retributionis, &c.

ARTI-

ARTICVLVS SEXTVS.

ANIMAS DEFVNCTORVM NEC IN PVRGATORIO, NEC IN GEHENNA INVENIRE LOCVM, QVO ILLVD, QVOD HIC NEGLEXERVNT, VEL POENITENTIA, VEL VLLIS BONIS OPERIBVS EXOLVANT: NVLLVM ILLIS VEL MERENDI, vel demerendi locum; sed solùm pœnam restare.

NEGANT.

Anno post natū Christū 1517.

MARTINVS Lutherus in Thematibus VVittembergæ ad disputandun propositis, Themate 18. *Necessarium videtur, animabus in Purgatorio, sicut minui horrorem, sic augeri charitatem. Nec probatum videtur ullis aut rationibus, au Scripturis, quòd sint extra statum merendi, seu agenda charitatis.*

In Resolutionibus: *Probo quòd augeatur in ijs charitas. Apostolus dicit:* Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. *Hoc autem bonum non potest intelligi, nisi augmentum iam possessi boni. Ergo & Purgatorium auget bonum dilectionis Dei, & in tantis malis etiam diligit. Sicut fornax aurum probatum facit, sic pœna dilectionem: tan* virtus in infirmitate perficitur. *In Purgatorio maxima est infirmitas. Ergo maximè perficit charitatem.*

In Assertione articulorum à Leone Decimo damnatorum articulo 38. *Animæ in Purgatorio non sunt securæ de sua salute, saltem omnes. Nec est probatum ullis aut rationibus, aut Scripturis, eas esse extra statum merendi, aut augendæ charitatis.*

Artic. 39. *Animæ in Purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quærunt requiem, & horrent pœnas. Hos articulos disputans, protestatus, me esse rerum istarum ignarum, nec adhuc probatum aliquid inuentum.*

In Disputatione Lipsica: *Non sic de meritis animarum loquor in Purgatorio, quòd aliquid operentur, sed quòd recipiant ampliorem gratiam.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Psalm. 6. Vers. 6. Non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Ecclesiastis 9. 5. Mortui verò nihil nouerunt amplius, nec habent vltra mercedem. 10. Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.

Ecclesiastis 11. 3. Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.

Ecclesiastici 14. 16. Ante obitum tuum operare iustitiam: quoniam non est apud inferos inuenire cibum.

Esaiæ 55 6. Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est.

Matth. 25. 6. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei Tunc surrexerunt virgines illæ, & ornauerunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis Dum autem irent emere, venit sponsus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.

Lucæ 16. 23. Diues in tormentis non exauditur, nec quicquam solatij obtinet.

Ioannis 9. 4. Me oportet operari, &c. donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.

2. *Corinth.* 5. 10. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum.

2. *Corinth.* 6. 1. Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. (Ait enim: Tempore accepto exaudiui te: & in die salutis adiuui te. Ecce, nunc tempus acceptabile: ecce, nunc dies salutis.)

Galat. 6. 10. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.

Apocal. 10 6. Quia tempus non erit amplius.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Clemens Romanus. 80.

Constitut. Apostol. lib. 2. cap. 13. Quid scis, ô homo, qui deliquisti, an diem in hac vita acturus sis, vt sit pœnitendi potestas? Incertum est enim vitæ huius extremum, & ei, qui in delicto mortuus est, non erit pœnitendi facultas. Ait enim Dauid: *In inferno quis confitebitur tibi?*

Lib. 2. Recognit. Vnaquæque res suum tempus habet, & locum. Operum hic locus, hoc tempus est: meritorum seculum futurum.

Dionysius Areopagita. 100.

Epistola 8. Cumque illius celebritatis ageretur dies, qui debuerat pro vtrisque benignè orare, atque Dei Saluatoris auxilio alterum ab errore conuertere, alterum bonitate superare, nec desistere, quin eos admoneret per omnem vitam, donec pœnitentiæ tempus superesset, & ita eos ad Dei cognitionem attrahere, vt iam tandem obscura patescerent.

Iustinus Martyr. 160.

Oratione ad Gentiles: Nullum vestrum in maiores vestros extabit delictum, si in contrariam illorum errori sententiam pedibus ire velitis, quos par est apud inferos, nunc seram nimis pœnitentiam pœnitentes, in graui esse luctu, ac si quo modo fieri posset, vt vobis inde renuntiare valerent, quæ sibi post huius vitæ finem acciderint, intelligeretis profectò, quibus vos liberatum iri vellent malis.

Clemens Alexandrinus. 200.

Oratione ad Gentes: Mala consuetudo post discessum ex hac vita vanam pœnitentiam affert cum supplicio.

Origenes. 230.

Ad Psalm. 36. Saluator noster ait: *Veniet nox, quando nemo operari potest.* Et hoc dicit de illo tempore, quod erit post hoc seculum, tempore quo vnusquisque recipiet pœnas. Tunc ergo dicit noctem illam futuram, cùm iam nemo potest operari aliquid, sed vnusquisque tum pascitur ex operibus suis, quæ hic positus operatus est.

Athanasius. 340.

Quæst. 62. A tempore postquam anima est separata, & ex hac vita viaque fuerit egressa, non amplius potest operari bonum. Quadrans dicitur, quod reliquum est, & quasi neglectum in animi cogitationibus: dicitur etiam conscientia aduersarius. Nam occultè nos in corde nostro redarguit, coercet à malo, & si simus inobedientes, tandem nos ad Dei tribunal sistit: vbi & pœnas dabimus, tum enormium peccatorum, tum etiam leuium & minimorum.

Gregorius Nyssenus. 380.

Libro de Philosophia: Soli homini donatum est per pœnitentiam veniam peccatorum consequi, & omni, & semper secundùm vitæ huius tempus: post mortem verò concessum est nemini.

Oratione 3. de Resurrectione: Nusquam à corpore separata anima vel furtum committit, vel parietes perrumpit: neque contra sola vel panem esurienti dat, vel potum sitienti præbet, vel in carcerem haud grauatim concedit, vt officium & ministerium præstet ei, qui carcere affligitur: sed in omni actione ambo sibi inuicem coniuncta simul & capessunt, & perficiunt ea, quæ aguntur.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia de Diuite: Frustra agis pœnitentiam in loco, vbi non est pœnitentiæ locus. Tormenta te cogunt agere pœnitentiam, non mentis affectus.

Sermone 2. de Lazaro: Donec hic fuerimus, spes habemus præclaras: simulatque verò discesserimus illuc, non est postea in nobis situm pœnitere, neque commissa diluere, &c. Nec putemus cum illuc venerimus misericordiam tribuendam: qui hic non egimus, vt mereremur veniam accipere. Neque enim qui in præsenti vita peccata non abluerit, postea consolationem aliquam inuenturus est. *In inferno enim quis confitebitur tibi?*

Homilia 19. *in Genesin:* Nihil tunc nobis pœnitudo proderit, cùm solutum fuerit spectaculum, & tempus certaminum ablatum.

Homilia 55. super Ioannem: Sanè magnum est hoc, *dies est.* Dum licet hominibus in me credere, dum hæc durat vita, laborandum est: *venit nox,* hoc est, futurum tempus, quando nemo operari potest.

Homilia 3. ad Philippenses: Dic mihi, quæso, quæ spes esse poterit illis, qui cum peccatis suis eò discedunt, vbi peccata exurere non licet? Donec enim erant in hoc seculo, plurimum fortè erat expectationis & spei immutandos illos, melioresque fore, &c.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Ad cap. 38. Esaiæ: Qui semel mortui sunt, & in inferorum porta tenentur, desistent etiam laudes ac doxologias celebrare. Nihil enim quicquam his, quæ operati sunt, possunt adijcere. Manebunt potius, in quibus relicti sunt, & generalis iudicij tempus expectabunt. Itaque viuentes, inquit, & qui bene faciendi facultatem habent, cùm beneficijs affecti sunt, benedicent tibi, quemadmodum & ego.

Libro 3. in Ioannem cap. 18. Quando misericors eris, si tenax in hac vita fueris? Quando preceptum hoc complecteris, occasionem faciendi quotidie prætermittens? Recordare Psalmi: *Quia non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?* Quis enim erit fructus post mortem? aut Psal. 6.
quomodo Dei quispiam recordabitur, vel quomodo præcepta faciet, qui descendit ad inferos? *Conclusit enim Deus in eo,* vt scribitur, *qui mortuus est.* Idcirco & Paulus docet, dicens: *Donec tempus habemus, operemur bonum.* Gal. 6.

Theodoretus. 450.

In Psalm.

In Psalm.6 Clausa est pœnitendi ianua ijs, qui hinc demigrarunt, nec fieri potest, vt illi, qui in præsenti vita pœnitentiæ remedijs vti noluerunt, illic afferant Deo confessionem pro peccato. Testis est autem his verbis etiam virginum parabola: etenim per illam didicimus, fatuas virgines, restinctis lampadibus, mansisse extra ianuas, sed reiectę sunt, & thalamo exclusæ sunt: ait enim ipsis *Discedite, non noui vos.* Quocirca beatus Dauid post duplex illud flagitium has affert Deo preces, rogans, vt sanetur, perinde ac si medicamenta pœnitentiæ non haberent amplius locum in illa vita.

Matt. 25

Non est in morte, qui memor sit tui. Idcirco precor, vt in præsenti curatione fruar, quoniam noui eos, qui ab hac vita decesserunt cum vlceribus, nullam deinceps medicinam consecuturos, cum nullus amplius sit pœnitentiæ locus.

Nemesius. 480.

De natura hominis cap.1. Solus homo inter omnia, quæ ratione prædita sunt, habet hoc præcipuum, vt eius erratum pœnitentia condonetur, &c. Soli homini adest, vt per pœnitentiam omni culpa liberetur. Nam soli homini, & omni, & semper, quoad in terris viuit, hoc datum est. Nam morte obita non item.

Olympiodorus. 500.

In caput 9. Ecclesiastis. In inferno cùm peractæ operationes esse possint, qui ibi propter patrata flagitia sunt sepulti, ad id tantummodò delati sunt in infernum, vt æternis torqueantur supplicijs.

Andreas Cretensis. 500.

In Apocalypsis cap.49. Pœnitentia & threni apud eos, qui sempiternis iam mancipati cruciatibus habentur, prorsus inutiles sunt. Nam apud inferos prorsus nulla est redemptio, nec vllus ibi Dominum, iuxta Psalmistam, confitetur. Quippe cùm Spiritus sancti subsidium, quod in hac mortali vita adesse solet, condemnatis non amplius adsit.

Antiochus. 600.

Homilia 95. Quis in inferno relinquitur confessionis locus? Nullis illic lachrymis, aut suspiriosis gemitibus ira flectitur iudicis æquissimi: nullius item gratiam præfinitæ legis tempus prorogari illic potest. Sed neque pœnitentia vlla iam illic residet: ab exitu illius vitæ nulli conceditur reditus.

Ioannes Moschus. 610.

In Prato spirituali cap 59. Tempus hoc nobis ad pœnitentiam indultum est, & valde requiretur à nobis, si neglexerimus.

Ioannes Damascenus. 730

Orthodoxæ fidei lib.2.c.4. Quod hominibus mors, hoc Angelis lapsus est. Post lapsum enim illis non pœnitentiæ locus, neque hominibus post mortem.

Dialogo aduersus Manichæos: Atque in hac quidem vita moderatio quædam & gubernatio est, atque arcana quædam prouidentia, qua ij, qui peccant, ad pœnitentiam & meliorem frugem vocantur. Post extremum autem vitæ diem non iam mutation non iam pœnitentiæ locus est: non quod Deus pœnitentiam non suscipiat, sed quia anima iam mutari nequit. Quocirca etiamsi quis omnibus iustitiæ muneribus fungatur, ac deinde animum mutet, ac peccet, atque in peccati amore, & cupiditate è vita excedat, in peccato suo morietur, eodemque modo peccator, si resipuerit, atque in resipiscentia mortem obeat, peccata ipsius obliuione contererentur. Quemadmodum enim dæmones post lapsum non iam resipiscunt, nec rursus Angeli nunc peccant sed vtrique hoc habent, vt nulla iam in eos mutatio cadat: eodem quoque modo homines post mortem id habent, vt mutari iam non possint.

Elias Cretensis. 780.

In Orationem 3. Nazianzeni: Quod nobis mors est, hoc Angelis est lapsus. Post lapsum enim nullus est amplius ipsis pœnitentiæ locus, quemadmodum nec hominibus post mortem.

Theophylactus. 900.

Ad cap.25. Matthæi: Post hanc vitam non est tempus pœnitendi, & operandi. Proinde Dominus dicit illis: *Nescio vos.*

In caput 13. Lucæ: Virtutis viam ingredi non possumus, postquam hinc migrauerimus. Quamdiu enim in hac vita sumus, iri potest via virtutis.

In caput 6. ad Galatas: Quemadmodum non semper serendi tempus, ita nec semper metendi occasio offertur. Quod sanè & virginum illarum, & Lazari exemplo profertur. Quamdiu autem nobis in hac vita suppetit ætas, non solùm in præceptores, sed etiam in gentiles ipsos & Iudæos, quæ bona sunt operemur, hoc est, benedicentia vtamur & eleemosyna.

Euthymius. 1080.

In Psalm 6. Ante mortem pœnitere quem potest post mortem verò retributionis tantummodo tempus est.

In Psalm. 55. Quæ Deo grata sunt faciam donec lucem hanc video, quæ viuentibus lucet. Nam post mortem nullum erit amplius gratificandi tempus.

Ioannes Cantacuzenus. 1360.

Apologia 3. Omnis homo, dum viuit, opera facit quæcunque vult, & animo concipit tam ad salutem suam tendentia, quàm ad damnationem & pœnam. Pœnitentiæ verò post mortem locus non est reliquus.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Cyprianus. 250.

Libro de Lapsis: Confiteantur singuli, quæso vos fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in seculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio & remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est.

Libro 3. ad Quirinum 114. Dum in carne est quis exomologesin facere debere. In Psalmo 5. *Apud inferos autem quis confitebitur tibi?* Item in Psalm.29. *Nunquid exomologesin tibi faciet puluis?*

Ad Nouatianum hæreticum, quod lapsis non est spes venia neganda: Mundemus domum nostram munditia spiritali, vt secreta quæque & abdita pectoris nostri, vero Euangelij lumine radiata, dicant: *Tibi soli deliqui, & nequissimum in conspectu tuo feci, quia mors peccatorum mala, & apud inferos pœnitentia nulla.*

Tractatu ad Demetrianum, num.9. Hortamur dum facultas adest, dum adhuc aliquid de seculo superest, Deo satisfacere, & ad veræ religionis candidam lucem deprofunda & tenebrosa nocte superstitionis emergere, &c. Credite & viuite, & qui nos ad tempus persequimini, in æternum gaudete nobiscum. Quando istinc excessum fuerit, nullus iam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus: hîc vita aut amittitur, aut tenetur: hîc

saluti

saluti æternæ cultu Dei, & fructu fidei prouidetur. Nec quisquam aut peccatis retardetur, aut annis quò minus veniat ad consequendam salutem. In isto adhuc mundo manenti pœnitenti: nulla sera est.

Hilarius. 350.

*In Psalm.*51. Non confessio peccatorum, nisi in huius seculi tempore est, dum voluntati suæ vnusquisque permissus est, & per vitæ licentiam habet confessionis arbitrium. Decidentes namque de vita, simul & de iure decidimus voluntatis.

In Matthæū Canone 27. Quibus (*fatuis virginibus.*) morantibus sponsus ingressus est, atque vnà cum eo in nuptias sapientes (quæ comparato lampadum lumine opperiebantur) introeunt: id est, in cælestem gloriam, sub ipso statim aduentu Dominicæ claritatis incedunt. Et quia iam pœnitentiæ nullum est tempus, fatuæ accurrunt, aperiri sibi aditum rogant. Quibus respondetur à sponso, quia nescio vos: Non enim in officio aduenientis adfuerant, neque ad vocem tubæ excitantis occurrerant, neque introeuntium comitatui adhæserant: sed morantes, & indignæ, introeundi ad nuptias tempus amiserant.

Ambrosius. 370.

De bono mortis cap. 2. Qui hîc non recipit remissionem peccatorum, illic non erit. Non erit autem, quia ad vitam æternam non poterit peruenire: quia vita æterna remissio peccatorum est. Ideo dixit: *Remitte mihi, vt refrigerer prius quàm abeam, & amplius non ero.*

Exhortatione ad Pœnitentiam: Age pœnitentiam dum sanus es. Si enim agis pœnitentiam dum sanus es, & inuenerit te nouissimus dies, securus es. Ergo curre, & reconcilieris. Si sic agis, securus es: si autem tunc agere vis ipsam pœnitentiam, quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.

Pacianus. 370.

Parænesi ad Pœnitentiam: Mementote fratres, quia apud inferos exomologesis non est, nec pœnitentia tribui potest, consumpto tempore pœnitendi. Festinate dum in vita estis, dum cum aduersario iter facitis.

Hieronymus. 390.

*In Psalm.*105. Nemo est, qui in inferno possit agere pœnitentiam. Confitemini ergo Domino, quoniam in isto tantùm seculo misericors est. Hic misereri potest pœnitentis: quia illic iudex est, non misericors. Hîc porrigit manum cadenti: illic sedet iudex. Hoc autem tantùm dixi ad eos, qui dicunt, quoniam in inferno est pœnitentia.

In caput 9. *Ecclesiastis.* Donec viuunt homines possunt fieri iusti: post mortem nulla boni operis datur occasio. Mortui nihil valent adijcere ad id, quod semel secum tulerunt è vita. Fac quodcunque nunc potes, & labora: quia nullus est locus pœnitentiæ, cùm ad infernum descenderis.

In caput 5. *Amos:* Solemus in angustijs & tribulationibus dicere: Vtinam mihi liceat exire de corpore, & seculi huius miserijs liberari, nescientes quòd quamdiu in hac carne versamur, habemus locum pœnitentiæ: si autem recesserimus, audiemus illud Prophetæ: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Psal.6.

In caput 5. *ad Galatas:* Tempus sementis tempus præsens est, & vita, quam currimus. In hac vita licet nobis seminare quod volumus. Cùm ista vita transierit, operandi tempus aufertur. Vnde Saluator ait: *Veniet nox, quando nemo operari poterit.*

Ruffinus. 390.

Ad Psalm. 51. Cùm venerit iudicij tempus, iam non erit correctionis locus: sed tantùm damnationis. Erit ibi pœnitentia, sed infructuosa, quia sera.

Augustinus. 400.

In Psalm. 36. Ad omnia ergo te paratum facit, qui tibi loquitur dum tempus est, & illi loquendi, nondum iudicandi, & tibi audiendi, nondum frustra pœnitendi. Est enim modò pœnitentia non frustra, erit tunc frustra. Non enim tunc non pœnitebit homines malè vixisse: sed nullo modo illis iustitia Dei reuocat, quod sua iniustia perdiderunt. Iustum enim est apud Deum, vt modò impertiatur misericordiam, tunc exerceat iudicium.

*In Psalm.*49. Tempus misericordiæ nunc est, tempus iudicij tunc erit. Nemo dicet, reuoca me ad priores annos. Pœnitebit & tunc, sed & frustra pœnitebit. Modò adhibeatur ad radices arboris cophinus stercoris, id est, cordis luctus & lachrymarum, ne veniat ventus, & eradicet. Cùm enim eradicauerit, iam ignis expectatur. Modò & si fracti sunt rami, possunt rursus inseri: tunc *omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

*In Psalm.*72. Meritò diues serò dicturus est: *Mitte Lazarum, dicat vel fratribus meis,* quando ei non conceditur fructus pœnitentiæ. Non enim pœnitentia non datur, sed sempiterna erit pœnitentia, & nulla salus post pœnitentiam.

*In Enchiridio ad Laurentium cap.*110. Hîc omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam reuelari quispiam, vel grauari. Nemo autem speret quod hîc neglexerit, cùm obierit apud Deum promereri.

Tractatu 44. *in Ioannem:* Operetur homo dum viuit, ne illa nocte præueniatur, vbi nemo possit operari. Modò est vt operetur fides per dilectionem, & si modò operamur, hic est dies, *hic est Christus:* audi promittentem, & ne arbitreris absentem.

*Epist.*54. Morum corrigendorum nullus alius quàm hæc vita locus est. Nam post hanc vitam quisque id habebit, quod in hac sibimet acquisierit.

Sermone 66. *de Tempore:* In hac tantùm vita pœnitentiæ patet libertas, post mortem nulla correctionis est licentia. In hoc seculo pœnitentiam facientibus Dei misericordia subuenit, in futuro autē pœnitentia non proficit, sed rationem operum nostrorum reddituri sumus.

Petrus Chrysologus. 440.

Serm.66. *Ipse clamans, dixit.*) Sic clamat ibi, qui hîc clamantes contempsit audire: ibi cassa vox est, istic inanis est clamor. Audi Prophetam dicentem: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* In inferno quis misericordiæ locus? in tormentis quæ spes veniæ? & in hora sententiæ tempus indulgentiæ quis requirit?

Leo Magnus. 450.

Epistola 91. *ad Theodorum Foroiuliacensem capite* 3. Si autem aliquis eorū, pro quibus Domino supplicamus, quocunque interceptus obstaculo, à munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquam ad constituta remedia perueniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit.

Sermone 5. *de Collectis & eleemosynis:* Præsens vita tempus est sationis, & retributionis tempus est messis: quando vnusquisque seminum fructus secundùm sationis suæ percipiet quantitatem.

Prosper Aquitanicus. 450.

De vita contemplatiua libro 3. *capite* 12. Quid est, obmu-

obmutescentes manibus & pedibus ligari, nisi in inferno, vbi Deo nemo confitebitur, actione priuari: sicut in exteriores tenebras mitti, nihil aliud erit, nisi à Domino, qui nec mentium lumen, expelli?

Eucherius Lugdunensis. 450.

Dominica 6. post Pentecosten: Postquam via completa fuerit, & vita finita, iam nihil proderi consentire velle.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia ad populum in Quadragesima: Curramus dum lucem habemus, priusquam nos tenebræ comprehendant: quia iam in illo seculo emenda-
Psal. 6. tioni ac redemptioni prospicere non licebit, sicut dicit diuinus Sermo: *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui.* Sicut ergo ibi nulla timebitur meritorum amissio, ita nulla timebimur remissio peccatorũ. Nulla ibi exercendi boni operis licentia conceditur. Nunquid illic pascere quis esurientem poterit, vbi edendi necessitas non erit? vbi cibo ac potu nec impius inter flammas, nec pius inter paradisi delicias indigebit? Nunquid ibi algentem vestire continget, vbi omninò tegendi corporis cura cessabit?

Alcimus Auitus. 500.

Libro 3. cap. 10. agens de damnatione diuitis Lucæ 16.

Talibus ille quidem, fusis sed in aëra verbis:
Nulla etenim meriti post mortem facta potestas.
Vos ergo dum vita manet, dum lege vigetis,
Patronumq; adsit & Patris ante tribunal Iesus.
Nec iam obturatis pulsatur ianua valuis:
Dum locus est flendi, dum se clementia Christi
Pandit, flete admissa, nec inde admittite flenda.

Benedictus Abbas. 530.

Præfatione super Regulam suam: Si fugientes Gehennæ pœnas, ad vitam perpetuam volumus peruenire, dum adhuc vacat, & in corpore sumus, & hæc omnia per hanc viam lucis vacat implere, currendum, & agendum est modò, quod in perpetuum nobis expediat.

Cassiodorus. 540.

Ad Psalm. 6. Meritò hic sibi festinat dimitti: quia post lucis occasum non restat nisi sola retributio meritorum. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* subintelligendum ad veniam.

Gregorius Magnus. 590.

Libro 8. Moralium capite 12. aliàs capite 8. Quia dum tempus vitæ præsentis abscinditur, ad operationem promerendæ veniæ vlterius non reditur, rectè subiungitur: *Nec reuertetur oculus meus, vt videat bona.* Ad videnda bona extincti oculus non redit: quia ad exhibenda recta opera exuta carne anima non recurrit. Hinc est, quòd diues, quem inferni flamma cruciabat, quia semetipsum reparare operando non posse agnouerat: nequaquam iam sibi, sed relictis fratribus prodesse satagebat.

Isidorus Hispalensis. 600.

De Summo bono lib. 2. cap. 13. In hac vita tantùm pęnitentiæ patet libertas, post mortem nulla correctionis est licentia. In hac vita dum estis, Deum per pœnitentiam glorificate. Adhuc in seculo pœnitentiam operantibus misericordia Dei subuenit: in futuro autem iam non operamur, sed nostrorum operum rationem ponimus.

Beda. 700.

Ad Psalm. 2. Quicquid apud Deum semel damnatur, æternaliter damnatur. Vnde meritò in præsenti locus misericordiæ tantùm esse dicitur. Nullus enim in futuro misericordiam assequetur, nisi qui promeruerit hic eam.

Ad Psalm. 6. Post separationem corporis & animæ nemo mortuus efficitur cum sua vtilitate, id est, nemo, qui in hoc seculo de peccatis suis non compungitur, postquam mortuus fuerit, vtiliter compungitur: quia hic tantùm locus est misericordiæ, post seculum tantùm locus est iustitiæ.

Ad cap. 16. Lucæ: Finita hac vita, in qua tantùm licet operari, nequaquam vltra bonæ conuersationis fructum ligone deuotæ compunctionis licet inquirere.

Ad cap. 9. Ioannis. Nox est, de qua: *Ligate illi manus & pedes, & proijcite eum in tenebras exteriores.* Operetur ergo homo, ne in illa nocte præueniatur, vbi nemo possit operari. Modò est vt operetur fides per dilectionẽ. Et si modò operamur, hic est dies, *hic est Christus.* Ibi erit nox, vbi nemo possit operari, sed recipere quod operatus est. Aliud est tempus operationis, aliud receptionis.

Alcuinus. 750.

In caput 8 Ecclesiastæ: In inferno non est fructuosa pœnitentia, nec aliquis virtutis recursus. Dum in isto seculo es, festina, contende, age pœnitentiam. Dum habes tempus, labora. Libenter enim Deus suscipit pœnitentiam. Et comede panem charitatis, & vinum sapientiæ bibe, vt Deo placeant opera tua.

In cap. 9. Homines dum viuunt possunt iusti fieri, post mortem verò nulla boni operis ijs occasio datur.

Haymo, 820.

Ad Psal. 109. Nisi hic cõuersi fueritis, misericordiam non inuenietis: quia tunc est tarda pœnitentia, & non est acceptabilis.

Ad caput 6. posterioris ad Corinthios: Tempus acceptabile ad agendam pœnitentiam, est vsque ad diem iudicij, quæ appellatur dies salutis, in qua nobis salutem æternam possumus promereri. quoniam apta est ad operandum. De qua dicit Dominus: *Ambulate, dum diem habetis*: huic diei succedit nox, tenebræ scilicet æternæ damnationis, in qua nemo poterit operari, &c. Modò possumus per indulgentiam proficere peccatores, modò velimus obtinere veniam. Erit enim tunc pœnitentia sera & tarda.

Rabanus Maurus. 850.

Lib. 3. in Ecclesiasticum capite 9. In hac vita Deus expectat & accipit conuersionem nostram: in illa autem reddet vnicuique secundùm opera sua.

De vera Pœnitentia cap. 8. In hac vita, quantumcunque acciderint nobis peccata, possibile est ablui omnia per pœnitentiam: cùm autem abducti fuerimus de seculo hoc, iam, etiamsi pœnitebit nos, valde enim pœnitebit, sed nulla erit pœnitentiæ vtilitas: & licet stridor dentium sit, licet vlulatus, & fletus, licet fundamus preces, & innumeris obsecrationibus proclamemus, nemo audiet, nemo subueniet: sed ne extremo quidem digito aquam quis infundet linguæ nostræ positæ in flammis. Sed audiemus illud, quod diues ille audiuit ab Abraham: Quia *chaos magnum firmatum est inter nos & vos.*

Remigius Antisiodorensis. 880.

In Psalm. 6 Rogo vt hic me iudices, dum tempus est misericordiæ & salutis: *eripe animam meam*, sed modò, dum tempus est misericordiæ, ne in peccatis moriar. *Quia in morte non est qui memor sit tui* ad pœnitentiam. *In inferno autem quis confitebitur tibi*, vt tu exaudias? Nullus. Ibi enim infructuosa est pœnitentia, vt illius diuitis, &c.

Smaragdus. 950.

In caput 4. Regulæ Benedicti: Adhuc in hoc seculo positis confitentibus Dei misericordia subuenit:

post mortem autem pœnitentiæ dolor & gemitus animos cruciant, sed à peccati supplicio non liberabunt.

Radulphus Ardens. 1050.

Dominica 1. Aduentus: Hora infructuosa est pœnitere post mortem. Pœnitebunt quidem damnati in inferno, & valde pœnitebunt: sed illa pœnitentia non erit ad remedium indulgentiæ, sed ad augmentum pœnæ. Pœnitentes namque plangent, ac dicent: Operari dum licuit, voluntas mihi defuit: nunc voluntas tribuitur, sed facultas adimitur. Itaque fratres, dum licet pœniteamus, & bona operemur dum dies est: *quia venit nox, in qua nemo operari potest.* Tunc enim tempus erit non serendi, sed metendi.

Anselmus. 1080.

In Euan. Enar. Post mortem nulla potest inueniri medicina: quia *in inferno nulla est redemptio.* Quisquis enim semel æternæ damnationi traditus est, nunquam vlterius redemptionem consequi potest. Quisquis semel traditus irreuocabiliter fuerit crudelibus angelis, quorum officium est reprobos torquere, nunquam vlterius valet debitum reddere. Quia non potest per pœnitentiam & bona opera quod malè gessit emendare, & propterea semper cogitur pœnas sustinere.

In caput 6. posterioris ad Corinthios: Nunc est lucidum tempus gratiæ, in quo per bona opera possunt homines æternam promereri salutem. Ex quo enim Saluator in carne apparuit, semper est acceptabile tempus, est dies salutis vsque ad finem seculi: vnicuique tamen finitur hoc tempus in hora obitus sui. Dies enim salutis per Christi gratiam est vita præsens, quæ apta est ad bene operandum, & concluditur nocte iudicij, in qua nemo poterit operari.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad caput 9. Ioannis: Vsque ad finem seculi dies est, id est, aptum operari tempus est. Il contra quod consummationi seculi succedet, nox erit, id est, tempus nulli aptum operationi. Vnde Ecclesiastes

Eccles. 9 dicit: *Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia est apud inferos, quò tu properas.* Ergo quod ait: *Donec dies est. Venit nox, in qua nemo potest operari,* idem est, ac si dixisset, vsque ad finem seculi, cui succedit tempus, in quo nemo potest operari, sed recipere quod operatus est. Hoc enim tempus operationis, illud receptionis est.

Bernardus. 1130.

Sermone ad Clericos de conuersione capite 5. Erit hic reditus sine dubio vel post mortem, cùm vniuersa, quibus ad vagandum foras, & inutiliter sese occupandum, in eam, quæ præterit, huius mundi figuram egredi consueuerat, ostia corporis clausa erunt, vt necessariò maneat in seipsa, cui nullus iam pateat exitus à seipsa. Verùm is quidem perniciosissimus erit reditus, & miseria sempiterna, quando iam pœnitentia haberi poterit, agi non poterit. Vbi enim deerit corpus, actus non erit. Sanè vbi nulla fuerit actio, nec satisfactio quidem vlla poterit inueniri. Quocirca pœnitentiam quidem habere, dolere est: nam pœnitentiam agere remedium doloris est. Neque enim carenti manibus erit vltra leuare cor in cælum cum manibus: sed quisquis ante obitum carnis non redierit ad ipsum, in seipso maneat necesse est in æternum. Sed in quali seipso? Qualem se fecerit in hac vita, qualem inuenerit exiens ab hac vita: nisi quòd fortasse erit nonnunquam deterior: nam melior qui malus est, nunquam erit. Habet enim hoc ipsum, quod nunc ponit, quandoque recipere corpus, non tamen ad pœnitentiam, sed ad pœnam.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei libro 2. parte 16. capite 2. Qui bene mori vult, bene viuat: quoniam ea, quæ post mortem veniunt, contra ea disponuntur, & secundùm ea retribuuntur, quæ ante mortem in vita præcedunt. Vsque ad mortem meritum est, post mortem verò præmium. Mors media est, in qua dies Domini incipit, & dies hominis finem accipit. In die suo homo sibi relinquitur, vt quod vult operetur: in die verò Domini iam in potestate sua non est homo, sed in illius potestate, ad quem venit, vt remuneretur.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 4. dist. 20. Sciendum est, quòd tempus pœnitentiæ est vsque ad extremum articulum vitæ.

Hugo Etherianus. 1160.

De regressu animarum ab inferis capite 9. Hic pœnitere oportet, delicta confiteri oportet, ne in exitus tempore fidelium aliquis inueniatur reus iniquitatis. Formidabile est mysterium mortis, quando quærit animam exercitus ille horribilis.

Innocentius Tertius. 1200.

Dominica nona post Octauas Pentecostes Sermone 1. Post hanc vitam non est locus agendi opus, sed recipiendi pro opere: nec est tempus mendicandi meritum, sed recipiendi pro merito: quia tunc vnusquisque recipiet prout gessit in corpore. *Ligatis manibus & pedibus,* inquit, *proijcite eum in tenebras exteriores.* Ligati manus & pedes operari non possunt. Et diues ille gulosus, qui sepultus est in inferno, frustra mendicabat guttam aquæ de digito pauperis Lazari: frustraque fatuæ virgines oleum à prudentibus mendicare volebant.

De contemptu mundi libro 2. capite 3. de inutili pœnitentia damnatorum: Pœnitebunt ad pœnam, sed non conuertentur ad veniam. Iustum enim est, vt qui noluerunt, cùm bene potuerunt, cùm velint, non possint. Dedit enim Deus locum pœnitentiæ, & ipsi abusi sunt.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

De Legibus c. 21. Existentes in inferno super peccata sua etiam addunt impœnitentiam, & contumaciam, nunquam pœnitentes, nec vnquam pœnitere volentes: quia semper durat in eis Dei iniuria, id est, peccatum: quare semper meritò durat & in eis pœna, & de iure etiam meritorum ipsorum: quoniam propter additionem contumaciæ addi posset eis & pœna: tamdiu enim durat in vnoquoque Dei iniuria, quæ non est nisi peccatum, quamdiu idem non emendatur. Alibi autem declaratum est, quia nec pœnitentia, nec emendatio apud inferos est.

Vincentius Burgundus. 1240.

In Speculo Morali parte 1. distinctione 10. Neque in inferno, neque in paradiso habet locum peccatorum remissio.

Thomas Aquinas. 1250.

In lib. 4. Sent. dist. 20. Quamdiu manet homini vsus liberi arbitrij in hac vita, in qua nondum est confirmatum ad malum, post se præparare ad gratiam.

Bonauentura. 1260.

In librum Sapientiæ capite 12. Locus pœnitentiæ est mundus iste. Post egressum enim de hoc mundo non est pœnitentiæ locus. Propter quod Eccl. 11. dicitur: *Vbicunque ceciderit lignum, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem, ibi erit.*

Ægidius Romanus. 1280.

Tractatu de inferno capite 11. Hexameron: Post di-

em iudicij non est amplius tempus miserendi, & vlterius pœnitentiam agendi, neque merendi, neque demerendi. Propter quod quamdiu sumus in vita ista, quia possumus pœnitentiam agere, multa dicuntur nobis per comminationem, vt conuertamur à via mala.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad Psalm. 6. *quia non est in morte*, id est, post mortem, *qui memor sit tui* memoria fructuosa, quantum ad eos, qui decedunt in peccato mortali. Ideo subditur: *In inferno quis confitebitur tibi?* scilicet cōfessione laudis diuinæ, quasi dicat, nullus. Eò quòd *in inferno nulla est redemptio.*

Ad cap. 11. *Ecclesiastis*: In vita præsenti debet homo de operibus pietatis solicitari, quamdiu potest mereri.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330

Ad Psal. 6. *In inferno quis confitebitur tibi?* Vtiliter ac fructuosè? quasi dicat, nullus. Sicut diues confessus est mala sua, sed frustra. Et ideò rogo hic sanari: quia nullus post mortem & in inferno potest agere pœnitentiam fructuosam. Vnde stultus est, qui non tempus illud præuenit pœnitendo: quia tunc non restat nisi retributio.

Ioannes Taulerus. 1350.

Dominica 4. *post Trinitatis*: Post præsens seculum nihil cuiquam vel accedet, vel decedet, nisi ea duntaxat, quæ hic meritus est, siue bona sint, siue mala. Equidem constanter vobis asseuero charissimi, etiamsi dignissima Regina semperque Virgo Maria, omnesque Sancti, & Angeli Dei sanguineas lachrymas pro quocunque post huius vitæ decessum effundant, non poterunt tamen vel tenuiter meritam illius essentialem beatitudinem, si saluandus sit, augere: vel ipsum, si damnandus sit, ab inferno liberare. Quamdiu hic viuimus, semper nos diuina misericordia expectat, multoque ad dandum homini noua dona sine intermissione paratior est Deus, quàm sit homo ad desiderandum.

Catharina Senensis. 1370.

Tractatu 1. *cap.* 23. Quilibet homo vineam habet in semetipso, videlicet animam suam, cuius colonus est & cultor voluntas vnà cum libero arbitrio, dum viuit in isto breui tempore. Transacto verò tempore, nullum opus in ea facere potest neque bonum, neque malum. Dum autem est in tempore, potest, imò debet viriliter in vinea sua laborare.

Petrus Aliacus. 1400.

Ad Psalm. 1. *Pœnitentialem*: O pijssime Domine nō immeritò hic festino mihi peccata dimitti, quoniam post mortem, vel in inferno non erit memoria tui, aut confessio peccati, quæ scilicet vtilis sit ad veniam. Quia nunc est tempus conuersionis: sed cùm hæc vita transierit, tempus erit retributionis.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De disciplina & perfectione Monastica conuersationis cap. 14. Donec spiritus mortali corpori copulatus est, donec suprema dies aduenit, & mors præsentis vitæ terminum intercidit merendi, facultas à Deo homini donata est. At vbi finis viuendi adest, pariter & promerendi gratia aufertur. Quantumcunque enim sanctitate homo, dum adhuc in carne degit, ornatus extiterit, quamuis multipliciter sua merita cumulauerit, nil suorum post hanc vitam augere potest gratia meritorum. Propterea donec dies est, quoadusque acceptabile tempus instat ad promerendum, operibus bonis, & misericordiæ actibus vacandum est, ne superueniente noctis caligine repente anima trahatur de corporis carcere absque vlla spe veniæ.

Dionysius Carthusianus. 1450.

Ad caput 9. *Ioannis*: Cùm hæc vita sit via & cursus ad aliam vitam, nemo potest post hanc vitam mereri, vel pœnitere. In hora quoque iudicij erit tempus non meritorum, sed præmiorum. Non ergo indulta pœnitentiæ tempora negligamus, nec diem aliquam infructuosè perdamus, sed iuxta Salomonis doctrinam, quodcunque potest manus nostra instanter operemur: quoniam citò erit terminus vitæ nostræ.

Ioannes de Turrecremata. 1450.

Tractatu tertio in Regulam D. Benedicti: Si fugere volumus Gehennæ pœnas, & ad æterna peruenire gaudia, dum tempus habemus opportunum bene operandi, quod est tempus vitæ præsentis, operemur illa celeriter, quæ in perpetuum nobis expediant, ad gaudium & gloriam perfruenda.

Baptista Mantuanus. 1500.

De Patientia libro 3. *capite* 21. Quamdiu mortalem hanc vitam viuimus, ex virtute in vitium, ex vitio in virtutem, arbitrio nostro transire permittitur: at postquam de corporis huius tabernaculo eiecti, debitum naturæ persoluimus, nec à vitio in virtutem, nec à virtute in vitium est transitus. Tunc enim viatores esse desinimus, & promerendi statum amittimus.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

ANIMAS HOMINVM INFIDELIVM, ET PLANE IMPIORVM A MORTE CORPORVM STATIM AD INFEROS DETRVDI, IBIQVE PERPETVAS SCELERVM POENAS LVERE.

Anno ante natũ Christum

NEGANT.

550. PYTHAGORAS *apud Ouidium 15. Metamorph.*

Quid Styga, quid Cocytum, quid nomina vana timetis,
Materiem vatum falsique pericula mundi?

300. *Epicurus animas apud inferos luere pœnas poetarum figmentum putauit, & inferorum pœnas, quæ feruntur, in hac vita esse interpretatus est.* Lactantius lib. 7. cap. 7.

80. *Lucretius lib. 3. de Natura:*

Atque ea nimirum, quæcunque Acheronte profundo
Prodita sunt esse in vita sunt omnia nobis.
Cerberus, & Furiæ, iam verò & l[illegible]cis egenus
Tartarus horrificos eructans faucibus æstus:
Hæc neque sunt vsquam, nec possunt esse profectò:
Sed metus in vita pœnarum pro malefactis
Est insignibus insignis scelerisque luela.

50. *Cicero*, in Tusculanis quæstionibus, & oratione pro Cluentio, *falsa dicit esse, quæ de inferis traduntur.*

Anno post natum Christũ

50. Seneca de consolatione ad Marciam: *Illa, quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula est: nulla imminent mortuis tenebræ, nec carcer, nec flumina flagrantia igne, nec tribunalia: luserunt ista Poetæ, & vanis nos exagitauêre terroribus.*

80. *Iuuenalis Satyra 2.*

Esse aliquos Manes, & subterranea regna.
Et Cocytum, & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque vna transire vadum tot millia cymba
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ore loquuntur.

90. *Lucianus*, libro de luctu, *irridet ea, quæcunque vel Philosophi, vel Poetæ de inferis, & inferorum supplicijs memorant.*

100. Plinius naturalis historiæ lib. 2. cap. 63. *Si vlli essent inferi*, inquit, *iamdudum profectò illos auaritia atque luxuria cuniculis refodissent.*

140. *Pausanias*, in Laconicis, *nullos credit esse inferos.*

160. *Gnostici dicunt inferos esse hunc mundum, qui sit secundùm nos.* Irenæus lib. 5. cap. 31.

200. *Tertullianus*, in Apologetico cap. 48. de testimonio animæ cap. 4. *sentit animam sine corpore non posse pati.*

250. Origenes apud Hieronymum ad cap. 14. Esaiæ: *Omnes*, inquit, *animæ apud inferos requiem aliquam accipient, tu solus, diabole, in extremas tenebras religaberis.* Homilia nona in diuersos Matthæi locos, *dicere videtur, ignem inferni esse metaphoricum, in solo conscientiæ & memoriæ afflictione positum.*

1200 *Albigenses dixerunt nihil esse paradisum, neque infernum, sed qui habent cognitionem Dei in se, quam ipsi habent, habere ipsum in se paradisum: qui verò mortale peccatum, habere infernum sicut dentem putridum in ore.* Cæsarius Heisterbachius lib 5. cap. 12. Antoninus parte 4. titulo 11. cap. 7. §. 5.

1250. *Almaricus nullum dixit esse infernum, sed qui habet peccatum mortale, illum habere in se infernum.* Bernardus Lutzenburg.

1420. *Barbara Regina Sigismundi Imper. coniunx, nihil credens de animæ immortalitate, tam superos quàm inferos ridebat.* Ianus Dubrauius historiæ Bohemicæ lib. 28.

1500. *Hermannus Risvvich dicebat nullum esse infernum, & proinde nostros irridebat, qui hunc existimarent esse.* Bernardus Lutzemb. & Prateolus de hæresibus.

1520. Martinus Lutherus ad cap. 25. Genes. *Hic Papistarum stultitia taxanda est, qui post mortem primum locum dicunt esse damnatorum, qui est cruciatus ignis æterni. Verùm an animæ impiorum statim torqueantur post obitum non possum affirmare. Apparet eos dormire, & quiescere, sed nihil assero, &c. In quo statu sint, qui damnantur, nihil possum asserere: in medium relinquo.*

Ad cap. 9. Ecclesiastis: *Infernus dicitur vbi continentur animæ, & quasi quoddam sepulchrum animæ, extra hunc corporalem mundum, sicut terra est sepulchrum corporis: quid autem illud, hoc est nobis incognitum.*

Sermone in Euangelium de diuite & Lazaro: *Tartarus, cuius hic fit mentio, non est ille locus, qui damnatorum tormentis post extremum iudicium deputabitur. Neque enim verisimile est diuitis huius cadauer apud inferos fuisse sepultum, sed magis in superam terram defossum. Quocirca necessarium est, hunc esse aliquem locum, vbi manes agere possint, in quo tamen refocillatio negatur, qui & ipse corporis coagmento nequit constare. Nobis sanè videtur, hunc tartarum nihil aliud esse, quàm ipsius conscientiæ remorsum, qui scilicet fide ac verbo Dei caret, in qua anima sepulta & conclusa vsque ad nouissimum diem continetur: post quem homo corpore simul & anima ad inferni sedes præcipitabitur. Sicut enim Abrahæ sinus verbum Dei est, in quo fide donati quiescunt, dormiunt, & vsque ad diem iudicij asseruantur: sic è contra infernum esse oportet, vbi Dei verbum desideratur, in quo per incredulitatem impij vexantur, donec vltimus dies appetat, quod nihil aliud esse potest, quàm fidei expers & peccatis madens conscientia.*

1540. *Petrus Viretus*, lib. 2. de ministerio Verbi, *scribit, Geneuæ esse, qui adolescentibus illud occinerent.*

——————Hunc esse beatum
Quique metus omnes, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitumque Acherontis auari.

1540. Ioannes Caluinus ad cap. 30. Esaiæ: *Per Tophet Gehennam haud dubiè intelligit: non quòd locum aliquem somniare oporteat, in quo impij mortui concludantur, sed conditionem ipsorum miseram, extremosque cruciatus & tormenta significat. Inepti & ridiculi sunt Sophistæ, qui de illius ignis natura & qualitate subtilius disserunt, atque in eo explicando variè sese torquent. Explodendæ sunt crassæ huiusmodi imaginationes, cùm figuratè Prophetam loqui intelligamus.*

1550. Ioannes Brentius in Lucam: *Cælum omnia comprehendit, & in hoc cælo etiam sunt inferi, cum Satana & angelis eius. Vbi Satan, ibi inferi sunt. Caro Christi est cælum: inferi, Angeli, dæmones vbique sunt absque locorum spatijs.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Numer. 16. *vers.* 31. Confestim igitur vt cessauit (*Moses*) loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum, (*Dathan, Core, & Abiron,*) & aperiens os suum, deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderuntque viui in infernum operti humo.

Iob 10. 20. Dimitte ergo me, vt plangam paululum dolorem meum. Antequam vadam, & non reuertar, ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine. Terram miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

Isaiæ 5. 14. Dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino: & descendent fortes eius, & populus eius, & sublimes gloriosique eius ad eum.

Isaiæ 30. 33. Præparata est enim ab heri Tophet, à rege præparata, profunda & dilatata. Nutrimenta eius ignis & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.

Lucæ 16. 23. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris: & in his omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum est: vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Iustinus. 150.

In defensione pro Christianis ad Senatum Romanum: Ne verò quispiam dicat, id quod à Philosophis (vt esse putantur) iactatur, voces esse inanes, & terriculamenta; quæ à nobis de iniustis, in igne perpetuò eos torqueri, referuntur: ac nos, vt propter timorem coacti, non autem propter honestatem libentes homines in vita virtutem sequantur, præcepta dare: paucis ad hoc sic respondebo, &c.

Oratione ad Antoninum: Animas asserimus post mortem quoque sensu præditas esse, ac iniustorum quidem excruciari, bonorum verò supplicijs liberas feliciter agere.

Dialogo cum Tryphone: Piæ quidem animæ loco meliore manent: iniustæ verò & prauæ in deteriore, iudicij tempus expectantes. Hoc namque modo quæ dignæ sunt, non moriuntur amplius: illæ autem excruciantur, quòd eas & esse, & excruciari vult Deus.

Quæst. 75. Post exitum animarum è corpore, illi-
ò iusti ab iniustis segregantur: abducuntur enim
b Angelis ad condigna sibi loca. Ac iustorum qui-
em animæ in paradisum, &c. Iniustorum autem
nimæ in ipsis Orci loca, pro eo atque dictum est
le Nabuchodonosore rege Babylonis: *Infernus
iter exacerbatus est in occursum aduentus tui*, &c. Et
.sseruantur quæque in locis se dignis, vsque ad re-
urrectionis & compensationis diem.

Theophilus Antiochenus. 170.

Lib. 1. *ad Autolycum*: Cui (Deo) te adhortor quo-
que obedias: ne, si nunc incredulus es, aliquando
credere cogaris magno tuo malo, subditus sempi-
ternis pœnis. Harum pœnarum mentionem fecêre
& profani vestri scriptores, Philosophi & Poetæ:
at proprio Marte ne somniare quicquam de illis
potuêre: verùm expilantes Scripturam sacram,
pœnarum illarum mentionem in suis scriptis fe-
cêre, vt sua dogmata magis constabilirent.

Clemens Alexandrinus. 200.

Lib. 5. *Stromaton*: Supplicia post mortem & pœ-
nas, quæ igne luuntur, à Prophetis barbara Philo-
sophia, & vniuersa Musa poëtica, & Græca surri-
puit Philosophia, &c. Quid verò, non nouit Pla-
to & fluuios ignis, & terræ altitudinem eam, quæ
gehenna vocatur à barbaris, tartarum nominans
propheticè, Cocytumque, & Acherontem, & Py-
riphlegetontem, & quædam huiusmodi, quæ ad
castigationem disciplinamque inducunt, loca sup-
pliciorum?

Origenes. 230.

Hom. 9. *in Leuit.* Vis tibi ostendam quomodo istæ
duæ sortes semper operentur, & vnusquisque no-
strum aut sors Domini, aut sors apopompæi vel
eremi fiat? Considera in Euangelijs illum diuitem
viuentem splendidè & luxuriosè, & Lazarum ad
ianuam eius iacentem, vlceribus plenum, & cu-
pientem saturari de micis, quæ cadebant de mensa
diuitis, quis finis designatur vtriusque. *Mortuus est*,
inquit, *Lazarus, & abductus est ab Angelis in sinum
Abrahæ. Similiter autem & diues, & abductus est ad in-
fernum, in locum tormenti.* Aduertis euidenter loca
sortis vtriusque distincta.

Eusebius Cæsareensis. 320.

De Præparatione Euangelica lib. 11. *cap.* 20. Cùm et-
iam Scriptura iudicium, postquam hinc abieri-
mus, animarum futurum dictitet, & per alia mul-
ta, & per hoc non minus: *Iudicium*, inquit, *sedit, &
libri aperti sunt, & antiquus dierum sedit, fluuius igneus
coram eo fluebat*, &c. Audi etiam Platonem de iudi-
cio dicentem, & fluuij nomine vtentem, multasque
piorum mansiones, ac diuersa impiorum suppli-
cia, non aliter ferè quàm Hebræorum Scripturam
narrantem. Scribit enim in libro de Anima sic: &c.

Athanasius. 340.

In Quæstionibus: Peccatorum animæ in inferno
positę sunt, subter omnem terram & mare, vt Psal-
mus dicit: *Posuerunt me in lacu inferni, in tenebrosis,
& vmbra mortis.* Et apud Iob scriptum est: *Ad ter-
ram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram
miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus or-
do, sed sempiternus horror inhabitat.*

Basilius Magnus. 370.

Exhortatione ad Baptismum: Mors irruet, te ra-
pientes statim aduolabunt. Quis liberabit? Deus ti-
bi despectus. At, inquis, me tunc exaudiet: tu verò
nunc non ipsum audis? Præscriptum tempus ali-
quod addet. Scilicet quòd dato bene es vsus? Ne
miser decipiaris: Nemo te inanibus seducat ver-
bis. Aderit tibi repentinum exitium, ac interitus si-
milis procellæ te euertet. Veniet angelus tristis, per
vim tuam rapiens tot peccatis irretitam animam:
teque demum magnopere cruciatum, & absque
voce querentem, præciso lamentis vocis organo,
ad nigra tartara deducet. Heu quantum teipsum
affictabis, quantum præteritorum pœnitentia
consiliorum suspirabis, quando iustorum tot il-
lustribus donis ornatorum videris claritatem:
parte altera peccatorum tristitiam in profundis
tenebris spectaueris, qualia tunc corde tecum vo-
lutabis? Me miserum dices, cur peccatorum gra-
uissimam hanc sarcinam, cùm licuerit, ac tam fa-
cilè fuerit, non abieci? O quàm durum malorum
aceruum mecum traho? Me miserum quòd hasce
peccatorum sordes non ablui, &c. O praua mea
consilia: ob breuem peccati voluptatem, æternum
crucier? Ob carnis modicas delicias, æterno tradar
igni?

Gregorius Nazianzenus. 380.

De natura humana:

Tartara nigra nimis, Phlegethontis verbera dira,
Dæmones, obscœna carnifices animæ,
Cuncta mali hæc rident, & amant præsentia tantùm:
Non curat pœnas gens scelerata graues.
Vtilius praui esset post funera pœnas
Non dare, quàm pœnas hic dare me sceleris.

Gregorius Nyssenus. 380.

Oratione prima de pauperibus amandis: An nescitis
horum causa in sacro Euangelio poni, & comme-
morari exempla omnia horrenda, & terribilia?
Nonne graues illius cruciatus, & gemitus recen-
sentur, qui in bysso fuerat enutritus? an non in ma- Luc. 16.
lorum abysso describitur coerceri?

Ioannes Chrysostomus. 400.

Homilia de diuite & Lazaro: Frustra agis pœni-
tentiam in loco, vbi non est pœnitentię locus: tor-
menta te cogunt agere pœnitentiam, non mentis
affectus.

Homilia 46. *ad populum Antiochenum*: Nullus eo-
rum, qui hic peccata non dissoluerit, illuc migrans,
eorum pœnas effugere poterit: sed sicut ex terre-
nis carceribus cum catenis ad tribunal adducun-
tur: sic omnes animę, cùm hinc migrauerint varijs
peccatorum catenis circumdatæ, ad tremendum
aguntur tribunal.

Synesius. 410.

Epist. 44. Nunc autem peccata quidem propor-
tionem habent ad ineluibiles notas, & maculas:
anima verò non iam in vestimentum illud sordi-
dum, atque perdurabile, sed cùm sit immortalis,
immortales dat pœnas, quando peccauerit peccata
penitus ineluibilia.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Lib. 1. *in Esaiam cap.* 5. Quæ est inferni anima? lo-
cus potius est infernus, & animarum miserarum
carcer horridus. Animæ igitur eorum, qui in hac
vita delicijs & voluptatibus effœminantur, ad in-
fernum descendent, & implebunt quasi eius ani-
mum.

Oratione de exitu animæ: Mihi amarulentam ti-
meo gehennam, quippe interminatam: exhorreo
tartarum, vt cui nimium insit caloris: paueo te-
nebras, quoniam nihil admittunt lucis: formido
pestiferum vermem, quoniam perennis est, &c.
Atque si anima in otioso luxu vixisse fuerit depre-
hensa, durissimam illam vocem audit: *Tollatur im- Esa. 26.
pius, ne videat gloriam Domini.* Tunc eam detinet
dies iræ, tribulationis, necessitatis, angustiæ: dies
tenebrarum, & caliginis. Tunc à sanctis Dei Ange-
lis destitutam inuadunt AEthiopes illi dæmones,
eamque ferientes crudeliter, in terrarum opaca
deducunt, & aperta tellure, solidissimis compedi-
bus reuinctam, in terram tenebrosam, & fuligi-
nosam, in infimas infernorum carcerum partes, ac
Erebi custodias deijciunt. Tunc demerguntur ani-

mæ pec-

Iob 10. mæ peccatorum in omne æuum crematuræ, quemadmodum Iob ait, in terram atram, & obscuram, in terram noctis æternæ: vbi non lumen, vbi nulla mortalibus vita, sed iugis ægritudo, sed mœror incessabilis, sed fletus inquies, sed dentium stridor, nullo silentio intermissus, sed planctus per noctes. Væ, væ illic æternum; illic heu me. Illic proclamant, & non est qui suppetias ferat: vociferantur, & nemo redimit. Non est illam commemorare necessitatem: linguæ non datur assequi cruciatus illic detentarum animarum: os nullum humanum potest horridum illum timorem planum facere: nequeunt hominis labia verbis vllis infortunium & ploratum illarum exprimere. Ingemiscunt assiduè, nec vllus miseretur: clamant è profundis, sed nemo flectitur: lamentantur, at nullus eripit: exclamant, & plangunt, at nemo compatitur. Tunc vbi mundi huius iactantia? vbi gloria inanis? vbi deliciæ? vbi voluptates? vbi petulantia?

Theodoretus. 450.

Dialogo 3. Ergo in hac quidem vita anima effugit mortem, vt quæ sit immortalis: in illa autem vita dabit pœnas, non mortem quidem subiens, sed in vita punita.

Lib. 11. de Fine & iudicio: Plato igitur ita hæc narrauit, vt qui maximè crederet esse apud inferos iudicij ac suppliciorum loca.

Esaias Abbas. 460.

Oratione 16. *de gaudijs animæ*: Qui cupiditatibus indulgent suis, nec pœnitentiam agunt, isti in hoc seculo confundentur, destructi atque inuisi erunt: tum verò, cùm ex hoc mundo migrauerint, dedecus eos, & ignominia in gehennam sequetur.

Titus Bostrensis. 460.

Ad cap. 16. *Lucæ*: Vt oppositæ sunt iustorum & peccatorum voluntates & studia, ita quoque impermutabilis eorundem est status. Nam vt hi perpetua quiete potiuntur, ita illi perpetua dependent supplicia.

Simeon Stylites. 460.

Sermone de semper mente complectendo suum discessum: Quando ex corpore discedit anima, ingens timor, grande mysterium peragitur, &c. Si in hac vita vixerit propudiosis affectibus obtemperans, carnis delicias sectans, & huiusce mundi vanitatem, in die obitus eius præstò sunt praui dæmones, miseram animam facto orbe cingunt, nec Dei permittunt Angelos admoueri, sed eam occupant dæmones miseris modis lachrymantem, dimissamquè, ac conquerentem, in loca obscura, tenebrosa, & tristia deducentes, vbi cuncti nocentes ad diem iudicij, & æternæ damnationis asseruantur, quò diabolus ipse fuit cum angelis suis præceps datus.

Nemesius. 480.

De animæ facultatibus cap. 44. Animam morte non deleri, neque huius vitæ circunscriptione res humanas terminari, & discessus ab vno corpore in aliud, quod doctissimi quique Græcorum probant, & loca, quæ dicuntur animabus pro cuiusque vita distributa; & supplicia, quibus per se animæ afficiuntur, declarant. Hæc enim etsi in alio quopiam peccant: tamen remanere animam post hanc vitam, & luere pœnam peccatorum confitentur.

Olympiodorus. 500.

Ad cap. 9. *Ecclesiastis*: In inferno cùm practicæ operationes esse non possint, qui ibi propter patrata supplicia sunt sepulti, ad id tantummodò delati sunt in infernum, vt æternis torqueantur suppliciis.

Ad cap. 11. In quocunque loco, seu illustri, seu tenebroso, hoc est, siue in turpi scelerum statione, siue in honesta virtutum actione, deprehendatur homo cùm moritur, in eo gradu atque ordine permanet in æternum. Nam vel requiescit in lumine felicitatis æternæ cum iustis, & Christo Domino: vel in tenebris cruciatur cum iniquis, & principe horum diabolo.

Ad cap. 12. Post hanc vitam tibi accidet non sicut vis, sed torqueberis sicut non vis.

Dorotheus Abbas. 520.

Doctrina 12. *de timore & pœnis inferni*: Anima vitijs subiecta, semper à malitia & iniquitate sua torquetur, atque in perpetua memoria dolore & amaritudine est passionum, quæ ipsam adurunt & incendunt. Et præter hæc quis possit, fratres, horrenda illa loca narrare? Tortores terribiles, animas infelices diro cruciatu torquentes, ignem incorruptibilem, & semper ardentem, tenebras inexplicabiles, asperos & rigidos iudices & vltores, atque alia dira & innumerabilia tormenta, &c. Quæ omnia debita proportione animarum delictis, etiam prauis earum voluntatibus accommodata sunt. Vt enim Sancti capiant loca præclara & lucida, Angelorumqúe delectationem bonitati eorum congruam: sic peccatores habent loca obscura & tenebrosa, horrore & extasi plena. Quid enim magis horrendum esse potest his locis, in quibus dæmonum agmina versantur? Quid magis crudele & durum ea pœna, cui adiudicantur? Cruciantur tamen & ipsi dæmones vnà cum peccatoribus, &c. At omnem horrorem superat, quod Chrysostomus ait: Si non essent scilicet flumina istic, quæ ignem fluerent, non dæmones horrendi, at solùm ex iudicatis: hi gloria & triumpho cæli donarentur: illi inglorij & inhonorati relinquerentur, ne viderent gloriam Domini. Hanc pœnam, hanc ignominiam, hanc confusionem, omne tormenti genus, omnem gehennam superare. Accedit præterea casus sui dolor, conscientiæ morsus, & memoria amarissima malefactorum, quæ omnia duriora sunt tormentis inenarrabilibus. Omnium enim memoriam habent istic animæ, quæ in vita hac perpetrârunt, & sermonum, & actionum, & desideriorum, & concupiscentiarum, & horum nihil possunt obliuisci vnquam.

Æneas Gazæus. 530.

In Theophrasto: Cùm immortalis sit anima, ac neque ad inferos demissa pœnam effugiat, sed istic maximè anteactæ vitæ vindictam sentiat, cùm in ima Tartara ceciderit, inde nunquam est exitura. Quamobrem insperati lucri vice fuerit, hic ægrotare, egere, seruum esse, cùm is, qui illa perfert, in priuato vitæ genere parum deliquerit, ac deinceps membrorum suorum compactione iam soluta, iamqúe eius fortunæ suæ causa cognita ac satis deplorata, à supplicijs inferorum liber & immunis euadat.

Ioannes Climacus. 580.

*Apud Gennadium de Sanctorum fruitione sectio*n. 6. Peccatorum animas omne vetus ac nouum Testamentum in inferni carcerem ablegari, veluti ad vincula, testatur, vt de diuite illo dixit Dominus. Similiter & Dauid Propheta: *Conuertantur peccatores in infernum.* Nam cùm dicit *conuertantur*, designat eò loci nunc esse animas. Luc. 16.

Antiochus. 600.

Homilia 95. Pro animæ paranda salute vniuersis hic nobis susceptus est agon: cui aliàs non mediocre impendet periculum, non leue eam tormentum manet, sed æternum. Quis enim in inferno relinquitur confessioni locus? Nullis illic lachrymis aut suspiriosis gemitibus ira flectitur Iu-

kis æquissimi. In nullius item gratiam præfinitæ legis terminus prorogari illic potest: sed neque clementia vlla iam residet. Ab exitu ipsius vitæ, nulli conceditur reditus: quin ad metam vbi peruentum est huius peregrinationis, nihil iam occurret peccatrici animæ non plenum amaritudinis: nihil non plenum intolerabilis molestiæ,& acerbitatis ijs, qui indultum ad pœnitentiam tempus neglectim & fine fructu transmiserint. His enim primùm horrenda prorsus, nulliqúe non formidabilis facies peccatorum, quæ eatenus admiserint, vltrò se ingeret visendam: dirum planè spectaculum, & omni supplicio amarius. Sed & hos conscientia interiore flagro conscindens, eò adiget, vt continenter vociferentur & eiulent verbis illis, omploratione omni dignissimis: Væ mihi: quid i hunc præuidi diem miser ego? Is quaquauersum circumaget oculos, Angelos illic circumuolitantes intuebitur, à commiseratione vsque adeò abhorrentes, vt vel sola specie incredibilem atque intolerandum incutiant spectatori terrorem. Sub horam tantæ istius adeundæ necessitatis suspirabunt amarius, cùm nunquam finiendis, sed æternùm duraturis tradentur tenebris illis exterioribus cum fletu & stridore dentium: quando nunquam intermorituro vermi arrodendi mancipabuntur: cùm in profundam inferni voraginem agentur præcipites, nempe in Tartarum ac Gehennam omni acerbitate superiorem. Hæc planè sunt, sunt (inquam) loca hæc atrocissimi examinis, omni recogitanda circumspectione, quæ peccatrices animas hiulco ore excipiunt.

Leontius. 610.

In Ioanne Eleemosynario: Et iterum dicebat, tanquam de semetipso: Quomodo humilis anima transire poteris bestias arundineti, quando obuiabunt tibi exactores? Væ qualis timor & tremor obtinet animam tunc rationem ponentem tantis exquisitoribus, tam amaris, & immisericordibus? Etenim Sanctus iste in memoria semper retinebat, quod sancto Simeoni, qui in columnis stetit, per reuelationem factum est notum. Quia, vt ait, exeunte anima è corpore, *&c. vt supra.*

Maximus. 640.

Epist. ad Cubicularium: Quis, ô dilecte, nostrûm, qui peccatorum sordibus sit inquinatus, sanctorum Angelorum inspectionem non reformidet, à quibus in exitu vitæ constitutus, ex diuino iudicio, per vim corpore pellitur cum indignatione, & ...uitus? Quis commaculatam suam sentiens conscientiam, sæuum & immanem malorum dæmonum occursum non timeat, eorum vnoquoque post obitum in aëre incessanter miseram trahentium animam? &c. Post subsecutum verò in aëre spiritibus prauitatis iudicium & villicatum, descensus in infernum eum manet, & ibidem domicilium & commoratio: vbi profundæ tenebræ, & silentium profundissimum, nullo alio cibo se alentes eò damnatæ animæ, quàm acribus gemitibus, suspirijs, & amarissimis lachrymis, & ob immensa mala mœstitia: nil aliud semper expectantes, quàm eam, quæ iustum iudicium sequitur, istam retributionem. Hanc perpetuam tristitiam ...eat illis resurrectionis expectatio, tremenda Christi aduentus dies, horribilis exhibitio, & præsentatio, & anteactæ vitæ examen, per quam hi, qui ad dextram Christi constituti sunt, arcanorum bonorum promissionem recipient: illi ad sinistram locati, ignem æternum sortientur, ac tenebras exteriores, ac vigilem vermem, & stridorem dentium, & dedecus sempiternum.

Ioannes Damascenus. 730.

Historia Barlaam cap. 8. Proficiscentur, qui virtutibus operam dederunt, ad sempiternam vitam, & lucem omnem orationis vim excedentem, &c. Qui autem turpibus flagitijs se deuinxerint, atque omnes impij & peccatores, ad sempiternum cruciatum: qui quidem Gehenna dicitur, & exteriores tenebræ, & insomnis vermis, & stridor dentium, aliaqúe innumera tormenta. Quorum omnium nullum æquè graue & acerbum est, atque à Deo abalienari, & à dulcissima ipsius facie abijci, gloriaqúe illa, quæ nullis verbis exponi potest, orbari, atque inspectante vniuerso orbe traduci, & ignominia, quæ nunquam finem habitura sit, notari.

Cap. 10. Ac corpus quidem *tuum, inquit Barlaam,* perexiguo sepulchro includetur, solum relictum, atque omni amicorum & cognatorum cœtu destitutum. Facessent autem mundi iucunditates, atque ingens quædam insuauitas, ac fœtida corruptio præsentis pulchritudinis, & fragrantiæ loco tibi vndique affundetur. Anima verò tua inferno addicta, in inferiores terræ partes vsque ad postremam resurrectionem conijcietur.

Theophylactus. 900.

Ad cap. 8. Matth. Dæmones dogma quoddam instituere volebant, quòd animæ mortuorum fiant dæmones: quod nemo credere debet. Anima enim egressa, in mundo non errat. Iustorum enim animæ in manu Dei sunt: peccatorum verò & ipsæ hinc abducuntur, vt anima diuitis.

Ad cap. 19. Ioannis: Animæ iustorum in monumentis non versantur: currunt autem in manus Patris omnium: sed peccatorum animæ in supplicij locum detractæ, hoc est, in infernum depellentur.

Ad cap. 15. prioris ad Corinth. Inuenire queas discrimen quoddam inter infernum & mortem: nimirum, quia infernus animas contineat, mors verò corpora. Nam animæ sunt immortales.

OEcumenius. 1050.

In 2. Thessal. 2. *Qui pœnam luet interitum æternum:* Vbi ergo sunt, qui aiunt non duratura in æternum supplicia?

Euthymius. 1080.

Ad Psal. 17. Infernus iuxta Græci nominis etimologiam insuauem & iniucundum significat mortuorum locum, qui sub terra est. Quia igitur accidere solent dolores in partu, atque in generando: *circundederunt me,* inquit, *dolores, qui mortem generant,* mortem, inquam, inferni ministram. Mors enim animam diuidit à corpore. Vnde infernus assumens eam continet. Vel *dolores inferni* eos intellige, qui in infernum deducunt, qui inferni sunt ministri.

Ad cap. 16. Lucæ: Infernum dicit supplicij locum. Ex hac autem parabola discimus, quòd in futuro seculo non solùm peccatores vident iustos, & iusti peccatores: sed & agnoscunt, quò magis doleant, videntes quibus sint priuati bonis. Iusti verò peccatorum vident supplicia, quò amplius gaudeant quanta effugerunt tormenta.

Michael Glycas. 1120.

Parte 4. Annalium: Quidam adulter defunctus, altero die Psalmos concinens, alta voce clamabat: *Misereminí mei:* deinde surgens narrabat, quo pacto ab Angelis ad scortationis vsque telonium delatus fuisset, & rursus illinc à malis genijs ad Orcum vsque deportatus, quasqúe illic res conspexisset. Hoc modo cùm sibi ac multis alijs indicatione sua profuisset, naturæ debitum persoluit.

Demetrius Cydonius. 1280.

De contemnenda morte: Ac vltionem quidem esse apud inferos eorum, quæ hic delinquuntur, & multis

multis acerbitatibus illic mulctari redundantes huius seculi voluptates: hanc opinionem firmam esse non doctorum tantùm virorum consensus approbat: sed & diuinæ iustitiæ æqualitas, quam omnes etiam impudentissimi concedunt, ac necesse est hanc sententiam immotam in animis retinere, &c. Quòd si Deus est bonus, necesse est viris bonis coronas, ac improbis supplicia præparata esse: quæ nisi hic luant, necesse est ea illis post obitum reseruari. Si post obitum alij ad coronas, alij ad tormenta adiguntur, cur eam rem morti imputemus, dum vitam magis ob ea, quæ expectanda sunt, criminari oporteret? Non enim morientibus, sed ijs, qui perperam vixerunt, pœnæ destinatæ sunt.

Gennadius Scholarius. 1450.

De Purgatorio sectione prima: Qui in mortalibus peccatis ex hac vita migrauerunt, nullumquê sibi pœnitentiæ præsidium, dum viuerent, reliquerunt, horum animas statim ad inferos descendere, pœnis tamen disparibus plectendas, sacrum innuit decretum.

Sectione 2. Pro dimittendis peccatis eorum, qui in cruciatibus inferni degunt, non licet sacrificare.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Tertullianus. 200.

Libro de anima cap. 55. Nobis inferi, non nuda cauositas, nec subdiualis aliqua mundi sentina creduntur: sed in fossa terræ, & in alto vastitas, & in ipsis visceribus eius abstrusa profunditas.

Cap. 58. Omnes ergo animæ penes inferos, inquis. Velis ac nolis & supplicia iam illic & refrigeria: habes pauperem & diuitem, &c. Cur enim non putes animam & puniri & foueri in inferis interim sub expectatione vtriusque iudicij in quadam vsurpatione & candida eius? quia saluum debet esse, inquis, in iudicio diuino negotium suum sine vlla prælibatione sententiæ: tum quia & carnis operienda est restitutio, vt consortis operarum atque mercedum. Quid ergo fiet in tempore isto? dormiemus? Atenim animæ nec in viuentibus dormiunt: corporum enim est somnus, quorum & ipsa mors cum speculo suo somno. aut nihil vis agi illic, quò vniuersa humanitas trahitur, quò spes omnis sequestratur. Delibari putas iudicium, ac incipi? præcipitari, an præministrari? Iam verò quàm iniquissimum etiam apud inferos, si & nocentibus adhuc illic bene est, & innocentibus nondum. Quid amplius vis esse post mortem, confusa spe & incerta expectatione ludentem, an vitæ recensum iam & ordinationem iudicij inhorrentem? semper autem expectat anima corpus, vt doleat aut gaudeat? nonne & de suo sufficit sibi ad vtrumque titulum passionis, quotiens illæso corpore anima sola torquetur bile, ira, tædio plerumque nec sibi noto, &c. Adeò nouit & apud inferos anima & dolere & gaudere sine carne: quia & in carne illæsa, si velit dolet, & læsa, si velit gaudet. Hoc si ex arbitrio suo in vita, quanto magis ex iudicio Dei post mortem? &c. Ergo propter hoc congruentissimum est animam, licet non expectata carne, puniri, quod non sociata carne commisit. Sic & ob cogitatus pios, & beneuolos, in quibus carne non eguit, sine carne recreabitur, &c. In summa, cùm carcerem illum, quod Euangelium demonstrat, inferos intelligimus, & nouissimum quadrantem, modicum quoque delictum mora resurrectionis illic luendum interpretamur: nemo dubitabit animam aliquid pensare penes inferos, salua resurrectionis plenitudine, per carnem quoque. Matt. 5.

De Resurrectione carnis cap. 16. Nam & nunc animas torqueri, fouerique penes inferos, licet nudas, licet adhuc exules carnis, probauit Lazari exemplum.

Cyprianus. 250.

Libro 1. epist. 3. Luc. 16. *Epistola 55.* Vnde & diues ille peccator, qui de Lazaro, in sinu Abrahæ posito, atque in refrigerio constituto implorat auxilium, cùm in tormentis cruciabundus flammæ cremantis ardoribus aduratur, inter omnes corporis partes magis os eius & lingua pœnas dat: quia plus scilicet lingua sua & ore peccauerat. Nam cùm scriptum sit: *Neque maledici regnum Dei consequentur:* & iterum Dominus in Euangelio suo dicat: *Qui dixerit fratri suo fatue: & qui dixerit Racha, reus erit in gehenna ignis,* quomodo possunt censuram Domini vltoris euadere, qui talia ingerunt non solum fratribus, sed & sacerdotibus. 1. Cor. 6. Matt. 5.

Libro de mortalitate: Ad refrigerium iusti vocantur, ad supplicium rapiuntur iniusti.

De laude Martyrij: Sæuiens locus, cui gehenna nomen est, magno plangentium murmure & gemitu, & eructantibus flammis per horrendam spissæ caliginis noctem, sæua semper incendia camini fumantis expirat: globus ignium arctatus obstruitur, & in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc sæuiendi plurima genera: tum in se ipse conuoluit quidquid ardoris emissi edax flamma cruciarit. Hos, quibus recusata vox Domini, & imperia fuêre contempta, disparibus coërcet exitijs: proque merito salutis exactæ vires suas suggerit, dum pars sceleris discrimen imponit. Et alios quidem moles intolerabilis curuat, alios per abruptum cliuosi tramitis collem vis sæua præcipitat, & catenarum stridentium nexum graue pondus inclinat. Sunt & quos agens strictim rota & indefessa vertigo, & quos tenaci inter se densitate constrictos adhærens corpori corpus includat: vt & absumat incendium, & grauet ferrum, & excruciet turba multorum.

Victorinus Pictauiensis. 270.

De Christo Iesu Deo & homine:

Iunguntur scelesta pio: fit latro beatus,
Et placuit comes ire Deo: sed linquitur alter
Non credens, gemitu expirans in tartara plangit.

Arnobius Rhetor. 300.

Libro 2. aduersus Gentes: Audetis ridere nos, cùm Gehennas dicimus, & inextinguibiles quosdam ignes, in quos animas deijci ab earum hostibus, inimicisque cognouimus? Quid Plato idem vester in eo volumine, quod De animæ immortalitate composuit? non Acherontem, non Stygem, non Cocytum fluuios, & Pyriphlegetontem nominat: in quibus animas asseuerat volui, mergi, exuri? Et homo prudentiæ non prauæ, & examinis iudicijque perpensi, rem inenodabilem suscipit: vt cùm animas dicat immortales, perpetuas, & corporali soliditate priuatas, puniri eas dicat tamen, & doloribus afficiat sensuum, &c. Quamuis enim vir lenis, & beneuolæ voluntatis inhumanum esse crediderit, capitali animas sententia condemnari: non est tamen absonè suspicatus iaci eas in flumina torrentia flammarum globis, & cœnosis voraginibus tetra. Iaciuntur enim, & ad nihilum redactæ, interitionis perpetuę frustratione vanescunt. Sunt enim mediæ qualitatis (sicut Christo auctore compertum est) & interire quæ possint, Deum si ignorauerint, vitæ & ab exitio liberari, si ad eius se minas, atque indulgentias applicârint.

Lactantius. 320.

Libro 7. diuinarum Instit. cap. 7. Esse inferos Zenon Stoicus docuit, & sedes piorum ab impijs esse diremptas: & illos quidem quietas ac delectabiles incolere regiones: hos verò luere pœnas in tenebrosis locis, atque in cœni voraginibus horrendis. Idem nobis Prophetæ palam faciunt. Ergo Epicurus errauit, qui Poëtarum id esse figmentum putauit: & illas inferorum pœnas, quæ feruntur, in hac esse vita interpretatus est.

Cap. 21. Primùm igitur dicimus, tantam esse Dei potestatem, vt etiam incorporalia comprehendat, vt quemadmodum voluerit, afficiat. Nam & Angeli Deum metuunt, quia castigari ab eo possunt, inenarrabili quodam modo: & dæmones reformidant, quia torquentur ab eo, ac puniuntur. Quid ergo mirum, si, cùm sint immortales animæ, tamen patibiles sint Deo? Nam cùm in se nihil habeant solidum, ac contrectabile, à solidis, & corporalibus nullam vim pati possunt: sed quia in solis spiritibus viuunt, à solo Deo tractabiles sunt, cui virtus ac substantia spiritalis est.

Hilarius. 305.

Ad Psalm. 2. Pereunt autem de via iusta, cùm exarserit in breui ira eius. Non morosa hæc ira est, per quam de iusta via pereunt: ne quis sibi interim pœnæ lucro inter moras iudicij blandiatur. In breui namque exardescit ira. Excipit enim illos statim vltor infernus: & decedentes de corpore, si ita vixerint, confestim de via iusta peribunt. Testes nobis sunt Euangelij diues & pauper: quorum vnum Angeli in sedibus beatorum & in Abrahæ sinu locauerunt, alium statim pœnæ regio suscepit. Adeò autem statim pœna mortuum excepit, vt etiam fratres eius adhuc in supernis manerent. Nihil illic dilationis aut moræ est. Iudicij enim dies, vel beatitudinis retributio est æternæ, vel pœnæ.

Ad Psalm. 57. Ante resurrectionem carnis, &c. viuens absorbetur ad pœnam anima eius (*peccatoris*): secundùm diuitem in Euangelio punienda, quæ viuens fit.

Iulius Firmicus Maternus. 350.

De erroribus profanæ religionis cap. 19. Tunc tu per interiecta flammarum spatia, ad mitiganda conscientiæ tuæ vulnera, tenuem ab eo stillantis aquæ guttulam postulabis, nec tibi volens Lazarus lenimentum doloris tui aut dare poterit, aut impetrare. Singulorum enim pari gratia merita pensantur. Illi vita confertur, propter huius seculi mala: tibi propter huius seculi bona perpetua tormentorum pœna decernitur.

Ambrosius. 370.

De bono mortis cap. 8. Latratus canis infernalis Cerberi, & Cocyti fluminis tristis vorago, &c. hæc plena sunt fabularum: nec tamen negauerim pœnas esse post mortem.

Optatus Milenitanus. 370.

Libro 6. contra Parmenianum: Sed obseruate, ne veniatis ad inferos, & illic inueniatis Core, Dathan, & Abiron, schismatis magistros scilicet vestros.

Patianus. 370.

Parænesi ad Pœnitentiam: Timete dilectissimi iusta iudicia, omittite errorē, damnate delicias: properat iam tempus extremum: Tartarus & Gehenna laxatos impijs sinus pandunt. Post animarum tempestiua supplicia, rediuiuis quoque corporibus perpetua pœna sequitur. Attendite Euangelij diuitem, solius adhuc animæ supplicijs laborantem.

Prudentius. 380.

De Hamartigenia:

Præscius inde Pater liuentia Tartara plumbo
Incendit liquido, piceasq; bitumine fossas
Infernalis aquæ furuo suffodit Auerno,
Et Phlegethontæo sub gurgite sanxit edaces
Perpetuis scelerum pœnis inolescere vermes.
Norat enim flatu ex proprio vegetamen inesse
Corporibus nostris, animamq; ex ore perenni
Formatam non posse mori, non posse vicissim
Pollutam vitijs rursum ad conuexa reuerti,
Mersandam penitus puteo feruentis abyssi.
Vermibus, & flammis, & discruciatibus æuum
Immortale dedit, senio ne pœna periret,
Non pereunte anima: carpunt tormenta, fouentq;
Materiem sine fine datam, mors deserit ipsa
Aeternos gemitus, & flentes viuere cogit, &c.
Ast alia, quas dira lues, errorq; malignus
Immersit tenebris, vastoq; obsedit Auerno,
Haud impunè pijs, ah, semet abesse fatentur
Concilijs, meritas ferre & per secula pœnas.
Queis patris antiqui aut egri venerentis abysso
Exclusis, mundiq; bonis cum morte potitis
Ditibus, & longo fumantibus interuallo,
Fluminaq;, & totos cæli sitientibus imbres,
Implorata negat digitum insertare palato,
Flammarumq; apices humenti extinguere tactu.
Nec mirêre, locis longè distantibus inter
Damnatas, iustasq; animas concurrere visus
Conspicuos, meritasq; vices per magna notari
Interualla, polus medio quæ diuidit orbe, &c.
Certa fides, rabidos sub terra molle caminos,
Qui pollutam animam per secula longa perenni
Igne coquunt, oculis longum per inane remotis
Pauperis expositos, nec secum aurea dona
Iustorum dirimente Chao, rutilasq; coronas
Eminus ostendi pœnarum carcere mersis.
Hinc Paradisicolæ post vlcera dira beato
Proditur infelix vlulans in peile reatus
Spiritus, inque vicem meritorum mutua cernunt.

Gaudentius. 400.

Præfatione ad Beneuolum: Factum est autem, vt moreretur pauper, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ: diues verò mortuus sisteretur ad inferna supplicia, & obsecraret, istius pauperis tincto in aquam digito refrigerari linguam suam: quod tamen promereri non potuit, in tormentis flammæ inextinguibilis constitutus. Ad hanc seruatur pœnam prosperitas impiorum, &c. Caueant ergo infructuosi locupletes terribile exemplum illius sine misericordia diuitis collegæ suæ, ne ad similia tormenta ducantur.

Tractatu 13. de Natali Domini: Iudas prædictorum facinorum conscientia strangulatus, mortem debitam laqueo sibimet intulit præparato, confestim rapiendus ad inferni supplicia.

Augustinus. 400.

De ciuitate Dei lib. 13. cap. 8. In requie enim sunt animæ piorum à corpore separatæ: impiorum autem pœnas luunt, donec istarum ad æternam vitam: illarum verò ad æternam mortem, quæ secunda dicitur, corpora reuiuiscant.

Libro 21. cap. 10. Cur enim non dicamus, quamuis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi: si spiritus hominum, etiam ipsi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari?

De Genesi ad literam lib. 12. cap. 32. Pœnalia loca sæpe demonstrata sunt his, qui rapti sunt à corporis sensibus, & mortuis similes iacuerunt, &c.

De cognitione veræ vitæ cap. 40. Hinc colligitur,

quòd Infernus sit incorporeus, substantia spiritalis, corpori similis: cuius pœna tanto fit intolerabilior, quanto spiritus corpore est subtilior. Omne enim corpus vetustate deficit, diuturnitate dissolutum interibit. Vnde si infernalis ignis est corporeus, restat vt corporalibus instrumentis nutriatur, & sequitur, vt illis consumptis ipse intereat. Sed constat ignem gehennæ non deficere: ergo spiritalis est. Si autem est corporeus, sed indeficiens creatus est: necesse est, vt animæ, & spiritus qualecunque corpus induant, in quo ignem corporeum sentiant.

Paulinus Nolanus. 410.

Epistola 31. ad Alethium Vnde, credo, illum in Euangelio diuitem Tartari, cùm totus (vt clamat) miser cruciaretur in illa ignei gurgitis flamma, solius tamen linguæ refrigerium postulasse, qua sine dubio ideo vehementius cremabatur, quia in Eleazarum ante ianuam suam stratum, & canibus relictum, sæpius superbo auarus ore peccauerat.

De obitu Celsi:

Disce in Euangelio loca Pauperis, & loca Ditis:
Pauper in Abrahamo, Diues in igne iacet.
Iustitia mutante vices, qui fleuerat illic,
Gaudet ibi, & pleno Paupere, Diues eget.
Iste bona requie fruitur, gemit ignibus ille:
Diues opum pœnas, Pauper opes recipit.
Mendicat Diues modicum de Paupere rorem,
Quem mendicantem spreuerat in superis.
Inde in eum ardentem nec parui pauperis imo
Stillatus digito gutta refrigerij,
De magnis quoniam dapibus nec mica referto
Esurienti in os pauperis exciderat.

Petrus Chrysologus. 440.

Sermone 124. Si est sub terra Tartari carcer, si est γεέννης ardens, si est infernus sine fine crucians, si est apparitor in istis, qui nos ad ista rapiat post sæculi labores: quid stupemus? vbi sumus? quis est iste, qui nos eludit somnus? quæ est ista, quæ nos tenet obliuio lethalis, quare non omnibus contemptis euadendi à malis talibus nobis sola sit cura, ne viuentes mundo, ne alijs currentes, ad tantas, tales, tam crudeles subito rapiamur pœnas?

Sermone 174. Tui conuiuæ (*alloquitur Herodem*) nunc participes efficiuntur in pœnis, Ioannes cælesti mensa cum choris vescitur Angelorum. Ille audit cælestem iugiter symphoniam, tu audis inferni semper gemitum, & stridorem. Ille meretricis tuæ, saltatricis tuæ addictus in pretium, nunc regno: nunc premijs cælestibus honoratur: tu mercedem sententiæ tuæ cum tua filia in Tartaro percepisti.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Feria 5. post Reminiscere: Infernus pœnarum locus est, in quo iniquorum animæ cruciantur.

Dominica 7. post Pentecosten: Carcere iste infernus est. Qualis minister, talis & carcer. Ille enim crudelior omnibus est, iste formidolosior vniuersis, à quo tenebræ nunquam deficiunt, in quo ignis nunquam extinguitur, in quo vermis nunquam moritur.

Sedulius. 460.

In epist. ad Roman. Quarta mors nominatur inferni locus, quo præuaricatrices animæ detinentur.

Libro 4. Paschali:

Ambo igitur varium diuerso calle latrones
Aggressi facinus violentum, grande patrârunt.
Infernas adit ille fores, adit iste supernas:
Ille profunda sequens, penetrauit claustra gehennæ:
Abstulit iste suis cælorum regna rapinis.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 24. Arbor enim amœna & sublimis (*diues*) erat in mundo, sed quia ramos misericordiæ non expandit ad Lazarum, flammas recipere meruit in infernum, & ab illo petebat guttam, cui negauerat micam.

Saluianus Massiliensis. 480.

Lib. 3. ad Catholicam Ecclesiam: Diues ille in Euangelio, qui purpura induebatur & bysso, absque dubio quia locuples in hoc seculo ipse fuerat, etiam hæredes suos morte ditârat, sed nequaquam hoc ei proderat, quòd opibus ac talentis eius germani diuites incubabant: & illi guttam refrigerij impetrare non poterat. Illi erant in abundantia, sed ille in egestate: illi in gratulatione, sed ille in dolore: illi in diuitijs, sed ille in tormentis: illi fortasse iugiter in luxuria, sed ille semper in flamma. O infelix ac miseranda conditio! Bonis suis alijs præparârat beatitudinē, sibi afflictionem: alijs gaudia, sibi lachrymas: alijs voluptatem breuem, sibi ignem perennem, &c. Torquebatur infelix, & opes suas alijs deuorantibus, ille refrigerij guttam ardens petebat, & impetrare non poterat. Et hoc, si quid addi ad pœnam potest, per illum sibi tribui postulabat, quem aliquando contempserat.

Alcimus Auitus. 500.

Libro 3. cap. 10. de diuite Lucæ 16.

Spiritus abstruso sed mox demissus auerno,
Ardet in æternum per sæua incendia pœnis.
E quarum medio sublimi in sede locatum
Haud procul, vt visus coniectat, sed procul inde,
Vt docet euentus, sinubus conspexit ouantem
Abrahamisti mutatum in paupere vultum,
Nec similem illius, quem dudum è luce receptum,
Quarto fortè die vix quisquam largus humando,
Ne per corruptum naturæ lege cadauer
Dira frequentato contagia mitteret orbi,
Obtectum laceris tenui velamine pannis,
Naribus adstrictis nuda tellure locârat:
Angelicis verò manibus sublime leuatum,
Iam diues, iam sanus erat: contra, superbus,
Qui malè congestos auri cumulârat aceruos,
Mendicat vel tantùm vnam de paupere guttam,
Arida vt extinctis irroret guttura flammis.

Arator. 540.

Libro 1. Histor. Apost.

Infernum quòd Ebræus ait, iam constat vtrisque
Hinc meruisse sentire suum, cùm sydera Martyr,
Carnifices inferna petunt, sors prima reuelat,
Exemplumq; creat, quòd talia bella gerenti
Hoc de fonte fluit, sic occidentibus, vt mox
Tartara succedant, morientibus astra patescant.

Gildas. 560.

De excidio Britannico. Nam si hæc surdis auribus audias, Prophetas contemnas, Christum despicias, nosque, licet vilissimæ qualitatis simus, nullius momenti ducas, &c. Ille profectò te tenebrosus tartari torrens ferali rotatu, vndisque acerrimus inuoluet semper cruciaturus, & nunquam consumpturus, &c.

Fortunatus. 580.

Libro 4.

Cogentur minimi quadrantem soluere nummi:
Nemo pedem remouet, quò sua culpa trahit.
Spe vacui, paleæ similes mittentur in ignes,
Pascendis flammis fit caro nostra cibus.
Viuunt ad pœnas, æterno ardente camino,
Vt cruciet grauius mors mala non moritur.
Nec fessis recreent animas, longo igne crematas,
Porrigit heu nullas flammiger ignis aquas.

Gregorius Magnus. 590.

Lib.4. Dialog. cap. 28. Si esse Sanctorum animas in cælo sacri eloquij satisfactione credidisti, oportet vt per omnia esse credas, & iniquorum animas in inferno: quia ex retributione æternæ iustitiæ, ex qua iusti iam gloriantur, necesse est per omnia, vt & iniusti crucientur. Nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quòd à die exitus sui ignis reprobos exurat. *Petrus*. Et qua ratione credendum est: quia rem incorpoream tenere ignis corporeus posit?

Cap.29. *Gregorius*: Si viuentis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cùm incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne teneatur? *Petrus*: In viuente quolibet idcirco incorporeus spiritus tenetur in corpore, quia viuificat corpus. *Gregorius*: Si incorporeus spiritus, Petre, in hoc teneri potest, quod viuificat, quare non pœnaliter & ibi teneatur, vbi mortificatur? Teneri autem spiritum per ignem dicimus, vt in tormento ignis videndo atque sentiendo puniatur. Ignem namque eo ipso patitur, quod videt: & quia cremari se aspicit, crematur. Sicque fit vt res corporea rem incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor ac dolor inuisibilis trahitur, vt per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur: quamuis colligere ex dictis Euangelicis possumus, quia incendium anima non solùm videndo, sed etiam experiendo patiatur. Veritatis etenim voce diues mortuus in inferno dicitur sepultus. Cuius anima quia in igne teneatur, insinuat voce diuitis, qui Abraham deprecatur, dicens: *Mitte Lazarum, vt*
Luc. 16. *intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Dum ergo peccatorem diuitem damnatum Veritas in ignem perhibet, quisnam sapiens reproborum animas teneri ignibus neget? &c. Si diabolus, eiusquè angeli, cùm sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum si animæ, & antequam recipiant corpora, posint corporea sentire tormenta?

Iulianus Toletanus. 680.

Libro 2. Prognostic. cap. 14. In Salomonis libro scriptum est: *Lignum in quocunque loco ceciderit, siue ad Austrum, siue ad Aquilonem, ibi erit*: scilicet quia cùm humani casus tempore, siue sanctus, siue malignus spiritus egredientem animam à claustris carnis acceperit, in æternum secum sine vlla permutatione retinebit: vt nec exaltata, ad supplicium proruat, nec mersa æternis supplicijs, ad remedium ereptionis ascendat.

Beda. 700.

Historiæ Anglicanæ lib. 5. cap. 13. His temporibus miraculum memorabile, & antiquorum simile in Britania factum est. Namque ad excitationem viuentium de morte animæ, quidam aliquandiu mortuos, ad vitam resurrexit corporis, & multa memoratu digna, quæ viderat, narrauit. E quibus hic aliqua breuiter perstringenda esse putaui. Erat autem paterfamilias in regione Nordam Humbrorum, quæ vocatur Incuningum, religiosam cum domo sua gerens vitam, qui infirmitate corporis tactus, & hac crescente per dies, ad extrema perductus, primo tempore noctis defunctus est. Sed diluculo reuiuiscens, ac repente residens, omnes, qui corpore flentes assederant, timore immenso perculsos, in fugam conuertit, vxor tantùm, quæ eum amplius amabat, (quamuis multum tremens & pauida) remansit. Quam ille consolatus. Noli, inquit, timere, quia iam verè resurrexit à morte, qua tenebar, & apud homines sum iterum viuere permissus, &c. Narrabat enim hoc modo quod viderat. Lucidus, inquit, aspectu & clarus erat indumento, qui me ducebat: incedebamus autem tacentes, vt videbatur mihi, contra ortum solis solstitialem: cumqúe ambularemus, deuenimus ad vallem multæ latitudinis ac profunditatis, infinitæ autem longitudinis, quæ ad læuam nobis sita vnum latus flammis feruentibus nimium terribile, alterum furenti grandine ac frigore niuium omnia perflante atque verrente non minus intolerabile præferebat. Vtrumque autem erat animabus hominum plenum, quæ vicissim hinc inde videbantur quasi tempestatis impetu iactari. Cùm enim vim feruoris immensi tolerare non possent, prosiliebant miseræ in medium frigoris infesti: & cùm neque ibi quippiam requiei inuenire valerent, resiliebant rursus vrendæ in medium flammarum inextinguibilium. Cumqúe hac infelici vicissitudine longè lateqúe, prout aspicere poteram, sine vlla quietis intercapedine innumerabilis spirituum deformium multitudo torqueretur, cogitare cœpi, quòd hic fortasse esset infernus, de cuius tormentis intolerabilibus narrare sæpius audiui. Respondit cogitationi meæ ductor, qui me præcedebat: Non hoc, inquiens, suspiceris: non enim hic infernus est ille, quem putas. At cùm me hoc spectaculo tam horrendo perterritum paulatim in vlteriora produceret, vidi subitò ante nos obscurari incipere loca, & tenebris omnia repleri: quas cùm intraremus, in tantum paulisper condensatæ sunt, vt nihil præter ipsas aspicerem, excepta duntaxat specie & veste eius, qui me ducebat. Et cùm progrederemur *sola sub nocte per vmbras*, ecce subitò apparent ante nos crebri flammarum terrarum globi, ascendentes quasi de puteo magno, rursumq́; decidentes in eundem. Quò cùm perductus essem, repentè ductor meus disparuit, ac me solum reliquit in medio tenebrarum & horrendæ visionis. At cùm eidem globi ignium sine intermissione modò alta peterent, modò ima barathri repeterent, cerno omnia quæ ascendebant fastigia flammarum plena esse spiritibus hominum, qui instar fauillarum cum fumo ascendentium, nunc ad sublimiora proijcerentur, nunc retractis ignium vaporibus relaberentur in profundum. Sed & fœtor incomparabilis cum eisdem vaporibus ebulliens, omnia illa tenebrarum loca replebat. Et cùm diutius ibi pauidus consisterem, vtpote incertus quid agerem, quò verterem gressum, quiue mihi finis maneret, audio subito post terga sonitum immanissimi fletus ac miserrimi, simul & cachinnum crepitantem, quasi vulgi indocti captis hostibus insultantis. Vt autem sonitus idem clarior redditus ad me vsque peruenit, considero turbam malignorum spirituum, quæ animas hominum mœrentes, eiulantesqúe, ipsa verò multum exultans & cachinnans, medias illas trahebat in tenebras. E quibus videlicet hominibus, vt dignoscere potui, quidam erat attonsus vt clericus, quidam laicus, quædam fœmina. Trahentes autem eos maligni spiritus, descenderunt in medium barathri illius ardentis, &c. Interea ascenderunt quidam spirituum obscurorum de abysso illa flammiuoma, & accurrentes circundederunt me, atque oculis flammantibus, & de ore ac naribus ignem putidum efflantes, angebant. Forcipibus quoque igneis, quos tenebant in manibus, minitabantur me comprehendere, nec tamen me vllatenus contingere, tametsi terrere præsumebant, &c. Scis (*inquit ductor meus*) quæ sint ista omnia, quæ vidisti? Respondi ego, Non: & ait: Vallis illa, quam aspexisti, flammis feruentibus, & frigoribus horrenda rigidis, ipse est locus, in quo examinandæ & castigandæ sunt

animæ

animæ illorum, qui differentes confiteri, & emendare scelera sua, quæ fecerunt, in ipso tandem mortis articulo ad pœnitentiam confugiunt, & sic de corpore exeunt: qui tamen, quia confessionem & pœnitentiam vel in morte habuerunt, omnes in die iudicij ad regnum cælorum peruenient. Multos autem preces viuentium, & eleemosynæ, & ieiunia, & maximè celebratio Missarum, vt etiam ante diem iudicij liberentur, adiuuant. Porrò puteus ille flammiuomus ac putidus, quem vidisti, ipsum est os gehennæ, in quo quicunque semel inciderit, nunquam inde liberabitur in æuum, &c. Hæc, & alia, quæ viderat, idem vir Domini non omnibus passim desidiosis ac vitæ suæ incuriosis referre volebat, sed illis solummodò, qui vel tormentorum metu perterriti, vel spe gaudiorum perennium delectati, profectum pietatis ex eius verbis haurire volebant.

Ad caput 2. posterioris Petri: Iniquos dicit in diem iudicij cruciandos reseruari, non quia etiam ante diem iudicij soluto corpore pœnas non luunt pro meritis: sed quia grauiora eos in iudicio tormenta expectant corpore recepto, qui nunc in anima sola cruciantur.

Haymo. 800.

Dominica secunda post Pentecosten: Quid est, quòd diues specialiter linguam refrigerari rogat, cùm hinc inde vltricibus pœnis circumsepitur totus, atque cruciatur, nisi quia in ea plus se ardere indicat? Vbi datur intelligi, quia pro qualitate & quantitate peccatorum redditur reprobis pœna peccatorum. Non enim æqualis pœna debetur ei, qui parum peccauit; & ei, qui multum, &c. Non dubium est, animam incorpoream ante iudicium ab igne corporali posse torqueri, cùm hoc in spiritibus immundis possibile demonstretur. Iustum enim est, vt qui in anima simul & corpore peccant, ante iudicium in anima, post iudicium verò in anima & corpore crucientur.

In Esaiam libro secundo cap. decimoquarto: *Infernus subter conturbatus est.)* Hinc discimus, infernum subter terram esse, cuius habitatores hoc in loco nomine inferni designantur, vel angelus, qui præpositus est pœnis inferni.

In caput 13. Oseæ: Inter mortem & inferos hoc interest: Mors enim, qua anima separatur à corpore. Infernus locus est, in quo animæ recluduntur; siue ad refrigerium, siue in pœnis, pro qualitate meritorum.

Æmoinus. 825.

De gestis Francorum lib. 2. cap. 1. Theodoricus rex tam immanis sceleris pretium luit. Nam nonagesimo octauo post hoc facinus die, subita morte defunctus, indignam vitam digno exitu finiuit. Cuius animam quidam solitarius, apud Liparam manens insulam, vidit inter sanctissimum Papam Ioannem, & Symmachum exconsulem deductam, in Vulcani demergi ollam, ei loco vicinam, quæ ideo sic dicitur, quòd inibi mare, tanquam æneum vas, feruescat ab igne.

Rabanus Maurus. 850.

In caput 3. Hieremiæ: Infernum non irrationabiliter arbitramur esse sub terris, cùm in veteri Testamento de Dathan & Abiron legitur: *Aperuit se terra, & deglutiuit eos, & viui descenderunt ad inferos.* Sed quo itinere illuc animæ transferantur, quoniam in auctoritate diuina non legitur, habemus incertum. Infernum autem habere inferiorem partem Euangelij locus ille testatur, qui dicit: Cùm impium diuitem vltrix flamma torqueret, leuasse oculos suos, & in sinu Abrahæ vidisse Lazarum. Vnde apparet, vtrosque apud inferos fuisse, vt se videre valuissent, & illum ex inferiori loco ad superiora oculos eleuasse. Sed licet vtrique apud inferos esse viderentur: pro meritorum tamen discretione, superiorem locum Sanctis, inferiorem peccatoribus Doctor Augustinus æstimat deputandum.

Ado Viennensis. 890.

In Chronicis ætate 6. de anno 696. Ebroinus, magnæ impietatis homo, clericaturam abijciens, à Luxouio cœnobio egressus, seductus sine dubio à spiritu mendacij, qui dixerat ei, quòd duodeviginti annis viueret, in Franciam reuertitur. Copijs vndecunque sibi aggregatis, ad Audoënum Episcopum Rothomagensem dirigit. Mox responso inde accepto, tyrannicè contra hostes debacchatus, Leudesium fide captum occidit. Ac sic principatum vi sub Theodorico rege obtinuit: continuò sanctum Leodegarium diuersis pœnis affectum gladio percussit: Gerinum quoque fratrem eius diu excruciatum peremit; multos cogens in exilium, ablatis facultatibus, de quibus Vulbaldus & Ragnebertus illustres viri, multis pressi iniurijs, virtute venerabiles occumbunt. Vulfuoldo decedente, Martinus & Pipinus Iunior filius Ansegisili, regibus decedentibus, dominabantur in Austria. Moto prælio contra Theodoricum regem & Ebroinum, Martinus fuga lapsus Lugduno cloaca se reclusit. Pipinus quoque è latere euasit: Ebroinus datis sacramentis, Martinum ad regem Theodoricum venire suadet: ille credulus, mox cum suis interfectus est. Ebroinus crudelitate nimia sęuus, ab Hermenfrido Franco interfectus est, &c. Erat tunc temporis vir oculis cæcatus, vnus de illis, quibus Ebroinus effoderat lumina, in insula Lugdunensis prouinciæ, quæ Barbara dicitur. Qui cùm nocturno tempore super ripam Sicannæ fluminis orandi gratia resideret, audiuit nauigantium impetum, & magna vi brachiorum contra impetum fluminis insurgentium. Cumqúe interrogaret, quò nauigium illud tenderet, vox in auribus eius percrepuit. Ebroinus est, quem ad Vulcaniam ollam deferimus: ibi enim facti sui pœnas luet. Hoc idem vir audiuit ad consolationem sui, vt sciret quam pœnam persecutores iustorum sentirent.

Smaragdus Abbas. 950.

Ad caput 4. Regulæ diui Benedicti: Expauescendus est Gehennæ locus tam terribilis, vbi est grandis multorum fletus, continuus gemitus, æternus cruciatus, dolor acerrimus, pœnalis sensus. Ibi animæ impiorum torquentur, nec deficiunt: corpora puniuntur, nec consumuntur: ignis inextinguibilis durat, vt semper animas reproborum exurat, & ad dolendum magis, quàm ad iuuandum contineat, & viuentes semper in suis flammis minacibus occidat. Omnes enim, qui in gehenna dicuntur occidi, non hoc cum illis agitur, vt consumpti doloribus aliquando deficiant: sed vt in illis pœnaliter viuant.

Frodoardus. 970.

In Chronicis de anno 934. Diaconus quidam nomine Adelmarus languore depressus, spiritum visus est amisisse: sed antequam feretro imponeretur reuersus, ita surrexit validus, vt sibi nihil videretur ægritudinis perpessus fuisse: qui se diuersa suppliciorum vel refrigerij loca vidisse testatur, seque ipsum loco pœnali deputatum, Dei verò Genitricis precibus, beato quoque Martino intercedente, ad agendam pœnitentiam pręsenti vitę redditum.

Radulphus Ardens. 1050.

Dominica prima post Trinitatem: Diues, quem turba ministrorum & amicorum confouebat, & pal-

pabat, rapitur per durum ministerium dæmonum, & transfertur in infernum, de purpura & bysso, in asperitates tenebrarum: de splendidis conuiuijs, in famem & sitim perpetuam. Qui micas de mensa sua cadentes esurienti dare nolebat Lazaro, ad hoc iusto iudicio adductus est, vt ardens guttam aquæ de digito Lazari peteret, & non acciperet. Qui si vel micas ei per misericordiam dedisset, aliquod refrigerium in pœnis inueniret.

In Communi plurimorum Sanctorum: Animæ reproborum procul dubio in pœnis gehennæ perpetuò cruciantur, quam subtus terram credimus, dicente Propheta: *Liberasti animam meam ex inferno inferiori.*

Petrus Damianus. 1050.

Sermone de sancto Nicolao Episcopo: Quarta regio, est regio gehennalis, regio dura, regio extimescenda, terra afflictionis, terra obliuionis, terra miseriarum, terra tenebrarum, terra turbinis & caliginis, terra maledictionis & mortis, in qua *nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Totus tremo atque horreo ad memoriam regionis istius, & concussa sunt omnia ossa mea. Illic est ignis, qui non succenditur: vermis, qui non moritur: frigus horrendum. Ibi fœtor intolerabilis exoritur, percutientes mallei resonant incessanter, offusæ tenebræ cumulatiùs indensantur. Illic confusio peccatorum, horribilis facies dæmonum, inextricabilium vinculorum fertilis multitudo. Ibi fletus & stridor dentium, planctus & gemitus, & alternantia mala impios sine pietate discerpunt. Nihil sic valet ad extirpandas voluptatum radices, quàm istorum memoria, & recordatio vulnerum Domini mei, qui stetit ante iudicem.

In vita Odilonis: Sunt vicina nobis (*in Sicilia*) loca, ex quibus grauissima flammarum furentium euomuntur incendia: in quibus etiam locis animæ reproborum diuersa luunt pro meritorum qualitate tormenta. Ad quorum semper exaggeranda supplicia innumerabiles sunt dæmones deputati, qui intolerabiles eorum pœnas quotidie renouant, & eos ad rediuiua supplicia indesinenter instaurant.

Bruno Carthusianus. 1080.

Elegia de contemptu mundi:

Sic viuunt homines, tanquam mors nulla sequatur,
Et velut infernus fabula vana foret:
Cùm doceat sensus viuentes morte resolui,
Atque Erebi pœnas pagina sacra probet.
Quas qui non metuit, infelix prorsus, & amens
Viuit, & extinctus sentiet ille rogum.
Sic igitur cuncti mortales viuere curent,
Vt nihil inferni sit metuenda palus.

Anselmus Cantuariensis. 1080.

In Elucidario. Duo sunt inferni, superior & inferior. Superior infima pars mundi huius, quæ plena est pœnis. Nam hic exundat nimius æstus, magnum frigus, fames, sitis, varij dolores corporis, verbera animi, vt timor, & verecundia. Inferior verò locus est spiritualis, vbi ignis inextinguibilis, de quo dicitur: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Qui sub terra dicitur esse, vt sicut corpora peccantium terra cooperiuntur: ita animæ peccantium sub terra in inferno sepeliantur, vt de diuite dicitur: *Sepultus est in inferno.*

Ad cap. 8. Matth. Quisquis semel traditus irreuocabiliter fuerit crudelibus angelis, quorum officium est reprobos torquere, nunquam vlterius valet debitum reddere: quia non potest per pœnitentiam & opera bona quod malè gessit emendare, & propterea semper cogitur pœnas sustinere.

Bernardus. 1130.

Sermone de transitu Malachiæ: Est enim deorsum nos locus, quem sibi totum vendicat ignis, adeò vt ne minimam quidem aquæ guttam de Lazari digito miser ille diues ibi habere potuerit.

De interiori domo cap. 63. Cogita quot animæ in inferno nunc cruciantur sine spe veniæ & misericordiæ. Si amor Dei te tenere non potest, saltem teneat & terreat timor iudicij, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis vrens, vermis corrodens, fulgur fœtens, flamma tartarea, & omnia mala.

Honorius Augustodunensis. 1130.

In mundi Synopsi lib. 1. cap. 37. Infernus dicitur, quia inferius est positus. Sicut enim terra est in medio aëre: ita infernus est in medio terræ. Vnde & nouissima terra dicitur. Est autem locus igne & sulphure horribilis, inferius dilatatus, superius coangustatus. Hic locus terra mortis dicitur: quia animæ illuc descendentes veraciter moriuntur. Hic & stagnum dicitur: quia vt lapis mari, ita animæ illi merguntur. Hic terra tenebrosa vocatur: quia fumo & fœtoris nebula obscuratur.

Hugo Victorinus. 1130.

De Sacramentis fidei lib. 2. part. 16. cap. 3. Quidam putant animas corporalibus pœnis cruciari non posse, nisi per corpora, & in corporibus manentes. Quapropter à corporibus exutas animas nullas alias pœnas sustinere credunt, nisi eas solùm, quas conscientia intus accusatrix irrogat. Sed verissimè auctoritate sacri eloquij, & Catholicæ veritatis probatur testimonio, corporali & materiali igne animas etiam nunc ante susceptionem corporum cruciari. Si enim dæmonibus, qui sunt spiritus, corporalis ignis præparatus dicitur, quid mirum est, si animæ à corporibus exutæ corporali igne crucientur? Sed quomodo, inquiunt, animæ sine corporibus à rebus corporalibus pati possunt? Ecce dicamus: Nescimus quomodo hoc fieri possit: nunquid ideo verum non est, quod nos nescimus quomodo est? Tum quid mirum est, si animæ extra corpora patiuntur? Si læduntur, dum cæduntur indutæ, cur non lædantur, si cædantur exutæ? Si affici possunt, quando inter ipsas & illud, à quo afficiuntur: nonne probabile est, omninò multò magis eas affici debere, quando illi, à quo afficiuntur, immediatè coniunguntur?

Cap. 4. Dicitur infernus esse inferior locus, in imo terræ pœnis damnatorum præparatus. De quo tamen omninò certum non est, in qua parte eius, id est, vtrum intra concauitatem illius, siue extrinsecus in aliqua regione ambitus ipsius dispositus sit: quamuis tamen verisimilius videatur infra terram quasi carcerem quendam, & velut ergastulum tenebrarum collocatum. In hoc inferno dicunt ignem inextinguibilem, & qui vt semper ardeat nutrimento non egeat, ab initio mundi dæmonibus æternaliter cruciandis præparatum, in quo scilicet igne etiam homines maligni cum dæmonibus æternam pœnam passuri sunt, quia eis in hac vita positi ad culpam consenserunt. Ad hunc infernum animæ sceleratorum à corporibus egressæ statim retrudi existimantur: sicut è diuerso perfectorum iustorum, & qui ab hac vita purgati exeunt, sine mora ad cælum &c. deduci continuò creduntur.

Petrus Lombardus. 1140.

Lib. 2. dist. 6. Solet quæri, vtrum omnes dæmones in isto aëre caliginoso sint, an aliqui iam sint in inferno? Quòd in inferno quotidie descendant aliqui dæmonum, verisimile est, qui animas illuc cruciandas deducunt: & quòd illic aliqui semper sint, alternatis fortè vicibus, non procul est à vero, quòd illic animas detinent atque cruciant. Quòd autem animæ malorum illuc descendant, atque illuc puniantur, ex eo constat, quod

Christus ad inferos descendit, vt iustos, qui ibi tenebantur, educeret. Si enim iusti illuc descendebant, multo magis iniusti. Et sicut tradidit auctoritas, cùm iustos eduxit, iniquos ibi reliquit. Momordit enim infernum, non absorbuit.

Otto Frisingensis. 1150.

Libro 8. Chronicorum cap. 23. Secundùm qualitatem operum, & diuersarum desideria voluptatum, extendi creditur & mensura pœnarum, iuxta
Apoc. 18 illud in Apocalypsi: *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Et in
Sap. 11. libro Sapientiæ: *In eo, quo quis peccat, & punitur.* Vnde diues ille, qui deliciosè viuens, in lingua plus peccauerat, eandem apud inferos cæteris membris plus ardere demonstrans, gutta aquæ refrigerari petebat.

Hugo Etherianus. 1160.

De regressu animarum ab inferis cap. 12. Vnus igitur gehennæ ignis est in inferno, sed non vno modo omnes cruciat peccatores. Vniuscuiusque enim quantum exigit culpa, tantum illic sentitur & pœna. Nam sicut hic vnus sol non omnia corpora æqualiter calefacit: ita illic vnus ignis animas pro qualitate criminum dissimiliter exurit. Nec est in dubitationis parte locandum, ignem illiusmodi esse corporeum, in quo certum est spiritus cruciari. Adeò pertinax incendio, vt si mare influeret, caloris nullam remissionem sentiret. Similiter autem & intolerabile frigus penes inferna esse dici-
Iob 24. tur. Scriptum est enim: *Ad calorem nimium transibunt ab aquis niuium.* Quod quidem in constringendo tam efficax esse putatur, vt igneos montes contactu in glaciem permutaret. Hinc fletus & dentium stridor oboritur. Illic sunt vermes, qui nunquam moriuntur, quibus alimenta præstant vltrices curæ, vipereus liuor, & situs pallens. Illic est palus frequentia dæmonum horrenda, ad compediendum armata vinculis ferreis: sunt & aliæ formæ quàm plures, præter fidem terribiles. Illic certè riuus est, qui Græcè dicitur ἀχέρων, turbidus, cœnolentus, vasta voragine formidabilis, nebulam exhalans intolerabilis fœtoris. Sed quid tartareas difficultates & ingratitudines numerare conor? Plures sunt quàm lingua exprimere, vel intelligentia hominis explicare, aut comprehendere valeat.

Petrus Blesensis. 1160.

Epist. 61. Quid facies, cùm te charorum consortio resolutionis humanæ conditio separabit? cùm tibi ingemiscere, & horrescere cœperit nox æterna? cùm extra diem te traxerit importunus & crudelis exactor per irremeabiles semitas tenebrarum, vt te in id immane & horrendum chaos, regionem mortis æternæ præcipitet?

Hildegardis. 1170.

In Quæstionibus: Ignis gehennæ corporeus est, an incorporeus? Si autem (vt sentiunt multi fideles) corporeus est, nunquid de materia quarta elementorum credendus est? *Solutio:* Nequaquam. Quia nec ille de his elementis, nec hic ignis ab illo, & ille inuisibilis. Corporales & spiritales pœnæ æquales non sunt, vt etiam corpus animæ dissimile, & vt anima corpori æqualis non est: quia ex corporalibus pœnis corpus arescit & moritur, & in spiritali igne gehennæ spiritus & animæ torquentur, nec tamen in ipsis moriuntur.

Innocentius Tertius. 1200.

Libro 2. de contemptu mundi, siue de miseria humanæ conditionis cap. 42. Quartus est animæ dolor, quando adhuc in corpore posita videt spiritus malignos ad rapiendum separatos, vbi tantus dolor est & timor, quòd misera anima, licet de corpore egressura, quamdiu potest, refugiat, vt tempus suæ captiuitatis redimat, antequam de corpore exeat. Propter quod dicit Sophonias Pro-
pheta: *A prima porta exit clamor, & à secunda vlulatus.* Prima porta dicitur, quando anima mala, Soph. 1.
quàm citò egreditur à corpore, tam citò rapitur à malignis spiritibus ad æterna supplicia. Secunda porta dicitur, quando post diem iudicij punientur in corpore & anima sine fine. Puniuntur enim mali in anima tantùm in prima separatione corporis & animæ: post iudicium verò in anima & corpore punientur. Vnde dicitur: *Dupliti contritione contere eos.*

Saxo Grammaticus. 1220.

Præfatione in Historiam Danicam: In Islandia mons Hegle, rupem sydeream perpetuæ flagrationis æstibus imitatus, incendia sempiterna iugi flammarum eructatione continuat, &c. Quamobrem animas ob nocentis vitæ culpam supplicijs addictas, illic algoris magnitudine delictorum pendere pœnas existimatum est.

Cæsarius Heisterbachius. 1220.

Lib. 2. cap. 6. Quidam Hildebrandus syluam cum alio quodam suo conciue intrauit, quem, suadente diabolo, cùm soli essent, occidit. Statim data super eum sententia, pœnæ rotali adiudicatus est. Cumqúe duceretur ad mortem, sacerdos diligenter eum monuit de confessione & contritione cordis. Et quia miser homo per se surgere non potuit, nec manum in se subleuantem sensit, miserabiliter respondit: Quid mihi possunt illa prodesse? homo enim damnatus sum. Ait illi sacerdos: Adiuro te per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vt infra hos dies triginta mihi appareas, & sine omni periculo vitæ meæ de statu tuo me certifices. Respondit, si mihi licuerit, libenter hoc faciam. Sicqúe rotali pœna plexus, de tormento corporis transiuit ad tormentum æternæ damnationis. Nocte quadam infra statutum tempus, sacerdote dormiente in strato suo, tantus esse cœpit circa domum fragor arborum, tam vehemens flatus ventorum, vt ipsa animalia stuperent, & vix suis loris infra claustra stabuli retineri possent. Expergefactus sacerdos, respexit ad ostium domus, & ecce ianuæ quasi vi ventorum impulsæ aperiebantur, viditqúe Hildebrandum in camino ardente residentem, sibiqúe celerius propinquantem. Territus autem supra modum, se signauit, & vt staret sub inuocatione diuini nominis præcepit. Ecce hîc sum, sicut promisi, inquit. Sciscitante illo de statu suo, respondit: Æternaliter damnatus sum, æternisqúe incendijs propter desperationem maximè deputatus: si secundùm tuum consilium egissem pœnitentiam, per pœnam temporalem euasissem æternam.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

1. Partis de Vniuerso parte 1. cap. 95. Non mirentur, neque ambigant animæ humanæ, se posse pati ab igne illo, qui longè fortioris est virtutis igne, qui apud nos est visibilis: cùm ab isto visibili se tam durè, & dirè sentiant cruciari.

Parte 2. cap. 47. Infernum multo minorem esse terra tota dubitari non potest, cùm manifestum sit ex præcedentibus, ipsum esse in medio terræ, & propter hoc partem ipsius terræ non magnam; hoc est, neque medietatem, neque quartam.

Thomas Aquinas. 1250.

Ad cap. 9. Apocal. Dicitur infernus abyssus: quia caret candore & gaudio omni, & quia caret fundamento, id est, fine pœnarum.

In compendio Theologiæ tractatu primo cap. 179. Sanctarum animarum felicitas in solis bonis spiritalibus: pœnæ verò animarum damnatarum ante resurrectionem non solùm erit in malis spiritualibus, vt aliqui putauerunt: sed etiam pœnas corpo-

reas ſuſtinebunt. Cuius diuerſitatis ratio eſt, quia aut animæ Sanctorum, dum in hoc mundo fuerunt vnitæ corporibus, ſe rebus corporalibus non ſubiecerunt, ſed ſoli Deo, in cuius fruitione tota eorum felicitas conſiſtit, non autem aliquibus corporalibus bonis: malorum autem animæ, ordine non ſeruato, ſe per affectum rebus corporalibus ſubdiderunt, diuina & ſpiritualia contemnentes: ita conſequens, vt puniantur non ſolùm ex priuatione ſpiritualium bonorum, ſed etiam per hoc, quòd rebus corporalibus ſubdantur.

Contra Gentiles lib. 4. cap. 91. Quòd ſtatim poſt mortem animæ conſequantur pœnam vel præmium, ſi impedimentum non ſit, auctoritatibus Scripturæ confirmatur. Dicitur enim Iob 21. de malis: *Ducunt in bono dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* & Lucæ 16. *Mortuus eſt diues, & ſepultus eſt in inferno.* Infernus autem eſt locus, vbi animæ puniuntur.

Ægidius Romanus. 1280.

Tractatu de Inferno cap. 13. Ignis inferni in virtute Dei agit in animam, intentionaliter immutando ipſam, ſecundùm quem modum eam affligit & cruciat. Et vt magis ad punctum deſcendamus, dicamus, quòd animæ peccatorum, quia ſuam rationem & intellectum ſuppoſuerunt rebus materialibus, & ſenſibus, dignum eſt, vt intellectus in ijs fungatur vice ſenſus. Et ſicut naturalis ignis poteſt immutare cauſando intentionalem immutationem: ſic ignis inferni cauſabit virtute diuina in intellectu animæ ſeparatæ, vel cauſabit in intellectu ſpiritus maligni intentionalem quandam immutationem factam in ſenſu, &c. Nunquam dolor animæ exiſtentis in inferno ceſſabit: quia anima corrumpi non poteſt tali igne, quia ſecum non communicet in materia. Dicemus ergo, quòd ſicut Deus in beatis eſt omnia in omnibus: quia quicquid homo deſiderabit, erit in Deo ſuum deſiderium adimpletum: ſic ignis inferni in anima ſeparata, eſt quodammodò omnia in omnibus, quantum ad afflictionem: quia ille virtute diuina affligit intellectum, qui fungitur vice ſenſus, ita quòd non poſsit de aliquo cogitare. Dicemus ergo, quòd ſic affligitur anima per ignem, ſicut nunc caro per ignem.

Cap. 14 Infernus eſt corporalis locus: quia eſt locus infimus, & ille ignis eſt corporalis ignis. Anima tamen exuta corpore non eſt localiter, id eſt, per commenſurationem, ſicut corpora, quæ commenſurantur loco, ſed ſolùm per applicationem virtutis ad infernalem ignem. Ex qua applicatione infernalis ignis ſimilitudinem ſuam in intentionalem virtute diuina immutat intellectum, tam animæ, quàm ſubſtantiæ ſeparatæ. Ex qua immiſſione verè cruciantur, tam animæ damnatæ, quàm ſpiritus mali.

Durandus à S. Portiano. 1310.

Lib. 4. diſtinct. 44. quæſt. 11. Tenendum ſine vlla dubitatione eſt, quòd tam dæmones, quàm animæ ſeparatæ punientur igne inferni: ſed modum totalem punitionis puto latere omnem hominem, cui Deus non reuelauit, &c. Aliter punitur anima ſeparata ab igne corporeo, & aliter dæmon. Quia ignis inferni non ponitur corporeus, niſi quia afflicturus eſt corpora damnatorum poſt reſurrectionem.

Albertus Patauinus. 1320.

Sermone 76. *Cùm eſſet in tormentis.*) Non vnum, ſed plurima, pro diuerſitate culparum, ſentit inferni ſupplicia: diuitijs ſucceſsit egeſtas, purpuræ flamma gehennæ, byſſo aſperitas vermium, epulis eſuries, ſplendori tenebrarum horror. *Crucior in hac flamma.* Non ſolùm ex flamma, ſed in ea etiam cruciatur, ex ipſius quidem ardore & in eius horrore. Iuſta quidem pœna ignis eſt damnatorum animabus, vt qui malis concupiſcentijs hic arſerunt, in inferno ardeant igne Gehennæ.

Ludolphus Saxo Carthuſianus. 1330.

Vita Chriſti parte 2. cap. 16. Quamuis animæ corpora non habeant, tamen in membris pati dicuntur: quia exutæ à corporibus, tales effectus in ſe ſentiunt pro peccatis, ac ſi in corpore paterentur in membris. In lingua ergo diues cruciari dicitur, id eſt, in anima, quæ pro peccato linguæ amplius torquebatur: quia per eam plus peccauerat ſecundùm duo officia naturæ, in quibus lingua deſeruit, ſcilicet guſtum & loquelam, in quibus epulones frequenter offendunt.

Guido Carmelita. 1340.

De Armenijs errore 9. Animæ infidelium paganorum ſunt in inferno, vbi cum diuite auaro, & epulone cruciantur in flamma ignis æterni. Luc. 16.

Errore 12. Chriſtus non deſtruxit infernum, imò ibi cruciantur dæmones, & damnatorum hominum animæ.

Ioannes Taulerus. 1350.

Exhortatione fideli, vt nos ad aduentum Domini, & mortem præparemus: Mali angeli non ſecus, quàm ferociſsimi leones in prædam inhiantes, circumferuntur, & inſidiantur morituris, dum horum animas in omnibus viribus, per quas conſenſum aliquando præbuerunt, diabolicis ſuggeſtionibus grauiſsimè conſtringunt, conantes quibus poſſunt modis animam ſecum pertrahere in æternæ damnationis barathrum. Accedunt illuc & infernales dæmonum principes, & principales veluti duces & capita ſeptem peccatorum mortalium: accedunt inquam ſimul ad moriturum, ſuum in eo locum requirentes, &c.

Thomas Argentinenſis. 1360.

Lib. 4. diſtinct. 44. artic. 4. Neceſſe eſt quemlibet fidelem Chriſtianum fateri animam hominis damnati, etiam quando eſt à corpore ſeparata, pati in igne infernali, aliàs non poſſemus ſaluare Euangelicam veritatem. Quia, vt patet Lucæ 16. anima diuitis cruciabatur infernalibus flammis. Ergo, &c. Patiuntur animæ & dæmones pœnam damni ex eo, quod perpetuò ſe priuatos agnoſcunt æternæ felicitatis quiete, & ſummi boni ſeu vltimi finis delectabiliſsima fruitione, quam naturaliter omnis creatura intellectualis affectat. Et patiuntur pœnam ſenſus ex eo, quòd contra eorum voluntatem flammis infernalibus coniunguntur: quas quidem flammas continuò apprehendunt per modum ſummè odibilis, & maximè nociui. Iſta tamen coniunctio flammarum infernalium aliter ſe habet ad animas & dæmones, qui pro nunc ſunt in inferno, & aliter ad dæmones, qui ſunt in iſto aëre pro noſtro exercitio. Nam hi, qui ſunt in inferno, coniuncti ſunt talibus flammis localiter & mentaliter: ſed hi, qui ſunt hîc nobiſcum, huiuſmodi flammis coniunguntur non localiter: quia aliter huiuſmodi flammæ comburerent humana corpora vexata per dæmonia, etiam incenderent aërem circa nos, quem inhabitant huiuſmodi dæmones.

Laurentius Iuſtinianus. 1430.

Libro 2. de ſpirituali animæ reſurrectione: Tantæ formidinis eſt damnatorum cruciatus, vt nullatenus intelligentia naturalis aſpicere queat: horret mens, turbatur ſenſus, viſcera quatiuntur, quoties obijcitur animo. Quoniam ſupra naturam, præter vſum, contra votum, voluntatique totum oppoſitum eſt, quod in inferno eſt: non poteſt ſuadere ratio, neque experientia mali, vt tormenta ipſa æquanimiter perferantur.

Concilium Florentinum. 1440.

In literis vnionis: Animæ illorum, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendunt, pœnis tamen disparibus puniendæ.

Antoninus Florentinus. 1460.

1. *Parte Summæ titul. 5. cap. 3.* Impij cruciabuntur igne: & animæ quidem solæ vsque ad diem iudicij, postea autem animæ simul & corpora: vt sicut cum vtroque peccauit, cum vtroque puniatur. Et hic ignis ita acerrimè cruciat, vt mors dicatur: & ità obscurus est, vt caligo nuncupetur.

Alexander ab Alexandro. 1480.

Genialium dierum lib. 6. cap. 21. In Pelignis oppidum vetustum est, cuius nomen prætereo libens, licet obscura origine, haud tamen ignobile. In eo dominus, qui vrbi præerat, superbe auareqúe ciuibus imperitabat, ac trucibus dictis factisqúe in subditos seruilem in modum animaduertere solebat, eosqúe licet imperata facerent, neque segniter mandata exequerentur, ob leues plerumque causas pœnis & damno mulctabat. Fortè autem, cùm homo quispiam alioqui bonus, sed tenui re familiari, inops atque despectus, ipsius domini venaticum canem, cuius miro studio tenebatur, ità verbere affecisset, vt ob id periisse putaretur, cùm id dominus rescisset, vehementer offensus, eum truci & minaci vultu grauiter increpitum in pessimum coniecit carcerem: ibiqúe cùm vinctus graui custodia teneretur, post aliquot dies, hi, quibus diligens ipsius cura mandata erat, clauso iam carcere, & tam foribus, quàm omni aditu persepto, ne elabi posset, cùm ad illum accederent, vt solebant, in eodem intus carcere nusquam inuenêre: qui diu conquisitus, cùm non appareret, nullumque effugij vestigium extaret, rem ad dominum detulêre: quod cùm credi vix posset, ipseque mirum in modum obstupefieret, post tres fermè dies, iisdem foribus pessulo firmatis, idem ipse, qui modò carceri addictus fuerat, imprudentibus omnibus, & nemine conscio, rursus in eodem intus carcere intrusus apparuit, custodesqúe, vt cibum afferent, aduocauit: qui cùm properè accersissent, omnesque miraculo obstupefierent, eum vultu tetro, & horribili facie, luxatis vstisque membris, aliter longè atque pridem fuerat conspexêre: quem cùm interrogassent, vnde elapsus, & rursus in eodem intrursus carcere foret, quibusque in locis fuisset, & vnde tam fœdo & tetro cultu emersisset: ipse velut elinguis, cùm nullum proferret verbum, sed attonito stupentique similis foret, vt ad dominum quantocyus admitteretur postulauit, habere quod illi properè nuntiaret, magnum, nec differendum. Cumque ad eum protinus admissus esset, rem mirificam & admirabilem, ac dictu audituqúe formidolosa, & vix credenda miracula dicere orsus fuit. Nam se ab inferis remissum enarrauit: siquidem cùm diutius carceris squallorem ferre nequiret, seu desperatione victus, seu iudicium reformidans, inops consilij, malum dæmonem, vt sibi præsto esset, seque ex tam tetro carcere relaxaret, aduocasse dixit. Nec multò post dæmonem fœdo aspectu, & terribili facie in eodem intus carcere aspexisse, & secum pactum fuisse, ab eodemque & ferreis claustris, non sine graui pressura, extrusum in loca deinde inferna, & profundas vastitates, ac fundum telluris intimæ actum esse præcipitem, singulaqúe lustrasse, impiorumque supplicia, & sedes consceleratas, æternasqúe tenebras & ærumnas vidisse, ac loca fœda, & formidolosa, regesqúe & summos duces in abrupto hiatu & profundo voraginis densa mersos caligine affligtari, & furiarum ardentibus facibus agitari: gemitusque, & eiulatus, ac dies noctesqúe ploratus mulierum & virorum audisse. Pontificesque vidisse, infulis, & trabeis, purpura, & auro distinctis, ac gemmis ornatos, aliasque miserabiles facies, omnis generis hominum, ætatum, & ordinum, in cultu vario afflictas, & iacentes inter præaltas voragines, alios immenso limo haustos, æternis suppliciis & nocte cruciari, ipsorumqúe damnata scelera sempiterno dolore punire: inter quos plures, quos nouerat in vita, annotauit; & præcipuè intimum familiarem, quem, dum in vita ageret, æqualem sodalemqúe habuerat, allocutum dixit, ab eo probè agnitus, & miti satis sermone requisitus fuit, quid rerum ageretur, & quid reliqui spei sibi foret. Ipseqúe cùm prægraui seruitio, & crudeli dominatu vsque se premi respondisset, illum mandasse, vt domino enuntiaret, caueret, ne quid tale ageret in posterum, neve graui tributo, & iniquo vectigali subditos opprimeret: namque illi vacuam sedem, quàm propè cernebat, præstitutam esse, prædixit. Et vt haud dubius promissi foret, fidemque vt dicti haberet, meminisse, inquit, illum debere secreti cōsilij, & mutuæ pactionis, quam dum vnà militaret, & in castris agerent, clam iniuissent: quorum nemo particeps, aut conscius vnquam fuit: quod consilium cùm memoriter ille enuntiasset, & non solùm dicta conuentaque, sed & singula verba sponsionesqúe, quibus vterque astrictus erat, recensuisset, ipsum dominum ordine hęc audientem, animo serio & attentiore factum, mirum in modum obstupuisse, ingensqúe animo formido incussa fuit, consideranti quonam modo, quæ soli sibi credita, & nulli vnquam enuntiata fuêre, homo ille hebes & tardus ingenio, quasi numine afflatus explorata haberet, eaqúe vultu interrito enuntiaret. Adijciunt miraculo, eundem interrogasse illum, cum quo tunc sermo erat apud inferos, qui nitido cultu, vestituque apparato videbatur, nunquid aliquo cruciatu affligtarentur, qui insigni veste & auro conspicui forent? Illumque respondisse, perenni incendio, interque maximos cruciatus & sempiterno dolore vsque premi & affligtari, idqúe totum, quod auro & purpura fulgeret, ignem atque incendium esse. Et cùm ipse id experiri volens, propius manum purpuræ admouisset, admonitum ab eo fuisse, ne tangeret, & tamen efficere nequisse, vt non ex caloris afflatu palmam sibi manus, quam tunc ostendebat, incendio & ipsi purpuræ admotam deflagraret. Erat enim pustulis liuentibus, & tetris hulceribus, veluti tabe & igne sacro, maloque, quod latius serpere videbatur, ferè consumpta. Referunt præterea, qui illum audiuêre, eum, postquā ab inferis emersit, quasi mente consternata, hebetique aurium oculorumque sensu affectus foret, semper cogitabūdum, in rarum prodiisse sermonem, vixque sæpius interrogatum, colloquenti respondisse. Vultu verò tam tetro, & aspectu tam deformi reuertisse, vt qui dudum à coniuge & liberis probè agnitus foret, is postquam remeauit ab inferis, tam diro vultu, totiusque facie corporis dissimilis effectus est, vt vix eundem illum esse crederent: sæpiusqúe obortis lachrymis, ob faciei diritatem & speciem hominis fœdissimè mutatam, notos affinesque ipsum allocutos fuisse, ægreque, vt ante obitum, qui mox consecutus est, res suas dispensaret, ac liberis, & posteritati consuleret, vitæ spatium habuisse.

ASSERVNT IVDÆI VETERES.

Iosephus:

De bello Iudaico lib. 3. cap. 14. Quorum manus in se ipsos insanierunt, eorum animas tenebrosior Orcus suscipit.

De Machabæis: Tu torquendo torqueris: & in ira patientiæ meæ, tuaq; indignatione nunc ferè consumptus, consumeris, diuini iudicij diem non effugies. Manet te pœna illa perpetua, quam nec profana mens ferre, nec tua crudelitas declinare vnquam poterit, æterno videlicet peccatrice anima damnata supplicio.

Rabbi Salomon.

Ad illa verba Esaiæ 30. Præparata est ab heri Topheth: Quia præparata est ab heri Topheth, id est, à die secundo post creationem mundi. Topheth, id est, gehenna.

Auctor Glossæ recondita.

Genes. 18. Pœna impiorum in Gehenna illa est, quæ in Genesi describitur: *Et Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem.* Non ascẽdent autem, neque consistent in die iudicij, iuxta id, quod dicitur: *Quos subuertit Dominus in ira sua, & in furore suo*, ira quidem sua in hoc mundo, furore suo in futuro seculo. Ait Rabbi Iacob: Impij, qui contempserunt pactum circumcisionis, quod in se receperunt, quiq; palam Sabbatum, & cæteros dies festos violârunt, legemq;, ac resurrectionem mortuorum inficiati sunt, ac cæteri similes, descendunt in Gehennam inferiorem, & ibi puniuntur, neque ascendunt: quamquam in vniuersali iudicio & resurrectione mortuorum iam & ipsi resurgant. Ac de ijs quidem ait Daniel: *Multi ex dormientibus in terra puluere resurgent, hi ad vitam æternam, illi ad opprobrium.* Et illud: *Et erunt opprobrium vniuersæ carni.*

Rabbi Mardochai Nathan.

In Concordantijs Biblicis: Tophet est Gehenna, locus deputatus mortuis.

Elias Leuita.

In Thisbi, in voce Gehenna: Rabini nostri locum, vbi impij post mortem puniuntur, Gehennam vocant, ab eo scilicet, quòd vallis ben Hinnon prope Hierosolymam locus immundus fuit, in quo exurebant filios suos idolo Moloch. Fuit autem locus iste sic denominatus à rugitu & clamore pueri, qui ibi exurebatur.

Rabbi Moses.

Libro de Resurrectione: Supplicium, quo scelerati cruciabuntur, asserunt esse Gehennam. Quem locum esse dicunt flammis ardentem, vbi vnà cum corpore sint exurendi impij, non vno suppliciorum ac pœnarum genere: sed adeò varijs & exquisitis, vt longum sit referre.

ARTICVLVS OCTAVVS.

POST RESVRRECTIONEM ET IVDICIVM IMPIOS CORPORE ET ANIMA PERPETVAS IN INFERNO SCELERVM POENAS LVITVROS ESSE.

NEGANT.

Anno post natũ Christum

QVI animas mortales asserunt, corporum resurrectionem non credunt, extremum iudicium inficiantur: denique omnes illi, quotquot infernum de medio tollere, & in fabularũ numerum referre conantur, impiorum in inferno supplicia etiam negare certum est.

240. *Origenes docuit, diaboli & impiorum apud inferos supplicia post longissima tempora finem esse habitura.* Athanasius de communi Essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Epiphanius, Augustinus, & Theodoretus de Origenistis.

380. *Eunomius æterna supplicia ad comminationem solo figmento conscripta esse delirabat.* Ioannes Zonaras in Odis de sanctissima Virgine.

600. *Armenij dicunt, quòd non sit infernus, quod Christus eum destruxerit, cùm ad illum post passionem descendit, & infideles & perfectè mali in Oceano sulphuris cruciabuntur.* Guido de Armeniis.

1350. *Nicolaus de Calabria dixit, quòd in die iudicij Gondesaluus hæreticus pro omnibus orabit damnatis, & eos suis precibus saluabit.* Nicolaus Eymericus parte 2. quæst. 11.

1530. *Anabaptistarum quidam arbitrantur Deum post extremum iudicium omnium misertum iri, ipsum non posse in æternum irasci: seculi & æternitatis nomen non semper perpetuitatem, sed quandoque diuturnitatem significare. Itaque tandem aliquando omnes impios vna cum diabolis saluandos esse.* Bullingerus contra Anabaptistas lib. 2. cap. 15. Confessio Augustana articulo 17.

1560. *Libertinorum quidam Dei misericordiam omnibus omnino hominibus, adeoq́; dæmonibus post iudicium pollicentur.* Lindanus in Dubitantio.

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Deuteron. 32. vers. 22. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima, deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.

Iudith. 16. 20. Væ genti insurgenti super genus meum, Dominus enim omnipotens

tens vindicabit in eis, in die iudicij visitabit illos. Dabit enim ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & sentiant vsque in sempiternum.

Iob 7. 9: Sicut consumitur nubes, & pertransit: sic qui descenderit ad inferos, non ascendet.

Psal. 10.6. Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.

Prouerb. 19. 29. Parata sunt derisoribus iudicia: & mallei percutientes stultorum corporibus.

Sapient. 6. 6. Iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur: Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio.

Ecclesiastici 7.19. Humilia valdè spiritum tuum: quoniam vindicta carnis impij, ignis & vermis.

Ecclesiastici 21. 10. Stupa collecta Synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis. Via peccantium complantata lapidibus, & in finem illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ.

Isaiæ 13. 21. Requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus: & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi: & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & sirenes in delubris voluptatis.

Isaiæ 33. 11. Concipietis ardorem, parietis stipulam: spiritus vester vt ignis vorabit vos. Et erunt populi quasi de incendio cinis, spinæ congregatæ igni comburentur. Audite qui longè estis, quæ fecerim, & cognoscite vicini fortitudinem meam. Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas: quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex nobis cum ardoribus sempiternis?

Isaiæ 66. 23. Veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea, dicit Dominus Et egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni.

Matthæi 3. 10. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. 12. Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

Matthæi 25. 41. Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. 46. Et ibunt hi in supplicium æternum iusti autem in vitam æternam.

Marci 9. 43. Et si scandalizauerit te manus tua, abscinde illam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

2. *Thessal.* 1. 8. In flamma ignis dantis vindictam ijs, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi: qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius.

2. *Petri* 2 9 Nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos.

Apocal. 14. 9. Et tertius Angelus secutus est illos, dicens voce magna: Si quis adorauerit bestiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua: & hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne & sulphure, in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni, & fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerunt bestiam & imaginem eius, & si quis acceperit characterem nominis eius.

Apocal. 18. 5 Quoniam peruenerunt peccata eius (*Babylon*) vsque ad cælum, & recordatus est Deus iniquitatum eius. Reddite illi sicut & ipsa reddidit vobis: & duplicate duplicia secundùm opera eius: in poculo, quo miscuit, miscete illi duplum. Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantũ date illi tormentum & luctum: quia in corde suo dicit: Sedeo regina, & vidua non sum, & luctum non videbo. Ideo in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur: quia fortis est Deus, qui iudicabit illam.

Apocal. 19. 20. Et apprehensa est bestia, & cum ea Pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adorauerunt imaginem eius. Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis & sulphure.

Google

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Iustinus. 150.

Oratione ad Gentiles. Hęc in primo de Repub. scribit (*Plato*) libro. In decimo autem liquidò, & apertè, quæ de iudicio à Prophetis didicerat, ea nō tanquam ab illis accepta, ob Græcorum metum, sed à quodam, sicuti ei fingere placitum fuit, qui in bello cæsus, cùm duodecimo humari deberet die, in rogum positus reuixit, resq; apud inferos visas exposuit, audita verbis huiusmodi ita commemorat: Dixit enim (Erus) affuisse se alteri ab altero interrogato: vbinam esset Arideus ille magnus. Arideus autem iste in ciuitate quadam Pamphyliæ tyrannus fuerat, qui patrem senem & fratrem se maiorem occidit, multaq; præterea impia facinora peregit, vti ferebatur. Ait ergo interrogatum illum respondisse: Non venit, neque huc veniet. Conspeximus verò inter dira spectacula & istud, cùm ostio inde redituri appropinquaremus, reliqua omnia iam perpessi: de repente siquidem & illum, & alios propè eum plurimos tyrannos agnouimus: Erant ibi & priuati quidam, qui grauia admiserant scelera, quos se iam reuersuros esse opinantes, ostium non admittebat, sed rugiens reboabat, cùm quis eorum, quorum insanabilis esset malitia, neque dum idoneas dedisset pœnas, redire contenderet. Ibi viri feroces, aspectu truces, & ignei apparentes, vbi mugitum audiuêre, cæteros quidem segregatos abduxerunt: Arideum verò & alios, manibus pedibusq; & item capite obligatos, humiq; abiectos, atque excoriatos, iuxta viam foras protraxerunt, super aspalathis & sentibus torquentes & dilaniantes, &c. Hic mihi videtur (*Plato*) non tantùm de iudicio à Prophetis, verùm etiam de resurrectione, quam Græci non credunt, accepisse doctrinam. Cùm enim animam simul cum corpore iudicari dicit, nihil ille aliud significat, quàm fidem se adhibere ei, quæ de resurrectione est, institutioni. Quomodo namque Arideus, & reliqui, si corpus, & caput, & manus, & pedes, & pellem habentes in terris reliquissent, tantum apud inferos sustinerent supplicium? haudquaquam certè animas caput, manus, pedes, & pellem habere dicent. Sed enim Plato in AEgypto, postquam in Prophetarum incidit testimonia, doctrina quoque de resurrectione corporis suscepta, cum corpore simul animam iudicari docet. Nec Plato id solum, sed etiam Homerus, eodem & ipse in AEgypto edoctus modo, Tityum itidem excruciari dicit, &c.

Irenæus. 180.

Libro 4. cap. 47. Pœna eorum, qui non credunt Verbo Dei, & contemnunt eius aduentum, & conuertuntur retrorsum, adampliata est: non solùm temporalis, sed & æterna facta. Quibuscunque enim
Matt. 25 dixerit Dominus: *Discedite à me maledicti in ignem perpetuum*, isti erunt semper damnati.

Lib. 5. cap. 27. Venit, &c. ad finem iubere messoribus colligere primùm zizania, & fasciculos alligare, & comburere igne inextinguibili, triticum autem colligere in horreum: & agnos quidem vocare
Matt. 25 in præparatum regnum, hœdos autem in æternum ignem mittere, qui præparatus est à Patre eius, diabolo, & angelis eius.

Hippolytus. 220.

De Consummatione mundi: *Dicet Christus in illa die*: Omnes, qui neglexerint, nec misericordiam exercuerint, hic bene merendo, nihil eis debetur, nisi ignis, qui non extinguitur: Humanus enim sum: at iustus quoque iudex. Nam omnes pro dignitate remunerabor: omnibus pro cuiusque labore mercedem præstabo: omnibus pro suo certamine præmia rependam. Misereri volo: sed oleum in vasis vestris non video, &c. Confessi estis me Dominum, sed verbis meis non paruistis, &c. Discedent hi in supplicium æternum: iusti verò in vitam æternam.

Origenes. 230.

Homilia 14. in Leuiticum: Absoluitur peccatum per pœnam mortis, nec superest aliquid, quod pro hoc crimine iudicij dies & pœna æterni ignis inueniat. Vbi verò quis accipit peccatum, habet illud secum, ac permanet cum ipso, nec aliquo supplicio pœnaq; diluitur, & transit, cum ipso est etiam post mortem: & quia temporalia hîc non persoluit, ibi expendit æterna supplicia. Vides ergo quanto grauius sit accipere peccatum, quàm morte mulctari. Hîc enim mors pro vindicta datur, & apud iustum iudicem Dominum non vindicatur bis in idipsum, sicut Propheta dixit. Vbi autem non est soluta vindicta, peccatum manet illis, æternis ignibus exigendum.

In Psalm. 6. ad Pamphilum in Apologia: Possibile est considerare ex his maximè doloribus, quos in hoc corpore positi sentimus, qui quamuis magni sint, breuis certè sunt temporis, pro eo quòd si paulò vehementiores extiterint, continuò etiam vitæ celerem inferunt finem. Denique multi, si res poposcerit, pro pietatis confessione in ipsis tormentis animam reddunt: alij verò in ipso iam coronæ aditu positi denegant fidem, quam vsque ad mortem proposuerant confiteri. Et hoc non vtique diminutione propositi patiuntur, sed vi doloris nimia & insuperabili superati. Si ergo in hac præsenti vita tam intolerabiles sunt pœnarum dolores, cùm iam crassiori anima vtitur indumento: quid putandum est cùm id spiritale effectum ex resurrectione recipiet, & eò vehementius vtique, quò subtilius sentiet vim doloris? Puto enim, quòd quanta differentia est in præsenti seculo nudum verberari quàm vestitum, ad persentiendum scilicet cruciatum, eò quòd vehementius nudum corpus crucient verbera, quàm vestitum: tantam puto futuram differentiam doloris, cùm corpus humanum, crassitudinis huius indumento deposito, velut nudum corpus cœperit sentire tormenta.

Eusebius Cæsareensis. 320.

De Preparatione Euangelica libro 11. capite 20. Pyriphlegethonta verò ignem æternum esse quis dubitabit? Hebræorum enim Propheta similiter clamat: *Quis nuntiabit vobis, quia ignis ardet? quis nuntiabit vobis locum æternum?* Et rursus: *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguetur.* Plato quoque in Esa. 66.
Tartarum deiectos impios, non exituros inde asseruit, &c. Quod autem dixit non simpliciter, sed cùm in vehicula conscenderint sua, in Acheronta amnem depelli: quænam alia vehicula denotare potest, quàm corpora, quibus assumptis, vna secundùm Hebræorum Scripturas vitæ retributio fiet?

Basilius Magnus. 370.

Oratione de futuro iudicio: Sedulò ea mihi considera ac perpende, quæ à Deo horrenda ijs accident, qui tormenta subituri sunt: quomodo scilicet astra obscurabuntur, sol lumine destituetur, & luna splendorem amittet: quomodo fulmina iacientur, & tonitrua clarè disrumpentur: quando super capita aer tenebris obducetur, ita vt vndequaque examen omnis consolationis expers sit ijs, qui iræ tradentur. Nam creatura suo Creatori morem gerens, atque inseruiens, pœnas atque tormenta intentabit iniustis: eos autem, qui spem

Extat in operibus Ephrem

omnem atque fiduciam in ipso collocârunt, omni beneficiorum genere complectetur. Tunc ignis ille, qui in supplicium diabolo præparatus est, & angelis eius, dissecabitur voce Domini: vt cùm duplex insit igni facultas, adustiua vna, illuminatiua altera: acris quidem vis ignis, & punitoria reposita est ijs, qui vstione sunt digni: illustratoria verò his, qui claritate perennis gaudij perfruituri sunt, succedet: ita vt obscurus quidem sit ignis supplicij, vrendi autem vi careat lux illa refocillationis atque quietis. Nec est quòd de eo ambigas: siquidem in retributionibus eorum, quæ in vita à nobis erunt gesta, natura ignis diuidetur, & lux quidem ad fruitionem, & oblectamentum iustis: vrendi verò vis & dolor ijs, quibus tormenta irrogabuntur, constituetur. Verùm horribilior tenebris, ignique illo æterno pudor erit, atque confusio, in qua perpetuò conuersabuntur peccatores, semper ob oculos retinentes vestigia illa peccati in carne admissi, quasi notæ alicuius tinctæ, nec eluibilis vnquam, in memoria animæ æternùm duraturæ. Paucorum verò est ad lucem veram accedere, & manifestari velle, & post occultorum reuelationem non recedere facie confusa. Dei quippe abalienatio, atque auersio, etiam inter omnes pœnas, quæ in gehenna expectantur, intolerabilior, grauiorque est ei, qui patitur, quàm oculo lucis priuatio, etiamsi dolore careat. Quòd si quis omnem simul facultatem, quæ ab initio generis humani extiterit, sermone complectatur, & in vnum collegerit, ne minimæ quidem bonorum illorum parti illam inueniet parem.

Homilia in Psalm. 33. Astabit creatura omnis prætrepida, & intremiscens ad ipsius gloriosum & illustrem aduentum. Eò singuli quique sistentur, de his examinandi, quæ quisque gessit in viuis. Deinde eos, qui multa perperam in vita admiserunt, horrendi quidam ac tristes circunstabunt angeli, ignem paratum contuentes, ignem expirantes, propter propositi amarulentiam, vultum præferentes nocti assimilem, pro mœrore, atque hominum odio. Subin conspicient barathrum in imum patens, tenebras impermeabiles quidem illas, ignemque obscurum, causticas quidem vires habentem, luce verò destitutum. Inde vermium innumerabilium genus venenosum ac carniuorum, esitans quidem semper, nec tamen se exatians, intolerabiles dolores morsibus infligens. Postremò omnium durissimam pœnam, probrum illud, & verecundiam sempiternam. Hæc tu time, & eiusmodi timore eruditus, quasi fræno quopiam abarce animam, & inhibe ad vitiosam concupiscentiam propendentem.

Cyrillus Hierosolymitanus. 370.

Catechesi 18. Si peccator est, accipiet corpus æternum, quo sufferre possit pœnas peccatorum, vt perpetuò in igne ardeat, vt nunquam dissoluatur. Et iustè verisque his ordinibus Deus hoc præbebit: nihil enim sine corpore à nobis gestum est. Blasphemamus per os, oramus per os, expiamus per os. Luxuriamur corpore, casti sumus per corpus: rapimus per manum, eleemosynas damus per manum, & reliqua similiter. Cùm igitur in omnibus cooperetur corpus, etiam in futuris fructum eius percipiet. Parcamus itaque (fratres) corporibus, & ne tanquam alienis, illis vtamur. Ne dicamus vt hæretici, quòd corpus sit tanquam aliena vestis, sed tanquam proprijs parcamus. Oportet enim nos reddere Deo rationem de omnibus in corpore factis.

Ephræm. 380.

Libro de vera Pœnitentia cap. 7. *Interrogatio*: In vnum omnes supplicium abibunt, an varij cruciatus sunt? *Responsio*: Varia sunt tormentorum loca, sicut in Euangelio audiuimus. Sunt enim tenebræ exteriores, haud dubium, quin & aliæ interiores sint: gehennæ ignis locus, alius stridori dentium proprius locus est: vermis item immortalis alio in loco est. Stagnum ignis proprius locus est, suoque itidem loco ignis inextinguibilis est. Inferi, atque perditio suis terminis constant, & inferiora terræ alius locus. Infernus, quo mittuntur peccatores, & inferni profundum atrocior locus. Inter hæc suppliciorum loca distribuuntur infelicissimi, vnusquisque pro peccatorum suorum modo, siue mitius, siue vehementius, sicut scriptum est: quoniam *spinis peccatorum suorum vnusquisque constringetur.* Prou. 5. Hoc autem est & id, quod dicitur: *Vapulabis multis, & paucis.* Sicut autem sunt peccatorum differentiæ, ita sunt & cruciatuum varietates. Dic, inquiunt, nobis precamur, quæ sit cruciatus differentia? Et ille: Aliter, inquit, cruciatur adulter, aliter fornicator, aliter homicida, aliter fur, aliter ebriosus, aliter mendax, & aliter periurus. Qui autem odit fratrem suum, cum venefico & homicida iudicatur: qui hæresibus inquinantur, audituri sunt, tollatur impius, ne videat gloriam Domini.

Cap. 8. Tunc segregantur ab inuicem, iterque conficiunt, omni spe reuersionis destitutum. Quis adeò lapideo corde sit, qui iam hinc diem illam non amarissimè fleat? Tunc separantur Episcopi à Coepiscopis, Diaconi à Condiaconis, Subdiaconique, atque Lectores à socijs suis. Tunc separabuntur hi, qui aliquando reges fuerunt, plorabuntque velut infantes, atque vt mancipia pellentur. Tunc ingemiscent Principes, & diuites, & immisericordes, pergentque nudi & desolati, huc illucque intuentes angustiabuntur, quærentes adiutorium, & nullus erit adiutor, &c. Vt autem breuiter dixerim, tunc iam impelluntur miseri ab angelis terribilibus acti, cæsi, atque flagellati, perguntque ad mugientes, & stridentes dentibus, crebriusque post tergum aspicientes, si quo pacto iustos, & illud gaudium, vnde ipsi separati sunt, intueri queant: vident autem lucem illam ineffabilem, aspiciunt amœnitates paradisi, vident magna illa & præclara munera, quæ percipiunt à rege gloriæ, qui legitimè certârunt. Intuentur notos dudum, & familiares suos, æternis gaudijs fruentes, quæ ipsi percipere non meruerunt, & lamentantur, ingemiscuntque grauiter.

Gregorius Nazianzenus. 380.

Oratione 15. *quæ est in plagam grandinis*: Mitto dicere futuræ vitæ tribunalia, quibus huiusce vitæ indulgentia & impunitas eos (*impios*) tradit: ita vt satius sit nunc castigari ac purgari, quàm ad cruciatum illum transmitti, cùm iam pœnæ tempus erit, non purgationis. Quemadmodum enim, qui Dei memor hìc est, morte superior est, idque à Dauide optimè dictum est: ita his, qui è vita excesserint, non est in inferno confessio, nec morum correctio. Hìc enim Deus vitam & actionem, illic rerum gestarum censuram conclusit. Quid faciemus in die inductionis (terret me quidam Prophetarum) hoc est, diuinæ ad nos expostulationis (siue in montibus & collibus, quemadmodum audiuimus, siue quæcunque tandem illa, & quocunque loco futura sit) cùm nos coarguet, atque ex aduerso stabit, peccata nostra, hoc est, acerbos & amarulentos accusatores nobis in faciem statuens: acceptaque beneficia cum ijs, quæ iniquè admisimus, ex aduerso conferens, & cogitatione cogitationem verberans, & actione actionem examinans, & imaginis, vitio contaminatæ atque confusæ, dignitatem à nobis exposcens, postremò nos abducet, à nobismetipsis condemnatos, hucque addu-

ductos, vt ne id quidem dicere queamus, nos iniuè supplicio affici: quod quidem hic apud eos, qui pœnas luunt, nonnunquam hanc vim habet, et eorum condemnationem & cruciatum leniat. Illic autem quis patronus? quæ causificatio? quæ falsa defensio? quod artificiosum verborum lenocinium? quæ consilij solertia tribunal illud circumscribet, ac rectum iudicium eludet? quod omnia omnibus in statera collocat, actionem, sermonem, cogitationem, virtutesque cum vitijs ex aduerso expendit, vt, quod propendet, victoriam obtineat, atque ab ampliore parte sententia stet, post quam non iam prouocatio superest, non sublimior iudex, non alia opera, per quæ quispiam pœnam deprecetur, non deficientibus lampadibus oleum, à prudentibus virginibus, aut à venentibus acceptum, non diuitis illius pœnitentia, flammæ ardore liquescentis, ac propinquis suis correctionem requirentis, non denique præstitutum vitæ in melius commutandæ tempus: sed & solum, & postremum ac formidabile illud tribunal erit, magisque etiam iustum quàm formidabile: imò, vt rectius dicam, idcirco formidabilius, quia iustum. Quo quidem tempore throni proponentur, & antiquus dierum sedebit, & libri aperientur, & igneus fluuius voluetur, & lux à fronte, & parata tenebræ.

Gregorius Nyssenus. 380.

Orationis Catecheticæ cap. 40. Neque misera & dolore plena vita eorum, qui peccauerunt, est similis [illegible], quæ sensum hic cruciant. Sed & si ali[illegible], quæ illic sunt, tormentis nominatum fuerit nominibus, quæ hic sunt cognita, non est tamen paruum discrimen. Nam cùm ignem audis, didicisti aliquem ab illo diuersum intelligere, ex eo quòd illi igni aliquid sit additum, quod non est in hoc. Nam ille quidem non extinguitur: hunc autem multa inuenta sunt, quæ extinguant. Magna est autem differentia inter eum, qui extinguitur, & eum, qui nullam admittit extinctionem. Est ergo aliquis alius, & non hic ignis. Rursus cùm vermem audieris, ne propterea quòd idem sit nomen, ad terrestre hoc animal tua feratur cogitatio. Additio enim eius, quòd non moriatur, suggerit aliam esse intelligendam naturam, quàm eam, quæ cognoscitur.

De Anima & Resurrectione: Qui semel quicquid in hac vita suaue ac iucundum est elegerit, nec pœnitentia ductus stolidum ac temerarium suum consilium corrigit atque emendat, inaccessum & inuium sibi locum bonorum posthac efficit, cùm hanc ineuitabilem, quæ transiri non possit, necessitatem, tanquam barathrum quoddam vastum & inuium, qua transiri non possit, aduersus sese perfoderit.

Ioannes Chrysostomus. 400.

Epistola 5. *ad Theodorum lapsum:* Hic habent tam iucunda, quàm tristia finem, eumque celerrimum: illic seculis extenduntur vtraque immortalibus, nec dici potest quantum virtute & potentia differant à rebus præsentibus. Cùm ignem audis, ne arbitreris esse similem huic igni: accensus enim deferuescit, & mutatur: ille autem semel inflammatum exurgens, ardet perpetuò, nunquam intermoritur. Qui peccauerunt, necesse est vt immortalitatem induant, non tamen ad honorem sed verùm vt continuum superfit viaticum illius supplicij, quod quàm sit horrendum, oratio nemo vnquam explicare. Ab experimento rerum paruum fieri potest, vt accipiamus de magis aliud coniecturæ. Si quando in balneo fueris nimium efferuescente, tum gehennæ recorderis: & rursus si quando febre acriore conflagraueris, ad flammam, quæ tunc est, progredere: tum probè intelliges, quia balneum & febris adeò nos affligant ac territant: quo animo futuri sumus, quando in fluuium ignis inciderimus, qui ducitur ab illo horrendo tribunali? Profectò frendemus dentibus propter labores & cruciatus illos indicibiles, nemo suppetias feret. Plorabimus omnes tristissimè, flamma nobis vehementius incumbente. Neminem videbimus præter condemnatos nobiscum, & immanem solitudinem. Quis potest verbis consequi, quàm formidabiles pauores à tenebris exorientur, quæ in animis nostris extabunt? Quemadmodum ignis illic non habet vim resoluendi, sic nec lucere potest, alioqui non essent tenebræ. Huiusmodi igitur pauorem à tenebris, tremorem, solutionem membrorum, attonitum stuporem adducere sufficit vna illius temporis ratio. Multa illic, variaque tormenta, grumuli pœnarum ceu niuis inundant. Cæterùm si quis fortè dubitat, quo pacto satis esse, ac æternum durare immortalis queat anima, confecta tanta vi pœnarum, is cognoscat quæ hic fiunt: quomodo non rarò multi ad morbum non minus acrem, quàm diuturnum sufficerint, nec anima dissoluta est, sed corpus est constrictum ac depressum, anima afflicti remanente in negotio, non aliter, atque si corpori non indita foret. Quare postquam incorruptibile corpus, insolubileque acceperit, nihil prohibet in infinitum protendi supplicium. Hic quidem non simul contingunt, vehementia pœnarum, & earum diuturnitas. Altera enim cum altera pugnat, propter conditionem corruptibilis illius corporis, non ferentis ea: immortalitate autem succedente, soluitur hæc pugna, & magna potentia nos in infinitum vtraque mala possidebunt, nec excessus vllus tormentorum perimet animam nostram. Sic, inquam, licet nos esse persuasos: neque enim hoc corpus poterit in illo tempore consumi cruciatibus: afflictum permanebit cum anima, nec finis vllus erit. Quàm exquisitas igitur delicias appetis, & quantum temporis opponi cupis illi supplicio & pœnæ? Visne centum annos, aut bis centum? Verùm quid hi sunt ad secula interminabilia? quod enim est somnium vnius diei per omnem vitam, id est fructus rerum præsentium comparatus ad statum futurorum bonorum. Estne qui propterea vt suaue somnium videat, per omnem vitam eligat ferre cruciatum? & quis sic stultus est, vt vltrò ad talem mercedem aduolet? Nihil dum equidem delicias, nec amaritudinem, quæ in eis occulitur, aperio: quandoquidem loqui de his rebus adhuc est intempestiuum: vbi eas effugere valebis, tum locus erit huiusmodi tractandi. Nunc quia morbo illo detineris, videbimur tibi nugas agere, si quando voluptatem amaram nominauero: liberatus olim à morbo Dei beneficio, mox planè intelliges malitiam. Quare sermones illos in aliud tempus differamus, hoc nunc dicemus. Fingamus delicias esse delicias, & voluptatem voluptatem, nihilque habere fellis: sed quid, obsecro, dicemus de imminente pœna? quid tum faciemus? qui modò læti gestimus velut in vmbra & imagine, opere quidem alibi persoluemus pœnam: & præterea quia exiguo tempore, quæ tum futura diximus, aut etiam absurdiora effugere licet, fruique bonis adiacentibus. Hoc est enim opus clementiæ diuinæ, quòd nobis certamina non in longum tempus præscripsit, breui quidem, & in momento, & in ictu oculi finientur: nam tantula est præsens vita, quæ omnino bello debetur, si eam ad infinita secula conferas. Num id animas damnatorum contristabit, quando meminerint, quòd occasione emendandi per hos paucos dies non

vsi, se

vsi, se tradiderint malis immortalibus? Surgamus ergo, ne simile quiddam patiamur, dum tempus est acceptum, dum est salutis dies, dum est vis magna pœnitentiæ. Siquidem malis ignauiter cohærentes, quæ dicta sunt omnia excipient, multoqúe illis duriora. Ea enim, quæ in gehenna noxijs parantur, multò sunt molestiora: à tantis excidisse bonis tantum habet dolorem, tantam afflictionem, tantam angustiam, quantum vllum esse potest aliud flagellum: certè hic debitum peccantibus, cuiusmodi per se sufficere, & quàm tormenta reliqua gehennæ acerbius mordere, contereréqúe animas nostras videtur.

Ioannes Cassianus. 420.

De Confessione Theologica par. 3. Sed dicere quis valeat, quæ impijs & malè viuentibus tormenta sint præparata? In ipso enim continuæ mortis loco, qui Infernus appellatur, quid aliud nisi ignis flamma, perseuerans tribulatio, & perpetua pœna, atque infinita totius mali calamitas esse potest? Igneus autem fluuius, & fœda palus complet omnia. Ibi sanè atroces angeli commorantur, quorum brachia sunt vt capita draconum: quorum oculi igneas ex sese sagittas emittunt: quorum dentes vt elephantis prominent, & stimulant ad tormentum vt caudæ scorpionum. Quorum aspectus tremorem inducit, & dolorem, atque mortem. Atque vtinam mors posset in his subuenire angustijs: sed quod est horribilius, ad hoc viuit in tormentis positus, vt cruciatibus gubernetur: ad hoc redintegratur, vt rosus serpentibus, & iteratis subinde iterumqúe repetitis morsibus attrectetur. Ibi dracones blasphemantium labia vorant, & regulus diris morsibus miserorum pectora lacerat, atque horribiles diuersi generis belluæ incredulorum animas multipliciter sine cessatione cruciant. Illic vlulatus & planctus, gemitus & mugitus continuè sonant, simulqúe clamor vbique confusus attollitur, quem dira vis tormentorum exagitat, & incendij arsura extorquet. Hæc autem ipsa tribulatio, quæ illic excipiet miseros, nullo termino finitur, nullo fine concluditur: sed flammarum atroci adustione consumitur, & ad rediuiua incendia iterum, qui adustus fuerit, reparabitur. Ibi enim vermis, qui non moritur; & ignis, qui nunquam extinguitur; atque stridor semper dentium sentitur, gehennæ lethale frigus, & glacies indeficiens, fames pessima, & sitis immensa, dolor perpetuus, & continuus languor, sæua pestis, & indicibilis lues, tenebræ densissimæ, & nox obscuritatis horrendæ: nullà requies datur miseris, omnia ibi mala, & cuncta tormentorum genera: mors immortalis, defectus indeficiens, finis infinitus. Quis ergo fidelium hæc audiens, & talia sciens non contremiscat?

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Oratione de exitu Animæ: Quàm densa obducentur caligine, quando in ira sua verba ad eos faciet? quando in furore suo eos perterrebit, in-
Matt. 25. quiens: *Ite à me maledicti in ignem æternum, diabolo & eius nuntijs præparatum?* Eheu quanta cum tribulatione, quanta mœstitia, quanta anxietate, timore, tremore implicabuntur spiritus eorum,
Psal. 9. cùm cælestes vniuersæ Potestates clamabunt: *Auertantur peccatores in Tartarum?* Væ, væ, quale melos succinunt, collugentes, vlulantes, plangentes, dum sæuissimis tormentis nunquam non excarnificandi abducuntur? Heu, heu qualis illius loci facies, vbi fletus & stridor dentium, quem tartarum appellant, quem ipse diabolus expauet? Væ, væ qualis est gehenna ignis inextincti, ardentis quidem, sed non lucentis, sed & luce carentis? Heu qualis est insomnis, & virulentus vermis? Væ, væ, quàm graues illæ exteriores tenebræ & assiduæ? Heu, heu quales sunt angeli, infligendis pœnis destin ti, truculenti & immites. Etenim conuicianti fortiter, & increpant. Tunc rei conclamant v hementer, & nemo eximit. Conclamabunt eni ad Dominum, & non exaudiet eos. Tunc cunct vitæ vanitates & fluxas fuisse, & caducas cogn scent, quæque hîc bona esse gaudijsqúe plena vid bantur, ea felle & veneno amariora reperientu O temporis illius tribulationem, ô necessitaten ô tempestatem: à Sanctis graue dirimi, grauius Deo dissociari: ignominiosum tum manibus, cu pedibus colligari: durum in exteriores tenebr amandari: horridum fremere, dentibus strider contabescere: acerbum iugibus pœnis atteri: la boriosum lingua flammas sustinere: miserrimu est aquæ poscere guttulam, & repulsam accipe re: peramarum in ignibus esse, & vociferari, n tamen subleuari. Inaccessæ fauces, & immensu chaos, neque fuga se subtrahere, quoniam occlu ditur; abitum parare non potest, quia coercetu custodiæ murus insuperabilis, inhumani erga stuli, tenebricosus carcer, insolubilia vincula, nulla refringendæ catenæ, feri & intractabil flammæ illius ministri: graues illæ, quæ ad sup plicium adhibentur, scuticæ: firmi vngues, & ir fracti: prædura flagella, pix nebulosa & strep tans, sulphur graue olens, atra cubilia, pyra sem per ardens, fœdus & olens vermis, tetricum pra torium, &c. Væ peccatoribus, quoniam iusti i æstimatione habentur, & peccatores probris in petuntur. Iusti in sanctificatione, peccatores i incendio. Iusti laudibus euehuntur, peccator miseria deprimuntur. Iusti in Sanctorum static ne, peccatores in perpetuo exilio. Iusti quider audient illud: *Venite benedicti Patris mei,* &c. pe catores autem illud: *Discedite à me maledicti i ignem æternum.* Iusti in paradiso, peccatores in ign viuacissimo & inextincto. Iusti denique delicijs af fluunt, peccatores labore conficiuntur: iusti cho ros agitant, peccatores sunt in vinculis: iusti con cinunt, peccatores lugent: iusti ter felices, pec catores ter miseri: iusti in cantu, peccatores in sp cu: iusti in sinu Abrahæ, peccatores in sinu Belia iusti in quiete, peccatores in pœnis: iusti in ful gore, peccatores in caligine procellarum: iust cum Angelis plaudunt, peccatores cum dæmon bus lugent: iusti in medio lucis, peccatores in me dio tenebrarum: iustos Paracletus consolatur peccatores cum dæmonibus pœnas luunt: ius assistunt solio Domini, peccatores astant vltr cibus tenebris: iusti sine vlla temporis intermi sione faciem Domini intuentur, peccatoribus vu tus diaboli semper aduersus: iusti cum Angelis v uunt, peccatores associantur dæmonijs: iusti pre ces effundunt, peccatores iuge lamentum: iusti su sum, peccatores deorsum: iusti in cælo, peccato res in abysso: iusti in perenni vita, peccatores i morte perditionis: iusti in manu Dei sunt, pecc tores in loco diaboli: iusti cum Deo, peccator cum Satana.

Andreas Cæsareensis. 530.

Ad cap. 14. Apocal. cap. 42. *Nec habent requie die ac nocte,* &c. Futuri seculi statum, in quo im pios nullam requiem habituros prædicit, diem a noctem vocat; non quasi ibi extet spatium, quo diuino solis motu mensuretur, sed quia ad pra sentis temporis consuetudinem, quod per noct & dies conficitur, numeratur. Aut per diem vi ratio, quam Sancti tenent, denotatur: per nocte autem impiorum hominum cruciatus, quos p cæteris apud inferos luent illi, qui per ea, q perpetrant, diaboli studium nefariasqúe eiusde blasphemias contra Christum, quasi ad viuum primunt.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap. vltimum Esaiæ: Postquam eorum promissiones, qui credituri essent, enarrauit, exponit iam gloriosum eius aduentum, demonstrans quo tempore Patris gloria, & Angelis eius comitatus, viuos & mortuos iudicatum venturus sit. Quod autem *sicut ignis* habemus, *in igne* cæteri dixerunt interpretes. Curruum deinde nomine Angelos, & quæ ipsum ambiunt Potestatis intellexit. Venturum præterea quasi tempestatem adijcit, vt eos, qui digni sunt, vlciscatur. Quòd rursus increpationis verbo vsus est, eorum à se reiectionem significauit, qui à se eos discedere, qui sempiterno igni deuoti essent, iussurus fuerat.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei lib. 4. cap. 28. Resurgemus igitur, animis nimirum nostris corporibus, immortalibus iam, atque corruptioni exutis, rursus coniunctis, atque horrendo Christi tribunali sistemur, ac diabolus, & ipsius dæmones, & ipsius homo, hoc est, Antichristus, & impij, & flagitiosi homines in ignem æternum, non materialem, sed qualem Deus nouit, conijcientur.

Vita Barlaam cap. 8. Proficiscentur, qui virtutibus operam dederunt, ad sempiternam vitam, & lucem omnem orationis vim excedentem, vt cum Angelis oblectentur, atque arcanis bonis fruantur, sanctæque Trinitati purè astent. Qui autem turpibus flagitijs sese deuinxerint, atque omnes impij & peccatores, ad sempiternum cruciatum: qui quidem gehenna dicitur, & exteriores tenebræ, & insomnis vermis, & stridor dentium, aliaque innumera tormenta. Quorum omnium nullum æquè graue & acerbum est, atque à Deo abalienari, & à dulcissima ipsius facie abijci, gloriaque illa, quæ nullis verbis exponi potest, orbari, atque inspectante vniuerso orbe traduci, & ignominia, quæ nunquam finem habitura sit, notari. Posteaquam enim horrenda illa sententia edita fuerit, omnia deinceps immutabilia, & conuersionis omnis expertia manebunt: sic videlicet, vt nec vita læta iustis finem habitura, nec afflictio & pœna peccatoribus terminum acceptura sit. Neque enim sublimior post eum alter Iudex est, nec per sequentia opera purgatio, nec præstitutus emendationis terminus, nec alia vlla ijs, qui in cruciatu versabuntur, ars & ratio: quippe cùm supplicium vnà cum ipsis in sempiternum duret.

Cap. 10. Anima verò tua inferno addicta, in inferiores terræ partes vsque ad postremam resurrectionem conijcietur. Quo scilicet tempore anima recepto corpore suo à Domini facie proijcietur, ac gehennæ, cuius flamma sempiterna est, mancipabitur. Hæc tibi, atque etiam longè his grauiora contingent, si in infidelitate perstiteris.

Photius. 860.

In cap. 2. posterioris ad Thessalonicenses: Per ignem flammæ dicit, supplicij genus designans, quo pœnas dabunt, qui Deum non nouerunt, neque obedierunt Euangelio Christi.

Theophylactus. 900.

In Matthæi cap. 25. Ideò ibunt hi in supplicium æternum, & nunquam finiendum: iusti verò in vitam æternam. Nam sicut Sancti incessabile habent gaudium, ita iniusti indesinentem pœnam: tametsi Origenes nugetur, dicens fore suppliciorum finem, & non semper puniendos peccatores, sed fore aliquando tempus, quando in iustorum venturi sint consortium purgati à pœnis. Arguitur autem ex hoc loco manifestè. Nam Dominus dicit: *Supplicium æternum*, id est, nunquam finiendum.

In caput 10. ad Hebræos: Hostes Dei sunt omnes infideles, & dæmones, qui & ipsi subijcientur Deo, hoc est, inefficax eorum malitia manebit, qui inextinguibili igni tradentur.

OEcumenius. 1050.

Ad cap. 5. posterioris ad Corinth. Ea, quæ per corpus ab ipso administrata seu peracta sunt, inquit: referet autem iuxta ea quæ fecit, siue bona, siue mala. Quoniam enim ad honesta, & etiam ad ea, quæ non sunt huiusmodi, obsecutum est corpus animæ, vnà etiam cum ipsa retributionem accipit. Et hoc ora obstruit dicentium, aliud tunc suscitari corpus. Neque enim cùm aliud corpus peccauit, aliud supplicio affici debet.

Ad cap. 1. posterioris ad Thessal. *Interitum æternum*: Vbi ergo sunt, qui aiunt, non in æternum duratura supplicia?

Euthymius. 1080.

Ad cap. 25. Matthæi: *Tunc dicet his, qui à sinistris erunt.*) Vides? Regnum quidem hominibus paratum est: ignis verò dæmonibus: insipientissimi autem homines relictis his, quæ regno digna sunt, præferunt ea, quæ ignem promerentur. Ideo etiam ab illo excidentes, ad hunc condemnabuntur.

Nicetas Choniates. 1200.

Lib. 4. Orthodoxæ fidei cap. 31. Talis ergo vir multabitur, & seruabitur, &c. Sciendum est salutis emphasin hoc loco aliam esse ab ea, quæ vulgo inoleuit. Hoc enim loco verbum seruari haudquaquam salutem promereri significat, sed igne non absumi, aut conflagrare: quandoquidem adamantem quoque in igne seruari dicimus: nonnullaque animantia fornacibus admota seruari quodammodo dicuntur, quoties ignis calorem perferunt, nec vruntur, aut mutilantur. Proinde seruatus in igne es quoque dici potest, qui multatur: cùm præsertim sit immortali corpore præditus, quod nec incisionibus vllis, nec adustionibus obnoxium est.

Manuel Palæologus. 1400.

Oratione 6. At vbi tristissimam illam mortem oppetierit animus, etiam corpus ipsum post resurrectionem, quasi mortuum & miserum modis omnibus erit. Nam quo pacto res aliter se habere posit? cùm id, quod ipsum corpus viuificat, veram vitam, qui Deus est, amiserit.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis. 100.

Epistola ad Burdegalenses cap. 4. Reuiuiscit anima per Baptismum, & moritur per homicidium. Corpus verò, quod tanto peccato est subditum, in impiorum pœnis æternaliter excruciabitur cum anima sua, post illum diem, quando verus Deus, & verus homo iudicabit omnes gentes.

Tertullianus. 200.

In Apologetico aduersus gentes cap. 18. Sed & obseruantibus quæ præmia destinârit, vt qui producto æuo isto iudicaturus sit suos cultores in vitæ æternæ retributionem: profanos in ignem æquè perpetem & iugem, suscitatis omnibus ab initio defunctis, & reformatis, & recensitis ad vtriusque meriti dispunctionem. Hæc & nos risimus aliquando. De vestris fuimus, fiunt, non nascuntur Christiani.

Cap. 45. Epicurus omnem cruciatum, doloremque depretiat, modicum quidem contemptibilem pronuntiando, magnum verò non diutur-

num.

num. Enimuerò nos, qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quibus æternam ab eo pœnam prouidemus, meritò soli innocentiæ occurrimus & pro scientiæ plenitudine, & pro latebrarum difficultate, & pro magnitudine cruciatus non diuturni, verùm sempiterni, eum timentes, quem timere debebit & ipse, qui timentes iudicat, Deum, non Proconsulem timentes.

Cap. 48. Certè quia ratio restitutionis destinatio iudicij est, eò quòd omnino de iudicio Dei pati debent, necessariò idem ipse, qui fuerat, exhibebitur, vt boni seu contrarij meriti iudicium à Deo referat. Ideoque repræsentabuntur & corpora, quia neque pati quicquam potest anima sola, sine stabili materia, id est, carne: & quod omnino de iudicio Dei pati debent animæ, non sine carne meruerunt, intra quam omnia egerunt.

Lib. de Pœnitentia cap. 12. Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguet: & pœnæ prius magnitudinem imaginare, vt de remedij adeptione non dubites. Quid illum thesaurum ignis æterni æstimamus, quum fumariola quædam ei tales flammarum ictus suscitent, vt proximæ vrbes aut iam nullæ extent, aut idem sibi de die sperent. Dissiliunt superbissimi montes, ignis intrinsecus fœta. Et quod nobis iudicij perpetuitatem probat, cùm dissiliant, cùm deuorentur, nunquam tamen finiuntur. Quis hæc supplicia interim montium non iudicij minantis exemplaria deputabit? quis scintilla tales non magni alicuius & inæstimabilis foci missilia quædam & exercitoria iacula consentiet?

De iudicio Domini cap. 9.

Ibitis in tenebras ignis & sulphuris altas,
Passuri ardentes iustas cruciatibus iras:
Aeterna Deus ossa iubet descendere pœna,
Ire sub ardorem rabide sine fine gehennæ,
Vrgeri molem per stagna rotantia flammis,
Inflammamq; iubet conuerti elementa minantem,
Atque omnem cæli descendere nubibus ignem.
Tunc auidus rapido est inclusus tartarus igne,
Atque procellosis flamma intus fluctuat vndis,
Totaq; vertentes confundit terra fauillas.
Flammeus est sulcus, dentes vertuntur acuti,
Omnibus & torrens armabitur igneus amnis.
Impetu tartareo frendent incendia mundo,
Illic præcipiti cursu torrentur in æstu,
Hinc fugiunt, illinc cursu referuntur acuto:
Obuia fit sæua flamma fugientibus ira,
Agnoscantq; suam iam tum de crimine pœnam, &c.
Est natura loci signatis ignea pœnis,
Infernusq; palus candens ardoribus atrox,
Intonat horrificis facinus pœnale caminis,
Aestuat, & rapitur lato de vortice flamma,
In tormenta ruens, fluctusq; & gurgite sæuo,
Turbida cœnoso fundo miscetur arena.
Huc captiua gemens mittetur turba malorum,
Arsurumq; nefas, sceleratì corporis agmen.
Magnus plangor ibi, luctus sociante boatu,
Et stridor rabidus, vlulatus & inde dolentum.
Exurgent flammæq; procul, artusq; sonori,
Ignis inardescet, gemitusq; feretur ad auras.
Tunc humana, mali pendet commissa, propago,
Incipietq; suas ad cælum tendere palmas,
Et Dominum tunc nosse volet, quem nosse volebat
Antea non, cùm nosse illis foret vtile tempus,
Illic quisque sua profitebitur effera vitæ,
Iniustasq; manus, & sæua crimina mentis,
Horrescetq; suæ quam meruit impia vitæ.

Minutius Felix. 230.

In Octauio: Nec ignoro plerosque conscientia meritorum nihil se esse post mortem magis optare, quàm credere: malunt enim extingui penitus, quàm ad supplicia reparari. Quorum error augetur, & in seculo libertate remissa, & Dei patientia maxima: cuius quantò iudicium tardum, tantò magis iustum est. Et tamen admonentur hominum doctissimorum libris, & carminibus poetarum, illius ignei fluminis, & de Stygia palude sæpius ambientis ardoris, quæ cruciatibus æternis præparata, & dæmonum indicijs, & de oraculis Prophetarum cognita tradiderunt. Et ideò apud eos etiam ipsi rex Iupiter per torrentes ripas, & atram voraginem iurat religiosè: destinatam enim sibi cum suis cultoribus pœnam præscius perhorrescit, nec tormentis aut modus vllus, aut terminus. Illic sapiens ignis membra vrit, & reficit, carpit, & nutrit, sicut ignes fulminum corpora tangunt, nec absumunt: sicut ignes AEthnæ montis, & Vesuuij montis, & ardentium vbique terrarum flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesâ corporum laceratione nutritur. Eos autem meritò torqueri, qui Deum nesciunt, vt impios, vt iniustos, nisi profanus, nemo deliberat, cùm parentem omnium, & omnium Dominum non minoris sceleris sit ignorare, quàm lædere.

Cyprianus. 250.

Lib. ad Demetrianum: Cremabit addictos ardens semper gehenna, & viuacibus flammis vorax pœna: nec erit vnde habere tormenta vel requiem possint aliquando, vel finem. Seruabuntur cum corporibus suis animæ infinitis cruciatibus ad dolorem. Spectabitur illic à nobis semper, qui hic nos spectauit ad tempus: & in persecutionibus factis oculorum crudelium breuis fructus, perpetua visione pensabitur, secundùm Scripturæ sanctæ fidem dicentis: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur,* &c. Erit tunc sine fructu pœnitentiæ dolor pœnæ, inanis ploratio, & inefficax deprecatio. In æternam pœnam serò credent, qui in vitam æternam credere noluerunt. Esa. 66. Mar. 9.

Sermone de Ascensione Christi: Continuus erit & superfluus illarum lachrymarum decursus, stridorem illum dentium flammæ inextinguibiles agitabunt. Immortales miseri viuent inter incendia, & inconsumptibiles flammæ nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus diues, non erit qui æstuanti linguæ stillam aquæ infundat. In proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur, & omni tormento atrocius desperatio condemnatos affliget. Non miserebitur vltra Deus, neque tunc audiet pœnitentes: sera erit illa confessio: & cùm clausa fuerit ianua, frustra carentes oleo acclamabunt exclusi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium: semel Christus descendit ad inferos, vlterius non descendit. Non vltra videbunt Deum in tenebris sigillati: irregressibilis erit illa sententia, & immutabile iudicium, & stabit damnationis huius immobile constitutum.

Lactantius. 320.

Libro septimo diuinarum Institutionum capite 21. Docent nos sanctæ literæ, quemadmodum pœnas impij sint laturi. Nam quia peccata in corporibus contraxerunt, rursus carne induentur, vt in corporibus piaculum soluant: & tamen non erit caro illa, quam Deus homini superiecerit, huic terrenæ similis, sed insolubilis ac permanens in æternum vt sufficere possit cruciatibus, & igni sempiterno,

cuius natura diuersa est ab hoc nostro, quo ad vitæ necessaria vtimur: qui nisi alicuius materiæ fomite alatur, extinguitur. At ille diuinus per seipsum semper viuit, ac viget sine vllis alimentis, nec admistum habet fumum, sed est purus, ac liquidus, & in aquæ modum fluidus. Non enim vi aliqua sursum versus vrgetur, sicut noster, quem labes terreni corporis, quo tenetur, & fumus intermistus exilire cogit, & ad cælestem naturam cum trepidatione mobili subuolare. Idem igitur diuinus ignis vna eademque vi atque potentia, & cremabit impios, & recreabit: & quantum è corporibus absumet, tantum reponet, ac sibi ipse æternum pabulum subministrabit. Quod Poetæ in vulturem Tityi transtulerunt. Ita sine vllo virescentum corporum detrimento aduret tantum, ac sensu doloris afficiet.

Iuuencus. 330.

Lib. 4. historiæ Euangelicæ:

At vos immitis iustis succedite flammis,
Et pœnis semper mentem torrete malignam.
Quas Pater horrendis barathri per stagna profundi
Dæmonis horrendi socijs, ipsiq; parauit, &c.
Hæc vbi dicta dabit, meritis sua præmia reddet:
Aeternum miseri pœna sudiet unt iniqui,
Aeternumq; salus iustis concessa manebit.

Iulius Firmicus Maternus. 350.

De Erroribus prophanarum religionum cap. 16. *Veniet enim* (inquit) *dies Domini vt ardens clibanus.* Audistis quid veniat. Nihil est, quod ex te collectum in apothecis Dominicis reponi possit: ardebis vt stipula, cuius inanis vilitas in cineres fauillasq; seruatur: quam rapax ignis violentia congeniti spiritus pascitur. Hic est exitus, finisque vester: hæc est pœna, quam pro deceptis hominibus Deus statuit: vt perpetuis ardeat flammis, qui contra voluntatem Dei miserum hominem aut decepit, aut perdidit, &c.

Cap. 17. Si pertinaces animi vestri in isto errore permanserint, ardebitis etiam vos pariter cum Dijs vestris, vt quicquid auctores vestri diuina animaduersione meruerunt, etiam ad vestrum exitium hoc societatis consortio transferatur.

Pacianus. 370.

Paranesi ad Pœnitentiam: Timete igitur, dilectissimi, iusta iudicia, omittite errorem, damnate delicias: properat iam tempus extremum. Tartarus & gehenna laxatos impijs sinus pandunt. Post animarum tempestiua supplicia, rediuiuis quoque perpetua corporibus pœna seruatur. Nemo Tityi iecur credat, & vulturem Poetarum. Ipse sibi materiam recrescentium corporum reparat ignis æternus. Attendite, si non creditis, aquarum impetus, qui ignibus fumat, supplicio nutriente reparabitur. Si de cruciatu Exomologesis retractatis, gehennam recordemini, quam vobis Exomologesis extinguet. Vim eius & de præsentibus æstimate, cuius fumariola quædam maximos montes subterraneis ignibus decoquunt. Aestuant indefessis flammarum globis Aethna, & Lisimeculus, & Vesuuius Campanus: & quo nobis iudicij perpetuitatem probent, dissiliunt, deuorantur, nec vllis tamen seculis finiuntur. Attendite in Euangelio diuitem solius adhuc animæ sup-
Lucæ 16 plicijs laborantem. Qualis tandem illa reditu-
ris pœna corporibus? quis in illa stridor dentium? quis fletus oculorum? Mementote fratres, quia apud inferos Exomologesis non est, nec pœnitentia tunc tribui poterit, consumpto tempore pœnitendi. Festinate, dum in via estis, dum cum aduersario iter facitis. Seculares ecce ignes timemus, & carnificum vngulas expauescimus. Comparate cum his æternas torquentium manus, apicesque flammarum nulla ætate morientium.

Prudentius. 390.

In Apotheosi, de natura Animæ:

Quæ (anima) *quia materiam peccati ex fomite carnis*
Consociata trahit, nec non simul ipsa sodali
Est incentiuum peccaminis, impia at ambas
Vindex pœna reas, peccantes mente sub vna,
Peccatiq; cremat socias cruciatibus æquis.

Hieronymus. 390.

Ad cap. 30. Esaiæ: *Et erit transitus virga fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum.* Et est sensus: Nequaquam eum virga percutiet, & eam rursus leuabit, ac more cædentium finem faciet verberandi: sed quasi fundatam, & alta radice defixam, in pœnis eius faciet permanere. Quòd si ita intelli-
gitur, vbi erit pœnitentia diaboli? præsertim cùm Matt. 25
dicatur peccatoribus: *Ite in ignem æternum, quem præparauit Deus diabolo & angelis eius. In tympanis, & in cytharis, & bellis præcipuis expugnauit eos* dæmones videlicet, & omnes impios cum gaudio omnium Dominus expugnabit. *Ab heri quippe, & à præterito tempore præparata est à rege Domino Tophet,* id est, lata & spatiosa gehenna, quæ eos æternis adurat ardoribus.

Ad cap. 66. Esaiæ: Diaboli, & omnium negatorum & impiorum, & dixerunt in corde suo: *Non est Deus,* credimus æterna tormenta.

Ad cap. 1. Threnorum Hieremiæ: Indicat, quòd extrema vltio omnibus impijs, & peccatoribus infinitæ calamitatis sit, nec aliquando à cruciandi molestia cesset: quia in exterioribus tenebris *vermis impiorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Vbi qui semel ingreditur, vlterius iam egredi non permittitur. Quod ipsa Veritas in Euangelio ostendit, dicens: *Esto consentiens cum aduersario tuo,* & reliqua, *vsque ad nouissimum quadrantem.* Quemadmodum ibi intelligitur, vbi dictum est: *Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis:* semper illum regnaturum, quoniam semper illi erunt inimici sub pedibus: ita & hîc accipi potest dictum: *Non exies inde donec soluas nouissimum quadrantem:* semper non exiturum esse, quia semper soluat nouissimum quadrantem, dum sempiternas pœnas terrenorum peccatorum luit.

Augustinus. 400.

In Enchiridio ad Laurentium cap. 111. Post resurrectionem verò facto vniuerso completoq; iudicio, duos fines habebunt ciuitates duæ, vna Christi, altera diaboli: vna bonorum, altera malorum: vtraque tamen Angelorum & hominum. Istis voluntas, illis facultas non poterit vlla esse peccandi: vel vlla conditio moriendi, istis in æterna vita veraciter feliciterq; viuentibus: illis infeliciter in æterna morte sine moriendi potestate durantibus: quoniam vtrique sine fine. Sed in beatitudine isti alius alio præstabilius: in miseria verò illi alius alio tolerabilius permanebunt.

Cap. 113. Manebit ergo sine fine mors illa perpetua damnatorum, id est, alienatio à vita Dei, & omnibus erit ipsa communis, quamlibet homines de varietate pœnarum, de dolorum releuatione vel intermissione pro suis humanis motibus suspicentur, sicut manebit communiter omnium vita æterna Sanctorum, quamlibet bonorum distantia concorditer fulgeant.

Sermone 181. de Tempore, fuit Sermone in Vigilia Pentecostes 1. cap. 18. Hæc recordare, & ignem illum gehennæ his, quæ te nunc exagitant, flammis libidinis & cupiditatis oppone. Ignis hic, qui in præsenti est vita, absumit cuncta, quæ recipit: ille

verò quos susceperit semper cruciat, & pœnæ suæ semper integros seruat. Propterea enim & inextinguibilis dicitur, non solùm quia ipse non extinguitur, sed quia nec eos, quos susceperit, extinguet, aut perimet. Scriptura etenim dicit, quia & peccatores induent incorruptionem, scilicet non ad honorem vitæ, sed ad diuturnitatem supplicij profuturam. Huius autem pœnæ, & ignis illius potentiam, nullo vox exponere, nullus poterit sermo explanare. Nihil est enim in rebus corruptibilibus, quod conferri possit incorruptibilibus, siue bonis, siue malis. Ibi quid agemus? Quid respondebimus? Nihil erit nisi stridor dentium, nisi vlulatus, & fletus, & sera pœnitentia, cessantibus vndique auxilijs, & vndique inualescentibus pœnis: sed solatium quidem nullum. Nullus ibi occurret oculis nostris, nisi soli pœnarum ministri, & facies dira tortorum. Verùm has pœnas, hos cruciatus non solùm euadere, sed etiam æternam beatitudinem, si modò de malis nostris pœnitentiam agimus, possumus acquirere.

De triplici habitaculo capite 2. Principalia duo sunt tormenta in inferno, frigus intolerabile, & calor ignis inextinguibilis: vnde in Euange-
Matt.13. lio legitur: *Illic erit fletus & stridor dentium. Fletus* namque & liquefactio oculorum ex calore nascitur: *stridor* verò *dentium* ex frigore nascitur.
Iob 24. Hinc etiam beatus Iob: *De aquis*, inquit, *niuium transibunt ad calorem nimium*. De quibus duobus innumera pendent pœnarum genera; videlicet, sitis intolerabilis, pœna famis, pœna fœtoris, pœna horroris, pœna timoris, pœna angustiæ, pœna tenebrarum. seueritas tortoris, præsentia dæmonum, ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, dilaceratio immortalium vermium, vermis conscientiæ, ignitæ lachrymæ, suspiria, miseriæ, dolor sine remedio, vincula sine solutione, mors æterna, pœna sine fine, absentia Christi quoad visionem eius, quæ sola omnia supra dicta superat, & omnibus pœnis intolerabilior. Væ igitur illis perenne, qui subire hæc omnia mala etiam sine fine merentur, pro delectabili vnius horæ somnio. Tanta enim, & talis est omnis huius mundi gloria, ad æternam comparata gloriam. *Melius erat ei*, quod dictum est de infelici Iuda, non nasci, quàm malis suis meritis plagas inferni sustinere.

Ad Psalm. 49. Si possemus facere fratres, vt dies iudicij non veniret: puto quia nec sic erat malè viuendum. Si non veniret ignis Dei iudicij, & sola peccatoribus immineret separatio à facie Dei, in qualibet essent affluentia deliciarum, non videntes à quo creati sunt, & separati ab illa dulcedine ineffabilis vultus eius, in qualibet æternitate, & impunitate peccati, plangere se deberent. Sed quid loquar, aut quibus loquar? Hæc amantibus pœna est, non contemnentibus. Qui dulcedinem sapientiæ & veritatis vtcunque sentire cœperunt, nouerunt quod dico: quanta pœna est tantummodò à facie Dei separari. Qui autem illam dulcedinem non gustauerunt, si nondum desiderant Dei faciem, timeant vel ignem: supplicia terreant, quem præmia non inuitant. Vile tibi est quod Deus pollicetur? contremisce quod minatur. Veniet dulcedo præsentiæ: non mutaris, non excitaris, non suspiras, non desideras. Amplexaris peccata tua, & delicias carnis tuæ, stipulas ad te congeris, veniet ignis. *Ignis in conspectu eius ardebit*. Non erit iste ignis sicut focus tuus: quò tamen si manum mittere cogaris, facies quicquid volueris, qui hoc minatur. Si tibi dicat, Scribe contra caput patris tui, scribe contra capita filiorum tuorum: nam si non feceris, manum tuam mitto in focum tuum; facies ne ardeat manus tua, ne ardeat ad tempus membrum tuum, non semper in dolore futurum. Minatur ergo inimicus tam leue malum, & facis malum: minatur Deus æternum malum, & non facis bonum? Ad malum faciendum, nec minæ te compellere deberent: à bono faciendo, nec minæ terrere deberent. Minis enim Dei, minis æterni ignis prohiberis à malo, inuitaris ad bonum.

De Ciuitate Dei libro vigesimo primo capite secundo: Quid igitur ostendam vnde conuincantur increduli, posse humana corpora animata atque viuentia, non solùm nunquam morte dissolui, sed in æternorum quoque ignium durare tormentis? Nolunt enim hoc ad Omnipotentis nos referre potentiam, sed aliquo exemplo persuaderi sibi flagitant. Quibus si respondebimus, esse animalia profectò corruptibilia, quia mortalia, quæ tamen in medijs ignibus viuant, nonnullum etiam genus vermium in aquarum calidarum scaturigine reperiri, quarum feruorem nemo impunè contrectat: illos autem non solùm sine vlla sui læsione ibi esse, sed extra esse non posse: aut nolunt credere, si ostendere non valemus: aut si valuerimus siue oculis demonstrare res ipsas, siue per testes idoneos edocere, non satis hoc esse ad exemplum rei, de qua quæstio est, eadem infidelitate contendunt: quia hæc animalia nec semper viuunt, & in illis feruoribus sine doloribus viuunt, suæ quippe naturæ conuenientibus vegetantur illis, non cruciantur elementis: quasi non incredibilius sit vegetari, quàm cruciari talibus rebus. Mirabile est enim, dolere in ignibus, & tamen viuere: sed mirabilius, viuere in ignibus, nec dolere. Si autem hoc creditur, cur non & illud?

Cap. 7. Cur itaque facere non possit Deus, vt & resurgant corpora mortuorum, & igne æterno crucientur corpora damnatorum, qui fecit mundum in cælo, in terra, in aëre, in aquis, innumerabilibus miraculis plenum: cùm sit omnibus, quibus plenus est, proculdubio maius, & excellentius etiam ipse mundus miraculum? Sed isti, cum quibus, vel contra quos agimus, qui & Deum esse credunt, à quo factus est mundus, & deos ab illo factos, per quos ab illo administratur mundus, & miraculorum effectrices, siue spontaneorum, siue cultu & ritu quolibet impetratorum, siue etiam magicorum mundanas vel non negant, vel insuper & prædicant potestates, quando eis rerum vim mirabilem proponimus aliarum, quæ nec animalia sunt rationalia, nec vlla ratione præditi spiritus, sicut ea, quorum pauca commemorauimus, respondere assolent: Vis est ista naturæ, natura eorum sic se habet, propriarum istæ sunt efficaciæ naturarum. Tota itaque ratio est, cur Agrigentinum salem flamma fluere faciat, aqua crepitare: quia hæc est natura eius. At hoc esse potius contra naturam videtur, quæ non igni, sed aquæ dedit salem soluere: torrere autem igni, non aquæ. Sed ista, inquiunt, salis huius naturalis est vis, vt his contraria patiatur. Hæc igitur ratio redditur, & de illo fonte Garamantico, vbi vna vena friget diebus, noctibus feruet, vi vtraque molesta tangentibus. Hæc & de illo alio, qui cùm sit contrectantibus frigidus, & facem sicut alij fontes extinguat accensam: dissimiliter tamen atque mirabiliter idem ipse accendit extinctam. Hæc & de lapide asbesto, qui cùm ignem nullum habeat proprium, accepto tamen sic ardet alieno, vt non posset extingui. Hæc de cæteris, quæ piget retexere, quibus licet vis insolita contra naturam inesse videatur, alia tamen de illis non redditur ratio, nisi

vt dicatur, hanc eorum esse naturam. Breuis sanè ista est ratio, fateor, sufficiensque responsio. Sed cùm Deus auctor sit naturarum omnium, cur volunt fortiorem nos reddere rationem, quando aliquid velut impossibile nolunt credere, eisque redditionem rationis poscentibus respondemus, hanc esse voluntatem omnipotentis Dei, qui certè non ob aliud vocatur omnipotens, nisi quoniam quicquid vult potest, qui potuit creare tam multa: quæ si non ostenderentur, aut à credendis hodieque testibus dicerentur, profectò impossibilia putarentur, non solùm quæ ignotissima apud nos, verùm etiam quæ notissima posui.

Cap. 9. Quod igitur de sempiterno supplicio damnatorum per suum Prophetam Deus dixit,
Esa.66. fiet, omnino fiet: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur,* &c. Vtrumque autem horum, ignem scilicet atque vermem, qui volunt ad animæ pœnas, non ad corporis pertinere, dicunt etiam vri dolore animæ serò atque infructuosè pœnitentis eos, qui fuerint à regno Dei separati: & ideo ignem pro isto dolore vrente non incongruè poni potuisse contendunt. Vnde illud
2.Cor.11 Apostoli est: *Quis scandalizatur, & ego non vror?*
Eundem etiam dolorem vermem putant intelli-
Prou 25 gendum esse. Nam scriptum est, inquiunt: *Sicut tinea vestimentum, & vermis lignum, sic mœror excruciat cor viri.* Qui verò pœnas & animæ & corporis in illo supplicio futuras esse non dubitant, igne vri corpus, animam autem rodi quòdammodo verme mœroris affirmant. Quod etsi credibilius dicitur, quia vtique absurdum est, ibi dolorem aut corporis, aut animæ defuturum: ego tamen facilius existimo, vt ad corpus dicam vtrumque pertinere, quàm neutrum, & ideo tacitum in illis diuinæ Scripturæ verbis animi dolorem, quoniam consequens esse intelligitur, etiamsi non dicatur, vt corpore sic dolente, animus quoque sterili pœnitentia crucietur. Legitur quippe & in
Eccl.7. veteribus Scripturis: *Vindicta carnis impij, ignis & vermis.* Potuit breuius dici, *Vindicta impij.* Cur ergo dictum est: *Carnis impij*, nisi quia vtrumque, id est, & ignis, & vermis, pœna erit carnis? Aut si vindictam carnis propterea dicere voluit, quia hoc in homine vindicabitur, quòd secundùm carnem vixerit) propter hoc enim veniet & in mortem secundam, quam significauit Apostolus, di-
Rom. 8. cens: *Si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini.*) eligat quisque quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem: hoc propriè, illud tropicè, aut vtrumque propriè corpori. Iam enim satis superius disputaui, posse animalia etiam in ignibus viuere, in vstione sine consumptione, in dolore sine morte, per miraculum omnipotentissimi Creatoris, cui hoc possibile esse qui negat, à quo sit quicquid in naturis omnibus miratur, ignorat.

Cap. 10. At verò gehenna illa, quod etiam stagnum ignis & sulphuris dictum est, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & hominum & dæmonum solida hominum, aërea dæmonum, aut tantùm hominum corpora cum spiritibus, dæmones autem spiritus sine corporibus hærentes sumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus. Vnus quippe vtrisque ignis erit, sicut Veritas dixit.

Epistola 111. *ad Iulianum*: Verè enim diabolo præparata est gehenna, & omnibus operibus hominum, si faciamus opera diaboli. Væ ijs, quibus præparatur dolor vermium, ardor flammæ, sitis sine extinctu, fletus ac stridor dentium, oculorum lachrymæ, tenebræ exteriores sine luce, pœna inexterminabilis: vbi non est vllus honor, siue agnitio proximi, sed continuus dolor ac gemitus, vbi mors optatur, sed non dabitur.

Lib. 4. *contra Donatistas cap.* 19. Dubitandum non est ipsas pœnas, quibus cruciabuntur, qui regnum Dei non possidebunt, pro diuersitate criminum esse diuersas, & alias alijs acriores, vt in ipso regno æterno pro disparibus ponderibus peccatorum sint disparia tormenta pœnarum. Neque enim frustra ipse Dominus dicit: *Tolerabilius erit Sodomis, quàm vobis in die iudicij.*

Sixtus Tertius. 433.

De malis Doctoribus, & operibus fidei: De peccatoribus similiter sentiendum est, quòd quisque secundùm peccati sui meritum patiatur & pœnam, in eadem tamen gehenna, & suppliciorum magis inter eos, quàm locorum sit habenda discretio.

Prosper. 450.

Libro tertio de Vita contemplatiua cap. duodecimo: Et quid est, obmutescentes manibus & pedibus ligari, nisi in inferno, vbi Deo nemo confitetur, actione priuari: sicut in exteriores tenebras mitti, nihil aliud erit, nisi à Domino, qui est mentium lumen, expelli? Fletus autem & stridor dentium acerrimos eorum dolores ostendunt, qui supplicio æternæ mortis addicti, non videndi sensum habituri sunt, sed dolendi. Quorum continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor summus, pœnalis sensus, torquent animas, nec extorquent: puniunt corpora damnata, nec finiunt. Quos ideo sibi deputatos ignis inextinguibilis non extinguit, vt permanente sentiendi vita, pœna permaneat, & ad dolendum magis, quàm ad viuendum æternis corporibus compeditos habeat, quos in flammis viuacibus immortalitas secundæ mortis occidat. Iam verò quod dicit: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, ad totam refertur damnati hominis pœnam, quem inefficacis pœnitentiæ ignis exurit, & consumentis conscientiæ vermis immortaliter rodit. Proinde omnes, qui in gehenna dicuntur occidi, non id cum illis agitur, vt maximis consumpti doloribus, aliquando deficiant: sed vt in illis pœnaliter viuant. Hæc & similia libenter audire vel legere, iugiter ante oculos mentis adducere, futura credere, sine vlla perturbatione metuere, cogitare quale malum sit ab illo gaudio diuinæ contemplationis excludi, beatissima Sanctorum omnium societate priuari, fieri patriæ cælestis extorrem, mori vitæ beatæ, morti viuere sempiternæ, in æternum ignem cum diabolo & angelis eius expelli, vbi sit mors secunda damnatis exilium, vita supplicium, non sentire in illo igne quod illuminat, sentire quod cruciat, exundantis incendij terribiles crepitus pati, Barathri fumantis amara caligine oculos obcæcari, profundo gehennæ fluctuantis immergi, edacissimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri: Hæc & multa similia cogitare, nihil est aliud quàm vitijs omnibus repudium dare, & omnia blandimenta carnalia refrænare. Sed nos iam, si videtur, ab his terribilibus malis, quæ fidelium mentes salubri terrore concutiunt, atque ab omnibus vitiosis delectationibus abducunt, & quæ amatores voluptatum suarum tunc suæ damnationis experimento probabunt, quando iam, quod est omni infelicitate miserius, se emendare non poterunt: ab his inquam terrificis, ac tristibus malis ascendamus ad illa sublimia, quibus proficientium mentes in spem promerendæ beatitudinis assurgunt, abiuratisque terrenis, cælestia concupiscunt: & quoniam proficere cupiens à salubri timore incipiunt, & ad charitatem proficien

do perueniunt, nos quoque sufficere iudicantes, quod de incipientium timore tractauimus, etiam de charitate, quod ipse, cuius munus est, donauerit, disputemus.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 38. Peccatores cum carne descendent in infernum, iusti cum carne percipient regnum. Quia iustum iudicium Dei erit, vt illa caro, quæ hic peccauit, & pœnitentiam non egit, ipsa cum anima in igne crucietur. Similiter & illa caro, quæ hic propter Christum cruciatur, ipsa caro & anima cum Christo, & cum omnibus Sanctis in paradiso lætabitur. Et segregabit Dominus ad iudicium iustos ad dexteram, peccatores ad sinistram, & dicturus est peccatoribus: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis eius.* O quàm terribilem & metuendam vocem! Postquam audita ista vox fuerit, nullum remedium pœnitentiæ currit. Peccatores homines erunt ligna inferni. Alligate fasciculos ad comburendum, hoc est, homicidam cum homicidis, adulterum cum adulteris, rapaces cum rapacibus, & qui hic similes fuerunt in culpa, ibi similiter alligati erunt in tormentis: & quantò maiora commiserunt peccata, tantò feruentius sæuit in illos ignis æternus. Nemo se circumueniat fratres, omnis homo, qui post Baptismum mortalia commiserit, hoc est, homicidium, adulterium, furtum, falsum testimonium, &c. si pœnitentiam non egerit, eleemosynam iustam non fecerit, nunquam habebit vitam æternam: sed cum diabolo descendet in tormenta.

Antonius Constantiniensis. 480.

Epistola ad Arcadium: Roga, plora, posce auxilium, & mox accipies in mente solatium: time pœnas æternas, vbi semper ardetur, vbi semper in tenebris corpus & anima cruciatur, vbi cum diabolo anima & corpus exuritur: gehennas expauesce, & Christum modò tene: modò est vt aut viuas, aut pereas, nemo te recuperabit, si in ista pugna defeceris.

Faustus Rhegiensis. 480.

Epistola 1. *ad Paulinum*: Habent sub perennibus malis & supplicia gradus suos, & grauibus obnoxius peccatis, infinitis (licet tamen vtcunque tolerandis): impius verò inauditis cruciatibus torquetur, &c. Legimus inextinguibiles flammas factis capitalibus præparatas, hominem verò in malis suis viuentem, solo baptismate saluatum esse non legimus, &c. Sicut illud, quod promisit Dominus diligentibus se, etiam testimonio Apostoli pro rei magnitudine in cor hominis non ascendit: ita futurorum immensitas cruciatuum angustias humanæ mentis excedet, quæ mala momentanea pœnitentiæ vmbra non remouet, quæ fidem sine operibus non repellet, quibus terminum seculorum labentium cursus in flammis inextinguibilibus statuere non valebit, inter quos inexhaustos vapores tardè se anima corporea & sentiet & videbit.

Fulgentius. 500.

De fide ad Petrum Diaconum capite tertio: Qualitas malæ vitæ ab infidelitate incipit, quæ ab originalis peccati reatu initium sumit. In quo quisquis viuere ita incipit, vt ante finiat vitam, quàm ab eius oblatione soluatur, si vnius diei vel vnius horæ spatio anima illa vixit in corpore, necesse est eam cum eodem corpore interminabilia gehennæ sustinere supplicia: vbi diabolus cum angelis suis in æternum arsurus est, qui & primus peccauit, & peccatum primis hominibus persuasit. Vbi cum eo etiam fornicarij, idolis seruientes, adulteri, molles, masculorum concubitores, fures, auari, ebriosi, maledici, rapaces, &c. si ante huius vitæ terminum à vijs suis malis conuersi non fuerint, æternis ignibus exurentur.

Libro 1. *ad Monimum cap.* 6. Huic vni morti, quam peccator sibi per contemptum diuinæ iussionis, iniustè concupiscendo arcessiuit, duplam Deus mortem iustè iudicando retribuit. Hoc est, Primam, in separatione animæ & corporis: Secundam, in æterna cruciatione animæ & corporis. Ac per hoc primam, qua discedente anima, caro sola moritur: Secundam verò, quando rediens in carnem anima, in eadem & cum eadem, in qua peccauit, carne torquetur. Vt cum qua communicauit mortem peccati, quod Dei bonitas interdixit homini: cum ipsa communicet mortem supplicij, quod parauit diuina iustitia peccatori. De hac morte Saluator noster dicit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Magis autem eum timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.*

Cassiodorus. 540.

In Psalm. 20. Illos peccatores, qui se prò actuum suorum malignitate discrutiant, ira Domini dicit esse turbandos, quando audient: *Ite in ignem æternum.* Et istam sententiam consequentur, vt perpetua flamma deuorentur. Nam iussionem Domini nulla mora subsequitur: sed mox vt discernit, impletum est. Iste tamen ignis sic absumit, vt seruet: sic seruat, vt cruciet, dabiturque miseris vita mortalis, vt pœna seruatrix. Matt.

In caput 8. *Canticorum*: Infernus eos, quos semel recipit, nunquam restituit, sed semper retinet.

Libro de Anima cap. 19. Dum corpora sensus suos die resurrectionis in illa celeritate, qua sunt omnia creata, receperint, quæ erit calamitas miseris in æternum cruciari, nunquam deficere? Ita enim perpetuæ pœnæ tradentur, vt infaustè semper existere comprobentur. Dolor sine fine, pœna sine requie, affectio sine spe, malum incommutabile. Sic enim varietas vitiosa punitur, vt eius damnatio nullatenus immutetur. Miserrimi omnium, & perdendo quod diligunt, & iugiter patiendo quod nolunt. Æstuum sine dulci vita, mors sine remediabili fine, ciuitas sine lætitia, patria exosa, amara domicilia, cœtus tristium, turba lugentium, &c. quod supra omnes confusiones deterius est, illos ibi torqueri secum posse cognoscunt, quos decepti, numina crediderunt.

Gregorius Magnus. 590.

Lib. 9. *Moralium cap.* 46. *aliàs* 38. Quæ adhuc subtilius loca describuntur, cùm dicitur: (*Terram miseriæ & tenebrarum.*) Miseria ad dolorem pertinet, tenebræ ad cæcitatem. Ea ergo, quæ à conspectu districti iudicis expulsos tenet, miseriæ & tenebrarum terra perhibetur: quia foris dolor cruciat, quos diuinos à vero lumine, intus cæcitas obscurat, &c. Natura verò ignis est, vt ex seipso & lucem exhibeat, & concremationem. Sed transactorum vltrix illa flamma vitiorum concremationem habet, & lumen non habet. Hinc est enim, quod reprobis Veritas dicit: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* Quorum rursus omnium corpus in vnius persona significans, dicit: *Ligate ei manus & pedes, & mittite eum in tenebras exteriores.* Si itaque ignis, qui reprobos cruciat, lumen habere potuisset, is, qui repellitur, nequaquam mitti in tenebras diceretur. Matt.25 Matt.22.

Cap. 47. *aliàs* 39: Quo modo in supplicijs ordo non erit, dum damnatum quemque iuxta modum criminis retributio sequitur vltionis? Hinc quippe scriptum est: *Potentes potenter tormen-* Sap.6.

ta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatio. Hinc Apoc.: in Babylonis damnatione dicitur: *Quantum exaltauit se, & in delitijs fuit, tantùm date illi tormentum & luctum.* Si igitur iuxta modum culpæ pœna distinguitur, constat nimirum, quòd in supplicijs ordo seruatur. Et nisi tormentorum summam, meritorum acta dirimerent, nequaquam iudex veniens dicturum se messoribus esse perhiberet: Matt. 13. *Colligite primùm zizania, & ligate ea in fasciculos ad comburendum.* Si enim nullus in supplicijs ordo seruabitur, cur comburenda zizania in fasciculos ligantur? Sed nimirum fasciculos ad comburendum ligare, est hos, qui æterno igni tradendi sunt, pares paribus sociare: vt quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat: & qui nequaquam dispari iniquitate polluti sunt, nequaquam dispari tormento crucientur: quatenus simul damnatio conterat, quos simul elatio subleuat: quosque non dissimiliter dilatauit ambitio, non dissimilis angustet afflictio: & par cruciet flamma supplicij, quos in igne luxuriæ par succendit flamma peccati. Sicut enim Ioan. 14. *in domo Patris mei mansiones multæ sunt*, pro diuersitate virtutis: sic damnatos diuerso supplicio gehennæ ignibus subijcit disparilitas criminis. Quæ videlicet gehenna, quamuis cunctis vna sit, non tamen cunctos vna eademque qualitate succendit. Nam sicut vno sole omnes tangimur, nec tamen sub eo vno ordine omnes æstuamus: quia iuxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris. sic damnatis & vna est gehenna, quæ afficit, & tamen non vna omnes qualitate comburit: quia quod hîc agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum. Quo modo ergo nullus inesse ordo supplicijs dicitur, in quibus profectò quisque iuxta modum culpæ cruciatur?

Cap. 48. aliâs 39. Sed sanctus vir postquam vmbram mortis intulit, quanta sit confusio in damnatorum mente subiungit: quia ipsa quoque supplicia, quæ ordinata per iustitiam veniunt, ordinata procul dubio in corde morientium non sunt, &c. Infernum verò & vmbra mortis obscurat, & *sempiternus horror inhabitat*: quia eius ignibus traditi, & in supplicijs dolorem sentiunt, & in doloris angustia pulsante se semper pauore feriuntur: vt & quod timent tolerent, & rursum quod tolerant, sine cessatione pertimescant. De Esa. 66. his etenim scriptum est: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Hîc flamma, quæ succendit, illuminat: illic, &c. ignis, qui cruciat, obscurat. Hîc metus amittitur, cùm tolerari iam cœperit quod timebatur: illic & dolor dilaniat, & pauor angustat. Horrendo igitur modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate. Sic sic videlicet à damnatis sentiri pondus summæ æquitatis debet: vt qui à voluntate Conditoris nequaquam sunt veriti discrepare dum viuerent, in eorum quandoque interitu ipsa à suis qualitatibus etiam tormenta discordent: quatenus quo se impugnant, cruciatus augeant, & cùm variè prodeunt, multipliciter seuiantur. Quæ tamen supplicia in se demersos & vltra vires cruciant, & in eis vitæ subsidium extinguendo seruant: vt sic vitam terminus puniat, quatenus semper sine termino cruciatus viuat, qui & ad finem per tormenta properat, & sine fine deficiens durat. Fit ergo miseris mors sine morte: finis sine fine: defectus sine defectu: quia & mors viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit. Quia igitur & mors perimit, & non extinguit: dolor cruciat, sed nullatenus pauorem fugat: flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit: quantum per notitiam præsentis vitæ colligitur, supplicia ordinem non habent, quæ non suam per omnia qualitatem tenent, quamuis illic ignis & ad consolationem non lucet, & tamen, vt magis torqueat, ad aliquid lucet.

Cap. 50. aliâs 39. & 40. Et quamuis Angelorum, atque hominum longè sit natura dissimilis, vna tamen pœna implicat, quos vnus in crimine reatus ligat, &c. Sed quid prodest ista præuosse, si non contingat euadere? Tota ergo intentione curandum est, vt cùm vacationis tempus accipimus, bene viuendi studio, malorum vltricia tormenta fugiamus.

Libro 4. Dialogorum cap. 44. *Petrus*: Scire velim quomodo iustum sit, vt culpa, quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur. *Gregorius*: Hoc rectè diceretur, si districtus iudex non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt: quia cum fine vixerunt. Nam voluissent vtique, si potuissent, sine fine viuere, vt potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim, quia in peccato semper viuere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare dum viuunt. Ad magnam ergo iustitiam iudicantis pertinet, vt nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato, &c. Omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur: quia verò iustus est, ab iniquorum vltione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio deputati, sua quidem iniquitate puniuntur, & tamen ad aliquid ardebunt, scilicet vt iusti omnes & in Deo videant gaudia, quæ percipiunt, & in illis respiciant supplicia, quæ euaserunt: quatenus tanto magis in æternum gratiæ diuinæ debitores se esse cognoscant, quanto in æternum mala puniri conspiciunt, quæ eius adiutorio vicerunt.

Isidorus Hispalensis. 620.

Libro 1. de Summo bono cap. 3. Duplex damnatorum pœna est in gehenna: quorum & mentem vrit tristitia, & corpus flamma, iuxta vicissitudinem: vt qui mente tractauerunt, quod perficerent corpore, simul & animo puniantur, & corpore. Ignem gehennæ ad aliquid lumen habere, & ad aliquid non habere, hoc est, habere lumen ad damnationem, vt videant impij vnde doleant: & non habere ad consolationem, ne videant vnde gaudeant, apta sit comparatio de camino trium puerorum ad exemplum ignis gehennæ. Dan. 3. Nam sicut ille ignis non arsit ad trium puerorum supplicium, sed arsit ad comburenda colligamina vinculorum: ita ignis gehennæ & lucebit miseris ad augmentum pœnarum, vt videant vnde doleant: & non lucebit ad consolationem, ne videant vnde gaudeant. Inter huius vitæ & futuræ infelicitatis miseriam multa discretio est. Illic enim & miseria est propter cruciationem dolorum, & tenebræ propter lucis auersionem: quorum vnum in hac vita miseria est, aliud non est: in inferno autem vtrumque est.

Cap. 32. Sicut fasciculi lignorum ad combustionem de similibus colligantur, ita in iudicij die similis culpæ rei suis similibus iungentur, vt ex æquo pœna constringat, quasi in fasciculum, quos actio similes fecit in malum. Sicut vnusquisque Sanctus in futuro iudicio pro quantitate virtutum glorificabitur: ita vnusquisque impius pro quantitate facinorum condemnabitur, nec deerit in supplicio futuro damnationis ordo, sed iuxta qualitatē criminum, Propheta affirmante, discretio erit pœnarū. Apoc. 18. De charorū quoq; suorum supplicijs additur etiam pœna defunctis, sicut apud inferos diuitis sermo prædicat Euangelicus: Luc. 16. sicut pro augendo Iudæ supplicio dicit etiā Psalmista: Psal. 108. *Commotione commoueantur filij eius, & mendicent.* Impij durius ex hoc in iudicio puniendi sunt mentis dolore, ex quo visuri sunt iustos gloriæ beatitudinem meruisse.

Audoenus. 660.

Vitæ S. Eligij lib. 2. cap. 16. Quis tunc (*tempore postremi iudicij*) putamus, charissimi, mœror erit, quis luctus, quæ tristitia, quæ angustia, cùm hæc fuerit prolata aduersus impios sententia? O quàm acerbum tunc erit malis, separari à suauissimo Sanctorum consortio! Traditi enim dæmonum potestati, ibunt cum corporibus suis in supplicium æternum. Procul relegati à beata cælestis paradisi patria, cruciabuntur sine fine in gehenna, nunquam lucem visuri, nullum vnquam refrigerium habituri, sed per infinitas annorum myriades semper apud inferos pœnas horrendas daturi. Nec fatigabuntur vnquam, qui eos torquebunt: nec ipsi qui torquebuntur, vnquam mori poterunt. Sicut enim ibi ignis depascit, vt tamen semper conseruet: sic tormenta sæuiunt, vt semper renouentur. Pro qualitate autem culparum, pœnas illic singuli sustinebunt. Auditur illic perpetuus planctus & stridor dentium: nulla miseris erit consolatio, præter flammas & terrores pœnarum: ardebuntque sine fine cum dæmonibus in igne æterno, in omnia secula seculorum.

Beda. 700.

Ad caput 3. Lucæ: Ignem gehennæ bifaria ratione inextinguibilem vocat, quia neque ille perpetuò possit extingui, neque eos, quos cruciat, vnquam extincturus: sed immortali (vt ita dixerim) sit morte plexurus.

Ad caput 11. Ioannis: Animæ, dum deserunt corpora, diuersas receptiones habent, gaudium bonæ, malæ tormenta: sed cùm facta fuerit resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta grauiora, quando cum corpore torquebuntur.

Ad 2. Pet. cap. 2. Iniquos dicit in diem iudicij cruciandos reseruari: non quia etiam ante diem iudicij soluti corpore pœnas non luant, sed quia grauiora eos in iudicio tormenta expectent corpore recepto, qui nunc in sola anima cruciantur.

Alcuinus. 750.

Lib. 3. de Trinitate cap. 21. Quando extremi iudicij ventilabrum discernet frumentum à paleis, vnusquisque secundùm modum meritorum aut damnabitur, aut coronabitur. Quidam videlicet iuxta peccatorum qualitatem mitius torquentur, qui minorum scelerum pondere grauantur.

Ambrosius Ansbertus. 770.

In Apocalypsin lib. 6. cap. 14. *Et fumus tormentorum.*) Fumus quippe indicium dat futurarum flammarum, & quia, quamuis sine nutrimento lignorum, corporeus tamen manet ignis reproborum: ideo fumum eis sempiternum dicit esse: quia, inquam, sine fine reprobos ardere conspicit, idcirco fumum tormentorum in secula seculorum ascendere dicit, quæ magis timore indigent, quàm expositione. Apertè namque tormenta impiorum sine fine futura denuntiat, &c. Reprobus quilibet in alta currendo vt nubes deficit: quia superbiendo ad interitum tendit. Quem si semel pœna in tartarum pertrahit, misericordia vlterius ad veniam non reducit.

Lib. 7. cap. 16. Erunt siquidem tenebræ exteriores, fletus, & stridor dentium, Domino in Euangelio de seruo nequam dicente: *Mittite eum in te-*
Matt. 25 *nebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Erit sitis, sicut diues ad Abraham dicit: *Mitte*
Luc. 16. *Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flam-*
Iob. 10. *ma.* Erit pauor, & horror, vt Iob deprecans Domino dicit: *Dimitte me, vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, & non reuertar, ad terram tenebrosam, opertam mortis caligine, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Erunt & alia innumera: quia profectò quæcunque mala possunt esse, nil de his damnatis deerit: de quibus melius lugendo interius, quàm loquendo exterius aliquid proferimus.

Idiota. 800.

Cap. 2. de conflictu carnis: Anima cum carne in gehenna crucianda est.

Cap. 6. de innocentia perdita: In extremo iudicio omnia facta, vsque ad minimam cogitationem discutientur, & damnatis nulla erit amplius via misericordiæ, sed in igne æterno ardebunt.

Haymo. 820.

Dominica 2. post Pentecosten: Iustum est, vt qui anima simul & corpore peccaut, ante iudicium in anima, post iudicium verò in anima & corpore crucientur.

Ad cap. 24. Esaiæ: *Et post multos dies visitabuntur:*) Origenes dicit: quia postquam acceperint à Domino illam sententiam terribilem: *Ite maledicti in ignem æternum:* post multos dies, id est, post mille annos, finito iudicio, à Domino visitandi sunt. Quam sententiam nemo sanctorum Patrum corroborat, sed omnes denegant, habentes illam sententiam Domini ante oculos: *Ibunt impij in æternum supplicium, iusti autem in vitam æternam.* Quicquid æternum est, sine termino est. Sicut ergo Dominus iustis posuit gaudium æternum, ita impijs supplicium æternum.

Libro 4. in Apocalypsin: Cùm sint in inferno tanta, tamen innumerabilia tormenta, quanta nec dici, nec æstimari possint: breuiter iam in his duobus omnia comprehenduntur tormenta. Erit enim ignis, non ad lucendum, sed ad miserorum corpora concremanda. Erit quoque ibi sulphur, quod & fomentum præstabit igni, & fœtorem gignet intolerabilem, ac per hoc ex igne fœtor, & ex fœtore ignis procreabitur.

Rabanus Maurus. 850.

Libro 1. in Ecclesiasten. cap. 7. Vindicta carnis impij ignis & vermis: quia caro peccatorum, quæ luxuria affluebat in mundo, simul cum anima pœnis arctabitur in futuro, & igne cruciabitur gehennæ. Vermem autem & ignem esse in gehenna ipse Dominus in Euangelio commemorat, dicens: *Et si scandalizauerit te manus tua, abscinde illam, &c.* In verme putredinem gehennæ, sicut in igne ardorem significat: siue vermem dicit seram scelerum pœnitentiam, quæ nunquam in tormentis conscientiam afflictorum mordere cessabit: vt ignis sit pœna extrinsecus sæuiens, vermis dolor intrinsecus accusans.

Libro 3. cap. 2. Homo, qui peccatis viuebat, si se ab ijs non correxerit, atque à delictis non cohibuerit, morte mulctabitur æterna, vbi serpentem antiquum, & bestias diabolicas atrocissimas sentiet se punire tortores, nec iam spem habet euasionis, nulla requies illi datur, &c.

Libro 5. cap. 1. Ignis gehennæ tam corpus, quàm etiam animam post diem iudicij excruciaturus est: cuius plagæ non est sanitas. Quia postquam homo sine pœnitentiæ remedio exierit, & illic iusto Dei iudicio condemnatus fuerit, sine fine ardebit.

Libro 9. cap. 1. Verè ibi timor est mortis, vbi continuum incendium est gehennæ ignis: iracundia perseuerat, & contentio: quoniam nulla pax ibi est, nullaque doloris mitigatio. Esaias Propheta de reprobis, & supplicio mancipatis longè ante prædixit: *Vermes eorum non morientur, & ignes non extinguentur.* Quid enim horribilius dici, quid Esa. 66.

excogitari potest, quàm damnationis vulnera suscipere, & dolores vulnerum nunquam finire? In huius vitæ tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet, quia nequaquam mentem metus cruciat, cùm pati iam cœperit, quod metuebat. Inferni ignibus reprobi traditi, & in supplicijs dolorem sentiunt, & in doloribus semper angustia pulsante, semper pauore feriuntur, vt quod timent tolerent, & rursum quod tolerant sine cessatione pertimescant. Hic flamma, quæ succendit, illuminat: illic ignis, qui excruciat, obscurat. Hic metus amittitur, cùm tolerari iam cœperit quod timebatur: illic & dolor dilaniat, & pauor angustat, &c. Horrendo modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, flamma cum obscuritate. Sic videlicet à damnatis sentiri pondus summæ æquitatis debet, vt quia à voluntate Conditoris nequaquam sunt veriti discrepare dum viuerent, in eorum quandoque interitu ipsi à suis qualitatibus etiam discordent, quatenus pro se impugnent, cruciatus augeant, & cum variè prodeant, multipliciter sentiantur: quia inferni supplicia in se demersos & vltra vires cruciat, & in eis vitæ subsidium extinguentes seruant, vt sic vitam terminus puniat, quatenus semper sine termino cruciatus viuat, quia ad finem per tormenta properat, & sine fine deficiens durat, inferni supplicijs peccatoribus deditis, fit miseris mors sine morte, finis sine fine, defunctus sine defuncto: quia & mors viuit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit, & mors perimit, & non extinguit, &c.

Radulphus Flauiacensis. 950.

In Leuitic. lib. 12. cap. 1. Pœnæ duplicitas ad tempus, & ad qualitatem illius referri potest. Ad tempus, quia cùm reprobi præsentes pœnas iustis intulerint, ipsi post huius temporis dolores æterna incendia sustinebunt. Ad qualitatem verò, quia qui corporis cruciatibus bonos affligunt, ipsi & corporis & animæ dolores æternaliter non euadent.

Smaragdus. 970.

In Prologum Regulæ Benedictinæ: Gehenna est locus ignis & sulphuris. Futuri ergo supplicij locus, vbi peccatores cruciandi sunt, huius loci vocabulo designatur. Nam duplex in gehenna est damnatorum pœna: illorum enim & mentem vrit tristitia, & corpus flamma. Nam sicut ignis ille camini non arsit ad trium puerorum supplicium, & tamen arsit ad comburenda ligamina vinculorum: ita ignis gehennæ & lucebit miseris ad augmenta pœnarum, & non lucebit ad consolationem gaudiorum.

Ad cap. 4. Regulæ: Futuri supplicij locus, vbi peccatores cruciandi sunt, gehennæ vocabulo designatur. Duplex enim damnatorum est pœna in gehenna, quorum & mentes vrit tristitia, & corpus flamma. Hunc enim tam terribilem locum non solùm Monachus, sed & omnis debet expauescere Christianus. Illuc enim omnes cruciandi proijciuntur damnati. De quibus Dominus ait: *Ligatis*
Matt. 22 *manibus & pedibus, proijcite illos in tenebras exteriores: vbi erit fletus & stridor dentium: vbi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Expauescendus est valde terribilis locus iste, vbi est grandis multorum fletus, continuus gemitus, æternus cruciatus, dolor acerrimus, pœnalis sensus. Ibi animæ impiorum torquentur, nec deficiunt: corpora puniuntur, nec consumuntur: ignis inextinguibilis durat, vt semper animas reproborum exurat, & ad dolendum magis, quàm ad iuuandum contineat, & viuentes semper in suis flammis minacibus occidat. Omnes enim, qui in gehenna dicuntur occidi, non hoc cum illis agitur, vt consumpti doloribus aliquando deficiant: sed vt in illis pœnaliter viuant. Hæc & his similia iugiter ante oculos mentis nostræ debemus adducere, & gehennam ignis æterni terribiliter expauescere, & gehennam ignis æterni terribiliter expauescere, & insuper diligentissimè, & apertis oculis mentis intentissimè cogitare debemus, quale malum sit, ab illo gaudio diuinæ contemplationis excludi, & in inferni tartarum & gehennæ locum demergi: beatissimâ omnium societate priuari Sanctorum, & dæmonibus sociari: fieri cælestis patriæ exortes, & esse inferni habitatores; mori vitæ beatæ, & morti viuere sempiternæ. Ibi enim non sentitur quod illuminat, sentitur tamen quod cruciat: & omnia, quæ ibi sunt sita, non luce, vel gaudio referta: sed doloribus & cruciatibus sunt plena.

Petrus Damianus. 1050.

Epist. 1. Perpende sæpè, quale sit insanabilibus subiacere inimicis, draconibus infœderabilibus interesse, in morte viuere, in ignibus habitare illud etiam, quando ad cruciandos impios hoc præ cæteris elementum electum sit, vt, cum fauilla desiliens in quolibet membro vel ad momentum tolerari non possit, vltrices flammæ miseros homines hinc egredientes absorbeant, & infinitè patens vorax gehenna concludat.

Algerus. 1060.

De Eucharistia lib. 2. cap. 5. Mali etiam in corpore vitam æternam habebunt, quam tamen magis mortem dixerim: quia Deo, qui verè vita est, non placebunt. Et ideo sine diuina gratia misera erit æternitas, quia æterna miseria.

Anselmus. 1080.

Libro 20. de Similitudinibus cap. 45. Sicut bonitas hominis boni hominibus est ad lætitiæ incrementum: sic dæmonibus & hominibus damnatis erit ad detrimentum. Dæmonibus namque & hominibus damnatis Sanctorum consummatio erit interminabilis luctus, & æterna damnatio. Nam cùm iusti obtinebunt corporis & animæ gaudium sempiternum, tunc similiter & illi ibunt in supplicium æternum.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Ad cap. 20. Apocal. Impiorum duplex est damnatio. Nam antequam resurgant cum corporibus suis in resurrectione, iudicatæ apud inferos cruciantur animæ impiorum: & postquam resurrexerint, tunc iudicatæ pariter animæ cum corporibus suis cruciabuntur in secula seculorum. Tunc infernus & mors, id est, homines impij, qui à sinistris erunt, cum diabolo & angelis eius mittentur in stagnum ignis.

Hugo Victorinus. 1130.

Libro 4. de anima cap. 13. Infernus latus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore innumerabili. Ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali. Omnis, qui est in eo, odit se, & omnes alios. Ibi vidi omnia genera tormentorum, quorum minimum est maius omnibus his tormentis, quæcunque in hoc seculo fieri possunt. Ibi est fletus & stridor dentium: ibi transitur à frigore niuium ad calorem igneum, & vtrumque intolerabile. Ibi omnes comburuntur, & vermibus corroduntur, nec consumuntur. Vermis quorum non moritur, & ignis non extinguitur. Nulla ibi vox, nisi væ, væ: væ habent, væ sonant; tortores illic diabolici torquent pariter & torquentur, & eorum nunquam finis erit, aut remedium. Talis est infernus, & millies peior.

Bernardus. 1130.

Libro Meditationum c. 3. siue lib. 1. de Anima ad Hu-

gonem: Procul à beata paradisi patria exulati, cruciabuntur in gehenna perpetua, nunquam lucem visuri, nunquam refrigerium adepturi; sed per millia millium annorum in inferno cruciandi, nec inde vnquam liberandi. Vbi nec qui torquet, aliquando fatigatur: nec qui torquetur, aliquando moritur. Sic enim ignis ibi consumit, vt semper reseruet: sic tormenta aguntur, vt semper renouentur. Iuxta verò qualitatem culpæ pœnam sustinebit vnusquisque gehennæ: & similis culpæ rei sui similibus iungentur cruciandi. Nihil aliud ibi audietur nisi fletus & planctus, gemitus & vlulatus, mœrores atque stridores dentium: nihilque ibi videbitur nisi vermes, & laruales facies tortorum, atque teterrima monstra dæmonum.

Vermes crudeles mordebunt intima cordis.
Hinc dolor, inde pauor, gemitus, stupor, & timor horrens.

Ardebuntque miseri in igne æterno in æternum & vltra. In carne cruciabuntur per ignem, in spiritu per conscientiæ vermem. Ibi erit dolor intolerabilis, timor horribilis, fœtor incomparabilis, mors animæ & corporis, sine spe veniæ & misericordiæ. Sic tamen morientur, vt semper viuant. & sic viuent, vt semper moriantur. Ita anima peccatoris aut in inferno pro peccatis cruciatur, aut in paradiso pro bonis meritis collocatur. Nunc ergo alterum è duobus eligamus, aut semper cruciari cum impijs, aut perpetualiter lætari cum Sanctis. Bonum siquidem & malum, vita & mors, ante nos sunt posita, vt ad quod voluerimus, manum extendamus. Si tormenta non terrent nos, saltem inuitent præmia.

Sermone 8. in Psalm. Qui habitat in adiutorio Altissimi: Attamen sicut *videbit peccator & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet*, (prius enim benedicti vocabuntur in regnum, quàm maledicti in caminum deijciantur ignis æterni, quò videlicet acrius doleant, videntes quid amiserint) sic iusti quoque videbunt & lætabuntur, considerantes quid euaserint. In illa ergo tanta separatione quemadmodum hœdis agnorum diuisio grauissimi liuoris occasio fiet, sic electis è regione consideratio reproborum, immensa quædam materia gratiarum actionis & laudis. Vnde enim iusti tam magnificè gratias agerent, nisi cum illa inexcogitabili felicitate, qua perfruuntur, ipsam quoque retributionem cernerent iniustorum, à quibus equidem sola misericordia Redemptoris segregatos sese esse fidelissimè & deuotissimè recordantur? Vnde verò impij tanto animi furore tabescerent, nisi in regnum summæ beatitudinis coram sese vidissent alios introduci, & tunc demum in illos sese fœtores, in illos horrores, in illos æterni incendij cruciatus, in illas denique immortalis mortis miserias gemerent esse damnatos? *Ibi* enim, inquit, *erit fletus, & stridor dentium.* Fletus quidem ob ignem, qui non extinguitur: stridor verò ob vermem, qui non moritur. Planè fletus ex dolore, stridor dentium ex furore. Fletum nempe tormentorum immanitas, stridorem dentium vehementia ipsa tabescentis inuidiæ, & obstinata malignitas extorquebit. Ita ergo *retributionem peccatorum videbis*, ne videlicet ignarus tanti periculi, ingratus aliquando liberatori posse fieri videaris. Non solùm autem, sed & securitas perfecta iustorum, erit visa retributio peccatorum: quò videlicet nec humanam aliquando, nec diabolicam vltra vereri malitiam possint, &c. Non igitur tibi durum videatur fore quod dicitur: *Oculis tuis considerabis*: quando & ridebis in eorum interitu: non quòd velut quadam immanitate crudelitatis in ipsa tibi vltione complaceat, sed quòd modus ipse pulcherrimus diuinæ ordinationis, vltra quàm credi possit, iustitiæ zelatorem & amatorem æquitatis oblectet. Vbi

Matt. 13.

optimè omnia constituta, & suum cuique cessisse locum, imò in suum quemque cessisse, plenius & perfectius illustrante veritate cognosces: quomodo non omnia considerare, & in omnibus omnium moderatorem magnificare libebit? &c. Itaque, *Oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.* Primò quidem ob tuam euasionem, secundò ob omnimodam securitatem, tertiò quoque ob comparationem, quartò ob ipsius iustitiæ perfectam æmulationem. Erit enim iam tunc non misericordiæ, sed iudicij tempus: nec vlla omnino credenda est erga impios futura illic miseratio, vbi nec vlla speranda est correctio.

Sermone de conuersione ad Clericos cap. 5. Habet (*malus*) hoc ipsum, quod nunc ponit, quandoque recipere corpus, non tamen ad pœnitentiam, sed ad pœnam. Vbi nimirum peccati ipsius & carnis quodammodo similis videbitur esse conditio, vt quemadmodum culpa semper puniri poterit, nec vnquam poterit expiari: sic nec in corpore aliquando tormenta finiri, nec corpus ipsum exinaniri valeat in tormentis. Meritò quidem vltio sempiterna desæuiet, quòd nunquam possit culpa deleri: & nec substantia carnis deficiet, ne simul cogatur etiam afflictio carnis terminari. Hæc fratres mei qui pauet, cauet: nam qui negligit, incidit.

Epist. 253. ad Guarinum Abbatem Alpensem: Ob hoc procul dubio inflexibilis & obstinatæ mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratum, quia quod breue fuit tempore, vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate: ita vt si nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret: imò semper viuere vellet, vt semper peccare posset.

Petrus Lombardus. 1140.

Libro 4. distinct. 49. Sicut boni differenter glorificabuntur, alij magis, alij minus: ita & mali differenter in inferno punientur. Sicut enim *in domo Patris*, id est, in regno cælorum, *mansiones multæ sunt*, id est, præmiorum differentiæ: ita & in gehenna diuersæ sunt mansiones, id est, suppliciorum differentiæ: omnes tamen æternam pœnam patientur, sicut omnes electi eundem habent denarium.

Petrus Cantor. 1160.

Cap. 110. Paueo gehennam, paueo iudicis vultum, ipsis quoque tremendum Angelicis Potestatibus: contremisco ab ira potentis, à facie furoris eius, à frigore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à tempestate valida, à voce Archangeli, *à verbo aspero:* contremisco à dentibus bestiæ infernalis, à ventre inferni, à rugientibus præparatis ad escam: horreo vermem rodentem, ignem comburentem & torrentem, fumum & vaporem, sulphur & spiritum procellarum, tenebras exteriores. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum*, vt præueniam fletibus fletum, & stridorem dentium, manuum pedumque dura vincula, & pondus catenarum prementium, stringentium, vrentium, nec non consumentium?

Petrus Blesensis. 1160.

Epist. 61. Qualiter tibi erit, cùm ecclesia Sanctorum perpetua excommunicatione præfectus, videbis Filium Dei militibus suis de natura gloriæ largientem, tibi cedere ad miseriæ cumulum alienam plenitudinem voluptatum? O quàm lugubre erit videre, & perdere Deum! ante sui Saluatoris perire conspectum! Vbi tunc erunt animositates, de quibus sola remansit recordatio, in tui accusationem, & obligatio in tormentum? Tota hominis miseri substantia deuorabitur inextinguibilibus flammis, nec erit suppliciorum modus, vel intermissio, siue finis. Nam finis ibi semper in-

per incipiet, mors non morietur, nec defectus deficiet, vt damnati hominis conditio semper doloris materiam, & mortis æternæ pabulum recidiuet.

Hildegardis. 1170.

Libro 1. visione 2. Infernus latitudinem vitiorum, & profunditatem perditionum in se continet: os etiam velut os putei habet, ignem & fumum cum multo fœtore emittens: quia in voracitate sua submissionem animarum tenet, cùm eis suauitatem & dulcedinem ostendit, eis ad peruersionem tormentorum diuersa deceptione perducit: vbi ardet ignis cum suffusione teterrima fumi, & cum ebulliente mortifero fœtore emanat. Quoniam hæc dicta diabolo & subsequentibus alijs, qui se à summo bono euerterunt, nec illud scire aut intelligere curauerunt, præparata sunt, vnde & ab omni bono eiecti sunt. Non quòd illud nescierunt, sed quòd illud cum magna superbia contempserunt.

Abbas Ioachim. 1200.

Ad cap. 2. Hieremiæ: Libera Deus, ne olla infernalis nos absorbeat, in quam qui semel inciderit, non redibit. Ibi non diabolus amplius, quia ipse etiam cum alijs vrgetur ad pœnam. *Spiritus,* inquit, *Domini quasi torrens,* vbi valida sulphuris, vbi rediuiua, & vehemens est, & perpetua pœna ignis inferni.

Innocentius Tertius. 1200.

Lib. 3. de contemptu mundi, siue de miseria humanæ conditionis cap. 2. Vindicta carnis impij vermis & ignis. Vterque duplex, interior & exterior. Interior, qui rodit & vrit cor: exterior, qui rodit & vrit corpus. *Vermis,* inquit, *eorum non morietur, & ignis non extinguetur.* Dabit Dominus ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur & sentiant vsque in sempiternum. Vermis conscientiæ tripliciter lacerabit. Affliget memoria, sera turbabit pœnitentia, torquebit angustia. Venient enim in cogitationem peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates eorum, dicentes: *Quid profuit nobis superbia? & iactantia diuitiarum quid contulit nobis? Transierunt illa omnia tanquam vmbra, & sicut nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius, cùm præterierit, non est inuenire vestigium. Sic & nos nati, continuò desinimus esse.*

Eccli. 7. · Esa. 66. · Iud. 16. · Sap. 5.

Cap. 3. Dicent intra se pœnitentiam agentes: *Errauimus à via veritatis, & lumen iustitiæ non luxit nobis. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus, operite nos.* Pœnitebunt ad pœnam, sed non conuertentur ad veniam. Iustum est enim, vt qui noluerunt, cùm bene potuerunt, cùm velint, non possint.

Cap. 4. Pœnæ autem infernales secundùm diuersa peccata sunt diuersæ. Prima pœna est ignis. Secunda frigoris. De his dixit Dominus: *Ibi erit fletus & stridor dentium. Fletus,* propter fumum ignis. *Stridor dentium,* propter frigus. Tertia erit fœtor. De his tribus dicitur in Psalmo: *Ignis, sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Quarta, vermes indeficientes. Vnde Esaias: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Quinta, mallei percutientes. Vnde dicit Salomon: *Parata sunt damnationis iudicio blasphematoribus, & percutientes mallei stultorum corporibus.* Sexta, tenebræ palpabiles exteriores & interiores. Vnde Iob: *Terra miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, &c.* Et alibi: *Vadam ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine.* Et in Psalmo: *In æternum non videbunt lumen.* Et alibi: *Impij in tenebris conticescent.* Septima, confusio peccatorum. Tunc enim (vt legitur in Daniele) *Erunt libri aperti,* id est, conscientiæ hominum erunt omnibus manifestæ. Octaua, horribilis visio dæmonum, qui videbuntur in excussione scintillarum de igne ascendentium. Nona, igneæ catenæ, quibus impij singulis membris constringentur.

Matt. 13. · Psal. 10. · Isa. 66. · Prou. 19 · Iob 10. · Psal. 43. · 1. Reg. 2. · Dan. 7.

Cap. 6. Ignis gehennæ nec lignis nutritur, nec flatu succenditur, sed à Deo creatus est inextinguibilis ab origine mundi. Scriptum est enim: *Deuorabit eum ignis, qui non succenditur.* Creditur autem esse sub terris, secundùm illud Esaiæ: *Infernus subter conturbatus est in occursum aduentus tui.* Sed & omnis locus reprobis est pœnalis, qui semper secum defert cruciatum, & vbique contra se tormentum incurrit. *Producam,* inquit, *ignem de medio tui, qui comedet te.* Ignis autem gehennæ semper ardebit, & nunquam lucebit: semper vret, & nunquam consumet: semper affliget, & nunquam deficiet. Est enim apud inferos summa tenebrarum obscuritas, immensa pœnarum acerbitas, infinita miseriarum æternitas. *Ligatis,* inquit, *manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium.* Singula membra pro suis peccatis propria sustinebunt tormenta, vt in eo puniantur, in quo peccauerunt. Scriptum est enim: *Per quæ peccat homo, per hæc & torquebitur.* Vnde qui in lingua peccauerat, cruciabatur in lingua. Propter quod ipse clamabat: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Per digitos intelligitur operatio. Digitis enim operamur. Quasi dicat; Si minimum operum Lazari haberem, minorem pœnam sentirem.

Esa. 14. · Ezec. 28. · Luc. 16.

Cap. 7. Reprobi verò non solùm exterioribus, sed etiam interioribus tenebris inuoluentur: quia spirituali pariter & corporali luce carebunt. Scriptum est enim: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei,* qui solus tunc erit in lucem sempiternam. Tantam autem in pœnis reprobi tolerabunt angustiam, vt vix aliquid cogitare valebunt præter pœnas: sed illuc dirigent impetum cogitationis, vbi sentient vim doloris.

Cap. 8. *Dimitte me Domine,* (dicit Iob) *vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine: terram miseriæ, & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Ordo quidem erit in quantitate pœnarum, quoniam in *qua mensura mensi fueritis, remetietur eis,* vt qui grauius peccauerunt, grauius puniantur: *Potentes enim potenter tormenta patientur.* Sed ordo non est in qualitate rerum, quia *de aquis niuium transibunt ad calorem nimium,* vt subita contrariorum mutatio grauiorem inferat cruciatum. Experimento cognoui, quòd adustus, si frigidum statim adhibeat, ardentiorem sentiet cruciatum.

Iob 10. · Sap. 6.

Cap. 9. *Sicut oues in inferno positi sunt, & mors depascet eos.* Dictum est hoc à simili iumentorum, quæ non radicitus euellunt herbas, sed summitates solummodò carpunt, vt iterum herbæ renascantur ad pastum: sic & impij quasi morte pasti, reuiuiscent ad mortem, vt æternaliter moriantur.

Iob 24.

Ouidius:

Sic inconsumptum Tityi semperque renascens,
Sic perit, vt possit sæpe perire iecur.

Tunc erit mors immortalis, tunc viuent mortui, qui vitæ sunt mortui. Quærent mortem, & non inuenient, quia vitam habuerunt, & perdiderunt.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Primæ partis de Vniuerso parte secunda capite trigesimo: Habet igitur meritò quæstionem difficile perscrutabilem, cùm corpora illa damnandorum necesse sit immortalia esse, & passibilia, sicut paucis declarabo tibi, qualiter istæ duæ dispositiones, videlicet immortalitas, & passibilitas se compatiantur in eis. Dico igitur, quia iam alibi declarata est tibi per vias multas perpetuitas pœnarum, & quo-

quoniam aliter non esset satisfactum iustitiæ Creatoris, nisi mali, & incorrigibiles hîc, perpetuò torquerentur in vita futura. Perpetuitas autem pœnarum non potest esse in subiecto mortali, præsertim in ea magnitudine, & vehementia, qua futuræ sunt, in quibus eas sustinere non possent vllo modorum corpora, quæ non essent immortalitate firmata. Si verò passibilia non essent, nullæ essent pœnæ corporales, nulli dolores, vt videtur, &c. Iam autem multis experimentis didicisti ex narrationibus authenticis, de quarum veritate nefas est dubitare, multos in medio ignium homines per bonitatem Creatoris illæsos fuisse seruatos, & tam à læsione corporum suorum, quàm ab omni dolore tam corporali, quàm spirituali liberatos. Quia igitur non est maius Creatori ab altero duorum saluare, vel liberare, quàm ab ambobus simul, quæ est admiratio, aut incredulitas stultorum de hoc, quod saluatis corporibus in medio futurorum ignium, & illæsis per omnia, in ipsis per ignem huiusmodi animæ sint torquendæ? Facilius enim in se est, non dico quantum ad omnipotentiam Creatoris, sola corpora sic seruare, quàm animas, & corpora simul. Quod si dixerit, quia ignes illi infernales incomparabiliter fortiores sunt ignibus seculi istius: verum vtique dicit: sed ipsa corpora damnandorum erunt incomparabiliter fortiora ad sustinendum ignes huiusmodi, quàm nostra sint hic ad sustinendum ignem seculi præsentis, quanquam omnipotentiæ Creatoris non sit vllo modorum difficile præsentis fragilitatis & infirmitatis corpora ignibus, supple, illis futuris seruare illæsa.

Cap. 47. Si totum cælum illud, quod magnitudine sua excedit cælum stellarum fixarum, repleturi sunt glorificandi homines, qualiter capiet infernus omnes damnatos? Iam enim alibi didicisti totam terram in vltimitate paruitatis esse cōparatione magnitudinis cæli stellarum fixarum. Infernum autem multo minorem esse terra tota dubitari non potest, cum manifestum sit ex præcedentibus ipsum esse in medio terræ, & propter hoc partem ipsius terræ non magnam, hoc est, neque medietatem, neque quartam. De multitudine verò damnandorum omnis lex determinatum habet apud se, quòd multo maior futura sit multitudine glorificandorum. Non videtur ergo possibile, vt totum cælum multitudo glorificandorum exceptura sit, nisi fortè quis dicat eo tropo replendum esse cælum hominibus huiusmodi, quemadmodum diceretur terra repleta hominibus, aut pecudibus, &c.

Vincentius Burgundus. 1240.

Specul. Historialis libro trigesimosecundo cap. 118. Aeterno igne reprobi æternaliter punientur, &c. Hic est ignis corporeus & subterraneus ad pœnam, thesaurus impijs hominibus ac dæmonibus ab initio præparatus. Qui dupliciter inextinguibilis dicitur, actiuè scilicet, & passiuè: quia nec extinguet, nec extinguetur: neque enim fomentis alijs, quàm ipsorum damnatorum corporibus nutrietur. Vnde de reprobo in Iob dicitur: *Deuorabit eum ignis, qui non succenditur.* Cruciatos quoque non extinguet: quoniam ad rediuiua tormenta perpetuò seruabuntur.

Albertus Magnus. 1240.

Ad cap. 7. Matth. Pœna autem æterna est ideò, quia voluntas peccandi est æterna: cùm enim aliquis in causa finali impœnitentiæ in peccato moritur, voluntas eius in malo obstinatur, & in æternum propter hoc insusceptibilis efficitur, & ideo nunquam ab eo peccatum aliquod soluitur, & cùm pœna peccatorum insequatur, consequens est vt in æternum puniatur.

Thomas Aquinas. 1250.

Quolibet. 7. artic. 11. Corpora damnatorum er incorruptibilia, quamuis sint passibilia: incorr tibilitatis autem prima causa & principalis est stitia diuina, quæ conseruabit corpora damna rum in pœnis perpetuis

Quodlibet. 8. articul. 16. Damnati in inferno e flentes, post diem iudicij memores erunt glo Sanctorum, quam ante iudicium, & in iudicio derunt, & sic cognoscent eos esse in maxima g ria, quamuis non videant ipsos beatos, gloriam eorum, & ita inuidia torquebuntur, sic afflictio, quæ est in ijs nunc ex tali visione, n nebit sublata, de quo etiam magis dolebunt, dentes se etiam visione sanctorum indignos r putatos.

Bonauentura. 1260.

Diatæ salutis titul. 10. *cap.* 1. Primo, pœnæ repr borum erunt acerbissimæ, & intolerabiles. Gr uissima enim pœna, quæ in hoc mundo pote tolerari, minor est pœna purgatorij, quanto m gis pœna inferni? &c. Secundò, pœnæ inferni eri diuersæ. Vnde nota, quòd in sacra Scriptura inu niuntur nouem pœnæ. Prima est, pœna igni Secunda pœna est vermis. Ignis ardebit carnen vermis ardebit mentem. De istis duobus sim dicitur Isaiæ vltimo: *Vermis eorum non morietu & ignis non extinguetur.* Tertia pœna est foeto Psalm. 10. *Ignis sulphur, & spiritus procellarum, pa calicis eorum*, id est, pœnæ eorum. Quarta pœna e frigus. Iob 24. &c. Quinta pœna erit fames ma xima. Esai. 45. &c. Ibi namque est tanta inopia quòd neque guttam aquæ poterunt habere, vt le gitur de diuite &c. Lucæ 16. Sexta pœna est tortor vel potius tortores &c. Marci 18. Septima pœn est horror, &c. Iob 9. Octaua pœna est tenebra, quia incarcerabuntur & ligabuntur reprobi, &c Matth. 22. Nona pœna & quasi principalis erit do lor: quia in illis pœnis non solùm erit acerbitas, se contrarietas, &c. Et ratio est, quia cùm peccator & diabolus in culpa consentiant, iustum est, vt cre aturæ in reproborum pœna conueniant. Et no tandum, quòd à diuersis causis ipsis reprobis in est dolor. Sunt autem quatuor causæ doloris. Pri ma est, quia amiserunt bona temporalia huiu mundi, &c. Psalm. 48. Secunda causa est, quia tem pus perdiderunt, Hier. 1. &c. Damnati namqu darent libenter totum mundum pro vno mo mento temporis, si possent habere ad pœniten dum. Tertia causa est, quia visionem & gloriam Dei perdiderunt. Vnde dicit Chrysostomus quòd omnes gehennæ cruciatus sunt carentia visionis Dei. Quarta causa est, quia inferni vilitatem & miseriam acquisierunt. Est enim locus infernalis tenebrosus, & penuriosus: quod erit maxima pœna diuitibus, & hominibus voluptuosis, & magnatibus, quia in vita habuerunt domos sine fumo, & ibi erit fumus continuus, &c. Esaiæ 45. Tertiò est ibidem pœnarum diuturnitas. Pœnæ enim infernales erunt diuturnæ, imò sempiternæ. &c. Isa. 33. Matth. 25. & Gregorius. Quartò est in inferno pœnarum vniuersitas. Sunt enim quidam dicere volentes, quòd in inferno vniuersæ partes hominis, tam corporis, quàm animæ, post diem iudicij erunt in igne, &c. Matth. 12. Nunc autem videmus, quòd homo non posset sine maximo tormento ignem in parte vnius digiti sustinere per vnam horam. quantus ergo erit dolor, quando totus homo ardebit in igne, &c. Quintò & vltimò istæ pœnæ infernales erunt inutiles, & infructuosæ. Pœna enim præsentis vitæ breuis est, leuis, & fructuosa: sed futura est longissima, & grauissima, & infructuosa: quia si damnatus studio tantum de lachrymis emitteret, quantum est de

qua in mari, non sufficeret ad lauandum macu-
am vnius peccati mortalis.

Parte 7. Breuiloquij cap. 6. Pœna infernalis est in loco corporali deorsum, in quo æternaliter affligentur omnes reprobi, tam homines quàm spiritus mali. Affligentur autem eodem igne corporali, qui concremabit & affliget spiritus, & etiam corpora, nec tamen corpora illa consumet, sed semper affliget alios plus, alios minus secundùm exigentiam meritorum. Huiusmodi autem afflictioni ignis coniuncta erit afflictio secundùm omnes sensus, coniuncta erit pœna vermis, & carentia visionis Dei: ita quòd in his pœnis erit varietas, & cum varietate acerbitas, & cum acerbitate interminabilitas, vt ad reproborum suppliciorum tormentorum fumus ascendat in secula seculorum.

Ioannes à S. Geminiano. 1300.

In Summa libro 5. cap. 62. Ignis inferni post diem iudicij humana corpora cruciabit, & tamen non occidet, neque consumet, neque incinerabit, cuius exemplum apparet in Salamandra, quæ in medio ignis viuit.

Durandus. 1310.

Libro 4 distin. 44. quæst. 10. Fides tenet, quòd damnati grauissimè affligentur, non solùm in anima, sed etiam in corpore, & non solùm vna pœna sensibili, sed & pluribus, secundùm illud Iob 34. *Ab aquis niuium transibunt ad calorem nimium, &c.* Corpora damnatorum patientur ab igne passione animali, non reali, qua aliquid transmutatur à sua naturali dispositione. Vnde non calefient ab igne, sed solùm intentionaliter immutabuntur, recipiendo eius similitudinem, & quia apprehendent eum vt nociuum, ideo affligentur.

Guido Carmelita. 1330.

In Summa de Armenijs errore 13. Malorum animæ cruciabuntur in inferno igne æterno, nec inde exibunt, Lucæ 16. nisi in iudicio, post quod animæ damnatorum cum corporibus in infernum reducentur, igne æterno cum diabolo, & eius angelis cruciandæ: quia *in inferno nulla est redemptio.* Vnde Iob 7. *Qui descendit ad inferos, non ascendet.*

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 2. cap. 88. De pœna inferni est sciendum quòd cùm in damnatis sit diuersitas peccatorum, erit & diuersitas pœnarum. Cùm enim in peccato sit auersio à Creatore, & conuersio ad creaturam, scilicet ad bonum commutabile spreto bono incommutabili, scilicet Deo, & deordinatio voluntatis contra instinctum rationis: meritò pœna variabitur propter ista. Vnde propter auersionem erit carentia visionis Dei: sed propter conuersionem erit pœna materialis ignis, vel incendij: propter inordinationem autem rationis & voluntatis, erit pœna vniuersi, quæ consistit in afflictione varia, acerba, & æterna. Ibi enim erit calor ignis rigor frigoris, tenebræ, fumus, lachrymæ interiores, aspectus dœmonum, clamor in perpetuum, mallei percutientium, serpentes & dracones, aridias sitis, fœtor sulphuris, vermis conscientiæ, vincula, carcer, timor, dolor, pudor, & confusio peccatorum omnibus patentium, inuidia, rancor, tristitia, carentia diuinæ visionis, ablatio spei omnis salutis. Ipsum etiam esse, quod omnis creatura appetit, pœna ijs est: quia quærent mortem naturam, & non inuenient. Nam quia homo in suo æterno peccauit, id est, quamdiu vixit, nec voluntas eius finem peccandi habuit: ideò iustè in æterno Dei iudicio & æternaliter punietur.

Thomas Argentinensis. 1350.

Lib. 4. distinct. 44. q. 1. artic. 2. Corpora damnatorum patientur pœnam maximam ab igne infernali. Quia sicut corpora beatorum se habebunt ad gloriam: sic se habebunt corpora damnatorum ad pœnam: sed corpora beatorum glorificabuntur cælesti gloria, quæ est summa gloria corporalis: ergo corpora damnatorum punientur infernali pœna, quæ est maxima inter omnes pœnas, quibus corpus affligi potest, vt testantur omnes Doctores sancti. Præterea sicut animæ beatorum meruerunt mediantibus suis corporibus: sic animæ reproborum peccauerunt, & demeruerunt mediantibus corporibus suis. Ergo sicut corpora beatorum resuscitabuntur ad percipiendum maximum præmium: sic corpora reproborum resuscitabuntur ad percipiendum maximam pœnam, quæ communiter pœna ignis solet appellari.

Rupertus Holcotius. 1340.

In librum Sapientiæ lectione 55. Postquam Spiritus sanctus declarauit, quòd persecutores iustorum decipiuntur in præsenti per ignorantiam: hîc declarat qualiter post mortem puniuntur per pœnarum tolerantiam. Tangit autem septem pœnales conditiones damnandorum, quæ sunt istæ: Deijcientur cum confusione, affligentur cum despectione, repellentur sine responsione: destituentur authenticatione, punientur sine consolatione, contererentur sine condonatione, & supprimentur sine recordatione: & ista iustè patientur propter septem malitias, quas tyranni & mali homines persecutores Sanctorum habuerunt in hac vita.

Ioannes Taulerus. 1350.

Cæcitate 8. cap. 3. Sicut electorum gaudia sunt æterna, & incomprehensibilia: sic ediuerso damnatorum cruciatus erunt longè grauissimi, maximè horribiles, multi quoque & varij, nec vllo vnquam, quamuis longissimo tempore finiendi, vt vel adamantina pectora, imò ipsum quoque cælum & terra ad lachrymas & miserationem erga illos possent adduci, si diuina id iustitia permitteret. Cùm enim aduersus bonum infinitum, quod Deus est peccauerint, iure quoque diuino malum pœnæ debetur eis infinitum: cumquè æternam repudiauerint dulcedinem, iustè ad æternam deuoluuntur amaritudinem. Et quia diabolo morem gesserunt in vitijs, vt eidem etiam in pœnis subditi sint, æquissimum planè est: sic &, quandoquidem semper, si potuissent, optassent viuere, & perseuerare in peccatis, in eaquè voluntate mortui sunt, velint nolint, semper quoque in pœnis durare cogentur.

Catharina Senensis. 1360.

Tractatu 1. cap. 42. Pœna erit reprobis aspectus electorum & cum amarissima pœna diem vltimi iudicij præstolantur, eò quòd apertè cognoscunt pœnarum suarum futurum augmentum. Et ita firmiter erit, quoniam in illa terribili voce, *Surgite mortui, venite ad iudicium*, anima reuertetur ad proprium corpus. In iustis quidem erit glorificatum, in reprobis autem æternaliter in inferno cruciatum, & intolerabilem verecundiam, & improperium habebunt in conspectu tremendi iudicis, & omnium beatorum. Vermis eorum conscientiæ crudeliter arboris interiora corrodet, videlicet animam, ac etiam exteriorem corticem, videlicet corpus, &c. Et ita reddetur iniquis æterna pœna, vt in anima crucientur vnà cum corpore, quo mediante, peccata perpetrauerunt, &c. In illo terribili verbo, quod audient: *Ite maledicti in ignem æternum* ibit anima cum corpore simul ad conuersationem atque societatem dæmonum absque remedio cuiuscunque spei, & sic circumuoluti cum omni putredine totius orbis, punientur diuersimodè, secundùm varias iniquitates eorum.

Ioannes Gerson. 1420.

Sermone primo de omnibus Sanctis. Satis dici nō potest

test de horrenda tristitia damnatorum, quòd & augebitur per resumptionem corporum, vtique fœdissimorum, & omni cadauere viliorum: quodque ab intus, & ab extra erunt in omni acerbissimo cruciatuum genere, foris deuorati ab igne, & ab intus vt clibanus ignis positi. Turpissimis denique vitiorum habitibus fœdabuntur, torquebunturque: nam & *vermis eorum non morietur, & superbia eorum ascendet semper*, se furiosa rabie in omnipotentem erigens & impingens.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De casto connubio Verbi & animæ cap.26. Pro diuersitate facinorum varia sunt pęnarum genera. Ignis est ibi corporeus, inextinguibilis, carens necessitate fomenti materialis, diuina tamen virtute corpora concremans: spiritus autem non calefaciens, sed crucians. Lucet quidem ad pœnam, minimè autem ad consolationem. Ibi frigus incomparabile est, & dentium stridor: ibi quoque est fumus teterrimus, tenebræ palpabiles, lachrymæ interiores, horrida dæmonum visio, improperij clamor, ariditas sitis, fœtor sulphuris, vermis conscientiæ, spiritualia vincula, carcer squalidus, timor crucians, palpitans tremor, anhelus dolor, pudor confundens, inuidia vrens, discerpens rancor, tristitia affligens, carentia diuinæ visionis, omnisque spei abolitio, & salutis.

Raimundus Sebundius. 1430.

In viola animæ dialogo 6. cap. 86. Duæ hæ gentes, vna iustorum, altera impiorum, cùm inter se sint contrariæ, contrarias sententias recipient, & contrarias sedes, mercedes, retributiones. Qui enim Lucifero voluntate pessima adhæserunt, sua membra effecti, cum ipso in sempiternis ignibus damnabuntur: qui verò Christum Dominum secuti sunt, cum ipso in æternam gloriam sustollentur. Illi mergentur in profundissima abysso: isti leuabuntur in empyreo cælo. Illi ignibus, isti delicijs donabuntur. Illi habebunt socios dæmones, isti Angelos socios sortientur. Illi præ immensis angustijs vlulabunt, isti præ voluptatum magnitudine gratulabuntur. Illis supereminebit obscurissima & sempiterna caligo tenebrarum, istis autem Deus erit in lucem sempiternam.

Ioannes de Turre cremata. 1460.

In cap. 4. Regulæ Benedicti tractatu 35. Sex sunt considerationes circa qualitatem pęnarum gehennæ, quæ discipulum meritò inducere debent ad expauescendum illam. Prima est, pœnarum acerbitas: secunda est, pœnarum multitudo: tertia, pœnarum diuturnitas: quia fine fine duraturæ sunt: quarta est, pœnarum contrarietas, quæ non ad consolationem, sed ad maiorem punitionem operabitur: quinta est, pœnarum vniuersalitas: punitur enim ibi homo, non in vna parte corporis, sed in omnibus: non modò in corpore, sed in anima: non solùm in vna virtute animæ, sed in vniuersis sensibus, & potentijs, experietur homo suæ damnationis tormenta: sexta est, pœnarum inutilitas: pœnæ enim præsentis seculi sunt meritoriæ & purgatoriæ, &c.

Dionysius Carthusianus. 1460.

De quatuor nouissimis artic. 36. Qui miratur, quòd Deus naturaliter bonus & pius tam dirè ac æternaliter punit ac vindicat peccatum breue celeriter factum, & finitum, diligenter consideret quàm summa, & infinita, & incomparabiliter magna & excellens sit dignitas, & auctoritas, sapientia, & iustitia, beneficentia, bonitas, atque dignatio Dei: sicque intelliget enormitatem peccati, & sciet, quòd Deus iustissimè perpetuam exercet vltionem pro culpis, imò quòd etiam citra condignum puniat peccatores in inferno, id est, minus quàm meruerunt. Insuper sicut terribilitas ac districtio diuini iudicij tanto erunt maiores, quo maior est sapientia, iustitia, auctoritas, & bonitas, liberalitas, & misericordia Dei in vita præsenti: sic vtique tanto intensior ac intolerabilior est pœna Inferni, & vltio Dei, quo dignior, excellentior, sapientior, iustior, melior, ac munificentior est Deus, quem offendunt iniqui.

Articul. 37. In inferno puniuntur aliqui magis, aliqui minus, multipliciter ac acerbè, secundùm quod frequentius aut rarius, feruentius aut minus feruenter, enormius aut minus enormiter peccauerunt. Itaque circa pœnas inferni primò consideranda est earum æternitas, quæ super omnia grauat, premit, contristat, & torquet damnatos, imò (vt super Apocalypsin scribit Albertus) infernale incendium non affligit tam grauiter infelicissimos illos, quantum affligit eos consideratio, quam attendunt & cogitant, se in tot ac tantis tormentis perpetuò permansuros, ex qua consideratione oritur intolerabilis desperatio omnis boni. Secundò consideranda est circa pœnas inferni earum acerbitas. Pœna enim ignis acerbissima est: ignis quoque infernalis omni igne apud nos existente ineffabiliter calidior, pœnaliorque consistit. Et sicut ignis ille est calidissimus, sic frigus infernale est vehementissimum. Idem dicendum est de cæteris inferni tormentis. Tertiò consideranda est infernalium tormentorum diuersitas: quia iuxta multitudinem, magnitudinemque culparum, vnusquisque reprobus varijs pœnis torquebitur. Quartò circa pœnas inferni pensanda est earum vniuersalitas: quia in toto corpore, & in singulis membris corporis affligentur iniqui: similiter in tota anima, atque in singulis viribus eius. Quintò attendenda est circa pœnas inferni desolata & pœnosa societas. Sextò pensanda est dispositio loci. Septimò irrecuperabilitas negligentiæ & amissionis temporis huius vitæ, ac damni inde secuti. Octauò puritas mala illarum pœnarum, quibus nulla consolatio est admixta. Nonò consideranda est pęna damni damnatorum. Decimò consideranda est grauitas infernalium tormentorum ex parte patientium.

Baptista Mantuanus. 1500.

De Patientia lib. 3. cap. 23. Damnatorum locus, vt est Sanctorum communis opinio, non sub ipso globo, vt Isidorus putat, sed in ipsius globi terrestris medio, tellure ipsa sinum & quasi aluum aperiente, credendus est. Isidorus autem dixit futurum esse, vt post iudicium Solis & Lunæ orbes ita firmentur, vt huic nostro tantùm hemispherio lucem infundant, damnatos verò in sempiternam noctem alterius hemispherij relegandos, vbi esse à multis putantur Antipodes. Sed hæc est iam pridem explosa sententia: nam in medio terræ ventre, non in tergo loca illa infamia, *vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*, ponit Ecclesię sanctę credulitas, & credulitati huic ratio non dissentit. Decet enim eos, qui obstinatè à Deo per prauam voluntatem, & morum obscœnitatem discesserunt, ad infima trudi, & à conspectu solis & cæli, vbi Dei est sedes, sub scabellum pedum eius, hoc est, sub terram, de qua dicitur, *terra scabellum pedum meorum*, mitti, vt sic impleatur, quod dicitur per Prophetam: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*: nec sub terram solùm, sed etiam in terræ partem abditissimam, & à cælo remotissimam, & mundi centro cognatissimam mitti dicunt, in terram, inquam, miseriæ & tenebrarum, opertam mortis caligine, & à Dei benignitate, & à naturæ beneficijs, & à cælorum influxibus derelictam.

Cap. 25. Illic damnatorum est habitatio, qui assiduè coguntur cœca hæc incendia contemplari,

tantaq; ex hac inuita contẽplatione, quam in æternum supplicium sibi à Deo datam cognoscũnt, surgit indignatio, tantus impatientis animi furor exardescit, vt omni rationis vsu posthabito, cælo & terræ ac Deo ipsi precentur excidium: & quoniam vis concupiscibilis boni placentis abundantiam, & pœnæ displicentis sentit offensionem, irascibilis quoque desideratæ quietis nequit à concupiscibili impedimenta repellere, fit in animo mœror & luctus, & sine vlla consolatione cordolium. Hæc autem prædicti Poëtæ per illa quinque flumina, quæ apud inferos ponunt, mysticè designârunt. Styx enim est odium, Acheron tristitia, Lethe obliuio, Cocytus luctus, Phlegethon ardor. Odium Dei atque iustitiæ, tristitia de pœnarum acerbitate, obliuio charitatis & spei, luctus ex pœnarum æternitate, ardor ex conscientia culpæ, ardor item corporis post resurrectionem, quod iugiter ardebit, & non consumetur: & erit illic mors æterna, quia immortalis miseria, quæ supremo bono, id est, beatitudini opposita, potest summum malum appellari.

(*⁎*)

ARTICVLVS NONVS.

POST EXTREMVM IVDICIVM CHRISTI REGNVM NON IN TERRIS TERRENVM, SED IN CÆLIS CÆLESTE: NON AD TEMPVS, SED IN OMNIA SECVLA FVTVRVM ESSE: IN QVO BENEDICTI CVM CORPORE ET ANIMA VIVENT, DEVM VIDEBVNT, ANGELIS

conuersabuntur, pro meritorum diuersitate diuersis præmijs afficientur, vita æterna, & summa felicitate fruentur.

NEGANT.

Anno post natũ Christũ 90. *CERINTHVS docuit Christi regnum post vniuersæ carnis à mortuis resurrectionem mille annos humano & corporeo more in terra hac continuatum ac stabilitum fore.* Eusebius Hist. Ecclesiast. lib. 3. cap. 33.

130. *Papias*, in suis Commentarijs, *idem asserit*. Eusebius ibid.

160. 180. *Iustinus*. Dialogo cum Tryphone, & *Irenæus*. quinque postremis capitibus lib. 5. editionis vlt. *Papiæ errorem secuti, idem sentiunt.*

200. *Tertullianus*, lib de spe fidelium, *eundem errorem sequitur.*

230. *Origenes*, Homilia 10. in Leuiticum, *sentit eos, qui crediderunt quidem, sed nihil emendationis adhibuerunt, saluari, sed non sine infamiæ nota.* Homil. 11. in Numeros *putat in vita futura quosdam homines non Deum, sed Angelos tantum visuros esse: & Deum homines alios alijs Angelis subiecturum esse.* Homil. 27. in Numeros *dicit animas post resurrectionem non subitò, sed per multas mansiones ascensuras ad summa, donec perueniant ad Patrem luminum.*

260. *Methodius*, Serm de Resurrectione, *videtur sentire, beatos post resurrectionem non in cælis sed in paradiso futuros: oportet enim*, inquit, *in propria sui habitus figura vnumquodque creatum manere, vt omnia omnibus sint impleta, cæli Angelis, Throni Potestatibus, Lumina ministris: diuiniores loci & pura lumina ipsis Seraphin, qui assistunt magno senatui vniuersa continenti, mundus hominibus.*

270. *Victorinus Pictauiensis*, in Apocalypsin, *post Iudicium Christi regnum in terris terrenum fore autumat.*

320. *Lactantius* lib. 7. cap. 14. & 24. *eundem errorem sequitur.*

370. *Iouinianus dicebat in regno cælorum par omnium fore premium.* Hieronymus lib. 2. aduersus Iouinianum.

400. *Vincentius Victor dixit aliquas mansiones esse extra regnum Dei earum, quas Dominus esse dixit in domo Patris sui.* Augustinus de anima & eius origine lib 3. cap. 14.

600. *Armenij dicunt, quod homines mediocriter mali post iudicium non ibunt in Paradisum cælestem, sed manebunt in terra: & quòd bonorum animæ ducentur in terram, & ibunt sicut aues super arbores.* Guido de Armenijs.

630. *Mahometus*, passim in Alcorano, *talem post resurrectionem beatorum vitam fingit, qua dulcissimis aquis, salutifero potu, pomis multimodis, fructibus varijs, decentissimis atque mundissimis mulieribus, annulis aureis, vestibus sericis, lectis aulæatis, integro omnium rerum honore sine fine fruerentur.*

820. *Michael Balbus Amoræus vanam statuebat esse doctrinam de bonis æternis.* Zonaras in hoc Michaele.

1420. *Barbara Sigismundi Imp. coniunx animas cum corporibus mori, & post hanc vitam, quam viuimus,*

nul-

nullam aliam vitam futuram esse dicebat. Cuspinianus in hoc Sigismundo, Aeneas Syluius epistola 130.

1500. *Iudæi bonorum operum mercedem in præsenti duntaxat vita se accepturos & sperant, & asserunt.* Petrus Galatinus lib.12.cap.6.

1510. Martinus Lutherus in Colloquijs ad mensam habitis fol. 454. & 455. *Deus nouam terram creabit, & nouum cælum: quin & noua creabit animalcula & catellos, quorum cutis erit aurea, & pili de lapidibus pretiosis: non deuorabunt se mutuò animalia, vt sunt bufones, serpentes, & id genus alia, quæ hîc venenata sunt, & nocere solent propter originale peccatum. Tum verò nobis non solùm innocua erunt, sed & amicabilia, & grata, vt cum ijs animi causa lusuri simus.* Et paulò superius: *Ibi formicæ, cimphes, & omnia fœtida, & malè olentia animalia mera deliciæ erunt, & optimum odorem spirabunt.*

Ad cap. 4. posterioris Petri: *Hic quæri potest, an credentes in cælis, vel in terris agent: textus hic sonat, quòd in terra viuemus, ita vt cælum & terra nouus erit paradisus, quo Deus habitabit. Nam Deus non solùm in cælis, sed omni loco habitat, propterea electi etiam erunt vbi Deus erit.*

1540. Ioannes Brentius ad cap. 2. Lucę Hom. 35. *Etsi inter nos nulla sit publica professio, quòd anima simul cum corpore intereat, & quod non sit mortuorum resurrectio, tamen impurissima, & prophanissima illa vita, quam maxima pars hominum sectatur, perspicuè indicat, quòd non sentiant esse vitam post hanc: nonnullis etiam tales voces, tam ebrijs inter pocula excidunt, quàm sobrijs in familiaribus colloquijs.*

1545. *Georgius Dauid omnino negat æternam beatorum vitam in cælo.* Cochlæus de scriptis & factis Lutheri de anno 1545.

1550. Erasmus Sarcerius ad cap. 12. Lucæ: *De inæqualitate pœnarum apertum Dei verbum habemus: de inæqualitate præmiorum nullum verbum.*

1550. Georgius Maior de Dominica Septuagesimæ: *Quod ad principale, & ad summum, & ad vltimum bonum & præmium attinet, nihilo plus accipiet Moyses, Helias, Paulus, Baptista, & cæteri præstantissimi viri, quàm accipiet Zachæus, mulier peccatrix, Lazarus, & alij. Nihilo plus accipit Petrus, & Apostoli alij deserentes suas facultates, quam alij eas retinentes, & sequentes Christum. Petrus & Paulus sustinuerunt pondus & æstum diei in vinea Domini colenda & propaganda annos circiter triginta quinque aut triginta sex, Baptista biennium, Iacobus frater Ioannis duodecim, & tamen eundem denarium accipiunt.*

1550. Ioannes Spangenbergius in Euangelium Dominicæ 3. Quadragesimæ: *In regno cælorum nullam prærogatiuam relinquit, sed omnes beatos efficit æquales, & eadem illis præmia priuilegiaq́ largitur: quoniam gratuitò ex misericordia Dei per fidem apprehensa æqualiter omnes beantur.*

1578. *Nathanael Ælianus*, libro, quem inscripsit Mathan Ia, *asserit, Christi regnum non in cælis, sed in terris futurum, quo ij, qui in hac vita propter Christum opes & vitam amiserunt, redimiti centuplum recipient quo Christus suos ab oppressione & seruitute Gentilium liberabit. Post extremum iudicium nullum amplius Christi fore regnum, sed morte de medio sublata, omne imperium Patri tradendum esse. Scripturam Christo in terris, non in cælo regnum promittere.*

1592. Franciscus Puccius de Christi Seruatoris efficacitate, paulo ante finem: *Deinde in primis diebus septimi Angeli clangentis promittitur illustrissima victoria de Satana & de Antichristo: quibus coniectis & conclusis in abyssi carcerem, incipiet regnum illud mille annorum, in quo summa potestas diuinarum humanarumq́ rerum erit penes immortales Pontifices & Reges, sub quorum iudicio & gubernatione sanctissima florebunt omnes virtutes, & exulabunt omnia vitia, & fluent aurea illa Ecclesiæ secula quæ Prophetæ, Apostoli ac Sibyllæ passim promittunt, ac describunt. Quo tempore elapso fiet resurrectio singulorum hominum.*

ASSERVNT SACRÆ LITERÆ.

Isaiæ 64. *vers.* 4. A seculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.

Isaiæ 65. 17. Ecce enim ego creo cælos nouos, & terram nouam: & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor. Sed gaudebitis, & exultabitis vsque in sempiternum in his, quæ ego creo.

Daniel. 12. 3. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Matth. 13. 43. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.

Matth. 25. 34. Tunc dicit rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. 46. Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.

Ioannis. 14. 2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

1. *Corint.* 2. 7. Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum huius seculi cognouit: si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum: nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. (Esa. 64.)

1. *Corinth.* 15. 41. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum.

Stella enim à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria, &c.

Apoc. 7.14. Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni: ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in templo eius: & qui sedet in throno, habitabit super illos. Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque vllus æstus: quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.

ASSERVNT PATRES GRÆCI.

Dionysius Areopagita. 100.

De diuinis nominibus cap. 1. Tunc verò, quando incorruptibiles immortalesque facti erimus, & ad imaginem CHRISTI, beatissima dignati requie *semper* (vt scriptum est) *cum Domino erimus*, visibili quidem ipsius diuina præsentia castissimè contemplando fruentes, lucidissimis nos circumfulgente luminibus, non secus ac discipulos in sacratissima illa transfiguratione sua. Porrò spiritualis ipsius, & intelligibilis lucis (mente perturbatione omni & materia libera) participes facti, eius, qui sensum omnem superat, vnionis lucidissimorum radiorum incognitus, ac beatissimis iactibus, erimus supercælestes spiritus, & cæt.

Ecclesiastica Hierarchia cap. 7. Sanctæ animæ cùm in hac vita possint ad deteriora conuerti, in regeneratione id habituræ sunt, vt ex Dei similitudine ad inconuertibile transeant: at verò casta sanctarum animarum corpora, cum quibus vnà & vitæ mortalis iter egerunt, & simul descripta sunt, simulque certarunt, pro sacris sudoribus suis, in animarum immutabili secundùm diuinam vitam firmitate ac sede, resurrectionem quoque vnà recipient propriam. Inserta enim animabus sanctis, quibus in hac vita iuncta fuerant, vt Christi effecta membra, diuinam atque immortalem, beatamque recipient requiem. In his ergo est Sanctorum quieta obdormitio, in lætitia & spe immobili, cùm ad sanctorum certaminum peruenerint finem.

Athenagoras. 180.

Oratione pro Christianis: Longè, quàm sermone dici queat, esse scimus præstabiliorem, quam expectamus excepturam nos vitam, si puri ab omni iniquitate præsentem hanc transmiserimus.

Origenes. 230.

Lib. 2. de principiis cap. 12. Cùm ergo (verbi gratia) ad cælestia loca peruenerint Sancti, tunc iam rationem astrorum per singula peruidebunt, & siue animantia sint, siue quicquid illud est, comprehendent. Sed & alias rationes operum Dei, quas eis ipse reuelabit, intelligent. Iam enim tanquam filijs rerum causas, & virtutem suæ conditionis ostendet: & docebit eos, quare illa stella cæli in illo loco posita est, & quare ab alia tanto dirimente spatio separatur.

In Psal. 36. Homil. 5. Ne fortè ergo aliquid mysticum designet hoc tempus, quo scilicet indicetur futuræ repromissionis, & gratiæ, & hæreditatis spes, talis quædam futura, vt os iustorum non cibis & potu, neque delitijs & voluptatibus, non vescendo epulis, sed meditando sapientiam repleatur. Vltra enim non erit aliquis imperitus in regno Dei, non indocilis permanebit, nullus erit à rerum scientia peregrinus: omnes efficiemur, si tamen meruerimur, discipuli sapientiæ. Si quis hic positus imbuitur, & instruitur in his, quæ potuit in carne positus attingere, ibi iam illuminabitur perfectioribus disciplinis, & ea, quæ hic studio ac labore quæsita sunt, ad compendium futuræ tibi institutionis accedent.

Athanasius. 340.

Sermone tertio contra Arianos: In resurrectione neque matrimonium ducunt, neque ducuntur: sed tales sunt, quales ipsi Angeli, & in Christo Iesu noua est creatura, neque vel masculus vel fœmina, sed omnia in omnibus erit CHRISTVS. Vbi porrò Christus, quod genus metus, ac periculi erit?

Basilius Magnus. 370.

In exhortatione ad baptismum: Ibi Angelorum millia, primorum parentum conuentus, Apostolorum sedes, tribunalia Prophetarum, Patriarcharum sceptra, Martyrum coronæ, Iustorum laudes cumulatissimè spectabuntur.

Homilia in Psalm. 45. Definiunt enim quidam ciuitatem, congregationem constabilitam, & legibus administratam. Hæc enim tradita ciuitatis definitio illi, quæ sursum est Hierusalem, cælesti ciuitati maximè conuenit. Nam & ibi primogenitorum ac descriptorum in cælis congregatio, & ob immutabilem Sanctorum vitam, & secundùm legem cælestem gubernatam, stabilis quidem ac perpetua est. Ordinem verò illius & omnem ornatum perridicisse, naturæ non est humanæ. Ibi namque sunt *quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ Deus præparauit diligentibus se*, præterquam quia & myriades sunt ibi Angelorum, & Sanctorum, & conuentus festiui, & primogenitorum Ecclesia descriptorum in cælis.

Hom. in Psalm. 114. Ea viuentium beata regio, in qua non nox, non somnus mortis imitatio quædam, non cibus aut potus humanæ infirmitatis præsidia, non præterea morbus, non dolor aut medicina, vel iudicia, seu mercatus, non artes, non pecunia malorum origo, bellorum materia, inimicitiæ radix: sed regio viuentium, non morientium ob peccatum, sed veram vitam viuentium in Christo Iesu.

Ephrem. 380.

De compunctione cordis cap. 7. Surgentes clamabunt omnes, & dicent: Gloria ei, qui nos congregauit, & propter suam clementiam resurgere fecit. Tunc iusti exultabunt, & sancti lætabuntur viri, & veri perfecti monachi cum Martyrum choro consolabuntur, & à labore abstinentiæ simul requiescent: Martyres coronabuntur, Apostoli & Prophetæ coronabuntur, beatus, qui meruerit in illa hora cum conscientia bona videre, quomodo cum gloria rapientur in nubibus, obuiam immortali sponso, omnes, qui dilexerunt eum, & festinauerunt perficere voluntatem eius. Vt enim vnusquisque hîc positus magnificauerit pœnas suas: sic ad excelsa fastigia peruolabit præmiorum. Et quemadmodum hîc vnusquisque cor suum mun-

dauerit

dauerit, sic eius gloriam intuebitur: & quomodo quisque desiderauerit eum, sic satiabitur dilectione eius. Admirabitur etiam primus Adam in illa hora, videns magna & terribilia, quomodo ex eo solo & coniuge eius immensæ nationes & multitudines generationum productæ sunt. Magis autem admirabitur, glorificans Conditorem Deum, quomodo ab vna natura, & ex vna creatura exorti in regno cælorum, & in paradiso, & in inferno sortem pro suis meritis susceperint.

Cap. 8. Plorate fratres in conspectu Domini, vt gaudere nos faciat in regno suo, in vita illa immortali, vbi fugatur dolor, tristitia, & gemitus: vbi nec lachrymis aliquis, nec pœnitentia indiget: vbi non est timor, & tremor: vbi non est mors, & corruptio: vbi non est aduersarius, & impugnator: vbi non est acerbatio inobedientiæ, & ira contentionis: vbi non est odium & inimicitiæ, sed omnino gaudium & lætitiæ, & exultatio, & mensa spiritualibus cibis plena, quam præparauit Deus cunctis diligentibus se.

Gregorius Nazianzenus. 370.

Iambico 15.

Felicitas quid? viuere beatum. quid &
Cæleste regnum? Visio summi Dei,
Et cum beatis gloriam huic dare Angelis.

Gregorius Nyssenus. 380.

Orat. 1. *de pauperibus amandis:* At qualem studij, laborisque finem pollicentur? Nunc quidem præclaram spem, & lætitiæ plenam expectationem: post autem, quando istius assiduè fluentis carnis spolijs exuti immortalitatem induerimus, vitam beatam, nullum finem habituram, nullis malis obnoxiam, in summis & admirandis, quæque hic à nobis cognitione comprehendi non possunt, versantem gaudijs & voluptatibus.

Theophilus Alexandrinus. 390.

Lib. 3. *Paschali:* Ibi Angelorum reperiemus choros, & cum eis festa celebrantes, habebimus eos socios mysteriorum Dei, & exultatione ineffabili gestiemus, sapientiæ cum illis Sacramenta discentes, vbi nulla fraudis deceptio est.

Chrysostomus. 400.

Epistola 5. *ad Theodorum lapsum:* Concipe animo statum vitæ illius, quantum homini concipere datur: nam iuxta rei dignitatem nobis sermo nullus adesse potest: ex ijs tamen, quæ audimus, ceu per ænigmata coniecturam quantulamcunque faciemus. *Abiuit*, inquit, *dolor, & tristitia, & gemitus.* Quid igitur ea vita beatius erit? Esa. 35. Non est, cur illic pauperiem metuas & morbum. Nemo videbit contumeliosum, nec iniquè oppressum: nemo exasperatum, aut irascentem, aut inuidentem: nemo ardentem absurda concupiscentia, aut mœrentem propter sumptum necessarium, aut à magistratu vapulantem. Omnis enim affectuum turba, quæ hic sedata est, perimetur: omnia erunt pax, lætitia, gaudium: omnia serenitas, & tranquillitas: omnia dies, & splendor, & lux: lux, non quæ nunc est, sed planè alia, quæ hanc tantum excedit fulgore, quantum ea lumen lychni: neque enim occulitur illic aut nocte aut congressu nubium, nec vrit, neque inflammat corpora: nam nox non obumbrat, nec aderit vespera, nec frigora, nec æstus, nec alia huius generis immutatio: sed omnino alia est conditio, quam demum ad hos idonei reperti intelligent: non est illic senium, nec senectæ mala, quæque obnoxia sunt corruptioni, è medio, & è pedibus, quod aiunt, tollentur. Omnia occupabit vbique incorruptibilis gloria, & quod omnium longè est maximum, continua fruentur conuersatione cum Christo, vnà cum Angelis, cum Archangelis, cum superioribus Potestatibus. Contemplare cælum, animaduerte permutatum fore habitum totius creaturæ: nihil enim huiusmodi, vt nunc est, manebit, sed multò pulchrius erit, ac præclarius: & quantum plumbo durum vibrans æra, tantum hac rerum præsentium specie futurus ille decor illustrior erit, quemadmodum beatus Paulus ait: *Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis.* Rom. 8. Etenim nunc, ceu corruptionis particeps, multa patitur, quæ ferre corpus contingit: tum verò hæc vniuersa reijciet, nobisque exhibebit elegantem & corruptibilem habitudinem. Incorruptibile nanciscetur anima corpus, quæ & ipsa in melius formabitur. Vnde putas tum simultas? vnde pugna? Iucundus nimirum concentus erit in hoc, quòd omnes Sancti perpetuò inter se consentient: nullus illic calumniator timendus, nullæ dæmonum insidiæ, nullæ minæ, nulla mors, nec ea, qua hic extinguimur; nec altera, quæ hac multò est acerbior: omnis harum rerum expectatio desijt. Et quemadmodum puellus regius primùm alitur cibo non admodum splendido, terretur minis pædagogi, ne per indulgentiam lapsus, paterna se indignum reddat hæreditate: mox regiam nactus maiestatem, omnia hæc mutat, præsidet cum magna libertate, vestitus purpura, diademateque ornatus, & stipatus numeroso satellitio, abiectis ab anima rebus humilibus ac subamaris, in quorum tunc locum omnia magnifica, omnia iucunda successerunt: sic tum eueniet omnibus Sanctis. Atqui sermonis elegantia, & vires nihil possunt: ad montem illum oratione pergamus, vbi Dominus transformatus est: contemplemur eum splendentem, sicut resplenduit, quanquam ne sic quidem vniuersum nobis futuri seculi splendorem exhibuit, quia fuit quod tum apparuit, attemperatio quædam pro captu nostro, neutiquam accurata rei demonstratio, quod è verbis Euangelistæ manifestum est. Quidnam ait? *Splenduit*, inquit, Matt. 17. *sicut sol.* Cæterùm incorruptibilium corporum gloria non tantam lucem demittit, quantam illud corruptibile corpus: neque talem eiusmodi oculi mortales capere sufficiunt. Ad hanc quidem visionem oculi requiruntur incorruptibiles & immortales. Verùm in monte tum aperuit tantum lucis, quantum ferre potuerunt citra læsionem aciei, atque afflictionem oculorum contuentium in illud, quod tamen aliter cecidit: *ceciderunt* enim *in faciem.* Dic obsecro, si quis te in theatrum induceret, vbi magna multitudo hominum sederet, amicta stolis aureis, & in medio omnium ostenderet alium quendam adornatum eximiè formis, regio vestitu insignem, coronam habentem in capite, deinde polliceatur te assumpturum in numerum eorum, num omnia faceres, quæ ipse iusserit? Euola nunc in cælos animo, in illud intende theatrum, quod non coijt ex huiusmodi viris. Conuentus est illic eorum, qui exuperant omne pretium auri, lapidum pretiosorum, radiorum solis, & omnis visibilis formæ, non hominum solùm, sed eorum, qui hominibus antecellunt, Angelorum, Archangelorum, Thronorum, Dominationum, Principatuum, Potestatum. De rege ipso nihil satis idoneum dici potest, adeò sermonem & mentem omnem excedit eius pulchritudo, formositas, splendor, gloria, maiestas, magnificentia. Tantumne bonorum à nobis ipsis summouebimus, quò declinemus exigui temporis laborem? Quòd si quotidie foret infinities moriendum, ferendum tamen esset. Præterea gehennam, tormentaque omnia conuenit sustinere, vt videre queas

Christum venientem in gloria sua, & conscribi ordini Sanctorum. Audi quid Petrus dicit: *Bonum est nos hic esse.* Si Petrus, qui vidit obscuram quandam imaginem futurorum, omnia continuò reiecit ab animo, propter voluptatem inditam animæ à tali aspectu: quid dicemus, quando rerum veritas aderit, quando regijs cubiculis adapertis, contueri licebit ipsum regem, non per ænigma, nec per speculum, sed facie ad faciem, non amplius, inquam, per fidem, sed per speciem, &c. Quis vel delineabit voluptatem, quæ ex conuictu Christi extabit, aut vtilitatem, aut gaudium? Etenim anima, quæ in propriam redijt naturam, quæ in reliquum tempus multa libertate Dominum suum suscipit, quantum ea fructum capiat, quantum dulcedinis, quantum lucrum, haud quisquam vnquam satis explicabit: nec solùm læta bonis præsentibus, sed secura tutaque erit, quòd tanta gaudiorum semina nequaquam defutura sint. Eam itaque iucunditatem vniuersam sermone quis effinget, quis attinget cogitatione? &c. Quòd si hæc fluxa suos possessores in tanta gaudia sustollunt, & animum, licet incerta subitaque sint, in iugem effundunt lætitiam: quid putas futurum de animis illis accersitis ad infinita bona, quæ in cælis pios manent, quæ fixa, semperquè duratura sunt, quæ virtute quoque his præsentibus longè præstant, nedum constantia sua nunquam defitura, & cuiusmodi haudquaquam ascenderunt in cor hominis?

Matt. 17.

Homil. 6. in epistolam ad Hebræos. Dicit tres esse quietes. Vnam Sabbati, in qua Deus quieuit ab operibus suis. Secundam Palæstinæ, in quam ingressi Iudæi erant, quieturi à multa afflictione, & laboribus. Tertiam, quæ verè est quies, nempe regnum cælorum, quam assecuti verè quiescunt à laboribus & afflictionibus, &c. *In Morali.* Reuera enim est illa requies, vbi aufugit dolor, tristitia, & gemitus: vbi neque curæ, neque labores, neque angor, neque metus animam percellens & quatiens: sed solus Dei metus plenus voluptate. Non est illic: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo:* neque sunt spinæ, neque tribuli. Non est amplius: *In doloribus paries filios tuos, & ad virum tuum conuersio tua, & ipse tibi dominabitur.* Omnia sunt pax, gaudium, lætitia, voluptas, bonitas, mansuetudo. Non est illic æmulatio, & inuidia, non morbus. Non hæc mors corporis, non illa mors animæ. Non sunt tenebræ, neque nox. Omnia sunt dies, omnia lux, omnia sunt mitia ac mansueta, omnia splendida. Non potest capi satietas. Semper erimus in perpetuo bonorum desiderio, &c.

Gen. 3.

Ioannes Cassianus. 420.

Collatione 1. cap. 10. Exercitia Monastica in vita futura cessabunt, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, corpusquè illud, quod nunc animale est, surrexerit spirituale, & cœpit caro non esse iam talis, vt aduersus spiritum concupiscat.

Cyrillus Alexandrinus. 430.

Libro 11. in Ioannem cap. 58. Nos autem dicimus, nullas corruptionis reliquias, nullum signum, nulla consequentia, vel antecedentia post resurrectionem in hominibus futura.

Isidorus Pelusiota. 440.

Lib. 1. epist. 116 Per iuuentutem resurrectionem à mortuis intelligit, cùm nimirum corruptio immutabitur, & natura ad statum ab omni corruptione & interitu alienum iuuenescet. Hunc tu statum quære. Quòd si quis roget, quinam futuri simus, cùm à morte ad vitam redierimus, illud ostendit Dominus, cùm dicit: *Iusti ad vitam æternam, peccatores autem ad pœnam æternam ibunt.*

Theodoretus. 450.

In cap. 2. ad Colossens. In futura vita à corruptione & interitu alienum ac immortale corpus effectum, non potest amplius sordes peccati suscipere.

In Psalmum 91. Quoniam futura vita ab huiusmodi curis est libera, iure requies nuncupatur. Propterea & Paulus exclamat: *Festinemus ingredi in requiem eius.* Et rursus: *Nunquid est Sabbatismus populi Dei?*

Isaac Presbyter. 480.

De Mundi contemptu cap. 17. Multas mansiones Patris sui Saluator vocat mensuras mentium in illa commorantium regione, videlicet discretiones & diuersitates, quibus in animo perfruuntur. Non enim doctrina locorum, sed ordine charismatum multas fore mansiones expressit sicut quilibet materiali sole iuxta sinceritatem virtutis visus & gratia fruitur, & sicut vna lucerna, in vna domo lucente, fit cuilibet lux diuersa in splendores plurimos lumine indiuiso: ita in futuro seculo iusti omnes indiuisi in vna regione morabuntur, quilibet autem ab vno intelligibili sole illustrabitur secundùm mensuram suam, & pro meritis valet gaudium & lætitia.

Olympiodorus. 500.

In cap. 2. Ecclesiastæ: In futuro seculo quæcunque nobis in hac vita occurrerint, siue infirmitas, siue prospera valetudo, siue diuitiæ, siue paupertas in obliuionem ibunt.

In cap. 3. Cùm palmam consequetur, deinde in futuro seculo lætabitur in delicijs, & in multitudine pacis.

Andreas Cæsareensis. 500.

Ad cap. 19. Apocalyps. cap. 56. Cùm varia & magna futuri seculi sint bona, quæ omnem mentem & cogitationem multis partibus superant, illorum vsus & participatio varijs, multisquè nominibus exprimitur. Quandoquidem propter incomparabilem gloriæ, splendorisquè magnitudinem, beatorum merces aliquando regni cœlestis nomine designatur. Nonnunquam verò, quòd bonorum omnium copia, quæ nunquam deficiunt, affluat, & esculentorum spiritalium omnium apparatu abundat, paradisus vocatur. Quandoque autem sinus Abrahæ appellatur, ea fortasis de causa, quòd vita defuncti ibi sortiantur requiem. Interdum denique thalami & nuptiarum vocabulo insinuantur: idquè, vt nobis videtur, non modò propter continuam lætitiam & oblectationem, verùm etiam propter sinceram & inexplicabilem Dei ad seruos suos coniunctionem: quæ tantum excedit corporum copulam, quantum lumen tenebras, & pretiosum vnguentum cuiusque cadaueris fœtorem & graueolentiam.

Ad cap. 21. Apocalyps. cap. 66. *Et platea ciuitas aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum.)* Cùm vna similitudine exacta cælestis illius ciuitatis venustas, plenaquè bonorum eiusdem notitia tradi non posit, sed ad eam rem varijs opus fit exemplis & similitudinibus, propterea ciuitatis illius plateas crystallo, auroquè mundo assimilat: quò hinc quidem eius præstantiam, colorisquè elegantiam colligamus: inde verò eiusdem munditiem & claritatem: quæ duo apud nos in vnum simul conuenire haud facilè solent. Hæc autem omnia sanctus Euangelista vidit, quantum & quatenus potuit: siquidem exquisita supernæ ciuitatis cognitio excedit omnem auditum, omnemquè mentis & sensus captum.

Procopius Gazæus. 530.

Ad cap. 5. Genes. Interius tabernaculum dicit locum, qui supra cælum, vel firmamentum frequentatur.

tatur. Pontificem summum vel primum nominat Christum, quòd hic primus in hoc ascenderit, & nobis primam istam habitationem aperuerit. Cum Christo etenim in illo cælo commorabimur, inuisibilibus potentijs seu Virtutibus admixti, vt
Marc.12 declarat illud eloquium: *Sunt veluti Angeli, qui in cælis sunt.* Imò sunt filij Dei, cùm resurrectionis fi-
1.Thes.2 lij sint. Huc applicetur & testimonium Pauli: *Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in occursum Domini in aëra, & sic semper cum Domino erimus.* Igitur cùm duo sint cæli, constat varia esse receptacula, variasque mansiones, & diuersas pro locorum diuersitate. Cælum, quod nunc fastigij vicem sustinet, fundamentum erit summi cæli in vniuersali resurrectione. Nam cælum primum est quasi cælum cæli. Etenim non abs
Psal.113. re canit Dauid: *Cælum cæli Domino, & terram dedit filijs hominum.* Quantum autem primum cælum remotum à secundo, tantum distat secundum ab orbe habitabili. Et quidem primum cælum erit domicilium Sanctorum. Quamobrem Scriptura sacra vbique eum locum nominare assolet regnum cælorum.

In Deuteronomion fol. 449. *Alia est gloria solis, alia gloria lunæ, alia denique stellarum gloria: ac stella vna ab alia gloria differt:* ita in resurrectione mortuorum quoque excellentior gloria est, ius decem ciuitatum, quàm quinque habere. Vnicuique enim pro dignitate Deus tribuit, & quantitate, & qualitate, & tempore, ac in summa, omnibus quod æquum est ac iustum adiudicat.

Isychius Hierosolymitanus. 580.

In cap. 12. Leuit. libro 3. Dies octauus, quoniam septimæ diei, quæ imago est præsentis vitæ, succedit, figuram gerit futuri seculi, in quo carnem præputij circuncidimus, opera carnis omnia deponentes. tunc quippe non solùm non peccaturi, sed nec comesturi, aut bibituri, aut nupturi sumus. *Erimus autem* procul dubio, sicut ait Dominus, ex corruptibilibus incorruptibiles, *sicut Angeli*, & mundi modis omnibus ex immundis efficimur. *Seminatur* igitur, ait Paulus, *in corruptione*, &c.

In cap. 19. lib. 6. Docere Iudæos de intelligibili requie, & fine mundi volens, quia illo tempore impossibile est cibum conquirere, vel operari, nec circa corporale aliquid occupari, talia eis dicere Moysen præcepit: *Sabbata hodie Domino, non inuenietis illud in agro.* &c. Non sabbatum, sed sabbata, quia intelligibilis requies non ab vno quodam, sed ab omnibus carnalibus vocationem, alienationemque possidet.

Sophronius Hierosolymitanus. 630.

Epist. ad Sergium Patriarch. Constant. Vitam illam, quæ post præsentem vitam futura est, credimus permansuram, & quidem indefinenter exhilerantem laudabilium operum patratores.

Ioannes Damascenus. 730.

Orthodoxæ fidei libro 2. cap. 1. Atque vnum illud seculum secula omnia complexu suo tenet, seculumque seculi dicitur, nimirum præsens hoc æuum & futurum. Secularis autem vita, & secularis pœna futuri seculi æternitatem declarat, neque post resurrectionem suus tempori dierum, noctiumque numerus constabit: verùm vnus potius vesperæ expers dies erit, sole nempe iustitiæ probis hominibus splendidè ac latè illucente, peccatoribus contra vna nox densa sempiterna.

Lib. 4. cap. 28. Qui bona egerunt, fulgebunt quasi sol vnà cum Angelis in vitam æternam, cum Domino nostro Iesu Christo, quem perpetuò cernent, ab eoque cernentur, sempiternamque ex eo voluptatem carpent.

Historia Barlaam cap. 8. Proficiscentur, qui virtutibus operam dederunt, ad sempiternam vitam, & lucem omnem orationis vim excedentem: vt cum Angelis oblectentur, atque arcanis bonis fruantur, sanctæque Trinitati purè astent.

Theophylactus. 900.

In cap. 23. Lucæ: Neque enim mihi dicat aliquis quòd idem sit paradisus & regnum. Bona enim regni *neque auris audiuit, neque oculus vidit, neque in cor hominis ascenderunt.* Paradisum autem & oculus Adæ vidit, & auris audiuit de eo: *De omnibus enim lignis*, inquit, *quæ sunt in paradiso, edens comede:* nam licet vnum tantum lignum interdictum sit eis, tamen & ipsum viderunt, & de ipso audierunt, *& in cor hominis ascendit:* lætabatur enim in spiritu Adam, alioqui tantam operationem cum lętitia in agricultura non obiuisset. Atque ideo non est contrarium quod Paulus dicit. Latro itaque paradisum sortitus est, non autem assecutus est regnum: assequetur autem, quando etiam omnes, quos Paulus enumerauit: nunc autem hoc tempore paradisum habet, qui est pars spiritualis quietis.

In cap. 2. ad Ephesios: Hodie quidem plerique sunt increduli, in futuro tamen seculo omnes agnoscent, quid nobis donauerit, cernentes in gloria nullis verbis explicabili Sanctos.

In cap. 4. ad Hebræos: Quemadmodum sabbatum requies dicitur in Scriptura, & nihil impediuit, quo minus posthac introitus in terram promissionis etiam diceretur requies: sic iam nihil prohibet post hanc rursus requiem vocari futuram, regnum videlicet cælorum, in quod qui non crediderunt, non ingredientur.

Moses Barcepha. 950.

De Paradiso parte prima capite decimo: Regnum cæleste illud, quod iustorum delicijs destinatum est, posteaquam reuixerint mortales, vt ait Dominus noster, non esse in terris: sed supra cælum, (hoc est, supra firmamentum) quod proximè supra nos est, multis argumentis comprobatur. Primò enim ipsum vocabulum hoc arguit, quo cæleste regnum, non terrestre à Domino appellatum est: deinde idem ille Dominus dixit: *Vado parare vobis locum:* Et: *Vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Iam verò dubium nullum est, quin Christus verè in cælum conscenderit. Præterea D. Paulus scribit in hæc verba: *Vos autem ac-* Heb. 12.
cessistis ad montem Sion, & ad ciuitatem Dei viui, ad Ierusalem, quæ est in cælo, & ad cœtus myriadum Angelorum, atque ad Ecclesiam primogenitorum, qui scripti sunt in cælo. Et alibi: *Scimus enim, quòd quamuis do-* 2. Cor. 5.
mus hæc nostra, quæ in terris est, corpus nempe, *dissoluatur, structuram tamen habeamus, quæ à Deo est, domum non constructam manibus, in cælo sempiternam.* Ad hoc Ioannes Monachus Sermone priore, quem de Mundo nouo scripsit, sic ait: Enimuerò regnum illud cæleste Christi, non erat sub firmamento, sed supra cælum, vbi Potestatum ordines existunt. Liquet igitur cæleste regnum: in quo beati voluptate fruentur, postquam reuixerint, supra cælum, hoc est, firmamentum id, quod supra nos apparet, positum esse.

Euthymius. 1080.

Matthæi 13. *Tunc iusti fulgebunt.*) Verùm cùm tunc futurum sit, vt Dei splendor illos circundet, vtique ipsi conformes erunt, ac diuini reddentur, & consequens est, vt sole splendidiores efficiantur. Quomodo ergo dicit, *sicut sol?* Quia noto apud illos exemplo vtendum erat, nec quicquam illis notum erat, quòd esset sole splendidius.

ASSERVNT PATRES LATINI.

Martialis. 100.

Ad Tholosanos cap. 12. Mementote verò sermonis mei, quem sæpe dicebam vobis, quanta & qualia in cælo præparata sunt sanctis, & timentibus Deum. Omnis enim potentia & gloria in regno Dei indesinenter permanent, quæ nec augeri, nec minui possunt. Ibi enim sunt thesauri sapientiæ & scientiæ perennes in eo, qui nos vocauit in regnum & gloriam suam. Ibi ordines multitudinis laudantium Deum Angelorum & Virtutum, &c. Vbi locum habet virginitas, continentia, castitas, longanimitas, expectatio, charitas. Quò fides & spes, timor & munditia tendunt. Ibi veritas, & iustitia, & pax, & obedientia mandatorum Dei locum paratum habent ab origine mundi. Multa millia illic Potestatum & Archangelorum, in intima luce gloriam Dei Creatoris sui contemplari desiderant. Hæc autem vobis communia erunt, si proximi Deo fueritis, si amatores eius, si imitatores.

Tertullianus. 200.

In Apologetico cap. 18. Sed & obseruantibus quæ præmia destinârit, vt qui producto æuo isto iudicaturus sit suos cultores in vitæ æternæ retributionem: profanos in ignem æquè perpetem & iugem, suscitatis omnibus ab initio defunctis, & reformatis, & recensitis ad vtriusque meriti dispunctionem. Hæc & nos risimus aliquando, de vestris fuimus, fiunt, non nascuntur Christiani.

De Præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 13. Regula est autem fidei, vt iam hinc quid credamus profiteamur, &c. Venturum (*Christum*) cum claritate, ad sumendos Sanctos in vitæ æternæ, & promissorum cælestium fructum, & ad profanos iudicandos igni perpetuo, facta vtriusque partis resuscitatione cum carnis resurrectione.

Cyprianus. 250.

Libro 4. epist. 6. *Epistola* 56. O dies ille qualis & quantus adueniet, fratres dilectissimi, cùm cœperit populum suum Dominus recensere, & diuinæ cognitionis examine singulorum merita recognoscere, mittere in gehennam nocentes, & persecutores nostros flammæ pœnalis perpetuo ardore damnare, nobis verò mercedem fidei & deuotionis exoluere. Quæ erit gloria, & quanta lætitia, admitti, vt Deum videas: honorari, vt cum Christo Domino Deo tuo salutis ac lucis æternæ gaudium capias? Abraham, & Isaac, & Iacob, & Patriarchas omnes, & Prophetas, & Apostolos, & Martyres salutare; cum iustis & Dei amicis in regno cælorum datæ immortalitatis voluptate gaudere; sumere illic quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit? Maiora enim nos accipere, quàm quod hîc aut operamur, aut patimur, Apostolus prædicat, dicens: *Non sunt condigna passiones huius* Rom. 8. *temporis ad superuenturam claritatem, quæ reuelabitur in nobis*, &c.

De Mortalitate: Patriam nostram paradisum computamus, parentes Patriarchas habere iam cœpimus, quid non properamus & currimus, vt patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus?

De laude Martyrij: Quibus inquisitus fuit semper Deus, aut notus, nunquam excidit Christi locus, vbi iacet gratia, vbi virentibus campis terra luxurians alumno se induit gramine, & redolente pascitur flore: vbi altum nemora tolluntur in verticem: & vbi arbor densiore coma vestit, quidquid curuantibus ramis scena deiacens inumbrarit. Omnia illic non frigoris, nec ardoris: nec vt in autumno arua requiescant, aut vt iterum vere nouo tellus secunda parturiat: vnius cuncta sunt temporis: vnius poma feruntur æstatis. Quippe cùm nec mensibus suis tunc luna deseruiat, nec per horarum sol momenta decurrat, aut in noctem lux fugata concedat. Habet populos quies læta, sedes tenet placida, vbi fons scaturiens medius sinu aluei prorumpentis emergit, & rauco per interualla circuitu sinuosis flexibus labitur, vt in ora nascentium sibi fluminum diuidatur. Hinc ergo magna laus Martyrum, hinc nobilis corona victorum, quibus maiora his repromissa sunt, quibus auctiora sunt præmia.

De Christi Ascensione: *Exultabunt* sanè *sancti in gloria*, videbunt Deum, & gaudebunt, *lætabuntur*, & delectabuntur, & fruentur gloria, & in felicitate iucundabuntur æterna. Psal. 149 Ibi non gustabunt quàm suauis sit Deus, sed implebuntur & satiabuntur dulcedine mirifica: nihil eis deerit, nihil oberit, omne desiderium eorum Christus præsens implebit. Non senescent, non tabescent, non putrescent amplius. Perpetua sanitas, felix æternitas, beatitudinis illis sufficientiam confirmabunt. Non erit concupiscentia in membris, non vltra illa exsurget rebellio carnis, sed totus hominis status pudicus & pacificus, sana ex integro natura, sine omni macula & ruga deinceps permanebit. Erit denique *Deus omnia in omnibus*, & illius præsentia omnes animæ & corporis implebit appetitus, cessabuntque de cætero consummatis omnibus ministratorij Angelicarum virtutum discursus: & impleta, ordinataque omnino ciuitate Dei, nec innouabitur, nec mutabitur vltra fixæ & consummatæ beatitudinis status.

Lactantius. 320.

Lib. 7. *diuinarum Institut. cap.* 23. Non igitur renascentur, quod fieri non potest: sed resurgent, & à Deo corporibus induentur, & prioris vitæ, factorumque omnium memores erunt: & in bonis cælestibus collocatæ, ac fruentes iucunditate innumerabilium copiarum præsenti Deo gratias agent, quòd malum omne deleuerit, quòd eos ad regnum vitamque perpetuam suscitarit.

Hilarius. 350.

Ad Psalm. 55. Sunt ergo in se vota, quæ reddet tum, cùm infirmitas corporum detrahetur, id est, lapsus & lachrymæ: tum cùm corruptionem incorruptio deuorabit, tum cùm mortem potestas immortalis absorbet, tum cùm fit Deus omnia in omnibus, tum cùm lumen viuentium fit in eodem viuentium lumine Deo ipse placiturus.

In Psalm. 60. Cùm in tabernaculo Dei habitaturi simus in secula, sine vllo scilicet ætatis modo in æternum fluentibus seculis, temporibusque mansuri. Et quamuis spe reposita iam sancti sint, tamen adhuc sub dispensatione temporum differunt: & qua munitione interim tutus sit, &c. demonstrat, dicens, &c. Hæc enim hæreditas sancti est: vita, & incorruptio, & regnum, & coæterna cum Deo habitatio. Non Israeli tantùm hæc hæreditas scripta est, sed timentibus Dei nomen, &c. Cæterùm ipse in conspectu Dei, ipse manebit æternus: iam omnibus, quos redemit, in reges cælorum, & cohæredes æternitatis assumptis, tradens eos regnum Deo Patri. Et quia comparticipes, & concorporales, & conformes eius effecti sint, iam in his nec corruptione, nec morte dominante, cùm in omnem plenitudinem Dei repleantur, subiecit spiritus prophetiæ: *Misericordiam & veritatem quis requiret eorum?* Non inopes iam misericordiæ veritatisque eius hæ scilicet generationes

erunt,

erunt, quas in se ex mortuis regenerabit ad vitam, quæq; in spe gloriæ Dei manserint: tum cùm in regnum traditæ Deo Patri suscipientur in reges, consummata in omnes eius misericordia ac veritate, per quem redemptas se gratulentur ad vitam, sitq; omnibus accessus ad Patrem.

In Psalm. 148. In illo beatæ ciuitatis illius seculo, vbi cornu populi sui Dominus excitabit, & incorruptionem, quæ significatur in cornu, per honorem immortalitatis impertiet. Tum enim cælum nouum, & terra noua erit, cùm his præsentibus dissolutis, noua illa & æterna succedent. Deo confessio eius super cælum & terram reddetur: quia non in hoc seculo, neque in hoc aere, sed in superioribus locis sedes beati illius regni est constituta. Et quia illud sanctorum est regnum, per quod regnante Domino ad beatum regnum Dei Patris ascendent: Psalmum ita Propheta conclusit: *Hymnus omnibus Sanctis eius*, &c. Sanctorum omnis hic hymnus est, qui Deum non vt cæteri reges, aut principes, aut iudices pro virtutis & confessionis admiratione laudent, sed pro gaudio consummatæ in se beatitudinis & gratulatione cantantium.

Ambrosius. 370.

Ad cap. 6. Lucæ: *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.* Sicut incrementa virtutum, ita etiam sunt incrementa præmiorum. Plus est enim DEI esse filium, quàm possidere terram, & consolationem mereri. Sed quia & primum præmium regnum cælorum est, & vltimum præmium regnum cælorum est: numquid æquale præmium incipientibus atque perfectis est? Ne fortè mysticè docemur, quia est primum regnum cælorum illud Apostolicum, *Dissolui, & esse cum Christo.* Habes primum regnum: & quando Sancti rapiuntur in nubibus obuiam Christo in aëra. *Multi enim dormientium surgent, isti in vitam æternam, illi in opprobrium.* Primum ergo regnum cælorum Sanctis propositum est in dissolutione corporis: Secundum regnum cælorum est post resurrectionem esse cum Christo. Cùm fueris in regno cælorum, tunc processus est mansionum: etsi vnum regnum, diuersa tamen merita sunt in regno cælorum.

Philip. 1
1. Thes. 4
Dan. 12.

Libro 2. de Abraham cap. 1. Manifesta autem fides. Mortuo etenim homine caro corrumpitur, sensus pereunt, vox amittitur, remanet mens immortalis, incorpoream vitam recipiens. Vnde in alteram terram vocatur plenam beatitudine, vbi non falsa pro veris, sicut in hac vita, sed viuam rerum cernat substantiam, eò quòd excussa corporis & sensuum, & vocis nebulosa quadam imagine, corruptibilem caliginem deponat, & reuelata facie beatæ vitæ gratiam lustret obtutu.

Prudentius. 380.

Hymno in Exequijs defunctorum:

Hæc quæ modò pallida tabe
Color albidus inficit ora,
Tunc flore venustior omni,
Sanguis cute tinget amœna.
Nam nulla deinde senectus
Frontis decus inuida carpet,
Macies neque sicca lacertos
Succo tenuabit adeso.
Morbus quoque pestifer artus
Qui nunc populatur anhelos,
Sua tunc tormenta resudans
Luet inter vincula mille.
Hunc eminus aere ab alto
Victrix caro, iamq; perennis
Cernet sine fine gementem

Quos mouerat ipse dolores.

Hieronymus. 390.

In Proœmio lib. 18. in Esaiam: Nec ignoro qu[æ] inter homines sententiarum diuersitas sit, &c. repromissionibus futurorum, quomodo d[...] ant accipi, & qua ratione intelligenda sit Apo[ca]lypsis Ioannis, quam si iuxta literam accipi[...] Iudaizandum est. Si spiritualiter, vt scripta [...] disserimus, multorum veterum videbimur c[on]tionibus contraire: Latinorum, Tertulliani, [Vi]ctorini, Lactantij: Græcorum, vt cæteros p[ræ]termittam, Irenæi tantùm Lugdunensis Epis[copi] faciam mentionem. aduersum quem vir eloqu[en]tissimus Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ Pon[ti]fex elegantem scribit librum, irridens mille [an]norum fabulam, & auream atque gemmat[am] in terris Hierusalem, instaurationem templi, [ho]stiarum sanguinem, otium Sabbati, circum[ci]sionis iniuriam, nuptias, partus liberorum e[du]cationem, epularum delicias, & cunctarum g[en]tium seruitutem: rursusq; bella, exercitus, triumphos, & superatorum neces, mortemq; c[en]tenarij peccatoris. Cui duobus voluminibus [re]spondit Apollinarius.

Augustinus. 400.

Ad Psalm. 83. *Beati, qui habitant in domo tua.* Pos[si]dent Hierusalem cælestem sine angustia, sine pr[es]sura, sine diuersitate & diuisione limitum: om[nes] habent eam, & singuli habent totam. Magnæ [il]læ diuitiæ. Non angustat frater fratrem, nulla i[bi] indigentia est. Quid ergo ibi acturi? &c. *In secu[la] seculorum laudabunt te.*) Hoc erit totum negotiu[m] nostrum, sine defectu, Alleluia. Non vobis fratr[es] videatur, quasi fastidium ibi futurum: quia si m[o]dò hoc diu dicatis, non duratis, ab illo gaudio n[e]cessitas vos auertit, &c. Securi ergo simus fratre[s] non nos satiabit nisi laus Dei, amor Dei. Si defici[s] ab amore, deficies à laude: si autem amor sempite[r]nus erit, quia illa insatiabilis pulchritudo erit, no[li] timere, ne non possis semper laudare, quem sem[per] poteris amare.

Libro 10. de ciuitate Dei cap. 16. Illa namque vis[io] Dei, tantæ pulchritudinis visio est, & tanto amo[re] dignissima, vt sine hac, quibuslibet alijs bonis pr[æ]ditum atque abundantem, non dubitet Plotin[us] infelicissimum dicere.

Libro 22. cap. 30. Quanta erit illa felicitas, v[bi] nullum erit malum, nullum latebit bonum, v[a]cabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus. Na[m] quid aliud agatur, vbi neque vlla desidia cessab[i]tur, neque vlla indigentia laborabitur, nesci[o]. Admoneor etiam sancto Cantico, vbi lego, vel au[]dio: *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in secu[la] seculorum laudabunt te.* Omnia membra & viscer[a] incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus p[er] vsus necessitatis varios distributa, quoniam nu[nc] non erit ipsa necessitas, sed plena, certa, secur[a] sempiterna felicitas, proficient in laudibus De[i]. Omnes quippe illi, de quibus iam sum locutu[s] qui nunc latent harmoniæ corporalis numer[i] non latebunt, intrinsecus, & extrinsecus per co[r]poris cuncta dispositi, & cum cæteris rebus, qu[æ] ibi magnæ atque mirabiles videbuntur, rationa[]les mentes in tanti artificis laudem rational[is] pulchritudinis delectatione succendent, &c. Cer[te] vbi volet spiritus, vbi protinus erit corpus. n[ec] volet aliquid spiritus, quod nec spiritum pos[sit] decere, nec corpus. Vera ibi gloria erit, vbi la[u]datur, nec errore quisquam, nec adulatione la[u]dabitur. Verus honor, qui nulli negabitur dign[o] nulli deferetur indigno: sed nec ad eum ambi[et] vllus indignus, vbi nullus permittetur esse ni[si] dignus. Vera pax ibi est, vbi nihil aduersi, nec à s[e]

ipso,

ipso, nec ab alio quisquam patietur. Præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, eiqúe seipsum, quo melius & maius nihil possit esse, promisit. Quid est enim aliud, quod per Prophetam
Leuit.26 dixit: *Ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi plebs*: nisi, ego ero vnde satientur: ego ero quæcunque ab hominibus honestè desiderantur, & vita, & salus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & o-
1.Cor.15. mnia bona? Sic enim & illud rectè intelligitur, quod ait Apostolus, *Vt sit Deus omnia in omnibus*. Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus profectò erit omnibus, sicut ipsa vita æterna communis. Cæterùm qui futuri sint pro meritis præmiorum etiam gradus honorum atque gloriarum, quis est idoneus cogitare, quanto magis dicere? Quòd tamen futuri sint, non est ambigendum. Atque id etiam beata ciuitas illa magnum in se bonum videbit, quòd nulli superiori vllus inferior inuidebit, sicut nunc non inuident Archangelis Angeli cæteri.

Libro tertio de Libero arbitrio capite vigesimo octauo: Tanta est pulchritudo iustitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ, hoc est, incommutabilis veritatis, atque sapientiæ, vt etsi non liceret amplius in ea manere, quàm vnius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni huius vitæ, pleni delitijs & circumfluentia temporalium bonorum rectè, meritoqúe contemnerentur. Non enim falsò aut prauo affectu dictum est: *Quoniam melior est vnus dies in atrijs tuis super millia*.

Sermone 59. de Verbis Domini: Alio modo ibi erit castitas coniugalis, alio modo ibi erit integritas virginalis, alio modo ibi erit fructus boni operis, alio modo corona passionis.

Sermone 64. de Verbis Domini cap. 1. Non ergo magnum est diu viuere, aut semper viuere: sed magnum est, beatè viuere.

Cap. 2. Amemus vitam æternam: & ex eo nouerimus, quantum pro vita æterna laborare debemus, cùm videmus homines amatores præsentis vitæ temporalis atque finiendæ sic pro illa laborare, vt quando venerit metus mortis, quicquid possunt faciant, non vt auferant, sed vt differant mortem. Quantum laborat homo, quando mors imminet, fugiendo, latendo, quicquid habet dando, & se redimendo, laborando, cruciatus molestiasqúe sustinendo, medicos adhibendo, & quicquid aliud homo potest? &c. Facilius enim inuenimus (*in vita æterna*) quid ibi non sit, quàm quid ibi sit, &c.

Cap. 3. Non ibi erit lassari, & dormire: non ibi erit esurire, & sitire: non ibi erit crescere, & senescere, &c. Ecce quanta retuli, & nondum dixi, quid ibi erit. Ecce iam vita est, iam incolumitas est, iam nulla pœna, nulla fames, nulla sitis, nullus defectus: nihil horum, & tamen nondum di-
1. Cor. 2. xi, *quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit*.

Libro tertio de Symbolo ad Catechumenos capite 12. Facilius possumus dicere in illa vita æterna quid ibi non sit, quàm quid ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi lassitudo, non est infirmitas, non est fames: nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mœstitia, nulla tristitia. Ecce diximus, quid ibi non sit. Quid autem
1.Cor. 2. ibi sit vultis nosse? *Hæc nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se*. Si in cor hominis non ascendit, cor hominis illuc ascendat. Mundetur cor ab omni immunditia: vt possit portare Deum, qui est vera, sempiternaq́ iustitia.

Paulinus Nolanus. 420.

Epist. 10. ad Seuerum: Tunc reuelanda nobis, cùm specie videbimus, quæ nunc per fidem prouidemus. Itaque hic seminamus, & ibi metemus: hic spargimus, & ibi congregamus: hic viuimus, & ibi conuersamur. Hic accingimur, & ibi militamus. Hic pugnamus, & ibi vincimus: vel si istic vincimus, ibi coronamur. Itaque quod istic manu struimus, illic fide condimus.

Natali 8. in Felice:

Omnes, quisque suo radiabunt lumine Sancti,
Dissimili fulgore pares, nec iudice Christo
Alter in alterius meriti dispendia crescent:
Christus erit cunctis regnum, lux, vita, corona.
Cernite distinctos actus, sed honore iugatos
Testamentorum veterisq́; nouiq́; magistros,
In quibus vna dedit geminas sapientia leges.
Atque ita virtutes varias par gloria pensat.
Non Petrus irrupit virga mare, sed neque Moses
Æquoris incessit liquido: tamen vnus vtrique
Fulget honos, vnus quoniam fuit auctor vtrique,
Scindere aquas virga pedibus calcare fluenta, &c.

Maximus Taurinensis. 430.

Hom. hyemali in vigilia Natalis Domini: Quanta nos accuratione æterni regis nostri Iesu Christi natalem suscipere debemus, qui pro deuotione nostra, non nobis temporalem largietur gloriam, sed æternam, non terreni honoris administrationem dabit, quæ successore finitur, sed cælestis imperij dignitatem, quæ non habet successorem?

Sixtus Tertius. 433.

De malis Doctoribus & operibus fidei: Non quòd negemus iustorum pro laborum diuersitate diuersa esse præmia meritorum, sed in eodem regno, vbi vnicuiq; pro iusti laboris modo, aut centesimi, aut sexagesimi, aut tricesimi fructus copia reseruetur, & vbi Filius hominis in maiestate Patris cum Angelis suis veniens, reddet singulis secundùm opera sua: & vbi vnicuique secundùm mensuram, qua mensus fuerit, remetietur, &c. & vbi *alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum*, & vbi *qui parcè seminat parcè & metet*: sed tamen metet: & vbi intelligentes *fulgebunt sicut splendor firmamenti*, & cæteri iustorum *sicut stellæ*, & multa alia his similia, quę multimoda Sanctorum merita futura esse testantur.

Eucherius Lugdunensis. 450.

Homilia in Natali vnius Confessoris: Qui plus laborauerit, plus mercedis accipiet. *Stella* enim, vt Apostolus ait, *differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum*. Quamuis igitur omnes beati erunt, nō tamen omnes æquales erunt. Quod quidem in eo significatur, quòd alij supra decem, alij supra quinque ciuitates constituti dicuntur.

Homilia 1. de Epiphania Domini: Vincamus voluptates, & intentiones nostras, dum veniat tempus illud expectatissimum ac beatissimum, in quo nobis ad seruiendum Deo nostro nulla iam obsistat infirmitas, nulla contradicat miseræ carnis aduersitas, nulla vlterius remaneat pugnandi necessitas. Veniet, inquam, tempus illud, quando iam nulla desideretur cibi, somniqúe refectio, nulla sentiatur ieiunij lassitudo, nulla timeatur vel de carne inquietudo, vel de hoste tentatio: sed aduersario in inferni profunda contruso, perfruemur hac primùm felicitate, vt incipiamus nec velle vltra peccare, nec posse, cessante omni iniquitate, omni miseria, omni mœrore: totum innocentia, totum lætitia, totum felicitas possidebit. Nullam inferior miseriam, nullam felicior timebit inuidiam: quia exinanita & penitus extincta omni malignitate, transibit in pectora hominum claritas Angelorum, quibus ad-

mixti homines iam cælestes recepta carne sine carnis infirmitate fulgebunt. Et ideò nullum vlterius patientur de sempiterna Domini seruitute fastidium, nullum sub perenni laudum suarum exultatione defectum: habebimus plenam beatitudinem inter ipsa immensa beneficia Dei nostri, vt nunquam in referenda gratiarum ei actione lassemur, coheredes effecti eius, qui regnat in æternum.

Prosper Aquitanicus. 460.

De Vita contemplatiua libro primo capite secundo: Futura vita creditur beatè sempiterna, & sempiternè beata: vbi est certa securitas, & secura tranquillitas, & tranquilla iucunditas, felix æternitas, æterna felicitas: vbi est amor perfectus, nullus timor, dies æternus, alacer motus, & vnus omnium spiritus de contemplatione Dei sui, ac de sua cum illo permansione securus: vbi ipsa ciuitas, quæ est Angelorum sanctorum & hominum congregatio beata, meritis fulgentibus micat, & æterna salus exuberat: veritas regnat: vbi nec fallit quisque, nec fallitur: vnde nullus ejcitur beatus: quò nullus miser admittitur.

Cap. 4. Hæc est contemplatiua vita beata, ad quam qui bonorum operum consummatione peruenerint, beatis Angelis similes erunt, & simul cum Deo suo sine fine regnabunt. Quod hîc crediderant, ibi videbunt, sui Creatoris substantiam mundis cordibus contemplantes: æterna exultatione gaudebunt: diuina ac mutua dilectione possessi, Deo suo in æternum, & inuicem sibi feliciter adhærebunt: receptis cum incorruptione atque immortalitate corporibus, municipatum patriæ cælestis accipient, atque eius in æternum ciues effecti, promissa præmia reportabunt. Ibi eis exuberabit tanta lætitia, tanta cælestium gratia gaudiorum, vt & remuneratori suo pro tantis muneribus gratias agant, & nullum fastidium ex ipsa affluentium bonorum perceptione sustineant. Ibi ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subiacent facies corporales: quia humanorum pectorum tanta ibi erit, & tam perfecta munditia, vt habeant vnde mundatori suo Deo gratias agant, non vnde offensi aliquibus peccatorum sordibus erubescant: quia nec vlla peccata ibi, nec peccatores erunt, & qui ibi fuerint, iam peccare non poterunt. Nec latebit iam perfectè beatos aliquid secretorum, qui, quod est longè præstantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum: quandoquidem humana creatura ita perfecta erit, vt in melius, aut deterius vltra mutari non possit. Cuius humanæ substantiæ, ad Conditoris sui similitudinem sublimatæ, omnia bona, quæ naturaliter accepta peccato corruperat, reparabuntur in melius: id est, intellectus sine errore: memoria sine obliuione: cogitatio sine peruagatione: charitas sine simulatione: sensus sine offensione: incolumitas sine debilitate: salus sine dolore: vita sine morte: facilitas sine impedimento: saturitas sine fastidio: & tota sanitas sine morbo: quoniam quidem quicquid hîc corporibus humanis vitiandis aut ferarum morsus ademerint, aut improuisi casus abstulerint, aut malarum valetudinum genera diuersa discerpserint, aut humana crudelitas amputauerit, aut si ignis, vel quælibet alia res aliquid debilitatis intulerit, aut ipsa senectus etiam sanis onerosa negauerit, hæc & his similia corporum damna vna ibi resurrectio reparabit, atque ea corpora membris omnibus instaurata, incorruptibilis sanitas obtinebit. Propterea quicunque ibi erunt, etsi differentibus meritis ab inuicem distabunt: omnes tamen vna perfectione beati erunt: quia singulis præmia sua sufficientia erunt, & capere amplius præmijs suis iam perfecti non poterunt. Sicut enim corporalis saturitas omnes saturos æqualiter habet, quamuis singuli cibum non æqualiter, sed pro possibilitate perceperint: ita omnes Sancti, etsi fuerint aliqua graduum suorum diuersitate distincti, vna beatitudine perfecti erunt. quia & vna perfectione beati futuri sunt. Cæterùm in illa tantæ beatitudinis regione nec maioris meriti sibi aliquid quisque arrogabit, quia arrogantia ibi nulla erit: nec superiori inferior inuidebit, quia ibi inuidus nullus esse poterit. Et ideo etsi ibi erit distantia mansionum, summa in illis erit vnius perfectionis æqualitas, quibus erit regni cælestis vna felicitas.

Libro 3. cap. trigesimosecundo: In illa vita beata, ad quam consumpta omni corruptibilitate ac mortalitate perueniunt, quicunque ibi futuri sunt, vbi nec fletus vllus potest esse, nec gemitus, habebunt omnes Sancti amorem perfectum, timorem nullum, & gaudium sempiternum. Ibi eis erit voluntas recta, cupiditas nulla, quoniam fruendo cælestibus bonis, ad quæ peruenire cupiebant, nihil eis deerit, quod vlterius concupiscant: & in illa regione perpetuæ securitatis ac pacis perfectè beati, nec timoris stimulos passuri sunt, nec doloris. Sed timor ille, non quem charitas foras mittit, sed quem charitas nutrit, ideo fortassis in seculum seculi permanebit: quia in seculum seculi permanebunt illa, ad quæ timor ipse perduxerit.

Cæsarius Arelatensis. 470.

Homilia 26. Vita illa, quæ nec oculis potest cerni, nec tacita mentis cogitatione perstringi, quam vtique consequi est facilius, quàm enarrare, cuius erit cursus sine termino, vsus sine fastidio, refectio sine cibo, adiutorium sine defectu, requies sine nocte, otiositas sine senio, indeficiens sub nutu Dei charitas, & sub antiquis perpetuisque gaudijs semper noua iucunditas, & sine vllo amittendi periculo felicitas.

Gennadius Massiliensis. 480.

De dogmatibus Ecclesiasticis capite 54. In diuinis repromissionibus nihil terrenum vel transitorium expectamus, sicut Meletiani sperant: non nuptiarum copulam, sicut Cerinthus & Marcus delirant: non quod ad cibum, vel ad potum pertinet, sicut Papiæ, auctore Irenæo, Tertullianus & Lactantius acquiescunt. Neque per mille annos post resurrectionem regnum Christi in terra futurum, & Sanctos cum illo in delicijs regnaturos speramus, sicut Nepos docuit, qui primam iustorum resurrectionem, & secundam impiorum confinxit.

Fulgentius. 500.

Epistola 4. cap. 8. Proinde gemamus & fleamus coram Domino, *qui fecit nos*, vt à concupiscentia carnis, & à concupiscentia oculorum, & superbia seculi, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est, liberet nos: & ad illam nos subiectionem perducat, in qua nobis nihil repugnat ex mortalitatis vitio, sed ex immortalitatis dono totum, quicquid in nobis est, fiat subditum Deo. Tunc enim erit in nobis vera, perfecta, & excelsa humilitas, cùm & in carne, & in mente nostra, nulla remanserit praua cupiditas: nec cogitationibus fatigabitur spiritus, nec laboribus macerabitur corpus: nulla erit solicitudo certaminis, sed perfecta erit securitas pacis: nulla nobis erit iustitiæ indigentia, sed cum delectatione saturitas plena. Ibi erimus enim perfecta celsitudine beati, quia perfecta erimus Deo carnis & spiritus humilitate subiecti. Ibi nec minor erit laudatione nostra dilectio, nec inferior dilectione laudatio. Erit enim plena nostra laudatio, quia tunc in nobis erit Dei

proxi-

proximique perfecta dilectio. Tunc laudabimus, & habebimus: tunc habebimus, & amabimus & tunc satiabimur cum delectatione, & delectabimur cum satietate.

Epistola 6. cap. 4. Nihil ibi deest, quia totum in illo est. Nihil ibi superest, quia nihil præter illum est. Si qui ergo rerum temporalium & mutabilium amore contempto, in illius dilectionem transeunt, in ipso erunt pleni, in quo nihil indigetur: in eo securi, in quo nihil metuitur: in eo verè semperqúe gloriosi, cuius vera & sempiterna gloria nec aufertur, nec minuitur, nec augetur. Quis non illius vitæ desiderio, præsentem vitam despiciat? Quis non illius abundantiæ delectamento, diuitias temporis labentis exhorreat? Quis non illius regni dilectione, omnia terrena regna contemnat? Illam ergo vitam tunc accipiemus, si huic nos vitæ mortuos æstimemus: & illas diuitias tunc possidebimus, si hîc pauperes spiritu viuamus: & ad illius regni culmen tunc perueniemus, si hîc humilitatem, quam Deus ille Magister docuit, vero corde teneamus.

Alcimus Auitus. 500.

Libro 2. de Peccato originali:

Angelica qualis narratur gloria vitæ
Sydereas habitare domos qualemqúe redemptis
Spondet reddendam mortis post tempora Christus:
Queis neque coniugium curæ, nec fœdere turpi
Miscuerit calidos carnalis copula sexus.
Quando aberit gemitus, luctus, metus, ira, voluptas,
Fraus, dolor, atque dolus, mœror, discordia, liuor,
Nullus egens, nullus cupiens: sed pace sub vna
Sufficiet cunctis Sanctorum gloria Christus.

Cassiodorus. 540.

De Anima cap. 9. Bonorum dona quis dubitet esse perpetua? cùm se cognoscunt lætitiam percipere, & vlterius tristitiam non timere: mereri gaudium, quod nôrunt esse continuum. Illic animus sua prosperitate non pauescit, sed exultationem propriam semper retinet in æternum cogitata prosperitas.

Ad cap. 4. *Canticorum:* Sanctorum Doctorum in præsenti tantùm vita necessaria est prædicatio & doctrina: nam in alia vita, postquam apparuerit æterna dies, & finita fuerit nox præsentis seculi, non necesse erit doceri aliquem: quia omnes reuelata facie gloriam Domini contemplabuntur.

Iunilius Africanus. 540.

In Genesin: Adam ita immortalis factus est, vt posset non mori, si non peccaret: si autem peccaret, moreretur: ita verò immortales erunt filij resurrectionis, cum erunt æquales Angelis Dei, vt nec mori vltra, nec peccare possint. Ideoqúe caro nostra post resurrectionem nulla eget refectione ciborum: quia nulla ei suppetit à fame, vel lassitudine, vel alia qualibet infirmitate defectio.

Gregorius Magnus. 590.

Homilia 37. *in Euangelia:* Si consideremus, fratres charissimi, quæ, & quanta sunt, quæ nobis promittuntur in cælis, vilescunt animo omnia quæ habentur in terris. Terrena namque substantia supernæ felicitati comparata, pondus est, non subsidium. Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quàm vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud, quàm quædam prolixitas mortis? Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ ciuitatis quanta sint gaudia, Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? Sed ad hæc audita inardescit animus, iamqúe illic cupit assistere, vbi se sperat sine fine gaudere: sed ad magna præmia perueniri non potest, nisi per magnos labores. Vnde & Paulus egregius prædicator dicit: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit.* Delectat ergo mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum. 2.Tim.2

Libro 4. *Moral. in Iob cap.* 31. *aliàs* 42. Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa proculdubio discretio dignitatum: vt quo hîc alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat. Vnde in Euangelio Veritas dicit: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Sed in eisdem multis mansionibus erit aliquo modo ipsa retributionum diuersitas concors: quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat: vt quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet. Vnde & non æquè laborantes in vinea, æquè cuncti denarium sortiuntur. Et quidem apud Patrem mansiones multæ sunt, & tamen eundem denarium dispares laboratores accipiunt: quia vna cunctis erit beatitudo lætitiæ, quamuis non vna sit omnibus sublimitas vitæ, &c. Erit ergo & in illa beatitudine culpę memoria, non quę mentem polluat, sed quæ nos arctius lætitiæ astringat: vt dum doloris sui animus sine dolore reminiscitur, & debitorem se medico verius intelligat, & eo magis acceptam salutem diligat, quo molestiæ meminit, quam euasit. In illa itaque lætitia sic tunc sine tædio mala nostra conspicimus, sicut nunc in luce positi, sine vlla cordis caligine animo tenebras videmus. Ioan.14. Matt.20

Homilia 16. *in Ezechielem:* In retributione vltima, quamuis eadem dignitas omnibus non sit vna, tamen erit omnibus vita beatitudinis. Vnde per semetipsum Dominus dicit: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Sed tamen qui in ea ducti sunt, quamuis diuersis horis venerint, vnum denarium perceperunt. Qua itaque ratione conueniant mansiones multæ cum vno denario, nisi quia diuersæ quidem beatorum ciuium dignitates erunt, sed tamen vna requies æternæ retributionis? Nam etsi dispar erit meritum singulorum, non erit diuersitas gaudiorum: quia etsi alter minus, atque alius amplius exultat: omnes tamen vnum gaudium de Conditoris sui visione lætificat. Ioan.14.

Eucherius Gallus. 640.

Libro 3. *in libros Regum:* In vita æterna tanta Dei præsentis gratia munimur, vt nec velimus vltra peccare, nec possimus, neque vllo mortis, siue doloris, siue tentantis aduersarij metu afficiamur &c. Quia nimirum ita nos in illa patria diuinæ præsentiæ claritas adimplet, vt nihil aliud visus noster, nihil auditus, nihil olfactus, nihil gustus, nihil tactus dulce habeat, nisi diligere Deum nostrum ex toto corde, tota anima, tota virtute, & proximum tanquam nos ipsos, &c. In regno cælesti Angeli sancti in imagine sui Conditoris, ad quam facti sunt, semper manent, & electi homines imaginem eius, quam peccando amiserant, recipiunt: Scimus enim, inquiunt, *cùm apparuerit, similes ei erimus.*

Libro 4. Absit ergo, vt dicamus illos Sanctos in vita illa Deum clausis oculis non visuros, quem spiritu semper videbunt: sed vtrum videbunt & per oculos corporis, cùm eos apertos habebunt, inde quæstio est. Si enim tantum poterunt in corpore spirituali, eo etiam modo vtique etiam ipsi oculi spirituales, quantum possunt illi: quales habemus proculdubio per illos Deus videri non poterit. Longè itaque alterius erunt potentiæ, si per eos videbitur incorporea illa natura, quæ non continetur loco, sed vbique tota est.

Audoenus. 660.

Vita S. Eligij libro 2. cap. 16. Si sic amatis hanc miseram momentaneamquè vitam, &c. quanto magis amanda vobis est illa vita æterna, vbi nullus labor est, vbi summa semper securitas, secura felicitas, felix libertas, libera beatitudo? Vbi, sicut
Matt. 22. Dominus ait, erimus similes Angelis Dei, & iusti
Marc. 13. fulgebunt sicut sol. Nulla ibi erit tristitia, nullus labor, nullus dolor, nullus timor, mors nulla, sed perpetua sanitas. Nulla illic existet malitia, nulla carnis miseria, nulla ægritudo, necessitas nulla: non fames, non sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo, non vlla inimici tentatio: non peccandi libido, imò nec malè agendi facultas: sed gaudium & lætitia omnia occupabit, hominesquè Angelis sociati, sine vlla carnis infirmitate perpetuò florebunt. Erit illic lætitia certa, requies secura, pax vera, iucunditas infinita. Ibi quicquid semel adepti erimus, nunquam amittemus. Nihil loco illo magnificentius, nihil gloriosius, nihil illustrius, nihil pulchrius, nihil verius, nihil munificentius. Nihil illa bonitate syncerius, nihil illa abundantia copiosius, &c. Iusti autem ibunt in vitam æternam, in illa sine dubio carne, quam hic habuerunt, &c. Et quanto quisque in hac vita Deo fuit magis obediens, tanto illic vberiorem percipiet mercedem: quantoquè amplius hic eum dilexit, tanto propius eum contemplabitur.

Beda. 700.

Ad Psalm. 85. Est quædam cælestis regio Angelorum, in qua est vita ineffabilium Angelicorum gaudiorum: vbi immortalitas, & incorruptio vigent, & vbi omnia per donum, & per gratiam Dei immutabiliter permanent.

Ad cap. 11. Marci: O quanta felicitas Deitatis visioni inter Angelorum choros adesse perpetuò, si tanta transfigurata Christi humanitas, duorumquè societas Sanctorum ad punctum visa delectet, vt eos, ne descendant, etiam Petrus obsequio sistere velit, qui etsi præ stupore humanæ fragilitatis nesciat quid dicat, insiti tamen sibi affectus dat iudicium: *Nesciebat* enim *quid diceret*, qui oblitus est regnum Dei Sanctis à Domino, non alicubi terrarum, sed in cælis esse promissum.

Ad cap. 12. Marci: Si in resurrectione non nubent, neque nubentur, resurgent ergo corpora, quæ possunt nubere & nubi. Nemo quippe dicit de lapide & arbore, & his rebus, quæ membra non habent genitalia, quia non nubant, neque nubantur: sed de ijs, qui cùm possint nubere, tamen aliqua ratione non nubant. Quod autem infertur: *Sed sunt sicut Angeli in cælis*, spiritualis repromittitur conuersatio. Sunt enim sicut Angeli in cælis, qui gloria resurrectionis innouati, absque vllo mortis metu, absque vlla labe corruptionis, absque vllo terreni status actu, perpetua Dei visione fruuntur. Ad quam necesse est, Angelicæ dignitatis æqualitatem quisquis ascendere desiderat, cum minimis fratribus piè agendo condescendat.

Ad caput 16. Lucæ: Iusti in tormentis semper intuentur iniustos, vt hinc eorum gaudium crescat, quia malum conspiciunt, quod misericorditer euaserunt: tantoquè maiores Redemptori suo gratias referunt, quanto euidentius vident in alijs, quid ipsi perpeti, si essent neglecti, potuerunt. Quia qui Creatoris sui claritatem vident, nihil in natura agitur, quod videre non possint.

Ad cap. 17. Lucæ: In illa beatitudinis gloria, de qua Propheta suspirans aiebat, quia *melior est dies vna in atrijs tuis super millia*, tenebrarum interruptio nulla est, nulla saltem memoria miseriæ vel doloris, *quæ prima abierunt*, &c.

Aponius. 700.

Libro 2. in Cantica: Vbi nullus turbidarum cogitationum clamor, nullius desiderio distentatur, adulterij in ea nulla subreptio, nulla peruagatio oculorum, ciborum nulla concupiscentia transcendit certum terminum constitutum: sed sola ibi pax iustitiæ, ibi solum silentium, cultus iustitiæ requiescit: vbi Domino præsente, nihil aliud præter diuinos apices motu labiorum ruminando imbuuntur.

Libro 3. Sunt enim testimonia in veteri Testamento Legis, quæ Christum humani generis redemptorem probant venturum, aduenisse, iterum aduenturum in gloria. Ponamus igitur legem diuinam latissimum esse palatium, in quo Rex inhabitat Christus, Sermo omnipotentis Dei Patris, vbi ad æternam militiam introducuntur credentium animæ. Vbi cùm omnes, qui introducuntur, vni militent regi: tamen quantò quis melius ministrauerit, tantò gradum sibi magis bonum acquirit, ex multa fiducia lateribus regis coniunctus.

Alcuinus. 750.

Libro 2. de Trinitate cap. 16. Quamuis vsque ad æqualitatem Angelicam humana post resurrectionem natura proficiat, & ad contemplandum Deum glorificata consurgat, videre tamen eius essentiam planè non valet: sed vnicuique Sanctorum ad suæ sufficientiam beatitudinis manifestabitur gloria eius.

Libro 3. cap. 22. de æterna beatitudine Sanctorum: Quid verò acturi sint in illa requie summæ beatitudinis, Psalmista exposuit, dicens: *Beati, qui habitant in domo tua Domine: in secula seculorum laudabunt te.* Expressiusquè ipse Dominus in Euange- Psal. 83.
lio, vbi ait: *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum* Matt. 6.
videbunt. Hæc est absque omni perturbatione beata Dei pax, quæ exuperat omnem sensum: in qua videbitur Deus Deorum in Sion, id est, in speculo perpetuæ quietis. Omnia quippe membra & viscera incorruptibilis corporis, quæ nunc videmus, per vsus necessitatis, distributa habere ministeria, proficient laudibus Dei: Quia nulla erit eis tunc necessitas laborandi: nec vlla cuiuslibet indigentiæ molestia, sed plena, certaquè securitas, & sempiterna felicitas, & indeficiens lætitia. Quàm ineffabilis felicitas erit illa, vbi nullum erit malum, vbi nullum deerit bonum. Vacabitur Dei laudibus: quia erit omne bonum in omnibus: vnus amor omnium, vna concordia cunctis: verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno: nec ad eum perueniet vllus indignus, vbi nullus permittitur esse indignus, vbi pax, vbi nihil aduersum à seipso quisquam, nec ab aliquo patietur.

Libro 7. in Ioannem cap. 10. Licet in futuro regno mansiones diuersæ sint, propter merita Sanctorum diuersa: tamen quicunque in isto regno erit, beatus erit, & sufficiet sibi quod habuerit: in eo gaudebit quod possidet.

Ambrosius Ansbertus. 770.

Libro sexto in cap. decimumquartum Apocalysis: Sed mirandum valde est, cur hi, qui summa felicitate perfruuntur, miserorum cruciatus sub oculis habere dicuntur. Quia enim cælestis patriæ ciues perfectum gaudium ex visione Conditoris sui habebunt, procul dubio ex miserorum cruciatu nullum mœrorem contrahent: & quia eos minimè ad veniam redire posse considerant, profectò ad eos nulla misericordia seipsos inclinant. Cur ergo in conspectu eorum cruciantur, qui nec illorum miserijs vltra compati, vt pro ijs apud iustum iudicem interueniant, nec de illorum

si pplicijs vllum mœrorem habere probantur? Sed scientum nobis, quia ordinante diuina iustitia hoc ideo fit, vt dum impiorum cruciatus iusti conspiciunt, in Dei laudibus crescant: quia & in se cernunt bonum, quo gratis remunerati sunt: & in illis aspiciunt supplicium, quod misericorditer euaserunt: eritque vt malorum tormentum ad electorum proficiat laudis incrementum. Ita enim tunc pulchra erit vniuersitas, dum & gehenna iustè cruciat impios, & æterna felicitas iustè remunerat pios. Sicut niger color in pictura substernitur, vt superiectus albus vel rubens pulchrior ostendatur: ita inquam tunc malos bene ordinans Deus, feliciora exhibet gaudia beatorum, ostensis ante oculos eorum supplicijs reproborum. Et quamuis illud ex visione Dominica eorum gaudium non sit, quò crescat: magis tamen auctori suo se debitores sentiunt, quando & bonum cernunt, quod gratis percipiunt, & malum, quod misericorditer euaserunt.

Haymo. 820.

In 1. ad Corinthios cap. 15. Vnus tunc erit princeps Deus Trinitas: quia cessabit omnis creaturæ potestas in Angelis & hominibus. Cessabit timor, regnabit integra charitas, nec iam erit inter præsidentes & subditos vlla dissensio, ac proprerea bonorum spirituum, ac iustorum omnium vnus Deus erit.

Super Euangelium in Octaua Paschæ: Animæ fideles cum suis corporibus semper lętabuntur: animæ quoque infideles cum suis corporibus semper torquebuntur.

Ad cap. 21. *Apocalypsis:* Omnem lachrymam ab oculis electorum Deus absterget: quia neque timore arctabuntur pœnarum: neque iam differentur à regno, quod præsentialiter possidebunt: neque etiam aliorum peccata deflebunt: quia iusto Dei iudicio, damnatis reprobis, nullus deinceps peccare poterit.

Angelomus. 830.

Ad caput septimum libri secundi Regum: In Hierusalem omnes electi post diem iudicij translati, absque vlla perturbatione vsque in æternum manebunt.

Ad cap. 6. lib. 3 *Regum:* In præsenti Ecclesia talem nos ingredi ac ducere vitam necesse est, in qua dilectionem Dei, & proximi, per fidem & operationem, per patientiam & benignitatem seruemus. In futura autem vita Deum & proximos in luce æternæ beatitudinis videbimus, eadem vtrique dilectione genuina absque vllo prorsus labore, imò magna multitudine diuinæ dulcedinis fruemur.

Rabanus Maurus. 850.

De Vniuerso libro quarto capite decimo: In diuinis repromissionibus nihil terrenum, nihil transitorium expectemus, sicut Meletiani sperant: non nuptiarum copulam, sicut Cerinthus & Marcion delirant: non quod ad cibum vel potum pertinet, sicut Papia auctore Irenæus, & Tertullianus, & Lactantius acquiescunt: neque per mille annos post resurrectionem regnum Christi in terra futurum, & Sanctos cum illo in delicijs regnaturos speremus, sicut Nepos docuit, qui primam iustorum, & secundam impiorum resurrectionem confinxit, & inter has duas mortuorum resurrectiones gentes, ignorantes Deum, in angulis terrarum in carne reseruandas: quæ post mille annos regni in terra iustorum, instigante diabolo, mouenda sunt ad pugnam contra iustos regnantes: & Domino pro iustis pugnante, imbre igneo compescendos, atque ita mortuos cum cæteris in impietate in ortuis, ad æterna supplicia incorruptibili carne resuscitandos.

In Ecclesiasticum libro sexto capite sexto: Sanctæ animæ electorum pennis virtutum semetipsos à terrestrium & præsentium societate subleuant, & sanctis Angelis in cælesti gaudio adsociari appetunt, quibus etiam in futura vita coniunguntur, quando Veritas Christus in die iudicij reuertetur, & eos, qui mandata eius bene operando custodierunt, ad semetipsum recolliget: econtrario verò peccatores sine dubio in laqueum perpetuæ mortis cadent.

Capite vndecimo de modo Pœnitentia: Præuidit bonitas Dei, vt in hac breui & exigua vita agones essent & labores: in illa verò, quæ æterna est, corona & præmia meritorum, vt labores quidem citò finirentur, meritorum verò præmia sine fine durarent. Sed hoc sicut lætificat eos, qui per laborum patientiam coronantur: ita affligit & excruciat illos, qui vident se paruo & exiguo deliciarum tempore perdidisse quidem bona æterna, mala verò quæsiuisse perpetua.

Cap. 12. Dicitur de æterna vita quodam loco, quòd aufugiet ibi dolor, & tristitia, & gemitus. Quid hac beatius? vbi non est paupertatis metus, non ægritudo: nemo læditur iniustè, aut læditur: nemo irascitur, nemo inuidet: nulla cupiditas exardescit, nullum cibi desiderium, nulla honoris pulsat aut potestatis ambitio: sed omnis vitiorum labes deposita & penitus extincta est, pax cuncta continet, & lætitia: tranquilla sunt omnia, & quieta. iugis splendor, non iste, qui nunc est, sed tanto splendidior, tanto clarior, quanto splendidior est sol lucerna. Nulla ibi nox, nullæ tenebræ, nullus imbrium turbo, nulla frigoris, nulla ardoris asperitas: sed talis quædam erit regum temperies, quam scient illi soli, qui ea digni fuerint perfrui. Non est senectus ibi, nec senectutis miseria: sed omne, quicquid corruptionis est exoluit, & gloria incorruptionis cuncta circundat. Verùm super hæc omnia est, sociari consortijs Angelorum, & Archangelorum, omniumque cælestium, supernarumque Virtutum contubernijs perfrui. Vltra omnem verò hanc huiusmodi, est gloriam ipsius Domini nostri Iesu Christi ineffabili adipisci conspectu, & maiestatis eius inenarrabili splendore irradiari.

Cap. 13. Conferamus oculos ad montem illum, in quo transformatus est Christus, & intueamur splendorem eius illum, quo tunc in transformatione resplenduit. Nec sic quidem inueniemus nobis cunctam futuri seculi gloriam patefactam. Illa enim transformatio patefacta est, non in quantum futurorum bonorum veritas habet: sed quantum ferre poterant oculi intuentium. Sic enim & Euangelium dicit: *Quia resplenduit sicut sol.* Incorruptorum autem gloria corporum non hoc tantum splendoris emittet, quantum ex ista corruptibili luce procedit: nec talem lucem, qualem nunc mortales oculi capere possunt: sed tantus erit futuræ lucis splendor, quantum corporeus ferre non possit aspectus, cùm tamen illum tulerit, qui in montis formatione resplenduit. Vnde ostenditur, quia tantum reuelatum sit, quantum ferre oculi mortalium poterant: nec tamen tolerauerunt ex integro, sed *ceciderunt*, inquit, *super faciem in terram.*

Lib. 3. *in Exodum cap.* 11. AEterni regni distributio non indifferenter omnibus datur: sed pro qualitate accipientium, districto diuinitus examine, singulis quibusque distribuitur: corona enim aurea mensæ Domini pura, & non interrasilis esset, si claritas futuræ retributionis nostrorum æqualis omnibus panderetur, instar videlicet hu-

ius mun

ius mundi solis, cuius splendorem Deus indifferenter super bonos & malos facit oriri. At quia *sicut stella à stella differt in claritate*, ita & erit resurrectio mortuorum, corona mensæ Domini, variis distincta scripturis, sed competenter ordinatis apposita est. Vna etenim vita futura omnibus est promissa iustis: sed multiformis in illa pro diuersitate meritorum gloria est singulorum.

Remigius Antisiodorensis. 880.

Ad Psalm. 5. Tota hæc vita quasi nox est, quia multis & magnis ignorantiæ & vitiorum tenebris inuoluitur: transacta hac corruptibili vita, cùm *mortale hoc induet immortalitatem*, veniet manè, id est, initium diei nunquam deficientis. Tunc enim *fulgebunt iusti quasi sol in regno Patris eorum*, claritate virtutum splendidi, nullam maculam corruptionis habentes.

Ad Psalm. 91. Requies illa, quæ per Sabbatum futura designatur, nullis tenebris obfuscatur: sed in purissima claritate æternaliter agitur.

Altercatio Synagogæ & Ecclesiæ. 900.

Cap. 3. Si tantum gaudium, & tanta iucunditas est ista vita mortalis, quæ constat ex præsentia spiritus in corpore corruptibili: quanta iucunditas erit vita illa immortalis, ex præsentia Deitatis in spiritu rationali, dum ipse homo quod minus ex dispensatione Creatoris acceperit conditus, per gratiam eiusdem acceperit glorificandus?

Cap. 4. Cùm mortale nostrum induerit immortalitatem, & corruptibile nostrum induerit incorruptionem: cùm mors absumpta fuerit in victoria, & principium suum repetierit perfectæ libertatis noua creatura: cùm venerit quod perfectum est, & euacuatum fuerit quod ex parte est; & quod videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem à facie ad faciem viderimus, cùm cessante mentis & corporis mutabilitate, liberum arbitrium fuerit liberatum, vt quod volumus possimus, & quod possumus rectè velimus: vbi sicut voluntatem possibilitas, sic possibilitatem præcedit ordinata voluntas; & quibus nunc accidit ex natiua corruptela velle & posse peccare, tunc habuerimus nunquam & nusquam vel velle, vel posse peccare.

Cap. 20. *Filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quia cùm apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Ibi non erit amodò labor & luctus, vectigalium debitorum exactor onerosus, non erit ibi lethalis chirographi testator admissus, non hæredum proscriptio, non exilij luctus & vexatio, sed status æternitatis.

Radulphus Flauiacensis. 950.

In Leuiticum libro 4. *cap.* 1. Cùm vita beata signatur, non immeritò locus mundissimus nominatur: quia felix illa ciuitas confracto peccati aculeo, & prorsus eliminato, non in se hostem habet, cum quo confligere, & de quo triumphare cogatur: sed post multiplices triumphos, iam pace quietissima coronatur.

Libro 16. *cap.* 1. Triplex est Sabbati figura. Nam in præsenti vita dupliciter obseruatur: in futuro autem Sabbatum sabbatorum, Deo promittente, speratur. Erit enim tunc, vt Esaias testatur,

Esa. 66. *mensis ex mense, & Sabbatum ex Sabbato.* In mense siquidem fiet dierum collectio, dies autem virtus intelligitur, sicut & peccatum nox. Quantumcunque ergo iustus, dum hîc viuit, virtutibus abundet: illi tamen virtutum plenitudini non valet æquari, cùm replebimur in bonis domus Dei: quia *mensis* illic erit *ex mense*, id est, à mensium cæterorum exceptus numero, & omnem vitæ præsentis transcendens profectum sanctitatis perfectio. Erit & *Sabbatum ex Sabbato*: quia Sanctorum quies hîc inchoatur, illic verò qualibet ex parte perficitur.

Libro 19. *cap.* 2. In illa spiritus alacritate, in corporis immortalitate, *alia est claritas solis, alia lunæ, alia stellarum*: quia, teste Apostolo, *talis erit resurrectio mortuorum.* Omnes igitur tunc diuinæ visioni vacabunt, quia diuino munere hoc ipsum percipient: sed tamen alia erit eorum gloria, qui etiam corpore corruptibili grauati, postpositis curis temporalibus, huic sancto negotio se mancipârunt, vt cordis oculum purgarent, & inter tenebras vitæ huius veritatis lumen inquirerent: alia illorum, qui semper, dum hîc viuunt, terrenis curis adhærentes, ab amore occupationis huius pessimæ non nisi mortis violentia separantur. Alius erit honor continentium, qui hîc in carne viuentes, extra carnem facti sunt: alius coniugatorum, qui carnis voluptatem non nisi carne deficiente relinquere voluerunt. Dispar quoque futura est remuneratio voluntariæ paupertatis. 1. Cor. 15

Smaragdus. 950.

In Regulam S. Benedicti, in expositione Prologi: In vita æterna non est fletus, nec vllus potest esse gemitus: ibi habebunt omnes Sancti amorem perfectum, timorem nullum, & gaudium sempiternum. Ibi enim erit eis voluntas certa, cupiditas nulla: quia fruentur bonis cælestibus, ad quæ peruenire cupiebant. Nihil eis deerit, quod vlterius concupiscant, & in illa regione perpetuæ securitatis ac pacis perfectæ nec timoris stimulos passuri sunt, nec dolores.

Petrus Damianus. 1050.

Epistola ad Desiderium Abbatem Casinensem: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant, &c.* Hoc fiet, cùm veniet Dominus, & illuminauerit abscondita tenebrarum, cùm tenebræ mortalitatis huius & corruptionis pertransierint. De hac contemplatione intelligitur dictum: *Cùm tradiderit regnum Deo Patri*, id est, cùm perduxerit iustos, in quibus nunc ex fide viuentibus regnat, *mediator Dei & hominum homo Iesus Christus* ad contemplationem Dei & Patris.

Radulphus Ardens. 1060.

Dominica prima post Pascha: In resurrectione corpus septem donis decorabitur. Primum erit subtilitas: adeò enim tunc subtile erit corpus, quòd obstantia corpora possit penetrare, nec vinculis, nec claustris prohiberi queat. Vnde & corpus Christi glorificatum potuit clauso sepulchro exire, clausisque ianuis intrare. Secundum erit velocitas: nam tantæ velocitatis erit corpus glorificatum, quòd in momento de cælo ad terras, de terris ad cælum, ab Oriente in Occasum, vel è conuerso ire possit. Hinc est, quòd Dominus apparens duobus discipulis in Emaus, mox apparuit Petro in Hierusalem, cùm loca sexaginta stadijs distent. Tertium erit incorruptibilitas: Luc. 24 tunc enim corpora non poterunt corrumpi, nec morte, nec senio, nec morbo, nec gladio, nec fame, nec siti, nec aliquo incommodo. Vnde Ioannes: *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum, &c.* Quartum erit fortitudo: tunc enim Apoc. 21 tantæ fortitudinis erit corpus glorificatum, quòd montes etiam possit euertere, quod nunc Angelos posse credimus. Vnde & lapidem ab ostio monumenti, qui valde magnus erat, quasi plumam Angelus vnus euertit. Quintum erit pulchritudo: tantæ enim pulchritudinis, tantæque gloriæ tunc erit corpus, vt fulgeat sicut sol. Sextum erit voluptas: tunc enim omnes corporei sensus veris,

& æternis voluptatibus delectabuntur. Septimum erit libertas: adeò enim corpus glorificatum erit liberum, vt ea, quæ nobis contraria videntur, ipse possit ostendere: vt cùm subtile sit in sua natura, se corpulentum & palpabile possit ostendere, & cùm voluerit euanescere: vt cùm gloriosum & fulgens sit in sui natura, se sub obscurum & visibile possit ostendere: cùm nullius cibi, aut vestis indigeat, possit manducare, & esse vestitum. Quod & de Angelis legimus.

Anselmus. 1080.

Epistola secunda ad Hugonem: Si aliquem illiteratum, & qui altiora non possit capere, ad beatitudinis æternę desiderium existimo posse incitari, frater charissime: regnum cælorum clamat Deus se habere venale. Quod quidem regnum cælorum tale est, vt eius beatitudinem & gloriam nec oculus hominis mortalis possit videre, nec auris audire, nec cor cogitare. Quisquis ibi regnare meruerit, quicquid ipse volet, hoc erit in cælo, & in terra: quicquid verò nolet, nec erit in cælo, nec in terra. Tanta enim erit dilectio inter Deum & eos, qui ibi erunt, & inter seipsos inuicem, vt omnes se inuicem diligant, sicut seipsos, sed plus ament omnes Deum, quàm seipsos. Et propter hoc nullus ibi volet, nisi quod Deus, & quod volet vnus, hoc volent omnes: & quod vnus, vel omnes, hoc ipsum Deus volet. Quapropter quicquid vnusquisque volet, hoc erit, & de seipso, & de omnibus alijs, & de tota creatura, & de ipso Deo. Et sic singuli erunt perfecti reges, quia quod singuli volent, hoc erit, & omnes simul cum Deo vnus rex, & quasi vnus homo: quia omnes vnum volent, & quod omnes volent, erit.

Libro de Similitudinibus capite 47. Multi homines, quibus nonnunquam boni mores, & iusta opera proponuntur, cùm, vt se in eis, seculi postposita vanitate, exerceant, admoneantur, inquirere solent, quamobrem, quo præmio, qua retributione. Respondetur itaque illis quod scriptum est: *quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quę preparauit Deus diligentibus se.* Quod cùm illi non clarè quid sit aduertere possunt, repetitur hoc ipsum alijs verbis, & dicitur eis: præmium, quod his, qui in hac vita Deo seruiunt, in futura vita recompensatur, est vita æterna, beatitudo æterna, æterna iucunditas, sufficientia simul omnium commodorum secundùm voluntatem, & sine omni indigentia. Hæc ergo cùm illis hoc modo dicuntur, bona quidem & magna, vt sunt, videntur: sed quia non intelligunt, quid in ipsa vita habituri sint, nec subitò quid sit omnium commodorum secundùm voluntatem sufficientia, & sine omni indigentia, percipere possunt, hærent animo, nec multum efficaci sapore ad audita trahuntur. Quid igitur agendum, vt hæc illis aliquatenus sapiant, & sic ad bona opera euigilent? Puerorum more cibandos æstimo eos, qui si aliquando grossum aliquod pomum edendum percipiunt, illud ob dentium teneritudinem, & oris angustiam assumere nequeunt, si pro illorum capacitate prius non fuerit particulatim diuisum. Itaque diuidamus in partes magna, quæ diximus, vt inde possint ad vitam nutriri, de quibus agimus. Quæ vt melius eluceant, consideremus quæ in hac vita mens auidius amet humana, & ex his, prout possumus, coniectemus illa eos habituros in vita æterna, &c. Hoc igitur, vt prætaxauimus, faciamus, & à minimis paulatim progrediamur. Quatuordecim igitur sunt beatitudinis partes, quas finito generali examine perfectius omnes electi habebunt: totidemque miseriæ genera, quæ mali tunc sustinebunt. Hæ autem beatitudinis partes atque miseriæ sic sibi inuicem omnino sunt contrariæ, quomodo & ipsi, qui eas accipiunt in remuneratione.

Cap. 48. Partes verò Beatitudinis sunt: pulchritudo, agilitas, fortitudo, libertas, sanitas, voluptas, longæuitas, sapientia, amicitia, concordia, honor, potestas, securitas, gaudium, &c. Partes verò miseriæ, quatuordecim prælibatis beatitudinibus contrariæ, hæ sunt.

Cap. 49. Turpitudo, ponderositas, imbecillitas, seruitus, infirmitas, anxietas, vitæ breuitas, insipientia, inimicitia, discordia, dedecus, impotentia, timor, tristitia. Notandum quòd sicut septem priores illius beatitudinis partes ad corporis beatitudinem, septemque posteriores ad animæ pertinent beatitudinem: sic quoque septem priores huius miseriæ partes corporis, septemque vltimæ miseriam perficiunt mentis. Quicunque ergo illas omnes beatitudinis partes habere poterit, perfectam corporis & animæ beatitudinem possidebit: quemcunque verò has omnes miseriæ partes tolerare contigerit, summæ corporis & animæ miseriæ subiacebit. Verùm in hac vita nec vnam illius beatitudinis, & huius miseriæ partem quisque potest habere, nec rursus ex toto ea carere. In alia verò vita, aut perfectam habens beatitudinem, miseriæ nullatenus subiacebit: aut summę subiacens miserię, omninò beatitudine carebit.

Cap. 50. In illa vita siquidem pulchritudo iustorum solis pulchritudini, qui septempliciter, quàm modò sit, splendidior erit, adæquabitur. Vnde scriptum est: *Fulgebunt iusti sicut sol in conspectu Dei.* Si verò iniustus fuerit, cœno & omni cadauere fœtidior erit, omniquè fulgine turpior erit. Matt. 13.

Cap. 51. Velocitas, quæ pulchritudine non minus amatur, tanta nos comitabitur, vt ipsis Angelis Dei æquè celeres simus, qui à cælo ad terras, & è conuerso, dicto citius dilabuntur. Malus verò tanto pœnarum pondere premetur, vt nec pedem quidem, vel manum, vel aliquid sui corporis possit mouere. Vnde & illud in Euangelio: *Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores.* Matt. 22

Cap. 52. In futuro seculo sic iustus fortis erit, vt etiam, si velit, terram commouere possit: & sic è conuerso iniustus imbecillis, vt nec etiam vermes amouere queat ab oculis suis.

Cap. 53. Sicut Angelis nihil obsistit, nec aliquid eos impedire potest, vel constringere, quin pro velle suo cuncta penetrent liberrimè: ita non erit aliquod obstaculum, quod nos retardet; nulla clausula, quæ nobis vllatenus obstet, &c. In illa etenim vita, si bonus fuerit, nihil patietur quod nolit, sed agere permittetur quæcunque voluerit. Si verò fuerit malus, ad omnia, quæ noluerit, cogetur: & ab omnibus, quæ voluerit, prohibebitur.

Cap. 54. Incunctanter, vt mea quidem fert opinio, astruere licet, sanitatem vitæ futuræ ita vigere, & immutabilem ac inuiolabilem fore, vt ineffabili quadam dulcedine suauitatis totum hominem repleat, & omne, quod alicuius in se vicissitudinis, mutabilitatis, aut læsionis suspicionem prætendere queat, procul arceat, atque repellat. Sic igitur iustus erit sanus. At verò quemlibet iniustum tanta ibi infirmitate scias infirmari, vt nullo postmodum medicamine queat medicari.

Cap. 56. In illa futura vita delectatio quædam ineffabilis bonos inebriabit, & inæstimabili dulcedine sui totos eos inenarrabili abundantia satiabit. Quid dixi, totos? oculi, aures, nares, os, manus, guttur, cor, iecur, pulmo, ossa, medullę, extra etiam

ipsa, & cuncta singulatim, singulaque membra eorum in communi tam mirabili delectationis & dulcedinis sensu replebuntur, vt verè totus homo torrente voluptatis Dei potetur, & ab vbertate domus eius inebrietur. Verùm è contrario, vt dictum est, credimus de iniusto. Sit enim ante oculos cordis positus exempli causa homo aliquis, qui tam in ipsis oculorum suorum pupillis, quàm in singulis membris ferrum ignitum & cadens infixum habeat, ita vt nec medullæ, nec intestina, nec omnino quicquam in toto ipso cruciatus immanitate illius careat, vel etiam leuius quàm in oculis aliquatenus sentiat: quid dicam angustiatur? quis hunc æstimet sanæ mentis inter ipsa?

Cap. 58. Si bene vixerit nunc, tunc viuet quantum & Deus. Vnde scriptum est: *Iusti autem in perpetuum viuent.* Si verò malè vixerit, non nisi moriendo tunc viuere poterit. Nihil ergo breuius illa vita, cui mors fuerit semper iuncta.

Cap. 59. Sapientia, quam omnes in hac vita non vtiliter amant, tanta in futura vita bonis erit, vt eorum, quæ scire voluerint, nihil sit, quod ignorent. Bonus enim perfecta, quæ est Deus, sapientia replebitur, eamque facie ad faciem intuebitur. Quam dum ita perspexerit, creaturæ totius naturam videbit, quæ in Deo melius quàm in seipsa consistit. Tunc enim isti omnia scient, quæ Deus fecit scienda, tam ea, quæ præterita, quàm quæ postmodum sunt futura. Ibi à singulis omnes, ab omnibus singuli cognoscentur, nec quenquam omnino latebit, qua patria, qua gente, qua stirpe quis editus fuerit, vel quid etiam in vita sua fecerit.

Cap. 61. Si autem fueris malus, vera omnino sapientia priuatus, tantis vrgeberis doloribus, vt non solùm insipiens, verum omnino fias & amens.

Cap. 62. Bonum quemque sic Deus, omnesque alij sic diligent boni, vt eum habere odio vltra non possint. Quantum namque quisque seipsum, tantum etiam diliget & alterum. Malum autem quemque sic Deus, omnesque boni habebunt odio, vt nec filius quidem pietatem habeat de patre in pœnis conspecto.

Cap. 63. Corpus & anima cuiusque Sancti, imò concordiæ tantæ erunt omnes iusti, quantæ in præsenti sunt oculi nostri. Sicut enim oculus vnus verti non potest, quò non vertatur & alius, sed in eandem partem semper voluuntur: sic etiam corpus & anima, vel societas illa iustorum nihil poterunt diuersum, sed eandem semper voluntatem habebunt. Corpus enim vnum erimus, Ecclesia vna erimus, sponsa Christi erimus, quicunque ibi erimus. Ipsa Dei voluntas non erit à tua diuersa: sed sicut tu quod ille, ita & ille volet in cunctis quod tu: caput namque à suo corpore quonam modo discreparet?

Cap. 64. In illa admirabili & glorificata dispositione, & æquè disposita glorificatione beatæ ciuitatis Dei, ita quisque quod adeptus fuerit amabit, vt statum suum potiori gradu immutari non velit. Quare? quia cuique satis erit sua felicitas & beatitudo, sibi pro meritis suis misericorditer impartita. Mali verò in discordia tanta persistent, vt eorum corpus & anima semper dissideant. Nam & corpus animam odio habebit eò quòd malè vnquam cogitauerit: & anima corpus, eò quòd malè cogitata opere compleuerit, pro quibus omnibus torquentur in pœnis.

Cap. 67. In illa beata supernorum ciuium societate, quemadmodum hi, qui summæ Deitati sunt propinquiores, & ob hoc alijs præstantiores, Dij dicuntur: ita & qui illis sunt inferiores quoniam vna & eadem, qua & ipsi, summæ Deitatis gloria pro sua capacitate participant, simili nomine Deos dicendos esse necesse est. Talis honor, vt prælibauimus, iustis pro modo meritorum exhibebitur. Quisquis verò malus è contra sic exhonorabitur, vt in omni fœtore deiectus, vermium etiam dominio subijciatur.

Cap. 68. In seculo futuro aut verè præpotens, aut erit quisque omnino semperque impotens. Bonus autem quicquid voluerit facere, omnino poterit quoniam ipsum omnipotentem in omnibus suæ voluntati concordantem habebit: malus verò nihil quod velit agere quibit.

Cap. 69 In seculo futuro aut securitatem quisque perfectam, aut è contra summum habebit timorem. Bonus autem quicquid voluerit habebit, & nihil ex eo se amissurum timebit.

Cap. 70. Malus verò & semper tormenta, quæ patietur, pauebit, & nunquam ex eis euadere poterit.

Cap. 71. In seculo futuro aut lætitia, aut tristitia quisque replebitur summa. Bonus enim quisque tunc poterit gaudere, quia prædictas omnes beatitudinis partes obtinebit perfectè. Quid ergo beatius illo, quo tunc replebitur iustus gaudio? Adhuc tamen ad cumulum beatitudinis suæ aliud habebit, vnde magis possit gaudere. Quia enim quisque sic vt se, alterum amabit, patet, quia sic de illius felicitate, vt de sua gaudebit. O quot igitur, & quanta gaudia quisque obtinebit, qui de tot ac tantis beatitudinibus Sanctorum iubilabit? Quod si tantum de alijs, quos vt se diliget, gaudebit: quantum de Deo, quem supra se diliget, exultabit? Gaudium enim erit ei intus & extra, sursum & deorsum, gaudium circumcirca, vbique gaudium plenum. Malus verò è contra tristitia replebitur summa: quia omnes miseriæ partes, quibus nihilominus se circumseptum sentiet, ineuitabiliter sine fine patietur, & indeficienter.

In cap. 8 *ad Romanos:* Si quis pateretur omnes pœnarum acerbitates, quæ in tempore præsentis vitæ sufferri possunt, non essent omnes vitæ passiones dignum meritum ad consecutionem futuræ gloriæ, quæ ablato omni velamine reuelabitur in nobis, quando percipimus illud, *quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.*

Hildebertus Cennomanensis. 1100.

Epistola 31. In hoc fructu est regnum sine termino, satietas sine tædio, sublimitas sine discessu, glorificatio sine defectu.

Franco Affligiensis. 1110.

De gratia Dei Tomo vltimo: Non est humanæ angustiæ illa æternæ claritatis gaudia comprehendere, vbi quod contristet nihil interueniet, nihil deerit quod lætificet.

Luctus ibi nullus resonat, quia nec dolor vllus:
Nil ibi quod pigeat, tædeat, aut pudeat.
Non ibi peccatum, quod possidet hic dominatum:
Quod seruens vitio, non ea sit regio.
Cunctis inuisa mors ipsa nec est ibi visa,
Nec metuenda tibi, vita perennis ibi.
Non opus est aratris illic, aut imbribus atris,
Semina qui foueant, arida ne pereant.
Omnibus est vnus panis, mirabile munus:
Quem semper comedis, nec comedens minuis.
Mirum, sed verum, facies illic noua rerum:
Qui verè cibus est, panis ibi Deus est.

Anxietas, pestis, morbus, languor procul estis,
Terrigenas premitis, cælicolas fugitis.
Qualis tot vestis sit, adest sacra pagina testis:
Christo vestitur, qui lauacro abluitur.

Rupertus Tuitiensis. 1120.

Libro 2 in Apocalyp. cap. 2. Qui dignè percipit hoc sacramentum, sic resurget in nouissimo, vt corpore nouo candorem habeat solidum, candorem sempiternum, sitque corpus eius quasi calculus, id est, splendida immutatione solidatum. De quo Apostolus: *Mortui,* inquit, *resurgent, & nos immutabimur.* Immutari namque Sanctorum est tantùm, denique est, ac si diceret: vltra non moriemur, impassibiles erimus.

Honorius Augustodunensis. 1120.

Dialogo de libero arbitrio & prædestinatione: In cælo nulla miseria, ideo nullus dolor in inferno positorum tangit præcordia electorum: sed vt noster visus pascitur, si diuersa animalia à nobis in gurgite ludere cernantur, ita ipsi in vniuersa Dei dispositione lætantur.

Hugo Victorinus. 1130.

Libro 4. de Anima capite 15. Omnium (*Beatorum*) simul in communi actio septiformis est. Viuunt, sapiunt, amant, gaudent, laudant, veloces sunt, securi sunt, &c. Viuunt vita sine fide, sine molestia, sine diminutione, sine omni aduersitate. Vita eorum visio & cognitio beatæ Trinitatis, sicut Dominus ait: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Sapiunt consilia atque iudicia Dei, quæ sunt abyssus multa. Sapiunt causas & naturas, & origines omnium rerum. Amant Deum incomparabaliter: quia sciunt vnde & ad quid eos Deus prouexit. Amant singuli singulos sicut seipsos. Gaudent de Deo ineffabiliter. Gaudent de tanta sua beatitudine. Et quia vnusquisque vnumquemque diligit sicut seipsum, tantum gaudium quisque habet de bono singulorum, quantum de suo: quoniam bonum, quod non habet in seipso, possidet in altero. Constat igitur, quòd singuli tot gaudia habent, quot socios: & singula gaudia tanta sunt singulis, quantum proprium singulorum. Cùm autem quisque plus amet Deum, quàm seipsum, & omnes alios secum, plus gaudet de Dei felicitate, quam de sua & omnium aliorum secum. Si ergo cor vniuscuiusque vix capit suum gaudium, quomodo capit tot & tanta gaudia? Ideo dicitur: *Intra in gaudium Domini tui:* non, intret gaudium Domini tui in te, quia capi non posset. Inde laudant Deum, sine fine, sine fastidio, sicut scriptum est: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Veloces sunt, quia vbicunque esse vult spiritus, ibi est etiam corpus. Omnes securi sunt. Securi sunt de tali vita, de tanta sapientia, de tanto amore, de tanto gaudio, de tali laude, de tali velocitate, quòd nullum finem, nullam diminutionem, nullum detrimentum habebunt.

Cap. 16. In ea siquidem cælesti patria est vita sine morte, iuuentus sine senectute, sanitas sine infirmitate, requies sine labore, gaudium sine tristitia, pax sine discordia, delectatio sine fastidio, lux sine tenebris, pulchritudo sine turpitudine, agilitas sine ponderositate, fortitudo sine imbecillitate, libertas sine seruitute, voluptas sine anxietate, longæuitas sine vitæ termino, sapientia sine insipientia, amicitia sine inimicitia, concordia sine discordia, honor sine decore, securitas sine timore.

Bernardus. 1130.

Sermone de triplici genere bonorum: Aeterna bona illa bona sunt, *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit,* & quæ nunquam exeunt ab illa patria, quæ nescit, nisi gaudium & iubilationem. Ibi nihil deest, ecce abundantia, qua impleatur humana cupiditas. Quæ est ista copia, vbi nihil quod nolis sit, totum sit quod velis? *Fiat pax* (ait Propheta ad Hierusalem) *in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* Psal. 121. In illis, inquam, turribus, quæ iuxta Prophetam alium, gemmis ædificabuntur, vbi adipe frumenti, non cortice Sacramenti satiabit nos Deus. Quòd si nihil deerit nobis, aliquid autem nos latuerit, nunquid erit gloria consummata? Ideo nihil latebit nos, & ecce sapientia, qua curiositas hominis satietur. O sapientia, qua tunc omnia, quæ in cælo, & quæ in terra sunt, perfectissimè cognoscemus, in ipso fonte sapientiæ rerum omnium cognitionem bibentes. Non metuam suspiciones, non timebo consilia, quia ciuitas illa (iuxta Ioannem) purissimo vitro similis erit, Apoc. 21 vt sicut per vitrum lucidissimè cernimus: sic aliorum conscientias clarissimè videamus. Quid si & nihil defuerit, & nihil latuerit, maneat autem timor & anxietas amittendi? Ideo nihil terret, & ecce potentia, qua humana infirmitas roboretur. *Qui posuit,* inquit, *fines tuos pacem, & confortauit seras portarum tuarum,* Psal. 147 ita vt nullus inimicus intret, nullus exire possit amicus. Vbi ergo summa abundantia, summa sapientia, summa potentia est, puto quòd nihil desit plenitudini beatitudinis, quantum spectat ad summam felicitatis humanæ.

De Meditatione capite quarto: Præmium est videre Deum, viuere cum Deo, esse cum Deo, esse in Deo, qui *erit omnia in omnibus:* habere Deum, qui est summum bonum. Et vbi est summum bonum, ibi est summa felicitas, summa iucunditas, vera libertas, perfecta charitas, æterna securitas, & secura æternitas: ibi est vera lætitia, plena scientia, omnis pulchritudo, & omnis beatitudo.

Est ibi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas,
Gaudia lætitia, dulcedo, vita perennis,
Gloria, laus, requies, amor, & concordia dulcis.

Sic cum Deo homo beatus erit, in cuius conscientia peccatum inuentum non fuerit. Videbit Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad iucunditatem. In æternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit. Sicut habebit permanendi æternitatem, sic cognoscendi facilitatem, & requiescendi felicitatem. Ciuis siquidem erit illius sanctæ ciuitatis, cuius Angeli ciues sunt, Deus Pater templum, Filius eius splendor, Spiritus sanctus charitas. O ciuitas cælestis, mansio secura, patria fertilis & ampla, totum continens quod delectat, populus sine murmure, incolæ quieti, homines nullam indigentiam habentes. *Quàm gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei: sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Psal. 86. *Omnes lætantur in lætitia & exultatione,* omnes delectantur de Deo, cuius aspectus pulcher, facies decora, eloquium dulce. Delectabilis est ad videndum, suauis ad habendum, dulcis ad perfruendum: ipse per se placet, & per se sufficit ad meritum, sufficit ad præmium, nec extra illum quicquam quæritur: quia totum in illo inuenitur quicquid desideratur. Semper libet eum aspicere, semper habere, semper in illo delectari, & illo perfrui. In illo clarificatur intellectus, & purificatur affectus ad cognoscendam, & diligendam veritatem. Et hoc est totum bonum hominis, nosse scilicet & amare Creatorem suum. Quæ ergo nos angit vesania, vitiorum sitire absynthium, huius mundi sequi naufragium, vitæ labentis pati infortunium, impiæ tyrannidis ferre domi-

nium, & non magis conuolare ad Sanctorum felicitatem, ad Angelorum societatem, ad solennitatem supernæ lætitiæ, & ad iucunditatem contemplatiuæ vitæ, vt possimus intrare in potentias Domini, & videre superabundantes diuitias illas bonitatis eius? Ibi vacabimus, videbimus quàm dulcis est Dominus, & quàm magna multitudo dulcedinis eius. Videbimus gloriæ decorem, Sanctorum splendorem, & regiæ potestatis honorem: cognoscemus Patris potentiam, Filij sapientiam, Spiritus sancti benignissimam clementiam: & ita habebimus notitiam illius summæ Trinitatis. Nunc corpora per corpus videmus, imagines etiam corporum spiritu cernimus: tunc verò ipsam Trinitatem puro mentis intuitu videbimus. O beata visio videre Deum in seipso, videre in nobis, & nos in eo felici iucunditate, & iucunda felicitate. Quicquid desiderabimus, totum habebimus, nihil amplius desiderantes. Et quicquid videbimus, amabimus, ipso amore beati. Beati dulcedine amoris, & suauitate contemplationis. Hæc erit summa illius contemplationis, hæc erit summa illius felicitatis, quoniam intelligetur in suo puro esse syncera diuinitas: comprehendetur in ea incomprehensibilis Trinitas. Patebunt arcana diuinitatis, videbitur & amabitur Deus, & hæc visio, & delectatio totum cor hominis implens & satians, tota erit illius beatitudinis consummatio. Vna erit omnium lingua, iubilatio indefessa, vnus affectus, amor æternus. Patebit veritas, implebitur charitas, & erit integra corporis & animæ societas, fulgebit sicut sol humanitas glorificata. Quieta erit & concors carnis & spiritus societas. Angelorum & hominum vnum erit gaudium, vnum colloquium, vnum conuiuium, &c. Erit communis omnium omnipotentia, sapientia, pax, iustitia, & intelligentia. Non erit in illa pace diuersitas linguarum, sed pacifica & concors concordia morum & affectuum. In torrente illius voluptatis nihil vltra appetet cumulata satietas, tanta erit felicitas. Ibi siquidem erit cumulus felicitatis, supereminens gloria, & superabundans lætitia. Sed ad hæc quis idoneus? Profectò verus pœnitens, bonus obediens, amabilis socius, fidelis socius.

Petrus Lombardus. 1140.

Libro 4. dist. 49. Omnes ergo cuncta illa videbunt, quorum cognitio seruit beatitudini, sed in modo viuendi different: alius enim alio magis, alius alio minus fulgebit.

Petrus Cluniacensis. 1140.

Libro 1. contra Petrobrusianos epist. 2. Nec enim vltra beatos illos esse pauperes oportebit, nequaquam esurire corporaliter vel sitire, nequaquam flere vel gemere, nequaquam persecutionem pro iustitia pati, & his similia, bonum (vt dixi) meritum comparentia: sed tamen excellentius bonum (quod mercedem præcedentium bonorum vocaui) eis deesse non poterit, quod beatus ille, quicunque fuerit, cælicola æternaliter obtinebit.

Lib. 9. epist. 40. Quæ iucunditas illa, miseris mortalibus ignota? qua torrente voluptatis ipsius potatæ, insatiabili satietate, ab illo, apud quem est fons vitæ, post has tam densas, tam odibiles Aegypti tenebras, in lumine eius videbitis lumen?

Otto Frisingensis. 1150.

Libro 8. Chronicorum cap. 31. Nunquid omnes æterna illa beatitudine pari modo, pariter omnes fruuntur, iuxta illud parabolicum, vbi omnes in vinea Domini non æqualiter desudantes, æqualem operis mercedem, tanquam singulos denarios recepisse feruntur? Sed quomodo intelligemus ipsius Domini testimonium dicentis: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Et illud Apostoli: *Alia claritas Solis, alia claritas lunæ: & sicut stella à stella differt in claritate, sic erit & resurrectio mortuorum?* Verum est igitur quod singuli singulos denarios accipiunt: & verum est, quòd diuersas mansiones inhabitantes, alius alio clarior existat: quia omnes quidem in vnam beatitudinem recipientur, sed pro qualitate meritorum, diuersas ibi mansiones sortientur. Nam & Dominus non in domibus, sed in vna domo mansionum hanc varietatem esse dicens, vnam fore beatitudinem, sed in beatitudinis fruitione distantias ostendit. Quod etiam in præsenti videmus, vbi in vna Ecclesia diuersis dignitatum ordinibus, alium alio clariorem, alium alio superiorem conspicimus.

Matt. 20 — Ioan. 14. — 1. Cor. 15.

Cap. 35. Nunc videndum est, quæ illius patriæ sit beatitudo. Non enim credendum est, animas exutas corpore, vel post resumpta spiritualia corpora, Angelicis spiritibus puritate ac dignitate non inferiores, rebus exterioribus sicut in hac vita delectari. Proinde sicubi sacra Scriptura floridis & & virentibus campis, amœnis locis, garritu auium, odoriferis rebus, vtpote cynamono & balsamo, sensus eorum refici & affici dicit, spiritualiter hoc potius, quàm carnaliter accipiendum videtur. Quamuis & propter simplices, qui lacte, non solido cibo alendi sunt, quorum sensus nondum exercitati, spiritalem iucunditatem comprehendere nequeunt, hæc frequenter à quibusdam Doctoribus ponantur, vt sic per visibilia ad inuisibilia cognoscenda & inquirenda mittantur.

Petrus Cellensis. 1160.

Libro de Panibus cap. 7. Sic liber, futuri status initia, quasi præludio quodam contrectare tentabis. O Deus, quid ibi tu facis, quid Angelus, quid anima? Qui sermones tui ad Angelum, quæ confabulationes ad animam? Quid, & de quibus opponunt tibi Angelus & anima? Est ne quod interrogent, cùm palam de Patre annunties eis omnia? Estne quod ignorent de futuris, obliti sint de præteritis, non capiant de præsentibus? Quid ibi clausum, quid non reseratum? Sed quare ibi aliqua absconderentur, cùm adsint omnes amici, omnes absint inimici? Inuidia neminem tangit, elatio nullum extollit, ira non perturbat, luxuria non tentat, gula non vrget, ambitio non torquet, omne vitium non apparet, omne malum deficiendo vel refugiendo contabescit & languet. Regnat vbique concordia, per singulas discurrit mansiones humilitas, sedet beneuolentia in medio, eminet in turribus castitas, disponit sobriè omnia sobrietas, sufficientia singulis sufficienter ad nutum administrat, sanitas portas obseruat, charitas seu bonitas omnium stationes & tabernacula illustrat.

Iacobus Vitriacus. 1220.

Dominica 4. in Quadragesima: De dotibus scilicet corporum glorificandorum aliquantulum subiungamus. Erunt enim splendida, subtilia, agilia, & impassibilia. Splendida sine obscuritate, subtilia sine corpulentia & grossitudine, agilia sine ponderositate & tarditate, impassibilia sine corruptione & dissolutione. Fulgebunt enim iusti per claritatem, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent per agilitatem, & regnabit Dominus illorum in perpetuum, & ipsi regnabunt cum illo in æternum per impassibilitatem. Ipsi enim *sicut Sol fulgebunt in regno Patris eorum*, splendidi & impassibiles, sicut Sol nulli subiacet corruptioni.

Guilhelmus Aluernus. 1230.

Primæ partis de Vniuerso par. 2. cap. 23. Quòd nec

mento indigeant in statu felicitatis illius corra glorifica.a, inde manifestum est, quia omne nutrimentum, sicut alibi didicisti, est restauratio us quod fluit de corpore nutribili per motum, consumptionem caloris naturalis. Quia igitur huiusmodi dissolutio, vel consumptio locum non habet in huiusmodi corporibus, manifestum est, quoniam neque nutrimentum.

De Retributionibus Sanctorum cap.1. Retributio sanctorum dicitur secundùm suum principale, nò secundùm suum totum, gloria animarum, sicut sentire videtur Augustinus. Gloriam enim corporum, non partem beatitudinis, sed redundantiam eiusdem vocat, his verbis: Tanti, inquit, fecit Deus animam rationalem, vt ex beatitudine illius non beatitudo, quæ fruentis, & intelligentis est propria, sed sanitas incorruptionis in inferiorem naturam, id est, corpus, redundet. Tota ergo beatitudo, quæ Sanctis promittitur, animarum est sic fruentis, & intelligentis propria. Sola autem anima fruens, & intelligens est, vt patet ex verbis eius. Secunda igitur stola, quæ est gloria corporum, nec beatitudo est propriè, nec pars beatitudinis: est tamen pars totius remunerationis, id est, totius boni, quod Sanctis in fine dabitur, &c. Nominatur autem ista beatitudo in primis beatitudo, & hoc est, quia ipsa est desideriorum omnium plenitudo, &c. Dicitur & vita æterna ab ipsa Veritate in Euangelio Ioan. 17. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te, & quem misisti Iesum Christum.* Et dicitur vita æterna, quia multum contraria est temporali. Sicut enim temporalis tota fluit, & euanescit, & nihil habet stans: sic illa recta tota stat in soliditate perpetuitatis suæ, & nihil habens fluent. Et sicut illa totum habet cum morte commune, & vitam quasi in puncto solo contingit: ita illa tota seorsum est à morte, ex [illegible] tota vitam primam contingens, in nullo morti approximat.

Albertus Magnus. 1240.

Ad cap. 5. Matth. Hoc est cælum, in quo Sancti habitabunt in gloria. Quia licet cælum sit respectu terræ, in qua habitant morientes: tamen terra dicitur respectu superioris cæli, in quo Trinitas habitat, quod dicitur cælum Trinitatis.

Vincentius Burgundus. 1245.

In speculo Historiali libro 32. cap. 23. Dicitur corpus spirituale, non quia conuertatur in naturam spiritus: sed quia spiritui simile erit, incorruptibile, & agile, & etiam subtile: corpora scilicet omnia non glorificata penetrans, alimonia quoque non indigens, sed solo spiritu viuificatum, & sustentatum, & absque vlla repugnantia spiritui obediens. Qui verò motus illic talium spirituum futuri sint, definiri non audeo. Naturæ enim & motus, & status, sicut & species, decens erit: vbi quod non deceat, non erit. Sanè vbi voluerit spiritus, ibi protinus erit corpus sine mora temporis, aut impedimento ponderis: habebit tamen quoddam pondus suum.

Cap. 26. Quanta erit ibi felicitas, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus: quia *erit omnia in omnibus.* Nam quid aliud ibi agetur, vbi nulla desidia cessabit, nec vlla indigentia laborabitur, nescio. Vnde *beati qui habitant in domo tua Domine, &c.* Omnia enim membra & viscera corporis glorificati proficient laudibus Dei.

Cap. 28. Hanc certè beatam Sanctorum vitam facilius est consequi, quàm enarrare: cuius erit cursus sine termino, vsus sine fastidio, sub antiquis, perpetuisque gaudijs semper noua iucunditas, & sine vllo amittendi periculo perfecta felicitas. Constat autem felicitatem esse rerum omnium optandarum plenitudinem. Illic ergo implebitur, quod voce Dominica dicitur: *Mensuram plenam & confertam, &c.* Mensura dicitur, quia secundùm qualitatem & quantitatem metiri præmium dabitur: bona, quia isto præmio nihil melius inuenitur: conferta, id est, referta, quia nulla pars animæ vel corporis, nullusque angulus remanebit, qui repletus non sit: coagitata, quia vndique gaudium erit, scilicet intus in conscientia, supra in Deo, infra in cælo, & in cæteris creaturis: iuxta verò in sanctis hominibus & in Angelis: superfluens quoque, quia supra omne meritum erit, & etiam supra omnem sensum & desiderium. Vnde scriptum est: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, &c.* Tunc Sanctorum voluntas omnino voluntati Creatoris penitus inhærebit, & ob hoc à iustitiæ regula penitus deuiare non poterit. Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt, magis quippe tunc liberum erit à delectatione peccandi indeclinabile liberatum. Eo enim potentius erit, quò peccare non poterit.

Thomas Aquinas 1250.

In Compendio Theologiæ cap. 168. Erunt hæ quatuor conditiones corporum beatorum, subtilitas, claritas, impassibilitas, & agilitas. Vnde Apostolus 1. Cor. 15. dicit: *Corpus, quod in morte in [illegible] ... in incorruptione surget.*

Prima secunda quæst. 97. art. 2. In vltimo statu post resurrectionem anima communicabit quodammodo corpori ea, quæ sunt sibi propria, in quantum est spiritus: immortalitatem quidem, quantum ad omnes: impassibilitatem verò, & gloriam, & virtutem, quantum ad bonos: quorum corpora spiritualia dicentur. Vnde post resurrectionem homines cibis non indigebunt, sed in statu innocentiæ ijs indigebant.

Quæst. 5. artic. 2. In ratione beatitudinis duò includuntur, scilicet ipse finis vltimus, qui est summum bonum, Deus scilicet, cuius fruitione sunt homines beati: sed quantum ad adeptionem huiusmodi boni, vel fruitionem, potest aliquis alio esse beatior: quia quanto magis hoc bono fruitur, tanto beatior est. Contingit autem aliquem beatius frui Deo, quàm alium, ex eo, quòd est melius dispositus vel ordinatus ad eius fruitionem, & secundùm hoc potest aliquis eo beatior esse.

Ægidius Romanus. 1280.

Libro 2. Hexame. cap. 23. In ipso cælo empyreo quasi in quadam flamma, non ab ardore, sed à splendore corpora erunt beatorum longè lucidiora isto cælo, & erunt quasi quidam soles, & quasi quædam stellæ illius cæli se mutuo videntia in ipso cælo: quia propter diaphanietatem, & propter splendorem propriorum corporum vnum non celabitur alteri, sed simul gaudebunt, & lætabuntur in mutua visione.

Hugo Pratensis. 1300.

De Euangelio Dominicæ Resurrectionis: Nunc videamus, in quo principaliter consistat beatitudo, & cuius sit, scilicet animæ, vel corporis, & quæ sint dotes corporis. Ad quod dicendum, quòd beatitudo consistit principaliter in cognoscendo, & amando Deum, & possidendo. Et ideo beatitudo erit in anima, quæ Deum per essentiam cognoscet, & non per aliquam similitudinem: & ipsum perfectè amabit, tanquam summum bonum: & perfectè possidebit in [illegible], tanquam proprium & intrinsecum bonum. Corpus autem talem beatitudinem non habebit, sed habebit dotes suas. Quia namque corpus in omni bono opere cooperatum est animæ, habebit quatuor dotes: quæ sunt: agilitas, vt subitò feratur quocunque anima velit: impassibilitas, vt à nulla re possit lædi, vel pati: subtilitas, ita vt montes penetret: & claritas delectabilis

bilis & perspicua, non lędens oculos, vt claritas solis, Ita quòd in ipsa claritate corporis claritas animę cognoscetur, vel gloria: quia anima magis beata clarius corpus habebit, vt quòd quilibet possit cognoscere gloriam aliorum: & omnia prædicta habebit corpus ex redundantia gloriæ animæ in corpus.

Nicolaus Lyranus. 1320.

Ad cap. 14. Ioan. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*: Domus Patris hic vocatur gloria cælestis, in qua sunt multi gradus, & distinctiones. Quia quamuis sit idem obiectum beatitudinis, nullam diuersitatem habens, tamen ex parte beatorum est diuersitas, in participando istud obiectum, secundùm varietatem meritorum: quia aliqui vident alijs clarius, & fruuntur perfectius, secundùm maioritatem habitus charitatis, quę facit animam capacem obiecti beatitudinis.

Ludolphus Saxo Carthusianus. 1330.

Vita Christi parte 2. cap. 88. Gaudebunt Sancti supra se de Dei visione: infra se de cæli & creaturarum pulchritudine: intra se de corporis & animi glorificatione: iuxta se de Angelorum & hominum associatione. In tantum namque gaudebit quisque de bono alterius, quantum de bono proprio. Ibi etiam singuli à singulis cognoscentur, & videbit vnusquisque cogitationes alterius prout vult, &c. Corpora Sanctorum non æqualiter erunt clara: quia melior anima corpus lucidius habebit.

Thomas Argentinensis. 1350.

Libro 4. distinct. 49. quæst. 1. Defunctorum quidem resurrectione peracta, viuentium corpora clarissima, lucidissimaque, ac impassibilia splendescent: quorum sanè splendor non glorificatis etiam oculis haud erit vsquequaque inuisibilis. Itidem agillima quoque, & subtilissima, vt cuncta scandant corpora, atque ad empyreum cælum vsque penetrabunt.

Petrus Aliacus. 1410.

In Speculo considerationis parte 3. cap. 11. Duodecim priuilegia beatorum post generalem resurrectionem corporum figurantur: videlicet sanitas sine infirmitate, iuuentus sine senectute, impassibilitas sine morte, pulchritudo sine deformitate, libertas sine seruitute vel coactione, pax sine turbatione, securitas sine timore, satietas sine fastidio vel esurie, abundantia sine indigentia vel paupertate, cognitio sine ignorantia vel errore, gloria sine ignominia vel dedecore, gaudium sine tristitia vel dolore.

Ioannes Gerson. 1420.

In Summa de gaudijs Paradisi libro 6. Corpus gloriosum resurget cum luminositate, ita vt vnum corpus aliud possit videre, & amplexari: gustus & odoratus non erunt in patria, quia obiecta eorum non sunt proprietates corporis absolutè, sed emanationis, sicut odor & sapor.

Laurentius Iustinianus. 1430.

De disciplina & perfectione Monasticæ conuersationis c. 17. Erimus quandoque etiam nos iuxta Domini pollicitationem sanctis Angelis similes: quando Dominus Iesus tradiderit regnum Deo & Patri, atque euacuauerit omnem principatum, & virtutem. Tunc enim videbimus eum sicuti est; tunc laudabimus perfectè, amabimus ardenter, vacabimus actualiter, inhærebimus indissolubiliter, iucundabimur lætanter, satiabimur sufficienter, & transformabimur totaliter. Erit namque tunc Deus omnia in omnibus. Nam nihil in nobis à laude cessabit. Erit enim rationi Dei sapientia, plenitudo lucis: erit affectioni Dei bonitas & clementia, multitudo pacis, & superabundantia dilectionis: erit memoriæ Dei mira essentia & maiestas, continuatio fruitionis. Erit quippe tunc in cęlesti gloria læta societas, concors voluntas, communis felicitas, sempiterna libertas, secura tranquillitas, indiuisibilis honestas, plena pax, vera dilectio, mutuus amor, vna gloria, eadem mansio, & impertubabile regnum.

Cap. 23. Cùm in hac vita degit *(anima,)* & peregrinatur à Domino, animalis naturæ est: post veræ resurrectionis gloriam tota spiritualis efficietur ita vt omne solidum ei sit peruium. Non claustris teneri poterit inclusa, non vinculis religata, non restricta custodibus: sed liberam ingrediendi & egrediendi vbique recipiet facultatem.

De casto connubio Verbi & animæ cap. 5. Vt tantis suasionibus præbeamus assensum, & ne inuitantis sponsi monita negligamus, erigenda est mentis acies ad inuestigandum quanta & qualia sint, quæ nobis proponuntur in præmium, quatenus tum ex consideratione remunerationis, tum ex amplissima charitate largientis, omnis interioris hominis affectus ad ea capessenda se dirigat. Magnitudo namque mercedis aufert tædium laboris, & amori præstat additamentum. Cui autem peregrinanti, laboranti, patienti leuamen non irrogabit, cùm audit: *Non sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis?* Cuius amantis non elangueat præ iucunditate cor, cùm Prophetam audit dicentem: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, &c.* Et illud: *Beati, qui habit. in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te?* Cuncta ibi magna, omnia delectabilia, omnia perfecta, quamuis beata: magna ciuitas, delectabilis conuiuentium vnitas, perfecta corporis animęque immortalitas, & beata diuinæ visionis satietas. Ciuitas quidem hæc ciuitas magna, aspectu grata, ab hostibus secura, à doloribus aliena, à perturbatione extranea, à morte liberrima: nil immundum in ea est, nil sordidum, nil corruptione obnoxium: totum in illa placet, totum lucet, totum arridet: plateæ eius auro mundo sternuntur: portæ ex sapphyro & smaragdo ædificantur, ex lapide pretioso omnis circuitus muri eius: super turres, super muros custodes constituti sunt, qui die noctuque nomen Domini laudare non cessant: sed & per plateas, vicosque mirabili exultatione ab vniuersis Alleluia cantatur. Non indiget Solis aut lunæ lumine, vt illustretur: quoniam claritas Dei illuminat eam, & lucerna eius Agnus est. Fulget enim claritate, amœnitate floret, æternitate viget, & mirabili dilatatur immensitate: sine consummatione magna est, sine comparatione pulchra, sine defectu conspicua, sine oppositione præclara. Ibi virgines, quæ nescierunt thorum in delicto, omnes auro textis ornatæ cicladibus choreas ducentes, sponsique vestigia imitantes, hymnos amoris personare noscuntur, &c. In illa denique inuictissimi regis ciuitate nullus tristis, nullus inuidus, nullus ignobilis inuenitur. Omnibus omnia communia, cuncta nota, quæque manifesta sunt. Vniuersi de vno potantur voluptatis fonte, de vno irradiantur veritatis lumine, & in vno copulantur vinculo charitatis. Ideo nil proprium habent, nil priuatum quærunt, quin potius non minus alieno, quàm suo congaudent bono. Vicissim dona communicant, participant bonis, quia vna visione fruuntur. Dispar quidem gloria, at concors illis est desiderium voluntatis. Omnis ipsorum affectus, omnis actio in Dei cognitione & dilectione subsistit. Singuli quoque in illa terra viuentium duplicibus vestientur. Corporibus quippe inerit iucundus splendor, & immortalitatis decor, &c. Omnia namque huius cor-

pusculi membra quendam diuinæ bonitatis personabunt concentum: ita vt nihil à Dei laude videatur alienum. Nulla deformitas, nulla membrorum erit inæqualitas. Videbunt enim oculi regem in decore suo, & in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis suæ, & in die lætitiæ cordis illius. Sicque singula singulis decorabuntur ornamentis. In plenitudine ætatis Christi: in perfectione gloriæ fiet tunc vera resurrectio mortuorum. De cætero nullus luctus, nullus clamor in illa perstrepet ciuitate: sed lætitiæ vox, exultationis laus, gratiarum exhibitio, benedicentium vota, &c. Angelorum, animarumque æqualis erit gloria, eadem visio, vna societas, vnanimis affectio, similis actio, quamuis Angelorum natura longè sit sublimior. Quod autem minus deerit, supplebit gratia Conditoris. Videbitur Deus in se, & cuncta in ipso: quia erit omnia in omnibus. Hoc erit hæreditas filiorum Dei: hoc pauperum, mitium, esurientium, lugentium, miserantium, mundorum, pacificorum, persecutiones patientium præmium. Cuncti sacerdotes, omnes reges, vniuersi diuites, singuli potentes, quique sapientes existent. Non minorabitur ex conuiuantium numerositate cumulus felicitatis, non ex graduum diuersitate affectus charitatis: Æquè paruus vt magnus beatus erit. Singuli in suo ordine, & de propria mensura lætabuntur. Non sexus, non conditio, non officia, non dignitates: sed merita discernentur. Iuxta mensuram charitatis cuique dabitur corona mercedis.

Ioannes de Turre Cremata. 1460.

Tractat. 36. in Regulam Benedicti. Duodecim considerationes sunt vitæ æternæ, quæ discipulum mouere ad concupiscentiam illius maximè debent. Prima est, quòd illa sola est vera vita, cùm sit æterna. Secunda, quia in illa æterna vita possidetur sanitas sine quacunque infirmitate, molestia, aut passione. Tertia, quia in illa est pulchritudo sine quacunque deformitate: *Fulgebunt enim iusti sicut sol in regno Patris mei,* dicit Christus, Matth. 13. Quarta consideratio est, quòd in illa vita est copia omnium bonorum, Deuter. 8. *Rerum omnium abundantia perfrueris.* Quinta, in illa vita est satietas & adimpletio desideriorum, sine quocunque defectu. Sexta, in illa vita est securitas & pacis tranquillitas sine timore quocunque. Septima, in illa vita habebitur visio beata clarissima & iucundissima diuinitatis. Octaua, in illa vita est delectatio summa: si enim amplexus sponsi delectant sponsam, summè putandus est delectabilis amplexus Dei, qui summum est bonum, fons dulcedinis & suauitatis. Nona, in illa vita est sapientia & plenissima cognitio absque ignorantia. 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Decima, in illa vita viuentes, summo ibi honore & gloria sublimantur. Vndecima, in illa vita æterna est iucunditas ineffabilis. Duodecima, in illa vita est laus interminabilis.

Rupertus de Lycio. 1480.

De Beatitudine Sanctorum Sermone 2. cap. 9. Procedet lætitia beatis propter tria. Primò, propter loci luminositatem. Illud enim cælum erit lumine plenissimum, & omni iucunditate gratiosum: ideo clamat Tob. cap. 13. *Beatus fuero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndum claritatem Hierusalem.* Certè si esset possibile vnam animam videre gaudia illius vitæ, certè despiceret infinita gaudia huius mundi. Secundò procedet beatis lætitia propter loci puritatem: non erunt ibi caligines, non lutum, non fœtores, nunc calores, non frigora, non malitia, non tormenta, & odia: sed tota puritas, sanctitas, lætitia. Tertiò procedet beatis lætitia propter loci magnitudinem. Si quis velit comprehendere magnitudinem illius patriæ cœlestis, incipiat ab his inferioribus numerare. Considera primùm terram, aërem, aquam, ignis sphæram, lunam, stellas, cælum empyreum, istorum quodlibet alterum in decuplo superat in magnitudine, & pulchritudine. Baruch 3. *O Israel quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius.* Qualiter verò accedat ad lætitiam Sanctorum esse in cælo, satis constare potest ex his, quæ dicuntur in sermone de animæ rationalis admirandis prærogatiuis.

Baptista Mantuanus. 1500.

De Patientia lib. 3. cap. 26. Paradisus noster sua redundantissima voluptate sic omnem voluptatis appetitum inebriat, vt liberum arbitrium in ea positum peccandi facultate priuetur. Quod tamen non est libertatem minui, sed augeri: longè enim præstantior est libertas, ea tantùm velle posse, quæ displicitura sint nunquam, quàm ea etiam velle posse, quæ aliquando nolle sit necesse. Tunc erit Deus omnia in omnibus, hoc est, quicquid singuli desiderabunt, suppeditabit Deus. Quia tanta dulcedine mentibus nostris illabetur, vt perfectè compleatur, quod dicitur à Propheta: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua:* vel, vt in Hebræo est, *imago tua.*

Cap. 27. Videbunt (*beati*) cælos, ac omnem cælorum harmoniam percipient: videbunt & ipsum Christum, & Matrem, & omnia omnium beatorum corpora gloriosa: quæ iam incorruptibilia, & mirabili decore conspicua fient intuentium oculis tam dulce spectaculum, vt quod desiderari melius possit, nescituri sint. Id quoque erit visu iucundissimum, quòd sicut nunc ex motu corporis animam inesse percipimus, & vegetare, ac regere membra corporea, sic tunc cælo, & elementis, & rebus omnibus Deum esse intimum, & in qualibet vniuersi parte totum conseruare, alere, ac gubernare mundi hanc machinam, non dubio cernemus intuitu. Nunc id satis ratio persuadet, & credimus, tamen præ inscitia nostra naturali non perpendimus; tunc autem oculos circumquaque vertentes id perpendemus. Tanta enim erit vis in oculis, tam acuta videndi acrimonia, vt & corporum nostrorum, ac elementorum, & cæli quantitates, numeros, proportiones, harmonias, symmetriam, ac naturam omnem beati visu penetrantes, inebriandi sint ab vbertate domus Dei, & dicturi: *Hæc requies mea seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.* Adde quòd beatis nihil erit inuium, nihil clausum, nihil inaccessum: sed mira subtilitate ac agilitate corporis illuc etiam sine pedum ministerio ferentur, quò desiderabit ardor voluntatis: sic erit animæ imperio corpus obediens & subditum, vt ascensui nulla moles, nulla continuo motui lassitudo, nullus denique labor obsistat.

(* * *)

LIBRI DECIMI ET VLTIMI FINIS.

(* * *)

ART. 1741445

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

oogle